## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

+ *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
+ *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
+ *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
+ *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página `http://books.google.com`

Digitized by Google




Digitized by Google

*Leges, Volumina ex Bibliotheca nostra commodato accepta, lecturis. Secundum auspicia lata Lictor Lege agito in Legirupionem. Mas vel Fœmina ſuas, hac tibi lege, Codicis istius usum, non interdicimus.*

I. HUnc ne Mancipium ducito. Liber est: ne igitur notis compugito. II. Ne cœsim punctimve ferito: hostis non est. III. Lineolis, intus, forisve, quaquaversum, ducendis abstineto. IV. Folium ne subigito, ne complicato, neve in rugas cogito. V. Ad oram conscribillare caveto. VI. Atramentum ultra primum exesto: mori mavult quam ſœdari. VII. Purœ tantum papyri Philuram interserito. VIII. Alteri clanculum palamve ne commodato. IX. Murem, tineam, blattam, muscam, furunculum absterreto. X. Ab aqua, oleo, igne, situ, illuvie arceto. XI. Eodem utitor, non abutitor. XII. Legere, et quævis excerpere, fas esto. XIII. Perlectum, apud te perennare ne sinito. XIV. Sartum tectumq., prout tollis, reddito. XV. Qui faxis, vel ignotus amicorum albo adscribitor: qui secus, vel notus eradetor. Has sibi, has aliis præscribit leges in re sua, Ordinis Hyeresolimitani Eques Dux Thomas Vargas Macciucca. Quoi placeas annue, quoi minus, quid tibi nostra tactio est? Facesse.

Digitized by Google

Digitized by Google

VIRI QVONDAM ILLVSTRIS

POLYHISTORIS CELEBERRIMI, MEDICINAE AC POLITICES IN ACADEMIA JVLIA, QVAE HELMSTADII EST, PROFESSORIS MERITISSIMI,

MVLTORVM REGVM AC PRINCIPVM CONSILIARII,

# TOMVS III.

CVIVS ELENCHVS POST PRAEFATIONEM CONSPICITVR, CONTINENS

# POLITICA,

INPRIMIS

CLARAMONTIVM

DE

CONIECTANDIS CVIVSQVE MORIBVS ET ANIMI ADFECTIBVS,

DE PRVDENTIA CIVILI

ET ARISTOTELIS POLITICA,

CVRANTE

COMMENTARIISQVE SVIS HÆC OPERA PASSIM AVGENTE ET ILLVSTRANTE

WILHELMO GOEBELIO

IN ACADEMIA JVLIA JVRECONSVLTO, REGIÆ SCIENTIARVM SOCIETATIS BEROLINENSIS MEMBRO.

ET LVNEBVRGENSIVM.

---

BRVNSVIGÆ,
SVMTIBVS FRIDERICI WILHELMI MEYERI. MDCCXXX.

Digitized by Google

Digitized by Google

# PRAEFATIO

## *ad Tomum III. Operum Conringianorum.*

In hoc Tomo primum ſibi vindicant locum *tres de Politicis ſcriptoribus diſſertationes.* Id certum, non levibus eas laborare defectibus, quibus quidem nos mederi allaboravimus, ſed typographi feſtinatione impediti id, quod in votis habebamus, plene exſequi non potuimus. Scriptum *de auctoribus politicis*, hactenus deſideratum, benevole nobiscum a ſumme Reverendo REIMMANNO, Theologo & Polyhiſtore celeberrimo, communicatum, primo in lucem edimus. Ceterum hic in uſus vocari poſſunt, quæ BOECLERVS peculiari *de prudentia civili* commentatione *Tomo IV. Opp.* & MORHOFFIVS *in Polyhiſtore T. III. L. II.* recenſent: Quo etiam ſpectant BOSII diatribe iſagogica *de prudentia civili comparanda;* CORNEL A BEVGHEM *bibliographia politica & juridica;* SARCMASII ſeu C. S. SCHVRTZFLEISCHII *judicia* de noviſſimis prudentiæ civilis ſcriptoribus, quæ novæ librorum rariorum collectioni Halæ 1710. inſerta ſunt; JOH. GEORGII JOCHII *prodromus bibliothecæ politicæ;* CAROLI ARNDII *bibliotheca politico-heraldica;* CAROLI ARNDII jun. *bibliotheca aulico-politica ſelecta;* GEBHARD THEODORVS MEIER *in præfatione*, analyſi librorum politicorum Ariſtotelis præmiſſa. Circa SCIOPPII *Pædiam politices* notandum occurrit, quod in ea apologia pro Machiavello reperiatur. Scioppio jungitur NAVDAEI *bibliographia politica.* Hoc ſcriptum in gratiam Protonotarii apoſtolici Jacobi Gaffarellæ concinnatum, per Baronem Friſium, Wittebergam ad Buchnerum eſt delatum, qui illud in Germania anno 1636. primum publici fecit juris, quam editionem inſecuta eſt Auctoris noſtri de anno 1673. Quod ad Naudæum ipſum attinet, eum tanta eruditionis laude inclaruiſſe, mirum non eſt, cum Cardinalium Franciſci a Balneo, Barberini, Mazarini, & tandem Reginæ Sueciæ CHRISTINAE, Romæ degentis bibliothecæ præfectus fuerit. Aliqui ipſum naturaliſmi, alii atheiſmi accuſant. De aliis ejus ſcriptis videndus MORHOFFIVS *in Polyhiſtore*, qui memorat quoque, quid Conringius in eo deſideraverit; qui nihilominus in Tractatu *de omnibus ſcriptoribus Politicis* eum inſigni mactavit elogio. Ob argumenti adfinitatem COLERI *epiſtola de ſtudio politico*, Naudæi bibliographiæ ſubjuncta eſt. Fateor, in illa epiſtola futurum politicum probe inſtrui, non tamen omnia, quæ in eo requirantur, ibi tradi.

Coleri epiſtolam excipit CLARAMONTIVS *de conjectandis latitantibus animi adfectibus.* Naudæus ipſum vocat Flaminiæ decus æternum. Sed omiſſis aliorum, quæ de hoc autore prodita ſunt, elogiis, MORHOFFII tantum de libro citato adponamus judicium: *Exſtat*, inquit, *aureus plane liber Claramontii de conjectandis latitantibus animi affectibus. Sed is non tam ad ethicos, quam ad phyſiognomos pertinet, ad converſationem tamen civilem eſt accommodatiſſimus*, Polyhiſtor. Tom. III. Lib. I. §. II. Non minor hujus libri uſus erit in foro juridico, inprimis criminali, ut oſtendit STRYCK in Diſſert. *de Phyſiognomia.* Interim judex ei non magis, quam par eſt, tribuere debet. Frons ſæpe fallax eſt. Mala enim indoles, cu-



Digitized by Google

jus notæ in vultu adparent, bona educatione corrigi poteſt; & bona indoles, cujus ſigna in fronte exſtant, prava educatione & ſeculo ſæpe corrumpitur.

Præmiſſis theſibus *de civili prudentia*, librum de hoc argumento ſubjecimus. Omnium ore ut perfectiſſimum in hoc genere ſcriptum celebratur; laudibus illud ſummis MORHOFFIVS & THOMASIVS, ut alios ſileam, quam plurimos efferunt. *Propolitica* a nobis ideo omiſſa ſunt, quia nihil, quam illud, quod in allegato libro latius traditum eſt, in compendio referunt: quod & MORHOFFIVS diffiteri non poteſt.

Sequuntur ARISTOTELIS LIBRI POLITICORVM cum iis, quæ CONRINGIVS ad eos commentatus eſt. Egregium ſane eſt opus: Negari tamen non poteſt, in illo non una deſiderari: Quorum quædam HERTIVS *in elementis prudentiæ civilis* notavit. Inprimis obſervari meretur, flagitia dominationis, quæ in MACHIAVELLI *Principe* ob oculos poſita ſunt, pleræque in libro IV. V. & VI. politicorum indicari. Ex illis, qui præter Conringium commentarios in hocce opus conſcripſerunt, celebriores ſunt PICCARTVS, CAMERARIVS, GIFANIVS, PETR. VICTORIVS, SEPVLVEDA, ACCIAIOLVS, MONTECATINVS. Deperditos Ariſtotelici operis libros ſupplere conatus eſt CYRIACVS STRAZZA; ſed, judice BOSIO, non admodum feliciter. Ceterum quæ ad vitam & ſcripta Philoſophi attinent, ex RAPINO & BAGLIO affatim addiſci poſſunt. Quæ in Ariſtotelis libris politicorum HERTIVS *P. II. Sect. I. §. I.* deſiderat, ſequentia indicant verba: *Valde in his manca, & brevis eſt doctrina Ariſtotelis: Nihil enim de religione; nihil de univerſitatibus ſive collegiis; nihil de importandis & exportandis, & ſingulatim de annona: nihil de ærario; nihil de belli, pacis, & fœderum ratione; nihil de legationibus; pauca de nummo, de munimentis civitatum, de conſultationibus, de legibus, de judiciis, ſimilibusque attulit. Cum tamen circa talia civitatibus tantum non omnibus quamplurima inſtituta ſoleant eſſe communia. Quamobrem quod heic deeſt, ex aliis ſuppleri debet. De officio majeſtatis civilis circa ſacra, de rei nummariæ cura, de judiciorum forma & reliquis cauſis egit ſatis accurate H. Conringius pec. diſſertationibus. Utinam reliqua argumenta eadem methodo & demonſtrandi ratione haberemus explicata.* Illud adhuc monendum puto, ſeculum noſtrum ab amore Stagiritæ, quem in Juliæ Profeſſoribus tantopere damnat WERDENHAGEN opere *de rebuſpubl. Hanſeaticis*, quam longe diſceſſiſſe, ita, ut inter Philoſophiæ Doctores reperiantur, qui philoſophum ne quidem a limine ſalutarunt.

Reliquum hujus Tomi conſtituunt variæ *diſputationes politicæ*, quæ cum iis, quas Tomus IV. refert, in optimum coaleſcere poſſent ſyſtema politicum, ſi quis eſſet, qui ei concinnando operam impendere vellet. Facillime enim a Conringio omiſſa aliunde ſuppleri poſſent. Qui autem tale ſuſcipere cogitaret opus, judicio practico & experientia ad hanc rem inſtructum eſſe oporteret.

Elen-

Digitized by Google

# Elenchus Tomi III.


I. Diſſ. de natura ac optimis auctoribus civilis prudentiæ pag. 1
II. De auctoribus Politicis 17
III. De civili Philoſophia ejusque præcipuis ſcriptoribus 33
IV. *Casp. Scioppii* Pædia Politices 47
V. *Gabr. Naudæi* Bibliographia politica 68
VI. *Chriſtoph. Coleri* Epiſt. de ſtudio politico adornando, & Grotii Epiſt. ad Morerium 89
VII. *Scip. Claramontius* de conjectandis cujusque moribus & animi adfectibus 97
VIII. Theſes miscell. de civili prudentia 277
IX. De civili prudentia Liber unus 280
X. *Ariſtotelis* Politicorum Paratitla 422
XI. Introductio in Politica Ariſtotelis 457
XII. Ariſtotelis Politicorum libri ſuperſtites 491
XIII. Diſſ. de cive & civitate in genere 723
XIV. De civitate nova 739
XV. De neceſſariis civitatis partibus 748
XVI. De republ. in communi 763
XVII. De republica in ſpecie ſic dicta 774
XVIII. De Oligarchia 778
XIX. De Democratia 788
XX. De Senatu liberar. Rerumpubl. 797
XXI. De rebuspubl. in genere 816
XXII. De optima republica 823
XXIII. De republica Ebræorum 839
XXIV. De regno & tyrannide 862
XXV. De regno 873
XXVI. De differentiis regnorum 884
XXVII. De majeſtate imperantium 898
XXVIII. *Benſen* de ſummæ poteſtatis ſubjecto 909
XXIX. *Ioh. Fichlau* de imperio abſolute & relate conſiderato 955
XXX. *Conringii* Epiſtola ad Senatum Brunsvicenſem 998
XXXI. De dominio eminente ſummæ poteſtatis civilis 1000
XXXII. De ſubjectione & imperio 1027
XXXIII. De mutationibus rerumpubl. 1034
XXXIV. De morbis ac mutationibus rerumpubl. 1046
XXXV. De morbis ac mutationibus oligarchiarum 1057
XXXVI. De ortu ac mutationibus regnorum 1067
XXXVII. De recta in republ. educatione 1082
XXXVIII. De prudentia peregrinandi 1099
XXXIX. De boni conſiliarii in republ. munere 1111


Her-

Digitized by Google

Digitized by Google

TOM. III.

# DISSERTATIONUM POLITICARUM
# HERMANNI CONRINGII
## DISPUTATIO I.
# DE NATURA AC OPTIMIS AUCTORIBUS CIVILIS PRUDENTIÆ

*Ad diem IX. Januarii 1639.*

DEFENSA, RESPONDENTE

*FRIDERICO STRUBIO, BOCNEMENSI.*

## THESIS I.

Civilis doctrinæ naturam explicaturi, non absque re facturi forte ſumus, ſi quot quibusque modis paſſim politici nomen, uſurpetur, præmiſerimus: & quis ſit revera politicus, adeoque hoc tam auguſto ſive potius divino nomine dignus judicandus. Neminem enim latere arbitror, quam hæc appellatio *multis & variis* (a) olim tributa fuerit, hodieque etiam tribuatur, non absque detrimento Reipublicæ. Eſt enim in omnium fere ore nomen viri politici: cum tamen alii aliud intelligant & ſignificatum velint: plane ut vulgus, qui etiam vocabulum Logici, de *contentioſo Sophiſta* (b) accipere non erubeſcit, qui tamen Dialectici partes tueri non poſſit, nedum Logici.

II. Initio

(a) *Variis olim.*) Vid. BOECLER *de notit. reip. T. I. Oper. pag.* 53.

(b) *Contentioſo ſophiſta.*) Sophiſtæ, a PLATONE acutiſſime *in ſophiſta*, elegantiſſime *in Gorgia*, facete admodum & urbane *in Hippia*, ſcite & argute *in Eutidemo*, artificioſe *in Protagora* perſtringuntur. Hæc ſunt verba HEBENSTREITII *in dialectica appendice de elenchis ſophiſticis th.* 3. §. 2. Erant autem ſophiſtæ jactabundi ac glorioſi, nec non temerarii & avari, unde dici ſolebant ἔμποροί ἢ κάπηλοι τῶν μαθημάτων, hoc eſt, mercatores ac caupones diſciplinarum. *Olim Sophiſta*, inquit THOLOSANUS *de republ. lib. VI. c.* 18. *dicebatur philoſophus, ſapientiæ profeſſor.* Tranſiit poſtea hoc nomen in invidiam, ut ſophiſtæ dicerentur, qui fictam quandam ſapientiæ ſpeciem jactitarent, & qui fallacibus concluſiunculis inanem illam ſapientiæ ſpeciem oſtentarent, conf. DIOG. LAERT. *in proœmio de vitis philoſophor.* & infra CONRINGII *Propolitica cap.* 3. ubi fuſius de hoc argumento agitur.

II. Initio ergo ad quorum aures vix fama rei, nomen vero hoc neque quidquam fere amplius, permanavit, Latiſſima ſignificatione politicum nominant eum, in quo plus *aliquantulum ſit ſalis*, (a) quique aliorum moribus facile cedat, ſive ſe accommodet: habeatque in communi hominum Conſuetudine quod dicat, quod reſpondeat. Deinde multis illi videntur politici, qui nihilo ſunt prioribus illis meliores, ſed audaciores multo, nec paulo nequiores. Omnes nimirum *verſipelles & aſtuti.* (b) Præterea, & illi dicuntur politici, qui norunt ſtatum hujus aut alterius Reipublicæ. Ita hodie pro civili prudentia venditatur, Cognitio Status - Reipublicæ German. Gallicæ, Hungaricæ, &c. Alii quamvis legum, imprimis Romanarum, peritiam, habent pro *civili prudentia.* (c) Quum autem leges illæ partim ad publicum regimen pertineant, partim ad forum, ſunt, qui in utriusque juris, ſunt qui in alterutrius notitia, collocant omnem prudentiam. Nam hodie diſputatur de feudorum contractibus, de jure regum ac principum, de urbium privilegiis, eaque diligentia, civilis prudentiæ titulo venditatur. Reperiuntur denique qui inter prudentiam civilem, & quam libet aliam non diſtinguant. Venditantes *prudentiam militarem*, (d) aut domeſticam, &c. pro civili prudentia. Inde enim eſt, quod habeamus notas ac diſcurſus politicos, in quibus tamen parum aut nihil eſt, quod ad civilem uſum faciat.

III. Ut

(a) *Aliquantulum ſit ſalis*) Hæc eſt deſcriptio hominis, quem aulicum dicunt. Vide BOECLERUM *de elegantia moris civilis & aulici l. c. p.* 475. Quanquam negari nequeat, & huic politici vocabulum tribui. De eo formando ſolliciti ſunt præ aliis BALTH. CASTILIO *in aulico* & BALTHAS. GRATIANUS in libro, quem inſcripſit: *El diſcreto,* quemque AMELOT *de la* HOUSSAIE ſub Aulici titulo, in Gallicam tranſtulit linguam: ſed apparet, ipſum non recte Hiſpani ſenſum aſſecutum eſſe, aut ſua ſponte etiam ab eo diſceſſiſſe. De GRATIANO ipſo, vita ejus & ſcriptis copioſe agit CAROL. ARNDIUS *in Biblioth. aulico-politica p.* 85. 86. 87. Non diſplicebit, deſcriptionem hominis aulici, quam BOECLER in Diſſ. *de elegantia moris civilis & aulici* habet, ſubjungere: *Aulicus*, inquit, *non modo animis hominum, ſed oculis, ſenſibus, affectibus ſervire debet, ut conſervetur ubique, pracipue inter mortales operis dignitas favorque, quibus quaſi duobus fulcris omnis adminiſtrationis civilis firmitas ſuſtentatur.* Hæc omnia paucis verbis TACITUS *L.* 2. *hiſtor. c.* 20. Muciani indolem & mores explicans, complectitur: *Omnium*, inquiens, *qua diceret atque ageret, arte quadam oſtentator.* Interim verus aulicus cum otioſis illis animalculis, quos ſalſe ridet BOILEAU, & potius paraſitorum aſſentatorumque, quam aulicorum nomen merentur, non eſt confundendus. Galli, hoſce duos in lingua ſua ſcite diſtinguere norunt. Verum aulicum, dicunt *l' homme de la Cour,* fucatum autem *l' homme de Cour,* atque ſic peritiores arguunt, Amelotum ſecundum hoc, nomen libro Gratiani, in Gallicum verſo ſermonem, præpoſuiſſe. Concedo tamen, politicos aulicos, etiamſi horum numero non ſint, interdum vitæ generi, a ſeveritate morum vulgari alieno, indulgere debere. Forte huc quadrat Saluſtius, Tiberii ſecretorum particeps, quem TACITUS *annal.* L. 3. *c.* 30. ſequentem in modum depingit: *Diverſus a veterum inſtituto per cultum & munditias, copiaque & affluentia, luxu propior. Suberat tamen vigor animi ingentibus negotiis par, eo acrior, quo ſomnum & inertiam magis oſtentabat.* Vide de hoc loco Taciti diſſerentem WALSINGHAMUM *dans les maximes politiques Chap.* 2.

(b) *Verſipelles & aſtuti*) Hujus genii homo, erat Alcibiades. Conducit, BOECLERUM *in notis ad Corn. Nepotem p.* 58. de ejusmodi homine omnium horarum audire: *Hi ſunt hodie*, inquit, *qui ſe politicos vocant, homines ſine bona mente, & ad exemplum Callicratis, ſine ulla religione ac fide, callidi interim & ad fraudem acuti; nihil illis nefas, quod quaſtum, nihil infame, quod commoditatem aliquam promittit; cœlum, jura, leges, fœdera, divina humanaque omnia, nec ſancta, niſi ex uſu, nec timenda, niſi per ſimulacrum; Contra parricidia, inceſtus, injuria, cædes inter artes & ſpecioſa nomina, & ſacra tuendi Status jactantur.* Ad perverſam horum politicorum claſſem, ſpectat *ſceleſtus* ille *politicus,* quem PELLERUS pellit. Referunt huc etiam Machiavellum, de quo vide GRAMONDUM *in hiſt. gall. p.* 5. & 313. CLARENDON. *T. V. p.* 200. *HOFFEMEISTERUM Polit. p.* 6. Excuſant tamen Florentinum Secretarium, citatus *CLARENDONIUS in commentariis de turbulento Statu, qui Angliam ſub Carolo I. adflixit,* & WICQUEFORTIUS in elegantisſimo libro: *l' Ambaſſadeur.* Sed de hoc infra pluribus. Prava Politicorum nequam poriſmata, fraudum plena depromit HOFFEMEISTERUS *l. c. p.* 31. *ſq.* & ad PHILIPPUM COMINEUM *de rebus Ludovici XI. L. V. c.* 18. provocat. Peculiare falſo ita dictorum politicorum genus adducit THOLOSANUS *de republ. L.* 6. *c.* 18. §. 5. *p.* 371.

(c) *Civili prudentia.*) Videtur hic Auctor potiſſimum ad Taborem ſimilisque generis doctores reſpicere, qui nihil præter leges Romanas, gloſſatorum & infinitorum commentatorum barbara ſæpe nomina & quædam eorum themata crepant. De qua controverſia CONRING. *Cap.* 2. *Propoliticorum* & *Diſſertatione epiſtolica ad Langenbeckum, de varia & maxime vera jurisprudentia,* fuſius & docte agit. Queritur MICHAEL PICCARTUS, quod Bodinus, politicam & architectonicam ſcientiam de gradu & dignitate ſua dejecerit, dum, ad jus Romanum Gallicumque ſolum, hanc doctrinam reſtrinxit. *Cujus generis errores, Bodino,* ut judicat *BOECLER Diſſ. de peregrinatione Germanici T. II. Oper. p.* 19. *homini ingenioſiſſimo, ſed confuſioris eruditionis, fere ſolennes ſunt: neque immerito, doctorum virorum diſputationibus convelluntur. Ac diſputare cum iis, qui tam horribiliter eruditi ſunt: nemo me, nemo viros cordatos juſſerit.* Interim negari nequit, in ipſo juris romani Corpore, inſignem prudentiæ civilis & æquitatis naturalis theſaurum reconditum latere. Nam olim, jurisprudentia, tam arctis cancellis non includebatur, ac hodie in nonnullis locis mos invaleſcit. De nexu juris & civilis prudentiæ, agit BOECLER Diſſ. *de eloquentia viri civilis T. II. Oper. p.* 121. *TILEMANNUS* in præfat. *diſcurſ. philologici de hiſtoriarum delectu. JOH. ab AFFELEN,* in tract. cui titulus: *Vir politicus*, & reperitur *in Conſiſtorio principis p.* 368. *JOH. AND. BOSIUS* Diſſ. iſagogica *de comparanda prudentia civili.* §. 123. *JOH. BORNITIUS,* in diſcurſu *de prudentia politica comparanda*: *Summo Studio,* inquit, *Studium reipublica benefaciendi adfectavi, quod, ut legitimo tramite aſſequerer, eas diſciplinas potiſſimum excolendas elegi, in quibus ſumma iſtius ſita eſſe videretur, Politices & juris, eas arbitratus eſſe cum viderim, neutrum ſtudium ab altero ſeparari, neque unum absque altero perfectum ab uſu publico eſſe.* Et CHRISTOPH. BESOLDUS *in proœmio Synoptica politica doctrina: Et ſic fere,* inquit, *ut phyſica medicina, ita ethica & politica jurisprudentia ſubordinatur. &c.*

(d) *Militarem*) *BORNITIUS* l. c. *Una,* inquit, *eademque eſt politica generaliter ſumta, ſubjecto tamen, in duas quaſi partes diſpeſcitur, adeoque, una alteri connexa eſt, ut prudentia politica perfecta, haberi non poſſit, niſi, ut militaris civili & civilis militari inſerviat.* Verſatur autem hæc prudentia, circa modum exercitum commode diſponendi, eum in hoſtem ducendi, & cum eo acie contendendi, urbes & caſtra hoſtilia oppugnandi, aut ea defendendi, ſe prudenter recipiendi, ſtratagemata caute adhibendi, & ea, quæ bello uſui ſunt, circumſpecte com-

Digitized by Google

III. Ut autem appareat, quantum illi abſint a vera prudentia civili, explicandum, quid civilis prudentiæ vocabulo appellemus. Solet enim paſſim, hæc noſtra doctrina appellari πολιτικὴ, politica latinis, ſeu civilis prudentia. Eſt autem prudentia, ut recte docetur lib. VI. Ethicorum ab Ariſtotele, habitus ille mentis, qui occupatur circa id, quod homini bonum & malum eſt: Prudentia vero civilis, quæ id tradit, quod ex re eſt, aut abs re eſt civili hominum ſocietati. Quo apparet, illum demum eſſe vere civilis prudentiæ peritum, quicunque non tantum novit, verum etiam, quandocunque poterit, id agit, quod in uſum vergit civilis ſocieatatis. Poteſt autem hoc ipſum non uno modo fieri. Conſulit enim civitati etiam is, qui partem aliquam confert boni: Conſulit item, qui omnibus negotiis civilibus, ut ita loquar, manum applicat: Conſulit denique is, qui tametſi ipſe manum non admoveat, ceu *architectus* (*a*) tamen omnibus poteſt, quid agendum, quid omittendum, imperare. Si itaque civilis prudentiæ ſignificatio ea eſt, qua quis inſtructus omne id novit & vult, quod expedit ſimpliciter omni civitati, manifeſtum utique eſt, eam eſſe veram & perfectam civilem prudentiam, quæ non quid uni tantum urbi, ſed quid omnibus proſit, aut obſit, noverit, qualis ſcilicet ἀρχιτεκτονικὴ poſſit appellari, eumque demum eſſe exacte politicum, qui architecti in morem, omnium civitatum bona malaque *novit gubernare.* (*b*) Quemadmodum is demum perfectus medicus eſt, non qui oculis tantum mederi poteſt, verum, qui omnium omnino morborum naturam ac remedia explorata habet.

IV. Hoc autem bono Politico, ſeu Gubernatori reipublicæ propoſitum eſſe oportere, non ſolum Plato & Ariſtoteles cum omni ſapientum choro uno ore ſunt teſtati, ſed & Cicero, qui etiam ex eorum numero, eleganti quadam, pictura non raro utitur ſimili, & ſcite admodum depingit, ſive regem nomines, ſive politicum, (nam & politica dicitur non immerito regia ars) cujus maximi, illuſtris ſententia eſt, quam ad Atticum, hominem politicum, ipſe depromit e libris ſuis de republica, ut non poſſumus illam non hic recitare, ita autem inquit: libr. VIII. Epiſt. XI. *Teneſne igitur moderatorem illum reipublicæ, quo referre velimus omnia? Nam ſic, ut opinor, quinto in libro loquitur Scipio: Ut enim Gubernatori curſus ſecundus, medico ſalus, Imperatori victoria: Sic huic moderatori reipublicæ beata civium vita propoſita eſt: Ut opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honeſta ſit. Hujus enim operis maxime inter homines atque optimi illum eſſe effectorem volo.* Ita & alibi paſſim loquitur Cicero, ut lib. I. de Officiis, quo in loco iis, qui reipublicæ præfuturi ſunt, Platonis illud præceptum, tenendum eſſe ait: *Ut utilitatem civium ſic tueantur, ut quicquid agunt ad eam referant, obliti commodorum ſuorum.* Et mox ſubjicit: *Ut enim tutela, ſic procuratio reipublicæ ad utilitatem eorum, qui commiſſi ſunt, non ad eorum, quibus commiſſa eſt, gerenda eſt.*

V. Ex his igitur facile perſpicitur, quanta ſit politices dignitas, utpote, quæ non uni alicui privatim, neque ſingulis tantum recte conſulit, neque paucis, i. e. familiæ: Hoc enim *Oeconomices*

comparandi. Prudentiæ huic inſerviunt MAILLETTI *diſcurſus militares in Tacitum*, BAUDOLII *parallele de Ceſar & de Henri IV.* quas commentariis in Julium Cæſarem præmiſit. VEGETIUS *de re militari*, ARRIANI *Tactica*, & MAURITII *artis militaris* libr. XII. quos ex verſione CHEFFERI latinos habemus. LEONIS Imp. *de bellico apparatu* liber, qui e græco in latialem ſermonem a JOH. CHECO Cantabrigienſi verſus eſt, & FRONTINI *Stratagemata*. Forte quis ineptiarum numero eſſe putet, artem militarem ex libris haurire, præſertim in tanta rei iſtius, ut apud veteres erat, & prout noſtro ſe habet tempore, differentia. Sed licet circa objecta & modos diverſitas ſit inducta; Prudentia tamen & artes eædem ſemper ſunt. Fatentur omnes, conſummatam Montecucelii in re militari prudentiam magna ex parte diligenti Julii Cæſaris aliorumque de hac re commentatorum lectioni adſcribendam eſſe. *Memorie del General Montecucoli* inſignem viri prudentiam ubique ſpirat. Hujus prudentiæ inſignem etiam partem abſolvit legiſlatoria militaris, quorſum faciunt *Reglements & Ordonances du Roi* (*Louis* XIV.) *pour les gens de guerre*, voluminibus quibusdam comprehenſæ. Quarum conſtitutionum quaſdam LUNIGIUS Corpori ſuo Juris militaris, variorum principum caſtrenſes complectenti leges, incluſit. Conf. quoque THOLOSANUS *de Republica Lib.* XI. *cap.* 6. 7. 8. 9. 10. 11. Notum eſt, non una in legibus Romanis eſſe loca, quibus militum imperitiæ privilegia dantur; id tamen non eo interpretandum eſt, ac ſi a milite perſpicacia & ingenii vis abeſſe poſſet. Nam ſi qui, prudenti ſolertia & calliditate opus habent, ſunt profecto Martis caſtra ſequentes, inprimis autem ii, quibus totius belli gerendi ſumma concredita eſt. Juvat hic adjungere elegantem TACITI locum ex vita Agricolæ ſoceri ejus: *Credunt plerique*, inquit, *militaribus ingeniis ſubtilitatem deeſſe, quia caſtrenſis juriſdictio ſecura & obtuſior, ac plura manu agens calliditatem fori non exerceat. Agricola naturali prudentia, quamvis inter togatos, facile juſteque agebat; &c.*

(*a*) *Architectus.*) Criminantur nonnulli, in Academiis veros non reperiri politicos, cum homines ſcholæ addicti omni rerum uſu deſtituantur. Quot enim homines ſtudia in academiis profeſſi ſunt, & adhuc profitentur, qui a Principibus in negotiis maxime arduis in conſilium adhibiti ſunt. Impenſe itaque eos falli, experientia conſtat. Sic UBBO EMMIUS, ſcholæ emdenſis Rector, omnium negotiorum LUDOVICI Naſſovii, Weſtfriſiæ Gubernatoris particeps, LIPSIUS Profeſſor lovanienſis, ab Archiduce Belgii hiſpanici gubernatrice ſæpe in conſilium vocatus, BAUDIUS item MEURSIUS, & qui primo loco nominandus fuiſſet, CONRINGIUS, vitæ academicæ addicti, ſummam in prudentia civili laudem ferunt. Et ſi iſtis hominibus, qui verorum politicorum jactantia inflati ſunt, non ferrent ſuppetias, publicæ res haud dubie claudicarent. Homunciones iſti ſimiles ſunt iis, qui gubernatorem in navigando (utor verbis CICERONIS *in Cat. Maj. de ſeneƈt. cap* 6.) agere nihil dicunt, cum alii malos ſcandant, alii per foros curſent, alii ſentinam exhauriant, ille autem clavum tenens, quietus ſedeat in puppi. Non facit ea, quæ juvenes; at vero multo majora & meliora facit. Abſurdum eſt ſcriptum, quod in publicum protruſit Chriſtoph. a Pungersdorff ſub titulo: *Des naſeweiſen Hoffſchulfuchſiſchen* Doctor *Edelmanns Eberhard, Weibe*, qui autem, ut par eſt, vapulat ab auctore *der Wiederlegunge Pungersdorffiſchen Erinnerungen.* Doctores academici, ſane omnium optime monſtrare poſſunt, quid in republica facto opus.

(*b*) *Novit gubernare.*) Conf. PELLERI *politicus ſceleratus impugnatus pag.* 22. ZEWECOTIUS *ad Florum L.* I. *c.* 5. JAC. BORNITII *diſcurſ. polit. de prudentia politica comparanda.*

*mices* (*a*) munus eſſe dixeris, illud vero philoſophiæ moralis; Sed quæ totis civitatibus, populis ac nationibus de longe maximis commodis proſpicit, & quod in ipſa eſt, felices eas ac beatas reddit, tantaque bona eis ſarta tecta conſervare ſtudet.

VI. Ex his itaque perſpicuum eſt, primo illos eſſe indignos, politici nomine, qui paullo elegantiores mores habent, iisque ſunt prædîti. Nec enim, qui civiliter eſt moratus ac urbanus idem adminiſtrare rempublicam poteſt, aut omnibus civitatibus recte conſulere. Dicendus igitur quidem talis homo politus eſt, quia morum venuſtate, non ſolum favor populi, ſed & regum benevolentia facile conciliatur; at minime politicus dicendus.

VII. Secundo & hoc apparet, eos immerito vocari prudentes, qui callidi ſunt, & verſipelles licet propius accedant ad politicos quam priores, qui aliquid nempe habent prudentiæ, Et ſi enim nemo ſit politicus, niſi qui noverit omnia ſcelera hominum, dolos, verſutias, &c. Quæ artes latent imprudentes, non tamen earum cognitio penitus eadem eſt, cum cognitione adminiſtrandæ ac conſtituendæ civitatis; ad hoc enim longe plus requiritur. Quemadmodum ſcilicet medici eſt cognoſcere vim venenorum, nec tamen eſt ſtatim medicus, qui naturam, venenorum ſic ſatis habet perſpectam, qui partem tantum novit & longe uberior requiritur notitia; ita & quia novit artes illas aut dolos, non ſtatim perfectus eſt politicus. Quia non omnia habet ſtatim perſpecta, ſed partem tantum; deinde verſipelles illi non norunt, tantum dolos, verum iis gaudent etiam atque utuntur. Verus contra Politicus, debet eſſe *vir bonus* (*b*) & prudens, & in hac totus eſſe, ut bene mereatur de patria, & de civitatibus, qui vero id non facit, & Salutem publicam vita cariorem non habet, is fruſtra ad nomen politici aſpirat. Simile igitur aliquod exemplum hic occurrit, quale in arte medica, Medicus enim, debet noſſe naturam venenorum, alias malus eſt medicus, at iis non debet uti ad necandos homines. Ita & politicus, debet *noſſe artes Tyrannorum*, (*c*) quibus ſoleant uti Tyranni, debet enim politico eſſe notum, quomodo paullatim deſtruendus ſtatus monarchicus, item quibus artibus populus poſſit decipi in Oligarchia. Sciri autem hæc debent, non vero agi.

VIII. Tertio, & illud manifeſtum, cognitionem *hujus vel illius reipublicæ*, (*d*) non eſſe dicendam prudentiam civilem. Hæc enim, non reſpicit unius ſolum ſtatus publici ſalutem, ſed omnium omninò in univerſum rerumpublicarum æqualem curam habet. Verſaturque in cognitione univerſali, uti natura eſt artium omnium & ſcientiarum. Ne is quidem verus politicus eſt, qui tantum ſcit, quomodo Ariſtocratia inſtituenda, ſive regnum; ſed is demum, qui omnes reſpublicas habet notas, & qui poſſit præſcribere, quomodo ſeu quid conducibile ſingulis rebuspublicis. Hæc autem utraque cognitio tanto diſcrimine diſtat, quanto medica ars ipſa ab ea cognitione, qua novit medicus, quo morbo Paullus laboret, quidque ſanum in Socrate aut invalidum, Quemadmodum igitur non facit *medicum*, *noſſe*, (*e*) quo morbo Petrus vel Paullus

(*a*) *Oeconomices.*) Natura ingenerat, imprimis præcipuum quendam amorem in eos, qui procreati ſunt, impellitque, ut hominum cœtus & celebratiores eſſe, & ſe obire velit: ob easque cauſſas ſtudeat parare ea, quæ ſuppeditent & ad cultum, & ad victum: nec ſibi ſoli, ſed conjugi, liberis ceterisque, quos caros habeat, tuerique debeat. Quæ cura exſuſcitat etiam animos, & majores ad rem gerendam facit. Vid. CICERO *de offic. L.* 1. *cap.* 4. *Prudentia privata*, inquit, BORNITIUS *de Prudentia politica comparanda*; *vitam ſingulorum & eorum, qui in familia degunt, gubernat, præſcribendo, quid a parentibus, liberis, viro, uxore, fratribus, cognatis, amicis præſtandum. Ariſtoteles nulla probabili ratione, Xenophontem ſecutus, a Politicis œconomica, & civitatem a familia diſtraxit.* Vid. BODINUS *de republica Lib.* 1. *c.* 2. *p.* 12.

(*b*) *Vir bonus.*) Conf. BOECLER. *in Commentar. Plinianis cap. VII. p.* 774. *T.* 1. *Oper.* item JOH. ab AFFELEM in tractatu, qui inſcribitur: *Vir politicus p.* 367. 368. 402. *in Conſiſt. Princip.*

(*c*) *Noſſe artes tyrannorum.*) Politicus notitiam habeat oportet arcanorum flagitiorumque dominationis, quæ ſub ratione ſtatus intelligi ſolent. Huic negotio admodum inſerviunt annales Taciti, quos indefeſſe Cardinalem Richelium meditatum eſſe, docet Auctor *de l' hiſtoire des ouvrages des ſcavans de l' année* 1698. Unde factum, ut in Gallia nacti ſint nomen *le breviaire d' etat du Cardinal de Richelieu.* Conf. quæ AMELOTUS de la HOUSSAIE traductioni ſuæ gallicæ annalium Taciti præmiſit, & quæ ANTONIUS de VERA *in perfecto ablegato* habet p. 207. Hiſce jungendi ſunt Commentarii COMINEI de *rebus geſtis Ludovici* XI. Memoriæ proditum eſt ſequens Catharinæ de Medicis, flagitiorum regnandi peritiſſimæ Galliæ reginæ, de Cömineo judicium: *Catharine de Medices pour faire entendre, qu' il avoit trop decouvert le miſtere du gouvernement, diſoit ordinaire, qu' il avoit fait au tems d' heretique, que Luther dans la religion.* Le Journal des ſçavans du Mois de Fevrier de l' an. 1709. p. 319. ſeq. Nec omittendæ ſunt *Epiſtolæ* Cardin. OSSATII & PETRI SARPETÆ *hiſtoria concilii Trident.* quæ arcana potiſſimum aulæ Romanæ detegit. Imo MACHIAVELLI Opera, inprimis ejus *Princeps, Dialogi ad Livium & hiſtoria Florentina*, quam WICQUEFORTIUS aliis ſcriptis tam veteribus, quam recentioribus, huic fini inſervientibus *lib.* 1. *de legato cap.* 7. *p.* 81. jungit, ſunt evolvenda. De aliis infra monebimus.

(*d*) *Hujus vel illius republica.*) Impingit itaque CALLIERIUS, putans, integram Europæ Statuum notitiam, Galliæ & Hiſpaniæ cognitione abſolvi, cum tamen utile imo neceſſarium ſit politico, & in aliarum rerumpublicarum ortus, incrementa & decrementa inquirere.

(*e*) *Medicum noſſe.*) Quo felicius Conringius noſter artem medicam tractavit, eo accuratius hanc cum arte politica conferre, ſuasque demonſtrationes exemplis inde petitis corroborare potuit. Familiare eſt optimis romanæ ætatis ſcriptoribus, corpora phyſica, cum moralibus comparare. Ita TACITUS *Annal* 3. *Ne corporis quidem*, inquit, *morbos veteres & diu auctos, niſi per dura & aſpera coërceas: corruptus ſimul & corruptor, æger & flagrans animus, haud levioribus remediis reſtinguendus eſt, quam libidinibus ardeſcit.* Admodum elegans judicium de PHILIPPI CAURIANÆ Comment. *ſoprai primi cinque libri di* Cornel. *Tacito* adſcribam, quod AMELOTUS de la HOUSSAIE in præfat. Tom. I. traduct. Taciti habet: *Ses raiſonnemens*, inquit, *& ſes exemples roulent ſouvent ſur la Medecine, & particulierement ſur les Aforismes d' Hippocrate; et la raiſon, qu' il en rend à la fin de ſon Avis au Lecteur, eſt aſſez plauſible: Ceux, dit il, qui me critiqueront, pour avoir cité Hippocrate en matiere de gouvernement, & pour m' etre ſervi de ſon temoignage a prouver des maximes d' Etat, montreront bien par là, qu' ils ne croyent pas, que les actions vertueuſes des hommes aient de la reſſemblance aux operations de la nature, où jamais aucun ecrivain n' a penetré plus avant*

Digitized by Google

Paullus laboret, ſed omnium morborum cognitionem habere: Ita & ſe res habet de politico. Obſervandum tamen, neminem poſſe cognoſcere rempublicam germanicam, ex. gr. niſi politicus. Quemadmodum & morbum aliquem exacte ſoli medici dignoſcunt. Eſt igitur aliquid, quod proficiſcitur a politico non vero quod abſolvit politicum.

IX. Ubi & alius error venit animadvertendus per hodie familiaris. Sunt enim multi, qui exiſtiment idem eſſe cognoſcere leges publicas alicujus civitatis, ac cognoſcere Statum ejus atque conſtitutionem ac indolem. At vero ſæpe respublica eſt monarchica legibus, uſu vero ariſtocratica, ſeu democratica, id quod *experientia teſtatur.* (*a*) Deinde, multa ſæpe in civitate ſunt legibus nullis diſtricta, quæ tamen partem reipublicæ conſtituunt. Igitur Jurispublici notitia, pars quidem eſt ejus cognitionis, qua ſtatus imperii comprehenditur. Integra autem inde *peti non poteſt.* (*b*)

X. Quarto & hoc apparet falſum, nec eſſe politicos, qui periti legum civilium. Ratio eſt in promtu, quia leges civiles ad unam aut alteram tantum pertinent remp. Neque enim Germaniæ noſtræ e.g. jus, extra Germaniam valet: Sicut nec gallico jure nos Germani obligamur. Jam vero cognitio politices ſe ad omnes reſp. extendit; Præterea leges forenſes quidem, ſpectant tantum, ſeu conducunt ad actiones forenſes, adeoque non attingunt ſummam rei. Poteſt ergo quis legum civilium *eſſe callentiſſimus*, (*c*) & tamen rudis Conſultor publici boni. Quæ vero omnium civilium legum, eadem eſt & romanarum ratio. Sunt enim illæ accommodatæ tantum iſti reipublicæ romanæ. Quare nec, qui iſtas novit, idem novit omni civitati recte conſulere: quum pleræque plurimum ab ejus moribus diſſideant. Ne quidem ejus leges in optima republica habent locum: tantum abeſt, ut poſſint eſſe norma condendarum civitatum. Sine dubio tamen legum illarum peritus qui eſt: idem aptus eſt politices auditor & valere in republica poteſt pro illo, qui nullum habet uſum rerum: in judiciis porro, ubi illis legibus ſtatur, poteſt plurimum.

XI. Denique & illarum error facile apparet, qui inter prudentiam civilem & quamlibet aliam, ut militarem aut domeſticam non diſtinguunt. Quum ſint ſcilicet hæ, illius tantum miniſtræ; illa vero in has imperium habet. Unde eam optimo jure Ariſtoteles vocat libr. I. Ethic. cap. 2. κυριωτάτην καὶ μάλιστα ἀρχιτεκτονικήν, i. e. ſcientiam ſive *facultatem principem* (*d*) & imperium quaſi in cæteras obtinentem. Statuit enim hæc ſcientia non modo quæ artes, diſciplinæ ac ſcientiæ in civitate eſſe, a quibus & quousque diſci ac coli debeant, ſed & præterea primariarum miniſterio utitur. Quod pluribus perſequitur. Ariſt. loco antea laudato.

XII. Ex his igitur perſpicuum, eſt civilem prudentiam eſſe talem diſciplinam, quæ non agat de aliqua tantum republ. Democratia inquam, aut Monarchia (hoc enim eſt partem tantum noſſe, nec integram naturam politices perſpectam habere) ſed omnino, de omni republ. tam de Monarchia, quam Democratia, tam Ariſtocratia, quam Oligarchia aut Tyrannide. Ut omnino quum aliæ ſcientiæ circa integrum aliquod genus ſcibile verſentur, aliæ partem tantam ejus aliquam ſibi capiant, per hanc doctrinam intelligamus ſcientiam aliquam non hujus, ſed illius ordinis. Adeoque abſurdum eſſe, tam excelſum nomen aliis rebus tribuere. Quanquam de nomi-

---

*avant qu' Hippocrate. Et ſi les Politiques appliquoient ſes Aforismes au gouvernement civil; ils connoitroient par experience, que les preceptes ſont un très-fidele itineraire pour la conduite de la vie humaine. En effet le Chancellier de l' Hopital, qui étoit fils de Medecin, & qui ſelon M. de Thou, fut le plus habile & le plus digne Chancelier, qu' il y eût eu depuis pluſieurs ſiecles, ne croioit point des honorer la parole du Roi, en melant dans toutes ſes harangues quelque excellent trait de Medecine.*

*Les etats & les Communautes, dit le Tacite dans la vie d' Agricola, ont leurs maladies, comme nos corps, & que la fin de la politique eſt de prevenir ou de guerir, par le moyen des loix, les maux, qui troublent la vie civile, de meme que la medecine a pour objet d' entretenir ou de retablir la ſantê du corps.* Notatu quoque digna ſunt, quæ *in Præfatione du diſcours hiſtorique de l' Election de l' Empereur & des Electeurs de l' Empire*, Vicquefortii legato ſubjuncti, habentur *Il eſt de la politique comme de la Medecine. Tout le monde s' en mele, & peu de gens y reüſſiſſent. L' une & l' autre ont des corps à conſerver, & des maladies à guerir. Toutes deux ont beſoin d' Etude & d' experience, & toutes deux ont des Docteurs, qui enſeignent & pratiquent ſelon les regles de l' art. Mais toutes deux ont auſſi leurs Empiriques, qui veulent guerir le mal, avant que d' en ſçavoir les cauſes, ny de connoitre la conſtitution du corps.* Elegantem quoque comparationem vide in SILHONII *diſcurſu 3. lib. 1. Miniſtri Status.*

(*a*) *Experientia teſtatur.*) Conf. Præfat. libelli HIPPOLYTHI a LAPIDE, quem alii RUSDORFIUM, alii CHEMNITIUM, alii denique LAMPADIUM dicunt, de *ratione Status*, domui Auſtriacæ admodum iniqui.

(*b*) *Peti non poteſt.*) Duas enim juspublicum complectitur partes, legislatoriam eique junctam ſcientiam leges adplicandi, quæ jurisprudentiæ domeſticæ eſt pars; & notitiam ſtatus, quam ex hiſtoria adſciſcunt. Conf. BECMANNI *Meditat. polit. Diſſ. I. §. 12. p. 19.*

(*c*) *Eſſe callentiſſimus*) Vide BODINI præfamen methodo ad faciliorem hiſtoriarum cognitionem, præmiſſum.

(*d*) *Facultatem principum.*) *In Politica cognoſcitur*, inquit CAR. ARNDIUS *in Biblioth. aulico-politica, diſcurſu praelim. p. 9. prudentia ſtatus in genere ac in ſpecie, nempe civilis, & quidem ſummorum imperantium, legum, judiciorum, præmiorum, pœnarum; prudentiam ſtatus miniſtrorum & magiſtratus inferioris, ærariorum tributorum, vectigalium, monetarum & commerciorum. Prudentia ſtatus belli & pacis, fœderum & legationum, formarum reipubl. miniſtrorum aulicorum aliorumque ſubditorum &c.* A. GELLIUS philoſophiam civilem ſequenti ornat encomio, *Libr. X. Noct. Attic. cap. 22. Quod ſit virtutum omnium diſciplina, quaque in publicis ſimul & privatis officiis excellit, civitatesque & rempublicam, ſi nihil prohibeat, conſtanter & fortiter & perite adminiſtrat.* Audiamus & BOECLERUM *de Religione mandati T. II. operum p. 250* ita diſſerentem: *Nobiliſſimam & architectonicam diſciplinam, omniumque aliarum, quæ ad actiones vitæ publicæ privatimque, in genere πρακτῶν quocunque nomine pertinent, & ratione humana, non revelatione divina reperta ſunt, Matrem, ab imperitorum injuriis defendere, res eſſet bono publico debita, ſed in anguſtias hujus loci minime concludenda.* Vid. CONRING. in *Propolit.* Lib. *de civili prudentia* & *Introd. in polit. Ariſtot.* It. SCIOPPIUS in *pædia polit.* NAUDEUS in *bibliographia politica*, COLERUS de *ſtudio politico.* BORNITIUS de *prudentia politica comparanda*, JOH. ab AFFELEN in *viro polit. &c.*

nomine haud magna lis eſſe debeat. Apellet enim quisque ſuam iſtam publici juris aut rei militaris notitiam, pro lubitu ſuo, civilis titulo prudentiæ, modo ne fucum faciat aliena hac laude vel civitati ſuæ vel majorum induſtriæ ac meritis.

XIII. Expoſita hactenus natura hujus ſcientiæ porro conſequens fuerit, viam, qua ad illam itur, brevibus commonſtrare, ſeu de modo, quo talis regia ſcientia ſeu ars *poſſit comparari*, (*a*) quædam tradere, quo pateat clarius ejus univerſa natura. Ut autem rectiſſime id fiat, ex ipſis fundamentis Logices revocandum: Omnem ſcientiam niti quadam probatione, ac principiis ex quibus illa ſcientia cognoſcatur. Nam omnis, cognitio humana aut eſt principiorum, aut eorum, quæ ex principiis deducuntur.

XIV. Patet ergo & civili quoque huic philoſophiæ ſua principia eſſe indemonſtrabilia, unde philoſophia illa ſit haurienda. Quod ſi vero ſine principiorum notitia, nulla doctrina poſſit recte percipi, uti non poteſt: etiam hoc manifeſtum eſt, quo philoſophiam hanc tibi compares, principia ejus ante cognoſcenda eſſe, ut autem φαινόμενα cœleſtia principia ſunt aſtronomiæ, ita & res civiles in ſenſus incurrentes, *principia ſunt philoſophiæ civilis ſeu politices.* (*b*) Hæ vero ſolis ſenſibus atque experientia addiſci poſſunt, demonſtrari certo nequeunt. Quemadmodum nec principia aliarum artium. Unde colligere cum Ariſtotele licet dicente, X. Nicomachior, hac ipſa de re: διοτοῖς ἐφιεμένοις περὶ πολιτικῆς εἰδέναι: προςδεῖν, ἔοικεν ἐμπειρίας; Quisquis in re civili intelligens haberi velit, opus ei experientia.

XV. A ſenſibus videlicet incipere omnem cognitionem *manifeſtum eſt:* (*c*) Quæcunque enim videmus, audimus, ea addiſcimus. Unde talis cognitio ſenſualis dicitur, quæ nimirum ſenſibus nobis innoteſcit. Verum ſæpius repetita cognitio ſenſualis dicitur experientia, uti eam egregie definit Ariſt. I. Metaphyſ. Cap. I. Quemadmodum enim, qui aliquoties ſenſit calorem ignis, ille dicitur expertus calorem ignis; Ita & qui aliquoties interfuit diſtributioni ille dicitur expertus, ex inæquali diſtributione oriri diſcordiam.

XVI. Sed ſenſus ſemper ſentit rem particularem non univerſalem. Ergo opus aliqua inductione. Etenim vides quidem Johannem, Petrum vel Paullum, &c. Nemo autem videt hominem prout Univerſale. Ita & quis vinum hoc aut iſtud guſtat, non vero in univerſum vinum. Unde apparet circa ſingularia tantum verſari experientiam, ex. gr. hoc vinum calefacit, illud vinum &c. Inde vero quis tandem poteſt colligere omne vinum calefacere, tanquam univerſale. Ad eundem modum & politicus, Tyrannum male tandem perire, poteſt tanquam Univerſale colligere ex iſtis ſingularibus, hic tandem male periit, ille, iſte, &c.

XVII. Hinc igitur manifeſtum eſt, ab *experientia* (*d*) rerum civilium, & non aliunde eſſe petenda civilis prudentiæ principia. Hiſtorica ergo cognitio adferenda eſt, ut quis ſibi comparet civilem prudentiam. Eſt enim idem ſive experientiam ſive hiſtoricam dixeris cognitionem.

(*a*) *Poſſit comparari.*) CONRINGIUS exemplo Ariſtotelis, ut ait in *epiſt. dedicatoria Scioppio & Naudæo præmiſſa*, & conſilio tanti viri monitus, nihil unquam in docendo prius habuit, quam doctrinæ cuivis ſuam pædiam præmittere, adjuncta ſemper exacta recenſione omnium hactenus editorum illius argumenti ſcriptorum JOH. BORNITIUS *de prudentia politica comparanda*, oſtendit eam dependere, 1. ab arte politica, 2. ab uſu artis; qui iterum conſiſtit α) in hiſtoriis & relationibus, β) experientia, quæ comparatur. (a) Peregrinationibus. (b) Praxi Imperii, judiciorum, conſiliotum, legatione.

(*b*) *Principia philoſophiæ civilis.*) Certum eſt, & politicum ſuas habere demonſtrationes, quod egregie probatum ivit PUFENDORF de J. N. & G. quanquam ratione objecti, in moralibus non tanta ſit certitudo, quam in mathematicis, cum res morales circa materiam multis varietatibus ab adjunctis & circumſtantiis potiſſimum pendentibus, obnoxiam verſentur. Illuſtrat hæc illuſtris quondam SILHONII, Richelio a ſecretis, viri multis rebus in toga exerciti, locus *dans le Miniſtre d' etat diſcours II. p. II. que l' art de gouverner & douteux & difficile: La raiſon d' etat*, inquit, *eſt ſi trouble & ſi ambigue, & les affaires ont tant de jours qui nous ebloüiſſent; qu' il ne faut point s' etonner, ſi le plus ſouvent nous avons de la peine à prendre parti, & ſi le choix, que nous faiſons en cette confuſion, eſt plutôt un coup de haſſard & un eſſai de notre liberté, qu' une election raiſonnable. Outre cela la plus part des preceptes politiques, qu' on nous a laiſſez & qu' on a reduits en forme de ſcience; ſont des choſes ſi abſtraites, que ſi la nature ou l' experience ne donnent l' art de les appliquer, elles reüſſiſſent pernicieuſes au vaines. Bien ſouvent au lieu de faire un habile homme, elles ne font qu' un Pedant. - - - La voye meme des exemples eſt ſi trompeuſe, & le paſſé juge ſi mal de l' avenir, qu' on n' en peut conclurre rien de certain. Et comme on ne voit gueres deux viſages egualement beaux, ni deux jours, qui ſe reſſemblent parfaitement; de meſme la condition des affaires eſt toujours diverſe: ou la vertu & la fortune de ceux, qui les traitent, ne ſont pas egales.*

(*c*) *Manifeſtum eſt.*) Vide ZEIDLERI *analyt. c.* I. Hinc exoritur axioma: *Nihil eſt in intellectu, quod non præexiſtat in ſenſu*: de quo tamen axiomate dubitant Cartheſiani, quoniam dentur particulæ inſenſiles, quæ ſolo intellectu percipiantur ac diſcernantur ſenſusque externos fugiunt, quales ſunt, quarum acceſſu viventia creſcunt. Vide ADRIANI HERBORDI *philoſoph. naturalem p.* 23.

(*d*) *Experientia.*) Includit enim hiſtoria plurimorum ſeculorum experientias, quæ in dictis factis & conſiliis continentur. *Experientia* rem oſtendit, *hiſtoria* rei contextum; *illa* quæ adſunt, *hæc* quæ inſunt, imo vero, quæ ſubſunt, declarat. *Illa*, quæ exſtant, *hæc* quæ circumſtant; *illa* propinqua, *hæc* remota inſuper; *illa* exteriora, *hæc* intima; *illa* alicubi, *hæc* ubique; *illa* aliquando, *hæc* ſemper demonſtrat. Atque hoc eſt illud, quod intelligit LIVIUS, in exordio ſui operis, cum *exempli documenta in illuſtri poſita monumento*, laudat. Vid. BOECLER. in *hiſtoria Principum ſchola* T. I. Operum p. 1122. qui fuſius huic argumento inhæret, ſimul oſtendens non ſufficere experientiam ad comparandam civilem prudentiam. *l. c. p.* 1109. Experientia autem politico maxime opus eſſe, docet inter alios SILHONIUS *dans ſon miniſtre d' etat. Liv. I. diſcours* 13 *Apres les diſpoſitions*, inquiens, *que la nature donne, & les biens de la naiſſance, il y a deux choſes, qui aident à acquerir l' art de la politique, & qui lui apportent ſa derniere forme, ce ſont la ſcience & l' experience. Nous avons traité de ces choſes aux premieres diſcours de ce livre.* Sine hiſce enim emolumentis rerum geſtarum commentarios evolvere, idem eſt, ac Amadiſi aliasque aniles fabulas pertractare. Spectant huc, quæ JOH. ab AFFELEM *in viro politico* habet, quando: *Hiſtorias*, inquit, *multi legunt ſine ullo fructu, cum myſticum illud vulgo minus obvium, quod in fabulis* ἐπιμύθιον *vocant, non animadvertant, vere nucem frangentes nucleo carentem.* Conf. MACHIAVELLUM diſc. 30. BORNITIUM l. c. §. 38.

Digitized by Google

nem. Nam fructus hiſtoriarum, eſt experientia, quia hiſtoria nihil aliud docet, quam experientiam rerum. Ita hiſtoria civilis docet quæcunque incurrunt in ſenſus, de rebus civilibus, ut phyſica, quæ de rebus naturalibus. Ut proinde recte dixerit *Polybius:* Hiſtoriam eſſe philoſophiam civilem per exempla. Neque vero ulla datur compendioſior via ad experientiam quam per hiſtoriarum Lectionem.

XVIII. Quoniam autem duplex eſt cognitio perfecta, quam ἐπιϛημονικὴν, & minus perfecta, alias opinio bona, quam δοξαϛικὴν apellant: ad perfectam autem requiritur exacta omnium principiorum cognitio, uti ex analyticis conſtat; patet, quicunque integram hanc ſcientiam plane cupit perſpectam habere, neceſſe illi eſſe, teneat non tantum multorum regnorum res geſtas, ſed omnino & variarum Ariſtocratiarum, Democratiarum, Oligarchiarum diverſas conſtitutiones, atque mutationes, id eſt, habeat cognitionem *hiſtoricam perfectam*, (*a*) omnium omnino ſpecierum rerumpublicarum. De omnibus enim rerum publicarum ſtatibus philoſopho civili agendum, ex præcedentibus conſtat.

XIX. Ex quibus clarum fit, fruſtra eſſe omnes, qui ad civilis philoſophiæ apicem aſpirant, aut illam ſeſe jam obtinuiſſe credunt, cum aut nullam, aut raram admodum habeant rerum civilium experientiam. Adeoque multum fallere & falli eos, qui *adoleſcentibus* (*b*) audent perfectam prudentiæ civilis cognitionem polliceri: Cum tamen in ætatem illam uſus rerum civilium non cadat, uti Ariſtoteles recte pronunciavit. I. Nicomach. cap. 2. Ubi inquit: totius politices ὀκ ἔϛιν οἰκεῖος ἀκροατὴς ὁ νέος. Qua propter is demum eximius & aptus civilis prudentiæ lector ſive judex, qui omnis generis rerum publicarum mores, inſtituta, fortunam, aut ipſemet uſu addidicit, aut vero diligenti Hiſtoriarum civilium lectione ſibi comparavit; Præterea & hoc accedit, meritoque in eodem ab Ariſtotele requiritur, ut bene educatus aſſuefactusque ſit amare honeſta, turpia autem habere odio; nam Politica non tantum de optimis rebuspublicis, ſed etiam de peſſimis agit, quo pacto non tantum illæ, ſed & hæ conſtituantur ac conſerventur, ut Tyrannides & paucorum potentiæ ac ὀχλοκρατίαι & id genus aliæ. Igitur, ut quis bono animo accedat ad hanc civilem prudentiam, ejusque aliquem habeat uſum, neceſſarium eſt.

XX. Sed dicat quis, ergone vel juvenis, vel alius, qui minus peritus rerum civilium, nullum poteſt fructum capere ex civili prudentia, adeoque inutilis plane auditor talis ſcientiæ eſt? Reſpublicas ſolidam & exactam notitiam in juvenes non cadere, quia hæc integram ſæpe ætatem fugit, aliquam tamen iis nemo poteſt negare. Nam non ſtatim ſequitur, qui non omnem poteſt habere notitiam, eundem etiam nullam poſſe. Poteſt enim & juvenis, nec multum adeo rerum peritus alius, utilitatem hinc accipere ſatis uberem, & id quidem, ſi dum judicare ipſi non licet de pronuntiatis hujus prudentiæ, interim loco τῶν αἰτημάτων habeat principia aut hypotheſes, quibus videt optimos quosque, uti donec per ætatem eorum veritatem ipſemet poſſit experiri.

(*a*) *Hiſtoricam perfectam.*) Egregia ſunt citati AFFELII verba, quæ eodem libro habet: *Hiſtoriam dico*, inquit, *rerum omnium ſedem, teſtem, judicem. Hac illa eſt ſcientia, ex cujus monumentis brevi temporis ſpatio plura diſci cognoſcique poſſunt, quam multæ hominum ætates experiendo percipiant. Hac illa eſt, quæ vitæ humanæ varias mutationes, & rerum in ea converſiones, mundi hujus comœdo-tragœdias & imperiorum præcipites caſus monſtrat. Hic Scipio ille, ſine quo inclivis noſtræ reipublicæ erecto incedere licet nemini. LIPS. Libr. 2. Polit. Et quid attinet, in re minus dubia teſtibus uti non neceſſariis? Ad hiſtoriæ lectionem tam multi nobis reliquerunt incitamenta. LIVIUS init. L. 1. BODINUS in method. hiſt. GRYNÆUS in præfat. Juſtin. MANUT. in præfat. Cæſar.* Et qui primo loco merito nominandus, *BOECLERUS, in hiſtoria Principum ſchola.* Quantum ſæpius in negotiorum publicorum tractationem proficiſcatur detrimentum, ſi illi, qui inter purpuratos pacis bellique negotia tractant, inſufficientem præteritorum temporum notitiam habeant, id, ſuo exemplo Ludovicus de Haro, vir cæteroquin ſubacti judicii, comprobavit. Cum enim Cardinalis Mazarinius, huic judicio, non autem aſtutia inferior, & memoria longe ſuperior, animadverteret, ipſum præteritarum rerum notitia deſtitui, ad vetuſta ſemper documenta, licet per fallaciam & fictitie provocabat. Cumque ita Haro, calliditatem Mazarini non ſentiens, prius Madritum nuncios mitteret, ut ſuorum conſilia, in negotio præſenti & documenta acciperet, Mazarini inſcitia Hiſpani ſe armans, multa antecapiebat celeritate, quæ in maximum Hiſpanorum detrimentum vergebant. *FRANCISCUS PETRARCHA Lib. II. de viris illuſtribus cap.* 1. non in ultimis Q. Fabii Maximi laudibus ponit, quod ingenti quadam fuerit notitia vetuſtatis ac memoriæ, de quo eſt apud Ciceronem, quod omnia, non domeſtica ſolum, ſed etiam externa bella memoriæ tenebat: itaque minime mirum fuiſſe, quod bello Punico ſecundo, cui procellæ jam grandævus interfuit, dicta ejus conſiliaque, tum in populo, tum inter primores patrum, pro oraculis habebantur.

(*b*) *Adoleſcentibus.*) Ipſi Ariſtoteli, juvenis ineptus politices auditor viſus fuit, *CICERO* tamen *Libr. VI. Epiſt.* 15. non inutile eſſe juveni, talia audire, judicavit, Id certum, hunc circa prima elementa & theoremata ſaltim verſari, reliqua maturioribus annis ſeponens. *BECMANNUS* Diſſ. 1. §. 11. *de natura Politices: Politica diſcenda*, inquit, *omnes homines, juvenes pariter & ſenes æque capaces ſunt. Uſurpanda, ſoli ſenes ſeu provectioris ætatis homines.* Ratio I. Quia juvenes, experientia & rerum uſu carent. 2.) Quia iidem, ab affectibus immunes non ſunt. Pergit idem *BECMANNUS: Quæſtionem, in ſcholis agitatam: An juvenis, ſit idoneus auditor politices? verborum paucitas potius, quam rerum ipſarum natura peperit.* Οἰκεῖος ἀκροατὴς *enim, apud Ariſtotelem, quod idoneum auditorem reddiderunt, non ſignificat auditorem diſcentem, ſed judicii maturitate jam imbutum ſeu utentem. Quemadmodum, ſimili loquendi modo libros acroamaticos conſignavit, qui non pro incipientibus, ſed iis eſſent, qui judicio pleniori jam uti ſciant. Quibus & exotericos opponit, hoc eſt, non ſubtiliter adornatos, ſed cujusvis etiam incipientium captui accommodatos. Vulgo, diſtinctione inter juvenem ætate & juvenem moribus; rem expediunt: ſed minus ſolide. Ratio iſta enim perpetuo militat de defectu experientiæ, & exceſſu affectuum, eoque juvenes ætate pariter ac moribus complectitur.* Conf. elegantem *ZEIDLERI Introd. in lectionem Ariſtotelis*, qui initio ſtatim de differentia auditorum Ariſtotelis copioſe differit. Aliquo modo huc ſpectant, quæ de ætate legati vulgo diſputantur, de quibus integro capite videndus acutiſſimus, *WICQUEFORTIUS dans ſon Ambaſſadeur Liv. I. Sect. VIII. p. m.* 83. *Philippe de Comines*, inquit, *dont j' emprunte volontiers l' autorité, veut qu' en ces occaſions les Princes ſe ſervent des perſonnes, qui ne ſoient, ni trop jeunes, ny trop agées: parce que, ſi les uns ſont ſujets à des emportaments, les autres ont leurs foibleſſes, qui ſont tres dangereuſes.* Sed hæc, ὡς ἐν παρόδῳ.

Digitized by Google

periri. Quem ſcilicet in modum loquitur, & *Æſchines* διὰ τὺτο γαρ τὰς των παλειῶν γνώμας παιδες ὀκμαντάνομὴν ἵναι ἄνδρες γενόμενοι ἀυταῖς χρώμεθα. Eam ob cauſam ſententias veterum pueri ediſcimus, ut viri facti iis utamur. Imo hæc via longe eſt expeditior, adoleſcenti quidem, ad civilem prudentiam, quam illa altera, quæ ab hiſtoriis pergit ad præcepta, i. e. Ut quis diſcat prius civilem prudentiam, prout ab *optimis tradita* (*a*) Scriptoribus, & deinde pergat ad Lectionem hiſtoriarum. Tum enim ad ea poterit attendere, ad quæ antea non item. Qui enim præceptis ac ſententiis prudentiæ eſt inſtructus, jam oculum accepit quendam politicum, quo poſſit pervidere rerum geſtarum cauſas atque arcana; in quæ non penetraverit, qui ſe ſtatim in hiſtoriarum mare immerſerit.

XXI. Sed de natura & conſtitutione hujus ſcientiæ ſatis fortaſſis actum eſt. Nunc tempus monet, addere nonnihil, quomodo & a quibus hactenus hæc Philoſophia Civilis fuerit exculta. Nam & hoc uſum inſignem habet, non ignorare. Apparebit enim hinc, qui bene, qui ſecus eam tractaverint, atque adeo, qui ſequendi maxime & credendi, qui vero fugiendi, iis, qui ad hanc Philoſophiam aſpirant. Quod ſcire in rem profecto maxime eſt Tyronum. Bene enim Ariſtoteles: δει προσεχειν τῶν ἐμπείρων καὶ πρεσβυτέρων ἢ Φρονίμων ἀναποδεικταις Φάσεσι καὶ δόξαις, ὐχ ἧττον τῶν ἀποδείξεων. Etſi enim cognitio, quæ tali auctoritati innititur unice, non ſit omni ex parte perfecta, tyronibus tamen etiam ſufficere poteſt.

XXII. Quoniam vero ſupra ſatis demonſtratum eſt, Politicam ſeu Civilem prudentiam circa omnes omnino Reſpublicas verſari, non tantum circa hanc aut illam: Deinde eam quoque conſtare principiis ex hiſtoria petitis; Facile apparet, quinam cenſendi ſint quam optime Philoſophati. Nempe illi partem tantum attigerunt hujus Philoſophiæ, qui animum non appulerunt, ad omnium plane Rerumpublicarum inquiſitionem, qui vero non demonſtrant, ex Principiis vere politicis, ab iis fruſtra, quis deſideret hujus Philpſophiæ ſcientiam. E Contra illi optimi politici habendi, qui & Rerum Civilium ſeu rerumpublicarum experientiam ſufficientem, & demonſtrandi peritiam ad omnium earum inquiſitionem appulerunt. Quo canone poſito, non adeo difficile fuerit de omnibus ſcriptoribus civilis prudentiæ juſto judicio judicare. In quo tamen, non meum, ſed aliorum clariſſimorum virorum cenſuram ſequar.

XXIII. Ut autem ab antiquiſſimis monumentis ordiamur, certe haud pauca ad hanc Philoſophiam ſpectantia, offerunt nobis ſacræ paginæ, utpote quæ continent illam omnium optimam atque celeberrimam rempublicam, quæ habet Deum ter Opt. Max. legiſlatorem & inſtitutorem. Imo, qui non tantum inſtituit hanc Rempublicam, verum etiam partim immediate, partim mediate eam adminiſtravit. Nam ſæpe immediate, vel ad occultas pœnas rapuit ſontes, vel ſententiam in eos Moſen pronunciare juſſit. Uti hoc ſatis ſuperque oſtendunt ſacræ literæ. Ita binos filios Aaronis, peregrinum ignem ad Dominum inferentes, igne Dominus ipſe conſumit. Levit. 10. Cujus rei varia poſſent, & quam plurima alia adduci exempla. Ex quibus ſane apparet ex Moſaicis legibus, ne nunc dicam, de Salomonis & Syracidis prorſus divinis libellis, poſſe quam plurima depromi ad Civilem Prudentiam, quod iis nihil abſolutius aut divinius. Cœterum, etſi dubium non ſit, quin omnia, quæ in *Sacro Codice* (*b*) ſcribuntur, longe veriſſima & optima

(*a*) *Optimis tradita.*) Hic ab autore non pauci diſſentiunt; viam, per exempla longe faciliorem, cum Seneca: quam per præcepta perveniendi ad aliqualem prudentiæ civilis notitiam, æſtimantes. Vide, COMINEUM *de rebus Ludovici XI. Lib. II. cap. VI.* & BOECLERUM *in hiſtoria Principum ſchola T. I. Operum.*

(*b*) *Sacro Codice.*) Non dubito, quin a Salomone plures, de arte regnandi potiſſimum, conſcripti ſint libri, quanquam eos, ad conſtituendum ſacræ Scripturæ canonem ſpectaſſe, aſſerere nolim. Interim ex iis, qui reliqui ſunt, permagnum uſum, in moderanda republica hauriri poſſe multi viri docti probatum ivere. Horum numero eſt, *BALTHAS. SCHUPPIUS*, qui in libro: *der Regenten-Spiegel*, potiora politicæ Salomoneæ dogmata enucleare ſtuduit. Utiliorem adhuc argumento huic impendit operam *JOSEPH. HALL*, qui artem imperandi, ex Salomonis ſcriptis docere inſtituit, cujus libri, capita ſequentia adſcribere lubet. 1.) agit, de diviſione in magiſtratus majores & minores. 2.) 3.) & 4.) virtutes regias continet. 5.) ejus actiones, 6.) ejus conſiliarios & doctores, 7.) ſenatorem & magiſtratum oppidanum, 8.) Aulicum, 9.) & 10.) Cives ſeu ſubditos. Vertit hunc librum, ex Anglicano idiomate, in Teutonicum *M. ANDREAS BEYERN*, una, cum ejusdem *HALLII œconomia & Ethica Salomonea*. Lipſ. 1714. Inſignem quoque locum hic ſibi vindicant Anonymi cujusdam *Conſilia ſapientiæ*, vel, ut gallicum ejus rubrum eſt: *Les conſeils de la ſageſſe, ou le recueil des Maximes de Salomon, les plus neceſſaires à l' homme pour ſe conduire ſagement, avec des reflexions ſur ces maximes*, à Paris 1697. Tom. II. in 12. quæ celeberrimum illum gallicis reditibus præfectum *NICOL. FOUQUET*, auctorem habere, nonnullis creduntur, quibus calculum ſuum adjicit, *GOTFR. ZAPFE*, cui germanicam hujus libri verſionem ſub titulo: *Salomons Königl. Anleitung zur wahren Klugheit*, debemus. Conf. *DN. THOMASII Monats-Geſpräche* P. I. pag. 684. 687. ſeq. *STOLLE in der Hiſtorie der Gelahrtheit*, L. III c. 5. §. 8. Huc quoque pertinent, univerſim ex ſacra Scriptura prudentiam politicam eruentes, *JOH. STEPH. MENOCHIUS* in *hieropolitica*, ſeu *inſtitutione politica ex S. S.* deprompta. *GEORG NEUMARCK, im Davidiſchen Regenten-Spiegel.* *DANÆI politica ſacra*, *L' idée parfaite du veritable heros, formée ſur les maximes des anciens & des modernes & des ecritures ſaintes &c.* par J. B. de la FAILLe, Amſt 1700. *Politique tirée de l' ecriture ſainte par JAQ. BEN. BOSSUET.* Paris 1709. Joſuæ Arndii, Joab Davidis ad Guſtavum Adolphum politice philologiceque ſcriptus, Guſtrav. 1653. & *THEOD. REINKINGS Bibliſche Policey*, de qua ſequens exſtat Dn. Thomaſii judicium: *Continet, hac axiomata politica de triplici ſtatu reipublica eccleſiaſtico, ſeculari & œconomico, deducta ex dictis & exemplis Biblicis: Non diffitendum equidem, multa hic contineri egregia bona, ſed tamen etiam paſſim, deprehendes ibi axiomata ex ſtatu peculiari reipublica judaicæ ad respublicas chriſtianas, jam a Theologis Pontificiis pro firmando dominatu clericali contorte applicata, & hic repetita.* Confer de hoc meditationum biblicarum genere, *BOSIUM* de *prudentia civili comparanda* p. 40. Ex quo facile colligi poterit, quam impenſe *TILEMANNUS in præfat. diſc. philolog. de hiſtoricorum delectu, hallucinetur, talia ediſſerens: Qui ſacrum Codicem reſpiciunt, illi parum attendunt ad moralis atque forenſis legis differentias, nec conſiderant, longe alio fine libros ſacros poſteritati propagatos eſſe, non ut inde reipublica.* (Vid. *Alban-Spinaſatus Libr. I. politiſmi* c. 2.) *ſed anima noſtra ſalutem attrahamus, monito D. Johan-*

Digitized by Google

optima ſint: Tamen, quæ hic habentur, illa, & neutiquam integræ hujus Philoſophiæ Civilis argumentum attingunt, uti unicuique facile apparet, neque Demonſtrationes ſunt, ſed multa quidem παραγγέλματα, plæraque vero in hiſtoria rerum civilium potius ſunt cenſenda. Et ſane hac in parte plurimum poſſunt juvare ſacri iſti codices hujus Philoſophiæ ſtudioſum: narrant enim hiſtoriæ ſacræ cum alia multa, tum quomodo dependeant mutationes rerumpublicarum a *providentia divina*, (*a*) id quod apud reliquos Scriptores videre ita non licet.

XXIV. Verum his omiſſis, ſtatim ſe nobis offert divinus ille *Plato*, (*b*) qui ſane primus omnium, quod ſciamus, nobis politica ſcripta reliquit, atque ſublimius multo, & majore induſtria ingenioque argumentum hoc aggreſſus eſt, quam quisquam ante illum alius. Quippe qui decem libris eam, quæ in votis tantum eſt, rempublicam delineavit, quibus duodecim de

---

*Johannis Cap. V. v. 39. & cap. XX. in fine. Rectius faciunt, qui ex ipſiſſimis politica & jurisprudentiæ principiis legum noſtrarum rationabile deducunt.* PICUS Comes Mirandulæ, poſtquam volutaverat ſeſe per ambitum omnis ſcientiæ profanæ, tandem dicebat, reſidere in portu ſacræ Scripturæ, tanquam in qua omnem abyſſum prudentiæ ſolidæ ſecure ſpeculari queat.

(*a*) *Providentia divina.*) Impia ſunt, quæ *MACHIAVELLUS* in *Principe* ſuo de abſoluto fato Cap. 25. philoſophatur. Magis Tacito, ut ethnico, condonandum, ſi L. 6. annal. *In incerto*, inquit, *judicium eſt, fatone res mortalium & neceſſitate immutabili, an ſorte volvantur. - - Fatum quidem congruere rebus putant, ſed non e vagis ſtellis, verum apud principia & nexus naturalium cauſarum; ac tamen electionem vitæ nobis relinquunt: quam ubi elegeris, certum imminentium ordinem.* CURTIUS e contra L. 4. c. 14. providentiam divinam magis agnoſcere videtur: *Forſitan*, inquiens, *ita Deorum fata ordinaverunt, ut Perſarum imperium, quod ſecundo curſu per 230. annos ad ſummum faſtigium evexerant, magno motu contuterent magis, quam affligerent; admonerentque nos fragilitatis humanæ, cujus nimia in proſperis rebus oblivio eſt.* Quæ *PHILO* de providentia divina philoſophatur, & ſententiis illuſtribus & rationum gravitate præcellunt. Neque vel facundiſſimorum ſcriptorum commentationibus cedere debent, ſi quis inter ſe contendere velit. Vid. *BOECLER. T. I. Oper. p. 382. in ſchediasmate in Philonis Judæi legationem ad Cajum.*

(*b*) *Plato.*) Negari nequit, & ex dogmatibus ſeptem ſic dictorum Græciæ ſapientum, hic utilitatem aliquam hauriri poſſe: Nam & iſti viri regendis rebuspublicis operam dederunt. Dicta & dogmata eorum in *DIOG. LAERTII* Lib. I. *de vitis philoſophor.* & *STANLEJI hiſtoria philoſophica* leguntur. Nec deſunt alii libri, qui hæc nobis ſuppeditant fragmenta. Exſtat liber gallicus, quem perilluſtrem quondam *FENELONIUM*, Æpum Cameracenſem, habuiſſe auctorem ferunt, ſub titul. *Abregé des vies de plus anciens philoſophes avec un recueil de leurs plus belles maximes. Journal des ſavans du Mois d'Août* 1726. de hoc libro tale refert judicium: *On y voit, comme d'un coup d'oeil, la naiſſance, l'education, le voyage, les avantures, les principes phyſiques, les maximes tant morales, que politiques, & les beaux mots de tous les anciens philoſophes de la Grece.* Studio politices quoque inſervient dogmata eorum ſapientum, qui inter barbaras, ut vulgo vocantur, gentes eminuerunt, ut *CONFUTII* Sinenſium, *LOCMANNI* Perſarum, *PILPAI* ſeu Auctoris ſapientiæ Indorum veterum, aliorumque, de quibus conf. Dn. *STOLLE Hiſtorie der Gelahrtheit* Lib. III. cap. 1. *von der* Morale *überhaupt. Fabulæ Æſopi* ſuum in politicis quoque uſum habebunt. *ISOCRATES*, qui tempore Platonis apud Athenienſes floruit, orationem *de regno ad Nicoclem*, optimis prudentiæ civilis præceptis refertam, reliquit, quam interpretatus eſt *MARTINUS PHILETICUS*, *ERASM. ROTERODAMUS*, *THOMAS NAGCORGUS*, *HIERONYMUS WOLFIUS*, Baſil. 1570. *PAULUS STEPHANUS*, 1604. Vid. Dn. *FABRICII biblioth. græc. L. 2. c. 26.* §. 5. Cui jungi poteſt, laudati Iſocratis *Paræneſis ad Dæmonicum*, de qua judicium Clerici & Dion. Halicarnaſſ. affert *STOLLE* l. c. §. 13. *Commendandus eſt Iſocrates*, inquit *BOECLERUS*, *noſtris hominibus: mire enim patriæ utilia diceret, qui ordinibus imperii ſuaderet, quæ ipſe Athenienſibus ſuis ſuadet. Legatur oratio ejus de pace, & obſervetur, annon appoſite illa omnia dici ſuaderique potuerint, facta pace Monaſterienſi.* Inprimis autem ex Græciæ ſapientibus ob peculiarem prudentiam rectoriam *Solon* celebratur *PLUTARCHO* & *MEURSIO in Solone.* Hoc ſcriptum antea Hafniæ typis impreſſum, *theſauro antiquitatum romanarum GRÆVII* locupletius inſertum eſt. Recenſetur hic liber *in der ſummariſchen Nachricht von auserleſenen in der Thomaſianiſchen Bibliotheck vorhandenen Büchern*, vol. II. p. 885. 904. Quod ad ipſum *PLATONEM* attinet, ex ſcriptis ejus, quæ ab interitu vindicata, eruditorum manibus feruntur, apparet, ipſum præ omnibus aliis ejus tempora antecedentibus philoſophis ad civilem incubuiſſe prudentiam. Dogmata ejus politica exhibent *DIOG. LAERT. de vitis philoſ. L. 3.* & *STANLEJUS in hiſt. philoſ.* P. 4. c. 9. Elogia ejus cumulavit *TOBIAS MAGIRUS* in *eponymolog. critico*, curante Ill. *EIBENIO*, edito. Conf. etiam *la comparaiſon de Platon & d'Ariſtote par le P. Rapin T. I. p. 280. ſeq.* Sunt tamen multa, quæ in hoc viro a nonnullis deſiderantur. Audiamus de eo *BOECLERUM de ſcriptor. græcis & latinis p. 15.* loquentem: *In moribus*, inquit, *& doctrina civili nihil non vidit, & tractando illuſtravit. De communione bonorum, uxorum, & liberorum Ariſtoteles præſertim ſententiam ipſi tribuit perverſam, cui magis, quam oportebat, credidiſſe ſancti patres videntur. Qui ſtudioſius eum legerunt, negant iſta, & hoc ſenſiſſe Platonem autumant, tum beatam fore civitatem, ſi civium quisque non ſe tantum & ſua ſpectet curetque, ſed & aliorum civium res æque ac ſuas ſalvas cupiat.* Quæ ſequuntur hic in *BOECLERO*, pro defenſione Platonis maxime faciunt. De auctoribus, qui ipſius cenſores aut defenſores egerunt, ut & qui ipſius vitam illuſtrarunt, agit *JONSIUS* in *hiſt. philoſoph.* L. I. c. 18. & 20. L. III. c. 21. & 36. De Commentatoribus agit *NAUDÆUS* in *bibliographia.* Id certum, ſi libros de legibus excipias, ipſius themata politica magis ſcholaſticis rixis, quam eis, quæ ad vitæ uſum faciunt, inſervire. Conf. *BOSIUM in Diſſ. iſagogica de comp. prud. civili* §. 14. De reliquo *SOCRATES*, Platonis præceptor, non videtur hic omittendus fuiſſe, quippe qui ſecundum veterum tradita, & hujus prudentiæ non fuit imperitus, tametſi nihil ab ipſo, ut teſtes ſunt *CICERO*, *PLUTARCHUS*, *DIO. CHRYSOSTOMUS* aliique, litteris ſit mandatum. Interim ſuſpicantur haud pauci, partem aliquam eorum, quæ Platoni tribuuntur, Socrati deberi: cum ipſe Plato ſibi ſcripta quædam abjudicet & Socrati tribuat. Vide *STANLEJUM in hiſt. philoſ.* P. III. c. 18. De vita & dogmatibus Socratis præter Stanlejum tradunt *DIOG. LAERT.* L. II. *PETRARCHA de viris illuſtr.* & *BALSACUS.* Vide *MORHOFIUM in polyhiſt. T. II. L. I. c. 3. n. 2.* Majori autem jure memorandus fuiſſet *XENOPHON*, cujus Cyropædiam veteres, ut prudentiæ civilis nobile ſpecimen, ſuſpiciebant. *CICERO L. I. Ep. 1. ad Q. Fr.* de ea ita judicat: *CYRUS ille a Xenophonte non ad hiſtoriæ fidem ſcriptus, ſed ad effigiem juſti imperii: cujus ſumma gravitas ab illo philoſopho cum ſingulari comitate conjungitur: quos quidem libros non ſine cauſa noſter ille Africanus de manibus ponere non ſolebat: nullum eſt enim in iis prætermiſſum officium diligentis & moderati imperii.* Conf. *BOECLER. in Diſſ. poſthuma de ſcriptor. græc.* & *latinis p. 15.* Habemus quoque de Xenophonte *rationes redituum*, & librum *de magiſterio equitum*, ad filium, quorum tamen argumentum ad ſtatum Græciæ ſpectat. Libellus ejus *de regno* vitam Principum cum felicitate privatorum confert, oſtenditque, qua ratione Princeps αὐταρκείας particeps fieri poſſit. Vitam ejus & dogmata addiſcere licet ex *DIOG. LAERT.* L. II. *STANLEJO* P. III. p. 209. ſq.

de Legibus, unum de Supremo civitatis, hominiſque bono, cui *Epinomidis* inſcriptionem fecit, ſubjunxit. Atque hic ſane de omni republica inſtituit dicere, multa tamen non attigit, nec juſto ordine uſus eſt. Taceo, multa illum aliena admiſcere, in plurimis vero illum non eſſe veritatem aſſecutum. Pauca enim, & niſi obſcura de conſiliis, magiſtratibus, judiciis, pauca de formis, differentiis, corruptionibus: pauciſſima de ſalute cujuslibet ſtatus tradit. Ne nunc tangam monſtroſa illa, de communi mulierum uſu, & inutilem de bonorum poſſeſſione diſputationem. Quid quod? ipſe Plato fateatur. libr. IV. De republica ſe μυθολογεῖν τὴν πόλιν, hoc eſt fabuloſe & poetarum more rempublicam formare. Tametſi vero in omnibus non ſit aſſecutus veritatem, & multa poſſint deſiderari in ejus ſcriptis, aureus hic nihilominus Politices Doctor eſt. Primum quod exacte multa tradat, quæ alii Scriptores negligunt, cum ſint utiliſſima, deinde quod ſua demonſtraverit, plerumque ſane non male ex eventis actionum humanarum.

XXV. Ariſtoteles auditor Platonis fuit. Cæterum antequam ad illum pergamus, verbo attingendum, quod e ſchola Epicuræorum nullum ſcriptum politicum liceat reperire. Et vero, quid illi de civitate, deque optimo ejus regimine potuerint dicere, quibus venter pro anima, cibus *pro ſale fuit?* (a) Sed nec ſchola Stoicorum quidquam habet, licet illos acute ac ſpinoſe de republica legimus diſſeruiſſe. Nihil enim ad uſum civilem ac popularem, Marco Tullio teſte, locuti ſunt.

XXVI. Tempus monet, ut & de illo ſapientiæ pariter & virtutis ac prudentiæ antiſtite graviſſimo, de *Ariſtotele* (b) inquam, nonnihil dicamus. Atque illum quidem plurimos hujus argumenti libros ſcripſiſſe, cum aliunde liquet, tum e catalogo Scriptorum ejus apud Laërtium libr. V. Sunt autem hi fere: Ἀλέξανδρος ἢ ὑπὲρ ἀποίκων, α΄. Περὶ βασιλείας, α΄. τὰ ἐκ τῶν νόμων Πλάτωνος, α΄. β΄. γ΄. τὰ ἐκ τῆς πολιτείας, α΄. β΄. πολιτικῶν, β΄., πολιτικῆς ἀκροάσεως, ὡς ἡ Θεοφράστου, α΄, β΄. γ΄. δ΄. ε΄. ϛ΄. ζ΄. η΄. νόμος συστατικὸς, α΄ νόμων, α΄. β΄. γ΄. δ΄. πολιτεῖαι πόλεων δυοῖν δεούσαιν ἑξήκοντα καὶ ἑκατὸν, καὶ ἴδιαι δημοκρατικαὶ, ὀλιγαρχικαὶ, ἀριστοκρατικαὶ καὶ τυραννικαὶ Harum vero rerumpublicarum numerum, etſi Diogenes contrahat ad centum quinquaginta octo: Scriptor tamen ἀνώνυμος vitæ Ariſtotelis ad ducentas quinquaginta extendit, quibus quinque inſuper addit Philoponus. Quid autem de hac re ſit ſentiendum, ut & de omnibus hiſce libris, id, quoniam latius explicavit in introductione ſua ad politicam Ariſtotelis, non eſt, cur hic addamus verbum. Etſi vero tam multa ſcripta ſint ab Ariſtotele, certum tamen eſt, nullum Scriptum ex his omnibus extare, præter octo libros de gubernanda republica, ut & pauca quædam fragmenta, ex illis ducentis quinquaginta quinque rerumpublicarum conſtitutionibus, a viro clariſſimo Iſaaco Caſaubono ac aliis collecta. Sine dubio autem eas reſpublicas reſpexit Cicero V. de Finibus, ubi ait: Omnium fere civitatum non Græciæ ſolum, ſed etiam Barbariæ, ab Ariſtotele, mores, inſtituta, diſciplinam, a Theophraſto etiam leges cognovimus.

XXVII. Manifeſtum vero hinc iterum eſt unicuivis, fuiſſe profecto Ariſtotelem ἱστορικώτατον, maximumque habuiſſe civilium rerum uſum. Sed nec id temere quisquam negaverit, fuiſſe eumdem *demonſtrandi artis longe peritiſſimum*, (c) utpote cujus beneficio habemus logicam, qui-

(a) *Pro ſale fuit.*) Memoriæ proditum eſt, Epicurum vitæ ſpeculativæ addictum ea, quæ ad negotia reipublicæ curandæ ſpectant, ſusque deque habuiſſe. Vid. Autoris *Propolit.* cap. 15 Sunt, qui ipſum perditiſſimæ fuiſſe vitæ ajunt, quorum numero etiam eſt *CICERO*, *HORATIUS* & alii veterum recentiorumque. Cauſſam ejus perorarunt *GASSENDUS in Comment. ad L. X. Diog. Laertii*, *RONDELLUS*, *ARNAUDIUS*, *BONCIARIUS*, *QUEVEDUS.* Vide *JONSIUM in hiſt. philoſ.* L. III. c. 31. 33. Quomodocunque autem ſe ejus de voluptate & ſummo bono habuerit ſententia, certum eſt, multa a Stoicis, infenſiſſimis Epicuræorum hoſtibus, ipſi eſſe adficta. Conf. *STANLEJI hiſt. philoſ.* & *PETRARCHA de viris illuſtr. L. III. in vita Epicuri.*

(b) *Ariſtotele.*) Ad cœlum fere usque laudibus Ariſtotelem extollit Auctor noſter. Fateor in ipſius operibus egregia multa reperiri, quæ vix a ſeculi noſtri hominibus exſpectares, niſi ab illo inventa & exculta eſſent: Oſtendit tamen, ſe hominem fuiſſe, ſæpeque cœcutiiſſe, ut fieri iis conſuevit, qui præmeditatos aliorum labores examinare & ſua ad illos conferre nequeunt. Tam in moralibus, quam phyſicis, quod Cartheſianæ philoſophiæ addicti ſat manifeſtum reddiderunt, multa præclara habet. Summum ejus admiratorem & acerrimum defenſorem egit *MELCH. ZEIDLER in præfation. introduct. in lectionem Ariſtotelis*, præmiſſa, nec minus ipſum laudibus admodum veneratur citatus *RAPPIN* pag. 307. ſeq. & *ERYTHREUS in pinacotheca* p. 204. Ridiculum eſt, quod Cardinalis Pallavicini affirmare auſus ſit, ſine Ariſtotele orbem Chriſtianum articulorum fidei parte deſtitutum iri Vid. *l'auteur de l' evangile nouveau du Card. Pallavicin chap. 6. art. 6.* & *BAYLE dans le dictionair* ſub Articulo *Ariſtote.* Non equidem miror, Ariſtotelem circa prudentiam civilem tradendam, omnes alios fere ſuperaſſe: non ſolum enim acerrimo ingenio, ſubacto judicio & rerumpublicarum hiſtorica gaudebat notitia, ſed & ipſe rebus agendis, ſi non ope, tamen conſilio adfuit. Verſatus enim eſt in magnorum Principum aulis Philippi, Alexandri, cujus juventutem moderatus eſt, Antipatri & Antiochi. *BOSIO* teſte, opus molitus civilis doctrinæ perfectum, partem generalem in ethicis, præſertim Nicomachicis facili profluentique ſtilo elaboravit. Politica vero proprie dicta incomparabili gravitate, brevitate & arte conſcripſit, ac non tantum nihil eorum omiſit, quæ ad integrum imperii corpus faciunt; ſed etiam illa docuit, quæ ad ſingulas partes imperii requiruntur. Abſit, ut in Ariſtotelis politicorum libros injurii eſſe velimus; id tamen negari nequit, non pauca eſſe, quæ Ariſtotelis politicæ deſunt, de quo præter Auctorem noſtrum *in Propoliticis* conferendus eſt *HERTIUS in elementis prudentiæ civilis.* Fragmenta rerumpublicarum ab Atiſtotele deſcriptarum, quæ *PATRICIUS*, *CASAUBONUS*, *HEINSIUS*que collegerunt, nihil fere politicæ obſervationis continent, quoniam e grammaticorum ſcriptis deſumta ſunt, Vide *Præfat. Auctoris introd. in polit. Ariſtot.* præmiſſam. Neque melioris ſunt notæ, quæ ex *HERACLIDE PONTICO de politiis*, & *NIC. DAMASCENI hiſtoria catholica*, *CRAGIUS*, *HEINSIUS* & alii exhibent. Vide *BOSIUM* loc cit. p. 30. Vitam ejus & doctrinas referunt *DIOG. LAERTIUS*, *STANLEJUS*, *JONSIUS*, *STOLLIUS* aliique. De Commentatoribus ejus vide Auctoris Cap. IX. *Introd. in polit. Ariſtotel.* *MORHOF.* Polyhiſt. Tom. III. L. 2 §. 2. *REIMMANN* Vol. V. p. 20. *Introd. in hiſtor. litter.* *STOLLIUS in der Hiſtorie der Gelahrtheit p. 702.*

(c) *Demonſtrandi artis peritiſſimum.*) Vide *ZEIDLERI Introd.*

Digitized by Google

quique primus omnium eam ſcriptis complexus ſatis feliciter. Unde conſequens eſt, potuiſſe ſaltim eundem civilem hanc Philoſophiam quam optime excolere. Si potuit autem tam accurate ſcribere Ariſtoteles, ergo ſi & voluit, ſcripſit ita. Voluit autem omnino in opere noſtro politico, quod ſupereſt. Eſſe enim hoc ἀκροαματικὸν ſcriptum, non autem exotericum, ſatis luculenter probavi Introd. c. 3. Unde patet etiam, quid de illis libris ſit ſentiendum; Scilicet per quam accurate illos eſſe conſcriptos, adeoque magnam partem demonſtrativos eſſe, & ab erroribus immunes. Neque enim, quod quædam adhuc deſiderantur, factum id Ariſtotelis culpa, ſed temporis injuria. Quod cum dico; Fateor tamen, poſſe quædam adhuc forte addi, quia hujus ſcientiæ ambitus unius ingenii limitibus non poteſt circumſcribi. Res interim docet, etiam hæc fragmenta plus ſolidæ continere prudentiæ, quam in vaſtis aliis voluminibus reperiatur.

XXVIII. Auditor Ariſtotelis fuit ſimulque in Lyceo ſucceſſor Theophraſtus Ereſius. Quem itidem ad omnem plane civilis philoſophiæ ambitum animum appuliſſe, vel unus *librorum ejus index*, (*a*) qui apud Diog. Laërt. eſt, oſtenderit. Adeo enim multa ille civilis prudentiæ argumenti habet, ut poſſit videri Ariſtoteles ſuperatus. Certe hunc Theophraſtum omnium civitatum non græciæ ſolum, ſed etiam Barbaris leges ſcripſiſſe, teſtem ante produximus Ciceronem V. de Finibus. Quod factum procul dubio illis quatuor & viginti libris legum, ut & epitomes legum libris decem, quos memorat ante nominatus Laërtius. Verum omnia ejus longe doctiſſimi viri politica ſcripta periere ita, ut ne quidem veſtigium eorum reliquum ſit.

XXIX. Porro permultum etiam hujus Theophraſti condiſcipuli in ſchola Ariſtotelis, ut *Dicæarchus Meſſenius*, (*b*) & *Heraclides Ponticus*, (*c*) *Demetrius Phaleræus*, (*d*) aliique in hoc philoſophiæ ſtudio laborarunt. Sed illorum etiam, quoniam nihil ſuperat, non eſt, cur de iis quidquam addamus.

XXX. Etſi vero hi fuerint πολιτικώτατοι in *Stratone tamen Lampſaceno* (*e*) Philoſophia iſthæc ſtatim defecit: Imo non multo poſt interiit inter peripateticos omnes etiam genuina philoſophandi ratio, vel quod optimis Ariſtotelis ac *Theophraſti ſcriptis*, *ſub terra* (*f*) deliteſcentibus, non eſſet, quo ad ſolide philoſophandum ſtudioſi juvarentur, vel quod aliis ſtudiis meliora occuparentur ingenia. Quid? quod ne quidem ſub Cæſaribus, *renata nonnihil peripathetica ſchola*, (*g*) manus huic Philoſophiæ fuerit admota. Nemo enim Peripateticorum græcorum poſt tradidit politicam, certe nullum habemus in politica Ariſtotelis commentarium illorum, in aliis licet diligentiſſimi fuerint. Imo nullum extat ſcriptum, quo omnis reipublicæ ratio fuerit tradita poſt Ariſtotelem, præter quædam Ciceronis, qui æmulatione ductus, Platonis ſcripſit libros de republica, ut & de legibus. Cæterum, & illius de republica quidem *opus periit*. (*h*) De legibus vero itidem magna parte interiit; Illa tamen, quæ ſuperſunt, ſane docta ſunt.

XXXI. Hic

*trod. in lectionem Ariſtot.* ejusque *Prodromum*, nec non *libros Analyticorum*, in quibus Ariſtotelem ſequitur, & *RAPPINII methodum Platonis & Ariſtotelis* p. 315. Acribia methodi ejus potiſſimum debetur, quod & alias diſciplinas methodo mathematica pertractare exorſus ſit, cujus illuſtre exemplum libri ejus Analyticorum exhibent. Unde priſcis fuerunt in pretio, & nunc etiam nonnullis ex numero eruditorum ſunt. Vide *CHRISTOPH. COLERUM de ſtudio politico ordinando.*

(*a*) *Librorum index.*) Reperitur Theophraſti librorum Index apud *DIOG. LAERT.* Lib. V. Hic ſumma veneratione magiſtrum Ariſtotelem proſequebatur ejusque veſtigiis preſſe inhærebat, cujus etiam imaginem poſt mortem templo inferri juſſit. Habemus de eo *characteres ethicos* gr. & lat. cum notis *CASAUBONI* & prælect. *JAC. DUPORTI.* Vid. *acta erudit. Lipſ. de anno* 1713. *p.* 394. Vitam ejus vide apud *STANLEJUM in hiſt. philoſ.* pag. 491. ſeq. & *bibliotheque univerſelle* Tom. XI. p. 513. ſeq. *MEURSIUS* peculiari libro egit de ejus ſcriptis. *JONSIUS* L. 3. *hiſt. philoſ. c.* 35. Theophraſti opera omnia græce & latine ex edit. *DAN. HEINSII* prodierunt Lugd. Batav. 1614. in fol.

(*b*) *Dicæarchus.*) Vide *JONSIUM* L. 1. c. 16. *hiſtor. philoſ.* & *STANLEJUM in vita Pythagoræ.*

(*c*) *Heraclides Ponticus.*) Non fuit Ariſtotelis, ſed Platonis diſcipulus, teſte *DIOG. LAERT.* L. 3. Vitam ejus & ſcripta recenſet *JONSIUS in hiſt. philoſ.* L. 1. c. 17.

(*d*) *Demetr. Phaleræus.*) Hic non tam Ariſtotelis, quam Theophraſti fuit diſcipulus. *JONSIUS* loc. cit. cap. 18. De aliis philoſophi diſcipulis agit *DIOG. LAERT. STANLEJ.* & *JONSIUS.*

(*e*) *Stratone Lampſ.*) *MEIER in præfat. ad anal. polit. Ariſtot. n.* 37. hunc vocat genuinum Theophraſti auditorem & in Lyceo ſucceſſorem. Ejus libri tres de regno, ut & de magiſtratibus tractatus, accurate procul dubio ſcripti, non amplius ſunt ſuperſtites. De vita & ſcriptis ejus vide *DIOG. LAERT.* Lib. V. & *JONSIUM* L. 2. c. 2.

(*f*) *Sub terra.*) Ariſtotelis & Theophraſti ſcripta acroamatica poſt obitum *NELEI SCEPSII*, cui Theophraſtus bibliothecam, a magiſtro primum adornatam, a ſe vero auctam reliquerat, ad rudes & ſordidos pervenerant homines, qui cum perciperent, attalicos Reges de conquirendis libris ad conſtituendam Pergami bibliothecam ſollicitos eſſe, ea ſub terra in foſſa quadam occultaverunt. Vide ZEIDLERUM *in prodromo Introduct. in lect. Ariſtot. præmiſſo* §. 2. ubi ad *PLUTARCHUM in vita Syllæ* & *STRABONEM in geographia* provocat.

(*g*) *Renata nonnihil peripathet. ſchola.*) Vide *LAUNOJUM de varia Ariſtotelis fortuna*, & *MORHOFII Polyhiſtor. Tom.* 1. *Lib.* 1. *cap.* 2. §. 10.

(*h*) *Opus periit.*) *CICERO L.* 2. *Ep.* 13. *ad Q. Fratrem* politici operis, quod ſpiſſum & operoſum ipſe vocat, meminit, quod libros de republica deperditos conſtituiſſe videtur. In Ciceronis libros de Legibus exſtat egregius Turnebi commentarius. Nominandi etiam fuiſſent Taciti annales, licet ad ſyſtematicos, ſive artis politicæ juxta regulas methodi ſcriptores, referri nequeat, ſalutaria tamen multa nonſolum reconditioris, ſed & communis Politicæ continet præcepta. Quinque priores libros aurei operis Corbeiæ Saxonum debemus. Repertos autem eos eſſe, Leonis X. Pontificis, qui donis & indulgentia inventorem cumulare publicaverat, deſiderio adſcribunt. Vid. *BAYL.* T. III. p. 2825. dans le Dictionaire critique. De Commentatoribus ejus, ut & falſariis agit *AMELOTUS* de la Houſſaie in Præfation. traductionis ſuæ gallicæ annalium Taciti. Sed teſte Baylio non omnium eorum, qui in eos commentati ſunt, mentionem injecit. Tradunt, celeberrimum illum belli Ducem Spinolam, quem Mauritius Naſſovius ſibi ſaltem in re bellica inferiorem putabat, Annales memoratos in vernaculam ſuam tranſtuliſſe, ſed laborem ejus nunquam publici factum eſſe juris. Nec Plutarchi opera hic plane ſunt ſpernenda, quæ autem uſui huic inſerviunt, recenſet Celeb. *Stolle in der Hiſtorie der Gelahrtheit* p. 702.



Digitized by Google

XXXI. Hic igitur deficiunt Scriptores, usque ad *Arabum tempora*, (*a*) a quibus tamen ipſis etiam nihil quidquam, quod huc faciat, accipere eſt. Nam illius, qui inter iſtos familiam ducit, Averroes habemus, quidem quodam hujus doctrinæ compendium; Ariſtotelis tamen libros nunquam is vidit, uti ipſe ſcribit, cum præfatione Paraphraſeos platonicorum de republica librorum, tum ſub finem Ethicorum. Reliquorum verò Arabum nemo attigit hoc politicum argumentum, uno excepto Abunazare Alpharabio, cujus tamen laboribus inſuper caremus.

XXXII. Ad latinos Scriptores Sec. XII. pervenit quidem Philoſophia ad *ſcholaſticos* (*b*) nimirum, quos vocamus, pauci tamen quicquam ad hanc doctrinam attulerunt. Non tamen eſt non commendandus S. Thomas Aquinas, ut qui doctiſſima Commentaria ſcripſerit in Ariſtotelis politica, etſi nec hiſtoriarum, nec literaturæ græcæ fuerit peritus. Tribuuntur huic & duo libri *de regimine* (*c*) principum, qui docti quidem, Thomæ tamen non ſunt. Quod notatum quoque Bellarmino lib. de Scriptor. Eccleſ. Poſt illum ad annum usque milleſimum quingenteſimum, nemo fere civilem prudentiam tradidit, niſi quod Sec. XV. *Leonhardus Aretinus* (*d*) cœperit vertere politica Ariſtotelis in latinum: eaque docto commentario illuſtraverit Don. Acciajolus.

XXXIII. Sub initium demum Seculi XVI. vixit *Nicol. Machiavellus*, (*e*) qui quidem non ſcripſit commentaria in Ariſtotelem, interim quam plurima tradidit ſpectantia ad civilem prudentiam. Fuit enim earum rerum, quibus male respublicæ nituntur, ſatis peritus. Unde hoc vitii habet, ut commendet dolos & ſcelera, quæ quidem Politicus debet noſſe, non vero agere, uti id ſupra ſatis demonſtratum. Inprimis autem ea attingit Machiavellus, quæ faciunt ad Tyrannidem ſtabiliendam, & quidem in iſto libello, cui male fecit titulum principis, cum inſcribi Tyrannus debuiſſet. Cæterum ſcripſit & diſcurſus politicos, ut de re militari & ad Livium, item hiſtoriam florentinam, impius autem! cum ſit ſcriptor, & ſcelerum laudator, haud aliter legendus eſt, quam aliquis, qui de venenis ſcripſit. Unde pretium operæ fuerit adjungere *AntiMachiavellum*, (*f*) quo libro omnia iſta ſcelera expunguntur.

XXXIV. Poſt Machiavellum, renata nimirum humaniore literatura, nonnulli ex italorum doctiſſimis, quos intereſt, PETRUS VICTORIUS, (*g*) ANTONIUS MONTECATINUS; (*h*) Ex Germanis item OBERTUS GIPHANIUS (*i*) JCtus, JOACHIMUS CAMERARIUS, (*k*) ut & MICHAEL PICCARTUS; (*l*) Multi præclariſſimi homines manum huic rei admoventes, doctiſſima in Ariſtotelem commentaria ſcripſere. CHRYSOSTOMUS quoque JAVELLUS, (*m*) monachus licet, & melioris literaturæ rudis, opus politicum ex Platone & Ariſtotele ſic ſatis bene collegit atque conſcripſit. Novum opus politicum ex proprio ingenio conatus eſt conſcribere JOHANNES BODINUS

(*a*) *Arabum tempora.*) Vid. Joh. Leo Africanus in libro de vitis philoſophorum Arabum. Morhof. Polyhiſt. T. II. L. I. cap. 10. integro: De interpretibus Ariſtotelis Arabicis.

(*b*) *Ad ſcholaſticos.*) Ineptas Ariſtotelis verſiones ſcholaſticam philoſophiam enixas eſſe, docent. Originem & progreſſum hujus philoſophiæ deſcripſit *NAUDÆUS*, Conſ. Morhof. Polyhiſt. T. II. Lib. I. c. 13. 14.

(*c*) *De regimine.*) *THOMÆ AQUINATIS* Libri IV. de regimine, ut ipſi vulgo attribuuntur, Collectioni Elzevirianæ de rebuspublicis annumerantur, & prodierunt Lugd. Batav. 1643. in 4to. Omiſit hos libros inter ſuppoſititia Thomæ recenſere *THEOPHIL. RAYNAUDUS* in erotematibus de malis ac bonis libris Partit. 1. Erot. X. pag. 157. De Thoma ſcriptisque ejus plenius agit *AMBROS.* de Altamura in biblioth. Domin. ad an. 1274. & *GUIL. CAVE* in chartophylacio eccleſiaſtico p. 291.

(*d*) *Leonhardus Aretinus.*) Eſt hic unus ex litterarum in Italia refloreſcentium, diſcuſſa barbarie, reſtaurator. Quanto ille deſiderio arſerit, Quintiliani integrum opus, mediante Poggio, videndi, videre eſt apud Morhof. Polyhiſt. T. I. Lib. I. cap. 7. §. 16.

(*e*) *Machiavellus.*) Famulatus eſt initio viro cuidam docto Marcello Virgilio, cujus opera, linguæ latinæ parum gnarus, ſelectiſſimis romanæ ætatis ſcriptorum teſtimoniis ſcripta ſua diſtinxit. Poſtea Secretarius & dein Hiſtoriographus reipublicæ florentinæ, adjuvantibus Mediceis factus eſt. Soderini conſiliorum contra Domum Mediceam particeps habitus, torturæ ſubjectus fuiſſe dicitur; quos tamen cruciatus conſtanti animo pertulit, nec quicquam ex eo exprimi potuit. Videat. *BAYLE dans le dictionair T. II. p.* 1958. *JOVIUS elog. c.* 87. *p.* 205. Ita infamatus, exinde ſemper inops irriſor & Atheus fuiſſe dicitur, *JOVIO* loc. cit. & *RAYNAUD. de bonis & malis libris n.* 46. *p.* 28. eum blasphemantem evomuiſſe improbum ſpiritum ſcribit. Quod ad ipſius Principem attinet, multi eum ex hoc ſcripto ſceleratiſſimum hominem arguunt: cum tamen ſint, quæ pro ipſius defenſione faciant; quorum potiora momenta recenſet *AMELOT. in præfatione*, verſioni hujus libelli gallicæ, præmiſſa. *BACO* de *VERULAMIO* ſequens de eo fert iudicium in libro *de aug. ſcient. L. 7. c. 2. Eſt quod gratias agamus Machiavello & hujusmodi ſcriptoribus, qui aperte & indiſſimulanter proferunt, quid homines facere ſoleant, non quid debent.* Et *WICQUEFORT. in legato Libr.* 1. *ſect.* 7. *Il faut ſupoſer*, inquit, *qu' il dit presque par tout ce que les Princes ſont, & non ce qu' ils devroient faire.* Plura inferius de Florentino hoc afferentur in medium.

(*f*) *AntiMachiavellum.*) Multi contra Machiavelli principia prodierunt libri, ex quibus paucos tantum in medium proferam: *Diſcours d' etat* ſur le moyen de bien gouverner & maintenir un royaume &c. contre Nic. Machiavell. Leyd. 1609. *THOMAS BOZIUS EUGUBINUS* de imperio virtutis, ſive imperia pendere a veris virtutibus, non aſſimilatis Libr. II. adverſus Machiavellum Colon. 1594. in 8vo. Romæ 1593 fol. *De regno* adverſus Machiavell. L. III. Lugd. 1647.

(*g*) *Petrus Victorius.*) Elogium de hoc viro vide apud *MORHOF. in Polyhiſt. T. I. L. V. c.* 1. §. 5.

(*h*) *Montecatinus.*) Fuit Ferrarienſis, de cujus Comment. in Libr. 8. naturalium Ariſtotelis, judicium *MORHOFII* vide *in Polyhiſt. T. II. Lib. I. c.* 11. §. 10. Commentarium ejus in Politica Ariſtotelis *BOSIUS de prudent. civili comparanda* §. 16. doctum magis, quam utilem vocat.

(*i*) *Giphanius.*) De hujus Comment. in ethica & politica Ariſtotelis, vide *MORHOF. Polyhiſtor. T. II. L. I. cap.* 14. §. 70. Impudentiæ a Scaligero & plagii, dum Gellium editioni paratum Fruterio ſurripuit, a multis accuſatur. *MORHOF. l. c. T.* 1. *L.* 4. *cap.* 14. §. 2.

(*k*) *Camerarius.*) Hunc inter Germaniæ heroes litterarios recenſendum putat *MORHOF. Polyhiſt. T.* 1. *L.* 1. *cap.* 23. §. 54. Vitam Melanchthonis cultiſſimo ſtilo deſcripſit.

(*l*) *Piccartus.*) Fuit Profeſſor Altorfinus, cujus in Ariſtotelis politicorum libros Commentarii, magnam rerum civilium prudentiam ſpirant. Prodierunt Lipſ. 1615. 8.

(*m*) *Javellus.*) De libris ejus ſeorſim & junctim editis, vide *MORHOF. Polyhiſt. T.* 2. *L.* 1. *cap.* 14. §. 50.

Digitized by Google

NUS (*a*) magni nominis JCtus & Politicus. Cujus labores ſane nemo non laudaverit. Primo tamen controverſias ille rerumpublicarum, & lites ſæpe agitat, quod a politica philoſophia eſt alienum, homo ingenio alias acerrimo. Deinde ordinem quoque ἐπιστημονικὸν non obſervat. Tertio non agit etiam ſimpliciter de omnibus rebuspublicis vel conſtituendis, vel conſervandis. Denique nec logices videtur fuiſſe adeo peritus, ut cum Ariſtotele queat conferri.

XXXV. Poſt Bodinum politicos libros eleganter ſcripſit JUST. LIPSIUS, (*b*) qui tamen ea tantum attigit, quæ ad principatum pertinent, atque adeo partem tantum, uti & ipſe titulus præ ſe fert, non totum perſecutus. Collegit autem ſententias, ſeu axiomata politica ex omnibus ſcriptoribus. Quæ ſane duplicem poſſunt tyronibus uſum conferre. Præterquam enim, quod ad latinam linguam, etiam ad civilem prudentiam conducunt. Quemadmodum enim medico opus, uti calleat axiomata medica, ita & politico, ut politica. Scripſerunt præterea & THOLOSANUS, (*c*) & ADAMUS CONTZEN (*d*) Jeſuita, politica, neuter tamen omnia perſequi conatus videtur, tum multa miſcent, quæ ad cognitionem rerumpublicarum in genere nihil faciunt: Laudem interim ſuam uterque meretur.

XXXVI. Hic vero nullo modo prætereundum illud quondam hujus Academiæ decus HENNINGUS ARNISÆUS, (*e*) qui multa ſane edidit civilis argumenti, ac recentiores pleroſque cum diligentia, tum judicio ſuperavit. Verum tamen non omnia perſecutum, & illum manifeſtum eſt, conferentibus cum iis, quæ habet Plato ac Ariſtoteles, aut quæ ad omnium omnino civitatum conſtitutionem atque ſalutem pertinere, res docet. Tum vero ea præcipue, quæ ad jus publicum germanicum pertinent, pleriſque libris tractavit; quantum autem interſit inter publici juris cognitionem & civilis prudentiæ, ſupra demonſtravimus. Huc præterea quoque referendi egregii diſcurſus politici PAULLI PARUTÆ, (*f*) SCIPIONIS AMIRATI (*g*) itali, & JANI GRUTERI (*h*) docti profecto ac peregregii, in quibus tamen ſimiliter quis totam civilem prudentiam fruſtra quærat, & ſi locum hunc civilem mirifice illuſtrent. Sed de Philoſophiæ hujus auctoribus, ὡς ἐν τύπῳ, hæc forte ſufficiant.

XXXVII. Porro, ſi omnes ſcientiæ atque artes ſolas *mathematicas*, (*i*) ſi exceperis, quas puras vocant, experientia rerum quam maxime indigent; ut naturalis philoſophia naturali, aſtronomia cœleſti, Medica ars Medica, &c. Et ſine hac nullum earum licet aſſequi; Sequitur, & hanc civilem prudentiam, quod & ſupra eſt indicatum, *experientia* (*k*) rerum civilium, indigere. Hanc autem eſſe cognitionem hiſtoricam, ex ſuperioribus itidem manifeſtum eſt, utpote quæ divinæ benignitatis obſes anima, & ut quidam apud Græcos loquitur, metropolis eſt prudentiæ. *Hiſtoria* (*l*) enim eſt quaſi Lydius lapis, aut amuſſis quædam, ad quam omnes leges omniaque præcepta ac pronunciata communia politicus poſſit, ac debeat explorare.

XXXVIII. De his igitur paucis agere, fortaſſis non abs re erit: atque indicare, quinam ex illis potiſſimum faciant ad civilem prudentiam. Jam in confeſto eſt, alios Hiſtoricorum eſſe tantum deſcriptores rerumpublicarum, alios vero ſimul & enarratores actorum eorundem. Reſpublicæ autem maxime olim celebres fuere *Romana* (*m*) & *Græca*, (*n*) ex quibus tamen



(*a*) *Joh. Bodinus.*) Vir, qui omnem eruditionis campum fere emenſus eſt, quanquam religionum non adeo tenax fuiſſe videatur, ut quidam colligunt ex libro ejus MSto *Heptaplomeres.* Gentis ſuæ cœcus admirator, multa contra Germanorum dignitatem protulit. Vide *WERNSDORF. Diſſertat. de characteribus gentium* §. 4. Libri ejus ſex *de republica, & Methodus ad facilem hiſtoriarum cognitionem*, ſtupendam viri eruditionem in hiſtoria tam veteri quam recentiori oſtendunt. Vide Præfat. *MEIERI ad analyſin* ſuam *Polit. Ariſtotel.* §. 48. Ubi etiam Naudeum ſummum Bodini adulatorem adducit.

(*b*) *Juſtus Lipſius.*) Vir omnium judicio inter ſummos ſeculi ſui litteratos habitus. Optima librorum ejus politicorum editio habetur *Freinshemiana Argentorat.* 1641. *BOECLER.* in Diſſ. *de politicis lipſianis*, de nævis pariter & prærogativis operis lipſiani veroque ipſius uſu egregie diſſerit. *ANTON.* de *VERA*, & de *CUNNIGA dans le parfait ambaſſadeur* T. I. Liv. 2. §. 71. judicat: *Les ouvrages de Lipſe ont toujours été très bons, excepté cette partie de ces écrits, que l' inquiſition a corrigées, hors cela il a été divertiſſant dans toutes les matieres, & principalement dans celles d' Etat.* Majori ſane encomio nemo hunc virum ornare poteſt, quam factum in Diplomate Rudolfi II. Imperatoris, quo bibliopolæ batavo de privilegio opuſcula Lipſii, aliis excluſis, vendendi, proſpicitur, quod ſubiunctum eſt *LIPSII Commentar. in Plinii Panegyr. Trajano dictum.*

(*c*) *Tholoſanus.*) Hunc in ſuis *de republica* libris XXVI. Juréconſultum magis quam politicum ſe præſtitiſſe judicat *GEBH. THEOD. MEIER in præfat. polit. Ariſtotel. analyſ.* §. 48.

(*d*) *Contzen.*) Hic *decem* ſuis *politicorum libris*, in quibus de perfecta reipublicæ forma egit, plurima immiſcet theologica.

(*e*) *Arniſæus.*) Compendium hujus politicum commendat *BOSIUS de prud. civil. comparanda* §. 12. Prodiit Lugd. Batav. 1643. Duo ejus libri *relectionis politicæ*, qui Argentorati 1636. typis impreſſi, non minus ſolidam viri eruditionem referunt.

(*f*) *Pauli Parutæ.*) Hujus egregii *diſcurſus politici*, & liber *de vita politica*, judice *BOSIO* loc. cit. §. 46. ſatis laudari non poſſunt. *Hiſtoria* ejus *Veneta* anno 1645 in quarto Venetiis recuſa, & argumentis rerum in margine aucta eſt.

(*g*) *Scipion. Amirati.*) Hunc etiam commendat *MEIER* & *BOSIUS* loc. cit. Diſcorſi del Scipione Ammirato ſopra Cornelio Tacito. In Breſcia 1699.

(*h*) *Gruteri.*) De *Diſſertationibus* ejus *in Livium & Tacitum*, vide *MORHOF. Tom. 3. L. 2. cap. 1. §. 12. Polybiſtor. litter.*

(*i*) *Mathematicas.*) Legi tamen meretur magni nominis Philoſophi *HOBBESII* liber *de principiis & ratiocinatione Geometrarum*, ubi oſtenditur, incertitudinem falſitatemque non minorem ineſſe ſcriptis eorum, quam ſcriptis phyſicorum & ethicorum.

(*k*) *Experientia.*) An experientia ſola ſufficiat, diſquirit *BOECLER. in hiſtoria Principum ſchola cap. 1. T. 1. Oper. p.* 1109.

(*l*) *Hiſtoria.*) De Utilitate, quam vir civilis ex hiſtoriarum lectione capere poteſt, fuſius agit *BOECLER. in hiſtoria Principum ſchola.* Cui conferendus *COMINEUS de vita & geſtis Ludovici XI. Libr. 2. cap. 6. FRANCISCUS PATRITIUS DONATUS* in dialogo IX. *de hiſtoria utilitate* p. m. 164. *Conſiſtorium principis* p. m. 377.

(*m*) *Romanæ.*) De romani imperii magnitudine & excellentia vide *PLINIUM* L. 3. c. 4. *SOLIN. in præfat. polybiſt. vergil. Lib. 1. Æneid. OVID. Lib. 2. faſtor. CLAUDIAN. L. 3. de laud. Stiliconis. COEL. RHOD. L. 18. c. 25.*

(*n*) *Græcæ.*) De potentia & bene conſtituta rerumpublicarum græcarum forma, vide *CORNEL. PLUTARCHUM, DION. HALICARNASS.*

Digitized by Google

valde paucas habemus deſcriptas a veteribus: quod & pauci id egerint, & qui egerint eorum ſcripta fere omnia interciderint. Præter enim Ariſtotelem laudabilem hac in re operam præſtiterunt olim DICÆARCHUS MESSENIUS, HERACLIDES PONTICUS, (*a*) & NICOLAUS DAMASCENUS, (*b*) ſed horum vix fragmenta ſuperant. Tantum extant XENOPHONTIS (*c*) de republica Athenienſium & Lacedæmoniorum libelli omni profecto laude digniſſimi.

XXXIX. Illam autem temporis rapinam egregie noſtro ſeculo nonnulli vindicarunt, quos inter cum primis memorandi veniunt, CAROL. SIGONIUS, (*d*) NICOL. CRAGIUS, (*e*) maxime autem UBBO EMMIUS (*f*) & JOH. MEURSIUS, (*g*) quorum ſane ultimus res atticas diligentiſſime collegit, cum in aliis multis libris, tum eo, qui Areopagiticus inſcribitur: penultimus vero pleraſque potiores Græciæ reſpubl. prudenter non minus ac diſerte deſcripſit. Pertinet huc etiam JOACHIMI STEPHANI (*h*) liber ille inſignis, quem de jurisdictione Romanorum, Athenienſium & Hebræorum inſcripſit.

XL. Sed quoniam hic mentio facta reipublicæ *Hebræorum*, (*i*) liceat quoque & de ejus ſcriptoribus pauca dicere, quia divina & omnium celeberrima fuit, ex veteribus neminem habemus ejus deſcriptorem, præter eas leges & acta, quæ in ſacris extant; quæque Flavius Joſephus, cum antiqq. tum & imprimis quidem duobus libris contra Appionem perſequitur, noſtro autem tempore ſimiliter pauci hoc argumentum attigerunt: Potiſſimi omnium ſunt Carolus Sigonius, Cornelius Bertramus & Petrus Cunæus, *nemo tamen* (*k*) cauſam & rationem politicam legum illius reipublicæ pro dignitate forte explicavit.

XLI. Sic nec roman. reipublicæ ullum ex veteri ævo habemus deſcriptorem, ex noſtro tamen quam plurimos, inter quos unus pro omnibus tyronibus quidem poteſt eſſe ROSINUS: (*l*) Utpote qui aliorum ea de re ſcripta ſatis diligenter in ordinem redegerit, licet impenitior nonnihil fuerit, quantum apparet civilis prudentiæ.

XLII. *Recentiores reſpubl.* (*m*) a pluribus ſunt deſcriptæ, non æque feliciter tamen ab omni-

(*a*) *Dicæarchus & Heraclides.*) De his ad §. 28. quædam adducta.

(*b*) *Nic. Damaſcenus.*) Vixit cum *DION. HALICARNASSEO* tempore Cæſaris, magnaque prudentiæ laude celebratur. Fragmenta ejus *NIC. CRAGIUS* & *HEINSIUS* exhibent.

(*c*) *Xenophontis.*) Jam ſuo tempore *PLUTARCH.* in libr. *de profectu morum* T. I. Oper. p. m. 171. præpoſteram eorum in Xenophontis ſcriptis legendis induſtriam notat, qui ſolius eloquentiæ comparandæ gratia ea volvant, utpote in quo reniteat attici ſermonis puritas, ſimileſque iis illos dicit, qui pharmaci odore capiuntur & nitore, ſanandi vim & purgandi negligant. Magnam quoque Xenophontis conſtantiam arguunt, quæ idem *PLUTARCH. in orat. conſolatoria* T. I. p. m. 89. de eo affert, cum filium Gryllum vitam finiviſſe audiviſſet. Diu imperatoris officio functus eſt, prudentia eximius & circumſpectus. De duobus ejus libris ab auctore citatis, vide *BOSIUM l. c. p. 72.*

(*d*) *Sigonius.*) Hujus *hiſtoriam de imperio occidentali*, & librum *de ſtatu Italiæ*, uſum ſuum per omne jus publicum Germaniæ diffundere, teſtatur *MORHOF. Polyhiſt. litter. T. 3. L. 6. ſect. 9. §. 2.*

(*e*) *Cragius.*) Hic fragmenta *HERACLID. PONTICI* & *NIC. DAMASCENI* multo ſtudio collegit.

(*f*) *Ubbo Emmius.*) Hic Rector ſcholæ emdanæ in Friſia eruditionis laude florentiſſimus & vitæ elegantia ornatiſſimus, ita ſe Ludovico Naſſovio, Gubernatori in Weſtfriſia, commendaverat, ut omnium negotiorum ſuorum eum participem faceret, prudentiſſimiſque ejus conſiliis proſpero ſemper ſucceſſu uteretur. In deſcriptione rerumpublicarum græcarum, omnium nitidiſſime genuinam earum formam gubernandique modum depinxit.

(*g*) *Meurſius.*) Hujus deſcriptæ reſpublicæ tum ob ſtili nitorem, tum ob prudentiam civilem, in pretio ſunt habendæ.

(*h*) *Stephani.*) Prodiit liber citatus Francofurti 1661. Scripſit etiam *exegeſin Juris Canonici*, & *expoſitionem Novellarum.*

(*i*) *Hebræorum.*) Hic conferatur Auctoris peculiaris *de republica Hebræorum Diſſert.*

(*k*) *Nemo tamen.*) Niſi forte *SELDEN. in uxore Hebræa*, & *GOODWINUS* hic aliquo modo ſatisfaciant.

(*l*) *Roſinus.*) Et poſt eum in opere ſplendidiſſimo *GRÆVIUS in theſauro antiquit. romanarum.*

(*m*) *Recentiores reſpubl.*) *ELZEVIRII* Bibliopolæ Amſtelodamenſes, lucri faciendi cauſſa, reſpublicas a diverſis auctoribus elaboratas, magno ſtudio collegerunt, inter quas præcipue laudem meretur *Bohemia* a *STRANSKIO*, qui in illuſtranda patria omnem fere vitam conſumſit, deſcripta: & *THOMAS SMITHUS*, qui in deſcribendo Angliæ ſtatu politico, laudabilem operam collocavit. De eodem etiam habemus *ſyntagma de Druidum moribus & inſtitutis.* Londini 1668. Pleraque tamen in collectione Elzeviriana ſunt minoris momenti. *AVITUS* e Delphinatu oriundus, vir magni ingenii magnæque prudentiæ exſtitit, omniumque primus auſus eſt, in rerumpublicarum Europæ formam penitius inquirere. Antiquiſſima tempora cum recentioribus conjunxit, utraque inter ſe conferendo. Obiit 1656. *FRANC. RANCINI* laboribus Aviti ſuperaddidit ſtatum Galliæ, quod Avitus metu perdendæ Regis gratiæ omiſerat. *ROTAULT* Hiſtoriographus Regis Franciæ, longe auctius opus iſtud quinque tomis in folio edidit. In quatuor tomis prioribus omnia, quæ majori induſtria & acutiori ingenio, quam Aviti, perpolivit, quæque progreſſu temporis mutata fuerunt, contulit. Tomus quintus vero continet *AVITI hiſtoire du monde*, quæ etiam ſeparatim aliquoties prodiit, magnumque uſum futuro politico præſtat. *BERNH.* von *ZECH* Vinariæ initio degit, ubi ſub nomine *Franckenbergs* ſcripſit *Europäiſchen Herold*, quod opus ita plauſu exceptum, ut eam ob cauſam conſiliarii intimi munus Dreſdæ adeptus ſit. Liber hic initio in forma 8va, poſt in 4ta, denique in folio lucem aſpexit. Statum reipublicæ germanicæ imprimis egregie delineavit, & practica imperii noſtri e nullo fonte melius haurire licet. Nec minus eruditionis politicæ laude florent *ſtatus Luſitaniæ*, aliique ab illo illuſtrati. Multa tamen omiſit, pleniori reipublicæ cujuſdam cognitioni maxime inſervientia ex. gr. de mercatura, manufacturis. *FUNCII* Rectoris Görlicenſis Opus de *rebuspublicis europæis*, ſimile eſt *HORNII orbi imperanti*, *cui FELLERUS* egregias notas ſubjunxit. *BECMANNI*, Profeſſ. Theol. Francofurtani, *Hiſtoria Orbis* ſibi etiam in hac claſſe locum vindicat, ubi tamen id deſiderandum, quod optimos fontes, quos allegare debuiſſet, omiſerit. In lingua batavica ſequens liber Lugd. 1702. prodiit. *Den Politick-Staet von Franckryck*, *Spanien*, *Italien*, it. *Keyſerryck*, *Schweden &c. door de drie berômede Staets-Bedieners*, *Richelieu*, *Mazarin en Colbert opengelegt*, *verrickt met copern Platen.* *L' eſpion Turc des cours de l' Europe*, qui ſub nomine fictitio *ANTON. SAN. Maran* prodiit, & cujus auctor Gallus, nec ipſis popularibus ſuis parat, multa arcana cujusvis reipublicæ detegit. In *collectione* rerumpublicarum *Rengeriana* ſunt mala mixta bonis. *GUDIUS*, *MARQUARDI* filius, omnium optimas ad hoc opus contulit. Reſpublica hungarica, palatina, bavarica & ſalisburgenſis, inter optimas habentur.

Digitized by Google

omnibus, potiores omnes enarrarunt JACOB. GOTHOFREDUS in *Archontologia Cosmica*. PHILIPPUS HONORIUS, JOANNES BOTERUS & JOHANNES de LAET, ſeorſim Venetum optime CASPARUS CONTARENUS, & DONATUS JANOTIUS, Helvetium fœdus, JOSIAS

bentur. Conf. BOSII *Introd. in notit. rerumpublicarum.* Subjungam in ſupplementum hujus Diſſertationis catalogum, quorundam ſcriptorum politicorum.

GODOFR. KNICHEN, Opus politicum.
MELCH. GOLDASTI, politica imperialia, ej. Monarchia S. R. I.
CHRISTOPH. GASTELLII, tr. de ſtatu publico Europæ noviſſimo.
ANDR. FRICIUS MODREVIUS de republica.
ADAM. CONZEN, Politicorum L. X.
Diſcours des droits morales & politiques du Matth. de GRABI.
NIC. HERTII, Specimen prudentiæ civilis.
NIC. VERMULÆI, Inſtit. politicæ.
P. BELLUGÆI, Speculum principum cum Commentar. *Borelli.*
JOH. JAC. CHIFLETII, Opera politico-hiſtorica.
JOH. FERRARIUS, de republica bene inſtituenda.
ULR. HUBERUS, de jure civitatis.
LOCCENII, de republica libri.
C. LE BREF, de la Souverainité du Roi.
BESOLDI, Diſſ. nomico-politicarum Lib. III. ej. Opera politica.
M. HOLTERMANNI, acqueſtus belgicus & Princeps Machiavelli refutatus.
J. SCHILDIUS de coalitione populorum ac rerumpublicarum.
Diſcours van Staate tegens N. Machiavel door *Ægidium* van BIXEN.
AZAR STURZII, rerum politicarum præludia.
CHR. LIBENTHAL, Collegium politicum.
Variæ diſputationes politicæ GIESSENSIUM.
P. RIDABENEIRA, Princeps Chriſtianus contra N. Machiavellum.
Theſoro politico raccolto per CORNIN VENTURA.
PH. HONORII, theſaurus politicus, i. e. ſelectiores tractatus, monita, acta, relationes & diſcurſus.
SIMANCÆ, collectanea de republica.
Il perfetto miniſtro con l' uſo della vera politica del FLAV. FIESCHI.
La Monarchie ariſtodemocratique ou le gouvernement compoſé de trois formes de legitimes republiques par LOUIS MAJERNE de TURQUET.
Del Governo tirannico e regio di VINCENT. GRAMIGNA.
Delle mutationi de regni da OTTAV. SAMARCO.
JOH. MARIANÆ, Hiſpani de rege & regis inſtitutione.
Il prencipe del GVLIO CESARE CAPACCIO, tratto de gli emblemi dell' *Alciato*, con ducenti avertimenti politici e morali.
PHIL. de LEYDEN, de reipubl. cura & ſorte principatus.
Ragionamenti politici di LORENZO CAPELLONI.
Diſcorſi politici di FABIO ALBERGATI.
JOH a CHOCKIER, theſaurus aphoriſmorum politicorum.
NIC. VITO di GOZZI, delli ſtati delle republiche ſecondo la mente di Ariſtot. con eſſempi moderni e con CCXXII. avertimenti civili dell' iſteſſe e molto curioſi, che governano ſtati.
ARN. CLAPMARII, de arcanis rerumpublicarum.
Diſcorſi di BARTHOL. CAVALCANTI, ſopra gli ottimi reggimenti delle republiche antiche e moderne, con un diſcorſo di SEB. ERIZO dei governi civili.
CAR. SCHARSCHMID de republ. monſtroſa.
Parallelo politico delle republiche antiche e moderne di POMP. CAIMO.
Conſideratien van ſtaet of politiſche Weegſchaal.
Conſideratien en exempelen van ſtaet over de fundamenten van allerley Regeeringen.
JOH. JOACH. BECHERS, politiſche diſcours von den Uhrſachen des Auf- und Abnehmens der Stæte, Lænder und Republiquen.
GEORG. SCHOENBORNER, Polit. Lib. VII.
NIC. VERMULÆI, Diſſ. politicarum decades duæ.
Les fondemens de la politique par *Thom. Hobbes.*
BECMANNI, meditat. polit. cum politicis parallelis, & Diſſ. de lege regia.
SAM. PUFENDORF, analecta politica.
OTH. CASMANNI, doctrinæ & vitæ politicæ ſyſtema cum append. de Principe Pliniano & Agapetiano.
JOACH. STEPHANII, demonſtrat. politicorum.
JOH. ALTHUSII politica.
ADRIANI HOUTOUYN, politica contracta generalis, notis illuſtrata, cum indice errorum Hobbeſianorum.
HENR. VELSTENII, Centuria quæſtionum politicarum.
JOH. AVENARII, Collegium polit.
Diſcorſi e oſſervazioni politiche di TIBER. GAMBARUSI.
Diſcorſo del governo e della ragion vera di ſtato di G. ANTON. PALLAZZO.
ÆGID. COLUMNÆ, de regimine principum Libr. III. per Hier. Samaritanum, una cum vita auctoris editi.
JOACH. CRAZII, viridarium politicæ ſeu reipublicæ.
THOM. BOZII EUGUBINI, de ruinis gentium & regnorum adverſus impios politicos.
FR. RAGUELLI, leges politicæ, ex ſacræ juriſprudentiæ fontibus hauſtæ.
JEAN de MARCOVILLE, maniere de bien policer la republique chretienne.
Diſcours politiques & militaires du Sieur *de La Noue.*
Les elemens de la politique ſelon les principes de la nature, par P. FORTIN, de la HOGVETTE.
Maſſime, regole e precetti di ſtato e di guerra da FABIO FREZZA.
SEB. CÆS. de MENESES, ſumma politica.
CHRIST. BESOLDI, Synopſis polit. doctrinæ.
BURGERSDYCKII, idea politica cum notis GEORG. HORNII.
*Breviarium politicorum*, ſecundum rubricas mazarinianas.
JOH. RIMERI, centum arcana politica ex omni hiſtoria ſelecta.
FR. WENDELINI, Inſtit. Polit. L. 3.
CYR. LENTULI, de republ.
DESID. CRESCENTII, artes regendi reſpublicas & dominandi.
LIBERATI de LIBERATIS, podagra politica.
L' interets des Princes & etats de la Chretienté.
La politique de la Maiſon d' Autriche par le ſieur de BONAIR.
Nouveaux interets des princes de l' europe.
Speculi aulicarum & politicarum obſervationum Lib. 13.
Reflexions, ſentences ou maximes politiques traduits de l' eſpagnol par le P. d' OBEILLA.
Le viſioni politiche ſopra gli intereſſi più reconditi di tutti li prencipi della chriſtianità.
Dialoghi politici, overo la politica, che uſano li Prencipi e le republiche dell' Italia da GREG. LETI.
PAULI de JUANICKE JUANICKI, Inſtitutio politica, Taciti verbis concinnata.
Lettres du Cardinal *d' Oſſat*. V. Voll.
Oeuvres de St. EVREMONT.
Lettres de RAPIN.
Lettres de FILZ MORIZ.
Lettres de VOITURE.
Hiſtoire ſecrete *des intrigues de La France*. III. Voll.
BESOLDI Diſſ. nomico - politicarum Lib. 3.
Les Memoires du Martin du BELLAY.
Les Memoires du LANGEY du BELLAY. Qui duo fratrum libri prodierunt Francofurti conjunctim ſub titulo.
Les Memoires du Marchal de MONLUE.
Les Memoires du Cardinal de DENOUVILLE.
Memoires de LOUISE de SAVOYE, Ducheſſe d' Angoulesme.
- - de BRANTOME.
- - de FIVIER.
- - de CASTELNAU.
- - de la Reine MARGUERITE.
- - de JEANIN.

- - de

SIAS SIMLERUS: Gallicum regnum Filius, SESELLIUS alii: Anglicum THOMAS SMITHUS; Germanicum imperium breviter ac nervoſe JAC. LAMPADIUS, poſt multos, alii alios deſcripſerunt. Quos enumerare nimis longum foret.

XLIII. Qui alterum genus hiſtoriæ tractarunt, non omnes eodem modo ad civilem prudentiam comparandam lectorem poſſunt juvare, ſive veteres, ſive recentiores videamus. Qua de re plura cum dicta ſint in *mea præfatione ad Tacitum*, ſuffecerit, nunc adduxiſſe unum illud Polybii: *Ab Hiſtoria, ſi quis auferant Quare, Quomodo, quo eventu, quodque geſtum ſit, an ex ratione ſatis ceciderit, quicquid in eo reliqui, id ludicrum magis erit, quam doctrina.*

XLIV. Qui vero ſcriptores præ aliis hic valeant, optime expoſitum eſt a JUSTO LIPSIO in notis ad politica, cujus judicio omnino eſt ſtandum. Facile autem eſt de aliis judicare, quorum ille nullam fecit mentionem, obſervata illa Polybii regula ante laudata. Nos finem nunc faciemus, ſi unum hoc monuerimus, ex veteris ævi ſcriptis plurimum experientiæ civilis ſuppeditare poſſe *Epiſtolas Ciceronis*, & quæ *familiares* inſcribuntur, & quæ *ad Atticum* ſunt exaratæ: Utpote quæ contineant potiſſima, quæ ad maximam illam reipublicæ romanæ mutationem pertinent.

\- - de VILLEROY.
\- - de SULLEY.
\- - de MORNAY.
\- - de BELLIEURE.
\- - de SILLERY.
\- - de VILLARS.
\- - de NEVERS.
\- - de TAVANES.
\- - de BESPESSES.
\- - de SIRI.
\- - de BASSOMPIERRE;
\- - de RICHELIEU.
\- - de MONTRESOR.
\- - d'ETREES.
*Memoires* de *Deageans.*
\- - d'ORLEANS.
\- - de ROHAN.
\- - de ROCHEFORT.
\- - d'ARTAGNAN.
\- - de MONTBRUN.
\- - de PONTIS.
\- - de PUSEGUR.
\- - de PIROT.
\- - de BOUILLON.
\- - de VAUCIENNES.
\- - de CHAMOS.
\- - de ROCHEFAUCAUT.
\- - de la CHATRE.
\- - de GUISE.
\- - de CONDE'.
\- - de TERLON.
\- - d'ABLANCOURT.
\- - de BUSSY.
\- - de NAVAILLES.
\- - de BEAUVEAU.
\- - de LIONNE.
\- - de CHAVAGNAC.
\- - de la FONTAINE.
\- - de VORDAC.
\- - de l'HOPITAL.
\- - de PRODEZ.
\- - de VILLIERS.
\- - de MAZARIN.
\- - de TOURNEMIN.
\- - de MANCINI.
\- - de la MARCHE.
\- - d'AUBERT.
\- - de TEMPLE.
\- - de WALSEY.
\- - de WALSINGHAM.
\- - de DULEY.
\- - de WESILOCK.
\- - de WARWIC.
\- - de CUDLOIR.
\- - de WOLWOORD.
\- - de BURNET.
\- - de LAMBERT.
\- - d'AVOR.
\- - de BENTIVOGLIO.
\- - de Philippaux de ROSSI.
\- - de MARTOVELLI.
\- - de MONTECUCULI.
\- - de CAPRARA.
\- - d'AUNOI.
\- - de BEAUJEU.
\- - de BEAVEAU.
\- - d'ESTRADE.
Teſtaments politiques de RICHELIEU, & de COLBERT.
Memoires de DENEVILLE.
\- - du Cardinal de RHEZ.
\- - du Marquis de MONTBRUN.
\- - de *Buspauprere.*

His addi poſſunt Commentarii (memoires) qui nuper de vita Annæ Auſtriacæ comparuerunt.

Le livre des Princes contenant pluſieurs notables diſcours pour l'inſtruction des Rois, Empereurs, & Monarques par P. de *Lancre.*

L'ambaſſadeur & ſes fonctions par Mr. de *Wicquefort.*

*La politique des conquerans*, ou l'entiere ſcience du gouvernement & principalement toutes les maximes politiques, qu'Ariſtote a donné au Grand Alexandre, pour ſe rendre le maitre du monde.

La balance de la religion & politique.

De l'inſtitution des Royaumes & republiques, recueillie de tous les bons auteurs miſe en François par de la *Moucheterie.*

L'ambaſſadeur de WICQUEFORT.
\- - de Walſingham.

Le parfait ambaſſadeur par Don *Antonio de Vera & de Cunniga.*

HER-

Digitized by Google

# HERMANNI CONRINGII
# Diſſertatio de Autoribus Politicis.

Intereſt, ut non tantum magiſtris vivis quis utatur, ſed & mutis. Viva vox longe felicius aliquem inſtituit, quam muta: tranſit enim in aures & cor. In magna parte felicitatis eſt ponendum, habere magiſtrum, qui feliciter & bona viva voce doceat. Sed paucis hoc contigit. 1.) Magiſtri enim tales, qui ſint gnari eorum, quæ docent, ſunt rari. 2.) Non etiam quis poteſt viva voce docentem audire perpetuo. Quapropter, cum adeo ſit infrequens, habere magiſtrum viva voce docentem feliciter, hinc & muti adhibendi ſunt, quos diu noctuque, etiam non rogatos, poſſimus conſulere. Et hoc eſt in ſecunda felicitatis parte diſcentium poſitum. Sed hic magnus poteſt error incidere: Incidas enim ſæpe, in ineptum magiſtrum mutum. Sic igitur probe diſcendum, ut ſcias magiſtros dignoſcere. Cujusvis boni magiſtri eſt, qui viva voce docet, docere etiam auditores ſuos, quinam ſint boni magiſtri muti: non debent celare ſuos magiſtros mutos, ex quibus ſurripiunt aliquid, & ſic verentur eos monſtrare aliquid. Hi enim peccant in auditorum ſuorum commodum. Nec enim auditor, præſertim tiro, valet eo judicio, ut magiſtrum bonum a malo diſcernere poſſit, & hoc eſt ejus, qui valet judicio, & quidem non ſimplici judicio, ſed ea in arte.

Quod attinet doctores, ſive *Scriptores politicos*, ante omnia laudem meretur *liber Bibliographiæ politicæ* GABRIELIS NAUDÆI, qui judicio valet, & multæ lectionis eſt liber. Hic prodiit primum Venetiis, dein in Batavia, & dein Witebergæ, curante Buchnero; quæ editio Witebergenſis aptior eſt ad uſum. In hoc libello pene omnes attigit Scriptores, qui ad civilem prudentiam faciunt, & ſic ſatis accurato judicio, quid cuique laudis tribuendum ſit, vidit, ſed non ſatis conſecutus eſt omnia. Primum enim memorat *plurima ſcripta*, (*a*) quæ proprie ad argumentum politicum non faciunt. Sic de epiſtolis & hiſtoria ſcribendis &c. auctores ibi memorantur. Omnia enim illa, quæ uſum exhibent in vita civili, non ſunt politica. Sic enim nihil non ſcriptorum huc eſſet trahendum. Sic & ars militaris huc eſſet trahenda, item architectonica: faciunt enim ad civilem vitam. Dein etiam non ſatis juſto ordine de Scriptoribus Naudæus egit: ſed tamen eſt accuratiſſimum ſcriptum, & libelli hujus lectio plurimum juvabit. Peritiam enim multorum auctorum exhibet, qui alias in vulgus non ſunt cogniti, & cenſuræ ſatis ſunt accuratæ. Valuit enim vir *judicio*. (*b*)

Quinam autem ſint libri politici, conſtabit, ſi revocabimus in memoriam, quid ſit politica ſcientia: *Civilis prudentia, eſt cognitio quædam univerſalis adminiſtrandi & inſtituendi omnis generis reſpublicas, ita, ut nulla ſpecies reipublicæ poſſit fingi, cujus inſtitutionem & adminiſtrationem Politica non doceat.* Sic etiam ars medica eſt univerſalis, qua quis ſcit rationem conſervandi & reſtituendi ſanitatem in genere: ibi agitur non in ſpecie de Petri, Pauli &c. ſanitate, ſed in genere. Sic & politica eſt univerſalis ars, quæ perinde verſatur circa omnes reſpublicas, ut ars medica, circa omnem ſanitatem.

Sic nec perfectus politicus eſt, qui habet experientiam, quomodo regnum Daniæ, Galliæ &c. ſit gubernandum, ſed qui tenet, quomodo omnis generis reſpublica, qualis illa tandem ſit, adminiſtranda ſit. Interim tamen doctrinam conſervandi regni, qui tenet, inſignem tenet partem politicæ: quemadmodum partem medicæ tenet, qui novit podagram aut febres curare. Uti autem ad artem medicam, non pertinet notitia ſingularis, quomodo Petrus & Paulus ſit curandus, interim tamen Petri & Pauli ſanitas, non poteſt commode regi, niſi a ſolo medico. Proficiſcitur hæc cognitio ſingularis ab arte medica, non tamen eſt *pars artis*. (*c*) Ars verſatur circa univerſalia, praxis artis verſatur circa ſingularia. Sic & ſcientia politica, verſatur circa univerſalia, praxis politicæ circa ſingularia, ut circa regnum Daniæ, Galliæ &c. Hæc cognitio ſingularium, eſt cognitio diſtincta ab univerſali ſcientia. Nemo autem poteſt accurate perſpicere ſingulas reſpublicas, niſi qui univerſalem noverit peritiam civilem, & ſic diſcernere poteſt, quid in qualibet republica ſit bene aut male conſtitutum.

Sic facile quis jam poteſt ſcire, an habeamus Cæſarem, nec ne: quotnam ſint Electores, ubi conveniant &c. vulgaria enim hæc ſunt. Sed in ejusmodi rebus, non conſiſtit notitia romanæ reipublicæ; perinde ac non eſt ſita cognitio ſanitatis in eo, ut quis ſciat, quo tempore cœnet aut prandeat aliquis &c. ſed obſervabit, ubi laboret ægrotus, an caput, venter &c. male ſe habeant,

(*a Plurima ſcripta.*) Prout fieri ſolet ab eruditis, qui objecti, quod ſibi pertractandum propoſuerunt, naturam & proprios limites ſtricte non ſequuntur. Id rei varia habet principia. Aut enim autori verus objecti complexus non ſatis eſt cognitus, aut eruditionis ſuæ oſtentatorem agere vult, aut nimio lectorem erudiendi flagrat ardore. Hoc ſi impingit Zelo, venia potius, quam reprehenſione dignus.

(*b*) *Judicio.*) Vid. Auctor *in cenſura Diplom. Lindav. c.* 19. & *Diſſert. acad.* 4.

(*c*) *Pars artis.*) Sed artis applicatio. Sæpe diſciplinarum probe periti in applicatione titubant. Hoc exinde provenire reor, quod rei ad diſciplinæ dogmata examinandæ & curandæ non ſufficientem habeant notitiam, quando ſcilicet paulo hebetioris ſint ingenii, ita ut in ſingularia, quæ objecto vel ſubjecto, adſunt, penetrare nequeant. Interdum etiam nimia feſtinatione aut non accurata contemplatione rei, finis & mediorum, nec penſitato, ut par eſt, nexu, qui eſt inter ea, proſpero deſtituuntur eventu.



Digitized by Google

beant, an in hypochondriis lateat vitium &c. Sic nec rempublicam cognoſcere poteſt, niſi univerſali arte ſit inſtructus aliquis: fieri enim poteſt, ut quis teneat artem politicam, & tamen non noverit ſtatum regni Daniæ &c. ſingularia enim ſunt infinita. Quemadmodum medicam artem tenere quis poteſt, qui tamen non noverit, an Petrus hoc vel illo morbo laboret &c. Si quis tamen praxin velit exercere in medicina, accurate debet inquirere in corpus illud, quod curabit. Sic etiam, ſi politicus bonum conſiliarium agere velit, neceſſe eſt, ut accurate teneat iſtam rempublicam, & quo quis plura de iſto ſtatu noverit, eo rectius poterit conſulere, quo minus noverit, eo minus recte poterit conſulere. Sic, ſi quis velit laborans noſtrum romanum imperium curare, neceſſe eſt, ut non tantum ſciat jus publicum, hoc eſt, leges imperii, ſed & quomodo ad caſus obvenientes ſint applicandæ. Multa etiam contra leges fiunt. Etſi igitur teneas jus publicum, non tamen ſtatim tenes omnia, quæ faciunt ad rempublicam. Sæpe enim leges mutandæ veniunt: ſi igitur tu tantum ſcias, quid legibus ſit conſtitutum, non poteris ſtatim conſilium dare. Inepte ergo quidam putant, ſe eſſe ſatis dignos ad munus conſiliarii, cum tamen ne jus quidem publicum calleant, quod tamen ne quidem ſufficit.

Scripta igitur politica ſunt duplicis generis: quædam poſſunt facere ad civilem prudentiam univerſalem, quædam ſcripta faciunt ad praxin politicam. Ad praxin faciunt, quæ faciunt ad ſingulas reſpublicas, & quidem eas, quæ adhuc ſuperſunt. Veteres enim reſpublicas noſſe, ad praxin non facit: nec enim hodie quis poteſt conſulere reipublicæ atticæ aut romanæ veteri. Faciunt autem ad praxin ea, quæ faciunt circa reſpublicas, quæ adhuc ſuperſunt. Si pereant eæ reſpubl. poſt aliquot tempora, non amplius ea ſcripta faciunt ad praxin aliquid, univerſalem tamen ſcientiam juvant. Praxis igitur eſt hujus temporis. Interim tamen noviſſe rempublicam romanam veterem, etſi nihil hodie ad praxin faciat, eſt tamen politica ſcientia, & juvat ad prudentiam civilem univerſalem. De iis prius agemus: dein, quæ ad praxin faciunt, paucis adjungemus.

Ut ita, ſi fortaſſis admovendus quis reipublicæ, ei ſcilicet ſit ad manus, quomodo eam debeat regere, obſerv. [1] quod prudentia civilis univerſalis alia ſit accurata & plena, alia minus accurata & minus plena. [2] Ad civilem prudentiam comparandam duo faciunt. α] Experientia, β] Juſta ratiocinatio. Uti etiam ad artis medicæ peritiam duo faciunt, experientia & ratio. Experientia eſt cognitio, quæ fit ope ſenſuum, ratiocinatio *deinde colligit.* (*a*) Ad hunc modum ſe res habet in qualibet ſcientia, ſi excipias ſcientias *mere mathematicas*, (*b*) eæ enim poſſunt comparari ſine omni experientia. Reliquarum ſcientiarum cognitionem, ſine experientia non poteſt quis aſſequi. Hinc Ariſtoteles, juvenes inidoneos artis politicæ auditores eſſe dixit; ſunt enim deſtituti *experientia.* (*c*) Hinc apparet, eorum ſcriptorum, quæ faciunt ad prudentiam civilem, quædam etiam huc pertinere, modo faciant ad experientiam. Hinc ſcripta, quæ ad univerſalem ſcientiam pertinent, alia faciunt ad experientiam & uſum, alia faciunt ad ſcientiam eam, quæ jam exſtructa eſt ſuper experientiam. Præſupponit enim hæc & utitur experientia, & eſt tamen peculiare aliquid ab experientia. EXPERIENTIA & uſus rerum civilium, verſantur circa particularia. Hinc ea ſcripta, quæ faciunt circa ſingularia negotia rerumpublicarum, ea ſunt ſcripta politica facientia ad experientiam. Talis notitia multarum rerum ſingularium, eſt hiſtorica cognitio. Hinc ea ſcripta, quæ verſantur circa negotia rerumpublicarum, faciunt ad experientiam rerum civilium. Hinc hiſtoria rerum civilium, facit ad experientiam, & ſic lectio hiſtoriarum, quæ agunt de rebus civilibus, facit ad experientiam. Hinc multi, etiamſi non ſint uſu inſtructi, quia autem experientiam didicerunt ex hiſtoria, ſunt apti ad regendam rempublicam. Quia enim hiſtoriæ docent, quid actum ſit, & quo eventu quid actum ſit, quibus de cauſſis hæc reſpubl. creverit aut decreverit, hinc colligitur: Reſpublica attica cum ſic ſe gereret, vires capiebat, cum aliter, decreſcebat. Hinc univerſale quid colligo: Ita ſe gerere proderit, aliter nocumento erit reipublicæ.

Duo igitur genera ſcriptorum hic requiruntur: [1] talia, quæ ad experientiam faciunt, qualis eſt hiſtoria, quæ eſt compendium rerum contingentium, & [2] talia, quæ rationem noſtram juvant. Periculoſum autem eſt, omnia ipſum experiri, quæ in republica contingunt, nec etiam unus aliquis poteſt. Hiſtoria vero ea omnia docet, & ſine periculo, & per hiſtoriam etiam ea comparantur, & brevi tempore, quæ longo etiam uſu non didiceris, & ita hiſtoria eſt compendioſiſſimus modus comparandi experientiam. Hiſtoria autem eſt maxime varia: res autem, quas deſcribit hiſtoria, non omnes ſunt *negotia civilia;* (*d*) datur enim hiſtoria medica animalium &c. Hinc plurimum in arte medica verſaturum, juvat hiſtoria medica: facile enim eſt pertingere ad medicam ſcientiam per hiſtorias medicas. Vid. Conring. ad Salmuth. de hiſtoria medica. Similiter philoſophia naturalis: nititur enim hiſtoria omnis generis animalium: hinc eſt, quod adoleſcens non plenam hujus philoſophiæ naturalis cognitionem parare ſibi poteſt: obſervationes enim rerum cœleſtium debet habere. Habeat enim neceſſe eſt, hiſtoriæ cognitionem de fulguribus, tonitrubus, ſicut & hiſtoriæ lapidum, animalium &c. Verum tales hiſtoriæ ad politicam ſcientiam juvant nihil, ſed hiſtoria actuum humanarum. Sed nec actus omnes humani, pertinent ad civilem ſcientiam: homines enim poſſunt varia agere, & hi

actus

(*a*) *Deinde colligit.*) A ſimilibus ad ſimilia, a diverſis ad diverſa, a pluribus ſingularibus ad univerſale per inductionem. Inde oritur prudentia.

(*b*) *Mere mathematicas.*) Huc etiam ſpectat mera phyſica.

(*c*) *Experientia.*) Poſſunt tamen aliena niti experientia, & ſic non ſunt inutiles plane politicæ auditores.

(*d*) *Negotia civilia.*) BODINI *method. hiſt. c.* I. Adde BACONIS de VERULAMIO *aphoriſmos de conficienda hiſtoria.*

Digitized by Google

actus proxime non pertinent ad civilem ſocietatem, nec hiſtoria rerum omnium humanarum juvat politicum. Vid. *Præfat. ad Tacit. de Mor. Germ.* Quæ enim eſt maxime jucunda hiſtoria, non ſtatim politicum juvat, ſed hiſtoria actuum humanorum pertinentium ad vitam civilem, maxime juvant politicum. Sic Comment. Julii Cæſaris de bello gallico juvant artem ſive prudentiam militarem, civilem prudentiam juvant parum vel nihil.

Hiſtoriæ, quæ magis juvant prudentiam civilem, itidem ſunt variæ. Aliæ enim ſunt fictæ, aliæ ſunt veræ. Fictæ minus juvant, non enim habent auctoritatem a ſe ipſis, ſed non plus fidei & auctoritatis, quam qui fingit. Veræ autem hiſtoriæ habent autoritatem non tantum a dicente, ſed a reipſa. Finxerunt homines ingenioſi in uſum vitæ civilis tales. Aliæ dein hiſtoriæ deſcribunt negotia ſeu actus humanos, aliæ conſtitutiones rerumpublicarum, quæ admodum ſunt diſſimiles. Indubiæ vero hiſtoriæ rerumpublicarum, quæ deſcribunt integras reſpublicas, eo quæ deſcribunt, quo eventu quid ſit geſtum, ſunt omnium optimæ, & maxime juvant. Quæ vero negotia ſaltem humana deſcribunt, minus ſunt utiles, nec enim deſcribunt, qua fortuna aut eventu quid geſtum. Porro aliæ ſunt deſcriptæ ruditer, aliæ præclare. Illæ uno verbo forſan deſcribunt, quid geſtum, & hæ parum juvant. Quæ vero præclare perſcriptæ ſunt, addunt etiam, quo conſilio, quare &c. geſtum quid ſit, & hæ maxime juvant. Hinc POLYBIUS ait: *Ab hiſtoriis ſi auferas Quare? Quomodo? & quibus auxiliis? tum eſſe eas potius delectamento, quam ut juvent.* Delectus ergo hic obſervandus. Et hæc in genere dicta ſunto.

Quod attinet Scriptores rerumpublicarum & earum hiſtorias, ſunt etiam harum aliquæ fictæ, inter quas THOMÆ MORI (*a*) [Cancellarii magni Henrici IIX. Angliæ Regis] *Utopiam* referas. [fuit vir ſummo ingenio & omnigena eruditione præditus.] Egregius eſt is libellus: deſcribit regionem aliquam, quæ nuſpiam reperitur. Revera tamen hujus libelli quamvis elegantis non magis juvabit, quam veræ reipublicæ cujusdam deſcriptio. Ejusdem notæ eſt liber *de Inſula Atlantide.* Deſcribitur ibi reſpublica beata [fit Atlantidis Inſulæ mentio apud Platonem & putant, Americæ eſſe aliquam partem, quod in medio relinquitur] eſt egregius liber. Auctor putatur eſſe FRANC. BACO de VERULAMO, (*b*) magnus itidem Cancellarius regni Angliæ. Ejusdem notæ eſt liber, qui dicitur: *Mundus alter & idem.* Huc refer THOMÆ CAMPANELLI, celeberrimi & doctiſſimi monachi, *Rempublicam ſolis.* Voluit homo ingenioſiſſimus ibi effingere ſpeciem reipublicæ optime conſtitutæ, qualem in ſole dicit eſſe. Eſt elegans liber, ſed an omnia aſſecutus ſit, quæ voluit, non diſputo jam. Quod veram autem hiſtoriam attinet, ARISTOTELES præ aliis laboravit in hoc genere, deſcripſitque ducentas quinquaginta amplius reſpublicas, ſed periit opus hoc. Et quidem hanc hiſtoriam deſcripſit, antequam manum admoverit politicis libris ſcribendis. *Vid. Cap. II. Introd. Polit.* Sed periit hoc opus totum: quod vero ſupereſt, magis poteſt juvare Grammaticum, quam Politicum. Habemus tamen in ARISTOTELE *L.* 2. *Polit.* cenſuram politicam quarundam rerumpublicarum veterum, ut Lacedæmoniorum, Cretenſis, Athenienſis reipublicæ &c. Cenſorem autem ibi agit ſimul, non nudum hiſtoricum. Ex veteri tamen ævo exiguos libellos duos XENOPHONTIS, alterum Lacedæmoniorum, alterum Athenienſium reipublicæ, quos perlegere ex uſu ſit. Sic & in STRABONE (*c*) deſcriptiones ſunt veterum rerumpublicarum, ſed breves. Quam maxime autem juverit, quod de romana republica tradiderunt DIONYSIUS HALICARNASSEUS & POLYBIUS. (*d*) Optima hi habent de republica romana veteri, inprimis Polybius, qui duo longe rectius, quam LIVIUS (*e*) poſſunt juvare, vel quisquis hiſtoricorum alius. Præter hos ex veteri ævo non habemus, qui juvare hic nos poſſit.

Sed noſtro ævo præclari Viri orti ſunt, qui & veteres & novas reſpublicas egregie deſcripſerunt, & ita magnum emolumentum adferunt huic ſtudio. Sic reſpublicas græcas, & inprimis *rempublicam ſpartanam* NIC. CRAGIUS, homo gallus, exornavit. Habet hic quidem præclara, ſed exſpectationi non ſatisfaciunt. Nec enim potuit omnia enarrare, quæ præclare geſta ejus reipublicæ ſunt, nec potuit judicare etiam de iis, quod etiam in ſcriptore politico requiritur. CAROLUS SIGONIUS *rempublicam ſpartanam*, *& rempublicam Hebræorum* prudentius & præclarius exaravit. Merentur ejus hæc Opera omnino legi, & in numerum præclarorum ſcriptorum politicorum referri. Longe tamen hunc ſuperavit UBBO EMMIUS, Friſius, qui præclarum opus condidit de rebuspublicis Græciæ. Valuit inſigni prudentia hic, ſed, quod vitio illi datur, omnia enarrat ſuo ſtilo, non autem probat teſtimoniis ex antiquitate petitis, cum tamen inde omnia habeat; eſt tamen liber, ſi quisquam legi digniſſimus. Seorſim JOH. MEURSIUS, Batavus, cum viveret in Batavia, & dein in Dania, cumprimis animum appulit ad exornandam Græciam veterem, & inprimis res attalicas, & ſic ſcripta varia edidit *de republica attalica.* Hæc ſcripta quidem ſunt præclara, ſed non juvant æque ad prudentiam civilem comparandam, præter tres ipſius libros; 1. Qui dicitur *Areopagus*, hoc eſt, qui judicii areopagitici formam habet. [fuit hoc judicium accuratiſſimum, & noſſe deſcriptionem hujus judicii & optime con-

(*a*) *Thomæ Mori.*) Viri fata legenda ſe offerunt in BURNETTI *hiſtoria reformat. eccleſiaſt. anglic.* Tom. I. L. 2. p. 362. edit. gall.

(*b*) *Franc. Baco de Verulam.*) Vir hic doctiſſimus, cum judicem ageret, ſe corrumpi paſſus, omnibus privatus eſt honoribus.

(*c*) *In Strabone.*) Multa ſunt in Strabone, quæ emendatione indigent. Vid. PALMERIUS.

(*d*) *Polybius.*) Hic de religionibus nefarie ſcribit.

(*e*) *Livius.*) Interim & hic ſua non eſt defraudandus laude. Monarchiæ minus addictus fuit. Hinc ab Auguſto Pompejanus vocari ſolitus fuit. In laudibus alienis nimius & ſuperſtitioni admodum addictus fuit.

conſtituti formam noſſe.] 2. Libellus eſt, cui tit. fecit: *Soloni*, hoc eſt, de vita & inſtitutis Solonis, eſtque itidem præclarum ſcriptum. Similiter multum juvabit lectio libelli *de Piſiſtrato* [Athenienſium tyranno] Artes tyrannicas præclaras ex eo libro didiceris, quomodo quis etiam liberam rempublicam ſub jugum mittere poſſit. Alia ejus ſcripta de Græcia minus poterunt juvare. Apud veteres Græcos magni nominis fuit fœdus achaicum, ut hodie apud nos fœdus Batavorum [inter ſeptem fœderatas illas Hollandiæ provincias] Hoc fœdus UBBO EMMIUS deſcripſit; quomodo hoc fuerit diſſolutum artibus a Romanis, egregie docetur *Diſſertatione* JAC. GOTHOFREDI J. C. *de fœdere Achaico*. Elegantior hac diſſertatione eſt MARTINI SCIOPPII *de republica hac dicta, & Vegentum*, populi Italiæ, qui libellus multum juvat ad prudentiam civilem. Sic & memorabilis eſt vetus reſpublica Hebræorum, cujus ipſe Deus conditor fuit & Rex, quæ accurate omnino debet expendi. Habemus in Moſe adhuc leges, ab ipſo Deo propoſitas. Ut autem verum fatendum ſit, non eſt auctor, qui mereatur laudari in deſcriptione ejus reipublicæ, hoc eſt, qui noverit expendere prudentiam hujus ſummi conditoris Dei in republica hac conſtituenda. Præclaras tamen & politicas enarrationes legimus ex parte apud JOSEPHUM in libris contra Appionem. Factum etiam hoc eſt a PHILONE JUDÆO. Hujus Philonis libri, quibus expendit leges Moſaicas, πολιτικώτατοι ſunt. Ex recentioribus præ aliis hic valuit CAROL. SIGONIUS: hoc autem deſideres, quod neque leges expoſuerit, nec ſatisfecerit verſatus in Codice ſacro, ideo impingit interdum. Poſt illum deſcripſit eam BERTRAMUS & PETRUS CUNÆUS, (*a*) qui tamen poſterior pauca ſaltim attigit, ſed ſatis docte: plura, ſed minori prudentia attigit Bertramus. Sic JOH. MENDENUS multa de hac republica habet, ſed ſecutus eſt Rabbinos veteres, qui tamen non fuerunt periti hujus reipublicæ, etſi quiquam alii Rabbini ſunt impudentiſſime mendaces, ad hæc nulla etiam inſtructi civili prudentia. Nec veram reipublicæ hujus conſtitutionem hi habuerunt notam, qualis illa a Deo fuerit condita.

Inter reſpublicas veteres autem ampliſſimo imperio & rebus magnis geſtis conſpicua fuit Romana, & ſic ea accurate meretur expendi. Noſtra ætate multa ſunt a præclariſſimis ſcriptoribus compoſita, quorum compendium eſt inſigne opus JO. ROSINI (*b*) *de antiquitate romana*, quæ ſcripta omnia ſunt lectu digna, & faciunt ad monumenta vetera. Sed omnia illa ſcripta, quæ de romanis rebus exſtant, non perinde juvant ad prudentiam civilem, ſed pleraque uſum grammaticum ſpectarunt, hoc eſt, illuſtrationem ſcriptorum. Quod autem attinet uſum politicum, omnibus aliis anteponenda ſunt CAROL. SIGONII ſcripta, cujus libri, quibus *rempublicam romanam* illuſtravit, ſunt præclari. Sic & valde præclari ſunt libri ejus *de antiquis legibus Italiæ*. Ejuſdem quoque notæ eſt liber JOH. ZAMOSCII *de Senatu roman.* Fuit hic verſatus in Italia, uſus præceptore Sigonio, unde ſunt, qui putant, eum librum eſſe Sigonii. Fuit dein factus Cancellarius regni Poloniæ, & dein Dux exercitus ejus, & vix parem habuit rebus magnis geſtis. Sic nec minorem laudem ob prudentiam habent *Diſſertationes* MACHIAVELLI *ad Livium*. Inſigni hic fuit prudentia civili vir. Meretur huc referri præclarum ſcriptum JOH. VALTRAVII *de re militari veterum Romanorum*: quanquam autem doceat militarem artem, docet tamen multa politica. Rem enim militarem componere in uſum reipublicæ, hoc eſt vere politicum. Huc facit quoque NIC. MACHIAVELLI liber *de re militari Romanorum*. Nulla enim gens in toto orbe habuit ita exacte rem militarem compoſitam, ut Romani, nec ante, nec poſt Romanos, ut hæc gens tam bene conſtitutam rem militarem habuit. Illuſtravit quoque rem militarem Romanorum JUST. LIPSIUS *in Poliorceticis ſuis ad Polybium*, quæ ſcripta ſunt præclara. Habemus tamen ex veteri ævo FLAVII VEGETII ſcriptum *de re militari*, quod tamen ſcriptum potius πολεμικὸν, quam politicum eſt. Egregium tamen hoc eſt. BARNAB. BRISSONIUS, J. C. Gallus, magni quondam nominis, *rempublicam Perſici regni veteris* deſcripſit, quæ deſcriptio valde juvat politicum: non tamen cum Sigonio aliiſve, quos diximus, comparari poteſt.

*De republica Athenienſium* non male etiam WILHELMUS POSTELLUS ſcripſit, fuitque homo gallus, notiſſimus peregrinatione diuturna per univerſum orientem, ſimulque varia lectione & eruditione vir fuit, ita, ut cum ſtupore hebræam linguam Pariſiis docuerit, donec ad aniles tandem fabulas delapſus, lapſus mente eſt, & ſic carcere grandævus ſenex mulctatus fuit usque ad mortem. Sic ſapiit interdum ultra ſortem communem, interdum infra aniculas deſipuit, & portentoſo ita hic fuit vir ingenio, & ſcripta ejus ſunt etiam diverſæ notæ. Et hæc de rebuspublicis veteribus.

RESPUBLICAS noſtri temporis noviſſe, duplicem habet uſum. Facit enim ad prudentiam univerſalem primo, quod commune habent cum rerumpublicarum veterum Scriptoribus Scriptores rerumpublicarum recentium, quod juvent cognitionem univerſalem. Sed & ad praxin juvat, noſſe recentium rerumpublicarum formas, quod peculiare habent a veteribus. Nec enim cum laude verſare poteris in republica, niſi cognitas habeas reſpublicas tui ævi. Dicas, ſufficere ſuam noſſe rempublicam, quam quis regit; alias vero noſſe, nihil referre. Reſpondeo:

(*a*) *Petrus Cunæus.*) Ut & HOUTUYN in *monarchia Hebræorum:* ſed apparet, & hunc res Judæorum non recte cognitas habuiſſe. Earum majorem habuiſſe notitiam videtur BASNAGIUS, cujus *antiquitates judaicas* gallico ſermone conſcriptas habemus.

(*b*) *Joh. Roſini.*) Hujus antiquitates romanas annotationibus auxit DEMSTERUS. Has plenas bonæ frugis & doctiſſimas, Roſini autem opus ſceleton vocat MORHOFIUS *in polyhiſtore*. KIPPINGII *antiquitates romanæ*, nonniſi pauca quædam complectuntur collectanea. MONTISFALCONII *opus antiquitat.* quod nuper in lucem prodiit, non tam rerum & antiquitatum romanarum theſauro, quam ſplendidiſſimis imaginibus, ut alibi jam tum monui, eſt notabile. Qui varias antiquitatum Romanarum partes commentariis illuſtrarunt, enarrantur a MORHOFFIO loc. cit. p. 229. ſeqq.

Digitized by Google

ſpondeo: Requiritur quidem in unoquovis, qui adminiſtrare vult rempublicam, ut ne quid eorum ignoret, quæ ad eam rempublicam faciunt; ſed & neceſſe eſt, ut teneat etiam eas respublicas, quibuscum reipublicæ tuæ aliquid eſt commercii. Sic enim nec fœdera, vel ſocietatem, vel bella ſuſcipere cum iis poteris, niſi noveris accurate eas respublicas: alias vehementer falleris. Sunt etiam respublicæ plurimæ, quarum etiam cognitio non requiritur in praxin politicam facturo. Cum hodie res german. multum habeant commercii cum rebus gallicis, hiſpanicis, danicis, ſuecicis, hungaricis, turcicis, polonis &c. Hinc facile apparet, quod, qui velit idoneus eſſe ad recte conſulendum rebus Germaniæ, debeat etiam noſſe has respublicas, nempe Gallicam, Suecicam &c. Certe, qui non habent hanc notitiam, non poterunt recte conſulere rebus noſtris germanicis. Sunt & nobiles Aſiæ quædam respublicæ, cum quibus tamen nobis non eſt commercium, & ſic nec ad praxin faciunt politici cujusdam germanici. Interim, qui eſt in Batavis, is teneat etiam neceſſe eſt magni Mogolis, Sinenſem &c. respublicas. Nam Batavis cum iis etiam longe diſſitis in Indiæ rebuspublicis eſt commercium. Ante tamen omnia neceſſe eſt, ut teneat ea, quæ pertinent ad eam rempublicam, quam quis gubernandam ſuſcipit. Noſtro hoc ſeculo viri præclari laboraverunt non parum in deſcribendis noſtri ævi rebuspublicis. Inter hos alii varias deſcripſerunt respublicas. Merito primo loco eſt ponendus JOH. BOTERUS, (*a*) Italus. Hic variis *diſcurſibus*, ut vocant Itali, *ſeu diſſertationibus* egit de pleriſque & nobilioribus variisque rebus univerſi orbis, Italice quidem, ſed tamen ſcriptum eſt verſum latine; non eſt quidem ſcriptum mole magnum, ſed tamen ſic ſatis multa & bona habet. [COLERUS *in Epiſt. de ſtudio politico*: *Boterus*, inquit, *non tam fallit*, *quam fallitur aliquando.*] Hunc FRANCISCUS SANSOVINUS Italus ſecutus eſt, ſed libri ejus, quanquam docti, ſunt tamen Italice editi. Longe prolixius hoc in genere ſcripſit homo quidam Gallus, neſcio quis; latine vertit id GOTHOFREDUS, & prodiit in Germania ſub titulo: *Areoſtologia coſmica.* Opus eſt grande & univerſi orbis respublicas deſcriptas habet, & eſt opus præclarum, alicubi tamen fidem, alicubi judicium deſiderabis in eo, lapſus etiam eſt interdum graviter: interdum lectio eſt uſui. Exſtat & opus aliquod titulo: *Theſauri politici*, & quidem italice pariter & latine editum, & editio latina italicæ eſt addita, ſub nomine PHILIPPI HONORII; ſed nomen fictitium eſſe videtur. Nam idem opus habemus verſum latine a CASPARO ENS, & editum ab eo. Francofurti etiam ſub nomine NICOLAI BELLI prodiit hoc opus: pleraque autem ex theſauro politico, de quo dictum, hauſit, & multa ibi ſunt plane eadem. In hoc opere reperias etiam inſignes Diſſertationes de variis rebuspublicis noſtri ævi. Eſt opus præclarum & continet multa, ita tamen, ut etiam inter eas Diſſertationes ſit magnum diſcrimen. Sunt etiam variorum ſcriptorum: prout igitur alius magis aut minus valuit prudentia civili, ita aliæ diſſertationes magis, aliæ minus præclaræ ſunt.

In hoc argumento *Lugduni* (*b*) in Batavis ante 20. circiter annos præclaræ editæ ſunt deſcriptiones omnium nobiliſſimarum rerumpublicarum, qui libelli quaſi compendium rerumpublicarum eſſe poſſunt. Sed non omnia ſunt uniusmodi, ſed admodum varia. Præ omnibus aliis placet RESPUBLICA VENETA, deſcripta a CASPARO CONTARENO, & DONATO JANOTTIO, Florentino, qui, perdita libertate patriæ, exſul Patavii degit, & nulla ſpe lucri potuit commoveri a Coſmo Medice, Principe Florentino, & reduci in patriam. Non potuit videre, perditam eſſe rempublicam Florentinam, patriam ſuam, & libertatem omnibus ereptam. Patavii igitur ſcripſit nobiliſſimum hoc opus de republica veneta: dialogi in modum ſcriptum eſt, ſcriptumque, ſi quod aliud, prudentiſſimum. Editum eſt in Batavio cum docto *Commentario* CRASSI, qui obiit nuper grandævus ſenex. CASPAR CONTARENUS, Patricius venetus, illuſtris familia, longe autem excellentior præclara doctrina. Valuit & doctrina & virtute in tantum, ut Cardinalis factus & legatus pontificius miſſus fuerit in Germaniam. Opus eſt in folio, in quo tanquam ſtella micat *Opus de veneta republica.* Arguit hoc ſcriptum hominem prudentiſſimum. Ejusdem notæ eſt *deſcriptio Genuenſis reipublicæ*, quæ libera eſt respublica & florentiſſima, ſita ad mare Tyrrhenum, ut Venetiæ ad mare ſuperum. Perdocte hanc deſcripſit HUBERTUS FOLIETA, Genuenſis, nimis ſtudioſus fuit Gallis. Ita autem temperavit ANDREAS AURIA hanc rempublicam Genuenſium, ut, cum antea ſemper fuerit turbulenta, ut poſtea ſemper fuerit tranquilla. Ita eam conſtituit ille, quod ſignum eſt bene compoſitæ reipublicæ. Hujus deſcriptionem reipublicæ legere, operæ erit pretium: facit enim ad notitiam bene componendæ reipublicæ talis, quæ non eſt monarchica. Huc referas *de republica Helvetiorum* librum JOSUÆ SIMLERI, Profeſſoris Gymnaſii Tigurini, & Theologi, qui adeo prudenter & accurate fœdus Helvetiorum deſcripſit, ut omnes omnino ſuperarit, ut merito mireris hominis theologi tantam prudentiam. Sic & merentur accurate legi, quæ *de republica Friſiorum* UBBO EMMIUS ſcripſit. Præclara ſane ſunt. Sic & GROTII *libellus de antiquitate rerum Bataviæ*, laudem meretur, quanquam libellus ſit potius hiſtoricus, quam politicus. Varias respublicas deſcripſit etiam JOH. de LAET, patria Brabantinus, ſed Lugduni vixit. Hic ſummo ſtudio ex variis ſcriptoribus collegit, quæ pertinent ad varias respublicas. Deſcripſit etiam idem ita collectis ex variis hiſtoricis hiſpanicis, quæ ad *rempublicam Hiſpaniæ* pertinent, & bene ſane. Sic & *Galliam* & *Belgium fœderatum*, & *Principatus Italiæ*, & *rempublicam*

(*a*) *Boterus.*) Editio Helmſtadienſis ultima LUNDII annot. ad hunc autorem refert.

(*b*) *Lugduni.*) Elzevirianas respublicas 30. numerum excedere puto. Gallicus liber *les etats, empires & principautes du monde*, non magni pretii eſt.



Digitized by Google

*cam Turcarum*, & *Perſicam* idem deſcripſit. In univerſum hi libelli, qui opera JOH. de LAET prodierunt, ſunt notæ eximiæ. Nam exacto judicio collegit omnia. Meretur huc referri elegans libellus, qui primum Anonymus prodiit *de fœderato Belgio* MARCI ZVERII BOXHORNII. Liber ſatis eſt elegans. Et ſic hi libri, qui in Batavia prodierunt, valde hic uſui eſſe poſſunt. Sic & THOMÆ SMITHII *libellus de republica anglicana*, qui liber arguit, auctorem valuiſſe prudentia; ſed opus hiat lacunis, quod mirum eſt. Sic huc referendi ſunt WILHELMI CAMDENI (*a*) *deſcriptio Britanniæ*, ut & *de republica Turcarum*. WILHELMI POSTELLI liber. Poſt hos omnes non adeo pridem præcipuas reſpublicas deſcripſit etiam DANIEL de LINDA, (*b*) quod ſcriptum meretur ſuam laudem. Multa autem ſunt ibi juvenilia & non ſatis certa: meretur tamen laudem. Eſt enim homo juvenis adhuc. Ex his talibus auctoribus integra reipublicæ cognitio peti non poteſt, ſed multa & præclara, quæ ad rempublicam faciunt. Sed non omnia habent, quæ ad quamque rempublicam pertinent: in omnibus autem aliquid deſideres.

Reipublicæ alicujus notitia verſatur in illis quinque, de quibus Ariſtoteles I. Rhetoric. maxime in republica deliberari ſolere ait. Si quis ea quinque teneat, tum cognitionem plenam reipublicæ alicujus habet, & ſi quis ſcriptor de his quinque habet, tum facit, quod eſt ſui officii in deſcribendo rempublicam. *Primum* eſt, quod facit ad bellum & pacem, ſi ſciat, quomodo quælibet reſpublica ſit compoſita, tum ad pacis, tum ad belli negotia & potentiam. Legatur *Diſſert.* quæ CYRIACI TRASYMACHI nomine tum hic, tum alibi prodiit. Ubi narratur potentia reipublicæ polonicæ, ad quem modum omnes reſpublicæ debent examinari.

*Alterum* eſt, ſi ille ſciat, quomodo reſpublica ſit compoſita circa cuſtodiam regionis, an ſe ita habeat, ut pacis tempore adverſus etiam quemlibet motum ſit ſecura.

*Tertium* eſt, quomodo reſpublica ſe habeat circa ærarium: quænam ſint vires ærarii. Hoc eſt magnum ſcire: qui enim non tenet notitiam ærarii, is non perſpicit vires ejus reipubl.

*Quartum*, quomodo reſpublica ſeſe habeat circa ea, quæ ſunt neceſſaria ad victum, adeoque quænam habeat domi, quænam foris petenda ſint.

*Quinto*, leges etiam, & inprimis publicas, civitatis teneat, & adminiſtrationem reipublicæ ſecundum iſtas leges: nam leges dant formam reipublicæ, ſi autem teneas ſimul adminiſtrationem, tum ſtatum noſti. Differunt autem plurimum ſtatus monarchici, popularis &c. leges publicæ. Hinc judicari poteſt de ſcriptoribus rerumpublicarum ſingularium: ſatisfecerunt officio ſuo, ſi hæc omnia & plene doceant. Sin non omnia & minus plene, tum etiam non præſtiterunt, quod profitebantur. Vide *præfationem* CONRINGII *ad Starovolſcii libellum de republica Polonorum*, & *Diſſert. ad* TACITVM *de morib. Germ.* ejusdem.

Jam de hiſtoricis, qui negotia rerumpublicarum civilia tradiderunt. Hiſtoricorum ingens eſt differentia: nec enim ex omnibus hiſtoricis poteſt peti prudentia civilis. Aliæ etiam conducunt ad prudentiam civilem univerſalem, aliæ ad praxin. Hiſtoriæ, quæ ad civilem prudentiam juvant, ſunt, quæ lectorem manuducunt ad id, ut poſſit ex hiſtoria facile petere, quid reipublicæ alicui conducat, quidve ſit noxium. Quæ vero hiſtoriæ id non præſtant, illæ etiam non juvant ad civilem prudentiam, quo etiam magis minusve juvant ad civilem prudentiam, licet forte ſint jucundæ. Primum itaque illæ hiſtoriæ, quæ verſantur circa genealogiam aut chronologiam, aut topographiam, illæ non juvant civilem prudentiam. Nonnulli topographi, ut STRABO, multa alia etiam docent ſimul: ſed tum Strabo non agit topographum. Sed qui mere tradunt talia, non habent uſum politicum, licet alium uſum habeant. Similiter rudes annales, quæ dicuntur vulgo chronica, nihil juvant ad civilem prudentiam, ſi ſcilicet habeant, quid hoc aut illo anno actum ſit, qualia fuerunt primæ hiſtoriæ Germanorum, ut & Romanorum primæ. Vid. CONRING. *ad Tacit.* Alia eſt ratio *annalium* TACITI, qui non ad eum modum, quo olim *Pontifices Maximi annales* ſuos ſcripſerunt, ſunt ſcripti, ſed hi ſunt prudentiſſimi. Illæ igitur hiſtoriæ poſſunt juvare civilem prudentiam, quæ ita enarrant, ut facile tamen inde colligere poſſis, quid reipublicæ alicui conducat, nec ne? Si igitur tales hiſtoriæ ſunt utiles, apparet, ſolas illas eſſe utiles, quæ habue-

(*a*) *Wilhelmi Camdeni.*) In compendium redacta a REGNERO VITELLIO ZIRIZÆO. Libri CHAMBERLAINII & MIEGII gallico etiam idiomate exſtantes, ad præſentem rerum in magna Britannia habitum, magis ſunt accommodati.

(*b*) *de Linda.*) Hic ſua maximam partem debet PIERRE d'AVITY *theatre du monde.* Statum imperii germanici recentioris temporis gallica lingua ſibi deſcribendum ſumſerunt MAYUS & HEUSSIUS. Sed eorum libri, non tam ad Status imperii, quam rerum quarundam, quæ in Germania geſta ſunt, notitiam, & aliquam, licet mancam admodum, juris publici notitiam hauriendam faciunt. LUDWIGII etiam liber, qui ſub *Giovanni Germaniæ principis* nomine ſe conſpiciendum præbuit, nonnulla, quæ ad quarundam Germaniæ rerumpublicarum notitiam faciunt, habet: Sed liber multis ſcatet mendis, atque manifeſtum reddit, hiſtoriam eo tempore in autore ſuo ad adultam nondum perveniſſe ætatem. Pertinent huc, quæ WERDENHAGEN & HAYEMEIER *de rebuspublicis Hanſeaticis*, & KNIPSCHILD *de civitatibus imperii* literis mandarunt. Sed fateri neceſſum habemus, eſſe, quæ in his libris deſiderantur. Sunt & autores licet rariores, qui ſingulares alias Germaniæ reſpublicas deſcribere aggreſſi ſunt, quorum nomina in HERTII *biblioth. German.* leguntur. Libelli, qui ſub Statuum nominibus de quibusdam Germaniæ principatibus ante aliquod prodierunt tempus, admodum imperfecti ſunt, & non pauca jejuna ſatis, & non recte cognita falſaque referunt. Majori ſane elogio digna ſunt, quæ hujus argumenti *Heroldo* ſuo *Europæo* vir illuſtris ZECHIUS inſeruit, & quæ in PUFFENDORFFIANA *introductione* reperiuntur. Adde GASTELIUM *de ſtatu publico Europæ:* Laudem merentur quoque, quæ de republica Poloniæ HARTKNOCHIUS, & de Sileſia ITENELIUS tradiderunt, quanquam ſint, quibus ſileſiographia ſcholiorum & obſervationum mole laborare videatur. Optandum profecto, ut celeberr. GUNDLINGIUS collegio ſuo Europæ Statuum ultimam admoveret manum, illudque deinde publici fieri ſineret juris.

Digitized by Google

fuerunt prudentes ſcriptores. Præclari critici tres dotes in probo *hiſtorico* requirunt, *veritatem, prudentiam & eloquentiam.* Quod attinet eloquentiam, parum juvat uſum politicum, ſi diſerte ſit ſcripta. Sic LIVIUS longe eloquentia vincit POLYBIUM: quod vero prudentiam attinet, & HERODOTO & LIVIO præfertur POLYBIUS.

Sic AMMIANUS MARCELLINUS (*a*) habet multa barbara, ſed hiſtoria eſt ſatis prudenter conſcripta, & ſic juvat. Sic COMINÆI hiſtoria eloquentiam non meretur, fuit enim homo nulla doctrina inſtructus, juvat tamen ad civilem prudentiam multum. Quod veritatem attinet, veritas hiſtorica multum juvat ad uſum politicum; ſed dos hiſtoriæ, quæ quam maxime ad civilem uſum facit, eſt Prudentia. Si hæc abſit, tum non eſt, ut quicquam prudentiæ inde haurire velis. Illæ hiſtoriæ prudenter ſcriptæ, non tantum enarrant, quid geſtum ſit, & quibus conſiliis, auxiliis, quomodo, quo eventu &c. Si igitur tale quid hiſtoria non obſervet, tum non eſt prudenter ſcripta. Vid. CONRING. *Præfat. ad Tacit. de Mor. Germ.*

Inter hiſtorias autem ita prudenter ſcriptas, hoc adparet diſcriminis, quod aliæ ſint fictæ, aliæ ſint veræ. Vera autem longe plus facit ad uſum, quam ficta: hæc ficta enim omnem auctoritatem non dat rei ipſi, ſed a prudentia ſcribentis commendatur. Sunt autem inter fictas hiſtorias, quædam ſic prudenter callidæ ac fictæ, ut non parum juvent. Ex ævo veteri eſt *hiſtoria* CYRI MAJORIS, quæ non ex vero eſt deſcripta, ſed ut exhiberet ideam quandam perfecti ac præclari Regis. Omnes veteres agnoverunt, hanc hiſtoriam ex vero non eſſe, ſed omnes agnoverunt, prudentiſſimam eſſe, & multum juvare poſſe. Sed obſervandum eſt, non omnia ea eſſe vera, & quatenus prudenter eſt ſcripta, prodeſſe poteſt, alias non. Ejusdem notæ eſt ex veteri ævo APULEJI *Metamorphoſeon* liber, vulgo *de aſino aureo*: eſt ſatis fictus eleganter, ſed non pertractat res civiles, & ſic non juvat, eſt tamen, ſatis prudenter fictus. Ex noſtro ævo laudem meretur JOH. BARCLAJI *Argenis*: (*b*) eſt hiſtoria ficta, prudenter cumprimis, & quam maxime in uſum regni Galliæ. Fuit enim homo prudentiſſimus, & plene pervidit ſtatum Galliæ. Scopus ſcriptionis fuit, ut conſuleret, quomodo Galliæ poſſet ſuccurri: eſt etiam ſatis eloquens. Idem Barclajus adhuc adoleſcens Satyricon ſcripſit nomine *Euphormionis*, (*c*) & ſic facile apparet, ſuperaſſe ætatem: adeo accutato fuit judicio.

Quod autem veram attinet hiſtoriam, nota, hiſtorias *alias* verſari circa integras Reſpublicas & ſic tradere ea, quæ in illa republica geſta ſunt, ſive ab initio, ſive ad tempus. *Aliæ* verſantur circa negotia pauca, eaque vel civilia, vel mere militaria. Et quæ circa mere militaria verſantur, ad prudentiam civilem nihil, vel levi ex parte juvant, ſed artem militarem. Illæ hiſtoriæ, quæ verſantur circa integram rempublicam, & ſuſceperunt, omnia negotia reipublicæ tradere, illæ longe magis proſunt, quam quæ circa pauca verſantur. Inde enim longe rectius poſſunt peti ea, quæ ad ſtatum reipublicæ pertinent: nec enim ex paucis negotiis petere potes, quæ ad totum ſtatum pertinent.

Inter hiſtoricos primum occurrunt hiſtoriæ ſacræ, quæ quam maxime ad hiſtoriam politicam faciunt. Nam quod attinet leges bene conſtitutæ reipublicæ, notum eſt, rempublicam Judæorum a Deo O. M. eſſe inſtitutam, nec temere quis reperire poteſt leges tam prudenter factas pro captu illius populi & temporis, quam hæ ſunt. Legum itaque ſacrarum Moſaicarum notio, plurimum facit ad prudentiam. Sapienter latæ & etiam deſcriptæ ſunt, ſic ſatis prudenter. Nullæ omnino leges tam ſapienter latæ ſunt, ut hæ: quod non ita accipiendum, ac ſi omnium populorum inſtituta ſint inde petenda, ſed forma rerumpublicarum, & populus eſt conſiderandus.

Quod ipſam hiſtoriam attinet, hoc inprimis habent hiſtoriæ ſacræ, quod doceant ea, quæ aliunde peti non poſſunt: nempe quod conſervationes & mutationes rerumpublicarum dependeant ex ſingulari providentia divina. Hinc NICOLAUS MACHIAVELLUS, etſi alieniſſimus fuerit a chriſtiana religione, & parcus Deorum cultor & infrequens; hic tamen Machiavellus, inquam, *in Diſſertationibus ſuis ad Livium*, coactus fuit fateri, mutationes rerumpublicarum non ſemper dependere a fortuna aut prudentia, ſed a fato [DEUM enim homo nequam in ſcenam producere noluit] & cauſſas alias eſſe, quæ permoveant mutationes rerumpublicarum, quæ Diſſertatio ejus eſt lectu digna. [Fuit hic MACHIAVELLUS (*d*) Secretarius Cæſaris Borgiæ, ſpurii Alexandri VI. Pontificis Romani. Vixit circa A. C. 1496.] Quanquam autem ex hiſtoria liceat petere indicia mutationum rerump. attamen illa ſunt obſcuriora. Sacræ vero litteræ, luculentiſſima indicia providentiæ divinæ & conſervationum & majorum mutationum rerump. exhibent, adeo, ut nihil ſimile alibi reperiri queat. Sic ex libris propheticis videre eſt, quod transtulerit DEUS de gente in gentem imperium, & ſic merentur accurate legi libri prophetici & accurate expendi leges propheticæ. Nemo autem hactenus ſapientiam legum videtur expoſuiſſe. Fuerunt enim plerique imperiti politices: qui vero gnarus fuerit politices, eum rapient in admirationem & ſtuporem, quoties legerit. Reflectat ergo oculus νομοθέτης ad leges illas a DEO O. M. latas, an ſuæ ſint affines illis, & quatenus, an vero contrariæ. In hiſtoriis REGUM & libris CHRONICORUM deſcribitur breviter quidem, ſatis tamen nervoſe regnum Judaicum. SA-

LOMON

(*a*) *Ammianus Marcellinus.*) Dolendum, hunc æque, ac alios optimæ notæ ſcriptores integros non exſtare.

(*b*) *Argenis.*) Hanc Cardinali Richelio in amoribus fuiſſe dicunt.

(*c*) *Euphormionis.*) Num pater an filius ſatyram iſtam compoſuerit, vel ediderit, ignoratur. Vid. *diſcurſ. in Argenidem.* In fictarum hiſtoriarum prudentiæ inſervientium claſſe, aliquem merentur locum *hiſtoire de Sevarambes*, & quæ ſub ROBINSONII CRUSII nomine in lucem edita ſunt.

(*d*) *Machiavellus.*) BAYLE *diction. critique tom. II. pag.* 1958. *ſeqq.*

Digitized by Google

SALOMON enim & DAVID plurima conſtituerunt, prout ſibi placuerunt, prudenter tamen ſatis inſtitutum fuit eorum regnum. Paucis quidem verbis, ſed ſatis prudenter deſcribitur, quomodo fuerit inſtitutum. Amplum enim fuit & potens regnum: invenias ibi plurima, quæ ſunt uſui. Ex propheticis ſcriptis inſignis uſus eſt prudentiæ ſtudioſis: prædicantur ibi futuræ mutationes rerumpubl. & minæ & conſervationes gentium. Non eſt hodie, qui mentem Dei nobis oſtendat, ſed ut ibi illos, ita & hodie regit nos Deus, mutatiſque ſaltem perſonis, eadem agitur fabula.

Porro ſaltem recenſebimus hiſtoricos, qui vel lingua latina vel græca ſcripſerunt, quia etiamſi quis velit comparare ſibi ſive gallica ſive italica &c. linguis uſos hiſtoricos, tum ingens diſcrimen ratione eloquentiæ & prudentiæ reperi & inter eos, & qui latina lingua uſi ſunt. Ad uſum politicum dotem eloquentiæ poſſe abeſſe ab hiſtorico diximus, maxime autem requiritur prudentia. Si eloquentiam petas, tum quo quis ſcriptor eſt eloquentior aut minus eloquens, tum magis aut minus juvabit. Ita ſi prudentiam petas ex iis, tum quo quis magis aut minus prudens eſt, eo magis aut minus juvabit.

Inter græcos ſcriptores primus eſt HERODOTUS; (*a*) hic enim eſt pater hiſtoriæ; ita dictus, quod primus omnium inter græcos hiſtoriam ſcripſit, inſigni cum prudentia & eloquentia: (qui enim ante eum ſcripſerunt, non magnopere ſunt æſtimandi.) Eſt inſignis & eloquentiſſimus: fides ejus in dubium ſolet vocari, fit autem ei injuria. Narrat quidem fabulas multas, ſed narrat aliena fide, ita dicit, accepi. Vixit enim in locis peregrinis, in Aegypto, Syria &c. Attexit illa dein, quæ ſunt certa. Nec temere quis obſervabit in Herodoto adductam fabuloſam hiſtoriam, cui is voluerit fidem tribuere. Nemo autem deſiderabit temere prudentiam in Herodoto: deſcribit Perſarum, Aegyptiorum &c. hiſtoriam inſigni prudentia. Poſt Herodotum THUCYDIDES eſt, ſcriptor eloquentior Herodoto & fide dignus. Ex Thucydide maxime ea peti poſſunt, quæ faciunt ad ſtatus democratici mutationem, & quæ ad bella faciunt. Deſcribit bellum peloponneſiacum, narrat luculenter mutationes reipubl. illius, quæ tum contigerunt. Eorum, quæ ad regnum conſtituendum pertinent, ex Thucydide nihil peti poteſt. Multum tamen poteſt prodeſſe. Verſus eſt eleganter ab GEORGIO ACACIO ENENCKEL, libero Barone Imperii, qui & docto Commentario eum illuſtravit. Argentor. 1614 in octavo. De ſtilo ejus ſane eleganti, vide DIONYS. HALICARNASSEUM, qui ſingulari libello de Thucydidis eloquentia accuratiſſime judicavit. Thucydidis hiſtoria, eo quam maxime commendatur, quod nobiliſſimus fuerit Thucydides Athenienſis & ditiſſimus. Poſt Thucydidem XENOPHON, Athenienſis itidem, memorandus, cui etiam debemus ipſius Thucydidis libros: potuiſſet hujus libros, cum in ejus manus primum inciderent, ſupprimere & pro ſuis venditare, ſed, quæ fuit ejus fides, noluit. Xenophontis hujus, habemus hiſtorias varias, primo Regis Perſarum, qui devictis gentibus plurimis, rempubl. Perſarum condidit; ſed poetice magis, quam ex vero deſcripſit: voluit exemplum præbere Principis præditi exacta prudentia. Licet ibi petere, quomodo Rex vel Princeps educandus, & in ſpem reipubl. inſtituendus ſit. Patet ibi inſignis prudentia, & legendus eſt ab eo, qui adſpirat ad prudentiam regni conſervandi. Et parum refert, quod non ex vero deſcripta ſit hæc hiſtoria, cum ſit prudentiſſima. Idem deſcribit etiam *vitam Cyri Minoris*, fratris Artaxerxis infelicis, Hujus exercitum Xenophon duxit. Cæſo etiam jam Cyro, reduxit exercitum per mediam Aſiam, citra omnem noxam, quod magnam ſapit prudentiam. Facit hoc ad prudentiam militarem: quæ ſi adſit, magno ornamento eſt homini politico: eſt enim exemplum prudentiæ militaris, quo uſus eſt in reducendo exercitu. Idem deſcribit hiſtoriam rerum græcarum, quæ inſignis valde eſt & multum juvare poteſt. Facile hi libri, quos diximus hactenus, poſſunt legi, modo quis valeat judicio politico: nec enim eſt, quod multum temporis legendis iis quis velit impendere.

Poſt Xenophontem magnus eſt hiatus, nec occurrunt facile hiſtorici græci, qui uſui eſſe poſſunt. Meretur tamen huc referri DIODORUS SICULUS: quæ enim ſuperſunt de ejus ſcriptis, lectu ſunt digna, & ſunt talia, quæ alibi non reperias. Et vero ſic ſatis judicio valuit; vincunt quidem eum alii judicio, eſſe tamen poteſt inſigni uſui. Hoc ætate poſterior eſt DIONYSIUS HALICARNASSEUS, qui longe prudentior eſt: ſcripſit hiſtoriam romanam, ſed non integer eſt; ſed eſt elegans & longe accuratiſſimus. Hinc licet petere multo plura & meliora, quam ex Livio. Hic invenias prudentiſſima multa. Non dubitandum, illud ſcriptum inter prima eſſe recenſendum, quæ ad prudentiam faciunt. Dionyſio Halicarnaſſeo antiquior eſt POLYBIUS. Dionyſius Halicarnaſſeus initia reipubl. romanæ habebat, florem vero reipubl. romanæ & ſuæ quidem ætatis tempora deſcripſit POLYBIUS, & ſic lectori incipiendum ab Halicarnaſſeo, & pergendum ad Polybium. Qui Polybius non ſatis poteſt commendari. Hiſtoriam græcam hic etiam eam, quæ nondum ſatis valet judicio politico. Habet hic fœdus achaicum, quod magni nominis fuit. Fuit Polybius nobiliſſimus, habuit patrem directorem, uti vocant hodie, Archivorum, miſſus fuit ad Romanos legatus etiam, & obſes quoque datus, poſtea pulſus in exilium. Dein Romam ubi advenit, ſummum locum familiaritatis invenit in familia Scipionum & Æmiliorum, maximis tum hominibus, & interfuit oppugnationi Carthaginis, & admirabili etiam cognitione militari valuit. Longe enim aliter ille deſcribit res militares ac alii, præ omnibus aliis ſane in hac re valuit. Talia ſunt ſane, quæ habet de militia romana, ut ſuperent laudem: hinc LIPSIUS *ſuos libros ad Polybium* quaſi *commentarios* ſcripſit. Si profecto integrum

(*a*) *Herodotus*) De his & aliis ſequentibus vide BODIN. in *method. hiſtor. c.* 4

Digitized by Google

tegrum haberemus Polybium incomparabilem haberemus theſaurum, ſed quod ſupereſt ex eo, ſic ſatis juvat animum & pectus prudentiæ ſtudioſum. Supereſt alii, quos etiam legiſſe operæ pretium eſt. Ex APPIANO licet petere, quæ ad rem militarem faciunt; deſcripſit eleganter expeditionem Alexandri: πολιτικά diſcas hic. Ejuſdem notæ HERODIANUS eſt, elegans ſcriptor, & ejus etiam lectio ad regni cognitionem facit. Scripſit hiſtoriam ſui ævi Romæ, quæ tum ſub Regibus, & ſic reſpublica monarchica erat. Neminem legiſſe pœnitebit etiam hunc. Ex recentioribus Græcis præcipuus eſt NICETAS. Vixit ante quingentos circiter annos. Magis prudenter, quam diſerte deſcripſit ſuam hiſtoriam, quanquam etiam affectaverit laudem eloquentiæ: & ſic ſatis prudenter eſt conſcripta. Proximam laudem ab hoc meretur ZONARAS: meretur legi ejus hiſtoria. Inprimis huc referri debebat IOH. CANTACUZENI hiſtoria: facit hæc ad prudentiam civilem. Tempore Iuſtiniani qui vixerunt, SOSIMUS, PROCOPIUS, AGATHIAS SCHOLASTICUS, ibidem merentur legi, non tamen propter prudentiam civilem, ſed propter notitiam eorum temporum & res militares. Procopii Gothica & Agathiæ merentur legi propterea. Alios adducere non videtur operæ pretium, hi ſufficiunt; inde multum prudentiæ petere potes, aliis legendis tempus impendere, eſt perdere, ſiquidem petas prudentiam civilem. De hiſtoria enim, ſi eam ibi velis haurire, jam non dicimus. Duos adhuc ſcriptores omiſimus ſupra, nempe Ioſephum & Plutarchum. IOSEPHI hiſtoriam ſacram habemus titulo: *Antiquitatum judaicarum;* ejuſdem libros *de Bello judaico* & libros *contra Appionem.* Etſi igitur in libris antiquitatum judaicarum attigit, quæ ſunt in ſacris litteris, multa tamen habet, quæ non ibi ſunt, aut quæ ſub excidium Hieroſolymarum ſunt facta. Hunc, cum fructu ſtudioſus civilis prudentiæ leget. Huc & cumprimis facit *hiſtoria belli judaici* ejuſdem. Multis tum temporis turbis & motibus laboravit reſpubl. judaica, & præfecti Romani valde ipſam afflixerunt. Donec, armis ſumtis, voluit ſe populus judaicus vindicare in libertatem, ſed infeliciter, adeo, ut libertatem & totam rempubl. perdiderit. Non temere reperias hiſtoriam, quæ hanc Joſephi eloquentia & prudentia ante eat. Sic & libros ſcripſit *contra Appionem.* Fuit APPION Grammaticus ægyptius, & in judaicum populum multa convicia dixerat & ſcripſerat. Merentur legi maxime, quæ ſunt *L. II. contra Appionem*, ea enim ſunt mere politica, valuit autem defendere Ioſephus contra hunc Appionem populum ſuum judaicum. Alter, quem omiſimus, eſt PLUTARCHUS, qui, ſi aliquis, certe eſt πολιτικώτατος, & haut temere reperias, qui olim eruditione par ipſi ævo ſuo fuerit: Pleraque perierunt ex ejus libris. Ex hiſtorico opere, *vitas* adhuc habemus *parallelas.* Optimos quosque hic conferre voluit ex Græcis & Romanis. Eſt opus præclarum, ſi quod aliud: interim mutilum eſt; potiſſima enim pars periit; quæ tamen ejus ſuperſunt, omnem prudentiam juvare poſſunt. Ita diſſerit de his viris, ut prudentia ubique eluceat, & ſuo ævo propter prudentiam, maximis Regibus & ipſi Trajano fuit conſiliis admotus & cariſſimus.

Qui latina lingua ſcripſerunt hiſtorias, eorum olim fuit magnus numerus. Ex iis, qui ſuperſunt, LIVIUS primo loco meretur referri. Deſcribit integræ reipubl. res geſtas, & quidem domi foriſque, ex qualibus auctoribus prudentiæ plurimum licet diſcere, & quidem longe rectius, quam ex talibus, qui ſaltim ea, quæ aut domi contigerint, aut in bellis exteris reſpubl. egerit. Sed qui ex hiſtoria romana prudentiam petere vult, a POLYBIO initium faciat. Interim tamen & hic uſui eſt. Secundo loco Saluſtius meretur locari. Scripſit varia, ſed perierunt; quæ tamen de bello *Catilinario* & *Iugurthino* ſuperſunt, ſunt profecto præclara. Polluiſſe eum inſigni judicio, & peritia rerum civilium, luculenter apparet. Legat quis *præfationem hiſtoriæ Catilinariæ*: videbit, quam ob cauſſam perdiderint Romani rempubl. ſcilicet cum mores mutaſſent, & ex fortibus molles fierent. Minoris momenti ſunt, interim tamen juvare poſſunt VELLEJUS PATERCULUS, & FLORUS, cumprimis Paterculi lectio ex his prodeſt. Ejuſdem ordinis eſt CORNELIUS NEPOS: vitæ enim ejus poſſunt inſtruere quemvis adſpirantem ad prudentiam. Dum enim legitur vita præclari cujusdam viri, quaſi exemplum proponitur, quomodo vitam tuam præclare inſtituas, & elegans libellus & præclarus, Paris pene notæ ſunt *vitæ Cæſarum* SUETONII. Quanquam enim Suetonius non ita ducat lectorem ad civilem prudentiam, accurate tamen inſtruit. Inter omnes autem illos, qui ſeculo I. vixerunt, eminet CORNEL. TACITUS. Hujus libri non adeo fuerunt in magno pretio ante 100 adhuc annos. Primus IUSTUS LIPSIUS orbi terrarum cœpit Tacitum ob prudentiam commendare: ex eo omnibus hodie creditur a multis, ſeu græcis ſeu latinis præferendus. Admirandum hoc in TACITO eſt, quod quotiescunque narrat quid, ingenia hominum & quæ ſolent fieri in republ. paucis verbis indicet, quod facit ad prudentiam plurimum. Nam noſſe ingenia hominum, & qui ſucceſſus ſoleant tales homines excipere, multum juvat, quod ipſe optime habet. Juvat quoque Tacitus ad accurate cognoſcendam Tyrannidem, quomodo tyranni ſe gerere ſoleant. Minus autem facit Tacitus ad uſum Principatus alicujus boni, & qui jam longo uſu recte eſt conſtitutus, cum conſenſu omnium civium. Et ea in re peccant multum, qui exiſtimant, omnem doctrinam de principatu, poſſe ex Tacito peti: nam non omnia regna & principatus ita ſe habent. 2.) Cum duplex ſit modus conſervandæ tyrannidis (L. 5. Polit.) unus aſper & alter benignus & regius quaſi & mollis; Tacitus exempla præbet tyrannidis aſperrime geſtæ per Tiberium & Neronem, modum autem conſervandæ tyrannidis mollem vix attigit, niſi paucis verbis initio annalium, ubi exſequitur exitum Auguſti, qui molliter geſſit tyrannidem, verum hæc ſaltem perſtrinxit. Tiberii vero omnia & multa Neronis habet. Aſpere multa Tiberius, crudeliſſime Nero omnia exſecutus eſt. Claudii etiam, qui medius quaſi inter Tiberium & Neronem extitit,

tit, multa habet, ſed tamen Claudius fuit ſtolidus. Quoniam autem propter principatus & tyrannides multæ ſunt aliæ rerumpublicarum ſpecies, Taciti lectio ad peritiam rerumpubl. popularium, ariſtocraticarum, oligarchicarum &c. nihil facit, qua de re ſic ſatis egregie ISAACUS CASAUBONUS *in præfatione ad Tacitum ſuum* diſſeruit, quæ non ſunt proletaria ſane, quæ hac de re ibi habentur.

Ex ſec. II. & III. non habemus ſcriptorem, qui juvare nos poſſit: in defectum tamen hiſtoriæ Cæſarum a FLAVIO VOPISCO & ÆLIO LAMPRIDIO &c. deſcriptæ juvare poſſunt. Ex ſeculo IV. AMMIANUM MARCELLINUM habemus: nam etſi ſtylus ejus eſt ſcaber, homo enim fuit ſemigræcus, non multum tamen deſiderabis in eo prudentiæ. Meretur ſane inter primores numerari hiſtoricorum latinorum, qui juvare prudentia poſſunt. Poſt hunc eſt ingens hiatus, nemine comparente, qui latine quid lectu dignum condiderit illi, qui adſpirat ad prudentiam civilem.

Seculo V. invaſerunt gentes occidentales Europæ orbis florentiſſimas reſpublicas & barbaries inducta eſt. Paulatim vero illæ gentes aſſuevere linguæ latinæ, ex quo nempe dederunt nomen chriſtianæ religioni. Mos enim erat ſacra latina lingua celebrari. Sic cum gentes in oriente græca lingua uterentur in celebratione ſacrorum ſuorum, ex eo per univerſum orientem græca lingua fuit ſparſa. Hac igitur occaſione edoctæ linguam latinam gentes illæ ſunt. Non poteſt autem laudari pene quiſquam, qui adjumento poſſet eſſe hic. Vid. VOSSII *lib. de hiſtoria latina*. Ingens quidem numerus eſt iſtorum hiſtoricorum: nemo tamen ibi eſt, qui juvare hic poſſit, niſi LAMBERTUS a SCHAFFNABURG, hiſtoricus germanus, qui Henrici IV. tempore vixit: qua tempeſtate in Germania motus multi fuerunt, ubi immane quantum Germaniæ ſtatus mutatus eſt. Ex hujus lectione Studioſus Politicæ fructum haud levem poteſt capere. Præmiſit hic enim alia, ſed ea nulli uſui pene ſunt ad prudentiam civilem: hi autem motus legendi ſunt in ejus libris.

Seculo XV. renaſci cœperunt literæ in Italia & ingens litteraturæ mutatio facta eſt. Ex illo tempore etiam hiſtoria cœpit elaborari a quibusdam, longe aliter, ac intra mille annos & ultra antea fuerat factum. Ex eo tempore hiſtoricos eloquentiſſimos & prudentiſſimos Europa accepit. Et quidem omnes gentes habent ſcriptores præclaros, quos monſtrare poſſint. Sic nec Ungaris ipſis deeſt, qui eorum hiſtoriam deſcripſit. Ex his, qui ſunt melioris notæ, recenſebimus. Inter hos quidam hiſtoriam ſuam non lingua latina, ſed alia condiderunt, verſi tamen ſunt latine, & ſic latinis comparantur.

ITALIA nobis dedit cum alios, tum hos inprimis I. MARCUM ANTONIUM SABELLICUM, (*a*) qui deſcripſit *hiſtoriam Venetam*, & ſic hiſtoriam præclariſſimæ cujusdam reipubl. condidit: quanquam apud quosdam in non adeo pretio eſt, commendandus tamen eſt. Non enim ei defuit prudentia. Ejusdem notæ eſt NICOLAI MACHIAVELLI *hiſtoria florentina*. (*b*) Eandem enim deſcripſit latine eleganter quidem ARETINUS, ſed longe majorem prudentiam obſervabis in hiſt. florent. Machiavelli. Varias hujus reipubl. turbas deſcripſit Machiavellus, modo prævalente hoc, modo illo ordine. Hos, dico, motus deſcripſit Machiavellus: Aretinus vero male neglexit. *Hiſtoriam Genuenſis reipubl.* HUBERTUS FOLIETA (*c*) præclare deſcripſit: eſt elegans ſcriptum, & plenum prudentiæ. Præ aliis autem maxime commendandus videtur FRANCISCUS GUICCIARDINI, qui tamen italice eſt ſcriptus. Verſus latine a COELIO SECUNDO CURIONE & quidem docte eſt ſcriptus. In hoc ſcriptore tanta apparet prudentiæ vis, ut mereatur conferri cum quibusvis veteribus, genere fuit nobiliſſimus. Hunc PAULUS JOVIUS florentiſſimus ſcriptor excepit, in quo nec prudentiam, nec eloquentiam deſiderabis: tantum videtur aliquibus fides ejus ſuſpecta, & propterea non commendandus eſt iis, qui veritati ſtudent; ad prudentiam tamen valet ejus lectio. Sunt & alii Itali, ſed non cum his, quos diximus, poſſunt contendere. In IOVIO nota, quod non tantum, quæ in Italia geſta erant narrare ſibi propoſitum habuerit, ſed integram hiſtoriam ſui ævi condere: præcipue tamen fuit occupatus circa res Italiæ deſcribendas. JOANNES JOVIUS PONTANUS (*d*) ſcripſit res Neapolitanas elegantiſſime & prudentiſſime.

Poſt Italos ad HISPANIÆ rerum ſcriptores pergimus, quos inter tres eminent. Res Hiſpaniæ univerſas & magna cum laude JOANNES MARIANA perſecutus eſt; inſigni eloquentia, παῤῥησίᾳ & fide hic ſcripſit. Minorem quidem, inſignem tamen laudem etiam RODERICUS TOLETANUS meretur, qui itidem latine res hiſpanicas perſecutus eſt. Multi alii res hiſpanicas, ſed hiſpanice ſunt perſecuti. Pari prudentia vitam Emanuelis Regis OSORIUS deſcripſit, qui meretur legi propter res ejus feliciſſime geſtas, etiam in longe peregrinis locis. Præter hos *non ſunt*, (*e*) qui merentur laudem hic.

Rerum GALLICARUM prudentes ſcriptores ſunt, I. PAULUS ÆMILIUS Italus, Veronenſis, ſed qui in Gallia magnam ætatis partem degit. Hic & facunde & prudenter perſecutus

(*a*) *Sabellicum.*) Verum ad prudentiam comparandam magis adhuc faciunt, quæ MAUROCENUS, BEMBUS, JUSTINIANI & NANI de hac republica literis conſignarunt. Hiſtorici Venetorum nuper conjunctim ſunt editi.

(*b*) *Florentina.*) Nec negligendi ſunt VILLANI, qui pleraque ſua debet MALESPINIO, SCIPION. AMMIRATO, POGGIUS, VARCHI, BUONINSEGNIUS. Habent enim hoc præcipui ſcriptores italici, ut propemodum omnes ad prudentiam ducant.

(*c*) *Folieta.*) Junge huic BIZARRUM.

(*d*) *Pontanus.*) Sunt tamen, quæ in eo deſiderantur, ut alibi monui.

(*e*) *Non ſunt.*) De ſcriptoribus rerum hiſpanicarum pluribus actum eſt *ad Theſaurum rerumpublicarum* ſub regno Hiſpaniæ. *T. IV. Conringianorum.* Plures laude digniſſimi occurrunt in SCHOTTI *Hiſpania illuſtrata*.

Digitized by Google

tus eſt res gallicas a primo rerum exordio ad Ludovici XI. tempora. Eſt prudens ſcriptum & meretur cum ſcriptoribus optimis veteris ævi comparari. Hujus hiſtoriam ARNOLDUS FERERIUS, magnus legatus Regis Galliæ per Italiam omnem ulterius perſecutus eſt. Scriptum eſt prudens & doctum. Si temporis ſeriem velimus notare, tum videtur, eum excepiſſe JACOB. AUGUSTUS THUANUS, qui ab anno 1546 incipit, & ſic ab exceſſu Franciſci Regis. Si quis alius, & propter fidem & propter prudentiam Thuanus meretur laudari. Perſecutus eſt hiſtoriam usque ad exceſſum Henrici IV. Non exſtat ejus hiſtoria integra, quod heredes invidiæ vitandæ ergo noluerint integram eam edere. Ejus tamen hiſtoria exſtat usque ad annum 1607. *Inde non tantum Galliarum, ſed univerſi orbis hiſtoriam licet petere, nec quisquam cum Thuano meretur conferri, adeo, ut qui Thuanum habeat, is florem habeat univerſi orbis hiſtoriarum, & merito Thuanus debet haberi quaſi communis theſaurus hiſtoriæ.* Quod ſingulatim res gallicas attinet, laudatur lectio PHILIPPI COMINÆI; deſcripſit *vitam & geſta Ludovici XI. Regis Galliæ*, & *Caroli VIII. Regis Galliæ expeditionem Italicam*, gallice quidem, ſed verſus a SLEIDANO & BARTHIO latine. Ipſe COMINÆUS doctrina non fuit inſtructus, valuit tamen prudentia nativa & dexteritate agendi, fuitque primarius conſiliarius LUDOVICI, & ſic omnium conſiliorum particeps. Multum ejus lectio valet ad prudentiam, quippe qui rebus gerendis non interfuit tantum, ſed & præfuit. Ejusdem pene notæ eſt de Henrico IV. hiſtoria PETRI MATTHÆI. Elegantes multa perſecutus hic eſt; multa inde licet petere, quæ alibi fruſtra quæras, minus tamen ab eruditione eſt inſtructus. Longe majorem vim prudentiæ attulit GRAMONDUS ad ſcribendas res gallicas, qui Ludovici XIII. res perſecutus eſt, non autem integra hiſtoria eſt. Odium enim vitans, abſtinuit a ſcribenda hiſtoria. Hiſtoriam enim ſui temporis ex vero ſcribere, eſt valde difficile. Usque adeo enim verum eſt illud Terentii: *Obſequium amicos, veritas odium parit.* Lectio tamen hujus hiſtoriæ multum proderit. Non memorabo BELLAJUM, cujus hiſtoria prudenter etiam eſt ſcripta: non enim eſt *verſa latine.* (a)

Porro in BRITANNIA occurrit regnum Angliæ, cujus hiſtoriam veterem omnem facunde conſcripſit POLYDORUS VIRGILIUS, Italus. (Primarii enim ſcriptores Europeæ hiſtoriæ Itali fuerunt.) Meretur tamen etiam legi MATTHÆI PARIDIS (b) *hiſtoria rerum anglicarum*, etſi ſcaber ſtylus, multum tamen habet prudentiæ pro eo, quo vivebat, ævo. Huc referenda *vita Henrici VII.* a FRANCISCO BACONE VERULAMIO (c) Cancellario Regis Angliæ deſcripta. Homo hic adeo præſtans fuit ingenio, ut conatus fuerit, univerſæ ſcientiæ naturalis novum ſyſtema, & prorſus diverſum a noſtra Philoſophia condere. Sed proprio ingenio valuit; antiquæ rei enim & ſcientiæ non adeo peritus fuit. Multa Rex Henricus egit prudenter. Hic libellus eſt parvus quidem, ſed meretur inter primos numerari. Similiter laude digna eſt *hiſtoria rerum geſtarum* ELISABETHÆ, a WILHELMO CAMDENO (d) ſcripta, eſt docta hiſtoria; fuit hæc fœmina prudentiſſima, & laudem præripuit omnibus reginis univerſi orbis, quæ unquam fuerunt. Ejusdem CAMDENI exſtat *deſcriptio Hiſpaniæ*, cui deſcriptioni multa inſperſa ſunt valde prudentia. In illa inſula Angliæ eſt & regnum Scoticum. *Hiſtoriam rerum Scoticarum* æterna cum laude deſcripſit BUCHNANUS: (e) quemadmodum enim in libello pſalmorum optimum poetam ſe præſtitit, ſic & hic ſe virum præſtitit. Multis audit, quaſi non faveat adeo Regi, ſed hoc non prudentiæ ejus, ſed fidei derogat. Interim maximi fecit Thuanus fidem Buchnani, adeo ut multa, imo omnia deſcripſerit Thuanus ex Buchnano, ubi licuit. Liber eſt non adeo magnus, ſed qui meretur legi. Perſecutus eſt ab exordio usque ad tempora Jacobi VI. Regis, & ſic ad noſtra pene tempora pertexuit hiſtoriam.

Res DANICAS quod attinet, habemus IOANNEM ISAACIUM PONTANUM, qui eas ſatis egregie perſecutus eſt, cujus lectio ad res Danicas cognoſcendas probe multumque facit. Similiter IOANNIS MEURSII (f) *hiſtoria Danica* eſt præclara. Fuit ille Batavus, ſed in Daniam migravit, receptus in ſoranam academiam, quæ hiſtoria meretur inter primas numerari.

SUECIA *nondum accepit*, (g) qui latine ſcripſerit res ejus cum laude. Exſtat tamen ERICI UPSALIENSIS hiſtoria non indocta: facundiam quidem deſiderans, ſed ſatis docta, pro captu ejus temporis eſt.

POLONI (h) habent inſignes etiam ſcriptores. Inter hos meretur primo loco MARTINUS CROMERUS laudari: non tantum prudenter, ſed & fide & facundia inſigni perſecutus eſt res polonicas. Partem hiſtoriæ polonicæ decerpſit STANISLAUS ORICHOVIUS. *Hiſtoria Sigismundi I. Regis* docte & prudenter deſcripta eſt ab eo. Annales docte & facunde deſcripſit hic, ſed mole parva. Compendium quaſi hiſtoriæ CROMERI dedit NEUGEBAUERUS, qui meretur legi, ſi cui ipſe Cromerus non ſit ad manus; perſecutus eſt hic ulterius quædam, quæ in Cromero deſiderabis. Majorem laudem merentur tres hi ſequentes 1. STANISLAUS LU-

(a) *Verſa latine.*) Miror, auctorem noſtrum ignoraſſe verſionem latinam de anno 1574. Adde BELCARIUM. De recentioribus rerum gallicarum ſcr. alibi dixi.

(b) *Matthæi Paridis*) Monachus S. Albani, Henrico III. charus, tyrannidis pontificiæ commentator egregius.

(c) *Verulamio.*) Liber prudentia politica, non ſtyli elegantia illuſtris.

(d) *Camdeno.*) De hoc alibi. vid. *Herm. Dieter.* MEIBOMII orat. *de ſcriptor. anglic.*

(e) *Buchnanus.*) Hic regiæ dignitati parum favens, calamum in MARIAM reginam plus juſte ſtrinxiſſe dicitur. Nec LESLÆUS nec BOETHIUS ipſum prudentia æquant.

(f) *Meurſii.*) Dani impenſe laudant HUTFELDI hiſtoriam ſua lingua conſcriptam. De reliquis ſcriptoribus Danicis vide BARTHOLINI *bibliothecam danicam.*

(g) *Nondum accepit.*) Habemus tamen IOH. LOCCENII *hiſtoria ſuecana a primo rege Sueciæ usque ad Carolum XI. Libros IX.* Vitam Guſtavi Adolfi in ſpecie illuſtravit PUFFENDORFIUS.

(h) *Poloni.*) Ad hanc claſſem etiam refer HEIDENSTEINII *rerum polonicarum Lib. XII.*

LUBINSKI; hic recentiſſima rerum polonicarum perſecutus eſt, ſed prudenter, facunde & fideliter. 2. PAULUS PIASECIUS, inſigni prudentia, ſed non pari facundia. 3. Meretur quoque legi *hiſtoria* ULADISLAI PRINCIPIS, quæ itidem florido ſtylo & inſigni prudentia eſt ſcripta, & fide etiam. Cum enim Poloni vivant in libera republica, liberas etiam voces habent. Et certum hoc eſt, quo gens aliqua magis ſervitute premitur, eo minori fide res ejus deſcriptæ ſunt. Poloni igitur, cum nimia hactenus libertate gaviſi ſint, liberrimè ſcripſerunt. Hodie Poloni dant operam inſignem facundiæ latinæ, cujus etiam ibi in negotiis majoris momenti uſus eſt tantus, quantus nuſpiam terrarum eſt alibi, ne quidem in Italia. Facundiſſimi ſane ſunt polonici ſcriptores: nec enim temere reperias Polonum majoris dignitatis, qui ſit inſcius latinæ linguæ.

Ne quidem HUNGARICIS rebus, deeſt prudens ſcriptor. Habent hæ ANTON. BONFINIUM, gente Italum; perdocte perſecutus eſt res hungaricas, poſt hunc pari laude nemo ſcripſit res hungaricas.

Quod res noſtras GERMANICAS attinet, pauciſſimi ſunt in noſtra gente, qui & facundiæ & prudentiæ & fidei laudem mereantur. Aliqua ex parte has dotes aſſecutus eſt ALB. CRANZIUS, qui ab ævo ſuo remotiſſimas hiſtorias non deſcripſit: defuerunt enim ipſi monumenta. Valuiſſe autem eum prudentia, facile apparet. IOH. AVENTINUS res veteres Germaniæ prudenter, facunde, ex fide etiam perſecutus eſt. Fidem pontificii ei derogant, ſed immerito, propterea nimirum, quod multa habeat, quæ ipſi nolint, facta unquam eſſe. Majorem vero laudem, imo omnem SLEIDANUS meretur. Magnus cenſor bonæ hiſtoriæ THUANUS ſecutus eſt Sleidanum, eumque poſteritati commendavit, haud neſcius, male ſe auditurum apud ſuos Ieſuitas, quod ipſi fidem dederit. Poſt Sleidanum, nemo eſt, qui par ſit. In defectu aliorum DAVID. CHYTRÆI (*a*) *Saxonia* meretur legi: facit ad noſcendas res ſaxonicas, quæ omnibus nobis notæ eſſe debent.

Res BELGICÆ habuerunt meliores ſcriptores. Res friſicas prudenter UBBO EMMIUS & fide & facundia deſcripſit. Non autem pertexuit hiſtoriam ſuperioris temporis, ſed perſecutus eſt ad belli belgici tempora. VIERIUS WINTZHEIMIUS veſtigia ejus preſſit. Quod bellum belgicum attinet, quo non quicquam diuturnius, periculoſius & rebus geſtis clarius fuit, varii ejus hiſtoriam deſcripſerunt. Hos inter præcelluerunt NIC. BURGUNDUS. Certe ea facundia & prudentia ſcripſit, ut non poſſit ſatis laudari: perſecutus eſt usque ad Albani tempora. Deſcripſit etiam Ludovici Bavari hiſtoriam, qua nihil facundius & melius potuit excogitari: non poteſt aliquis ſatis mirari ejus viri prudentiam. Hiſtoriam belgicam FAMIANUS STRADA, (*b*) Italus nobilis ſcripſit, nec quisquam in ea temere quid deſideraverit, niſi quod Proteſtantibus ſit iniquior: Sed eſt prudens & facunda hiſtoria. In gratiam Hiſpanorum Ieſuita hic Romæ bellum belgicum ſcripſit, id ſibi negotii dari credens, Philippo ut placerent, quas feciſſet fabulas. Hinc mendaciſſimæ ejus calumniæ paſſim ingeminant, hæreſis, ambitio, Orangius: quibus tribus omnem belli belgici cauſam & reipubl. originem adſcribit. Vid. G. HORNII *Diſſ. polit. de orig. reip. belgic.* §. 4. Poſt Stradam meretur laudari hiſtoria belli belgici, quam REYDANUS deſcripſit, & quam eleganter ex belgico ſermone VOSSIUS vertit. *Optimus*, inquit HORNIUS *l. c.* §. 5. *belli belgici ſcriptor Reidanus.* Huic quarto loco annumeratur *hiſtoria belli belgici* ab HUGONE GROTIO deſcripta, quæ pertingit usque ad pacta belgica. Sed eſt inferior omnibus illis ſuperioribus, ſi quid ego judico.

His hiſtoricis merito poſſumus adjungere ſcripta quædam epiſtolica, narrantia res memorabiles alicujus reipubl. quæ juvant, ſi ſcripta ſunt a viris prudentibus, qui ſæpe in epiſtola exponunt animi ſententias & arcana narrant. Hujus generis ſunt plurimæ *epiſtolæ* CICERONIS, tum in Opere *ad Atticum*, tum *ad familiares*. Non temere reperias aliquid ſimile in omni ævo: ſcripſit arcaniſſima negotia reipublicæ ſuæ. Poſſunt autem intelligi, ſi conferantur cum hiſtoria PARICHII Ciceronis, easque legas, ſerie annorum obſervata. Profecto ex *Epiſtolis ad Atticum*, & multis *ad familiares*, multa longe rectius licet diſcere de mutatione romanæ reipubl. tempore Cæſaris, quam ex nullo alio. Vatis alicujus inſtar omnia prævidit, ut inde liceat ſcire, quanta vis prudentiæ ſit. Hinc a CORNELIO NEPOTE *in vita Attici*, a prudentia CICERO laudatur. Aliorum Epiſtolæ licet elegantes ſint, non tamen habent uſum politicum. Recentiores quidam πολιτικώτατας epiſtolas ſcripſerunt, ſed peregrinis linguis. Tales OSSATI Cardinalis Epiſtolæ ſunt: narrant ea, quæ ad curiam pontificiam pertinent. Sic & ſunt PERRONII gallice ſcriptæ. PARUTÆ etiam tales ſunt, ſed italice ſcriptæ. Sic etiam Epiſtolæ Cardinalis BENTIVOGLIO. Raro autem reperiuntur epiſtolæ latinè exaratæ. Sunt & HUGONIS Grotii eleganter ſcriptæ epiſtolæ, ſed hactenus non *prodierunt.* (*c*) Ejus notæ ſunt variæ Diſſertationes de rebuspubl. quales ſunt verſæ ex italico & gallico compactæ in *Volumine theſauri politici*, quod etiam ſub nomine NICOLAI BELLI prodiit. Sic & orationes multæ multum juvant, ut ſunt orationes generis demonſtrativi, ubi laudantur respubl. a viris præclaris, ut ſunt ex veteribus orationibus Iſocratis, Demoſthenis, Ciceronis etiam ex parte. Ad hunc modum ordo quidam habendus eſt.

Obſervandum porro eſt, ad civilem prudentiam facere quoque cumprimis cognitionem variarum legum & conſuetudinum, quæ obtinent in variis rebuspubl. & gentibus. Ad νομοθεσίαν enim hæc pertinent. Ipſe Ariſtoteles Lib. I. Rhetor. ubi diſſerit de genere deliberativo &

(*a*) *Chytræi.*) ADDE PUFFENDORFII opera hiſtorica ad res Germanorum ſpectantia,

(*b*) *Famianus Strada.*) Adde quæ BENTIVOGLIO de bello Flandrico ſcripſit.

(*c*) *Prodierunt.*) Uno volumine jam typis impreſſæ ſunt.

& de iis, de quibus deliberatio fiat, ſuadet, ad civilem prudentiam facere accuratam lectionem hiſtoriarum & lectionem variarum legum & conſuetudinum: huc enim facere dicit περίοδον τῆς γῆς quod de ſcriptis pariter gentes luſtrantibus & de peregrinantibus etiam intelligitur. Sed nunc peregrinationibus fere non eſt opus, cum ex ſcriptis domi diſcere poſſimus ea omnia. In univerſum ſcire leges variarum gentium multum juvat: potes enim inde manu duci aliquo modo, ut ipſe leges condere poſſis. Sic & hic multum conducit, habere cognitionem legum romanarum, etiamſi hodie nihil proſint. Sic & leges Iuſtinianeas ſcire prodeſt, etiamſi nihil valerent, ut valent. Sic facit huc notitia legum hebraicarum, quas ipſe Deus condidit, quibus populum felicem facere voluit. Non tantum autem immorari debemus legibus romanis vel judaicis, & credere, eas eſſe omnium optimas, ſed & alias ſcire expedit. Sic & ſcire expedit, an Deus factionem teſtamenti, & quatenus de omnibus, an de aliquibus bonis permiſerit, quidve de ea obtinuerit apud Spartanos &c. Pondus autem debent leges illæ apud nos habere, quæ ſunt conditæ a rebuspubl. ſapientioribus: eo enim ſapientiores erunt leges. Hinc apparet ante omnia, magnæ apud nos auctoritatis eſſe debere leges hebræas, quippe quæ ab omnium ſapientiſſimo νομοθέτῃ Deo profectæ ſunt. Sic & romanæ & atticæ leges debent eſſe in pretio nobis, quippe qui populi ſapientes & longe lateque regnantes fuere. Sic & recentes conſuetudines Batavorum ſunt notandæ, quia ii habent optime rempublicam conſtitutam circa merces. Sic leges militares romanorum ſcire expedit, quippe qui omnium optime rempubl. militarem conſtitutam habuere. Iam vero quod porro atticas leges noſcendas attinet, SAMUEL PETITUS juvare poteſt, & CLAUDIUS SALMASIUS, qui uterque *de jure attico* ſcripſit librum. Poſſunt & peti talia haud pauca ex doctiſſimo libro, IOHANNIS MEURSII *Solone*.

Sed ex lectione hiſtoriarum & legibus romanis non facile eſt prudentiam petere. ARISTOTEL. 10. *Eth. c. ult.* obſervat, Sophiſtas (qui Sophiſtæ certe menſuram nominis ſui non adeo implebant, cum quibus res fuit Socrati inprimis; fuerunt enim & interdum homines inepti) etiam ſe profeſſos eſſe magiſtros civilis prudentiæ, non aliter autem eam docuiſſe, quam propoſitis legibus variis variarum politiarum. Hæc erat ratio docendi politicam (qualiter hodienum doctores quidam politici inepti faciunt) dicebantque, ex illis poſſe eligere aliquem, quod optimum eſt. Sed hoc non eſt cujusvis, ſed ejus, qui aliquo modo valet habitu prudentiæ. Perinde ac ſi Medicus varia remedia proponat, tum non eo ipſo docet artem medicam; ſed qui docet, in hoc vel illo morbo ita eſſe procedendum, ſi ſic vel aliter ſe habet morbus, is vere eſt medicus. Ad eum modum non eſt ſita prudentia in peritia hiſtoriarum & variarum legum: ex hiſtoriæ lectione poteſt condi prudentia, quoniam ex variis experimentis poteſt condi ars. Sed condere artem & prudentiam, eſt ejus, qui valet peritia demonſtrandi, eamque accurate novit. Prudentia eſt univerſalium: qui enim prudens eſt, habet ſcientiam univerſalium: prudentiam condere, debet fieri per inductionem ſcientificam. HIPPOCRATES *L.* 1. *Aphoriſm.* dicit: *Vita brevis, ars longa, experientia difficilis.* Vult hoc, eſſe perdifficile, condere artem ex experientia. 1.) Nam ex hiſtoriarum lectione integram prudentiam civilem condere & haurire velle, eſt operoſum. Sunt enim varia negotia & ſpecies rerumpubl. 2.) Eſt etiam admodum difficile: non enim poteſt hoc fieri, niſi ab eo, qui poteſt diſtinguere cauſas veras ab iis, quæ per accidens evenerunt. Sic artifex debet cauſſas eventuum ſcire, ſi quidem prudens eſſe vult, e.g. Muſicus aut Medicus poteſt quidem domum ædificare, & architectus etiam poteſt, ſed Muſicus & Medicus per accidens hoc faciunt. Prudentia vero conſiſtit in cognitione cauſſarum per ſe. Jam qui valet facultate magna judicii aut naturali, aut artificiali, is poteſt ita ex experimentis univerſalia condere. Sic aphoriſmi Hippocratis ſunt collecta univerſalia ex experimentis. Hippocrates magna ingenii vi valuit, & ſic potuit hoc facere. Qui etiam peritus artis demonſtrandi, & novit naturam inductionis ſcientificæ, is hoc præſtare poteſt. Hinc ſequitur, quod non temere juvenis ex lectione hiſtoriarum poſſit pervenire ad prudentiam: non enim valet tanto judicio. Etiamſi enim quidam juvenis vi magna ingenii valeat, tamen ad eam ætatem judicium non pervenit: τὸ κριτικὸν enim eorum eſt ἀτελές. Præterea juvenis non tantum habet otii. Multi etiam non valent judicandi vi: multis deeſt artificialis vis judicandi, & hi non poſſunt univerſalia diſcere ex his ſingularibus, & ſic talis non poteſt juſtum fructum capere ex hiſtoria. Non tamen propterea abſtinere debet ab hiſtoriæ lectione, ſed dare debet juvenis operam, ut a præclaris magiſtris audiat monita & præcepta univerſalia, quæ jam tum ipſis ſunt experta, & ſic per lectionem hiſtoricam majorem certitudinem habere poteſt, fidesque eorum præceptorum confirmatur. Si quis ergo juvenis jam inſtructus fuerit præceptis civilis prudentiæ, & ſic pergat ad lectionem hiſtoricam, tum inſignem capere poteſt fructum ex hiſtoria, & hæc via longe melior eſt, quæ procedit a præceptis politicis & monitis ſapientum & ſic ſurgit ad hiſtoricam lectionem.

Nunc pergendum ad illos ſcriptores, qui elaboraverunt prudentiam, et ſic univerſalem artem condiderunt. Dantur tamen monumenta, quæ ſunt medii ordinis inter ſcripta, quæ tradunt negotia politica ſingula & univerſalia. Talia ſunt, quæ verſantur in conſiliis datis variis rebuspubl. Conſilium dare reipubl. eſt medium quaſi inter cognitionem univerſalem & ſingularem. Qui enim conſilium vult dare, is (1) inſtructus eſſe debet cognitione univerſali, & dein (2) cognitione ſingularium. Quemadmodum enim medico, curaturo aliquem, neceſſe eſt, afferat cognitionem univerſalem, & dein cognitionem ægroti, ut ſic conſilium dare poſſit. Talia conſilia ſunt medio loco inter univerſalia & ſingularia ſcripta: applicant enim præcepta univerſalia ſingularibus. Talia conſilia etiam ex veteri ævo habemus. Tale quid

 eſt,

eſt libellus XENOPHONTIS *de cenſibus.* Docet ibi, quemadmodum respubl. Athenienſium poſſit cenſum i. e. proventum ſuum inſtituere. Magnum eſt ſcire, quomodo respubl. rem poſſit cogere, ſine quibus etiam, respublica eſſe non poteſt. Et ſic etiam hoc pertinet ad prudentiam, ut ſcias, quomodo opes parari debeant, quæ doctrina eſt præclara, nec tamen a quoquam accurate tradita, qua de animus eſt, ſingulari opera agere. XENOPHONTIS libellus, non agit in genere de hoc argumento, ſed quaſi generalia præſupponens, de republ. attica agit, quomodo ea poſſit cogere divitias. ARISTOT. I. *Rhet.* primo loco ponit deliberationes de proventibus ſeu ærario, quæ pars magna eſt deliberationum omnium. Conſiliarius nihil horum debet neſcius eſſe, ſed accurate ſcire. Ejusdem notæ eſt etiam XENOPHONTIS libellus *de præfectura equeſtri.* Conſilium eſt, quomodo in republ. attica debeat inſtitui præfectura equeſtris. Ejusdem notæ ſunt nonnullæ *orationes* ISOCRATIS, cumprimis *Panathenaicus*, quæ orationes Iſocratis, ſunt conſilia de republica inſtituenda. Certe hic *Panathenaicus* eſt egregium conſilium de republ. Athenienſium inſtituenda, qualium conſiliorum lectio, facit plurimum ad prudentiam. Tales etiam ſunt multæ *orationes* DEMOSTHENIS *Olynthiacæ*, *Philippicæ*, & aliæ deliberativi generis, quæ nihil ſunt aliud, quam conſilia. Viri enim prudentes in illa republ. democratica dabant in publico conſilium. Sic & ÆSCHYNIS exſtat una & altera oratio generis deliberativi. Hujusmodi *orationes* LIBANI, quæ Libani in magno pretio eſſe debent. Fuit LIBANUS Profeſſor in Schola attica Sec. IV. religione paganus, ſed in tantum æſtimatus, ut non dubitarit Theodoſius Imp. audire conſilia hujus Libani: adeo ſunt præclaræ quædam ejus orationes, ut non poſſint ſatis laudari. Similis notæ ſunt nonnullæ profectæ a BASILIO Imp. & CONSTANTINO PORPHYROGONETA Impp. quæ ſunt monita ad poſteros, de optime inſtituenda republica Conſtantinopolitana ſua. Apud Latinos talia reperiuntur apud CICERONEM. Omnes *orationes* CICERONIS *generis deliberativi*, ſunt conſilia de recte inſtituenda republ. rom. Multa ibi præclara ſunt. Similiter eſt libellus ejusdem *ad Q. Fratrem.* Erat Q. Tullius in provinciam iturus: inſtruit eum hoc libello, quomodo eam optime regere poſſit. Eſt libellus plenus prudentiæ. Sic & aliquo modo huc pertinent panegyricæ Latinæ veterum, etiamſi pertinent ad demonſtrativum genus. Dum enim laudant Principes ob facta prudenter, ſimul judicatur, quod fieri debebat prudenter. Eminet inter illas PLINII SECUNDI *Panegyricus*, quo laudare inſtituit Trajanum Imp. Ita ab eo laudatur Trajanus, ut quaſi perfecti regis exemplar voluerit exhibere Plinius eo ipſo, prout etiam a Xenophonte Cyrus laudatur. Poſt Sec. IV. non licet ſcriptum latine reperire exaratum, quod mereatur aliquam ſaltim laudem, ſeu in genere deliberativo, ſeu demonſtrativo, donec Sec. XV. melius quid cœpit elaborari, & ſic mille annorum ſpatio nihil prodiit. Ex eo tempore varia & praclara ſcripta edita ſunt. In univerſum omnia ſcripta generis deliberativi uſui eſſe poſſunt. Similiter omnia ſcripta generis demonſtrativi, ſi quædam verſentur circa laudationem perſonarum civilium & principum &c. & rerumpubl. huc faciunt. Exſtant autem varia talis generis & variis linguis. Quod latina attinet, habemus editum Volumen peregregium orationum variarum elaboratarum tum in genere deliberativo, tum inprimis in genere demonſtrativo Francofurti, quod præclarum eſt. Collectæ ſunt ibi orationes præclariſſimorum ſcriptorum, & quidem non de rebus vilibus, ſed de Principibus & de hominibus magnæ in republ. auctoritatis, & qui res feliciſſime geſſerunt. Talia etiam paſſim reperiuntur ſcripta in uſum reipubl. germanicæ, gallicæ &c. quæ omnino in pretio habenda ſunt. Perinde ac conſilia medica ſunt in magno pretio Practicis. Manu ducimur enim ita, ut univerſalia poſſimus applicare ſingularibus. Huc pertinent libelli illi, quibus & noſtro ævo præclari principes morti proximi, inſtituerunt ſuos heredes, de republ. inſtituenda. Sic CAROLI V. arcana monita ad PHILIPPUM II. Sic & JACOBI Regis Angliæ ad filium, exſtat liber, qui titulo βασιλικὸν δῶρον eſt editus ab ipſo Rege. In hoc ordine eſt etiam non ultimo loco memorandum ſcriptum THOMÆ CAMPANELLÆ *de republ. Hiſpaniæ* ad condendam univerſi orbis monarchiam. Hoc ſcriptum dictavit Regi ad calamum, detentus in carcere Neapoli, ſuſpectus quidem, ac ſi regnum neapolitanum voluerit turbare. Fuit monachus ordinis prædicatorum. Cum ſtupore hominis prudentiam hic advertes.

Scripta, quæ univerſalem tradiderunt ſcientiam, etiam ſunt varia. Primum enim plurima horum ſcriptorum circa nonnullas particulas prudentiæ civilis verſantur, hoc eſt, non omnia, quæ huc pertinent, conati ſunt tradere. Aliis fuit propoſitum, univerſim tradere omnia, quæ ad rempubl. pertinent. Etiam ratio tractandi eſt diverſa. Alii ſimpliciter monita quædam politica ſeu pronunciata ſaltim habent, nullis additis rationibus. Alii rationes addiderunt, quare hoc vel illud ita fieri debebat. Nonnulli nihil aliud in ſuis monitis habent, niſi quæ ſola experientia nota ſunt. Alii his, quæ nota ſunt per experientiam, præſuppoſitis, in dandis conſiliis verſati ſunt. Omnes autem hi ſcriptores poſſunt prodeſſe, magis tamen minusve. (1) Quicunque enim integram prudentiam, & quidem additis rationibus, prodiderunt, omnibus ſunt anteferendi. (2) Quicunque ſcriptores univerſalia pronunciata condiderunt, nullis additis rationibus, minus, quam qui addiderunt, proſunt: cognitio enim perfecta ex cauſſis conſiſtit. (3) Quicunque ſimpliciter pronunciarunt, quæ per experientiam noſcuntur, minus proſunt, quam illi, qui poſitis experimentis illis docent, quod agendum. Ratio, non enim tantum quid fecit, ſed quod fieri debebat, ſcire in republica debemus. Inter illos ſcriptores, qui additis rationibus docent, quo quis eorum ſcriptorum peritior fuit artis demonſtrandi, & ab experientia inſtructior, eo magis juvat. Si artem demonſtrandi attulit, tum prodeſſe

poteſt:

poteſt: nam etiam rationari non poteſt quis ſine arte demonſtrandi. Duo enim requiruntur ad bene præparandum in Philoſophia practica in univerſum. (1) Cognitio accurata principiorum & (2) Cognitio demonſtrandi ex principiis. Inter eos ſcriptores, qui nude recenſent & non probant, maximi ſunt facienda ea, quæ ſunt profecta a ſcriptoribus, qui celebres ſunt apud prudentes & uſu rerum civilium: quemadmodum libri optimorum medicorum practicorum, etiamſi non addiderint rationem, in magno pretio ſunt. Quia autem præcepta hæc ſaltim habent auctoritatem, ideo prout magis ac minus valuit ſcriptor, eo majori aut minori loco habetur. ARISTOTELES in Ethicis dicit, prudentiam monitis eſſe obtemperandam, non ſecus ac demonſtrationibus, minus quidem, ſed tamen magni ponderis eſſe debent.

Quod attinet eos, qui præcepta politica ſine rationibus dederunt, hujus generis eſt libellus *ad Nicoclem* ISOCRATIS. Tradit præcepta regnandi, ſed ſine rationibus. Tales libelli ſunt in DIONE CHRYSOSTOMO, ſimiliter AGAPETI *ad Juſtinianum.* Tales etiam variæ ſententiæ ſunt in hiſtoricis, poetis &c. Talia præcepta ſunt memoriæ mandanda, ut ſecundum ea actiones noſtras civiles inſtituere poſſimus. Sic & eximia monita ſunt *in proverbiis* SALOMONIS, quæ ſunt a ſapientiſſimo Rege profecta. Talia etiam ſunt, quam multi aphoriſmi, qui habentur in SYRACIDIS libro, etiamſi morales pleræque ſint ſententiæ, tamen eximia monita etiam inter eas ſunt. Ex recentioribus ſic ſunt *gnomæ* GUICCIARDINI Itali. Valuit inſigni prudentia: hinc familiares ejus in Italia notaverunt has: ipſe enim illum ſententiarum librum non edidit. Ejus dicta tanquam oracula ſunt habita.

Inter eos, qui rationes aliquo modo addiderunt, reperias varios, & quidem cum primis eos, qui de certis nonnullis rebus ſcripſerunt. ARISTOTELES non ſemel reprehendit ſui ævi Politicos, quod nempe tantum de republ. optima egerint, non vero de omnibus ſpeciebus rerumpubl. perinde ac docturus artem medicam, ſit acturus tantum de exacta ſanitate. Ante ARISTOTELEM autem nemo vel conatus fuit tradere integram politicam. PLATO enim egit de republica optima. Sic & fragmenta monumentorum pythagoricorum habemus; ſed & Pythagorei ibi voluerunt agere tantum de republ. quam ipſi putarunt optimam. Opus autem Ariſtotelis eſt omnium perfectiſſimum, ſi methodum ſpectes & uſum: nec enim ante vel poſt eum quisquam adeo optima methodo egit. Sed integri quatuor libri deſiderantur, quibus ARISTOTELES leges reipubl. optime inſtituendæ perſecutus eſt: quapropter nec ex Ariſtotele integram doctrinam politicam haurire poſſumus. Poſt Ariſtotelem nemo condere integrum opus politicum conatus eſt. Superioribus ſeculis quidam auſi ſunt libros ſuos ita inſignire: ſed in omnibus iis deſiderantur pleraque, quæ ad civilem prudentiam pertinent, & ſic fruſtra omnia ibi ſperabis. Etiam omnes, nemine excepto, in eo vehementer laborant, quod ſæpe multa aliena tradant, quoniam late diſſerunt de rebuspubl. ſingulis, cum tamen politica doctrina ſit univerſalis, non particularis. Sic SCHOENBORNERUS plurima miſcet de republ. german. Sic BODINUS miſcet multa de rebuspubl. ſingularibus: non debuiſſet miſcere hæc, ſed ſeorſim tradere. In omnibus etiam methodum deſideres. Sic nec methodice aut ordine egit BODINUS, ſed ὕστερον πρότερον miſcet, & defatigat lectorem. Omnia tamen, quæ ſunt in Bodino, ſunt peregregia, & lectu nobis digna, nec negligenda. Sic habemus *Politicum* ALTHUSII; habet hic quædam haud contemnenda, multa tamen magni momenti etiam Althuſius neglexit & miſcuit. Capitalem errorem habent hæ politicæ ALTHUSII, quod nempe penes populum ſemper debeat eſſe ſumma rei publicæ, quale quidem, nec in toto orbe obſervatur. Hunc ſecutus eſt HOENONIUS, qui eundem fovet errorem. Sic & THOLOSANI habemus *politica*, ſed minus valuit judicio, ſed tamen profuerit ejus lectio, ſi digeras ea, quæ ordine non ſunt tradita. His annumerandus eſt KECKERMANNUS, ſed videtur fuiſſe nimis occupatus, alias rem magnam potuiſſet præſtare. Diſſertationes ejus politicæ ſunt præclaræ. Elucet ejus prudentia ſcriptis quibusdam. Reſpublicas aliquot, ut ſpartanam &c. & alias ſingulas deſcripſit. Sed virum multis laboribus occupatum, prӕmatura mors eripuit.

Qui particulam ſaltim ſcientiæ politicæ elaborarunt, multi fuerunt. Inter hos circa regna occupati ſunt multi. Hos inter eminet JUSTI LIPSII *Politica*, quæ tantum circa principatum occupata ſunt. Sed multa tamen, quæ ad principatus pertinent, omiſit, nec varias etiam ſpecies obſervavit regnorum, ſeu Principat. cum tamen alia regna ſint ſimplicia, alia mixta, alia ſint compoſita ad utilitatem regnantium, alia ad utilitatem populi, & ſic nec debent eodem modo adminiſtrari. LIPSIUS vero diſſerit ita de regno ſeu principatu, quaſi omnia unius generis ſint & eodem modo etiam debeant adminiſtrari. A Lipſio etiam multa ſunt tradita, quæ non ad principat. pertinent ſaltim, ſed ſunt reliquis ſpeciebus rerump. communia. Sed tamen egregia ſunt & proſunt politica Lipſii. Sic libellus MACHIAVELLI *de principatu* eſt, habet tamen egregia, licet etiam ſuo vitio laboret, quod peculiaribus animadverſionibus in eum oſtendemus. Huc & pertinent, quæ ſunt ſcripta de inſtitutione Principum. Sic egregius eſt JOHANNIS MARIANI *liber de inſtitutione Principis.* Si DEUS vitam ARNISÆO conceſſiſſet, integrum Syſtema politicum potuiſſet condere. Interim ejus lectio prodeſt. Culpandum in eo, quod nimius ſit in quæſtionibus juridicis & moralibus, atque adeo, quæ vere ſunt politica, ſæpe neglexerit. Redolet lectio ejus accuratum judicium & peritiam philoſophiæ, virumq; multa lectione fuiſſe. Habemus & libros politicos CHRISTOPH. BESOLDI, (*a*) ſed philoſophiæ imperitior fuit, quam ARNISÆUS.

Porro

(*a*) *Chriſtoph. Beſoldi.*) Adde politicam BOXHORNII, BOECLERI cum *annotationibus* LYNCKERI, & *elementa prudentiæ civilis* HERTII.

Digitized by Google

Porro Conſiliarius, ut jam dictum eſt, teneat non tantum univerſalia, ſed & particularia. Ita ſit exemplum: Quicunque eſt epilepticus, is eſt ita, vel ita curandus; Petrus eſt epilepticus, Ergo. Major traditur in arte medica, minor non habetur in arte. Neceſſum autem eſt, ut medicam artem facturus, teneat etiam minorem illam, alias non poterit tandem concludere particularem, nempe practicam propoſitionem hanc: *Ergo Petrus eſt curandus.* Sic & Politicus non univerſalia teneat tantum, ſed & particularia. Sic: Quæcunque reſpublica eſt democratica, illa ita, vel ita eſt regenda. Hæc propoſitio univerſalis docetur in arte. Atqui *reſpublica Brunſvicenſis, eſt democratica*; Hæc non traditur in arte, ſed neceſſum eſt, ut teneat etiam eam praxin politicam facturus. Non eſt propoſitum agere de plena ſingularium rerumpubl. cognitione, ſed monſtrare, ex quibus monumentis particularis cognitio rerumpubl. peti queat. Alia ex his, quæ in republica obtinent, & ad particularem cognitionem pertinent, non ſunt litteris tradita, ſed ſunt quaſi arcana, alia ſunt litteris tradita. Et ſic qui accurate velit rempubl. cognoſcere, is partim debet ſubſidium petere ex iis, quæ ſunt litteris tradita, partim aliunde i. e. a viris prudentibus oraliter. Sic ſubſidia ad particularis reipubl. parandam cognitionem, alia ſunt ἔγγραφα, alia ſunt ἄγραφα. Hæc, familiaritate contracta cum viro prudente, qui ſingularis reipublicæ alicujus cognitionem habet, diſcere aliquis debet: multa hic te docebit, quæ alias non ſcribuntur. Quod attinet ea, quæ litteris ſunt tradita, alia ſunt publicata, alia non publicata. Hinc etiam det operam, ut ea quoque ſibi comparet, quæ hactenus non ſunt litteris publicata, ſed quæ ſcriptis, non tamen publicatis traduntur. Sic hodie maxime in Galliis laborant aliqui in id, ut colligant omnia ea, quæ faciunt ad ſingulares reſpublicas: curant ea deſcribi. Sic laudem maxime meretur Bibliotheca MAZARINI, quam GABRIEL NAUDÆUS inſtituit. In hac bibliotheca mazarina Naudæi obſervabis multa. Sic vir aliquis magnus hic locorum plurima habet Volumina, pertinentia ad ſtatus ſingulares. Non ſunt talia negligenda: ſunt enim inſtar theſauri.

In præſtanti conſiliario requiritur (1) cognitio reipubl. illius, quam ſuſcipit curandam, & cognitio reipublicæ illius, cum qua ſuæ reipubl. eſt aliquid negotii. Sic ſi quis toti Germaniæ velit conſulere, teneat neceſſum eſt ſtatum regni Galliæ, Sueviæ &c. Sic ſi quis velit Ducatui brunſvicenſi conſulere, tum quo quis eſt inſtructior cognitione hujus ducatus, eo aptior eſt: ſed hoc non ſufficit, ſed & vicinas cognitas habeat, & univerſæ Germaniæ ſtatum. Sunt enim hæc membra quaſi corporis unius. Plena cognitio rerumpubl. aliarum non requiritur in eo, qui præeſt uni reipubl. ſed ſufficit, ſi in tantum habeat cognitionem earum, in quantum negotia requirunt, quæ tuæ reipublicæ cum iis intercedunt. Nec neceſſario hoc requiritur in Conſiliario, ſed ad laudem facit, ſi etiam non neceſſaria teneat, quæ aliquid utilitatis poſſunt adferre. Sic bonus conſiliarius teneat aliqualem omnis generis rerumpubl. notitiam, ut ſi quando ſermo incidat de hac vel illa republica, ſuam ſententiam poſſit proferre. Ergo in perfecto conſiliario requiritur accurata cognitio illius reipublicæ, in qua verſatur. Si non totius reipubl. ſaltim illius partis reipubl. cui præeſt. Sic, ſi præſit ærario, omnia ea, unde reſpublica opes parat, quomodo minuendi non neceſſarii &c. ſciat oportet. (2) Neceſſario requiritur rerumpubl. illarum, quibuscum ſuæ reipubl. intercedit, cognitio; minus tamen requiritur hoc, quam prius. (3) Requiritur ad exiſtimationem conſiliarii, ſingularium rerumpubl. ſi non omnium, certe nobiliſſimarum cognitio, Sic Ulyſſes laudatur, quod viderit varias urbes & gentes. Ideo dividi poteſt cognitio hæc in neceſſariam & elegantem. Sic cognitio reipubl. magni Mogolis ad elegantiam perfecti Politici facit. Sic & Maroccanæ reipubl. notitia nobis non eſt neceſſaria. Batavis vero & Hiſpanis eſt neceſſaria hæc cognitio, quia illis commercium eſt cum Maroccanis.

Monumenta, ex quibus poteſt peti cognitio rerumpublicarum ſingularium, quod attinet, notum, alia in rebuspubl. pertinere ad homines, alia ad res. Primæ claſſis monumenta ſunt illa, quæ faciunt ad notitiam rerum. Huc pertinent deſcriptiones geographicæ. Neceſſe eſt ante omnia, ut teneat chorographiam ſuæ reipubl. alias enim impoſſibile eſt, ut poſſis conſulere, niſi ſitum regionis teneas. Hinc neceſſarii ſunt libri geographici & chorographici. Ad prudentiam univerſalem hæc nihil faciunt: faciunt tamen ad praxin. Si enim ſit bellum Politico faciendum, ſine his Politicus eſſe non poteſt. Sint autem tabulæ chorographicæ accuratæ.

Huc & leges ſeu publicæ ſeu privatæ ſingularium rerumpublicarum, faciunt conſuetudinesque publicæ [ut quæ maxime faciunt ad praxin forenſem] & conſuetudines privatæ [quæ quam maxime faciunt ad notitiam reipubl] Colligas ergo leges, ſtatuta ſingularium rerumpubl. ſive ea ſint publicata, ſive non. Sic quoque rerum geſtarum memoria in republ. illa comparari debet, adeoque quæ ſunt acta in republ. hac tua majoris momenti, ſcias oportet. Sunt quidem illa conſcripta ab hominibus minus peritis, ut inde prudentia peti non poſſit, ſed faciunt tamen ad praxin. Talia ſunt chronica, ſuperioribus ſeculis a monachis collata; faciunt non quidem ad prudentiam, ſed ad praxin. Pleræque hiſtoriæ germanicæ ita ſunt comparatæ, ut inde non quidem prudentiam petere poſſis, facere tamen poſſunt ad harum aut illarum rerumpublicarum cognitionem accuratam. Ita ſunt BUNTINGII, LEZNERI &c. *Chronica*, quæ comparet ſibi imperaturus reipubl. Brunſvicenſium. Sæpe enim ex illis antiquis monumentis quid petendum eſt, quod facit ad illam rempubl. Huc faciunt Genealogiæ, cumprimis in regnis, principatibus. In univerſum, quia in republica de omnibus illis agitur, quorum in vita civili uſus eſt; hinc nihil temere negligendum, quod poſſit facere ad notitiam alicujus rei,

quæ

Digitized by Google

quæ in republ. neceſſaria eſt. Talia monumenta ſunt neceſſario non negligenda, & quidem nihil negligas eorum in republica, in qua verſaris, & ut aliqualem notitiam ejus reipubl. cum qua tuæ reipublicæ quid eſt commercii, habeas. In perfecto conſiliario non neceſſarium eſt, facit tamen ad exiſtimationem ejus, omnium rerumpublicarum notitiam habere. Sic & rudem ſaltem cognitionem hiſtoriarum univerſi orbis debet Politicus habere: facit hoc ad exiſtimationem. Facile talis rudis cognitio poteſt parari, præſertim a juvene, valente adhuc memoria, inprimis vero Germanorum rerum notitiam habeat.

TANTUM.

# Diſſert. III.

## HERMANNI CONRINGII,

# De Civili Philoſophia ejusque optimis ac præcipuis Scriptoribus.

Reſpondente

*JUSTO GERHARDO RINCKIO.*

*M DC LXXIII. d. XI. Januar.*

### THESIS I.

Quemadmodum univerſam moralem doctrinam ſplendido alicui ædificio comparare ſolemus; ita civilem [paulo ſtrictius ſic appellatam] quum longe latius ſeſe extendat, non magnæ alicui domui, ſed ampliſſimæ urbi, memoriæ cauſa, aſſimilari poſſe exiſtimamus.

II. Ædificii moralis ſtructuram ſic ſatis excelſam, tribus, ut ita loquar, ædificatoribus opus habere, nunc equidem ut operoſe demonſtrem, non opus eſſe reor. Nam & dogmatici requiruntur ſcriptores, qui in locandis fundamentis totius activæ philoſophiæ occupentur, & parænetici, qui ad virtutis ſtudium nos incitent potius, quam de eodem diſſerere doceant aut diſputare; & denique ii, qui Deo ipſo doctore ductoreque faſtigium toti imponant ſtructuræ modumque oſtendant, quo non ad hanc tantum civilem ſeu temporariam, ſed alteram etiam illam æternam & interminabilem beatitudinem pertingere cum Deo propitio queamus.

III. Quinam illi ſint, vel certe quinam ex illis præcipui, *Bibliographia moralis B.* SCHEURLÆI egregie oſtendit. Urbis autem Politicæ [ut in propoſita perſiſtam imagine] fundatrix eſt *prudentia legislatoria*. Curiæ & Senatui *Prudentia* præſidet *deliberativa*. In foro *judiciaria*, quam vocant, atque ipſa adeo *facultas interpretandi leges* dominatur. In templis & ſcholis *oratoria* ſive dicendi virtus regnat. Portas, moenia, muros, turres ac propugnacula *Ars bellica* tuetur atque defendit. Denique, ut ſummatim dicam, omnes cives, [modo cuncta ſe habeant recte] dant operam, ne quid reſpublica capiat detrimenti.

IV. Quo majus igitur eſt damnum, ſi integra quæpiam urbs corrumpatur, quam ſi privati cujusdam quantumvis ſplendidæ peſſundentur ædes; eo gravius quoque delinquunt, qui civilem violant prudentiam, quam qui morali non usquequaque conformes inſtituunt actiones. Tam operoſa videlicet res eſt, eſſe prudentem circa negotia publica; ut mirum ſit, quam plurimos, imo fere omnes illud totum ſibi tribuere, cujus vix aliquam poſſidere videntur partem.

V. De quo errore, mortalibus prope [ut nunc ſunt] congenito, quum ſuo jam tempore ſummus Ariſtoteles fuerit conqueſtus; nos hodie longe potiori jure conquerimur, quando eo deventum eſt abſurditatis, ut non ſolum polities cum Politica, verum etiam vafrities cum prudentia confundatur. Unde jam vulgo Politici dicuntur omnium horarum ac temporum homines, quos vernaculo ſermone Welt-Kinder nuncupamus, quique πολύτροποι potius, quam Politici erant nominandi.

VI. Ne de illis jam perfrictæ frontis mancipiis dicamus, quæ, ut rem faciant & alta conſcendant, juramentis utuntur, ut teſſeris, & quia nec Deum, nec homines reverentur, venalia cuncta gerunt. Præclarum eſt in hanc rem illud Platonis, quod etiam CICERO *lib.* 1. *de Offic.* laudat, ubi: *Non ſolum ſcientia*, inquit, *quæ eſt remota a juſtitia*, *calliditas potius eſt appellanda*, *quam ſapientia: verum etiam animus paratus ad periculum*, *ſi ſua cupiditate*, *non utilitate communi impellitur*, *audaciæ potius nomen habeat*, *quam fortitudinis*.

VII. Quodſi Philoſophus auguſtum Politici nomen Empiricis, Oratoribus atque Sophiſtis competere negat, ut patet ex *cap. ult. X. Ethic.* & 1. *Rhet. c.* 2. quid diceret, quæſo, ſi noſtro viveret tempore, & ſcribæ illius Florentini artificium ſimulandi & diſſimulandi pro civili prudentia paſſim haberi cerneret? Quod hominis monſtrum eam his ſtudiis noſtris intulit facem, qua plurimæ, alias florentes reſpublicæ, dudum conflagrarunt.

VIII. Utinam vero vir aliquis pie doctus pernicioſa ejusmodi dogmata paulo ſolidius ſibi ſumeret refutanda, quam Antimachiavellus ille, quem nobis (ſi fas eſt nonnullorum id affirmantium ſententiæ accedere) ſuppreſſo nomine VALENTINUS GENTILIS, natione Italus



Digitized by Google

(etſi in epiſtola dedicatoria pro Gallo ſe gerat) dedit, excuſum Urſellis Anno Chriſti 1599. Quanquam enim hoc opus quam plurima & erudite ſatis ac ſatis pie perſcripta contineat; non raro tamen ita ſe gerit Autor, ut in non paucis ingenio adverſarii cedere, atque adeo ipſi vix par eſſe videatur.

IX. Ceterum relictis ſophiſtarum decipulis, ad genuinæ prudentiæ conſultos nos conferimus, Ariſtotelem præcipue, ſapientiæ, virtutis atque prudentiæ antiſtitem ſine dubio longe graviſſimum; cujus ſuperſtites de adminiſtranda republica libri, non ſolum plurimis eruditis jam tum olim arriſerunt, ſed ſummo in pretio etiam iis adhuc ſunt, qui in graviſſimis reipublicæ negotiis identidem exercentur.

X. Superſtites notanter dixi. Nam integrum hoc opus non eſſe, vel inde monſtrari evidenter poteſt; quod *X. Ethic. c. ult.* (ubi ad tradendam Politicen ſeſe parat) ipſe Philoſophus dicturum ſeſe polliceatur de inſtitutione & officio civium, non ſolum omnium, ſed etiam, ut verba ejus habent, per omnes ætates. Jam vero etiam oculi teſtantur, poſtremis, hoc eſt ſeptimo & octavo libris, ad doleſcentiæ ſeu primæ juventutis ætatem hoc ipſum negotium ſolummodo fuiſſe perductum.

XI. Sed & idem ille *lib.* 1. *Politic. c.* 8. de virtutibus mulierum, ut & alibi de ſervorum virtutibus in hoc opere ſe acturum dicit, cum tamen nusquam in eo tractatio hæc conſpiciatur. Unde vetuſtiſſimus interpres prolixe conteſtatur, quod reliquas operis laudatiſſimi partes ſummo quidem quæſiverit ſtudio, ſed nusquam tamen quiverit invenire.

XII. PETRUS VICTORIUS, magni CASELII noſtri præceptor maximus ad 1. Ethic. admodum probabiliter oſtendit, liberos X. Politicorum ab Ariſtotele fuiſſe perſcriptos. Et CYRIACUS STROZZA ad ſupplendum operis hujus defectum duos alios, & græce & latine perſcriptos, his octo libris adjecit, & græcos quidem Florentiæ Anno 1562. latinos autem Ann. 1561. in publicam lucem dari curavit.

XIII. Meum non eſt de hoc, quantumvis laudabili prorſus conatu, ſententiam ferre, ſed admirari potius Præceptorem ſummum, quod in activa philoſophia ita ſe geſſerit, ut neminem unquam ſibi habuerit ſimilem, nunquam (fremant conjurati Ariſtotelis hoſtes ringanturque quantum volent) deinceps ſit habiturus.

XIV. Nam & hominibus ſingulis, & integris familiis, & toti denique civitati quam optime proſpexit: Unde 1. *Ethicen*, 2. *Oeconomicen*, & 3. *Politicen* nobis effloruiſſe cernimus. Etenim per Ethicen, primo fiunt boni homines ſinguli. Hi quando connubia contrahunt, familiasque condunt, etiam has ipſas bonas reddunt. E familiis porro bonis civitates itidem redduntur bonæ. Civitates bonæ nihil aliud ſunt, quam ipſæ laudabiles reſpublicæ. In his poſtremo & leges, & legum cuſtodes, id eſt Magiſtratus nihil aliud ſpectant, quam ut boni fiant ſinguli cives.

XV. En egregium & obſervatu longe digniſſimum ariſtotelicæ prudentiæ circulum. Ex omnibus numeris abſolutam philoſophiam practicam: quæ minus profecto errorum habet, quam ulla alia ſecta, & in hunc usque diem apud cultiſſimas quasque gentes floret, colitur & in pretio habetur. Quo factum eſt, ut complures viri docti in illuſtranda hac (præſertim civili) ſapientia elaboraverint. Quos noſſe quidem operæ pretium eſt, quum pars ſit eruditionis minime minima, notitiam habere bonorum autorum.

XVI. Etenim quum a vivis magiſtris non omnia exſpectari queant, maximam certe eruditionis acceſſionem conſequemur, ſi optima quæque & maxime utilia doctiſſimorum virorum noverimus ſcripta.

XVII. Non diffitemur equidem, quod viva doctoris vox plenius paſcat, & quæ lingua diſerta infixerit, altius in animum deſcendant tenaciusque hæreant. Aſt, quum etiam hanc viam a doctis viris non improbatam legamus, injurii ſimus & parum æqui tam pretioſi temporis poſſeſſores, ſi in tam nobili negotio non noſtras quærimus delicias.

XVIII. Certe quæ ſcriptorum momumentis produntur, perpetuitatem quandam induunt, ita ad infinitos permanant, neque perinde memoriæ interitum ſentiunt; ſemel enim elapſa, e libris, mutis quaſi magiſtris, repeti poſſunt.

XIX. Unde haud ſcimus, an ridicule abſurdos, an perdite miſeros dicamus eos, qui, neſcio qua dementia abrepti, ampliſſimam hanc proficiendi rationem, non eo, quo par erat, probant animo.

XX. Quicquid tamen ſit, nullius certe conatus erit tantus, ut in aliam viam nos deducat; quippe cum eam potius vitam veram putemus, quæ laboris amans & quæ moleſtiarum atque tædiorum victrix.

XXI. Deplorant quidem multi cum Galeno humanæ *vitæ brevitatem*: (*a*) Aſt fruſtra & maligne. Etenim ſat longa vita cuique foret, ſi velit eſſe frugi parcusque temporis diſpenſator.

XXII.

(*a*) *Vitæ brevitatem.*) Contrarium ſane oſtendit ſapientiæ doctor CICERO *Cap.* 23. *de ſenectute*: *Si quis Deus,* inquit, *mihi largiatur, ut ex hac ætate repueriſcam & in cunis vagiam, valde recuſem. Nec vero velim, quaſi decurſo ſpatio, ad carceres a calce revocari. Quid enim vita habet commodi? Quid non potius laboris? Sed habeat ſane: habet certe tamen aut ſatietatem aut modum: non lubet enim mihi deplorare vitam, quod multi & ii docti ſæpe fecerunt. Neque me vixiſſe poenitet: quoniam ita vixi, ut non fruſtra me natum exiſtimem.*

Digitized by Google

XXII. Sed quorſum dilabor? Tempus certe me monet, ut in viam redeam, & quod antea perficere meditabar, exſequar.

XXIII. Antequam vero id præſtem, ſignifico, tria τεκμήρια recteque judicandi inſtrumenta a Platone conſtitui, EXPERIENTIAM, PRUDENTIAM ET RATIONEM.

XXIV. Experientiam habeat oportet, qui veri politici munere vult defungi. Illa vero ſingularium.

XXV. Etenim, quemadmodum medicus experientia deſtitutus, in denſiſſimis tenebris oberrat; ignorat enim, quomodo, quibusve modis ac mediis, vel præſentem in homine ſanitatem conſervare, vel amiſſam reſtituere ſufficiat; ita etiam cum politico ſeſe res habet, quippe qui deficiente ἐμπειρίᾳ neſcit, quænam peſtifera & regnis rebusque publicis ſint perniciosa præcepta.

XXVI *Experientia*, inquit doctiſſimus vir, PETRUS FONSECA in *explanat. ad. c.* 1. *Met. Ariſt. obſervatur in pluribus individuis inter ſe. Si quis enim recordetur, hoc vel illud medicamentum huic illive individuo profuiſſe, & aliis eodem morbo laborantibus, eaque eventa invicem conferat, is conſequetur proprie dictam experientiam ejus medicamenti.*

XXVII. Qui vero hisce præſidiis inſtructus non eſt, ut eventa inter ſe conferre, &, quod potiſſimum eſt, peccantem e corpore affecto materiam idoneis remediis tollere poſſit, is proprie dictam experientiam non habebit. Nam aſſerente ARISTOTELE *l.* 1. *Methaphyſ. c.* 1. *Experti magis, quam illi, qui rationem ſine experientia tenent, propoſitum finem aſſequuntur.*

XXIIX. Ut vero talem experientiæ exiſtimationem tibi compares, requirit Philoſophus noſter in homine vere politico præter experientiam ſingularium etiam, illam notitiam univerſalium præceptorum, quæ ſolo intellectu eſt parabilis. Quomodo autem intellectualis illa cognitio ſe habeat, demonſtrat ARISTOTELES *l.* 1. *Metaphyſ. c.* 1. *Fit ex memoria*, inquit ibi, *experientia hominibus. Multæ enim recordationes unius experientiæ vim perficiunt. Per experientiam autem ars & ſcientia hominibus proveniunt. Fit vero ars, cum ex multis experientiæ notionibus una de ſimilibus exiſtimatio in univerſum oritur. Etenim compertum habere, Calliæ hoc morbo laboranti, hoc profuiſſe, itemque Socrati, ac eodem modo pluribus ſingulatim, qui una ſpecie definiti ſeu determinati, certo modo laborent, ut iis, qui pituita, aut bile, aut febri ex æſtu affligentur, id jam artis eſt.*

XXIX. Hinc videmus, quod architecti apud Ariſtotelem in majore pretio habeantur, & artifices ſapientiores judicentur, quam operarii. Architecti enim, ut principes in ſua arte, cauſas operis intelligunt, dum ex ſcientiæ habitu operantur, operarii vero ſola conſuetudine agunt, & nulla in efficiendo utuntur cognitione, eaque efficiunt, quorum cauſas ignorant. Ex cognitione namque homines judicantur ſapientes, non ex actione. Unde error ille, qui in agendo ab experto committitur, ipſi experimento eſt adſcribendus; is vero, qui ab artifice committitur, non arti, quippe quæ ex vera cauſa format judicium, ſed varietati & inconſtantiæ rerum ſingularium, in quibus actio verſatur, videtur tribuendus.

XXX. Sed in viam iterum redeamus, ubi ante omnia monemus, quod tempus multa ſingularia ſoleat ſubminiſtrare, quorum primo eſt ſenſus, deinde memoria, & denique experientia. Ex multis enim ſingularibus experimentis, beneficio inductionis, conficitur univerſale. Quod aut ita evidenter eſt verum, ut omnes ſana ratione præditi, non poſſint illi ſuum aſſenſum denegare. Dicitur alias hoc univerſale κριτήριον ſeu *principium*, quia omnis intellectualis cognitio ab eo incipit: aut non ita verum, ſed veritatem ſuam ab alia propoſitione, e qua deducitur, habet, & dicitur *concluſio*. Qui itaque in diſciplinis operæ pretium vult facere, is prius beneficio inductionis principia colligat, & ex collectis iſtis principiis concluſiones deducat; ex quibus deinceps aliæ atque aliæ propoſitiones emergent, & ſic tandem ratiocinando integrum corpus politicum efflorefcet.

XXXI. Verum in addiſcendis civilibus alia ratio habenda. Res enim civiles in duplici ſunt differentia, particulares & univerſales. Particulares conſtant experientia, univerſales ratione. Hinc methodus, quam in addiſcendis iis ſequimur, eſt duplex; vel enim a particularibus ad univerſalia, vel ab univerſalibus ad ſingularia progredimur. Priorem viam, qui inſiſtunt, acre & ſubtile ingenium, cum accurato judicio temperatum afferant oportet. Poſteriorem potius ſequamur. Ante omnia vero unius cujusq; civitatis prudenter gubernandæ indolem ex Ariſtotele hauriamus. Deinde ad hiſtoriam aditum præparemus, & ea in uſum noſtrum ſeponamus, quæ a civilis prudentiæ magiſtris univerſaliter fuere pronunciata. Hac ratione perfectam, & omnibus numeris abſolutam civilium rerum notitiam conſequemur.

XXXII. Quibus pro fundamento poſitis, reapſe deprehendimus, ſcientiam univerſalium & experientiam ſingularium, neceſſaria civilis Philoſophi eſſe requiſita. Ratio itaque & experientia in ſubſidium veniant, quibus, ceu mediis, inſtructus homo politicus, eo facilius in civilis prudentiæ adyta ſe penetrare poterit.

XXXIII. Ceterum cum rationi multa ſoleant objici, quo minus officii ſui partes poſſit explere; hinc certis facultatibus habet opus, a quibus in ratiocinandi munere juvetur. Sunt vero illæ Analytica & Dialectica, quarum hæc probabilem pro fine habet opinionem; illa vero accuratam rei cognitionem & ſcientiam gignit. Jam vero Politicus prudens non in oculis habet cognitionem δοξαστικὴν, ſed ἐπιστημονικήν. Analyticam itaque, hoc eſt exactam illam perveſtigan-

ſtigandæ veritatis rationem intendat, hujusque beneficio ex principiis, ſenſu & experientia cognitis, concluſiones politicas demonſtret, & ſic poterit ſibi de parta ſcientia gratulari.

XXXIV. Sed nec prudentia carere poteſt circumſpectus politicus. Etenim cum prudentia Politico pro anima ſit data, & prudentis ſit, ex memoria præteritorum diſponere præſentia & futuris proſpicere, certe non poſſumus aliter, quin eam in ſtrenuo civilium rerum aſſertore, tanquam pretioſiſſimum diadema, ſuſpiciamus.

XXXV. Sane Periander apud STOBÆUM *ſerm. de prudentia*, non alio nomine, quam hoc, tantam laudis adoream promeritus eſt; quærenti enim, quid in minimo eſſet maximum, reſpondit: *Prudentes animæ in corpore humano cogitationes.* Egregia certe ac cedris digniſſima prudentis viri vox. Utinam & nos hac rerum gerendarum quaſi norma, noſtras metiremur actiones!

XXXVI. Nec alio titulo ſuperbiebat Scipio Minor. Juvenis enim adhuc, tantam fortitudinis ac prudentiæ opinionem habebat, ut Cato Senior interrogatus de his, qui ad Carthaginem militarent, in quibus & erat Scipio Junior, Homerico verſu reſponderit:

*Ille ſapit ſolus, volitant alii velut umbræ.*

XXXVII. Eſt autem prudentia civilis, habitus, cum vera ratione activus, verſans circa ea, quæ civitati ſunt bona vel mala. Ejus ſpecies tres reperiuntur, una eſt *nomothetica*, cujus officium conſiſtit in ſanciendis ſalutaribus, & ad felicitatem facientibus legibus, ut homines metu numinis divini, in officio contineantur, ut honeſtæ artes floreant, ut pax & tranquillitas conſervetur.

XXXVIII. Huic ſerviunt ejusque velut imperium exſequuntur, *conſultativa* & *judiciaria.* Illa eſt, quæ deliberat de iis, quæ ad boni publici conſervationem pertinent; hæc eſt, quæ in dijudicandis controverſiis forenſibus & obeundis judiciis occupatur.

XXXIX. Solet alias a Moraliſtis ſic definiri. Quærentibus enim, quid ſit prudentia, reſpondent, quod nihil aliud ſit, quam rectum de vita judicium, quo non nobis tantum, ſed aliis etiam ejusmodi conſilia ſuppeditamus, quæ ſalutaria maxime ſunt & honeſtiſſimam pulcherrimamque vitam reddunt.

XL. Et hinc factum fuiſſe reor, quod cum recta ratione tam arctiſſimo vinculo ac nexu ſit copulata. Cumque recta ratio nihil aliud ſit, quam lex naturæ, hæc vero ipſius Dei digitis, mentibus noſtris ſit inſcripta, nullum omnino eſt dubium, quin omnia, quæ cum honeſtate ſeu recta ratione non conſpirant; in nequitiæ potius, quam prudentiæ cenſum veniant.

XLI. Quin & illud inde deducitur, veram prudentiam adeſſe non poſſe, niſi quis rectum & homine Chriſtiano dignum de DEO ferat judicium, nec veram prudentiam conſiſtere poſſe, niſi Deum reſpiciat autorem.

XLII. Solet quidem rude vulgus, quod natura potius cum brutis ad paſtum abjecit, quam honeſti ratio ducit, eos, qui calliditate pollent, & omnes fraudum ac ſcelerum vias exacte callent, magis admirari, quam quos pietas & varia eruditio commendat. Verum cum verſutia tanto nomine ſit indigna, nec ullum prudentiæ cognomentum mereatur, hinc eos tanta rerum pretia cum vulgo pervertentes, ſuas ſibi res cum eo habere, facile permittimus.

XLIII. Nobis certe potior prudentiæ opinio ſedet, quippe qui eum tantum prudentem ſalutamus, qui ſalutaria conſilia excogitare, excogitata prudenter occultare, & mature conſulta celeriter poteſt expedire.

XLIV. Et ſic etiam prudentiæ indolem velut in brevi tabella monſtravimus. Reſtat nunc, ut de Ratione, nobiliſſimo illo recte judicandi verumque a falſo diſcernendi inſtrumento, nonnihil addamus.

XLV. Illa vero, ut præditus ſit civilium rerum ſectator, omnino requiritur. Nam cum ſola ratione a brutis diſtinguamur, & præſtantiſſima rationis operatio, ſit ratiocinatio, quæ tamen niſi logica eam dirigat ac perficiat, fallitur ſæpius & hallucinatur; quidni etiam illi ſuum pretium ſtatuamus, eamque in Politico tanquam neceſſarium requiſitum extollamus.

XLVI. Eviluit quidem, quod ſane dolemus, apud multos, a quibus tamen omnia contraria potius expectari debebant, *Philoſophiæ Ariſtotelicæ* (*a*) dignitas. Verum quum ea adhuc hodie apud doctiſſimos quosque ſuum retineat ſplendorem, cur nos alienæ libidinis mancipia exiſtamus, ut tam nobile ſignum de tanto docendi dicendique artifice tollentibus, aſſenſum noſtrum præbeamus. Tantum enim abeſt, ut eum, cui doctiſſimus orbis tot retro ſeculis purpuram eruditionis Philoſophicæ ſubmiſit, pro Dictatore falli fallereque neſcio, agnoſcamus, ut potius errores illos, quibus tantus Doctor ſuccubuit, ipſi ex animo condonemus.

XLVII. An forſan adverſa acclamatione eum excipiemus, quod in rimandis naturæ arcanis non adeo ſolertem ſeſe exhibuerit? aut ejus oſcitantiæ adſcribemus, quod doctrinam de animæ humanæ immortalitate, de providentia divina non ea, qua par erat, ἀκρίβεια attigerit, quod nos nominis noſtri probe memores, non aliter, niſi ex divina revelatione, qua is caruit, diſcimus?

XLVIII. Dum enim Platonis diſciplina per annos viginti eſſet uſus, admiranda tamen ingenii

(*a*) *Philoſophia Ariſtotelica.*) De meritis Ariſtotelis, quæ in artem logicam contulit, omnino videndus RAPINIUS *dans la methode de Platon & d'Ariſtote. Vol. I. p. 338.* ubi inter alia hæc habet: *La logique de ce philoſophe, doit être la regle des autres logiques, par l'art de la demonſtration, qui en eſt le fondement.*

Digitized by Google

ingenii bonitate deprehendit, Philoſophiæ ſtudia a ſuperiorum & ſui temporis hominibus ἀπαιδεύτως (*a*) fuiſſe tractata, nec ad exactas methodi leges conformata, ipſe certe, quæ ejus erat indagandi felicitas, aliis hoc nomine haud dubiam præripiens palmam, diſciplinas, quas antea non modo perplexis difficultatibus involutas, ſed etiam variarum ſententiarum corruptelis contaminatas, cernere licebat, nobiliſſimo ordine redonatas, priſtino reſtituit nitori, ut proinde dubitare liceat, utrum ulla gentilium ſchola tam pretioſas gemmas nobis reliquerit, quam illuſtre hoc Ariſtotelis ἀκροατήριον.

XLIX. Sane jam ante Ariſtotelem, THALETEM MILESIUM, Jonicæ ſectæ principem, de principiis rerum naturalium diſſeruiſſe, ex Diogene Laertio colligimus, qui poſtea ſucceſſores nactus Anaximandrum, Anaximenem, Anaxagoram Clazomenium, Archelaum Athenienſem, quos eandem doctrinam ἀπαιδεύτως tractatam, ulterius corrupiſſe, & corruptam poſteris reliquiſſe, ex tot doctiſſimorum virorum collectis ſignis nobis non poteſt eſſe incognitum. Eleaticæ vero ſectæ aſſertores per eosdem cum primis aſcendiſſe cancellos, ex Ariſtotele nobis paſſim innoteſcit. Hi enim, dimiſſis aliis ſubtilioribus contemplationibus, cum Thalete Mileſio in pernoſcendis rerum naturalium cauſis erant toti. Fuere vero nominatim hi Xenophanes, Parmenides & Meliſus.

L. Nec defuerunt, quibus abjecta theoreticæ philoſophiæ cura, potior ſententia ſedit, quomodo in curriculo practico majora conficerent ſpatia, unde relicta theoria, ad morum magiſtram ſe contulerunt, quam tamen palmam certatim ambiiſſe feruntur Pythagoras & Socrates.

LI. Quam infeliciter vero in ſcrutanda rerum natura verſati fuerint *veteres illi phyſici*, (*b*) de eo plus vice ſimplici conqueritur Ariſtoteles noſter.

LII. Certe ex hoc ſaltim capite non minimam merentur culpam, quod nemo ex illis tanta naturæ ſecreta certis methodi terminis definire ſtuduerit.

LIII. Nec alteros illos moralis philoſophiæ doctores, tanti nominis menſuram ſatis dextre impleviſſe, ex Ariſtotele conſtat. Neque Pythagoras, utut primus de virtute dixerit, a reprehenſionis culpa poteſt abeſſe, dum virtutes ad numeros retulit: neque Socrates, qui a Cicerone laudatur, *quod e cœlo philoſophiam revocans, in urbes eam introduxerit & oppida*, recte docuit, dum virtutes pro ſcientiis habuit: quin & ipſe Plato a recta ſemita deflexit, dum tractationem de virtutibus cum ἐργασίᾳ de felicitate civili miſerrime confudit.

LIV. Ut adeo turpiſſimo ἀπαιδευσίας reatu convicti, omnes παιδείας leges ac partes unus Ariſtoteles feliciſſime obſervaſſe conſpiciatur; quando non ſolum ſcientiam & conditiones principiorum, quibus ἀπόδειξις debet conſtare, in Analyticis egregie & ſupra quam dici poteſt, accurate demonſtravit; verum etiam ſingulis diſciplinis principia ſua attribuit, modos demonſtrandi varios oſtendit & denique ad meliorem diſcentium intelligentiam ordinem diſpoſuit; imo methodum, ſingulas partes ſyllogiſtice probandi, accurate delineavit.

LV. Quo ipſo oſtendit, nullibi ſe divini ingenii opes raramque ἀκρίβειαν luculentius demonſtraſſe, quam in diſponendis ſingulis ſingularum diſciplinarum partibus. Hac enim ordinis ſerie effecit, ut ipſos ſuos in ruborem dederit præceptores.

LVI. Præterea & illud quoque in præceptore noſtro admirari licet, quod in obſcuris quæſtionibus, in quibus propter defectum principiorum, ſenſus & experientiæ dubitare videtur, id quod recte ab aliis pronunciatum, ſuo amplexu dignetur; ſi quid vero ſub ſpecie falſi ſe commendet, rejiciat. In definiendis autem propriis ſententiis, eam modeſtiam probavit, ut virium ſuarum robur non oſtentaret, ſed potius, quæ ejus erat modeſtia, de infirmitate ſua ſerio doleret.

LVII. Ne vero philoſophus noſter nimio *verborum* (*c*) *apparatu* majeſtati philoſophicæ imponeret, nec plus, quam laconica brevitate diſcentium conatus retardaret, media quaſi via incedens, dictioni ſuæ tales præſtituit limites, ut altioris philoſophiæ momenta ſermonis difficultate obnubilando, partim majorem amplitudinem ſuis ſententiis adderet, partim vehementius inquirendi deſiderium in auditoribus ſuis excitaret.

LVIII. Atque hoc conciſo dicendi genere, ferme uſus eſt in *Acroamaticis*, (*d*) hoc ipſo ſubtilem accuratamque, quæ in Acroamaticis requirebatur, demonſtrans docendi rationem, qua veritas firmiſſimis adſtruebatur rationibus & ex domeſticis principiis exquiſitiſſima eruebatur

(*a*) Ἀπαιδεύτως.) De ipſo Platone ſequens judicium RAPINIUS fert, dans la methode de Platon & d'Ariſtote: *Platon n'a pas de methode bien certaine, pour expliquer ſa doctrine: ſon genie paroit ſi libre, & ſon ſtile eſt ſi mêlé, qu'il ſemble, qu'il ne ſuive aucune regle. - - L'eſprit de Platon ne peut ſe contraindre, ny s' aſſujettir a des regles: tout le diſtrait dans les matieres memes, ou il eſt le plus exact: & il y a tant de varieté dans ſes dialogues, que pic la mirande aſſure, que ſes diſciples memes ne conviennent.*

(*b*) *Veteres illi phyſici.*) Hic meretur conferri ſermo celeberrimi BULFINGERI, Prof. Phyſicæ experimentalis & theoreticæ in illuſtri academia Petropolitana, quem in primo ſolenni academiæ ſcientiarum conventu 1725. d. 27. Decemb. habuit, ubi ſex ſcientiarum periodos conſtituit.

(*c*) *Verborum apparatu.*) De hoc ita RAPINIUS *dans la comparaiſon de Platon & d' Ariſtote*, judicat: *Platon ne penſe le plus ſouvent, qu' à bien dire, & Ariſtote ne penſe, qu' a bien penſer, à creuſer les matieres, à en rechercher les principes, & de ces principes tirer des conſequences infaillibles.*

(*d*) *Acroamaticis.*) Ad diſciplinam, quam appellabat ἀκροαματικήν, non quenquam temere admittebat, niſi quorum ante ingenium & eruditionis elementa atque in diſcendo ſtudium laboremque exploraſſet, teſte A. GELLIO noct. attic. l. 20. c. 5. Conf. ZEIDLERI *introduct. in lection. Ariſtot. p. 1. ſq.*

batur methodo. In Exotericis vero tam admiranda reliquit ſpecimina, ut etiam ab iis, qui non adeo ſubtili gaudent interpretatione, poſſit intelligi.

LIX. Verum cum felicitas humana ſæpe numero multis magnisque incommodis ſoleat temperari: ita etiam fata ſua variamque fortunam experiri debuerunt, quæ in æternitatis potius, quam interitus ſpem concepta erant ſcripta ariſtotelica.

LX. Quum enim Ariſtoteles, referente STRABONE *lib.* 13. *Geographiæ ſuæ*, ſupremum diem ſibi imminere videret, Theophraſtum Ereſium ſibi conſtituit ſucceſſorem, eique bibliothecam ſimul ſuam cum docendi provincia commendavit. Theophraſtus vero Neleo Sceptio, Coriſci Socratici cujusdam filio, ſuo & Ariſtotelis auditori, ſuam & Ariſtotelis bibliothecam teſtamento legavit, id quod a Laërtio confirmatum videmus. Accidit tamen poſtea, ut Neleus totam bibliothecam in patriam ſuam comportatam, poſteris, hominibus imperitis & quos nulla dignitatis cura tangebat, traderet, qui Ariſtotelicos libros primum negligenter ſervarunt; deinde metuentes, ne ſibi ab Attalicis Regibus, qui ad exſtruendam Pergami bibliothecam varia volumina ſtudioſiſſime undique conquirebant, eriperentur, terræ infoſſos occuluerunt. Poſtremo ſitu ac carie deformatos corroſosque Appelliconi Tejo magno pretio tradiderunt, qui, ut famæ erat, quam veræ ſapientiæ ſtudioſior, corroſionibus inconſulto ac pro arbitrio ſuppletis, multis mendis reſperſos dedit. Hinc factum, quod illos libros, quibus profunda minusque cognita philoſophia conſtabat, multo corruptiores e manibus Appelliconis acceperimus. Quo mortuo, & Athenis a Lucio Sylla Dictatore ſubactis, juſſu Syllæ Romam tranſlati a Tyrannione Grammatico ejusque æquali Andronico Rhodio. Vulgatis vero ſcriptis, doctos ingenioſosque Stagirita noſter nactus eſt commentatores, qui tamen omnia contaminata ac corrupta ex tanti magiſtri locis reſtituere neutiquam valuerunt.

LXI. In his vero primas merito ſuo tenet ALEXANDER APHRODISIENSIS, qui primus omnium præcipua Ariſtotelis ſcripta plenis commentariis illuſtravit. Nec reliqui etiam interpretes erant obliterandi, THEMISTIUS videl. AMMONIUS ALEXANDRINUS, SIMPLICIUS, PHILOPONUS, GALENUS Medicus, SEVERINUS BOETIUS, & Doctores illi a ſubtiliore docendi diſputandique genere ſcholaſtici dicti, inter quos THOMAS AQUINAS magnam laudem admirationemque doctorum virorum ſemper meruit. Seculo enim IV. THEMISTIUS, elucubratis doctiſſimis in Ariſtotelis Organon, & libros phyſicos ac methaphyſicos commentariis effloruit. Seculo VI. inclareſcere cœpit AMMONIUS ALEXANDRINUS, e cujus diſciplina ac contubernio poſtea prodierunt SIMPLICIUS & PHILOPONUS, quorum ille feliciſſimam operam adhibuit in explicandis ſcriptis ariſtotelicis tam organicis, quam phyſicis; hic vero laudabilem induſtriam poſuit in elucubrandis ſuper eosdem libros commentariis, egregio certe exemplo reapſe comprobantes, ſe non eſſe ultimos, qui hanc gloriam in philoſophia peripatetica uſurpent.

LXII. Poſt illam temporum faciem deliciæ philoſophicæ, quæ in Italia ac Græcia a barbarie muhammedanica ſuppreſſæ jacebant, apud Arabes & Saracenos iterum ſurgere cœperunt; ubi præter alia clara capita, AVERROIS & AVICENNÆ induſtria erat conſpicua. Horum monumenta ſeculo XII. ſimul cum Stagiritæ noſtri ſcriptis auſpiciis Imperatoris Friderici II. ex Aſia in Europam tranſlata, & ex arabica in latinam linguam converſa, adhuc hodie doctiſſimus miratur orbis. Scilicet ſub initium ſeculi ſeptimi, Saraceni ab ipſo Mahomete inſtigati imperium romanum invaſerunt, & cum Hunnis, Gothis, Vandalis orientem cum occidente miſerrime depopularunt, ut adeo omnem ſpem, quæ de philoſophiæ peripateticæ cultura merito ſuſcipienda fuiſſet, barbaries interciperet. Vivebant quidem Seculo IIX. DAMASCENUS, & Seculo X. EUSTRATHIUS, MICHAEL PSELLUS & MICHAEL EPHESIUS. Nec defuerunt ſeculo a nato Chriſto primo, viri in doctrina peripatetica verſatiſſimi, NICOLAUS DAMASCENUS, ADRASTAS APRODISEUS, ALEXANDER ÆGEUS & hujus diſcipulus ASPASIUS: ſed nemo ex iis civilis philoſophiæ nomine eſt laudandus.

LXIII. Ex Arabum præcipue doctrina inſtructus ſeculum decimum tertium ſua eruditione ornavit ALBERTUS, re pariter atque nomine MAGNUS, cujus genuini diſcipuli fuerunt THOMAS CANTIPRATENSIS & THOMAS AQUINAS. Quorum Cantipratenſis pro ſingulari, qua polluit, græcarum literarum peritia, ariſtotelicum opus politicum græco idiomate conſtans, latino ore primus loqui fecit, adeo ut PETRUM VICTORIUM & MONTECATINUM feliciſſimos in emendationibus ſuis nactus fuerit admiratores. Quo theſauro per ducentos ferme annos ſervato, non infeliciter uſi ſunt multi alii.

LXIV. Sed regrediamur ad lectiones Thomæ Aquinatis, quas in politicam Ariſtotelis exhibuit. Sane, ut verum fateamur, tanti non ſunt, ut eas nobis veluti ſtatuam mercurialem proponamus. Cum enim Aquinas, vitam ſuam in mera contemplatione conſumſiſſet, nec ſcientiam cum experientia copulaſſet, imo cum hiſtoriæ rerum civilium fuerit plane rudis, non eſt, quod magnos civilis prudentiæ fructus ab eo expectemus. Tantum abeſt tamen, artis analyticæ ignarum eum fuiſſe, ut potius multos civiles locos analytice eum tractaſſe deprehendere ſit. Dictionem ejus quod attinet, incompto ſtylo cum ſui ordinis hominibus incedit. Septem alios *de eruditione principum*, non contemnendos reliquit tractatus, qui tamen non ſunt confundendi cum illis, qui *de regimine principum* circumferuntur, quum illi ex BELLARMINI ſententia *l. V. de Pontif. c. V.* alium parentem agnoſcant.

LXV.

Digitized by Google

LXV. Ceterum cum alii etiam civilis prudentiæ ſcriptores ſuam hic expectent mercedem, nec adhuc expenderimus, quid Plato & Ariſtoteles in civili præſtiterint philoſophia, operæ pretium facturos nos putabimus, ſi exiguis ſaltim lineis incluſerimus, quid unus præ altero eximium aut peculiare habeat.

LXVI. Duæ vero Scholæ (ne hoc omittamus) priſco ævo quam maxime fuerunt celebres, academica & peripatetica. Academicam palæſtram Platonis induſtria nobilitavit, quippe qui inter Græcos primus omnium publicum aperuit auditorium politicum. Reliquit autem quinque tractatus, quos adhuc eruditus poſſidet orbis. Quorum primus *de regno:* ſecundus *de republica*, qui in decem libros diſpertitus extat: tertius *Minos*: quartus duodecim *de legibus* libros exhibet: & denique *Epinomis*. Præter varias rerumpublicarum formas unam, veluti ideam rerumpublicarum, finxiſſe videtur. Communes rerumpublicarum ſpecies, nunc quatuor, nunc quinque, interdum etiam ſex conſtituit. In Dialogo de regno, ſeptem facit rerumpublicarum genera, Monarchiæ duo, regnum & tyrannidem, paucorum imperii itidem duo, Ariſtocratiam & Oligarchiam; multorum denique imperii itidem duo, ſed uno nomine Democratiam juſtam & injuſtam. Politiam prorſus omittit, ſicut hæc obſervata ſunt ARISTOTELI *l.* 4. *Polit. c.* 8. Septimam denique prorſus eximiam & a prioribus alienam. In decem de republica libris, in duobus poſterioribus de juſtitia ejusque bonis & malis inter ſe comparandis diſputat. Libris, ſecundo, tertio, quarto & quinto in mera reipublicæ deſcriptione hæret. Libro ſeptimo de philoſophia ejusque partibus, ut & de ideis agit, quæ tamen non dantur. Libris, octavo & nono de cauſis mutandarum rerumpublicarum. Libro decimo de juſtitiæ recteque factorum præmiis, ut & de Poëtis urbe pellendis, pertractat. De animæ humanæ immortalitate pauca ſunt, quæ docta Platonis pagina exhibeat. Uxorum communionem, quam in opere de republica introducit, tanquam abominandam & a moribus Chriſtianorum abhorrentem, rejicimus. Interim tamen multa eximium uſum in formandis moribus feliciterque gubernandis rebuspublicis habentia, exhibet Plato: præſertim *in libris de republica & legibus*, ſe præſtitit artificem, non tamen omnia, quæ ibi pertractantur, integram conſtituunt ſcientiam. Adhæc aliqualem ἐμπειρίαν habuit, non tamen talem, qualem in civili Philoſopho merito deſideres. Nunquam enim rempublicam tractavit, ſed poſtquam ter pro patria decertaſſet, Academiæ ſuam addixit operam. Nec videtur etiam inſtructus ſatis fuiſſe rerumpublicarum variarum hiſtoria. Præterea utitur methodo dialogiſtica. Omnia etiam confuſo exhibet ordine: Ethica enim, Politica, Phyſica ac Metaphyſica, juſta methodo haud tractat, nec integrum aliquod corpus, quod Ethices, Politices, Phyſices ac Metaphyſices ſecreta pandat, reliquit. Quin potius verboſior ſæpe exiſtit, quam res patitur. Culpant alias docti Viri in eo 1. ἀμεθοδίαν 2. Symbolicam Philoſophiam & 3. minus idoneum ad philoſophandum ſtylum.

LXVII. Quos defectus cum plena manu in Ariſtotele reſarcire voluerit benigniſſima natura, quid prohibebit, ſi dicamus, eum fuiſſe conſummatiſſimum primumque omnium methodi magiſtrum: imo civilis, moralis, naturalis, transnaturalisque ſcientiæ aſſertorem graviſſimum.

LXVIII. Sane nulla ſecula tam COELESTE DEPOSITUM raro nobis dederunt, nec impoſterum dabunt, quam hoc fuit. Et licet Moyſes, Adamus & Salomo Ariſtotelem noſtrum longis ſpatiis anteverterint, cogitandum tamen, ſanctos iſtos Viros a Deo fuiſſe edoctos, qua gratioſa revelatione caruit noſter Stagirita. Abſit tamen, ut eum *normam & regulam fidei* (*a*) noſtræ ſalvificæ, ceu nonnemo ſomniat, conſtituamus, ejusque doctrinam pro ſuprema lege ac veritate veneremur. Amamus eum, quia præ aliis ſciens artisque demonſtrandi fuit peritiſſimus. Amamus, quia accurati ordinis fuit obſervantiſſimus. Amamus, quia rerum civilium hiſtoriam habuit in promptu, quo diademate videlicet caruit Plato, utpote qui non adeo ſeriam de omni republica ſuſcepit tractationem, multo minus juſtum docendi ordinem obſervavit.

LXIX. Ne tamen ſimpliciter aſſeruiſſe videamur, quaſi omnium omnino civilium rerum momenta aſſecutus fuerit Ariſtoteles noſter; multijuga ſimul polluit ἐμπειρίᾳ; licet non diffiteamur, quod multa lineamenta cum Apelle reliquerit inchoata, quæ alii poſtea addidere. Scilicet latiorem hiſtoria politica deſiderat ambitum, quam ut unius alicujus experientiæ cancellis poſſit includi. *Hinc*, aſſerente Dn. D. MEIERO, *quinque regnorum, totidemque Democratiæ, quatuor itidem Oligarchiæ, totidemque Ariſtocratiæ, tres etiam Tyrannidis & aliquot Politiæ ſpecies tradidit; non ac ſi plures non eſſent, ſed quia in omni hiſtoria non plures obſervavit.* Quin hæc forte eſt ratio, quod parcius de republica mixta proprie ſic dicta meminerit.

LXX. Adhæc multa civilium rerum capita ab Ariſtotele ſunt prætermiſſa, nec ea, quæ tractavit, omnibus numeris abſoluta ac perfecta exhibentur. Qui tamen plures in civili doctrina locos aggreſſus fuerit, non occurrit.

LXXI. Sed ſatis diu in amplexu ſuo nos vidit Ariſtoteles: aſſignemus nunc reliquis etiam ſuum locum. Inter hos vero non ſunt prætereundi, qui Pythagorici exſtiterunt. Aſt quum

(*a*) *Normam & reg. fidei.*) BAYLE in *dictionario* ſub voc. *Ariſtote* ſequentia hanc in rem profert: *Le Cardinal Pallavicini ne fait point de difficulté d' avouer en quelque façon, que ſans, Ariſtote l' egliſe avoit manque quelquesuns de ſes articles de fois. L'autheur de l'evangile nouveau du Cardinal Pallavicin ch.* 6. *art.* 6. *ne manque pas de relever ces paroles du chapitre* 19. *du* 8. *livre n.* 13. *Di cio ſi doveva in gran parte l' obligatione ad Ariſtote, il quale ſe ſi non foſſe adoperato in diſtinguer accuratemente i generi delle ragioni, non mancavano di molti articoli di fede.*

Digitized by Google

quum omnia, quæ de illis afferuntur, lubrica fide ſtent ſubnixa, hinc miſſa ea facimus, quæ hoc nomine circumferuntur. Scilicet ſeculo chriſtiano ſecundo & tertio ejuſmodi multa conficta videntur, ab iis præſertim, qui ſtatores philoſophiæ voluerunt videri.

LXXII. Quæ HIPPODAMO tribuuntur a STOBÆO, (qui ſeculo chriſtiano octavo ex ducentis & quinquaginta autoribus in gratiam filii ſui Epimii Eclogas ſuas collegit) haud parum differunt ab iis, quæ in Hippodamum Mileſium refert ARIST. l. 2. *Polit.* niſi quod duo extiterint Hippodami & Stobæanus ſit Doricus aliquis, alius ab Ariſtotelis Mileſio. Ut adeo rectiſſime pronunciata eſſe agnoſcamus ea, quæ Ampliſſ. Dn. Præſes in *Propoliticis* ſuis c. XV. affert: *Omnia* nempe *Stobæana Pythagoricorum fragmenta occupari tantum in iis, quæ in optima republica ſunt obſervanda, ac proinde politicæ ſcientiæ promovendæ parum conferre.*

LXXIII. De genuino ac γνησίῳ Ariſtotelis ſucceſſore THEOPHRASTO ERESIO non eſt, cur magnopere ſimus ſolliciti. Periere ejus ſcripta pleraque, tam organica, quam phyſica & moralia, exceptis incomparabilibus *de plantis* voluminibus aliisque opuſculis nonnullis, quæ DANIELIS FURLANI induſtria illuſtravit. Inter quae eminent *characteres morales*, qui doctiſſima etiam CASAUBONI manu ſunt illuſtrati. Interea non diſſimulamus, eum in civili Philoſophia, quantum ex confuſo Laërtiano indice apparet, maximum occupaſſe locum, quod multa ac varia, quibus ipſum Ariſtotelem vicit, indicant politici argumenti ſcripta. Ut adeo excellens illud teſtimonium, quod CICERO *l. III. de Legibus* producit, *Theophraſtum* ſcilicet *inſtitutum ab Ariſtotele, habitaſſe in eo genere rerum,* ſuam mereatur fidem.

LXXIV. Quæ de MESSENIO DICÆARCHO & DEMETRIO PHALERÆO affert romanæ eloquentiæ princeps, CICERO, legantur in modo laudato *tertio de Legibus* libello, ubi omnia ad palatum ſuum inveniet curioſus quisque.

LXXV. HERACLIDÆ PONTICI fragmenta de moribus variisque ſui ævi rebuspublicis adhuc ſuperſunt; reliqua fatalis temporum iniquitas nobis ſubtraxit.

LXXVI. Præter hos paucos nemo è Græcorum familia comparet, qui ex cultura civilis philoſophiæ ſingularem laudem admirationemque tulerit. Neque enim Academici ineptam ἀκαταληψίαν effugere potuerunt. Ipſe genuinus Theophraſti auditor & in peripatetica ſchola ſucceſſor, STRATO LAMPSACENUS. Phyſici cognomen meritus eſt, quum alii contra civiles Philoſophi ſalutarentur. Libri ejus tres *de regno*, ut & aliquot *de Magiſtratibus*, interciderunt.

LXXVII. Poſt hunc Stratonem genuina philoſophandi ratio, ſuum etiam inter Peripateticos ſplendorem amiſit. Quod inde factum fuiſſe prudenter conjicit STRABO lib. 13. *Geographiæ ſuæ*, quia Acroamaticis Ariſtotelis & Theophraſti libris caruerunt & paucos tantum exotericos poſſedere. Hinc non potuiſſe analytice philoſophari, ſed tantum theſes ληκυθίζειν. Erat autem θέσεις ληκυθίζειν, Oratorum more probabiliter diſſerere; ſeu, ut Clariſſ. DüRRIUS in *notis* ad *Iſagogen Piccartianam* explicat, *propoſitas quæſtiones verborum pigmentis ac figuris illuſtrare.* FERRARIUS, monente Cl. DüRRIO, dupliciter hanc phraſin exponit I. ut idem ſit, atque propoſitas quæſtiones, quæ opinioni aliorum repugnant, declamare. 2.) poſita theſi, hoc eſt, dialectica quæſtione, quam infinitam vocant Rhetores, utramque in partem probabiliter de ea declamare.

LXXVIII. Nec eſt, quod a Stoica & Epicurea ſecta hic aliquid expectes. Epicurei enim accuratam reipublicæ curam tanquam felicitati ſuæ inimicam damnantes, non ſunt audiendi. Ut adeo a Theophraſti ætate usque ad diſertiſſimi Ciceronis ævum nulla de ſtatu temporum, periculis reipublicæ, conſiliis prudentum, ſuſcepta videatur tractatio, e qua civilium rerum ſectator ſolidum fructum poſſit referre.

LXXIX. ANDRONICUS RHODICUS, qui decimus ab Ariſtotele publicam in Schola ariſtotelica docendi provinciam obivit, laceram Ariſtotelis tunicam, a blattis ac tineis miſere deperditam, ab omnimodo interitu vindicavit. Utrum tamen politica vel ille attigerit, incertum, imo vix eſt veroſimile. Is vero ſucceſſores quidem poſtea nactus eſt græcos, arabes & latinos, nemo tamen etiam ex iis genuina civilis prudentiæ vel lineamenta exhibuit. Donec tandem ſeculo chriſtiano decimo tertio e ſcholaſticis doctoribus, quos ipſa Apologia Auguſtanæ Confeſſionis *magnos & ingenioſos viros* ſalutat, THOMAS AQUINAS hoc aggredi tentavit. Sed experientiam rerum civilium, quæ in homine vere politico utramque paginam facit, in eo etiam jure deſideramus.

LXXX. Poſt Platonem ad Ariſtotelem & Theophraſtum atticosque veteres Philoſophos, philoſophiæ civilis ſtudia iterum ad latinos rediere, inter quos palmam ſibi dari meretur CICERO. De quo verum crediderim Ampliſſimi noſtri Conringii teſtimonium, in *Propoliticis* c. XV. his verbis adumbratum: *Unus Cicero inter latinos, ad Platonis exemplum, ſex de Republica libros & alìud de legibus volumen exaravit. Quorum illi dudum perierunt, niſi quod ſomnium Scipionis ſuperſit: hujus tres fere libri extant. Itidem vero Cicero de ſola optima republica egit utroque in opere: neutiquam ariſtotelico more de omni reipublicæ ſpecie: ceu fieri debuerat. Etſi igitur in libris de Legibus ſint quædam haud aſpernanda, forte etiam in libris de Republica præclara quædam fuerint tradita, univerſa tamen civilis doctrina vix eminus fuit a Tullio tacta.*

LXXXI. Ex his facile colligere poterimus, quemnam ex Cicerone colligere poſſimus fructum, nempe plus prudentiæ, quam ſcientiæ. Magnam certe prudentiam in Cicerone merito ſuſpicimus. Dum enim romanæ reipublicæ gubernacula ipſe rexit, non potuit non evadere prudentiſſimus. Præter illam prudentiam vero pauca in Ciceronianis ſcriptis offendimus, quæ accu-

Digitized by Google

accuratum analytices examen ſuſtinere queant. Ex analyticis autem præceptis, recte & accurate cognitis, naſcitur illa παιδεία facultas: ut ipſas ſcientias penetraturi, rerum conditiones ac naturas inter ſe dignoſcere ac diſponere queamus. Ceterum, poſt Thomam Aquinatem ejusque diſcipulum ÆGIDIUM ROMANUM fuerunt, qui ſeculo tertio decimo chriſtiano, philoſophiam hanc civilem præter ſolitum excoluerunt.

LXXXII. Seculum decimum quartum, tres iterum tulit Politicos. Quorum primus eſt IOHANNES de BACCONE, qui *Quaſtiones politicas earumque reſolutiones*, ſed barbare nobis dedit. Secundus eſt IOHANNES BURIDANUS, cujus quæſtiones itidem non eam gratiam afferunt, quam merito debebant habere; cum ἀσυλογισία &, neſcio qua barbarie, ſint refertæ. Tertius eſt NICOLAUS ORESMIUS, qui in gratiam Caroli V. Francorum Regis, diſcipuli ſui, non indiligenter politica Ariſtotelis, in linguam gallicam tranſtulit.

LXXXIII. Seculum decimum quintum, LEONHARDUS ARETINUS ornavit, qui floruit circa annum 1450. De quo Florentinæ Muſæ, in templo S. Crucis tale exhibent epitaphium:

*Poſtquam Leonhardus e vita migravit,*
*Hiſtoria luget, eloquentia muta eſt,*
*Ferturque Muſas tum Græcas, tum*
*Latinas, lacbrymas tenere non potuiſſe.*

Fuit alias, ut ex hiſce verſiculis etiam apparet, vir, varia doctrina excultus, quamvis ab ingenio Ariſtotelis non raro abeat, nec dexteritatem boni emendatoris ſuo exemplo comprobet. Quæ ſane ad Ethica & Politica Ariſtotelis eſt commentatus, multis mendis reſperſa, publicam lucem viderunt. Hic Aretinus, comitem habuit ARGYROPYLUM BYZANTINUM, ſed ab eo victus Aretinus, quod feliciore ſucceſſu Ariſtotelis operi politico manum medicam adhibuerit. Nactus vero eſt, gratum diſcipulum DONATUM ACCIAJOLUM, qui nihil in ſe deſiderari eſt paſſus, quod ad complendos defectus facere poſſit. Meminit Argyropyli illuſtris, NAUDÆUS in *Bibliographia politica*: quod prælectiones ejus Florentiæ habitas non abſque manifeſto plagii crimine ſibi vendicarit DONATUS ACCIAJOLUS. Verum Donatum abſolvere poterit ingenua confeſſio, qua & in Politicis & Ethicis commentariis non diſſimulavit Argyropylo magiſtro ſeſe plurimum debere.

LXXXIV. JACOBI STAPULENSIS labores politici, tanti non ſunt, ut iis immorandis tempus inutiliter teramus: parum enim conferunt ſcientiæ politicæ promovendæ.

LXXXV. Seculo decimo ſexto, bonarum literarum cultura & ſplendor ſtudii politici, magis magisque eluxit. Nullus enim pene Europæus angulus non ad Græcorum Romanorumque veterum ſublimitatem aſſurgere tentavit. Protulit autem iſta patrumque aetas varios, qui monumentis ſuis doctisque notis civilis prudentiæ ſtudia juvare, inque melius promovere, laborarunt. Inter quos, jure ſuo eminet MACHIAVELLUS, ob vafra tamen & improba conſilia, apud pleroſque vapulat. *Acerrimi* alias *judicii Politicus*, ex BERNEGGERI ſententia, fuit. De illo IUSTUS LIPSIUS in *Præf. ad Politicam ſuam*, inquit: *Unius Machiavelli ingenium non contemno, acre, ſubtile, igneum: & qui utinam Principem ſuum recta duxiſſet ad templum illud virtutis & honoris: ſed nimis ſæpe deflexit, & dum commodi illas ſemitas intente ſequitur, aberravit a regia hac via.* In quam ſententiam, inclinare etiam videtur CYRIACUS LENTULUS, in *Præf. Polit.* ad Lectorem: *Machiavelli*, inquiens, *de Militia & de Hiſtoria florentina patrio ſermone ſcripti libelli parum, quod ſugillare queas, proferunt. Diſcurſus in Livium, multum promunt acuminis, multum ſalutaris doctrinæ, niſi, quod plebejæ licentiæ faventior, nondum exſpirantem, quamvis affectum Florentiæ libertatem ante oculos, ut ſub Auguſto Livius Romanam, habuiſſe videatur. In PRINCIPE, in diverſos plane ſcopulos abreptus, ab impio in Deum ſenſu & ſubjecto tyrannidi fomento, etiam cum excuſatur, vix excuſatur.* Dixeris, damnatum Machiavelli Principem a Thoma etiam CAMPANELLA. Sic enim libro *de Monarchia hiſpanica* inquit: *Machiavelli ſuggeſtiones & cautelæ, nil bonæ conſcientiæ in ſe continent; diſſimulant inſuper etiam tyrannidem & crudelitatem Principum. Unde ſatis mirari nequeo, extitiſſe, qui autorem hunc impium cum ſuis conſiliis, in cœlum uſque evehant, ac ſi norma & idea, quædam eſſent bene ac feliciter regendi.* Sed nos, potius cum Clariſſimo beatæ memoriæ BOECLERO miramur, quid callido & ad fraudem acuto Campanellæ venerit in mentem Qui, cum vidiſſet, Machiavellum ob pernicioſa conſilia apud pleroſque vapulare, ipſe velut mangonio quodam adornata, quæ Machiavellus nuda protulerat, ita denuo *in theatrum induxit*, (*a*) ut & reprehenderet ſubinde Machiavellum, & Machiavelli tamen placita ſub diverſis nominibus teneret.

LXXXVI. Iniquum interim eſt, illud GENTILLETI: *Machiavellum fuiſſe tenuiſſimi municipii ac pagi ſcribam, nec ullum rerum uſum aſſequi potuiſſe, quoniam nihil ferme ſua ætate, niſi forte aliquas civitatum & minutorum Italiæ Principum rixas ac Florentinorum quorundam civium conſilia & factiones viderit.* Quicquid ſit, conſtat tamen, Machiavellum a ſecretiſſimis conſiliis fuiſſe nobiliſſimæ & per Italiam potentiſſimæ Florentinæ reipublicæ, atque ad illius res maximas admotum: in quam

(*a*) *In theatrum induxit.*) De Campanellæ monarchia hiſpanica, ex inſtituto agetur in notis ad theſaurum rerumpublicarum, ſub regno Hiſpaniæ. *T. IV. Oper. Conringianorum.* OLDENBURGERUS, in notis ſuis ad hunc Theſaurum, Campanellam vocat: *hominem callidum, ſine ulla religione & fide, Machiavelli dogmatum pariter acerrimum reprehenſorem, & futatum Doctorem.*

quam Machiavelli ætatem, horribiles univerſæ Italiæ converſiones inciderunt. Sicut recte de eo teſtatur Ampliſſimus Dn. PRÆSES *in Præfat. ad Machiavelli Principem.* Ut adeo inopis judicii argumentum prodat ille, qui putaverit MACHIAVELLUM (*a*) nullum uſum nullamque experientiam habuiſſe.

LXXXVII. Verum hic, legem nobis ponit pietas, quæ Machiavellum non obſcura Atheiſmi ſemina ſpargentem non poteſt non abhorrere. Vir enim ille, impie aſſerit: religione & pietate reſpublicas & imperia plurimum enervari. Tantum enim abeſt illa toleranda, ut ne quidem ferri poſſit illud, quod EDOARDUS BARO HERBERT de CHERBURY, non dubitavit ſtatuere, quaſi ſolum naturæ lumen, excluſa omni divina revelatione, ſufficiat ad conſequendam vitam æternam. Sed, cum has nugas jam dudum diſpulerint doctiſſimi Viri, imprimis vero; Excellentiſſimus noſter TITIUS, in peculiari diſputatione *de inſufficientia religionis mere naturalis ad conſequendam vitam poſt hanc meliorem*, remittimus ad tam copioſam meſſem candidum lectorem, plura addituri, niſi μεταβασιν εἰς ἄλλο γένος vereremur.

LXXXVIII. Machiavello recentior paulo fuit IOHANNES GENESIUS SEPULVEDA, Caroli V. Hiſtoriographus, cujus verſio politici operis apud doctos viros ſuam meretur laudem. Notas, idem conſcripſit perbreves, ſed tamen, ſi verum fatendum, parum illæ ſapiunt Politicam prudentiam.

LXXXIX. Circa hæc tempora autem & illuſtre Angliæ ſidus, THOMAS MORUS floruit. Hic, quum Henrici Octavi Angliæ Regis poſt repudium optimæ conjugis, inauſpicatas demum nuptias affectantis, nefario voto ſubſcribere recuſaret, capite mulctatus eſt. Eo autem facto, Carolus V. Imperator, dixiſſe fertur: *Rex Henricus toti Angliæ caput amputavit, dum Morum ſuſtulit.* Conſulatur de horrendo hoc crimine DREXELIUS *in Tob. p.* 1. *c.* 12. Extat ejus Utopia ad platonicæ reipublicæ exemplar aliquod compoſita, quæ tamdiu in pretio habebitur, quamdiu eruditioni ſua conſtabunt merita.

XC. Hoſce viros præclaros ſequuntur alii, quorum quidam Ariſtotelis opus politicum vel nova verſione, vel ſcriptis ad id notis illuſtrarunt, vel integrum corpus de ſuo extruxerunt, vel unum alterumve locum civilem occuparunt. Fuere vero nominatim, MICHAEL TOXITES & COELIUS CALCAGNINUS: quorum ille, notas quaſdam ſcripſit; hic, paraphraſin in primum Politicorum librum exhibuit. Quibus duumviris; jungendi IOACHIMUS PERIONIUS, & LUDOVICUS STROEBOEUS, qui, cum ſupra laudatis, ad eandem gloriæ metam properare potuiſſent: niſi dexteritatem ſuam in emendando Ariſtotele ſuſpectam feciſſent. Sedent tamen cum Apolline in Parnaſſo, & quæ juſta interpretatione aſſequi nequeunt, mira gratia perfundunt.

XCI. Poſt hos, magna æmulatione idem negotium urſerunt PETRUS VICTORIUS & DIONYSIUS LAMBINUS Monſtrolienſis, quorum hic humaniorum litterarum & utriusque linguæ peritia clarus, regiam Lutetiam ſua doctrina nobilitavit. Adornavit alias in Ariſtotelis opus politicum novam verſionem, quæ apud doctos tantam laudem invenit, ut non immerito omnibus aliis videatur præferenda.

XCII. VICTORII pene oblitus fueram, cujus inſignis in explicandis Politicis Ariſtotelis eluxit induſtria. Non enim ſolum ea latine tranſtulit, ſed inſignem etiam Commentarium ſcripſit, in quo & rerum & verborum curam habuit accuratiſſimam. Laudandus & eo nomine IOACHIMUS CAMERARIUS, ſed elegantiam potius affectavit, quam rerum momenta attigit. Eo tamen nomine effecit, ut omnibus Ciceronianis, non poſſit eſſe non ſummopere gratiſſimus.

XCIII. THEODORUS ZWINGERUS, Medicus & Philoſophus præſtantiſſimus, tabulis ſuis politicis, turbat & corrumpit potius Lectorem, quam ut in regiam viam eum deducat. Quo referendum eſſe cenſeo PETRUM GILKENIUM ICtum, qui tamen tum ab aliis, tum etiam a ſemetipſo Commentatoribus, & quidem, ut titulus libri præ ſe fert, abſolutiſſimis annumeratur. Quicquid ſit, illud videre non poſſum, cur ad leges civiles romanas Philoſophi præcepta politica eorumque veritatem examinet, cum iſtæ potius ad hæc, utpote in jure naturæ maximam partem fundata, examinanda fuiſſent. Ut taceam, leges romanas eſſe ſcriptas tantum in uſum ſingularis alicujus monarchiæ, ſi ſpectes eas, quæ ad ſtatum reipublicæ faciunt.

XCIV. Quod ipſum etiam, ad abſolutiſſimos (ut vocat) in *lib. V. Ethic. Ariſt.* Commentarios ejusdem Gilkenii monendum eſſe exiſtimo. Etenim & hic unice hoc agit, ut oſtendat, Philoſophi doctrinam de juſtitia recte ſe habere, quod conformis ſit legibus juſtinianeis, cum tamen oſtendere debuiſſet, has ipſas leges ideo habendas eſſe in pretio, (ut jure meritoque habentur) quod cum Philoſophi præceptis de juſtitia conſpirent.

XCV. GIFANII labores Politici, ſuos itidem habent admiratores, nec ſine cauſa dolendum, quod Lipſium popularem ſuum in mutatione religionis ſit imitatus. MONTECATINUS, Vir alias doctiſſimus, tabulis ſuis Politicis mentem ac genium Ariſtotelis involvit potius, quam evolvit.

XCVI. Sunt etiam, qui Quæſtiones ſcripſerunt, CHRYSOSTOMUS IAVELLUS, THEOPHILUS GOLIUS & MELCHIOR IUNIUS, qui tamen poſtremus, promiſcuas quæſtiones proponit, non autem Philoſophi veſtigiis, ut ceteri, inſiſtit.

XCVII.

(*a*) *Machiavellum.*) BAYLE in dictionario dicit: *Il à eté un homme de beaucoup d'esprit & une tres belle plume: il ne ſcavoit, que peu de latin* JOVIUS *elog. c.* 87. *p.* 205. *Mais il fut au ſervice d'un ſçavant homme Marcellus Virgile, qui lui ayant indiqué pluſieurs beaux en droits des anciens auteurs, lui donna lieu de les inſerer dans ſon ouvrage. Il fut Secretaire lors Hiſtoriographe de la Repl. de Florence.*

Digitized by Google

XCVII. Non obliteranda hoc etiam Politico in campo eſt PHILIPPI SCHERBII, incomparabilis peripatetici memoria. De Diſſertationibus tamen ejus politicis hoc ferme pronunciaveris, quod alii eruditi de iis obſervant, eas nempe tam docto viro eſſe indignas. Etſi nulla ipſius viri culpa: quia nec eas complexus eſt ſcripto, nec mentem, ut ederentur, habuit. Scilicet hic mos hodie in Academiis ſerpit, ut ea, quæ privatis alias uſibus erant conſecrata, non raro infeliciſſime ſoleant excipi. Hinc factum, ut hæc quoque Scherbiana non ea facie appareant, qua alias debebant. Succeſſorem Scherbius in cathedra philoſophica ut & doctrina poſt ſe reliquit MICHAELEM PICCARTUM: qui eruditiſſimis ſuis in politicum Ariſtotelis opus lucubrationibus omnibus doctis & de accurata eruditione non obſcura ſigna tollentibus, ſe fecit admirabilem. Quibus tamen, ſi quis DANIELIS HEINSII Paraphraſin addat, non inutilem ſuſcepiſſe videbitur operam.

XCVIII. Quæ de TARQUINIO GALLUTIO SABINO circumferuntur, non merentur præconium noſtrum, cum in Politicis non præſtiterit, quod merito debuiſſet.

XCIX. Quid de iis, qui ſuopte marte civilis philoſophiæ ſtudium attigerunt, ſit ſentiendum, nunc diſpiciemus. Laudatur hoc nomine a GABRIELE NAUDÆO, neſcio quo affectu erga popularem abrepto, IOHANNES BODINUS. Sed præterquam quod de rebus Germanicis loquens ſæpe hallucinetur, & potius gallicanæ, quam aliarum rerumpublicarum peritiam attulerit, plurimis de cauſſis, quas enarrare non eſt neceſſum, non poſſumus aſſurgere Naudæo.

C. Adhæc PETRUS GREGORIUS THOLOSANUS ICtum potius agit in quammultis, quam Politicum. Neutiquam tamen fraudo illum laude magni Politices magiſtri. CHRISTOPHORI BESOLDI item labores non acroamatico filo contexti comparent, multa tamen lectione & induſtria inſignem merentur laudem. ARNISÆI *Relectiones politicæ* inexhauſtam induſtriam magnumque judicium promittunt. In opere ejus *de Iure Majeſtatis* non pauca emendanda deſiderat Clariſſ. BOECLERUS. ADAMUS CONTZENIUS multa theologica inſpergit, & quæ in decem libris de perfecta reipublicæ forma politice erant tractanda, theologice potius exhibet. ALTHUSII & HOENONII pernicioſa dogmata, ſeditioſæ plebis tumultus alentia, a doctis viris jamdudum ſunt profligata. Hi ſcilicet fundamentum doctrinæ ſuæ collocant in eo, quod ſumma reipublicæ cujusvis conſiſtat penes ſolum populum, quod tamen falſiſſimum, & certiſſimum civitatibus plerisque ſolet afferre interitum. Quæ SCHOENBORNERUS & LIEBENTHALIUS afferunt, notitiam potius juris publici germanici, quam civilis prudentiæ ſapiunt. Ut adeo poſt Scholaſticorum labores, hoc & ſuperiore ſeculo adverſus imperitorum cavillationes, civilis prudentiæ certitudinem longe nobiliore ratione ſuſceperint vindicandam magna nomina: HUGO GROTIUS, LIPSIUS, MARNIXIUS, BOECLERUS, FELDENUS, RACHELIUS, PUFFENDORFFIUS, & nuper admodum Plur. Reverendus Dn. D. GEBHARDUS THEODORUS MEIERUS.

CI. Sed nec ii ſunt prætereundi, qui unum alterumve civilem locum illuſtrarunt, in quibus primas merito ſuo tenent CLAPMARII *Arcana rerumpublicarum. Elegans*, ex ſuffragio Conringii noſtri, *& ad omnes reipublicæ ſpecies pertinentis bonæ frugis pleniſſimum eſt opuſculum.* CELLARIUS, CLASENIUS. VV. CC. BOXHORNIUS & KECKERMANNUS Inſtitutionibus & Compendiis ſuis politicis reapſe præſtant, quod promittunt. BELLI, DANÆI aliorumve *Aphoriſmi politici*, non ſunt ſpernendi; nec HEIDMANNI, BOECLERI, FELWINGERI, LOCCENII diſputationes politicæ ullis aliis ejus argumentis poſtponendæ. BERNEGGERI FORSTNERI, BOECLERI, COLERI, RUPERTI & LENTULI Notæ politicæ ad Tacitum, Livium, Florum, Velleium Paterculum & Salluſtium in oculis habendæ, cum acutæ elegantiæ ſint plenæ & axiomatibus politicis refertæ.

CII. Magnam quoque prudentiam ſpirant VERULAMII *ſermones fideles*, nec non DIDACI SAAVEDRÆ *Symbolica*. Et ſic etiam hactenus dogmaticos ſcriptores, præcepta univerſalia legesque communes civilis doctrinæ tradentes vidimus; reſtat nunc, ut de Hiſtoricis, ſingulares actus eventusque civiles notantibus, paucis agamus.

CIII. Solet alias hiſtoria omnis dividi in veram & fictam. Aſt cum prudentia circa actus vere civiles verſans, certis immotisque nitatur principiis, qualia ex fictis hiſtoriis peti nequeunt, ſcopum certe ſuum non aſſequuntur, quæ hoc nomine veniunt fabularum more condita.

CIV. Neque privatæ vitæ hiſtoria militariumve rerum narrationes ad politicæ prudentiæ ſplendorem aſſurgere poſſunt. Hinc ſola illa hiſtoria, quæ actus vere civiles exhibet, noſtro ſcopo inſerviet. Accurate tamen diſpiciendum, quænam ſcripta ſingulares actus eventusque civilium rerum ſiſtant, ut ex iis univerſalia pronunciata extrui poſſint. Certe hiſtoricis ſcriptis civilibus unice hoc agi, ut iis ſingulares actus eventusque humanarum rerum peragantur, extra controverſiam ponimus. Iam vero Apologos fictasque hiſtorias inter vetera & recentia deprehendimus elegantes, non tamen ejus monetæ eſſe putamus, ut firmam inde politicam ratiocinationem extruere valeamus. Hinc hiſtoria, quæ ſtatum publicum vel negotia pacis integre & exacte delineat, alteri illi, quæ res geſtas alicujus civitatis tantum pertractat, eſt præferenda. Quæ vero hiſtoria τῷ ὄντι ſuperat.

CV. Nec hiſtoriæ ſimplices unius forte rei, ſua laude carent: quum unicum interdum experimentum aptum natum ſit, concluſioni Politicæ materiam ſubminiſtrare. Multum



Digitized by Google

abeſt tamen, ut quaslibet de rebus civilibus diſſertationes hac prærogativa dignas judicemus, ut potius ad hanc hiſtoriæ claſſem nullo modo permultas referendas putemus.

CVI. Ceterum, rerumpublicarum ſcriptores habuit quidem vetus ævum multos, ARISTOTELEM videlicet & HERACLIDEM PONTICUM; COTTAM item Romanum, aliosque complures. Verum, hos omnes fatalis temporum iniquitas nobis ſubduxit, ut adeo ex veteri ævo, quod hujus argumenti copiam nobis præbeat, habeamus ferme nihil, præter Xenophontis exigua opuſcula de *Athenienſium & Lacedæmoniorum republica.*

CVII. Quæ Geographi habent, rerumpublicarum notitiam, ne minima quidem ex parte juvare videntur. Superiore vero noſtroque ſeculo, a multis hic locus egregie eſt excultus, ut antiquos hoc in negotio ſuperatos dixeris. Quo nomine in ſacra Hebræorum republica principatum poſtulant CUNEUS & SIGONIUS, in Græcorum UBBO EMMIUS, in Atticorum MEURSIUS.

CVIII. Qui inter exteros ſeparatim reſpublicas tradiderunt, fuerunt CASPAR CONTARENUS, qui Venetam, UBERTUS FOLIETA, qui Genuenſem, IOSIAS SIMLERUS, qui Helvetiorum, MARTINUS CROMERUS, qui Polonorum, THOMAS SCHMITHUS, qui Anglorum, IOHANNES TILIUS, qui Gallorum, Belgii fœderati BOXHORNIUS, Hiſpanorum, Gallorum, Italiæ principatuum, Perſarum aliarumque civitatum publica inſtituta IOANNES DE LAET ſuo merito tradiderunt. Non contemnenda etiam MONTECATINI induſtria, quam in colligendis fragmentis quinque veterum rerumpublicarum, Hippodamiæ, Laconicæ, Creticæ, Carthaginienſis & Athenienſis adhibuiſſe laudatur.

CIX. Romana reſpublica multos nullo tempore non nacta fuit illuſtratores & hiſtoricos. Qui cum ſint ſatis omnibus noti, non eſt, cur de ſingulis hic quidquam adferamus.

CX. Præterea, ad comparandam prudentiam politicam eſt utile, complurium civitatum leges ac conſuetudines noviſſe. Prodierunt vero paſſimque extant variarum gentium & antiquæ & recentes leges conſuetudinesque. Inter quas nullæ magis ſunt divinæ, quam Ebræorum, quæ in Moſaicis libris exhibentur; nemo tamen hactenus exſtitit, qui politicam illarum legum prudentiam oſtenderit. Omnium aliarum nobiliſſimæ hodie ſunt leges romanæ, Iuris civilis nomine gaudentes, quæ auſpiciis IMPERATORIS IUSTINIANI in grande corpus excreverunt, & non ſolum in uſum forenſem multarum Europæ regionum, ſed & prudentiæ legislatoriæ incrementum ſunt enatæ.

CXI. Sed & præter Jus Civile etiam CANONICUM PONTIFICIUM civilis argumenti materiam poteſt ſumminiſtrare, præſertim in *Decretalibus*, ubi *dominandi artes* quam plurimæ traduntur; licet in illa interpretum ſerie paucos reperias, qui *arcana ejus juris* (*a*) hactenus exploraverint.

CXII. Porro in hiſtoriarum ordine ſuam utilitatem pollicetur illa, quæ multos civiles actus colligit. Sed cum hactenus nemo ſit repertus, qui hoc in genere ſuam induſtriam probarit, relinquimus locum illum negligenter hactenus tractari ſolitum.

CXIII. E Græcorum familia, notabilis eſt HERODOTUS, qui primus Monarchiæ, Oligarchiæ & Democratiæ σύγκοισιν quandam conſtituit. Quem poſtea æmulis prope viribus ſecutus eſt THUCYDIDES, prudens belli Peloponneſiaci ſcriptor, iis potiſſimum utilis conſiliarius, qui de bello ac pace deliberant. Victi ſunt fortaſſis tamen ambo a POLYBIO, qui tantus Politicus extitit, ut tota Achaja, civitatum ſuarum νομοθέτην eum conſtituerit. Diffuſus nempe & magnificus ſcriptor, hoc habens peculiare, ut geographica exemplo EPHORI & ERATOSTHENIS religione quadam perſequatur, ſicut de eo teſtatur CHRISTOPHORUS COLERUS in *epiſtola de ſtudio politico recte ordinando.*

CXIV. DIONYSIUS HALICARNASSENSIS romanæ hiſtoriæ exordia prudentiſſime pertractavit; in actu rerum armorumque tractandorum peritia tamen, minus valuit Polybio. Ad primum bellum punicum pervenit. Statum, mores legesque civitatis expoſuit, hoc pacto oſtendens, ſe non tam hiſtoricum, quam politicum agere.

CXV. Inferior haud multum hoc fuit DIO CASSIUS, qui itidem de rebus romanis agit. Hic ſane, ſi totus exſtaret, pauca in romana hiſtoria eſſent deſideranda. *Sed accidit illi, quod iis, quibus reliqua membra, violata quidem & truncata ſunt, ſed intacta & honeſta facies permanſit. Ita illæſa & inviolata eſt illa Dionis hiſtoriæ pars, quæ de rebus pulcherrimæ & florentiſſimæ Romæ agit,* ſicut erudite de eo ſentit CHRISTOPHORUS COLERUS in modo laudata Epiſtola. Σύγχρονος porro ejus fuit HERODIANUS, non ita preſſus vero rerum & ſententiarum pondere, quam DIO CASSIUS.

CXVI Præter hos romanarum rerum ſcriptores, duo adhuc græci in prudentia civili ſunt memorandi, PLUTARCHUS nempe, nulli veterum Philoſophorum ſecundus in *vitis parallelis*, & FLAVIUS JOSEPHUS in toto commentario de bello judaico & libris contra Appionem.

CXVII. Inter latinos antiquos TITI LIVII hiſtoria eſt ampliſſima. Qui enim romanas res ſolidius tractarit, non occurrit. Utinam haberemus integrum: *Tanta in eo eloquentiæ vis eſt*, inquit COLERUS, *ut lectorem ſæpe ſiſtat & obſtupefaciat. Olim quosdam ita cœperat, ut a Gadibus usque Romam videndi Livii cauſa properaverint, quo viſo eo, unde venerant, ſtatim redirent,* quemadmodum S. HIERONYMUS in epiſtola quadam refert.

CXVIII. Æque amplus eſt argumento, ſed nonniſi compendio VELLEJUS PATER-

CULUS,

(*a*) *Arcana ejus iuris.*) Quod magna cum laude noſtri ſeculi inſigne decus præſtitit Illuſtris THOMASIUS in *Commentario ad Lancellotti Inſtitut.* & in variis aliis eruditis ſcriptis. Rumpantur ut ilia Codro.

Digitized by Google

CULUS, qui ubique eleganter & ſupra vulgi conſuetudinem loquitur: & FLORUS, imaginem totius reipublicæ romanæ exprimens, uterque prudens & civilium rerum peritia clarus. Quæ ſuperſunt hodie SALLUSTII, civiles motus & corruptæ reipublicæ mores egregie repræſentant.

CXIX. Quodſi judicium politicum, ſi exactam tractandi rationem reſpicias, CORNELIUM TACITUM ſeveriſſimæ ac profundiſſimæ prudentiæ autorem, omnibus tam Græcis, quam Latinis præferre non dubitamus. In Tyrannorum, Claudii, Neronis, Galbæ, Othonis Vitellii factis enarrandis alias hæret totus, præter illa, parum exhibet, quod noſtri ſit fori. Nec enim illos audiendos putamus, qui unum Tacitum omnis prudentiæ fontem conſtituunt, quod ipſum Cl. noſter CONRINGIUS poſt CASAUBONI *Præfat. ad Polybium*, egregie obſervavit. Multo minus reliqui Cæſarearum vitarum ſcriptores ſollicitandi. TRANQUILLUM tamen, qui vitas duodecim Cæſarum priorum confecit, ſedula manu volviſſe, non adeo illaudabile fuerit, licet ſcribendi ratio momentis negotiorum explicandis non perinde apta videatur. Interim Aulici ac Politici non exiguum fructum ex hoc capient, ingenia enim & mores Principum, liberrimo ſtylo perſequitur.

CXX. Quam utilis vero quondam fuerit TROGUS POMPEJUS, monſtrat ex Epitome ejus Iuſtiniana Ampliſſ. CONRINGIUS in *civili Prudentia c. XIV.* Generalem hiſtoriam a Nini temporibus ſcripſit non ſine priſcæ eloquentiæ laude. Nec fere alia, quam bellicos motus narrat Q. CURTIUS, politico tamen ipſiſmet Cæſaris commentariis in quammultis commodior. Ætate & ſtylo omnibus hiſce inferior, neutiquam tamen prudentia, rerum gerendarum quaſi anima, AMMIANUS MARCELLINUS.

CXXI. Minorum gentium hiſtorici ſunt AURELIUS VICTOR, SPARTIANUS, LAMPRIDIUS, VOPISCUS, CAPITOLINUS, ex quibus magnam rerum verborumque copiam haurire poſſumus. HERODIANUS & XIPHILINUS non ſunt contemnendi hiſtorici. Sic AURELIUS VICTOR ſua ſimplicitate diligentioribus ſtudiis poteſt præludere. NICETAS, magnus civilis prudentiæ magiſter fuit. CEDRENUS & ZONARAS reipublicæ ſatis gnari fuere. CHONIATES errorum vacuus non eſt, & dum ab aliis diſſentire geſtit, Siculis gerris vaniora comminiſcitur. PROCOPIUS (*a*) de rebus goticis aliiſque ſatis copioſe ſcripſit.

CXXII. Ceterum, ex quo tempore poſt barbaram tempeſtatem humanioribus litteris ſua iterum gloria rediit, nulla fere Europæi orbis gens non ad Græcorum Romanorumque gloriam conſtanter propagandam adſpiravit. Ut autem res germanicas cum aliis quibusdam exteris nunc tantum tangam, SLEIDANI commentationes *de ſtatu religionis & Reipublicæ* maxima doctrina ac prudentia ſunt refertæ. Nec *hiſtoria Concilii Tridentini* PAULI SERVITÆ ſuo fructu caret. Ingens quoque ad prudentiam parandam afferunt momentum in Belgicis, HUGO GROTIUS & DOMINICUS BAUDIUS: in Helveticis GUILLIMANNUS; in Auſtriacis G. de RHOO: in Geldricis PONTANUS: in Bajoaricis JOANNES AVENTINUS & BRUNNERUS: in Friſicis WINSEMIUS & UBBO EMMIUS: in Francicis PAULUS ÆMILIUS VERONENSIS: in Anglicis POLYDORUS VIRGILIUS: in Scoticis BUCHANANUS: in Hiſpanicis IOANNES MARIANA: in Danicis MEURSIUS & PONTANUS: in Suecicis LOCCENIUS; in Hungaricis STEPHANUS ISTUANFIUS: in Polonicis STANISLAUS LUBIENSKIUS & alii, quorum catalogum nobis in nobiliſſimo ſuo de *Civili Prudentia* Acroamatico opere exhibet Ampliſſimus noſter Conringius.

CXXIII. Præter hiſtoricos, etiam nonnulli ſcriptis epiſtolis de maximis ac graviſſimis reipublicæ negotiis tractarunt. Tales epiſtolas multas CICERO ad *Atticum & Familiares* ſcripſit, quarum tamen nonnullæ virorum tantum curas ex rei familiaris notitia ortas, tangunt; vel civilia & politica de ſtatu temporum, periculis reipublicæ, conſiliis prudentum & ſimilibus rebus pertractant; illæ vero *ad Atticum*, πολιτικώτατον opus ſunt. Ut adeo cum Clariſſ. Dn. BOECLERO non videamus, quomodo Ciceronianæ epiſtolæ, quæ adultioribus profectibus erant ſervandæ, pueris juſto cum fructu poſſint proponi, utpote quorum captum tranſcendunt, & præter notitiam reipubl. Romanæ judicium politicum requirunt; qualibus tamen ſubſidiis caret pueritia. Fruſtra ſane erit, qui in epiſtolis ad Atticum, quæ judice HUGONE GROTIO, *interpretem romanæ hiſtoriæ peritum magnamque romanarum rerum notitiam requirunt*, de ſtylo tantum cogitabit, is enim, niſi materia probe fuerit cognita, nunquam poteſt eſſe diſcentibus utilis. Ne tamen illos, quorum conatus adhuc in rudimentis grammaticis hærent, a Tulliana elegantia arcere videamur, non vituperabimus eos cum Clariſſ. BOECLERO, qui pro pueris ex toto opere ciceroniano jucundas hiſtorias, narrationes, locos communes & ſimiles particulas colligunt, quibus animi tenelli ad amorem ciceronianæ dictionis imbuantur. Certe nativa illa ſtyli puritas ac ſimplicitas inter prima latine proficientium ſtudia poni debet, & nunquam ejus cura deponenda, ſed per omne ætatis ſtudiique tempus continuanda. Solus enim ſtylus eſt optimus ac præſtantiſſimus dicendi magiſter, qui per ſeſe judicium acuit, & recte dicendi facultatem parit ac confirmat. Sed in pueris diſtinguenda eſt ætas, quæ tantum artificium, quantum in ciceronianis ad Atticum & Familiares epiſtolis deliteſcit, nondum aſſequitur.

CXXIV. Quæ inter latinos veteres extant aliæ epiſtolæ, a SENECA, PLINIO, SYMMACHO,



(*a*) *Procopius.*) LEONARDUS ARETINUS hiſtoriam gothicam Procopii primus edidit latinam, nomenque autoris ſubdole prætermiſit, ſuum quod habuit proprium ſubſtituit, totumque opus tanquam a ſe pervigili diligentia collectum, Iuliano Cardinali inſcripſit, & creditus eſt auctor, usque dum PERSONA ROMANUS fraudem patefecit. TILMANNUS in diſcurſu philol. de hiſtor. delectu. p. 41. Optimam Procopii editionem latinam debemus GROTIO.

Digitized by Google

CHO, CASSIODORO, & SIDONIO APPOLLINARI exaratæ, parum aut omnino nihil conferunt doctrinæ politicæ. Nec a Ciceronis usque ætate per complura ſecula ſimile quid natum eſt. Poſt renatas vero meliores literas hujus notæ epiſtolas reperire licet non paucas; inter quas ſuo jure eminent FöRSTNERI, GROTII, LIPSII, BUSBEQUII, ÆNEÆ SYLVII, ERASMI, MURETI, MELANCHTHONIS & CAMERARII epiſtolæ non perinde multum juvant politicam prudentiam, propter rerum gravitatem tamen legendæ.

CXXV. De ſingularibus negotiis civilibus non eſt, cur nos in operoſum immittamus diſcurſum, pauciſſimi enim ea attigere. Inter latinos optimus eſt CICERO, hoc habens peculiare, quod in omni gradu ac genere eloquentiæ excellat, & in orationibus ſuis ſemper de aliqua reipublicæ parte tractet. Inter Græcos eſt DEMOSTHENES. Sane ars oratoria τῷ πρακτικῷ quodammodo eſt neceſſaria, non tamen temere dixerimus, quod oratorium enthymema vim ἀποδείξεως πολιτικῆς ſemper abſolvat. Interim illæ orationes ſunt ſeligendæ, quæ ſunt generis deliberativi.

CXXVI. Præterea non inutiles ad hunc ſcopum erunt veterum Tragœdiæ: Monita itidem politica & univerſalia præcepta non contemnenda, Aphoriſtica illa, quæ Salomonis & Syracidis nomine in Bibliis exhibentur, ſuam etiam gratiam habent. Et licet non ſolam tangant rempublicam, bona tamen ex parte ſunt politica, imo ex ipſis prudentiæ viſceribus extracta.

CXXVII. Quibus porro glorioſum viſum, politica negotia ſcientifice pertractare, eos in prima diſſertationis hujus acie collocavimus; eminent inter illos PLATO & CICERO in optimis *de republica & legibus* operibus. Aſt præter ARISTOTELEM neminem offendimus, qui integrum civilis prudentiæ corpus exſtruxerit. Cetera, quæ in Ariſtotele eximia habentur, tanti ſunt, ut nulla lingua iis extollendis par ſit. Sane ſicut nullus olim pictorum ea felicitate Veneris effigiem, quæ ab ipſo Apelle primum fuerat delineata, potuit abſolvere: ita errant illi hodie, qui ſuæ imitationi tantum ſubjiciunt doctorem, cujus lineamenta ne quidem aſſequi valent. Solus enim ARISTOTELES præter accuratam demonſtrandi peritiam rerum civilium hiſtoriam omnem habuit in promptu. Cujus rei teſtes afferre poſſumus longe graviſſimos, LAERTIUM videlicet, aſſerentem, *Ariſtotelem centum quinquaginta octo politias edidiſſe.* Imo CICERONEM Lib V. de Finib. docentem, *eum omnium ferme civitatum, non Græciæ ſolum, ſed etiam Barbariæ mores, inſtituta ac diſciplinas deſcripſiſſe.*

CXXVIII. Nec ab hac ſententia diverſos videas AMMONIUM, qui eum ad Brachmanes usque perveniſſe ibique ducentas quinquaginta quinque politias condidiſſe, etſi inepte, aſſerit; & VARRONEM, optimum illum latinæ linguæ interpretem, a quo Ariſtotelis ſcita Barbarorum citantur. Denique magnum illum eruditorum Phœbum, DANIELEM HEINSIUM, qui orat. *de civili ſapientia* dicit: *peregrinari eos in hiſtoria omnique antiqua memoria, qui Ariſtotelem nihil præter umbraticum doctorem fuiſſe nullamque reipublicæ partem attigiſſe exiſtiment: ſibi enim* (pergit judicioſiſſimus vir) *non videri veroſimile, Ariſtotelem ſub tam vafro Principe, qualis erat Philippus Macedoniæ Rex, tanquam ſtipitem aut fungum ſediſſe, aut cucurbitas pinxiſſe, aut nihil præter animalia diſſecuiſſe?*

CXXIX. Atquæ hæc ſunt, quæ ex infinito longeque patente campo viſum eſt contrahere. Interim ſi non omnibus ſatisfecero, nihil novi mihi accidet, meliora potius ab aliis exſpecto, δευτέρας φροντίδας mihi reſervans. Quum enim diſſertatio hæc perfectioris tractationis metam ſibi non præſtituerit; confido tamen, ſatis copioſam materiam datam eſſe iis, qui una nobiscum ingenia exercebunt. Qua fiducia fretus, divinum Numen devota mente precor, ut Germaniam noſtram ſub onere maximarum calamitatum gementem, inter vera ac ſolida ſapientiæ ſtudia florentem conſervet, animosque mortalium a perfunctoria ſcientia ad ſolidioris profectus amorem ſuo numine nutuque traducat. Sic fiet, ut poſthabitis hujus mundi næniis veræ ſapientiæ rationem habeant, & talentum, quod fidei ſuæ concreditum ſciunt, Deo creditori olim non ſine uſuræ acceſſione reſtituere poſſint. Quod cum omnibus candidis rerum æſtimatoribus ex animo voveo & hoc nomine hanc σκιαγραφίαν obſigno.



Digitized by Google

# Diſſert. IV.

## CASPARIS SCIOPPII
# PAEDIA POLITICES
## ET
## GABRIELIS NAUDÆI
# BIBLIOGRAPHIA POLITICA
## UT ET EJUSDEM ARGUMENTI ALIA.

Cura H. CONRINGII.

## Dedicatio.

*VIRO GENEROSO*

**SVEDERO THEODERICO KLEIHE**

Regio Svecico Conſiliario & Regiminis Ducatus Bremenſis ac Verdenſis Præſidi &c.

*S. P. D.*

HERMAN. CONRINGIUS.

*OMnes homines, prius aliquod opus quam aggrediantur, ſummo utique niti ſtudio decet, quo inſtituti operis naturam conditionemque probe exacteque intelligant; quid alienum nempe ab illo ſit, quid illi proprium atque ad conſummatam ejus perfectionem pertineat, quibus modis & inſtrumentis debeat effici, quis ordo denique in agendo ſit obſervandus. Enimvero quem horum quidquam fugit, næ! ille non multum poterit labi ac decipi, eoque ſæpenumero oleum, quod ajunt, atque operam perdere. Quandoquidem præterea raro contingit, uti ſine magiſtro artem efficiendi alicujus operis aſſequaris, manifeſtum hinc eſt, etiam optimos magiſtros artis prænoviſſe, apprime eſſe utile, ſi non neceſſarium; ac proinde opus aggreſſuro hoc quoque provide faciundum. Quod in univerſum autem quodvis ad opus probe exequendum exigitur, idem in ſcientia atque arte qualibet venit uſu. Quælibet ſcilicet earum poſtulat ſui aliquam προϋπαρχόσαν γνῶσιν: qua haud inſtructus, ſi exacte diſcere illam tentaveris, perinde ferme fuerit, atque ſi pedibus deſtitutus progredi conaberis. Non equidem nego, & rudem hominem poſſe aliqua prodire tenus; ut idem autem non frequenter vel ceſpitet, vel præter propter divagetur, vel hæreat in alienis, vel ignoret, quæ ſcire par erat, vel incerta pro certis amplexetur, vel neſciat, qui ſectandi ſibi ſint, cavere haud poterit. Et vero docet utique hoc ipſum omnis pene ævi uſus. Quod ſane tot artes ſcientiasque æmulantium ſtudia, labores, impenſæ, parum adeo hactenus profecerint, quodque ea ſit perfectorum undique ſcriptorum raritas, ingens autem copia ſeu plane ineptorum ſeu plebejorum, fortaſſis huic uni imperitiæ haud injuria adſcripſeris. Perſpexit hoc ipſum jam olim optimus docendi maximuſque magiſter Ariſtoteles: ac proinde ad accuratiores quaſque ἀκροάσεις admiſit neminem, niſi qui præter alias diſcenti cuique neceſſarias virtutes &* eruditionis *attuliſſet* elementa; *ut Gellius quidem vertit illa Græca, τὰ τῆς παιδείας ςοιχεῖα. Quantumvis enim poſſit videri, id quod placuit doctiſſimo Nunneſio, illis vocibus intellectas olim liberales artes quæ appellantur, quaſi illæ ſint Philoſophiæ velut προγυμνάσματα; quandoquidem tamen in ſuperſtitibus ſummi illius viri voluminibus, illa ipſa quam diximus peritia παιδεία, ejuſque ignoratio ἀπαιδευσία audit, & huic tot circa ſcientias ipſas ab aliis commiſſi errores adſcribuntur, illam vero ſemper prædiſcendam eſſe usque adeo ſedulo urgetur: cui fiat veroſimile, non hanc potiſſimum præviam peritiam παιδείας nomine Ariſtotelem poſtulaſſe? Ego ſane & conſilio & exemplo tanti viri monitus, nihil unquam in docendo prius habui: quam doctrinæ cuivis ſuam pædiam præmittere, adjuncta ſemper exacta recenſione omnium hactenus editorum illius argumenti ſcriptorum; quoniam hoc etiam, cum praſcire diſcentibus neceſſarium, tum prædocere ingenui fideliſque magiſtri in officio eſſe, exiſtimaverim. Quin imo, haud ſatis habui ore hoc agere: illi fini ſimul & libellos aliquot condidi; nuperque adeo, qui ſeorſim civili Philoſophiæ diſcendæ inſerviant, binos publicavi. Iis vero & aliorum iſtius generis opuſcula quædam addere, operae fore pretium judicavi: quandoquidem viſa illa mihi ſunt itidem prae aliis pereximia atque utilia, in nonnullis fortaſſe etiam meis meliora, inventu tamen noſtris hominibus rara, quorum debebant in manibus verſari. Sed & ita demum omni illa curâ Paediae Politicae liberari me poſſe cenſui: quò im-*

poſtu

poſterum liceat mihi inoffenſo pede ad ipſam illam Philoſophiam publicis ſcriptis juſta ἀκριβείᾳ excolendam progredi. Apud eos nimirum, qui non amplius ἀπαίδευτοι ſed πεπαιδευμένοι fuerint; quales lectores auditoresque τὰ ἀκροαματικὰ quæque, ac proinde & Politica ipſa Philoſophia, non vulgi jam more, ceu hactenus fere eſt factum, verum ad accuratæ ſcientiæ inſtar pertractanda, unice exigunt. Cæterum tibi quidem potiſſimum, Generoſe KLEIHE, hos libellos nunc ego mitto, quandoquidem ipſos eorum auctores, Grotium, Scioppium, & Naudæum cum vivos, familiarius noviſti, tum ob ingenii præclara monumenta etiamnum ſingulari cultu proſequeris. Non poſſunt quoque non delectare Te multum hæc Politica προπαιδεύματα, quoniam ducunt manu ad illam Prudentiam plene exacteque diſcendam, quam tot jam annos, ampliſſimis in republica muneribus, pace belloque, domi item ac foris, ſumma cum nominis laude, & hinc ipſiusmet etiam incomparabilis quondam Regis & vere Herois CAROLI GUSTAVI inuſitata benevolentia ac favore conciliato, feliciter exerces. Quinimo auſim equidem ſperare, ſolito etiam gratiora tibi hæc futura, propterea quod a mea manu, omnia infinitis locis ſint correcta atque ad uſum aptiora reddita, Scioppiana vero ſimul, quam meruerant, animadverſionem acceperint. Neque vero mihi latet, quantum me ames, quamque tu ſoleas, ut ille olim ſui Catulli,

Meas eſſe aliquid putare nugas.

Ac proinde non equidem dubito, quæ publice nunc mitto publico, te etiam favore dignaturum: idque, ut in publicum quoque prodas illum amicum animum, quo me a multis jam annis in arcano quaſi es proſequutus. Neque vero fas fuerit, ut ſacra amicitiæ noſtræ ſive tu, ſive ego apud quenquam diſſimulemus. Equidem Deum veneror, ut diu queas, ceu hactenus, reipublicæ prodeſſe; præſertim in tranquilliore illo & ſummo munere, quod poſt exantlatos graviſſimos labores, quaſi in ſolatium & præmium, prudentiſſimorum regni procerum judicio, nunc aggrederis.

## HERMAN. CONRINGIUS
# BENEVOLO LECTORI
## S. P. D.

Editis in lucem & Propoliticis & libro de civili Prudentia, potuiſſem equidem cenſeri, jam ſatis me feciſſe officio, nec abs me amplius circa Pædiam quidem Politicam jure quidquam deſiderari. Quandoquidem tamen etiam ab aliis iſthoc in argumento egregia navata eſt opera, quorum libri itidem civilem Philoſophiam æmulantibus queunt inſigni eſſe uſui, non permittendum cenſui, illos quaſi ſubductos jam eſſe manibus, vel certe minus debito verſari. Nec enim illo ſum animo, ut me ſolum legi & æſtimari velim, reliquos negligi vel contemni: quantumvis forte plus, quam alios in hoc campo me ſaltim laboraſſe, [quid enim præſtiterim, alii judicaverint] citra arrogantiam queam profiteri. Et vero ſvadeo ego etiam atque etiam, ut non mea duntaxat, ſed etiam aliorum παιδευτικὰ ſcripta Politices ſtudioſi terant diligenter. Nec enim non & ab aliis operæ hic eſt factum ſuum aliquod pretium. Hujus enim utique argumenti fere ſunt Antonii Quærengi Patavini quinque libri, a Leone etiam Allatio in Apibus Urbanis laudati. Quorum I. inſcribitur: De unica totius Politicæ methodo, & Averrois vera ſententia in explicatione ſubjectæ materiæ librorum ad Nicomachum. II. De Platonis, Ariſtotelis & Polybii politicis in rebus diſſenſione. III. Quarum artium univerſalis Politice præſertim ſit architectonica. IV. De Hiſtoriæ pragmaticæ polybianæ triplici fine: unde ſcriptoris officia vel negligenter vel prave a Luciano tradita, eliciuntur. V. Veterum Hiſtorici qua in re differant a Pragmaticis. Pædeutici etiam ſunt Joannis Caſelii Propoliticus & qui πολιτευόμενος vocatur: vel ideo majoris æſtimandi, quod primi in Germania vindicaverint hanc Philoſophiam a Romani juris peritia, quæ in nomen illud apud nos paſſim improbo auſu involaverat. Hujus loci quoque ſunt & Joannis ab Affelen Vir Politicus & Joannis Bornitii. De Prudentia Politica comparanda politicus Diſcurſus. Non alio pertinet & Danielis Heinſii Oratio de civili Prudentia. Quantumvis vero non equidem ſcripta hæc aſperner, ſed omnino commendem, illorum tamen omnium novam dare editionem, non duxi ex re fore; idque quandoquidem vel ſunt jam in manibus vel non tanti, ut aliis ſuppetentibus opus ſit horum lectione deſideria & tempora ad ipſam Politicam ſcientiam adſpirantium remorari. Publicavi igitur duntaxat non niſi hæc, quæ vides opuſcula, quandoquidem & rariora ſunt viſa, & præ aliis habere aliquid eximium.

Dedimus autem primum hoc in ordine locum libello Gaſparis Scioppii, non quod præſtantior reliquis, ſed quod argumentum videretur illum ſibi poſcere: ipſam nimirum Pædiam illuſtrare conatus: & hactenus in Germania liber paucis fuerit viſus, Romæ duntaxat & Mediolani ſemel editus. Nec tamen titulo, liber ipſe reſpondet: cum partem duntaxat Pædiæ illius tangat, quam univerſam titulus pollicetur: ceu apparebit facile noſtra cum hiſce conferentibus. Habet vero liber ille cumprimis hoc egregium, quod doceat, minus rectarum quoque rerumpublicarum inſtitutionem, a Politica doctrina abeſſe haud oportere: qua in re & olim a ſcientiæ hujus magiſtris fuit peccatum, & hodie impingitur paſſim graviter. Cæteroquin recta omni ex parte reliqua haud dixeris. Adeo ſane multa, minus proba, edenti mihi occurrerunt, ut veritus incauti lectoris deceptionem, cenſuerim opus eſſe meis in quædam loca Animadverſionibus: quas proinde ſub finem voluminis attexui. Suſpicor pene, ut alia, ita etiam hunc librum editum a Scioppio, quo Jeſuitis ægre faceret, qui N. Machiavelli ſcriptis ſacrum exilium in romana curia procuraverunt, edita illa, perquam inepta licet, Antonii Poſſevini in Machiavellum cenſura. Olim ſane, ipſe Scioppius (inter probra) Machiavelli doctrinam, Danieli Eremitæ objectaverat in ſua Oporini Grubinii ficto nomine edita Amphotidum Mantiſſa: nondum plene ardens Jeſuitarum odio.

Digitized by Google

*odio. Jam tum enim quidem inter illos minus bene conveniebat, quod hic non dubitaſſet quadam Jeſuiticæ diſciplinæ, quantum ad humanitatis ſtudia politioremque literaturam attinet, reprehendere, illi vero ſua omnibus numeris perfecta & conſummata venditantes æquis auribus haud excepiſſent reprehenſiunculas: quin ea propter ex injuriis ſibi factis Scioppius quidem prope ad graviſſimas inimicitias cum quibusdam ſociorum jam deſcenderat: quod Mantiſſa ipſa docetur. Verum hæc inimicitia non niſi levia fuerunt exordia: quæ tempore creverunt tandem in odia plusquam Vatiniana, famoſis utrimque publicatis libellis etiam in vulgus haud diſſimulata. Etenim veluti Scioppio animus inquietus, elatus, neſcius cedere, ſagax vitiorum hoſtilium inquiſitor, eorumque in vindictam contumelioſus proditor: ſic Jeſuitis ex adverſo par indoles, at potentia ſeſe ſuaque tuendi atque vindicandi imo & lædendi longe fuit maxima. Et vero hanc quoque Scioppii Pædiam ad ſuam injuriam pertinere creditum Jeſuitis: eoque & Henricus Wangnereckius Jeſuita Dillinganus acrem illi & conviciis refertam cenſuram oppoſuit: quamvis in Machiavello inſectando potiſſimum occupetur, & nimis aperte præ ſe ferat cum iniquum in Scioppium animum, in ſcirpo quærens nodos, tum civilis Philoſophiæ & ipſiusmet Logices magnam inſcitiam. Hic videlicet ille eſt (quantum ex viris fide digniſſimis intellexi) qui etiam Erneſti de Euſebiis ficto nomine, poſt turbavit adeo Pacis Germanicæ negocia, inſano duntaxat religionis prætextu auſus ipſamet humanæ ſocietatis fundamenta convellere, Theologus inepte ſuperſtitioſus, & Politicus indoctiſſimus. Defuiſſe autem & Scioppio ſolidam Politices peritiam, produnt præter hunc libellum & ſcripta ejus reliqua omnia: in quibus hujus vix aliquod repereris veſtigium. Quo factum quoque arbitror, ut denique in, neſcio cujus ordinis, vaniſſimum formatus vatem, non jam Politicus, ſed divinus, fata Illuſtrium quarumque familiarum prædicere ſit conatus: quo tempore Jeſuitas metuens Patavii quaſi in cuſtodiam ſeſe ſponte compegerat.*

*Plenior longe bonæ frugis eſt Gabrielis Naudæi Politica Bibliographia: quippe qui exhibeat inuſitatam copiam politicorum voluminum, idque judicio ſic ſatis exquiſito. Nec vero ea in re quisquam illi temere par: ut fuit revera dum viveret* βιβλιοθήκη *quædam* ἔμψυχος, *qua laude Dionyſium Longinum affecit quondam Eunapius. Nec tamen ego vel illius libri probaverim omnia. Utique enim nimis multus eſt in iis, quæ ad Philoſophiam iſtam civilem neutiquam faciunt. Qualia ſunt, quæ de moralis & oeconomicæ doctrinæ, ad pag. usque 59. a pag. item 73. ad 79. religioſarum controverſiarum: pag. 30. de exoticarum rerum: pag. ſequente de litium inter aliquot noſtri temporis respublicas verſantium: pag. 84. & 85. de ſingularium certaminum: pag. 97. ad 100. de artificii epiſtolici: a pag. 102. ad 107. de cognoſcendorum animi latentium affectuum: & pag. 109. de Artis hiſtoricæ, ſcriptoribus adferuntur. Nihil quidem horum non ſcitu utile eſt homini Politico, & in vita civili: verum non id omne ad Philoſophiæ hujus locum pertinet. Pari ſane jure nihil non librorum Politicis annumerandum eſſet: cum eorum nihil non vitæ civili inſerviat, præſertim, ſi Practici ſit argumenti aut Artis alicujus opera illuſtret. Sunt porro complura ſcripta ad Philoſophiam hanc diſcendam perutilia quorum nullam reperias ibi mentionem: ceu facile apparebit ſaltim ultimum libri mei de civili Prudentia caput conferentibus. Ordo quoque tractandi haud parum eſt deſultorius: non utique formatus ad juſtos comparandæ illius Prudentiæ gradus, exordio ſcilicet capto ab experientia ſingulari ad univerſalia axiomata, & hinc facto progreſſu ad* τὰ ἐπιςημονικὰ, *ſive particulatim ſive totius methodi. Vereor etiam, ut dictionem recte ſemper ſeſe habere jure dixeris: quamvis plærumque elegans ſit & arguta. Nec alienum tamen ſupereſſe, nec deeſſe quidquam neceſſarium, nihil etiam niſi probe ordinatum & perſpicua oratione propoſitum, inveniri in quovis conſummato libro oportere, notum eſt. Quin ipſemet Naudæus, ut erat vir optimus, agnovit ultro ſui hujus libelli non ſatis exactam* ἀκρίβειαν *in ſua ad me Epiſtola, culpamque eſt deprecatus. Improbus vero fuerit, qui formoſum illud corpus ob exiguos aliquot nævos criminetur. Præſertim cum librorum illa alienorum recenſio, politica licet non ſit, tamen inſigni utilitate non careat. Mihi ſane mirifice placuit ſemper libellus, vario ſuo quod mihi etiam præbuit commodo. Nec vero non facile ignoſco qua etiam parte nonnihil diſplicet: miror potius hominem a Bibliothecis remotum, eam librorum vim de memoria promere potuiſſe. Hinc adeo nunquam non laudavi aureum opuſculum ex merito: nec detrectavi nunc laborem cum ab infinitis mendis illud liberandi, tum quo ordo nonnihil ſolito magis pateret, numeris illud margini appoſitis & literis majuſculis diſtinguendi, ſubjuncto item indiculo uſui multo aptius reddendi. Neque vero non hæc editio omnibus aliis, ipſimet etiam Venetæ, longe præſtat, ſive emendationem ſpectes ſive uſum ipſum. Quod haud difficile fuerit perſpectu hanc cum aliis juſta induſtria contendentibus.*

*Hugonis Grotii Epiſtola, quam ad Benjaminum Auberium ſcripſit, parva quidem mole eſt, ſæpius etiam edita: veruntamen digna omnino mihi viſa, quæ ſubjungeretur, vindicata ſimul a mendis, quæ irrepſerant. Magnum ſcilicet & acre fuit viri nunquam ſatis laudandi, ut in aliis, ita etiam in hiſce judicium: quod deinceps longo rerum maximarum uſu plurimum eſt roboratum. Quantum ſane ille valuerit in civilibus quoque negotiis æſtimandis, luculento ſunt teſtimonio & Hiſtoriæ belgicæ & quæ hactenus lucem nondum videre complures Epiſtolæ Politicæ. Ut proinde etiam in optimorum ſcriptorum cenſura poſſis ſecure ſatis Grotio credere: certe non temere ab illa ſit abeundum.*

*Majore quam ipſa Grotiana ſtudio elaborata eſt Chriſtophori Coleri Epiſtola. Elegans etiam eſt & nitida. Judicat plærumque optime. Ego ſane non niſi in paucis ab illa diſſenſerim. Non tangit tamen, ceu par erat, illa omnia, quæ Politicæ diſcendæ commoda ſunt: ex adverſo laudat alia a ſtudio illo aliena. Multo minus autor potuit indicare verum Hiſtoriæ uſum: non ſatis gnarus ſcilicet, quid ab experientia, quid a ratiocinatione Philoſophia iſthæc queat: conſequi. Nihilominus meretur iſthæc Epiſtola etiam ſæpius repetitam lectionem cujusvis, cui Politica ſtudia cordi ſunt. Atque adeo hac de cauſſa dedimus & illi ſuum in hac farragine locum, quamvis ultimum.*

*Cæterum de inſtituto noſtræ hujus editionis ſatis dictum eſt. Tu Lector benevole, fave huic, etiam noſtro, in commodum publicum impenſo labori, eoque utere, fruere; atque jam impoſterum a nobis, ipſammet civilem Philoſophiam, ſaltim per partes, exſpecta. Nec enim iſti etiam tuæ exſpectationi defuerimus: modo tu, favere perrexeris; contemptis mecum, cum aliis improbis voculis, tum illis immanibus convitiis, quæ nuper in me, ille ſpe & voto hiantem corvum miſere deludente, ex inepto aulico* cancellorum inſpectore *(agnoſcis λέξιν thaboricam) in ſcholaſticum ridicule deformatus ſycophanta, incertum quo* dizytho *furioſe ebrius, ore impuro evomuit. Helmſtadii in Academia Julia, Anno M DC LXXIII. Prid. Non. Auguſt.*

## *C. V.*

# CASPARIS SCIOPPII

*CÆSARII ET REGII CONSILIARII.*

# PAEDIA POLITICES

SIVE

*SUPPETIÆ LOGICÆ (a) SCRIPTORIBUS POLITICIS LATÆ.*

ADVERSUS ΑΠΑΙΔΕΥΣΙΑΝ ET ACERBITATEM PLEBEIORUM QUORUNDAM JUDICIORUM. (b)

## Cum Notis, & adverſionibus Conringii.

### *Lectoris Admonitio.*

§. I. Quo minus novum aut mirum tibi accidat, Lector benevole, quod multis Politicorum cenſori-

*Notæ, & animadverſiones Conringii.*

(a) ***Suppetiæ Logicæ.***) Propoſitum ſcilicet Scioppio eſt oſtendere, immerito Politicos quosdam ſcriptores, qui docent malas artes regendarum quarundam rerumpublicarum, interque eas tyrannici quoque regiminis, a cenſoribus nonnullis coargui, tanquam illa doceant, quæ docere eſt nefas, vel ſaltim neutiquam conveniunt civili Philoſophiæ. Ille vero conatur ex paideutica Logices doctrina oſtendere, etiam prava illa non aliena eſſe a politica prudentia. Atque illud quidem non male. Ut autem poſt patebit, ita hoc argumentum tractat Scioppius, ut multa ſimul haud toleranda admiſceat.

(b) ***Judiciorum.***) Wangnereckius Jeſuita, præfatione ad Lectorem in Vindicias ſuas contra hunc Scioppii librum, teſtatur, romanæ primæ omnium editioni, quæ anno M DC XXIII. ex typographia Andreæ Phæi prodiit, tituli verbis adjectum eſſe: *Ad Ludovicum Ludoviſium S. R. E. Cardinalem & Camerarium.* Idem adducit nonnulla ex ſcioppiana ad Cardinalem illum Epiſtola. Verum Romana illa editio hactenus non incidit in manus meas. eoque coactus ſum exprimere mediolanenſem anni ſequentis, quæ & Ludoviſii nomen libri titulo, & præfatoriam epiſtolam libro ipſi detraxit, neſcio, quo conſilio aut qua de cauſſa. Non fuerit tamen abs re etiam hic addere, quæ ex Epiſtola iſta Scioppii Jeſuita ille recitat. *Hoc* (inquit) *Scioppius egit, cum in dedicatione ad Cardinalem Ludoviſium ſcribere auſus eſt: Se ſummo Pontifici* (Gregorio XV.) *patruo ipſius, cum Mediolani ſuperioribus annis fungeretur legatione, non ſemel in familiari ſermone demonſtraviſſe*, Machiavelli ſcilicet adverſarios, *magnam hinc Eccleſiæ Romanæ invidiam facere conatos eſſe, quod peſtifera, velut ipſi cenſent, & regnis rebusque publicis exitioſa Politicorum quorundam præcepta, conſcio atque annuente Pontifice, Romæ primum edita, atque a pluribus deinde Pontificibus tolerata, ingentes in orbem Chriſtianum calamitates invexerint. Et ſub epiſtolæ finem jactat, hanc Artis pædiam ex ipſius Ariſtotelis & D. Thomæ præceptis & exemplo eſſe deformatam, & illorum peritiæ potiſſimum, oppoſitam, qui per latus ſcriptorum Politices Apoſtolicam ſedem ſauciare, & autoritatem Eccleſiæ Romanæ diluere conantur.* Hæc Wangnereckius ex ſcioppiana epiſtola. Recte vero advertit idem ille, patere hinc, quod Scioppius quam maxime ſtuduerit, Machiavelli Politica ſcripta a duris Eccleſiæ Romanæ cenſuris liberata revocare in liberas legentium manus. De Machiavello enim ejusque cenſoribus agere Scioppium, apertiſſimum eſt. Cæterum, non ſatis prudenter cenſores illos conſuluiſſe exiſtimationi romanorum Pontificum, qui Machiavelli illa initio ampliſſimis privilegiis & laudibus munita curaverant prodire in lucem, aut qui poſtmodum ſatis diu illa toleraverant, ipſemet etiam ego Scioppio aſſenſerim. Non etiam cenſoribus credo, *ingentes calamitates in Chriſtianum orbem* Machiavelli illis ſcriptis *invectam eſſe.* Et vero de utroque hoc prolixe a me jam tum multa ſunt diſſertata in Præfatione ad Machiavelli Principem. Non tamen dixerim, eo fuiſſe animo ipſos illos Romanos cenſores, ex quorum conſilio Machiavellica Romæ proſcripta ſunt, ut *Romanæ Eccleſiæ invidiam facere conati ſint.* Qui enim ſuſpicer adeo ſiniſtre de viris, magnæ eruditionis pariter & virtutis nomine laudatis? Aliis quoque Machiavelli reprehenſoribus, inter quos eminet Innocentius Gentilletus, qui Romanis ſacris non fuere addicti, illam quidem criminationem per injuriam impingi, patet utique manifeſto ex eorum ſcriptis: in quibus profecto haud invenias iſtam Romanæ Eccleſiæ invidiam factam, Machiavello vero ipſi vitio datam pernitioſam doctrinam, perinde ut in cenſura reliquorum. Non item ferendum judico, quod hic non obſcure innuit Scioppius: quaſi ſcilicet cenſores iſti perperam judicaverint, *peſtifera & regnis rebusque publicis exitioſa eſſe* Machiavelli *præcepta.* Ea ſane fuiſſe in ſententia Scioppium, recte demonſtrat Jeſuita, cum ex ejus quibusdam pro Machiavelli innocentia ſermonibus, tum ex catalogo operum ejus affectorum typis edito: in quo duo libri promittuntur hoc titulo *Cenſura in omnia Nicolai Machiavelli opera Politica & Hiſtorica. Cujus cenſuræ uſus eſt, ut nemo niſi volens & ſponte ſua improbus, librorum machiavellicorum lectione ad nequitiam & Pſeudopoliticorum impoſturas abduci poſſit.* Item: *Machiavellica, hoc eſt Apologia duplex. Quarum priore Eccleſiæ decreta de Machiavelli libris defenduntur. Poſteriore innocentia ejusdem Machiavelli, adverſus Calviniſtas præcipue Italici nominis hoſtes, propugnatur.* Produnt hæc utique favorem Scioppii in Machiavellum. At vero, quoniam præcepta ſolis injuſtis rebuspublicis & tyrannidi convenientia, ſine ullo diſcrimine commendavit omnibus, vere pernicioſa ſeviſſe dogmata Machiavellum, abunde etiam a nobis eſt demonſtratum in Animadverſionibus. In quibus ſimul oſtendimus, plurima etiam alia conſilia rebus gerendis perquam inepta & civili prudentiæ adverſa, a Machiavello ſuggeſta, & neutiquam illam, quam habet Politicæ ſcientiæ laudem hominem promeritum. Clariſſimæ luci hæc a me ita expoſita ſunt, ut ſi aliter Cenſuram ſuam inſtituerit Scioppius (ceu feciſſe videtur) operam luſerit, aut ipſe etiam in eundem cum Machiavello impegerit lapidem. Quam vanum ſane eſt, quod pollicetur illa duplex Apologia! Si innocens eſt Machiavellus, quod poſteriore

Digitized by Google

ſoribus Apædeuſiæ dicam ſcribo, ipſum Ariſtotelem *Ethicorum Eudem.* (a) lib. I. cap. 6. prius a te velim conſuli. Ibi enim duo quædam invenies; quæ non in illorum magis temporum æquales, quam in homines ætatis noſtræ dicta videantur. Primum ait, quibusdam, qui de Politicis rebus diſſerant, non parum ſæpe uſu venire, ut in medium afferant ἀλλοτρίους λόγους τῆς πραγματείας καὶ κενούς, id eſt, *rationes a negotio propoſito alienas atque inanes.* Deinde, contingere non raro, ut homines uſu periti, & in rebus agendis verſati, ab aliis diſputando vincantur, qui artem ipſam civilem ſive Politicam non didicerint, nec rerum civilium uſum habeant. Utriusque vero rei cauſam eorum, qui vincuntur aut aliena afferunt, apædeuſiæ aſſignat: quæ quid ſit, totidem verbis mox declarat: Ἀπαιδευσία ἐστὶ περὶ ἕκαστον πρᾶγμα τὸ μὴ δύνασθαι κρίνειν τούς τε οἰκείους λόγους τοῦ πράγματος, καὶ τοὺς ἀλλοτρίους. Id eſt, *Ignoratio Pædiæ eſt, non poſſe judicare in unaquaque re, quæ rationes propriæ, quæ alienæ afferantur.* Atque hinc intelligi poteſt, ut quis recte de Politicis diſſerat, nequaquam ſatis eſſe, ſi vel multo ſtudio, vel rerum hominumque uſu Politicam didicerit, ſed hoc amplius requiri, ut ſit πεπαιδευμένος ſive Pædia inſtructus.

§. II. Quod ipſum tertio Politicorum capite ſeptimo vel undecimo in hunc modum affirmat: ἰατρὸς ὅτε δημιουργὸς, καὶ ὁ ἀρχιτεκτονικὸς, καὶ τρίτος ὁ πεπαιδευμένος περὶ τὴν τέχνην, εἰσὶ γάρ τινες τοιοῦτοι περὶ πάσας, ὡς εἰπεῖν, τὰς τέχνας. Ἀποδίδομεν δὲ τὸ κρίνειν οὐδὲν ἧττον τοῖς πεπαιδευμένοις ἢ τοῖς εἰδόσιν. In his verbis fœde interpretes allucinantur, exiſtimantes πεπαιδευμένον περὶ τὴν τέχνην eſſe *uſu peritum artis*, ſive, *qui a pueritia expertus ſit circa artem*, cum revera is ſit, qui ex Analyticis didicerit, quid in arte recte ſecuſve tradatur, quid proprium ſit ſive homogeneum, quid heterogeneum ſive alienum. Alius nempe Medicinam facit ſive exercet, neſciens, quare hoc aut illud faciat, qui eſt velut opifex, ſive uſu peritus aut empiricus: alius artem medendi ſcit, ut cauſam poſſit reddere, cur quicque faciendum ſit, qui velut Architectus præeſt operi: alius denique, quamvis nec uſum nec ſcientiam medendi habeat, novit tamen, quid male aut bene ab eo dicatur, qui Medicinam docet vel de illa diſſerit, qui eſt πεπαιδευμένος in arte Medica, ſicut alii in aliis artibus, nonnulli quodammodo in omnibus. Recte igitur princeps Peripateticorum *Nunneſius*, (b) in Phyſicarum inſtitutionum præfatione, ubi accuratiſſime nec minus eleganter de Pædia diſſerit, ſic Ariſtotelis verba convertit: *Medicus eſt & Faber, & Architectus, & tertius, qui Pædian tenet artis. Sunt enim tales in omni prope arte periti, quibus tam concedimus judicare de artibus, quam iis, qui ſcientiam tenent.*

§. III. Idem ipſum Philoſophus de Scientia & Pædia principio libri primi de Partibus animalium docet, ſed quid ſibi velit, propter locum inſeliciter latine a Theodoro Gaza redditum, parum multi percipiunt. Verba ejus ſunt: Περὶ πᾶσαν θεωρίαν καὶ μέθοδον, ὁμοίως ταπεινοτέραν τε καὶ τιμιωτέραν, δύο φαίνονται τρόποι τῆς ἕξεως εἶναι. ὧν τὴν μὲν ἐπιστήμην τοῦ πράγματος καλῶς ἔχει προσαγορεύειν, τὴν δὲ οἷον παιδείαν τινά. Πεπαιδευμένου γάρ ἐστι κατὰ τρόπον τῆς ἕξεως δύνασθαι κρίνειν εὐστόχως, τί καλῶς ἢ μὴ καλῶς ἀποδίδωσιν ὁ λέγων. Putat Gaza, Pædian eſſe *Peritiam*, ſive notitiam ex uſu: cum ſit τρόπος τῆς μεθόδου, velut ipſe docet Ariſtoteles in extremo ejusdem libri primi, id eſt, *ratio, modus, viaque tractandi*, ut ibi recte ipſe Gaza interpretatur; quam aliter Ariſtoteles in calce primi Metaphyſici minoris τρόπον ἐπιστήμης, id eſt, *ſcientiæ modum* appellat. Proinde nec πεπαιδευμένος eſt *probe peritus*, ut Gaza vertit, ſed Analyticus ſive Pædia inſtructus: qui novit, qua via ac modo artes & diſciplinæ tradi debeant. Tandem male Gaza *Methodum* interpretatur *viam & rationem docendi*, quaſi eadem eſſet ac Pædia: cum Ariſtoteli ſolemne ſit, ea voce uti pro cognitione, arte, ſcientia, quod & interpres ejus Alexander in primo Topicorum teſtatur. Locum igitur totum rectius ſic converterimus: *In omni contemplatione & diſciplina, tam nobiliori quam ignobiliori, duos eſſe habitus, apparet, quorum alterum rei ſcientiam, alterum Pædian quandam,* ſeu

*Notæ, & animadverſiones Conringii,*

ſteriore probaturum ſeſe promiſit Scioppius, quei defendi poſſint romanæ Eccleſiæ decreta, quæ librorum Machiavelli lectione, peſtiferæ doctrinæ nomine, omnes interdixit?

(a) *Ethicor. Eudemior.*) Bene verba Ariſtotelis aſſecutus eſt Scioppius, ſecus quam a Wangnereckio eſt factum. Perſtrinxit nimirum Ariſtoteles nonnullos, qui Philoſophorum ſive ſapientum titulo cenſebantur, quod de rebus civilibus ad mores pertinentibus inepte diſſeruiſſent, quamvis vulgo propter conciliatum ſibi Philoſophiæ nomen viſi eſſent præclare docuiſſe: idque quandoquidem & aliena ab inſtituto argumento propoſuiſſent & inania, præ ἀπαιδευσίᾳ qua laboravere. Audit nimirum Ariſtoteli paſſim Pædia, cognitio ſcientiæ ſive methodi alicujus, qua tenetur non ipſa ſcientia, ſed ejus natura, h. e. quod ſubjectum, quas affectiones proprias, quem modum probandi quæque vel habeat vel admittat. Quale eſt argumentum libri noſtri de civili Prudentia & Propoliticorum.

(b) *Nunneſius.*) Quid apud Ariſtotelem ſit παιδεία aut πεπαιδευμένος, non conſentiunt etiam optimi quique ejus interpretum. Quæ hic, Hiſpanum Nunneſium ſecutus, docet Scioppius, ea & duo illa magna Ariſtotelicæ philoſophiæ apud Altdorfienſes lumina, Philippus Scherbius atque Michaël Piccartus, probaverunt. Hujus Theſes de Pædia conficiunt Diſputationem ſextam Philoſophiæ altdorfinæ a Cl. Felwingero editæ. Illius in Theſium Philoſophicarum libro Diſputatio octava eſt de *Docendi diſcendique prudentia* h. e. παιδείᾳ. In eandem ſententiam docte diſſeruit ex Italis Jacobus Mazonius & Cæſar Cremoninus; uterque ingenio & doctrina præſtantiſſimus. Inſeruit etiam nonnulla eruditiſſimo ſuo de Sermonibus exotericis libello Octav. Ferrarius. Imo jam ante illos, ſunt qui tradant, viſa hic quædam ſatis acute Jacobo Fabro Stapulenſi: cujus tamen ego doctrinam haud legi. Nec fortaſſis operæ fuerit pretium, poſt illos usque adeo præclaros auctores, aliorum conſenſum anxie exſpectare: quidudum me traxere in partes, poſtquam Ariſtotelis ſcripta familiariora mihi reddita ſunt. Quæ porro Nunneſius præfatione illa Phyſici operis a Scioppio laudata prolixius, illa breviter, ſed tamen perquam eleganter, præclarus idem ille Valentinus perſecutus eſt, capite ſecundo libri, quem *de Curriculo Philoſophiæ* inſcripſit.

ſeu tractandi modum, *recte quis appellaverit. Ejus enim, qui Pædian habet, munus eſt, poſſe ſolerter judicare, quid recte, aut quid non recte explicet is, qui dicit.*

§. IV. Jam cum Pædiæ ſit, rei ad tractandum propoſitæ οἰκεῖα ſive ſua ac propria, Apædeuſiæ viciſſim ἀλλότρια ſive aliena in medium afferre: non illum modo ἀπαιδεύτους, id eſt, nulla Pædia nulloque delectu diſſerere Ariſtoteles inſimulat, qui ea, quæ Loco, ſed etiam qui, quæ Genere aliena ſunt, tractat. De iis, quæ *Loco aliena* ſunt, *totus liber* (*a*) primus de Partibus animalium argumento fuerit, cum in conſtituenda ejus tractationis Pædia hoc potiſſimum conſilio occupetur, ne ſæpius eadem iterare, ſive de iisdem rebus pluribus locis dicere ſit neceſſe. Itaque ut ſuo quicque loco diceretur, hunc Phyſi ologiæ limitem ſive terminum, id eſt, methodi præceptum fixit: ut a generalioribus ad ſpecialiora fiat progeſſus. Sic enim fit, ut quæ in Generis tractatione diximus, poſterius in explicandis ejus formis ſive ſpeciebus iterare minime neceſſe habeamus. Quæ *Genere* ſunt *aliena* ſive alterius generis, vel ad ipſum artis aut diſciplinæ ſubjectum pertinent, vel ad inſtrumenta, quorum in ſubjecto quoque tractando uſus eſt.

§. V. Itaque in III. Metaphyſic. III. quibusdam Philoſophis, ut ignorarent quid Phyſico, quid primo Philoſopho ſeu Metaphyſico ſubjectum ſit, δι' ἀπαιδευσίαν τῶν ἀναλυτικῶν, *propter Analyticorum pædiæ inſcitiam* uſu veniſſe affirmat: nec minus Rhetoribus, ut ſe pro Politicis venditarent, in I. Rethor. II quoniam ſcilicet fines artium Politicæ & Rhetoricæ, ſive quid utrique earum proprium quid alienum eſſet, ex Analyticis judicare non didicerint. Illa enim docent Pædiam, id eſt, artis cujusque tractandi modum & viam: cujus inter prima præcepta eſt, ut demonſtrationes ſint propriæ, non alienæ, neu de genere ad genus fiat tranſitus. Quod præceptum, a Pythagora neglectum fuiſſe, in principio Magnorum Moralium queritur, ὅτι τὰς ἀρετὰς εἰς τοὺς ἀριθμοὺς ἀνάγων, οὐκ οἰκείαν τῶν ἀρετῶν τὴν θεωρίαν ἐποιήσατο, *quoniam virtutes ad numeros referens, nequaquam ea inquirendi uſus fuerit ratione, quæ eſſet virtuti ſua aut propria.* Ejusdem culpæ ſtatim reum agit Platonem; partim quod virtutem cum tractatione ejus, quod per ſe bonum eſt, miſcuerit, partim quod cum de humano bono dicere inſtituiſſet, de Deorum bono egerit. Rationem ſic reddit: οὐ γὰρ οἰκεῖον, non enim hoc ei diſputationi proprium, ſed alienum eſt. οὐδὲν γὰρ τούτῳ κἀκείνῳ κοινόν, *non enim huic & illi quicquam commune eſt.* ὑπὲρ τούτου καὶ ἄλλος λόγος, καὶ ἀλλοτρία ἡ σκέψις: *ſuper illo alterius loci ſermo, & aliena ejus eſt conſideratio.* Eandem Apædeuſiæ notam III. Metaphyſ. IV. Philoſophis illis inurit, qui omnium principia, cum certa ſint & probationem habeant nullam, probare nihilominus conantur. ἔστιν γὰρ ἀπαιδευσία, τὸ μὴ γινώσκειν τίνων δεῖ ζητεῖν ἀπόδειξιν, καὶ τίνων οὐ δεῖ. *Eſt enim pædiæ inſcitia neſcire, quorum oporteat quærere demonſtrationem, quorum vero non oporteat.*

§. VI. Idem ipſum habet argumenti, quod principio quarti Politicorum, Platonem multa quidem præclara de Optima repub. ſcribere, ab utilitate tamen aberrare inſimulat. Nam Politica, eſt utilitatis publicæ ſcientia, ſive eorum, quibus uti poſſumus ad condendum tuendumque ſtatum. Quorum ergo nullus eam ad rem uſus eſt, ſunt cenſenda Aliena, neque ſine apædeuſia in ſchola Politica tractari poſſunt. Alienæ quoque ſunt Politicorum præceptorum rationes, quamvis veræ, quamvis utiles, ſi ad ſublimiores ſcientias pertineant; neque πεπαιδευμένος, ſeu Pædia præditus exiſtimabitur, qui eas vel ipſe ad diſputandum aduocare, vel ab aliis exigere fuerit auſus. Hoc in principio Ethicorum Nicomachiorum Ariſtoteles his verbis perſpicue docet: Πεπαιδευμένου, (id eſt *ejus, qui pædiam didicit*) *munus eſt, eatenus exactam in unoquoque genere explicationem requirere, quatenus pati rei ipſius natura poteſt. Simile enim vitium videtur, Mathematicum veriſimilibus utentem approbare, & ab Oratore demonſtrationes exigere.*

§. VII. Atque ex iſtis Ariſtotelis auctoritatibus explorato judicari poteſt, quatenus de Principis pietate in acroaſi Politica præcipi debeat. Cum enim pietas juſtitiæ ſpecies ſit, juſtitia vero Philoſophiæ morali ſubjiciatur, non eſt dubium, Principi a parentibus & domeſticis morum magiſtris veram pietatem accurate inſtillari debere. Rurſum cum eadem ſit inter cauſas adminiſtras ſive inſtrumenta ſalutis animæ, ejus tractatio ad Theologiam pertinet, adeoque Theologi ejusque, qui verbum Dei prædicat, officium eſt, Principem ad pietatem inflammare. Politicus & ipſe Pietatem ei præſcribit, non aliter tamen, quam quia ſit ad *conſervandum ſtatum* (*b*) utilis. Nam *Finis* artis cujusque vel diſciplinæ, omnium adjumentorum ſive inſtrumentorum (vulgo Mediorum) ad finem idoneorum menſura ſeu norma eſt. Quicquid ergo in Politica præcipitur, niſi vim habeat efficiendi Finem ejus, qui eſt, *Status conſervatio* (*c*) nequaquam οἰκεῖον, ſive proprium, ſed alienum merito perhibetur. Pietas igitur, cum ingentes ad conſervandum ſtatum vires habeat, omnino a Politico præcipi debet. Sed cum aliam ejus Utilitatem ex Theologia ſive ſacris literis, aliam ex Politica vitæque civilis uſu notam habeamus, Pædia poſtulat, ut ſuam uterque doctor, non alienam Utilitatem commemoret.

§. IIX. Sicut ergo Theologus Principem hortabitur eſſe pium, ut Deum ſibi reddat propitium, eoque pacto & imperium ejus proſperetur & anima ſalua fiat, quoniam *Deus glorificantes ſe glorificat*, I. Reg. 2, & *Pietas ad omnia utilis eſt, promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ* I, *Tim.* 4.

Simi-

(*a*) *Totus liber.*) Rectius dixiſſet, hoc agi, bona libri illius parte. Eſt enim quidem is totus προπαιδευτικός: verſatur tamen etiam circa alia illius argumenti capita

(*b*) *Conſervandum ſtatum.*) Ni *Status* voce Scioppius ſolam regiminis formam intellexit, non plene uſum Pietatis civilem expreſſit.

(*c*) *Status conſervatio.*) Quod paulo ante diximus, etiam hic eſt repetendum. Nec enim finis unicus Politicis eſt ſtatus conſervatio, ſed felicitas civilis ſocietatis, qui revera abſolvitur exercitio virtutis cum rerum ſufficientia conjuncto.

Digitized by Google

Similiter Politicus Pietatem ante omnia Principi commendabit, *quoniam ea hominum animos* (a) illi reddat propitios, ut eum cum ament, tum revereantur, quibus duabus rebus imperium conſervari palam eſt. Nam qui Pius eſt, Deo reddit debitum, adeoque juſtus eſt & vir bonus, unde aliorum erga illum exſiſtit Amor: & tum Deus ſit juſtus, abeſſe non poteſt, quin Principem ſui amantem & reverentem redamet, & adverſus inimicos tueatur, unde eum ab hominibus reſpectari colique contingit.

Sic, inquam, & Theologus, & Politicus de Pietatis utilitate præcipere, non alter alterius fines debet inuadere: niſi ſuſpicionem movere velint, ſe cum Rationem nobis a Deo datam, tum Rationis Artem divino beneficio a Philoſophis inuentam & traditam, nihili facere, eaque innita nullo diſcrimine quiduis quovis loco inculcare velle.

Quis dubitet, quin Morborum omnium cauſa ſint peccata? Neque tamen Medicus ἀπαιδευσίας imo ſtoliditatis juſtam effugerit reprehenſionem, ſi de cauſis Febrium diſputans peccati *Originalis & Actualis* mentionem inferat, eumque, qui morbis carere velit, peccata fugere jubeat. Ut enim veriſſima ſit ejus diſputatio, neque non multiplicem hominibus auferre poſſit utilitatem; tamen quoniam ἐν οἰκείαν non ſuam, aut propriam, ſed alienam & heterogeneam eſſe conſtat, ea ſuperſedere, nec in alterius artis fines inuadere debuit.

Similiter igitur Politicus Pædiæ legibus parere, eaque, quæ alterius ſunt generis, quamvis veriſſima ſint & utiliſſima, ab Acroaſi ſua ſubmovere debet. Cætera Pædiæ ipſius noſtræ lectio aperiet. Vale.

(a) *Quoniam ea hominum animos.*) Imo vero juvat Pietas etiam ad felicitatem civilem divino auxilio & gratia conſequendam: quandoquidem, uti ipſe Scioppius paulo poſt addit, *cum Deus ſit juſtus, abeſſe non poteſt, quin Principem ſui amantem & reverentem redamet & adverſus inimicos tueatur.*

*C. V.*

# GASPARIS SCIOPPII
# PAEDIA POLITICES,
ſeu
## *SUPPETIAE LOGICAE.*

§. 1.

*Politicorum multorum improbitas.*

Cum ſine controverſia ingens ſit plerorumque improbitas & impietas, qui hodie Politici perhibentur, inprimisque eorum, qui à regibus ac principibus ſingularis prudentiæ opinionem conſecuti, conſuli ac ſententias rogari ſolent [horum enim conſiliis, ſi verum quærimus, nullo juſti injuſtique diſcrimine res geri, religionem, fidem, juſtitiam proprio emolumento poſteriora duci: orbem Chriſtianum diſſidiis, turbis, ac bellis infeſtari: non dubium denique exitium regnis ac provinciis comparari, fatendum eſt] nullo tamen genere minor complurium videtur iniquitas & acerbitas, qui de optimo quoque & perfectiſſimo artis Politicæ doctore faciunt judicia. Cum enim Politica in tradendis iis tota occupetur, quæ utilia ſunt condendo & conſervando imperio aut ſtatui publico, vix utilitatem commemorare ſcriptor Politicus poteſt, quin nullam juſti & honeſti rationem ducere ab iſtius notæ cenſoribus exiſtimetur.

*Iniqua multorum de politicis doctoribus judicia.*

§. 2. Ut autem alias, ſimiliter hic, tantæ injuſtitiæ fons & origo eſt imperitia. Nam ut ait Comicus:

*Iniquitatis ejus cauſa imperitia.*

*Homine imperito nunquam quicquam injuſtius,*
*Qui niſi quod ipſe facit, nihil rectum putat.*

Imperitiæ porro cauſa eſt, quod Logicam non ſatis didicere, quæ rationis ars eſt, adeoque in judicio de ſubjectis artium & diſciplinarum fœde allucinantur, hoc eſt, ratione in re maximi momenti ſine vitio uti nequeunt.

*Nata ex ignorantia logicæ.*

§. 3. Quamvis autem hoc in primis παράδοξον, & incredibile viſum iri ſciam de hominibus, qui non modo ſe curriculum Philoſophiæ confeciſſe, ſed etiam artem logicam non minus quam cæteras Philoſophiæ partes, aliis præcipere poſſe gloriantur; non tamen vereor, ne fidem apud eos non inveniam, qui ſuis ponderibus res examinare ſciunt, neque ſibi judicium aliena auctoritate extorqueri patiuntur.

*Multi logicæ doctores, uſum ejus ignorant.*

§. 4. Ut autem res tota fiat planiſſima, diſtinctius de *natura Logicæ* (a) quædam monebo: tum quam longe ab ejus præceptis recedant, qui notionem cenſoriam tam acerbe in Politicis ſcriptis exercent, quam potero, breviſſime demonſtrabo.

§. 5.

*Notæ, & animadverſiones Conringii.*

(a) *Natura Logicæ.*) Quæ hic interſerit Scioppius de natura Logices, parum ſani habent; quandoquidem nugis Petri Rami omnia pene ſunt infecta. Quod in commune ſufficit annotaſſe. Nam in quælibet animadvertere & operoſum nimis fuerit, & ab inſtituto alienum. Et vero omne hoc debuiſſet etiam a Scioppio omitti: cum ad rem nihil omnino faciat, ſitque alienum, cum genere, tum loco; ut ipſius verbis utamur. Obſervandum vero cumprimis eſt, credidiſſe Scioppium, de uno ſubjecto non niſi unam methodum agere oportere: turpi ſane errore, cum vel tyronibus ſit notum, unum ſubjectum multis ſcientiis commune eſſe pro diverſa ratione conſiderandi. Eſt autem hic error Scioppio fœcunda radix complurium errorum per omnem hunc librum ſparſorum.

§. 5. Logicæ igitur, quemadmodum & reliquarum perfectio in quatuor rebus ſpectatur, quæ ſunt Finis, Materia (aliter ſubjectum, ſive objectum) Officium, & Inſtrumenta. *Finis* eſt extremum illud, ad quod omnia præcepta referuntur, cum ipſum alio non referatur; quod in Logica eſt *Diſſerere*, ex quo, *Ars diſſerendi* definitur, id eſt, ratione tractandæ cujusvis rei propoſitæ. *Objectum* eſt vel internum ſive artis, vel externum ſive artificis. Internum ſunt præcepta, quæ in arte traduntur: ut in Logica inveniendi ac diſponendi præcepta. Externum eſt, in quo cognito artis præcepta exercentur, ſive ad rem conferuntur, aut ad uſum applicantur. Tale Logicæ Objectum eſt *Quæſtio* aut *Thema*, ſive id, de quo agitur: aut res ad diſſerendum aut tractandum propoſita. Eaque vel ſimplex, vel compoſita aut conjuncta, ex ſubjecto nimirum & attributo conſtans. *Officium* eſt opus extremum, quod ab artifice præſtari oportet, ut fine propoſito potiatur. Sic in Arte logica, officium eſt dirigere & rectificare mentis actiones ſive operationes, ne quid, dum ratione utimur, vitii faciamus. Artes enim juvandæ naturæ inventæ ſunt, ut nimirum caveantur vitia, quæ ab iis admitti obſervatum eſt, qui naturalem modo artis uſum habent. Sicut iis, qui nullis Logicæ præceptis inſtructi de rebus diſſerunt, uſu venire apparet, ut allucinentur ac velut rationis ſolœciſmum faciant; ſive illi ſimplicia apprehendant, ſive componant aut dividant, ſive denique argumententur, aut inventa ordinent. Nam quicquid mens agit, iſtorum aliquid ſit oportet.

*Logica finis. Objectum internum. Objectum externum. Officium. Ars juvandæ naturæ inventa. Actiones mentis ſive rationis.*

§. 6. Sicut autem *ſermonis vitia*, (*a*) quæ puritati adverſantur, ſunt omnino quinque, Barbariſmus, Solœciſmus, Novatio, Peregrinitas, & Archaiſmus, ſive obſoleti verbi uſus: ſimiliter Rationis in univerſum quinque numerantur vitia, Obſcurum, Ambiguum, Falſum, Inconſequens, & Alienum. Nam quicquid ad tractandum de re propoſita affertur, aut explicationis, aut demonſtrationis gratia adhibetur: ex quo argumentum vel *Exegeticum* ſive explicans, vel *Apodicticum*, (*b*) ſive probans, exſiſtit. *Explicare* eſt quæſtionis ſeu rei propoſitæ naturam declarare per definitionem, diſtributionem, cauſas, effecta, ſubjecta, adjuncta, totum, partes, paria, ſimilia, connexa, majora, minora, diſſimilia, antecedentia, conſequentia, contraria, relata, quæque iſtis ſubjiciuntur. *Probare* eſt aliquid medium afferre, cujus vi prædicatum de ſubjecto recte affirmetur aut negetur. Niſi autem intelligatur, quod affertur, nec ad probandum, nec ad explicandum erit idoneum. *Obſcuritas* porro cauſa eſt, ut plane non intelligatur. *Ambiguitas* vero, ut aliter, atque oportet, intelligatur. Probando vero ineptum eſt, ſi ſit vel *falſum*, vel *inconſequens*: quorum illud in compoſitione & diviſione, ſive in enunciatione, hoc autem in argumentatione ſpectatur. Quod denique *Alienum* eſt, nec explicationi, nec probationi eſt accommodatum. Poteſt autem dupliciter alienum conſiderari. Nam *aut* eſt prorſus heterogeneon, ſeu diverſi generis. Ut cum quis in Phyſicis argumenta affert mathematica, & in politicis aut medicis theologica, quod vulgo vocant, *De genere in genus tranſire*. *Aut* cum ſit ejuſdem quidem generis, & rem propoſitam explicandi aut probandi vim habeat, tamen prius aut poſterius non præſenti loco afferri debet. Nam methodus doctrinæ ſive artis ſuo quidque loco collocare jubet, ut vitetur confuſio, qua veritatis cognitio impeditur. Iſta igitur rationis ſunt vitia, quæ ars logica corrigere vel cavere docet, obſcuris illuſtrandis, ambiguis diſtinguendis, falſis refellendis, in conſequentibus enervandis, & alienis excludendis. Cui conſequens eſt, ut qui in quacunque diſputatione afferri aliena poſtulat [quod faciunt, qui ſcriptores Methodi legibus ſervientes, & aliena circumſcribentes, reprehendere non dubitant] eos ratione non ſatis ſincere uti, ac propterea in ſchola logica merito vapulare fateamur.

*Vitia ſermonis. Vitia rationis. Uſus argumenti logici duplex. Explicare. Probare. Alienum duplex. Alienum genere. Alienum loco. Logica docet corrigere vitia rationis.*

§. 7. Poſtremo inſtrumenta artis ea ſunt, quorum adjumento, ſive ope, præſtat artifex, quæ ſui ſunt officii. Et Logicæ quidem inſtrumenta ſunt *Inventio* & *Diſpoſitio*, ſicut *Rhetoricæ propria* (*c*) *Elocutio*, & *Actio*. *Inventio* eſt ratio excogitandi argumenti ad quæſtionem tractandam, id eſt, vel explicandam, vel probandam. *Diſpoſitio* vero eſt apta inventorum collocatio. *Cujus tres ſunt ſpecies*, (*d*) Enunciatio, ſive Axioma, Argumentatio, & Methodus. Cum enim argumentum explicans collocatur cum quæſtione, vel themathe ſimplici, vocatur *Enunciatio*, aut *Propoſitio*: in qua thema ſimplex eſt id, de quo argumentum dicitur; argumentum vero explicans eſt id, quod de themate dicitur. Ut ſi dicam, *Virtus eſt habitus: Virtus*, eſt quæſtio, ſive thema ſimplex, *Habitus*, eſt argumentum explicans. Cum vero argumentum probans collocatur cum themate conjuncto, dicitur *Argumentatio*. Ut ſi dicam, *Virtus eſt Habitus, cum crebris actionibus acquiratur*. Cum denique certa ratione alia argumenta & argumentationes pro-

*Inſtrumenta logicæ. Inventio. Diſpoſitio. Enunciatio.*

*Notæ, & animadverſiones Conringii.*

(*a*) *Sermonis vitia.*) Etiam hic in enumerandis Sermonis pariter & Rationis vitiis, multum impegit Scioppius. Primo enim non omnis Novatio aut Peregrinitas ſemper eſt in vitio. Deinde, præter illa quinque, & alia ſunt dictionis vitia, etſi non omnis, alicujus tamen; perinde ut virtus dictionis alia, eſt atque alia pro ſermonis diverſitate: quam varia flagitat tractandi ratio, Oratoria ſcilicet, Poetica, Philoſophica, quarum ſingulæ itidem variæ ſunt. Similiter Obſcurum, Ambiguum, & Alienum non ſunt vitia propria Rationis, ſed ſermoni communia. Adhoc ubi demonſtrandum eſt, etiam Probabile in vitio eſt: & ubi perſuadendum, ipſa Demonſtratio ſubtilior meretur reprehenſionem.

(*b*) *Exegeticum vel Apodicticum.*) Atqui omnis legitima explicatio conficitur probatione; nec omnis probatio eſt ἀπόδειξις, ſed ſola illa, quæ ſcientiam parere eſt idonea.

(*c*) *Rhetorica propria.*) Hæc etiam ſapiunt ramiſticas Audomari Thalæi ineptias. Quaſi vero non potiſſimum munus ſit Rhetoris, invenire argumenta commoda ad perſuadendum & movendos affectus, totamque orationem probe diſponere.

(*d*) *Cujus tres ſunt ſpecies*) Nemo ſanus ita docuit hactenus Et quî intelligas, Enunciationem vel Axioma eſſe diſpoſitionem argumenti inventi? Quî Axioma & Enunciatio ſint duæ ſpecies, cum omne Axioma ſit itidem enunciatio? Verum Scioppius Ramiſticè ludit vocabulis: nec hujus eſt loci in talia pro merito animadvertere.

Digitized by Google

priore, alia poſteriore loco collocantur, dicitur *Methodus*. Verbi gratia. Inveni Virtutis definitionem, diviſionem, cauſas, effecta, ſubjecta, adjuncta, partes, conſentanea, diſſentanea; ſed aliud horum prius, aliud poſterius colloco: quoniam ejus rei certas habeo cauſas, nimirum *aut* veritatem, ut natura thematis, id eſt, Virtutis recte cognoſcatur [quæ *Methodus doctrina* vocatur) *aut* perſonas, tempora, loca, aliasque rerum appendices, ſive attributiones, *aut* circumſtantias, quæ jam *Prudentia* eſt *Methodus*.

*Methodus.*
*Qua eſt vel doctrinæ vel prudentiæ.*

§. 8. Videamus nunc, in quibus artis Politicæ conſtet perfectio, ut de judicio iſtorum, qui tam inclementer de ſcriptoribus Politicis ſtatuunt, id quod dixi fiat perſpicuum.

§. 9. Finis ergo Politices eſt Beatitudo, ſeu felicitas civilis. *Quæ αὐταρκείᾳ definitur*, (*a*) id eſt copia rerum omnium ad vivendum commode & ex ſententia neceſſariarum. Nam hæc res eſt, quæ homines impellit, ut in ſocietate velint vivere; quoniam mutuis juvamur officiis, nec quiſquam invenitur, qui ſolus ſibi præſtare poſſit, quæ vitæ uſus requirit. *Materia ſubjecta*, (*b*) vel objectum hujus artis, eſt ſtatus, aut reſpublica. Officium, partim condere aut inſtituere, partim conſervare, & corrigere rempublicam. Inſtrumenta ſunt, utilia & noxia publice. Nam conditurus aut conſervaturus rempublicam, neceſſe habet effugere, quæ ſtatui nocent; præſtare vero, quæ ſtatui conducunt. Ut fiat quod univerſe Spiritus Sanctus monet: *Qui vult dies videre bonos* [ſive, cui velut finis propoſita eſt felicitas] *declinet a malo, & faciat bonum.*

*Finis politices.*
*Objectum Politic.*
*Officium.*
*Inſtrumenta.*

§. 10. Dupliciter igitur errant iſti Politicorum cenſores, cum quod in arte nolunt tractari, quæ ſunt οἰκεῖα ſive artis propria, tum quod poſtulant ea tradi, quæ ſunt aliena. De priori hinc exiſtimari poterit. Proprium artis eſſe objectum, ſive objecti tractationem ad artem pertinere, nemo, niſi palam inſanus, negaverit. Reſpublicæ igitur ejusque formæ omnes, ſive ſpecies, quæ Politicæ objectum ſunt, a Politico tractari debent; ita ut præcipiat, quæ cuique formæ ſint utilia, & noxia, ſive quæ ſint cauſæ, ſive modi inſtituendi, conſervandi, & euertendi ſingulas reipub. ſpecies. At enim *iſti*, *vitioſas reipubl. formas*, (*c*) præcipue vero Tyrannidem, ab arte excluſam volunt, quod tyrannidis condendæ aut conſervandæ præcepta tradi piaculare cenſeant. In quo, quantum eos ratio fugiat, non modo diſputatio, ſed & exemplum Ariſtotelis ac D. Thomæ luculente demonſtraverit.

*Iniqui politicorum cenſores dupliciter peccant.*
*Nolunt tractari artis propria.*

§. 11. Quod ad diſputationem eorum attinet, de Politicæ ſubjecto cum abſolute, tum comparate agunt. *Abſolute* quidem, dum demonſtrant, Politici eſſe, non tantum de optima, ſed etiam de qualicunque reip. forma, quamvis deteriori & vitioſa, præcipere. *Comparate* autem, dum Politico plus de vitioſis, quam de rectis & laudabilibus reipubl. formis, loborandum *eſſe affirmant*. (*d*) Quod nihil eſt aliud dicere, quam tyrannidem cæteraſque vitioſas formas eſſe artis Politicæ objectum, & quidem magis proprium, quam Regnum aliaſque rectas & laudabiles formas. De priore inveniet Lector principio quarti Politicorum accuratam Ariſtotelis, & D. Thomæ in ejus libri commentario diſputationem: qua, quod veri Politici munus & officium ſit, quamque parum Plato illud cuſtodierit, operoſe demonſtrant.

*Eorum errorem Ariſtoteles, & D. Th. confutant argumentis.*

§. 12. Quatuor porro partibus id deſcribunt, quarum *Prima* eſt noſſe, quæ reipubl. forma ſit abſolute ac ſimpliciter optima, maximeq. optabilis: *Altera* noſſe, quæ ſit optima pro conditione rerum copiarumque præſentium, nam quorundam populorum ingenia ad optimam illam minime ſunt accommodata. Sicut Aſiaticos Ageſilaus in ſervitute bonos, in libertate peſſimos eſſe ajebat: apud alios vero rerum ad commode feliciterque vivendum neceſſariarum inopia optimam rempubl. quæ αὐτάρκειαν, id eſt, rerum illarum copiam requirit, inſtitui non patitur. *Tertia* pars eſt, noſſe rempubl. quamcumque ſibi oblatam corrigere ad ſalutem, & conſervare, quod genus Ariſtoteles *rempubl. ex hypotheſi vocat*. *Poſtrema*, noſſe quæ forma reipubl. ſit maxime, communis, & pleriſque hominibus accommodata. Ratio hujus ſententiæ hæc ab illis affertur, quoniam omnes artes, quæ de genere aliquo tractant, omnes etiam ejus generis ſpecies explicare debent, quod Inductione nonnullarum artium probant, ex quibus eſt Medicina. Nam Medicus cum circa valetudinem, quæ Genus eſt, occupetur, non unam modo, ſed omnes valetudinis ſpecies tractare, adeoque non modo, quæ optima ſit valetudo aut corporis conſtitutio, ſed etiam quæ minus firma, quæque deterrima, quæcumque denique ipſi offeratur, eam noſſe, & reſtituere ac conſervare debet. Atqui Politica eſt Ars, quæ de Genere tractat, nimirum de repub. Itaque omnes reipubl. ſpecies explicare debet, non modo eam, quæ

*Quid debeat ſcire & docere politicus.*

---

*Notæ, & animadverſiones Conringii.*

(*a*) *Quæ αὐταρκείᾳ definitur.*) Neſcio, an quis vel gentilium Philoſophorum in copia rerum ejuſmodi beatitudinem vitæ civilis collocaverit, ſi excipias Epicuri aliquot aſſeclas. Stoici ſane, illam quidem αὐτάρκειαν, ſive rerum illarum ſufficientiam, ne quidem in parte felicitatis collocaverunt. Ariſtoteles, partem eſſe credidit; ſed minimam: potiſſimum vero felicitatis illius, abſolvi virtutis exercitio. Idque non in Moralibus duntaxat docuit, verum etiam in opere Politico; cujus liber ſeptimus, primis tribus capitibus, eo de argumento præclare diſſerit. Hic error Scioppii, multorum aliorum mater eſt perquam fæcunda: indigna homine ſaltim Chriſtiano.

(*b*) *Materia ſubjecta.*) Homines, civilem ſocietatem ſive deſiderantes, ſive colentes, proprie ſi loquaris, objectum ſunt Politicæ; & Reſpublica cujuſque civitatis eſt Finis Politicæ internus. Sed hoc, nunc Scioppio condonemus.

(*c*) *Iſti vitioſas reipubl. formas.*) Hoc recte docetur a Scioppio. Latius tamen longe hoc ipſum a nobis eſt demonſtratum, cum in Propoliticis cap. 4. tum Libro de civili prudentia cap. 5. Dicta etiam nonnulla, huc pertinentia, a nobis ſunt Præfatione ad Machiavelli Principem noſtræ editionis, alibique.

(*d*) *Eſſe affirmant.*) Nusquam id affirmatum legas, ſive ab Ariſtotele ſive ab Thoma. Nusquam illi itidem vel innuerunt: *Tyrannidem cæteraſque vitioſas formas eſſe artis Politicæ objectum magis proprium quam Regnum aliaſque rectas & laudabiles formas*: ſed plane contrarium. Utpote qui illos ſtatus vitioſos indignos reipublicæ nomine judicaverint,

Digitized by Google

quæ ſimpliciter ſit optima (quæ nunquam fortaſſe nec fuit nec erit) ſed etiam, quæ pro conditione rerum ſit optima: & quæcunque tandem ipſi offeratur, ſcire debet, quomodo ea inſtituta fuerit, quibusque modis corrigi & conſervari poſſit. Itaque Platonem erraſſe, nec politici munere ſatis functum inſimulant, qui tantum de optimo reipubl. ſtatu præceperit: nullum enim ejus doctrinæ uſum eſſe, quod conditio rerum humanarum non ferat, ut optima repub. utantur: Politicus vero præcipere debeat ea, quæ hominibus utilitatem afferant.

*Ariſtoteles, & D. Tho. jubent politicum tradere modos conſervandi vitioſas respub.*

§.13. Verba Ariſtotelis in Platonem ſunt: *Etiamſi cætera præclare dicat, a rebus tamen utilibus aberrat. Non enim videnda eſt optima tantum reipubl. forma, ſed etiam ea, quæ poteſt eſſe.* Et infra: *Oportet Politicum etiam iis, quæ in uſu ſunt, rebuspublicis mederi & opitulari poſſe.* Sed quoniam multi D. Thomæ verba audire malunt, eorum partem appingemus. *Politicus* (inquit) *debet conſiderare politiam optimam ſimpliciter, & optimam ex ſuppoſitione, & quæ pluribus civitatibus congruit. Sicut Medicus non ſolum conſiderat ſanitatem ſimpliciter, ſed ſanitatem, quæ competit iſti. In hoc autem multi loquentium de Politia defecerunt. Etſi in aliquibus dicunt bene, tamen in iis Politiis, quæ non quidem ſunt optimæ, oportunæ tamen aliquibus civitatibus, defecerunt. Quia Politicus, non ſolum debet conſiderare Politiam ſimpliciter optimam, ſed etiam optimam ex ſuppoſitione, & eam, quæ cuique congruit, & quæ poſſibilis eſt. Similiter, debet Politicus conſiderare Politiam faciliorem, & communiorem omnibus. Iſti autem, ſolum de optima politia determinaverunt, quæ multis indiget, ad quam pauci pertingere poſſunt. Et ideo ſolum de illa, quæ vix, aut nunquam eſſe poteſt, conſideraverunt. Et ideo manifeſtum eſt, quod erraverunt.*

*Iidem volunt politicum magis de vitioſis, quam de rectis, eſſe ſolicitum.*

§.14. *Iam quod vitioſas* (*a*) & imperfectas reipubl. formas plus, quam rectas, ad Politici curam pertinere docuerint, hic Ariſtotelis locus 6. Polit. 6. argumento eſſe poteſt. *Ea* (inquit) *Oligarchia, quæ Tyrannidi ſimillima, ut nequiſſima eſt, ita majorem curam & cautionem deſiderat. Quemadmodum enim corpora bene conſtituta, & ad bonam valetudinem probe conformata, ſimiliter autem & navigia ad navigationem oportuna bonisque nautis inſtructa, plura incommoda ſine læſione vel interitu ſuſtinent: corpora vero morboſa, ac navigia fatiſcentia malisq. inſtructa nautis, ne parva quidem incommoda ferre poſſunt, ita & peſſima quæque reipub forma plurimam cautionem deſiderat.* Porro D. Thomæ in hujus ariſtotelici loci explanatione verba ſunt: *Sicut corpora animalium, quæ bene diſpoſita ſunt ad ſanitatem, propter bonam ad invicem primorum compoſitionem vel proportionem: & naves, quæ bene compaginatæ ſunt, in ordine ad navigationem, poſſunt ſuſtinere plures errores, ut puta ictus vel paſſiones ab extrinſecis, ita ut non facile corrumpantur propter illa. Illa autem corpora animalium, quæ male diſpoſita ſunt propter malam diſpoſitionem humorum: & naves non bene compaginatæ, ſed quaſi reſolutæ, habentes pravos nautas, non poſſunt ſuſtinere etiam modicos errores: imo corpora animalium talium a modicis paſſionibus corrumpuntur, naves vero hujusmodi ad modicum impulſum venti vel undæ, vel ad ictum rupis franguntur. Ita eſt de rebuspublicis. Illæ, quæ optime ordinatæ ſunt ſecundum rationem, multos impulſus & magnos ſuſtinere poſſunt. Male autem ordinatæ a modicis corrumpuntur, & ideo majori indigent cautela.*

*Iidem exemplum præjuerunt politicis.*

§.15 Quam denique *exemplo etiam ſuo Ariſtoteles* (*b*) & D. Thomas, hanc ſuam de Politicæ ſubjecto doctrinam ſtabiliverint, nemini, qui librum quintum Politicorum, in eumque D. Thomæ commentarium legerit, obſcurum eſſe poteſt. Ibi enim de vitioſis reipub formis, earumque conſervandi modis, accuratiſſime præcipitur. Et capite quidem undecimo, de modis conſervandi regni, ſeu boni principatus, paucis verbis diſputationem abſoluunt; ſed in præſcribendis modis, quibus tyrannis conſervari debeat, longe ſunt copioſiſſimi, ita, ut ſi quis verſus numeret, quos in docenda utriusque formæ conſervatione expleverunt, duodecies tantum, & eo plus, tyrannidi, quam regno, ab eis impenſum eſſe comperiat.

*Iniqui politicorum cenſores, volunt ab iis tractari aliena.*

§.16. Et adhuc quidem, ſatis planum feciſſe videor, eos, qui tam iniqui ſunt ſcriptorum Politicorum judices, contra quam ratio ac methodi leges ferunt, in arte politica, ea, quæ artis propria ſunt, tradi nolle. *Reliquum eſt, ut* (*c*) eosdem ἀλλότρια, ſive aliena tractari velle, ſimiliter demonſtrem.

*Vituperare tyrannidem, pertinet ad Scholam Ethicam.*

§.17 Cum igitur ſupra, aliud Genere, aliud Loco alienum eſſe, oſtenderim, quorum illud ſemper methodo artis ac doctrinæ, alterum etiam prudentiæ methodo adverſatur, utriusque generis alienum ab iſtis requiri videmus. Primum enim, hoc nomine, Politicos ſcriptores graviter accuſant, quod non occupentur in deſcribenda tyrannidis fœditate ſeu turpitudine, ut ab ea vel occupanda, vel retinenda hominum animos deterreant. Hoc autem, a ſchola politica alieniſſimum eſſe, & *ad Ethicam vel Moralem pertinere*, (*d*) etſi nemini vere Philoſopho poteſt eſſe dubium,

*Nota, & animadverſiones. Conringii.*

(*a*) *Jam quod vitioſas.*) Si de ſtatu regiminis loquaris, vera ſunt, quæ hic Scioppius docet; at ſi & reliq[illegible] civitatis attendas, longe eſt alia ratio. Certe, qui ſimpliciter optimam velit inſtituere civitatem, illi longe eſt pluribus opus præceptis: idque, quoniam ſingula quæque accurate ibi ſint componenda, quo civitas omni ex parte felix evadat. Loca autem illa Ariſtotelis pariter & Thomæ, de ſolo ſtatu regiminis loquuntur: ultra formam regiminis vero multa ſunt ad felicitatem civitatis neceſſaria.

(*b*) *Exemplo etiam ſuo Ariſtoteles.*) At vero Ariſtotelem, integros ſex libros inſtituendæ optimæ reipublicæ impendiſſe, ſaltim ſimile vero fecimus Introductionis in Politica Ariſtotelis cap. 2. Hodieque ſuperant hujus argumenti liber ſeptimus, & pars octavi.

(*c*) *Reliquum eſt, ut.*) In omni illa, quam nunc aggreditur Scioppius, doctrina minus ſeſe recte gerit.

(*d*) *Et ad Ethicam vel Moralem pertinere.*) Vituperari tyrannis poteſt & debet, modo non uno: & Moraliter ſcilicet & Politice. Moraliter, eo quod tyrannis humanæ naturæ adverſetur, ſive Tyrannum ipſum videas ſive eos, qui illius libidini ſunt obnoxii. Politice, eo quod hic reipublicæ ſtatus, *primo*, non tendat in uſum integræ civitatis, ſed ſolius dominantis tyranni, ac proinde neutiquam poſſit annumerari bonarum rerumpublicarum ordini, imo ab illo longiſſime omnium recedat: *ſecundo*, quod nec ipſi tyranno conciliet quidquam veræ civilis felicitatis, qiucquid autem pariat breviſſimi, id ſit temporis. Prius vituperium, non eſt politicum: Poſterius vero, unice ad Po-

Digitized by Google

um, tamen propter alios, quibus diſciplinarum fines non æque noti ſunt, diſtinctius probare volo.

§. 18. ETHICA *ſeu moralis Philoſophia*, (*a*) quæ ars bene vivendi definitur, *partim regularis eſt*, (*b*) partim exemplaris. Et illa quidem vel dogmatica, vel parænetica ſeu pædagogica: hæc autem vel characteriſtica, vel hiſtorica, vel fabularis. Non minus enim, quam cæteræ artes, moralis partim regulis, partim exemplis docetur. Regulæ vero ſunt vel generales, vel ſpeciales. *Illae Dogmata ſeu Decreta: haec Praecepta* (*c*) vocantur vel Paræneſes aut Cohortationes. *Decreta* ſunt generales ſententiæ, quæ non ad certam aliquam, ſed ad omnem vitæ partem diriguntur, & univerſe hominis animum informant, ac partim in tradendo fine hominis, ſeu ſummo bono, partim in iis, quorum adjumento finem conſequimur, in eorumque contrariis occupantur. Cujus generis ſunt, quæ docent, quid ſit felicitas hominis, quid miſeria, quid bonum, quid malum, quid virtus, quid vitium, quot ſint virtutes, ſeparatæne ſint, an connexæ, ut qui unam habeat & cæteras habeat. *Atque hoc fere* (*d*) librorum moralium Ariſtotelis argumentum eſt. *Praecepta*, ſingulis vitæ partibus inſerviunt, & cum Actiones hominis, quæ *Officia* vocantur, ſecundum temporum ac locorum varietatem ordinant ac diſponunt, tum Paſſiones, ſive affectus, aut Perturbationes moderari, & vel excludere vel corrigere docent. Ex hac nota ſunt, quid facere debeat, *qui vitam beatam traducere*, (*e*) qui metu vacare, qui cupiditate, ſpe, amore, invidia omnique iis, quæ mala ſunt, animum liberare velit: *quid pater filio*, (*f*) filius patri, vir uxori, uxor viro, ſervus domino, dominus ſervo, amicus amico, civis civi præſtare debeat. Atque hæc Philoſophiæ moralis pars a Cicerone *in libris de Officiis* (*g*) & tuſculanarum diſputationum uberrime pertractatur, quorum *illi regulas Actionum* (*h*) tradunt, hi vero Paſſionum ſive Affectuum regimen,

Ethica definitio ac diviſio.

1. pars regularis.

Decreta.

Praecepta.

*Notæ, & animadverſiones Conringii.*

politicam pertinet, doctrinam, ut ſine culpa imperfectæ operæ omitti nequeat. Hinc nec quiſquam meliorum politicæ doctrinæ magiſtrorum hoc agere neglexit. Non Plato certe, non Ariſtoteles, non hujus paraphraſtes Thomas. Tantum abeſt verum eſſe, quod hic Scioppius addit: quod vituperare tyrannidem *a ſchola politica alieniſſimum eſſe, nemini vere Philoſopho poſſit eſſe dubium.* Etiam hic autem Scioppius prodit pravam illam ſententiam, quaſi circa unum idemque objectum non poſſit niſi una verſari methodus: cum tamen certum ſit, fieri id poſſe & debere a diverſis, tantum ſi diverſus ſit conſiderandi modus: ceu jam tum animadvertimus.

(*a*) *Ethica ſeu moralis Philoſophia.*) Prolixa quæ ſequitur diſſertatio de Ethicæ natura & variis ſpeciebus, demumque finitur pag. 59. cum §. 23. aliena eſt ab hoc argumento, atque adeo vitioſe inſerta. Licet autem ſine culpa, tanquam ab inſtituto remota, iſthæc nunc omnia contemnere. Imo vero non licet ſine culpa juſtum eorum examen hic inſtituere. Non poſſumus tamen non ſaltim in quædam maxime enormia animadvertere.

(*b*) *Partim regularis.*) Quæ hic inſtituuntur partitiones Ethices rigidum examen haud ferunt. Quadantenus tamen tolerari poſſunt. De Moribus ſcilicet alia novimus ſenſu atque experientia, alia ratiocinatione. Poſteriora comprehendit Ethica, quæ Scioppio, regularis audit: Priora, quæ eidem exemplaris dicitur.

(*c*) *Illa Dogmata ſeu Decreta: hac Pracepta.*) Diviſionem illam Ethices in dogmaticam & pareneticam, jam dudum Stoici veteres agnoverunt. Cumprimis legi merentur, quæ de utraque diſſeruntur a Seneca in Epiſtolis poſt nonageſimam quarta & quinta. Stoica illa adhuc juvenis Scioppius produxit in ſuis *Elementis Philoſophiæ Stoicæ moralis cap.* 119. hic nonnihil aliter ſenex pinxit, meliora tamen haud reddidit. Cæterum facile apparet, omnes illos longe diverſe vocabula illa accipere atque ab aliis fieri ſolet. Nec enim alius quiſquam ſolas generales morum inſtituendorum regulas *Decreta*, aut ſpeciales *Pracepta* appellavit: ſed utrumque vocabulum de utriſque promiſcue uſurparunt, boni quique auctores alii, qui diſcrimen omne utriuſque vocabuli collocant in ſola diverſitate enunciandi. *Imperative* nimirum fit Præceptum, quod *Indicative* eſt Decretum: ac viceverſa. Sic: *Deus eſt colendus*, Decretum eſt: *Deum cole*, Præceptum. *Uxor à marito amanda*, eſt Decretum, quamvis ſpecialis Regula: *Marite ama uxorem*, Præceptum. Rectius diviſeris moralem doctrinam in eam, quæ nude ſciſcit, quid agendum omittendumve, & eam, quæ veras cauſſas reddit, quare quid agendum ſit aut omittendum. Quarum utramque tamen poſſis nunc dogmaticam nunc paræneticam dicere; ſed poſteriorem ſolam Philoſophiæ aut ſcientiæ moralis nomine dignari, ſi quidem vere demonſtrativis utatur probationibus, Oratoriam vero ſi rhetoricis, hoc eſt plebi perſuadendæ idoneis argumentis duntaxat rem conficiat, cujuſmodi ſolent eſſe plæraque Parænetica. Hanc diverſam Moralia tractandi rationem etiam Epicteto ſtoico fuiſſe obſervatam, liquet ex *cap.* 76. *Enchiridii.* Poſidonio quoque neceſſariam viſam *cauſarum inquiſitionem*, teſtatur Seneca *epiſtola* 95. Quin & ipſe Seneca, ita interdum differit in ipſa illa Epiſtola, quaſi dogmaticæ doctrinæ voce illam αἰτιολογικὴν intellectam velit. Etſi minus conſtanter ita doceat. Et vero utraque illa Epiſtola plena eſt confuſionis & multum turbulenta. Ut proinde nec J. Lipſius *l.* 2. *diſſ.* 13. *Manuductionis* ab illa ſtoicæ Philoſophiæ ſcabie cavere ſeſe potuerit.

(*d*) *Atque hoc fere*) Imo vero Ariſtoteles ſtudioſe inculcat, in omni vita etiam atque etiam videndum, quid huic aut illi, hoc aut illo loco vel tempore, conveniat, non autem duntaxat *univerſe hominis omnia informat.* Ad hoc, ut dixeris hoc fere eſſe argumentum primorum quinque vel ſex librorum moralium Ariſtotelis, in longe aliis tamen verſantur libri reliqui.

(*e*) *Qui vitam beatam traducere,*) At vero hoc generale quid eſt: deberet itaque dogmatici eſſe argumenti.

(*f*) *Quid pater filio.*) Rectius Ariſtoteles hæc & ſimilia bonam partem ab Ethicis ſejunxit, & partim Oeconomicæ partim Politicæ docenda commiſit. Ad Ethicen ſcil. docere tantum pertinet, quid jure naturalis amicitiæ pater filio, liberi parentibus, & ſibi mutuo conjuges & cognati affineſque debeant: in quantum autem & hæc & alia vel domeſticæ vel civili ſocietati utilia ſint, alterius eſt operæ.

(*g*) *In libris de Officiis.*) Id quidem haud omnino negaverim. Ipſemet enim Cicero ita ſtoice *l.* 1. *de Officiis* loquitur: *Omnis de officio duplex eſt quæſtio. Unum genus eſt, quod pertinet ad finem bonorum: Alterum, quod poſitum eſt in Præceptis, quibus in omnes partes uſus vitæ confirmari poſſit. Superioris generis hujuſmodi exempla ſunt: omniane officia perfecta ſint, numquid officium aliud alio majus ſit: & ſi quæ ſunt generis ejuſdem. Quorum autem Officiorum Præcepta traduntur, ea quanquam pertineant ad finem bonorum, tamen id minus apparet, quia magis ad inſtitutionem vitæ communis ſpectare videntur, de quibus eſt nobis his libris explicandum.* Obſervandum vero, quod hic ipſemet Cicero fateatur, Officiorum præcepta iſta *pertinere ad bonorum finem, etſi minus id appareat.* Reapſe igitur utique hæc etiam doctrina fuerit dogmatica dicenda, Similiter vero & illa, quæ ad finem bonorum pertinere ait, reapſe ſunt Præcepta, quamvis magis communia & generaliora.

(*h*) *Illi regulas actionum.*) Regulæ *actionum* ſane traduntur in libris de Officiis; ſed non ſenſu ſcioppiano, ut *actiones* ſcilicet ſint diſtinctæ a *regimine affectuum.*

gimen, id eſt, quomodo vitioſos animi affectus medicari vel moderari oporteat. Quod quidem *internum officium* diſtinctionis gratia vocare poſſumus: ſicut *externum* illud, quod Deum & homines ſpectat. Libri vero de Finibus bonorum & malorum ſunt dogmatici, & in tradendis Decretis occupantur. *Plutarchi etiam moralia* (*a*) opuſcula maximam partem præceptis vitam hominis ordinant. Quemadmodum, & Theognidis, Phocylidis, quæque Pythagoræ vocantur Aurea carmina, & Diſticha Catonis nomen præferentia. Seneca Philoſophus etiam ipſe præceptivam Moralis partem potiſſimum coluit, planeque in ea regnat: cui proximus eſt Epictetus Stoicus. Cum autem officium ſit vel perfectum, *quod κατόρθωμα* (*b*) vocant vel Medium, quod καθῆκον perhibetur, quorum illud eſt actio vel conſtituens heroicam virtutem vel ab ea proficiſcens, hoc autem in communi ac velut ordinaria hominum virtute ſpectatur: apud Gentiles a chriſtiana doctrina remotos (Epicteto & Seneca exceptis) vix ullam perfecti officii regulam inveneris. Itaque, ſi quis virtutis perfectionem adamet, ſacrarum literarum ac librorum vere κατορθωματικῶν lectioni dedere ſe neceſſe habet: qui a Theologis practicis, quorum alii *caſiſtae*, (*c*) alii *ſpirituales* vulgo dicuntur, magno numero ſunt editi.

Ethica pars Exemplaris. §.19. *Exemplaris ſeu paradigmatica* (*d*) Philoſophiæ moralis pars faciendorum fugiendorumque exempla ſuppeditat. Nec enim tantum quomodo quidque faciendum, ſed etiam quomodo non faciendum ſit, exemplo rectiſſime docemur. *Tam hæc cogitanda ſunt exempla, quæ vites, quam illa è contrario quæ ſequaris*, ait Seneca. Sic Iſmeniam clari nominis tibicinem Plutarchus auctor eſt, cum diſcipulis ſuis non eos modo, qui bene, ſed etiam, qui ſecus tibiis canerent, oſtendiſſet, monere eos ſolitum: *Ita canendum eſt*, & *ita canendum non eſt*. Et Horatius 1. Satyr. 4. ſe a patre ſuo proponendis virtutum ac vitiorum exemplis, quid in vita agenda fugere quidque facere deberet, edoctum fuiſſe, pereleganter narrat. Quem quidem locum hiſce verbis concludit;

*avidos vicinum funus ut aegros*
*Examinat, mortiſque metu ſibi parcere cogit:*
*Sic teneros animos aliena opprobria ſæpe*
*Abſterrent vitiis.*

Cum autem exempla, vel vera ſint vel ficta, & vera vel in genere omnium, vel in ſpecie hujus aut illius, ſive ſingulorum: eo fit, ut pars iſta Philoſophiæ, quæ exemplis docet, ſit partim characteriſtica, partim hiſtorica, partim fabularis. Characteriſtica. *Characteriſtica* eſt, quæ in genere homines virtutibus ac vitiis præditos dictis ac factis ſuis quotidianis velut ſignis ac notis quibuſdam deſcribit; *quae res* (ait Seneca) *eandem vim habet, quam præcipere. Nam, qui praecipit, dicit*: Illa facies, ſi voles temperans eſſe: *qui deſcribit, ait*: Temperans eſt, qui facit illa, qui illis abſtinet. Similiter qui præcipit: Illa ne feceris, ait, ſi non vis eſſe intemperans, ſed qui deſcribit: Intemperans eſt, qui facit illa, qui non abſtinet ab illis. Sic Zachariæ cap. 11. qualem deceat eſſe bonum Pontificem ſive Eccleſiæ Paſtorem, Charactere ſeu notatione Paſtoris ſtulti docemur: *Paſtor ſtultus*, ſive *paſtor & idolum, derelinquit gregem, derelicta non viſitat, diſperſum non quærit, contritum non ſanat, id quod ſtat, non enutrit, ſed carnes pinguium comedit, & ungulas eorum diſſolvit.* Iſta characteriſtica ſeu deſcriptiva docendi ratio eandem habet vim, ac ſi præciperetur, quid fugere Pontifex, quid-

*Notæ, & animadverſiones Conringii.*

(*a*) *Plutarchi etiam Moralia.*) Clarius dixiſſet & magis ex vero Scioppius: Plutarchum & reliquos iſtos quorum paulo poſt meminit, aut ſimpliciter præceptive, aut additis quidem probationibus, ſed plærumque oratoriis Moralia tradidiſſe: ἐπιςημονικῶς aut vere φιλοσοφικῶς neminem illorum omnium.

(*b*) *Quod κατόρθωμα.*) Vocum illarum græcarum interpretatio iſthæc itidem eſt ex veteri porticu. Nemo tamen veterum affirmavit: *κατόρθωμα eſſe actionem vel conſtituentem heroicam virtutem vel ab ea proficiſcentem.* Neſcio etiam, an quiſquam temere probaverit id, quod pronunciat Scioppius: *apud gentiles vix ullam perfecti officii regulam inveniri:* niſi ſane reſpexeris ad illud, quod omnia ſint agenda in gloriam Dei & vitæ æternæ cauſſa: quem ſcopum gentilium præcepta nulla habent, ne Senecæ quidem & Epicteti, quos ſolos hic excipit Scioppius. Cæterum videtur, Scioppio jam tum ſeni adhuc placuiſſe adoleſcentiæ ſuæ illud in Elementis parte 1. cap. 74. defenſum dogma: *Ariſtotelis philoſophiam totam nullam eſſe & effœminatam, & ſine ſtoica philoſophia parum prodeſſe.*

(*c*) *Caſiſta.*) At profecto non hi ſolent tantum circa κατορθώματα, ſed etiam τὰ καθήκοντα, & quidem potiſſimum circa hæc, occupari.

(*d*) *Exemplaris ſive paradigmatica.*) Exemplaris morum doctrina aut nude duntaxat in exemplo monſtrat virtutum & vitiorum naturam proprietatemque: aut ſimul, bono an malo eventu geſtum aliquid omiſſumve ſit. Illa parum apta eſt ad docendum; hæc vero ſuppeditat ſæpenumero optimas probationes laudabilium & vituperandorum operum. Sæpenumero inquam. Nec enim ſemper ex eventu proſpero aut adverſo, quem narrant hiſtoriæ, diſcere eſt, quid honeſtum ſit, quid turpe: ut quidem in vita habent ſeſe res mortalium. Quo reſpiciens Ariſtoteles dixit, πλάνην ἔχειν καὶ τ' ἀγαθά, διά τὸ πολλοῖς συμβαίνειν βλάβας ἀπ' αὐτῶν: & ipſemet S. Apoſtolus docet, miſerrimos fore fidelium Chriſtianorum optimos, ſi hujus vitæ eventibus metienda ſit vera felicitas. Quandoquidem vero Philoſophiæ nomen meretur denique illa, quæ firmis rationibus ſubnixa eſt rerum cognitio, facile apparet, non promiſcue omnem exemplarem morum doctrinam Philoſophiæ parandæ eſſe idoneam. Sic ſane characteriſtica vulgo potius prodeſt, quam Philoſophiæ moralis ſectatori, ut videre eſt in libello Theophraſti. Fabularis itidem non inſervit Philoſophiæ; ſed communi potius vitæ. Argumenta ſcilicet philoſophica neceſſum eſt vera eſſe: adeoque nihil ficti admittit in probationem Philoſophia. Multo minus ergo & Mythologia huc facit quicquam. Sola Hiſtoria Philoſophiam juvat. Ut tamen ante jam diximus, non etiam illa ſemper firma ſuppeditat argumenta recti & iniqui; idque quoniam omnis hiſtoria verſatur tantum in hujus vitæ eventibus & actibus narrandis, cum tamen vera felicitas demum ſit exſpectanda, facta mortuorum corporum reſurrectione & æterna cum immortali anima redunitione, quod nos hactenus docuit omnium optime ſola doctrina chriſtiana. Hæc ſufficit notaſſe ad omnia, quæ de exemplari morum doctrina omnibusque ejus partibus hic diſſerit Scioppius: falſo omnem illam doctrinam Philoſophiæ nomine dignatus. Neque vero patitur inſtitutum plenius hoc agere, aut in ſingula pro merito animadvertere.

Digitized by Google

quidque facere debeat. Hanc porro Philoſophiæ partem Theophraſtus Ariſtotelis auditor & ſucceſſor peculiari libro complexus fuerat, cujus hodie fragmenta extant, quæ *Characteres morum* inſcribuntur.

§.20. *Hiſtorica* eſt, quæ vera aliorum exempla ſic narrat, ut ex eorum, quæ recte, ac ſecus facta ſunt, eventis, gloria puta & infamia, utilitate ac damno, quid faciendum fugiendumque ſit, addiſci queat. Nam qui, verbi gratia; ebrietatem Alexandri gloriam ejus obſcuraſſe, ac multorum ei malorum cauſam fuiſſe narrat, is Principibus, ut ebrietatem fugiant, præcipere cenſendus eſt. Ita, qui Scipioni Africano continentiam, qua in capta virgine illuſtri ſponſo ſuo reddenda uſus eſt, cum glorioſam fuiſſe, tum animos hoſtium conciliaſſe, & Hiſpaniam ad ejus imperium adjunxiſſe narrat, eadem opera iis, qui cum imperio ſunt, præcipit, ut ipſi ſe in voluptatibus contineant, animoque imperare velint. Atque hæc cauſa eſt, cur hiſtoriam Tullius non modo *teſtem temporum*, ſed etiam *vitæ magiſtram* vocarit. Nimirum non modo quid quoque tempore contigerit narrare; ſed etiam recte factis laudem impertiri, ſceleribus maculam adſpergere: ſic denique inſtituere narrationem debet, ut ex ea vitam ſuam lectores recte moderari diſcant.

[*Fabularis.*] §.21. *Fabularis* eſt, quæ fictis exemplis hominum actiones dirigit: ſive illa ſint hominum, ut in narrationibus Mileſiis, quarum ſoluta eſt oratio, ut Apuleii, Heliodori, Bocaccii, tum in poeſi epica & ſcenica: ſive belluarum aliarumque rerum, quibus ratio, ſenſus, & oratio affingitur, ut in Æſopi mythologia. Epicæ quanta vis ſit ad docendam moralem philoſophiam, non uno loco Ariſtoteles, Strabo, Plutarchus, ex profeſſo autem Horatius 1. Epiſt. 2. utriuſque homerici poëmatis exemplo declarant. Nam ex Iliade præcipue militares, ex Odyſſea vero pacis artes haurire licet. Scenica, præcipueque comica, nihil aliud, quam vitæ imaginem velut in ſpeculo exhibet, in quod inſpicientes diſcere queant, ſibi quid ex uſu ſit: ſicut ex diverſo Tragœdia Regum Principumque actiones & affectus ordinat, adeoque inepte & intempeſtive populo ſpectante agitur. Mythologia denique ſive Apologi & Fabulæ æſopicæ, quid facere privatim, ac publice, quidque cavere conveniat, ad popularem captum accommodatiſſime, minimaque cum cujusquam offenſa & invidia præmonſtrant.

[*Impetiti politicorum cenſores, Ethicæ poſtulant in Politicis tractari.*] §.22. Ex HIS facile eſt intellectu, *quam ſit Ethicæ proprium*, (*a*) & a Politica alienum, quod Cenſores iſti a Politicis tractari poſtulant. Nam deterrere hominum animos ab affectanda vel tuenda tyrannide, ad partem Ethicæ paræneticam ſeu præceptivam pertinet: Tyrannidis vero turpitudinem deſcribere, ad partem dogmaticam, cujus eſt de Honeſto & Turpi diſputare, quæ ſunt forma, ac velut anima virtutis & vitii. Cum enim, verbi gratia, uterque in alienanda re familiari verſetur liberalis & prodigus; ſicut viciſſim in eadem non alienanda, ſed quærenda aut retinenda, frugalis & auarus: honeſtas & turpitudo facit, ut Liberalitas ſit virtus, Prodigentia ſive Effuſio vitium; virtus etiam ſit Frugalitas ſeu parcimonia, vitium vero Avaritia. Nam Liberalis alienat, quoniam honeſtum eſt alienare, turpe vero retinere. Prodigus contra alienat, ubi turpe eſt alienare, honeſtum vero retinere. Ita frugalis retinet, quia turpe eſt dare, honeſtum vero retinere: Avarus contra, ſeu ſordidus, retinet etiam, ubi dare honeſtum eſt, turpe vero retinere.

[*Politicæ Artis non eſt, de tyrannidis turpitudine agere.*] §.23. Neque vero quicquam momenti habet, quod contradici ab iſtis poteſt: de tyrannide tractare, politici officium eſſe, adeoque ab eo de tyrannidis turpitudine, velut Adjuncto, agi debere. Ut enim *a methodi magiſtris* (*b*) docemur, omnis quæſtio aut diſputatio ejus artis propria eſt, cujus fuerit Prædicatum ſive Attributum.

[*Avaritia & Liberalitas non ſunt ſub eodem genere.* — *Non ſunt ergo contraria.*] §.24. *Ut hæc quæſtio*, (*c*) *ſit ne Avaritia Liberalitati contraria*, non eſt Ethicæ, ſed Dialecticæ. Nam quid ſit *Contrarium*, ex Dialectica diſcitur, quamvis ſubjecta ſint ethica. Docet autem Dialectica, eſſe contraria illa, quæ ſub eodem genere poſita, plurimum diſſident, Iam vero Avaritiam Ethicus ſub alio genere ponit, ſub alio Liberalitatem. Nam Liberalitas eſt ſub habitu alienandi ſeu largiendi, Auaritia ſub habitu non alienandi, ſed acquirendi aut conſervandi. Liberalitati ergo contrario nomine opponitur Effuſio, Auaritiæ parcimonia, Cum enim Liberalitas & Effuſio ſint ſub eodem genere (ſub habitu nempe largiendi,) plurimum inter ſe diſſi-

*Notæ, & animadverſiones Conringii.*

(*a*) *Quam Ethicæ proprium.*) De vero diſcrimine Ethices & Politices egimus nos latius l. de Civili Prudentia cap 6. & in Propoliticis cap. 5. Inde vero manifeſtum eſt, de turpitudine quidem morali tyranni agere, non eſſe proprie Politici; Politici tamen in officio eſſe, oſtendere, quantum a felicitate civili abſit regimen tyrannicum, quamque adeo miſer & corruptus ſit reipublicæ ille ſtatus. Si docere id negligat Politicus, non profecto officium facit, ſed peccat graviter. Ex parte igitur vera ſunt, quæ hic docet Scioppius, magna tamen ex parte a vero & recto abeunt plurimum.

(*b*) *A methodi magiſtris.*) Præter P. Ramum & ſectatores ejus, non crediderim quenquam illam quidem ineptam methodum docuiſſe: utpote quæ evertat omnem ſcientiarum limitem apud doctos quosque receptiſſimum. Non eſt hujus loci, delirium illud pluribus coarguere. Sufficit notaſſe, quod aliæ diſciplinæ agant de affectione aliqua tantum in abſtracto, aliæ autem de eadem, ſed in concreto. Ut Geometra de linea in abſtracto, de linea in viſu poſita opticus. De numero in abſtracto Arithmeticus, de eodem in ſonis Muſicus. De communiſſimis entium affectionibus in abſtracto Metaphyſicus, de eiſdem in concreto omnes reliquæ agunt ſcientiæ,

(*c*) *Ut hæc Quæſtio.*) Omnia quæ ſubjungit Scioppius usque ad §. 28. iterum toto genere eſſe ab inſtituto aliena, nemo non videt. Rejicienda hinc igitur merito ſunt, & ablegando in ſuum locum. Et vero ſatis apparet, adducta huc eſſe tantum cauſa oſtentandi peritiam aliquam ſubtilitatum philoſophicarum. Quanquam ipſo ſtatim in limine, prodat potius Scioppius ſuam ramiſticam ἀπαιδευσίαν, aſſerens, *quid ſit contrarium, ex Dialectica diſciplina* cum tamen id docere, non Dialecticæ ſit ſed Metaphyſicæ. Cæterum contra ea, quæ ſubtiliter hic diſputata ab ſeſe credidit Scioppius, adverſus Ariſtotelem & unanimem pene omnium ſententiam, quod nempe ut Horatius etiam cecinit,

*Virtus eſt medium vitiorum utrinque reductum,*

non eſt, quod a nobis quidquam hic adferatur in medium, ne denuo *in vitium rapiamur vitio alieno*; ut S. Hilarii verba mutuemur: præſertim, quum nihil habeant, cui refutando, aliquis ex Lycæo tyro non par ſit.

diſſident, quoniam illa honeſta eſt, hæc vero turpis. Similiter Auaritia & parcimonia ſub eodem habitu non largiendi, ſed retinendi, plurimum inter ſe diſſident. Nam parcus non dat, ſed retinet, quia turpe eſt dare, honeſtum vero retinere. Auarus autem retinet, etiam ubi turpe eſt retinere, honeſtum vero largiri.

*Unum uni tantum eſt contrarium.*

§.25. Similiter quæſtio hæc, *ſit ne virtus mediocritas*, ſive in medio duorum vitiorum poſita, rectius in Logica aut Metaphyſica, quam in Ethica, tractatur. Primum enim ex Metaphyſicis diſcimus, unum uni tantum eſſe contrarium. Ariſtotelis 10. Metaphyſ. 4. verba ſunt: *Planum eſt fieri non poſſe, ut uni plura ſint contraria.* Et c. proximo: *Unum uni contrarium eſt.* Philoponus ſimiliter 3. Phyſic. 3. *Abſurdum eſt*, inquit, *ut duo uni eidem ſint contraria.* Sed & prius Plato Alcibiad. 2. *Duo uni rei contraria nullo modo eſſe poſſunt.* Et in Protagora. *Unicuique contrarium unum ſolum eſt contrarium, non multa.* Fortaſſis autem ſupervacuum & πάρεργον fuerit, ſententiam hanc auctoritatibus ſtabilire, cum perſpicue Spiritus Sanctus affirmet Eccleſiaſt. 33. *Contra malum bonum eſt, & contra mortem vita: ſic & contra virum juſtum peccator. Et ſic intuere in omnia opera Altiſſimi. Duo contra duo, & unum contra unum.* Igitur Metaphyſicæ doctrinæ conſentaneum eſt: virtutem inter duo vitia nequaquam eſſe poſitam. Aliter duo ei vitia eſſent contraria, cum ſemper virtus & vitium ſint contraria.

*Igitur virtus non poteſt eſſe media duorum vitiorum.*

*Nullum vitium, eſt defectus virtutis, ſed exceſſus.*

§.26. Deinde ex Dialectica diſcimus, Contraria, ut & reliqua Oppoſita, dici ſecundum idem, ad idem, & eodem tempore ac loco; cui conſequens eſt, vitia illa, quæ vulgo defectus perhibentur Virtutum, nequaquam eſſe Virtutibus contraria, cum ſecundum idem minime dici ſatis conſtet. Exempli cauſa: Avaritia non eſt defectus, neque oppoſitum Liberalitatis, quoniam revera non circa idem internum ſeu formale, ut ſic dicam, objectum verſantur. Nam formale & internum Liberalitatis objectum eſt, alienare rem familiarem, Avaritiæ vero non alienare, ſed retinere. *Formale* voco, ut habitus iſtos circa rem familiarem materialiter tantum occupari ſignificem; & formam vel formalitatem habitus ab objecti formalitate ſecerno. Ex eventu tamen, ſeu per accidens. Liberalitas & Avaritia contraria dici poſſunt, quoniam ipſa eorum objecta, alienare & non alienare, inter ſe pugnant.

*Vitium eſt in medio duarum virtutum.*

§.27. Sed eodem modo per accidens vitium in medio duarum virtutum ſpectatur, velut alterius nimium ſive exceſſus, alterius parum ſeu defectus. Nam Avaritia inter Liberalitatem & Parcimoniam media eſt, & a modo quidem Liberalitatis deficit, Parcimoniæ vero modum ſuperat. Sic Effuſio in earumdem Virtutum medio collocatur, velut Liberalitatis exceſſus, & defectus Parcimoniæ.

§.28. Sed de his alias: nunc ad propoſitum ex diverticulo reverti, res monet. Cum Honeſtum & Turpe ad Ethicam pertineant, fateri oportet de tyrannidis turpitudine non in politica, ſed in Ethica tractari oportere, ut pareatur legibus, quas methodus artis ac doctrinæ præſcribit.

*Prudentia methodus de tyrannidis turpitudine Politicum agere jubet.*

§.29. Reliquum eſt, ut de PRUDENTIÆ METHODO videamus, *cui non tam veritas*, (*a*) quam certa quædam hominum utilitas, eſt propoſita. Hanc ultro fateor non modo permittere, ſed etiam exigere, *ut in politica tradenda* (*b*) etiam deformitas ſeu turpitudo tyrannidis deſcribatur, ad eamque averſandam verba conferantur. Cum enim rerum hominumque uſus comprobet, eam in animis plerorumque pravitatem eſſe, ut cum quid ad illud conſequendum, quod alioquin eis allubeſcit, utile eſſe audiunt, clauſis oculis, omnique impetu illuc ferantur: prudentis politici eſt, providere, ne quid ex doctrina ſua, quamvis vera, homines tam corrupti & ad nequitiam proni, detrimenti capiant. Nam ſine controverſia, omnis politici diſputatio non alio conſilio veritatem exponit, quam ut multum inde utilitatis ad alios redeat. Ut enim prædixi, politicæ artis finis eſt publica felicitas, a publica vero felicitate alieniſſimum videtur ea præcipere, quæ neque eorum, qui imperant, gloriæ, neque ſubjectorum utilitatibus conducant. Quod ii facere exiſtimantur, qui tyrannidis condendæ & conſervandæ vias ac modos ſubtiliter exſequuntur. Nam neque felix eſſe poteſt, qui tyrannidem tenet (quippe qui vi aut dolo utatur, & in perpetuo metu vivere neceſſe habeat) neque qui ſub tyrannide vivunt, cum vix unquam eis deſit, quod doleant aut formident.

*Tyrannidis conſervandæ modos tradere expedit.*

§.30. Si tamen verum quærimus, ac ſubtilius rem totam limamus, *longe ratio eos fugit*, (*c*) qui diſpu-

*Notæ, & animadverſiones Conringii.*

(*a*) *Cui non tam veritas.*) Prudentiæ eſt, definire quid expediat homini, quid noxium. Vetat itaque prudentia docere id, quod turpe eſt; niſi id aliunde jam ſit notum, aut ita id fiat, ne ex doctrina illa rerum turpium, vita humana capiat quidquam detrimenti. Reapſe igitur, aliud interdum exigit prudentiæ, quam Scioppius hic appellat, methodus, quam Doctrinæ methodus: utpote quum illa doctrinam aliquam interdum plane exeſſe jubeat ex humana vita Sic Elephantidis libellos aut Priapejata interpretari, Grammaticæ quidem exegeticæ methodus jubet, ne quidquam veteris illius ſpurcitiei non aperte doceatur. Vera tamen prudentia & pietas jubet potius, omnino abolere ferro & igne, quicquid illius generis & librorum & doctrinæ eſt; gnara ſcilicet, plus valere ignorantiam vitiorum, quam cognitionem virtutis, & vetera illa ſcelera ſine culpa imperitiæ neſciri, vix autem ſine morum labe intelligi poſſe. Ut proinde & ipſe Scioppius in Priapeis edendis interpretandisque vehementer in prudentiam morum, cumprimis chriſtianam, peccaverit. Perinde ut & hic non ſatis recte dixit: *Prudentia methodo non tam veritatem, quam certam quandam hominum utilitatem eſſe propoſitam:* cum utique veritas ipſa definiat illam hominum utilitatem, & nihil hominibus reapſe ſit utile, quod non idem verum ſit.

(*b*) *Ut in politica tradenda.*) Ut in politicis doceatur, tyrannidem eſſe peſſimam omnium rerump. ſpeciem, & pene indignam reip. nomine, non illa tantum ſcioppiana prudentiæ, ſed etiam doctrinæ methodus exigit. Nec opus eſt, ut ulterius in politicis quidem turpitudo tyrannidis doceatur. Eoque hoſce intra limites ſubſtitit ipſemet etiam Ariſtoteles. Atque adeo prudentiæ & doctrinæ methodus nihil hic diverſum poſtulant.

(*c*) *Longe ratio eos fugit.*) Ea quibus Scioppius defendit, doceri poſſe illa, quæ faciunt ad tyrannidem conſtituendam pariter conſervandamque, idemque probant de omnibus ſimpliciter rerumpublicarum minus rectis ſpeciebus, illa hæc fere ſunt. *Primum*, tametſi haud doceantur ſcripto libro, tamen uſu & ingenii nativo acumine haud difficulter

Digitized by Google

diſputationem de tyrannidis conſervandæ modis neque ad tyranni, neque ad ſubjectorum utilitatem quicquam momenti facere perſuaſum habent. Cum enim duos politici modos tradant, quibus imperium conſervare tyrannus poſſit; quorum priorem D. Thomas *Intenſionem* vocat, cum videlicet tyrannis intenditur & augetur, ita ut nihil ſævitiæ & aſperitatis in ea fiat reliquum: alterum *Remiſſionem*, cum remittitur, & humanitate clementiaque mitigatur: neutrius modi tractatio ſingulari fructu publico caret. Nam prioris modi tractatio tyrannidem impedit; alterius vero emendat & tolerabiliorem reddit. Nec enim eſt dubium, impediendæ tyrannidis vim habere, quicquid non modo nihil tyranno ſuppeditat, quod ei ad votorum ſummam ſit uſui, ſed aliis etiam ſimul cum tyrannidis odio notitiam artium tyrannicarum inſtillat, ut in ſervitutem a tyranno redigi nec velint, nec facile poſſint.

*Nam [illegible] impeditur tyrannis, vel emendatur.*

§.31. Talia porro ſunt, quæ politici de augenda ſive intendenda tyrannide præcipiunt: nam partim vim ſive crudelitatem, partim fraudem & perfidiam præmonſtrant, nullo cuiusquam tyranni uſu. Nam qui tyrannidem concupiſcit, ei ſua ſponte, nemine monente, eadem in mentem veniunt. Cujus rei argumento eſt, quod plerique tyrannorum fuere a literis remotiſſimi, neque eos politicorum lectio, ſed improba regnandi libido modos edocuit, quibus tyrannidem ſive conſequerentur, ſive retinerent. Atque haud ſcio, an vel indoctiſſimus maximeque barbarus tyrannus ipſi etiam Ariſtoteli, Politicorum ſine controverſia principi, eam in rem præcepta dictare poſſit. Hoc quidem planum eſt, philoſophos Politicos obſervatis, quas vel viderant ipſi, vel legendo audiendove cognoverant, tyrannorum actionibus ſuas de tyrannidis tuendæ modis regulas confeciſſe.

*Intenſio tyrannidis pertinet ad impediendum.*

§.32. Jam eum, qui remittendæ ſive emendandæ tyrannidis viam præmonſtrat, perſpicuum eſt bene quidem in rem tyranni conſulere, ſed multo magis ſubjectorum utilitatem procurare. Si enim tyrannus non palam ſit improbus, ſed ſtudio habeat diſſimulare ſua vitia, virtutes autem ſimulare, & ad boni Principis ſimilitudinem quam proxime accedere, minus eum contemni minusque odio haberi continget. Quanto autem minus contemnitur minusque exoſus eſt Princeps, tanto ſtabilius ac ſecurius eſt ejus imperium, cum *odium & contemptus*, (*a*) principes imperium evertendi cauſæ ſint. Subditorum porro longe tolerabilior eſt conditio, ſi pareant Principi, qui caveat videri improbus, ſtudeat autem videri bonus, quam ſi ſub ejus ditione ſint, qui ſe ſceleratum exiſtimari nihili faciat.

*Remiſſio vero ad emendandum.*

§.33. Sic apparet, ne Prudentiæ quidem methodo alienam in politicis judicari poſſe præceptionem de modis, quibus tyrannis, ſimiliter autem & reliquæ vitioſæ rerumpublicarum formæ, conſervari poſſint, cum tantum inde utilitatis humano generi oſtendatur.

*Prudenter faciunt politici, qui tyrannidis conſervandæ modos tradunt.*

§.34. Nihilominus reprehenſioni locum eſſe fateor, ſi non cavit politicus, *ne oratio ſua eſſet lubrica* (*b*) hoc eſt, ejus notæ, ut ex ea facilis in errorem aut falſam opinionem lapſus ſit, ac judicium de faciendis fugiendisque depravetur. Nam a Deo maledictus eſt, *qui ponit offendiculum cæco*: multo igitur magis, qui præceptis ſuis efficit, ut homines imperiti in errorem incidant, ſeque recte facere ac laudem mereri cenſeant, ſi modis illis utantur, quibus tyrannidem cæterasque vitioſas imperiorum formas ſtabiliri audiunt.

*Modo caveant, ne oratio ſua ſit lubrica.*

§.35. Verum diſtinguere oportet lubrica vitio ſcriptoris, ab iis, quæ culpa lectoris ſunt lubrica. Uſu enim venire poteſt, ut quæ politicus dextera præbet, ſiniſtra lector accipiat, & ex bene dictis corruptelam hauriat. Quoniam videlicet aut oſcitat aliasque res agit, nec condignam tantis rebus diligentiam adhibet: aut ad politicam acroaſin malitiam, in primisque regnandi libidinem domo ſecum attulit, ſtatimque ea arripit, quæ cupiditati ſuæ habenas laxare exiſtimat.

*Alia ſcriptoris, alia lectoris vitio ſunt lubrica.*

§.36. Sed propter hujus generis lubrica, nullo jure Politicus reprehenditur, cum neque Spiritus Sancti doctrina, ſacrarum volumine literarum comprehenſa, non poſſit ab iis, qui jam animo corrupti ſunt, ad comprobandas impias ſententias torqueri. Teſtatur hoc S. Petrus in verbis iſtis:

*Etiam S. Pauli verba ſunt lubrica vitio lectorum.*



*Notæ, & animadverſiones Conringii.*

ter talia diſcuntur. Ut proinde quidquid mali a notitia talium naſcitur, non poſſit merito ſcriptæ doctrinæ attribui: quoniam remoto ſcripto, tamen iſthæc intelligerentur. Neutiquam *ſecundo* heriles reſpublicæ omnes ſunt iniquæ, ſed nonnullæ ſummo nituntur jure, non minus ac dominatus herilis in familia domeſtica juſtus eſt. Merentur itaque ſaltim interdum etiam herilia imperia, ut probe & inſtituantur & conſerventur. Nec proinde iniquum eſt, ejusmodi quid docere. Et vero in univerſum id omne, quod haud inique intelligi ab hominibus poteſt, etiam poteſt citra iniquitatem doceri. Non poſſunt *tertio* vitari dominatus aut etiam tyrannides, niſi ab iis demum, qui herilium & tyrannicarum artium ſunt gnari. Ut autem optime & pleniſſime eas intelligas, commodiſſima utique eſt doctrina. Fere ſane hic uſu venit, quod ille in comœdia ſervus palmarium credidit ſui facti, cum herilem filium in meretricias ædes aſtu deduxiſſet: quod ſcilicet reperiſſet, *quomodo adoleſcentulus meretricum ingenia & mores poſſet noſcere, mature ut cum cognorit, perpetuo oderit: noſſe enim omnia hæc, ſalutem eſſe adoleſcentibus.* Neque vero boni quique, intelligentes ſimul ſunt malarum vitæ civilis artium, quin ex ſuo ingenio alios æſtimantes, ſæpe decipiuntur & circumveniuntur graviter. Ut recte autem vitam civilem agas, opus profecto eſt illo etjam Servatoris noſtri aureo monito: ut nempe *ſimus quidem ſimplices ſicut columbæ, ſimul tamen etiam prudentes, veluti ſerpentes.* Quod vero hac doctrina abuti quis etiam poſſit ad ſcelera, negari haud poteſt. Obſervandum vero eſt, hanc fere eſſe communem naturam omnis ſcientiæ, præter ſolam virtutem, utpote quæ ſola cedere in abuſum nequeat: alias item res plurimas poſſe ab improbis in pravos uſus verti, nec tamen propterea non, ob inſignia etiam commoda, ſolere in magno haberi pretio, & vitam iis carere non poſſe. Quo ipſo & oratoriam doctrinam excuſavit Ariſtoteles.

(*a*) *Odium & contemptus.*) Conſentanea hæc ſunt ariſtotelicæ doctrinæ l. v. Polit. cap. 9. Eoque ſine cauſſa Wangnereckius & inepte l. 2. §. 6. cavillatur.

(*b*) *Ne oratio ſua ſit lubrica,*) Quæ hic docet Scioppius usque ad §.38. nullam reprehenſionem, me quidem judice, commerentur. Ut proinde hic etiam lib 2. §. 7. Wangneckius nodum in ſcirpo quærat, culpans Scioppium, quaſi ille de induſtria S. Petri verba falſaverit, cum facile appareat, voluiſſe Scioppium illa tantum verba recitare, quæ ad propoſitum facere viſa ſunt.

Digitized by Google

iſtis: *Frater noſter Paulus ſecundum datam ſibi ſapientiam ſcripſit epiſtolas, in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles depravant, ſicut & cæteras ſcripturas, ad ſuam ipſorum perditionem. Vos igitur cuſtodite, ne inſipientium errore traducti excidatis a propria firmitate,* Si quis jam S. Paulus reprehenderet, quod cum eſſet *debitor factus non ſolum ſapientibus, ſed etiam inſipientibus*, non ita ſcripſerit, ut ne inſipientes in verbis ejus intelligendis errare, & alios minus cautos in erroris ſocietatem abducere poſſent: ei recte reſponderetur, S. Paulum ſatis caviſſe corruptelam, & inſipientibus conſuluiſſe, cum digitum illuc eis intendit, unde veram verborum ſuorum ſententiam diſcere queant, nimirum ad Eccleſiam, ejusque legitimos paſtores & doctores. Nam 1 Tim. 4. Eccleſiam vocat *domum Dei, columnam & firmamentum veritatis:* & Epheſ. 4. docet, Chriſtum *ab adſcenſu ſuo in cœlum usque ad conſummationem, dare Eccleſiæ ſuæ paſtores & doctores in opus miniſterii, ut ne ſimus parvuli, qui circumferamur omni vento doctrinæ.* Si quis ergo jam ſuo more & modo Pauli verba intelligere, neque veram eorum ſententiam ab Eccleſiæ paſtoribus & doctoribus diſcere velit, labetur ille quidem in errorem, ſed ſua, non Pauli culpa. Non enim Paulus offendiculum cæco poſuit, cum obſcurius ſcripſit, ſed ſuperbi iſti de induſtria oculos ſuos clauſerunt, ne videant. Suopte igitur vitio labuntur: neque lubrica ſunt Pauli verba, ſed ipſi ſuperbi.

*Qui ipſe ſatis corruptelam cavit.*

§. 37. Similiter nec politicum officio defuiſſe exiſtimandum eſt, ſi homines ſuopte ingenio improbi ex doctrina, rationis arti, præcipueque methodi legibus conſentanea, corruptelam hauriunt: modo ipſe, quod in ſe eſt, fecerit, ac ne quis, niſi volens & ſciens, doctrina ſua depravari poſſit, ſedulo caverit.

*Quomodo politicus caveat, ne lectores depraventur.*

§. 38. Cautionis autem duo ſumma ſunt genera. Unum eſt *Loquendi modus* (a) non abſolutus, ſimplex, aut cathegoricus, ſed hypotheticus, ſive cum exceptione aut conditione. Verbi gratia:

*Primum, modo loquendi hypothetico.*

*Tyrannus, ſi quovis modo imperium retinere velit, debet interficere ſapientes, & magno animo præditos.*

*Tyrannus ſtatum ſuum conſervat, ſimulanda autem impietate, cæterisque vitiis.*

*Bonum eſt ad conſervandam tyrannidem alere factiones & diſſidia inter cives.*

*Male ſive imprudenter facit tyrannus, qui non interficit homines nobiles & locupletes, quibus inviſum eſt ejus imperium.*

§. 39. Iſta præcepta omnia ſunt hypothetica, & conditionem hanc ſive apertam, ſive occultam habent: *Si velit retinere, ſeu conſervare tyrannidem.* Si quis jam eas *pro cathegoricis habeat, & recte ſe facere* (b) ſtatuat, occidendis ſapientibus, magnanimis, locupletibus & nobilibus; ſimulanda religione aliisque virtutibus: alendis denique factionibus. Nempe culpa vacat politicus, qui modo loquendi hypothetico ſatis cavit, ne quis niſi ſciens, prudens ex verbis ejus in errorem præcipitare poſſet.

*Deinde interpretatione propria.*

§. 40. Alterum cautionis genus eſt, ſuæ ſententiæ explanatio. Si nimirum ea præſtitit politicus, ex quibus, quid revera de bene ſecusve factis judicarit, homini non oſcitanter legenti obſcurum eſſe nequeat. Talis autem explanatio eſt vel directa & apertior, vel obliqua & occultior. Directa fit aut *hoc agendo*, ſive ex profeſſo, videlicet adjunctis tyrannidis declarandis, id eſt, fatendo eam eſſe turpem, injuſtam, & velis remisque fugiendam: *aut aliud agendo*, (c) id eſt, explicandis cauſis & effectis tyrannidis, ex quibus eam turpem & fugiendam eſſe quivis ſtatim agnoſcat. *Cauſæ* porro tyrannidis ſunt Vis & Fraus, bellua, non homine digna. Nam Vis leonis eſt, Fraus vulpeculæ, ſicut Jus hominis. Effecta vero ſunt infamia perpetua, odium populare, ejusque comes metus aſſiduus & ſolicitudo. *Si ergo dicat politicus,* (d) tyrannum eſſe ſemi hominem & ſemibelluam, ex Leone puta & Vulpe compoſitum, & vivere in perpetuo metu, ac poſt obitum æternam ei paratam eſſe infamiam; cenſendus eſt clare ſatis fateri, turpem eſſe tyrannidem meritoque fugiendam.

*Directa interpretatio.*

§. 41.

*Notæ, & animadverſiones Conringii.*

(a) *Loquendi modus.*) Sive hypothetice ſive categorice loquaris, parum ad rem facit. Nec vero etiam cathegoricæ propoſitiones de tyrannide conſervanda, quidquam habent culpæ, modo prædicatum ſemper vero ſubjecto jungatur, h. e. modo illa, quæ de ſolo tyranno pronuncianda & vera ſunt, non referantur promiſcue ad Principem quemvis. Æque ſcilicet vacaveris culpa, ſi cathegorice dixeris, exempli cauſſa: *Tyrannus conſervandi imperii ſui ergo, interficere debet ſapientes magnoque animo praditos*; atque ſi hypothetice formaveris ex præſcripto Scioppii ſermonem: *Tyrannus, ſi quovis modo imperium retinere velit, debet interficere ſapientes & magno animo praditos.*

(b) *Pro cathegoricis habeat, & recte ſe facere.*) Cathegoricæ propoſitiones non ſimul affirmant, recte illos facere, qui ita ſeſe gerunt. Nec vero cathegorica propoſitio quævis moralem attingit rectitudinem.

(c) *Aut aliud agendo.*) Non ſemper hoc ſatis eſt, ſed tum demum, ſi facili negotio ex obiter dictis intima ſcriptoris mens queat intelligi. Quod profecto non ſemper fieri poteſt.

(d) *Si ergo dicat politicus.*) Non dubito reſpicere hic voluiſſe Scioppium ad Machiavelli excuſationem: quaſi ſcilicet Machiavellus directe turpitudinem tyrannidis indicaverit, adductis primo ejus cauſſis, vi & fraudibus, deinde & effectis, odio nempe populari & infamia perpetua. Et vero, illud de vulpino ac leonino ingenio, legitur *cap. 18. Principis.* De infamia & odio populari in eodem libro paſſim multa reperias. At profecto hæc quidem eſt inanis excuſatio. Primo enim loquitur Machiavellus non de tyranno, ſed de quovis Principe; quo ille ingenio eſſe debeat, eique ſpernendam omnem famam ſiniſtram, quæ dominatui officiat. Deinde, nemini temere iſthæc quidem legenti in mentem veniat, dicta hæc a Machiavello, ut turpitudo tyrannidis innoteſcat. Quantumvis ſane hoc fortaſſe voluerit Machiavellus, oratio tamen excuſari non poteſt, quin *lubrica* judicari debeat, vel *ejus nota, ut ex ea facilis in errorem aut falſam opinionem lapſus ſit,*

Digitized by Google

§. 41. *Oblique ſententiam* (*a*) ſuam explanat politicus, ſi promptum habeat ſuum conſilium, ſive propoſitum aut intentionem: ita ut conjicere facile ſit, quod ejus fuerit in præcipiendo conſilium, ſive quid eum, ut iſta doceret, impulerit. *Oblique interpretatio.*

§. 42. Hujusmodi vero intentio aut generalis eſt, aut ſpecialis. *Generalis* eſt operis totius ſcopus, ſive id, quod opere toto ſcriptor ſpectavit. Hoc ſi honeſtum eſſe, & ad utilitatem humani generis dirigi apparet, non eſt ullo modo credibile, ſcriptorem ea tradere voluiſſe, quæ judicium Principis de recte ac male factis depravare queant, quod nihil ea re ſit turpius ac magis utilitati publicæ repugnet. Sic apparet, generalem operis intentionem eſſe velut normam, aut regulam, ad quam *ſpecialis intentio debeat* (*b*) examinari, ita ut qui explorato ſcire velit, quæ ſcriptoris in hoc aut illo loco fuerit ſententia, ad totius operis propoſitum reſpicere debeat. Illi enim conſentire debet, quicquid quacunque operis ejusdem parte ſcriptum eſt. Atque hoc examen tum vel maxime requirit diligentiam, ſi ſcriptor ſibi metum aliquem obſtare præ ſe tulit, quo minus promptum haberet, quod ſentiebat. Verbi gratia: *Conatus ſcriptoris eſt*, (*c*) certum aliquem tyrannum patriæ infeſtum deſcribere, eoque pacto partim populare odium in eum commovere, partim artes ejus detegere, quod eſt tyrannidem ejus impedire. Hoc autem periculo nequaquam vacare intelligit. Ad hunc igitur modum de tyrannide diſputat, ut exiſtimari poſſit tyranni utilitatibus ſervire velle, cum ei tuendi imperii rationes præmonſtrat. Alicubi tamen ſibi, quo minus ſententiam ſuam dicat apertius, periculi metum obſtare ſignificat. Hic oportet nos ad id reſpicere, quod opere toto fuit ei propoſitum, & ſpecialis hujus intentionis rectitudinem ex generali conjicere. *Nam niſi hoc faciamus*, (*d*) nullo modo ne illi quidem a juſtiſſima reprehenſione abſuerint, quos politicam rectiſſime ac ſine omni vitio docuiſſe, non temere quisquam negaverit.

*Intentio generalis.* *Specialis intentio interpretanda ex generali.*

§. 43. NON longe abiero. *Ariſtoteles* (*e*) 5. Polit. 9. & D. Thomas in ejusdem capitis explanatione, extrema ſectione ſeptima, ubi Oligarchiæ conſervandæ modos præcipiunt (id eſt, ejus ſtatus, ubi pauci nobilitate & opibus excellentes ex ſua libidine ſuæque utilitatis cauſa dominantur) Sophiſmate politico Oligarchas uti, ac ſtatus conſervandi cauſa benevolentiam erga plebejos ſimulare, eique ſimulationi jurejurando ſolenni fidem facere, docent. Ariſtotelis verba ſunt:

*Ariſtoteles, & D. Th. ſtatus conſervandi cauſſa docent ſimulare & pejerare.*

§. 44. *Oportet Oligarchas videri ſemper plebis cauſam defendere, & aliter jurare, quam nunc ſolent, Nunc enim in quibusdam Oligarchiis, cum ad imperium admittuntur, ita jurant*: Ero plebi inimicus, & quicquid mali potero, faciam. *Atqui oportet eos præ ſe ferre ac ſimulare contrarium ita conceptis verbis jurantes;* Plebem non afficiam injuria.

§. 45. D. Thomæ quæ ſequuntur: *Si debeat ſalvari Paucorum potentia, oportet eam videri facere pro populo, & facere OPORTET juramenta contraria iis, quæ faciunt. Conſueverunt enim Oligarchæ, cum in principatu inſtituuntur, jurando dicere:* Juro, quod populum odio habebo, & conſilio annitar, ut male habeat. *Hoc autem non eſt faciendum, ſed oportet opinari contrarium eſſe faciendum, & inſinuare in juramento oportet, quod Oligarchæ non facient injuriam populo.*

§. 46. Si

---

*Notæ, & animadverſiones Conringii.*

(*a*) *Oblique ſententiam.*) Iſta obliqua interpretandi ratio itidem ſæpe non ſufficit ad *lubricæ* doctrinæ culpam diluendam: niſi demum *perfacile* ſit conjectu bonum ſcriptoris conſilium. Hinc interdum *intentio libri generalis* pravis opinionibus prævertendis neutiquam par eſt: cum quidem ſpecialis doctrina vitio ſcribentis non ſatis generali intentioni reſpondet.

(*b*) *Specialis intentio debeat.*) Si omnia recte ſeſe habeant, oportet ſane ſpecialem quamque doctrinam generali intentioni convenire. At vero contingit haud raro, ut ſcribentium vitio minime iſthæc ſibi ſint conformia. Ac proinde non tuto ſemper de ſpecialis doctrinæ intentione ex generali accipi præjudicium poteſt.

(*c*) *Conatus ſcriptoris eſt.*) Etiam hæc tanquam pro Machiavello dicta accipi voluiſſe Scioppium, quamvis publicas pœnas metuens diſſimularit, nemo doctior dubitaverit. Et vero hoc, quem ille laudat, animo a Machiavello Principem conſcriptum editumque, etiam alii perſuadere nituntur: quos interfuit quondam & Albericus Gentilis & Jacobus Gaddus, quorum ego verba protuli in Epiſtola ad Alvenslevium, editioni meæ præfixa. Quamvis autem nec ego negaverim, vafro & fraudulento conſilio Machiavellum illa ſua de Principe commentatum eſſe. (Nec enim usquam, laudatam ab ipſo tyrannidem: ex adverſo hanc damnatam, cum alibi paſſim, tum cumprimis decimo libri primi capite ejus ad Livium diſſertationum. traditas item artes evertendæ tyrannidis ſervandæque libertatis, legere eſt. Quin animo a Mediceo Florentiæ patriæ ſuæ principatu alienum Machiavellum fuiſſe, doceat vel illud, quod Paulo Jovio teſte bis fuerit reus initæ conſpirationis.) Saltim a culpa tamen *lubricæ* & peſtilentis doctrinæ Machiavello defendendo, neutiquam hæc etiam ſcioppiana paria ſunt. Nec vero vel leviſſimum reperire indicium fuerit in toto de Principe libro, vel contra animi ſententiam, vel ex metu, vel turpium tyrannidis artium prodendarum cauſſa, librum illum, conſcriptum eſſe. Contra ita loqui Machiavellum videas, quaſi ad præſcriptam a ſe nequiter normam omnes ſine diſcrimine Principes conſilia & res ſuas debeant inſtituere. Nullus etiam eſt juſtus metus, quo minus tyrannidum malæ artes in lucem produci poſſint, ſine ulla morum labe. Feliciter ſane id ab aliis factum eſt.

(*d*) *Nam niſi hoc faciamus.*) Nequaquam aliorum iſtorum exemplo poteſt excuſari Machiavellus. Longe enim aliter improbas artes hic aliter illi docuerunt. Si ad illorum exemplum doctrinam ſuam compoſuiſſet Machiavellus, non minus atque illi a juſta reprehenſione abeſſet.

(*e*) *Ariſtoteles.*) Non Ariſtoteles duntaxat & Thomas ante Machiavellum, ſed ante ipſum Ariſtotelem Plato etiam & Xenophon tyrannicas artes prodiderunt: ac proinde etiam hos potuiſſet Scioppius laudare auctores. Nihil tamen ad Machiavellum excuſandum horum omnium veſtigia faciunt antegreſſa. Nemo non illorum ſimul aperte in iisdem libris docuit, quantum tyrannis abſit a recta & vera republica, ab omni item vera civili felicitate: quorum nihil eſt a Machiavello factum libro de Principe. Quod porro in margine hic a Scioppio eſt ſcriptum: *Ariſtoteles & D. Thomas ſtatus conſervandi cauſſa docent ſimulare & pejerare*: bono quidem ſenſu ſcriptum eſt: quin tamen potuiſſet & debuiſſet aliter formari oratio, offendiculi vitandi cauſſa, nemo probus prudensque dubitaverit.

Digitized by Google

*Nec propte- rea poſſunt reprehendi.*

§. 46. *Si quis nunc Ariſtoteli* (*a*) ac D. Thomæ invidiam hinc facere conetur, quod ſtatus cauſa ſimulationem ac perjurium doceant, nempe iis, quas modo expoſui, rationibus: omni eos culpa vacare demonſtrabitur. Primum nihil contra docuerunt, quam artis ac doctrinæ methodus poſtulet. Nam nec falſum, nec genere aut loco alienum eſt, quod hic præcipiunt. Deinde etiam prudentiæ methodo paruerunt, cum ſatis caverunt, ne quis niſi aut valde oſcitans, aut ab ingenio improbus, hac eorum doctrina depravari poſſit.

*Loquuntur enim hypo- thetice.*

§. 47. *Primum enim* (*b*) modus loquendi non abſolutus eſt aut categoricus, ſed cum conditione, apud D. Thomam apertiſſima, apud Ariſtotelem ſatis ſignificata: *Si debeat ſalvari Oligarchia, oportet benevolentiam plebem erga ſimulare ac peierare.* Sive, quod eamdem vim habet: *Simulatio benevolentiæ erga plebem jurejurando confirmata eſt cauſa conſervans ſtatus paucorum.*

*Cauſam effe- cti alicujus tradere, eſt hypothetice loqui.*

§. 48 Atque hoc loco oportune lectorem velim monitum, ut quandocumque effecti alicujus cauſa traditur, conditionem ineſſe meminerit. Si enim dicam, *Ortus ſolis diei cauſa eſt, peccatum mortis:* non aliud audis, quam hypotheſes iſtas, *ſi ortus eſt ſol, dies eſt: ſi peccaſti, morieris.* Quoties igitur Politici cauſas ſive modos tradunt conſervandi ſtatus, ſeu boni, ſeu vitioſi, toties hypothetice loqui cenſendi ſunt.

*Ariſtoteles & D. Th. ipſi ſuam mentem in- terpretantur.*

§. 49. Præterea ſuam Ariſtoteles, & D. Thomas ſententiam de Oligarchæ ſimulatione ac perjurio ſatis explanarunt, ita ut ſi quis non oſcitanter eos legat, nec ſua ſponte corruptus ſit, nullum ei ex hoc præcepto corruptelæ impendeat periculum. Nam inter vitioſas reipubl. formas & injuſtas Oligarchiam numerant & tyrannidi proximam faciunt, quo ipſo turpem ac fugiendam eſſe docent.

*Etiamſi alio loco id fa- ciant.*

§. 50. Si quis contradicat, hoc ſaltem loco nihil de Oligarchiæ injuſtitia ac turpitudine ab eis afferri, adeoque lubricam eorum eſſe doctrinam: ei reſpondebitur, non modo artis, ſed neque prudentiæ methodum ea, quæ loco aliena ſunt, tolerare. Nam quidvis quocunque loco dicere confuſionem parit: idem vero ſæpius iterare, tædium. Politicus, etiam cum hominum minus acriter intelligentium utilitati præcipue conſulit, alio loco de adjunctis, alio rurſum de cauſis conſervantibus Oligarchiæ & Tyrannidis loquitur.

*Nam metho- dus ſuo quid- que loco di- cere jubet.*

Eaque in re methodi leges cuſtodit, ne quod prius dicendum erat, dicat poſterius, aut vice verſa: neu ſæpius eadem dicendo lectoribus ſit faſtidio. Cum igitur alio loco Ariſtoteles & D. Thomas adjuncta Oligarchiæ perſpicue tradiderint, hoc loco, quo cauſas, ſive modos ejuſdem conſervandæ exſequuntur, eadem iterare minime debuerunt.

§. 51. Ex quo perſpicuum fit, quod ſupra demonſtraturum me receperam: imperitos illos & iniquos Politicorum Ariſtarchos contra logicæ artis leges non modo, quæ genere, ſed etiam, quæ loco aliena ſunt, a Politicis tractari velle.

*Ariſtoteles & D. Tho- mas ſua illa de Oligar- chia doctrina nullam cul- pam commi- ſere.*

§. 52. Quod ſi quis hoc amplius generalem & ſpecialem Ariſtotelis, & D. Thomæ intentionem inſpiciat; id eſt, ſi conſideret, quid eis cum in toto opere politico, tum vero in hac ipſa ejus parte, qua ſimulationem & perjurium præſcribunt, fuerit propoſitum; nihil eos, quod ipſorum potius, quam lectorum, vitio lubricum, aut depravando de faciendis fugiendisque judicio idoneum exiſtimari debeat, præcepiſſe deprehendit.

*Generalis eo- rum intentio.*

Nam quod ad operis totius propoſitum attinet, eos methodi lege de omnibus reipub. formis, earumque conſervandi rationibus præcipere debuiſſe comperit, etiam de vitioſis ac depravatis, quas non niſi vitioſis modis conſervari poſſe, ſponte ſua quivis ſanus intelligit.

*Specialis in- tentio.*

Sin autem conſilium eorum expendat, quod in hac operis parte ſecuti ſunt, eis utilia ad conſervandam Oligarchiam, nulla honeſtatis ratione habita, præcipere propoſitum fuiſſe animadvertit. Atqui eam ad rem utile eſt ſimulare & falſum jurare, quod nemo, niſi prorſus rerum imperitiſſimus, negaverit. Merito igitur hunc quoque conſervandæ oligarchiæ modum præſcripſerunt.

*Iidem Ty- rannidem conſervare docent.*

§. 53. *Non alia ratione* (*c*) patrocinium iis commodari queat, quæ iidem Ariſtoteles & D. Thomas tyranno imperium conſervare cupienti 5. Pol. 11. præcipiunt, quorum alia ſævitiæ & immanitatis habent plurimum, alia fraudibus & ſimulatione ac diſſimulatione fere abſolvuntur.

*Per ſummam crudelitatem.*

§. 54. De priore genere hæc D. Thomæ lectione 11 verba ſunt. *Ad ſalvationem tyrannidis expedit excellentes in potentia vel divitiis interficere, quia tales per potentiam, quam habent, poſſunt inſurgere contra tyrannum.* Iterum: *Expedit interficere ſapientes. Tales enim per ſapientiam ſuam poſſunt invenire vias ad expellendam tyrannidem. Nec ſcholas, nec alias congregationes, per quas contin-* git

*Nota, & animadverſiones Conringii.*

(*a*) *Si quis nunc Ariſtoteli.*) Merito de Scioppianis dixeris:

*Non defenſoribus iſtis*
*Tempus eget.*

Fruſtra ſane operoſe adeo Ariſtotelis & Thomæ patrocinium hoc ſuſcipit Machiavellus, cum nemo ſit, qui eos reprehendat, nemini etiam non jam tum liqueat, eos jure reprehendi non poſſe.

(*b*) *Primum enim*) Modus loquendi Thomæ etſi fuiſſet cathegoricus, tamen vacaſſet culpa. Ariſtoteles certe hypothetica dictione non eſt uſus. Ipſemet imo Scioppius paulo poſt agnoſcit, ſine vitio dici: *Simulatio benevolentia erga plebem jurejurando confirmata, eſt cauſa conſervans ſtatus populares.* Quæ propoſitio eſt cathegorica.

Reliqua Scioppianæ defenſionis, pro Ariſtotele & Thoma Oligarchicas artes docentibus heic inſtitutæ, juſtam reprehenſionem haud merentur. Wangnereckius ſane l. 2. cap. 1. §. 12. 13. 14. 15. & 16. non niſi vel cavillatur vel calumniatur; nonnunquam, ut §. 15. aperte etiam nugatur.

(*c*) *Non alia ratione.*) A loquendi modo hypothetico non potuit Scioppius hic invenire vel Ariſtoteli vel Thomæ patrocinium: cum uterque uſus ſit propoſitionibus cathegoricis. Quoniam tamen etiam hic omni vitio caret utriusque doctrina, iterum liquet, nihil referre, utrum cathegorica vel hypothetica fuerit oratio, modo alias ſeſe recte habeat. Ut autem nec ſibi opus ſit ullo patrocinio, ipſimet illi præclari magiſtri caverunt. Nec tamen non etiam hic alias rectum eſt Scioppii patrocinium; quamvis iterum a cavillationibus. §. 17. & 18. non abſtinuerit Wangnereckius.

Digitized by Google

*git vacare circa ſapientiam, habere permittendum eſt. Sapientes enim ad magna inclinantur, & ideo magnanimi ſunt, & tales de facili inſurgunt. Ad ſalvandam tyrannidem OPORTET, quod tyrannus procuret, ut ſubditi imponant ſibi invicem crimina, & turbent ſeipſos, ut amicus amicum, & populus contra divites, & divites inter ſe diſſentiant. Sic enim minus poterunt inſurgere propter eorum diviſionem. Oportet etiam ſubditos facere pauperes. Sic enim minus poterunt inſurgere contra Tyrannum. Procuranda ſunt vectigalia, hoc eſt, exactiones multæ & magnæ. Sic enim cito poterunt depauperari ſubditi. Tyrannus DEBET procurare bella inter ſubditos, vel etiam ad extraneos, ita ut non poſſint vacare ad aliquid tractandum contra tyrannum. Regnum ſalvatur per amicos. Tyrannus autem ad ſalvandam tyrannidem non debet confidere in amicis.*

§. 55. Ad poſteriorem modum hæc Ariſtotelis eodem capite verba pertinent: *Tyrannus videri debet ſupplicia quidem animo paterno conſtituere, non per contemptum: adoleſcentum vero congreſſibus uti ex cauſa amoris, non ex imperio ac poteſtate.* Hoc eſt, pueris & adoleſcentibus ad nefariam libidinem ita uti debet, ut illi id eum amoris, non contumeliæ cauſa, nec pro imperii licentia facere exiſtiment.

*Et per ſimulationem ac diſſimulationem.*

§. 56. Et hæc D. Thomæ lectione 12. *Expedit tyranno ad ſalvandam tyrannidem, quod non appareat ſubditis ſævus, ſeu crudelis. Nam ſi appareat ſævus, reddit ſe odioſum. Ex hoc autem facilius inſurgunt in eum. Sed debet ſe reddere reverendum propter excellentiam alicujus boni excellentis. Reverentia enim debetur bono excellenti. Et ſi non habeat illud bonum excellens, DEBET SIMULARE, ſe habere illud. Tyrannus debet ſe reddere talem, ut videatur ſubditis, ipſos excellere in aliquo bono excellenti, in quo ipſi deficiunt, ex quo eum revereantur. Si non habeat virtutes ſecundum veritatem, faciat, ut opinentur, ipſum habere eas. Tyrannus debet aut moderatus eſſe circa voluptates & delectationes corporales, aut ſi non ſit, tamen ſe debet talem exhibere, ut videatur fugere eas &c.*

§. 57. Iſta ſi quis ea diligentia & integritate legat, quæ virum bonum & Politica diſcere paratum decet, nullum omnino periculum eſt, ne in errorem labatur, aut quicquam horum, quæ præcipiuntur, ſibi faciendum putet. Nam primum ſatis cavent modo loquendi hypothetico, velut paulo prius oſtendi. Nec enim aliud dicunt, quam ſi quis velit ſervare Tyrannidem, debet aut usque eo ſævitia in ſubditos graſſari, ut ultra nequeat: aut virtutibus ſimulandis & diſſimulandis vitiis bono Principi ſimilis effici. Dein ſuam ipſi ſententiam ſic variis modis explanant, ut niſi quis legendi laborem fugiat, aut alioquin animo ægrotet, ſit extra omne depravationis periculum. Primum enim 5. Polit. 10. Tyrannidem ſubjectis populis pernicioſiſſimam eſſe hoc probant argumento, quoniam ex peſſimo tam Oligarchiæ, quam Democratiæ genere ſit conflata, & utriusque vitia ac mala in ſe contineat. Et 4. Politic. 2. hoc afferunt argumentum, quoniam optimæ ac diviniſſimæ Reipubl. formæ, Regno puta, maxime adverſetur.

*Sed nihil ita docendo peccant.*

*Loquuntur enim hypothetice.*

*Et ſe ipſi ſatis interpretantur.*

§. 58. D. Thomas præterea hoc ipſo capite ſuam & Ariſtotelis mentem totidem verbis interpretatur: *Iſta & ſimilia ſunt Tyrannica, & ſalvant Principatum. Sunt mala ſecundum ſe ipſa, bona tamen ad ſalvationem Tyrannidis. Non ſunt facienda ſimpliciter homini, ſed ei, qui voluerit ſalvare Tyrannidem, quæ ſecundum ſe mala eſt.* Et iterum: *Quamvis hoc* (præceptum de ſimulanda virtute, quam non habet) *non ſit in ſe bonum, ad hoc tamen bonum eſt, ut Tyrannus non ſit facile contemptibilis.* Hic ſatis perſpicue docet, iſtam conſervandæ Tyrannidis rationem abſolute ac per ſe malam, ſed certo quodam reſpectu bonam, hoc eſt, utilem, non honeſtam eſſe.

§. 59. Itaque ſi quis jam Princeps his D. Thomæ verbis ad nequitiam abducatur aut depravetur, non eo contingere id dicendum eſt, quod Thomæ verba ſint lubrica ac legentibus periculoſa, ſed quoniam talis Princeps animum ad impietatem, voluptates, fraudes, ac dolos propenſum domo ſecum ad lectionem attulerit, & honeſtate olim valere juſſa, ad ea modo, quæ utilia videntur, toto animi impetu feratur.

*Verba eorum non ſunt lubrica, niſi vitio lectoris.*

§. 60. Ad hæc generalem Ariſtotelis & D. Thomæ in toto libro politico intentionem eſſe apparet, ut methodi legibus obſecuti rempubl. & omnes ejus formas ſuis cauſis efficientibus, conſervantibus & evertentibus explicent. Cui propoſito conveniens eſt etiam de Tyrannide diſputare, quibusque ea modis durabilis præſtari ſeu conſervari debeat, præcipere. Specialis vero intentio eſt, tradendis Tyranno utilibus, vel impedire Tyrannidem, vel emendare & tolerabiliorem reddere. Quorum utrumque, cum ſit ex uſu generis humani, non modo nihil eos contra artem ſed neque contra prudentiam feciſſe, ac propterea ſine perſpicua imperitia & iniquitate reprehendi nequaquam poſſe, ſatis jam omnibus patere arbitror.

*Generalis eorum intentio.*

*Et ſpecialis.*

§. 61. UT AUTEM USUS EORUM, (*a*) quæ adhuc diſputavi, multo fiat manifeſtior, qua methodo ac via progredi debeat, qui cenſuram in politicis ſcriptis exercere velit, diſtincte præmonſtrabo.

*Quomodo reprehendi debeant Politici Doctores.*

§. 62. Si quis ergo ſcriptorem politicum reprehendere cupiat, quid is peccarit, planum facere debet. Si peccavit, aut artis ſeu doctrinæ, aut prudentiæ methodum neglexit. Nam ſi neutrum fecit, omni culpa vacat. Ut doceas, peccatum ab eo contra methodum artis, neceſſe eſt, ut

*Si peccant contra Methodum artis.*

*Notæ, & animadverſiones Conringii.*

(*a*) *Ut autem uſus eorum.*) Quaſi ἀνακεφαλαίωσιν eorum, quæ anteceſſerunt inſtituere hic incipit Scioppius: eoque forte non fuerit opus, quidquam noſtris animadverſionibus addere; quandoquidem ſcilicet jam tum errores ſcioppianos cenſura noſtra ſimus proſequuti. Et vero repetuntur hic nonnulla, in quæ jam tum animadvertimus: ut proinde non ſit opus illorum quidem cauſſa quidquam hic addere. Unum & alterum tamen novum occurrit, quod citra animadverſionem præterire non liceat.



Digitized by Google

*[Tractando] aliena genere: Ratione objecti.*

ut demonſtres, eum *aut aliena tractaſſe*, (*a*) aut Falſa. Si Aliena, aut ea, quæ genere, aut quæ loco aliena ſunt, tractavit. Aliena genere vel ſubjectæ materiæ, vel inſtrumentorum ratione. Subjectæ materiæ ratione, aliena tractat politicus, ſi verbi gratia principem, ut Deum ſibi reddat propitium, & æterna felicitate potiatur, vere pium ac religioſum eſſe, non autem pietatem & religionem præ ſe ferre, id eſt, id agere jubeat, ut qualis eſt, pius nimirum & religioſus, talis etiam ab aliis exiſtimetur. Nam hoc nihil eſt aliud, quam tractare de ſalute animæ, quo modo ſcilicet princeps animam ſuam ſervare vel ſalvare poſſit. At enim anima principis, aut ſalus animæ, non eſt ſubjectum politicæ, ſed Theologiæ, cum in politica tractari debeat *ſalus ſive incolumitas ſtatus*. (*b*) Igitur hoc eſt, quod ajunt, *de genere in genus tranſire*. Inſtrumentorum ratione, aliena tractat politicus, ſi ea conſervandi ſtatus media ſeu modos præſcribat, quæ ex ſublimiori pendent ſcientia. Ut ſi dicat, principem debere creberrimo ſacramentorum uſu, & aſſiduis orationibus, dandiſque ele emoſynis Deum ſibi reddere propitium: ſic enim futurum, ut Deus imperium ejus proſperet. Hoc etſi ſalutare inprimis præceptum ac Principis auribus animoque inſtillari digniſſimum, *tamen a Politica Schola alienum*; (*c*) cum propter arcanum Dei conſilium, temporalium bonorum conceſſionem ex uſu animarum noſtrarum moderantis, nobis non explorato certum eſt. Nam iſtas Dei propitiandi rationes eſſe, ex Theologia diſcimus: ſimul autem & hoc, Deum non aliter principis, quamvis religioſiſſimi, imperium proſperare, niſi ſic ipſius & ſubjectorum ad animæ ſalutem intereſſe videat. Joſiæ quidem, S. Ludovico, aliiſque ſpectatiſſimæ pietatis regibus, non aliam ob cauſam parum proſpere plurima eveniſſe ſcimus. Non hic nego, utiliſſime, vel dicam neceſſario iſta principi, tamquam homini & chriſtiano præſcribi. Itaque ſuo loco & tempore id fieri debet. In Theologia (quo & catechiſmus, ſeu doctrinæ chriſtianæ inſtitutio pertinet) & in morali philoſophia ſimilia præcipi debent: non in politica, niſi contra quam ratio a Deo nobis data dictat, ſcientiarum artiumque fines tollere, & apædeuſiæ, confuſioni, tandemque obſcuritati & ignorantiæ munire viam velimus. Si quis autem dicat politicus, principem debere uſu ſacramentorum, orationibus, & ſimilibus pietatis exercitiis religionis famam & opinionem ſibi parare; nequaquam aliena docet. Nam *opinio ſeu fama pietatis, conſervat imperium*, (*d*) ſicut pietas ſervat animam. Ac propterea ſicut in acroaſi Theologica princeps, ut animam ſervet, jubetur eſſe vere pius, item in politica ſchola, ut ſtatum ſervet, docetur exiſtimari pius. *Nobis neceſſaria eſt vita noſtra, aliis fama noſtra*, ait S. Auguſtinus. Nam pietatis opinio amorem & reverentiam principi conciliat, quæ primariæ conſervandi ſtatus cauſæ ſunt. Nam libenter ei homines parent, quem amant ac reverentur.

*Et ratione inſtrumentorum.*

*Peccant etiam contra Methodum artis, tradentes aliena loco.*

§. 63. *Aliena loco* tractavit Politicus, ſi aut eadem ſæpius, aut quæ prius dicere debuerat, dicat poſterius aut viciſſim. Reprehenſionem igitur meretur, ſi cum prius dixiſſet, Tyrannidem eſſe turpem ac fugiendam, idem poſtea inculcet, quando non jam de adjunctis Tyrannidis, ſed de cauſis conſervantibus diſputationem inſtituit.

*Et falſa afirmando.*

§. 64. *Falſa* dixiſſe demonſtrabitur, ſi verbi gratia inter ſtatus conſervandi cauſas ea præcipit, quæ ſtatum mutant ſive produnt. Nam cum ſtatus forma mutatur, quod fuerat ſtatus eſſe deſinit. Ita religio ac veræ virtutes non conſervant, ſed perdunt ſive evertunt Tyrannidem. Nam ſi Tyrannus incipiat eſſe vir vere bonus, juſtus ac pius, deſinit eſſe Tyrannus: & vel in privatorum ordinem tranſit, vel in bonum principem mutatur. Ineptum igitur eſt & imperiti judicis, politicum reprehendere, *quod Tyranno imperium* (*e*) conſervare cupienti non veram pietatem ac virtutem, ſed ſimulationem pietatis & virtutis præſcripſerit. Falſi etiam Politicus accuſabitur, ſi aut bonum principatum reprehendit, aut vitioſum & injuſtum laudavit; quod id fit falſa principatus adjuncta tradere. Item, ſi legitimo principatui veras virtutes nocere dixit. Nam hoc eſt falſum repugnans, ſive falſam cauſam evertentem tradere. Non enim legitimo, ſed vitioſo tantum principatui vera virtus repugnat.

§. 65

*Notæ, & animadverſiones Conringii.*

(*a*) *Aut aliena tractaſſe*) In methodum artis (ut Scioppiana φράσει utamur) peccatur etiam, *primo* ſi ea, quæ ad argumentum pertinebant, non ſint plene tradita, *ſecundo*, ſi non ex iis, quibus debebat principiis, inſtituta ſit tractatio, *tertio* ſi non juſto dictionis charactere doctrina propoſita ſit. Quorum nihil vel *alieni* vel *falſi* nomine poteſt accuſari. Utique enim doctrina illa vitio laborat, quæ multum negligit vel officio & inſtituto ſuo non ſatisfacit: non minus atque illa quæ in alienis occupatur Adhoc vitium eſt, probabilibus duntaxat aut oratoriis vel dialecticis ratiunculis uti, cum demonſtrationes exigit doctrina: ut viciſſim culpa eſt, ἀποδείξεις producere in medium, cum Oratoriis aut dialecticis perſuadendum vulgus eſſet; id quod & Ariſtoteli jam eſt monitum I. *Ethicor. cap.* I. & *Metaphyſ. minor. cap. ultimo.* Fieri etiam non poteſt ut artifex commode doceat, niſi apto adhibito ſcribendi dicendique charactere. Niſi fallor, rectius a nobis, cum alibi tum initio animadverſionum in Machiavelli principem, præmonſtratæ ſunt veræ cujuslibet boni ſcripti virtutes, & juxta quas cenſura ſit inſtituenda: quam hic a Scioppio eſt factum. Sed & ipſemet Machiavellus jam dixerat, quinque eſſe rationis vitia; Obſcurum, Ambiguum, Falſum, Inconſequens & Alienum. Non itaque hic debuiſſet ab ipſo cenſura omnis reſtringi ad Aliena & Falſa.

(*b*) *Salus ſive incolumitas ſtatus.*) Agendum ſane hoc eſt, ſed non ſolum. Hinc ipſemet Ariſtoteles longe altius inſurgit formaturus optimam rempublicam. l. 7. & 8.

(*c*) *Tamen a Politica ſchola alienum.*) Non eſt alienum a Politico docere, quum a Dei nutu & benevolentia pendeat bonam partem rerumpublicarum vera & diuturna ſalus, modos, quibus illa parari poteſt, unice eſſe obſervandos. Optima porro & undique beata reſpublica cum citra pietatem eſſe nequeat, patet, hic cum primis pietatis uſum oſtendendum.

(*d*) *Opinio pietatis conſervat imperium.*) Ariſtoteles, quamvis gentilis, de tyrannide ſola tale quid docuit, nequaquam de omni imperio, *l.* 5. *Politicor. cap.* II. Quis ferat igitur Scioppium, *fama pietatis conſervari imperium*, ſimpliciter aſſerentem?

(*e*) *Quod tyranno imperium.*) Vera hæc ſunt de Tyranno: at non ſimpliciter de principe, quemadmodum doctrinam ſuam inſtituit Machiavellus.

Digitized by Google

§. 65. Alia tamen res erit, ſi Politicus non de virtute, ſed tantum de opinione virtutis loquatur. Sicut enim quorundam vitiorum opinio nihil aut nocet aut diſconducit ſaluti principatus: ſimiliter quarundam virtutum opinio nihil prodeſt, ſed potius obeſt. Quod tamen non niſi ex eventu, ſeu per accidens uſu venire ſolet; quoniam ſcilicet homines aut depravatis ſunt moribus, aut vitia a virtutibus neſciunt internoſcere. Itaque princeps alias nihil curabit, ut opinionem crudelitatis & avaritiæ effugiat, alias clementiæ & humanitatis famam a ſe ultro amolietur. Nam imperium ſive amore, ſive reverentia aut reſpectu ſtabilitur. Amorem vero & reverentiam in animis ſubjectorum efficit *non virtus in principe*, (*a*) ſed opinio in ſubditis de principis virtute. Sicut e diverſo odium & contemptum efficit non vitium in principe, ſed opinio, quam de vitio ejus habent ſubditi. Nam ſi princeps ſit impius, avarus, & crudelis, habeatur autem pro pio, liberali & clemente, ſine dubio ſubditi eum amabunt & reſpectabunt ſive verebuntur. Contra ſi eum credant eſſe impium, avarum & crudelem, etiamſi revera pius, liberalis, clemensque ſit, odio eum proſequentur & contemnent. Itaque ſi politicus præcipit; Liberalitatis & clementiæ famam principi nocere, nihil pro temporum conditione dixit falſi, modo ne ipſas virtutes principi fugiendas eſſe dixerit.

§. 66. Falſum ſimiliter in Politico accuſari poterit, ſi cum de principatu diſputat, non qui aut abſolute ac ſimpliciter, aut pro rebus circumſtantibus, aut ex hypotheſi optimus, *ſed qui maxime communis* (*b*) & pleriſque principum accommodatus ſit [nam de his omnibus agere ad Politici officium pertinet, velut ſupra ex Ariſtotele & D. Thoma docuimus] tum igitur falſi arguetur, ſi talem principatum rigida juris & æqui ac fidei ſervandæ religione conſervari affirmet. Hoc enim falſiſſimum eſſe, uſus quotidianus ſive experientia comprobat. *Nam pleroſque principatus*, (*c*) qui jam a ducentis circiter annis in orbe Chriſtiano fuerunt, certiſſimum eſt, neque ſimpliciter, neque etiam pro locorum hominumque conditione optimos fuiſſe; quoniam poteſtas Principum nimis ſoluta ac libera erat, nec ſatis legum vinculis adſtricta, ita ut Ariſtotele judice, tolerabiliores quædam tyrannides exiſtimari poſſint. Hoc tamen conſtat, non tam jure ac legibus, aut fidei datæ obſervantia: quam partim vi aperta, partim dolo & fide violanda conſervatos & notabilibus incrementis auctos, atque in poſteritatem propagatos fuiſſe, Deo propter occulta populorum peccata id permittente. Nihil igitur peccat Politicus, ſi tractet de principatu maxime communi & uſitato [*nam in hoc ſubjecto* (*d*) eum occupari convenit] neque ſi eum non ſemper juris & æqui, ſive honeſti cura, ſed ubi ſit occaſio, violentia, aſtutia ac perfidia ſervari doceat. Peccat tamen, ſi talem principatum laudat, quoniam falſum ejus adjunctum tradit, cum laudabilis haud quaquam ſit, ſed multis modis injurius & infamis.

§. 67. Jam ut Politicum *prudentiæ methodum* neglexiſſe vincas, neceſſe habes demonſtrare, nihil eum caviſſe, ne lectoris judicium de recte ſecusve factis depravetur. Hoc autem ut præſtes, eum *cum vitioſi principatus* (*e*) conſervandi modos tradit, categorice, ſimpliciter & quemadmodum vulgo loquuntur, *aſſertive*, non hypothetice, aut cum adjunctione ſeu conditione loqui, nec ullam excuſandi ſui rationem ſuppeditare planum facies. Neque ſic ea excutias, quæ ille alibi de vitioſi principatus, aut etiam cauſarum ejus & effectorum adjunctis tradidit, neque ſi vel generalem ejus aut ſpecialem intentionem ſcribendive conſilium, eo quo ſupra oſtendi, modo expendas. *Reprehendi poſſunt Politici ſi contra prudentiæ Methodum peccant.*

§. 68. Si enim appareat, id, quod toto libro habuit propoſitum, laudem mereri, neque utilitatibus humani generis diſconducere, idque quod de vitioſi principatus conſervandi modis præcipit, aut impediendi aut emendandi ejusdem principatus vim habere: non magis eum, quam aut Ariſtotelem aut D. Thomam imprudentiæ accuſare poſſis: quando eum iſtorum cum præceptis, tum exemplo congruenter de repub. diſputare, cumulatiſſime demonſtravimus.

*Notæ, & animadverſiones Conringii,*

(*a*) *Non virtus in principe.*) Machiavelli pravo more Principem vocat heic Scioppius eum, qui reapſe eſt tyrannus aut herilis monarcha,

(*b*) *Sed qui maxime communis,*) Attamen qui ſimpliciter pollicetur, acturum ſeſe de principe: illi non ſatis eſſe debet, agere de principatu maxime communi & plæriſque principibus accommodato, ſed omnino de ſingulis principatus ſpeciebus.

(*c*) *Nam pleroſque principatus*) Principatus in Italia intra ducentos annos nati, bonam partem malis artibus & invitis civibus cœperunt; & multum proinde participarunt τῆς τυραννίδος. At alibi in Europa non eadem fuit principatuum conditio, plerique hactenus fuerunt principatus legitimi & ſalva populi libertate, eoque ſtatus non ſimplices, ſed mixti.

(*d*) *Nam in hoc ſubjecto.*) Convenit quidem in hoc ſubjecto occupari, ſed non ſolo. Et vero cumprimis opus fuerit, docere & formam principatus mixti, & rationem, qua ille debeat & poſſit conſervari: cum hæc germanicis gentibus per univerſam Europam diffuſis per quamplurima ſecula unice in uſu fuerit, longe communior monarchia herili aut tyrannica.

(*e*) *Cum vitioſi principatus.*) Multa heic quidem occurrunt minime ferenda: ſed quoniam ante jam vapularunt, noſtra hæc cenſura hic acquieſcit.

# GABRIELIS NAUDÆI PARISINI BIBLIOGRAPHIA POLITICA

AD

*Eruditiſſimum Virum*

## JACOBUM GAFFARELLIUM,

Priorem D. Ægidii, in S. T. & Jure Canonico Doctorem, & Prothonotarium Apoſtolicum.

§. I.

Quæris a me, mi Gaffarelle eruditiſſime, atque etiam frequentibus litteris vehementius urges, ut pro ea, quam in me non ſemel deprehendiſti diverſorum librorum ac ſcriptorum cognitione, eorum nomenclaturam aut potius œconomiam ad te transmittam, quos inſtituendis tractandisque cum recta ratione & methodo Politicæ ſtudiis, non inutiles fore cenſeo. Quandoquidem ipſa tibi inpræſentiarum maximopere eſſe neceſſaria, vel te ipſo tacente, cæteri omnes facile intelligunt, quos minime fugit, te unum præ multis, non ut liberalibus modo diſciplinis excultum, imbutumque ſanctioris linguæ facultate præclariſſima, ſed tanquam ad reliquas omnes diſciplinas factum a natura, & diligenti arte expolitum, ab illuſtriſſimo, ſapientiſſimoque viro Domino THUILLERIO, Chriſtianiſſimi Noſtri Regis ad Sereniſſimam Rempublicam Venetam Oratore Excellentiſſimo, ſelectum fuiſſe, quo cum de rebus graviſſimis communicare, & ſubciſivis horis ſermones literarios miſcere poſſet. Ego vero, qui me talem non agnoſco, qualem me nuper eſſe voluiſti, deſiderione dicam iſtius, quod impenſe poſtulas, conſequendi; an mutua, quæ ſemper inter nos extitit, conjunctione ductus, pendeo animi, quo me vertam dubius, re ipſa tenuis ac pauper, ſed promptus obſequio. Etenim ut verum eſſet, quod ex flagrantiſſimo librorum amore, qui me vel a teneris annis exercitum detinuit eorumque inveſtigationi valde propenſum; atque etiam ex bibliothecarii munere, quod mihi quidem olim ab æquiſſimo doctiſſimoque præſide HENRICO MEMMIO, ac poſtea demum ab eminentiſſimo Cardinale eodemque Mæcenate meo munificentiſſimo JOANNE FRANCISCO ex Comitibus Guidiis a Balneo delatum fuit: levem quandam variorum auctorum cognitionem contraxerim; qui fieri tamen poteſt, ut biennium jam a Muſeo meo Pariſienſi, & inſtructiſſimis clariſſimorum Putæanorum, Moræi, Cordæi aliorumque amicorum meorum bibliothecis ſejunctus; & ab illis etiam ſeparatus, quæ Romæ frequentes viſuntur & copioſæ; tot diſcrepantium nominum & titulorum recordari poſſem, quibus memoria complectendis, etiamſi quotidie manibus tractarentur, vix quiſpiam poſſet, quantumlibet artificialis ſubſidio munitus, æqualis inveniri. Maxime cum in hac civitate Cerviæ (quæ & Cerevia & Phycocle antiquitus dicta eſt) atque iſtic locorum vivamus, ubi magna eſt non modo librorum & hominum eruditorum, quibus aliqua ſaltem ex parte ſublevari poſſim in hoc meo conatu, ſed rerum omnium præterquam ſalis inopia. Quod ex aqua per certos canales ex vicino mari in quadratos alveolos ingenioſe deducta, & in ipſis per intentiſſimos ſolis fervores ſtagnante, accedente poſtea modico flatu, uberrima quantitate efficitur, illicitque ſua per ſtatum eccleſiaſticum diſtractione incolas, ut huic uni tantum opificio ſe dedant, poſthabita cæterarum artium & diſciplinarum reliquis vitæ uſibuc ſummopere conducentium cultura. Verum enimvero licet anguſtiis ejusmodi interclusus, non poſſum tamen, quoties mihi jucundiſſimæ tuæ conſuetudinis in mentem venit, non me ipſis exſoluere: ne te, cui omnia mea libenter conferrem, vanis promiſſis lactaſſe videar, aut expectatione votorum diutius maceraſſe. Quare veteres Romanos imitatus, qui urbem ſuam latericiam ædificarunt, cum lapideam non poſſent, & paſtores illos, qui Mercurium ex marmore luco conſecrantes, tabellam juxta cum hac epigraphe ſuſpenderunt:

*Si fœtura gregem ſuppleverit, aureus eſto:*

eligam citius videri parum gnarus apud alios, quam apud te parum gratus; exhauriamque theſauros divæ Mnemoſynes. Non equidem, quo te vel agris vel poſitis in fœnore nummis ditiorem efficiam, ſed optimis politicorum ſcriptorum codicibus; qui tibi, quam voveo, conſultiſſimi ſapientiſſimique hominis famam aſſerere poſſint, & honores una, quiqui ipſam ſolent comitari.

§. 2. QUANDOQUIDEM igitur præcepta civilis vitæ, quam politicam græci vocant, eas philoſophiæ moralis partes ex recta ſcientiarum diviſione ſubſequuntur, quæ paſſim in ſcholis & libris philoſophorum, vulgatis Ethicæ ac Oeconomicæ nominibus edoceri ſolent; nec ullum unquam felicibus auſpiciis ad publicas res gubernandas acceſſiſſe hiſtoriarum monumentis proditum ſit, qui ſuas antea quidem apud ſe & familiam ſuam non bene compoſitas exploratasque habuerit: inde eſt profecto, quod, ne cruda adhuc ſtudia in principum aulas propellantur, & politica diſciplina, qua nihil ſublimius eſt aut magis difficile, hominibus ſui impotentibus

Digitized by Google

bus ac ignaris induatur, rationi valde conſentaneum eſſe exiſtimem, politicas inſtitutiones exordiri ab illa prima philoſophiæ moralis parte, quæ velut unica vitæ hominum rectrix ac magiſtra, ſingulos ſui muneris ac officii admonet, voluntatem iracundiæ fluctibus agitatam, voluptatum blanditiis irretitam, fluctuantemque paſſionum motibus confirmat; quid inter patrem & liberos, quid inter virum & uxorem, quid inter fratres, cognatos, amicos, cives, ac inter omnes homines obſervari par ſit, explicat; Fortitudinis denique, temperantiæ, liberalitatis, juſtitiæ, cæterarumque virtutum naturam diſputationibus ſuis patefacit, & illuſtrat; ut accedente demum pleniſſima rerum, quæ ad politicam ſpectant inſtructione, nihil amplius humanæ perfectioni deſit, voluntate ſic ad boni vel mali dignotionem talibus præceptis confirmata, & intellectu (quod hic nobis omnino præſupponendum fuit) ad veri vel falſi diſquiſitionem, per dialectices præcepta, plene ac ſufficienter informato.

§. 3. Hac vero MORUM regula, & præſtantioris animæ medicina, licet multi ex antiquioribus philoſophis æternum incluruerint: ut *Socrates* ille, qui ſe primus feliciſſimo conatu ex naturæ obſcuritate ad morum contemplationem tranſtulit: & qui ex ejus ſchola prodiere *Xenophon* & *Plato*, non magis eloquentiæ laude, quam pari morum gravitate commendati; *Xenocrates* etiam, de cujus continentia dixit Phryne, de frugalitate & contemtione pecuniæ Alexander, de fide & juſtitia univerſus populus athenienſis; *Calliſthenes* denique, *Epictetus*, *Muſonius*, *Plutarchus*, & alii. Neſcio tamen, quo caſu factum dixerim, ut ipſorum de hac re præceptiones nobis injuria temporum ferme omnes ereptæ fuerint. Ita, ut ſi unum Ariſtotelem excipias, nullus antiquorum ſuperſit, a quo vel ipſius diſciplinæ ſyſtema repetere, vel aliquid ordine atque methodo conſcriptum accipere poſſimus. Neque enim eorum opinioni aſſentior, qui *Platonem* decem illis libris, quos Ariſtoteles, Theophraſtus, Cicero, Macrobius & cæteri politicos vocant, non de republica, ſed de juſtitia diſputaſſe contendunt: atque in ipſis, quæ vis ejus quæque natura ſit, & quomodo ex ejus cultu omnia bona & privatim & publice ad homines perveniant, utque mala omnia ab injuſtitiæ fonte defluant, oſtendiſſe. Sed quidquid ille, quod ad mores privatos pertineret, nobis reliquit, id totum complectuntur Memnon, Eutyphro, Philebus & Crito; reliqui ſiquidem ad politicos referuntur, quales ſunt dialogi de legibus, & de republica. *Ariſtoteles* vero illud omne, quod ad iſtius doctrinæ perfectionem ſpectabat, variis operibus complexus eſt. E quibus ad nos tantum pervenere decem libri Ethicorum ad Nicomachum, ſeptem ad Eudemum, & duo, qui communiter dicuntur ἠθικὰ μεγάλα, hoc eſt, moralia magna. Quibus ſumma quorundam hominum ætatis præteritæ in perquirendis antiquorum operibus diligentia, librum de virtutibus ſuccenturiavit; Græce quidem primo editum, & latine etiam poſtea, ſed illuſtratum commentariis Juſti Velſii hominis eruditiſſimi. Omnes vero illi haud pœnitenda acceſſione cumulari poſſunt eorum, quæ habent *Theophraſtus*, vitiorum pictor ſimul ac cenſor egregius: *Seneca*, in omnibus libris commotior: *Plutarchus* in opuſculis ſedatior & magis compoſitus: *Alexander Aphrodiſæus* in quæſtionibus ſuis, ut Ariſtotelis interpretem decuit, ſingula majori cum ſubtilitate & argutia examinans; ac demum *Epictetus* in Enchiridio, & auctores illi, qui ſub *compendio vitæ & mortis*, non ita mihi allubeſcente, ſimul editi ſunt, græco partim, partim etiam latino contextu. Præter quos non mediocri etiam adjumento eſſe poſſunt quatuor libri, ſola præceptorum, quæ complectuntur, ad mores pertinentium excellentia, inter ſacros codices jure merito relati: *Proverbia* ſcilicet *Salomonis*, *eccleſiaſtes*, *ſapientia*, & *eccleſiaſticus*. Quorum ſic eſt univerſalis doctrina, ſic apta & caſtigata methodus, ut quemadmodum etiam de oratione dominica dicitur, omnium hominum generi utiles eſſe poſſint, chriſtianis, ethnicis, philoſophis, religioſis, piis, impiis; ac propterea ſine flagitio in hoc cenſu librorum prætermitti non debent. Præcipue, cum magnam vim ſententiarum ſuggerant, quorum uſu tempeſtivo, viri graviſſimi plurimum ſibi tum dicendo, cum ſcribendo auctoritatis conciliare ſolent.

§. 4. Ex recentioribus autem licet infiniti ferme de morali doctrina ſcripſerint, paucos nihilominus hic eſſe laudandos, exiſtimo. Satis mihi ſiquidem eſſe duco Hodii alicujus vel Hegemonii inſtar, digitum ad principales vias intendere. Idque etiam tanto confidentius facio, quod quicumque erit antiquorum auctorum doctrina plene informatus, aliis omnibus, aut carere facili negotio poterit, aut ſaltem vel abſque delectu illo, qui in reliqua ſtudiorum ratione diligenter ſolet adhiberi. Optimum tamen erit, melioribus ſe quam primum addicere: ut *Adovardo Gualando*, & *Franciſco* atque *Alexandro Piccolomineis*: qui artem integram nobiliori quadam methodo, & majori vi ac copia ſpirituum tradidere; duo primi latine quidem, & minus ut mihi videtur elato dicendi genere: poſterior vero vernacula lingua eleganter ſuo more, & cum majeſtate ac imperio. Cui propterea duos noſtrates lubens compono illuſtriſſimos antiſtites, *Vairium* & *Coeffetaum*. *Michael de Montaignes*, ut magis abundat copia ſententiarum in ſuis teſtamentis, & ad modum Senecæ crebrius percutit, ſic minus ordine & nitore prævalet. *Petrus Charondas* vel hoc ipſo Socrate ſapientior æſtimandus venit, quod ſapientiæ ipſius præcepta primus, quod ſciam, admirabili prorſus methodo, doctrina judicio in artem reduxerit. Sane ejus liber & Ariſtotelem nobis exhibet & Senecam & Plutarchum, ac divinius etiam aliquid præ ſe fert, quam antiquioribus cunctis & recentioribus fuerit conceſſum. Laudem pariter aliquam meruerunt *Pitardus*, & *Marandæus*: qui non ſecus ac præcedentes linguæ noſtræ divitias ad moralis diſciplinæ tractationem attulere. Quid autem reliquæ nationes idiomate ſuo præſtiterint, longior eſſem, ſi vellem referre. Illud tantum moneo *Sebaſtia-*



Digitized by Google

*num Foxium Marzilium*, *Ludovicum Vivem*, *Eraſmum Roterodamum*, & *Jovianum Pontanum*, ſedatæ ac compoſitæ mentis homines, multa & præclara de hac facultate dixiſſe, hominumque generi ſummopere conducentia. Amicus etiam noſter *Thomas Campanella* juxta doctrinam ſuarum primalitatum Ethicam novam compoſuit, quæ ſub epilogiſmi nomine cum philoſophia ſua naturali & politica typis commiſſa fuit a Tobia Adamo; ſtylo quidem non ita compto delineata, ut ciceronianis arridere poſſit, ſed ea nobilitate cogitationum, rationumque ſubtilitate, ut omnibus ſapientiæ myſtis non poſſit eſſe non ſummopere gratiſſima. *Pathologiam* præterea *animi paſſionum* germanus aliquis non ita pridem edidit: cujus nomen cum ſuo libro Pariſiis diſcedens reliqui. Sed eandem materiam prius abſolverat *Altiſius Luſinus* elegantiſſimo opuſculo de compeſcendis animi perturbationibus: & *Juſtus Lipſius* libello de Conſtantia, in quo tanquam in Darii ſcrinio res ipſas, quas habebat pretioſiſſimas, elegantiam videlicet & omnes ingenii ſui ac judicii gemmas, artificioſe concluſit. Ante hos omnes, anno videlicet milleſimo ducenteſimo quinquageſimo quinto, *Vincentius Bellovacenſis* ſpeculum morale ediderat, pari equidem verborum copia, ſed longe graviori ac ſolidiori eruditione, quam prius feciſſet doctrinale, hiſtoriale, ac naturale. Unde accedente ea difficultate, & quaſi indiſſolubili nodo, quod omnia in tali ſpeculo contenta iisdem fere verbis in prima ſecundæ, & ſecunda ſecundæ divi Thomæ inveniantur; minime vero conſentaneum ſit arbitrari, doctorem Angelicum ſummæ ſuæ partem ſecundam eamque nobiliſſimam ex alio auctore deprompſiſſe: Bellarminus huc ſe tandem convertit, ut exiſtimet ſpeculum illud morale non eſſe Vincentii Bellovacenſis, ſed alterius junioris auctoris, qui fortaſſis etiam Vincentius diceretur, quique ſecundam hanc partem divi Thomæ neſcio qua de cauſa immutare, ac e fundo ejus proprio abactam in proprium transferre voluerit.

§. 5. Atque hi ſunt auctores, quos nunc memini, ſuis inventis ac marte proprio, partem illam philoſophiæ, quæ de moribus eſt, non absque genio & induſtria excoluiſſe. Superſunt alii, qui videlicet propriis viribus diffidentes, aut alia ratione permoti, non aliquid ex ſe proferre auſi ſunt, ſed, quæ ab antiquis ſcriptoribus prolata fuerant, excolere duntaxat atque intellectu faciliora reddere. Quales fuere, quantum ad præſens attinet inſtitutum, *Simplicius*, & *Arianus*, qui in Epicteti enchiridion; & *Juſtus Velſius*, nec non *Auguſtinus Maſcardus*, qui in Tabulam Cebetis, hic nuperrime & lingua ſua Italica, ille vero Latina doctiſſime ſimul ac eloquentiſſime commentarios ediderunt. Verum in ejuſcemodi hominum cenſu illi præcipue conſiderandi veniunt, qui decem libros Ethicorum Ariſtotelis, ſuis lucubrationibus illuſtrandos ſuſcepere: quos inter primus occurrit *Euſtrathius*, græce quidem cum Aſpaſio, & nonnullis aliis editus, ac latine poſtea a Bervardo Feliciano diligenter expreſſus. Cui ſe Danielis Heinſii ſummi procul dubio viri diligentia, ſocium non ita pridem adjunxit *Andronicus Rhodius*, aut potius Olympiodorus; talem enim appellationem in poſteriori editione conſulto ſortitus eſt, cum in priori ab eodem Heinſio facta Lugduni Batavorum, ſub Anonymi nomine latens, nulla paſtoritia fiſtula nullaque adverſa acclamatione exceptus fuiſſet, imo vero avide a cunctis receptus & prolatus. Ab iſtis duobus græcis, ad Arabes deveniendum eſt, & conſulendus *Aben Rois*. Ille ſiquidem præter commentarios in Ariſtotelem, libellum etiam de animæ beatitudine conſcripſit, qui ab Auguſtino Nipho, philoſopho Italorum omnium longe celeberrimo, haud pænitendis quæſtionibus illuſtratus, etiamnum hodie præ curioſorum manibus habetur. Eodem vero propemodum tempore, cum exorta fuiſſet ſcholaſtica docendi methodus, multi etiam hoc ſcribendi genere eoſdem Ethicorum libros explicarunt, aut potius inquinarunt; ut libenter dicerem, ſi tres mihi ex ipſorum numero excipere liceat, omni laude ac commendatione majores: nempe *Albertum Magnum*, divum *Thomam*, & *Ægidium Romanum*, qui minus paulo, quam cæteri, inquinate loquuti ſunt, judicio vero, doctrina, ſubtilitate, adeo ſupra morem & fatum ſui ſeculi excelluerunt, ut ſi pauca demas ex Alberti libro de hiſtoria animalium, nihil unquam eos inepte, nihil non docte ac ſapienter protuliſſe, unicuique in eorum lectione verſato manifeſtum eſſe poſſit. Et licet quidam poſtea, ut *Burleus*, *Gerardus Odonus*, *Buridanus*, *Javellus*, & alii eorum veſtigia ſequi voluerint; iſtud nihilominus tam inæquali gradu, tam inæquali conatu, adeoque infelici ſucceſſu præſtitere, ut longe a tergo remanſerint in barbariei luto & fœtore una cum libris ad Nicomachum eo usque ſepulti, donec renaſcentibus tandem melioribus literis, & ab expugnatione conſtantinopolitana velut alteram vitam vivere incipientibus, multi etiam floruerunt, qui hanc reliquarum ſcientiarum felicitatem ad diſciplinam morum transtulere; partim librorum Ariſtotelis nova interpretatione; ut *Vatablus*, *Lambinus*, *Perionius*: partim etiam commentatione; ut *Faber Stapulenſis* rudior adhuc & nondum plene maturus, & *Argyropylus* Byzantinus, cujus prælectiones Florentiæ habitas non absque manifeſto plagii crimine ſibi poſtea vendicavit *Donatus Acciajolus*. Sequuti ſunt ipſos *Joachimus Camerarius*, & *Zwingerus*: a quorum lectione nemo unquam niſi doctior receſſit. *Simon Simonus* Lucenſis bene & erudite, ſed in primum tantummodo librum laboravit. Ac *Petrus* demum *Victorius*, & *Obertus Giphanius*: qui reliquorum inſtar jure haberi poſſent, ſed tamen non absque eruditis ſcholiis diſertiſſimi oratoris *Marci Antonii Mureti*.

§. 6.

Digitized by Google

§. 6. Queis omnibus cum nullos meliores aut potiores ſubnectere poſſim, reliquum eſt, ut ad illos, qui de OECONOMIA ſcripſerunt, levi paſſu me convertam. Totum vero iſtud negotium longe paucioribus, quam quod de Moribus inſtitutum eſt, mihi abſolvendum eſſe cenſeo; cum quia facillimum eſt ipſi, qui ſe ad moralis diſciplinæ præſcripta compoſuerit, familiæ ſuæ modum ac regulam ponere; tum etiam, quia res ipſa minus arte valet vigetque, quam experientia & uſu, ac hominum legibus, moribus & inſtitutis, circumſtantiisque rerum, temporum & actionum particularibus; quas in artem vel methodum vix poſſibile ſit reducere. Maxime, cum viri docti & librorum ſcriptioni incumbentes, earum ferme omnium ignari deprehendantur; illi vero, qui frequenti exercitatione ſecreta Oeconomica penitiſſime callent, ut ſunt plerumque patresfamilias, mercatores, inſtitores, avari, ſenes, ac uno verbo homines, lucro potius quam ſtudiis dediti, minime omnium apti ſint quicquam de illis ſcripto committere. Ut proinde mirum non ſit, quod præter Oeconomicum *Xenophontis*, & duos *Ariſtotelis* libros de domeſtica doctrina, quibus fimbrias quaſdam attexuit Leonardus Aretinus, vix alius ex antiquis quidquam memoria dignum literis conſignarit. Niſi forſan ad *Geoponicos* Auctores provocare velimus, *Catonem*, *Varronem*, *Palladium*, *Columellam*, *Conſtantinum*, & alios. Sed ipſi partem tantum attigere, non totum; nec ipſam quidem adhuc integre aut abſolute. Nam licet Cato, verbi gratia, præceperit, optimum patremfamilias vendacem eſſe debere, haud emacem; non tamen admonuit, quid & quantum ac quo tempore vendere oporteat, quod erat tamen maximopere ſcitu neceſſarium. Unus autem noſtro tempore *Ludovicus Septalius* Medicus mediolanenſis gloriam omnem retulit, quæ ex ejusmodi tractatione ſperari poterat, edito pereleganti libro de Re familiari. In quo ita minute ac diligenter cuncta proſequitur, ut telum ferme ſemper ad intima penetret. Quemadmodum etiam feciſſe videmus *Hieronymum Cardanum* Medicum item ac Patricium mediolanenſem, in ſuo Proxeneta, & libris de Utilitate capienda ex adverſis. In quibus non modo occultas artes palam inſinuat, quæ hominibus congerendæ pecuniæ ſtudioſis familiares eſſe ſolent, ſed multa inſuper flagitia detegit ac docet, propter quæ ſatius illi fuiſſet, huic ſe Horatii præcepto obſequentem præbuiſſe;

*—— Non tamen intus*
*Digna geri, promes in ſcenam; multaque tolles*
*Ex oculis.*

§. 7. POSTQUAM IGITUR AUTORUM EJUSMODI frequenti lectione meditationeque continua, imbutus plene fuerit atque informatus animus moralium & oeconomicarum virtutum documentis, gradum ſibi tuto viamque aperire poterit auſpicatiſſimam, ad politicas diſſertationes eorundem, quos jam ſupra laudavi, Platonis & Ariſtotelis. Cum nullos habeamus vetuſtiores, excepto Legiſlatore ſanctiſſimo *Moſe*, aut qui copioſius & majori arte ac doctrina gubernandæ adminiſtrandæque reipublicæ formam nobis reliquerit, librorum monumentis conſignatam.

§. 8. Quare ab uno *Platone* ſtatim incipiendum eſt, qui dialogis ſuis de legibus & de republica præclare omnino regnum & rempublicam inſtituit; adeoque moribus & inſtitutis chriſtianæ fidei convenienter, ut Divus Thomas in Opuſculo de Regimine Principum, Platoniſmum in republica deſideret. Ab illo vero licet omnia ferme mutuatus fuerit *Ariſtoteles*; neſcio tamen, quomodo ſic iſta ſibi propria fecit, magiſtri ſui rationes præcipuas aut clarius ac facilius proponendo, aut ſubtiliter & acute refellendo, ut non minus in iſtis, quam in cæteris operibus ſuis manifeſtum feciſſe cenſeatur, quantus ipſe Philoſophus fuerit, quam elegans ſcriptor, quam acutus, quam aptus ad docendum, quam copioſus, quam rerum omnium cognitione refertus. Et vero licet communi graviſſimorum virorum ſententia, multa ſcripſiſſe dicatur, partim difficilia atque obſcura, partim etiam a noſtris temporibus & moribus aliena; nulla tamen mihi videtur eſſe in eo difficultas aut obſcuritas, quæ non improbo labore & acri ſtudio ac crebra lectione pervincatur. Si qua autem a noſtra conſuetudine in his libris videntur abhorrere, pauca certe ea ſunt, & quæ ingenioſus & prudens Lector ad hæc tempora atque ad uſum noſtræ reipublicæ facili negotio accommodare poſſit. Modo tamen apud ſe reputet, non hunc ſolis modo prudentibus, quemadmodum Platonem, ſed catis etiam atque aſtutis viris, quales eſſe debent, qui rerum gubernaculis admoventur, politicam ſuam ſcripſiſſe. Ipſius igitur octo libri ſedulo evolvendi ſunt, cum duobus *Cyriaci Strozzæ*; quibus nobilis ille Florentinus idem in politicis Ariſtotelis conatus eſt, quod Leonardus Aretinus in Oeconomicis ejuſdem, ac Maphæus Vegius in Virgilio, & Sulpitius Verulanus in Lucano. Sed quemadmodum nullus pictorum ea felicitate potuit Veneris effigiem abſolvere, quæ ab ipſo Apelle incepta primum fuerat atque delineata: ita profecto immane quantum ipſi ab iſtis auctoribus diſtant, quos ſibi ad imitandum propoſuere. Legendi tamen ſunt atque etiam laudandi: quia quantum in ipſis ſitum fuit, rerum pretioſiſſimarum jacturam ſarcire conati ſunt, & deſideriis noſtris cumulum imponere.

§. 9. Jam vero primipilos, & capitales viros plurimi certe ex antiquis ſequuti ſunt, ſed omnes ferme invidioſa vetuſtate, & Barbarorum inſidiis, illacrymabiles urgentur ignotique, excepto uno *Cicerone*. Cujus librorum ſex de republica, quos ſe in ſecundo de Divinatione compoſuiſſe fatetur, jactura æternum nobis lugenda eſt; utpote cum extincta ſimul fuerint tot oracula, quæ ab homine eloquentiſſimo & ſapientiſſimo, qui tam diu reipublicæ romanæ clavum gubernaverat, non niſi veriſſima certiſſimaque poterant expectari. Unde ſi Ariſtoteles ipſemet in libris de Cœlo ad Hipparchum & Eudoxum aſtronomos libenter provocat; ſi Divus Auguſtinus Oroſium laudat in Paganorum hiſtoriis; ſi Origenes ad Huilium Hebræum recurrit in

loci

Digitized by Google

loci cujusdam Iſaiæ explicatione; & ſummus pontifex Hilarius contentionem de tempore Paſchatis celebrandi, uni Victorio Britannico terminandam proponit, ea ſcilicet lege, quod optimo cuique & in arte ſua verſatiſſimo credendum eſt; unusquisque jam per ſe ſatis exiſtimare poſſit, quantum ab omnibus uni Tullio concedendum fuiſſet, politicas leges & axiomata dictanti. Cum non equidem, ut Ariſtoteles & Plato ac cœteri, qui de republica dixerunt, id tantum, quod probabilius eſſe videtur, & rationi magis conſentaneum, ſequutus fuerit, ſed experientia ipſa edoctus, nobis eleganter præceperit, quid ex doctrina vel uſu foret in publica rerum adminiſtratione. Minus certe habet ipſe *Plutarchus*, quod de temporis edacitate conqueratur: cum ejus præcepta politica ex illo tam inſigni bonorum auctorum naufragio enatarint, valde quidem illa ſedatæ ac compoſitæ doctrinæ, at genium auctoris graviſſimo judicio ac moderatione temperatum præ ſe ferant. Superſunt quoque *Heraclidis* fragmenta de politiis, & aliorum opuſcula quædam: ſed vix tanti ea ſunt, ut magna ipſorum lectione utilitas ſperari debeat.

§. 10. Quare ſi ordinem temporis ſequamur, unus ſe poſtea offert *Averroës*: cujus liber de republica editus eſt una cum *Robortelli* diſceptatione, & *Franciſci Philelphi* de eadem re libris: qui priſcæ gravitatis imaginem redolent, nitore ſtyli & argumentorum præſtantia. Quod idem judicium ferendum eſt de republica elegantiſſimi juxta Oratoris ac Poëtœ *Hieronymi Vidæ*: niſi quod tanta rerum copia ac varietate non luxuriat, diffuſus in quærendo, vitane publica privata ſit præſtantior; in cæteris ſiccior ac jejunus. Eodem ferme tempore *Franciſcus Patricius Senenſis*, farraginem quandam exemplorum ſub reipublicæ titulo, puerorum credo uſui ac chriarum in ſcholis compoſitioni evulgavit: tantum diſſimilis alteri *Franciſco Patricio Romano*, qui nonnihil pariter de hac re inter opuſcula juvenilia protulit, quantum noctua aquilæ, aut anſer diſpar eſt olori. *Fritſius* & *Simanca* adminiſtrationis chriſtianæ potius, quam civilis formam nobis propoſuerunt. Primus quidem ſermone caſtigato, decenti ordine, nec infimo ſpiritu. Quorum omnium, ac judicii præterea, alter fuit pauperrimus. Neque aliter profecto cenſendum eſt de duobus aliis, qui hoc ipſum munus explicandæ politicæ chriſtianæ, vulgari Gallorum lingua ſuſcepere. *Molinerius* ſi quidem presbyter Tholoſas, lectorem ſuum catenulis eloquentiæ, vel nolentem etiam, quocunque vult trahit, ac mulcedine quadam vehementer reficit atque recreat. *Joannes* vero Frater *Lavallenſis*, licet mole voluminis grandior, ſenſus tamen integritate ac verborum ornatu deſtituitur:

*Nec eſt in tanto corpore mica ſalis.*

Memini etiam, me alias librum quendam evolviſſe, Pariſiis ni fallor editum, in chartæ forma expanſa & majori, in quo vernacula item lingua *Politica Moſis* explicabatur, tanta profecto exactiſſimi judicii copia ac ſententiarum luce, ut quilibet emunctæ naris politicus nunquam melius temporis rationem, quam in ipſius diligenti lectione collocare poſſit. Quo fit, ut ſilentio lubens prætermittam librum ſub eodem ferme titulo a *Caſtalione* editum: quoniam ipſe inter auctores refertur damnatæ lectionis, & hoc opus græco ac latino ſermone in puerorum tantummodo gratiam ſe compoſuiſſe, primo ſtatim in limine teſtatur. Ab iſtis autem omnibus Syndromis, quaſi lampadem per manus cum accepiſſet *Nicolaus Bieſius* Medicus Lovanienſis, ſtudium etiam iſtud decurrere tentavit: ſed non eodem prorſus fato curſum ſuum abſolvit, quo Antilochus apud Homerum, ὃς τοὺς νέους ποσὶ πάντας ἐνίκα,; meliusque ſibi conſuluiſſe videri poſſet, ſi quemadmodum fecit alter Medicus Tholoſas Augerius Ferrerius, ſola librorum de republica promiſſione, non autem editione, politici famam ſibi quæſiviſſet. Moroſus ſiquidem eſt in hoc non minus certe, quam in operibus medicis: nec præter tædium quidquam in legentis animo relinquit. Copioſior extitit *Gregorius Tholoſanus*, ac magis ex arte ſcribens, quia Juriſperitus. Deſiderantur tamen in eo modus, quem ſibi præſcribere non potuit eruditione vulgari luxurians; & majeſtas, cui non magis indulſit, quam judicio, dum omnia ingerit, & pauca digerit. Cæterum valde utilis eſt, & diverſa in ſe continet, propter quæ theſauri inſtar haberi poſſit, ubi meliorum auctorum gemmas ac precioſam variæ doctrinæ ſuppellectilem poſſis invenire. Verumenimvero licet hi omnes ſuperius enumerati multa conati ſint; ac *Paulus* etiam *Paruta*, flos Venetæ nobilitatis, & ſubactæ decus eruditionis, præclarum lingua ſua patria librum ediderit de Vita politica, quem in noſtratem translatum habemus; nullus tamen jaculum extra metam expedivit, excepto *Ioanne Bodino*, cui uni tantum cæteri concedunt, quicunque unquam de republica libros edidere,

*Quantum lenta ſalix pallenti cedit olivæ.*

Nec immerito ſane: cum animum inquietum ac vaſtiſſimum, quem acceperat a natura, tam pertinaci ſtudio, tam inexhauſta doctrina, tam admirabili judicio excultum, ad rerum omnium comprehenſionem attulerit, ut ſuperatis linguarum pene omnium ac ſcientiarum difficultatibus, non modo Naturæ theatrum novis rationibus exſtruxerit; ſed regnorum, quotquot in mundo conſtituta fuere, ſpecies, leges, inſtituta, arcana denique & virtutes ac vitia, in ordinem ſapientiſſime reduxerit, ac velut Phœnix unicus ſui ſeculi, ſe ipſum tandem conſumſerit in contemplatione altioris illius ſapientiæ, cujus ſecreta revereri potius ac admirari debuiſſet, quam ipſa in medium & examen, velut reliqua omnia vocare. Sane quantum ad ejus rempublicam ſpectat, fatendum, eſt, opus eſſe elaboratum ingenio, expolitum induſtria, perfectum judicio, & ita numeris omnibus abſolutum, ut qui ab ipſo diſceſſerit, haud diſſimilis videri poſſit nautis illis antiquioribus, qui neglecta vel ignorata cynoſuræ præſtantia, navigationis ſuæ curſum ad avicularum quarundam placitum dirigebant, ſæpiusque per cautes & ſaxa præcipites ferebantur. Scio equidem *Fabium Albergatum* hominem italum, & *Serrium* ac *Augerium Ferrerium* Gallos,

Digitized by Google

los, magnis conatibus & libris ad id conſequendum editis, periculum illi ac ruinam intentaſſe: ſed eventus docuit, eundem fuiſſe iſtius pugnæ eventum, quem Pygmæorum cum Hercule. Ut non jam ad miniatas alicujus Attici aut Hyperattici ceras trepidare debeat, ſed ad Eccleſiæ ſolius judicium. Cujus cenſuris quoniam vehementius urgetur, quam inimicorum argumentis, hinc eſt, quod ipſius libri evolvi minime debeant, niſi obtenta prius & hunc & quoslibet auctores politicos legendi facultate.

§. 11. Atque hi, ſunt ferme omnes, quantum memoria recordari poſſum, ex quorum libris, cuncta peti debent, quæ magis præciſe ad rempublicam ſpectare videntur. Quicquid enim poſtea vel a *Iuſto Lipſio*, vel a *Timplero*, aut *Keckermanno* ſuperadditum eſt, ſtyli potius, aut facilioris methodi occaſione, quam rerum novitate commendatur.

§. 12. Quamvis hoc unum prætermittere non debeam, ἰυφαντασιῶντας videlicet quoſdam extitiſſe, qui veræ alicujus ac perfectiſſimæ reipublicæ formam aut potius ideam nobis exprimere voluerunt: ut ſaltem exemplar aliquod reperiretur ejus, quod in hoc genere optimum eſt, & ad quod, ſi res omnes ex æquo & bono procederent, convenientiſſimum eſſet publicas regnorum adminiſtrationes inter homines componi. Eodem ſane voto, quo Galenus ſanitatem omnibus numeris abſolutam depinxit: Fernelius corporis temperiem æquis ex utraque parte contrariorum perfectiſſime libratam ponderibus: Xenophon Principem: Cicero Oratorem: & Divus Paulus Epiſcopum. Nimirum ut ipſa veriſſima & primigenia recti ſpecie ob oculos continuo poſita exiſtente, quidquid in ectypo vitioſum eſſet, facilius dignoſceretur emendareturve. Primus vero, qui talis imaginariæ reipublicæ formam ſcriptis conſignarit, fuit doctiſſimus ille ac omnium calculis ſapientiſſimus habitus *Thomas Morus*, Præfectus ſacris ſcriniis, ſeu Princeps ſcribarum in Anglia. Cujus Utopia tamdiu vivet & habebitur in pretio per manus hominum, quamdiu juſtitia ipſa ac modeſtia & pietas non omnino in ipſorum animis & affectibus exulabunt. Secundus ab ipſo fuit *Thomas Campanella*, ardentis penitus & portentoſi vir ingenii. Qui dum in tenebris & pædore carceris vitam traduceret, civitatem ſolis delineavit: ea cogitationum novitate & ſublimitate ſenſuum, ut præter philoſophicas ſpeculationes, multa etiam contineat, queis reſpublicæ tutius adminiſtrari poſſent, & homines ipſi meliores evadere. Ultimum vero *Angli* neſcio cujus mundus alter & idem, non ita dudum prodiit; aut verius, ſatyra adverſus depravatos præſentis ſeculi mores; in quo dum ſingulas ſtationes ſingulis vitiis aſſignat, genteſque illas incolentes ac loca ipſa contorticulatis ingenioſe fictiſque ex cujusque rei natura vocibus appellat, non inepte meo judicio Poneropolim inſtituit, quæ ad hilaritatem non minus homines excitare, quam ad virtutem inflammare poſſit.

§. 13. Licet autem de *commentatoribus politicorum Ariſtotelis & Platonis* nondum quidquam dixerimus, ipſi tamen in eorundem librorum lectione diligenter evolvendi ſunt, ut ſalebræ, ſi quæ in illis reperiantur, feſtinantibus minus officiant, omniaque facilius & clarius perſpiciantur, obſcuritatis depulſa caligine. Ex antiquis tamen neminem laudare poſſum, qui hoc munere defunctus ſit; cum præterquam unius *Divi Thomæ*, nullius unquam vetuſtioris libros præ manibus habuerim. Ipſe vero, ut in cæteris operibus Ariſtotelis, ſic præſertim in iſtis more ſuo fecit; & ex interpretatione neque bona neque vera, bonam tamen & veram ſententiam elicuit. Succeſſit illi in eodem opere expoliendo *Nicolaus Oreſmius* Archiepiſcopus Bajocenſis: qui illud una cum libris Ethicorum, diſcipuli ſui Caroli quinti, cognomine ſapientis, votis obtemperans, in gallicum ſermonem eodem modo tranſtulit: quæ multa nihilominus continent & reconditæ & liberioris doctrinæ. Ambo tamen ipſius libri difficillimi ſunt inventu, ac propterea curioſis plurimi nunc æſtimantur: quia ante centum & viginti annos Pariſiis editi fuerunt, charactere Longobardico, & rudi prorſus atque incondito ſermone. Paulo poſt etiam Joannes quidam *Buridanus* celeberrimi nominis Sophiſta, ſuas in libros politicorum quæſtiones evulgavit, ſed nugaces ac ineptas, ut ſunt ejusmodi Scholaſticorum ferme omnia. Vulgavit & *Faber Stapulenſis* Commentarium ſimilem omnino huic alteri, quem ipſum in libros Ethicorum compoſuiſſe ſupra diximus. Sed vix ac ne vix quidem ipſorum conatibus quidquam promovebatur, niſi ſuppetias Ariſtoteli veniſſent celeberrimi interpretes ſupra jam aſſignati, & *Geneſius Sepulveda* Hiſpanus. Cujus verſionem atque notas ut quisque erit ingenioſior, ita pluris ſemper æſtimabit. Nec non etiam commentatores præcipui, *Camerarius* & *Giphanius*: qui nihil unquam inepte moliti ſunt: a quibus parum diſcedunt *Antonius Scainus* Salodienſis, & *Tarquinius Gallutius* Societatis Jeſu Presbyter eloquentiſſimus. Qui tam erudite priores quinque libros politicorum interpretatus eſt, ut polymathia cæteros omnes facile vincat atque exuperet. Sed qui *Danielis Heinſii* paraphraſin una cum editis e regione *Zvingeri* & *Petri Victorii* Commentariis ſibi ad diſcendum & evolvendum proponet, is recte, meo quidem judicio, & doctrinæ facilitati videbitur & ſtudiorum præterea ſuorum utilitati conſuluiſſe.

§. 14. Ad Platonem vero quod attinet, tres, quos noverim, commentatores ſolummodo nactus eſt, *Antonium* nempe *Montecatinum*, qui libros de republica Platonis & Ariſtotelis diexodicis notis, tabulis, diſtinctionibus, explicare conatus, nunquam neque ſibi neque lectori ſuo ſatisfecit: & *Sebaſtianum Foxium Morzilium*, qui multa paucis; ac *Pompejum Gariglianum*, qui pauca multis complexi ſunt. Utriusque vero libros, Platonis videlicet & Ariſtotelis, *Ludovicus Regius*, Henrici Secundi Galliarum Regis aulicus, græce ac latine eruditiſſimus, ornate primum in linguam noſtram tranſlatos apparere fecit: eosdemque demum tanta doctrinæ copia, & exemplorum apparatu nobiliſſimo illuſtravit, ut licet gravitate cæteris ſit inferior, varietate tamen atque uberrimo fructu, qui ex ipſius lectione percipitur, veniat in primis commendandus.

§. 15. ATQUE HÆC EST AUCTORUM PALÆSTRA; hæc Schola, in qua tyrocinium ſuum ponere debent, quicunque præſidiis univerſalibus & maximopere neceſſariis ſuffulti, ad penitioris doctrinæ politicæ intelligentiam pervenire ſtudent. Omnia ſiquidem in illis habentur fuſe ac diſtincte pertractata, quæ de fundamentis ac principiis communibus ſocietatis humanæ, de rerumpublicarum ſpeciebus legitimis, ac ſingulis ipſarum depravationibus, de populi, ſeu Democratiæ, optimatum, ſeu Ariſtocratiæ, unius, ſeu Monarchiæ legibus & inſtitutis, de imperiorum ortu, incremento, converſione, interitu, de officio Principis & ſubditorum de jure belli ac pacis, de magiſtratuum electione, vectigalium impoſitione, & rebus denique cæteris, quarum jugi & continua meditatione viam ſibi ad reliquas difficultates munire debent, qui ſerio deſiderant in publica rerum adminiſtratione verſari. Ubi vero iſtis præceptis plene imbuti atque inſtructi fuerint politicæ doctrinæ ſtudioſi, debent omnino, ſi facilius velint reliquas ejus difficultates emetiri, quædam ſibi velut ſumma rerum capita conſtituere, ad quæ poſtea cætera omnia referre poſſint, quæ in tanta diverſorum auctorum confuſione ac incredibili propemodum quantitate, huc & illuc diſperſa continentur: eo quidem fine, ut cum iſtorum aliquod magis cognitu neceſſarium ſe offeret, indicem ſimul habeant librorum & auctorum, quos plenioris doctrinæ ac informationis gratia, operæ tunc precium erit diligenter conſulere. Ejusmodi autem ſumma capita, *vel* negotiorum eſſe poſſunt, de quibus in adminiſtratione politica ſæpius pertractatur; *vel* perſonarum, quibus illa committuntur; *vel* tandem auxiliorum, queis ſingula melius ac facilius perficiuntur. *Negotia* ipſa, *aut* ſunt de reipublicæ adminiſtratione tam ordinaria, quam extraordinaria; *aut* de religione; *aut* de confœderationibus; *aut* de bello & pace; *aut* de prærogativis & ceremoniis Principum inter ſe; *aut* de commercio, vectigalium impoſitione, civitatum incrementis, & diſſidiorum, quæ inter nobiles oriuntur, compoſitione. Iſta enim ſunt, quæ potiſſimum legibus politicis adminiſtrantur. Reliqua, vel minus digna cenſentur conſideratione, vel juris prudentibus, aut aliis magiſtratibus, relinquuntur pertractanda. *Perſonæ* vero non poſſunt eſſe niſi Principis Conſiliarii, Legati: aut ejus, qui illis omnibus inſervit ab Epiſtolis ſecretioribus, quem propterea Scribæ vel Secretarii nomine vulgo appellant. *Auxilia* demum vel unicuique ejusmodi perſonarum determinate conveniunt, vel omnibus ſimul poſſunt eſſe utilia.

§. 16. OMNIS igitur regnorum ac ſtatuum adminiſtratio politica (quam *ordinariam* merito dicere poſſumus, quamdiu ipſa vel æquitatem præ ſe fert, vel æquitatis ac juſtitiæ ſpeciem ſaltem aliquam prætendit, quo facilius Lavernæ inſtar Horatianæ noctem peccatis, ac fraudibus nubem objiciat) tria ſibi proponit, ad quæ cætera omnia ejus placita & ſtatuta, tanquam ex deſtinato, collineent: nempe *ſtatum* naſcentem exorientemque firmare, *ſtabilitum* conſervare, & *labentem* ſuſtinere ac reficere. Queis tribus arte ingenioque abſolvendis varii auctores auxilio eſſe poſſunt.

§. 17. Ac primo quidem & ultimo, duo noſtrates, *Luſingeus* & *Duretus*; qui proprio idiomate multa & egregia dixerunt de ortu imperiorum, ac eorundem ruinis & interitu; nec non etiam *Ludovicus Regius* in libro ſuo item Gallico, quo rerum omnium viciſſitudines, ac ætatum & regnorum converſiones, jucundiſſima exemplorum varietate proſequitur. Superioribus quoque annis prodiit Venetiis cujusdam *Itali* liber eadem de re fuſe pertractantis: verum quo Genio, aliorum eſto judicium, quibus ille notior eſt, quam mihi. Sed neque contemnendi ſunt *Methodius*, qui de ortu & occaſu Imperii Romani eleganti libello ſapienter admodum diſſeruit. Nec etiam *Lazius*, ac *Bozius*; quorum hic de ruinis gentium, ille vero de populorum migrationibus, prolixas commentationes edidere; ex quibus diverſa ſimul conſtitutionis ac deſtructionis regnorum exempla haberi poſſunt.

§. 18. Conſervandæ autem ſeu adminiſtrandæ reipublicæ præcepta, *Syneſius* quidem in oratione ad Arcadium Imperatorem: *Iſocrates* in ea, quam ſcripſit ad Nicoclem; *Agapetus Diaconus* in libello ad Juſtinianum; *Dio Chryſoſtomus*, *Herodes Sophiſta*, *Themiſtius*, *Ariſtides* Rhetor, & *Maximus Tyrius*, paſſim in ſuis orationibus complexi ſunt. Sed omnes tanta fide atque integritate iſtud præſtiterunt, ut eorum monita, Legibus Platonis citius, quam ſeculi noſtri moribus conformia videri poſſint. Quare rationi magis conſentaneum erit, Italos quosdam recentiores conſulere, qui libros de Ratione ſtatus, ut iſthæc illorum verba, Raggion di Stato commodius exprimam, non invitis equidem Muſis, aut Apolline nullo, compoſuere. Inter quos, *Joannes Boterus* & ingenio fuit admodum facili, & ad politicas diſſertationes nato, rem omnem primus, quod ſciam, ordine & methodo præclariſſima diſtinxit. Quam poſtmodum *Hieronymus Frachetta* nimia ſua diligentia ac collectionum mole ferme obruit. Medium vero tenuere *Gabriel Zinarus* & *Ludovicus Septalius*; quorum hic, licet profeſſione Medicus, nihil tamen de politica ἀπροσδιόνυσον ſcripſiſſe jure merito cenſeri poteſt. Adeo cuncta, quæ dicit, ab exquiſito judicio, & abſoluta civilis adminiſtrationis cognitione, videntur profecta. Quod unum etiam ſperandum eſſe, moneo de politica doctrina, quam nuper accepi *Scipionem Claromontium* typis penes ſe præparatam habere: quandoquidem homo ipſe eſt ſolidæ eruditionis, ac magnæ & plerumque pertinacis ſuis in compoſitionibus diligentiæ.

§. 19. Utcunque autem reipublicæ adminiſtratio EXTRAORDINARIA totidem pariter capitibus abſolvatur; pauci tamen hactenus reperti ſunt, quibus robur & æs triplex circa pectus eſſet, ut de præceptis ac mediis legitimis, quibus unumquodque illorum ad finem perducatur, aliquid memoriæ publicæque hominum luci cum ratione & methodo committerent. Quamvis enim *Clapmarius* libro ſuo de Arcanis Imperiorum onus iſtud lubens in ſe receperit; nihil

minus

Digitized by Google

minus tamen, quam quod ipſe promiſerat, exequitur; dum ſolius tantum adminiſtrationis ordinariæ leges in medium adducit. Adeo proclive eſt literarium pelagus emetientibus, in hanc cenſuram, velut in ſcyllam ac ſyrtes periculoſiſſimas, impingere; dum titulo tenus magnifica de ſe multi jactitant & promittunt.

*Amphora cœpit*
*Inſtitui, currente rota cur urceus exit?*

*Politicus* vero *florentinus* licet axiomata ferme omnia iſtius adminiſtrationis, concluſionesque præcipuas, ſuis in operibus paſſim diſſeminarit; quia tamen ſubtiliores Philoſophos imitatus eſt, qui inter diſputandum plura ſupponunt, quam probent; aſtuti & temerarii famam potius, quam prudentis ſibi conciliavit: multorumque adverſus ſuam doctrinam pennas acuit; quarum acumen retundere non ita forſan incaſſum *Caſpar Scioppius* proximis annis conatus eſt, edito Romæ de Pædia politica cultiſſimo doctiſſimoque libello. Cui uni plus ineſſe bonæ mentis ac judicii, quam reliquis ejus operibus, æquiſſimi certe librorum cenſores haud immerito exiſtimavere. Quare cum idem prorſus judicium de *Cardani Sapientia* ferendum ſit; neminem profecto laudare poſſum, qui de hac adminiſtratione quidquam rationibus philoſophicis innixum, politicisque regnorum ac Principum exemplis illuſtratum ſcriptis conſignarit, præter *Federicum Bonaventuram* nobilem Urbinatem. Qui nusquam exhauſtus, tot ingentium voluminum de Ventis & Octimeſtri partu compoſitione, politicam etiam, aut verius publicæ adminiſtrationis rationem, typis edendam curavit. In qua, ut nihil dicam de maximo ejus ingenii acumine, & ſingulari rerum cognitione, quibus inchoatæ ſcriptionis dignitatem mirifice ſuſtinuit. Certe validiſſimis rationibus oſtendere conatus eſt, rationem illam extraordinariam publicæ adminiſtrationis non aliter definiri poſſe aut debere: quam conſilium optimum de rebus ad majorem reipublicæ utilitatem ſpectantibus, absque alterius rationis conſideratione. Ex illa ſiquidem definitione, quam variis poſtea argumentis confirmarunt, ejusdem Bonaventuræ nepos meritiſſimus *Julius Veteranus* in Epiſtola ſua ad Ludovicum Septalium, & *Titus Cornæus*, in politica tractatione (quæ Urbini cum infinitis aliis codicibus manu exaratis ſtudioſe conſervatur.) Ex hac, inquam, definitione, & auctor ipſe campum ſibi aperuit ampliſſimum, ut de variis rebus diſſereret, quæ ad ſecretiorem illam politices pædiam ſpectare videntur; & unusquisque tantum ex illo ſumere poteſt, quantum illi opus erit ad tutius & copioſius philoſophandum de veris rerumpublicarum arcanis. De quibus & *Nos* contractionem illam anno ſuperiore accuravimus, quam aliquando politicæ doctrinæ ſtudioſis haud ingratam fore injucundamve confido.

§ 20. PERCEPTIS autem communibus iſtis cujuslibet Status adminiſtrandi legibus, ad illas continuo deveniendum eſt, quibus Reges ipſi ac Principes terræ, gentes inter ac nationes, quibus imperio præſunt, divinitatis cultum aliquem ſtabilire (& merito quidem) conati ſunt. Cum hoc unum ab omni temporis memoria perſuaſum hominibus fuerit, dominos eſſe omnium rerum ac moderatores, Deos; & quæ geruntur, eorum geri ditione atque numine; eosque optime de genere hominum mereri; & qualis quisque ſit, quid agat, quid in ſe admittat, qua mente, qua pietate colat religionem, intueri, piorumque & impiorum habere rationem. At vero, cum ejusmodi leges, & divinarum rerum conſtitutiones, variæ ſemper in variis mundi partibus, & antiquitus quidem extiterint, & nunc etiam non magis, quam olim inter ſe conveniant; non raro etiam accidit, ut zelo ac æmulatione pietatis, diſſidia quædam & internecinæ quæſtiones de illis exoriantur.

*Dum numina vicinorum*
*Odit uterque locus; dum ſolos credit habendos*
*Eſſe Deos, quos ipſe colit.*

Quibus certe compeſcendis dirigendisque ad finem, religionis chriſtianæ præceptis ac inſtituto conſentaneum, ſane haud neceſſe erit diverſas inter ſe religiones committere. Quemadmodum non ſine diſpendio veræ pietatis, ſuperioribus annis fecere, *Petrus de Alliaco* Cardinalis & Epiſcopus cameracenſis, in opuſculo quodam aſtrologico de tribus ſectis; *Hieronymus Cardanus* in libris ſuis de Subtilitate; & *Joannes Bodinus* compoſito, ſed nondum edito (atque utinam nunquam edatur) de Rerum ſublimium arcanis ingenti volumine, quod equidem, Jeſuitam Poſſevinum non perperam de ipſo judicium tuliſſe, argumento eſſe poteſt validiſſimo certe maniſeſtiſſimoque. Verum oportet religionum omnium principia communia, & ſingularum inter ſe perſuaſiones proprias, apprime intelligere, ut cum, noſtra quibusdam in locis ſtabilienda aut confirmanda venit, aliarumque cognitio neceſſaria eſſe quacunque tandem de cauſa videtur; habeat in promptu politicus nonnullos auctores, quorum lectione de ſingulis informatus, omnia poſt modum, quæ in tali caſu fieri debent, ſapientius præſcribat; conſiliumque ſumat rebus ipſis ac intentioni ſuæ convenientiſſimum. Tales igitur eſſe poſſunt quatuor libri de Orbis terræ concordia *Guillelmi Poſtelli* Barentonii. In quibus ferme ſolis, nihil ineptum aut quod ridiculum non eſſet immiſcuit, ſed univerſam religionum omnium informationem inſtituit; noſtramque præſertim, rationibus tam propriis, quam ex aliarum confutatione deſumtis, valde quidem acute ſubtiliterque confirmat & ſtabilit.

§. 21. Idem auctor in tribus libris de republica Turcarum, quos nondum pariter luxata mente compoſuit, *Religionis mahometicæ* ſummam, nihil quidquam vel minutiſſimarum ejus ceremoniarum prætermittens, complexus eſt. Quemadmodum etiam noviſſime fecit nobilis quidam Gallus, nomine *Bauderius*, libro ad hoc unum, magno quidem politioris linguæ noſtræ ap-



Digitized by Google

paratu, ac lectionis varietate, peculiariter deſtinato. Ut ex ipſius ac gemino Poſtelli volumine, promtum ſit omnibus, qui propter eccleſiæ cenſuras ipſiusmet Muhamedis Alcoranum ac Sunam legere non poſſunt, quicquid ad ineptas Muſulmanorum ſuperſtitiones attinet, facili negotio percipere. Quamvis multum præterea juvari poſſint relationibus epiſtolicis præclariſſimi viri *Augerii Busbequii*, & libellis *Ricoldi* ſeu Richardi Monachi, ac *Joannis* cujusdam *Andreæ*; qui propterea in omnes linguas habentur tranſlati: quoniam vel ipſius Poſtelli judicio cæteris omnibus præferri debent, quicunque conati ſunt turcicæ religionis fundamenta validiſſimis rationibus convellere.

§ 22. *Judaicæ* vero notitia (quoniam ex veteri teſtamento diverſisque ejus librorum interpretibus nobis abunde ſuppeditatur) hoc unum ſolummodo requirit, ut quoties ejus refellendæ ſeſe offeret occaſio, & antiqui Eccleſiæ Patres (quorum multi præclare admodum in hoc negotio verſati ſunt) in conſilium advocentur, & præter illos *Lyranus*, *Samuel Riccius*, & *Hieronymus de ſancta fide*. Qui omnes linguæ ſanctæ cognitionem ab incunabilis ac inter Judæos ipſos viventes edocti, diverſaque Rabbinorum lectione informati, non mediocrem ſane gloriam, licet ex mediocribus libris, retulere. Non ſecus profecto, quam ex majoribus poſtea fecerunt *Philippus Mornæus*, auctor alioquin cæteris in operibus lectionis improbatæ; ac *Coſtus* & *Delfinius*; omniumque ut majori conatu ſic etiam feliciori eventu, *Petrus Galatinus* Monachus ex ordine ſancti Franciſci; aut potius *Raimundus Sebondus* profeſſione medicus, cujus præter libros de theologia naturali, duo inſuper volumina ingentia in collegio Fuxenſi tholoſano etiamnum hodie ſub titulo Pugionis fidei conſervantur. Ex quibus (ſi Joſepho Scaligero fides eſt habenda) omnia ſua hauſit & tranſcripſit Galatinus, diſſimulato ipſius Sebondi nomine; non tam propter acerrimum, quod ſemper extitit inter dominicanam familiam & franciſcanam odium, (quemadmodum maligne cavillatur Scaliger, & fortaſſis etiam imperite) quam ut eruditum iſtud opus acceſſione quadam augeret & ſibi vendicaret locupletatum ita atque expolitum. Quod equidem, utrum a Galatino factum fuerit, & an iſta, aut alia ratione, tuum eſt omnino ſtatuere, eruditiſſime Gaffarelle: qui linguæ ſanctæ difficultates omnes grallatorio paſſu ſuperaſti, & plures ac meliores in ea libros evolviſti, quam quivis alius eorum, qui nunc ſunt, non dicam tantum ætate tibi ſimiles, ſed etiam profeſſione.

§. 23. Judaicæ vero religioni ac mahometicæ *chriſtiana* ſuccedit, ætate quidem inter illas media, ſed nobilitate dogmatum, ac eorundem certitudine, longe omnium præſtantiſſima, & ſola ac unica de cujus veritate dubitare non liceat absque flagitio. Verum enim vero cum infidelibus ac paganis eadem lex lata non fuerit, arbitror ego hanc ipſis non incommode, quoties opus erit, ſuaderi poſſe, rationibus, quas habent Cicero chriſtianus, ſeu mavis *Lactantius* in libris divinarum inſtitutionum, *Tertullianus*, in Apologetico, *Minutius Felix* in Octavio, Arnobius adverſus gentes, *Theodoretus* de Græcanicis affectionibus, *Salvianus* in libris vere aureis de Providentia, & Doctor Angelicus *Sanctus Thomas* in ſumma contra gentes: quæ omnium inſtar jure merito haberi poſſet: adeo ferax eſt ſenſuum, rationum, ſubtilitatis, & doctrinæ. Nec minimum quoque auxilii repoſitum eſt, in libris de Providentia *Thomæ Bradvvardini*. Quoniam in illis pari ferme cum Divo Thoma ſubtilitate, & rationum pondere procedit; ut etiam in Triumpho Crucis *Hieronymi Savanarolæ*, & in libris de Religione chriſtiana *Marſilii Ficini*, & *Ludovici Vivis*. In quibus licet magis latine, non minus tamen ad rem appoſite locuti ſunt. Iſtorum vero labores excepit *Auguſtinus Steuchus* Eugubinus: qui dum infideles ipſos propriis armis atque auctoritatibus jugulat, plurimum & ipſe negotium fidei promovit. Quod ſimilibus doctorum virorum argumentis comprobandum eſt; non autem obſervationibus aſtrologicis *Petri de Alliaco*, aut Naturalibus *Lullii*, & *Sebondi*; aut denique philoſophicis *Petri* cujusdam *Montui*. Quandoquidem intempeſtivæ ſunt illæ nugæ, ac futiles argutiæ, cum ea de re tractandum eſt, quæ merito cenſetur omnium eſſe graviſſima; atque in hoc delectu maxime ſe prodit hominis prudentis ac politici judicium.

§. 24. Sed, cum negotii & faſtidii vim ſemper maximam, vel ab eccleſiæ naſcentis exordio, *Hæreſes* ipſæ, chriſtianæ paci, & tranquillitati e directo contrariæ attulerint, dum civitates ac nationes inter ſe committendo, ipſas plerumque in manifeſtum diſcrimimen adducunt, totque calamitates excitant, ut earum incremento totis ſe quamprimum viribus opponere conſultiſſimum judicetur. Quemadmodum optime a *Ludovico Regio* demonſtratum eſt, in libello, quem patria lingua compoſuit de diſſidiis & bellis maximis propter religionem excitatis. Sane ad hoc unum facilius & commodius exequendum, non mediocriter opinor juvabit, priſcorum quidem hæreticorum fraudes, ingenium, ac erronea dogmata, ex Divo *Hilario*, *Philaſtrio*, *Perpiniano*, & *Alphonſo Caſtrenſi* deprehendere; Pelagianorum autem maxime ex Voſſio, cujus liber appendicis loco eſſe poteſt hiſtoriæ eccleſiaſticæ; & Lutheranorum, ex *Florimundo Raimundo* ac ejus continuatione Pariſiis edita, ſed absque auctoris nomine; quoniam multum ſe Raimundo inferiorem exhibuit eloquentia, judicio atque diligentia. Utile etiam *Caſſandrum* evolvere, qui tot lites aperte quidem componere tentavit, licet majori pietate, quam ingenio; & *Melchiorem Canum*, qui hoc idem, ſed occulte conatus eſt, ingenio majore, quam pietate, ac propemodum admirabili judicio. Vix enim potes imaginatione conſequi, quantum auctorum ejusmodi lectione Politicorum mentes acuantur, excitenturque ad ſaluberrime de rebus iſtis conſulendum, quibus non unius aut alterius hominis modo, ſed univerſæ plerumque reipublicæ ſalus, & belli pacisque momenta continentur.



Digitized by Google

§. 25. MAXIMI quoque habentur in rebus politicis *Confœderationes*, junctæque cum vicinis aut potentioribus populis amicitiæ, quoniam illæ, ſeu ad hoſtem propulſandum irruentem, ſeu ad mercium permutationem, aut quavis alia tandem de cauſa inſtituantur, non poſſunt ſane non exiſtimari publicis regnorum ac Principum commodis valde ſalutares ac neceſſariæ. Quamobrem hoc unum mæreor, hoc unum doleo, quod auctores illos in numerato non habeam, qui forſan plura de illis & maxime ſcitu ac cognitione digna librorum monumentis conſignavere. Memini tamen, quædam eſſe inter opuſcula *Bruni*, quæ huic negotio plurimum inſervire poſſint: & *Joannis Boteri* libellum inter politicos circumferri, cui ipſe titulum fecit *la Lega;* ac *Emericum Crucæum* noſtratem Pariſinum, animi potius exercendi gratia, quam quod rem unquam ita fieri poſſe arbitraretur, conatum fuiſſe in novo ſuo Cynea modum aperire, quo Principes omnes inter ſe convenire poſſent, & pacem univerſalem ſtabilire. Quemadmodum etiam eloquentiſſimi viri *Baudius* & *Puteanus*, cum de induciis belgicis tractant; & *Gajus* quidam, ac *Ferrerius* auctor Catholico-politici, interim dum variis rationibus contendunt, Principes chriſtianos poſſe cum infidelibus fœdere conjungi, multa & ipſi ſubminiſtrant: ex quibus, accedente frequenti lectione hiſtoricorum, qui diverſa Principum fœdera ipſorumque ſecretiores cauſas ac leges ſuis monumentis inſerunt, quemadmodum fecere Polybius, Guicciardinus, Thuanus, & alii, non dubium eſt profecto, quin multa ſenſim animis illabantur, ad ipſas confœderationes melius inſtituendas plurimum conducentia.

§. 26. Illæ vero quandoquidem *aut* belli ſuſcipiendi & communis hoſtis invadendi propulſandive neceſſitate, *aut* pacis firmandæ gratia, *aut* vitæ commodis per mercium commutationem conſulendi cauſa, ſæpius concluduntur. *Commercii* quidem ac rerum utilium, & unde illæ, ac quomodo haberi poſſint, notitia, melius uſu ipſo ac quotidiana cum expertis communicatione, quam ſtudio, quod in libris ponatur, intelligi poteſt. Juvatur nihilominus relationibus, diariis ac navigationibus Hollandorum & Hiſpanorum; qui nunc ferme ſoli, varias terræ partes mercium permutandarum cauſa, obire, Indiasque tam orientales quam occidentales perluſtrare conſueverunt. Ut etiam hiſtoria naturali rerum exoticarum: qualis eſt *Joſephi Acoſtæ*, *Cluſii*, *Monardis*, *Garciæ ab Horto* & Principis *Caſii* mexicana, quam omnes docti graviter & iniquo animo ferunt publicis commodis tamdiu invideri. Sed nec inutilis erit lectio *Georgii Agricolæ*, *Ferrandi Imperati*, *Geſneri*, *Boëtii a Bohot*, *Lucæ Pæti*, *Cœnalis*, *Garraudi*, & aliorum: qui de mineris, metallis, lapidibus, nummis, variisque menſuris, ponderibus & tariffis, ut vocant Itali, ſcripſerunt: quoniam ejusmodi rebus potiſſima pars commercii ipſius videtur conſtare. De quo licet aliqui, nondum vivis exempti, quædam magis determinate ſuis in conſiliis & inſtructionibus monere conati ſint; frigidius tamen iſtud præſtitere, quam ut in ipſorum nomina diligenter inquirere, operæ pretium eſſe exiſtimem.

§. 27. QUOD VERO ad *Pacem* & *Bellum* ſpectat, non hic *Eraſmi* aut aliorum declamationes laudabo, utpote ſcholæ magis convenientes, quam aulæ & prudentum conſilio. Verum quidquid in illis generatim loquendo conſiderandum venit, iſtud commode quidem, ſed impetrata prius ab eccleſiaſticis cenſuris immunitate, haberi poterit, in opere doctiſſimi viri *Hugonis Grotii* de Jure belli & pacis. Speciatim vero, ſi res ipſæ conſiderentur, & vel de Turcarum aut Hiſpanorum Hæreticorumve coërcenda poteſtate, tractandum ſit, cum hæc tria præcipuis ac maximis diſſenſionibus occaſionem præbeant, quæ nunc & ante omnes Europæ provincias peſſime videntur exercuiſſe. Sane, cum non quæratur de *Turcis* quo jure, ſed qua tantum arte debellari poſſint, hoc ultimum cogitatione duntaxat aſſecuti ſunt *Augerius Busbequius* germanus, *Lazarus Soranzus* venetus, *Ioannes Boterus* pedemontanus, & *Breevius* ac *Nüæus* Galli. De *Hiſpanis* autem cum potior ſit juris, quam artis difficultas, propterea quod diſcrepantes ſunt hinc & inde de ipſorum antiquis prætenſionibus politicorum ſententiæ: huic equidem nodo cunei eſſe poſſunt, *Balthaſaris galli* liber de regnis & provinciis, quæ cum aliquando Gallorum fuiſſent, nunc injuſte ab Hiſpanis detinentur: cum reſponſione *Iulii Cerii* ad eundem Balthaſaris librum: itemque varii diſcurſus ultro citroque facti pro eorundem ſucceſſione in bona omnia Ducis Burgundiæ, regni Navarræ uſurpatione: prætenſionibus in ſtatum Montisferratenſis Marchionatus, & ſimilibus diſſidiis, quæ cum aliis principibus habuerunt; ac demum liber politicus fratris *Thomæ Campanellæ* de propaganda Hiſpanorum monarchia, italico quidem idiomate ab eodem conſcriptus, ſed editus poſtea germanico. Tandem vero, cum utrumque in *Hæreticorum* profligatione deſideraretur, multi quidem ex ordine theologorum & politicorum, quid juris eſſet, declararunt, ut *Claudius de Sainctes*, *Ludovicus Aurelius*, *Caſpar Scioppius* & alii; ſed qui artem ipſam & modum juris exercendi, ac hæreticos procul a noſtris finibus propulſandi declararint, pauci certe hactenus extitere aut verius nulli.

§. 28. HAS AVTEM DE JURE regnorum & armorum, contentiones proxime ſequuntur, quæ de *Prærogativis*, ac *Honoribus* non ſolum inter Chriſtianiſſimos Galliæ & Catholicos Hiſpaniæ Reges, ſed inter cæteros Europæ Principes, nationesque ipſas & civitates excitantur. Cum omnibus hominibus hoc a natura peculiari ſtudio inditum ſit, ut laudis ac honoris ſtudio maxime ducantur, nec ſua bona deprehendi poſſe ſibi perſuadeant, niſi ipſa, ſub quadam ſpecie vanitatis ac gloriæ, ex inaniſſimis plerumque ſplendoris inſignibus collecta, nobis exhibeantur. Quæ opinor cauſa fuit, cur celeberrimi duo Juriſconſulti *Chaſſanæus* & *Tiraquellus* libros illos ediderint de gloria mundi & de nobilitate: in quibus prout illis ex jure videbatur, rebus ſi non quidem omnibus, at certe præſtantiſſimis, locum uniuscujusque dignitati con-

convenientiſſimum aſſignare conati ſunt. Unde poſtea multi occaſionem ſumpſere, pro dignitate nationum & imperiorum, majori cum ſtudio & pertinacia ſcribendi; quibus aut patriæ vinculis, aut obligatione fidei, aut virtutis admiratione, aliove peculiari nexu & affectu conjungebantur arctius, connectebanturque. Quemadmodum feciſſe videmus *Valdeſium* pro Hiſpanis, non minus injurioſo & impotenti, quam ingenti volumine; & *Vivaldum*, *Joannem Feraldum*, *Andream a Quercu*, diverſoſque alios, quibus ſuum nomen reticere conſultius viſum eſt, pro Gallis. Quorum exemplo domus Eſtenſis & Medicea, multæque aliæ principales familiæ, ſcriptis pariter in lucem prolatis, quæſtionem inter ſe de præeminentia ventilarunt. Ut etiam inter civitates fecere Ticinum & Cremona, Panormus & Meſſana, ac aliæ ſimiles. De quibus plura mihi fateor dicenda forent, ſi obvia & minutiſſima quæque, non autem utilia tantum ac neceſſaria conſectarer. Hoc vero non prætermittam, multa videlicet, quæ ad ejusmodi quæſtiones pertinent, haberi poſſe ex *Orationibus contrariis de principatu* inter præcipuas Europæ nationes conſtituendo, quæ ab auctore quodam Germano non ita pridem varia cum eruditionis ſuppellectile publici juris factæ ſunt; & ex *ceremonialibus* libris: gallicis quidem, doctiſſimi *Gotofredi*; italicis vero, *Paridis de Graſſis*, & aliorum.

§. 29. SUPERSUNT igitur tantummodo *Incrementa civitatum*, & ipſis e diametro oppoſitæ *vectigalium* impoſitiones, ac civium inter ſe diſſenſiones, & privatorum inimicitiæ. De quorum primo *Ioannes Boterus* & *Hippolytus a Collibus*, multa quidem ac præclara omnino & valde utilia loquuti ſunt, in libris ad iſtud negotii peculiariter deſtinatis.

§. 30. De ſecundo vero, quoniam res ipſa plerumque a neceſſitate dependet, aut Principum voluntate, quæ leges non admittunt, inde eſt, quod pauci admodum reperti ſunt, qui de illis politicum quidquam monere voluerint. Quare unicum tantummodo proferam *Scipionem Gramontium;* ex cujus Nummo regio gallice quidem edito, plurima depromi poſſunt, quæ rem ipſam præclare illuſtrent, ſimulque legentium animos reficiant dulci pabulo variæ lectionis, & graviſſima diverſarum obſervationum varietare.

§. 31. AT ENIM, quoniam opiniones hominum ducuntur auctoritate, trahuntur eloquentia, ingenio ac induſtria miteſcunt, & in utramlibet partem, quemadmodum cera, facillime convertuntur; multi propterea de *Honore ac ipſius læſione*, unde privatæ inimicitiæ naſcuntur, ſingularis certaminis occaſiones, ac præterea de ipſius reſtitutione & reparatione, quæ omnia in opinione conſiſtunt, multa etiam dixere. Inter quos illi primum evolvendi ſunt, qui nobilitatis ipſius ac gloriæ & honoris naturam & eſſentiam monumentis ſuis expoſuerunt; prout egregie omnino mihi feciſſe videntur *Flaminius Nobilius*, & *Typotius* eleganti & terſo ſermone: *Simon Simonius* erudito & peripatetico diſcurſu; ac *Bernardus Mirandulanus*, Epiſcopus Caſettanus, in opere illo undequaque abſoluto & perfecto dialogorum de honore, quod ſub nomine Joannis Baptiſtæ Poſſevini italica primum lingua, mox vero etiam gallica, neſcio quo caſu, typis commiſſum fuit. Cujus rationes licet *Ioannes Baptiſta Suſius*, Medicus mantuanus, & *Antonius Maſſa*, funditus evertere conati ſunt; ipſe tamen Mirandulanus, edito alio libro de ſingulari certamine, ita ſe defendit, ut præter ſolidiſſimas reſponſiones, multa etiam in illo attulerit, quorum gratia famam ſibi comparavit inter præſtantiores philoſophos non modo illuſtrem, ſed nec intermorituram ullo ſeculorum aut ætatum decurſu.

§. 32. Iſtis vero auctoribus perlectis, ad leges & conditiones ipſius ſingularis certaminis ineundi deveniendum eſt: quæ vel univerſales ſunt a *Petro* quodam *Montuo* Mediolanenſi & ab aliis deſcriptæ; vel unicuique nationi peculiares & propriæ. Quemadmodum galli ſuas habent ab antiquis regibus conſtitutas, & in unum collectas ac editas, neſcio an a *Savarone*, aut a quopiam alio. Et in Italia multi quidem reperiuntur ſeu duelli committendi ſeu pacis tractandæ cenſores & arbitri; quorum in recenſione, primus mihi doctrinæ ac eloquentiæ purioris gratia appellandus venit *Mutius Iuſtinopolitanus*, deinde vero *Baptiſta Olevanus*, & *Franciſcus Biragus*, qui nobiliſſima ſubtiliſſimaque concertatione rem iſtam præclare explicant. *Fabius* vero *Albergatus* licet teretibus etiam ac purgatis auribus nitore ſufficiat, hebitior tamen eſt in toto ſuo opere, ac in minutiis quibusdam & titivillitiis plerumque moroſior. Qui præter ipſos modum illum explicarint, quem Itali dicunt *di far pace in via cavallereſca*, ſcio equidem extare plures alios: veruntamen quia non ita mihi familiares exiſtunt, nihil propterea de ipſis, ut nec de *Alciato* & Juris peritis, mihi dicendum eſſe exiſtimo.

§. 33. ENUMERATIS igitur illis auctoribus, qui de negotiis, in publica rerum adminiſtratione præſertim occurrentibus, varias præceptiones conſiliaque diverſa ediderunt; aggrediendum nobis eſt ex inſtituta ſerie, ad dicendum de illis, quorum lectione meliores *illi* ac præſtantiores evadere poſſunt, *qui circa rerum ac negotiorum ejuſmodi tractationem verſari debent.*

§. 34. Horum autem commode primi ſe offerunt REGES ipſi ac PRINCIPES, ex quorum moribus & inſtitutione reliquorum hominum fata pendere adeo verum eſt, ut tunc illis bene ac fortunate ſit, cum ipſi, qui reipublicæ clavum moderantur, non ſolis modo prætorianorum cohortibus & longo ſatellitum ordine auctoritatem ſuam fulciunt; ſed labore in negotiis, fortitudine in periculis, induſtria in agendo, celeritate in conficiendo, ac denique conſiliis in providendo dignitatem ſuam illuſtrant ac muniunt; ſecus vero omnia illis contingant, quibus non Reges præficiuntur, ſed tyranni. Cujus vocis occaſione hic omnino animadvertere neceſſe eſt, hanc poſterioribus tantum ſeculis pro iniquo & flagitioſo Princi-

pe

Digitized by Google

pe fuiſſe uſurpatam, quemadmodum optime notavit Suidas in voce Τύραννος, & poſt eum eruditiſſimus Cardinalis Beſſario adverſus calumniatorem Platonis. Conſtatque auctoritatibus clariſſimorum poëtarum, Virgilii quidem cujus ille verſus in ore omnium & libris reperitur,

*Pars mihi pacis erit, dextram tetigiſſe tyranni.*

& Silii italici, qui de Hierone optimo ac integerrimo Syracuſanorum rege hunc alium uſurpat,

*Vos etiam tandem Siculi contra arma tyranni*
*Juviſſe egregium.*

Idque eo potiſſimum ſpectat, ut quoties nobis Platonem, Ariſtotelem, vel Xenophontem legentibus aliquid occurrit, quod ab ipſis de tyranni laudibus aut officio dictum ſit; non ſtatim arbitremur cum Georgio Trapezuntio, tyrannidem ab illis commendari. Tantum enim abeſt, ut illis quidquam ſimile in mentem venerit, ut neminem ex antiquioribus conſtet, magis quam ipſos, præclare & ſapienter de optimo principis munere fuiſſe loquutus.

§. 35. Sane cum apud Ciceronem Cato, Scipioni & Lælio ſuadere videantur, multas ad res perutiles eſſe *Xenophontis* libros, eosque etiam ut ſtudioſe legant, adhortetur; tum vero ille ita ſe mirabilem exhibuit, cum Cyrum, regem alioqui improbum atque impium & infelicem, non quidem ad hiſtoriæ fidem, ſed ad veram juſti & moderati imperatoris effigiem depinxit, ut non tantum ejus mendacio venia concedenda ſit, ſed magna inſuper commendatio tot ſaluberrimis admonitionibus tribuenda. Atque cum ingenioſiſſimus Poëta *Claudianus*, *Porphyrius Optatianus*, *Sidonius*, & omnes *Panegyriſtæ latini* antiquiores, qui ſimul editi ſunt, nihil etiam aliud in votis habuerint, quam optimorum principum naturam, mores, dicta, præclare geſta factaque omnia laudare, ac per hoc poſteris velut e ſpecula faces, quas ſequerentur, accendere. Multum propterea in illis repoſitum eſt ad regiam inſtitutionem momenti; & præſidii ac adjumenti certe non parum. Præſertim vero cum tot exempla præclariſſima, tot heroicæ ac pene divinæ virtutes, facillime ſe in animos dimittant, illorum orationis vehiculo, qui caſtigatiſſimo dicendi genere uſi ſunt, orationemque uſurparunt, ut inventione admirabilem, ſic locorum ubertate ſententiarumque gravitate venuſtam, & ſemper variam, utilem, auguſtam, naturalem, propriam denique ubique ac perſpicuam.

§. 36. Lutulentius fluunt, & romanas aures neglecta dictione radunt, viri duo præclariſſimi divus *Thomas*, & *Ægidius Romanus*, in operibus, quæ de regimine principum nobis reliquerunt. Sed in illis tamen minime, ut erat tunc ſeculi fatum, ſomniorum monſtra aut nebulas pictas ſequuti ſunt. Imo lectionis diuturna ac ſedula meditatione, ingenii rerum optimarum & politicarum copia luxuriantis argumentum exhibuere; quo in concipiendo non magis indulſerunt Genio potenti, & ad grandia quæque & difficillima nato, quam principum imperio. Nam ut de Thoma, qui hoc ipſum in operis limine fatetur, nihil dicam; certe ex Pauli Æmilii hiſtoria conſtat, Philippum Pulchrum, jam inde ab adoleſcentia peculiari cultu Ægidium romanum coluiſſe, eique auctorem fuiſſe, ut de regimine principum monumenta, quæ nunc in manibus habentur, conſcriberet.

§. 37. Superiori vero ac noſtra etiam ætate (de qua merito quis antiquum iſtud uſurpare poſſet

*Sumpſerunt Artes hac tempeſtate decorem,*
*Nullaque non melior, quam prius, ipſa fuit*)

non defuerunt ſane, qui eandem de principatu tractationem laboribus ſuis illuſtrandam explicandamque ſuſciperent. Ex quibus *Niphus* & *Machiavellus* principes ſuos effinxere, quales utplurimum eſſe deprehenduntur: *Eraſmus*, *Oſorius*, *Foxius*, *Natta*, *Omphalius*, *Wimphelingus*, ut ſe moraliter gerere deberent: *Mambrinus*, *Roſeus*, *Frachetta*, & *Lælius Marettus* Senenſis, cujus liber publici juris nondum factus eſt, ut illis politicæ communis legibus agere conceditur: *Bellarminus* denique *Ribadeneira*, & *Scribanius*, ut ſe ad chriſtianæ religionis præcepta componere deberent. Quibus omnibus velut coronidem acceſſiſſe ferunt *Balſaci*, viri clariſſimi, principem Gallica modo pumice diligenter expolitum. Verum enim vero quoniam ipſe liber poſt meum e Gallia diſceſſum typis fuit demandatus, ut propterea nondum in manus meas pervenerit; variaque, ut audio, ac prorſus ancipiti judiciorum alea fuit exceptus; hoc ſolum de illo pronunciare poſſum, quod fuit ab antiquis in ſimili occaſione ex formula uſurpatum: *Non liquet.*

§. 38. Cum autem perſonæ illæ politicæ, de quibus ſermonem jam habere inſtitui, multum præterea juvari poſſint variorum librorum lectione, qui ad ipſas arctiori quodam præceptorum nexu ſpectare videntur: neceſſe idcirco mihi viſum eſt, ipſorum recenſionem, velut ſuppetias unicuique illarum deſtinatas, ſubjungere. Atque ut a PRINCIPIBUS exordiar, nemini dubium eſſe arbitror paulo diligentius in hanc rem intuenti, quin illis ſummopere utilia eſſe poſſint *præcepta vitæ & morum*, ac regni etiam adminiſtrandi, a principibus viris ſcriptis conſignata. Maxime vero illa, quæ, cum eſſent morti propinqui, familiaribus, & amicis, ac ſucceſſoribus etiam, obſervanda reliquerint. Cum opinio ſit non futilis quidem illa aut ridicula, ſed omnium ferme gentium ac nationum conſenſu firmata, animam ipſam cum in procinctu eſt, ut a corpore diſcedat, ſapientiorem longe ac diviniorem fieri. Seu illud contingat, quemadmodum volunt Platonici, quod animus noſter, dum tempus mortis inſtat atque appetit, paulatim incipiat ab oſtraceo ſeu futili & teſtaceo vehiculo, recipere ſe in igneum æthereumve; & quo

quo magis appropinquat morti, hoc magis tenuetur, multaque tunc intelligat, quin etiam ſæpe divinet ac futura proſpiciat: (quemadmodum feciſſe dicuntur Patroclus quidem ab Homero, Orodes a Virgilio, & Poſidonius a Cicerone) ſeu potius verior ſit medicorum & peripateticorum ſententia, iſtud fieri aſſerentium, quod in extrema illa diſſolutione, occupatis jam ab hoſte exterioribus membrorum præſidiis, ſpiritus, qui in illis morabantur, ad arcem interiorem muniendam propugnandamque tanquam ſtrenui milites confugiant: unde circa cordis meditullium, & cerebri regiam, numeroſiori exercitu congregati, omnia præclare diſponunt, decernuntque de multis ſapienter & ingenioſe, donec continuam ac recentem morborum impreſſionem

*- - nec clauſtra, nec ipſi*
*Cuſtodes ſufferre valent.*

Sane undelibet iſta vis animo proveniat, certiſſimum eſt, ab illa, & extremas morientium voluntates religionem, & grandia illa morituri Catonis ac reliquorum heroum verba æſtimationem ſuam, deſumpſiſſe.

§. 39. Unde neque a politicis, multoque minus a principibus viris, contemni debent præcepta illa, quæ ab expertis & ſapientibus viris ſapientiſſime totius vitæ tempore prolata, non niſi ſaluberrima ſapientiſſimaque eſſe poſſunt. Qualia experimur revera eſſe Monita *Manuelis Palæologi*, *Baſilii*, & *Caroli* Imperatorum: *Ludovici IX.* & *Philippi ſecundi* regum Galliæ & Hiſpaniæ: ac demum *Pauli tertii* & *Gregorii decimiquinti* ſummorum pontificum. Quibus pares auctoritate videri quodammodo debent libri illi *Conſtantini Porphyrogenetæ* de adminiſtrando imperio: & cæteri, quos de vita propria, aut rebus cum a ſe, tum ab aliis principibus geſtis, principes ipſi ſcripſerunt. Neſcio enim quomodo genium potentiorem, quam reliqui auctores, obtinere conſueti, libris ſuis infundunt, majoreſque ſpiritus ac nobiliores ad Muſarum cultum afferunt: natura, ut credibile eſt, præclariſſimum iſtud ac honeſtiſſimum liberalis ſtudii cum regali virtute conjugium, lætiſſimis ſimul ac feliciſſimis auſpiciis promovente. Hujuſmodi vero ſunt, quæ de bello gallico non Julius Celſus Vincentii Bellovacenſis & Joannes Sarisberienſis (qui ambo occaſionem etiam dubitandi doctiſſimo Lipſio præbuere) ſed *Julius Cæſar*, cujus ductu ac imperio illud confectum eſt, in commentarios retulit: & quæ optimus Imperator *Antoninus*, non quidem de itineribus ad clariora imperii romani loca (cum Martiani cujuſdam potius illa ſint, nec quidquam ad præſens inſtitutum faciant) ſed de vita ſua conſcripſit: ac præterea, quæ *Julianus Parabata* de Cæſaribus edidit; & hiſtoria de vita & rebus geſtis Baſilii Macedonis, ſcripta quidem jam olim a *Conſtantino Porphyrogeneta*, nunc vero e tenebris eruta ac priſtino ſuo nitori reſtituta, ab eruditiſſimo eodemque nobis amiciſſimo viro Leone Allatio. Cujus inexhauſtam in propriis fœtibus abſolvendis doctrinam, neſcio magiſne admirer, an diligentiam in antiquorum laboribus detenebrandis ac illuſtrandis ſuſpiciam. Atque ut ſumma illa benevolentia, qua me ſibi plurimum devinxit, tali judicio viam mihi omnem ac aditum præcludat; non facilius tamen erit æquiſſimis rerum æſtimatoribus, quidquam de hac controverſia ſtatuere; poſtquam decem ejus volumina variorum antiquorum edita fuerint, quorum divitiis immane quantum reſpublica ipſa literaria conſequetur honoris ac emolumenti. Verum ut illuc, unde paululum digreſſus videor, me referam; eo demum pertinent *Apophtegmata*, ſeu dicta memorabilia prudentiſſimorum regum & principum. Sive ea unius tantum illorum fuerint, ut *Alphonſi*, *Matthiæ Corvini*, & *Alexandri Medicis*, collecta quidem, ab *Antonio Panormita*, *Ænea Sylvio*, *Galeotto Martio*, & alio quodam Italo; ſive multorum generatim ac per communes titulos diſtributa, ut memini a doctore quodam Lovanienſi fuiſſe factum. *Plutarchus* enim *Lycoſthenes*, *Eraſmus*, dum omnia colligunt, certe a principibus non leguntur, quibus eruditionis compendia ſunt in lucro, & ſimiles tantum in exemplo. Quare utiliſſimum quoque illis fuerit, exercere ſe gnaviter in hiſtoricorum lectione, qui fortiſſimorum lectiſſimorumque Principum vitas monimentis ſuis conſecrarunt. Atque in *Alphonſi Ulloa* Carolo quinto Cæſareæ Majeſtatis virtutes intueri; in *Philippi Cominæi* ac *Petri Matthæi* Ludovico XI. politicas artes ac verſutias deprehendere; in *Barletta* Schanderbecho fortitudinis bellicæ triumphos ac honores æmulari; in cæteris denique auctoribus virtutes illas inveſtigare, quarum ad imaginem & velut ideam, ſuas poſtea actiones componant, ſeque tales exhibeant, quales ſemper extitere, qui ad regnorum faſtigia ſupremaſque dignitates fuerunt, non favore & amicorum gratia, ſed ſuo merito ſublevati.

§. 40. HACTENUS IGITUR TAM multis de Principe dictum eſt: quoniam ut ipſe fuerit, ſic erunt & ejus miniſtri. De quibus nobis in ſequentibus minime dicendum foret, ſi omnes ab optimo ſapientiſſimoque principe, officiorum ſuorum dignitate vitæ ac morum integritate rerumque intelligentia pares, eligerentur. Hoc vero quandoquidem rariſſime contingit, age, mi Gaffarelle: percurras alacriter, quod reliquum eſt iſtius Bibliographiæ, ut videas, quibus libris ad dignitatem ſuam præclare ſuſtinendam informari poſſint Hercules illi politici, qui cum Atlante ſuo, ſi non totius mundi, at vaſtiſſimorum regnorum pondus humeris ſuis ſuſtinere debent.

§. 41. Miniſtri igitur, ſeu viri a CONSILIIS principum præcipui, cum vel ex illorum ordine ſint, quibus ſe principes inſano amore, aut ſcelerum participatione, totos in utramlibet velint ipſi partem flectendos committunt (quales ſunt iſti, qui Gallis noſtratibus ac Italis ficto ab ingenti favore vocabulo, commune quidem, ſed ominoſum nomen accepere) vel ex

aliorum

Digitized by Google

aliorum cenſu deligantur, qui per virtutum gradus ad honores conſcendunt, pretiumque ſuis laboribus in patriæ commodis, & recta hominum de ſe exiſtimatione conſtituunt. Sane quod ad priores ſpectat, nec honeſtum eſt conſiliis ipſos juvare, nec etiam facile: cum libidine potius trahantur ac impudentibus auſis ad omne nefas præcipitent; nullius conſilii, quam iſtius Horatiani, capaces

*- - Tu, dum tua navis in alto eſt,*
*Hoc age, ne mutata retrorſum te ferat aura.*

Si tamen Hephæſtionis artes potius, quam Sejani, ad aucupandam principum gratiam uſurpare velint, ipſarum prima quidem rudimenta graphice delineata conſpiciuntur, in libro de minimorum erga potentiores officiis, quem *Joannes Caſa* velut appendicem fecit Galatæo. Quibus poſtquam firmius altiusque pedem figere, velut infantes ſerperaſtris, didicerint; tunc conſulere poterunt commentarium italicum *Camilli Baldi*, quem ſcripſit in epiſtolam *Antonii Pereſii*, qua ipſe amicum inſtruit, quibus ſe modis in principis alicujus gratia conſervare poſſit; & libros vernacula item lingua de eadem ipſa re tractantes, ſed nondum quod ſciam editos, *Lalii Maretti* nobilis enſenſis, & *Aſcanii Philomarini* præfecti cubiculo, ſeu aulicorum familiæ doctiſſimi juxta ac integerrimi ſimul & eminentiſſimi Cardinalis Franciſci Barberini.

§. 42. De poſterioribus autem miniſtris, qui nihil aliud in votis habent, quam principibus, quæ optima ſunt & rectæ rationi conſentanea ſuadere, ferre opem patriæ, ſuccurrere ſaluti fortuniſque communibus; intercludere omnes ſeditionum vias, ac ſuam ſalutem poſteriorem ſalute communi ducere; longe profecto aliter ſtatuendum eſt. Cum enim duo in illis ad illud præſtandum ſummopere videantur eſſe requiſita, oratio nimirum & ſapientia; de *oratione* nuda quidem, & ſimplici, quæ in familiaribus etiam colloquiis ac rebus domeſticis uſurpatur, extant præcepta ejusdem *Camilli Baldi*; de artificioſa vero, quæ in conſultationibus de regno & rebus graviſſimis uſurpari ſolet, ipſe libellum aliquando præ manibus habui, cui auctor lingua ſua titulum præfixerat *del parlar Senatorio*: & præter elegantiſſimum opus *Ludovici Vivis* de conſultatione, conſuli poteſt etiam aliud *Gabrielis Paleotti* de Conſiſtorio. In quo ſummus ille vir, dum ſparſa colligit, inculta illuſtrat, confuſa certo ordine diſtinguit, ac omnia ſingulari prorſus judicio & diligentia colligit, quæ magis quidem proprie ad Cardinales ipſos ſpectare videntur; tum vero multa etiam habet, quæ ſecretioribus regum ac principum miniſtris, haud merito cenſeantur eſſe inutilia, ſeu linguam ipſi velint rerum copia & dicendi modo inſtructiorem, ſeu animam ipſam ſapientiæ documentis ornatiorem efficere. Cui ultimo fundus eſſe poſſunt *Gabriel Zinarus* & *Hippolytus a Collibus*, ambo de Conſiliarii officio, quamvis idiomate diverſo, ſcribentes; & *Simon Starovolſcius* juvenis polonus: qui librum de conſilio edidit: tanta quidem verborum elegantia, & compoſitionis ſuavitate, ut non patriæ ſuæ modo, ſed linguæ latinæ maximum decus ac honorem addiderit.

§. 43. Cæterum quoniam non raro contingit, ut purpurati romanæ eccleſiæ principes in eorum etiam numerum adlegantur, quorum fide ac auctoritate interioris aulæ ſecreta ſummorumque principum negotia adminiſtrentur; propterea non abſurdum erit, quod ipſi Cardinales, viam ut ſibi faciant ad iſtud muneris majori cum dignitate ſuſtinendum, temporis aliquid ac ſtudii impendant, in iſtorum libris evolvendis, qui de Cardinalium officio leges condidere. Mirum eſt enim, quantum juvari poſſint, idea illa perfectiſſimarum virtutum, quam *Andreas ab Auria*, pulcherrimo quidem dicendi genere, ſed tanta feſtinantis calami celeritate complexus eſt, ut locum etiam reliquerit ſaluberrimis conſiliis *Fabii Albergati*, *Hieronymi Plati*, & ipſorummet Cardinalium *Paleotti* & *Corteſii*. Quanquam poſterioris liber ſua mole fatiſcat, ſeque difficulter regat, licet ciceronianæ dictionis adjutus præſidio. Omnes vero cogitationum principis periti, gratiam debent habere *Petro Matthæo* certe quam maximam, quod pauciſſimis verſibus Villaregium Henrici quarti principalem miniſtrum adeo vere fideliterque effinxerit, ut ad ipſius exemplar, cæteri, qui in eodem dignitatis gradu quam diutiſſime ac glorioſiſſime verſari deſiderant, non modo ſuas actiones publicas componere debeant, ſed omnem inſuper vitæ ac morum & conſiliorum rationem inſtituere.

§. 44. Cum autem principes ac eorum miniſtri non poſſint inter ſe de rebus graviſſimis, & ad reipublicæ ſalutem pertinentibus, niſi per internuncios *oratores* quidquam ſtatuere: horumque propterea quam cæterorum miniſtrorum vita ſit illuſtrior: quippe quæ in oculis potentiſſimorum populorum atque in media regnorum ac rerumpublicarum luce verſari debeat: ſane qui a principibus viris in ejusmodi faſtigio dignitatis collocantur, pluribus etiam, ut in hoc præclare ſe gerant, indigere videntur librorum adjumentis. De quibus etiamſi nihil eſt neceſſe, cur tecum nunc, eruditiſſime Gaffarelle, diſſerere debeam: qui præcepta omnia quæcunque unquam de legatis ab auctoribus tradita ſunt, expreſſa potes intueri continuo ac confirmata, in excellentiſſimo regis noſtri oratore, ac tuarum virtutum fautore generoſiſſimo, Domino THUILLERIO; ſequar nihilominus, ſi non utilitatis, at ſaltem inſtitutæ tractationis gratia, de ipſis dicere. Ac primum quidem inter ipſos non laudabo Cratem aut Phaleræum, quos nunquam mihi legere conceſſum fuit: ſed *Carolum Paſchaſium*, politioris doctrinæ luminibus illuſtrem, ordinis ac methodi perſpicuitate clarum, ſoliditate judicii maxime præſtantem; ac talem in omnibus, ut eo veluti dictante, non *Villerius Hottomanus* modo, ſed quicunque poſt ipſum de legatis ſcripſere, loquuti ſint. Proximus ab eo, ne *Puteani* labores parum honorifice excipiantur, recenſendus venit *Federicus Mairſelarius*. Cui ab elegantia ſtyli, non



Digitized by Google

autem rerum ubertate ac varietate, recte componentur, *Octavianus Magius*, & *auctor* quidam anonymus legati pontificii. *Conradus* vero *Brunus*, *Joannes Chokier*, *Anaſtaſius Germonius*, *Stephanus Doletus*, & *Motteus Vajerius*, ſapientiſſimi ac eruditiſſimi Mottei noſtri pater, magis ad Juriſconſultos accedunt; ut *Scipio Gentilis* ad philologos, & *Canonherius ac Gaſpar Bragaccia* ad politicos. Omnes vero non mediocriter illuſtrari poſſunt hiſtoriis particularibus, gentium & locorum, in quibus verſari debent; & relationibus, quæ in publico conſilio fieri ſolent ab oratoribus, præſertim Venetorum, dum ex aliqua legatione reverſi rerum a ſe in ipſa geſtarum, ac populorum, cum quibus ipſis tractandum fuit, mores, ingenium, religionem, divitias, militares copias, arces, regem ipſum ac principales ejus miniſtros, fideliſſimis ac diuturno uſu diligenter exploratis obſervationibus, delineant. Sed nec inutile erit varias principum confœderationes, miniſtrorumque negociationes, quales in ſecretioribus hiſtoriis plerumque continentur, evolvere. Ex quibus non modo principum inter ſe prætenſiones, ac intentiones, & jura læſionesque, manifeſte deprehenduntur; ſed facilitas quædam ac diſpoſitio ſenſim acquiritur, convenienter de ipſis, utque viros decet rerum ipſarum capaces ſapientiſſimosque pertractandi.

§. 45. Verum cum negotia ipſa Politica, non voce tantum, ſed propoſitionibus aut articulis declarationibusque hinc & inde ſcripto prolatis concludantur; occaſionesque indies naſcantur, politicas Diſſertationes aut epiſtolas de rebus graviſſimis, tam ad principes, quam ipſorum miniſtros transmittendi, (quod equidem minime uſu venit absque illorum induſtria fieri, qui principibus ipſis, aut reipublicæ, ejusque miniſtris, a ſecretioribus epiſtolis inſerviunt: quibus propterea & *Secretariorum* nomen recentiori latinitatis ævo inditum eſt, cum antiquiori, magis certe eleganter, ſed minus officio convenienter ac apposite, *ſcribæ* vocarentur.) Inde eſt profecto, ut nonnihil etiam in præſentiarum nobis de illorum munere dicendum ſit. Quod quidem ut dignitatis ipſius amplitudine præſtantiſſimum eſt, atque negotiorum & perſonarum diverſitate varium; ſic a paucis recte & pro rei majeſtate atque præſtantia fuit expreſſum. Quandoquidem omnes Itali, qui ſoli ferme inter cæteras nationes de illo ſibi ad dicendum propoſuere, nihil præclarum attulerint, aut quod rem ipſam ſublimitate præceptorum illuſtret: ſed ingenium prorſus materiæ ſubmiſerint; ſolis epiſtolarum formulis, veluti Polypus ſcopulis, continuo addicti alligatique. Verum enim vero quoniam non contemnenda ſunt, tanquam parva, ſine quibus magna eſſe non poſſunt; ipſæque recte pingendi efformandique characteres, & epiſtolas ex arte dictandi, regulæ, velut fundamenta ſunt totius dignitatis ex officio ſuſtinendæ; ea propter utiles erunt huic adipiſcendæ facultati, *Auguſt. Dathus* qui verſibus hexametris, & *Sanſovinus* atque *Ingegnerus* qui ſtylo & methodo familiari, talia documenta ſunt complexi. Elatior eſt omnino, & a vulgi ſenſibus remotior *Pamphilus Perſicus*; quem unum eruditione, judicio, facilitate, cæteris præferendum, imo vero inſtar omnium habendum eſſe exiſtimo. *Baptiſta Guarinus* rem omnem implicat non explicat, & ſophiſtarum more diſputat, non docet. *Zinarus* denique artem laudabili conatu ad politicos uſus tranſtulit.

§. 46. Præter quos etſi neminem alium mihi videre contigerit, qui ex profeſſo quidquam monuerit de illorum officio, quibus innituntur epiſtolarum ſecreta; pluribus tamen aliorum libris juvari poſſunt. Ac illis primum, qui varia epiſtolarum paradigmata ſeu exempla & formulas edidere. Qua in re ubi a Latinis diſceſſeris, neceſſe eſt omnino, ut ad Italos convertare. Cum cæteræ nationes gloriam illam, quæ epiſtolarum vernacula quidem, ſed compta atque eleganti ſcriptione comparatur, aut neglexerint omnino, aut nondum in ejus conſecutione paria cum Italis fecerint; quidquid *Balſacus*, *Marcaſſus*, & *Lanæus* poſtremis hiſce temporibus apud Gallos ſint conati. Quare ut ab ipſis oratorium; ſic ab his epiſtolicum ſcribendi genus repetendum eſt: purum quidem & elaboratum a *Bembo*; laxum & molle ſed ornatum tamen a *Viſdomino*: elegans a *Guidiccione*: acutum a *Bernia*: conciſum a *Bonſadio*: floridum a *Guarino*: negotiis valde proprium & accommodatum a *Peranda*: limatum denique, breve, & luminibus ingenii ac orationis floribus, diſtinctum, a *Cardinale Lanfranco*.

§. 47. A quibus poſtquam Secretarii compoſitionis modum atque ornatum deſumpſerint, divertendum illis erit ad auctores, qui modum ipſius tegendæ obnubilandæque notarum involucris & arte zifferarum docuerunt. Quorum omnium ſecreta & alphabeta, licet a *Joanne Baptiſta Porta* neapolitano compilata fuerint, utiliſſimum tamen erit *Blaſium Vigenetium*, *Jacobum Gohotium*, & *Erycium Puteanum*, reconditioris doctrinæ gratia evolvere; ac *Abbatem* etiam *Tritthemium*. Cujus inventa polygraphica cum per ſe perſpicua ſemper extiterint; ſane quod ad Steganographica pertinet, quæ *Carolo Bovillo* doctori parum naſuto, ac ipſius relatione multorum credulitati Magica omnino viſa fuerant, ea ſic nuper illuſtravit nobiliſſimus auctor cryptographiæ *Guſtavus Selenus*; ut quicquid in illis obſcurum involutumque tamdiu in ſumma omnium opinione ac veneratione delituerat, non amplius ſui deſiderium excitet, poſtquam ab illo retectum eſt atque patefactum.

§. 48. Sed utcumque his artibus ſcribarum induſtria contineatur, reſtat tamen alia longe omnium præſtantiſſima nobiliſſimaque, quæ velut colophonem cæteris omnibus adjiciat, compoſitionum videlicet politicarum diſſertationumque, quæ tractandis principum negotiis frequenter uſurpari ſolent, ac ſecretariorum induſtriæ committi. Quamobrem gnaviter ipſi operam ponere debent in lectione diverſarum ejusmodi diſceptationum & inſtructionum; quæ latine quidem haberi poſſunt ab *auctore Theſauri politici*; Gallice vero a *Villa-Regio*, *Per-*

*ronio*,

Digitized by Google

ronio, Mornæo, Lanæo, & variis anonymis, qui a temporibus Franciſci primi ad hæc usque avidos rerum novarum animos famoſis declarationibus & libellis in ſuas partes allicere ſubinde tentarunt. Ac italice etiam ab eo, qui literas ad principes ſimul collegit ac in duos tomos digeſſit. Sed omnium merito cenſentur utiliſſimæ digniſſimæque, quæ politicorum mentibus atque oculis perpetuo obverſentur, *Cardinalis Oſſati* epiſtolæ: utpote quæ graviſſimo ac plane ſenili cultu exaratæ ſunt, feraciſſimoque graviſſimarum rerum ac ſententiarum ingenio, nusquam laxæ, nusquam molles, ſemper æquales, ſemper lectoris animum demulcentes, detinentesque jucundiſſima rerum ac rationum varietate.

§. 49. POSTQUAM IGITUR DE AUXILIIS PARTICULARIBUS ſermonem inſtitui, quæ ad officium uniuscujusq; viri Politici magis determinate referri poſſunt, reliquum eſt, ut GENERALIA paulatim exequar, quorum doctrina omnibus æque neceſſaria videtur eſſe ac utilis. *Atque* ut ab illo incipiam, quod homines ad urbanioris vitæ rationem morumque elegantiam componit, nec tantummodo proprias cujusque actiones gratia quadam & comitate temperat; ſed viam inſuper ſternit & præparat ad actiones civiles, modumque docet cum ſingulis hominibus recte & ex officio atque decoro pertractandi; ſane ipſum perbelle & eleganter expreſſiſſe videtur *Epiſcopus ille* peramæni virentisque ſemper ingenii, qui Galateum velut exemplar ingenuæ ac nobiliſſimæ educationis cæteris adoleſcentibus tanquam ad imitandum propoſuit; & *Marcus Tullius*, ac *Ficinus*, qui libros de officiis ambo quidem, quanquam diſpari ſtylo, & varia docendi methodo, conſcripſere. Quorum lectionem excipere poterunt præcepta vitæ civilis *Stephani Guazii*, *Alexandri Piccolominei*, & *Fabricii Campani*; nec non etiam *Nicolai Cauſſini*, *Antonii Guevarræ*, & *Reinardi Caſtorii*. Hi ſiquidem poſtremi civiles ſimul ac chriſtianas leges in una eademque tabula inſculpere tentarunt. A quibus tandem, ſi quis in aulam vocatus fuerit, conſulere poterit oracula *Balthaſaris Caſtilionis*, & *Reſſugii* nobilis Galli: ut ab illis reſponſa ferat de principum moribus ac aulicorum technis & artibus, longe certiora, quam ipſa unquam reddiderit.

*Pythia, quæ tripode ex Phœbi lauroque profatur.*

Præter quos *Canonherius* lapidem etiam in hunc acervum conjecit: nec inutilem, prout mihi quidem videtur, aut fruſtraneum: quandoquidem multa monet valde ſcitu neceſſaria, quæ tamen alii cum graviores videri optarent, ſublimiaque tantum atque ardua ſequuti, tanquam vilia omnino & abjecta neglexere.

§. 50. *Secundum* vero quod adjumento non mediocri publicis rerum adminiſtrationibus eſſe conſuevit, partim ab Hiſtoria dependet, partim etiam a philoſophia, cum naturali tum morali lucem mutuatur atque accipit. Qua præeunte, viam illi ſibi muniunt ad latentes hominum affectus atque mores, quibuſcum tractandi neceſſitas incumbit, facilius deprehendendos, eorumque latentes ſenſus, velut e ſpecula proſpiciendos. Absque quorum diligenti fidaque exploratione, dubio procul Andabatarum more illis incedendum erit, qui negotia cum hominibus tractant, quibus pectus ex Momi voto feneſtratum non eſt, aut cor, ut antiqui loquebantur, diſclupeatum; ſed qui omnia cogitationum & affectionum animi ſecreta, velut atra nube & orci tenebris obvelata gerunt. Ut proinde in hac *Semiotice morali* non ſecus ac in medica, nihil quidquam tentari aut pronunciari debeat, non inſtituta prius ſignorum Phyſiognomica ſyndrome. Quemadmodum illam efficere non amplius operoſum aut difficile cenſeri debet, poſtquam Flaminiæ decus æternum *Scipio Claromontius*, methodum ipſius abſolvendæ tam eleganter præſcripſit, in libro ante quinquennium Venetiis edito, de conjectandis cujusque moribus & latitantibus animi affectibus. Quæ doctrina cum ad politicum relata, tria potiſſimum complectatur ſedulo quidem inveſtiganda; nempe mores atque inclinationes *populorum*, naturas & complexiones *individuorum*, & *geſtuum* atque actionum ſignificationes, quas non minus, quam linguam ſecretiores aliquando cogitationes detegere, notavit Polybius. Sane quantum ad illorum omnium inveſtigationem attinet, auctor eſt Cardanus, illam tuto & cito hauriri poſſe ex communibus dicteriis, & proverbiis, quæ in ore vulgi communiter feruntur. Quoniam hæc velut ex adytis ſapientiæ prolata, & longa annorum ſerie confirmata, raro non veritatem præ ſe ferunt. Unde vellem omnino, ut alicui in mentem veniſſet, phyſiognomicum tractatum ex ſolis ejusmodi veriverbiis contexere. Quoniam ille, præterquam quod altius memoriæ tali pacto rythmorumque aut verſuum concinnitate infigeretur; plus etiam in ſe veritatis contineret, quam tot alii ex philoſophorum placitis inſtituti. Ecquis enim diſtichum illud Martialis in ore non habet, tanquam conſtantiſſima exemplorum obſervatione comprobatum?

*Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine luſcus:*
*Rem magnam præſtas, Zoile, ſi bonus es.*

Aut quis de ſequentium fide, quæ ad Facetum referuntur, & proverbii vicem obtinent, unquam dubitavit?

*Inconſtans animus, oculus vagus, inſtabilis pes;*
*Hæc tria ſigna viri, de quo mihi nulla boni ſpes.*
*Raro breves humiles vidi, ruffosque fideles,*
*Albos audaces: miror magnos ſapientes.*

§. 51. Verum ut de ſuperioribus illis pauca ſigillatim moneam, *nationum* inclinationes diverſasque ex locorum ſitu & temperamento complexiones, præclaris rationibus demonſtrant *Hippocrates* libro de aëre, locis & aquis: *Albertus Magnus* in tractatu de natura locorum: *Joan-*

*nes Bodinus* in methodo hiſtoriæ, itemque in republica, & ejusdem defenſione; & *Federicus Bonaventura* in opere illo variæ ac diffuſæ eruditionis de octimeſtri partu. Mores vero atque qualitates undelibet aſcititias & a diverſis accidentibus ortum ducentes, fuſe etiam proſequuti ſunt auctores Geographici Hodeporicique. Ac *Garcias* quidam, atque *auctor* anonymus *ſortianarum quæſtionum;* quorum ille Hiſpanorum ſimul ac Gallorum ingenia minutiſſime delineavit; hic vero Italorum artes, ac in rebus & urbibus ſingulis receptas conſuetudines tanta diligentia expreſſit, ut nauſeam aliquando & faſtidium vel patientiſſimis lectoribus injiciat. Horum autem ex laboribus & inventis, prodiit tandem, velut aurum ex marchaſita, & unio ex matrice concha, Icon animorum *Joannis Barclaii.* Cui ego auctori non modo præſtanti facundia, ſed omni genere laudis, quæ ex literarum ſtudiis elegantioribus provenire ſolet, ne ex illis quidem veteribus romanis quenquam antepono.

§. 52. Hujus vero aut iſtius hominis, ſeu mavis *individui*, naturam triplici genere ſignorum conſequi poſſe multi contendunt. Quorum tamen primum ſolummodo tutum ac philoſophicum eſſe cenſeo; cum ſecundum plus vanitatis habeat, quam rationis: ultimum vero ingenii potius in re quadam ludicra oſtentandi, quam utilitatis gratia, ab eruditis quibusdam fuerit excogitatum. Ut hic proinde, ſi mecum omnes conſentirent, de priori tantum dicendum foret. Verum quia non ita forſan tibi aut cæteris videbitur, age, mi Gaffarelle, percurras diligenter libros *Ariſtotelis*, *Adamantiique* & *Polemonis*; quibus ſolis emergere, ex antiquorum naufragio, qui de Criſi Phyſiognomica libros ſcripſerunt, fatorum indulgentia conceſſum fuit. Ac inter recentiores, qui artem ejusmodi ſcriptis explicarunt, potiores ſemper habe, *Auguſtinum Niphum*, & *Camillum Baldum*, eruditiſſimos Ariſtotelis commentatores, *Bartholomæumque Coclitem* bononienſem. Cujus integrum librum convaſavit ac in ſuum opus mathematicum tranſtulit, *Joannes Taiſnerus* plagiarius inſignis, & imprudentior longe Horatii cornicula, cum præterea tractatum etiam de Magnete a Petro Peregrino Gallo quondam editum, furto ſibi vendicarit. Quod equidem velut per tranſennam obſervandum eſſe duxi, ut ſuus bene de republica literaria meritis honos aſſeratur, & ipſe Taiſnerus.

*Regali conſpectus in auro nuper & oſtro,*
*Migret in obſcuras furaci mente tabernas.*

Proximus a Coclite locus *Petro Montuo* jure debetur. Cujus librum inter diverſos raritate ipſa atque bonitate præſtantes, qui Romæ in inſtructiſſima bibliotheca eminentiſſimi Cardinalis Biſciæ aſſervantur, oſtendit mihi ſingularis amicus noſter, & quem paulo ante dicebam natum eſſe ad augendum ætatis decus, Leo Allatius: quamvis ipſum poſtea reſciverim typis Mantuanis ſtatim ante urbis ipſius direptionem fuiſſe demandatum. Sed ultimum tandem in hac arte erudienda explicandaque conatum attuliſſe videri poteſt *Joannes Baptiſta Porta* Neapolitanus; cum *Timplerus*, *Moldenarius*, *Goclenius*, & cæteri recentiores, longe infra limites jam ab ipſo prolatos conſtiterint; & ſi quam inde laudem retulerint, eam profecto methodi potius ac compendiorum facilitate, quam nova rerum acceſſione obtinere meruerint.

§. 53. Cum autem Phyſiognomicis disquiſitionibus Metopoſcopiæ & Chiromantiæ vanitates, velut appendices quædam ac laciniæ, ab hominibus illis, qui non integra mentis poſſeſſione gaudent, continuo annectantur; conſentaneum eſſet, ut de *Antiocho Tyberto* Ceſenate, *Tricaſſo* Mantuano, *Indagine*, *Corvo*, *Samuele Fuchſio*, *Thaddæo Hageccio*, *Cyro Spontone*, *Cardano*, & ſimilibus artis vaniſſimæ fautoribus, judicium proferrem, eorumque libros & compoſitiones recenſerem. Quemadmodum certe mihi omnino faciendum eſſet, ſi vatem aliquem fanaticum, aut circumforaneum nebulonem, cui mulierculæ frontem atque manus inſpiciendas præbere ſolent, fraudibus ac technis inſtruerem; non autem optimorum librorum lectione politicum efformarem. Cui nec ejusmodi nugis animum advertere honeſtum eſt, nec fidem adhibere tutum. Quod unum etiam ſtatuendum eſt de Gelotoſcopia *Proſperi Aldoriſii*, & ejusdem *Ideographia*, ac epiſtolari divinatione *Camilli Baldi*, & libris *Melampi*, *Joannis Baptiſtæ Portæ*, ac *Ludovici Septalii* de Nævis, aliorumque de maculis unguium & Onychomantia. Quandoquidem iſthæc omnia ad ludicras potius, quam conjecturatrices ſcientias eſſe referenda, & monuimus antea, & ipſæ vel ſolo nomine tales eſſe deprehenduntur, ut præter vigilantium ſomnia nihil quidquam continere poſſint.

§. 54. Quare ut ad illud denique me conferam, quod in politica ſignorum ſyndrome poſtremum ſuperius aſſignavi, *geſtuum* videlicet atque *actionum ſignificationem*; de hac multa certe habent & egregia omnino, *Nicolaus Cauſſinus*, in parallelis eloquentiæ; & *Cardanus* in libris de ſapientia & utilitate capienda ex adverſis. Sed artem integram feliciter abſolvit *auctor quidam Italus* in prægrandi & curioſo volumine, cui appellationem ipſe fecit ex operis ſubjecto atque materia deſumptam, *arte de cenni.*

§. 55. Cognitionem hominum excipit proxime *cognitio regnorum, & adminiſtrationis publicæ ſtatuum omnium*, qui in Europa præſertim ac inter principes chriſtianos propriis ſe legibus gubernant, libertatemque ſuam ab aliorum incurſibus & violentia ſartam tectamque, quantum in ipſis ſitum eſt, communibus auxiliis tuentur & defendunt. Hæc autem cognitio, quia partim ab hiſtoricis, partim etiam a politicis ſcriptoribus dependet; tertium idcirco caput inter communes ſuppetias conſtituit. De quo multa quidem in genere dixerunt, *Boterus* in relationibus politicis, *Sanſovinus* de gubernatione regnorum, & *Auctor Gallus* Theſauri ſtatuum omnium, & regnorum, quæ nunc in mundo ſtabilita reperiuntur. Quem unum, ſi paulo plus diligentiæ atque fidei in iſta congerie adhibuiſſet, reliquorum loco habendum eſſe minime dubitarem. Sed qui magis determinate de uniuscujusque reipublicæ ſtatu cognoſcere deſiderat,

rat, is adire poterit, quos audivi quondam a celeberrimis hominibus ſummopere commendari, *Ubertum Folietam*, qui de Genuenſium, & *Nicolaum Contarenum* ac *Donatum Janottium*, qui de Venetorum republica præclaras olim lucubrationes edidere. Verum ne tibi forte coronam in muſtaceo ambire videar, aut gloriam potius ex ingenti auctorum nomenclatura deſiderare, parco illos omnes ſigillatim referre, qui nitidiſſimis *Elzeviriorum* typis ſimul collecti habentur; ac ſuis quique locis ac voluminibus tam ingenioſa ſerie diſpoſiti, ut qui de Italia antiqua & nova, qui de regnis Angliæ, Galliæ, Hiſpaniæ, Sueciæ & Daniæ, qui de imperio orientali occidentalique, aut de Venetorum Helvetiorumque republica, ac reliquarum gentium adminiſtratione ſcripſerunt, totidem velut enchiridiis & manualibus libris includantur. Maxima certe politicorum hominum utilitate, & doctrinæ ipſius acceſſione haud prorſus futili vel pœnitenda.

§. 56. At vero cum ea, quæ hactenus a nobis adducta ſunt, materiam politicæ ſubminiſtrent, tum vero formam huic addit prudentia: cum virtus ferme unica ſit, qua conſtituuntur augenturque reſpublicæ. Illa autem ab eventu rerum procedit, & eventus non niſi ab hiſtoria, aut ab uſu dijudicatur. Quare cum nihil aut parum uſu homines ipſi conſequantur, (dum inter anguſtias brevioris vitæ recluſi, citius fere ad metam perveniunt, quam obſervare oculis potuerint rerum humanarum flexus & reciprocantes periodos) reliquum eſt, ut hiſtoria, non quidem unius ætatis regioniſque finibus circumſcripta, ſed omnium ſeculorum gentiumq; res geſtas complexa, prudentiam politicam informet atque inſtruat. Quanquam enim non certa quadam & immutabili ſerie res humanæ volvuntur, magnaque earum varietas & inconſtantia eſt, ut hoc ipſum, quemadmodum dicebat Agatho, veriſimile ſit, multa præter id, quod veriſimile eſt, evenire; plerumque tamen a ſimilibus ſimilia exiſtunt: neque ulla certior regula eſt judicandi, quo quæque res evaſura ſit, quam inſpicere, quem exitum ſimilia in longinquitate temporis ſæpius ac frequentius habuerint. Quod equidem præſtat abunde hiſtoria. Quam non ut teſtem modo temporum aut magiſtram vitæ, ſicut illam definiebat Tullius, ſed velut conglobatam coacervatamque ex omnibus partibus ſapientiam, ſummus Imperator Baſilius Leoni filio imperaturo impenſe propterea commendavit.

§. 57. Sed etiamſi maximum in illa ſubſidium repoſitum eſſe videatur, vix tamen iſtud abunde unquam ſe prodit atque manifeſtat, niſi prius auctores illi, tanquam pararii, in conſilium advocentur, qui de hiſtoriis ordine & methodo conſcribendis evolvendiſque proprias leges tulerunt. Ex quibus eruditione quidem & judicio principes audiunt *Joannes Bodinus* & *Franciſcus Patricius*; ſed neſcio tamen quomodo difficiliores exiſtunt, quam ut omnibus placere poſſint: non ſecus profecto ac in philoſophia Metaphyſici. E contrario vero *Poſſevinus* nimia quaſi facilitate atque neglectu mediocribus tantum ingeniis arridere poteſt. In reliquis *Lucianus* & *Boccalinus* pro hiſtoriæ veritate & nobilitate acerrime depugnant. *Bernartius* judicium cum eloquentia conjunxit. *Maccius* & *Benius* aut nihil præter verba dicunt, aut futilia tantum & abſurda loquuntur. *Popelinerius* non tam methodum hiſtoriæ, quam hiſtoricorum nomenclaturam inſtituit. Cæteri vero, qui ſimul gemino volumine collecti circumferuntur, velut Ægyptus Homerica, & bona multa habent & mala etiam non pauca. Unde cum eruditiſſimus eloquentiæ profeſſor *Auguſtinus Maſcardus*, ſuam quoque de hiſtorica methodo ſententiam ſcriptis ſe aliquando declaraturum eſſe promiſerit, fateor, me iſtius diutina quidem expectatione ſupra modum torqueri. Quoniam ut ingenio atque natura præſtanti nemini concedit: ita multa inſuper obtinet variæ lectionis & ſcientiarum præſidia: queis adjutus, non ſecus in ejuſmodi tractatione, quam in cæteris facere conſuevit

-- -- *quo ſe quoque poſſit*
*Tollere humo, victorque virum volitare per ora.*

§. 58. Interim vero Politicorum ſtudiis non alias leges præſcribam, niſi ut inter evolvendum cujuſcunque gentis ac regionis hiſtoricos, illis præſertim immorentur & aſſueſcant, qui non tantum rerum eventus, aut acta principum, bellaque hic & alibi geſta; ſed omnium latentes cauſas ſubindicant, conſilia explicant, judiciumque de ſingulis brevi & arguta ſententia proferunt, quod velut anima cenſetur totius ſuſceptæ narrationis. Reficit enim lectorem ſuum is ſcribendi modus jucundiſſimæ pabulo lectionis; aſſeritque cautionem in agendo, & ſpiritum in præcavendo. Neque dubium eſt, quin ex ſolida aliqua ac ſucci & ſanguinis plena narratione, major utilitas ac uberior longe percipiatur delectatio; quam ex ea, quæ nude res ipſas proponit, jejunas quidem, & ariditate judicii languentes ac ferme enectas.

§. 59. Hujuſce generis vero licet apud antiquos plures extiterint; apud quos, tempora meliora, cœlum benignius, præcipue ſtudia principum & romani imperii majeſtatem, hiſtoriam pariter meliorem effeciſſe, multorum eſt opinione confirmatum; habuit tamen & noſtra ætas hiſtoricos maximi & judicii & plurimæ certe eruditionis. Neque vero unquam ſuperiori ſeculo tam pertinaciter iratus fui, quin paria cum majoribus virtutum exempla, in *Paulo Æmylio, Petro Bembo, Leonardo Aretino, Pandulpho Collenutio, Joviano Pontano*, *Polydoro Virgilio, Paulo Jovio, Thuano, Guicciardino*, & ſimilibus agnoſcerem. Ut hic de *Philippo Comineo* dicere prætermittam: qui eadem libertate Ludovicum ſuum depinxit, qua ipſe vixerat: tantumque ſibi exquiſito judicio veræ gloriæ comparavit, quantum ille triumphis & imperio.

§. 60. Verum quoniam antiquorum hiſtoria non minus ſancta eſt, quam ſanctum dicit eſſe Horatius *vetus omne poëma*, & Juvenalis Homerum propter mille annos; atque judicia, quæ de illis libere proferuntur, minus invidiæ ſubjacent; ſane græcam *Thucydidis* & *Polybii*, latinam-



Digitized by Google

namque *Salluſtii* & *Titi Livii*, cæteris omnibus præferendam eſſe cenſeo. Seu gravitatem in illis ac majeſtatem operum ſpectes : ſeu puritatem ſtyli judiciique integritatem : ſeu denique omnes hiſtoriæ recte conſcribendæ leges requiras. Quas ipſi adeo concinne feliciterque obſervarunt, ut ne tranſverſum quidem unguem ab illis unquam deflexiſſe, jure merito arbitrari poſſint. Quod idem de *Cornelio Tacito* dicerem, ſi cum reliquis promiſcue in hiſtorici theatri ſcena conſpiceretur. At vero quoniam ſedet ipſe velut omnium princeps ac imperator in orcheſtra, aut potius ſedem ſibi fecit in machina, ex qua cum ſtupore & admiratione politicas difficultates componit, virtutum ſuarum majeſtate omne faſtigium humanum excedens ; certe conſultius eſſe mihi perſuadeo, non hunc tenui ſermone velut hominem, ſed eloquenti ſilentio deitatis inſtar venerari. Unde, ſi pueri olim juris civilis ſtudium auſpicaturi leges XII. tabularum tanquam carmen neceſſarium ediſcebant ; cur non & Politici reipublicæ clavum gubernaturi hujus auctoris ſcripta memoriæ penitus commendabunt, a quibus exempla ſimul atque oracula petant, ipſius reipublicæ bene feliciterque adminiſtrandæ?

§. 61. Pertinet etiam ad Politicos, in iſto genere hiſtoriarum diligenter verſari, quæ nimia ſua libertate, ne dicam audacia, proxime ad libellos famoſos accedunt. Dum ſecreta principum, occultasque fraudes & nequitias miniſtrorum, ac omnia, quæ in politicis regnorum adminiſtrationibus velut ſacra Eleuſinia nocte quadam obſcura tegi debent, in apertum proferunt, nudamque & ſine veſte Dianam unicuique profano conſpiciendam præbent. Quemadmodum omnino feciſſe exiſtimandi ſunt *Procopius*, *Matthæus Paris*, *Theodoricus a Nihem*, *Petrus de Alliaco*, *Clemangis*, *Machiavellus* ; & *Auctores anonymi tot Conclavium*, *Hiſtoriæ Concilii tridentini*, *Ephemeridis* propudioſæ *Ludovici XI. Compilationis rerum ad Hiſtoriam Caroli IX. & ſacram rebellium Galliæ unionem pertinentium*, ac alii denique ſimiles libelli ; qui ſtatim in vulgus effundunt, *quid Rex in aurem Reginæ dixerit*, *quid Juno fabulata ſit cum Jove*. Hi autem omnes, quoniam facta plerumque atque infecta canunt, nunciique tam ficti quam veri tenaces exiſtunt, & ſacris Eccleſiæ conſtitutionibus eorum lectione interdicitur ; judicio propterea in omnibus opus erit, & accepta a Magiſtro Sacri Palatii, aut ipſomet Summo Pontifice, ſi opus erit, licentia.

§. 62. Ultimas tandem in Hiſtoria tenent libri Originum, & Gentium ac Familiarum diſtributiones, ſeu Genealogiæ : quoniam minus in ſe veritatis ac fidei continent, dum ſuis quisque blanditur principibus, & Familiæ dignitatem ab ipſis redimere contendit. Quorum venalis calamus, & fami tantum, non autem famæ ſcribens, omnia ſusque deque habet ; ut pro adulteratis plerumque antiquioribus monumentis non adulterinos nummos poſſit expiſcari. Adeo nempe rari ſunt, qui *Andreæ Quercetani*, ſummi profecto in Familiarum hiſtoria magiſtri, probitatem, judicium, doctrinam, conſequi unquam valuerint, ut Principibus viris inſervire poſſint fideliter, ipſisque ſine fuco vel adulationis ullius ſuſpicione

*Majorum pictos a tergo oſtendere vultus.*

Sed neque tam neceſſaria videtur eſſe Politicis Genealogica ipſa Domorum Illuſtrium ſeries, ut quarundam innocentiam graviter ferre debeant ab *Ammirato* vel *Sanſovino* fuiſſe violatam ; cum *Fulvius Urſinus*, *Antonius Auguſtinus*, & *Richardus Streinius* illas tantum deſcripſerint, quæ ad eruditam antiquioris ævi Hiſtoriam, non autem ad iſtius temporis civilem pertinent. Supra nominati vero *Sanſovinus* & *Ammiratus*, atque *Zazzera*, (qui majori fide onus iſtud ſubiit) de familiis quidem Italiæ & illuſtriſſimis & vetuſtiſſimis ſermonem inſtituerint ; ſed quarum tamen gratia vix quidquam periclitetur, ſi quid in illarum recenſione fuerit ab ipſis auctoribus, aliter quam verum ſit, definitum. Quare reſtant ſolummodo Stemmata Principum Chriſtianorum, & *Reuſneri* ac aliorum in hoc genere lucubrationes. Quæ propter Regum ac Principum inter ſe negotia, jura, prætenſiones, matrimonia, ſucceſſiones, & id genus alia, diligentiorem paulo operam requirunt, ſtudiumque Politicum exercent, in ipſarum originum veritate, cum alicujus difficultatis occaſio emerſerit, ſedulo quidem penſitanda inveſtigandaque.

§. 63. Denique cum tot ubique libri ſemper haberi non poſſint, difficillimumque ſit, quod inquit Comicus, ſitis fauces cum urget, puteum fodere ; *quintum* idcirco ac ultimum generale præſidium in illis auctoribus conſtituimus, qui varia ſimul collegerunt, materiamque velut in titulos communes hinc & inde repoſuerunt : ex quibus poſtmodum cæteri in difficillimis aut in præmeditatis actionibus, quicquid animo libuerit, efformare poſſint.

§. 64. Horum autem nonnulli materiem tantum, ligna, clavos, lapides, trabes, ſaxaque ipſa & marmora præpararunt, ut *Danæus*, *Sanſovinus*, *Lottinus*, *Antonius Pereſius*, & *Guicciardinus*, in ſuis Axiomatibus nude & ſimpliciter tantum enunciatis ; *Richterus* in iisdem, ſed valde utili & prolixa exemplorum congerie declaratis ; *Joannes a Chokier* in Aphoriſmis, in quibus eodem pene ſtylo ac ſuperior ille procedit ; & *Ludovicus Regius* in Monarchiis, Gallico quidem, nec valde ingenti volumine exaratis, ſed ingenioſo tamen propter parallela quædam politica, quæ vix forſan alibi pari ſtudio collecta reperientur.

§. 65. Alii vero non materiam tantum collegerunt ; ſed ipſam in varios Diſcurſus effinxerunt, & titulorum ſolummodo ac quæſtionum varietate prioribus iſtis debent accenſeri, cum cætera docti libros induſtria atque judicio valde præſtantes compoſuerint. Ut *Paulus Paruta*, Deus in hoc ſcribendi genere ſummarius, *Marnixius*, *Frachetta*, *Verulamius*, *Marettus*, *Zuccolus*, qui eodem ferme paſſu ad gloriam properant ; *Piccartus*, *Junius*, *Scherbius* ac alii diverſi, qui non niſi inter Deos minores debent recenſeri. *Nuai* Diſcurſus devium a vera fide & militarem auctoris animum ardore ipſo ac libertate dicendi præ ſe ferunt. *Boccalinus* gratiſſima ſtyli novitate γόνιμος καὶ σύν-

βομος

Digitized by Google

-ϑυμ@- cum Apolline in Parnaſſo ſedet, poſtquam mortalis deſiit fieri, nugasque verbis humidis & lapſantibus defluentes, non amplius inter ſatyricos ſpargit, ſed a ſuis imitatoribus prolatas gratia ac lepore perfundit.

§. 66. Cæteri denique, ac omnium poſtremi, vix a ſuperioribus illis diſſident, niſi quod non eadem libertate uſi auctoris alicujus præcipui ac anteſignani placita ſibi ad diſcurrendum propoſuerint. Quo genere explicationis, Titum Livium haud mediocriter illuſtravit *Scriba florentinus*; qui quidem, ut optime notat Albericus Gentilis, in Hiſtoriarum lectione non grammatiſat, ſed philoſophatur; & Guicciardinum *Remigius Florentinus*, atque *Calderinus* Boterum. Sed quemadmodum aves illic turmatim advolant, ubi copioſæ meſſis ſpes affulget, & homines eo ſponte feruntur, unde plus honoris ac gloriæ ſibi promittunt; ſic multo plures commentarios ejusmodi in Tacitum edidere. Ex quibus *Scipio Ammiratus* & *Cauriana* ac *Comes Malvezzius*, palmam ſibi merito concedi poſtulant. *Gruterus* & *Forſtnerus* plus eruditionis ad hunc conatum attulere, quam Politicos deceat. *Paſchalis* denique, tanquam impiger xenagogus, theſauros iſtius auctoris non quidem effundit, ſed virgula tantum oſtendit atque ſubindicat.

§. 67. QUÆ OMNIA AN ITA SE HABEANT, tuum eſt modo explorare, literatiſſime Gaffarelle, qui in famoſiſſima totius mundi Academia, in cœtu doctiſſimorum virorum, in communi emporio omnis generis librorum, vitam degis utiliter ſuaviſſimeque. Ego vero, qui in hoc Flaminiæ angulo, in iſta phycoclenſi ſolitudine, inter paludes & pineta Cerviæ, exilium patior voluntarium; ubi nec librorum præſidia poſſum invenire, nec doctiorum præterquam unius Slingelandi experiri conſilia; poſſem tibi idem merito ſcribere, quod Ovidius ad amicum:

*Naſo Tomitanæ jam non novus incola terræ,*
*Hoc tibi de Getico littore mittit opus.*

Sane ita me provexit tibi ſatisfaciendi ardor, ut levem hanc narrationem ſtatim expreſſerit. In qua ſi quid tumultuaria opera aut feſtinante calamo dictum eſt, ſi quid dictionis illuvie aut neglectu exaratum, Tu, hæc omnia, & ſi quæ alia inter legendum animadvertes, quæ me fugerint feſellerintve, æqui bonique, ut arbitror, conſules; qui mihi tam acres ad iſtius compoſitionem ſtimulos admoviſti.

# HUGONIS GROTII
## AD
# BENJAMIN. AUBERIUM MAURERIUM
## Chriſtianiſſimi Regis ad Fæderatas Inferioris Germaniæ provincias Legatum Ordinarium.

# EPISTOLA.

§. 1.

Illuſtris Domine; dum tempus aucupor, quo ad vos tranſcurram, præſtiturus id, quod in me receperam nuper, effluere dies ſentio, aliisque ſuper alia ingruentibus negotiis, quorum cumulum auxit longa mea ab hac urbe abſentia, ſpem quoque ipſam propediem vos videndi magis magiſque abſumi. Quare tædere me cœpit tam incertæ procraſtinationis, & quanquam præſens præſenti, atque conſcio etiam, ſi id daretur, principe ingeniorum Heinſio, rectius exponere potuiſſem omnia conſilii mei momenta, measque cogitationes cum veſtris conferendo ex iisdem concentum aliquem exſtruere; tamen committendum mihi non exiſtimavi, ut mea mora aliquod tibi detraheret interuſurium temporis, cujus cum maxime ſervandi cauſa omnis inſtituebatur hæc deliberatio. Malui igitur cum alterum neceſſe eſſet, minus ſolvere, quam diutius debere. Literis igitur commiſi id, quod ſermone potius peragendum fuit; quanquam etſi quid peccaverint literæ, id poterit aliquando ſermone emendari. Erat quidem res ſollicite excuſanda, Tibi viro tanto ac tali conſilium aliquod dare: præſertim in monſtranda ſtudiorum ratione; ſed hunc mihi laborem tua autoritas condonabit; cui non obedire gravius ſit crimen, quam obediendo interdum aliquid aberrare.

§. 2. In hac ergo conſultatione tria ego conſidero, Vir ampliſſime: ætatem tuam, deinde munus, poſtremo occupationes. Quibus longa ſuperſunt vitæ ſpatia, qui negotiorum ipſi ſunt arbitri, qui privatæ vitæ ſolatium atque ornamentum duntaxat quærunt a literis, hos amœno ambitu per omnia diſciplinarum vireta ſuſpenſo gradu diduci, nihil prohibet. Tua tam provecta ætas, & in magna dignitate tempus ſæpe ſub domino, arctiore gyro includunt diligentiæ tuæ curſus, jubentque te compendia potius itinerum, quam amœna ſectari. Sapienter igitur feceris, ſi ſæpe in mentem revoces legatum te eſſe, eoque dirigas ſtudiorum tuorum rationem; uſurus potius literis, quam fruiturus.

§. 3. Quare cum Philoſophia omnis diviſa ſit in contemplativam & activam; hanc præcipue curare debes, illam non ultra, quam ut huic ancilletur. Commune utrique inſtrumentum eſt Logica, a qua proinde fieri initium, ratio imperat. Hanc nolim te petere ex ipſo Ariſtotele, (eſſet enim id prolixius, & paſſim multa occurrunt nullius aut modicæ frugis) ſufficiet, ſi com-

compendium aliquod legeris; quale eſt Molinæi ac Crellii. Ita tamen, ut ſtudiorum adjutor, cui tanto plus eſt otii, præſtantiſſimum quemque ejus artis magiſtrum legat, & ſi quid ſcitu dignum repererit, id ſuo loco meminerit tibi referre. Hoc modo hora una atque altera multo majoris temporis fructum aſſignabit. Et hoc ipſum non de Logica tantum, ſed de aliis quoque artibus & ſcientiis, imo & de libris ſingulis, dictum volo. Optimum quemque commentatorem delega, minutatim qui colligat tibi acervo admetienda.

§. 4. Poſt Logicam Phyſica ſequatur: quam ipſam quoque non opus erit fuſe perſequi ariſtotelica veſtigia premendo. Poterit hic quoque ſatis utilitatis præbere ſcriptor aliquis brevis & perſpicuus. Neque mihi nunc alius ſuccurrit, quem potius commendem, quam Jacchæum noſtrum. Sicut autem in Logica præcipui ſunt uſus figuræ ſyllogiſmorum & regulæ topicæ; ita in Phyſicis nihil eſt præſtantius & ad moralem ſapientiam conducibilius ea parte, quæ animæ noſtræ naturam functioneſque perſequitur. Quare has partes non perfunctorie, ſed exactiore, quam cæteras, diligentia tibi pertractandas cenſeo.

§. 5. Poſt Phyſicam auctor eſſem tibi, ut Metaphyſica quoque, hoc eſt, primam Philoſophiam, delibares. Cujus guſtum tibi aliquem præbere poteſt Timplerus, libro non admodum prolixo aut obſcuro.

§. 6. Sed vereor, ne nimis liberalis erogator ſim tui temporis. Ad activam ergo philoſophiam veniamus; cujus pars prior eſt moralis, altera civilis. Utramque ſi quidem non guſtare vis, ſed haurire penitus, ipſe tibi ſummus docendi artifex legendus Ariſtoteles erit.

§. 7. Inter Ethica, quæ ipſius nomine circumferuntur, optima ſunt Nicomachia. Politicorum unum opus extat. Ad hos libros quicquid ſcripſerunt erudititiſſimi interpretes, id ſummatim tibi referet tuus anagnoſtes. Sed præcipue in Ethicis notanda erunt Sectarum diſcrimina; quid ſenſerit Pythagoras: quid ſevera Porticus; quid vetus aut nova academia: quid hortulus Epicuri. His enim ignoratis, magna nobis in legendis veterum libris oboritur caligo, & utilitas perit.

§. 8. Ne autem tædium pariat unius Ariſtotelis nimis exacta & ſollicita lectitatio; poterunt interſeri interdum libelli aliquot breves, uſus maximi, nec modicæ voluptatis. Tales erunt primum, qui ἀφοριστικῶς de moribus ſcripſerunt, ut autor Eccleſiaſtici, & libri Sapientiæ, qui inter apocryphos comparent: Theognis, Phocylides, tum qui aureum carmen ſcripſit, quod Pythagoræ dicitur, & Enchiridion Epicteti. Ad hos duos libellos, ſane exiguos, at veteribus laudatos, multa eximia adferre poterit, ſi quis legerit, ad aureum quidem Carmen Hieroclem, Epicteti autem fuſiorem interpretem Arrianum. Plane autem omittendus non eſt divinus Theophraſtus; qui ſolus nobis extat in docendi genere, quod veteres χαρακτηριστικὴν vocabant. Niſi eodem referre libeat Poëmata moralia, qualia ſunt Euripidis Tragœdiæ ſelectiores, Comœdiæ Terentii, & Horatii ſermones. In quibus ſcriptis aliud notant adoleſcentes, aliud viri mirantur. Illis placet linguæ puritas & nitor; hi vitam moreſque hominum ibi velut in ſpeculo intuentur. Hæc Ethices condimenta niſi ſufficerent, adderem Officia Ciceronis, librum non ſuo pretio habitum, ideo, quod omnium manibus teritur: Epiſtolas quoque Senecæ, & Tragœdias ejusdem nominis, & Plutarchi libellos optimos & breviſſimos.

§. 9. Simili modo politicis quoque Ariſtotelis adjungam aliquos fructuoſæ brevitatis. Cujuſmodi ſunt Eclogæ Polybii præſtantiſſimæ περὶ τῶν πρεσβειῶν, Oratio Mæcenatis & Agrippæ ad Auguſtum apud Dionem: & Salluſtii Epiſtolæ ad Cæſarem. Non alienum ſit ex Plutarcho addere eorum vitas, qui civili ſapientia pollere ſunt crediti, puta Periclis, Catonis, Gracchorum, Demoſthenis quoque & Ciceronis. Magna quoque utilitas capi poſſet ex ejuſdem Ciceronis ad Atticum & alios quoſdam epiſtolis, ſi interpres adſit romanæ hiſtoriæ & illorum temporum gnarus. Nullus enim eſt liber, qui rectius monſtret rationem, qua aptare deceat præcepta generalia ad ſuas ὑποθέσεις.

§. 10. Rhetorica quoque Ariſtotelis omnino tibi legenda arbitror; ſed alio, quam vulgus cenſet, ordine, poſt Ethica & Politica. Vidit enim ille omnium ſcientiarum atque artium conſummator, ad perſuadendi artificium rivos ex morali ac civili ſapientia molliter deducendos. Ut autem præceptorum uſus hic quoque appareat, ſuadeam attente legi orationes quaſdam Demoſthenis & Ciceronis: non forenſes, ſed quæ remp. magis ſpectant. Quales ſunt philippicæ utriuſque, illius olynthiacæ; hujus pro lege manilia & contra agrariam, aliæque nonnullæ.

§. 11. Hoc ſpatio peracto, nihil eſt, quod tibi æque commendem atque ſtudium Juris; non illius privati, ex quo Legulei & Rabulæ victitant; ſed Gentium ac publici. Quam præſtabilem ſcientiam Cicero vocans, conſiſtere ait in fœderibus, pactionibus, conditionibus populorum, regum, nationum, denique belli jure & pacis. Hujus juris principia quomodo ex morali ſapientia petenda ſint, monſtrare poterunt Platonis & Ciceronis de Legibus libri. Sed Platonis ſummas aliquas legiſſe ſuffecerit. Neque pœnitebit ex ſcholaſticis Thomam Aquinatem, ſi non perlegere, ſaltem inſpicere, ſecunda parte ſecundæ partis libri, quem Summam theologiæ inſcripſit: præſertim ubi de Juſtitia agit ac de legibus. Uſum propius monſtrabunt Pandectæ libro I. ac ultimo, & Codex l. I. & tribus poſtremis. Noſtri temporis Juriſconſulti pauci Juris publici & gentium controverſias attigere: eoque magis eminent, qui id fecere, Vaſquius, Hotomannus, Gentilis.

§. 12. His ergo diſciplinis imbutus bene animus, mirum quos deinde ex hiſtoricorum lectione fructus ſit conſecuturus. Cognitis enim præceptis communibus, atque ipſo genere quæſtionum, facillimum eſt exempla ſuis ſedibus collocare, ſive ad hoc memoria ſufficiat,



Digitized by Google

ſeu brevis annotationis ſubſidium deſideret. Hiſtoriarum autem lectioni omnino præmittenda eſt univerſalis quædam, tum orbis terrarum, tum temporum omnium delineatio; & qui res præcipuas brevius pertractarunt: quales ſunt, Juſtinus, Florus, & Livii ſummator. Cæterum in legendis hiſtoriis malim te ductum animi, quam anxias leges ſequi. Nullæ ſunt, quæ non magnas habeant utilitates; & melius hærent; quæ libenter legimus. In univerſum tamen, incipere non ab antiquiſſimis, ſed ab his, qui noſtris noſtræque ætatis rebus propius cohærent, ac paulatim deinde in remotiora eniti, magis e re arbitror. In Romana Hiſtoria obliviſcendum non eſt, plus ferme frugis e Græcis auctoribus, quam a Romanis hauriri: quia mores omnes ritusque publicos exteri diligentius obſervant traduntque.

§. 13. Sed de his colloquendi occaſio nobis non deerit: rectiusque hoc filum abrumpam, quam ut, nimis operoſe ſtudia tua figurando, in ipſa ſtudia peccem; quibus nihil fas eſt decedere, niſi quod Regis Chriſtianiſſimi & noſtræ reip. negotiis datur. Deus te, Illuſtriſſie Domine, utriusque gentis bono incolumem diu ſervet, & ut generoſo propoſito tuo proſperi adſint ſucceſſus, duo tibi præſtet bonæ mentis auxilia, firmam valetudinem & conſtantem fortunam. Roterodami XIII. Maji, CIƆ IƆC XV.

# CHRISTOPHORI COLERI
# DE STUDIO POLITICO
## *ORDINANDO EPISTOLA*
### *Ad Generoſ. Iuvenem*
## STANISLAUM ZELENIUM VITELLIUM DE ZELANKA &c.
### *S. P. D.*

§. I.

Volo, ut vis, mi STANISLAE; & morem geram deſiderio tuo laudatiſſimo. Cupis enim ex me cognoſcere, qua ratione non tantum eruditior, ſed etiam prudentior fias. Eruditiorem fieri te poſſe variorum autorum lectione, non eſt dubium: ſed eſt dubium, etiam prudentiorem inde evaſurum. Aſſiduitate enim & induſtrioſa meditatione legentis eruditio creſcit: Prudentia *uſu* & *judicio* conſtat. *USUM* aut ipſa experientia facit, aut eorum, quæ alii experti ſunt, exacta cognitio; quæ quidem ab auditu eſt, vel lectione. Eorum enim meditatione ſimilia nos aggredimur. Unde bene Vegetius: *Hæc ex libris diſcenda ſunt, quæ uſu antea ſervabantur.*

§. 2. *IUDICIUM* plurimum adjumenti habet a natura; cætera auxilia e Philoſophia accerſuntur. Illud quidem in te ſatis acre ſemper cognovi; non ſemper ſatis rectum. Sed hunc defectum ætas tua excuſat. Noli vero ita exiſtimare, eos qui acuti ſunt, ideo & recte ſemper ſentire & judicare. Ut tela nimis ſamiata magis reflecti, quam penetrare ſolent: ſic acumina iſtorum offenſione aut flexu prius læduntur, quam verum penetrant aut tangunt. Ariſta nihil acutius, ſed nihil æque fragile. Rectius igitur quomodo judicium fiet? Ardua eſt quæſtio, & ars longe difficillima. Ipſe quidem, duobus illis hactenus pro quadam norma in judicando ſum uſus: *Ratione* & *Imitatione*.

§. 3. Animadvertis, me non loqui de interna illa ratione, quæ divinior pars hominis, ſed de externa quadam loqui, quæ interiorem illam non conſervat tantum & auget, ſed etiam dirigit. Nam certa a dubiis, vera a falſis, recta ab obliquis dignoſcit, diſcernit, dirimit. Veteres ideo *Logicam* apellavere, quod inſtitueret ac dirigeret judicium rationis. Rhetores, ea in controverſiis ac litibus inſtrumenti vice uſi ſunt: quorum ideo dialecticum acumen proprium eſſe dixit Cicero. Philoſophi, dialecticam idcirco vocarunt, quia haud ferme aliter, quam per dialogos & ſermocinationes philoſopharentur; ut videmus factitaſſe inprimis academicos. Hujus logicæ ſtudium, ſunt, qui ſectentur varie & tractent. Ariſtoteles in pretio priſcis fuit, & nunc etiam rectioribus & cultioribus ingeniis. Certe apud Italos & Hiſpanos, illibata ejus auctoritas etiamnum floret. In his & illis locis, nuper exorti ſunt Ramiſtæ & Philippiſtæ, & neſcio quid miſtum denique: aliique, Logici illi quidem ideo dicendi meo judicio, non quia κατὰ τὸν λόγον, ſed quia κατὰ τῦς λόγυς philoſophentur: quorum ego ſilvam non cædo. Et tamen graviſſimus auctor Plutarchus de talibus ita etiam cenſuit: τὔτοις φιλοσοφίαν τὸν λόγον ὐκ ἔργον δοκεῖν in libello de Fortitudine Alexandri. Sane nobiliſſima ars admodum degeneravit, & facta eſt apud pleroſque ludicrum quoddam puerilium quæſtiunculaum, jam olim a Seneca & aliis graviſſimis auctoribus deriſarum. Hoc illi principium & finem omnis doctrinæ, omnis ſapientiæ ſtatuunt. Pulchre & facete Ariſton ejusmodi tricones nugatorios ſimiles eſſe ajebat cancris veſcentibus, qui ob minutum alimentum circa non paucas cruſtas occuparentur. Mihi quidem iſti probiſſimo inſtrumento, quo ad diſcendum & judicandum uti debebant, nequiter ad cavillandum abuti videntur. Ergo cum hac ſupellectile ſua dialectica, ambulant, cœnant, dormiunt, ut Lucillianus ille, cum ſua bulga. E-

thica, Politica, Phyſica, Oratoria, Hiſtoriæ, nugæ illis præ ſua Logica videntur. Atque utinam hac fini ſtetiſſet illud malum. Præcepta, quæ luciḋiſſima & breviſſima eſſe debebant, novis inſuper præceptiunculis onerant, & mirificis nebulis ac ſpinis obvelant & involvunt nobiliſſimam artem. Itaque ipſorum Dialecticam plane cum Clitomacho lunæ ſimilem eſſe dicas, ἐ παύεται φθίνουσαν καὶ αὐξομένην. At tu non a me, ſed ab Arceſilao Academico, & perfectiſſimo dialectico, dictum tibi puta apud. Stobæum: ταύτην διαλεκτικὴν φεῦγε, συγχυκᾶ τᾶνω κάτω. Pauca præcepta eligenda ſunt. Turba illa traducit magis, quam ducit. Nec tu, me Epicurum illum imitari cenſeas, qui omnem dialecticam contemnebat. Nam & ipſe hac arte uſus, utcunque ſic, uti nunc ſoleo, judicare didici: ſed uſus ſum non ſola, uti jam ſupra ſcripſi.

§. 4. Adjunxi enim ei ſemper quaſi comitem ad latus *Imitationem.* Atque haud ſcio, an majus hic operæ pretium fecerim, quam illic. Hanc ego appello, *ad judicii alieni veluti normam judicii mei conformationem.* Judicii dico, non vulgaris aut ex opinione plurium laudati, ſed doctorum & ſapientium virorum cenſura & ſuffragio comprobati. Talium virorum opiniones, dicta, ſententias, auctoritates vocare conſuevimus. Quas tu mihi, inquis, auctoritates, quas ſententias commemoras? Meminiſtine, apud Ciceronem ſcriptum eſſe, non philoſophicum eſſe teſtibus uti? Memini. Sed aliæ ibi auctoritates quæruntur, aliæ rationes depromuntur. Verum, ubi ipſi teſtimonio ineſt ratio, quid ibi aliud eſt rationes inquirere, quam cum ratione inſanire? Talem ego demum auctoritate iſta eminenti dignum exiſtimo ſcilicet, in quo cum Platone agnoſcam τεκμήρια illa, τὴν ἐμπειρίαν τὴν φρόνησιν, τὸν λόγον. Intelligiſne, Philoſophum tria recte judicandi inſtrumenta facere, experientiam, prudentiam, rationem? Intelligis planiſſime. Primum igitur rei *experientiam* habeat oportet, cujus ego judicium ſequar. Quintiliani illud, tibi notum: *tum demum operæ pretium fieri, cum experientia & præcepta* congruunt. An non Hippocratem tu in Medicina, Sulpitium aut Scævolam in Jurisprudentia, in Ethicis & Phyſicis Platonem & Ariſtotelem, Demoſthenem & Ciceronem in Oratoria, de ſuis ſingulos artibus aut ſcientiis diſſertantes auſcultes, cæteros audias tantum? Ita faceres profecto. Horum enim auctoritas, inquis, ipſam, quodam genere, rationem includit, cum optimis lectiſſimisque rationibus eam ſibi ſapientiæ exiſtimationem conciliarint. Sed experientiam rei alicujus habere is demum dicitur, qui ex diutina meditatione aut tractatione ejus perfectam habet cognitionem. Cognitio ea, conſtat etiam ex memoria, quæ, ubi varia ac multiplex ejusdem rei comparata eſt, vim ac nomen experientiæ conficit. Eam ob cauſam Ariſtoteli (*Metaphyſ.* 1. *cap.* 3.) δοκεῖ σχεδὸν ἐπιςήμῃ καὶ τέχνῃ ὅμοιον εἶναι ἡ ἐμπειρία. Porro *Prudens* ſit, cujus ego judicio acquieſcam. Prudentem iſti appellabant, qui cum vera ratione delectum haberet bonorum & malorum. Ejusmodi homines, cum calliditate & conſilio polleant, plerumque magis etiam admirari imitarique ſolemus, quam quos artium ac linguarum varia cognitio commendat, ſi prudentia careant. Proinde, tu, me auctore, nullum tui judicii ducem facies, qui non inſignis illa prudentiæ nota. Denique *λόγον rationem* ille habeat, qui te dirigat: & præeat prius magiſterio, qui auctoritate ducturus eſt. Doctor prius ſit, qui ductor eſſe vult. Id quomodo fiet? Sic credendum auctori tuo, non ut perſuadenti, ſed ut demonſtranti aut docenti: non ut oratori apud judicem, ſed ut philoſopho in auditorio. Nolim tamen ita timide aſſentiri te ubique, ut ſemper hæreas & dubites. Eviluit illa ſecta, cui dubia omnia & incerta viſa. Nos Stoicos omnium maxime probamus, vel Cicerone teſte, judicandi peritiſſimos: & qui certa magis, quam reliqui, magisque conſtantia docuere. Superbe & faſtidioſe, immo inepte, nonnulli ita reſpuunt ſummorum virorum auctoritatem, ut eam propterea fugiant, quia cum veris & rectis rationibus concurrerit. Perinde, quaſi ratio minus tuta, ac munita ſit eximiæ auctoritatis titulo ac præſcriptione. Pravum & corruptum & indocile hoc hominum genus, ac ſterile ſemper. Sed illi, ſi Dîs placet, ſecundi ab Ariſtotele videri volunt. Proferuntque illud magna voce: *Amicus Plato, amica Veritas. O imitatores ſtultum pecus!* Age, ſemper ita ſentiant ac loquantur tenebriones iſti: quid tandem veri invenient? Saltim iſti δοκησίσοφοι cogitarent gradus eſſe doctorum. Alios in primis agere: alios in ſecundis conſiſtere: alios denique infimi ſuique ſubſellii eſſe. Illud te nolo celare, ſemper me magnorum virorum judicio plus credere, quam diffidere ſolitum: eaque re factum eſſe, ut dum adſentirem, facile etiam admirarer, dum admirarer, facillime diſcerem: ſecundum illud Ariſtotelis Ἐν τῷ θαυμάζειν τὸ μαθεῖν ἐςί. Videor, non obſcure etiam tibi indicaſſe, quos & quatenus ſequare. De *USU* ſupervacuum diſputare, qui ipſe magiſter eſſe ſolet.

§. 5. Atque ita viam tibi ad Prudentiam aperui, tute eam, quæ naturæ tuæ bonitas eſt, cautius terere ac munire fortius poteris. Sapis autem mea ſententia, qui tantopere curas Prudentiam, cum Politicæ ſtudio operatus ſis: quod cum præſtantiſſimum eſſe Plutarchus tibi perſuaſerit, illud etiam facile ſentis, eam ipſam Prudentiam Politico pro anima datam. Magnificum erat profecto POLITICI nomen, nec apud veteres ita, uti hodie, in propatulo, & ut ille ait, proculcatum. Noſtros enim homines videas, qui mihi ad inſaniam usque cum Græculis aut Atticis ineptire videntur. Notat eos manifeſte, Cicero quodam loco ad Pomponium ſuum, quod temere de quovis πολιτικοῦ nomen uſurpaverint. At longe aliter togati illi. Politicum reor illum dicebant, qui reip. adminiſtrandæ vias omnes teneret, ejusdemque naturam, ut qui maxime, perſpectam haberet, ſive is in republica, ſive extra, ſive circa rempublicam ageret. Ipſam Πολιτικὴν Ariſtoteles non veretur ἀρχιτεκτονικὴν reliquarum ἐπιςημῶν καὶ δυνάμεων facere. Qui rempublicam ipſi gerebant Πρακτικοὶ vulgo dicebantur. De quibus idem Philoſophus (*Ethico-*

*rum*

*rum Magnorum lib.* 1. *cap.* 1.) Δεῖ ἄρα ἐάν τις μέλλῃ ἐν τοῖς Πολιτικοῖς πρακτικὸς εἶναι, τὸ ἦθος εἶναι σπουδαῖον, Tales erant ex Senatoribus, quique magiſtratus gerebant publiciſque & ampliſſimis muneribus fungebantur.

§. 6. Extra rempubl. erant viri Sapientes; quales *Academici* illi, Plato, Criton, Democrates, Simmias: *Peripatetici*, Ariſtoteles, Theophraſtus, Heraclides Ponticus, & multo ille eruditiſſimus Demetrius Phalereus. Hi omnes ob maximam rerum eximiam ſcientiam Politici Philoſophi palam audiebant. Ut teſtatur Cicero in Oratore & de Legibus, Dionyſius quoque Halicarnaſſeus diſerte lib. 9. Ex eorum doctiſſimis monumentis tractandæ reipublicæ artem, omniumque rerumpublicarum genera, addiſcebant cognoſcebantque cæteri. Quare ejuſmodi Philoſophi Πολιτικοὶ ſummis Regibus aut Principibus curæ carique fuere: Plato Dionyſio, Ariſtoteles Alexandro, Cyro Xenophon, Dario Heraclitus, Plutarchus Trajano, noſtro ſeculo Lud. Vives Carolo V. Non te fugit, antiquiſſimis etiam temporibus Philoſophos ſolos fuiſſe Legumlatores: ut Solonem, Draconem, Lycurgum, alios. Imperitia itaque aut calumnia potius eorum eſt, qui tales viros Politicos negant. Audent id hodie non pauci negare, qui ſe ſaperdas putant, cum ſint copreæ.

§. 7. Circa rempublicam Politici verſabantur, qui erant familiares iis, quos primo loco poſui. Ipſi etiam vel reipublicæ aliquando participes fuerant, vel rerum varios caſus cauſaſque & eventus callebant: Viri prudentes, docti, acuti. Non dubito talem fuiſſe illum ipſum Pomponium Atticum, & Cœlium, ad quem ita Cicero ſcribit: Πολιτικώτερον *enim te adhuc neminem cognovi: ne iſta quidem cum mihi ſcribas, quæ maximis in rebus reipubl. geruntur quotidie.* Et paulo poſt: *Quare ego nec præterita, nec præſentia abs te, ſed ut ab homine longe in poſterum proſpiciente, futura exſpecto.* Ad eundem ita quandam Epiſtolam concludit: Καὶ Κικέρων ὁ φιλόσοφος, τὸν Πολιτικὸν Τίτον ἀσπάζεται. Inter hoc Politicorum genus pleroſque Juriſconſultorum veterum refero. Quidni & Hiſtoricos? Cæſar, qui omnia non vulgariter ſapiebat, Salluſtium & alios hujus appellationis, in graviſſimis rebus diligenter auſcultavit. Auctoritate pollebat Aſinius ille Pollio apud Auguſtum. Sed Hiſtoricos maxime adſciſcebat circumducebatque Alexander Severus, Princeps nobiliſſimus: requirens, quid in talibus cauſis, quales in diſceptatione verſabantur, veteres Imperatores vel Romani vel exterarum gentium feciſſent, ut narrat Lampridius. Ita quidem Severus ille. Poſteriores quidam Principes omnia de conſilio Jureconſultorum ordinabant. Ad exemplum, niſi fallor, Hadriani; qui Julium Celſum, Salvium Julianum, Neratium Priſcum, alioſque, quos tamen Senatus probaſſet, in conſilium ſemper adhibuit, teſte Spartiano. Erant enim illius ſeculi non tantum Juris civilis, ſicuti nunc plerique, periti, ſed eloquentia & rei militaris peritia inſignes, adeoque Politici egregii, qui Juriſconſulti audiebant. Hi cum Principibus aſſiduo adeſſent, Comites dicti ſunt; *argumento l. Diem functo, D. de off. adſeſſ.* Hæc Comitum noſtrorum initia haud dubie fuere. Ad Ciceronis ævum redeo, qui in Bruto L. Torquatum πολιτικὸν fuiſſe ait, & deinde ſic addit: *Erant in eo plurimæ literæ, nec eæ vulgares, ſed interiores quædam & reconditæ, divina memoria, ſumma verborum & gravitas & elegantia: atque hæc omnia vitæ decorabat gravitas & integritas.*

§. 8. Liquetne tibi Politici nomine in maximis rebuspubl. neminem æſtimatum fuiſſe, niſi qui aut ſingulari nobilitate, aut ſapientia, aut doctrina, aut integritate eſſet? Nec video, quomodo illi Politici, nomen ſuum tueantur hodie, qui nec Juris civilis, nec Hiſtoriæ nimis gnari, per ora hominum incedunt, & ſcribunt etiam. Illorum quidem fucus te non latet, quos hoc ævum proventu uberrimo gignit: qui dum Politicos dici ſe poſtulant, nihil penſi habent, modo fraudulenti, falſi, improbi ſint. Sed iidem, dum omnia ſimulare facile ſe poſſe jactitant, animi tamen ſui nequitiam non poſſunt. Nihil nunc moror iſta monſtra, qui ſe πολιτικῶς potare, graſſari, palam profitentur. Atqui Ciceroni aliter viſum, qui ad Atticum ſcribens: *Ut me geram*, inquit, πολιτικῶς. Apte opinor, graviterque vult ſe gerere Politicus ille togatus. Crito Socraticus, libro cuidam ſuo titulum fecerat: τί τὸ ἐπιτήδειον, ἢ πολιτικὸν, quo argumento, niſi quod τὸ ἐπιτήδειον proprium Politico?

§. 9. Memini me jam in principio hujus Epiſtolæ ſcripſiſſe, *Experientiam ab auditu & lectione eſſe.* Nonne debui etiam *oculis* aliquid tribuere? Debui certe, vel Ulyſſis argumento, qui non mente tantum ſed oculis quoque adjuvaſſe prudentiam ſuam dicitur. Sed doctum te docere nolo. Vidiſti Italiam, Germaniam, Galliam: & vidiſti non ut advena, ſed ut civis. Muros, foſſas, alia civitatum opera, oculis & animo contemplatus es. Scilicet externus ille oculorum paſtus non tantum ſuaviſſimus, ſed etiam fructuoſus eſt. Noſti quare antiquitas Herculem μεγάλων ἐπιΐστορα ἔργων appellavit? De qua re quid opus eſt me quoque ſcribere?

ἔστιν δὲ πολὺς νόμος ἔνθα καὶ ἔνθα,

eorum qui de perigrinationibus præcepta confecere aut collegere. Et quæ auditu profeceris, ipſe tibi optimus teſtis eris. Publicos & clariſſimos Italiæ, Galliæ, Germaniæ, doctores auſcultaſti. *Riccobono* Patavii etiam privatam dediſti operam. Neapolitanum *Portam*, Naturalis Philoſophiæ nobiliſſimum auctorem, frequenter acceſſiſti. In eodem celeberrimo loco, Neapoli inquam, magnum illum popularem tuum *Stanislaum Reſcium*, Sereniſſimi Regis veſtri Legatum, hominem, ut ex ipſius ſcriptis mihi ſatis conſtat, exacto judicio & πολιτικώτατον, in oculis habuiſti. Ille vero ex uberrimo quodam prudentiæ fonte, quo eruditum illud pectus irrigabatur, agendæ excolendæque vitæ præcepta ſuis Polonis propinare conſueverat. Narravit id mihi totius itineris tui comes, aut dux potius, Johannes Blotnitius, vir nobilis. Certiſſima illa & rectiſſima prudentiæ meta (tu mihi confidenter credito) ad quam doctorum & ſapientium virorum converſatio & familiaritas aurigatur. Dic mihi ſodes, an pœnitet te familiaritatis & amicitiæ illius, quam vel hoc anno feciſti & habuiſti cum eruditis illis capitibus Germaniæ & Galliæ? *Gentilem & Scherbium* menſæ ſocios habuiſti. Ille Juriſconſultus & Poeta ingenioſiſſimus eſt: hic Philoſophus graviſſimus & acutiſſimus.



Digitized by Google

ſimus. *Conradus Rittershuſius*, neſcio an tibi familiaris fuerit. Fuiſſe vellem. Probus vir eſt, & præter Jureconſultum, varia eruditione & linguæ Græcæ facundia virum præſtat. Quid autem Palatini illi videntur? Nonne Muſarum quoddam Palatium egredi videbare, cum iſthinc diſcederes? *Freheri* & *Gotbofredi* conſuetudinem recordaris quotidie, & meminiſti, quam grata, jucunda & utilis fuerit. Fieri enim non poteſt, ut ab his indoctior abiveris. *Meliſſum* tu ut vatum principem admirabare: ille te non amore tantum, ſed etiam carmine abeuntem proſequebatur. Sapiebas autem egregie, cum *Gruterum* non cum multis ſapere, diceres. Multum deberes fortaſſean oculis & auribus, ſi *Hippolytus a Collibus* legatione tum in patria tua non abfuiſſet. Prudentiam & acumen *Jacobi Bongarſii*, Galliarum Regis Legati, ſatis animadvertiſti Francofurti: humanitatem etiam expertus es. Ego tibi Pragæ factum eum talem prædicaveram. Idem de clariſſimo *Giſanio* dices. Sæpe facito, nobiliſſime ZELENI, & tales viros, quos aut doctrina, aut prudentia, aut variarum rerum experientia, inſignivit, quamvis audacter tibi copula. Nemo tibi ob id ambitionis crimen impegerit,

> Καὶ μετὰ τοῖσιν πῖνε καὶ ἔσθιε, καὶ μετὰ τοῖσιν
> ἵζε καὶ ἅνδανε

Quemadmodum a ſole varia colorum ſpecie pingi non cernitur iris, ſed picta: ſic animi noſtri talium converſatione variis ſapientiæ notis adſperſos deprehendimus poſtea, cum id qua ratione fieret, minus antea animadverterimus. Denique Senecæ illud crede: *Longum iter eſt per præcepta, breve & efficax per exempla. Zenonem Cleanthes non expreſſiſſet, ſi eum tantummodo audiſſet. Vitæ ejus interfuit, ſecreta perſpexit, obſervavit illum an ex formula ſua viveret.* Idem vere & ſapienter ſcribit, Metrodorum & Hermacum & Polyænum, magnos viros non ſcholam Epicuri, ſed contubernium feciſſe.

§. 10. Sed tu potius de LECTIONE AUCTORUM nunc vis audire. Recte & neceſſario. Nihil enim utilius, nihil certius lectione. Ea alitur ingenium, creſcit intellectus, augetur ſcientia. Sed ſcrupulus iſte mihi eſt profecto. Nam quem tu hic me cenſes eſſe? illum qui cenſuras gerat ſine ſuffragio? Faciam tamen quod cupis: non quia me decet, ſed quia ita fieri vis. Videndum eſt tibi, cum ad Prudentiam viam adfectes, Quos, & Quo fine quemque legas. Leges tu quidem *Theologos*, *Poëtas*, *Juriſconſultos*, *Philoſophos*, *Hiſtoricos*, *Oratores & Miſcellos* nonnullos.

§. 11. Omnium ſtudiorum auſpicia a *Libris ſacris* duci debent, fierique ut veteres Poëtæ canebant ἐκ Διὸς ἀρχή. His adjungo *Poëtas*, qui antiquiſſimi ſunt. Politicis ideo ſane legendi, quia de Monarchia nemo illis divinius tractavit; ne Philoſophi quidem. *Philoſophi* rerumpublicarum formas ac varietates deſcripſere. *Hiſtorici* Philoſophis de rep. commentantibus argumenta & exempla ſuppeditavere. Nos etiam exemplis mirifice inſtruere, rerumque viciſſitudines edocere ſolent. Hos igitur legendos tibi cenſeo, ſed cum delectu librorum & ordine.

§. 12. THEOLOGICI LIBRI ſunt *Biblia*, in quibus Vetus & Novum Teſtamentum. Sunt deinde ſcripta ſanctorum Patrum, quæ commentariorum vicem eſſe poſſint. Nemo Chriſtianus vel doctus videri velit, qui Biblia non legerit. Quo minus poterit Politicus Chriſtianus? *Patrum* eruditiſſimi libri, mihi non tantum in Bibliis legendis plurimum profuere, ſed in omni reliquo doctrinæ genere miram ubique lucem affudere. Ita eruditi, eloquentes, graveſque erant. Erant autem fere *Juſtinus Martyr*, *Tertullianus*, *Clemens Alexandrinus*, *Baſilius*, *Chryſoſtomus*, *Theodoretus*, *Arnobius*, *Cyprianus*, *Lactantius*, *Hieronymus*, *Auguſtinus*, *Ambroſius*. Tuo ſtudio opportunos crediderim, Hieronymum in Prophetas, Auguſtinum de Civitate Dei, qui Varronis & Ciceronis libros Politicos excerpſit.

§. 13. POETÆ tibi legendi duo ſunt, Homerus & Virgilius, uterque princeps & rex cæterorum:

> *Qui quid ſit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,*
> *Plenius ac melius Chryſippo & Crantore dicunt.*

De *Homero* Strabo teſtatur: ὅτι οὐ μόνον ἐν τῇ κατὰ τὴν ποίησιν ἀρετῇ πάντας ὑπερβέβληται τοὺς πάλαι καὶ τοὺς ὕστερον, ἀλλὰ χεδὸν τι καὶ τῇ κατὰ τὸν βίον ἐμπειρίᾳ τῶν πολιτικῶν Hanc ejus doctrinam Politicam nonnemo Philoſophorum veterum commentariis illuſtrare ſategit, ut Demetrius Phalereus, Antiſthenes, Plutarchus. Regum ac Principum laudabilium ſemper ſpeculum fuit Homerus: non equidem in quo ipſi ſibi placerent, ſed in quo ad Achillis aut Ulyſſis exemplum ſe componerent. Alexander Magnus hunc Poëtam τῆς ςρατείας ἐφόδιον habuit. Crediderim non minus turpe fore homini Politico Homerum non legiſſe, quam fuit illi pædagogo non habuiſſe, cui propterea colaphum impegit Alcibiades. Ad *Virgilii* lectionem quemvis invitare poſſint verſus illi ſeſamo ac papavere dulciores. Ejus poëmatis quanta ſit divinitas, nemo rectius monſtraverit Julio Scaligero. Quo viro nec major Philoſophus ab Ariſtotelis, nec major Poëta a Virgilii, nec major Medicus ab Hippocratis, ævo vixiſſe videtur. Atqui ille hoc etiam adſerit; ad Ethicam & Politicam quod ſpectat, meliores nos doctioreſque ex unius Virgilii lectione, quam ex omnium Philoſophorum præceptis abituros. Tute hoc ſerio conſiderabis. Equidem in Georgicis illud animadverti, ſollertiſſimum Poëtam, dum de apibus loquitur, alteram quandam Platonis Rempub. nobis reddidiſſe. Non nego, me ex Eclogis quoque ipſius nonnunquam petere, quod gravioribus cogitationibus ac ſtudiis impendam. Pollio ipſius nonne tota eſt vaticinium de adventu Chriſti? Sciſque ipſe cujuſmodi nuper periculum in ea fecerim, poſt magnum illum Euſebium. Quidni etiam *Comicos Poetas* leges, in quibus civitatum mores jucundiſſima quadam imagine repræſentantur, & in his *Terentium*? *Tragici* procerum motus detonant, & graviſſima doctrina pleni ſunt: *Sophocles*, *Euripides*, *Seneca*. Nec te non plurima doceat mollior *Horatius*, & ſeverior *Juvenalis* Sa-

tyrici.

Digitized by Google

ryrici. His addo ſapientiſſimos fabulatores, *Æſopum* & *Phædrum*. qui ſi non ſunt Poëtæ, Poëtas tamen referunt.

§. 14. JUS CIVILE non cognoſcendum eſt homini Politico, ſed etiam illius ſtudio cognatione quadam annexum. Intelligo *Jus Civile Romanum*: quod in Imperio omnium maximo, ampliſſimo, & juſtiſſimo, ortum, auctum, atque conſtitutum. Comprehenditur immenſo illo Corpore, quod Juſtinianeum appellamus. Sed inſtituto tuo ſufficit elegantiſſimus Inſtitutionum libellus, ejusdem Imperatoris juſſu compoſitus ac divulgatus. Quod ſi tu mavis *Hotomanni* Partitiones, non repugno. Juris Feudiſtici doctiſſima Compendia *Guilielmus Fornerius*, & *Antonius Contius* ſcripſere. Edidit nuper ea Freherus noſter. Suadeo legas loco aliorum. Sed & *Cujacii* Notæ illæ breves admodum & eruditæ ſunt, ut omnia illius viri. *Patrium* jus ante omnia fac in promptu tibi ſit. Decet hoc hominem nobilem, ut vetus ille prudens monuit.

§. 15. PHILOSOPHORUM veterum Politica nulla ſuperſunt, præter Platonis & Ariſtotelis, & fragmenta illa nonnullorum apud Stobæum. Quibus tamen quidni addes tu Κύρȣ παιδείαν *Xenophontis?* cum totum illud ſcriptum magis Philoſophicum quam Hiſtoricum, & primus ille Philoſophorum Hiſtoriam ſcripſerit, ut ait Laërtius. Scripſerunt ſane Politicos libros plurimi Philoſophorum, Academicorum præſertim, *Speuſippus*, *Xenocrates*, alii: ut de *Theophraſto*, *Demetrio*, cæterisque Peripateticis taceam. Sed tibi Platonis & Ariſtotelis Ethica non minus curæ ſint, quam Politica, cum hæc ab illis pendeant. Ad ea multa *Ciceronis* etiam ſpectant, ſed egregie præter cæteros libros de Officiis, quem tu auro contra æſtima. Quæſo te *Senecæ* Epiſtolas ad Lucillium ſæpe legito. Bonus ille vir eſt, ajebant Pythagoræi, qui bene utramque fortunam ferre poteſt, addo ego, & bonus Politicus. Tu talis fias ex lectione illarum Epiſtolarum. Ad *Platonem* & Ariſtotelem redeo. Ille ſua Politica in decem libros tributa περὶ δικαίȣ inſcripſit, ſive de Juſto: quia ſine fundamento juſtitiæ nec exſtrui nec gubernari legitime ulla respubl. poteſt. Ejusdem ſunt Πολιτικὸς, ſive de Regno, Νόμων, ſive de Legumlatione. Epiſtolis ad Dionis amicos nihil profecto ἠθικώτερον nihil πολιτικώτερον. *Ariſtotelis* Moralia utraque legenda ſunt, ſine magna illa Commentariorum aut diſputationum mole: quæ te magis intricent, quam expediant. Sine ipſius Politicis male proceſſeris in hoc ſtudio. Poſſe tamen brevius tibi conſuli, haud nego. Multa etiam πολιτικώτερα ex ejus Rhetoricis excerpas. *Ciceronis* de Rep. libri ab Auguſtino & aliis laudati fuere, & certe fuere. Nec *Varronis* ſummo ſtudio frui nobis licet, qui rerum Humanarum & Divinarum libros XLI conſcripſerat.

§. 16. Illorum exemplo auſi etiam noſtri homines caput adtollere, & de Republica commentari: *Andreas Patritius*, *Johannes Bodinus*, *Gregorius Tholoſanus*, *Iuſtus Lipſius*, & ante illos *Nicolaus Machiavellus*. *Patricius* ita quidem, ut facile obtrectatoribus careat. Magis ardua & erudita tractatio *Bodini*. Non caret carptoribus. Mihi quoque nimis ſe diffundere videtur. Sed facile eſt, in operoſo libro quod reprehendas, invenire. Tu tales eo cautius lege, quo magis ab aliis notari intelliges. De *Machiavelli* Principe in medio eſt cenſura Lipſii. Lipſii inquam, cujus cave tu judicium temere ſpernas. Mirifice recta linea peragitur. Et tu nunc etiam *Ejus* Politica legis, uti ſpero, magno tuo bono. Ad iſtas Notas, quas in fine addidit, identidem mihi reſpice. Scin quid ante te monuerim de talibus viris? Tu vide: & ſi qui avocant aut obſtringillant, ride, aut refuta. *Tholoſanus* varius eſt & eruditus; ſed doctrinæ is tuæ magis contulerit, quam prudentiæ.

§. 17. In HISTORIA legenda ordinem diligenter obſervabis. Ad ſeriem ævi cujusque te voco. Rectiſſima illa via. Res Judaicæ, Ægyptiacæ, Perſicæ, Medicæ, Græcorum, Athenienſium, Lacedæmoniorum, Romanorum ſuos auctores habeant. Iſto modo & recentiores conſtitues, qui Gothorum, Longobardorum, Francorum, Hiſpanorum, Germanorum, Turcarum, Polonorum, Ungarorum, Britannorum, aliorumque populorum res ſcripſere. Hi omnes ſi legi non poſſunt, comparandi tamen ſunt, ut ſi qua inquirenda, in promptu ſint. Sed vetus Hiſtoria te præcipue ducat, inſtruat, dirigat: nova oblectet aut erudiat. Plerique illi priſci prudentes ſunt, acuti, eloquentes. Noſtri plerique, quantum ab illis tribus abſint, non ignoro. Cenſe tu iſtos veteres ὑπομνήματα, hos novitios μνήματα ſcripſiſſe. At nullus veterum eſt, quem non inſigni cum fructu cognoſces. Duplex eorum genus eſt. *Alii* geſta in rep. *alii* extra remp., ſcripſere. Illorum materia bella ſunt: hi etiam mores civitatum & aulæ tangunt.

§. 18. Potiſſimus illorum eſt *Thucydides*, & præter Herodotum etiam primus. Thucydides Hiſtoriam conſummavit, cum Herodotus prior exornaſſet. Volve, volve, & in ſinu geſta magnum illum theſaurum. Bellum Peleponeſiacum deſcripſit, vidit, & partim etiam adtigit. Et tu illud apud eum non legere, ſed ſpectare videare. Præterea apud eundem tantum verborum graviſſimorum, quantum ſententiarum reperias. Res explicat prudenter, ſevere, graviter. Unde planum fit, quantum homini Politico conferre poſſit. Qui de bello & pace deliberant, hunc arctiſſimo ſibi nexu devinciant conſiliarium, & omne punctum ferat Thucydides.

§. 19. Hoc, ut dixi, prior vixit *Herodotus*: in quo plus demulceat te ſuaviloquentia, rerumque varietas capiat, quam tractatio doceat. Vitioſitas enim Hiſtoriæ olim notata fuit. Primus Philoſophorum more, Monarchiæ, Oligarchiæ, Democratiæ σύγκρισιν quandam πεποίηται, ut loquitur Plutarchus.

§. 20. *Xenophontem* magis amplectere. Primus hic Philoſophorum in amœnum illum Hiſtoriæ campum proceſſit. Facundiæ facilitas non tantum par illi cum Herodoto, ſed major: inde Attica Muſa vel Apis dictus. Thucydidis monumenta hujus viri beneficio conſervata ajunt. Unde de ipſius prudentia non invitus conjecturam facio. Ea certe in ejus ſcriptis ante cæteras virtutes palmam obtinet. Elucet ex Cyri Inſtitutione & Expeditione illa in Artaxerxen; in qua etiam

M 3 pate-

Digitized by Google

patefecit, quantus ipſe imperator eſſet. Regibus itaque & Principibus ἔσοπτρον: Imperatoribus, ut Alexandro Homerus, ἐφόδιον ſit Xenophon. Fuit magno illi Lucullo utrumque; qui cum rudis imperandi contra Mithridatem peritiſſimum in Aſiam profectus eſſet, tantum Xenophontis lectione profecit, ut cum callidiſſimo hoſte facile æqua, ſæpe etiam ſuperiori, manu pugnaverit. Simile in Xenophontis libris ſtudium fuit Cornelio Scipioni Africano. Habebit igitur in illis Politicus quoque fœcundam diſcendi materiam. Aulico forſan non parum interſit ſcire, quæ Xenophon de Re equeſtri, de Venatione ſcripſit: quos elegantiſſimos libellos Latinis verſibus prope illuſtravi nuper.

§. 21. *Polybius* magnificus & diffuſus ſcriptor: & de eo recte & ordine Lipſius cenſuit. Sed is hoc etiam habuit peculiare, ut γεωγραφικὰ religione quadam perſequeretur, exemplo Ephori & Eratoſthenis. Nec mirum. Terras enim & maria omnia permenſus fuerat; ut de ipſo Epigrammata cantarunt. Sed bona pars ipſius ſcriptorum, communi illo naufragio peſſum ivit. Legito hunc ſerio, & varia illa prudentiæ documenta imbibe. Tantus ille Politicus fuit, ut tota Achaia civitatum ſuarum auctorem & νομοθέτην eum habuerit. Tantus, ut ſecundum ejus conſilia ſecunda omnia geſſerit & ſenſerit Africanus ille: contra, ſiniſtra.

§. 22. Alexandri M. res *Arrianus* Græce, Q. *Curtius* Latine expoſuit. Floridus uterque, ſed nitidior Curtius & quovis melle dulcior. Lectorem citius defatigatum quam ſatiatum dimittat. Sententiæ paſſim, directæ & obliquæ, quibus mire illuſtretur vita humana. Videris quomodo illas notes, & excerpas; & alias etiam non pœnitendam meſſem ex hac ſegete colligas monitionum aulicarum.

§. 23. Res Romanas, duo præcipui auctores ſcripſere ad Julium usque & Auguſtum Cæſares, *Salluſtius & Livius.* Cogita in *Salluſtio* omnia fuiſſe, quæ in perfectum Hiſtoricum cadunt vel antiquorum teſtimonio: & quæ de Thucydidis verbis ac ſententiis jam cognoviſti, eadem illa in Salluſtio recognoſce. Hiſtoria ejus tota periit, peſſimo generis humani. Cernis, quam pie & induſtrie ipſe nonnunquam iſtas ſaltim naufragii tabulas minutas colligam, conſeram, conglutinem. Bellum Catilinarium memoriter tenes: ſed fruſtra, niſi conſideras profundam illius viri reip. ſcientiam, quam ille vel breviculo illo libello prodidit. Non minori arte Bellum Jugurthinum confecit. Duæ illæ Epiſtolæ De Rep. ordin. ad Cæſarem, nonne cœlo delapſæ videntur?

§. 24. *Titi* quoque *Livii* nobiliſſima & ampliſſima Hiſtoria eſt. Tanta in eo eloquentiæ vis, tanti verborum ac deſcriptionum nervi, ut lectorem ſæpe ſiſtat & obſtupefaciat. Olim quosdam ita cœperat, ut a Gadibus usque Romam videndi Livii cauſa properaverint, quo viſo eo, unde venerant, ſtatim redirent; quemadmodum S. Hieronymus in quadam Epiſtola refert. Res explicat diſerte, ornate, & prudenter. Orationes luculentæ ſunt: quarum excerpas nonnullas ſuadeo & ediſcas: quemadmodum te de aliquot Salluſtianis feciſſe memini.

§. 25. Cum Livio, ſed diutius opinor, vixit *Dionyſius Halicarnaſſæus.* Res ille ſcripſit, an Romanas Antiquitates, ſeptingentorum annorum, id eſt, ad primum bellum Punicum. Sacra ceremoniasque priſcas nemo religioſius indagavit, nemo accuratius deſcripſit. Inculcat ſerio χῆμα illud ἱςορικὸν. Veritatem ita amavit, ut etiam τῦ δικαίυ neceſſitatem Hiſtoriographis inveheret. Statum, mores, leges civitatis, proponit, conſiderat, exponit. Quid multa? Ipſe aliquoties monet, ſe tam φιλόσοφον, quam πολιτικὸν νῦν ἔχοντα erudire.

§. 26. *Julii Cæſaris* Commentaria Cicero in Bruto laudavit, & vere laudavit. Sed mutatos aut corruptos hodie eſſe non parum, noſtri Ariſtarchi cenſent. Sunt etiam poſtrema illa non Cæſaris, ſed Oppii an Hirtii, teſte Suetonio. Illa de bello Africano cæteris omnibus excellere videntur. Ita non ſanguine & colore tantum, ſed robore ac nervis ea commentatio præſtat. Habent certe Principes & militares viri, quod legant & imitentur, aut mirentur, potius. Quis enim Cæſarem imitetur? Ajunt tamen, id auſum eſſe Selimum Turcarum Imperatorem: qui Commentaria hæc aſſiduo circumtulerit, verſa in vernaculam linguam. Merito quis arguat, inde documenta ſumſiſſe rerum poſtea feliciſſime geſtarum.

§. 27. In Romana Hiſtoria pauca nos fugerent, ſi *Dio Caſſius* totus extaret. Sed accidit illi, quod iis, quibus reliqua membra violata quidem & truncata ſunt, ſed intacta & honeſta facies permanſit. Ita illæſa & inviolata eſt illa Dionis Hiſtoriæ pars, quæ de rebus pulcherrimæ & florentiſſimæ Romæ agit. Tacitum tu & Suetonium vis rectius intelligere? Dionem obducito. Illud ſcire te velim, unam illam Mæcenatis Orationem ad Auguſtum inſignem ac Politicam reliquorum omnium inſtar eſſe. Eſt & Agrippæ illa ſatis ſplendida. In cæteris rebus ac narrationibus ἀκ-νισμῦ ſuſpicionem non effugit.

§. 28. Sicut nec *Appianus Alexandrinus* vitio caruit. Libros ille ſuos non numero, ſed ad bellorum diſcrimina diſtinxit: ut in capitibus Florus fecit. Ille ordo te ducat & non indelectet. Judicio nec vulgari eſt, nec recti pravique contemnendus arbiter. Fortuita non Fortunæ, ut cæteri, ſed Deo tribuit βλάπτοντι, ut ipſe loquitur τῦς λογισμὺς.

§. 29. Philoſophus *Plutarchus* eſt, ſed quia Vitas illas ſcripſit merito etiam Hiſtoricis accenſeatur. Quippeni Hiſtoricis? Omnibus numeris inibi leges Hiſtoriæ abſolvit, magis quam Suetonius aut alius talis. Sicut & Corn. Nepos, & Tacitus in Agricola. In Politicis autem nulli veterum Philoſophorum ſecundus eſt: imo fortaſſe major. Nam & πρακτικὸς fuit, & tantæ prudentiæ exiſtimatione, ut in magno Illyrico magiſtratus & publica officia ab eo decernerentur, poſcente ita Trajano. Diffuſa fuit illius viri ſcientia. Libri ipſius CC. amplius in Catalogo nuper vulga-

Digitized by Google

vulgato citantur. Reſtant adhuc Ethici, Phyſici, Politici, Hiſtorici, ſeptuaginta & quod excurrit. Pudet me, commendare tibi tantum virum verboſius.

§. 30. *Suetonius Tranquillus* Vitas duodecim Cæſarum priorum confecit. Oratio ejus brevis & nervoſa eſt. Nemo ritus publicos diligentius miſcuit. Emendatiſſimus & candidiſſimus eſt, nemini obnoxius. Quis enim ingenia & mores Principum liberius unquam? Aulici & Politici non exiguum fructum ex hoc, & ſimul exemplum capiant fugiendæ adulationis ab ipſo Suetonio.

§. 31. L. *Annæi Flori* compendium ne omittas, ita dico, Compendium rerum Romanarum magis, quam Breviarium Liuii. Tabulam enim dixeris haud abſurde, in qua imago totius reipub. Romanæ expreſſa. Ipſe hoc nomen tribuit. Nihilo me hercule jucundius terſiſſimum illum libellum legas, quam Apellis tabulas intueare. Ita compoſitus, ita elegans eſt. Miror judicium, quod ubique cum ſubtilitate & brevitate ſententiarum in tanto rerum acervo & varietate inſerit. Tu ipſe colliges, ubi aliquando pellegeris.

§. 32. *Trogus Pompeius* in magna re & fama Hiſtoricus fuit. Generalem hiſtoriam is non ab Urbe Condita, ſed a Nini temporibus ſcripſit, non ſine priſcæ eloquentiæ laude. Solebant ab eo Rege plerique hiſtorici incipere, cum ulterius progredi non poſſent, ignari divinarum literarum, ut ſcribit Tertullianus. Omnia autem abſolverat XLIV. libris. Sed accidit ipſi, quod Livio, Dioni, & aliis. Dum enim compendium ipſius feciſſet *Juſtinus* quidam ſub Antonino, res ea diſpendio fuit Trogo. Nam ipſe quidem præ illo breviario ſeponi ac negligi cœpit, atque interire tandem. In manibus eſto juventutis frequenter. Et ſatin commodum erit, ita eum lectitare, quemadmodum Gruterus noſter præibat?

§. 33. C. *Cornelii Taciti* ſcripta præ Livio & Cæſare vilia erant nuper. Sed Juſtus Lipſius, ad excitanda ingenia & ſtudia præclara natus, ita dignitatem priſtinam ac ſplendorem Equiti Romano vindicavit, ut nullam impolitiæ notam metuat poſthac. Nec uno loco ejus virtutes deprædicavit, & nos, ut ſcis, cenſuram Lipſii unà cum Tacito æſtimamus. Tu aulam & palatia cogitas, & cogitas ſerio? Amabo te, diſce prius ex Tacito aulicorum fortunam, & ingenia Principum parumper inſpice. Si tibi ad latus Cornelius, verus ille Comes Palatinus. Nec eſt, quod te moveant centauri nonnulli, aut rupicones, qui hæc talia antiqua nimis & noſtris moribus aliena cavillantur. Non inquam ita eſt. Eadem nunc fabula luditur, quæ olim: eædem virtutes & vitia repræſentantur. Tantum perſonæ mutatæ ſunt: ſed quæ doctum & prudentem ſpectatorem deſiderent. Rationem legendi & intelligendi, addo & fruendi modum, per totum primum Annalem tibi monſtravi.

§. 34. Usque ad Nervam ſcripſerat Tacitus, ab eo poſtea initium ſcribendi ſumſit *Ammianus Marcellinus*, & ad Valentis interitum usque perrexit. Sed ejus librorum fatum idem, quod Hiſtoriæ Cornelianæ fuit. Rem militarem, ut miles, diligentiſſime perſequitur, & deſcriptiunculis non raro divertit. Nec raro ſententias miſcet.

§. 35. Sequuntur minorum quaſi gentium Hiſtorici: *Aurelius Victor*, *Spartianus*, *Lampridius*, *Vopiſcus*, *Capitolinus*. Pauca enim ſcripſere. Sed ex illis immenſam rerum & verborum copiam haurias. Tu periculum fac. Deprehendes me verum. *Herodianus* & *Xiphilinus* non ita quidem preſſi rerum ac ſententiarum pondere, ut illi, quos paulo ante recenſui. Sed Xiphilinus in pretio eſt, quia ſupplet nobis Dionem. Ille alter jucundus ſatis, & more cæterorum Græcorum deſcriptiunculis diſertus, & denique Hiſtoriæ Auguſtæ minime contemnendus auctor.

§. 36. Vide, quam facile non allucinetur tantum, ſed etiam peccet Epiſtola. Ecce enim *Joſephum* omiſi, quem primo loco aut inter primos Hiſtoricos recenſitum oportuit. Antiquitates ejus, fax quædam ſunt totius ſacræ & profanæ Hiſtoriæ. Profunda viri ſapientia; quam ille non, ut cæteri, ex rivulis Philoſophiæ hauſit, ſed, ab ipſo ingenuo ſacrarum literarum fonte petivit. Neque tamen, vel Academico vel Peripatetico cuiquam opinor ceſſerit, ſi de republ. diſſertandum ſit; & Athenis etiam alitus videatur. Tu cogita: cui divinarum rerum cognitio major fuit, quam ulli veterum, humanarum tanta, quanta in bene præparatum pectus cadere potuit; quantum altæ & ſeriæ doctrinæ ab eo percipi poſſit. Addo & πρακτικὸν fuiſſe. Prudentiæ ſimul & Pietatis (quod rarum apud alios Hiſtoricos) ducem habes. Cæterum, quod ad Hiſtoriam attinet, ego hunc Hebræum cum Attico Xenophonte auſim contendere.

§. 37. Illi, qui ab Oriente procedunt, floridum quoddam dicendi genus conſectantur, & nimio ſæpe mundo ſtudentes, ab immundo propius abſunt, ut *Nicetas Gregoras*, *Cedrenus*, *Zonaras*, *Nicetas Choniates*. Gregoras tamen ad prudentiam civilem unicus eſt, fateor; & ſententiarum uber quoddam. Cedrenus & Zonaras reip. ſatis gnari fuere, ut proficiant ex iis legum ſtudioſi. Choniates ab ineptiis ſæpe non abſtinet. Pie tamen multa, & aliquando de cauſis malorum publicorum non imprudenter diſſerit. Illud riſi, quod reliquos Hiſtoricos in præfatione ſua tam infeſto ſtylo petit, ipſe ſuorum vitiorum ignarus. Sed non videmus manticæ quod in tergo eſt, ut ait ille.

§. 38. De rebus Geticis erudite & copioſe ſatis ſcripſere *Procopius*, *Agathias* Græce, Latine *Jornandes*: & *Paulus Diaconus* poſtea de Longobardis. Cujus generis ſunt alii quoque, qui non magnopere illum prudentiæ ſcopum ſpectarunt. Itaque illos ſuæ cuidam claſſi adſcribes.

§. 39. Qui poſt Caroli Magni tempora ſcripſere, plerique obſcuri & incompoſiti ſunt: nec te inſtruxerint, ipſi rerum inopes. Legendi tamen ſunt Hiſtoriæ cauſa. Miror interim *Saxonem Grammaticum*, qui ævo barbariſſimo eloquentiſſime & comptiſſime ſcripſit Danicam Hiſtoriam. Atque utinam ita diligenter etiam, qui de rebus Germanicis commentati ſunt! licet ipſe multas fabulas

Digitized by Google

fabulas miſcuerit. Nobis viciniores illi Itali & Galli, *Guicciardinus*, *Cominæus*, *Froſſardus*, *Jovius*, *Æmilius*, facundiæ & prudentiæ fama clari ſunt. Nec *Sleidanus* Belga, dicere vel judicare vulgariter ſolet.

§. 40. De ORATORIBUS paucis abſolvam. Sunt enim pauciſſimi: ſed optimi tamen & anteſignani, *Demoſthenes*, *Cicero*. Nemo etiam mediocrium Oratorum auſus fuerit ſine Politica ſcientia roſtra adſcendere. Quæ enim reip. pars ab illo dicendi munere immunis? Apparet ex Ciceronianis, quarum pleræque omnes de aliqua reip. parte tractant. Idem judicium eſt de Demoſthene. Placidior eſt, & ut ita dicam ἠθικώτερος *Iſocrates*, quia umbræ is ac ſilentio magis amicus fuit, quam foro & clamoribus. Ars etiam oratoria ipſa Politico quodammodo neceſſaria eſt, præſertim τῷ πρακτικῷ, ut legiſti apud Plutarchum in παραγγέλμασι. Nemo fere ſupereſt Oratorum illorum, qui ſub Cæſaribus floruere. Reliquiæ quædam reliquiarum ſunt paucula iſta *Latini Pacati*, *Mamertini*, *Nazarii*, *Eumenii*, Rhetorum potius quam Oratorum. Sed quantivis pretii eſt Panegyricus *Plinii* ad Trajanum: quo ille nulli Demoſtheni aut Ciceroni cedit, ſi diſpoſitionem & ornatum ſpectes. Veri Principis publicæ & privatæ vitæ rationem perfecte ibi deſcriptam leges: & erit tibi hic Trajanus pro Xenophontis quodam Cyro.

§. 41. Ex Oratorum officina EPISTOLICUS quoque χαρακτὴρ prodiit. Ejus virtus præcipua, brevitas & acumen. Quorum quidem alterum ego nunc non ſequor. Hoc libere dico. Nunquam deerit Politicæ ſtudioſo, quod ex clarorum virorum epiſtolis diſcat. De maximis & graviſſimis reip. negotiis in iis ſæpe communicant, ipſi rerum periti. Tales epiſtolas multas *Cicero* ſcripſit ad Familiares, & inſigni elegantia illas ad Atticum, in quibus præter ἦθος πολιτικὸν mira eruditionis varietas, & nova quædam totius belli civilis commentaria. Tu fac curæ habeas etiam illas ad Q. Fratrem & Octavium. Pleniſſimæ etiam bonarum rerum ſunt *Symmachi*, *Plinii*, & *Caſſiodori*, epiſtolæ.

§. 42. Exſpectas quid de noſtri ævi Oratoribus ſcribam? Fruſtra. Tanta hujus ſeculi perverſitas eſt, ut nec culpas ſuas cognoſcere, nec laudes aliorum agnoſcere velint homines. Doctrina aliquem & eximia virtute virum extollis, admiraris, ſequeris? adfectum eſſe dicunt ab arcana neſcio qua cauſa, aut a religione quæſitum. Quid ſi aliquando comparatio fiat? invidioſum eſt, ajunt: contra omnem majorum morem & pene dicam humanum. Brevi erit, ut promiſcue ii omnes docti, ſapientes, prudentes audiant, qui hodie ſcribillant (quorum quidem innumerus eſt numerus) utque illi Platonico ſcito parum loci futurum ſit: *aliud eſſe* εἶναι, *aliud* δοκεῖν. Timide igitur aliquid de novis addo. *Æneæ Silvii* & ſimilium aliquot Epiſtolas propter rerum gravium varietatem, quam ſubinde miſcent, legerim. *Angeli Politiani* nihil politius. *Manutii* orationes & epiſtolæ doctæ ſunt. *Melanchthonis* candidæ ſunt & negotioſæ. *Muretus* vel perorans vel familiarius agens coram Cicerone placeat. Gravitate & judicio & verborum rerumque abundantia excellit, ocellus Germaniæ, *Camerarius*. Tria illa ab ejus epiſtolis audacter exſpecta. Politicum etiam cum priſcis illis Philoſophis lubens facio, dignum profecto nobili illa umbra Athenarum. Tollant ſupercilium, qui volunt & nauſeent ad tales. Ille Camerarius magnis Principibus carus acceptusque & conſilio ſpectatus fuit. *Eraſmi* Dialogi eruditi, acuti & prudentes ſunt. *Augerii Busbequii* epiſtolis tanta ineſt ſuavitas rerumque experientia, ut iis legendis plures oculos optes. Supereſt alius adhuc (*Lipſius*) & exornat mire ſuum ævum, fruiturque etiam vivus gloria poſteritatis. Noſti quem dicam. Circumciſus & preſſus eſt. Nec verba nec res deſunt, nec in tanta brevitate obſcuritas ulla ineſt. Dictorum & ſententiarum graviſſimarum affatim. Nulla affectatio, ut vulgo indocto apparet. Soleo de ipſo illud Sidonii uſurpare:

*Qua Criſpus brevitate placet, quo pondere Varro,*
*Quo genio Plautus.*

De aliis multis nec dixi, nec dicam: & minus peccavero apud iſtos ὑπερκριτικούς.

§. 43. Ad MISCELLOS tuos venio. Varium illud & naturæ æmulum *Plinii* opus habendum. Vel illa, quæ de mundo & ejus partibus ſcripſit, quam tibi cognoſcenda neceſſario? Idem de *Strabone* cenſeo, quo nemo γεωγραφικὰ diligentius ſcripſit. Cura ei non τόπων tantum, ſed etiam τῶν τρόπων. Reſpubl. varias recenſet, Militiam attingit, Hiſtoricos ac Poetas perpenſat. Recentiores, qui tabulas confecere, in oculis ſunt, *Ortelius*, *Mercator* & alii: & nuper *Bertius* noſter, ſtylo æque ac radio pulcer.

§. 44. *Valerium Maximum*, ſcis ubi tibi commendaverim. De militia veteri & recenti, qui ſcripſere, legendi ſunt, *Vegetius*, *Frontinus*, *Ælianus*, *Polyænus*, *Leo Imperator*, *Onoſander*, *Michael Montanus*, *Juſtus Lipſius*, & peritiſſimus ille Gallus *De la Nue*. Vide etiam nuper *Hieronymi Catanæi*, & *Lazari Sorantzii* erudita commentaria.

§. 45. Itineraria vetera & recentia legenda ſunt. *Pauſanias* pulcherrime ſcripſit. Utinam hodie ad eam faciem, qui regionum & urbium ſpectanda concinnant!

§. 46. In Notitiam Imperii, eruditiſſime & copioſiſſime commentatus eſt *Pancirola* Jureconſultus Patavinus.

§. 47. *Ariani* Epictetum, *Theophraſti* Characteres, *Gellium*, *Macrobium* ſæpe uſui erit legiſſe, & Dipnoſophiſtam *Athenæum*. Magno cum fructu eruditionis & judicii leges & *Luciani* Dialogos. *Alberici Gentilis* erudita ſunt opuſcula, & *Pighii* Hercules Prodicius inſignis eſt.

§. 48. *Machiavellus* in decem libros priores T. Livii facundus eſt, & ut ſolet, acutus; ſed eſt ibi quoque, ubi ad malum iſtud ἦθος redit. Acuendi igitur tibi ſunt oculi, ut nævi impietatis & improbitatis appareant. Alias, non tantum te, multis modis acuat, ſed veterem Hiſtoriam legentem ducat

Digitized by Google

ducat veluti manu. Scripſit etiam in Livium *Italice Antonius Ciccarellus*, & ex eadem gente, neſcio quis ἀνώνυμος in Cæſarem. In Tacitum eleganter & ingenioſe Hetruſco ſermone *Scipio Ammiratus:* & quem non æque admirere, Annibal Scotus. *Nicolaus Vitus Di Gozzi* in Ariſtotelis Politica Italice commentatus eſt.

§. 49. Diſcurſus iſtos Italorum, quos ipſi vocant, avide appetis. Laudo ſed nonnulli vere diſcurſus ſunt verborum. Tu meliores elige. Non nego magnos fructus noſcendarum rerump. quæ nunc ſunt, ex iis percipi. *Boterus* non tam fallit, quam fallitur aliquando.

§. 50. Graviſſimi & utiliſſimi ſunt *Guicciardini* Aphoriſmi, & ſimiliter *Fr. Sanſovini.* Aulicos libellos Italorum, Gallorum, Germanorum, aut legis aut legiſti.

§. 51. HABES ſententiam meam de tuo ſtudio, etiam de auctoribus legendis. Quam diu te celavit pudor meus, fateor, expreſſit tandem amor: ſed epiſtola, an libello? oſtenſam. Tu cognoſce, & ignoſce, ſi infortunio te affeci, dum prodeſſe volui. Ait enim Callimachus, μέγα βιβλίον ὅμοιον εἶναι τῷ μεγάλῳ κακῷ. Quo magis erit ἡ μεγάλη ἐπιστολὴ! Vale, Generoſiſſime & ſuaviſſime ZELENI. Ex tuo prædio Luciniaco clↄ Iↄ cI.
Prid. Cal. Novemb.

---

# Diſſert. V.

## SCIPIONIS CLARAMONTII CÆSENATIS *DE* CONIECTANDIS CUJUSQUE MORIBUS ET LATITANTIBUS ANIMI AFFECTIBUS LIBRI DECEM.

Cura H. CONRINGII recenſitum.

## Dedicatio.

*Illuſtriſſ. & Excellentiſſimo Domino*

MATTHIÆ BIÖRENKLOV

S. Reg. Majeſtatis Regnique Sueciæ Senatori &c.

*Domino in Elmenhoff Vanneſtad & Tislingen &c.*

FELICIA QUÆQUE

*precatur*

HERMAN. CONRINGIUS

Cum humanæ actiones, perinde ut omnia, quæ mutationibus obnoxia, etiam tempore differant, præſentes quidem ceu nos maxime afficiunt, ita cumprimis intelligi a nobis par eſt; multum tamen refert præteritas quoq; & futuras cognoviſſe. Et ſane in foro de præteritis quæſtio pene omnis eſt, obligantque nos in præſens futurumque facti quondam contractus, ne alios præteritorum notitiæ uſus nunc tangamus: futura vero in omni omnino deliberatione animo obverſantur. Quandoquidem vero actuum illorum aliquid ſenſibus obvium eſt, aliquid abditum latet occultumque, de præſentibus quidem præteritisque nonnihil etiam ſenſibus poteſt accipi, bona tamen eorum pars non niſi ratiocinatione intelligitur. Enimvero, qui actus opus aliquod externum poſt ſe relinquunt, etſi dudum præterierint, tamen ex opere ipſo ſuperſtite facta quadam collectione, ſatis certo nonnunquam indicantur: alii & teſtimonio fide digno ſenſibus ſuperſtructo innoteſcunt. Cæterum, cum principium humanorum actuum intus deliteſcat, nec ſenſibus appareant animorum occulta, illa autem præcipue nunquam non attendenda veniant, ſubitone ſcilicet motu, an deliberato, quo item conſilio, aliquid geſtum ſit geraturque, quod potiſſimum eſt in omni actu, id nullo ſenſu ſed ratiocinatione ſola poſſe accipi, manifeſtum eſt. Futurorum actuum quantum eſt, ejus omnis notitia unice ita debetur intellectui, ut ſenſus nihil hic valeant:



Digitized by Google

nec enim quæ in actuum illorum præparamenta antecedunt & oculis patent, pars ſunt ipſorummet actuum. Atque hæc quidem fere plana ſunt. Quod autem perquam multis hodie placet, nihil certi de actibus humanis etiam præteritis & præſentibus, multo minus de futuris, præter ea quæ ſenſibus percipiuntur, poſſe intelligi, ſed omne illud non niſi *veroſimili quadam conjectura* (*a*) cognoſci, id vero (de quam multis enim actibus ecquis non idem ſenſerit?) neutiquam hactenus perſuaderi mihi potuit. Primo enim illi quidem, id qui aſſerunt, omnem fere contractuum humanorum, omnem judiciorum certitudinem ſubvertunt, ne quid nunc dicam gravius. Ceu enim paulo ante diximus, actuum humanorum in univerſum omnium momenta maxima non ſenſibus, ſed intellectui ſunt conſpicua; & tamen judicia & contractus ad hæc demum attendunt, quæ proinde non poſſunt non incerta eſſe, ſi & momenta illa non niſi veroſimili conjectura poſſit aſſequi mens noſtra. Id quod tamen vel cogitare nefas fuerit, multo magis profiteri. Adhoc utique opera quæ ſuperant, imo & teſtimonia quædam, vi certa pollent ἀποδεικτικῇ de præteritis actibus, non minus atque certa quædam eſt ἀπόδειξις quæ neceſſaria collectione ex effectu ad cauſſas progreditur. Teſtimonia certe quaſi effectus rerum ſunt in hominum mentibus, eaque non minorem ſæpè fidem merentur atque certiſſima aliqua demonſtratio. Id quod alibi docemus uberius. Futurorum, fateor, minus *explorata certitudo* eſt, (*b*) idque propter arbitrii humani libertatem; verumtamen ſi certum ſit, deeſſe, quæ ad efficiendum opus requiruntur, quidni liceat certo prædicere & actum intermiſſum iri? Si nihil eorum deficiat, quidni poſſis, ſaltim καθ' ὑπόθεσιν, certo actum iſtum polliceri? Imo quidni tum liceat illum promittere cathegorice, ſaltim ea certitudine quæ plerumque obtinet? Enimvero quoniam ad actum quemvis humanum & Facultate, ut ita loquar, & Voluntate ſit opus, atque illa quidem partim mere naturalibus partim artificialibus conſtet auxiliis, hæc vero ſaltim utplurimum vel corporis temperamentum vel adſcititios mores ſectetur: Illa utique neceſſitatem eam habet, qualis ſolet alias eſſe in naturalibus pariter & arte factis, hæc rariſſime abit a ſolito: ut proinde non poſſit non eſſe ſaltim aliqua futurorum quoque humanorum actuum certitudo. Non alia ſane vis eſt, qua Tu Illuſtriſſ. Biorenklovi aliique prudentes præſagire ſoletis eventus rerum, idque cum vulgi ſtupore: ut non opus ſit ad vetera illa Themiſtoclis & Ciceronis exempla nunc provocare, quibus motus olim Cornelius Nepos, *prudentiam quodammodo eſſe divinationem*, pronunciavit. Veriores certe longe veſtræ ſolent eſſe prædictiones, quam olim.

*Pythia* (*c*) *quas tripode ex ipſa lauroque profata eſt.* Eſt vero non alia tam ſtupendæ virtutis cauſſa, præter iſtam, quam dixi actuum quoque humanorum neceſſariam quaſi certitudinem: qualis ſcilicet & alias naſcitur ex cauſſarum cum effectibus connexione. Eoque nec eſt, cur ad actus humanos præſentes, præteritos & futuros certo dignoſcendos, arte alia utamur, quam Demonſtratoria; ſi ſcilicet ad illam res morales civileſque, & quidem cum univerſæ, tum ſingulæ, tanquam ad ſciendi unicam normam rite admoveantur. Ita ſane in proclivi fuerit, de omnibus ſingulisque humanis actibus quamplurima ſæpe nunc affirmare, nunc negare. Idque demonſtratione facta, nunc indirecta, nunc directa, ex effectibus aut cauſſis, cum omnibus quatuor proprie dictis, (tot enim ſunt moralium civiliumque rerum non minus atque naturalium & artificialium,) tum earum una aliqua, aut vero & ex illis cauſis, quæ *ſine quibus non* a ſcholis appellantur, quoniam & ex illis certæ ἀποδείξεις poſſunt confici; uno verbo, ex omnibus quæ inter cum humanis actibus firma quædam neceſſitudo intercedit; ut ſimul tollant & ponant ſeſe mutuo, vel ſaltim aut tollant aut ponant: qualia ſunt germana demonſtrationum principia. Hæc latius in genere perſequemur, ſi, Deus vires otiumque ſuggeſſerit, in Apodicticis noſtris. Ut ſpeciatim vero omnia, quæ cognoſcendis humanis actibus proſunt, ſingulari methodo tradantur, fortaſſis haud neceſſum eſt, modo Apodictica præcepta illa teneat quis, uſuque familiaria ſibi reddiderit. Sed & eſt præterea,

(*a*) *Veriſimili quadam conjectura.*) Inter veteres philoſophos noti ſunt Pyrrhonii, a ſectæ ſuæ principe ita dicti, qui & Sceptici vocabantur, quoniam ſemper quærebant, nunquam inveniebant. Hi non dari verum & falſum, juſtum & injuſtum, ſed tantum veriſimile aſſerebant. De quibus videatur EUSEBIUS *l. 14. præparat. evangelica* c. 18. DIOG. LAERT. *in vita Pyrrhonis*, & A. GELLIUS *L. XI. Noct. Attic. Cap. V.* Hypotheſin eorum falſam eſſe, demonſtrat ZEIDLER *in analytica L. 1. c. 1.* §. 4. Et auctor Scepticiſmi debellati, qui Cap IV. varias Scepticorum cum veterum, tum recentiorum claſſes, eorundem origines ac mores enarrat. Idem foviſſe dogma videtur Carneades, novæ academiæ tertiæ conditor, qui teſte GROTIO *in proleg. lib. de Jure Belli & Pacis*, ad id pervenerat, quod academiæ ſuæ ſummum erat, ut pro falſo non minus, quam pro vero vires eloquentiæ potuerit intendere. Vide de eo TOMASIUM *in hiſt. philoſ. l. 3 cap.* 10. Quod autem omnes academiæ ſectatores, imo ipſe Plato de omnibus dubitandum eſſe ſtatuerit, falſum eſt. Conf. DIOG. LAERT. *in vita Platonis.*

(*b*) *Explorata certitudo.*) Interim dubitari non poteſt, illa ſæpiſſime ex penſitatione præſentium & præteritorum conjici poſſe. Similes enim cauſſæ, ſimiles ſolent habere effectus, & a ſingularibus per inductionem concludimus ad univerſale. Vide SAM. STRYCKII Diſſ. *de Phyſiognomia Cap. 1. Vol. 1. Diſſ. 17.* Igitur non male ratiocinatur CALLIERES *dans l' art de negotier*, quod futuro politico potiſſimum ad artem conjectandi, cujus & dantur regulæ, ſit incumbendum. Interim fateor, certitudinem hic deeſſe ob negotiorum humanorum viciſſitudines, circumſtantiarum varietates, ſolertiæ humanæ & penetrationis diverſitatem & inexſpectata ſæpe impedimenta cauſſaſque improviſas. Huc ſpectant ſequentia SILHONII verba. *Dans ſon miniſtre d' Etat Liv 1. diſc. 2. La voye meme des exemples & ſi trompenſe, & le paſſé juge ſi mal de l'avenir, qu'on n' en peut conclurre rien de certain. Et comme on ne voit guerre deux viſages egalement beaux, ni deux jours, qui ſe reſſemblent parfaitement, de meme la condition des affaires eſt toujours diverſe: ou la vertu & la fortune de ceux qui les traitent, ne ſont pas egales. Et derechef comme il n'y a gueres de ſujet à deliberer, qu' il n' ait deux faces, n'y de parti à ſuivre, qui n' ait ſes raiſons, il n'y en a point auſſi, qui n' ait ſes exemples, & des evenemens, qui le favoriſent.*

(*c*) *Pythea.*) Et veterum oracula dolis & conjecturis ſacerdotum deberi, demonſtravit DALIUS in elegantiſſimo tractatu de hoc argumento conſcripto, quem haud ita pridem linguæ gallicæ nitidiſſimo ſtylo, academiæ ſcientiarum Pariſienſis Secretarius FONTENELLUS donavit.

Digitized by Google

terea eorum, quæ ad Facultatem agendi ſaltim attinent, pene infinita varietas; ut hac parte in ſpecialem methodum cogere humanorum actuum, omnium quidem, cognoſcendorum artem, pene ἀδύνατον fuerit. Omnium (inquam) actuum: nam de civilibus ſolis, aut ſolis moralibus forte ejusmodi quid ſi deſideretur, nihil vetuerit, quin illi quidem exſpectationi aliquando ſatisfiat. Cæterum, voluntatis propenſiones ſunt quidem & ipſæ variæ, & a variis cauſis agitantur, minore tamen longe ſunt numero iis, quæ facultatem agendi huc illuc torquent; eoque hactenus illæ quidem in methodum redigi longe queunt facilius. Ex omni tamen etiam veteri ævo, qui vel hoc totum quidem ſit exſecutus, nemo hodie unus ſupereſt, imo nemo, id qui conatus fuerit, nobis eſt laudatus. Plura tamen, quam alius quisquam, ſummus ille in omni doctrina & immenſæ ſubtilitatis vir Ariſtoteles, nos docuit: ſed ſparſim duntaxat cum in Phyſiognomonicis, tum præcipue primo & ſecundo Rhetoricorum volumine (quæ recte ſpeculum appellaveris morum humanæ vitæ) nec niſi ad ſuum illud inſtitutum. Sed & apud alios multa, quæ huc faciant, præclara reperire eſt; itidem vero ſparſim. Qui ex integro id præſtiterit, inventus eſt nemo. Ex noſtri temporis hominibus, nemo etiam, quod ſciam, tam nobili argumento vel admovit manus, præter unicum *Scipionem Claramontium* (a) Philoſophum Italum, & quidem hoc ipſo opere: etſi partes hujus methodi alias atque alias, ſingulatim nonnulli haud infeliciter illuſtraverint. Non annumerabo enim quidem illis Metopoſcopiæ & Chiromantiæ & Gelotoſcopiæ & Onychomantiæ ſcriptores, quales ſequior hæc ætas, juſto plures, edidit: inſignia tamen ſunt, quæ de geſtuum actionumque ſignificatione Cauſſinus Cardanus aliique ſunt philoſophati, & præclarum eſt Joannis Baptiſtæ Portæ Phyſiognomonicum, merenturque laudem Auguſtini Niphi & Camilli Baldi in Ariſtotelicum ejusdem argumenti libellum commentarii; inſignia denique & elegantia plurima habet *Icon Animorum Barclaji*, (b) qui tamen bonam partem, dum variorum ævi hujus populorum mores depingit, ad hypotheſin potius rem deflexit, quam ut ὕλην ipſam exornaverit. Nihil vero horum non duntaxat partem aliquam nobilis integri hujus corporis attigit: unus Claramontius, ad omnia docenda vertit conatus ſuos. Ea autem ſimul & induſtria & accurata tractandi ratione uſus eſt, ut nimiam adhibuiſſe ſubtilitatem videri cui potius poſſit, quam operam luſerit. Et vero nihil hic vulgare, nihil plebejum videas; ut proinde non ſit liber hic *publici*, ut ille ait, *ſaporis*. Qui conſcius vero eſt, quantam Philoſophia ἀκρίβειαν exigat, quamque late hoc argumentum pateat, non profecto hoc opus non ſummis proſequetur laudibus. Ego, fateor, par nihil vidi; imo, nec auſum quemquam ſimile quid, hactenus intellexi. Hinc adeo, etſi nec deſint, quæ meliora mallem, cum non niſi in Italia ſemel ſit editum opus, & quidem mendoſiſſime, non refugi laborem infinitis locis illud recenſendi pariter & denuo publicandi. Movit vero me iſthuc, ut agerem commodum publicum cumprimis, quod ab illius juſto uſu non dubito polliceri. Quamvis enim Morali potiſſimum Philoſophiæ inſervire voluerit Auctor hoc volumine, ego tamen potius ſpecto fructum, quem Politicus homo hinc

(a) *Scip. Claramontium.*) Utrum ante hunc auctorem alius hanc molitus ſit ſpartam, mihi jam non ſuccurrit. Et ſi qui fuerint tale argumentum antea meditati, a juſti tamen operis legibus eorum labores haud dubie abhorrent. Niſi dixeris, THEOPHRASTUM huic rei aliquo modo inſervire, qui tamen nec ipſe in iis, quæ characteres inſcripſit, artis formam neglexit. Non inutilem commentationibus ſuis in hunc auctorem illuſtrandum impenderunt operam CASAUBONUS, DUPORTUSQRE. Vid. *Acta erud. Lipſ. de anno* 1713. *p.* 394. Quem tamen utrumque quoad uſum ſeculi noſtri ſuperavit de la BRUYERE, qui ſub nominibus fictitiis plurimorum ex popularibus ſuis mores diſtrinxit. Quam vellem, ut ea, quæ SOCRATES de animorum morbis ac motibus, remediisque & virtutibus, meditatus dicitur, exſtarent. Vide PETRARCHAM de *viris illuſtr. L.* I. *c.* 2. Cujus intuitu VALERIUS eum moralis primum artificem, vitæ magiſtrum optimum, nominavit. Ex recentioribus huc ſpectant BOECLERUS in *characteribus Vellejanis* & in Diſſ. *de politicis Lipſianis.* Quibus adde *les caracteres des paſſions*, par le Sieur de la CHAMBRE, cujus aurei libelli ſequentes ſunt parres: I, des caracteres des paſſions, des vertus & des vices. II. De la nature des animaux, qui peuvent ſervir à cette ſcience. III. De la beauté des hommes & des femmes, & des inclinations, qui les ſuivent. IV. de la difference des corps & des moeurs des peuples. V. des temperaments & des effets, qu'ils cauſent dans l'ame & ſur le Corps. VI. De la connexion, que les paſſions & les habitudes ont entr'elles. VII. Mette en ordre tous les ſignes, qui auront eté puiſez de ces grandes ſources, de l'uſage & de l'art de connoitre les hommes. Ad claſſem hanc pertinent etiam NEUHUSIUS in *theatro ingenii humani* ſive *de cognoſcenda hominum indole ex ſecretis animi motibus.* THOMASII *neue Erfindung anderer Gemühter zu erkennen*, & quæ cenſori ſuo TENZELIO reſpondit *in der weitern Erläuterung durch unterſchiedene Exempel des ohnlängſt gethanen Vorſchlages, wegen der neuen Wiſſenſchafft anderer Leute Gemühter zu erkennen.* JUL. BERNH. DE ROHR *im Unterricht von der Kunſt, die Menſchen Gemühter zu erforſchen* & LEUTMANN, in libro germanico, qui inſcribitur. *Noſce te ipſum & alios.* Hos & alios auctores, qui de adfectibus, temperamentis & characteribus modum tradentes, hanc eruditionis partem egregie adjuverunt, recenſet WALCH in Diſſ. *de arte aliorum animos cognoſcendi.* Miror, hunc virum Claramontii libro omnem propemodum abrogare utilitatem, quoniam, ut ſonant ejus verba, *ſecutus eſt principia philoſophica peripatetica, quæ dudum exploſa ſunt a recentioribus.* Quaſi Peripatetici in nullo plane verum attigerint, quod nec ipſi Cartheſiani, infenſi eorum hoſtes, aſſerere auſi ſunt. Rectius ſane judicat de Claramontio noſtro MORHOFIUS in *Polyhiſt. T. III, Lib.* 1. §. 11. *Exſtat Claramontii,* inquit, *aureus plane liber de conjectandis latentibus animi affectibus, olim in Italia impreſſus, nunc Helmſtadii, cura Conringii, recuſus, cum hujus luculenta in illum auctorem præfatione. Sed is non tam ad ethicos, quam ad Phyſiognomos pertinet, ad converſationem tamen civilem eſt accommodatiſſimus.* Sed de Ariſtotele male ſentientibus, forte condonandum, cum pauci hodie ſint philoſophi, qui Ariſtotelem ne quidem per tranſennam inſpexerunt, ut ſileam, inter paucos illos, qui libros ejus evolvunt, pauciores adhuc eſſe, qui doctrinas ejus capiunt.

(b) *Icon animorum Barclaji*) Hunc librum exquiſitæ ſubtilitatis & elegantiæ, vocat BOECLERUS *in Specim. ſubtilit. polit. n.* 39. 40 *ſq.* Diſplicuit Barclaius perſonato FRANC. MARINIO in præfatione libri *de ſcopo reipublica polonica*, quod tam acerbe inconditos Polonorum mores perſtrinxerit. Verum illos non admodum eſſe commodos & elegantes, & experientia & polonicorum ſcriptorum teſtimoniis conſtat.



Digitized by Google

hinc maximum capere poterit. Idem & Te, mecum judicaturum, Illuſtriſſ. Biorenklovi, non equidem dubito. Si Tu autem præiveris, quis doctior paulo, aut in rerum uſu verſatior auſit diſſentire? Maximis ſcilicet & arduis negotiis inclyti & rebus admiranda virtute geſtis ad ſummum felicitatis faſtigium in ſeculi hujus gloriam evecti patrii Regni, cum foris in Germania, tum domi præclare expeditis, probaſti jamdudum plurimis vim ingenii & judicii: ut in Tuam ſententiam ultro quilibet jam pridem abierit. Quanto magis vero nunc omnes id hac in re fecerint, cum Illuſtriſſimam Senatoriam dignitatem, Maximi Regis & ſapientiſſimorum Regni Procerum conſenſu, in virtutis & bene de republica meritorum præmium, majoremque exſpectationem, nuper ſis conſecutus? Non potuit certe, in æternam nominis Tui memoriam, ſplendidius quid conſtitui, quodque Te, juſtæ hominum admirationi magis exponeret. Sed Tu quidem macte ſis tantis honoribus: & cedant illi in ſperatum Regni commodum; (id Deum oro obſecroque,) ego vero nunc quidem hoc tantum deſidero, ut Tuus ille ſplendor Claramontio meo addat auctoritatem. In id ſane, Tibi cumprimis illum publice nunc offero. Quanquam enim & officii mei ſit, monumentum aliquod publicum, ejus, quo Te pridem veneratus ſum, affectus conſtituere, id tamen aliud in tempus, ubi per otium licuerit proprium aliquid dare, differri, haud ægro accipies animo, ſcio. Qui multo me ſemper, jam ab eo tempore quo Filium Tuum unicum Joannem (cujus præmaturum obitum juxta Tecum doleo,) domi meæ educari voluiſti, favore es proſecutus, plurimumque mihi indulſiſti, nec de mea gratitudine ſequius etiam nunc ſuſpicaris. Et vero non paſſurum me, quidquam in me deſiderari, iterum hic bona fide polliceor. Nunc autem mihi, ceu dixi, hoc tantum peto; ut Tua commendatione Philoſophiæ hæc longe in civili vita utiliſſima pars, a ſitu & ſqualore per Claramontium vindicata, in lucem hominum protrahatur; egoque adeo, ſimul pretium aliquod operæ feciſſe videar, ſi & hoc fas eſt addidiſſe. Helmeſtadii in Academia Julia, pridie Kalend. Martii. Anno CIↃ. IↃ. C. LXV.

# HERMAN. CONRINGIUS
## BENEVOLO LECTORI
## *S. P. D.*

*Scipio Claramontius, cujus præclariſſimum volumen nunc damus, natus eſt die XXI. Junii anni MDLXV. quantum colligere eſt ex fine operis de Univerſo; Caſenæ, illuſtri Æmiliæ quondam dictæ Italiæ partis, hodie Pontificiæ ditionis, opido; patre Claramonte Claramontio, quem ab ingenii felicitate filius etiam hic commendat. Peruſiæ ſeſe Philoſophiam aliquamdiu docuiſſe, ipſemet ſæpius profeſſus eſt: Si Ricciolo autem credimus, docuit in Academia Piſana, ſed forte* μνημονικὸν *id* ἁμάρτημα *eſt. Maximam vero ætatis partem in patria urbe degit, ubi nobili erat genere ortus, equeſtri etiam auctus dignitate. Quatuor ipſi filios natos, qui in Capuccinorum ſeſe diſciplinam dederint, liquet ex elogio viri, quod operi de Univerſo præmiſſum eſt. Ipſummet quoque tandem ſacerdotem factum eſſe, teſtatur Ricciolus Almageſti Novi lib. IIX. ſect. I. cap. XVI. n. XI. alibi ſcribens, ſuperfuiſſe illum adhuc anno Chriſtiano poſt milleſimum ſexcenteſimum quinquageſimo primo, ætatis annum agentem ſextum & octogeſimum. Non multo poſt tamen obiiſſe, liquet ex editione Opuſculorum quinque Mathematicorum, quæ facta eſt Bononiæ anno* 1653. *Ad illud vero uſque ætatis integra ſatis perveniſſe illum valetudine, oſtendit luculente, ſaltem opus de Univerſitate; quod ab ipſo, jam annum agente ſeptuageſimum nonum, eſt ita ad finem perductum, ut priſtini acuminis vigoriſque nullum detrimentum ſentire ſit. Eſt autem eaſdem ſenii rariſſimas vires & in aliis circa id tempus ab eo exaratis variis voluminibus exactiſſimæ ſubtilitatis deprehendere. Neque enim dubitavit etiam tum, cum integræ ætatis & maximi ingenii viris, ſuper graviſſimis Mathematicis controverſiis in Philoſophicam arenam deſcendere, ſuſcepta veteris doctrinæ generoſa defenſione. Quod ipſi etiam ideo minus difficile fuit, quoniam polluit plane excellenti ingenii & judicii robore, nec tantum illas, quæ ab aliis excoli ſolent, omnigenæ Philoſophiæ partes feliciter ſibi comparavit, ſed omnes quoque Mathematicas ſubtilitates eſt emenſus: quod ante ipſum ex iis, qui Peripatum amant, pari ſucceſſu fecerat nemo. Et vero eos in Mathematicis fecit progreſſus, ut propriis ipſorum armis, ipſoſmet Aſtronomorum noſtri ævi principes, Ariſtotelicæ doctrinæ ſuperbe inſultantes, fere coëgerit in ordinem, & aciem Peripati fuga triariorum ſuorum jam deploratam, tantum non in integrum reſtituerit: quo canere illi poſſint Ennianum illud, verbo duntaxat mutatum:*

Unus homo nobis numerando reſtituit rem.

*Jam triumphabant ſcilicet Aſtronomi, evectis ſupra lunam novis ſtellis & cometis, de cæleſtibus generationi non minus atque ſubcæleſtia ſunt obnoxiis, de rejectis orbibus cæleſtibus, de elemento ignis eliminato, & ejuſmodi aliis, habebaturque invictum telum, ut eſt,* παράλλαξις: *ille vero hoc ipſo telo hoſtes ſi non proſtravit, ſaltem dubiam ipſis fecit victoriam. Nec enim veri fines excedit illa Scipionis gloriatio, quam hiſce verbis inſtituit lib. I. de Univerſo cap. V.* Expreſſi tandem vi rationum mearum confeſſionem a Keplero, non eſſe neceſſarias *Tychonis rationes*, (*a*) *de novarum ſtella-*

(*a*) *Tychonis rationes.*) Librum compoſuit, quem Antitychonem vocat, in quo Tychonis dicta de ſede cometarum cœleſti infringere conatur, revocatque, Cometas a cœlo ad regionem elementarem. CABEUS *in comment. ad Lib. I. meteorologic. Ariſtol. textu 37. quæſt. I.* De hac controverſia, ita judicat MORHOFIUS in *Polyhiſt. T. II. L. II. P. II. cap. 24. §. 3. Ariſtoteles*, inquiens, *ſublimares omnes habuit cometas, quod falſum tamen eſt: quanquam Scipio Claramontius, Mathematicus excellentiſſimus, Ariſtotelis partes tueri non veritus fuerit in libro de Univerſo, adverſus præſtantiſſimos Mathematicos, domeſticis pugnans principiis.*

Digitized by Google

*ſtellarum & cometarum in cœleſtibus ſede:* contra quam Tycho ipſe contenderat, qui invictæ neceſſitatis & certitudinis eſſe jactabat: a Galilæo autem, confeſſionem falſitatis obſervationum Tychonis & reliquorum Aſtronomorum: a Glorioſo conceſſionem incertitudinis hucusque ſitus ejusmodi phænomenῶν, fuerintne ſupra lunam an infra. Adeo ut adverſarii ipſi expeditiorem adductarum objectionum ſolutionem ſuggerant, quam Peripatetici ipſi hucusque excogitaverant ad defendendum Ariſtotelem, ſupponendo, vere demonſtratum a recenſitis Aſtronomis, phænomena fuiſſe cœleſtia. At nos interim ſumimus, quod nunc oppugnatores iſti poſtremo concedunt, de ſitu cœleſti phænomenῶν dictorum nihil certi demonſtratum. Unde liberum eſt, negare id, quod ipſimet incertum fatentur. *Hæc ſine arrogantia Claramontium dixiſſe, is qui rem hanc omnem & prolixiſſime ſimul & accuratiſſime poſt alios expendit, judicavit etiam Johannes Baptiſta Ricciolus: ceu liquet ex ſectione I. & II. libri octavi, eximii illius operis, cui Almageſti Novi titulum indidit. Etſi enim & is probabiliorem cenſeat Aſtronomorum vulgarem ſententiam; a Claramontio tamen omnes eorum jactatas demonſtrationes luxatas eſſe, & probabilitatem ſola ſtare multitudine aſſerentium, fatetur; quam veriſimilitudinem & ipſam evaneſcere, evaneſcente Aſtronomorum noſtri ævi ea in re fide & auctoritate, præſertim cum longe majorem copiam omnis ævi veteris opponere ipſis liceat, manifeſtum eſt. Non minore autem ſubtilitate pariter & felicitate Copernicanum, ſive Philolaicum malis appellare, mundi ſyſtema cum ſingularibus aliis, tum in ſuis de Univerſo voluminibus deſtruxit: incaſſum frementibus Veſtæ temeratoribus. Et vero Mathematici argumenti libros complures edidit. Quorum plærorumque catalogum exhibens Ricciolus, neglexit memorare librum ſingularem Italicum de Cometa illo magno, qui anno 1618 viſendum ſeſe orbi præbuit, & libros inſignes binos I. Camillo Glorioſo celebri Neapolitano Aſtronomo oppoſitos. Prodierant vero, ceu jam tum diximus, & quatuor poſthuma (quintum enim* de Altitudine Caucaſi *jam anno 49 Pariſiis viderat lucem, poſt duntaxat auctum eſt,) opuſcula perquam eximia:* De phaſibus lunæ, De horizonte ſenſibili, De uſu ſpeculi pro libella & de tota libratione, Ex inſpectione imaginis ſubjecti per reflexionem ex aqua quieſcente in vaſe, inveſtigare quanta ſit ſemidiameter terræ. *Illuſtratum autem præterea a Claramontio eſſe nullum non & reliquæ Philoſophiæ locum, ſignificat ipſe quidem, paſſim adductis librorum ſuorum titulis: fortaſſis tamen pauci eorum hactenus viderunt lucem. Neque vero Phyſicum quid, quod equidem ſciam, prodiit, præter opus* de Univerſo, *(quod ſane eſt perinſigne,) ut nec Politicum, præter ea, quæ* de Ratione ſtatus *Italice ſcripſit, haud indigna itidem tanta judicii acrimonia. Cæterum magnopere cumprimis illum laboraſſe, in Morali Philoſophia ultra ſolitum illuſtranda, jamque ſeculi hujus anno viceſimo confecta plane ab illo fuiſſe varia Philoſophiæ iſtius volumina, vel ſolo hujus Semejotices præfatio docuerit; quorum tamen & per partes ſparſim fit in eodem hoc opere mentio. Ad* Curationum Moralium *libros lector etiam libro decimo* De Univerſo cap. IX. *remittitur. Utrum tamen aliquid Moralis argumenti præter hæc Semejotica publici factum ſit juris, equidem ignoro. Et vero in univerſum raro comparent Claramontiana, etiam quæ vulgata ſunt; pleriſque eorum exemplis, itidem tamen paucis, intra Italiam latitantibus; ubi & edita ſunt, excepto* Supplemento Anti Tychonis de Cometarum ſede ſublunari, *& opere* de Univerſo, *quorum alterum Amſtelodami, alterum Coloniæ Agrippinæ prodiit. Quicquid autem ſit, Moralium iſtorum, ut & aliorum tanti Philoſophi ſcriptorum, vehemens deſiderium incendit apud me, quam in aliis omnibus, quæ in manus meas pervenere, deprehendi, inuſitata ἀκρίβεια & copioſa ſolidaque eruditio.*

*Hujus vero Moralis Philoſophiæ partem voluit eſſe Semejoticum hoc opus Claramontius. Eſtque ſane propoſitum illi philoſophiæ, mores hominum juxta regulam rectæ rationis temperare. Id quod in rem ipſam deduci non poteſt, niſi & latentium morum notitiam is, qui hoc curare velit, ſibi comparaverit, ut igitur mores quomodo dignoſci debeant, non ſit ignorandum. Non minus tamen in omni vita, cumprimis vero ad civilia negotia feliciter expedienda, hæc notitia omnino eſt neceſſaria; Imo & in foro atque concionibus morum cognitio apprime item eſt utilis: quod proinde præclare Ariſtoteles primo & ſecundo incomparabilis ſuæ Rhetoricæ Artis (a) volumine exegit. Certe ſive de præteritis, ſive de futuris hominum actibus res fuerit, occultos mores noviſſe, perquam commodum eſt; quoniam ab illis moribus omnes ferme actus proficiſcuntur. Quapropter ego quidem Artem illam morum (b) cognoſcendorum non auſim Ethicæ Philoſophiæ ceu partem tribuere; ſed ſingularem potius artem eſſe dixerim, qua & Ethicus, & Politicus, & Orator, (c) & in communi vita (d) unusquisque in rem ſuam poſſit & debeat uti. Si ſane non τὸ ὅτι tantum,*

ſed

(a) *Rhetoricæ artis.*) Habemus in hos libros SCHRADERI, celeberrimi quondam in Julia noſtra eloquentiæ Profeſſoris, Commentarium, qui tamen huic ſtudio parum, aut nihil inſervit.

(b) *Artem illam morum.*) Non ſcientiam, quæ rem per cauſam cognoſcit. Unde egregie LEIBNITIUS, Vir ſummus, *in Miſcellaneis* §. 101. *p.* 189. docet: Doctrina de moribus non eſt ſcientia, ut doctrina de juſto & utili, a quibus differt, ut phyſica a phoronomica, Matheſis mixta a pura, Theologia revelata a naturali: principia enim ejus ab experientia pendent, at non principia ſcientiæ, quæ ſunt definitiones. Et ſi ſcientia appellari poteſt, erit mixta, qualis optica, muſica, phyſica, medicina. Mores autem ſunt obſervationes de eo, quod homo voluntarie facit. Signa medica ſunt obſervationes de eo, quod homo involuntarie facit. Affectus ſunt conatus agendi a ſenſu orti. Habitus ſunt conatus agendi, orti ab aſſuefactione. Character eſt id in moralibus, quod temperamentum in medicis, cauſſa omnium actionum. Character conſtat ex hominis habitu mentis (notitia) habitu corporis (aſſuefactione) & habitu corporis naturali ſeu potentia naturali (temperamento.)

(c) *Et orator*) Vide BOECLERUM in *progymnaſmat. rhetoricis, T. II. Operum p.* 408. 409.

(d) *Communi vita.*) Homini aulico inprimis hæc eruditionis pars ſumme eſt neceſſaria. Placet hanc in rem ex WALSINGHIAMII *Maximes politiques Chap.* 4. ſequentia adducere: *Le courtiſan, qui veut etre connu & aimé de ſon Prince, doit bien etudier non ſeulement ſon humeur & ſes manieres, mais auſſi l' inclination de ceux de ſa ſuite, en qui il ſe fie & ſe repoſe le plus: comme auſſi l' eſprit des perſonnes de la premiere qualité, & en general tous ceux, qui peuvent lui etre de quelque ſecours. Il eſt ſur tout neceſſaire, de connoitre à fond l' inclination, & les habitudes du Prince, qui dependent beaucoup de ſon temperament: & quoique les ſages Princes ſachent bien les cacher & les adoucir, il arrive rarement, que n' eclatent quelque fois, &*



que

ſed & τὸ διότι Moralium ſignorum pernoſcendum fuerit, (quo demum conſtat perfecta rei omnis ſcientia,) multo magis utique manifeſtum eſt, Artem hanc neutiquam vel Ethicæ vel Politicæ vel Oratoriæ partem eſſe: quoniam omnibus illis ſatis eſt, cauſſis ignoratis, tantum mores quales ſint & eorum ſigna, cognoviſſe, aliunde facta mutuatione. A Claramontio autem utrumque eſt hoc opere præſtitum. Diligenter ſcilicet ſæpius & in id eſt inquiſitum, quamobrem hiſce aliisve indiciis occulti mores ſignificentur & prodantur: quod eſt ἐπιςημονικόν. Et vero, ut in aliis variæ occupantur methodi & artes circa unum idemque objectum, ſed diverſo conſiderandi modo: ita & de affectibus quoque animi, non ſolius Ethici eſt agere, ſed accuratior eorum & vero ἐπιςιμονικὴ ſcrutatio, opus eſt Naturalis Philoſophi. Cujusmodi ſunt, quæ in Problematum ſectionibus Ariſtoteli tributis etiamnum ſuperant, alias autem a priſcis Peripateticis cum cura eſſe tradita, liquet vel ex titulis perditorum voluminum.

Quantumvis autem Claramontii labor ille non ſit Ethicum quid, ceu ipſe voluit eſſe: eſt tamen vere incomparabile opus & plane novi argumenti. Nec enim ante illum quisquam, quantum ſcio, morum conjectandorum rationem in artem redegerat, ſed ſparſim duntaxat & per partes alia ejus atque alia hactenus fuerant tradita. Multo minus quisquam antehac præſtiterat paria. Id quod non de univerſo tantum opere affirmare haud dubito, ſed etiam de partibus ejus ſingulis, quas jam tum alii illuſtraverant. Verum autem medixiſſe & cuivis alii poterit haud difficulter liquere, facta ſaltim Phyſiognomonicorum cum aliis comparatione. Num poſt quisquam ſuperaverit Claramontium in hoc argumento, vel æquaverit, necne, me itidem fugit. Audio enim quidem laudari volumina aliquot talia Gallice ſcripta a Marino Curæo de la Chambre (a) Chriſtianiſſimo Francorum Regi a ſanctioribus Conſiliis & Medico ordinario: & nihil vulgare ab illo exſpectare me facit Specimen novæ methodi pro explanandis Hippocrate & Ariſtotele: Sed laudata illa volumina hactenus in manus meas non inciderunt; utque nihil cedant doctrina Claramontianis, tamen ob linguæ, minus in docto orbe præ Latina receptæ, anguſtos cancellos, æque uberes fructus ferre haud idonea fuerint, & ſaltim temporis dignitate poſthabenda. Enimvero præter Philoſophicam ſubtilitatem, obſervare eſt in Claramontianis hiſce, ex hiſtoricorum, (b) oratorum & poëtarum veteris noſtrique ævi monumentis depromtam omnigenæ humanæ vitæ morum accuratam deſcriptionem: ut eorum ſaltim, quæ ad τὸ ὅτι pertinent nihil temere deſideraveris. In cauſſarum doctrina plus multo reperire eſt, quam uſum duntaxat ſpectantibus opus fuerit. Quod enim Plinius de Herophilo pulſuum arterialium rationem docente, ait, propter nimiam ſubtilitatem fuiſſe deſertum, id haud parum Claramontiano huic operi metuendum venit. Quotusquisque ſane eſt, qui diſcere velit, quod ex uſu non eſt? Et qui arcanos hominum mores velint intelligere tantum in vitæ uſum, illi fere cætera indocti ſolent eſſe, parum certe cauſſarum curioſi. Eoque his quidem latis conſultum fuerit, ſi in Epitomen ex hoc opere fuerint contracta, quæ ad τὸ ὅτι faciunt, idque breviter: qualiter Oratorium in uſum ingentem illam vim axiomatum moralium congeſſit Ariſtoteles, & vulgi etiam veriverbiis complura circumferuntur. Talia ſane pragmatico homini ſufficiunt. Alia vero longe eſt ratio viri Philoſophi: hunc enim & diſcere aliter oportet & docere. Præclare ſcilicet Ariſtoteles: In unaquaque doctrina, qui philoſophatur, & non τὸ agere ſolum reſpicit, illius officium eſt nihil præter videre, nec quidquam omittere, ſed id, quod eſt verum, aperire de re qualibet. Quod Philoſophum igitur egerit hic Claramontius non profecto ipſi vertendum eſt vitio, ſed ponendum in ſumma laude. Nec quenquam pœnitebit ab illo didiciſſe aliquid etiam præter uſum: quamvis hunc præcipue ſectetur. Ultra certe communis conſuetudinis limites nemo ingenuus non ſæpe excurrit, & impendit aliquam operam. Me, fateor, usque adeo lectio hujus operis affecit, ut dudum judicaverim, indignum eſſe tanti theſauri fructum bonis quibusque & accuratioris doctrinæ cultoribus quaſi invideri. Et vero ejus hactenus non niſi unicum mihi exemplum viſum: imo nec memoria ejus aliqua aliunde, quam ex Politica Naudæi Bibliographia accepta eſt, quum tamen a prima editione Veneta anni jam quadraginta effluxerint. Naudæana ſane

que laiſſant tomber leur maſque, ils ne ſe montrent tels, qu' ils ſont. Tibere lui meme tout grand Maitre, qu' il etoit dans l' art de diſſimuler, ne put ſi bien ſe cacher, que tous ſes artifices ne ſe decouvriſſent peu à peu. &c.

(a) Curæo de la Chambre.) Liber ſub nomine: Les caracteres des paſſions, Amſtelodami 1658. impreſſus & dein ao. 1662. recuſus, laudatur a MORHOFIO, ut Rhetoricæ, phyſicæ & ethicæ inſerviens, in Polyhiſt. T. III. lib. I. §. 11. Vapulat hic ibidem a WALCHIO CURÆUS, quod Ariſtotelis addictus ſit placitis. Sed neſcio, quomodo miſer Ariſtoteles huic viro ita ſtomachum movere potuerit, quem haud dubie nunquam dignatus ſalutare vel a limine. Commode huic jungi poteſt FRANC. SENAULTUS, Presbyter oratoriæ, in libro: de l' uſage des paſſions, quem librum non immerito multis extollunt elogiis. Agit in eo de paſſionum natura & differentia, earumque bono & malo uſu. Singulare in hoc autore eſt, quod unum tantum adfectum, nempe amorem, cum AUGUSTINO, ſtatuat, quod ſequentia ejus produnt verba p. 27. Auſſi apres avoir bien examiné cette matiere, je ſuis contraint d' embraſſer l' opinion de St. Auguſtin, & de ſoutenir avec lui, que l' amour eſt l' unique paſſion, qui nous agite: Car tous ces mouvemens, qui troublent notre ame, ne ſont; que des amours deguiſez, nos craintes & nos deſirs, nos eſperences & nos deſeſpoirs, nos plaiſirs & nos douleurs ſont des viſages, que prend l' amour ſuivant les bons ou les mauvais ſucces, qui lui arrivent.

(b) Hiſtoricorum) Faciunt huc verba BOECLERI ex progymnaſm. rethor. Operum Tomo I p. 410. in ſcribendis characteribus philoſophia intimas tibi rationes morum recludat. Eloquentia delectum verborum & civilitatem ſententiarum ſubminiſtret. Hiſtoria judicium circa utramque cognitionem exemplis dirigat, ut congruentia experientia rebusque ſint vel præcipue, quæ ſic ſcribuntur. Exempli gratia dicam, ſcribendum eſſe characterem hominis oligarchici. Abi ante omnia ad Ariſtotelem, cognoſce naturam oligarchiæ & oligarchica ſtudia. Perge ad Platonem, qui libro 8. de rep. diligenti philoſophia deſcripſit, qui mores ſint hominum oligarchicorum & democraticorum. Propone tibi characterem hominis oligarchici a Theophraſto compoſitum. Inquire poſthac in exempla Appiorum & ſimilium, quæ ubertim ſuppeditat hiſtoria. Iam viſa erit pedum via, ſi judicium & eruditio aderit, ſine quibus nihil in ſtudiis præclare geritur. Nec omittendum hic eſt excellentiſſimum caput V. BODINI method. hiſtor. de recto hiſtoriarum judicio. Inprimis in characteribus animi cognoſcendis, ſtudium hiſtoricum commendat BACO de VERULAMIO de dign. & augm. ſcient. L. V. c. 3. exempli loco adducens characteres, quales habentur apud LIVIUM Africani & Catonis Majoris; apud TACITUM Tiberii, Claudii & Neronis, apud HERODIANUM Septimii Severi.

*ne laude primum operis deſiderium mihi natum: cis paucos demum annos autem ab amico nactus ſum exemplum mutuo, unde in meos uſus curavi deſcribi. Ad alios ex eo tamen propagatum deinceps a me eſt juſtum operis encomium: Nihil ſcilicet eſt a moribus meis alienum magis, quam vel tegere aliorum præclara ſcripta in meos duntaxat uſus, vel agnito eorum honori per invidiam aliquid detrahere: tantum abeſt, ut aliena pro meis venditans, nolim profiteri, per quos profecerim. Eoque ut hactenus ſemper candide, & procul amore, procul odio, ſcriptores quam multos ſub cenſuram meam, boni tantum publici cauſſa revocavi, (quamvis haud ignorem, quam illa res pateat calumniæ,) ita nec quidquam alienis uſibus denegavi, petentibus id nonnullis: quadam nec rogatus in meo quaſi penu deliteſcentia publicavi: adverſor, mores non tantum ceu non ſatis bonos notans, ſed etiam ſaltim meditati, ſi non & confecti plagii ſuſpectans. Hoc animo edidi nunc & iſthac Claramontiana: nec edidi tantum, ſed ab infinitis plane mendis, quibus prior editio fuit fœde conſpurcata, hanc meam liberavi, Nam incredibile fere eſt, quam, ut alia hujus Viri omnia, ita & hoc opus male habitum fuerit prima editione; ſive typographi, ſive librarii, ſive & auctoris ipſiusmet in ſcriptione incuria. Nec enim auctorem ipſum excuſaveris, quoniam & qua Cæſenæ, ipſo præſente, prodierunt, perinde laborant. Sicut autem occupatiſſimus jam aliis negotiis, non refugi tamen ingratum iſtum moleſtumque laborem ſuſtinere, tantum commodi communis cauſa, ſic ſolabor facile tædium & impenſas alieno operi horas, modo non falſum me exſpectatione, Tuo favore, Lector Benevole, fueris teſtatus. Inglorius enim labor eſt, fateor, quem obivi; fructum tamen ingentem favor Tuus indicabit. Helmeſtadii ex Academia Julia, Kal. Martiis, Anno cIↄ Iↄ c. LXV.*

ELOGIA NONNULLA

# SCIPIONIS CLARAMONTII.

GABRIEL NAUDÆUS, *Bibliographia Politica pag. CII. meæ editionis.*

Semejotica morum efficere, non amplius operoſum aut difficile cenſeri debet: poſtquam Flaminiæ decus æternum Scipio Claramontius methodum ipſius abſolvendæ tam eleganter præſcripſit, in libro ante quinquennium Venetiis edito, de conjectandis cujusque moribus & latitantibus animi affectibus.

JOANNES KEPPLERUS *in præfatione Hyperaſpiſtis: etſi in opere ipſo indignis modis Claramontium inſectetur, cui Apologia Anti Tychonis Latina repoſita eſt.*

Ecce ex inopinato oritur vir doctus, Geometriæ peritus, in doctrina triangulorum conſummatus, in doctrina parallaxium, quæ mei juris fundamenta continet, non ut quondam Antonius Fabricius Montipolitianus pueriliter hallucinatus, ſed totam illam doctrinæ ſideralis partem, toto operis ſui libro primo accuratiſſime pertractans. Hic inquam tot præjudiciis armatus, tot clientelis pollens, litem mihi intendit, de hac mea poſſeſſione me dejecturus.

GALILÆUS DE GALILÆIS *Trutinatoris Italice ſcripti pag. 24. qui tamen acerrime Claramontium impugnat in ſuis dialogis de Duobus mundi ſyſtematibus, reſpondente illis Claramontio Apologia altera Anti Tychonis Italice.*

Dico iterum, falſiſſimum eſſe a me reprehenſos eſſe ſectatores Tychonis: quamvis id jure merito facere potuiſſem, ut conſtare tandem poterit ipſius ſectatoribus ex Anti Tychone Equitis Claramontii.

J. CAMILLUS GLORIOSUS *Libro III. de Cometis, cap. VII. qui poſt duobus libellis Claramontium eſt adortus, totidem a Claramontio exceptus:* Claramontii contra Tychonem rationes ait eſſe ſatis evidenter & luculenter oſtenſas.

JOANNES COTTUNIUS *Lib. I. Meteor. lect. 32.*

Claramontius vir ſolide doctus, de hoc argumento duplici opere egregie certavit: quorum alteri indidit nomen Anti Tycho: alterum eſt de Tribus novis ſtellis, quæ anno 1572. 1600 & 1604. comparuere. In utroque demonſtrat, cometas omnes, tum dicta nova ſidera infra Lunam in elementari regione exſtitiſſe.

BONAVENTURA BELLUTUS *Libro de Cœlo & Meteoris diſp. IV. q. 2. art. 3. n. 478.*

Ex quo patet, multa argumenta Tychonis, quæ ex parallaxi deducit, non multum concludere. Qui tamen exactam ſolutionem & ſubtile examen optarit, conſulat Claramontium.

NICOLAUS CABEUS S. I. *Commentario in l. 1. Meteorologicor. Ariſtotelis textu 37. q. 1.*

Scipio Claramontius vir & nobilitate & ingenio & doctrina inſignis, & omni litteratura non leviter aſperſus, librum conſcripſit, quem Anti Tychonem inſcripſit, in quo Tychonis dicta de cometarum ſede cœleſti infirmare conatur; & non ſolum oſtendere vult, non eſſe demonſtrationes, ſed eſſe errores manifeſtos: & revocare conatur cometas a cœlo ad regionem elementarem. Uterque iſtorum ſuos habet aſſeclas: & pro utroque multi cauſam dicunt, ſcribunt, publicant.

J. BAPTISTA RICCIOLUS S. I. CHRONICI ASTRONOMORUM PARTE II, *quod præfixum eſt parti primæ Almageſti Novi.*

Scipio Claramontius Cæſenas Eques, & Philoſophiæ olim Profeſſor in Academia Piſana, Mathematicarum rerum peritiſſimus, multa & præclara opera edidit. Quorum præcipua ſunt: Anti Tycho pro cometis ſublunaribus anno 1621. Apologia pro Anti Tychone edita anno 1626. De tribus novis ſtellis adverſus Tychonem & alios anno 1628. Defenſio altera Anti Tychonis Italica anno 1633. Supplementum Anti Tychonis de ſede ſublunari cometarum anno 1636. Antiphilolaus anno 1643. Defenſio ab oppugnationibus Fortunii Liceti anno 1644. & Libri 16 de Univerſo anno eodem

dem 1644. Vivit adhuc, agens hoc anno 1651 annum ætatis 86; nam anno 1572 ſeptennis erat, ut ipſe narrat in præfatione ad librum de novis ſtellis.

IDEM LIB. IIX ALMAGESTI NOVI SECT. I. CAP. XVI. N. III.

Oſtendit ſe Claramontius Geometriç ac rerum Aſtronomicarum valde peritum, necdum Philoſophiæ Peripateticç, ſuaque Theoremata ac Problemata, una cum calculis ordinatim diſpoſitis, examinanda ingenue cuivis expoſuit.

*Idem n. X.*

Claramontii vera laus, non ab obſervationibus ipſius petenda eſt, ſed in Geometria, & in calculis ex Trigonometria deductis: in quibus fere ſemper exactior eſt, quam Tycho in calculis multis tomi II.

*Idem cap. XIX. n. III.*

Solertiſſimus Claramontius.

*Ibid. n. IX.*

Rothmanni varios errores in calculo Geometrico, nec non diſſenſiones a Tychone, exactioribus calculis & ſchematiſmis detexit Claramontius Supplemento Anti Tychonis, nobiſque ſe meliorem Geometram probavit, ut conſideranti ejus demonſtrationes liquido conſtabit; ſed & egregie confutavit methodum, qua Rothmannus gloriabatur demonſtratam a ſe parallaxeos inſenſibilitatem.

*Idem ſect. XII, cap. X. n. I.*

Scipio Claramontius non modo Equeſtri & poſtea Sacerdotali dignitate, ſed ingenio atque eruditione nobilis inprimis ſcriptor, & quod vel invitis nonnullis aperte fatendum eſt, de parallaxium doctrina optime meritus: ut jam ex dictis ſectione I. Libri hujus a capite XVI conſtare arbitror.

# INDEX CAPITUM
## TOTIUS OPERIS

### LIBER PRIMUS.

CAP. I. Propoſitio & commendatio Operis.
II. Definitur & deſcribitur ſignum.
III. Ars tota repræſentatur.
IV. Repetuntur, quæ antea de morum ex temperamento differentiis dicta ſunt, & aliqua latius aliquanto confirmantur.
CAP. V. Varia cordis temperamenta & differentiæ.
VI. Qui mores ſequantur varias cordis differentias.
VII. De ſpiritibus & humoribus, id eſt, eorum temperamentis ac moribus conſequentibus.
IIX. De conformatione partium.

### LIBER SECUNDUS.

CAP. I. De climatibus.
II. De triangulis & ſtellis, & de dæmonum inſpiratione ac afflatu.
III. De ſole.
IV. De aëre & ventis.
V. De ſitu.
VI. De nationum ac gentium moribus, ſeu propenſionibus.
VII. De moribus naturalibus, ſeu propenſionibus nationum, agitur ex cauſis naturalibus, earumque combinatione.
CAP. IIX. De ætatum moribus.
IX. De puerorum moribus.
X. De adoleſcentiæ juventutiſque moribus.
XI. De ſenectute.
XII. De virilis ætatis moribus.

### LIBER TERTIUS.

CAP. I. De nobilitate.
II. De nobilium moribus.
III. De moribus divitum.
IV. De moribus potentum & fortunatorum.
V. De moribus contrariarum conditionum expoſitis.
VI. Tranſitur ad vitæ inſtituta ac ſtudia.
CAP. VII. De artibus liberalibus, quæ motu multo utuntur.
IIX. De Muſica, practica nempe vocata.
IX. De ſaltatione & chorea.
X. De Philoſophia.
XI. De Juris prudentia.
XII. De Rhetoricæ ſeu Oratoriæ facultatis profeſſione ejuſque moribus.
XIII. De diſciplina.

### LIBER QUARTUS.

CAP. I. Propoſitionem continet rerum & methodi, hujuſque diſtinctionem.
II. Primum methodi caput continet.
III. Subdividitur ſecundum methodi caput, cum cauſæ diſſident.
IV. Comparationem ſecundum genera continet.
V. Comparationes ſecundum gradus continet.
VI. Quę propoſitiones ſint inter memorata momenta.
CAP. VII. Miſtionis modi traduntur, quibus contraria morum momenta commiſcentur.
IIX. Comparatio compoſita momentorum, ſcilicet ſecundum genera & gradus.
IX. Differentia annotatur inter ſummam momentorum acceſſoriorum & principalium.
X. Peroratio primæ partis methodi.

LIBER

Digitized by Google

## LIBER QUINTUS.

CAP. I. Connectit & proponit, quæ agenda ſunt.
II. Quot & quæ partes ſint Phyſiognomiæ.
III. Signa cordis calidi aggreditur.
IV. Signa cordis calidi & ſicci, id eſt ex noſtra nominatione calidi & duri.
V. Signa cordis calidi & humidi, & primo cordis humidi per ſe.
CAP. VI. Signa cordis frigidi.
VII. Signa cordis frigidi & humidi, ac frigidi & ſicci.
IIX. De cerebri influxu.
IX. De hepatis jecorisve influxu, adeoque humorum & ſpirituum in cor, deque procedentibus inde moribus.
X. De ſignis temperamenti, jecoris hepatisve.

## LIBER SEXTUS.

CAP. I. Proponit dicenda, fundamenta repetit, ac tractationem diſtinguit.
II. De partibus generationi deſervientibus.
III. De partibus ad cupediam pertinentibus.
IV. Quæ tractanda reſtant capita methodi Phyſiognomiæ memorat.
V. De capite.
VI. De fronte.
CAP. VII. De ſuperciliis.
IIX. De auribus.
IX. De oculis eorumque aſpectibus.
X. De oculorum coloribus.
XI. Reliqua ex oculis ſigna conjungit.
XII. De naſo.
XIII. De ore.
XIV. De facie.
XV. De vultu.

## LIBER SEPTIMUS.

CAP. I. Repetuntur dicta, & propbnuntur dicenda, quæ ad Phyſiognomiam ſpectant.
II. Robur ad Ariſtotelis mentem diſtinguitur in robur ingenuum ac ſervile.
III. Deſcriptio partium ad robur ingenuum ac bellicum,
IV. De ſingulis partibus infra caput.
V. De ſtatura corporis.
CAP. VI. Peroratio de Phyſiognomia.
VII. Revocatio horum, quæ de Phyſiognomia dicta ſunt, ad ſuperiorem noſtram methodum, applicatioque ad praxin.
IIX. Non ſemper actio ſequitur propenſionis prædominium, qua idcirco methodo futura actio ſit providenda, æſtimandaque.

## LIBER OCTAVUS.

CAP. I. Proponit dicenda, & connectit, & indicat, quæ ſunt ex ſuperius dictis repetenda.
II. De voce.
III. De loquutione.
IV. De motu corporis totius.
V. De motu eodem univerſi corporis cum figura aliqua itidem corporis.
VI. De motu partis corporis.
VII. De corporis cultu.
IIX. Ad primaria ſigna morum a poſteriori tranſit; primoque de exteriore actione agit, quam & materiale actionis vocat.
CAP. IX. Exemplo actionis Sejani, & erroris Tiberii confirmatur idem; ſcilicet non neceſſario colligi ex materiali exteriorique actione morem.
X. De formali actione, ſive formali parte actionis.
XI. Methodus deprehendendi formale actionis, ſive finem ejus, ſupponendo interim, nullam ſubeſſe ſimulationem fallaciamve.
XII. Ex interiore actione indago moris.
XIII. Praxis proximæ methodi adfertur.

## LIBER NONUS.

CAP. I. Partem methodi, cum præcavenda eſt fictio, aggreditur. Primoque de fictionibus agit ſimulationibusque.
II. De ſimulatione finis, ſeu de prætextu obtentuve.
III. De ſimulatione morum.
IV. Methodus detegendarum fictionum ac ſimulationum in ſua capita diſtinguitur.
V. Primum caput continet detegendæ fraudis ex qualitate perſonæ agentis, cum veterator fuerit.
VI. Secundum caput detegendæ ſimulationis ex perſona qui cum agitur.
VII. Tertium caput methodi, ſcilicet perſuaſio exponitur.
CAP. IIX. Quartum methodi caput, Pœna & quæſtiones, quæque ad eas reducuntur.
IX. Quintum methodi caput. Præmia.
X. Canones continet.
XI. Sextum methodi caput aggreditur, cum velamentum per ſe pellucet.
XII. Sextum idem methodi caput cum erumpit affectus.
XIII. Cum ex effectu ſubſequente ſimulatio aperitur.
XIV. Capita ſimplicia methodi, & combinata interdum locum habere in propoſita ſimulationis indagine.
XU. Ad morum indaginem, quæcunque dicta ſunt, applicantur.

## LIBER DECIMUS.

CAP. I. Connectit, proponit, dividit, quæ tractanda ſuperſunt.
CAP. II. De ſignis affectuum in communi.
III. Signa affectus voluptatis.



Digitized by Google

CAP. IV. Signa affectus doloris.
V. Signa amoris erga rem, ſive bonum formale, ſive erga finem cujus gratia; qui amor demum eſt ipſamet cupiditas.
VI. De ſignis amoris erga perſonam, amoris nempe concupiſcentiæ, ac Venerei.
VII. De ſignis amoris erga perſonam, ut finem cui, ſive amoris amicitiæ.
IIX. De ſignis odii.
IX. De ſignis iræ.
X. De ſignis timoris.
XI. De pudoris ſignis.
XII. De ſpe, ſeu ſpei ſignis.
XIII. Cum plures affectus eorumque ſigna concurrunt.
XIV. De ſignis ex oratione.
CAP. XV. Applicantur dicta de ſignis affectuum propoſitæ affectuum indagini.
XVI. Cum ſigna affectuum ſupprimuntur, aliqua tamen ex parte erumpunt.
XVII. Methodus ex cauſis affectuum, quæ eſt ſupplementum præcedentis methodi ex ſignis.
XVIII. De facultate cognoſcente.
XIX. De facultate appetente.
XX. In praxin methodus tradita adducitur.
XXI. Eandem praxin ad amorem amicitiæ poſſe detorqueri, ac reliquos affectus.
XXII. Galeni praxis adducitur ad detegendum decumbentis mulierculæ amorem.

*Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Principi*

# CARDINALI AURIÆ,

## *Panormi Archiepiſcopo, Siciliæ Proregi ac Generali Capitaneo.*

Semetipſum noſſe, & qui qualisque ſit, hominem præclare intelligere, arduum in primis atque difficile apud veteres ſemper eſt habitum, Illuſtriſſime & Reverendiſſime Princeps, verum longe mihi difficiliori negotio eorum verſari videtur res, quibus aliorum hominum capere cognitionem animo eſt propoſitum. Unus tantum inſitus, atque in nobis ingenitus noſtri amor, mentis oculos præſtringit ac præpedit, quominus in nos intuentes noſtri aſſequi poſſimus cognitionem: in aliis vero dignoſcendis ita multæ paſſim occurrunt perturbationes, amor, odium, miſericordia, ira, & aliæ, quibus quaſi ventorum flabris agitati, huc & illuc impellimur; ut a recto rationis curſu, veroque ſenſu longe abſcedere atque aberrare cogamur. Accedit huc, quod hominum animi tot ſinus, tot anfractus, tot mæandros ac diverticula habent, ut nulla mentis acies, nulla perſpicacis ingenii vis, aut ſolertia ſit tanta, quæ ad eorum perfectam notitiam pervadere ac penetrare queat: quin homines ipſi ita ſimulationis & diſſimulationis artificio ſeſe obtegunt & occulunt; ut nemini (niſi excellentiori quadam ſit præditus natura) ad eorum cognitionem liceat adſpirare. Infinitæ igitur doctrinæ, *ſummæ difficultatis* (*a*) ac laboris, aliorum naturam, animorum propenſiones, ſenſus & impetus callere, exiſtimandum eſt; neque tamen minus eam rem in ſe utilitatis continere dicemus, quam obſcuræ difficultatis. Siquidem quæ poſſet eſſe bene educandis, ad rectamque vivendi rationem traducendis liberis parentum cura? quæ magiſtrorum, ad pueritiam optimis artibus ac diſciplinis informandam, bona inſtitutio; quæ ſummorum Principum populis regendis, in officioque continendis prudens auctoritas; niſi indolis, naturæ, animi propenſionis, motuum, morumque adſit cognitio? Quocirca jure quidem, a mortalibus omnibus immortales habendæ ſunt gratiæ Scipioni Claramontio Equiti omni virtutis laude præſtanti, quod in tanta, ac tam varia corporum, animorum, morumque diſſimilitudine, ſimilitudine quadam e multiplici obſervatione comparata unus quaſi præcluſos aditus, ad homines cognoſcendos primus aperuerit, & rectam certamque viam ac rationem brevi præceptione monſtrarit: neque vero minor deberi videtur laus Illuſtriſſimo Catanenſi Antiſtiti (quem honoris & religionis cauſa nomino) Innocentio Maximo, non minus vere morum innocentia vitæque ſanctitate, quam gente & nomine Maximo Romano, cujus ſingulari effectum eſt liberalitate, ut impreſſi hi libri in manus hominum prodirent. Hos ego, cui edendi facta eſt poteſtas, cum multum frugis atque utilitatis hominum generi allaturos viderim: eximio aliquo, præſtantiſſimoque Principe viro haud indignum munus fore exiſtimavi. Itaque Tibi Princeps & Cardinalis Ampliſſime, qui omnibus & animi & fortunæ bonis ita abundas, ut non tam clariſſimum Patrię gentisque Tuæ decus, non tam dignitatis, ac perſonæ Tuæ ſplendor Te ornet, quam Tu morum integritate, religione, rebus gerendis, prudentia, omnium liberalium artium doctrina, atque omnium virtutum orbe dignitatem ipſam, gentem Tuam, Patriam, atque adeo orbem ornes & illuſtres univerſum, hoſce libros in Tuo nomine inſcriptos mitto, atque una cum animo meo dico, ut perpetuum ad omnes gentes, omnemque poſteritatem exſtent argumentum & teſtimonium, non minus ſingularis mei in Te ſtudii, atque obſervantiæ, quam præſtantis ingenii, præclaræ eruditionis, & doctrinæ Scipionis

(*a*) *Summa difficultatis*) Confirmat id judicium LEIBNIZII *in Miſcellaneis* p. 190. *Arte in indaganda aliorum aſſuefactione vel notitia opus eſt, & varie tentandi ſunt, ita tamen plerumque, ne ſentiant. Et artis hic eſt, pauca principia pertentare, unde cetera, conſtituta jam arte, ratione ſequantur. Etiam modus ſcribendi plerumque, niſi a magiſtro pendet, habet aliquid naturalis temperamenti, imo etiam cum ab eo pendet.*

Digitized by Google

onis Claramontii, & propenſæ Innocentii Maximi Religioſiſſimi & Doctiſſimi Epiſcopi de artibus ingenuis, ingeniiſque elegantioribus bene merendi voluntatis. Amplitudinis Tuæ manus ſacras deoſculatus, Clementiſſimum Deum rogo, ut diu incolumis vivas, ut eo Te altiſſimo dignitatis majeſtatisque gradu videamus conſtitutum, quo omnium bonorum deſideriis es exſpectatus. Vale. Faventia, Kal. Julii M. DC. XXV.

*A. T. R.ma*

*Addict.mus Servus*

LUDOVICUS ZUCCOLUS.

# SCIPIONIS CLARAMONTII
## CÆSENATIS
# ΣΗΜΕΙΩΤΙΚΗ
# MORALIS.
## SEU
## DE CONJECTANDIS CUJUSQUE MORIBUS
## ET
## LATITANTIBUS ANIMI AFFECTIBUS
*Ad*

Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. Principem Cardinalem Auriam, Panormi Archiepiſcopum, Siciliæ Proregem, ac Generalem Capitaneum.

## MARCUS GINAMMUS
Bibliopola Venetus

*Benevolo Lectori Felicitatem Pl.*

*Quod noſtri fuit ſemper inſtituti, ut (quantum in nobis eſſet) aliquo novo opere, & induſtria noſtra literatorum hominum ſtudia juvaremus, id nunc proſequimur. Scipionis Claramontii præclari Equitis libros de conjectandis Moribus tibi damus noſtris Typis excuſos; in quibus nulli plane operæ, labori, aut diligentiæ pepercimus, ut quam emendatiſſimi in tuas manus pervenirent. Si quod tamen leve irrepſerit mendum, quod noſtros effugerit oculos, (nemo enim eſt, ut ait ille, tam lynceus, qui non offendat) homines nos agnoſces: & ignoſces non tam nobis quam auctori, eruditiſſimo viro & de re literaria optime merito, ſi in loca quadam incideris perverſa, perturbata, aut obſcuriora. Is enim in deſcribendo aliena, nec una eadem, ſed multorum uſus manu, a flagitantibus amicis, quibus diutius hi libri deberi non poterant, exempla ut inſpiceret, & ſua manu ſcriptis cum exemplaribus conferret, haud potuit impetrare. Bene vale, & noſtram induſtriam tua benignitate fove.*

## *SCIPIONIS CLARAMONTII*
## IN
## SEMEIOTICA MORALIA
# PRÆFATIO.

Cum multa veteres (Benigne Lector) ad recte vivendum prudentiſſime monuerint, non poſtremum inter ea locum occupat, quod Seneca notavit: Totam ferme nobis vitam aliud agendo effluere. Nam cum vel unum noſtrum negotium, vel maximum, eſſe debeat animi virtus probitasque ipſa noſtra; nos de corpore, & de fortunis prorſus ſoliciti, de animo ejusque bonis vix cogitare ſuſtinemus. Hinc factum eſt, ut quæ ſcientiæ & artes ad corporis fortunarumque tutelam pertinent, plurimum tractentur, luculentisque ac numeroſis libris tradantur: at morali, id eſt noſtri ipſorum cognitioni vix fit, qui operam navet; & ſi forte ad tam præclaram ſcientiam nos applicemus, breviaria, compendiaque tantum admittamus; licet in aliis facultatibus prolixa volumina toleremus nedum, ſed exigamus. At quanto melius nobis ipſis toti, iis vero, quæ extra nos ſunt aliud ferme agendo, vacaremus? Præceptum, quod a primis usque temporibus innotuit, & in divinum authorem refertur, ut nosmetipſos cognoſcamus, cognitionem hanc noſtri præcipit, non autem tigni immittendi, aut agarici temperandi; quæ cum ad humanos ſane uſus cognoſcere expediat, quis tamen non ſentiat, majore multo ſtudio ea cognoſcenda, ad quæ, ut ad finem horum, cognitio & uſus dirigitur? Hæc conſideratio jamdiu fecit, ut Moralis philoſophiæ integritatem ſummopere deſiderarem, cumque fruſtra ab aliis exſpectarim, ipſe tandem aggrede-

ter. Rem enim diligentius meditanti patuit, non paucioribus ex partibus hanc animorum curam, quam corporum medicinam coaleſcere. Quinque partes Medicina continet, quę græcis vocibus dicuntur, *Phyſiologia*, (*a*) Hygiina, Pathologia, Simiotica, & Therapeutica. Eas omnes Moralis quoque includit. Primam quidem, dum partes animæ *ſubjectas moribus*, (*b*) horumque & affectuum cauſas conſiderat. Secundam, dum animorum optimam conſtitutionem, virtutem ſcilicet omnem, tradit. Tertiam, dum depravationem animi, vitia nempe ejus, aperit. Quartam, dum ſigna morum & occultorum interim affectuum, ad animi morbos aut tollendos aut mitigandos affert. Quintam & ultimam, dum curationem jam ejusmodi vitiorum morborumque animi molitur, primo inſtitutione ad virtutem tradita. Harum quinque partium, ſi vera fateri lubeat, in iis, quæ ſuperſunt antiquorum ſcriptorum monumentis, ſolam Hygiinam habemus: cæteras partes, vel nullas, vel adeo tenues, ut non ſatis eſſe uſui poſſint. Forte in Curatoriis olim Chryſippi & Poſidonii conſtabant, nec non in libris, qui perierunt, Ariſtotelis, & ſequacium Peripateticorum. At interim jactura reſarcienda erat. D. Thomas *in 2. part. ſumm.* præclariſſima ſcripſit, verum theologico propoſito; adeoque multa circumſcripſit, quæ tamen ad Moralem integrandam deſiderantur. Ego cum jugi labore in omnibus partibus inſudaverim, omnesque pro virili parte abſolverim, primo nunc loco hanc Simioticen, ſeu de ſignis partem emitto: non quod ſit cæteris prior, ſed quod in plures, quam reliquæ, uſus diffundatur, ſuaque novitate videatur cæteris factura viam. Verum enim vero me maxime omnium permovit Innocentii Maximi, romani proceris nobiliſſimi, tumque britonorienſis, nunc catanienſis Epiſcopi auctoritas: qui vir excellenti rerum cognitione acerrimoque judicio prædītus, cohortatione nedum, ſed propemodum juſſione in hanc edendi ſententiam adegit: quin imo operis exemplum a me petiit & obtinuit, quod ipſe vel ſumptu ſuo (qua eſt magnificentia) imprimendum curaret. Quadriennio tamen in hæc usque tempora editionem diſtulit, dum Florentiæ primum apud Magnum Hetruriæ Ducem; poſtea in Hiſpania apud maximum illum Regem Oratoris pontificii munus ſumma cum ſui gloria exercuit. Nunc jam prodit liber: ex quo, Benevole Lector, cæteras partes æſtimare poteris, quæ (ſi tu huic judicio faveris) propediem conſequentur. Ego quidem mea inventa non laudo; neque enim decet moralem ſcriptorem a præconibus ludorum gymnicorum, alios non ſe voce ſua victores renunciantium, modeſtia vinci. At certe *argumenti utilitatem* (*c*) profiteor & commendo. Neque enim curioſa hæc per ſe eſt ac temeraria, alienorum morum & ſenſuum indago; ſed multis erga multos tum honeſta, tum neceſſaria. *Parentes filiorum*, (*d*) & in univerſum inſtitutores alumnorum, propenſiones & mores, ſicunde bonos aut malos contraxerint, multo debent conatu inveſtigare. Niſi domini ſervos, Principes familiares & miniſtros exploraverint; illi ſibi, hi ſibi & reipublicæ magno damno erunt. Quæſitores etiam ſcelerum, in præcedentes perſonarum mores inquirere, proque eorum differentia multo ſecius ex eodem facto procedere debent. Res furtiva penes virum probatum reperta, nullam illi furti ſuſpicionem allinit, neque ulli obnoxium inquiſitioni reddit: at contra, ſi *penes male moratum* (*e*) hominem reperiatur. *Baldus, & Imola in lege fin. ff. de heredib. inſtituend.* Hoc idem in communi hominum vita faciendum Comicus monuit.

*— — — multa in homine de meo*
*Signa ſunt; ex quibus conjectura facile fit,*
*Duo cum idem faciunt: ſæpe ut poſſis dicere,*
*Hoc licet impune facere huic, illi non licet:*
*Non quod diſſimilis res ſit, ſed quod qui facit.*

Cæſar in milite eligendo, militarem eorum inclinationem & aptitudinem ex *Phyſiognomia* (*f*) (aſſerente

(*a*) *Phyſiologia.*) Peculiari ſenſu vocem Phyſiologiæ accepit DIOG. LAERTIUS in vita Epicuri Lib. X. *Cauſſam eorum*, inquiens, *quæ ſunt maxime propria, diligenter exponere, Phyſiologiæ eſſe opus, putandum eſt, beatitudinemque in ſcientia de cæleſtibus rebus huc cecidiſſe, & in eo, quod natura quædam ſunt, quæ inſpecta ſecundum hujusmodi meteora & quæ his affinia ſunt, ad hujus rei exactam diligentiam conferunt.*

(*b*) *Subjectas moribus.*) Huc facit egregius locus de la CHAMBRE dans les caracteres des paſſions Liv. I. Chap. I. *La premiere regle de la Phyſionomie, eſt fondeé ſur les caracteres, & qu' elle ſ' en ſert pour decouvrir les inclinations, aſſeurant, que ceux, qui ont naturellement le meme air & la meme contenance, qui accompagnent les actions morales, ſont enclins aux memes actions.*

(*c*) *Argumenti utilitatem.*) Quantus hujus notitiæ ſit uſus, quantaque neceſſitas, egregie docet BOECLER Cap. I. in *characteribus Vellej.* & in Diſſ. *de politicis Lipſianis*, item in *Progymnaſmat. rhetoricis* T. I. Operum p. 408. NAUDÆUS in *bibliographia politica p.* 115. de la CHAMBRE *dans les caracteres des paſſions chap. I.* L' art de connoitre les hommes par BELLEGARDE. Docet enim de moribus, affectibus & ingeniis hominum dignoſcendis, tractatque, qui varii ſint hominum mores affectusque pro diverſitate patriæ, familiæ, profeſſionis, ſtatus, ſexus, ætatis aliarumque circumſtantiarum, quibusque modis uniuscujusque ingenium & indoles cognoſci queat. Hujus doctrinæ utilitatem Leibnitius quoque ſequentibus oſtendit: *Qui cum hominibus*, inquit, *negotiari vult, ei noſſe utiliſſimum erit temperamentum hominis* &c. Vide *Miſcellanea leibnitiana p.* 190. & JOH. a FELDEN *elementa juris univerſi P. III. c.* 8.

(*d*) *Parentes filiorum.*) Conf. WALCHII *Diſſ. de arte aliorum animos cognoſcendi* §. 15. 16. ubi de uſu artis hujus prolixe.

(*e*) *Penes male moratum.*) Quod & inculcat Conſtitutio Criminalis Caroli V. Art. XLIII. Conf. SICHARD ad L. 2. C. de furt.

(*f*) *Phyſiognomia.*) Hæc ex membrorum configuratione & proportione de ingenio hominis judicat, ut dicit MORHOF. *Polyhiſt. T.* 2. *L.* 3. *Cap.* 1. §. 4. Pythagoras ab Indis habuit Phyſiognomiam, cujus ſingularis propagator fuit, adeo ut diſcipulos ſuos ad artis iſtius regulas primum explorarit, an idonei eſſent ad diſciplinam, nec ne. Vid. PHILOSTRATUS L. 3. c. 5. in *vita Apollonii.* & ZEIDLERUS in *præfat. Introd in lectionem Ariſtotelis.* Atque certe illa doctrina non eſt de nihilo, quatenus phyſicis principiis ſuperſtructa eſt, non planetariis, ac mirabilem plane uſum habet in vita civili, ut judicat MORHOF. l. c. T. II. L. 2. Cap. 6. §. 6. De artis hujus ſcriptoribus vid IDEM T. I. L. 1. Cap. 15. §. 4. Quibus conferatur ſolide & ad praxin forenſem conſcripta Diſſ. SAM. STRYCKII *de Phyſiognomia*, quæ primum ferè hic occupat locum.

Digitized by Google

ferente Vegetio) conjectabat. Interdum ex præcedentibus actionibus hominum, virtutem vel contra, moresque, qui præſertim ſuffragiorum jus habent in demandandis magiſtratibus, conjiciunt. Eaque ratione Fabius Maximus Otacilium minorem ducem, quam ut Annibali opponi poſſet, eſſe judicavit, atque romano Populo ſuaſit. Ars ergo methodusque aliorum propenſiones moresque indagandi, quam nunc adornamus, cum ab illis, & in illos adhibetur, a quibus & in quos oportet, utilis & honeſta eſt, interdumque neceſſaria. Quod ſi alieno tempore indebitisque modis uſurpata mala ac temeraria evadat, eandem cum reliquis humanis actionibus aleam ſubit; quæ licet ſuopte genere bonæ ſint, ſtatim tamen atque a debita circumſtantiarum harmonia exciderint, malæ redduntur. Indigos juvare opibus, eſt ipſa per ſe actio digniſſima laudibus; attamen ſi ad turpem finem incongruove loco ac tempore efficiatur, in malam, interdumque in ſceleſtam, degenerat. Hæc, antequam ad rem accederem, præfanda duxi.

# SCIPIONIS CLARAMONTII
## DE
## CONJECTANDIS CUJUSQUE MORIBUS, ET LATITANTIBUS ANIMI AFFECTIBUS

# LIBER PRIMUS
## CAPUT PRIMUM
### PROPOSITIO ET COMMENDATIO OPERIS.

Juxta præſcriptum alibi ordinem, partem, quæ græce σημειωτική, latine *de ſignis dicitur* (a) aggredimur. Præſtat vero primo Signum deſcribere, deinde diſtinguere, ut tractatio quoque diſtingui & ordinari poſſit. Proſpiciemus ita, veluti ex edito loco ſubjectum, quod peracturi ſumus: iter non vulgare illud ac tritum, ſed tum novitatis, tum utilitatis, tum jucunditatis, atque dignitatis plenum. Non me latet, cor hominum imperſcrutabile, ac ſoli Deo pervium: tamen conjecturis accedere ad tam grande ſecretum, eſt præclara imitatio divinitatis. Hanc modo nos artem aggredimur. Quam ſi hucusque intractatam dixero, dum integra rei explicatio reſpiciatur, non equidem mentiar. Solius enim Phyſiognomiæ cura fuit, quæ pars artis eſt, non tota ars. Præterquam quod ipſa quoque Phyſiognomia, ut hanc morum cognitionem molitur, eget diſtinctione & reſolutione in ſua principia, qua veluti conformetur & conſtituatur. Neque tamen ejusmodi perfectionem eſt aſſequuta; quod ſpero res ipſa monſtrabit. Nos autem, cum prius ſignum definierimus & diſtinxerimus, totam deinceps artem repræſentabimus.

*Definitur & deſcribitur ſignum.*

## CAPUT SECUNDUM.

### §. I.
### DESCRIBITUR SIGNUM MORUM.

SIGNUM, ſi exactiſſime ſumatur, eſt tum ſenſibile quippiam, tum poſterius re indicata. Lac nempe eſt ſignum partus, non partus lactis, cujus potius eſt cauſa. Unde demonſtratio ſigni dicitur, quæ a poſteriori procedit: quæ contra, demonſtratio cauſæ, non ſigni appellatur. Latius tamen ſumptum ſignum ea conditione contentum eſt, ut ſit ſenſibus obvium, ſive prius ſit, ſive poſterius. Ariſtoteles 2. *Priorum Analyt.* in hac ſecunda ſignificatione ſignum definivit; quo exiſtente eſt, aut quo facto prius, aut poſterius, facta res eſt. Cum autem poſterius facta res eſt, ſignum tum non poſterius eſt, ſed prius. Medici hanc quoque ſolam ſenſibilitatis conditionem exigunt. Definiunt ſiquidem nonnulli ſignum, eſſe ſenſibile, quod ſenſui ſe offerens intellectui aliquid relinquit: & inſuper inter ſigna cauſas procatarticas vocatas reponunt. Ex illis enim conjecturant Medici internos corpo-

(a) *De ſignis dicitur.*) Huic illuſtrando inſerviunt, quæ de la CHAMBRE dans les caracteres des paſſions chap. I. p. 3. habet: *Les caracteres des paſſions*, inquit, *& des habitudes etant les marques des mouvemens & des deſſeins de l'ame, en ſont auſſi les effets, comme nous avons dit: mais parce qu'il y a deux ſortes de ces effets, ceux qui ſe font en l'ame, & ceux, qui ſe font ſur le corps: il y a auſſi deux ſortes de caracteres; dont les uns ſont Moraux & les autres corporels. Car ſi l'on conſidere un homme, qui eſt en cholere, la violence paroit en toutes ſes actions, ſes paroles ſont pleines d'injures & de menaces, il crie, il court, il frappe, la raiſon & les remonſtrances l'offencent, & il ne connoit plus d'amis, que ceux, qui favoriſent ſa paſſion. D'un autre coté ſon viſage s'enflamme, ſes yeux etincellent, ſon front ſe ride, ſes paroles s'entrecoupent, ſa voix devient affreuſe, ſon regard farouche, & tout ſon maintien furieux. Voila donc deux ſortes d'effets, & deux ſortes des caracteres, dont les uns conſiſtent aux actions morales, & les autres au changement & en l'alteration du corps.* Signa illa variie diſtinguuntur in cauſalia, & non cauſalia, & hæc iterum in naturalia & moralia. Quamvis alii rejecta diviſione in cauſalia & non cauſalia, ea tantum in phyſica & moralia diſtinguere malint. Vid. WALCHII *Diſſ. citat.* §. 7.



Digitized by Google

corporis affectus: qui ſane pro *temperamentis*, (*a*) *pro victu*, (*b*) *pro qualitate regionis* (*c*) & anni, proque hujusmodi aliis variant. Ego quoque in hac amplitudine *ſigna nunc morum* (*d*) accipiam: quæcunque ſcilicet obvia cum ſint ſenſui, intimos animi mores, vel latentes indicant affectus, ſive rationem habeant ad illos cauſæ, ſive effectus, ſive aliam ejusmodi quampiam. Ita ſit potius deſcriptum, quam definitum Signum morum: exacta vero Signi definitio aliunde petatur. Poteſt vero & aliter deſcribi. Signum nempe eſt ſenſibile quippiam, quo exiſtente, vel facto, mos certus ſubeſt, vel neceſſario vel probabili nexu. Dico vero neceſſario vel probabili nexu; ut a neceſſitate abſtraham, quæ vix unquam in ſignis morum reperitur.

## §. II.

### SIGNA DIVIDUNTUR TRIFARIAM: CUM SIGNUM EST CAUSA EFFECTUS, CUM EFFECTUS EST SIGNUM CAUSÆ, CUM EFFECTUS EST SIGNUM EFFECTUS.

Quoniam ergo Signum eſt, quo exiſtente aut facto, mos ſubeſt; conſiderandum eſt triplicem eſſe nexum rerum ſeſe inferentium. Primo enim loco cauſa infert effectum: ut rationale infert riſibilitatem. Secundo effectus infert cauſam: ut riſibilitas rationalitatem. Tertio effectus infert effectum, ut ab eadem cauſa ſimul pendent: veluti docilitas ſcientiarum infert riſibilitatem, & viciſſim; quippe cum ambæ rationalitatem continuo conſequantur. Tria hoc modo erunt ſignorum genera. Primum, cum cauſa ſenſibus ipſis conſpicua, ſignum erit effectus latentis. Secundum, cum effectus contra conſpicuus, erit ſignum cauſæ latentis. Tertium, cum effectus notus, ſignum erit conjuncti & latentis effectus. Id vero fit, cum ambo effectus ab eadem cauſa neceſſario vel naturali nexu pendent; qui nexus ſi lateat, is tum emergit tacitus rerum conſenſus, qui præſertim Sympathia Græcis dicitur. Verum tertium hoc ſignorum genus rarius eſt, vel ſaltem ejus uſus rarior eſt in moribus dijudicandis. Notabimus tamen & præmonebimus: Signum, quod eſt cauſa vel inſtar cauſæ ſe habet, & Signum, quod eſt effectus vel inſtar effectus ſe habet, hic accipi tanquam vera cauſa & verus effectus; non enim ſumma acrivia adhibebitur veræ cauſæ, & veri effectus dignoſcendorum.

## §. III.

### SIGNUM DIVIDITUR, UT SYLLOGISMUS EJUS, QUI IN PRIMAM, AUT SECUNDAM, AUT TERTIAM FIGURAM RESOLVITUR.

Modo vero ſingula hæc genera triplicem eam ſuſcipient rurſus diſtinctionem ſignorum, quam memorat Ariſt. 2. *Priorum Analyt. cap. penult.* Aut enim in primam figuram reducuntur, aut in ſecundam, aut in tertiam. Cum in primam, efficaciter concludunt; cum in reliquas, efficacem haud concluſionem obtinent, ſed probabilem tantum. Rem exemplis moralibus declaremus, quam aliis explicuit Ariſtoteles. Si quis ergo ſe pro aliis morti exponit, ut Pylades pro Oreſte, eſt hoc ſignum veri amoris, & reducitur ſyllogiſmus in primam figuram hoc modo;

Omnis, qui ſe exponit morti præſenti & certæ, pro alterius ſalute, illum vere amat.
Pylades ſe exponit morti præſenti & certæ pro ſalute Oreſtis.
Ergo Pylades vere amat Oreſtem.

Unde & penes Euripidem Iphigenea exclamat:

-- -- -- & amicis integer amicus.

At cum ex pallore conjicimus aliquem timuiſſe, in ſecundam figuram reſolvitur ſyllogiſmus, inefficaxque eſt. Ex duabus enim affirmativis reſultat hunc in modum:

| | |
|---|---|
| Omnis, qui timet, pallet.<br>Hic pallet.<br>Ergo hic timet. | } Veræ ambæ, at non convertitur major. |

Quod

(*a*) *Pro temperamentis.*) Quid animi qualitates & potentiæ temperamentis debeant, eleganti Diſſertatione HOFMANNUS, Hallenſium Medicus celeberr. docuit. Cui jungi poteſt CAMILLUS BALDUS de *humanarum propenſionum ex temperamento prænotionibus*, nec non Commentatores, qui Galeni librum de temperamentis, commentationibus ſuis illuſtrarunt, ut ſunt: ACCOROMBONUS, CRATO a KRAFTHEIM aliique, qui recenſentur in LIPPENII *Bibliotheca reali medica pag.* 443. 444. Conf. *L'examen des eſprits pour le ſcience* par JEAN HUARTE *chap.* 4. 5. 6. 7.

(*b*) *Pro victu.*) Hic experientia compertum habemus, raro qui durioribus & ruſticanis nutriuntur cibis & levidenſi potu, excellentium ingeniorum numero eſſe. Nam ex boni ſucci cibis venit bonus ſanguis, & ex bono ſanguine bonum temperamentum. Vide RANZOVIUM in libello *de conſervanda valetudine*, in privatum liberorum ſuorum uſum conſcripto, *cap.* 7. & 8. De differentia alimentorum agit etiam citat. HUARTUS *p.* 466. *ſeq.* multaque huc ſpectantes obſervationes reperiuntur in SANCTORII Aphoriſmis *de Statica medicina.* Paris. 1725. in 12. 2. Vol. Problema, cur edaciores ſimus autumnali tempore, quam æſtivo, ſolvit egregie PLUTARCHUS *Probl. Sympoſ. Decade* 2. *Probl.* 2. *T.* I. *Oper. edit. Baſil. p.* 200, *n. C.*

(*c*) *Pro qualitate regionis.*) Conf. BODINUS in methodo hiſt. cap. V. *de recto hiſtoriarum judicio.*

(*d*) *Signa nunc morum.*) *Eſt character*, inquit BOECLER *in progymnasmat. rhetor. T.* I. *Operum p.* 408. *nihil aliud, quam deſcriptio hominis boni aut mali per notas ſive per morum actionumque ſpecimina. Auctor librorum ad Herennium reddit latine: notationem.* De proprio ſignificatu characteris, vide WERNSDORFII Diſſ. *de characteribus gentium.* §. I.

Digitized by Google

Quod ſi ex eo, quod Hector balbus fuit & fortis, colligat quis, omnem balbum fortem eſſe, in tertiam figuram reſolvitur.

Hector eſt fortis:
Hector eſt balbus;
Ergo omnis balbus eſt fortis.

Qui quidem ſyllogiſmus expoſitorius eſt, adeoque particularem concluſionem efficaciter concludit, ſcilicet: ergo aliquis balbus eſt fortis. At univerſalem nequaquam; eſt enim contra regulas figuræ.

### §. IV.
### UT SIGNA, QUÆ IN SECUNDAM ET TERTIAM FIGURAM RESOLVUNTUR, ROBUR SUSCIPIANT.

At poſtrema hæc duo genera ſignorum (ſcilicet, quæ in ſecundam & in tertiam figuram reſolvuntur) licet neceſſario non concludant, poſſunt tamen robur ſuſcipere, ſi non neceſſitatis maximæ, tamen probabilitatis, ſi tertium quid per plura iteretur ſingularia. Verbi gratia ad colligendam univerſalem hanc concluſionem: Omnes, qui vocem magnam habent, ſunt fortes: quis argumentetur, quod Franciſcus Sfortia magnam habuit vocem & fuit fortis, Gottifredus Bullionius itidem (unde Taſſus;

*Conoſce il popol ſuo l' altera voce.*)

Joannes quoque Mediceus Coſmi filius dux & bellator fortis, vocem itidem magnam habuit Ergo omnes magnam vocem habentes, fortes ſunt. Probabilitas ita concluſionis augetur; ſique tota inductio expleri poſſet, neceſſaria evaderet.

Secundum autem genus ſignorum, quod pluribus eſt commune, robur ſuſcipit, ſi aliquod membrum excludatur. Verbi gratia, in eodem exemplo permanendo palloris. Cum ſit is communis & timenti, & amanti;

(*Palleat omnis amans*) & frigeſcenti, & iraſcenti interdum, ægrotanti præterea; ſi concludatur ex pallore timor ſimpliciter abſoluteq; neq; neceſſitatem ullam habet concluſio, neq; probabilitatem, niſi admodum refractam. Quod, ſi oſtendatur, qui pallet non amare, gradus aliquis accedit probabilitatis. Creſcit autem, ſi neque ægrotare monſtretur. Quod, ſi omnia alia membra præterquam timoris tollerentur, argumentum evaderet neceſſarium ex numeratione ſufficienti partium.

Aliunde hoc ſecundum ſignorum genus confirmatur: nempe ſi plura congeramus ejusdem generis ſigna. Vagari noctu, eſt ſignum commune adulterii: ſed convenit & aliis, ut furi. Ornatus veſtium eſt ſignum & ipſum adulterii commune. Singula debilem fidem adulterii faciunt, at ſimul congeſta majorem, quo plura vero conjungimus ſigna, eo magis intenditur vis rationis. Unde quæſitores ſcelerum ejusmodi aggerationem ſignorum pro vehementi indicio peccati ac facinoris reputant interdum, indeque indicia ad torturam usque deſumunt. De quibus Ariſtot. 1. *Rhet. cap.* 12. & Cicero, & Quintilianus. Verbi gratia, apparatus, colloquia, locus, rubor, pallor, titubatio, & cœtera ejusmodi perturbationis ſigna ſunt. Ex his autem ſignis, quæ Rhetores communia vocant, reſolvitur ſyllogiſmus in ſecundam figuram.

*Ars tota repræſentatur.*

# CAPUT TERTIUM
### §. I.
### VIA DOCTRINÆ, ET SECTIO TOTIUS OPERIS IN SUA MEMBRA.

Artem nunc totam repræſentemus, eo facto principio, quod ab initio diximus: nihil corde humano obſcurius eſſe, nihil imperſcrutabilius, ſacris id aſſerentibus literis; *Pravum eſt cor hominis & inſcrutabile. Quis cognoſcit illud? Ego Dominus ſcrutans cor*, (*a*) *& probans renes.* Sunt tamen *probabilia aliqua indicia*, (*b*) quibus mores, nedum naturales propenſiones, ſcilicet conjicere poſſimus. Quod paſſim tentant Phyſiognomi, ſed mores jam acquiſitos, vel in diſpoſitione adhuc

(*a*) *Dominus ſcruatans cor.*) De his egregie profecto loquitur PLUTARCHUS in Libro *de ſera numinis vindicta*, Operum. T. I. edit. Baſil. p. 230. n. D. *Perturbationum & affectuum diſcernere ac præſcire ſimilitudines, priusquam aperte paſſionibus in nefanda erumpant ſcelera, ac manifeſte cernantur, non humanæ virtutis, ſed divinæ potius ſapientiæ opus eſſe dignoſcitur. Etenim urſorum, luporum, ac ſimiarum catuli confeſtim adhucque impuberes, a nemine præterquam a natura inſtincti ſeu edocti, generis referunt ac repræſentant mores. At humana natura, moribus, doctrina & legibus conſtricta, ſæpius ſcelera occultat, ac probitatem honeſtatemque præ ſe ferre videtur, ita ut penitus innatam pravitatis maculam delevisſe ſceleraque fugaſſe credatur. - - - At Deus uniuscujusque affectum & naturam haud ignorat, utpote qui magis animæ, quam corporis ſcrutator exiſtit.*

(*b*) *Probabilia aliqua indicia.*) Hunc locum fuſe integro paragrapho XII. citatæ Diſſertationis illuſtrat WALCHIUS, ubi inter alia memorat, veritatem, quam quærimus, tantum ex convenientia ſignorum cum ipſa quadam indolis ſpecie colligi; ſed tamen convenientiam hanc haud neceſſariam eſſe, adeoque minus certam gignere poſſe cognitionem. Egregia quoque ſunt, quæ BARCLAJUS *in Icone animorum Cap. XII.* hanc in rem adfert: *Ingenium*, inquit, *utplurimum multo receſſu abditum, non utique poteſt ſine longa prudentia ſedulitate deprehendi. Ideoque, qui exprimis indiciis de hominum moribus ac indole judicare non verentur, ipſi ſe in longiſſimos errores plerumque impediunt.*

adhuc, vel habitu. Sunt etiam, quibus tectos & compreſſos affectus conjectemus. Totam artem hoc ego opere complector. Ut in reliquis autem morum medicina corporum medicinam imitatur, ita in hac quoque de ſignis parte valde eam exprimit. Duplici via latentes morbos & affectus corporis indagant Medici: duplici pariter via procedet noſtra hæc indago. Ex cauſis ſcilicet procatarticis illi inveſtigant morbos. Sunt autem cauſæ procatarticæ, cibus, potus, æſtus aëris, aut rigor, ejusmodique aliæ cauſæ morbos præcedentes non neceſſario inferentes: nam pro victu, exercitationibus, aëris ſtatu, conjiciunt Medici, ſitne calidus morbus, an frigidus; eſtque hæc prima eorum indago. Inveſtigant præterea ex affectibus, ac poſterioribus ſignis, ex pulſibus ſcilicet, urinis, excretionibus, reſpiratione, & id genus aliis, morbi itidem naturam & ideam; eſtque hæc ſecunda, ſed præſtantior indago; quæ tamen, ſi cum alia conjungatur, majorem fidem aſſequitur. Simillime ergo morum indago duplex eſt. Alia procedit ex morum cauſis ad eos inveſtigandos; alia ex affectibus, & poſterioribus ſignis: quæ diviſio quoque in latentium affectuum indagine locum habebit. Sejunximus nos methodi partes; & *primam*, quæ eſt ex morum cauſis, in ſeptem priores libros digeſſimus; *ſecundam*, quæ eſt ex effectibus poſterioribusque ſignis, in octavum & nonum: *at* inveſtigationem latentium affectuum decimo & ultimo libro complexi ſumus. Hæc eſt ſumma diviſio operis.

§. II.

SUBDIVISIO PRIMÆ PARTIS METHODI, QUÆ EST EX CAUSIS.

Priorem partem nunc ſubdiſtinguamus. Cauſæ morum in ſuperioribus quoque libris numeratæ, *aliæ* ſunt naturales: temperamentum, conformatio partium, vel potius cauſa, ex qua hæc pendet, clima, ſolum, aer, & venti, ſitus, ætates: *aliæ* adventitiæ, nobilitas, potentia, divitiæ, fortunæ proſperitas, & contraria inſtituta vitæ ac ſtudia, ut vita otioſa & occupata, artes illiberales & liberales. Primo ergo loco cauſas ejusmodi ſingillatim diſtinctas, qui mores ſequuntur, expoſuimus. Verbi gratia, temperamento cæci mores (naturales ſcilicet) innituntur. Eſt autem temperamentum cordis multiplex, ut antea tradidi, & hic confirmabo. Ipſum diſtinguo, nedum ſecundum activas qualitates, caliditatem & frigiditatem, ſed ſecundum mollitiem etiam, & duritiem, nec non craſſitiem, denſitatem, atque his contrarias: præterea ſecundum magnitudinem & parvitatem. Deinceps, qui mores ſingulas craſes tum ſimplices, tum complicatas ſequantur, expono. De conformatione partium pariter in 1. hoc lib. Qui ex reliquis cauſis naturalibus mores oriantur, in 2. lib. declaro; qui ſcilicet ex climatibus, ſolo, aere, ac ventis (proindeque omnium nationum mores deſcribo) nec non etiam, qui ex ætatibus. Aſt adventitiarum cauſarum mores in 3. lib. explico: Nobilitatis, divitiarum, potentiæ, bonæ fortunæ, & contrariarum conditionum: item artium illiberalium & liberalium; ſingillatim, venationis, exercitationis ludicræ armorum, muſicæ, ſaltatoriæ, Philoſophiæ inſpectricis, Philoſophiæ activæ, Jurisprudentiæ, Rhetoricæ ac Poeticæ: demum diſciplinæ ſeu educationis publicæ ac privatæ. Ac oportet deinceps conferre tot variarum cauſarum ſequaces mores ſimul, in unumque componere. Quæ comparatio duplex. Vel enim omnes cauſæ ad eosdem mores conſpirant; verbi gratia, temperamentum, ætas, fortuna, ſtudium, educatio, ad morem venereum: vel in contrarios mores diſtrahuntur. Prior collatio facilis, ſeu facile eſt ex ea morum judicium. At ſecunda collatio difficillima. Tamen tentavi exhibere lancem, qua contraria cauſarum momenta, & ſeorſum perpendi, & inter ſe librari poſſent ad mutuam ſubductionem, ut qui prævaleant mores & quoto in gradu, ſupputari poſſit. Totam rem & praxin in quartum librum conjeci. Quoniam vero temperamentum, cui mores naturales innituntur, & potiſſimum cordis, latet, eſtque ex apertis ac in corpore conſpicuis notis eruendum: inſtinctus itidem ex conformatione partium ſingillatim deſcribendi, quæ Phyſiognomia præſtat, nos itaq; Phyſiognomiam in tres libros, quintum, ſextum, ſeptimum digeſſimus. Cum hac diſtinctione in quinto libro poſuimus ſigna temperamentorum cordis, cerebri & hepatis peculiaria propriaque: ex ipſis ſcilicet temperamentum conſequentes mores eliciuntur. In ſexto & ſeptimo, conformationem exteriorum partium, ac mores eam conſequentes primario declaravimus: interdum tamen, quod ex apparente decentia vel aliter colliguntur, licet minus efficaci indagine, adjecimus. In ſexto quidem libro, quæ partes inſtrumentariæ ac exteriores moribus concupiſcibili facultati inſidentibus ſcaturiginem præſtant, primo loco exponuntur, ſignaque ex illis morum eorundem eliciuntur. Deinde ad alias partes tranſitur, ad ſignaque ex illis prodeuntia, initio ducto a capite. Atque in reliqua libri parte caput, & facies, omnesque ejus particulæ, ac ſigna ex illis pendentia, pertractantur. In ſeptimo libro omnes infra mentum partes, actusque, & notæ ex illis morum deſcribuntur. In calce vero libri ejusdem, canones Phyſiognomicos ad methodum naturæ revocamus, in praximque ducimus: nec non ſubjicitur præmonitio, quod neque ſemper actio ſequitur morem, qui cæteris in oblato homine præſtat.

§. III.

PARS METHODI, QUÆ EX POSTERIORIBUS SIGNIS.

Secundæ modo partis, quæ ex poſterioribus ſignis ducitur, conſtitutionem præfiguremus. Signa morum a poſteriori in duplici ſunt diſcrimine, alia primaria ſunt, alia ſecundaria & annexa. Secundaria, ut ab his exordiamur, ſumuntur ex voce, ex motu corporis, ex motu partium, ex corporisque cultu. At ſigna primaria ex actione ipſa petuntur, tum ſcilicet exteriore, tum ex interiore appetitus ſentientis: ac præterea electio, quæ præſertim eſt moris indicium. Veruntamen ſemper in actione diſtinguere oportet, materiale & formale. Materiale autem non efficaciter morem ſimilem actioni ipſi demonſtrat. Hocque ex morali trutina: at ex legali,

Digitized by Google

ti, ſecus; ex hac enim, qui furatur fur exiſtimabitur, certus & manifeſtus. Attamen exterior ipſa furandi actio furem penes moralem Philoſophum furacemque morem non ſignant indicio certo. David enim fame, extremaque adeo neceſſitate compulſus, panes ſacros propoſitionis abſtulit, neque tamen fur, neque ſacrilegus fuit. Oportet ergo, non ſiſtere indaginem in materiali actionis, ſed ad formale conniti. In octavo libro hæc omnia explicantur; primo ſigna ſecundaria, & annexa usque ad octavum caput; inde de ſignis primariis usque per totum librum. Ad calcem, praxis methodi Ciceronis exemplo, ex Epiſtolis ad Atticum longa ſerie petito, exponitur. Omnia vero in octavo libro circumſcripta, fallaciæ ac ſimulationis conſideratione traduntur. At quoniam fallacia fictiove frequentiſſima eſt in homine, ideo de ea in toto nono libro agitur. Ubi *primo* diſtinguitur multis modis, interque cœtera membra ea eſt, quæ peculiari nomine obtentus, prætextusve dicitur. *Secundo* poſtea loco quot modis detegi poſſit, vel ſaltem tentandum ſit detegere, in reliqua parte libri diſſeritur. Sunt autem undecim capita methodi, quæ ad retegendam fallaciam conducit, ex perſona quæ agit, ex ea, qua cum agitur. Duo hæc ſunt. At ſex alia pendent ex modis, quibus adduci poteſt ſimulator diſſimulatorve ad veritatem aperiendam. Interdum vero is allicitur, interdum impellitur. Tria alia ſunt ex velamento ipſo fictionis ac fallaciæ; cum ſcilicet perlucet ipſum per ſe: cum ex prodeunte affectu diſrumpitur: cum ex ſuperveniente ſcinditur, ac diſjicitur. Ita methodus morum indagandorum, atque utraque ejus pars abſolvitur. Reſtat indago affectuum latitantium.

### §. IV.
### INDAGO LATITANTIUM AFFECTUUM

Poſtrema pars eſt methodus detegendi latinantes affectus; interdum enim quis premit amorem, odium, iram, dolorem, voluptatemve, aut affectum alium quempiam. Ita Antiochus premebat amorem erga Stratonicam. Methodus affectuum ejusmodi detegendorum, poſtremo loco & libro traditur, ſcilicet decimo, in quo *primum* ſingulorum affectuum ſigna deſcribuntur ſeorſum: *ſecundo* loco canones præcedentis methodi ad hanc indaginem contrahuntur: *tertio*, ut ex cauſis affectus ipſi elici ac erui poſſint, ratio traditur, quæ methodus in ſupplementum ejus, quæ ex ſignis eſt, cedit. Poſtremo methodus, ac indago tota in praxin exemplo Tiberii ex Tacito adducitur, nec non exemplo Porſenæ ex Livio. Quibus exemplis ac praxibus ſubjiciuntur ea, quibus Galenus refert, ſe deprehendiſſe mulierculam amore correptam, & progreſſus ejus in examen revocatur.

# CAPUT QUARTUM.

## *Repetuntur, quæ antea de morum ex temperamento differentiis dicta ſunt, & aliqua latius aliquanto confirmantur.*

### §. I.
### SIMILITUDO INTER MORES ET AFFECTUS.

Primo itaque loco de *temperamentis* (*a*) agendum diſpiciendumque eſt, qui mores quod temperamentum ſequantur. Idem antea in libris communibus de Affectibus expoſuimus, tum de partium ſolidarum temperamento agendo, tum de temperamento humorum, tum de temperamento ſpirituum. Quorum illis, quæ de ſpiritibus, non eſt quicquam nunc adjiciendum: illis, quæ de humoribus, parum quid: at iis, quæ de partibus ſolidis, diſtinctio amplior eſt neceſſario adjungenda, quam in ſecunda parte polliciti ſumus. Antequam vero eam tradamus, animadvertendum eſt, in libris de Affectibus in communi, in quibus de temperamentis ſanguinis & ſpirituum egimus, deque conſequentibus moribus, nos quidem *cauſas affectuum, non morum* (*b*) præcipue quæſiviſſe, attamen ob nexum rerum, ſermonem tum quoque ad mores delapſum.

(*a*) *Temperamentis.*) Secundum Ariſtotelicos temperamentum non eſt ſimplex aliqua qualitas, a quatuor primis qualitatibus diſtincta, ſed ipſæ primæ qualitates refractæ, aut potius earum conveniens mixtura & complexio. Aſt longe aliter de temperamento ſentiunt recentiores. Dicunt enim, temperamentum eſſe diſtinctam quandam qualitatem ab elementorum qualitatibus Sic CARTHESIUS & REGIUS nullas occultas qualitates agnoſcentes, temperamentum nec qualitatem ſimplicem, nec qualitatum primarum mixturam aut complexionem dicunt; ſed illis eſt particularum inſenſibilium ſecundum variam magnitudinem, ſitum, figuram, motum, quietem, congreſſus aut confluxus ad partes corporis ſenſibiles conſtituendas. Conf HERBOORT *in philoſ. naturali p.* 146 *ſq.* Et de qualitatibus inſenſibilibus, occultis dici ſolitis STURMIUS *in phyſica electiva ſive hypothetica T. I. cap. 9. p.* 443. *ſq* De elementis autem, & quæ de iis veterum & recentiorum ſit opinio, videndus JACOB ROHAULTUS *in tract. phyſico cap* 19. 20. 21. AUG FRID. MULLER, in *Introd. ad Phyſicam*, germanice nuper edita. Id ſaltim adhuc memoraſſe juvat, litem, quæ inter Ariſtotelicos & Carthesianos de occultis eſt qualitatibus, nihil quam logomachiam videri, cum occultæ qualitates Ariſtotelicis nihil aliud ſunt, quam illæ, quorum nulla per ſenſus notitia habetur: omnis enim cognitio ſecundum illos fit mediantibus ſenſibus. Aſt quid ſunt aliud Carthesianorum qualitates inſenſibiles, quam quæ in ſenſus non incurrunt. Sed revertamur ad temperamentum, quod dividunt in æquale & inæquale, item in cholericum, ſanguineum, melancholicum & phlegmaticum; cholericis paſſionem dominantem ambitionem, ſanguineis voluptatem, melancholicis avaritiam tribuentes Phlegmaticis vero ob humorum copiam & ſanguinis paucitatem, forte dominans non adſcribenda erit paſſio, & ſi forte alicui præ ceteris magis addicti ſunt, id haud dubie avaritia erit. Videntur tamen hi minus, quam par eſt, ex paſſionibus habere & ſic omnia ſomnolenter agere, niſi ex alio temperamento notabilis quædam adſit mixtura.

(*b*) *Cauſſas affectuum, non morum.*) Quamvis experientia conſtet, corporis naturam ac ſanguinis motum, multum ad affectuum gradum & augendum & minuendum conferre, ea tamen, quæ vulgaris doctrina de temperamentorum nexu cum indole animi tradit, quod iſta propenſiones, quæ nobis per vim habitus inſunt, ambitionem,

lapſum. Etenim nihil aliud eſt *mos*, (*a*) quam vel propenſio ad aliquem affectum, qui mos eſt naturalis, vel diſpoſitio ad affectum aliquem aſſuetudine contracta, qui eſt mos moralis & acquiſitus. Hoc vero ſubjunxi, ne cum modo de moribus, tunc de affectibus argumentum fuerit, alieno ex loco eorum, quæ nunc tractantur, cauſa peti crederetur. Reſtat, ut quod antea ſumpſi, unicaque ratione ſtrictim probavi, latius demonſtrem & confirmem: ſcilicet ex ſolo cordis temperamento per ſe & primo mores naturales procedere, ex ejusque varietate variari; naturales, inquam, quoniam de morali & acquiſito more ea ſemper eſt retinenda libertatis noſtræ hypotheſis, quam ſupra, nedum atteſtati ſumus, ſed etiam demonſtravimus.

## §. II.
## SOLIUS CORDIS TEMPERAMENTUM, AD MORES PER SE AC PRIMO SPECTARE.

Solius ergo cordis temperamentum ad mores vere ac per ſe ſpectare probatum antea fuit, eo quod *cor* (*b*) eſt ſubjectum affectuum & propenſionum ac diſpoſitionum ad effectus, inſtrumentumque primum. Rationem nunc explico ac dilato. Primo autem repetendum eſt ex ſuperioribus: temperamentum cordis, quod nunc dicitur, eſſe ſecundum partes ejus ſolidas ac ſpiritus complantatos; nam ſecundum ejusmodi partes ac ſpiritus, erat cor ſubjectum ac primum ſenſiterium, inſtrumentumque appetitus ſentientis. Functio autem quæque animalis non perturbatur, nec permutatur ob corporis alterationem, niſi ex variatione ſumet inſtrumenti per ſe ac primo. Quod inductione patet: Non alteratur *ſenſus viſus* (*c*) ob alterationem corporis ejusque temperamenti per ſe & primo, niſi ex temperamento oculi mutato, vel quoquo modo ſenſorio ipſo viſus alterato: nec ſenſus auditus, niſi ex auditorii ſenſitoriique permutatione: idem de *guſtu, odoratu, tactuque* (*d*) dixeris. Non perturbatur autem operatio alicujus ſenſus ex alterius partis corporisque ſenſorii perturbatione, niſi ob conſenſum & ſecundario: quatenus nempe ex læſione ejusmodi partis, conſenſu quopiam, ſenſorium ipſum vitiatur aut læditur. Pariter ergo mores & propenſiones non variant ob alterationem corporis, niſi ob alterationem cordis primo & per ſe: ex accidenti tamen ſecundarioque aliarum etiam partium temperamentum morum varietatem facit, ut ad cordis alterationem pertingit. Exempli gratia: *thorax carnoſus* (*e*) ad audaciam

---

nem, voluptatem & avaritiam producant, dubia omnino ſunt, nec omni exceptione majora. Quot enim reperiuntur cholerici temperamenti, qui in venerem proclives voluptati ſeſe [illegible]rumpendos tradunt. Quis magnanimior Alexandro? *Sed utprimum*, inquit CURTIUS *Lib. VI. c.* 2 *inſtantibus curis laxatus eſt animus, militarium rerum, quam quietis otiique patientior, excepere eum voluptates, & quem arma Perſarum non fregerant, vitia vicerunt. Intempeſtiva convivia, & perpotandi pervigilandique inſana dulcedo, ludique & greges pellicum, omnia in externum lapſa ſunt morem.* Ambitio & avaritia arctiſſimo ſæpiſſime vinculo conjunctæ eſſe ſolent; ut ex egregio Salluſtii de Bello Catilinar. Cap. X. loco eſt videre: *Primo pecunia*, inquit. *dein imperii cupido crevit. Ea quaſi materies omnium malorum fuere. Namque avaritia fidem, probitatem, ceterasque artes bonas ſubvertit, pro his ſuperbiam, crudelitatem, deos negligere, omnia venalia habere, edocuit. Ambitio multos mortales falſos fieri ſubegit.*

(*a*) *Mos.*) Cum hac definitione accuratiſſime convenit ea, quam nobis SCHRADERUS in ſuo *Comment. ad Rhetor. Ariſtotelis Lib, II. Cap.* 12. *p.* 351. ſiſtit: *Mores*, inquiens, *hic non ſignificant ipſos vitiorum virtutumve habitus, ſed quiddam habitum, affectum, ætatem & fortunas hominum conſequens, dum indolem atque inclinationem iſtinc ortam ſecuti homines, hoc probant in vita, illud damnant, hoc eligunt, illud fugiunt* Conciſius PLUTARCHUS in libello *de virtute morum* Oper. T. I. p. 14. *Sunt*, inquit, *mores qualitas animi ratione vacantis.*

(*b*) *Cor.*) Comprobat hoc ſacra ſcriptura diverſis in locis, in primis in illo: *Ex corde proveniunt turpes cogitationes, homicidia, adulteria, ſcortationes, furta, falſa teſtimonia, calumnia.* Matth. c. 15. v. 19. *Cogitationes & appetitus cordis humani perverſi ſunt ab ineunte ætate.* I. Moſ. 8. v 21. Ex quo dicto moderni Philoſophi duas animæ facultates, intellectum & voluntatem eruere allaborant. Voluntates autem humanas nihil aliud eſſe, quam concupiſcentias in corde, docet THOMASIUS *in fundament. I. N. & G. L. I c.* I. §. 34 *ſq.* Huc & ſpectat illud: *Cujus cor eſt plenum, eo os abundat.* De admiranda cordis ſtructura vide ROHAULTUM in *Phyſica* P. 4. cap. 4. p. 180. ut & HEISTERUM noſtratem experientiſſimum in *Compendio Anatomico* Cor autem primum in omni animali gigni, docet PLINIUS SECUNDUS in *hiſtoria mundi L. X. cap.* 53. *p.* 254. edit, Francoſ. de anno 1599. & L. XI. cap. 37. p. 283. ubi ſequentia occurrunt: *Cor primum naſcentibus formari in utero tradunt: deinde cerebrum, ſicut tardiſſime oculos. Sed hos primum emori, cor noviſſime. Huic præcipuus calor. Palpitat certe & quaſi alterum movetur intra animal præmollı firmoque opertum membranæ involucro, munitum coſtarum & pectoris muro, ut pariat præcipuam vitæ cauſſam & originem.*
- - *Ibi mens habitat. &c.*

(*c*) *Senſus viſus.*) Experimenta phyſica & optica de viſu occurrunr in ROHAULTI *Phyſica P. I. c.* 32. 33. *p.* 180. *ſq.* & CLAUDII FRANC. *Millets de* CHALES *mundo mathemat. T. II p.* 342. *ſq.*

(*d*) *Guſtu, odoratu tactuque.*) Veteres Philoſophi unanimi ore quinque ſenſus ſtatuerunt. Adſcribam ſequentia ex AULO GELLIO *in Noct. Attic. L. VII. c.* 6. *Ex quinque his ſenſibus*, inquit, *quos animantibus natura tribuit, viſu, auditu, guſtu, tactu, odoratu, quos Græci* ὄψιν, ἀκοὴν, γεῦσιν, ἁφὴν, ὄσφρησιν *appellant, quædam animalium alia alio carent, & aut cœca natura gignuntur, aut inora inauritave. Nullum autem gigni animal Ariſtoteles dicis, quod aut guſtus ſenſu careat aut tactus.* Recentiores quidam omnia ad tactum referunt. Alii ſex faciunt ſenſus, tactu diviſo in ordinarium & venereum. Sed hæc proprie ad Phyſicam ſpectant, hancque in rem evolvi poterit HERBOORT, qui tam Ariſtotelicorum, quam Cartheſianorum de anima ſentiente ſenſibus dogmata refert *in philoſophia* ſua *naturali cap. XI.* Memini me in Fontanelli epiſtolis lepidum quid obſervaſſe, quo femina illuſtris Cartheſianum quendam, animam brutorum ſenſitivam in mechanico motu conſiſtere aſſerentem, coarguit: dicebat enim, ſi duo jungerentur horologia, tertium inde non provenire, quod ſi vero canis maſculus cum cane femella venereo copularetur nexu, ſimile quid tertium inde proficiſci, Ceterum de differentia inter ſenſiones, ſenſum communem & cogitationes agit Thomaſ. in *fund. I. N. & Gent. L. I. c. I.* §. 17. *ſq.*

(*e*) *Thorax carnoſus.*) Huc faciunt, quæ HORATIUS *Lib. I. Od. c.* 3. *canit*:

Illi robur & æs triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commiſit pelago ratem
Primus, nec timuit præcipitem Africum,

& OVIDIUS:

- - Tua ſunt ſilicis circum præcordia venæ.

Digitized by Google

ciam inclinat, quatenus caro ejus loci calore ſuo calorem cordis obauget. At ſi nihil inde temperamentum cordis permutaretur alteraretur que, nullam quoque morum differentiam faceret.

§. III.

### VARIORUM ARTUUM (a) TEMPERAMENTUM SÆPE NON SPECTARE AD MORES.

Expoſito fundamento, & ex illis, quæ antea quoque diximus, fit, ut temperamentum artuum (de inſito loquor, quod conſpicuum eſt) ad mores non ſpectet, ut plurimum. Etenim neque ad cordis temperamentum pertingit, ut plurimum; cum neque illi plerumque reſpondeat, & aſſimiletur; neque enim temperamento reſpondet influenti, quod ex corde præſertim emanat. Probavimus exemplo, ſeu expoſitione Antonii & Dolabellæ: nunc confirmo idem ex Rogerio Normanno Apuliæ domino, ex Alphonſo Arragonio Rege neapolitano, & *Carolo Emanuele* (b) nunc Sabaudiæ Duce: qui diſparis longe corporaturæ, permultum tamen ſunt ſimiles; omnes enim acuto ingenio benignoque, & fortes, & bellicoſi, illi fuerunt, & hic eſt. Attamen Rogerius fuit alto & craſſo corpore, Alphonſus ſtatura mediocri, Carolus Emanuel eſt infra mediocritatem, & gibboſitate nonnihil laborat. Artus ergo ſuo inſito temperamento non pertingunt ſuapte natura, ac reflexa ad cor usque. Quomodo tamen ex illis morum indicium ſumatur a Phyſiognomis, ſumique poſſit (ſumi autem a conformatione potius, quam a temperamento intelligemus infra capitulo ſeptimo, quidquid ſit conformatio) ſimul in parte Phyſiognomica, ſcilicet libro quinto & ſexto hujus quartæ partis, tradam uberius.

§. IV.

### QUÆ PARTES SUO TEMPERAMENTO, CORDIS TEMPERAMENTUM EX CONSENSU AFFICIANT.

Ut autem artus non ſuapte natura ad cordis usque temperamentum pertingunt, ita viſcera, cerebrum præſertim & hepar illuc usque influunt refluuntve. *Hepar* (c) quidem, ut ſanguinem ſuo temperamento frigidum calidumve gignit, qui poſtea influens in cor, ipſum afficit, & materiam quoque ſpirituum generandorum frigidiorem juſto aut calidiorem ſuppeditat, unde ſpiritus pariter frigidiores calidioresve facti, cordis aut incendunt calorem aut refrangunt. Coles, coleique magnum cum corde conſenſum obtinent, ut Ariſtoteles fatetur *de Part. animal. cap. ult.* & experientia ipſa docet. *Execti enim homines* (d) valde effœminantur & voce, & ore, & plerusque animo ac moribus. Unde Narſetis virtus eo admirabilior fuit, quo erat Eunuchus.

# CAPUT QUINTUM.

## *Varia cordis temperamenta & differentiæ.*

§. I.

### IN CORDE CONSIDERANTUR PRIMÆ, ET SECUNDÆ QUALITATES ET FIGURA.

Temperamenta varia cordis, variamque ejus conſtitutionem diſtinguamus, quique mores ſingillatim eam ſequantur varietatem, declaremus, Verum rem antea indicavimus libro ſecundo

(a) *Variorum artuum.*) Licet ex corporis habitu colligamus temperamentum, cholericum inde tamen non ſemper mentis indolem poſſumus perſpicere. Unde PHÆDRUS appoſite admodum dicit: *Non ſemper ea ſunt, quæ videntur.* Prima *frons decipit multos; at rara mens intelligit, quid cura interiori condiderit angulo,* Unde patet, quam infirmo nitantur talo pervulgata iſta proverbia, a gibboſis, brevibus pedibus, lumine læſis, crine rubris, ore nigris hominibus nobis cavendum eſſe, quæ ſigna MARTIALIS *Lib. XII. Epigr.* 54. conciſo verſiculo incluſit. Enimvero illi, qui ſignis quibusdam certitudinem moralem tribuunt, bona aut perverſa educatione vitæque habitu, diverſitatem aliquam induci poſſe, tradunt, cum tamen eadem, quæ corpori humano impreſſa ſunt ſigna, maneant. Vid. THOMASIUM in *fund. I. N. & G. L. 1. c.* I. §. 18. Quod autem homines affectus ſuos ſæpe diſſimulare poſſint, experientia conſtat, atque ſic ratiocinatione opus [illegible], & penetratione ad dijudicanda ſigna affectuum genuinorum & ſimulatorum. Huc ſpectant, quæ LIVIUS *decade* I. *Lib.* I. de Bruto habet: *Juvenis longe alio ingenio, quam cujus ſimulationem induerat.*

(b) *Carolo Emanuele.*) Hic auctori noſtro impenſe laudatus, id quod de gibboſis dicitur, nimirum quod enormi laborent faſtu, dolisque ſint pleni, ſuo comprobaſſe aliquo modo videtur exemplo. Vide l' hiſtoire du regne de Louis XIII. par le Vaſſor T. I. p. 136.

(c) *Hepar.*) Antiquorum ſententiam, quod ſanguis in jecore generetur, explodit ROHAULTUS *in Phyſica P. IV. c. 21. 22. p.* 211 Recentiores vero cordi id adſcribunt, quorum anteſignanus GUILIELMUS HARVEUS, qui circulationem ſanguinis, teſte Morhofio *Polyh. T II. L. II. P. II c. XLVII.* § 4. primus in medium adduxit. Quam ſententiam quoque ſequitur Cel. HEISTERUS noſtras, qui hepar dicit *in Comp. anatom. p.* 68. *viſcus maximum rubicundum in dextro hypochondrio ſitum, bilis ſecretioni deſtinatum.* Aliam opinionem fovet ROHAULTUS *l. c.* inquiens: *veriſimilius eſt, chylum ruborem contrahere ab immutatione inducta, per ebullitionem & æſtum cordis, in illius figuram & collocationem partium: eoque pacto, cor ad ſanguinis generationem non aliter fere concurrit, quam piſtori ſtipes ad paſtæ confectionem.* Varia ſcripta edita ſunt tam pro hepate, quam pro corde, a THOMA BARTHOLINO, LUD. BILSIO, & tam pro, quam contra circulationem, quorum hiſtoriam recenſet MICH. WATSON IUS *in unione ſapientiæ.*

(d) *Exſecti homines.*) His adſtipulatur ALEXANDER APHRODISEUS in *quæſt. phyſicis n* 97. *Spadones*, inquit, *acuta ſunt voce, quia humiditatis abundantia arteria iis in amplum minime protenditur. Caliditatis enim officium eſt, meatus in amplum relaxare. Ut erga anguſta tibia acutum edit ſonum, ſic & aſpera arteria.* Idem APHRODISEUS l. c. n. 6. rationem reddit, cur ſpadones ocyus caneſcant, quod ſcilicet ſemen non edant, ſed excrementum, quo ſemen gigni debuit, per univerſum corpus una cum ſanguine diffundant. Id autem, utpote pituitatis naturam habens, canitiem accelerare. Qui & n. 7. de eo, cur ſpadones pilis careant, & n. 8. cur iis utplurimum pedes diſtorqueantur, evolvendus, Argumenta ipſius Medici ſub examen vocent,



Digitized by Google

ſecundo de affectibus: id in præſentia ſolum exigitur, ut planius ſeparemus, quæ tum conjunximus atque confudimus. In corde ergo conſiderare *primo* poſſumus qualitates primas, præſertim activas, caliditatem & frigiditatem. Hæ autem in duplici ſunt diſcrimine: aliæ enim ex quatuor elementorum commixtione prodeunt, qua ſcilicet ſubſtantia cordis eſt mixtum quodpiam; aliæ ejusmodi mixto ſuperveniunt, ut jam conſtituitur corpus ac principium animale; eſtque calor innatus, qui dicitur, præcipuumque ac primarium inſtrumentum eſt animæ. *Secundo* loco conſiderandæ occurrunt qualitates ſecundæ, denſitas, raritas, durities, mollities, craſſities, tenuitas. *Tertio* loco figura ac magnitudo, parvitasque. Hæ enim ſingulæ differentiæ ac complicatæ differentias varias morum faciunt. Galenus tamen ſolum primas qualitates propoſuit ac conſideravit.

## §. II.
## COR SEMPER CALIDUM, LICET ALIQUANDO FRIGIDUM VOCETUR.

Cordis ſubſtantia eſt caro dura ex multiplicibus fibris conflata, muſculis quidem perſimilis, at differens tamen perſpicuis differentiis. Ita Galenus *cap. 8. lib. 6. de uſu partium.* Eſt quidem differentia fibrarum, quam ibi proſequitur: at eſt etiam differentia carnis; minus ſiquidem rubra videtur, quam caro muſculorum. Caro itaque, cum ſit ſubſtantia cordis, erit temperamenti per ſe ipſam calidi. Caro enim ſuapte natura calida, ut aſſerit Galenus *lib. 1. de Temp. cap. ult. Caro*, inquit, *multi ſanguinis, & calida.* Hac itaque ratione *cor ſemper eſt calidum.* (*a*) Unde Galenus in *Arte Medic.* dicit, cor utcunque fuerit natura frigidiſſimum, calidiorem tamen ſemper temperaturam habere calidiſſimo cerebro. Nempe cum cor, nunc frigidum, nunc calidum dicitur, non ſimpliciter id intelligamus, ſed collatum cum ſeipſo, atque in genere cordis. Eo modo enim cor eſt, hoc frigidum, illud calidum, ſcilicet minus magisve calidum, quam ferat natura cordis. Quorum itaque temperamentum univerſum, adeoque etiam maſſæ ſanguineæ, ab initio conceptus eſt ſanguineum aut bilioſum, cordis in illis mixtio, ac craſis erit calidior; nam ſanguis aut bilis excellet in mixtione. Quod ſi melancholicum, aut pituitoſum temperamentum fuerit cordis, tum craſis frigidior; etenim ſucci illi frigidi mixtionem in ſuas partes proportione trahent. Sit ergo hæc prima ex mixtione cordis caliditas, cum ſubſtantia cordis ex maſſa concreverit, in qua ſanguis aut bilis præſtiterit. Contra vero, cum exceſſerint pituita & melancholia, item pro humoris eorundem dominio, aut ſiccum aut humidum cor erit. Secunda caliditas eſt innata, priori ſcilicet mixtioni ſuperinducta, quæ major minorve eſſe poteſt: ſi plurima, cor calidum dicitur, ſi mediocris, cor temperatum, ſi infra mediocritatem, frigidum vocatur. Hæc *caliditas innata*, (*b*) cum in temperamentum ex mixtione calidum incidit, magis intenditur, præſertim ſi ſiccum quoque fuerit; cum in frigidum remittitur. Qui de cordis temperamento diſputant nonnulli, ut Andreas Laurentius *lib. 9. Anatom. cap. 13.* non diſtinguentes temperamentum cordis, qua mixtum eſt, a temperamento cordis, qua pars animalis imo principium animale eſt, omnia confundunt.

## §. III.
## DE QUALITATIBUS SPIRITUS COMPLANTATI.

Secundas cordis qualitates jam enumeravimus, adjiciamus ſolum qualitates, reſpectu ſpiritus complantati; cum enim calor innatus ſit vel ille ipſe ſpiritus, vel arctiſſime jungantur, differentiæ ſpiritus ſunt differentiis partis ſolidæ ſubtexendæ. Spiritus ergo vel eſt perſpicuus, vel opacus, denſus vel rarus, clarus aut obſcurus, purus aut impurus.

## §. IV.
## DE FIGURA ET MAGNITUDINE, PARVITATEQUE CORDIS.

Figura *cordis conica* (*c*) eſt. Rationem Anathomici afferre nituntur, quam tamen non videtur mihi penitus aſſecutus Galenus. Verum diſcuſſio rei non pertinet ad hunc locum. Factum tamen ad continendum calorem nativum ne expiret, credere oportet. Unde & coni vertex denſiſſimus eſt, veluti etiam oportuit, cum craſſities cordis in arctiorem ſitum contrahatur. Eſt etiam ea figura expeditior ad motum, qua tollitur cor & ſubinde concidit; minus enim laborat pars attollens, cum minus ineſt ponderis parti ſublatæ. Ita etiam ventriculorum cavitas cogitur, quæ anguſtia ad majorem cordis caliditatem pertinet; idem enim calor, ut dicit Ariſtoteles, magis calefacit minorem, quam majorem locum. Et hæc eadem ratio (ut ad magnitudinem cordis & parvitatem tranſeamus) facit, ut cor majus frigidius ſit, & cor minus calidius, ut ex Ariſtote-

(*a*) *Cor ſemper calidum.*) In calore vitam conſiſtere, eoque diſſoluto finiri, docent Poetæ. Ita LUCRETIUS L. 3. canit:

*Eſt igitur calor & ventus vitalis in ipſo*
*Corpore, qui nobis moribundos deſerit artus.*
*IBID. Mors omnia præſtat*
*Vitalem præter ſenſum calidumque vaporem.*

CICERO L 2. de nat. Deorum: *Ex quo intelligi debet, eam caloris naturam, vim in ſe habere vitalem, per omnem mundum pertinentem.*

(*b*) *Caliditas innata.*) De ſpiritu, calido & humido innato tam ex veterum, quam recentiorum mente, agit HERBOORD. l. c. p. 175 ſeqq.

(*c*) *Cordis conica.*) Aliam cordis deſcriptionem hic affert ROHAULTUS in *Phyſica* P. IV. c. 4. p. 180. *Cordis interior figura*, inquit, *inter res notiſſimas ſtatuitur: imo ab omni ævo cognitum eſt, carnem id conſtituentem, omnium totius corporis ſolidiſſimam eſſe, maxime compactam, ac cujus partes omnium difficillime disjunguntur. Sed non ita pridem inſigni & curioſo Anatomico, cum in mentem veniſſet, cor per elixationem coquendi, quo melius & facilius diſpoſitio illius partium innoteſceret, tandem animadvertit, carnis illius fibras, duobus diverſis modis diſpoſitas eſſe, quæ ejusmodi ſunt, ut exteriores, cochleæ in morem a baſi ad mucronem ferantur; interiores vero diſſimili diſpoſitione, directius a baſi ad mucronem tendant.* Celeberrimus HEISTERUS *in compendio anatomico p. 102.* cor ita definit: *Eſt pars muſculoſa pericardio incluſa, in medio thoracis ſita, circulationis ſanguinis & vitæ organum primarium.* Longitudinem ejus dicit ſex digitorum, latitudinem quatuor, circumferentiam 13.

Digitized by Google

ſtotele antea retulimus. Ubi etiam pavidiora eſſe animalia, quæ *ex corde magno, audaciora, quæ ex corde parvo* (*a*) conſtant, vidimus. His ita diſtinctis, jam ſingillatim, qui mores ſequantur, ſubjiciamus.

# CAPUT SEXTUM.

## *Qui mores ſequantur varias cordis differentias.*

### §. I.
### DICTA GALENI.

Tot numeratis in corde differentiis, nunc mores ex illis pendentes conſideremus. Galenus ſolum caliditatem, frigiditatem, humiditatem & ſiccitatem complexus, mores, eas ſingulas & complicatas complectentes, proſequutus eſt in hunc modum. Si cor calidum in genere cordis ſit, audacia conſequitur & actuoſitas; quod ſi multum caliditate exceſſerit cor, *iræ præcipitatio & furibunda temeritas* (*b*) adſunt. Quibus cor frigidum eſt, ſunt timidi natura & ſine audacia & ſegnes. Cor ſiccius habet iram, non promptam quidem, ſed feram, & quæ non facile ſedari queat. Cor humidum proclives ad iram facit, ſed qui facile ſedantur. Hæc de ſimplicibus qualitatibus cordis: de complicatis autem hæc ſubjungit. Quibus cor calidum & ſiccum eſt, illi ſunt ſcilicet auctuoſi, prompti ad agendum, iracundi, celeres, impudentes, & morum tyrannicorum; etenim in iram ſunt præcipites, nec facile placantur. Quibus cor calidum & humidum, non ſunt illi feri, ſed in iram tantum proclives. Quibus autem cor frigidum & humidum, non ſunt illi audaces, ſed timidi & ſegnes. Quibus cor frigidum & ſiccum, minime illi apti ac prompti ad iram; at ſi fuerint coacti, iram retinent & ſervant.

### §. II.
### QUID DE EADEM RE QUIDAM EX RECENTIORIBUS DICAT.

Quidam ex recentioribus ita diſtinguit. Si cordis temperamentum fuerit calidum, in factis eſt audax, in verbis aſper, & in dando tenax, obſtinatus, ſuperbus, iracundus, luxurioſus. Si frigidum, homo eſt quaſi piger in factis, in verbis non bene placidus, leviter pavidus, raro luxuriatur, niſi ſit per accidens. Si cor humidum, eſt multum timidus, pavidus, hebes, & debilis in laborando. Si cor ſiccum & calidum fuerit, cito movetur ad iram, iracundus manet, & obſtinatus. Si fuerit humidum & frigidum, non facile iraſcitur & cito iram remittit.

### §. III.
### COR ESSE SICCUM, SI SICCITATEM SPECTEMUS, QUÆ EST PRIMA QUALITAS, AT ESSE POSSE HUMIDUM RATIONE HUMIDITATIS ALICUJUS, QUÆ SIT SECUNDA QUALITAS QUALIS EST MOLLITIES.

Placet mihi cum Ariſtotele plures attendere cordis differentias, ac diſcrimina plura, ex quatuor primarum qualitatum complicatione, ut antea feci de affect. in communi. Verum non totam ibi rem ſum proſequutus, nunc itaque plenius pertractemus. Id autem præcedat: in temperatura cordis non poſſe humiditatem *unquam prævalere.* (*c*) Dico humiditatem, quæ eſt prima qualitas. Etenim definitur humidum ejusmodi, quod facile alieno termino terminatur, difficile ſuo: at vero cor, ut corpus compactum & terminatum, ſuam ubique figuram retinet, proindeque ſiccum ea ratione eſt. Secundum tamen humidi ſpecies, id eſt, ſecundas qualitates, quæ ad humiditatem rediguntur, ſecundum quasdam humidum quidem eſt ſemper cor, ſecundum alias vero eſt modo ſiccum, modo humidum. Udum eſt humidi ſpecies, & cor eſt udum ſuapte natura ob influentem ſanguinem. At eſt differentia alia duri & mollis, quorum illud eſt ſicci, hoc humidi ex Ariſtotele. Cor autem durum quidem, ſi cum aliis carneis partibus conferatur, eſt attamen illud aliud durius, aliud mollius, ut in genere cordis. Quod ergo cor eſt mollius, ea ratione eſt humidum, quod durius, ſiccum eſt. Et hanc præſertim ſiccitatem & humiditatem forſan reſpexit Galenus: quas Ariſtoteles aptiſſime propriis nominibus duritiem & mollitiem pro communibus vocavit. Quam ego appellationem ſequar.

### §. IV.
### QUI MORES SEQUANTUR CALIDITATEM CORDIS.

Cor calidum, dum calorem ipſum per ſe conſideramus, abſtrahendo a qualitatibus paſſivis, mollitie ac duritie, importat intentionem cupiditatis, ac vehementiam, ut ex illis, quæ de amore antea & cupiditate diximus, conſtat. Cupiditas vero cum feratur in bonum, ſeu in id, quod *cupiens bonum reputat*, (*d*) pro varietate judicii in varia etiam objecta fertur. Unde temperamentum hujusmodi cordis non determinat animal ad hoc illudve deſiderium; ſed ad deſiderium vehemens tantum. Objecta ſane naturalia, quippe quæ bona inſtinctu ipſo naturæ judicantur, deſiderantur ſemper ab hujusmodi hominibus plus minusve: tamen pro inſtru-

(*a*) *Ex corde magno, audaciora, quæ ex parvo.*) Hæc PLINIUS SECUNDUS *hiſt. nat. Lib. XI. c. 37. p.* 284. confirmat: *Audacia animalia, quibus parvum hoc eſt; pavida, quibus prægrande. Maximum autem eſt portione muribus, lepori, aſino, cervo, panthera, muſteris, bicenis, & omnibus timidis aut propter metum maleficis.*

(*b*) *Ira præcipitatio.*) Vid. SENAULT de *l'uſage des paſſions p.* 92.

(*c*) *Unquam prævalere.*) Vide ARISTOTELEM de *partib. anim. L.* 3. *c.* 4. §. 4.

(*d*) *Cupiens bonum reputat.*) Conf. THOMASII *fundamenta juris naturæ & gentium Lib.* I. *c.* I. §. 89. WOLFFII *vernünfftige Gedancken von Gott &c. cap.* 3. *p.* 439. *ſq.*



Digitized by Google

ſtrumentorum ad ea pertinentium ſtructura & aptitudine majore minoreve. Nempe ſi inſtrumenta generationi vehementer ſint in eam concitata, calor cordis vehementiam tum cupiditatis venereæ fovet. Si delicatus ſenſus ſit inſtrumentum comeſtionis, ejus pariter cupiditatis vehementiam incitabit. At ſi pro conſuetudine & loci diſciplina in honores incumbant communiter homines, *calor cordis ambitionem* (*a*) promovebit, reddetque vehementem. Si in divitias ferat diſciplina civitatis, ut Januæ nunc & Florentiæ, tum vehementer in earum acquiſitionem inſudabit acresque vias & modos tentabit: non æque tamen illis parcet, ut frigidum deinceps temperamentum ſolet. Concludamus itaque: calor cordis vehementiam cupiditatum inducit, ad hujus tamen illiusve cupiditatis vehementiam aliunde determinatur. Secundo loco inducit calor cordis audaciam, non quidem per ſe primo, ſed quatenus operando ſenſorium ipſum intendit. In tenſione vero cordis tonus ac tenor animi, qui ſpes eſt & audacia, ut antea declaravimus, conſiſtit. Quod ſi tanta eſſet mollitudo cordis, ut calor tenſionem nullam ejus operari poſſet, non etiam adduceret audaciam. Utrum autem tanta eſſe poſſit mollitudo cordis, necne, non diſputo: at ſi eſſet nulla, inductum iri a calore audaciam, aſſero. Patet vero ex natura audaciæ, quæ eſt tenſio animi ac tenor: nempe tenſio, quæ eſt conjuncti ſcilicet ſenſitorii, ut animam una cum parte corporea continet. At qui fieri poteſt, ut ſit tenſio absque tenſione?

## §. V.

## QUI MORES SEQUANTUR CORDIS CALIDITATEM CUM DURITIE.

Cor vero calidum & durum cupiditates habet vehementes, ratione caliditatis ipſius per ſe: & ratione præterea, qua in duriore ea cordis ſubſtantia magis cogitur adeoque intenditur. Habet quoque permanentes cupiditates, ratione duritiei: nempe calor in ea impenſius ſuum retinet gradum & intenſionem. Minus hic eſt in blandas ac emollientium voluptatum cupiditates propenſus: attamen ſi quis hujusmodi craſis amore cujuspiam incendatur, diutius & firmius amorem ſervat; non is enim in fuſum amorem propendet & vagum, ſed in unicum & conſtantem. Non injuria itaque Fabulatores & Poetæ noſtri ſuis Heroibus & erronibus unicum unius fœminæ ac Heroinæ amorem tribuere, ut Amadiſio Orianæ, Rotolando Angelicæ, ut hos ex multis ſolos memorem. At eadem craſis habet inſuper tenorem ac tonum animi infractum; nam durities ipſa per ſe tonus ac tenor quidam eſt, unde vix in his animus collabitur maximis & urgentibus periculis. Talem animi habitum repræſentat in Ulyſſe Homerus; dum hærens ille ficui, exſpectavit, quousque Charybdis rurſus vomeret abſorptam navim.

*Perpetuo autem hærebam, donec evomuit contra*
*Malum & carinam iterum.*

Ira eidem viro & promta & pertinax adeſt. Quam iræ duritiem & pertinaciam objicit penes Homerum Hector Achilli:

*Certe enim tibi ferreus intus animus,*

Huic craſi immites mores accommodantur & obſtinatio.

## §. VI.

## QUI MORES SEQUANTUR CRASIN EANDEM CALIDI CORDIS ET DURI, ACCEDENTE VARIETATE SEQUENTIUM QUALITATUM.

Quod ſi huic temperamento calidi cordis & duri acceſſerit denſitas cordis craſſitiesque & poroſitas, tum in extremo exceſſu ſunt mores, quos illi tribuimus. Denſitas enim accedens duritiei, magis cohibet & continet calorem, ne difflet, quam durities ſola; ſiquidem dura eſſe poſſunt poroſa, ut multa ligna. Licet vero in animali hæc re non æque ſejungantur, ſuapte tamen natura poſſunt ſejungi: & articulatio ea cordis, cujus meminit Ariſtot. videtur ad raritatem pertinere, & poroſitatem in commiſſuris ipſis, quæ repræſentantur. Verba ſunt Philoſophi: *Sane articulatiora corda, quæ ſenſu melius valent, inarticulatoria eorum, quæ ſenſu hebetiori, ut ſuum.* Rurſus denſum cor ac durum poteſt eſſe craſſum & tenue in parietibus, tum ambiente, tum mediaſtino cordis. Craſſities tamen ad tenorem facit; ſeipſum enim magis ſuſtinebit quod craſſum eſt ac durum in genere carnis, quam quod durum eſt & ſubtile. Facilius hoc interdum collabitur, etiamſi denſum fuerit. Plus etiam caloris in ampliore mole, qualis craſſa eſt, quam in minore, qualis eſt tenuis, diſpergetur ac radicabitur. Accedit poſtremo parvitas cordis, ſcilicet proportione animalis: quæ parvitas in cavitate ventriculorum cordis attenditur. Cum enim conceptaculum ejusmodi eſt magnum, calor cordis minuitur, eo quod in magno & parvo domicilio, ut dicit Ariſtoteles, tantundem ignis non æque calefacit, ſed minus in magno. In quo ergo

(*a*) *Calor cordis ambitionem.*) Superbiam in corde naſci, tradit PLINIUS *hiſt. nat. Lib. XI. cap.* 37. *p.* 280. Tumorem & animi faſtum veteres in pulmone collocarunt, unde & Græcis μέγα πνεῖν, magna ſpirare, quod JUL. CÆSAR exprimit *magnos ſpiritus ſibi ſumere.* Proverbium: *De pulmone revellere*, denotat, ſtultam & arrogantem opinionem animo eximere. PERSIUS: *Grande aliquid, quod pulmo anima prælargus anhelet.*

go homine omnes ejuſdem conditiones aggerantur, is eſt audaciſſimus, *ira fera*, (*a*) cupiditatum quoque exardentium: ſuapte tamen natura, mollium voluptatum haud ſectator vehemens. Dico non vehementem ſectatorem, nam aliquatenus ſectari, eſt naturæ: & efferatiſſimæ animantes in Venerem ſuis temporibus feruntur. In commiſerationis affectum non admodum proclivis: at pronus in feritatem, ſi ſpiritus complantati turbulentia ac impuritas acceſſerit, de qua poſtea. Quod ſi cum calore ac duritie jungatur raritas ac ſubtilitas parietum cordis, ac amplitudo conceptaculorum, remittentur cum cordis calore, ac tenoris perſeverantia, proportione quoque vehementia cupiditatis & audacia. Cum vero omnia cum calore & duritie conſpirant, fit tandem eorum craſis, qui cor hirſutum habent, ut *Simon ille bononienſis*, de quo antea, & Ariſtomenes Meſſenius ex Plinio *lib.* 2. *hiſt. c.* 37.

### §. VII.
### QUI MORES SEQUANTUR COR CALIDUM ET MOLLE.

Cor calidum & molle ſequuntur cupiditates blandæ ac venereæ præſertim; mollis enim eſt Venus, & mollem exigit animum. Apte Tibullus ad amantem amicam:

*- - Non tua ſunt duro præcordia ferro*
*Vincta, nec in tenero ſtat tibi corde ſilex.*

Et Veneri omnes aptum accommodatumque temperamentum divinant eſſe calidum & *humidum*. (*b*) Ratio vero etiam in promptu eſt, eaque non una. Prima autem eſt, quod cupiditas venerea illi præſertim inſidet, qui maxime factus eſt ad voluptatem eandem percipiendam: at voluptas ea reſolvens animum, potiſſimum percipitur ab habentibus cor molle. Etenim ejusmodi cor præſertim, & maxime reſolvitur dilataturque contra quam cor durum. Pro corollario vero ex ea ipſa ratione fit, ut cupiditates quoque cupedioſæ eidem temperamento quadrent: nam temperamentum idipſum maxime percipere natum voluptatem eandem ob rationem eandem. Secunda ratio eſt, quoniam ſperma calidum eſt & humidum: ad ejus itaque generationem valde conducet temperamentum ſimile in principio. Qui vero copioſi ſunt ſpermatis, in Venerem etiam proclives ſunt per ſe & impetu naturæ; ex accidenti enim alia temperamenta eadem propenſione ferri poſſe, & ante vidimus, & poſtea dicemus.

Hoc idem temperamentum *in curarum omnium abjectionem* (*c*) propenſos reddit. Cum enim cura intenſionem ſenſiterii exigat, mollities cordis intenſioni non ipſa per ſe accommodatur. Cum tamen non fuerit tanta mollitudo ex calore coacta, qui tenſionem gignere poteſt, ut diximus, poteſt tum hoc temperamentum conſequi actuoſitas, in occaſionibus ſaltem alicujus momenti. Affectus commiſerationis eidem temperamento congruit ob mollitiem, ut laxatur in commiſeratione animus, atque emollitur usque in lacrymas. Eſſe vero mores hujus temperamenti, quales deſcripſimus, ſuadet ſimilitudo ætatis adoleſcentiæ. Cum enim ſit illa calida & humida, licet non æque humida ac pueritia, in eosdem mores propendet, ut poſtea intelligemus cum de ætatibus agemus.

*Imberbis juvenis tandem cuſtode remoto*
*Gaudet equis canibusque, & aprici gramine campi:*
*Cereus in vitium flecti, monitoribus aſper:*
*Utilium tardus proviſor, prodigus æris,*
*Sublimis, cupidusque, & amata relinquere pernix.*

Ariſtoteles præterea illud *lib.* 3. *Ethic. c.* 11. de juvene ex Homero ſubjicit; appetere ipſum florensque cubile: & valde concupiſcere tribuit, ſed & protinus quieſcere; habere enim acutas cupiditates, at non conſiſtentes, 2. *Rhet. c. de juvenib.* Verum de moribus juvenum infra, cum de ætatibus agetur.

### §. VIII.
### EJUSDEM TEMPERAMENTI MORES, ACCEDENTIBUS ALIIS QUALITATIBUS CORDIS, ET MAGNITUDINE AC PARVITATE EJUSDEM.

Cum accedit autem temperamento eidem cordis raritas & tenuitas, atque magnitudo, id eſt laxitas, ventriculorum cordis, tum propenſio in curarum abjectionem creſcit admodum; nam raritas & tenuitas, & amplitudo cum mollitie, ineptius adhuc cor ad intenſionem reddunt. Contra craſſitudo & denſitas & parvitas intenſioni deſerviunt. Pariter itaque reliqui cordis mollis mores aut creſcunt, aut minuuntur. Ex quibus patet, dictum Galeni eſſe diſtinguendum & declarandum, dum ſimpliciter dicit, calorem cordis reddere actuoſos. Nempe ſi formaliter loquamur, calor

(*a*) *Ira fera.*) Vehementiſſimum eſſe & in furorem ſæpe deſinentem paſſionem, ſequentibus tradit SENAULTUS l. c. diſc. 4. p. 33. *La ſeconde*, inquiens, *eſt la cholere, qui n'etant autre choſe ſelon ſa* (Ariſtotelis) *definition, qu' un bouillonement du ſang à l' entour du cœur, ne peut, qu' elle ne ſoit exceſſivement violente &c.* HORAT, *L. I. Epiſt. II.*

*Ira furor brevis eſt: animum rege: qui niſi paret*
*Imperat: hunc frenis, hunc tu compeſce catena.*

*Et L. I. Oda* 16.

*- - Non acuta*
*Sic geminant Corybantes æra*
*Triſtes ut iræ: quas neque Noricus*
*Deterret enſis, nec mare naufragum,*
*Nec ſævus ignis, nec tremendo*
*Jupiter ipſe ruens tumultu.*

Conf. LAMBINI *Commentar. ad hæc loca Horatii.* Omnium optime calorem excandeſcentem in irato homine depingit VIRGILIUS:

*- - Vario irarum fluctuat æſtu.*

(*b*) *Humidum.*) Abundantiam humorum in cauſſa nimii amoris eſſe, oſtendit LUCRETIUS *Lib.* 4.

*- - - Alio convertere mentem,*
*Et jacere humorem collectum in corpora quæque*
*Nec retinere ſemel conceptum unius amore*
*Et ſervare ſibi curam certumque dolorem.*

(*c*) *Curarum abjectionem.*) Hoc potiſſimum dictum eſſe de illis, qui ſanguineo gaudent temperamento: illi enim arduos & concatenatos plerumque fugiunt labores, otio, facetiis, libidinibus & commeſſationibus inhiant; Atque cum nihil, quam paſſionibus ſuis frui in votis habeant, rei familiaris parum ſunt curioſi, cum illa applicationem quandam, quæ circulos eorum interrumpit, requirat, ſæpeque ultra id, quam par eſt, ſunt liberales.

Digitized by Google

lor ipſe per ſe ad agendum diſponit: at ſi, quod re ipſa accidit & uſu venit, ſpectemus, calor cum mollitie cordis junctus ad otioſam voluptuariamque vitam ducit, non ad actuoſam.

## §. IX.
## ANNECTUNTUR SUPERIORI CONSIDERATIONI TEMPERAMENTORUM CALIDORUM CORDIS DIFFERENTIÆ SPIRITUS COMPLANTATI.

Subjicio demum hic calidis temperamentis, quas differentias morum obtrudant differentiæ ſpiritus complantati. Non quidem caliditatis & frigiditatis; etenim calor innatus cordis jam conſideratus idem eſt cum calore ſpiritus hujus, vel eſt idemmet ſpiritus: at differentiæ hic conſiderandæ ſunt claritas, obſcuritas, puritas, impuritas, turbulentia, nitiditas, craſſities, tenuitas. Spiritus obſcurus & impurus, ſpecies rerum conceptarum, præſertim intentiones, quas vocant non ſenſatas, detortas, & vitiatas percipit; unde ſub inimicitiæ & contrarietatis repræſentatione potius, quam contra percipit. Clarus & purus, ut amicus & gratus; unde hic ad amorem & caritatem communem hominum diſponitur, ille ad odium. Quæ in odium propenſio, ſi cordi calido & duro jungatur, Procuſtis & Scinis indit feritatem; præſertim ſi craſſus ſpiritus fuerit. Craſſus enim ſpiritus diu retinet ſpeciem infixam, at tenuis brevi. Quocirca, ſi craſſities cum duro & calido temperamento nectatur, & cum obſcuritate ac impuritate ſpirituum, ad feritatem ſummam diſponit. Redditur hic quoque ad rerum cognitionem parum aptus. Contra ſpiritus clarus & nitidus ad cognitionem parat animum, & rerum honeſtarum & pulchrarum præſertim; unde *inſtinctus quoque ad honores* (a) ac dignitates eſt ſedes: qui inſtinctus, ſi cum calore & duritie cordis jungatur, non facile parem admittit, & ad tyrannidem adſpirat, ac ſuperbiæ omnino eſt fundamentum. *Tarquinius Superbus* (b) (ita credo) ejusmodi erat temperamenti, & uxor ejus Tullia, quæ vel *per cadaver patris* (c) ad regnum tetendit. Cum corde calido & molli ſpirituum claritas & nitiditas ac tenuitas, facit quidem ingenium perſpicax & celerum, at intenſionis exiguæ; ideoque non aptum ad curas & ad negotia. Quod ſi ſpiritus fuerit craſſus, ob tenaciorem impreſſionem rerum cogitur homo eas diutius intendere; & hinc quoque fit præ aliis cauſis, ut verum ſit illud Thucydidis *lib.* 3. *Hebetiores*, (d) *quam acutiores, ut plurimum melius rempublicam adminiſtrant*; nam hebetes ex craſſitie ſpirituum, acuti ex tenuitate ſunt.

Eadem claritas & nitiditas ſpiritus cum calore & mollitie cordis, ad liberalitatem inclinat, cum charitate enim & commiſeratione ea jungitur: at cum calore & duritie cordis, ad magnificentiam potius; eminentia enim quærit. In temperamento molli, major eſt propenſio ad juſtitiam ſui ipſius erga alios, quam in duro: at in duro propenſio contra major eſt ad ſeveriorem cuſtodiam juſtitiæ aliorum erga alios, ad coërcenda ſcilicet aliorum crimina. *Andronicus*, (e) qui fuit injuſtiſſimus uſurpator ac prædator potius imperii vitæque nepotis, tamen continebat mirum in modum ſubjectos & miniſtros in officio.

## §. X.
## DE TEMPERAMENTO CORDIS FRIGIDO.

Frigiditas cordis, contra quam caliditas, ipſa per ſe refrangit cupiditates, licet ex accidenti augeat ob ſenſum egeſtatis, quem indit. Hanc ob cauſam ſenes cupidi ſunt divitiarum, & *avaritiam auget*

---

(a) *Inſtinctus quoque ad honores.*) Applicari hic poſſunt, quæ SENAULTUS *l. c. p.* 33. habet: *Celui qui fait les conquerans, qui inſpirent courage aux ſoldats, qui rend les orateurs eloquens, & les philoſophes ſva vans.*

(b) *Tarquinius ſuperbus.*) Nec enim mihi perſuadere poſſum, quod inde tantum ſuperbi cognomen nactus, quia ſocerum ſepultura prohibuit, ſed quod in charitate civium nihil ſpei reponens, metu regnum tutandum eſſe ſtatuerit. Vid. LIVIUS *Decad. I. L. I.* qui deinde addit: *Haud mirum eſſe, Superbo ei inditum Romæ cognomen* (*jam enim ita clam quidam muſſitantes, vulgo tamen eum appellabant*) an *quicquam ſuperbius eſſe, quam ludificari ſic omne nomen latinum, principibus longe ab domo excitis ipſum, qui concilium indixerit, non adeſſe.* DIONYS. HALICARNASSEUS *antiquit. rom. L.* 4. *c.* 48. Superbi cognominis rationem hanc reddit: *Controverſias quoque litium non ex jure dirimebat, ſed ex ſuis moribus, unde ſuperbus vulgo cognominatus eſt:* Sed adjiciendum omnino, quod idem auctor de hoc *Tarquinio* ait: *Hic contemta plebe, contemtis etiam patriciis, per quos ad regnum provectus fuerat, confuſisque legibus ac moribus patriis & omni decoro corrupto, quo civitas ſub prioribus regibus floruerat, principatum in manifeſtam vertit tyrannidem.* Hæc omnia PLINIUS JUN. de *viris illuſtrib.* Cap. 8 duobus, ut ajunt, exprimit verbis: *Tarquinius Superbus, cognomen moribus meruit.*

(c) *Per cadaver patris.*) De nefando hoc Tulliæ facinore ita loquitur LIVIUS L I. *Fœdum inhumanumque inde traditur ſcelus, monumentoque locus eſt. Sceleratum vicum vocant, quo amens agitantibus furiis ſororis ac viri Tullia per patris corpus carpentum egiſſe fertur, partemque ſanguinis ac cædis paternæ cruento vehiculo, contaminata ipſa reſperſaque tuliſſe ad penates ſuos.* Et duritiei cordis Megaræ hujus mortalis exinde magis adhuc perſpici poteſt, quod, teſte eodem Livio, ne quidem illius, qui jumenta agebat, precibus locum dare, & currum a paterno averti cadavere voluerit. Juvat & hic ſubjungere, quæ DION. HALICARNASSEUS *Antiq. rom. L.* 4. *c.* 45. hanc in rem habet: *Recenti*, inquit, *cadaveri & adhuc palpitanti ſupervenit filia: cumque admodum anguſtus eſſet vicus, quo carpentum agendum erat, mulisque ad cadaveris conſpectum territis, ipſe quoque auriga commotus eſſet; & inhibito ad tam miſerabile ſpectaculum progreſſu, oculos in dominam reflexiſſet, illaque ſciſcitanti quin pergeret, reſpondiſſet: Non vides Tullia patrem tuum jacentem mortuum, nec alium niſi per cadaver patere tranſitum: mulier exacerbata, ſcabello pedum arrepto, petit aurigam, inclamans: Non ages, ſceleſte, jumenta vel per mortuum? Ille ad ſpectaculum magis, quam ad ictum ingemiſcens, vi mulos per cadaver agit.*

(d) *Hebetiores.*) Modo judicio ſint inſtructi; acutiora enim illa ingenia minutias quasvis rimari ſolent, & ad dubia movenda, quam ad conſilia capienda, ſunt aptiora. Hinc Veneti, qui Florentinis acumine ingenii cedunt, ſed eos ſubacto ſuperant judicio, ad rempublicam curandam magis idonei dicuntur. Vide WICFORT *dans l' ambaſſadeur Liv. I. ſect.* 8. *p.* 84.

(e) *Andronicus.*) Hic imperatori Manueli cognatione conjunctus, dolos miſcere callidiſſimus erat. Hoc ſuo malo expertus eſt Alexis Comnenus, Manuelis filius naturalis & in imperio ſucceſſor, quem imperio & oculis poſtea, licet eum generum haberet, privavit Vide NICÆTAM *in hiſtor. Alexis & Andronici Comnenorum* apud COUSINUM *dans l' hiſtoire de Conſtantinople T. V. p.* 153.

Digitized by Google

*auget ſenectus*, (*a*) quoniam lapſum varium id ætatis magis percipit: cupiditates præterea, quæ ex timore pendent, intenduntur a frigiditate, quippe quæ timorem auget. Item quæ cupiditates ſunt in medelam interioris morſus, qualem melancholici experiuntur, ſuſcipiunt ex frigiditate incrementum. Earum meminit cupiditatum Ariſtoteles 7. *Ethic. c. ult.* in melancholicisque reponit. Cæterum cupiditas ipſa per ſe & ratione ſui motus cum caliditate nectitur; ut antea dictum fuit. Quadrant hæc illis, quæ Ariſtoteles *lib.* 1. *de amore & c.* 15. 2 *Rhet.* de ætatibus dicit; juvenes ſcilicet valde concupiſcere, licet non conſtanter: at ſenes contra neque valde amare, neque valde odiſſe, avaros tamen eſſe & *vita cupidos*, (*b*) in extremis potiſſimum diebus; quia cupiditas eſt rei, quæ abeſt, & cujus rei indigentes ſunt, eam potiſſimum concupiſcunt. Ita ibi Philoſophus. Et hæc de cupiditate. At timorem ac timiditatem *a frigiditate* (*c*) pendere, nemo eſt, qui neget. *Facit timor degenerem*; (*d*) unde in livorem quoque propenſum; ceu patet ex iis, quæ antea de *livore invidiaque* (*e*) diximus.

## §. XI.
## DE TEMPERAMENTO FRIGIDO COMPLICATO CUM ALIIS DIFFERENTIIS.

Si cor fuerit frigidum & molle, tum intenditur *timiditas*. (*f*) Etenim ob mollitudinem facile cor flacceſcit & concidit; maxime vero cum accedit ventriculorum laxitas, augetur enim ea ratione frigiditas & remiſſio atque laxatio cordis, in qua timoris conſiſtit motus. In commiſerationem eadem temperies valde propendet, cum in miſerationem ducat alienæ miſeriæ facilis ſenſus, cum ſibi eam accidere poſſe credat, ut Ariſtoteles docet 2. *Rhet.* Qui ſenſus cordis mollitiei & quæ opinio frigiditati congruit. Laxatur quoque in commiſerationem cor, qui motus mollitiei aptatur. Querulum inſuper hominem & mœrori obnoxium facit; veluti definit mœrorem Cicero *lib.* 4. *Tuſc. ægritudinem flebilem;* in fletum enim eſt ea craſis prona. Cupiditates venereas & ambitioſas non admodum acres habet ratione frigoris: & parum conſtantes ratione mollitiei. In avaritiam propendet ob frigiditatem; licet non adeo tenax ſit in dando ob commiſerationem. At cor frigidum & durum in avaritiam tenacem inclinat: cupiditates habet permanentiores ob duritiem, non tamen acres admodum ob frigiditatem. Timidos quoque reddit, minus tamen, quam cor molle; quia non adeo flacceſcit cor durum atque molle, unde aliquem idcirco tenorem præ illo ſervat.

At dubitatio occurrit; cum enim in denſiore ſubjecto qualitates intenduntur, cor durum & denſum frigidius erit, quam molle, ergo majorem quoque timiditatem concitabit. Reſpondeo tamen: non eſſe cordis frigiditatem poſitivam, ſed privativam; ſcilicet caliditatem minorem, quam ferat exquiſitus cordis ſtatus: at reipſa cor ſemper eſt calidum; calor ſcilicet in eo præſtat frigori, quantumcunque frigidum ponatur. Subjungo præterea, frigus facere timorem, ratione cauſæ, non ratione eſſentiæ timoris: frigus ſcilicet facit, ut malum potius, quam bonum expectet homo: at caſus & exolutio cordis animique, in quo conſiſtit timor, ex mollitie, non ex frigore per ſe pendet. Qua ratione fit, ut frigus & mollitudo ſimul ſint cauſa adæquata propenſionis in timiditatem.

Et ſatis ſit, hæc dixiſſe de temperamentis cordis excedentibus aut deficientibus. Cætera quisque poteſt ex ſe deducere non difficili negotio.

## §. XII.
## TEMPERAMENTUM CORDIS EUCRATON, ET SIMPLICITER, ET SECUNDUM ALTERAM QUALITATEM.

Cum autem cor fuerit in calore, duritie, mollitieque; & cæteris qualitatibus & conditionibus, ac differentiis mediocre, & eucraton, eſt etiam ad optimam morum diſpoſitionem factum & accommodatum. Cum in aliquibus qualitatibus, v. g. in calore exceſſerit, at in duritie ac mollitie moderatum, ad mores qui ex calore excedentes erit propenſus: Sed ad mores, qui ex duritie & mollitie mediocres ſe bene habebit. Item, qui cor moderati caloris habet, at duritiei excedentis, is mores ex calore profluentes habet moderatos, at procedentes ex duritie in exceſſu ſecundum proportionem duritiei. Licet vero ſoleat ex moderato immoderatum, & ex recto obliquum cognoſci, ut dicit Ariſtoteles, tamen in conſequutione affectuum, ut illi amplius elucent in exceſſu, ita quoque ex temperamentis excedentibus eorum illuſtrior eſt nexus & conſequutio.

CAP.

(*a*) *Avaritiam auget ſenectus.*) THOMAS. in *fundam. I. N. & G. L. I. c.* 3. §. 87. Mirum tamen eſt, qui alterum jam tum pedem in cymba charontis habent, de conglomerandis & augendis nummis eſſe ſollicitos. Elegantia ſunt, quæ hanc in rem CICERO in *Catone Majore* Cap. 18. protulit verba: *Avaritia vero ſenilis*, inquiens, *quid ſibi velit, non intelligo; poteſt enim quicquam eſſe abſurdius, quam quominus via reſtat, eo plus viatici quærere.*

(*b*) *Vita cupidos.*) Nemo enim eſt tam ſenex, qui ſe annum putet non poſſe vivere. CICERO in *Cat. Maj. Cap. VII.*

(*c*) *A frigiditate.*) Unde in timentibus pallor oris. HORAT. *Epod. 7. Ora pallor albus inficit, mentesque perculſæ ſtupent.* VIRGIL. Æn. 4. *Hac effata ſilet, pallor ſimul occupat ora.*

(*d*) *Facit timor degenerem.*) Hæc VIRGILIUS L. I. Æn. ita exprimit:

- - Degeneres animos timor arguit.

Et CURTIUS L. 3. c. 8. ſimili illuſtrat: *Delituit inter anguſtias ſaltus; ritu ignobilium ferarum, quæ ſtrepitu prætereuntium audito, ſilvarum latebris ſe occuluerunt.*

(*e*) *Livore invidiaque.*) De hac LUCRET. L. 3. ita egregie canit:

*Macerat invidia, ante oculos illum eſſe potentem,*
*Illum aſpectari, claroque incendi honore;*
*Ipſi ſe in tenebris volvi cœnoque queruntur*

Et HORAT. *L. I. Epiſt.* 2.

*Semper avarus eget: certum voto pete finem.*
*Invidus alterius macreſcit rebus opimis.*
*Invidia Siculi non invenere tyranni*
*Majus tormentum*

Id. Sat. 1. L. 1.

*Quodque aliena capella gerat diſtentius uber, tabeſcat*

(*f*) *Timiditas.*) *Cum formidoloſum quicquam*, ait ARISTOTELES *L. 2. de part. animal. cap. 4. denunciatum eſt, ſi habitus juſto frigidior ſit, timidum reddet. Iam enim motui aditum patefacit, & metus ipſe refrigerat, ut ex iis conſtat, qui metu perculſi obtremiſcunt.* VIRG.

*Extemplo Æneæ ſolvuntur frigore membra.*



Digitized by Google

# CAPUT SEPTIMUM.

## *De ſpiritibus & humoribus, id eſt, eorum temperamentis ac moribus conſequentibus.*

### §. I.
### DE SPIRITIBUS.

Spirituum [ſcilicet influentium) ac humorum craſes poſt temperamentum cordis explicemus. Verum præmonuimus jam, non eſſe quicquam adjiciendum illis, quæ de ſpiritibus antea diximus. Id itaque unum eſt ſubnotandum; ſi ſpiritus in cor influentes reſpondeant temperamento cordis, mores (naturales ſcilicet) egregie tales erunt, quales cordis temperamentum ſuapte natura promittit & indit: at ſi repugnent, refrangentur mores, & ſi vis influentium ſpirituum exceſſerit efficaciam temperamenti complantatorum & ſolidæ partis cordis, contrarii erunt mores atque cor inclinat ipſum per ſe. Nempe ſi cor calidum, at ſpiritus influentes frigidi, adeo ut ipſorum frigiditas caliditatem excedat cordis, homo pro audace erit *in timiditatem* (*a*) pronus. Contraque ſi in cor frigidum ſpiritus influant calidi. Et idem etiam de reliquis differentiis, quæ cadunt in ſpiritus, dicendum. At qui fieri poteſt, ut in cor calidum ſpiritus influant frigidi, ſi in corde ipſo, in ejusque ſinibus ſpiritus generantur, nempe in ſinu ſiniſtro? Reſpondeo, ex qualitate influentis ſanguinis fieri poſſe, ut licet cor ſit calidum, tamen ſpiritus frigidiores corde generentur ex frigiditate confluxi ſanguinis. Pariter ſi ſanguis admodum calidus in cor frigidiuſculum fluat, ſpiritus generabuntur calidiores, quam ferat caliditas ipſa per ſe cordis. Accedunt *ſpiritus animales*, (*b*) qui ex cerebro refluunt, animales jam facti, in cor: adeo ut ex cerebri frigiditate cor refrigeretur ſeu temperetur. Ex qualitate etiam inſpirati aëris, ſpirituum in corde generandorum qualitates variæ exiſtunt.

### §. II.
### DE HUMORIBUS.

De humoribus etiam non eſt, cur amplius multa diſſeramus ultra ea, quæ antea diximus *lib.* 2. *de Affect. cap.* 5. licet enim ibi bilis non meminerimus & pituitæ, attamen ſanguis calidus & tenuis bilioſum ſanguinem ſignificabat, & frigidus & tenuis pituitam. De *melancholia* (*c*) poſtea tot diximus, ut fruſtra eſſet ſermonem de ea repetere. Ut ergo *humores* (*d*) ejusmodi in cor influent, mores alterabunt pro alteratione cordis. Nempe ſi excalefecerint cor, ad mores caloris comites diſponent: & ſi refrigeraverint pariter inclinabunt ad mores frigoris aſſeclas: ſique influentes humores ejusdem fuerint cum corde temperamenti, mores irrefracti prodibunt. At ſi temperamenti contrarii, refrangentur mores, proque exceſſu aut cordis aut humoris, ipſi quoque vel cordi reſpondebunt vel humori. In quibus itaque fuerit cor calidum, ac frigidum hepar, mores non erunt æque audaces, atque cordis caliditas poſceret; ſed refrangetur audacia pro frigiditate ſanguinis ex hepate affluentis. Qui ſi minus frigidus, ſitque calidum cor, præſtabit quidem audacia timiditati, tot tamen refracta gradibus, quot inferet influxa frigiditas. At ſi frigidior ſanguis, quam calidum cor, mores pro audacibus erunt timidi; nempe prævalebit timiditas audaciæ refractæ, tamen pro gradibus caloris cordis. Et hæc de temperamento.

Annectitur huic conſiderationi ea, quæ eſt de conformatione partium. Licet enim non ingrediatur conformatio cauſas morum, ſed potius ſpectet ad ſigna: tamen ex nexu, quem cum inſtinctu indito habet, eſt inter cauſas morum reponenda. Erunt ita clara, quæ antea de hac ipſa conformatione diximus.

# CAPUT OCTAVUM.

## *De Conformatione partium.*

### §. I.
### DIFFERENTIA INTER CONFORMATIONEM PARTIUM, ET EARUM TEMPERAMENTUM.

Conformatio partium eo a temperamento differt, quod temperamentum proprie ſit ſimilarium partium, conformatio diſſimilarium. Dum enim ducitur a forma (quæ eſt ſcilicet quartæ ſpeciei qualitatis, diciturque ab Ariſtotele circa unumquodque conſtans forma) a figura late ſumpta pendet, ac ducitur; figura vero ipſa per ſe partem diſſimilarem conſtituit, ex Ariſtotelis ſententia *lib. 2. de part. animal. cap.* 1. Ubi cor, cætera ſimilare, ex ſola figura diſſimilare pronunciat. Hoc ergo nobis in præſentia ſignificet conformatio partium. Scio equidem, a Galeno conformationem hanc latius accipi, *lib. de definit. morb. cap.* 3. ut etiam extendatur ad compoſitionem partium ſimilarium

(*a*) *Timiditatem.*) Vid. GELLIUS *in noctib. attic. Lib. XIX.* cap. VI.

(*b*) *Spiritus animales.*) Conf. ROHAULTI *Phyſica* P. IV. c. 17. & HERBOORDI *philoſ. naturalis c. X. p.* 175. *ſq.*

(*c*) *Melancholia.*) De melancholia exſtat GALENI tractatus, ex quo ut & ex Rufi & AETII SICANII Voluminibus MELANELII habemus *Collectanea*, quibus LAURENTII de eodem argumento addendi ſunt libri tres. De humore autem melancholico CRATO & MONTANUS diſſeruerunt. Singulare eſt, Ciceronem viros divinos vocare, quibus aliquid melancholici ineſt. Conf. ZEIDLERI *Introd. in lection. Ariſt. in Præfat.*

(*d*) *Humores.*) Variorum de humoribus ſcripta typis mandata ſunt; laudem tamen præ aliis merentur HIPPOCRATIS liber de *humoribus*, & in eum GALENI *Commentarius*, item CRAPHELII Diſput. 2. de humani corporis humoribus, MONTUI epitome de *humorum differentiis atque indiciis*, & SCHELHAMMERI biga diſſert. de *humani corporis humoribus.*

Digitized by Google

rium ex elementis; at liceat mihi vocem illam in arctiorem hanc ſignificationem cogere, & majore forſan cum proprietate ſignificationis.

Erit itaque in membris temperamentum reſpectu partium ſimilarium; ex proportione ſcilicet, qua elementa ſimul commiſcentur: at erit conformatio reſpectu figuræ, magnitudinis, numeri, & ſitus, poſitioniſve, ut enumerat Galenus, indicato proxime *lib. cap.* 6.

## §. II.
## NON OMNEM CONFORMATIONEM ÆQUE SEMPER A TEMPERAMENTO ESSE.

Nedum autem conformatio non eſt eadem cum temperamento partium, ſed neque perpetuo a temperamento proficiſcitur. Quod agnovit & faſſus eſt Galenus *lib. 2. de temperamentis cap.* 6. Ubi reprehendit eos, qui naſum reſimum ex humiditate, aduncum autem ex ſiccitate deducebant; tum quod non erant eæ notæ indicium temperamenti univerſi corporis, tum, quod virtus formatrix, (ex qua procul dubio conformatio efficitur) videtur longe a temperamento differre. Quo ſcilicet dato, neque ex temperamento particulari partis naſcetur conformatio. Ac cætera quidem pro certo enunciat: de diſtinctione formatricis virtutis a temperamento ſententiam ſuſpendit, licet in id magis propendat, quod diſtinguatur. In ea ſiquidem verba concludit: *Rationabile eſt, hæc eſſe organa, & formatorem alium.*

At quod Galenus ſub dubio admittit, nos ſimpliciter accipimus; virtutem formatricem a temperamento eſſe aliam. Quod quidem ex philoſophia naturali ſupponimus, ut ibi oſtenſum, hic tamen duplici utemur ſigno ſatis, ni fallor, efficaci. *Primum*, quia, ſi cum temperamento idem eſſet virtus formatrix, non poſſet major eſſe differentia inter diverſorum animalium conformationem partium, quam inter temperamenta: at multo major eſt differentia, quam inter temperamentum; ergo virtus formatrix non eſt idem cum temperamento. Conſequentia patet ex permutata proportione inter effectus & cauſas. Quoniam enim, ut cauſa quæque ad ſuum effectum, ita cauſa alia ad ſuum: permutatim ergo, ut cauſa ad cauſam, ita effectus ad effectum. Aſſumptum autem oſtenditur: quia multa animalia accedunt ad temperamentum mediocre (v.g. vitulus, homo) quæ tamen conformatione plurimum differunt. *Aliud* ſignum eſt; etenim *figuræ & effigies hominum ſunt propemodum infinitæ*, (*a*) at temperamentorum differentiæ, etiamſi per gradus & ſemigradus incedamus, multo pauciores. Ergo conformationes non ex temperamento; adeoque neque formatrix virtus eadem cum temperamento. Oporteret enim differentias conformationum ſingulas ex temperamentorum differentiis naſci. Inditur enim a natura conformationi partium ſua propenſio refluens ex membro in cor: vel cordi inſidens ex membro, in quod influit, indeque reflectitur, variatur & afficitur. Adeo ut par cordis temperamentum in homine, cujus genitales partes ſunt exacte in Venerem conformatæ, multo magis in libidinem concitatum ſit eo, cujus partes eædem minus ſint factæ ad coitum. Veluti ſi propenduli admodum teſtes & ſtrictiora vaſa ſpermatica, laborioſiorem faciunt ſeminis confectionem, & minorem copiam.

## §. III.
## CONFORMATIO EXTERNORUM MEMBRORUM, QUA RATIONE PER SE MORES INDICET.

Quoniam ergo conformatio membrorum ipſa per ſe temperamentum certum non ſignificat, qua ratione mores indicet, inveſtigemus primo & per ſe.

Primo autem ex libris de *Partibus animalium* Ariſtotelis, & ex *lib. de uſu partium* a Galeno repetendum eſt, partes actionis uſuſque alicujus gratia eſſe conſtitutas. Quoniam vero actio non ex ſolo inſtrumento eſſe poteſt, ſed exigitur præterea facultas indita animæ, & propenſio ac hærens inſtinctus ad accommodatam actionem; ideo ex diſpoſitione partis ad actionem uſumque aliquem conjectare ac colligere licet facultatem ac propenſionem inditam ad congruentem inſtrumentariæ ejuſmodi parti actionem. V. g. alam datam animali alicui videmus: ala vero eſt inſtrumentum volandi; idcirco ineſſe ejuſmodi alato animali propenſionem & inſtinctum ad volatum plus minuſve, pro alarum robore atque ad reliquum corpus proportione, colligimus. Pariter partes *ad pugnandum* (*b*) factæ, animal pugnax indicant, ſique robore excellant, pugnacitatem quo-

(*a*) *Figuræ & effigies hom. prop. infinitæ.*) Huc ſpectant, quæ PLINIUS *L. VII. Cap. I. hiſt. naturalis p.* 146. habet: *Tam in facie vultuque noſtro, cum ſint decem aut paulo plura membra, nullas duas in tot millibus hominum indiſcretas effigies exiſtere, quod ars nulla in paucis numero præſtet affectando.* Quorſum & faciunt acuta BARCLAJI verba *in Icone animorum Cap. 2. Ille, cujus gratia ceterarum rerum ornatus inſtitutus eſt, ille ad divinitatis memoriam ſpecimenque homo compoſitus, non modo diverſos in corporibus habitus ſortitus eſt, ſed & animum adeo multis rebus idoneum, ut nulla pictura pluribus coloribus poſſit, aut lineis delectare intuentes, quam quas in hominibus fata duxerunt.*

(*b*) *Adpugnandum.*) Conf. GROTIUS de I. B. & P. *L. I. c.* 2. §. 4. ubi veterum affert loca; & SCHRADERUS Diſſ. *de armis animalium.* Innuit hoc imprimis HORATIUS *L. 2. Sat. I.*

*- - - Quo quisque valet, ſuſpectos terreat: utque*
*Imperet hoc natura potens, ſic collige mecum.*
*Dente lupus, cornu taurus petit. Unde, niſi intus*
*Monſtratum? - - mirum*
*Ut neque calce lupus quenquam, neque dente petit bos.*

Et CICERO L. 2. *de natura deor. Jam illa cernimus, ut contra metum, & vim ſuis ſe armis quæque defendat. Cornibus tauri, apri dentibus, morſu leones, alia fuga, alia occultatione ſe tutantur. - - Multa etiam inſectantes odoris intolerabili fœditate repellunt.* LUCRET. *L.* 5.

*Principio genus acre leonum, ſævaque ſecla*
*Tutata eſt virtus, vulpes dolus & fuga cervus.*

quoque excellentem demonſtrant. Ariſtotelem audiamus. *Partes enim*, inquit, *quæ ad invadendum, aut ad defendendum ſpectant, quæque a natura iis tribuuntur, quæ aut ſola, aut præ cæteris uti poſſint, & quibus vis utendi præcipua, hæc præcipue armis dotata ſunt: ut aculeo, calcari, cornu, dente, & ſi quid aliud ejusmodi ſit, cumque mares robuſtiores, magisque animoſi ſint, ideoque aut ſolis iis, aut melius iis partes ejusmodi datæ ſunt.* Galenus quoque eandem conſenſionem inter organa corporis & facultates ac propenſiones animæ, agnoſcit. Dicit enim: *Omnibus vero aptum eſt corpus animæ moribus, & facultatibus; equo quidem fortibus ungulis atque juba ornatum atque inſtructum; eſt etenim velox & ſuperbum, & generoſum animal: leoni autem, utpote animoſo & feroci, dentibus & unguibus validum.* Inſtinctus autem ad operationes inditos animali facultatibusque animæ, reſpondentes partibus, indicat obſervatio illa Galeni: quam quisque tamen per ſe obſervare poteſt. Nempe vitulus adhuc cornibus carens, conatur petere cornibus; & pullus equi calcitrat teneris adhuc ungulis; & aper adhuc perpuſillus, eodem motu genas vibrat, quo poſtea natum vibrabit exertum dentem; idemque de cæteris; nam fœtus mox ex ovo excluſi avium conatum volatus exprimunt, ſerpentum ſerpendi &c.

Concludamus nunc ergo. Conformatio partium indicat inſtinctum ad operationes, ad quas ſunt partes ejusmodi accommodatæ. V. g. manus quidem ipſæ per ſe aptitudinem ad bellandum ſignificant, verum ſi præcipuam ad eam rem aptitudinem conſtructione & robore oſtenderint, bellacem in eodem homine animum monſtrabunt; idemque de cæteris partibus pronunciandum, veluti deinceps in ſingulis explicabimus.

# LIBER SECUNDUS.

## CAPUT PRIMUM.

### *De Climatibus.*

### §. I.

*Varia ſcriptorum de ea re dicta commemorat.*

Poſt temperamentum climata ſuccedunt, *in variis enim climatibus* (a) variis imbutos moribus naſci homines, obſervatio ipſa patefacit; aliis enim moribus Æthiopes ſunt, aliis Germani. Ariſtoteles in *Problematibus Sect.* 14. *problem.* 1. duo in univerſum tradit; *efferis moribus & aſpectibus eſſe, qui in nimio vel æſtu vel frigore colunt.* Ex quo dogmate elicitur, in temperatis locis homines temperatorum morum naſci. Quod & ratio, quam ibi dicti ſui affert Ariſtoteles, ſi expendatur, ſuadet. Eſt autem; quoniam ut optima temperies non corpori ſolum, verum etiam intelligentiæ prodeſt, ita exceſſus omnis, corporis nedum, verum etiam mentis temperamentum pervertit. Secundum, quod aſſerit Philoſophus eſt; *qui loca fervida colunt, timidos eſſe; qui gelida, fortes.* Vitruvius

*Sentit enim vim quidque ſuam, qua poſſit abuti;*
*Cornua nota prius vitulo, quam frontibus exſtant,*
*Illis iratus petit atque infenſus inurget.*

Hac eadem de re ARISTOTELES *L. 2. de part. animal. c.* 9. ita ſcribit: *Proxime ad oſſium naturam, quod ad tactum attinet, accedunt etiam tales partes, verbi gratia, ungues & ungula, cum ſolida, tum biſulca, & cornua & roſtra avium. Omnia autem hæc præſidii gratia habent animantes Quæ enim ex iis conſtant &c. verbi cauſa, ungula tota, & cornu totum ad ſalutem cujusque animalis a natura excogitatum & comparatum eſt. In hoc genere autem etiam dentes numerandi ſunt, aliis quidem attributi ad unum munus obeundum, nempe ad cibum conficiendum: aliis ad hoc & ad proelium, viresque expromendas, ut iis animalibus & quibus ſerrati & quibus exſerti ſunt dentes.* Eodem fere, pertinent, quæ idem ARISTOTELES *L. 3. c.* 1. & 2. de dentibus *illo*, de cornibus *hoc* capite, diſſerit Adſcribam adhuc, quæ apud eundem *L. 3. c.* 2. de Momo affert, naturam reprehendente, quod cornua tauris affinxiſſet in capite, non in humeris. Sic autem: *Recte etiam*, inquit, *in eo a natura proviſum & conſultum eſt, quod cornua in capite locarit, non ut Momus Aeſopi volebat, qui taurum improbabat, quod non in humeris cornua habeat, unde plagas incuſſiſſet acriores, ſed in infirmiſſima parte capitis. Nam cum hæc reprehendebat, parum videbat. Quemadmodum enim ſi vel in quavis alia corporis parte cornua innata eſſent, oneri eſſent, damnumque importarent, neq; quicquam prodeſſent, multisque operis functionibus impedimento eſſent; ſic & ſi in humeris eſſent à natura collocata. Non ſolum enim videre oportet, unde plagæ acriores fiant, ſed etiam unde longiores.* Idem L. 4. de *partibus anim. c.* 10. *Manum homini ait eſſe pro haſta, pro enſe & pro armis quibuslibet, quia omnia poteſt ſumere ac tenere.* XENOPHON de armis animalium ſequentem in modum ſcribit: ἀτ ζῶα ἐπίςαται τινὰ μάχην ἕκαςα, ὐδὲ παρ' ἑνὸς ἄλλυ μαθόντα, ἢ παρὰ τῆς φύσεως, *Omnia animantium genera pugnam norunt aliquam, quam non aliunde, quam a natura didicerunt.* Conf. HEBENSTREITII *philoſ. moralis p.* 40. *ſq.*

(a) *Variis climatibus.*) Negari non poteſt, cœli ſitum & aëris temperiem magnam vim ad formandos & immutandos animos habere, neceſſitatem tamen non adferunt, ut male opinantur GALENVS & POLYBIVS. Ad id, quod traditum, haud dubie reſpicit PLATO, quando *L. V. de Legibus*, ſcribit: *Alios aliis meliores ac deteriores effici, ex ipſa locorum varietate, quos propterea legibus ſæpe contrariis ac repugnantibus moderari neceſſe eſt; eam quoque diſſimilitudinem ab aquis & aëre, tum etiam a ciborum varietate manare.* BODINVS *in methodo hiſt. cap. V. Facit enim*, inquit MORHOF. *in Polyhiſt. T. II. L. III. Cap. I.* §. 13. *ad temperamentum hominis loci conſtitutio, ſive is montanus ſit, ſive in planitie, ſive in locis paludoſis ſive arenoſis ac metalliferis. Ex qualitate enim ſoli, variat natura ciborum, ex natura cibi temperamenta, e temperamentis inclinationes hominum. Hinc in locis montanis ſolent habitare homines aſperi, in locis paludoſis homines ſtupidi, in locis arenoſis & calidis ingenioſi.* Egregie hæc omnia perſecutus eſt BODINVS l. 2. cui jungi poſſunt THOLOSANVS *de republ. L.* 4. *c.* 4. & J. BOEMVS AVBANUS, qui ex variis auctoribus de moribus, legibus & ritibus omnium gentium notatu digna collegit. De numero climatum vide GVIL. BLEAEV *de uſu globorum & ſphærarum.* Imo illam morum diverſitatem iis quoque ſolennem eſſe videmus, qui vix una eaque ipſa breviuscula leuca ab ſe invicem ſunt ſejuncti. Quod quidem ſi HVARTVS *Scrut. ing. c.* 4. fidem ſuperare recte putat, quis non cum Plutarcho miretur, in una Athenienſium urbe tres aliquando factiones de commutando ſtatu reipubl. exſtitiſſe. Conf. WERNSDORFII Diſſ. de *characteribus gentium* §. 2. *p.* 6.

Digitized by Google

truvius hoc idem aſſerit, cum diſtinctione tamen. Nempe qui ſub ſeptentrione habitant, impavidos adverſus vulnera & ferrum, in febribus tamen pavidos; ex abundantia enim ſanguinis, quo redundant, vulnera ſpernunt, at ex novitate fervoris febrilis, quod ſint inſueti fervori, febrem timent. Contra qui Æquinoctialem verſus habitant, ob ſanguinis paucitatem timidi in pugna ſunt & adverſus vulnera, at contra febrim ſpernunt, quod ſint fervori aſſueti. Avicenna pariter Septentrionalibus hominibus tribuit mores leoninos, ob innati caloris copiam: pariter dicit, habitantes loca calida cor habere timidum, & habitantes loca frigida, fortiores eſſe & audaciæ majoris. Palæmon quoque, Septentrionalibus iracundiam tribuit; licet dum multidicos facit, in eo & a cæteris & a veritate recedat. Ariſtoteles enim ſapientiores eſſe dicit locis calidis homines, quam frigidis. Ptolomæus *lib.* 2. *de judic. cap.* 2. feros tantum moribus dicit, & qui Auſtralioribus ſubjecti ſunt parallelis, ut Æthiopes, & *qui Septentrionalibus* (*a*) ſubſunt, ut Scythæ; illi quidem propter excedentem æſtum, hi propter excedens frigus. Qua in re cum primo Ariſtotelis dicto ante relato conveniunt. Ptolomæus idem eodem *lib.* 2. *de judic. cap.* 2. addit: Orientales eſſe viriliores, Occidentales autem effœminatiores, contra quam res ipſa doceat; Europæos enim viriliores, & Aſianos effœminatiores hiſtoriæ ſatis indicant, & multorum ſcriptorum authoritas. Ariſtoteles id dicit 7 *Polit.* Euſtratius, & alii plurimi. At id inſuper me in admirationem ducit; nam nobis Orientalis eſt India, ideoque ex hypotheſi Ptolomæi viriliores Indi nobis: at nos Orientales ſumus inſulæ Cubæ, atque invento a Columbo orbi; proinde viriliores illis ſumus: ea regio rurſus eſt Orientalis Indiæ, quare & virilior India: at nos viriliores illis; ergo multo viriliores Indis, qui tamen, ut nobis Orientales ſunt, viriliores Indis, qui tamen, ut nobis Orientales ſunt, viriliores nobis. Conſequitur autem abſurditas, quod Orienti effectum tribuimus virilitatis, cum tamen Oriens & Occidens varientur. At ex varia hac narratione in eo demum conveniunt ferme omnes, quod confirmat quoque Ariſtoteles 7. *Polit.* quę gentes incolunt *frigidas regiones* (*b*) animo abundare, ingenii vero & artificii parum habere: quę vero calidas regiones (pro calida tamen regione Aſiam ibi dicit Philoſophus) ingenio & arte abundare, at animoſitatem non habere: quæ vero mediam inter has regionem ſortitæ ſunt, quales Græcos dicit, & animoſitatem habere & ingenium. *Aſtrologi* (*c*) climata ſingula ſuis ſubjiciunt planetis: conſulant illos, qui ejusmodi cognitionem cupiunt.

## §. II.

### *Regionis qualitates ac mores non ex ſolo climate colligi poſſe.*

Verum id annotare oportet, non ex ſolo climate, id eſt, diſtantia ab æquinoctiali polove, regionis alicujus naturam recte ſumi. Nam in eodem, quo Gallia eſt parallelo, regiones plurimæ ſunt longe a Gallia differentes, & qualitatibus aliis, & incolarum moribus. Palæmon eam rationem affert, quod permixtæ ſunt invicem gentes, Syri ex. gr. cum Italis, & Thraces cum Lybicis. Verum natura ſoli & ſitus locorum maximam in eodem parallelo faciunt differentiam; ut deinde exponemus. Quocirca plurimum differt Goæo & Coccini tractus ob amœnitatem ſoli, a ſabuletis Africæ, quæ ſub eodem ſunt parallelo. Unde oportet, cum regionis alicujus naturam & mores judicare volumus, cum conſideratione climatis, ſoli & ſitus conditiones conjungere; quod nos faciemus infra.

## §. III.

### *Opinio, & limitatio hac in re Autoris.*

Ut vero ratio Climatis non eſt ſola attendenda, ita eſt attendenda tamen. Nempe ipſa in propenſiones ſeorſum influit, ut temperamentum agit ipſumque alterat. Nunc itaque quærendum,



(*a*) *Qui ſeptentrionalibus.*) Adjungam hic de Succorum genio & moribus pauca, ex libello Londini 1695. edito, cui tit. *L' etat preſent de la Suede. La nature du Climat où l' air eſt fort ſain, fort ſec, & fort rude, fait* que les *habitans ſont d' une conſtitution vigoureuſe. Tout cela confirmé par une education ruſtique, par les mechans logemens &c. les rend capables de ſoutenir toutes les incommoditès, qui leur arrivent plus facilement, que ceux, qui ſont nez dans un pays plus temperé. &c.*

(*b*) *Frigidas regiones.*) BODINUS *l. c.* & *de Republ. L. V. p.* 780. *ſq.* Quod autem aquilonares inhabitantibus regiones parum inſit ingenii, ex aëris craſſitie nonnulli deducunt. Audiamus hac de re loquentem MAGIUM Anglarenſem *in Commentario ad Cornelium p.* 77. *Stupida*, inquit, *ineptaque eorum fere ſunt ingenia, qui craſſum inſpirant aërem, quod per aſperam arteriam attractus in corpus, perque arterias & meatus impulſus, ſpiritus craſſiores, inertiores ignavioresque reddit. Accedit, quod cum ſub craſſo cœlo craſſiora gignantur alanturque corpora; mens ob craſſum domicilium, craſſaque inſtrumenta, quibus utitur, prave & inepte ſuas obit functiones. Quod & nos, dum id genus loca aliquando incoleremus, verum eſſe, ſumus experti.* Confirmat id quoque ſupra adductus libellus gallicus de l' etat preſent de la Suede chap. 4. *L' eſprit des Suedois n' a que rarement, une grande vivatité ou penetration.* Notandum tamen, beneficam naturam non plane boreales & occidentales ita deſpexiſſe regiones, ut in illis nulli plane ingenio valentes reperiantur Id ſaltem dicendum videtur, non tantam acutorum ingeniorum multitudinem, quam orientales & auſtrales terras alere. Comprobabunt id, qui legent ALB. BARTHOLINUM *de Scriptis Danorum &* JOH. SCHEFFERI *Sueciam litteratam*, quas cum hypomnematis ſuis in utrumque Scriptorem hiſtorico criticis prolixioribus, & Prolegomenis *de gentium Borealium in literas meritis, hiſtoriaque litteraria & eccleſiaſtica ſcriptoribus, junctim publicavit* JOH. MOLLERUS *in Bibliotheca ſeptentrionis eruditi.* Lipſ 1699. Contingere quoque poſſet, quod auſtralia & orientalia ingenia, borealia & occidentalia acie ingenii ſuperarent. Sic & Aſia & Africa corporis robore & fortitudine præſtantes aliquando exhibuit, ſed non in tanta copia, quam boreas & occidens.

(*c*) *Aſtrologi.*) Sed hi, qui aſtrorum influxum in corpora humana ſtatuunt, difficultatem inveniunt circa determinationem modi, quo iſte influxus fiat. Vide tamen Cel. WIDEBURGII Prof. Math. Jenenſis Diſſ. *de influxu ſiderum in corpora humana.* Etſi largiamur, eſſe aliquam aſtrorum in corpus & animum humanum operationes, illud tamen eo non eſt intelligendum, ac ſi aſtrorum influxus de ſorte humana neceſſitate quadam ſtoica diſponat. Illuſtrant hoc A. GELLII contra Chaldæos ex mente Favorini adducta *in Noct. Attic. Lib. XIV. c. I.* & KOELERUS in ſolide conſcripta Diſſ. *de prognoſticorum politicorum vanitate*, quæ omnino meretur legi. Conf. STURMII *Diſſ. de influentia ſiderum & ejus phyſicam Parte ſpec. Sect. poſter. C.* 2. §. 7. Legi quoque merentur. quæ CARLO GARSIA *dell' Antipatia de' Franceſi espagnuoli Cap. XVII. p.* 192. hanc in rem adfert. Ridet autem aſtrorum influxum GUNDLINGIUS *in otiis, Cap. I. & II. P. II.* & ejusmodi conjecturas, aſylum ignorantiæ vocat.

Digitized by Google

dum, hujus quæ ſit vis; poſtea, ut a reliquis regionis differentiis alteretur, intendaturque, aut remittatur, intelligemus. Non ergo mihi illud ſimpliciter probatur, quod ſimpliciter dicitur: climata fervida homines timidos facere, frigida audaces & iracundos. Rei autem veritas hunc in modum colligetur, indagabiturque. Exterior calor ac ambientis ad aliquem usque progreſſum laxat poros animalis, nunc hominis (de quo uno in præſentia loquimur) indeque internum humorem ac *ſecum calorem educit*: (*a*) at cum ſupra modum exceſſerit, conſtringit poros, unde internus humor non poteſt eliquari. Eſt hoc dogma Ariſtotelis 4. *Meteor.* ubi dicit: *aſſata humidiora eſſe elixatis, eo quod ob ignis exſiccationem coeunt exteriores meatus, & ideo non poteſt excerni intus exiſtens humidum.* Hæc ille: & confirmatur etiam ex dictis in *Probl.* 9. Ubi, cur corpora induta magis ſudent, quam nuda, cum hæc tamen magis a ſole incaleſcant, eam reddit rationem; *quoniam Sol deurendo nudi corporis foramina comprimit.* Quæ climata ergo calori torrenti ſubjiciuntur, ea exterius quidem ſiccant corpora, non interius; unde neque calorem internum abſumunt: at calor infra torrentis terminum & efficaciam, poteſt præſtare illum effectum intimum educendi calorem. Crederem ergo ſabuleta Africæ homines habere, ſi quos habent, impenſe calidos intus, ac iracundos; ut ſerpentes ibi quoque ſævi ſunt ac venenoſi ſupra modum. Verum, qua tractus ejusdem paralleli aquoſus eſt, vel paluſtri vel fluviali aqua, vel etiam amplis ſcaturiginibus, ibi calorem elixantem potius, quam torrentem, & laxare poros & cum interiore humore educere calorem, credendum eſt, hominesque ideo intus frigidos reddere, proindeque timidos.

Nunc dicamus de frigore. Frigus ambientis compingit & denſat humiditatem; at eo usque progreditur ejus exceſſus, ut expulſa omni humiditate pulverulenta reddat corpora. Id videmus in ſævis hyemibus; quarum rigore & frigore, ſi ſerenæ fuerint, non ſecus tellus pulverulenta fit, atque in æſtu, & ſub cane. In hominibus hoc ipſum proportione accommodata videmus fieri. Etenim Germani & Dani pingues & carnoſi: at Gotlandi exſucci homines dicuntur, exſiccante jam immodico frigore exteriores partes, eliſione humiditatis. Externum ergo frigus ſua vi penetrat intima corporum ejusmodi carne denudatorum; adeo ut hepatis refringatur calor & refrigeratum *hepar ſanguinem frigidum* (*b*) ex prædominio generet, (hinc luridus color gentis,) ſanguis vero in cor influens, ipſum quoque frigidius juſto reddit. Quocirca homines timidi ſunt. Cui rei ſuffragatur id, quod *Olaus Magnus* (*c*) dicit de regione ejusmodi (vocat vero ipſe Biarniam.) Dicit enim eam gentem pro armis uti veneficiis & magicis incantationibus: at bellicoſi homines armis, non imprecationibus hoſtes ulciſcuntur. Arbitror ego itaque, quod dicitur, frigidi loci incolas eſſe audaces, & calidi timidos, verum eſſe de locis intra latitudinem *temperatæ circiter zonæ.* (*d*) Quam reſtrictionem absque dubio ſuſcepit Ptolemæus *lib.* 2. *de judic. cap.* 2. *verſus finem.* Ariſtoteles quoque contulit loca frigida cum Aſia, non cum locis calidiſſimis. At Aſia, (quæ tum Aſiæ nomine ab Ariſtotele intelligebatur,) non pertingebat ad Tropicos. Nam cultas Aſiæ partes ſane ſignificaſſe videtur Ariſtoteles, cum arte abundare dixerit; non autem ſquallidas zonæ torridæ calore immodico, quæ agreſtes potius ſunt, quam artificiis inſtructæ. Si vero calorem etiam torridæ zonæ amplectamur, non illis conveni-

re

(*a*) *Secum calorem educit.*) Hoc peregregie illuſtrat PLUTARCHUS *Problemat. Sympoſi. dec. II. Problem* 2. *Cur edaciores ſimus autumnali tempore, quam æſtivo?* T. I. Oper. edit. Baſil. p. 200. n. C. Ita autem: *Nativus*, inquit, *& ingenitus noſter calor, quo vivimus natura munere, æſtate diſſipatur, imbecilliorque redditur & rarior: at prono jam anno cogitur denuo, viresque reſumit, intro ab externo frigore compulſus, cutisque denſitate compreſſus.*

(*b*) *Hepar ſanguinem*) Veterum ſententiam, quod ſanguis in jecore generetur, refutat ROHAULTUS *in phyſica P. IV. c.* 22.

(*c*) *Olaus Magnus.*) Fabulis maxime repletus, ut alii veteres rerum ſeptentrionalium ſcriptores. Fateri tamen neceſſum eſt, & recentiorum itineraria de gentium maxime borealium, magicis artibus adhuc memorare. *Nouveau voyage du Nort p.* 78. Liceat hic apponere locum aliquem ex famoſo colloquio BODINI *Heptaplom.* de dæmonum fatidicorum, incantatorum, ſagarumque operationibus, multa enarrantis, ubi ſub *Friderici* nomine ſequentia effatur: *Multa quidem incredibilia putantur, quibus tamen nihil uſitatius ad extremas aquilonis oras, homines ſcilicet quaſi volucres mirabili celeritate in remotiſſimas regiones abire, ut de Apollonio Thyaneo Philoſtratus L. 4. ſcribit: Ab ultima Aethiopia & Nili fontibus Romam brevi transvectum. Idem Plutarchus in Romulo de Romulo, de Ariſte Praconeſio, de Cleomede, Aſtipaleo: & Hugo Floriacenſis de Comite matisconenſi. Plenus eſt Sprenger, pleni Olaus Magnus, Paulus Grilandus, Silveſter Prierias, Molitor, Vierius, conſimilium in aere ſublimi transvectionem narrationibus, quæ non ſolum Theologorum decretis, ſed etiam legibus humanis & divinis confirmantur. Et quidem Plato, cum pœnas in eosdem decerneret, qui cum ſceleratis magorum artibus uterentur, ab iis incredibilia fieri ſcribit, quæ tamen ut certiſſima affirmat Apulejus aſino aureo; ipſe magicæ reus impietatis ac propterea publico judicio poſtulatus, Minus, inquit, calles, graviſſimis opinionibus, ac putari mendacia, quæ vel auditu nova, vel viſu rudia, vel ſupra captum cogitationis ardua videntur, quæ ſi paulo accuratius exploraris, non modo compertu evidentia, ſed etiam factu facilia ſentias.* Idem paulo poſt: *Prius*, inquit, *dejerabo ſolum illum videntem Deum, me vera & comperta narrare, ne ulterius dubitetis. Ex quibus intelligitur, ea, quæ nec a natura, nec ab humanis viribus proficiſcuntur, divina aut dæmonum ope exerceri.* Hactenus BODINUS. Ceterum pactum, quod magis & ſagis cum diabolo intercedere dicitur, & alia, quæ de ſuo cum eo blaterarunt ejusmodi generis homines commercio, imaginationi adſcribunt; illam tamen non manere debere impunitam, ſed graviſſima coercendam poena, cum audeant. Deo repudium mittere Conf. BAYLE *dans le reſponſe aux queſtions d'un provincial T. I, chap.* 34, 35. & THOMASIUS in Diſſ. *An magia ſit crimen.* Quod multi ſupra vulgi captum ſapientes, magiæ ſuſpecti habiti ſint, docet NAUDÆUS in *Apologia*, eosque ab omni artium iſtarum ſuſpicione liberat.

(*d*) *Temperata circiter Zona.*) De diſtributione terræ per zonas conf BLEAEU *l. c. cap.* 17. & WERNSDORF. in Diſſ. *de characteribus gentium* §. 4. *p.* 7. qui: *Quamlibet*, inquit, *regionem, quo magis vel ad auſtrum vel ad ſeptentriones inclinat, eo præſtantiores vel animi vel corporis robore producere homines.* Sed & Suecis nemo audaciæ & fortitudinis gloriam derogabit, cum tot res a multis jam tum ſeculis præclare geſſerunt, & tamen non ſunt ſub temperata, ſed frigida zona.

Digitized by Google

re timiditatem, ex illis, quæ *de Braſiliis* (*a*) hominibus nunc dicuntur, ſatis redditur apertum. Maffeius hæc ſcribit: *Æque iræ, ac libidinis impotentes, ad pugnas & certamina temerarii, præcipitesque ultionis, & humani ſanguinis avidiſſimi.* Ea tamen gens ſub Æquatore eſt, & ultra æquatorem usque ad tropicum Capricorni, maxima ex parte zonæ torridæ ſubeſt.

Hæc ita dicta ſint; in naturalibus vero libris rem exactius exponemus. Non erit ſane canon, ut reſtrictus a nobis, penes quemquam controverſus, ſcilicet in zona temperata, (nempe intra tropicum & circulum polarem) quæ gentes ad polum magis accedunt, eſſe audaciores: quæ ad tropicum eſſe ingenioſiores & timidiores: quæ vero in medio degunt, & ingenio & audacia pollere; minus tamen hac quam Septentrionales, minus illo, quam Auſtrales; hocque ratione climatis ipſius.

Alias tamen ob cauſas accidere poteſt, ut in auſtraliore climate naſcatur homo audaciſſimus; qualis Antæus in fabulis, & *Juba* (*b*) in hiſtoriis; & in ſeptentrionali naſcantur *ſummo ingenio homines*, (*c*) ut Joannes Duns, doctor cognomento ſubtilis, in Scotia; Albertus Magnus in Germania, & Joannes Regiomontanus, & Copernicus in Aſtronomicis, & alii multi in omnibus ſcientiis viri acutiſſimi.

# CAPUT SECUNDUM.

## *De Triangulis & Stellis, & de Dæmonum inſpiratione ac afflatu.*

### §. I.

*Diverſæ propenſiones & mores hominum unde gignantur ſecundum Ptolemæum.*

Aſtrologi quædam triangula imaginantur reſpicientia duodecim ſigna Zodiaci, quæ etiam triplicitates vocantur; ex eorumque diverſitate in ſubjectis regionibus diverſas propenſiones, ac mores gigni credunt. Quatuor ergo triangula æquilatera in Zodiaco excogitant, quorum ſingula latera quatuor ſigna ſubtendunt. *Primum* ab initio arietis ad initium leonis tendit, indeq; ad initium ſagittarii, & vocatur a Ptolemæo borrolybicum. *Secundum* triangulum eſt a tauro ad virginem, indeq; ad capricornum: vocat auſtriſolanum, & nothapelioticon. *Tertium* ab initio geminorum ad initium libræ, indeq; ad initium aquarii: dicit aquilonis, & ſubſolani. *Quartum* ab initio cancri ad initium ſcorpii, indeque ad initium piſcium; vocat notholybicum. Dividit deinde idem Ptolemæus quartam terræ habitabilem, quam ſcilicet ipſe cognovit, in 4 partes ac figuras quadrilateras, æquales duabus lineis, altera ab occidente ad orientem, altera ab auſtro ad ſeptentrionem. Quartas rurſus ſingulas, ductis diametris, in duo triangula depeſcit: quorum alterum cuſpide ad circumferentiam pertinet, alterum ad centrum. Trigonum deinde ad circumferentiam quadrantis inter ſeptentrionem & occidentem ſubjicit triangulo borrolybico, atque Jovi, ut dominatori: (nam tribuit ſeptentrionem Jovi, occidentem Marti, orientem Saturno, auſtrum Veneri.) Jovem ergo eam ob cauſam præficit dictæ regioni, cui ſocium adjungit Martem ratione Africi. Triangulum quadrantis inter ſeptentrionem & orientem tribuit triangulo, triplicitative aquilonis & ſubſolani, & Saturno ac Jovi, ut ſocio dictam ob cauſam. Quadranti rurſus inter orientem & auſtrum, ſecundum exterius trigonum, ac ad circumferentiam præficit trigonum nothapelioticon, atque ex planetis Venerem & Saturnum, uti ſocium. Reliquo quadranti ſecundum itidem exterius triangulum præficit trigonum notholybicum, atque ex planetis Martem, uti primum, & Venerem, uti ſocium. At triangulis ſingulorum quadrantum interioribus, & ad centrum, præficit eandem triplicitatem & eosdem planetas, quos & quam præfixit contrarii quadrantis exteriori trigono. Et hæc ita dixiſſe ſufficiat. Quos mores vero ſingulis ejusmodi plagis tribuat, relego legentem ad Ptolemæum ipſum loco antea dicto. Neque ſatis tamen cum eo reliqui omnes Aſtrologi conſentiunt. Nempe ars non admodum certis *innixa fundamentis*, (*d*) non poteſt etiam admodum conſtans eſſe ſibi.

§. II.

(*a*) *De Braſiliis*) Gentem americanam ad crudelitatem proclivem eſſe, nec animo deſtitui, probat BODINUS in *methodo hiſtor. cap. V.* Conf. BARCLAJI *Icon animor. cap. 2. in fine.* & WERNSDORF. Diſſ. *de characteribus gentium* §. 4. *p.* 8.

(*b*) *Juba.*) De Jubæ fortitudine ex auxiliis Pompejo latis evolvendi CÆSARIS *Commentarii de Bello Civili, paſſim.* Pœnorum exercitus ſub ſtrenuiſſimis pariter ac prudentiſſimis ducibus, Hamilcare, Hasdrubale & Hannibale, res in Hiſpania, & Italia præclare geſſiſſe, Romanosque ſæpe acie, inprimis autem decretoria ad Cannas pugna viciſſe, ex POLYBIO *L. I. III.* LIVII *decade III.* & PLUTARCHO *in vita Hannibalis*, patet. Celebrantur non minus in hiſtoria romana Maſiniſſa & Jugurtha, Numidarum reges. SALLUSTIUS in *bello Jugurthino*, & FLORUS *L.* 3. *c.* 1.

(*c*) *Summo ingenio homines.*) De ſummi ingenii hominibus in regionibus ſeptentrionalibus, Auctores, quos MORHOFIUS *in Polyh. T.* 1. *L.* 1. *c.* 18. citat, evolvendi ſunt.

(*d*) *Innixa fundamentis.*) Conf. MORHOF. *in Polyhiſtore T. II. L. III.* §. 9. Curioſa ſunt, quæ Leibnitii Miſcellanea p. 187. de iis, qui in uno ſigno cœleſti nati ſunt, deque ſigno Virginis, in quo ſalvator mundi lucem aſpexit, ex mente CARDANI, afferunt. Non inutile erit, quædam huc facientia inde tranſcribere: *Illud notandum, Aſtrologorum decreta de nullo alio intelligenda eſſe, niſi de inclinatione homini a natura data & impreſſa, non de eo, quod futurum ſit. Poteſt enim homo mirifice ſe mutare in melius vel pejus. In Aſtrologicis egregium & ingentem librum edidit* MARIA KUNITIA, *virgo ſileſiaca eruditiſſima &* ARDIUS TREW *parvo libro in 4. ſed præclaro, non pauca egregia & admiranda notavit. Mihi videtur in rebus, ubi mentes intercurrunt, parum pendere ab aſtris. Conſtat enim, unius hominis ingenium aut fortunam potuiſſe cauſſam eſſe mutationum magnarum in orbe terrarum, ut patet in Alexandro M. in Cæſare. Pone Alexandrum M. non fuiſſe imbutum ſcientia militari, Cæſarem non velocem, totius orbis alia, quam nunc eſt, facies foret: Alexandri autem peritiam, Cæſaris velocitatem cur aſtris adſcribemus? Quanquam fatear, poſſibile eſt, ut aſtrorum motus ſint ſigna rerum in mundo, ut ductus in manu rerum in corpore. Crediderim tamen, naturalium, non moralium, ac nec naturalium in univerſum, cum valde a moralibus varientur, uti conſtat e. g. peſtem effoſſis molibus ad muniendas urbes ortam, & una capſula in Babylo-*



Digitized by Google

§. II.

*Plato quid ſenſit de varietate regionum.*

Inſpirationem ac afflatum dæmoniacum, nec non dæmonum cuſtodiam ponit Plato, ut cauſam maximam varietatis regionum: *lib. 6. de LL. in fine. Maxime autem*, inquit, *loca regionis differunt, in quibus inſpiratio quædam divina, & quæ dæmones ſortiti ſunt, qui habitantes propitii vel contra ſuſcipiunt.* Platonici autem dæmones diſtinguunt in ſaturninos, joviales, martiales, ſolares, venereos.

## CAPUT TERTIUM.

### *De Solo.*

§. I.

*Soli differentias continet.*

At ſoli conſideratio naturalior jam eſt atque conſtantior. Continet hæc & conditiones telluris, & aquas adjunctas, & irriguas. Dico *aquas adjunctas* maria, & lacus, ſtagnaque, ac paludes: *irriguas* vero fluvios, ac fontes. Terra ipſa per ſe primo diſtinguitur a ſcriptoribus de re agraria in montanam, collinam, & campeſtrem. Subdividuntur deinde ſingula membra ſenis differentiis: vel enim ſoluta eſt terra vel ſpiſſa: pinguis vel macra: humida vel ſicca. Differentia prior *montana, & campeſtris*, (*a*) collinæque, etiam ad ſermonem de ſitu pertinet, ut poſtea intelligemus.

§. II.

*Qui mores ſequantur varias ſoli differentias.*

Quæ differentiæ morum dictas ſoli differentias ſequantur, nunc conſideremus; ut ſolum differentias animorum ſeu propenſionum faciat. *Primo* ergo differentiam facit objecti, ut eſt fœcunda aut ſterilis regio. Nam fertilis copia reddit incolas deſidioſos; ut qui parvo labore ex abundanti ſolo victum ſuſcipiant, adeo ut ſi ſponte alimenta fluerent, (ut de aurea ætate comminiſcuntur Poëtæ) omnis induſtria omniſque ars ceſſaret: ex deſidia autem mollities corporis & animi, quam comitatur ignavia. *Livius lib. 29. Fertiliſſimus ager, eoque abundans omnium copia rerum eſt regio, & imbelles, quod plerumque in ubere agro evenit, barbari ſunt.* De Emporiis loco Aphricæ loquitur; *Superbia quoque ex tanta felicitate gignitur.* Contra ex ſterilitate regionis induſtrii homines naſcuntur, ex induſtriaque duri. Cicero licet oratorie hæc expreſſerit, accommodatiſſime tamen deſcripſit. *Ligures*, inquit, *montani, duri atque agreſtes: docuit ager ipſe nihil ferendo niſi multa cultura & magno labore quæſitum. Campani ſemper ſuperbi bonitate agrorum & fructuum, magnitudine urbis, ſalubritate, deſcriptione & pulchritudine.* Verum in his Cicero non ad ſoli naturam reſtringit ſermonem, ut nos nunc facimus. Recte tamen adjunxit arrogantiæ ex affluentia rerum luxuriem. *Ex hac*, inquit, *copia, atque omnium rerum affluentia primum illa nata ſunt; arrogantia, qua a majoribus noſtris alterum Capuæ conſulem poſtulavit; deinde ea luxuries, quæ ipſum Annibalem, armis etiam tum invictum, voluptate vicit.* Ex fertilitate ergo & ſterilitate regionis naſcitur ejuſmodi propenſio; ſed illiciendo & ratione objecti, ac motione morali, ut nunc dicit ſchola, non ratione ſubjecti, ac motione phyſica.

Verum *phyſica motione* (*b*) ſolum in propenſiones agit, per ea quæ emittit. Quæ ſunt in duplici differentia. Alia enim ſunt conſpicua, fruges nempe & fructus & pabula animalium; potus quoque, ſeu latices ſint aquæ ſive vina. Alia ſenſu, viſus præſertim haud conſpicua, quæ ſunt vapores exhalationes; quæ ſubinde vi ſolis a terra elevantur aërique immiſcentur. Alimenta agunt in mores: ut ab homine ſumpta, in ſanguinemque converſa, in cor quoque ita converſa influunt. Ex diverſis autem cibariis ſanguis variæ temperaturæ naſcitur. Nempe alimenta ejuſdem etiam ſpeciei in aliquibus locis flaccidiora gignuntur, minoriſq; nutrimenti; alicubi compreſſiora, at nutrimenti majoris; item calidiora ſeu frigidiora. Ob quam diverſitatem alimentorum altrix virtus, & concoctrix hepatis, ſanguiniſq; effectrix, ſanguinem calidiorem aut frigidiorem gignit, item aut efficaciorem aut imbecilliorem. At ratione vaporum & exhalationum duplici modo alteratur corpus. Primo modo, ut immixti aëri inſpirantur, adeoque ad ſpirituum generationem, quibus materiam ſubminiſtrant, faciunt. Alio modo concipere debemus fluvium veluti vaporum (vapores late accipio) nos circumdantem, & in quo perpetuo mergimur. Ejuſmodi fluvium interpretatur Ariſtoteles in antiquorum dictis, Oceanum circa terram circulariter fluentem. Hic ergo fluvius, cum ex vaporibus conſiſtit, qui ſuapte natura frigidi ſunt & humidi, calidi vero ut a ſole elevante calefiunt, corpora quoque, quæ ambit, humefacit, atque emollit. At corpora mollia præ ſiccis extendi amplius poſſunt a calore animali, adeoque proceriora fieri; nam ea quoque ætate ſolum corpora augentur, qua mollitudinem, ac teneritatem conſervant, ſcilicet pueritia & ado-

---

*ne aperta militem romanum circumtuliſſe contagium per orbem terrarum. An tamen velit, hæc Deus ſigna eſſe, imo annon peculiares quidam incogniti curſus cœli in certa quadam ſubjecta fuerint, uti nonnunquam is eſt ſolis poſitus, ut incendat ſilvas, cum forte in vitium quaſi quoddam dioptricum incidit, id affirmari liquido nequit, & ad hæc rerum arcana deſpero perveniri poſſe.*

(*a*) *Montana & campeſtres.*) Vide BODINUM in *methodo hiſtoriarum capite V.* WERNSDORFIUM in Diſſ. *de characteribus gentium* § 2. *p.* 5. 6. BARCLAJUM *in Icone animorum cap.* 2. & THOLOSANUM *de republica L. IV. c. IV.* §. 2.

(*b*) *Phyſica motione.*) Cyrus Perſas cupientes pro ſua montana & aſpera, planam & mollem regionem occupare, non permiſit, dicens, ut plantarum ſemina, ſic hominum vitas regionibus ſimiles fieri. PLUTARCH. *in apophtegm. p. m.* 45.

Digitized by Google

& adoleſcentia. Cum vero fluvius idem exhalationibus ſcatet, calidæ & ſiccæ quæ ſunt, corpora duriora & contractiora ideo fiunt.

§. III.

*Digreſſiuncula de proceritate Inſubrium: & cur nunc Galli minores, quam antiquitus, corpore ſint.*

Regiones hinc irriguæ proceriores homines faciunt. Ita Inſubria & cætera tota Italiæ pars quæ Lombardia nunc vulgo dicitur, proceriores, utplurimum, homines habet, quam Romandiola noſtra; nos enim minus multo aquoſam regionem habemus. Gallia pariter aquoſa & irrigua eſt, unde *procera antiquitus* (*a*) corpora gignebat. Quibus ideo Romani & Itali præ exiguitate erant deſpectui, ut teſtatur Cæſar. At qui fit nunc, ut breviores multo ſint Galli, quam antea? neque enim majores ſunt Italis, imo fere minores. Cauſam ego rejicerem in multum alimentum. Quinquies enim forte in die comedunt; deprimitur autem calor, copia alimenti, ne tollat in altum corpus. Quocirca Plutarch. *in Lycurgi vita* eam cauſam afferebat, quam ob rem Lacones proceræ ſtaturæ eſſent: quod parvo cibo erant contenti. Calor itaque poterat, non oppreſſus copia alimenti, in altum ſe & corpus tollere. Ætruſci, regionem ſicciorem incolunt & minore etiam multo cibo utuntur, ut ideo æquent proceritatem Inſubrium, non æque tamen ac illi craſſi ſunt. Hoc vero in univerſum aſſeri poteſt, aërem humidiorem, in quo & frigiditas præſtet aliquo pacto caliditati, ad uberiorem nutritionem cibique ſumptionem diſponere. Ut videmus Inſubres, ampliore quam nos uti cibo, & Gallos quam Inſubres: ob aërem ſcilicet humidiorem frigidioremque ſimul. Frigidi ſcilicet balnei vires & effectum imitatur, cujus eſt excitare famem; ut videmus in pueris ſeſe in fluviis abluentibus. In ciborum ergo cupediam propendent, qui ejusmodi regionem incolunt. At ſiccæ regionis incolæ multo minus ea laborabunt propenſione, & ad parſimoniam erunt ſeu ad victus parcitatem aptiores; ut ligures & Tuſcos modo videmus, & Hiſpanos multo magis.

§. IV.

*Qua ratione vapores ad ſpirituum generationem variam conferant, indeque ad mores.*

At præſentius multo & validius in mores agunt vapores, qua inſpirati ſpiritibus generandis variam materiam exhibent. Spiritus ſua varietate ad varios inclinare mores antea vidimus; varios autem elevari vapores ex diverſo ſolo hinc ſuccincte colligamus. Cum terra fuerit humida, ſua vel adjuncta humiditate vapores emittit: cum ſicca vero, exhalationes. Ex his ſpiritus ſicciores & calidiores, ex illis, uvidiores ac minus calidi gignuntur. Cum terra eſt ſoluta, plures effundit & craſſiores; cum ſpiſſa, pauciores & ſubtiliores, pro tenuitate meatuum, per quos materia emittitur. Ex pingui terra pinguiores elevantur, ex macra tenuiores ac depuratiores. Si ergo & ſpiſſa fuerit terra & macra, vapores tenuoires ac depuratiores multo elevantur; unde etiam ſpiritus pro materiæ qualitate tenuiores & puriores erunt; craſſiores ex contrariis differentiis ac obeſiores impurioresque. Montanis utplurimum locis & macredo & ſpiſſitas terræ ineſt, & ſpiritus etiam puriores, ſicciores tamen, quam par ſit; unde perſpicaces quoque incolæ montium ſunt & iracundi. Animadvertendum tamen eſt, ſi nimia ſit macredo & denſitas ſoli ſeu ſpiſſitudo, tum poſſe tam inopem & paucam ſpirituum materiam ſubminiſtrari, ut ſpirituum paucitate laborent incolæ. Quo ex defectu redditur homo in triſtitiam pronus, neque admodum potis functionum præſtantium animi, ob inſtrumenti primarii inopiam. Scilicet pinguioris ſpiritus & craſſioris ac multi conſtantes homines, erunt etiam adverſus pericula, non admodum tamen perſpicaces ingenio acutique. At quoniam ſpiritus laudatiſſimus erat, qui multus ſit clarus, ſubtilis, calidus & humidus moderate, regio etiam ad ejusmodi ſpirituum materiam ſubminiſtrandam aptiſſima erit, quæ temperat contrarias qualitates. Verbi gratia aquoſa & ſpiſſa, veluti montes aquoſi. Humiditas enim ad copiam facit & ad humiditatem ſpirituum, quantam requirit temperatus ſpiritus: at ſpiſſitudo ad puritatem & ſubtilitatem. Peruſia hac temperie ſoli gaudet; eſt enim is mons aquoſus: accedit ventorum perſpiratio, quæ vapores, agitatione purgatiores reddit. Eadem quoque temperie gaudet locus aquoſus & macer, licet campeſtris, ſi perſpiratus & ipſe ſit. Mutinenſium hæc eſt conditio, quorum agri macri ſunt; Unde (ex Plinio) una cum Parmenſibus gaudent lanis optimis; eſtque ea planities, cum a montibus diſtet, & a vallibus, leniterque aſſurgat, admodum perſpirata. Eſt adeo aquoſa Mutina, ut quicunque in ea civitate puteum excavare aggreditur, illi fons in futurum perpetuus profluat. Patavini & ipſi gaudent perſpiratione, ac pingue habent ſolum, & minus etiam aquoſum; unde ad arma magis, quam ad literas facti videntur. Quod confirmat paucitas virorum in literis illuſtrium, qui in celeberrimi gymnaſii tam præſente, tamque diuturna occaſione floruerunt; in tanta præſertim amplitudine civitatis. At ſi in pingui ſolo aliqua commiſceatur putredo, ut in Cervienſium civitate, ubi limus multus in æſtate putreſcit, tetroque odore locum complet. In ejusmodi, inquam, locis ſpiritus impuri gignuntur ac liventes, qui & in mores lividos ac malos homines reddunt propenſos.

§. V.

(*a*) *Procera antiquitus.*) Romanos olim Gallis ob exiguitatem corporis deſpectui fuiſſe, egregio loco AULI GELLII in *Noct. Attic. Lib. IX. cap. XI.* probatur: *Dux interea Gallorum*, inquit, *vaſta & ardua proceritate, armisque auro praefulgentibus, grandia ingrediens & manu telum reciprocans incedebat: perque contemtum & ſuperbiam circumſpiciens deſpiciensque omnia venire jubet & congredi, ſi quis pugnare ſecum ex omni romano exercitu auderet. &c.* Ejusmodi vaſti corporis Gallus memoratur eidem GELLIO *L. IX. c. 13.* ubi de pugna Manlii Torquati cum arroganti Gallo, cui & torquem aureum detraxerat, commiſſa narrat.

§. V.

*Quæ dixerit de iisdem pene differentiis Hippocrates, remittendo in alium locum,*

Hippocrates *Lib.* 1. *de ære, aquis, & locis, c. ult.* easdem differentias tangit, quique eas mores ſequantur, exponit; videturque diverſa a noſtris dicere. Verum, quia conjungit ſitum & quæpiam alia, ideo ſunt in alium locum rejicienda. Rejiciemus itaque poſt ſermonem de ſitu. *cap.* 6.

§. VI.

*De accolis fluviorum, & lacuum.*

Fluviorum accolæ in eorum conditionem incidunt, *qui in vaporibus* (*a*) degunt, vaporesque inſpirant puriores; eo tamen, quo flumina majora & fluentiora fuerint, quorum aquæ nusquam ſtagnent. Qua enim lentum currit flumen, ibi vapores craſſiores ſunt. Poſtquam Padus Rheno vel alio obice impeditus, non fluit Ferrariam, ut antea, craſſiores multo vapores ex ejus alveo exhalant. Memini cum Patavio domum redirem, ut in eum locum deveni, unde imminentem Ferrariæ aërem videre poteramus, nebuloſum eum ac ſatis denſum apparuiſſe: dum vero Patavium verſus oculos retorquerem, puriſſimum cœlum, ac aerem undique proſpexiſſe. Hoc ipſum adhuc magis accolis lacuum accidit, ut Mantuanos conſpicua plerumque nebula, quam ipſi fumanam vocant, occupet. Quæ ergo de vaporibus antea diximus, his præſertim tribuere oportet: nam & illis effectus jam dicti pro majore vaporum copia evidentius inerunt.

§. VII.

*De accolis maris.*

At maris accolæ aliam conditionem contrahent. Cum aqua enim ſalſa imbuta ſit exhalationibus, illisque combuſtis, quæ ex mari exhalant, non purus vapor fit, ſed exhalatio quoque, ſicciores itaque ſpiritus in illis pro ſicciore materia generabuntur; quodque antea finximus balneum, ſiccius pariter erit. Unde in iram ſunt proniores, quam qui in mero degunt vapore. Neque tamen ſicca prorſus erit ſpirituum materia, cum & vapores adjunctos habeat potius. Ergo in qualitate humiditatis ſpiritus gignentur ferme temperati. Unde maritimi incolæ, ſi abfuerint aquæ paluſtres, & ingenio acumineque mentis & vigore animi ſatis vigebunt. *Veneti*, (*b*) Januenſes, Anconitanique hoc ſuo exemplo confirmant. Licet Veneti in æſtuariis non in mari ſint, at rei & loci propinquitate pro maris accolis habentur, & haberi debent. Tamen quod in æſtuaria aliquid prolabatur fluvialium aquarum, & ex terra circumdante aliquid afflet, humidiores adhuc ſpiritus, & mitiores mores Januenſibus natura obtinent.

§. VIII.

*De accolis paludum.*

Paludes autem, ut de harum etiam accolis loquamur, in duplici ſunt diſcrimine, juxta Vitruvii *Lib.* 1. *c.* 4. ſententiam. Aliæ enim, cum prope mare ſunt, illo etiam alteriores ſunt; adeo, ut foſſis ad mare ductis in illud aquas ſuas deponant, & maris fluxu marinis repleantur aquis. Aliæ vero paludes inferiores ſunt mari, adeoque non habent profluentes exitus. Salubres primæ, peſtilentes ſecundæ. Accolæ primarum idem fere, quod accolæ maris, & præſertim æſtuariorum, ut Veneti, patiuntur; eandemque morum ac propenſionum conditionem ſubeunt. At accolæ ſecundarum ob peſtilentiam aëris inſaluberrimum corporis ſtatum ſortiuntur; mores quoque liventes moroſosque ac degeneres nanciſcuntur. Somniculoſos quoque eſſe docet Ariſtoteles *ſect.* 14. *probl.* 11.

§. IX.

*Additio de cibis & potu.*

Incluſimus in ſolo *cibum & potum*, (*c*) utpote qui ab eo promanent: attamen multa potuiſſent dici ſeorſum, quem ſinguli morem vel inferant vel intentent. Ut enim pro ſuis qualitatibus, caliditate, frigiditate, ſiccitate, humiditate, in reſpondente humore apti ſunt bilem, ſanguinem, pituitam, melancholiam mutare; ad mores ita pertinent, ut humores in cor influentes, in maſſa ſanguinea elati, noſtram in mores inclinationem afferant. Quantum tamen & quousque, alibi dicemus; ſicuti quantum craſis ciborum & qualitates interdum refrangantur ab hepate. Eſt alia ciborum differentia, quæ in eorum lentore ac contrario conſiſtit: vocat alicubi ſubſtantiam Galenus: de qua nos item infra ſuo loco. Facit lentor ad robur, cum calor ventriculi tantus eſt, ut cibum concoquat: at tenuitas ingenii acumen promovet. At cum jam quædam de cibis diximus, & quædam ſubſequentibus libris dicturi ſimus, contenti itaque dictis & dicendis, decrevimus nihil nunc aliud ſubjicere brevitatis cauſa; eo magis, quod lectores poſſunt addiſcere a Medicis, quos illi cibos bili aut reliquis humoribus gignendis aptos judicent.

CAPUT.

(*a*) *In vaporibus degunt.*) Hic apponere liceat GERVASII TILBERIENSIS ex *otiis imperial.* capite *de inſulis* locum: *Juxta fluenta Rhodani vigent flatus & homines generantur ventoſi, inanes, in conſtantes & in promiſſis ſuis maxime mentientes, qualis eſt materia, tale materiatum: qualis aër, talis in humano corpore complexio.*

(*b*) *Veneti.*) Vide LUCAM de LINDA *in deſcriptione orbis.*

(*c*) *Cibum & potum.*) Poteſt etiam dignoſci temperamentum ex inclinatione ad cibos, ut judicat LEIBNITIUS *in miſcellaneis* §. 101. *p.* 191. & WEDELIUS *in phyſiologia medica ſect.* 2. *cap.* 10. *p.* 76. Quantum autem victus ratio in commutandis animis hominum poſſit, ne Nervii quidem olim aut Suevi, barbaræ alioqui gentes, ignorarunt, qui mercatores omni ad ſe aditu prohibebant & vinum reliquasque res ad effeminandos animos pertinentes importati vetabant. CÆSAR *L.* 2. *cap.* 4. *de bello gallico.*

Digitized by Google

# CAPUT QUARTUM.

## *De aëre & de ventis.*

### §. I.

*De aëre.*

Ex ſolo, ſi recte æſtimemus, naſcuntur *aëris qualitates* (*a*) maxima ex parte. Tria enim ſunt, quæ aërem mutant, *clima*, cujus ratio communis admodum eſt, *venti*, quorum ratio extrinſeca eſt, & *vapores* exhalationesque, quæ ex terra elevantur, in aëremque diffunduntur & commiſcentur; quæ jam eſt intrinſeca & propria ac peculiaris ratio. Aer quidem ipſe per ſe unius eſt craſis, calidus ſcilicet & humidus, uniusque tenuitatis ſaltem in diſtantia æquali a terræ & aquæ ſuperficie: at a commixtis vaporibus ſive exhalationibus habet, ut purior impuriorve ſit, craſſior aut ſubtilior, & reliquas obtineat memoratas a ſcriptoribus differentias claritatis, obſcuritatis, ac nebularum habitus. Nulla ergo eſt magis propria differentia aëris, quam, quæ e ſolo afflat. Quod vero hic de qualitate aëris dicimus; de conſiſtente ac perſeverante craſi ejus loquimur, non de tranſeunte ac fugaci. Nempe aër nebuloſus duobus modis ſumi poteſt: *altero* quidem, quod ſuapte natura atque utplurimum nebuloſus ſit, *altero* modo, quod aliquando non denominatur vere nebuloſus, qui interdum nebulas patitur; nam etiam puriſſimus aër nebulis interdum offuſcatur. At nebuloſum dicimus, qui ſuapte natura utplurimumque nebulas patitur. Hoc itaque modo nunc aëris qualitates accipimus. Ad quas concurrunt etiam venti: nempe ut ventis objicitur, ex ſalubribus locis aut inſalubribus procedentibus, alterari natus eſt. Ad quem pertingit ventus ex palude peſtilenti, is ex ventis peſtilentem conditionem acquirit; præſtantem contra, ſi ex odorato loco afflet. Verbi gratia, ſi ex ingenti citriorum ſylva; odoratus enim is afflatus, ac putredini valde contrarius aerem mirum in modum perficit, ac homines in eo degentes, & ipſum inſpirantes recreat, purioribus demum ſpiritibus complet. At de ventis nunc loquamur. Interim Galenus purum aërem deſcribit *lib.* 1. *de ſan. tuenda cap.* 11. omnesque ferme cauſas impuritatis adducit.

### §. II.

*De ventis.*

*Venti* (*b*) igitur *alii* particulares ſunt, qui ſcilicet alicujus regionis aut loci proprii, ejus tractum non excedunt. *Alii* communes, motuque ſuo plures regiones peragrant. Illi pro loco materiaque, unde naſcuntur, variant naturam, & qualitates: hi vero pro cardinibus, unde fiant, diverſi longe inter ſe ſunt. Utrum ſcilicet ab Oriente, an ob Occidente, ab Auſtro, an a Septentrione ſpirent, an ab aliquo alio interjectorum punctorum horizontis. Qualitates ac virtutes ſingulorum ventorum traduntur a ſcriptoribus, præſertim ab Hippocrate *de Aëre aquis & locis*, *cap. ſecundo*, ab Avicenna *primi canon. fen.* 2. ab Aaly Abb. *lib.* 5. *Theor. Cap.* 8.

### §. III.

*De ventis ſeptentrionalibus.*

Venti ſeptentrionales ergo ex ſententia Hippocratis faciunt homines edaces, non bibones, morumque potius ferorum, quam manſuetorum: conjungit autem ipſe cum ventis aquas, quæ ſunt duræ & frigidæ. Si rem vero ex jactis principiis deducere lubeat, quoniam venti ſeptentrionales vapores attenuant ac purgant, ideo puriores quoque ſpiritus ut generentur, efficiunt. Qui ergo mores conſequuntur puritatem ſpirituum, hi ex ventis ſeptentrionalibus per ſe excitantur. Dico per ſe, nam ratione loci plerumque impeditur effectus. Verbi gratia, ſi quæ civitas obverſa ſit ſeptentrioni & agrum uliginoſum habeat, Boreas quidem tenuiores reddet vapores, quam ipſi per ſe eſſent, non ad omnimodam tamen puritatem adducet. Pro climatibus præterea effectus ventorum variabuntur; alios enim præſtabit Boreas effectus in ſeptentrionali, alios in auſtrali climate. Ad Septentrionem Boreamque proportione quadam cæteri venti ad ſeptentrionem accedentes rediguntur.

### §. IV.

*De ventis auſtralibus.*

Venti auſtrales vapores cogunt potius, aeremque craſſiorem reddunt. Unde impuriorum quoque & craſſiorum ſpirituum materiam ſubminiſtrant: idque ſuapte natura. Ex accidenti vero, ſeu ex conditione loci poſſunt illi laudabiles effectus producere; nempe ſi regio ſicca & frigida nimium fuerit, corrigent illi exceſſum & ad mediocritatem adducent. Ex doctrina Hippocratis non reddunt homines admodum propenſos in cibos & potum.

### §. V.

*De ventis orientalibus & occidentalibus.*

Venti orientales temperatiſſimi ſunt Hippocrati, aquas optimas faciunt, & mores ad intelligentiam & iram præſtantiores ſeptentrionalibus. At occidentales ventos aquoſiſſimos dicit, autumnoque ſimiles, & impuro aëre uti ejusmodi incolas, atteſtatur. Sed ſi ventos a poſitu civitatis

(*a*) *Aëris qualitates.*) Conf. ROHAULTUM *in Phyſica* P. 3. *cap.* 2. *p.* 82. *ſq.* STURM. *in phyſica conciliatrice p. ſpect. ſect. prior. cap.* 2.

(*b*) *Venti*) De ventis differentem, vide Favorinum apud GELLIUM *L. II. cap. XXII.* Conf. quoque ROHAULT *in tract. phyſico P. III. c. II. p.* 139. STURMIUS *in phyſica conciliatrice P. ſpec. ſect. I. cap.* 3. Du HAMMEL *Phyſic. P.* 2. *tr.* 2. *Diſſert.* 1. *cap.* 6. & 8.

tis ſeparemus, ventos occidentales ego non judico malos, ut Hippocrates; neque minus laudabiles orientalibus, ut Avicenna: nam experientia ipſa docet, Zephyrum Favoniumve ſuaviſſimum eſſe ventum, cui florum propagationem merito tribuunt Poetæ ac rerum omnium.

*Nam ſimul ac ſpecies patefacta eſt verna diei,*
*Et reſerata viget genitabilis aura Favoni,*
*Aëriæ primum volucres te, Diva, tuumque*
*Significant initum, perculſæ corda tua vi.* Lucretius

Eſt enim auctoritas Ariſtotelis 26. *ſect. probl.* 57. & antea 43. Ubi dicit, eum ſerenum, clarum atque gratiſſimum & temperatiſſimum; præterea rationem reddit; præfert quoque ſubſolano Homeri auctoritate, qui dicit per Elyſios campos ſpirare.

*Sed zephyri aſſidue ſpirant, auræque ſalubres.*

Præterea ratio alia ſubeſt; nam occidentales venti excitantur ab oriente ſole. Mane enim Favonius ſpirat; poſt meridiem ſubſolanus; qui ideo a ſole vergente ad occidentem excitatur: at effectus orientis ſolis benigniores & fœcundiores ſunt, effectibus ejusdem occidentis. At ſi civitatis & loci aſpectum ad orientem conferamus cum aſpectu ad occidentem, certe ille hoc multo laudabilior eſt; ut etiam fatetur in 7. *Polit.* Ariſtoteles. Etenim ſol matutinus, ac oriens blandius recipitur. Cum enim a frigore noctis ad calorem diurnum ſit tranſitus, aperiuntur & explicantur corpora, & pori animantium, imo & rerum, altiusque influxus caloris ſolis admittitur, & blandiore tactu. At veſpere fit tranſitus a calore ad frigus, adeoque conſtipantur corpora, & arctius atque malignius admittitur ſolaris radius, ejusque efficacia.

# CAPUT QUINTUM.

## *De Situ.*

### §. I.

*Varie diſtinguitur Situs.*

Ad ſitum jam tranſeundum. Situs eſt aſpectus loci ad hunc illumve cœli punctum, Orientis ſcilicet aut Occidentis. Qui ideo poteſt ita diſtingui: vel enim omnibus cœli punctis eſt apertus, vel nulli, vel his quidem apertus, his vero tectus. Apertus omnibus eſt, veluti cacumen aliquod montis, aut locus campeſtris, intra cujus ſenſibilem horizontem nullus mons aſſurgat. Eſt nulli apertus, locus concavus aut convallis undique montibus cincta. In quorum intermedio ſunt loci, qui e. g. Orienti patent, at teguntur occidenti, ſeptentrioni & auſtro; vel patent orienti & ſeptentrioni & auſtro, & occuluntur Occidenti; vel duobus patent duobusque aliis teguntur; vel nulli cardini patent, at alicui interjecto puncto, ut qui locus obvertitur inter ſeptentrionem & orientem, ex. gr. ut recentes nunc partiuntur horizontem; Græco, aut mediis inter eum ventum & boream ſubſolanumve ventis, ſeu ventorum quartis. Verum tanta diligentia diviſionis non facit ad hoc inſtitutum: ſatis eſt principaliores aſpectus pertractare in præſentia.

### §. II.

*Duo eſſe impedimenta, quæ aſpectum alicujus cœleſtis cardinis occludunt.*

Conſiderare autem primum oportet; duo eſſe impedimenta, quam ob rem locus alicui vel aliquibus horizontis cardinibus non pateat. Aliud naturale ſcilicet; Aliud artificiale. Naturale eſt mons aut collis, & demum aſſurgentis terræ tumulus aliquis. Artificiale vero eſt ædificium, vel ex ædificii forma naſcitur. Præſertim vero ædificatio univerſæ civitatis aſpectus alios claudit. Ut enim viæ civitatis exporriguntur in aliquem ventum, ac cœli punctum, illi quoque puncto ac vento aperta eſt civitas; utque feneſtræ ac aditus domus, pariter illi dicitur expoſita domus. Vitruvius, qui nolebat alicui vento patere civitatem, vias ducebat non ſecundum diametros, ſed ſecundum chordas horizontis. Poteſt ergo ædificatio ejusque forma claudere & aperire, cui lubeat vento & aſpectui civitatem ac ædificium.

### §. III.

*De moribus ex ſitu vario naſcentibus.*

Situs & ratione ventorum alterat mores, & ratione aſpectus ipſius. De ventis jam diximus, quas ſinguli morum differentias faciunt: id unum ſubjiciemus de locis undique perſpiratis, & de locis nihil omnino perſpiratis. Primo ergo, cum omnibus expoſiti ſint ventis, aerem perpetuo agitatum inſpirant incolæ; atque agitatio extenuat potius, atque expurgat, unde puriores ea ratione ſpiritus obtinebunt. Ariſtoteles eſt videndus *ſect.* 14. *probl.* 7. Præterea mutatio jugis ventorum perpetuam quoque varietatem aëris facit, nunc caliditatem inducendo, nunc frigiditatem, nunc ſiccitatem, nunc humiditatem: at mutatio (ut Hippocrates tradit *de aër. aquis & loc. cap.* 12.) animum ad exercitationem excitat: exercitatio vero & labor ad utilitatem ducit. Sicciora præterea corpora & duriora ventorum perpetua illa perſpiratio facit; ut alibi quoque dixi. Contra loca undique clauſa craſſum & ſtagnantem aërem continent; unde ſpiritus vitiatos hauriunt incolæ, corpora quoque mollia & deſidioſa una cum animis ſunt inertia, ac ſomnolenta. Hippocrates *cap. eod.* 12. ſcribit, qui loca concava, prætenſa, & æſtuoſa habitant, ventosque calidos plus ſentiunt, quam frigidos, & aquis utuntur calidis, hi magnos eſſe non poſſe. Virilitas autem & tolerantia laboris non æqua ipſis ineſt. Cæterum autem, quibus ventis expo-

Digitized by Google

expoſitos eſſe præſtet, jam patuit ex dictis. Per ſe ſcilicet loquendo, ratione tamen alicujus adjuncti præſtat excipere potius Auſtrum, quam Boream; cum ſcilicet locus fuerit ſuapte natura frigidus, vel ob celſitudinem vel ob clima. Non procul a nobis abeſt oppidum D. Marini in edito monte poſitum, quod totum patet Auſtro, nihil Boreæ, præter ſummam arcem; & eſt locus ſaluberrimus, & bene moratus populus, qui inter potentiores & cupidos principatus, ſervavit & ſervat nunc quoque libertatem. Nempe caliditas venti & ſitus frigiditatem loci temperat, & ad juſtam mediocritatem adducit. In Borealibus pariter regionibus, habitationes præſtat expoſitas eſſe eandem ob cauſam Auſtro; quem ſitum ſervant noſtræ ruſticanæ domus.

### §. IV.
### *De Aſpectibus.*

Ex aſpectu autem locorum & punctorum horizontis, præcluſis ventis, naſci videtur tantum major minorque lætitia triſtitiave. Equidem lumen & temperies qualitatum, frigoris ſcilicet & caloris, humiditatis & ſiccitatis, voluptatem ac lætitiam afferunt: contra luminis exiguitas, & caloris frigorisve exceſſus, triſtitiam ingerunt. Quare orientalis aſpectus lætiſſimus eſt. Nam temperatus ex ea parte calor præ ſeptentrionali parte, ex qua vehemens frigus; & meridiana, ex qua vehemens calor. Lux quoque gratiſſima, eo quod ex tenebris cum erumpat, comparatio propria obſcuritatis gratiorem facit ejus reditum. Occidentalis aſpectus eſt ipſe quoque per ſe temperatus: at cum lux tum ad tenebras tendat, ex meridiano fulgore minus grata occurrit. Auſtralis aſpectus illuſtris quidem eſt, fulgentior quinimo reliquis, at calore excedit: unde non æque gratus. Septentrionalis minime omnium jucundus, qui lumine deficit, & excedit frigore. Et hæc per ſe loquendo. Nam contra in frigidis ſuapte natura locis Auſtralis poſitus ſummopere gratus evadet, calore ſiquidem ſuo temperabit frigus, & lumine complebit proſpectum. Idem monet Vitruvius *lib.* 6. *cap.* 1. Contra cum loca fervida fuerint, Septentrionalis poſitio ſummopere juvabit. Idem Vitruvius eodem loco. Frigore ſiquidem temperabitur calor; cui temperiei ac refrigerationi cum minus lumen deſerviat, ea ipſa averſio a luce tum grata erit. Verum quæ per ſe ſunt, præferre illis oportet, quæ ſunt per accidens.

## CAPUT SEXTUM.
## *De nationum ac gentium moribus, ſeu propenſionibus.*

### §. I.
### *Quæ conſiderentur in inveſtigandis nationum moribus.*

*Nationum ac gentium* (*a*) civitatumque mores ex præcedentium omnium combinatione colliguntur. Debemus ſcilicet clima conſiderare, ſolum, ac ſitum; qua etiam in conſideratione venti & aer continentur. Prudens triangulorum & ſtellarum rationem Aſtrologis relinquo, & dæmoniacos afflatus Platonicis. De moribus autem naturalibus, ſeu de propenſionibus loquor. Scio enim morales & adventitios non eoſdem ejuſdem gentis perpetuo eſſe, pro varia gentis fortuna, atque regimine, demumque diſciplina. Hippocrates cum naturalibus cauſis etiam diſciplinam conjunxit in *lib. de aëre aquis & locis*; Aſianos enim dixit eſſe timidos & imbelles, quod regibus ſubeſſent, & Scythas deſidioſos & inertes, quod in pueritia & priore adoleſcentia ſederent perpetuo in curribus, illiſque veherentur. Sed diſciplina alium in hoc opere locum ſibi vindicat; de naturalibus nunc cauſis ac moribus agimus.

### §. II.
### *De variis gentibus, quid varii Scriptores dixerint.*

Recenſeamus primum, quid de variis gentibus varii ſcriptores dixerint; poſtea nos ex jactis principiis rem æſtimabimus. Iſidorus ergo in *Ethymologi* dicit, *Afros* (*b*) eſſe aſtutos ac fraudulen-

(*a*) *Nationum.*) Conf. THOLOSANUS *de republica Lib. IV. cap.* 13. *p.* 157. *ſq.* & BARCLAJI *Icon animorum cap.* 2. *p.* 23. & *cap.* III. in fine. BALTH. GRACIAN *in Critico Parte Tercera criſi IV. p. m.* 327. *Es Europa*, inquit, *vis tota cara del mondo, grave en Eſpanna, linda en Inglaterra, gallarda en Francia, diſcreta en Italia, freſca en Alemannia, riçada en Suecia, apacible en Polonia, adamada en Grecia, y cenuda en Moſcovia.* JOACHIMUS CAMERARIUS quoque in *Arithmologia*, ſingulos ſingularum gentium mores nervoſa brevitate complexus eſt, quem citat WERNSDORF. Diſſ. *de character. gentium. p.* 15.

(*b*) *Afros.*) Huic illuſtrando egregie inſerviunt, quæ HIERON. MAGIUS in notis ad Cornel. in vita Lyſandri p. 60, habet: *Gens Afrorum*, inquit, *ſubdola & ad technas fraudeſque proclivis eſt natura. Jul. autem Firmicus ratione aſtrorum ſubdolos eſſe Afros cenſuit. Cum Afri paſſim ob fraudem male audirent, putat Nonius favrum ab Afris, quaſi valde Afrum dici. Livius quoque fraudis notam genti huic inurit, inquiens de Hannibale: fraus plus quam punica.* Conf. omnino SALVIANUS L. 7. de *gubern. Dei*, peſſimos Afrorum mores graviter perſecutus Problemata, quæ AFRODISEUS in *quæſtionibus phyſicis* adfert, cur Aethiopes febricitantes utplurimum exſtinguantur & lippientes ulcerentur n. 79. & cur ſol nigrum quidem hominem (Aethiopes ſcil.) linum vero candidum reddat, ceramque emolliat, limum duret? n. 89. ad aliud forum ſpectant. Interim lege ſis LUDOLPHUM in *Commentario ad hiſtoriam aethiopicam Lib.* 1. *n.* 17.



Digitized by Google

dulentos, *Græcos* (*a*) leves, *Romanos* (*b*) graves, *Italos* (*c*) feroces acriſque conſilii. Vitruvius in communi ſeptentrionibus ſubjectas gentes adverſus vulnera audaces, meticuloſas in febribus, ac mente ſtupentes: contra, quæ ſub auſtro, in febribus ſecuras, adverſus ferrum timidas aſſerit, mente autem expeditas & celeres. At in particulari Italos, ut in medio poſitos, pollere & conſilio & animi robore; adeo, ut conſiliis refringant Aquilonarium vires; forti manu meridianorum cogitationes. Ariſtoteles in communi dicit Europæos, quique in frigidis regionibus degunt, abundare animo, at parum ingenio valere & artibus: *Aſianos* (*d*) ingenii & artificii multum habere, ſed carere animoſitate: Græcos vero, ut inter eos medios, & animi robore & ingenii viribus præſtare, adeoque orbis imperio aptos, ſi in unam rempublicam coaleſcerent. Ut quod Vitruvius Italis & Romanis tribuit, id Græcis tribuat Ariſtoteles; attamen exitus Vitruvii dicto favit. Quæ Polæmon dicit, adeo implexa ſunt & vitiata, ut ea adducere non ſit operæ pretium. Ptolemæus ex triangulis & dominantibus ſtellis ſingularum gentium mores deducit; verum id negotium nos jam Aſtrologis reliquimus. At Maternus dicit, *Scythas* (*e*) eſſe crudeles, *Indos* (*f*) regia nobilitate ſplendeſcere, Gallos amentes & inconſideratos, Græcos leves, Afros libidine fervere, Siculos acutos, Hiſpanos tumidos & jactabundos, Ægyptios ſapientes, Babylonios prudentes. Sed Hippocrates in communi dixit Aſianos (auſtraliorem Aſiæ partem intelligit, de ſeptentrionaliore enim ſeorſum dicet) eſſe benigniores & operoſiores Europæis, at minus viriles minusve audaces, ac laborum ærumnarumque minus tolerantes. Neque etiam eſſe vult in amore conſtantes ejusdem generis earundemque perſonarum. Quibuscum jungit Ægyptios & Libycos, eosdem ſcilicet mores & his tribuit. At deinceps de illis, qui ad dexteram hyberni ſolis ortus ſunt usque ad Mæotidem paludem diſſerit: verum ego arbitror legendum ad dexteram æſtivi ſolis ortus non hyberni; ſecus enim comprehenderet hæc circumſcriptio omnem Aſiam, de qua proxime dixerat. Intelligit autem frigidiores Aſiæ regiones. Meminit vero præſertim Macrocephalorum & Phaſianorum; quorum tamen mores non exponit, niſi quod ſegniores ad laborem Phaſianos aſſerit. Cæterum ex principiis Hippocratis, cum eos populos pluribus temporum *mutationibus* (*g*) ſubjectos enunciet, oportet viriliores & bellicoſiores reliquis Aſianis fateri; nam & idem Hippocrates hæc habet verba. *Invenies autem & Aſianos ipſos inter ſe differentes plurimum, generoſiores alios, alios degeneres, quorum omnium cauſa ad temporum mutationes eſt referenda.* De Scythis longe plura dicit, quam quæ in compendium duci queant.

## §. III.

*Satius eſſe, mores nationum ex obſervatione deprehendere, quam ex cauſarum combinatione.*

Longe ſatius eſt, ex obſervatione præſentes nationum mores eruere, quam indagare ex cauſarum collatione. In obſervatione vero etiam diſciplina publica continebitur, quæ pro gentis fortuna variat. Ex. gr. cum Romani Italique ex communicatione orbis imperio potirentur, *ſuperbi erant* (*h*) ſupra modum. Unde Popilius & circulo cingere Antiochum auſus eſt, & Antiochus illi ſuperbiam gentis objecit, dum reſpondit; *Romanum eſſe, tibi animos facit.* Apulejus in milite adverſus olitorem arrogantiam repræſentat magnam; niſi potius militiæ id, quam gentis vitium fuerit. Nunc *Hiſpa-*

(*a*) *Græcos.*) In Græcia ad nauſeam usque prædicant Hiſtoriographi, quod ea ſit regio generandis hominibus, inſigni habilitate inſtructis, velut apta nata; ac ſpeciatim refert GALENUS, quod Athenis hominem ſtupidum naſci pro prodigio ſit, & CICERO in *libro de fato: Athenis*, inquit, *tenue coelum, ex quo acriores etiam putantur Attici.* De perfidia Græcorum infra monebitur.

(*b*) *Romanos.*) *Campani ſuperbi bonitate agrorum*, inquit WERNSDORF. Diſſ. de *characteribus gentium* §. 7. p. 21. *& fructuum multitudine, urbis ſalubritate, deſcriptionum pulchritudine. Ex hac copia atque rerum omnium affluentia primum illa nata ſunt: Arrogantia - - dein luxuria.* Vid. CICERO *pro L. Agraria.*

(*c*) *ITALOS.*) Hodie non tam feroces, quam ſubdoli & inſidiatores dicendi ſunt. Quod ad ingenium eorum attinet, nihil eſt tam arduum, ad quod Italici acuminis præſtantia non tollatur, in omnibus diſciplinis ceterisque Muſarum deliciis vividas alacresque mentes detinent: nullum laborem ſervilisque conditionis officia ſubterfugiunt, dummodo lucrum exſpectent. Vid. commentatio OTTONIS *de præcipuarum Europæ gentium moribus* Cap 8.

(*d*) *Aſianos.*) Aſiaticos ab Europæis virtute bellica multum vinci, comprobat Darius, qui ex Aſia in Europam exercitu trajecto a Scythis: idem ab Athenienſibus in campo Marathonio, Miltiadis; & ad Plateas Pauſaniæ ductu devictus eſt. Xerxes filius ad Salaminem Themiſtoclis; Artaxerxes in Hermi campis Ageſilai: Darius denique ultimus ad Iſſum & Arbelam Alexandri M. auſpiciis ſuperatus eſt. Vid. NEPOS, JUSTINUS, CURTIUS, DIODORUS SICULUS aliique.

(*e*) *Scythas.*) Notantur & Scythæ potandi libidine. Leonidas Cleomenis Spartani filius longa cum Scythis conſuetudine barbaram potandi libidinem imbibit, eandemque a vicinis Saxonibus Bohemos didiciſſe DUBRAVIUS aſſerit *L. I. hiſt. Bohem.*

(*f*) *Indos.*) De India ejusque incolis conferendus LUDOLPH *in Commentar. ad Lib. I. hiſtoriæ æthiopicæ n.* 19. Multi Indis inventionem artium ſcientiarumque adſcribunt. E quibus ſcriptoribus eorum dogmata haurienda, docet MORHOF. *Polyhiſt. T. II. c.* 2. *Cap. V.* §. 6.

(*g*) *Mutationibus.*) Naturales animorum inclinationes, repetitis gentium migrationibus, deductionibus coloniarum, expeditionibus bellicis, atque exinde non raro natis populorum commiſtionibus, nationum item commerciis, & mutata victus ratione, inſignes ſæpe ſubire mutationes, ex ROERENSEEI *prælect. publ. prud. rector.* docet WERNSDORF Diſſ. de *characteribus gentium* §. *XI. p.* 29 qui meretur legi. Quanquam autem nimis audacter BROCHMANDUS *Spec. hiſt. c. I. p.* 39. aſſerat, populorum mores hodiernos eosdem eſſe cum veteribus: maxima tamen ex parte eos ſibi invicem reſpondere, negari nequit.

(*h*) *Superbi erant.*) Quadrat huc VIRGILII verſus:

*Romanos rerum dominos belloque ſuperbos.*

Ceterum ab aliis Romanorum tam in ſecunda, quam adverſa fortuna moderatio & æquanimitas impenſe laudatur. Vide LIVIUM paſſim, & BODINUM *de republ. L. V. n.* 493.

Digitized by Google

*Hiſpani tumore nos excedunt*, (*a*) quod multis gentibus imperent, Itali imperio exciderint. Galli antiquitus colebant Italos, quibus ſuberant. Unde Rutilius Gallos felices vocat, qui in Italia eſſent nati. At poſt imperii caſum, florente Galliæ regno, nos ſpernebant. Qui ſpretus occaſionem dedit equeſtri certamini inter Gallos & Italos terdenos, cujus meminit Guicciardinus; *lib.* 5. *hiſt.* quo tempore Hiſpani duce *Conſalvo* (*b*) cum Gallis de neapolitano Regno decertabant: palma autem penes Italos fuit. Si ergo hoc modo nationum & gentium, Europæarum nempe, mores deſignare placeat; hic videtur catalogus.

## §. IV.

### *Hiſpanorum mores.*

Hiſpani ſuperbi & elati; cum exteris tamen potius graviter, quam contumelioſe ſe gerunt. Si diſciplinam demus, potius honoris zelatores, quam fortes ac contemptores periculorum ſunt. Unde tyrones Hiſpani non admodum præſtantes milites habentur, ſuntque: Verum diſciplinæ militari ſe dent, invicti evadunt. *Non ſunt admodum dediti artibus*, (*c*) & ad ſcientias ingenio potius ſtabili, quam magno, & attento potius, quam florido. Hinc non multum in linguis valent. Ad prudentiam amplius, quam ad ſpeculationem videntur facti. Proni vero in philautiam. Unde ſua potius commoditate, quam alieno ex jure deliberationes ineunt: quas tamen obtentu miro ſemper exornantes approbant minus ſaltem perſpicacibus. Hæc cum dico, de communi gentis nota loquor. Excelluiſſe enim literis viros ſummos & juſtitia ſingulares, facile eſt monſtrare inductione; præcipue autem *Theologia* (*d*) nunc ibi floret.

## §. V.

### *Gallorum mores & Germanorum.*

Galli procaces ſunt & erga exteros paulo minus inſolentes, artibus & ſcientiis dediti, acuti plurimum ingenio, at *non æque ſtabilitate* (*e*) pollent, *feroces* (*f*) ſuapte natura & bellicoſi, *ex impetu tamen magis*, (*g*) quam ex tenore animi. Unde ſi reſtinguatur impetus, languent animo ac flacceſcunt; retinent nempe antiquam naturam. In principio plus quam viri, in fine minus quam fœminæ ſunt. Ut aliena ex procacitate & libidine uſurpant, ita facile & effundunt. *Providentia non æque ac Hiſpani valent*; (*h*) unde non tamdiu imperia acquiſita ipſi tueri atque Hiſpani potuerunt. Acrior libido Hiſpanis, at fuſior Gallis.

*Ger-*

(*a*) *Tumore nos excedunt.*) De Hiſpanorum maxime elata ſuperbia, teſtatur Itinerarium hiſpanicum elegantiſſimo ſtylo gallico conſcriptum, quod Comiti: Dominæ D' Aunoi tribuitur nec non faſtus eorum potiſſimum in devictos a TRAJ. BOCCALINI in libello. quem inſcribit: *Il paragone di politico*, & *in litteris politicis p.* 151. *ſq.* Parte III. *della bilancia politica*, ſalſe traducitur. Neque omittendum hic, autorem ingenioſiſſimi libri, qui ſub nomine *Don Quixoti* exſtat, non uno in loco popularium ſuorum elatum ridere animum. Equidem non ignoro, ſcriptores hiſpanicos conterraneorum ſuorum ſuperbiam, ut gravitatem orbi obtrudere velle.

(*b*) *Conſalvo.*) Hujus virtute Gallis a Ludovico XII. rectis, ſub Ferdinandi Catholici auſpiciis neapolitanum regnum, in cujus partem venerant, eripiebatur. De quo evolvi poterunt JOVIUS *hiſtor. L. VIII. p.* 88. & THUANUS *L. I. p.* 3. Communiter ob res præclare geſtas MAGNUS cognominatur, qui titulus Ferdinando Catholico admodum diſplicuit, ita ut eum regno neapolitano, cujus Proregem antea agebat, abſtractum, ad privatam pene redegerit ſortem. Facete hic ingratum Ferdinandi verſus Conſalvum perſtringit animum BOCCALINI ne *Raguali di Parnaſſo p.* 129. 130.

(*c*) *Non ſunt dediti artibus.*) Vide quæ PUFENDORF de Hiſpanorum moribus in fine capitis de Hiſpania memorat.

(*d*) *Theologia.*) Magnum etiam numerum excellentiſſimorum, ICtorum Hiſpaniam produxiſſe, ex voluminibus eorum. quæ publici facta ſunt juris, apparet. In univerſum de climate Hiſpanorum, eruditos producendi habili, ita ſcribit MORHOF. *Polyhiſt. T. I. L. IV. Cap.* 4. §. 18. *Libri Hiſpanis*, inquit, *nec pauci, nec juſta, aut exquiſita etiam eruditione deſtituti, ſcribuntur: cum ipſa regio, uti poſt alios Erythreus refert Pinacoth III. p.* 163. *magna cæli ſalubritate, puritateque ſpirituum, aptos præcipue ſuos incolas reddat, ingeneret una laborem, patientiam & ſolicitudinem, ut non in Theologia minus, quam bonis artibus excellant. Verum raro admodum ad nos iſti libri perveniunt. Theologi ſupra modum ſcholaſtica philoſophia addicti ſunt. Politici & poëtæ laudem merent.* Et WERNSDORFIUS Diſſ. *de characteribus gentium* §. 4. *p.* 8. *Hiſpani*, inquit, *cum fere omnium Europæ populorum a Septentrionibus longiſſime ſint remoti, prudentiæ laudem ac principatum inter eos ſibi vendicant* PRIOLO teſte *L.* 9. *c.* 6. *H. Gall.* idque ingenti ſuo damno Gallos, quoties in fœderum pactorumque conſortia cum Hiſpanis deſcenderint, expertos fuiſſe BODINUS queritur, *L. V. de republ. c. I.*

(*e*) *Non æque ſtabilitate.*) Jam ſuo tempore CÆSAR de hoc ita judicavit: *Galli ſunt in conſiliis capiendis mobiles, & novis plerumque rebus ſtudent.* De B. G. L. IV. c. V. § I. Item: *Mobilitate & levitate animi novis imperiis ſtudent.* Ibid. L. 2. c. 1. Conf. Celeberr. GUNDLINGIUS in *Otiis* P. I. Cap. II. *De antipathia Hiſpanorum & Gallorum, contra Bailium*, ubi plurima huic themati illuſtrando inſervientia occurrunt. Ceterum de antipathia hac videndus BALTHASAR. GRACIANI *Criticon Parte Segonda p.* 172. *edit. hiſpanica, Madriti* 1664. *edita.*

(*f*) *Feroces.*) Ferocia, imo crudelitas Gallorum apparet exemplo cædis Conchinii, de qua vide GRAMMONDUM L. I. *hiſt. gall.* & lanienæ Pariſienſis, quo tempore datis ad Pontificem Rex litteris, tridui ſpatio ſe plus 60000. hominum interfeciſſe gloriatus eſt, facinore indigno nomine gallico, & quod Sequana non abluat ſuis undis, domeſtici ſcriptoris BENJAM. PRIOLI judicio *L. I. c.* 20. Ut itaque Bodino, Germanis crudelitatem exemplo Grombachii objicienti, jure reſpondeat WERNSDORF Diſſ. de *characteribus gentium* §. 4. *p.* 9. Conf. SLEIDANUS L. 25. THUANUS L 52. PEREFIXIUS in vita Henrici IV. &c. ÆGID. STRAUCH *in contin. Sleid. Epit.* CONST. ALETOPH. *verfolgter Proteſtant &c.*

(*h*) *Impetu tamen magis.*) Jam Romanorum de Gallis id judicium erat, eos impetu valere, ut teſtatur CÆSAR L. 3. c. 19. *de bello gallico. Ut ad bella*, inquit, *ſuſcipienda Gallorum alacer ac promtus eſt animus, ſic mollis ac minime reſiſtens ad calamitates perferendas mens eorum eſt.* LIVIUS: *Galli gens eſt*, inquit, *cui natura corpora animosque magna magis, quam firma dedit. In omne curtamen plus terroris, quam virium ferunt.* Conf. LUCÆ de LINDA *deſcriptionem orbis Lib. IV. p.* 322. *ſeq.* & *Icon* BARCLAJI, qui integro Capite III. de moribus Gallorum egit: nec non GUNDLINGIUM in *otiis l. c.* & WERNSDORFIUM Diſſ. ſæpe cit. p. 9.

(*g*) *Providentia non æque ac Hiſpani.*) Unde plerumque Gallorum res in pacis tractatibus, ubi eis cum Hiſpanis agendum fuit, inferiores fuiſſe feruntur. Sic auctor libelli gallici, qui inſcribitur: *Preliminaire de traité fait entre le Roi de France & tous les Princes de l' Europe, depuis le regne de Charle VII. AMELOT de la HOUSSAIE p.* 203. Fateri neceſſum habet, Mazarinium Cardinalem a Ludovico de Haro aſtutia ſuperatum fuiſſe.

Digitized by Google

*Germani ſuperbi*; (*a*) ſed *barbari* (*b*) dicuntur; *feroces in bello* (*c*) habilioresque ferocia, quam Galli: *minus alieni appetentes*, (*d*) quam reliqui, unde *proniores in juſtitiam*; (*e*) *artibus excellunt*: (*f*) non æque *ſcientiis ac prudentia* (*g*) valent; *minus etiam in Venerem efferveſcunt*: (*h*) at cibis & *potu ſeſe injurgitant*. (*i*)

Hic videtur eſſe *communis nationum genius*: (*k*) at ab eo plures in contrarias & virtutis & vitii partes abſcedere, quis non novit? Albertus Magnus, Jo. Monteregius, Copernicus, pares primis fuere: ut innumeros alios omittam viros Illuſtriſſimos. Imperatores itidem & Principes optimos ac prudentia inſignes plures novimus, quos brevitatis cauſa omitto. Galli quoque quod floruerunt & literis, & omni virtute præſtantiſſimi. *Carolus Magnus* (*l*) potius idæa optimi Principis, quam Princeps optimus dici debet. At in literis nonne ea una laus ſatis eſt; ex *Academia Pariſina* (*m*) tanquam ex equo trojano fluxiſſe ſcholaſticam doctrinam. Nunc vero cum doctrina ſolidiore, ſupra omnem fidem, eruditionem & eloquentiam conjungunt.

## §. VI.

### *Italorum mores & Polonorum.*

*Itali* (*n*) pro fortuna imperii jam amiſſi, præterquam eccleſiaſtici, minus elati ſunt, ſi in univerſum loquamur. Veneti magnos ſpiritus retinent; licet multo majores centum ab hinc annis ampliusve habuerint. Benignius igitur Itali erga exteros ſe habent: præterquam quod hoſpitales etiam in amplitudine imperii fuerunt. Quod de Romanis patet, qui integris nationibus hoſpitium præbebant, ille Siculis, alius Achæis: & Ptolemæus eandem illis notam tribuit. In laude bellica propiores ſunt Hiſpanis, quam Gallis & Germanis; nempe ſi diſciplinam demas, inferiores his ſunt audacia, at ſi exerceantur, præſtantiſſimi milites evadunt. Hinc enim illud animi robur, quod univerſum debellare valuit; nunc quoque in bello belgico, quod ludus fuit veræ virtutis militaris, nullum militum genus æque ac hiſpanæ & italæ legiones (tertios dicebant vulgo) exer-

(*a*) *Germani ſuperbi.*) Hæc potius pro criminatione Itali ſunt habenda: Germani enim hujus vitii nec a Cæſare nec a Tacito inſimulantur. Id tamen negare nolo, & inter Germanos eſſe, præſertim cum jam magna ex parte a majorum virtute deſciverint, qui huic vitio ſint addicti: obinde tamen gentis vitium non poteſt vocari.

(*b*) *Barbari.*) Notum eſt, a Romanis & Græcis omnes illas gentes, quæ eorum non ſequebantur mores, barbaras dictas. Noſtro autem tempore interdum moris eſt, illos, qui non fallaciis & aſtutiæ indulgent, & fucatos non oſtentant mores, hoc, aut ſimplicium nomine inſignire. Legi meretur Diſſertatio ZIEROLDi *de prærogativa barbarorum populorum præ cultioribus*. Ceterum barbarorum vocabulum ſi in proprio ſumitur ſignificatu, quatenus feroces & inconditos complectitur mores, Germanis noſtris non convenire, ipſa experientia docet, & infra præclarorum virorum teſtimoniis firmabitur.

(*c*) *Feroces in bello.*) Bellica Germanorum virtus paſſim a Romanorum deprædicatur ſcriptoribus. Vid TACITUS *in Germania Cap. XIV.* ita, ut a Romanis non fortitudine, ſed diſciplina militari & armis interdum victi ſint. Hinc plerumque vetuſtioribus temporibus eorum res validiores fuerunt ac Gallorum, quanquam D. Julio teſte aliquando hoc aliter ſe habuerit. *Tacitus* in *Germania* c. 28. Quod & ad noſtra quadrat tempora.

(*d*) *Minus alieni appetentes.*) Hoc aliter ſe habere non potuit in gente, penes quam divitiis nullus erat honos. Et ubi nemo vitia ridebat. Neque majorum moribus ita plane valediximus, ut & apud nos juſtitiæ & æquitatis maxima non habeatur ratio.

(*e*) *Proniores in juſtitiam.*) Ab eis enim, apud quos boni mores plus valent, quam alibi bonæ leges, non ita in injuſtitiam ruitur. Et ſi inimici noſtri verum fateri volunt, omnino largiri debent, ſi qua in gente juſtitia colatur, hac laude Germanos florere. Ita ut merito effato illi, a Romanis non improbato: *Nullos mortalium armis aut fide ante Germanos eſſe*, TACIT. L. 13. *annal.* c. 54. addendum ſit Iuſtitiæ.

(*f*) *Artibus excellunt.*) Artium mechanicarum inventione & cultura Germani omnibus aliis palmam præripiunt. *Itinerarium Germaniæ politicum Conſtantini Germanici ſive Oldenburgeri.*

(*g*) *Scientiis ac prudentia.*) Permulta exſtant documenta & ſcientiis & prudentia Germanos nulli alii cedere genti. A ſtupiditatis & crudelitatis nota eos contra BODINUM abſolvit WERNSDORF Diſſ. *de character. gentium* §. 4. *p.* 9. qui hic meretur legi.

(*h*) *Minus in Venerem efferveſcunt.*) Veterum Germanorum caſtitatem jam ſuo ævo CÆSAR de B. G. L. VI. laudat: *Intra annum vere vigeſimum feminæ notitiam habuiſſe, in turpiſſimis habent rebus. Cujus rei nulla eſt occultatio, quod & promiſcue in fluminibus perluuntur & pellibus aut parvis rhenonum tegumentis utuntur, magna corporis parte nuda.* Et TACITUS de M. G. ſera juvenum venus, ideoque inexhauſta pubertas, nec feſtinantur virgines.

(*i*) *Potu ſe injurgitant.*) Hoc nomine jam ab antiquiſſimis temporibus male audiit Germania noſtra, unde tot aculeata in gentem noſtram exſtant dicteria. Interim notum eſt, ſingulari receſſu imperii *vom übermäſſigen zutrincken* de ao. 1570 nimiam potandi licentiam aliquatenus reſtrictam cohibitamque eſſe.

(*k*) *Communis nationum genius.*) In genere de moribus Gallorum hodiernis videndus COMINÆUS, THUANUS, BOTEREUS, GRAMMONDUS, FIRMIANUS, PRIOLUS domeſtici ſcriptores. Nec non WERNSDORF Diſſ. de *characteribus gentium* §. 6. In genere de moribus Germanorum evolvendus LUCAS de LINDA, qui in *deſcriptione Orbis* Lib. VII. a p. 717. ad 825. omnium Germaniæ regionum & urbium primariarum mores, inſtituta, & regimen deſcribit, in quibus tamen anilibus ſæpe peregrinantium & mercatorum fabulis narrationibusque nimium fidei tribuit, & a maxime particulari ad univerſalia concludit. Barbaros enim & male feriatos mores Germani dudum depoſuerunt, ut recte HENR. MEIBOMIUS judicarit: *Germaniam ex priori ſqualore erutam, ſui diſſimilem, præſtantiſſimarum æmulam, nulli terrarum orbis cultu elegantiaque cedere.* Et ſi domeſticus teſtis in propria cauſſa ſuſpectus eſſet, audiamus Italum MACHIAVELLUM *Lib. I. Diſcurſuum polit. de republ.* ſic. in laudem Germanorum loquentem: *Summa corruptela morum eſt in Italia & in Gallia, item & Hiſpania, quæ Italiæ proximæ ſunt. In ſola Germania exſtant adhuc antiquæ illius Romanorum virtutis atque bonitatis inſignia quædam exempla, quo fit, ut multæ in ea urbes libertate fruantur: bonarum legum enim tam ſtudioſi ſunt, ut ea res ſola illos conſervet, ne ſervitute opprimantur. Tantum in hiſce hominibus antiquæ pietatis & morum bonitatis adhuc ineſt. Atque hæc integritas eo magis admirationi eſſe debet, quod noſtra ætate in ſola Germania ſupereſſe videatur.* Ceterum vid. BARCLAJI *Icon animorum toto Cap. V.*

(*l*) *Carolus M.*) Virtutes ejus præter alios rerum francicarum ſcriptores ab EGINHARDO *in vita ejus* celebrantur, ita tamen non fuerunt comparatæ, ut nullo vitiorum confinio læſæ ſint.

(*m*) *Academia Pariſina.*) Hujus auctor creditur Carolus M. quod tamen ab aliis in dubium vocatur. Vide *la deſcription nouvelle de la ville de Paris T.* 2. *p.* 33. 34.

(*n*) *Itali.*) De horum moribus vide LINDAM l. c p. 481. ſq. *Lib. VI.* ubi omnes illius principatuum & emporiorum mores illuſtrantur. *Barclajum* l. c. Cap. VI. p. 74. ſq. PACIFICI a LAPIDE *ſtricturas in Monzamb. de ſtatu Imp. Germ.* §. 3.

Digitized by Google

exercitæ ac veteranæ enituerunt. Fateri tamen oportet, cum Italia bifariam ab Apennino dividatur, partem ſeptentrionalem ad Scultennam usque neſcio quid Gallicum redolere, præ reliqua parte, quæ cum Hiſpanis amplius convenit. Cauſa vero infra patebit. In hominis acumine Hiſpanos ſuperant, ſtabilitate Gallos: attentione tamen cedunt Hiſpanis: in effectione atque in artibus a Germanis ſuperantur (picturam excipio, in qua Itali antiſtant cæteris) prudentia naturali plurimum valent. Expreſſit in Romanis Virgilius:

*Tu regere imperio populos, Romane, memento.*

Cæterum in reliquis moribus medii inter Hiſpanos Galloſque conſiſtunt.

*Poloni*, (*a*) qui Germaniæ multis populis adhærent, liberioribus ſunt moribus, quam Germani; qui ſunt plurimum ſuſpicioſi generoſitate etiam morum illis præſtant, & ſplendorem cultus affectant oſtentantque: at Italos pro diſtantia locorum & climatis plurimum accedunt.

## §. VII.

### *Mores Ungharorum, Illyricorum, Græcorum & Aphrorum.*

Pannonii inferiores ſive *Unghari*, (*b*) & ſunt ſub mediis Galliæ parallelis, & moribus ſimiles; Bellaces enim ac impetuoſi: verum cum minus culti ſint, ſunt etiam efferatiores. Galli enim contra diſciplinis ac literarum ſtudiis florent.

*Illyrii* (*c*) & Dalmatæ ſub iisdem cum Italia parallelis degunt; aſperior tamen regio & nunc absque animarum cultu. Bellaces ſunt & duri animo. Si cultus tamen adeſſet, apti diſciplinis. Quod in literis D. Hieronymus patefecit, in diſciplina bellica & imperatoria Diocletianus, præclarus, ſi ethniciſmi zelum auferas, Imperator.

*Græci* (*d*) ſub iisdem cum Hiſpanis parallelis, nunc absque ullo cultu & diſciplina ſunt. Chriſtiani autem gravi tyrannide preſſi, & animis & opibus carent. Qui in Turcarum religionem ceſſere, illi jugi armorum diſciplina exerciti præclari ſunt milites, ac nervus Othomanicæ militiæ facile dici debent. Ex illis enim præcipue cohortes Iannizerorum conſtant; quæ ſunt cohortes prætoriæ nunc Othomanorum.

*Aphri* (*e*) (de cultiore Aphrica ejusque in nos obverſa ora loquor) acumine ingenii præſtant, fervent libidine. Livius lib. 29. *ſunt ante omnes Barbaros natura humida & effuſa in venerem.* Non admodum edaces; Europæis bellica virtute minores; induſtrii quoque. Unde in Hiſpania cultiora ſunt loca, quæ Mauri tenuere, ut in Betica. Refert Andr. Navagerius in relatione legationis ſuæ ad Carolum Quintum. Et agriculturam ad hæc usque tempora exercebant in Hiſpania eorum reliquiæ; quas proxime Philippus Tertius, nunc regnans, expulit. Ægyptii eorundem morum ſunt.

## §. VIII.

### *Anglorum mores.*

*Angli* (*f*) præſtantes ſunt, & vigore animi, & ingenio. Cultu artium & diſciplinarum florent; benigni quoque in hoſpites; amoribus & veneri dediti, tum pro ſanguineo temperamento, cui ſubmixta eſt bilis, tum pro objectorum irritamento: pulchritudo enim tam fœminarum, quam virorum eſt inſignis. Quam pulchritudinem admiratus D. Gregorius *Angelos* pro Anglis vocavit, & miſeratus tam pulchræ gentis æternam damnationem, quæ tum idolis deſerviebat, in inſulæ converſionem toto animo incubuit, & voti compos factus eſt. Querela par nunc locum habet in Calviniſmo præſenti.

CAP.

(*a*) *Poloni.*) Horum mores ex DUGLOSSI *Hiſtoria Poloniæ*, eique adjunctis ſcriptoribus, ſarmaticæ hiſtoriæ inſervientibus, & Cromero non parum eluceſcunt. In compendio eos exhibet BARCLAJVS l. c. Cap. 8. p. 93. & LINDA l. c. p. 899. ſq. qui & p. 917. ſq. de moribus Lithuanorum in ſpecie agit.

(*b*) *Unghari.*) Vide LINDAM p. 805. & BARCLAJUM cap. 8 p. 90. ſq.

(*c*) *Illyrii.*) Vide ICON. BARCLAJI Cap. 8. p. 91.

(*d*) *Græci.*) De quibusdam veteris Græciæ populis adſcribere lubet, quæ MAGIUS ANGLARENSIS in Commentario ad vitam Alcibiadis, edit. Baſil. in folio p m. 65. habet: *Thebani & Boeotii inſerviebant magis firmitati corporis, quam ingenii acumini, quia craſſo utebantur cælo, unde ſtupidi erant & inepto craſſoque ingenio præditi. Eam ob rem Horat. L. 2. Epiſt.*

*Boeotum craſſo jurares aëre natum.*

*Cicero Lib. de fato: Athenis, inquit, tenue cælum, ex quo acriores etiam putantur Attici: craſſum Thebis, itaque pingues Thebani & valentes.* In univerſum de moribus Græcorum vide BARCLAJUM l. c. p. 19. & LINDAM p. 1043. ſq.

(*e*) *Aphri.*) Conferendus SALLUSTIUS in *bello Iugurthino*, & A. HIRTII *bellum Africanum* paſſim. E recentioribus LINDA l. c. p. 1051. ſq.

(*f*) *Angli.*) De horum moribus veteribus vide TACITUM in *vita Agricolæ*. CÆSAREM de B. G L. V. De recentioribus BARCLAJUM l. c. Cap. IV. p. 41. LINDAM l. c. p. 379. de Anglis, p. 382. de Scotis, p. 384. de Hibernis, & *Miſcellanea Leibnitiana* p. 25. item GUNDLINGIUM in *Otiis* Cap. I. P. I. *de temperamento Hiſpanorum*, paſſim Britannorum neminem eſſe bonum, ſuo tempore AUSONIUS EPIGR. 107. memorat. Si autem Bodino credimus, hodie diuturna pace ſic colunt humanitatem, ut nihil urbanius aut mitius fieri poſſit. Interim Anglos alicujus in reges ſuos ſævitiæ non immerito accuſare videtur Maria Scotica apud CAMBDENUM *P. III. hiſt. Eliſ.* Conf. WERNSDORF Diſſ. *de character. gent.* p. 23. & OTTO *de ingeniis, moribus & ſtudiis præcipuarum gentium Europæ.*



Digitized by Google

# CAPUT SEPTIMUM

## *De moribus naturalibus, ſeu propenſionibus nationum, agitur ex cauſis naturalibus earumque combinatione.*

### §. I.
### *De Hiſpanis.*

Verum ad præſens inſtitutum redeundo, propenſiones naturales nationum aperiamus ex naturalibus cauſis; dimiſſa interim diſciplina. *Ordiamur ab Hiſpania:* (*a*) hæc a grad. 44. circiter latitudinis ad grad. 36. in auſtrum exporrigitur; adeo ut ſi medium cum medio, extrema cum extremis conferamus, ſit auſtralior Italia, & multo auſtralior Gallia.

Hac itaque ratione minus ſuapte natura bellicoſa. At montoſa cum ſit, ac aſperi plerunque montes, perſpirataque ea ratione caliditas climatis a frigiditate ſoli temperatur; ita Cantabri præſertim bellicoſi, qui etiam, æque ac Italiæ medium, boreales ſunt. Regio minime in univerſum aquoſa, unde ex præcedentibus denſior corporis habitus, ut ſicciore balneo tinetur. Recte itaque Manilius:

*Aſperior ſolidos Hiſpania contrahit artus.*

Sterile ſolum Hiſpaniæ magna ex parte deſcribitur. Unde vapores exhalationesve ex eo puræ elevari, videtur ex præcedentibus. Attamen neſcio quid aduſti ſæpe conjunctum habent; argumentoque eſt, ſalſas plerunque aquas, ſi fodiatur terra, erumpere. Spirituum itaque materia terreſtris ex ea parte redditur; & ideo non æque ſpiritus puri generantur atque in macro ſolo ſuapte natura gigni antea diximus. Indeque fit, ut acumen in univerſum non obtineant tantum; quantum caliditas climatis præ borealibus Italiæ & Galliæ regionibus expoſceret. Salaces ſunt in venerem ex climate & ex ſalſedine, quam diximus. Et quoniam duriorem habitum corporis dictam ob cauſam habent, & ſicciorem ſpiritum inſpirant, veriſimile eſt & cordis carnem compreſſiorem ipſis ac duriorem, quam Gallis eſſe. Unde cum aſſvevere periculis, major inerit illis ac pertinacior animi tonus, quam Gallis; quos ex impetu potius, quam ex tenore animi audaces diximus. Situs etiam multarum civitatum Hiſpaniæ parum perſpiratus eſt; ut Toleti & Burgos, quam civitatem Latini Auguſtobrigam dixere.

### §. II.
### *De Gallis.*

*Galli* (*b*) frigidius clima incolunt; a gradu enim circiter 54. latitudinis ad 43. in auſtrum terra illa extenditur. Regio campeſtris & aquoſa eſt, at perſpirata admodum in vaporibus. Unde *molliora corpora Hiſpanis* (*c*) obtinent & majora quoque, niſi quæ dicta fuit ratio obſiſterent. Eandem ob cauſam edaces, ut ſupra oſtenſum, ſunt. Verum, quoniam perſpirati vapores puri etiam ſunt, indeque materia ſpirituum pura potiuntur, acuti itaque ingenio. Mobilitas autem ingenii acumen comitatur. Quod ſi audaciam cum mobilitate conjungas, impetuoſos efficias homines, non autem conſtantes & pertinaces erga mala urgentia.

### §. III.
### *De Italis.*

Itali Apennino borealiores usque ad Scultennam, quæ pars Lombardia nunc dicitur, aquoſam Galliæ inſtar regionem obtinent. Unde ad Gallorum mores accedunt propius. At reliqua Italia, tum quæ ad ſuperum, tum quæ ad inferum mare, minus multo aquoſa eſt. Romæ præ cæteris ſolum ſiticuloſum erat; eſtque, ſi naturam ſpectemus, arteque ductos aquæductus mente auferamus, quos, quot, & quantos ad commodum urbis uſum antiqui excogitaverint magiſtratus ac Principes, & nunc Pontificum cura, apertum eſt. Attamen in illis ipſis partibus non æque eſt ſitiens Italiæ ſolum atque Hiſpaniæ, ſi univerſum cum univerſo conferamus. Cæterum enim alicubi Hiſpaniam copia ubertateque ſcatere aquarum, ſcimus; præſertim vero Granatæ urbs irrigua eſt. Mediocritate itaque gaudet Italia, cumque ſpirituum materiam ſicciorem aliquanto, quam Gallia attrahat, & acumine præſtat & ſtabilitate. Utrumque præſtat gradus accedens ſiccitatis; *ſplendor enim ſiccus*, ut dicebat Heraclitus, *animus ſapientiſſimus*. Eſt quoque certum, ex ſiccitate ſtabilitatem procedere.

Veruntamen hæc licet ſit *in univerſum Italorum nota*, (*d*) in hac ipſa tamen illi variis gradibus

(*a*) *Ordiamur ab Hiſpania.*) Omnino hic legi meretur GUNDLINGIUS in *Otiis* p. 1. c. I. *de temperamento Hiſpanorum* §. 18. ſq. p. 18.

(*b*) *Galli.*) Præter ſupra citatos vide BODINUM in *methodo hiſtor.* c. V. & J. BOEMUM AUBANUM de *moribus, legibus & ritibus omnium gentium* L. 3. cap. 22. PHIL. COMINEUM de *reb. geſtis Ludov. XI. Lib. V.* verſionis Sleidanæ p. m. 399. THOMÆ LANSII *Conſultationes de principatu inter provincias Europa*, in Oratione contra Galliam p 138. ſq. GRAMMONDUM L. I. H. Gall

(*c*) *Molliora corpora Hiſpanis.*) De antipathia inter Gallos & Hiſpanos ſupra dictum eſt: nunc tantum allegaſſe hic ſufficiant BLONDELLI & CHIFLETII diverſimode actæ controverſiæ, & *Antipatia de' Franceſi e Spagnuoli del D. Carlo Garſia, tradotta di Spagnuolo in Italiano da Claudio Vilopoggio.* In Milano 1636. MOTHIUS L. 9. *de contrar. humor*, non inepte dixit: *Gallum melius accuratiusque definiri non poſſe, quam inverſum Hiſpanum.* Quod & more ſuo ſolide oſtendit GUNDLING. in *Otiis P. I. C.* 2. ubi utriusque gentis mores ſibi invicem magna ſerie opponit.

(*d*) *In univerſum Italorum nota.*) Conf. præter ſupra citatos LANSII *conſultationes* citatas, ibique orationem pro Italia p. 681. ſq. & contra Italiam p. 754 ſq COMINEUM de *bello Neapolitano L. I.* edit. Sleidani p. m. 614. ſq.

Digitized by Google

dibus conſiſtunt. Nempe auſtraliſſima pars Calabria, & proximæ illi partes, excellunt habilitate ad ſcientias; borealiſſimæ impetu quodam gallico pollent in mortis pericula: mediæ partes prudentia excellunt & aptitudine ad diſciplinam bellicam. Medium Italiæ Roma obtinet: inter gradum enim trigeſimum octavum, qui eſt auſtraliſſimæ partis, ſcilicet promontorii Leucopetræ, latitudo eſt graduum 46. quæ videtur borealiſſima latitudo Italiæ, media eſt; etenim gradus 42. ipſa latitudinis habet. Dico autem borealiſſimam latitudinem Italiæ eſſe graduum 46. proxime; cum enim Venetiæ gradum 45. obtineant, certe limes ab illis Italiæ integro proxime gradu abeſt in boream. Qui Italiæ populi diſciplinam militarem adepti bellicoſiſſimi evaſerunt, inter quadrageſimum primum & quadrageſimum quartum gradum conſtiterunt.

### §. IV.

*De reliquorum populorum moribus.*

*Germani* (*a*) & climate frigidiore utuntur, ideo audaciores ſuapte natura, & aëre minus perſpirato, quam Galli (cum montibus & ſylvis venti frangantur) unde ſpiritus minus depuratos obtinent, proindeque a Gallorum acumine abſunt. Spirituum tamen craſſitudo tenacius retinet impreſſas rerum efficiendarum imagines; unde & ad efficiendum ſunt aptiſſimi; quocirca artibus & artificiis admodum præſtant. Accedit ad hæc patientia laboris, quam eadem ſpirituum craſſitudo exhibet. Superbia quoque gentis immodica cohæret eidem ſpirituum craſſitiei; ut jam docuimus.

Poloni, ut magis campeſtres, aëre etiam perſpiratiore utuntur.

Unghari non ubique aquoſam æque ac Galli regionem incolunt; unde pertinaciores, quam illi, in periculis.

Græci ſolum macrum utplurimum habent, & præſertim Athenæ: puriſſimo itaque ſpiritu utebantur, unde præſtabant ingenio. At in climate erant calidiore; ideoque minus fortes, quam Itali & Galli Hiſpanique. Magna enim Hiſpaniæ pars & ferocior ſub frigidiore climate degit; ut Cantabri, Aſtures & Numantini antiquitus, & quam nunc Caſtiliam veterem præſertim vocant. Qui etiam ex Hiſpanis climata calidiora incolunt, ex natura ſoli acriores ſpiritus hauriunt.

Anglia ſolum ſuapte natura ſulphureum habere dicitur, unde arenæ ejus albedo, ex qua Albion dicta fuit; proinde calidi vapores, qui inde elevantur climatis rigorem temperant. Ex qua temperie hominum ingenia ſunt ad actionem & contemplationem plurimum apta.

Sed tot de re omnino ardua dixiſſe in univerſum ſufficiat. Exacte enim qui in ejusmodi indagine verſari velit, ipſum oportet ad ſingula loca deſcendere, ut particulatim & ſolum & ſitus examinare poſſit, omnesque eorum differentias inveſtigare & conferre.

# CAPUT OCTAVUM.

## *De ætatum moribus.*

### §. I.

*Ætates diſtinguit.*

Aetates reſtant ex cauſis naturalibus morum. Earum autem mores deſcribit Ariſtoteles, qui *ad tres redigit*; (*b*) adoleſcentiam, mediam ætatem, & ſenectutem. Nempe ad Oratorem reſpexit, qui cum pueris ſermonem non habet; neque enim in illos cadunt publicæ deliberationes vel judicia, neque etiam encomiaſtes ad ſolos pueros encomia ſua effunderet; ſed cura moralis debet puerorum quoque mores intelligere, cujus præſertim ætatis inſtitutionem & diſciplinam molitur; quippe quę obnoxia diſciplinæ veræ eſt, ac multo magis, quam reliquæ ætates. Unde Ariſtoteles in 7. *Polit.* ætatem puerilem ab infantia usque conſiderat, partiturque in quinque partes, in infantiam ipſam, in ætatem ab infantia usque ad quintum annum, in eam, quæ a quinto ad ſeptimum annum pertingit, a ſeptimo ad decimum quartum, a decimo quarto ad vigeſimum primum annum: Ratioque diſtinctionis ejusmodi pendet ex varia cura pueri habenda. In prima enim parte ob teneritudinem, membrorum præcipua cura eſt, ne diſtorqueantur; in ſecunda, ne ab occupatione aliqua mentis aut corporis impediantur creſcere: in tertia jam oportet *diſciplinam ſpectare* (*c*) quam addiſcere puerum oportet: in quarta autem parte & quinta diſciplinam dividere oportet totam. At noſtro huic inſtituto ſatis erit quatuor ætates conſiderare; pueritiam, juventutem, vigorem, & ſenectutem.



(*a*) *Germani.*) Vide binas elegantiſſimas *Orationes* LANSII l. c. alteram contra Germaniam p. 853. alteram pro Germania p. 907. COMINEUM *de geſtis Ludov. XI. Lib.* 8. *in fine.*

(*b*) *Ad tres redigit.*) Ejusdem cum Auctore ſententiæ eſt SCHRADERUS in *Comment. ad Rhet. Ariſtot.* Lib. 2. c. 12. p. 351. De ſingulari Servii Tullii ætatum, pueritiæ, juventæ, ſenectæ determinatione vide A. GELLIUM in *Noct. Att.* L. X. c. 28. Tres tantum ætates quoque doctrinæ ſuæ de temperamentis accommodat JOH. a FELDE in *elementis juris univerſi* P. 3. c. 8. memb. I. art. 2. p. 532. E contrario vulgatas quatuor retinet BARCLAJUS in *Icone animorum Cap. I.* pueritiam ſcil. adoleſcentiam, ætatem virilem & ſenectutem. Ceterum huic argumento illuſtrando inſervit JOH. MICH. DILHERRI Diſſ. de *moribus ætatum*, quæ exſtat T. II. Diſſ. acad. n. 8. p. 127. & GERH. JOH. VOSSIUS *inſtit. orator. L. II.* p. 292.

(*c*) *Diſciplinam ſpectare.*) Accius apud GELLIUM *Noct. Att. L. XIII. c.* 2. recte dixit: *Quod in pomis eſt, itidem ajunt eſſe in ingeniis: quæ dura & acerba naſcuntur, poſt fiunt mitia & jucunda. Sed quæ gignuntur ſtatim vieta & mollia, atque in principio ſunt uvida, non matura mox fiunt, ſed putria. Relinquendum igitur eſt viſum in ingenio, quod dies atque ætas mitificet.*

§. II.

*Nedum ex differentiis temperamentorum, ſed ex inſtinctu diſtingui mores ætatum.*

Quoad mores pertinet, ( de quibus nunc ſolis ex inſtituto agimus) differentiam ætatum reduci ad temperamentorum differentiam, plures facile admittent. Nempe ſenectus frigidius temperamentum reddit, vigor temperatum, juventus calidius,quam par ſit, pueritia humidius, & ſimiles; ac reſpondentes mores comitantur. Verum præter temperamenti differentiam pueritia diſtat a reliquis ætatibus inſtinctu & ὁρμῇ ad Venerem; nam ætas pueri non agnoſcit eum ſtimulum experiturve. Si vero ex ſolo temperamento differentia penderet, minus quidem, aliquid tamen ſtimuli ejusmodi perciperet puellus quoque. Potius itaque naſcitur ſtimulus ex inſtrumentorum jam aptitudine, quæ antea inepta erant; proindeque nullus ad eorum functionem inſtinctus percipiebatur.

## CAPUT NONUM,

### *De puerorum moribus.*

A Puerorum moribus exordiendo, eos Horatius ita exprimit.

- - *geſtit paribus colludere, & iram*
*Colligit ac ponit temere, & mutatur in horas.*

Sane puer *mobilis eſt & inconſtans,* (*a*) exuberante *calore & humiditate.* (*b*) In perpetuo itaque eſt motu; quod docuit Plato in ſecundo de Legibus, ubi dicit: *Tenerioris ætatis omnes non poſſe nec corpore, nec voce quieſcere, ſed moveri ſemper & loqui velle.* Eſt præterea *cibi appetentiſſimus* (*c*) puer, tum ob corporis incrementum, tum quia calor humidus ad cibos in ventriculo concoquendos, quæ eſt elixatio, plurimum imo totum confert; tum ob jugem ætatis ejus motionem: adjuvat vero *motio digeſtionem* (*d*) ciborum. Ob calorem eſt *in iram pronus*; (*e*) ob humiditatem non ſervat diu. Veneris motus non ſentit, neque agnoſcit: reliquos tamen voluptatis & doloris ſenſus illi ni ſolus,ſaltem maximus ineſt. Cum itaque ſit voluptatis appetentiſſimus, acutæque ejus ſint admodum cupiditates, inde etiam querulus & moroſus ac gemebundus, cum ſtatim non fuerit ſatisfactum ejus cupiditatibus. Hinc naſcuntur eæ conditiones, quas puero tribuit Plato. Verba viri ſunt. *Eſt autem puer omni beſtia intractabilior; nam cum prudentiæ fontem nondum perfectum habeat, inſidioſiſſimus eſt, acerrimusque, & petulantiſſimus omnium beſtiarum.* Ideo ob *vehementiam cupiditatis,* (*f*) quæ eſt acutiſſima, eſt ipſe quoque acerrimus & petulantiſſimus, atque ob rationis participationem ſupra alias animantes eſt ad explendas cupiditates inſidioſiſſimus; inſidiæ enim ex cupiditate rei,cui inſidiamur,& ex aliquo verſutiæ gradu naſcuntur.

*Hæc in univerſum* (*g*) de moribus, qui ætatem puerilem conſequuntur; ſi ſcilicet ipſam per ſe conſideremus. Ratione tamen *peculiaris temperamenti,* (*h*) hujus vel illius pueri, poteſt multam diverſitatem ſuſcipere. Ex. gr. ſi quis puer longe abundet humiditate ſupra caloris proportionem, obtuſas is cupiditates geſtabit, & hebetudinem quoque ingenii patietur: at in ſuccedente juventutis ætate, in qua humor exſiccatur multa ex parte, ut fert ætatis craſis, cupiditates tum aperiuntur & acuitur ingenium. Quod Bocaccius fabulatur, contigiſſe Timoni, alia tamen ex cauſa. Nos in adagio habemus: majoris plerunque indolis eſſe pueros, qui diu inſtar equorum neapolitani Regni dormiunt, ſcilicet diu ingenium *hebes ac rude* (*i*) præ ſe ferunt. Eſt vero id, cum multus calor copioſiore humore ab initio obtunditur, quo deinde ad juſtam mediocritatem ætatis tractu redacto, laudabiliſſimum temperamentum evadit: ex multo ſcilicet calore & multo humore inter ſe temperatis. Quod vero nunc ſupponimus, pueritiam eſſe *humidiorem* (*k*) ſequentibus ætatibus, præterquam quod res ipſa indicat, Galenus de temperamentis monſtrat.

CAP. DE-

(*a*) *Mobilis eſt & inconſtans.*) Vide GEORG. WOLFG. WEDELII *phyſiologiam medicam* Sect. 2. c. 13. BARCLAJI *Icon. anim. cap. I.*

(*b*) *Calore & humiditate.*) Huc faciunt ſequentia WEDELII l. c. *Requirebat id neceſſitas, ſiquidem incremento egent; hoc vero a calido & humido, ſanguine & ſero proficiſcitur, ut adoleſcere poſſint.* &c. Conf. quoque FELDENI *elementa juris univerſi l. c. p.* 533.

(*c*) *Cibi appetentiſſimus.*) *Pueros impuberes compertum eſt, ſi plurimo cibo nimioque ſomno utantur, hebetiores fieri veterni usque aut eluci tarditatem: corporaque eorum improcera fieri minusque adoleſcere,* referente id A. GELLIO in *Noct. attic. L.* 4. *c.* 19

(*d*) *Motio digeſtionem.*) Bene monet CICERO in *Catone Maj. Utendum eſt exercitationibus modicis tantum cibi & potus ſumendum, ut reficiantur vires, non opprimantur.*

(*e*) *In iram pronus.*) TERENT. in *Hecyra: Pueri inter ſeſe quam pro levibus noxis iras gerunt? Quapropter? Quia enim qui eos gubernat, animum infirmum gerunt.*

(*f*) *Vehementiam cupiditatis.*) Hinc prudentiſſime BARCLAJUS monet Cap. I. *Iconis animorum: ſi procax eſt alicujus pueritia, nimiaque ferocia exuberat, tunc faceſſant lenitatis præcepta, tumorque naturæ vitio enaſcens, quem ſæpe parentum lenitas ad ulceris maturitatem fovet, adhuc crudus & facilis exſecetur.* HORATIUS *de arte poët.* ob exæſtuantem iuventutis calorem dixit: *Adhuc florente juventa fervidus.* Et Cicero *in Catone Maj. Erat quidam fervor ætatis, qua progrediente omnia ſunt etiam indies mitiora.* Itaque juvenes αἰζηοὺς appellant Græci, quaſi ἀεὶ ζέοντας, ſemper ferventes. Quibus conferri meretur PLUTARCHUS lib. *de virtute morum* T. I. Oper. p. 16. n. c.

(*g*) *Hæc in univerſum.*) Addendum inter alia fuiſſet de garrulitate & credulitate puerorum, quod ultimum *Miſcellanea Leibnitiana* p. 193. ſequentibus confirmant: *Nos omnes quodammodo pueri ſumus, qui ſæpe audita credunt, atque inſtar pſittaci imitantur.*

(*h*) *Peculiaris temperamenti.*) De Catonis Uticenſis jam in pueritia monſtrata prudentia & ſeveritate vide *Icon.* BARCLAJI *Cap. I, p.* 6. De præcocibus ingeniis vide MORHOFII *Polyhiſt. T. I. L.* 2. *cap.* 8. §. 53. 54. 55.

(*i*) *Hebes ac rude.*) Vide BARCLAJI *Icon. Cap. I.*

(*k*) *Humidiorem.*) *Pueri non caneſcunt, quod humidi calidique ſunt,* inquit, *Aphrodiſeus in quæſtionibus phyſicis. Pituita autem humida eſt ac frigida; ſinciput quoque habent quaſi cuteum & rarum, quo ſuperflua excernuntur. Id ætate dureſcit fitque oſſeum & denſeſcit. Unde & ſuturas ei natura poſtmodum tribuit, per quas ſupervacui vapores efflarentur.* Cur pubeſcentes pueri circa annum 14. hirquiant, vide apud eundem l. c. n. 125.

Digitized by Google

# CAPUT DECIMUM

## *De adoleſcentiæ juventutiſque moribus.*

### §. I.

*Quæ Ariſtoteles dixit* 2. Rhet. cap. 12. *ſecundum Sigonii ſectionem, afferuntur, & exponuntur, interjectis annotatiunculis.*

Ad mores adoleſcentiæ transeamus, quos exactiſſime deſcribit *Ariſtoteles* 2. *Rhet.* (*a*) loco antea indicato; illis ego contentus ero. Tantum aliqua ad declarationem, cum opus fuerit, parentheſis modo, interponam: ut quæ inter ſigna fuerint mea intelligantur, reliqua Ariſtotelis. Ab Ariſtotele ergo exordiamur, ejusque verbis. *Juvenes ſunt moribus cupidi* (*b*) *& ad ea, quæ concupierint, conficienda parati*, (Non enim differunt ea agere quærereve, quæ cupiunt, modo facultas adſit.) *Et ex corporeis cupiditatibus venereis potiſſimum dediti* (Gaudent quidem *conviviis & compotationibus* (*c*) minus tamen, quam venereis) *quarum rerum impotentes ſunt. Inconſtantes autem, & rerum concupitarum faſtidioſi* (non ſecundum genus quidem, etenim ſemper ſubinde feruntur in Venerem, at in particulari: & præſertim corpora, quibus ſemel potiti ſunt, faſtidiunt. Et aliaque & alia exoptant) *& valde quidem concupiſcunt, ſed prodinus conquieſcunt* (concupita re obtenta; & ratio eſt) *quia acutas habent voluntates, & non magnas, quales ſunt ægrotantium ſitis & fames* (Horum enim ſitis & fames acutæ & acres: pungunt enim vehementer; at parvæ, quia exiguo cibo & potu ſatiantur) *Et ad excandeſcentiam proclives ſunt, ad eumque impetum ſequendum parati atque iræ obnoxii; quia propter honoris deſiderium ſe parvi fieri pati non poſſunt, verum ægre ferunt, ſi ſibi fieri injuriam arbitrentur* (Quæ cauſa iræ eſt, quia calidi juvenes & ſicciores, quam pueri; unde majoris & robuſtioris iræ ſunt, eademque caloris ratio eos cupidos facit Fervor in Venerem ex eodem calore procedit & ex abundantia ſanguinis, unde ſemine quoque redundant) *Imo potius victoriæ, quia juventus excellentiam appetit; victoria autem eſt excellentia quædam* (Dicuntur autem magis appetentes victoriæ, quam honoris: quia certo ſtudio quærere honores ac dignitates non eſt curæ juvenilis, quę nulli ſe certo ſtudio obſtringit, ſed virilis poſtea. Juveni itaque potius excellentiæ in univerſum appetentia ineſt, adeoque etiam victoriæ. Quoniam tamen & excellentia includit honorem, ideo *honoris ſub ea ratione appetitio* (*d*) non eſt ſubtrahenda juveni) *Atque harum rerum ambarum* (ſcilicet victoriæ & honoris) *quam pecuniarum ſunt ſtudioſi. Pecuniarum autem ſtudioſi minime; propterea, quia indigentiam nondum ſunt experti, quale eſt Pittaci dictum in Amphiaraum.* (Quæ cauſa moralis eſt: at phyſica & ex temperamento eſt calor, qui contrariam frigiditati diſpoſitionem inducit; inducit autem avaritiam frigiditas, ut antea vidimus) *Neque malis moribus præditi ſunt, ſed bonis, quia nondum multa flagitia cognoverunt* (Malos hic mores intelligit, omnia in deteriorem partem interpretari, ut declarat in capite de ſenibus; boni itaque mores ſunt omnia in bonam partem interpretari) *Et creduli, quia nondum ſæpe decepti ſunt. Et bona ſpe pleni, quia, ut temulenti, ſic juvenes natura calidi ſunt* (Spem, cauſalem nempe, intelligere oportet, ſcilicet boni exſpectationem, non autem formalem, quæ eſt tonus animi; hujusmodi enim tono virilis ætas præſtat juventuti. Secunda autem ratio) *Simul etiam eſt, quia nondum ſæpe opinione lapſi ſunt, magnaque ex parte ſpe vivunt. Spes enim eſt futuri, memoria vero præteriti: juvenibus autem futuri eſt multum, præteriti autem parum. Primis enim diebus nihil ſe meminiſſe, ſperare vero omnia arbitrantur. Et faciles decipi propter eandem cauſam, quia facile ſperant. Et fortiores, quia iracundi. Et bona ſpe pleni; quorum illud efficit ne metuant, hoc, ut confidant: neque enim quisquam, dum iraſcitur, timet, & ſperare boni aliquid fidentiam affert* (Quæ ratio fortitudinis ex præcedentibus affectibus ac comitantibus ducitur. Sed etiam ex temperamento calido ducere licet; quod audaciam facit, veluti antea dictum eſt. Juventus autem ipſa per ſe calore abundat) *Et verecundi, quia nondum honeſta eſſe alia exiſtimant, verum a lege ſola ſunt inſtituti* (Sunt, qui duo genera bonorum credant; aliud, quæ publiceac palam oporteat laudare, aliud autem clam & re ipſa eligere. Quam diſtinctionem Ariſtoteles 1. *ſophiſt. elench.* addubxit, & Plato antea. Non cadit in juvenes hæc opinio, qui ea ſola bona agnoſcunt, quæ palam laudantur. Sunt autem, quæ lex imperat ac monet.) *Et magnanimi,* (*e*) *quia nondum a vita depreſſi ſunt, ſed rerum neceſſariarum rudes ſunt. Et ſeipſum rebus magnis dignum cenſere magnanimi eſt: id autem bene ſperantis eſt. Et honeſta* (ſcilicet ſplendorem obtinentia) *facere, quam utilia malunt, quia moribus potius, quam ratiocinatione vivunt* (Mores hic dicuntur, qui commendantur: qua ratione moratum dicimus, qui bene moratus eſt. Vivit autem juvenis potius ex præſcripto laudum, vulgo jactatarum præſertim, *in ſumptibus faciendis,* [*f*] quam ex utilitatis æſtimatione & ſupputatione



(*a*) *Ariſtoteles 2. Rhet.*) Vide ad hunc locum Commentarium SCHRADERI *p.* 351.

(*b*) *Moribus cupidi.*) De moribus juvenum egregie ſolideque egit integro capite ſupra laudatus a FELDE p. 532. ſq. WEDEL in *phyſiologia medica Sect.* 2. *cap.* 13.

(*c*) *Conviviis & compotationibus.*) BARCLAJUS l. c. vocat propterea adoleſcentiam, idoneam deliciis ætatem.

(*d*) *Honoris appetitio.*) *Animus in hoc ætatis flore prima cupidine laudis ardet,* inquit BARCLAJUS *l. c.* Conf. FELDENUM l. c. Egregius locus PLUTARCHI in *Polit. T. I. Oper. p.* 10. *n. C.* huc facit: *Ambitio etſi ſpecioſior videri poteſt, avaritia, nihilo tamen minus mihi videtur pernicioſa reipublica, quippe cui major ineſt audacia, & quæ non dejectis neque ignavis innaſcitur animis, ſed novis, vigentibus & juvenilibus.*

(*e*) *Magnanimi.*) Huic convenit, quod GELLIUS L. 9. c. 15. *noct. attic.* dicit: *Adoleſcens & præfatur arrogantius & elatius, quam ætati ejus decebat.*

(*f*) *In ſumtibus faciendis.*) Vid. BARCLAJI *Icon. anim.* Cap. 14. p. 177. ubi: *Hic magnatum,* inquit, *juvenumque præcipue error eſt, in paternas ſuccedentium opes, acerbis adhuc ingeniis, & neſcientibus frugalitatem.* Quorſum & illud *Claudii* apud GELLIUM *L. VII. c. XI.* ſpectat: *Adoleſcens Lucanus, qui apprime ſummo genere natus eſt, ſed luxuria & nequitia pecuniam magnam conſumſerat.*

Digitized by Google

tatione: idipſum autem eſt, quod ſequitur in Ariſtotele.) *Eſt autem ratiocinatio utilitatis, virtus honeſtatis. Et amicorum ſtudioſi ſodaliumque magis, quam aliæ ætates, quia convictu gaudent, & nihil utilitate metiuntur; quare neque amicos* (Adeo ut ſint amicitiæ jucundæ ipſi non utilis ſtudioſi) *Et omnia in majus ac vehementius contra Chilonium præceptum* (Chilo enim Lacedæmonius, unus ex ſeptem ſapientibus, *ne quid nimis*, præceperat) *delinquunt, quia omnia agunt nimis; ſiquidem & amant nimis, & oderunt nimis, & reliqua omnia eodem modo; quippe qui & ſcire ſe omnia opinantur & aſſeverant; quæ cauſa eſt, ut omnia nimium agant.* (Amant vero nimis ob acumen & acredinem, non ob magnitudinem; etenim acutas, non magnas habere voluntates, jam dictum fuit. *Acumen* (a) vero caloris idipſum acumen deſideriorum facit; quæ eſt cauſa phyſica. Moralem autem, quæ eſt opinio ſcientiæ, jam diximus.) *Et injurias faciunt ad contumeliam,* (b) *non ad malitiam* (Excellentiam enim illi quærunt; contumelias autem inferendo ſe eminere patientibus credunt; unde aliena interdum uſurpant, non ut locupletentur, ſed ut emineant. Demumque ex inſolentia & procacitate, non ex avaritia ac malignitate.) *Et miſericordes* (c) *ſunt, quia omnes bonos ac meliores exiſtimant; ſiquidem ſua innocentia alios metiuntur; quare indigna illos pati arbitrantur. Et riſu delectantur, itaque faceti: facetia vero erudita contumelia eſt.* (Sunt equidem in jucundam vitam juvenes ex calore & humore proni; nam licet minus, quam pueri humidi ſint, humorem tamen copioſum retinent, & ideo in omnem hilaritatem ſunt effuſi.) *Ac juvenum quidem mores ejuſmodi ſunt.* Juventus autem hic ſignificat ætatem, quæ a pubertate ad virilem usque protenditur. Durat plus paulo minusve *duobus ſeptenariis*: (d) a quatuordecimo ſcilicet usque ad 28. annum in maribus: licet Ariſtoteles videatur ad trigeſimum extendere; cum dicit, corpus a triginta annis usque ad triginta quinque vigere.)

### §. II.

*Quæ Horatius eadem de re tradit.*

Horatius fere contrahit in pauca, quæ latius Ariſtoteles diſſeruit. Sunt autem carmina ejus in arte poëtica.

*Imberbis juvenis, tandem cuſtode remoto,*
*Gaudet equis canibusque & aprici gramine campi,*
*Cereus in vitium flecti, monitoribus aſper,*
*Utilium tardus proviſor, prodigus æris,*
*Sublimis, cupidusque, & amata relinquere pernix.*

# CAPUT UNDECIMUM.

## *De Senectute.*

### §. I.

*Quæ Ariſtoteles ſcribit de moribus ſenum lib. 2. Rhet. cap. 12.*

Debebat ſermonem de juventute proxime ſequi ſermo de virili ætate: at ſecutus ordinem Ariſtotelis, de ſenectutis moribus ago, prius eodem modo adducendo verba Ariſtotelis & exponendo. Sed pauca ſunt expoſitionis indiga poſt explicationem eorum, quæ dicta ſunt de juvenibus. Jam afferamus Ariſtotelis verba: *Seniores autem & qui vigorem remiſerunt,* (e) *ex iis*

(a) *Acumen.*) Hoc acute illuſtrant *Miſcellanea Leibnitiana* §. 53 p. 161. *Iuvenum voluntates acutæ ſunt potius, quam magnæ. Ita ſunt quidam in minutias validi, ſubtiles, verſatiles, crederes ingentia geſturos, ſed cum ad majora ventum eſt, hærent, et ſuis ipſi meditationibus involvuntur neque ſatis certi conſiliorum, neque ad egregia animo erecti. Breviter ingenio acuto potius, quam magno. Talis eſt differentia, quæ inter pilæ plumbeæ, aut funda aut nitrato pulvere miſſæ, ictum velociſſimum, ſed non niſi mollia perrumpentem, & vim ſaxi ingentis, catapulta miſſi minore celeritate ac vehementia omnia perfringente.*

(b) *Injurias faciunt ad contumeliam.*) Ad hæc SCHRADERUS ſequentia commentatus eſt: *Injuriæ quædam honorem, quædam commoda aliorum petunt violantque: primi generis injurias inferre juvenes ſolent, poſterioris ſenes.*

(c) *Miſericordes.*) Conf. *Miſcellanea Leibnitiana* §. 52. p. 161.

(d) *Duobus ſeptenariis.*) Exſtat apud PHILONEM libro de *mundi opificio & apud Cl.* ALEXANDRUM in *ſexto Stromate*, Solonis elegia, qua ætatum iſtæ per ſeptenarium mutationes deſcribuntur. Eſt autem hæc:

*Infans ſeptenos poſtquam compleverit annos,*
*Vallum oris dentes conſpicere, incipies.*
*Poſtquam ſeptem alios Deus huic conceſſerit annos,*
*Fit pubes ſemenque huic genitale datur.*
*Verum ſeptem aliis poſtquam annis creverit ætas,*
*Denſa ſeges barbæ contegit ortagenas.*
*Additus eſt illi cum ſeptenarius alter,*
*Vir tum virtutis fortia ſigna dabit.*
*Hinc monet adveniens uxorem ducere quintus,*
*Poſteritatis & hunc tum meminiſſe ſuæ.*
*Solers ingenium eſt firma & prudentia ſexto,*
*Stulta nec hoc deinceps facta videre juvat.*
*Septimus acceſſit cum ſeptenarius, atque*
*Octavus lingua pollet & ingenio.*
*Nono aliquid poſſunt, ſed jam minuuntur in illo*
*Vires, queis peragunt fortia facta viri.*
*Sed decimus cum alios ſeptem perfecerit annos,*
*Maturam mortem triſtia fata dabunt!*

Perpetuis tamen ſeptenariis ætatem hominum metiri, improbat ARISTOTELES *VII. Polit. XVII.* ſi vera eſt illius lectio. Conf. SCHRADER *l. c. p.* 357.

(e) *Vigorem remiſerunt.*) PLUTARCHUS de *placitis philoſ.* L. V. Cap. 30 *Stoici*, inquit, *concorditer aſſerunt, ſenectam ob caloris defectum fieri. Qui enim plus caloris habent, diutius viventes amplius ſeneſcunt. Aſclepiades Aethiopos cito ſeneſcere dicit, anno videlicet viceſimo, propterea quod a ſole combuſta corpora ipſorum ſuperexcaleſcant. Verum in Britannia homines ad centeſimum viceſimum ætatis annum pervenire, propterea quod loci quidem frigidi ſint, homines vero calorem in ſe ipſis conſtrictum habeant. Etenim Aethiopum corpora rariora ſunt, propterea quod a ſole ſint laxata: ſeptentrionales autem denſa corpora habent, & ob id diuturniora.* APHRODISEUS in quæſtionibus phyſicis varia ex humorum in ſenibus defectu, deducit effecta, e. g. calvitium a ſiccitate ortum habere, hinc fieri, ut, qui criſpo ſint capillo, quod ſiccius caput habeant, citius calveſcant, ſerius caneſcant, ſiccitate conſumente excrementa pituitatis. Senes eſſe vigiles, ſomnum enim ex humiditate oriri.

Digitized by Google

*iis ferme, quæ his contraria ſunt, magna ex parte mores adepti ſunt. Etenim, quia multos annos vixerunt, & multis in rebus decepti lapſique* (a) *ſunt, & res majore ex parte perditæ ſunt, nihil affirmant, atque omnia multo minus quam oportet. Et opinantur, nihil vero ſciunt. Et cum controverſantur, addunt ſemper forſan & fortaſſe. Atque omnia ita pronunciant; aſſeveranter vero nihil. Et malorum morum ſunt, quod eſt omnia in deteriorem partem interpretari. Præterea vero ſuſpicioſi ſunt propter incredulitatem; increduli vero propter peritiam.* (Nempe periti ſunt verſutiæ humanæ, quam ſæpe experti ſunt, unde vix cuiquam fidem adhibent.) *Neque valde amant, neque valde oderunt propter hanc rationem; ſed ex præcepto Biantis, & amant tanquam oſuri,* (b) *& oderunt tanquam amaturi. Et puſillanimi,* (c) *quia a vita depreſſi ſunt; nihil enim magni, nihil eximii, ſed ea, quæ ad vitam pertinent, concupiſcunt. Et illiberales, quia patrimonium eſt ex rebus neceſſariis: una ſimul vero etiam propter peritiam, quam ſit difficile acquirere & facile amittere, non ignorant.* (Frigiditas præterea temperamenti cauſa eſt Phyſica propenſionis in idem vitium) *Et timidi,* (d) *& omnia præmetuentes; quia contra ac juvenes ſunt affecti, quippe qui refrigerati ſunt, illi vero calidi. Quare ſenectus aditum timiditati patefecit; eſt enim timor refrigeratio quædam. Et vitæ cupidi, in extremis potiſſimum diebus; quia cupiditas eſt rei, quæ abeſt; & cujus rei indigentes ſunt, eam potiſſimum concupiſcunt. Et objurgationibus delectantur magis, quam convenit; eſt enim puſillanimitas & hæc quædam.* (nempe errata cujusque vel levia attendere, in eamque indaginem toto animo incumbere, eſt animi puſilli, qui nobilioribus occupationibus a puſillis ejusmodi non avocetur. Eſt hoc illud Terentianum:

Attentiores ſumus ad res omnes, quam ſat eſt)

*Et ad utilitatem,* (e) *non autem ad honeſtatem vivunt, magis, quam convenit; quia ſeipſos diligunt; utile enim bonum eſt huic, honeſtum autem ſimpliciter. Et inverecundi potius, quam verecundi; quia enim non curant honeſtatem æque ac utilitatem, parvi faciunt, quid exiſtimetur. Et mala ſpe pleni, propter peritiam; quia plerunque res perditæ ſunt, & in deteriorem partem plerunque cadunt, & præterea propter timiditatem. Et memoria, magis quam ſpe vivunt; nam quod vitæ reſtat modicum, quod effluxit, multum eſt. Spes autem eſt futuri, memoria vero præteritorum. Id quod eis loquacitatis etiam cauſam affert, quia res præteritas narrant; dum enim recordantur, voluptate afficiuntur. At excandeſcentiæ quidem acutæ ſunt, ſed imbecillæ* (& duratione & effectu; ſunt enim impotes ultionis) *Et cupiditates aliæ defecerunt, aliæ ſunt imbecillæ* (cupiditates voluptuarias intelligit; quarum aliæ defecerunt; ut venereæ in extrema ſenecta; aliæ imbecillæ, ut cupedioſæ; ob ventriculi enim languorem non multam illis operam dare poſſunt) *Quare neque cupidi ſunt, neque ad ea facienda parati, ad quæ a cupiditatibus adducuntur; ſed ea, quæ a lucro.* (Cupiditas itaque pecuniæ & lucri in avaro permanet) *Itaque tales temperati videntur, quia cupiditates* (quæ ſcilicet intemperantis ſunt) *oblanguerunt: & lucro inſerviunt. Et ratiocinatione potius vivunt, quam moribus; eſt enim ratiocinatio utilitatis, mores autem virtutis. Et injuriæ ad malitiam, non ad contumeliam faciunt.* (ad compendium enim & utilitatem injuriantur. Et in his hucusque dictis contrario modo ſe habent ſenes ac juvenes: at in commiſeratione eodem modo, ſed ex diverſis cauſis) *Miſericordes autem etiam ſenes ſunt: verum non propter eandem cauſam ac juvenes. Illi enim propter humanitatem, hi vero propter imbecillitatem; putant enim omnia eſſe vicina ad patiendum; hoc autem erat miſericordis.* (Eſt enim Miſericordia, ut definit Ariſtoteles, Moleſtia quædam ob malum apparens interitus & moleſtiæ afferendæ vim habens, ejus, qui ſit indignus, quod & ipſe paſſurum aut aliquem ſuorum exſpectet) *Unde queruli ſunt* (Ex hoc ſcilicet ipſo, quod putant omnia eſſe vicina ad patiendum) *& neque faceti,* (*f*) *neque ridiculorum ſtudioſi; quia querulus adverſatur ei, qui delectatur riſu.*

§. II.

(*a*) *Decepti lapſique.*) Notandum, difficillime eos expiſcari licere, qui multum experti ſunt & variis caſibus jactati. Unde patet, nullius ingenium facilius noſci, & neminem perſuaſibiliorem eſſe, quam rerum imperitos. *Miſcellanea Leibnitiana* §. 101. in fine p. 191.

(*b*) *Amant tanquam oſuri.*) Apud CICERONEM in *Dialogo Lælii* ſcriptum eſt: *Ita amare oportet, ut aliquando ſis uſurus.* Quodſi diligentius conſideretur, perquam utile reperiri, VALERIUS aſtruit. Vid. FRANC. PETRARCHA de *viris illuſtr. L. 4. c. 2 p. m.* 474. Et bene monet idem Cicero: *Eam nos in comparandis amicitiis diligentiam adhibeamus, ne quando amare incipiamus, quem aliquando odiſſe poſſimus.* Quam tamen ſententiam Scipio Africanus apud eundem in *Lælio* c. 16. oppugnat.

(*c*) *Puſillanimi.*) Hoc egregie illuſtrat JOH. a FELDE in *elementis juris univerſi* P. 3. c. 8. p. 535. *Uti enim,* inquit, *fortiſſima animalium demittunt animum advertentia, ſibi robur decedere; ita & natura trahit homines ad idem faciendum decedentibus ſpiritibus, fruſtra contranitente recta ratione.*

(*d*) *Timidi.*) Conf. Feldenum l. c. & SCHRADERUM in *Comment. ad Rhethor. Ariſtot. L. 2. c. 13. p.* 354. BARCLAJ. in *Icone animor. cap. I. p.* 10.

(*e*) *Ad utilitatem.*) *Nec parcam,* inquit FELDENUS l. c. *& tenacem ipſorum vitam improbat, ſed approbat longa illa, quam habent, experientia. Unde juvenibus ſæpe inculcare ſolent:*

\- Quid valeat nummus, quem præbeat uſum.

Ciceronem nihil, quam avaritiam ſenilem turpius eſſe, dicentem, ſupra jam adduximus. In genere autem hoc vitium, occaſione dicti ſalluſtiani: *avaritiam quaſi venenis malis imbutam corpus animumque virilem effeminare, ſemper infinitam & inſatiabilem, neque copia neque inopia minui:* perſtringit acutiſſime GELLIUS *Noct. attic. L.* 3. *c.* 1. Characterem ſordidi ſenis ſiſtit HORATIUS Lib. I. Sat. I.

\- - *Nec facias, quod*
*Umidius quidam (non longa eſt fabula) dives,*
*Ut metiretur nummos; ita ſordidus, ut ſe*
*Non unquam ſervo melius veſtiret: ad usque*
*Supremum tempus, ne ſe penuria victus*
*Opprimeret, metuebat, &c.*

(*f*) *Neque faceti.*) CICERO in *Catone Maj. At ſunt moroſi,* inquit, & *iracundi & difficiles ſenes.* Et PLUTARCHUS in *conſulatoria* ad *uxorem* T. I. oper. ed. Baſil. p. 188. n. 6. *Noli exiſtimare,* inquit, *ſenectutem propter rugas male audire aut conviciis lacerari: aut eam id circo eſſe difficillimam & acerbiſſimam, quod nihil animus ipſe ſentiat, poſt mortem.*

Digitized by Google

### §. II.

*Quæ Horatius eadem de re. Et quadam dubitatio ſolvitur.*

Horatius autem demum mores hos exprimit ſenum.

*Multa ſenem circumveniunt incommoda: vel quod*
*Quærit, & inventis miſer abſtinet, ac timet uti:*
*Vel quod res omnes timide gelideque miniſtrat.*
*Dilator: ſpe longus: iners: avidusque futuri:*
*Difficilis: querulus: laudator temporis acti*
*Se puero: cenſor caſtigatorque minorum.*

Videtur autem Horatius repugnare Ariſtoteli, dum *ſpe longum ſenem* (*a*) dicit, & futuri avidum; contra quam dicat Ariſtoteles, qui ſpem a ſene removet. Majoragius ſolvit diſtinguendo ſpem, in ſpem fortunati exitus negotiorum, quam Ariſtoteles denegat ſeni, & in ſpem producendæ vitæ, quam exponit ipſe tributam ab Horatio ſeni. Nemo enim tam decrepitus eſt, qui ſe non putet adhuc *annum poſſe vivere.* (*b*) Neque ego dictum viri extra probabilitatem arbitror; attamen credo poſſe referri ad dilationem, cui conjungitur: *dilator, ſpe longus, iners.* Ut enim juvenis paratus eſt ad ea ſtatim præſtanda & proſequenda, quæ cupit, ita ſenex in illis inſequendis eſt tardus ac dilator, ſpeque longus, dum ſcilicet ſe alias facturum ſperat ac proponit. Cum qua expoſitione verbum *iners*, quod ſequitur, congruit; inertia enim eſt ea in exequendis rebus lentitudo.

## CAPUT DUODECIMUM.

### *De virilis ætatis moribus.*

### §. I.

*Quæ Ariſtoteles dicit 2. Rhet. cap. 14.*

Ad *mores virilis ætatis* (*c*) cum Ariſtotele tranſeamus. Cujus hæc verba ſunt. *Qui vero vigent, perfecte inter hos* (ſenem ſcilicet & juvenem) *interjecti, moribus erunt utrorumque, exuperatione detracta; quippe qui neque nimis confidunt, quia audacia tale aliquid eſt, neque nimium metuunt, ſed in utraque re commode ſe gerunt. Neque omnibus fidem habent, neque omnibus non habent; verum ex veritate potius judicant. Et neque ad ſolam honeſtatem* (ſcilicet pulchritudinem & ſplendorem) *vivunt, neque ad utilitatem, ſed ad utrumque; & neque ad parſimoniam, neque ad luxuriam, ſed ad id, quod convenit. Similiter vero etiam ad excandeſcentiam, & ad cupiditatem. Et temperantes cum fortitudine, & fortes cum temperantia ſunt; quia hæc in juvenibus ſenibusque partita ſunt; ſiquidem juvenes fortes & intemperantes ſunt, ſeniores autem temperantes & timidi. Ut autem in univerſum complectar: quæcunque commoda juventus & ſenectus inter ſe diviſerunt, hæc ambo retinent; in quibus vero exuperant aut deficiunt, eorum quod moderatum eſt & conveniens. Viget autem corpus a triginta annis usque ad triginta quinque; animus vero circa annum quadrageſimum nonum.*

### §. II.

*Confirmantur ex temperamento, quæ dixit Ariſtoteles.*

Hæc Ariſtoteles. Quæ per ſe plana, & ideo nullis a nobis ſubnotationibus, præterquam pauculis interjectis disjuncta. Verum fundamentum temperiei morum hujus ætatis, inter ſenectutis & juventutis mores, pendent ex temperamento ætatis inter duas illas, contrarias mediocri & temperato. Calor enim excedens juventutis tum temperatur, & frigiditas ſenectutis abeſt. Non ideo effertur ut juventus ad exceſſum; neque ut ſenectus eſt ob frigiditatem lenta & iners; ſed medio modo ac temperato ſe habet ob eandem mediocritatem. Et fortis eſt; calorem enim retinet. Et temperans; non enim ab excedentibus cupiditatibus incenditur & rapitur. Adjicio autem hanc aliam non negligendam animadverſionem: animal ab initio humidius cum ſit, ſemper deinceps in ætatis progreſſu exſiccari; adeo ut juventus ſiccior ſit pueritia, juventute ætas virilis, & hac ſenectus. De *humore autem*

*inna-*

(*a*) *Spe longum ſenem.*) Conf. ad hunc locum LAMBINUM in *Comment. ad Horat.* P. 2. n. 392. Idem Poëta L. 1. od. XI. monet:

*- - Spatio brevi*
*Spem longam reſeces: dum loquimur, fugerit invida*
*Aetas; carpe diem. - -*

(*b*) *Annum poſſe vivere.*) Dum enim vitam fugientem intuentur, redduntur quaſi vitæ indigentes. Qua autem re indigemus, eam vehementer cupimus. Vid. FELDEN. l. c. p. 334.

In univerſum ad hoc Caput moneo, magnam priſcis temporibus, imprimis apud Lacedæmonios & Romanos, fuiſſe erga ſenes reverentiam, quod pluribus docent PLUTARCHUS in *inſtitutis Laconicis* T. I. Oper. p. 65. in tractatu: *Num ſeni ſit gerenda reſpubl.* Ibid. p. 184. CICERO L. I. Offic. & in *Catone Majore.* GELLIUS *L. II. Cap. XV. Noct. attic.* ex quo ſequentia adſcribere libet: *Apud antiquiſſimos Romanorum neque generi neque pecunia præſtantior honos tribui, quam ætati ſolitus: majoresque natu a minoribus colebantur, ad Deum prope & parentum vicem. Atque in omni loco inque omni ſpecie honoris, priores potioresque habiti. A convivio quoque ſeniores a minoribus domum deducebantur: eumque morem accepiſſe Romanos a Lacedæmoniis traditum eſt, apud quos Lycurgi legibus, major rerum omnium honos majori ætati habebatur. Sed poſtquam ſoboles civitati neceſſaria viſa eſt, & ad prolem populi frequentandam proemiis atque invitamentis uſus fuit, tum antelati quibusdam in rebus, qui uxorem quique liberos haberent, ſenioribus neque liberos neque uxores habentibus.*

(*c*) *Mores virilis ætatis.*) Hos iterum egregie explicat, dictaque ARISTOTELIS confirmat JOH. a FELDE l. c. p. 536. 537. & SCHRADERUS *in Comment. ad Rhet. Ariſtot.* p. 356. *ſq.* WEDELIUS in *phyſiologia medica* Sect. 2. c. 13. p. 89. ſtatuit duos virilis ætatis gradus, alterum ab anno 35. ad 40. alterum ad annum 50. Temperamentum in his aliquamdiu permanere. Calidum & ſiccum eſſe, ſenſim vero calorem imminui & ſerum aliquo modo vap peſcere, ſeu de blanda ſua natura remittere, & ad acorem nitroſumque ſalinum ſtatum devergere. Conf. BARCLAJI *Iconem animorum* Cap. I. p. 10.

Digitized by Google

*innato* (*a*) loquor; de humore enim adventitio & excrementitio ſecus eſt dicendum, ſiquidem humida hac ratione plurimum eſt ſenectus. Cum ergo virilis ætas ſiccior ſit juventute, corpus etiam ſiccius erit; unde tonum ac tenſionem diutius retinebit; proinde viri conſtantiores erunt in periculis, quam juvenes, juvenes autem contra impetuoſiores. *Fortiores* (*b*) itaque vere erunt viri juvenibus, ut etiam tenorem infractiorem animi ſervant. Unde virtus a viro appellata eſt, ex Cicerone. *L. 2. Tuſc.* Virtus etiam pro fortitudine ſumebatur; ſicuti etiam Græce fortitudo ἀνδρεία ἀπὸ τοῦ ἀνδρός, dicitur, ſcilicet a viro.

§. III.

*Annotatio & ſubjectio horum, quæ Horatius dicit.*

At vero hæc, quæ de ætatibus diximus, eodem modo quo cætera de ſitu ſolo climatibusque intelligenda ſunt, ſcilicet per ſe & ſeorſum. Nempe virilis ætas, qua talis, eos mores, quos diximus inducit. Verum ſi temperamentum peculiare perſonæ, ſi diſciplinam, ſi reliquas etiam cauſas morum conjungamus, vel omnes, vel aliquas, maxima tum differentia naſcetur. Reperiemus enim & viros & juvenes timidos & fugaciſſimos, contra ſenes fortes. Qualis legitur fuiſſe in extrema ætate Beliſarius, qui tum etiam & conſilio & virtute militari ſummovit ab obſidione Conſtantinopolis hoſtes. Poſſunt etiam eſſe homines tam fervidi temperamenti, ut non niſi in ætate ſenili nimius calor ad mediocritatem contrahatur, atque ita ex temerariis ipſi fortes evadant; naturali inquam & imperfecta fortitudine. Contra juvenes interdum ignavia laborare, exempla multa teſtantur, & illud præterea Poëtæ:

*Vos etenim juvenes animum geritis muliebrem.*

Subjiciamus, quæ Horatius dixit:

*Converſis ſtudiis ætas animusque virilis*
*Quærit opes & amicitias; inſervit honori:*
*Commiſiſſe cavet, quod mox mutare laboret.*

A caliditate autem habet, ut *honori ſerviat*; (*c*) a moderatione caloris, ut conſiderando ac prævidendo futura, quærat opes & amicitias. Quæ rurſus omnia ſunt de naturali propenſione accipienda.

§. IV.

*Omnes cauſas naturales dictas ad temperamentum demum conformationemve partium reduci.*

At cauſæ memoratæ naturales externæ ad internas, temperamentum ſcilicet & conformationem partium, reducuntur. Partim autem ad temperamentum ſolidarum partium corporis; partim ad temperamentum humorum, ut aquæ, cibi; partim ad temperamentum ſpirituum, ut vapores & exhalationes; licet etiam *cibi ad ſpirituum* (*d*) generationem pertineant. Ejusmodi ergo cauſis utemur ad temperamentorum gradus eliciendos. Unde omnes ad momentum morum idem, quod temperamenti, ſcilicet ad ſenſorii diſpoſitionem, quod momentum idem eſt atque naturalis propenſio, reducentur infra in expoſitione methodi librandi contraria momenta morum. Ætates tamen ad adventitias etiam cauſas pertinent; ut uſum experientiamque rerum important; veluti ſenectus ætasque virilis.

# LIBER TERTIUS

## De cauſis adventitiis morum.

## CAPUT PRIMUM.

### *De Nobilitate.*

§. I.

*Proponuntur, quæ tractanda.*

Cauſis morum naturalibus explicatis, adventitias aggrediamur. Sunt hæ tum ex conditionibus fortunæ, nobilitate, divitiis, potentia, bona fortuna, & contrariis: tum ex inſtituto ac ſtudio vitæ, quam quisque elegit; ſcilicet eſſe militem, eſſe philoſophum, eſſe jurisperitum. Quæ fortunæ ſunt proſequutus eſt Ariſtoteles, quæ ſtudiorum nequaquam: at ad noſtrum inſtitutum pertinet, etiam ſtudia conſiderare. Primo autem loco cum Ariſtotele a nobilitate exordiamur; & præ cæteris quid ipſa ſit, declaremus fuſius: de illa poſtea in parvis Moralibus diſputaturi.

§. II.

*Vocis ſignificationes.*

Nobilitatis nomen, ut hinc exordiamur, non unum & idem ſignificat. Uno enim modo late ſumptum, idem quod perfectio ac præſtantia importat; dum quærimus, utrum ſol cæteris ſtellis

(*a*) *De humore innato.*) De hoc vide WEDELIUM in *phyſiologia medica* Sect. 2. c. 5. ubi & ex profeſſo de calido innato agitur.

(*b*) *Fortiores.*) Veram fortitudinem habent caſtigato impetu, neque exſtincto, quo ad iram vindictamque adoleſcentia fervebat.

(*c*) *Honori ſerviat.*) Vide BARCLAJUM l. c. p. 10.

(*d*) *Cibi ad ſpirituum.*) Sic cibi calidi, aromatici, vinum, ſpiritus vini, calorem & ſiccitatem; frigidi, frigidius & humidius temperamentum reddunt. Vide WEDELIUM *l. c. ſect.* 2. *cap.* 10. *p.* 76. GUNDLINGIUM *in Otiis P.* I. *cap.* I. §. 8. qui vegetabilia inter cibos hominum ſanitati maxime convenientes refert, quod Patriarchæ longa ſua vita comprobaverint.



Digitized by Google

ſtellis ſit nobilior; utrum ſcientia de anima reliquis ſcientiis nobilitate præſtet. Intelligimus enim, num perfectior & præſtantior ſit cæteris. At ad humanam contracta nobilitatem duas adhuc ſignificationes obtinet, aliam genericam, aliam ſpecialem. Ut latina vox ſit multiplex. Græci vero duabus vocibus utuntur ad eas duas ac diverſas ſignificationes. Nobilem enim in communi ſignificatu vocant γνώριμον, cui in ordine civili opponitur multitudo græce πλῆθος. Ita Ariſtoteles 4. *Polit. cap.* 3. & 4. nobilium ita late acceptorum plures facit differentias. Quatuor autem meminit expreſſe, ſcilicet divitias, claros natales, virtutem, diſciplinam. Græce dicuntur πλοῦτος, εὐγένεια, ἀρετὴ, παιδεία. Reliquas differentias indicat ea communi dicendi formula: *& his ſimilia*: quæ dicuntur ſecundum eandem differentiam. Eſt itaque hæc prima vocis *Nobilitatis* ad humanam reſtrictæ ſignificatio. Alia ſpecialisque eſt pro claris natalibus, Græce εὐγένεια, ſcilicet ad verbum *bona nativitas*. Nos etiam italice nobiles, *ben nati*, dicimus; & nobilitatem, *buona naſcità;* quique nobiles ſunt, cum a nobilitate ſua aliquid ſibi oneris imponi ſignificare volunt, æque dicunt id ipſum *ricer car la ſua naſcità.* Cum vero hæc duo vox *Nobilitatis* ſignificata obtineat, cum ſimpliciter profertur pro εὐγενείᾳ ſeu claris natalibus accipitur. Unde vulgari noſtro idiomate, *nobil' huomo* niſi aliud exprimatur, & *gentil-huomo* idem ſignificant. Sed *gentile*, e *gentilezza*, ſignificant nobilem, & nobilitatem. Dantes ita uſus eſt voce.

*Tale imperò, che gentilezza volſe,*
*Che foſſe antica poſſeſſion d' hauere.*

Et Bocaccius; *Che gentilezza non toglie pouertà*, id eſt, *ab inopia non auferri nobilitatem.*

Hæc de ſignificationibus vocis nobilitatis. *Etymologia* (*a*) vero vocis in primo ſignificatu accepta eſt ex cognitione; quod dignus ſit qui cognoſcatur, ſuapteque natura ſui cognitionem effundat: juxta illud Rodomontis penes Areoſtum:

- - *Ubicunque reſidam,*
*Lux mea me prodit.*

Lucem vero faciunt omnia bona, quæ conſpicuitatem obtinent. Ut alere equos & canes, hoſpitio illuſtres homines excipere, ſplendidis uti veſtibus ornatoque famulitio, lucem ac celebritatem afferunt. Nobilitatis vero pro eugenia nominalis definitio ex modo dictis aperta eſt, ſcilicet claritas quædam majorum, quam adhibuit & ſuppoſuit Ariſtoteles 2. *Rhet. cap.* 15.

## §. III.

*A ſcriptoribus in diſputatione de Nobilitate ſæpe varias Nobilitatis ſignificationes confundi.*

In inveſtiganda Nobilitate ex vocis ambiguitate ſæpe multa perturbatio orta eſt in ſcriptoribus. Videas enim, qui nobilitatis utramque ſignificationem paſſim confuderint. Unde multi dubitarunt; utrum *virtus ſola ſit* (*b*) nobilitas. Etenim ſi latior ſignificatio ejus attendatur, certe nobilis, ut græce γνώριμος dicitur, cum pluribus abundet bonis claritatem facientibus, a virtute præ cæteris veram ac ſolidam claritatem ſuſcipit; ut honor virtutis præmium dictus fuerit & ita ex nonnullorum opinione definitus. Dum pro præſtantia rei, adeoque latiſſime ſumitur nobilitas, certum eſt, tum quoque hominem nobilem eſſe ex perfectione ac præſtantia humana. At perficitur homo ex virtutibus corporis & animi, ex hisque potiſſimum. Ut jure in hoc ſignificatu Socrates, referente Stobæo, definierit Nobilitatem, *eſſe animi & corporis bonam temperiem;* & Euripides dixerit; *virum bonum eſſe nobilem: qui vero malus eſt, licet a parente meliore, quam Jupiter procedat, ignobilem eſſe.* Qui definiverunt Nobilitatem, eſſe perfectionem formæ, & nobilitatem humanam eſſe perfectionem formæ ac animæ rationalis, illi hoc latiſſimo modo nobilitatem tum accepere; licet clam poſtea in alias deflexerunt ſignificationes, & potiſſimum in eugeniæ ſeu clarorum natalium. Nos ergo ad hanc in præſentia ſermonem reſtringimus.

## §. IV.

*An ſit nobilitas.*

Sunt, qui juxta logicum quæſtionum ordinem, quærant primo loco de Nobilitate, an ſit. Piccolomineus *Grad. mor.* 8. *c.* 14. adducit Stoicos denegantes, & Socratem & Euripidem &c. Sed vere de Nobilitate, (ut nos modo ſumimus, & communiter ac ſimpliciter ſumitur, cum ad hominem refertur) diſputari nequit, an ſit. Quis enim non videt alios homines ex majoribus claris ortos, alios ex obſcuris. Ut differentia ignobilitatis & nobilitatis nullo modo latere queat. Verum id diſputatum videmus, utrum Nobilitas, hæc ſcilicet majorum claritas, ſit bonum ſolidum, an futile. Boëtius futile bonum contendit: Et ſi vera fateri velimus, dum ſecundum naturam rem conſideramus; claritas ipſa per ſe majorum nihil in a ſe deſcendentes phyſice, ut ita dicam, imprimit: at ſecundum opinionem, adeoque in vita civili, quæ opinione non minimum nititur, multum ad poſteros pertinet, eosque ornat præcedentium majorumque claritudo. Unde præclare Cicero;

*Optima,*

(*a*) *Etymologia.*) De etymologia hujus vocis peculiari Capite egit OLIZAROVIUS L. 2. c. 2. §. 4. ſect. 1. p. 201. *de politica hominum ſocietate.* Et de ejus homonymia egi paucis in Diſſert. mea *de ſtatu nobilitatis German.* §. 1

(*b*) *Virtus ſola.*) Hæc egregie illuſtrat OLIZAROVIUS *l. c. ſect.* 2. *de nobilitate philoſophica.* Antigonus ad adoleſcentem quempiam, qui prognatus quidem ex elegante viro belli duce, ſed ipſe ignavus ac mollis, poſtulabat tamen ob id ceteris anteferri: Apud me, inquit, o adoleſcens, virorum, non parentum virtutibus prœmia ſunt; referente id PLUTARCHO *lib. de vitioſa verecundia Oper. T.* 1. *p.* 136. *n. d.* Et in *comparatione Lyſandri Syllaque T. II. Oper. p.* 176. *n. d. Neque virtus*, inquit, *a nobilitate, ſed ex ſe honorem vendicat.* Cui conf. *le parfait Ambaſſadeur* par ANTONIO de VERA Tom. 2. n. 99. p. 290. a Leide 1709.

Digitized by Google

*Optima*, inquit, *hereditas a patribus traditur liberis; omni patrimonio præſtat ſcilicet gloria virtutum & decor rerum geſtarum.* Quod ſi rem ex natura ipſa æſtimemus, contra rectiſſime Boëtius:

*Quid genus & proavos ſtrepitis?*
*Si primordia veſtra,*
*Auctoremque Deum ſpectes,*
*Nullus degener extat,*
*Ni vitiis pejora fovens*
*Proprium deſerat ortum.*

Dixi autem claritatem majorum, *ipſam per ſe nihil in deſcendentes phyſice imprimere:* ut ſejungerem claritatem a fundamento, quod interim eſt naturale, eſtque virtus naturalis, propenſio ſcilicet & aptitudo ad pulchra & honeſta; quæ ſæpe per traducem in genitos ex genitoribus tranſit, juxta illud Horatii:

— — *fortes creantur fortibus.*

De qua virtute, quæ ob id *generis virtus* dicitur, mox diſſeremus. Interim ergo dari nobilitatem, eſſeque bonum ſecundum civilem æſtimationem nullo modo ſpernendum, accipiamus. Ne tamen tumeant adeo nobiles, ut credant nobilitatis bonum eſſe cæteris omnibus præferendum; nam & virtus & gloria honorque ſuus, præſtant claritudini, quam quis ex aliena avorum claritate adeptus eſt. Secundum quam comparationem veriſſimum illud Boëtii: *Quare ſplendidum te, ſi tuam non habes, aliena claritudo non efficit.*

## §. V.

### *Quid ſit Nobilitas. Definitio eſſentialis.*

Jam *quid Nobilitas hæc ſit*, (*a*) de qua nunc loquimur, exponamus. *Primo* autem definitionem eſſentialem quæramus; *poſtea* cauſalem inveſtigabimus. Sunt ex Logicis, qui credunt definitionem accidentis eſſentialem eandem eſſe cum definitione ejuſdem nominali; quod tamen non eſſe perpetuum alibi monſtravi: interdum tamen id accidit, & frequenter propinquæ ſunt. Quod in præſentia evenit: nam nobilitas hæc eugeniæ, quæ *Nobiles homines*, & italice, *Gentil'huomini* dicuntur, eſt claritas majorum ſecundum definitionem nominalem: at ſecundum eſſentialem non multum ab ea recedit; & ſi ea nominalis diſtinguatur ac elaboretur amplius, ad eſſentialem traducitur. Ariſtoteles itaque in *primo Rhetoricorum* hanc ipſam definitionem locupletiorem & explanatiorem reddidit, exigendo legitimam originem ex viris ac mulieribus. Claritatem autem majorum explanavit, ſi primi clari fuerint, aut virtute, aut divitiis, aut alia rerum earum, quæ in honore ſunt; ſi multi ex gente illuſtres fuerint, tum viri, tum mulieres, tum adoleſcentes, tum ſenes. Quoniam tamen popularius hæc definitio tradita eſt, ut libris rhetoricis congruebat, quam methodo definitivæ etiam in Moralibus accommodetur, ideo eam hunc in modum contrahamus. *Nobilitas eſt origo legitima ex viris ac mulieribus, quorum primi & multi clari fuerint, aliqua earum rerum; quæ in honore ſunt.* Hæc definitio exactiore methodo ita procedit abſtrahendo a ſpecie omni bonorum, ex quibus homines clareſcunt. At ſi rigorem infringere ad majorem & planiorem definitionis intelligentiam libeat, non erit inutile primam bonorum ſpeciem particulatim meminiſſe: ut etiam facit Ariſtoteles, dicendo; *Nobilitatem eſſe legitimam originem ex viris & mulieribus, quorum primi & multi clari fuerint virtute, aut alia earum rerum, quæ in honore ſunt.* In quinto Polit. cap. primo conjunxit, dicendo; *Nobiles eſſe, quorum majores virtute & divitiis præditi ſunt.* Dum enim *virtutis* meminimus, earum etiam rerum aliarum, quæ in honore ſunt, neſcio quam explicationem afferimus tacitam, quæ ſcilicet res & quæ bona illa ſint.

## §. VI.

### *Declarationem definitionis aggreditur.*

Immoremur aliquantiſper in definitione adducta declaranda. Animadvertendum autem, dum definitur aliqua earum rerum, quæ intenſionem & remiſſionem ſuſcipiunt, in gradu eo ſumendam eſſe, in quo abſolutam denominationem & ſimpliciter ſuſcipit, non ſecundum quid. Nempe albedo vel pura definitur, vel non niſi denominationem ſuſcipiens ex prædominio: qualem & quotum gradum determinavit Ariſtoteles 6. Phyſ. tex. 83. Secundo loco id conſiderandum eſt, nobilitatem hanc eugeniæ ac bonæ nativitatis a nobilitate humana generali pendere, ſecundum quam nobiles *γνωρίμους* græce appellari diximus; nam autor nobilitatis non poteſt habere claros natales, at clarus eſſe debet virtute, aut alio eorum bonorum, quæ in honore ſunt. Adeo ut cum in definitione diximus *primos & multos generis claros*, eos *γνωρίμους* & nobiles generali humana nobilitate ſignificaverimus.

His jactis fundamentis, quærendum primo loco: utrum ſatis ſit ad nobilitatem eugeniæ, ſi pater

(*a*) *Quid nobilitas ſit.*) OLIZAROVIUS l. c. ſect. 2. ita definit: *Nobilitas philoſophica nihil aliud eſt, quam excellentia & claritas ſola virtute quaſita.* Qui & ſect. IV. p. 209. de nobilitate politica agit. FELDENUS loco ſæpe citato *Artic. I. p.* 541. dicit: *Nobilitas dignitas quadam eſt, quam majorum virtus tribuit, & per conſequens bonum tale, quod ſemel fortuna negatum non datur, niſi ex fictione ejus, penes quem jura majeſtatis ſunt.*



Digitized by Google

ſi pater clarus fuerit: *an avus* (*a*) etiam requiratur: an neque hi duo ſufficiant, ſed requiratur præterea proavus clarus & gnorimus, liceat græca voce uti. Illa etiam emergit dubitatio: an virorum ſolum claritas attendatur, an etiam mulierum.

Quoad primum, ſi rigorem verborum Ariſtotelis attendamus, certe tres ad minimum prædeceſſores claros eſſe oportet, patrem, avum & proavum; cum enim multos Ariſtoteles claros requirat, græce numerus multitudinis tres ſaltem expoſcit: duo enim non numerum pluralem apud Græcos, ſed dualem ſubeunt. Aliqui rationem addunt; debet enim nobilitas habere principium, medium & finem: at principium, medium & finis non niſi in tribus conſiſtunt. At militiæ nunc D. Stephani, D. Mauritii ac Lazari, D. Joannis Hieroſolymitani, ſatis habent ad nobilitatem aſſerendam, ſi patris & avi civilem claritudinem quis oſtendat.

Dicendum itaque, primum nobilitatis autorem, adeoque novum hominem, nullam penitus natalium claritatem habere; filium autem ejus jam aliquid natalitiæ claritudinis obtinere, ex patre enim claro naſcitur: at nepos magis adhuc claritate eadem potitur, abnepos adhuc magis. Certum ergo eſt, ſtatim poſt *novum hominem* (*b*) ſed clarum deſcendentes aliquem bonæ nativitatis gradum nanciſci. At ut tot participent gradus, quot ad nobilitatis abſolutam denominationem exiguntur, placet mihi ternarius numerus in univerſum loquendo. Pro uſu tamen & loco binarius quoque ſatis eſt, ut exemplo recenſitarum militiarum patet. At pro tertio gradu præter adducta argumenta facit hæc alia ratio: 1. neceſſarium videtur, ut ex hominum oculis receſſerint ad nobilitatem aſſerendam primi generis ſordes: at quoniam aliqui quartam usque vident generationem, fieri poteſt, ut ad ejus ætatem, qui avum clarum habuit, ſed ex obſcuro patre natum, perveniat idem ille obſcurus avi pater, quo tamen vivente primæ ſordes generis in hominum oculis ſunt ac perſeverant. Quod ſi proavum usque clarum exigamus, ceſſat ejusmodi periculum, & nihil non clarum ejus generis poſſunt vel longævi ſenes vidiſſe. Herodianus cum nobilitatem Commodi effert, ea præſertim ratione illum commendat, quod tertio jam gradu imperium nobilitatemque romanam complecteretur.

## §. VII.

*Eandem definitionis declarationem proſequitur, utrum etiam claritas mulierum exigatur.*

Sed utrum etiam mulierum claritas exigatur, an ſufficiat claritudo virorum? Jus Civile ſola virili claritate contentum eſt, cum omnem mulierum claritatem obſcuritatemve ex maritorum conditione pendere velit. *Lib. 12. C. de dignit. l. mulieres.* Et ratio etiam naturalis ſuffragari videtur, ſi ad generationem ſolum patrem active concurrere, non etiam matrem (quæ eſt Ariſtotelis doctrina) ſuſcipiamus. At Ariſtotelis adducta in Rhetoricis auctoritas contrarium vult: *Lib. 1. de gener. animal.* & uſus Militiarum dictarum Hieroſolymitanæ, D. Stephani, quæ exigunt, ut claritas, nedum paterni, ſed etiam materni ſtemmatis, & utriusque aviæ, paternæ ac maternæ, demonſtrentur ad oſtenſionem nobilitatis. Reſpondeo itaque. Ad integram nobilitatem & virorum & mulierum claritatem exigi. Cum enim bonum nobilitatis in opinione conſiſtat, ut antea diximus, ipſæ quoque *materna ſordes* (*c*) ſecundum exiſtimationem contractu ſuo adjungunt dedecoris nonnihil perſonæ & generi. Unde Cicero objecit Piſoni nobiliſſimo homini obſcuritatem materni generis. Verumtamen cum nobilitas, nedum integra, ſed etiam ex prædominio, abſolutam denominationem obtineat (ut proxime diximus) præſtet vero claritas virilis longe muliebri claritati & obſcuritati; ideo, me judice, claritas virilis ſatis eſt ad abſolutam denominationem nobilitatis; at *non ad integram* (*d*) nobilitatem. Cui concluſioni uſus atteſtatur. Nam ſi quis ex nobili familia ignobilem fœminam, aut dotis, aut rei alterius gratia ducat in uxorem, ex eaque filios ſuſcipiat, nobiles illi tamen dicentur, etiamſi ignobilitas matris imputetur.

## §. VIII.

*Utrum exigantur legitimi natales.*

Quod de muliebri claritate dicimus, de legitimis pariter ac naturalibus dicendum, aliqua tamen cum moderatione. Sine itaque legitimis natalibus non eſt integra nobilitas; nam *matris turpitudo* (*e*) ac impudicitia, ſordes quædam eſt, ejus qui naſcitur. Neque enim ſine rubore ita nato objicitur genitorum intemperantia, ut dicit Plutarchus: claritas vero majorum poteſt tum exce-

(*a*) *An avus.*) Uſus hujus requiſiti conſpicitur in collegiis capitularium canonicorum eccleſiaſticis ſuperioribus, quorum præſul vel Epiſcopus inter Status Imperii referendus. Vid. NOLDEN *de ſtatu nobilitatis* Cap. II. n 28. Ita in primatu argentinenſi in Canonicorum numerum non cooptatur, niſi qui 32. majores proſapiæ illuſtris docere poſſit. BEYERI *Specim. Jur. Germ. Lib. I. c.* 9. De voce *Ahn* conf. SCHOTTEL. *von der Teutſchen Haupt-Sprache L.* 5. *tr.* 6. *in lexico etymolog. primitiv.*

(*b*) *Novum hominem.*) Ita ſe vocat MARIUS apud *Salluſtium,* quod virtute propria demum nobilitatem acquiſiverat; cui opponit homines veteris proſapiæ & multarum imaginum.

(*c*) *Materna ſordes.*) Hanc ob cauſſam PLUTARCHUS in *Demoſthene* T. II. p. 315. hunc Rhetorem a barbara matre vindicare conatur: *Demoſthenis pater,* inquit, *Demoſthenes inprimis honeſtus ac probus vir fuit, cognominatus autem eſt Macharopoeus, ab officina gladiatorum, quam Athenis egregiam multisque artificibus ſervis inſtructam habebat. Quæ vero de matre ejus dixit. Aeſchines, ex Gylone quodam ob proditionem ex Athenis pulſo, & barbara muliere natam fuiſſe, ea neſcimus utrum ad veritatem vel ad falſam calumniam orator objecerit.* Interim ex jure romano conſtat, uxorem radiis mariti coruſcare, neque ipſius originem dignitati prolis, quoad jura, addere quicquam vel detrahere. *L.* 8. & 12. *ff. de Senator.*

(*d*) *Non ad integram.*) Ut quis apud Germanos pro nobili genuino habeatur, & antiquæ nobilitatis privilegiis fruatur, certum majorum numerum ex utroque latere per continuas generationes requirunt. Qui majorum numerus alibi ad quatuor, alibi ad octo, aliquando ad ſedecim perſonas adſtringitur, de quarum computatione vide BEYERUM in *Delineat. Juris German. L. I. cap. IX. De jure natalium ingenuorum, vulgo von den Ahnen.*

(*e*) *Matris turpitudo.*) Contra illud vulgare brocardicum: *Calamitas matris non debet nocere partui.*

Digitized by Google

excedere eam generationis turpitudinem; tum excedi ab ea. In genere modicæ claritudinis vincit deformitas, adeo ut qui naſcitur, pro ignobili habeatur. Cum contra multa erit generis claritudo, a ſplendore majorum fœda nativitas occulitur vel offuſcatur. Eſtenſi familiæ non imputantur Borſi ac Leonelli natales illegitimi. Venetiis contra *illegitimi* (a) familiarum nobilium non admittuntur ad publicos nobilium honores: penes nos in plebeium ordinem potius recidunt. Hæc de eſſentiali definitione. Ad cauſalem tranſeamus.

## §. IX.

*De cauſali definitione; cujus fundamenta præmittuntur.*

Cauſalis definitio non tanta acrivia hic ſumitur, quanta in Logicis declaratur; ſed laxius aliquanto. Neque enim cauſa illuc pertinet, cur & qua de cauſa origo ſit ex perſonis claris; ſed cur origo ejuſmodi pro bono imputetur, cur nempe alienæ majorum laudes noſtræ fiant, cum tamen, ut argumentatur Boëtius, non videatur id accidere debere. Eſt autem ejus argumentum. Si claritudinem prædicatio facit, illi ſint clari neceſſe eſt, qui prædicantur; quare ſplendidum te, *ſi tuam non habes*, (b) aliena claritudo non efficit. Quæramus ergo, unde ſplendor nobis ex majorum noſtrorum claritate naſcatur.

Repetendum eſt, nedum ex inſidentibus inhærentibusq; ſed etiam attingentibus ac propinquis malis, ſecundum exiſtimationẽ alicui neſcio quid mali, perſonæ & rei. Id proxime diximus, at nunc etiam confirmemus hoc unico exemplo. Si vas vel aureum ad purgamenta corporis ſuſcipienda factum eſſet, turpique ejuſmodi miniſterio jam deſerviſſet, etiam ſi exactiſſima cura ablutum & abſterſum eſſet, non tamen ex eo potare, vel comedere ſuſtineremus: tantum ſola antecedentium ſordium excogitatio nos promoveret. Bonorum attingentium & propinquorum ratio etiam comovet; non adeo tamen præſenti & acri ſenſu, atque malorum. Vaſe quidem puriſſimo, & ad pura miniſteria deſerviente libenter uteremur; at non tantum inde ſuavitatis acciperet potio, quantum inſuavitatis, ſi ex vaſe purgamentis deſtinato etiam ſi abluto potaremus. In rebus etiam naturalibus multi morbi contagio inficiunt, at nunquam ulla ſanitas contagio juvat: quod Ariſtoteles habet, cauſamque tradit *probl. primo ſect.* 7. Hinc fit, ut cauſa, quamobrem majorum ſordes efficiant ignobiles poſteros, evidentior ſit, quam cur claritas eorundem exornet poſteros nobiles. Unde non ſolum honorum propinquitas hic pro cauſa adducitur, ut illic ſordes ipſæmet finitimæ afferuntur, ſed aliam præterea cauſam afferre opus eſt; quam nunc inveſtigemus.

## §. X.

*Duo afferuntur dicendi modi, alter Ariſtotelis, alter Adouardi Gualandi, tertius præterea ex Boëtio adjicitur.*

Duo modi dicendi offeruntur, quamobrem claritas majorum in bonum cedat poſteriorum. Alter eſt Ariſtot. *Lib* 3. *Pol. c.* 8. quem etiam tetigit Horatius; nempe conſentaneum eſſe ex melioribus ortos eſſe meliores, eo quod nobilitas eſt virtus generis, de qua virtute mox dicemus. Adouardus vero Gualandus cauſam in eo reponere videtur, quod ſit nobilitas parentum, majorque in rempublicam meritorum hereditas: *ſicut enim*, inquit, *aliorum bonorum, quæ ad majores noſtros cum viverent pertinebant, ita etiam meritorum in rempublicam hæredes ſumus.* Sed quid, ſi tertium modum dicendi ex Boëtio ſubjiciamus? Neceſſitatem ſcilicet non recedendi a majorum veſtigiis, quam imponit nobilitas, cauſſam eſſe, cur majorum claritas vere in bonum poſterorum cedat. Verba viri ſunt. *Quod, ſi quid eſt in nobilitate bonum, id eſſe arbitror ſolum, ut impoſita nobilibus neceſſitudo videatur, ne a majorum virtute degenerent.*

Examinemus nunc dicta. Virtutem autem primo generis declaremus. Eſt ſane ejuſmodi virtus non more acquiſita, ſed inſita ex temperamento propenſio in mores & affectus laudabiles, de qua jam non ſemel diximus: & quoniam temperamenta plerumque *per traducem* (c) ex parentibus in filios propagantur, ideo plerunque etiam virtutes naturales pariter in genera ac familias diffunduntur. Ariſtoteles rem totam ſimilitudine agrorum hunc in modum declaravit: 2 *Rhet. c.* 18 *Eſt enim*, inquit, *in familiis proventus virorum quidam, perinde ac in iis, quæ naſcuntur in agris; & nonnunquam ſi genus bonum ſit, viri præſtantes exoriuntur, deinde rurſus retrofertur. Familiæ vero, quæ ſubtili ingenio præditæ ſunt, ad mores inſaniores deficiunt, ut qui ab Alcibiade & Dionyſio ſuperiore profecti ſunt: quæ vero ſtabili, ad ſtoliditatem, ut qui a Cimone Pericle & Socrate.* Hæc ille. Cæterum

(a) *Illegitimi.*) Sic illegitimi ab Aſſeſſoratu Cameræ imperialis excluduntur. Ex jure provinciali intuitu feudorum ſingulare eſt, quod in Marchia, Electoratu Hannoverano, & Ducatu Magdeburgico, ne quidem per ſubſequens matrimonium legitimati, ad ſucceſſionem admittantur. Ubi tamen ſermo eſt de feudis avitis, & nati ex duobus deſponſatis etiam excipiuntur. Vid. ENGELBRECHT *ad Pandect. Diſp.* I. §. 26.

(b) *Si tuam non habes.*) Hoc inprimis urget fortiſſimus ille Romanorum imperator contra Iugurtham Marius, in invectiva ſua contra nobilitatem oratione apud *Salluſtium in Bello Iugurth. Majores*, inquiens, *eorum omnia, quæ licebat, illis reliquere; divitias, imagines, memoriam ſui præclaram, virtutem, non reliquere; neque poterant. Ea ſola neque datur dono, neque accipitur.* Hancque rem egregio ſimili illuſtrat PLUTARCHUS in *comparatione Lyſandri Syllaque* T. 2. Oper. p. m. 174. dicens: *Quemadmodum venator non canis prolem, ſed canem, & equitandi ſtudioſus non equi foetum, ſed equum queritat (nam ex equo mulum procreari contingit) ita & adminiſtrandæ civitatis curioſus errabit omnino, ſi civitatis, principem non quis, ſed a quo ſit, inveſtigaverit. Nam flagitia cum ipſa etiam generis nobilitate, ignobilia & honoris expertia ſunt.*

(c) *Per traducem.*) Huc collimant verba Horatii:

*Fortes creantur fortibus & bonis,*
*Eſt in juvencis, eſt in equis patrum*
*Virtus; nec imbellem feroces*
*Progenerant aquilæ columbam.*

De anima per traducem vide MARTINI SCHOCKII tractatum *de anima belluarum.* Propagationem autem per traducem defendere, difficultate non carere, oſtendit MORHOF. *Polyhiſt. T. II. L.* 2. *cap.* 47. §. 6.



Digitized by Google

rum autem in virtute generis repoſitam eſſe nobilitatem, tum hoc loco 2. *Rhet*, tum proximo indicato 3. *Polit. cap.* 8. tum aliis præterea loc. doc. *Primo de Hiſt. animal.* pariter nobile definit, *quod eſt ex bono genere.* Non reſpicit autem in ſingulis virtus generis totam virtutem, ſed in his fortitudinem militarem, ut in familia Gonzagha: in illis prudentiam politicam ſolidam & præſtantem, ut in familia Medicea: in aliis paternam erga ſubjectos regiamque caritatem, ut in familia Eſtenſi.

## §. XI.

*Conferuntur modi dicendi.*

Reſtat nunc, ut quam ex his veram ſententiam arbitrer, exponam. Sentio itaque, ab Ariſtotele cauſam non communione univoca, ſed ex attributione communionem allatam eſſe, ut in definiendo ejus ferme mos eſt. Nempe *nobilitas eſt claritas majorum*; ſive origo ex majoribus claris. Claritas autem eorum eſt vel ex virtute, vel ex divitiis, vel ex alia aliqua re earum, quæ in honore habentur. Cum ergo claritas ex virtute eſt, virtute generis nititur nobilitas: at cum ex divitiis, vel ex alio ejusmodi ſplendore fortunæ, virtus generis non habet ibi locum, neque vera neque præſumpta, niſi ſi forte adeo tenuiter, ut nullius vix momenti exiſtimari debeat. Ariſtoteles ergo reſpexit nobilitatem, quæ ſecundum eſſentiam eſt *claritas majorum* (*a*) ex virtute, ejusque cauſam attulit virtutem generis. Nempe ex ejusmodi virtute generis fit, ut virtutem majorum appræſentent poſteri ut plurimum; utque in opinione exiſtimationeque hominum claritas illorum his tribuatur, quatenus præſumitur vulgo perpetuo virtutem eandem generis in genere ipſo propagari, licet vere non propagetur, ut ſapientes agnoſcunt. Poſſumus hinc diſtinguere; utrum virtus generis vera an præſumpta ſit in definitione cauſali intelligenda. Etenim, dum veram eam continuationem claritatis ex virtute ſibi ſuccedentium hominum in eadem familia conſideramus, ex qua fit nobilitas, virtus naturalis pro cauſa exigitur: ut ſcilicet virtus naturalis cauſa ſit virtutis moralis perfectæ aut imperfectæ. Ut vero integram nobilitatis durationem animo complectamur, tum præſumptam non veram virtutem generis accipere oportet; durat enim nobilitas, poſtquam etiam obſolevit virtus generis, ut fatetur Ariſtoteles, & res ipſa docet. Nam florente romano imperio, *familia Cornelia* (*b*) nullum edebat virtutis ſpecimen, ſed cum aliis antiquis Romanorum familiis alto luxu demerſa ſtertebat: attamen, quis negaret, eam in tanta antiquitate & claritate divitiarum & loci non fuiſſe adhuc nobilem? Ammianus Marcellinus, ſuo tempore nobilitatem romanam etiam agnovit & admiratus eſt, qui ſcripſit ad usque Valentis exitum: & *Chilpericus* (*c*) poſtremus regum Galliæ ex primo ſtemmate nobilis ab omnibus aſſeritur, etiam ſi omni generis virtute exutus. Tum ergo, cum obſolevit jam virtus generis, non vera ſed præſumpta nobilitatem efficit. Hæc itaque de Ariſtotelis dogmate hac in re; quod & Peripatetici ſunt ſequuti & ex recentioribus Poſſevinus, Taſſius, alii.

Adouardi Gualandi dictum, communionem univocam reſpicit. Nam id vere animis noſtris opinionique inſidet, ut cæterorum bonorum ac jurium, quæ majores noſtri obtinuere, *hæredes ſumus*, (*d*) ita etiam ſplendoris obſcuritatisque hæredes eſſe. Verum non eſt, cur id ad merita in rempublicam reſtringamus. Quicunque enim fuerit ſplendor, hæredes ex opinione eadem ſumus; & quæcunque fuerit ignominia. Quod vero dicit Boëtius, non pertinet ad cauſam nobilitatis, ſed potius ad effectum, conſequentemque utilitatem; quam agnoſcentes multi principes libentius credunt munitorum locorum cuſtodias viris nobilibus, quam ignobilibus, quod credant pro illorum fide nobilitatem ipſam fidejubere, ut honeſta & præclara exempla majorum illis ad imitandum proponit.

Uterque igitur modus dicendi, & Ariſtotelis & *Gualandi*, (*e*) cauſam exprimunt; ſed ille ex

(*a*) *Claritas majorum.*) Ita TACITUS Lib. *de mor. Germ.* c 3. *Inſignis*, inquit, *nobilitas aut magna patrum merita Principis dignationem etiam adoleſcentulis aſſignant.* Poſtmodum vero nobilitas apud Germanos frequentius in hereditatem tranſire cœpit, & Franci ante Carolingos non facile a ſtirpe diſcedebant eorum, qui magna in republica obierant munia. Conf. diſſertationem noſtram de *ſtatu nobilitatis Germanicæ.* §. 2. *nota b.*

(*b*) *Familia Cornelia.*) Quomodo ex libris ſibyllinis conclusum, regnum Romæ tribus Corneliis partendi, refert SALLUSTIUS in *Bello Catilin.* cap. 47. De lege Cornelia L. 48. ff tit. 10. ejusque conditore vide Commentatores ad dictum titulum.

(*c*) *Childericus.*) Childericus hic potiſſimum ſimplicitatis incuſatur, quare etiam regio diademate exutus & in monaſterium detruſus eſt. Argumenta quæ hanc in rem Bellarminus adfert 1) ducta ab eventus felicitate 2) a Regis inertia 3) ab eo, quod regnum non augeretur 4) ab eo, quod religio jaceret, bona eccleſiæ a laicis poſſiderentur, Clerici quinque haberent concubinas; refutavit HENRICUS VAGEDES Prof. Hiſtor. & Eloq. Rintel. in Diſſertatione *de tonſura Childerici Cap. IV.* §. 2. *Operum ejus academicorum. p.* 103. Quibus artibus, exauctorato Childerico, Pipinus regnum adeptus ſit, exponunt FAUCHET l. 5. *des antiq. Franc. cap.* 23. & *T.* 2. *Lib.* 1. BUSSIER *L.* 4. *hiſt. franc. n.* 5. *p.* 162. & VAGEDES l. c.

(*d*) *Heredes ſumus.*) Huc facit locus Salluſtii ex oratione Marii ſupra citata: *Non poſſum, fidei cauſſa, imagines neque triumphos, aut conſulatus majorum meorum oſtentare: at ſi res poſtulet, haſtas, vexillum, phaleras, alia dona militaria, præterea cicatrices adverſo corpore. Hæ ſunt meæ imagines, hæc nobilitas, non* HEREDITATE RELICTA, *ut illis, ſed quæ ego plurimis meis laboribus & periculis quæſivi.*

(*e*) *Gualandi*) Fuit hic Adoardus Gualandus, patria Piſanus, Epiſcopus Cæſenatis. Edidit ſyſtema philoſophiæ moralis, cui tit. *Moralis philoſophia ac totius facultatis civilis vera & abſoluta methodus.* Romæ 1604. in fol. Miſcuit autem præpoſtero ſtudio, ut judicat MORHOF. *Polyhiſt. T. III. L.* 1. *cap.* 1 §. 4. morali civilem doctrinam, ac velut unum in conſpectum ambas produxit, ad ſocietatum ſpecies ac jura in republica omnem hanc philoſophiam extendens. Non diffuſus eſt in illis, quæ ad juſtitiam pertinent & ſe in theſes ac quæſtiones jurisprudentiæ dimittit. Libri ejus octavus & nonus, *de juſtitia, jure & LL. agunt*, in quibus confuſiora videntur paululum eſſe nonnulla & μικρόλογα.

Digitized by Google

ex attributione, hic ex communione univoca. Ariſtoteles autem præſtantiſſime pro ſolita methodo, ad declinandum æquivocationis periculum, quod latet etiam in definitionibus, communionem ex attributione amplexus eſt. At modus *Boëtii* (*a*) ad cauſam non ſpectat: neque vero eſt id illi imputandum, quia neque tum in hujus cauſæ indagine verſabatur.

### §. XII.

*Taſſii definitio examinatur.*

Torquatus *Taſſius* (*b*) in Dialogo peculiari, quem Furnium inſcripſit ab interlocutore, de Nobilitate egit; definitionemque ejus tandem collegit hunc in modum: *Nobilitas eſt virtus generis* (*c*) *honorata ob antiquam claritatem.* Declaratque, definitionem ejuſmodi conſtare ex genere & differentiis, adeoque eſſentialem eſſe totam ſignificat, nullo pacto cauſalem. Virtutem itaque pro genere accipit, reliqua pro differentiis. At certe intimus agnoſcit ſenſus, dum dicitur *nobilitas eſt virtus generis*, tum prædicationem cauſalem, non eſſentialem effici; non ſecus ac cum dicimus, ecclipſin eſſe terræ interpoſitionem, & quadraturam rectanguli ex altera parte longioris eſſe inventionem mediæ proportionalis, quod eſt exemplum Ariſtotelis ſecundo de Anima. Et res ipſa loquitur; nam genus nunquam poteſt a re definita avelli, at abſque virtute generis poſſe eſſe nobilitatem vidimus. V. g. Childericus Rex nobilitatem obtinebat, at nulla in eo virtus generis erat. At nunquam ita genus ſejungitur a re, cujus genus eſt, ut diſtinguantur ſubjecto. Alio præterea nomine reprehenſione mihi digna videtur; ly enim (*honorata*) non eſt differentia virtutis generis, cum conſequatur potius illam, ut commune conſequens. Virtus enim omnis ſuapte natura eſt honorata, non autem alia honorata, alia inhonorata eſt; ſi honorem pro dignitate honoris accipiamus, vel pro exiſtimatione & opinione virtutis. Quod ſi pro ſigno, eſt extrinſecus virtuti; eſt enim ejus præmium aut ſignum, non differentia. Sed quicquid de hac reprehenſione ſit, certe prima viget & urget omnino. Et Ariſtoteles ſua in Rhetorica, tum in primo de Animal. hiſt. genus nobilitatis in origine ponit, non in virtute generis. Definitionem ejus in 1. de Rhet. attulimus. Et in 1. de hiſt. animal. itidem dicit *nobile eſſe, quod ortum eſt ex bono genere*; ut in ortu, tanquam in genere, nobilitatem ponat, non in bonitate aut in virtute generis. Nam ſi nobile eſt, quod ortum eſt ex bono genere, nobilitas erit ortus & origo ex bono genere, non bonitas generis formaliter.

# CAPUT SECUNDUM.

## *De nobilium moribus.*

### §. I.

*Quæ dixerit Ariſtoteles 2. Rhet. cap. 15.*

Explicata nobilitatis natura, ejus nunc *mores* (*d*) exponamus.

Ariſtoteles duorum in univerſum motum nobilitatis meminit. Prior eſt, *cupiditas honoris*, (*e*) eamque rationem reddit; quoniam nobilitas eſt *majorum dignitas.* (*f*) Cum vero omnes

(*a*) *Boëtii.*) Integrum ejus nomen eſt ANICIUS MANLIUS SEVERINUS, fuit Conſul romanus ſub initium Sec. VI. Vir præter generis muniumve ſplendorem, omni doctrinatum genere abundantiſſime exc ultus. De aureo ipſius libello, quem *Conſolationem philoſophiæ* inſcripſit, vide judicium MORHOFII in *Polyhiſt. T. I. L.* 4. *cap.* 14. §. 23.

(*b*) *Taſſius.*) TORQUATI TASSI, at! quanti poëtæ, exſtant *diſcorſi del poëma heroico* Venet. 1587. & Neapoli in 4. impreſſi: quem librum una cum poëmatibus Taſſii tanti æſtimant Italorum plerique, ut & viciſſe omnes ante ſe, & nihil addi a quoquam, nedum ex Ariſtotele, poſſe, perſuaſi ſint, prout præter alios e relationibus BOCCALINI liquet Cent. I. relat 28. Conf. MORHOF. *Polyhiſt. T. I. L. VII. cap.* 1. §. 13.

(*c*) *Virtus generis.*) Melius nobilitatem definit FELDENUS in *elementis juris univerſi* P. 3. c. 8. memb. 3. art. 1. n. 2. *quod ſit dignitas quadam a longe remota & antiqua virtute petita, quam hodierna ſecula, velut ſequiora capere non poſſe videntur.* Ceterum hæc Taſſi definitio fere coincidit cum ea, quam ARISTOTELES Polit. L. 3. c. 8. tradit, quamque examinat OLIZAROVIUS *de politica hominum ſocietate* Lib. II. cap. 2. ſect. 4.

(*d*) *Mores.*) Nobilitas infenſiſſimos ſuos habet oppugnatores, inter quos HENR. CORNEL. AGRIPPA, multis argumentis, etiam ab ipſa mundi origine petitis, ſtirpitus eam e rerum natura tollere conatur. Quæ accurate refert & examinat OLIZAROVIUS l. c. Sect. V. p. 213. ſq. ANDR. TIRAQUELLUS optime alioqui de nobilitate meritus ſua nobilibus aſſerit eſſe vitia, & *ea quidem*, inquit, *ut multis placuit innata, genuina, propriaq; ac peculiaria; ut vix ullum reperias, qui his non ſit deditiſſimus.* Scommata, quæ Boccalinus, notiſſimus ille Satyricus, in nobilitatem evomuit, nota ſunt, quæ ipſi etiam aliqua ex parte miſerrimum vitæ finem accelerarunt: quanquam liberalior monarchiæ hiſpanicæ cenſura & exagitatio hujus tragoediæ potiſſimum cauſa fuerit. Vid. JOH. DECKHER *conject. de ſcript. adeſpot. pſeudepigr. & ſuppoſit. Sect.* 10. *p.* 137 *ſq.* MORHOF. *T. I. L. I. cap* 9. § 11. Ex antiquioribus Marius potiſſimum in oratione ſua adverſus nobilitatem apud SALLUSTIUM, meretur legi, & quæ Ariſtodemus apud PLUTARCHUM affert: *Annon exiſtimamus*, inquiens, *omnes, ipſam nobilitatem in opibus, aut gloria, quam longi temporis progreſſus confirmavit, eſſe poſitam? Atqui neutrum horum eſt in poteſtate noſtra, ſed alterum fortunæ temeritate alterum intemperiis hominum eſt obnoxium. - - Hæc demum vera nobilitas eſt, morum ſimilitudo ſecundum juſtitiam &c.*

(*e*) *Cupiditas honoris.*) Hinc FELDENUS l. c. *Tendunt*, inquit, *generoſi ad altiora, ſtudentque ſuorum majorum virtutes ſuperare.* Et BOCCALINI *nella lettera* XXX. *dalla bilancia politica P.* 3. *p.* 272. Se *pretende far valere la ſua nobilità con atti imperioſi & altieri, con pompe e faſti, con ambir di ſollevarſi à più alti maneggi - - d'ordinario la nobilità hà ſempre l'ogetto al plus ultra* LYCOSTHENES ad *Plinii Secundi de viris illuſtr. c.* 66. *Genus præclarum*, inquit, *multarumque ſcientiarum cognitionem plerumque ambitio, inanis gloriæ cupiditas, & odioſa coram Deo & hominibus ſuperbia ſequitur.*

(*f*) *Majorum dignitas.*) Inprimis ortus ac ſplendor gentis multos in erroneas deducit opiniones, ut putent ſibi honores ob majorum merita deberi, quamvis ex ipſorum ingenio & virtute nihil habeant Nec ipſi ſolum ſic ſentiunt, ſed aliorum idem eſſe judicium, vident. SENECA de *benefic. L.* 4. c. 30. *aliquando*, inquit, *daturum me etiam indignis quadam, non negaverim, in honorem*

Digitized by Google

omnes ea bona, quæ ſuppetunt, accumulare conſueverint, ideo nobiles avitis honoribus ſuos & ipſi adjungere ſatagunt. Secundus eſt, propenſio ad contemnendos eos, qui majoribus ſuis (primis ſcilicet autoribus generis) ſimiles ſunt; ignobiles enim fuiſſe eos, id eſt, obſcuros natales obtinuiſſe, neceſſe eſt.

## §. II.

*Cur poſſeſſio bonorum ingerat tumorem poſſidenti.*

Ut dictorum & dicendorum cognitio clarior procedat, eſt hoc commune fundamentum ſtatuendum; omnis boni poſſeſſio *tumorem quempiam* (*a*) nata eſt ingerere poſſidenti, plus minusve, pro qualitate & *amplitudine boni*, (*b*) quod obtinetur. Conſequens autem eſt affectui ſe ſuſpiciendi ob aliquod bonum contemptus eorum, qui eo carent, in eo ſaltem quo carent. Quocirca Nobiles ignobiles ſpernunt, divites inopes. Secundo loco id eſt etiam animadvertendum: ſua ſingulis bona majora ſemper videri, quam ſint. Quem *ex philautia* (*c*) errorem & agnovit, & pro cauſa fundamentoque ſeditionum omnium in rebus publicis Ariſtoteles *Lib. V. c.* 1. *Polit.* ſtatuit. Ut ibi enim expoſuit, divites cum in aliquo excellant, ſcilicet in divitiis, credunt ſe in omnibus excellere, adeoque reipublicæ munia & dignitates ſibi deberi. Nobiles contra ex eadem philautia arbitrantur, ſibi omnes reipublicæ dignitates ac ſolis convenire. Quæ cum ita ſint, ſi tamen cum intima credulitate conjungatur publica concelebratio civitatis ac loci, tumor in immenſum creſcit. Nunc Venetiis Nobilitas, cum in manu rempublicam habeat, ab omnibus ſuſpicitur & celebratur: tumor etiam ejus nobilitatis maximus eſt. Tempore etiam Jugurthini belli, antequam Marius eam percelleret, Nobilitas romana, quæ conſulatum & ſummas dignitates ſibi per manus tradebat, maxime tumebat. Ut meritiſſime in id temporis caderet, quod dixit Salluſtius de Metello agens: *Inerat contemptor animus, & ſuperbia; commune nobilitatis malum.*

## §. III.

*Quæ vitia & virtutes conſequantur nobilitatem.*

Ex his fundamentis patet, & utrum, & quamobrem Nobiles ſint ignobilium contemptores, plus tamen minusve pro loci & civitatis inſtituto. Patet etiam, dum claritatem ſuorum ſuſpiciunt, quam ipſi ex illis obtinent, inflammari deſiderio honorum & dignitatum, quibus ſuæ nobilitatis bonum augeant, & in poſteros auctius transmittant. Florente etiam adhuc vera nobilitate, adeoque virtute generis, cui innititur, par eſt in familiis militaribus mores bellicoſos vigere; in literariis literas & ſtudia; in prudentibus negociandi dexteritatem, &c. At obſoleſcente jam Nobilitate, retrorſum mores ruere eo modo, quo ex Ariſtotele declaravimus. De qua familiarum declinatione, non de incremento ac ſtatu vera ſunt, quæ Horatius ſcribit.

*Ætas parentum, pejor avis, tulit*
*Nos nequiores, mox daturos*
*Progeniem vitioſiorem.*

Habet hoc poſtremo boni moris nobilitas, ut ipſam pudeat *actionum pravarum*, (*d*) ac a majori-

---

*rem aliorum; ſicut in petendis honoribus quosdam turpiſſimos nobilitas induſtriis, ſed novis prætulit; non ſine ratione: ſacra eſt magnarum virtutum memoria; & eſſe plures bonos bonorum juvat, ſi gratia non cum ipſis cadat. Ciceronem filium quæ res conſulem fecit, niſi pater?* De quo Ciceronis filii exemplo etiam videndus SAMUEL RACHELIUS in exaſciato ſuo *ad Officia Ciceronis Commentario p.* 2.

(*a*) *Tumorem quempiam.*) Merentur huc adſcribi, quæ BOCCALINI l. c. *Epiſt.* 4. *p.* 42. habet, ubi Carolo Fabio Paſſalaquæ ad nobilitatem adſpiranti reſpondet: *Jo in tanto non poſſo imaginarmi, che aggregandoſi V. S. nel numero de' nobili napolitani, che voglia anche ſucchiar la naturalezza di queſti, che vuol dir la ſuperbia, e l'orgoglio & ancorche ſia naturale a tutti quelli, che naſcono nobili, il diſprezzare gli altri, pare ad ogni modo, che queſto vitio ſia particolare alla nobiltà di Napoli - - La nobilta di Roma ſtimò la plebe, mentre viſſe Tarquinio inbando, ma appena inteſe la morte di queſto, che ſi diede ad inſultarla non atti oſtili e fieri.* De faſtu nobilium videndi præterea FELDENUS *l. c. p.* 541. OLIZAROVIUS *l. c.* TIRAQUELLUS *de nobilitate cap.* 23. AGIDIUS *L.* 1. *de regim. princip part.* 3. BENEDICTUS *in rep. c.* RAYNUTIUS *gloſſ* 1. *n.* 26. Ex veteribus ſuperbiam inſitum eſſe nobilitatis malum, probant *SALLUSTIUS*, *LIVIUS*, *CICERO*, *SABELLICUS*, *JULIUS FIRMICUS*, *VELLEJUS PATERCULUS*, quæ loca ex ordine leguntur in *OLIZAROVIO l. c. L.* 2. *cap.* 2. *Sect.* 5. *p.* 223. Unicum illud *SALLUSTII* in B. C. adſcribam: *Metello, quanquam virtus, gloria atque alia optanda bonis ſuperabant, tamen inerat contemtor animus, & ſuperbia, commune nobilitatis malum.*

(*b*) *Amplitudine boni.*) Divitiarum copia ut omnes homines; ita inprimis nobilitatem turgere facit. Interim nobilitas ſine opibus vix conſervari poteſt, & non minimum ejus requiſitum ab ipſo *ARISTOTELE* cenſentur *Polit. L.* 4. *c.* 3. *Nobilitatis*, inquit, *differentiæ ſunt ſecundum opulentiam & magnitudinem cenſus. Sunt enim alii equites, quod munus nemo faciliter ſupportare poteſt, niſi ſit dives.* Hujus quoque ſententiæ fuiſſe videtur *EURIPIDES* in *Archelao*:

*- - Ingens vis eſt divitiarum,*
*Quas qui nactus eſt, ſtatim nobilis evadit,*

Conf. hic omnino *OLIZAROVIUM l. c. cap.* 2 *ſect.* 4. *p.* 210. qui plurima loca huc ſpectantia adfert. Ariſtotelis ſententiam *BOCCALINI nella bilancia politica lettera* 4. *p.* 42. ſequentibus confirmat: *Trovo, che hà gran raggione Ariſtotile di ſtabilire la nobiltà ſul pedeſtallo delle ricchezze, e delle virtù, perciò che ſon due coſe, ſenza le quali un nobile non può conſervarſi in credito & in ſtima &c.*

(*c*) *Ex philautia.*) Omne affectuum principium philautiam, finem autem ſuperbiam eſſe, veriſſime MAXIMUS dixit.

(*d*) *Actionum pravarum.*) Sunt nobiles diſtinguendi: alii enim ſunt generoſi, alii degeneres. Eſt enim generatio hominum velut proventus agrorum; neque enim bonus ager ſemper fert fructus bonos, nec ex ſeminibus bonis ſemper ſimiles fructus naſcuntur. Ut judicat FELDENUS loco ſæpe citato. Egregia eſt adhortatio Aneæ ad filium ſuum, quæ ex L. XII. VIRGILII hic meretur apponi:

*Tu facito mox, cum matura adoleverit ætas,*
*Sis memor; & te animo repetentem multa tuorum,*
*Et pater Æneas & avunculus excitet Hector.*

Digitized by Google

joribus degenerantuum. Niſi tamen ea vetus depravatio nobilitatem invaſerit, ut peccatum aliquod ſibi familiare fecerit, veluti impudicitiam Romanæ nobiles, Juvenali teſte, ſua tempeſtate

*Cujus apud molles parva eſt jactura cathedras.*

Sunt etiam ex educatione in clara domo urbani mores nobilibus, multo ſaltem magis, quam novis hominibus, qui fortunæ immodico favore ad ſumma repente creverint. De quibus hominibus verum eſt illud Claudiani:

*Aſperius nihil eſt, humili cum ſurgit in altum.*

Et intelligimus divitum recentium mores multo contumelioſiores eſſe.

# CAPUT TERTIUM.

## *De moribus divitum.*

### §. I.

*Quæ Ariſtoteles dicit 2. Rhet. cap. 19.*

Ad divitum mores accedamus. Præſtat autem ex Ariſtotele exſcribere, ut mores ætatum fecimus. *Sunt* (inquit) *contumelioſi,* (a) *& ſuperbi a poſſeſſione* (b) *divitiarum aliquid paſſi.* (nempe eo ipſo, quod divites ſunt, ejusmodi mores patiuntur) *Perinde enim affecti ſunt, ac ſi bonis omnibus affluant; ſiquidem divitiæ quaſi pretium quoddam æſtimationis aliarum rerum ſunt; quocirca venalia omnia ipſarum eſſe videntur.* (quam tamen ratiocinationem plurimum confirmat philautia, quæ facit, veluti proxime vidimus, ut quisque ſua bona majora, quam ſint, credat, majorisque meriti) *Et delicati & arrogantes. Dilicati* (c) *quidem propter delicias* (nempe ob eam mollitiem, quam delicias diximus, propter quam ſcilicet utuntur mollibus veſtibus, cibis ſuavibus, & demum totos ſe luxui dant) *& beatitudinis oſtentationem.* (hæc eſt ſecunda ratio, quamobrem luxu utantur ad oſtentationem beatitudinis; quam ob cauſam quoque pretioſis utuntur veſtibus, amplas domos ædificant, ſuperbeque inſtruunt; bigis & quadrigis nunc etiam ſejugibus utuntur magno pretio emptis, curribus præterea amplis & ornatiſſimis) *Arrogantes autem & elati, quia omnes in iis rebus occupari ſoliti ſunt, quarum ipſi amore atque admiratione ducuntur; & quia alios eadem æmulari opinantur, quæ & ipſi. Non immerito ergo ita animati ſunt, quia multi ſunt, qui habentium indigent. Unde & illud dictum Simonidis* (d) *de ſapientibus & divitibus ad Hieronis conjugem extat, rogantem: utrum melius eſſet divitem eſſe an ſapientem? divitem reſpondiſſe, ſapientes enim, dixit, ſe divitum foribus hærentes videre.* Hoc itaque peccato adjuvatur credulitas divitum, ex communi concelebratione atteſtationeque hominum, ex qua valde tumorem animi creſcere, atque opinionem de ſuis bonis, proxime monuimus. *Et quia ſe dignos eſſe imperio arbitrantur.* (in 5. Polit.

(a) *Contumelioſi.*) Contemtus in hoc conſiſtit, quod putent, ſe omnia bona, reliquos nihil habere. FELDENUS l. c. *Art. 2. p. 542. de moribus divitum & pauperum.* Quantam autem vim divitiæ habeant, ex ſequenti MENANDRI *apud Stobæum,* dicto patet:

*Epicharmus inquit, quidem Deos eſſe dicit*
*Ventos, ſolem, terram, aquam, ignem, ſtellas,*
*Ego autem utiles eſſe deos arbitror*
*Argentum noſtrum & aurum.*
*Nam illos ſi collocaveris in domum,*
*Pete, quicquid voles, aſſequeris omnia,*
*Agrum, domos, ſervos, argentea pocula,*
*Amicos, judices, teſtes: Largire ſolum:*
*Sic enim vel ipſos Deos habebis miniſtros.*

Et HORATIUS docet:

*Aurum per medios ire ſatellites,*
*Et perrumpere amat ſaxa, potentius*
*Ictu fulmineo.*

Contumelia ſane divitum, faſtus, oſtentatio, jactatio, imperii affectatio latere nequeunt, ut judicat SCHRADERUS *in Comment. ad Rhet. Ariſt. Lib. 2 c. 16 p. 359.*

(b) *Superbi a poſſeſſione.*) Hic iterum conferendus FELDENUS l. cit. PLUTARCHUS *in oratione conſolatoria ad Apollonium: Nonnulli,* inquit, *ob nimiam imprudentiam usque adeo ſunt ſtolidi ac dementes, ut paululum vel nimia pecuniarum copia vel magiſtratus magnitudine, vel civili aliqua gloria honoreque elati, aliis minitentur ac convitiis afficiant, fortunæ inconſtantiam volubilitatemque minime recordati, nec quod perquam facile, quæ ſublimia ſunt, deprimuntur, quæque humilia ſunt, rurſus quam celerrimis fortunæ mutationibus extolluntur.* Egregius character oſtentatoris pecunioſi notatur *Lib. 4. Rhet. ad Herennium,* quem BOECLERUS *in progymnasmat. rhetor. Operum T. I. p. 408.* ad characterem rhetoricum refert, quia non tam in ſimplici commemoratione notarum occupatur, quam per figuras evidentiæ, cum ornatu quodam, imaginem rei repræſentat. Diſtinguendum autem eſt cum BARCLAJO in *Icone anim. Cap. 14. p. 178.* inter triplicis generis divites. Quidam enim incumulatas a majoribus opes naſcuntur. Senſim alios divitiæ attollunt docentque, paulatim eſſe felices. Horum utrique nec ſe mirari ſolent, nec immodice exſultare - - *Sunt denique, qui repente prodigentis felicitatis munere inundantur, uno curriculo viam in cælum e terra emetiti. Et hi inaſſueta dulcedine ſui quoque obliti, deducuntur in ſuperbum ſortis illius, de qua exigere, contemtum.* Id quod BARCLAJUS egregio & jucundo exemplo duorum, qui una in juventute ſcholam frequentantes, arctiſſimam amicitiam coluerant, altero vero ex ſubitis divitiis in ſuperbiam vel potius ſtultitiam prolapſo, illuſtrat. Conf. SCHRADERUS l. c.

(c) *Delicati.*) PLUTARCHUS refert, Arceſilaum philoſophum vehementi verbo uſum eſſe de quodam nimis delicato divite, qui incorruptus tamen & caſtus & perintegre dicebatur. Nam cum vocem ejus infractam capillumque arte compoſitum & oculos ludibundos atque illecebræ voluptatisque plenos videret: *Nihil intereſt,* inquit, *quibus membris cinædi ſitis, poſterioribus an prioribus.* Referente id *GELLIO Noct. attic. Lib. 3. cap. 5.* Conf. SCHRADERUM l. c. p 360.

(d) *Simonidis.*) SIMONIDES e Ceo inſula oriundus, Lyricus poëta, de quo vid. PHÆDRI *fab. 78.* & VOSSIUS de *poëtis græcis* c. IV. Hiero frater & in regno ſyracuſano ſucceſſor Gelonis, vixit tempore Xerxis. DIOD SICULUS L. 2. AELIAN. *variar. hiſt. 4. 10. 11.* Ceterum reſponſum hoc Simonidis ſerio, an joco prolatum, reprehendit PLATO *L. 6. de Rep.* Dionyſio & ipſi poſtea Syracuſanorum regi, percontanti, cur philoſophi divitum limina terant, divites philoſophorum domos raro aut nunquam viſant, Ariſtippus Socratis auditor, argute reſpondit: *Sapientes ſciunt, quibus indigent, at divites neſciunt.* Vide SCHRADERUM *l. c. p. 361.*



Digitized by Google

lit. cap. 1. & 3. Pol. c. 8. *Atque ut ſummatim dicam; dementis beati morum divitiæ ſunt.* Imitatus eſt hunc dicendi ex parte modum Horatius, dum dixit;

*Stultitiam patiuntur opes;*

Nec minus ille;

*Fortuna, quem nimium fovet, ſtultum facit.*)

*Differunt* (*a*) *autem mores eorum, qui novis fruuntur divitiis, & eorum, qui antiquis: quia omnibus malis iisque gravioribus cumulati ſunt magis, quam novis; nam novas divitias poſſidere, eſt quaſi rudem divitiarum eſſe.* (contumelioſiores ſcilicet, & ſuperbiores erunt, qui novis, quam qui antiquis; item delicatiores, & arrogantiores, & dementiores demum) *Et injurias inferunt, non malitiæ*; (non fraudis ſcilicet ad circumveniendum, & ad lucrum) *ſed partim contumeliæ, partim incontinentiæ plenas, ut in verberationem*, (quæ contumeliæ ſunt) *& adulterium* (quæ ſunt incontinentiæ.)

## §. II.

*Dubitationes quædam afferuntur & ſolvuntur, contra dicta Ariſtotelis,*

At contra hæc Ariſtotelis dicta, duæ præſertim dubitationes naſcuntur, non diſſimulandæ.

*Prima* quidem contra differentiam antiquorum & recentium divitum. Nam contra, novi divites minus ſumtuoſi ſunt, magisque, parcunt divitiis quam antiqui, ut idem Ariſtoteles ſignificat, & tradit *lib.* 9. *Ethic. c.* 8. Reſpondeo: non accipi hic ab Ariſtotele divitem novum, qui ipſe peperit divitias, & antiquum, qui ab aliis acceperit, ſed novum, qui repente & inſperato alieno beneficio factus ſit dives: antiquum vero, qui a parentibus & majoribus acceperit; adeoque ab initio ſit in domo divite nutritus, quocirca non ſit uſus divitiarum rudis. In hac civitate quidam ex agnati morte inſperatam, hereditatem aſſequutus, *profuſis ſumptibus* (*b*) totam celeriter effudit, illuſtriore & celebratiore exemplo. Idem fecit *Antonius* (*c*) in Pompeji Magni bona intruſus.

*Aliud* dictum, quod in dubitationem adducitur, eſt, divites eſſe delicatos; nam avari potius eſſe videntur, non ſumptuoſi: & Ariſtoteles fatetur lib. 4. Ethic. cap. 1. liberales non eſſe divites, eo quod non parcant ſumptibus. Qui ergo, convertendo, divites ſunt, parcunt ſumptibus, non ſunt delicati, neque luxurioſi. Reſpondeo; ſi conſideremus divitias ipſas per ſe, abſtrahendo tum a virtute liberalitatis, tum avaritia, quia poteſt eſſe absque alterutro habitu, & in homine neque vitio avaritiæ, neque prodigalitatis laborante, neque etiam virtute liberalitatis inſignito. At pro facultate faciendorum ſumptuum, proque innata cupiditate deliciarum, ad eas ducere atque inclinare ſaltem. Unde jure merito Ariſtoteles, dum loquitur de divitiarum per ſe moribus, divites in delicias propendere aſſerit. Quoad Ariſtotelis auctoritatem ex lib. 4 Ethic. cap. 1. dicendum eſt: comparative ipſam intelligendam, nempe qui non parcit ſumptibus, non æque erit dives, atq; is, qui parcit & perpetuæ corrogationi pecuniarum incumbit; adeo, ut non poſſit eſſe per antonomaſiam in civitate dives liberalis aut ſumptuoſus homo, qualis erit, qui reditus quotannis in ſortem corrogat. Cæterum liberalis, qui amplum patrimonium a majoribus acceperit, dives ſemper eſſe perſeverabit; quia non ex ſorte, ſed ex reditibus ſolum ſumptus facit; ut ex Ariſtotele ipſo antea docuimus.

# CAPUT QUARTUM.

## *De moribus potentum & fortunatorum.*

## §. I.

*Qui potentes ſint.*

Ad potentum mores tranſeamus. Primo autem explicemus, qui ſint potentes, Græce δυναϑοὶ ab Ariſtotele vocati & δυνάμενοι quoque.

*Potentes* (*d*) ergo ſunt, qui in magiſtratibus, præſertim primis, ſunt; potentia enim ea publica eſt: primo quidem ſi perpetuus ſit, ut dynaſtis ac regulis contingit: deinde, ſi ſucceſſorem recipiat, ut in liberis civitatibus ut plurimum accidit. Venetiis enim ſolus Dux eſt perpetuus; reliqui omnes magiſtratus mutantur. Sunt etiam potentes gratioſi homines in republica; ſive Monarchia ea ſit, ſive Polyarchia. Dicuntur vero gratioſi, qui grati ſunt dominanti, aut Concilio aut Principi; quorumque idcirco ſententia libenter ſuſcipitur. Demagogi quoque, quorum meminit Ariſtoteles, in rebuspublicis Popularibus ejusmodi erant, & in Senatu romano quondam Cicero, & plurimum Pompejus. Potentia etiam naſcitur ex multis clientelis, quarum ope quis poteſt pro arbitrio multa facere. Germanorum hæc erat, referente Tacito, potentia. *Hæc dignitas*, (inquit) *hæ vires; magno ſemper electorum juvenum globo circumdari, in pace*

(*a*) *Differunt.*) Hoc paulo ante ex BARCLAJO monitum.

(*b*) *Profuſis ſumptibus.*) Quantæ liberalitatis Marcus Livius Druſus fuerit, vel ex eo patet, quod ipſe profeſſus ſit, nemini ſe ad largiendum præter cœlum & cœnum reliquiſſe. Quod teſtantur FLORUS L. 3. c. 17. & PLINIUS SECUNDUS *de viris illuſtribus Cap.* 66.

(*c*) *Antonius.*) De hoc ita ſcribit PLUTARCHUS in lib. *de diſcrimine adulatoris & amici Oper. T. I. p.* 113. *n. d. Ea res Romanorum mores tam integros ad nihilum redegit, ac ſuſtulit, quod Antonii delitias, libidines ac viſcerationes ita blandientes extenuarent, ut humanitatem & hilaritatem vocarent indulgente illi potentia fortunaque.*

(*d*) *Potentes.*) Potentum novem claſſes conſtituit BODINUS *de republ.* L. I, Cap. 20. Vide etiam SCHRADERUM *in Commentar. ad Rhet. Ariſtot. Lib.* 2. *c.* 17. *p.* 363.

*pace decus, in bello præſidium.* Paucis ab hinc annis in Italia factionum *Guelphæ ac Ghibellinæ* (a) principes ac duces magna hujus generis potentia præſtabant; etenim diviſus ubique populus partim hunc, partim illum ſequebatur. Nunc etiam magnates ac proceres civitatum aliquas clientelas habent. Comites & Marchiones, qui ſunt alicujus civitatis partes, in ditionibus ſuis dynaſtæ ac reguli ſunt: in civitatibus vero, quarum proceres exiſtunt, ut omni in illis ditione carent, ita potentes ſunt ob numerum ſubjectorum, quorum ceu clientela nixi poſſunt plurima, ſi lubeat præſtare. Columnii, Urſini, Sabelli, cæterique romani Barones hanc in Urbe rationem ſubeunt; licet nunc, pro eccleſiaſtici imperii amplitudine & ſeveritate, minus multo, quam antea poſſint, quando dicebantur Pontificum compedes.

## §. II.

*Qui mores potentum ſint ex Ariſtotele 2. Rhet. cap. 20.*

Nunc qui ſint potentum mores, ex Ariſtotele intelligamus, ut in reliquis fecimus. *Potentes* (inquit) *partim eiſdem* (b) *moribus prædīti ſunt ac divites, partim vero etiam melioribus. Sunt enim potentes honoris avidiores* (verſantur ſiquidem in honoribus aut magiſtratibus, ſive gratia ſive clientelis præſtent: ac quisque bona ipſa ſua retinere ſtudet) *& moribus viriliores, quam divites, quia ea affectant negocia, quæ ipſis adminiſtrare propter potentiam licet:* (Sive magiſtratuum enim potentiam reſpiciamus, maxima negotia tractant; ſive gratiam, in maximis conſultationibus, ac ſuaſionibus verſantur, ſive clientelas, eas quoque tueri, ac clientes protegere, & juvare magnum eſt negotium) *& ſtudio magis dediti, quia in ſedulitate ſunt toti, quod, quæ ad potentiam pertinent, conſiderare coguntur.* (Studioſos autem hic vocat induſtrios ac diligentes deditosque negotiis homines, qualis ſedulitas neceſſaria eſt res magnas tractantibus: ac qui clientelis inhiant, officioſos præterea eſſe oportet) *Et grandiores, quam graviores, quia conſpicuos eos dignitas reddit. Itaque moderate ſe gerunt. Granditas autem mollis, & elegans gravitas eſt.* (Graviores ſunt, qui obſtipo vultu, erecto, ac quaſi inflexibili collo incedunt: grandiores autem, ac granditas magis vultu arridet; ſolutiore etiam capitis nutu ſalutantibus reſpondet, interim & voce. Neque enim potens veretur, ne ex ea facilitate contemnatur, ex eo quod dignitas conſpicuum & venerandum reddit. Non ceſſat tamen granditas eſſe gravitas, quoniam grandis in facilitate retinet dignitatem, ſeque majorem repræſentat illis, quibuscum agit, ſi minores fuerint cæteris autem magnum) *Et ſi injuriam faciunt, non parvam, ſed magnam faciunt* (cum enim non exigua illi lucra captent, aut parvulos honores negent, nec facile ac leviter a cæteris provocentur; timentur enim. Quare non niſi vehementer provocati, aut ad magnum incrementum, non injuriantur.)

## §. III.

*Quo in ſenſu ſint accipienda ea, quæ dixit Ariſtoteles.*

Hæc autem, quæ nunc ex Ariſtotele exſcripſimus, intelligenda accipiendaque per ſe ſunt, ſcilicet de potentibus ipſis per ſe, non ut huic illive vitio annectuntur. Potentes autem per ſe ſtudium potentiæ includunt, quod ſtudium deſcripti mores conſequuntur. At ſi intelligamus *tyrannicum habitum*, (c) aut propenſionem injunctam alicui potenti, longe is alios inducit mores multoque ſæviores. Et quoniam ſub potentibus etiam Reges ſupremique Principes continentur, dicit Homerus, quod non ſemel retulimus, & rationem adduximus:

*Divorum Regum iram* (d) *eſſe magnam*,

Quem affectum cœteri etiam potentes ex proportione ſubeunt.

Delicias Regum deſcribit in Perſarum regibus Plato in Alcibiade. Primo enim uxori regiæ in ſingula ornamenta, crepidas, zonam &c. integræ provinciæ deſtinabantur. Et hiſtorici res geſtas Alexandri magni narrantes, delicias Darii, quæ poſt ejus debellationem in Alexandri manus devenere, miras deſcribunt. Principum vero faſtum, tumoremque animi, quo ſe ſuſpiciunt, cum præſertim in antiquos ſuccedunt principatus, quis deſcriberet? ſe ut deos habent, & divinos propemodum honores ambiunt: nonniſi adulationes admittunt: vix liberam

(a) *Guelpha & Ghibellina.*) Has factiones potiſſimum curia romana Sec. XIII. excitavit aluitque; quæ totam Italiam per aliquot ſecula funeſtis turbis diſtraxerunt. Tum temporis quoque Pontificum nutu viri principes in cæſareis Italiæ urbibus earum imperium invadebant, Scaligeri Veronæ, Eſtenſes Ferrariæ, Mantuæ Gonzagæ conſederunt favente Benedicto XII. ut eorum contra Imperatorem parata haberet auxilia. Scriptores rerum italicarum, quos BURMANNUS magno ſtudio colligere ſatagit, calamitatem iſtorum temporum, ex his factionibus redundantem ſatis conqueri non poſſunt. E recentioribus audiamus THEODOR. GRASWINCKELIUM *de libertate veneta Cap. 24. Nihil aliud*, inquit, *iſta conjurantium rabie actum fuit, quam ut Guelforum Gibellinorumque funeſta ſeceſſio, acto profunde ſulco larem apud Venetos defigeret. Illa, quam dixi, factio, tanquam ferale ſidus eorum mentes afflaverat egeratque tranſverſas. Hujus præſtigiis ſideratis, quævis & facere & pati pronum fuit.*

(b) *Partim eiſdem.*) Conf. FELDENUM *in elementis juris univerſi P. III. c. 8. Artic. 2. membro 3 de moribus potentum.* & SCHRADERUM loco jam cit.

(c) *Tyrannicum habitum.*) Hujus characteris in TACITO plena ſunt omnia, & merentur legi, quæ habet SENAULT *de l'uſage des paſſions traité 4. diſcours 2. p. 147. ſq.* CORNELIUS mores tyranni his verbis ſiſtit: *Dionyſius Prior & manu fortis & belli peritus fuit: & id, quod in tyranno non facile reperitur, minime libidinoſus, non luxurioſus, non avarus, nullius rei denique cupidus, niſi ſingularis perpetuique imperii, ob eamque rem crudelis. Nam dum id ſtuduit munire, nullius pepercit vitæ, quem ejus inſidiatorem putaret.*

(d) *Regum iram.*) Nota tamen ſunt iſta OVIDII:

*Quo quisque eſt major, magis eſt placabilis ira,*
*Et faciles motus mens generoſa capit.*
*Aſpicis ut leo - - -*
*Pugna ſuum finem, cum jacet hoſtis, habet.*
*At lupus & turpes inſtant morientibus urſi,*
*Et quæcunque minor nobilitate fera eſt.*

ram vocem tolerant. *Imperatores Turcarum* (*a*) neque recto aſpici ſuſtinent. Adulationibus corrupti ſe omnia ſcire, vel ſaltem, modo animadvertant, ſcire poſſe credunt; licet, ut plurimum, ſcientias & habitus contemplandi ſpernant, & nihili æſtiment. Regalem luxum in omnibus adhibent, partim ob delicias & ad oſtentationem beatitudinis; partim ad præſtringendos oculos & animos ſubjectorum, ut debitam reverentiam exhibeant, quod conſilium in Cyro & repræſentavit & laudavit Xenophon, *Lib. de Cyropædia* 8. cum præſertim primam illam regiam & *ſplendidiſſimam egreſſionem* (*b*) deſcribit. Et demum, quos Potentes habent mores, eos in ſummo habent Principes. Potentes autem mores divitum habere dicti ſunt, qui ſe ſuſpiciunt, ſunt elati atque arrogantes, &c. Quocirca tales quoque potentes, & potiſſimum Principes ac Reges magni.

## §. IV.

*De moribus fortunatorum Ariſtot. 2. Rhet. cap. 18.*

De fortunatorum nunc moribus dicamus. *Fortunati* (*c*) homines dicuntur, quibus quorumque actionibus & deſideriis fortuna adſpirat, adeo ut quicquid aggrediuntur voto, felici curſu aſſequantur. Bene ſcilicet fortunatos intelligimus, cum fortunatos dicimus. Cæſar ſe fortunatum agnovit & prædicavit; unde nautæ timenti procellam; ne timeret, dixit, quod fortunam Cæſaris veheret. Sylla pariter ſe fortunatum inſcripſit, & in atteſtationem idolum fortunæ pro amuleto perpetuo geſtabat ſinu.

Partes bonæ fortunæ ſunt, divitiæ, potentia, nobilitas, ſed præterea multitudo & probitas liberorum, & bona corporis. Adjiciamus, quod ab initio diximus, adſpirationem fortunæ actionibus & cœptis omnibus. Quid vero, & *quæ ſit fortuna*, (*d*) utrum providentia ipſa divina, ut ad effectus nobis incognitos refertur, vel ut concurſum nobis incognitum cauſarum jungit, an cauſa omnino per accidens, an cœleſtis aſpectus, non eſt hujus loci inquirere & determinare. Qui veram ſimpliciter ſententiam noſſe deſiderat, Theologos adeat: nos phyſice rem peculiari tractatione diſcuſſimus.

Mores nunc fortunatorum deſcribamus. Ariſtoteles ergo his tribuit mores ſuperiorum: ſcilicet nobilium, divitum & potentum, cum inter fortunatos illi ſint. Dicit præterea eſſe ſuperbiores, ac inconſideratiores: tantum enim fortunæ ſuæ confidunt, ut nullo vel ſuo conſilio omnia ſe aſſequuturos ſperent. Cæſaris fiduciam expoſuimus, cujus maximum argumentum fuit, cum obvium Caſſium cum decem roſtratis ipſe cum unica exſpectavit, & ſpe veniæ propoſita, ad ſuas partes invitavit: in cujus tamen manu erat ipſum invadere, & forſan capere. Hoc ſibi voluit penes Livium Annibal ad Scipionem, *Tuam adoleſcentiam, & perpetuam felicitatem, ferociora utraque, quam quietis opus eſt conſiliis, metuo.* Tribuit præterea idem Ariſtoteles Fortunatis Deorum cultum, & quod erga Deos aliquo modo affecti ſunt, fidem habentes propter ea bona, quæ a fortuna ſuppeditantur. Sunt etiam negligentes fortunati, etenim ſpes facit negligentes, ut T. Liv. dicit lib. 27. in principio. *Negligentiam* (inquit) *inſitam ingenio ducis, augebat ſpes.*

## §. V.

*Utrum fortunæ proſperitas reddat homines pios erga Deos.*

At videtur potius fortunæ proſperitas a Deo avertere in multa homines peccata rapiens. Unde etiam in ſacris literis: *impinguatus, incraſſatus.* Reſpondeo in vera religione, in qua peccata prohibentur, & in qua verus Dei cultus eſt, vitæ puritas & ſanctitas, proſperitatem fortunæ a Deo abducere potius, ob irritamenta peccandi. Unde id monent ſacræ literæ; *Quos Deus diligit, eos corrigere*; & ibidem dicitur: *Vexationem dare intellectum.* At in pſeudo religione, in qua ſolus exterior cultus attenditur, cœterum licentia permittitur vivendi, proſperitas devotionem in Deos conciliat, ut in Ethnicorum religione erat; in qua etiam peccata ſacrificiis redimebantur abſque propoſito non peccandi amplius: ut ex Platone in ſecundo de Juſto colligitur. Cum itaque nulla

(*a*) *Imp. Turcarum.*) Turcæ Imperatori ſuo ſupplices ſolent vel ex ſtramine, vel ex charta, aut alia materia arida, quasdam velut vittas capiti imponere, atque ita e regione palatii procul ſtare. Ignes iſti nocturno tempore per feneſtras Sultanum advertunt, ut niſi plane ſtupidus & immiſericors eſſe velit, afflictos reſpicere iisque remedium afferre cogatur: referente id, citatis auctoribus LUDOLPHO in *Commentar. ad hiſtor. ſuam æthiopicam L. 2. n.* 64. Crudelitatis Sultanorum exemplum eſt, quod fratres ſuos metu futuræ rebellionis gratis occidant. Videatur LUDOLPH. *l. c. L. 2. c. 6. n. 33. p.* 243.

(*b*) *Splendidiſſimam egreſſionem.*) Qualis aulæ ſplendor & magnificentia Principi conveniat, docet PLUTARCHUS in *Polit. T. I. Oper. p.* 11. & BOECLERUS *in Commentat. Plinianis Cap. 6. §. 11. 12. 13. T. I. Operum p.* 757. Merentur hic adſcribi, quæ *hiſtoire ſecrete des intrigues de la France* Tom. I. p. 145. refert. *Rome n' a rien fait de grand & de merveilleux, que dans le tems, qu'elle faiſoit briller ſa magnificence & l' on peut dire, que la figure d' un etat contribue ſouvent beaucoup à ſa fortune. Il eſt vray, que l' epargne & l' économie ſont abſolument neceſſaires à un etat naiſſant & qui n' eſt pas encore bien formé. Mais lors qu' un etat eſt, pour ainſi dire, dans un age parfait; comme l' apparence gouverne presquè toutes choſes, la pompe & la ſplendeur d' une cour, donnent une haute ideé de ſa grandeur & de ſa puiſſance, tant au dedans qu' au dehors; & il en eſt du public, comme des particuliers; Celui qui n' a pas l' air aiſé, paſſe toujours pour pauvre.*

(*c*) *Fortunati.*) Hic conf. FELDEN. l. c. & SCHRADERUS l. c.

(*d*) *Quæ ſit fortuna.*) De fortuna Regum præclara affert BOECLER in Diſſ. de *auſpicio regio* T. I. Oper. p. 155. ſeq. Fortunam Græci ἀυτοματίαν vocaſſe videntur, quod ex ea res ſua ſponte evenit: quemadmodum & machinas quasdam, quæ arte mechanica, nulla exteriore aut apparente cauſa moventur, ἀυτόματα, ut POLITIANUS in *miſcellaneis* teſtatur, quaſi ſua ſponte moveantur, appellarunt. De templo ἀυτοματίας a Timoleone locato videndus PLUTARCHUS in *Timoleone* & in *Politicis*; & CORNELIUS NEPOS in vita ejus. Fortunæ autem plures ædes apud Romanos collocatas eſſe & diverſis nominibus appellatas, teſtantur PLINIUS L. 34. c. 8. Lib. 36. c. 22. & 25. lib. 8. c. 48. lib. 36. c. 5. lib 2. c. 7. MARLIAN. lib. 2. c. 5. lib. 4. c. 7. & 12. lib. 5. c. 8. ALEX. ab ALEXAND. lib. 1. c. 13. COELIUS lib. 18. c. 34. lib. 13. c. 12. lib. 18. c. 14. In Fortunæ muliebri templo ſemper calendis Decembribus, qua die bellum fuerat ſolutum, poſt reges exactos ao. 18. rite ſacrificabant, ad perpetuam hujus facti memoriam. Videatur LYCOSTHENES in *Comment. ad Plinii II. de viris illuſtribus* lib. 2. cap. 19.

Digitized by Google

la emendationis obligatio peccantem teneat, licentiaque permittatur vivendi, ſolus ſacrificiorum cultus ac pompa requiratur, eam facile præſtant fortunati, & tam faciles ac ſibi propitios Deos diligunt & colunt.

# CAPUT QUINTUM.

## *De moribus contrariarum conditionum expoſitis.*

Contrariarum autem conditionum ac fortunarum mores ex dictis contrario modo colliguntur; ſcilicet mores ignobilium, *pauperum*, (*a*) plebeiorum, ac infimorum hominum, & infortunatorum. Nempe ignobiles contrarios nobilibus obtinent mores; pauperes divitibus: plebeii & infimi homines potentibus: infortunati fortunatis.

Ex. gr. Nobiles ſunt honorum appetentes ac dignitatum; ignobiles, *ſi utilitatem* (*b*) ab honoribus ac dignitatibus ſepares, nullo earum deſiderio tenentur. Ut enim dicit Ariſtoteles lib. 6. Pol. cap. 4. *Multitudo magis lucrum appetit, quam honorem*; Et ad Oligarchiam tuendam monet 5. Polit. cap. 8. ne ex magiſtratibus emolumenta capiantur; quieſcit enim populus a magiſtratibus excluſus, cum nullam ex illis utilitatem naſci videt. Divites ſunt delicati; at pauperes *duri*, & *parci* (*c*) eo, quod inopia a ſumptibus prohibeantur. Potentes granditate utuntur; *infimi & abjecti*, (*d*) ac ſubjecti homines puſillitate; ſplendore ſiquidem occurſantium perſtringuntur, & *reverentia immodica* (*e*) premuntur, cum eos adire & compellare coguntur; unde titubatio ſæpe & tremor vocis & aliquando ſuppreſſio. Fortunati ſunt ſperabundi & confidentes: at infortunati deſperabundi, cum ſæpius jam votis ſuis exitum adverſari experti ſint. Fortunati *bene erga Deos affecti*: (*f*) at infortunati plerunque blaſphemi in Deum & pendentes: quales etiam aleatores, cum alea adverſa ceciderit, videmus.

Hæc ita exempli gratia collata ex contrario ſint. Idem autem eſt in cæteris faciendum. Cum vero nunc diximus *lib. de virt. circa hon. c.* 9. ignobiles non eſſe *honoris* cupidos, non intelleximus honorem innatum, quem multi vocant, & de quo antea dictum fuit in ſecunda parte; neque etiam dum *cupidos* negamus, omnem penitus honoris ſenſum & ſtimulum negamus, ſed acrem & qui ſit alicujus momenti. Aliquam autem, ſed exiguam in illis honoris cupidinem agnovit Ariſtoteles lib. 6. Polit. cap. 4. *Qua cupido*, inquit, *honorum illis ineſt, facile adimpletur &c.* Placet etiam pro moribus minus fortunatorum hominum exſcribere verſus Terentii in Adelphis ſub perſona Hegionis. *Sc.* 3. *Act* 4. Sunt autem:

*Omnes, quibus res ſunt minus ſecundæ, magis ſunt, neſcio quomodo,*
*Suſpicioſi: ad contumeliam omnia accipiunt magis*
*Propter ſuam impotentiam: ſe ſemper credunt negligi.*

# CAPUT SEXTUM.

## *Tranſitur ad vitæ inſtituta ac ſtudia.*

### §. I.

#### *Dividuntur artes & exercitationes.*

Tranſeamus ad inſtituta ac ſtudia vitæ. Eſt autem illud primo diſtinguendum; utrum ſint *artes ſedentariæ*, (*g*) an contra plurium exercitationum & motuum exercitationes: ſi quidem motus & corpus robuſtum, & animum ferocem reddunt, ut antea vidimus Platoni & Ariſtoteli probatum. Venatores, Gymnicorum aut equeſtrium certaminum ſectatores, plurimo utuntur motu: Luctatores itidem, & id genus alii. Contra, aleatores, ocioſique, qui eam colunt vitam, quam celebrat penes Homerum Ulyſſes: *Lib.* 9. *Odyſſ.*

*Convivæ autem in ædibus audiunt cantorem,*
*Sedentes ex ordine; juxta autem implentur menſæ*
*Panis & carnium, merum autem ex cratere exhauriens*

Pin-

(*a*) *Pauperum.*) Epaminondas paupertatem adeo facile perpeſſus dicitur CORNELIO, ut de republica nihil, præter gloriam, ceperit. Et FRONTINUS lib. 4. *Stratag. c.* 3. in ſupellectile ſua ahenum & veru & nihil præterea habuiſſe ſcribit. Conf. ATHENEUS *lib.* 10. *c.* 3. JUSTINUS *lib.* 6. Frugalitatis ſane contemtusque divitiarum memorabile exemplum, quo docemur, nullis niſi invitis & recuſantibus gravem eſſe & indecoram paupertatem. Vid. VAL. MAXIM. lib. 4. SABELL. lib. 8. c. 5. FULGOS. lib. 4. n. 4. *rerum memorabilium.* De variis pauperum generibus vide ICON BARCLAJI *Cap.* 14. in fine.

(*b*) *Si utilitatem.*) Huc pertinet illud OVIDII:

- - *Sequitur fortuna lumina vulgus,*

Et:

*Vulgus amicitias utilitate probat.*

(*c*) *Duri & parci.*) Unde apud Comicum: *Duriter & parce vitam inſtituere, tela & lana victum quærere.*

(*d*) *Infimi & abjecti.*) Conf. FELDENUM *l. c. p.* 544. Nam qui nihil potentiæ habent, nihil magni aggredi ſtudent, de paucis cogitant, nec ſedulitatem & diligentiam adhibent.

(*e*) *Reverentia immodica.*) Hujus rei occurrit exemplum in Syſigambi apud CURTIUM, ad pedes Alexandri provoluta.

(*f*) *Bene erga Deos affecti.*) Bene monet PLUTARCHUS *in Polit.* ut viri principes *venerentur Deos, & per pietatem in honorem eorum opibus ſuis utantur. Magnopere enim affici multitudo ſolet, & in opinionem adduci colendos venerandosque eſſe immortales Deos, quando pietatem eorum conſpiciunt, quos ipſi maximi ducunt, tam magnifice & alacriter divina proſequentium atque tot ſumtus haud gravate impendentium.* Quorſum & tendunt conſilia MACHIAVELLI, ſed quo animo ille id poſcat, jam non diſputo.

(*g*) *Artes ſedentariæ.*) Hic meretur legi MORHOF. in *Polybiſt. T. I. L. I. Cap. I.*

*Pincerna fert, & infundit poculis.*
*Hoc mihi optimum in animo videtur.*

Inter eos autem, qui vitam laudabilem ducunt, literati ac ſtudiis dediti ſedentariam vitam omnes degunt. Quæ vita corporis robur ac vigorem remittit ac laxat; animum quoque emollit ea ipſa ratione quietis, per ſe ac ſeorſim conſiderata, unde celebre eſt illud Gothi ad populares dictum. Qui tempore Claudii captis Athenis, ac coacervatis in foro ad comburendum libris, diſſuaſit illam librorum cladem; quod dum græci homines illis ſtudioſius incumberent, minus ad bella idonei fierent. Dico autem *ratione quietis ipſius per ſe*: nam ratione cognitionis, quam ſuppeditat, contrarium operari poterit, interimque operabitur.

§. II.

*Corollarium de artibus artificibusque illiberalibus.*

Pendet ex dictis, ut artes (de illiberalibus loquor) ſedentariæ minus aptos ac cordatos milites exhibeant, quam *quæ motibus* (*a*) abundant, præſertim validis & robuſtis. Penes Romanos ex ruſticana plebe, quam ex urbana milites potius ſeligebantur. Autor Vegetius. Unde Horatius:

*Sed ruſticorum maſcula militum*
*Proles, Sabellis docta ligonibus*
*Verſare glebas.*

Imo & nobiles agriculturam exercebant, ut de Cincinnato conſtat. Ariſtoteles quoque laudatos ex agricolis milites ſeligi aſſerit; poſtea ex paſtoribus. Verba ſunt. *Lib. 6. Polit. cap. 4. In multis vero hæc paſtoralis vita cum agricultura convenientiam habet. Utrique enim corporibus exercitati ad bellicas expeditiones utiliſſimi ſunt, ac potentes ſub dio conſiſtere.* Omnes autem artes liberales, quæſtum proſpiciunt; ad quærendum enim victum exercentur ab artificibus, unde quæſtus quoque cupidos faciunt. Ac quorum majores ſunt & ampliores quæſtus, illi magis ad eos rapiuntur. Ejusmodi ſunt *mercatorum quæſtus.* (*b*) Magnorum enim mercatorum ſunt ampli & magni: at minutorum, qui inquam merces ac res in ſumma emptas minutim vendunt, frequentes, & ex frequentia demum magni ipſi quoque evadunt. Cum vero mercaturam inter artes illiberales conjicio, intelligo illiberales, quæcunque infra dignitatem nobilis hominis ſunt. Talis autem eſt mercatura ipſa per ſe, ni *uſus civitatis* (*c*) & loci aliud perſcripſerit; ut Florentiæ, Venetiis, & Januæ videmus. Sed alicubi etiam cauponaria a nobilibus uſurpatur. Nempe emunt frumenta reliquasque ſegetes æſtate, triturationis tempore, quas ibidem poſtea hyeme aut vere ſequente carius vendant. At certe *mercatura tenuis* (*d*) ubique eſt ſordida.

# CAPUT SEPTIMUM.

## *De artibus liberalibus, quæ motu multo utuntur.*

§. I.

*De venatione.*

De artibus nunc liberalibus, agamus; & primo de illis, *quæ motibus utuntur multis.* (*e*) Occurrit autem venatio. Multiplex ipſa eſt, cum & terreſtrium, aquatilium animantium, præterea & volucrum indaginem complectatur: ſed & hominum captura, venatus quidam eſt, ut Plato & Ariſtoteles dicunt.

De toto hoc genere id dicamus in univerſum, (cætera enim hujus loci non ſunt) venationes aliquas & cum motu corporis valido & cum periculo eſſe, ut quæ adverſus animantes terreſtres ac feras ſunt, apros, urſos &c. aliquas & ſine motu valido corporis & ſine periculo, ut aucupatio, quæ viſco peragitur; ſedentes enim ex inſidiis aviculas aucupantur. Piſcatus quoque, qui ſuccorum permixtione fit vel hamo, absque tum periculo, tum labore eſt. Alia venatio media inter dictas eſt; motu utitur plurimo, ſed periculo caret; veluti quæ lepores inſequitur, & pavidas ejusmodi animantes. Quæ venatio & periculum & motum includit, *ad robur* (*f*) tum corporis, tum animi utilis eſt. Quæ vero neutrum continet, inutilis eſt. At quæ periculo caret, motu vero peragitur, robus operatur, ſed minus multo ſaltem animi, quam primum venationis genus. Huc reſpexit Plato, cum ſolam pedeſtrium venationem laudavit, non autem dormientium, quæ nocturna dicitur & ocioſorum hominum eſt. Neque etiam, quæ in laboris remiſſione fit, & retibus, laqueisque feras domat, non conſtantes animi viribus; ſed illam, quæ canibus, & equis, & corporis viribus agitur. Voluit nempe vir ſapientiſſimus eam ſolam venationem exerceri, quæ ad animoſitatem

(*a*) *Quæ motibus.*) Huc facit locus PLUTARCHI de *liberis educandis* T. I Oper. p. 42. n. d. *Corporis certamina*, inquit, *ut contemnantur, ne digna quidem exſtant: ſed ad ejus rei præceptores, ut ad ipſa, quantum ſat erit, elaborent, pueri dimittentur, quo & apta quædam membrorum compoſitio ſimul & robur acquiratur. - - Bellum educatam in umbra corporis habitudinem repudiat.*

(*b*) *Mercatorum quæſtus.*) Hinc HORATIUS:
*Impiger extremos currit mercator ad Indos,*
*Per mare pauperiem fugiens &c.*

(*c*) *Ni uſus civitatis.*) Omnino hic conferendus BARCLAJUS in *Icone anim. Cap. 3. p. 30.* & OLIZAROVIUS tr. ſæpe citato *Lib. 2. c. 2. Sect. II. Utrum nobilitas per mercaturam amittatur.*

(*d*) *Mercatura tenuis.*) Hic conferendi ICti ad tit. Pandect. de emtione venditione.

(*e*) *Motibus utuntur multis.*) Ad motus refert ORIZOUIUS de *politica hominum ſocietate Lib. I. Cap.* 10. §. 6. artem gymnaſticam, deambulationem, curſum, ſaltum, natationem; qui hic omnino meretur conferri.

(*f*) *Ad robur.*) Huc facit locus HORATII *L. I. Od. I. Manet venator ſub Iove frigido, teneræ conjugis immemor, ſeu Marſus teretes rupit aper plagas, ſeu cervus catulis viſa fidelibus.*

Digitized by Google

tem conduceret. Piſcatum vero *Plato Lib.* 3. *de Juſto. vix admiſit*; (*a*, quoniam piſcium in cibis uſum non admodum probabat.

## §. II.

### *De exercitatione armorum; & primo de vita militari.*

Succedit exercitatio armorum. Triplex enim ejusmodi exercitatio diſtingui poteſt. Alia, quæ in bellis ipſis peragitur; quomodo *veterani* (*b*) milites vere exercitati dicuntur. Alia eſt exercitatio hæc ludicra & umbratilis, de qua nunc dicimus. Alia media eſt, quæ cum periculo peragitur & ſanguine, interdum etiam (ſed raro) morte; cujusmodi erat Peruſii olim, quam deſcribit exacte & commendat ſummopere Campanus, ſcriptor geſtorum Bracchii. Quampiam ejusmodi periculorum plenam exercitationem jubet Plato. Exercitatio, quæ in bellis ipſis fit, vitam militarem conſtituit, quæ ſuapte natura animoſitatem affert; pro licentia quoque & potentia *rapacitatem & inſolentiam*, (*c*) niſi ſevera diſciplina coërceatur. Etenim qui potentiores ſunt, agreſtibus facile ſe dominis ſimiles præbent, (ut Plato dicit lib. 3. de Juſto) niſi *diſciplina* (*d*) cohibeantur. Evadunt etiam proni in ſtupra & in libidinem, tum ob eandem potentiam & licentiam; tum quod bellicoſi homines *venerei* (*e*) quoque, unde Martem Veneri junxere Poëtæ, ut refert ac recipit Ariſtoteles *Lib.* 2. *Polit. cap.* 7.

## §. III.

### *De ludicra exercitatione armorum.*

Exercitatio armorum media ad diſciplinam pædiamque ſpectat, non ad hunc locum. Reſtat itaque *exercitatio ludicra*, (*f*) & equeſtris, & pedeſtris, Nos hanc, præſertim pedeſtrem, italice vocamus *laſcherma*, & *ſchermidore*, qui eam exercet. Oritur vero dubitatio; utrum ad fortitudinem ipſa conferat, an contra obſit. Vulgo enim dicunt magiſtros ejusmodi artis, qui in ea quam plurimum profecerunt, ignavos eſſe ac timidos, ſi in veram pugnam veraque pericula inciderint; idemque antiquitus penes Platonem Laches. Verba ſunt. *Quaſi enim dedita opera nullus unquam in bello illuſtris evaſit eorum, qui his ludis incubuerunt; quamvis in cæteris omnibus proficiant maxime, qui ſe frequenter exercent, ſoli tamen hi præter cæteros ad hoc voti impotes ſunt; usque adeo infortunati videntur.* Dicendum tamen: conferre ſtudium, & exercitationem ad fortitudinem, & animoſitatem, primo ratione motus ipſius, & exercitationis corporis, quæ, ut vidimus, ad robur tum corporis: tum animi facit, cum præſertim partes exerceantur ſuperiores, unde & ſpiritales, & viſcera incaleſcunt, adeoque & humores. Quocirca in cor quoque calidior ſanguis influit. Ratione item peritiæ confert. Ex peritia vero adjuvari fortitudinem argumento eſt militaris fortitudo, quæ ſecundum Ariſt. 1. *Ethic. c.* 8. ex peritia naſcitur. Vidimus etiam viros certaminum ejusmodi periſſimos fuiſſe, animoſitate inſignes. Sylvius Piccolomineus celeberrimus tota Italia, qui peritia hac certandi fuit fortis admodum, etiam ex pluribus *duellis veris*, (*g*) non umbratilibus, gloriam reportavit: ſed in publicis quoque bellis militari nedum, ſed imperatoria quoque laude floruit. Pandulphus Spranius, civis noſter ex nobili familia, ſtabili quadam animoſitate fuit inſignis, inque periculis ac pugnis multis ſpecimen præclaræ virtutis exhibuit. Erat idem certandi ac degladiandi

(*a*) *Vix admiſit.*) Hinc PLUTARCHUS in libello *de induſtria animalium* Oper. T. I. p. 147. 148. ſcribit: *Iterum iterumque Plato legibus edicit, imo magis adeo votis flagitat, venatus maritimi ſtudium juvenum animos ne unquam inceſſeret, in quo virium exercitatio nulla, nullum ſapientiæ ſtudium, nec eorum, quæ vel roboris vel pernicitatis vel agilitatis parandæ gratia tolerant homines, in iſto cum lupis, congris, ſcaris congreſſu quicquam reperiatur. &c.*

(*b*) *Veterani.*) Hos vocat HORAT. multo jam fractos membra labore milites. Inſolentes autem plerumque ſolent eſſe, ut patet ex CORNELIO in *vita Eumenis: Namque illa*, inquit, *phalanx Alexandri M. quæ Aſiam peragraverat deviceratque Perſas, inveterata tum gloria, tum etiam licentia, non parere ſe ducibus, ſed imperare poſtulabat, ut nunc veterani faciunt noſtri.* Conf. JUSTINUS L. 14. Horum Alexandri veteranorum multi annos erant nati ſeptuaginta, nullus autem ſexagenario minor, teſte PLUTARCHO in *Eumene*.

(*c*) *Rapacitatem & inſolentiam.*) Hinc CÆSAR de *bello Africano Lib.* Cap. 85. dicit, *multos e proelio ſe recepiſſe, ne a militibus, qui ex victoria ſibi licentiam immoderate peccandi aſſumſiſſent, impunitate propter maximas res geſtas, interficerentur.* Conf. Salluſtium in *bello Catilinario.*

(*d*) *Diſciplina.*) Prudentia Caſſii Longini in remittenda diſciplina militari laudem meretur, de quo CÆSAR in *bello Alexandr.* Cap. 48. ſcribit: *Multa & magna proemia ſingulis conceſſit, quæ ſpecioſum reddebant præſentem exercitus amorem: paulatim tamen & occulte militarem diſciplinam ſeveritatemque minuebant.* Idem CÆSAR *l. c. c.* 65. ex Suria ut Romam ſe conferret, allatis nunciis, ſe coactum vidit, quod ambitione atque indulgentia tribunorum militum, multa contra morem conſuetudinemque militarem fierent, quæ diſſolvendæ diſciplinæ ſeveritatisque eſſent.

(*e*) *Venerei.*) Laudatur tamen Alexandri M. abſtinentia apud CVRTIVM *Lib.* 3. *cap.* 12. *Ita ſe geſſit*, inquit, *ut omnes ante eum Reges* & continentia & clementia vincerentur: virgines & reginas excellentis formæ tam ſancte habuit, quam ſi eodem, quo ipſe, parente *genitæ eſſent. Conjugem ejusdem, quam nulla ætatis ſuæ pulchritudine corporis vicit, adeo ipſe non violavit &c.* Notandum, Romanos haud fere quenquam minorem 17. annis aut 46. majorem, militiæ aut tyrocinio adſcribi voluiſſe, quod circa eam ætatem aut ſupra, velut immaturos aut præduros & effrenos, militiæ rudimentis minime idoneos putarent. Vid. BLONDVS L. 6. *Rom. triumph.* ALEX. ab ALEX. *L. I. c.* 20. COEL. RHODIN. *L. II. c.* 1.

(*f*) *Exercitatio ludicra.*) Apud Romanos adoleſcentes, alioquin otio marceſcentes, diſciplina militari inſtruebantur, quorum nomina ex juniorum tabulis excipientes, ab anno 17. ad 26. primo pro patria, certis datis cuſtodibus & militiæ magiſtris, dimicare cogebantur. Qui ſi militiæ ſe non obtuliſſent, publice, ut terræ inutilia pondera, damnabantur, & hinc LIVIVS Lib. 17. ſcriptum reliquit, omnes adoleſcentes 17. annos natos ærarios eſſe factos, eo quod militare noluiſſent. Conf. BLOND. L. 6. *rom triumph.* ALEX. ab ALEX. *L. I. c.* 20. Et SENECA ad *Lucil. Ep.* 88. ſcribit: *Iuventutem majores noſtri rectam exercitaverunt, haſtilia jacere, ſudem torquere, equum agitare, arma tractare. Nihil liberos ſuos docebant, quod diſcendum eſſet jacentibus.*

(*g*) *Duellis.*) De duellis vide RACHELIVM, VISCH. PAVL. VOETIVM, MAVRITIVM peculiaribus Diſſertationibus, & quos allegat GERHARD Diſſ. *de duellis*, item MADERVS de *duellis*, DATTIVSQVE in indice verbo: *Duellum. L.* V. tit. 14. de *clericis pugnantibus* in *duello*. Egregia duelli deſcriptio occurrit apud CVRTIVM *L.* 9. c. 7. in fine, ubi Horrata & Dioxippus congrediuntur. Et niſi poëtica diſplicent, apud VIRGILIVM *L. XII. Aeneidos*, ubi Turni cum Aenea monomachia vivis quaſi coloribus depingitur,

Digitized by Google

andi peritiſſimus. Corbis penes Livium libro 28. peritia ejusmodi videtur ſuperaſſe Orſuam, idque expreſſiſſe Livius illis verbis: *Major Corbis uſu armorum & aſtu, facile ſtolidas vires minoris ſuperavit.* Quo ad opinionem vulgarem, quam & Laches expreſſit penes Platonem, fateri oportet, non ſufficere hanc ſolam exercitationem ad comparandam animoſitatem. Aliud eſt enim conferre, aliud ſufficere ad quippiam acquirendum; unde, qui nunquam *ex umbratili ad veram* (a) pugnam tranſierunt, hi certe, ſi in veram pugnam inciderint, ex ea ſola exercitatione non veram virtutem repræſentabunt; niſi ſuapte natura & naturali fortitudine fortes fuerint. Ex hac cauſa naſcitur interdum exercitationis hujus infamia, cum in hominem natura timidum cadit. Naſcitur etiam ex alio capite. Nam cum peritiam pugnandi afferat, adeoque quandam ex peritia fortitudinem, ſi incidat exercitatus in adverſarium, quem ſuſpicetur æque vel magis peritum, timore opprimitur: ut de militari fortitudine dicebat Ariſtoteles accidere. Novitas præterea perturbat hominem. Exemplo rem declaremus. Porcius Latro declamator, ut Quintilianus refert, cum in ſerium judicium ex ficto deſcendiſſet, offenſus novitate loci, adeoque initium non inveniens orationis, petiit, ut ſubſellia ex dio in baſilicam transferentur. Major autem eſt novitas ex nullo in proximum mortis periculum venire. Unde etiam ſi non fugiant, hærebunt tamen & torpeſcent ab initio exercitati, quod illis vitio vertetur ab inſpectantibus. Hæ ſunt cauſæ, quamobrem exercitatio armorum umbratilis male audit, at immerito; nam non ex peritia procedit hæſitatio, quinimo imperiti & inexercitati multo magis hærebunt ſi fuerint, in cæteris pares: verum non æque in illis attenditur & reprehenditur timor atque in exercitatis; a quibus vulgus propter peritiam requirit veram & abſolutam fortitudinem, quam nulla pacis exercitatio exhibet. Prudentiſſime enim Theodoricus Rex penes Caſſiodorum lib. 3. Variarum prima epiſt. *Ferocia corda longa pace molleſcunt.* (b) *Cavete ſubito in aleam mittere, quos conſtat tantis temporibus exercitia non habere. Terribilis eſt hominibus conflictus, ſi non ſit aſſiduus.*

## CAPUT OCTAVUM.

### *De Muſica, Practica nempe vocata.*

### §. I.

*Tria in Muſica contineri, quietem corporis, voluptatem, figuram.*

Inter ſedentarias vero artes liberales primo occurrit *Muſica*, (c) utpote quæ a politicis Gymnaſticæ ex altera parte in diſciplina ac pædia opponatur.

Tria ipſa continet, corporis quietem, vel lenem omnino motum, voluptatem & figuram. Quietem dico lenemve motum ipſius Muſici. Nam in ſonis inſtrumentorum ex nervis artificioſa ſolum motione manuum utitur; in cantu vocis ac vocalium inſtrumentorum motu; in tibiis & id genus inſtrumentis, motione itidem ſpiritalium organorum, vehementiore tamen. Qui omnes motus præ motu, qui ad animoſitatem requiritur, quietis loco haberi jure poſſint.

*Voluptas*, (d) quæ ſecundo loco numerabatur, eſt, quam, tum qui canit, tum qui audit, ex concentu percipit. Quoniam vero voluptas remiſſionem animi cum cordis dilatatione efficit, ideo Muſica

(a) *Ex umbratili ad veram.*) Huc primos ludorum torneamentariorum conditores reſpexerunt, de quibus vide RIXNERI librum *de torneamentis*, quamvis innumeris erroribus ſcateat, a BURGEMEISTERO in *bibliotheca equeſtri*, noviter editum, & quos citavi in Diſſ. mea *de ſtatu nobilitatis germanicæ.* Quibus omnino conferatur elegantiſſima Diſſertatio BURC. GOTHELF. STRUVII, præſide GEORG. SCHUBART Jenæ 1689. habita: *de ludis equeſtribus, von Thurnier-und Ritter-Spielen.* Quondam omnia Torneamenta a Papis & Conciliis prohibita erant, dein excepta ſunt torneamenta, quæ fiunt ad exercitium & præparationem ad bellum ſacrum per Ioh. XXII. Vide *extrav. Johannis un. tit. de torneamentis.* De diſtinctione inter torneamenta noxia & innoxia vide GONZALEZUM n. 6. *ad tit. Decretal. de torneamentis.* Qua eadem diſtinctione quoque uſi ſunt Papæ circa concertationem taurorum in Hiſpania. WAGENRECK ad dict. titulum.

(b) *Pace molleſcunt.*) Ita TACITUS de Germanis ſcribit: *Si civitas, in qua orti ſunt, longa pace & otio torpeat: plerique nobilium adoleſcentium petunt ultro eas nationes, quæ tum bellum aliquod gerunt.* Et bene Menedidi reſpondit Epaminondas: *Fallis*, inquiens, *verbo cives tuos, quod hos a bello evocas. Otii enim nomine ſervitutem concilias, nam paritur pax bello. Itaque qui ea diutina volunt frui, bello exercitati eſſe debent.* Vide CORNELIUM *in vita Epaminondæ.*

(c) *Muſica.*) Ad hoc Caput omnino evolvendus PLUTARCHUS in *libello de Muſica* T. II. Oper. p. 20. ſq. qui Muſicæ tres facit partes *d. l. p.* 24. diatonum, chroma & harmoniam: CAROLUS VALGULIUS autem *in Plutarchi Muſicam l. c. p.* 269. partes muſicæ facit harmoniam, rhythmicam, metricam, organicam, poëticam, ſaltationem: quarum partium artifices omnes Muſici appellarentur, ſed poëtas & poëticam per excellentiam. Magnam quoque lucem huic capiti illuſtrando fœnerabitur OLIZAROVIUS de *polit. hom. ſocietate Lib. I. Cap.* 10. §. 7. qui *de Muſica* agit. Muſicam apud gentiles potiſſimum ſacrificiis adhibitam eſſe conſtat; unde HOBBES in *Leviathane P. 2. de civitate Cap.* 31. dicit: *Quod gentes imagines pro Deo coluerunt, fecerunt abſurde; Sed quod carminibus & Muſica, tum vocali tum organica id fecerint, laudabile erat.* Veteres Græci Geometriam & gnomonicam, Muſicam ceteraſque item diſciplinas altiores *μαθήματα* appellaverunt, teſte A. GELLIO in *noct. att. L.* 1. *c.* 9. *p.* 17 Miranda quoque narrat idem GELLIUS L. 4. cap. 13. de modulis tibiarum, eos viperarum morſibus mederi exquiſitiſſimosque dolores mollire. *Tanta*, inquit, *eſt affinitas corporibus hominum mentibusque, & propterea quoque vitiis aut medelis animorum & corporum.* Apponamus & locum LEIBNITII *ex miſcellaneis* ejus §. 69. p. 171. *Militaribus tubis ad contemnendam mortem animantur milites, & omnes affectus arte muſica moveri poſſunt.*

(d) *Voluptas.*) Itaque Agis apud PLUTARCHUM in *ejus vita T. II. Oper. p.* 146. Leonidæ optimo jure reſpondit: *Quonam pacto vituperare nos audes, qui mollitie atque luxuria, tum ſuperbia atque cupiditate purgare Spartam ſtudioſe conamur? quaſi illi non ob hanc cauſam* (ſermo paulo ante eſt, Lycurgum Ephorum duas ex novem chordis, quas in cithara Muſicus Phronides habebat, dolabra abſcidiſſe) *in muſicis cantibus licentiam ac voluptatem nimiam compeſcere voluerint, ne ab hujusmodi cantibus deliniti civium animi, ad eos mores vitamque prolaberentur, quæ peſſimam ſibi ipſi atque diſcordem civitatem efficeret.* Imo quendam Muſicum arte ſua homines in furorem agere potuiſſe, narrat OLIZAROVIUS *l. c.* comprobatque ipſius Daniæ Regis Erici exemplo, quod meretur legi.

Digitized by Google

Muſica omnis *remittit animum*, (*a*) facitque homines ei perpetuo vacantes *Animo* ( ut dicit Comicus ) *omiſſo*.

Tertio loco eſt figura ſeu figuratio ſpirituum; quam operantur harmonia & rithmus pro variis ſui figuris. Figuræ enim Muſicorum concentuum variæ ſunt; aliæ querulæ, aliæ vinolentæ ac molles, aliæ conſtantes & fortes, aliæ moderatæ ac temperatæ. Ita Plato in ſecundo de Juſto: querulas dicit & Lydias miſtas, & Lydias acutas: vinolentas & molles vocat *Lydias, & Ionicas:* (*b*) fortes *Phrygias:* (*c*) moderatas ac temperatas Doricas. Reprehendit diviſionem Ariſtoteles: at in præſentia non eſt, cur diſcrepantiam tantorum virorum conſiderem: ſat eſt mihi id, in quo conveniunt, plures eſſe figuras concentuum, quæ ſingulæ in ſpiritus ſui ſimilitudinem imprimunt. Spirituum enim tenuis materia ac ſpiritalis, a ſpiritali Muſicæ motu agitatur & figuratur. Et nedum in hominibus, ſed *in equis* (*d*) quoque, quid ſoni poſſint, tuba demonſtrat. *Infantes cantu* (*e*) ſedantur. Nos ipſos tubæ & tympana in arma accendunt. Memini me in adoleſcentia meditantem quondam monomachiam, ſono barbiti per hypates confirmatum & accenſum. Quæ de Pythagora ſcribit Cicero, & poſt eum Boëtius, *de Muſic. c.1.* qui & alia ſubjungit, idem demonſtrant. Statuatur hoc itaque: *figurari vario modo ſpiritus* (*f*) noſtros ab harmonia, pro varia ipſius figura. Quæ etiam propoſitio ad rithmos ac numeros extendatur. Muſicæ figuras, & ex illis animi noſtri figurationem, tanti fecit Plato, ut mutationem Muſicæ abſque mutatione reipublicæ fieri non poſſe crediderit.

## §. II.
### *Mores ex muſica.*

Muſicæ ergo, qui ſe totos dediderint, ex corporis quiete, & ex jugi inſtillatione voluptatis, mores remiſſos ac deſides contrahunt, imbelleſque ac ignavi efficiuntur; præſertimque ſi figuræ harmoniarum & rithmorum molles fuerint & remiſſæ.. Audiamus Platonem. *Quicunque*, inquit, *permittit, ut Muſica animum ſuum aſſidue circumſonans occupet & demulceat, per quem aures veluti per infundibula harmonias infundat, quas ſupra commemoravimus, blandas, ſuaves, molles, ac flebiles, atque ætatem ſuam in modulis animum delinientibus conſumit, is primum quidem, ſi quid iracundum habebat, tanquam ferrum demollit, & utile ex inutili duroque efficit. Quando autem incumbit diutius, magis demulcet: poſt hoc magis jam liquefacit animum & reſolvit; donec deſtillando exhauriat animoſitatem omnem, excidatque tanquam nervos ex animo; ex quo animum quaſi ſegnem militem efficit.* Hæc ille. At quid, ſi totam vitam ponat in Muſica, ſed in modis virilibus & bellicoſis, Doricis, v. g. ac Phrygiis ſive quicunque illi ſint? Reſpondeo: modos ipſos per ſe in bellicoſum affectum ducere: verum ratione quietis corporis, & voluptatis jugis, quam infundit in animum muſica, reſolvere demum animum, & imbellem reddere hominem. Et rationi atteſtatur inductio, ſeu communis hominum quædam æſtimatio. Neque enim crederet quiſpiam, hominem perpetuo Muſicæ vacantem, etiamſi Phrygiæ, & ceſſantem ab omni bellica exercitatione, ab omnique robuſta corporis motione, & marceſcentem otio, niſi illiberali ſaltem immodico, fortem & in periculis conſtantem evaſurum. Et ut ignavus homo ac miles ex tubæ ſonitu non incenditur ad pericula, ſed frigidus manet in præcordiis animus: ita demum innutriti ejuſmodi hominis animus nullam ex figuris harmoniæ bellicam figuram, quæ ſit ullius momenti, ſuſcipiet. At contra, in animoſo per ſe homine plurimum efficient bellicoſi modi. Alexandrum Magnum ad arma usque rapienda commoverunt: non æque impuliſſent Demoſthenem. Concludamus. Muſica eos, qui ſe totos illi tradunt, quicunque modi exerceantur, enervatos animo ac molles imbelleſque reddit; eos autem, qui pro occaſione Muſicam audiunt, pro variis modis ac figuris varie diſponit. Licet autem Muſica, qui perpetuo illi vacant, molles omnes ac effœminatos reddat, facilius tamen & expeditius enervat eos, qui molles modos ſectantur. Proindeque eorum præſertim meminit in exſcriptis paulo prius verbis Plato.

§. III.

(*a*) *Remittit animum.*) THUCYDIDES, Lacedæmonios ſummos bellatores, non cornuum tubarumve ſignis, ſed tibiarum modulis, in proeliis uſos eſſe, refert, ut animi moderatiores modulatioreſque fierent, quod tibicinis numeris temperaretur. Nihil adeo in congrediendis hoſtibus atque in principiis proeliorum ad virtutem ſalutemque aptius rati, quam ſi permulcti ſonis mitioribus non immodice ferocirent. Quæ fuſius enarrat A. GELLIVS *in noct. attic. L. I. Cap. II.*

(*b*) *Lydias & Jonicas.*) De his figurarum modis videndus PLUTARCHUS l. c. libello *de muſica.* Damonem Lydiam harmoniam excogitaſſe, multis citatis auctoribus, docet MAGIUS *in Comment. ad vitam Epaminondæ Cornelii p.m.* 117.

(*c*) *Phrygias.*) Plato, referente id PLUTARCHO *in Politicis*, modulationem & cantum tum Lydium, tum vero Phrygium adimi adoleſcentibus oportere, quos liberaliter inſtitutos velis, dixit, quod alter luctu atque conqueſtionibus dejicit atque affligit animum, alter ad libidinem & luxuriam irritat & præcipitem agit.

(*d*) *In equis.*) Conf. OLIZAROVIUM *l. c. Lib. I. c.* 10. §. 9. *p.* 92. Hinc VIRGILIUS L. III. Georg. canit;

*Sin ad bella magis ſtudium, turmaſque feroces;*
*Primus equi labor eſt, animos atque arma videre*
*Bellantum, lituoſque pati.*

(*e*) *Infantes cantu.*) APHRODISÆUS *in quæſtion. phyſicis n.* 121. de hoc ita ſcribit: *Infantes nutricis cantum audientes, vagitum ſiſtunt, mox etiam dormiunt:* quia ſubſtantia Muſicæ, quemadmodum & ſcientiæ arteſque ceteræ animo ſit inſita, quemadmodum & igni calor eſt inſitus; quomodo & PLATO ait: *Reminiſci animum noſtrum ſcientias, non diſcere. Audiens igitur animus hujuſcemodi canticum, qua quidem reminiſcitur, quieſcere infantes cogit; qua vero oblectatur, in ſomnum allicit. Movent autem nutrices infantes, cum iis ſomnum alliciunt, ut humores motu fuſi cerebrum moveant. Idem tamen tolerare non poſſunt adulti.*

(*f*) *Figurari ſpiritus.*) Hoc illuſtrat incomparabilis de Muſa locus apud BALTH. CASTILIONEM *in aulico Libro* 2. *p. m.* 107. ubi de muſicæ varietate, & quatenus conveniat aulico, agit.



Digitized by Google

### §. III.

*Additio de animoſis natura.*

Refert etiam plurimum, quales ſint homines naturali virtute aut vitio, ad id, ut facile difficileve a Muſica diſponantur. Audiamus, quid de animoſis ſuapte natura dixerit Plato loco paulo antea indicato. *At ſi a principio* (inquit,) *hominem nacta ſit* (Muſica nempe perpetua) *natura ſive animi robore, cito hoc perficit: ſin autem animoſum, vires animi frangens, ad iram reddit præcipitem, ut nimis quibusque offenſiunculis irritetur, ac facile iterum efferveſcat, unde ex animoſis iracundi atque moroſi effecti ſunt, moleſtia & faſtidio pleni.*

# CAPUT NONUM.

## *De ſaltatione & chorea.*

### §. I.

*Præmittuntur quædam de rithmo & harmonia.*

Ex his corollarii loco de ſaltatione dicere & decernere licet. Erat ipſa inter motiones reponenda, ut vere motio eſt. At quoniam ſonum etiam includit, & interdum cantum (ſeu melius dicamus, includere ipſam ſemper rithmum, numerumve, interdum & harmoniam) ideo non niſi poſt hunc locum decernere de ipſa licuit. *Saltatio ergo* (*a*) alia *absque ordine ullo* (*b*) eſt & numero: alia ordinata & numeris aſtricta, quæ vere ſaltatio dicitur, nosque italice (*ballo*) vocamus. De hac in præſentia loquimur. Quoniam autem rithmus aliqua conſpicua ratione repræſentari debet, ſono id fit, Quod ſi ſono jungatur cantus, tum chorea eſt: quam ideo Plato, *Secundę de Ariſt. in princ.* ex harmonia & rithmo, exque tripudio & concentu, conſtare voluit. Antiquitus etiam noſtri jungebant rithmum & cantum illarum odarum, quas ob id *ballate*, italica voce dixere; quas & ſono eguiſſe aſſerit Dantes; nempe eas aliquo ſonante ſaltabant ſimulque cantabant. Quid ſit rithmus, quid harmonia, alibi diximus. De rithmis in Rhetorica noſtra, & latius in tractatione ſeorſum de hoc ipſo argumento. De harmonia in Muſicis noſtris. Ex eis locis petantur. Interim ſatis ſit dicere: rithmum latine pedem eſſe, ex proportione grata, tardi & velocis, harmoniam autem ex proportione grata, gravis & acuti. In cantu utraque proportio includitur. Tarditatem autem & velocitatem varietate notarum noſtri exprimunt; quarum aliæ maximæ, aliæ longæ, aliæ breves, aliæ ſemibreves, aliæ minimę, alię ſemiminimæ, aliæ chromæ, aliæ ſemichromæ dicuntur. Acumen & gravitas ex ſitu earundem; ut ſunt in altiore aut humiliore linea, ſpatiove. Inſtrumenta, quorum unica ſemel chorda tangitur, ſingula potius rithmos continent, quam harmoniam: at quorum plures ſimul pulſantur chordæ, illa & rithmos & harmoniam includunt. Quod ſi ſonis cantus jungatur, multo fit evidentior rithmorum & harmoniæ commixtio: in quarum commixtione & conjunctione poſuit Plato choream, & in definiendis rithmo ac harmonia, pro grata proportione ordinem dixit, at pro tardo ac veloci motum adhibuit. Ordinem enim, qui in motu rithmum definivit: & Harmoniam, ordinem in acuto & gravi contemperato in voce. Ubi vocem ad inſtrumenta etiam muſica nedum ad cantum extendere oportet, ſecus non complecteretur definitio totum definitum. Verum de his alibi, ut dixi. Nunc autem de ſaltatione cum ſono, ſive jungatur cantus, ſive non, loquamur. Qua in conſideratione rithmus præſertim attendendus: de quo alibi late egi.

### §. II.

*Quæ ſint ſaltationis partes*

Quæritur ergo: ſaltatio, ita ſumpta, quos mores ſuggerat. Primo vero diſtinguendi ſunt rithmi. Alii enim aliam morum figuram præ ſe ferunt; hi morem gravem & temperatum, hi bellicoſum, hi mollem, hi laſcivum & petulantem. Ejusmodi erat ſaltatio Ionica, de qua Horatius:

> *Motus doceri gaudet Ionicos*
> *Matura virgo, & fingitur artibus.*

Verum confuſius doctrina procederet, quam par ſit, niſi partes ſaltationis amplius diſtinguerentur. Tres ſunt ex Plutarcho: *In quæſt. convival.* Phora, Schema, Dixis; quæ græce voces latine reddentur; Motio, Figura, Demonſtratio. *Motio* rithmis conſtat, qui plures ſunt. Totidem enim quot pedes in

(*a*) *Saltatio.*) De ſaltationum modis, ſpeciebus, figuris & nominibus vide ATHENÆUM *L.* 14. PLATONEM *de legibus Lib. VII.* LUCIANUM *in Capite* περὶ ὀρχήσεως, & JUL. POLLUCEM *Lib. IV.* GALEOTUS MARTIUS *de doctrina promiſcua c.* 14. in Deorum honorem excogitatam fuiſſe ſaltationem, ſcribit: *Omnes enim planetæ*, inquit, *retrocedunt aliquando, excepto ſole, ut ideo apud* OVIDIUM:

> *Nitar in adverſum, nec me, qui cetera, vincit*
> *Impetus, & rapido contrarius evehor orbi;*

*Planetæ igitur ceteri progrediuntur ac regrediuntur & aliquando ſubſiſtunt, & hinc inventa eſt ſaltatio & chorea. Nam cum antiquitas ſpiritus illos ſeu angelos, ut Theologi dicunt, qui orbes planetarum rotant, coleret ut Deos, excogitavit quendam corporis noſtri motum in honorem Deorum per imitationem: nam ſaltantes in chorea progrediuntur duobus paſſibus, deinde regrediuntur per unum, & poſtea ſubſiſtunt cum quodam geſtu corporis: quod ad illorum imitationem factitarunt.* Sed credat Judæus Apella. Pertinuiſſe autem olim ſaltationem ad Deorum ſacrificia, inter alios oſtendit HIER. MAGIUS ICtus, in notis *ad Bucolica Virgilii.* Ipſe Davides apud Hebræos ante arcam foederis in Dei M. honorem ſaltaſſe & luſiſſe dicitur. Sam. 2. cap. 6. Paralit. *L.* I. c. 13. 15. Verum Michal Saulis filia hunc graviter ſaltantem & ludentem proſpiciens deſpexit, ut cit. cap. 15 & 16. legitur.

(*b*) *Absque ordine ullo.*) Hos Horatius effert *in morem ſalium.*

in arte metrica; qui usque ad quadriſyllabos ſunt 28. biſyllabi quatuor, triſyllabi octo, quadriſyllabi ſexdecim. Quorum Pyrrichius pes facit ſaltationem Pyrrichiam, Trocheus chordacem. *Figura* autem eſt *ex geſtibus* (*a*) in ſaltando corporis; qui geſtus & ipſi rithmis iisdem, qui pedibus ſaltantur, peragi debent. Qui certant armis, ut Pyrrichium ſaltantes, concertatio illa eſt figura. Vidi ego hiſtrionem rithmis canentem: erat ea figura ſaltationis. Pariter, ſi fœmina ſaltando criſſaretur, ſeu criſſantem imitaretur, figura tum quoque eſſet criſſationis repræſentatio. *Demonſtratio* autem dicitur ſignificatio perſonæ, quam ſaltator repræſentat: utrum Venerem ſcilicet, an Palladem, an Junonem, an Paridem referat. Quæ repræſentatio veſte & ornatu corporis, comitatu præterea, indicabatur. Paris paſtorali ornatu; Mercurius caduceo alis & virga; Minerva galea & oligenea corona, ut penes Apulejum, de aſino aureo lib. 10. Pedes ergo, ſeu rythmi, alii concitati, ut pyrrichii; alii graves, ut ſpondæi; alii ludibundi, ut trochæi. attamen non ex ſolis illis turpitudinem honeſtatemve ſaltatio ſumit, ſed ex figura præſertim, ex qua idem pes laſcivus eſſe poteſt & militaris. Anapæſtus, ſi quis veneream impreſſionem imitetur, laſcivus omnino eſt turpisque: contra ſi militarem impreſſionem, eſt bellicoſus. Unde Lacedæmonii neque ullam militarem hortationem adhibebant abſque anapæſtis pedibus. Pyrrichio pede armatas ſaltationes peragebant, ut concitato pede & ad percutiendum apto. Attamen, ſi quis eum in aliam figuram abduceret, (abduci autem poteſt) continuo alium morem repræſentaret. Turpitudo integra ergo honeſtasque ſaltationis ex rythmo & figura naſcitur. Demonſtratio dixisve adjuvant, non faciunt honeſtatem aut turpitudinem. Dum nudus cevebat inter ſaltandum Heliogabalus, nuditas fœditatem augebat ſaltationis turpiſſimæ. Diſtinguamus ergo ſaltationes ex partibus ejusmodi. Alias honeſtas evadere; quarum hæ temperatæ ſunt, hæ bellicoſæ. Alias turpes; quarum hæ laſcivæ & molles, hæ inſolentes ac feroces, hæ vinolentæ & petulantes ſunt, aliquæ ludibundæ; quæ *pro loco & perſonis*, (*b*) & permitti poſſunt, & vituperari debent. Ita diſtinctis ſaltationibus, in præſentia quæramus nunc mores. Interim varias ſaltationum figuras legere quis poteſt penes Athenæum lib. 14. c. 11.

## §. III.

*Qui mores ex ſaltatorio ſtudio.*

Saltationes ſane pro motibus corporis, magis ad robur corporis & animi firmitatem faciunt, quam Muſica; & ſi figura concitatæ & bellicoſæ ſaltationis acceſſerit, multo magis. Attamen cum voluptuaria demum *vita ejusmodi ſaltatorum* (*c*) ſit, hæc eſt ſtatuenda concluſio. Qui ſe totos ſaltationibus darent, tandem in deſidem, ac imbellem animi habitum reciderent. Ratio vero eſt: quoniam jugis ea voluptas animum laxando, in habitum ejusmodi remiſſum tandem eos redigeret. Minor tamen ejus eſſet, quam Muſicorum remiſſio ob corporis motum adeoque robur, ac ſpirituum ex motu calorem. Secundo deinde loco dicendum, qui pro occaſione ſaltationibus uteretur bellicoſis, ex illis ad animoſitatem excitatum iri. Unde anapæſto utebantur in impreſſione Lacedæmones. Id ſignificant Ciceronis *Lib. 2. Tuſcul.* proxime indicata verba; *Militiam vero noſtram dico Spartiatarum; quorum procedit ad modum, ad tibiam, nec adhibetur ulla ſine anapæſtis pedibus hortatio.* Pro Figuris pariter aliis ad alios mores diſponerentur; ut Ionica ſaltatio ad venereos diſponit. Retinenda eſt tamen ea animadverſio, quam antea cap. 7. §. 3. ex Caſſiodori verbis poſuimus.

# CAPUT DECIMUM.

## *De Philoſophia.*

## §. I.

*Communia præmittit.*

Jam ad literarias vitas transeamus, primoque occurrit Philoſophia. At illa præ cæteris ſtatuenda, quæ ſunt communia omni literario ſtudio vitæque. Sunt autem: *primum:* otium ſtudiorum pro quiete, quam exigit, enervare corpus, & animum remittere, quod antea dictum fuit. *Secundum:* ſtudia eadem, pro dogmatibus, quæ inſerunt, movere ac diſponere animum. Ut ſi quæ ars ſuadet lucro jugem operam eſſe navandam, qui arti incumbit ita ſuadenti ad lucrum diſponitur: ſi lectio commendet gloriam, in eam lectionem longo ſtudio intentus gloriæ cupidus evadit: idemque de cæteris dixeris. *Tertium* demum eſt: voluptatem, quæ ex ſtudiis percipitur, ſolidiorem eſſe, quam quæ ex Muſica & ſaltatione per ſenſus hauritur, minusque adeo ex ipſa remitti animum: attamen pro tenore, qui in bellicis periculis requiritur, amplius quam par ſit, remitti.

§. II.

(*a*) *Ex geſtibus.*) ARISTOTELES *in Probl.* & *in Poët.* cauſſam affert, cur hiſtriones omnes ferme ſint improbis moribus. Et hoc ipſis uſu venire ait, quod turpes actus imitentur. Exigua ſane imitatione habitus conflatur & inoleſcit, qui mores repræſentatos hiſtrionibus conciliat.

(*b*) *Pro loco & perſonis.*) Ita Cicero Gabinio viro conſulari non ſaltationem ſimpliciter, ſed ſaltandi peritiam immodicam, qua ſibi nimium placebat ſeſeque efferebat, exprobravit: tametſi idem *in oratione pro Murena* ſic loquatur: *Nemo ſaltat ſobrius, niſi forte inſaniat, neque in ſolitudine, neque in convivio moderato. Intempeſtivi convivii immoderati joci comes eſt iſta ſaltatio.* Saltatio non improbatur ab ARISTOTELE *in poët.* & PLATO *L. 3. de legibus*, duo ſaltationis honeſtæ genera ponit, unum quidem bellicum, quod Pyrrhichen: alterum pacatum, quod Emmeliam appellaverunt. Hic omnino conferendus MAGIUS ANGLARENSIS ICtus in *Commentario ad Præfat. Cornelii.*

(*c*) *Vita ſaltatorum.*) AUGUSTINUS dixit: *Præſtat arare vel fodere die dominico, quam choreas ducere.* An ſeni & aulico ſaltare conveniat, de eo vide BALTHAS. CASTILIONEM in *aulico* ſuo *L. 2. p. 108.*

§. II.

*De Philoſophiæ inſpectricis moribus.*

His communibus præmiſſis, ad Philoſophiam deveniamus, primoque ad inſpectricem. Hæc ergo pro ſuaviſſima & puriſſima voluptate, qua ſubinde perfundit animum, ab illecebris ſenſibilium voluptatum ac intemperatarum abducit; item ab amore divitiarum, quibus contemplator parum eget, ut Ariſtoteles perhibuit quoque 10. Eth. cap. 7. Ratione objecti vel dogmatis, non ipſa per ſe componit & temperat animum: (non enim ad mores extenditur:) attamen Plato *lib. 6. de Iuſto.* ex cauſali cognitione quadam exemplarique in mores influere vult, & Averroes *In proœmio 1. phyſicorum.* Alexandrum ſequutus.

Plato ergo exemplari quidem modo cognoſcere idæalem juſtitiam & honeſtatem, eamque deinceps in moribus hominum ac legibus pingere & colorare dicit lib. 6. paulo poſt medium. Et eodem libro in principio, a puſillanimitate longe recedere Philoſophiam vult; eo quod, cui ineſt cognitionis magnificentia, & totius temporis totiusque ſubſtantiæ contemplatio, humana vita magnum quid videri non poteſt. Quocirca neque mortem timebit. Vult eſſe veraces præterea Philoſophos, & temperatos, & liberales; at non ex cognitione id illis tribuit, ſed ex concitato ad rerum cognitionem ac veritatem impulſu, ardenteque veritatis univerſæ cupiditate.

At Averroes Alexandrum, ut perhibet, ſequutus, aptiusque & clarius eandem Alexandri ſententiam afferens Themiſtius in Phyſicorum prohemio (vel quod ſaltem Themiſtio adſcribitur) dicunt, eſſe juſtum Philoſophum, eo quod elementa & reliquas partes univerſi ſibi invicem cedere, & ſuum amare quamque ordinem æquabilitatemque ſervare geometricam videt: inde etiam ab avaritia removeri: *eſſe temperatum eo* (*a*) quod cognoſcit, voluptatem non eſſe accidens ſuapte natura bonum, ſed poſterius quippiam & ſubſequens, idque unde conciliatur multa præter naturam turpitudine eſſe commixtum & coinquinatum: eſſe fortem, quod cognoſcit hominem exiguam eſſe portionem univerſi, hominis ætatem ad totum tempus eſſe puncti inſtar, ut paucis annis aut prolatare vitam aut anticipare fatum nullius ſit momenti: demum vitam humanam, cum in ipſa nihil videat eſſe magnum, deſpicere: unde & fortem & magnanimum futurum: ad prudentiam præterea cognitionem animæ rationalis, quam ipſe a contemplatione de anima conſequitur, conferre: item cognitionem divinorum ad Dei amorem ducere. Hæc, hisque ſimilia habet Themiſtius, cui omnino conſentit Averroes.

Fateri tamen oportet, remotas moralium diſpoſitionum cauſas potius, quam propinquas eſſe, quæ dictæ ſunt: cognitio præſertim animæ a prudentia, quæ in particularibus verſatur, plurimum abeſt. Ad Dei admirationem & amorem & obſervantiam proxime rapit: at quæ DEus prohibeat jubeatque, attinentia ad mores humanos, non aperit inſpectrix Philoſophia, niſi ut in principiis. Naturalis Philoſophia nobiliorem eſſe rationem concupiſcibili & iraſcibili monſtrat, unde illam magis, quam has colendam, & exercendas has quoque non extirpandas admittet, cum nihil natura fruſtra faciat; quousque vero & quantum, non eſt a contemplativa petendum.

§. III.

*De Philoſophiæ activæ moribus.*

At Philoſophia activa ad mores jam ipſos deſcendit, & qui recti ac probi, qui pravi ſint, monſtrat: ſuadet etiam bonos, damnat malos. Unde apertum eſt, ratione dogmatis probos ipſam inſtillare mores: & experimur omnes, ex moralium librorum lectione animatiores nos ad probitatem exurgere. Horatius *Epiſt.* 1.

*Laudis amore tumes? Sunt certa piacula, quæ te*
*Ter pure lecto poterunt recreare libello.*
*Invidus, iracundus, iners, vinoſus, amator,*
*Nemo adeo ferus eſt, ut non miteſcere poſſit,*
*Si modo culturæ patientem commodet aurem.*

Prudentiam ſecundum communia principia ſubminiſtrat, at imperfectam, & ad agendum inſufficientem, niſi uſus & experientia acceſſerit; unde qui ex otioſo ſtudio morali ad agendum tranſit, niſi ipſe ſe ſuſtineat & peritiam interim quærat, offendere graviter interdum poterit.

§. IV.

*Dicta hucusque formaliter eſſe accipienda, non abſolute.*

Repetenda eſt hic non ſemel facta jam proteſtatio; loqui me nunc formaliter, & per ſe; nempe qui mores ſequantur Philoſophiam inſpectricem aut activam, ipſam per ſe ſumptam, & qua talis eſt, non abſolute. Cum aliæ multæ contrariæ cauſæ obſiſtere queant; temperamentum, educatio publica, interim privata, & cauſæ reliquæ Et quoad aliquam virtutem, puta fortitudinem, Philoſophiæ ipſius moralis ſtudium juge & perenne, ob longam quietem, & robori corporis & animoſitati præjudicio eſt.

§. V.

*Cauſa quamobrem, & tempore Platonis & Averrois, & noſtro, Philoſophi morum infamia laboraverint, laborentque.*

Plato fatetur, & affirmat Averroes, nos quoque videmus, Philoſophiæ profeſſores ut plurimum

(*a*) *Eſſe temperatum.*) Hinc apud DIOG. LAERTIUM *Lib.* VII. Zeno Antigono philoſopho ita ſcripſit: *Qui philoſophiæ amore ac ſtudio tenetur, declinatque celebrem illam & vulgarem voluptatem, qua quorundam adoleſcentulorum mores effeminat, eum non natura modo nobilitatem tueri, verum quidem virtutis inſtituto quoque manifeſtum eſt.*

mum ad *agendum ineptos*, (*a*) & morum etiam inquinatorum eſſe. Fatetur penes Platonem Socrates *Lib. 6. de Juſto.* qui ſe totos Philoſophiæ tradiderint, eos utplurimum abſurdos, a rebus hominum alienos, & prope iniquiſſimos evadere. Et Averroes *in proœmio Phiſicorum* quoque, cum prius oſtenderit, Philoſophiam reddere ſuapte natura homines virtutibus prædiṭos, fatetur tamen ſua tempeſtate contrario modo ſe habere ejus profeſſores. Plato vero cauſam rejicit in id, quod ingenia ſolum ſpuria Philoſophiam aggrediantur; cum homines ad eam facti & nati alio impellantur ab illis cauſis, quas ipſe doctiſſima & eloquentiſſima oratione enarrat; ad quem locum ablego legentem. Averroes in leges cauſam refert; ex quibus anſam ſuo tempore capiebant multi carpendi Philoſophos, ut civili vitæ prorſus ineptos. Noſtro autem ſeculo cauſa platonica præſertim obtinet; cum enim Philoſophia inepta ut plurimum reputetur ad civilia munia tractanda, præſtantes nobilitate & ingenio homines, ut ſunt honorum cupidi, & primorum in republica locorum, contemptam & rejectam a dignitatibus diſciplinam & ipſi ſpernunt. In Italia jurisprudentiæ frequentes ſe tradunt; humiliores homines & quæſtuarii Philoſophiam aggrediuntur ſeu lacerant potius; in gratiam enim Medicinæ, aut alterius ſcientiæ attingunt, ut inde lucra ſibi parent; & ita rem ſanctam ac venerandam degeneres homines turpi fine aggrediuntur, prophanoque uſu deturpant.

*Procul, ô procul, eſte prophani.*

Additur præterea, quod Philoſophiam moralem *Pſeudophiloſophi* (*b*) ejusmodi neque de limine ſalutarunt unquam; quod tamen plurimum exagitavit Cicero, eum ſe Philoſophum appellare, qui de finibus bonorum & malorum, id eſt, de ultimo vitæ fine ſtatuendo nihil omnino noverit. Verum, qui ſe penitus totum vitæ contemplativæ dediderit, non injuria a muneribus civilibus alienus dicitur; eo modo tamen, quo antea diximus, cum de felicitate ibique de vita contemplativa diſſeruimus. At qui & ingenio eſt philoſophico, & moralem inſpectricemque Philoſophiam pulchre tenet, facile, ſi ad munia civilia deſcendat, non magnaque experientia, aptiſſimus evadet illis exercendis, pro cognitione principiorum atque univerſalium canonum, quam ex ſtudiis habet jam ſuis. Id illi accidet, quod in re militari Lucullo contigit; de quo Cicero: *Itaque, cum totum iter atque navigationem conſumpſiſſet, partim in percontando a peritis, partim rebus geſtis legendis*, (*c*) *in Aſiam factus imperator venit, cum eſſet Roma profectus rei militaris rudis.* Poſtremum periculum ſerio Philoſophantium illud eſt, quod tetigit Plato, *lib. 7. de Juſto.* in præpoſtere tamen philoſophantibus, ſeque tempore incongruo, Dialecticæ ſcilicet, aut Metaphyſicæ applicantibus. Periculum vero eſt, ſi qui ingenio philoſophico, & ſtudio, præ ſumma veritatis cupiditate, nimii acuminis, ſeu vento actus, in ſcepticam opinionem delabatur: tum enim, cum ſpe ceciderit cognoſcendæ veritatis, quem ſibi finem ſtatuerat, puramque ideo voluptatem intelligendi deſperet, in ſenſibiles voluptates ſenex recidet, quas juvenis vitaverat; *absque enim voluptate* (*d*) aliqua nemo vivere ſuſtinet. Sic Phavorinus in vigente ætate pudicus, in ſenectute vitam in obſcœnam prolapſus eſt.

# CAPUT UNDECIMUM.

## *De Jurisprudentia.*

Ad Jurisprudentiam tranſeamus. Hæc quoque quietem corporis exigit, non tantam tamen, quantam Philoſophia pro multitudine librorum verſandorum: non ea tamen exercitatio eſt corporis, quæ ipſius robur ſervet. Emollitur itaque in eo quoque ſtudio corpus, & animus redditur imbellis: voluptas vero ex ſuavitate ſtudiorum minor multo eſt, quam Philoſophiæ. At pro dogmate, ſi Pandectas ipſas ſpectemus ac Codicem, demumque legum collectionem ac congeriem, hæc Jurisprudentia delictorum punitionem proponit, exteriorum tamen, perturbantiumque civilem ſocietatem; habituum non multam gerit curam: in univerſalibus ſolum principiis, honeſte vivere, neminem lædere, jus ſuum unicuique tribuere jubet. *D. Th. 1. 2. q. 96. art. 2.* Verum ut honores publicos ſtudioſis proponit, ſpemque obtinendorum exhibet, cupiditatem honorum promovet: dum interpretes autem conſideramus, lucri cupiditatem illi excitant; nam plurimos videas, primæque ſortis, qui jactent, lucrum magnum a ſe factum in materia fideicommiſſorum, vel in alia materia: quorum auctoritate incitantur ſtudentes ad eandem, quæ in divitiis, gloriam. Baldus. §. I.

(*a*) *Ad agendum ineptos.*) Hinc Ennianus Neoptolemus apud A. GELLIUM in *noct. att. Lib. V. c.* 16. deguſtandum ex philoſophia cenſet, non in eam ingurgitandum. Et CICERO ſine dubio de iſtis philoſophis loquitur, cum dicit, eſſe homines quosdam, qui ſe ita litteris abdiderint, ut nihil ex his, quæ didicerint, in lucem & ad communem afferre utilitatem poſſint. Senatus conſultum, quo Philoſophi & rhetores Roma pulſi ſunt, vide apud A. GELLIUM *L.* 15. *c.* 11. *noct. attic.* Innocentiam tamen philoſophorum oſtendit TACITUS *in vita Agricolæ: Expulſis*, inquit, *inſuper ſapientiæ profeſſoribus atque omni bona arte in exſilium acta, ne quid unquam honeſtum occurreret. neque in ipſos modo auctores, ſed in libros quoque eorum ſævitum, delegato triumviris miniſterio, ut monumenta clariſſimorum ingeniorum in comitio ac foro urerentur.*

(*b*) *Pſeudophiloſophi.*) Qui ſint philoſophi veri & falſi, ex Epicteti ſententia, affert AUL. GELLIUS *noct. attic. L. I. cap.* 2. Quibus verbis Herodes Atticus philoſophi nomen cultu habituque mentientem notaverit, vide apud Eundem *Lib* 9. *c.* 2. Meretur quoque legi character egregius jactabundi philoſophi, qui multa atque immodica de philoſophiæ doctrinis intempeſtive atque inſubide diſſerebat, & ſyllogiſmorum captionumque dialecticarum laqueis, (ut ſonant verba) ſtrepebat, apud eundem *l. c. L. I. c.* 2.

(*c*) *Rebus geſtis legendis.*) Hoc tamen ipſi experientiæ bellicæ longe poſtponit Marius apud SALLUSTIUM: *Quæ illi audire*, inquit, *& legere ſolent, eorum partem vidi, alia egomet geſſi: quæ illi litteris, ea ego militando didici.*

(*d*) *Absque voluptate.*) Hic utile lectu erit vita Epicuri apud DIOG. LAERTIUM *in vitis philoſophorum.*

### §. I.

*Mores alii ex Juriſprudentia.*

Alii præterea mores ſequuntur ex ſophiſmate ſecundum quid, & ſimpliciter. Cum enim Juriſprudentia, qualis in collectione nunc legum traditur, ad judicandi uſum & munus ſpectet, quæ eſt functio quædam prudentiæ politicæ, Juriſconſulti arbitrantur, *ſe ad totius politicæ* (*a*) prudentiæ uſum factos & aptos eſſe. Ex qua ignorantia non ſimplici tumor multus naſcitur ſe ſuſpicientium, & reliquas facultates, licet aptiores, qualis eſt politica, deſpicientium. Contentioſus etiam mos naſcitur ex contendendi frequentia vel voce vel ſaltem ſcriptis. Advocati enim ſcriptis concertant ubique, ac alicubi etiam, ut penes nos, voce. Bononiæ & Romæ ſcriptis ſolum: voce enim qui diſputant, Procuratores vocantur. Neque contentio ſolum diſputativa eſt, ſed negocioſa; nam de alicujus ſemper damno agitur.

### §. II.

*De moribus conſequentibus peritiam legum, cum legumlatio perfecta eſt.*

Quod ſi legumlatio perfecta ſit, nempe univerſalem juſtitiam adeoque omnes virtutes & diſciplinam ad eas complectatur, ejus ſane ſtudium integram exhibet virtutem, ſive ad eam confert. Hac de cauſa Plato ſtudium legum una cum earum prohemiis ideo commendabat. Verba ſunt ſapientiſſimi Philoſophi de optima republica, & de legumlatione perfecta una cum prohemiis: *Non eſt præſtantis virtute civis perfecta laus, qua dicitur eum bonum eſſe civem, qui legibus quamoptime miniſtravit, & quammaxime paruit: ſed perfectior illa eſt, eum eſſe talem, qui legumlatoris, leges ferentis, & laudantis, vituperantisque ſcriptis, omnino per totam vitam paruit. Hæc eſt civis perfecta laus. Nempe oportet, ut legis conditor leges non ſolum conſcribat, ſed etiam declarationem his adjungat, qua quæ honeſta turpiave ſibi videntur, ſignificet.* Studium ergo legum ac prohemiorum maxime injungit Plato civibus, ut uberem virtutis perfectæ fontem. Nec Ariſtoteles, qui univerſalem juſtitiam præfert reliquis virtutibus, in hoc diſſentire poteſt. Qui enim fiet, ut perfectam legum obſervantiam civis obtineat, qui legum ſtudium non ſit amplexus?

## CAPUT DUODECIMUM

### *De rhetoricæ, ſeu oratoriæ facultatis profeſſione ejusque moribus.*

### §. I.

*Mores oratoriæ antiquitus continet.*

Ad oratoriam facultatem rhetoricamve tranſeamus. Hæc antiquitus *patrocinabatur* (*b*) & litigantibus & reis, ut nunc Juriſperiti; ſed in conſultationes etiam & conciones deſcendebat, unde *magnos gerebat ſpiritus*, (*c*) plurimumque tumebat. Penes Platonem Georgias aſſerit, Rhetoricam omnes ſub ſe vires, ac facultates complecti: contra quam opinionem diſputat ibi Plato ſub perſona Socratis: & Ariſtoteles in Rhetorica damnat, dum Rhetoricam eſſe propaginem Dialecticæ & Politicæ, non autem Politicam integram cognitionem includere aſſerit; ſimulque dicit, plura tunc temporis eſſe illi tributa, quam propria contemplatio ferat. Nunc alicubi eadem fere, quæ antiquitus, munia Orator exercet, ut Venetiis & in ditione ut plurimum veneta. Unde multum quoque ea ipſa facultas ſibi ſumit; iidemque mores tribuendi ſunt ei, quos tribuimus proxime Juriſprudentiæ.

### §. II.

*Mores ejus his temporibus, una & Poëticæ, & reliquæ eruditionis.*

At his temporibus, (excepta fere ditione veneta, & ſacra functione concionatorum, de quibus non loquor) in eruditionis ſolam laudem conceſſit una cum Poëſi & finitimis ornamentis, cognitione ſcilicet antiquitatis. & his ſimilibus. Quæ facultates, earumque ſtudia in hos videntur ipſa per ſe mores inclinare. *Affectus valide incendunt* (*d*) & commovent; nam tum poëſis in affectionibus excitandis plurimum laborant, eamque ob cauſam de optima republica ſummovit tragœdiam Plato. Boëtius hanc præſertim labem affectuum excitandorum tri-

---

(*a*) *Se ad totius politicæ.*) Quomodo Juriſprudentia a civili philoſophia differat, docet ex inſtituto CONRINGIUS noſter in *Propoliticis*, & libro: De *civili prudentia.* Ceterum hic prolixum eſſe, ſuperſedeo, quod hæc argumenta a Doctoribus Juris Naturæ & Civilis ſatis pertractata ſunt, ad quos B. L. ablego.

(*b*) *Patrocinabatur.*) Vide GELLIUM *in noct. attic. Lib. V. cap.* 10. *& L.* 9. *c.* 15. Et SUETONIUM libro *de claris rhetoribus.* Quo & reſpicit OVIDIUS:

*Diſcitur innocuas ut agat facundia cauſſas,*
*Protegit hac ſontes innocuosque premit.*

(*c*) *Magnos gerebat ſpiritus.*) De tumore rhetorum ſeu Sophiſtarum, vulgus decipientium vide egregia apud PHILOSTRATUM in *vitis Sophiſtarum.*

(*d*) *Affectus valide incendunt.*) Conf A. GELLIUM in *noct. attic. Lib. V. cap. I.* Nervoſe admodum de hoc argumento judicat SENAULT de l'uſage *des paſſions Traité III. Diſcours I. Apres la valeur des conquerans on ne void rien de plus illuſtre que l'eloquence des orateurs, elle gouverne les etats ſans violence, elle regit les peuples ſans armes, elle force leurs volontez avec douceur, elle donne des combats, & gagne des victoires ſans effuſion de ſang. Mais pour arriver a ce ſupreme pouvoir, il faut vaincre mille difficultez, accorder l'art avec la nature, concevoir de fortes penſeés, les exprimer avec des belles paroles, etudier les humeurs des peuples, aprendre le ſecret de contraindre leurs libertez & d'acquerir leurs affections.*

Digitized by Google

tribuit Muſis: *Lib.* I. *conſ. proſa* I. Philoſophia enim ſic penes illum : *Quæ* (Muſæ) *dolores ejus non modo nullis foverunt remediis, verum dulcibus inſuper alerent venenis. Hæ ſunt enim, quæ infructuoſis affectuum ſpinis uberem fructibus rationis ſegetem necant.*

At præſertim amores Poëſis alit, non tam ratione dogmatis, quam ratione repræſentationis. Ubique enim amores repræſentant Poëtæ, tum græci, tum latini, tum itali; ac latini & græci turpes *maſculorum*, (*a*) a quibus noſtri abſtinent. Quæ fortaſſis cauſa etiam fuit, cur laboraverint ea infamia aliquando Poëtæ, quam Areoſtus in Satyris, (vulgi ejusmodi ſententiam ſignificando) expreſſit :

> *Ride il volgo ſe ſente un, c' habbia vena*
> *Di poëſia.*

Certe lectio aſſidua turpitudinum irritamentum eſt in eandem turpitudinem. Ariſtoteles lectionem & inſpectionem turpitudinis ab adoleſcentibus & pueris præſertim removit. Quocirca commendo eorum pietatem, qui *reſecaverunt a Martiali*, (*b*) & Catullo, & id genus poëtis, omnia obſcœna. Eadem ratio, ſed præterea conſuetudo & imperium, Grammaticos aliquos ſeduxit ad illam turpitudinem, de qua Juvenalis :

> - - - *Quot diſcipulos inclinet Amillus.*

Optimum fuiſſet, ſi eloquentiſſimi homines non niſi proba & ſancta ſcripſiſſent. Imbibiſſent certe eloquentiæ quoque candidati uberes caſtimoniæ & ſanctitatis ſtillas.

Reliquos mores ex iis, quæ dicta ſunt de quiete corporis deducere licet. Ad diſciplinam tranſeamus.

## CAPUT DECIMUM TERTIUM,
### *De Diſciplina.*

### §. I.
*Diſciplina diſtinguitur in publicam & privatam.*

Diſciplina reſtat, ſive educatio. Quam ergo duplicem facio, aliam publicam, aliam privatam. Verum, non id mihi in præſentia ſonat hæc diſtinctio, quod ſonat Ariſtoteli in politicis libris, & quomodo ego ſumam in ſequenti parte. Nunc itaque pro diſciplina *privata* intelligo cultum & aſſuetudinem ipſiusmet perſonæ: pro *publica* accipio civitatis, locique vitam & demum exemplum publicum, quod interdum ex reipublicæ forma pendet, interdum ex alia cauſa. Pendet ex forma reipubl. mos avaritiæ in Oligarchia. Cum enim in ea *ex cenſu* (*c*) dignitates tribuantur, rapiuntur quoque cives in admirationem & amorem divitiarum. Nunc utrumque diſciplinæ membrum conſideremus.

### §. II.
*De diſciplina privata educationeve.*

Diſciplina, quam nunc privatam appello, poſtea dividetur pro cura; ex qua pendebit in publicam, & in privatam. Erit publica quidem, ſi a cura publica civitatis ſit : privata vero, ſi a cura patris familiæ ac domeſtica procedat. Diſciplina educatiove ejusmodi, græce pædia vocata a Platone & ab Ariſtotele, definitur a Platone; *Educatio puerorum, quæ ad eam vivendi rationem perducit, quam lex rectam eſſe dictat, & juris æquitate præſtantes & ſeniores uſu rerum ſicut rectam vere comprobarunt.* Verum definitio hæc, ſit ne ſolius diſciplinæ a publica cura deſcendentis, an omnis, diſputabo in 5. parte, ubi Therapeutice explicabitur. Interim ſatis ſit, hic diſciplinam ſignificare, educationem ac aſſuetudinem perſonæ: cujus vires, quæ & quantæ ſint, jam aperuimus in 2. parte. *Lib.* 2. *de affectib. in comm.* Quocirca nihil aliud hic ſubjiciam. Nam quam & qualem eſſe oporteat, ad ſequentem partem ſpectabit, ibique late tradetur.

### §. III.
*De publica diſciplina, id eſt, publico exemplo.*

Publica diſciplina (ut nunc ſumitur pro publico exemplo) vim & ipſa magnam habet, licet minorem, quam privata: publico enim vivitur ut plurimum exemplo. Qui in deliciis Bajarum Canopive nec non licentia omnium voluptatum vivebant, ad idem & ipſi exemplum toti profluebant luxu & voluptatibus. Unde jubet ea loca vitare Seneca: *Epiſt.* 7. qui & rationem affert, quamobrem publicum exemplum adeo promoveat. Verba ſunt: *Unum exemplum aut luxuriæ aut avaritiæ multum materiale facit. Convictor delicatus* (*d*) *palatim enervat & emollit. Vicinus dives*

(*a*) *Turpes maſculorum.*) De nefando hoc crimine pleni ſunt omnes gentilium ſcriptores, PLATO, XENOPHON, HORATIUS, aliique. Quod & CICERO *Lib. V. Tuſcul. quæſt.* & CORNELIUS in *Alcibiade* teſtantur. PLATO in *Sympoſio*, inquit, *Parentes pædagogis filios commendare ſolitos, qui pueros amatos cum amaſiis loqui prohiberent.* An SOCRATES hujus criminis jure argui poſſit, vide apud DIOG. LAERTIUM *in vita ejus.* Conf. MAGIUM Anglarenſem *in Comment. ad Præfat. Cornelii p.* 6.

(*b*) *Reſecarunt a Martiali.*) Hunc in finem caſtratus etiam eſt Comicus, ſub titulo: *Terentius chriſtianus*, auctore SCHONÆO, de quo vide MORHOFIUM *Polyhiſt. T.* I. *L.* 2. *Cap.* 3. §. 15.

(*c*) *Ex cenſu.*) OVIDIUS *L.* III. *amor.*

> *Curia pauperibus clauſa eſt, dat cenſus honores,*
> *Inde gravis judex, inde ſeverus eques.*

(*d*) *Convictor delicatus*) Præclare SENECA *L.* 3. *de ira Cap.* 8. *Sumuntur*, inquit, *a converſantibus mores: & ut quædam in contactos corporis vitia tranſiliunt, ita animus mala ſua proximis tradit; ebrioſus convictores in amorem vini traxit: impudicorum cœtus fortem quoque, & ſi liceat, virum emollivit, avaritia in proximos virus ſuum tranſtulit.* Conf. WALCHIUM Diſſ. *de arte aliorum animos cognoſcendi* §. 14. *p.* 66. De converſatione cum eruditis atque exinde capienda utilitate, vide MORHOFIUM *Polyhiſt. T.* I. *L.* I. *c.* 15.

Digitized by Google

*ves cupiditatem irritat. Malignus comes quamvis candido & ſimplici rubiginem ſuam affricat. Quid tu accidere his credis, in quos publice factus eſt impetus? Certe ubi luxuriæ & libidinis undique exempla occurrunt, rarum & admirandum erit, ſi quis caſtus conſpiciatur.* Itaque Plato quoque dixit, vere probum eſſe Athenienſem probum: cum contra irritamenta licentiæ illius popularis per ſe probitatem amplecteretur. Hinc eſt, cur Principum exempla adeo permoveant; nam publica ea ſunt. Ut enim *Princeps* (*a*) gentem totam poteſtate & juriſdictione repræſentat, ita vita ejus totius gentis vitæ inſtar eſt. Tantam idcirco vim exemplum obtinet Principis, ut Plato exiſtimaverit, rempublicam illam ſuam idæalem, in libris de Juſto confictam, unius Principis *exemplo* (*b*) poſſe induci. Cauſa vero efficaciæ exempli refertur in objectum; cujus poteſtatem antea expoſuimus tertia parte *Lib.* 2. *c.* 8. harum curatoriarum.

# LIBER QUARTUS.

## *Propoſitio rerum & methodi, hujusque diſtinctio*

## CAPUT PRIMUM.

### §. I.

*Quæ dicenda ſunt, proponuntur.*

Cauſæ morum expoſitæ ſunt, ex quarum combinatione mores dijudicari poſſunt. Eſtque id primum ſignorum genus, quod ducitur ex procatarticis cauſis. Ad cujus ſigni abſolutionem duo requiruntur. *Primum* eſt applicatio dictorum ad indaginem propoſitam, ſcilicet methodus indagandi ex dictis mores. *Secundum* eſt inquiſitio temperamenti. Cum enim temperamentum, præſertim cordis, ex quo mores profluunt, ſit occultum ſenſibus, oportet ex notis atque ſignis in ſenſum incurrentibus, illud dijudicare, ut *mores ex temperamento* (*c*) proficiſcentes conjiciamus. Signa vero, quæ temperamentum indicant, ſunt, quæ in Phyſiognomia magna ex parte traduntur. Dico *magna ex parte;* quoniam præter ejusmodi temperamentorum ſigna alia quædam Phyſiognomia includit, ut ſuo loco intelligemus. Verum Phyſiognomiam poſtea, nunc applicationem aggrediamur, ac methodum deducendorum ſignorum primi generis, ſcilicet ex cauſis.

### §. II.

*Methodi capita duo ſunt.*

Methodi autem propoſitæ duo ſunt capita.

Vel enim omnes cauſæ in eundem morem conſpirant. v. g. Omnes in morem venereum, tum naturales, tum adventitiæ. Vel aliæ in eum morem, aliæ in contrarium ducunt. Exemplo rem declaremus. Temperamentum ſit ſanguineum, ætas juvenilis, regio calida, educatio in voluptuaria civitate; quæque ſcateat occaſionibus illecebriſque venereis, ut quondam Bajæ & Canopus: item inſtitutio in familia ac domo intemperante: ſodales obſcœni: fortuna ampla, ac deliciis affluens: vita otioſa; aut ſtudia voluptuaria, ut Muſica, modorum præſertim mollium. Omnes hæ morum cauſæ ad Venerem ducunt ac venereum morem. Hoc eſt primum caput.

Secundum eſt: cum aliæ cauſæ in Venerem, aliæ in Veneris odium inclinant. Verbi gratia: temperamentum, regio, ætas in Venerem; educatio vero aut publica diſciplina ſtudiumque in temperantiam, vel contra illæ in temperantiam, hæ in Venerem. Et demum cum aliquæ cauſæ aut cauſa aliqua in Venerem, aliquæ aut aliqua in contrarium morem ducunt. Eſt ſecundum hoc caput methodi. Cujus jam applicatio difficilior eſt. Oportet enim contraria momenta librare, & minus ex majore ſubducere, ut gradus prævalentis demum moris ſupputare liceat.

## CAPUT SECUNDUM.

### *Primum methodi caput continet, cum omnes cauſæ conſpirant.*

Dum cauſæ omnes conſpirant, facilis eſt methodus. Nam morem eum certo conjicimus, quem ſingulæ & conjunctæ cauſæ exhibent. Nempe in exemplo proximi capitis morem vene-

(*a*) *Princeps.*) Sapienter itaque fecit Chabrias, dum non libenter ante oculos civium ſuorum eſſe, quod & vivebat laute, & indulgebat ſibi liberalius, quam ut invidiam vulgi poſſet effugere, ut CORNELIUS de eo ſcribit.

(*b*) *Exemplo.*) Merentur hic ex PLUTARCHI *politicis* ſequentia adſcribi: *Julius Druſus Publicola haud immerito claruit, quod domus ejus ex pluribus partibus viciniis conſpicua cum pateret, & quinque eam talentorum omnino ſumtu faber quidam averſurum atque commodius directurum reciperet: Decem, inquit, dabo, ſi totam ita componas conſpicuam, ut univerſi cives, nedum vicini, perſpicere queant, qua domi mea ratione vivatur.* - - - *Vulgus igitur mores, vitam, actiones, conſilia omnia eorum, qui reipubl. præſunt curioſiſſime rimari atque introſpicere ſolet, etiamſi hoc alte admodum obtegas & tanquam velamentis obnubas & abdas.*

(*c*) *Mores ex temperamento.*) Ex temperamento, inquit LEIBNITIUS *in miſcellaneis* §. 101. *p.* 189. pendet ſagacitas naturalis, celeritas, tarditas, durabilitas affectuum etiam, & quid non? Mentes enim omnium æquales ſunt. Quomodo autem ex variis temperamentis varii affectuum gradus ſequantur, explicare magni artificii, ſed & difficultatis eſt.

Digitized by Google

venereum pronunciabimus. Certius autem eſt de more judicium, quam de actione. Nam actionis etiam poſt habitum contractum ſumus domini, ut docet Ariſtoteles 3. *Ethic. cap.* 5. & nos ſupra: at *moris & habitus* (*a*) non ſemper domini ſumus. Unde qui Sardanapali vitam longo tempore vixerit, Sardanapali mores ſane is contraxerit: in ſingulis tamen operandi ex ea vita occaſionibus ſe ſuſtinere poterit pro libertate arbitrii: at deponere intemperantiæ habitum non æque illi facile. Verum antea quoque rem totam explicuimus. Exemplum, cum omnes cauſæ ad fortitudinem conſpiraverunt, eſt Georgii Caſtriotæ *Scanderbech* (*b*) turcico nomine vocati. Temperamentum ejus ad animoſitatem factum; conformatio etiam membrorum, procerus enim fuit & roboris incredibilis; natus eſt in regione bellicoſa, ſcilicet in Epiro; educatus autem in militari diſciplina: adhuc ephebus veras pugnas geſſit, qua nunquam dimiſit, perpetuo enim fuit bellandi occaſionibus circumdatus; nobilitas etiam ad animoſitatem ducebat, nam ex familia bellica virtute præſtante natus eſt. Nobiles autem virtutes avitas ac avitos honores æmulantur. Ulyſſes ad Telemachum penes Homerum;

*Ne quid vitupera majorum genus, qui antea*
*Fortitudine ornati fuimus omnem in terram:*

& Telemachus contra;

*Videbis, ſi volueris, pater dilecte, hoc in animo*
*Non vituperantem tuum genus, ſicut dicis.*

# CAPUT TERTIUM

## *Secundum methodi caput continet.*

### §. I.

*Cauſæ morum enumerantur & examinantur.*

Ad ſecundum nunc methodi caput tranſeundum, quod cum multos contineat anfractus, prolixiorem quoque orationem exigit. Quoniam ergo in hoc miſcentur contraria momenta, ad mores prænoſcendos oportet, ut miſceantur utque librentur. Et primo, quænam hujusmodi momenta ſint, repetamus: hinc autem deducemus.

Mos, ut ex ſuperioribus patet, eſt diſpoſitio quædam appetitus, & in ejusmodi diſpoſitione mos formaliter reſidet. Quoniam vero diſpoſitio ea *ex actibus* (*c*) præviis comparatur; ideo mos immediate eſt ex diſciplina, ut ex effectrice cauſa; ut ex formali vero, ex habitu aut diſpoſitione laudabili aut vituperabili. Habitus ergo virtutis aut vitii eſt mos. Rurſus, quoniam appetitus ſentiens ſenſorium ſuum habet, cujus diſpoſitio varie etiam ad mores inclinat, ut docuimus antea: Temperamentum, ex quo ſenſorii præſertim diſpoſitio pendet, in mores influit, momentumque ad eos habet. At præterea eadem ſenſorii diſpoſitio ex partium conformatione intenditur vel refrangitur. Etenim inſtinctus ex ea ipſa partium conformatione naſcens, in primum ſenſorium refluit; ſique ſimilis ſit inclinationi ex temperamento eam auget, ſi diſſimilis imminuit. Integer itaque mos naturalis integraque propenſio ex temperamento primi ſenſorii & ex refluxu inſtinctus, in conformatione partium reſidentis, componitur. Quem integrum morem naturalem ego brevitatis cauſa infra *momentum ex temperamento* ut plurimum dicam; licet non totus ex temperamento ſit. Quod præmoneo, ne quis me recedere a mea doctrina reputet, qui non ex ſolo temperamento mores naturales propenſione ſua naſci docui ac doceo.

Ad alia tranſeamus. Alterant temperamentum, ſaltem ad tempus, clima, ſolum, ſitus, regio; ætates quoque, & ſexus, exercitatio, & cibi. Et horum aliqua partium quoque conformationem alterant, ideo habent momentum ſingula ad mores. Appetitum præterea a facultate cognoſcente excitari vidimus; unde *imbibitæ de agendis opiniones* (*d*) & maximæ habent ipſæ quoque ad mores momentum. Diſciplina publica ſive exemplum publicum ad hoc caput ſpectat, & nobilitas, potentia, & divitiæ, contrariæque fortunæ. Omnes enim ejusmodi fortunæ conditiones, primo in cognitionem & opinionem influunt, inde in appetitum. Studia autem tum ob cognitionem ad mores momenta obtinent, tum etiam ob aliqualem temperamenti corporis mutationem; ob quietem, motumve, & motuum rationem; veluti proxime indicavimus.

§. II.

(*a*) *Moris & habitus.*) Hinc in proverbio eſt:
Naturam expellas furca, tamen usque recurret.

(*b*) *Scanderbech.*) Antequam Turcarum religioni ſe addixit, quod factum anno ætatis octavo, vocatus fuit Georgius. Poſtea Scanderbeg vocatus; Beg ſignificat Dominum, Scander idem eſt ac Alexander. De heroica ejus indole ac magnis rebus geſtis vide *Memorie iſtorsche de' Monarchi Ottomanni* di GIOV. SAGREDO Venetia 1673. *ad annum* 1444. p. 61. ſq. *Et hiſtoria univerſale dell' origine, guerre & imperio de' Turchi da M. FRANCESCO SANSOVINO p.* 196. In Venetia 1654.

(*c*) *Ex actibus.*) Hic conferendus *WALCHIUS* in Diſſ. citata §. II. 12.

(*d*) *Imbibitæ de agendis opiniones.*) Huc ſpectat illud HORATII:

*Quo ſemel eſt imbuta recens ſervabit odorem*
*Teſta diu.*

Quantam autem vim in dijudicandis rebus opinio habeat, vide apud *PLUTARCHUM* in libello *de exilio T.* I. *Oper. p.* 90. 91. Bene judicat VAGEDES Diſſ. *de tonſura Childerici* §. I. *Opuſc. acad. p* 91. Quando *Quisque ſuis*, inquit, *quas ſemel imbibit, opinionibus Deum ita attemperat, ut majorem in eas a Deo, quam a ſeipſo favorem exſpectet, & ſæpe etiam exigat.*

§. II.

*Tres eſſe comparationes momentorum, duas ſimplices, & unam compoſitam.*

Momenta nunc declarata conferamus.

Id autem primo conſiderandum eſt, duobus modis ſimplicibus collationem ejusmodi fieri poſſe. Secundum genus ſcilicet, & ſecundum gradus. Secundum genus quidem, ſi conferamus momentum diſciplinæ & asſvetudinis cum momento diſpoſitionis ſenſorii interioris, aut cum momento cognitionis: & viciſſim. Secundum gradus autem; ſi conferamus diſciplinam intenſiorem cum remiſſiore, temperamentum calidius & magis ad iracundiam factum cum temperamento minus calido & minus facto ad iracundiam. At tertio modo & compoſita fiet collatio, ſi diverſorum generum diverſi gradus conferantur. Nempe, ut exemplo rem declaremus: ſi diſciplina ut quatuor graduum cum temperamento ut octo comparetur; utque ſe habeant inter ſe momenta ad mores, quæratur.

# CAPUT QUARTUM.

## *Comparationem ſecundum genera continet.*

§. I.

*Comparat diſciplinæ & temperamenti momenta.*

Genera nunc primum comparemus. Tria illa ſumma erant: momentum aſſuetudinis ac diſciplinæ; momentum diſpoſitionis & affectionis primi ſenſorii ex temperamento; & momentum, cognitionis. Quorum aſſuetudinis & diſciplinæ momentum, & immediatius & formalius morem attingit, cum conſtituat appetitum ipſum, cujus diſpoſitio eſt mos. Diſpoſitio vero & affectio ſenſorii primi materialiter ſe habet ad mores, ideoque non æque immediata nec formalis mori; attamen ut pendet ex temperamento, pertinacior illa eſt, diſpoſitione ipſa appetitus ex aſſuetudine. Spiritualiora enim in nobis fluidiora ſunt, craſſiora autem & materiata conſiſtentiora.

At oportet dilucidius rem hanc ipſam explicare. Cum ergo morem hic dicimus, non præſentem affectum ſignificamus iræ aut cupiditatis, ſed impreſſam appetitui diſpoſitionem ad iraſcendum, ad concupiſcendumve, cum ſeſe obtulerit objectum aut occaſio. Affectio autem ſenſorii ac diſpoſitio ex temperamento in actu primo ſemper ineſt, quousque temperamentum durat; in actu ſecundo non æque. Ex. gr. Cui cor eſt durum & calidum, tale ſemper habet ſecundum temperamenti ſui gradum: at quod exardeat accenſa cordis caliditate, non habet niſi pro occaſione iraſcendi, vel ex incenſis humoribus cor penetrantibus, vel ex alia ejusmodi cauſa. Cor calidum & durum, ut ad exardeſcendum pronum eſt, ita etiam ad iram habet momentum: ut accenſio cordis proxima eſt materia iræ. Attamen ſi contraria aſſuetudo vicerit, comprimit virtus manſuetudinis cor vel incenſum, & ab affectu iræ, ſaltem immodico & rationem proturbante, vindicat: verum reſtat adhuc temperamentum ſemper pronum ad materialia illa iræ primordia excitanda, ut interdum, ſi fuerit occaſio iraſcendi acris & magna, & ratio alioſum diſtracta minus attendat initia motus, poſſit magnus iræ excitari æſtus, in viro quoque probo, qui tamen ſeſe continebit.

Concludamus comparationem. Diſpoſitio cordis ad iræ materialia primordia tenacius hæret cordi: cum temperamento ipſi hæreat, quam diſpoſitio ex aſſuetudine comparata appetitui: cum ſit hæc adventitium quoddam accidens; & licet plurimum obtineat firmitatis ex eo, quod *longa conſuetudo* (*a*) imitetur naturam, dicaturque tranſire in naturam, ipſa tamen natura erit adhuc firmior & conſtantior, ex ea maxima; *propter quod unumquodque tale & illud magis tale*: at validior & efficacior contractus habitus.

§. II.

*Comparat cognitionem cum aſſuetudine ac diſciplina.*

At comparationem nunc cognitionis cum aſſuetudine ac diſciplina tranſeamus. Quid cognitio actu operetur in appetitum ſentientem, expoſuimus antea in libris de affectibus: *Lib. 2. c. 16. & 20.* modo vero cognitionem in habitu vel diſpoſitione comparemus cum diſpoſitione appetitus.

Eſto enim, quis credat honeſtatem eſſe præferendam voluptati habituali cognitione, & cum occaſio ſe obtulerit actuali. At idem appetitum habeat in voluptatem pronum, illique cedentem cum commoditas & præſens illecebra occurrerit, ejusmodique cedendi diſpoſitionem contraxerit; eſt ſane *diſpoſitio appetitus validior* (*b*) cognitione. Quæ concluſio ex incontinentium ſtatu operationeque patet. Multo autem clarior eſt concluſio de intemperantibus, ſi qui forte ex illis cognoverint Philoſophiam moralem, eamque admiſerint: (Quo tamen modo admitti ab intemperante poſſit & improbo homine, antea declaravimus) Ejusmodi enim homines in operando non cognitionem ſed appetitus diſpoſitionem ſequentur. In ſumma ergo: cum ex diſci-

(*a*) *Conſuetudo.*) Quanta ſit conſuetudinis vis, docet PLUTARCHUS *de libererum educatione T. I. Oper. p. 41.* & BARCLAJUS *in Icone animorum Cap. XII.*

(*b*) *Diſpoſitio appetitus validior.*) Voluntatem impellere poſſe intellectum reginamque eſſe, probatur ſequentibus argumentis. 1) Quod intellectus ſæpius bonum malumque dijudicare poſſit, voluntas autem malum ſequatur, ſecundum illud: Video meliora proboque, deteriora ſequor. (2) Quod homo affectuum plenus longe aliter judicat, quam ſi ſibi conſtet. (3) Quod alius ex temperamento diverſo hoc ut bonum appetat, alius contra idem, ut malum, fugiat. (4) Quod homo præjudiciis auctoritatis & præcipitantiæ per totam vitam ducitur. (5) Quod in noſtris vitiis ſumus talpis coeciores, in alienis vero lynceis perſpicaciores.

Digitized by Google

diſciplina diſpoſitio appetitus immediate deſcendat, quæ mos ipſe eſt, plus momenti aſſuetudo diſciplinæ ad morem, quam cognitio habebit.

Verum, repetenda eſt diſtinctio cognitionis agendorum antea tradita; quod alia ſit rationis & mentis practicæ, alia interiorum ſenſuum. Nos unius *phantaſiæ* nomine in hoc morali negotio omnes complexi ſumus: ut antea non ſemel proteſtati fuimus. Cognitio vero phantaſiæ alia in phantaſmate primo ſiſtitur; alia ad phantaſma ſecundum excurrit. Concluſio proxima de primi phantaſmatis cognitione accipienda eſt, non de cognitione etiam ſecundi. Cum hæc enim cognitio appetitus commotionem includat, non poteſt in habitu ipſo concipi, quin in appetitu etiam ſentiente ſimilis aliqua diſpoſitio ſtatuatur. At id eſt contra poſitionem; ponimus enim diſpoſitionem appetitus repugnare cognitioni, non autem ſimilem eſſe. Niſi tamen, ut in incontinente contingit, interpretemur cognitionem habitu eſſe in mente practica, & in phantaſia ſecundum primum phantaſma: attamen ad ſecundum etiam phantaſma extendi, cum nondum ingruerit peccandi occaſio & titillatio: tum vero obſcurari & expirare demum phantaſma ſecundum, reſtareque ſolum cognitionem obumbratam. Qualem antea incontinentium cognitionem in actu peccandi deſcripſimus.

## §. III.

*Dubitationes contra dicta ac ſolutiones.*

Sed contra concluſionem allatam dubitatio oritur. Videtur enim contra cognitio præſtare appetitus diſpoſitioni. Plato in 7. de Juſto ſpeciem hanc educationis affert. *Adoleſcens recte inſtitutus in honeſtis juſtiſque actionibus & officiis, qui etiam veras de honeſtis opiniones imbuerit, ſcilicet honeſta eſſe, quæ lex præcipit, vi captionum ab aliquo diſputatore & perverſore ſeducatur a vera ſententia in falſam, ut quod lex præcepit non magis eſſe honeſtum, quam turpe, deinceps credat; ſeductus juvenis in vitam turpem præceps ibit.* Ita ibi Plato. Et tamen appetitum jam ad legitimas actiones diſpoſitum habebat, verum ex ſola cognitione mutata in contrariam vitam abit; ergo cognitio prævalet diſpoſitioni appetitus, proindeque aſſuetudini. Idem docet & recte Ovidius, amorem exſtingui, ſi turpis detegatur mulier intime conſpecta & pertractata, quam antea ut pulchram deperibamus.

*Proderit & ſubito, cum ſe non finxerit ulli,*
*Ad dominam celeres mane tuliſſe gradus.*
*Auferimur cultu; gemmis auroque teguntur*
*Omnia; pars minima eſt ipſa puella ſui.*
*Sæpe ubi ſit, quod ames, inter tam multa requiras;*
*Decipit hac oculos ægide dives Amor.*
*Improviſus ades, deprændas tutus inermem,*
*Infelix vitiis excidet ipſa ſuis.*

Adeſt ergo appetitus diſpoſitio jam, attamen a ſuccedente cognitione turpitudinis vincitur & tollitur.

Reſpondeo ergo dubitationibus adductis, idque genus aliis, hoc facto fundamento. Diſpoſitio appetitus æſtimari debet cenſerique ex objecto formali, non materiali, quod antea quoque non ſemel traditum eſt. In propoſitis itaque argumentis diſpoſitio ad materiale objectum, non ad formale mutatur. Verbi gratia in argumento Platonis, diſpoſitio juvenis erat ad honeſtum, & ea diſpoſitio durat etiam poſt ſeductionem; fugit enim legitimas actiones eo, quod honeſtas amplius non credit, non quod alienatus ſit formaliter ab honeſtate. In ſecundo pariter argumento mutatur poſt detectam turpitudinem amator erga ſubjectam mulierem, quæ eſt materiale objectum, at non erga ſimulachrum, & effigiem pulchritudinis, ſub qua eam ſibi repræſentabat amabatque: eandem enim formam, ſicubi videret, perdite amaret.

Hinc pro corollario deducitur; eum, qui facile opinione mutatur, etiamſi appetitus diſpoſitionem pertinacem habeat, facile poſſe mutari erga materialia objecta, nempe erga perſonas, & etiam res formali a ſeque dilecto objecto ſubjectas. Eſt avarus, qui omnia ad utilitatem refert: amat is hominem, quem ſibi utilem expertus eſt, & credit: at ſi facilis ſit ad mutandam ſententiam, perſuade illi, hominem, quem utilem credit, eſſe fraudulentum, & alios eſſe, qui multo magis uſui illi erunt, modo eos admittat & primum rejiciat. Mutabit is amorem, etiamſi diſpoſitio appetitus ad formale objectum eadem perſeveret. Aulici hoc modo graſſantur adverſus competitores. Adulantur, & applaudunt amori formalis objecti ſuorum Principum: at amorem materialis, ſcilicet perſonarum, demoliuntur. Maxima itaque pars hujus artis eſt noſſe formale objectum amoris Principum.

## §. IV.

*Comparatur cognitio cum temperamento ſenſorii primi.*

Tertia comparatio reſtat: quæ eſt cognitionis cum temperamento ſenſorii primi. Et quoniam hic abſtrahimus a gradibus, ideo debemus intelligere, utrumque membrum in eodem gradu ſumptum, v. g. ſummo. Ex dogmate enim Platonis, conſideratio & collatio rerum in ſumma ſui paritate eſſe debet.

Hic in comparatione, primo ſeſe offert ſententia Platonis; qui cognitioni primas defert: cujus ſententiæ meminit Ariſtoteles in 7. *Ethic.* ut ſupra etiam, cum de incontinentia egimus, diximus. Contraria ſententia eſt Galeni in libro, *quod animi mores ſequantur temperaturam corporis*; ex eo enim dogmate temperamentum cognitione efficacius erit. Verum ut ſimpliciter pro-



Digitized by Google

cedam, media ſententia eſt meo judicio verior. Eſt autem media ſententia, in qua Platonem expoſuimus. 3. *part, libro* 7. *cap*, 9. §. 5. Diximus vero, ſententiam perfectam & integram intelligi poſſe, *cognitionem claram, ſuo phantaſmate nedum primo, ſed etiam ſecundo fultam;* ejusmodique cognitionem eſſe prævalidam: nunc quoque repetimus; ipſam validiorem eſſe momento ad mores, ſive propenſione naturali ex temperamento, primi ſenſorii. Ex illis, quæ tum diximus, patet etiam concluſionis nunc propoſitæ veritas.

At ſi cognitionem ſumamus cum ſolo phantaſmate primo, dico, tum validiorem eſſe propenſionem ex temperamento, quam cognitionis momentum ad mores, dum per ſe primoque loquimur. Probo vero concluſionem. Quia momentum ex temperamento, ſive propenſio ipſa per ſe accedente objecto, effundit cupiditatem ſentientis appetitus, quæ ad operandum rapit: at cognitio absque phantaſmate ſecundo, ipſa per ſe minus multo apta eſt movere voluntatem, ut nondum integra cognitio neque integre objectum bonum repræſentans. Erit autem ſumma rationis: Quod abſoluto & expedito ac concitato motu movet appetitum ſentientem, plus momenti ad mores habet, quam quod leviter debiliterque movet voluntatem; quoniam appetitus ipſe valde concitatus, valide etiam movet voluntatem, in qua habitus non ſupponatur, ut nunc: at propenſio ex temperamento ſenſorii abſoluto & expedito concitatoque motu appetitum ſentientem movet. Cognitio absque phantaſmate ſecundo, debiliter movet voluntatem; ergo propenſio ex temperamento plus momenti habet ad mores, quam cognitio absque phantaſmate ſecundo. Adjunxi tamen particulam *per ſe & primo*, quoniam voluntas dum non directe in objectum fertur, ſed ſupra ſeipſam reflectitur, vultque experiri libertatem ſuam, ſatis habet ex cognitione etiam ſine phantaſmate ſecundo, unde reſiſtat motioni appetitus ſenſuum: Ut in prima parte horum aperitur.

## CAPUT QUINTUM.

### §. I.

*Comparationes ſecundum gradus continet.*

Succedit comparatio ſecundum gradus, quæ brevi examine peragitur. Nam certum eſt, temperamentum calidum & humidum cordis, quod eſt venereum, quo tale magis fuerit, eo majus momentum ad mores venereos habere. Idemque de temperamento cordis calido & duro, cujus eſt iracundia pertinax. Quo cor erit calidius & durius, eo majus inerit homini momentum ad iracundiam magnam & diuturnam pertinacemque. Idemque de cæteris. Cognitio quoque, quo clarior & ſtabilior defixiorque, eo majus habebit momentum ad morem, in quem propendit. Appetitus diſpoſitio pariter, quo major erit & intenſior, eo majus inferet momentum ad mores.

### §. II.

*De collatione appetitus ſenſuum cum voluntate, & cognitionis intellectus cum cognitione ſenſuum.*

Appetitus tamen diſpoſitio, aliam quandam N. comparationem ſecundum gradus differentiam continet. Eſtque, quod appetitus alius ſit ſenſuum alius ſit rationis, ſcilicet *voluntas*; (*a*) poteſtque conferri diſpoſitio voluntatis cum diſpoſitione appetitus ſenſuum, utra majus momentum habet. Verum quoniam ſatis hanc collationem præſtitimus ſupra, ideo ſuperſedeo nunc.

Poſſet etiam conferri cognitio mentis practicæ cum cognitione interiorum ſenſuum; at quoniam de hac quoque collatione egimus antea, poteſtque ex dictis non difficili negotio deduci, ideo illuc rejicio lectorem. Præterquam quod ad collationem, quam nunc intendimus, conjungi hæc debent, non ſejungi; non enim aſſueſcit appetitus ſenſuum reali ipſa operatione, quin aſſueſcat quoque voluntas, conſpirando imo jubendo ipſam operationem.

## CAPUT SEXTUM.

*Quæ proportiones ſint inter memorata momenta.*

### §. I.

*Proportionem exponit inter momentum ex diſpoſitione appetitus, & momentum ex temperamento.*

Non poſſet tamen ex dictis collatio fieri, niſi, ut Aſtrologi planetarum dignitates in numeris aſſignant, ita & nos vim enumeratorum ad mores momentorum numeris diſtingueremus. Iſta enim *mixtionis ratio* (*b*) poterit demum colligi. Rem vero hunc in modum probabiliter deducemus.

Diſpo-

(*a*) *Voluntas.*) Ariſtotelicum id dogma eſt, voluntatem & appetitum ſenſitivum ſubſtantialiter differre, voluntatemque, ut reginam, quaſi duos habere ſatellites, appetitum ſenſitivum ſcilicet & intellectum, quorum hic voluntatem ad bona & honeſta, ille vero ad mala & turpia impellat. Sententiæ ſuæ robur in eo quærunt, quod, niſi voluntas & appetitus ſenſitivus ſint diſtincti, ſequeretur, bruta etiam voluntatem habere. Sed reſpondetur; ſi concupiſcentiæ & affectus naturales cum ratiocinio non ſunt conjuncti, vocamus appetitum ſenſitivum; ſi ſecus, appellamus voluntatem.

(*b*) *Mixtionis ratio.*) Hic conferenda Diſſ. WALCHII *de arte aliorum animos cognoſcendi* §. 5. Accurate obſervat ANDREAS RUDIGERUS *philoſ. pragm. P. III p.* 133. triplicem eſſe indolem voluntatis, ac primam dicit *ſolitariam* ſi una maxime propenſio ſive ſit ambitio, ſive voluptas, ſive avaritia reliquas duas, etiam conjunctas vi ſua ſuperet: ſecundam *binariam*, quando duæ propenſiones æqualem fere inter ſe habent facultatem; tertia vero hiſce duabus multo eſt inferior. Ac tertiam *ternariam*, ſi in ſingulis tribus æqualis fere vis ineſt. Sic infinitæ prope oriuntur indoles, quarum principes tamen decem recte numerat RUDIGERUS, quem vide.

Digitized by Google

Diſpoſitio appetitus, quæ ex aſſuetudine, cum totum appetitum afficiat (ſcilicet & animæ facultatem, & ſenſorium) ſi conferatur cum temperamento ſenſorii, adeoque momentum cum momento ad mores, duplici ratione excedit. Primo, ut forma excedit materiam, parsq; formalis excedit materialem. Secundo, ut totum excedit partē. Quatenus enim diſpoſitio ex aſſuetudine afficit facultatem animæ, quæ eſt pars formalis, ac temperamentum ſenſorii afficit per ſe ſenſorium ſolum, quæ eſt pars materialis, eatenus aſſuetudo excedit temperamentum exceſſu formæ ſupra materiam. Secundo autem loco, cum totus appetitus, quem afficit aſſuetudo, & partem formalem & materialem occupet, totius rationem habet ad temperamentum, quod afficit ſolam partem materialem. Quoniam itaq; forma continet materiam totam, quam actuat, & perficit: continere autem totam, & non ſolum per partes, ad minimum duplam requirit proportionem. Eſto itaque diſpoſitio facultatis ut duo, ad diſpoſitionem ſenſorii, quæ ſit itaque ut unum. Rurſus vero, cum hanc etiam diſpoſitionem ſenſorii complectatur diſpoſitio appetitus ab aſſuetudine, ideo diſpoſitio integra appetitus ad diſpoſitionem ſenſorii ſolius, quæ ex temperamento, erit ut tria ad unum, adeoque triplam proportionem obtinebit. Eſt nunc vero collatio diſpoſitionis ex aſſuetudine in ſummo, ad diſpoſitionem ſenſorii ex temperamento in ſummo. Sit itaque figura:

| | |
|---|---|
| *Diſpoſitio appetitus ex aſſuetudine, ejusque momentum ad mores* - - | 3 |
| *Diſpoſitio ſenſorii ex temperamento, ejusque momentum ad mores* - - | 1 |

§. II.

*Proportio inter diſpoſitionem appetitus ex aſſuetudine, & cognitionem absque phantaſmate ſecundo.*

At proportio inter momentum diſpoſitionis appetitus ex aſſuetudine, & momentum ex cognitione absque phantaſmate ſecundo, ex hoc capite colligetur.

Cognitio cum phantaſmate ſecundo ſuperat propenſionem ex temperamento, ut vidimus: at cognitio absque phantaſmate ſecundo a propenſione vincitur: cum vero cognitio hæc agendorum absque ſecundo phantaſmate a cognitione eorundem cum phantaſmate ſecundo proficiatur, integreturque, videtur ſaltem alteras tantas vires addere cognitio ſecundi phantaſmatis ad agendum. Si nos ipſi conferamus interiore examine, quanta luminis ad cognoſcendum & momenti ad agendum acceſſio fiat ex cognitione ſecundi phantaſmatis, certe non minorem altera tanta ipſam exiſtimabimus. Faciamus ergo ſex unitatum cognitionem ſecundi usque phantaſmatis, & trium cognitionem tantum phantaſmatis primi. Quoniam vero efficacior erat cognitione hac propenſio ex temperamento; eademque minus efficax, (quoniam cognitio phantaſmatis ſecundi,) in medio eam harmonico ſtatuamus; ſcilicet in numero quaternario. Ut cognitio ſecundi usque phantaſmatis ejusque momentum ſit ſex unitatum; momentum ex temperamento ſit quatuor: cognitio primi ſolum phantaſmatis momentumque ejus ad mores ſit trium. Sitque figura.

| | |
|---|---|
| *Cognitio practica ſecundum usque phantaſma includens, ejusque momentum* - - | 6 |
| *Propenſio, ac momentum ex ſenſorii temperamento* - - | 4 |
| *Cognitio practica ad primum ſolum phantaſma proveniens* - - | 3 |

§. III.

*Confirmatio probabilis ſuperiorum ex conſonantiis emergentibus, quæque exponuntur.*

Confirmantur nunc dicta probabili ratiocinio hunc in modum.

Quoniam diſpoſitio appetitus ex aſſuetudine, ejusque momentum ad mores (appetitus uterque & rationis & ſenſuum conjungitur) quarum partium eſt trium, earum eſt diſpoſitio ſenſorii ex temperamento unius: quarum ergo diſpoſitio appetitus ejusque momentum eſt 12. earundem eſt diſpoſitio ſenſorii 4. & quarum hæc 4. earum eſt cognitio practica cum phantaſmate ſecundo 6. & ſine phantaſmate ſecundo trium. Appetitus diſpoſitio ergo ad cognitionem cum primo ſolum phantaſmate habet proportionem 12. ad 3. i. e. quadruplam; ad cognitionem cum phantaſmate ſecundo habet proportionem 12. ad 6. id eſt duplam: ad propenſionem ex temperamento triplam. Cognitio vero cum ſecundo phantaſmate ad propenſionem ex temperamento ſeſquialteram; quam ſcilicet 6. ad 4. at propenſio ex temperamento ad cognitionem cum primo ſolum phantaſmate ſeſquitertiam, 4. ad 3. Quas proportiones, ſi ad harmonias referamus, ſunt harmonicæ omnes, ut par erat in ſuaviſſima morum harmonia molitam eſſe naturam. In proportione enim quadrupla conſiſtit harmonia disdiapaſon, quæ totum ſyſtema muſicum ex Ptolemæo continet. Ejusmodique ergo eſt conſonantia inter diſpoſitionem ex aſſuetudine appetitus, & cognitionem practicam imperfectam primi ſolum phantaſmatis. In proportione tripla eſt conſonantia compoſita diapaſon diapente; ejusmodique eſt inter diſpoſitionem appetitus & ſenſorii diſpoſitionem ex temperamento. In proportione dupla conſiſtit conſonantia diapaſon; hæc ergo eſt inter diſpoſitionem appetitus & cognitionem cum ſecundo usque phantaſmate. In proportione ſeſquialtera conſiſtit conſonantia diapente; ejusmodique eſt inter cognitionem ſecundi usque phantaſmatis, & propenſionem ex temperamento. Poſtremo in proportione ſeſquitertia conſonantia diateſſaron; ipſaque idcirco intercedit inter propenſionem ex temperamento, ſeu diſpoſitionem ſenſorii ex temperamento, & cognitionem imperfectam primi tantum phantaſmatis.



Digitized by Google

| TABELLA. | | Proportio. | Conſonantia. |
|---|---|---|---|
| *Inter* | *Diſpoſitionem appetitus & cognitionem primi ſolum phantaſmatis.* | *Quadrupla.* 4. *ad* 1. | *Disdiapaſon.* |
| | *Diſpoſitionem appetitus & propenſionem ex temperamento.* | *Tripla.* 3. *ad* 1. | *Diapaſon.* |
| | *Diſpoſitionem appetitus & cognitionem ſecundi etiam phantaſmatis.* | *Dupla.* 2. *ad* 1. | *Diapaſon.* |
| | *Cognitionem ſecundi etiam phantaſmatis & cognitionem primi ſolum phantaſmatis.* | *Dupla.* 2. *ad* 1. | *Diapaſon.* |
| | *Cognitionem ſecundi etiam phantaſmatis & propenſionem ex temperamento.* | *Seſquialtera.* 3. *ad* 2. | *Diapente.* |
| | *Propenſionem ex temperamento & cognitionem primi ſolum phantaſmatis.* | *Seſquitertia.* 4. *ad* 3. | *Diateſſaron.* |

# CAPUT SEPTIMUM.

## *Mixtionis modi traduntur, quibus contraria morum momenta commiſcentur.*

### §. I.

*Fundamentum præmittitur.*

Antequam vero ulterius progrediemur, videamus, quot modis contraria momenta morum miſcentur. Conſiderandum itaque eſt; momenta morum ex contrario uſu ac inſtitutione interdum excindi, & radicitus tolli, interdum obtundi quidem, reſtare tamen. V. g. tumor animi ex divitiis poteſt interdum penitus tolli, aut diſciplinæ vi, *altove contemptu* (a) fortunæ bonorum, aut ex eventu, ſi divitiæ exciderint. Poteſt etiam idem tumor retundi, & interdum etiam ſopiri, ut non amplius aliquod ſui indicium præbeat, reſtet tamen occulte; ſique vehemens occaſio ſeſe obtulerit, ac præſens objectum irritet magnopere, erumpat. Teſtimonium inſigne rei a Cicerone de ſeipſo habemus: *Lib.* 1. *famil. Ep.* 9. placet vero ejus ipſius verbis exſcribere. *Ego,* inquit, *cum mihi cum illo* (Craſſo) *magna jam gratia eſſet,* (*quod ejus omnes graviſſimas injurias, communis concordiæ cauſa, voluntaria quadam oblivione contriveram,*) *repentinam ejus defenſionem Gabinii, quem proximis ſuperioribus diebus acerrime oppugnaſſet, tamen ſi ſine ulla mea contumelia ſuſcepiſſet, tuliſſem: ſed, cum me diſputantem, non laceſſentem, læſiſſet, exarſi; non ſolum præſenti, credo, iracundia,* (*nam ea tam vehemens fortaſſe non fuiſſet,*) *ſed cum incluſum illud odium multarum ejus in me injuriarum, quod ego effudiſſe me omne arbitrabar, reſiduum tamen inſciente me fuiſſet, omne repente apparuit.*

### §. II.

*Duo ſunt mixtionis modi, privativus, & poſitivus.*

Ex fundamento jacto, jam mixtionis modos colligamus. Duo itaque illi erunt. Alter, cum nihil contrarii momenti reſtat; vocabo autem mixtionem privativam. Alter, cum reſtat contrarium momentum radixve ejus; & vocabo mixtionem poſitivam. Scio equidem priorem, ac privativam vocatam, *mixtionem* minus proprie dici; etenim in mixtione miſcibilia ſervari oportet; non enim mixta ſunt nullatenus exiſtentia. *Ariſt.* 1. *de gen. & corr. tex. ult.* Verum tamen, ut ad morale hoc negotium pertinet, nihil prohibet mixtionem vocare, cum aliquam ex ipſa mores refractionem & miſcellam ſuſcipiant, quam nunc exponemus.

### §. III.

*Mixtio utraque exponitur.*

Mixtio privativa morum in eo conſiſtit, quod dum neceſſe fuit debellare contrarium momentum, minus potuit propagari & intendi id, quod reſiſtebat. Nempe humilitas animi minores progreſſus fecit, dum neceſſe fuit cum tumore ex divitiis pugnare, quam ſi, eo obice carens, potuiſſet animus in humilitatis ſtudium & incrementum ſe totum effundere. Pariter qui ex mala conſuetudine aliquam Veneris infectionem contraxit, etiamſi eam poſtea jugi cura eluerit, attamen eo minus in temperantia profecit, quo partem illam temporis in exuendo vitio pro virtute confirmanda augendaque poſuit. At mixtio poſitiva utrumque momentum retinet; licet alterum retuſum ac refractum. Interdum autem ſopitum ex temperamento momentum (ut arbitror ego) ſolum hanc mixtionem diſciplina ſuſcipit; proindeque communes & naturales voluptates nunquam penitus moriuntur. Quocirca tutiſſimum eſt conſilium, nunquam ſe tutum ab earum impetu arbitrari. Legimus ſanctiſſimos Anachoretas omnes aufugiſſe Vene-

reo-

(a) *Altove contemtu.*) Quomodo Lycurgus Spartanos ſuos divitiarum contemtum docere aggreſſus ſit, vide apud PLUTARCHUM in *Apophtegmat. Lacon.* T. Oper. p. 62.

Digitized by Google

reorum objectorum vel *leves occaſiones*. (*a*) Quod facere, in Lege Chriſtiana, in qua fomitem perdurare ſemper conſtat, eſt neceſſarium.

# CAPUT OCTAVUM.

## *Comparatio compoſita momentorum: ſcilicet ſecundum genera & gradus.*

### §. I.

*Momenta morum ſingula, & integra in octo gradus diſtinguuntur.*

His ita præmiſſis, jam ad *Comparationem Tertiam* momentorum, quæ ſcilicet ſecundum genera & ſecundum gradus eſt, tranſeamus. In qua exercenda comparatione hæc eſſe methodus debet. Oportet ſingula genera momentorum in gradus diſtinguere certos ac numeratos. V. g. Philoſophi naturales ſingulas qualitates in octo gradus diſtribuunt: Medici in quatuor. Nos quoque momenta hæc ad mores aliquo certo numero graduum partiri debemus. Numerum itaque octonarium a naturalibus Philoſophis mutuemur; intelligamusque, illud momentum quod ex temperamento eſt integrum eſſe graduum octo, refractum autem usque ad unicum gradum minui, nempe ad octavam ſui partem. Si ad duos gradus refrangatur, quartam ſolum ſuæ integritatis partem retinebit; ſi ad quatuor dimidiam tantum. Si octo integros gradus retinuerit, erit in ſummo. Idemque de reliquis gradibus concipiamus, & eodem modo momenta diviſa intelligamus, & appetitus diſpoſitionis, & propenſionis ex temperamento, & cognitionis.

### §. II.

*Praxis comparationis exemplo illuſtratur.*

Diſtinctis ita gradibus, comparatio generum diverſorum ſimulque graduum hunc in modum peragetur. Exemplo res clarior erit. Sit momentum ex temperamento octo graduum, ſcilicet in ſummo: momentum autem ex diſciplina quatuor graduum, ſcilicet dimidium integri ex diſciplina momenti. Quarum ergo partium integrum diſciplinæ momentum eſt duodecim, earum erit momentum nunc ſumptum quatuor graduum, partim ſex. Verum quarum partium eſt momentum integrum & ſummum diſciplinæ duodecim, earundem eſt momentum ex temperamento quatuor, ut vidimus proximo capite. Ergo quarum partium momentum quatuor graduum diſciplinæ eſt ſex, earundem eſt momentum temperamenti in ſummo quatuor. Quocirca momentum quatuor graduum diſciplinæ momento integri temperamenti eſt majus, validiusque ſeſquialtera proportione.

### §. III.

*Unde graduum numerus ſingulorum momentorum æſtimari queat.*

Sed quæretur jureque merito, unde æſtimare poſſimus gradus momentorum; ſintne octo, an quatuor, an duo, an alii demum interjecti aliqui. Cui ſatisfaciemus nos quæſtioni pro virili.

Exordiamur autem ex temperamenti momento. Momentum itaque ejus ex temperamento ipſo æſtimabimus: ut ſi temperamentum calidum & acre ſit octo graduum, totidem aſſeratur graduum momentum ad iracundiam. At gradus temperamenti ex ſignis phyſiognomicis deprehendentur cenſebunturque, (quæ ſigna infra afferemus) gradus vero diſciplinæ ex integræ & exactæ diſciplinæ cognitione deprehendentur cenſebunturque. Ut, ſi octo vel plures conditiones ad exactam ejus rationem requirantur, pro numero & qualitate earum quæ deficiunt, æſtimemus quot illi gradus ad integritatem deſint. De diſciplina vero in ſequenti ac quinta hujus operis curatorii parte, cognitionis pariter gradus colligemus ex comparatione ejus cum integra exactaque cognitione, & quoad firmitatem fidei ac credulitatis, & quoad luciditatem notionum ac ea ſubminiſtrantium phantaſmatum. Cognitio enim obſcura recedit a clara, adeoque a gradibus octo integræ cognitionis: item cognitio dubia plus aut minus recedit pro majore minoreve dubietate, ac majore minoreve obſcuritate. Ex ejusmodi itaque collatione, accedente judicii non hebetis æqua æſtimatione, gradus colligentur momentorum.

### §. IV.

*De reliquis morum cauſis antea memoratis, quæ ad tria momenta dicta reducuntur, quomodo adhibendæ ſint ad propoſitam praxin.*

Ad totam tamen comparationem facilius abſolvendam præſtitiſſet, videre ac æſtimare momenta ſingularum antea relatarum cauſarum moris, eruta inter ejusmodi cauſarum & diſciplinæ integræ & exactæ momenta proportione, eaque in numeros redacta: ſcilicet climatum, regionum, ſitus, ventorum, aquarum, ciborum, ætatum, nobilitatis, potentiæ, divitiarum, fortunæ ſecundæ, & contrariarum conditionum, ſtudiorum itidem.

Verum priores cauſæ ad temperamentum, ut illud variant, rediguntur. Conditiones autem fortunæ utplurimum ad cognitionem reducuntur, ideo non poſſunt ejusmodi cauſæ cenſeri, niſi ut acceſſiones alicujus ex tribus momentis, quæ jam retulimus. V. g. cum judicio phy-

---

(*b*) *Leves occaſiones.*) Bene ex Pindaro PLUTARCHUS in libello: *Num ſeni gerenda ſit reſpublica T. 1. Oper. p. 176.* dixit: *Occaſio virtutem in ſummas tenebras dejecit.* Et verſiculus notus eſt:

*Quid facies, facies Veneris cum veneris ante,*
*Ne ſedeas, ſed eas, ne pereas per eas.*

phyſiognomico temperamenti, conjungere etiam oportebit *climatis*, *regionis*, (*a*) ſitus & reliquorum conſiderationem. Ætates præſertim ad temperamentum ſpectant, ſed etiam ad cognitionem; veluti ſenectus multa propter experientiam facit. Nobilitas & potentia ad cognitionem fere pertinent, ad appetitus diſpoſitionem parum quid. Et hæ itaque omnes adventitiæ cauſæ, ut acceſſiones vel cognitionis vel appetitus æſtimari debent. V. g. cum cognitionis momentum ejusque gradus quæſiverimus, oportebit interponere conſiderationem nobilitatis & potentiæ, videreque quantum ex ea cognitioni accedat vel detrahatur opinioni: quod ſi ſit navanda honoribus & magiſtratibus opera, fiet ex nobilitatis ſenſu acceſſio. At contra ex eadem detrahetur opinioni, quod præſtet dimiſſis honoribus in ſeceſſu aliquo vivere. Sunt vero ipſæ quoque in gradus diſtinguendæ. Ut ex. gr. Alia nobilitas ſit *octo graduum*, (*b*) ſive in ſummo; qualis regia nobilitas, imperialisve, veluti Auſtriaca, Valeſia &c. Alia refracta, vel ſex graduum, vel quatuor &c. Nobilitas enim in ſummo effectum conſequentem in ſummo habet, refracta refractum: idem de potentia & de cæteris dixeris.

## §. V.
### *Nobilitas.*

Nobilitas honoris aviti cognitionem cum phantaſmate ſecundo exhibet, ut honoris proprii non niſi cum phantaſmate primo eo tamen ſatis claro. Quocirca, ſi ſit temperamentum frigidum & deſes ex eo animus, ab honoribusque publicis abhorrens, at nobilitas jungatur, erit ex dictis temperamenti momentum ut quatuor, nobilitatis momentum ut tria. Superabit itaque in homine ceſſationis ab honoribus propoſitum, remurmurante tamen adhuc honorum deſiderio ob exiguum vincentis momenti exceſſum. Nempe ſi miſceantur mente duo momenta, alterum ut quatuor, alterum ut tria, tota mixtio erit ut ſeptem, in qua pars prævalens ſeptima tantum parte totius excedet: at diſciplina contraria quantum præſtet, patet ex ſuperioribus.

## §. VI.
### *Potentia.*

Potentia phantaſma nedum primum, ſed etiam ſecundum honorum & dignitatum exhibet, potentiæ juxta ſuperiorem diviſionem reſpondentium. Quocirca momentum ejus ad honores ad temperamenti momentum eſt, ut ſex ad quatuor, id eſt proportionem ſeſquialteram habet. Si itaque temperamentum repugnet honorum deſiderio in potente, in eo tamen deſiderium honorum præſtabit, refracte licet, ut ex mixtione contrarii momenti. Si miſceantur enim contraria in ea momenta, mixtio tota erit quinque, in qua pars præpollens excedet alteram quinta tantum parte totius. Non conſidero hic, ſi acceſſerit domeſtica diſciplina reſpondens nobilitati ac potentiæ; hæc enim ſi acceſſerit, debet librari ipſa quoque, proque gradibus, quos obtinuerit ſupputari in collatione.

## §. VII.
### *Fortuna ſecunda.*

Fortuna ſecunda bene fortunatis hominibus phantaſma, nedum primum, ſed ſecundum quoque boni feliciſque eventus affert. Præterea & idem phantaſma exhibet reliquorum fortunæ bonorum. Hinc & fortunati ad ea bona momentum eſt, ut ſex ad quatuor, ad momentum ex temperamento. Quocirca, ſi quis ſit ex temperamento in diffidentiam & deſperationem pronus at bene fortunatus, hic tandem ſperando excedet quinta parte totius mixtionis. In amorem quoque eorum bonorum valde pronus, ut facile ex eorum ſubita omiſſione obſtupeſcat. Ut contigit Sejano, in quo cum bona fortuna maxima potentia jungebatur; is ergo juſſionem Laconis Conſulis, ut ad eum iret, etiamſi repetitam, vix ut ſibi indictam intellexit.

## §. VIII.
### *Divitiæ.*

Divitiæ, ut in uſum deſcendunt & commoditatis ac deliciarum, utrumque phantaſma exhibent, & honorum etiam. Nam divites qui ſplendore utuntur, præſertim ſi munifici ſint, *honorantur* (*c*) immo quandam in civitate potentiam contrahunt ex clientelis. Eandem itaque fere retinent proportionem, quam potentia ad momentum ex temperamento. Quod ſi divitiæ *non deſcendant in uſum*, (*d*) ſed in habitu tantum ſint, exploditur potius dives, quam honoretur, eſtque illud Horatii.

> - - *Populus me ſibilat, at mihi plaudo*
> *Ipſe domi, ſimul ac nummos contemplor in arca:*

Neque etiam ullam experientiam commoditatum vitæ aſſequitur. Recte Horatius.

*Neſcit*

(*a*) *Climatis, regionis.*) Conf. GVNDLINGIVM in *Otiis P. I. Cap. I.* de *temperamento Hiſpanorum:* & BARCLAJVM *in icone animorum Cap.* 2.

(*b*) *Octo graduum.*) De variis nobilitatis gradibus egi in Diſſ. de *ſtatu nobilitatis germanicæ.*

(*c*) *Honorantur.*) Merentur hic legi, quæ habet PLVTARCHVS lib. *de diſcrimine adulatoris & amici.* T. I. Oper. p. 114 n. d.

(*d*) *Non deſcendant in uſum.*) Hinc Horatius canit:

> *Nullus argenti color eſt, avaris*
> *Abdita terris inimice lamnæ,*
> *Criſpe Salluſti, niſi temperato*
> *Splendeat uſu.*

Et Dionyſius Senior, cum quendam e civibus accepiſſet aurum domi defoſſum habere, ad ſe deferri juſſit. Sed cum is exigua parte ſubtracta in alienam migraſſet urbem, agrumque emiſſet, illum ad ſe arceſſivit, totumque accipere juſſit, utpote qui divitiis uti didiciſſet, neque utile inutile redderet: Ut refert PLVTARCHVS in *Apophthegmat. T. I. Oper. p.* 46.

Digitized by Google

*Neſcis quid valeat nummus, quem præbeat uſum?*
*Panis ematur, olus; vini ſextarius: addo,*
*Queis humana ſibi doleat natura negatis.*

§. IX.

*Inſtituta ac ſtudia, ac primo Philoſophia & Jurisprudentia.*

*Philoſophia moralis* (*a*) exhibet phantaſma tantum primum ipſa per ſe honeſtatis; pariter Jurisprudentia, qua ex parte illam edocet: unde inferior eſt ipſa temperamento.

At *ſtudium Poëtarum* (*b*) librorumque aliorum, qui obſcœnitates includunt, nedum phantaſma primum earum rerum, quas graphice exſcribunt, ſed ſecundum quoque exhibent, vel medium aliquid inter primum & ſecundum. Nam res obſcœnæ deſcriptæ nedum cognoſcentem facultatem afficiunt, ſed ex refluxu turgente pariter natura, commovent appetitum vel adhuc virginum. Eſt enim is ſal pruriens, de quo antea ex Martiali diximus. Superat itaque ejusmodi cognitio temperamenti momentum ſi contrarium fuerit; vel certe æquat.

§. X.

*De motu & quiete.*

*Motum corporis* (*c*) exercitationemque; calefacere humores ac ſpiritus, demumque vegetare calorem, ni tantus ſit, ut colliquet, vidimus: quietem contra refrigerare. Flacceſcunt etiam quiete partes ſolidæ corporis, motu roborantur. Adjuvat ergo demum motus temperamentum ad mores audaces & actuoſos, ad contrarios quies. Qua vero proportione? Difficile eſt explicatu. Attamen in octo gradus momento ex temperamento ad audaciam diviſo, vix unum ex illis aſſignarem motui. Conſidero enim, influxum calidiorum humorum & ſpirituum non æque ad mores poſſe atque temperamentum ipſum cordis ſecundum ſolidas partes & ſpiritus complantatos, ut ſi influenti demus tres gradus, non pauciores juſto aſſignemus: verum caliditas ex motu & ad influentes ſolum humores ſpiritusque pertingit, & ſi conferatur cum horum caliditate, quæ plurimum ad audaciam ducit, (ſcilicet cum iræ caliditate) non excedit tertiam ejus partem. Conſulamus hac de re experientiam. Utrum qui iratus vere ſit, triplo audacior ſit eo, qui multo motu vel venationis vel pugillationis exercitus ſit, cum ambo illi homines ejusdem ipſi per ſe diſpoſitionis ad audaciam ante acceſſionem calorum eorum influentium fuerint.

§. XI.

*De Cauſis naturalibus climatibus.*

Clima ad temperamenti conſtitutionem operatur potius, quam ad alterationem conſtituti. Unde feroces homines ferociam in omnibus regionibus & climatibus ſuam retinent. Cæſar non minus in Ægypto fortis, quam in Germania, Britanniaque. In conſtitutione quoque non facit, ut naſci non poſſit temperamentum ſummæ fortitudinis naturalis in calida & humida regione, licet minus frequenter multo in ea naſcatur. Anteus in Africa natus eſt, & Annibal, & Juba, & Maſſiniſſa, qui fortiſſimi viri fuere. Plures tamen in Italia & ſeptentrionalibus regionibus fuerunt. Unde ex climate conjecturam ducimus temperamenti, quando contrarium ex aliis ſignis non conſtet. Idem de naturali ſitu habituque regionis aſſerendum.

§. XII.

*De cibis, & potu.*

Cibi vero, & præſertim potus, temperamentum alterant. De potu id aperte conſtat, cum *ebrii magnam mutationem* (*d*) præ ſe ferant: in primaque præcipue tentatione ebrietatis audaces plurimum ac petulantes fiunt. Animadvertendum tamen eſt, longe intereſſe hac in parte, utrum de moribus aut utrum de affectibus loquamur. Ebrii in affectum *audaciæ* (*e*) deveniunt: at ebrioſi contra non mores audaces ſed, remiſſos ac in voluptatem eam bibacem fuſos contrahunt. Bibones noſtri haud multum armorum ſpecimen dedere unquam. Verum ita diſtinguamus. Bibaces homines, qui ad ebrietatem non adducuntur, ſed vinum optime concoquunt, ad *calidos ex ea re mores* (*f*) diſponuntur ob vini caliditatem. Et eam ob cauſam in ſacris literis in vino abundare luxuriam dicitur. Juvenalis credit ab ebrietate quoque accendi Venerem.

*Quid enim Venus ebria curat?*

Et de ebrietate id ego quoque faterer; at de ebrioſitate non æque; obſtupeſcunt enim demum nervi, non urgent, ut in Venere exigitur. Eatenus itaque; *cibi & potus* (*g*) morum momenta mu-

(*a*) *Philoſophia moralis.*) Conf. PVFFENDORFIVM de I.N. & G. cum commentatoribus WEBERO & WERNHERO, & MORHOFIVM in *Polybiſt.* T. III. *Lib. I. Cap. I.*

(*b*) *Studium poëtarum.*) De veterum ſacerdotum Zelo, quod poetas Græcorum, obſcoena continentes, combuſſerint, vide MORHOFIVM T. I. lib. VII. cap. II. §. XI.

(*c*) *Motum corporis.*) Hinc PLVTARCHVS *convivalium problematum ſextæ decadis Probl.* I. T. I. Oper. p. 210. *Exercitium*, inquit, *vociferatio & quæcunque tandem motio calorem augent, ſuavius ſtudioſiusque veſci faciunt.*

(*d*) *Ebrii magnam mutationem.*) Imo multi vinolentia exanimati ſunt, quia vini copia naturalem vivificamque virtutem caliditate ſuffocat. Præcipue vero hoc iis accidit, qui inſitum calorem exiguum & imbecillum poſſident. Quando enim & plurimum eſt & validum, reniti magis poſſunt, ſpatioque temporis copiam concoquit: quemadmodum & flammæ copia, majorem quoque olei infuſionem tolerat.

(*e*) *Audaciæ.*) HORATIVS de hoc ita canit:

*Quid non ebrietas deſignat? operta recludit,*
*Spes jubet eſſe ratas, in prœlia trudit inermem.*

(*f*) *Calidos mores.*) Merentur hic legi, quæ TACITVS de compotationibus Germanorum, & GELLIVS *noct. atticar. Lib.* 15. *c.* 2. De inepto quodam ex inſula Creta affert; qui fomitem eſſe quendam dicebat & incitabulum ingenii virtutisque, ſi mens & corpus hominis vino flagraret. Ubi & Platonis de ebrietate ſententia explicatur.

(*g*) *Cibi & potus.*) Hic videndus JEAN HVARTE *dans l'examen des eſprits Cap. XV.* §. 3. p. 463. ſq.

mutant, quatenus temperamentum alterant, vel cordis vel partium actioni deſtinatarum. Veluti cibi flatuoſi proritando ſeminalia membra in Venerem incitant.

At quænam proportio? Conſideremus, cum temperamentum prorſus alienum eſt nihil facere cibos. Frigidi vel natura vel ætate homines non promoventur in Venerem auxilio ciborum: contra homines incenſi ætate & temperamento ægre jejunio franguntur, quin æſtuent. Cibus ergo adjuvat, non facit propenſionem. Eſt ergo proportio, ut adminiculi ad agens, cibi ad temperamentum. At quod adminiculum? Remotum quidem. Primo enim *cibus in ventriculo* (*a*) infringitur, adque temperamentum ejus membri plurimum ſua craſis deponit; deinde ab hepate mutatur, ipſumque viciſſim alterat. Qua ratione, ut ſanguis ex qualitate cibi & alterato hepate in cor fluens aliquam ſuſcepit varietatem, eatenus ad mores cibus facit. Primo ergo facit ut influens; quod jam, non plures tribus gradibus ex octo temperamenti ad morum momentum facere, vidimus: deinde ad totum influens, cum rationem habeat non agentis, ſed reagentis; ſuapte enim natura chylus ab hepate in ſanguinem mutatur, a natura ac vi hepatis: contra vero reagit ipſe pro ſuis qualitatibus in hepar; unde vim habet majorem hepar non æqualem chylo. Quocirca amplius eſt in ea comparatione hepar, quam ſeſquigradus, & chylus minor, quam ſeſquigradus. Rurſus cum cibus minorum ſit virium ad mores, quam chylus, quia eſt jam in ventriculo mutatus & refractus ad ſummum, quoad momentum morum habebit cibus unicum gradum eorum, quos temperamentum habet octo.

### §. XIII.

### *De Ætatibus.*

Ætates partim ad temperamentum ſpectant, eaque ratione inter cauſas naturales morum reponendæ ſunt; partim ratione cognitionis concurrunt, eaque ratione ad cognitionis momentum reducuntur, & ad cauſam adventitiam, ad experientiam nempe. *Senectam* ergo *refrigerare* (*b*) jam conſtitit, adeoque momenta ad calidos mores infringere, dicendum. At qua proportione? Primo ſane ſanguis refrigeſcit, adeoque frigidus, quam ut ad audaciam conferat, efficitur; ſi totus refriguiſſe ponatur, ex octo gradibus momenti ad calidos mores tres in contrarium ceſſerint. Ejuſmodi craſin in ſeipſo deſcripſiſſe videtur penes Virgilium Entellus.

-- — *Non laudis amor, nec gloria ceſſit*
*Pulſa metu; ſed enim gelidus, tardante ſenecta,*
*Sanguis hebet, frigentque effœtæ in corpore vires.*

Solidum cordis temperamentum cum in ſummo fuerit, *conſtare usque ad extremam* (*c*) ſenectam videtur. Ut in Maſſiniſſa, & Beliſario; qui decrepitus jam repulit hoſtes a Conſtantinopoli. At in minus firmis temperamentis fatiſcere etiam partem ſolidam, & refrigeſcere credendum, ut mores contrarii prævaleant, reſidente tamen & reſiſtente more priſtino, interdum etiam in antiquum affectum & actu magno ex irritamento prodeunte. Ut in Priamo exprimit Virgilius.

*Arma diu ſenior deſueta trementibus ævo*
*Circumdat nequicquam humeris, & inutile ferrum*
*Cingitur, & denſos fertur moriturus in hoſtes.*

## CAPUT NONUM.

### *Differentia momentorum acceſſoriorum a principalibus.*

Id demum notandum eſt de acceſſoriis momentis; ad tria primaria non poſſe illa, quocunque & quantocunque modo multiplicentur, unquam excedere momentum ſui principalis una etiam cum eo aggregata. Ex. gr. nobilitas & potentia ad cognitionis momentum reducuntur; potentia autem habet integros ejus gradus octo, nobilitas quatuor, qui ſimul juncti, duodecim gradus componerent, ſi numerum ipſum ſpectemus. Attamen ſi quis ipſe per ſe ſtudio & uſu optime calleat, honorem eſſe præferendum utilitati, ſitque idem potens, ut ex potentia id ipſum cognoſcat, ſit nobilis ut rurſus aggeratur ex eo quoque capite eadem cognitio, tamen in ejuſmodi homine momentum cognitionis non erit viginti graduum, ſed octo ſolum. Hæcque eſt differentia inter principalia & acceſſoria momenta, quod illa ſummam augent, ut ipſa creſcunt, at hæc intra gradus octo ſemper conſiſtunt. Simile hoc eſt, atque in diviſione continui in partes proportionales; quæ diviſæ partes, ſi rurſus conjungantur, etiam ſi numero immenſæ (ad infinitum enim non pervenit diviſio) tamen nunquam ad eam perveniunt magnitudinem, cujus partes ſunt. Hinc ipſam Ariſtoteles 3. *Phyſ. text.* 59. & 67. vocat appoſitionem diviſioni reſpondentem, eamque non pertranſire finitam magnitudinem aſſerit. Vocant practici italici ejuſmodi operationem *inſilzare* alii *ineſtare*, quæ nunquam ad integram unitatem producitur: eſt autem ſumma minutiarum minutiæ ſe ſubinde excipientium; ut ſumma $\frac{2}{3}$ e $\frac{3}{4}$ e $\frac{4}{5}$ e $\frac{5}{6}$ &c. Sed nimium de re alterius ſcientiæ contra propoſitum ac morem meum.

CAP.

(*a*) *Cibus in ventriculo.*) Hic meretur conferri JAC. ROHAULTI *tract. phyſicus P. IV. Cap. XX. de concoctione alimentorum ſeu prima digeſtione.* Et Caput XXI. *de motu chyli.*

(*b*) *Refrigerare.*) Conf. APHRODISEUS in *Quæſt. phyſicis, paſſim.*

(*c*) *Conſtare usque ad extremam.*) Hoc & in Catone accidiſſe videtur, de quo FRANCISCUS PETRARCHA *de viris illuſtr. L. I. p. m.* 427. ſcribit, quod græcas litteras ſenio gravis attigerit, cum maxime fugere ſolet animus mortalium: tunc vero acrius exardeſcens cupiditate diſcendi ſcripſerit libros rerum variarum ac multarum eloquentia vetuſta Conf. CICERONEM *de Senectute.*

## CAPUT DECIMUM.

### *Peroratio primæ partis methodi.*

Poſſumus hinc primam methodi partem, quæ ex cauſſis morum earumque combinatione conſurgit, in ſummam contrahere atque in epilogum. Licet enim adhuc exigantur ad ejus integritatem ſigna temperamentorum ad conjicienda temperamenti momenta, tamen quatenus ad methodi praxin pertinet, tota ea contrahi poteſt: interim relegando Lectorem pro indagando temperamento ad ea, quæ ſequentur.

# LIBER QUINTUS.

## CAPUT PRIMUM.

### *Connectit & proponit, quæ agenda ſunt.*

In proxima ac prima methodi parte ſuppoſuimus temperamenti gradus notos, indeque momentum ex eis in mores conſpicuum, quod poſtea cum contrariis conferreretur momentis. Verum cum temperamentum ſit ſenſibus occultum, niſi argumenta exhibeamus ipſum indagandi ex ſignis aliquibus ſenſu conſpicuis, vanus erit inſumptus huc usque labor in elapſa methodi parte explicanda.

Signa autem temperamenti tradere Phyſiognomiæ cura eſt. Aliqui credunt nullum præterea aliud munus Phyſiognomiæ eſſe. Ita ſentit *Baptiſta Porta*, (*a*) arbitratus *Lib. I. Phyſ. c.* 23. omnia Phyſiognomica ſigna ad temperamentum reduci. Eandem quoque ſententiam præ ſe fert Johannes Ingenerius Epiſcopus Juſtinopolitanus, qui omnia ſigna Phyſiognomica ad temperamentum redegit. Alii vix temperamenti meminere, inter quos eſt Ariſtoteles. Adamantius in conformatione membrorum vel totum vel plurimum ponit. At opinionum diverſitatem hanc ex ſuperioribus tum judicare poſſumus, tum paulo poſt ego examinabo. Interim ad abſolvendam methodum præcedentem propono hic ſigna temperamentorum ſubjectorum nec non conformationis partium; tum ſigna, quæ ex parte occulta ſunt, tum ſignificationes. Præſtat vero, cum integram prius Phyſiognomiæ artem propoſuero, eam hic partem pertractare, quæ ad hunc locum ſpectat, reliquam in ſequentem partem methodi rejicere.

## CAPUT SECUNDUM.

### *De Phyſiognomia.*

### §. I.

*Tria capita, treſve partes Phyſiognomiæ eſſe.*

*Phyſiognomia* (*b*) eſt naturæ cognitio, ut vox ipſa ſignificat. Natura vero non eſt hic accipienda pro forma ac ſubſtantia animalis ſive hominis, ſed pro paſſionibus ac moribus naturalibus ejus. Ariſtoteles in poſtremo capite ſecundi priorum Analyticorum indaginem naturalium motuum, iræ ſcilicet & cupiditatis &c. tribuit huic facultati, idemque dicit lib. de Phyſiogn. cap. 3. & licet addat aliquas adventitias paſſiones, tamen quomodo id ſit intelligendum, alias exponemus: interim fatetur, eas quoque cum corporis mutatione eſſe, non ſecus ac naturales. Hoc ergo hic ex Ariſtotele ac phyſiognomorum reliquorum conſenſu firmemus dogma: *Phyſiognomiam indaginem eſſe morum aliquam corpoream mutationem importantium.*

Verum enimvero circa corporeas mutationes duo genera conſiderari in univerſum poſſunt: ſubſtantia ipſa corpulenta parteſque ejus, & motus ipſe corporeus, ad quem & actiones corporis ac paſſiones reducuntur. Mutatio ergo corporea, vel erit mutatio corporis partiumve ejus, vel paſſionum actionumve corporis. Partes corporis humani, de quo nunc agimus, aliæ ſolidæ, aliæ fluidæ. Et utræque rurſus bifariam diſtinguuntur; ſolidæ n. aliæ ſimilares, in quibus præſertim temperamentum conſiſtit, aliæ diſſimilares, in quibus conformatio præcipue attenditur. Fluidæ aliæ humores ſunt, aliæ ſpiritus. Motus vero hic alterationis eſt, ut, palleſcere vel rubeſcere: hic localis eſt, quo attenduntur differentiæ tarditatis & velocitatis & id genus aliæ.

Ut

(*a*) *Baptiſta Porta.*) De hoc ita judicat MORHOFIUS *Polyhiſt. T. II. Lib. III. §. 4. Eſt elegans opus Phyſiognomicum Joh. Bapt. Porta, in quo præcipue curioſa eſt vultuum humanorum cum animalium vultibus collatio, quorum aliquam harmoniam deprehendet facile, qui diligentius examinabit. Id vero notandum eſt, editionem italicam longe eſſe locupletiorem, quam eſt latina, Hanoviæ* 1543. *in* 8*vo impreſſa.* Scripſit etiam idem PORTA *Phytognomica*, in quibus de externis plantarum figuris agit, e quibus judicium de viribus plantæ ferunt medici. Qui liber 1591 Francofurti in 8vo excuſus.

(*b*) *Phyſiognomia.*) Stricte ſic dicta Phyſiognomia corporis partium motum, magnitudinem, colorem, figuram atque harmoniam ſpeciatim faciei, oculorum, naſi, oris, vocis, ac pronunciationis rationem veluti ſigna laudat. Chiromantia ſive rectius chiroſcopia eſt divinatio ex inſpectione linearum in manu, in quibus arcanas temperamenti ſignificationes ineſſe putant; metopoſcopia vero ſigna, quæ fronti ejusque lineis a natura impreſſa creduntur, exhibet. Ut iſta definit WALCHIUS in Diſſ. *de arte aliorum animos cognoſcendi* §. 8.



Digitized by Google

Ut *tria in univerſum* (*a*) Phyſiognomiæ capita ſint. *Primum* temperamenta inquirit, ex eorumque varietate morum varietatem. *Secundum* conformationes partium, ex illisque itidem elicit mores. *Tertium* motus corporis conſiderat, & ex illis, rurſus mores inveſtigare annititur.

### §. II.

*Ejusdem tripartitæ diviſionis confirmatio ex ſuperioribus.*

Hæc eadem tripartita diviſio ex ſuperioribus dictis confirmatur. Vidimus enim indita momenta ad mores duo eſſe. Aliud ex temperamento; aliud ex conformatione partium. Ut duo priora artis capita ex illis pariter deſcendant pateantque. Tertium vero, quod eſt motus, pariter ex prioribus poteſt deduci. Vidimus enim, mores cum ex cauſis aliquibus intrinſecis pendere, tum effectus aliquos corporeos pendere ex illis. At effectus ex moribus pendentes, in corpore conſpicui ſunt motus, alii locales, alii alterationis. Sub alterationibus autem & motibus reponendus eſt mos apparens, cujus non ſemel meminit Ariſtoteles. Eſtque *mos apparens* (*b*) is vultus ea corporis diſpoſitio, quæ conſequi ſolet affectum aliquem vehementem, præſertim cum confirmata eſt. *Senec. lib.* 1. *de Ira c.* 1. Ex, gr. iram vehementem conſequitur rubor toto ore multus, flagrantes & micantes oculi, pariter concuſſi dentes, horrenteſque & ſubrigentes capilli, ſermo præruptus, & parum explanatis vocibus. Si habitus hic oris ac corporis in aliquibus conformetur, ut etiam extra inſultum iræ illum retineant, dicetur mos apparens iracundiæ: non enim ut effectus iræ ſignum accipitur, ſed ut moris iracundi indicium.

### §. III.

*Non recte omnia ſigna Phyſiognomica in temperamentum reduci.*

Falluntur ergo, qui omnia ſigna phyſiognomica in temperamentum, ut in cauſam reducunt. Nam conformationem partium a temperamento non pendere ſatis monſtravimus. Unde Portæ ſententia rejicienda eſt ob demonſtrationes eo loco adductas. Sed alio etiam nomine reprehendenda eſt, ſi ad uſum ſpectare eſſet viri opinio: nempe ſi moneret in temperamentum ſignum omne re ipſa reducendum eſſe. Etenim verum eſt, *mores pendere omnes* (*c*) a temperamento, ſigna tamen morum proxime a temperamento pendere, non eſt neceſſe, ſed a more ipſo, ut phantaſiam indeque partem motricem afficit. Quarum deinceps facultatum notæ in faciem atque exteriorem corporis partem erumpunt, demumque eam inſident, Unde motus & habitus oris, qui irato convenit, cum conſtiterit, non eſt ſignum temperamenti per illudque moris, ſed moris proxime temperamenti autem remote ſolum. Adeo, ut foret incaſſus labor Phyſiognomi, ſi ex apparente more temperamentum primo eliceret, deinde morem: cum mos ex eo immediate & proxime cenſeri poſſit, & debeat ad effugiendum inutilem circuitum. Ariſtoteles aperte aliquos non omnes mores in temperamentum rejiciendos oſtendit *l. de Phyſiogn. c.* 7. cum dicit, *quaſdam alias proprietates*, mores ſcilicet, *à caliditatibus & frigiditatibus fieri.* Non omnes ergo fiunt, ſi aliquæ tantum fiunt a caliditatibus & frigiditatibus, ſcilicet a temperamento.

### §. IV.

*Non diſſentire ab hac tripartita diviſione quam Ariſtoteles, affert, diviſionem novenariam, quæ exponitur.*

Neque vero, quam Ariſtoteles affert diviſionem, ab hac diſſentit, licet novenaria ſit. 1. *Ex motibus*, inquit, *phyſiognomizant, & 2. ex figuris, & 3. ex coloribus, & 4. ex moribus in facie apparentibus, & 5. ex lenitate, & 6. ex voce, & 7. ex carne, & 8. ex partibus, & 9. ex figura corporis totius.* Omnia enim ad tria capita, ut in fundamenta rediguntur. Motus ſcilicet & mores apparentes & vox ſpectant ad tertium motus caput: figuræ partium & figura totius corporis & partes ad conformationem partium: colores lenitas caro ad temperamentum: partes etiam, licet ad conformationem ut plurimum ſpectent, aliqua tamen interdum ratione ad temperamentum reducuntur: colores quoque & temperamentum ſignificant, & quandoque ad mores apparentes pertinent, ut rubor oculorum iram ſignificare dicitur. Fontes ergo ſignorum enumerati ab Ariſtotele ad tria capita poſita a nobis reducuntur omnia.

### §. V.

*Dubitatio contradicta, ex duobus aliis ſubjunctis ab Ariſtotele modis, qui afferuntur.*

At dubitatio urget ex ſubjunctis duobus aliis ab Ariſtotele, modis phyſiognomonizandi, Alter eſt, ex moribus duobus aut pluribus indagatis alium deducere. Alter eſt, ex loco a contrario ſigna alia comparare morum. Neuter autem horum ad aliquod enumeratorum trium capitum pertinere videtur. Audiamus utrumque modum; ut clarior evadat, tum dubitatio, tum ejus ſolutio. *Eſt*, inquit Ariſtoteles *Lib. Phyſiogn. c.* 5. *alius etiam modus, ſecundum quem aliquis phyſiognomonizet: nullus tamen aggreſſus eſt. Ut ſi neceſſe ſit iracundum & triſtem & parvum ſecun-*

(*a*) *Tria in univerſum.*) ARISTOTELES novem ejusmodi commemorat ſigna, ac phyſiognomos aliquid colligere dicit ex moribus, figuris, coloribus, motibus in facie apparentibus, levitate, voce, carne, partibus ac corporis figura. Conf. WALCHIVS l. c. Quid autem Phyſiologia ſub ſe complectatur, vide WEDELIVM *in phyſiologia medica Sect. I. Cap. X. P.* 28. §. 2.

(*b*) *Mos apparens.*) De Diſtinctione inter temperamentum nativum & aſcititium, vide WEDELIVM *l. c. p.* 69.

(*c*) *Mores pendere omnes.*) Doctrina de temperamentis ab Helmontio & aliis recentioribus omnino vilipenditur, quod nempe non ſint niſi modus ſuperadditus rei, nec quicquam ad intimiorem corporis energiam efficiant. Quod tamen ſolidiſſimis rationibus refutat WEDELIVS *l. c.* LEIBNITII hanc in rem verba ſunt ſequentia in *Miſcellaneis* §. 101. p. 190. *Qui cum hominibus negotiari vult, ei noſſe utiliſſimum erit temperamentum hominis. - - - Utinam hæc doctrina tradita eſſet, quæ certe incredibilis momenti eſt. Hujus enim ope poſſumus fere cuilibet quidlibet perſuadere. Item poſſumus ſcire, quid ab alio ſperare aut timere debeamus.*

Digitized by Google

*ſecundum morem, ſcilicet puſilli animi eſſe invidum, colligere erit hominem ejuſmodi invidum eſſe, etiamſi nullum adſit ſenſibile ſignum invidiæ. Alius modus ex loco a contrario eſt hujuſmodi. Si iratus conſuevit intendere vocem, ergo ſegnis remittit, & ſi fortia animalia gravem vocem habent, timida acutam habebunt. Idemque in aliis.* Neutra autem harum indaginum videtur reduci ad capita enumerata; deque primo ſane certum eſt. Qua enim ratione illa a temperamento aut conformatione partium, aut motu pendet?

Reſpondeo objectioni. Omnem indaginem phyſiognomicam in aliquod demum ſignum ſenſibile, ut in primum fontem reduci, & omne ejuſmodi ſignum ad aliquod trium memoratorum capitum reduci, ut ego expoſui: at vero nihil impedire, quo minus rationis interioris vi ex deductis primo loco a ſenſibilibus ſignis alia deducantur; illæ tamen indagines ad aliquod ſenſibile ſignum demum reducentur: & ita ſe habent duæ ſubjunctæ ab Ariſtotele methodi. Immediate illæ a ratione proficiſcuntur, at mediate, utque a primis fontibus, ab aliquo trium memoratorum procedunt. Ut autem in exemplis propoſitis immoremur. Deductio invidi moris ex iracundia triſtitia & puſillanimitate eſt immediate a ratione, at mediate ex ſignis iracundiæ triſtitiæ & puſillanimitatis procedit. Idem de illatione ex contrario dicendum. Summa ſolutionis eſt. Ad tria capita dicta reducitur omnis indago phyſiognomica, ut ad prima & ſumma principia, non ut ad ultima & propinqua.

## CAPUT TERTIUM.

### *Signa cordis calidi aggreditur.*

### §. I.

*Proponit, quæ dicenda.*

Ad temperamenti ſigna accedamus. At temperamentum ad mores pertinens, ac morum naturalium propenſionumve cauſa, erat temperamentum cordis; *Hac 4. part. cap. 4. lib. 1.* reliquarum ſolidarum partium temperamentum ad mores non pertinebat, niſi ſi forte ad cor pertingebat ex aliquo refluxu. Erat deinde temperamentum ſanguinis, qui in cor influit. Tertio ſpirituum, qui & ipſi in cor penetrant. Primo autem temperamenti vel temperamentorum cordis ſigna perquiramus. Quot autem temperamenta cordis ſint, quotque & quibus qualitatibus diſtinguantur, ſatis explicuimus ſupra, *Lib. eod. cap 5.* quique mores ſingula eorum conſequantur. Quoniam autem primo loco calida temperamenta antea diſtinximus, primo etiam loco nunc eorum ſigna inveſtigare tentemus.

### §. II.

*Signa cordis calidi afferuntur ex Galeno.*

Calidum cordis temperamentum, vel cum duritie & mollitie conſideratur & cum reliquis differentiis, vel ipſum per ſe, ut ab aliis abſtrahit differentiis omnibus; quo nunc modo primum conſideramus accipimusque. Calidi ergo in univerſum cordis ſigna hæc a Galeno *Art. medic. cap. 29.* habentur:

1. *Sig. Magnitudo reſpirationis.*
2. *Sig. Pulſus velocitas & frequentia.*
3. *Sig. Thorax hiſpidus, & præſertim pectus, & quæcunque partes hypochondriis propinquiores ſunt.*
4. *Sig. Latitudo thoracis cum parvitate capitis.*
5. *Sig. Ex moribus quoque ſignum deducit temperamenti cordis.*
6. *Sig. Corpus totum calidum, niſi hepar frigidum obſtiterit, calor totius corporis calorem cordis conſequitur.*

### §. III.

*Signa ejusdem ex Raſi & aliis.*

Raſis ſigna cordis calidi facit pulſum ac reſpirationem velocem, pectus multis craſſisque pilis refertum tactuque calidum, item eſſe audacem, iracundum, obſtinatum.

Idem fere ſentit recentior ille, qui ſic ſcripſit. *Cordis complexio, ſi fuerit calida, pulſus eſt velox, pectus aliquantulum eſt piloſum, ultra ætatem adoleſcentiæ in carne eſt calidus, eſt boni appetitus, in factis audax, in verbis aſper, in dando tenax, obſtinatus, ſuperbus, iracundus, luxurioſus.*

Haly Abbas hæc cordis calidi ſigna refert. *Lib. theor. 1. Ex actionibus quidem, ſi reſpiratio vehemens ſit, & pulſus identidem, ſitque homo audax, iracundus, magnanimus, membroſus. Si pectus ſit latum cum parvitate capitis & ſpondilium, ſignificat calorem cordis: caloris enim eſt dilatare; arctare autem frigoris &c. Quod ſi latitudo pectoris ſit cum magnitudine capitis & magnitudine ſpondilium, non eſt caloris cordis argumentum. Cum autem latitudo pectoris eſt cum ſpondilium magnitudine & capitis. Si reſpiratio ſit æqualis pulſui, cor calidum erit: contra, ſi velocior ac denſior reſpiratio, quam pulſus. Si pili ſint multi & nigri in anterioribus corporis & his, quæ eis ſubſunt in ventre, calorem cordis manifeſtant. Si fuerint pectus & circumvicina tactu calida, ſignificant calorem temperamenti cordis.*

Averroës calidi cordis ſigna & ipſe eadem fere adducit. Videlicet. *Si pulſus fuerit fortis velox aut ſpiſſus, exceſſum caloris in corde ſignificat.*

Excipit tamen; niſi contingeret is pulſus ob anguſtiam naturalem arteriarum; etſi ejuſmodi anguſtia raro accidat in complexione calida, quia natura caloris eſt aperire & extendere partes, niſi extenſioni reſiſterent ob ſiccitatem.



Digitized by Google

2. *Si anhelitus exuberet, ſignum eſt caloris cordis, dummodo non is accidat ob arctitudinem pectoris, aut pulmonis, ſive earum venarum.*

3. *Si pili fuerint multi, ſignum eſt caliditatis cordis.*

4. *Si corpus erit tactu calidum, ejusdem caloris cordis ſignum eſt.*

Etenim calorem cordis ſequitur calor omnium membrorum, niſi ſit reſiſtentia accidentaria a membris dominium habentibus in corpore; ſcilicet ab hepate & cerebro.

## §. IV.

*Sententia authoris de ſignis adductis incipit exponi primoque de pilis.*

Horum virorum ſententias & dicta collegiſſe ſatis ſit. Nunc adducta ſigna expendamus. Primo autem ſigna ex moribus ducta.

Hæc igitur in propoſito hoc noſtro deſervire nequeunt; ſecus enim petitio principii admitteretur. Nam hic ad mores eliciendos annitimur, mores autem ex temperamento conjicimus. Quod ſi temperamentum ex moribus conjectaverimus, a primo ad ultimum mores ex moribus colligeremus, quæ eſt petitio principii. Equidem fateor, poſſe nos ex more aliquo conſpicuo temperamentum quærere, & ex temperamento conjicere morem occultum; at in univerſum ejusmodi progreſſus petitione principii laborat.

Omnes in eo ſigno conveniunt: *Si pili ſint in pectore* (*a*) & ſubjectis partibus multi, & præſertim duri ac craſſi, ſignificari calorem multum cordis, & vulgo etiam idem partim creditur. Primo autem notandum, in doctrina quoque Galeni non eſſe ſignum convertibile, adeo ut etiam ſi cor calidum ſit, pectus continuo ſit hirſutum ac hiſpidum. Verba Galeni ſunt lib. 2. de temperament. *Gallis enim*, inquit, *& Germanis, & omni thracio & ſcythico generi frigida humidaque cutis eſt, ideoque etiam mollis alba, & pilis nuda: omnis vero naturalis calor in viſcera una cum ſanguine his confugit, ubi dum agitatur & premitur & fervet, animoſi, audaces & præcipitis conſilii redduntur.* En ergo, ut alii calidi cordis glabri ſunt in pectore ex doctrina Galeni; quæ firmiſſimo ſane nititur fundamento.

At videamus nunc, num ſit univerſale ſignum caloris excedentis cordis pectus hirſutum, craſſis præſertim ac duris pilis, utque Haly Abbas addit nigris. *Lib. 2. de general. anim. cap 5.* Ariſtoteles pilos ex cute oriri facit, cum humor ex ea evaporat atque exhalat. Eſt autem vapor alius pinguis, alius aquoſus. Naſcuntur craſſi pili ex cute craſſa, præſertim ſi rara ſit, adeoque poros habeat magnos. Ex fumida exhalatione pilos oriri dicit, cum criſpi fiunt, ex eaque cauſa criſpitudinem derivat. At vero, ſi hæc doctrina accipiatur, multitudo & craſſities pilorum cutem pectoris craſſam & raram, & humore aquoſo aut ad ſummum pingui imbutam ſignificabit; cujusmodi cutis nullo modo eſt neceſſarium ſignum caliditatis cordis. Imo contra cutis craſſa & humore aquoſo imbuta frigiditatem potius, non neceſſario licet, probabiliter tamen ſignificaret. Galenus *Lib. 2. de temper. c. 5.* tribuit cuti ſiccæ & calidæ copioſam pilorum generationem; materiam vero ponit vaporem fuliginoſum, craſſum ac terreum. Ex quo dogmate, nec eſt hirſutum pectus neceſſarium caliditatis cordis ſignum; non enim eſt cutis pectoris & cordis ipſius ſimile temperamentum; cum proxime ex Galeno viderimus, cutem in borealibus hominibus eſſe frigidam, at cor calidum. Copia etiam vaporis fuliginoſi, craſſi ac terrei non indicat excedentem calorem; imo interdum ſubdebilem. Nam fumi major copia elevatur, cum calor nondum prævalet materia uſtibili, quam cum jam eam obtinuit; ideoque multo major fumi copia excitatur, ſi ignis paleæ udæ ſubjiciatur, quam ſi aridæ. Accedit huic examini, quod ex cute capitis plures & craſſiores pili oriuntur, neque tamen ſubjecta pars eſt calidiſſima, imo contra frigida, frigidiſſimum enim cerebrum ex Ariſtotele, & ex Galeno eſt frigidius cerebrum, partibus carnoſis & ſanguineis.

Concludo itaque, ſignum nedum non converti, ſed neque neceſſarium ac univerſale eſſe. Ut probabile tamen ſuſcipi poteſt; quoddam enim caloris argumentum eſt, & ex calida cute vicini cordis calorem conjectare item probabiliter licet.

## §. V.

*Cenſura ſignorum ex pectoris latitudine.*

*Latitudo pectoris ipſa* (*b*) quoque per ſe non eſt ſignum neceſſarium caloris cordis. Neque ratio, quod caloris eſt dilatare, ſatis eſt efficax; quin contrarium poteſt non minus ſignificare id ſignum; quoniam idem calor in ampliore loco minus calefacit, quam in anguſto, proindeque cor parvum calidius eſſe, quam magnum ſuapte natura, antea ex Ariſtotele vidimus. Ad rationem autem contrariam diſtingui debet propoſitio: *Caloris eſt dilatare.* (*c*) Si enim loquamur de conceptaculo jam genito & conſtituto, in quo calor ipſe continetur, ampliatur id magis a magno calore, quam a parvo; unde ſi corda duo æque magna fuerint,, ab inæqualibus autem caloribus informata, calidius cor attolletur, & dilatabitur amplius altero. Idem de arteriis dixeris. Verum ſi loquamur de rei generatione, cum calor major, majus etiam alimentum ſeu plus materiæ attrahat, craſſiora toroſioraque potius, quam ampliora conceptacula pro proportione facit. Sit hæc prior inſtantia. At alia etiam efficacior. Quoniam calor inſtrumentum facultatis altricis

ac

(*a*) *Si pili ſint.*) Memorabile eſt, quod PLINIUS H. N. *Lib. XI. Cap. 37.* memorat, dari homines corde hirſuto, quibus inſignem fortitudinem adſcribit, adducto in exemplum Ariſtomene Meſſenio, qui 300. Lacedæmonios occidit. Simile quid de Leonida, Lacedæmoniorum fortiſſimo contra Xerxem duce, memorat PLUTARCHUS *in parallelis n. 7. T. I. Oper. p. 36.*

(*b*) *Latitudo pectoris.*) PLINIUS *l: c. p.* 286. ſoli homini pectus latum adſcribit, reliquis carinatum, volucribus magis, & inter eas aquaticis maxime: ubi & de ſapientia Creatoris in fabricando pectore agit.

(*c*) *Caloris eſt dilatare.*) Conf. ROHAULTI tract. phyſicum per Th. BONETUM latinitati donatum *P. I. cap. 22.* de calore & frigore, & MULLERI Prof. Lipſienſis. [illegible] editum.

ac vegetantis: cujus eſt etiam molem majorem minoremve corporis facere & nutrire & augere, & calor animalis cordis, ex quo mores & propenſiones ad mores procedunt, non idem ſunt, vel ſaltem non eodem gradu procedunt. Videmus enim majora multo animalia minoribus ignaviora eſſe. Ut anſerem & olorem accipitribus, illis præſertim, quos ſmerlinos dicunt, qui & minimo corpore & audaciſſimo animo ſunt. Inter homines etiam multi ingenti corpore & in valido animo ſunt. Vidi ego Patavii hominem ignavia infamem, qui proſtituebat uſque uxorem, italiceque *Il gran Becco* vocabatur, procero corpore & magno, bonique habitus. Non inſulſe Areoſtus Regem Orani deſcribit, mole corporis inſignem, at timiditate deſpectabilem. Eſto igitur probabile, non neceſſarium ſignum. Erat Patavii inter Scholares, dum ſtudiorum ego cauſa ibi morabar, juvenis Taurinus, qui pectus altitudinis conſpicuæ habebat; attamen nemo unquam a periculis & ab armis alienior: ſuam ipſe timiditatem ſimpliciter fatebatur; ut Ariſtotelis de magnitudine conceptaculi dogma ad amuſſim in eo agnoſceretur. Adde vero, quod cavitas magna pectoris magnum etiam *pulmonem*, (*a*) quo repleatur, exigit; at magnus pulmo ob majorem aëris vim, quam attrahit, magis etiam cor refrigerat; adeoque calorem ejus refrangit. Alia vero ratione latitudinem pectoris mores ſignificare, ex capite conformationis intelligemus infra.

## §. VI.

*Cenſura ſigni ex caliditate tactus occurrente.*

Aliud erat ſignum ex tactu; cum ſcilicet calidum occurrit tangentibus corpus, præſertim pectus & quæ circa pectus: at non eſt convertibile ſignum, neque etiam univerſale neceſſariumque. Hoc ex Galeno ipſo patet, dum fatetur Germanis Galliſque, Thracibus & Scythis cutem eſſe frigidam, at cor calidiſſimum. Si cutis itaque frigida, non erunt illi tangentibus calidi, & tamen corde fervent. Non convertitur itaque ſignum. At neque neceſſarium ac univerſale. Si enim frigida cutis non indicat cor frigidum, neque etiam calida cutis indicabit cor calidum neceſſario; præterquam quod ex fundamento ibi Galeni contrarie prætenſo idem deducitur. Ut enim frigiditas ambientis in borealibus hominibus frigidam cutem reddit, indeque calor repercutitur ad cor, ubi incenditur; pariter caliditas aëris in regionibus calidis cutem calefaciet ac rarefaciet, ut interior calor ad exteriorem partem ferri, indeque *extrorſum elabi* (*b*) poſſit, relicto conſequenter corde frigido, id eſt, minus calido, quam par ſit.

## §. VII.

*Efficaciſſimum ſignum ex pulſu & ex reſpiratione haberi, qui pulſus & quæ reſpiratio ſignum ſit caloris in corde excedentis.*

Efficaciſſimum ſignum caliditatis cordis ex pulſu & reſpiratione ducitur. Ex reſpiratione quidem, ſi ſit magna, tum in inſpirando tum in exſpirando. Si quis in ſtatu quieto corporis & animi inſtar irati efflaret, calidiſſimum in eo cor fateri neceſſe eſſet. In equo, animali audaciſſimo, Virgilius,

*Collectumque premens volvit ſub naribus ignem.*

Pulſus itidem, ſi altus, is præſertim qui in pectore ſentitur cordis, ac magnus, proque proportione altitudinis frequens. Dico autem pro altitudinis proportione; quia certum eſt ex altitudine pulſus frequentiam imminui, ſicut ex depreſſione intenditur. Cum enim non ſemel tantum aëris in depreſſo pulſu attrahatur, quantum ſufficit, iterare oportet attractionem, ut frequentia repetitionis ſuppleatur ſingularium inſpirationum defectus.

## §. VIII.

*Alia adminicula ad ejusdem caloris ſignificationem.*

Verum dictorum *pulſus & reſpirationis*, (*c*) ad ſignificandum calorem in corde magnum, valida adminicula erunt. *Primo* quidem latitudo & amplitudo pectoris. Nam ſi cavitas pectoris magna, proindeque etiam pulmones magni, & tamen calor cordis tantus adhuc eſt, ut reſpirationem magnam præſtet, & pulſum magnum; oportet ergo ipſum valde excedere, quem duo refrigerantia, conceptaculi magnitudo & pulmonum refrigeratio, non temperent. *Aliud* adminiculum ejusdem ſignificationis erit, ſi pectus fuerit hirſutum; ſcilicet majorem caloris gradum ſignificabit: cum etenim jam *ex calore pilos* (*d*) tum naſci conſtet, is caloris prædominantis gradus, qui multum fumum elevet, non niſi exurendo portionem terream elevare poterit: terrea portio uſta acrimoniam vehementem caloris aſſequitur, quæ acrimonia in radicem uſque elevantis caloris refunditur. Videmus enim, ſi fumum extinctum occurſus ſuperioris flammæ accendat, accenſionem uſque ad fumi radicem deſcendere; ut hinc conſtet vim & acrimoniam fumi in ſubjectum uſque & excitantem calorem ſecundum aliquam participationem relabi.

## §. IX.

*De moribus, qui temperamentum cordis calidum ſequantur.*

Qui mores temperamentum cordis calidum ſequantur, diximus *lib.* I. *hujus partis cap.* 6. §. 4.

CAP.

(*a*) *Pulmonem.*) De hoc ita ſcribit PLINIUS *l. c. p.* 284. *Sub corde pulmo eſt ſpirandique officina, attrahens ac reddens animam, idcirco ſpongioſus, ac fiſtulis inanibus cavus.* &c. Conf. ROHAULTUM l. c P. IV. Cap. 8.

(*b*) *Extrorſum elabi.*) Hanc cauſſam reddit APHRODISEUS in *Quæſt. phyſ. n.* 79. cur Aethiopes febricitantes ut plerumque extinguntur.

(*c*) *Pulſus & reſpirationis.*) Conf. ROHAULTUM l. c. P. 4. c. 13. *de pulſu aut pulſatione cordis & arteriarum.*

(*d*) *Ex calore pilos.*) Ex cujus defectu APHRODISEUS *l. c. n.* 7. cauſſam demonſtrat, cur feminæ & ſpadones pilis careant: quod ſcil. ſint frigidiſſimæ naturæ, denſosque habeant corporis meatus.

Digitized by Google

# CAPUT QUARTUM.

## Signa cordis calidi & ſicci.

### §. I.

*Aſſeruntur primo ſigna cordis ſicci, abſtrahendo a qualitatibus actricis.*

Galenus cordis ſicci ſigna affert, pulſus duriores, iram non promptam ſed feram nec facile placabilem, corpus univerſum magna ex parte ſiccius, niſi hepar obſtiterit. Haly Abbas eadem. Averroës maciem pectoris & ſiccitatem corporis. Michaël Scotus pulſus duros, corpus muſculoſum in carnis macredine, venas manifeſtas, pilos craſſos ac breves. Raſis duros & ipſe pulſus, univerſum corpus muſculoſum, pectus nigrum, macrum & hirſutum, venas manifeſtas, cutem duram craſſamque. Ego pulſus duros ſignum apertiſſimum ſiccitatis arbitror ex ratione, quam infra hoc eod. cap. adducam.

### §. II.

*Signa Galeni artis med. c. 33.*

Galenus ſigna cordis calidi & ſicci hæc refert; *Pulſus duros magnos, veloces & frequentes, reſpirationes magnas veloces & frequentes, & quæ multo magis ad velocitatem & frequentiam vergant, thorace non aucto eadem proportione, qua cor caliditate, ſcilicet auctum eſt: pectus præ cunctis maxime hirſutum & hypochondria.* Dicit præterea eſſe promtos ad actiones, iracundos, celeres, & impudentes, & mores tyrannicos habentes; etenim ſunt in iram præcipites, non facile vero placabiles.

Signa, quæ Haly Abbas affert 1. Th. cap. 12. *Si pulſus vehemens erit velox & continuus, reſpiratioque itidem, ira celeritatis multæ, & homo velox, ſollicitus, & tumultuoſus, ejus ſignificatur cordis calida & ſicca complexio.*

Signa, quæ Averroes lib. 4. Coll. cap. 2. affert. *Ira permanens, macies pectoris, & ſiccitas corporis.*

Signa, quæ Raſis. *Pulſus durus, velox, frequens, reſpiratio magna & frequens, corpus tactu calidum, toroſum, venæ magnæ & conſpicuæ, iracundia ac pertinacia.*

Eadem fere ſigna Michael Scotus affert. Sunt autem *pulſus velox, durus & fortis, pectus aliquantulum piloſum pilis tortis, anhelitus magnus, tactus in carne calidus: cito movetur ad iram, iracundus manet & obſtinatus.*

### §. III.

*Signa ex Authoris ſententia.*

Ego id primum ſtatuo. Cum *arteriæ ex corde oriantur*, (*a*) eandem in duritie & mollitie cum corde craſin habituras; unde durities pulſus duritiem cordis mihi aptiſſime ſignificat. Cum itaque cum pulſibus duris ſignificationes caliditatis junguntur, cor calidum & durum pronunciari debet. *Pulſus itaque magnus* (*b*) & velox, & proportione altitudinis frequens, item reſpiratio magna cum duritie pulſus, cor calidum & durum patefaciunt. Proindeque in illos mores erit homo propenſus, quos ex corde duro & calido antea naſci oſtendi. Cumque altitudo pulſus jungitur duritiei, ſignificatur major adhuc in corde gradus caloris; quoniam ad attollendam duriorem membranam, major calor requiritur, ut recte conjecit Galenus *Lib. 1. de cauſ. pulſ. cap. 3.* Licet non recte ſentiat, dum duras arterias nunquam poſſe multum attolli a quacunque facultate, docere videtur. Pectoris macies, quam in ſiccitate cordis in univerſum exigit Averroës, non eſt aſſignanda cordi calido & ſicco; pectus enim contra toroſum caloris majoris eſt ſignum, ut ipſum ſua caliditate corroborat & ne difflet, cohibet: macies contra aperit poros difflatui. Equus, animoſum animal ac generoſum, toroſum pectus obtinet. Ut enim Virgilius:

*Luxuriatque toris animoſum pectus.*

Neque vero, dum cor ſiccum dicitur, ſignificatur extrita humiditate omni evanidum, ſed compreſſum & durum, ut antea declaratum fuit. Adeo ſi pro ſimilitudine principii velit Averroes reliquas partes conſtitui ad ſimilitudinem cordis, erit toroſum, non exſuccum pectus. Si vero actionem caliditatis ſiccæ quiſpiam reſpexerit in ira dicendo; caliditas ſicci cordis poterit pinguedinem forte eliquare, at carnoſum & toroſum habitum nequaquam, imo potius eum efficit & conſervat. Ut exemplo animalium calidiſſimi & ſicci cordis conſtat, Equi & Leonis; hujus præſertim corpus toris ubique abundat.

### §. IV.

*Qui mores ſequantur calidum & ſiccum cor.*

Qui mores ſequantur hanc cordis temperiem, diximus ſupra *lib. 1. hujus 4. partis cap. 6. §. 5. & ſexto.* Sequuntur autem illi in exceſſum cor piloſum; quoniam pili cordis ſignificant extremam etiam duritiem cum calore conjunctam.

CAP.

(*a*) *Arteriæ ex corde.*) De hoc PLINIUS H. N. L. XI. Cap. 37. ita ſcribit: *Ex hoc fonte* (corde) *duæ grandes venæ in priora & terga diſcurrunt ſparſaque ramorum ſerie per alias minores omnibus membris vitalem ſanguinem rigant.*

(*b*) *Pulſus magnus.*) Quam neceſſarium ſit Medico, pulſum inveſtigare, de eo vide PLUTARCHUM in *libro de bona valetudine tuenda T. I. Oper. p. 128.* Quatuor circa pulmonem motus fieri, aſſerit idem PLUTARCHUS *Lib. 4. de placitis philoſophorum p. 260.*

Digitized by Google

# CAPVT QUINTUM.

## *Signa cordis calidi, & humidi ipſius per ſe.*

### §. I.

*Cordis humidi ſigna tradit, abſtrahendo a qualitatibus activis.*

Galenus hæc affert, *pulſus molles, mores in iram proclives, ſed quæ facile ſedari poſſit, & univerſum corpus humidius, niſi hepar obſtiterit.* Haly Abbas; *pulſus teneros ac molles, iram velocem, at cito ceſſantem; paviditatem præterea.* Raſis addit, *pectus leve carnem mollem ac delicatam.* Averroës, *mollitiem pulſus.* Michael Scotus adducit pro ſignis, *capillorum abundantiam prolixitatemque eorum & rectitudinem, qui colorem album aut blandum,* ut ipſe vocat, *ſcilicet flavum, habent: multis præterea pilis, excepto pectore, caro tactu mollis, colore autem alba aut fuſca, pinguis aliquantulum.* Dicit item, hominem ejusmodi ſatis timidum, pavidum & hebetem, atque debilem in laborando.

### §. II.

*Judicium Authoris.*

Ego admitto inter ſigna humiditatis cordis timiditatem, ut verum ſignum. Nam mollities contra tenorem ejus facit. Mollia ſiquidem facile concidunt & collabuntur. Suapte ergo natura mollia corda in timorem proclivia ſunt, niſi a calore poſtea tendantur. Qua ratione cor calidum & humidum in audaciam potius, quam in timiditatem propendet. Ex ſuperioribus hæc patent. Interim tamen licet ſit verum ſignum, non tamen eſt accommodatum noſtro inſtituto ob petitionem principii, quam includit, veluti proxime monuimus. Signum ergo mollitiei cordis eſt mollities *arteriarum ac pulſuum,* (*a*) ob eandem rationem, quam in ſiccitate attulimus. Glabrum autem pectus, quod pro ſigno mollitiei ejusdem affert Raſis & ſequitur Michael Scotus, non facile admitterem, ſed potius mollibus veſtitum pilis crederem, probabili tamen, non neceſſario nexu, quoniam ſi calor adſit, jam eſt agens quod vapores elevare poſſit ac fumos, & eſt copioſa materia, quæ elevetur; in qua humiditatem par eſt abundare, humidior autem materia pilos etiam molliores facit. Reſpiratio ob calorem magna, & ob mollitiem minus concitata, præſertimque exſpiratio blandior, quod minus effervеſcat attractus aër in molli, quam in duro corde; quia & calor in denſiore ſubjecto acrior eſt, & niſi plurium graduum majoris tamen potentiæ, ut diſtinguunt Philoſophi naturales. Acriores ergo fuligines ex ſiniſtro cordis ventriculo per arteriam venoſam in pulmonem emittuntur, indeque exſpirantur, cum cor calidum & ſiccum fuerit, quam cum fuerit calidum & humidum.

### §. III.

*Signa cordis calidi, & humidi, id eſt mollis ſimul, quæ Galenus & cæteri afferunt.*

Cordis vero calidi ſimul & humidi Galenus *Art. Med. c.* 34. hæc affert ſigna: *Minus ſunt hirſuti, quam calidi & ſicci cordis: 2. prompti tamen ad actiones: 3. animus non ferus, ſed ad iram tantum proclivis. 4. Pulſus magni ac molles, veloces & frequentes exiſtunt. 5. Reſpiratio, cum thorax fuerit cordi proportionalis ejusdem cum pulſu tenoris; Si vero thorax minor fuerit, quam ut proportionalis ſit cordis calori, tanto reſpiratio erit pulſibus velocior & frequentior, quanto thorax minor fuerit. 6. Exſpirationes majores ſunt inſpirationibus, & arteriæ ſubmiſſio ſeu ſyſtole in pulſibus velox. 8. Quando maxima fuerit in hac complexione everſio, præſertimque in humiditate, contingent ex putredine morbi his, qui in ipſis fuerint humoribus corruptis & putrefactis.*

Haly Abbas lib. 1. Theor. cap. 12. *Si pulſus fuerit vehemens, ac temperatus in celeritate & tarditate molliſque, & ſpiritus ſimilis, & ira ejus velox placatioque ejus celer, calorem ſignificat complexionis cordis & humiditatem.* Differt is a Galeno in celeritate & tarditate.

Averroes dicto lib. 4. Coll. cap. 2. *Mollities, pulſus & fortitudo cordis, ſignificant cor calidum & humidum: Item magnitudo pectoris & aliorum membrorum.* Et ideo inquit: *animalia, quum ſunt calida & humida, ſunt majoris cordis cæteris, veluti animalia naſcentia in locis humidis.*

### §. IV.

*Cenſura dictorum.*

Altitudo pulſus & mollities ſuſcipiendæ ſane ſunt, ut ſignum certum cordis calidi & humidi, ſive mollis, dum ambæ junguntur. Quo in ſigno videmus convenire omnes: & cohærent cum dictis ſuperius. At in velocitate & frequentia potius adhæreo Hajy Abbati, quam Galeno; a quo pariter in velocitate ſyſtolis recedo. Ratio autem ſumitur ex nervis chordisque fidium; quæ cum intenduntur, ſeu tentæ ſunt, velocius multo percuſſæ ad ſuum locum redeunt, quam cum remiſſæ, ſunt. Pariter ergo arteriæ molles, ut chordæ remiſſæ, reſtituuntur tardius, ac recidunt percuſſæ ac ſublatæ, quam arteriæ duræ. Velocitas ergo multo magis duris convenit, quam mollibus pulſibus arteriisque. Quoad velocitatem quoque cum non tam ferveat cor calidum & molle, quam calidum & durum, neque etiam eadem velocitate egebit illius pulſus, atque hujus. Satius itaque eſt ponere ipſum temperamentum in velocitate & tarditate & frequentia, quam excedentem. Altiorem vero pulſum huic craſi cordis, quam calidæ & ſiccæ dandum arbitror; etenim magis attollitur arteria mollis, quam dura; ſicut etiam chorda fidium remiſſa, quam intenta. Altitudine ergo & magnitudine pulſuum vincit calida, & humida temperies, at velocitate & frequentia cedit.

### §. V.

*Qui mores ſequantur calidum & humidum cor.*

Qui mores ſequantur cor calidum, & humidum antea diximus *Lib.* 1. *cap.* 6. §. 7. & 8.

CAP.

(*a*) *Arteriarum ac pulſuum.*) Conf. ROHAULTUM in *tract. phyſico P. IV. Cap.* 13. *p.* 197.



Digitized by Google

# CAPUT SEXTUM.

## *Signa cordis frigidi.*

### §. I.

*Quæ Galenus & cæteri dicant.*

*Cordis frigidi ſignum ſunt pulſus minores, quam modo naturæ conveniat; non tamen neceſſario tardiores vel rariores. Reſpiratio itidem parva & reſpondens pulſibus, ſi tanto minor thorax, quanto frigidius cor. Quod ſi thorax major, quam pro modo frigiditatis cordis, reſpiratio & minor erit, quam pulſus, & rarior etiam ac tardior. Signa etiam cordis frigidi ſunt timiditas, ſegnities, & pectus glabrum, thorax etiam parvus, & caput magnum, & corpus totum frigidum, niſi hepar calidum obſtiterit.*

Haly Abbas. *Reſpiratio & pulſus tardi & ſingultuoſi, timiditas item & ſegnities, & iræ exiguæ eſſe, ſigna cordis frigidi; item totius corporis frigiditas, conſequitur hæc enim cordis frigiditatem, niſi hepar calidum obſtiterit; arctitudo item pectoris, cum caput non fuerit parvum, nec parvi ſpondiles, ejuſdem frigiditatis ſignum eſt, & glabrum pectus ac tactu frigidum.*

Quidam hæc habet. *Si cor fuerit frigidæ complexionis, pulſus eſt ei tardus, pectus nudum a pilis, tactus carnis frigidus, duri appetitus, debilis fortitudinis, anhelitus arctus, vox ſubtilis & debilis, quaſi piger in factis, in verbis non bene placidus, leviter pavidus, non bene comedit, & raro bibit, & raro luxuriatur, niſi per accidens.*

### §. II.

*Cenſura.*

Signorum horum cenſura ex ſuperioribus facile deducitur. Pulſuum & reſpirationis parvitas ſignum adæquatum exhibent frigiditatis cordis; at cum ea conjungi poteſt, tum velocitas & frequentia pulſuum, tum raritas & tarditas; ut dicit Galenus & intelligemus infra. Pectus glabrum per ſe non eſt ſignum certum, ut antea diximus, & nunc ſubjungo. Scio ego Mazatortium nobilem romanum, equitatus Pontificis in hac Provincia Præfectum, virum fortitudinis & audaciæ inſignis, & in bellis gallicis exercitatæ, qui glabrum prorſus pectus habebat. At nuditas pilorum cum reliquis conjuncta ſignis, majorem facit ſignificationem frigiditatis. De parvitate quoque thoracis quid ſentiendum, jam dixi item de corpore in exteriore parte frigido. Inter ſigna Scoti exponenda eſt *paviditas illa leviter*, quam dicit pro paviditate non levi ac *parva*, ſed pro paviditate, quæ naſcitur ex levibus cauſſis. De voce ſubtili poſtea, cum de voce ac ſignis agemus

### §. III.

*Qui mores ſequantur frigidam cordis temperiem.*

Qui mores ſequantur cordis frigidam temperiem, jam vidimus *d. lib.* 1. & *cap.* 6. §. 15.

# CAPUT SEPTIMUM

## *Signa cordis frigidi & humidi, ac frigidi & ſicci.*

### §. I.

*Signa cordis frigidi & humidi. Quæ Galenus & cæteri habent.*

Galenus ſigna hæc humidi & frigidi cordis affert. *Pulſus molles ſunt, ipſique moribus non audaces, ſed timidi & ſegnes: iram minime retinent, neque etiam ad iram admodum prompti ſunt. Pectus glabrum habent. tactu frigidi & molles, niſi hepar caliditate obſtiterit: Thorax ſuapte natura parvus potius, quam magnus, ad capitis proportionem.*

Quidam ex recentioribus hæc habet. *Pulſus tardus & debilis, pectus nudum a pilis, anhelitus parvus & tardus, tactus in carne mollis & frigidus, non facile iraſcitur & facile iram remittit.*

### §. II.

*Sententia Authoris*

Pulſus ſane molles ſunt humiditatis, id eſt mollitiei, cordis ſignum, parvitas autem ipſorum frigiditatis. Quoniam tamen magis ac facilius extenditur in his arteria, quam in ſiccitate, ideo altior eſt illis pulſus, quam qui cordis frigidi & ſicci ſignum eſt. Rurſus minus velox eſt iiſdem ſyſtole; quoniam lentius deſcendit ac reſtituitur, mollis arteria inſtar remiſſæ chordæ; reſpiratio parva.

### §. III.

*De ſignis cordis frigidi & ſicci.*

Cordis vero frigidi & ſicci ſignum erit pulſus parvus ac durus: velocior autem his ſyſtole, quam cordi humido & frigido; pariterque etiam frequentior pulſus: reſpiratio parva, ut ſuperiori craſi proxima.

### §. IV.

*Subjunguntur Galeni & reliquorum ſigna.*

Galenus dictæ cordis craſis hæc affert ſigna: *Pulſus duros & parvos, reſpirationem moderatam, ſi thorax parvitatem proportionalem cordis frigiditati habuerit: at raram et tardam, ſi thorax major proportione ſit, quam rigiditas cordis: minime omnium prompti ad iram, at coacti iraſci, retinent iram: pectus glabrum habent.*

Aver-

Averroes pulſus parvos affert pro ſigno, raros, tardos, duros reſpirationem ſimilem, tactum pectoris frigidum.

# CAPUT OCTAVUM.

## *De cerebri influxu.*

### §. I.

*Quæ ex Ariſtotele dicenda ſunt, et videtur ſuffragari Galenus.*

Hæc ſigna ſunt, quæ adduximus temperamentorum cordi inditorum. At diximus etiam diſtingui in eo poſſe temperamentum influens; ut ſcilicet ex influxu humorum alteratur, & ex influxu præterea cerebri, nam influxus hepatis una cum humorum influxu confunditur. Nunc itaque de temperamento hujusmodi influente agamus, primoque de cerebri influxu. Ariſtoteles arbitratur, *cerebrum* (*a*) ad temperandum fervorem cordis ſua frigiditate pertinere ac facere. Quo ſuſcepto dogmate, quo cerebrum amplius ac majus fuerit, eo magis temperabit cor, quo vero minus, eo intenſior permanebit cordis fervor. Nihil aliud itaque oportebit hac ratione de cerebro obſervare, quam magnitudinem ejus & parvitatem, ſeu multitudinem & copiam; hosque ponere Canones. Cum multum fuerit cerebrum, temperamentum ex eo in cor influens remittere cordis calorem; cum paucum relinquere calorem cordis intenſum & irrefractum, vel parum omnino refractum; Illo enim modo mores cordis calidi remittuntur, hoc modo in ſuo vigore permanent. Hoc erit, quod Galenus dicit; Caput ex proportione magnum ad cordis frigiditatem ſpectare, & parvum ad caliditatem. Dico ex proportione magnum, cum magnitudinem capitis, quæ reliquo corpori conveniret, excedit: parvum contra, cum ab ea deficit. Non me tamen latet, alias Galenum *Lib.* 10. *Anat. c.* 4. non adeo conſentire attemperationi cordis ex cerebri frigiditate, adeoque ſequaces Galeni Ariſtoteli repugnare; inter quos Andreas Laurentius, qui etiam pro ſe contra Ariſtotelem adducit Albertum *lib.* 12. *animal.* cum tamen Albertus ibi *cap.* 4. *tract.* 2. in principio cum Ariſtotele fateatur, calorem cordis & hepatis a frigore cerebri temperari.

### §. II.

*Quæ Haly Abbas lib.* 1. *Theoric. cap.* 10. *habet.*

Haly Abbas ex craſi cerebri, nedum ſecundum activas, ſed etiam ſecundum paſſivas qualitates, & ſimplices & compoſitas, mores ſingillatim deducit, non ſecus atque ex cordis temperamentis.

*Cerebri ergo calidi homines, impigri ſunt ac celeres ad omnes actiones, non ſunt admodum conſtantes in eodem ſenſu, ſunt pauci ſomni & multorum verborum.*

*Qui cerebri frigidi ſunt, pigri & tardi ſunt, conſtantes ac tardi motus.*

*Qui cerebri humidi, ſunt tardi, hebetes, obliviosi, multo ſomno dediti.*

*Qui cerebri ſicci ſunt, celeris motus ſunt, leves, multum vigilantes, parum dormientes, ac memores.*

*Qui cerebri calidi & ſicci, ſunt celeres, temerarii, parum conſtantes in eodem ſenſu judiciove, rapaces, vaniloqui, parvi ſomni.*

*Qui cerebri calidi et humidi, ſunt multorum ſomniorum, ac multi ſomni, mediique inter tarditatem ac velocitatem.*

*Qui cerebri frigidi et humidi, ſunt hebetes, parvi intellectus, obliviosi, tardi ad intelligendum, tardi ad agendum, multi ſomni.*

*Qui cerebri frigidi et ſicci, ſunt pigri et tardi, ſunt conſtantes, ſuntque exigui ſomni.*

### §. III.

*Cenſura eorum, quæ ſuperius allata ſunt.*

Temperamentum cerebri ad mores ex dictis non pertinet, niſi aut ratione corporis & partis organicæ, ut in cor refluit ejusque temperamentum alterat; aut ratione cognitionis, ut ad cognitionem. Immediate quidem cerebri craſis non pertingit ad mores, at mediante cognitione; quæ cognitionis varietas morum varietatem aliquam afferre poteſt. At non adeo cognitionis quæque differentia mores variat, ut continuo cohæreant craſis cerebri & craſis cordis, in moribus ex ſe ferendis. Nempe ſiccitas cerebri ac caliditas tenacitatem quidem memoriæ & opinionis affert adverſus rationes contrarias; at non conſtantiam in propoſito adverſus pericula & timores, quod facit ſiccitas ac durities cordis cum caliditate. Cum vero Haly facit calidi & ſicci cerebri homines temerarios, rapaces, vaniloquos, transfert ea, quæ ſunt craſis cordis, ad craſim cerebri; quaſi ambæ idem in moribus efficiant. At cum cerebri temperamento calido & ſicco longe aliud temperamentum cordis conjunctum eſſe poteſt, ut fatetur etiam Galenus. Quo in caſu, quis negabit, mores eſſe, quales craſis cordis importat, non quales importat craſis cerebri? Neque etiam qualitates paſſivæ cerebri in cor ex tanta diſtantia influunt, ut activæ faciunt; quarum activitatis ſphæra longe eſt ſine dubio major; ut in re naturali Philoſophiæ naturalis terminis utar. Præterea quod dicit, ex humiditate cerebri hebitudinem naſci, non eſt usque quaque verum: ſi plurimum exceſſerit, verum eſt dictum; at ſi a temperamento cerebri eucrato in humiditatem potius, quam in ſiccitatem craſis deflexerit, erit homo acutior & docilior, & contra, qui in ſiccitatem tardior.

(*a*) *Cerebrum.*) De ſtructura cerebri vide ROHAULTUM in *tractatu phyſico* P. 4. Cap. 3. Cui conferri meretur WEDELIUS in *phyſiologia medica Sect. III. Cap.* 14. *p.* 177. *ſq.*



Digitized by Google

ior. Neque vero usquequaque vera doctrina Galeni, qui *libro, quod animi mores ſequantur temper. cap.* 4. arbitratus eſt ſummam ſiccitatem ſummæ prudentiæ cauſam eſſe; ideoque aſtra ſola eſſe prudentiſſima inter animalia, quoniam ſola omnem excludunt humiditatem; at reliqua animalia, cum humiditatem aliquam participent, tantum etiam dementiæ habere, quantum humiditatis. Ducit vero ex Platone dogma. Plato enim dicit, pueros ex fluxu & influxu magno nutrimenti perturbari mente; at cum parcius jam ejusmodi influit flumen, tum ſubinde tranquilliorem habitum mentis reddi, & ad intelligentiam aptiorem. Prius dixerat, animam noſtram, cum primum in corpus deſcendit, amentem ex eo contactu fieri. Ex his ducit Galenus, humiditatem in temperamento exiſtentem, cauſam eſſe totius amentiæ. At certe injuria. Si enim primum dictum attendamus, quod anima in corpus deſcendens amens efficiatur, non comparat tum Plato humiditatem cum ſiccitate corporea, ſed corpus, quod vocant oſtraceum Platonici; nempe corpus hoc terrenum, cum anima pura ac ſecreta a corpore, vel ſi placet vehiculo tantum inducta. Si vero ſecundum reſpiciamus dictum, in eo non eſt mentio humiditatis, quæ in temperamento, ſed humiditatis alimentalis, quæ in pueris abundat, cum largo illi alimento perfundantur. Quod ſi veram Platonis hac de re ſententiam perquiramus, ex Theæteto patet; ubi ceram illam interiorem, quam deſcribit conceptaculum ſpecierum, ſcilicet ſenſibilium, cum dura fuerit, aptam ad retinendum, at non ad facile recipiendum dicitur; cum vero mollis fuerit, aptam ad recipiendum, quæ eſt docilitas, at non ad retinendum, quæ eſt memoria, pronunciat. Verum ſi mollis & recte ſubacta ac multa, tum aptiſſimam & ad recipiendum præ mollitie & ad retinendum præ profunditate aſſerit; quæ excellentiſſima craſis non in exceſſu ſiccitatis conſiſtit, ſed in copia non exigua humiditatis. Ariſtoteles quoque humiditatem circa primum ſenſitivum exigit ad reminiſcentiam, quæ præclarorum ingeniorum eſt. *Maxime autem reminiſcuntur*, inquit, *quibus humiditas fuerit circa locum ſenſitivi.* Et res ipſa ad idem dicendum cogit; cum enim ex motu reminiſcentia fiat, non ſicca materia, ſed humida mobilis eſt: quocirca ſicca ad memoriam, at humida ad reminiſcentiam adeoque ad ingenium requiritur. Dictum tamen Galeni, dum de prudentia loquitur, propius a veritate recedit, quam ſi de ſapientia ageret.

Alia eſt objectio adverſus dicta Haly Abbatis, quam nunc in mea ſententia exponenda ſubjiciam.

## §. IV.

*Sententia Authoris*

Ego igitur in ea ſententia perſiſto, quam in primo §. innui. Verum nunc diſtinguo, repetita diſtinctione, quam proxime poſui. Cerebrum ad mores concurrit, qua ad cognitionem immediate deſeruit, & qua in cor influendo temperamentum ejus attemperat. Primo modo, ut clariorem veritatis cognitionem affert, ad mores etiam probos magis diſponit ac honeſtos: at clariorem cognitionem & penitiorem aſperſio aliqua melancholiæ exhibet, ut ſupra oſtendimus: & hac ratione paulo frigidior habitus cerebri, quam frigiditatem ex melancholiæ leni afflatu conſequitur, & paulo humidior ex ſua ipſius craſi, ad mores generoſos & audaces ex vi cognitionis intimioris & intentioris diſponit. Repetatur declaratio ex indicato ſuperiore loco. At ratione temperamenti, quod in cor influit, cerebrum frigidum ad timiditatem & remiſſionem majorem minoremve, pro frigoris influxi gradibus, ſuapte natura inclinat. Duplex tamen hic declaratio exigitur. *Prima* quidem, quod frigiditas cerebri major duobus modis naſcitur. Altera ex quantitate cerebri; quo enim majus, eo magis refrigerat; nam ut major ignis magis, quam minor calefacit, & major nivis moles, quam minor refrigerat amplius, ita majus cerebrum magis refrigerat, quam minus, etiamſi ejusdem inter ſe craſis fuerint. Alter autem modus eſt ex qualitate; licet enim cerebrum in omni homine frigidum ſit, cum corde & cæteris viſceribus ac carne comparatum, attamen nihil prohibet in hoc homine frigidius, in illo minus frigidum ex temperamento eſſe. *Secunda* declaratio eſt; cerebrum cum in cor influit vel longe prævalere, eſtque, cum cerebrum mole & qualitate frigidiſſimum in cor non admodum calidum in genere ſuo agit; vel contra cor admodum prævalere cerebro, cum ſcilicet cor calidiſſimum, cerebrumque & qualitate & paucitate parum frigidum fuerit; vel moderationem quandam ex contrariis actionibus eorum inter ſe conciliari. Primum ſi fuerit, ex temperamento cerebri poſſumus de moribus ſimpliciter pronunciare, ſcilicet hominem in timorem propenſum *etc.* Si ſecundum nulla ex cerebro naſcitur juſta morum æſtimatio. Si tertium, temperatos mores in timore & audacia conjiciemus; ex qualitatibus autem paſſivis cerebri temperamentum cordis non mutatur, niſi ut illius frigiditatem aut intendunt aut remittunt: at non multum ex ea re incrementi ſuſcipit, quoniam in cerebro demum humiditas ſemper præſtat ſiccitati ob mollitiem, ac ſiccius dicitur cerebrum, ut minus eſt molle. Cum ergo ſiccitas non poſſit unquam prædominari humiditati, non poteſt ex differentia paſſivarum ejusmodi qualitatum frigiditas cerebri maximam differentiam ſuſcipere intenſionis & remiſſionis.

Hæc ratione temperamenti in cor influxi. At ratione cognitionis magis poſſunt eæ differentiæ alterare mores; ſiccitas enim diuturniorem retentionem phantaſmatum operatur; unde pertinaciam opinionum quoque, & perſeverantiam odii amorisque: at mollities penitiorem & lucidiorem cognitionem præſtabit, niſi multum exceſſerit, unde honeſtatis quoque aviditatem majorem ingeret, & in multis pro honeſtate honoris & gloriæ. Cæſaris hæc craſis videtur fuiſſe. At expoſitis fundamentis morum ex cerebro, nunc ad ſigna ejus temperamenti accedamus.

## §. V.

*Signa temperamentorum cerebri.*

Varia afferuntur ſigna temperamentorum cerebri. Qua de re Galenus in *Art. med. cap* 1. 13. 14.

13. 14, *usque ad* 20. Haly Abbas 1. *Th. cap.* 10. Averroës *lib.* 4. *coll. c.* 3. Raſis in *contin. lib.* 1. *c.* 4. Sunt autem ex ſomno & vigilia, ex ſenſibus & functionibus ſenſuum, interiorum præſertim, ex colore, & ex pilis; præterea ex magnitudine capitis. Non recenſebo, quæ ſinguli dixerunt, ne prolixior juſto fiam; at ex fundamentis ego breviter deducam, & primo ex ſomno & vigilia.

Quoniam ergo ſomnus fit, cum alimentalis vapor ex cerebri frigiditate concreſcit inſtar generationis nubis & aquæ in aëre, frigidum cerebrum ſuapte natura ad ſomnum propenſos reddit, ut tamen vapores ad ipſum alimentales accedant. Quod ſi præ frigiditate cerebri anguſti ad illud ductus eſſent, ut exiguus vapor elevaretur, minus in ſomnum propenſus homo eſſet. Arbitror ego itaque, frigiditatem cerebri ex mole, non ex qualitate. Ut, qui plus habent cerebri & vaſa ad ipſum tendentia latiora, ſomnioſiores; quam, qui contra cerebrum ex craſi frigidum habent. Patet ex pueris & ſenibus. Pueri cerebrum multum habent, ac calidius, quam ſenes, quibus jam refriguit; ſomnolenti itaque pueri, inſomnes ſenes. Joſephus & Bonifacius Martinelli fratres, & nobiles noſtræ civitatis, homines ſtrenui ambo, & hic literatiſſimus, multi ſomni ille fuit, hic eſt, qui adhuc vivit; & tamen multum calorem in omnibus illi partibus, ex pilis, ex colore rubro & ſuffuſco, ex habitu carnis toroſæ, præ ſe tulere. Sit ergo Canon.

*Somno abundant* (a) primo, qui cerebrum frigidum habent; non ex qualitate, ſed ex multitudine; qualitate autem potius habent calidum & humidum, ſi latæ ſint viæ & multus vaporum illuc confluxus.

Secundo loco abundant ſomno, qui frigidum qualitate habent: at qui neutro habent modo frigidum, illi inſomnes ſunt, hoc eſt brevis ſomni.

Humiditas autem cerebri ipſius per ſe, id eſt quæ temperamentum ejus ingreditur, non facit ſomnum; ſed humiditas adventitia in ſomno quidem naturali alimentalis, in ſomno præternaturali morboſa. Videntur autem multi hac in re ex æquivoco lapſi; ut Galenus *Art. med. c.* 17. & Galenum ſequuti fere omnes.

Excellentia functionum interiorum ſenſuum pendet ex temperamento vel craſi cerebri, in quo illæ elaborantur; licet principatum in ea quoque re cor retineat, ut in diſputationibus de anima declaravi. At ſi exceſſerint aliquæ qualitates, ex eo exceſſu vitii aliquid pro gradu exuperantiæ contrahunt: diſpari tamen modo. Nempe ſi exceſſerit ſiccitas, duri ad apprehendendum homines redduntur, at retinent diu. Si contra humiditas & mollities præſtiterit, recipiunt facile, at cito etiam dimittunt. Nimia demum ſiccitas ad id devenire poſſe videtur, ut imperuium reddat ferme animum cognitioni; contraque immodica mollities ad id, ut ſub ipſo apprehenſionis initio ſpecies diſtorqueatur & evaneſcat. Verum omnes operationes animales a calore animali, ut a primo inſtrumento procedunt; in quibus ergo is diminutus eſt, diminutæ quoque ſunt omnes operationes interiores, de quibus nunc dicimus. Quam ob cauſam ex longo morbo convaleſcentes, neque contemplari, neque reminiſci valent. Memini Jacobum Mazonium conterraneum meum, & immortalis gloriæ hominem, cum in eam ægritudinem tenderet, ex qua demum mortuus eſt, male de ſe ominatum, quod memoria, qua plurimum valuerat, deficeret. Sit Canon

Tarditas ad apprehendendum & memoriæ tenacitas ſiccitatem cerebri oſtendunt excedentem. Facilitas apprehendendi & habilis memoria humiditatem ejusdem ſignificant excedentem. Facilitas contemplationis & enerve acumen ingenii frigiditatem ſeu debilitatem caloris ſignificant.

Ex calore faciei albo, frigiditatem cerebri argumentantur paſſim ſcriptores: contra ex rubore caliditatem. At cutem non usquequaque interiori craſi reſpondere, viſum eſt. Non egreditur itaque ſignum ejusmodi probabilitatem, ſatis etiam remotam. Cæſar fuit albidi coloris in facie; & tamen operationes ingenii acutiſſimi & ſolertiſſimi, & memoris, caloris absque dubio copiam, & nobile reliquarum qualitatum temperamentum adfuiſſe, demonſtrant. Sed de colore cutis infra in univerſum agemus, pariterque de pilis, præterea, quæ antea cum de corde locuti ſumus diximus. Neque vero prorſus recipienda ſunt, quæ dicuntur de ſignis temperamenti cerebri ex pilis; ſcilicet pilos nigros & criſpos ſignificare cerebri calorem & ſiccitatem, promiſſos vero & rufos frigiditatem & humiditatem. Ex illis, quæ de corde diximus patere inſtantia poteſt, ſed uberius infra ſuo loco.

Caput magnum indicat cerebri copiam, ſi præſertim ſit recte conformatum; de qua conformatione poſtea. Unde, frigiditatem quoque ejus ex copia ſignificat, non neceſſario autem ex qualitate. Sed cum in humano cerebro demum ſemper frigiditas prævaleat plus minusve, ideo copia cerebri magna frigiditatem certa ſignificatione demonſtrat. Dico autem magnam proportione reliqui corporis attenta. Nam poteſt eſſe caput magnum, ſi cum capitibus cumunis notæ hominum conferatur; attamen ſi cum corpore reliquo ſuo comparetur parvum, cum ſcilicet corpus mole excedit conſuetam hominum menſuram. Sed rurſus, cum ex conformatione ſigna petemus. Parvum contra caput caliditatem hoc eſt minorem cerebri frigiditatem, quam quæ ad cor temperandum requiratur, oſtendit; unde actuoſiores illi ſunt, quam ſapientiores.

CAP.

(a) *Somno abundant.*) Conf. WEDELIUS l. c. *Sect. IV. Cap.* 14. *de ſomno & vigiliis.* Varias veterum de cauſa ſomni opiniones adfert PLUTARCHUS *Lib. V. de placitis philoſophor.* T. I. Oper. p. 262.



Digitized by Google

## CAPUT NONUM

### *De hepatis jecoriſve influxu adeoque humorum & ſpirituum in cor, deque procedentibus inde moribus.*

### §. I.

*Fundamenta ſtatuuntur.*

In cor rurſus influit hepar jecurve, temperamentumque ejus alterat; at quoniam non influit, niſi per humores, qui per cavam venam ab hepate cor petunt, ideo idem eſt de influxu hoc hepatis in cor agere, atque de influxu ſanguinis & humorum in cor, deque alteratione, quam ex eo influxu cor recipit. Influxus ſpirituum partim ex humoribus pendet, ut ex materia; partim ex cerebro, ut ſpiritus inde animales refluunt; partim ex aëre, qui inſpiratur. Ut ex cerebro, pertinet conſideratio ad influxum cerebri, de quo proxime. Ut ex aëre, pertinet ad aëris in mores actionem, qua de re ſupra inter cauſas externas. *lib.* 1. *cap.* 6. Nunc itaque temperamentum hepatis, tales ejusque ſigna conſideremus. Quale enim temperamentum hepatis, arbitramur humores, ut plurimum. Dico autem, *ut plurimum*; quoniam aliquæ ſunt exceptiones ratione partium præparantium hepati materiam, ventriculi præſertim. Ex. gr. ſi jecur calidum fuerit at ventriculus frigidus, jecur quidem ſuapte natura ſanguinem calidum efficit, at refrangitur actio ejus a frigiditate materiæ, quam ſuggerit ventriculus. Pariter ſi idem materiæ crudæ ac frigidæ vitium naſcatur, non ex ventriculi intemperie, ſed ex immodica crapula, exuperante vires etiamſi juſtas ventriculi. At ſupponamus primo nullum in materia vitium, ſaltem grave; levia enim vitia ipſummet hepar corrigit, eruntque canones.

### §. II.

*Canones ponuntur ad morum ex hepatis temperamento, & influxu.*

1. *Si hepar* (*a*) ſit calidum & ſiccum, ſanguinem etiam calidum & ſiccum gignet, quem bilioſum dicimus. Qua ratione cor calefaciet influxu ejusmodi ſanguinis ratione caliditatis. At ratione acrimoniæ (calida enim & ſicca acrimoniam obtinent) extimulabit, punget, adeoque in iram facile diſponet ac amarulentiam.

2. Si hepar ſit calidum & humidum, ſanguinem quoque ejusmodi gignet: qui cor ingrediens, ſcilicet dextrum ejus ventriculum, indeque in ſiniſtrum penetrans, ipſum ratione caliditatis ſuæ calefaciet, ac ratione caloris conjuncti humiditati blando fovebit contactu, quaſi titillatione quadam, adeoque in blandam vitam atque voluptuariam reddet propenſum.

3. Si hepar jecurque ſit frigidum & ſiccum, ſanguinem ejusdem craſis conficiet, qui in cor influens refrigerabit, adeoque ad mores ex frigiditate pendentes diſponet, & ratione ſiccitatis acriore ſenſu.

4. Si hepar ſit frigidum & humidum, ſanguinem ejusdem craſis elaborabit, qui cor quoque refrigerabit, adeoque ad mores frigidos diſponet, ſed ratione humiditatis obtuſiore ac hebetiore ſenſu.

### §. III.

*De ſpirituum influxu.*

Quæ de humoribus diximus, poſſunt ad ſpiritus traduci, ratione materiæ ipſorum.

### §. IV.

*Annotatio de librando influxu hepatis cum indito temperamento cordis.*

Verum, quæ hic diximus de hepatis humorumque in cor influxu, deque vi ac efficacia ipſius, ſunt formaliter, non ſimpliciter intelligenda. Ac re ipſa diſtinctionem antea attuli & explicui. Nempe ſanguis calidus & ſiccus ſuapte natura, & quia talis effectus memoratos in corde operatur. Verum ſi realem ipſum effectum quæramus, interdum cor contrariæ erit temperaturæ, adeoque efficacis, ut vincat ac rejiciat ſanguinis influentis actionem. Cum autem actio ſanguinis non mutabit mores cordis frigidi, ſed retundet pauliſper, niſi tanta demum ſit contraria in corde qualitas, ut ratione anthiperiſtaſis intendatur. Sint ergo Canones.

1. Si hepatis & ſanguinis in cor influentis temperamentum cum cordis temperamento convenerit, tum intendentur ex influxu cordis qualitates, ac mores pariter naturales.

2. Si ergo cor calidum & ſiccum, & hepar calidum & ſiccum, adeoque ſanguis calidus & ſiccus influat in cor, mores tum erunt admodum iracundi; mores inquam naturales. Pariter de aliis craſibus dicendum.

3. Si diſſentiant cordis temperamentum, & ſanguinis hepatisque temperamentum, librare tum oportet, utrum utri præſtet. Sane ſuapte natura temperamentum cordis inditum prævalet adventitiis; attamen tanta poteſt eſſe adventitii intentio ut inditum ſuperet; raro tamen id erit, adeo ut potius refrangat mores inditos, quam contrarios ingerat. Quod ſi tamen tantus eſſet qualitatum exceſſus in adventitio, ut ſuperaret prorſus inditum, tum quoque mores obtunderentur adventitio temperamento, reſpondentes indito.

## CAPVT DECIMVM.

### *De ſignis temperamenti jecoris hepatiſve.*

### §. I.

*Signa calidi hepatis; & primo ſecundum Galenum in Arte med. cap.* 37.

Signa calidi hepatis hæc a Galeno afferuntur. *Venarum latitudo, flavabilis abundantior, in conſiſtenti vero ætate etiam acris, calidior ipſis ſanguis, atque eadem ratione corpus univerſum, niſi obſtiterit cor. His venient & hypochondria hirſuta.* Haly

(*a*) *Si hepar.*) Conf. ROHAVLTVM l. 4. Cap. 9.

Haly Abbas venarum latitudinem & ipſe inter ſigna accipit, & craſſitiem, item generationem bilis in juventute; bilis enim copia ſignificat fervorem caloris: item pilorum circa ventrem multitudinem. Ponit quoque tactum ventris calidum: item caloris flavitiem, quod is color ſignificet bilis multitudinem.

Averroës duo ſigna ex relatis ſolum meminit; generationem ſcilicet multæ bilis vocat cum Haly Abbate, choleram rubram, & colorem ad citrinum declinantem.

Secundum quendam vero ex recentioribus: *Amplitudo venarum, naturalis hominis fortitudo, facies colorata, copia bilis, & multitudo pilorum ſub hypochondriis.*

Cenſura; Generatio bilis eſt ſignum quidem caloris hepatis, at non convertibile. Nam cum hepar eſt calidum & humidum, generat ſanguinem, non bilem. Verum tamen quandocunque generat bilem copioſam, eſt calidum. Amplitudo venarum eſt ſignum ſuapte natura convertibile ac reciprocum. Dico *ſuapte natura*: quoniam ex repugnantia cordis aut pinguedinis, venæ interdum vel non ſunt latæ, vel non apparent. Caliditas ſanguinis eſſet ſignum evidens, ſi ipſe manu tangi poſſet; at quoniam non niſi per cutem, nihil prohibet ſanguinem intus eſſe calidum, at cutem exterius frigidam, ut antea ex Galeno ipſo vidimus. Hirſutum venttrem & hypochondria inter ſigna probabilia, non autem neceſſaria reponere oportet. De colore infra ſuo loco. Interim ego credo, colorem cutis magis ſignificare hepatis craſim, quam reliquorum viſcerum. Differentia vero intercedit inter Haly Abbatem Averroëmque ex altera parte, & Michaëlem Scotum ex altera: illi colorem in flavum propendentem caloris ſignum faciunt, hic rubicundum colorem: id enim ſibi vult colorata facies. Ego potius in Scoti ſententiam concedo: qua ratione autem, infra ſuo loco intelligemus.

## §. II.

*Signa frigidi hepatis ſecundum Galenum.*

Signa frigidi hepatis ſunt: *anguſtia venarum, pituita abundantior, ſanguinis totiusque corporis habitus frigidior, niſi cor obſtiterit, hypochondria glabra.*

At Haly Abbas pro pituita copiam melancholiæ affert, albedinem præterea coloris ſubjicit.

Averroës præterea & Michael Scotus eadem ſigna ſubjiciunt.

Anguſtia venarum ſignum efficax eſt frigiditatis hepatis. Generatio abundantior pituitæ eſt ſignum non convertibile; ſicut etiam generatio melancholiæ. Quandocunque ſane copia pituitæ gignitur, indicium eſt frigiditatis hepatis, at non convertitur; nam frigidum hepar poteſt etiam generare melancholiam. Quandocunque item gignitur copia melancholiæ, ſignum eſt frigiditatis hepatis, at non convertitur; nam poteſt etiam generare pituitam frigidum hepar. Glabrities quod ſignum ſit antea non ſemel annotavimus.

## §. III.

*Signa ſicci hepatis, nec non & hepatis humidi.*

Signa ſicci hepatis a Galeno *Cap.* 39. 40. & a reliquis ponuntur, durities venarum, & reliqui corporis habitus ſiccior. Subjungit etiam Galenus, ſanguinem craſſiorem, & minime abundantem. Contra hepatis humidi pro ſigno adducuntur mollities venarum, ſanguis abundantior & humidior, item totius corporis habitus mollior.

Durities & mollities venarum nullum ſignum hepatis duritiei mollitieive habebitur, ab illis, qui venas ab hepate oriri non exiſtimant; in quorum numero ſunt, nedum Ariſtotelici, ſed etiam Medici aliqui. Diſtinguunt enim principium originis, & principium radicationis, & principium diſpenſationis. *Andr. Laur. lib.* 4. *anath.* Negant hepar eſſe principium originis venarum. Eſt autem principium originis, ex cujus ſubſtantia ſubſtantiam haurit res procedens. Unde ex ſubſtantia venarum non licebit ſecundum hos arguere ſubſtantiam hepatis, etiamſi hepar ponatur ſanguinis officina, ut ego etiam pono, & jam ſuſcepi. Qua tamen diſtinctione, alibi declaravi; interim ſatis ſit dictu, me accedere proxime ad ſententiam Averrois.

## §. IV.

*Signa hepatis calidi & ſicci. Galenus cap.* 41.

Signa calidi & ſicci hepatis ſunt hypochondria hiſpidiſſima, ſanguis craſſior & ſiccior, flava bilis plurima & procedente ætate plurima quoque atra bilis, venarum latitudo & durities, habitus quoque corporis univerſi calidus & ſiccus, niſi cor obſtiterit.

Haly Abb. cap. eodem 13. *Venæ latæ, craſſæ & duræ ſignificant hepatis caliditatem & ſiccitatem, pili in hypochondriis multi & aſperi, tactus corporis calidus & ſiccus.*

Averroës cap. eodem 4. *Pili in hypochondriis craſſi, tortuoſi & nigri ſignificant caliditatem & ſiccitatem hepatis, venæ mediæ inter latas & anguſtas; anguſtæ autem frigiditatem ſignificant, latæ & craſſæ caliditatem & humiditatem.*

## §. V.

*Signa hepatis calidi & humidi. Galenus cap.* 42.

*Plurimum ſanguinis, venæ amplæ, habitus totius corporis calidus & humidus; is enim craſin ejusmodi hepatis ſequitur, niſi cor obſtiterit: hypochondria hiſpida quidem, minus tamen, quam cum hepar ſiccum & calidum fuerit.*

Haly Abb. cap. eodem. *Venæ amplæ & molles, plurimum ſanguinis, pili non permulti & lenes, tactus ventris & circumjacentium partium calidus abſque ſiccitate tamen, rubor cum albedine admixtus.*

Aver-

Digitized by Google

Averroës. *Venæ latæ & amplæ, plurimum ſanguinis, & humiditatis, pili multi in hypochondriis, ſed ſubtiles & plani.*

### §. VI.

*Signa hepatis frigidi & ſicci. Galenus cap. 44.*

*Parum ſanguinis, anguſtia venarum, corpus frigidum tactu, & hypochondria glabra, niſi cor obſtiterit.*

Haly Abb. cap. eodem. *Venæ arctæ & duræ, generatio & multiplicatio atræ bilis cum ad ſtatum juventutis pervenit, tumque ſanguinis incraſſatio & nigreſcentia,* venter *& ſubjectæ partes glabræ ac ſiccæ, non lenes, tactu autem corpus frigidum & aſperum, color lividus aut plumbeus declivisve in nigrendinem.*

Averroes cap. eodem. *Generatio atræ bilis non naturalis, venter glaber atque durus, venarum anguſtia.*

### §. VII.

*Signa hepatis frigidi & humidi. Galenus cap. 43.*

*Hypochondria glabra, ſanguis pituoſior, venarum anguſtia;* (Debemus autem ſubintelligere mollitiem ex cap. 40. Galeni ipſius.) *habitus totius corporis frigidus & humidus; niſi enim cor obſtiterit, ſequitur hepatis craſin.*

Haly Abbas. *Venæ arctæ & molles, venter glaber & lenis, idem tactu frigidus & mollis, albedo gypſea, ſunt ſcilicet ſigna hepatis frigidi & humidi.*

Averroes. *Generatio pituitæ ac ſanguinis crudi, glaber venter & mollis, albedo adeo magna, ut in gypſeam tranſeat.*

# LIBER SEXTUS
## CAPUT PRIMUM.
### *Proponit dicenda, fundamenta repetit, ac tractionem diſtinguit.*

Ad ſecundam methodi partem, quæ ex conformatione partium procedit, tranſimus. Fundamentum pragmatiæ ac negociationis hujus eſt, quod pro habilitate membri cujusque ad munus ſuum inditus eſt *inſtinctus animali* (*a*) ad illam ipſam operationem. Rem antea explicuimus. In homine autem & in nogotio hoc noſtro præſertim inſtinctus arguitur & colligitur; cum pars peculiarem, nedum communem, obtinuerit ad functionem eam habitudinem; irritamenta & impetus concupiſcibilis facultatis illi (quos emendat temperantia) ex conformatione hujusmodi genitalium partium & gulæ ac ventriculi præſertim naſcuntur, ac ſpeciatim; fundamentum enim commune ac primum, quod eſt cupiditas, in corde ipſo deſidet, veluti antea declaravimus. At ferri cupiditatem in Venerem, aut ferri in cibum & cupediam, eſt ex partium ad eas functiones aptitudine. Quocirca puelli, cum nondum partes ullo modo in Venerem turgent, nihil etiam de Venere laborant animo, nullumque cupiditatis ejusmodi æſtum experiuntur. Diſtinguere autem oportet communem illum ſenſum Veneris, quem omnes patimur; & peculiarem ac concitatum, ex quo venerei ac libidinoſi naturali propenſione aliqui denominantur. Exordiamur ex conformatione hujusmodi membrorum, ex quibus ſcaturigines morum ac propenſionum adeo eminentium pendent: poſtea, ſi quæ aliæ partes conformatione ſua inſtinctum ad mores fundant, percurremus.

## CAPUT SECUNDUM.
### *De partibus generationi deſervientibus.*

Membrorum generationi deſervientium, tum in mare, tum in fœmina, conſtructio, ut etiam reliquorum, membrorum admiranda eſt. Late rem proſequitur Galenus & in *lib.* 14. *de uſu partium, & in primis capitibus lib.* 15. In aliquibus tamen hominibus communem ſpeciei aptitudinem peculiari diſpoſitione ſuperat, qui etiam in Venerem ſunt peculiariter propenſi. Conſideremus nunc, quibus ex rebus naſcatur exquiſita ejusmodi ad Venerem habilitas, atque in eam ſingulare irritamentum. Naſcitur ergo tum ex ſolida parte ejusque figura, tum ex partibus influentibus. Utrumque genus ſeorſum conſideremus.

### §. I.

*Solidæ partes virilis pudendi, & primo de trunco, quod græce dicunt γανζὸν.*

*Pudendum virile,* (*b*) ut ab hoc exordiamur, & ipſum per ſe conſtat ex trunco & glande; & habet teſtes annexos cum vaſis adjunctis utrinque; & aptitudinem & incenſionem ſuam obtinet. Ex ſuo ergo ipſius corpore in Venerem rapitur, quod fungoſæ ſubſtantiæ cum ſit, in eos poros ac meatus ex ſubingredientibus vaſis flatus quidam influunt, unde turget membrum, & ex turgore pruritus. Hinc fit, ut quibus fungoſior ſubſtantia ea eſt, & inſperſa vaſa latiora ac plus flatuoſæ ſubſtantiæ ſuggerentia, illi ex hoc capite acrius rapiantur in Venerem. Unde oritur, ut quibus penis extra irritamentum Veneris magis concidit, ſint illi in Venerem propenſiores, quam quibus penis propior tenſioni perſeverat; nempe poroſior illi & fungoſior ſubſtantia, huic minores & arctiores meatus.

§. II.

(*a*) *Inſtinctus animali.*) Hic conferendum *Caput III. Sect. Prior. Partis ſpecialiſſima phyſica conciliatricis* JOH. CHRIST. STURMII.

(*b*) *Pudendum virile.*) Ut hoc Caput penitius intelligatur, ablego B. L. ad WENDELII *Phyſiologiam medicam ſect.* 3. *c.* 28. *de generatione humana, & ad reliquam Medicorum ſcholam.*

Digitized by Google

## §. II.

*De glande græce* Βάλανος.

Glans exquiſitioris eſt ſenſus, & ejus præſertim fricatione voluptas venerea paratur. Obducentis pelliculæ tenuitas, qua glans ipſa tegitur, ad ſenſus in ea parte acumen facit. Dico autem intimam ac continuam ipſi glandi cutem, non exteriorem illam, qua & denudari poteſt, quam vocant Latini præputium. Quocirca, quibus glans aſpectu niteſcit ac ſplendeſcit, atque plurimum rubet, magnam ea ratione voluptatem in coëundo experiuntur; tenuitas enim & puritas cutis ejusmodi atque ſubjectæ ſubſtantiæ ſenſationem exactam faciunt; quam major quoque voluptas ex objecto ſuavi conſequitur.

## §. III.

*De vaſis ſpermaticis ac de teſtibus.*

At majus procul dubio irritamentum ad Venerem ex teſtibus ac vaſis ſpermaticis, cum ſemine diſtenduntur, oritur. Non hic diſputo, utrum teſtes ſint ad generationem neceſſarii, ut aſſerit Galenus, negat Ariſtoteles; neque utrum ſemini ſint teſtes pervii, an deſerviant ſolum ad vaſorum diſtenſionem, tanquam textricium pondera, quæ eſt ſententia Ariſtotelis: ſed diſputationes naturales non ſunt huc congerendæ: ſatis eſt, cum vaſa ſunt diſtenta ſemine & teſtes, (ſi teſtes ſemen ſuſcipiant,) urgeri hominem in Venerem. Diſtenduntur vero illis teſtes, quibus major vis ſeminis gignitur, atque ex meatuum laxitate in ea loca confluit. Vel aptius dicamus rem aliquanto altius repetentes. Ex cava vena vaſa ſpermatica diſcedunt, ad dextrum quidem teſtem ex vena ipſa cava infra renem, at ad ſiniſtrum teſtem ex vena cava, ſed per emulgentem. Quibus ergo major ſanguinis copia, major eſt in vaſa ſpermatica confluxus, in illisque & in teſtibus cum conficiatur ſemen calore partium, quibus ſunt calidiores teſtes ac partes illæ, ii quoque ſemine amplius affluunt: at ſanguinis copia ex hepatis caliditate & humiditate præſertim naſcitur. At de ſanguine & partibus influentibus poſtea: interim de teſtibus, ac vaſibus ſpermaticis ſeu ſeminariis dictum hoc ſit: Quo calidiores fuerint, eo magis & plenius elaborare ſemen adeoque & magis in Venerem reddere propenſum hominem. Alia ratio, ut ex teſtibus reddamur proniores in eandem voluptatem, eſt; cum teſtes magis annexi ventri ſunt, adeo ut cum intus ſunt, veluti avibus, ea animalia paratiora ſint ad coitum, quem celerrime expediunt; ut Ariſtoteles aſſerit 1. *de gener. animal. cap.* 4. Et ratio ſuffragatur: calidiore enim loco poſiti ſunt teſtes, qui intra, quam extra penduli. Præterea, quo per longiores ductus ſemen eſt ducendum, eo laborioſior eſt ejus confectio & transmiſſio. Præterea, cum in coëundo teſtes ſurſum retrahantur, quo longius illi pendent, eo laborioſior eorum erit retractio. Laxatur itaque amplius majore ex labore animal, diutioreque frictione & concuſſione eget ad ſemen excernendum, ut etiam minus poſſit iterare Venerem: at qui teſtes minus pendulos habent, minore labore negotium conficiunt, ac facilius ſemen reparant, ut facile etiam inſtaurare ac iterare coitum poſſint. Ut Ovidius, qui novies ſe intra noctis unius curriculum Venerem exercuiſſe aſſerit.

*Exigere a nobis anguſta nocte Corinnam,*
*Et memini numeros ſuſtinuiſſe novem.*

Fœminæ quippe, quæ teſtes intus habent, paratiores quoque ad replicandam Venerem, quam mares ſunt.

## §. IV.

*De partibus influentibus.*

Influentes partes ſunt ſanguis, qui in ſemen deinceps alteratur, & ſpiritus. Sanguis ex venis in ſpermatica vaſa confluit, ſpiritus ex arteriis, quæ demum in ſubſtantiam ipſam & corpus penis deſinunt; per eas enim, & ex earum oſculis ſpiritus in fungoſam penis ſubſtantiam influit, unde erigitur ac turget. Ita Galenus; cui ſubſcribere in præſentia par eſt. Quibus ergo latiores venæ, ut ſanguis per eas abundantius fluat, & hepar calidum & humidum ac perſpiratum, nullaque obſtructione impeditum, ut copioſior generetur ſanguis, ſunt illi hac ratione in Venerem proniores ob materiæ copiam. Quibus pariter arteriæ latiores, ac principium arteriarum, nempe cor calidius, illis penes amplius erigi ac frequentius poteſt. Arbitratur tamen Ariſtoteles *Sect.* 25. *probl.* 31. melancholicis, quippe quibus ſanguis magis inflatus difflari queat, erectionem etiam penis eſſe promptam & frequentem, ac turgorem in Venerem concitatum; libidinoſi enim melancholici ſunt.

## §. V.

*Ex dictis gradus varii propenſionis in Venerem diſtinguuntur.*

Qui ergo cor calidum habent, hepar calidum & humidum, vaſa ampla, calidos teſtes & annexos, non admodum pendulos, penem fungoſum, glandem rubicundam & pellucentem, hi penitus in Venerem propenſi ſunt. Ex calore cordis acriter cupiunt; ex copia ſanguinis indeque ſeminis, facile Venerem ac frequenter reparant: præterea que ex teſtium retractione. Sicuti ex copia ſpirituum in penem influentium turget penis, & irritatur ad excernendum id, ex quo prurit. Quod ſi non conſentiant hæc omnia, minuitur impetus in Venerem; qui, quantus reſtet, libratis contrariis hinc inde momentis, inveſtigandum erit. Verbi gratia, ſi cor calidum ac frigidi teſtes, & ſi calidi teſtes & frigidum cor, ambo hi minus multo feruntur in Venerem, quam cum utrumque principium calore fervet. Tamen libido amplior in illis, quibus teſtes calidi & cor frigidum, quam contra; quod proximum in illis principium ad Venerem propendet in his principium remotum tantum. Quod ſi calidi teſtes & calidum cor, at hepar frigidum, aut ſiccum adeo, ut parum ſuggerat ſanguinis, vel anguſtia vaſorum & meatuum



Digitized by Google

prohibeat confluxum ſanguinis ad teſtes & vaſa ſpermatica, feruntur illi deſiderio, at impotes ſunt reparandæ Veneris; cito enim laxantur & fateſcunt. Ex his diminutis gradibus reliquis prætulerim eum, qui hepar calidum & humidum obtinet ac teſtes calidos, licet cor frigidum habeat: & principium enim proximum illi accommodatum, & materiæ copiæ parata.

§. VI.

*Gradus ejusdem in Venerem propenſionis ex Galeno deſcribuntur.*

Gradus propenſionis ejusdem in Venerem ex teſtium temperamentis deducit præſertim Galenus. *Art. medica c. 45. & ſeq.* Dicit autem temperamentum teſticulorum calidum ad Venerem proclive eſſe & fœcundum: frigidam craſim contrarium efficere: humidam multo & humido ſemine abundare; ſiccam paucum & modice craſſum ſemen gignere. In temperamentis autem compoſitis calidam & ſiccam temperaturam ſemen habere craſſiſſimum & fœcundiſſimum, & celerrime ab initio ad coitum excitare animal. Petulcam demum & ad libidinem pronam eſſe hujusmodi temperaturam; ſtatim tamen ſatiari, & ſi cogatur, offendi. At calidam, & humidam temperaturam plus dicit ſemine abundare, non tamen plus cæteris appetere, & minori detrimento præter modum venereis indulgere. Quod ſi tamen caliditas & humiditas magis creverunt, non ſine detrimento a venereis abſtinet. Frigida & humida temperatura ſemine aquoſo & tenui abundat infœcundoque (ut pro frigiditate parum feratur in Venerem, pro copia tamen ſeminis minus ab exercitio ejus lædatur) frigida & ſicca temperatura craſſius ſemen & omnino paucum gignit; ut ſcilicet pro frigiditate parum ſit in Venerem propenſa, pro paucitate ſeminis & ſtatim ſatietur, & ſi cogatur lædatur.

§. VII.

*Cenſura dictorum Galeni.*

Verum non poſſum ego accipere, quæ Galenus diſſerit. Nam ſiccitas teſticulorum calidorum, dum hepar ſit calidum & humidum, adeoque ſanguinis copiam vaſis ſeminalibus ſuggerat, non impedit, quo minus ſemen copioſum elaboretur ac reparetur ad novam Venerem. Quinimo cum concoctio ſit caloris, & calor ſiccitati conjunctus, magis & validius operetur, quam conjunctus humiditati, teſtes calidi & ſicci, modo copioſa materia præſto ſemper ſit, expeditius in ſemen eam alterabunt & concoquent, quam teſtes calidi & humidi. *Ariſt. Phyſiogn. c. 9.* Suffragantur meæ ſententiæ multa, quæ ex obſervatione dicuntur. Scilicet quibus gracilia & nervoſa crura ſunt, libidinoſiores eſſe; ea vero crurum craſis ſimilem indicat in teſtibus craſim potius, quam humidam. Gracilitas quoque, quam de ſeipſo atteſtatur Propertius, potius, ſiccitatem potius, quam humiditatem ſignificat; & tamen in agone venereo fortem ſe prædicat.

*Sed tibi ſi exiles videor tenuatus in artus,*
*Falleris; haud unquam eſt culta labore venus.*
*Percontere licet, ſæpe eſt experta puella*
*Officium tota nocte valere meum.*

§. VIII.

*Declaratio quædam ſubjicitur.*

Suppleo quæ hic dixi de partibus influentibus. Dixi autem, cum copioſus eſt ſanguis, adeoque cum hepar eſt calidum & humidum, hominem ex copia materiæ in venerem incendi. At alibi etiam dixi, cum ſanguis acris eſt, (eſt autem acris, cum hepar calidum & ſiccum ſanguinem bilioſiorem generat,) ex mordacitate ſeminis inde geniti irritari in venerem animal, quod & hic repeto. Verum blandus ſanguis & copioſus ex humido & calido hepate procedens, venerem iterabiliorem facit; at bilioſus humor acrius quidem exſtimulat, at ſatiatur quoque genitus ex eo appetitus; neque adeo prompte reparatur, quod & alias dixi.

## CAPUT TERTIUM.

### *De partibus ad cupediam pertinentibus.*

§. I.

*Res tota remiſſive peragitur.*

Partes ad cupediam pertinentes, quæ ſint, & unde irritentur, jam nunc dicendum eſſet, niſi ſatis antea dixiſſemus in 3. *parte lib. 8. cap. 2. §. 3.* quibus nihil eſt, quod in præſentia adjiciamus. Diximus etiam de partibus Veneri deſervientibus, deque earum irritamentis, at non pari copia & plenitudine; ut juſtum fuerit totam rem a principio repetitam exactius explicare, ut in præcedenti capite fecimus.

§. II.

*Quæ ſigna demonſtrent hominem veneri vel gulæ addictum.*

Duo ſunt jam explicati fontes proximi concupiſcibilis; quæ ex parte a vera & ab exacta temperantia corrigitur, nempe fontes concupiſcentiæ venereæ & concupiſcentiæ cupedioſæ. Primum tamen principium *eſſe cor* (*a*) antea vidimus, & nunc repetiimus. Quæ vero exteriora ſigna ſignificant craſim ventriculi dictam, ac palati, tum partium generationi famulantium, ea concupiſcentiæ, vel veneris, vel gulæ mancipatum hominem oſtendunt. Secundum naturalem inquam propenſionem.

CAPUT

(*a*) *Eſſe cor.*) PLUTARCHUS de virtute morum l. c. p. 16. concupiſcentiæ fontem facit jecur, de quo tamen jam ſupra actum.

Digitized by Google

## CAPUT QUARTUM.

### *Quæ tractanda reſtant capita methodi phyſiognomicæ memorat.*

Ad reliquas nunc corporis partes tranſeamus; ſi quæ exhibeant inchoamenta ac rudimenta morum, perſcrutantes methodus eadem erit, nempe conſiderare, quæ membra, ad quæ munia, facta ſint & quam bene & apte ad ea ipſa ſint fabricata. Verum phyſiognomi plures ad idem methodos invexerunt, quæ non æque ex propriis ſunt. *Altera* procedit ex ſimilitudine animalium. *Altera* ex repræſentatione maſculini aut fœminini generis. *Altera* ex ſimilitudine nationum, qui ſcilicet ſimiles ſint Æthiopibus, qui Germanis. *Quarta*, quam adhibent ex apparentibus moribus, magis ex propriis eſt; at ad ſecundam methodi partem, quæ ex effectibus ad cauſas procedit, pertinere potius videtur. Fatendum eſt tres illas methodos non excedere probabilitatem admodum, ut alibi declarabimus; nunc autem cum phyſiognomiam non ipſam per ſe, ſed alterius facultatis occaſione tractemus, par eſt ab evidentioribus ejus principiis non recedere, atque circumcidere aliena minus, quam urgentia. Conſiſtemus itaque in conſideratione fabricæ, *conformationisve membrorum*, (a) ut ad ſua munia ſint illa apta. Adhibebitur quoque conſideratio apparentium morum in iisdem, in quibus ſcilicet apparere poſſunt, membris. Quæ methodi capita reſtant ex tribus antea propoſitis, *Cap.* 2. *lib.* 5. abſoluto eo, quod ex temperamento pendet. Quæ ſigna ex moribus apparentibus deſumuntur, pertinent vere ad ſecundam methodi partem; attamen, ut in partibus ſtabili modo figuntur in fronte, in oculis, in facie, poſſunt ad hanc primam partem pertinere; ut in capite mox de fronte explicabo.

## CAPUT QUINTUM.

### *De Capite.*

#### §. I.

*De magnitudine & parvitate capitis.*

Caput (b) id totum eſt, quod collo imponitur. Attamen duo de capite in univerſum conſiderantur, quæ infra frontem non deſcendunt: magnitudo ſcilicet & figura. Sunt poſtea partes ſingulæ ſubjectæ faciei, & quæ ex illis demum exurgit effigies.

Canon 1. Ex ſuperioribus patet, parvitatem capitis paucitate cerebri conferre ad calorem cordis, ut ejus fervorem non refrangat.

Canon 2. Contra, magnitudinem ad cordis frigus, ut ob multitudinem cerebri valde ipſum refrigeret, pertinere. Hæc ergo impulſum vel ſuppeditat vel adjuvat ad mores ex frigido cordis temperamento prodeuntes; illa ad contrarios. Animalia quoque bruta capite magno inertia ſunt & pigra. Boves & aſini ſuapte natura tales. Neque in illis magna capita deteſtamur, quod pigros mores etiam admittamus: at in equis, cum ſtrenui illi eſſe debeant, caput magnum reprehendimus, parvum exigimus; unde de equo egregie facto Virgilius;

*Argutumque caput.*

Canon 3. Cum magnitudo non multum exceſſerit, ingenio homo abundat. Jacobus Mazonius capite fuit magno; verum craſſo etiam adeo corpore, ut non facile dixerim caput proportionem corporis exceſſiſſe. Ingenio certe polluit, atque memoria præſertim excelluit. Hæc tamen craſis potius ad inſpectricem, quam ad agibilem cognitionem aptos reddit.

Canon 4. Quod ſi exceſſus demum magnitudinis fuerit immodicus, ceſſat ingenium & ſuccedit ſtupor. Adeo enim retunditur calor a corde promanans, tantaque etiam eſt locorum capacitas & amplitudo, ut non poſſint ſatis incaleſcere, proindeque actiones animales, quæ ipſæ quoque calore, licet puro, egent, ceſſent, aut imminuantur, vitienturve. Hinc fit, ut bubo, atque otis, quæ valde capitata animalia ſunt, ſtuporem præ ſe ferant, inter piſceſque barbus, mugil, qui & capito ac Græce dicitur κεφαλὸς, ut italice cefalo.

Canon 5. Caput parvum non multum a mediocritate recedens, ad actionem & ad cognitionem rerum agibilium diſponit, adeoque ad prudentiam; cum præceptivum eſſe oporteat prudentem. Recte itaque Ariſtoteles capiti parvo prudentiam tribuit, at non tribuiſſet ſapientiam. Verum aliqui confundentes activam & inſpectricem cognitionem laborant in tuenda veritate dicti ariſtotelici, cujus tamen planus eſt & obvius ſenſus. Si parvitas immodica fuerit, in feritatem & ratione perturbati judicii, dum ſpiritus ex anguſtia confunduntur, & ratione caloris irrefracti cordis.

Canon 6. Caput mediocre omnia bona conjungit natura, & cordis calorem temperat, ſed moderate. Unde quod ad ipſum attinet in mediocritate inter audaciam & timorem conſtituit, & ingenium perſpicax, atque aptiſſimum ad omnem cognitionem reddit. Albertus timiditatem illi tribuit; quod ejus dictum, ſi conferatur cum parvo capite, atque cum audacibus natura hominibus, recte ſe habet. Nam mediocre ſi conferatur cum exceſſu, defectus rationem ſubit: at ſimpliciter & per ſe non eſt verum ex dictis. Quæ Galenus de magnitudine ac parvitate capitis philoſophatur ex multitudine materiæ, aut robore virtutis, penes ipſum videantur *de art. med. cap.* 11. Ego

(a) *Conformationis membrorum.*) CICERO *L.* 1. *Offic.* *Principio*, inquit, *corporis noſtri magnam natura ipſa videtur habuiſſe rationem, qua formam noſtram reliquam figuram, in qua eſſet ſpecies honeſta, eam poſuit in promtu.* Ad quæ & ſequentia verba conferendus Commentarius RACHELII p. 212. ſq.

(b) *Caput.*) PLUTARCHUS in libro *de exſilio.* T. I. Oper. p. 91. Caput hominis tanquam corporis totius radicem conſiderat, ex ſententia Platonis, qui hominem plantæ ſimilem eſſe dixit. Varias circa caput obſervationes phyſicas invenies in PLINII *hiſt. nat. Lib. XI. cap.* 37. *p. m.* 278. *ſq.* Quoad reliqua Medicorum filii ſatisfaciens, quod ad noſtrum non ſpectant forum.



Digitized by Google

Ego ſum hac in re ſequutus Ariſtotelis doctrinam. Arbitratus nempe, ut plurimum, magnum caput plurimum cerebri obtinere, & parvum caput, parum. Quod ſi interdum moles proceſſerit ex copia oſſaceæ materiæ aut id genus alterius, quæ Galenus diſſerit, vera ſunt; cum enim copioſior affluxerit corpulenta & terrena ejuſmodi materia, oppreſſionem ſignificat ſpirituum, eorumque etiam naturam ex commixtione impuriorem; unde rudem hominem & ſtupidum portendit.

*Addit. ad 5. Canon.* Ariſtoteles tribuit capiti parvo prudentiam *ſect.* 30. *problem.* 3. at in *libro Phyſiognom. cap.* 9. capiti parvo ſtupiditatem tribuit. Verba ſunt; *qui vero parvum caput* ſcilicet habent, *inſenſati, referuntur ad aſinos*. At jure merito interpretes mendum in litera ſuſpicantur, neque enim aſini parvum caput habent. Secus ſi parvum immodice caput accipiamus, poſſumus & debemus concedere futurum eſſe hominem inſenſatum, judicii ſcilicet perturbati admodum. Avicenna capiti parvo tribuit infidum eſſe, iræ velocis, & in omnibus rebus dubium. D. Thomas *lib. de ſenſu & ſenſili lect.* 5. patrocinatur dicto meo; cum enim cerebrum oppoſitum cordi dixiſſet, ut ejus fervorem temperet, hæc ſubjungit verba; *Et inde eſt, quod illi, qui habent parvum caput ſecundum proportionem cæterorum membrorum, impetuoſi ſunt, tanquam calore cordis non ſufficienter reflexo per cerebrum.*

### §. II.

### *De Figura Capitis.*

Galenus figuram capitis naturalem eſſe vult ſphæræ inſtar; *Lib.* 1. *de oſſibus, cap.* 1. *lib.* 9. *c.* 17. *de uſu part.* utrinque ſcilicet a temporibus leviter depreſſam; ex qua depreſſione etiam aſſequitur in anteriore poſterioreque capitis parte prominentiam aliquantulo majorem, quam foret ſphærica ipſa curvitas. Figuras non naturales idem Galenus quatuor enumerat. *Primam* cum eminentia anterior deperiit ſalva poſteriore. *Secundam* cum eminentia poſterior deſiit ſalva anteriore. *Tertiam* cum periit utraque. *Quartam* cum tempora eminent depreſſis occipite & ſincipite. Quam poſtremam figuram excogitari poſſe, verum non dari, idem Galenus dicit; licet Veſalius a ſe viſam Venetiis in puero bardo & amente etiamque Bononiæ profiteatur.

Canon 1. Non habet figura capitis inſtinctum immediate ad actionem, ſed ad cognitionem pertinet, per eamque ad actionem.

Canon 2. Figura naturalis a Galeno judicata, quam proxime expoſuimus, probabiliſſimum eſt ſignum accommodatæ ad intelligendum diſpoſitionis, non convertibile tamen. Prima aſſertionis pars multa inductione conſtat. Claromontes Claramontius pater meus exquiſite figuram ejuſmodi obtinuit, & acutiſſimo ingenio ac ſolida in ſcientiis doctrina fuit, pariterque magno in rebus agendis judicio. Jacobus Mazonius in litterarum univerſitate magnus ac celeberrimus, figura eadem fuit. Per alios præterea multos inductio duci poſſet. At ſecunda aſſertionis pars exemplis quoque aliquibus confirmatur. Pericles acuminato fuit capite, & fœcundiſſimo ingenio, ac ſumma prudentia. Januenſes hac nunc figura delectantur, & acumine ingenii ſaltem in rebus agendis pollent. Cui rei ratio ſuffragatur; figura enim ejuſmodi turbinata parvitatis cujuſpiam vicem ſubit; ideoque minus ex ea calor cordis refrangitur, unde actuoſior homo redditur.

Canon 3. Prominentia poſterior capitis, ſeu prominentia occipitis, ejuſve depreſſio, propenſionem ad actionem ipſæ per ſe, vel inferunt vel vitiant. Ita ſenſit Galenus. Eſtque ratio, quoniam ex nervis pendet motus voluntarius, quorum principium eſt cerebellum; ideoque in occipite reſidet principium voluntarii motus inſtrumentarium, ut pro ejus varia conſtitutione varie etiam ad motum ſit homo diſpoſitus. Cum itaque juſta prominentia calorem ſignificet, depreſſio contra frigiditatem potius, inde ex protuberantia moderata robur facultatis motricis, ex depreſſione imbecillitas arguitur. *Galenus de arte medica cap.* 11. Et augetur conjectura roboris, ſi cum prominentia ejuſmodi conjungatur cervix craſſa & rubicunda; nam ea quoque ſignum eſt caloris, ut cervix gracilis & pallida vel ſubalbida frigoris eſt indicium. Attamen ſi hæc omnia ex Galeni doctrina ſuſcipiantur, adhuc non erit ſignum moralis alicujus actionis ſeu propenſionis proximum; nam robur voluntarii motus aliud eſt ad ſerviles actiones, aliud ad civiles. Et diſtinctim Ariſtotelis *lib.* 1. *Polit. cap.* 3. verba ſunt; *Vult autem natura & differentia facit corpora liberorum & ſervorum; alia quidem robuſta ad neceſſarios uſus; alia vero recta, & inutilia ad tales operationes, verum utilia ad civilem vitam: hæc autem diviſa eſt in belli oportunitates & pacis.*

## CAPUT SEXTUM.

## *De Fronte.*

*Frons imaginem* (*a*) animi multam continet, & exceptis oculis, omnium corporis partium maximam. Plinius lib. 11. *Cap.* 37. *Frons homini triſtitiæ, hilaritatis, clementiæ, ſe veritatis index.* Cicero ad fratrem de Petitione Conſultus *animi januam* appellat. Quæ dicta, idque genus alia affectus præſentes vere ſignificant. Interiores enim animi affectus ac paſſiones in oculos & in frontem erumpunt; ira, metus, cupiditas, odium, amor: attamen ſi cui is ſit natura oris habitus, qualis eſt iraſcentibus, conjiciunt ejuſmodi hominem eſſe natura in iræ affectum propenſum. Vocat hos mores apparentes Ariſtoteles *lib. Phyſiogn. cap.* 2.

Fugacia illa affectuum in fronte oculis & ore ſigna ad ſecundam methodi hujus partem ſpectant: at ſtabilia hæc, quæ nunc dicimus, ad hanc partem pertinere poſſunt. Licet enim cauſæ

(*a*) *Frons imaginem.*) Teſtimonia hujus argumenti plura collegit GERH. JOH. VOSSIUS *inſtit. orat. L.* 6. *c.* 11. *p.* 529. nec ſolum profanos, ſed & ſactos accerſunt teſtes, quod vultus ſit index mentis, quos vide in Diſſ. WALCHII ſæpe citata §. 8. p. 39. Pythagoram ex vultu totiusque corporis habitu diſcipulorum indolem perſpexiſſe teſtantur GELLIUS *Noct. attic. L.* 1. *c.* 9. JAMBLICHUS *in vita Pythag. c. XVII.* PORPHYRIUS *in vita Pythag. ſect.* 13. Interim illud PHÆDRI nobiſcum reputemus: *Non ſemper ea ſunt, quæ videntur, prima frons decipit multos, at rara mens intelligit, quid cura interiori condiderit angulo.*

Digitized by Google

ſi non ſint morum, cauſis tamen annectuntur. Quaſi enim natura eas notas imprimat ad interiorum propenſionum ſignificationem, nexum quendam cum cauſa finali continent; ſive melius dicamus: quoniam diſpoſitio ad operationem pendentem ex ſe, ut ad finem dirigitur, cum operatione adeoque cum cauſa finali mutatio oris ejusque habitus conjungitur, ut ad id ſignorum genus reducatur hoc, quod ab effectu ad effectum ſumitur, cum ab eadem cauſa pendent. Ob nexum autem & hæc & illa ex moribus apparentibus multa ſigna donemus in hac parte; aliqua tamen tertiæ parti reſervabimus. Eandem methodum uſurpavit Ariſtoteles in *præd. de qualitate.*

Cæterum frons conformatione ſua *nullum per ſe præbet* (*a*) ad mores inſtinctum, cum neque morum ſit ſedes: ad cognitionem amplius pertinet. Quoniam ergo caput ſphæricum exacte non oportet eſſe, ſed leniter utrinque compreſſum, frontis quoque perit ex ea compreſſione ſphæricitas exacte; ejusque vice naſcitur figura, quam quadratam vocant, in qua anterior pars frontis cum temporibus non conjungitur in orbem, ſed illa aſſurgit, hæc deſident. Illius itaque extrema aliquantulum prominent, ut cum devexitate temporum conferuntur, concava illa frontis dici poſſent: at certe prominentiæ debent vocari. Ab oculis quoque ad capillos deficit exacta ſphæricitas.

Canon 1. Figura quadrata frontis, ſignum eſt præſtantis ingenii ac judicii, naſcitur enim ex figura naturali capitis in anteriore, cujus parte judicium peragitur. Confert quoque ad prudentiam, & ad agibilium cognitionem diſponit, rectumque earum judicium. Multi homines præclari frontis ejusmodi figuram obtinuere.

Canon 2. Si figuræ capitis, non naturales vocatæ a Galeno, judicii & ingenii vitium ſemper importarent, frontes etiam a quadrata recedentes earundem facultatum vitium indicarent. At cum neceſſarium non ſint illæ figuræ argumentum ejusmodi vitii, neque etiam receſſus a quadrata fronte eſt index certus judicii depravati, aut diſpoſitionis ad cognitionem vitiatæ. Ex ſimilitudine tamen animalium Phyſiognomi conjiciunt, rotunditatem frontis a capillis ad oculos indicare ſtupiditatem; ea enim eſt figura aſininæ frontis. Rotunditas autem a tempore ad tempus dicunt ſignum iræ. Sed jam egredior ex ſtatutis mihi limitibus.

Canon 3 Magna eſt frons humana, ſi etiam intra mediocritatem humanæ menſuræ contineatur, ejusmodique magnitudo ad diſtinctam & dilucidam cognitionem confert. Ratioque eſt, quoniam ad cognitionem ejusmodi ſincerior ſanguis exigitur; qualis non eſt ſanguis calidior: quamobrem cognitio elaboratur in cerebro, etiam ſi principium ejus ſit cor. Hæc omnia ex Ariſtotelis *lib. 2 de part. animal. cap.* 10. Frons autem magna, ut detecta, efficit, ut confluentes in anteriorem cerebri partem humores & ſpiritus perfrigeratiores ſint, adeoque etiam ad diſtinctionem & lucidiorem cognitionem conferant.

Quod ſi magnitudo frontis excedat, perfrigerantur plus juſto ſpiritus iidem. Unde tardi ad cognoſcendum, ac judicandum, ſegnesque ideo homines redduntur. Refert Ariſtoteles ad boves.

At ſi frons parva, *Ex Ariſt. diſtin. c.* 10. *lib.* 2. *de part. animal.* ſpiritus ob tegumentum capillorum, & humores in anteriore parte minus perfrigerantur, quam par ſit, calor autem celeritatem judicii facit, & ob agitationem ſentiendi & judicandi puritatem intercipit, atque refringit. Refert Philoſophus ad Sues in Phyſiognomonicis. Mobiles vocat in Hiſtoria animalium. Et congruit aſſertio ob celeritatem judicii.

Canon 4. In capillorum a fronte ad tempora flexu, vel angulus efficitur, isque conſpicuus: vel angulus quidem, ſed non admodum inſignis; vel orbis abſque angulis reſultat. Hic capillorum habitus fuit in Philippo Burgundiæ Duce: ex ejus icone. Angulos conſpicuos & eminentes Ferrantes Gonzaghius, Proſper Columnius, & proxime Henricus IIII. Rex Galliæ: ex togatis ac literatis hominibus Jacobus Zabarella, Claramontes Pater meus, memoria mea habuere. Judicium anguli ejusmodi indicant, niſi enormes fuerint. Tenuius enim eſt ea in parte calvæ os, quam frontis, adeoque cum eſt ibi detectum, magis patent perfrigerationi ſpiritus anteriorum ventriculorum, ſincerioresque ideo redduntur atque ſincerius judicium efficiunt.

Canon 5. Qui frontem rugoſam habent, cogitabundi, dum enim cogitamus, in rugas eam contrahimus; qui triſtem, mœſti; qui nebuloſam, audaces; qui auſteram, ſeveri. Demiſſa lamentabundum; exporrecta hilarem ſignificat; unde illud Comici; *Exporrige frontem.* Cum rugæ in altitudinem frontis protenduntur, non in longitudinem, iracundum ſignificant; in ira enim eo modo contrahitur, & corrugatur frons. *Ariſt. in Phyſiogn. cap.* 9. Polæmo in figura acerbi tribuit illi rugas.

Canon 6. Frons aſpera denotat prius impudentiam. Quod ſi adhuc major ſit, indicat usque feritatem. Nam homini ob animæ ejus nobilitatem natura dedit, ut magis multo dominaretur corpori, quam animæ brutorum. Senſa itaque animi in ore effulgent, præſertim in oculis & in fronte. Quod ſi ea ſit cutis & ſubjectæ carnis durities, ut non præſtent fulgori ejusmodi animi aditum; ſi quidem parum præſtent, impudentiæ ſignum id eſt, cui frontem duram, & calybeam tribuimus, unde illud:

- - - *Non os*
*Eſt tibi vel duro durius eſt calybe.*

At

(*a*) *Nullum per ſe.*) Unde patet, quam infirma Metopoſcopiæ ars ſit, de cujus ſcriptoribus vide MORHOFIUM *Polyhiſt. Tom. II. Lib.* 3. §. 6.



Digitized by Google

At ſi nullum demum præſtet aditum, ab humana, ut ita dicam, tenuitate, in belluinam craſſitiem, terrenamque ferarum impuritatem tranſiiſſe videtur. Polæmo & ipſe fero homini frontem aſperam aſſignavit. Conjungo autem ipſe duritiem cum aſperitate; quoniam durities cutis non videtur abſolvi ab impuritate, adeoque ab inæqualitate ea, quæ cum duritie conjuncta facit aſperitatem. Adamantius doloſo homini tribuit, interdum furioſo.

Canon 7. *Frons inæqualis, quæ ſcilicet foſſulas quaſdam ac monticulos habet, argumentum præbet hominis impoſtoris, ac fraudulenti.* Ita Adamantius. Ratio vero ea eſt; quoniam ejuſmodi inæqualitas non eſt ex oſſe frontis, ſed ex muſculorum toris procedere videtur, qui tori robur eorundem muſculorum ſignificant. At muſculi frontis id munus habent, ut varias figuras fronti pro arbitrio tribuant, nunc eam contrahendo, nunc explicando. Sed variare frontem pro arbitrio, eſt verſipellis hominis. Ut hoc ſignum cuidam innitatur inſtinctui, quod ferme ſingulare eſt in ſignis frontis.

## CAPUT SEPTIMUM.

### *De Superciliis.*

*Canones ex moribus apparentibus.*

*Supercilia arcuata hominem ſuperbum* (a) *indicant; etenim arcuantur ſupercilia in elatione ſuperbientis animi.* Achilli Philoſtratus, Andronico Niceta ea tribuere. Contra ergo cum in rectum porriguntur, mollem animum ſignificant. *Ariſtot. in cap. 9. 1. de Hiſt. animal.*

Cum juxta naſum inflectuntur, *auſterum ſignificant,* (b) & acerbum. *Ibidem Ariſtot.* Ratio forte & hæc ex apparente more emergit; etenim cum iraſcimur, ex corrugatione frontis ſupercilia conjungimus,

Cum juxta tempora inflectuntur, deriſorem, diſſimulatoremque indicant. *Ibidem Ariſtoteles.* Ratio occulta, ſi ſignum ſit perpetuum.

Supercilia demiſſa, ſcilicet verſus palpebras cadentia, invidum hominem ſignificant apud Ariſtotelem.

## CAPUT OCTAVUM.

### *De Auribus.*

Aures ad actionem non habent ordinem per ſe ullum, ſed *ad auditum* (c) ſolum. Ex conformatione ergo earum non licet inſtinctum ad mores, neque etiam ad cognitionem interiorum ſenſuum elicere per ſe, ac primo. Ea una conjectura ſuggeritur; quod ſi grandiores exiſtant, quam par ſit, corpulentæ materiæ copiam redundantem indicant. Ex qua copia opprimi facultates animales conjectamus, cum ſpiritaliorem illæ materiam exigant, & per ſpiritus, ut per primum ac verum inſtrumentum, abſolvantur. Eſt itaque Canon.

Canon 1. Aures ſi magnitudine excedant, hebetem hominem, ac obtuſum ingenium ſignificant. *Ariſtoteles in Phyſiogn,* ubi aſininas eas vocat. Et in lib. de Hiſt. animal. cap. 11. hæc habet: *Notam morum optimorum habent aures, quæ mediocres ſunt; at quæ magnæ arrectæque ultra modum, ſtultitiæ indices ſunt, aut loquacitatis.* Hæc ille.

Canon 2. & 3. Mediocres ergo aures ex Ariſtotele laudabiles, & optimos mores indicant; parvæ autem admodum pravos mores, & fallaces atque doloſos homines ſignificant. Qui canones tamen parvam ex dictis obtinent neceſſitatem. Probabilitatem tribuit ſimilitudo ſimiæ, & multo magis auctoritas ſummorum virorum; Ariſtotelis *ad Alexand.* Galeni *quod mor. ſeq. temp. corp.* Polæmonis & Adamantii. Et omnes fere conſentiunt Phyſiognomi.

Canon 4. Vix ullus videtur eſſe affectuum in aures refluxus, quibuſdam tamen in ira rubeſcunt, aliquibus in angore, & timore Balthaſſari Tiberto in arce noſtra detento, cum ad arctiorem cuſtodiam traduceretur, indeque ſuſpicaretur morte ſe damnatum iri, ut vere damnatus fuit, aurium ſummitates erubuiſſe obſervatum fuit. Pudori tribuit Ariſtoteles aurium ſummitatis erubeſcentiam.

## CAPUT NONUM.

### *De Oculis eorumque aſpectibus.*

### §. I.

*Duobus modis Oculi mores indicant.*

Oculi nullum habent ad actionem impulſum, at ſunt veluti *animi feneſtræ.* (d) In illis enim mirum in modum affectus elucent, niſi comprimantur. Caput ergo ex apparentibus moribus præcipuum in illis locum obtinet. At etiam ſunt cerebri temperamenti indicia, ut ea quoque ratione mores indicent, quomodo ex cerebri temperamento licet mores naturales, ſeu propenſiones ad illos elicere: ſatis remote nempe. Præſtat itaque ex moribus apparentibus exordiri. Primum autem apparentes affectus in oculis ipſis diſtinguere & deſignare tentemus.

§. II.

(a) *Superbum.*) Unde notum eſt illud; *Deme ſupercilium, frangit Deus omne ſuperbum.*

(b) *Auſterum.*) Ob quod Damon ab Niſa ſine dubio ſpretus VIRGIL. Ecl. 8.

Dumque tibi eſt odio mea fiſtula, dumque capellæ,
Hirſutumque ſupercilium, prolixaque barba.

(c) *Ad auditum.*) Hic omnino meretur conferri WEDELIUS *in phyſiologia medica Sect. 4. c. 3. de auditu.* Epicuri de auditu opinionem vide apud DIOG. LAERTIUM *in vita ejus Lib. X.*

(d) *Animi feneſtra.*) Damaſcius in Iſidori philoſophi vita apud PHOTIUM *cod. 242. dicit:* Ἀγάλματα ἦσαν ὀφθαλμοὶ τῆς ψυχῆς ἀκριβῆ, oculi erant perfecta animi ſimulacra. Et CONRADUS LYCOSTHENES *ad Cap. 49. Plinii ſecundi de viris illuſtribus: In oculis,* inquit, *non exiguam natura poſuit motuum declarationem: quamobrem ab eorum motionibus omnis eſt abjicienda levitas & impudentia, & cum nulla corporis pars vacare debeat continentia, oculos maxime homines oportet habere continentes: quos Seneca de remediis fortuitorum vitiorum, omnium irritamenta & ſcelerum duces vocat.*

§. II.

*Obtutuum diſtinctio, ac aſpectuum,*

Aſpectuum ac obtutuum differentiæ plurimæ. Verum ex his præſertim capitibus deducuntur omnes. Ex projectione quadam radiorum & retractione. Ex oculi quadam explicatione ac contractione. Declarabo differentiam. Non eſt autem explicatio hæc, quæ ex palpebra fit, ſed in pupilla ipſa ejusque obtutu conſideratur. Tertium ex ſitu pupillæ ejusdem, ut vel recta aſpicit, vel ex obliquo; qui aſpectus limis oculis fieri dicitur. Quartum ex motu & quiete oculi. Eſt vero motus duplex, alter per ſe oculi, alter ob palpebras. Ut, illæ alterno ac cito motu nunc pupillam aperiunt, nunc claudunt: oculus vero a ſe habet, ut vel defixus & immotus ſpectet, vel huc illuc volvatur, & modo in hanc, modo in illam partem reſpiciat. Poſtremum erit ex humiditate quadam & ſiccitate aſpectus. Singula repetamus & declaremus. Projectio ergo radiorum a me nunc uſurpatur, non pro ea projectione, de qua eſt inter Opticos ac Philoſophos antiquiores & poſteriores controverſia; *viſio ne fiat extra mittendo* (*a*) an intus ſuſcipiendo. Ego cum Ariſtotele & recentioribus Opticis, Alhazeno & ſequentibus ſum. Sed radios nunc appello efficaciam quandam ſpiritalem, quæ ex adverſo proſpicientium oculos & animos penetrat. Eſt hic ferventis cupiditatis aſpectus. Ovid. in Epiſt. Helenæ ad Paridem:

*Tu modo me ſpectas oculis laſcive protervis,*
*Quos vix inſtantes lumina noſtra ferunt.*

Hanc ego projectionem voco, quam Ovidius *inſtantiam* vocat & me judice appoſitiſſime; ut ego quoque oculos *inſtantes*, qui ita reſpiciunt, appellaturus ſim. In ira idem eſt aſpectus, ſed inſtantia perturbatior, & viſus torvus; ut ex animo ultionem quærente, non voluptatem ejus, qui aſpicitur, procedat. Minaces itaque oculi vix & ipſi feruntur; curioſe quoque, & anxie aliquid quæritantes, eadem inſtantia reſpiciunt.

In his vero omnibus cupiditas. Etenim ira quoque cupiditas quædam eſt; ut hac ratione petulcos oculos ad hos etiam redigere poſſimus. Contrarium aſpectum *retractum* voco. Retrahitur enim vis, quæ in contrario aſpectu emittitur, in modeſtis hominibus erga eos, quos reverentur; in pudibundis adoleſcentibus adverſus fœminas. Erga quoque res inviſas, dum ultionis deſiderium non ſubeſt, eodem aſpectu retracto utimur, cum non licet alio oculos avertere. Stupentes usque oculi redduntur atque attoniti, ad ejusmodi rerum inviſarum præſentiam. Rei convicti coram Principe, aut magiſtratu ita aſpiciunt, ſi eos cogantur aſpicere. Contemplatores quoque homines, & alia etiam ex cauſa cogitabundi, ita obvias res reſpiciunt, ut vel interdum non animadvertant, neque agnoſcant.

Quandoque contrarii ejusmodi aſpectus ex contrariis affectibus commiſcentur. Verbi gratia, ſi quis ardenter amet, & etiam pudore magno detineatur, pudor retrahit aſpectum, at concitat amor. In ea perturbatione aſpectus quoque perturbatur & nutat; vel enim limis aſpicit, ſi commoditas adſit, vel inſtar ſolis per raram aliqua ex parte nubem erumpentis inſtans interdum aſpectus aperitur, interdum obducitur. Hecubæ mixtus ejusmodi aſpectus erga Polymneſtorem *in Hecuba* tribuitur ab Euripide; ex odio enim intueri non poterat, at ex ſimulatione debebat. In obliquum ergo aſpectum contrariæ ipſam rationes adducebant, quem aſpectum ipſamet excuſat, falſam ſcilicet cauſam adducens.

*Pudeat te intueri ex adverſo,*
*Polymneſtor, in hujusmodi conſtituta malis.*

Ad ſecundum par differentiarum tranſeamus. *Explicationem* oculi ego voco, cum oculus, ut dicit Quintilianus, hilaritate eniteſcit: *contrahi* vero dico, cum triſtitia quoddam ducit nubilum. *Contractionem* autem & *retractionem* differenter ſtatuo. In retractione in profundum recedit repræſentatio ferme animi; in contractione cogitur in ſemet ipſum animus. Inter has contrarias diſpoſitiones, eſt medius conſtantiæ habitus, cum nempe oculus neque hiſcit, neque cogitur. In hoc gradu gravitas aſpectus reponitur.

Alia differentia erat ex recto aſpectu, aut obliquo. Aſpectus *obliquus*, qui & limus nuncupatur, vel limis fieri oculis dicitur, ex cupiditate naſcitur, cum vel pudore impeditur, vel pudorem prætendit. Femellæ hoc aſpectu amatores plerunque irretiunt. Nos vulgo *oculo cauda* reſpicere dicimus. At inviſos etiam homines, quibusque iraſcimur, ita quoque interdum reſpicimus. Dido penes Virgilium, ſeu Didonis umbra Aeneam eo modo intuebatur.

*Talibus Aeneas ardentem, & torva tuentem*
*Lenibat dictis animum, lachrymasque ciebat:*
*Illa ſolo fixos oculos averſa tenebat.*

Et torvus aſpectus plerunque ex torvo intuitu dicitur.

Quarta differentia ex motu, oculos mobiles, & contra fixos diſtinguit; nam ſi huc illucque vertantur oculi, mobiles ſunt; ſi in eodem obtutu perſeveret, fixi, & defixi dicuntur. Hic eſt motus ipſe per ſe oculi; at ex palpebra, cum aperta ipſa manet, intenti & rigentes oculi, conniven-

(*a*) *Viſio ne fiat extra.*) Stoici cauſas eſſe videndi dicebant, radiorum ex oculis in ea, quæ videri queunt emiſſionem, aërisque ſimul intentionem. Epicurus autem affluere ſemper ex omnibus corporibus ſimulacra quædam corporum ipſorum, eaque ſeſe in oculos inferre, atque ita fieri ſenſum videndi putat. Plato exiſtimavit genus quoddam ignis lucisque de oculis exire, idque conjunctum continuatumque vel cum luce ſolis vel cum alterius ignis lumine, ſua vi & externa nixum, efficere, ut quæcunque offenderit illuſtraveritque cernamus. Quas adductas opiniones recenſet A. GELLIUS *Noct. Attic. Lib. V. c. XVI.* Quibus meretur conferri WEDELIUS *in phyſiologia medica Sect. IV. c. 2. §. 11.* ubi & Ariſtotelis Gaſſendique, & Carteſii hac de re opiniones adducuntur.

Digitized by Google

ventes contra cum clauditur: cum alternat autem vices claudendo & aperiendo oculos, *nutare* dicuntur. Poſſunt vero & modice nutare, & immodice. Ariſtoteles differentiam expreſſit in *cap.* 10. 1. *de hiſtor. animal.* *Et aut nimium connivent, aut rigidi, intentique conſtant, aut modice nutant.*

Poſtremum par differentiarum eſt humiditas & ſiccitas oculorum. Humidi oculi aperte ſunt, cum lacrymis ſuffunduntur. At vero ante exitum lacrymarum oculi in affectibus animum emollientibus imbuuntur humore quodam non erumpente, qui tamen reddat oculos interna humiditate uvidiores. Siccitas contra omnem ejusmodi humiditatem ab oculis excludit.

Hæ omnes differentiæ ſi combinentur in magnum numerum excreſcent; ad harumque aliquas reducuntur omnes, quæcunque memorantur ab authoribus. Arguti, acuti, protervi, cupidi, impudici, inſtantes, pollicentes, minaces, aſperi ad primam differentiam pertinent, ſicut & contrarii torpentes, ſtupidi. Læti, ridentes, triſtes, mœſti, graves, ad ſecundam differentiam reducuntur. Vagi, mobiles, fixi, rigidi quoque, ac rigentes, ad quartam. Recti, limi, & transverſi, vel ex transverſo ad tertiam. Ad quintam turgidi, uvidi, ſuffuſi, molles. Duri, rigentes ad hanc quoque differentiam, ſed & alio in ſenſu pertinent.

His ita diſtinctis, ſubjiciamus Canones.

## §. III.

*Canones continet ex moribus apparentibus.*

Canon 1. Oculi inſtantes, ſive quorum aſpectus inſtantes ſuapte natura ſunt, cupidum quoque ſuapte natura hominem ſignificant.

Annot. 1. Cum inſtantes oculi minaces ſunt, iram certe ſignificant, & hominem iracundum. Torvus aſpectus is quoque dicitur, licet cætera rectus ſit; aſperitas enim & ſævities eminens torvitatem præ ſe fert.

Annot. 2. Non æque aſpectus retractus ſignificat deſideriorum ceſſationem; nam poteſt alius affectus vel timoris vel pudoris cogere deſiderii ſignificationem; quod tamen vehemens ſit, & ſublato comprimente affectu, ſit inſigni modo erupturum. Si quis horum Pluti galea, vel annulo Gygis induatur, non minus a cupiditate raptabitur, quam, qui cupiditatem ſuam liberius indicabant. Poteſt etiam ex contemplationis habitu retractus ejusmodi aſpectus naſci, etiamſi vigeant cupiditates.

Canon. 2. Aſpectus limi, ac furtivi, *incerti quoque*, (*a*) ac viciſſitudine quadam projectionis & retractionis agitati, cupidum hominem; & viciſſim *vel timidum*, (*b*) vel in univerſum obnoxium cohibenti alicui affectui indicant. Timiditatem ſumo in univerſum, ut etiam pudorem continet, qui eſt timor infamiæ, utque etiam ad timorem reverentiæ extenditur. Qui vero ſit timor ac affectus cohibens, ex aliis eſt conjecturis inveſtigandum.

Canon 3. Hilaris ac ridens ſuapte natura aſpectus ſignificat hominem ſimplicem ac bonum; bonitate nempe illa, quæ non bene audit, ut recte notat Plato: eſt autem cum bonitate ac imprudentia quadam conjuncta. Nam in tam frequenti contrariarum rerum occurſu lætum continere affectum, quem ridentes oculi præ ſe ferunt, vel ab altiſſima eſt virtute animi, quam nemo natura obtinet, vel *a judicii levitate* (*c*) pendet. Marcus Antonius Brigantius oculos ridentes natura obtinet, & vir ſic bonus eſt, non tamen bardus; nam & litteris operam navavit non usquequaque infelicem. Polæmo & Adamantius improbitatis ſignum ſtatuunt. Adjungunt etiam ſplendorem; a quo potius, quam ab hilaritate, ac riſu improbitas arguatur: nam ſplendor is, ſi ab igneo calore naſcatur, ſiccius & calidius eſſe cerebrum multo, quam par eſt, indicat, quæ eſt felium temperatura, feritatemque præ ſe fert; cum cordis calor irrefractus perſiſtat, & calor etiam immodicus cerebri ex ſuperius dictis cognitionem perturbatam reddat. Sed hoc ad oculi craſim potius, quam ad aſpectum, ac aſpectuum ſpecies pertinet.

Annot. At ſi oculi, nedum ridentes, ſed inſtantes etiam, ac procaces ſint, indicant cupiditatem, & bonitatem proxime dictam, quæ tamen a cupiditate refrangatur, & aliquantulum eidem acrimoniæ addatur.

Canon 4. Oculi mobiles huc illuc, ſcilicet volubiles, inconſtantem ac *inquietum animi habitum* (*d*) ſignificant. Cum palpebræ rigent, audaciæ ſunt indices, penes Polæmonem; nec male, calorem enim commonſtrant.

Annot. At nutantes oculi ex alternatione *palpebrarum* (*e*) frequente: ſunt indicium contrariorum affectuum. Ariſtoteles timiditatis notam aſſerit in *Phyſiognomico*.

Canon 5. *Defixi*, (*f*) & intenti oculi, & præſertim palpebris quoque rigentes, aut ſtupiditatis,

(*a*) *Incerti quoque.*) Puellæ flagrans oculus, ut auctor eſt Aeſchylus, quæ ſui aliquando copiam fecit, facile nutibus deprehenditur. Vid. PLUTARCH. *de profectu morum. T. I. Oper. p. m.* 172.

(*b*) *Vel timidum.*) Hinc PLINIUS *H. N. Lib. XI. cap.* 37. deſcribit; *Pleriſque hominibus naturale, ut nictare non ceſſent, quos pavidiores accepimus.*

(*c*) *A judicii levitate.*) Huc ſpectat, quod *HOBBES cap. VI. de homine* dicit, *multum riſum ſignum eſſe puſillanimitatis*, cujus cauſam ibidem vide.

(*d*) *Inquietum animi habitum.*) Quo animo inquieto laborabat Dido, de qua VIRGILIUS *L. IV. Aeneid.* canit:

*Talia dicentem jamdudum averſa tuetur,*
*Huc illuc volvens oculos, totumque pererrat.*
*Luminibus tacitis & ſic accenſa profatur.*

(*e*) *Palpebrarum.*) Hic omnino conferendus WEDELIUS in *phyſiologia medica ſect. IV. cap.* 2. §. 5. ubi & cauſa affertur, cur Attilio Regulo, a Carthaginenſibus palpebris privato, mori inevitabile fuerit.

(*f*) *Defixi.*) Oculi defixi ſignificant etiam triſtitiam & deſperationem, ut patet ex VIRGILIO l. c.

*Tum vero infelix fatis exterrita Dido*
*Mortem orat; tadet cœli convexa tueri.*

Et *in fine dicti libri*:

*Illa graves oculos conata attollere, rurſus*
*Deficit: infixum ſtridet ſub pectore vulnus.*

Cur autem verentes oculos dejiciant, ſequentem rationem reddit APHRODISEUS *in quaſt. phyſ. n.* 71. *Quia*, inquit, *animi ſpeculum ſunt oculi.* Nam & *animi affectus per oculos cernimus, ut dolorem, iram, pudorem:* quo-

Digitized by Google

tatis, aut impudentiæ notæ ſunt. At cum ad mediocritatem accedit intentio illa aſpectus, ſi in mediocritate conſiſtat exacte, eſt homo prudens, & placidus, & laudabilium morum, ac laudabilis conſtantiæ. Si a mediocritate aliquantum in rigorem deflectat, eſt gravitatis nota: ſique magis intendatur, ſuperbiæ. Huc pertinet illud Senecæ; *grave ſupercilium.*

Canon. 6. Oculi ſicci durum hominis animum ſignificant, crudelem & ferum; contraria enim humiditas affectus emollientes animum indicat. Polæmoni peſſimos & flagitioſos homines monſtrant. Non abhorrent hæc a noſtris.

Canon 7. Oculi humidi affectum mollem, & emollientem animum ſignificant. Voluptas, & venerea præſertim, mollis eſt affectus, animumque laxat, & emollit. Unde cum reipſa, vel anticipatione ex aſpectu, aut alia ejuſmodi cauſa inſidet animo, oculi tum maxime diluti ſunt, ac ſe ipſos inundantes, etiam Polæmoni. Anacreon humidum oculum veneri tribuit.

Taſſius noſter affectu ac prope voluptate veneris affecto homini oculum tribuit, *tremulo*, & *laſcivo*. Prior Ovidius de Arte amandi lib. 2.

*Aſpicies oculos tremulo fulgore micantes*
*Ut Sol in liquida ſæpe refulget aqua.*

Commiſerator quoque & miſericors homo humidos habet oculos. Unde propenſi in liberalitatem ac beneficentiam, idque genus alii, humidos oculos obtinent; avari, malevoli, ſævi, aliique ejuſmodi, ſiccos.

Quoniam inter cæteros affectus animum laxantes eſt timiditas, quæ laxat nedum, ſed interdum ſolvit, timidi etiam oculos humidos habent. At cum timiditate poteſt eſſe conjuncta nocendi occulta voluntas; ut ſæpe etiam conjungitur; fitque illa maleficentia ex inſidiis, quæ proditoribus ineſt. Humidi ergo ejuſmodi oculi, & eorum lacrymæ ſunt prorſus cavendæ. Sunt enim crocodili lacrymæ.

## CAPUT DECIMUM.
### *De oculorum coloribus.*

### §. I.
*Colores diſtinguuntur: opinionum varietas affertur.*

Ad colores oculorum tranſeamus; ex quibus tamen multo pauciores Canones, quam ex aſpectibus naſcuntur. Id autem primo de illis præmitto. De colorum hujus nobiliſſima partis cauſa duas capitales extare opiniones: altera, quæ eſt Ariſtotelis & Galeni, cauſam rejicit *in humores*: (*a*) altera, quæ eſt poſteriorum Anatomicorum, præſertim Veſalii, rejicit in uvæ, quæ deprimitur, tincturam, quam nunc flavam, nunc cæſiam, nunc nigram dicunt, proque ejuſmodi varietate etiam iris oculorum varie tincta inſpicitur. Verum ante alia hæc diſtinguere oportet. Tres ſunt colorum in oculis ſedes: *pupilla*, (*b*) quæ eſt in medio oculi, eſtque omnium circulorum minimus: iris, quæ ipſam circumdat: & tunica alba, vel adhærens, barbaris conjunctiva, quæ reliquam oculi ab iride partem obducit. Pupillæ color in omnibus eſt niger; adhærentis tunicæ albus: at iridis varius; hujuſque varietatis ac colorum cauſa quæritur. Veſalius ergo tincturam uvæ in depreſſa ſui parte iridis colorum cauſam ſtatuit, ut diximus; & Realdus Columbus eandem ſententiam ſequitur. Varietatem ejus colorationis admittit quoque Andreas Laurentius recentiſſimus Anatomicus. Galenus in *Arte medica*, & Galenum ſequutus Avicenna in *Canticis*, tribuunt humoribus varietatem hujuſmodi colorum oculi. Tribuit glaucedinem quatuor cauſis, aut ſcilicet magnitudini, aut ſplendori humoris chryſtallini, aut ſitui prominenti ejuſdem ſcilicet chryſtallini; (Cum propior pupillæ eſt, contrario modo ſe habet, quam cum magis in profundo conditur;) aut paucitati ac puritati aquei humoris in pupilla exiſtentis; quibus cauſis omnibus concurrentibus fit, inquit ille, glauciſſimus oculus. *Niger contra oculus* (*c*) fit vel ob parvitatem chryſtallini humoris, aut propter profundum ſitum, vel quoniam ſplendidus & fulgidus exquiſite non eſt, vel quoniam humor aqueus aut ſuperabundat, aut eſt impurus. Singulæ cauſæ oculum, ſeu iridem nigram faciunt, omnes nigerrimum. Ariſtoteles abſolute nigritiem multitudini humoris, glaucedinem paucitati tribuit. 5. *de gen. anim. cap.* 1.

### §. II.
*Opiniones relatæ expenduntur.*

Galeni opinio nunquam mihi probari potuit, qua in parte chryſtallinum humorem intra pupillam admiſcet Nam ſi chryſtallinus colorem oculi aliquem produceret, non niſi in pupilla ac oculi medio producere eum poſſet, qua pervius eſt oculus chryſtallino. Pars autem uvæ, in qua iris effingitur, eſt opaca, & nullum præbet ad chryſtallinum vel a chryſtallino aditum. Quomodo ergo poteſt a chryſtallino tingi, aut ab humore intra chryſtallinum & uveam contento? Opinio ita

*quoniam vero non ſuſtinet animus contra id, quod ſit honore dignum, intueri conſcientia quadam, ideo aliquandiu oculorum muſculos demitti cogit, idque velut ſeſe aperiens efficit.* Quid judex ex oculorum habitu conjicere poſſit, patet ex *CICERONE* L. 3. *Catil. At mihi quidem*, inquit, *cum illa certiſſima viſa ſunt argumenta atque indicia ſceleris, tabella, ſigna, manus, denique unius cujusque confeſſio; tum multo certiora illa, color, oculi, vultus, taciturnitas: ſic enim conſtupuerant, ſic terram intuebantur, ſic furtim inter ſe nonnunquam conſpiciebant, ut non ab aliis judicari, ſed ipſa a ſe viderentur.*

(*a*) *In humores.*) De humoribus oculorum vide WEDELIUM *in phyſiol. med. ſect.* 4. *c.* 2. §. 9.

(*b*) *Pupilla.*) De duplici pupillæ motu, dilatorio & conſtrictorio vide WEDELIUM *in phyſiol. medica ſect.* IV. *cap.* 2. §. 10.

(*c*) *Niger contra oculus.*) *WEDELIUS l. c.* §. 7. aliam cauſam nigredinis affert, quod ſcil. tunica choroides dicta nigredine, qua imbuta eſt, in homine nigram pupillam efficiat.

itaque Veſalii & ſequentium Anatomicorum multo probabilior, imo ſi diſſectio reſpondet, ut ipſi profitentur, certa & neceſſaria eſt. At quid de Ariſtotelis opinione? Eſt ipſa quoque cum laudata Anatomicorum conjungenda; nempe faciamus uveam in parte iridis (de hac nunc agimus) eſſe cæſiam ac glaucam; ſi *humor aqueus*, (*a*) qui inter uveam & corneam cum multo tamen ſpiritu commixtus intercedit, ſit multus, obſcuriorem colorem ea ipſa uveæ tinctura exhibet; ſi paucus humor, glauciorem; ex Ariſtotelis ratione. Et experientia ſuffragatur; ſi cæruleo colori ſuperponamus chartam oleo unctam, proindeque diaphanam, obſcurior apparebit ſubjectus color, quam ſine charta. At ſi primæ chartæ aliam itidem inunctam ſuperpoſuerimus, obſcurior apparebit color, quam cum una ſuperponebatur tantum. Ut pateat, ex diaphano altiore obſcuriorem colorem reddi, quam ex minus alto. Ut ſi tinctura fuerit cæſia uveæ, & humor multus, color oculi pro cæſio niger ſit appariturus. Hoc autem de humore inter corneam & uveam eſt accipiendum: neque audiendus Simon Portius, qui nihil aquei humoris inter uveam & corneam reponit. Unde ſententiam hauſerit, neſcio: certe Galenus reponit in principio *cap. 6. lib. 10. de uſu partium*, & reliqui Anatomici, & res ipſa clamat.

## §. III.

*Fundamentum ponitur ad Canones eliciendos.*

Ex cognitione ergo cauſarum tincturæ variæ uveæ, indagandi ſunt Canones morum, ſi qui ex ipſis naſcantur. Qui ergo in humores rejiciunt colorum cauſas, Canones etiam expeditos afferent. Nempe flavities ſecundum ipſos ex bile naſcitur, rubedo ex ſanguine, cœruleus color ac albus ex pituita, niger ex melancholia. At vero has cauſas non eſſe recipiendas, antea oſtendimus. Ex obſervatione quoque patet; nam *Germani cæſii* (*b*) ſunt, & ſanguine, non pituita abundant. Horatius Germanos cæruleos ob id vocat. In tanta ergo incertitudine cauſæ, quomodo certos inde licet elicere Canones? præſertim cum temperamentum vel notum oculorum ſatis ſit a cordis temperamento remotum; in quo, ex ſuperiore doctrina, mores, naturales ſcilicet, conſiſtunt. Ego, quæ ſequuntur, probabilia judico.

Natura vult obſcuram uveam tingere, tum intus, tum extra ad ſpecierum viſibilium diſtinctiorem perceptionem; obſcuritate autem plurimum ipſa adjuvatur; unde proſpicientes per tubos, vel ex puteis, quique oculos magis conditos habent, diſtinctiore utuntur viſione. Ut Ariſt. tradit. 5. *lib. de gen. animal. cap. 1.* Veſalius *lib. 7. cap. 14.* ſcribit: *Uvea namque tota ſuperficie, qua dura tunica proxime ſuccingitur, perpetuo nigra eſt, & modice humecta, in anteriore autem ſua compreſſionis ſede varie tingitur.* Reliqui Anatomici ſequuntur; licet Galenus cœruleam potius dixerit *lib 10. de uſu part. cap. 4.* Natura ergo in id propendit, ut tunica uvea ſit nigra, idque ratio viſionis diſtinctioris expoſcit.

Verum utilitatis nedum, ſed dignitatis rationem Natura habet, ut in diſtinguendis & aptandis coloribus florum, in tingendis avium pennis, & quadrupedum pilis, curam præ ſe ferat omni arte ſuperiorem. Multa alia argumenta adduci poſſent ad hoc ipſum demonſtrandum, quantam ſcilicet curam Natura parens pulchritudinis habeat in rebus efformandis. Quoniam ergo, ſi iris penitus obſcura ac nigra eſſet, multa oculi gratia deperiret. Confunderetur enim ejus color cum pupillæ colore, atque pro tribus coloribus duo tantum eſſent. Temperans itaque Natura utilitatem cum dignitate, obſcuriorem colorem, ni impediatur, inducit eorum, qui iridem tamen a pupillæ colore diſtinguant. Eſt hic medius is color, quem Ariſtoteles charopum vocat. Qui ergo ab hoc colore in claritatem declinant, veluti glauci & albi, imbecillitatem formatricis virtutis arguunt. Aſſentit Ariſtoteles lib. 5. de gen. animal. cap. 1. *Cæſeitas*, inquit, *imbecillitas eſt; non enim Natura pertingit ad eam usque coloris ſaturitatem, quæ ad diſtinctam viſionem requiritur. Cum vero eam plus juſto aſſequitur, validam, ſed inordinatam naturam indicat.* At ſunt colores aliqui, qui non niſi a ſubincenſione quadam naſcuntur; ut rubeus præſertim, ac ignitus, & flavus quoque ſaturus in rubedinem vergens, qualis hyacinthi gemmæ: calorem itaque ipſi arguunt. His ita probabiliter poſitis fundamentis, Canones ſubjiciamus.

## §. IV.

*Canones continet.*

Canon 1. Oculus charopus optimorum morum indicium exhibet; etenim naturam in tota ſui integritate ſignificat. Ariſtoteles *in Phyſiogn.* ingenioſis illos tribuit, & fortibus.

Canon 2. Oculus cæruleus, qualis ſcilicet ſaphiri gemmæ, eſt is autem glaucus color, ſed admodum ſaturus, præſtantiam & ipſe naturæ ſignificat, in mediocritate obſcuritatis & claritatis conſiſtit. Porta probæ indolis notam illis tribuit ex Polæmone, & Adamantio, Ariſtoteleque ad Alexandrum. Certe hos interpretari debemus oculos Minervæ glaucos, penes Poëtas & præſertim Homerum.

Canon 3. Glauci oculi & albi: eſt horum dilutus non ſaturus color, ut in proxime ſuperioribus; notæ ſunt timiditatis. *Ariſt. in Phyſiognom.* Imbecillitatem enim naturæ arguunt. Ejusmodi oculos habuit Nero, qui timidus fuit.

Canon 4. Oculi nigri cum exceſſu validam naturam, ſed inordinatam indicant, mores etiam injurios & pravos. Longe aliter Ingenerius *in Phyſiognom.* timiditatis, & ingenii notam. Sed non diſtin-

(*a*) *Humor aqueus.*) Aliis dicitur albugineus, fluxilis, alienis continetur terminis, ſitus enim eſt ante cryſtallinum & totum ſpatium inter hunc & corneum adimplet vitreo minor, cryſtallino copioſior.

(*b*) *Germani cæſii.*) At Tacitus de M. G. cap. 4. ſcribit: *Truces & cærulei oculi, rutila coma.*

Digitized by Google

diſtinguit is iridem ac pupillam; & nigredinem albedinemque pupillæ tribuit, cum tamen ipſa ſemper nigra ſit, ut jam diximus, & res ipſa indicat.

Canon 5. Oculi rubicundi & igniti iracundum hominem, & ferocem ſignificant. *Ariſtot. in Phyſiognom. cap.* 10. Idem etiam indicant oculi flavi ſaturi, licet non æque. Etenim calorem uterque color indicat excedentem, ut in præcedente paragrapho, at majorem rubeus, & ignitus. Virgilius de Charonte:

*Stant lumina flamma.*

Quem locum imitatus Dantes noſter vertit, *Charon Demonio congli occhi di bragia.* Rubedo etiam in albo oculi, ſcilicet in adhærente tunica, vel conjunctiva vulgo medicis, eoſdem mores ſignificat; ex copia enim ſanguinis in venas ejus membranæ confluentis rubedo ea naſcitur, unde calorem ſignificat. At præterea ex alio capite dicti mores ex rubore oculorum eliciuntur, ſcilicet capite apparentium morum; nam *iratis oculi* (*a*) incenduntur. Homerus de Achille irato, oculos ejus ardere flammis dixit, & alibi oculos inſtar ignis reſplenduiſſe. Seneca lib. 1. de Ira, c. 1. *flagrant & micant oculi: multus ore toto rubor.*

Canon hic, qua ex parte a moribus apparentibus pendet, multo magis ad neceſſitatem accedit, quam ex temperamento elicitur, quamque ex ſolo temperamento, ſeu ex temperamenti argumento petuntur.

Colores Iridis alia ratione evariant. In aliquibus enim ſunt grana quædam, veluti grana milii, diverſi coloris a reliqua iride; Græci ceneros vocant. Ejuſmodi grana his ſanguinea, his cærulea, his aliorum colorum ſunt. Aliquibus grana non ſunt, ſed plures circuli, v. gr. interdum iris ab albo ſejungitur circulo diverſi coloris, tum ab iride, tum ab albo, & a pupilla alio rurſus circulo disjungitur alterius ab omnibus coloris. Multa ex ejuſmodi varietate Phyſiognomi de moribus enunciant: at quanta id neceſſitate, cæteri viderint.

## CAPUT UNDECIMUM.

### *Reliqua ex oculis ſigna conjungit.*

Præter hæc ſigna ex aſpectibus, ex moribusque apparentibus, & ex coloribus oculorum ducta, alia præterea ducuntur, ex magnitudine eorundem & parvitate, ex prominentia & cavitate, ex aliisque id genus oculorum affectionibus. Sed niſi recte intelligantur, non ſatis reſpondent qui afferuntur Canones experientiæ, neque efficaci nituntur ratione.

Ariſtoteles in Phyſiognomia oculos eminentes fatuis tribuit. *Quicunque*, inquit, *habent oculos eminentes, fatui; referuntur ad apparentem decentiam, & aſinos.* At Cæſenæ ego novi Joſephum Iſæum Comitem, literatiſſimum hominem & diſertiſſimum, oculis multum prominentibus: neque minor prominentia Tranquillo Venturellio nobili itidem Cæſenati, cujus in agendis rebus magna fuit ſolertia, & maximam in literis exſpectationem ſui concitaverat, at ob acerrimas inimicitias renunciavit adhuc adoleſcens. Sylla Vicedominus maximo juvenis ingenio, & mathematicis ſcientiis aptiſſimus, præſertim mechanicis, prominentes & ipſe habet oculos; ſicut filius meus olim Gregorius ad literarum univerſitatem natus, at nunc in auſtera exemplarique Capuccinorum familia ſanctiori philoſophiæ operam dat. Ut Canon idcirco ex prominentia ductus multas patiatur inſtantias. Inter quas ſubjungo, Bonifacium Cajetanum Cardinalem, ac hujus Provinciæ uſque ad annum 1612. Legatum; cui acerrimum fuit, tum in actione, tum in cognitione ingenium, oculos tamen prominentes habuiſſe. Rem ergo nos ex principiis hunc in modum deducamus.

Canones duo, primus & ſecundus. Mediocres oculi inter magnitudinem & parvitatem, inter prominentiam & cavitatem ſunt optimi, atque a natura intenti; unde integræ naturæ ſunt nota, proindeque morum etiam, ac probæ indolis argumentum præbent, ut fatetur ubique Ariſtoteles. *In Phyſ. & in 1. de hiſt. anim.* Cum vero cerebrum magnitudine & humiditate mediocritatem excedit, oculos quoque majores prominentioresve juſto exhibet. Qui exceſſus humiditatis, ac magnitudinis cerebri, cum parum a mediocritate receſſerit, in contemplationem magis diſponit: cum vero plus multo exceſſerit, ad ſtupiditatem adducit; immodica enim humiditas ſtuporem ex Galeno facit. *Lib. quod mores ſeq. temp. corp.* Canon itaque Ariſtotelis, hoc modo, deque hoc exceſſu accipi debet. Experientia de modico exceſſu procedit.

Canon 3. de parvis & cavis oculis. Cum cerebrum ſiccitate, atque parvitate a mediocritate deficit, oculos juſto minores, atque profundius ſitos exhibet.

Canon 4. Cum receſſus cerebri in eas conditiones fuerit modicus, ad actionem homo, & calliditatem promptior redditur ob ſuperius dicta; at cum exceſſus fuerit immodicus, feritas quædam morum indicatur.

Et hæc dixiſſe ſatis ſit. Cupidos prolixioris tractationis ad Phyſiognomos allego: quibus tamen omnibus non eſt ubique fides abſque juſto examine adhibenda.

## CAPUT DUODECIMUM.

### *De Naſo.*

#### §. I.

*Signa deſcribit naſi.*

Naſus non habet ad actionem impulſum; exhibet tamen indicia morum ex moribus apparentibus,

(*a*) *Iratis oculi.*) Inde Virgilius canit: *Oculis hoſtilibus ardet*

bus, vel potius ex fine naturæ in inſtrumento conformando. Verbi gratia, quibus exæſtuant præcordia ad reſpirationem ſufficientem, *nares apertæ*, (*a*) ſunt accommodatæ. Unde ſi nares apertas videamus, conjiciemus homini exæſtuantia præcordia eſſe, proindeque eſſe iracundum, quem & Ariſtoteles Canonem in Phyſiognom. exhibet his verbis: *Quibus nares apertæ ſunt, ſunt iracundi; referuntur ad paſſionem, quæ fit in ira.* Huc vero illud *Virgil. lib.* 3. *Georg.* pertinet:

*Collectumque premens volvit ſub naribus ignem.*

Alio ex capite naſus ſignificare creditur mores, ob tacitam cum pene ſympathiam. Creditur enim naſatos homines etiam abunde mentulatos eſſe; ut legamus naſatos, pro large mentulatis, penes multos auctores. Lampridius in Heliogabali vita paſſim. Nareſque amplæ ſignificare dicuntur teſtes craſſos, amploſque. Quidam recentior ſic de naſo ſcribit; *Viro naſus longus & groſſus ſignificat præputium magnum, & e converſo:* & ſuper hoc dixit quidam bene,

*Ad formam naſi dignoſcitur haſta bajardi.*

Et de Naribus; *Nares naſi ſignificant teſticulos hoc modo, quia groſſæ & latæ ſignificant groſſos & latos teſticulos, ſubtiles vero ſtrictos & parvos in omni.* Hæc ille. Quia vero ampli teſtes craſſique ſemen plurimum gignunt, in Venerem propenſum videntur hominem reddere. Non æque amplus penis Veneream propenſionem demonſtrat; quippe qui difficilius intendatur ex Ariſtotele *in probl.* 24. *ſect.* 4.

Hæc, quæ de naſi ac penis, deque narium ac teſtium conſenſu & ſympathia diximus, in id relabuntur ſignorum genus, cum ab effectu ad effectum tendimus, quorum uterque ab eadem cauſa neceſſario nexu vel ſaltem naturali dependent. Rem antea diſtinximus *lib.* 1. *hujus* 4. *partis*, *cap.* 2. §. 2.

### §. II.

*Cætera ſigna conjungit ex craſſitie & cenſet.*

Signa vero, quæ ex *craſſitie naſi* (*b*) *ac ſubtilitate*, (*c*) in extremitate ejus præſertim, ducuntur, & ex acumine ac hebetudine cæteriſque ejuſmodi affectionibus, a me prætermittuntur; petuntur enim ex animalium ſimilitudine, de qua argumentatione jam diſſerui.

Interim ablego lectorem ejus cognitionis cupidum ad Phyſiognomiæ ſcriptores. Hoc unum ſubnoto de naſo aquilino, ex quo cætera æſtimari poterunt. Roſtrum incurvum *aquilæ robur* (*d*) ejus & ad pugnandum aptitudinem oſtendit; ea enim parte etiam ad pugnam utitur, & figura ea *ad divellendum*, (*e*) quæ apprehendit, eſt accommodatiſſima. At in homine cum naſus ad nullam pugnam ſit factus, ſed ſolum *ad odorandum & reſpirandum*, (*f*) ecquod ſimile argumentum præbere ſimilis figura poteſt? Imo potius mole ea exuberante, cum redundantiam materiæ ſignificet, acumen mentis indicare videtur non uſquequaque inſigne. Et ego ſane hoc obſervavi in duobus, alioquin egregiis hominibus & litteratis, qui non admodum acuti erant, ſed tenaces potius ſuæ ſententiæ. Fridericus tamen Monteſeltrius primus Urbini Dux ingenio & prudentia polluit, *naſumque aquilinum* (*g*) habuit.

### §. III.

*Ex moribus apparentibus.*

*Cum ſpernimus* (*h*) vel ſubſannamus aliquem contrahimus ſurſum nares & naſum, qui ad latera dilatatur corrugaturque. Hunc naſi habitum aduncum vocavit Poëta:

-- -- *Naſo ſuſpendis adunco.* (*i*)

Cum etiam ceu nauſeabundi reſpicimus aliquid, eandem ferme figuram naſus ſumit.

Canon 1. Qui ergo natura naſum ejuſmodi obtinet, contemptor & ſubſannator eſſe videtur; cuique facile alienæ res & actiones nauſeam moveant: nos italice *ſchifo* vocamus in activa ſignificatione accepta voce, qui ejuſmodi ſit. Cum vero quippiam deteſtamur indignabundi, nares ad ſiniſtram aut dextram partem detorquemus; quocirca poſſumus hunc ſubjicere Canonem.

Canon 2. Quibus nares detortæ ad dextram ſiniſtramve partem, ſuapte natura propenſi vi-

(*a*) *Nares apertæ.*) Hinc Poëta de ſolis equis, alto gurgite ſe tollentibus canit:

*Ignem elatis naribus efflant.*

(*b*) *Craſſitie naſi.*) Dicimus homines ſtupidos, homines obeſæ naris. Obeſas nares autem ad odorandum ineptiores eſſe conſtat

(*c*) *Subtilitate.*) HORATIUS *L.* 1. *Sat.* 3. homines acutis naribus vocat, qui ſagaciſſime aliorum mores odorantur, vitiaque vel leviſſima urbane inſectantur. Ad quem locum conferendus LAMBINI *Commentar.* *T. II.* p. 40. Qui autem acutis naribus ſunt, ingenioſiores habentur, quos & vocare ſolemus homines emunctæ naris.

(*d*) *Aquilæ robur.*) Non diſplicebit, ſequentem aquilæ aves minores perſequentis deſcriptionem ex VIRGILII L. 12. Aeneid. legere:

- - *Volans rubra fulvus Jovis ales in æthra,*
*Littoreas agitabat aves, turbamque ſonantem.*
*Agminis aligeri: ſubito cum lapſus ad undas*
*Cycnum excellentem pedibus rapit improbus uncis.*

(*e*) *Ad divellendum.*) Hinc PLINIUS *H. N. Lib. XI. Cap.* 37 dicit: *Cornea & acuta volucribus roſtra; eadem rapto viventibus adunca.*

(*f*) *Ad odorandum & reſpirandum.*) Conſ. WEDELIUM *l. c. Sect. III. c.* 24. §. 3.

(*g*) *Naſumque aquilinum.*) Perſas homines unco naſo & amaſſe & pulchritudine præditos exiſtimaſſe, in honorem Cyri, qui ejuſmodi naſo fuiſſe traditur, auctor eſt PLUTARCHUS *in Polit. T. I. Oper. p.* 11. & in *regum imperatorumque Apophtegmatis l. c. p.* 45. Quo & ſine dubio reſpexit PLATO, amantem, quoniam adulator ſit iis, quos amat, eum, qui ſimis eſt naribus, amabilem appellare; qui naſo ſit adunco regalem; qui nigri ſint viriles; qui candidi, Deorum filios. PLUTARCHUS *de diſcrimine adulatoris & amici T. I. Oper. p.* 114. & libro *de auditoris officio* l. c. p. 176. n. d.

(*h*) *Cum ſpernimus.*) HORATIUS L. I. Ep. 19. dicit: *Naribus uti formido*, quod eſt, non audeo inflexis naribus ea, quæ ille mecum loquitur, irridere. PERSIUS: *Nimis uncis naribus indulges:* quod Græci dicunt μυκτηρίζειν,

(*i*) *Adunco.*) Lib. I. Sat. VI. Et L. 2. Sat. VIII. *Balatro ſuſpendens omnia naſo.*

Digitized by Google

videntur ad deteſtationem aliorum, cum indignatione. Hos italice homines dicimus, *diſpettoſi.* Conjunxit vero Dantes, *diſpettoſo è torto in Capaneo.*

-- -- *Egiace diſpettoſo, è torto.*

Sequutus eſt Taſſius in Argante:

*E più che prima diſpettoſo, e torto.*

## CAPUT DECIMUM TERTIUM
### *De Ore.*

### §. I.
*Canones ex hiatu oris & dentibus.*

Ad os tranſeamus. In ore ſunt labia, *dentes*, (*a*) lingua, hiatus. Ex quo hiatu os dicitur; eſtque vel anguſtum, vel latum, amplumque, & in aliquibus usque reſcoſſum: alii addunt differentiam prominentiæ & cavitatis. Os cavum nos, *bocca cava* vocamus, ſicuti os prominens, *bocca in fuori.* Ex ſingulis vero differentiis Canones ipſi promunt & proponunt: verum plurimam partem ex animalium ſimilitudine deducunt.

Canon 1. Ex conformatione naſcuntur ſolum, qui ex hiatu & dentibus ducuntur. Nempe ad reſpirandum, & comedendum homini datum eſt os: quibus ergo magnum eſt, ac validis conſtans dentibus, ii voraciores etiam ſuapte natura ex ea conſtitutione videntur eſſe. Latitudo præterea oris & amplitudo ad magnam aëris copiam inſpirandam pertinet.

Canon 2. Quod ſi cum ea amplitudine oris conjuncta ſint ſigna cordis frigidiuſculi, neceſſe erit, hominem ejusmodi præcordia valde perfrigerata habere ob intimum caloris defectum, & ob advenientem inſpirati aëris perfrigerationem.

Canon 3. At vero ſi calidi cordis indicia exſtent in corpore ac homine quadrato recteque conſtituto, poterimus ex amplo ore majorem adhuc caloris gradum conjectare; quaſi natura ad ejus moderandam incenſionem amplius ſubſidium parandum pro majore incendio judicaverit.

### §. II.
*Reprehenſio nonnullorum.*

Qui vero ex amplo ore. & dentibus magnis robuſtis ac ſpiſſis fortitudinem hominis pronunciandam docent, errant. Non enim ad pugnam datum eſt os homini, ut *cani & leoni* (*b*) & id genus animalibus, ut ex ſimili ore ſimiles mores conjicere liceat. Neque etiam ex eo, quod oſſa aliqua magna & valida ſint, audaciam, nempe cordis caliditatem, conjicere licet. Ut ex dictis antea patere poteſt, & patebit etiam ex iis, quæ infra de brachiis ac manibus dicemus.

### §. III.
*Reliqua ſigna conjungit, quæ ſunt ex prominentia oris, ex dentibusque.*

Ex ore prominente & depreſſo ſigna morum gravia ducit Polœmo, ex ſimilitudine ſcilicet animalium. *Os enim* (*c*) prominens ſues refert; unde mores quoque ſuilles arguit. Os depreſſum invidum malignum & impudicum hominem ſignificare aſſerit. At argumenta ſunt parum efficacia. Receſſus ſane a naturali ſitu quandam demonſtrat formatricis virtutis imperfectionem; quæ tamen imperfectio non ſemper morum imperfectionem importat, cum non cadit in partes moribus deſtinatas, ut in cor.

Ex labiis præterea ſigna hauriunt ſi gracilia ſint, aut tumida, craſſave, ſi labrum ſuperius promineat inferiori, aut contra inferius ſit prominentius ſuperiore. At ex ſimilitudine animalium omnia petuntur. *Ariſtot. in Phyſiogn. cap.* 9.

### §. IV.
*Ex moribus apparentibus.*

Canon 1. Dum iraſcimur, *comprimimus dentes.* (*d*) Quæ ergo dentes ſuapte natura compreſſos retinent, iracundi videri poſſunt.

Canon 2. Qui ſubſannant hominem aliquem, exerto inferiore labro id faciunt. Qui ergo eum oris habitum ſuapte natura obtinent, ſubſannatores videntur eſſe ex apparente more. Unde prominentia inferioris labri, cum ad eum habitum accedat, ſubſannatorem etiam indicare videtur magis, quam labrum ſublime & deorſum tendens. Quod maledicentiæ ſignum affert Polæmo in ſignis maledici; *quia*, inquit, *referuntur ad canes.* At canes non ſunt maledici, licet latrent, ut arceant a finibus, quos cuſtodiunt, viatores.

Canon

(*a*) *Dentes.*) Faciunt dentes primario ad maſticationem, quæ comminutio eſt ciborum: ad loquelam. Vid. EUSTACHIUS lib. *de dentibus cap.* 28. *p.* 91. ad ornatum; & ad inhiibendam garrulitatem, ceu vallum linguæ obditum, qui uſus tamen potius ad moralem ſpectat. Vid. WEDEL *l. c. Sect.* 3. *c.* 6. §. 1.

(*b*) *Cani & leoni.*) Cur urſus incidens in caſſes eos minime dentibus arrodat, vide diverſas opiniones apud PLUTARCH lib. *de cauſis naturalibus p. m.* 266.

(*c*) *Os.*) Oris conſiderationem, ejusque a brutorum vultu differentiam vide apud PLINIUM *in hiſt. nat. L. XI. c.* 37.

(*d*) *Comprimimus dentes.*) Quod & libidinoſorum ſignum, unde HORATIUS *Lib. I. Oda* 13. *Impreſſit memorem dente labris notam.* CATULLUS: *Quem baſiabis? cui labella mordebis?* CICERO *Verr.* 6. *Ne cicatrices populus rom. aſpiciat ex mulierum morſu veſtigia libidinis atque nequitiæ.* PLAUT. in *Pſeud. Teneris labellis molles morſiuncula papillarum horridularum.* LUCRETIUS L. 4.

*Quod petiere, premunt arcte, faciuntque dolorem*
*Corporis, & dentes illidunt ſæpe labellis.*

TIBULL. *L. I. El.* 6.

*Tunc ſuccos herbasque dedi, queis livor abiret,*
*Quem facit impreſſo mutua dente Venus.*

Eodem pertinet id, quod narrat PLUTARCHUS *in Pomp. T. II. Oper. p. m.* 240. Floram meretricem jamjam ſeneſcentem grate atque pie ſemper meminiſſe conſuetudinis, quam cum Pompejo habuerat, dicentem, quod ab ejus concubitu nunquam ſine morſu abierit.



Digitized by Google

Canon 3. In proludiis veneris ad excienda oſcula laſciva fit labiorum ac *linguæ lambentis* (*a*) frequens mutuusque congreſſus. Quibus ergo is ſuapte natura linguæ inter labia motus & viciſſitudo, laſcivi videri poſſunt & Venerei. Et vulgo etiam ita habent. Præſertim in puellis is motus obſervatur, ut pruritus in Venerem indicium.

## CAPUT DECIMUM QUARTUM.

### *De Facie.*

§. I.

*Quas partes contineat facies.*

*Facies eſt.* (*b*) quæ inter calvam & collum continetur. Id ſignificat Ariſtotelis definitio, etiamſi aliis prolata verbis. Sunt autem: *Faciem eam partem nominamus, duntaxat in homine, quæ calvæ ſubjecta eſt.* Verum ſubintelligere oportet vocem capitis, ut ſit tota definitio Ariſtotel. *Facies eſt ea pars capitis, quæ calvæ ſubjecta eſt, in homine ſolo*; nam reliqua animalia faciei nuncupatione non honeſtamus, ut Philoſophus ipſemet aſſerit. Et ſane ariſtotelica eſt exacta faciei deſcriptio. Forma enim ac ſpecies cujusque (ſeu figuram dicere malumus) ex facie potiſſimum, vel ſolum elicitur. Hanc unam pictores ſculptoresve effigiant ad repræſentandam abſentibus & poſteris hominis formam. Vultus qui ſit, antea *in 2. parte* harum *lib.* 12. de amore diximus.

In facie primum continentur partes, ex quibus reſultat. Scilicet frons, tempora, aures, oculi, naſus, genæ, os, mentum. Secundo loco magnitudo aut parvitas; ut aliqua facies magna eſt, alia parva Tertio loco figura, & quæ ex omnibus emergit forma; humana autem ſpecies, ac forma, præſertim, vel ſolum, ex facie elicitur. Quarto loco continet vultum, qui in eo præſertim a reliquis tribus differt, quod ipſe adventitius eſt, & ſubinde pro variis animi affectibus mutatur, at reliqua tria permanentia ſunt & inſita, non adventitia. De facie ergo ex his ſingulis contentis canones afferuntur. Inter reliquas vero partes genæ a nobis omiſſæ præſertim faciem alterant, & colore & habitu, quatenus carnoſæ ſunt aut macilentæ.

§. II.

*De carnoſa facie & macilenta.*

Proferuntur ergo hi Canones. Facies carnoſa ſegnitiem ſignificat; refertur ad boves; præterea timiditatem, refertur ad aſinos, & cervos. *Ariſtot. in Phyſiogn.* At facies macilenta hominem accuratum commonſtrat. Polæmo maxillas carnoſas mollitiei & vinolentiæ ſignum aſſerit: macilentas valde malitiæ & fraudis.

Non æque carnoſæ genæ, atque carnoſa frons carnoſaque tempora, nimiam cerebri caliditatem, ſeu minorem ab eo caloris cordis refractionem ſignificant. Magis enim caleſcit a frontis carnoſæ temporumque carnoſorum caliditate cerebrum ob propinquitatem majorem, quam a caliditate genarum. Quæ naturæ conſilio mediocriter extolluntur ac turgent ad dignitatem oris, & ad robur muſculorum faciei, quibus in mandendo maxillarum motus expeditur.

Canon 1. Unde ſi naturalem habitum ſpectemus, carnoſæ genæ validiorem naturam, quam macilentæ ſignificant, adeoque & meliorem.

Canon 2. At quoniam ſtudia & curæ emaciant, ideo macilentæ eædem genæ ex adventitio habitu, curis hominem mancipatum vel ſtudiis deditum indicant. Franciſcus Piccolomineus celebris noſtra ætate Philoſophus faciem ſumma macie confectam ex longo ſtudio contraxerat. Fridericus Pendaſius magnus & ipſe Philoſophus carnoſiorem ſervaverat.

Concludo: *maciem genarum* (*c*) naturalem ſignificare vel ſiccitatem excedentem, vel frigiditatem exuberantem; ob quam non probe attrahatur conviciaturque alimentum. Unde mores frigidos, timiditatem, invidiam, vel auſteros ſignificat: triſtitiam ſcilicet ac ſeveritatem ſeu moroſitatem. Macies adventitia niſi fuerit ex ægritudine, accuratum hominem, exercitatum negociis, aut ſtudiis demonſtrat. At ſive naturalis fuerit macies ſive adventitia accuratum ſignificat. Mediocris tamen habitus eſt expetibilior. Cujus fuiſſe videtur ex icone D. Thomas Aquinas. Verum enimvero pro diverſa hominum temperie, & macies faciei, & carnoſus habitus magnam ingenii vim comitatur. Clemens octavus Pontifex prudentiſſimus ac literatiſſimus, carnoſa fuit facie. Innocentius nonus, Urbanus ſeptimus Pontifices, & ipſi laudatiſſimi, etiamſi vix Pontificatum guſtaverint, fuerunt contra macilenta.

§. III.

*De facie magna ac parva.*

Canon. Cum magnitudine excedit facies, materiæ abundantiam demonſtrat, quam comitari ſolet ingenii hebetudo.

Cum

(*a*) *Linguæ lambentis.*) De venereis his geſtibus audiamus TIBULLUM *Lib. I. El.* 8.

*Et dare anhelanti pugnantibus humida linguis*
*Oſcula, & in collo figere dente notas.*

Et LUCRETIUM L. 4.

*Affigunt avide corpus, junguntque ſalivas*
*Oris, & inſpirant preſſantes dentibus ora.*
*Nequicquam, quoniam nil inde abradere poſſunt.*

(*b*) *Facies eſt.*) GELLIUS *Noct. att. L.* 13. *c.* 29. *Quidam*, inquit, *faciem eſſe hominis putant os tantum & oculos & genas, quod Græci πρόσωπον dicunt: quando facies ſit forma omnis & modus & factura quædam corporis totius, a faciendo dicta, ut ab aſpectu ſpecies & a fingendo figura. Ita Pacuvius faciem dixit hominis pro corporis longitudine. Nec non Plautus.* Ipſa teſtimonia vide in Auctore. Dicitur autem facies & de aliis rebus, ut *multæ ſcelerum facies*, apud VIRGIL. *L.* 3. *Georg. Ut bina regum facies, ita corpora gentis*, apud Eund. *L.* 4. *Georg. Facies civitatis*, apud. CICER. *pro Flacco: Facies ſenatus, Philipp.* 8.

(*c*) *Maciem*) Cum quidam Cæſarem hortarentur, ut ſibi ab Antonio Dolabellaque caveret; *Non hos*, inquit, *pingues & unctos timendos eſſe, verum illos pallidos & macilentos*, Brutum & Caſſium indicans. Vid PLUTARCHI *Apophtegmata T. I. Oper. p.* 56.

Digitized by Google

Cum vero parvitate multum deficit a mediocritate juſta ac proportione debita, cerebrum quoque minus juſto arguit; unde calorem quoque cordis minus refractum, & cerebrum ipſum magis excalefactum, proindeque magis exſiccatum, quam par ſit, indicat: præceps judicium, inconſtans animus, cumque magis excesserit, feri usque mores eam craſim ſequuntur. Nectuntur cum illis, quæ antea de parvitate capitis dicta ſunt. Ariſtoteles puſillanimis faciem parvam tribuit *Phyſiogn. c.* 6.

Hæc tibi bone Lector pro probabilibus aſſigno, non pro neceſſariis vendito.

## §. IV.

### *De figura Faciei.*

*Figura faciei* (*a*) in univerſum videtur his diſtingui differentiis. Utrum oblonga ſit, an rotunda, an lata; anguſta enim, quæ latæ opponitur ad oblongam reducitur. Ita vero hæ differentiæ deducuntur. Vel facies æque ſecundum altitudinem atque ſecundum latitudinem extenditur; & rotunda eſt ob ſemidiametrorum æqualitatem. Aut ſecundum longitudinem ſeu altitudinem magis, quam ſecundum latitudinem extenditur; eſtque oblonga facies. Vel magis ſecundum latitudinem exporrigitur quam ſecundum longitudinem; & facies lata vocabitur. Facile vero intellectu eſt, longitudinem, quam & altitudinem voco, a fronte ad mentum ſumi: latitudinem contra a gena ad genam. Aliqui, ut Porta, aliam faciei rotunditatem invehunt: eſtque, cum turget & prominet in anteriorem partem; cui rotunditati cavam ex adverſo ſtatuit, quæ ſcilicet depreſſa eſt. Aliter dicamus, faciem hoc modo rotundam eſſe, quæ in anteriore parte convexa eſt; cavam, quæ in eadem parte eſt concava.

## §. V.

### *De Forma.*

Diſtinguo formam a figura, licet Ariſtoteles in animalibus confundat, & jure. Attamen ob penuriam nominum diſtinguo ego in præſentia voces, ut res, licet propinquas, differentes tamen, diſtinguam clarius. Præter ergo communem dictam figuram, alia componitur ex ſingularum faciei partium figura, ex earumque inter ſe nexu ac reſpectu; quam formam dico. Verbi gratia, ſi naſus ſimus, depreſſa frons, os cavum, genæ demiſſæ ſeu macilentæ, oculi cavi, aures acutæ & magnæ, eſt forma quædam. Si naſus ſimus, frons rotunda, os cavum, genæ macilentæ, oculi adhuc cavi, eſt alia forma. At ſi reliqua ſerventur, varientur ſoli oculi, vel ſolum os, vel ſolæ genæ; alia eſt forma. Multo vero magis variantur formæ, ſi pluries varientur partes. Quoniam vero ſingulæ partes pluribus variantur modis (frons ſola plus, quam 576. ex ſuperius ſcriptis) & in ſingulis modis pluribus gradibus inter ſeque variis complicationibus referuntur: naſcitur inde illa infinita propemodum formarum humanarum varietas, quæ numerum immenſum hominum ſuperat potius, quam æquet. Vix enim duo in tanto numero reperiuntur, qui prorſus ſint facie ſimiles; nedum præſentium, ſed etiam præteritorum hominum. Effigiatores cum ſingulas partes obſervent, earumque differentias repræſentatione ipſarum effigiem ſimillimam perſonæ, quam imitantur, reddunt.

## §. VI.

### *De pulchritudine, & deformitate.*

*Pulchritudo* (*b*) in forma reſidet. Si enim ſingulæ partes fuerint recte formatæ, atque ſibi invicem recte reſponderint, erit pulchra facies; accedente nempe colore grato. Poſſunt autem ſingulæ partes eſſe pulchræ ac ſibi non reſpondere. V. gr. oculi nedum amygdalinæ formæ pulchri eſſe poſſunt, ſi affabre delineati fuerint, ſed etiam rotundiores. Pariter naſi tum recti, tum aquilini, cum graphice fuerint conſtituti, pulchri eſſe poſſunt. Idem de reliquis partibus dixeris. At naſus aquilinus pulcher cum gena turgidiore pulchra convenit potius, quam cum graciliore pulchra; & contra, gena pulchra, ſed gracilior amat potius naſum rectum, quam aquilinum. Idemque eſt in reliquis partibus conferendis diſtinguendum. Zeuxis itaque componendo diverſarum fœminarum formoſarum pulchriores partes ad Venerem effingendam non recte feciſſet; niſi potis fuiſſet, quæ cui cui congrueret, cognoſcere. Turpitudo ergo ex contrariis naſcitur: ex turpitudine ſcilicet ſingularum partium; at multo magis, cum turpes illæ partes inter ſe pugnaverint; cum præſertim turpis etiam color acceſſerit.

## §. VII.

### *Canones ex figura & forma.*

Multi ſunt Canones ex figura & forma, quos paſſim Phyſiognomi afferunt, Ariſtoteles, Polæmo, Adamantius, Michaël Scotus, Porta, Ingenerius; ad quos ablego lectorem. Non multam illi neceſſitatem continere mihi videntur; & jactis ante principiis cohærens eſt, non eſſe neceſſarios; non enim temperamentum ex ea cordis ſatis efficaciter concluditur, & nullum habet ad actionem inſtinctum. Dicunt ipſi tamen:

*Faciem*

(*a*) *Figura faciei.*) Admiranda eſt hominum faciei ſtructura, ut nec duo inveniantur, qui eadem in vultu ſigna exprimant. Appoſite PLINIUS H. N. Lib. VII. c. 1. *Jam in facie*, inquit, *vultuque noſtro cum ſint decem aut paullo plura membra, nullas duas in tot millibus hominum indiſcretas effigies exſiſtere, quod ars nulla in paucis numero praſtet affectando.* Quod autem ad vitæ ſocialis graviſſima mala evitanda, neceſſarium fuiſſe, docet BUDDEUS, Theologus meritiſſimus, in *theſibus de Atheiſmo & ſuperſtit. Cap. V. p.* 414.

(*b*) *Pulchritudo.*) ARISTOTELES *L.* 3 *Rhet. & in libro de poëtica* dicit, pulchritudinem, tum in omni animali, tum in quacunque re ex aliquibus compoſita, ordine & congruenti magnitudine conſtare. PLATO quoque non ſemel *in Sympoſio*, corporis pulchritudinem dicit, eſſe quandam συμμετρίαν, cum quadam colorum ſuavitate conjunctum, & Cupidinem apte compoſitum ac nitidum eſſe teſtatur.

Digitized by Google

*Faciem oblongam eſſe hominis injurii.* Ariſtoteles ad Alexandrum, Raſis, Conciliator Ingenerius dicit eſſe ſuperbi.

*Faciem rotundam eſſe impudentis.* Ariſtoteles in Phyſiogn. c. 6. Ingenerius dicit eſſe notam judicii exigui.

*Faciem deformem, eſſe illiberalis hominis.* Ariſtoteles lib. eod. c. 9. Porta & Ingenerius hominis mali dicunt, & prior Raſis. Ariſtoteles in apparentem convenientiam refert.

*Faciem pulchram optimorum morum indicem*, Phyſiognomi paſſim dicunt. *Lib.* 4. *c.* 11. Idem fatetur Porta, qui tamen ex obſervatione hiſtorica multos pulchros corpore fuiſſe improbis moribus colligit; idemque plerumque obſervamus *in juvenibus hominibus:* (*a*) in mulieribus vero formam non ſatis fidam pudicitiæ cuſtodem credimus:

*Lis eſt cum forma* (*b*) *magna pudicitiæ.*

Sed forſan ob occaſionem potius, quam ob propenſionem peccandi.

## CAPUT DECIMUM QUINTUM.
### *De vultu.*

Vultus qui ſit, antea explicui. Quisque autem affectus ſuum vultum habet. Eſt iratus vultus, triſtis, lenis, hilaris, petulans, modeſtus, contumax, obſequioſus, pudibundus, impudens. Non eſt autem, qui *ex vultu animi affectus* (*c*) vehementes non agnoſcat; & facilius intelliguntur, quam explicentur: attamen infra in ſecunda methodi parte tentabo delineare ſingulos vultus, ne hæc interim pars plus juſto excreſcat. Sit autem hic Canon.

*Qui ſuapte natura vultum alicujus affectus indicem retinet, eſt in eundem affectum propenſus natura.*

Niſi affectus alius obumbret. Ex. gr. Pudoris affectus in pudibundis hominibus cum fuerint in loco publico, aut coram perſona, quam revereantur, obumbrat affectum iræ. Pariter in his hominibus cum in publicum procedunt, pudoris notæ modeſtiam ac lenitatem præ ſe ferunt; qui tamen in privatis locis, & cum perſonis, in quas jus habent, ſunt moroſiſſimi & infenſi. Experientia eſt frequens. Novi ego duas adhuc viventes mulieres pudibundas in publico; intra domeſticos vero lares graves maritis & familiæ.

*Fallit* (*d*) præterea Canon cum hypocriſis valet, & demum exterioris compoſitionis propoſitum. Tum enim ſub doloſo vultu verus tegitur, & plerunque *mitis facies immanem* (*e*) ſævitiam occulit. Ut de Caligula Tacitus: *Lib. 6. Annal.*

*Immanem animum ſubdola modeſtia tegens.*

Marius fuit vultu tetrico, & aſpero, ut dicit Plutarchus in ejus vita; fuitque etiam animo bellicoſo & aſpero.

# LIBER SEPTIMUS.

### Repetuntur dicta, & proponuntur dicenda, quæ ad Phyſiognomiam ſpectant.

## CAPUT PRIMUM.

A fundamentorum ſuperius ſtatutorum rigore deflexi in proximo libro; nam plura ex partium temperamento de moribus philoſophatus ſum, quam antea poſſe ex illis colligi pronunciaveram. Attamen & probabilitatem ſum profeſſus, non neceſſitatem; & a cæterorum Scriptorum veſtigiis prorſus recedere, ſuperbiam redolet, & abundantior doctrina reprehendi non ſolet. Nunc tamen abſoluta facie, in eo, quod reſtat corporis, orbitam ab initio propoſitam preſſius calcabo. Potius ſcilicet conformationis inſtinctum, quam temperamentum tractabo artuum. Pectoris vero, & dorſi temperamentum, ex eoque argumenta morum antea expoſui; hic ſolum ſummatim revocabo in mentem locum, cum fuerit opus aut mentio inci-

(*a*) *In juvenibus.*) Exemplo ſit Alcibiades, de quo CORNELIUS memorat, quod ætatis ſuæ formoſiſſimus fuerit, & PLUTARCHUS in *ejus vita*, nec non ATHENÆUS L. 12. 13. cum comam per plures annos nutriviſſe, calceosque varios geſtaſſe: ac cum exercitus etiam Dux eſſet, pulchritudinem præ ſe ferre ſtuduiſſe. Quibus CORNELIVS addit, eum ineunte adoleſcentia amatum eſſe a multis more Græcorum, in eis a Socrate. Pergit: *Poſteaquam robuſtior eſt factus, non minus multos amavit. In quorum amore, quoad licitum eſt, odioſa multa, delicate jocoſeque fecit.* M. Coelii adverſarii atque obtrectatores, teſte CICERONE in *Orat.* pro eo habita, formam ejus & faciem in ſuſpicionem impudicitiæ accerſebant; & HOMERVS Hectorem facit inceſſentem Paridem tanquam pulcherrimum & effeminatum. Apud CORNELIVM *in vita Timoleonis* occurrit tamen exemplum concordiæ inter formam & virtutem in Artaxerxe Machrochire, qui præcipuam habuit laudem ampliſſimæ pulcherrimæque corporis formæ, quam incredibile ornavit virtute belli. Juvenibus formoſis interim dictum eſto illud PHÆDRI: *Tu vide, ne formam corrumpas nequitia malis.* Et illud VIRGILII:

*O formoſe puer, nimium ne crede colori,*
*Alba liguſtra cadunt, vaccinia nigra leguntur.*

(*b*) *Lis eſt cum forma.*) Hic meretur conferri Gellius *in noct. attic. Lib.* 5. *c.* 11. ubi Ennius dicit: *Eas fere feminas incolumi pudicitia eſſe, quæ* STATA *forma forent.* Quæ autem ſit *ſtata forma*, paulo ante explicat GELLIVS l. c.

(*c*) *Ex vultu animi affectus.*) Pythagoras mores naturasque hominum, conjectatione quadam de oris & vultus ingenio, deque totius corporis filo atque habitu, ſciſcitabatur: qui exploratus ab eo idoneusque fuerat, recipi in diſciplinam ſtatim jubebat & tempus certum tacere. Quod pluribus refert GELLIVS *in noct. attic. Lib.* I. *c.* 9.

(*d*) *Fallit.*) Recte itaque judicat WALCHIVS *Diſſ. cit.* §. 8. *Vultus*, inquiens, *conformatio nullo naturæ indicis nititur fundamento, cum tota impreſſioni debeatur matris.* Et CICERO L. I. Ep. I. ad Qu. fr. *Quaſi velis*, inquit, *quibusdam obtenditur uniuscujusque natura; frons, oculi, vultus perſæpe mentiuntur.*)

(*e*) *Mitis facies immanem.*) Sic & de Catilina ſcribit SALLVSTIVS Cap 10. quod magis vultum, quam ingenium bonum habuerit.

Inciderit. In præſentia autem repetitis, quæ diximus, proponemus, quæ dicenda reſtant eorum, quæ ad Phyſiognomiam pertinent.

Primo ergo loco demonſtravimus, ſolum cordis temperamentum per ſe ad mores ſpectare, earumque varietatem inducere; artuum autem temperamentum nequaquam. *Primo libro cap. quinto & ſexto.* Temperamenta ergo cordis Secundo loco diſtinximus, includendo etiam qualitates cordis ſecundas, & figuram ejus ac quantitatem. Quique mores, ſingulas cordis craſes ſequantur, Tertio loco ſubjecimus. Quarto loco in conformatione aliquarum partium impulſum & inſtinctum ad actiones ac perturbationes reſidere monſtravimus. Quinto poſtea loco, novo facto principio, Phyſiognomiæ officium, ac partes enumeravimus. Sexto ſigna temperamentorum cordis attulimus tum inſitorum, tum influentium, tum ex cerebro, tum ex hepate. Inde ad conformationem partium tranſivimus, & ad emergentium inde morum argumenta; primoque inſtinctus concupiſcibilis facultatis ſedes & loca aperuimus atque irritamenta: erant autem ventriculus & venter, & partes genitales: deinde ad ſingulas partes tranſivimus, facto a capite initio, cujus hucusque ſingulas particulas earumque notas percurrimus.

| | | |
|---|---|---|
| Capitis magnitudinem & figuram | Cap. | V. |
| Frontem. | | VI. |
| Supercilia. | | VII. |
| Aures. | | VIII. |
| Oculos. | | IX. X. XI. |
| Naſum. | | XII. |
| Os. | | XIII. |
| Faciem ipſam | | XIV. |
| Et Vultum. | | XV. |

Reſtant itaque partes infra caput, quarum, cum pectus jam & partes genitales tractaverimus, ſuperſunt ſoli propemodum artus; quorum munus eſt motus aliquis, aut inceſſus pedum & crurum, aut tractus pulſusve ſublationis depreſſionisve ſeu colliſionis brachiorum ac manuum, per quos intercedentes motus expeditur pugna cum aliis animalibus, & cum ipſis hominibus. Quamobrem artuum omnium conformatio ſolum ad motus inſtinctum exhibere videtur. Quorum motuum, qui ad pugnandum ſpectant, mores audaces & bellaces indicant. Nempe conformatio ad expeditos pugnæ motus accommodata indicat hominem pugnacem ac bellicoſum; & fere nullum aliud morum argumentum ex artubus elicitur. Nos hoc primum argumentum pertractabimus; deinde cætera ad integritatem artis breviter percurremus.

## CAPVT SECVNDVM.

### *Robur ad Ariſtotelis mentem diſtinguitur, in robur ingenuum ac ſervile.*

Neceſſe autem eſt ad errorem evitandum diſtinguere robur corporis, ut Ariſtoteles egregie diſtinxit *primo lib. Polit. Cap. tertio.* Robur enim aliud eſt ad neceſſarios uſus ac ſervilia ſcilicet opera; aliud ad ejusmodi opera & uſus ineptum, & ad civiles uſus accommodatum, ad opportunitates ſcilicet belli & pacis. Hæc autem corpora recta eſſe dicit, nempe teretia ac apte ſoluta; ſignificans illa eſſe compreſſa potius ac colligata. Ex quo fundamento fit, ut non omne robur bellicoſum & fortem hominem ſignificet; non enim ſervile robur id moris indicat, ſed ſolum civile robur, adque civilia munia accommodatum. Robur itaque ad geſtanda onera, quale eſt bajulorum, cum ſervile opus reſpiciat, non eſt argumentum fortis ac animoſi hominis. *Dorſum ergo firmum* (a) & validum non recte pro nota fortitudinis & audaciæ adducitur. Videmus etiam doſſuaria jumenta non admodum generoſa. Qui quoque brachia habent craſſa & colligata, pariter craſſas manus ac breves, ad extollenda pondera ac ſuſtinenda robuſti ſunt; at ad vibranda tela, ad rotandum enſem, minime apti.

Diſtinguendum eſt ergo, quæ qualesque eſſe debeant ſingulæ partes ad obtinendum robur hoc civile & ingenuum. Si enim tales ipſæ fuerint, argumentum exhibebunt animi quoque bellicoſi & audacis; ex ſuperiore fundamento, quod ſingulis partibus ſuus ſit inditus inſtinctus; aptiſſime autem conſtructis maximus. Ut ſummatim autem rem perſtringamus, robur bellicum hujusmodi potiſſimum ſtructuræ corporis inniti videtur.

## CAPVT TERTIVM,

### *Deſcriptio partium ad robur ingenuum ac bellicum.*

*Oſſa* (b) pro humano modo ſolida; non magnam itaque medullam habebunt. Leonis oſſa prorſus exiguam obtinent, ex Ariſtotele, propter ſoliditatem. Debent tamen *muſculi* (c) ſuo robore oſſium pondus excedere, ut ſcilicet pro arbitrio animus, qui muſculis voluntarium motum exercet, ea movere, qua velocitate & quo impetu libeat, poſſit. Non ergo valde *craſſa & magna oſſa* (d) eſſe debent, ſecus enim, ſi muſculi juxta eam proportionem excreſcerent, corpus in nimiam mo-

(a) *Dorſum firmum.*) Non ſemper proceros robuſtosque homines virtute bellica valere, teſtatur ſequentibus CORNELIVS in *vita Eumenis*, ubi de eo dicit, quod dignitate fuerit honeſta, & viribus ad laborem ferendum firmis, neque tam magno corpore, quam figura venuſta.

(b) *Oſſa.*) De generatione oſſium vide WEDELIVM in *phyſiologia medica Sect. III. Cap.* 30. §. 15.

(c) *Muſculi.*) De muſculorum partibus & uſu vide WEDELIVM *l. c. Sect.* 4. *c.* 8. §. 6. ſeq.

(d) *Craſſa & magna oſſa.*) Duas hujus rei affert rationes acutiſſimus GVNDLINGIVS Cap. 4. *in otiis P. I. ad locum Seneca L.* 2. *de benef. Cap.* 29. quas lingua vernacula, qua ſunt concepta, adſcribendas cenſeo. *Wahrhafftig es iſt nichts in uns, an uns und bey uns, das nicht eine übernatür-*



Digitized by Google

molem excreſceret. At bellicum civileque robur adeo materiatum corpus non libenter patitur. Nam cùm *prudentia* (*a*) judicioque juncta eſſe debet fortitudo civilis ac virtus quæque: verum in tanta materiæ mole vix prudentia locum habet; ut in adagium ceſſerit: *Homo longus raro ingenioſus*. Longitudo tamen oſſium ad robur facit. Major enim ictus percutiens; extremitas ſiquidem longius a centro, circa quod revolvitur, abeſt: nam & motus ejus velocior eſt, cum eodem tempore majus ſpatium, nempe majorem circulum, vel majorem arcum tranſeat. Teretem autem conformationem ratio hæc exigit. Muſculi robuſti eſſe debent, unde pleni. Præter ipſos autem alia caro non exigitur, ſaltem non multa: ſi quidem & ponderi & membro, & facile in ſudorem dilabitur, ac laſſitudini expoſita eſt. Muſculoſum ergo corpus, & toroſi muſculi, qualis eſt leonum quoque habitudo. Oſſa vero ubi connectuntur, nec aſtricta, nec laxa nimium colligatione eſſe debent, laxitas enim debilitatem motus efficit, cum mutet verſionis centrum: contra, aſtrictio verſionem impedit, ſaltem minuit, at ex receſſu in contrarium membrum majorem deinde impetum dat. In ſaltu etiam recedimus, ut ex majore excurſu longius ſaltemus. Manus longa, cum digitis ſcilicet longis, & muſculis validis, qui tamen cum in manu ſatis ſint ſubtiles, potius nervearum appellationem manibus tribuunt, quam muſculoſarum: longitudo ad ampliorem apprehenſionem facit: ſoliditas oſſium ad motuum & ictuum validitatem. Sunt qui digitorum ictu, mallei inſtar, frangant nuces: aliqui ſoleas equinas compreſſione vel diſtractione frangunt, ſoliditas oſſium præſertim ad ictuum vehementiam conducit. Humeri lati ad brachiorum motum validum pertinent: brachia enim tum humeris ac ſpatulis nituntur, ut parti immobili, quæ exigitur in motu: *ex Ariſtotele lib. de motu animal.* at valido motui non niſi valida pars reſiſtit. Præterquam quod muſculi in motu brachii conſpirantes, in ea amplitudine majores & robuſtiores eſſe poſſunt: quoniamque non ſine impreſſione pugnamus & motu aut nixu pedum & crurum, oportet crura eſſe robuſta, ut eadem eſſe debeat eorum ſtructura, quæ brachiorum: pes itidem ſolidorum oſſium & nerveus, concavaque planta; quæ omnia ad impreſſionem exiguntur. Contra autem carnoſa planta, pulvino ceu quopiam carnis mollem innitum præbet, non validum & robuſtum.

Hic ſit character corporis ad robur bellicum facti; ex quo fundamento, quid de partibus ſingillatim dicendum ſit, patet.

## CAPUT QUARTUM.

### *De ſingulis partibus infra Caput.*

§. I.

*De Collo.*

Collum (*b*) forte, non vehementer carnoſum, muſculoſum ſcilicet, fortitudinem indicat; ad motum enim brachiorum ob connexionem & ipſum concurrit. Hoc ipſum Ariſtoteles *in Phyſiogn.* collum forte, non vehementer carnoſum, in charactere fortis reponit: ſimile etiam collum laudat Polæmo. Collum carnoſum, præſertimque carnoſa cervix, ſi potiſſimum habent junctum dorſum carnoſum, *ſervile potius robur*, (*c*) quale bajulorum, indicat. Collum gracile & imbecille motuum imbecillitatem ſignificat; principium enim vertebrarum ac nervorum motivorum continet, quos ſua nuditate nequaquam fovet.

§. II.

*De Jugulis.*

Sub gula & in gulæ confinio jugula. Ex quibus & illud Zopyri Phyſiognomi de Socrate judicium, quod refert Cicero in libro de Fato his verbis: *Stupidum eſſe Socratem dixit & bardum, quod jugula concava non haberet: Obſtructas eas partes, & obturatas eſſe dicebat: addidit etiam mulleroſum: In quo Alcibiades cachinnum dicitur ſuſtuliſſe.* Licet ſit canon Ariſtotelis in Phyſiognomia: *bene ſolubilibus exiſtentibus iis, quæ circa clavem facile motum ſenſuum excipiunt: quibus vero, quæ circa clavem concluſa ſunt, inſenſibiles.*

§. III.

*De humeris.*

*Humeri lati*, (*d*) & valde diſtantes, nec valde colligati, nec omnino diſſoluti, fortitudinem indicant. Patet ex fundamento jacto. Ariſtoteles quoque ſua auctoritate firmat, & iiſdem prorſus verbis *in Phyſiognom. cap. ſexto*, in charactere fortis. Homerus in Ulyſſe *Odiſſ.* 18. deſcribendo dicit; — — *Apparuerunt autem ei lati humeri,*
*Pectoraque, fortiaque brachia.*

§. IV.

*liche Weisheit vorſtellig machte. Man bedencke doch nur die KNOCHEN, welche das geringſte Theil zu ſeyn ſcheinen, ſie ſind deswegen hohl und mit Marck angefüllet, damit ſie nicht wie andre dürre und trockene Dinge ſo geſchwinde zerbrechen können. Sie ſind nicht maſſiv oder alabaſtern, damit ſie nicht den Menſchen zu ſchwer werden, ſondern mit der übrigen Machine können fortgeſchleppet werden.*

(*a*) *Prudentia.*) Monet itaque appoſite SALLVSTIVS *C. I. Belli Catilinar. Diu*, inquiens, *magnum inter mortales certamen fuit, vi ne corporis, an virtute animi, res militaris magis procederet.*

(*b*) *Collum.*) Inprimis jumenta in collo magnum robur habere, conſtat, quippe quo maxima onera & ſuſtentant & vectant. VIRGIL.

*Suſpenſi collo referunt aratra juvenci.*

(*c*) *Servile robur.*) Sic Tyrii obſeſſi, Alexandri militibus exprobrabant, illos, armis inclitos, dorſo, ſicut jumenta, onera geſtare, cum in aggere moliendo occupati eſſent. CVRTIUS *L. IV. Cap. II.*

(*d*) *Humeri lati.*) Notandi hic veniunt verſus ex VIRGILIO *L. 2. Aeneid.* ubi Aeneam patrem ſuum humeris e mediis flammis & hoſtibus portaturum, ſic loquentem facit:

*Ergo age, care pater, cervici imponere noſtræ:*
*Ipſe ſubibo humeris: nec me labor iſte gravabit:*
*Hæc fatus, latos humeros, ſubjectaque colla*
*Veſte ſuper, fulvique inſternor pelle leonis,*
*Succedoque oneri.*) &c.

Digitized by Google

## §. IV.

*De Dorſo.*

Dorſum muſculoſum & amplum ad bellicum robur pertinet, ut ex proximo capite; carnoſum, ut diximus, ad ſervile robur potius. Ariſtoteles metaphrenum, quod eſt dorſi pars, bene carnoſum fortitudinis indicium facit: bene carnoſum autem ſignificat apte carnoſum, ſcilicet muſculoſum. In aliquo etiam codice, non carnoſum legitur. Utraque lectio verum ſenſum poteſt obtinere. Adimantius abundans carne dorſum inſenſati viri ſignum dicit, quod ſuffragatur dicto noſtro.

## §. V.

*De Pectore.*

Pectus latum, item piloſum, glabrumve, quod cordis temperamentum ſignificet, antea dixi *lib. quinto*, Item quid pectus auguſtum &c. inde repetatur.

## §. VI.

*De Ventre.*

Venter contractus, cavus ſcilicet, ad robur ſpectat; ut contra prominens & adipoſus quieti aptiorem, quam motui diuturno & vehementi hominem ſignificat. Ariſtoteles forti tribuit ventrem & ipſe contractum: at de amplitudine ventris in Phyſiognom. ad Alexandrum ſignum eſſe ſcribit hominis ſtupidi, ſuperbi, & laſcivi. In Phyſiognom. tamen eum tribuit forti: *venter*, inquit, *amplus, & contractus ad ſe fortis corporis ſigna.* Dicerem ego: forti ineſſe ventrem magnum, ex conſequentia reliquorum membrorum; etenim neceſſarium eſt, cum dorſum amplum obtineat, & pectus magnum, ventrem etiam ſubeſſe magnum. Præterea robur non ſine *ſufficienti cibo* (*a*) conſervatur: unde validum ventrem expoſcit, hac enim de cauſa fortis & robuſtus homo. Non eſt magnus tamen ex proportione reliquorum membrorum: nempe cum illis collatus eſt potius parvus, nam contractus eſt & cavus; prætereaque in loco cinctus reſtringitur homo civili & bellico robore præditus.

Contra: venter ex proportione magnus voracem ſignificat. Ad id enim munus venter factus eſt, ut cum valde polleat, valde etiam ſit in id muneris propenſus. Ariſtoteles in Phyſiognomonicis voraces dicit, quibus id, quod eſt ab umbilico ad pectus, eſt majus, quam quod inde usque ad collum.

Venter pinguis, & prominens hebetudinis, & præterea in temperantiæ ſignum a Phyſiognomis ſtatuitur.

## §. VII.

*De Genitalibus.*

Jam dictum eſt ſupra *libro* 5. Inde repetatur.

## §. VIII.

*De Lumbis.*

Placet de lumbis adjungere. Quibus illi ſunt carnoſi & molles in laſciviam propendere; etenim ſeminaria illis vaſa aperta eſſe oportet ex calore, ut ſeminis effluvium ſit facile paratu. Contra, qui lumbos duros habent, ad venerem reparandam ſaltem, minus idonei: hinc illud Catulli.

— — *Qui duros nequeunt movere lumbos.*

## §. IX.

*De Brachiis.*

Brachia oblonga ſolidis ex oſſibus, & muſculoſa, indicium eſſe animi bellicoſi, & quamobrem vidimus in eodem proximo ſuperiore capite. Palæmo longa brachia & ipſe fortibus tribuit imo usque ad genua pervenientia manuum extremitatibus. Michaël etiam Scotus audaciæ ſignum brachia ejusmodi longa usque ad genu aſſerit, at etiamſi ad genu nequaquam pertigerint ex fundamento noſtro ſunt indicia fortitudinis, juxta præſcriptum canonem. Sed canoni non reſpondent, quæ Michaël Scotus ipſemet poſt adductum ejus canonem ſubjungit: *Cujus brachia*, inquit, *ſunt valde curta, reſpectu ſtaturæ corporis, ſignificant hominem bellicoſum, ingratum, audacem, invidum, ſuperbum, factioſum, & tenacem.* Hæc ille. At certe brachiorum brevitas, ſi cum craſſitie jungatur, potius robur ſervile, quam civile & bellicum indicant: Albertus Magnus brachiorum usque ad genua longitudinem liberalitatis argumentum ſcribit; at leve eſt indicium liberalis donationis longa brachiorum exporrectio. Ariſtoteles juſto breviorem cubitum tribuit talorum amatoribus, ex convenientia, ut arbitror apparente; jactus enim talorum ita promptius expeditur, quam convenientiam forte ſequutus. Albertus ad profundendum pecuniam, brachiorum longitudinem propoſuit. At forte aptior erat larga manus ad largitatem diſtributionis, quam brachium prolixum.

§. X.

(*a*) *Sufficienti cibo.*) Memorabilis eſt oratio Menenii Agrippæ ad populum rom. cum a patribus extra urbem ſeceſſiſſet, nec revocari poſſet, quo tributum & militiam toleraret. Ita autem: *Olim*, inquit, *humani artus cum ventrem otioſum cernerent, ab eo diſcordarunt, & ſuum illi miniſterium negaverunt. Cum eo pacto & ipſi deficerent, intellexerunt, ventrem acceptos cibos per omnia membra digerere, & cum eo in gratiam redierunt. Sic Senatus & populus quaſi unum corpus diſcordia pereunt, concordia valent.* Hac fabula populus regreſſus eſt. Vide PLINIUM SECUNDUM *de viris illuſtribus Cap. XVIII.* Exſtat & hæc fabula inter apologos ÆSOPI.

## §. X.
### *De Manibus.*

Manus ſoliditate oſſium præſtans, ac nervea oblonga quoque ad bellicam virtutem aptior eſt, proindeque eſt ejus argumentum ex fundamento eodem noſtro. Ariſtoteles forti magnas extremitates tribuit, magnas nempe manus, ut oportet eſſe deſcriptas a nobis, ſi enim oblongæ cum proportione fuerint, oportet quoque magnas eſſe. Johannes Baptiſta Porta aſſerit, Sfortiam magnas habuiſſe manus, & longas, adeoque firmos digitos, ut ſoleam equi ferream frangeret; manum etiam ſimilem Selimo Turcarum Imperatori Baizethi filio tribuit; uterque fuit homo bellicoſiſſimus.

Manus breves, craſſæ, & robuſtæ, ad robur ſervile pertinent potius, unde non injuria, ut ſignum ingenii hebetis habentur a Polæmone, & Adimantio, præſertimque, ſi inarticulatæ.

Manus articulatæ ad induſtriam aliquam operationem effectionemque conducunt: ad robuſtiorem quidem, ſi robuſtiores ipſæ fuerint: ad molliorem, ſi imbecilliores. In delicatis itaque fœminis, quarum opus acu expeditur & ad ſummum colo, manus oblongas & molles laudamus. Unde teretes & articulatæ manus ingenioſum hominem ſignificant, quod & Ariſtoteles ad Alexandrum ſcribit.

Reliquos de manibus Canones, qui multi ſunt & a Porta colliguntur, relinquo. Hoc unum ex Realdo Columbo Anatomico celebri refero, non quidem Phyſiognomicum cum ſit oculis occultum, in vivente homine, ſed ſcitu dignum, & ſi reſpondeat ſemper, admirandum. Dicit itaque Realdus: in nonnullis illuſtribus furibus, quos ſecuit, defuiſſe primum muſculum internorum manus. Succingit is muſculus volam, tendo ibi factus; unde ſecundum nonnullos fit, ut vola ſit depilis. Ex quo pro corollario dici poteſt: Si cui vola piloſa eſſet, indicium id furacis hominis futurum; deeſſet ſiquidem is tendo, & muſculus, ex quo depilis efficitur.

## §. XI.
### *De Cruribus.*

Crura muſculoſa, ex oſſibus ſolidis, debitamque & ad reliquum corpus proportionem obtinentia, fortis & bellicoſi animi ſignum eſſe, ex fundamento jam ſtatuto conſtat. Ariſtoteles hoc totum confirmat *in Phyſiogn.* De femoribus in verſione vulgata hæc ſcribit: *Qui habent coxas oſſeas & nervoſas, fortes ſunt; referuntur ad maſculinum.* Et de Tibiis. *Quicunque habent crura articulata, & nervoſa, & robuſta, fortes ſecundum animum; referuntur ad maſculinum.*

Crura brevia & craſſa robur ſervile indicant. Polæmo Tibiarum & calcaneorum craſſitudini id tribuit. *Tibiarum*, inquit, *& calcaneorum craſſitudo ſervilem virum, & hebetem ſignificat.*

Crura gracilia & nervoſa Ariſtoteli ſignificant laſcivum ac venereum hominem; refertque ad aves. Conciliator naturalem cauſam eam affert; quoniam alimentum, quod in crura, ſi craſſiora eſſent, abiret, in ſemen convertitur. Quæ eadem ratio affertur de claudis, cur ſint in Venerem propenſi, ab Ariſtotele 4. *ſect. probl.* 32.

## §. XII.
### *De Pedibus.*

Ariſtoteles *in Phyſiogn. c.*9. hunc profert canonem: *Quibuscunque pedes bene formati, & magni, & articulati & nervoſi, fortes ſunt ſecundum ea, quæ ſunt in anima: reducuntur ad maſculinum genus.* Hæc ille, quibus procul dubio reſpondent, quæ ex noſtro illo fundamento dicere oportet. De magnitudine tamen res eſt recte intelligenda, ac juſta cum æſtimatione ſumenda; ſecus enim large pedati homines deridentur. Ut inde forſan Poëta aliquis celebrato Heroi pedem parvum tribuerit. Non ergo tantum pedem homini eſſe oportet, quantum calcitroſis animalibus, ac ea parte pugnantibus; in quorum tamen genere quoque generoſiores equi, veluti aſturcones, minores multo pedes habent illis, quos Friſones vulgo dicimus, & multo ſunt inferiores audacia, ac bellica virtute. Oportet tamen magnitudine potius excedere, quam deficere; eo quod ad corpus ſuſtentandum, & ad compreſſionem faciendam; cum articulati præterea fuerint, ita ſunt accommodatiores pedes.

Fœminæ, quæ non id roboris exigunt, minores pedes natura ſortiuntur. *Plinius lib.* 11. *c.*55. qui etiam ad pulchritudinem magis faciunt. Ariſtoteles in *Phyſiogn. Quicunque autem pedes*, inquit, *parvos ſtrictos inarticulatos habent, delectabiliores autem viſu, quam fortiores, molles ſunt.* Areoſtus hinc noſter laudando & deſcribendo Alcinam, tribuit illi pedem brevem, tenuem, atque aliquatenus rotundum.

*Il breve aſciutto, e ritendetto piede.*

Aliqui autem *ſympathiam* (*a*) ſatis occultam pedis cum fœmineo genitali teſtantur. Hi ſunt canones ipſorum referente, ac probante Michaële Scoto, *de Phyſiognom.* 2. *part. c.*23. cujus verba exſcribo. *Si pes fuerit longus, ſtrictus, & macer, ſignificat vulvam longam, ſtrictam, & macram; & è converſo. Item menſura medii pedis nudi, eſt menſura longitudinis vulvæ totius unicuique; unde dixit quidam: ad formam pedis tu noſces vas mulieris.* Hæc ille.

§. 13.

(*a*) *Sympathiam.*) De Sympathia & antipathia meretur legi WEDEL *in phyſiologia medica Sect. IV. Cap. IX.* §. 6. Obiter hic obſervo, offenſiones pedum infauſti ſemper ominis fuiſſe ac portenti, cujus rei multa exempla collegit ALEX. ab ALEXANDRO *L.* 2. *c.* 26. De Cajo Graccho, qui dum a templo Dianæ deſiliit, talum intorſit, vide PLINIUM II. de *viris illuſtr. Cap.* 65. Et forſan HORATIUS ad id reſpexit, ubi in aliqua epiſtola ita in fine ſcribit:

*Vade, vale, cave, ne TITUBES, mandataque ſerva.*

Digitized by Google

§. XIII.

*De contrariis membrorum diſpoſitionibus; deque contrariis ſignis, quid dicendum.*

Qualia eſſe oporteat membra infra caput, ad fortitudinem animi naturalem, ſcilicet ſignificandam, vidimus: contraria ergo contrariam propenſionem, nempe animi mollitiem & paviditatem indicare videntur. Atque ita ſemper argumentatur Ariſtoteles *in Phyſiognom.* ſupponendo ſcilicet contrariorum morum eſſe ſigna contrarias corporis diſpoſitiones. Verum, ut priora ſigna non ſunt neceſſaria, quod impedimentum ſuſcipere poſſit, hæc multo minus ſunt neceſſaria. Licet enim robuſta membra ſuapte natura magis deſerviant ad arma tractanda & ad pugnandum; tanta tamen eſt vis animi, ut debilia membra tenſione ipſa (modo influxus a corde ſit validus) robuſta reddat, vivido illo animi impetu durante. In iratis hominibus quid roboris influat in membra & artus animus, videmus. Aliud ejusdem rei argumentum phrænetici exhibent; nam phrænetica muliercula in furiis illis ſuis a pluribus robuſtis hominibus vix interdum detineri, ac cohiberi poteſt: tantum virium impetus prævalidus animi mollibus etiam membris indere poteſt. Contra, ſi remittatur animus, ut in timore, validiſſima ac robuſtiſſima membra torpent, & omni robore privantur: quibus vere illud Virgilii accommodatur.

*— — Non corpore nota*
*Sufficiunt vires, nec vox, aut verba ſequuntur.*

Ut hinc intelligamus, temperamentum cordis præſtare conformationi artuum in negotio hoc morum, ac moralem habitum præſtare omnibus.

§. XIV.

*Cum ſigna non ſunt uniformia.*

Ariſtoteles monuit in Phyſiognomia id, quod eſt hic quoque memorandum, non ex unico ſigno Phyſiognomico de moribus pronunciandum, ſed omnia, vel plura ſaltem, conferenda ſimul atque libranda. Si ergo manus & brachia fortitudinem indicent, crura & pedes timiditatem, vel pectus & dorſum, demum cum contra indicent membra, debemus conſiderare, utram in partem potiora vel numero vel virtute inclinant, ex illisque pronunciandum de more, cum quadam refractione & remiſſione tamen. Verbi gratia, ſi plura aut pauciora fortitudinem ſignificent, at pauciora aut imbecilliora timiditatem, fortem eum virum dicere debemus; at refractiore fortitudine, quam ſi ad fortitudinem quoque commonſtrandam reliqua ſigna conſpiraſſent. Virtute vero & qualitate, quæ membra ſuperent, ſeu ſigna ex illis ſumpta, declarat Ariſtoteles in calce Phyſiognomiæ. Verba refero. *In omni autem electione*, inquit, *ſingulorum alia aliis ſignis magis declarant manifeſte ſubjectum: manifeſtiſſima autem, quæ in principalibus locis ſiunt. Principalis autem locus eſt, qui circa oculos & frontem, & caput & faciem. Secundus autem eſt, qui eſt circa pectus & humeros.* (a) *Conſequenter circa crura, & pedes. Qui autem circa ventrem, minimus. Omnino autem, ut ſic dicam, iſta loca manifeſtiſſima ſigna præbent, in quibus & prudentiæ plurima decor ineſt.* Hæc Philoſophus.

# CAPUT QUINTUM.

## *De ſtatura corporis.*

§. I.

*Quæ conſiderentur in ſtatura.*

Percurrimus hucusque membra particularia, quæque inde deſumantur Phyſiognomica ſigna aperuimus. At eſt præterea univerſa hominis ſtatura, ex qua Phyſiognomi morum ſigna eliciunt. In ſtatura vero dico præſertim conſiderantur; magnitudo, magna ne ſint corpora, an parva: & commenſuratio, commenſurata ne ſint, an incommenſurata. Magnitudo vero in longum, altumque eſt, & in latum, ac profundum. Secundum illam longa altaque corpora dicimus, ſecundum hanc craſſa vocamus. Conſideramus in hac: Utrum pinguia ſint corpora, carnoſave, an macra & exilia. Colores etiam adjungit Ariſtoteles huic ſaturæ conſiderationi; ſint ne acres, qui calorem indicent, an hebetiores, qui frigiditatem. Nunc canones Ariſtotelis ſubjiciamus, quibus interim contenti erimus.

§. II.

*De magnis, ſcilicet altis, corporibus.*

Canon 1. Qui *magno & alto* (a) ſunt corpore, tardi mente. Latione enim ſanguinis in magno loco exiſtente, tardus ſit motus, qui ad cognitionem deſervit.

Can. 2.

(a) *Et humeros.*) Demoſthenes cum humerum exercendo indecore moveret, obeliſco, vel, ut nonnullis videtur, gladiolo e laquearibus ſuſpenſo coërcebat, ut timore ab ea deformitate ceſſaret. Quod refert PLUTARCHUS *in vitis Decem Oratorum T. I. Oper. p. m.* 192.

(b) *Magno & alto.*) Huc faciunt verba APHRODISEI in *Quæſt. phyſicis* n. 27. dicentis: *Brevi ſtatura homines proceris ut plurimum ſunt prudentiores, quoniam conſtipata atque compacta illis eſt anima in univerſo corpore: proceris vero in longitudinem diſtenta reſolvitur. Quapropter Homerus Ulyſſem brevem ac prudentem: Ajacem vero procerum ac ſtolidiorem deſcribit.* Quod & CASTILIO *in aulico* ſuo *Lib. I. p.* 43. comprobat: *Præterquam*, inquit, *quod vaſtis corporibus obtuſum plerumque ingenium ineſt, in nullo prorſus exercitio promta atque agilia ſunt: quod noſtro aulico vitium nuſquam permittimus. &c.* De enormi ſtatura Herculis, ejusque pedis planta, qua ſtadium dimenſus eſt, vide GELLIUM *noct. attic Lib. I. C. I.*



Digitized by Google

Canon 2. Qui magno & alto ſunt corpore, & humidis carnibus, aut coloribus frigiditatem indicantibus, ſunt multo *maxime tardi corpore*, (*a*) & mente. Et enim ad corporis molem accedunt aliæ quoque tarditatis ob frigiditatem cauſæ.

Canon 3. At qui magno ſunt corpore, ſed ſiccis carnibus, & coloribus acribus, caliditatem nempe ſignificantibus, hi recte ſe habent ad motus mentis, atque ad ſapientiam. Etenim contraria momenta hominem ad juſtam mediocritatem adducunt. Siquidem tarditas ex alto corpore a caliditate, quam ſiccæ carnes & acres colores ſignificant, temperatur.

## §. III.

### *De parvo Corpore.*

Canon 1. Qui ſunt parvo corpore, celeres ſunt mente. Cum enim latio corporis ſit in parvo loco, celeriter expeditur.

Canon 2. Qui parvo ſunt corpore, *ſiccis carnibus*, (*b*) coloribusve acribus, caliditatem ſcilicet ſignificantibus, nihil perficiunt: nempe ad ſapientiam rectamque cognitionem non pertingunt. Quoniam tanta eſt eorum motuum velocitas, omnibus cauſis in eam conſpirantibus, ut in eodem judicio nunquam permaneant.

Canon 3. Qui parvo ſunt corpore, at carnibus humidis, & coloribus hebetibus, ac frigiditatem indicantibus, recte ſe habent ad motus mentis, & ad cognitionem. Velocitas enim motus ex parvo corpore a contraria humiditate & frigiditate temperatur, conſiſtentiorque redditur.

## §. IV.

### *De juſta ſtatura.*

Canon. Qui *juſta ac mediocri* (*c*) ſunt ſtatura, optime ſe habent ad ſenſus. Neque enim motus ſunt magni, ut tardius, quam par ſit, expediantur; neque motus parvi, ut ſint velociores juſto. Ut idcirco mediocritas ejusmodi ſe perfectiſſime habeat ad motus mentis.

## §. V.

### *De ſtatura incommenſurata, & commenſurata; ſcilicet debitam proportionem habente, aut non.*

Canon. Incommenſurati ſunt aſtuti. Commenſurati vero ſunt juſti, & fortes. Rationem eam affert Ariſtoteles, quod incommenſurati *ad fœminam* (*d*) referuntur, commenſurati ad marem: maſculus autem eſt fœmina juſtior, & fortior, utque in univerſum dicatur melior. Præterquam quod commenſuratio tum corporis dexteritatem, bonamque ejus mobilitatem indicat, tum generationem bonam. Recte ſcilicet & ex laudabilibus primordiis genitum demonſtrat, harum utramque morum quoque diſpoſitionem laudabilem ſignificat: illa (ſcilicet dexteritas motionum) in genere ſigni: hæc (nempe bona generatio) in genere cauſæ procatartica.

# CAPUT SEXTUM.

## *Peroratio de Phyſiognomia.*

Satis ſuperque ſit hæc in alieno propemodum opere de Phyſiognomia diſſeruiſſe. Cujus facultatis duo ſolennia eſſe & apta fundamenta vidimus, ac tertium annecti ſuapte natura incognitum ſolaque obſervatione deprehenſibile. *Primum* eſt cordis temperamentum. *Secundum* eſt conformatio membrorum propenſionem habentium ad actionem. Hæc dico fundamenta ſunt nota; quia effectus ſcilicet eorum in mores ſunt conſpicui. *Tertium* fundamentum eſt, cum ab eadem cauſa duo effectus pendent, qui ideo ſeſe conſequuntur, eorumque nexus patet, ſed cauſa non conſtat. Veluti cum dicitur virile pudendum & naſum magnitudine ſibi mutuo reſpondere. Hæc inquam tria ſunt Phyſiognomiæ fundamenta a priori. Nempe, quæ procedunt a cauſa ad effectum, ſaltem ejusmodi proceſſum includunt, ut tertium fundamentum. At a poſteriori, cum ab effectibus morum ſenſui ſubjectis ad mores progredimur. *Quartum* eſt fundamentum, quod in ſecunda methodi hujus noſtræ parte tractabimus, licet partem ejus aliquam tetigerimus in oculorum ſupra motibus variisque aſpectibus. Qui plura cupit, Phyſiognomicos ſcriptores adeat. Intelligo autem nunc, ſub prælo eſſe commentaria exquiſita ac pleniſſima in Ariſtotelis Phyſiognomiam Camilli Baldi bononienſis, præclariſſimi & ex præclariſſimo Philoſopho nati Philoſophi. Non dubito, quin homo doctiſſimus, & in verſando atque exponendo Ariſtotele conſummatiſſimus, punctum totius hujus ſcientiæ tangat.



(*a*) *Maxime tardi.*) Cujusmodi naturæ fuiſſe videtur Iphicrates, de quo CORNELIUS ſcribit, quod fuerit & animo magno & corpore imperatoriaque forma, ut ipſo aſpectu cuivis injiceret admirationem ſui; Sed in labore remiſſus nimis parumque patiens.

(*b*) *Siccis carnibus.*) Qui plerumque macri eſſe ſolent, de quibus PLUTARCHUS libro de *bona valetudine tuenda* ſcribit: *Corpora gracilia minimeque obeſa, ſemper eſſe ſalubriora.*

(*c*) *Juſta ac mediocri.*) Cujusmodi characterem nobis ſiſtit PLUTARCHUS in Eumene, cujus aſpectus fuerit perquam ſuavis, non ut hominis bellicoſi & plurimum armis attriti, at perpolitus & juvenili decore inſignis, univerſa ſtatura membris ac proportione ſane mirifica, perinde ac ſingulari artis diligentia comparatis. Quibus confer *CORNELIUM in vita Eumenis.* De juſta aulici ſtatura ita ſcribit *CASTILIO* l. c. *Bene cum illo agi exiſtimo, ſi neque in imo gradu humilis neque in ſummo procerus ſit: horum enim utrumque cum contemtu omnes tanquam portentum admirari ſolent.*

(*d*) *Ad fœminam.*) *Digniſſimum eſt*, inquit, *PLUTARCHUS de liberis educandis p. m.* 40. *eam animi magnitudinem collaudare Lacedamoniorum, qui idcirco regem Archidamum pecuniis mulctavere, quoniam puſilli corporis mulierem matrimonio capere paſſus erat, ſubinde dicentes, quod ille non reges, ſed reginas eis edere cogitaſſet.*

Digitized by Google

# CAPUT SEPTIMUM.

## *Revocatio horum, quæ de Phyſiognomia dicta ſunt, ad ſuperiorem noſtram methodum, applicatioque ad praxin.*

### §. I.

*Repetuntur ſuperius dicta.*

Reſtat, ut quæ de Phyſiognomia digredientes diximus, ad methodum ſuperiorem noſtram revocemus, illique applicemus. Monebamus ergo in ea methodo, ut mores ex ſenſorii diſpoſitione, ſcilicet mores & inclinationes naturales cum aſſuetudinis & cognitionis momentis, conferremus, &, vel conjungerentur momenta, ſi uniformia eſſent, vel detraherentur, ſi eſſent difformia. Verum, quæ Phyſiognomia tradit, ad ſolos mores naturales indagandos pertinent: Ut ergo omnia, quæ longo ſermone diſſeruimus, in ſolum caput morum naturalium perducant Mos vero naturalis integer ex temperamento cordis primo, & ex conformatione membrorum ſecundo reſurgit; nam inſtinctus, qui in conformatione membrorum reſidet, in cor ipſum refluit, & morem ibi naturalem, ſive propenſionem integram conficit. Verbi gratia. Qui cor habet calidum & humidum, hepar itidem tale & perſpiratum, vaſa ampla, at teſtes præterea & penem, quales deſcripſimus ſupra *lib. 6. cap. 2. §. 5.* is propenſionem in Venerem obtinet in ſummo; eſtque is mos venereus naturalis, quem ſupra cum diſpoſitione appetitus ex aſſuetudine, & habitu ſecundum proportionem ſubtriplam contulimus. In eo tamen libro, utplurimum, totam naturalem ſenſorii diſpoſitionem ex temperamento vocavimus, nulla conformationis partium habita mentione. Declaro autem modo, me in ea incluſiſſe quoque inſtinctum ex conformatione partium: quippe qui in primum ipſum ſenſorium refluit, quod antea quoque *cap. 3. lib. 6.* præmonueram.

### §. II.

*Applicationis primi Canones.*

Applicatio nunc Phyſiognomiæ traditæ ad methodum noſtram hæc eſt. Si temperamentum cordis cum conformatione partium in eundem morem penitus propendeat, tum is mos, naturalis nempe, ut unum eorum, quorum habitus moralis tria importat, accipiendus eſt, & quatuor eorum, quorum cognitio primi ſolum phantaſmatis eſt, tria juxta diſtributionem poſitam antea *lib. 6. cap. 6.* At oportet, tum temperamentum cordis in ſummo gradu in eum morem propendere, tum conformationem partium, ſive inſtinctum ex partium conformatione pullulantem; ut mos naturalis jam dictus unum ponatur eorum, quorum moralis habitus eſt tria. Intelligemus vero temperamentum cordis integrum conſpirare in morem oblatum, cum omnia ſigna conſpirabunt ad temperamentum unum & idem ſignificandum. Verbi gratia, ſi cor calidum & humidum ſignificetur, nedum ex pulſibus mollibus & magnis reſpirationibus, ſed ex venis latis, colore carnis roſeo, præſertim faciei, carnoſo habitu & adipe conſperſo, oculis humidis, pilis itidem mollibus, ſtatura corporis ampla, & partes &c. Quod ſi aliqua ſint ſigna humidi & calidi cordis, aliqua frigidi & humidi, aut frigidi & ſicci, aut calidi & ſicci; tum pro ſignorum repugnantium gravitate de temperamenti & cordis refractione eſt pronunciandum; adeoque de more naturali temperamentum ejuſmodi conſequente.

Qua in libratione ſignorum ea primatum obtinere debent, quæ propius cordis temperamentum indicant; quæ ſint autem ea, jam declaravimus *lib. 5. c. 5.* At faciamus, temperamentum cordis irrefractum ab omnium ſigno conſpiratione ſignificari. Si tum conformatio membrorum repugnet, mos adhuc naturalis integer non erit; ſive naturalis propenſio non erit integra, ſed refracta. Prævalebit nempe propenſio ex temperamento. Ex ea enim detrahendus erit inſtinctus ex conformatione, ſupereritque propenſio ac mos naturalis in eo homine prævalens.

### §. III.

*Applicationis ſecundi Canones.*

Detracto itaque gradu, qui ſupereſt, moris, ſeu propenſionis naturalis, facienda eſt tum comparatio ejus cum reliquis duobus momentis, ſcilicet cum cognitionis momento, atque momento diſpoſitionis appetitus, venietque idcirco mos tum naturalis in comparationem cum reliquis momentis, non ut integrum momentum, ſed ut refractum. Reliquum itaque eſt penſare alia duo momenta, dijudicareque num integra ſint, an refracta, abſolvereque tum propoſitam momentorum *comparationem*, (*a*) vel aggregatione vel ſubtractione juxta traditam ſupra meth. *l.* 4.

Quam adhuc in propoſito hoc themate ſubjuncta praxi illuſtrabimus. Sit gradus naturalis moris, qui facta ſupputatione reſtat, partes duæ tertiæ integri momenti, in Venerem: at cognitio ſit integra, ſecundum phantaſma tamen primum turpitudinis adulterii oblati, erat ejus momentum ut tria, quorum momentum integrum naturalis moris eſt quatuor, & momentum diſpoſitionis appetitus ſit quidem contra Venerem, non tamen integrum, ſed refractum, ut ſola pars ejus nova præpolleat; ita calculum ſubducemus. Ex his omnibus datis ad eandem ſcilicet denominationem omnia reducemus hunc in modum. Quoniam quatuor non habet partes tertias, per tria multiplicabimus, & duodecim proveniet, quarum partium intelligemus primo integrum moris naturalis momentum; at in præſentia duæ ejus tertiæ ſolum partes ſuperant. Erit ergo, in præſentia momentum in Venerem ſolum, ut octo earundem partium: at momentum integrum

(*a*) *Comparationem.*) Varia ſigna diligenter ſunt notanda ac conjungenda, ut conſequentia vere probabilis poſſit formari, quæ quo pluribus nititur notis, eo major redditur ac firmior. Vid. WALCHII Diſſ. ſæpe citatam §. 14. p. 64.

Digitized by Google

tegrum cognitionis erit earundem 9. Etenim ad ipſum 12. eandem obtinet proportionem, quam 4. ad tria. Nunc ergo ſuperabit cognitio momentum moris naturalis octava ejus parte, nempe erit ad eam ſubſesquioctavum. At procedamus. Momentum integrum diſpoſitionis appetitus ad momentum integrum moris naturalis habet triplam proportionem, quarum ergo partium eſt momentum moris naturalis 12. earum eſt momentum diſpoſitionis appetitus 36. at pars nona 36. eſt 4. in præſenti itaque collatione erit momentum diſpoſitionis appetitus, ut 4 cognitionis ut 9. quæ duo momenta ſunt conjungenda; etenim ambo ſunt contra Venerem: at momentum contrarium naturalis propenſionis eſt 8. ſuperat itaque momentum prævalens contra Venerem momentum in Venerem quinque partibus.

At cujus denominationis? Rem ita intelligemus. Si omnia momenta conſpiraſſent in diſtributione, ac diviſione facta, eſſet momentum ex illis integrum partium 57. nam momentum diſpoſitionis appetitus ponitur 36. momentum propenſionis naturalis 12. momentum cognitionis 9. tota ſumma 57. ſunt ergo partes exceſſus 57. quinquageſimarum ſeptimarum totius, atque perfectæ propenſionis in caſtitatem & temperantiam; non ergo magna utrinque propenſio, neque magnus exceſſus propenſionum in lata collatione.

Ex hoc praxis exemplo, quid in quoque caſu faciendum ſit, intelligimus.

## CAPUT OCTAVUM.

### *Non ſemper actio ſequitur propenſionis prædominium.*

### §. I.

*Qua methodo futura actio ſit providenda, æſtimandaque.*

Ex his non difficile eſt intelligere, quid de futura hominis actione ſit in datis occaſionibus præſagiendum.

Tradita hucusque methodus ad gradus propenſionis prævalentis intelligendos nos ducit. Nempe in proximo caſu ac themate propendit is homo in abſtinentiam ab illicita venere potius, quam in Venerem quinque partibus, quinquageſimarum ſeptimarum integræ & abſolutæ propenſiones. Dico *abſolutam propenſionem*, dum in eundem amorem & naturalis propenſio, & aſſuetudo, & cognitio, judiciumque conſpirant. At repetendum eſt id, quod in tertia parte diximus; morbum & paroxyſmum morbi differre in moralibus quoque; nedum autem morbi quieſcunt interdum absque ullo paroxyſmo, ſed etiam nullo morbi habitu affectos aliquando inſtar ephimerarum febrium paroxyſmi invadunt. Mitem natura hominem, vel non iracundum, ſi quis eum turpiſſima injuria afficiat, magna ira inflammabit, quæ niſi habitum virtutis ponas, mediocritatem rationis excedet: erit itaque paroxyſmus, nullus tamen habitus neque vitii, neque mediæ diſpoſitionis malæ.

Hoc ita repetito fundamento, ſit eadem, quæ proxime animi humani craſis: quieſcentis itaque animi ea eſt, quam diximus, propenſio, verum accendatur ex vehemente objecto, præſente occaſione, aliisque ejusmodi irritamentis, aut *cibi*, (*a*) aut *lectionis* (*b*) præcedentis pruritus Veneris: poteſt æſtus ejusmodi tantus eſſe, tamque ſubitus, tamque imparato eveniſſe, ut magis ipſe ſurperet actiones, ac motiones contrarias, quam contra propenſiones contrariæ hanc in Venerem ſuperarent. Hinc ſit, ut interdum temperans homo, naturali inquam temperantia, & morali imperfecta, ex vehemente occaſione intemperanter agat, & homo mitis iracunde & impatienter. Ut ſanctiſſimum hac quoque ratione appareat *chriſtianum præceptum*, (*c*) quo jubemur vitare occaſionem peccandi. Compoſitum animum ſæpe turba hominum affectus excitando perturbat. Unde illud Senecæ: *Nunquam inter homines fui, quin minor homo redirem, vel re, vel verbis: dum ſuas quisque perturbationes prodit, alienas excitat. Quis absque pruritu furta Veneris vel legit, vel ſentit? Quis ſtupentium honores hominum vel admirationem, vel laudes, quibus illos extollunt absque ullo ambitionis ſenſu videt, vel audit?*

### §. II.

*Canones continet.*

Quoniam itaque valida objecta affectus excitant in animis etiam non corruptis, qui vult de futura actione vere providere & pronunciare, oportet ipſum poſſe conjectare animo, quot usque gradus affectus datum objectum ſit in oblato homine excitaturum. Canon. 1. Nam ſi vehementiſſimum affectum ex oblato objecto excitatum iri crediderimus, par eſt in eam propendere ſententiam, quod ſequetur homo affectum. Nam *affectus vehementiſſimus* (*d*) ſecundum phantaſma intrudendo cognitionem contrariam obſcurat & opprimit; prætereaque diſpoſitionem

(*a*) *Cibi.*) Moris olim fuit, ut qui caſtimoniam colant, leguminibus abſtinerent, quod ſunt maxime ventoſa & ea gignunt, quæ, cum ſuper flua ſint, multæ purgationis indigent, & ad res venereas maxime incidant. De quo vide PLUTARCHUM *in Problem. romanis n. 95. p. m. 78.* Conf. JEAN HUARTE *l' examen des eſprits Chap.* XV. §. 3.

(*b*) *Lectionis.*) Hic omnino conferri meretur liber ſolide conſcriptus THEOPHILI RAYNAUDI *de malis ac bonis libris Part. I. Erotemate VII* ubi damna e lectione obſcoenorum librorum, deque iis eliminandis variæ Chriſtianorum, Platonis aliorumque philoſophorum adducuntur ſententiæ.

(*c*) *Chriſtianum præceptum.*) Quid Chriſtianum? Imo & ab Ethnico PLUTARCHO in libro *de profectu morum,* inculcatum. *Oportet*, inquit, *etiam mali ſuſpicionem de nobis vel tenuiſſimam exſecrari & fugere. Qui enim verum peccatum magis deteſtatur, quam ſiniſtram hominum de ſe opinionem, famam rem omnium præclariſſimam negligit, vitam etiam honeſtam infamia contaminans.*

(*d*) *Affectus vehementiſſimus.*) Appetitum ſenſitivum in ſuas partes intellectum poſſe trahere, ſupra aliquot rationibus demonſtratum.

Digitized by Google

nem appetitus præcedentem contraria tum motione obtundit; ut facile hominem, inſtar incontinentium, etiam contra præcedentem propenſionem, in ſuas partes trahat, quæ tamen poſt peccata rediviva cum perturbationes intra conſuetos limites manſerint, actiones ſequentes dirigit.

Canon 2. At ſecundus erit canon. Cum excitatus affectus majore proportione ſuperat rationis tum monitum & appetitus contrarium uſum, quam contra ſuperet propenſio; actio ſequitur affectum potius, quam propenſionem ſuperantem.

Rem exemplo declaremus. In Cæſare Dictatore fuit uſus & aſſuetudo indulgendi præpotens, ut niſi ſummæ indulgentiæ aſſequutus ſit apicem, prope ſaltem acceſſerit. Faciamus (diſtributa ſumma manſuetudine in partes octo) ſex earum ipſi ſaltem adfuiſſe: cognitio itidem, qua judicabat, præclarum eſſe, *veniam dare hoſtibus*, (a) fuit prævalida, ut duas ſaltem tertias partes integri ejus momenti obtinuerit. At naturalis propenſio ad ulciſcendum inextitit. Cum fuerit iracundus, & ultus ſit Bibulum Conſulem acri modo, & piratas, a quibus captus fuerat, ſuſpendio necaverit. Ut naturalem propenſionem ad ultionem in ipſo prædominatam eſſe, licet retractam, ſit concedendum. Fuerit ea itaque quinque ſuorum graduum. Multo ergo exceſſu ſuperabat propenſio indulgendi. Attamen contra Cæcinnam fuit durus: ratio autem, quoniam homo gloriæ avidiſſimus ægerrime paſſus eſt, exiſtimationem ſuam ab eo libro criminoſiſſimo ſugillatam: unde non æque ſe illi, ac armatis hoſtibus facilem præbuit, ut in Familaribus Ciceronis Epiſtolis legimus; quo in volumine Cæcinna ipſe dolet exilio multari errorem ſuum ſtyli. Sed judicium ea in re Cæcinnæ non proceſſit debita methodo. Oportebat conſiderare, quantum iræ excitatura fuerit in cupidiſſimo gloriæ homine maledicentia eloquentiſſima, perennisque (ut credere poterat Cæſar) vitæ. Nempe plus inde iræ Cæſar capturus erat, quam ex divitiarum læſione, ac etiam invaſione corporis. Superavit ergo affectus excitatus proportione cognitionis & uſus impulſum magis, quam contra propenſionum contrariarum momenta naturalem in iram propenſionem exceſſerint.

§. III.

*Corollarium.*

Pro corollario hinc naſcitur illud, quod adagio fertur: *Furor fit læſa* (b) *ſæpius patientia*; Nempe iterata iræ irritamenta tantam demum ſuſcitant iram, ut homo mitis longe contra propenſionem ſuam operetur. Iterata quoque lenocinia demum maximum in Venerem æſtum concitant:

*Quid magis eſt durum ſaxo? quid mollius unda?*
*Dura tamen molli ſaxa cavantur aqua.*
*Penelopem ipſam, perſtes modo, tempore vinces. Ovid. de arte amandi.*

# SECUNDO PARS METHODI.

# LIBER OCTAVUS.

## CAPUT PRIMUM.

### *Proponit dicenda, & connectit, & indicat, quæ ſunt ex ſuperius dictis repetenda.*

Ad ſecundam nunc Methodi partem tranſeamus, in qua mores ex effectibus conjiciuntur. Signa vero ex effectibus ducta in duo genera prius diſtinximus; alia primaria diximus; alia ſecundaria, & annexa: annexa ſunt veluti inter cæterea, quæ mores apparentes in parte phyſiognomica vocavimus, multaque ex parte tractavimus. Subjiciemus nunc, quæ ex eo genere reſtant.

Notandum autem, ſigna ipſa morum apparentium ſubtilem ſuſcipere diſtinctionem; nam vel ex eadem cauſa pendent propenſio interna vera, mosque naturalis, & exterius ſignum; & eo modo ad primam Methodi partem ſpectant; vel ex interno ipſo more ſequitur exterius ſignum ob iteratum geſtum in actione ipſa moris, & pertinent ad hanc partem. V. gr. Deflexa eſſe cervice, oculis confractis, quæ ponuntur ab Ariſtotele ſigna cynædi, vel pendent ex craſi & conformatione, unde etiam mollis & turpis mos naturalis ortum ducit, vel ex turpi conſuetudine, *molles* etenim *geſtus* (c) contraxit homo turpiſſimus; hocque modo eſſet exterioris mos apparens interioris effectus; illo modo uterque ab eadem cauſſa procedit: at licet diſtinctio hæc intercedat, in uſu tamen ipſo antea ſigna confudi, & nunc confundam.

Quoniam itaque apparentes mores in fronte, ſuperciliis, in oculis, auribus, naſo, & naribus, ore, facie, præſertimque in ea ex vultu antea diximus, non repetam. Subjungam tantum, quæ tum

(a) *Veniam dare hoſtibus.*) Quæ hic de Cæſaris clementia afferuntur, fuſius a CICERONE in *Orat. pro Mario Marcello* laudibus extolluntur; ut tandem concludat: *Hæc qui faciat, non ego iſtum cum hominibus comparandum, ſed ſimillimum DEO eſſe judico.* Sed hæc maximam partem ex ſimulatione & adulatione dicta. Contraria audiamus ex *L 2 offic. cap. 24. At vero,* inquit, *hic nunc victor, tum quidem victus, quæ cogitarat, ea perfecit, cum ejus jam nihil intereſſet. Tanta in eo peccandi libido fuit, ut hoc ipſum eum delectaret peccare, etiamſi cauſſa non eſſet &c. Et Lib. I Off. cap. 8.* dicit: *Declaravit, id modo temeritas Cæſaris, omnia jura divina & humana pervertit, propter eum, quem ſibi ipſe opinionis errore finxerat, principatum.*

(b) *Furor fit læſa.*) Hæc habet SENECA in *proverbiis*, quæ ipſi vulgo attribuuntur, & ex eo citat FRANC. PETRARCHA *de viris illuſtribus Lib 3 p. m.* 503.

(c) *Molles geſtus.*) *ARISTOTELES in problem & poët.* ex hoc deducit, cur hiſtriones omnes fere ſint improbis moribus.



Digitized by Google

tum omiſi; ſunt vero ſigna ex voce; ex corporis locali motu, qui & univerſi corporis eſt & partium, ut geſticulationes manuum, jactatio brachiorum, & ejusmodi; & ex cultu præterea corporis. Quibus expediits ad primaria deinde ſigna hujus ſecundæ partis tranſibo.

# CAPUT SECUNDUM.

## *De Voce.*

### §. I.

*Continet varias vocis differentias.*

A voce (*a*) ergo exordiamur. Vocis plures ſunt differentiæ, quas refert Ariſtoteles 5. *de gen. animal. cap.* 7. & exactius in fragmento *libri de audibilibus*, Ptolomæus in *primo Harmonicorum cap.* 3. & alii Scriptores non pauci. Sunt autem gravitas & acumen; magnitudo, & parvitas; aſperitas & lenitas; ac multoties obſcuritas & ſplendor, ſeu claritas; flexibilitas, & rigiditas. Sunt præterea figuræ vocum diverſiſſimæ; hæc humana, hæc bovis, hæc avis, aliæque aliorum *animalium:* (*b*) quas diverſas voces ſunt ex hominibus, qui ore ipſomet humano mire imitentur. At non omnes hæ differentiæ ad rem noſtram pertinent. Pertinent vero præſertim acumen & gravitas; magnitudo & parvitas; flexibilitas & rigiditas; aſperitas ac mollities.

### §. II.

*De Acumine & gravitate fundamenta.*

Gravitas ex tarditate motus fit, acumen ex velocitate. *Ariſtoteles in 5. de gen. cap. 7. & ſect.* 11 *probl.* Fit ex his, ut in nervis craſſiores nervi gravius ſonent, quam tenues, quoniam tardius a ſuo ſitu dimoventur, tum redeunt: pariter minus tenſi nervi gravius ſonant, quam tenſiores, quod illi longius abducantur a primo ſitu tardiusque ad illum remeent: hi brevius abducuntur, & celerius remeant ob tenſionem eandem, ſingulis inquam vicibus; alioquin enim iteratio motuum diutior eſt intenſiore nervo, quam in remiſſiore, diutiusque perſeverat tinnitus in illo, quam in hoc. Ex eadem cauſa pendet, cur in fiſtulis craſſior vocem graviorem reddat, quam anguſtior & longior, pariter quam brevior. Nempe per craſſam fiſtulam plus aëris fluit; per anguſtam minus; at plus aëris, quam minus aëris tardius propellitur: item per longam fiſtulam curſus expulſi aëris tardius abſolvitur, quam per brevem. In tintinnabulis rurſus, quo amplius fuerit tintinnabulum reliquis permanentibus iisdem, gravior eſt ſonus. Ob orbis enim amplitudinem percuſſa lamina amplius cedit; & ideo etiam tardius ad priſtinam rectitudinem remeat, quam cum orbis fuerit minor, ideoque magis in ſe conſtrictus; minus enim tremor & tinnitus a rectitudine priſtina recedit. Eandem ob cauſam, ſi reliquis exiſtentibus iisdem vel æqualibus, alterius fuerit tintinnabuli lamina craſſior, alterius tenuior, hujus gravior erit ſonus, illius acutior. Etenim tremitus tenuioris amplior eſt, & magis a quieſcentis rectitudine diductus, ut tardior idcirco ſit ejus tinnitus, unde gravior quoque eſt; contra, craſſioris acutior ob contrariam cauſam. At ad præſens hoc negocium ſola fiſtulæ conſideratio ſpectat; nam & trachea ſive aſpera arteria, per quam vox abſolvitur, fiſtula eſt inverſa.

### §. III.

*Canones continet.*

Cæteris itaque paribus, quorum arteria fuerit craſſior ampliorve, vox eſt gravior; & contra, *quorum fuerit anguſtior*, (*c*) eſt acutior vox. Item cæteris paribus, quorum arteria fuerit longior, eorum gravior vox; quorum brevior, vox acutior. In eodem pariter homine, quo magis dilatat arteriam aſperam, eo gravius loquitur, vel cantat; quo magis cogit reſtringitque, eo acutius loquitur cantatve. Cum cantamus *Netem*, (*d*) & arctiorem tum nos facere tracheam, & minorem aëris portionem egredi, fatendum eſt: contra, cum cantamus *Hypatem*, (*e*) magisque cum Proſlambanomenon & dilatare tracheam, & multam aëris egredi portionem. Pariter cum concitatior eſt aëris ex pulmone propulſio, vox eſt acutior; nam motum reliquis paribus oportet tum eſſe celeriorem; at quoniam concitatior eſt is motus in intenſione animi, remiſſior in remiſſione, ideo in cupiditate, in ira vox eſt acutior, in remiſſis affectibus, ut in voluptate, in delitiis vox eſt gravior. Ariſtoteles etiam in problematibus quærit: cur *qui rident*, (*f*) vocem emittant graviorem,

(*a*) *A voce.*) Curioſa ſunt, quæ A. GELLIUS *Noct. attic. Lib. V. Cap.* 7. de origine vocabuli *perſona*, ex mente Gabii Baſſi affert, a perſonando id dictum. *Nam caput*, inquit, *& os cooperimento perſona tectum, undique tantum vocis emittendæ via pervium, quoniam non vaga neque diffuſa eſt, in unum tantum modo exitum collectam, coactamque vocem, & magis claros canorosque ſonitus facit. Quoniam igitur indumentum illud oris clareſcere & reſonare vocem facit: ob eam cauſam perſona dicta eſt*, o, littera, propter vocabuli formam, productione.

(*b*) *Animalium.*) ARISTOTELES *L.* I. *Pol. Cap.* 2. *Orationis*, inquit, *tantum homo ex omni genere animantium particeps eſt. Vox igitur triſtis rei ac jucunda nota eſt. Quare ceteris quoque animantibus data eſt. Hucusque enim natura earum pervenit, ut ſentiant, quod moleſtum eſt ac jucundum, & hac ſignificent ſibi ipſis. Oratio autem inventa eſt ad declarandum, quod prodeſt aut obeſt.*

(*c*) *Quorum fuerit anguſtior.*) Mulieres, ſpadones & infantes acuta ſunt voce, quia humiditatis abundantia arteria iis in amplum minime protenditur. Caliditatis enim officium eſt, meatus in amplum relaxare. Ut ergo anguſta tibia acutum edit ſonum, ſic & aſpera arteria. Dicunt autem nonnulli, mulieres acuta eſſe voce, quia conferat clamare ad pariendi facilitatem, quod autem falſum. Demoſthenes cum anguſto eſſet ſpiritu, fertur Neoptolemo hiſtrioni mille drachmas dediſſe, ut integras periodos forti ac virili ſpiritu enunciaret. Quod refert PLUTARCHUS *in vitis decem oratorum T.* I. *Oper. p.* 193.

(*d*) *Netem.*) De hoc tono vide PLUTARCHUM *in Muſicis T. I. Oper. p.* 21. 22. 23.

(*e*) *Hypatem.*) *Vide PLUTARCHUM l. c.*

(*f*) *Qui rident.*) Multi olim riſum e liene oriri putarunt; quod tamen ex accidenti fieri poſſe, aſſerit APHRODISEUS l. c. n. 136 Nam ſi valeat lien, trahere ex jecore feculentum omnem & melancholicum humorem; quo fit, ut cum purus defecatusque ſanguis, cum per univerſum corpus, tum in cerebrum permeet, naturam ſimul animamque oblectet, atque ita riſus ab eo moveatur.

Digitized by Google

rem, qui flent, acutiorem? Vox ergo acuta eſſe poteſt tum ex concitatione motus, eſtque ita *indicium vigoris*; (*a*) vel quia homo in loquendo parum aëris aggrediatur; eſtque id ex imbecillitate. Et hac de cauſa voces ægrorum ſunt acutæ. Si quo in homine concitatus eſt motus, & tamen vox gravis, ſignum id eſt amplitudinis arteriæ, concitatique deſiderii, & quod homo multum aggrediatur aëris: quæ ſunt caloris ſigna. Hincque gravis vox & magna, fortem hominem indicat: qualis fuit vox Franciſci Sfortiæ, Joannis Medicei, & quorum antea diximus. Si vox autem acuta, ſed concitata & intenſa, arctam arteriam ſignificat, at calidos animi affectus, adeoque calorem cordis, & vigorem, irati ita reſonant. Si contra, vox gravis & remiſſa, amplam arteriam, & multum aëris propulſum, ac remiſſum affectum & animum. Quod vel a natura eſſe poteſt, remiſſumque natura hominem ſignificat & ſegnem; vel a diſciplina & virtute moderatrice olim affectuum, & ſignificat hominem res externas ſpernentem, adeoque magnanimum. Si vox ſit acuta, & remiſſa, vel hominem ægrum ſignificat, vel ſi ſanus ſit, indicat frigidi eum habitus, frigidorumque affectuum, adeoque pavidum. Ariſtoteles *in Phyſiogn. cap.* 7. *in fin.* aſſentitur his canonibus: dicit enim, *gravem & intenſam vocem, fortem ſignificare: acutam & remiſſam, timidum.* Et alibi dicit, *qui acute & fortiter vocant, eſſe iracundos: referri ad capras.* Cap. 10. in Phyſiogn.

## §. IV.

### *Annotatio de voce ex more prodeunte.*

At propoſiti canones non ſunt de effectibus morum, ſed ab eadem cauſa ambo effectus pendent. Verum effectus morum erit aulicum inſtitutum ſummiſſe loquendi; non facile enim altam vocem in aula exaudies. Pariter notam illam ex voce Cinædorum, quam affert Ariſtoteles, effectum morum juſte quis dixerit: *Quicunque*, inquit, *vocibus acutis, mollibus ac ruptis loquuntur Cinadi;* nam mollis mos animi, & lenociniorum in turpibus congreſſibus uſus, eam loquendi formam inducere videtur.

In voce autem duo præſertim attendimus, & ſignificationem & ſonum. At ſignificatio, alia eſt vocis articulatæ, & ab impoſitione, alia eſt vocis inarticulatæ, & a natura; prior ſignificatio ad loquutionem ſpectat; ſecunda *ad vocem.* (*b*) Voces, quæ naturaliter affectum aliquem ſignificant, ſunt præſertim; Riſus, Fletus, Suſpiria, Oſcitatio, & Gannitus is venereus, quem in Apula ſaltante Batillo Lædam, deſcribit Juvenalis.

*Chironomon Ledam molli ſaltante Batillo,*
*Apula gannit,*
*Sicut in amplexu, ſubitum & miſerabile.*

Quæque ejuſmodi vox frequens in aliquo homine morem eum, ex quo naſcitur, ſive ex cujus affectu naſcitur, indicat. Sint canones.

*Riſus frequens indicat morem hilarem, & latum.* Cum ergo *riſus excedit*, (*c*) & in cachinnum præſertim erumpit, excedentem hilaritatem, & profuſum in lætitiam animum ſignificat. Quæ profuſio parum eſt negotiis, & ſtudiis, demumque curis ullis accommodata. Unde jure merito dicitur; *riſum abundare in ore ſtultorum.* Huc etiam pertinet, quod de oculis ridentibus antea diximus.

*Fletus moeſtum* (*d*) *ſignificat hominem.* Cum itaque frequens eſt fletus, *ærumnoſum hominem* (*e*) & ſibi cæteriſque gravem; lividum idcirco, & puſillanimum ſignificat. Non adeo vero frequens fletus *miſericordem* (*f*) animum ſignificat; præſertimque cum lachrymæ non in ejulatum prorumpunt. Talis fuit Jaſon Paſolinus, nobilis hujus civitatis.

*Suſpiria* ſunt amplior quædam inſpiratio & exſpiratio, quæ quidem naſcuntur ex præcedente ceſſatione officii ejus, hujuſmodi exſpirandi & inſpirandi, ut ſuppleatur ad cordis refrigerationem, & fuliginum expulſionem, id quod ob eam ceſſationem defuit. Cum itaque animus aliquo affectu detentus, in aliquamque curam defixus officii ejuſmodi obliviſcitur, naſcuntur ad reparationem defectus ſuſpiria. Quocirca dolor, amorque præſertim ſuſpiria *concitant*; (*g*) ira quoque, etenim

(*a*) *Indicium vigoris.*) Quam vocem corporiſque habitum CICERO *in Catone m. c. IX.* in oratore deſiderat. *Orator*, inquit, *metuo, ne langueſcat ſenectute. Eſt enim munus ejus non ingenii ſolum, ſed laterum etiam & virium. Omnino canorum illud in voce ſplendeſcit, etiam, neſcio quo pacto, in ſenectute: quod equidem adhuc non amiſi, & videtis annos: ſed tamen eſt decorus ſermo ſenis, quietus & remiſſus: facitque perſape ipſa ſibi audientiam diſerti ſenis comta & mitis oratio.*

(*b*) *Ad vocem.*) Plato vocem definiit ſpiritum per os a mente ductum, & plagam ab aëre per aures & cerebrum ac ſanguinem usque ad animam diſtributam. Proprie autem vox articulata eſt, Græcis velut mente conceptum illuminans appellata, ut judicat PLUTARCHUS L. *IV. de placitis philoſoph. T.* I. *Oper. p.* 259. ubi & Epicuri Democritique de voce ſententiæ afferuntur.

(*c*) *Riſus excedit.*) Qui gaudium vehemens indicat, quod nonnunquam homines exanimavit, cujus cauſſam APHRODISEUS eſſe vult, quod vitalis virtus & inſitus calor, cum immodice extrinſecus fertur, egefatur atq; reſolvatur. Unde & ſudent & rubeant, quoniam ſanguis adſit. A. GELLIUS *noct. attic. L.* 3. *c.* 15. plurima affert exempla repentino gaudio mortuorum. De natura & effectibus riſus peculiari Capite agit WEDEL in *phyſiol. medica Sect. IV. Cap. X.* quod hic meretur legi.

(*d*) *Fletus moeſtum.*) Dolentes lacrimantur, ex opinione APHRODISEI in *Problemat. phyſ. n* 32. quod meatuum, qui ſunt in oculis, ſpiſſitudine humiditatem exprimant.

(*e*) *Aerumnoſum hominem.*) Qualem videmus OVIDIUM: exſulem *in libris triſtium*, qui fletus gemitusque pleni ſunt.

(*f*) *Miſericordem.*) Quo illud Virgilii de Aenea in arce Carthaginis picturas perluſtrante, ſpectat:

*Sunt lacrima rerum & mentem mortalia tangunt.*

Nec ipſe Cæſar, cum ipſi caput Pompeji offerretur, lacrimis miſericordia ſubortis abſtinuiſſe dicitur. Vide PLINIUM SECUNDUM *de viris illuſtr. Cap.* 77.

(*g*) *Concitant.*) Eorum, quæ hic de dolore, amore & ira dicuntur, APHRODISEUS *l. c. n.* 22. rationem reddit, quod *intenta anima ad id, quo movetur, negligat & quodammodo obliviſcatur, motivam pectoris muſculis virtutem prabere. Cor itaque ipſum, neque pectoris dilatatione aërem accipiens, ideoque neque per flatum atque refrigeratum, neque item contractione excernens*



Digitized by Google

etenim utrunque eorum affectum participat. Suſpiria dolorem conſequentia ſunt cum gemitu: at ſuſpiria, quæ amorem conſequuntur, æſtuoſiora ac ferme incenſa. Talia quoque iræ ſuſpiria comitantur.

*Oſcitatio quid ſit,* (*a*) unde fiat, longior eſt contemplatio, quam ut in hunc locum cogi poſſit. Sat in præſentia ſit haberi eam pro torpentis tum animi, vel faſtidientis locum, ubi degit, ſigno. Unde pro contemptu habent illi, quibuscum degimus, niſi ex ſomno, vel fame proveniat. Spontanea ergo oſcitatio *torpentis tum animi ſignum* (*b*) eſt. Torpet autem etiam animus, cum aliquam aliquorum conſuetudinem faſtidit, absque alio tamen pungentiore affectu, vel odii, vel iræ, vel timoris. Unde frequens oſcitandi mos torpidum morem indicat.

### §. V.
### *De Aſperitate & Mollitie.*

In tertio §. gravitatem & magnitudinem conjunximus. Cum enim multus eſt aër, & concitatus motus, fit vox magna; ut non neceſſe ſit canones alios ſubjungere ab iis, quos ibi protulimus. De aſperitate itaque & mollitie dicamus.

Naſcitur aſperitas ex aſperæ arteriæ inæqualitate. Unde cum in eam pituita diſtillat, raucedo & vocis *aſperitas gignitur.* (*c*) Lenis contra vox & mollis ex levitate loci, ac partis ejus. Hæc eſt cauſa inſtrumentaria: verum naſcitur etiam, quæcunque fuerit inſtrumenti diſpoſitio, ex cauſa effectrice. Rem ita intelligemus; pro arbitrio quivis poteſt ſtridulam vocem emittere, & qui ſuapte natura habet ſonoram. Eſt vero id ob inconditum aëris motum, ejusque propulſionem in arteriam: inconditus vero is motus, & ex imitatione naſci poteſt, & ex natura, pro animi ipſius inconditis motibus. Aëris vero inconditi motus, cum inter ſe præſertim inæquales fuerint, aſperitatem faciunt vocis. Ut vox aſpera, cum ex hac procedit cauſa, inconditos ac rudes animi motus demonſtret: *Mollis contra vox* (*d*) morem ſuavem, ac cultum.

Canon. Qui aurem aſſueverit, & adverterit animum, diſtinguet facile inter aſperitatem ex inſtrumento, & aſperitatem ex incondito aëris motu ac impulſu. Cum ex inſtrumento naſcitur, vix nanciſcimur indicium aliquod morum: at cum ex cauſa effectrice; rudem hominem & agreſtem aſperitas ſignificat; civilem mollities, ſi tamen hæc exceſſerit, effæminatum indicat. Unde Ariſtoteles mollem inter cætera vocem Cinædo tribuit. Obſequioſo itaque etiam homini congruet.

### §. VI.
### *De Flexibilitate & Rigiditate.*

Rigiditas vocis ex rigiditate præſertim & inflexibilitate tracheæ naſcitur: at inflexibilitas ac rigiditas tracheæ & membri ex frigore ortum ducit. Unde inflexibilitas vocis, cum ex cauſa inſtrumentaria naſcitur, frigiditatem ejus partis indicat. Quæ cum ſit adeo conjuncta partibus ſpiritalibus, pulmoni ſcilicet, & propinqua cordi, non videtur eſſe poſſe frigida absque aliquo frigiditatis gradu in corde. Rigida ergo & inflexibilis vox, cum ex inſtrumento procedit, frigidiuſculum cor monſtrat. Unde timidum hominem quoque indicat.

At naſci etiam poteſt ex tenore inflexibili animi; ut ex eo tenore procedat quoque par & æqualis aëris in tracheam influxus propulſioque, indeque nunquam deflexa vox.

Sit itaque canon. Cum ex cauſa effectrice naſcitur inflexibilitas vocis, contumacis animi eſt ſignum: flexibilitas contra, placidi. Diſcernemus vero, utra ex cauſa procedat inflexibilitas: ex efficientene, an ex inſtrumento, reliqua conferendo indicia. Si enim nusquam alibi contumacia morum appareat, frigidum intelligemus hominem; ſi contumacem morem deprehenderimus in reliquis, ex hoc ipſo ſigno contumacia ejus confirmabitur.

## CAPUT TERTIUM.
## *De Loquutione.*

### §. I.
### *Quæ nunc in loquutione conſiderentur.*

In loquutione tum ea includuntur, quæ de voce jam diximus, tum præterea propria quædam, ſignificatio ſcilicet & character, ſive idea.

Verum de ſignificatione hoc præmitto: eam, quæ principia electionis noſtræ indicat, pertinere ad primaria ſigna animi noſtri, ac morum noſtrorum, non ad ſecundaria & annexa, quæ modo tradimus. Nunc ergo ſignificationem ipſam per ſe orationis accipimus; verbi gratia, ſi

quis

*nens ſingultifica excrementa, quæ de ſanguinis exustione gignuntur, dum ſuffocationem metuit, animam cogit, ut quamplurimum muſculis motum præbeat, majoremque inſpirationem atque exſpirationem efficiat. &c.*

(*a*) *Oſcitatio.*) Oſcitationem in nixu letalem eſſe, ſicut ſternuiſſe a coïtu abortivum, ex PLINII SECUNDI *Lib. VII. H. N.* tradit GELLIUS *L. 3. cap.* 16. *noct. atticar.*

(*b*) *Torpentis animi ſignum.*) *GELLIUS l. c. L. IV. cap.* 20. ad ſeveritatem ſectæ diſciplinæque cenſorum refert, quod deliberatum fuerit de nota ejus, qui ad cenſores ab amico advocatus eſt, & in jure ſtans clare nimis ac ſonore oſcitavit: *tanquam illud indicium vagi animi foret & allucinantis. & fluxa atque aperta ſecuritatis*

(*c*) *Aſperitas gignitur.*) Singulare artificium vocem reddendi aſperam de Germanis memorat TACITUS *Cap. 3. de moribus Germ. Affectatur,* inquit, *præcipue* aſperitas ſoni, & fractum murmur, objectis ad os ſcutis, quo plenior & gravior vox repercuſſu intumeſcat.

(*d*) *Mollis vox.*) Bene de oratoris voce obſervat CICERO *L. 1. Offic. Cap. 37. Cum,* inquiens, *orationis indicem vocem habeamus; in voce autem duo ſequamur, ut clara ſit & ſuavis; utrumque omnino a natura petendum eſt. Verum alterum exercitatio augebit, alterum imitatio preſſe loquentium & leniter. - - Sit igitur hic ſermo, in quo ſocratici maxime excellunt, lenis minimeque pertinax, inſit in eo lepos.* Oratoris autem circa vocem moderandam officium egregie exponit judicioſiſſimus BALTHASAR CASTILIO *in aulico Lib. I. p. m. 60.* qui locus omnino legi meretur.

Digitized by Google

quis dixerit, ſe in fornicem iturum, ad explendam Venerem, ſignificat principia electionis ſuæ; at ſi quis Priapeja carmina volutet ore, & demum turpiloquio gaudeat frequenti, eſt ea orationis ſignificatio ipſa per ſe obſcœna, absque expreſſione alicujus electionis principiive agendi: quæ ſignificatio ad hunc locum attinet.

Character, ſive idea continet nunc mihi quæcunque in oratione a Rhetoribus conſiderantur; ex illis enim naſcitur: nempe ex ſimplicibus partibus, nominibus ſcilicet eorumque virtutibus, & ex compoſitæ jam ac continuatæ orationis virtutibus, quæ præſertim in emendatione, in collocatione, & in figuris conſiſtunt. Mollis ex collocatione, figuris, & nominibus oratio character erit, qui ſignificabit etiam animum dicentis mollem. Vt de Mæcenate ex mollitie ejus orationis judicatum legimus. Alia eſt in uſu nominum differentia, dum vel nomina in ſua integritate adhibentur, vel invertuntur ad delitias. Mulierculæ interdum ita deſipiunt; vel blæſa pronunciantes nomina, vel contracta, & immutata. Verbi gratia amaſium puppum vocant & corculum & paſſerculum.

## §. II.

*Canones continet.*

Can. 1. Materia orationis, qua quis frequenter delectatur, conſimilem *morem in ejus animo* (*a*) ſignificat. Nempe laſcivum animum præ ſe fert, qui laſciva oratione gaudet; & qui ſemper de re, & de lucro loquitur, avarum; qui non niſi in truculentorum factorum commemoratione verſatur, totoſque in ea re dies ponit, truculentos mores in animo ſuo reſidere demonſtrat. Vera enim ſunt illa:

*Navita de ventis, de tauris narrat arator.*

Et

-- -- *Tractant fabrilia fabri.*

Canon 2. Si rem ipſam per ſe ſpectemus, quali orationis idæa quiſpiam ad alterum utitur, eundem etiam affectum & morem præ ſe fert; nempe, qui laſciva idæa, laſcivum animum, qui modeſta modeſtum. De laſciva eſt illud Juvenalis:

-- -- *Non eſt hic ſermo pudicus*
*In vetula, quoties laſcivum intervenit illud:*
Ζώη καὶ ψυχὴ. *Modo ſub lodice relictis*
*Uteris in turba?*

Compellationes ſcilicet ejusmodi laſcivæ, quibus quiſpiam in turba utatur, vocando quosque *vitam & animam* (Græce autem tum) animum laſcivum ſignificant, ex Poëta & recte. Pariter, qui modeſtis utitur compellationibus, & figura demum, modeſtum. Huc pertinent loquutio ſtabilis, quam tribuit Ariſtoteles magnanimo; celer, quam tribuit circa parva ſatagentibus. Item illa Terentii indicant laſcivientem, & prurientem hominem:

*Inverſa verba*, (*b*) *everſas cervices tuas,*
*Gemitus, ſcreatus, tuſſes, riſus.*

## §. III.

*Annotationem continet.*

Hæc ita dicuntur, cum ſimulationem ceſſare ſupponitur. At ſimulatio pervertit ſignificationem, cum advenit. Nempe modeſta oratio tegit immodeſtum animum. Ut erat mihi colonus, quo nemo in excipiendis mandatis ac imperiis meis, coram me lenior, reverentior, ac promptior: & contra, ubi libere loqui poterat, nemo acrius conquerebatur, nemo magis gravia juſſa dicebat, nemo ægrius perficiebat.

Ex hac conſideratione duxit Michael Scotus canonem: ſcilicet, modeſtam orationem eſſe argumentum hominis doloſi. At vera eſt converſa: doloſum ſcilicet hominem uti modeſta oratione; non convertitur autem, modeſtam orationem eſſe doloſi hominis, eſt enim etiam modeſti. Quod ſi immodeſtum aliis in rebus modeſta videamus uti oratione, tum doloſum, & inſidioſum judicare oportet.

# CAPUT QUARTUM.

## *De motu corporis totius.*

### §. I.

*De Longitudine greſſuum.*

In motu corporis primum totius corporis motum conſideremus. Eſt autem ingreſſus, & ſaltus, & curſus totius corporis motus. Ingreſſum præſertim conſiderare oportet. In quo duo conſiderat Ariſtoteles in Phyſiogn. longitudinem brevitatemve greſſuum, & tarditatem velocitatemve eorundem.

Longitudo greſſuum non ſimpliciter accipienda, ſed reſpectu corporis: ſecus ſolum alti cor-

(*a*) *Morem in ejus animo.*) Hinc & illud SOCRATIS, apud APULEJ. *Lib. XI, flor. p.* 122. qui judicabat; optimum animi indicem eſſe orationem, notiſſimum eſt: *Loquere, ut te videam.* CICERO autem *L. V. Tuſc. Quæſt. c.* 47. docet: *Qualis cujusque animi affectus eſſet, talem eſſe hominem; qualis autem ipſe homo eſſet, talem eſſe ejus orationem: orationi autem facta ſimilia, factis vitam.* Plura hujus rei teſtimonia vide apud WALCHIUM *Diſſ. ſæpe cit.* §. 10.

(*b*) *Inverſa verba.*) Quod HORATIUS *L.* 4. *Od.* I. exprimit:

*Cur facunda parum decoro*
*Inter verba cadit lingua ſilentio?*



Digitized by Google

corporis, & longorum crurium greſſus longi eſſe poſſent. Verum unuſquiſque *pro corpore ſuo*, (*a*) & longos & breves greſſus habere poteſt. Atque ita ſumpta longitudo ſignificat robur facultatis moventis, & ſuſtinentis corpus. Dum enim movemur, corpus unico quieſcentis cruris fulcro ſuſtinetur; quod difficilius eſt, quam duobus cruribus ſuſtineri, duobusque ideo fulcris: quo vero longius alterum crus projicitur, eo amplius creſcit difficultas, ut robuſtiore ad id potentia opus ſit, Fit hinc, ut *ſeniores brevioribus* (*b*) multo gradibus utantur. Matthæus Merenda civis noſter valde ſenex breviſſimis utebatur proxime greſſibus. Pariter infirmi eadem utuntur brevitate. Brevitas itaque greſſuum imbecillitatem quandam ſignificat. Ex qua imbecillitate Ariſtoteles licet cauſam ſuppreſſerit, in Phyſiognomico deduxit: *brevis greſſus homines minime perfectivos eſſe*. Scilicet non adducere ad finem, & ad perfectionem, abſolutionemque opera; nempe ex imbecillitate virtutis motricis, arguit imbecillitatem exequentis.

### §. II.

*De celeritate greſſuum, ac tarditate.*

At *celeritas motus* (*c*) ac greſſuum concitatum ſpirituum impulſum, proindeque concitatum animum ſignificat. Unde vehementis hominem deſiderii indicat, ſeſeque illi permittentis. Exigitur præterea membrorum expedita ad motum conditio. Craſſi & pingues homines, quibusque turgent mole membra, minus ſunt ad motum expediti, quam ſicciores & nervoſi: calidi itaque & ſicci, celeres ſunt utramque ob cauſam. Tarditas contra naſcitur ex contrariis cauſis: nempe ex deſiderio remiſſo. Quæ remiſſio vel naſcitur ex rerum contemptu, eſtque magnanimi hominis, cui idcirco Ariſtoteles motum tardum tribuit; vel ex animi frigiditate, eſtque ſocordis, & pigri.

Ex celeritate Ariſtoteles arguit hominem aptum ad negocia abſolvenda. Et jure; caliditas enim actuoſos reddit, & celeritas ipſa aptiſſima eſt ad rem abſolvendam; niſi tamen tanta fuerit, ut ſe ipſam perturbet, inſtar aquæ exire properantis ex anguſto vaſe. Videmus enim pariter aliquos eſſe homines mira feſtinatione, *huc illuc diſcurrentes*, (*d*) nec tamen quicquam abſolventes: alios contra plurima agere, quieſcentium inſtar, & actu otioſis ſimillimos. De Piſone Paterculus *lib. 2. Nemo magis, quæ agenda ſunt, egit ſine ulla oſtentatione agendi.*

### §. III.

*Canones continet Ariſtotelis in Phyſiognomico cap: 10.*

Canon 1. Ariſtoteles ergo hos canones ſubjicit. *Qui longi ſunt ac tardi greſſus, ſunt tarditate moleſti, & perfectivi.* Scilicet abſolventes opera. Ratio vero eſt; quoniam longitudo greſſuum eſt efficax, tarditas vero cunctabundum, diuque deliberantem reddit hominem.

Canon 2. *Qui brevis & tardi greſſus, tarditate moleſtus, non perfectivus.* Etenim breviter tardeque ingredi, minime efficax eſt ad perficienda opera.

Canon 3. *Qui longi & celeris greſſus, non moleſtus tarditate, perfectivusque eſt.* Quoniam celeritas perfectiva, & longitudo non inefficax.

Canon 4. *Qui brevis & celeris greſſus, non moleſtus tarditate, & non perfectivus.* Præfero nempe lectionem negativam affirmativæ, quæ quidem in codice græco aliquo reperitur, at aſteriſco etiam notatur, eique altera ſubſtituitur.

### §. IV.

*Ex fundamentis poſitis Canones deducuntur.*

A canonibus Ariſtotelis non recedunt jacta fundamenta. Ex quibus itidem ſumitur, eos, qui longorum ſunt greſſuum ac tardorum, eſſe actionum ſuarum perfectiores, & diuturnæ etiam deliberationis; at cum procedit tarditas ex contemptu rerum, eſſe magnanimos. Remiſſæ cupiditates non ſatis habent locum cum longitudine greſſuum. Nempe hæc robur poſcit, adeoque calorem; illæ vero frigidæ temperiei innituntur. Celeritas & longitudo greſſuum cum validis cupiditatibus, validitatem quoque facultatis exequentis ac robur ſignificat. Ut actuoſum hominem adducentemque ad finem ſuas operationes indicet. Magis nempe exequentem, non tamen æque deliberantem, ac æquali maturitate atque longorum & tardorum greſſuum homo. Celeritas motuum & brevitas greſſuum acutas cupiditates, at imbecillitatem virtutis ſignificat. Unde ob celeritatem non mature deliberat, ob imbecillitatem exequutricis virtutis ad finem non perducit actiones cœptas. Alexander Mantuſellius ejuſmodi inceſſu ingrediebatur, & a moribus ſignificatis non abhorruit. Pigri hominis præſertim videntur eſſe greſſus parvi & tardi: nam pigrities cum naturali propenſione innititur, frigiditatem temperamenti expoſcit, adeoque imbecillitatem virtutis. Modeſti, ut qui refractas habent cupiditates, tardorum greſſuum ſunt, ut Ariſtoteles dicit *Phyſiogn. cap.* 6. longorum autem, eo quod ad exitum potentes ſint cœpta adducere.

§. V.

(*a*) *Pro corpore ſuo.*) De ſtadio ad greſſus Herculis emenſo, ſupra ex GELLIO quædam adducta ſunt.

(*b*) *Seniores brevioribus.*) Hinc OVIDIUS de ſene canit:

*Nec pes officium, quod fuit ante, facit.*

(*c*) *Celeritas motus.*) APHRODISEUS *in problem. phyſic. n.* 28. *Minus prudentes*, inquit, *cum ingrediuntur, ſeſe quaſi ſuſpendunt, quia ut invalidus gubernator haud in rectum navem agit, ita marcidior anima corpus.* Greſſum celerem adſcribit VIRGILIUS ſemper deabus, ut patet ex *Aen. I.* ubi de Venere ſic canit:

*Virginis os habitumque gerens, & virginis arma Spartana: vel qualis equos Threïſſa fatigat Harpalice, volucremque fuga prævertitur Hebrum.*

(*d*) *Huc illuc diſcurrentes.*) Cujuſmodi ſunt ardeliones, quorum egregium characterem nobis ſiſtit PHOEDRUS initio *Libri III. fabularum.*

§. V.

*De motione inæquali.*

Aliqui *inæquali motu* (*a*) gradiuntur, nunc ſcilicet velociore, nunc tardiore. Quæ motuum inæqualitas argumentum eſt inſtabilitatis morum. Inſtabilitas autem ſæpe comes eſt vitii, vel diſpoſitionis pravæ ex Ariſtotele 9. *Ethic. cap.* 4. qui improbis tribuit diſſenſionem a ſeipſis, & jugem in animo pugnam. Non injuria in Catilina exprimit Saluſtius inæqualem inceſſum, ut indicem ejus improbitatis. Verba ſunt: *Igitur color ei exanguis, fœdi oculi, citus modo, modo tardus inceſſus; prorſus in facie vultuque vecordia inerat.* Sit ergo Canon.

Inæqualitas inceſſus, qui ſcilicet modo citus eſt, modo tardus, ſemper inſtabilitatem morum ſignificat, ut plurimum autem improbitatem etiam.

Declarandus vero & accipiendus canon, cum inæqualitas ejusmodi de more ineſt, non ex electione, & propoſito. Dico ex electione & propoſito: ſi quis exempli gratia ad ſui exercitationem celeriter ambulat, deinde pro gravitate ſua in reliqua ambulatione tarde incedat.

# CAPUT QUINTUM.

## *De motu eodem univerſi corporis cum figura aliqua itidem corporis.*

§. I.

*De inceſſu cum erecta cervice.*

Inceſſus cum erecta cervice *ſuperbiam* (*b*) ſignificat. Unde Niceta Choniates Latinos, quos ſuperbos aſſerebat, erecta incedere cervice deſcribit. Horum, qui erecta cervice longis & tardis greſſibus ingrediuntur, ſumma ſunt ſuperbia: at qui celeriter ambulant, refractam ſuperbiam ſignificant; at qui brevium ſunt greſſuum, ſuperbiolam & ipſi ſuam obtinent, ſed parum efficacem.

§. II.

*De inceſſu cum inflexa cervice.*

Canon 1. Incedentes cervice inflexa, in anteriorem partem cogitabundum habitum præ ſe ferunt.

Canon 2. At ſi cervix inflexa fuerit in partem dexteram, argumentum id Cinædorum, ſcribit Ariſtoteles.

Canon 3. Inceſſus autem inflexa cervice ad ſiniſtram Thraſonum habitus videtur eſſe. Is enim geſtus aptiſſimus ad educendum enſem. Unde qui vocari amant, *manu ad enſem*, ut vocabatur Aurelianus poſtea Imperator, optime ſe in ea corporis figura componunt. Quoniam vero fortis extra occaſionem mitis eſt, ut dicit Ariſtoteles, qui perpetuo ſe in pugnandi habitu componunt, ſimulare potius fortitudinem, quam exercere & habere videntur. At ſi naturalis fuerit habitus is corporis, fortitudinem naturalem ſignificat. Quod confirmatur, quia ex Plutarcho Alexander Magnus ita ad ſiniſtram parum perflexam cervicem habebat. Adamantius vero dicit eſſe ignorantes, & Albertus ſtultos, qui ita inflexa cervice incedunt. Si ex imitatione & fictione contracta ſit ea figura, recte ſe habent Canones Alberti, & Adamantii. Thraſones enim inepti ſunt homines. Unde de Thraſone, quem in Eunucho adducit Terentius, Gnatho dicit:

*Fatuus eſt, inſulſus, tardus.*

At ſi ſit ex naturali habitu, non recte dicuntur; neque etiam Alexander fuit fatuus, &c.

§. III.

*De inceſſu cum geſtu, figurave corporis actioni alicui accommodata.*

Qui incedunt cum geſtu aliquo actioni cuipiam conveniente, indicant ſeipſos in eam actionem propenſos. Verbi gratia mulier, quæ in morem criſſantis movetur, ambulatque: vir, qui in morem ceventis. Neque vero Perſius ſine amarulentia in Romanos proceres, dum laudabant & admirabantur carmina publice decantata (a Nerone forte) protulit illud:

*An Romule ceves?*

Licet cum illi tum incederent, ſed ſtarent, pertineat potius ad ſequens caput.

Ex hoc forte Canone pendet illud Ariſtotelis: *Qui pedibus, & cruribus inverſis ambulant, effeminati.* Ea enim figura ad Veneris exercitium apta eſt. In idæa autem cynædi flexibilem genu ipſum dicit. Quod ſignum ex eodem pendet fundamento.

# CAPUT SEXTUM.

## *De motu partis corporis.*

§. I.

*De motibus brachiorum & manuum. Canones ea de re Ariſtotelis.*

Aliqui inter loquendum *manus & brachia jactant*, (*c*) motitantve. De quorum motibus Ariſtot. canonem hunc protulit: *Idem de eorum motu dicendum, quod de greſſibus, deque ingreſſu dicitur.* Quocirca, qui brevi motu ac celeri manum brachiumve jactat, inſtar ejus erit, qui greſſibus brevibus

(*a*) *Inæquali motu.*) A quo greſſu nos & dehortatur CICERO *L.* 1. *Offic. Cap.* 36. *Cavendum eſt*, inquit, *ne aut tarditatibus utamur ingreſſu mollioribus, ut pomparum ferculis ſimiles eſſe videamur, aut in feſtinationibus ſuſcipiamus nimias celeritates: quæ cum fiunt, anhelitus movetur, vultus mutatur, ora torquentur: ex quibus magna ſignificatio fit, non adeſſe conſtantiam.*

(*b*) *Superbiam.*) Vide WALCHII *Diſſ.* § 8. *p.* 40. Hoc & præteritum Caput egregie quoque illuſtrabit JOH. GOTLIB HEINECCII Diſſ. *de inceſſu animi indice.*

(*c*) *Manus & brachia.*) Cujusmodi exemplum vide apud GELLIUM *noct. att. L.* 1. *Cap.* 5. Et ſpectat huc illud VIRGILII:

*Sic oculos, ſic ille manus, ſic ora gerebat.*

Digitized by Google

vibus ac celeribus utitur; qui longius jactat ac celeriter, inſtar gradientis longis greſſibus, & celeribus. Idemque eſt de his atque de illis judicium faciendum. Quod pariter de reliquis eſt aſſerendum.

### §. II.

*Canones alii ex authoris ſententia additi.*

Motiones inter loquendum brachiorum manuumque, cum validæ fuerint, demonſtrant magnum imperium facultatis ſignificatricis in corpus: cum nedum in vocalia inſtrumenta influat, ſed in brachia, & manus; & eo usque res procedit, ut quidam rotent caput. Supploſiones pedum ſunt oratori frequentiores, vel erant antiquitus, ut apud antiquos Rhetores legimus. Immodice autem aperire ſua ſenſa, ſimplicis & levis eſt hominis: at immodice tegere, eſt occulti & latentis. Ad *Herenn. Cic. in Bruto Qintil.*

Canon 1. Qui itaque immodica celeritate, ac minutis motibus manus digitosve jactant ac brachia, leves, ac ſimplices ſe demonſtrant. Hortenſius orator geſticulator fuit, & levem etiam ſe præbuit hominem.

Canon 2. Qui earundem partium motibus longis ac majoribus utuntur, verum non celeribus, apertos quidem ſe, at graves tamen ſignificant.

Canon 3. Qui ab omni motu abſtinet, tectum ſe præfert, vel frigidum & ſegnem. Ab alterutra vero cauſa procedat effectus, eſt ex aliis ſignis & conjecturis dijudicandum.

### §. III.

*Exceptio traditur.*

Verum excipere oportet, niſi ex vitæ inſtituto, aſſuetudineque in eum ſe morem aliquis compoſuerit. Conſtantius Imperator ob affectatam gravitatem immotus adeo perſtabat, ut pro homine vivente ſimulachrum viventis credi poſſet. *Hiſpani nunc* (*a*) in ſimilem ſeſe gravitatem componunt, ut non facile ſit in illis geſticulationes manuum videre. Si qui ergo ex inſtituto exteriorem compoſitionem ſequantur, non licet ex motibus, eorumve ceſſatione interiorem animi cultum in ipſis arguere.

### §. IV.

*De motibus reliquarum partium.*

Movere autem inter loquendum reliquas partes, ſignificat earundem partium multam exercitationem. Ut ſuſpicari jure poſſimus de illis, qui inter loquendum cevent (veluti proximo capite ex Perſio de Romanis diximus) ne ſint illi motui longa & turpi exercitatione aſſueti.

## CAPUT SEPTIMUM

## *De corporis cultu.*

### §. I.

*Quæ cauſa cultus corporis & contrariæ omiſſionis.*

Cultus corporis non ab unica pendet cauſa neque etiam contraria omiſſio. Cultus enim eſſe poteſt ex libidine; ut formoſior ſcilicet ex ornatu appareat, unde ſpectatores, aut ſpectatrices facilius in ſui amorem alliciat. Poteſt etiam ex ſuperbia, ambitioneve procedere, ut ſit admirationi cæteris excellentia veſtium.

Contraria autem omiſſio ex tribus præſertim cauſis pendere poteſt. Ex contemptu exterioris ejusmodi cultus, qui contemptus, vel ex ſpretu vulgaris honoris oritur, ut in magnanimis: vel ex cultus interioris amore, ut in contemplationi deditis: vel demum ex diſtractione in potiorem curam. Secundo loco pendere poteſt ex avaritia. Tertio ex pigritia & ſocordia. Qui ex pigritia cultum omittunt, ſordibus usque corporis fœdantur. Eodem enim vitio impediuntur, ne ſe lavent, comantque, & eum demum laborem in ſui cura ponant, qui ad civilem corporis cultum exigitur. Sint jam canones.

### §. II.

*Canones ex cultu corporis.*

Canon 1. Cultus corporis in veſtibus ſumptuoſis absque mollitie, ſignificat *hominem ſuperbum*, (*b*) ambitioſumve, cum exceſſerit conditionem ejus, intra vero ſtatus ſui limites *hominem magnificum*, (*c*) aut ſaltem honoris ſtudioſum. *Cæſar* (*d*) in Commentariis ſcribit, adven-

(*a*) *Hiſpani nunc.*) Vide GUNDLINGIUM *in otiis* P. I. c. I. quod totum *de temperamento Hiſpanorum* agit.

(*b*) *Hominem ſuperbum.*) Imo vero ſplendor veſtium non ſemper ſuperbiam coarguit, ſed ſæpe in ſplendida pretioſaque purpura animus latuit demiſſus & humilis, contraque ſub pannoſo ſordidoque pallio vaſta mens & elata, ut recte judicat WILH. INSULANUS MENAPIUS in dialogo *de aula*, Caſtilioni ſubjecta p. m. 393.

(*c*) *Hominem magnificum.*) Veſtes triumphales apud Romanos olim pretioſiſſimæ erant, purpura ſcilicet & auro contextæ, quam purpuram LIVIUS L. I. Belli macedonici veſtem pictam appellat. De quo FESTUS POMPEJUS dicit: Ea veſtis, quæ nunc picta toga dicitur, antea purpurea vocata eſt, eratque ſine pictura. De veſte palmata, itidem victoriæ ſigno, vide ALEXANDRUM ab ALEXANDRO *Lib. V. c. 8. Genial. dier.* Alii *ſcutulatam*, *Phrygiatam*, *Surculatam*, *Ungulatam*, & *Clavatam* inter triumphales veſtes annotarunt. Colorum in veſtibus ſplendorem triumphis aptiorem eſſe, docet etiam BALTH. CASTILIO *in aulico L. 2. p. m.* 125. Veſtitum magnificum Principibus competere, adducto Trajani & Alexandri M exemplo, oſtendit BOECLER *in Comment. Plinian. Cap. 2. §. 14. T. I. Oper. p.* 683. Nos in præſentia VIRGILII Aen. I. verbis dabimus magnificum cultum Didonis

*At domus interior regali ſplendida luxu*
*Inſtruitur, mediisque parant convivia tectis,*
*Arte laborata veſtes oſtroque ſuperbo:*
*Ingens argentum menſis celataque in auro*
*Fortia facta patrum.*

(*d*) *Cæſar.*) Quæ hic de veſtitu Cæſaris dicuntur, exſtant *L. VII. de B. Gall. Cap* 88. §. 1. De veſtitu Alexandri M. vide PLUTARCHUM de *fortuna aut virtute Alexandri L. I. p. m.* 104. quem, quod veſtes ſubinde mutaverit, epi-

epi-

Digitized by Google

ventum ſuum ex colore veſtitus cognitum, quo inſigni in prælus uti conſueverat. Cyrus ex Xenophonte *Lib.* 8. *Cyrop. Plin. lib.* 9. *hiſt. c.*35. auguſtiſſimum habitum ſumpſit, cum primum poſt adeptum imperium palam ſolemniter prodiit. Cum quadrigenties ſeſtertium ornatu ſeſe comebat Lollia; & dignitatis, ac formæ honorem quærebat.

Canon 2. Cultus veſtium, cum mollitie præſertim corporis, *laſciviam* (*a*) indicat tum in fœminis, tum maxime in maribus. Veſtes illæ translucidæ, quibus non magis tegebantur fœminæ in via adulteris, quam in cubili, impudicitiam ſane monſtrabant. At *cultu corporis molli* (*b*) præſertim accedente, impudicitia arguitur. Veluti ſi juvenem purpuriſſo infectum quis viderit, crinibus ferro in cincinnos contortis, evulſis crurium & brachiorum pilis, præſertimque podicis; ut illud Satyrici, *Podice levi.* Quis inquam ejusmodi juvenem non turpiter laſcivum crediderit?

Canon 3. Si quis *non admodum pretioſis* (*c*) veſtibus, & illis non ordinate admodum & concinne diſpoſitis utatur, judicari debet in majorem, quam corporis cultus curam diſtractus. Ita Cæſar male præcinctus incedebat: ut recte in eo Sylla conjecerit animum magna molientem, vel moliturum, idque monuerit Pompejum. *Cave tibi a puero malè præcincto.* Meliusve multo judicavit, quam Cicero, qui ex eodem cinctu molli Cæſarem eſſe imbecilli animo crediderat.

Canon 4. Si quis veſtibus utatur vilis pretii, at illis diligenter accommodatis, & reſartis; ſi pauper fuerit, politum; ſi dives, avarum hominem ſe præbet. Nam cultus ſtudio tenetur: at *ſumptui parcit* (*d*) infra dignitatem ſuam & facultates: quod eſt avaritiæ.

Canon 5. Si quis veſtibus non vilibus, at immundis utatur, & multis ſordibus præterea corporis ac ſquallore inficiatur, ſe ſocordem & pigrum ſignificat, non avarum.

Canon 6. Si quis, & vilibus veſtibus, & protritis & immundis utatur, ſeſe ad extremum avarum ſignificat. Nam extrema avaritia adeo in curam rei diſtrahit animum, ut nulli alii negocio, ac curæ vacare poſſit. Videmus nunc N, hominem ditiſſimum veſtimentorum puſillitate, ac immundicia, *corporisque illuvie* (*e*) deſpicabilem omnibus ſe præbere.

Canon 7. Utrum autem ex pigritia, an ex occupatione aliarum curarnm quis ſit ſordidus, dijudicandum eſt, conſiderando, num in aliqua re ſit is diligens. Si enim in aliqua diligens erit, ex occupatione, non ex ſocordia. Idem, quem modo diximus, aſſidet ſumma cum diligentia frumentorum menſuræ; neque pulvere deterretur; pauloque vegetior olim ætate prædia ſua circumibat; quæ diligentiam ſignificant, non pigritiam; ex divitiarum ergo cura ſordes.

Canon 8. Utrum vilis pretii veſtis uſus ex avaritia ſit, an ex contemptu cultus exterioris, ob aliquam interiorem curam, ex reliqua hominis vita æſtimari poteſt. Si enim videamus hominem *ſtudiis occupatum literarum*, (*f*) vel *militiæ*, (*g*) vel alicujus artis, atque in eo non multam accumulandi curam ex reliqua vita colligamus, certi erimus, non ex avaritia exiguitate veſtium uti. Philopomenes toto animo in militaribus meditationibus occupatus, veſtitus ornatum ſpernebat. Gottofredus Bullionius ex magnanimitate gregario amictu induebatur, ut vel herbæ ſacco inſidens Ægyptios oratores exceperit; qui tamen in tam exiguo cultu virtutis illius majeſtatem agnoverunt, & reveriti ſunt.

CAP.

criſi eleganti notat BOECLER *Comment. Plinianar. C.VI.* §. 17. *T. I. Oper. p.* 763. MICHAELIVS LÆTVS *L.* 2. *rer. danic.* de veſtium luxu & varietate fuſius tractat, Germanoque orbi per Maximiliani primum bella infuſum id genus mali autumat.

(*a*) *Laſciviam.*) *Qualem indicat* HORATIVS *Lib.* 4. *Oda* 9. Non ſola comtos arſit adulteri Crines, & aurum veſtibus illitum Mirata, regalesque cultus, Et comites, Helene Lacona. Merentur huic illuſtrando adſcribi, quæ habet PLUTARCHUS *in apophtegm. lacon.* T. I. Oper. p. 63. Sermo Geradatæ cujusdam Spartiatæ antiquiſſimi memoratur, qui ab hoſpite rogatus, quid adulteri Spartæ patiantur, nam ſe nullam videre legem ſuper hoc a Lycurgo latam. *Nullus, o hoſpes*, inquit, *adulter apud nos eſt.* Sed illo ſubjiciente, ſi igitur fieret? Idem Geradatas: *Quonam*, inquit, *modo adulter Spartæ fiat, ubi & divitiæ & deliciæ & corporis ornamenta in nullo ſunt honore, pudicitia autem ac modeſtia ac magiſtratuum obſervantia magno æſtimantur.*

(*b*) *Cultu corporis molli.*) Bene monet Poëta quidam:

*Abſint a nobis juvenes, ut femina comti,*
*Fine coli modico, forma virilis amat.*

Quo & reſpiciunt verba CICERONIS *L. I. Offic. Cap.* 36. *Cum pulchritudinis*, inquit *duo ſunt genera, quorum in altero venuſtas ſit, in altero dignitas; venuſtatem muliebrem ducere debemus, dignitatem virilem. Ergo & a forma removeatur omnis viro non dignus ornatus: & huic ſimile vitium in geſtu motuque caveatur.* Nec minus egregie hanc in rem philoſophatur BALTHASAR CASTILIO *in aulico Lib. III. p. m.* 207. Veſtibus ratio nec nimis diſſoluta ſit, quod eſt ruſticitatis, nec nimium mollis, quod eſt inconſtantiæ & levitatis. Sed quoniam mulieribus a natura conceditur majorem in forma operam collocare quam viris, quoniam ipſius quoque formæ diverſa ratio eſt, ſummo judicio perpendendum erit, quæ veſtimenti formula cum primis deceat. &c. Hactenus CASTILIO.

(*c*) *Non admodum pretioſis.*) Bene monet CICERO *L. I. Offic. Cap.* 36. *Adbibenda eſt*, inquit, *præterea munditia non odioſa neque exquiſita nimis; tantum quæ fugiat agreſtem & inhumanam negligentiam. Eadem ratio eſt habenda veſtitus, in quo ſicut in plerisque rebus, mediocritas, optima eſt.*

(*d*) *Sumtui parcit.* Qualem Umidium depingit HORATIUS *Lib. I. Sat. I.*

- - - *Dives*
*Ut metiretur nummos: ita ſordidus, ut ſe*
*Non unquam ſervo melius veſtiret. &c.*

(*e*) *Corporis illuvie.*) Abdolonymum non ex avaritia, ſed paupertate & vitæ genere illuvie hac laboraſſe, notum eſt, de quo CURTIUS *Lib. IV. Cap. I.* ſcribit: *Habitus hic, quem cernis in meis manibus* (*ſunt verba legati*) *cum iſto ſqualore permutandus tibi eſt. Ablue corpus illuvie æternisque ſordibus ſquallidum &c.*

(*f*) *Occupatum litterarum.*) Ut exemplo SCHURZFLEISCHII, viri magnæ eruditionis & celebritatis conſtat.

(*g*) *Militia.*) Ageſilaus cum propter veſtis tenuitatem indigenis contemtui foret, (expectabant enim Spartæ regem, ut Perſarum, decenter ac ſumtuoſe ornatum videre) eoque male de ipſo ſentirent, brevi declaravit Ageſilaus, magnificentiam & dignitatem prudentia ac forditudine parari oportere. De quo vide PLUTARCHUM *in Apophtegm. laconicis T. I. Oper. p. m.* 57. 58. Et forti viro digna ſunt verba Marii apud SALLUST. de *Bello Iugurth.* Munditias mulieribus, viris laborem convenire.



Digitized by Google

# CAPUT OCTAVUM.

## *Ad primaria ſigna morum a poſteriori tranſit. Primo enim de exteriori actione agit, quam & materiale actionis vocat.*

### §. I.

*Fundamenta dicendorum aperit.*

Hæc de ſecundariis minusque principalibus ſignis morum a poſteriori dicta ſint; ad primaria nunc tranſeamus. Sunt vero hæc actionis ipſorummet habituum, quorum aliæ ſunt internæ, aliæ externæ. Primo loco de externis agamus; poſtea de internis, ut de ſenſu obviis. In quibus, tum id, quod materiale eſt, occurrit, tum formale. Idipſum quod ſit, materiale eſt; nempe pugnare adverſus hoſtem audacter. Formale autem ſumitur a fine, ut ſi pugnet quis ob honeſtatem actionis fortis, ex fortitudine vere operetur: ſi *ob charitatem patriæ*, (*a*) ex virtute propriæ charitatis agat: ſi ob lucrum, prœmiumque promiſſum a principe, & expectatum (ut cum direptio urbis obſeſſæ militibus promittitur) ex ſtudio lucri & ex avaritia deſcendit operatio: ſi vero ad dignitates militares obtinendas & demum ad honores, quæ erat civilis fortitudo Ariſtotelis, ex ſtudio honoris vere homo tum agit. Antea rem pertractavimus, ac vidimus, ex Ariſtotele, qui furatur ob adulterium, eſſe potius adulterum, quam furem *lib. 3. partis 2. cap. 22.* Materiale ergo ſemper eſt idem pugnare pro patria; at formale eſt, vel fortitudinis, vel charitatis, vel avaritiæ, vel ambitionis &c. Et quoniam formale vere morem ſignificat, non materiale actionis; hinc fit, ut actio ipſa per ſe non indicet exacte morem: cum ex longe diverſis moribus, & habitibus poſſit eadem proficiſci. Sint itaque Canones.

### §. II.

*Canones continet.*

Canon 1. Ex *materiali ipſa actione* (*b*) exteriore morem non licet deprehendere argumento neceſſario, ſive tecmirio. Ex dictis jam ſatis patet canonis veritas; non enim ex audaci & forti pugna licet arguere hominem fortem; cum ex ambitione vel ex avaritia poſſit fortiter pugnaſſe.

Canon 2. Ex materiali tamen eadem actione frequenti naſcitur probabilis admodum conjectura moris reſpondentis. Scilicet ex pugna frequente, conjectura fortitudinis; ex frequente elargitione bonorum, conjectura liberalitatis.

Confirmatur canon; tum ex eo, quod effectum, niſi contrarium appareat, in cauſam per ſe reducimus; tum etiam ex communi hominum ſenſu, & ex Oratorum uſu, ac Rhetorum monitis. Monet Ariſtoteles in 1. *Rhet.* tum facta eſſe habitus ſigna, tum plurimum conferre ut laudatus homo ex habitu feciſſe credatur, ſi ſæpius feciſſe demonſtretur. Oratores autem ad præſtantiam virtutis celebratorum hominum exaggerandam, eorum accumulant exteriores actiones. Cicero pro lege Manilia, ſummam, imo ſummas virtutes in Pompejo demonſtravit ex iis, quæ geſſerat. Italiam liberaverat; Siciliam multis cinctam periculis explicaverat; Africam pacaverat; Galliam Romanis exercitibus ferro aperuerat: in Hiſpania hoſtes plurimos profligaverat; Servile bellum & demum Piraticum confecerat. Legiſlatores pariter ac Judices æſtimationem ejusmodi, ac conjecturam interioris habitus ex actione exteriore, frequente præſertim, pro neceſſaria habent, & evidente; vocantque præſumtionem juris, & de jure; contra quam nullam defenſionem & tergiverſationem admittunt. Ut qui furatur ex electione, atque iterum tertio, pro fure habetur atque punitur. Qui eodem modo dicit *hæreſin*, (*c*) aut hæreticale factum perpetrat, habetur hæreticus, atque ut hæreticus punitur. Hæc præſumptio violenta a Juriſconſultis; ejusque exemplum, non tamen nomen, habetur. *Extra de hæret. in 6. cap. accuſatus*, §. *ille quoque.*

# CAPUT NONUM.

## *Exemplo actionis Sejani, & erroris Tiberii confirmatur idem; ſcilicet non neceſſario colligi ex materiali exterioreque actione morem.*

Non eſſe autem ex materiali ipſa oratione ad morem & habitum neceſſariam illationem, præter ea, quæ diximus, placet repetito ſermone confirmare. Eſto vero exemplum illud Sejani, quod plurimum decepit Tiberium, verſutum alioquin & aſtutum Principem. Placet totum *verbis Taciti* (*d*) exſcribere. *At forte illis diebus oblatum Cæſari anceps periculum auxit vana rumoris: præbuitque ipſi materiam. cur amicitiæ conſtantiæque Sejani magis fideret. Veſcebantur in villa, cui vocabulum ſpelunca, mare Anuelanum inter Fundanoſque montes, nativo in ſpecu. Ejus os lapſis repente ſaxis obruit quosdam miniſtros; hinc metus in omnes, & fuga eorum, qui convivium celebrabant.*

(*a*) *Ob caritatem patriæ.*) Quæ elucet ex ſequentibus Marii verbis apud SALLUST. *de B. I. Quo univerſa reſpublica pluris eſt, quam conſulatus aut prætura, eo majore cura illa adminiſtrari, quam hæc peti debet. - - - Quamobrem vos, quibus militaris ætas eſt, adnitimini mecum & capeſſite rempubl. neque quenquam ex calamitate aliorum aut imperatorum ſuperbia metus ceperit. - -* et *profecto omnia matura ſunt, victoria, præda, laus; quæ ſi dubia aut procul eſſent, tamen omnes bonos reipublicæ ſubvenire decet.*

(*b*) *Ex materiali actione.*) Hæc exemplo volaptuoſi, ambitioſi & avari illuſtrat WALCHIUS Diſſ. *de arte aliorum animos cognoſcendi.* §. 11. *p.* 55. 56.

(*c*) *Hereſin.*) Conf. Diſſ. THOMASII: *An hereſis ſit crimen?*

(*d*) *Verbis Taciti.*) Annalium *Lib. IV.* in cujus principio vivis quaſi coloribus character ejus depingitur: *Mox Tiberium variis artibus devinxit Sejanus adeo, ut obſcurum adverſum alios, ſibi uni incautum intectumque efficeret: - - Corpus illi laborum tolerans, animus audax, ſui obtegens, in alios criminator, juxta adulatio & ſuperbia, palam compoſitus pudor, intus ſumma apiſcendi libido ejusque cauſſa modo largitio & luxus, ſæpius induſtria ac vigilantia, haud minus noxia, quotiens parando regno finguntur.*

Digitized by Google

*ſant. Sejanus genu, vultuque, & manibus ſuper Cæſarem ſuſpenſus oppoſuit ſeſe incidentibus; atque habitu tali repertus eſt a militibus, qui ſubſidio venerant. Major ex eo, & quamquam exitioſa ſuaderet, ut non ſui anxius cum fide audiebatur.* Ex hac itaque actione fidem maximam in Sejano, argumentatus eſt Tiberius, at argumento non neceſſario, ut patefacta poſtea conſpiratio detexit. Verum Sejanus, moriente tum Tiberio improviſa ea morte agnoſcebat ſe perditum iri; imperium enim in Germanici domum recidebat, cui ipſe infenſiſſimus erat. Non ergo charitate Tiberii, ſed amore ſui Tiberium fovit, totisque viribus vitæ ejus conſulit. At cum aliter crediderit Tiberius, eousque auctoritatem ejus promovit, ut paulo minus ipſe oppreſſus deinceps fuerit ab immodica infidi hominis, & ad imperium adſpirantis potentia.

# CAPVT DECIMVM.

## *De formali actione, ſive formali parte actionis.*

### §. I.

*Num electio ſit ſignum habitus, affirmantium opinio.*

Ad formalem jam actionis partem accedamus. Hæc quæ ſit vidimus: nunc repetatur, & unde deprehendatur & quomodo, diſpiciamus. Ariſtoteles videtur electionem ut habitus ſignum afferre. In *Rhetor. ad Theod. lib.* 1. *c.* 4. dicit, proprium eſſe ejus, qui *habitu jam virtutis* (*a*) potitur ex electione agere; & *lib.* 3. *Ethic. c.* 2. *in* principio dicit; electionem eſſe virtuti, id eſt habitui affinem, & magis indicare mores, quam indicet actio; & *lib.* 5. *Eth. ad Nic. c.* 8. idem diſerte tradit, ubi actiones trifariam diſtinguit: in factas *ex errore*, *in factas ex affectu*, in factas *ex electione*. (*b*) Solum hæ poſtremæ habitum ſignificant. Sunt hæc inter cætera Ariſtotelis verba: *Qui in his naturalibus affectibus, & neceſſarii lædunt & peccant, injuſte quidem agunt; ſuntque injuſte facta, nondum tamen injuſti ob hac, neque pravi ipſi homines habentur, quippe cum læſio ipſa ex pravitate minime evenerit: Nam cum ex electione læſerit quiſpiam, tum demum injuſtus & pravus eſt.* Hæc ibi Philoſophus. Ex quo dogmate illud pro canone pendere videtur. Ut qui non ex impetu affectus, ſed ex electione *adulterium* (*c*) perpetraverit, ſit intemperans habitu, ſcilicet, illo vitio ſit imbutus. Hoc idem Legumlatores aliqui interpretati ſunt, præſertimque Veneti, penes quos, qui ex affectu perpetrant homicidium, dicunt illi *a caſo puro*, mitius puniuntur; at qui ex electione, dicunt *a caſo penſato*, pœna mortis plectuntur; quaſi ſcilicet hi pravi ſunt, & ex habitu peccent, adeoque ut deploratæ pravitatis ſint ex viventium numero tollendi; illi peccent ex affectu, & poſſint emendari.

### §. II.

*Pro negativa opinione.*

At contra facit, quoniam eadem materialis actio ex electione plurium habituum eſſe poteſt, proindeque electio non ſignificat certa ſignificatione habitum, reſpondentem primo ac per ſe materiali actioni. Nempe qui vetulam divitem inhiant ad lucrum faciendam, penes Juvenalem. *Sat.* 1.

> *Noctibus in cœlum, quos evehit* optima ſummi
> *Nunc via proceſſus, vetulæ veſica beatæ.*
> *Unciolam Proculejus habet, ſed Gillo deuncem:*
> *Partes quiſque ſuas ad menſuram inguinis.*

Hi inquam ex electione peccant, at non propter voluptatem, ſed propter quæſtum, ut actio intemperantiæ materialis ex avaritia formale ſuum haberet; neque usquequaque recte ex electione actionis intemperantis intemperantem in illis hominibus habitum liceat arguere; credendum eſt enim, eos illo peccaſſe animo, quem in ſeipſo exprimit in pari agone Horatius in Ode illa 8. *Epodon.*

> *Rogare longo putidam te ſeculo,*
> *Vires quid enervet meas.*
> *Cum ſit tibi deus ater, &c.*

Nauſeabundi ſcilicet in eos complexus deſcendebant, at a deſiderio habendi impellebantur. Ariſtoteles ipſe, *Lib.* 5. *Eth. cap.* 2. ut non ſemel retulimus, diſertis verbis idem teſtatur. Iterum repetamus verba. *Adde, quod ſi alius, lucrandi gratia, adulterium committat, pecuniasque accipiat; alius tribuat, damnoque afficiatur ob cupiditatem;* hic intemperans magis eſſe videbitur, quam pluris uſurpator: ille injuſtus & non intemperans, perſpicuum ſcilicet, propterea quod *lucrandi cauſa* (*d*) id facit. Hæc ille. At ratio præterea idem ſuadet. Nam formale actionis conſiſtit in fine, ſeu ex fine pendet; at electio eſt mediorum non finis, quocirca electio formale actioni non tribuit.

### §. III.

*Veritas aperitur; nempe in fine vel ex fine eſt formale actionis.*

Veritatem nunc aperiamus. Formale ergo actionis in fine conſiſtit, vel in actionis ab eo nexu, ut antea diximus, nuncque repetimus. Quocirca ex principio, quod affertur in conſultationis

(*a*) *Habitu jam virtutis.*) Marius apud SALLUST. l. c. de ſe gloriatur: *Illis difficile eſt in poteſtatibus temperare, qui per ambitionem ſeſe probos ſimulavere; mihi, qui omnem ætatem in optimis artibus egi, bene facere jam ex conſuetudine in naturam vertit.*

(*b*) *Ex errore, affectu, electione.*) Conf. PUFENDORF. de *O. H. & C. Cap. I. de actione humana.* Et GUNDLINGIUM in *Princip. Juris Naturæ Cap. IV. de applicatione legis ad factum.* nec non CONRINGIUM eleganti *Capite XIX. libri de finibus imper. german.*

(*c*) *Adulterium.*) Hic ablego B. L. ad Commentatores Juris civilis & Conſtitutionis criminalis Caroli V.

(*d*) *Lucrandi cauſa.*) De meretricibus ſeu proſtibulis memorabile eſt dictum ULPIANI *L.* 4. *§.* 3. *de condict.* ob *turp. cauſſam:* Meretricem turpiter facere, quod ſit meretrix non turpiter accipere, cum ſit meretrix.



Digitized by Google

onis ſyllogiſmo, ſive in ratione actionis, elicitur. De principiis autem ejusmodi actionum noſtrarum ſatis jam antea. *Lib. 2. de Prud. c. 3.* Si quis ergo puellis donet, ne inopia preſſæ pudicitiam vendant; formale actionis erit is ipſe finis, qui charitatis eſt. At ſi quis eisdem daret ad eas ſtuprandas; formale tum erit intemperantium finis. Principium enim prioris actionis, ejusque rationis, quod idem eſt, finis eſt, ne puellæ pudicitiam vendant: at ſecundæ eſt ſtupri irrogatio. In inferendo Patriæ bello Cæſar libidine tyrannidis arripiendæ movebatur; hic erat ejus finis; idque formale actionis, ac deliberationis ſuæ. At militum in obſequendo tum Cæſari in eadem actione erat defendere injurias Imperatoris ſui, & Tribunorum Plebis. Ita in *Commentariis De bell. civil lib.* 1. legimus: *conclamant legionis decimæ tertiæ, quæ aderat, milites, ſeſe paratos eſſe, Imperatoris ſui, Tribunorumque injurias defendere.* quem etiam finem prætendebat Cæſar, occultans ejus obtentu finem verum. Ex fine vero formale actionis naſci ſecundum Ariſtotelem quoque, ejusque hoc eſſe dogma patet ex *2. cap. 5. Ethic.* loco proxime adducto de eo, qui lucrandi cauſa adulterium committit.

## §. IV.

*Quomodo electio ſignificet habitum, conciliantur contrariæ ſententiæ §. primi, & ſecundi.*

Ut vero intelligamus, utrum formale actionis ſignificet habitum nec ne, eſt enodanda difficultas, utrum electio ſit ſignum habitus.

Sit itaque concluſio. Qui ex electione operatur, ex aliquo habitu operatur, ſive recte operetur, ſive male. Ex partium enumeratione conſtat. Si enim male, & mala eligit, jam voluntas cedit affectibus ipſa per ſe; nam ſi ex impetu affectuum protraheretur, ut in incontinentibus, non eſſet ea electio. Jam ergo inſedit in ratione principium depravatum peccandi, quod habitum ſupponit vitii; ſolum enim vitium principia agendi pervertit, ut antea vidimus. Cum autem recta atque proba ex electione agimus, vel affectus repugnant & vincuntur, eſtque habitus continentiæ; vel affectus obſecundant rationi, eſtque habitus virtutis.

Sit ſecunda concluſio, quæ eſt declaratio quoque præcedentis. Ex electione operari, indicat quidem habitum aliquem, at non neceſſario illum, ad quem pertinet primo actio. Verbi gratia furari ex electione arguit habitum non neceſſario furandi; poteſt enim eſſe ex habitu intemperantiæ, ſi quis furetur, ut adulteretur, vel fornicetur; Veluti filii familias inducti in Comœdiis expilabant patres ad amicas comparandas. Qui ad redimendum patrem furari eligeret, ea electio non furandi, ſed charitatis habitum indicaret.

Sit tertia concluſio. Electio, ut ſumitur una cum ratione operandi, ſeu cum conſultatorio ſyllogiſmo, indicat nedum habitum in univerſum, ſed certum habitum, & determinatum; nempe habitum illum, ad quem principium agendi, quodque idem eſt finis operationis ſpectat. Verbi gratia, ſi intelligam quempiam elegiſſe furari, ut patrem captivum redimeret, cognoſco in eo habitum charitatis erga patrem. Hæc ipſa per ſe concluſio conſtat.

Quarta concluſio. Electio non quævis proba declarat virtutis habitum, ſed quæ ad actionem usque perſtat. Hæc concluſio declaratur; & probatur ex eo, quod in continenti accidit; is enim ante occaſionem præſentem peccandi recte & recta eligit, at ingruente occaſione deficit. Recta itaque ejus electio nequaquam in eo virtutis habitum indicat; & concluſiones præcedentes, quoad virtutem habitus ſpectant, cum hujusmodi declaratione ſunt accipiendæ.

## §. V.

*Formale actionis, an & quando ſignificet habitum.*

Formale actionis ſignificare morem, ſatis jam conſtat. At cum moris triplex ſit gradus, ipſa ſcilicet propenſio, quæ aliter mos naturalis dicitur, diſpoſitio accedens, & tertio ac poſtremo loco habitus contractus: Vtrum dicendum, eſt, formale actionis ſemper ſignificare habitum contractum? Et negative reſpondendum eſt. Nam & qui ex naturali more operatur, & qui ex diſpoſitione, nedum qui ex habitu, ad finem aliquem agit: juxta axioma Ariſtotelis *Omnis actio, omnis electio bonum expetit.* Erit itaque prior concluſio: formale actionis ſignificat ſemper morem, at non ſemper habitum. At ſecunda ſit concluſio: Quando formale actionis cum electione jungitur, jam habitum ſignificat. Patet ex præcedente proximo §.

## §. VI.

*Exceptio concluſionis ſecundæ §. quarti.*

Concluſio ſecunda §. quarti exceptionem & reſtrictionem ſupra cap. 9. §. ſecundi, patitur ut ſit accipienda ſecundum moralem veritatem, non ſecundum præſumtionem juris. Secus enim eſt juris *præſumtio, & de jure,* (a) ut qui ex electione furatur, ſit fur. Qui dicit ex electione & ſedato animo hæreſin, ſit hæreticus: adeo, ut qui hæreſin eo modo protulerit. aut aliud hæreticale factum fecerit, & jam ſi poſtea neget intentionem & opinionem hæreticam, attamen ut hæreticus punietur. Dicitur autem præſumtio violenta a Jurisconſultis; ut ſupra annotato loco diximus.

CAP.

(a) *Præſumtio & de jure.*) Conf. Doctores ad Tit. ff. *de probationibus & præſumtionibus* Lib. XXII. Tit. III.

Digitized by Google

# CAPUT UNDECIMUM.

## *Methodus deprehendendi formale actionis, ſive fidem ejus, ſupponendo interim, nullam ſubeſſe ſimulationem fallaciamve.*

§. I.

*Methodus in duo capita ſecatur.*

Annitamur nunc methodum tradere deprehendendi, quem ob finem quiſpiam operetur, operatusve ſit. Duplex vero eſt methodi caput; Alterum, cum ſimpliciter agitur & abſque fallacia: Alterum, cum fallacia ſubeſt, vel eam ſubeſſe ſuſpicamur. Oportet itaque eam detegere. Primo nunc loco primum caput pertractemus. Supponamus ſcilicet, qui agit, & qui loquitur, aperte, & candide agere, ac loqui.

§. II.

*Primum caput methodi, præcepta inveniendi finis traduntur.*

Quoniam ergo animi noſtri ſenſuum & notionum ſigna ſunt voces, & harum ſcripta, fit ut venari ex vocibus præſentis, & ſcriptura abſentis debeamus finem, ob quem quisque operetur. Apertiſſima vero ſignificatio eſt, cum quis diſertis verbis, expliciteque finem operationis ſuæ proteſtatur: ſi nempe dixerit, hunc ego ob finem, vel ad finem ſum operatus. Si Cæſar & Pompejus de ſe ipſis ea dixiſſent, quæ de iisdem Cicero dicit: *Lib. 8. epiſt. 11. ad Atticum. Sed neutri*, inquit, *σκοπὸς eſt ille, ut nos beati ſimus; uterque regnare vult.* (a) Interdum finis voce ſuppreſſa tamen exprimitur; cum enim dicimus aliquid nos feciſſe, vel facere, vel moliri, ut quippiam aliud conſequamur, vel alicujus rei gratia, vel cauſa, finem ſignificamus. Item quoniam finis eſt quidem in intentione primus, at in executione poſtremus; utque ipſe cauſa eſt in genere finalis cauſæ, ita eſt effectus in genere cauſæ effectricis; ideo quod aliqua effectione obtinere molimur, idipſum actionis propoſitæ finis eſt. Schemata orationum, quibus finis exprimitur, afferamus.

1. *Exemplum penes Terent. Heaut. act. 5, Sc. 1.* MEN. *Quin ego vero quamobrem id facias neſcio.* CH. *Ego ne; ut illius animum, qui nunc luxuria & laſcivia diffluit, retundam, redigamve; ut quo ſe vertat, neſciat* Intelligimus ex his, finem fuiſſe Chremetis retundere, ac reprimere animum laſcivientis filii.

2. *Exempl penes Cicer. de finibus. Ut aut voluptates omittantur majorum voluptatum adipiſcendarum cauſa: aut dolore ſuſcipiantur majorum dolorum effugiendorum gratia.* In quo exemplo & vox cauſæ ſignificat finem, & vox gratia; ut hac ratione adeptio majorum voluptatum proponatur, ut finis, nec non majorum dolorum effugium.

3. *Exempl. Cæſaris Oppio, & Cornelio penes Cic. libr. 9. ad Att. epiſt. 8. Quod mea ſponte facere conſtitueram, ut quam leniſſimumque præberem & Pompejum darem operam, ut reconciliarem. Tentemus hoc modo, ſi poſſumus omnium voluntates recuperare, & diuturna victoria uti.* Finis lenitatis Cæſaris erat diuturnæ victoriæ uſus. Id eſt diuturna dominatio; quem finem alio modo dicendi expreſſit, & clariore poſt pauca verba. *Hac nova ſit ratio vincendi, ut miſericordia, & liberalitate nos muniamus.* Sit canon.

Semper effectus rationem finis habet ad cauſam ſuam effectricem, vel finis proximi, vel remoti.

Quo finis autem remotior eſt, ac ulterior, eo eſt dignior & verior finis. Patet ex ſuperioribus. Nempe lenitatis Cæſaris finis proximior erat recuperare voluntates hominum. Hujusmodi autem recuperationis finis erat diuturnæ victoriæ uſus, ſive ſecura dominatio. Verior itaque finis erat dominatio, quam voluntatum reconciliatio: nam & ulterior.

§. III.

*Quibus ex locis finis ſit eruendus.*

Ex verbis vero & ſcriptura vidimus finem erui poſſe. Inter ſcripturas autem epiſtola præſertim animum aperit: cum ad familiarem intimum ac fidum ſcribitur. Ex loquutione ſubita & improviſa ſincerius, quam meditata finem aperit. Subdola enim eſt magis, quam longa meditatione teximus.

# CAPVT DVODECIMVM

## *Ex interiore actione indago moris.*

§. I.

*Actiones internæ diſtinguuntur.*

Interior actio alia eſt appetitus ſentientis commotio, id eſt perturbatio, & affectus; alia eſt ſuperioris appetitus, ſcilicet *voluntatis*, (b) nempe electio. Cognitionem nunc non niſi, ut cum his conjungitur, conſiderabimus. Satis antea diſtinximus, cum oportebat; præſertimque in tertia parte lib. Sexti.

§. II.

*Ex electione, adeoque voluntatis actione indago morum.*

De electione non eſt, quod aliud dicamus præter dicta cap. 10. proxime; niſi quod inquirendum

(a) *Uterque regnare vult.*) Unde inter Cæſarem & Pompejum belli flamma exarſerit, de eo vide APPIANUM *L. 2. Bell. civil.* LUCANUM *in pharſaliis Lib. I.* PLUTARCHUM *in vita Cæſaris & Pompeji.* OROSIVM *L. 6. c. 15.* GELLIVM *lib. 15. c. 18.* PLINIVM *lib. 7. c* 25. 26. Imprimis LVCANVS *lib. I. v.* 125. *ſq.* utriusque characterem egregie ſiſtit:

*Nec quenquam jam ferre poteſt Cæſarve priorem,*
*Pompejusve parem. Quis juſtior induit arma,*
*Scire nefas; magno ſe judice quisque tuetur.*

(b) *Voluntatis.*) Notum eſt dogma Ariſtotelicorum, qui voluntatem etiam intellectu aliquo gaudere, ſtatuunt, quod ſimulac natura nos ad aliquid perpetrandum impellat, nos ei morem geramus. Sed paucis reſpondetur, voluntatem citiſſime impellere intellectum, ut ſpiritum ſubtiliſſimum, idque ex prædominio ſuo.



Digitized by Google

dum eſt, num electio eadem perſeveret in eadem occaſione, ac re. Nam ſi diverſa electio, in homine morem inconſtantem oportebit judicare: ſi eadem & frequens, probabiliſſimum erit reperire in homine morem electioni reſpondentem.

Repetamus tamen; argumentum non eſſe neceſſarium, licet apicem obtineat probabilitatis. Hoc ex ſuperioribus conſtat; at præterea probo exemplo militis illius *Antigoni*, (*a*) qui ulcere ac fiſtula laborans præ tædio vitæ fortiſſime pugnabat. Eligebat is pericula pugnæ, idque pro occaſione ſemper, neque tamen fortis erat; ut cum cura Regis convaluit reipſa oſtendit, pericula declinando, & pugnæ aleam deinceps detrectando. Verum ille ſemper canon retineatur.

Canon. Cum electio una cum ejus principio cognoſcitur (eſt autem principium electionis, finis) mos etiam cognoſcitur. Ut antea declaravimus cap. 10. §. 4. concl. tertia.

Curio penes Ciceronem *lib.* 10. *ad Att. Epiſt.* 4. dicit: Cæſarem elegiſſe clementiam, non quod natura aut habitu in eam propenderet, ſed quod popularem eam reputaret, ſcilicet accommodatam populari gratiæ conciliandæ ac retinendæ. Finis ergo hominis erat ſtudio & amore plebis fulcire dominationem ſuam; ut ex hoc quoque capite mos in eo tyrannicus prodiret.

## §. III.

*Ex affectibus morem quando liceat inveſtigare.*

Ex affectibus, ut colligi queat mos, nunc annitamur indagare. Vel ergo ſolum affectus conſtat; nempe dolere hominem, aut iraſci. Vel conſtat etiam cauſa. Verbi gratia propter quid iraſcatur. Si affectus & cauſa conſtet pro quantitate affectus, & validitate objecti, mos deprehendi poteſt vel per modum habitus, vel per modum diſpoſitionis, vel ob naturalem proclivitatem inexiſtens. Quod ſi affectus ſolus conſtet, non licet conjicere morem. Non enim ſi temere, vel frequenter, noverim hominem: dum non conſtet, an timeat infamiam, an paupertatem, an mortem, an amicæ abalienationem. Ut Clinia penes Comicum *Heaut. act.* 2. *Scen.* 1. *O Clitipho timeo*; Non poſſum de more quicquam judicare.

## §. IV.

*Ex affectu & cauſa ejus cognitis, morem indagare licet.*

Si itaque affectus conſtet, & cauſa ejus, moris indaginem aggredi licet. Cum enim ſubjectum virtutis ac vitii, mediarumque diſpoſitionum ſit appetitus ſentiens, pro diſpoſitionis qualitate, menſuraque ex datis objectis movetur, atque pro motuum ratione, & qualitate diſpoſitionis ejus, viciſſim qualitas & quantitas arguitur. Nempe ſi quis ex levi jactura rerum ſuarum vehementer doleat, vel avaritiæ habitu laborat, vel in avaritiam diſpoſitus eſt plus minusve pro doloris quantitate: non ex unica tamen obſervatione licet de re tota pronunciare; ſed ſolum ut tunc. Quamobrem iterare hominis obſervationes oportet, easque conferre, ut ſi in eodem affectu conſtantia reperiatur ex eadem cauſa, vel habitum in homine reſpondentem arguamus, vel diſpoſitionem ad habitum reddentem. At niſi ex eadem cauſa idem ſemper exſurgat affectus, inconſtantem diſpoſitionem in homine interpretemur. Ut autem ex affectus vehementia rectum judicium procedat, oportet anniti, ut ſi fieri poſſit, *corporis diſpoſitionem* (*b*) & exteriores fortunæ eventus in ſingulis obſervationibus teneamus. Nam æger homo, ſi ex levi cauſa iraſcatur, non æque mirum eſt; atque ſi homo ſanus ex ea iraſcatur cauſa. Pariter ærumnoſus homo in iram promptior, quam fortunatus; ea tamen exceptione, eoque modo, quo antea diximus, ac diſtinximus. Sint ergo Canones.

## §. V.

*Canones continet.*

Canon 1. Quicunque affectum patitur ex aliqua data cauſa, ſi affectus fuerit *intra limites* (*c*) mediocritatis, obtinet vel habitum virtutis; vel diſpoſitionem laudabilem ad virtutem, quæ reſpicit ejusmodi affectum ex data cauſa: at ſi affectus vel ſuperaverit mediocritatem, vel infra illam fuerit, vitium, vel diſpoſitionem vitii obtinebit, ad quod is affectus ab ea cauſa cum defectu vel exceſſu attinet.

Verbi gratia. Videmus hominem dolere ex accepta injuria, ſi ſupra, quam par ſit, & non ſemel, intelligemus iracundiæ ipſum vel habitu vel diſpoſitione premi. Si moderate, habitu potiri, vel diſpoſitione manſuetudinis. Si vero infra mediocritatem iraſcatur, lentum hominem pronunciabimus. Item ſi deſiderium ultionis obſervemus majus aut minus aut mediocre, eundem habitum conjectabimus, vel eandem diſpoſitionem. At ſi affectus pertinuerit ad avaritiam; ejus habitum, vel diſpoſitionem conjectabimus; ſi in exceſſu nempe fuerit affectus, vel deſiderium divitiarum, vel timor paupertatis, vel dolor ex paupertate. Quod ſi in defectu fuerit, contrarium vitium, aut diſpoſitionem arguit. Si vero in mediocritate, liberalitatem. Idem de aliis dicendum eſt affectibus. Qui ad quos ſinguli habitus pertineant virtutum ac vitiorum, in ſecunda parte horum lib. diximus.

Ca-

(*a*) *Antigoni.*) De hoc vide PLUTARCHUM *L. II. de fortuna aut virtute Alexandri T. I. Oper. p. m.* 107.

(*b*) *Corporis diſpoſitionem.*) Appetitus nempe naturales in corporis mutationibus vehementius concitantur vel remittuntur. Vide PLUTARCHUM *in precept. connub. T. I. Oper. p.* 16. *n. c.*

(*c*) *Intra limites.*) Affectus more Stoicorum plane non exſtirpandos, ſed intra limites coërcendos eſſe, docet egregie PLUTARCHUS loco modo citato. *Ingenitum affectus principium non ex toto exſtirpandum eſt, ſed cultu & præceptore indigens. Unde nec Thracium nec Lycurgeum rationis munus eſt, una cum pernicioſis exſcindere ſimulque iterimere, quæ in affectibus ſunt utilia, verum tanquam ſator bonus & urbanus agreſtia & luxuriantia amputare ac reſecare, deinde colere & ad utilitatem conſtituere.* Conf. WEDEL *in phyſiol. medica Sect. IV. c. IX. de motibus animi* §. 2.

Canon. 2. Si conſtans fuerit affectus ex eadem cauſa, eundemque tenorem ſervaverit, habitum arguemus affectui reſpondentem; ſi varius, & in conſtans, varium quoque, & inconſtantem diſpoſitionem pronunciabimus.

Verbi gratia. Nunc vehementer hominem iraſci, nunc lenem eſſe, ſi conſpexerimus; neutrius partis obtinebit habitum, ſed nutantem diſpoſitionem, ſi par tamen ſit in utroque affectu vacillatio. At ſi jugis in altero perſeverantia, alterque interdum ſolum ex gravitate ipſa vitii inſidentis erumpat, habitum contrarii affectus ac perſeverantis, non rari, & interdum ſolum erumpentis ponemus; ſed hujus actum paſſionemque ſolum. Verbi gratia, in Alphio, quem repræſentat Horatius, habitum fœneratoris ponere oportet, non contemptoris divitiarum, vel vitam amantis ſemotam a turbis civilibus. Unde recte concludit Horatius, fœneratorem eum vocando.

*Hæc ubi locutus fœnerator Alphius,*
*Jam jam futurus ruſticus,*
*Omnem redegit Idibus pecuniam:*
*Quærit Calendis ponere.*

At variatio in ſingulis affectibus par, quam in juvene deſcribit Horatius, diſpoſitionem ſecundum utrumque affectum nutantem indicat.

— . — *Et amata relinquere pernix,*
*Converſis ſtudiis.*

Canon 3. Cum intelligimus ad explendum aliquem affectum, ut ad finem hominem operatum eſſe, in eoque explendo ut in fine conſtitiſſe, credere oportet laborare ipſum vitio, vel diſpoſitione ad eum effectum ſpectante. Scilicet, ſi ad ultionem, ut ad finem tum ultimum tetenderit quis, intelligemus eſſe hominem iracundum: nam ut vidimus, finis formalis virtutis eſt honeſtas, non expletio affectus, quæ ſolum materialis finis poteſt eſſe. Ex ſecunda parte hæc repetantur.

## CAPUT DECIMUM TERTIUM
### *Praxis proximæ methodi affertur.*
### §. I.
#### *Loca & dicta Ciceronis afferuntur.*

At præſtat methodum traditam aliquo propoſito exemplo ad praxin adducere.

Quæramus ergo morem Ciceronis ex illis, quæ ad Atticum ſcribit pluribus in locis de ſequendo Pompejo contra Cæſarem. Exordiamur a primis. Libro itaque ſeptimo epiſtola prima ut rem certam pronunciat, ſi diſſenſio eorum in arma erumpat, ſibi ſequendum eſſe Pompejum. Inquit ergo: *Si enim caſtris res geretur, video cum altero,* Pompejo, *vinci ſatius eſſe, quam cum altero,* Cæſare, *vincere.* At Epiſtola 11. ingruente jam bello, inter pudorem interque officium civis & amici ex altera parte; & inter miſericordiam filiorum atque indignationem imprudentiæ Pompeji in rebus tum gerendis ex altera, nutabat. Scribit autem. *Ac quieſco enim, & tuas volo elicere literas, maximeque conſilium; quid agam, aut quo me pacto geram: demittamne me penitus in cauſam (non deterreor periculo, ſed diſrumpor dolore. Tamne nullo conſilio, aut contra meum conſilium geſta eſſe omnia?) an cuncter, ac tergiverſer, & iis me dem, qui tenent, qui potiuntur αἰδέομαι Τρῶας; Nec ſolum civis, ſed etiam amici officio revocer; etſi frangor ſæpe miſericordia puerorum.* In *Epiſt.* 18. in eadem dubitatione, ac præſertim *Epiſt.* 19. literis Cæſaris ad pacem hortantis excitatus; nec non literis Cœlii atteſtantis ipſum ſatisfacere Cæſari; & ſegnitie Pompeji & Conſulum permotus. Scribit ergo. *Mira me ἀπορία torquet. Juva me conſilio, ſi potes.* in Epiſt. 1. lib. 8. epiſtola Pompeji revocatus, ad eum ſe aggregat. At Epiſt. ſequente in contrariam deliberationem mutatus videtur, ut reſpondeat Attico ſcribenti, cedendum Italia, ſi Pompejus ceſſerit. *Ut etiamſi, Italia ille ceſſerit, putas cedendum; quod ego nec Reipublicæ puto eſſe utile, nec liberis meis; prætereaque neque rectum, neque honeſtum.* Aliaque ſubjungit in eandem ſententiam. At in Epiſtola ſuccedente, eſtque tertii libri, rem rurſus totam in deliberationem revocat, hinc inde rationum momenta afferens. Et animo ſedato adhuc Epiſtola, 16. & Epiſtola 22. labare conſilium ſuum aperte fatetur: cauſam autem, quamobrem moveatur ad ſeſe conjungendum cum Pompejo, modo in unum Pompejum rejicit *Sed me movet* (inquit Epiſt. quæ ante penultimam antecedit libri octavi) *unus vir cujus fugientis comes rempubl. recuperantis ſocius videor eſſe debere.* At in Epiſt. ultima ejuſdem lib. negat ſe a Pompejo duci, ſed a ſermone hominum. *Nec vero* inquit, *ille me ducit, qui videtur: quem ego hominem ἀπολιτικώτατον jam ante cognoram, nunc vero etiam ἀστρατηγικώτατον. Non me is igitur ducit, ſed ſermo hominum, qui ad me a Philotimo ſcribitur.* Et lib. nono, Epiſt. ſecunda, rurſus. *Eundum igitur eſt, nec tam ut belli, quam ut fugæ ſocii ſimus. Nec enim ferre potero ſermones iſtorum, quicunque ſunt. Non ſunt enim certe, ut appellantur boni.* At vero cum audivit Pompejum Italia ceſſiſſe tum miro affectuum æſtu perturbatus eſt; & longe aliud fuit, quam prius rerum judicium. Epiſtola itaque quarta, lib. 9. hæc habet, cum primum intellexit Pompejum mare tranſiiſſe, ſcribit ergo. *Ante ſolicitus eram, & angebar, ſicut res ſcilicet ipſa cogebat, cum conſilio explicare nihil poſſem. Nunc autem poſtquam Pompejus, & Coſſ. ex Italia exierunt, non angor, ſed ardeo dolore, οὐδέ μοι ἦτορ ἔμπεδον ἀλλ' ἀλαλύκτημαι. Nan ſum inquam (mihi crede) mentis compos: tantum mihi dedecoris admiſiſſe videor: Me non primum cum Pompejo qualicunque conſilio uſum deinde cum bonis eſſe, quamvis cauſa temere inſtituta præſertim cum ii ipſi, quorum ego cauſa timidus me fortunæ committebam, uxor, filia, Ciceronis pueri, me illuc ſequi mallent, hoc turpe & me indignum putarent?* Epiſt. rurſus 12. lib. eodem, de eodem dolore ſcribit. *Sed cum me ægritudo non ſolum ſomno privaret, verum ne vigilare quidem ſine ſummo dolore pateretur; tecum, ut quaſi loquerer (in quo uno acquieſco) hoc neſcio quid, nullo argumento ſcribe-*

re

re inſtitui. *Amens mihi fuiſſe videor a principio; & me hæc una res torquet, quod non omnibus in rebus labentem, vel potius ruentem Pompejum, tanquam unus manipularis, ſequutus ſim.* Et poſt pauca ſubjungit *Sic me illius*, Pompeji, *fugæ, negligentiæque deformitas avertit ab amore: nihil enim dignum faciebat, quare ejus fugæ comitem me adjungerem. Nunc emergit amor; nunc deſiderium ferre non poſſum: nunc mihi nihil libri, mihi literæ, nihil doctrina prodeſt. Itaque dies & noctes, tanquam avis illa, mare proſpecto, evolare cupio.* &c. Poſtremo demum loco eorum, quos exſcribo, Epiſt. ſcilicet.14. ſcribit. *Cum mihi epiſtola affertur, a Lepta circumvallatum eſſe Pompejum, ratibus etiam exitus portus teneri. Non medius fidius præ lacrimis poſſum reliqua nec cogitare, nec ſcribere. Miſi ad te exemplum. Miſeros nos, cur non omnes fatum illius una exequuti ſumus? - Torqueor infelix; ut jam illum Mutianum exitum exoptem. Populi Ro. exercitus Cn. Pompejum obſidet, foſſa & vallo ſeptum tenet, fuga prohibet. Nos vivimus, & ſtat urbs iſta? Prætores jus dicunt! Ædiles ludos parant! Viri boni uſuras præſcribunt! Ego ipſe ſedeo! Coner illuc ire ut inſanus! Implorare fidem municipiorum! Boni non ſequentur; leves irridebunt: rerum novarum cupidi, victores præſertim & armati, vim & manus afferent. Quid cenſes igitur? & quidnam eſt tui conſilii ad fines hujus miſerrimæ vitæ? Nunc doleo, nunc torqueor.* &c.

## §. II.

### *Indago morum peragitur.*

Indaginem jam morum ex deſcriptis locis aggrediamur. Primo itaque occurrit ex locis poſtremo loco obſervatis, dolorem, & angorem Ciceronis, ex eo quod Pompejum non ſit ſecutus in exceſſu magno fuiſſe: cum & ſomnum prohiberet; & vigilantem in ſummo mœrore detineret. Præterea exclamationes illæ & fere ecſtaſes idipſum demonſtrant. At ad quos habitus affectus is excedens pertinet? Certe ad habitum charitatis, beneficentiæve. Circumjacentesve habitus, ut amicitia particularis & peculiaris, ad eam ipſam charitatem reducitur, qua de re ſupra in ſecunda parte, in libro de Beneficientia. At peccabat habitu vel diſpoſitione in exceſſu amoris erga Pompejum, qui amor ex Pompeji periculis & damnis magis pungebat, cum coactus Italiam reliquit prius quam obſidionem paſſus eſt Brunduſii. Qua occaſione magis ſentire amorem non eſt inconſtantia, ſed naturalis quædam amoris auctio: nam boni deſiderium ex indigentia creſcit, ut antea vidimus. Verum inconſtantia fuit in eo, quod nunc Pompejum enixe amavit, nunc parum, ut profitetur Epiſt. ultima, lib. 8. & Epiſt. 12. lib. 9. aſſerit ſe a deformitate fugæ, vel negligentia ejuſdem averſum ab amore. Quæ variatio animi non niſi cum inconſtantia fuit: ea enim cadit potius in amatorem, quam in amicum.

Mos ergo primus in Cicerone colligitur *amoris in Pompejum* majoris quam oportuerit; inconſtanter tamen, quæ inconſtantia actum amoris eripiebat interdum, at non amorem. Quæ quidem radix adeo alta fuit, ut præ reverentia erga eundem Pompejum idem non eſſet dicturus, quod ſenſurus de petitionibus Cæſaris exaudiendis. lib. enim ſeptimo ad Atticum Epiſtola ſexta ſcribit. *Dices, quid tu igitur ſenſurus es? Non idem quod dicturus. Sententiam enim omnia facienda, ne armis decertetur. Dicam idem quod Pompejus.* Et lib. 8. Epiſt. 11. fatetur Pompejum ad Sullanum regnum adſpirare: tamen eum ſibi ſequendum proponit. Nonne eſt is excedentis amoris affectus: Senatorem gravem amico ad tyrannidem ſuffragari?

Secundus mos eſt *ambitionis*. Excedentem enim honoris amorem, vel ignominiæ timorem præ ſe fert, cum ſe ſermonem hominum ferre non poſſe, etiam in honeſto & ſtabilito jam propoſito patefacit. At vir probus, ut ipſemet Cicero ex Ennio laudat, imitatur Fabium Maximum, qui

*Non ponebat enim rumores ante ſalutem.*

Neque vero dicta illa hominum, ac ex illis ignominiæ metus in honeſtatis veræ finem recurrebat. Nam ſequi Pompejum ejuſque adjutare victoriam, erat tyrannidem futuram promovere. Veriſſimum enim fuit ejuſdem Ciceronis præſagium epiſt. quinta lib. ſeptimo, itid. ad Atticum: *Ex victoria*, inquit, *tum multa mala, tum certe tyrannis exiſtet.* Alteruter enim vinceret, tyrannus futurus erat.

Tertio loco in Cicerone ex eadem obſervatione deprehendimus, *non fuiſſe habitum virtutum moralium.* Cum enim judicium earundem rerum pro affectibus inſurgentibus variaret, non erant in ipſo ſolidæ virtutes; quæ principia prudentiæ ſemper imperturbata, ſaltem perſiſtentia, conſervant, ut ex ſuperioribus conſtat.

Pro corollario pendet; ut neque in eo vera prudentia, & exacta eſſet ad amuſſim moralis definitionis. Prudentiam tamen naturalem & moralem imperfectam, in multis rebus, non eſt negandum illi adfuiſſe. At eſt ne tribuenda in affectibus nunc dictis continentia, an incontinentia? vitium enim a viro abfuiſſe ultro fateri oportet. Habitus, vel diſpoſitio in eo elucet media inter continentiam, & incontinentiam, nempe maximis urgentibus objectis affectuum vincebant illi, & deturbabant rationem. At contra; affectus infra ſummum gradum, & ex objectis non ſummis exorientes cedebant rationi, ab eaque ducebantur, & hinc frequens in homine de officio deliberatio.

Quarto demum loco *mollem* in ipſo ſuapte natura *animum* conjicimus. Qualis etiam craſis ſolet excellentibus ingeniis eſſe familiaris. Deducitur autem, quod ex iiſdem epiſtolis obſervamus, ut literis nunc Cæſaris Cæſarianorumque, nunc Pompeji ac Pompejanorum interpellabatur, in eorundem partes deflecti ſolitum; præterquam quod fluentes lacrymæ, quas plerumque deſcribit, eandem mollitiem ſignificant. Fuit itaque corde molli non duro.

Hæc ſatis ſit pro praxis exemplo dixiſſe. Plura conſulta omitto ad nimiam effugiendam prolixitatem, quæ poſſent ex adductis locis deduci.

§. III.

Digitized by Google

§. III.

*Corollarium continet.*

Conſtat ex his, quam rarum ſit veram virtutem, & ex morali præſcriptione *abſolutam* (*a*) in hominibus reperiri: cum in tanto viro, quantus Cicero fuit, non reperiatur, ſed vel duobus gradibus ab ea abſuerit. Ea tamen eſt præſtantia virtutis, ut prope conſtitiſſe ſit glorioſum. Arripiamus Horatii monitum, quicunque non poſſumus ad ſummum apicem aſpirare.

*Reſtat, ut his ego me ipſe regam ſolerque elementis.*
*Non poſſis oculo quantum contendere Lynceus:*
*Non tamen idcirco contemnas lippus inungi.*
*Nec, quia deſperes invicti membra Glyconis:*
*Nodoſa corpus noli prohibere podagra,*
*Eſt quodam prodire tenus, ſi non datur ultra.*

# LIBER NONUS.

## CAPUT PRIMUM.

**Partem methodi, cum præcavenda eſt fictio, aggreditur. Primoque de fictionibus agit ſimulationibusque.**

§. I.

*Fictiones fallaciæque diſtinguuntur.*

Secundam methodi partem aggredimur, cum jam fictio & ſimulatio diſſimulatioque præcaventur.

Vel ergo fictio ſuper actionem cadit, ſcilicet actionem ſimulamus aut diſſimulamus, vel actio ipſa aperta aut finis obumbratur. Actio vero, ut jam diximus, alia externa eſt, alia interna. Actio exterior tegitur, ut adulterium a muliere impudica. Duplex vero eſt obumbratio: Alia privativa. Alia contraria. Hæc ſimulatio, illa diſſimulatio eſt. Nempe tenebris ſe tegere, ut nemini adulterium pateat, eſt occultatio privativa & diſſimulatio: at actionibus contrariis pudicitiam prætendere, eſt occultatio contraria. Actio interior, quæ difficilius fingitur, præſertim eſt motus ſentientis appetitus. Affectus ſcilicet, quem ſimulabant vel diſſimulabant convivæ Domitiani, quorum filios vel fratres vel parentes eadem die morti tradiderat. Sed etiam opiniones finguntur, ut hæretici variis artibus interdum fingunt ſuas coram judicibus fidei. At cadit ſuper finem fictio, cum finis falſus prætenditur. Cæſar *arma inferens patriæ*, (*b*) finem ulciſcendi injurias tum ſuas, tum Tribunorum Plebis prætendebat; at verus finis erat Dominatio, quam quærebat.

Singula hæc membra repetamus.

§. II.

*Fictio actionis exterioris ejusve occultatio.*

*Actio exterior* (*c*) fictionem occultationemve triplicem patitur; præcedentem, comitantem, ſeu ſimul cum ea conſiſtentem, & conſequentem. Præcedens occultatio eſt cum tecte ad amicam adulter commeat. Conſiſtens occultatio eſt, qua actus ipſe adulterii tegitur. Cujus generis occultatio ſolertiſſima eſt, quam comminiſcitur in puella (Flammet tam vocat) Areoſtus; quæ in medio duorum cubans tertium admiſit; cujus concubitum utrique ea ratione occultum futurum credidit, quod ſperaret ambos ſocium illum non tertium fuiſſe reputaturos. Conſequens occultatio eſt, qua præcedens jam & conſummatus actus occulitur, ſi præſertim veſtigia remaneant, quæ ſint tollenda. Ad ſubitum mariti peregre reditum adulter effugerat, at pallium reliquerat: quærenti ergo marito, ecquod illud pallium eſſet, reſpondit uxor, a ſe illud ipſi paratum, cum ſciret pallio egere novo. Fuit ea occultatio adulterii tranſacti, at aperti ejusdem indicii. Lachrymis adulteram tegere ſua adulteria, monet Juvenalis: ſimulat ſcilicet ea ſe præ Zelotypia flere, vel cinædi, vel pellicis.

*Cum ſimulat gemitus occulti conſcia facti;*
*Aut odit pueros, aut ficta pellice plorat,*
*Uberibus ſemper lachrymis.*

§. III.

*Occultatio affectus.*

Ex interioribus autem actionibus difficilius affectus tegitur, quando vehemens fuerit; nam refluit is in ora usque, & in exteriora membra. In timore nedum ore palleſcimus, ſed etiam tremimus toto corpore. Componere ergo in illiusmodi affectibus vultum, difficile eſt. Ut illud poſſit Comici huc detorqueri. *Heaut. act. 5. ſcen. 1.*

*Vultus quoque hominum fingit ſcelus.*

Ejus-

(*a*) *Abſolutam.*) Egregie hac de re canit CLAUDIANUS:
- - *Nunquam ſincera bonorum*
*Sors ulli conceſſa viro, quem vultus honeſtat,*
*Dedecorant mores: animus quem pulchrior ornat,*
*Deſtituit corpus.*
Quod HORATIUS vel tribus includit:
*Nihil eſt ab omni Parte beatum.*

(*b*) *Arma inferens patria.*) Hic liber primus *Lucani pharſal.* meretur legi.

(*c*) *Actio exterior.*) Virtutes & vitia, & quicunque alii motus ipſis animi receſſibus inhærent, poſſunt a nobis non multum operoſa ſimulatione effingi, quia adeo ingentibus latebris reconduntur noſtri ſenſus, ut vix ullus deprehendat, veris an extemporaneis affectibus deducamur. BARCLAJI *Icon Cap. 3. p. m. 28.*

Ejusmodi vero occultatio erat penes eundem Terentium, veteratoris Phormionis; *Phorm. act. 5. ſc. 6.*

*Nunc geſtus mihi, voltusque capiendus eſt novus.*

*Compoſitio autem vultus,* (*a*) dum affectum tegimus triplex eſſe videtur; reprimens, quam & mediam vocare poſſumus, contraria, & diverſa. Reprimentem ac mediam voco, quæ continet affectum, ne erumpat, & in eo ſiſtitur. Is fuit penes Homerum *Lib.* 19. habitus Ulyſſis Penelopi aſſidentis.

- - - *Ut Ulyſſes*
*Animo quidem lugentem ſuam miſerabatur uxorem:*
*Oculi autem tanquam cornua ſtabant, vel ferrum*
*Tacite in palpebris: dolo autem hic lacrymas occultabat.*

Contraria eſt compoſitio, cum qui triſtitia opprimitur, lætitiam vultu prætendit; & qui odit, præ ſe fert amorem. Si non penes Virgilium odium in Græcos, amorem in Troas & verbis & ore profitebatur: at contrarium affectum in animo condebat.

*Fas mihi Grajorum ſacrata reſolvere jura:*
*Fas odiſſe viros.*

Multi vero contrarium affectum præferunt, ut verus facilius occulatur; etenim, ut Ariſtoteles in ſimili dicit. *Atque in contrarium nos ipſos abſtrahendo. Nam ſi procul a peccando nos ipſos removerimus, ad medium deveniemus. Id quod, qui ligna diſtorta dirigunt, facere conſueverunt.* Ut hinc, qui impenſius ſummaque arte amorem nobis ſignificent, ſit illis minus credendum. Contrarium repræſentabat penes Tacitum Auguſtus, *Annal.* 1, ibi: *Specie recuſantis flagrantiſſime cupiebat*

At diverſum vultum prætendent, qui non contrarium affectum vero, ſed diverſum ſimulant. Nempe qui timent, non audacem vultum fingant, ſed lætum, vel miſericordem. In diverſum affectum compoſuit vultum Terentianns Chremes, cum ad reprimendam lætitiam, quam vice Menedemi ex reditu Cliniæ cæperat, admonitoris ſeveritatem ſumpſit. *Heaut. act. 1. ſec. 2.* Qui affectus non erat contrarius, ſed diverſus.

CH. *Ille ne? ſed reprimam me; nam in metu eſſe hunc, illi eſt utile.*
CLIT. *Quid tute tecum?* CH. *Dicam: ut ut erat, manſum tamen oportuit, &c.*

Occultationum harum privativa diſſimulatio eſt: duæ reliquæ ſimulationes. Licet ego in præſentia confundam ſimulationem, & diſſimulationem brevitatis cauſa, quas ſuo loco diſtinxi.

## §. IV.

### *Occultatio reliquarum interiorum actionum.*

Reliquarum actionum interiorum occultatio facilior eſt. Sunt actiones ejusmodi: electio, & opinio, credulitasve.

Electionem diſſimulant, qui, quod ex inſidiis faciunt, ut repentino animi motu factum præ ſe ferunt. Ad effugiendam pœnam ſicarii interdum ejuscemodi ſimulatione ſe tegunt. Cicero in oratione pro Milone tuetur: Clodium ab eo occiſum ex improviſa, occaſione, immo neceſſaria defenſione: at Clodii fautores contendebant occiſum eſſe ex inſidiis, atque ex electione. Quod ſcilicet Milo præmeditatus eum fuerit adortus. Atque in eandem ſententiam Judices judicaverunt.

Credulitatem præſertim ſimulant, qui alienam religionem metu pœnarum profitentur. Ut proxime Maurorum reliquiæ in Hiſpania, quas demum Philippus III. nunc regnans ab illis expulit regnis.

## §. V.

### *Alia diſtinctio fictionum, ſeu fallaciarum, quæ eſt Juſti Lipſii.*

Juſtus Lipſius *Lib.* 6. *c.* 12.. in Politico ſuo centone diſtinguit fictiones & fallacias (vocat ipſe fraudes) trifariam; in leves, in medias, & in magnas.

Definit primo *fraudem;* (*b*) *Argutum conſilium a virtute, aut legibus devium, Regis regnique bono.* Ut intelligamus arctius ab ipſo definitam fraudem & fallaciam, quam a nobis ſumatur: attamen diviſio eadem accommodabitur. Eſt ergo Lipſio fraus levis: *quæ haut longe a virtute abit, malitia rore leviter aſperſa.* Hanc dividit in diffidentiam, & diſſimulationem. Diffidentia autem in eo conſiſtit, ne facile credat: credere tamen oſtendat; re inquam paucis credat, at ſpecie omnibus. Diſſimulatio vero eſt, de qua dicitur: *Neſcit regnare, qui neſcit diſſimulare.* Mediam fraudem definit, *quæ ab eadem virtute flectit longius, & ad vitii confinia venit.* Hanc diſtinguit in Conciliationem, verius corruptionem, & deceptionem. Concillationem corruptionemve definit his verbis. *Cum callide inclinas, & allicis ad te eorum animos, operasque, qui alieni juris.* Cicero in eundem ſenſum ſtatuit: proprium eſſe prudentiæ conciliare ſibi animos hominum, & *ad ſuos uſus* (*c*) adjungere. *Deceptio* vero eſt (ut ſubjungit) *cum inducis alium in tua commoda, errore, aut mendacio objecto.* Jam *Magnam fraudem* definit, *quæ non a virtute ſolum, ſed legibus etiam recedit malitiæ jam robuſtæ & perfectæ.* Hanc diſtinguit in perfidiam & injuſtitiam. *Eſt perfidia, cum per cavillos, & argu-*

(*a*) *Compoſitio vultus.*) BOECLER in Diſſ. *de elegantia moris civ. & aulici* dicit: *Propone tibi Tiberium aliquem: videbis conſilia ejus varie & ſubtiliter implicata & explicata; neque tamen ſtatim apparebit, qua vinculorum adſtrictio aut laxatio; unde incipiant quove ſe condant occulti nexus. Hoc erit veluti magicum ſimulacrum principalis ſecreti, quod in varias formas verti aut ſub uno vultu multa ſchemata tegere conſuevit.*

(*b*) *Fraudem.*) Quæ cum dolo bono JCtorum convenire videtur.

(*c*) *Ad ſuos uſus.*) Ut ſupra de Sejano, Tiberii animum variis fallaciis ſibi devinciente, vidimus.

Digitized by Google

*argutiolas fœdera eludimus, aut pacta. Injuſtitia eſt, cum contra jura & leges ſe, & ſua improbe potius, quam callide augent.*

Hanc ego viri doctrinam retuli: nullam interpono cenſuram, ſed ex jam dictis deducendam relinquo.

## §. VI.

*Alia, ac tertia diſtinctio.*

Alia eſt fallaciarum, quas nunc tractamus, diſtinctio, valdeque ad rem noſtram pertinens: quæ ex inſtrumentis ſumitur, quibus ſimulamus. Vel enim ſimulamus verbis, vel vultu, vel factis, Cicero ad Q. Fratrem duorum priorum meminit: *Nimis multis ſimulationum involucris tegitur, & quaſi velis quibusdam obtenditur frons; oculi vultus perſæpe mentiuntur: oratio vero ſæpiſſime.*

Promptiſſimum & efficax ſimulandi inſtrumentum eſt Oratio aſſeverans; quæ vel nuda eſt, vel vallata juramento. Confidens mendacium, id eſt fidenter & audacter prolatum pro vero ſe vendicat; unde penes Comicum ob ejusmodi confidentiam Geta,

*Ni noſſem cauſam, crederem vera hunc loqui. Phorm. act.* 1. *ſc.* 5.

Et Ovidius audaciam hanc in mendacio ſignificans, & monens amatorem dixit, *Nec timide promitte;* perjuria miſcent amatores præſertim, quibus etiam id ſuadet Ovidius,

*Pollicitis teſtes quoslibet adde Deos.*
*Jupiter ex alto perjuria ridet amantum.*

Secundum inſtrumentum eſt vultus, Cicero *Ad Lentul. epiſt.* 9. frontem diſtinxit. *Fronte*, inquit, & *vultu, quibus ſimulatio facillime ſuſtinetur.* At mihi nunc vultus omnia complectitur. Qua de vultus compoſitione ſatis jam ſupra §. tertio. In vultu vero lachrymæ quoque continentur.

Tertia eſt ſimulatio factis. Qui *veſtibus ementiuntur* (a) ſexum factis ſimulant. Martanus penus Areoſtum, qui armis Griphonis ſeſe certaminis victorem repræſentavit, finxit facto.

Hæc eſt diſtinctio ſimplicium inſtrumentorum. At cum componuntur illa, quatuor alia membra reſultant. Vel enim univerſa tria conjunguntur: cum ſimulatur oratione, vultu, & factis; vel duo tantum, treſque naſcuntur combinationes: alia orationis & vultus; alia orationis & factorum: alia vultus & factorum.

Septem ergo genera ſimulationum ex inſtrumentis erunt; tria ſimplicia, quatuor compoſita; nempe ex binis tria, ex omnibus unum.

# CAPUT SECUNDUM.

## *De ſimulatione finis, ſeu de prætextu obtentuve.*

## §. I.

*Quibus ex partibus conſtet prætextus.*

Cum vero actio manifeſta eſt, vel ultro eam fatemur, at *finis alius a vero* (b) prætenditur, prætextus obtentusve naſcitur. Expreſſit & vocem, & rem in Auguſto Tacitus *Annal.* 1. *Dicebatur contra, pietatem erga parentem, & tempora reipublicæ obtentui ſumpta; cæterum cupidine dominandi corruptos per largitionem veteranos, &c.* Placet rem hanc in humanam vitam late ſeſe diffundentem diſtinguere, & exponere. Nomen autem prætextus *ex Suetonio* (c) mutuabor, eoque utar; interdum etiam nomen obtentus ex Tacito permiſcebo.

Ariſtoteles vocat Græce πρόφασιν, *Lib.* 4. *Polit. c.* 13. quem Latine reddit prætextum Petrus Victorius.

Prætextus itaque ſeu publicus, ſeu privatus, cum integer eſt, quatuor ferme ex partibus coaleſcit: ex actione ipſa, quæ fit: ex fine falſo, qui prætenditur, qui unus interdum ſibi prætextus nomen vindicat: ex fine vero proximo: ex fine vero ulteriore.

Rem exemplo ab Ariſtotele *eodem cap.* 13. ſumpto declaremus. Reipublicæ itaque, ut ibi dicit, Oligarchiæ de armorum tractatione leges permittunt, pauperes impune abſtinere ab armis, & eorum exercitatione: at divites cogunt pœnis etiam impoſitis arma habere & tractare. Actio ergo eſt lex ipſa. *Finis, qui obtenditur,* (d) eſt, ut pauperes poſſint liberius opificiis ſuis victum ſibi quæ-

(a) *Veſtibus ementiuntur.*) VIRGILIUS *L.* 2. *Aen.* de Coroebo arma mutaturo, ut Græcos falleret, ita canit:

*Mutemus clypeos, Danaumque inſignia nobis*
*Aptemus; dolus an virtus quis in hoſte requirat?*
*Arma dabunt ipſi. Sic fatus, deinde comantem*
*Androgei galeam, clypeique inſigne decorum*
*Induitur; laterique argivum accommodat enſem.*
*Hoc Ripheus, hoc ipſe Dymas, omnisque juventus*
*Læta facit: ſpoliis ſequisque recentibus armat.*

(b) *Finis alius a vero.*) Quod & apparet ex iis, quæ TACITUS *L.* 1. *annal. c.* 2. memorat: *Nobiles romani ſine Auguſti & initio Tiberii vultu compoſito, ne læti exceſſu Principis non triſtiores primordio viderentur; lacrimas, gaudium, queſtus adulatione miſcebant.* Ad totum hoc Caput conferendus §. XI. *diſſertationis Walchianæ.*

(c) *Ex Suetonio.*) Qui dicit: *Omnium inimicitiæ hoc prætextu ad vos deferentur.* De prætextu Statiſtarum eleganter egit PELZHOFFER *arcanorum ſtatus L.* 1. *c.* 1. *n.* 30. *p.* 12.

(d) *Finis, qui obtenditur.*) Ratio legis ſcilicet vel eſt adæquata, vel inadæquata. Hæc colores ſeu prætextus legis latæ continet; e. g. Milites in caſtris ſolennia teſtamenta facere non tenentur. Ratio politica & ſimulata traditur ruditas militum. Vera cauſa autem eſt, ne apicibus juris obſervatis a periculis ſubeundis deterreantur. Aliud exemplum occurrit in L. 12. Cod. qui pot. in pign. habentur, ubi dicitur, uxores prioritatem in pignore habere, quia partus dolores ſuſtineant. Vera autem ratio hic ſubeſt, ut dotes uxoribus conſerventur.



Digitized by Google

quærere, adeoque aſſimilatio charitatis in egenos: at verus finis eſt, ut divites legis juſſu coacti, armorum exercitatione, periti militiæ, & bellicoſi evadant; pauperes contra libertati ſuæ relicti ab illis abſtinendo ſint imbelles. Finis ulterior eſt, ut divites ita facilius imperium retineant; egeni minus repugnare poſſint.

### §. II.

*Exempla privati prætextus.*

Prætextus privati exemplum eſt illud Pamphili in Andria penes Comicum, & Davi monitoris, cum reſpondet patri; ſe uxorem ducturum. Hæc eſt actio, nempe promiſſio acceptandæ uxoris; finis, qui prætenditur, obedire patri; finis verus; ut negligentem patrem ea reſponſione reddat. Id monet Davus.

*Sed ſi æquo animo ferre accipiet, negligentem feceris.*

Finis ulterior; ut demum poſſit Pamphilus uxorem ducere Glycerium ſuam.

Penes Saluſtium autem C. Cornelius Eques, & L. Varguntejus Senator introire debebant noctu ad Ciceronem. Hæc erat actio ſcilicet introitus; ipſe finis obtentus, ut ipſum ſalutarent; finis verus, *ut confoderent imparatum*; (*a*) finis verus ulterior, ut ita Roma potirentur, Conſule ſublato, conjurati.

Cum voluptuarius eſt finis, ut in amatoriis, unicus finis dari videtur verus: nempe voluptas quæſita, quæ eſt proximus finis, non habet finem ulteriorem: attamen in illis quoque ſæpe finis proximus ab ulteriore diſtinguitur; cum ſimulat ſumere aquam mulier, ut ſcribat amanti. *Ovid.* 3. *lib. de arte amandi.*

*Scilicet obſtabit cuſtos, ne ſcribere poſſis,*
*Sumenda detur cum tibi tempus aquæ.*

Finis verus proximus eſt ſcribere amatori; finis ulterior eſt voluntas ex eo Veneris: at cum actio proxime concubitum antecedit, ut ſpecie mulieris admittere adulterum, tum finis proximus atque ulterior idem ſunt.

### §. III.

*De diſſimulatione finis.*

Diſſimulatio præterea finis quoque datur. Ea eſt, cum aliquid facimus, quo vero fine occulimus: nullum ſiquidem prætendimus finem. Juvat autem interdum, ſuſpenſos alios eſſe de conſilio noſtro. Cum quidam Princeps magnas copias comparavit & inſtruxit paulo prius, quam moreretur, quo fine eas collegerit, non aperuit; ut ipſo improviſa morte ſublato, adhuc incerti ea de re ſimus. Magni interdum Reges *exercitus cogunt*; (*b*) cur vero non aperiunt, ut finitimi Principes minorum virium metuentes ſibi arma parare cogantur, atque ita exhauriantur ſumptibus. Dedita itaque illi opera quærunt ſuſpenſos eſſe finitimos Principes de fine, quamobrem milites conſcribant. Mæcenatem latebat, quamobrem Horatius ſacrificaret Kalend. Martiis, ut idcirco coactus fuerit cauſam ſignificare.

*Martiis cœlebs quid agam Kalendis.*

Ejusmodi ergo eſt finis diſſimulatio, cum non falſum prætendimus (quæ eſt ſimulatio) ſed nullum apperimus, omnemque tegimus.

## CAPUT TERTIUM.

*De ſimulatione morum.*

A notioribus ad occultiora pergentes, ad ſimulationem morum a ſimulatione actionum tranſeamus.

Eſt *ſimulatio morum* (*c*) difficilior, quæ deprehendatur, proindeque ignotior ſimulatione actionis. Nam cum abſumus ab occaſione operandi liberum eſt morem quemlibet ſimulare. Ignaviſſimus quisque homo ſe pro forti venditare poteſt, cum nulla eſt occaſio pugnandi. Thraſones multi in Comœdiis inducuntur; ſed in communi etiam vita multos tales novimus, qui geſtatione armorum, inceſſu, & oris habitu Martem ementiantur; at ſint muliercululis pavidiores. Novi etiam, qui ſe puriſſimum & caſtiſſimum ſimularet, at re ipſa inventus eſt fœdus, & intemperantiæ perditæ. Hypocritæ ejusmodi morum ſimulatione paſſim utuntur; quos idcirco ſacræ literæ ſepulchris exterius dealbatis aſſimilant, intus vero luridis & fœtidis.

### §. UNICUS.

*Inter cæteras morum ſimulationes, quæ ſimplicitatem ſimulat, ſummopere decipere.*

At ſunt, qui *ſimulationes*, (*d*) diſſimulationesque ſuas mirifice tegant, libertatis ac ſimplicitatis

(*a*) *Ut confoderent imparatum.*) Similem finem habuit Callicrates, homo & callidus & ad fraudem acutus, ſine ulla religione & fide, in Dione interficiendo, de quo CORNELIUS NEPOS in *vita Dionis* ſequentia narrat; *Callicrates ſuorum e numero Lacynthios adoleſcentes quosdam elegit cum audaciſſimos, tum viribus maximis: hisque dat negotium, ut ad Dionem eant inermes, ſicut conveniendi gratia viderentur venere. Hi propter notitiam ſunt intromiſſi. At illi ut limen ejus intrarunt, foribus obſeratis, in lecto cubantem invadunt, colligant: fit ſtrepitus adeo, ut exaudiri poſſit foris.*

(*b*) *Exercitus cogunt.*) Quod hac ipſa tempeſtate, quo hæc ſcribo, potiſſimum in Rege Boruſſiæ conſpicitur, qui maximum lectiſſimorum militum numerum conſcripſit, quo fine, id altioris indaginis, nec noſtrum eſt, inquirere. Ventilari hic poſſet quæſtio, an quis ob metum creſcentis potentiæ bellum vicino inferre poſſit; hæc autem ad Jus Gentium ſpectant.

(*c*) *Simulatio morum.*) De calliditate conſiliariorum vel in demerenda principis fortuna, vel in exornandis ſuis inventis, vel in prætexendis affectibus, vel in deſtruendis, æmulorum ſententiis vide BOECLERUM in Diſſ. *de elegantia moris civilis & aulici.*

(*d*) *Simulationes.*) De Catilina ſcribit SALLUSTIUS *Cap. V. Animus audax, ſubdolus, varius, cujuslibet rei ſimulator & diſſimulator.*

Digitized by Google

tis ſimulatione. Conantur ſe pro aperti ſenſus & liberi ſermonis hominibus venditare; cum ſint ſummopere tecti & occulti. Quoniam itaque incedentes taciturni, ac demiſſo vultu, cogitabundique, pro tectis, & occulti conſilii habentur.

*Demiſſos animo, & tacitos vitare memento.*

*Qua tacitum eſt flumen, forſan latet altius unda.*

Illi contra multa blaterant, & interdum dedita opera aliquid deſipientiæ allinunt dicacitati ſuæ, ut omnem aſtutiam atque calliditatem a ſe procul abeſſe ſuadeant: interim vero, quæ in alios evomunt, ut vera accipiuntur, non conficta; proindeque altum exiſtimationi demorſorum hominum vulnus infligunt. Novi quendam, qui cum libere admodum de aliis, & in alios diceret ſpecie dicacis quidem, at ſimplicis, apertique hominis; a prudentibus tamen aliquibus viris pro callido, tectoque homine habebatur; & id obtentum ſimplicitatis accipiebant. Deducamus hinc, proponamuſque canonem.

Canon. *Summopere cavendam eſſe inſidioſam ſimplicitatem, quam dari vidimus.*

## CAPUT QUARTUM.

### *Methodus detegendarum fictionum, ac ſimulationum, in ſua capita diſtinguitur.*

§. I.

*Enumerat capita univerſalia.*

Aggrediamur nunc ad fallacias, ac ſimulationes, diſſimulationeſque tegendas. Id præmonendo, ſoli *divino oculo eſſe (a)* eas vere & clare apertas: a nobis autem conjici, & probabili tantum conjectura poſſe indagari. Qua vero via humana conjectura in occulta adeo veritate inveſtiganda procedat, diſtinguamus.

Cum ſit itaque ſimulatio, ac fictio, de qua nunc agimus, velamentum quoddam obtegens vera animi ſenſa; vel velamentum ipſum aliqua ex parte perlucet acutis mentium oculis; & hoc eſt primum ſimulationis detegendæ caput. Vel adducitur ipſemet, qui fingit, ut animum ſuum detecta ſimulatione aperiat; eſtque ſecundum caput methodi. Vel neutra via inceditur; ſed ex qualitate perſonæ agentis, & ejus quicum agitur, conjectura ſumitur. Nempe ſi veterator ſit, qui agit, ac loquitur; noſque alias eum pro veteratore agnoverimus, facile credemus, tum etiam fingere, præſertim ſi ſimulatio tum uſui poſſit illi eſſe. Pariter cum perſona quicum agitur, ſit aliqua magna poteſtas, Princeps ſcilicet, aut ſummus Magiſtratus, aut id genus homo, qui plurimum obeſſe & prodeſſe poſſit; conjectabimus aliquam facile immiſceri ſimulationem ad promerendum ejus amorem.

Tria ergo ſunt methodi capita, quæ ſubdividuntur, ut nunc ſubdividemus. At quod tertio loco numeravimus, nunc primum caput & quod primum poſtremum facientes.

§. II.

*Subdividitur primum caput methodi.*

Primum ergo caput ex qualitate perſonæ in duas partes ſecatur, prout duplex eſt perſona; quæ agit, de cujus ſimulatione ambigitur: & ea, cum qua agitur. Perſona, quæ agit, & quæ dicit, vel fallaciis uti creditur ex communi aliqua conditione, vel ex peculiari. Ex communi; veluti nunc *aulicos ſimulatione (b)* uti credimus. Servi penes Comicum in eadem ſunt navi, *Andr. act. 3. ſc. 4.*

SIM. *Ego dudum non nil veritus ſum, Davi, abs te, ne faceres idem,*

*Quod vulgus ſervorum ſolet; dolis, ut me deluderes.*

Peculiaris vero conditio perſonæ, ex qua fictionem ac ſimulationem præſumimus, eſt, *ſi veterator (c)* a nobis ſit alias deprehenſus, ex propenſione vel adſcititio more. Simo idem penes Comicum, Davum credebat ex habitu, fallaciis uti.

*Simul ſceleratus Davus, ſi quid conſilii*

*Habet, conſumat nunc, cum nihil obſint doli.*

Ratione vero perſonæ, quicum agitur, nedum cum principibus, magniſque poteſtatibus ſimulant homines; ſed etiam cum perdite amatis; atque cum illis, in quorum manu ſunt, quæ vehementer deſiderant. Inops *adulatur (d)* diviti; amator amatæ; idemque de aliis.

§. III.

*Subdividitur ſecundum Caput methodi.*

Secundum caput eſt, cum adducitur idem, qui fingebat ad veritatem detegendam. Adducuntur vero homines ad indicandam veritatem: *vel* ſuaſione, ad quam blandiciæ rediguntur: *vel* pœnis, ut quæſtionibus & tormentis quæſitores criminum exprimere nituntur a reis peccatorum confeſſionem: ad hæc reducuntur minæ: *vel* præmiis, ad quæ pollicitationes rediguntur.

Mutius penes Livium *Lib. 2.* videtur beneficio victus revelaſſe Porſenæ conjurationem. *Tum Mutius*, inquit, *quaſi remunerans meritum. Quandoquidem*, inquit, *eſt apud te virtuti honos,* ut

(a) *Divino oculo.*) PLUTARCHUS de ſera numinis vindicta T. I. Oper. p. m. 230. *Deus*, inquit, *uniuscujusque affectum ac naturam haud ignorat, utpote qui magis animæ, quam corporis ſcrutator exiſtit.*

(b) *Aulicos ſimulatione.*) Sic TACITUS de Egnatio recte ſcribit, quod fuerit habitu & ore ad exprimendam imaginem honeſti exercitus, ceterum animo perfidioſus & ſubdolus, libidinem & avaritiam occultaverit. Vide BOECLERUM *in Comment. Plin. Cap. VI. T. I. Oper. p.* 758. & BALTH. GRACIANUM in *aulico ſuo Lib. III. p. m.* 268.

(c) *Si veterator.*) Illis dictum eſto illud Phædri: *Qui ſemel turpi fraude innotuit, etiamſi poſtea verum dicit, amittit fidem.*

(d) *Adulatur.*) Hic meretur omnino conferri liber PLUTARCHI *de diſcrimine adulatoris & amici.*



Digitized by Google

*ut beneficio tuleris a me, quod minis nequiſti: trecenti conjuravimus principes juventutis romanæ, ut in te hac via graſſaremur. Mea prima ſors fuit. Cæteri, ut cuique ceciderit primo quo ad te oportunum fortuna dederit, ſuo quisque tempore aderit.* Solorum cruciatus (a) & præmii in hoc ipſo propoſito Tacitus meminit. In conjurationis enim adverſus Neronem detectione dicit; *cruciatu ac præmio omnia eſſe pervia.*

Poſtremo loco *vino* (b) & ebrietate victi verum aperiunt animi ſenſum. Horatius:

*Dicuntur Reges multis urgere culullis,*
*Et torquere mero, quem pertentare laborant,*
*An ſit amicitia dignus.*

Et Theocritus in vino veritatem eſſe dicit. Dælila a Sampſone expreſſit arcanum fortitudinis ſuæ non blanditiis, ſed moleſtia perpetua gannitus & garritus ad aures. Sacra Scriptura rem aperte deſignat lib. Judic. cap. 16. verba ſunt. *Cumque moleſta eſſet ei, & permultos dies jugiter adhæreret, ſpatium ad quietem non tribuens, defecit anima ejus, & ad mortem uſque laſſata eſt. Tunc aperiens veritatem ei, dixit ad eam &c.*

## §. IV.

*Diviſa membra in ſua principia reducuntur.*

Si vero placet quatuor ejusmodi modos philoſophandi in ſua principia referre, ita procedemus.

Ut ſecretum prodatur duo faciunt: impetus animi ad ſenſa ſua aperienda, & imbecillitas virtutis ac facultatis ſeſe cohibendi.

Impetu magno erumpere velle, quæ intus in animo condimus, quisque interdum in ſe ipſo experitur. Ut non injuria ille Terentianus ephebus, *Eun. act. 3. ſc. 5.*

*Jamne erumpere hoc licet mihi gaudium?*

At prudentes graveſque homines ſe ipſos cohibent.

Quod ſi vis ſeſe cohibendi ſit imbecilla, vel imbecilla reddatur, tum ex hoc quoque capite ſecreta produnt animi.

Impetus erumpendi præſertim ineſt in caleſcente animo. Scilicet incaleſcente primo ſenſorio. Ut affectus calidi aperti ſint; ira vehemens, cupiditas, & id genus alii. At laxatur vis cohibendi animum ab affectibus frigidis, timore & dolore; hac itaque ratione tormenta & minæ ad ſecreta detegenda conferunt. At præmia, beneficiaque, & pollicitationes ex prima cauſa. Voluptas & calefacit & laxat, ut utraque ratione arcana animi prodat. Ebrietas pariter tum calefacit, tum diſſolvit vim omnem animi ſeſe cohibendi. At ſuaſio altius principium petit, nempe rationem & voluntatem, quæ velit ſeſe aperire.

## §. V.

*Subdiviſio tertii capitis methodi.*

Caput tertium erat, cum velamen fictionis perlucet. Diſtinguitur autem. Vel enim totum velamentum perlucet; vel cum ſit ſuapte natura impervium, aliqua in parte diſrumpitur. Perlucet vero vel ratione tenuitatis, vel ratione contrarietatis. Diſrumpitur autem, vel erumpente affectu, vel accidente, aut ſubſequente affectu. Singulas partes ſubfiguremus.

## §. VI.

*Cum velum ex tenuitate perlucet.*

Quoniam ergo velamentum fictionis triplex eſt, (vel enim conſiſtit in vultu, vel in oratione, vel in facto) ſingula percurramus.

Velamentum vultus tenue eſt. Cum mœſti v. g. *lætitiam ſimulant vultu,* (c) ſed leviter adeo, ut mœſtitia facile ſubluceat. Perlucebat timor & conſcientia peccati Antiphonis in primo & ſecundo ejus vultu, licet non æque in ſecundo, at in tertio occulebatur.

- - ANT. *Vultum contemplamini, hem,*
*Satin' ſic eſt?* GE. *Non.* ANT. *Quid ſi ſic.* GE. *Propemodum.*
ANT. *Quid ſi ſic.* GE. *Sat eſt.* *Phorm. act. 1. ſc. 4.*

Velamentum autem orationis tenue eſt, cum frigida eſt, remiſſave verborum aſſeveratio, vel negantis, vel aſſerentis aliquid. Frigide narranti ſe a quopiam verberatum, nullam fidem adhibebat, vel ſe adhibere ſimulabat Demoſthenes: at concitatius jam & impenſius injuriam ſuam atteſtanti, ſe tum credere dixit. Remiſſa quoque petitio docet negationem, ut dicitur. At perplexa oratio multo magis detegit ſimulationem, penes Comicum, *Eunuch. act. 5. ſc. 1.*

THA. *Pergin' ſceleſta mecum perplexe loqui?*
*Scio, neſcio, abiit, audivi, ego non affui.*
*Non iſtuc mihi dictura aperte es quicquid eſt?*

Penes aliquos Juris conſultos vacillans oratio pro indicio ad torturam habetur, ut refert Emer

(a) *Cruciatus.*) Apud Romanos ſervos tormentis ad eruendam veritatem ſubjectos eſſe conſtat. TACITUS *annal. L. 3.* ſcribit; *Tormentis ſervorum patefacta ſunt flagitia.*

(b) *Vino.*) His, quæ auctor ex HORATIO *de arte poët.* affert, conſentanea ſunt, iſta THEOGNIDIS; *In igni quidem homines ſcientes aurum & argentum explorant & ſpectant: hominis autem mens vino cognoſcitur & declaratur, quantumvis prudentis, ſi ſupra modum id biberit: ita ut qui antea ſapientia laude florebat, is dedecore maculaque afficiatur.* Et HORAT. *L. 3. Oda* 21. amphoram ita alloquitur:

*Tu lene tormentum ingenio admoves*
*Plerumque duro: tu ſapientium*
*Curas & arcanum jocoſo*
*Conſilium retegis Lyæo.*

(c) *Lætitiam ſimulant vultu.*) Huc ſpectat illud VIRGILII; Spem vultu ſimulat, premit altum corde dolorem.

Digitized by Google

Emer in *Direct. Inquiſit.* 3. *p. q.* 61. & Clarus in *prax. criminal. quaſt.* 31. *n.* 27. at certe eſt indicium ad capiendum atque ad ſervandum in carcere *extr. pe pœnis, cap. ſuper his.* Penes quoque Q. Curtium *lib.* 7. ex trepidatione, reputavit reum Lynceſtem Alexander. *Nulli*, inquit, *erat dubium, quin trepidatio conſcientiæ indicium eſſet, non memoriæ vitium.* Cum vero in facto conſiſtit velamentum, perlucet ipſum quoque interdum ex tenuitate. Veluti, quos memorat Juvenalis, ſub adulteri adventum ſolitos eſſe ſubito ſe correptos ſomno ſimulare, utque is dicit;

*Vigilanti ſtertere naſo*,

Ut coram ſe uxores liberius contrectarent. Ratione contrarietatis; cum velamentum fictionis nimis artificioſum & affectatio eluceat. Tale quippiam eſt illud Horatianum de mendaci laudatore.

- - *Clamabit enim, pulchre, bene, recte,*
*Palleſcet ſuper his etiam; ſtillabit amicis*
*Ex oculis rorem: ſaliet, tundet pede terram.*
*Ut qui conducti plorent in funere, dicunt*
*Et faciunt prope plura dolentibus ex animo.* Sic
*Deriſor vero plus laudatore movetur.*

§. VII.

*Cum diſrumpitur velum.*

Diſrumpitur autem velum, vel erumpente affectu, ut diximus, vel accidente, vel ſubſequente affectu.

Cum affectus erumpit majoris diligentiæ, & attentionis eget, cum in eodem inſtrumento, quod affectum aliquem ſimulat, contrarius verusque erumpit; & non adeo erumpit, ut totam ſimulationem auferat. Si enim perſeverante adhuc velo ſimulati affectus, verus per partem emergat, ſagaci opus eſt oculo & inſtructo, ut inter ſimulationis nubes veritatis radius dijudicetur. Dico autem; veluti ſi affectus amoris ſimuletur vultu, at in eundem vultum erumpat odii radius inter ſimulationem adhuc perſtantem amoris; aut ſimuletur affectus oratione, & oratione eadem interim contrarius eluceſcat affectus. Pariter ſi facto ſimuletur, & facto eodem aperiatur; opus in ſingulis his caſibus eſt multa attentione, & perſpicacia. Facilius dignoſcitur ſimulatio, cum oratio & vultus aperte pugnant, vel oratio & factum, vel vultus & factum. Nam ſi veritatis ſignificatio per tranſennam eluceſcat, par eſt cum ſuperiore difficultas.

Pugnabat vultus cum oratione Chremetis penes Terentium, qui cum ſe audacem verbis profiteretur. *Eunuch. act.* 4. *ſc.* 6.

*Ego formidoloſus? nemo eſt hominum, qui vivat minus.*

At vultu præ ſe ferebat timorem.

- - TH. *At tolle pallium.*

*Perii, huic ipſi eſt opus patrono, quem defenſorem paro.*

Pugnabat, judice Elyſa, Oratio Æneæ, fugam adornantis, & vultus. Cum enim oratione in amorem profiteretur.

- - *Nec me meminiſſe pigebit Elyſæ,*
*Dum memor ipſe mei, dum ſpiritus hos reget artus.*

At nec ingemuit fletu Elyſæ, nec flexit oculos, nec lachrymas dedit: ut illa ipſa objecit.

*Num fletu ingemuit noſtro? Num lumina flexit?*
*Num lachrymas victus dedit?*

Interpretabatur itaque vultum pugnare cum oratione. At pugnabat factum cum oratione ex ſententia Philenii Plautinæ, cum Argyrippus amator *Aſinar. act.* 3. *ſc.* 5. ſalvere eam juberet, & abiret.

PHIL. *Salvere me jubes; quoi tu abiens affers morbum?*

Sed certe pugnabat oratio Ezelini Romani cum factis. Dicebat is ſe Patavium expurgare velle, & optimos quosque cives occidebat. Pugnarent vultus, & factum, ſi contracta fronte, & averſo vultu quis arcte hominem amplexaretur: factum ſiquidem magnam ſignificaret dilectionem, at vultus animi alienationem.

Hæc itaque cum palam repugnant ſignificationes affectuum: at cum tecte, & per tranſennam ſignificatio vera erumpit, intelligemus ſuo poſtea loco, interim brevitatis cauſa ſupprimemus.

§. VIII.

*Cum diſrumpitur aperiturque ſimulatio ex affectu ſubſequente.*

At ſimulatio aperitur ex affectu ſubſequente interdum. Ut velamen ſatis per ſe denſum, & opacum diſrumpatur. Simulatio Lodovici Sfortiæ, dum prætendebat adminiſtrationem ditionis mediolanenſis in gratiam nepotum ex fratre arripere, detecta fuit cum illis excluſis, eam ſibi, & filiis ſuis ab Imperatore petiit, & impetravit. Proditorum ſimulationes ad exitum adductæ omnes hac ratione aperiuntur. Simon finxit equum a Græcis relictum, donum eſſe fatale Minervæ, & ſequenti nocte exitus fraudem detexit.

*Arduus armatos mediis in mœnibus aſtans*
*Fundit equus; victorque Simon incendia miſcet.*

CAPUT

Digitized by Google

## CAPUT QUINTUM.

### *Primum caput continet detegendæ fraudis ex qualitate perſonæ agentis, cum veterator fuerit.*

§. I.

*Veteratoris diſtinctio, & canon.*

Singula jam capita, quæ hucusque diſtinximus detegendæ ſimulationis, diſſimulationisve proſequamur, ſuos cuique canones aſſignaturi. Primum itaque erat ex qualitate perſonæ agentis, cum homo veterator fuerit. Veterator alius apertior eſt, qui ſcilicet interdum jactat fallaciam ſuam, & in univerſum doloſam vivendi rationem commendat. Alius tectus, qui ſpecie ſimplicis ac veracis decipit pro utilitate ſua. Ad hunc ſecundum veteratorem detegendum multa ſcribit digniſſima ſcitu Plutarchus *in lib. de adul. & am. diſcrim.* Exemplum primi veteratoris exprimitur in Memnone, a Xenophonte in lib. 2. de Cyri expeditione in calce. Verba ſunt inter alia, *Memnon jactabat poſſe ſe omnes fallere, falſum ſuadere, & amicos illudere.* Ludovicus Sfortia dictus Morus ex horum numero fuiſſe videtur; qui dum prudentiam ipſe ſuam interdum celebraret, dare ſe poſſe verba cunctis profiteretur. Simulatore jam, ac veteratore diviſo communis canon ſtatuatur.

Canon. Hominis ſimulatoris ac veteratoris dicta & facta interpretari debemus ex utilitate ejus, non ex verborum factorumve ſignificatione. Totam rem unico exemplo declaremus.

Germanicus eo redegerat germanorum vires, ut unius adhuc anni bello eos debellare poſſet. *Tacitus lib. 2. annal.* At Tiberius, cui tanta gloria Germanici ſuſpecta erat, multa obtendit, ut a bello ipſum abſtraheret, primum monitu quietiorum conſiliorum, deinde oblatione Conſulatus; demum rogando, ut aliquid materiæ relinqueret ad Imperatoriam lauream Druſo. At Germanicus ſimulationem Tiberii novit; nam, ut tradit Tacitus, *Haud*, inquit, *cunctatus eſt ultro Germanicus; quamquam fingi ea, ſeque per invidiam parto jam dedecori abſtrahi, intelligeret.*

§. II.

*Uſus canonis ſeculo hoc exponitur, & reprehenditur.*

Hoc ſeculo canon hic, aliorum dicta ac facta interpretandi ex eorum utilitate, adeo invaluit, ut quaſi omnes ſint ſimulatores; quaſi omnes ex electione agant & conſultatione, non autem ſæpe ex affectu, & perturbatione, & demum quaſi omnes, quod ſibi utilius eſt, exacte cognoſcant, interpretamur omne dictum & factum ex utilitate dicentis & facientis, ut ex fine, nulla etiam habita honeſtatis ratione. Sumo autem utilitatem proprie, ut tertium eſt membrum boni in communi, quod trifariam dividitur, in honeſtum, utile, jucundum, quomodo etiam in Rhetoricis ſumpſit Ariſtoteles, cum illam ſtatuit finem generis deliberativi. Hæc eſt ea interpretatio ex regula corrupta dominandi, quam Itali vocamus, *Ragion di Stato;* (*a*) quam nunc nedum Principes & civiles homines, ſed ſtratores uſque tractant Ipſam definivit ſub alio tamen nomine appoſitiſſime Plato: *l. 1. de Juſto. Utilitatem potentioris.* Unamquamque ergo actionem interpretantur ex utilitate, quam affert, factam tanquam ex fine.

Canon. Non eſt itaque ejuſmodi interpretatio adhibenda, niſi cum factum dictumve hominis ſimulatoris, & callide ſcilicet veteratoris cenſemus. Ut enim ſimulator fingit, ut callidus: non ſubito affectu, ſed proviſa ratione utilitatis ſuæ ducitur.

Unde ſi homo ſimplex & apertus fuerit, non eſt tanquam ex ſimulatione accipienda ejus actio. Si etiam conſtet ex affectu impulſum egiſſe, non eſt interpretanda quaſi ex proviſione utilitatis proceſſerit. Pariter ſi ſit imprudens. Quis enim imprudenti homini tribuat ſagacem cognitionem utilitatis majoris? At ſi vir optimus & ſanctus, ex honeſtate, non ex utilitate ab honeſtate ſejuncta, eſt exponendum factum, dictumve ejus.

Cum tamen cauſa ſimulationis tantum exceſſerit perſonæ ſimplicitatem, ut vix ulla ſit inter illas proportio, homo apertus ſimulat, vel quin ſimulet dubitare licet. Marius videtur ex ſui natura potius fuiſſe apertus, quam veterator. Attamen tantum in eo potuit potentiæ deſiderium, ut cum viſa illi ſit potentiæ ratio id exigere, turpiter omnes deceperit. Veluti in negocio Saturnini, legiſque ejus nobiles ac Senatum, demum etiam Saturninum fefellit. *Plutarch. in vita ejus.*

## CAPUT SEXTUM.

### *Secundum detegendæ ſimulationis caput ex perſona, qui cum agitur.*

§. I.

*Qui maxime timetur, enixe honoratur.*

Secundum caput erat ex perſona, qui cum agitur. Hæc ſane cum *poteſtatem magnam* (*b*) obtinuerit, præſertimque ſi valde timeatur, ſemper cum ſimulatione eam adimus, laudando, honoreſque, ac reverentiæ ſigna multo majora exhibendo, quam ſit vere ſenſus noſter. Romani peſſi-

(*a*) *Ragion di ſtato*) De hoc argumento peculiari Diſſertatione egit CONRINGIUS. Cui conferatur BOECLER in Diſſ. cui tit. *Hiſtoria Principum ſchola*, §. 25. *T. I. Oper. p. m.* 32.

(*b*) *Poteſtatem magnam.*) Tiberius tamen adulatoribus acriter infeſtus, actus aut verba, quibus ullum adulationis veſtigium ineſſet, exſecrabatur atque oderat. Conſularem virum ad genua procumbentem indignatus effugit, tanto impetu, ut illum in aſſurgendo reſupinum ſterneret. Vid. FRANC. PETRARCHA *de viris illuſtr. L. IV. Cap.* 10.

Digitized by Google

peſſimos Imperatores; quippe quos maxime formidarent, divinis usque honoribus viventes coluere; at optimos Principes honoribus humanis. Verum eſt illud Plinii: '*In Paneg. Traj. dicto. Ingenioſior eſt enim ad excogitandum* (honores & laudes) *ſimulatio veritate, ſervitus libertate, metus amore.* Domitiano ſtatuas aureas inter Deorum ſtatuas tanquam Deo poſuerunt. Trajano æreas inter ſtatuas hominum dicavere; ſed has duraturas, illas brevi exſcindendas. Sit itaque canon.

Canon. Quæ ad honorem dicimus aut facimus potentiorum hominum, quos præſertim valde timemus, vel quorum odium maxime præcavemus, aliquem ſimulationis gradum majorem minoremve includunt: majora enim ſunt, quam quæ dicenda aut facienda pro eorum meritis credamus. Interdumque nedum minora merita honoratorum hominum, ſed nulla credimus: immo vel maximis opprobriis, & pœnis dignos reputamus. Cum ponebant ſtatuas aureas in Templis Domitiano, credebant tum Romani inquinari cultum Deorum. *Totaque area* (inquit Plinius) *hinc auro, hinc argento relucebat; ſed potius polluebatur, cum inceſti Principis ſtatuis permixta Deorum ſimulacra ſorderent.* Vel ergo debemus credere, contra quam ſignificetur ſentiri & reputari; vel ſaltem multo minus.

## §. II.

*Praxin continet.*

Canonem non admodum difficilem, brevi tamen praxi illuſtremus. Cicero *Lib. 9. ad Att. epiſt. 11.* Cæſarem obſecrat, expulſo jam Pompejo ex Italia, ut ejus tamen dignitatem tueri poſſet ea ratione, quod eos duos delegerit, quos præcipue coleret, quibusque eſſet amiciſſimus. Verba ſunt: *Sed, ut eo tempore non modo ipſe auctor dignitatis tuæ fui, verum etiam cæteris auctor ad te adjuvandum; ſic me nunc Pompeji dignitas vehementer movet. Aliquot enim ſunt anni, cum vos duos delegi, quos præcipue colerem, & quibus eſſem, uti ſum, amiciſſimus.* His verbis parem erga utrumque amorem, & obſervantiam profitetur. Verum ex canone, cum epiſtola ſcripta ſit ad Cæſarem arma tenentem, & victorem, interpretari debemus, minus Cæſarem a Cicerone obſervatum, quam Pompeium. Quam interpretationem res ipſa demonſtrat. In iisdem enim ad Atticum Epiſtolis non ſemel declarat ſe Pompeianum; ut dixerit etiam, malle ſe cum Pompejo vinci, quam cum Cæſare vincere. At de excedente ſtudio in Pompeium ſupra dixi: interim addo *Epiſt. 9. lib. 8.* itidem ad Atticum, cum de Pompeio dixerit. *Et me hercule, quamvis amemus Cneum noſtrum, ut & facimus & debemus, &c.* De Cæſare ſubjicit. *Sed hoc τέρας horribili vigilantia, celeritate, diligentia eſt.* Monſtrum ſcilicet ipſum vocat.

Veterator autem alius apertior eſt, qui ſcilicet interdum jactat fallaciam ſuam, & in univerſum doloſam vivendi rationem commendat; alius tectus, qui ſpecie ſimplicis ac veracis decipit pro utilitate ſua.

Ad hunc ſecundum veteratorem detegendum multa ſcribit digniſſima ſcitu Plutarchus in *lib. de Adulatore & Amico diſcrim.*

Exemplum primi veteratoris exprimitur in Memnone a Xenophonte in *lib. 4. de Cyri expeditione* in calce. Verba ſunt: *Memnon jactabat, poſſe ſe omnes fallere, falſum ſuadere, & amicis illudere. Ludovicus Morus* (a) ex horum numero fuiſſe videtur, qui dum prudentiam ipſe ſuam interdum celebraret, dare ſe poſſe verba cunctis profitebatur. *Guicc. lib. 1.*

# CAPUT SEPTIMUM.

## *Tertium caput Methodi, ſcilicet perſuaſio exponitur.*

Accedamus ad eam methodi partem, quæ annititur ſimulationem ipſam adducere ad vera animi ſenſa aperienda.

Quatuor erant ejusmodi partis membra, quorum primum perſuaſio. Hæc autem cum ſemper ex bono ducatur, (ea enim ratione quamque rem perſuademus, dum bonam oſtendimus) vel ex honeſto procedit, vel ex jucundo, vel ex utili. Ex honeſto quidem, ut cum judices reos ad veritatem detegendam hortantur, eo quod jus id, fasque poſcit. Hac etiam uteretur ſuaſione, ſi quis theologicum id dogma adhiberet, quod penes D. Thomam legimus: *2. 2. q. 69. art. 1. Et ideo ſi confiteri noluit veritatem, quam dicere tenetur, vel ſi eam mendaciter negaverit, mortaliter peccat.*

Ex jucundo autem; veluti ſi cui ea ratione ſuadeatur, gravem aliquem affectum prodere, ut angor levetur animi.

At ex utili; ſi occulti deſiderii ac voti ad conſequutionem ſe quis operaturum, modo illud noverit, atteſtetur. Interdum non aliena oratione, ſed interiore meditatione ac conſultatione perſuaſio procedit. Legati Allobrogum ſua ipſi conſultatione utiliora conſilia ſequuti, conjurationem Catilinæ detexere. Saluſtius ita rem deſcribit: *In altera parte erat æs alienum, ſtudium belli, magnæ merces in ſpe victoriæ: at in altera majores opes, tuta conſilia, pro incerta ſpe certa præmia. Hæc illis volventibus, vicit fortuna reipublicæ. Itaque Q. Fabio Sangæ, cujus patrocinio plurimum civitas utebatur, rem omnem, uti cognoverant, aperiunt.* Canonem proponamus.

Canon.

(a) *Ludovicus Morus.*) Cognomento alio SFORTIA, quod ab aliquo majorum Mutio Avendolo, violentis corporis viribus prædito, huic ſtirpi inditum. De hujus vita & rebus geſtis vide ANTON. MARIAM GRATIANUM de *caſibus virorum illuſtrium p. 43. ſq.* qui liber tum ob ſtili nitorem, tum ob ardua rerum momenta magnopere commendandus.



Digitized by Google

Canon. Perſuadere cuipiam, ut *arcana prodat,* (*a*) ex locis perſuadendi pendet, qui penes Rhetores habentur. Summa vero eſt, ut vel honeſtum id tum, vel jucundum, vel utile futurum monſtretur; ut aptius erit ad movendum hominem, cui perſuadere velimus.

Nutrix penes Euripidem Phedræ perſuadebat arcanam aperire animi afflictionem ex honeſtate:

*Itaque enarrans honeſtior videberis.*

Et prius ex utilitate.

*Et ſiquidem ægrotas quodam arcanorum malorum,*
*Mulieres hæ promptæ ſunt ad curandum morbum:*
*Si vero proferenda tibi calamitas ad viros,*
*Dic, ut res Medicis deſignetur hæc.*

## CAPUT OCTAVUM.

### *Quartum Methodi caput. Pœnæ & quæſtiones quæque ad eas reducuntur.*

§. I.

*Comminatio pœnæ ſubit locum quæſtionis.*

Succedunt pœnæ & quæſtiones. Sumo autem hic pœnas in ordine ad eruendam veritatem, ut in idem cum quæſtionibus nunc recidant. *Quæſtio* (*b*) enim a Juriſconſulto *l. item ap. Labeonem §. quæſtionem ff. de Injur.* definitur; *Tormenta, & dolor corporis ad eruendam veritatem.* Subjicit etiam, quæſtionem extendi ad eam, quam Græci malam manſionem vocant, ſub qua carcerem, & famem reponit Gloſſa, cum ad eruendam veritatem itidem uſurpatur. Verum non ſolum pœna, cum fuerit inſtans comminatio, & pœnæ, & quæſtionis locum ſubit. Timorem ſiquidem excitat magnum; qui affectus non ſecus ac dolor laxat animum, vimque continendi ſecretum atque arcanum animi exolvit, ut antea *c.* 4. §. 4. diximus. Quam quidem cauſam eſſe, quamobrem animum aperiant homines quæſtionibus ſubjecti ſuum, præterea, quæ nos adduximus, ſignificat ſacra hiſtoria, ubi de Samſone loquitur loco antea adducto *cap.* 4. §. 3. Ibi: *Defecit anima ejus, & ad mortem usque laſſata eſt: tunc aperiens veritatem, &c.* Pænæ itaque eatenus ad veritatem eruendam ſuffragantur, quatenus *animum laſſant.* (*c*) Quem eundem effectum præſtant minæ inſtantes & urgentes, timorem validum incutiendo. Timorem hujusmodi, prævalidum præſertim, incutiebant tormenta expoſita coram reo ad ipſum terrendum; exponebant enim fidiculas, equuleos, ignes, laminas, & ad ſingula membra excogitata ſingillatim tormenta, ut ea ſpecie territi rei faterentur, quæ judices exquirebant. Curtius idem coram Philota factum aſſerit. *Lib.* 6. *Tortores in conſpectu Philotæ omnia crudelitatis inſtrumenta proponunt.* At aſpectui ipſe non ſuccubuit; ſuccubuere vero penes Tacitum in conjuratione Neronis, Scevinus & Antonius Natalis: *Et tormentorum,* inquit, *Annal. lib.* 15. *aſpectum, & minas non tulere.*

§. II.

*Non eſſe ſatis certam confeſſionem, quæ tormentis exprimitur.*

At licet pœnæ, & quæſtiones, ut laſſent animum ad detegendam veritatem, conferant; attamen ſævitia interdum ſua adducunt impares dolori homines ad fatenda crimina, quæ nunquam perpetravere, ut morte ſaltem ſe ab ea miſeria liberent. Curtius de Philota. *Lib.* 7. *Quia Philotas ultimis cruciatibus victus, verane dixerit, quæ facta probari non poterant, an falſis tormentorum petierit finem, re quoque recenti, cum magis poſſet liquere, dubitatum eſt.* Sed Legiſlatoribus quoque ſuſpecta eſt quæſtionum fides; unde ff. de quæſtionibus, l. prima, legimus hæc ab Ulpiano dicta: *Non eſſe a tormentis incipiendum, D. Auguſtus conſtituit, neque adeo fidem quæſtioni adhibendam.* Hæc ibi. Proindeque inter Juriſconſultos id communi voto obtinuit: tormenta eſſe probationem *ſubſidiariam.* (*d*) Nempe non eſſe ad ea deveniendum, niſi in ſubſidium, cum aliæ probationes ceſſant. Clarus in *pract. crimin. quæſt.* 64. *num.* 5. qui poſt Conradum eam eſſe communem doctorum ſententiam refert.

§. III.

*Hoc quæſtionum caput per ſe parum eſſe accommodatum politico homini, per reductionem tamen quandam poſſe utile eſſe.*

Verum nedum parum certa eſt fides quæſtionum, ſed etiam methodus, quæ per illas tranſigitur, parum accommodata politico homini. Ad quæſitores ſiquidem, ac judices criminum potius pertinet, & demum ad illos, qui juriſdictione uti poſſunt adverſus eum; cujus vera ſenſa quærunt. Heri in ſervos exercere poterant. Patribus quoque in filios aliqua ex parte patet pro jure caſti-

(*a*) *Arcana prodat.*) Quomodo Trojani Sinonis arcana, quæ fingebat, elicuerint, vide apud VIRGILIUM *L.* 2. *Aeneid.*

(*b*) *Quæſtio.*) Sunt quæſtiones modus extraordinarius, quo ſuſpicione gravatus idonea per varios cruciatus adigitur, ut confiteatur cum omnibus circumſtantiis delictum illud, quod ad minimum meretur pœnam corporis adflictivam. Multi torturam e foro Chriſtianorum eliminandam ſtatuunt, quibus hoc patrocinari videtur, quod in *L.* 1. §. 23. *de Quæſtionibus ff.* res fragilis, periculoſa, & quæ veritatem fallere poſſit, dicatur. Vide Diſſ. THOMASII *de tortura ex foris Chriſtianorum proſcribenda.* Et CLASENIUM *ad Conſtit. Criminal. Caroli V. Artic.* 45. *ſq.*

(*c*) *Animum laſſant.*) Prohibentur tamen quidam torqueri ob corporis infirmitatem vel aliam conditionem, ut prægnantes *L.* 3. *de pœnis,* decrepiti & alii valetudinarii. Ita enim reus torquendus, ut ſalvus vel innocentiæ vel ſupplicio ſervetur. L. 7. *de pœnis.* Conſ. DD. ad *Art.* 58. *Conſt. Crim. Caroli V.*

(*d*) *Subſidiariam.*) L. 1. *ff. pr.* L. 8. *de quæſtion.* L. 12. *C. eod.* Si enim aliter convictus ſit, reus ulterius non eſt torquendus, licet delictum pertinaciter neget, ſed ſtatim condemnandus. *Art.* 22. & 69. 78. L. 16. *C. de pœnis.* ZOES. h. n. 15.

caſtigationis, quod in eos habent. Verum per reductionem in alios quoque nobis non ſubjectos quoquo pacto datur; modo ſint aliqua de cauſa nobis obnoxii. Sampſon erat amore Dælilæ obnoxius; potuit itaque illa jugi moleſtia exprimere ab illo cauſam fortitudinis, quam omnibus tegebat. Idem erit ſi ob utilitatem, vel honoris ſtudium, vel ob aliud demum bonum fuerit quis obnoxius nobis. Sint Canones.

## §. IV.

*Canones continet.*

Canon 1. Quemcunque aliquis obnoxium habet aliqua in re, poteſt hominem adducere ad detegenda ſecreta animi. Dum eum incommodet ea in re, in qua habet obnoxium, non dando, ſcilicet eam, vel exigue dando usque quo veritatem dicat. Canon patet ex iis, quæ de Dælila diximus. Pariter ſi dives & beneficus inopi, quem ſublevare ſolebat, ſubtrahat liberalitatis ſuæ adjumenta. Item ſi potens homo, ac ſtudiis multorum cultus, ſubtrahat cuipiam colentium amoris priſtina ſigna, & interiores admiſſiones, ut ea ratione compellat hominem veritatem detegere, omni ſummota fictione. Nam hæc acriter pungunt ſequacium animos.

— — *Quid das? ut Coſſum aliquando ſalutes,*
*Ut te reſpiciat clauſo Vejento labello?*
*Ille metit barbam; crinem hic deponit; amati*
*Plena domus libis venalibus.* Juvenalis.

Quodque de his deſideratis bonis dixi de aliis omnibus dictum quisque reputet.

Canon 2. Si quis pariter quempiam obnoxium in re aliqua habeat, minis ſubtrahendi bonum concupitum, adigere eum poteſt ad aperienda vera animi ſenſa. Ut prior ſcilicet canon dolore, hic timore procedit. Amatæ hoc modo mulieres amatores ſibi detectos reddere poſſunt, *&c.* Et Principes aulicos ſuos in terminatione alioquin gratiæ ſuæ.

Non tamen eſt prorſus neceſſaria methodus. Ut enim conſtantia nonnullorum *tormenta vincit,* (*a*) ita etiam vincere, & multo magis, poteſt minus violentas expreſſiones, quales ſunt, quas proxime memoravimus; tum quæ ex dolore, tum quæ ex timore procedunt.

## §. V.

*Importunas ſollicitationes ad hoc quoque caput reduci.*

*Importuna* (*b*) ſollicitatio, & repetita interrogatio ſecreti moleſtia demum ſua potis eſt exprimere ſecretum animo. Quisque ſecum reputet, inveniet ſæpe animi ſecreta non ſemel denegata, repetita demum, & inſtante petitione expreſſiſſe. Dælila vere videtur ejusmodi importunitate viciſſe Sampſonem, licet incommodatio in amore necteretur. Chremes penes Terentium, *Heaut. act.* 1. *ſc.* 1. repetita interrogatione Menedemum inclinavit ad aperiendam cauſam ærumnæ ſuæ; verum alio etiam ſubjecto methodi capite arcanum demum expreſſit. Quid poſſit iterata & demum importuna petitio, ex facto Blaſii cum Daſio penes Livium patet. *Lib.* 2. Etſi enim non pertinet exemplum ad aperiendum animi ſecretum, tamen maximam vim ipſius oſtendit, dum Blaſius æmulum ſuum, & ſtudioſum punici imperii, importunitate ſollicitationis ad partem Romanorum traxit. Concludit eam narrationem Livius. *Nec Blaſius ante abſtitit tam audaci incepto, quam idem obtundendo, docendoque, quam ea res ipſis patriæque ſalutaris eſſet, pervicit, ut præſidium punicum* (hi autem Numidæ erant) *Salapiaque traderetur Marcello.*

## §. VI.

*Judices, & quæſitores criminum hac uti arte, &c.*

Judices & quæſitores ſcelerum importunitate ejusmodi interrogationum fatigant reos. Eaque una ſæpe ad confitendum adducunt. Nam *multitudine interrogationum* (*c*) homines onerant; eorumque reſponſiones contrarias & perplexas contendunt; inde fatigati, qui interrogantur, & irretiti, cum ſeſe explicare nequeant, ſæpe non habent quid reſpondeant, & obmuteſcunt. Sæpe veritatem fatentur victi indiciis, quæ extorſit interrogando judex. Sunt aliqui in interrogandi arte adeo excellentes, ut reos ſolis interrogationibus ad confitendum adigant. Nonnullosque ejusmodi a ſe cognitos, refert Tranquillus Ambroſinus *de proceſſu informativo libro* 1. *cap.* 2. *num.* 5. Moleſtia nempe anguntur & franguntur rei; interdum etiam timore pœnæ animo proviſæ. Timore penes Plautum defecit Tyndarus, ob indicium Ariſtophontis contrarium enixe aſſeverantis, & ob interrogationes Hegionis heri. Aperit timorem ſuum Tyndarus.

— — TYND. *Pereo probè.*
*Quin tu quieſcis deierectum cor meum, ac ſuſpende te.*
*Tu ſuſſultas, ego miſer vix aſto præ formidine.*

## §. VII.

*Non eſſe prorſus tutam modo enarratam artem.*

Verum neque prorſus certa fides adhiberi poteſt ejusmodi interrogandi peritiæ; ut ſcilicet, quicquid illa ex reis exprimit, omnino verum reputetur. Si quidem videmus diſputandi peritos redarguere veriſſima quæque dicta minus peritorum, quos etiam (modo lubeat) in repugnantiam dictorum adducunt.

Quin

(*a*) *Tormenta vincit.*) Quam conſtantiam in perferendis tormentis de NICOLAO MACHIAVELLO, factionis contra Domum Mediceam ſuſpecto, memorat BAYLE in *dictionar.*

(*b*) *Importuna.* Quæ neminem quaſi in portu conquieſcere ſinit. Importunum ait eſſe FESTUS, in quo nullum auxilium eſt, velut eſſe ſolet portus navigantibus.

(*c*) *Multitudine rogationum*) Caveat tamen ſibi judex a ſuggeſtionibus & quæſtionibus impertinentibus. *L.* 1. *§.* 21 *ff. de quæſt. Art.* 56. *Conſt. Crim. Carol.* Confeſſio autem ad ſuggeſtionem elicita non gravat inquiſitum.

Quinque ſunt, quæ *ſophiſtæ ſibi* (*a*) proponunt, & niſi recte, & ſcite occurratur, præſtant. Redargutio, Falſum, Inopinabile, *Solæciſmus*, (*b*) & Nugatio. *Ariſtot.* I. *Sophiſt. Elench. cap.* 3. Solertem ergo & acutum quæſitorem adducere hominem, etiamſi veridicum & inſontem, in repugnantias & contrarietates, ecquod mirum? Conſequens vero eſt, ut irretitus ejusmodi homo conturbetur atque conticeſcat; deindeque tormentorum metu, ad quæ jam indicia ſua perplexitate præbuit judici, fateatur delictum, quod nunquam perpetraverit.

Certe ſi qua in re mediocritatem ſequi oportet (in omnibus autem oportet ſequi, nam omnis virtus omniſque actio ex virtute in mediocritate eſt,) in hac præſertim functione, quæ vitam necemque hominum objectam habet; immo ſubjectam, eſt ea retinenda. Velle ergo ex ſubtilitate nimia nominis celebritatem comparare, ad ſævitiæ exceſſum tendit: negligentius contra, quam par ſit, procedere, eſt criminoſorum hominum malitiam alere. Arripiat ergo judex, ac ſibi proponat illud Cleobuli; ἄριστον μέτρον, ſcilicet optimum eſſe modum; nec non Horatii monitum.

*Rectius vives, Licini, neque altum*
*Semper urgendo, neque dum procellas*
*Cautus horreſcis, nimium premendo*
*Littus iniquum.*

## CAPUT NONUM

### *Quintum Methodi caput. Præmia.*

### §. I.

*Præmiorum tripartita diviſio.*

Quintum methodi caput ſequitur, nempe præmia, quæque ad præmia rediguntur. Exemplo antea Scævolæ rem illuſtravimus; nunc diſtinguamus amplius.

Præmia ergo vel data ſunt, vel ſperata; vel promiſſa. Aut aliter: præmia alia data, alia ſperata: quæ vero ſperata, alia ex promiſſione ſperata, alia ſine promiſſione ſperata. Quæ ſine promiſſione ſperantur, ego abſolute ſperata vocabo; alia pollicita ſimpliciter nuncupabo. Atque hoc modo prior diſtinctio tripartita redibit. Præmiorum datorum, ſperatorum, promiſſorum. Ob datum præmium revelavit ſecretum conjurationis Porſenæ Mutius & Vultureius penes Saluſtium, præmio impunitatis ſuſcepto, conjurationem Catilinæ detexit. *Poſt ubi fide publica dicere juſſus eſt, omnia ut geſta erant, aperuit.* Ob ſperatum Milichius Neroni. Qua de re Tacitus. *Nam cum ſecum ſervilis animus* (Milichius) *præmia perfidiæ reputavit, ſimulque immenſa pecunia & potentia obverſabant, ceſſit fas & ſalus patroni, & acceptæ libertatis memoria.* Tamen & ipſum movit timor, quem ei ingeſſit uxor, cujus etiam conſilium aſſumpſerat, ut ſubjungit idem Tacitus. Præmium promiſſum locum habet, cum detecto principio, vel conjurationis, vel alicujus occulti delicti, ad reliquum indagandum præmia proponuntur revelantibus. Hanc præmiorum pollicitationem reſpiciunt illa verba Taciti in conjuratione Neronis jam ſublucente. *Cruciatu, aut præmio cuncta pervia eſſe.* Hac eadem arte, pollicitatione nempe præmiorum, ſi quis exulem aut traderet, aut occideret, addita etiam impunitate (ſi qui occidebat, aut tradebat foret exul) *Sixtus V.* (*c*) maximam exulum manum, totam eccleſiaſticam ditionem perturbantium, disjecit ac perdidit. Cicero, ut Saluſtius refert, multa pollicendo per Fulviam, effecerat, ut Q. Curtius, de quo paulo ante memoravi, conſilia Catilinæ ſibi proderet.

### §. II.

*De præmiis datis, & quæ ad ea reducantur.*

Antea præmiorum tum ad ſecreta detegenda, in affectus, ut in cauſas redegimus; nunc pariter conjungamus eorum conſiderationem.

Præmia itaque data voluptatem afferunt; cujus ratione emollitus animus facile aperitur, ſuaque effundit. Ex eodem hoc fonte fit, ut Veneris commercia reddant concubitores ſibi mutuo apertos: exhibita ergo ea voluptas inter data præmia reponenda eſt; eſt enim bonum quoddam, ſcilicet jucundum, exhibitum, & animum ſuſcipientium ſummopere emollit. Dymnus hac de cauſa Nicomacho exoleto conjurationem in Alexandrum detexit. *Curt. lib* 6. Curius conjurationem & conſilia Catilinæ Fulviæ, quicum erat ei vetus ſtupri conſuetudo. Blanditiæ præſertim muliebres multum & ipſæ poſſunt ob voluptatem, quam exhibent, quaque labaſcit animus. Multas mulierculas ſolis blanditiis ab amatoribus intima animi ſenſa extorſiſſe, certum eſt; nam & in majora impulere. Audiamus Livium de præfecto præſidii Tarenti pro Pœnis. *Blanditiis*, inquit, *muliebribus perpulit eum præfectum ad proditionem cuſtodiæ loci.* Multo magis ergo poſſunt animi arcana elicere.

Blan-

(*a*) *Sophiſtæ.*) Conſ. EMANUELIS THESAURI *ideam argutæ & ingenioſæ dictionis Cap. XVIII. p.* 490. *ſq.*

(*b*) *Soloeciſmus.*) Soloeciſmus imparilitas olim & ſtribligo dictus, a verſura videlicet & pravitate tortuoſæ orationis, eſt impar & inconveniens compoſitura partium orationis. De quo vide GELLIUM *noct. attic. Lib. V. cap.* 20.

(*c*) *Sixtus V.*) Hic calliditate & verſutia omnes Pontifices fere anteivit, & exemplum abſolutiſsimi politici præbet, cujus vitam conſcripſit GREGORIUS LETI, quæ ſub hoc titulo prodiit: *Vita di Siſto V. ſcritta da Geltio Rogeri all' inſtanza di Gregor. Leti* (*veramente dal iſteſſo Leti*) *Loſanna* 1669. 2. *Volum. in* 12. Hic Pontifex de ſe dixiſſe fertur, quod, ſi Reginæ Angliæ Eliſabetæ maritaretur, conſummatiſſimum politicum, qualem orbis nunquam vidiſſet, ex ea geniturus eſſet.

Digitized by Google

Blanditiæ quoque *potentiorum*, (*a*) & præſertim Principum, magnam vim habent ad commovendos aperiendosque ſibi animos. Nam loco magni honoris, proindeque boni præſtantis habentur blandæ a Principe appellationes, nedum a levibus hominibus, ſed etiam a gravioribus. In aula pluresreperies primarios homines, quos ſi benigne Princeps aſpexerit, id ipſi pro maximo honore ſummoque fortunæ beneficio computent. Memini potiente rerum Clemente Octavo, adeoque Petro Cardinale Aldobrandino ejus ex fratre Nepote, urgere ſe proceres eccleſiaſticos, ut ab ipſo in egreſſibus, regreſſibusve conſpicerentur. Sed quid? Repetamus illud Taciti de Sejano dictum. *Libertis quoque, ac janitoribus ejus noteſcere, pro magnifico accipiebatur.* Agnoſcit hanc blanditiarum vim Plutarchus in *lib. de immod. verecundia*; ut multi, dum laudantur & extolluntur, labaſcant animo, ſeque ſubmittant blandientibus. Blanditiæ ergo laxant ac remittunt animum, ut multi idcirco blandientibus ſeſe totos aperiant. Hac arte Latinius Latiaris circumvenit penes Tacitum Titum Sabinum, *Annal. lib. 4. verſus finem.* laudando enim ejus conſtantiam, arcanum ejus in Sejanum odium totum exprompſit.

## §. III.

*Mirandum exponitur, etiam dolorem voluptatis hac in re interdum naturam ſubire, & lachrymas præmii dati.*

Mirandum eſt prima fronte, quod nunc exponam; etiam dolorem interdum voluptatis naturam & vim ſuſcipere. Repetendum autem eſt ex Ariſtotele 1. *Rhetor. cap. de jucundis*, fletum, ac lachrymas voluptatis ſenſum includere, quod autoritate Homeri confirmavit.

*Sic fatus, flendi cunctis immiſit amorem.*

Ratio vero ea eſt, quod flendo ac lachrymando dolorem fere effundimus, adeoque animum oppreſſum levamus. Si afflictum hominem *commemoratione malorum* (*b*) in lachrymas conjiciamus, vix fieri poterit, ut non intimum aperiat animi ſui. Confirmantur hæc exemplo Latiaris, quod proximo §. tetigimus: placet nunc verba Taciti ſubjicere. *Latiaris*, inquit, *jacere fortuitos primum ſermones, mox laudare conſtantiam, quod non ut cæteri florentis domus amicus adflictam deſeruiſſet; ſimul honora de Germanico, Agrippinam miſerans diſſerebat. Et poſt quam Sabinus, ut ſunt molles in calamitate mortalium animi, effudit lachrymas, vinxit queſtus, audentius jam onerat Sejanum; ſævitiam, ſuperbiam, ſpes ejus: ne in Tyberium quidem convitio abſtinet.* Hæc ibi; at poſt nonnulla hæc alia ſubjungit. *Eadem ille Sabinus, & diutius:* quando *mœſta, ubi ſemel prorupere, difficilius retinentur.*

## §. IV.

*Præmia ſperata.*

Præmia ſperata ac promiſſa aggrediamur, duo hæc capita nunc in unum conjungentes. Ex affectu autem, quem ejusmodi ſperata præmia excitant, intelligemus, quæcunque ad ipſa reducuntur, inter ipſaque reponi debeant, in hoc præſertim negocio. At quis in dubium revocet, quin cupiditatem ſuſcitent? bonum enim nondum habitum deſiderium incutit, quem affectum ſpes acuit. Primo ergo loco amplæ dignitates & ſummæ divitiæ, quæ bona a Principe ſperemus aut a republica, ſperati boni apicem occuparet. Ab ejusmodi præmiis motus Milichius detexit conjurationem adverſus Neronem, ut vidimus. Iisdem moti ſunt Legati Allobrogum ad conjurationem Catilinæ detegendam; quæ enim ipſos diu deliberantes in hanc demum partem traxerunt, *fuerunt*, ut inquit Saluſtius, *majores opes, certa conſilia, pro incerta ſpe certa præmia.* At quæcunque etiam ſperamus, & deſideramus a privatis, eandem vim, majorem minoremve pro deſiderii intentione, habent. Si amata pro conditione amoris poſceret, ut amator penitiſſimum animi arcanum proderet, vix credo amatorem futurum, qui non detegeret quæcunque commiſſa forent fidei ſuæ. Inops item, ſi eadem conditione offerret ei dives multas divitias, facile denudaret arcana animi. Inops item conſilii aut conſolationis, aut opis ſi ea offerantur, aperiet, quæ prius celabat. Penes Terentium *Heaut act. 1. ſc. 1.* Chremes Menedemum adduxit ad aperiendam cauſam ægritudinis ſuæ, poſt inſtantem ac repetitam interrogationem, pollicendo illi conſilium, conſolationem, & opem ſuam.

*- - Atque iſtuc, quicquid eſt, fac me ut ſciam,*
*Ne retice, ne verere; crede, inquam mihi,*
*Aut conſolando, aut conſilio, aut re juvero.*

## §. V.

*Iram etiam, & quæ iram concitant, animum denudare ex eodem fundamento præmii ſperati.*

Ut ſuavis *eſt ultio*, (*c*) ita boni ſperati rationem ſubit, cum ſperatur. Hanc ob cauſam ad ex-

(*a*) *Potentiorum.*) Solenne eſt imperantibus, inquit BOECLER *Diſſ. de religione mandati T. I. Oper. p. 245. ad promtiora obſequia homines, etiam proemiis propoſitis invitare. - - Idem de precibus nonnullis imperantium licet dicere, cum per figuram quandam civilitatis formula precandi utuntur in iis, qua vim jubendi habent. His enim precum blanditiis, quin mina poteſtatis inſint, nequit dubitari. Unde quando ſimulationis potius callida, quam civilitatis cauſſa adhibentur, non ſine irriſu audientium accipiuntur ejusmodi preces, notante iterum* TACITO 3. *Ann. 29. 1. & 2.*

(*b*) *Commemoratione malorum.*) VIRGIL. *L. 2. Aen.*

*Quis talia fando*
*Temperet a lacrimis?*

(*c*) *Eſt ultio.*) Hoc potiſſimum pravæ corruptæque naturæ humanæ indicium eſt, ut ob levem ſæpe injuriam alium odio plus, quam vatiniano proſequamur, & quovis modo damnum illatum ulciſcamur. Ageſilaus cum vidiſſet murem trahi de feneſtra & converſam pueri detinentis manum momordiſſe ac fugiſſe, iis qui aderant re oſtenſa: *Quando minimum*, inquit, *animal ſe injuria afficientes ſic ulciſcitur, quid viris faciendum ſit, conſiderate.* Vide PLUTARCH. in *apophtechmat. laconicis T. I. Oper p. m. 56. n. d.*

*explendam iram* (*a*) arcanum revelant multi, cum ex ea ultionem expectant. At affectus præterea iræ apertus eſt; veluti antea quoque diximus, ut ipſa per ſe aperiat animi ſenſa magis etiam, quam cupiditas. Hujus effectus exemplum penes Tacitum habemus, ubi Scevinus Fennium Rufum detexit iratus, quod, cum inter conjuratos ipſe quoque eſſet, in eos tamen acerrimus judex foret, utque Tacitus *Lib* 4. *Annal.* dicit, *atrox adverſus ſocios, quo fidem inſcitiæ pararet*; prodiderunt ergo illum ex ira, & ob ultionem. Rem ex Taciti narratione intelligamus. *Cæterum*, inquit, *militaris quoque conſpiratio non ultra fefellit; accenſis indicibus ad prodendum Fennium Rufum, quem eundem conſcium & inquiſitorem non tolerabant. Ergo inſtanti minitantique renitens Scevinus, neminem ait plura ſcire, quam ipſum: hortatuſque, ultro redderet tam bono Principi vicem.* Nunc etiam, qui artem tradunt interrogandorum reorum, monent, ut reus ad iram adducatur.

§. VI.

*Spes quoque gloriæ interdum ſecreta aperit ex eodem fundamento.*

Inter cætera bona *gloria* (*b*) etiam, cum ſperatur ex occultæ veritatis enarratione, aperit animi ſenſa. Exemplum in Subrio Flavio penes Tacitum habetur; de quo hæc ſcribit in conjuratione itidem adverſus Neronem. *Deinde poſtquam urgebatur, confeſſionis gloriam amplexus, interrogatuſque a Nerone, quibus cauſis ad oblivionem ſacramenti proceſſiſſet. Oderam te, inquit; nec quiſquam tibi fidelior militum fuit, dum amari meruiſti: odiſſe cœpi, poſtquam parricida matris & uxoris, auriga, hiſtrio, & incendiarius extitiſti.* Affectus autem tum animum denudans eſt cupiditas gloriæ, vel ſana, vel inſana & ambitioſa. Quæſitores nunc criminum pronos in ambitionem animos in eundem affectum promovent, ad eliciendam veritatem, qua de re infra in canonibus.

§. VII.

*Ebrietas.*

*Ebrietas* (*c*) quarto loco numerabatur inter argumenta recludendi animum. Qua de re, præter ea, quæ diximus, *Supra c.* 4. §. 3. Horatius habet,

*Quid non ebrietas deſignat? operta recludit.*

At prior Plato. *in primo de legibus.* Vinum largius epotum in eam libertatem, & audaciam hominem adducere dicit, ut intrepide faciat, & dicat quicquid vult. Exemplum vero præter alia multa habemus penes Senecam de Rufo viro ordinis ſenatorii. *lib.* 3. *de benefic. c.* 17. Verba ſunt: *Sub Divo Auguſto nondum hominibus verba ſua perículoſa erant, jam moleſta. Rufus vir ordinis ſenatorii inter cœnam optaverat, ne Cæſar ſalvus rediret ex ea peregrinatione, quam parabat; & adjecerat, idem omnes tauros & vitulos optare. Fugerunt qui illa diligenter audirent. Ut primum diluxit ſervus, qui cœnanti ad pedes ſteterat, narrat, quæ inter cœnam ebrius dixiſſet; hortatur eum, ut Cæſarem occupet, atque ipſe ſe deferat.* En ergo effectus ebrietatis. Quem effectum cum optime callerent delatores tempore Tyberii, ſermonem ebriorum ſervabant. Verba ejuſdem Senecæ *Lib. eod.* 3. *de benef. c.* 26. profero. *Sub Tyberio*, inquit, *principe fuit accuſandi frequens, & pene publica rabies; quæ omni civili bello gravius togatam civitatem confecit. Excipiebatur ebriorum ſermo.*

## CAPUT DECIMUM.

### *Canones continet.*

Ad canones tranſeamus, qui ex præcedentis capitis dogmatibus pendent. Sit itaque primus canon.

Canon 1. Præſenti bono hominem afficere, ſive utile bonum fuerit, ſive jucundum, ipſum per ſe emollit animum accipientis, & ad ſeſe aperiendum diſponit; modo inſtet, qui dedit, ad arcanum aliquod animi intelligendum.

Debet tamen, qui arcanum animi captat, ita dare, & ita quærere, ut non ideo dediſſe videatur, nullaque alia de cauſa, quam ut accipientis animum detegeret. Ars enim proviſa perit; & qui accipit (ſi homo præſertim cordatus ſit) ſe circumveniri, non beneficio affici credit; unde obduratur potius animus, quam ut emolleſcat, potiuſque occluditur, quam ut aperiatur.

Collatio boni id quod nunc canon exprimit, magis operatur, cum bonum fuerit magis expetitum. Nempe divitiæ homini egeno & cupido gratæ admodum: diviti & liberali non admodum: immo neque is forſan accipiet. Amatori blanditiæ mulieris amatæ pro felicitate erunt: at alteri potius deſpectæ & moleſtæ. Non ineptum figmentum Reginaldi & Angelicæ; quæ pulcherrima cum eſſet, & a multis ſummopere expetita, a Reginaldo aliquando deſpiciebatur, imo faſtidiebatur. Naſcitur ex ampliatione canon.

Canon 2. In tribuendo bono ad denudandum accipientis ſecretum, oportet conjicere, quid ipſe *præſertim deſideret*, (*d*) idque tribuere: nunquam autem dare, quæ faſtidiat & contemnat. Fruſtra Meſſalla blanditias credebat Sulpitiæ ſuas gratas eſſe, quas intime faſtidiebat. *Tibullus.*

*Jane*

(*a*) *Explendam iram.*) Ultionem tamen non bene per iram exerceri, docet PLUTARCHUS lib. *de cobibenda iracundia T. I. Oper. p.* 140.

(*b*) *Gloria.*) Quantam cupido gloriæ in animis hominum habeat vim, vel patet ex loco CICERONIS *L. I. Off. Cap.* 8. *Maxime*, inquit, *adducuntur plerique, ut eos juſtitiæ capiat oblivio, cum in imperiorum, honorum, gloriæve cupiditatem inciderunt.*

(*c*) *Ebrietas.*) De vini natura & ebrietatis comitibus vide fuſius agentem COELIUM RHODIGINUM *L.* 38. *c.* 28. & 30. 31. *ſq.*

(*d*) *Præſertim deſideret.*) Hoc artificio uſus etiam Cæſar ad conciliandos ſibi animos, de quo TACITUS *annal I. C. I.* ſcribit: *Ubi militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otii pellexit, inſurgere paulatim, munia ſenatus, magiſtratuum, legum in ſe trahere, nullo averſante, cum ferociſſimi per acies aut proſcriptione cecidiſſent.* Nec minus id deprehenditur in Catilina, de quo SALLUSTIUS *C.* 14. memorat.: *Maxime adoleſcentium familiaritates appetebat. Eorum animi molles & ætate fluxi, dolis haud difficulter capiebantur: Nam uti cujuſque ſtudium ex ætate flagrabat, aliis ſcorta præbere, aliis canes atque equos mercari, poſtremo neque ſumtui neque modeſtiæ ſuæ parcere, dum illos obnoxios fidoſque ſibi faceret.*

*Jam nimium Meſſalla mei ſtudioſe quieſcas;*
*Non tempeſtiva ſæpe propinque via.*

Neque ergo militi libros tribuere, doctori arma, convenit; ſed quæ quemque ornant ac decent.

Hinc deſidioſum hominem conjicere in otia & luſus & ſuavem hujusmodi vitam, confert ad retegendum ſecretum; & amatorem, ſi amica aggrediatur blanditiis; ambitioſum, ſi Princeps aut homo potens blandis appellationibus, dignationibus honoribusque ejusmodi afficiat.

Commovent potiſſimum bona tributa, ſi ab amato aut obſervato datore proceſſerint. Verbi gratia ſi a Principe donentur, magis movent, quam ſi a privato; & ſi ab homine, quem ſuſpicimus, quam ſi a deſpecto; & ſi ab amata amator, vel ſi ab amatore amata, quam ſi ab aliis quibuscunque acceperint. Sit ergo canon.

Canon 3. Cum dantur bona magna homini valde expetenti, ab homineque erga quem magna ſit reverentia, vel magnus amor accipientis ejusmodi donum, ut magna voluptate afficit, ita, animum laxat ac remittit ad aperienda ſenſa intima ſua.

Canon ex ampliationibus ducitur, & ampliationes ex antea dictis in capite præcedente.

Canon 4. Ad intimos & tectos dolores cujuspiam eruendos confert, ſi eorundem commemoratione malorum recrudeſcat dolor, ut in lachrymas usque erumpat. Pariter enim per os & vocem dolor idem erumpere nititur. Patet ex *capite antecedente* §. 3.

Canon 5. Injuriæ acceptæ, vel opiniones acceptarum injuriarum, quas condimus animo, facile detegentur ac erumpent, ſi earum commemoratione in præſentem iram, præſertim magnam, conjiciamur. Patet canon ex capite antecedente §. 5.

Canon 6. Vino graſſari ad denudandos animos eſt via efficax, modo liceat. Ex §. 7. capitis antecedentis.

Hæc eſt praxis a Platone laudata ſub fine *lib.* 1. *de Legibus*, detegendorum morum, eorum præſertim, qui petulantiæ impudentiæque ſunt affines. Verba apponamus. ATH. *In iis igitur, quæ perpeſſi confidentes audacesque maxime fieri natura ſolemus, cogitandum videtur, ut quam minime impudentes & audaces ſimus, ſed contra formidoloſi ad dicendum, aut patiendum, aut agendum quicquam turpe.* CLIN. *Ita videtur.* ATH. *Nonne hæc ita ſunt, in quibus tales ſumus, ira, amor, petulantia, inſcitia, avaritia, ſocordia; & ad hæc illa divitiæ, forma, vires, & quæcunque voluptatis ebrietate quadam homines amentes faciunt? Ad horum omnium leve & innocuum periculum faciendum, inducendamque exercitationem, nullam habemus voluptatem commodiorem ea, quæ potione mores examinat, ſi modo prudens quædam cautio adhibeatur. Videamus enim. Duri & agreſtis animi, unde injuriæ mille pullulant, ubi experimentum capere tutius ſit: in commerciiſne, quæ vel maxime ingenium declarare videntur, an Dionyſii ſpectaculis, aut venerea in re animo ſuccumbente, ut mores alicujus in periculum, vel filiæ, vel filii, vel uxoris pudicitia expoſita, probes? Equidem, ſi infinita commemores, nunquam invenies, in quo per jocum ſine omni prorſus periculo ſpectare ingenia, ſicut in vino licet. Qua de re neque Cretenſes, neque alios hominum ullos dubitaturos unquam putamus, quin hujusmodi morum examinatio conveniens ſit, ac præ cæteris facilis, tuta, brevis.*

## CAPUT UNDECIMUM.

### *Sextum Methodi caput aggreditur, cum velamentum per ſe perlucet.*

Nunc ſextum methodi caput aggrediamur, cum velamentum perlucet. Duas hoc partes continebat; cum totum ſuapte natura perlucet, & cum ſuapte natura impervium aliqua in parte disrumpitur. Primam partem repetentes, nihil eſt, quod ſuperius dictis cap. 4. §. 5 adjiciamus, præter canones.

Canon 1. Remiſſa ac frigida ſignificatio moris aut affectus, quem prætendimus, ſive oratione ſignificetur, ſive vultu, ſive facto, fictionem ſimulationemve ſapit. Canonis declaratio, ac ratio ex dicto *cap.* 4. §. 5. patet.

Excipere tamen debemus, niſi remiſſa ſignificatio ex hominis natura moreve fuerit. Verbi gratia vir gravis brevi oratione, immotoque plerumque vultu, quæ facturus eſt, ſignificat. Rotolandus penes Areoſtum paucis verbis operam ſuam pollicitus eſt Olympiæ.

*In parole con lei non ſi diffuſe,*
*Che di natura non ne uſava troppe.*

Socrates eodem vultu ſecunda & adverſa pertulit; immo calicem veneni hilariter & aſpectu eodem, quo cætera accepit. Plato his confirmat verbis, in Phæd. *Socrates vero hilariter admodum, ô Echecrates, accepit; nihil omnino commotus, neque colore neque vultu mutato, ſed quemadmodum conſueverat, illum taurine aſpiciens.* In natura ergo admodum remiſſa, aut in ſumma gravitate magnanimitateve canon non usquequaque retinendus.

Canon 2. Nimium artificioſa affectataque ſignificatio affectus aut moris, fictionis ac ſimulationis eſt argumentum. Canonis declaratio, & confirmatio ex §. *eodem* 5. *cap.* 4. habetur.

At excipitur canon, cum mos communis gentis, vel peculiaris perſonæ in eam affectationem ſuapte natura deſcendit. Verbi gratia; nunc Neapolitani vehementi conatu, & vocis, & vultus, & manuum, ac reliqui corporis, ad exprimenda ſenſa ſua utuntur: ex eo uſu fit, ut quæ affectata ſignificatio in aliis eſſet, in ipſis nequaquam ſit. Sunt etiam perſonæ aliquæ, quæ eandem expreſſionis *affectationem* (a) ex more contraxerunt. In ejusmodi ergo hominibus immodicus ſignificationis conatus, non præſentem fictionem, ſed potius propenſionem ad fingendum indicat. Canonem ergo reſtringamus. Cum

(a) *Affectationem.*) De affectatione vide BALTH. CASTILIONEM in *aulico* L. I. p. m. 50.

Digitized by Google

Cum homo, qui neque ex communi more, neque ex ſuo eſt in ſignificandi conatu immodicus, nimis artificioſa ac affectata ſignificatione affectum moremque prætenderet, juſtam ſimulationis ſuſpicionem affert.

Affectationem ejusmodi indicant illa Perſii in prima Satyra, in admiratione verſuum a Nerone forſan prolatorum.

*Et natalitia tandem cum ſardonyche albus,*
*Sede legens celſa, liquido cum plaſmate guttur*
*Mobile colluerit, patranti fractus ocello.*
*Hic neque more probo videas, neque voce ſerena*
*Ingentes trepidare Titos, cum carmina lumbum*
*Intrant, & tremulo ſcalpuntur ubi intima verſu.*

Et poſtea:

*Laudatur: bellum hoc! hoc bellum! An Romule ceves?*

Declarandus vero eſt canon; nedum enim affectatio conſiſtit in exteriore pronunciatione, atque in geſtibus, ſed in ſignificatione orationis, atque in actione ipſa. Nempe cum omnia facta dictaque ſocii laudat quis ac ſuſpicit, affectatio illa eſt, & fictum ac ſimulatum amorem, non verum ſignificat: nemo enim eſt, qui non in aliqua re offendat. Qui omnia item amici deſideria approbat; omnia ejus dicta, factaque tum admittit, tum imitatur, affectate ſe gerit; eſtque ea affectata oratio actioque, ſimulque idcirco ſignum amoris non veri, & adulatoris, non amici, ut Plutarchus docet, *de adulatoris & amici diſcrimine*.

Qui tamen canon accipiendus pro vero, utplurimum. Secus enim poſſe interdum eousque progredi amorem, ut excæcet prorſus amantem erga amatum, omniaque ejus dicta & facta pro rectis repræſentet, fateri oportet, & patet etiam ex jam dictis, & infra dicendis. *Lib. ſeq. c.* 14. §. 3. Eſt tamen is amor rariſſimus, præterquam in furore amatorio, venereoque. Cæterum enim etiamſi adagio feratur, *Suum cuique pulchrum*, & *ſuus rex reginæ placet*; tamen non eousque id procedit, ut non etiam in liberis peccata agnoſcamus, & caſtigemus interdum. Ut dogma Plutarchi jure poſſit paſſim in hoc conjecturali negocio accipi.

## CAPUT DUODECIMUM.

### *Sextum idem methodi caput cum erumpit affectus.*

Pars alia ejusdem ſexti capitis methodi erat, cum affectus erumpit. Erumpit vero is vel voce, vel vultu, vel facto. Erupit affectus pudoris vultu Æſchini *Adelph. act.* 4. *ſc.* 5. penes Terentium, fingenti ſe fores non pulſaſſe. Unde ibi Mitio:

*Erubuit* (inquit) *ſalva res eſt.*

At dolor amiſſæ ut credebat Pamphilæ, erupit vultu & lachrymis. Mitio ibidem:

— — *Quid lachrumas?*

Comprimebat tamen eum dolorem Æſchinus: at erupit idem dolor voce, dum ſe periiſſe invictus exclamat.

MIT. *Hæc virgo orba eſt patre:*
*Hic meus amicus illi genere eſt proximus:*
*Huic leges cogunt nubere hanc.* ÆS. *Perii.* M. *Quid eſt?*
ÆS. *Nil. Rectè: perge.*

At multo magis in illis verbis emicuit dolor ejus & iracundia.

ÆS. *Factum à vobis duriter,*
*Immiſericorditerque, atque etiam* (*ſi eſt, pater,*
*Dicendum magis apertè*) *illiberaliter.*

Ea oratio tam acris denotat hominis angorem & iracundiam; quanta non eſſet nata ex alieno, & de alieno negocio, ut ipſe tum ſimulabat.

At Clitiphontis amor in Bacchidem erupit factis, quæ illi objecit Chremes pater.

CH. *Vidin' ego te modo manum in ſinum huic meretrici inſerere.*

§. I.

*Canones continet.*

Canon I. Verius eſt indicium animi, nota erumpentis affectus, quam ſignificatio contraria, qua ex propoſito obſervatus homo utitur. Nempe immiſſio manus Clitiphontis in ſinum Bacchidis verior fuit ſignificatio amoris ejus erga ipſam, quam ſimulatio, quod eſſet illa amica Cliniæ. Exemplum penes Tacitum lib. I. Annalium. Tiberius imperium *ſpecie ac oratione* (*a*) recuſabat. Aſinius Gallus improviſa interrogatione ipſum offendit; oratione tamen diſſimulavit offenſionem Tiberius; verum ex vultu erupit, & vera ea nota fuit; nam ſemper inviſus fuit is deinde Tiberio, & demum damnatus periit. Verba ſunt Taciti rem narrantis. *Tum Aſinius Gallus, interrogo, inquit Cæſar, quam partem reipublicæ mandari tibi velis. Perculſus improviſa interrogatione, paulatim reticuit; dein collecto animo reſpondit; nequaquam decorum pudori ſuo, legere aliquid, aut evitare ex eo, cui in univerſum excuſari mallet. Rurſus Gallus;* (*etenim vultu offenſionem conjectaverat*) *non idcirco interrogatum ait, &c.*

Alia eſt eruptio affectus, alia eſt expreſſio conſilii; etiam cum voce erumpit affectus.

Placet

(*a*) *Specie ac oratione.*) *Plus in oratione tali dignitatis, inquit* TACITUS *L. I. Annal. erat, quam fidei; Tiberioque etiam in rebus, quas non occuleret, ſeu natura, ſive aſſuetudine ſuſpenſa ſemper & obſcura verba: tunc vero nitenti ut ſenſus ſuos penitus abderet, in incertum & ambiguum magis implicabantur.*

Digitized by Google

Placet exemplo declarare canonem, ac inter duas dictas res differentiam. Sumamus ergo illud Cæſaris ad Oppium & Balbum penes Ciceronem ad Atticum. *Et hoc*, inquit, *libentius, quod mea ſponte facere conſtitueram, ut quam leniſſimum me præberem, & Pompeium darem operam, ut reconciliarem.* In reliqua poſtea epiſtola de lenitate eadem ſua agit, ut illa verba: *ut Pompejum darem operam, ut reconciliarem*: quaſi inſerta ſint, at non ſunt nota affectus erumpentis, ſed conſilii, ac deliberationis, ut ex forma ipſa dicendi conſtat.

Hinc fit, ut ea verba, quæ ſi affectum emergentem exprimerent, eſſent vera animi nota, nunc cum conſilium ſignificent, ſint ſubdola. Ad imponendum enim Oppio & Balbo pacem cupientibus dicta ſunt, non quod Cæſar Pompeium ſibi reconciliare ſtuderet; nam ad victoriam, & ad diuturnam victoriam, cum aſpiraret, ut ibidem fatetur, qua ratione poterat vincere velle Pompeium, & cum eodem inire pacem? Resque ipſa Cæſaris animum indicavit, quam placet ex Cicerone exſcribere: *Omnia miſera; ſed hoc nil miſerius. Pompeius Cn. Magium de pace miſit; & tamen oppugnatur, quod ego non credebam.* Oportet itaque ſejungere expreſſionem erumpentis affectus ab expreſſione conſilii & deliberationis.

§. II.

*Differtur indago erumpentium affectuum ad ſecundam partem hujus voluminis.*

Indago jam erumpentium affectuum, methodusque eorum inveſtigandorumque, ad ſequentem partem ſpectat, quæ eſt de latitantium affectuum dignotione; illuc ergo rejiciatur; interim vero, quæ diximus, in præſentia ſufficiant.

§. III.

*Quando contrarius ſimulationi affectus apertè conſtet.*

Interdum affectus contrarius ſimulationi non erumpit, quaſique per tranſennam elucet; ſed aperte conſtat. Tum vero facilius multo ſimulatio detegitur, ut cuique, vel rudi eam agnoſcere liceat. Veluti ſi Princeps paternum in ſubjectos amorem verbis profiteatur; at factis odium *expilandique ſtudium* (*a*) demonſtret: ut *Ezelinus in Patavinos.* (*b*)

## CAPUT DECIMUM TERTIUM.

## *Cum ex effectu ſubſequente ſimulatio aperitur.*

§. I.

*Continet exempla.*

At affectus ſubſequens ſimulationem præſertim aperit, & patenter. Nam omnes, vel rudes, ex

*Eventu rerum, ſtolido didicere magiſtro.*

Effectus tamen ſubſequens apertius detegit fictionem morum, quam interiorum actionum, ſive ſentientis appetitus, ſive voluntatis fuerint. Cum voluntas enim humana mutetur, nil mirum, ſi præſenti deliberationi poſtea contrariam deliberationem ineamus. Unde non ſemper, qui profitebatur amorem, & poſtea odium certum opere ipſo repræſentat, ſimulabat antea amare, poterat enim vere tum amare, at mutatus deinde odiſſe. Sfortia & Braccius amiciſſimi primum & contubernales fuere, deinde æmuli & inimici. Penes Tacitum, Subrius Flavius *Lib.* 15. *Annal.* profeſſus eſt ſe fideliſſimum primum Neroni fuiſſe, dum is amari meruit, at deinde odiſſe, cum parricida & auriga evaſit. Conſpiratio itaque ejus in Neronem odium quidem adverſus Imperatorem, quo tempore conſpirabat, oſtendit: at non erat neceſſaria ſignificatio ſimulati antea amoris.

Moris vero ſimulationem præfert contraria actio; at cum aliqua diſtinctione tamen. Si quis enim ſe virtutis habitu confirmatum profiteatur, & deinde in contrariam operationem deflectat, ſimulaſſe antea habitum demonſtrat. Accipiamus exemplum Egnatii penes Tacitum, qui Baream Soranum prodidit. Verba ſunt Taciti *lib.* 16. *annal. prope finem. Tantum ira P. Egnatius teſtis concivit. Cliens hic Sorani, & tunc emptus ad opprimendum amicum, auctoritatem ſtoicæ ſectæ præferebat, habitu & ore ad exprimendam imaginem honeſti, & exerciti; cæterum animo perfidioſus & ſubdolus, avaritiam ac libidinem occultans. Quæ poſtquam pecunia recluſa ſunt, dedit exemplum præcavendi, quemodo fraudibus involutos, aut flagitiis commaculatos, ſic ſpecie bonarum artium falſos, & amicitiæ fallaces.* Hæc ille. Certe autem proditio ſceleroſa amici innocentis demonſtrat, nunquam habitu virtutis, quam profitebatur, ipſum ornatum. At cum profitetur quis morem; ſed non ex habitu, contraria actio, quæ deinde ſequitur, non ſtatim declarat, morem contrarium, quem is ab initio præferebat, fuiſſe ſimulatum: datur enim mutationi locus.

§. II.

*Canones continet.*

Subjiciamus canones. Sit ergo primus canon.

Canon I. Si quis profiteatur aliquam virtutem, ut fortitudinem, aut temperantiam, dum poſtea

(*a*) *Expilandique ſtudium.*) De quibus idem dici poteſt, quod CÆSAR *L. III. de bello civili Cap.* 32. refert: *Acerbiſſima imperata pecunia tota provincia exigebantur. Multa præterea generatim ad avaritiam excogitabantur. In capita ſingula ſervorum ac liberorum tributum imponebatur. Columnaria, oſtiaria, frumentum, milites, remiges, arma, tormenta, vectura imperabantur: - - Dictitabant, enim ſe omnibus neceſſariis egere rebus, ut honeſta præſcriptione rem turpiſſimam tegerent.*

(*b*) *Ezelinus in Pat.*) Hujus vita peculiari libello comprehenſa proſtat ſub tit: *Hiſtoire de la vie & faits d' Ezzelin III. ſurnommé da Romano, Tyran de Padoüe, ſous la tyrannie du quel perirent du mort violente plus de douze mil Padoüans composé en Italien par* PIETRO GERARDO. *A Paris* 1644.

poſtea contrariam virtuti actionem operatur, oſtendit ſe ſimulaſſe virtutem, non vere habuiſſe.

Declaratio & confirmatio canonis ex proxime dictis patet. Nempe proditio Bareæ demonſtravit Egnatium ſimulaviſſe virtutem fidei, atque φιλοκαλίαν; etenim ſe falſum prodidit, & amicitiæ fallacem, ut Tacitus ait. Juvenalis vocavit ejuſmodi factum facinus majoris abollæ, ſcilicet palmarium.

*— — Atque audi facinus majoris abollæ;*
*Stoicus occidit Baream, delator amicum.*

Thraſones, qui habitu, & oratione profitentur ſe invictæ fortitudinis, cum poſtea ignave fugiunt ac timent, ſimulationem virtutis ſuam manifeſtant. Idemque de aliis.

Cum Andronicus Imperator ab initio ſummam in Alexium Nepotem ex fratre charitatem demonſtravit, quem deinde nulla provocatus injuria imperio & vita ſpoliavit certe ſe ſimulaſſe in principio charitatem manifeſtavit. Idem de Ludovico Sfortia, quem *Itali Moro vocaverunt*, (a) erga itidem fratris filium Joannem Galeatium, hæredem paterni imperii dicendum; quem veneno, ut creditur, ſuſtulit, imperiumque ejus in ſe tranſtulit ac liberos ſuos.

Etiam cum vitium prætenditur, contraria actio ſimulationem demonſtrat. Ut quæ *Brutus adverſus* (b) Tarquinium pro romana libertate fecit, aperte indicant, ſtultitiam præcedentem fuiſſe ſimulatam.

Canon 2. Cum in ejuſdem negotii progreſſu poſteriores actiones principio repugnant, vel propoſito ac fini tum aſſerto, credendum eſt finem obtentui ſumptum, non verum fuiſſe; cum nova cauſa præſertim non ſupervenerit, quamobrem conſequens fuerit mutare præcedens conſilium.

Cæſar ab initio belli civilis profeſſus eſt, ſe pacem velle atque concordiam cum Pompejo. Verum cum in obſidione Brundusii remiſerit ſine fructu Magium, quem de pace internuncium illi miſerat Pompejus, declaravit deſiderium concordiæ, quod ab initio profitebatur, fallax fuiſſe ac ſimulatum. Cicero eousque credidit deſiderium ejuſmodi in Cæſare pacis, quod tum agnovit falſum; ut etiam mutatus opinione reputaverit, ab initio nihil aliud, quam Pompeji occiſionem illi propoſitam. *Lib. 9. ad Atticum epiſt. 4.* Verba repono. *Intelligo ſerius*, inquit, *quam vellem, propter epiſtolas ſermoneſque Balbis, ſed video plane, nihil actum ab initio, quam ut hunc occideret.* Item cum Polyperchon invitavit ſpecie amicitiæ. Herculem Alexandri ex Barſina filium ad cœnam, quem in convivio eo ipſo ſtrangulaverunt convivæ, quis dubitet, quin amicitia fuerit ſimulata ex ſequuta morte?

Canon 3. At cum poſterior actio ad idem negotium cum prima non pertinet, vel pertinet quidem, at cauſa mutandæ voluntatis interceſſerit, non neceſſe eſt fictionem & ſimulationem ab initio fuiſſe, etiamſi poſterior actio priori repugnet, ſed mutata voluntas ejuſmodi diverſitatis ac contrarietatis actionum cauſa eſſe poteſt.

Verbi gratia. Romani usque ad tempora Polybii in ſubjectis provinciis regendis ſumma abſtinentia, vel etiam liberalitate utebantur: at poſtea (veluti Jugurthæ tempeſtate) non minorem avaritiam præ ſe tulere. Non erat prior ſimulatio virtutis, ſed vere virtus, quæ in vitium deinceps, corruptis moribus, degeneravit. Totam rem Salluſtius deſcripſit. *Qui labores*, inquit. *pericula, dubias atque aſperas res facile toleraverant, iis otium divitiæque, optanda aliis, oneri miſeriæque fuere. Igitur primo pecuniæ, deinde imperii cupido crevit; ea quaſi materies omnium malorum fuere. Namque avaritia fidem, probitatem cæteraſque bonas artes ſubvertit. Pro his ſuperbiam, crudelitatem, Deos negligere, omnia venalia habere, docuit*, &c.

Item Alexander civili imperio ab initio rexit, at poſtea tyrannico. Non fuit prior ſimulatio, at poſterior fuit mutatio animi ac morum, in quam ob amplitudinem parti imperii ac rerum geſtarum, & ob adulationem devictarum gentium, deflexit. Cauſa ergo mutationis voluntatis, quæ interceſſit, fuit amplitudo imperii obaucti, & quæ incrementa imperii conſequuntur ſuperbia & luxus.

Excipiendum tamen eſt, cum cauſam mutandæ voluntatis ipſemet, qui agit, molitus ſit. Nam colligitur, effectum etiam ab eo proviſum, & cupitum, cujus cauſam operatus eſt.

Antonius (ut exceptionem exemplo declarem, & confirmem) peremto Cæſare, convocato Senatu in ædem Telluris, fundamenta libertatis jecit. Nam Senatusconſultum oblivionis ex ſententia Ciceronis confectum ipſe fovit, ultroque Dictaturam funditus ex republica ſuſtulit. Quibus, & aliis præterea multis præclarum libertatis ſtudium oſtendit. Ut nedum hiſtorici, ſed Cicero ipſe in prima Philippica fatetur. At poſtea libertatem oppugnavit, & imperium quæſivit. Fuitne ſimulatio ab initio, an poſtea voluntatis mutatio? Dion ſimulationem fuiſſe ab initio arbitratur, & ego aſſentio. Verba ſunt Dionis. *Ad pacificationem utrinque conceſſum eſt maxime Antonii opera; quanquam is longe aliud animo ſuo conceptum habebat.* Cur vero aſſentiam Dioni, hæc eſt ratio. Cum populus romanus adverſus percurſores Cæſaris exarſit, in eosque impetum fecit, tum animos ſumpſit Antonius, proque timore induit audaciam. Antea vero timore adductus, foverat conjuratos atque libertatis amatores. At populum ipſemet, teſtamenti publicatione, con-

(a) *Itali Moro vocaverunt.*) Sive a fuſcedine oris, ſive ab arbore, quam ipſe per ambages, maturi cautique ſui ingenii naturam indicans, pro ſingulari inſigni atque ornamento geſtavit, quod Mori eam vim cautionemque eſſe ferunt, ut nunquam niſi exacta hieme veluti ex tuto fruticet. De quo vide pluribus ANTON. MARIAM GRATIANUM *de caſibus virorum illuſtrium p. 68.*

(b) *Brutus.*) Huc reſpicit OVIDIUS *L. 2. faſt.*

*Brutus erat ſtulti ſapiens imitator, ut eſſet*
*Tutus ab inſidiis (dire ſuperbe) tuis.*

Ceterum vide LIVIUM *L. I. dec. I.* DIONYS. *L.* 4. FLOR. *L. I. c.* 9. OROSIUM *L.* 2. *c.* 5. EUTROP. *L. I, c. II,* PLINIUM *lib.* 36. *c.* 15.

Digitized by Google

conſione habita, & veſte Cæſaris explicata, concitavit. Cauſæ ergo poſterioris actionis auctor ipſemet fuit, unde ab initio quoque eam propoſitam habuit, non autem poſtea mutatus elegit.

## CAPUT DECIMUM QUARTUM.

### *Capita ſimplicia Methodi, & combinata, interdum locum habere in propoſita ſimulationis indagine.*

### §. I.

*Methodi capita in epilogum contrahuntur.*

Detegendæ ſimulationis artem hucusque in capita octo diſtinximus, quæ ſingula percurrimus, in ſubjectasque partes ſubdiviſimus. Erat autem, perſonæ agentis qualitas: Secunda qualitas perſonæ, quicum agitur: Tertia perſuaſio: Quarta pœna ſeu cruciatus: Quinta præmium: Sexta ebrietas: Septima velum perlucens fictionis: Octava velum idem cum diſrumpitur. At quartum caput ſubdividebatur in cruciatum præſentem, qui dolore oppugnat animum, & in proxime futurum, cum qui poteſt minatur cruciatum, animus enim tum oppugnatur timore. Quintum quoque dividitur in bonum ac præmium præſens, in bonum, ac præmium futurum, cum ſcilicet promittitur ac ſperatur. Octavum demum caput diſtinguitur; vel enim diſrumpitur velamentum fictionis ex erumpente affectu, vel ex accedente effectu. Hoc itaque modo capita omnia methodi undecim evadent.

1. Qualitas hominis agentis, ſi fuerit veterator aut ſimplex.
2. Qualitas hominis, cum quo agitur, ſi fuerit potens aut deſpectus.
3. Perſuaſio, qua homo adducitur ad retegendam ſimulationem.
4. Pœna ac cruciatus præſens, ut tormenta.
5. Pœnæ & cruciatus futuræ minæ.
6. Præmium præſens.
7. Præmium promiſſum ac ſperatum.
8. Ebrietas.
9. Velamentum fictionis perlucens.
10. Cum velamentum fictionis ex erumpente affectu diſrumpitur.
11. Cum velamentum fictionis ex effectu ſuperveniente diſrumpitur.

### §. II.

*Interdum capita plura complicari.*

Singula ejusmodi capita, ut ſingillatim adhibeantur, vidimus. At complicantur etiam interdum, ut plura ſimul fictionem ſimulationemque manifeſtent. Verbi gratia, quandoque qualitas perſonæ fictionem ac ſimulationem intercedere ſignificabit; & velamentum fictionis perlucens; & effectus deinde ſequutus idem monſtrabunt: & erit in noſtra manu vel cruciatu vel præmio elicere ex homine veritatem. Tum itaque tutius erit per omnia, quæ dantur, capita procedere; quodque de his capitibus, de cæteris pariter dicendum erit cum plura concurrunt. Sit itaque Canon.

Canon. Cum plura methodi capita ad eandem fictionem deprehendendam conſpiraverint, præſtat per omnia ad ejus indaginem procedere.

### §. III.

*Ex combinatione interdum aliquam mutationem capita ipſa methodi ſuſcipere.*

Illud eſt præterea conſiderandum, ex combinatione interea mutationem aliquam ſuſcipere capita ipſa methodi. Verbi gratia; ſi qualitatem ipſam perſonarum ſpectemus, magis falſi ſunt ignobiles & ſerviles homines, quam nobiles: attamen ſi combinemus perſonam cum qua agitur, interdum *illuſtriores homines* (a) ea ratione magis falſi erunt. Rem ex Tacito demonſtremus. Sub exceſſu ergo Auguſti hæc ſcribit: *Annal. lib.* 1. *At Romæ ruere in ſervitium Conſules, Patres, Equites. Quanto quis illuſtrior, tanto magis falſi, ac feſtinantes, vultuque compoſito, ne læti exceſſu Principis, neu triſtiores primordio, lachrymas, gaudium, queſtus, adulationes miſcebant.* Hæc ille. Ratio vero eſt diverſitatis, quod a Principe magis *obſervantur proceres*, (b) quam vulgus; imo hoc ne aſpicitur quidem, illi accuratiſſime inſpiciuntur.

Aliud eſt exemplum dictæ diverſitatis, dum tormentis immiſcentur voluptates. Hæ enim ſubeunt tum rationem majoris cruciatus, non autem remiſſionis aut lenimenti. Hac arte chriſtiani olim *martyres* (c) inter iterata tormenta leniſſime tractabantur, ut altius ſequentes cruciatus per-

(a) *Illuſtriores homines.*) Hic meretur conferri BALTH. CASTILIO *in aulico lib. I. p.* 36. *ſq.* ubi inter alia: *Negare non poſſum*, inquit, *quin in humillimæ ſortis viro eadem pleraque virtutes eſſe poſſint, quæ generoſis inſunt.*

(b) *Obſervantur proceres.*) Hac de re egregie philoſophatur PLUTARCHUS in *Politicis T. I. Oper. p.* 2. *Eorum præſertim*, inquit, *qui reipubl. præſunt, non modo ſingula verba, nec res tantum publicitus geſtæ animadverti notarique ſolent, ſed virtus quoque joci ſimul & ſeria quæque domus, ipſa familia, uxor, cubile, curioſius conquiruntur.* - - *Quemadmodum enim indignius ferri majorique haberi ſolent dedecori verrucæ ficusque in facie, quam notæ, nævi atque mutilationes in reliquo corpore; ſic etiam ob eam, quæ pleroſque omnes de principatu atque civilibus magiſtratibus tenet, opinionem, utpote de re magna atque digniſſima, quæ omni facinore atque temeritate vacare debeat, minima quæque errata notantur & pro magnis habentur.*

(c) *Martyres.*) De his LEIBNIZIUS *in Miſcellan. §.* 69. *p.* 169. ita judicat: *Conſtat martyres cruciatus exquiſitiſſimos ſuſtinuiſſe non alia ratione, quam forti imaginatione futuræ voluptatis: nam alioqui dolori aut voluptati obſiſtere nobis impoſſibile eſt, niſi contrariis oppoſitis. Sapientis erit ſemel in univerſum ſibi firmiter imprimere pulchritudinem futuræ vitæ, id eſt DEI, in quo conſiſtit & amor Dei ſeu harmonia rerum.* - - *Hæc imaginatio in optima republica ab infantia usque omni artificiorum apparatu hominibus ſine diſcrimine, ſapientibus non minus, quam vulgo, imprimi deberet.* &c. Conf. KORTHOLTUS & MASCULUS de *perſecut. eccleſiæ.* nec non ANTONIUS GALLONIUS *de cruciatibus martyrum chriſt.*



Digitized by Google

perſentirent, haurirentque. Meretrices contra voluptatibus, quas exhibent, dolores immiſcent: ut voluptates ipſæ majores evadant, magiſque ſentiantur; ut antea diximus. Dolores ergo ejusmodi ſtimuli voluptatis, quam intendunt, vicem ſubeunt. Quæ diverſitas ex combinatione naſcitur. Secus enim dolores per ſe cruciatuum rationem ſubirent, & voluptates præmiorum ac bonorum exhibitorum.

## CAPUT DECIMUM QUINTUM.

### *Ad morum indaginem, quæcunque dicta ſunt, applicantur.*

§. I.

*Ut quæ affectus detegunt, ad morum etiam indaginem ducant.*

Cum in prima hucusque parte quarti hujus voluminis verſemur, in qua parte de morum indagine non affectuum latitantium agimus, neceſſe eſt, quæ de fictionibus, & ſimulationibus, detegendis hucusque diximus, ea omnia ad mores eruendos applicare.

Aliqua ergo dogmata & canones ad mores eliciendos recta pertinent, de quibus non eſt, ut quicquam adjiciamus. At alii canones ad affectus detegendos ducunt, quos ad morum usque indaginem extendere oportet. Verum ut ex notis affectibus in morum cognitionem deveniamus, ſatis diximus in præcedente *lib. cap.* 12. *§.* 3. 4. *&* 5. Ad eum locum rejicio legentem, qui ex eo ducat, unde ſuppleat indaginem morum propoſitam.

§. II.

*Ex occaſione operandi affectuumque mores elici.*

Quoniam vero diximus, extra operandi occaſionem, proculque ab urgentibus objectis, facile mores occuli, neceſſum itaque ad mores detegendos eſt adducere hominem *in occaſionem* (*a*) præſentem actionis, inque præſentiam objecti *affectum irritantis*, (*b*) qui ad morem pertinet, cujus indaginem molimur. Nempe ſi ſit in animo inveſtigare: utrum ſit homo audax, an pavidus: conjiciendo in periculum aliquod ipſum, inveſtigare poterimus, ex actione & affectu, quem in eo diſpiciemus, utrius ſit moris. In pace non facile dijudicabimus ferociam Turni ab ignavia Biancis: at pugnandi ſeſe offerat occaſio, tum huic;

*Frigida bello* *Dextera*

At ille.

*Iliaco tumidum qui creſcere Tibrim*
*Sanguine.* &c.

Urgente pariter occaſione venereæ voluptatis, deprehendemus, quæ ſit hominis ad temperantiam intemperantiamque diſpoſitio. Hinc *ludi* (*c*) & iracundiam, & avaritiam detegunt ludentium. Ovidius *Lib.* 3. de Arte Amandi.

*Ira ſubit, deforme malum, lucrique cupido,*
*Jurgiaque & rixa, ſollicitusque dolor.*
*Crimina dicuntur, reſonat clamoribus æther,*
*Invocat iratos* (*d*) *& ſibi quisque Deos.*

§. III.

*Canones ſubjiciuntur.*

Canones ex dictis eliciamus. Sit itaque canon primus.

Canon I. Ad detegendum cujuspiam morem, in præſentem operandi occaſionem adducamus hominem, in præſensque irritamentum affectus, quem mos indagatus reſpicit.

Declaratio patet ex dictis. Nempe ſi morem hominis in temperantiæ ac intemperantiæ genere explorare lubeat, in occaſionem eum adducamus exercendi *virtutem eam vitiave* (*e*) oppoſita. Objectum nempe offeramus irritans cupiditatem Veneris aut ciborum. Si lubeat explorare fortitudinem, aut ignaviam audaciamve diſpoſitionesve medias, in pugnæ occaſionem periculaque adducere hominem oportet. Multi magnates ſatellites ſuos, quos pro machærophoris deligunt, experiuntur; immiſſis clam aliis, qui armis eos invadant; prout enim audacter reſtiterint, aut ignave ſe geſſerint, de animis & moribus hominum judicant. Si vero ſit animus explorare juſtitiam injuſtitiamve magiſtratus demandemus. Hinc itaque illud Ariſtotelis: *Magiſtratus virum oſtendit.* Idemque de aliis virtutibus ac vitiis dicendum penitus.

Plato confirmat canonem in calce primi de Legibus, ubi animi duri & agreſtis in injurias proni experimentum ex commerciis ſumi: animi intemperantis ex objectis venereis, dicit. Licet tutius,

(*a*) *In occaſionem.*) Sic Alexander alias continentia nobilis, pudicitiæ frena ſolvit, cum ipſi occaſio Thaïdis potiundæ eſſet. CURTIUS *L. V. c.* 7.

(*b*) *Affectum.*) Quando enim mens ipſa per ſe ſine affectu movetur, corpus agit quietem & ſibi conſtat. PLUTARCHUS *lib. de virtute morum T. I. Oper. p.* 16. *n. d.*

(*c*) *Ludi.*) Obiter hic obſervo, LEIBNITIUM optaſſe, ut aliquis omnis generis ludos mathematice tractaret, & tam regularum ſeu legum rationem redderet, quam artificia primaria traderet. Dici enim non poſſe, quam multa ad artem inveniendi utilia lateant in ludis. Cujus rei ratio eſt, quod homines in jocoſis ingenioſiores, quam in ſeriis eſſe ſolent, cum magis nobis ſuccedant, quæ cum delectatione peragimus. *Vid. ejus Miſcellanea §.* 57. *p.* 165.

(*d*) *Invocat iratos.*) An & quatenus aulico ludere permiſſum, non pigebit in teſtimonium vocare BALTH. CASTILIONEM *in aulico Lib. II. p.* 130. qui id permittit, *niſi illis forte tantum temporis atque operæ impendat, ut majora negligat, aut ſordidum ex illis quæſtum ſperet, aut contubernales dolo malo fallat, aut ita pecunias profundat, ut os diſtorqueat iracundia, & exſecrationibus perjuriisque omnia diris devoveat.* &c.

(*e*) *Virtutem vitiave.*) Huc ſpectat fabula de bivio Herculis.

Digitized by Google

tutius, non tamen evidentius experimentum ex compotatione larga & *hilari* (*a*) capi aſſerat. At manifeſtior eſt, quam ut auctoritate cujuſpiam confirmari debeat. Verba Platonis antea retulimus *cap.* 10. ad canonem ſextum.

Procedit vero canon & methodus; niſi tamen ſentiat is, a quo experimentum capitur ſe ad examen perduci. Tum enim ſe ipſum componit, & tegit ſenſa ſua omni conatu, cum præſertim a potentiore affectu ad ſeſe tegendos adducantur homines, quam ad ſeſe aperiendos. Convivæ Domitiani, ad validiſſimum licet examen adducti, cohibebant tamen ſeipſos, cum agnoſcerent ſe ab Imperatore attentiſſime obſervari, ſique affectus doloris vel minimum erumperet, mortem ſignificationem luituros. Aliquos etiam videas, qui in convivium a Principibus viris adhibiti, modeſtiſſime comedant: at ſi libero in loco conviventur, ubi ſuopte nutu ac ſuo more edant, liguriunt, miramque ingluviem præ ſe ferunt. Oportet ergo, vel non agnoſcere examen qui ei ſubjiciuntur, vel magis multo pollere in iis affectum, a quo deteguntur quam a quo cohibentur. Verbi gratia, qui pugnæ obtruditur, ſitque ignavus, etiamſi agnoſcat ſe in illam ob experimentum conjici, adeoque a deſiderio honoris vel a ſtudio gratiæ potentis hominis adducatur ad perſiſtendum in periculo; quoniam tamen timor mortis potentior eſt, ab eo abripitur & impellitur ad ignaviam ſuam manifeſtandam. Certe Irus cupiebat penes Homerum *Odyſſ. lib.* 18. gratiam procorum, eorumque in cibis largiendis liberalem manum: attamen niſi famuli procorum duxiſſent, nunquam ipſe in pugnam cum Ulyſſe conceſſiſſet, poſtquam robur ejus ac audaciam conjectavit.

*— — Iro autem malus motus eſt animus.*
*Sed & ſic famuli duxerunt cingentes neceſſitate*
*Timentem. Carnes autem circum tremebant membra.*

Ex hac exceptione itaque duo canones emergunt ſequentem in modum.

Canon 2. Cum experimentum morum alicujus ſumere intendimus, oportet anniti, ut hominem lateat, ſe tum in examen adduci. Unde improviſam illi occaſionem offerre ſatius eſt, quam proviſam.

Canon. 3. Quod ſi id conſequi non liceat, ut lateat hominem examen, contendendum eſt, ut affectus, quem in examine irritamus ad denudandum animum, ſit multo potior affectu animum ipſum cohibente ac obducente.

Uterque canon ex dictis eluceſcit.

Canon 4. Cum ex effectu ſimulatio morum detegitur, oportet affectum, actionemque eam iisdem examinare regulis ad verum morem eliciendum, quas attulimus ſupra.

# LIBER DECIMUS.

## Secundam Partem operis continet, quæ eſt De affectuum latitantium indagine.

## CAPUT PRIMUM.

### *Connectit, proponit, dividit, quæ tractanda ſuperſunt.*

Abſolvimus hucusque indaginem morum, quæ erat prima pars Semiotices; hujus ſcilicet contemplationis de ſignis. Supereſt inveſtigatio latitantium *affectuum*, (*b*) quæ erat ſecunda Operis pars, quam nunc aggredimur.

Huic indagini ea, quæ de fictionibus & ſimulationibus diximus, pleraque fere omnia communia ſunt; ut iisdem ferme canonibus ſit procedendum, quibus in indagandis moribus proceſſimus, præter ſupremum ſupplementum methodi, quoad mores indagandos contrahitur. Rem clarius aperio. Methodus detegendorum morum inter cætera affectus conjicit, & ex illis poſtea mores inveſtigat *lib. præced. cap.* 15. §. 1. Prior ergo pars progreſſus ad propoſitam nunc praxim inveſtigandi latitantes affectus pertinet. Imo ea ipſa eſt. Ut nihil aliud reſtet, quam ipſam perficere. Etenim inter cætera tum methodum inveſtigandi erumpentes affectus, in hunc locum rejiciemus, quam ita ſubjicere oportet, & quicquid aliud ad ſecundæ hujus indaginis integritatem exigitur. *cap.* 12. §. 3. Hæc vero erit dicendorum diſtributio, & ſeries.

*Prima.* Signa affectuum exponemus, ut promptum ſit illa, cum erumpunt, dignoſcere usque ad cap. 15.

*Secundo.* Contrahemus præcedentis methodi canones, applicabimusque huic, de qua agimus, materiæ cap. 15. & 16.

*Tertio.* Methodum ex cauſis methodo ex ſignis, ad ejus ſupplementum ſubjungemus cap. 17. & duobus ſeqq.

*Quarto.* In praxin methodum indaginemque totam adducemus reliquis tribus capitibus.

CAP.

(*a*) *Hilari.*) Sermones jucundos in menſa habendos, nec animum variis ſubtilitatibus fatigandum eſſe, docet GELLIUS *noct. attic. L. XIII. Cap. XI. & L. VI. Cap.* 13.

(*b*) *Affectuum.*) Definitionem affectus vide in RICHTERI *Diſſertatione de motum humanorum ortu & progreſſu* §. 3. 4. JOH. FRISII Diſſ. de *affectibus*, Jenæ 1707 habita. Affectus ſenſuales BUDDEUS *in philoſ. practica P. I. c.* 2. *ſect.* 2. definit: *commotiones voluntatis, ex repræſentatione objectorum, cum relatione quadam ad nos ſpectatorum, ſub ratione grati aut ingrati, & hinc ſpirituum animalium excitata agitatione ortas, & iterum ſpirituum animalium ſanguinisque, motum extraordinarium efficientes, ad hominis conſervationem comparatas.*

# CAPUT SECUNDUM.

## *De ſignis affectuum in communi.*

### §. I.

*Signa diſtinguuntur trifariam.*

Affectuum itaque ſigna primo loco ponenda. Sunt vero *ſigna affectuum*, (*a*) alia communia, alia propria. Communia dico, quæ pluribus affectibus conveniunt. Propria, quæ uni. Hæc autem, quæ propria ſunt, alia ſunt ſimplicia, alia coacervata. Simplicia dico, veluti truces oculos in ira. Videntur enim illi forſan ſoli iræ convenire. At coacervata erunt, quæ ſimul ſumpta unico affectui conveniunt. Veluti *in Ira congeries* (*b*) illa Senecæ *de Ira lib.* 1. *cap.* 1. *Flagrant & micant oculi; multos ore toto rubor, exæſtuante ab imis præcordiis ſanguine: labia quatiuntur: dentes comprimuntur: horrent & ſubjiciuntur capilli: ſpiritus coactus ac ſtridens: articulorum ſeipſos torquentium ſonus; gemitus mugitusque: & parum explanatis vocibus ſermo præruptus; & comploſæ ſæpius manus: & pulſata humus pedibus: & totum concitum corpus, magnasque minas agens: fœda viſu & horrenda facies depravantium ſe atque intumeſcentium.* Congeriem hanc ſignorum dicamus ſignum coacervatum; ſingula ſigna cum convertuntur, dicamus ſigna propria ſimplicia. Tria itaque ſignorum genera ſejungamus; ſigna communia; ſigna propria coacervata: ſigna propria ſimplicia.

### §. II.

*Signorum tractatio & uſus.*

Signa vero quomodo tractanda ſint, in uſumque adhibenda, ſecundum diviſa genera breviter ediſſeramus.

Signorum propriorum uſus conſpicuus eſt; *ex ſignis* (*c*) enim in certam affectuum cognitionem ducimur, cum ſimulata non fuerint. Utrum vero ſimulata ſint ex canonibus detegendarum ſimulationum dignoſcimus.

At communia ſigna, etiamſi ſincera ſint, & absque fallacia, in certum tamen affectum nequaquam ducunt. Verbi gratia, ore palleſcere, timori & iræ in quibusdam commune eſt. Dijudicandum ergo, uter affectus afficiat animum: ex objecto autem, & occaſione, & circumſtantiis ejusmodi aliis facile erit dijudicare diſtinctos affectus, & longe inter ſe diſſidentes. Difficilius diſtinguentur affectus propiores.

### §. III.

*Cum cohibentur affectus, & occultantur.*

At cum affectus occultantur, veluti in præſenti negocio, ubi quærimus latitantes affectus non apertos ac manifeſtos, tum ſigna propria coacervata in integritate ſua non dantur. Imo interdum neque ſingula integra. Ut magna idcirco ſolertia plurimoque acumine ſit opus ad ea conjicienda & diſtinguenda. Illud, quod de rebus naturalibus dicebat Empedocles, ſemiboves & ſemihomines in confuſione rerum prius apparuiſſe, de his ſignis appoſite dici poteſt ſemiſigna, non integra ſigna, plerumque apparere, ex quibus arguto oculo judicioque ſunt affectus eruendi.

### §. IV.

*De ſignis ex oratione.*

At nulla eſt evidentior declaratio animi noſtri, abditarumque in eo paſſionum ac rerum, quam *oratio ipſa* (*d*) noſtra. Ut enim Ariſtoteles dicit; *voces ſunt earum, quæ in anima paſſionum notæ.* Enunciatio ergo affectuum, & ſenſuum noſtrorum (dum ſimulatio abſit) eſt evidentiſſimum ſignum eorum. Verum interdum non enunciamus apertis verbis animum noſtrum. Nempe cum iraſcor, non dico me conceptis verbis iraſci: ſed tamen dico, quæ iram arguunt neceſſaria propemodum conſequutione. Hæc ex oratione ſigna in poſtremum locum rejiciemus.

# CAPUT TERTIUM.

## *Signa affectus voluptatis.*

### §. I.

*De quo genere voluptatis ſit ſermo.*

Jam ſigna ſingulorum affectuum ſingillatim aggrediamur. Juxta vero ordinem librorum de Affectibus, *primo* ſigna voluptatis afferremus: *deinde* doloris: *tertio* cupiditatis & amoris: *quarto* abominationis & odii: *quinto* iræ: *ſexto* timoris: *ſeptimo* ſpei: immutantes aliquantiſper ordinem ſuperiorem, dum iram ex poſtremo loco in quintum transferimus; & timorem ſpei præponi-

(*a*) *Signa affectuum.*) Hic conferendum Caput VI. HOBBESII de *homine*, quod de principiis internis paſſionum agit.

(*b*) *In ira congeries.*) Similis deſcriptio ſignorum iræ occurrit in libro de la CHAMBRE *dans les characteres des paſſions Chap* 1. *p. m.* 3.

(*c*) *Ex ſignis.*) Hic omnino conferri debet SAM. STRYCKII Diſſ. *de phyſiognomia Cap.* I. *Volumine* V. *Diſſ.* XIII. *pag.* 1063.

(*d*) *Oratio ipſa.*) Multis hos allatis teſtimoniis comprobat WALCHIUS in Diſſ. *de arte aliorum animos cognoſcendi* §. X. PLUTARCHUS *in præceptis connubialibus* T. I. Oper. p. 18 n. c. *Affectus & mores,* inquit, *ac diſpoſitio animi in ſermone vehementer conſpicitur.* Socrates cum vidiſſet adoleſcentem inſignem vultu atque habitu, ſed tacitum: Loquere, inquit, ut te videam; quoniam, ut dicit FRANC. PETRARCHA *de viris illuſtr. Lib.* III. *non vultus aut corpus, ſed animus cujusque is eſt, cujus quodammodo facies ſermone relevatur, ut videri poſſit, qui invisibilis eſt natura.*

Digitized by Google

ponimus. Inchoemus ergo *a voluptate*, (*a*) non quæ conſequitur omnes affectus alternatim cum dolore, ſed quæ diſtinctus eſt ab aliis affectus.

Hæc vero vel junctam habet exteriorem voluptatem, vel abſque exteriore voluptate ipſa per ſe manet. Cum juctam habet exteriorem voluptatem, junctam etiam habet cauſam voluptuariam, ſeu jucundum ipſum. Ex quo voluptatem interiorem conjicimus; plus minusve, deinde ſignorum adminiculo. Nempe voluptas exterior cupediæ, non niſi ex ſumptione præſente cibi naſcitur; cum videmus autem hominem ſponte comedentem, intelligimus aliqua ipſum voluptate affici, utrum vero magna vel parva, ex ſignis conjicitur; guſtus enim comedentis ex ipſo comedendi modo elucet.

Major vero conjiciendi difficultas eſt in voluptate interiore, quam nulla exterior voluptas comitatur: tota enim eſt ex ſignis deducenda.

## §. II.

*Cum voluptas exterior conjungitur, ſigna majoris, vel minoris voluptatis.*

Cum voluptas exterior conjungitur, eo majorem intelligemus eſſe interiorem; quo partes ipſæ exteriori deſervientes magis intendentur. Non enim remittuntur illæ & laxantur, niſi expleto opere; ſed in opere intentæ perdurant, ſive voluptas ea venerea fuerit, ſive cupedioſa. Ut enim vidimus antea, *In 2. p. lib. 1. de voluptate, c. 17.* conſtringuntur partes circa ſuſceptum jucundum, ut illud altius exſugant. Qui intentiore vultu comedunt, majoreque & *crepitantiore ſuctu* (*b*) ciborum, eos majorem ex cibis guſtum capere intelligimus, ac majore intus voluptate affici.

## §. III.

*Cum voluptas interior ab exteriore disjungitur.*

At cum *voluptas interior* (*c*) ab exteriore disjungitur nempe ea præſente non fit, in duo adhuc membra diſtinguitur. Alia enim ab exteriore tamen voluptate recens percepta, vel quæ non multo poſt ſuſcipietur, proficiſcitur; Alia ex ſola interiore meditatione naſcitur; vel ſcilicet objecti jucundi graphice propoſiti, vel ex contemplatione ipſa, quæ eſt contemplatoris hominis voluptas. Prioris voluptatis exemplum eſt illud Chæreæ gaudium penes Terentium *Eun. act. 3. ſcen. 5.* Erat enim ex voluptate tum percepta.

*Jam ne erumpere hoc licet mihi gaudium? proh. Jupiter!*
*Nunc tempus profecto eſt, cum perpeti me poſſum interfici:*
*Ne vita aliqua hoc gaudium contaminet ægritudine.*

Interioris voluptatis, & ex ſola meditatione naſcentis meminimus antea *in 2. p. lib. 1. de volupt. c. 17.* Et vidimus, tum, non effundi extrorſum ſpiritus; ut obducto potius vultu homo in ea conſtitutus exiſtat, quam hilari & explicato, immotoque corpore non moto. Scite itaque admodum de gaudio viri probi, quod eſt ſpecies voluptatis ejusmodi interioris, dictum eſt a Seneca: *Severa res eſt verum gaudium.* At in voluptate interiore innixa exteriori, vel præſenti vel propinquæ, effunduntur (veluti ex ſuperioribus conſtat) ſpiritus.

## §. IV.

*Canones continet ex vultu.*

Ad Canones accedamus. Sit itaque canon.

Canon. 1. Oculi hilares, frons exporrecta: genæ colore & habitu vividæ: os ridens; voluptatis interioris ſigna ſunt. Hæc ſcilicet vultum lætitiæ conformant.

*Oculi hilares.*) Qui ſint, per ſe patet, & antea declaravimus, quantum res exigebat.

*Frons exporrecta.*) (*d*) Contractæ opponitur; quæ præſertim cum in rugas cogitur, contractæ nomen obtinet: eſtque triſtitiæ ſignum, ſicut contraria lætitiæ. Cum frons vero exporrigitur & extenditur, confluunt illuc ſpiritus partesve ſpirituoſæ; quamobrem neſcio quid, cum extenſione claritatis & nitoris, inde frons acquirit, ex quo nitore frons læta præſertim dicitur.

*Genæ colore & habitu* (*e*) *vividæ.*) Genæ quoque ex ſpirituum effuſione explicantur, atque eandem ob cauſam coloratiores redduntur. Id eſt quod diximus, vividas genas colore & habitu fieri. Attamen non æque in lætitia genæ atque frons exporriguntur. Nam os ridens, vel renidens, rugas quibusdam in genis excitat, aliis foſſulas quasdam. Quem gentilitium morem maxima cum gratia obtinuit Laura filia mea, quæ præſtantiſſimæ indolis, & ſummi ingenii octennis obiit.



(*a*) *A voluptate.*) Diverſas veterum philoſophorum ſententias de genere ac natura voluptatis recenſet A. GELLIUS *noct. attic. Lib. IX. Cap. V.*

(*b*) *Crepitantiore ſuctu.*) Exempli loco adduco Cyclopem, quosdam Heneæ ſocios devorantem, de quo VIRGILIUS *L. III. Aeneid.* ex perſona Aeneæ canit:

*Vidi atro cum membra fluentia tabo*
*Manderet, & tepidi tremerent ſub dentibus artus.*

(*c*) *Voluptas interior.*) Voluptas alia eſt animi, alia corporis, quarum tamen illa longe præſtantior, de quo vide PLUTARCHUM lib. *num ſeni ſit gerenda respublica T. I. Oper. p. 179. 180.* WALCHIUS Diſſ. *ſæpe citata §. XI. p. 50.* voluptatem corporis, quæ nobis cum beſtiis communis eſt, rurſus diſtinguit in bacchicam, veneream & delicatam. Voluptatem autem animi, quæ humana eſt & ſenſibus internis delectatur, in curioſam, pharisaicam & amicam. Hic omnino conferri meretur *Caput XXXVII. L. III. offic.* CICERONIS. & ad illud Commentarius F. A. CHELII.

(*d*) *Frons exporrecta.*) Hujus rei cauſſam genuinam reddit JOH. FRISE in Diſſ. citata *de affectibus §. 33.*

(*e*) *Genæ colore & habitu.*) Quod egregie HORATIUS *Lib. I. Od. 13.* deſcribit:

*Nec mens mihi, nec color*
*Certa ſede manent: humor & in genas*
*Furtim labitur arguens,*
*Quam lentis penitus macerer ignibus.*

Digitized by Google

*Os ridens.*) Eſt *riſus* (*a*) voluptatis & lætitiæ ſignum, præſertim riſus ſolutus; nam ſubridere interdum afflictiſſimis contingit & iratis, ut Annibali in carthaginenſi Senatu.

Niſi fictio tamen & ſimulatio interceſſerit. Nam in componendo vultu multi ſunt excellentes. Ad detegendam autem ſimulationem ſuperiore methodo utendum eſt.

Canon 2. Cum in compoſito aliter vultu hilaritas oculorum, exporrectio nitorque frontis aut riſus in ore eruperint, rurſusque cohibeantur, latitantis lætitiæ ſunt ſigna. Clarius autem ſignum, ſi omnes ſimul notæ apparuerint, obſcurius, ſi ſingulæ: medio modo, ſi plures ex canone *cap.* 2. *hujus lib.* §. 1.

Excipiendus tamen eſt riſus in ore, cum deriſionem ſignificat. Tum enim potius amarorem animi, quam vere lætitiam demonſtrat. Fuit deriſionis, non lætitiæ riſus Saræ, cum anus exiſtens audivit, ſe parituram. Quæ riſit occulte dicens: *Poſtquam conſenui, & dominus meus vetulus eſt, voluptati operam dabo? Gen. c.*18.

Signa vero, quæ diximus non converti cum ſignificata re, ſatis ex dictis conſtat, quod ſint idcirco ſigna particularia. Nempe ſi oculorum hilaritas adſit, exporrectio frontis, genarumque, &c. os ridens; lætitia animi arguitur. Verum non, ſi lætitia adeſt animi, ſtatim ea ſigna conſequuntur; cum lætitia aliqua frontem & vultum contractum patiatur, oculosque retractos; ut diximus.

Interdum præterea cum magna voluptate *lachrymæ conjunguntur* (*b*) & fletus. Ut in agnitionibus carorum poſt diuturnum tempus. Non injuria itaque Homerus de Ulyſſe & Telemacho poſt mutuam agnitionem *lib.* 16. *Odyſſ.*

*- - Telemachus autem*
*Circumfuſus patrem bonum lugebat, lachrymas fundens,*
*Ambobus autem his deſiderium obortum eſt luctus.*
*Flebant autem ſtridule abundantius, quam aves*
*Aquilæ, vel vultures curvæ unguibus, quibus filios*
*Ruſtici excipiunt, antequam volatiles fierent.*
*Sic hi miſerabiliter ſub ſuperciliis lachrymas fundebant.*

## §. V.

### *Canones continet ex pulſibus.*

*Ex pulſu* (*c*) etiam ſumi poſſunt ſigna lætitiæ; nam ſuus lætitiæ pulſus tribuitur. *Lib.* 4. *de cauſ. pulſ. capit.* 3. Galenus tribuit pulſum magnum rarum & tardum, at nullam in vehementiæ differentiam ſuſcipientem lætitiæ non excedentis: nam ſi exceſſerit, tum exolvitur virtus ad mortem usque interdum, ut pulſus idcirco exolvantur ipſi quoque, contrarii ſaltem fiant memoratis. Hæc Galeni doctrina congruit ſuperioribus meis dogmatibus. Vidimus enim in lætitia cor primogenia alteratione calore augeri, eoque blando & moderato. Vidimus quoque ex ſpirituum moderato effluxu ex corde calorem itidem intendi; motus ſiquidem a materia, moderatus tamen, ignem auget, ut in lætitia idcirco non immodica pulſus ob auctum calorem augeri debeat, ut dicit Galenus. Cum blandus tamen ſit calor ejusmodi, minus fuliginum, illæque minus acres excitantur; unde minus quoque irritatur virtus ad eas expellendas. Ut frequentia pulſus a lætitia non augeatur; quod idem Galenus tradit. Eademque ratione non augetur vehementia. Cum enim virtus non irritetur, non etiam acrius inſurgit ad percutiendum; unde vehementia, quæ in ea percuſſione conſiſtit, non augetur. Prorſus ergo reſpondent Galeni doctrinæ hæc, quæ ex jactis olim principiis deducimus. Sint nunc Canones.

Canon. 1. Pulſus magnus, rarus, tardus, at non vehemens, lætitiæ eſt index. Patet ex dictis.

Canon. 2. Si manu cujuſpiam pulſui admota ſentiamus, ad cujuſpiam perſonæ, aut rei commemorationem vel præſentiam, pulſum magnitudine augeri, at non celeritate, aut vehementia, intelligemus hominem ea re lætari. Ut ſcilicet tum innoteſcat affectus lætitiæ, unaque cauſa ejus.

Multa tamen diligentia opus eſt in hac ex pulſibus indagine affectuum. Nam videndum eſt, ne contrectatio ipſa pulſus, pro qualitate perſonæ, quæ tangitur, & ejus, quæ tangit, pro ſcilicet intercedente amore, vel odio, vel reverentia, vel contemptu, vel alio ejusmodi affectu erga contrectantem, varietur pulſus. Ita enim interdum affectus ex præſentia, vel commemoratione objecti, occuletur.

## §. VI.

### *Canones continet ex reliquis corporis motibus.*

Plato in ſecundo de Legibus aſſerit: dum lætamur, nos quieſcere non valere. Quod res ipſa indicat, cum ea tamen exceptione, niſi voluptas ex ſola commentatione & meditatione naſcatur. Tum enim immoti potius conſiſtunt: ſique profunda fuerit, quaſi exſtatici. Veruntamen non poſſe conſiſtere, non eſt ſignum cum lætitia convertibile; nam & *anxii quieſcere neque-*

(*a*) *Riſus.*) De riſu HOBBESIUS l. c. ita judicat, quod habeat pro cauſſa vel ſubitam aliquam actionem propriam, in qua, qui eam fecit, ſibi placet, vel conceptum turpitudinis vel facti alieni indecori, comparatione cujus ſubito ſibimet ipſi commendatur. Conf. FRISIUM Diſſ. *modo citata* §. 33. *p.* 27.

(*b*) *Lacrima conjunguntur.*) Quod etiam ſæpius in voluptate venerea accidit, unde HORATIUS *Od. I. Lib.* 4. dicit:

*Sed cur heu, Ligurine, cur*
*Manat rara meas lacrima per genas?*

(*c*) *Ex pulſu.*) De hoc vide JOH. FRISIUM Diſſ. *de affectibus* §. 12. *p.* 9.

Digitized by Google

*queunt*, (*a*) ſed ſusque deque feruntur. Trepidantis hominis, & coram judicibus conſtituti ſpeciem deſcribit Apulejus. *Tunc pedes incertis alterationibus commovere, modo hanc, modo illam partem ſcalpere capitis, & ore ſemiclauſo balbutiens, neſcio quas affanias, effutire.* Motus ergo & loci huc illuc variatio non eſt ſignum peculiare lætitiæ, ſed commune etiam anxietatis. Verum ſi motus ſit geſtiens, & cum exulatione, veluti cum ſaltatione & luſu, ſignum eſt lætitiæ. Sit itaque canon.

Can. 1. Motus geſtiens & cum exultatione, cum ſaltatione nempe & luſu, ſignum eſt lætitiæ. Dico, cum ſponte ſua fit. Nam aliqui interdum ex occaſione ſaltant, qui variis, & acribus curis premuntur. Item qui ſaltant ex officio, ut olim Saliares, Fidicinæ, Chorauli, non rapiebantur concitabanturque a lætitia ad ſaltum, ſed ex officio ſtudioque quæſtus.

Canon 2. Cum ad ſigna lætitiæ ex vultu accedunt motiones corporis non conſiſtentes in eodem loco, efficacius tum argumentum lætitiæ naſcitur, & habetur. Patet ex dictis.

Non convertitur tamen ſignum. Lætitiæ enim ex meditatione & commentatione interiore ſolum corpus potius a motu prohibet, quam uuod in motum concttet. Quod ſuperioribus cohærens eſt.

## §. VII.

*Canones ex vocis ſono continet. Ubi de riſu.*

Vox, quæ lætitiam ſignificat, eſt *præſertim riſus*, (*b*) ſicut fletus dolorem. At riſus non unius eſt generis. Nam & irridere, & ſubridere dantur, quæ ſunt riſus quædam ſpecies. Aliæ præterea ſunt riſus ſpecies. Eſt enim cachinnus, id eſt riſus ſolutus. Eſt riſus ſine cachinno. De quibus Cicero ait: *Ut ſi ridere conceſſum ſit, vituperetur tamen cachinnatio.* At forte exactior erit diviſio, ſi dicamus, riſum vel in ſola figura oris conſiſtere, vel figuræ ejus ſonum adjungere. Sonus autem vel reddit vocalem A, vel vocal. E, vel vocalem I, vel vocalem O, vel vocalem V. Apertior & ſolutior, qui A reddit. Huic proximus qui ſonat O. Depreſſior qui E. At hoc depreſſior qui reſonat I. Qui vero V. reddit, non ore ſonat, ſed naribus. In ſingulis tamen ejusmodi differentiis eſt ſonus, & vehementior & lenior. Cum ſonus eſt vehementior cachinnus eſt, & præſertim cum A & O. reſonat. Cum nullus ſonus, vel cum lenis eſt ſonus, a cachinno abeſt, & præſertim cum vocales ſummiſſiores E, I. V, reſonat. Verum riſus V eo magis abeſt a cachinno, quod ore non ſonet, ut nihil hiet os. Cachinnus vero ſine hiatu aliquo eſſe nequit. Canones nunc ſubjiciamus.

Canon 1. Riſus vehementior, qui præſertim vocales A, O, reſonet concitatiorem ac ſolutiorem voluptatem ſignificat.

Canon 2. Riſus lenior non æque concitatam, blandiorem tamen voluptatem indicat. Unde illud Lucretii;

*Suave ridens Venus.*

Hic autem riſus eſt merum voluptatis ſignum. At riſus ſuperior & cachinnus poteſt præterea ſignum eſſe deriſionis.

Canon 3. Riſus, qui ſonat V. remiſſiorem voluptatem, vel magis tectam ſignificat. Neque enim riſus ex ore, niſi figura prodit, non etiam ſono.

Non convertitur autem ſignum. Nam lætitia ex mediatione graphicaque rerum jucundarum deſcriptione taciturna eſt, & absque riſu utplurimum.

Canon. 4. Vox gravior facta lætitiam animi novam, vel obauctam ſignificat. Ex doctrina Ariſtotelis *probl.* 15. Vult enim ex remiſſione corporis, quæ in voluptate fit, gravitatem gigni vocis. Ut ea doctrina, nedum ad riſum, qui ibi exprimitur, ſed ad reliquam etiam vocem pertineat.

Verum gravitas ipſa aucta vocis, non eſt per ſe ſignum lætitiæ. Nam aliis etiam ex cauſis vox graveſcere poteſt. Sed ſi aliis lætitiæ ſignis, accedat etiam gravitas vocis obaucta, argumentum lætitiæ intenditur. Sicut contra acumen triſtitiæ. Unde Lydiæ acutæ & *Mixolydiæ* (*c*) harmoniæ, quæ acutæ erant, mœſtæ habebantur, mœſtisque cantibus accommodabantur, ac querulis. Plato in 3. de Republ. *Quænam igitur querulæ harmoniæ ſunt, dic mihi. Tu enim muſicus es. Lydia mixta, Lydiaque acuta, cæteraque hujusmodi.* Hæc Plato. At idem voluptuarias ac molles harmonias remiſſas ac relaxas aſſerit, adeoque graviores, nam ex remiſſione gravitas. Audiamus Platonem. *Quænam igitur molles, & temulentæ harmoniæ. Quæcunque χαλαραὶ vocant?* Vocem autem χαλαραὶ Ficinus tribus vocibus exprimit, ſcilicet remiſſæ, relaxæ ac reſolutæ. Homerus & ipſe acumen mœſtis vocibus tribuit. Nam flentibus Ulyſſi & Telemacho, acumen tribuit, ut paulo prius vidimus.

*Flebant autem ſtridule abundantius, quam aves*
*Aquilæ, vel vultures &c.*

CAPVT

(*a*) *Anxii quieſcere nequeunt.*) Quod demonſtrat exemplum Didonis præ amore furibundæ, apud VIRGILIUM Aen. IV.

(*b*) *Præſertim riſus.*) Hoc admodum nervoſe exprimit FRISIUS l.c. *Sequitur,* inquit, *quandoque riſus, ſi lætitia fuerit lenior, qui nil eſt niſi vultus quadam hilaritas, ex contractione quorundam muſculorum, & quorundam relaxatione producta ab anima, gaudium ſuum in externa facie repræſentante. Sin mediocris, pectoris motus notabilis & ſonora aliqua, ſed interrupta ac nulla conſona articulata aëris commotio accedit, quia tunc muſculi pectorales ſpiritibus plurimis inflantur, & ſæpe ob gaudium blande repræſentatum ita titillantur, ut motu tremulo affecti comprehenſum in pulmonibus aërem ita quaſſent, ut titubans ac undulans per laryngem & fauces, quæ ſimul afficiuntur, nunc magis, nunc minus dilatat as prorumpat, ac ſonum inarticulatum cauſetur, quem vocare ſolemus riſum.*

(*c*) *Mixolydia.*) De natura hujus ſoni vide PLUTARCHUM *in muſicis,* qui omnia ad artem hanc ſpectantia, quorum Auctor noſter mentionem paſſim facit, illuſtrabit.

## CAPUT QUARTUM.

*Signa affectus doloris.*

Signa affectus *doloris*, (*a*) ex proxime dictis, loco a contrario deduci poſſunt. Unde non oportet latius digredi.

Pro riſu ergo erit *fletus*: (*b*) pro voce graviore erit vox acutior; pro motu erit quies corporis immoti. Ut ſcita ſit commentatio, qua Niobe extremo victa dolore in ſaxum mutata traditur, ut in dolore immotus habitus corporis ſignificetur, &c. *Ovid lib. 6. Metamor.*

*Diriguitque malis; nullos movet aura capillos;*
*In vultu color eſt ſine ſanguine: lumina mœſtis*
*Stant immota genis: nihil eſt in imagine vivum?*
*Ipſa quoque interius cum duro lingua palato*
*Congelat, & venæ deſiſtunt poſſe moveri,*
*Nec flecti cervix, nec bracchia reddere geſtus,*
*Nec pes ire poteſt.*

Excipitur tamen, ſi cum dolore miſceatur trepidatio aut anxietas; tum enim eſt in agitatione & corporis motu animal.

*Pulſus eſt*, (*c*) teſte Galeno, parvus, languidus, tardus, & rarus. Oculi item *triſtes*, (*d*) contracta frons, demiſſæ genæ, os gemebundum vel compreſſum ſaltem. Suſpiria accedunt reliquis doloris ſignis. Quæ, quo profundiora fuerint, quoque difficiliora eo majorem ſignificant dolorem; majorem enim indicant cordis anguſtiam & compreſſionem, ob immodicum ſcilicet in ipſum confluxum caloris ſpirituumque.

## CAPUT QUINTUM.

***Signa amoris erga rem, ſive bonum formale, ſive erga finem, cujus gratia; qui amor demum eſt ipſamet cupiditas.***

Amoris ſigna ſunt nunc adducenda. Verum amor ut vidimus, *alius* eſt erga finem, cujus gratia vocavit D. Thomas, aliter bonum formale; *alius* eſt erga finem cui, ſive perſonam, cui bonum deſideramus. Primus amor idem cum cupiditate eſt; quocirca primum exponamus ſigna cupiditatis.

*Cupiditas itaque* (*e*) in intentione cordis conſiſtere, cumque calore ac fervore ejuſdem vidimus. Unde ea ſigna prodibunt in corpus, quæ ex cordis fervore ac intentione, ſeu contentione procedunt. Scilicet motus inquies corporis, oculi inſtantes & procaces, dum præſens ardet cupiditas. Virgilius

*Uritur infelix Dido, totaque vagatur*
*Urbe furens.*

Hæc quidem a cupiditate in univerſum ſigna procedunt. At ſi cupiditates peculiares lubeat diſtinguere, ſigna ipſarum peculiarium apponere oportet. Cupiditas ergo peculiaris quæque ſigna quædam in inſtrumenta, quibus exercetur, effundit; in eaque primo, ac ſecundario in conſpirantes quoque partes. Verbi gratia, cupiditas Venerea in partes Veneri deſtinatas refundit effectus aliquos ſenſibiles, qui eam ipſam cupiditatem ſignificant. Unde niſi pudor eas partes velaret, facile ingruentem cupiditatem Veneream agnoſceremus. Catullo ejuſmodi ſignum inerat.

*Nam pranſus jaceo, & ſatur, ſupinus:*
*Pertundo tunicamque, palliumque.*

Verum cum conſpirant oculi & os, peculiare quodpiam ſignum in iis etiam partibus deſcribitur. Sunt enim oculi arguti, & natantes in Venerea cupiditate: Vocat ejuſmodi aſpectum tremulum ac laſcivum Taſſius. Viciſſitudinem linguæ inter labra antea quoque ſignum Venereæ cupiditatis diximus. At ſalivam in labia uſque refluere, æſtuante cupiditate Veneris, ſcribit Juvenalis. *Sat.* 9.

*Nil faciet longi menſura incognita nervi,*
*Quamvis te nudum ſpumanti Virro labello*
*Viderit.*

In cupiditate ciborum, os plerumque ſigna exhibet. In magno enim cibi cujuſpiam deſiderio

(*a*) *Doloris.*) Epicurei perturbationes eſſe duas dicebant, voluptatem & dolorem, quæ in omne animal cadant. Ex his alteram propriam, alteram eſſe perque eas judicandi electiones & evitationes. Vid. DIOG. LAERT. *de vitis philoſ. L. X.* & ad eum GASSENDI *Commentarium* auro cedroque dignum.

(*b*) *Fletus.*) Audiamus hic rurſus HOBBESIUM l. c. *Demiſſio animi ſubita paſſio eſt, quæ producit Fletum, cujus cauſſa ſunt accidentia illa, quæ magnam ſpem aliquam, vel potentiæ ſuæ ſtatumen aliquod ſubito deſtruit. Fletui autem ſubjecti ſunt illi, qui auxiliis externis maxime indigent, quales ſunt feminæ & pueri. - - Semper autem tum riſus, tum fletus motus ſunt ſubiti & conſuetudine minuuntur. Nemo enim aut veteres jocos ridit, aut calamitates defleт veteres.* OVIDII tamen illud ex plurimis exemplis probatum videmus:

*Expletur lacrimis egeriturque dolor.*

(*c*) *Pulſus eſt.*) Hic conf. FRISIUM Diſſ. *de affectibus* §. 34.

(*d*) *Triſtes.*) Facies pallet atque forma, oculi obſcuri, immobiles & ſicci ob ſpirituum animalium & ſanguinis abſentiam, quia iſtis recedentibus muſculi non tument, ſed facidi & rugoſi ſunt.

(*e*) *Cupiditas.*) *HOBBESIUS in Leviat hanc cap. 6.* diſtinguit ita inter cupere & amare, ut in cupidine objectum ſemper ab eſſe intelligatur, in amore autem plerumque & proprie adeſſe. Quibus confer SENAULTUM de *l'uſage des paſſions* P. I. diſc 4. p. 28. ſq. & P. II. diſc. 1. p. 213. qui agit de natura, proprietatibus & effectibus amoris.

Digitized by Google

no videmus quoſdam deglutire pro cibo ſalivam. Labiorum ariditas, difficultas deſpuendi, ſitim ſignificant evidenter admodum. At id eſt ſignum cujusque rei appetitionis evidens, argutis & petacibus oculis rem ipſam inſpicere. Qui ita inſpexerit mulierem, illam cupit: qui cibos, cibos: qui nummos, nummos optat. Tale quippiam illud: *Ovid. lib. 3. Amor. el. 2. Sat. 4.*

*Tu curſum ſpectes, ego te: ſpectemus uterque,*
*Quod juvat, atque oculos paſcat uterque ſuos.*

Perſius pallorem aſpectui adjunxit ad cupiditatem ſignificandam.

*Viſo, ſi palles improbe, nummo.*

Verum ex cupiditate pallor vix eſſe poteſt, niſi alius admiſceatur affectus, ut *invidia* (*a*) in alienis conſpiciendis divitiis. Si tamen in ira ad ultionem aggrediendam ſpiritus in externas partes, brachia & manus ultioniſque alia inſtrumenta ingruant, & a ſuperioribus partibus, præſertim a genis avertantur, ita cupiditas ad executionem feſtinet; poteſt interdum oriri pallor. At quod plurimum eſt, ac ſuapte natura os rubicundum ex cupiditate fit. Memini me videre obvios ſibi amatorem & amaſiam, qui, cum ſe inſtantibus oculis aſpexerunt, facie ambo, circiter oculos præſertim, fronte & genis erubuere; licet amor quoquo pacto tectus eſſet; tum vir, tum fœmina enim alieno erant innodati matrimonio.

Cupiditas etiam arguitur, cum ex carentia rei mœſtitia oboritur; præſertim vero, ſi ſuſpiria, lachrymæ, & fletus ſuccedant. Unde puellorum ac infantium cupiditates ex fletu præſertim conjicimus. Galenus *lib. 1. de ſanit. tuenda cap. 8. ex fletu infantis* (*b*) conjecit immunditie lædi, adeoque munditiem cupere; nam ablutis ſordibus, & mundis pannis involutus, quievit. Qui ex diſceſſu amici flet, intelligimus eum hominis præſentiam cupere. Maximam certe viri ſui cupiditatem præ ſe ferebat Ovidii uxor; dum *Lib. 1. de triſtibus.*

*Se modo deſertam, modo deploraſſe penates,*
*Nomen & admiſſa ſæpe vocaſſe viri.*

At inquiet quis, fuiſſe illum dolorem, non ergo cupiditatem, ſed vidimus antea 3. *part. l. 4. cap. 5.* affectus eodem tempore plures inſidere poſſe animo.

Verum quoniam indagare affectum ex affectu eſt commune omnibus affectibus, differemus in locum poſteriorem, cum prius ſingulorum affectuum ſigna expoſuerimus. Signa ergo *cupiditatis ex pulſu* (*c*) utrum dentur, non videtur inter ſcriptores conſtare. Galenus enim negat pulſum amatorium lib. de præcogn. ad Poſthum. cap. 6. in fine dicens. *Nugæ ſunt igitur, quod ajunt aliqui, pulſum amatorie moveri eorum, qui vel neſciunt amoris pulſum nullum eſſe, vel putant re quapiam animo perturbato pulſum non immutari; ſed in eandem æqualitatem, & ordinem eum perſeverare.* At Avicenna pulſum ſuum amori dare videtur, pulſum nempe diverſum, & prorſus inordinatum. *Lib. 3. Can. Fen. 1. tract. 4. cap. 23.* At quicquid ſit, de diverſitate ſententiarum horum in re Medica principum virorum; attamen certum eſt de amore ipſos in perſonam aliquam loqui, non in rem, aut formale bonum: adeoque non agere de cupiditate, de qua nunc agimus.

Cupiditatis autem pulſus, inſtar iræ pulſus eſt, cum & ira cupiditas ſit quædam. *Iræ pulſum* (*d*) tribuit altum magnum, vehementem, celerem, crebrum. Intenſæ cupiditatis idem videtur pulſus; nam calor tum primigenius, tum influens magnus æſtuat in corde, ut inde pulſum, & altum, & magnum eſſe oporteat. Cedit tamen vehementia, celeritate, & crebritate iræ. Licet enim eas qualitates etiam cupiditas aggreget, non æque tamen; quia neque eſt adeo concitatus affectus ac ſubitus; ut re ipſa experimur, & Ariſtoteles etiam indicat *lib. 7. Ethic. cap. 6.* At ratio præterea idem ſuadet, quam antea attulimus *lib. de Ira cap. 8.* Modo ex præmiſſis canones deducamus.

## §. VNICUS.

### *Signa ſeponuntur.*

1. Sign. Rem aliquam *inſtantibus* (*e*) ac procacibus oculis inſpicere, præſentem ejus rei cupiditatem indicat, ſive res venerea, ſive cupedioſa, ſive pecuniaria fuerit. Exemplum penes Plutarchum in vita Pyrrhi Oplaci Ferentani; qui diu intentiſſimis oculis cum inſpexiſſet Pyrrhum, ipſum quoque haſta invaſit; ut invaſurum ex eo ipſo defixo obtutu conjecerat, Regique prædixerat Leonatus. Non convertitur tamen canon: ut quicunque cupit, procacibus oculis in-

ſpi-

(*a*) *Invidia.*) Elegantiſſimam hujus ægritudinis deſcriptionem, vide apud OVIDIUM *L. 2 metam.*

*Pallor in ore ſedet, macies in corpore toto &c.*

(*b*) *Ex fletu infantis.*) Curioſa ſunt, quæ APHRODISEUS in *Problem. phyſ. n. 64.* hanc in rem affert: *Infantes,* inquit, *ut primum eduntur, flent, quia ſenſus rerum atque natura veluti peregrinatur. Nam e calido mollique ipſius matricis corpore in aëra frigidum exeunt. Fortaſſe tamen & a lumine exterrentur. Non (ut quidam ajunt) quod anima cæleſtium regionum extorris, terrenum corpus inhabitet, atque ideo flere infantes cogantur.* Quibus conferri meretur elegantiſſimus locus de miſeriæ humanæ ab infantia conditione apud PLUTARCHUM *de amore parentum erga liberos T. I. Oper. p. 186.* Quem locum ſane nemo ſine aliquo vitæ melioris fructu leget, & qui imprimis turgidum multorum faſtum aliquo modo ſedabit.

(*c*) *Cupiditatis ex pulſu.*) Hic iterum videnda FRISII Diſſ. *de affectibus §. 35. p. 30.*

(*d*) *Ira pulſum.*) De hoc infra Cap. IX. pluribus agetur.

(*e*) *Inſtantibus.*) Cujuſmodi oculi & in Didone, amore Aeneæ capta, occurrunt, quod VIRGILIUS *L. IV. Aen.* ita exprimit:

*At regina gravi jamdudum ſaucia cura*
*Vulnus alit venis, & cæco carpitur igni:*
*Multa viri virtus animo, multusque recurſat*
*Gentis honos: hærent infixi pectore vultus,*
*Verbaque, nec placidam membris dat cura quietem.*



Digitized by Google

ſpiciat, atque inſtantibus. Pudor ſæpe retinet, præſertim puellas. Nam, ut dicit Ovidius de fœmina:

*Vir male diſſimulat; tectius illa cupit.*

& modeſti demum homines cohibent ſe, nec cupiditates ſuas aperte indicant.

2. Sign. Si præter oculorum inſtantiam etiam rubor in ore accendatur, argumentum intenditur cupiditatis inſpectæ rei. Ex dictis patet.

3. Sign. Si inſtantibus oculis, vel perſona, vel inſtrumentum Veneri aptum aſpiciatur, *ruborque* (*a*) præterea accendatur in ore, & labellum ſpumet, ut dicit Juvenalis, eſt præſentiſſimum libidinis ſignum. Quod ſi oculi, tum inſtantes, tum natantes ſint, confirmatur multo magis ſignum incenſæ venereæ cupiditatis. Augetur adhuc, ſi *viciſſitudo linguæ* (*b*) inter labra accedat.

4. Sign. Si oculi lubrici & natantes ſint, rubor in ore, diſcurſus vagus & varius, labrum ſpumans, in abſentia etiam objecti Venerei, cupiditatem tamen Veneream ſignificat; præſertim ſi agitatio illa linguæ inter labella acceſſerit. De qua ſupra non ſemel.

5. Sign. Ad ciborum præſentiam vel commemorationem ſalivam deglutire, argumentum cupiditatis illiusmodi ciborum.

6. Sign. Admota pulſui manu, ſi ſentiatur ad præſentiam vel commemorationem cujuspiam rei pulſus acutus magnitudine, altitudine, vehementia, celeritate, crebritate, & non appareant iracundiæ ſigna, intelligitur hominem incenſum eſſe cupiditate rei oblatæ vel memoratæ.

## CAPUT SEXTUM.

### *De ſignis amoris erga perſonam; amoris nempe concupiſcentiæ ac Venerei.*

#### §. I.

*Amor diſtinguitur.*

Ad *amorem erga perſonam* (*c*) transſeamus, qui duplex in ſuperioribus libris diſtinguebatur. Alter erat amor finis cui, adeoque amicitiæ veræ; Alter potius a quo, ſeu cauſæ effectricis utilitatis, aut voluptatis noſtræ. Amor, ex quo amatores dicimur, Italiceque *inamorati*, eſt hujus poſtremi generis; de eoque; nunc dicamus. Nam ideo amant homines amicas, quod voluptatem ex eis veneream cupiant & exſpectent.

Ferventis itaque ejusmodi amoris, ac *furioſi ferme*, (*d*) ſigna adducamus. Diſtinguere tamen primum oportet amorem, ut habitum ſignificat, utque ſignificat præſentem actum; Nam amator dicitur, non qui nunc ſolum amat, ſed qui radicato amore amavit, & amabit etiam poſt præſentem actum amoris. Rem quoque antea diſtinximus: in præſenti vero negocio confunditur uterque amor, imo verius pro amore habitu ſumitur. Ejusmodi enim amorem in Antiocho Eraſiſtratus, in muliercula Galenus detexerunt. *Ad Poſtb.* Ita ſumpti amoris ſigna adducamus, vel potius ex ſuperioribus repetamus.

#### §. II.

*Repetuntur ex ſuperioribus ſigna amoris.*

Vidimus ſupra effectus amoris, tum in animum, tum in corpus. *Lib.* 3. *de amore.* Quicunque ex illis obſervationi noſtræ patent, ſigna evadunt amoris. In corpore ergo (cum amor jam ad ſummum evaſerat) erat *macies*, (*e*) in omnibusque ejus membris, præterquam in oculis; qui quidem profundi ſunt, attamen magni, & turgidi, quoniam fit multa in ejusmodi affectu evaporatio ad caput propter ſuſpiria frequentia. Ita tum ex Avicenna *Lib. eod.* 3. *cap.* 7. diximus. *Pallor* (*f*) quoque conſequitur amorem, noctes inſomnes, inappetentia cibi, ſuſpiria, & gemitus frequentes. Ovidius, cujus etiam ſupra attulimus carmina:

*Fugerat ore color, maciesque adduxerat artus,*
*Sumebant minimos ora coacta cibos:*
*Nec ſomni faciles, & nox erat annua nobis.*

At placet rurſus ex fundamentis, ſuccincte tamen, ſigna deducere.

§. III.

(*a*) *Ruborque.*) Vide FRISII Diſſ. l. c. Ruborem hunc vivis coloribus ſiſtit VIRGILIUS *L. XII. Aeneid.*

*Accepit vocem, lacrimis, Lavinia, matris*
*Flagrantes perfuſa genas, cui plurimus ignem*
*Subjecit rubor & calefacta per ora cucurrit.*
*Indum ſanguineo veluti violaverit oſtro,*
*Si quis ebur, vel miſta rubent ubi lilia multa*
*Alba roſa: tales virgo dabat ore colores.*

(*b*) *Viciſſitudo linguæ.*) Quod Horatius L. IV. Oda I. ita exprimit:

*Cur facunda parum decoro*
*Inter verba cadit lingua ſilentio?*

(*c*) *Amorem erga perſonam.*) Huc facient, quæ in *Miſcellaneis Leibnitianis P.* I. *n.* 44. ex epiſtola quadam, magni hujus viri afferuntur: *Amoris conceptus optime hauritur ex germanico. Germani* amare *exprimunt gerne ſehen*; odiſſe *nicht gerne ſehen. Hinc amare eſt contemplatione alicujus rei delectari. Jam quanto profundior cognitio, tanto major delectatio. - - Ergo qui Deum vult ſuper omnia amare, cognoſcat ejus pulchritudinem præ aliis rebus, neceſſe eſt.*

(*d*) *Furioſi ferme.*) Qualis amor in Didone occurrit, quem graphice depingit VIRGILIUS L. *IV. Aeneid.* Qui plura de furore amoris venerei legere cupit, adeat PLUTARCHI *amatorias narrationes*, quæ lectu ſunt jucundiſſimæ. *T.* I. *Oper. p. m.* 109. Quorum & in Odis Horatianis omnia plena ſunt.

(*e*) *Macies.*) Hoc de nimio amore intelligendum, qui externa membra nimis corrumpit, ut ſæpius homines ob ſuccum nutritium deficientem, qui membra nimis contracta difficilius intrare potuit, exareſcant ac contabeſcant. Ventriculi vigor deficit, ac a nimio calore & cibo, quem externis membris male ſe habentibus ſuppeditare largius vult, quam ferre poteſt, exſiccatur, reliquaque membra conſumuntur, quibus debitus humor ac ſuccus nutritius deeſt Vide *FRISII* Diſſ. de *affectibus* §. 35. *p.* 30.

(*f*) *Pallor.*) Qualis præſumtio oriatur contra juvenes vel virgines, qui ſolitum vultus ruborem cum inſolito pallore commutant, de eo vide *SAM. STRYCKII* Diſſ. de *Phyſiognomia Cap.* 3. *T. V. Diſſ. p.* 1083.

Digitized by Google

## §. III.

*Reponuntur fundamenta.*

Repetamus ergo amorem hunc ferventem, de quo nunc dicimus in cupiditate ferventi eſſe. Cupiditas vero ejuſmodi omnis ob ſenſum egeſtatis boni ferventer expetiti dolorem, punctionemque experitur inſignem. Cui dolori tamen admiſcetur voluptas paſſiva ex objecto amato, pro bonoque apprehenſo. Quod, ſi ſpes potiundi adſit, multo major voluptas immiſcetur. At rurſus tamen, qui potitus eſt, vel potiundo imminet, timore angitur, ne cadat a gratia amati, neve alius intrudatur, quæ eſt Zelotypia. Ut ſpes potiundi ſævo timoris, ac Zelotypiæ morſu interim laceretur. Quod ſi cupiditas ſpe deſtituatur, tum tenuis voluptas, quæ ex objecti oblatione naſcitur, multa mœroris mole opprimitur. Fit ex his, ut amor habitu melle & felle redundet, quod antea diximus. Utque apparet, ſemper vel ut plurimum fel exſuperat. Cum triſtitia ergo, & mœror abundat, macies corporis conſequitur. Triſtitia enim exſiccat oſſa. Cum inflammat cupiditas, effectus cupiditatis patitur, quos proxime diximus: Præſertim vero, ſi ſpes videndæ aut potiundæ amicæ jungatur, nullis retinetur aut temporum, aut itineris impedimentis, quin ſubito advolet. Mare ſæviens procellis non retinuit Leandrum, quo minus Heram adiret. Interdum voluptate geſtit, ſi ſpes potiundæ brevi amicæ adſit, vel & maxime ſi potiatur. Pro divinitate enim id reputat Propertius. *Lib.* 2.

*Si dabit hac multas, fiam immortalis in illis.*
*Nocte una quivis vel Deus eſſe poteſt.*

Tum ergo voluptatis effectus patitur, at quos ſtatim ſuccedens timor ac *Zelotypia* (*a*) permutet ac perturbet. At cum nulla ſpe videndæ aut potiundæ amatæ excitatur, tum ſeſe ejus cogitatione inani paſcit; idque præſertim, cum ad ecſtaſin patiendam devenit, vel prope accedit. Tum vero *ſolitudinem quærit*, (*b*) ut minus ab ea cogitatione prohibeatur, in eaq; plerumque multum temporis detinetur. Seſe ergo oblectat ea meditatione amator; at cum ab ecſtaſi experrectus, tam ſuavi, tam amata re carere ſe intelligit, tum in ſuſpiria, lachrymas, & fletus erumpit: inde cavitas oculorum & magnitudo oritur.

Ex hac itaque ſerie inordinata affectuum fit, ut amator nulli certæ periodo ſignorum ſubjiciatur, ſed variæ omnino & incertæ; præſtet tamen tempore ac duratione, ſæpe etiam intentione, triſtitia, atque triſtitiæ ſigna. Qui ergo tribuunt *amori pulſum*, (*c*) qualis triſtitiæ convenit, ſi intelligunt, ut plurimum eſſe talem, recte dicunt: at ſi ſemper, male. Cum enim in profunda ecſtaticaque cogitatione detinentur, pulſus eſt contractus, qualis cogitabundorum, & contemplantium: cum exardet cupiditas magnus & altus &c. Cum timor opprimit longe diverſus. Ad præſentiam vero amatæ perſonæ varii ſimul affectus inſurgunt: cupiditas, pudor, & reverentia, & ceu ſtupor quidam, ſpes, timor, pro aſpectu amicæ, ut benigna fuerit, vel aſpera. Unde pulſus tum quoque nulla certa periodo ac modo procedit. Id ſolum eſt illi perpetuum, ut ad ſubitum adventum (tumque præſertim) vel ſubitam commemorationem amatæ perſonæ vehementer alteretur. Ut de Antiocho dicitur ſub cura Eraſiſtrati ad Stratonicæ adventum; *Ad Poſth. de præcogn. c.* 6. &. Galenus aſſerit de muliere, quam ipſe curabat ad commemorationem Pyladis. Loquuntur etiam libenter de amata re amatores, ut ſæpius de aliqua perſona loqui, indicium ſit amoris in illam. Qui tecte amant ſpecie averſantis nominant, ut amoris ſuſpicionem vitent, & interim de grata materia ac perſona loquantur.

## §. IV.

*Signa ſeponuntur.*

1. Sign. Si quem cogitabundum obſervemus, ac in ea cogitatione licet defixum, attamen non mœſtum aſpiciamus, verum cum excitatur, in ſuſpiria erumpat, multo magis ſi erumpat in lachrymas & fletus; argumentum id reputemus ac ſignum amoris æſtuoſi ac confirmati. Multo evidentius ſignum eſt, ſi inter cogitandum aliquis lætitiæ radius effulgeat. Ratio pendet ex dictis. Nam dum amator amatam defixe cogitat, voluptatem ex ea re capit, at intimam & reconditam, ut non erumpat facile. Attamen eouſque poteſt permovere animum, ut aliquid ejus ex ore vel ex oculis ſubluceat. At cum expergiſcitur ex cogitatione amator, tum falſam agnoſcens, quam ſibi prius repræſentaverat amatæ præſentiam, in ſuſpiria & lachrymas procedit, inſtar ſomniantium divitias ac felicitatem, qui experrecti vacuos ſe ab omni bono inveniunt & ingemiſcunt. Paulus Ægineta, amantibus tribuit oculos concavos, qui non illachrymant, ſed tanquam voluptate pleni apparent *lib.* 3. *cap.* 17.

Annot. Difficile eſt diſtinguere habitum vultus cogitabundi, læti interiore & obducta lætitia, atque cogitabundi, mœſti interiore mœſtitia. Uterque enim vultus eſt obductus. Attamen diſtingui poteſt. Ille enim vultus ſerenitatem aliquam, licet abditam, præ ſe fert, interdumque ali-

(*a*) *Zelotypia.*) PLUTARCHUS lib. de *profectu morum. T. I. Oper. p.* 73. *Neque*, inquit, *amor ille venereus verus eſt & alicujus momenti, ſine Zelotypia.* De infelici Zelotypiæ exitu de Aemilio quodam & ejus uxore, vide eund. PLUTARCH. in *Parallel. p.* 38.

(*b*) *Solitudinem quærit.*) Hoc exemplum Didonis iterum illuſtrabit, de qua VIRGIL. *L.* 4. *Aen.* canit:

*Sola domo mœret vacua, ſtratiſque relictis*
*Incubat: illum abſens abſentem auditque videtque,*
*Aut gremio Aſcanium, genitoris imagine captus,*
*Detinet, infandum ſi fallere poſſit amorem.*

Similia de Corydone, Alexis amore capto, VIRGILIUS in *Ecloga* 2. refert:

*Tantum inter denſas, umbroſa cacumina, fagos*
*Aſſidue veniebat: ibi hæc incondita ſolus*
*Montibus & ſilvis ſtudio jactabat inani:*
*O crudelis Alexi, nihil mea carmina curas,*
*Nil noſtri miſerere; mori me denique coges.*

(*c*) *Amori pulſum.*) Vide FRISIUM Diſſ. *de affectibus* §. 35.



Digitized by Google

aliquos ceu radios lætitiæ aperit, (hoc tamen non ſemper) hic autem tetricam contractionem continet, & depreſſiorem obductionem. Quoad uſum autem, ab obſervatione frequenti ſolum poteſt acquiri prudentia agnoſcendarum ejusmodi differentiarum.

2. Sign. Si miſceri in quopiam intelligamus *ſuſpiria* (*a*) & lætitiam, credendum eſt ipſum amore cujuſpiam teneri & affici.

Aſſerit hoc Marſilius Ficinus in *Conviv. Platon. c.* 6. *orat.* 2. Verba ſunt: *Amore illaqueati viciſſim ſuſpirant, & gaudent.* Pendet vero ex dictis. Nam amor melle, & felle fœcundior eſt.

Annot. Cum amor jam deſperatione abundat, adeoque mœſtitia, non amplius gaudio fovetur, niſi ecſtatica conſideratione, ac commentatione amati objecti. Non eſt viciſſitudo poſt ſuſpiria gaudii. Talis fuit Rotolandi penes Areoſtum habitus poſt agnitum Angelicæ ac Medori amorem. Non ergo ſignum convertitur. Scilicet non omnis qui amat, viciſſim ſuſpirat & gaudet. Sed num omnis qui viciſſim ſuſpirat & gaudet, eſt amator? Et non videtur; nam quicunque inter ſpem ac metum degit, verſatur pariter inter lætitiam & mœſtitiam; unde viciſſim lætari, & ſuſpirare poteſt. Dicendum eſt ergo, non eſſe veram in univerſum propoſitionem: qui viciſſim ſuſpirat & gaudet, eſt amator; ut ſit ſignum hoc commune, non τεκμήριον. Eget idcirco aliis adminiculis ad certiorem conjecturam.

3. Sign. Frequens mentio alicujus perſonæ, quîcum nullum ſit negocium, ex quo naſcatur occaſio frequentis commemorationis, probabile eſt ſignum amoris.

Dico probabile. Nam etiam odium poteſt eſſe cauſa commemorationis frequentis perſonæ exoſæ ad ultionis ſpem, vel perditionis ejus. Sæpe etiam ob timorem. Quocirca Nero, poſtquam deſcivit Vindex, ſæpe illud inculcabat: *ſi per Vindicem licebit*:

Augetur & roboratur ſignum, ſi odium nullum ſubeſſe, aut iram, aut timorem, conjiciatur.

At confirmatur adhuc magis, ſi ſuſpiria viciſſim & lætitia commiſceantur. Tum enim certum evadit timoris ſignum etiamſi tecte mentionem faciat. Nam interdum, quos pudet memorare perſonam, memorant exercitia ejus, ut hominis ita ſibi obverſetur, clam aliis, ſimulachrum. Ita penes Euripidem in Hippolyto, Phœdra venatum & equeſtrem exercitationem loquebatur, ut ſibi referret Hippolytum.

*Mitte me in montem: abeo ad ſylvam.*
*Et ad pinus, ubi fericidæ*
*Canes luſtrant,*
*Variis cervis appropinquantes.*
*Per Deos cupio canes infremere.* Et,
*Præſes Sancta o Diana Limnæ,*
*Et Gymnaſiorum pulſatorum ab aquis,*
*Utinam eſſem in ſua area,*
*Equos venetos domans.*

Vel in mentione odium ſimuletur. Quippiam tale eſt penes Ovidium dum Cypaſſim ancillam Corinnæ re ipſa [*Lib.* 2. *de amorib. eleg.* 8. amat, at dicto ſpernit & abhorret. *Eleg.* 7.:

*Dii melius, quam ſic mihi ſit peccaſſe libido;*
*Sordida contemptæ ſortis amica juvet.*
*Quis Veneris famulæ connubia libet inire,*
*Tergaque complecti verbere ſecta velit?*

4. Sign. *Inordinatus vitæ habitus*, (*b*) ut modo ſcilicet ſit lætus, modo abſque apparente cauſa mœſtus; modo immotus, modo inquies, modo audax, modo timidus, modo pudibundus, erga ſcilicet peculiarem perſonam, modo impudens erga alios, amoris incenſionem ſignificat.

Patet ex dictis. At ſignum evidentius redditur, ſi homo ſuapte natura non inconſtans in ejusmodi inconſtantiam tranſeat atque inordinationem. Penes Euripidem in eodem loco Phœdra non eundem corporis ſitum retinebat nec habitum: & modo detegere ſibi caput, modo operire famulabus jubebat.

5. Sign. Si admota manu pulſui, cujuſpiam ſentiamus pulſum ſub adventum alicujus perſonæ vehementer alterari, ac inordinate, idque non ſemel obſervemus, idemque accidat ad ejusdem perſonæ factam commemorationem; credendum eſt, hominem, cujus pulſus alteratur, amore teneri perſonæ, quæ accedit, vel cujus mentio incidit.

Era-

(*a*) *Suſpiria.*) *FRISIUS* l. c. putat, ſuſpiria ferme nunquam ab amore edi, niſi cum triſtitia juncta ſit. Conf. APHRODISEUM in *problem. phyſic. n.* 21.

(*b*) *Inordinatus vitæ habitus.*) Plutarchus in Demetrio narrat, Eraſiſtratum medicum ex his amoris affectibus & indiciis non ſolum collegiſſe ac deprehendiſſe Antiochi morbum, qui ex amore natus erat; ſed etiam cujus amore captus eſſet, cognoviſſe. PLUTARCHI verba ſunt hæc latine reddita: *Stratonica autem* (hæc erat Antiochi noverca, quam ille amabat) *& ſola & cum Seleuco ſæpe ad Antiochum eunte, exiſtebant in eo omnia illa, quæ Sappho ponit, amoris indicia: vocis compreſſio & hæſitantia linguæ; rubor igneus, oculi in terram defixi, ſudores acres & celeres, inæqualitas & perturbatio in pulſibus, ad extremum animo oppreſſo & ſuccumbente, conſilii inopia & ſtupor & pallor.* Simile illud eſt Simethæ apud THEOCRITUM, Daphnidis amore captæ, ejusque aſpectu perturbatæ & perculſæ, quorum verſuum hæc fere eſt ſententia: *Tota quidem nive frigidior effecta ſum; ex fronte autem ſudor multus manabat, roris auſtralis inſtar. Neque quicquam eloqui, imo ne vocem quidem emittere poteram, ne tantam quidem, quantam pueri dormientes ad matrem optatam, quaſi gannientes, edere ſolent: ſed obrigui toto corpore & congelavi, ut glacies.* LUCIANUS quoque in eo dialogo, qui ζεὺς τραγῳδὸς inſcribitur, & APOLLONIUS *L.* 3. *argon.* de Medea, nec non AUL. GELLIUS *Lib.* 19. *c.* 9. ex Valerio Aedituo, veteri poeta, ſimilia referunt.

Digitized by Google

Eraſiſtratus hoc modo amorem Antiochi deprehendiſſe dicitur, & Galenus aſſerit, ſe deprehendiſſe amorem mulierculæ quam inviſebat, cujus hiſtoria infra in praxi reponetur.

§. V.

*Cum amor jam apertior eſt.*

At interdum amor non tegitur, ſed palam aperitur, vel aſpectu cupido & inſtante, vel voci confeſſione ac proteſtatione. Tum itaque ſolum, aut deſpiciendum, num ſubſit fictio, aut gradus amoris inquirendus. Quorum primum ex ſuperioribus regulis deprehendetur, ſecundum ex ſignis nunc traditis, pro intenſione eorum atque aggregatione.

# CAPUT SEPTIMUM.

## *De ſignis amoris erga perſonam; ut finem cui, ſive amoris amicitiæ.*

Amor amicitiæ, (a) licet ipſe quoque affectus ſit (in partem enim ſentientem refunditur) attamen, cum præſertim in appetitu rationis voluntateque reſideat, ideo indago ejuſmodi amoris, ut in parte ſentiente non æque eminentis, potius ad morum indaginem redigi debet, ex ejuſque procedere principiis, quam vel ad indaginem affectuum, exque principiis hujus. Id autem præcipuum in amore amicitiæ videtur, ut eum nemo diſſimulet. Unde contra ſimulationem potius, quam contra diſſimulationem præmunire inquiſitionem & indaginem oportet. Procedendum nempe eſt ex conſideratione actionum, quæ amicitiæ veræ conveniunt. Eæ ſi abſint, intelligemus, amorem amicitiæ non adeſſe. Si adſint autem, diſpiciendum eſt, num omnis abſit fictio ac ſimulatio. Ea enim niſi ſuberit, verum amicitiæ amorem ineſſe, credi jure merito poterit. Ad excludendum verum amicitiæ amorem ſatis erit; ſi cauſa turpis amorem conglutinaverit. Non enim turpi fundamento, adeoque inſtabili poteſt ſolida amicitiæ honeſtas ſuperſtrui. Qua ratione adductus Ariſtoteles, ſolam amicitiam honeſtam permanere pronunciavit, eo quod virtus, cui innititur, ſtabilis eſt. *Lib.* 8. *Ethic. cap.* 3.

# CAPUT OCTAVUM.

## *De ſignis odii.*

§. I.

*Non eadem methodo odium omne indagari.*

Exponamus nunc odii ſigna; tum ut cupiditati opponitur, tum ut amori erga perſonas adverſatur. Odium perſonarum confirmatum *occultiſſimum eſt*, (b) ut & ipſum potius indagine morum, quam indagine affectuum ſit inquirendum. Odium abominationis dictum, ſcilicet cupiditati contrarium, & odium perſonarum recens, evidentior cum ſit affectus, inquiſitione affectuum inquiri poteſt ac debet.

§. II.

*Odii ſignum ex aſpectu primum.*

*Averſio aſpectus* (c) ſignum eſt odii. Ita penes Euripidem Hecuba non ſuſtinebat aſpicere Polymneſtorem; excuſabat vero, falſa ſcilicet, ne id ipſe odio tribueret.

*Neque queam intueri te rectis oculis,*
*Sed hoc ipſum ne malevolentiam exiſtimes tui.*

Et Virgilius de Didone in inferno Æneam peroſa.

*Illa ſolo affixos oculos averſa tenebat.*

Annot. Non eſt ſignum convertibile tamen; nam & pudor, & timor urgentes ab aſpiciendo avertunt. Verum ſi pudorem & timorem non ineſſe conjiciamus, qui affectus evidentiores ſunt, tum ex eo ſigno odium arguere licebit.

§. III.

*Signum ex aſpectu ſecundum.*

Aſpectus retractus ſignum eſt odii, ſaltem offenſionis; cum nempe neceſſe eſt aſpicere, neque licet avertere oculos. Eo aſpectu patibulum jam præſens reſpiciunt damnati, non inſtante ſcilicet & procaci, ſed (uti voco ipſe) retracto.

Annot. Non tamen convertitur ſignum, cum & timor, ac pudor, ac reverentia aſpectum ejuſmodi poſſint efficere; ut antea diximus. Si ergo argumenta habeamus excludendi ejuſmodi alios effectus, odium poteſt ex eo aſpectu inferri.

§. IV.

*Signum ex aſpectu tertium.*

*Aſpectus torvus* (d) ſignum eſt odii. Virgilius de Didone adverſus Æneam.

*Talibus Æneas ardentem & torva tuentem.*

Annot. Torvus aſpectus ſignum eſt vel odii, vel iræ. At in ira aſpectus torvitas, cum majore

(a) *Amor amicitiæ.*) Hic ablego B. L. ad PLUTARCHUM lib. *de diſcrimine adulatoris & amici*, & *ad Lælium* CICERONIS.

(b) *Occultiſſimum eſt.*) Ita legimus apud CORNELIUM in *vita Datamis* ſequentia: *Mithridates, ne quam ſuſpicionem Datami praberet inſidiarum, neque colloquium ejus petivit neque in conſpectum venire ſtuduit. Sic abſens amicitiam gerebat, ut non beneficiis mutuis, ſed odio communi, quod erga Regem ſuſceperant, contineri viderentur.* Conf. SENAULTUM l. c. *de l'uſage des paſſions*: & librum PLUTARCHI *de odio & invidia.*

(c) *Averſio aſpectus.*) Vide *FRISII* Diſſ. l. c. § 36.

(d) *Aſpectus torvus.*) Nares & alia mox attolluntur, mox extenduntur, prout ſpiritus vel revocantur, vel ad priſtinas ſedes redeunt, aut impetunt, repetunt ad ingratum depellendum. Oculi præſertim iſtam animi fugam oſtendunt, qui ſeſe avertunt ac malum intueri recuſant.

Digitized by Google

re corporis commotione, & alteratione conjungitur, quam in odio. Ut utrius affectus ſit ſignum, non difficile ſit dignoſcere.

### §. V.

*Signum quartum ex dictis.*

Maledicta, detractionesque præterea etiam dicta minacia odium indicant, vel iram. Si ex impetu nempe, iram; ſi ſedate, odium ſignificant. Sed ſuadere etiam cuipiam ſermone, ut alium perimat vel lædat, eſt odii ſignum.

*Erat Numani in Teucros odii ſignum cum illis maledicebat*
*O vere Phrygiæ, neque enim Phryges.*

Minacia Pandari dicta odium in Turnum præ ſe ferebant;

*Caſtra inimica vides, nulla hinc exire poteſtas.*

Cum Sejanus ea in Aggrippinam, & Neronem, ac Druſum ſerebat, quibus demum exarſit in eorum cædes Tiberius, erat id penitiſſimi odii ſignum.

Significant vero odium, cum ſedate dicuntur: iram cum ex animi impetu.

### §. VI.

*Signum quintum ex factis.*

Facta contra dignitatem, aut utilitatem, aut ſalutem cujuſpiam, odium in illum ſignificant, aut iram. Si ſubito nempe, & ex impetu, iram monſtrant; ſi ſedate & meditato, odium.

Annot. Oportet tamen fictionem præcavere. Nam interdum aliqui ſimulant odium & inimicitiam in quempiam, ut alium, qui illum vere oderit, ſibi obnoxium reddant. Latiaris *pen. Tacit.* dum amorem in Germanici domum, odium in Sejanum ſimularet. Tit. Sabinum pervertit. Dum Syrus, alia licet de cauſa, odium vel iram ſimulans in Cteſiphonem, decepit Demeam *in Adelph.*

*- - Non puduiſſe verberare hominem ſenem,*
*Quem ego modo puerum tantillum in manibus geſtavi meis.*

Ex regulis itaque ſuperioribus fictio eſt detegenda, vel ad id ſaltem annitendum.

## CAPUT NONUM.

### *De ſignis Iræ.*

*Signa iræ* (*a*) jam cum ſignis odii conjunximus. Suntque hæc ſemper manifeſtiora illis. Non eſt itaque cur in his prolixiores ſimus. Noto, quæ de pulſu ſcribit Galenus.

Dicit ergo, iræ pulſum eſſe altum, magnum, vehementem, celerem, crebrum. Quæ congruunt illis etiam, quæ nos antea de ira ſcripſimus lib. de Ira cap. 19. ubi etiam vidimus rubeſcere corpus, ſpirationem vehementem reddi, tremere labium inferius, & quibusdam totum corpus. At nonnulli ſunt, qui pallent. Sermonem quoque parum explanatis vocibus præruptum; interdum etiam ſilentium ſequi intelleximus. Alios præterea iræ effectus, nec non & cauſam ipſorum ex eodem loco petere poteſt lector, brevitatis cauſa; cum præſertim potiora nunc ſigna attulerimus.

## CAPUT DECIMUM.

### *De ſignis Timoris.*

### §. I.

*Qui timoris effectus ſint ejus ſigna.*

Ad timoris ſigna tranſeamus. Hujus perturbationis effectus in corpus antea retulimus in *lib. de timore c.* 31. 32. qui præſertim ſigna ejusdem evadunt. Effectus etiam in animam ſentientem ſigna eſſe poſſunt timoris, etſi multo minus conſpicua quam qui in corpus cadunt. Erant ergo tum effectus, nunc ſigna.

### §. II.

*Signa ex tremore, & perfrigeratione corporis.*

1. Sign. *Tremor* (*b*) labii inferioris, & reliqui corporis.

*- - Gelidusque per ima cucurrit*
*Oſſa tremor*

Præcipuum autem eſt ſignum timoris, cum *genua labant*, ut dicit Virgilius. Nam tremor inferioris labii, & reliqui corporis eſt ſignum commune etiam iræ; & dentium crepitus ſignum timoris manifeſtarium eſt.

2. Sign.

---

(*a*) *Signa iræ.*) Hic iterum videndus SENAULT de *l'uſage des paſſions P. V. diſc.* 1. & 2. *p.* 445. *ſq.* & FRISIUS Diſſ. *de affectibus* §. 40. qui elegantiſſimus eſt. De quæſtione, an ſapiens iraſcatur? vide A. GELLIUM *noct. attic. Lib.* I. *c.* 26. & SENECAM de *ira*, ex quo potiora iræ ſigna *Lib.* I *Cap.* 1. comprehenſa, adſcribere lubet: *Iraſcentium*, inquit, *eadem ſigna ſunt, flagrant & micant oculi, multus ore toto rubor, exæſtuante ab imis præcordiis ſanguine, labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent ac ſubriguntur capilli, ſpiritus coactus ac ſtridens, articulorum ſe ipſos torquentium ſonus, gemitus mugitusque & parum explanatis vocibus ſermo præruptus, & comploſa ſæpius manus, & totum concitum corpus, magnasque minas agens.*

(*b*) *Tremor.*) De hoc APHRODISEUS *in problem. phyſ.* ita dicit: *Timentes tremunt, quoniam animalis virtus conſenſu naturæ nervos deſtituit, quos prius ſervabat: ii vero corporis partes tremoris expertes ferunt. Hinc fit, ut & venter iis ſolvatur, & mingant de improviſo. Nam qui muſculi excrementorum meatus obſtruunt, nunc imbecilles facti, ſupervacanea remittunt.*

2. Sign. Sunt item ſigna: Corporis refrigeratio, & rigor pallorque, interdumque arrectæ, comæ. Quæ Poëtæ quoque agnoverunt.

— — *Diriguere metu.* Et *Lucanus*
— *Concrevit frigore ſanguis.* Et *Virgilius*
*Illi membra novus ſolvit formidine ſanguis,*
*Arrectæque horrore coma.*

Galenus, ut vidimus, omnia conjungit. *Sub eo & color abit, & perfrigerantur, & rigent, tremuntque ac pulſu ſunt parvo. Lib. 2. de cauſ. Sympt. cap. 5.*

§. III.

*Signa ex voce.*

3. Sign. Tremor vocis, interdum vero & ſuppreſſio ſignum timoris eſt. De tremore vocis egimus ſupra. De ſuppreſſione eſt illud Virgilii.

*Arrectæque horrore comæ, & vox faucibus hæſit.*

Sunt autem in voce ob timorem tres gradus alterationis.

1. Tremor. 2. Oratio non ſeſe explicans. 3. Oratio ſuppreſſa. Secundus gradus eſt, quem deſcribit Apulejus in ſceleſto ſervo, quem Medicus in concione veneficii attentati accuſabat. *Trepidans enim is ad indicia vehementia, ore ſemiclauſo, balbutiens, neſcio quas affanias* (Apulejus dicit) *effutiebat.* At oratio ſuppreſſa eſt poſtremus gradus timoris. Cum perfrigeratione enim vehementi vocalis virtus concidit, ſeu cum principium vocem efficiens perfrigeratum emarcuit, vocem tum nullam poteſt reddere.

§. IV.

*Signa ex pulſu, & ex cordis ſaltu.*

4. Sign. *Pulſus parvus* (*a*) & depreſſus immo minimus, & maxime imbecillus, ut ex Galeno proxime diximus, & nunc quoque. Ratio vero patet ex jactis principiis; cum cordis calor ferme exſolvatur, corque ipſum flacceſcat & concidat.

5. Sign. *Palpitatio cordis magna* (*b*) (non morboſa ſcilicet) timoris eſt ſignum præſentiſſimum. Scitum illud Plauti de Tyndaro cum ob indicium Ariſtophontis jam fallacia ejus detecta ferme eſſet:

*Quin quieſce decretum cor meum, & ſuſpende te.*
*Tu ſuſſultas, ego miſer vix aſto præ formidine.*

Diximus *lib. de timore cap.* 10. de hoc cordis motu, ejusque cauſam attulimus.

6. Sign. Timor interdum & *excrementa ejicit,* (*c*) ut antea diximus, cauſamque ex Ariſtotele attulimus *lib. de timore cap.* 32.

§. V.

*Signa ex aſpectu, & vultu.*

In magno timore ſtupet vultus, ſtupentque oculi. Nempe, retractus eſt aſpectus & defixus. Virgilius de Androgeo, cum ſenſit ſe in medios Trojanos delapſum.

*Obſtupuit retroque pedem cum voce repreſſit.*

Vulgo nos dicimus, quempiam habere oculos exterritos; cum ſcilicet ſtupentis inſtar eos defixos alicubi tenet, ac retractos.

## CAPUT UNDECIMUM.

### *De pudoris ſignis.*

Timoris ſigna percurrimus; erat tamen is timor mali naturæ, quem timorem ſimpliciter dicimus. Reſtat timor infamiæ, ſcilicet *Pudor*: (*d*) cujus ſigna ſunt; *erubeſcere* (*e*) ore, oculorum demiſſio. Virgilius de Didone,

*Tum breviter Dido, vultum demiſſa, profatur.*

Vocem orationemque perturbari ac impediri. Ita plerunque adeuntes Principes ac Poteſtates ſummas vox deſtituit: ſaltem oratio illis deficit, antea præmeditata. Multa ſunt exempla eorum, qui hanc ob cauſam defecerunt in dicendo.

CAP.

(*a*) *Pulſus parvus.*) Vide FRISII eruditam Diſſ. §. 39. p. 32. ſq.

(*b*) *Palpitatio.*) Licet autem cor ſubinde novas vires repetat, & ſæpius iterato conatu in priſtinum ſe ſtatum aſſerere tentet, nihil tamen efficere poteſt quam ut motus ſanguinis eo inæqualior reddatur, majorque virium ſe quatur jactura. Nonnullos proindè metu exſtinctos legimus, cum ſcilicet inſitus vivificusque calor, qui propter cor gignitur, ſuffocatus eſt. Hac enim ipſa ratione & oleum, cum plurimum ac ſubito in lucernæ flammam inditur, eam exſtinguit. Habet autem ſanguis, qui eſt in corde, proportionem ad lucernæ flammam. Vide APHRODISEUM *in problem. phyſ. n.* 16.

(*c*) *Excrementa.*) De hoc timoris effectu vide PLUTARCHUM in lib. *de cauſis naturalibus T. I. p.* 265. Antequam ab hoc Capite diſcedamus, moneo adhuc, ARISTOTELEM in *Rhetoricis* timori adſcribere conſultationis cauſſam, conſultationem vero ſapientiæ. At SALLUSTIUS in *bello Iugurthino* conſilium ex providentia timorem parere teſtatur: *At ſane*, inquit, *quod difficillimum imprimis eſt, in proelio ſtrenuus erat Ingurtha & bonus conſilio: quorum alterum ex providentia timorem, alterum ex audacia temeritatem plerumque afferre ſolet.*

(*d*) *Pudor.*) De hoc HOBBESIUS in *Leviathane* Cap. VI. ita judicat: *Dolor, ille qui oritur ab eo, quod in decorum aliquod noſtrum admiſſum putamus, Pudor dicitur, oſtenditurque per erubeſcentiam. Paſſio hæc in adoleſcentibus laudatur, ut ſignum cupientis nihil facere, niſi quod ſit laudabile. In ſenibus non laudatur, propterea quod minus digni ſunt venia ſenes.*

(*e*) *Erubeſcere.*) Vide APHRODISEVM *in problem. phyſicis* n. 15. Ruborem tamen hunc bonæ indolis ſignum eſſe conſtat. Unde Timotheus Græcos in Perſia adhortatus: *Veneramini pudorem, virtuti bellica ſuppetias afferentem.* PLVTARCH. lib. *de audienda poëtica T. I. Oper. p.* 168. Conf. BALTH. CASTILIONEM *in aulico Lib. III. p.* 238. *ſq.*

# CAPVT DVODECIMVM

## *De ſpe, ſeu ſpei ſignis.*

### §. I.

*Signa ſpei per ſe ſumptæ.*

Spes, ſi per ſe ipſam conſideretur, *non admodum evidentia* (*a*) ſigna ac erumpentia obtinet. Cum enim in tenore contineat ipſa tantum animum & ſenſorium, exteriores proinde partes, ut aſpectus & color immoti permanent. Quem habitum, expreſſit in Mezentio Virgilius Æneam operiente.

*— — Manet imperterritus ille,*
*Hoſtem magnanimum operiens; & mole ſua ſtat;*
*Atque oculis ſpatium emenſus.* &c.

Hic eſt tenor, ac animorum ſtabilitas, quam in viro forti deſcribit Plato *in 6. de Juſto*; ut ſupra memoravimus. *In lib, de fortit. cap.* 7. Cum itaque erga bonum operoſum & difficile perſtare hominem in tono videmus tum aſpectus, tum vocis, ſpem in eo vigere agnoſcimus; & cum adverſus malum imminens eandem retinet conſtantiam, ſpem tum quoque in eo arguimus, quam tamen peculiari nomine dicimus *Audaciam.* (*b*) Sit ergo ſumma.

Conſtantia, aſpectus, & vocis, & orationis, caloris quoque, erga bonum operoſum ac difficile; item adverſus malum imminens, ſignum eſt ſpei; quam, cum adverſus malum imminens eſt, audaciam peculiari nomine dicimus.

### §. II.

*Signa ejusdem affectus, cum deſiderium iræ adjungitur.*

At cum ſpei adverſus bonum *deſiderium* (*c*) jungitur, tum fervor & acumen cupiditatis ſignorumque ejus ſupervenit, atque adjungitur conſtantiæ ſignorum ſpei. Quam conſtantiam & idcirco alterat, in ſuaſque partes aliquo modo trahit. Nempe ſigna cupiditatis adſunt, ſed explicatiora & lætiora. Ut ſpes voluptatem affert, in lætitiaque animum continet. Cum vero audaciæ, deſiderium pugnæ adjungitur atque invaſionis motus, etiam ſigna iræ illi plus minusve anectuntur, quæ ex *lib. de Spe ſupra c.* 9. *in ſolutione* 2. *dubitationis* patent. Sunt vero ſigna iræ & cupiditatis pugnæ tum lætiora & alacriora: nam ſpes ſemper voluptatem adhibet.

# CAPUT DECIMUM TERTIUM.

## *Cum plures affectus, eorumque ſigna concurrunt.*

Hæc itaque diximus, ſua cuique affectui per ſe ac ſeorſum ſigna tribuentes. At, nunc id in mentem revocamus, quod antea docuimus, *plures eodem tempore* (*d*) affectus plerunque occupare animum. Qua ratione, & quomodo id fiat, antea diſtinximus. 3. *part. lib.* 4. *cap.* 5. Sunt vero affectus aliqui plurimum connexi, v. g. *timori dolor*, (*e*) nedum ille paſſivus ac præcedens, ſed vitalis. Nam ſæpe qui timet præoccupans malum, quaſi illud acciderit, ſi repræſentat, & mira viciſſitudine doloris & timoris torquentur. Spes deſiderio, & audacia iræ ac deſiderio pugnandi junguntur: & demum alii affectus inter ſe connexi, quorum aliquos memoramus etiam infra c. ſeq. §. 2.

Sed ex objectorum occurſu etiam contrarii affectus interdum ſimul animum agitant. Interdum vero actio phyſica affectum in intimas corporis partes alios affectus gignit. Nempe timor ſæpe in ventriculum melancholicum ſuccum ex liene refundit, qui gravat eam ſenſiliſſimam partem; dolor itaque corporeus gravativus (ut vocant aliqui Medici) gignitur, ex quo in primo ſenſorio affectus doloris ac triſtitiæ excitatur. Pariter dum ex dolore lacrymæ cientur, vapor tum abſumitur, qui prægravabat interiores partes (is enim in lachrymas vertitur) at eæ partes levatæ voluptatem corpoream percipiunt, & interiorem in primo ſenſorio excitant.

Cum tot ergo de cauſis plures interdum affectus ſimul animum occupent, ſigna quoque affectuum non pura, ſed permiſta occurrunt. Aliquando autem illa confunduntur; aliquando mira velocitate ſe ſubinde excipiunt. In ſervo illo Apuleji venenario, de quo proxime diximus, priora illa ſigna timorem repræſentant purum ſcilicet. *Et invicem humani coloris ſuccedit pallor infernus, perque univerſa membra frigidus ſudor emanabat.* At, quæ ſequuntur mixtum timori deſiderium ſeſe defendendi, & aliquem ſpei gradum, qui poſtea invaluit, monſtrant, *Tunc pedes incertis alternationibus commovere; modo hanc, modo illam partem ſcalpere capitis, & ore ſemiclauſò*

(*a*) *Non admodum evidentia.*) Motus, qui in ſpe paulo eſt celerior & tamen æqualis, calorem aliquem excitat in pectore, ſed gratum, qui leviter afficit pectus, in remotioribus autem partibus adeo exilis eſt, ut paulum ſentiatur. Ejusmodi motum interiorem a ſpe profectum VIRGILIVS L. I. tribuit Aeneæ, cum primum Didonem vidiſſet:
*Tacitum pertentant gaudia pectus.*

(*b*) *Audaciam.*) Hæc juxta SPEVSIPPVM eſt ſecuritas, qua quis malum neque futurum, neque præſens horreſcit. Quo morbo qui laborat, in quanta pericula incurrat, copioſe exponit PONTANVS *L. I. cap.* 16. *de heroica fortitudine.*

(*c*) *Deſiderium.*) Conf. Joh. FRISII Diſſ. *de affectibus* §. 38. *p.* 32. & SENAVLT de *l' uſage des paſſions Traite III. diſc. I. p.* 340. *ſq.*

(*d*) *Plures eodem tempore.*) Concurſus variorum affectuum apparet in ſervo illo apud A. GELLIVM *L.* 2. *cap.* 23. *noct. attic.* *Cum pro foribus*, inquit, *domus ſtaret, gemitumque & ploratum audit puella in puerperio enitentis; timet, iraſcitur, ſuſpicatur, miſeretur, dolet. Hi omnes motus ejus affectionesque animi.*

(*e*) *Timori dolor.*) PLVTARCHVS in *libro de odio & invidia* timori odium affine eſſe dicit, rem ſimili illuſtrans. *Credibile eſt*, inquit, *maximum illud, tam leonis in gallum, quam elephanti in aprum odium, ex timore natum eſſe. Quod enim timent, facile oderunt omnes.* De quo CICERO *L. I. Offic. Cap. VII.* ita philoſophatur: *Illæ quidem injuriæ, quæ nocendi cauſſa de induſtria inferuntur, ſæpe a metu proficiſcuntur, cum is, qui nocere alteri cogitat, timet, ne niſi id fecerit, ipſe aliquo afficiatur incommodo.* De pluribus conjunctis affectibus vide WEDELIVM *in phyſiol. medica ſect.* 4. *Cap.* 9. §. 7. *p.* 307.

Digitized by Google

clauſa balbutiens, neſcio quas affanias effutire. At demum ſigna ſpei, & audaciæ jam provectæ pura emergunt. Conſtantiſſime negare, & accerſere mendacii Medicum non deſinit. Neque ego in Apulejo veritatem hiſtoriæ, ſed veriſimilitudinem commenti conſidero. Dum amatores & ardere ſe & algere ſentiunt viciſſitudinem cupiditatis, ex qua ardent, & timoris, ex quo algent, experiuntur. In obſervatione ergo ſignorum affectuum, & in affectibus ex illis dijudicandis, debet commixtio ejusmodi diligenter animadverti: utrum ſubſit, necne, & quæ, qualisque ſubſit. Nam ſi ſignum commixtum pro puro interpretabimur, in alium affectum judicandum conjectura nos ducet, quam qui vere afficit.

# CAPVT DECIMVM QVARTVM.

## *De ſignis ex oratione.*

### §. I.

*Cum apertiſſimis verbis affectus enunciatur.*

Ad orationem nunc veniamus, ſignaque affectuum ex ea petita. Si itaque *oratio* (*a*) ipſiſſimis verbis affectum aliquem profiteatur, non eſt, cur (ſi ſimulatio abſit) aliud ſignum quæramus. Cicero ad Q. Fratrem ſcribit, *lib.* 3. ſe Cæſaris amore, quem ad ipſum perſcripſit, unice delectari. Intelligimus voluptatem Ciceronis, qua tum ex eo amore afficiebatur. Solum autem eſt diſpiciendum, num ratio ſubſit, cur tum mentitus ſit fratri, alioquin amatiſſimo, cuique plurimum fidebat. Ars itaque ac methodus ſimulationis *præcavendæ* (*b*) eſt adhibenda. Cæterum nihil.

### §. II.

*Cum affectus aperte non exprimitur, at conſequutione quadam ex dictis elicitur.*

Interdum affectus non aperitur verbis explicitis, elicitur tamen conſequutione quadam. V. gr. qui dicit, ſe dolere alicujus abſentia, indicat ſe amare hominem, ejus ſcilicet præſentiam deſiderare; in quo conſiſtit differentia amoris ex Ariſtotele. *Lib.* 9. *Ethic.* Scilicet affectus aliqui ſeſe ſupponunt, ac conſequuntur. Ut dolor ob malum aliquod, voluptatem ex contrario bono: item deſiderium boni ejusdem, ſcilicet dolor ob paupertatem conſequitur voluptatem ex divitiis & deſiderium divitiarum; viciſſimque dolorem ob paupertatem voluptas ex divitiis, & deſiderium divitiarum conſequuntur. Voluptatem itidem ex divitiis earundem deſiderium comitatur. Qui igitur aliquem ex his affectibus explicite fatetur, alios conſequentes implicite ſibi ineſſe indicat.

Rurſus quoniam ex objecto pro cognitione noſtra affectus naſcuntur, nempe ex objecto, ut bono a nobis judicato, voluptas ſi præſens, *deſiderium* (*c*) ſi abſens vel non habitum ſit. Ex contrario autem dolor, & odium, abominatiove. Ideo, dum intelligimus quippiam ab aliquo judicatum malum; ex eo, ſi acciderit, dolorem accepiſſe plus minusve arbitrandum eſt: ſi non vero acciderit, aut timorem, aut abominationem excitatam. Cicero ad Q. Fratrem *Lib.* 3. ſentit, abſolutionem Gabinii fuiſſe pernicioſam, fuiſſe injuſtiſſimam. Uſurpat enim de judicibus illud Homeri:

*Qui violentia in foro obliquas judicant juſtitias;*
*Juſtitiam autem expellunt, Deorum religionem non curantes.*

Arbitrantur demum legem eſſe impunitatis. Ergo neceſſe habuit ægre ferre, modo Zelo reipublicæ teneretur. Dum autem fateturleniſſime tuliſſe, oſtendit torpuiſſe Zelum, quo prius acriter pungebatur. Quam noſtram conjecturam aperte poſtea fatetur ipſemet. Verba refero. *Exitum judicii fœdum, & pernicioſum leniſſime tuli. Quod quidem bonum mihi nunc denique redundat, ut his malis reipublicæ, licentiaque audacium; qua ante rumpebar, nunc ne movear quidem.* In canones contrahamus dicta.

### §. III.

*Canones continet.*

Canon I. Ex judicio de objecto conjiciamus affectum animi. Nempe ſi bonum judicemus amorem, vel ſi potiamur voluptatem: ex contrario judicio contrarios affectus.

Vere apud Terentium ex laudibus, quibus Chærea extollebat Pamphilæ formam, conjecit ipſum incenſum amore, Parmeno; deque amore loqui, licet de pulchritudine diceret, & amoris nusquam meminiſſet.

CHER. *O faciem pulchram! deleo omnes dehinc ex animo mulieres.*
*Tædet quotidianarum harum formarum.* PARM. *Ecce autem alterum.*
*De amore, neſcio quid, loquitur.*

Ex commendatione is itaque formæ de amore agi interpretatur.

Verum judicium hoc affectus clarius & inoffenſius procedet, ſi cum judicio de objecto hominis judicantis diſpoſitionem agnoverimus. Certe enim, ſi quicquam injuſte factum, atque reipublicæ pernicioſum homo reipublicæ Zelator judicaverit, intelligemus ipſum ea re torqueri:

(*a*) *Oratio.*) Democritus actionis umbram exiſtere orationem dicebat. PLVTARCH. de *liberis educand. T. I. Op. p.* 43. In quantum vero confeſſio extrajudicialis in criminalibus gravet, de eo videndi *Commentatores ad Art.* 32. *Conſtit. Criminalis Caroli V.* Inprimis videndum, an perſona, quæ aliquid effutiit, ad tale facinus patrandum ſit habilis e. g. ſi facinus audaciam, aſtutiam requirat, inculpatus autem ſit homo bardus, ſtupidus, vecors.

(*b*) *Præcavendæ.*) Quod ſi Trojani feciſſent, nec perfidi Sinonis narrationi fidem tribuiſſent, in tantas calamitates ſe injectos non vidiſſent. Si tamen hiſtoria vera acciderit.

(*c*) *Deſiderium.*) De natura & motu deſiderii vide FRISII Diſſ. *de affectibus.* §. 37.



Digitized by Google

ri: at ſi malus civis, & ſibi non reipublicæ conſulens, quicquam injuſtum judicet, non neceſſe eſt ea re angi, immo ut plurimum, ſi ſit id ſuis utile; gaudebit.

Augetur efficacia ſigni dicti, cum res immodice ſuſpicitur & laudatur. Nam *pulchriorem videri mulierem* (*a*) quam ſit, & meliorem arguit immodicum amorem. Unde rudes illi, ſed veri verſus,

*Si quis amat ranam, ranam putat eſſe Dianam.*
*Omnis amans cæcus: non eſt amans arbiter æquus.*

Canon 2. Affectus connexi alter alterum ſignificat. Nempe ſi explicite aliquem cognoſcamus affectum, *connexos* (*b*) etiam implicite arguimus. Patet ex dictis ac declaratis.

Simo penes eundem Terentium *Andr. Act.* 1. *Scen.* 1. conjecit amorem mutuum Pamphili & Glycerii: ex timore magno Pamphili, ne imprudentius illa in ignem rueret.

*— — — Interea hæc ſoror,*
*Quam dixi, ad flammam acceſſit imprudentius,*
*Satis cum periculo. Ibi tum exanimatus Pamphilus,*
*Bene diſſimulatum amorem & celatum indicat:*
*Accurrit: mediam mulierem complectitur;*
*Mea Glycerium, inquit, quid agis? cur te is perditum?*

At ex fiducia mulieris erga Pamphilum ejusdem in ipſum amorem agnovit.

*Tum illa, ut conſuetum facile amorem cerneres,*
*Rejecit ſe in eum flens quam familiariter.*

## CAPUT DECIMUM QUINTUM.

### *Amplicantur dicta de ſignis affectuum propoſitæ affectuum indagini.*

### §. I.

*Enumerat gradus quatuor affectuum.*

Tot jam dictis de affectuum ſignis, nunc enitamur propoſito noſtro traditam doctrinam applicare. Propoſitum vero eſt latitantes *affectus eruere.* (*c*)

Si ergo fuerint aperti affectus, vix hac methodo egent. Diſtinguamus gradus apertorum & tectorum affectuum; qui quatuor eſſe videntur.

*Primus* cum *aperte oratione* (*d*) ipſa affectum noſtrum profitemur. Ita penes Euripidem Hippolytus odium in Phœdram & nutricem palam profeſſus eſt.

*Abominor; nemo injuſtus eſt mihi amicus.*

*Secundus* gradus eſt, cum cætera ſigna libera permittuntur; oratio & confeſſio ſupprimitur. Signa Paridis amoris erga Helenam, quæ commemorat Helena penes Ovidium in Epiſtolis ad hunc gradum pertinebant. Illud quoque lib. 3. *Elegia* 2. Amorum huc ſpectat:

*Riſit, & argutis quiddam promiſit ocellis.*
*Hoc ſatis eſt; alio cætera redde loco.*

*Tertius* gradus eſt, cum ſigna affectus ſupprimuntur, erumpunt tamen quadam ex parte illa. Tiberius penes Tacitum diſſimulabat, & comprimebat ſigna deſiderii imperii, & iræ etiam in Gallum, qui ea in re ipſum offendit: attamen erupit nota iræ, quam ſagaciter Gallus conjectavit. *Etenim* (inquit Tacitus) *vultu offenſionem conjectaverat.*

*Poſtremus* gradus eſt, cum cohibentur omnia ſigna latentis affectus, ut nullum eorum erumpat. Hunc gradum expreſſit Seneca in Paſtore ſplendido equite; *Lib.* 2. *de ira cap.* 33. qui eadem die acceſſitus ad convivium a Caligula fuit, qua filium ejus duci juſſerat. Impoſuerat vero cuſtodem ad explorandum, ſi quod doloris ſignum vel minimum daret. Is ergo, ut Senecæ utar verbis. *Cum interim non lachrymas emiſit, nec dolorem aliquo ſigno erumpere paſſus eſt.*

### §. II.

*In primo caſu, cum enunciantur affectus.*

Cum affectus noſtros ipſimet fatemur, non ſunt aliqua arte eruendi; non enim latitant: ſolum autem eſt præcavendum fictio ac *ſimulatio* (*e*) ne qua ſubſit.

### §. III.

*In quarto caſu, cum nullum erumpit ſignum.*

At in quarto caſu cum nullum erumpit ſignum, nullus quoque eſt huic ex ſignis methodo locus. Oportet tum alia progredi methodo; quam in hujus ipſius ſupplementum proxime ſubjiciemus, ex cauſis ductam.

### §. IV.

*In ſecundo caſu, cum affectus diverſi concurrunt.*

Cum vero ſuppreſſa enunciatione atque confeſſione affectus, cætera tamen ſigna erumpere permittuntur, tum facile affectus conjicitur; niſi duo obſint, ſimulatio ſcilicet, fallaciave, & plurium affectuum concurſus, atque commiſtio. Quorum primo methodo deprehendendæ ſimu-

(*a*) *Pulchriorem videri mulier.*) An pulchritudo in jure ſit libidinis indicium, de eo fuſius tractat SAM. STRYCK in eleganti Diſſ. *de Phyſiognomia* Cap. II. §. 14. ſq.

(*b*) *Connexos.*) Sic juvenem ad matrimonium conſummandum conventum condemnari poſſe, ſi inſpectis litteris amatoriis, in quibus de promiſſione nuptiarum facta agitur, erubeſcat, docet ZASIUS L. I. conſ. 9. Plurima connexionis affectuum exempla affert STRYCK l. cit.

(*c*) *Affectus eruere.*) Hic merentur legi binæ Diſſert. WUCHERERII de *affectuum remediis præſervativ- & ſanantibus.*

(*d*) *Aperte oratione.*) Sicuti Marius apud SALLUSTIUM odium ſuum in nobilitatem aperte profitebatur.

(*e*) *Simulatio.*) Hic inculco illud: Cavendum nobis eſſe ab amico reconciliato, quippe qui diſſimulando, data occaſione, vindictam quærere ſatagit.

Digitized by Google

ſimulationis occurritur: ſecundo autem impedimento hac alia via obviam itur; quam in canones contrahemus.

Canon 1. Cum ſigna diverſorum affectuum ſeſe integra excipiunt, tum pronunciandum, ab omnibus illis affectibus viciſſim animum occupari.

Videmus eos, qui magnum aliquem Principem ac Præſentem adituri locum exſpectant, vario in ea expectatione colore tingi, nunc ſcilicet timentium, nunc cupientium. Antonius Cajetanus nunc Archiepiſcopus capuanus, potiente olim rerum Clemente VIII. adeoque Petro Aldobrandino ejus ex fratre nepote, ſalſe obſervabat ejuſmodi motus variationesque vultuum in turba confluentium ad Cardinalem, publice omnes auſcultantem; indicabatque Paulo Sabellio Principi nunc Albæ, qui mihi poſtea retulit. Ut ergo alicui jam patere incipiebat aditus, is nunc quaſi cupiditate incenſus erubeſcebat, timore & reverentia oppreſſus pallebat, nunc ut acceſſurus ingredi parabat, nunc rurſus conſiſtebat.

Canon 2. At cum ex confuſione affectuum eorundem ſigna permiſcentur, neque ſunt pura, niſi attenta indagine concedatur demum ſignum prævalentis affectus dijudicare ab aliis quæ commiſcentur, non licet ex hac methodo affectum dignoſcere. At oportebit ſupplere indaginem methodo, quam ſubjiciemus, & jam me ſubjecturum ſum pollicitus ex cauſis.

Declaro canonem exemplo Helenæ penes Ovidium in epiſt. Helen. ad Parid. Affectus ridendi in ipſa ingruebat, & una affectus reſpondendi marito, pollicendique operam ſuam in illis, quæ juſſerat; præſertim in cura hoſpitis Troici, a qua etiam, ut ipſa fatetur, non abhorrebat; quinimo, hominem, licet diſſimulanter, amabat. Ex pugna autem contrariorum affectuum, dum riſum compeſcere luctabatur, impedita eſt, quo minus reſponderet, præterquam unum verbum, *Erit*. Brevis adeo reſponſio tum abituro marito, vel monſtrabat ingruentem luctum, a quo ne plura loqueretur, impediebatur; vel ipſam gravato animo facturam, quæ imperabat. Certe duos veros affectus nemo ex eo curtæ reſponſionis ſigno conjeciſſet.

*Omine lætatus, dedit oſcula, reſque domuſque;*
*Et tibi ſit cura Troicus hoſpes, ait.*
*Vix tenui riſum; quem dum compeſcere luctor,*
*Nil illi potui dicere præter: Erit.*

Oportebit itaque moliri ex ſubjicienda mox methodo indaginem.

## CAPUT DECIMUM SEXTUM.

### *Cum ſigna affectuum ſupprimuntur, aliqua tamen ex parte erumpunt.*

Supereſt tertium diviſionis membrum, cum ſupprimuntur affectuum ſigna, & illa tamen aliqua ex parte erumpunt. Tum vero eſt is communis canon repetendus, quem ſupra ſtatuimus *lib. præced. cap.* 12. §. 2. nempe *affectus erumpens* (*a*) verius indicat animum, quam quod contra oratione & habitu homo profitetur. Rem tum declaravimus, atque etiam §. 1. ejusdem capitis declaraveramus. At placet ſubjungere alia exempla.

Plutarchus de Mario Romam cum Cinna poſt victoriam redeunte, dicit; *Cum vellet is ſe humilem repræſentare, ac commiſeratione dignum, & habitu & inceſſu; transluxiſſe tamen in eo iracundiam, & ſævitiem, quam ſtatim factis expreſſit.*

Memini, me cum peterem ab homine, in quem non vulgaria mea merita erant, neſcio quod mutuum, in multa ſed inani verborum benignitate obſervaſſe in ejus oculis illiberalem quandam retractionem. Ex qua conjectavi, quod res ipſa poſtea monſtravit, deponendam eſſe, ſi quam antea habuiſſem in eo fiduciam.

Canon 1. Sunt ergo obſervanda, quæ erumpunt ſigna, & affectui ſuo ſingula applicanda. Signa amoris amori, ſigna odii odio, idemque de aliis. Nempe, ſi profitenti amorem erumpat odii ſignum, eum credamus præſenti odio, non amore teneri. Signa ergo affectuum proxime expoſita habere in promptu oportet; ut obvium ſit occurrentia agnoſcere.

Canon 2. Etiamſi ſigna non integra adſint affectus, vel ſi integra ſint, at ſint fugacia, tamen idem eſt judicandum. Patet ex dictis.

At ſi plura ſigna ejuſdem affectus imperfecta, vel fugacia concurrerint, multo magis affectus is præſumi debebit ac interpretari.

Difficilis eſt in ejuſmodi erumpentibus ſignis ſimulatio. Eſſet enim ſimulatio in ſimulatione. Verum & illud addo: etiamſi accidere poſſit, tamen multum in hoc caſu poſſe peritum oculum diſtinguere, quod verbis non æque exprimi poteſt. Idem quod in diſtinguendis coloribus ac dijudicandis, ſimilitudine quadam evenit in his affectuum ſignis cenſendis. Nempe illi, alieno lumine, & ſitu, & intervallo, alii apparent, quam ſint; at appoſite collocati illuminatique ſuam ad amuſſim ſpeciem referunt. At collocatio accommodata, & par illuminatio non niſi a ſenſui ipſi noſtro inſita notitia dignoſcitur. Ut enim Cicero dicit. *Acad. quæſt. lib.* 2. *Lumen ſæpe mutari volumus & ſitus earum, rerum quas intuemur; & intervalla aut contrahimus, aut diducimus, multaque facimus usque eo, dum aſpectus ipſe fidem faciat judicii ſui.* Simillime omnino, ſintne, quæ apparent erumpentium vere affectuum ſigna, an ſimulentur, præter id, quod complecti poſſumus canonibus, ſenſuum diligens & perita obſervatio plurimum exhibebit. Ut corollarii loco

(*a*) *Affectus erumpens.*) Quem Senatores romani in Catilina deprehendebant, licet, ut erat paratus ad diſſimulandum omnia, demiſſo vultu, voce ſupplici poſtularet a patribus, ne quid de ſe temere crederent: ea familia ortum, ita ab adoleſcentia vitam inſtituiſſe, ut omnia bona in ſpe haberet. &c. Uide SALLVSTIVM *in bello Catil.*

loco pendeat hinc: Oportere hanc artem nedum ſibi ex lectione comparare, ſed etiam *uſu exercitationeque* (a) confirmare, atque familiarem ſibi reddere & expeditam.

Sed ſubjiciendum quoque eſt, ſuppleri hanc ipſam methodum, nuncque adhibitos canones, ea, quæ ſubjicietur, methodo. Quæ, ut hæc ex ſignis, ipſa procedet ex cauſis. Nempe, ſi intelligamus, eum, qui amorem ſimulat, cauſam habere odii; & videamus ſignum odii erumpens, multo tum certius odii affectum conjectare poterimus. Quod idem de aliis affectibus erit dicendum.

## CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

### *Methodus ex cauſis affectuum, quæ eſt ſupplementum præcedentis methodi ex ſignis.*

§. I.

*Cauſæ affectuum repetuntur.*

Jam vero ſubjiciamus promiſſam methodum in ſupplementum proximæ. Erat illa ex ſignis: erit hæc ex cauſis affectuum. Summaque ejus in hoc conſiſtet: *Si cuipiam homini aderunt omnes alicujus affectus cauſæ, judicandum erit in ipſo affectum eundem reperiri.* Affectuum cauſæ ſunt ex ſuperioribus libris repetendæ, ſcilicet ex libris de affectibus. *Lib.* 2. Erant autem cauſæ aliæ primariæ, aliæ ſecundariæ; & hæ aliæ inſtrumentariæ, aliæ præparantes ac diſponentes. Quæ rurſus aut naturales ſunt, aut adventitiæ; & naturales, aliæ intrinſecæ, aliæ extrinſecæ.

Has ſingulas cauſas ſecundarias in hac quarta parte proſequuti ſumus: quid ſcilicet ſingulæ poſſint, & ad quos mores diſponant. Diſponunt autem ad reſpondentes affectus; immo, ut ad affectus diſponunt, eatenus ad mores etiam inclinant. Nempe ad fortitudinem inclinat cauſa aliqua, ut ad affectum audaciæ ad tenoremve animi ducit: ad ignaviam contra reddit propenſum, ut ad timorem inclinat. Quæ ergo tum diximus, nunc quisque ex eo loco repetat ad uſum hujus methodi. In quos ſcilicet affectus reddat hominem propenſum temperamentum, tum cordis, tum hepatis & cerebri, ſanguinisque & ſpirituum. Pariter in quos conformatio partium: item clima, regio, ſitus, ætates, ſtatus, conditionesque fortunæ, præterea inſtituta & ſtudia vitæ. Ejusmodi autem cauſæ ad affectus diſponunt, non ipſæ per ſe eos actu inducunt. At cognoſcere propenſionem hominis ac diſpoſitionem, plurimi refert *ad affectus* (b) actu inexiſtentes deprehendendos. Interdum autem cauſæ omnes in eundem affectum conſpirant: interdum ad contrarios. Tum vero contraria momenta ſunt libranda ea lance, quam ſupra *Lib.* 4. *cap.* 3. *& ſeq.* exhibuimus.

§. II.

*Cauſæ primariæ repetuntur.*

Cauſæ deinde primariæ conſiderandæ, primoque objectum.

Erant illæ tres; objectum, facultas cognoſcens, & facultas appetens. Primo de objecto agamus.

Quodnam ſit ſingulorum affectuum objectum, ex ſuperioribus de affectibus libris patuit. Sed etiam per ſe conſtat. In affectibus enim ad bonum eſt illud, ad quod obtinendum affectus adſpirat. Ut honor in ambitione; voluptas venerea in ea cupiditate; perſona pulchra in amore amatorio; divitiæ in earum cupiditate; idemque de aliis. At in affectibus ex malo, odio, abominatione, ira, objectum eſt malum; ad cujus depulſionem adſpirat animus: in ira, injuria, aut parvifactio; qua de re ſupra. *Prima parte lib. de Ira c.* 12. In odio perſonæ perſona mala: velut mala apprehenſa, cujus perditionem optat. In odio rei, ſive in abominatione, malum ipſum formale, quod deteſtatur animus. Sed hæc demum omnia ſupra ex ſuis locis repetantur. Id vero præſertim; *objectum interdum incomplexum ſumi*, ut in ira, injuria illata; interdum complexum, ut in eodem affectu perſona, quæ injuriam intulit.

§. III.

*Canones ex objecto continet.*

Canon 1. Cum objectum alicujus affectus adeſt vel præſens vel recens, jure merito credi poteſt, ineſſe etiam animo affectum ejusmodi, etiamſi nullum ejus ſignum appareat.

Ampliatur, cum etiam objectum ſit antiquum, ſi fuerit magnum. Confirmatur ampliatio exemplo Harpagi in Aſtyagem Regem. *Juſtin. lib.* 1. A quo, cum multis antea annis injuriam magnam ſuſcepiſſet, (filium enim ejus Rex occidi juſſerat, patrique epulandum tradiderat) diſſimulatam iram tamdiu ſervavit, quamdiu ultionis occaſionem Rex ipſe illi præſtitit, demandato exercitus in Cyrum imperio: ad Cyrum enim deſcivit, copiasque ad illum traduxit. Quo facto Rex demum & Regnum in Cyri manus ceſſere.

Augetur conjecturæ evidentia, cum homo fuerit tenax memoriæ. Melancholicus ejusmodi eſt; Unde diu is retinet ſpecies læſionum præſertim & malorum. Talis, ni fallor, fuit is Turca, qui occidit Mahometem ſummum Imperii turcici miniſtrum, ob injuriam non graviſſimam, poſt-

(a) *Uſu exercitationeque.*) Sic & multa, quæ certis regulis includi nequeunt, prudenti judicis arbitrio permittuntur, & Medicus potiora ex ipſa praxi, dum ægroti habitum morbique viciſſitudines inſpicit, & per noctem varia in ægroto ſyntomata obſervat, arti ſuæ proficua addiſcit.

(b) *Ad affectus.*) Conf WEDELIUS *in phyſiol. medica Sect. IV. Cap.* 9.

Digitized by Google

poſtquam ſtipe quotidiana fuerat ab eodem quadraginta forte annis donatus: occidit tamen certus & ipſe moriendi. Sed hæc additio pertinet etiam ad caput facultatis cognoſcentis.

Augetur demum conjectura, cum homo fuerit ſuapte natura in eum affectum pronus. Unde propenſus in Venerem, ſi præſentem habet fœminam, præſertim pulchram, etiamſi nullum cupiditatis ſignum exhibeat, poteſt tamen credi, cupiditate ejusmodi ipſum vel teneri vel tentari. Ovidius de ſe fatetur, *Lib. 2. amor. eleg. 4.* quæcunque occurreret puella, eam ſibi placuiſſe.

*Non eſt certa meos quæ forma invitet amores.*
*Centum ſunt cauſæ, cur ego ſemper amem.* &c.

Item iracundus, ſi quis ſit injuriamque acceperit, par eſt credere ipſum iraſci, licet iram contineat, ſi præſens ſit, qui læſit, vel præſens ejus aliqua ex cauſa memoria. Idemque de omnibus aliis affectibus dicendum. Dico autem præſente memoria, cum vel commemoratio læſionis aut perſonæ lædentis inciderit, vel aliquod earum ſimulachrum aut veſtigium. Themiſtoclem incendebant conſpecta trophæa Miltiadis; & *Alexandrum Magnum* (*a*) gloria Achillis exſtimulavit, quæ illi ex aſpectu ſepulchri Achillis in memoriam poſt tantum temporis, tanquam præſens, venit. Cæſari etiam in Hiſpania ſimulacrum Alexandri Magni tot poſt annos æmulationem ejus gloriæ indidit, & lachrymas usque excivit, *Plutarchus in vita Alexandri & Cæſ.*

## CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

### *De facultate cognoſcente.*

Conſideremus nunc *facultatem cognoſcentem.* (*b*) Hæc vero quæ ſit, & quomodo operetur reſiſtatve affectibus, antea luculenter declaravimus *lib. 2. de affect. c. 12.* In præſentia autem tria ſunt de hac facultate conſideranda, ſitne perſpicax; & utrum ſit tenax: & quibus principiis in judicio bonorum, malorumve; in eo præſertim genere, de quo tum agitur, utatur.

Ex primo capite intelligimus, quicquid boni aut mali illi factum ſit ab ipſo agnoſci, ſi perſpicax fuerit: contra vero latere poſſe, ſi ſit hebes. Aliqui ſunt, quos impune deludere licet; ſi prætendamus palam obſervantiam, at clam lædamus, ob eorum hebetudinem. Narciſſus plura hoc modo cum Claudio faciebat; ut usque Meſſalinam occidi juſſerit, Claudioque poſtea, ita ab ipſo ſtatutum, aſſerere auſerit, isque crediderit, & verba ſibi dari non agnoverit. At cum Tiberio nihil tale ne Sejanus quidem auſus eſſet. Perſpicaces itaque homines vel minimam injuriam læſionemve agnoſcunt, etiamſi forte interdum diſſimulent videre, juxta illud Senecæ monitum. *Lib. 2. de ira c. 33. Sæpe ſatius fuit diſſimulare, quam ulciſci.*

### §. I.

*Sitne tenax memoria.*

Secunda conſideratio eſt; ſitne *tenax memoria.* (*c*) Qui enim tales diu retinent injurias & beneficia. Melancholici homines tenaces ſunt præſertim malorum ob temperiem in triſtitiam & mœſtitiam ducentem. Unde etiam acerbi redduntur. At ſunt etiam tenaces amoris; ſimulachrum enim amatæ mulieris diutiſſime ſervant, cum fuerit impreſſum. Exemplum tenacitatis ejusmodi eſt, is Turca, quem proxime retulimus. *Cap. præc.* §. 3. *add.* 1.

At ſi contra ſe habeat, poſſumus credere oblitum hominem injuriæ, vel objecti alterius affectus, cum antiquum id fuerit, ſcilicet multo antea tempore inciderit. Licet facilius beneficia vulgo excidant, quam injuriæ. Sitque illud uſu ſatis confirmatum.

*Lædens in pulvere, læſus in marmore ſcribit.*

### §. II.

*Quæ principia ſint in facultate cognoſcente recondita, ſeu quibus ea utatur principiis.*

Tertio loco, ut diſcernamus ſenſum injuriæ aut beneficii, neceſſe eſt cognoſcere principia, quibus in illis dijudicandis homo, de quo judicamus, utatur.

Ea vero ex duobus præſertim intelligemus; ex publicis opinionibus, quæ eo in loco eoque tempore vagantur, & ex hominis ſtudio ac vita. Exempli gratia; tempore Juvenalis, ſi matronæ præpotenti objeciſſet quispiam adulterium, vix injuriæ loco accepiſſet; præſertim ſi illud Stulpitiæ locum habuiſſet.

— — *Cum digno digna fuiſſe ferat.*

At ab antiquioribus Romanis, & nunc ab integris civitatibus, & non ab aulæ magnæ vitiis corruptis, infame reputaretur. Detrectaſſe ſingulare certamen civem cum cive, in romana republica nedum probri loco habitum fuiſſet, ſed pro laude; cum neque adverſus provocantem absque Dictatoris venia proceſſerit Manlius: *Tit. Liv. lib.* 7. at inter plurimos Europæos nunc, & præſertim *Gallos*, (*d*) vituperabile eſſet. Quæ judiciorum differentia ex ſola diverſitate principiorum facultatis cognoſcentis procedit. Expedit ergo homini prudenti, atque in hac indagine verſaturo, communes gentium opiniones in genere hoc agibili noviſſe, quæ ſupra etiam erat prudentia pari *lib. de prud.*

Privata quoque ſtudia ac vitæ inſtituta diverſa longe aliis ut plurimum principiis utuntur. Mer-

(*a*) *Alexandrum M.*) De quo vide CICERONEM in Orat. *pro Archia poëta.*

(*b*) *Facultatem cognoſcentem.*) Fundamenti loco hic legi meretur WEDELII *phyſiologia medica Sect.* 3. *Cap. I. de facultatibus animæ.*

(*c*) *Tenax memoria.*) Huc pertinet illud Virgilii:

— — *Manet alta mente repoſtum*
*Judicium Paridis ſpretæque injuria formæ.*

Conf. PLUTARCHI librum *de ſera numinis vindicta.*

(*d*) *Gallos.*) Apud Gallos tamen ſeveris edictis cautum eſſe, ne quis privatus duello congrediatur, conſtat. Conf. VAGEDES Diſſ. *de reputatione.*

Digitized by Google

Mercatores enim & Doctores, & Milites non iisdem innituntur regulis in eligendo atque vivendo. Mercatores, ſaltem viliores, illud Sannionis penes Terentium ſequuntur:

*— — Eum quæſtum occeperis.*
*Accipiunda & muſſitanda injuria adoleſcentium eſt.*

Miles contra, modo ulciſcatur injuriam, mortem ſpernit. Achilles penes Homerum, *Iliad.* 18.

*Nunc autem vado, ut dilecti capitis perditorem inveniam*
*Hectora; mortem autem ego tunc ſuſcipiam, quando jam*
*Juppiter vult perficere, & immortales Dei alii.*

Fit ex his, ut ſi Militi ignavia exprobretur, pro maxima ipſe injuria accipiat. At Doctori contra, ſi objiciatur ignorantia ſcientiæ, quam profitetur, & mercatori, ſi decoxiſſe quis dixerit, majorem contumeliam arbitrentur. Sed præter hoc etiam ætates, & fortunæ conditiones, aliquam principiorum varietatem ſuggerunt. Quam varietatem ex ſuperioribus *Lib.* 3. *hujus* 4. *partis.* facile eſt colligere: illuc ergo ablego lectorem.

## CAPUT DECIMUM NONUM.
### *De facultate appetente.*

Reſtat poſtremo loco *facultas appetens.* (*a*) Quam quidem ſupra ſatis explicavimus; in præſentia vero id unum inquirendum eſt, quo habitu, aut diſpoſitione teneatur ex aſſuetudine. Cæteras enim ex temperamento ac naturalibus cauſis, aut ex conditionibus fortunæ ac ſtudiis, propenſiones eſſe notas ex cognitione cauſarum præparantium ac inſtrumentariarum, jam ſupponitur.

Ex aſſuetudine mollis vitæ ac tripudiis deditæ, arguit timiditatem in Trojanis, penes Virgilium Remulus.

*O vere Phrygiæ (neque enim Phryges) ite per alta*
*Dindyma; ubi aſſuetis biforem dat tibia cantum.*
*Tympana vos buxusque vocat Berecynthia matris*
*Ideæ Sinite arma viris, & cedite ferro.*

Erit itaque canon. Si noverimus hominem iraſci ſolitum ex objecto iracundiæ, ſcilicet ex injuria vel ſpretu, intus iraſci, etiamſi diſſimulet. Item vagæ Veneri aſſuetum, ad conſpectum mulieris cupiditate incendi, etiamſi eam tegat. Pariterque de aliis affectibus dicendum & judicandum, probabili tamen conjectura: is enim poteſt pro arbitrii libertate reſiſtere. Attamen niſi affectui ceſſerit, ab eo tamen pertentari dicendum erit, cum habitus, ut plurimum in actus erumpat ſimiles. Et ſi ratio reſiſtit affectibus, ne eam rapiant & proturbent, non reſiſtit tamen pro arbitrio, ne incendantur. Cum, ut ſæpe vidimus, invita ratione ſuſcitentur & æſtuent. Non enim poteſt eos ratio pro imperio ſopire ac exſtinguere. Rem declaravimus in tertia parte.

## CAPUT VIGESIMUM.
### *In praxin methodus tradita adducitur.*

Reſtat demum pro hujus partis columine, ut in praxin traditam methodum detegendi latitantes affectus ducamus rem ab initio repetentes. Propono autem indaginem affectus habitu, interim tamen & affectus actu elucebit; & ſeorſum, etiam alio propoſito exemplo, affectus indaginem actu repræſentabimus.

#### §. I.
*Exemplum Tiberii erga Germanicum proponitur.*

Propono ergo pro exemplo, Tiberii ergo Germanicum affectum inquirendum. Tacitus odio illum fuiſſe aſſerit; *Sed anxius*, inquit, *patrui, & aviæ in ſe odiis, quorum cauſæ acriores, quia iniqua.* Verum nos nolumus affectum quæſitum ex Tacito intelligere, ſed noſtra methodo indagare. Procedamus ergo primo ex cauſis; quodque ex illis deducetur cum ſignis poſtea conferemus.

#### §. II.
*Cauſæ præparantes, ac ſecundariæ.*

Cauſæ in Tiberio præparantes erant, temperamentum in bilem atram propendens. Ex quo is ingenio pollebat, & in ſuperbiam ac iracundiam, immo ſævitiam pronus. Verum & ſuſpicax ob annexam frigiditatem reddebatur. Quæ frigiditas ab ætate jam ingraveſcente augebatur; nam annorum quinquaginta quinque imperium iniit. Nobilis fuit: ex Claudia enim familia ortus, in qua ſuperbia quædam, ceu nativa, obſervata fuit; ut hac etiam ratione in ſuperbiam propenderet. Vita ejus per ſummos honores traducta alebat honorum deſiderium. At etiam perturbatus & depreſſus vixit, ut multos oderit, odioque & iracundia animum imbuerit & excreverit. Satis ſit hæc de cauſis præparantibus inquiſiviſſe. *Sævitiem* (*b*) hujus Principis teſtantur ubique Hiſtorici; Suetonius, & Tacitus late. Suſpicioſum declarant iidem. Tacitus *Suſpicacem animum perſtrinxere.*

§. III.

(*a*) *Facultas appetens.* Conf. PUFENDORF. de O. H. & C. Cap. V §. 4. ſeq.

(*b*) *Sævitiem.*) De ſævitia Tiberii in eos, qui Serani partibus juvebant, vide PLUTARCHUM *de amicitia multorum* T. I. p. 160. De toto charactere Tiberii meretur legi BOECLER in *Diſſ. ad Tac. annal.* 4. c. 38. quam inſcripſit: *Votum imperatorium.* T. I. Oper. p. 1037.

Digitized by Google

## §. III.

### *De objecto.*

Succedit inquiſitio, quodnam objectum eſſet *Germanicus* (*a*) Tiberio. Videtur quidem primo aſpectu carus fuiſſe & gratus, ob ſanguinis nexum, ob adoptionem, ob virtutem ejus, ac ſingularia corporis & fortunæ ornamenta, quæ omnia ſingulari modeſtia, atque erga Tiberium cultu ſummo induebat. At ex Tiberii fine contrarium penitus deducetur. Nam is toto animo incumbebat in imperium integrum atque pleniſſimum, ſibi viventi tuendum, & filiis poſt mortem relinquendum. Solus autem Germanicus impedimento eſſe poterat utrique ejus deſiderio. Cum enim in ejus manu eſſent legiones germanicæ, nempe imperii romani robur, ſummaque in eo eſſet bellica virtus, omneſque eum maximo amore proſequerentur, potuiſſet etiam potius habere imperium, quam expectare. Quæ ſuſpicio augebat Tiberium, ut Tacitus etiam refert. *Lib.* I. *Annal.* Cujus hæc verba: *Cauſa præcipua ex formidine, ne Germanicus, in cujus manu tot legiones, immenſa ſociorum auxilia, mirus apud populum favor, habere imperium quam expectare mallet.* At multo magis eadem Germanici virtus & auctoritas, nixa numeroſa filiorum ſobole, obſtabat, ne imperium poſt mortem Tiberii in Druſum filium ejus proveniret, ſed in Germanico reſtaret, ejusque domo. Neceſſe ergo erat Germanicum odioſum eſſe Tiberio, non carum. Quem etiam ſtatim, ut Agrippam, & pari ratione extinxiſſet, ſi eadem facilitate potuiſſet.

## §. IV.

Ad facultatem cognoſcentem tranſeundo, erat ipſe multæ ſagacitatis & calliditatis. Prudentiam vulgo dixerint: nam is inter prudentiſſimos Principes reponitur. In longumque providebat rerum momenta. Ex quibus certum redditur, ipſum præclare cognoviſſe, quantum periculi a Germanico ſuæ ſecuritati & filii amplitudini immineret. Ex melancholiæ etiam nigrore propenſus erat ad judicandum in deteriorem partem.

## §. V.

### *De facultate appetente.*

Et habitu & uſu, nedum propenſione, ſuperbus erat, & cupidiſſimus imperii. Cujus arrogantiam & ſævitiam vulgo etiam cognoſcebant. Unde Tacitus dicit, ſub exceſſu Auguſti a nonnullis jactitatum, ideo ab Auguſto ſucceſſorem relictum, quod arrogantiam ſævitiamque ejus cum introſpexerit, comparatione deterrima ſibi gloriam quæſiverit.

Præterea conſtat, ipſum utilia ſibi conſilia ſequutum, non ſpecioſa, & amicitias præſertim ex utilitate, non honeſtate cenſuiſſe. Ut dubium hinc non fuerit, ipſum ex virtutibus Germanici minime allectum; ſed contra odio habuiſſe, quæ ex earum magnitudine imminere poſſent pericula vel ſibi, vel filio.

## §. VI.

### *Signa percurruntur.*

Omnes ergo cauſæ conſpirant ſecundum rationes potiores in id, quod Tiberius oderit Germanicum; ejusque depreſſionem exoptaverit; utque tuto potuerit, molitus fuerit. Conſideremus nunc ſigna.

Primum autem fuit Proconſulare imperium, quod illi a Senatu impetravit. Tacitus *lib.* I. *Ann. At Germanico Cæſari proconſulare imperium petivit; miſſique legati, qui deferrent, ſimul mœſtitiam ejus ob exceſſum Auguſti ſolarentur.*

Secundum fuit, cum retulit de Germanici victoria, rebusque ab eo geſtis, easque laudavit. Idem Tacitus *lib. eod.* I. *Retulit tamen ad Senatum de rebus geſtis; multaque de virtute ejus memoravit, magis in ſpeciem verbis adornata, quam ut penitus ſentire crederetur.*

Tertium ſignum fuit decretus Germanico triumphus, nondum finito bello. Idem Tacitus *lib. eod. Druſo Cæſare, C. Norbano Coſſ. decrevit Germanico triumphum, manente bello.* Sunt hæc omnia ſigna amoris. At multo leviora, quam contrariæ cauſæ. Ut ſimulationes amoris verius, quam amoris ſigna credi debeant. Præſertim hoc tertium, quod erat veluti illicium, ſed & anſa retrahendi Germanicum ab adminiſtratione belli, & ductu legionum devinctiſſimarum. Qua de re mox.

Quartum ſignum jam iracundiæ & odii, dum in deterius traxit pietatem Germanici erga manes & oſſa legionum inſepultarum Vari. Item cum Agrippinæ in legiones auctoritatem, ipſamque auſam legionibus gratias agere & juviſſe pecunia, acriter ſenſit, atque reprehendit. Si tamen aperuit ea Tiberius, non autem fidis tantum & intimis eſt deteſtatus. In malam autem partem facta interpretari eſt odii ſignum. Huc pertinent, quæ Suetonius dicit: Germanico usque adeo obtrectaviſſe, ut præclara facta ejus pro ſupervacuis elevaret, & glorioſiſſimas ejus victorias ceu damnoſas populo romano increparet. Quod vero Alexandriam, propter immenſam & repentinam famam inconſulto ſe adiſſet, queſtus eſt in Senatu.

Quin-

(*a*) *Germanicus.*) Virtutes magni hujus belli Ducis exponit BOECLER Diſſ. de *peregrinatione Germanici. T. I. Oper. p. I. ſq.*



Digitized by Google

Quintum ſignum. At certum quintum fuit apertum odii ſignum, licet invidiæ ſit interpretatus cum Germanico Tacitus. Nempe cum a legionibus germanicis abſtraxit, a belliquè adverſus Germanos adminiſtratione. Tacitus *lib. 2. Tiberius monebat, rediret ad decretum triumphum; ſatis jam eventuum.* Et nonnullis interjectis, ſubjungit. *Precante Germanico annum efficiendis cœptis, acrius modeſtiam ejus aggreditur, alterum conſulatum offerendo, cujus munia præſens obiret.* Demum ergo: *Haud cunctatus eſt ulterius Germanicus; quanquam fingi ea, ſeque per invidiam parto jam decori abſtrahi, intelligeret.*

Verum fuit metus, & odii ſignum verius, quam invidiæ. Veluti enim ab arce quadam, in qua nullis erat inſidiis obnoxius, in planum deduxit, ubi expoſitus jam eſſe incipiebat multis dolis ac periculis. Interim ipſe aliis minus multo formidoloſus; non amplius enim fido milite fultus pro arbitrio poterat imperium invadere immo uſurpare. Quod idem Tacitus antea faſſus fuerat; ut ea ſpecie Germanicum ſuetis legionibus abſtraheret, noviſque principiis impoſitum, dolo ſimul, & caſibus objectaret,

At ſextum ſignum, & odii ſignificantiſſimum, cum ſpecie honoris in Orientem miſſus, ad ignotas ſcilicet ferme legiones; at immiſſo etiam Piſone, qui Syriæ legiones præoccuparet & perverteret, ut fecit; demum omnia Germanici facta oppugnaret. Ut ſecretiora etiam mandata illi ac Plancinæ data, tollendi hominis veneficiis, quæ paſſim tum credita ſunt, credi jure poſſint. Interim efficiebatur aperta ea inimicitiæ profeſſione, ut quicquid in Germanicum molitus fuiſſet Piſo & conjunx, Piſoni totum imputaretur, non Tiberio, ſaltem id ipſe credere potuit.

Septimum ſignum fuit frigidiſſima ultio ejusdem Germanici mortis, cum & Plancinam ipſe Senatus cognitioni ſubtraxerit. Tacitus. *Pro Plancina cum pudore, & flagitio diſſeruit, matris preces obtendens; in quam optimi cujusque ſecreti quæſtus magis ardeſcebant.*

§. VII.

*Judicium percipitur.*

Cum ergo cum cauſis vehementiſſimi odii conſpirent ſigna urgentia, leviaque tantum ſigna adverſentur, credendum eſt, inviſum ſummopere fuiſſe Germanicum Tiberio. Quod ductum ex noſtra methodo judicium Tacitus & Svetonius paſſim confirmant. Fuitque tum temporis communis Romanorum ſententia, ut multi noctu circa Tiberii palatium exauditi fuerint, clamantes; *Redde nobis Germanicum.*

Dixi exemplum pertinere ad affectum habitu, ut vere pertinet. At interim etiam de affectu actu judicium conſtitutum. Conſtitit vero in affectu, quo Tiberius Germanicum a bello germanico ab illiſque legionibus abſtraxit, invidiam reputavit Germanicus, & aſſenſiſſe viſus eſt Tacitus. Ego cum metu odium cenſui. Obtrectatio quoque Tiberii præſentis affectus & odii actu præſens ſignum erat.

At pro exemplo ac praxi eliciendi affectus præſentis propono Perſonam; cum Mutius, poſt occiſum ſcribam pro Rege manum accenſo foculo injecit, ſummaque conſtantia combuſſit. Livius ſtuporem tum Regi tribuit, ac timorem; ut quæ ſubjungit verba indicant; dum legatos Romam pro pace miſſos dicit; timore enim adductum ad id Regem dicit, & tranſacti periculi & imminentis. At ego admirationem virtutis Mutii, & caritatem erga tantam virtutem atque urbem matricem egregiorum adeo civium, credo. Moveor autem; nam facta Porſenæ a Livio ipſo narrata magnanimum hominem Porſenam oſtendunt. Pacem cum Romanis fecit; at imperatis & receptis obſidibus, aufugit Clælia, in terminatione belli repetiit; at receptam libere remiſit, donis etiam ornatam. Fortis ergo animus, & adverſus contumaces acer; at placidus erga obnoxios, & virtutis admirator. In ejuſmodi ergo hominem cadit admiratio virtutis, ac ejus amor potius, quam timor. Neque ei timor conſuluiſſet dimittere Mutium, cum incertitudine adhuc futuræ pacis: nam ea indulgentia, permanente bello, animatiores reddidiſſet conjuratos ad ipſum adoriendum. Quod Rex prudens & ſui compos facile agnoſcere potuit. Et quod contra ſupplicium de Mutio ſumptum exterruiſſet aggreſſores; qui præſertim certo ſcirent Regem acriore cuſtodia deinde ſeptum, & minus expoſitum iri inſidiis.

## CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

***Eandem praxin ad amorem amicitiæ poſſe detorqueri, ac reliquos affectus.***

§. I.

*Applicatio fit a ſimili.*

Eadem praxis norma ex contrario poteſt applicari affectui amoris amicitiæ inquirendo. Cauſas ſcilicet oportet primo conſiderare omnes: deinde ſigna: tertio conferre hæc cum illis. Ac aliis affectibus poteſt applicari a ſimili.

§. II.

*Caput eſt inveſtigare objectum gratum, cujus rei methodus traditur.*

Quoniam autem caput eſt hominis, cujus affectum quærimus, fines cognoſcere; fines ideo inquirere oportet. Objectum ita gratum & ingratum conſtabit; at fines, cum ex moribus conſtet,

Digitized by Google

ſet, methodus amoris & odii præcedenti methodo *mores indagandi* (a) nititur; ut antea quoque proteſtatus ſum. Si ergo honeſtas cuipiam ſit finis; (ut viro probo ob veram virtutem moralem,) vel ex naturali conſtitutione ſaltem probe propenſa, perſona proba illi & virtutibus prædita erit gratum objectum. Si vero finis ſit utilitas, perſona utilis erit objectum gratum. Contra, ſi voluptas finis, perſona voluptuaria earum objectum & amatum erit, contrariæ vero perſonæ erunt inviſæ. Cum autem quis & voluptatem & utilitatem quærit, tum voluptuarii homines, tum *utiles* (b) grati erunt. Uter autem magis, cognoſcemus, ſi conſtiterit uter finis magis expetitus.

Exemplum ex Nerone mutuemus. Is in voluptates omnes propenſus erat: at in imperii dominatusque conſervationem propenſior. Pro cujus acquiſitione & conſervatione patrem, adoptivus licet, veneno ſuſtulit, matrem interfecit, fratrem, præceptorem, proceres ſummos. Miniſtri ergo ad imperium retinendum gratiores, quam voluptuarii. Hinc Tigellinus apud eum potior Petronio, quem ideo perdere potuit. Tacitus lib. 16. Annal. *Inter paucos Petronius familiarium Neronis, aſſumptus eſt elegantiæ arbiter; dum nil amœnum & molle affluentia putat, niſi quod ei Petronius approbaviſſet. Unde invidia Tigellini, quaſi adverſus æmulum & ſcientia voluptatum potiorem. Ergo crudelitatem Principis, cui cæteræ libidines cedebant, aggreditur; amicitiam Sevini Petronio objecit, corrupto ad indicium ſervo, ademptaque defenſione, & majore parte familiæ in vincula rapta.*

### §. III.

***Annotationem continet.***

Volui hæc de objecti grati inviſique indagine dicere. De reliquis cauſis nihil ſubjicio: ex præcedente exemplo protenſione ex contrario indagentur, quæ indaganda tum vidimus. At annotandum eſt, id præterea eſſe conſiderandum, num conſtans homo ſit in ſuis affectibus; ut etiam conſtet, num quem præcedentia ſigna indicaverunt amorem, perſiſtere adhuc credendum ſit. Secus enim Nero ante criminationem Tigellini Petronium diligebat; at ea audita ſtatim odit. Sæpe enim illud contingit.

*Qui nunc te fruitur credulus aurea,*
*Qui ſemper vacuam, ſemper amabilem*
*Sperat, neſcius auræ*
*Fallacis,*

etiam extra venereum amorem.

Quæ de his duobus affectibus pro praxi dixi, pariter de aliis affectibus dici a ſimili debent, eodemque modo tractanda praxis.

## CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

### *Galeni praxis adducitur ad detegendum decumbentis mulierculæ amorem.*

### §. I.

***Continet verba Galeni libro de Præcognitione.***

Subjicere placet modum ac methodum, qua Galenus ſcribit a ſe detectum amorem cujuſpiam mulierculæ. Eſt autem *cap. 6. lib. de præcognitione ad Poſthumum.* Sunt ergo hæc ejus verba. *Vocatus, ut inſpicerem fœminam noctu vigilantem, & ex una jacendi figura in aliam crebro ſe transferentem, ut ipſam ſine febri reperi, percontatus ſum, quæcunque ſingillatim illi contigiſſe poterant, ob quæ vigilias evenire ſcimus. Illa autem vix, & interdum nihil reſpondebat; perinde atque fruſtra ſe interrogari, ſignificaret. Demum averſa, ſtragulis adductis ſe totam operuit, & quodam parvo velo ſupra caput adducto in modum eorum, qui dormire volunt, cubare cœpit. Id videns diſceſſi; duorum alterum mecum ipſe colligens, vel atræ bilis vitio mulierem animi dejectionem pati, vel rei, quam fateri nollet, mœſtitia laborare. Quam ob rem poſtero die cuncta diligentius obſervare decrevi. Cum itaque acceſſiſſem, ex ancilla, quæ ipſi aſſiſtebat, comperi, fieri non poſſe, ut tunc ægram dominam viſerem. Abii igitur, & deinde rediens idem denuo comperi. Tertio reverſus ſum: ſed & tum ancilla renunciante, ut diſcederem (nolle enim tum heram vexari, nam ſimul, atque ſecundo receſſiſſem, abluiſſe ſe illam, & ſolitum cibum ſumpſiſſe) diſceſſi; & ſequenti die rediens ſolum cum ancilla de variis rebus diu collocutus, aperte mœſtitia quapiam dominam laborare cognovi. Quam caſu poſtea reperi opinor, quomodo Eraſiſtrato quoque obtigit. Nam cum prius noſcerem nulla corporis parte mulierem affligari, verum animi moleſtia tantum quapiam perturbari, contigit, ut quo tempore fœminam inſpicerem, iſtud ipſum, quod eſſe ſuſpicabar, mihi confirmaret. Nam quidam è theatro cum veniſſet, narraſſetque Pyladem*

(a) *Mores indagandi.*) Inde veteres dicebant, multos modios ſalis comedendos eſſe, antequam munus amicitiæ expletum ſit. Noſtra autem magnopere refert, aliorum animos cognitos atque exploratos habere, ſine quo nulla conſtans amicitia iniri poterit. Hic omnino legi meretur *Lælius* CICERONIS.

(b) *Utiles.*) Qui autem meræ utilitatis gratia amicitias ambiunt, fortuna amici evaneſcente, etiam illas facile diſſolvunt. *Ovidius* de ejuſmodi fine amicitias contrahendi canit, quod: *Vulgus amicitias utilitate probat.*



Digitized by Google

*lædem ſaltantem ſe vidiſſe, ſtatim mulieris vultus & faciei color immutatus eſt, quod cum viderem, brachio manum ſtatim admovi, pulſumque ſubitò variis modis agitatum inveni; id quod animi perturbati indicium eſt; talem enim pulſum et qui de re aliqua certant, habere ſoliti ſunt. Quocirca ſequenti die cuipiam ex iis, qui me ſequebantur, præcepi, ut cum ad mulierem veniſſem, me parum poſt ſubſequeretur, & nunciaret Morphum eo die ſaltaſſe; quod cum feciſſet nullam in pulſu mutationem obſervavi. Sequenti die quoque, cum juſſiſſem ut idem annunciaret, hiſtrionem, qui ex tribus reliquus erat, ſaltaſſe, ſimiliter pulſus ſe non mutavit. Quarto die cum ad multam noctem de induſtria expectaſſem, ubi renunciatum eſſet Pyladem ſaltaſſe, diligenter annotavi, pulſum variis modis ſubſultaſſe; atque ita mulierem Pyladis amore captam deprehendi. Quod ſequutis etiam diebus attentius obſervatum, me in opinione adhuc magis confirmavit.* Hæc Galenus.

## §. II.

### *Examen dictorum Galeni.*

Fateri oportet multo plus diligentiæ adhiberi potuiſſe a Galeno, quam quæ adhibita eſt, vel expreſſa. Nam mutatio pulſus cum & ex odio iracundiaque procedere potuerit, poterat is facile diſcernere, quis eorum affectuum perturbaret mulierem multis modis: nempe ferendo de Pylade ſermones in laudem vel in vituperationem; prout enim mulier vel voce, vel vultu, aut ex laude lætitiam, aut ex vituperatione iracundiam præ ſe tuliſſet, dignoviſſet, utrum Pyladis odio, an amore teneretur. Et quoniam forte zelotypia mulier torquebatur, ſi amorem in quampiam aliam Pyladis quiſpiam experimenti gratia aſſeruiſſet, erupiſſet tum affectus zelotypiæ manifeſtis ſignis; ex quo etiam amorem arguiſſet illatione neceſſaria. Fateor tamen & ipſe, probabilius ex ea obſervatione amorem mulieris in Pyladem, quam alium affectum conjectum eſſe. Facile autem tum mulieres, utpote theatris & ludis aſſuetæ, amore capiebantur excellentium hiſtrionum & myrmillonum, idque genus hominum. Illud enim ſpectari ab omnibus cum laude, in opere præſertim voluptuario & grato, amorem facile nectit. Juvenalis: *Satyr.* 6.

*Accipis uxorem, de qua citharœdus Echion,*
*Aut Glaphyrus fiat pater, Ambroſiusque choraules.*
*Longa per anguſtos figamus pulpita vicos:*
*Ornentur poſtes & grandi janua lauro,*
*Ut teſtudineo tibi, Lentule, conopeo*
*Nobilis Euryalum myrmillonem exprimat infans,*
*Nupta Senatori comitata eſt Hippia ludum.*
*Ad Pharon & Nilum famoſaque mœnia Lagi.*

Hac ergo ex cauſa argumentum poterat conjungere Galenus. Confirmaremque ipſum, ſi mulier eorum ſpectaculorum curioſa fuiſſet ac frequens.

Hæc ita ſubjicere volui de obſervatione & judicio Galeni: cætera, quæ ex eadem noſtra methodo adiici poterant, quiſque poteſt per ſe facile negocio deducere.

Interim nos finem imponamus huic quartæ Curatoriorum parti, quæ græce Symiotice nobis de ſignis dicitur. In duo membra ſecatur: Primum inquirit mores: Secundum latitantes affectus. Indago procedit tum ex cauſis, tum ex affectibus conſequentibus; quos ſigna dicamus peculiariter ſumpto ſigni nomine. At ſi ex cauſis, & ſignis progreſſus jungantur, certior inveſtigatio evadit.

Anno 1620. Die tertia Octobris.

VI.

Digitized by Google

# VI.

## THESES MISCELLANEÆ DE

# CIVILI PRUDENTIA

## HERMANNI CONRINGII

ad diem 2. Martii 1650. defenſæ

*Reſpondente*

## HENRICO OTTENDORFF

Lubecenſi.

### THESIS I.

Vox Prudentiæ civilis, idem quid notat ac vox Politices.

2) Vere Politicus eſt, qui Politica eſt imbutus.

3) Politici officium maxime occupatur in regenda quavis republica, eaque vel inſtituenda, vel corrigenda vel conſervanda.

4) Homines urbani, & cultis moribus, qui antecedunt reliquos, non ſunt vere Politici.

5) Civilitas morum reipublicæ adminiſtrandæ per ſeſe nihil prodeſt.

6) Civilis, recte quidem Politi [ἀστεῖοι] Politici autem nequaquam ſunt, nec audire debent.

7) Homo agreſtis reipublicæ nonnunquam prodeſſe poteſt plurimum. Urbanitas tamen vitam civilem comprimis decet atque ornat.

8) Aſſentatores, Politici cognomentum non merentur.

9) Imo ne boni quidem viri dicendi.

10) Omnes promiſcue, qui in negotiis reipublicæ occupati ſunt, Politici non ſunt appellandi niſi laxa nimis ſignificatione.

11) Politicorum nomen per ſummam injuriam illis impietatis patronis tribuitur, qui, modo ſibi ſit bene, Dei & honeſti nullam habent rationem.

12) Sunt tales hodie omnes verſuti & callidi inque omnem partem mobiles, & tanquam Polypi mutantes colorem dummodo ſibi caveant.

13) Citra honeſtatis & numinis cultum vera aliqua prudentia non invenitur.

14) Nulla Civitas prudenter adminiſtrari poteſt, neglecta juſtitia & in Deum religione.

15) Vix eſt, ut reſpublicas rectas tuearis, niſi interdum dolo aut calliditate, honeſta tamen ac laudabili admiſſa.

16) Malæ reſpublicæ per ſolas bonas artes ſervari ac inſtitui non poſſunt.

17) Utræque tam rectæ, quam depravatæ magna ex parte bonis artibus conſervantur.

18) Exactus adamuſſim politicus omnium fraudum humanarum gnarus eſſe debet, non tamen probare eas.

19) Quod multis perſuaſum eſt, ſolos ICtos eſſe politicos ex definitione vocabulorum Jurisperiti, & Juriſconſulti apparet, vero non eſſe conſentaneum.

20) Jurisperitia vulgo ſic dicta, quæ eſt cognitio quælibet Juris illius, quod vel olim uni romano populo, vel ſimpliciter uni alicui civitati eſt proprium, alibi minus, alibi magis operoſa eſt, & difficilis.

21) Dividitur in Jurispublici & privati peritiam.

22) Juris privati periti apud Romanos κατ' ἐξοχὴν JCti audiebant.

23) Finis ejus Juris eſt legitimæ atque uſitatæ, in rebus cauſſisq; civium æqualitatis conſervatio.

24) Reapſe aliud eſt peritum eſſe juris forenſis, & idoneum reſpondere de factis & negotiis hominum ſecundum Jura.

25) Uterque hic Jurisperitus differt, ut in proble. Ariſt. Philoſophus ab Oratore diſtinguitur.

26) Jus cujuslibet civitatis vel nude tantum ſcitur vel accurate; priore modo ſcitur nihil aliud, quam quales leges in republica obtineant; poſteriore, quem in uſum ſingulæ leges ſint latæ, & quid commodi aut incommodi publice adferant.

27) Nuda etiam cognitio vulgo Jurisperitia vocatur, accurata Jurisperitiæ limites excedere creditur; multum tamen nudæ illi anteferenda eſt.

28) Jurisperitiæ & prudentiæ nomen, ſi vim vocum ſpectemus, illa vere & proprie demum meretur, qua tenemus quæ leges cuivis reipublicæ ſpeciei conveniunt.

29) Hæc cognitio ſola majeſtatem nominis adimplet.

30) Male Jurisperitia a multis politica, & Jurisperiti Politici cenſentur.

31) Non legum tuæ civitatis cognitione, ſed alia quadam prudentia (quæ eſt politica) civitati tuæ conſules.

32) Juris privati ſ forenſis cognitio a civili prudentia multum abeſt.
33) Illa juriſperitia quæ caret notitia rationis & æquitatis, utilitatisque legum, adhuc remotius a civili prudentia abeſt.
34) Imo ne artis quidem aut prudentiæ aliquod nomen tueri poteſt.
35) Hæc peritia optimo jure peritia hiſtorica dicenda.
36) In juris romani veteris peritia hiſtorica illius cognitionis natura maxime conſpicua eſt.
37) Ita poſſe leges humanis negotiis aptare, ut ſive ipſemet tibi, ſive aliis ſecundum eas poſſis cavere, prudentiæ eſt.
38) Non tamen civilis, ſed ex parte judiciariæ.
39) Qui in foro valent, ii non illius reipublicæ eo ipſo ſunt apti, quam juvent conſilio, aut ſervent a lapſu, aut collapſam reſtituant.
40) Secundum Platonem rabulæ forenſes in beata republica ne tolerandi quidem.
41) Magnæ prudentiæ eſt pernoſcere ſimul, num id, quod lege conſtitutum eſt, reipublicæ utile ſit nec ne, & in quantum ſit utile.
42) De utilitate & æquitate legum latarum nemo judicare poteſt niſi norit 1) quid in ſeſe æquum & reipublicæ conveniens ſit.
43) 2) Illius populi, & illius reipublicæ, cujus ſunt, leges, indolem, mores atque inſtituta.
44) Hoc intelligere eſt politicæ prudentiæ. Qua proinde inſtructus eſſe debet juriſprudens, quo de nunc agimus.
45) Ad reipublicæ gubernationem multa pertinent, quæ legibus certis definiri nequeunt.
46) Qui vulgo ſingulariter dicta juriſprudentia ſunt imbuti, minime ſunt politici.
47) Et licet agant paſſim id, quod vere eſt politicum, non ſuæ Juriſperitiæ habitu, ſed vel συνέσει quadam naturali, vel acquiſita aliunde prudentia agunt.
48) Male a quam multis creditur, civilem prudentiam non ex libris, aut a Doctoribus ſingulari opera petendam, ſed ſufficere ad eam nativam quandam ſolertiam.
49) Rhetores quod ſibi politicorum nomen olim tribuerunt, factum eſt partim per arrogantiam, partim per ignorantiam, partim ob alias cauſſas.
50) Inter Rhetoricam & civilem prudentiam ingens eſt diſcrimen.
51) Qui longo uſu peritiam aliquam rerum civilium ſibi comparaverunt, ita ut cum laude in republica verſentur, audiunt quidem haud injuria aliquo modo politici, exacte tamen tales non ſunt.
52) Subjectum politices eſt civitas.
53) Quæ ruditer deſcripta, eſt liber aliquis & ſui juris & perfectus, multorum hominum cœtus bene vivendi cauſſa coalitus.
54) Peritia reipublicæ ex voto optime in vita parum eſt utilis, certe magis ex re eſt cognitio reliquarum reipublicæ ſpecierum.
55) Qui illam optimam aut ſingularem aliquam, ſive veterem, ſive novam, politicæ ſubjectum eſſe volunt, multum errant.
56) Civitas ac reſpublica tanquam genus multas ac varias ſpecies comprehendunt.
57) Integri illius generis omniumque ejus ſpecierum una aliqua doctrina, unaque ſcientia eſt, eaque quam maxime perfecta.
58) Ea, quæ circa unius alicujus reipublicæ ſpeciem occupatur, nomen civilis ſcientiæ ſimpliciter non meretur.
59) Quam maxime ſciendum Politico, quemadmodum quælibet omnino reſpublica cum ab initio conſtitui, tum conſtituta conſervari poſſit.
60) Ea propter tenendæ illi omnium omnino rerumpublicarum ſpecies, nulla vel minima neglecta.
61) Politicæ ſcientiæ eſt per omnes reſpublicas curam diffundere, non tamen ad ſingulas deſcendere.
62) Politicus tamen circa ſingulas etiam reſpublicas verſari poteſt.
63) Ad civilem prudentiam pertinent eæ ſolæ affectiones, quæ de civitate primo ac per ſe prædicantur.
64) Quæ vero reipublicæ primo ac per ſe non inſunt, a Politica ſcientia aliena ſunt.
65) Male nonnulli moralem, œconomicam, pecuniariam, militarem, judiciariam prudentiam ad politicam referunt.
66) Hæ quidem civitati adminiſtrandæ inſerviunt, nequaquam vero ſunt partes politicæ.
67) Politicæ quidem eſt, de omnibus diſpicere, tamen eatenus duntaxat, quatenus illa reipublicæ utilia vel noxia ſunt.
68) Uſurpat tunc πολιτικὴ τὰ κοινὰ ἰδίως.
69) Nulla univerſalis rerum civilium cognitio eſt empirica.
70) Eorum, quæ in rebus civilibus contingunt, certæ ſunt cauſæ.
71) Quo quis prudentior, eo magis perſpectas habet rerum civilium cauſſas.
72) Ad res feliciter gerendas per eſt neceſſaria & utilis cauſſarum notitia.
73) Qui experientia duntaxat inſtructus eſt, etſi ad quædam opera peragenda ſufficiat, ſimpliciter toti reipublicæ curandæ non par eſt.
74) Ad res agendas multum intereſt inter experientiam & artem.



Digitized by Google

75) Qui res præclare gerunt in republica, non revera uſu ſolo & experientia, ſed ingenii beneficio, aliquid ejus, quantum ad res gerendas ſatis ſit, didicerunt.

76) Ingenio qui valent eoque recte utuntur, artes & ſcientias proprio Marte condere idonei ſunt.

77) Empirici in paucis, iisque uſitatis negotiis, ætate jam ſenili demum valent.

78) Artifices vero ad quævis reipublicæ negotia apti ſunt, idque ætate adhuc integra.

79) Rerum civilium exacta ſcientia, non ſolo uſu, ſed mentis ratione comparatur.

80) Qui doctorum officio funguntur, non oratoriis declamationibus, ſed demonſtrationibus politicam doctrinam expedire debent.

81) Qui demonſtrationes huic methodo circa res agendas occupatæ abjudicant, male agunt.

82) Ab Ariſtotele quinque mentis noſtræ habitus numerantur, qui certam rerum veritatem percipiant ſapientia, ſcientia, prudentia, ars, & quem græci νοῦν appellant.

83) Nos politicam vere & proprie dictam ſcientiam eſſe affirmamus.

84) Poteſt etiam prudentia cenſeri, in quantum videlicet hac ſcientia imbutus quis redditur aptus reipublicæ gerendæ.

85) Sapientiæ nomen ei non convenit.

86) Neque etiam proprie artis nomen.

87) Illæ prudentiæ civilis ſpecies, quæ fraudibus ac ſceleribus potiſſimum ſtudent, haut omnino perperam artis nomen merentur.

88) Politica, inter Philoſophiæ partes merito recenſenda.

89) Reſpectu etiam civilis ſocietatis, non ſimpliciter tamen, ut nonnulli exiſtimant, eſt architectonica omnium ſcientiarum.

90) Experientia civilis in omnibus omnino reipublicæ ſpeciebus earumque caſibus, eventis, moribus, inſtitutis occupata eſſe debet.

91) Experientia alia propria, alia aliena eſt.

92) Propria minus juvat, quoniam raro ad omnia pertingit.

93) Alienæ cumprimis innititur civilis ſcientia.

94) Hiſtoria eſt locupletiſſimum compendium alienæ experientiæ.

95) Hiſtoria, quæ in civilium rerum narratione verſatur, hic maxime requiritur.

96) Hiſtoriarum civilium illæ, quæ eventuum civilium cauſſas haut negligunt, quam maxime ſunt utiles.

97) Eæ vel veræ ſunt, vel fictæ.

98) Fabulæ non niſi per accidens conducunt ad civilem ſcientiam comparandam.

99) Ex fabulis nihil certæ experientiæ poſſumus conſequi.

100) Apologi multo minus per ſe quidem ad parandam ſcientiam civilem faciunt.

101) Ad uſum civilem plurimum facit, ſi tenens, quid apud varias gentes aut civitates, vel legibus ſit cautum, vel receptum conſuetudine, quantumque commodi, inſtituta illa ſingulis civitatibus adferre ſoleant.

102) Epiſtolarum & orationum nonnullarum deliberativi, interdum & demonſtrativi generis lectio ad civilem ſcientiam acquirendam multum juvat.

103) In omnibus his ſcriptis non eſt, cur ſimpliciter vetera novis quidem, aut veteribus nova anteponamus.

104) Ut civilem prudentiam ex omnibus his conſequaris, neceſſum eſt, ut ſumma quæque attentione perpendas, deinde omnia firmiter memoriæ imprimas ſæpiusque repetas.

105) Ad civilem prudentiam, perinde ut ad reliquas eruditionis partes, quatuor adminicula requiruntur 1) φιλοπονία, 2) φιλαλήθεια, 3) εὐφυΐα quædam ingenii, 4) Logices peritia.

106) Præter hæc quatuor nihil intereſt experientia civili inſtructo, quod neceſſum ſit ad politicam addiſcendam.

107) Ut recte ſeſe hæc habeant accedat neceſſum eſt educatio.

108) Reſpublicæ non poſſunt commode adminiſtrari, niſi ad Leoninam generoſitatem, vulpinæ quid artis acceſſerit.

109) Exempla ex hiſtoriis aut uſu deſumta, nihil valent ad res gerendas, niſi ex illis univerſalem aliquam aſſertionem exſtruxeris.

110) Opus tamen hic cautela, ne vera pro falſis accipias.

111) Quod explorari tripliciter poteſt 1) ſi inquiras, in autoritatem illorum, a quibus politica γνώμη profecta.

112) Si examines 2) ipſam γνώμην ad experimenta ſive uſu proprio comperta, ſive in hiſtoricis ſcriptis memorata.

113) 3) Si in cauſſam pronunciati inquiſiveris.

114) Univerſalia nata proxime ex civilibus experimentis, ſunt principia ſcientiæ civilis.

115) Singularum rerumpublicarum ſcopus exacte nobis cognitus eſſe debet.

116) Subjectum præcipuum in politicis eſt, humana natura, in quantum ea civilium bonorum capax eſt.

117) Secundarium vero ſunt ipſamet bona civilia.

118) Adoleſcens non eſt idoneus auditor politicæ ſcientiæ.

119) Poteſt tamen δόξαν aliquam ſive opinionem exquiſitam ſibi comparare, ſi incidat in commodum magiſtrum.

120) Puer adhuc multo minus huic ſcientiæ addiſcendæ aptus eſt.

121) Qui

Digitized by Google

121) Qui non partem ſcientiæ civilis, ſed quod ejus integrum eſt, animo comprehendit, optime omnium reipublicæ conſulere poteſt.
122) Qui unam aliquam reipublicæ alteramque ſpeciem plene addiſcit, proximo loco cenſendus.
123) Ad reipublicæ adminiſtrationem particularem requiritur porro accurata cognitio, cum perſonarum, tum rerum omnium ſingularium, circa quas & cum quibus ex præſcripto politices aliquid agendum venit.
124) In eundem uſum non domeſtica tantum, ſed etiam peregrina cognoſcenda, quorum alia præſentia ſunt, alia præterita.
125) Eidem fini hiſtoria rerumpublicarum aut civilium negotiorum noſtri proximi temporis præ veteribus ſingulari cura & ſtudio volvenda.
126) Ut commode adminiſtres aliquam rempublicam, omnia quæ civitatis & propriæ & vicinarum ſunt reditus publicos, bellum & pacem, cuſtodiam regionis, quæ importantur & exportantur, leges denique concernunt, accurate addiſcenda habet.
127) Hoc nequit fieri ſine ſedula in rebus civilibus cujuscunque generis exercitatione.

# VII.
## HERMANNI CONRINGII DE
# CIVILI PRUDENTIA LIBER UNUS.

Quo Prudentiæ Politicæ, cum Univerſalis Philoſophicæ, tum Singularis pragmaticæ, omnis Propædia acroamatice traditur.

Δεῖ πεπαιδεῦσθαι πῶς ἕκαστα ἀποδεκτέον

## Dedicatio.

*SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO*

# AUGUSTO

Duci Brunſvicenſium & Lyneburgenſium
*Domino Meo Clementiſſimo.*

Ea eſt in uſitata Vitæ Tuæ, AUGUSTE Princeps, felicitas, ea diuturnitas, ut quandoquidem vix fidem inventura forte eſt apud poſteritatem, maxima ſit opera danda, quo certum ejus aliquod nunquam non ad poſteros exſtet monumentum. Annus ſcilicet vitæ jam tum agitur Tibi quartus poſt octuageſimum: quem mortalium pauciſſimi attingunt, qui attingunt autem, fere morbis & ſenio confecti non habent, quod lætentur, in diſpendium potius, quam augmentum felicitatis ſuperſtites. Tibi vero, AUGUSTE, (liceat repetere mea ex gratulatoria natalis Tui nuperi) corporis robur, quale ab aliquot annis. In victu nihil novi. In labore idem, qui ante hac, vigor. Ingenium promptum. Judicium exquiſitum. Memoria non recentium minus, (quod ſenectuti inſolens) quam veterum tenaciſſima. Priſtina ſciendi omnia curioſitas: & agendi omnia, publica, privata, indefeſſa induſtria. Non alia, quam antehac, in Deum pietas, erga neceſſitudines caritas, humanitas erga omnes. Morum idem lepor: nihil ex ſenio tetrici aut moroſi. Eadem, quæ antehac ſemper, inter negotia quamvis graviſſima, otii & recreationis vice, perpetua librorum cura: Unde & Bibliothecæ Auguſtæ dudum jam incomparabili, perpetuum incrementum. Nihil ejusmodi temere privatæ ſortis homini contingit. In Principe mirum eſt eo magis, quo plerumque is ordo minus eſt longævus. Nemini ſcilicet majorum Tuorum, Sereniſſime DUX, hactenus id obtigit. Germaniæ Principes quotquot ſunt cedunt huic Tuæ felicitati. Num quis eorum antehac ita floruerit, haud me legere memini. Præter Maſiniſſas, Hierones, Ageſilaos, ne priſca quidem ætas dedit temere quenquam, dignum qui in contentionem venire mereatur. Taceo nunc, quæ alia Tibi pene indies eveniunt in novæ felicitatis magnitudinem: & tamen nihil non horum etiam, θεοφιλέστατε AUGUSTE, quoties res Tuas volvo animo (nunquam autem illæ animo excidunt) me rapit in admirationem, impellitque ad benigniſſimo Numini agendas immortales gratias. Et vero in meæ quoque felicitatis non levi parte colloco, quod non favore duntaxat dignum Tantus Princeps me judicaveris, ſed etiam cum ſis ſapientiſſimus a conſiliis eſſe juſſeris. Eapropter deſidero equidem memoriam aliquam ad poſteros transferre, ſi poſſim, meæ quoque hujus fortunæ, quam Tuæ voluiſti eſſe quaſi appen-

Digitized by Google

pendicem: vereor duntaxat, ne libris meis inepte auſim illam promittere diuturnitatem. Gratulabitur ſcilicet aliquando hic orbis noſtro ævo, de Te inuſitatæ felicitatis ac doctrinæ principe; me vero etiam æſtimabit, quod Tanto Heroi potuerim non diſplicere. Quod ſi non renueris, PRINCEPS OPTIME, hic ipſe liber, cum aliud jam nihil ad manum, tentabit, num poſſit ſperatam hanc memoriam conſervare. Etſi enim fortaſſis ipſa tractandi ratio levior ſit, argumenti tamen ea eſt bonitas, ut deſiderium aliquod ſui audeat polliceri. Si autem hæc ſpes decollet, pium affectum ſaltim haud dubito a nemine improbatum iri. Ego interim non deſinam precari Tibi, AUGUSTE Princeps, Vitam longam, Valetudinem firmam, & perpetuam Felicitatem.

*Sereniſſimæ Celſitudini Tuæ*
*ad conſilia & obſequia*
*devotiſſimus.*

Ex Acad. Julia M DC LXII.
XIV. Kal. Sept.

H. CONRINGIUS.

# BENEVOLO LECTORI

## *S. P. D.*

*Nullius voluminis atque hujus moroſa mihi & plena tædii conſcriptio fuit hactenus. Annus videlicet undecimus hodie agitur, quum prioribus capitibus ſeptem typis juſto calore editis, ad alia plane abreptus ſum. Neque integro quadriennio reverti ad haſce curas licuit. Illo autem elapſo, cœpi quidem iterum horis ſucciſivis iſti operi manum admovere, ſimul vero octavum & nonum caput fuit additum, coactus denuo fui calamum ponere. Triennio poſt ad intermiſſa reverſum eadem excepit fortuna. Ubi enim decimum undecimum atq; duodecimum caput abſolviſſem, præter omnem exſpectationem, tertia vice negotia complura alia ita me occupaverunt, ut non ſemel (fateor) conſtituerim nunquam telam illam, neſcio quî infelicem, perextere. Et vero cum meus ſcribendi mos fere ſit extemporaneus, paulatim excidebant animo, quæ ſubinde meditatus fueram, τὰ προπαιδευτικὰ, nec patiebantur quamplurimæ enaſcentes ſubinde occupationes talia quidem in memoriam revocare, quæ ab ipſomet rerum actu remotiora ſunt. Nec tamen unquam abjicere prorſus conſilium permiſit, partim typographus jus aliquod ſuum urgens, partim probe mihi nota magna utilitas Philoſophiæ civilis rectius ſolito impoſterum excolendæ, partim denique perpetua flagitatio, cum acri inſectatione interdum conjuncta, multorum præſtantium virorum, quorum in manus plagulæ editæ pervenerant. Ita quartum, ſuperiore tamen, maxime autem hoc demum anno, ad abruptam ſæpius operam aggreſſus, ægre illam denique inter plurimos labores abſolvi. Utinam vero non fallat deſiderium opus jam editum! Vereor equidem ne exſpectaverint nonnulli ipſammet Politicam ſcientiam, dolituri jam pro theſauro quod ajunt oblatum ſibi carbonem, Non dubito, fore qui ægre laturi ſint, ea prolixitate, atque illo ſtudio actum eſſe de argumento fortaſſe ponderis reapſe non adeo magni, nec adeo neceſſarii, imo nullius ſingularis ad vitam uſus. Verum enim vero priores quidem illi non poterunt jure de me conqueri. Titulus enim ipſemet libri ſatis prodidit, non ſcientiam ipſam politicam doceri, ſed de ſcientia ſive de prudentia civili. Quæ inter, revera ingens eſt differentia. Quodſi quem igitur fefellerit ſua exſpectatio, habet, quod ſeſe accuſet, non me autem; qui ultra id, quod egi, nihil ſum pollicitus. Si legere tamen etiam hæc gravatus haud fuerit, certe ſi intellexerit, quamvis ſpe exciderit, non carbonem tamen reperturum, ſpondeo. Enimvero ita cenſeo, ad recte parandam quamlibet ſcientiam, nihil magis utile, imo nihil magis eſſe neceſſarium, quam cujusq; ſcientiæ προπαιδείαν, priusquam ad ſcientiam ipſam facies acceſſum, didiciſſe: vulgo etiam, non alia æq; de cauſſa, parum ſæpe operæ pretii præſtari, a magiſtris pariter & diſcipulis, quam culpa ἀπαιδευσίας, non illius tantum omnibus ſcientiis & artibus communis, ſed etiam ejus, quæ cuilibet ſcientiæ eſt propria & quaſi domeſtica. Quî videlicet juſtos queas profectus facere, ſi ignores limites ſcientiæ, quidnam iſthuc pertineat, quid alienum ſit: ſi ignores qualibus rationibus probari quæque debeant, & quibusnam quæque nitantur: ſi ordinis in docendo diſcendoque obſervandi ſis imperitus, & ὕστερον πρότερον progrediare: ſi denique neſcias, quibusnam adminiculis inſtructo accedendum tibi ſit ad ſcientiam aliquam capeſſendam, atque ita imparatus advenias? Iſthæc vero omnia docere, eſt προπαιδείας officium. Id quod alibi demonſtratur. Omnibus conſtat præterea, quoniam bona pars eruditionis, a mutis eſt magiſtris petenda, magni ad parandam ſcientiam quamvis eſſe commodi, noviſſe per quos proficere poſſis: nec cujusvis eſſe, facta juſta omnium cenſura, optimos ſeligere. Quamvis autem hæc opera olim non fuerit accenſita παιδείας functionibus, revera tamen iſthuc potiſſimum facit: eoque hactenus, in docenda προπαιδείᾳ ſcientiæ aut artis alicujus, ſemper eam adjungere ſum ſolitus, idque fruſtrante nunquam exſpectationem ſucceſſu. Atqui hæc illa ſunt, quæ hoc volumine docui, de Civili ſcientia aut Prudentia univerſali. Docui vero & integro capite duodecimo* de Prudentia ſingularium rerum civilium, & ſeorſim omnium, & integræ alicujus civitatis. *Quæ cuncta num utilia ſint, aut etiam neceſſaria, iis qui Politicos præſtare ſe cupiunt, non jam amplius incertum eſſe, exiſtimo. Inuſitata vero prolixitate omnia iſthæc me proſequutum, non equidem diffiteor: nec tamen in eo culpam agnoſco commiſſam, ſed potius laudem & gratias me promeritum. Enimvero, graviſſimis erroribus ſenſi teneri paſſim homines, etiam doctos, quique ſe magiſtros hujus Philoſophiæ profitentur, circa Politicam omnem prudentiam: & fere eo rem illius ſcientiæ deveniſſe, qui fuit priusquam a Sophiſtarum corruptelis eam olim Socrates, Plato, & Ariſtoteles vindicarunt. Quemadmodum igitur magnis illis viris cum Sophiſtis multiplex fuit contentio, quod Platonis ſcripta quam maxime produnt; ita ſine aliqua prolixiore diſputatione nec a me in integrum reſtitui utiliſſima illa & ampliſſima Philoſophia potuit. Sed & de Prudentia ſingulari, & cognitione rerumpublicarum ſingularium, a nemine fere quidquam hactenus fuerat dictum. Nec cenſura*



Digitized by Google

*ſcriptorum Philoſophiæ huic utilium, tanto in numero, potuit anguſtos intra cancellos compingi. Bene Galenus:* Non oportet intueri multitudinem librorum, ſed multitudinem & magnitudinem rerum propoſitarum: & conſiderare, num poſſit de illis dici brevius aliquid, ſed ita ne eorum, quæ neceſſaria ſunt, quid omittatur. *Ego vero non diffitebor, capite nono nonnulla abs me diſputata, quæ alibi jam tractanda fuerant, de Experientia item & Demonſtratione quædam allata* ἀλλότρια, *Sed excuſabit me ſpero, quod ſuo loco talia a magiſtris aut omiſſa aut perperam fuerint tradita. Ut proinde quæ ad rem faciebant ex vero doceri abs me haud potuerint, niſi alieno quamvis tempore bene jactis eorum fundamentis. Ut, ut ſit vero in eo aliquid culpæ, compenſabit tamen, eam ſpero, quæ ex illis quamvis peregrinis, multiplex poteſt utilitas accipi. Hiſce vero exceptis, nego equidem brevius hoc argumentum ſine diſpendio expediri potuiſſe. Cum utique* ἀκροαματικῶς *circa hanc methodum philoſophari propoſitum mihi fuerit: cui operæ* οἰκεῖον ἐςὶ, τὸ μὴ παρορᾶν, μηδὲ τι καταλείπειν, ἀλλὰ δηλοῦν τὴν περὶ ἕκαςον ἀλήθειαν; *ut præclare loquitur Ariſtoteles. Nec equidem diffiteor, cuilibet ad res civiles agendas, atque adeo ad rerum illarum ſoli actui inſervientem notitiam, tam accurata* προπαιδεία *non eſſe opus: nec me fugit, quam ſit* λυπηρὸν τὸ ἀκριβὲς *iis, qui exquiſitæ ac limatæ doctrinæ non aſſueverint. Verum nec illis hæc ſcripſi: ne tamen etiam illis deſim, alio ejusdem quidem argumenti populariore tamen &* ἐξωτερικωτέρῳ *ſcripto, jam conſului. Non licuit tamen in gratiam rudiorum ab omni hac accuratiore doctrina abſtinere. Qui poteſt capere, capiat. Qui non, ipſemet quidem altero illo libello ſit contentus, aliis tamen haud invideat doctiora & magis expolita. Iniquum ſane fuerit, leges quasque ſcribendi ab ſolo imperitorum captu accipere. Ego vero haud dubito, ut hæc tyronibus omnibus non perinde conveniant, aliis tamen utiliſſima futura, ſi non ſtatim, ſaltim ad poſteritatem. Spero tamen, etiam dum vivo adhuc, huic meæ fiduciæ felicem ſucceſſum reſponſurum. Id ſane uti contingat, quoniam publice expedit, Deum obſecro. Tu vero, Lector, Vale & porro Fave. Helmſtadii in Acad. Julia* CIↃ. IↃ. C. LXII. XIV. *Kal. Septemb.*

HERMANNI CONRINGII

*DE*

# CIVILI PRUDENTIA LIBER UNUS.

## CAPUT I.

### *Politicam ſive civilem prudentiam, non eſſe peritiam civilitatis morum, aut facultatem blandiendi & ſeſe conformandi omnibus.*

§. 1.

Civilis prudentia, quæ & qualis ſit, unde quibusve modis & poſſit & debeat comparari, quis ordo in docendo ſit obſervandus, ſi illam integram tradere collibuerit, quodnam denique in docenda illa pretium operæ fecerint omnis ævi ſcriptores, interque eos, qui maxime præſtent cæteris, qui ſecundum vel tertium locum commeruerint, adeoque omnem ejus προπαιδείαν quam veteres dixere, accuratius nonnihil tradituris, ante omnia vocis ipſius recta ſignificatio & verus uſus venit eruendus. Exigit ſane idipſum cum alias ſemper juſta docendi ratio, tum hic maxime eſt neceſſarium: quoniam illius rei neglectu compertum eſt pene fieri, ut dum alia atque alia iſthoc prudentiæ nomine venditantur, veram & germanam vulgo amiſerimus.

§. 2. Igitur idem quid illo civilis prudentiæ vocabulo notari atque voce politices, certum quidem eſt; cæterum & hoc nomen *ambigui eſt uſus.* (*a*) Et vero quum Politicus ſi is, qui politica eſt imbutus, ſi vulgus quidem audias, politicus aut homo civilis eſt quisquis morum aliqua *urbanitate & cultu* (*b*) valet præ reliquis; in quo ſcilicet plus nonnihil eſt ſalis, quam in aliquo de vulgo, quique adeo in communi vita elegantius ſeſe gerit, qua inceſſu, qua ſermone, qua geſtu. Ut proinde πολιτικὴ fuerit peritia cultioris illius vitæ, morumque omnium elegantiorum.

§. 3. Verum enim vero, eſt quidem & illa peritia prudentiæ ac virtutis ejusdem nomine haud indigna, eoque ſuis quoque conſtat legibus, quas proinde & ſcripto viri aliquot præclari comprehenderunt: nec qui eam non tenet vere & ἁπλῶς prudens eſt. Ad civilem quoque congreſſum & ſocietatem non utilis tantum, ſed & quadamtenus neceſſaria eſt elegantia iſthæc, utpote, quum moroſum, difficilem & agreſtem hominem, ad res gerendas minus aptum eſſe, omnibus ſit exploratum. Proinde non poteſt neque debet in politico aut civili homine deſiderari hoc quicquid eſt virtutis ac prudentiæ. Præclare enim Seneca: *Eſto ſermone affabilis acceſſuque facilis; vultu, qui maxime populos demeretur, amabilis: æquis deſideriis propenſus, nec iniquis acerbus.* Multum tamen abeſt, ut illud mereatur politicæ artis laudem & cognomentum, aut uti is, qui hac valet, eo ipſo vere ſit Politicus. In confeſſo nimirum eſt, politici officium maxime occupari in regenda qua-

(*a*) *Ambigui eſt uſus.*) HORNIUS *de civitate Proœm. Cap. I. §. 14. Ingens,* inquit, *abuſus auguſti nominis eſt, quoties deſperatiſſima malitia homines, qui honeſtatem, fidem, religionem, Deum juxta æſtimant, tam ſublimi titulo indigniſſime vulgo inſigniuntur.* Quam ſententiam Gramondi aliorumque teſtimoniis comprobat. Conf. *Compendium Politicum* CLASENII *in prolegomenis,* GOEBEL.

(*b*) *Urbanitate & cultu.*) SAM. STRYCKIUS in Diſſ. *de civilitate nociva Cap. III.* §. I. *Tom. V. Diſput. VII.* dicit, hodie fere illos tantum vocari politicos, qui omnium hominum ingenio ſemet accommodare, omnium gratiam moribus commodis & variis ſibi conciliare ſciunt, quos ideo dicamus homines omnium horarum, GOEBEL.

Digitized by Google

quavis republ. eaque vel primum inſtituenda vel corrigenda vel conſervanda: hæc ſane agere, omnes credunt politicorum eſſe. At profecto peritia iſthac elegantioris vitæ quidquam horum minime omnium effeceris. Imo ut ſis agreſtior & incultior, fieri tamen poteſt, ut, etſi non omni, magna tamen ex parte reip. profis plurimum. Quemadmodum C. Marius, homo plebeji ordinis Romanæ reipubl. plus commodi profecto attulit, quam ex nobilitate elegantes illi, etſi quod exprobrabant ipſi vulgo *ſordidum illum eſſe & incultis moribus, & parum ſcite convivium exornare*, negare haud potuerit, in excuſationem afferens, *munditias mulieribus, viris laborem* convenire: quod refert Saluſtius *lib. de bello Jugurth.*

§. 4. Sane omnis illa civilitas morumque cultura, tantum id unum ſpectat, quo nemini ſis eorum, quibuscum verſaris, moleſtus, ſed jucundus potius, ceu recte obſervatum eſt Ariſtoteli *l. 4. Ethic. Nicomach. c. 6. & ſeqq.* idipſum autem, a reipubl. vitæque humanæ negotiis potiſſimis multum eſt diverſum. Hinc etiam, quicquid illius eſt ὁμιλητικὸν, longe infra naturam reliquarum eſt virtutum, ac proinde haud male vulgo ſemivirtutum titulo ſolet nuncupari. Politici itaque, ſunt quidem elegantes illi, & civiles, & urbani, utque Græci loquuntur ἀστεῖοι: vere politici autem hoc ſuo ſchemate nequaquam ſunt, nec audire debent.

§. 5. Si hæc autem ita ſeſe habent, ut profecto ſeſe habere negari temere nequit, manifeſtum etiam eſt, non mereri politicorum cognomentum eos, qui *blandiri duntaxat* (a) norunt omnibus aut adſentari: quod tamen itidem vulgo ſolet haud paucis videri. Ad hunc ordinem vero retuleris etiam illos, qui in omnes ſeſe formas commutant commodi privati cauſſa. Quo nomine laudatus olim ipſimet Homero Ulyſſes, πολύτροπος hinc & πολύμητις paſſim illi dictus. Laudatus ab aliis, ab aliis vero exagitatus eadem de cauſſa olim & Theramenes, is, qui cum inter quadringentos tyrannos, primum fuiſſet Athenis, inde verſo conſilio, populi partes tutatus eſt. Et vero virum bonum fuiſſe credideris potius Xenophonti, quam vituperanti cum Lyſiæ. De illo autem in Ranis Ariſtophanes, ut Latine tantum ejus verba nunc exprimam: *Sapientis eſt*, inquit, *& ejus, qui multa paſſim maria navigavit, ſeipſum potius ad parietem feliciorem convertere, quam ſtare ut pictam imaginem eadem ſpecie: verum ſe flectere ad mollius dextri viri eſt, & præditi ingenio Theramenis.* Cumprimis vero famam, hoc verſatili ingenio meruit Alcibiades, de quo Cornelius Nepos *in Alcib. Idem, cum tempus poſceret laborioſus, patiens, liberalis, ſplendidus non minus in vita, quam victu, affabilis, blandus, temporibus callidiſſime inſerviens: Idem ſimul ac ſe remiſerat, nec cauſa ſuberat, quare animi laborem perferret, luxurioſus, diſſolutus, libidinoſus, intemperans reperiebatur: ut omnes admirarentur in uno homine tantam ineſſe diſſimilitudinem, tamque diverſam naturam.* De eodem Alcibiade Theopompus & Timæus, hiſtorici veteres Græci, prædicarunt *apud Nepot. l. cit.* etiam hoc amplius: *cum Athenis, ſplendidiſſima civitate, natus eſſet, omnes Athenienſes ſplendore ac dignitate vitæ ſuperaſſe: poſtquam inde expulſus Thebas venerit, adeo ſtudiis eorum inſerviſſe, ut nemo eum labore corporisque viribus poſſet æquiparare: omnes enim Bœotii, magis firmitati corporis quam ingenii acumini inſerviunt: Eundem apud Lacedæmonios, quorum moribus ſumma virtus in patientia ponebatur, ſic duritiæ ſe dediſſe, ut parſimonia victus atque cultus omnes Lacedæmonios vinceret: Fuiſſe apud Thracas homines vinolentos, rebusque Veneris deditos, hos quoque in his rebus anteceſſiſſe: Veniſſe ad Perſas, apud quos ſumma laus eſſet, fortiter venari, luxurioſe vivere; horum ſic imitatum conſuetudinem, ut illi ipſi cum in his rebus maxime admirarentur: Quibus rebus effeciſſe, ut apud quoscunque eſſet, princeps poneretur, habereturque cariſſimus.*

§. 6. Quantumvis vero & illi olim ita fuerint laudati, & hodienum qui iſthoc ſunt ingenio, maxime politici exiſtimentur & audiant, tamen ut prudentiæ aut potius verſutiæ & calliditatis nomen illi rei non detrahas, procul abeſt a civili prudentia, utpote quum iſthæc proprie & per ſe munia regendæ reipublicæ ne attingat quidem. Ne laudaveris quidem illam recte, quum ne boni quidem viri ſit, ita ſeſe gerere. Quamvis, ut ille paraſitus in Comœdia inquit, *hic quæſtus in vita multo ſit uberrimus.* Etenim, *ſi vel non honeſtum ipſi fuerit vel damnoſum etiam obſequi, id minime faciet vir bonus, ſed gravate ſe geret, potiusque moleſtus eſſe volet: ſi item obſequium facienti aut dedecus atque id non parvum, aut damnum, adverſario autem dolorem parvum allatura ſit, non admittet, ſed ægre feret ac repudiabit*: prout recte docet Ariſtoteles *lib. 4. Ethic. cap. 6.* Atqui ab honeſti viri numero excludere politicum, aut extra honeſtas artes politicam collocare, nefas omnino videtur. Bene quidem igitur Seneca: *faciet ſapiens* (licet hoc nomine Politicum hic deſignare) *etiam quæ non probabit, ſed ut ad majora tranſitum inveniat: nec relinquet bonos mores, ſed tempori aptabit: & quibus alii utuntur in gloriam aut voluptatem, utetur agenda rei cauſſa.* Hactenus etiam ſeſe gerere omnino cogitur qui reipublicæ præeſt, ut nunc ſunt hominum mores. Tamen multum profecto abeſt, ut hoc ipſum abſolvas civilis prudentiæ ambitum. Id quod ex iis, quæ ſequentur, longe fiet clariſſimum.

CAPUT

(a) *Blandiri duntaxat.*) Hoc imprimis aulicis adulatoribus dictum eſto, de quibus vide PLUTARCHUM in *politicis* & BALTH CASTILIONEM *in aulico L. II. p. m.* 123. BOILEAU poſtquam deſcripſit Pedantem, *Satyr. IV.* egregie etiam politicum fucatum depingit. *D'autre part un galant, de quoi tout le metier eſt de courir le jour de quatier, en quatier, & d'aller à l'abri d'une perruque blonde de ſes froids douçeurs fatiguer le beau monde, condamne, la ſcience, & blamant tout ecrit, croit qu'en lui l'ignorance eſt un titre d'eſprit, que c'eſt de gens de cour le plus beau privilege, & renvoye un ſavant dans le fond d'un college.* Hic meretur conferri BOECLER *Comment. Plinianarum Cap. VI. §. 8. 9. T. I. Oper. p.* 755. Et quis dubitaret, hunc vocari poſſe Pedantem, ut ajunt, aulicum, inutile terræ pondus, ineptulum fruges conſumere natum. De adulatoribus, peſſimo mortalium genere, inſpiciendus THEOPHRASTUS & ad eum BRUYERIUS *in notis.* Confer. quoque *inſtruction pour un jeun ſeigneur part. II. p. 27. GOEBEL.*



Digitized by Google

# CAPUT II.

## *Perperam Politicos cenſeri numinis & honeſti omnis contemptores. Sed & per injuriam multos ita infamari.*

§. 1.

Invaluit hodie tetra quædam & horribilis acceptio vocis politici, qua is demum ita audit, qui ad commodum reipublicæ unice omnia ſic dirigit, *ut pietatem divinumque* (*a*) cultum huic poſtponat, imo habet inſuper. Qua acceptione Politicus omnis eſt ἄθεος, & politica eſt peritia præ utilitate reipublicæ Deum religionemque omnem aſpernandi. Non diu vero eſt, ex quo tali ſenſu vox hæc uſurpari cœpit. Illuſtre illud Galliæ ſidus & in hiſtoria ſui temporis princeps, Iacobus Auguſtus Thuanus, ſuperioris ſeculi anno ſexageſimo actavo a factionis henoticæ ſociis ita dictos notat, qui majorum religionem amplectebantur, ſed a turbis & factionibus, ac proinde a Lotharingorum partibus, erat alieni. *Tunc primum*, inquit, *l. 44. hiſt. Spond. in Annal. ad ann. 68. n. 15. Politici nomen in odium tractum in monumentis rerum noſtrarum video, in quod poſtea concionatores, graſſante licentia, ſupra modum debacchati ſunt: optimates, pacis qua religio & publica ſecuritas continentur ſtudioſos, eo notantes.* Et vero tantum in ſpeciem curari religionem majorum ab optimatibus illis, quum reapſe eſſent athei, finxerunt henotici illi. Ut proinde hæc ipſa ſit origo inuſitatæ illius & novæ ſignificationis.

§. 2. Per affinis huic altera acceptio eſt: qua Politicus audit ſive ſolus ſive quam maxime is, qui ad rationem ſtatus, quam vocant, omnia exigens, fas omne & nefas una illa metitur, adeoque id demum cenſet agendum, quod ratio ſtatus expoſtulat. Eſt autem & ille vocis uſus forte *poſt Machiavelli ætatem* (*b*) noviter exortus: quod hoc magiſtro eam doctrinam cœpiſſe, ipſe vero politicorum anteſignanus exiſtimetur. Neque vero qui perinde id aperte docuerit, quiſquam plurimis ſeculis eſt inventus.

§. 3. Quamvis vero utroque hoc modo politicus curatione reipublicæ cenſeatur, atque ſic politica ſit quædam ars regendi civitatem, adeoque hactenus a vero non abludat uſus, minime tamen eorum quiſquam eſt tolerandus. Ac primo quidem, argumentum falſi exhibet ipſamet illa ſignificationum novitas: cum politici tamen & politicæ & civilis prudentiæ vocabula, jam antiquiſſimis fuerint temporibus recepta, & quidem ſenſu plane alio. Indignus porro eſt politici nomine is, qui religionis curam non accurate & pie in civitate cenſet obſervandam. Nec profecto ulla civitas abſque hoc vinculo vel ad breve tempus ſibi conſtiterit. In quam ſententiam omnes utique gentes hactenus conſenſerunt experimentis certis inductæ. Optimi quoque legumlatores non apud Judæos, nec apud barbaros tantum, quos ita olim appellabant, ſed & apud Græcos ipſos Zaleucus, Lycurgus, Minos, Theſeus, ut & apud Romanos Numa, religionem pro fundamento habuerunt ſuarum legum. Si qui de divina providentia minus pie ſenſere, vulgo tamen in republ. aliter credi unice neceſſarium exiſtimaverunt. Ne in Machiavelli quidem ſcriptis ἀθεϊσμὸν commendari, fortaſſis uſquam legeris, ſi credimus ejus occulto defenſori Scioppio *l. de Pædia Pol.* etſi chriſtianæ fidei haud fuiſſe eo, quo par eſt, animo addictum, ſic ſatis appareat. Cæterum hanc rem latius alias perſequuti ſumus *in Exercit. de Majeſt. civ. auctor. circa ſacra*: neque hujus eſt loci religionis in republ. neceſſitatem ſummam oſtendere. Vel ex hiſce paucis tamen jam eſt manifeſtum, nullos veros politicos pietatem ac religionem ceu inutilem ſpernere aut flocci facere: tantum abeſt, ſi qui ejus ſint impietatis, κατ' ἐξοχὴν illos mereri politicorum cognomentum.

§. 4. Per graviſſimam porro calumniam illi, in quos novo iſthoc ſignificatu politicorum nomen in Gallia tractum eſt, aut qui alibi ejuſdem cenſentur ordinis, tanquam ἀθεϊσμοῦ ſive manifeſti ſive ſuſpecti, per vulgi ora ſunt traducti. Multorum ſane illius notæ pietas haud fucata etiam toti orbi innotuit. Sed & Martinus Becanus, vehemens Politicorum iſtorum, quos notari volunt, & acris reprehenſor, accurate quidem recenſet omnia, quæ ab illis diſputari ſolent, negatæ tamen vel etiam in dubium vocatæ providentiæ divinæ accuſat illorum neminem. *Quæ ab ipſis diſputantur*, ait *in præf. in lib. V. Manual. controverſiar. hæc fere & ſimilia ſunt. 1. An quilibet in ſua fide ſalvari poſſit? 2. An aliquando liceat negare fidem Chriſti, præſertim ad vitandam mortem? 3. An aliquando liceat tacere aut diſſimulare fidem Chriſti ob eandem cauſam? 4. An aliquando liceat ſimulare alienam fidem & religionem? & ſpeciatim. 5. An per ſimulationem liceat cum gentilibus idola colere? 6. An cum hæreticis publice orare? 7. An conciones illorum audire? 8. An ſacramenta cum iis participare? 9. An illos ad ſepulturam comitari?* 10. *An carnes cum illis comedere diebus ab Eccleſia probibitis?* 11. *An cum illis de fide diſputare? 12. An libros illorum legere? 13. An matrimonia cum illis contrahere? 14. An in aliis rebus cum illis paciſci? 15. An ſi paciſcaris cum illis, fides ſervanda ſit? 16. An Princeps Catholicus*

(*a*) *Pietatem divinumque cultum.*) Teſtimonia & exempla huc ſpectantia affert HORNIUS de *civitate proœm. Cap.* 1. Adſcribam tamen quædam ex THOLOSANO *de republica Lib. VI. Cap.* 18. *Nunc quoque ſunt quidam*, inquit, *qui politicos vocent catholicos chriſtianos, quod ſtudeant potius civili gubernationi, quam religioni, in opprobrium obtinentes hoc nomen, quo tamen nullum in republica præſtantius eſſe poſſit. Verum quia putant, præponi adminiſtrationem publicam curæ religionis, hoc nomen dicunt eſſe exoſum, quorum tamen quidam non intelligunt, quid ſit eſſe politicum &c.* Talem politicum proponit autor libelli, quem PELLERUS refutavit. *GOEBEL.*

(*b*) *Poſt Machiavelli ætatem.*) Conf. REIMARI Diſſ. *de Machiavelliſmo ante Machiavellum*, quæ totum hoc Caput egregie illuſtrat. Lectu dignus quoque eſt liber gallicus, cui titulus: L'*Alcoran de Louis XIV. ou le teſtament politique du Cardinal Mazarin*, cujus editionem in Hollandia inique admodum tuliſſe Galliæ regem, ex ESTRADII commentariis conſtat. *GOEBEL.*

Digitized by Google

*cus poſſit tolerare hæreticos in ſua provincia? 17. An poſſit illos pœna capitis afficere propter hæreſin? 18. An poſſit Judæos tolerare? 19. An Reges aut Principes habeant primatum Eccleſiæ? 20. An in aliquo caſu liceat mentiri? 21. An æquivocatione uti? 22. An qui juravit ſe permanſurum in Lutheraniſmo, teneatur præſtare?* Hactenus Becanus. Qui ſimul ingenue fatetur, non ab omnibus in univerſum ita dictis Polit. etiam hæc affirmari, ſed ab aliis hæc, ab aliis illa. Recte autem quædam horum aſſeri, & ſecundum Chriſti placita, jam tum alibi cœpimus probare, majori id ipſum induſtria iterum alias facturi. Etiam ſic vero patet, quanta cum injuria Politici illi atheiſmi inſimulentur, cum nemo hujus criminis notam mereatur, niſi qui aut Deum negat eſſe, aut quod in actibus reipublicæ eſt perinde, præmiis & ſuppliciis, bonis item ac malis, pro merito hominem a Deo negat affici. Inepte ſane & contra vim atque uſum vocabuli alios illi atheos fingere, ac in variis horum ordinibus etiam eos, qui ſymbolum fidei Chriſtianæ Apoſtolicum animo omni amplexantur, numerare haud erubeſcunt.

§. 5. Quid de ſecunda illa Politicorum ſpecie ſit ſentiendum, æque facile eſt dictu. Scilicet perperam illos etiam Politicos haberi, & ſumma injuria *fraudulentam verſutiam* (*a*) civilis prudentiæ titulum conſequutam eſſe. Meretur tamen res accuratiorem nonnihil explicationem, ne ſine ratione ita pronunciaſſe videamur. Initio vero exponendum eſt πολυτρύλλητον illud *Ratio ſtatus*, quo omnia ab iſthoc hominum genere tanquam cynoſura dirigi audivimus, quem habeat ſignificatum. Eſt enim latinis auribus, priſcis quidem, inſolens hæc loquutio, nec adeo pridem demum ex Italico verbotenus tranſlata. In ea vero definienda multum reperire eſt diſſenſionis, etiam inter eruditos. Videntur vero primum illi omnes longe a vi vocabulorum nativa diſcedere, quibus *Ratio ſtatus* prudentiæ aut peritiæ alicujus nomine definitur. Ut enim objectum ſive materiam aliquam (ceu loquuntur ſcholæ) circa quam occupetur prudentia ac peritia quædam, *rationem ſtatus* eſſe merito conceſſeris, peritia tamen ipſa aut prudentia iſthac voce non indicatur. Inique etiam interpretantur hanc vocem, quotquot illam non accipiunt, niſi de re ab honeſti limitibus abeunte. Certe, ſi vim & originem ejus apud Italos ipſos quæras, eſt illa μέση, ac nec virtutis quidquam nec vitii indicat: quamvis abuti illa vulgus ſoleat in pejus. Optime expreſſeris illam Latine per reipublicæ rationem, aut per commodum publicum civitatis vel reipublicæ cumprimis qualis ea in præſenti eſt. Quicquid enim uſus reipublicæ alicujus exigit, id ipſum eſt, quod *ratio ſtatus* poſtulat: neque aliud eſt ad rationem ſtatus dirigere conſilia, quam pro ſcopo actuum habere ſalutem illam publicam. Adeoque hactenus quidem nihil in illa voce latet culpæ: quod vero hujus prætextu flagitia dominationis exerceantur, extra vocis innoxiam eſt ſignificationem.

§. 6. Hinc vero conſequens eſt, cum non una, ſed multiplex admodum reipublicæ ſit natura, *rationem quoque ſtatus per eſſe variam.* (*b*) Adeoque cum in aliis perinde omnium, in aliis dominantium præcipue (ſive ille unus ſit, ſive pauci, ſive plærique de vulgo) utilitas quæratur; etiam *rationem ſtatus* flagitare, ut nunc quidem omnibus ex æquo ſit bene, nunc vero maxime, ut dominantium commodis ſit proſpectum. Nec tamen id ulla ratione admitti debet, quod video nonnullis perſuaſum eſſe, omnem rationem dominantium ſtatus injuſtam eſſe. Si enim dominium aliquod privatum in mancipium, & jure gentium & divino naturalique permiſſum imo conſtitutum eſt; nihil etiam ab æquo diſcedit, ſi integer populus aut magna aliqua multitudo ſerviat, cumprimis ſi non ſerviat mancipii vilitate: id quod per omnem terrarum orbem, ex quo bella cœperunt, usque ad hæc tempora, indubitati ac recepti juris ſemper eſt viſum. Ejuſmodi civitatem minus exacte mereri civilis ſocietatis cognomentum, nec omnibus ex voto bene in illa eſſe, haud diffiteor: at vero hinc non efficitur, eandem injuſtam eſſe aut omnino nulli hominum ordini convenire. Imo fieri poteſt, ut reſpublica omnium ſpectans commodum, vere injuſta ſit, quando nimirum per injuriam populus in libertatem ſeſe aſſeruit, novo illo ſtatu condito. In hac vero ſtatuum differentia, neceſſum eſt, multis quoque modis inter ſeſe differre *rationem ſtatus*, ut & ea, quæ ad ſui tutelam ac ſalutem iſthæc exigit. Præterquam enim, quod alia ad heriles reſpublicas faciant, alia ad illas magis ex optentur, quæ communis commodi ergo inſtituuntur: ſingulæ rerumpublicarum ſpecies ſeorſim ſuis quæque principiis ac remediis nituntur.

§. 7. Horum vero cum honeſtate affinitatem quod attinet, primum non profecto probare poſſumus, quæ præclariſſimum illud par eruditorum, Septalius & Claramontius docuerunt, tanquam *ratio ſtatus* omnis herilis, ſive ejus, qui regentium uſui maxime eſt deſtinatus, mala ſit & iniqua. Si enim ipſa ejuſmodi reſpublica ex ſeſe & ſemper iniqua non eſt (non eſſe autem, jam ante diximus) neceſſum eſt nec media, quibus conſervari debet, iniquitate ſemper laborare. Sane ut dominatum in ſubdito populo integrum ſerves, (quod utique licet, imo par eſt, ſi quando populus ille jure ſubditus eſt) id fieri non poteſt, niſi rationem herilis ſtatus tanquam cynoſuram conſiliorum regendæ reipublicæ obſerves unice. Alienum autem a veri eſt ſimilitudine, juſtum ſcopum numquam niſi injuſtis auxiliis obtineri poſſe.

§. 8. Deinde haud injuria affirmaveris, nihil vere conducere ſtatui alicui juſto, quod non etiam

(*a*) *Fraudulentam verſutiam.*) Conf. *Compend. Polit.* CLASENII *Lib. VI. Cap.* 18. §. 7. GOEBEL.

(*b*) *Rationem ſtatus variam.*) Hoc argumentum egregie pertractat citatus CLASENIUS integro Capite XIIX. *de ratione ſtatus.* Conf. TRAJAN. BOCCALINI *Cent. 2. Relat.* 87. & BOECLERI Orat. *de ratione ſtatus*, in quo pertractando egregie etiam verſantur SEPTALIUS & DE JENA. Arcana ſtatus, quorum nulla fere ſunt in Clapmario, quando vergunt in ſalutem reipublicæ, nec obſunt præceptis divinis, merito ſunt laudanda. GOEBEL.



Digitized by Google

etiam honeſtum ſit. Vere inquam conducere. Quoniam multa nobis imponunt ſpecie utilitatis, cum utilia non ſint, & paulo poſt majore damno læſam ad breve tempus honeſtatem quaſi vindicent. Honeſtum autem appello nunc id omne, quod nihil habet in ſeſe inhoneſti, non autem quod ipſa honeſtatis vi eſt præditum, etſi hoc maxime dignum ſit honeſti nomine. Quo ſenſu ſi Stoici olim dixiſſent, nihil utile eſſe niſi quod & honeſtum, probanda merito eorum oratio fuiſſet. At vero illi quidem aliud voluerunt: quaſi videlicet id ſolum utile ſit, quod honeſti rationem intime continet: quemadmodum iidem, quod ſolum bonum honeſtum, pronunciaverunt. Ac proinde hanc illorum ſententiam, antiquiorum Peripateticorum exemplo, nequaquam excuſaverimus: utpote cum in humanis rebus uſum aliquem plurima præſtent, atque ad vitam commode agendam ſint neceſſaria, quæ honeſti naturam *non participant*: (*a*) cujuſmodi ſunt præter alia opes omnes, cum quas naturales, tum quas artificiales nuncupamus. Nihil autem eſſe vere utile reip. juſtæ, quod turpe eſt atque inhoneſtum, non fert inſtitutum, uti hoc loco probemus. Eſt autem hoc alias probatu facillimum, utpote cum jam tum a viris præclariſſimis oſtenſum etiam ſit, in univerſum nihil in vita omni eſſe utilius atque in opinione eſſe virtutis. Hanc autem nemo temere adſequitur, niſi is ſit, qualis haberi velit. Recte enim Tullis *lib. 2. de Offic. Quod ſi qui ſimulatione & inani oſtentatione, ficto non modo ſermone, ſed etiam vultu ſtabilem ſe gloriam conſequi poſſe rentur, vehementer errant: vera gloria radices agit, atque etiam propagatur: ficta omnia celeriter tanquam floſculi decidunt, nec ſimulatum quidquam poteſt eſſe diuturnum.* Taceo nunc in omnem injuſtitiam, etiam ipſarummet rerumpublicarum, Deum acriter, etſi *non ipſo ſtatim delicti momento*, (*b*) animadvertere *Eccleſiaſtici cap. 10. v. 8. & transferri regna de gente in gentem propter injuſtitiam.* Haud negaverim, nonnunquam etiam turpe facinus, præſtare civitati emolumenti aliquid poſſe. Si probe tamen rem æſtimes, momentaneum eſt commodum illud, & majore malo ſtatim nocet, non dicam nunc de naturæ humanæ inflicta labe, aut comitante divina pæna, ſed bonæ famæ ſaltem detrimento. Qua in omni vita, etiam rebuspublicis & potentiſſimis regibus, ad res augendas, imo & firmandas, nihil eſt utilius: quoniam hæc maxime conciliat animos hominum & ad uſus noſtros adjungit: abſque benevolentia vero nihil in vita præclarum aut ſtabile poteſt effici.

§. 9. Alia eſt ratio rerumpublicarum inique & per vim inſtitutarum, cujuſcunque etiam fuerint formæ. Quemadmodum enim origo earum injuſta eſt, ita non eſt, ut ſolis bonis artibus eas tuearis; quamdiu quidem nondum in illas a populo ſit conſenſum, tum enim naturam juſtarum ſibi jam comparaverunt. Et vero in hiſce habet locum illud *Jaſonis* (*c*) *apud Plutarch. in Pol.* ὡς ἀναγκαῖον ἀδικεῖν τὰ μικρὰ τοὺς βουλομένους τὰ μεγάλα δικαιοπραγεῖν. Nec de alio regno dictum eſt illud ab Euripide in Phœniſſis, quod in ore ſemper habuit Julius Cæſar, Cicero autem *l. 3. de Offic.* non incondite vertit ex Græco:

*Nam ſi violandum eſt jus regnandi gratia*
*Violandum eſt; aliis rebus pietatem colas,*

Non alibi etiam locum quem inveniunt dominationis, quæ Tacito *l. 14. Annal. c. 11.* dicuntur, flagitia, aut ſcelera regnandi. Par ratio vero eſt & aliarum rerumpublicarum violenter ac per injuriam exortarum. Nec enim malæ artes ſoli unius tyrannidi conveniunt; ceu multi perperam arbitrantur. Etiam in hiſce tamen rebuspublicis honeſta & moderata quam maximo ſunt uſui, & longe præferenda illis turpibus: imo ab his abſtinendum eſt omni ſtudio, ſi ſalvas ejuſmodi etiam reſpublicas velis. Et vero cum duo ſint, quæ populum in officio continent, caritas ac *metus*: (*d*) conſtat *ex Cicerone l. 2. de Offic.* utique *malum cuſtodem diuturnitatis metum, contra benevolentiam fidelem eſſe vel ad perpetuitatem.* Injuſtis vero & turpibus conſiliis metum quidem, amorem autem populi nunquam comparaveris. Hinc & Ariſtoteles *lib. 5. Pol. c. 11.* ſapienter oſtendit, tyrannidis illam adminiſtrationem, quæ regiam moderationem imitatur, longe eſſe ſecuriorem, illa altera violenta: idemque & in oligarchiis & ochlocratiis uſu venire, præclare obſervavit. Confirmant idipſum omnium gentium ſeculorumque hiſtoriæ. Quamquam poſſit pro exemplis omnibus ſufficere ſolum illud diverſum Auguſti & Tiberii unius ejuſdemque per vim parti imperii regimen: felix illius & ſecurum eoque cum populo, tum ipſi *ſuave*; (*e*) hujus vero plane contraria omnia, quo de, ne dubitemus vetat Tiberii ad Senatum epiſtola, & illud Taciti *lib. 6. c. 6. Tiberium non fortuna, non ſolitudines protegebant, quin tormenta pectoris ſuasque ipſe pœnas fateretur.* Usque adeo ſane illud eventu omnium temporum manifeſtum eſt, ut ipſemet Machiavellus *in Princip. c. 8.* eos, qui ſcelere ad Principatum ſunt evicti, non niſi ſemel ſævitia defungi velit, inde vero omnia in populi utilitatem vertenda eſſe.

§. 10 Porro uſu reipublicæ, adeoque *ratione ſtatus*, metienda eſſe civilium actuum momenta, non ex omni parte reprehenſionem meretur. Certe quæ ſunt mere poſitiva adeoque ex conſtitu-

(*a*) *Non participant.*) In moralibus autem, quod rationabiliter utile, illud etiam honeſtum. *GOEBEL.*

(*b*) *Non ipſo ſtatim delicti momento.* De quo PLUTARCHUS legi meretur in libro; *De ſera numinis vindicta. GOEBEL.*

(*c*) *Jaſonis.*) Præclari illius Theſſalorum ducis, cujus magna adeo laus ſupereſt in ſexto Hiſtoriæ Xenophonteæ libro: *CONRING.*

(*d*) *Metus.*) Qui ſolo metu imperium retinere ſtudent, in invidiam atque odium hominum incurrunt, ut CORNELIUS NEPOS exemplo Dionis probat, docetque, *quam invisa ſit ſingularis potentia & miſeranda vita, qui ſe metui, quam amari malunt.* Conf. CICERONEM L. 1. Offic. Tyrannica illa vox: *oderint, dum metuant*, haud ſolet eſſe diuturna. *GOEBEL.*

(*e*) *Suave.*) *Poſito triumviri nomine, conſulem ſe ferens & ad tuendam plebem tribunitio jure contentum, ubi militem donis, populum anona, cunctos dulcedine otii pellexit, inſurgere paulatim, munia Senatus, magiſtratuum legum in ſe trahere nullo adverſante.* TACITUS *lib. 1. Annal. c. 2. GOEBEL.*

ſtituto arbitrario valent, non aliunde ſive laudem ſive vituperium commererentur. Sunt autem ejus generis civilia plæraque. Præter hæc tamen ſunt fateor & alia, quæ honeſta nuncupamus, iisdem quidem pro fine ac ſcopo habentia utilitatem (ut proinde etiam ita ſit verum illud: *utilitas juſti prope mater & æqui*) non civilis tamen ſocietatis, ſed ſimpliciter humanæ naturæ.

§. 11. Verum hæc & ſimilia latius perſequi alterius eſt inſtituti. Hiſce vero probe intellectis, jam amplius haud eſt difficile pronunciatu, num illi, qui in univerſum omnia exigunt ad *rationem* cujuſcunque *ſtatus*, atque adeo, qui ex emolumento reipublicæ cujuslibet quamvis injuſtæ ſuſpendunt omnem etiam honeſti vim, ut illud demum ſit juſtum, quod præſenti ſtatui expedit; num inquam illi præ aliis Politici audire, vel num veris Politicis omnibus ejusmodi ſententiæ adſcribi debeant. Utique enim omnium conſenſu ii maxime nomen illud commerentur, qui optime conſulunt reipublicæ, ac humano generi. Ex adverſo illi, dum enervant honeſti vim, naturæ humanæ & communis omnium ſocietatis leges ſubvertunt. Rebuspublicis quoque juſte partis, non poſſunt non illi nocere quam maxime, quando iniquas & turpes artes ſuggerunt iis conſervandis, h. e. venenum propinant in ſalutem. Numquam etiam ab orbe condito, in gentibus moratioribus vere prudentes gubernandæ reipublicæ, aut politici, id genus magiſtri ſunt habiti: nec gentes ipſæ artem regendæ civitatis in ejusmodi placitis poſuerunt. Non defuere quidem & antehac, qui ita cenſuerint. Nam & Plato *lib.* 1. *de republ.* Thraſymachum introducit juſtitiam definientem τὸ κρεῖττον συμφέρον, ipſam autem virtutem generoſæ ſtultitiæ titulo deridentem: & ante illum Euphemus Athenienſium legatus non dubitavit publice pronunciare: *Viro principi & urbi imperium tenenti nihil inconveniens eſſe, dum utile,* (*a*) *nihil amicum, niſi fidum.* Quin tales ſententiæ iſthac tempeſtate Athenienſibus nonnullis familiariores debito fuere: unde & Socrates apud Platonem *l.* 2. *de legib.* conqueritur, multis civium ſuorum injuſtitiam videri juſtitia *potiorem.* (*b*) Non rectius Epicurum etiam de juſtitiæ natura ſenſiſſe merito dixeris, expenſis ejus ſermonibus, quos Diogenes Laërtius *in Epicuro* recitavit, ut qui dixerit ex ſola illam conventione venire, neque durare ulterius, quam duret utilitas, abſtinendum autem ab injuria ſolo pœnæ (nequaquam tamen æternæ, quam homo impius non agnovit) *metu.* (*c*) Iam vero & mundus hic ſemper habuit, perinde ut nunc habet & habiturus eſt ſemper, *non unum ſuum.* (*d*) Callicratem h. e. *hominem & callidum & ad fraudem acutum, ſine ulla religione ac fide*, qualem illum poſteritati depinxit Cornelius Nepos *in Dione.* Hactenus tamen ſemper ab optimis & laudatiſſimis civilis prudentiæ magiſtris, & ſententiæ ejusmodi ſunt damnatæ, & earum auctores ex conſortio virorum bonorum excluſi. Nec vero repertus eſt *ante Machiavellum*, (*e*) qui ejusmodi malas artes tanquam leges prudentiæ, & rationes bene gerendæ juſtæ alicujus reipublicæ, ſcriptis tradere & orbi commendare ſuſtinuerit. Ab omni vero eſt ratione alieniſſimum, uni illi homini nupero politici aut prudentis nomen tribuere, & omni priſcæ ſapientiæ laudem hanc detrahere. Quo merito vero laudaveris a prudentia Machiavellum, qui ſuis illis artibus & ſeſe & ſuum Cæſarem Borgiam, cui uni a conſiliis fuit, florentem rebus & potentia, peſſumdedit? *vid. Jovium in elogiis.*

§. 12. Igitur quum juſtæ quidem reſpublicæ ad ſui ſalutem nihil exigant, quod ab honeſto diſſentiat, ſed illa ſola iis proſint maxime, quæ virtuti congruunt, habebit quidem verus Politicus pro ſcopo conſiliorum *rationem ſtatus*, & *ſalutem publicam ſupremam legem* (*f*) judicabit, hiſce tamen civitatibus nihil commendabit, quod ſit turpe aut ab honeſti limitibus diſcedat. Qui ſecus fecerit, non magis illo ipſo agit Politicum, quam medicinam profeſſus, medicum ſe præbet, dum pro pharmaco miſcet toxicum. Idem verus Politicus fraudum & ſcelerum vias, quæ calcandæ veniunt iis, qui per injuriam dominatus aliasque reſpublicas parant, exacte quidem callet: non laudat tamen in numero bonarum artium, prætextu *rationis ſtatus* aut publici emolumenti: quinimo ab iis quam ocyſſime abſtinendum eſſe ſuadet, & quidem cum quoniam honeſtas ita jubeat, tum quia *rationi ſtatus* conveniens ſit. Quandoquidem porro nihil illum ignorare par eſt eorum, quæ reſpublicas corrumpunt, aut quo minus conſtituantur, impediunt: accurate idem noverit neceſſum eſt, quantum omne genus ſcelerum ad reſpublicas poſſint labefactandas, quantaque verſutia ſoleant exerceri. Tenet vero perinde atque medicus venena. Uti nempe & cavere illa doceat, & a jam graſſantibus rempublicam tueri, quoad conceditur.

§. 13. Saltim hactenus itaque per injuriam veris Politicis turpes artes adſcribuntur, aut prudentia

(*a*) *Dum utile.*) Vide tamen CICERONIS *Offic. L. III. cap. XXI. GOEBEL.*

(*b*) *Potiorem.*) Hac de cauſſa ipſemet Ariſtides Athenienſis, quamvis juſti cognomentum adeptus, in regimine tamen reipublicæ atticæ, more aliorum civium ſuorum, jus utilitate definire non dubitavit: ceu diſcimus ex Plutarcho. Similia quammulta legere eſt in libello Xenophontis de republica attica. Scribit vero & de Lacedæmoniis in Ageſilao Plutarchus: *Ius nec aliud diſcunt, nec norunt, quam unde exiſtiment Spartæ magnitudinem & incrementum promoveri poſſe.* CONRING.

(*c*) *Metu.*) Quo pertinet illud Senecæ in Epiſtola nonageſima ſeptima: *Illic diſſentiemus cum Epicuro, qui dicit nihil juſtum eſſe natura, & crimina eſſe vitanda, quia vitari metus non poſſit.* CONR.

(*d*) *Non unum ſuum.*) Menonem Theſſalum, quem accurate poſteritati depinxit Xenophon l. 3. Expeditionis Cyri: vel CONRING.

(*e*) *Anti Machiavel.*) Et in Ariſtot: perverſe regentium reperiuntur Sophiſmata. *GOEBEL.*

(*f*) *Salutem publicam ſupremam legem.*) Merentur hic adſcribi quæ *L' hiſtoire ſecrete des intrigues de France* Vol. I. p. 52. hanc in rem prudenter diſſerit: *Il faut avoüer*, ibi dicitur, *que la condition d' un etat eſt bien triſte, lorsque celui, qui eſt à la tete des affaires, ne peut pas accorder ſon interet avec celui de ſa patrie, & qu'il eſt obligé de ſe ſoutenir dans ſon emploi, par les memes voies, qui lui ont fraié le chemin pour y parvenir, & par conſequent, s'attirer de plus en plus la haine du public - - - Cependant un miniſtre d' etat, qui ſait, qu'il n' a rien à ſe reprocher, & qu'il a toujours preferé le bien public à ſon interet particulier, ne doit jamais avoir ces ſortes de craintes. L' innocence va toujours la tete levée & le veritable merite eſt au deſſus de l' envie & de la malice, lorsqu'il n' y entre ni corruption, ni eſprit de parti.* GOEBEL.

Digitized by Google

dentia omnis civilis in ejusmodi ſcelerum exercitio collocatur: ſicut & immerito Politici audiunt illi flagitiorum vafri artifices, & politicæ prudentiæ nomen turpis vafrities mentitur. Fortaſſis tamen nec ita quidem ſatis quæſtioni huic factum eſt, aut Politicæ & veri Politici fama vindicata. Videntur enim etiam optimi quique rerumpublicarum rectores non abſtinere a malis artibus, nec rempublicam ullam abſque iis poſſe vel haberi vel parari. 1) Primo enim omnibus commune eſt, celare conſilia, & magna quæque vel ardua negotia non niſi arcanis & in vulgus incognitis modis expedire, utque id præſtent ſumma vi contendere. Videtur autem idipſum haud eſſe liberalis aut generoſi animi, eoque non laudem, ſed vituperium merito mereri. 2) Commune itidem omnibus eſt, multa in vita civili diſſimulare contra animi ſententiam, idque cum in ſermone, tum in aliis actionibus. 3) Huc referas & illud, quod omnibus itidem in more poſitum eſt, tolerare nonnunquam, quæ aperte ſunt mala, imo ad ſcelera identidem connivere. 4) A dolis quoque neminem videas omni ex parte integrum, ſed & ſimulare multa, & mentiri ſic ſatis frequenter: imo ita alios circumvenire ſuis fraudibus, in laude prudentiæ collocare. *Verbum autem mendax odio habet juſtus* ſive vir bonus, ut ſacra habet *παροιμία Proverb. XIII. 5.* 5) Fœdera quoque & contractus, ea qua par erat ſanctimonia raro ſervant, eaque violantes ne erubeſcunt quidem, ſed & ſæpe gloriantur. 6) Leges quoque civitatis tantum abeſt eos ſemper obſervare, ut & frequenter eas mutent, & pro aliis abrogatis novas inſtituant, non ſine civilium rerum turbatione. 7) Privatorum quoque civium non bona tantum, ſed & vitam in uſum reipublicæ exigere, familiare itidem eſt Politicis ac rectoribus civitatum, etiam illis, qui creduntur optimi. 8) Iidem id ſibi negotii exiſtimant maxime datum eſſe, ut rempublicam ſuam opibus locupletem, copiis firmam, & gloria amplam reddant: quo ipſo tamen aliis vicinis multum plærumque detrahitur, aliæ ad incitas rediguntur. Quid? quod 9) interdum aperte invadant aliena, prætextu tantum emolumenti ſuæ reipublicæ, occupantes ſcilicet loca ſoli alieni, eaque ſuum in uſum munientes, quo hoſtilem vim aliaque incommoda a ſeſe arceant. Hæc & ſimilia quum recepti ſint moris apud omnes Politicos, omnia tamen ab honeſto & recto multum abeant, ſoleant vero non niſi ſpecie commodi publici excuſari, videntur utique ſine diſcrimine Politici omnes malarum artium magiſtri, quique jus & fas *ratione ſtatus* metiuntur merito haberi, qui ab iis autem ſtudiis ſeſe temperant in Politicorum cenſum admittendos non eſſe.

§. 14. Verum enim vero haud negaverim, ita comparatum eſſe cum rebus civilibus, ut hæc & ſimilia committenda Politico ſubinde veniant, quamvis optimo. Omnino etiam fateor, abſque ejusmodi facinoribus nullam rerumpublicarum ſive inſtitui, ſive teneri poſſe. Horum vero quidquam omni ex parte eſſe injuſtum, id vero pernego. Imo iniquum fore pronuncio, ſi cum exigit ſalus publica horum aliquid negligatur. Eleganter Tullius *lib. 3. de Offic. videntur quædam honeſta, quæ honeſta non ſunt: multa, quæ natura honeſta videntur eſſe, temporibus fiunt non honeſta: ſæpe tempore fit, ut quod plærumque turpe haberi ſoleat, inveniatur non eſſe turpe.* Ejus generis autem eſſe illa, quæ ſunt in medium adducta, haud difficile adeo fuerit & rationibus & conſentiente optimorum divini humanique juris interpretum teſtimonio comprobare: modo id ab argumento atque inſtituto noſtro nimis alienum non eſſet, neque interea, dum in eo laboramus, videremur actum agere. Et vero 1) qui non ſit liberalis animi *conſilia quædam occultare,* (a) quum ipſemet Deus non niſi ſenſim ſua de ſalute humani generis arcana decreta orbi patefecerit, & æternæ vitæ *μυςήρια* etiamnum, abſcondat? Omnia ſane ſine diſcrimine omnibus prodere, non liberalitas fuerit, ſed quædam prodigalitas; quoniam & inutile id eſſet, cum non ab omnibus omnia capiantur, & ſumme noxium ut nunc quidem eſt humanum ingenium. 2) Pari ſtultitia incuſaveris omnem diſſimulationem: quippe quæ ex ſocietate humana plane iisdem de cauſſis tolli nequeat. Quod usque adeo liquet, ut Auguſtino rigido veritatis exactori, eopſe loco, quo mendacium omne damnavit, expreſſum ſit *L. contra mendac. c.* 10. *licet veritatem occultare prudenter ſub aliqua diſſimulatione.* Et vero etiam hic præeuntem ſequimur ipſummet Deum, qui futura raro aliter, quam verbis ſuſpenſis & obſcuris per vates ſuos ſolet prædicere. 3) Idem benefacit etiam improbis, nec animadvertit hodie in omnia delicta. Ut ſolo hoc exemplo pateat, poſſe tolerari nonnunquam mala, & connivéri ad ſcelera; non probando quidem aut juvando, ſed quod tolli aut puniri illa nequeant ſine magno incommodo, adeoque duorum malorum id, quod eſt minimum, permittendum neceſſario veniat. Dolum porro 4) omnem promiſcue nemo ſapiens unquam damnavit: ſed aliquem ceu licitum non duntaxat admiſerunt omnes, ſed etiam laudaverunt. *vid. Grot. l. 3. de jure belli c.* 1. Fictionem, quæ in ſermone committitur, nemo itidem fortaſſis ante Auguſtinum promiſcue reprehendit. Certe non philoſophi tantum, ſed & Sancti Eccleſiæ Patres falſiloquium aliquod omni culpa abſolverunt. Multo minus crediderunt, omnem ambigui ſignificatus ſermonem in vitio ponendum; cum vix alio populum ſuum arcana venturi Chriſti officia per Prophetas ipſemet Deus doceri fecerit. Satis eſt ſcilicet, ne quem ſive ſimulatis actionibus, ſive ſuſpenſo ſermone, ſive

(a) *Conſilia occultare.*) Q. Cæcilius Metellus cum omnia proprio & ſubito conſilio ageret, amico cuidam quid acturus eſſet, interroganti: *Tunicam,* inquit, *meam exurerem, ſi eam conſilium meum ſcire exiſtimarem.* PLINIUS SECUNDUS *de viris illuſtr. Cap. LXI.* Taciturnitatis inſigne exemplum, quo monemur, conſilii noſtri rationes & præſertim in rebus arduis nòn cuivis aperiendas eſſe. Simile fere Antigoni reſponſum apud PLUTARCHUM in *Regum & Imperat. apophtegm.* legimus, qui Philippo filio multis præſentibus percontanti, quando caſtra moturus eſſet: *Ecquid times,* inquit, *ne ſolus tubam non audias.* Notans adoleſcentis imperitiam, qui hoc percontaretur, ceteris audientibus, cum in bello celanda ſint conſilia Principum. Sit tamen modus in rebus, & artificioſa quædam, non autem affectata & coacta adhibeatur varietas. Nimiæ & intempeſtivæ obſcuritati verborum Tiberius indulgebat TACITVS *lib. I. Annal. c. 7.* ſequentia tradit: *Tiberioque etiam in rebus, quas non occuleret, ſeu natura, ſive aſſuetudine, ſuſpenſa ſemper & obſcura verba.* GOEBEL.

ſive denique falſiloquio injuria afficias, Igitur & in hoſtem licet tale quid Politico, utpote quem lædere ſine injuria poſſis. Vacant quoque culpa σοφίσματα quæ dicuntur, & συνυποκρίσεις & ſimulachra imperii; modo utatur iis Politicus ad continendum populum in illo officio, in quo optimo jure debebat contineri. Neque vero his ipſis aliqua populo fit injuria, quum in emolumentum ejus cedant; eoque ſi ſapit, malit utique ſic decipi, quam perire non deceptus, imo amabit deceptorem: perinde ut medici decipulis ægrotus recuperata valetudine ſolet gaudere. Et vero hæc eſt illa καλὴ καὶ ἐπαινετὴ πανουργία S. Blaſii, qua ſine, humana hæc vita conſtare ſibi non poteſt. Non aliud autem mendacium Deus odit, quam quod cum injuria eſt conjunctum: nec alias, quam malas & in perniciem innocentum excogitatas fraudes averſatur: eoque in ſacris literis *mendacium* (*a*) quando prohibetur, ſolet addi *adverſus proximum.* 5) Contractus & fœdera juſtiſſimis de cauſis reſcindi interdum, cum nemo dubitet prudentum juris, inique profecto accuſantur hoc nomine Politici, ſi nonnunquam idem *agi velint.* (*b*) Ne quidem id temere probaveris, omnem in integrum reſtitutionem jure civili niti. Accurate certe rem illam omnem introſpicienti liquet, jura quædam civilia romana in hoc negocio ex alterius æterni juris fonte profluxiſſe: atque ita etiam inter illos, quos jura romana non obligant, quandam in integrum reſtitutionem lege naturæ conſtitutam eſſe. 6) Quidni liceat præterea mutare leges (eas dico, quæ non niſi ex conſtituto ſummæ poteſtatis valent in qualibet republica) ſi ita exigat uſus publicus, quum uno hoc conſtet legum illarum juſtitia? Nec profecto Politicus temerariam & facilem quamque legum mutationem laudabit, ſed eam duntaxat, quam exigit lex ſuprema, ſalus publica. Stultum vero fuerit rempublicam ad leges ſemper componere, & non potius leges ad rempublicam. Eſt autem hæc non unius ſemper vultus, ſed mobilis huc illuc, ut humanæ res omnes. Præclare Cicero *Orat. pro Cn. Plancio Stare omnes debemus tanquam in orbe aliquo reipublicæ: qui quoniam verſatur, eam diligere partem, ad quam nos illius utilitas ſalusque converterit.* Alibi *l.* 1. *epiſt. fam.* 9. item non minus pulchre: *Nunquam præſtantibus in republ. gubernanda viris, laudata eſt in una ſententia perpetua manſio. Sed ut in navigando tempeſtati obſequi artis eſt, etiamſi portum tenere non queas: cum vero id poſſis mutata velificatione aſſequi, ſtultum eſt eum tenere cum periculo curſum, quem cœperis, potius quam eo commutato, quo velis tandem pervenire.* 7) Quoniam porro in civili ſocietate, quæ omnium utique eſt abſolutiſſima, commodo publico unusquisque civium ſeſe ac ſua obſtrinxerit, ſervi itidem ſalutem dominorum tueri teneantur, nihil utique vitii habet, ſi privati nonnulli, flagitante id extrema neceſſitate, cogantur opes & ſanguinem ſuum reipublicæ ergo profundere. Nec ulla fit injuria alteri populo, ſi quis rerum ſuarum magis ſolito ſatagens lucrum ab aliis hactenus præceptum ipſe vertat in rem ſuam. Scite ex Chryſippo Tullius *lib.* 3. *de Offic. Qui ſtadium*, inquit, *currit, eniti & contendere debet, quam maxime poſſit, ut vincat, ſupplantare eum, qui cum certat aut manu depellere, nullo modo debet: ſic in vita ſibi quemque petere, quod pertineat ad uſum, non iniquum eſt, alteri ſurripere jus non eſt.* Denique propria rerum poſſeſſio non ita excludit communionem omnem, ut non, exigente id ſumma neceſſitate, aliqua parte debeant illæ aliorum uſibus cedere. Deficiente cibo in commune conferendum eſſe, quod ſingulis ſuperfluum eſt, & ædificium vicini recte a me dirui, quo tuear mea ab incendio certiſſimo, recepti utique in vulgus eſt juris. *Vide Grot. l.* 2. *de jure belli c.* 2. *n.* 6. & 7. Inevitabile itaque periculum quidni liceat Politico a civitate avertere alienæ rei non magnæ tamen damno multo minore? quis vitio vertet merito, ſi non niſi ad tempus, quamdiu durat juſtus periculi metus, etiam in alieno ſolo ſibi caveat, de cætero nihil ſibi petens?

§. 15. Non eſt, quemadmodum ante diximus, hujus argumenti, ab hiſce & quæ ſunt hujus notæ alia abſtergere prolixa quadam opera maculam iniquitatis, fallacibus vulgi judiciis contractam. Nec diffiteri tamen animus eſt, præ abuſu & facili & frequente turpia hæc videri, & quidem usque adeo, ut ab hoc cognomento ne ipſi quidem auctores abſtineant. Licet enim fortaſſis in benignum hunc ſenſum trahere illud Iaſonis: ὡς ἀναγκαῖον ἀδικεῖν τὰ μικρὰ τοὺς βουλομένους τὰ μεγάλα δικαιοπραγεῖν, ut & illud Caſſii *apud Tacit. lib.* 14. *Annal. habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra ſingulos utilitate publica rependitur.* Poſſe vero ejusmodi multa agi absque honeſtatis omni læſione vel ex iis paucis, quæ a nobis ſunt allata, patere arbitramur. Hinc vero conſequens eſt, ſumma cum injuria Politicis vulgo omnibus animum *injuſtum* (*c*) exprobrari, propterea quod, reliqua licet pii, qualia commemoravimus, in commodum reipublicæ nonnunquam committant.

CAP.

(*a*) *Mendacium.*) PUFFENDORF de *offic. hom. & civis Cap. X.* §. 9. mendacii notam haut quicquam contrahere affirmat, qui alii fictum ſermonem bono fine adhibent, quem plano aſſequi non licebit, puta, ſi innocens protegendus, iratus placandus, moeſtus demulcendus, meticuloſo animus addendus, faſtidioſus ad medicamenta capienda movendus, pertinacia alicujus frangenda, aut malum propoſitum alterius intervertendum, aut *ſi arcana reipubl. & conſilia, quæ intereſt aliorum notitiæ ſubtrahi, fictis rumoribus velut obvelanda & aliorum importuna curioſitas ſit amolienda. De hac re ex profeſſo agit* GROTIUS *de I. B. & P. lib. I. c.* 3. *GOEB.*

(*b*) *Agi velint.*) Bene Tullius l. de Officiis primo: *Si conſtitueris, te cuipiam advocatum in rem præſentem eſſe venturum, atque interim graviter filius ægrotare cœperit, non eſt contra officium, non facere, quod dixeris.* Adhuc elegantius Seneca quarto de Beneficiis libro c. 35. *Tunc fidem fallam, tunc inconſtantiæ crimen audiam, ſi cum omnia eadem ſint, quæ erant promittente me, non præſtitero promiſſum: alioquin quicquid mutatur libertatem facit de integro conſulendi, & meam fidem liberat. CONR.*

(*c*) *Injuſtum.*) *L' hiſtoire ſecrete des intrigues de France Vol. I. p.* 105. contrarium in vero politico deſiderat: *La bonne politique doit toujours être accompagneé de l' honneur & de l' equité. Un miniſtre d' etat, qui emploie l' intrigue, la ruſe & le miſtere, ne ſe ſert de ces mauvais detours, que parce que ſes vües ne pouvent pas ſupporter la lumiere, & que ſes oeuvres ne ſont que des oeuvres de tenebre. GOEB.*

# CAPUT III.

## *Juris peritiæ ſpecies alias multum, quandam propius abeſſe a prudentia civili, nullam tamen idem quid cum hac eſſe; eoque perperam Juriſconſultos credi Politicos.*

§. 1.

Antiquior quidem priore, tamen nonniſi proximis aliquot ſeculis ortus eſt mos alius, ſolis iis, qui Iuris ſunt conſulti, Politices ſcientiam attribuendi: quaſi illi ſoli vere ſint Politici, & tanquam juris peritia ſit illa ab omnibus commendata *civilis prudentia.* (*a*) Hinc ſane factum eſt aliquamdiu, cum alibi paſſim, tum per Germaniam maxime, ut vel ſolum conſultis juris, vel iis potiſſimum reipubl. curatio fuerit commiſſa, perinde atque alius nemo huic negotio ſit aptior, & is, qui in foro valet, idem in ſenatu etiam aut conſilio reliquis præſtet omnibus. Is mos quando & qua cœperit occaſione, deinceps apparebit. Ut autem initio conſtet, num iſthæc perſuaſio ſit veritati conſentanea nec ne, neceſſum eſt ante omnia definiamus Iurisconſultum jurisque peritiam; quoniam & illa vocabula a variis varie accipiuntur.

§. 2. Primum 1) itaque vulgo a quamplurimis usque ſeculis, juris peritia dicta fuit qualibet cognitio juris illius, quod uni alicui eſt civitati proprium. Ita Romæ periti & conſulti juris audierunt, qui civile romanum jus calluere: & Iudæis νομοδιδάσκαλοι, γραμματεῖς & νομικοὶ fuerunt olim, qui duntaxat circa leges Hebræorum occupabantur. Sed & ejusmodi juris peritos qualibet civitas proprios aliquos habet. Et vero quantumvis peritia iſthæc minus operoſa ſit & difficilis, ubicunque ſunt leges planæ & paucæ; alibi tamen in immenſum ſæpe adoleſcit, cum per numerum tum *per repugnantium ſibi legum diſſidia*, ut ſcite loquitur Ammianus Marcellinus. *L.* 30. c. 13.

§. 3. Porro cum jus civile 2) cujuslibet civitatis aliud publicum, aliud privatum ſit, Romæ quidem olim ICti dicti, non tam qui illius, quam qui hujus ſibi peritiam comparaverant. Hinc Antonius apud Ciceronem lib. 1. de oratore: *Si quæreretur*, inquit, *quiſnam Iurisconſultus vere nominaretur, eum dicerem, qui legum & conſuetudinis ejus, qua privati in civitate uterentur, & ad reſpondendum & ad agendum & ad cavendum peritus eſſet.* Finem quoque, juris civilis ponit ibidem ipſemet Craſſus ex Scævolæ ICti mente: *legitimæ atque uſitatæ in rebus cauſisque civium æqualitatis conſervationem.* Antonius vero eodem loci non dubitat affirmare: *Jurisconſultum ipſum per ſe nihil eſſe, niſi legulejum quendam cautum & acutum, præconem actionum, cautorem formularum, aucupem ſyllabarum.* Cicero ipſemet lib. 1. de LL. dicit, *qui tum jus civile populo interpretari & reſpondere ſunt ſoliti, ſummos viros, magna profeſſos in parvis eſſe verſatos:* ideoque Q. Fratri ad juris civilis ſcriptionem ſe adhortanti reſpondet: *Quo me vocas? aut quid hortaris? ut libellos conficiam de ſtillicidiorum ac de parietum jure? aut ut ſtipulationum & judiciorum formulas componam?* Nec vero *Ciceronis* (*b*) tantum ævo, intra hoſce limites continuit ſeſe Romæ civilis juris profeſſio, ſed multis etiam ſeculis ſequentibus. Quamvis enim in ICtorum ordine etiam tum quædam *erectiores animæ* (*c*) fuerint circa jus ipſum publicum occupatæ, quemadmodum Attejus Capito, Gellio *noct. Attic. L. X. cap.* 20. audit *publici privatique juris* (*d*) *peritiſſimus*: attamen nunquam non plerique illius familiæ ad ſolum jus privatum animum appulerunt, & nihilominus ICti titulum ſunt commeriti. Id quod a *noſtri quoque temporis* (*e*) moribus alienum non eſſe, nemini eſt ignotum. Qua in re noſtros præivit quaſi ipſemet *Tribonianus*; (*f*) cum in juris romani Inſtitutionibus vix ſemel fecerit publici juris mentionem, Pandectis autem & Codici pauca inſeruerit, quæ juris ſunt publici, quæ ad privatum vero pertinent, in grande volumen diffuderit.

§. 4. Quoniam porro jamdudum inolevit, ut κατ' ἐξοχὴν jus civile nuncupetur, non id, quod in quaque civitate obtinet, ſed ſolum romanum, & quidem illud, quod Triboniani cura Iuſtinianus

(*a*) *Civilis.*) Olim nullis plerumque niſi Iure conſultis publici privatique juris peritis gubernanda credebatur reſpublica. Et hi in locis illis, ubi muſarum erant ſedes, a negotiis practicis vacui, veram & non affectatam docebant philoſophiam. Vid GOVEAN. *lect. jur. lib.* I. c. 18. *GOEB.*

(*b*) *Ciceronis.*) Notum eſt Ciceronis in Jure conſultos odium, cum ille unice eloquentiæ, tanquam deæ, omnem litaret honorem. Vide ALBERICI GENTILIS *dialog.* qui inſcribitur *Scævola* apud HOFMANNUM *p.* 547. Sæpe Iureconſulti confunduntur cum lejuleiis, rabulis, cauſidicis, formularum magiſtris & ſi qui ſunt alii hujus furfuris. Conf. FRANCISCI POLLETI *hiſtoria fori Romani lib. II. c.* 2. 3. Nec a Iureconſultis, qui erant in præſidiatibus, non niſi juris civilis cognitio requirebatur. Ad quos itaque, quæ fictitius ANTONIUS aut potius CICERO ſub hac larva profert, pertinent. Durabant inter oratores & cauſidicos continuæ lites. Illi mentiebantur, ſe gratis perorare cauſas, quia determinatum cauſis non conſtituebant pretium, ut cauſidici. TACITUS *Annal. c.* 42. 43. *GOEB.*

(*c*) *Erectiores animæ.*) Et tales ſaltim Iureconſultorum i. e. rerum divinarum & humanarum notitia & publici privatique juris ſcientia imbutorum nomine digni fuerunt. Nec enim ad ſtillicidiorum & parietum jura, ſtipulationumque formulas relegari potuerunt, cujus domus, ipſo CICERONE in libello *de oratore* teſte, totius civitatis oraculum fuit. *GOEBEL.*

(*d*) *Publici privatique juris.*) Eodem tempore florebat ANTISTIUS LABEO, iisdem artibus præcellens. TACITUS *lib.* 3. *Annal. c.* 75. TUBERO doctiſſimus habitus & juris publici, & privati. Vid. *tit. de origine juris.* *GOEB.*

(*e*) *Noſtri temporis.*) Autor noſter odium, quod in Taborem alebat, & in alios effudit ICtos. Interim negari nequit, & tunc, & hodie ICtorum nomine ſuperbire, qui non niſi compendiariam juris ſcientiam & fori trituram delibarunt. Miraculi propemodum inſtar eſt, ipſos juris romani fontes evolviſſe. *GOEB.*

(*f*) *Tribonianus.*) Et hunc ad ſpartam, quam ſuſcepit circa jurisprudentiam, inidoneum fuiſſe, cum HOTTOMANNO plures alii viri docti judicarunt. Parcam juris publici in libris, qui de jure romano proditi ſunt, factam eſſe mentionem, & hæc forte fuit cauſa, quod maxima pars illorum, qui ad compilanda juris volumina adhibebantur, ex cauſidicorum numero erant. Vid. BALDUIN. *in Iuſtiniano.* Id omnino certum, & ex autoris noſtri ſententia jus publicum jurisprudentiæ partem conſtituere, cum illis neglectum ejus exprobret. *GOEB.*

Digitized by Google

nus Cæſar quondam digeſſit, cujus multa tamen pars in iis, quæ hodie florent rebusp. locum non accipit: hinc paſſim uſu venit hodieque, ut periti juris civilis habeantur & uſurpentur, non tam qui jura aut leges ſuarum civitatum, quam qui jus illud vetus romanum percallent. Quæ peritia tamen, quantum ab illa altera uſitati in republica juris ſcientia differat, in aperto eſt.

§. 5. Poteſt præterea eſſe juris vere civilis ſive publici, ſive privati peritia quædam ſine concomitante aptitudine cavendi, aut ad factum propoſitum leges *applicandi.* (a) Certe quamvis poſterius qui poteſt, vere idem prius valeat agere; tamen reapſe aliud eſſe, peritum eſſe juris forenſis, & idoneum reſpondere de factis & negotiis hominum ſecundum jura, vel ex eo patet, quod is, qui applicat jus ad factum, legibus utatur tanquam principiis, & pronunciet non tam quid juris, quam quid juri conſentaneum: ſecus quam facit is, qui juris peritia tantum eſt inſtructus, ignorans modum conferendi leges cum cauſa. Eo ſane diſcrimine differt uterque hic juris peritus, quemadmodum philoſophus ab *oratore* (b) diſtinguitur in opere illo problematum, quod Ariſtoteli vulgo, perperam tamen, adſcribitur; ut nempe alter quid juſtitia, alter quis ſit juſtus attendat. Verborum ipſorummet auctoris illius ſect. XVIII. probl. 5. hæc fere eſt interpretatio. *Quonam hominem philoſophum differre ab oratore putemus? An quod alter quidnam juſtitia ſit cogitet, alter qui injuſtus ſit ſpectet: & alter quidnam tyrannis, alter quis ſit tyrannus doceat?* Obſervare ſane eſt haud paucos, ita quidem juris peritos, ut quid ſit lege conſtitutum norint optime, non tamen ut iidem & *cavere* (c) *aut cauſſas* (d) agere ſint idonei. Ut proinde manifeſtum ſit, multum utramque hanc juris peritiam a ſeſe invicem diſſidere.

§. 6. Ius porro cujuslibet civitatis vel nude tantum ſcitur, ignorata omni juris illius cum utilitate, tum ratione: vel ita accurate intelligitur, ut non tantum pernoſcas legis latæ mentem, ſed ſimul etiam quam illa ſit vel naturali juri atque æquitati conſentanea nec ne, vel reipubl. uſibus commoda & adverſa. Quamvis autem prior illa cognitio multum altera illa ſit rudior, tamen & illa vulgo jurisperitia appellatur: imo poſterior a quammultis creditur jurisperitiæ limites excedere. In quam ſententiam iuiſſe & Tribonianum dixeris, utpote quo auctore hæc Iuliani: *Non omnium, quæ a majoribus conſtituta ſunt, ratio reddi poteſt;* (e) & illa Neratii: *Ideo rationes eorum, quæ conſtituuntur, inquiri non oportet, alioquin multa ex his, quæ certa ſunt, ſubverterentur:* in legum Pandectas tranſlata ſunt. *L.* 20. *&* 21. *ff. de Legib.* Certum tamen nec minus in propatulo eſt, ſi commoda, incommoda, rationesque legum ſive privatarum, ſive publicarum, una cum earum ſenſu intelligantur, longe eam notitiam jurisperitiæ prudentiæque titulo eſſe digniorem, quam eſt illa rudior; & huic, iſtam multum anteferendam.

§. 7. Si poſtremo vim vocum ſpectemus, juris & peritia & prudentia, eoque ars boni & æqui, divinarum item humanarumque rerum ſcientia dicenda maximo merito videtur non tam legum unius aut alterius civitatis ſcientia, quam in univerſum illa, qua tenemus, quæ leges omni reipublicæ ſpeciei conveniant, cum publicæ, tum privatæ, quemadmodum illæ ferendæ, aliæ autem ſint abrogandæ. Quæ cognitio ab omnibus illis, quas hactenus enumeravimus, jurisperitiæ ſpeciebus immane quantum differt. Nec vero, quæ talis eſt, meretur duntaxat titulum peritiæ juris, ſed & præ aliis meretur, utpote quæ ſola menſuram nominis expleat: fere etiam ita vulgo comparatum eſt, ut quæ huic uni debetur gloria, illis ante enumeratis ſpeciebus per errorem a quammultis tribuatur.

§. 8. Quum adeo multiplex & varia autem doctrina uno eodemque juris peritiæ prudentiæque nomine ſignificetur, non poteſt in univerſum pronunciari, quantum illa cum vera civili prudentia habeat nec ne affinitatis: omnes quippe illæ peritiæ juris nomine duntaxat idem, reapſe tamen plurimum ſunt diverſæ. Eapropter uti appareat, quo merito jurisperitia a quammultis Politica ipſa, & jurisperiti Politici cenſeantur, diſtinctim agendum, & per ſingulas quasque ſpecies eſt eundum, eæque ordine cum civili prudentia ſunt contendendæ. Verum illud haud commode a nobis præſtari poterit, niſi in anteceſſum impetremus, uti jam tum nobis concedatur, Politicam eſſe artem *regendæ* (f) cujuslibet civitatis ſive reipublicæ, & Politicos quam maxime eſſe illos, qui integra arte iſthac ſunt præditi, qui autem partem ejus tantum tenent, minus proprie iſthoc nomen promereri.

§. 9. *Primum* igitur quum vere Politicus ſit aptus omnibus omnino rebuspubl. adminiſtrandis, teneatque in univerſum omnium earum naturam, & ſive conſervandi, ſive mutandi, ſive inſtituendi rationem; nemo autem eorum, qui jura callet unius duntaxat cujusdam civitatis, utut illa exactiſſime calleat, eaque non privata duntaxat, ſed publica etiam omnia, eo ipſo tamen plus, quam uni illi civitati regendæ aliquo modo fiat idoneus: illam vere politicam prudentiam, a qualibet prudentia juris, ejus quod in una alteraque civitate obtinet, plurimum diverſam eſſe, manifeſtum eſt. Fieri porro non poteſt, ut omnia, quorum in republ. uſus eſt, legibus ſint definita; imo identidem præter & contra leges in rebuspubl. multa committuntur; eoque Politico in ſingulis

(a) *Applicandi.*) Ad hoc requiritur judicium practicum, quod non omnibus datum. *GOEB.*

(b) *Oratore.*) Perfectum oratorem delineat CICERO in libro, qui ſub *Oratoris* titulo inter opera ejus comparet. *GOEBEL.*

(c) *Cavere.*) Non infima jurisprudentiæ civilis pars conſiſtit in cautelis, de quibus CÆPOLLA, STRYKIUS, THOMASIVS aliique commentati ſunt. *GOEBEL.*

(d) *Cauſas.*) Sunt, qui optima de perorandis in foro cauſis præcepta ſuppeditare valent, ad ipſam tamen pugnam forenſem minus ſunt idonei. Exemplum habuimus in BRUNNEMANNO, & BACHOVIO, quem ultimum tamen defendere conatur GUNDLINGIUS in *Otiis P. I. c.* 5. *GOEBEL.*

(e) *Ratio reddi poteſt.*) Vid. SCHILT. *in meth. interpretandi leges.* *GOEB.*

(f) *Regendæ.*) Conf. BOECLERI *Diſſert. de notitia reipublicæ.* *GOEBEL.*

gulis etiam rebuspubl. plurima & maximi momenti in deliberationem veniunt, & agenda ſunt, & magna quidem cum prudentia, ad quæ a legibus nullum poteſt ſubſidium peti. Quamvis igitur nihil te lateat legum tuæ civitatis, & omne ejus publicum privatumque jus teneas, non tamen hoc unico ſufficis ad omnia conſilia & negotia vel unius tuæ civitatis, tantum abeſt, ut omnibus par ſis; ſed alia quædam prudentia erit in auxilium advocanda: ea autem ipſa eſt, quam Politicam nuncupamus. Quid quod ipſæ leges ſæpe abrogandæ veniunt & cudendæ novæ? Ad quam rem, itidem latarum legum cognitio non niſi parum quid confert. Et vero plane hoc ipſum in cauſſa eſt, cur multi etiam legum minus gnari antecellant nonnunquam in conſilio dando iis, qui legum omnium longe ſunt peritiſſimi: ſive quod ſuam rempublicam norint rectius, ſive quod illa ſenatoria facultate præ aliis iſtis ſint inſtructi.

§. 10. Quod ſi vero peritia cum publici, tum privati juris illius, quod in civitatibus ſingulis obtinet, adeo multum a civili differt prudentia, manifeſtum utique *ſecundo* eſt, adhuc remotius ab illa abeſſe juris privati forenſis cognitionem. Enimvero, quæ ad publicum jus pertinent negotia, majoris longe in republ. ſunt *uſus & momenti*, (*a*) quam illa, quæ privatim in foris ſolent decidi. Imo vero hæc ſtatum ipſum reipubl. leviſſime omnium attingunt. Negari quidem haud poteſt, privatum quoque illud jus expediri non poſſe, niſi aliquid prudentiæ civilis teneas, ceu alias demonſtrabitur. Cæterum integræ illius civilis artis non niſi partem id attingit; & præterea non qui gnarus eſt juris privati unius aut alterius civitatis, is eo ipſo peritus eſt ſimpliciter omnis privati juris, ita ut ſecundum illud, prout poſtulat ſalus publica, in ſingulis rebuspubl. cauſas omnes queat inſtituere.

§. 11. Illa *tertio* peritia juris, quæ deſtituitur notitia rationis & æquitatis utilitatisque legum, ut & earundem in uſum transferendi facultate, tantum abeſt a civili prudentia, ut ne ullum quidem prudentiæ titulum jure videatur *mereri*. (*b*) Vere prudens enim is demum eſt, qui norit id, quod homini in vita utile eſt & inutile: ſimiliter prudentia, peritia quædam eſt eorum, quæ homini obſunt & conducunt. At vero is qui nihil aliud novit, quam quid lege ſit conſtitutum, eo ipſo haud intelligit, quid expediat nec ne, nec eo ipſo aptus eſt expediendis humanis negotiis, adeoque eo ipſo non eſt prudens, nec peritia illa, eſt prudentiæ quædam ſpecies. Ne artis quidem aut ſcientiæ nomen poteſt iſthæc peritia tueri, utpote quum & vera ars recta cum ratione omnia efficiat, & ſcientia nulla ſit ſine certa ejus, quod ſcitur approbatione, eaque potiſſimum ex cauſſis rerum deducta. Certe de hac juriſperitia verum eſt id, quod Iacobus Zabarella *lib. de natural. ſcient. conſtitut. cap.* 33. & Angelus Thius *in præcogn. Logic.* aliique ſimpliciter de omni juris ſcientia minus circumſpecte ſunt profeſſi, eam eſſe *ſimplicem quandam peritiam*, (*c*) *quæ nec ſcientia, nec prudentia, nec ars appellari mereatur*. Quemadmodum videlicet Plato *in Gorgia* diſſerit de nonnullis, ut ipſe loquitur, adulatoriis diſciplinis. Videtur autem peritia iſthæc, merito hiſtorica legum cognitio dici. Non quod ex hiſtoriis vulgo ita appellatis petenda ſit, aut quaſi ejus, qui vulgo hiſtoricus audit, non autem juriſperiti in officio ſit, *illam tradere*. (*d*) Sed quoniam ſcire, quid lege latum ſit, perinde ſe habeat, atque ſcire, quid dictum, geſtum, factum alias ſit, quæ utique hiſtorica eſt cognitio: quoniam item docere, quænam leges ſint conſtitutæ aut abrogatæ, ſimile ſit, quaſi hiſtoriam narres. Nec vero ad peritiam illam juris utut accurate conſequendam aliis eſt opus adminiculis, quam quæ requiruntur ad intelligentiam alicujus hiſtoriæ. Præter communia nimirum interpretandi præcepta ſatis eſt, ſi teneas, vocabulorum uſum, & locorum temporumque habeas rationem. Etſi enim *ſcire leges, non eſt verba earum tenere, ſed vim ac poteſtatem*, ut recte inquit ICtus Celſus *l.* 17. *ff. de legib.* hanc tamen, qua de nunc agimus, legum vim ac poteſtatem percipere in facili eſt, paucis duntaxat illis adminiculis ſuffulto. Quemadmodum igitur antiquis grammaticis, illa *grammatica ſpecies*, (*e*) quæ circa interpretationem oratorum ac poëtarum occupabatur, ἱστορικὴ fuit dicta: ita hanc juriſperitiæ ſpeciem haud incommode hiſtoricam appellaveris.

§. 12. Quam maxime porro conſpicua eſt (quod *quarto* loco venit notandum) hiſtoricæ iſtius cognitionis natura in juris romani peritia illa, quæ itidem omni caret notitia ejus, quod natura juſtum eſt aut reipublicæ utile. Quemadmodum videlicet illius juris permulta *in foro hodie uſum* (*f*) non habent, ita omnia illa caſca & obſoleta perinde a nobis ſciuntur atque ſolent intelligi antiquæ quædam hiſtoriæ. Certe quid Athenis, quid Spartæ, quid alibi fuerit conſtitutum, quidque adeo olim in republ. & judiciis obtinuerit ſcire, hiſtoricum eſſe fatentur omnes. Nihil autem refert, ſive atticam legem ſive romanam noſcas, ſi utraque uſum amiſerit. Nec vero hac ipſa romani juris peritia æque inſtructos videas alios, quam qui antiquitatum linguarumque ſtudium ſectantur, quales ſunt philologi. Certe hi maxime hoc in loco aliis præſtant; ceu de Alciato, Budæo, Cujacio, fratribus & Pithœis & Fabris, aliisque viris clariſſimis eſt notiſſimum. Ideoque nec abs omni ratione eſt *Grammaticorum* & *Humaniſtarum* nomen, quod in maximos hujus ordinis

(*a*) *Uſus & momenti.*) Cum ad totius reipublicæ utilitatem & conſervationem ſpectant: jus privatum autem, tantum ſingulorum commoda concernit. *GOEBEL.*

(*b*) *Mereri.*) Quod Antonio etiam Fabro præfatione, ad libros de erroribus Pragmaticorum eſt annotatum. *CONRING.*

(*c*) *Peritiam.*) Et hæc eſt leguleiorum peritia, quæ, cum rationum & æquitatis parum ſit curioſa, non immerito a Cicerone memoriæ adſcribitur. *GOEB.*

(*d*) *Illam tradere.*) Nam & medicarum rerum hiſtoriam Medicus, & naturalium Phyſicus, & ſeorſim cœleſtium Aſtronomus, aliam alii ſibi vindicant. *CONR.*

(*e*) *Grammaticæ.*) Grammatici vocabulum late olim ſumebatur, ita ut etiam Hiſtoriarum peritum involveret. Vid. CICERONEM *de oratore* & GELLIUM. *GOEB.*

(*f*) *In foro uſum.*) Conf quæ circa hoc caput THOMASIUS meditatur. Maior tamen adhuc in foris Germaniæ juris romani eſt uſus, quam ab uno aut altero novatore creditur. *GOEBEL.*

finis juriſperitos per convitium a pragmaticis nonnullis ſolet torqueri, quaſi nimirum non tam juris ſint conſulti, quam grammatici; ceu ipſemet Franciſcus Hotomannus agnoſcit, Antitriboniani ſui *cap. XV.* qui etiam *cap. VII.* ejusdem aurei libelli Franciſcum Duarenum & Antonium Goveanum de jure accreſcendi grammatice tantum commentatos eſſe, ingenue confitetur.

§. 13. Quamvis *quinto* nuda ejusmodi juris etiam recepti peritia nihil habeat prudentiæ, tamen poſſe ea uti ad dijudicandas hominum actiones, eſt prudentiæ non levis: quoniam utique hac ratione intelligitur quodammodo id, quod in vita rectum, juſtum aut utile eſt, tale enim eſt, quod cum legibus conſentit. Prudentiæ quoque eximiæ eſt ita leges negotiis humanis aptare poſſe, ut ſive ipſimet tibi, ſive aliis ſecundum eas poſſis cavere. Id quod maxime elucet tum, quando in civitate obtinent leges obſcuræ & intellectu difficiles, aut formulis multis intricatæ. Quales quum olim eſſent romanæ, hinc prudentium cognomentum præ aliis tum meruerunt illa cavendi peritia præditi. Quapropter de C. Aquilio ICto Cicero ipſemet pronunciat *Orat. pro Cæcinn. Ejus prudentiam populus romanus in cavendo, non in decipiendo perſpexit.* Iamdudum ante de C. Ælio Sexto Ennius:

*Egregie cordatus homo Cajus Ælius Sextus.*

§. 14. Anteaquam vero definiamus, prudentia hæc quam ſit affinis Politicæ, aut quam ab illa ſit remota, obſervandum primo eſt, non illam omni ex parte abſolvi ſolius juris peritia, nec deinde quamlibet peritiam juris huc facere. Duo ſcilicet requiruntur ad id, ut leges componas cum cauſis, ſive negotiis humanis, & legum ſcilicet & cauſarum exacta cognitio. Alterutrum certe, ſi abſit judicium, inſtitui nullum poteſt. Etſi vero non æque ſit operoſa ratio facti naturam diſcendi atque leges ipſas, revera tamen etiam hoc artis eſt: cum ſæpe in obſcuro ſit, non tantum num quid ſit factum, ſed etiam ſponte ne, an invite, & ſi ſponte, num deliberato conſilio, an repentino animi motu, ſi invite, an per ignorantiam & qualem illam, vincibilem ſcil. an invincibilem quid acciderit. Quæ omnia tamen accurate pernoſcas neceſſum eſt, ſi leges ad factum velis applicare. Quo poſſis porro id præſtare, opus quidem eſt, uti in promptu ſint leges civiles, ad quas exigendæ veniunt cauſſæ, cumprimis tamen requiritur, uti teneas modum ipſum *interpretandi* (a) leges ſive veram & genuinam earum ſententiam inveſtigandi, easque explicatione commoda nunc dilatandi nunc reſtringendi. Eſt autem hoc itidem artis ſingularis, & quidem occupatæ non circa interpretationem romanarum tantum legum ex. gr. ſed ſimpliciter omnium omnino, quæ in civitate aliqua ſolent ferri. Perinde atque artis cujusdam communis itidem eſt, poſſe quodammodo in cujuslibet facti propoſiti arcanam vim penetrare. Tametſi enim hactenus neutra illarum ſit literis tradita, reapſe tamen inveniuntur, & fortaſſis haud difficile fuerit illas componere, id quod ex iis, quæ infra diſputabimus, fiet clariſſimum. Imo harum εὐλόγοι quoniam inſtructi ſunt qui aliis cavere norunt, & facta ſecundum leges judicare, hinc illi prudentes & cauti nuncupantur, non tam vero ob legum ipſarummet civilium notitiam, quæ tamen ipſa, ut ſis πρακτικὸς, adſit itidem neceſſum eſt.

§. 15. Hiſce ad hunc modum præmiſſis, principio fatemur utique & nos prudentiam hanc juris dignam eſſe prudentiæ cognomento. Fatemur deinde, absque illa nec civitatem aliquam feliciter adminiſtrari poſſe. Hæc ſcilicet illa eſt, quæ judicem litium forenſium quaſi abſolvit, adeoque ipſamet eſt prudentia judiciaria ſive δικαστική. Etſi enim non omnis, qui ita reſpondet, de jure ſit in rep. conſtitutus judex, reapſe tamen eo ipſo, dum reſpondet, judicis quaſi officio defungitur. Iam vero prudentia iſthæc judiciaria portio quædam eſt ejus integræ prudentiæ, quæ rempublicam adminiſtrat, perinde ut judicia pars ſunt adminiſtrationis civitatum publicæ. Hactenus igitur politicum quid continet *prudentia iſthæc ſpecies*, (b) eoque pars quædam eſt politicæ ſive civilis prudentiæ integræ: quod Ariſtoteli quoque eſt obſervatum *lib. 6. Eth. c. 8.*

§. 16. Revera autem non niſi minima ejus pars eſt, atque ita nequaquam digna, quæ ſimpliciter civilis prudentia audiat. Infimum ſcilicet locum inter civilia negotia habent controverſiæ privatæ civium: longe autem ſunt majoris momenti, quæ de ipſis legibus ferendis, iisque non privatis tantum, ſed etiam publicis, de bello item ac pace, de fœderibus & ſocietatibus, de motibus aut cavendis aut ſopiendis, de vectigalibus, de exportandis & importandis, aliisque paris momenti agenda veniunt. Multo maximum eſt dignoſcere quemadmodum & hæc omnia & congenera alia in omnibus omnino rebuspublicis habere ſeſe debeant. Nihil vero ad omnia iſthæc adjumenti adfert fori illa prudentia, ſed plane alterius illa eſt generis ab ea, quæ circa magna hæc & gravia occupatur. Hinc adeo fit, ut juris quidem illius conſultiſſimus interdum, ad reliqua tamen omnia perinde ut ad vitam prudenter inſtituendam, ſit plane ineptus. Quomodo Javolenum Priſcum, qui *jus civile* magna nominis exiſtimatione *olim reſpondit, dubiæ ſanitatis fuiſſe* refert Plinius *lib. 6. ep. 15.* ea ab illo facta narrans, quæ profecto ridicula ſunt & infra muneris dignitatem. Omnino geminum vero Iavoleno dixeris magnum illum ICtum, quem memorat Hotomannus *Antitrib. c. 14.* qui *animadvertens montem obſtare, quo minus ſol emergens è ſchola poſſit conſpici, Principem ſuum adiit docens, quantum inde detrimenti acciperet Univerſitas, poſtulansque ut aut mons ſubverteretur, aut ſi id non obtinuiſſet, ſibi abeundi licentia daretur.* Quid? quod multi eo ad reipublicæ difficillima negotia fiant ineptiores, quo in cauſſis agendis magis toti hæſere. Nec vero mirum contendendi litigandique libidinem quandam quaſi in mores ita abire. Ea autem infecti, fieri vix

(a) *Interpretandi.*) Dolendum eſt, quod pars hermeneutica jurisprudentiæ hactenus pene manſerit inculta. Pauca ſunt & imperfecta, ſæpe etiam inutilia, quæ de legum interpretatione exſtant. GOEBEL.

(b) *Prudentia iſthæc ſpecies.*) Olim tam late ſumta eſt jurisprudentia, ut juſtum, honeſtum & decorum ſub ſe comprehenderit. GOEBEL.

vix poteſt, quin difficiles etiam ſint in reipublicæ negotiis, ſervandaque concordia, ſummo *civitatis malo.* (*a*) Pertinet huc quod de Ioanne Victorio Iurisconſulto celebri refert Paulus Iovius, illum moroſis cautelis ſuis Florentiam patriam in ſummum diſcrimen adduxiſſe. *Sed cum hæc* impendentia ſcil. mala, inquit hiſtoricus *l. 2. de vita Leon. X. una maxime pecunia facile poſſent expediri. Victorius ſcientia juris & æqui potius, quam his artibus inſtructus, quæ ad tractandas res graviſſimas neceſſariæ exiſtimantur, totam ſpem rei componendæ fœde corrupit. Quum dubitanti avaroque animo tenacius, quam oporteret, pecuniis parcendum arbitraretur, nec externis & militaribus eorum ingeniis, propter lubricam eorum fidem, uti cautus Iureconſultus, vel data pecunia confideret, Itaque dimiſſo conventu Florentini hoſtes judicantur.* Illa certe fori ipſiuſmet incommoda, quæ litibus perinde atque hirudines cruore ſaginantur, quorumve claſſes aliquot graphice jam olim depinxit Ammianus Marcellinus *lib. 30. hiſt.* tantum abeſt reipublicæ gubernandæ eſſe idonea, ut in beata republica ne toleranda quidem ſint, quemadmodum prudentiſſima Platonis ſententia *lib. 2. de republ.* ante hos bis mille annos jam definitum eſt. Abſit tamen uti propterea neges, poſſe quem ſimul & foro bene conſulere & curiæ. Utraque enim prudentia plurimos valere, uſu ſane quotidiano nemini non compertum eſt. Nempe ſi ad ingenii vires utriusque inſtitutio accedat, id quod haud difficile factu eſt. Nec tamen diffitemur, nonnullos hujus ordinis non tam accurata quadam civili doctrina, quam nativa συνέσει aut ἐμπειρίᾳ aliqua rempublicam gubernare, atque ita multum ſæpe vinci ab hominibus etiam illiteratis, certe nulla illos parte in reipublicæ arduis conſiliis anteſtare. Sed de illa peritia juris, quæ ſimul negocia & cauſſas ſecundum leges expendit, fortaſſe nimis multa adferimus.

§. 17. Longe majoris vero adhuc prudentiæ eſt, (id quod ſexto eſt loco obſervandum) ſi non teneas tantum quid lege ſit conſtitutum, ſed ſimul etiam pernoſcas, num quod ita conſtitutum eſt, utile ſit vel ſimpliciter humano generi vel civitati tuæ nec ne, aut in quantum ſit utile. Et vero intelligi utique hoc poteſt, ſi vel privatum vel publicum jus ſpectes: eſtque in illa intelligentia plurimum profecto collocatum. Etſi enim originem legum omnium reipubl. tuæ, quæve earum ferendarum fuerit occaſio, non liceat ſemper aſſequi, adeoque hactenus, *omnium, quæ a majoribus conſtituta ſunt, ratio reddi nequeat:* tamen æquitas & utilitas legum omnium ab homine prudente facile dignoſcitur. Similiter non oportet quidem in rationes legum latarum ita inquirere, ut ſi illæ fortaſſis laborent aliqua parte, vitia earum in publico cum tumultu quodam traducas; nec ſi tu haud poſſis rationem earum adſequi præjudicii hebetudine, ſtatim fas eſt leges illas rejicere, aut vocare in dubium: ita enim ſane *multa ex his, quæ certa ſunt, ſubvertentur,* ut recte dixit Neratius, ſimulque reipubl. ſalus periclitabitur. Attamen qui vere eſt juris prudens, non poteſt non ſimul in legum æquitatem & uſum animadvertere. Expedit quoque reipubl. ut nonnulli tales reperiantur: quo laborantibus quidem legibus rite ſuccurri poſſit nova legislatione, quæ autem bene ſeſe habent jura queant conſervari. Quid quod nemo ex dignitate poſſit *judiciis præeſſe,* (*b*) niſi hac quoque inſtructus peritia? Nec vero quisquam poterit aut per ἐπιείκειαν legem corrigere, aut eandem ad alia dilatare, niſi ſententia ejus intime perſpecta: qui autem perſpexeris ſententiam legis, niſi noris, quæ rationes legislatorem permoverint ita conſtituere? Facile autem apparet de æquitate & uſu legum latarum judicare, non eſſe niſi ejus, qui novit primo quid ſimpliciter humanæ naturæ ſocietatique ut & cuilibet reipubl. conveniat; qui deinde tenet illius populi illiusque reipubl. cujus ſunt leges, indolem, mores, atque inſtituta. Perinde nimirum atque medicus judicaturus de ægroti alicujus ſtatu omni, neceſſum eſt teneat & medicam artem ipſam & præterea ægroti ſui conſtitutionem. Iam vero quid humanæ naturæ communique omnium ſocietati, ut & quid cuilibet reipubl. expediat, illud moralis & civilis eſt veræ ac non fucatæ philoſophiæ intelligere, ceu mox patebit: ideoque quo de nunc agimus, jurisprudens philoſophia iſthac atque adeo politices cognitione oportet ſit inſtructus. Attamen quum ſingularum legum notitia non ſit prudentiæ civilis ejus, quæ generatim proſpicit rebuspubl. perinde atque in arte medica de ſingulis ægrotis non agitur) ſingula autem reipubl. ſuæ inſtituta intelligat hic jurisprudens noſter; conſequens eſt hanc ſingularis juris prudentiam fluere quidem potiori ex parte ex civili moralique philoſophia, non omnino tamen idem quid cum illa, ſed aliquam ad ſingularem quandam rempubl. reſtrictam eſſe prudentiam. Etſi porro utilitatem æquitatemve privati juris non ex aliis, quam civilis philoſophiæ fontibus liceat haurire, facile tamen apparet, ſi nihil aliud teneas, quam privati juris rationes, publicarum legum uſu ignorato, longius te a civilis prudentiæ ambitu abeſſe: utpote quum leges publicæ multum privatis antecellant, & hæ demum reipubl. ſtatum atque ſalutem omnem potiſſimum contineant.

§. 18. Qua de ultimo loco diximus jurisperitia, pene ipſiſſima eſt prudentia civilis; ceu ex iis, quæ impoſterum diſſeremus, erit manifeſtius. Penè inquam: revera enim non omni ex parte amplitudinem civilis prudentiæ eriam hæc exæquat: utpote quum ad reipubl. gubernationem multa pertineant, quæ legibus certis definiri nequeunt, adeoque conſultatio identidem de longe aliis plurimis inſtituenda veniat. Pars igitur quidem juris hæc prudentia eſt Politices, & quidem pars nobilis: non tamen omnino ipſamet illa eſt. Ceterum ſolet ejusmodi peritia juris haud venire vulgo jurisprudentiæ vocabulo. Sane qui juriſprudentes vulgo audiunt, minime omnium tale quid ſolent profiteri, ſed in multo diverſiſſimis verſantur, circa forenſes nempe po-

(*a*) *Civitatis malo.*) Usque ſane adeo hoc verum eſt, ut poſt Alciatum ipſemet Antonius Theſſaurus, ſummo utique nomine Conſultus Iuris, *in præfatione Deciſion. Sab.* obſervaverit, *eos, qui perpetua advocatione ſunt uſi,* minus etiam Iudiciis idoneos eſſe: idipſum Palladæ Græci poetæ ſententia iſta confirmans, quod venali lingua ſervire cauſis aſſueti raro ſincerum aliquid ac defecatum pronuncient. *CONR.*

(*b*) *Iud. præeſſe.*) Ut quidem illa nunc ſeſe paſſim habent: an enim expediat tantam vim judicibus in republica concedere, nec ne, non eſt hujus inſtituti diſputare. *CONR.*

Digitized by Google

potiſſimum & leges & lites civium tantum non toti occupati. Nec reperias temere librum ullum in omni terrarum orbe, qui titulo juriſprudentiæ hanc, qua de nunc agimus, civilem doctrinam *pertractet.* (*a*) Nec quiſquam ex vulgo prudentium juris, propter civilem hanc ſcientiam primum in republica locum ſibi temere vindicat, ſed prætextu potius illius forenſis alterius. Quod cum ſit notiſſimum non etiam eſt fortaſſe, quamobrem ſcrupuloſe hanc quidem juriſperitiam cum Politica ulterius contendamus.

§. 19. Cæterum iis, quæ a nobis ſunt in medium allata, videtur haud parum obſtare, primum auctoritas adverſæ ſententiæ multis ſeculis jam roborata & quidem per florentiſſimas Europæ regiones, Italiam, Germaniam, Galliam & Hiſpaniam omnem: deinde uſus quotidianus. Nam hic quidem docet a romani juris peritis rebuspublicis paſſim terrarum optime conſuli, easque feliciter gubernari, etſi illi aliam prudentiæ ſpeciem præter iſtam juris haud didicerint. Palam vero eſt & conſenſio illa ſummorum regum, pontificum aliorumque maximorum hominum imo & populorum, ſolis jureconſultis gubernacula reipublicæ concredendi, nulli autem alteri doctorum ordini, quaſi reliqui omnes illi rei inutiles, ſoli autem iſti ſpem conceptam queant explere. Adhoc juris illa ſcientia *divinarum humanarumque* (*b*) rerum notitia definiente Ulpiano *leg.* 10. *§.* 2. *ff. de juſtit. & jur.* ars item boni eſt & æqui. Hæc autem ſi teneas, non videtur magnopere ad rempublicam gerendam aliud quidquam poſtulari.

§. 20. Verum enimvero ut retrogrado ordine ad ſingula hæc reſpondeamus, niſi Ulpiani quidem illa verba benigne interpreteris, nihil illis eſt falſius: habueritque etiam hic locum illud Tullii: *magna profeſſos in exilibus verſari.* Ridicula ſane eſt Accurſii gloriatio *in gloſſ. ad L.* 10. *§.* 2. *ff. de juſt. & jure.* nihil opus eſſe theologiæ ſtudio ad cognoſcenda divina, ut quæ ex legum romanarum libris affatim queat peti. Verum non alia eſt mens Ulpiani, quam id, quod de divinis humaniſque rebus legibus eſt romanis conſtitutum, illud omne a prudente illius romani juris intelligi, quoad negotia civium omnia ad illas leges poſſunt exigi. In omnibus nimirum rebuspublicis bene conſtitutis de divinis pariter humaniſque rebus nonnullæ leges feruntur: quas ſcire par eſt eum, cui judiciis præſidere in officio eſt. Nec vero ipſemet Ulpianus res illas aliter habuit cognitas, iniquus cæteroquin ſaltim circa ſacra *legislator futurus.* (*c*) Hic enim ille eſt, quem petunt juſta illa ſpicula dolentis Lactantii *Lib. V. de inſtit c. XI. Quin etiam ſceleratiſſimi homicidæ contra pios jura impia condiderunt! nam & conſtitutiones ſacrilegæ, & diſputationes juriſperitorum leguntur injuſtæ. Domitius de Officio Proconſulis libro ſeptimo reſcripta Principum nefaria collegit, ut doceret quibus pœnis affici oporteret eos, qui ſe cultores Dei confiterentur. Qui iis facias, qui jus vocant carnificinas veterum tyrannorum adverſus innocentes rabide ſævientium?* Et vero quî ille Ulpianus aliter ſenſerit *L.* 12. *ff. qui & a quibus manum.* ſi illi omnis lex lata, quamvis iniqua, fuit pro amuſſi? Alibi ſane cum iniquum quid retuliſſet de manumiſſione ſervorum, ſubjungit ipſe hæc verba: *quod quidem perquam durum eſt, ſed ita lex ſcripta eſt.* Certe qui tanti facit leges quaslibet, aut qui *erubeſcit ſine lege loqui*, quod a Iuſtiniano injunctum jureconſultis *Novell. de triente & ſemiſſ. cap. conſid.* vulgo multi (perperam tamen) credunt, is majorem ea quam nos ab Ulpiano intelligi diximus, divinarum humanarumque rerum peritiam, imo nec aliam *juſti aut injuſti ſcientiam*, quam quæ itidem legibus latis unius alicujus civitatis tota nititur, poteſt habere. Eundem vero *artem boni & æqui* habere, non perinde liquet. Et vero qui duritiem legis ſcriptæ exiſtimat haut licite molliri, ille quemadmodum æqui ſive τῆς ἐπιεικείας artem teneat ſane non video. Et tamen etiam Celſus ille, quem ſequitur Ulpianus *L.* 1. *§.* 1. *ff. de juſt. & jur.* non ſimpliciter de æquo & bono omni eſt loquutus, ſed tantum eo, quod romanis legibus fuit quaſi proprium.

§. 21. Alterum quod attinet, profecto uſu ipſo docemur, qui præter illam juris ſcientiam nihil ulterioris prudentiæ ſibi comparavere, infeliciter admodum arduis negotiis & ubi legum adminicula amplius non valent, admoveri. Imo pene uſu venit, eos, qui juris illo ſtudio, prout hodie ſane illud ſeſe habet & eſt ampliſſimum, quam maxime eminent, ad conſilia reipublicæ difficiliora minus aptos eſſe rudioribus. Quotquot vero ejus ordinis etiam in republ. gubernanda egregios ſeſe præſtiterunt (ut ſane præſtiterunt ſeſe hodieque præſtant perquam multi) ii omnes, etſi non ex ſcriptis eorum, qui maxime potuiſſent juvare, civilem hauſerint prudentiam, tamen vel ingenii nativa ſolertia, vel longo quodam rerum uſu & experientia, vel lectione hiſtoricorum aliorumque optima quæque monentium (quæ omnia quantam vim habeant, alias oſtendimus) id didicere, quod etſi non ad omnem, ad ſuam tamen, in qua vixerunt, rempublicam recte gubernandam, ſi non omni, ſaltim potiore ex parte, fuit ſatis.

§ 22. Ut ad primum denique redeamus: non ſane diu adeo eſt, quando illa opinio cœpit invaleſcere: nec tamen uſquam terrarum hactenus quidem in totum obtinuit. Ut proinde neque a temporum vetuſtate, neque a late diffuſis terrarum ſpaciis, ſententia iſthæc magnum aliquod robur accipiat. Antiquitatem videlicet ſi ſpectes, vix ante ſeculum decimum tertium

in

(*a*) *Pertractet.*) Niſi fortaſſis exiſtimes, eximendum I. Hopperi opus de Vera juriſprudentia inſcriptum: cujus tamen non niſi prima pars agit περὶ νομοθεσίας. CONR.

(*b*) *Divinarum humanarumque.*) Prout ſub juſtum vel injuſtum cadunt; verſatur enim juriſprudentia circa cultum divinum externum ordinandum, & circa leges de rebus ſacris & eccleſiaſticis ferendas, easque ad caſus obvenientes applicare docet. GOEBEL.

(*c*) *Legislator futurus.*) Circa ſacra inquam. Abſit enim, ut ſimpliciter id affirmem, de viro in forenſi utique Romanorum prudentia magno, & quem Zoſimus l. 1. Hiſtoriæ non dubitavit ita laudare: Καὶ νομοθέτης ἦν ἄριστος, καὶ τὸ παρὸν ἐνδιαθεῖναι, καὶ τὸ μέλλον εὐστόχως συνιδεῖν δυνατός. Circa ſacra vero futurum illum fuiſſe minus bonum legiſlatorem, quamvis latarum de iis romanarum legum perinde ut aliarum peritiſſimus fuerit, negari non poteſt. CONR.

Digitized by Google

in ipſa Italia obſervare eſt, potiſſimum jureconſultos ſolere adhiberi ad munia reipublicæ alia, quam ad judicia. Florentibus ſane Romanorum rebus, haud legas peritiæ illius ergo quemquam admotum ad gravia quæque negotia, aut ad honores aſcendiſſe. Nec enim tum quidem *munivit ad conſulatum viam*, dicente Tullio. Sub Cæſaribus nonnulli eorum ad majora adſcenderunt & frequentius quidem ſolito, non tamen prærogativa quadam majoris prudentiæ civilis: neque vel tum hoc nomine præcipua aliqua vel in opinione fuerunt præ aliis vel dignitate. Qui princeps inter Cæſares ſolito frequentius eos in comitatu ſuo aluit Hadrianus, ad judicia eorum conſiliis eſt uſus. Diſerte enim Spartianus *in vita Hadrian. cap.* 18. *Cum judicaret, in conſilio habuit non amicos ſuos aut comites ſolum, ſed juriſconſultos & præcipue Julium Celſum, Salvium Julianum, Neratium Priſcum, aliosque.* Uſus iisdem & Antonius Pius, *ſed cum de jure* ſanciret, ut loquitur Julius Capitolinus *in vita Anton. cap.* 12. Hujus ſucceſſor Marcus *uſus eſt Scævola præcipue juriſperito*, ſed cum *jura dictaret*, ceu idem Capitolinus refert *in vita Marci Caſ. cap.* 11. Alexandro Severo, nemo Cæſarum ex pluribus & melioribus juriſperitis collegium inſtituit. De illo autem Lampridius *in Alexandro cap.* 16. *neque ullam conſtitutionem ſacravit ſine viginti juriſperitis, & doctiſſimis ac ſapientibus viris iisdemque diſertiſſimis, non minus quinquaginta.* Item: *Fuit præterea illi conſuetudo, ut ſi de jure aut de negotiis tractaret ſolos doctos & diſertos adhiberet; ſi vero de re militari milites veteres & ſenes ac bene meritos, & locorum peritos & bellorum ac caſtrorum, & omnes literatos, & maxime eos, qui hiſtoriam norant, requirens quid in talibus cauſſis, quales in diſceptatione verſabantur, veteres imperatores vel romani vel exterarum gentium feciſſent.* Hactenus Lampridius. Non eſt quod reliquorum Cæſarum res moveam: vel ex hiſce enim manifeſtum eſt, non tam ad ardua quælibet reipublicæ negocia peritos juris tum vocatos, quam ad judicia & ferendas privati juris conſtitutiones, & ne ſic quidem ſolos illos conſultos eſſe. Jam vero poſt renata Juris Romani ſtudia, videre quidem eſt paulatim illuc tractos cæſarii aut pontificii juris peritos, verum alibi quidem atque alibi ſic ſatis ſero. In Germania ſane haud obſervaveris id contigiſſe ante ſeculum decimum quintum. Nuſquam vero etiam ex eo videtur creditum aut populo alicui aut regibus ac pontificibus, quaſi ſoli illi periti juris conſiliis de republica dandis ſint idonei. Ubivis enim omni tempore etiam aliis compluribus ad honores maximos patuit acceſſus. Imo nonnuſquam pene cum ignominia a præcipuis reipubl. muneribus lege excluſi ſunt. *Vid. Beſold. in templo juſt. n.* 91. Ita in Italia Genuæ ferunt prohiberi hodie omnem doctorem juris a prætorio munere, quod tamen maxime illi eſt proprium *vid. libr. noſtr. de Orig. jur. Germ. c.* 32. Ante hos ducentos annos in Germaniæ noſtræ publicis comitiis actum eſt de iis non a conſilio tantum, ſed etiam a judiciis removendis. *Vid. Beſold. de ſtud. & magiſtr. p.* 125. Quod etſi alibi caruerit effectu, alibi tamen hodieque in tantum valet, ut etiamnum a ſenatu per legem latam excludantur. *Walther. de privileg. doctor. c.* 18. Non probamus hæc ſtatuta (iniqua enim ſunt & rectæ rationi adverſantur) tantum in id eorum hic meminimus, uti pateat etiam poſt admiſſas romanas leges, non ſolis juriſconſultis in Germania rempublicam concredi ſolere.

§. 23. Nec vero abs omni ratione juriſperitis potius, quam ulli eruditorum alteri ordini commiſſa eſt multis in locis ipſa etiam reipublicæ cura. Primo enim ipſa illorum (de iis loquor, qui judiciis præeſſe idonei ſunt, non autem de aliis) propria profeſſio, quæ circa leges cum civiles tum gentium & naturæ occupantur, eximiam partem negotiorum reipublicæ ſibi vindicat: cum medicorum & qualis hodie vulgo cenſetur philoſophorum doctrina non niſi leviter illa attingat, theologorum paulo amplius quidem itidem tamen minus, philologorum vero aut aliorum id genus huc faciat nihil. Quoniam igitur in conſiliis non tantum quid utile aut inutile, ſed & quid legibus ſit conſentaneum (hoc autem, ex quo operoſa illa cœpit juriſperitia, nulli alii etiam eruditorum ordini potuit notum eſſe) veniat attendendum, ſaltim hactenus merito ad conſilia præ aliis hi ſunt admiſſi. Jam vero qui ita verſantur quotidie in rebus humanis (modo quidem inſtructi ab ingenio ſint) uſu illo etiam quod reliquum eſt civilium negotiorum paulatim aliqua ex parte addiſcunt. Certe ut uſu addiſcant in promptu illis magis eſt, quam alii alicui doctorum familiæ. Hactenus vero aliquamdiu pene ubivis obtinuit, ut regendæ reipublicæ peritia non niſi uſu addiſceretur. Ideoque hactenus etiam inter literis quidem deditos hi maxime non potuerunt non prudentia quoque vere civili aliis præſtare: ſi ſane ἀγχίνοιαν aliquam πολιτικήν, ut ita loquar, ſimul attulere, alias enim fateor judiciorum uſum parum ad reliqua illa facere. Adhoc dum pacata quidem eſt reſpublica (ſolent autem belli tempora eſſe omnium rariſſima in rebuspublicis permultis) magnam partem in judiciis plæræque ſolent verſari; adeoque ad id, quod ſupereſt gubernandum par eſt pene quilibet. Quidni ergo & ille, qui controverſiis civium judicandis ſufficit? Igitur ut ſumptibus, qui in magiſtratus forte ſunt faciendi, parcatur, ex re etiam eſſe videtur, ut quibus judicia illis & conſilia, curiæ committantur. Certe ut alii judicia, alii conſilia tractent, civitates tenuiores non ferunt præ indigentia. Etſi enim longe ſit veriſſimum illud Ariſtotelis 1. *Polit. c.* 2. naturam facere ἓν πρὸς ἕν: & optime habere ſeſe inſtrumentum quodlibet μὴ πολλοῖς ἔργοις ἀλλ' ἑνὶ δουλεῦον: tamen civitatum omnium conditio tantæ perfectionis non eſt capax, ſed cogitur idemtidem unius opera ad diverſiſſima uti, perinde ac ſtatuarii olim ſuo gladio Delphico per inopiam. Accedit denique, quod inter eos, qui civilium ſunt munerum capaces, præ ruditate temporum, ſoli aliquamdiu jureconſulti occaſione cauſarum agendarum nonnihil eloquentiæ ſibi comparaverint (nam etſi & illi, quibus verba ad populum in ſacris concionibus dare incumbit, itidem ejus aliquid uſu ſibi ſoleant parare, tamen vitæ inſtituto a republica capeſſenda ſunt remoti) non poſſit autem reſpublica facile carere viro diſerto, etiam hac ratione patuit meri-

to

to illis jureconſultis magis,quam aliis ad reipublicæ adminiſtrationem via. Hiſce fere de cauſis prælatos illos eſſe hactenus aliis, nec immerito prælatos, argumento eſt, quod ubi & eloquentia & vera prudentia civilis etiam ab aliis cœpit ſtudioſius excoli, ibi & alii non minus ad rempublicam ſint admiſſi, alibi etiam majorem exiſtimationem impetraverint. Hac ratione ſane factum eſt, ut Florentiæ, in ipſamet Italia, jam tum olim ante hoſce ducentos amplius annos, ipſummet magnum cancellarii munus Leonardo Aretino, ac deinceps ſimilibus nonnullis fuerit potius concreditum.

# CAPUT IV.

***Rhetoricen perperam olim creditam eandem eſſe cum Politice: nunc etiam male a nonnullis, vel ſingularis alicujus reipublicæ notitiam, vel omnis generis prudentiam Politicen exiſtimari.***

§. 1.

Antea ad propoſitum nobis argumentum propius quam accedamus, tres adhuc errores eximendi veniunt, quorum primus nunc quidem amplius non multum negotii faceſſit, aſt olim tamen per ſuit receptus, & facile iterum poſſit vim priſtinam recuperare. Alter hodie ſic ſatis eſt frequens, cum primis per Germaniam noſtram, alibi tamen non item. Tertius alibi terrarum magis, quam apud nos videtur obtinere. Neutrius tamen eorum in antiquis monumentis veſtigia temere invenias. Ita autem omnes illi ſeſe habent, ut abſque operoſa confutatione hoc quidem labore queamus defungi.

§. 2. Quemadmodum ſcilicet noſtra ætate juriſperitia, ita Socratis præcipue, & deinceps Platonis atque Ariſtotelis ævo, rhetorice ſive oratoria facultas Politicæ ſpeciem aſſumpſit, Sophiſtis qui tum appellabantur utrumque (perinde tamen inepte) *profitentibus.* (*a*) Excellebant vero, ſocratica quidem ætate, iſthoc ſuperbo titulo præ aliis, Protagoras, Prodicus, Gorgias, Hippias, Polus, & Thraſymachus, inſigni homines animi inſolentia & prætextu doctrinæ intolerabili faſtu, eoque multis nominibus vulgo magna in exiſtimatione, donec princeps Socrates inſcitiam illorum quaſi in arenam & lucem produxit; cujus diſputationes in platonicis dialogis & ſcriptis quibusdam Xenophontis hodieque ſuperant. Protagoras igitur ipſemet apud Platonem *in Protagora* pronunciat de ſua doctrina: τὸ δὲ μάθημά ἐςὶν εὐβουλία περί τε τῶν οἰκείων, ὅπως ἂν ἄριςα τὴν αὑτοῦ οἰκίαν διοικοῖ, καὶ περὶ τῶν τῆς πόλεως, ὅπως τὰ τῆς πόλεως δυνατώτατος ἂν εἴη καὶ πράττειν καὶ λέγειν: *Diſciplina* (mea ſcilic.) *eſt prudens conſultatio & de rebus domeſticis, quemadmodum domum tuam optime gubernaveris, & de rebus, quæ ad civitatem pertinent, qua quis ratione illas poſſit & agendo & dicendo inſtituere.* Quibus verbis, cum Socrates dixiſſet; videri ſibi artem politicam ſignificari, reſpondet ille: αὐτὸ μὲν τοῦτ᾽ ἔςιν τὸ ἐπάγγελμα ὃ ἐπαγγέλλομαι. Gorgias etiam Leontinus profitetur apud eundem Platonem *in Gorgia*, ſeſe docere *id, quod bonum eſt maximum, adeoque cauſa ut tum libertatem homines retineant, tum unusquisque imperium & poteſtatem in civitate in ſuos retineat.* Id *autem eſſe, poſſe verbis perſuadere & in judicio judicibus, & in ſenatu ſenatoribus & in concione auditoribus, atque in alia qualibet congregatione civili.* Dixerat vero jam tum ante idem: *rhetoricam in quibus dicendi, in eisdem & intelligendi vim præbere.* (*b*) De hac Sophiſtarum politicæ ſcientiæ oſtentatione paſſim multa alia habet Plato, quæ referre non attinet. Et vero plus ſatis ex Ariſtotele eſt manifeſtum, quid ſibi illi hac in re arrogaverint. Solos enim, vel præ aliis certe, iſthac tempeſtate apud Græcos Sophiſtas, politices ſcientiam venditaſſe, non obſcure ſignificat. In aliis enim artibus quidem eosdem, qui exercent & docere illas ſolere, τὰ δὲ πολιτικὰ, inquit *Ariſt. l. X. Ethic. c. ult.* ἐπαγγέλλονται μὲν διδάσκειν οἱ σοφιςαὶ, πράττει δὲ αὐτῶν οὐδείς. Negat vero ab illis vel id ſatis fuiſſe cognitum, qualisnam ſit politice & circa quæ verſetur. οὐ γὰρ ἂν, ait, τὴν αὐτὴν τῇ ῥητορικῇ οὐδὲ χείρω ἐτίθεσαν Pertinet huc quod idem Ariſtoteles in Rhetoricis *l. 1. c. 2.* affirmat: ὑποδύεται ὑπὸ τὸ σχῆμα τὸ τῆς πολιτικῆς ἡ ῥητορική: *rhetorice ſibi politices perſonam induit:* nec alii quam Sophiſtæ ſunt οἱ ἀντιποιούμενοι ταύτης: *quos partim per ignorantiam, partim per arrogantiam, partim alias ob cauſſas* & venditare ſe politicos & vulgo exiſtimari, dixit quidem indubie Ariſtoteles, non legimus tamen hoc loco, quod verba quædam exciderint & hiet oratio.

§. 3. Videtur vero non deſtitui aliqua ſimilitudine veri iſthæc rhetorum oſtentatio, quodque rhetorices omnino ſaltim aliqua ſit pars politice. Docet nimirum rhetorice quemadmodum in concione ſive curia, adeoque ubi deliberandum eſt de republica, inſtitui oratio debeat, quo obtineat conſilium optimum. Qui deliberaveris autem de reipublicæ omnibus negotiis, niſi civili ſis prudentia inſtructus? Similiter rhetorice verſatur circa omnes fori controverſias, adeoque neceſſum utique eſt, uti rhetor gnarus quoque ſit omnium eorum, quæ ad judicia pertinent. Jam vero in judiciis & conſultationibus, ſive in concione aut curia & foro, occupata maxime eſt omnis rei-

(*a*) *Profitentibus.*) Etiam diu poſt idem profeſſos Rhetores athenienſes, colligere eſt ex eo, quod cathedram ſuam appellaverint θρόνον πολιτικὸν: ceu in non uno loco libri, quem de Vitis Sophiſtarum Philoſtratus conſcripſit, videre eſt. Cicero certe in dialogis ſuis de Oratore, hanc ſententiam propugnantem non dubitavit producere ipſum Craſſum. Aperte vero etiam Quintilianus: *Vir ille vere civilis, & publicarum privatarumque rerum adminiſtrationi accommodatus, qui regere conſiliis urbes, fundare legibus, emendare judiciis poſſit, non alius profecto eſt, quam Orator.* CONRING.

(*b*) *Præbere.*) Iſthac ſane Gorgiæ profeſſione videtur quondam fuiſſe illectus etiam ille Xenophonti *l. 2. Expedit. Cyri* laudatus Proxenus Bæotius; ut qui, cum a prima ætate in eum virum evadere cupiebat, qui magnis rebus gerendis idoneus eſſet, Gorgiæ Leontino mercedem dederit, ejusque conſuetudine ſit uſus CONRING.



Digitized by Google

reipublicæ curatio. Ut proinde a rhetore nihil ſit alienum, quod vero πολιτικὸν poſſit cenſeri, ſaltim in iis rebuspublicis, quæ jam tum in corpus aliquod, ut ita dicam, coierunt. *Quæ* autem præter oratoriam *vis alia* (utor verbis Craſſi prudentia non minus ac dignitate magni olim apud Romanos, quam eloquentia viri *vid. Ciceron. l. 1. de Oratore*) *potuit etiam aut diſperſos homines unum in locum congregare, aut a fera agreſtique vita ad hunc humanum cultum civilemque deducere, aut jam conſtitutis civitatibus leges, judicia, jura deſcribere?* Quamvis vero hodie non ea amplius exſpectari ſoleant ab oratore, nec pene quisquam hodie ſit orator ea qui poſſit, & oratoria exercitia in ludicrum aliquod pulveris ſcholaſtici ceſſerint: tamen non etiam nunc & præſtare eadem quis poſſit, ſi, uti par eſt, facultate iſthac fuerit inſtructus: qui ſane aliquid vulgo præſtant eximii, id agunt facultate dicendi, etſi ipſi minus agnoſcant, qua vi ſcopum ſuum aſſequantur. Juriſconſulti ſc. occuparunt ſimul eam rhetorices partem, quæ cauſas & controverſias tractat in foro. Et in conſiliis hodieque multum aliis antecellunt, qui diſerta oratione flectere poſſunt animos audientium in aſſenſum.

§. 4. Quamvis vero hæc & ſimilia multa poſſint aliquam politices opinionem oratoriæ apud imperitos comparare, & olim hac ratione Sophiſtæ illi in vulgo cognomentum politicorum impetraverint, longiſſimo tamen intervallo oratoria & politice diſtant, ac Sophiſtæ illi civilis prudentiæ fuere imperitiſſimi. Primo enim unice utique eſt propoſitum oratori perſuadere poſſe, & in hoc verſantur rhetoricæ artis omnia, uti te aptum reddant, quo dicendo poſſis aſſenſionem conſequi: prudentiæ autem civilis eſt ſcire, quod expedit aut nocet reipublicæ. Hoc vero parari profecto poteſt, etiamſi neſcias quemadmodum id aliis liceat perſuadere; & uſu venit, uti ſententiam poſſis perſuadere, quæ tamen num vere ſit commoda reipublicæ nec ne, ignores. Nec vero ipſam rationem recte deliberandi docet rhetorica, nec illam uti teneat a rhetore exigitur; ſed tantum illa quidem hoc agit, ut poſſis, quod in deliberationem venit, aliis perſuadere, & ſi hic id valeat, ſatis officio ſuæ artis fecit. Sic non docet etiam rhetorice rationem ipſam judicandi de controverſiis forenſibus, nec ejus peritia neceſſum eſt, ut rhetor ſit inſtructus, modo noverit, quod pro actore & reo poſſit in judicio veroſimiliter in medium adferri. Uno verbo, rhetor omnia dirigit ad id, ut trahat in partes ſuas judicem: qui autem prudentiam civilem ſectatur non reſpicit aſſenſum alicujus hominis, ſed nude pro ſcopo habet emolumentum civitatis, eoque & ſecreto nonnunquam deliberat & apud ſeſe ſciſcit, quid expediat.

§. 5. Primum itaque rhetroice & civilis prudentia ipſo ſibi propoſito fine multum inter ſeſe differunt. Liquet 2) porro utriusque diſcrimen ex eo etiam, quod Politice omnia agat adminiculo certæ & non fallacis rationis: rhetorice autem ejusmodi auxilia nequaquam ſuppeditet Prudentiæ ſcilicet intereſt non falli, ſed id, quod verum eſt aſſequi. Quibus autem rhetor utitur, aut quæ ſuggeruntur ab oratoria arte, illorum alia nihil plane huc faciunt; âlia, oratorio quidem modo uſurpata, plurimum obſunt, tantum abeſt, ut prudentiæ inſerviant; quod reliquum illius eſt veritati cognoſcendæ, non niſi leviter poteſt opitulari & tanquam ex accidente. Nec vero quidquam juvat univerſum illud, quod faciat ad dictionem, omneque adeo artificium teſſellatæ & comptæ orationis. Non juvat ὑποκρίσις, quam tamen primum, ſecundum & tertium oratoris auxilium ipſemet Demoſthenes cenſuit. Diſpoſitionis quoque ars prudentiæ plane eſt inutilis. Poteſt nimirum prudentia comparari etiam absque omni ſermonis uſu, & ab homine muto. Et ſi conſilium a prudentia ſuggeſtum aut prudens alia ſententia fuerit docenda, non profecto opus eſt cultu ſermonis oratorio. Imo quemadmodum alias ſemper in docendo ſolus ille tenuis dictionis character invenit locum, ita & hîc ſingularis aliquis ornatus ſine vitio adhiberi non poteſt: & tamen nemo ferat illa duntaxat ſermonis forma utentem oratorem. Non etiam rhetoris eſt definire, quæ dictio conveniat vero ac non fucato prudentiæ civilis magiſtro: perinde atque a rhetore non accipit poëta modum & leges ſuæ orationis, ſed ab ipſo poëticæ ſuæ artis doctore. Omnem certe ſermonis curam perperam rhetori adſcribi, majori vero ex parte competere illam ſingulari cuidam artifici, ita ut rhetoris proprie nihil aliud ſit, quam ſumere congruam officio ſuo dicendi formam, alibi oſtenditur. Multo minus vero actionis artificium prodeſſe ad ſapientiam civilem, haud indiget, arbitror, probatione. Neque diſpoſitio illa, quæ oratori utilis eſt ſive ad inveniendum, ſive ad dicendum, prudentiæ conſulto poteſt prodeſſe: ſed potius iſta, quæ in omni demonſtratione & doctrina veritatis venit obſervanda; id quod cum alias eſt manifeſtum tum infra nonnihil prolixius explicandum venit. Jam vero quæ faciunt animo judicium perturbando, illa profecto prudentiæ civilis magiſtro quemadmodum conveniant, cum ne in foro quidem bene conſtitutæ reipublicæ ferenda ſint? *Ariſt. l. 1. rhet. c. 1.* Peſſimo ſane more iis locus quondam fuit datus Athenis atque alibi in Græcia, ut & poſt Romæ atque in romani imperii provinciis. Nihil certe magis veritatis profeſſioni & rectæ docendi rationi obſtat illis, quibus oratores uti ſolent artibus ad effectus animi concitandos: cum ſerenanda potius mens ſit, & judicii acies, quantum fieri ejus poteſt, elimanda. Haud diffiteor, illa quæ ab optimo non rhetorum minus quam philoſophorum Ariſtotele, ſecundo rhetorices volumine, de animi moribus variisque hominum moribus diſſeruntur, apprime in vita omni utilia eſſe, atque ad prudentiam plurimum adferre commodi poſſe. Homines quippe nos ita pene inſtituere vitam actionesque noſtras ſolemus, perinde atque affectibus animi & illis, qui aut a ſexu aut ab ætate, aut ab opibus natalibus & potentia, aut a virtute denique & vitio naſcuntur, moribus huc illuc trahimur: magnum vero prudentiæ momentum eſt humanarum actionum rationem & principia exacte noviſſe, quum ſic demum liceat aut impellere eas, aut declinare aut remorari, prout uſus exigit. Cæterum, non in illum finem adferuntur iſthæc in rhetoricis; eoque hic eorum in vita uſus alius plane eſt, & ex rhetoricis petitur

Digitized by Google

titur λίαν κατὰ συμβεβηκός. Illa poſtremo argumenta, quibus quam maxime orator utitur ad perſuadendum, veluti nituntur tantum vulgi conſenſu, ita etiam a vero ſæpe multum ſunt aliena, non minus atque illa, quæ dialecticæ ſunt propria. Nec enim uſu ſolet venire, ut id, quod verum & rectum vulgo placeat, ſed & ſolet vulgus de iisdem rebus multum inter ſeſe ſententiis ſcindi. *Vide Scherbit. Theſ. philoſ. 2. & 4.* Hinc vero patet, ad exactam utique prudentiam civilem comparandam æque illa eſſe inidonea atque ſunt ad primam philoſophiam argumenta dialectica. Nonnihil enim etſi juverint, non tamen aliud ejus auxilium eſt, quam quale philoſophus accipit a dialectico. Præludium ſcilicet aliquod civili prudentiæ præſtare apta eſt rhetorice, ut philoſophiæ primæ dialectice: quam proinde Ariſtoteles *l. 4. Metaphyſ.* eleganter dixit πειραστικὴν περὶ ὧν ἡ φιλοσοφία ἐστὶ γνωστική: quoniam in utramque partem quæſtionis per τὰ ἔνδοξα ventilatio munit quaſi viam ad veri ſcientiam, & qui in promptu habere de re quapiam varias ſive vulgi ſive doctorum ſententias, facilius, rigido facto examine, ſtatuere poteſt, quid ſit vero conſentaneum.

§. 6. Multum porro 3) differt rhetorice a civili prudentia, ipſomet etiam, circa quod ars utraque verſatur, objecto. Etenim, ſi rhetoris eſt tantum circa definitas verſari quæſtiones, (id quod multis viſum eſt rhetorum iisque præſtantiſſimis, quorum partibus accedens eruditiſſimus ille Topicorum Ariſtotelis interpres Græcus, qui Alexander vulgo creditur, ſcribit *l. 1. Top. de rebus ſingularibus magis dicit orator, de his enim ſunt judicia & conſultationes & encomia*) ingens ſane diſcrimen eſt utriusque, quoniam politica ſcientia (quæ maxime digna eſt Politices nomine) ad ſingularia non dimittat ſeſe, ſed nullis temporum, locorum hominumque ſingularium circumſtantiis limitatas conſultationes inſtituat. Quod ſi & infinitam materiam dederis rhetori (quam illi non denegandam cenſeo, cum nec finitam quæſtionem poſſit recte expedire orator, niſi ſubinde in communia excurrat, & ex locis rhetoricis depromi poſſit quo ad vulgi mentem æque diſſeras de indefinitis illis atque de aliis, ac idcirco ab Ariſtotele fuerit olim theſes dicendi ad eloquentiam parandam inſtituta exercitatio) propius quidem ad civiles res omnes accedit orator, utpote quum nihil pene occurrat in Politicis, quo de non poſſit ille ornate dicere ex vulgi ſententia. Nec tamen vel ita omni ex parte in objecto convenit utraque ars, quandoquidem quæ demonſtrativi ſunt generis, a politico in quantum eſt talis ſoleant negligi. Igitur quod orationes rhetorum πολιτικοὶ λόγοι audiant ipſimet Ariſtoteli, & auctori *Rhetoricor. ad Alexandrum c. 1.* ipſa rhetorice appelletur μέθοδος τῶν πολιτικῶν λόγων, quodque Hermogeni *civiles quæſtiones ſolæ*, ut *rhetoric. ad Herennium l. 1. cap. 2.* ſcriptori *res ad uſum civilem moribus ac legibus conſtitutæ materia oratoris eſſe* viſæ ſint: id vero ita accipiendum eſt, quod in ejusmodi argumento præcipue & cum maxime orator verſetur, nec vel laudationes ac criminationes plærumque in alium quam, in civilem uſum ſoleant inſtitui. Si verum foret id, quod Gorgias olim rhetorum antiquiſſimus & poſt illum alii, quorum ſententiam Craſſus apud Ciceronem *lib. 1. & 3. de Orat.* defendendam ſuſcipit, ſunt profeſſi, immenſam quandam & infinitam materiam oratoriæ arti ſubjici, ita ut omnibus de rebus orator poſſit optime dicere; multo maximum eſſet civilis ſcientiæ & oratoriæ artis diſcrimen. Verum quoniam de rebus a populi conſcientia remotis nullæ ferantur in vulgus receptæ ſententiæ, ex quibus tamen ſuas ſolet rhetor inſtituere argumentationes, adeoque ſi de iis diſſerere velit orator, deficiant ipſum ſui loci, quibus alias unice utitur: manifeſtum eſt, inanem eſſe & hanc Gorgiæ oſtentationem. Sed & quicquid ejusmodi de rebus accommodate ad vulgi captum dici poteſt, id vel nihili eſt, vel pertenue eoque inanis operæ. De illis autem ſubtilius dicere atque ſupra aures populi, non amplius poteſt eſſe ejusdem artificis, qui popularem aſſenſum unice quærit: id quod tamen rhetoris in officio eſſe, omnes conſentiunt: ſed plane diverſi & longe majoris.

§. 7. Longe potius 4) videre eſt, quantum a civili prudentia abſit oratoria profeſſio in eo etiam, quod ſimpliciter absque Politica nulla poſſit respublica vel inſtitui vel gubernari, rhetorice autem non niſi ideo ſit neceſſaria, quoniam optima prudentiſſimaque conſilia apud populum aut quem alium iniquiorem imperitioremque auditorem non ſemper inveniant locum, niſi popularibus argumentis fides illis concilietur. Par eſt de judiciis ratio: non enim etiam heic opus eſt oratore, ſi judex & prudens ſatis ſit & juſtus. Vere Columella *lib. 1. de re ruſtic. præfat. ſine cauſidicis olim ſatis felices fuere futuræque ſunt urbes.* Nusquam etiam laboraverunt magis judicia, quam ubi oratoribus permiſſum eſt vim artis ſuæ exſerere, in Græcia primum, inde Romæ, & ſerpente contagio paſſim in provinciis. Ægyptiorum judicia, quod rhetores non admitterent, ipſemet Diodorus Siculus homo Græcus prudenti oratione, quaſi ex Ægyptiorum tamen ſententia, commendat *lib. 1. cap. 36.* Certe & hodie ſunt & fuere ſemper olim plurimis in civitatibus ſine rhetoribus judicia florentiſſima. Ubi concilium eorum, qui de republ. deliberant, ex ſolis prudentibus & perſpicacis judicii viris conſtat, itidem ſatius videtur eſſe rem ſolidis argumentis probare quam rhetorum loculos excutere. Ipſi rhetores agnoſcunt *in ſenatu minore apparatu agenda omnia eſſe: quod ſapiens ſit conſilium. Cic. l. 2. de orat.* Et vero *concio* maxime *capit omnem vim orationis & gravitatem veritatemque deſiderat;* quoniam ex rudium hominum cœtu conflata eſt Uno verbo: rhetorice utilis eſt reipublicæ non niſi ex accidente, politice autem per ſeſe ſumme eſt neceſſaria.

§. 8. Signum denique 5) haud exiguum ejus, quod inter utramque artem eſt differentiæ, merito dixeris, quod politice nunquam non reipublicæ ſit ſalutaris, rhetorice autem, etiam quando maxime, uti ita dicam, robuſta eſt & artificio ſuo munita, magnum ſæpe damnum dare ſoleat. Non eſt quod per exempla poſterius hoc demonſtretur, ut nec quod verbo probemus prius. Pro argumento ſatis eſt unius Tullii ingenua confeſſio. *Sæpe* (inquit ille *lib. 1. de Invent.*) *& multum hoc mecum cogitavi, boni ne an mali plus attu-*

*lerit hominibus & civitatibus copia dicendi ac ſummum eloquentiæ ſtudium. Nam & cum noſtræ reipublicæ detrimenta conſidero, & maximarum civitatum veteres animo calamitates colligo, non minimam video per diſertiſſimos homines invectam eſſe partem incommodorum.* Paulo poſt affirmat, diu cogitantem ratione ipſa in hanc potiſſimum ſententiam ductum, ut exiſtimaret, *ſapientiam ſine eloquentia parum prodeſſe civitatibus, eloquentiam vero ſine ſapientia nimium obeſſe plerumque prodeſſe numquam.* Cujus ſententiæ pars ultima iterum novum quaſi teſtimonium nobis præbet ejus, quod diximus, etiam tum, quando quam maxime viribus ſuis utitur eloquentia ſæpe numero pernicioſam illam eſſe reipublicæ; nec in officio contineri aliter, quam per ſapientiam civilem. Hanc autem non parum, quemadmodum Tullio eſt viſum, ſed multum prodeſſe civitatibus poſſe, licet nullis eloquentiæ adminiculis fultam, jam tum paulo ante ita eſt a nobis oſtenſum, ut addere verbum, fuerit operam ludere.

§. 9. Hiſce omnibus probe perſpectis, nullo negotio tollere licet, quæ pro rhetorum arrogantia in medium vel a nobis leviter, vel ab aliis prolixius & cum aliqua orationis pompa ſunt adducta. Fatemur ſcilicet & nos, porrigere ſeſe rhetorices vim ad omnem Politici materiam, ac de omnibus iis ſuppetere docto oratori dicendi copiam: fatemur quoque & in foro & in conſilio magnam eſſe eloquentiæ facultatem. Hinc vero nequaquam eſt conſequens ipſam recte deliberandi, & judicandi, ut & rempublicam quamvis regendi ſcientiam, vel per enthymemata oratoria poſſe accipi, vel rhetoricen eſſe ipſammet ſcientiam illam. Multum videlicet etiam inter hæc duo intereſt. Perinde enim atque ad analyticam artem non omne pertinet, quod demonſtrando licet aſſequi, aut ad dialecticam ipſam id, quod probabili argumentatione addiſcitur, ita nec artis rhetoricæ eſt illud omne, quod per eam efficitur. Inſtrumentales nimirum doctrinæ ſunt analytice, dialectice, rhetorice, poëtice, grammatice: quarum proinde opera ab artibus ipſis ſunt diſtinctæ naturæ. Reapſe ergo (ceu recte docet Ariſtoteles *lib.* 1. *rhet. c.* 1. quicquid cavilletur Quintilianus *lib.* 2. *cap.* 16.) rhetorices in eo ſita eſt facultas, quod ſecundum eam poſſis *perſpicere, quid in quaque re excogitari poteſt idoneum ad perſuadendum:* & rhetoricæ artis doctrina non res ipſas ſuppeditat, de quibus aliquid perſuadere nititur rhetor, ſed rationem duntaxat inveniendi omne illud, quod ad perſuadendum faciat. Ipſarum autem rerum illam, quæ ſibi utilis eſt, ſcientiam, ac proinde & civilium rerum, neceſſum eſt aliunde ſibi mutuetur. Non poſſe præterea argumentis rhetorum parari certam aliquam civitatis regendæ, aut deliberationis inſtituendæ, aut judicandi ſcientiam, ex iis, quæ adduximus, jam tum eſt manifeſtum. Et vero quis ignorat certæ ſcientiæ parandæ, certa etiam argumenta eſſe oportere? Apud vulgus autem fidem quidem mereri illa, quibus utitur orator, reapſe autem incerta quædam eorum & a veritate eſſe aliena conſtat, adeoque in ſcientiæ uſum aſſumi non poſſe, prius quam examine facto veritatem illorum accurate inquiſiveris. Craſſi oratio non eſt, quod quenquam moveat, ut enim taceam incertum eſſe, num ille id ſenſerit, quod propugnantem eum in ſcenam quaſi introduxit Cicero (notum quippe omnia ejusmodi ficta a Tullio, non vero aut dicta eſſe aut facta) haud profecto ea eſt viri auctoritas, ut Gorgiæ partes agenti ſtatim accedamus. Cicero ſane ipſemet non aſſenſit: ceu liquet cum ex aliis, tum ex opere de *Inventione lib.* 1. ubi propriam perſonam non diſſimulans, ſententiam ſuam nude ac plane depromit. Non aſſenſit Scævola, non Antonius, non Catulus ſummi viri, quos Craſſo objicit quaſi Tullius. Quod vero dictum eſt a Craſſo, civitates conſtitutas primum eſſe ab Oratore, illud fortaſſe ſatis eſt, ſi verbis Scævolæ confutemus, qualia illa finxit idem Cicero *l.* 1. *de Orator. Quis tibi hoc conceſſerit,* inquit Q. Mutius, *aut ab initio genus hominum in montibus ac ſylvis diſſipatum, non prudentium conſiliis compulſum potius, quam diſertorum oratione delinitum, ſe oppidis mœnibusque ſepſiſſe: aut vero reliquas utilitates, aut inſtituendis, aut conſervandis civitatibus, non a ſapientibus & fortibus viris, ſed a diſertis & ornate dicentibus eſſe conſtitutas. An vero tibi Romulus ille, aut paſtores, & convenas congregaſſe, aut Sabinorum connubia conjunxiſſe, aut finitimorum vim repreſſiſſe eloquentia videtur, non conſilio & ſapientia ſingulari? Quid in Numa Pompilio? quid in Servio Tullio? quid in cæteris regibus, quorum multa ſunt eximia ad conſtituendam rempubl. num quod eloquentiæ veſtigium apparet? Quid? exactis regibus, (tametſi ipſam exactionem mente, non lingua perfectam L. Bruti eſſe cernimus) ſed deinceps omnia, nonne plena conſiliorum, inania verborum videmus?* His inquam Scævolæ liceret fortaſſis uti. At non diſſimulabo, non quia non ornate & diſerte loquuti fuiſſent, qui homines palantes in unum primi conduxerunt, eosdem non & rhetorum argumentis fuiſſe uſos. Igitur malumus potius fateri, non omnes quidem civitatum auctores (quosdam enim armis potius uſos certum eſt) multos tamen dicendi vim adhibuiſſe; at hinc non oportuit colligere, conſtitutionem primam civitatum eloquentiæ potiſſimum deberi. Scilicet ut debeatur hoc eloquentiæ, non primario tamen illi ferendum hoc acceptum eſt, ſed prudentiæ, quæ miniſterium eloquentiæ in id uſurpaverit, ut nonnunquam & gladium. Haud negamus denique etiam nos, juriſconſultos noſtros, qui cauſas agunt, rhetoricis auxiliis ſæpe plus debere, quam ſuæ juris peritiæ, etſi ex genuinis rhetorum monumentis illa non acceperint, ſed aut bonitate ingenii paraverint, aut ad aliorum cauſis patrocinantium exemplum. In conſiliis quoque perquam multis, ubi auditores a prudentia non ſatis inſtructi ſunt, aut affectibus præpediti, flexanimam dicentis artem permultum valere, itidem minime omnium negamus. At hinc probare non licet, prudentiam ipſam ſive judiciariam ſive συμβουλευτικὴν rhetorica comprehendi, & ex ejus loculis petendam eſſe.

§. 10. Breviter res hunc in modum ſeſe habet. Magna in civitate & vis eſt & utilitas eloquentiæ, ceu quæ ſeſe pene ad omnia exporrigat, & ad movendos animos hominum alioquin flecti neſcios

ſcios vel etiam refractarios valeat plurimum: nequaquam tamen apta illa eſt regendæ civitati, ſed opus porro eſt prudentia civili, quæ ſi abſit ingens reipublicæ damnum conciliat potius, quam ut aliquid ferat commodi. Plane quemadmodum & ars militaris multum in omnem partem poteſt: aſt niſi ſapienter in reipubl. uſum temperetur, noxia eſt. Inſtrumentaria igitur ars quidem eſt rhetorice, & quidem fortaſſis una ex præcipuis earum, quæ civili ſerviunt prudentiæ, ipſamet tamen illa non eſt: nec docet recte ſapere, aut civitatem inſtituere, ſed duntaxat quemadmodum poſſis ea quæ in civitate agenda veniunt, minus prudentibus aut amore vel odio vel metu præpeditis aliis perſuadere.

§. 11. Verum in illo veterum quorumdam errore confutando fortaſſe nimis diu verſamur, præſertim quoniam a Platone jam olim in *Gorgia* & alibi in illum graviter eſt animadverſum: quapropter jam ad reliquos duos itidem aggrediamur, paucis tamen. Et vero is, quem ſecundo loco commemoravimus, nec magnos viros invenit, nec multos, qui tuerentur. Quanquam enim occaſionem errandi forte dederit Johannes Bodinus, qui princeps varias de rebuspublicis ſingularibus & prolixas diſſertationes doctrinæ politicæ inſeruit, non tamen vel ille eo prolapſus eſt, ut crederet unius Imperii Romano-Germanici notitia ipſam civilem ſcientiam comprehendi. Nec invenias temere in Gallis, Italis aut Hiſpanis noſtræ ætatis ſcriptoribus hujus quidem erroris luculenta veſtigia. Inter Germanos noſtros itidem non niſi paucos deprehendere eſt, nec alios quam qui publicum imperii jus a patrum usque memoria excolendum ſibi ſumpſerunt. Hujus duntaxat ordinis nonnullos politicæ ſcientiæ artem profeſſos, videas occupari in germanicæ reipubl. rebus, nec omnibus quidem, ſed paucis & exiguis exponendis, atque illam ſuam doctrinam politices ſcientiæ titulo quaſi venumdare.

§. 12. Primum vero merito utique ab illis doctoribus rationem exigas, quamobrem germanicarum rerum peritia præ aliarum rerumpublicarum veterum ac recentium, notitia Politices nomen mereatur; imo quare huc pertineant potius res noſtri ævi, quam majorum, quum & illis ſua fuerit reſpublica, & forte rectius conſtituta, quam eſt hæc noſtra. Inter omnes porro paulo eruditiores conſtat, (adeoq; non debuiſſent hoc ſaltim ignorare etiam ſcriptores illi) nullam ſcientiam nullamque artem (ita recte dictam) circa materiam ſingularem verſari, ſed circa genera ac ſpecies, vel objectum univerſale, mentis agitatione a ſingularium rerum conditione abſtractum. Nec vero neceſſum eſt, ut ad ſingula quæque individua ſeſe ars aut ſcientia dimittat: quandoquidem cognitio univerſalium etſi non actu, virtualiter tamen, ut ita loquar, ſingularium quoque notitiam ambitu ſuo quaſi complectatur: ac proinde ſingularium illa notitia ipſi quidem ſcientiæ vel arti ſit ſuperflua. Infinitæ præterea numero ſunt res quidem ſingulares & individuæ, infinitum autem quod eſt, illud humani intellectus viribus comprehendi non poteſt: adeoque nulla ſcientia nullaque ars reperiretur, ſi quælibet quidem earum ſingularia omnia ſui objecti, circa quod verſatur, individua deberet aſſequi. Nullam autem ſcientiam reperiri, dictu eſt abſurdum. Nec vero eſt quod dicas, non omnium individuorum, aliquorum tamen notitiam artibus aut ſcientiis ineſſe. Nulla quippe eſt ratio, quamobrem tanto in numero alterum præ altero locum in ſcientia vel arte occupet. Si non in univerſum omnium ergo ſingularium cognitio iſthuc pertinet, (non pertinere autem modo demonſtravimus) manifeſtum eſt, nullum non individuum artis aut ſcientiæ alicujus limitibus excludi. Longe alia videlicet ratio eſt ipſarummet artium, alia artificum artibus inſtructorum. Hi enim jam verſantur & occupati ſunt circa ſingularia, iis artium ſuarum præcepta adhibentes: eoque ipſi quidem ad id, ut opus aliquod exerceant, neceſſum eſt, uti ſint inſtructi non arte tantum, ſed notitia etiam ſingularis ſui objecti. Sic ex. gr. ars quidem medica ſimpliciter agit de febricitantibus aut epilepticis, quemadmodum illi recte dignoſci aut curari poſſint: medicus vero Petrum, Paulum, Joannem febricitantem aut epilepticum curandum ſuſcipit: idque uti præſtet, ab arte medica quidem accipit, qua ratione febricitans aliquis ſive epilepticus ſit ſanandus, aliunde autem intelligit Petrum, Paulum, Joannem febre aut caduco morbo laborare. Non alia vero eſt natura veræ Politices atque artium ſcientiarumque aliarum omnium: eoque nec illa ſingulares quasque respublicas, multo minus ſigillatim germanicam, ſumit ſibi illuſtrandas, ſed in communi circa civitatem ejusque ſpecies omnes tota eſt occupata. Politicus igitur ſcientia iſthac civili imbutus, ſingularibus rebuspublicis manum admovet, ab ipſa tamen illa ſcientia iſthæc curatio aliena eſt. Vidiſſe ex parte dixeris hoc ipſum novos illos, ſed valde rudes, civilis doctrinæ magiſtros, quoniam univerſalia quædam ſcientiæ hujus præcepta reliquæ ſuæ doctrinæ admiſcent. Vere tamen illos ne faciem quidem iſtius ſcientiæ perſpexiſſe, ex iis, quæ attulimus, eſt perſpicuum. Ut nunc taceam ne quidem ſciviſſe illos, quid requiratur ad ſingularis reipublicæ adeoque germanicæ accuratam notitiam. Nam ne hoc quidem notum fuiſſe illis, indicat profecto id, quod ea, quæ momenti ſunt maximi, ne attingere quidem ſoleant.

§. 13. Evellendus jam eſt & error tertius, is quem diximus non tam in Germania, quam alibi animos hominum occupaſſe. Exiſtimant nimirum haud pauci, quamvis prudentiam Politicen & eſſe & merito ita appellandam. Qua opinione ducti præclari quidam ſcriptores ſententias politicas nuncupant eas omnes, quæ nonnihil ejus continent, quod homini in vita utile eſt, ut proinde hoc nomine ipſam quoque militarem ſcientiam comprehendant. Nec alia de cauſſa libris politicis videas accenſeri cum vulgo, tum etiam a doctiſſimis bibliothecarum politicarum conditoribus omne librorum genus, quod aliquem in republica uſum poteſt adferre. Videtur vero non deſtitui hic error ſuo ſic ſatis valido fundamento. Quoniam ſcilicet ad artem medicam pertine-



Digitized by Google

tinet illud omne, quod ad ſanitatem humani corporis ſive conſervandam ſive reſtituendam facit, quidni pari ratione & civilis ſcientiæ fuerit omnia illa noviſſe, quæ emolumenti aliquid queunt parere?

§. 14. Cæterum hoc quidem argumenti genus qua in re præcipue fallat, quæve illa ſint demum, quæ veræ politicæ ſcientiæ ſunt domeſtica, iterum infra erit accuratius excutiendum, eoque nunc quidem non tentabimus illud ſolvere. Unum illud jam urgebimus, quod admiſſa illa quidem ratiocinatione, dicendum veniat, omnes omnino artes & ſcientias Politices partes eſſe: quod neſcio, an illi ipſi, qui ita ratiocinantur, velint concedere. Eſt autem plana noſtra hæc argumentatio. Nulla ſcilicet non artium & ſcientiarum aliquid commodi largitur civili vitæ. Quod ſi omnia ergo, quæ utilia ſunt civitati, ad materiam Politices pertinent, neceſſum profecto fuerit, omnes ſcientias omnesque in univerſum artes politica doctrina comprehendi. Sed, ut diximus, quoniam iterum hac de re erit nobis diſſerendum, hic quidem nolumus amplius errori huic convellendo immorari.

## CAPUT V.

### *Politicen proprie ita dictam verſari circa omnes omnino civitates ſive reſpublicas, & quæ ad eas primo ac per ſeſe pertinent.*

§. I.

Poſteaquam expoſuimus varias & Politicæ & Politici vocum ſignificationes, in vulgo quidem uſitatas, ab eo tamen, quod nobis deſcribere eſt propoſitum, abeuntes; conſequens eſt, ut ſubjungamus tandem, quid noſmet ipſi vocabulis illis intellectum velimus, adeoque quid ſit Politice illa, qua de nobis ſermo eſt, quis Politicus, quem nos iſthoc titulo honoramus. Hoc ipſum autem ordine fiet, ſi initio circa quod ſubjectum, deinde quas circa ſubjecti ſui affectiones, verſetur Politice iſthæc doceamus. Omnis quippe doctrina materiam aliquam certam certasque affectiones habet, in quibus occupetur; quandoquidem hoc ipſo maxime altera ab altera diſtinguitur.

§. 2. Ac ſubjectum quidem quod attinet, id quidem videtur ipſa vi vocum ſtatim indicari, Politicen ſcilicet ſive civilem doctrinam circa civitatem ſeu rempubl. verſari. Eſt autem proprie quidem civitas (ut rudi eam ſtilo nunc deſcribamus) *plenus* aliquis & ſui juris multorum hominum cœtus bene vivendi cauſſa coalitus: minus proprie, ſimilis aliquis cœtus, ſed qui non tam commune ſpectat bonum, quam eorum, qui præſunt. Eodem ſenſu licet accipere nunc reipubl. ſive πολιτείας vocem: licet vero illam accipere etiam pro regimine & conſtitutione civitatis cujusque, prout vulgo accipi ſuevit. Hactenus itaque extra controverſiam eſt, politicæ ſeu civilis doctrinæ quodnam ſit ſubjectum, nempe civitas ſive civilis ſocietas. Obſervandum autem porro eſt, civitatis vocem modo univerſalius accipi, modo magis ſingulatim. Nunc ſcilicet civitas dicitur de uno aliquo individuo ejusmodi hominum cætu; interdum vero civitas ut & reſpublica genus quoddam ſignificat varias diverſasque ſpecies ambitu ſuo comprehendens. Eo fit, ut Politice dicatur & illa, quæ in commmuni circa omnem omnino rempublicam civitatemque occupatur, & quæ particulatim magis agit de negotiis certæ alicujus ac ſingularis, Germanicæ exempli cauſſa aut Gallicæ aut Anglicæ. Et quidem ſi popularem uſum ſpectes vocis, videtur olim apud Græcos quidem πολιτικὴν maxime audiviſſe eam, quæ circa *ſingularem rempublicam* (*a*) verſatur. Quod ipſum olim ab Ariſtotele quoque eſt proditum *l. 6. Ethic. c.* 8. Illam enim prudentiam, quæ circa ſingularia negotia aut, ut ipſe ait, τὰ καθ' ἕκαστα laborat alicujus civitatis adeoque actu ipſo πρακτικὴ magis eſt, commune πολιτικῆς nomen ſibi adſciſcere: & id qui agunt, ſolos credi in republica verſari. διὸ (ait ipſe) πολιτεύεσθαι τούτους μόνον λέγουσι· μόνοι γὰρ πράττουσιν οὗτοι ὥσπερ οἱ χειροτέχναι.

§. 3. Cæterum nos quidem non invidebimus politices nomen illi ſingulari, ut ita loquar, civili prudentiæ, neque hactenus cum vulgo litigabimus. Quod autem politices vocem non ulterius extenderint, id vero imperitiæ eorum eſt adſcribendum: ut qui animo non conceperint prudentiæ illius veram naturam. Et vero certum utique eſt, magis diffuſe & uberius poſſe aliquid de civitate & republica cognoſci, quam licet accipere de ſingulari aliqua civitate. Adhoc nec ſingulari alicui civitati recte poteris conſulere, niſi innitaris univerſaliori cuipiam civilium rerum ſcientiæ. Perinde atque non curaverit recte ægrotum medicus, niſi adjunxerit ad ſingularium notitiam aliquid artis univerſalioris. Id quod cum alias liquet, tum infra, ubi de ſingulari iſthac prudentia paulo prolixius diſſeremus, reddetur longe clariſſimum. Non tantum vero Politices nomen non ſoli illi ſingulari prudentiæ convenit, ſed minori etiam jure convenit, quam illi alteri univerſaliori. Magis enim utique meretur hoc nomen, quæ & perfectius cognita habet civitatis omnia, & rectius illi hominum cætui poteſt conſulere. Indubie vero perfectior eſt notitia omnis generis civitatum, & reddit illa te aptiorem regendæ reipublicæ, utpote quum priore illa inſtructus non niſi uni loco proſpicere ſis idoneus, altera autem hac & illi loco & præterea aliis compluribus, modo pauca adjunxeris eorum, quæ ſunt καθ' ἕκαστα.

§. 4. Illa ergo vera demum Politice aut civilis ſcientia eſt, quæ non in ſingulari aliqua detinetur republica, ſed in univerſum occupatur circa plures. Certe ſingularis illa indigna eſt ſcientiæ quidem aut artis nomine. Quemadmodum enim jamdum ſuperiore capite a nobis eſt dictum, omnes ſcientiæ omnesque artes circa univerſalem aliquam materiam laborant, & res conſiderant

(*a*) *Singularem rempublicam.*) Hert. elem. prudent. civil. pæd. §. 3. *GOEB.*

ſiderant μετ' ἀφαιρέσεως τῶν καθ' ἕκαστα, imo vero illa demum perfecta eſt Politice, & nominis ſui menſuram plene adimplet, quæ omne civitatum genus, & ſub eo genere comprehenſas ſpecies, intra limites ſuæ ſcientiæ continet. Artium nimirum ac ſcientiarum aliæ integrum aliquod genus complectuntur, aliæ non niſi particulam quaſi abſcindunt. Perfectæ vero & numeris ſuis omnibus abſolutæ ſunt illæ demum, hæ non item, ſed quaſi laciniæ tantum ſunt integrarum. Nec vero demonſtrationes recte ſeſe habent, niſi de adæquato ſubjecto inſtituantur: demonſtrandarum autem affectionum aliæ de toto genere, aliæ de ſpeciebus demonſtrandæ veniunt. Perinde igitur, atque integra & perfecta naturalis philoſophia eſt demum illa, quæ circa omne omnino naturale corpus verſatur, doctrina autem de metallis, de plantis aut animalibus non niſi ejus ſunt partes: & quemadmodum ita optime procedit illa philoſophia, ſi ſeparatim quæ toti generi naturalium corporum, deinde ſeorſim, quæ ſingulis ſpeciebus conveniunt, ſpeculeris: ad eundem modum, perfecta civilis ars omne civitatum genus omnesque earum ſpecies, nulla excluſa, habet cognitas, & tum demum omni ex parte ſibi conſtat, quando quid omnibus ſit commune, quid ſingulis ſpeciebus proprium, accurate perſpicit. Quapropter hæc etiam maxime eſt digna, quæ Politice audiat: utpote cui uni nihil deſit, quod ad amplitudinem tanti nominis queat deſiderari.

§. 5. Verum hæc, quæ diximus, fortaſſis haud ſine cauſſa quis in dubium vocaverit. Ut enim largiaris 1) ſcientiam politicam non in ſingulari republica occupari, tamen dixeris non eſſe politicæ omnium omnino rerumpublicarum contemplationem aggredi: nec enim tam diffuſam cognitionem unius ſcientiæ videri, quoniam reſpublicæ omnes non conveniunt in uno quodam communi genere συνωνύμως, ſed nomen quidem participant, reapſe tamen toto genere ita ſunt inter ſe diverſæ, ut communis naturæ nihil habeant. Planum vero eſt, eorum, quæ ὁμώνυμα ſunt, non eſſe unam ſcientiam. Eam vero eſſe differentiam rerumpublicarum, videtur patere primum ex diverſo fine, quoniam in aliis ſpectatur utilitas perinde omnium, in aliis vero quæritur duntaxat emolumentum eorum, qui imperant; ex mediis deinde ad finem propoſitum facientibus, quandoquidem in aliis ea adhibentur, quæ juſtitiæ & honeſtati ſunt conſentanea, in aliis iniqua omnia & ſcelerata. Inter has vero quædam civitates indignæ ſunt nomine civitatum, ipſomet Ariſtotele judice *lib. 3. Polit. c. 6.* cui παρεκβάσεις audiunt: civitas quippe ſocietas eſt hominum liberorum, heriles autem quædam harum ſunt, & imperant ſervis. Quod usque adeo a veræ civitatis ratione abhorret, ut apud Græcos quidem olim δούλων πόλις in proverbium de re, quæ fieri nequeat, tracta ſit, & Anaxandrides dixerit:

οὐκ ἔστι δούλων ἀγαθ' οὐδαμοῦ πόλις,
*Non ſervientum eſt civitas uſquam o bone.*

Omnium porro rerumpublicarum notitiam ſub unam ſcientiam cogere, dixeris 2) cum injuria civilis prudentiæ conjunctum eſſe. Utpote, quum nonnullarum rerumpublicarum ea ſit prava natura, ut bonis artibus teneri non poſſint. Politicæ ergo, non videtur earum quidem cura incumbere: ſicut a medendi arte veneficia aliena ſunt. Fruſtra denique 3) videtur exigi omnium rerumpublicarum notitia, quum ad uſum ſatis ſit, noviſſe unius optimæ naturam atque inſtituta. Quod ipſum plærisque politicæ rei ſcriptoribus eſſe creditum, argumento ſunt, veterum & recentium ſcripta. Nam & Plato, & hujus veſtigia ſecutus Tullius, unius optimæ curam ſuſceperunt. Et in Pythagoricorum fragmentis, pene haud aliud hodie legas. Par ratio eſt, noſtræ ætatis ſcriptorum complurium eorumque haud e vulgo. Ut proinde ſaltim non careat applauſu iſthæc ſententia.

§. 6. Hæc ſpecioſa, haud immerito, videri; non equidem negaverim: vero tamen nequaquam ſunt congrua. Principio enim 1) obſervandum, non ea tantum ad unam ſcientiam pertinere, quæ genere conveniunt prorſus συνωνύμως, ſed etiam illa, quæ Ariſtoteli olim πρὸς ἕν ſive ἀφ' ἑνὸς, nunc vulgo in ſcholis, minus tamen proprie, ἀνάλογα ſecundum attributionem nuncupantur. Igitur haud negamus quidem heriles illas & liberas reſpublicas unum genus vere συνώνυμον non participare, nec herilibus illis primario civitatis aut reipublicæ nomen competere; ſed ſolis illis ubi commune omnium emolumentum ex pari quæritur. Attamen voces illæ, de hiſce ſocietatum generibus non prorſus ὁμωνύμως loquuntur, ſed ad ordinem pertinent τῶν πρὸς ἕν: ita ut primo quidem & maxime proprie liberæ illæ ſocietates civiles & ſint & mereantur dici civitates ac reſpublicæ, quadamtenus tamen & ſecundario, quoniam haud leviter primarum iſtarum naturam æmulantur, jure hæc nomina etiam aliis illis ſint tribuendæ. Nec vero in alium ſenſum accipienda eſt ariſtotelica civitatis definitio, aut Græcorum vetus illud proverbium, aut dictum Anaxandridæ. Nec omnis παρέκβασις univerſam recti naturam perdit: perinde atque naſus ſic ſatis deformis, eo ipſo tamen naſus omnino eſſe non deſinit. Ad eundem modum abeunt quidem a recto heriles illæ, ita tamen, ut non omnem exuant civilis ſocietatis conditionem. Et vero inter eos, qui non ex æquo participant ſocietatis bona, ſocietas tamen quædam eſt, modo ex parte eorum fiant participes. Et natura cernimus quædam ita inter ſeſe communicare, ut alterum præſtet alteri, atque id, quod ita præſtat, alterius quaſi miniſterio utatur, uti tamen ſimul etiam hæc communio cedat vilioris commodo. Sic animæ, pro ſervitio corpus eſt, & ex utriusque unione plus quidem accipit boni anima, tamen & corpori inde usque adeo eſt bene, ut illud, anima privatum, computreſcat. Par ratio eſt hominis erga multa animalia; cujusmodi ex. gr. ſunt oves, quæ tueri ſeſe & commodiuſcule nequeunt vivere ſine opilionis cura, etſi inde utilitatem maximam is potius capiat. Sunt autem integri populi interdum nati ea ingenii ruditate, ut ſibimet ipſis nequeant conſulere, & habeant ſeſe erga rectores, perinde ut corpus erga animam. Alii vel inteſtinis diſcordiis vel vi hoſtili eo rediguntur, ut ſalutis eorum unice interſit aliorum imperio con-

contineri, etſi imperantium conditio multo hinc fiat melior, & in illorum commodum cum maxime hiſce veniat laborandum. Nec enim qui herili dominatui paret populus, infimam omnis ſervitutem ſervit: multi hujus ſunt gradus, & vix usquam videas omnem ſubjectum populum mancipiorum ritu haberi. Ipſamet perfectiſſima omnium ſubjecto ſuo commodo non caret, dum de victu ſecurum ſervum reddit: quod ſane tanti eſt, ut ſola vitæ ſpe contineri nonnunquam civilem ſocietatem, Ariſtoteli quoque *l.* 9. *Polit.* *c.* 6. ſit animadverſum. Unde ille quondam, ſervus græcus quantum conjicere eſt:

ὡς κρεῖττόν ἐστι δεσπότου χρηστοῦ τυχεῖν
ἢ ζῆν ταπεινῶς καὶ κακῶς ἐλεύθερον.
*Quam melius eſt herum benignum perpeti,*
*Ac liberum miſere & maligne vivere!*

Et vero interea dum ſibi conſulit dominus, neceſſum eſt det operam, ne ſervo ſaltim ſit male. Recte enim Ariſtoteles: οὐ γάρ ἐνδέχεται φθειρομένου τοῦ δούλου σώζεσθαι τὴν δεσποτείαν. Adeoque, etſi in talibus ſocietatibus potiſſimum commodum ſit dominorum, & illud primario ſpectetur, non tamen unice quæritur, ſed vel illius gratia curanda eſt etiam ſervorum ſalus. Quid? quod hæc usque adeo veniat dominantis etiam in uſum ſollicite quærenda, ut omnis boni civilis quadamtenus participem reddere ſervum hac de cauſa oporteat. Nec enim niſi is & vivat, & ſit ſanus, & a victu & amictu ſit inſtructus, & nonnihil in bonis habeat, & ſit tutus ab injuria cum externa, tum domeſtica, miniſterio ejus frui dominus poterit Amare porro dominum ſuum debet, & iram ejus metuere. A pietate quoque ac virtutibus moralibus non oportet illum alienum eſſe, aut omni prudentia deſtitui: imo, ſi artificiorum fuerit gnarus, eo majus hinc domino lucrum naſcitur. Talis vero eſſe non poteſt aut ſolet ſervus, niſi accedat ſedula domini cura. Ut proinde ſervus, ex hac ſervili quoque ſocietate non leve percipiat emolumentum in omni vita. Jam ſi integer populus ita ſive ſerviat perfecte, ſive mitiore ratione ſit ſubditus, uti hæc omnia procuret is, qui imperat, neceſſum eſt, nihil eorum negligat, quæ ad civitatem liberorum hominum inſtituendam ſervandamque pertinent, etſi non eodem modo omnia dirigi debeant: eoque & judicia, & magiſtratus, & arma, ac alia id genus oportet adſint. Etiam ſic ergo aliquid ſimile naſcitur illi ſocietati, quam primario civitatem nuncupamus: cui, licet non ſit pro ſcopo perfecta vitæ felicitas, aliquid tamen ejus. Verum hæc, pro dignitate perſequi non eſt hujus loci. Vel ex hiſce tamen jam eſt planum redditum id, quod ante diximus, civitates illas, heriles quas dicunt, non quidem primi ordinis, civitates tamen eſſe; propterea, quod cum primariis illis legum morumque inſtituto plurimum habeant cognationis, & natura non adeo multum differant, ut non merito dixeris, eandem quadamtenus rationem participare. Multo minus vero fas eſt, civitatum numero excludere eas, quæ iniqui aliquid flagitant ad id, ut conſerventur. Sunt enim ejus generis (quemadmodum ante jam eſt dictum) ſolæ illæ, *quæ* (*a*) per vim & injuriam inceperunt, ſive omnino ſive magna ex parte. Primo enim, etiam illæ ſalutem ſuam potiſſimum collocatam habent in artibus bonis. Nulla ſane reſpublica poteſt per mera ſcelera vel ad breve tempus conſervari. Itaque etiam illæ reſpublicæ ſaltim potiore ſui parte naturam referunt earum civitatum, quæ jure nituntur, & ob παρέκβασιν, qua laborant, non debent excludi cenſu rerumpublicarum. Deinde, etſi iniquis conſiliis haud fas ſit, aut poſſis id, quod vere bonum eſt, aſſequi, (*nec enim facienda mala, ut boni quid eveniat*) tamen licet hoc ipſo comparare tibi, quod ſpeciem habeat boni. Ac proinde etſi vera civilis ſocietas, non ſit illa, quæ nullis recti fundamentis inſiſtit (talis autem reperitur nulla) tamen ſaltim propter ſpeciem, quam gerit; poſſit mereri: ut uno communi genere quadamtenus contineatur.

§. 7. Primæ itaque objectioni (niſi admodum fallor) abunde eſt ſatisfactum. Altera multo eſt levior. Non enim in dedecus cedit artis, ſi quid teneat minus boni, modo abſit nocendi προαίρεσις. *Vide de dial. & rethor. Ariſtot. l.* 1. *rhet. cap.* 1. Et vero omnino eſt medicæ artis venenorum naturam omnem pernoviſſe: non, ut cuipiam noceat tamen, ſed ut caveat, aut jam adhibita percuret. Ita exigit officium Politici, etiam ejus, qui in ſolis laudabilibus civitatum negotiis verſatur, nihil ignoraſſe ſcelerum, quibus reſpublicæ illæ ſolent & poſſunt ſubverti. Nec vera Politice dederit unquam ſceleratis conſiliis locum, niſi interdum, in *civitatibus* (*b*) inique partis. Etiam hoc vero ſcire, vacat ignominia. Imo & agere illud, quanquam viri boni non ſit, civis tamen boni illius minus juſtæ reipublicæ poſſit eſſe: quum civis & viri boni non ſemper idem ſit officium, quod jamdudum Ariſtoteli eſt traditum *lib.* 3. *Pol. c.* 4.

§. 8. Quod tertio loco fuit allatum multo maxime a ratione eſt alienum. Nec vero medicus, idoneus eſt omnibus ſanandis, ſi exactiſſimam tantum teneat ſanitatis rationem. Nec architectus omnis generis ædibus ſtruendis, licet noverit, quemadmodum regia domus ſit ædificanda. Nec ſartor veſtimentum cuilibet aptum confecerit, ſi reginæ fortaſſis quæ convenit veſtem ſarcire duntaxat didicerit. Par eſt ratio artificum omnium: quoniam multum eſt diſcriminis inter opus cujuslibet artis optimum & quævis alia. Et tamen non ſemper id, quod eſt optimum itidem convenientiſſimum eſt: ſed congrua ſunt alia aliis, & viliora ſæpe idonea magis ſunt, quam præſtantia. Is vero demum in ſuo quisque genere abſolutus eſt artifex, qui ad omnia artis ſuæ opera perinde promptus eſt. Igitur ridiculum profecto eſt in notitia unius optimæ civitatis plenam civilem prudentiam collocare, quaſi illam qui teneat idem omnibus jam poſſit conſulere. Nec unica eſt ratio optimæ reipublicæ. *vid. Ariſtot. l.* 4. *Polit. c.* 11. & 12. Eſt enim quædam omnibus

(*a*) *Quæ.*) Vel ſcopum minus rectum ſibi propoſitum habent, vel *CONR.*

(*b*) *Civitatibus.*) Aut minus laudabili ſcopo utentibus. *CONR.*

Digitized by Google

bus numeris optima, exactam civium omnium virtutem & rerum quarumlibet copiam, gloriæque amplitudinem, verbo uno omnia integræ felicitatis bona poſtulans. Quædam huic proxima & minus perfecta quidem, facilior tamen comparatu, &, qualis vulgo eſt hominum vita, compluribus civitatibus idonea. Ac priorem quidem vix eſt ut aſſequaris, quod multis adeo indigeat, quæ optaveris citius, quam paraveris: certe hactenus quantum equidem novi, nuſquam reperta eſt. Itaque tanquam Phidiæ aliquod ſignum habere illam licet quidem: ejus tamen cognitio in vita minus eſt utilis, tantum abeſt ut abſolvat omne illud, quod ad civitatem quamque adminiſtrandam eſt neceſſarium. Ne ſecundi quidem illam ordinis ſemper datur inſtituere. Imo cum democratiarum & oligarchiarum aliarumque reipublicæ formarum altera alteri multum præſtet, ne harum quidem optima ſemper locum invenit: ſed oportet nonnunquam contentum eſſe ſtatu minus laudabili. Eſt autem Politici nulli non poſſe manum admovere, in quantum res patitur cujuslibet civitatis. Hoc autem non præſtiteris, ſi duntaxat noris omnium optimum. Adeoque omnium omnino rerumpublicarum, quotquot earum formæ dari poſſunt, naturam, differentiam & vim omnem teneat neceſſum eſt Politicus. Plane, quemadmodum prudens medicus non propoſitam ſemper habet omnibus numeris perfectam ſanitatem, ſed frequenter mediocrem, quam neutram vocant, ſæpe contentus eſt ſervaſſe illam, quæ non omnino eſt peſſima: quem proinde itidem neceſſum eſt tenere univerſam prorſus ſanitatis morborumque rationem, quantumvis ingens horum omnium ſit diverſitas. Non tanti vero eſt ſive veterum quorundam ſive noſtri ævi Politices magiſtrorum auctoritas, ut illa nos a plana veritatis via deducat. Sed & Ariſtoteles longe aliter ſua inſtituit, & præclare cum alibi, tum inprimis initio quarti politici voluminis (ut quidem hodie numeramus) pene iiſdem, quibus nos uſi ſumus, argumentis morem ſui ævi minus rectum improbavit. Tutius autem eſt veſtigia premere Philoſophi ſine exemplo accurati, quam aliorum popularis ordinis, vel certe ſubtilitatis longe minoris.

§. 9. Eſto igitur quaſi conſtitutum, eam demum omnibus numeris abſolutam eſſe Politicen, quæ omnes omnino reſpublicas a ſummo genere earum usque ad ſpecies infimas ſeu ſpecialiſſimas quas appellant, accurate habet cognitas. Adhuc tamen ſupereſt aliquid haud facile fortasſis expeditu. Quum enim civitas omnium humanarum ſocietatum ſit perfectiſſima, imo omnis generis ſocietates quaſi ſinu uſu comprehendat, neceſſum utique eſt, quidquid poteſt homini in commodum vel aliquatenus cedere, (cedunt autem pene infinita) id omne ad civilem ſocietatem pertinere. Aut ergo in univerſum omne illud politicæ quoque cognitionis eſt: aut horum nihil, aut poſtremo aliquid horum; & ſi aliquid, videndum fuerit, quidnam ergo tandem vere ſit domeſticum civili huic prudentiæ. Nihil illorum huc pertinere nemo ſanæ mentis dixerit. Qui enim perſpexeris rem aliquam, ſi nihil cognoveris eorum, quæ ad rem iſtam faciunt? Hinc ſane obſervare eſt tantum duas mutuo ſibi adverſantes ſententias. Harum vero altera quidem omne illud, quod quocunque modo juvat civitatem plene pernoſci vult a Politica, idque propterea, quoniam ſalutem reipublicæ nemo Politicus curaverit, niſi norit omnia, quæ ad emolumentum civitatis opitulantur. Altera non tantum non omnia iſthuc vult pertinere, ſed intra peranguſtos limites omnem Politices ambitum reſtringit. Communiora enim quæque civitatum duntaxat ad Politices munus pertinere: ſpecialiora autem omnia aliarum artium eſſe, atque ita ad jurisprudentiam tanquam ſingularem aliquam & a Politica diſtinctam diſciplinam pertinere omne legum negotium, quandoquidem leges jam definiunt ſpeciatim magis, quod in republica ſit agendum omittendumve. Id quod veroſimile reddideris nonnihil cum eo, quod alias haud appareat diſcrimen inter civilem & juris prudentiam: tum iſto etiam, quod ſaltim leges privatæ nihil faciant ad civitatum regimen ſive τὴν πολιτείαν, utpote quum eædem privatæ leges in variis rerumpublicarum ſpeciebus poſſint obſervari, & tamen politici potiſſimum ſit περὶ τῆς πολιτείας agere, aut civitatem quamlibet regendi, rationem præſcribere.

§. 10. Cæterum uti & hac in re id, quod rectum eſt, firmis fundamentis conſtituatur, ponendum ante omnia id, quod in Analyticis oſtenditur; ad ſcientiam quamvis ea demum pertinere, quæ propria ſunt, hoc eſt, quæ per ſeſe, non autem per accidens, item quæ ᾗ αὐτὸ cum ſcientiæ ſubjecto cohærent: quæ ad hunc modum autem domeſtica non ſunt, illa aliena eſſe ab iſto quidem loco, ideoque alibi tractanda. Sunt autem ejus generis primum illa, quæ ſubjecti eſſentiam quaſi intime conſtituunt, aut ad ejus bene eſſe faciunt, illa ſecundo, quæ prioribus iſtis ita inſunt, ut intelligi recte nequeant, niſi animo ſimul volvas ſubjecti illius potiſſimi naturam. In univerſum autem, illa ipſa καθόλου πρῶτον ineſſe oportet; quod perinde eſt, ac ſi tu dicas, ineſſe oportere in quantum in conſiderationem jam veniunt. Quoniam hæc vero percipi probe nequeant, niſi & quæ hiſce contraria ſunt cognoſcas, (nec enim ſi duo quædam exiſtant mutuo ſibi adverſantia, alterum abſque altero plene intelligas) itaque illa ſimul eidem ſcientiæ ſpeculanda veniunt, μία γὰρ ἐπιστήμη τῶν ἐναντίων, ceu Ariſtoteles loqui ſolet. Hæc vero omnia tum demum plene & perfecte datur cognoſcere, quando omne cauſarum genus mente fueris aſſequutus. Ut proinde in cauſas horum omnium inquirere, præcipuum ſit cujuslibet ſcientiæ officium.

§. 11. Hiſce conſtitutis non amplius forte eſt difficile dictu, quænam intra politicæ diſciplinæ terminos veniant demum includenda. Primum igitur removenda ſunt non tantum, quæ nihil omnino faciunt ad civilem ſocietatem, quæque adeo neque proſunt illi, neque obſunt, verum etiam quæ non primo iſthuc faciunt, ſed & extra civilem ſocietatem aut eſſe aut agi commode poterunt. Obſervandum tamen eſt, quædam ita eſſe comparata, ut ipſa quidem citra ſocietatem illam poſſint eſſe, ſocietas tamen illa civilis abſque illis inſtitui nequeat. Quapropter nec ſimpliciter illa ſunt aliena a politica ſcientia, nec omnino tamen huc pertinent, ſed aliquatenus tantum

hujus loci ſunt, aliquatenus nequaquam. In tantum ſcilicet ſolummodo politici ſunt fori, in quantum faciunt ad civilem ſocietatem: quod reliquum ejus eſt, alienæ eſt conſiderationis. Cæterum quæ unice atque adeo tota (ut ita loquar) ad civilem ſocietatem compoſita ſunt, illa etiam tota hujus unius ſunt ſcientiæ. Eſt autem inter illa primario ipſa πολιτεία. Quamobrem de hac ſolius etiam eſt Politices agere. Imo quoniam πολιτεία potiſſimam civitatis eſſentiam quaſi conſtituat, proinde hanc cognoſcere, princeps eſt Politicæ officium, & in ejus natura omni ac differentiis explicandis cum maxime par eſt ſit occupata. Neceſſum tamen eſt, ut & reliqua civitatis principia, cauſas & differentias explicet, quoniam non ſola πολιτεία omnem civilis ſocietatis naturam abſolvit, ſed præter eam alia quoque ad civilem ſocietatem cum omnem in univerſum, tum quamque ejus ſpeciem inſtituendam requiruntur, adeoque civitati ſunt eſſentialia. Inſtituendam inquam: nam & inſtituere civitatem prudentiæ eſt: non vero illa duntaxat circa eam, quæ jam eſt inſtituta, occupatur. Pertinent huc præterea quæcumque conſervant omnem omnino civitatem, omnesque ejus ſpecies ab interitu tuentur. Intereſt enim eſſentiæ civitatum non conſervatio minus, quam ipſamet prima earum inſtitutio: eoque nihil illorum, quæ ſalutem rerumpublicarum aut civitatem defendunt in politica doctrina debet negligi. Quocirca & morbi omnes cum qui communes ſunt civitatibus omnibus, tum qui domeſtici magis ſpeciebus ſingulis, morborumque illorum cauſſæ veniunt indicandæ. Sed & remedia par eſt ſuggerat Politice, quibus vel cavere poſſis morbis, vel jam tum illis enatis mederi, quoad licet. Uno verbo, omne quod ad civitatum naturam pertinet, ſive ſalutem ſpectes ſive mutationes & corruptiones, id omne politicæ doctrinæ expediendum eſt. Nihil quippe non horum primo, per ſeſe (idque aut per ſeſe primo aut ſecundo) & καθ' αὐτὸ cum civitatis natura atque eſſentia intime cohæreſcit.

§. 12. Hinc manifeſtum eſt, aliqua quidem parte veram eſſe, aliqua tamen non eſſe eam, quam primo omnium produximus ſententiam. Quæcunque ſcilicet vel proſunt civitati vel obſunt, politicæ ſcientiæ ſunt, non omnino tamen, ſed in quantum hoc ipſum præſtant, h. e. aut juvant aut nocent. Et vero ſimpliciter omnia illa non pertinere ad Politicen, indicatur eo argumento, quod jam tum ſupra *c. 4. ſub fin.* attulimus, nempe quod alias dicendum veniat, omnes omnino artes & ſcientias ad Politicam pertinere, ejusque partes eſſe: quo nihil dictu eſt abſurdius. Nulla ſcilicet non artium & ſcientiarum aliquem in republ. habet uſum; ſi omnia ergo quæ commodi nonnihil aut incommodi reipubl. præſtant, politici ſunt argumenti, omnes utique ſcientiæ & artes omnes Politicæ partes fuerint. Igitur ceu modo diximus, eſt quidem Politicæ de omnibus omnino deſpicere, non tamen ulterius, quam quatenus illa reipubl. vel utilia vel noxia ſunt; reliqua omnis rerum quarumlibet conſideratio ſcientiarum & artium quarumvis propria eſt. Eoque hactenus artium ſcientiarumque omnium quaſi architectonica & princeps eſt Politica quidem, (*quippe quum ea ſit*, ut recte dixit Ariſtoteles *l. 2. Ethic. Nicom. c. 4. quæ quaſnam eſſe in civitatibus ſcientias oporteat, tum quæ quemque diſcere & quousque conſtituat*; non tamen ipſamet illa omnia omnino ſimpliciter neceſſum eſt teneat. Multum vero intereſt, uſumne duntaxat civilem rei alicujus intelligas, an vero integram ejus habeas ſcientiam. Nec vero architecti alicujus eſt plenam habere peritiam omnium, quæ ad ædium ſtructuram faciunt operum; ſatis eſt ſi noverit, quantum eorum unum quodque ad propoſitum ſcopum poſſit conducere, nam & ita poterit omnia ſic ſatis recte imperare.

§. 13. Alteram ſententiam multum a vero abeſſe, itidem ex iis, quæ in medium allata ſunt, jam tum liquet. Non ſolum enim communiora quæque, vel quæ ad πολιτείαν ſive regimen publicum faciunt, ad civitatum eſſentiam, ſive ad earum inſtitutionem conſervationemque pertinent, ſed multa etiam alia & ſpecialiora, adeoque etiam, quæ legibus privatis definiri, in civitate ſolent aut *poſſunt.* (*a*) Ac proinde non tantum jus publicum, ſed etiam civile privatum hujus diſciplinæ eſt. Quod ipſum Platoni quoque & M. Tullio hujus ſectatori olim viſum fuiſſe, perſpicere eſt ex utriusque integro de Legibus opere. Non aliter vero & Ariſtoteli placuiſſe, cum ex eo manifeſtum eſt, quod *ſimpliciter* (*b*) hæc ſcientia paſſim ipſi audiat νομοθετική, quo nomine indigna ſane eſſet, ſi privatum jus ad eam non pertineret: tum vel ex iis paucis, quæ ſuperſtite nobis parte politici voluminis de optima republ. adferuntur circa connubia, primam nativitatem & educationem *liberorum.* (*c*) Alios auctores idem nobiſcum ſentientes non eſt operæ pretium in teſtimonium adducere. Et vero non eſt, quod nos moretur amplius jurisperitiæ & civilis doctrinæ diſcrimen: poſtquam prolixe is locus omnis a nobis integro capite tertio eſt expeditus. Falſum porro etiam eſt, jura omnia privata nihil mutare ἐν τῇ πολιτείᾳ. Etſi enim de multis id haud negaveris, tamen quædam non niſi in optima republica locum inveniunt, alibi non admittuntur, quædam democratiis, quædam regnis, quædam olicharchiis, *convenientiora ſunt.* (*d*)

CAP,

(*a*) *Poſſunt.*) Legum ſane quarumlibet ferendarum cura atque auctoritas, inter præcipua munia ejus, qui rempublicam aliquam adminiſtrat, ab omnibus ſemper eſt prudentibus habita, perinde, ut ipſa legislatio potisſimus eſt ejusdem actus. *CONR.*

(*b*) *Simpliciter.*) Lex quidem ἔργον πολιτικὸν *l. x. Eth. cap. ult.* *CONR.*

(*c*) *Liberorum.*) Usque adeo vero id ſapienti antiquitati fuit cognitum: ut non dubitaverint Græci quidem, Cererem Legiferam & ſacra Cereris Θεσμοφόρια appellare; quoniam videlicet credebatur, ab ejus conſilio agrorum diviſionem (quæ privati juris cenſetur) profectam, hinc vero demum nata eſſe civilia jura: quod etiam Servio eſt ad quartum Æneidos notatum. *CONR.*

(*d*) *Convenientiora ſunt.*) Nemini ſane paulo rerum peritiori non conſtat: omnes leges privatas convenire ſtatui publico, & longe aliter, circa res pariter & perſonas, in civitatibus uſum publicum ex æquo ſpectantibus, aliter in herilibus, habere eas oportere. *CONR.*

Digitized by Google

# CAPUT VI.

## *Non quamvis prudentiam, nec artem militarem, nec Oeconomicen, nec* χρηματιστικὴν, *nec Ethicen partes eſſe Politicæ.*

§. I.

Fortaſſe jam defuncti ſumus officio noſtro in conſtituendis limitibus civilis ſcientiæ. Et vero, probe perſpectis iis, quæ adduximus, haud crediderim aliquid ſupereſſe, quod ſingularem operam multum requirat. Eatamen eſt auctoritas nonnullorum, qui ſecus ſentiunt, ut de quibusdam cogamur ſeorſim aliquid diſſerere; de quavis ſcilicet prudentia, de arte militari, de œconomica, de pecuniaria arte, quam χρηματιστικὴν Græci appellitant, & denique de morali: quæ omnes a viris præclariſſimis cenſentur Politicæ partes eſſe, propter uſum, quem civili præſtant ſocietati.

§. 2. Verum enimvero, omnes quidem illæ civitati adminiſtrandæ per ſunt utiles; hinc tamen haud debebat colligi, aut omnes illas aut aliquas earum Politicæ partes eſſe. Ex adverſo, harum nullam ad Politicen pertinere, firmo argumento eſt, quod nihil eorum, circa quæ illæ verſantur, primo & per ſeſe ad civilem vitam faciat, ſed extra etiam illam locum quæque ſuum commode inveniat. Iam tum conſtat nimirum, nihil vere eſſe politici argumenti, niſi quod primo ac per ſeſe ad civitatem pertinet: imo, quæ politicæ doctrinæ conveniunt, non aliter illi conveniunt, quam in quantum civili vitæ ſive proſunt, ſive nocent. Iam vero ea, quæ enarravimus, ad vitam quidem humanam faciunt, ſive hanc, ſive illam, non ſimpliciter tamen & primo ad civilem vitam, cui uni proſpicit Politice. Varia ſcil. humanæ vitæ ratio eſt: & ea, quam civilem nuncupamus, non niſi una eſt ejus quaſi ſpecies.

3. Fortaſſis tamen nondum vel ita ſatis conſtituta eſt ſententia illa noſtra. Vita enim civilis poſſit videri non aliqua ſpecies vitæ humanæ reliquis quaſi e latere appoſita, ſed una inter omnes vere perfecta vita, & abſoluta usque adeo ſocietas, ut reliquæ, natura quaſi propter illam civilem ſint, ceu partes natura ſunt propter totum. Et vero in hunc modum ipſemet Ariſtoteles diſſeruit initio politici ſui operis *l. 1. c. 2.* argumentis robuſtis oſtendens, hominem natura animal civile eſſe, & civitatem perfectiſſimam omnium ſocietatum eſſe imo omnium quaſi finem ultimum, quæque ita habeat ſeſe ad reliquas ſocietates, quemadmodum totum erga partes. Ariſtotelem autem ſecuti ſunt præclariſſimi quique Politices ſcriptorum: ut ſolent magiſtri ſententiis, diſcipuli ſubſcribere. Hoc poſito autem, conſequens videtur, ut omnia, quæ ſocietatibus conveniunt, pertineant etiam ad civitatem, perinde ut partium affectiones toti ſunt communes.

§. 4. Cæterum, non diffitemur quidem & nos, ex Ariſtotelis multorumque aliorum ſententia, hominis naturalem felicitatem, non niſi in civitate obtineri poſſe, atque ita hominem natura compoſitum eſſe ad vitam civilem. Quod tamen pace maximi doctoris liceat profiteri, nec rationes, quibus illam ſuam opinionem vel ipſe conatus fuit adſtruere, vel alii poſt illum ſunt niſi, videntur eam ſic ſatis firmiter probare, nec deſunt, quibus aliud plane demonſtraveris. Satis eſt attendere nunc unicum illud, id quod vere vim habet ἀποδείξεως. Nempe quod & virtutem liceat exercere, & habere quantum ad vitam eſt ſatis nonnunquam, ſi vivas etiam extra civilem ſocietatem; adeoque liceat feliciter vivere, etiamſi non ſis particeps ullius civitatis. Id quod ſi eſt verum, non utique natura conſtitutum eſt, ut homo in civitate degat, cum natura non feratur niſi ad id, quod ad ſuam felicitatem pertinet. Virtutem videlicet omnis generis, invenire locum in quo ſeſe exerceat, etiamſi procul a civili abſis ſocietate, modo in aliqua vivas, pæne eſt usque adeo notum, ut non egeat probatione. Ut nunc taceam, non intereſſe humanæ beatitudinis, ut omne omnino virtutis negotium ſemper peragas, modo ſis paratus, quacunque data occaſione, ejus nihil intermittere. Non eſt vero etiam quod cogitemus, quaſi vitæ neceſſitatis citra civitatem expleri nequeant. Parvo ſcilicet contenta eſt intra recti fines coërcita cupiditas, & paucis vita indiget, id quod ipſemet Ariſtoteles profeſſus eſt *lib. X. Ethic. c. 8. t. 76.* Nec vero quod nunc adeo multis videamur indigere, id tam naturali egeſtati, quam opinioni hominum, neſcio quam elegantiam imo luxuriam ſectantium, eſt adſcribenda. Quod animo volvens Salomo, *Deus*, inquit *Eccleſ. VII. 30. creavit hominem rectum*, h. e. ſimplicem & parvo contentum, *ſed ipſi quæſiverunt ſibi cogitationes multas.* Iam vero illi quidem naturali, ut ita loquar, indigentiæ per exiguam quampiam arctioremque ſocietatem poteſt ſuccurri, certe in id prolixo aliquo civili cœtu non eſt opus. Id quod usque eſt adeo verum, ut a plærisque ſapientibus unanimi ſemper id fuerit conſenſu confirmatum: & hodieque poſſit exemplo non uno probari. Et vero primorum hominum vitam, fuiſſe ignaram luxuriæ noſtræ, rudem item ac ſimplicem, in ætate tamen aurea & beatiſſima, conſtans eſt omnium prudentium ſententia, perinde atque omnes fatentur, nondum illo ſeculo in civilem ſocietatem homines coiiſſe. Sparſim ſane antiquitus habitatum, & quemque domui ſuæ tum imperaſſe, etiam Ariſtoteles *l. 1. Polit. cap. 2.* fatetur, ne id ex ſacræ hiſtoriæ monumentis probare ſit neceſſum. Certe, ſi ad veram vitæ hujus felicitatem requireretur omnium rerum quamvis luxurioſa abundantia, nulla civilis ſocietas, etiam latiſſime patens, queat eſſe felix, utpote quum nulla civitas, imo nulla regio (*non* enim *omnis fert omnia tellus*) luxuriæ explendæ par ſit. Quid? quod nec univerſus orbis id præſtiterit, etiamſi in unam civitatem ille coëat, (quod tamen factu eſt ἀδύνατον) quum in infinitum quaſi ſeſe porrigat inſana cupiditas illa. Cæterum non eſt hujus loci late oſtendere, quam feliciter homo vitam ſuam poſſit etiam extra civitatem agere. Eoque non etiam eſt, quare hic multis oſtendamus, infirmitatem ejus diſſertationis, qua hominem natura πολιτικὸν animal eſſe, probare niſus eſt Ariſtoteles. Quamvis forte



Digitized by Google

te non ſit opus,hoc multis agere; quum attendenti haud difficulter primo ſtatim momento poſſit apparere, haud effici illius argumentis aliud, quam omnem quidem hominem natura ſocietatem aliquam deſiderare ceu partem aliquam vitæ feliciter in hiſce terris degendæ; aliquibus porro (quæ hodie eſt infelix mortalium conditio) civilem quidem ſocietatem convenire, non per ſe tamen,ſed ex accidente, poſteaquam ſcilicet ab antiqua & naturali ſanctimonia mores ita diſceſſere, ut tuto aut bene extra civitatem non poſſis degere.

§. 5. Cæterum,ſi ponas vitam humanam beatam,eandem quoque civilem eſſe, ſocietatesque omnes partes eſſe naturales cœtus civilis; non tamen etiam hinc conſequens eſt, quæ ſingulis ſocietatibus ac vitæ generibus propria ſunt,illa omnino ad politicam doctrinam pertinere. Nec enim unius ſcientiæ,quæ circa genus aliquod univerſale occupatur, eſt, ſimpliciter omnia, quæ ſpeciebus illius generis inſunt,intelligere. Ita ſane Metaphyſice verſaretur ſimpliciter circa omnia, & unica illa adeo pateret late,ut ſcientias omnes ſinu ſuo comprehenderet, quippe quæ ſola contemplatur τὸ ὄν & ſpecies ejus & ſpecierum ſpecies. Nemo tamen hactenus eſt repertus, qui tale quid tribuerit Metaphyſicæ, præter unum Antonium Bernhardum Mirandulanum ab ſapientum ordine hac in re exploſum *l.* 13. *everſ. ſingular. certamin. ſect.* 6. & 7. Ea nimirum demum ad unam pertinent ſcientiam, quæ eadem formalis ratio conſiderandi complectitur: in ſpeciebus autem ſub genere aliquo contentis multa inveniuntur,quæ non unam,ſed multiplicem conſiderandi rationem patiuntur. Sic ad Metaphyſicum quidem pertinet de ente & omnibus entis ſpeciebus agere,non aliter tamen,niſi in quantum ſunt entia, adeoque entis univerſalem naturam diverſimode participant. Ad Phyſicam pertinent omnia corpora naturalia: etſi vero nusquam niſi in corporibus illis reperiatur quantitas,tamen quoniam illa quadamtenus intelligi poteſt abſque motu, quo corpora naturalia ſunt vere naturalia, idque per abſtractionem quandam mentis; hinc quantitatis illius abſtractæ (ut ita loquar) ſua eſt propria ſcientia a Phyſica plane diſtincta, neque hæc omnia omnino ſine diſcrimine quæ corporibus inſunt naturalibus ſumit ſibi contemplanda. Igitur utut omnes ſocietates humanæ ex naturæ inſtituto fuerint partes civilis vitæ, (non eſſe autem jam ante affirmavimus) tamen quoniam multa illarum intelligi poſſunt nullo habito ad civilem vitam reſpectu, adeoque non omnino pertinent ad civilem ſocietatem in, quantum illa talis eſt, patet utique non ſine diſcrimine omnia illa intra Politicam cogenda eſſe; ſed id demum in omnibus illis politicæ eſſe ſcientiæ,quod recte cognoſci non poteſt,niſi mens ſimul flectat ſeſe ad civilem vitam, atque adeo ita ineſt civili ſocietati ut quantum ejus eſt omne iſthuc referatur; cujusmodi ſunt ſola illa,quæ primo & per ſeſe ineſſe dicuntur.

§. 6. Quamobrem recte quidem a nobis poſitos eſſe politicæ doctrinæ limites iterum ex iis, quæ modo attulimus,eſt manifeſtum. Seorſim nunc addendum eſt, de iis artibus,quæ a nonnullis magno nomine ſcriptoribus intra Politicæ cancellos vi quadam facta compingi voluere.

§. 7. Primum igitur cum *Prudentia* ſeſe extendat ad omnia humanæ vitæ bona adeoque ad omnem etiam vitam humanam, patet profecto non ſimpliciter omnem prudentiam eſſe Politicæ accenſendam. Nec vero ſaltim univerſalior illa prudentia, cujus ſunt ſcita maxime communia & ad omne vitæ genus utilia, poteſt domeſtica videri uni civili ſcientiæ, utpote quum & reapſe locum inveniat etiam extra civitatem, & cognoſci accuratiſſime poſſit, civitatis licet naturam ignores. Poſſunt quidem communis illius prudentiæ præcepta pleraque in civilem uſum transferri, atque ita quaſi tranſcribi in Politicorum ſcitorum cenſum: verum ita non manent illa,quod erant ante, ſed ad civilem materiam reſtricta amittunt, ut ita loquar, ſuam univerſalitatem, atque ex communibus, fiunt particularia. Uſurpat videlicet Politice illa κοινὰ ἴδια, ceu fieri recte ſolet in omnibus ſcientiis circa definitum magis argumentum occupatis. *Vide Ariſt. t.* 24. *l.* 1. *Analyt. Poſterior.* & *l. XI. Metaph. c.* 4. Specialiorum quamvis prudentiam itidem, quum & exerceri & cognoſci illa poſſit circa civilem ſocietatem, etſi itidem nulla forte earum beata civitas queat carere, non minus patet ad Politicen proprie non pertinere, ſed ſui ordinis eſſe. In quantum igitur quævis illarum poſſit civitati prodeſſe, hoc unum diſpicere eſt Politices quidem, at reliqua earum omnia ab illa ſunt aliena. Iam vero prudentia quadam opus eſſe in omni etiam non civili vita, manifeſtum eſt; eoque non profecto omnis prudentia unice inſervit civitati; ac proinde non omnis etiam Politicæ eſt accenſenda. Poteſt quidem Politice, imo debet in uſum ſuum adſciſcere omnigenæ prudentiæ munera, (nec enim abſque iis civitati recte conſuleris) attamen id quando fit, tum communia præcepta non amplius communia permanent,ſed ad civilem materiam reſtricta, fiunt Politicæ domeſtica; id quod in omni doctrinæ genere recte fieri poſſe, imo merito fieri, ex Analyticis diſcimus.

§. 8. Similiter & *Artem militarem* non unice pertinere ad civilem ſocietatem, patet, quoniam illa uti poſſunt etiam,qui civilem ſocietatem non colunt. Dirigit igitur quidem militiam ſuam in uſum civitatis Politice, arte etiam militari ſubinde utitur tanquam miniſtra, attamen ipſamet artem illam non facit ſuam. De illo in militarem artem Politices imperio memoratu digna ſunt verba Paraphraſtæ Græci operis Ethici ad Nicomachum *lib.* 1. *Eth. c.* 2, qui Andronicus Rhodius vulgo, perperam tamen, uſurpatur. *Civilis ſcientia* (inquit) *nec eum, qui imperare poteſt aut ſervare rempublicam, coriarium eſſe ſinit: nec eum, qui melius inter milites verſatur, ad imperatorium munus vocat. Sed & tempora maxime exercendis idonea artibus deſignat: ne quis ex. gr. quum præſtat quieſcere,ducat exercitum, Etenim & quum opus eſt imperatorem mittere, mittet eum Politicus: & quum præſtabit quieſcere, hoc quoque imperabit. Quamvis enim non raro ipſe ſibi tempus præſcribat imperator, non tamen id facit arte ſua militari. Omnes enim artis alicujus regulæ artis illius finem duntaxat ſpectant: quæ vero vel in contrarium vel in aliud aliquod fertur, non eſt artis illius regula. Sic*

*in-*

*imperator conſiderans, quando bellum oporteat gerere, & eapropter interdum quieſcens & pacis cauſſa legatos mittens, manifeſte non amplius ex regula imperatoris artis agit, ſed alterius alicujus artis majoris & ſuperioris, quæ eſt ipſa Politica.* Hæc ille. Eſt autem hoc politicæ & militaris artis diſcrimen usque adeo clarum, ut a doctiſſimis plerisque ſit animadverſum; qui proinde vulgo militarem artem politicæ miniſtris connumerant.

§. 9. Iure vero idem cenſendum eſt & de *Oeconomica.* Nec enim domeſticum omne tota natura ſua ad civilem ſpectat ſocietatem, etiamſi domus ejus pars ſit. Perinde ſcil. ut ſimplicia corpora, quæ elementa appellamus, partes etiam ſunt compoſitorum, & tamen circa omnem compoſitionem quoque recte ſibi conſtant. Alia nimirum ita in partium ſunt numero, ut a toto compoſito ſejuncta perdant ſtatim omnem eſſentiam ſuam, ſuntque illa tota natura ſua facta ad totius alicujus integritatem, de quibus verum eſt Ariſtotelis illud *lib. 1. Pol. cap. 3.* τὸ μόριον οὐ μόνον ἄλλου ἐστὶ μόριον, ἀλλὰ καὶ ὅλως ἄλλου. Alia quadamtenus quidem comparata ſunt ad integrandum totum aliquod, ex parte tamen quapiam eaque non levi ita ſeſe habent, ut ſolitaria etiam tueantur vim propriæ naturæ ſuæ. Cujus poſterioris ordinis eſſe domeſticam ſocietatem, ut alia nunc taceam, ſatis oſtendit (ceu jam ante etiam eſt dictum) vita primorum hominum, per domos duntaxat, absque civitate, nec infeliciter tamen, (ipſo quippe auctore Deo) inſtituta: nec enim fieri id poſſit, ſi domus quanta quanta eſt ſalutem ſuam unice debeat civitati. Quum ad hunc modum vero domus ſe habeat, manifeſtum eſt, illam non omni ex parte primo & per ſeſe ad civilem ſocietatem pertinere, ac proinde nec œconomicam omnem artem Politicæ portionem cenſendam eſſe.

§. 10. Cæterum Oeconomicen partem vel appendicem eſſe Politicæ, non deſunt tamen viri præclari, Averroëm *in paraph. Pol. Plat.* ſecuti, qui profiteantur. Quin poſſit videri haud immerito facere cum iis & Ariſtoteles *l. 7. & 8. Polit.* Ea enim paſſim Politicæ adſcribit de rebus domeſticis tractanda, quæ ſingularem Oeconomicam doctrinam tollunt *e medio.* (a) Fortaſſis tamen haud adeo liquet hac in re Ariſtotelis ſententia. Primo enim diverſa parte certum eſt, nusquam ab illo diſertis verbis oeconomicen dictam eſſe Politicæ partem. Supereſt deinde hodieque Ariſtotelis nomine ſingularis & a politico opere ſeparatur liber oeconomicus; imo in ejus limine *l. 1. œcon. c. 1.* ſtatim legitur, utramque doctrinam cum alias, tum eo etiam inter ſeſe differre, quod Politicæ ſubjectum civitas ſit, Oeconomicæ domus, hanc etiam illa origine eſſe priorem, perinde ut opus ejus prius eſt, quum pars urbis ſit domus. Sed ille liber num ſit ariſtotelicus, merito dubites: eoque nihil certi docet hoc quidem teſtimonium. Majoris ponderis dixeris, quod initio ſtatim Nicomachiorum Ethicorum *l. 1. c. 2.* adferatur, finem Oeconomicæ divitias eſſe, qui finis utique non eſt Politices. Verum, ita quidem & Xenophon diſſerit initio Oeconomici ſui: fortaſſis tamen & ille Ariſtotelis locus eſt mendoſus, legendumque ibi χρηματιστικῆς vocabulum. Enimvero hujus demum ſcopum divitias & pecuniam eſſe, domeſticam autem ſocietatem ne deſiderare quidem ſimpliciter divitias, ſed nonnihil tantum opum, quantum ad uſum ſufficit quotidianum, nec Oeconomicum tam laborare debere, ut vel mediocres illas divitias acquirat, quam potius ut recte jam acquiſitas diſponat & uſurpet, præclare Ariſtoteles docet *1. Polit. c. 5. 8. &* 10. Magis extra controverſiam eſt Ariſtotelica eſſe, quæ *lib. VI. Eth. cap. 8.* & paſſim *lib. 1. Pol.* docentur, ubi ἡ οἰκονομία ἠδ' οἰκονομικὴ diſtinctim collocatur non minus a legislatoria ſive vera civili Philoſophia, quam a Politice ſpeciali ſive conſultatoria, Politicus item & Oeconomicus tanquam duo diſtincti artifices numerantur: quod minus recte fieri, ſi vel pars vel appendix Politices Oeconomice ſi habenda manifeſtum eſt. Difficile tamen eſt definitu, quidnam ſecundum Ariſtotelem Oeconomici proprium, ſi a Politico diſtinctum. Nec enim Ariſtoteli eſt conſentaneum id, quod nonnulli ajunt, Oeconomicen verſari circa rationem divitiarum acquirendarum, ceu jam tum eſt dictum. De conjunctione vero & conſuetudine omni domeſtica maris & fœminæ, de educatione item liberorum, de rei familiaris uſu, quæ Oeconomica maxime videntur, agere ille Politicum jubet. Diſerte enim ita loquitur 1. Polit c. ult: *De fœmina autem & viri, de liberorum & parentum ſingulis convenienti virtute, deque ea, quæ inter illos eſt conſuetudine, quid rectum quid pravum ſit, & quemadmodum rectum quidem perſequi oporteat, quod pravum fugere, in iis quæ de republ. neceſſario ſunt explicanda.* Addit rationem: *Quoniam enim omnis quidem domus pars eſt civitatis, hi autem domus, partis autem virtutem ad totius virtutem ſpectare oportet, neceſſario in civitatem intuentes inſtituere debent & liberos & uxores; ſi quidem intereſt adhuc, ut civitas ſit bona, liberos quoque eſſe bonos & uxores bonas: intereſſe autem neceſſum eſt, nam fœminæ quidem pars dimidia ſunt liberorum capitum, ex liberis autem participes civitatis oriuntur.* Hæc Ariſtoteles. Idem VII. & VIII. libro adeo accurate diſſerere incipit de maris & fœminæ conjunctione, ut & de educatione librorum, ut quid ejus tandem oeconomici maneat argumenti, vix appareat. Certe melior pars eorum, quæ in libro oeconomico leguntur, rectius in Politicis & accuratius pertractatur. Et vero ſi domus talis eſt pars civitatis, qualem eſſe vult Ariſtoteles, h. e. quæ tota natura ſua ad civitatem feratur, nihil utique ad ſalutem & conſervationem ejus pertinet, quod non omnino Politicæ debeatur, adeoque ex præſcripto Politices adminiſtrandum ſit.

§. 11. Quæcunque vero fuerit Ariſtotelis ſententia, id ſane eſt falſum, ea quæ ad domus ſalutem pertinent primo & per ſeſe ad civitatem facere. Intereſſe civitatis, ut recte & pro uſu reipubl. domus

(a) *E medio.*) Diſerte quoque ita ſcribit in Ariſtotelis vita Diogenes Laertius: βούλεται δὲ διττὸν εἶναι τὸν κατὰ φιλοσοφίαν λόγον, τὸν μὲν πρακτικὸν, τὸν δὲ θεωρητικόν. καὶ τοῦ πρακτικοῦ τόν τε ἠθικὸν καὶ πολιτικὸν, οὗ τά τε περὶ πόλιν, καὶ τὰ περὶ οἶκον ἀπογέγραφθαι. Sed Diogenem non injuria quis cenſeat inidoneum, qui de Ariſtotelicis ſententiis ferat teſtimonium. CONR.

domus ſeſe habeat, partem item civitatis eſſe domum, adeoque in Politices officio eſſe, definire quemadmodum non in beata tantum republ. ſed in aliis quoque rerumpubl. ſpeciebus domeſtica omnia habere ſeſe debeant, præclare ab Ariſtotele eſt obſervatum & monitum. At vero partes quoque civitatis ſunt omnis generis artifices, nec minus refert publice plurimum, recte an perperam illorum opera exerceantur; non tamen quæ ad artes pertinent omnia Politici eſt præſcribere. Scilicet quum partium alia atque alia ſit natura, non ita domus eſt civitatis pars, ut tota ad civitatem ſpectet: ne quidem verum eſt, domeſticæ ſocietati, aut in univerſum homini, extra civilem vitam felicitatem obtingere non poſſe. Et tamen hæc adverſæ ſententiæ ſunt fundamenta: quibus ſubrutis etiam ipſa jam everſa eſt. Igitur id quidem eſt Politices definire, num omnia, quæ ad domeſticæ ſocietatis ſalutem requirit Oeconomice, ſint in beata aut alia qua republ. obſervanda, nec ne; & ſi ſint, num præter hæc etiam alia veniant in vita iſta domeſtica commodi publici ergo agenda, an non; præterea num in aliis omnibus rebuspubl. illa beatæ domus præcepta locum inveniant, nec ne: & quæ alia ſunt hujusmodi ad reipubl. uſum ſpectantia. Simpliciter tamen de felici domus ſtatu, quis ille ſit, quibusque mediis comparetur, tractare non Politicæ ſed Oeconomicæ eſt diſciplinæ. Hinc in Politicis non etiam eſt, cur operoſe agas de ratione feliciter inſtituendæ domus qua eſt talis; ne quidem eſt, quare vel ad Ariſtotelis exemplum in iſtis te diffundas; ſed ſufficit, ſi in ſolis iis occuperis, quæ a domo in uſum reipubl. poſſunt conferri. Et vero multa ſimpliciter domui proſunt, quæ in omni republica locum non inveniunt. Ita tyrannidis inter eſt γυναικοκρατία τὲ περὶ τὰς οἰκίας, καὶ δύλων ἄνεσις: quæ nequaquam in bene conſtituta domo merentur laudem. *Vid. Ariſtot. l. 5. Pol. c.* 11. Educatio quoque juventutis pro diverſitate reipublicæ alia atque alia eſſe debet. Qua in re tantum eſt momenti ſitum, ut Ariſtotele quidem judice *l.* 5. *Pol. c.* 9. nihil perinde ad reipubl. conſervationem pertineat, quam παιδεύεσθαι πρὸς τὰς πολιτείας. Domus autem qua talis illam diverſam educandi rationem non exigit. Multa quoque de matrimonio ſciſcit Politice, quæ nihil per ſeſe ad domus facit felicitatem. Ita ut ἐπίκληροι puellæ nubant contribulibus juris fuit civilis apud Ebræos, & quidem optime ſtatutum, quod non curat Oeconomicus. Par ratio eſt de ſervis, de mercenariis & omni re domeſtica: quod infinitis exemplis oſtendi poteſt.

§. 12. Cæterum ΧΡΗΜΑΤΙΣΤΙΚΗΝ non eſſe partem Politices, in promtu eſt colligere iis rationibus, quibus Ariſtoteles *l.* 1. *Pol. c.* 6. & 9. probat non eſſe eam partem Oeconomices. Primo enim ἡ χρηματιστικὴ cum pro ſcopo habeat opes, quælibet autem ars quaſi in infinitum quærat finem ſuum, opes quoque hæc ſine fine & modo ſtudet acquirere: reſpublica vero non in alium uſum opes deſiderat, quam ut ſint inſtrumenta agendarum rerum, atque ita neutiquam pro ſcopo eas habet, ſed expetit eas ut inſtrumenta: id quod autem toto fine abit a fine Politices, & reipubl. deſideriis, id Politices eſſe pars nequit. Deinde quamcunque artem acquirendarum opum reſpexeris, (ſunt enim multæ ſpecies τῆς χρηματιστικῆς, aliæ naturales magis, ut ruſticæ & metallicæ: aliæ magis artificiales, ut omnis generis mercatoriæ & uſurariæ: aliæ mercenariæ, in quibus operæ locantur, quarum aliæ iterum ſunt liberaliores, aliæ ſordibus dehoneſtantur, ubi corporis labores pro mercede proſtant) habet illarum quæque locum ſuum etiam extra civitatem; adeoque nulla etiam ſpecies τῆς χρηματιστικῆς primo ac per ſeſe reipublicæ eſt domeſtica. Hinc ſane fit, quare multi, quo expeditius rem faciant, nolint ulli civitati nomen dare: quaſi lucro obſtet civilis ſocietatis vinculum. Ad hoc, nonnullæ artes χρηματιστικαὶ vel optimæ reipubl. vel aliquibus reipubl. aliis ſpeciebus potius obeſſe videntur, quam prodeſſe: itaque ſaltem hæ non fuerint partes Politicæ, & per conſequens ἡ χρηματιστικὴ in univerſum pars ejus cenſeri non debet. Fieri tamen non poteſt, ut respubl. ſit ſalva ſine opibus, eoque nec ſine artibus opum quærendarum. Omnino igitur Politices etiam eſt ſcire, quantum quæque illarum artium reipubl. vel omni vel alicui poſſit inſervire, ac proinde præſcribere, quænam illarum cum publice, tum privatim ſit uſurpanda: ipſas artes uti teneat Politicus, neceſſum non eſt, & ſi teneat, ſit illud per accidens. Et vero (ut Ariſtotelis verba faciam mea) *dubitaverit quis, cur ars quidem rei quærendæ pars ſit Politica, ars vero medendi non ſit pars; atqui eos, qui in civitate degunt, oportet valere non minus, quam vivere*, certe magis ex re eſt, ut ſani ſint cives, quam in re lauta. *Quia vero aliquo modo quidem eſt Politici aut reipubl. præfecti videre quoque de ſanitate, aliquo autem modo non, ſed medici: ſic opes curare eſt quidem quadamtenus Politicæ, eſt etiam quadamtenus non, ſed artis adminiſtræ.* Adminiſtra igitur Politices eſt ἡ χρηματιστική. Quum vero non ſit una natura miniſtrantium artium, uti recte monet Ariſtoteles *l.* 1. *Polit. c.* 5. nam arti textoriæ ex. gr. miniſtrat & illa, quæ inſtrumenta textoria conficit, & quæ præparat lanam unde pannum artifex texat) haud difficile porro intellectu eſt, ἡ χρηματιστικὴ omnis cujus generis adminiſtra ſit: nempe non ejus, quæ circa ipſam materiem civitatis (homines enim ipſi materiæ ſunt loco) ſed quæ in comparandis vitæ civilis inſtrumentis occupantur.

§. 13. Ethicen poſtremo ſive moralem doctrinam ab Ariſtotele eſſe accenſitam Politicæ, clarius videtur, quam ut poſſit vocari in dubium. Primum enim diſertis verbis non ſemel id ab illo eſt pronunciatum. Primi Ethicorum libri cap. 1. ἡ μὲν ὖν μέθοδος τύτων ἐφίεται πολιτική τις ὖσα. Statim *Magnor. Moral.* initio: *Pars igitur eſt uti videtur & principium Politices illa, quæ de moribus eſt tractatio, & in totum jure mihi videtur omnis hæc diſputatio non Ethica, ſed Politica appellanda.* Similiter 1. *Rhetor. cap.* 4. Ethica nuncupatur ἡ περί τὰ ἤθη πολιτική. Huc ſpectat, quod auditorem moralis doctrinæ appellet ἀκροατὴν τῆς πολιτικῆς. Non tantum vero ita loquitur Ariſtoteles *l. Ethic. c.* 2. ſed hanc ipſam ſententiam conatus eſt rationibus oſtendere. Ex profeſſo enim 1. *Nicom. cap.* 1. quæſtionem hanc in medium proponit, cujusnam ſit ſcientiæ ac facultatis

de

Digitized by Google

de ſummo hominis bono agere, reſpondetque: *Videtur ejus eſſe, quæ maxime principalis maximeque eſt architectonica, cujuſmodi manifeſto eſt Politica.* Similiter in limine *Magnor. Moral.* propoſita quæſtione, cujus ſit de moribus agere, quum addidiſſet: *Ut ſummatim dicam, videtur non alterius, quam Politicæ pars eſſe;* mox ſubjungit rationem, qua id credit effici poſſe. Non alia de cauſſa, jam abſoluta omni de virtutibus & felicitate humana diſputatione, negat tamen *lib. X. Eth. cap.* 10. finem adhuc operi eſſe impoſitum, eoque Politica cum Ethicis plane connectit. Ea porro de felicitate humana ab Ariſtotele ſunt affirmata, unde neceſſario conſequitur, omnem ejus doctrinam unice ad Politicen pertinere. Sane ſi homini non obtingit felicitas ſua niſi in civitate & per civilia inſtituta, id quod paſſim ille docet, utique primo & per ſeſe omne iſtud ad civitatem facit, adeoque & tractatio iſthæc Politicæ prorſus eſt domeſtica. Fatemur igitur omnino, rectius longe ab Averroë *in præf. ad Platon. de republ.* perceptam eſſe Ariſtotelis ſententiam, quam ab interpretibus græcis & latinis pleriſque; ac proinde clariſſimos viros Franciſcum Piccolominium *Introduct. in civil. philoſ. cap. IIX. & IX.*, Felicem Accorombonum *in Commentar. Ethicor.* Iacobum Mazonium *Præludior. Ariſtotel. & Platon. philoſoph. ſect. VI. cap.* 2., Michaëlem Piccartum *Delineat. Ariſtotel. philoſ. cap. XIIX.*, Conradum Horneium noſtrum *lib.* 1. *Ethic. cap.* 2. & alios, qui Ethicen faciunt Politices partem, ab Ariſtotelis quidem placitis non diſcedere: a Montecatino autem *præf. in Polit.* inique hoc nomine Averroëm perſtringi. Nec tamen convenire ſatis ariſtotelicæ menti videtur, id quod Averroës ille docuit initio *Paraphraſ. libb. Platon. de republ.*, quaſi in Ethicis tradantur θεωρητικώτερα, in Politicis ea, quæ πρακτικώτερα ſunt, ac reſpondere Ethicen doctrinæ de ſanitate & ægritudine illi, quam medici inſtituunt, Politicen vero iſti, quæ docet modum ſanitatis vel tuendæ vel reſtituendæ in integrum. Etenim illa de ſanitate & morbis doctrina non eſt proprie medicæ artis, ſed naturalis philoſophiæ, ceu alias oſtenditur, medico acceptante in uſum ſuum quæ a Philoſopho ſunt demonſtrata. Nec apparet qui illa, quæ ad omne genus virtutum pertinent θεωρητικώτερα ſint iis, quæ ad regimen faciunt civitatis, cum beatitudo hominis non in habitu aut poſſeſſione, multo minus in ſcientia virtutum, ſed in earum exercitio tota conſiſtat. Rectius ſane & propius ad Ariſtotelis mentem dixeris, in Ethicis agi de ſumma hominis felicitate ſimpliciter, in Politicis de adminiculis, quæ ad obtinendum ſummum illud bonum ex civitatis adminiſtratione & poſſunt & neceſſario debent proficiſci.

§. 14. Quamvis autem ea ſit Ariſtotelis ſententia, non poſſumus tamen non cum pleriſque ejus interpretibus aliiſque viris maximis, moralem philoſophiam tanquam ſpecie diverſam diſciplinam a civili ſejungere, nixi eo argumento, (nec enim nunc urgebo, quod intelligi moralia iſthæc poſſint citra civilium rerum notitiam) quod felicitas humana a civili ſocietate non niſi per accidens dependeat, utpote quam detur adſequi non quidem extra omnem ſocietatem (neque enim homini commodum eſt ſolitarium vivere) citra tamen ſocietatem civilem: id quod exemplo vitæ ab ipſo Deo prima humani generis ætate inſtitutæ jam tum oſtendimus. Et vero quibus probare nititur Ariſtoteles, hominem natura politicum animal eſſe, illas rationes non tam hoc, quam natum eſſe hominem ſocietati & benevolentiæ mutuæ, evincere, ſi in vim earum inquiſiveris, itidem jam monuimus. Coiiſſe autem primum homines in civilem cœtum, ſive per potentiam aliis inferendæ, ſive arcendæ aliorum potentium injuriæ ergo, & hiſtoriæ nos docent, & dudum jam olim obſervatum eſt Platoni *l.* 3. *de leg.* Sed & uſus docet, iis maxime de cauſſis homines hodieque in civili ſocietate contineri. Igitur quæ primo per ſe adeoque ſimpliciter faciunt ad felicitatem humanæ vitæ, illa proprie non ſunt Politica, ſed unius Ethices: ſola autem, quæ per accidens beneficio cœtus civilis eodem pertinent, politici ſunt argumenti. Eſt nimirum quadamtenus quidem unus idemque finis propoſitus & ſimpliciter humanæ vitæ & vere beatæ civitati, quadamtenus tamen diverſus. Quo ſimul fit, ut civis boni alia ſit virtus ſeu perfectio, alia viri boni, quod & Ariſtoteles præclare docuit *III. Polit. c.* 3. Et vero eſt, ubi vir bonus non ſit bonus civis: imo, in nulla republica, niſi quæ veram beatitudinem affectat, vir bonus præſtiterit bonum civem: in aberrantibus a recto rebuspublicis longe eſt utriusque diverſa ratio. Adhoc, etſi quid vere ſit honeſtum & naturæ conſentaneum, accipiat Politicus a morali philoſopho, proprie tamen ejus eſt ſcire tantum, quemadmodum honeſta quæ ſunt civitati proſint, inque ea debeant & poſſint cum pœnis, tum præmiis propoſitis exerceri, & num interdum & quando ad vitia oporteat connivere. Similiter rectam colendi numinis divini rationem, in quantum illa naturaliter nota eſt, Ethicus quidem præſcribit, atque ab eo mutuatur Politicus; hic tamen porro inquirit, num interdum ab iſthac vera religione liceat nonnihil abire, num una religio tantum toleranda, num & hæreticæ ſententiæ queant admitti, num muhammedana aut pagana ſacra omnia ſint removenda ſimpliciter, idque omne reſpiciens uſum aut noxam civitatis. Ut proinde quando Ethicus & Politicus circa idem occupantur argumentum, alia tamen atque alia agant. Uno verbo ſcilicet. Quid juris ſit naturalis univerſi humani generis definit Ethicus: idque partem juris civilis quidem Politicus facit, attendens tamen non niſi unius civilis ſocietatis uſum & noxam. Quo fit, ut ſæpenumero ad multa juris naturæ illius præcepta nullis præmiis cives invitentur, aut ab iis, quæ illi ſunt adverſa, pœnis arceantur: quoniam rigidam illius obſervantiam ſola quæ ex voto optima eſt reſpublica admittat: in aliis autem omnibus plus minusve peccatis civium ſit indulgendum. De omni igitur virtute & vitio videt quidem etiam Politicus, at non perinde uti Ethicus: ſed examinat omnia ad amuſſim diverſam hic & ille. Hic ſcilicet, ad felicitatem, quæ homini qua eſt homo convenit, ille ad felicitatem ſocietatis civilis. Qua de re latius diſputare, non eſt hujus loci.

§. 15. NON ſunt porro ſolutu difficilia argumenta, quibus Ariſtoteles Ethicen Politicæ conjunxit,

Digitized by Google

junxit. Nam in Magnis quidem Moralibus non alia, quam hæc collectio reperitur: In civili ſocietate opus eſt virtute, ergo quæ de virtute agit doctrina, Politicæ pars eſt. Atqui in civili ſocietate etiam ſanitas, etiam opes neceſſariæ ſunt; fuerint igitur & medica ars & χρηματιστικὴ partes Politices, ſi firma eſt conſequentia. Revera autem nihil probat aliud ſyllogiſmus ille, quam Politicæ incumbere aliquam virtutis curam. Et ſane incumbit illi, ut in bona quidem republ. curet per leges & inſtituta civilia cum roborare quod in Ethicis eſt traditum, tum vitiorum occaſiones, quas civilis vita ſuggerit magno numero, quoad fieri licet e medio tollere; quas virtutes alia admittat reſpubl. nec ne, itidem ipſi videndum eſt, neque enim ubivis par virtuti locus conceditur. In Nicomachiis Politicæ adſcribitur doctrina de ſummo hominis bono, prætextu ſumto, quoniam Politice eſt architectonica aliarum artium, ad maxime architectonicam autem ſpectet agere de ſupremo omnium fine. Aſt vero Politice eſt quidem architectonica artium omnium, attamen non niſi reſpectu uſus civilis: ſimpliciter autem dignitatem hanc potius ad Ethicen pertinere, infra probabimus.

§. 16. NON tantum vero in facili eſt ab Ariſtotele adductas illas rationes ita diſſolvere: videtur etiam ipſimet magno illi viro confeſſionem vis veritatis nonnunquam expreſſiſſe. Sic ſeptimo Politicorum libro c. 2. cum duo propoſuiſſet, quæ in controverſiam venirent, alterum utra ſit vita magis expetenda, ea ne quæ in ſocietate regendæ civitatis occupatur, an vero ξενικὴ illa a civilibus negotiis remota: alterum quænam ſit optima reipublicæ conſtitutio: priorem quidem quæſtionem a politico foro removens ſolam poſteriorem admittit, idque ratione quadam eaque inſigni addita. Verba ejus ſunt: ἐπεὶ δὲ τῆς πολιτικῆς διανοίας καὶ θεωρίας τοῦτ' ἐστιν ἔργον, ἀλλ' οὐ τὸ περὶ ἕκαστον αἱρετὸν, ἡμεῖς δὲ ταύτην προῃρήμεθα νῦν τὴν σκέψιν, ἐκεῖνο μὲν πάρεργον ἂν εἴη, τοῦτο δὲ ἔργον τῆς μεθόδου ταύτης. Quod liquet, ipſo Ariſtotele fatente non eſſe πολιτικῆς θεωρίας τὸ περὶ ἕκαστον αἱρετὸν: indubie autem illud ad Ethicen pertinet. Ut proinde etiam ita utriusque diſcrimen appareat. Similiter Ethicorum ſexto libro c. 8. affirmat quidem πολιτικὴν καὶ τὴν φρόνησιν eundem eſſe habitum, adjungit tamen: τὸ, μὲν τοι εἶναι οὐ τὸ αὐτὸ αὐταῖς. Eſt autem φρόνησις illa, quam heic innuit ipſa Ethice, ceu recte obſervavit doctiſſimus ille Græcus Paraphraſtes, qui vulgo Andronicus Rhodius audit *l. 6. c. 8. n. 3.* eodemque ſignificatu cum alibi, tum etiam *l. 1. Eudemior. cap. ult.* accipitur ubi Politicæ & Oeconomicæ quaſi a latere adjungitur ἡ φρόνησις

# CAPVT VII.

## *Politicen non eſſe peritiam aliquam mere* ἐμπειρικήν*: neque ſolam* ἐμπειρίαν *ſive ad ſcientiam, ſive ad uſum rerum civilium ſatis eſſe.*

### §. I.

Proxime limites definivimus Politicæ, ultra quos citrave quicquid eſt, id ab hac methodo eſt alienum: conſequens eſt, uti inveſtigemus, quæ & qualis cognitio eorum, quæ Politicæ diximus eſſe propria, queat comparari. Multiplex videlicet eſt humanæ cognitionis varietas; & quidem alia non niſi ſenſu & experientia, alia beneficio ratiocinationis acquiritur, cujus iterum alia certa eſt omnem erroris metum excludens, alia incertior, conſtans duntaxat quadam veriſimilitudine; porro alia tantum quid ſit res, alia ſimul & propter quid perſpectum habet. Eſt vero haud leve ſententiarum diſſidium, cujus generis ſit civilium rerum peritia. Multum quoque refert accurate iſthæc cognoſcere: ne vel fruſtra adſpires ad ſubtilem quandam doctrinæ acrimoniam, vel inutiliter hæreas in craſſo rudimento. Et vero illud ad προπαιδείαν Politices facit unice. Qui enim vel naturam Politices, vel quæ ad eam ducit viam doceas, niſi iis probe cognitis? Utrumque vero ad προπαιδείαν pertinet. Eoque ab inſtituto noſtro hæc ſane tractatio nequaquam aliena eſt.

§. 2. Principio igitur videndum, an omnis peritia civilis, ſola experientia comparetur, ſitque adeo nonniſi ἐμπειρικὴ quædam cognitio nec ne. Quæritur inquam, utrum *omnis* civilium rerum peritia ſit ejusmodi. Aliquid enim ejus hujus eſſe generis certum eſt: & infra latius docebimus, magnum ad ſcientiam hanc cum parandam, tum faciendam ab experientia & uſu adminiculum conferri. Verum in hac quæſtione prius videtur in vulgo quidem plerisque probari. Etenim vulgo reſpubl. fere committitur iis, qui experientia aliqua duntaxat valent rerum civilium: cum velint autem omnes indubie iis, qui periti cenſentur, rempubl. committere, apparet utique videri plerisque Politicen eſſe empiricam aliquam ſcientiam. Non videntur autem & in eruditorum ordine nonnulli multum diſſentire. Quotquot ſane prudentiam civilem uſu & memoria duntaxat parari exiſtimant, diſſentire non debent, ſi ſuam velint θέσιν φυλάττειν. Uſum enim definiunt *notitiam humanarum rerum ex viſu vel tractatu:* memoriam *notitiam ſimilem ex auditu vel lectu vid. Lipſ. Polit. lib.* 1. *c.* 8. Sed & in hanc ſententiam concedere omnino debent cuncti illi, qui ad comparandam prudentiam unice commendant præter uſum, hiſtoriarum lectionem. Fit autem hoc ipſum a non paucis nec indoctis. Eſt vero utraque notitia mere empirica; tantum quod illa propriæ, hæc alienæ experientiæ innitatur. Quum placeat vero 1) iſthæc ſententia & plerisque vulgo & doctis quammultis, jam tum manifeſtum eſt, eam ſi non veram, ſaltem per eſſe veriſimilem: plerisque enim vulgi & doctorum multis placere, id vero eſt eſſe veriſimile. 2) Videtur autem eadem confirmari etiam experimento quotidiano omnium gentium & ſeculorum. Homines enim uſu tantum & experientia inſtructos videre eſt optime conſulere reipubl.: quod tamen non facerent niſi iidem civilium rerum tenerent ſcientiam. Nec vero aliter edocti ſunt, etiam qui inter Græcos & Romanos olim prudentiæ dotibus inclaruere.

ruere. Sane non Themiſtoclis, non Miltiadis, non aliorum magiſtros, unde illi prudentiam ſuam ſunt nacti, laudant hiſtoriæ, haud temere tacituræ tanti boni auctores. Imo ſola hac empirica eos notitia fuiſſe imbutos, ipſemet Ariſtoteles fine operis Nicomachii probat illo ſigno, quod prudentiam ad alios docendo transmittere non potuerint; docturi ſcil. indubie alios, ſaltem amicos & liberos ſuos, ſi potuiſſent; quum in nullo alio par beneficium, & vere acquiſitæ ſcientiæ ſignum ſit, poſſe id, quod tenes, alios docere. Ipſamet Ariſtotelis verba ſunt: Οἱ πολιτευόμενοι δόξειεν ἂν δυνάμει τινὶ τοῦτο πράττειν, καὶ ἐμπειρίᾳ μᾶλλον ἢ διανοίᾳ. οὔτε γὰρ γράφοντες, οὔτε λέγοντες περὶ τῶν τοιούτων φαίνονται. καίτοι κάλλιον ἦν ἴσως, ἢ λόγους δικανικούς τε καὶ δημηγορικούς. οὐδ' ἂν πολιτικοὺς πεποιηκότες τοὺς σφετέρους υἱεῖς ἢ τινας ἄλλους τῶν φίλων, εὔλογον δὲ ἦν εἴπερ ἐδύνατο. οὔτε γὰρ ταῖς πόλεσιν ἄμεινον οὐδὲν κατέλιπον ἄν. οὔθ' αὑτοῖς ὑπάρξαι προέλοιντ' ἂν μᾶλλον τῆς τοιαύτης δυνάμεως, οὐδὲ δὴ τοῖς φιλτάτοις. Hæc Ariſtoteles. Iam tum vero monuerat Socrates pene idem, eoque Theagem, cum civilis eſſet prudentiæ ſtudioſus, in hanc fere ſententiam loquentem cum Socrate introducit Plato: *in Theage. Audivi Socrates ſermones quosdam, quos tuos aſſerunt: civilium virorum* (τῶν πολιτικῶν ἀνδρῶν) *liberos nihilo meliores, quam cerdonum eſſe. Et mea quidem ſententia verum dicis. Inſipiens ergo ſim ego, qui de illorum numero eſſe poſſim, ſi mihi perſuadeam, aliquem iſtorum, ſuam mihi ſapientiam traditurum, qui quidem ſuos ipſorum filios minime erudire queant, putemque eos vel mihi vel ulli mortalium hanc rem poſſe prodeſſe.* Hæc item *Plato.* (*a*) Quæ omnia longe eſſe veriſſima, idque per omnia retro ſecula, etiam hodieque, nemini paulum in mores hominum intuenti non poteſt non probari. Oſtendit denique omnium temporum uſus, illorum quam multos, qui aliam aliquam præter hanc empiricam prudentiam ſibi viſi ſunt acquiſiviſſe, alios ad rempublicam gerendam ineptos, alios nihil empiricis illis præſtare, haud paucos publici otii turbatores eſſe & civitatum everſores potius, quam ſolertes rerum adminiſtros. Quod videtur eſſe argumento, quam iſti exiſtimant prudentiam, non niſi ejus ſimulacrum aliquod eſſe, jure autem ſolam illam empiricam nomen illud auguſtum promereri. Iam tum olim autem ita ſeſe rem habuiſſe, argumento utique eſt primum illud, quod jam Socratis ævo reipublicæ gerendæ minus apti habiti ſint Philoſophi ipſi Græcorum, ceu liquet ex Platonis *Theæteto* & ea, quam idem pro Socrate ſcripſit *Apologia*; qui Plato perinde atque Socrates ipſemet & Ariſtoteles reipublicæ manum non admovere. Nec uno licet exemplo fidem illi facere, quod diximus, eos, qui Politices ſeſe jactant ſcientia, peſſime interdum rebuspublicis conſulere. De Machiavello certe id eſt notiſſimum. Sed & de Trajano Boccalino, Politico haud vulgari ſane, ita Nicius *l.* 1. *Pinac. in Boccal.* *Qui ſe aliis reip. bene gerendæ ducem & magiſtrum profitetur ac præſtat, in iis oppidis, quorum illi adminiſtratio commiſſa fuerat, regendis, ſuis ipſe præceptis non paruit, ſed multa, ut ajunt, commiſit, quæ ab illorum rationibus eſſent aliena: quamobrem fiebat, ut Romam crebræ de ipſius injuriis querimoniæ deferrentur.* Alia noſtræ ætatis incommoda non eſt, quod in re liquida memorentur. Eadem vero ratio fuit & temporum vetuſtiſſimorum. Quapropter cum Appianus, prudens ſane ſcriptor, narraſſet *in Mithridatico*, quam impotenter Athenis quondam tyrannidem exercuerit Ariſtion Epicureus philoſophus, addit: *Sed non profecto ſolus iſte Athenienſium, nec Critias etiam ante hunc & quicunque cum Critia philoſophiæ una dedere operam, tyranni extiterunt; Sed in Italia & Pythagoras, & in reliqua Græcia illi, qui ſeptem ſapientes dicebantur, quotquot tractarunt rempublicam, potentia uſi ſunt & tyrannide crudelius plerumque, quam ignari literarum.* Taceo nunc, quod multos ipſa eruditio ad res gerendas videatur ineptos reddere. Qua de cauſa florentibus maxime Romanorum rebus & Philoſophi & Rhetores urbe pulſi ſunt: & multo poſt C. Marius, optimus utique imperator, laudi ſibi duxit *græcas literas non didiciſſe. Parum placebat*, inquit, *eas diſcere, quippe quæ ad virtutem doctoribus nihil profuerunt. Vid. Salluſt. de bello Jugurth.* Ex quibus profecto cui non fiat veriſimile, omnem civilem artem uſu ſolo addiſci, adeoque experientia duntaxat comprehendi poſſe?

§. 3. Cæterum ut clare pateat veritas, breviter (etſi alieno nonnihil loco) hic exponendum ante omnia eſt, quid reapſe ſit Experientia? Habet autem res ſeſe hunc in modum. Quæcunque ſenſuum aliquo percipiuntur, illa ſingularia ſunt: intellectus ex adverſo ſingulare nihil percipit, ſed ſola ea, quæ abſtracta nuncupantur a ſingulari materie. Si quando ejus, quod ſenſu eſt acceptum, imago remanet in animo poſt factam ſenſionem, memoria naſcitur: eſt enim *proprie memoria* ἕξις (*b*) aut conſervatio quædam τῶν φαντασμάτων, h. e. imaginum ſenſu acceptarum, *Ariſtotel. l. de memor. c.* 1. Talis memoria unius ejusdemque rei ſæpius ſenſu acceptæ iterata; dicitur experientia: quæ proinde & ipſa ſingularium duntaxat eſt rerum, non univerſalium. Ut, ſi tu ſæpius obſervaveris Petro febricitanti vini potum male ceſſiſſe, ejus jam experientiam es conſecutus, ut tuto pronunciare poſſis, febricitanti Petro vinum eſſe noxium: nondum tamen hoc ipſo habes compertum, nulli febricitanti vinum convenire. Uti ex multis ſingularibus experimentis univerſalem quandam *communemque* (*c*) formes notionem, opus eſt porro collectione quadam, non multa tamen & operoſa, ſed ut plurimum illa ſimpliciſſima, quam inductionem *appellitamus.* (*d*) Pertinent autem ejusmodi univerſales notiones, ſi proprie quidem loquaris, non amplius ad ipſammet experientiam, etſi ex multis ſint experimentis elicitæ; ſed jam ſunt exordia

(*a*) *Plato.*) In Platonis porro dialogo, cui Menoni nomen (qui tamen mere πειραστικὸς eſt) Socrates hoc ipſum, adductis exemplis Themiſtoclis, Ariſtidis, Periclis & aliorum, etiam probat. Cum cujus dialogi hac doctrina plane conſentit, nothus alter, de eo quod virtus doceri nequeat. *CONR.*

(*b*) *Proprie memoria* ἕξις.) H. e. habitio, ut ita loquar, ſive poſſeſſio aut conſervatio (tale enim quid hoc loco notat τὸ ἕξις, non vero animi qualitatem crebris actionibus comparatam, ut vulgo multi interpretantur.) *CONR.*

(*c*) *Communemque.*) Et quidem vere genericam (nam ad particularem unica ſufficit experientia.) *CONR.*

(*d*) *Appellitamus.*) Præſertim, ſi accedat ἀγχίνοια mentis, ſive vis animi cauſarum perſpicax.

dia ſive principia artium ac ſcientiarum. Exordia inquam ſunt; non enim artes & ſcientias omni ex parte abſolvunt. Ideoque non alio ſenſu etiam ſunt accipienda Ariſtotelis illa *lib.* 1. *Metaph. cap.* 1. *Per experientiam ars & ſcientia hominibus efficitur:* aut illud Poëtæ veteris Afranii in Sapientiam *apud Gellium l.* 13. *c.* 8.

*Uſus me genuit, mater peperit memoria.*
*Sophiam vocant me Graii, vos ſapientiam*

aut illud Manilii *l.* 1. *Aſtronom. Per varios caſus artem experientia fecit.* Et vero ad principia artium ſcientiarumque ipſemet hæc reſtrinxit Ariſtoteles cum alibi, tum ſub finem *lib.* II. *Analyt. poſterior.* Multo minus ad experientiam pertinet ex ejusmodi univerſalibus notitionibus ulterior deductio, etiamſi ad cauſarum inveſtigationem nondum proceſſeris. Porro hiſtoricis monumentis vix alia, præterquam ſingularia narrantur; qualia nimirum cognoſcuntur ſenſu atque experientia. Ut enim hiſtoria narret univerſaliora ex multis experimentis collecta, rarius fit, & a paucis eſt tentatum; rariſſimi certe exempli eſt hiſtoria illa animalium ac ſtirpium, qualis illa quidem ab Ariſtotele, hæc a Theophraſto eſt conſcripta. Quæ ex hiſtoria itaque ejusmodi ſingularium rerum lecta vel audita proxime quidem oritur cognitio, itidem non diverſa eſt ab ea, quæ per experientiam accipitur, niſi quod aliena fide narrantium illa nitatur, experientia autem ipſa propius ſenſu perceptis inhæreat.

§. 4. Hæc ex Ariſtotelicis monumentis depromta, omnem errorem facile diſcutiunt. Primum enim conſtat utique, (id quod jam ſupra dictum eſt) notitiam quandam civilium rerum inveniri, & quidem maxime præclaram, quæ in univerſalibus occupetur. Quum experientia igitur hæreat duntaxat in ſingularibus, manifeſtum profecto eſt, ſaltim potiſſimam illam rerum civilium artem empiricam non eſſe, aut ſola ἐμπειρίᾳ comprehendi. Ad hoc, quum impoſſibile ſit, ut unus aliquis omnium eorum, quæ in quavis reipubl. ſpecie eveniunt, uſum & experientiam habeat; ne id quidem fieri poteſt, ut ex propriis quidem experimentis unus quis exſtruat omnia illa, quæ in communi de republ. qualibet ſciri aut dici poſſunt ab experimentis petita: tantum abeſt, ut quis poſſit ex propriis experimentis integram hanc prudentiam haurire, aut quod idem eſt, ſolo uſu omnem illam ſibi comparare. Fac enim, quem probe verſatum eſſe in regia adminiſtratione, non tamen eo ipſo jam uſu didicit popularis aut ariſtocratici regiminis ſtatum, & tamen omnia hæc ſcire, ex æquo eſt politicæ prudentiæ. Hiſtoria plus experimentorum civilium, quam uſus ipſe exhibet: eoque inſervire etiam ac prodeſſe magis poteſt ad exſtruendam communem illam artem, atque uſus ipſe. Veruntamen, quoniam omnis ejusmodi ex hiſtoriis collectio nitatur quidem experientia, non debeatur tamen ipſimet experientiæ, ſed factæ ex iis, quæ experientia ſuggerit, exemplis collectioni, quam ab ipſa experientia diverſam eſſe, jam oſtendimus, manifeſtum eſt, ne quidem illam ex hiſtoriis enatam ita peritiam, empiricam merito vel haberi vel nuncupari debere. Uno nimirum verbo: nulla univerſalis civilium rerum cognitio vere empirica eſt; ac proinde quotquot eam habent, in quantum habent, empirici non ſunt, ſed ſaltem aliquid civilis ſcientiæ jam ſunt conſecuti, adeoque hactenus perperam Empirici audiunt. Plane quemadmodum olim medicorum illa ab Aërone Agrigentino inſtituta ſchola inique empiricum nomen affectavit; quum tamen univerſalia pronunciata jactitaret ex multis experimentis exſtructa, imo ab iis tranſitum ad ſimilia uſu nondum comperta admitterent ejus ſectæ primores, & ſi Cornelio Celſo *l.* 1. *præfat.* credimus, *evidentes etiam morborum cauſſas, ut neceſſarias amplecterentur.*

§. 5. Et vero, quod res ipſa expreſſit empiricis illis medicis, ut confiterentur, dari in medendo aliquem ad ſimilia nondum uſu comprobata progreſſum, poſſe itidem univerſalia medendi præcepta, & cauſarum morbi ſanitatisque aliquam ſcientiam reperiri, medicinam denique facturo neceſſariam eſſe ſaltem aliquam cauſſarum notitiam, id omne in civilibus quoque habere locum, usque eſt adeo perſpicuum, ut negari ſine impudentia aut inſcitiæ nota haud poſſit. *Primum* enim id utique conſtat, etiam de iis, quorum neque experientiam ſive uſu proprio, ſive ex hiſtoriis, neque ſcientiam aliunde ſumus aſſecuti, poſſe nos rectum conſilium dare: id vero neutiquam fieret, niſi ratiocinationi alicui, adeoque deductioni ignotæ rei ex notis, eſſet locus in negotiis civilibus. Communia *præterea* pronunciata & præcepta, ex ſingularibus civilium rerum eventis poſſe conſtrui, quî negaveris, quum illorum in omnium prudentium ore ingens ſit copia? Eorum *porro*, quæ in civilibus contingunt, certæ cauſſæ non minus ſunt, atque naturalium eventuum: neque enim quidquam fit ſine ſuis cauſſis, etiam in humanis negotiis. Certe omnes omnino actiones civiles, ſuos habent, quare fiant fines ſuasque cauſas efficientes; in eo vero, quod fiant, a quibus, quomodo, quando & ubi oportet, forma ſive eſſentia earum civilis conſiſtit. Non etiam ita abditæ ſunt cauſſæ illæ, ut humani ingenii vim effugiant. Immo a prudentiſſimis nonnullis auctoribus pleraque horum, ſi non omnia, jam tum litterarum monumentis ſunt prodita. Certe quo quis eſt prudentior, eo magis perſpectas habet civilium rerum cauſſas.

§. 6. Hæc omnia usque ſunt adeo in clariſſima veritatis luce poſita, ut a nemine in dubium queant vocari. Quapropter etiam hoc utique fatendum venit, non omnem civilium rerum peritiam ἐμπειρικὴν eſſe, quoniam ea, quæ modo diximus, uſu ſolo comparari nequeunt. Nihili vero eſt, quod quidam prætendunt, certos tamen nos ſolo rerum uſu fieri. Nec enim hoc pronunciato quidquam eſt falſius: quippe quum ἡ ἀπόδειξις certiſſimam præſtet fidem eorum etiam, quæ uſum atque experientiam minime deſiderant, qualia ſunt mathematica. Non diffitemur ab uſu confirmari mirifice Politicorum communium præceptorum fidem. Credimus enim Plinio *l.* 26. & *l.* 17. *efficaciſſimum rerum omnium magiſtrum eſſe uſum*, & *experimentis optime credi:*

imo

Digitized by Google

imo Ciceronis etiam illud *de Oratore* admittimus: *Uſum omnium magiſtrorum præcepta ſuperare.* Minime tamen hinc conſequens eſt, certam fidem omnium præceptorum civilium ab experientia unice proficiſci. Sed & poſito quoque eo, non tamen id, quod probandum erat, hinc etiam licet deducere. Unicum enim hoc inde ſequeretur, robur & certitudinem omnem politicæ ſcientiæ ab experientia addi: non vero omnem illam rerum civilium notitiam mere ἐμπειρικὴν eſſe, atque ſolo uſu addiſci.

§. 7. Nimium *denique* experientiæ tribui, quando rerum agendarum facultas huic uni adſcribitur, facillimum probatu eſt. *Primum* enim ipſo uſu omnium ſeculorum populorumque conſtat, plurima feliciter peragi in republica, nondum uſu comperta iis, qui rempublicam adminiſtrant. Utique enim ſæpe etiam adoleſcentes magno commodo fuere civitatibus, rerum hactenus (etenim *ſeris venit uſus ab annis, teſte Ovidio l. 6 Metam.*) inexperti. Quo in numero excelluere poſt Salomonem, Alexander Magnus, Scipio, Octavianus Auguſtus. Imo nemini non in negotiis publicis verſanti plurima ſubinde veniunt agenda, quorum hactenus nullum habuerat uſum, quæ nihilominus feliciter expediuntur. Quod argumento eſt certiſſimo, ſaltim non omnem rerum agendarum peritiam facultatemque uſui & experientiæ ita adſcribendam eſſe, quaſi quod expertus non ſis, non etiam queas efficere. *Secundo* fieri non poteſt, ut omnia civilium rerum, vel unius tuæ cui præes civitatis, commoda & incommoda experiundo didiceris antea, quam illas opere ipſo præſtes. Quædam enim rariſſime eveniunt & tamen ſi quando accidunt, magno ſunt cum periculo conjuncta, nec patiuntur moram. Et vero plærumque, in ætate quamvis longa, homini uni pauca admodum contingit experiri. Reſpublica tamen per eſt multis caſibus obnoxia: imo ejus interdum intereſt, ut uſitata mutentur. Iam ſi talia hactenus incomperta objiciantur, pereundum ſane fuerit tuæ illi reipublicæ, ſi prudentiam illius regendæ non aliunde, quam ab uſu queas comparare. Adeoque vel ita patet, eam, quæ uſu ſolo nititur, prudentiam non eſſe parem vel uni alicui civitati recte gubernandæ. Illa *tertio* uſu parta prudentia tum, demum perfectionis laudem poteſt adſequi, quando jam corpus ſenecta eſt effœtum, h. e. ea ætate, quæ magnis rebus deſignandis patrandiſque eſt inepta. Duntaxat enim hæc *prudentia ſenum* eſt: quibus egrediendum eſt e vita eo ipſo tempore, quo ſapientia in rem transferenda videbatur; quo nomine, cum natura Themiſtoclem moriturum expoſtulaſſe accepimus, etſi annos natus centum & ſeptem moreretur. Peſſime igitur conſuluerit Natura humano generi & civili cumprimis ſocietati, ſi prudentia omnis expectanda ab annis ſit, & accipi nequeat, niſi tum, quando iam inutilis eſt. Indubie vero, illa bene nobis proſpexit: atque adeo neceſſum eſt, præter eam, quæ uſu comparatur aliquam aliam & magis reipublicæ utilem prudentiam civilem ſupereſſe. Illius *quarto* experimentalis prudentiæ addiſcendæ ratio rempublicam ſæpe in diſcrimen adducit; nunquam vacat periculo. Sane etiam de rerum civilium experientia veriſſimum eſt illud, quod de medicarum pronunciavit olim Hippocrates *l. 1. aphor. 1.* ἡ πεῖρα σφαλερὴ: & quemadmodum iis, qui medicinam uſu addiſcunt, contingit, ut *experimenta faciant per mortes hominum, vid. Plin. l. 29 cap 1.* ita ſæpenumero evenit, imo non evenire non poteſt empiricam illam prudentiam affectantibus, ut ex malo eorum conſilio enata reipublicæ ruina, ſit pro experimento ejus, quod in poſterum eſt cavendum, cum tamen bis peccare non liceat. Ad *poſtremum*, illud utique vacat dubitatione, ſi quæ ſit regendæ reipublicæ prudentia, quæ ſine reipublicæ damno diſci, & integra ætate cum haberi, tum exerceri ita poſſit, ut ea inſtructus ad omnes etiam repentinos caſus, quacunque etiam in republica vixeris, habeas in promptu, quod expediat; illam demum ad regimen reipublicæ omnium eſſe commodiſſimam, multum ſane præferendam illi alteri empiricæ, qua de nunc verba facimus. Ejusmodi vero aliquam reperiri & jam tum paulo ante ex parte oſtendimus, & impoſterum pluribus oſtendetur. Quicquid vero ſit, empiricam illam ne uni quidem alicui civitati regendæ ſufficere, manifeſtum eſt.

§. 8. Verum hæc, poſſit videri ipſemet Ariſtoteles nonnihil turbare. Nos enim ad res agendas civilium præceptorum communium notitiam, quam artem vel ſcientiam appellaveris, experientiæ prætulimus. Ex adverſo Ariſtoteles *l. 1. Metaph. c. 1.* πρὸς μὲν οὖν τὸ πράττειν ἐμπειρία τέχνης οὐδὲν δοκεῖ διαφέρειν ἀλλὰ καὶ μᾶλλον ἐπιτυγχάνοντας ὁρῶμεν τοὺς ἐμπείρους τῶν ἄνευ τῆς ἐμπειρίας λόγον ἐχόντων. *Ad agendum nil videtur differre experientia ab arte; quin imo cernimus eos, qui experti ſunt magis etiam id, quod intendunt conſequi, quam illos, qui rationem abſque experientia tenent.* Nec pronunciat duntaxat ita Ariſtoteles, ſed idem demonſtrat: αἴτιον δὲ, inquit, ὅτι ἡ μὲν ἐμπειρία τῶν καθ' ἕκαστά ἐστι γνῶσις, ἡ δὲ τέχνη τῶν καθόλου. αἱ δὲ πράξεις καὶ αἱ γενέσεις πᾶσαι περὶ τὸ καθέκαστόν εἰσιν. οὐ γὰρ ἄνθρωπον ὑγιάζει ὁ ἰατρεύων πλὴν ἀλλ' ἢ κατὰ συμβεβηκὸς, ἀλλὰ Καλλίαν, ἢ Σωκράτην, ἢ τῶν ἄλλων τινὰ τῶν οὕτω λεγομένων ᾧ συμβέβηκεν ἀνθρώπῳ εἶναι. *Cauſa eſt, quod experientia ſingularium, ars autem univerſalium cognitio eſt, actiones autem ac generationes omnes circa ſingulare ſunt, non enim hominem niſi per accidens ſanat, qui medetur, ſed Calliam aut Socratem, aut alium quempiam eorum, qui ſic dicuntur, cui accidit homini eſſe.* Quamvis autem queant forte videri hæc ab iis, quæ nos diximus, diſſentire, non diſſentiunt tamen. Nec enim in univerſum Ariſtoteles artem cum experientia contendit, quod nos facimus, ſed unam aliquam ſingularem experientiam. Hac ratione etiam nos fatemur, qui experiundo didicit, quid expediat ex. gr. regi Gallorum, ſi ſuam velit auctoritatem tueri, etſi in univerſum quid regiæ adminiſtrationis interſit, ignoret, poſſe tamen illum regi illi bonum conſilium dare: imo prævalere illum hac quidem parte ei, qui in univerſum duntaxat tenet ſervandæ regiæ dignitatis præcepta: quoniam ad conſilium dandum non ſatis eſt iſtas communes noſſe prudentiæ regulas, ſed ipſius illius ſingularis gallici regni ſtatus quoque perſpiciendus eſt. Nec vero id voluimus, quaſi ad opera civilia præſtanda ſatis ſit ſcientia: omnino enim



Digitized by Google

porro opus eſt experientia ad cognoſcendum objectum ſingulare, circa quod ἡ πρᾶξις πολιτικὴ occupatur, quod infra uberius docebimus. Manet nihilominus veriſſimum, ad regendam aliquam rempublicam non ſufficere etiam experientiam, aut omnino prolixam aliquam requiri; ſed arte aut ſcientia omnino opus eſſe, quod de omnibus agendis experientia haberi nequeat. Ut brevibus omnia complectamur. Fatemur actionem omnem in ſingulari opere verſari, eoque neceſſarium eſſe, ut, quisquis opus aliquod ſtudet efficere, ſenſu atque experientia omnia illa ſingularia, quæ ad opus efficiendum requiruntur, habeat cognita, ac proinde, qui tantum in communi tenet, quid agendum ſit, particulatim autem ignorat ſingulare illud objectum, circa quod verſatur & media ſingularia, quæ adhibenda ſunt, eum ad rem iſtam quidem agendam minime eſſe idoneum, adeoque hactenus quidem experientiam arti ac ſcientiæ præferendam eſſe. Revera tamen is, qui ſola eſt experientia inſtructus, nihil aliud poteſt, quam quod eſt expertus: itaque non niſi pauciſſimis agendis eſt aptus, & nihil valet, ſi quid novi agendum veniat. Iam vero in vita civili plurima occurrunt & pervaria, ſæpe & inopinato accidunt, quæ antehac nunquam contigerant, quædam antehac uſitata præſtat mutare. Itaque etſi ad quædam opera peragenda, is, qui experientia inſtructus eſt ſufficiat, ſimpliciter tamen toti reipubl. curandæ non eſt par; neque licet illi rempubl. omnem tuto committere. Ut proinde ad res agendas multum interſit inter experientiam & artem, etſi aliqua ratione interſit nihil, & experientia ipſi arti ſit præferenda.

§. 9. HISCE ſic expoſitis, facile jam eſt, quæ initio pro empirica civilium rerum peritia producta ſunt, ordine confutare. Igitur quæ *primo* loco producebatur in veriſimilitudinis argumentum, multitudo eorum, qui a nobis videntur diſſentire, illa, ſi recte rem intuemur, potius nobiſcum facit. Nec enim vulgo id ſolum, quod vere debetur experientiæ, acceptum huic refertur, ſed id etiam omne, quod experimentis ſuperſtruitur aut ex iis deducitur. Errore nato inde, quod omnibus iis, qui ab ingenio non deſtituuntur, in proclive ſit communia quædam præcepta ex ſingularibus eventis uſu perceptis condere; quæ autem vicina ſunt, a quam multis, præſertim quibus curæ non eſt minutias veri attendere, confuſione quadam exiſtimantur eadem. Non temere igitur reperias, qui in communium civilium præceptorum notitia non collocet prudentiam, aut ſine iis poſſe rempublicam geri per ſola proprie dicta experimenta arbitretur. Ipſi illi, Empirici qui creduntur, quo prudentiores ſunt, eo monitis ejusmodi atque ſcitis politicis magis abundant. Verum quoniam hæc ſæpe, nullo magiſtro, inter ipſum uſum rerum diſcuntur, aut ſi aliunde fortaſſis ſint accepta ab uſu certam apud quammultos fidem inveniunt; creduntur ad experimenta pertinere, quum tamen ſint aliquid ex iis nova ratiocinatione enatum, atque ad artem ſive ſcientiam civilem pertinens. In hac ſententia ſane omnino fuiſſe Iuſtum Lipſium ex libris ipſius clariſſimum eſt. Nec aliud voluere, qui ex hiſtoriis petendam prudentiam, qua tuæ etiam poſſis conſulere reipublicæ, cenſuerunt. Qui enim alias, in rem tuam poſſis transferre qua Romanis quondam ex gr. profuere, niſi præcepto quodam communi ex hiſtoriis ſingularium rerum condito? Certe id qui non poteſt, fruſtra etiam in hiſtoria legenda perdit tempus. Qua de re infra denuo diſſeremus.

§. 10. Fluit hinc, quid reſpondendum ſit ad *ſecundam* objectionem. Etenim, qui res præclare gerunt in republ. illi tametſi uſu tantum valere credantur, non tamen revera uſu ſolo & experientia ſunt inſtructi, ſed quidam eorum ingenii beneficio ex uſu compertis, aut hiſtoriarum monumentis diligenter lectis & expenſis, etſi non artem civilem integram, aliquid tamen ejus, quantum ad res quasdam agendas ſatis eſt, didicere. Hinc Ariſtoteles ipſemet, eos, qui rempublicam probe adminiſtrant, non dixit ſola ἐμπειρίᾳ valere, ſed etiam δυνάμει, quæ vis eſt felicis ingenii. Enimvero quotquot tali laude præ aliis commendantur, celeritate ingenii ſolent eminere: qua qui pollent, artes ac ſcientias proprio, quod ajunt, Marte condere idonei ſunt. Sane græcæ romanæque gentis illuſtria lumina, quam præclaris animi dotibus fuerint præditi, loquuntur monumenta. Non a ſolo uſu ſane proficiſci eam, quæ in viris magnis, nulla tamen doctrina imbutis, civilium eſt rerum peritia, argumento eſt, quod illi ſubinde multa agant & quidem prudenter agant, quarum experientiam ante ſibi non comparaſſent. Talibus igitur, ſi quando reſpubl. concreditur, non meris empiricis illa committitur, ſed artificibus, imperfectioribus tamen, propriaque induſtria artis partem edoctis. Nec vero, etſi magiſtris uſi non ſint & docere alios nequeant, deſtituuntur illi omni arte. Ut enim doceas, neceſſum eſt & artem integram teneas & ipſam docendi viam: hos vero neque nos dixerimus ſcientiam civilem integram ſibi paraſſe aut docendi rationem callere. Ipſi tamen illi longo rerum uſu edocti, etſi non integram hanc prudentiam, plurima tamen ejus ſcita docere idonei ſunt: ſolent quoque illa aliis identidem in vita inculcare. Non etiam id eſt verum: eorum qui in republica verſantur, neminem regendi rationem hactenus docuiſſe, aut docere potuiſſe. Talium enim utique monumenta varia ſunt in manibus. Nec qui alios non docent, illi omnes arte nulla ſunt præditi. Aliis non vacat; aliis non lubet: aliis deſunt, quos doceant. Perinde, quemadmodum omnis generis artificibus ſolet venire uſu. Ut in liberos non derivetur a parentibus prudentia, ipſorum ſæpe obſtat ingenii ruditas aut perverſitas morum. Fatemur præterea etiam hoc: ſolo uſu civilium rerum qui ſunt inſtructi, recte præfici poſſe nonnullis negotiis, in quibus ſcilicet induſtriam ſuam exercuerunt. Minime tamen hinc ſequitur, omni civili prudentia eoſdem inſtructos eſſe, aut rempubl. univerſam recte iis committi. Obiter obſervari hic meretur, non fortaſſis omnes illos veteribus a prudentia laudatos viros, nulla fuiſſe doctrina inſtitutos. De Themiſtocle ſane, id negat Socrates apud Xenophontem *l. 4. Memoral. Socrat.* addens: *Stultum eſſe, exiſtimare, exigui quidem momenti artes abſque magiſtris idoneis percipi a ſtudioſis haud poſſe, eum imperio autem civitati præeſſe fortuito*

*poſſe*

Digitized by Google

*poſſe homines, cum opus ſit omnium maximum.* Græca Xenophontis elegantiora ſunt: ἔυηθες, ἔφη εἶναι τὸ οἴεσθαι, τὰς μὲν ὀλίγου ἀξίας τέχνας μὴ γίνεσθαι σπουδαίας ἄνευ διδασκάλων ἱκανῶν. τὸ δὲ προεστάναι πόλεως, πάντων ἔργων μέγιστον ὄν, ἀπὸ ταυτομάτου παραγίγνεσθαι τοῖς ἀνθρώποις. Sed fortaſſe non quod ita ſentiret id dictum eſt a Socrate, ſed quo excitaret Eythidemum, ceu innuit ipſe Xenophon: licetque proinde Thucydidi ſecure fidem habere, viri illius ſingularem prudentiam ingenii nativis viribus potiſſimum attribuenti. *Illum enim fuiſſe Themiſtoclem, qui quam maxime indicaret, quantum natura valeat, dignus ipſe quem quodammodo ſupra modum ob naturæ præſtantiam magis atque alium quem miremur.* Ipſemet Thucydides *l.* 1. ἦν γὰρ ὁ Θεμιστοκλῆς βεβαιότητα δὴ φύσεως ἰσχὺν δηλώσας, καὶ διαφερόντως τί ἐπι αὐτὸ μᾶλλον ἑτέρου ἄξιος θαυμάσαι, οἰκεία γὰρ ξυνέσει, καὶ οὔτε προμαθὼν ἐπ' αὐτὴν οὐδὲν, οὔτ' ἐπιμαθὼν, τῶν τε παραχρῆμα δι' ἐλαχίστης βουλῆς κράτιστος γνώμων, καὶ τῶν μελλόντων ἐπιπλεῖστον τοῦ γενησομένου ἄριστος εἰκαστής. *Item*: καὶ τὸ ξύμπαν εἰπεῖν, φύσεως μὲν δυνάμει, μελέτης δὲ βραχύτητι, κράτιστος δὴ οὗτος αὐτοσχεδιάζειν τὰ δέοντα ἐγένετο. Hæc Thucydides. Quicquid vero ſit de Themiſtocle, aliis quam multis, cumprimis Pericli, & Epaminondæ, & Scipioni Africano utrique, & Ciceroni, & Pompejo, & Cæſari, non defuiſſe magiſtros, & notiſſimum eſt, & infra oſtendetur clarius.

§. 11. Quod in *Tertio* argumento objiciebatur, nihilo præſtare empiricis, eos, qui creduntur ſcientiam politicam didiciſſe, id profecto a vero alienum eſt. Nec enim niſi in paucis iisque uſitatis, in ætate item jam ſenili quicquam hi poſſunt: e contrario alteri illi ad quævis promiſcue reipubl. negotia ſunt apti, idque ætate adhuc integra. Quod aliorum nonnulli itidem aliquid ultra uſitata poſſint præſtare, non id uſui & experientiæ, ſed ingenii dotibus & per conſequens arti acceptum eſt ferendum, ſupplente doctrinæ defectum nativa indole.

§. 12. Eorum qui inſtituti ſunt, ſi qui minus idonei ſint gerendis rebus, non id ipſiuſmet doctrinæ politicæ vitio contingit. Enimvero *primum*, multi didiciſſe creduntur id, quod nequaquam didicere, in longe alienis aut iis, quæ ſpeciem quidem Politicæ mentiuntur verſati, ipſammet vero hanc artem plane ignorantes. Nec enim doctus omnis Politicen aut veram reipubl. gerendæ ſcientiam edoctus eſt. Et vero alienis illis, ita ſæpe multi afficiuntur, ut ad rempublicam appellere animum nequeant, alii ſtulto, alii prudente conſilio ea in re uſi. Non enim negotioſa illa vitæ degendæ ratio, ſimpliciter eſt optima: imo eſt quando illam quietam in cognitione & contemplatione rerum, aut pietatis exercitio poſitam, huic merito multum præferas. Aliena igitur eruditio (fateor) avocat ſæpe animum a republica; nec temere & huic, ea qua par eſt induſtria & alteri illi ſimul vacaveris, niſi divino quodam polleas ingenio: ſed ſi reipubl. velis curam dignam gerere, aliena illa, utut ſuavia & elegantia, oportet vel non diſcas, vel ubi didiciſti aut plane negligas aut raro exerceas. Quicquid ultra eſt, intemperantia eſt literarum: non quidem ſimpliciter, iſtius tamen civilis vitæ degendæ habito reſpectu. Et vero Hadriano Cæſari Grammatices ac Sophiſtices peritia, & Gallieno græcorum latinorumque carminum pangendorum facultas impedimento potius fuit, quam commodo. *Vid. Spart. in Hadrian. & Trebell. in Gallieno.* Ipſimet Pericli & Iphicrati declamationum certamina domeſtica aliquam maculam inuſſere, & teſte pariter & judice ipſomet Plutarcho *in vita Pericl. & de præcept. reg. reip.* Eoque ſocerum Agricolam, operam reipubl. aliquando navaturum, recte laudat Tacitus *Agric. c.* 4. quod, prudentia matris, ſtudio philoſophiæ ac juris ultra quam conceſſum Romano, ac Senatori incenſo adoleſcentis ac flagrante animo coërcito, *retinuerit, quod eſt difficillimum, ex ſapientia modum.* Hactenus etiam probaveris illud Neoptolemi Enniani *apud Gell. l.* 5. *c.* 15. *Philoſophandum eſt paucis, nam omnino haud placet.* Illo autem doctrinæ alienæ temperanter obſervato modo, etiam accuratiſſima Politices cognitio neminem (niſi qui *nomine magnifico*, ut ait *Tacit lib.* 4. *Hiſtor. ſegne otium velaverit*, aut cui a negotiis abhorret animus) ad res gerendas inidoneum fecerit. Nec vero hactenus repertus quiſquam, cui illa quidem ars impedimento fuerit, quo minus reipublicæ inſerviret. Quin nemo iſthac qui omnino caret, ex dignitate rempublicam adminiſtraverit. Uſuque jam compertum eſt, plurimum illam ad civilia opera adjumenti conferre. Nec vero eſt, quod moremur ſive Athenienſium, ſive Romanorum veterum, aut Marii de philoſophia ac Græcorum literatura judicium. Ut enim Salomonem taceam, in quo nullam philoſophiæ partem deſideraſſes: ſane illorum etiam, qui ampliſſima eruditione apud Græcos philoſophorum nomen impetravere, & rempubl. tamen feliciſſime rexerint, complures numerare eſt: & jam tum prolixe numeravit olim Cl. Ælianus *var. hiſtor. l.* 3. *c.* 17. *vid. & Alcidamantis diſſertat. apud Ariſtot. l.* 2. *Rhetor. c.* 29. Nec vero vel Plato vel Ariſtoteles a republica omnino fuit alienus. Illum ſane conſtat Dioni Siculo, hunc & Philippo & Alexandro & Olympiadi & Antidatro atque aliis Macedonum a conſiliis fuiſſe, & Stagiram patriam urbem collapſam legibus optimis præſcriptis erexiſſe. Qui eorum a republica abſtinuerunt manum, non idipſum fecere plerique ex ineptitudine quadam aut imperitia, ſed quod tempora ſua rectius impendi poſſe arbitrarentur. De illis tamen etiam Tullius. *Illi*, ait *l.* 1. *Offic. quorum ſtudio vitaque omnis in rerum cognitione verſata eſt, tamen ab augendis hominum utilitatibus & commodis non receſſerunt. Nam erudierunt multos, quo meliores cives utilioresque rebus & ſuis & publicis eſſent, ut Thebanum Epaminondam Lyſis Pythagoricus, Syracuſium Dionyſium Plato, multique multos: noſque ipſi quicquid ad rempublicam attulimus, a doctoribus atque doctrina inſtructi ad eam & ornati acceſſimus. Neque ſolum vivi atque præſentes ſtudioſos diſcendi erudiunt atque docent, ſed hoc idem etiam poſt mortem monumentis literarum aſſequuntur. Nec enim locus ullus prætermiſſus eſt ab iis, qui ad leges, qui ad mores, qui ad diſciplinam reipublicæ pertineret: ut otium ſuum ad noſtrum negocium contuliſſe videantur.* Hæc omnia Cicero. Atqui illum ipſum.

*Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit,*



Digitized by Google

Philoſophum & Oratorem maximum. *vid. Juvenal Sat.* 8. Quem, niſi fallor Arpinatem, licet illi alteri agreſti Mario opponere, imperatori quidem illi felici, & belli temporibus deſiderato, cætera tamen & pace civi malo & *Roma ſuæ funeſto.* (*a*) Et vero ipſimet Athenienſes, pariter & Romani, ſuum illud præpoſterum de Philoſophis judicium meliore mox ſententia emendavere, ad maximos honores evectis, qui ex illa ſchola proficiſcerentur. Demetrium ſane ſuum Phaleræum, ex Peripato Philoſophum, trecentis ſexaginta quinque ſtatuis iidem Athenienſes ſunt proſequuti. *Laërt. in Demetr.* Nec profecto ipſemet Pompejus Iulius Cæſar & Auguſtus literaturæ fuerunt rudes; viri utique in republ. romana *maximi.* (*b*) Ne a Philoſophiæ quidem habitu & nomine abſtinuit Marcus Imperator, nemini Cæſarum ſecundus: *vid Capit. in Marco.* & Tacito Cæſari acclamavit Senatus, *quis melius, quam literatus imperat. Conf, Vopiſc, in Tacit.* Mitto alios ſive illius veteris, ſive ſequioris, ſive & noſtri ævi: cum liceat laudare innumeros, qui ſapientia partum nomen rebus optime gerendis decoravere. Certe neminem temere reperias non barbarum, qui veram & non fucatam civilis doctrinæ cognitionem, cenſeat adminiſtrationi reipublicæ damno eſſe. Imo qui non rideat illum Galliæ regem, qui filium literas diſcere prohibuit, ne ſibi nimium confiſus aliorum conſilia ſperneret: *Æmil. l.* 10. quaſi ejusmodi ſtultam arrogantiam non etiam literæ damnent improvidæ temeritatis. Qui tamen rex dum alios filio ſuo ſapientiores ex literis reddi poſſe ſignificavit, agnovit utiq; magnum ad prudentiam comparandam ex literis adjumentum.

§. 13. Verum non eſt, quod iſti quidem errori tollendo amplius immoremur. Ut illud quoque tollatur, quod objectum eſt philoſophis, quaſi male ſæpe rem geſſerint, obſervandum eſt, eſſe haud paucos, *qui doctrina oretenus exerciti animum bonis artibus non imbuerunt*: nec ſatis eſſe ad bene agendum ſcire quid expediat, ſed præterea requiri & recte agendi voluntatem. Quam interdum deſiderari etiam in rerum civilium maxime gnaris, neque nos diffitemur, imo reprehendimus maxime. Placet ſcilicet nobis etiam illud *Pacuvii*: *Odi hominem ignava opera, philoſopha ſententia.* Verum hoc quidem nomine ipſimet eruditioni omni aut Philoſophiæ dicam ſcribere, indignum eſt facinus. Poſſis ſane eodem jure, & uſum omnem civilium rerum proſcribere. Ingentem enim licet numerum deprehendere, qui in republica male verſati ſunt nullis licet literis imbuti: imo horum præ literatis illis copia longe eſt maxima. Non temere etiam credendum, omnibus illis, in doctos aut philoſophos ſparſis voculis. De Marco Cæſare, Capitolinus dicit: *Fama fuit, quod ſub philoſophorum ſpecie quidam & rempublicam vexarent & privatos; quod ille purgavit.* Quæ Appianus profecto refert, putidæ ſunt calumniæ in viros optimos, a cauſidico contra fidem veterum omnium monumentorum, exemplo, in hiſtoriarum ſcriptore, ſane non ferendo, jactæ. Nec enim quisquam ſcriptorum alius de Pythagora ejusque diſcipulis, aut de ſeptem Græciæ ſapientibus, talia memoravit: ſed plane contraria in eorum laudem a compluribus diſſeruntur. Et vero quem lateant Zaleuci & Charondæ Pythagoræ diſcipulorum in patriam rempublicam merita? *Vid. Diog. Laërt. l.* 1. Solone neminem alium tyrannidi Piſiſtrati infeſtum magis Athenæ olim habuerunt, aut legiſlatorem meliorem. Pittacus delatum ſibi a Mitylenæis principatum, poſtquam illum decennium integrum magna cum laude adminiſtraſſet, ſponte reddidit. Chilo Lacedæmone ephorum egit, imo ſi Diogeni fidimus, princeps inſtituit, ut ephori regibus adjungerentur, magno tyrannidis *repagulo.* (*c*) Unus Periander Corinthi tyrannidem exercuit, omnibus reliquis tamen illius ævi ſapientioribus factum deteſtantibus. Thales, Bias, Cleobulus, ne verſati quidem in republica ſunt: tantum a tyrannide & quidem ſæva abfuerunt. Quæ omnia teſtimoniis veterum demonſtrare in facili eſt, ſi quod operæ foret pretium.

## CAPUT VIII.

***Civilium rerum certam atque ἀποδεικτικὴν ſcientiam haberi; demonſtrationes tamen politicas, non niſi ſequioris ordinis eſſe.***

§. I.

Civilium rerum exactiorem notitiam, etſi innitatur quam maxime uſui & experientiæ, tamen non uſu, ſed mentis ratiocinatione comparari, fecimus perſpicuum. Nunc porro eſt videndum, quam illa certa ſit aut lubrica, eoque num demonſtrationem admittat nec ne: & ſi admittat, cujusmodi admittat, cum demonſtrationum omnium non æque exacta ſit ratio: num denique adeo accurata & demonſtratione nixa cognitio reipublicæ ſit utilis.

§. 2. Igitur ponendum hoc loco ante omnia eſt, id quod alibi copioſe oſtenditur: non uno ſeſe modo habere rerum peritiam illam, quæ ratiocinatione, non autem ſenſibus comparatur, qua de, nunc ſermo eſt. Primum enim ipſæ res aliæ ſunt ſingulares, aliæ univerſales: ac proinde alia rerum ſingularium, alia univerſalium, ſpecierum ſcil. & generum, cognitio eſt. Adhoc alia cognitio etſi non ſit aliena a ſimilitudine veri, tamen errandi periculo non vacat: alia dubio omni & errandi metu caret, vel omnino, quæ omnium eſt certiſſima, vel plærumque ita ut rariſſime fallat. Porro alia novit duntaxat τὸ ὅτι, ſive quod res ſit; alia etiam τὸ διότι, quare res, ſit, ſive rei

(*a*) *Roma ſua funeſto.*) Quanquam Mario ipſius adverſarium Sullam liceat etiam hic objicere: quem Salluſtius refert, *litteris græcis atque latinis juxta atque doctiſſime eruditum.* CONR.

(*b*) *Maximi.*) De utriusque in literis ſedulitate, ſatis fuerit unicum Ælianum *l.* 7. *cap.* 21. *Var. hiſtor.* conſuluiſſe. CONR.

(*c*) *Repagulo.*) Alcidamas certe, antiquiſſimus ſcriptor (Ariſtotele teſte l. 2. Rhetor. c. 23.) Chilonem in Senum ordinem a Lacedæmoniis allectum eſſe narrat. Quod eſt indicio, Lacedæmonios mores tyrannicos in Chilone haud deprehendiſſe. CONR.

Digitized by Google

rei cauſam unam pluresque. Univerſalium denique cognitio per ratiocinationem comparatur, aut ex ſingularibus, aut ex univerſalibus: cumque univerſalium nomine non genera tantum, ſed etiam ſpecies uſurpentur, ratiocinatio nunc procedit a ſpeciebus ad genera, nunc a generibus ad ſpecies. Omnis porro cognitio, quæ metum falſi habet comitem, δόξα græce, Opinio latine ſolet nuncupari: ut certa illa, vulgo ἐπιστήμη dicitur, latiſſimo vocabuli uſu. Singularium cognitio certa, quæ ex ſingularibus oritur, dicitur proprie ἐμπειρία. Singularium ex univerſalibus pariter & experientia deducta certa notitia, habetur per artem & prudentiam, ſi quidem ſint res ποιητικαὶ aut πρακτικαὶ, & in univerſum audire ſolet ἐπιστήμη κατὰ μέρος ἢ καθ᾽ ἕκαστον. Univerſalium ex ſingularibus deducta peritia certa, nonnullis quidem etiam ipſa audit ἐμπειρία ἐπιστημονικὴ aut ἡ καθ᾽ ὅλυ; non tamen Ariſtoteli, quod jam præcedente capite monuimus: in Ethicis autem & alibi ſolet Philoſophus noſter illam cognitionem νοῦν appellare. Cognitio univerſalium ex univerſalibus certa, κατ᾽ ἐξοχὴν ἐπιστήμη aut ſcientia a Philoſophis appellatur; præſertim ſi ſit τοῦ διότι, aut cauſam rei teneat & nunquam omnino fallat. Attamen & τοῦ ὅτι, quæ eſt, aut plerumque duntaxat certa eſt, ἐπιστήμης titulum meretur: idque ex conſenſu optimorum loquendi artificum. Collectio vero aut συλλογισμὸς ſcientiam ejusmodi parere idonea, dicitur Philoſophis ἀπόδειξις aut Demonſtratio: etſi latius pateat vox illa in uſu vulgi, pro omni omnino certa veritatis collectione uſurpari ſolita. Qui vero ſyllogiſmus talem certitudinem non aſſequitur, is paſſim διαλεκτικὸς & λογικὸς aut vero & oratorius vel rhetoricus ſolet uſurpari, non quod non interdum & Dialecticus & Rhetor ſic ſatis firmis utantur collectionibus, ſed quod id fiat per accidens, cum primo & per ſe illi δόξα, huic perſuaſio ſit propoſita. Uſurpabimus nos illas voces ex conſuetudine & more ſcholarum philoſophicarum.

§. 3. In quæſtionem igitur nunc venit, non utrum detur certa aliqua notitia rerum civilium ſingularium: nam haberi illam poſſe ſenſu & experientia, jam eſt conſtitutum. Id controvertitur jam, utrum poſſit rerum civilium univerſalium haberi aliqua *certa cognitio*, (*a*) an mera tantum opinio: potiſſimum vero, an certa poſſit ſcientia eorum comparari per demonſtrationem; & ſi poteſt, an haberi poſſit illa omni ex parte certiſſima ſcientia ac τοῦ διότι, nec ne. Denique & illud expendendum venit, ſi poſſit illa accuratiſſima ſcientiæ ratio haberi, num ad res gerendas illa utilis ſit vel neceſſaria. De priore primo loco agitabimus.

§. 4. Et quidem videri queat, non niſi opinionem aliquam civilium rerum ab hominibus nobis comparari poſſe, non uno argumento. Primum enim laudatiſſimi quique Politices magiſtri ad ſua probanda ſolent uti vel nullis, vel non niſi oratoriis ſyllogiſmis, & rudiore colligendi modo a conſenſu aut vulgi, aut ſapientum petito. Non utique hoc facturi, ſi crederent, dari aliquam rationem certam veritatem in civilibus aſſequendi.

§. 5. Deinde 2) etiam illi, qui data opera demonſtrandi artem naturamque omnem tradiderunt, quaſi unanimi conſenſu docent, demonſtrationem ut in artibus omnibus, ita & in Politicis aut Ethicis nullam reperiri.

§ 6. Seorſim 3) ipſemet Ariſtoteles videtur in eandem conſenſiſſe ſententiam. Primo namque Nicomachiorum ubi præludit toti tractationi politicæ, negat τὸ ἀκριβὲς in iis quærendum, ſed ſatis eſſe παχυλῶς καὶ τύπῳ τ᾽ ἀληθὲς ἐνδείκνυσθαι: quo ſolet non certa ſcientia, ſed opinio duntaxat aliqua comparari. Addit idem diſerte: τὰ δὲ καλὰ καὶ τὰ δίκαια, περὶ ὧν ἡ πολιτικὴ σκοπεῖται, τοσαύτην ἔχει διαφορὰν καὶ πλάνην, ὥστε δοκεῖν νόμῳ μόνον εἶναι φύσει δὲ μή. At vero, ſi ex Ariſtotelis ſententia, illa, de quibus Politice agit, non niſi ex mero fluunt arbitrio & naturalis certitudinis habent nihil, nihil utique etiam illa habent certæ veritatis, & proinde non habetur eorum ſcientia certa, ſed tantum opinio. Idem plane & Theophraſto Ereſio, Ariſtotelis maxime γνησίῳ diſcipulo & in Lyceo proximo ſucceſſori, viſum fuiſſe, arguat illud ejus olim vulgo jactatum dicterium: τύχη τὰ θνητῶν πράγματ᾽ οὐκ εὐβουλία: unde illud expreſſum eſt latinum proverbium: *Vitam regit fortuna, non ſapientia.* Sane ſi εὐβουλία nulla in vita civili habet locum & omnia a fortunæ tantum quaſi nutu pendent, non potuit non Theophraſtus omnem civilium rerum ſcientiam e medio tollere.

§. 7. Ex hiſce igitur conſtat, ſaltim per eſſe veriſimile, quod nulla detur civilium rerum certa cognitio: utpote quum id ἔνδοξον ſit aut veriſimile, quod placet aut omnibus, aut plærisque, aut viris doctis. Poteſt autem (quantum apparet) idem firmis quoque rationibus oſtendi. Omnis enim certa cognitio, quæ per ratiocinationem comparatur, profluit ex principiis certis, & eſt de rebus certis ac neceſſariis. Humana vero negotia, ex quibus & de quibus politica eſt cognitio, plane incerta ſunt; ab arbitrio quippe profecta vel humano vel divino, queis nihil magis eſt liberum & contingens. Ut quod ille in Fabula de amore, id tu de republ. omni & civili vita merito forte pronunciaveris: *Quæ res neque conſilium, neque modum habet ullum, eam conſilio regere non potes. In republ. enim hæc omnia inſunt vitia, injuriæ, ſuſpiciones, inimicitiæ, induciæ, bellum, pax rurſum. Incerta hæc, ſi tu poſtulas ratione certa facere, nihilo plus agas, quam ſi des operam, ut cum ratione inſanias.*

§. 8. Præterea, ſi certa aliqua daretur civilium rerum peritia, non videtur eam fore ſententiarum circa negotia humana diſſenſionem; jam vero illi etiam, qui maxime creduntur prudentes, inter ſeſe diſſident, aut certe pendent animi, ita, ut neſciant quid agendum omittendumve. Sane etiam callidiſſima conſilia ſæpenumero peſſime ſuccedunt. Unde cautiores quique nolunt prudentiam ſuam ab eventu æſtimari,

*Careat* (inquit ille) *ſucceſſibus opto*
*Quisquis ab eventu facta notanda putet.*

Ad-

(*a*) *Certa cognitio*) PUFFEND. de L. N. & G. lib. I. c. II. GOEB.

Digitized by Google

Adhoc inſtituta civilia omnium populorum expendenti, immenſa occurrit eorum non varitas tantum, ſed & diſſonantia, dum alibi id juſtum atque utile exiſtimatur, quod alibi ceu injuſtum & noxium damnatur: imo eadem reſpublica leges ſuas ſæpe mutat in varias formas & improbat, quæ non multo ante approbaverat. Talis vero fluctuatio & animorum diſſenſio ſignificat utique cognitionem certam rerum civilium haud haberi, præſertim cum & ipſi prudentes quique tale quid patiantur.

§. 9. Verum enimvero, etſi hæc & decantata multum ſint & ſpeciem habeant veri, nobis tamen nunquam probare ſe potuerunt; quoniam & illa, quæ in medium modo ſunt adducta, non ſatis id quod debebant evincere, & alia ex adverſo longe fortiora eſſe nobis viſa ſunt. Tentabimus primum objectis ordine reſpondere; mox & alia illa noſtra proferemus.

§. 10. A politicis ergo ſcriptoribus ad 1) quammultis oratoria tantum argumenta adferri, haud negamus. At vero non par eſt ratio omnium. Sunt enim, qui faciant officium ſuum, adhibitis ad docendum demonſtrationibus. Utque pari omnes ſcribendi ratione uterentur, minime tamen hinc ſequeretur, deeſſe ipſi politicæ doctrinæ meliora argumenta, nec enim ſcribentium quamvis omnium culpa doctrinæ ipſi eſt imputanda. Et vero ita pene comparatum eſt, quod pauci demonſtrandi peritiam ad illa τὰ πρακτικὰ in univerſum hactenus attulerint, aſſueti proletariæ doctrinæ aut congeſtis hinc inde teſtimoniis & hiſtoriolis: homines ejus ordinis, quos notavit auctor α *min. Metaph.* (ſive is Paſicrates eſt) *cap.* 3. qui neminem temere ferunt, niſi exemplis utentem aut teſtem producentem poëtarum aliquem, quosque adeo λυπεῖ τὸ ἀκριβές, idque propter ἀπαιδευσίαν ſive imperitiam analytices. Sed & illa ex optimis prudentiæ magiſtris petitæ ſententiæ aptæ interdum ſunt conficiendæ demonſtrationi: quatenus ſcil. ſunt univerſalia pronunciata, uſu & experientia comprobata: non autem ab hoc vel illo auctore profecta, ita enim demum vim acquirunt veriſimilitudinis. Fateor tamen, nimis multos Politices magiſtros uti illis ſententiolis, tantum quia ſunt magnorum auctorum dicta, non quod vim habeant demonſtrandi; idque quoniam ipſi haud norunt propoſitiones apodicticas, dialecticas, oratorias & ſophiſticas probe diſtinguere: quo nomine ipſum magnum illum Stoicum Chryſippum acerrime ſimul & juſtiſſime perſtringit Galenus *cap.* 3. & 4. *l.* 2. *de placit. Hippocratis & Platonis.* Verum ceu ante dixi, inique inſcitia ſcribentium ipſi doctrinæ politicæ tribuitur.

§. 11. A philoſophis noſtri temporis plærisque ad 2) politicæ doctrinæ vim demonſtrationum detrahi, haud diffiteor. Nec tamen miror multum; quum iidem ita differant de Demonſtratione, quaſi illa pene nusquam locum inveniat, & ineptos interim paralogismos pro demonſtrationibus venditent. Etenim non in Phyſicis tantum & Metaphyſicis, ſed etiam in Mathematicis nonnulli eorum hodie negant demonſtrationes reperiri. Quod cum ab omni veteri & ſolida philoſophia alieniſſimum, ac manifeſto ſit indicio, eos analyticam doctrinam neutiquam aſſecutos, non eſt, quare illorum quidem auctoritate terreamur. Longe aliter veteres inque his ipſummet Ariſtotelem ſenſiſſe, paulo poſt apparebit. Nec tamen & inter noſtri ævi præclaros magiſtros defuerunt hactenus, aliter qui ſenſerint. Pro multis laudaſſe ſatis jam eſt nobis, ex Hiſpanis Ioannem Nunneſium, ex Gallis Raconium, ex Germanis Philippum Scherbium & Michaëlem Piccartum, ex Italis Barth. Viottum, Cæſarem Cremoninum, Iacobum Mazonium & Felicem Accorombonum.

§. 12. Ad 3) Ariſtotelem doctrinæ politicæ omnem vim demonſtrativam abjudicaſſe, non profecto ex iis, quæ objecta ſunt, fas eſt colligere. Nec enim in Nicomachiis aliud vult, quam accuratiſſimam docendi vel demonſtrandi rationem in doctrina iſthac locum non invenire. Diſerte vero profitetur, collectiones fieri & de iis rebus & ex iis, quæ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ eveniunt, adeoque & tales eſſe, quæ plærumque veritatem aſſequuntur: cujusmodi non omnino indignas eſſe ἀποδείξεων cognomento, alibi non ſemel affirmat. Hinc doctiſſimus Ethicorum illorum paraphraſtes capitis tertii (ita enim ille diviſit) libri primi hanc fecit inſcriptionem: ὅτι οὐ δεῖ ἀκριβεστάτην ἀπόδειξιν ἐν τοῖς περὶ τῆς Πολιτικῆς λόγοις ζητεῖν. Nec aſſerit Ariſtoteles, honeſta & juſta non natura, ſed hominum arbitrio ſive νόμῳ μόνον conſtituta eſſe, verum poſſe ita *videri per errorem*, propterea quod juſtitiæ & recti aliorumque bonorum cultus multos non felices reddat, ſed in ſummam miſeriam præcipitet, imo plane perdat. At ſi ex Ariſtotelis ſententia tantum ita poſſit *videri per errorem*, non profecto ab ipſomet id approbatum eſt. Et vero diſertis verbis, iisque haud paucis, ejusdem operis Nicomachii libro quinto, capite decimo, τὸ πολιτικὸν δίκαιον aliud φύσει, aliud νόμῳ conſtitui docet, eosque erroris inſimulat, qui omne jus exiſtimant arbitrarium eſſe, argumento capto a mobilitate, quod ibi mox eleganter refellit. Sed & ea omnia, quæ integro Nicomachiorum opere de felicitate vitæ humanæ per virtutum opera comparanda diſſeruntur, nihil aliud ſunt, quam ſcita naturalis juris.

§. 13. Ineptum enim eſt, quod non nemo docet, omnem naturalis juris notitiam hodie deſiderari etiam a Philoſophis h. e. a ſapientibus & eruditis, quoniam nihil nos juvet ea in re Ariſtoteles: hunc autem nihil nos juvare, propterea quod deſit operi politico doctrina de optima republica, huc autem pertineat tractatio de naturali jure, *ſi cum Ariſtotele ſtatuimus* 5. *Eth. cap.* 10. *illud jus & ſimpliciter jus & naturale eſſe, quod in optima republica viget.* Ineptum inquam hoc eſt, ne dicam, quam ſit hoc παράδοξον & ab eruditorum mente abhorrens. Nec vero a Philoſophis aliquid ignorari, indicio eſt Ariſtotelis ſilentium, aut error, aut ignorantia. Nec ſequitur, ab Ariſtotelis libris naturalis doctrinam juris abeſſe, propterea quod abſit tractatio de optima republ. vel hunc doctrinam illam in tractationem iſtam unice ablegaſſe, quoniam naturale jus in republ. optima voluit obtinere. Etenim id quidem verum eſt, in ſolis rebuspubl. optimis nihil committi

ſi aut tolerari, quod ſit adverſum naturali juri, idque ipſum docendum eſſe in tractatione de optima republ. at vero, quidnam ſit naturalis juris, illud omne non propterea ibi duntaxat eſt docendum, ſed aliunde poteſt peti: quemadmodum doctrinam de felicitate humanæ vitæ, *qua* ſcilicet *vitam faciant beatiorem*, (quod utique ad naturale jus ſpectat) aliunde nos petere ipſemet jubet Ariſtoteles *l. VII. Politic.* ubi de republ. agit optima. Nec aſſeruit Ariſtoteles, id omne, quod in republ. optima locum invenit, eſſe jus naturale: ſed quod eſt jus naturale, id in optima republ. locum invenire: quorum poſterius eſt verum, prius falſiſſimum. Quæ obiter monere, operæ fuit pretium.

§. 14. Ut redeamus igitur in viam, agnovit profecto naturalia jura quædam Ariſtoteles, eaque diligenter eſt exſecutus, etſi non plene, opere integro Ethicorum & alibi. Sed & quamvis nullum eſſet naturale jus, & omne civile juſtum bonumque νόμῳ aut hominum mero arbitrio conſtitueretur, non tamen hinc ſequeretur, civilia inſtituta omnia nihil habere certitudinis: ceu, non multo poſt, faciemus palam in reſponſione ad quartam objectionem. Nec Ariſtoteli profecto temere aſſentiendum eſt, aſſerenti; jus omne bonumque, interdum ambiguum eſſe, quoniam illorum cultus, homines nonnunquam miſeros reddit. Nunquam enim vere miſer quis fit virtutis & recti ſtudio, ſed non niſi in ſpeciem atque ex illa opinione, quæ omnem hominis felicitatem hac vita definit, animarum immortalitatem, earumque a morte hac beatitudinem nullam agnoſcens: quo lethali errore etiam Ariſtoteles fuit imbutus. Non ſane id fuiſſet dicturus ille, ſi providentiam divinam & animæ noſtræ naturam plene perſpexiſſet. Et vero, quod in Ethicis Ariſtotelis valde παχυλῶς plurima tradantur, & firmæ demonſtrationes frequenter exulent, fatemur id quidem: in cauſſa vero eſt capitalis iſte Ariſtotelis de Deo & Anima noſtra error. Hoc ſane vitato, omnem morum doctrinam, firmis ac certis demonſtrationibus munire, non magis eſt difficile, atque philoſophiam naturalem aut quamquam artium: quod alibi pluribus docetur. Poſtremo, neutiquam Ariſtoteli eſſe viſum, politicam omnem doctrinam demonſtrationibus deſtitui, argumento eſt, quod libros politicos ſuos (ne de ethicis nunc dicam Nicomachiis) habeat ipſe Ariſtoteles in numero ſcriptorum acroamaticorum philoſophicorumque, ceu oſtendimus *cap. 3. Introductionis in opus Politicum Ariſtotelicum*: τὰ ἀκροαματικὰ autem, voluit utique eſſe & ἀποδεικτικὰ, quod cumprimis præclare perſequutus eſt Octavianus Ferrarius eleganti libello, & hujus ductu in Theſibus Philippus Scherbius.

§. 15. Quod ſi vero Ariſtoteles agnovit demonſtrationes in civili doctrina, non eſt, quare Theophraſtum aliter opinatum eſſe exiſtimemus. Etſi enim ille nonnunquam ab Ariſtotele diſſentiat, ut recte obſervavit Franciſcus Patritius, non tamen id facere ſolet in rebus momenti maximi, qualis hæc eſt, ſummam ſcilicet tangens omnis civilis philoſophiæ. Et vero videtur Theophraſtus notare tantum voluiſſe ſuo illo dicto imprudentiam plærorumque hominum: qua fere fit, ut non tam ratione, quam forte fortuna id, quod ſibi eſt commodum, adſequantur. Forte & obſervavit, prudentibus quoque in vita omni civili multa præter opinionem accidere: atque ita videri, non ſapientia, ſed fortuna vitam regi: quorum prius neque nos negaverimus, fatentes proinde, non omnia perinde certa eſſe eventorum civilium, etſi neutiquam inde poſterius illud ſequatur, fortuna regi vitam omnem; hoc ſane nimis ἀνύμῳ & crude dictum eſt, eoque tanto Philoſopho per incuriam excidit, ut interdum ſolet, & juſte exagitatum eſt olim in Philoſophorum ſcholis, quod Tullius commemorat.

§. 16. Cæterum, utut aliorum quammultorum vel ipſiusmet Ariſtotelis ac Theophraſti diverſa fuerit ſententia, non tamen juſta de cauſſa nos adeo *moveremur*. (*a*) Quæ oppoſitæ nobis ſunt binæ reliquæ argumentationes, ex ipſa ſciendi rerumque civilium natura deſumptæ magis accuratam ſolutionem expoſcunt.

§. 17. Atque ad primam quidem forte quis reſponderit, quod vulgo ſolet iis, qui & naturalis philoſophiæ certitudinem oppugnant, reponi. Cauſantibus enim naturalium rerum mobilitatem & fluxum inſtabilem, quæ vetet illarum certam ſcientiam, regeritur, fluxum illum mobilitatemque in ſingularibus quidem reperiri naturæ rebus, non autem in univerſalibus, ſpeciebus nimirum & generibus, ac proinde harum ſcientiam certam poſſe dari, etſi non illarum ſingularium. Igitur dixeris etiam tu fortaſſis, civiles res ſingulares incertas quidem eſſe, non vero ſpecies earum ac genera: quorum proinde ne detur certa ſcientia, haud vetari illa ſingularium rerum incertitudine. At non videtur hæc reſponſio omnem dubitationem removere. Singularium enim rerum omni ex parte incertarum ſpecies & genera certa dari non poſſunt. Qui enim univerſim certa illa ſint, quæ ſigillatim omni vacant certitudine? Nec vero ſingularia a ſeipſis univerſalibus diſtant, niſi ſola illa ſingularitate atque univerſalitate; quorum neutrum efficit, ut quod omnino eſt incertum, fiat certum & ſtabile. Univerſalia igitur quidem, ab illa ſunt incertitudine libera, quæ ſingularibus propria eſt, inquantum ſunt ſingularia; at ſi ſingularia omni ſint ex parte talia, tum etiam ipſa univerſalia incertitudine iſthac laborant. Et vero ita etiam ſeſe habet circa res naturales: nec enim ſingulares illæ plane ſunt fluxæ & incertæ, ſed ex parte, in quantum ſunt ſingulares, alioquin enim & illæ cauſas ſuas habent certiſſimas: & hinc adeo evenit, quare naturalium rerum ſpecies & genera ſuam aliquam habeant quoque certitudinem & ſtabilita-

(*a*) *Moveremur.*) In græcis ſane Ariſtotelis interpretibus, Ammonius ejusque diſcipuli Iohannes Philoponus & Simplicius agnoverunt, τὴν ἀποδεικτικὴν idoneam eſſe, non practicæ minus, quam theoreticæ Philoſophiæ inſervire. Mitto veteres alios, ut & nonnullos recentis ævi: idque quandoquidem hoc prolixe diſputare, alienum eſt ab opere inſtituto. *CONR.*

litatem. Ergo, ut propius ſtringamus eam, quæ nobis facta eſt objectio, fatemur; incertarum rerum non dari certam veritatem, aut ſcientiam, aut demonſtrationem, fatemur quoque, a divino humanoque arbitrio res civiles quaſi dependere: negamus tamen, ita illas inde dependere, ut omni ex parte fluctuent & incertæ vagentur. Idque paulo poſt palam faciemus: ut non ſit pretium operæ, nunc quidem huic objectioni amplius immorari.

§. 18. Altera objectio, non niſi ex Scepticorum ſchola eſt profecta; nititur certe ea probatione, qua Sceptici ſolent oſtendere, nihil certo ſciri; eoque, & ſimili quadam argumentatione *l. X. contra Mathematicos* Sextus Empiricus, moralem civilemque omnem certitudinem oppugnat. Summa nimirum omnium ſcepticarum ineptiarum eſt: propterea nullam ſcientiam certam alicujus rei inveniri, quoniam omni de re magna eſt ſententiarum diverſitas: & tamen diſſidium illud ſententiarum non probat nullam dari ſcientiam, ſed non temere & facile illam dari. Nonnulla nimirum homines poſſumus quidem aſſequi, aſt non niſi via certa obſervata, & labore aliquo: quibus neglectis, errores multi committuntur, & multi operam ludunt, ſeque ipſos & alios decipiunt. Igitur civilibus de rebus varia quidem ſunt placita populorum, hominumque aliorum in republ. verſantium, & ſibi mutuo adverſa: ex eo autem nihil aliud colligere eſt, quam non omnes iis in rebus ſapere: nequaquam autem id, quod propoſitum erat, ſapere homines non poſſe. Sed nec prius illud certo hinc colligas; inſtituta enim diverſa rerumpubl. omnia, non ex errore promanant, ſed interdum ex diverſa conditione hominum locorumque. Nec enim homines omnes recte vivunt eadem reipubl. forma, ſed omnino exigit uſus illorum aliam rempubl. atque aliam, ſive inſtituta civilia multum inter ſeſe differentia. In eadem porro republ. mutandæ identidem ſunt leges, quod res ipſæ aliæ ſint atque aliæ: utpote, quum leges uſum publicum ſpectantes rebus ipſis debeant attemperari. Prudentiſſimos etiam viros interdum fluctuare ſententiis, & ferri incertos, tantum hoc probat, non omnium civilium rerum certam, aut potius non facilem, ſcientiam inveniri: quod neque nos diffitemur. Probandum autem non hoc erat, ſed nullam plane ſcientiam nullam dari illarum rerum demonſtrationem.

§. 19. HACTENUS ergo id quidem eſt manifeſtum, ea, quæ vulgo adferri in medium ſolent, in id, uti probetur, res civiles nulla ſcientia aut certa demonſtratione accipi, exigui eſſe momenti. Nunc promemus & noſtram ſententiam, eamque ſuis rationibus conabimur perſuadere. Igitur de omni hac re tria aſſerimus. *Primum* eſt: rerum civilium plærarumque dari aliquam certam notitiam. *Alterum*: de harum potiore parte nihil tamen pronunciari poſſe, quod non interdum ſuam exceptionem patiatur & fallat. *Tertium*: quædam civilium rerum fluxa & inſtabilia eſſe, ut de iis certi nihil haberi poſſit per aliquam ἀπόδειξιν, ſed quicquid earum intelligitur, illud omne, veriſimili duntaxat collectione percipiatur.

§. 20. Hæc omnia, quo perſpicua fiant, paucis aliquid de civilium negotiorum certitudine & mobilitate ponendum eſt. Cognitio enim noſtra, a re, quæ cognoſcitur, variam naturam accipit: prout nimirum res illa aut neceſſaria eſt, aut contingens magis minusve, ita & cognitio certa vel incerta redditur. Quamvis enim & maxime neceſſariæ rei alicujus non niſi incerta poſſit cognitio dari, propter illius ab intellectu humano longam remotionem, attamen major aliqua neceſſitas atque certitudo ſcientiæ non eſt, quam eſt rei ipſius, quæ ſcitur. Eoque ante omnia actionum aut negotiorum civilium quæ ſit neceſſitas vel contingentia, expendendum eſt, quo pateat, quam a parte ſaltim objecti, vel certa vel incerta poſſit eſſe politica cognitio.

§. 21. Repetendum vero ex prima philoſophia nobis eſt, quædam eſſe abſolute neceſſaria, quædam ex hypotheſi; & quidem utraque, ſecundum quatuor cauſarum genera: Contingentium item ſive eorum, quæ aliter atque aliter habere ſe poſſunt, alia raro, alia plærumque, alia indifferenter evenire; caſum & fortunam ad primum contingentium ordinem proprie pertinere. Ponendum porro & illud eſt, quod demonſtrare non patitur hic locus: quæ in vita civili hominibus eveniunt, omnia non proficiſci a cauſſis intra limites naturæ conſtitutis, ſed eorum nonnulla, & quidem ipſas etiam hominum actiones quaſdam, ab occulta aliqua Numinis providentia dirigi & moveri.

§. 22. Igitur actiones aut negotia hominum civilia, ex hypotheſi quidem conſiderata, multiplicem habent neceſſitatem, idque ſecundum omnes cauſarum ſpecies: finalem, formalem, materialem & efficientem. Eſt autem finis, ut in aliis, ita & in civilibus alius externus, alius internus, quorum hic cum cauſſa formali reapſe idem eſt, & τῷ λόγῳ ſeu modo conſiderandi duntaxat a forma differt. In univerſum enim finis negotiorum omnium civilium eſt ſalus publica: ſpeciatim autem longe plurima variaque, in quibus ſalus publica quaſi conſiſtit, atque adeo quæ ſalutem illam publicam quaſi reſpiciunt tanquam ſcopum, ut tamen & ipſa aliis negotiis itidem pro ſcopo ſint. Qua de re alias accuratius. Igitur quoniam finis non poteſt obtineri per quidvis, ſed uno tantum modo, vel plane vel certe omnium optime: utique illa, quæ plane faciunt ad obtinendum ſcopum, plane ſunt neceſſaria ad finem, quæ quam optime itidem ſunt neceſſaria, ſi quam optime velis finem aſſequi. Finis ergo neceſſitatem quaſi imponit, ut ſi tibi propoſitum ſit illum conſequi, neceſſario & cauſa efficiens, & materialis, (ſive illud, circa quod verſatur actio civilis) neceſſario habere ſeſe debeat certa quadam ratione. Imo & forma ipſa conſequenter non niſi certa quædam eſt, utpote quæ & ipſa ſpectet finem externum inſtar medii.

§. 23. Invenitur vero & alia quædam ratio neceſſitatis, orta itidem ex hypotheſi, qualem Ariſtoteles *l. 2. Phyſicor. cap. ult.* materialem appellat; dependet autem non a ſola materia Nempe & ab efficiente cauſſa oritur quædam neceſſitas circa effectum. Poſita nimirum hac vel illa cauſa, hic vel ille effectus ponitur. Ita in civitate poſita principum civium diſcordia, oritur perturba-

turba-

turbatio reipubl. & interitus periculum. Similiter & varia oriuntur neceſſario in republ. pro diverſitate materiæ, circa quam negotia civilia occupantur: ſolent autem occupari vel circa homines aut perſonas, vel circa res, quæ perſonis opponuntur: quorum omnium ingens eſt varietas. Nec enim (ut ſolas perſonas obiter in exemplum nunc adducam) circa mares, fœminas, infantes, pueros, adultos, ſenes, probos, improbos, pauperes, divites, potentes, impotentes idem efficere licet: ſed negotia civilia quandam neceſſitatem accipiunt ab objectis illis, ut & ipſa varient pro varietate objectorum illorum, & neceſſario aliter atque aliter ſeſe habeant. Adhoc datur & alia quædam neceſſitas, tum in cauſſis efficientibus, tum in materialibus, quæ non per ſe quidem illis ineſt, ſed per accidens, abeſſe tamen ab iis non poteſt. Ita quoniam illa, & a quibus, & circa quæ negotia verſantur civilia, ſunt entia, imo res naturales, habent illa neceſſario ſuas quoque affectiones, tum illas entibus communes, tum iſtas quoque naturales easque ſuæ etiam ſpeciei proprias: ut perſonarum aliarumque rerum magna eſt etiam circa hæc diverſitas. Non poteſt vero non ad illa quoque diligenter attendere, qui rempubl. curat, ſi facere officium velit, idque in omnibus plane civilibus negotiis, etſi iſthuc non pertineant, niſi ex neceſſitate quadam, quam materialem dicere nihil vetat, modo res ipſa probe intelligatur. Utique enim affectiones entium plurimum faciunt ad omnia civilia: nec poſſunt recte dirigi ad uſum civilem ſive perſonæ ſive res aliæ, ſi ignores, quibus naturæ mutationibus illæ ſint obnoxiæ.

§. 24. Igitur quantumvis actiones civiles omnes fuerint contingentes aut ita poſitæ in noſtra poteſtate, ut vel exercere illas vel intermittere queamus, prout libet, non tamen hæc neceſſitas ὑποθετικὴ ab illis aliena eſt, ſed ſi exerceantur, tum neceſſario comitantur illa omnia, quæ diximus. Ac proinde nequaquam actiones illæ omni ſunt ex parte arbitrariæ, etſi ſecundum quid tales ſint. Eſt nimirum in civilibus comparatum, prout in omnibus, quæ ad artes pertinent. Nam & illa ſubſunt arbitrio humano, non in totum tamen, ſed etiam ipſa patiuntur eandem ex hypotheſi neceſſitatem cum civilibus. Sic in poteſtate hominum eſt, domum ſtruere nec ne: at ſi manum operi admoveas, multiplex te neceſſitas involvit.

§. 25. Cæterum & præter hæc non quidem omnimoda neceſſitas, aliquid tamen neceſſitati propinquum, actionibus humanis ineſt: ac proinde & hac parte non in totum actiones quoque civiles ſunt contingentes. *Etenim* (a) & natura & aſſuefactione, ita poteſt voluntas *hominum* (b) in unam aliquam partem flecti, ut rariſſime abire ſoleat in adverſam. Unde conſequens eſt, hactenus actiones illas utplurimum in unam partem eſſe determinatas: quod perinde eſt, atque ſi non in totum illæ ſint contingentes, ſed plærumque. Ac natura quidem homines in varios animi affectus, in virtutem item & vitia ſumme ſunt propenſi: idque vel a prima usque nativitate, vel per ſexum aut ætatem. Usque adeo, ut ipſa corporis ſpecies præ ſe ferat hanc morum inclinationem: id quod Phyſiognomonices univerſæ, (non utique vanæ doctrinæ, ſed quam ipſemet Ariſtoteles judicavit dignam, quæ tanto ingenio excoleretur) eſt fundamentum Pari ratione divitiæ, paupertas, potentia, imbecillitas, nobilitas, vilis educatio, ſuis ſingula moribus ſic homines per aſſuefactionem quidem imbuunt, ut rari ſint aliis. Non ego affirmo naturalem illam propenſionem vel aſſuefactionem ita hominum actiones moderari, ut aliter ſeſe habere nequeant: ultro enim largior, nullum ipſius virtutis vel vitii habitum adeo firmis, ut ita loquar, eſſe radicibus, quin ſi non evelli, ſaltim moveri in adverſa poſſit. At vero homines raro utuntur plena arbitrii ſui libertate, ſed plærumque illuc, quo vergit naturalis illa inclinatio, ſequuntur, aut patiuntur ſeſe duci ab iis moribus, quibus aſſueti ſunt. Plærumque ajo, talia fiunt: ſemper ita fieri, abſit ut affirmem. Certe & juvenes & ſenes, ex cauſa, & divites & pauperes plærique ſuis ſinguli vivunt moribus; invenias tamen, qui aliter ſeſe gerant, *etſi rariores.* (c)

§. 26. Magnam quidem mobilitatem ut & fatalem aliquam neceſſitatem rebus civilibus ſæpe inducit ſingularis quædam divina providentia, quam fatum vulgo nuncupant. At vero illa rotat & volvit in illum modum res humanas rarius: plærumque laxat frenum hominum arbitrio. Et ſi, quando tale quid fit, etiam hoc certæ eſt peritiæ, illud θεῖον poſſe diſcernere ab iis, quæ intra naturæ ſunt limites: quod fieri poteſt iis indiciis, quibus rerum naturalium mutationes ſupernaturales diſcernimus a naturalibus, qua de re alias dicendum eſt. Enimvero etiam hoc non levis eſt peritiæ: poſſe dignoſcere ea, quæ quaſi extra poteſtatem noſtram ſunt collocata, ab iis, quæ in viribus noſtris ſita ſunt. Perinde ut in Artis medicæ laude eſt, ſimiliter & τὸ θεῖον quod eſt interdum in morbis dignoſcere; (ne fruſtra ſc. cum illo luctéris naturali medicamentorum facultate) & immedicabile malum omne ab eo, quod curam admittit, diſtinguere.

§. 27. Eſt præterea & alia quædam in civilibus cum perſonis, tum rebus cathegorica vel abſoluta neceſſitas, competens iis ratione entitatis ſeu naturalitatis ſuæ, ut ita loquar. Omnia certe illa, quæ entibus aut corporibus naturalibus interque hæc animalibus ſunt communia, illa a civilibus ſive perſonis, ſive rebus numquam poſſunt abeſſe. Eoque tuto illa poteſt Politicus pronunciare de civilibus ſuis rebus, transferens illa in ſuos uſus: ut ſolent ſcientiæ communia axiomata facere propria, ceu notum eſt ex Analyticis.

§. 28. HÆC cum ita ſeſe habeant, non difficile amplius eſt definitu, num per illam mobilitatem aut contingentiam, quæ in civilibus reperitur negotiis, fiat, quo minus certa aliqua negotiorum

(a) *Etenim.*) Cum in homine ad agendum duo requirantur, voluntas ac facultas. *CONRING.*

(b) *Hominum.*) Ipſamet, quamvis omnium ſit liberrima. *CONR.*

(c) *Etſi rariores.*) Multo magis neceſſitati abſolutæ obnoxia eſt in homine agendi facultas: quippe quæ ſit mere naturalis, ac proinde non minus atque alia quædam res naturalis neceſſitatem ſuam habet. Qua de neceſſitate paulo poſt iterum aliquid dicendum eſt. *CONR.*



Digitized by Google

rum illorum notitia queat haberi. *Primum* enim ſaltim hypothetice ſive conditionaliter quædam certa notitia poteſt accipi: quemadmodum talis certitudo rerum iſtarum multiplex omnia civilia comitatur. Saltim ad hunc modum profecto de omnium rerumpubl. ſalute, interitu, inſtitutis, & actibus, certi quid poteſt intelligi, utpote quum ipſa hæc neutiquam fortuita ſint, aut omni ex parte liberrimi arbitrii humani. Nec enim hodie regna, ariſtocratiæ, democratiæ, aliæque rerumpubl. ſpecies vel aliis vitiis pereunt vel aliis remediis ſervantur, quam ſunt illa noſtra, quorum ab omni ævo una eſt comperta veritas.

§. 29. *Porro* & cathegorice aut ſimpliciter de rebus civilibus accipi certa poteſt cognitio: non quæ numquam fallat, ſed quæ tamen fallat perraro. Et vero hac adeo de cauſſa futurarum quoque rerum datur quædam *prudens* (*a*) divinatio. Qua facultate prudentiſſimi quique magnum ſemper ſibi nomen pepererunt. Ceu jam tum ſupra *cap.* 7. §. 10. ex Thucydide notavimus inter Themiſtoclis laudes, quod fuerit τῶν μελλόντων τοῦ γενησομένου ἄριστος εἰκαστής: & Cornelio Nepote *in vit. Attic. c.* 15. teſte, *Cicero non ea ſolum, quæ vivo ſe acciderunt, futura prædixit, ſed etiam quæ poſt uſu venerunt, cecinit ut vates*, quo evidente exemplo adductus Cornelius ille recte cenſuit, quod *facile exiſtimari poſſit, prudentiam quodammodo eſſe divinationem.* Talis inquam divinatio futurorum argumento eſt, etiam cathegoricam quandam, ut ita loquar, civilium rerum peritiam non omnino deeſſe. Contingentium quippe rerum futurarum, in quantum ſunt tales, ut veritas nulla certa, ita nec certa aliqua poteſt eſſe notitia: quæ tamen plærumque eveniunt non diſſimili modo, eorum nihil vetat raro fallentem quoque notitiam inveniri.

§. 30. Igitur non profecto mera opinione res civiles intelligere eſt, ſed longe certius, cumprimis ἐξ ὑποθέσεως. Et quidem poteſt ejusmodi aliqua certior cognitio parari, cum ex ſingularibus multis uſu compertis facta univerſali collectione per inductionem aut ſimilem ſyllogiſmum, tum ex aliis univerſalibus. Et vero ipſa etiam ſingularia negotia civilia ſuam habent certitudinem non minus atque univerſalia, ſi unum excipias illud τὸ καθ' ἕκαστον: eoque illorum ſua etiam aliqua eſt certa cognitio: etſi multi ſecus vulgo doceant, non attendentes, quam ſit dictu abſurdum, certæ cognitionis nullum eſſe uſum in gerendis rebus, quales utique non univerſalia ſunt, ſed ſingularia. Ex ſingularibus ſane, longi uſus beneficio, quamplurimæ ortæ ſunt certiſſimæ regulæ civilium negotiorum.

§. 31. Ex univerſalibus porro ejusmodi regulis poſſunt ulteriore ratiocinatione alia magis abdita certo cognoſci. Idque per omne genus demonſtrationum. Etenim & deductione ad incommodum, ſive indirecta demonſtratione licet uti, & illa, quam oſtenſivam appellare mos eſt. Nec licet tantum quid res ſit, ſive τὸ ὅτι demonſtrare, verum etiam quare ſit, aut τὸ διότι: & quidem nunc progreſſu facto ab effectu ad cauſam, nunc a cauſſa ad effectum. Imo perinde ut in artibus, maxime genuinæ & frequentiſſimæ ratiocinationes a cauſſa procedunt, eaque finali potiſſimum, nonnunquam vero ab efficiente, & materiali, & formali. Enimvero omnis tractatio de recte conſtituendis aut conſervandis rebuspubl. per cauſſam finalem quam maxime inſtituitur. In omni certe deliberatione ſemper attenditur cauſſa illa: quæritur enim quidnam fini illi utile ſit, necne, quod expendi non poteſt, niſi oculis in ſcopum directis, & mediis omnibus ad ſcopum tanquam ad regulam certiſſimam examinatis. Simul vero tum ſubjecti ſive cauſſæ materialis & efficientis habetur ratio. Id enim denique eſt aptiſſimum medium obtinendo fini, quod & in ſeſe & reſpectu ſubjecti commodiſſimum eſt. Neque vero poteſt, quando de lege aut alia aliqua re faciente ad uſum reipubl. agitur, id quod utile eſt ab inutili, aut utiliſſimum a minus utili diſtingui, niſi trium illarum cauſarum natura cum probe explorata, tum inter ſeſe mutuo unum in effectum collata. Porro etiam quid vel rempublicam univerſam aliquam vel partes ejus corrumpat, optime omnium accipitur, argumento ducto a natura cauſſæ efficientis & materialis. Plane ut in Arte medica ex duobus illis locis morborum omnium eſſentia & affectiones demonſtrantur.

§. 32. QUAMVIS autem hunc in modum certitudine ſua non ſit deſtituta civilium rerum peritia, non tamen illa aſſequitur illum certitudinis gradum, quem in Mathematicis deprehendere eſt. Geometricæ enim & arithmeticæ demonſtrationes plæræque ſunt cathegoricæ, adeoque ſcientiam gignunt utplurimum non pendentem ab aliqua conditione, quæ illam ex parte faciat contingentem & lubricam. Ex adverſo in Politicis ut & in Artibus hypotheticæ probationes multo ſunt frequentiſſimæ, cathegoricæ rariores. Imo politice minus frequentes habet cathegoricas atque ethice: utpote quum hæc verſetur circa æternas illas leges vivendi, quas ipſamet Natura præſcribit; illa circa ea negotia, quæ ab hominum arbitrio magis dependent. Certe & in Phyſicis quoque longe plures ſunt cathegoricæ, quam in Politicis, propter majorem naturalium rerum ſtabilitatem. Cathegoricæ porro demonſtrationes, quas ex Metaphyſicis & Phyſicis ſuos in uſus flectit politice atque adeo ab iis ſcientiis mutuo accipit, ſunt illæ quidem certiores, ſed minus huic doctrinæ domeſticæ. Quæ magis propriæ ſunt doctrinæ politicæ, nonniſi plærumque ſunt veræ, interdum fallunt longiſſime. At mathematicæ perpetuam habent veritatem. Phyſicæ itidem rarius fallunt, propterea quod res naturales magis ſint ſtabiles, quam voluntates hominum, a quibus fluunt & circa quas maxime negotia civilia verſantur.

§. 33. Fiunt vero in univerſum Politica plæraque nonnihil incertiora etiam ob infinitam pene multitudinem circumſtantiarum, quæ actionum humanarum naturam immutant, quas omnes prævidere & accurate definire non poteſt congenita noſtris judiciis imbecillitas. Haud equidem diffiteor, ſæpenumero leges & inſtituta civilia poſſe in multo certiores regulas contrahi atque ſit vulgo: ac proinde eam nimiam latitudinem aut brevitatem frequenter naſci vitio τῶν νομοθετῶν quod

(*a*) *Prudens.*) Non hypothetica duntaxat, ſed cathegorica etiam & abſoluta. *CONR.*

Digitized by Google

quod corrigi poterat. Quod in tradendis aliis quoque artibus (grammaticis præcipue) uſu venit, in quibus, quæ a nonnullis regulæ incertæ & plurimis laborantes exceptionibus ſunt traditæ, alii peritiores artifices correctas & ſic ſatis firmas reddiderunt. Certum tamen eſt, illam multitudinem quam diximus circumſtantiarum impedire, quo minus ab iis etiam (qui maxima utuntur circumſpectione) in civilibus omnia inſtitui poſſint; quo citra omnem exceptionem perpetuæ ſint veritatis. Hinc recte olim Iulianus ICtus *l.* 10. & 12. *ff. de legib. Neque leges neque SCta ita ſcribi poſſunt, ut omnes caſus, qui quandoque inciderint, comprehendantur.* Item: *Non poſſunt omnes articuli ſingillatim aut legibus aut SCtis comprehendi.* Et eodem ſenſu Iavolenus *L.* 202 *ff. de reg. jur. Omnis definitio in jure civili periculoſa eſt: parum enim eſt, ut non ſubverti poſſit.* Non alia de cauſſa ad leges quammultas cenſent nonnulli adhibendam τὴν ἐπιείκειαν, quæ ut ſcite definit Ariſtoteles *l.* 5. *Ethic. c.* 10. eſt ἐπανόρθωμα δικαίου νομίμου. Quam rem prolixius quidem nonnihil, adeo eleganter tamen & perſpicue illuſtravit ethici operis Paraphraſtes Græcus, quem Andronicum vocant, ut ſit pretium operæ ejus doctrinam integram huc adferre. *Hujus vero,* inquit *l.* 5. *cap.* 16. *emendationis* (quæ fit per ἐπιείκειαν) *cauſſa hæc eſt, quod univerſaliter pronunciet lex omnis: quibuſdam autem ſingularibus ſecundum rectam rationem accommodari hoc non poſſit. Quia ut definitum quid lex eſt, ita definitum quid reſpicit; indefinita autem ſunt, nec uno eodemque modo ſe habent ſingularia. Ut ex. gr. lex jubet in genere, omnem peregrinum qui muros adſcendit, mori. Forte fortuna aliquis adſcendit, qui egregium virtutis documentum dedit. Si ergo legem hanc illi, qui rem geſſit, ſtrenue accommodemus, atque interficiamus hominem: præter rectam rationem & id quod juſtum eſt, agemus. Eodemque modo in multis habet aliis. Nec tamen hoc erratum ſive in lege, ſive in legiſlatore eſt, ſed in ipſa negotiorum natura. Etenim legiſlator, quia impoſſibile eſt ſingularia omnia comprehendere, ut quæ numero ſunt infinita, id quod ut plurimum fit ſumit, eoque reſpiciens, fert legem. Neque propterea quod vitium tale ignorat legiſlator, nihil definivit in lege: ſed quia fieri non poteſt, ut negotiorum natura definitione circumſcribatur, aliter illis atque aliter ſeſe habentibus. Indefinita enim rerum agendarum eſt materia, multasque patitur mutationes. Ideoque illa, quæ ut plurimum accidunt, legiſlatores reſpiciunt. Etenim ut peregrinus aliquis belli tempore muros adſcendat, atque ex iis urbi ferat ſuppetias, raro evenit; ſæpius vero ut in detrimentum urbis adſcendat. Quum ergo neceſſario illud ſit ſciendum, quo pacto ejuſmodi ſint ſervandæ leges, præterea quando, & in quibus, oportet quoque habitum dari aliquem, quo emendari errata ejuſmodi poſſint. Talis vero eſt æquitas, qua defectus legis ſuppletur, & quod erratum, eſt corrigitur, novaque definitio, quam prætermiſit ille, quod ſingularia omnia haud noverit, adjicitur. Dicit enim vir æquus, omnem qui adſcendat peregrinum, mori debere, ſi inſidiandi animo hoc fecerit, ſin bene rem geſſerit, non modo conſervari, ſed & præmiis affici debere. Quæ eadem & legiſlator feciſſet, ſi fuiſſet præſens: aut ſi hoc ipſum prævidiſſet, tuliſſet ejuſmodi legem.* Hæc omnia ille Paraphraſtes. Brevius quidem, eleganter tamen Ariſtoteles ipſe, cum leges interdum laborare monuiſſet, addit: τὸ γὰρ ἁμάρτημα οὐκ ἐν τῷ νόμῳ, οὐδ᾽ ἐν τῷ νομοθέτῃ, ἀλλ᾽ ἐν τῇ φύσει τοῦ πράγματός ἐστι. Nec omnino male ad illa Ariſtotelis Thomas Aquinas: *Intellectus noſter,* inquit, *de quibuſdam poteſt aliquid verum dicere in univerſali, in quibus non poteſt defectus accidere; de quibuſdam vero impoſſibile, ut dicat, quid verum in univerſali, ut de contingentibus: de quibus etſi aliquid ſit verum, ut in pluribus, in paucioribus tamen deficit, ut ſunt facta humana de quibus dantur leges.* Ita ille. In quibus nihil culpes, niſi quod illam definiendi incertitudinem contingentiæ rerum duntaxat adſcribat, cum ex parte illa etiam a varietate circumſtantiarum dependeat. Cæterum, an illa leges moderandi per ἐπιείκειαν poteſtas, concedenda ſit judicibus, an ſummæ ſoli poteſtati relinquenda, quidve hujus reipubl. expediat, alterius eſt loci expendere: quin tamen leges tali quadam moderatione egeant interdum, non eſt quod dubitemus. Imo, eundem in modum omnia etiam ſcita civilia reliqua, ſubinde veniunt corrigenda ope particularis cujuſdam prudentiæ, circa ſingula magis occupatæ. In actibus profecto civilibus, oportet ſæpenumero πρὸς τὸν καιρὸν σκοπεῖν, non ſecus atque in negotiis medicis & nauticis: quarum exemplo rem hanc omnem ipſe etiam illuſtrat Ariſtoteles *lib.* 2. *Nicom. c.* 2.

§. 34. Ut in compendium contrahamus illa, quæ diximus: Propoſitiones politicæ aliæ ſunt neceſſario veræ & quidem ferme ex hypotheſi: plæræque non niſi frequentiſſime ſunt veræ; quædam incertiores ſunt & veroſimiliter duntaxat intelliguntur. Neutiquam enim ferendum eſt id, quod nonnemo nuper ſimpliciter & nullo facto diſcrimine profiteri eſt auſus: *ſcientiam civilem in univerſalibus occupatam eſſe propoſitionibus, quæ æternæ ſunt veritatis.* Nimis enim hoc abit a vero; & uſque adeo inconſiderate eſt dictum, ut eadem linea auctor ille idipſum neget. Verba integra enim illius hæc ſunt: *Scientia civilis in univerſalibus occupata eſt propoſitionibus, quæ ÆTERNÆ ſunt veritatis & neceſſitatem habent, licet NON PERPETUAM: Sunt enim propoſitiones contingentes ut plurimum, i. e. in quibus ſubjectum propenſum eſt natura ad hoc, ut prædicatum inſit, quamvis quandoque, raro tamen, quid ſumi ſub ſubjecto poſſit, cui prædicatum non inſit, quod ſit ex eventu & accidente.* Hæc ille, palam utique ſibi contradicens: *Æternæ* enim *veritatis* eſſe & *non perpetuæ* eſſe veritatis aut *neceſſitatis,* contradictoria ſunt, & de iiſdem propoſitionibus aſſeri ſalva veritate non poſſunt. Eoque reapſe idem pene profitetur auctor ille, quod nos: niſi quod modo omnibus propoſitionibus deroget veritatem *perpetuam,* quam nonnullæ tamen habent; quodque ſimpliciter affirmet, propoſitiones politicas raro fallere, quum tamen nonnullæ fallant frequenter, adeoque minus aptæ ſint ſcientiam ingredi; quod denique affirmet quidem, fallere interdum propoſitiones *ex eventu & ex accidente,* quid autem illis ſibi verbis velit, non explicet, atque adeo veri avidum lectorem inani verborum ſpecie deludat. Id quod obiter non potuimus non animadvertere.



Digitized by Google

§. 35. HISCE omnibus vero probe expenſis, manifeſtum utique jam eſt id, quod diximus: rerum civilium certam aliquam notitiam dari, etſi maximam partem nitatur illa non niſi conditionali quadam rerum illarum neceſſitate, aut etiam valeat illa tantum plerumque non autem citra omnem plane exceptionem: nonnullas tamen res civiles non pati, ut de iis certi aliquid pronuncietur, ſed duntaxat veriſimili quadam conjectura illas intelligi. Nec vero propterea, quod interdum exceptionem admittant politicæ quædam aſſertiones earumque probationes, vel ſcientiæ vel demonſtrationis nomen ab iis alienum eſt. Non enim illarum, quæ frequenter fallunt, ſcientiam dari profitemur, ſed reliquarum, ſcilicet quarum aut nullæ aut rariſſimæ ſunt exceptiones. Et vero ſi talia dixeris ſciri non poſſe, neceſſum fuerit fatearis, ſola pene mathematica ab hominibus ſciri: quod dictu eſt abſurdum. Exactiſſimæ ſcientiæ titulum haud meretur illa notitia, fateor; at vero ſcientiæ nomen, etiam apud optimos dicendi intelligendique magiſtros, ulterius extenditur. Ariſtoteles profecto ipſemet in Metaphyſicis *l.* 6. aſſerit: *Omnis ſcientia ejus eſt, quod aut eſt ſemper, aut ut plurimum*: imo in ipſis Analyticis poſterioribus *lib.* 1. *c.* 24. docet, demonſtrationem confieri ex iis, quæ aut omni ſunt ex parte neceſſaria, aut ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. (a) Et vero ſi teneas, quæ plærumque eveniunt, in iis, quæ ab his deviant, interdum homo intelligens facile verum invenit, pleniore unius rei notitia aliarum defectum quaſi ſupplente. Quæ raro in vita civili contingunt, ſive fortuna aut caſu eveniunt, ab hoc ſcientiæ cenſu aliena ſunt. Imo error grandis eſt, illarum certam notitiam polliceri. In univerſum ſane, atque adeo & de civili doctrina, veriſſimum eſt illud, quod Galenus ſcribit *l.* 4. *de rat. vict. in morb. acut.* *Omnis doctrina ex univerſalibus recipit incrementum; quæ ſi perpetua fuerint, primam habent utilitatem: ſi vero magna ex parte, ſecundam: quod ſi anceps quippiam vel rarum fuerit, id ad doctrinam inutile cenſendum eſt.* Certe nullum, ex raris illis eventis, conſtrui præceptum poteſt, quod reipubl. ſit utile. Eoque verum eſt, quod dixit ICtus Celſus *l.* 3. & 4. *ff. de legib.* *Ex his, quæ forte uno aliquo caſu accidere poſſunt, jura non conſtituuntur.* Recte etiam Pomponius probavit illud Theophraſti: *jura conſtitui oportere in his, quæ* ἐπὶ τὸ πλεῖστον *accidunt, non quæ* ἐκ παραλόγου.

§. 36. Nequaquam porro toti doctrinæ civili detrahenda eſt ſua certitudo aut ſcientiæ dignitas, prætextu nonnullorum, quæ certo nequeunt intelligi. Alioquin enim & ipſis mathematicis diſciplinis derogandum fuerit: utpote quum multa problemata mathematica hactenus ſint incerta aut plane ignota. In Phyſicis itidem plurima occurrunt, de quibus ultra id quod eſt veriſimile nihil percipimus, nec forte unquam certi quid accipietur. Et vero quidni multorum certa peritia reliquorum incertitudinem tegat potius aut excuſet? Habet utique & heic locum illa ſuaviſſima oratio Ariſtotelis, qua minus accuratæ alicui de cœleſtibus doctrinæ petit veniam *l.* 2. *de coel. t.* 6. Πειρατέον λέγειν τὸ φαινόμενον, αἰδοῦς ἀξίαν εἶναι νομίζοντας τὴν προθυμίαν μᾶλλον ἢ θράσους, εἴ τις διὰ τὸ φιλοσοφίας διψῆν καὶ μικρὰς εὐπορίας ἀγαπᾷ περὶ ὧν τὰς μεγίστας ἔχομεν ἀπορίας.

§. 37. Qui ſecus profecto ſentit propter ejusmodi defectus de civili doctrina, aut etiam majorem adhuc certitudinem & ἀκριβολογίαν exigit, ille prodit ἀπαιδευσίαν ſuam, quodque nondum didicit doctrinæ cujusvis vim ac naturam ſuo pretio æſtimare. Πεπαιδευμένου γάρ ἐστιν ἐπὶ τοσοῦτον τἀκριβὲς ἐπιζητεῖν καθ᾽ ἕκαστον γένος, ἐφ᾽ ὅσον ἡ τοῦ πράγματος φύσις ἐπιδέχεται, & διὸ δεῖ πεπαιδεῦσθαι πῶς ἕκαστα ἀποδεκτέον. *Eſt enim hominis probe pædia inſtituti in tantum quærere id, quod eſt exquiſitum in quovis genere, in quantum natura rei permittit, ac proinde oportet probe inſtitui pædia, quo intelligas, quemadmodum unumquodque ſit acceptandum.* Quæ ſunt præclara monita magni ſapiendi docendique magiſtri Ariſtotelis *in l.* 1. *Nic. c.* 1. *l.* 2. *Metaph. c.* 3. Cujus & alibi exſtant quidem eadem de re ſcita optima, ſed illa huc transferre non patitur inſtitutum. *Vide l.* 2. *Nicom. c.* 2. *l.* 1. *Eud. c.* 6. *l.* 1. *de partib. animal integro.* Et ſane de certitudine qualem admittat doctrina civilis & non admittat, plus ſatis forte jam dictum eſt.

§. 38. VENIMUS ad illud, quod ultimum capite hoc expediendum ſuſcepimus, viſuri, an accurata illa civilium rerum cognitio, quam non deeſſe jam probavimus, gerendæ reipublicæ neceſſaria ſit aut utilis. Nec vero omnis accuratior doctrina gerendis rebus expedit. Agnovit ſane Ariſtoteles in ipſis Politicis *l.* 3. *c.* 5. non parem tractandi rationem exigi ab iis, qui reſpiciunt duntaxat πρὸς τὸ πράττειν, quæ exigitur a philoſophantibus: quo videtur pertinere illa Senecæ querela. *ep.* 106. *de literarum intemperantia*; qua ſit, ut *non vitæ, ſed ſcholæ diſcamus.* Poſſit itaque videri, accuratam illam rerum civilium notitiam ſcholæ quidem aptam, at rerum actui nullum uſum præbere. Quod ipſum habeat ſeſe ita nec ne, hujus eſt loci expendere, quo ſciamus num ad prudentiam gerendæ reipublicæ illa faciat nec ne: aut quod idem eſt, num Prudentiæ civilis nomine veniat illa, an non veniat.

§. 39. Eſt autem hæc quæſtio, non fortaſſis multum difficilis expeditu, ſi facto diſcrimine aliquo illam excutiamus. In republica videlicet alii imperant, alii parent: quos inter & alias ingens eſt differentia, & hac ipſa in re, qua de inſtituta eſt quæſtio. Igitur in iis, qui præſunt civilibus negotiis ſive conſtituendis ſive exequendis, non profecto ſatis eſt, ſi adſit rudis duntaxat & incerta opinio agendarum rerum. Sæpe numero enim falletur ille & fallet alios, atque ita rempublicam in periculum adducet facile, imo totam perdet. Id quam maxime uſu venit temporibus difficilibus, & laborante republica. Perinde ut in re nautica *depræliantibus Aquilonibus*, & in medica ſi quando corpora ſunt καχεκτικὰ aut morbis acutis affliguntur, ſolis peritiſſimis nautis & medicis cura tuto committitur, etſi corporibus bene conſtitutis & ſerena tempeſtate etiam imperitior aliquis

(a) ὡς ἐπὶ τὸ πολύ.) Quem ſecutus celeberrimus interpretum græcorum Alexander, 1. Prior. cap. 13. loquutus περὶ τῶν ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ἐνδεχομένων ſcribit: ἀλλὰ καὶ ὅλως τὰ ἐκ τοῦ βουλεύεσθαι λαμβανόμενα διὰ τῶν τοιούτων ἐνδεχομένων δείκνυται. CONR.

Digitized by Google

quis ſine noxa eam ſuſceperit. Quo ſane quis exactius noverit ea, circa quæ verſatur in republ. eo melius fungetur officio, & quod propoſitum habet, adſequetur, non minus atque fit in omnibus artibus. Dico *circa quæ verſatur*, illorum oportere eſſe quam accuratiſſime peritum: alii enim circa nonnulla tantum reipubl. munia occupantur, alii circa ejus ſummam: eoque ad res probe gerendas accurata peritia ſemper, etſi non eadem aut omnino par in omnibus *requiritur.* (a) Diverſa plane eſt eorum, qui parent & ab aliis reguntur, ratio. His enim ſufficit bona de rebus gerendis opinio. Sufficit inquam opinio: ſi enim peritior quis talis fuerit, ſapit jam ſupra ſuam conditionem. Nec vero nulla opinione poteſt eſſe imbutus, rem aliquam ex mandato acturus, utpote quum ſit homo atque adeo ſaltim ex parte rationis compos. Nec tamen in adverſa ſententia debet eſſe: alioquin enim vel ægre facturus eſt id, quod eſt juſſus, vel etiam intermiſſurus. At ſi bona opinione ducatur, poteſt prompte obſequi. Et vero ut unusquisque etiam eorum, qui in parendi ſunt conditione, plene accurateque teneat omnia, nunc impedit ipſa rerum agendarum nunc ingenii natura. Nec enim omnibus par eſt acumen ingenii & judicii, ſi naturæ quoque rationem ſpectemus. Eleganter Ariſtoteles *l. 1. Polit. c. 9.* ὁ δοῦλος (is potiſſimum qui φύσει talis eſt) ὅλως οὐκ ἔχει τὸ βουλευτικὸν, τὸ δὲ θῆλυ ἔχει μὲν ἀλλ᾽ ἄκυρον, ὁ δὲ παῖς ἔχει μὲν ἀλλ᾽ ἀτελές: *Servus omnino non habet vim facultatemque deliberandi, fœmina habet quidem, ſed minus accuratam, puer habet quidem, ſed nondum perfectam.*

§. 40. Igitur exquiſita illa peritia rerum civilium in republica & utilis admodum eſt & neceſſaria, præſertim rebus non ſatis confirmatis: non tamen omnibus civibus inſit neceſſum eſt, ſed ſolis imperantibus.

§. 41. Vidit hoc jamdudum & docuit maximus magiſter Ariſtoteles *l. 3. Polit. c. 4.* Prudentiam enim (quo nomine accuratam peritiam rerum civilium ſignificatam voluit) imperanti propriam, magis ſc. quam cæteras virtutes morales, eſſe pronunciavit, parentium virtutem (διανοητικὴν ſcil.) eſſe δόξαν ἀληθῆ. Verba viri digna ſunt, quæ hic recitemus. ἡ δὲ φρόνησις ἄρχοντος ἴδιος ἀρετὴ μόνη· τὰς γὰρ ἄλλας ἔοικεν ἀναγκαῖον εἶναι κοινὰς καὶ τῶν ἀρχομένων καὶ τῶν ἀρχόντων. ἀρχομένου δέ γε οὐκ ἔστιν ἀρετὴ φρόνησις, ἀλλὰ δόξα ἀληθής. ὥσπερ αὐλοποιὸς γὰρ ὁ ἀρχόμενος, ὁ δ᾽ ἄρχων αὐλητὴς ὁ χρώμενος. *Prudentia eſt ſolius regentis propria virtus, Alias enim videtur neceſſum, communes oportere eſſe & regentium & eorum, qui reguntur. Ejus autem, qui regitur, virtus non eſt prudentia, ſed opinio vera. Is qui regitur enim eſt tanquam is, qui tibiam conficit, at qui regit, tanquam is, qui tibia canit atque utitur.* Cum quibus merentur conferri & quæ alia diſputat cum cap. iſthoc quarto libri tertii, tum l. 1. Politicor. cap. nono, de diverſa virtutum quoque moralium ratione in parentibus & imperantibus; huc enim illa adducere, nimis fuerit operoſum.

§. 42. Ante Ariſtotelem nonnihil aliter poſſit videri docuiſſe Plato in Menone. Ita enim Socrates diſputat cum Menone, quaſi opinio vera tantundem valeat ad res probe gerendas atque ipſa ſcientia. Cæterum præterquam quod ille dialogus eſt πειραστικοῦ ordinis, ut non liceat hinc petere tuto platonicas ſententias; ipſe Socrates mox comparat bonas quidem opiniones Dædali ſtatuis, quæ avolant, niſi ligentur: ſcientias vero iisdem ſtatuis, ſed vinculo aſtrictis; quaſi nimirum ſcientiæ demum numquam fallant, ſecus quam ſeſe res habet de opinionibus veris. καὶ γὰρ, inquit Socrates, αἱ δόξαι αἱ ἀληθεῖς ὅσον μὲν χρόνον παραμένωσι καλὸν τὸ χρῆμα καὶ πάντα τ᾽ ἀγαθὰ ἐργάζονται· πολὺν δὲ χρόνον οὐκ ἐθέλουσι παραμένειν, ἀλλὰ δραπετεύουσιν ἐκ τῆς ψυχῆς τοῦ ἀνθρώπου· ὥστε οὐ πολλοῦ ἄξιαί εἰσιν ἕως ἄν τις αὐτὰς δήσῃ αἰτίας λογισμῷ. *Veræ opiniones quamdiu ſuperſunt, bene ſeſe habet, & efficiunt recta omnia. At nolunt diu permanere, ſed ex anima hominis aufugiunt. Ut non multum ſint utiles, donec quis eas ligaverit ratiocinatione a cauſis deducta.* Iam vero in republ. probe adminiſtranda neceſſario requiruntur ſtabiles & fixæ bonæ ſententiæ, non vero ſatis eſt, ut adſint illæ, quæ quovis ventulo (ut ita dicam) fugiunt & loco ſuo dejiciuntur.

# CAPUT IX.

## *Certam cognitionem rerum civilium mereri nomen & ſcientiæ & prudentiæ civilis.*

### §. I.

Rerum civilium certam & qualis demonſtratione comparatur notitiam dari, ſecus quam vulgo multis eſt perſuaſum, firmis niſi fallor argumentis conſtituimus. Ea vero res jubet nos deinceps ſtatim inquirere, paucis tamen, qualenam ergo nomen & quem dignitatis gradum cognitio iſthæc commereatur. Etenim non eſt quidem illa conſideratio magni alicujus momenti, nec habet eximiam aliquam *ſubtilitatem*, ceu nonnulli jactitant, eſt enim occupata potiſſimum in recta nominis impoſitione) quoniam tamen & creditur tanti, & a multis multa heic etiam turbantur, nos etiam hac in re non patiemur quidquam deſiderari.

§. 2. Tantum quinque vero numerantur Ariſtotele auctore mentis noſtræ habitus, qui certam rerum veritatem percipiant, Sapientia, Scientia, Prudentia, Ars, & quem νοῦν Græci appellant; neque poſſumus nos idem qui valeant plures habitus mentis numerare. Quamvis vero apud ſcriptores paſſim hæ voces non ſemper eodem ſenſu accipiantur, adeoque ſæpius altera pro altera per imperitiam

(a) *Requiritur.*) Notandum nimirum; non in ſingulis illis, qui vacant alicui muneri reipublicæ, neceſſario requiri exactam illam peritiam, ſed tantum circa ſingula munia. Nempe curatio cujusque muneris poteſt etiam multis committi; qui modo univerſi exacte teneant iſthuc quæ faciunt, ſatis eſt, etſi ſingulis eorum haud parum interdum deſit. Perinde ſcilicet atque in republica popula[...]ri neceſſum quidem eſt, ut populus univerſus nihil ignoret eorum, quæ ad ſtatus ſui conſervationem pertineat, non tamen ut idem teneant in populo ſinnguli. Id quod egregia ſimilitudine, accepta de conviviis, quæ ſymbolis collectitiis inſtruuntur, illuſtrat 3. Polit. Ariſtoteles. *CONR.*

Digitized by Google

ritiam ſoleat poni, nos tamen nunc ſequemur accuratiorem illam doctrinam, quam hac de re inſtituit Ariſtoteles *lib. VI. Ethic. Nicomach.* adeoque extra controverſiam nunc collocabimus, quas ibi ſignificationes vocibus illis Ariſtoteles adſcribit, eas maxime obſervandas ſectandasque eſſe, nobis quidem in Philoſophicis ſcholis verſantibus. Ut eo expeditius deinde liceat nobis definire, cujusmodi ſit mentis habitus noſtra, qua de agimus, civilium rerum cognitio.

§. 3. Antequam vero id præſtemus, unus alter tertiusque error eſt eximendus, quem nonnulli, qui Ariſtotelem volunt videri quam maxime ſectari, ſolent errare. *Primo* enim creditur, ita hos quinque memoratos habitus inter ſeſe diſtingui, quaſi circa unum idemque objectum nulla ratione occupentur. *Deinde*, cum Ariſtoteli ars ποιητικὴ dicatur, prudentia πρακτικὴ; πρᾶξις & ποίησις exiſtimantur eo inter ſeſe differre, quod hæc ſemper opus aliquod ſenſile producat, illa non item. *Ad binos* hoſce ſic ſatis receptos paſſim errores acceſſit nuper inuſitata nonneminis doctrina, prudentiam & artem in ſolis ſingularibus occupari, quæ itidem excutienda eſt & in herba quaſi opprimenda, antequam incautiores pergat decipere.

§. 4. At vero *primum* quidem illud Ariſtotelicæ doctrinæ non eſſe conſentaneum, vel inde liquet, quod Sapientiam ex ſcientia & intellectu quaſi componi *Ariſtoteles (a)* docuerit. Hinc ſane conſequens eſt, ſcientiam aliquam & intellectum verſari circa easdem res, circa quas & Sapientia verſatur; etſi non viciſſim omnium illarum rerum, quarum eſt ſcientia aut intellectus, etiam ſit Sapientia. Liquet vero idem etiam ex eo, quod Ariſtoteles in libris Acroamaticis, ubi quam accuratiſſime loquitur, non ex præſcripto illo vulgi, vocabula iſthæc ſcientiæ, prudentiæ, artis, indiſtinctim uſurpet. Et vero *l. VI. Topicor. 3.* ſcribit: τῶν γὰρ πρός τι καὶ αἱ διαφοραὶ πρός τι· καθάπερ καὶ ἐπὶ τῆς ἐπιστήμης· θεωρητικὴ γὰρ καὶ πρακτικὴ καὶ ποιητικὴ λέγεται. Libro item octavo Topicor. c. 2. verba ejus ſunt: τῶν ἐπιστημῶν αἱ μὲν θεωρητικαί, αἱ δὲ ποιητικαί. At vero dixerit quis, hæc depromi ex opere exoterico, ubi popularem loquendi rationem admittit doctrina. Cæterum & in libris indubie Acroamaticis non aliter Ariſtoteles loquitur. Statim initio quippe operis ad Nicomach. *l. 1. c. 1.* memorat: πρακτικὰς ἐπιστήμας *L. VI. Metaph. c. 2.* inquit οὐδεμιᾶ γὰρ ἐπιστήμῃ ἐπιμελὲς περὶ αὐτοῦ, οὔτε πρακτικῇ οὔτε ποιητικῇ, οὔτε θεωρητικῇ: *Lib. XI. Metaph. cap. 6. & 7.* ἐπιστήμας ποιητικὰς invenimus, addito medicinæ, gymnaſticæ, architectonicæ & muſicæ exemplo. *Lib. 1. Metaphyſ. cap. 1.* mentio ſit ἐπιστημῶν ad vitam utilium, quæ ipſæ ibidem mox artes appellantur: imo diſerte ſcribitur, τὴν τέχνην τῆς ἐμπειρίας οἰόμεθα μᾶλλον ἐπιστήμην εἶναι. *Lib. 1 Polit.* ſtatim ipſo *cap. 1.* ſcribitur: ὅταν κατὰ λόγους τῆς ἐπιστήμης τῆς τοιαύτης (ſermo autem eſt de Politica) κατὰ μέρος ἄρχων καὶ ἀρχόμενος πολιτικὸν appellandum eſſe. Sed fortaſſis ex ſententia Platonis hæc ita dicta. At vero ab ipſo Ariſtotele ejusdem *libri c. 4.* memorantur ἐπιστῆμαι δουλικαί, item ἐπιστήμη δεσποτική, quæ ſit χρηστικὴ δούλων *Lib. 11. Polit. c. 6.* ubi dictum fuiſſet, profuiſſe nonnullis *ſcientiis* antiquorum inſtitutorum mutationem, additur pro exemplo: οἷον ἰατρική, καὶ γυμναστική, καὶ ὅλως αἱ τέχναι πᾶσαι. *Lib. IIX. Polit. c. 6.* ſit mentio ἐπιστήμης χειρουργικῆς, ut *5. Eudemior. c. 5.* ἐπιστημῶν πρακτικῶν & *11. Eudemior. c. 3.* πράξεως ἐπιστημονικῆς. (b) Mitto alia Ariſtotelis loca, quæ paſſim reperiuntur haud pauca. Non eſt vero quod dicas, Ariſtotelem minus exacte locutum eſſe. Utique enim debuit ille in Acroamaticis loqui quam accuratiſſime. Hic itaque prætextus eſt Ariſtotelis accuſatio, eaque cum ejus injuria conjuncta. Et vero 1. *Metaphyſ.* ſtatim atque artes ſcientiæ nomine appellaſſet, ſubjungit: *Dictum autem in Moralibus eſt, quanam ſit Artis & Scientiæ differentia.* Unde liquet, ſaltem tum Ariſtoteli in animo fuiſſe definitiones Artis & Scientiæ in Ethicis propoſitas. Eam porro in Ethicis & Analyticis alibique Scientiæ definitionem attulit Ariſtoteles, quaſi cognitio demonſtrativa omnis debeat ſcientia appellari. *Vid. Montecat. præf. in polit. p. 7.* Poſſunt vero & artium & prudentiæ præcepta univerſalia demonſtratione cognoſci, ceu præcedente capite oſtendimus.

§. 5. Eadem porro ſignificatione loquuntur etiam optimi Ariſtotelis nonnulli interpretes. Unus pro omnibus, is qui familiam ducit inter eos Alexander Aphrodiſienſis (nec enim me movet F. Patricius ut aliter ſentiam) ad l. 6. Metaph. ſect. 2. ſcribit interprete quidem Joanne Sepulveda, nec enim Græce hactenus in lucem prodiit: *Eſt autem* effectiva Scientia, *ut in Moralibus Nicomachiis latius explicatur, ea cujus opus poſt actionem manet, ut ars ædificandi: nam poſt ædificationem opus ejus h. e. domus permanet.* Activa *vero ut ars ſaltandi, ſiquidem poſt ſaltationem nihil ſupereſt.* Idem l. XI. Metaph. ſect. 25. Effectivam *porro ſcientiam vocat Ariſtoteles, cæmentariam lignariamque artem, & ſimpliciter omnes, quarum poſt actionem opus aliquod ac effectus manet: cum ſit ea* Activa, *cujus poſt actionem nihil reliquum ſit, qualis eſt ars ſaltandi aut fidibus canendi: de quibus in Moralibus, quæ Nicomachia inſcribuntur, accurate dictum eſt.* Poſſumus & Andronici forte Rhodii conſenſum adferre. Nam in libro περὶ παθῶν diſerte ἡ φρόνησις definitur ἐπιστήμη ἀγαθῶν καὶ κακῶν καὶ οὐδετέρων, Ethices quoque, Dialectices & Rhetorices proximum genus ἐπιστήμη uſurpatur. Verum tametſi curante D. Hœſchelio libellus ille Græce ſit editus nomine Andronici, imo dudum ante ex illo libello Latine verſo Andronici nomine in ſecundam ſecundæ partis Summæ ſuæ Theologicæ quædam tranſtulerit Thomas Aquinas, non auſim tamen libellum illum Peripateticum dicere, cum dogmata plæraque ſint Stoica, multo minus auſim Andronico Rhodio tribuere. Et vero eadem Prudentiæ definitio habetur etiam in libello incogniti auctoris περὶ ἀρετῶν quem Hœſchelius itidem priori libello adjunxit, eſt autem omni ex parte Stoicus. Nolumus igitur nunc ad Andronicum quidem provocare. (c)

§. 6.

(a) Vid. *Ariſtoteles.*) GIPHANIUM *in comment p. 460 ſeqq.* & THOMAS. *in juriſprud. divin. c. 1.* GOEBEL.

(b) Ἐπιστημονικῆς.) Libro X. Nicomachiorum binis repetitis vicibus probat, oportere artificem noviſſe τὸ καθόλου, eo argumento: ὅτι περὶ τοῦτο αἱ ἐπιστῆμαι: vel τοῦ κοινοῦ αἱ ἐπιστῆμαι λέγονται ὅτι ἐστί. CONR.

(c) *Vocare.*) Nec enim accedere iis audemus, qui Andronicum Rhodium credunt auctorem doctiſſimæ illius Græcæ

Para-

Digitized by Google

§. 6. Similiter & ALTERUM illud arbitramur non eſſe Ariſtotelicæ doctrinæ conſentaneum: quantumvis Ariſtotelem ita fere acceperit etiam Alexander Aphrodiſienſis ille, cujus verba modo recitavimus, ut & Euſtratius *lib. VI. Eth. c. 5.* immo & aliis jam olim ita viſum fuiſſe, liqueat ex *lib. 11. Inſtitut. c.* 19. Quinctiliani. *Primo* enim certum eſt, nusquam id diſertis quidem verbis ab Ariſtotele doceri, quod fieri tamen debuiſſet ſaltim in Ethicis h. e. loco proprio. *Deinde* Ariſtoteles utique non alias Artes agnoſcit, quam ποιητικάς; & tamen paſſim hoc nomine dignatur eas, quæ nequaquam *operis, quod oculis ſubjicitur, conſummatione finem accipiunt*, prout tamen loqui amabat Fabius. Ita Ariſtoteli paſſim Artes audiunt: muſicæ omnes, inque iis cithariſtrica, orcheſtrica, it. dilectica, rhetorica, medica, gymnaſtica: quarum nullum opus eſt ſenſibile niſi per accidens, ut oratio ſcripta opus eſt rhetoricæ. Quod usq; adeo clarum eſt, ut Euſtratius & alii coacti fuerint artes quasdam πρακτικάς agnoſcere: non profecto ad mentem Ariſtotelis, utpote qui ſimpliciter artem definiverit ἕξιν ποιητικήν. Diſertis porro verbis de praxi pronunciat Ariſtoteles *l. 6. Nicom. c. 5.* non illam ſemper propter ſeipſam eſſe, ſed interdum ob finem quendam alienum. Quod poſſit videri idem eſſe, quaſi & πρᾶξις aliqua efficiat interdum ſenſibile aliquod opus, ut hoc non ſit ſoli ποιήσει proprium. Verba Ariſtotelis ſunt: τῆς μὲν γὰρ ποιήσεως ἕτερον τὸ τέλος, τῆς δὲ πράξεως οὐκ ἀεί: quæ totidem verbis reperias *lib. V. Eudem. c. 5.* Verum huic teſtimonio parum tribuo, cum ſit mendoſum, ut infra dicemus.

§. 7. TERTIUM usque eſt adeo novum ac παράδοξον, ut qui idem affirmaverit præter illum unum nemo forte reperiatur. Mihi ſane nemo eſt notus. Ipſemet fatetur, *hodiernos philoſophos pene omnes a ſeſe diſſentire.* In univerſum vero ab omni retro memoria, Prudentiæ vocabulo audiit univerſalis quoque juris, civilium, moralium & domeſticarum rerum gerendarum cognitio. Similiter Artes dictæ ſunt itidem citra omnem dubitationem univerſales doctrinæ circa τὰ πρακτά, ut Medendi, diſputandi, orandi, bellandi & plures aliæ: idque apud omnis generis ſcriptores. Sufficere vero vel una illa omnium diſſenſio poteſt convincendæ muſteæ illi ſententiæ: utpote quum controverſia ſit de vocabulorum ſignificatione, quæ ſolo nititur hominum uſu,

*Quem penes arbitrium eſt & vis & norma loquendi.*

Nec nunc dicam, illam omnium diſſenſionem ſaltim merito ſuſpectum reddere novum illud, & objicere nobis id, quod ille dicebat: καλὸς Θεόκριτος, ὁ μόνος ἀνθρώπων ὁρῶ.

§. 8. Attamen Ariſtotelis conſenſum jactant illi novi doctores: & vero tanti viri aſſenſione munitis, quamvis errantibus, veniam nemo temere denegaverit. Cæterum Ariſtotelem ab illo communi more loquendi diſcedere, non eſt, quod illi novo ſcriptori quisquam credat. Utique enim & ille doctrinam Rhetoricam univerſalem illam τέχνην appellavit vel centies: pari ratione & Poëtica & Dialectica & Medicina paſſim illi Artes audiunt. Nusquam profecto ille aperte aſſeruit id, quod huic ſcriptori placuit: ſed deceperunt virum nonnulla dicta Ariſtotelis perperam accepta. Imo vero Ariſtoteles diſertis verbis aſſeruit plane alia & contraria *l. 1. Rhetor. c* 2. Nam de Arte quidem verba ejus hæc ſunt in Rhetoricis: οὐδεμία τέχνη σκοπεῖ τὸ καθ᾽ ἕκαστον, οἷον ἡ ἰατρικὴ τί Σωκράτει τὸ ὑγιεινόν ἐστιν ἢ Καλλίᾳ ἀλλὰ τί τῷ τοιῷδε ἢ τοῖς τοιοῖσδε· τοῦτο γὰρ ἔντεχνον, τὸ δὲ καθ᾽ ἕκαστον ἄπειρον καὶ οὐκ ἐπιστητόν· οὐδὲ ἡ Ῥητορικὴ τὸ καθ᾽ ἕκαστον ἔνδοξον θεωρήσει, οἷον Σωκράτει ἢ Ἱππίᾳ ἀλλὰ τὸ τοιοῖσδε, καθάπερ καὶ ἡ Διαλεκτική. *Nulla ars ſingula conſiderat: Ut Medicina non quid Socrati aut Calliæ, ſed quid ita affecto, aut ita affectis ſalutare ſit: hoc enim arte comprehendi poteſt, at id, quod ad unumquemque ſingillatim pertinet, infinitum eſt, neque ſub ſcientiam cadit. Ne Rhetorica quidem quid cuique probabile ſit conſiderat, ut Socrati aut Hippiæ, ſed quid talibus, quemadmodum & Dialectica.* Sed forte teſtimonia ex Rhetoricis deſumpta parvi ſunt momenti; quoniam ſcriptum eſt Exotericum. Eſto. At vero acroamatici utique ſunt libri & Metaphyſici & Nicomachii. In eandem vero plane ſententiam quoque diſſeritur initio operis Metaphyſici *l. 1. c. 1.* γίνεται δὲ τέχνη ὅταν ἐκ πολλῶν τῆς ἐμπειρίας ἐννοημάτων καθόλου μία γένηται περὶ τῶν ὁμοίων ὑπόληψις. Τὸ μὲν γὰρ ἔχειν ὑπόληψιν, ὅτι Καλλίᾳ κάμνοντι τηνδὶ τὴν νόσον τοδὶ συνήνεγκε, καὶ Σωκράτει καὶ καθ᾽ ἕκαστον οὕτω πολλοῖς, ἐμπειρίας ἐστί· τὸ δ᾽ ὅτι πᾶσι τοῖς τοιοῖσδε κατ᾽ εἶδος ἓν ἀφορισθεῖσι, κάμνουσι τηνδὶ τὴν νόσον συνήνεγκε, οἷον τοῖς φλεγματώδεσιν, ἢ χολώδεσιν, ἢ πυρέττουσι καύσῳ, τέχνης. Paulo poſt: ἡ μὲν ἐμπειρία τῶν καθ᾽ ἕκαστά ἐστι γνῶσις, ἡ δὲ τέχνη τῶν καθόλου. *Naſcitur autem Ars, quando ex multis Experientiæ notionibus una fit univerſalis de ſimilibus exiſtimatio. Etenim tenere, quod Calliæ hoc morbo laboranti, hoc profuerit, Socrati item, & eodem modo ſingulatim pluribus Experientiæ eſt: At vero tenere, quod omnibus qui ſecundum unam aliquam ſpeciem diſtincti hoc morbo laborant profuerit, velut pituitoſis, aut bilioſis, aut febre ardente laborantibus, Artis eſt.* Paulo poſt: *Experientia eſt cognitio ſingularium, Ars autem univerſalium.* Porro & in Nicomachiis eadem ſententia occurrit, quod opus maxime eſt ἀκροαματικόν, & ſtudioſe habituum mentis naturam omnem exponit. Cum enim Ariſtoteles notaſſet incertitudinem moralium rerum exemplo medicamentorum, addit *l. 2. Nicom.*

Paraphraſios Nicomachiorum Ariſtotelis, quam Daniel Heinſius publicavit. Ille vero, quisquis ſit, omnino noſter eſt; cum alibi, tum præcipue *libro X.* veſtigia Ariſtotelis ſecutus. Scribit enim *Paraph. l. X. c.* 13. Medicum, Gymnaſtam & Legislatorem optime quemvis functurum ſuo officio, ἐπειδὴ τὸν καθόλου λόγον τῆς ἐπιστήμης συνάψῃ τῷ μερικῷ: τοῦ κοινοῦ γὰρ αἱ ἐπιστῆμαι λέγονταί τε καὶ εἰσιν. Quibus verbis, diſerte affirmat utique auctor ille doctiſſimus, univerſalem ſive Medicam ſive Gymnaſticam ſive legislatoriam cognitionem *ſcientiam* eſſe. Paulo poſt nonnulla in eandem ſententiam ſubjungit, quæ nunc prolixitatis vitandæ cauſa, latine tantum verſa recitabimus: *Omni ſtudio incumbendum Scientiæ: & ad univerſalia eſt eundum ei, qui artifex vult evadere, aut recte contemplari. In univerſalibus enim verſatur Scientia. Ita autem ſcire oportet id, quod eſt univerſale, ſive id in Medicina ſit, ſive in Legislatoria, ſive in alia quacunque ſimili Scientia, non tanquam immobile, & quod ſemper eodem ſe habeat modo, ſed quam maxime contingens. Ex contingentibus enim, non ex immobilibus tales ſunt Scientiæ. Et tamen quærenda nihilominus in ſingulis eſt Scientia.* CONR.

*com. c. 2.* Τοιέτε δ' ὄντος τȣ̃ καθόλȣ λόγȣ, ἔτι μᾶλλον ὁ περὶ τῶν καθ' ἕκαςα λόγος ȣ̓κ ἔχει τ' ἀκριβές· ȣ̓́τε γὰρ ὑπὸ τέχνην, ȣ̓θ' ὑπὸ παραγγελίαν ȣ̓δεμίαν πίπτει. *Quum ita ſeſe habeat ſermo univerſalis, longe minus ille qui de ſingularibus agit habet aliquid accuratum. Ille enim nec ſub Artem nec ſub præceptionem aliquam cadit.* (*a*) Hæc etſi longe ſint clariſſima, novus tamen iſte ſcriptor illud ex Metaphyſicis adductum (quod unum videtur vidiſſe) cenſuit eludi ab ſeſe poſſe, ſi dicat: Artes in univerſalibus verſari, quoniam *univerſalibus* utuntur *propoſitionibus.* At vero ſecundum ipſum propoſitiones iſtæ univerſales non niſi principia ſunt Artium; in quibus autem verſatur doctrina aliqua (quod de univerſalibus Ariſtoteles aperte adeo profitetur) non ſunt principia ſed illa, quæ ex principiis deducuntur.

§. 9. Æque aperte vero Ariſtoteles aſſerit, etiam Prudentiam circa univerſalia occupari, idque ipſomet libro ſexto Nicomachiorum, h. e. in ipſa ſede doctrinæ de dianoëticis habitibus. Verba ejus ſunt *cap.* 8. hæc: ȣ̓δ' ἐςὶν ἡ Φρόνησις τῶν καθόλȣ μόνον, ἀλλὰ δεῖ καὶ τὰ καθέκαςα γνωρίζειν & paulo infra: ὥςε δεῖ ἄμφω ἔχειν (univerſalium ſc. & ſingularium cognitionem) ἢ ταύτην μᾶλλον. *Neque eſt Prudentia univerſalium duntaxat, ſed oportet & ſingularia noſſe: ut proinde oporteat utramque habere cognitionem* (univerſalium & ſingularium) *vel poſteriorem potius.* Quæ totidem verbis habentur *l.* 5. *Eudemior. cap.* 7. Poſteriora ita illuſtrat Paraphraſtes Græcus: *Cum in agendo occupetur Prudentia, utrumque adeſſe illi oportet, aut ſingularia magis.* μετὰ γὰρ τȣ̃ καθόλȣ μόνον ȣ̓ δύναται εἶναι πρακτική. Priora optime exponit hunc in modum Donatus Acciajolus ad cap. 7. n. 68. *Sapientia eſt tantum de univerſalibus, Prudentia non eſt tantum de univerſalibus, ſed etiam de ſingularibus. Major eſt clara, quia tam Intellectus quam Scientia, eſt tantum circa univerſalia, ergo Sapientia, quæ eſt ſimul ex utriſque conſtans, erit ſolum circa univerſalia. Minor probatur a Philoſopho. Nam Prudentia eſt univerſalium, quia in rebus agendis ſunt principia univerſalia, de quibus nulla alia virtus conſiderat quam Prudentia. Conſultat etiam Prudens utrum ſit facienda pax, utrum magiſtratus ſint electione conſtituendi, & alia hujusmodi. Verum non ſolum univerſalium, ſed etiam ſingularium eſt. &c.* Eodem pertinet illud quod habetur *cap. ſeq.* Cum enim Ariſtoteles quæſiviſſet; quî fiat, ut juvenes queant mathematici eſſe non tamen prudentes, adjicit: αἴτιον δὲ, ὅτι καὶ τῶν καθέκαςά ἐςιν ἡ Φρόνησις. Nonnulli enim quidem in vertendo negligunt illud καὶ, qui proinde deceperunt & illum novum ſcriptorem, ut proinde hæc acceperit quaſi Ariſtoteles nude dixerit: *ſingularium eſſe prudentiam*: at revera Ariſtoteles nihil aliud voluit quam *etiam ſingularium* non autem ſolorum univerſalium prudentiam eſſe. Quod ad hunc locum Acciajolus quoque annotavit. Et vero etiamſi vocula illa καὶ eſſet omiſſa tamen non aliter propoſitio illa eſſet accipienda. Hinc cum paulo poſt dixiſſet Ariſtoteles: *Prudentiam non eſſe ſcientiam patet, eſt enim ipſius extremi*: Acciajolus ita commentatur: *Scientia verſatur circa univerſalia tantum, Prudentia non verſatur circa univerſalia tantum, ſed etiam circa ſingularia, ergo Prudentia non eſt Scientia. Patet ratio, quia Prudentia non ſolum circa univerſale, ſed etiam circa extremum quod eſt ſingulare verſatur.* Eundem in modum Ariſtotelis illa dicta exponunt reliqui interpretes Græci, Arabes, Latini. Indubie vero ex illo libro uno depromere longe plura ejusdem ſententiæ liceret, ſi liber ille non eſſet adeo fæde lacunis deformatus & partibus ſuis disjectus. Sed & omnino huc faciunt loca illa omnia, ubi Politice Ethice Oeconomice Prudentiæ appellantur. Utique enim illis vocibus intelligit Ariſtoteles doctrinas illas, quæ Politicorum Ethicorum Oeconomicorum libris ſunt traditæ, adeoque hactenus ſunt univerſales. (*b*) Sed non eſt, cur talia advocemus. Vel hæc pauca enim ita aperte nobiſcum faciunt, & Ariſtotelis aſſenſum atteſtantur, vt inſtar multorum eſſe merito poſſint.

§. 10. Et vero una illorum vis ipſimet adverſario tantum non confeſſionem veri expreſſit. Etenim etiam ille Artem & Prudentiam, etſi *verſentur in ſingularibus, nihilominus tamen & univerſalium eſſe*, profitetur: Item, *parare ſibi habitum prudentiæ eſſe ſcientem fieri* h. e. fieri peritum univerſalium: Item, *rectam rationem qua agit Prudentia & Ars eſſe univerſalium cognitionem*: Item: *vere Prudentes cenſeri, qui non modo agenda verum etiam eorum quæ aguntur cauſſas norunt.* Vult quidem ille & cauſſarum & univerſalium cognitionem Scientiam aliquam eſſe, quæ comitetur prudentiam; at vero hæc explicatio adverſatur uſitatæ loquendi rationi. Si enim univerſalia ſunt extra notitiam illam, quæ prudentiæ interna eſt, abſurde dixeris illa omnia. Nec enim prudentia eſt eorum quæ ad objectum ejus non pertinent: nec habitus prudentiæ paratur iis, quæ extra prudentiam ſunt: nec agit prudentia illa facultate quæ ab ipſa eſt diſtincta: nec prudentes reapſe cauſſas norunt, ſi cauſſarum cognitio a prudentia eſt quid diverſum. Tam ἀσύςατα ut perſuaſeris forte imperitis tyronibus, & incautis indoctisque, *ſedens*, ceu ludebat ex Carcino Jamborum ſcriptore in Theſſalum Galenus,

-- Ἐν ὑψηλῷ θρόνῳ
ἐν κριομύξοις ἀνδράσι:

attamen recte loquendi gnarus aliquis haud admittet.

§. II.

(*a*) *Cadit.*) Ejusdem operis libro decimo capite ultimo ait Ariſtoteles: ἰητρὸς καὶ γυμναςὴς, καὶ πᾶς ἄλλος ὁ τὸ καθόλȣ εἰδώς. At Medicus ac Gymnaſtes uterque eſt artifex, & intelligit univerſalia. Si artifex autem novit univerſalia neceſſum eſt Artem quoque circa univerſalia occupari Ibidem dicitur: quicunq; velit eſſe τεχνικὸς, ἐπὶ τὸ καθόλȣ βαδιςεὸν εἶναι δόξειεν ἄν. κακεῖνο γνωριςέον ὡς ἐνδέχεται. Si τεχνικȣ̃ etiam eſt univerſalia ſcrutari, fuerit utique hoc etiam Artis, ex Ariſtotelis quidem ſententia. CONRING.

(*b*) *Sunt univerſales.*) Ita porro in Magnis quoque Moralibus quæ appellantur, de Prudentia diſſeritur, quaſi illa tantum hæreat in univerſalibus. Diſerte enim traditur, Prudentiam eſſe πρακτικὴν, non niſi ad modum architecti, qui ſingularium curam non habet: in ſingularibus autem τὴν δεινότητα. CONRING.

Digitized by Google

§. 11. SIC igitur ſeſe res habet. Quod *primum* quidem illud attinet. Circa unum idemque objectum diverſi mentis habitus occupantur, diverſa tamen ratione conſiderandi, qua efficitur, ut ipſum objectum quoque ſit diverſum. Perinde atque circa corpus humanum & Phyſicus & Medicus, & carnifex verſatur: at quoniam non unus eſt conſiderandi modus, eo ipſo fit, ut reapſe objectum illorum ſit diverſum. Objectum ſcilicet Phyſici eſt corpus illud, quatenus ſimpliciter eſt obnoxium mutationibus: Medici quatenus eſt capax morbi ac ſanitatis: carnificis quatenus poteſt graviter puniri. Unum igitur idemque eſt, & non unum idemque: materialiter nempe unum, non formaliter, ut cum Scholaſticis philoſophis loquamur. Hac ratione fit, ut res eædem & contingentes ſint & perpetuæ. Poteſt nimirum illa contingentia nonnunquam mente a rebus quaſi abſtrahi, ut hactenus videantur perpetuæ. Imo ipſa contingentia rerum univerſim conſideratur a mente noſtra tanquam aliquid perpetuum. Id ſane fit in Metaphyſicis. Phyſicus quoque agit de omni motu naturalium corporum, qui maximam partem contingens quid eſt. Etſi igitur Scientia non ſit niſi eorum, quæ eodem ſeſe habent modo vel omnino vel plærumque: nihil vetat tamen Scientiam & de rebus contingentibus comparari, modo non attendatur ipſa illa contingentia. Certe id niſi ſtatuas, non Phyſice, non magna pars Metaphyſices, ſcientiæ nomen merebitur. Imo nec Geometria fuerit ſcientia: omnis enim quantitas continua, quam Geometra contemplatur, in ſolis pene contingentibus corporibus actu reperitur. Poteſt igitur & de humanis negotiis, quæ aut πράξεις ſunt aut ποιήσεις, ſcientia haberi, etſi ſint contingentia: quatenus nimirum ſepoſita illa contingentia ſuam quoque illa habent neceſſitatem. At ſi eadem illa conſideres ſimul quatenus in actum ſecundum poſſunt transferri aut transferuntur, jam amplius eorum non potes ſcientiam habere niſi improprie. Igitur & Scientia aliqua eſt πρακτικὴ & ποιητικὴ, occupata ſcilicet περὶ τὰ ποιητὰ & πρακτά, at percepta a nobis per ἀφαίρεσιν aliquam. Hac ratione in univerſum Geometria dicitur ſcientia: & tamen illa verſatur non tantum circa θεωρήματα, ſed etiam προβλήματα, quæ aliquid faciendum jubent. Nec vero problemata illa ad Artem aliquis germanus Ariſtotelis ſectator & philoſophus gravis hactenus retulit. Scientiæ ſcilicet eſt etiam circa problemata illa occupari, quoniam de effectione eorum non niſi in abſtracto agitur: non quaſi effectio ipſo actu ſecundo non pertingat ad opus aliquod ſingulare, quod nonnemo per cavillationem inter meas ſententias refert, ſed quoniam ipſa illa effectio in abſtracto & univerſim a Geometra conſideratur. Nihil prohibet tamen etiam ad Artem illa referre alio conſiderandi modo. Obſervandum porro eſt; alia digna eſſe ſpeculatione, ſolere etiam ab hominibus nobis libenter cognoſci, etſi in uſum non transferantur, adeoque eſſe talia, quorum cognitio per ſeſe expetatur non alterius commodi cauſſa: Aliorum vero notitias rariſſime ab hominibus appeti, & fere non mereri, ut iis cognoſcendis operam impendas, niſi ut illa actu ipſo exerceantur. In prioribus Scientia magis locum habet, quam in poſterioribus. Hinc in problematibus ſuis enodandis ſolius ſpeculationis & Scientiæ gratia Geometra libentiſſime verſatur; at in humanis rebus quales expediuntur per Prudentiam & Artem cognoſcendis pauci verſantur, & ut verſeris non eſt adeo magnum operæ pretium. Hinc etſi circa humana illa verſetur Scientia aliqua, attamen plærumque & majore cum fructu Prudentia & Ars occupata eſt: quippe quum utraque illa, Prudentia inquam & Ars magis ſpectent exercitium ipſum agendi. Igitur & Scientia aliqua datur eorum, quæ ab hominibus aguntur & Prudentia aut Ars, ſed diverſimode: quo fit, ut eorum tamen objectum diverſum etiam ſit. Scientia nimirum eorum datur, in quantum ſunt θεωρητά: Prudentia vel Ars quatenus illa ſunt ποιητὰ vel πρακτά. Quoniam autem magis ſunt πρακτὰ vel ποιητά, quam ſunt θεωρητά, hinc malunt per Prudentiam vel Artem accipi quam per Scientiam.

§. 12. Hæc quidem non invenias ab Ariſtotele in Ethicis æque perſpicue & prolixe tradita: at memineris librum eſſe mutilum & lacerum. Ariſtoteli tamen eſſe conſentanea nullus dubito, quum & res ipſa hæc doceat, & alioquin non appareat, qui potuerit ille Scientias πρακτικὰς & ποιητικὰς agnoſcere, quæque alia ſupra adduximus. Viderunt vero hoc ipſum ſaltim ex parte & noſtro ſeculo multi viri præclari; qui proinde Artem Medicam non dubitaverunt & Scientiæ cognomento appellare. Adducam hoc loco tantum unum Joannem Baptiſtam Montanum Philoſophum & Medicum ſui ſeculi facile principem qui ad cap. 1. fen. 1. lib. 1. canon. Avicennæ ita eſt locutus: *Ars dupliciter conſiderari poteſt: uno modo, ut verſatur circa materiam & ſubjectum extrinſecum, circa quod operatur, altero, ut verſatur circa univerſalia & rationem faciendi. Priori modo medicina eſt ars, poſteriori ſcientia. Reſpectu Platonis vel Socratis, quem curare debet, Medicina eſt ars: reſpectu vero artificis, ut ipſe mederi novit in mente, eſt ſcientia.* Non ſunt quidem illa ἀκριβῶς ſatis dicta, aut potius ab auditoribus excepta, viri tamen conſenſum atteſtantur.

§. 13. Sed de primo ſatis: pergendum eſt ad *ſecundum*. Differentiam πράξεως & ποιήσεως ergo quod attinet, πρᾶξις interdum latius accipitur ut ſit idem quod ἐνέργεια: qua ſignificatione omnis ποίησις eſt πρᾶξις etſi nequaquam verſa vice πρᾶξις ſit ποίησις. (a) At magis proprie ſi vocabula hæc accipiantur, tum utique multum differunt, prout Ariſtoteles quoque affirmat, & alterum ſub altero non continetur. Non attulit vero in Nicomachiis *l. 6. c. 4.* utriusque definitionem Ariſtoteles. ſed rejicit nos potius ad Exoterica ſua ſcripta: quæ tamen illorum ſignet non indicans, etſi fuerint varia. Haud vana fortaſſis conjectura fuerit, ſi quæ Magna Moralia appellantur, ſignari ſuſpiceris. Exotericum ſane opus eſt, & plane talia ibi diſerte leguntur. Verba hæc

(a) *Sit ποίησις.*) Ea ſane ſignificatione *l. 2, c. 3.* Eudemiorum ſcribitur: ἐν ὁποιαοῦν πράξει, καὶ ἐπιστημονικῇ καὶ ἀνεπιστημονικῇ, καὶ τεχνικῇ καὶ ἀτέχνῳ. *CONR.*



Digitized by Google

hæc ſunt 1. *Magn. Moral. cap.* 35. ἔςι δὲ τῶν ποιουμένων καὶ πραττομένων ταυτὸ τὸ ποιητικὸν καὶ πρακτικὸν· τῶν μὲν γὰρ ποιητικῶν ἐςὶ παρὰ τὴν ποίησιν ἄλλο τέλος· οἷον παρὰ τὴν οἰκοδομικήν· ἐπειδὴ ἐςιν οἰκίας ποιητική, οἰκία αὐτῆς τὸ τέλος παρὰ τὴν ποίησιν· ὁμοίως καὶ ἐπὶ τεκτονικῆς καὶ τῶν ἄλλων τῶν τεκτονικῶν· ἐπὶ δὲ τῶν πρακτικῶν οὐκ ἐςιν ἄλλο οὐθὲν τέλος παρ' αὐτὴν τὴν πρᾶξιν· οἷον παρὰ τὸ κιθαρίζειν οὐκ ἐςιν ἄλλο τέλος οὐθὲν, ἀλλ' αὐτὸ τοῦτο τέλος ἡ ἐνέργεια καὶ πρᾶξις. Hoc itaque proprium eſt πράξεως, non alium finem ſpectare, præter ἐνέργειαν ſive actionem: ποιήσεως proprium eſt operari propter aliud quid ab operatione diverſum. Accipiunt hæc lucem ab iis quæ initio Nicomachiorum *l.* 1. *c.* 1. diſſeruntur: διαφορὰ τὶς φαίνεται τῶν τελῶν· τὰ μὲν γάρ εἰσιν ἐνέργειαι· τὰ δὲ παρ' αὐτὰς ἔργα τινά. Prioris nimirum ordinis ſunt αἱ πράξεις, poſterioris αἱ ποιήσεις. Et vero ipſa vox ποιήσεως ſive effectionis intendit ἔργον aliquod: eoque ποίησις omnis & ars verſatur circa γένεσιν h. e. circa productionem alicujus operis. *Vid. l.* 6. *Nic. c.* 4. Illud opus vero omne non eſt aliquid ſtabile & palpabile, quale eſt domus τῆς οἰκοδομικῆς, ſed ſatis eſt, ſi ſit aliquid diſtinctum ab operatione ipſa: quomodo ſanitas efficitur & opus Gymnaſticæ & Medicinæ, victoria Artis militaris. Πρᾶξις ex adverſo non producit tale aliquod ἔργον, ſed ſeipſo eſt contenta.

§. 14. Hanc doctrinam Ariſtoteles confirmat etiam in Nicomachiis *l.* 6. *c.* 5. inquiens: τῆς ποιήσεως ἕτερον τὸ τέλος, τῆς δὲ πράξεως οὐκ ἀεί· ἔςι γὰρ αὐτὴ ἡ εὐπραξία τέλος. Idem hoc loco dicit Ariſtoteles, quod in Magnis Moralibus, modo nonnihil aliter quam fit vulgo ſermo legatur aut interpungatur. Ut enim vulgo legitur, Ariſtoteles videtur agnoſcere, interdum τῆς πράξεως ἕτερον εἶναι τέλος, perinde ut ſemper ſeſe habet περὶ ποιήσεως. Et vero ita acceperunt interpretes plærique, etiam Græci: adverſatur tamen iis, quæ ex Magnis Moralibus recitavimus & ipſi illi quod ſubjicitur in probationem ejus: ἔςι γὰρ ἡ αὐτὴ εὐπραξία τέλος: hoc enim nequaquam probat, interdum τῆς πράξεως ἕτερον εἶναι τέλος, ſed plane contrarium: nempe τῆς πράξεως alium finem non eſſe præter ipſam πρᾶξιν ſive εὐπραξίαν. Mendoſus igitur locus eſt. Et legendum, quomodo eſt in Baſileenſi Iſengrinii editione, inque ſuo veteri codice reperit Camerarius: τῆς δὲ πράξεως οὐκ ἂν εἴη· ἔςι γὰρ αὐτὴ ἡ εὐπραξία τέλος: Ut ſenſus ſit is fere, quem idem Camerarius Latine expreſſit: *Etenim in cæteris operibus quæ elaborantur faciendo, finis ab ipſa elaboratione diverſus, ſed actionum nullo modo.* Ut tamen paulo aliter vertenda ſint quæ ſequuntur, ita nempe: *Ipſi enim*, ſcil. operationi, *bonitas agendi finis eſt.* Vel vero interpungenda eſt oratio, aut in hunc modum: τῆς ποιήσεως ἕτερον τὸ τέλος, τῆς δὲ πράξεως οὐκ, ἀεί: *Effectionis alius eſt finis, actionis vero non, idque ſemper*: aut in illum: τῆς ποιήσεως ἕτερον τὸ τέλος, τῆς δὲ πράξεως οὐκ· ἀεὶ ἔςι γὰρ αὐτὴ ἡ εὐπραξία τέλος. *Effectionis alius finis, Actionis vero non. Semper enim eſt ipſa bonitas agendi finis.* Uno ſane horum modorum conſtat ſibi demum genuina Ariſtotelis ſententia.

§. 15. Et vero illam operationem omnem, quæ alium præter ſe finem ſpectat, ποίησιν: qui non ſpectat, πρᾶξιν Ariſtoteli eſſe; liquet etiam ex iis, quæ *l.* 1. *Politicor. c.* 4. diſſeruntur de diverſitate inſtrumentorum. Radium nimirum textorium eſſe inſtrumentum ποιητικὸν (quoniam ab illo aliud quid efficitur παρὰ τὴν χρῆσιν,) poſſeſſionem vero ſeu ſupellectilem domeſticam eſſe inſtrumentum πρακτικὸν, quia ut veſtis nullus alius ejus finis eſt præter uſum. Quod conſentaneum eſſe iis, quæ in Ethicis tradita erant ipſemet affirmat, ad Ethica illa provocans. Non aliter pene ab Alexandro Aphrodiſienſe acceptam Ariſtotelis ſententiam, liquet ex verbis, quæ ſupra §. 5. *h. c.* adduximus. *Effectivum* enim appellat, *cujus opus poſt actionem manet: Activum, cujus poſt actionem nihil ſupereſt.* Idem habent & alii interpretes, niſi quod Artes quaſdam activas agnoſcant; quod Ariſtoteli directa fronte adverſatur.

§. 16. Hæc vero quum ita ſeſe habeant, facile jam quoque apparet ἐνεργείας nonnullas, alias aliis ποιητικωτέρας eſſe: nempe quæ opus relinquunt ſtabile magis quam reliquæ ποιήσεις ſunt. Hinc exſtructio domus magis eſt ποίησις, quam ſaltatio: etſi hæc forte reſpiciat εὐεξίαν corporis: aut pulſatio citharæ, etſi reſpiciat voluptatem aurium. Quædam ſane ἐνέργειαι pene ἐπαμφοτερίζουσιν inter πράξεις & ποιήσεις: eoque nunc his, nunc illis accenſentur. Apparet hinc etiam fieri poſſe, ut eadem quodammodo operatio & πρᾶξις & ποίησις ſit, pro diverſa finis ratione. Eadem ajo quodammodo: accurate enim ſi loquaris, revera non eſt eadem, utpote cum fine diſtinguantur, fini autem potiſſimum eſſentiam ſuam operatio quæque debeat. Juſtitiam enim exercere alter poteſt lucri cauſſa aut honorum, alter ipſiuſmet ergo juſtitiæ & amore virtutis: quorum prior eo ipſo efficit ſibi divitias, poſterior exercet & πράττει virtutem. Unde porro conſequens eſt, Artem & Prudentiam, quarum illa circa τὰς ποιήσεις, hæc πράξεις occupatur, etſi maxime ſcopo differant, fieri tamen interdum poſſe, ut quodammodo Ars & Prudentia unum idemque operetur. Ex his quoque lucem accipit Ariſtotelis doctrina, cum alia, tum illa quam habet lib. IIX. Polit. c. 6. ubi ingenuum & ad optima quæque educandum juvenem negat in Muſicis inſtituendum eſſe τεχνικῇ παιδείᾳ. Τεχνικὴν δὲ, ait, τίθεμεν τὴν πρὸς τοὺς ἀγῶνας· ἐν ταύτῃ γὰρ ὁ πράττων οὐ τῆς αὐτοῦ μεταχειρίζεται χάριν ἀρετῆς, ἀλλὰ τῆς τῶν ἀκουόντων ἡδονῆς. Verum hæc plenius agere non eſt hujus loci.

§. 17. Denique quod *Tertium* attinet, longe veriſſima ſunt & recepta omnium conſenſu, quæ diximus: Artem nempe & Prudentiam intime includere univerſalium τῶν ποιητῶν & τῶν πρακτῶν notitiam. Fatemur tamen, utramque ſimul etiam ad ſingularia pertingere, imo horum gratia potiſſimum utramque comparari. Et vero de Prudentia id aperte dicentem Ariſtotelem jam tum audivimus. Non difficulter autem etiam de Arte, ex iis, quæ ille diſſerit, licet colligere. Artem enim utique operatricem vult eſſe & verſari περὶ γένεσιν: quum conſtet, effectionem omnem perinde ut actionem reapſe eſſe aliquid τῶν καθ' ἕκαςα. Igitur non profecto ſola Univerſalium, ſed & ſingularium τῶν ποιητῶν notitia Artem aliquam plene abſolvit. Unde Ariſtoteles *l.* 6. *Ethic. c.* 4.

Digitized by Google

*c.4.* ἔστι δὲ τέχνη πᾶσα περὶ γένεσιν, καὶ τὸ τεχνάζειν καὶ θεωρεῖν ὅπως ἂν γένηταί τι τῶν ἐνδεχομένων εἶναι καὶ μὴ εἶναι. Idem in Metaphyſicis *l. 7. c. 23.* volens oſtendere omnia, quæ ab Arte fiunt, fieri quaſi ab illa idea operis, quæ mente concepta eſt; ſcribit de Artium motionibus: τῶν δὲ γενέσεων καὶ κινήσεων, ἡ μὲν νόησις καλεῖται, ἡ δὲ ποίησις· ἡ μὲν ἀπὸ τῆς ἀρχῆς καὶ τοῦ εἴδους νόησις, ἡ δ᾽ ἀπὸ τοῦ τελευταίου τῆς νοήσεως ποίησις. Nec vero huic contradicunt ea, quæ ſupra attulimus, quibus Ariſtoteles ab Arte viſus eſt conſtanter excludere omnem ſingularium notitiam. Alia ſcil. ratio eſt Artis, quatenus illa docetur & diſcitur; alia quatenus opus ſuum exercet. Vel ut ſcholarum vocabula abhibeamus: Alia eſt ratio Artis docentis, alia utentis. Prior in ſolis univerſalibus occupatur: Poſterior ſine ſingularium notitia omnino eſſe nequit. Ariſtoteles vero illis quæ adduximus locis agit de Artibus, quatenus doctrinæ partes ſunt, non autem quatenus in uſum transferendæ. Nec vero mirum eſſe debet Artem & Prudentiam in univerſalibus pariter & ſingularibus occupari, quum idem faciat Intellectus practicus: quod dudum jam Ariſtoteles quoque monuit illo decantato ſexto Nicomachiorum libro cap. XII. Verum etiam hoc ex dignitate agere non eſt hujus loci.

§. 18. HISCE autem erroribus jam profligatis non fortaſſis adeo eſt difficile amplius, id quod inſtituimus præſtare, hoc eſt juſto aptoque cognomento Politicam illam accuratiorem notitiam ornare, & collocare loco digno. Igitur *Scientiæ* quidem nomen haud ſane dubitamus illi attribuere: quandoquidem de civilibus licet univerſim multa per demonſtrationes aſſequi, ceu præcedente capite oſtendimus, eaque vi noſtri intellectus a ſingularibus actibus abſtrahere: qualia ſunt ἐπιστητά. Quoniam tamen civilia plæraque non aliam habeant neceſſitatem, quam illam, quæ ex hypotheſi eſt, atque adeo de reliquo illa ſint contingentia, contingentium autem non poſſit dari certa ſcientia; manifeſtum hinc eſt, non aſſequi Politicam illum gradum Scientiæ, quem obtinent Mathematicæ, aut etiam theoreticarum reliquæ. Hæ quippe verſantur circa ea, quæ ſimplice & abſoluta pollent neceſſitate, atque adeo demonſtrationibus nituntur cathegoricis, ſaltim maxima ex parte. Ad illarum igitur naturam expenſa Politica non meretur, abſolute quidem, Scientia appellari. Quin ex hypotheſi tamen eam mereatur, non eſt quod dubitemus. Accedit quod civilium rerum ſola θεωρία raro quenquam afficiat, & fortaſſis haud multum adeo ſit digna, cui operam prudens aliquis ſtudiorum diſpenſator impendat. Hinc vero fit, ut plærumque notitia illa ad τὴν πρᾶξιν referatur, atque adeo ſimul involvat methodum agendarum rerum. Hoc autem nonnihil alienius eſt a natura Scientiæ, utpote quæ ad talia ſeſe haud queat dimittere propter objecti incertitudinem, quam Scientia non patitur. Eſt igitur quidem accuratior Politica illa Scientia quædam: non tamen pari cum Mathematicis aliisque theoreticis dignitate.

§. 19. Ut Scientiæ autem nomen illi indamus, præivit nos ſummus dicendi docendique magiſter ille noſter Ariſtoteles. Locutus ſane ad eum modum & Ariſtoteles eſt non ſemel. Etenim initio Nicomachiorum non obſcure illam appellitat ἐπιστήμην ἀρχιτεκτονικήν. Ipſo lib. VI. ubi quam accuratiſſime voces illas exponit, cap. 7. ἐπιστήμην πολιτικὴν memorat diſtinctim ἀπὸ τῆς φρονήσεως, qua voce κατ᾽ ἐξοχὴν ethice audit. Lib. etiam IV. Polit. c. 1. ſcribit diſertis verbis: τῆς αὐτῆς ἐπιστήμης *eſſe deſcribere & optimam rempubl. & quæ maxime ſit ex voto, & quæ quibus conveniat.* (*a*) Alia loca adducere non attinet. Omnino vero huc pertinet excuſatio, quam prolixiori de rerumpubl. differentiis doctrinæ præmittit lib III. Polit. c. 5: Τῷ δὲ περὶ ἑκάστην μέθοδον φιλοσοφοῦντι καὶ μὴ μόνον ἀποβλέποντι πρὸς τὸ πράττειν, οἰκεῖόν ἐστι τὸ μὴ παρορᾶν μηδέ τι καταλείπειν, ἀλλὰ δηλοῦν τὴν περὶ ἕκαστον ἀλήθειαν. His ſane verbis aperte ſignificat, Politicam omnem non unice τὴν πρᾶξιν ſpectare, ſed habere aliquid θεωρητικὸν, quod tamen in doctrina Politica negligi non debeat, ſed accurate tradi. Similiter l. 1. Polit. c. 11. quum de omni arte χρηματιστικῇ prolixe egiſſet, ſubjungit: Ἐπεὶ δὲ τὰ πρὸς τὴν γνῶσιν διωρίκαμεν ἱκανῶς, τὰ πρὸς τὴν χρῆσιν δεῖ διελθεῖν· πάντα δὲ τὰ τοιαῦτα τὴν μὲν θεωρίαν ἐλεύθερον ἔχει, τὴν δ᾽ ἐμπειρίαν ἀναγκαίαν. Unde itidem patet, theoreticum aliquid occurrere in doctrina Politica, quodque proxime ad τὴν πρᾶξιν non faciat. Proxime inquam: revera enim nihil non iſtuc facit, etſi non æque proxime; quod enim nullo modo uſui civili inſervit, non etiam eſt Politici argumenti. Indubie porro etiam Politica in animo fuit Ariſtoteli, quandocunque agnovit ἐπιστήμας πρακτικάς: agnovit autem ſæpius, ceu liquet ex iis dictis, quæ non multum ante attulimus in medium. Ut proinde & illa dicta merito queant huc transferri, ſi opus ſit.

§. 20. Si Politica autem Scientiæ nomen meretur, patet utique liquido, Juris quoque aut Legum Scientiam aliquam dari, non immerito a nonnullis aſſeri. Enimvero non quidem eo nomine dignabimur temere quamlibet plebeiam, aut quæ totam ſe occupat in legibus unius alicujus ſingularis reipubl. qualis fuit romana. At vero generaliorem illam, quæ circa leges omnium reipubl. ſpecierum verſatur, modo ex iis, quibus par eſt fontibus & accurata ratione accipiatur, quum ſit pars Politicæ, ut ſupra docuimus, itidem veram aliquam eſſe ſcientiam, nihil eſt, quare negemus.

§. 21. *Sapientiæ* appellatione neutiquam dignam eſſe Politicam, ipſemet Ariſtoteles *l. 6. Nicom. c. 7.* demonſtrat, quando oſtendit diſcrimen, quod eſt inter Sapientiam & Prudentiam; idque eo maxime argumento, quod ſapiens occupetur in eo, quod eſt præſtantiſſimum, cujusmodi non ſunt res humanæ. Et vero ſaltim res civiles non ſunt omnium optimæ: ac proinde hactens profecto earum cognitio non meretur Sapientia appellari, utpote quum ipſa moralis philoſophia objecti nobilitate Politicen antecellat. Cæterum vox Sapientiæ a quammultis accipitur pro quavis

(*a*) *Quibus conveniat.*) Libro etiam I. Rhetoric. cap. 4. agens de iis, quæ in civilem veniunt deliberationem, ait illorum conſiderationem relinqui τῇ πολιτικῇ ἐπιστήμῃ. CONRING.



Digitized by Google

vis præſtante cognitione, & quidem cumprimis earum rerum, quæ homini agendæ veniunt. Et vero ea ſignificatione vox illa accipitur, non a Stoicis tantum, ſed etiam a ſacris ſcriptoribus paſſim, ut vel ex uno Salomonis encomio & libello Siracidæ palam eſt. Neque quiſquam temere negaverit ea ratione Politicen Sapientiæ titulo haud indignam eſſe, etſi minus quam Ethicen. Politicen inquam h. e. accuratam regendæ reipublicæ notitiam, ſapientiam quis haud immerito hac ſignificatione appellaverit.

§. 22. Nequaquam enim propterea, quod priſci Romani σοφὸν aut *Sapientem* ſuum Sempronium ob romanarum legum & Actionum juris, quæ appellabantur, cognitionem cognominare non dubitaverint, (*a*) nos etiam Politicis noſtris *Sapientum* nomen jure deberi aſſeruerimus. Reapſe enim omnis illa peritia a ſapientiæ laude plurimum abfuit. (*b*) Etenim & tenuis fuit, ſi objectum videas, & plus habuit ineptiarum, quam recti & veri. Et vero quamdiu callide Juris illæ Actiones celatæ ſunt olim tanquam in ſacris, rudis plebs romana magnum credidit in iis myſterium aliquod ſapientiæ latitare: at ſimul illæ in lucem cœperunt protrahi, juſto pretio æſtimata omnia eviluerunt; eoque Sempronium σοφῦ cognomento neminem illorum Juriſconſultorum plebs ipſa dignata eſt, quod Pomponius quoque annotavit, *l. 2. ff. de orig. jur.* etſi ille cauſam rei vel aſſecutus non ſit, vel diſſimulaverit. Verum non paſſus eſt eam nos latere Marcus Tullius. Hinc ea oratione, qua Murenæ cauſſam defendit contra Servium Sulpitium magni nominis Juriſperitum, ſcribit: *Dignitas in tam tenui Scientia, quæ poteſt eſſe? Res enim ſunt parvæ, prope in ſingulis literis atque interpunctionibus occupatæ* (talis ſc. erat tum Legum Decemviralium interpretandi ratio.) *Deinde ſi quid apud majores noſtros fuit in iſto ſtudio admirationis, id enunciatis veſtris myſteriis totum eſt contemptum & abjectum. Poſſet agi lege necne, pauci quondam ſciebant: Faſtos enim vulgo non habebant. Erant in magna potentia, qui conſulebantur, a quibus etiam dies tanquam a Chaldæis petebantur. Inventus eſt ſcriba quidam Cn. Flavius, qui cornicum oculos confixerit & ſingulis diebus ediſcendos faſtos populo propoſuerit, & ab ipſis cautis Iurſiconſultis eorum* Sapientiam *compilarit.* Addit mox Cicero, *pervulgata dierum ratione*, excogitatas a Juriſconſultis arcanas *notas* aut formulas agendi: etſi & has a Cneo Flavio ſcribat Pomponius populo proditas. Illarum quum ridiculum ſpecimen unum & alterum attuliſſet Cicero, ſubjungit: *Quæ dum erant occulta, neceſſario ab eis, qui ea tenebant, petebantur; poſtea vero pervulgata atque in manibus jactata & excuſſa inaniſſima prudentiæ reperta ſunt, fraudis autem & ſtultitiæ pleniſſima.* Et ſane ſaltim jus illud formularium nemo bonus aut intelligens non rideat & explodat. Imo in univerſum recte Cicero: *Sapiens exiſtimari nemo poteſt in ea prudentia, quæ neque extra Romam uſquam, neque Romæ rebus prolatis* h. e. evulgatis, *quidquam valet*, qui non multo poſt *Sapientiam* talem, recte itidem ait, eſſe *verboſam ſimulationem prudentiæ.* Nec vero quicquid id eſt peritiæ, non eſt plenum ſtultitiæ & inanis faſtus, eoque indigniſſimum, quod *Sapientiæ* titulo gaudeat. Tantum abeſt igitur, ut ab exemplo illo juriſperitiæ romanæ veteris *Sapientiæ* titulum Politicæ dandum cenſeamus, ut potius cavendum ſit, ne illo exemplo motus quiſpiam *Sapientiæ* titulum Politicæ deneget. Et vero etiam hoc iniquum fuerit, utpote quum Politica longiſſimo intervallo, & amplitudine pariter dignitateque objecti, & accurata docendi ratione illam formulariam Sapientiæ ſimulationem exſuperet.

§. 23. Porro, ſi *Ars* eſt, quæ opus efficit permanens, poſſit exiſtimari & Politica Ars eſſe: utpote quum reſpubl. non minus ſit opus aliquod permanens atque ſanitas humana, quam effici ab arte medica omnes conſentiunt. Plato porro in dialogo, cui Politico nomen eſt, βασιλικὴν καὶ πολιτικὴν τέχνην agnoſcit. Ariſtoteles quoque *l. VI. Polit. c. 5.* τὸ τεχνάζειν uſurpat de civilibus ſophiſmatibus quæ appellantur. Obſcure idem *lib.* II. *Polit. c.* 8. Politicam videtur accenſere artibus. Cæterum Platonis quidem teſtimonium non eſt, quod nos moveat: usque enim adeo ille abuſus in dialogo illo eſt voce Artis, ut contemplativas quoque ſcientias ea comprehenderit, perinde ut a Quinctiliano, Galeno, Luciano & aliis factum eſt. Ab Ariſtotele Artis titulum Politicæ eſſe inditum *lib.* II. *Polit.* non ſane liquet: imo videtur potius ſcientiam ibi appellatam. Perperam item reſpublica creditur opus eſſe tale, quale eſt ſanitas. Etenim reipublicæ eſſentia in operationibus civilibus conſiſtit: quas edit quidem Politica, ſed non efficit tanquam opus a ſeſe diſtinctum. Itaque Artis definitio Ariſtotelica neutiquam poteſt Politicæ Ariſtotelicæ quidem convenire, quum πρακτικὴ ſit potiore ex parte, non autem ποιητική. Hinc nec ſimpliciter operationes Politicas Artis operationibus recte annumeraveris, niſi forte per aliquam μεταφορὰν. Et vero hoc modo τὸ τεχνάζειν ut & τέχναι tribuitur Politicis nonnullis: quod nimirum & hi ad modum peritorum artificum multa excogitent ad ſcopum ſuum obtinendum. Certe etſi non ſimpliciter tota Politica jure ac proprie Ars dici poſſit, ex parte tamen Artem imitatur: quoniam leges quaſi opus queunt videri νομοθετικῆς, & ſententiæ ac decreta τῆς δικαστικῆς; haud multo minus, quam ſyllogiſmus eſt opus Dialecticæ, & oratio opus Rhetoricæ.

§. 24. Rectiſſime omnium *Prudentiæ* nomine poteſt audire illa noſtra, qua de agimus, accuratior civilium rerum cognitio. Is omnis enim mentis habitus, qui deſpicit, quid rebus humanis expediat, omnium conſenſu Prudentia audit: Philoſophis item univerſis Prudentia nuncupatur, quæ circa τὸ πρακτὸν occupata, quid agendum omittendumve ſit diſquirit & ſciſcit. Jam vero Politice de iis quæ ſocietati civili hominum expediunt, aut de bonis civilibus, unice agit: talia vero ſunt non ποιητὸν ſed πρακτὸν. Nec vero leges condit Politicus tanquam verum aliquod opus; ſed operis tantum illæ ſpeciem aliquam habent; cum reapſe nihil ſint aliud, quam propoſitiones πρα-

(*a*) *Dubitaverint.*) Aut ut in Ciceronis Lælio dicit Fannius, L. Acilium *Sapientem* appellatum, quia prudens eſſe in iure civili putabatur. CONRING.

(*b*) *Abfuit.*) Quantumvis Craſſus *ſapientes* illos Romanos nihil ignoraſſe profiteatur, quos tum quidem civitas ageret. CONRING.

Digitized by Google

πρακτικαὶ, de iis nempe, quæ agenda ſunt omittendaque. Nec ſatis eſt Politico ſi bonæ leges ſint in republ. latæ, ſed quam maxime ille dat operam, ut eædem uſu ipſo obſerventur. Secus quam ſeſe res habet de Rhetore & Logico. Rhetor enim ſi teneat modum conficiendi orationem aptam ad perſuadendum: & Logicus ſi itidem noverit ſyllogiſmi artificium, jam ſatis officio ſuo fecit; nec ab Oratore amplius quid exigas poſteaquam perſuaſit.

§. 25. Non derogat quoque Politicæ titulum Prudentiæ, quod tantum illa hæreat in univerſalibus, cum tamen Prudentia ad ſingularia quoque ſeſe demittat. Fatemur quippe & ipſi: Rerum civilium illam ἀκροαματικὴν peritiam, qua de nunc agimus, non in ipſis ſingularibus occupari, ſed in communi res civiles tractare: attamen & illa, ſi omnibus eſt numeris perfecta, conjuncta eſt cum aptitudine bene conſulendi ſingularibus rebus civilibus, quæ offeruntur. Talis inquam eſt ſi ſit abſoluta. Si deſit enim illa aptitudo, ut ſit interdum quando non eſt ſatis perfectus ille mentis habitus, tum vero nec ipſi Prudentiæ nomine illam honoraverimus ſed forte Scientiæ: in quam ſententiam nonnulla jam capite tertio §. 5. 11. 13. & 14. de varia juris peritia diſſeruimus. Et vero talis aptitudo ſatis eſt ad tuendum titulum ſive Prudentiæ ſive Artis. Is ſane uſus loquendi obtinet apud omnes doctos indoctosque: utpote qui nemine excepto Artium peritos illos dicant, qui communi illa notitia imbuti ſimul idonei ſunt artem facere: & Prudentes vel Prudentia inſtructos laudent illos, qui negotiis humanis expediendis ſunt pares. Certe ſi ad Prudentiæ aut Artis titulum exigas ſingularium notitiam, nulla uſpiam plena ſive Ars ſive Prudentia reperitur, nec poteſt comparari: cum ſingularium numerus ſit infinitus, τὸ δὲ ἄπειρον ἄγνωστον, ut recte loquitur Ariſtoteles *l.* 1. *Phyſ. c.* 3. Abſurdum autem dictu eſt, Artem & Prudentiam non niſi vana eſſe nomina & reapſe nusquam dari, & nunquam comparari poſſe. Nec fraudamus tamen Prudentiæ titulo illam in ſingularibus hærentem; imo eam proxime jam πρακτικὴν eſſe affirmamus cum Ariſtotele. Verum tamen non niſi germen illa eſt univerſalioris Politicæ doctrinæ: hæc quippe quaſi pro radice eſt omnium illarum numero infinitarum in ſingularibus hærentium politicarum.

§. 26. Quemadmodum porro plena perfectaque rerum agendarum univerſalis cognitio involvit quaſi ſinu ſuo aptitudinem univerſalia illa ſcita in uſum transferendi; ſic eadem ſimul & voluntatis aſſenſum (ut ita loquar) quaſi ſecum trahit. Is enim, qui ſerio probat quæ agenda ſunt omittendaque, is ſimul eadem vult agere, ſi poſſit: Si nolit, non plene quoque illa intellectus aſſenſu comprehendit; quod jamdudum præclare Ariſtoteles docuit *l.* 6. & 7. *Nicom.* Fatemur igitur & nos, ſi non comitetur conſtans voluntas res civiles ſecundum ſcita Politica adminiſtrandi, tum nec Prudentiam, exacte ſi velimus loqui, civilem adeſſe, etſi forte adſit ſcientia. Forte inquam: reapſe enim nec illa poteſt plena eſſe & perfecta, ſi deſit officio voluntas: prout modo diximus, ſed nonnihil degenerat tum a ſeipſo per aliquam inadvertentiam ipſa ſcientia.

§. 27. Dixi porro, rem ita ſeſe habere, ſi exacte velimus loqui. Fatemur quippe, illam exactam loquendi rationem ſi non obſervemus, aliquatenus tamen etiam ſine illa voluntatis probitate Prudentiæ nomen poſſe ſupereſſe. Omnis quippe mentis habitus poteſt conſiderari, nunc in actu primo, nunc in actu ſecundo: eoque fieri poteſt, ut actui ſecundo vitium aliquod inſit, quo minus ille adſit, ſalvo tamen actu primo. Igitur ut interdum non adſit Prudentia in actu ſecundo per vitium aliquod voluntatis, nihil prohibet tamen integrum eſſe actum ejus primum. Quamquam nec is ſit integer, ſi voluntas omnino reluctetur omnibus veræ Prudentiæ Civilis monitis.

§. 28. Etſi vero Prudentia ſit Politica noſtra, non tamen exhaurit omnem Prudentiæ amplitudinem. Nec enim Politica agit de omni humano bono πρακτικῷ ſed de ſolis negotiis civilis ſocietatis: prout jam ſupra cum alias paſſim tum præcipue capite ſexto §. 7. plene conſtituimus. Non niſi ſpecies igitur quædam eſt Prudentiæ Politica, aut ſi mavis integri Prudentiæ corporis pars aliqua.

§. 29. *Primum* videlicet, omnes Prudentiæ ſpecies ita cohærent, ut earum præcepta poſſint ad omnibus communes & generales regulas revocari; quarum comprehenſio merito dici poſſit Prudentia generalis. Differt vero ab generali hac Politica non minus atque Ethica & Oeconomica; eoque tametſi utatur illis communibus ſcitis generalis Prudentiæ, tamen ſolis civilibus rebus applicans efficit ſibi proprias. Speciales porro prudentiæ, quales ſunt Moralis, Domeſtica, Militaris, aliæque, plane diverſæ ſunt ipſo objecto ſuo a Politica aut civili. Quod quoniam prolixe jam tum ſupra oſtenſum a nobis eſt, nolumus illis nunc inhærere.

§. 30. Cum vero Politica, nonniſi illa ſpecies ſit Prudentiæ, quæ circa civitatem occupatur, fatendum omnino nobis venit, minus huic Prudentiæ titulum convenire quam Ethicæ; utpote quum ex communi hominum uſu illi potiſſimum habeantur & ſint Prudentes, qui ſibi recte ſapiunt, quales utique ſunt Ethici, alii vero potius cenſeantur πολυπράγμονες: quod ipſum jam tum olim monuit Ariſtoteles *l.* 6. *Ethic. c.* 8.

§. 31. Manifeſtum *porro* eſt ex iis quæ jam diximus, quum in civilibus negotiis occupata Prudentia alia ſit univerſalis, alia magis ſingularis; illam qua de nunc agimus eſſe illam Prudentiam civilem univerſalem. Altera enim illa eſt ea, quæ jam in uſu ipſo civilium negotiorum verſatur, cujus naturam infra ſigillatim explicabimus. Appellaverunt autem veteres Græci eam potius νομοθετικὴν; ut alteram illam in actu ipſo rerum verſantem κατ᾽ ἐξοχὴν maluerunt πολιτικὴν vocare. Nec tamen hoc voluerunt, quaſi vel duntaxat περὶ νομοθεσίας, reliquis omnibus ſepoſitis, illa agat (qua ſc. cautione & quænam leges ſint novæ condendæ, abrogandæ veteres) vel ad ſolam illam

omnis

Digitized by Google

omnis νομοθεσία pertineat: id quod quidam exiſtimaverunt. Nam & hoc ex parte ad particularem illam prudentiam pertinet & quidem eam quæ βουλευτικὴ deliberativa dicitur: cum utique in ſingulis rebuspubl. deliberationes frequenter inſtituantur de legibus ferendis, eoque ab Ariſtotele inter argumenta deliberationum civilium in Rhetoricis numeretur νομοθεσία. Sed & in Politicis utique noſtris & de bello ac pace, & de exportandis importandisque, & de vectigalibus, & de cuſtodia civitatis agendum omnino eſt, præterea de judiciis deque conſilio aut ſenatu dicendum, quo pacto omnia hæc inſtitui debeant variis modis ſecundum omnia diſcrimina civitatum & rerumpublicarum. Etſi enim in Politico opere ariſtotelico non niſi obiter iſthæc tangantur, unice tamen ad Politicam pertinet omnis hæc doctrina, in quantum ſane de iis univerſaliter aliquid ſciri poteſt. Legiſlatoria vero dicta eſt olim noſtra hæc Politica, quod dum in genere docet, quid agendum omittendumve in omni republica, eo ipſo quaſi leges præſcribat omnibus rerumpublic. actibus, de quorum multis tamen proprie dictas leges nullas ferri, intereſt civitatum. Imo multa legibus vinciri nequeunt, ut alibi late oſtendimus.

§. 32. Non abit hæc doctrina noſtra ab iis, quæ Ariſtoteles docuit ipſo libro Nicomachiorum ſexto, etſi illa nonnihil ſint obſcuriora. Agnoſcit enim ille diſerte Prudentiam civilem aliquam ὡς ἀρχιτεκτονικὴν, quæ ſit νομοθετικὴ, eamque diſtinguit ab illa quæ eſt ὡς τὰ καθ' ἕκαστα, eſtque jam πρακτικὴ propterea, quod hae inſtructi, ſoli operentur ὥσπερ οἱ χειροτέχνοι. Unde patet, illam ἀρχιτεκτονικὴν & νομοθετικὴν civilem prudentiam Ariſtotelis, non in ipſo actu rerum verſari, ſed hærere in univerſalibus. Idque præclare aſſequutus eſt doctiſſimus paraphraſtes Græcus. Eoque ſcribit: *Prudentiam aliam ſingularium eſſe aliam univerſalium, eamque eſſe,* καθάπερ ἀρχιτεκτονικὴν. ἡ γὰρ τὰ καθόλου εἰδὼς πρὸς τὸν ἔμπειρον ὥσπερ ἀρχιτέκτονος ἔχει λόγον: *qui novit univerſalia, architecti inſtar ſe habet ad experientia præditum.* Non multo poſt, verba ejus hæc ſunt; prout quidem illa Latine reddidit Daniel Heinſius. *Rurſus in Civili* (τῆς δὲ πολιτικῆς) *alia eſt architectonica quaſi prudentia, quæ Legalis* (νομοθετικὴ) *dicitur: alia ſingularis* (ἡ δὲ μερικὴ) *quæ eſt ſub illa, & Civilis dicitur. Civilem jam dico, quæ in agendo occupatur & conſultando, quæque in decretis* (ψηφίσμασι) *verſatur actionibusque. Ad actionem enim decreta quoque pertinent.* (τὰ γὰρ ψηφίσματα πρακτικά εἰσιν) *Non quemadmodum prima quidem quam architectonicam dicimus, prudentia, ſed quemadmodum extrema, quæ proprie quoque activa eſt. Ideoque hos ſolos in republica verſari dicunt, & in quo illi verſantur, rempubl. vocant: quia hi ſoli agunt inter prudentes, quemadmodum manu artifices. Hi enim ſoli agunt proprie. Architecti quippe, quia actiones dirigunt, ſolum modo agere dicuntur, proprie tamen* (non ſunt πρακτικοί) *non agunt:* Perperam profecto illi interpretantur Ariſtotelem, qui architectonicam illam exiſtimant eſſe itidem prudentiam aliquam ſingularem, ſed quæ occupetur circa ſummam ſive τὸ κύριον reipubl. alicujus ſingularis. Ita enim & illa fuerit μερικὴ, & proprie πρακτικὴ, conditrixque ψηφισμάτων: qualem eſſe ſuam ἀρχιτεκτονικὴν diſerte Ariſtoteles negat. Ex iis porro, quæ ſub finem operis Nicomachii diſſeruntur palam eſt, Politicam doctrinam univerſalem ab Ariſtotele νομοθετικὴν appellari. Quo loci etiam occurrit, νομοθετικὴν eſſe partem Politices: quod quemadmodum ſit accipiendum ex doctrina libri ſexti eſt manifeſtum. Politicæ nimirum vocabulo venit omnis circa rempublicam occupata peritia, Univerſalis & Particularis; hujus pars eſt νομοθετικὴ, univerſalis nimirum. Omnia ſane hæc liquida ſunt, ſi paraphraſin Græcam itidem conſulamus; cujus verba tamen omnia transſcribere vetat brevitatis ſtudium.

§. 33. HISCE vero ita expeditis videndum jam porro eſt idque paucis, num Politica noſtra præſtet Morali Prudentiæ, & utra earum magis ſit ἀρχιτεκτονικὴ. Ac Politicam quidem magis ſplendidam eſſe, magisque oculos hominum perſtringere quam Moralem, videtur carere controverſia. Moralis enim uni alterique homini conſulit, at Civilis integræ reipublicæ, adeoque corpori magno, amplo, forti, & honorato. Ariſtoteles quoque Politicam Morali non uno loco diſertis verbis videtur præferre, imo hanc commendare, quaſi ſimpliciter ſit ἀρχιτεκτονικὴ.

§. 34. Cæterum Ariſtotelem ita judicaſſe, non quidem negaverimus. Factum autem illud eſt errore quodam, quod exiſtimaverit extra civilem ſocietatem non poſſe hominem ſuæ felicitatis eſſe participem, ac proinde Ethicam ipſam partem ſive miniſtram eſſe Politices: quem errorem nos jam ſupra capite ſexto confutavimus. Eſt porro quidem Politice directrix & ἀρχιτεκτονικὴ omnium artium & ſcientiarum, quæ in civitate poſſint aut debeant exerceri, non niſi hactenus tamen; quatenus ſcilicet illæ uſum inveniunt in civili ſocietate. Bene videlicet Ariſtoteles de Politica ſcribit: τίνας εἶναι χρεὼν τῶν ἐπιστημῶν ἐν ταῖς πόλεσι, καὶ ποίας ἑκάστους μανθάνειν, καὶ μέχρι τίνος, αὕτη διατάσσει. ὁρῶμεν δὲ καὶ τὰς ἐντιμοτάτας τῶν δυνάμεων ὑπὸ ταύτην οὔσας· οἷον στρατηγικὴν, οἰκονομικὴν, ῥητορικὴν. *Quas in civitatibus ſcientias eſſe oporteat, & quas quisque diſcere debeat, & quatenus, ſeu usque ad quod tempus, ea ſtatuit. Facultates autem etiam eas, quæ ſummo in honore ſunt, ut artem imperatoriam, & tuendæ rei familiaris & bene dicendi, huic eſſe ſubjectas videmus.* Græcus paraphraſtes hoc ſenſu illa illuſtrat. *Politica aliis ordinem ſuum tempusque præſcribit artibus. Etenim & quas eſſe in Urbibus & quas a quibus hominibus diſciplinas & quousque diſci oporteat, diſpicere unius Politicæ eſt. Sola enim Politica & inutiles ex urbe reiicit, nec eas, quæ ſunt utiles ut diſcantur ab omnibus aut exerceantur permittit. Siquidem nec eum qui imperare poteſt aut ſervare rempubl. coriarium eſſe ſinit: nec eum qui melius inter milites verſatur ad imperatorium munus vocat. Sed & tempora maxime exercendis idonea artibus deſignat: ne quis exempli gratia, cum præſtat quieſcere ducat exercitum.* Omitto reliqua, quandoquidem jam tum ſupra c. 6. §. 7. illa ex parte allata ſunt in medium.

§. 35. Igitur hactenus quidem omnino eſt Politica artium ſcientiarumque omnium architectonica, adeoque hactenus eam cum Platone *in Theage omnium reginam atque principem*, vocare non

non dubitamus: non tamen Ariſtoteli *Nicom. c. 2.* aſſentiri poſſumus, Politicam eſſe ſimpliciter κυριωτάτην καὶ μάλιστα ἀρχιτεκτονικήν. Nec enim hæc dignitas videtur competere, niſi ſoli illi, quæ circa felicitatem humanam occupata eſt. Hæc ſola enim omnes artes & ſcientias valet expendere, quantum quæque illarum felicitati humanæ proſit aut obſit. Hoc autem præſtare eſt in officio unius moralis prudentiæ, Et vero hujus etiam eſt diſpicere, num civilis ſocietas, & in quantum proſit felicitati humanæ; atque adeo num & in quantum utilis ſit civilis ſocietatis rectrix prudentia Politica. Enim vero eſt & Politici expendere, an & quem uſum civili ſocietati præſtent ea, quæ in Moralibus diſcuntur; num ſcilicet & in quantum legibus illa poſſint civilibus definiri: Majoris tamen omnino eſt operæ ad felicitatem ipſam humanæ vitæ aliquid exigere, quam ad uſum civitatis. Quod ſane ad felicitatem juvat, illud ſimpliciter utile eſt; quod non niſi civitati prodeſt, id tantum utile eſt κατά τι.

§. 36. VERUM de hiſce forte plus ſatis. Concludemus hanc diſputationem omnem, ubi paucis diſceptaverimus, num civilis hæc prudentia Philoſophiæ nomen mereatur, a ut num Philoſophiæ aliqua pars ſit, nec ne. Non dignam eſſe eam iſthoc cognomento, indubie olim judicavere, qui Philoſophiam omnem naturalium rerum contemplatione definierunt. Etiam Epicuri aſſeclarum eadem fuit ſententia, quando in voluptate & otio vitæ felicitatem poſuerunt: nec enim aſſequi eam licebit reipublicæ adminiſtratione, ut quæ laborioſa ſit & multum moleſta, eoque nec adminiſtrandæ reipubl. prudentia fuerit pars ſapientiæ, quæ hominem felicem reddat. Longe plurimorum tamen alia plane mens fuit: cui & nos calculum addere haud dubitamus, non tamen ſine aliqua addita limitatione.

§. 37. Ponendum igitur ante omnia eſt extra controverſiam, & tanquam diſceptationis hujus primum quaſi fundamentum; Philoſophiam non eſſe quarumlibet rerum vel quamlibet ſcientiam, ſed eam demum, quæ certa eſt, & earum rerum, quarum cognitio animum hominis beatiorem reddit. Jam vero fatemur quidem, civilem ſocietatem non ſimpliciter ad beatitudinem vitæ humanæ facere, ac proinde non ſimpliciter quoque animum felicem reddi regendæ illius ſocietatis peritia.

§. 38. Ut nunc tamen vulgo vivitur, atque ut nunc ſunt tempora, ſine civilibus inſtitutis atque extra civilem ſocietatem miſera eſt vita: ac proinde intereſt hodie humanæ felicitatis tenere prudentiam recte gerendæ civilis vitæ, utpote quum regere illam nequeas, niſi prudentia inſtructus. Eſt igitur Politica hodie jure merito Philoſophiæ pars: non ſimpliciter tamen, ſed tanquam ex eventu quodam. Atque adeo eſt illa & hac parte morali prudentia inferior: utpote quo ſimpliciter ignorari nequeat abſque felicitatis diſpendio.

§. 39. Vereor, ut hoc accurate ſint aſſecuti illi omnes, qui civilem hanc ſcientiam & olim magni adeo fecere, & nunc inter prima numerant. Imo Ariſtotelem, qui intra civilem ſocietatem omnem humanam felicitatem limitat, aliter nonnihil ſenſiſſe certum eſt. Quicquid ſit, illi omnes ſaltim ex parte ſententiæ noſtræ acceſſerunt, qui ſapientiæ aut philoſophiæ cognomento civilem prudentiam honoraverunt.

§. 40. Fecerunt autem hoc ipſum non duntaxat ſcholæ quædam ſapientum aut philoſophorum Græciæ, ſed etiam omnes in univerſum moratiores gentes, idque omnibus pene ſeculis.

§. 41. Illi ſane populi, ut & alii quivis, qui prudentia hac pollere viſi ſunt, in ipſo ſacro codice ſapientes audiunt. Tyriorum & Sidoniorum hoc elogium in Zachariæ cap. 9. ut & Ægyptiorum paſſim in propheticis ſcriptis legere eſt. Nec alia fuit ſapientia, quam a ſummo numine ſibi Salomon expetiit rex juvenis. Imo in univerſum ſapientiæ titulo ſola fere prudentia paſſim in veteris teſtamenti codice ſolet uſurpari. Jam vero & apud Græcos, illorum, qui præ aliis philoſophi audiebant, potiſſimi quique, aut ipſi rexerunt rempublicam, aut alios ſive voce viva, ſive ſcripto regendæ reipublicæ doctrinam tradiderunt: neutrum facturi, niſi hoc ipſo ſeſe philoſophari exiſtimaſſent. Jam tum ſupra *c. 7.* §. 12. id profeſſi ſumus: eoque non eſt, quod iis denuo immoremur. Huc vero omnino pertinet illa celebrata paſſim Platonis ſententia: *Tum demum beatas fore reſpublicas, ſi aut philoſophi regnent, aut Reges philoſophentur.* Ipſi porro etiam Romanorum juriſconſulti illam ſuam legum peritiam cultumque forenſem Philoſophiæ titulo jactantes, indubie ipſam legislatoriam & civilem ſcientiam cognomento iſto dignam judicaverunt. Sunt ſane præclara illa Ulpiani de Jureconſultis *l. 1. ff. de juſt. & jur.* non utique indigna, quæ Pandectarum initio auctoritate cæſarea legerentur: *Juſtitiam colimus: & boni & æqui notitiam profitemur: æquum ab iniquo ſeparantes: licitum ab illicito diſcernentes: bonos non ſolum metu pœnarum, verum etiam præmiorum quoque cohortatione efficere cupientes, veram, niſi fallor, philoſophiam, non ſimulatam affectantes.* Jam tum ante Ulpianum vero idem docuerat Plinium Euphrates, philoſophus illa ætate inter primos clarus. Ut enim ipſe teſtatur, affirmavit ille *l. 1. epiſt.* 10. *Eſſe hanc philoſophiæ & quidem pulcherrimam partem, agere negotium publicum, cognoſcere, judicare, promere & exercere juſtitiam, quæque ipſi* (magiſtri ſcilicet philoſophiæ) *doceant, in uſu habere.*

§. 42. Sed poſtquam ratione firma adſtruximus, in quantum prudentia hæc noſtra philoſophiæ cognomentum mereatur, parum refert ſcire, an alii huic ſententiæ faverint, nec ne. Itaque poſſumus jam & hunc locum deſerere.



Digitized by Google

# CAPUT X.

## *Quemadmodum quam optime, partim prævia experientia, partim collectione facta ex iis, quæ experientia innotuerunt, partim per demonſtrationem, Scientia ſive univerſalis civilium rerum Prudentia, poſſit accipi.*

§. I.

Rerum civilium univerſalium cognitionem, aliam ex ſingularibus, aliam ex univerſalibus principiis; & quidem aliam non niſi veriſimilem, aliam raro fallentem ac plærumque certam, aliam omnino certam, quæque adeo mereatur ſcientiæ nomen, poſſe accipi: ex iis, quæ proximis duobus præcipue capitibus diſſertata ſunt, jam eſt manifeſtum. Ne quid hujus argumenti deſideretur, paucis addemus, quemadmodum cum ex ſingularibus, tum ex univerſalibus principiis, illa vel omnino, vel plærumque certa cognitio, ſit comparanda; initio facto a cognitione, quæ ex ſingularibus peti debet.

§. 2. Ac rerum ſingularium quidem ipſarummet multitudinem pariter & certitudinem inſignem ex uſu actuum civilium, tarde licet, addiſci; majorem autem earum copiam, & quam citiſſime, minus certæ tamen fidei, ex diligenti optimarum quarumvis hiſtoriarum civilium lectione parari, non ſemel jam tum monuimus: nunc igitur tantum dicendum, qua ratione feliciter Experientia ſingularium, ex ſingularibus quæ ſive uſus, ſive hiſtoria ſuppeditavit, ut & certa quædam Prudentia univerſalis, aut Scientia quædam politica ex ſingularibus exſtrui poſſit. Quædam inquam: nam multo majorem ejus partem ex univerſalibus elici oportere, jam dictum eſt. Agitanda autem illa quæſtio, ut & omnis de Experientia doctrina, in organica Philoſophia in univerſum quidem & proprie venit; quia eſt illi utrumque hoc domeſticum. Hic igitur duntaxat illa, quæ ibi diſputantur, civilibus rebus ſunt quaſi applicanda.

§. 3. Principio igitur, ut alias, ita & in civilibus cumprimis, danda eſt opera, ut ipſa illa ſingularia, ex quibus univerſalia elicienda ſunt, certo conſtent: impoſſibile enim alioquin eſt, ſaltim ut quæ hinc fluunt univerſalia certo cognoſcantur. Triplici autem potiſſimum modo poſſumus hic *decipi.* (*a*) *Primum*, ſi fallamur aliorum, experimenta (ut ita loquar) civilia narrantium, ſubleſta fide. *Secundo*, ſi in ipſo uſu ſive experientia rerum nos fallamur, credentes id uſu nobis compertum eſſe, quod compertum non eſt. *Tertio*, quando non niſi paucorum, quæ ad rem aliquam faciunt, experimentum faciamus, cum tamen de re integra ſit pronunciandum. Et ſane *primum* quod attinet, in hiſtoriis nonnunquam ipſa hiſtorici fides vacillat. Cæterum illud quidem non multum adeo obſtat rerum civilium, quæ ex hiſtoriis capiuntur, certæ notitiæ comparandæ; quoniam hiſtoriarum illarum ingens eſt numerus, atque adeo unius aut alterius hiſtoriæ fides dubia, facile vel convinci falſitatis poteſt, vel reddi tuta aliorum hiſtoricorum de rebus ſimilibus narratione. Et vero, ſi deſit alia ſimilis narratio, tum vero plærumque ſuſpecta eſt merito hiſtoria, niſi hiſtorici fides adeo fuerit nota, ut nefas ſit illam in dubium vocare. Ut igitur certa experientia civilium rerum ex hiſtoria accipiatur, hanc primam utique curam adhibere oportet. Hinc vero manifeſtum etiam eſt, nullam hiſtoriam fictam, quamvis ſit elegans & prudentiæ laudem mereatur, idoneam eſſe, ut præbeat univerſalia prudentiæ civilis principia. Si hiſtoria autem nulla ficta ad id eſt apta, multo minus hoc poterunt apologi, quales etiam ſunt æſopæi, vel quæ aliæ parabolæ. *Secundi generis* deceptio porro, quoniam tum potiſſimum oritur, quando experimenta capiuntur confuſe; atque adeo cum ea, quæ per ſe, ab iis, quæ per accidens aut etiam fortuita ſunt, non probe diſtinguuntur, vel quando quæ parti conveniunt, tribuuntur toti: etiam heic circa civilium rerum experimenta cauto ſane opus eſt. Habet ſcilicet etiam in Politicis non minus, quam in Medicis, locum illud Galeni *l. de Nat. hum. comm.* I. *In omni experientia periculum eſt, ne propterea, quod non ſit adhibita diſtinctio, erremus. Id autem fit duobus modis. Tum quod id, quod commune eſt, in ſuas differentias non ſit diſtributum. Tum quod in cauſis rem mutantibus non attendamus, quæ præcipue, aut primo, aut ut appellare libeat, quæque fortuito ſunt conſecuta. Ideo periculum de rebus faciendum eſt, adhibitis ſuis propriisque diſtinctionibus.* Ut plena rei alicujus *denique* Experientia habeatur, volvenda illa exercitatio eſt & quidem frequenter per omnia ad rem iſtam pertinentia. Utpote quum ad omnium quoque cauſſarum, cujuslibet rei & omnium, quæ cuique rei inſunt, notitiam Experientia queat facere. Id quod tamen, quemadmodum circa civilia ſit inſtituendum, non eſt hujus loci prolixe oſtendere, cum facile ſit ex iis, quæ alibi de Experientia diſſeruntur, huc idonea transferre: ceu jam ante ſignificatum eſt. Exinde vero illud etiam huc in memoriam eſt revocandum; quod per Experientiam primo habeatur (ſuo tamen modo) quid res ſit, ſecundario autem, quid non ſit: idque quoniam objectum ſenſuum, quibus Experientia comparatur, proprie ſit aliquid reale, ſecundario autem & quaſi per accidens, id, quod non eſt. Et quidem uno eodemque actu utrumque accipitur: quoniam eo ipſo, dum ponitur unum contrariorum, tollitur alterum. Sic acceptum eſt uſu & ſenſibus, ſtatum romanæ reipublicæ mutaſſe primum ex regio in ariſtocraticum: ſimul ergo eo ipſo acceptum eſt, ſtatum reipubl. romanæ non ſemper manſiſſe eundem, aut non ſuperſtitem ſemper manſiſſe ſtatum regium, aut non ſtatum oligarchicum vel democraticum mox exceptum eſſe a ſtatu regio.

§. 4. Cæterum hæc fortaſſis queant leviora videri, quum tamen etiam in hiſce quamplurimi errores vulgo committantur, unde ingens mox copia aliorum enaſcitur: ita ut fieri ſolet ſi quando in ipſa principia impingitur. Majori cura opus eſt, in colligendis univerſalibus propoſitioni-

(*a*) *Decipi.*) Vid. CHERBURY *de cauſis errorum.* GOEB.

Digitized by Google

tionibus ex ſingularibus per Experientiam cognitis: idque quoniam univerſalium cognitio demum partim conſtituit, partim parit ſcientiam, nec tamen leve quid eſt ex ſingularibus univerſalia quaſi fabricare. Antequam vero aliquid & de eo dicamus, breviter obſervanda quatuor ſunt. *Primum* eſt: Univerſales propoſitiones hic appellari omnes, quæ non ſunt ſingulares, atque adeo non illas ſolum, quæ alias κατ' ἐξοχὴν ita nuncupari ſolent, ſed etiam particulares quæ vocantur. *Secundum*: In ſcientiis potiſſimum quidem locum generalibus, proximum ſpecialibus, aliquem tamen etiam etſi infimum deberi illis, quas particulariſſimas dixeris, quoniam non ſunt acceptæ ex multorum ſingularium, ſed unius aut perpaucorum uſu & experientia. *Tertium* eſt: Ex ſingularibus univerſalia diſci poſſe, partim per ſe; facta ex ſingularibus collectione: partim non niſi occaſionaliter; dum nimirum mens verſans ſingularia atque exinde univerſalia quaſi fabricans, occaſionem arripit inveſtigandi cauſſam, qua perſpecta univerſalis quædam enunciatio formatur, quæ tamen reapſe non accepta eſt ex ſingularibus, atque adeo collectioni ex ſingularibus inſtitutæ non reapſe debetur. *Quartum* denique eſt: Ex ſingularibus facta collectione, non affirmativas duntaxat, ſed etiam negativas enunciationes confieri; primario tamen *affirmativas*, (*a*) idque quoniam ſenſus atque experientia, ceu modo diximus, primo ac per ſe entitatem rerum percipit, unde primo reſultant propoſitiones affirmantes. Nec vero paucæ fortaſſis negantes enunciationes ſic confieri queunt, ſed numero longe etiam plures quam affirmantes: quia eſſentia rei uniusmodi eſt, τὸ non ens autem, quale exprimunt negantes, ferme quid *infinitum*. (*b*)

§. 5. Iam vero vel ſemel obſervata unica etiam aliqua ſingulari re, intellectus *poteſt ſtatim* (*c*) conficere propoſitionem quadantenus univerſalem, abſtractione ſcilicet inſtituta a ſingularitate; quæ tamen enunciatio revera nonniſi illarum eſt ordinis, quas particulariſſimas appellavimus. Sic obſervato illo Taciti: *Urbem Romam ab initio reges habuerunt, libertatem & conſulatum L. Brutus inſtituit*; illico manifeſta multa ſunt; nempe aliquam urbem regie haberi, regium ſtatum interdum ab initio obtinere, aliquod regnum interdum mutari in ſtatum liberum, mutationem reipublicæ interdum uni homini deberi, & jam olim talia omnia evenire ſolita. Quæ omnia, hactenus nonniſi admodum particularem propoſitionem efficiunt. Si de pluribus ſingularibus rebuspublicis idem fuerit obſervatum, magis univerſales propoſitiones formari poterunt, & quidem prout latius aut minus late protenſa fuerit illa obſervatio; omnes tamen ita formatæ propoſitiones manent particulares, quamdiu incertum eſt, num quod ſingulare, aliter nec ne ſeſe habeat. Quod ſi certum jam ſit de nonnullis ſingularibus, diverſa illa eſſe, ſimulque innotuerit, quænam illa ſint; itidem propoſitiones fiunt particulares, pro numero tamen majore minoreve aliter ſeſe habentium majorem minoremve habent communitatem. Hac ratione igitur colligere quidem licet tandem, quid plærumque fieri aut non fieri ſoleat, quid ſemper autem, non item. Tum demum vero ſimpliciter univerſalem, ſive de toto genere, per ſe ex cognitis per experientiam formare enunciationem poſſumus, quando experientia per omnia ſingularia ſeſe diffudit. Per ſe inquam. Ratio autem hujus eſt, quoniam per ſe collectio vere univerſalis, quæ fit ex ſingularibus, illa per inductionem inſtituitur, inductione autem nihil de toto genere poteſt aſſeri aut negari, niſi per omnia ſingularia factum experimentum fuerit. Cæterum ut de plærisque rebus naturalibus, ita nec de civilibus haberi poteſt ſimpliciter omnium ſingularium experientia: utique enim illarum pars magna adhuc futura eſt, nullius autem futuri jam accepta experientia eſt. Ne quidem eorum, quæ vel ante facta, vel nunc ſunt, plena experientia haberi poteſt. Propria enim cujuslibet experientia, anguſtis admodum terminis comprehenditur. Quæ ex hiſtoriis aliena fide acquiritur, illa multo latius protenſa quidem eſt, præſertim quarum rerum hiſtoriæ complures veteres novæque reperiuntur: attamen nec ab hiſtoria res ſingulares quæque poſſunt narrari, tantum abeſt illas narratas eſſe. Unde patet, nec inductione poſſe per ſe confici de rebus civilibus propoſitiones omni ex parte univerſales, quibus quidem liceat indubitatam fidem adhibere. Perquam probabiliter tamen fieri id poteſt; ſi ponamus ſcilicet: non alia impoſterum futura, quam qualia ante jam tum contigerunt, & ſi quæ ante hac evenere, ſaltim quamplurima, comperta ſint. Id quod cumprimis Hiſtoria præſtat. Nec tantum narrando ſed ſilendo etiam: ſi nempe hiſtoriæ res civiles omnis ævi accurate narrantes nihil inſolens referant, jam per ſit veroſimile, nihil etiam inſolens accidiſſe. Quamvis igitur omnis omnino expers dubii univerſalis de civilibus rebus enunciatio inductione haberi nequeat, perquam veroſimilis tamen poteſt accipi, quæque merito firmiter tenenda eſt, donec adverſo exemplo univerſalitas illa labefactata fuerit. Id quod etſi fiat, manet tamen propoſitioni ſecundus univerſalitatis gradus, quod nempe de plærisque vera ſit & rariſſime fallat. Ac proinde etiam ſic ſumme eſt utilis civilium rerum ſcientiæ ſive prudentiæ univerſali comparandæ: ceu jam tum docuimus. Si occaſione inductionem conficiendi cauſſa ipſa rei fiat manifeſta, longe certius & facilius ad omni exceptione carentem univerſalem propoſitionem pervenitur quidem; verum illa ſciendi ratio longe eſt alia ab inductione, nec niſi rarius & tardius ſolet obtineri ſine magna difficultate. In iis ſolis nimirum, quæ facillima ſunt perceptu (cujusmodi ſunt omnium communiſſima ſciendi principia) talis cognitio & cito & ſemper accipitur: in reliquis autem, quæ ex ſenſu perceptis conficiuntur univerſalibus enunciationibus, quarum numerus maximus eſt, omne hoc multum eſt difficilius & infrequentius.

(*a*) *Affirmativas.*) Præſertim ſi plena experientia fuerit: alias enim negativæ facilius accipiuntur. *CONR.*

(*b*) *Infinitum.*) Quæ etiam cauſſa eſt, quare quid non ſit res facilius diſci poſſit, quam quid ſit, atque adeo cur propoſitiones negativæ magis ſint faciles comparatu, quam affirmativæ. *CONR.*

(*c*) *Poteſt ſtatim.*) Ope ſyllogiſmi, quem Expoſitorium vocant. *CONR.*



Digitized by Google

tius. Quoniam tamen poteſt occaſione iſthac comparari ejusmodi cauſarum cognitio, eaque per adeo eſt utilis, facile apparet, omni conatu ſtudendum eſſe, quo eam conſequamur. Ita ſane ſaltim non fuerit opus multum ſudare amplius in curioſis experimentis, atque hinc deducendis inductionibus.

§. 6. Ut vero revertamur ad illam univerſalium ex ſingularibus ſtructuram, quæ inductione comparatur, animadvertendum eſt: ſolere ut alibi, ita etiam in Politicis, inductiones alias eſſe meras ex ſingularibus collectiones, alias quaſi conjungi cum aliis colligendi modis, atque ita eſſe veluti miſtas. Poſterioris generis perfrequentes ſunt ſyllogiſmi habentes concluſionem πρακτικὴν. Ex. cauſa: Quicquid reſpublicas corrumpit, eſt vitandum: At diſcordia civium corrumpit Ariſtocratias, Democratias, Oligarchias, Monarchias, omnesque alias reipubl. ſpecies: Diſcordia igitur civium vitanda. Minor utique propoſitio ſyllogiſmi per inductionem quaſi inſtituitur: contra Major nititur proxime illo axiomate, omne quod rem perdit, illi rei vitandum eſt. Et hoc porro obſervandum venit, ejusmodi inductione poſſe colligi omnis generis enunciationes, quibus & effectus de ſuis cauſſis, & cauſſæ de ſuis effectis declarantur, quibus item quod res ſit, quid res ſit, & quare res ſit, exponitur: adeoque experimentalem inductionem ad omnis fere generis civilium rerum ſcientiam plurimum conducere, ac proinde apprime eſſe utilem.

§. 7. VERUM de Experientia, quemadmodum & quam optime inſtitui & ſcientiæ civili comparandæ uſui eſſe poſſit, pro inſtituti quidem modulo, ſatis multa attulimus. Conſequens eſt, ut nonnihil etiam monſtremus, qua ratione Demonſtratio ad ſcientiam illam poſſit adjuvare. Faciemus autem idipſum vocabulis utentes, non ex Mathematicorum, qui poſt Ariſtotelem, ſcriptis illius non usque adeo multum uſi, τὴν ἀποδεικτικὴν excoluerunt, ſed peripateticæ ſcholæ conſuetudine: quamvis ipſummet Ariſtotelis analyticum opus, ævi vitio mutilum, hiulcum, lacunis & trajectionibus crebris deforme, utiliſſimam doctrinam & obſcure, & minus perfecte, nec juſto ordine, proſequatur.

§. 8. Igitur cum multiplex ſit demonſtrandi ratio, nulla non demonſtrationis ſpecies (ceu jam tum ſupra *cap. VIII.* §. 31. 32. etiam diximus) in Politicis locum invenit. Primo enim indirectæ demonſtrationes, ſive illæ, quæ ad incommodum ducunt, multo utique ſunt hic frequentiſſimæ. Si quando ſane in promptu non ſunt firmæ rationes, idoneæ oſtenſivis demonſtrationibus, illas indirectas merito Politicus adhibet. Nec vero non illis tuto licet fidere, quamvis minus directe id, quod vel expedit, vel noxium eſt civitati, doceant. Cum enim etiam in mathematicis ſcientiis, quæ præ aliis laudem demonſtrationum obtinent, haud raro ab ipſo Euclide, Apollonio, Archimede, adhibeantur, nihil eſt cauſæ, quare non & in civilibus negotiis locum inveniant. Quin tamen etiam Politicus ſtudere potius debeat demonſtrationibus oſtenſivis ſive directis, iisque potius uti, equidem minime negaverim. Perinde porro atque alibi demonſtrationes hic uſui ſunt, cum negativæ & affirmativæ, tum particulares & univerſales: licet univerſales & affirmativæ etiam hîc præpolleant. Denique non minus in politicis, quam in ſcientiis aliis licet demonſtratione accipere, cum quod res ſit ſive τὸ ὅτι, tum quare res ſit ſive τὸ διότι: utque ibi ita & hîc quam optime habent ſeſe omnia, quando cauſas civilium eventuum per demonſtrationes intelligimus.

§. 9. Quoniam vero nulla demonſtratio ex quibusvis ſumptionibus, ſed ex ſolis iis, quæ aptæ ſunt, infallibilem concluſionem producere, ſolet confieri; de principiis politicarum demonſtrationum cumprimis ſollicitum quoque oportet eſſe, qui ſcientiam politicam per demonſtrationes affectat.

§. 10. Primum igitur cavendum eſt, ne alia admittantur, quam quæ ſunt *propria*. Sunt autem propria, quæ per ſe inſunt, ejusdemque ſunt cum demonſtrandis affectionibus generis. Unde conſequitur, quæcunque propoſitiones nihil de rebus civilibus enunciant, non poſſe inter principia demonſtrationum politicarum numerari: quæ per ſe vero ad res civiles pertinent, mereri hactenus locum politicorum principiorum. Perinde ſcilicet atque jam hujus libri capite quinto §. 9. *ſeq.* definivimus, agentes de ſubjecto & affectionibus politicæ ſcientiæ propriis. Cum vero ad ſocietatem civilem primario faciant quidem perſonæ, ſecundario tamen res etiam cum animatæ, tum inanimatæ, imo & ipſe Deus optimus maximus huc pertineat; neceſſum eſt, in quantum ſive perſonæ, ſive res, ſive ipſe Deus ad civilem ſocietatem faciunt, quicquid de iis in tantum enunciari poteſt, id idoneum eſſe principium politicum. Ut alias autem, ita & in Politicis talia ſunt triplicis ordinis. Alia enim in totum, quanta quanta ſunt, Societati civili ſunt in primo, tertio vel quarto modo propria: quales ſunt actiones humanæ mere civiles. Alia vero faciunt quidem & ipſa ad civilem uſum, non hoc tamen ſolum præſtare ſunt idonea: ſuntque adeo quaſi ſecundi ordinis propria. Alia denique non ſimpliciter per ſe ad ſocietatem civilem pertinent, ex neceſſitate tamen materiæ quam appellant, numquam ſolent abeſſe: id quod jam itidem libri hujus capite octavo §. 23. attigimus. Quanquam enim illa, quæ primæ ſunt claſſis, præ aliis ſint Politica, etiam illa tamen, quæ in claſſe ſunt ſecunda, vere talia ſunt. Imo nec tertii ordinis illa excludi hinc poſſunt, cum politica negotia ſive actiones civiles, propter iſta etiam multum varient, & aliter atque aliter veniant inſtituenda. Ita ſane, quia homines egent alimentis & amictu & defenſione ab elementorum aliarumque rerum injuria, quia item morbis & morti ſunt obnoxii: res item quarum in vita civili uſus eſt, quoniam variæ ſunt naturæ; hinc in civitate qualibet & republica plurima vel agi vel omitti oportet. Ac proinde omnes propoſitiones formatæ de iis, quæ claſſis ſunt ſecundæ, principia germana ſunt politica, etſi ſecundi generis. Propoſitiones porro, quæ enunciant aliquid de iis, quæ tertiæ ſunt claſſis, aptæ etiam ſunt, ut præſtent in-

ter-

Digitized by Google

terdum principia politica; in quantum ſcilicet illæ cum civilis vitæ uſu poſſunt conferri. Pertinent vero cumprimis ad ſecundam illam claſſem, & omnes propoſitiones metaphyſicæ, quæ de omni ente aliquid enunciant, & quamplures phyſicæ ac mathematicæ, ſi reſtringantur ad perſonas ac res civilis ſocietatis: utpote cum hac ratione Politicus utatur illis τοῖς κοινοῖς ἰδίως ceu loqui Ariſtoteles ſolet. *Vid. l.* II. *Metaph. c.* 4. *& l.* I *poſterior. c.* 8. *t.* 24. Ad ſecundam, ajo, claſſem illa pertinent, non vero ſunt principia politica primaria. Qua in re graviſſime lapſus eſt Matthæus Gribaldus, dum inſtituta metaphyſicarum & phyſicarum aliquot propoſitionum ex romanis legibus collectione, principia propria legum illarum civilium a ſemet tradita eſſe, jactitare haud dubitavit.

§. 11. Omnino porro neceſſum eſt, ut principia demonſtrationum politicarum *vera* ſint: & quidem *neceſſario vera*, omnisque adeo falſitatis expertia: ſi ſane oſtenſive quid demonſtrandum veniat. Demonſtratio ſcilicet, quæ ad impoſſibile vel incommodum ducit, atque adeo non niſi indirecte demonſtrat, illa conſulto utitur etiam falſis ſumptionibus; atque adeo in illa demonſtrationum ſpecie non eſt neceſſum, principia omnia vera eſſe, ſed potius oportet ſaltim unam ſumptionum eſſe falſam; cum ultro concluſionem falſam producant, idque in id, ut oſtendant ſive utramque ſive alterutram præmiſſarum falſam, harumque proinde contradictorias eſſe veras. Cæterum, oſtenſivæ demonſtrationis longe eſt alia ratio. Eoque ſi oſtenſive demonſtrandum quid veniat, non niſi certo veris præmiſſis eſt utendum: quia propoſitum eſt huic demonſtrationi concluſionem certo veram elicere. Quod non licet, niſi & principia certo ſint vera; ex falſis quidem nonnunquam vera etiam concluſione ſequente, non certo tamen, ſed admodum contingenter. Ex quo manifeſtum eſt, non quaslibet politicas ſententias, nec illa, quæ in oratorium uſum ſumma diligentia collegit Ariſtoteles, ſine diſcrimine quidem convenire politicis demonſtrationibus, utpote quarum numerus haud exiguus, non eſt accuratæ veritatis.

§. 12. Ex his vero conſequitur, ſaltim *nobis* etiam *notum* eſſe ſimul debere, quod principia, quibus in politicis demonſtrationibus utimur & domeſtica ſint & certo vera. Sane ſcientiam in nobis parere nequeunt, niſi illa eorum notitia antecesſerit. Usque adeo neceſſarium utique & hoc eſt, ut veriſimile fecerit Ariſtoteles *l.* I. *poſt. c.* 2. principia notiora etiam eſſe oportere ipſamet concluſione: id quod ſaltem de tempore quæ demonſtrationem præceſſit tantum non omni vacat controverſia. Neutiquam enim admitti poteſt (ut obiter hoc moneamus) inter demonſtratorias vias, illa quam Mathematici Ariſtotele poſteriores ἀνάλυσιν appellavere. Habetur hujus ut & συνθέσεως definitio, ſive ipſiuſmet Euclidis, ſive (quod mihi præplacet) Theonis ad primam propoſitionem libri tertii decimi Elementorum, perquam obſcura tamen. Plenior & magis perſpicua eſt hæc, quam adducit Pappus Alexandrinus *initio l.* 7. *Mathem. collect.* Ἀνάλυσις *ſive reſolutio eſt via a quæſito tanquam conceſſo, per ea, quæ ex ipſo conſequuntur, ad aliquod certum & conceſſum. In reſolutione enim id, quod quæritur, tanquam factum & verum ſupponentes, quid ex hoc ſequatur conſideramus, quousque incidamus in aliquod jam cognitum, vel quod ſit e numero principiorum: quod quidem eſt ſignum evidens, quæſitum quoque verum eſſe.* Eſt autem illa ἀναλύσεως ratio etiam hodie multis Mathematicis recepti uſus. Dupliciter vero peccat hæc ἀνάλυσις in bonæ demonſtrationis leges: Primum quod ex ignoto ad notum progrediatur: Secundo quod ponat, id omne verum eſſe, ex quo vera concluſio producta eſt, cum tamen ex falſis etiam præmiſſis concluſio vera ſoleat nonnunquam conſequi. Nec vero Ariſtoteles, qui ἀναλύσεως vocem, ut alias multas, a Mathematicis in uſum doctrinæ apodicticæ eſt mutuatus, ea in ſignificatione τὸ ἀναλύειν usquam uſurpavit: etſi de ipſis mathematicis inquiſitionibus loquens voce iſthac utatur. Ut perquam ſit veroſimile, a nonnullis veræ demonſtrandi artis imperitis mathematicis in falſum ſenſum vocem deflexam. Verum hoc obiter: ne quis ſcilicet quorundam mathematicorum & veteris & noſtri ævi pravo exemplo etiam in Politicis fallaces inſtituat ἀναλύσεις.

§. 13. Cum præcognita autem eſſe oporteat illa, ex quibus conficiendæ ſunt demonſtrationes, & ſimul in univerſum certiſſimæ veritatis, ſola vero demonſtratio atque proba ex ſingularibus experimentis inſtituta collectio, univerſalis cujusque propoſitionis indubitatam veritatem notam queant facere; conſequens eſt, quævis demonſtrationum etiam politicarum principia, vel demonſtratione, vel ex ſingularibus civilium negotiorum experimentis facta inductione, jam præcognoſci debere. Accipere autem illa demonſtratione jam cognita licet, vel ex ipſiſmet politicis vel ex aliis ſcientiis; alibi atque alibi ſcilicet jam demonſtrata. Quorum hæc toti ſcientiæ civili, illa ſingularis hujus aut illius rei politicæ notitiæ, inſervire idonea ſunt. Quæcunque videlicet, ceu jam ante monuimus, in Metaphyſicis de omni ente, quæ in Phyſicis de omni naturali corpore, aut de omni animali, aut ſeorſim de homine, ut & quæ de metallis, lapidibus, plantis demonſtrata ſunt, illa in quantum ſimul aliquid pronunciant de iis, quorum in vita civili eſt uſus, (eſt autem uſus cum perſonarum, tum rerum, vocibus illis ex romani juris conſuetudine acceptis) ex ſcientiis illis, Metaphyſica & Phyſica ſcilicet, petita in nullis non politicis diſquiſitionibus vim habent principiorum. Eaque ut Politica expediturus præcognita habeat, neceſſum eſt. Neque vero ulla politica quæſtio expediri poteſt, ſi non tanquam certum aliquid ſive de rebus, ſive de perſonis accipiatur, quod aut metaphyſicæ aut phyſicæ eſt conſiderationis. Etiam quæ in Ethicis, de iis, quæ ſimpliciter ad felicitatem vitæ humanæ pertinent, demonſtrata ſunt, non oportet ignorare illum, qui accurate velit demonſtrare τὰ Πολιτικά: utpote cum & illa ſæpenumero, etſi non ſemper, ad demonſtrationes politicas neceſſario ſint principiorum vice adhibenda. Fieri autem hæc ſine vitio ἀποδείξεως, quæ exigit, ut principia ſint propria, paulo ante oſtenſum eſt. Quæ in ipſiſmet Politicis ſunt demonſtrata, ſubinde itidem in aliis quæſtionibus

politicis principiorum vicem præbent: etiam hic nimirum, perinde ut in aliis ſcientiis, demonſtratione una ex altera quaſi enaſcente. Cæterum, longe majorem copiam principiorum Experientia civilium negotiorum Politico in demonſtrandi uſum ſubminiſtrat. Adeo ingens certe eorum, quæ ex ſingularibus experimentis innotuerunt, numerus eſt, præ illis ex demonſtratione acceptis, ut vix (ratione quidem multitudinis) in contentionem venire mereantur. Velut ſane in aliis nonnullis ſcientiis, Phyſica imprimis, ita & in Politicis, plæræque demonſtrationes conſiunt ex iis principiis, quæ nulla demonſtratione innotuerunt, ſed per inductionem ab experientia ſunt accepta. Quæ ingens multitudo efficit, ut hic etiam locum habeat id, quod Ariſtoteles dicit *l.* 1. *prior. An.* τὰς μὲν ἀρχὰς τὰς περὶ ἕκαστον ἐμπειρίας ἐστὶ παραδοῦναι. λέγω δὲ, οἷον τὴν Ἀστρολογικὴν ἐμπειρίαν τῆς ἀστρολογικῆς ἐπιστήμης. ληφθέντων γὰρ ἱκανῶς τῶν φαινομένων οὕτως εὑρέθησαν αἱ Ἀστρολογικαὶ ἀποδείξεις. ὁμοίως δὲ καὶ περὶ ἄλλην ὁποιανοῦν ἔχει τέχνην τε καὶ ἐπιστήμην. In univerſum ſane, quæcunque ſive de perſonis, ſive de rebus ad civilem uſum facientia per experientiam atque ex ſingularibus experimentis innotuerunt, illa præcipue ſunt principia politicarum demonſtrationum. Ex hiſce etiam quando inſtituitur demonſtratio, tum illa vere fit ἐκ τῶν ἀμέσων ſive ἀναποδείκτων: qualibus principiis demonſtrationem quamvis conſtare potiſſimum oportere, ſcitum eſt Ariſtotelis.

§. 14. Ut denique (nec enim omnia huc adducere patitur inſtitutum) omni ex parte, quantum quidem fieri licet, exquiſita ſit politica demonſtratio & plenam ſcientiam pariat, neceſſum eſt, ut ab ipſis cauſſis civilium rerum petita ſint demonſtrationis principia: perinde atque fieri par eſt in accuratiſſima quavis alia & vere ἐπιστημονικῇ ἀποδείξει. Etiam in Politicis nimirum tum demum vere aliquid ſcimus, quando rei cujusque civilis cauſſam plene cognoſcimus.

§. 15. CÆTERUM, quum non una, ſed multiplex ſit cauſſarum ratio, neque adhuc a quoquam explicatum invenire temere vel hoc ſit, quæ & quot cauſſæ in civilibus locum obtineant; anteaquam doceamus modum argumentandi ex cauſis, qui in civilibus disquiſitionibus adhibendus eſt, præmittendum omnino venit aliquid de cauſſis ipſis rerum civilium. Quod ipſum ſimul proderit ad id, ut veram plenamque civilis cujuslibet rei ſcientiam, a proletaria aut rudi aut imperfecta quavis illius notitia, queamus diſcernere: utpote cum plena rei cujuslibet ſcientia in omnium illius cauſſarum cognitione ſit conſtituta.

§. 16. Principio vero repetendum eſt: Politicum verſari potiſſimum circa actus civiles: quinam eorum vel exercendi, vel omittendi, vel permittendi ſint. Sicut enim in univerſum felicitas humanæ vitæ in virtutis non habitu, aut quaſi poſſeſſione, ſed actibus poſita eſt, ita & civilis vitæ perfectio verſatur tantum non unice in ipſiſmet illis civilibus actibus. Quæcunque ſane alia in diſquiſitionem politicam veniunt, illa ut natura ſua ſpectant actus, & propter actus ſunt, ita deſiderantur cognoſci præcipue actuum illorum gratia.

§. 17. Sive actuum vero, ſive aliorum civilium operum, quatuor cauſſas obſervare eſt: quemadmodum & in Naturalibus ſeſe habere, præclare ab Ariſtotele adverſus Phyſicos veteres eſt probatum *l.* 2. *Phyſic. c.* 2. Nam & finalis, & formalis, & materialis, & efficiens aliqua cauſſa, etiam in actibus omnibus civilibus reperitur. Eſt autem finalis, cujus gratia actus eſt: Materialis, objectum illud, circa quod actus verſatur: Efficiens, ipſa actrix: Formalis, ratio civilis, ſive politicus modus actionis. Exempli cauſſa. Creatio magiſtratus eſt actus civilis: cujus finis eſt commodum civitatis regimen; efficiens, is qui creat; materia, perſonæ ex quibus magiſtratus creandi ſunt; forma, ipſe modus creationis, quæ nimirum nunc fit per ſuffragium, idque vel prudens vel imprudens, vel vere liberum vel ambitu corruptum, nunc per ſortem idque itidem varie, nunc partim ſuffragio, partim ſortito. Similiter & aliud quodvis civile ſuas cauſas quatuor habet. Ceu regni forma eſt, ipſe regiminis regii modus; rex, efficiens cauſſa; materia, homines & res quæque aliæ, quæ reguntur; finis, vel populi vel regnantis præcipue utilitas.

§. 18. Ut alibi præterea, cumprimis vero in Naturalibus, ſic & in Politicis quatuor cauſarum illarum multiplex eſt diverſitas. Ita *Finalis* cauſa etiam hîc alia eſt interna, alia externa: alia porro remota magis minusve, alia proxima: alia denique univerſalis, alia particularis. Interna hîc quoque, ut in Naturalibus, reapſe idem quid eſt cum formali, differt tantum modo conſiderandi. Sic Forma quælibet regiminis eſt finis omnium conſtitutionum, quæ τάξιν magiſtratuum ſummæ poteſtatis, quæ Ariſtoteli eſt τὸ κύριον, attinent; ſimul vero eſt cujusque reipublicæ forma, ſive id, quo eſt, quod eſt. Similiter quæcunque faciunt in id, ut creatio magiſtratuum hoc aut illo modo inſtituatur, illa modum illum creandi pro ſcopo habent, & tamen ipſe ille modus eſt pariter forma actus. Inter fines externos vero actuum omnium & conſtitutionum civilium, ultimus ſemper eſt (aut ſaltim eſſe debet) ipſe ſcopus cujuslibet reipublicæ: qui ex inſtituto hominum varius eſſe ſolet, nec omni reipublicæ ſpeciei eſt idem & uniusmodi. Intermedii item fines perquam multiplices ſunt & diverſi: ſolentque ſeſe illi fines alter alterum quaſi gradatim ita excipere, ut unus ſit propter alterum, adeoque unus quaſi medium alterius obtinendi; ceu alias etiam in Phyſicis & Artibus ſolet venire uſu. Sunt denique finium alii univerſales, ad quos ſcilicet vel omnia vel multa, quæ ad commune aliquod negotium faciunt, collimant: alii particulares, qui plærumque univerſaliores illos pro ſcopo habent. Veluti reipublicæ cujusvis univerſalis finis eſt utilitas populi aut rectorum; atque ad illum obtinendum complurimi faciunt particulares actus & particularia civilia inſtituta, quorum ſingulis ſui ſunt proprii & proximi fines. Ad eundem modum in Politicis quoque non una eſt ratio *Effectricis* cauſſæ. Alia enim eſt principalis, a qua maxime actus aliquis aut opus aliquod peragitur. Alia inſtrumentalis: qua ſcilicet principalis cauſſa utitur ad effectum producendum, tanquam inſtrumento. Et

vero

Digitized by Google

vero etiam in civilibus negotiis nihil pene efficitur ſine adminiculo inſtrumentorum quorumdam: ut proinde ad plenam efficientis cauſſæ notitiam non ſufficiat ſolius principalis naturam rationemque noviſſe, ſed non minus ipſa quoque inſtrumenta accurate ſunt pernoſcenda, quoniam ea, quemadmodum ſeſe habeant, permultum intereſt. Et vero cum effectrix cauſſa alia itidem ſoleat remotior eſſe alia proxima, ſæpenumero uſu venit, ut remotior proxima fere tanquam inſtrumento abutatur. *Materialis* quoque cauſſæ in civilibus, ut in naturalibus, non una eſt conditio. Verſantur enim inſtituta & actus civiles vel proxime atque immediate circa objectum aliquod, vel non proxime, ſed aliquo mediante: quorum illud proximæ, hoc remotæ materiæ nomine poteſt uſurpari. Utriusque vero, etſi potiſſimum proximæ, cognitio ad accuratam negotii civilis cujuslibet ſcientiam requiritur.

§. 19. Attendi porro unice meretur, quod ſubſtantiæ quidem, quarum in ſocietate civili eſt uſus, duplicis præcipue ſint ordinis: Perſonæ nimirum & Res; utriusque vocabuli ſignificatione illa ſervata, quæ romani juris auctoribus uſitata eſt; cujus diſcriminis non multo ante jam facta eſt mentio. Perſonæ enim voce homo omnis nobis venit, Rei autem omnis præter hominem civili vitæ utilis ſubſtantia. Attamen & præter has Deus ipſe & Angeli boni malique, ingens, ut ad alia omnia, ita & ad civilem vitam momentum adferunt: ceu alibi luculente oſtenditur. Nec vero Perſonarum, multo minus Rerum nomine, ſummum Numen, aut quicquid reliquorum eſt Spirituum illorum, intelligi ſolet. Ad illam Perſonarum tamen claſſem haud immerito retuleris: quum homines maxime Deo & Spiritibus illis ſint ſimiles. In Perſonis vero duo cumprimis ſemper attendenda veniunt, Voluntas & Facultas. Hæc autem nonnunquam conformia ſunt, nonnunquam vero plane diſparata. Ita ut interdum voluntas quidem propenſa ſit, Facultas autem deſit: interdum Facultas in promptu, non autem Voluntas. Pertinent vero ad Facultatem illam intellectus pariter & corporis potentiæ, imo & externa quædam auxilia: utpote cum pro diverſa horum omnium ratione etiam Facultas aliter ſeſe atque aliter habeat. Voluntas quoque haud parum a corporis & Fortunæ, quæ appellatur, ratione dependet. Quamvis enim ipſa quam maxime ſit ſuæ ſpontis, qua facultas caret; attamen & illa nonnullam vim quaſi patitur ab affectibus corporis & a Fortunæ in utramque partem conditionibus; ne quid nunc dicam de conſuetudine, cujus in voluntatem pene aliquod eſt imperium. Id quod jam tum ſupra *cap.* 8. §. 24. 25. *&* 26. monuimus, quum de certitudine civilis ſcientiæ diſputaremus. Usque adeo ſane multum intereſt Voluntatis, quemadmodum corpus aut Fortunæ, quæ vocantur, opes ſeſe habeant, ut plærumque quidem Voluntas hominum iſthuc propendeat, quo affectus corporis, cum conſuetudine pariter & natura, idque ſecundum vel ætatem, vel ſexum, vel alium aliquem prædominantem corporis diſpoſitionem, tum fortunæ bonorum illorum ductu, vergunt. A Perſonarum vero, ſive hominum conditione abit quidem in nonnullis Deus Spiritusque omnis alius intelligens, ex parte tamen cum eadem convenit, Præ aliis enim Voluntas divina circa res etiam civiles humanas eſt longe omnium liberrima, & Facultas agendi omnium potentiſſima, utraque a nullis corporum affectibus, multo minus ab ullis externis ſuſpenſa. Reſtrictior quidem multo eſt Spirituum aliorum cum Voluntas, tum Facultas, ad nutum ſcilicet ſummi Numinis compoſitæ; attamen & illa utraque a corporis vinculis & fortunæ incitamentis eſt expedita. Rebus proprie jam ita dictis nulla ineſt voluntas: præterquam quod e us aliquod rudimentum in ratione carentibus animalibus, magis minusve, reperiatur. Vna igitur Facultas his ineſt: & quidem pro ratione eſſentiæ quarumlibet alia atque alia, idque certa quadam neceſſitate, omni hinc exulante, qua voluntas prædita eſt, libertate. Sunt autem Rerum ejusmodi aliæ animatæ, aliæ inanimatæ, mobiles item aliæ, aliæ immobiles, ut ratione poſſeſſionis aliæ publicæ, aliæ privatæ.

§. 20. Hæ omnes ſubſtantiæ porro in civilibus, perinde ut in naturalibus, imo & in moralibus & artificioſis negotiis, modo effectricem, modo materialem cauſam præbent. Atque Effectrix principalis quidem cauſſa Res numquam eſt (nec enim opus aliquod civile edere idoneum eſt, quod anima, imo quod ratione deſtituitur) ſæpenumero autem inſtrumentalis. Utimur enim homines Rebus ſive animatis, ſive inanimatis plurimis ad civiles effectus, tanquam inſtrumentis. Perſonæ quoque complures inſtrumenta noſtra ſunt in civili vita. Hujus ſane conditionis ſunt cum alia, tum ſervitia omnia, & quicquid eſt civiliter miniſtrantium imo & ſociorum vel amicorum. Omnia enim ejusmodi ſunt inſtrumenta civilis ſocietatis, non animata duntaxat, (ceu de ſervis loquebatur Ariſtoteles *l.* 1. *Polit. c.* 3.) talia enim nobis ſunt & bruta animantia, verum rationis etiam capacia. Principalis vero cauſſa civilium effectuum, fere in univerſum ſolummodo eſt Perſona aliqua. Fere inquam. Namque & Deus interdum ceu princeps cauſſa, civilia regit negocia, rarius tamen, & non niſi occulte, nobisque vix advertentibus. Quod reliquum eſt Spirituum, facit itidem occulte ſuo modo ad civilia opera: fortaſſis tamen non aliter, quam tanquam ſummi Numinis inſtrumentum. Materialis cauſſa, ſive objectum, circa quod civiles actus occupantur, potiſſimum itidem ſunt Perſonæ. Circa homines enim regendos præcipue verſatur curatio omnis civilis. Eſt autem & hic ſpectanda Perſonarum cum Voluntas, tum Facultas; & quidem petenda utriusque conditio ex iisdem, unde illam modo diximus ſuſpenſam eſſe. Prout ſane Voluntas & Facultas eorum, circa quod agendum aliquid eſt, in civili vita comparatæ ſunt, ita & effectuum civilium ingens diverſitas enaſcitur. Præter Perſonas vero, etſi ſecundarium quadamtenus, objectum civilium actuum Res etiam ſunt complures, quarum in civili vita uſus eſt: eæque mobiles vel immobiles, & animatæ vel inanimatæ, & mere naturales vel arte factæ. Ingens ſane & horum copia eſt: ſine quibus velut recte inſtitui non poteſt civilis vita, ita & ſine

Digitized by Google

ſine eorum curatione nulla civitas commode adminiſtratur. Modo præterea quodam & Deus ipſe nonnunquam objectum atque adeo materialis cauſa eſt civilium occupationum. Inter primas enim utique civiles curas eſt divini favoris conciliatio: quæ religioſo fit cultu ſummi numinis. Id vero quando fit, tum civilis curationis objectum & materia, circa quam ipſe Deus eſt.

§.21. Notandum porro hic venit, ſi unam quæſtionem: *an eſt?* excipias, reliquas omnes etiam politicas (ceu alibi quoque venit uſu) quæſtiones agere, aut de omnibus illis quatuor cauſis in univerſum, aut de earum una aliqua. Etenim quando quæritur: *an quid exiſtat?* non ſtatim de cauſſarum aliqua quæritur: eoque hanc quæſtionem licet expedire etiam argumento ab effectu, aut ſigno aliquo duntaxat accepto. Sunt autem tales quæſtiones in Pol ticis rariores: ingens vero numerus eſt aliarum. Et quidem quandocunque propoſitum eſt, integram ſcientiam alicujus civilis actus aut operis inveſtigare, neceſſum eſt, ut quæſtio ad quatuor cauſſas ſeſe exporrigat, utpote cum negotiorum civilium ſcientia ſit demum in omnium illarum cauſſarum accurata noticia collocata: quod paulo ante oſtendimus. Reliquæ quæſtiones circa unam aliquam cauſſarum ſemper verſantur. Et vero aut quæri ſolet, *quid ſit:* quinam ſcilicet actus ſit ille, quo ex. gr. magiſtratus creatur: ariſtocratia quænam ſit reſpublica. Omnis autem ejusmodi quæſtio, ut & ex parte, qua quæritur: *quale quid* ſit, eſt de cauſſa formali. Aut quæritur, *circa quod* vel *ex quo* aliquid agendum aut conſtituendum ſit. Ut ex. gr. quænam res ſint exportandæ, quæ importandæ, aut ex quibusnam debeat fieri magiſtratuum cooptatio. Tales autem quæſtiones occupantur circa cauſſam materialem. Perinde enim eſt, ac ſi quæras, circa quas res exportatio & importatio inſtitui debeat, vel quinam poſſint eſſe materiæ loco in magiſtratuum conſtitutione. Aut quæritur porro, *a quonam* vel *quibus adminiculis* opus aliquod ſit peragendum. Cuinam ſcilicet prætura, quæſtura, conſulatus ſit conferendus; quibus ſociis, quibus armis, quanta vi pecuniæ, bellum ſit gerendum. Quod genus quæſtionum eſt de cauſſa efficiente ſive principali, ſive inſtrumentali. Aut quæritur poſtremo, *cur* hoc vel illud ſive agendum, ſive omittendum, ſive permittendum ſit: quod eſt de cauſa finali quærere. Præter quatuor horum generum quæſtiones, ſi illas, *an ſit*, exceperis, nullam ſane adferre eſt, quæ politici ſit uſus. Ut proinde manifeſtum ſit id, quod diximus: omnem fere quæſtionem politicam eſſe de cauſis aut omnibus aut ſingulis.

§. 22. Nihil refert autem, ſive de præteritis, ſive de præſentibus, ſive de futuris quæſtio inſtituatur. Omnia quippe ſine diſcrimine, ſive jam præterierint, ſive adhuc perſtent, ſive futura ſint, a quatuor cauſſis in univerſum dependent; & quæcunque tandem inciderit quæſtio, nullo temporis diſcrimine, quærit aut omnes, aut aliquam cauſam. Ut & Dubitatio omnis eſt ſaltim de aliqua cauſarum: ſemper tamen excipio quæſtionem aut dubitationem de eo, *an ſit res.*

§. 23. Quæſtionibus vero & Conſultatio omnis annumeranda eſt. Etſi enim non omnis quæſtio ſit conſultatio, conſultatio tamen quæſtio eſt. Qui conſultat enim, quærit. Et vero de ſingulis quatuor cauſſarum conſultatio quælibet ſolet inſtitui, non minus ac quæſtio. Quod ſane dicit Ariſtoteles *l.* 3. *Nicom. c.* 3. *non conſultare nos de finibus, ſed de iis, quæ ad fines faciunt obtinendos*, non ſimpliciter verum eſt, ſed de ſolis finibus remotis & externis. Hi enim poni ſolent in conſultationibus, tanquam extra aciem conſultationis; reliqui vero fines, quoniam ſpectant illos remotos & externos, naturam induunt eo ipſo mediorum ad fines. Ita ſane ipſe Ariſtoteles Nicomachiorum & primo & decimo libro conſultat de conveniente & naturali fine humanarum actionum in univerſum: tantum poſitis nonnullis confuſis de beatitudine aut felicitate, quam ſcilicet ultimo intendunt humanæ actiones, certis notisque axiomatibus. In qua diſputatione Beatitudo, confuſa cognitione animo concepta, habetur quidem finis, operationes autem virtutum honores, divitiæ & voluptates, tanquam media ad finem illum, cum tamen reapſe in uno horum beatitudo ſit collocata.

§. 24. VERUM de cauſis, quæ & quot in civilibus negotiis habeant locum, ſolere etiam de iis tantum non omnes politicas diſquiſitiones inſtitui, & hiſce cognitis demum ſciri Politica quæque, ſatis forte dictum eſt: inſtituti ſane ratio uberiora non patitur. Redeundum nunc eſt in viam, unde ſumus digreſſi, atque adeo docendum, quemadmodum in ſingulis fere politicis quæſtionibus accurata & certa principia demonſtrationum ex cauſis poſſint accipi. Idque quoniam nec hoc, ceu par erat, in ſuperſtitibus analyticis libris univerſim traditum eſt; quaſi liceat hic tantum remittere lectores ad analytica aliorum ſcripta. Non niſi breviter vero etiam hoc agemus: per ſingulas tamen quæſtionum, quæ de cauſis inſtitui poſſunt, claſſes diffundentes doctrinam: ex quibus ſcilicet cauſſis in omnibus illis quæſtionibus peti demonſtrationum principia debeant, ad accuratam certamque ſcientiam comparandam. Proprius ſane huic diſquiſitioni locus eſt in analyticis, quæ fortaſſis alias pleniore opera a nobis illuſtrabuntur.

§. 25. Ante omnia quidem igitur in univerſum obſervandum firmiterque tenendum eſt; ut alibi, ita & in civilibus, cujuslibet effectus ſuas certas & neceſſarias cauſſas eſſe, nec poſſe unumquodque confieri a cauſſa qualibet: inter quatuor porro cauſſas ad unum effectum producendum neceſſarias, connexum etiam quendam neceſſarium eſſe, ita ut ſingulæ pro aliarum diverſitate aliter atque aliter neceſſario ſeſe habeant.

§. 26. Ut de cauſſa Finali igitur primo agamus loco; quandocunque in diſceptationem venit, utrum hic vel ille ſcopus propoſitus eſſe debeat civili alicui operi vel actui, definiri illud certo poterit, propoſitionibus deſumptis a natura finis remotioris, vel etiam omnium ultimi & maxime univerſalis; a natura item & formæ & effectricis cauſſæ illorum actuum, ſine quibus ſcopum illum non licet aſſequi; a natura denique materiæ, circa quam illa, quæ ad ſcopum faciunt, neceſſario verſantur. Enimvero ita comparatum eſt, ut is cujuslibet particularis operis ſcopus demum

recte

Digitized by Google

recte ſeſe habeat, qui & convenit ſcopo univerſali totius,ut ita loquar,corporis, vel certe illi non adverſatur, quique pariter effectu poſſibilis eſt. Nec enim prudens quis ſcopum ſibi propoſuerit, quem neutiquam poſſit aſſequi: aut qui noxius eſt toti reipublicæ. Utrum vero poſſibilis ſit ſcopus aliquis,nec ne,ex trium cauſſarum natura unice cognoſcitur: utrum utilis ſit,nec ne, accipere eſt, primario quidem a magis univerſali & denique ab ultimo fine, etiam ſecundario tamen a reliquis cauſſis. Dum enim ex illis ſit manifeſtum,quatenus aliquid poſſibile ſit,nec ne, ſimul dignoſcitur, num ſine noxa, aut cum qua noxa & quanta, aliquid præſtandum veniat. Exempli cauſſa. Si quæſtio ſit, num in republ. ſine diſcrimine omnes civium filii ad eruditionem parandam inſtitui debeant; Negativa ſententia primum illo poteſt adſtrui, quod ſaluti reipublicæ adverſetur,omnes promiſcue intentos eſſe parandæ doctrinæ, utpote cum ſalus illa exigat, ut omnibus pacis & belli artibus cives ſint inſtructi, multo magis illa cives velit eſſe bellicoſos, ſiquidem reipublicæ iſti propoſitum ſit late fines imperii in alios populos extendere, qui ſcopus præcipuus erat Romanorum. Poteſt ſecundo adſtrui etiam ex eo, quod non poſſint omnes ita inſtitui; idque quia & promiſcue omnes non ſunt idonei ad capeſſendam doctrinam (quæ argumentatio a cauſa materiali procedit) & quia deficiunt commodi magiſtri inſtitutoreſque (quod eſt argumentum petitum ab effectrice cauſſa) & quia denique ſola inſtitutio non ſufficit ad juventutem ſolida eruditione imbuendam: quod poſtremum pertinet ad cauſam formalem actus. Poteſt & tertio adſtrui ex eo, quod privatim plurimis id noxium fuerit. Qui nimirum ingenio ad doctrinam idonei non ſunt, hi inani inſtitutione perdent tempus & opes, atque adeo jam adulti inutiles fere erunt; qui ab opibus inſtructi ſatis non ſunt, cogentur ſæpe in curſu medio ſubſiſtere vel ad incitas redigi: qui corporis non ſunt ea ſanitate, ut meditationibus queant vacare,illi inſtitutione iſthac quod ſupereſt ſanitatis vel amittent,vel ſaltim corrumpent. Tales noxæ autem non ſunt ferendæ in bona quavis republica. Conſimili modo poterunt omnes de fine quæſtiones, non futuri tantum, ſed præſentis etiam & præteriti temporis ἀποδεικτικῶς expediri; ſi ſane cauſſarum cujuslibet rei controverſæ naturæ probe cognita, atque ad illas omnes ſcopus dubius tanquam ad normam fuerit exactus.

§. 27. Quum porro Formalis cauſſa cum fine interno idem reapſe ſit, tantumque ab eo differat τῷ λόγῳ; quandocunque de Forma ſive actus,ſive operis alicujus certi quippiam eſt demonſtrandum, principia apodictica primaria itidem a fine quidem,non niſi externo tamen & proximo, recte poſſunt accipi. Nec enim ob finem remotum,ſed ſolum proximum Forma quælibet per ſeſe eſt; interque hunc demum & formam per ſe neceſſaria datur connexio. Eſt vero internus finis ineptus ad principium exhibendum, cum ipſe ille ſub Formæ conceptu ſit in quæſtione, & probatio omnis ex ſolis jam notis inſtituenda ſit. Primaria autem peti ſolent argumenta a Fine in quæſtionibus de forma: quoniam Forma quælibet quam maxime finis eſt gratia, atque finem maxime tanquam pro norma habet. Ut proinde illa demum Forma recte ſeſe habeat,quæ fini propoſito congruit. Etiam peti tamen hîc argumenta quædam Apodictica poſſunt a materiali pariter & effectrice cauſſa: utpote quum nulla Forma non verſetur circa aliquam certam materiam, & non dependeat itidem a certa quadam effectrice cauſſa: quarum alterutra proinde,vel utraque ſi inidonea ſit ad formam illam producendam, fruſtra in futurum quidem de illa aliquid ſperatur, cum ſit impoſſibilis effectu: in præteritum etiam ſecure pronunciari poteſt,illam non obtinuiſſe: ut & in præſens, non exiſtere. In exemplum ſufficit quæſtio de forma creandi magiſtratus in ſtatu vere ariſtocratico, num creatio ſcilicet ſola vel ſorte vel ſuffragatione fieri debeat. Sorte enim minime fieri debere, colligi & primum & primario poteſt ex fine illi reipublicæ in creando magiſtratu propoſito, qui eſt ſolis hominibus idoneis magiſtratus committere: ſecundario tamen etiam ex cauſſis reliquis. Scopum nempe illum non licet ſola ſorte aſſequi: quoniam ut optimi conſtituantur opus eſt, uti creatio fiat ab eo,h. e. a tali effectrice cauſa, quæ judicandi pollet facultate, quali ſors ſolitaria deſtituitur: opus etiam fuerit, ſi ſoli ſorti committenda res ſit, ut ſaltim plærique, ex quibus,tanquam e materiali cauſſa, magiſtratus legi oportet, dotibus magiſtratui aptis ſint inſtructi, quibus ſæpenumero plærique tamen deſtituuntur.

§. 28. De iis etiam,quæ efficientem ſive principalem ſive inſtrumentalem cauſſam attinent, quæſitis aliquid demonſtrandum ſi fuerit, principia arceſſenda erunt a cauſis tribus reliquis. Eſt enim quidem in cauſſa quoque principali & nonnullis inſtrumentalibus civilium operum & voluntas pariter ſpectanda & facultas; attamen non facultas duntaxat,ſed voluntas etiam ex tribus illis cauſis judicari poteſt. Cujus ſane etiam voluntas averſa eſt a fine quodam, illum non eſſe bene aptum ad propoſitum iſtum finem obtinendum, recte colligitur. Similiter qui averſatur materiam illam,circa quod laborandum forte quid eſt, itidem hunc pronunciare licet non ſatis idoneum ad opus peragendum. Par ratio eſt modi ſive formæ actus præſtandi, ſi forte acturo ille omnino diſpliceat. Nec enim invitis, quod ajunt, canibus venari commode licet. De facultate id jam tum manifeſtum eſt, cum idem habeat locum in naturalibus quoque operibus. Non ſane opus eſt ullo hæc exemplo illuſtrare.

§. 29. Idoneitas poſtremo aut ineptitudo eorum, *circa qua* aliquid eſt agendum, firmiter definiri atque demonſtrari poteſt, principiis deſumptis ex natura finis, efficientis, & formæ. Sic juventutem omnem in civili ſocietate non eſſe inſtituendam ad eruditionem, demonſtratur primum ex fine civilis ſocietatis, cui hoc repugnat; ſecundo, ex forma inſtituendi, quam omnis juventus non admittit; & tertio, ex eo,quod non ſit invenire quenquam,qui omnes reddat eruditos.



Digitized by Google

§ 30. IN HUNC modum, quotieſcunque in ſingulas cauſſas civilis cujusdam negotii inquiritur, ex ipſis cauſis de cauſis certa per demonſtrationem ſcientia acquiri poteſt. Quandocunque ſane ex talibus principiis, ſimulque ex veris & notis, & quidem ſive per experientiam, ſive aliam quam demonſtrationem notis, probatio aliqua inſtituitur, tum ſemper proba fit ac genuina & quidem optimæ notæ demonſtratio: præſertim ſi perpetuo veræ ſint: ſi non niſi plærumque autem, demonſtratio quidem fit itidem, vilioris tamen ordinis. Quicquid etiam ejusmodi proba aliqua collectione oſtenſum eſt, id omne vera & proprie dicta ſcientia tenetur, non minus atque aliud aliquod cujuscunque etiam diſciplinæ. Quoniam porro non obſcurum jam perſpectu eſt, in civili doctrina ejusmodi oſtenſionum ingentem eſſe copiam, ſimul etiam confirmatum plus ſatis jam eſt illud a nobis ſupra aſtructum, quod vulgo παράδοξον hactenus eſt viſum, non Politicæ minus, quam Phyſicæ ſuas demonſtrationes eſſe, nec illam minus hac veræ ſcientiæ nomen commereri. Patefacta jam etiam vera demonſtrandi methodo, hucusque quaſi in occulto latente, non poterit usque adeo, ceu hactenus, impoſterum eſſe difficile, veris demonſtrationibus magis ſolito & illuſtrare & augere politicam prudentiam.

§. 31. Antequam hoc argumentum deſeramus, illud unum adhuc forte non abs uſu fuerit memoraſſe: etiam quando non in promptu ſunt vere idonea demonſtrationi principia, ſed tantum veriſimilia, quam optime tamen & commodiſſime peti illa poſſe ex locis cujuslibet cauſſæ. Ita ſane probabiles collectiones demonſtrationibus reddi maxime affines queunt. Id quod obſervaſſe intereſt veritatis.

# CAPUT XI.

## *De recto modo & ordine tractandi politicam prudentiam, ſive integram, ſive ex parte.*

§. I.

Quemadmodum Experientiæ pariter & Demonſtrationis auxilio accurata, certa & perfecta civilium ſcientia univerſalis queat comparari, prolixe, ſi non nimium prolixe, oſtenſum eſt: addendum nunc proxime aliquid *de modo atque ordine*, (*a*) qui in docendo eſt merito obſervandus. Nec vero quidquam commode vel diſcitur, vel docetur, niſi juſto modo & ordine obſervato. *Diſponere autem apte, niſi eruditis negatum eſt*; ut recte loquitur Plinius *l.* 3. *ep.* 13. Sunt vero & hac de re ſententiæ diverſæ: quantum liquet utique ex varia tractandi via, quam ſcientiæ hujus magiſtri veteres & novi inſtiterunt: nec deſunt & aliæ quædam hactenus non perinde motæ dubitationes. Quæ omnia tamen, quoniam operoſa explicatione haud indigent, nos etiam brevitati ſtudebimus. Quoniam vero inſtitui poſſunt & ſolent tractationes, aliæ de partibus quibusdam civilis prudentiæ, aliæ in univerſum de tota illa; quæ autem in prioribus, illa & in poſterioribus locum habeant; de poſteriorum vero juſto ordine propriæ quædam ſint dubitationes; principio ea, quæ communia ſunt atque ad omnes pertinent, expediemus.

§. 2. Ante omnia igitur tanquam certum indubitatumque fundamentum ponemus, *primo* quidem: ſine quibus illa, quæ probanda ſunt, probari nequeunt, illa ut neceſſario ſunt præcognoſcenda, ita etiam omnibus probationibus præmittenda eſſe, niſi quidem adeo illa fuerint jam nota, ut aliqua ſingulari nova repetitione non ſit opus. Talia ſane fruſtra denuo quis inculcaverit. *Secundo*: *κατὰ φύσιν eſſe, communia primo tractare, deinde τὰ περὶ ἕκαστον ἴδια θεωρεῖν*: quod Ariſtotelis dictum eſt 1. *Phyſ.* 7. aut ut idem ait alibi 3. *Phyſ.* 1. *Propriorum contemplationem communium conſideratione poſteriorem eſſe.* *Tertio*: ſi dubium ſit, *an ſit res*, hoc omnium primo, inde, *quod ſit*, ultimo demum, *propter quod ſit*, expediendum eſſe. *Quarto*: inter ea, quæ natura ejusdem ſunt gradus, illud, quod nobis cognitu eſt facilius, prius tractandum, ut ex hujus notitia reliquorum cognitio adjuvetur. *Quinto* denique: inter ea, quæ diverſi ſunt gradus, id quod perfectius primo loco proponendum, uti itidem ad illud, tanquam ad regulam, comparatio imperfectiorum poſſit inſtitui. Hæc, inquam, veluti certa atque indubitata jam ponimus: quamvis haud neſcii, quantis contentionibus iſthæc ſoleant hinc inde a nonnullis agitari; ponimus autem, quoniam non eſt hujus loci iſthæc diſputare, ſed quaſi jam alibi conſtituta accipere.

§. 3. Ne quidem illud nunc diſputabimus: utrum omnia illa, quæ præmittenda ſunt, ita ſeorſim ſint proponenda, ut univerſim iſthæc omnia omnino, quæ illius ſunt ordinis, quaſi unum in conſpectum ſint producenda, an vero quædam eorum duntaxat, quæ ſcilicet maxime huic aut illi rei ſunt utilia, reliquis ſepoſitis. Eſt enim alibi jam a nobis probatum: poſſe commode & ſeorſim omnia illa uno loco tradi, & ſparſim. Sparſim, ſi nonniſi aliorum gratia adferenda in medium ſint: ſeorſim vero, ſi & per ſe, non habito ad alia reſpectu, mereantur ſuam conſiderationem.

§. 4. Acceptandum poſtremo & hoc jam tum eſt; quemadmodum naturalium, moralium & earum, quibus artes conſtant, ita & civilium rerum, ſive univerſim omnium, ſive particulatim aliquarum, integram, plenam, perfectamque ſcientiam comprehendi, *partim* definitionibus nominalibus, ſive earum vocum, quarum in doctrina aliqua uſus eſt, explicationibus; *partim* ſingularibus experientiis; *partim* univerſalibus propoſitionibus, ſive ex ſingularibus experientiis elicitis,

(*a*) *De modo atque ordine.*) *Conf. HERTII elementorum prudentiæ civilis pædia.* GOEB.

Digitized by Google

citis,ſive alibi demonſtratis: *partim* denique collectionibus ex illis univerſalibus propoſitionibus confectis.

§. 5. Iam vero vocum utique Definitiones, uti alibi ſemper, ita & in politica quacunque doctrina, præ omnibus aliis cognitæ ſint oportet. Nec fuerit abſque uſu illas omnes ſimul præmittere. Quo conſilio & Ariſtoteles ipſe & alii iſtius ævi peculiares libros ὁρισμῶν olim conſcripſerunt: quamvis eorum nihil hodie ſuperſit,præter libellum Speuſippi. Id quod poſtea imitatus eſt & is,qui Andronici nomine ſcripſit περὶ παθῶν, & anonymus ille, cujus opuſcula Andronici libello vulgi jungi ſolent. Omnino tamen,ſaltim quotieſcunque vox aliqua in politica doctrina capienda eſt in ſenſu haud ita recepti uſus, ſignificatio illius definitione ante omnia, quatenus uſus poſcit, ſparſim eſt exprimenda. Saltim, inquam, tum id faciendum eſt; ne laboret obſcuritate doctrina, & diſcipulus operam atque tempus fallat: ſi enim jam paſſim innotuit acceptio vocis, nulla definitionem neceſſitas exigit,eoque omitti illa tum poteſt. Quod ab Ariſtotele quidem perquam religioſe eſt obſervatum.

§. 6. Earum,quæ Experientia innoteſcunt,ſingularum civilium rerum omnium narratio, quin ſeorſim perquam commode inſtitui poſſit, videtur dubio vacare: cum videamus id uſu venire in numero pene infinitis hiſtoricis monumentis. Eſt vero illius cauſſa iſta, quam ante adduximus; nempe quia & per ſeſe,non ſpectata utilitate illa, quæ ad propoſitiones univerſales politicas fabricandas hinc poteſt peti, civilium eventuum hiſtoria propriam contemplationem promeretur. Cum tractatione vero apodictica rarius poteſt permiſceri, & huic quaſi inſpergi. Idque fit, quia (ut ex iis,quæ de Experientiæ ad ſcientiam univerſalem politicam uſu capite proximo diſſeruimus, eſt manifeſtum) ex una atque altera hiſtoria raro aliquid tuto colligere eſt ad pronunciatum faciens univerſale. Atque ita raro ſingulares aliquot narrationes adjumentum certum adferunt politicæ Philoſophiæ: quæ autem non adferunt, illa nec inter demonſtrandum admitti debent, ceu quæ turbent potius,quam vere juvent. Multæ vero ejuſdem rei repetitæ narrationes, numero ſuo itidem turbant tractationem apodicticam. Nec, proxime quidem, demonſtrationem adjuvant: quia demonſtratio proxime inſtituitur ex propoſitionibus univerſalibus jam tum ex ſingularibus experimentis deductis. Ut proinde plurimorum ſingularium iſtorum recenſio alibi jam debuerit inſtitui; non autem ibi fieri eam oporteat, ubi jam demonſtrationes ipſæ conficiendæ ſunt. Ceu ante itaque diximus, raro uſum inveniunt in ipſa politicæ Philoſophiæ tractatione, ſingularium eventuum narrationes. In probationem quidem. Præterea vero nonniſi exempli loco merentur ibi adferri. Quod ipſum quum paucis quam optime præſtari poſſit, facile apparet, etiam ſic ſaltim operoſiores quaſque aut prolixiores ejuſmodi narrationes in tractatione ἐπιστημονικῇ tolerari non poſſe. Quælibet igitur ejuſmodi diffuſiores hiſtoriæ ſeorſim potius extra philoſophicum demonſtrandi, ut ita loquar, campum recitari debent. Quod itidem omne Ariſtoteles accurate obſervavit: paucis tantum, nec niſi breviter, inſperſis hiſtoriis ipſimet politico operi: ſeparatim autem diſtincto volumine enarratis ac deſcriptis *omnium fere civitatum, non Græciæ ſolum, ſed etiam Barbariæ, moribus inſtitutis diſciplinis*, h. e. ut Laërtius quidem numeravit, rebuſpublicis centum quinquaginta octo, ut Anonymus alius ariſtotelicæ vitæ ſcriptor, ducentis quinquaginta. Longe commodius poſſint hiſtoriæ jungi principiis aut propoſitionibus illis univerſalibus, quæ ex ſingularibus hiſtoriis educuntur. Attamen *primum* illæ demum hiſtoriarum collectiones, quæ in certas claſſes politici argumenti ſunt diſtributæ, huc faciunt: quales nimirum ex veteri ævo ſunt libelli Stratagematum Polyæni & Frontini: qualia item ſunt,quæ leguntur libro Oeconomicorum ſecundo de modis variis extorquendæ pecuniæ: quales denique fortaſſis fuerunt illæ Ariſtotelis reſpublicæ ſeparatim ſcriptæ δημοκρατικαὶ, ἀριστοκρατικαὶ καὶ τυραννικαὶ, quarum Diogenes Laërtius meminit *in ind. libror. Ariſt.* Quoniam *porro* illæ collectiones operoſæ ſunt & per ſe dignæ lectu, itaque & illæ poſſunt utique non inutiliter ſeorſim tradi, non adjunctis illis propoſitionibus. Cum tamen ad conficiendas ejuſmodi propoſitiones perquam utiles ſint collectiones ejuſmodi, nec aliunde propoſitionum illarum pars magna poſſit conſtitui, hinc adeo palam eſt, ſaltim collectiones illas cum propoſitionibus iſtis utiliſſime una tractatione proponi poſſe.

§. 7. Propoſitiones porro univerſales ex uſu aut hiſtoria civilium rerum jam deductæ, videntur itidem inſigni cum fructu ſeorſim unum in locum quaſi conduci poſſe; etſi non omnes, magnam tamen earum vim. Cujuſmodi cumprimis ſunt, quæ de voluntate hominum circa res civiles per experientiam innotuerunt: qualis videlicet illa variis ſeſe modis habeat, pro diverſa ratione ætatis, ſexus, fortunarum, item pro animorum diverſis motibus pariter & habitibus. Quæ de hiſce ſcilicet habemus per experientiam comperta, haud exigua ſunt copia, & merentur etiam per ſeſe ſingularem conſiderationem. Intereſt porro etiam ſcientiæ politicæ, univerſa iſthæc uno quaſi adſpectu contemplari: quoniam per omnes fere deliberationes politicas horum uſus ſeſe diffundat, nec poſſit commode conſultatio aliqua ἐπιστημονικὴ inſtitui, niſi velut in tabella præ oculis ſint poſita iſthæc univerſa Longe certe ad uſum ſcientiæ civilis parandæ maxime facit, non tam ſigillatim ac ſparſim, quam univerſim ejuſmodi omnia animo comprehendere. Certe quæ cauſſa movet Mathematicos,potiora ſuarum demonſtrationum axiomata & hypotheſes initio conjunctim præmittere, imo vero, quæ movit Ariſtotelem, in Phyſicis quidem animalium hiſtoriam in univerſalibus propoſitionibus totam occupatam (eſt autem ſimilis in plantis labor Theophraſti) ſeorſim a demonſtrativa doctrina de partibus, generatione, inceſſu, aliiſque affectionibus animalium proponere,



Digitized by Google

in Rhetoricis autem locupletiſſimum illum theſaurum propoſitionum colligere in unum; eadem politicum quemvis doctorem non poteſt non jure merito movere, ad principia demonſtrationum politicarum plene & ſeparatim exhibenda. Eadem tamen & ſpargenda omnino erunt per omnem demonſtrativam tractationem; cum quoniam ſine illis principiis demonſtrationes politicæ confici nequeunt, tum quoniam non ſuppetentibus demonſtrationibus hæc ſola ſufficiunt. Sæpe ſane non opus eſt demonſtrationes quærere, modo notum ſit illud omne, quod experientia & uſu compertum eſt: quandoquidem non ſemper æqne perfecta rei alicujus cognitio poſtuletur, & ſatis ſit interdum τὸ ὅτι noviſſe ignorato τῶ διότι.

§. 8. In ipſamet demonſtrativa denique civilium rerum tractatione id utique ſemper eſt obſervandum, ne quidquam fiat, via iſthac, quam ſemper tenendam eſſe ante diximus, neglecta, aut ordine præpoſtero. Quandocunque ſcilicet propoſita quæſtio fuerit reſolvenda, tum vero (ſi quidem opus ſit) ante omnia eſſe definitione liberandas vocum uſurpandarum ambiguas ſignificationes, præmittendaque neceſſaria quævis axiomata & propria principia. Quoniam vero omnis quæſtio politica (ſi unam illam, *an ſit*, excipias) quærit vel omnes vel aliquam quatuor cauſſarum, nulla porro earum poſſit expediri niſi ex principiis ejusmodi, quæ accepta ſunt cum ex aliis, tum præcipue ex finali cauſſa, ceu præcedente capite §. 2. oſtendimus; manifeſtum eſt ſaltim pleraſque politicas tractationes ordinis διδασκαλικῷ illam ſpeciem, quæ vulgo analytica audit (bene an ſecus, jam non diſputo) exigere. Parum tamen fortaſſis refert ordinem illum ſtrictim ſequi; modo ne quid omittatur, quod ad rem facit, atque ſi ex principiis certis propriisque doctrina inſtituatur.

§. 9. Attendendum autem hic etiam atque etiam venit, non ſemper eadem facere ad rem aliquam, ſed pro inſtituti varia ratione nunc omitti quædam poſſe, nunc non poſſe. Et vero, ſi propoſitum fuerit, ea ſola docere ad quamvis πρᾶξιν quæ ſufficiunt, non perinde omnia traditu erunt neceſſaria. Imo & omitti multa debent, quæ ſcilicet neceſſaria non ſunt: quoniam nihil adferendum eſt in accurata quidem tractatione, quod a ſcopo propoſito eſt alienum. Ex adverſo illi, qui philoſophari velit circa rem aliquam, vitio jure eſt vertendum, ſi vel minimum negligat eorum, quæ ad rem pertinent. Ipſemet hoc ipſum jamdudum monuit Ariſtoteles *lib.* 3. *Polit. cap.* 5. hæc in verba prorumpens: Τῷ δὲ περὶ ἑκάστην μέθοδον φιλοσοφοῦντι, καὶ μὴ μόνον ἀποβλέποντι πρὸς τὸ πράττειν, οἰκεῖόν ἐστι τὸ μὴ παροράν, μηδέ τι καταλείπειν, ἀλλὰ δηλοῦν τὴν περὶ ἕκαστον ἀλήθειαν. *Illius enim, qui circa unamquamque doctrinam philoſophatur, & non reſpicit ſolum ad* τὸ *agere, proprium munus eſt nihil prætervidere, neque quidquam omittere, ſed veritatem aperire de re qualibet.* Pertinet vero huc & illud, quod Craſſum fecit dicere Cicero *l.* 1. *de Oratore: Omnes artes aliter ab iis tractantur, qui eas ad uſum transferunt, aliter ab iis, qui ipſarum artium tractatu delectati nihil in vita ſunt aliud acturi.* Habet autem & πρᾶξις ſeſe haud uno modo, idque in omni vita & arte. Recte ſane Antonius apud eundem Ciceronem *l.* 3. *de Oratore*: *Aliud eſt, eſſe artificem cujusdam generis atque artis: aliud in communi vita & vulgari hominum conſuetudine, nec hebetem, nec rudem.* Seorſim luculente idipſum apparet in actionibus civilibus: aliud enim eſt in officio eorum qui tantum obtemperant, aliud in eorum, qui imperant, cumprimis vero ejus, qui quaſi architectum agit. Jam tum ſupra autem *c.* 8. §. 39. oſtendimus; non eandem peritiam civilium rerum in iis, qui ad nihil niſi ad obtemperandum tenentur, & in iis, qui imperare aliis debent, poſtulari; atque illis quidem ſufficere rudiorem aliquam, hiſce vero accuratam & plenam neceſſariam eſſe. Indubie vero longe accuratiſſima requiritur in illo quaſi architecto: ſi ſane menſuram nominis & dignitatis velit adimplere. Igitur in uſum obtemperantium aut vulgi promiſcui, ſatis eſt civilium argumentorum tractatio minus exquiſita: accuratior illis inutilis eſt, eoque & ſperni ſolet. Et vero recte Plinius *l.* 8. *ep.* 14. *Quotusquisque tam patiens, ut velit diſcere, quod in uſu non ſit habiturus?* In uſum vero eorum, qui imperare & regere debent, longe accuratior doctrina expoſcitur; cumprimis in eorum, quos ſummos quaſi artifices in negotio aliquo civili oportet agere. Omnibus denique numeris perfecta inſtituenda tractatio fuerit in commodum philoſophantium: ut nihil ſcilicet omittatur, nihil agatur obiter & Minerva, ut ajunt, rudi.

§. 10. Sed de iis, quæ in unaquavis politicæ doctrinæ tractatione ſunt, obſervanda, hactenus ſatis forte eſt dictum: addendum nunc ſeorſim aliquid de integræ doctrinæ illius convenientе diſpoſitione. De diſpoſitione, inquam: quoniam, cum reliqua pertineant ad tractandi modum atque a communibus illis haud differant, non eſt, quare denuo repeti debeant.

§. 11. Igitur cum doctrina civilis tum demum integritatem ſuam conſequatur, quando & in communi & per ſpecies traditum eſt, qua ratione civiles ſocietates omnes, ac ſingulæ earum ſpecies, recte inſtitui, conſervari, & corrigi debeant, ſocietates autem illæ nonnulla habeant communia, quædam & propria; manifeſtum eſt, & communium & propriorum nihil negligendum, non autem in unius aut alterius ſpeciei expoſitione integram politicæ doctrinæ tractationem collocandam eſſe. Ex iis etiam, quæ initio hujus capitis §. 1. & 2. attulimus, jam conſtat, communia omnia ſeorſim & ante particularia quæque eſſe pertractanda.

§. 12. Exordium proinde faciendum fuerit ab expoſitione eorum, quæ in univerſum ad civitatis ſive civilis ſocietatis naturam pertinent. Et quidem, quoniam vox civitatis eſt nonnihil ambiguæ ſignificationis, nonnullæque ſocietates humanæ creduntur interdum eſſe civitates ſive reſpublicæ, nec tamen ſunt; hinc omnino neceſſum eſt, primo omnium exponere, quid demum ſit civitas, aut civilis hominum ſocietas; ſecluſis nimirum hinc ſocietatibus aliis. Inde in genere dicendum fuerit de civitate. Id vero fieri demum recte poſſe, ad quatuor cauſſarum or-

dines

Digitized by Google

dines flexa contemplatione, cum ex ſuperioribus *c.* 10. §. 21. conſtet, hic etiam id faciendum eſt. Inquirendum igitur in materiam omnis civitatis: hæc autem conſtat & hominibus ſocietate civili cohærentibus, & rebus, quæ publice privatimque in uſum civilem poſſidentur. Quod ergo ab Ariſtotele primo libro ac capitibus tribus prioribus tertii politici voluminis eſt actum, illud omne huc arceſſendum venit. Nimirum ad ſimplices usque partes dividendus erit cœtus ille hominum: quemadmodum fieri par eſt in omnium compoſitorum corporum contemplatione. De rebus quoque civili vitæ neceſſariis agendum aliquid eſt: ut quæ & ipſæ ad materiam civilis ſocietatis pertineant: quanquam Ariſtoteles *l.* 1. *c.* 5. ſuæ de poſſeſſionibus inſtituendæ tractationis cauſſam videatur aliam attuliſſe. Nequaquam tamen omnia, quæ de partibus cœtus civilis aut rebus civili uſui propriis dici poſſunt, huc adferenda; ſed ſola ea, quæ huc faciunt, tanquam ad commune ſubjectum circa quod negotia civilia verſari oportet: qui limites videlicet ſunt cognoſcendi ſubjecti in omnibus artibus, & in ethicis cognitionis animæ humanæ. Quemadmodum nempe ſocietas conjugalis, inſtitutio liberorum, uſus ſervorum aliarumque rerum, habere ſeſe debeat, non poteſt exponi, niſi in ipſa tractatione de republica. Hæc ſcilicet quomodo habenda ſint ſimpliciter, etiam extra civilem cœtum, œconomicæ methodi: in cœtu autem civili, doctrinæ, quæ circa reipublicæ inſtitutionem verſatur, expedire eſt. Idque, quoniam primo multum refert, ſocietas domeſtica in civitate, an extra civitatem ſit, ſecundo aliter illa atque aliter hæc componenda eſt pro diverſitate reipublicæ: non eandem rationem poſſeſſionum aut bonorum, multo minus educationis liberorum, ſervorum, uxorum, maritorum, nuptiarum, qualibet reipublicæ ſpecie citra diſcrimen admittente. *Vid. ſupra cap. VI.* §. 11. Ubi porro de materia civitatis fuerit ſatis dictum, commodum videtur, agere non nihil de fine vel ſcopo civilis ſocietatis omnis: mox de cauſa efficiente, quæ ſcilicet cogit homines, aut cogere poteſt in cœtum civilem: & poſtremo περὶ τῆς πολιτείας, quæ formam dat civili ſocietati, & civitati quaſi pro anima eſt. Non poteſt autem non niſi brevis hæc etiam doctrina eſſe: cum univerſim pauca ſint civitati omni communia. Eoque hactenus quidem & de reipublicæ natura non niſi pauca dicenda fuerint: præſertim cum vox illa ſit una earum, quæ πρὸς ἓν dicuntur, atque adeo de iis prædicetur, quibus parum eſt commune. Hac ſane de cauſſa etiam ipſemet Ariſtoteles non niſi ὡς ἐν τύπῳ de republica in genere differit, cauſſam rudioris tractationis hiſce verbis adferens *l.* 3. *Polit. c.* 1. *Nemini obſcurum eſſe debet, quibus in rebus ſubjecta ſpecie differunt, & eorum aliud eſt primum, aliud deinceps ſubſequens, earum rerum aut nihil prorſus eſſe commune, qua ratione ſint tales, aut perquam tenuiter & anguſte.* Ad hunc communem tamen locum omnino pertinet accuratior doctrina de poteſtate imperantium in obſequentes, ſive cives, ſive incolas civitatis, omnesque res, quæ intra civitatis fines exiſtunt: in quantum quidem generatim hac de re dici quid poteſt. Pertinet etiam inquiſitio in ea, quæ ſimpliciter ad omnem civitatem ſunt neceſſaria. Nec vero argumentum hoc utrumque a politica doctrina abeſſe poteſt, quamvis ab Ariſtotele tactum non ſit: alibi tamen commodior illi locus nullus eſt.

§. 13. Præmiſſa illa communiſſima tractatione, proximum fuerit agere de civitatum, ſive civilium ſocietatum communioribus generibus ac differentiis. Etſi enim Ariſtoteles ſtatim ſubjungat doctrinam de differentiis rerumpublicarum: quoniam tamen civitates differunt inter ſeſe plurimum, haud duntaxat ratione diverſæ πολιτείας, verum etiam ſecundum diverſam rationem materialis quoque & effectricis & finalis cauſſæ, atque hæc etiam diſcrimina magni ſunt ad civilem vitam momenti; omnino etiam illa merentur hîc ſuam conſiderationem. Et vero, ut de Fine civilium ſocietatum quaſi verbo uno tantum in exemplum quid moneam: omni quidem civitati propoſitus eſt ſcopus beata vita; aliæ tamen felicitatem illam ex æquo omnibus civitatis partibus quærunt, aliæ non ex æquo omnibus, ſed præcipue imperantibus: nec beatitudinem omnes civitates in re eadem collocant; aliæ quippe potentiam amplam & imperium in vicinos populos, aliæ divitias, aliæ voluptates, aliæ denique virtutis omnigenæ exercitium cum rerum ſufficientia conjunctum, credunt eſſe illam felicitatem ſibi propoſitam. Inter illa diſcrimina tamen civitatum omnino præcipua ſunt, quæ à differentiis πολιτείας dependent: atque adeo hæ præcipue erunt exponendæ. Ita tamen, ut adhuc quidem in communiſſimis earum differentiis hæreamus. Id quod & Ariſtoteli eſt accurate obſervatum: ceu apparet ex doctrina libri tertii, quæ non deſcendit ad ſpecies varias democratiarum, oligarchiarum, regnorum, aliarumque reipublicæ formarum enarrandas, multo minus agit de variis ſpeciebus rerumpublicarum mixtarum. Etſi vero etiam plane nihil agatur illo libro de mixtis: non tamen id ipſiusmet Ariſtotelis forte culpa eſt omiſſum, ſed periit illa doctrina vitio ævi, quo totus ille liber perquam mendoſus redditus eſt. Nec enim diviſio illa rerumpublicarum in ſimplices & mixtas a communi tractatione de differentiis ſine vitio abeſſe poteſt.

§. 14. Poſt expoſitas communiſſimas rerumpublicarum differentias, Ariſtoteles quidem ſeorſim docuit de omnium optima republica: ejusque omnia inſtituta quatuor integris libris prolixe eſt perſequutus: ut quidem a nobis alibi demonſtratur. Fortaſſis autem minus idoneus ille quidem ordo eſt. Etſi enim optima reſpublica præſtet omnibus aliis, atque illi primo competat reipublicæ nomen, adeoque primum ſit analogatum (ut ſequamur jam morem loquendi latinæ philoſophantium ſcholæ) deque ea primo loco proinde tractandum ſit, ad quam ſcilicet tanquam normam aliquam alia poſſint exigi; univerſa tamen, quæ de republica illa dici debent, ſtatim ſubjungenda eſſe, minime hinc ſequitur. Et vero ſunt porro quædam communiſſimæ rerumpublicarum affectiones, quas ſeponere utique non decet poſt integre abſoluta demum omnia optimæ



Digitized by Google

reipublicæ inſtituta. Adhoc rarum eſt inſtitutum reipublicæ optimæ, quod non & in reliquis formis quadamtenus venit attendendum. Si omnia vero reipublicæ optimæ fuerint unum in locum conducta, non poterit non de reliquarum rerumpublicarum utilibus inſtitutis commode diſſeri, niſi ſæpius repetitis illis ex doctrina de republica optima: utpote ſine quibus non poſſit juſte illa comparatio fieri, ad optimam tanquam ad amuſſim.

§. 15. Ex re proinde fuerit, poſt expoſitas communiores differentias, agere de iis, quæ communia magis ſunt ſive corrumpendis, ſive conſervandis rebuspublicis illis ita jam diſtinctis. Cumprimis, quemadmodum juxta differentias illas ſimplicium & compoſitarum rerumpublicarum aliter ſeſe atque aliter habere debeant: *Primum* ratio ferendarum legum, belli ac pacis arbitrii, & ſimilium; *Secundo* ratio conſtituendorum magiſtratuum; & *Tertio* ratio judiciorum. Atque adeo huc trahenda fuerit omnis communior doctrina de ortu, interitu, conſervatione, & corruptione rerumpublicarum civitatumque.

§. 16. Hiſce abſolutis forte conveniens fuerit docere, quidnam ſeorſim optimæ, quidnam alteri civitatis ſpeciei proprium ſit: quod alibi locum haud invenit.

§. 17. Ad ultimum fuerit tractandum, de differentiis maxime ſpecialibus rerumpublicarum ab optima declinantium, ut & quæ cuivis ſint domeſtica, quæ in quavis obſervanda. Quod ipſum & Ariſtoteles poſtremo loco perſecutus eſt, etſi nunc ſextus liber hanc doctrinam polliceatur.

§. 18. In hunc modum ſane omnia omnino, quæ ad politicam doctrinam pertinent, juſto ordine ita tradi poterunt, ne quid omittatur, ne quæ fiat inanis repetitio, ne quæ ad extremum ulla obſcuritas oriatur, ſed ut omnia facile animo & memoria queant comprehendi: quod ordinis διδασκαλικοῦ unicum eſt propoſitum.

## CAPUT XII.

### *De Prudentia ſingularium rerum civilium, & ſeorſim omnium & integræ alicujus civitatis.*

§. 1.

Expeditis iis quæ ad prudentiæ, civilis univerſalis, ſive ſcientiæ politicæ προπαιδείαν pertinent; nihil nunc ſupereſt ejus quidem, quod initio agere inſtituimus, quam ut de ſcriptoribus, quorum monumenta ad illam accipiendam adjumento queunt eſſe, diſſeramus. Cogit me tamen boni publici ſtudium adhuc duo præmittere: ac primo quidem ea, quæ ad παιδείαν faciunt Prudentiæ civilium rerum ſingularium, ſecundo autem quædam de juſta indole & recta inſtitutione viri politici. Videtur ſane hiſce omiſſis, debitum fructum ex libri hujus lectione exſpectari non poſſe. Et vero ad πρᾶξιν quidem civilem non ſatis eſt, viam ad univerſalem prudentiam illam tenere, ſed neceſſum porro ſcitu eſt, quemadmodum ad ipſam πρᾶξιν idonea poſſit prudentia comparari. Etiam hoc vero non perinde eſt notum vulgo, ſed magnis adhuc erroribus obnoxium. Jam autem niſi univerſalis illa prudentia etiam actibus civilibus exercendis ſit idonea, tantum non inutilis fuerit: rariſſime ſane eam quis velit addiſcere. Non poterit præterea quis pervenire ad civilem prudentiam; ſaltim non ad ejus apicem; niſi & ingenio apto fuerit inſtructus & recte in id educatus exercitatusque. Quænam autem illa ſit ingenii ratio, quæ educationis, a quammultis itidem ignoratur. Ne quidquam ergo deſideretur, hæc etiam nunc docebimus.

§. 2. Ac prudentia quidem illa ſingularis eſt, qua inſtructus quis idoneus eſt ſingulis negotiis civilibus recte, quantum licet, conſulere. Hinc vero ſtatim liquet id, quod diximus; eſſe eam ab univerſali prudentia diſtinctam: utpote quum univerſalis illa nihil ſciat rerum ſingularium, hæc autem iis conſulat, non poſſit autem conſulere, niſi iis perſpectis. Ab univerſali tamen illa omni ex parte non poteſt diſtincta eſſe: utpote quum ſingulatim conſulere non liceat, niſi ſuffultus ſis prudente aliquo univerſali pronunciato. Ergo ad conſilium ſingulatim dandum & ab univerſali prudentia accipiendum aliquid eſt, & ſimul addendum aliquid de re illa ſingulari, qua de conſilium datur. Conſiſtit autem hoc in notitia illius rei ſingularis, non alia tamen, quam quæ ad propoſitum requiritur. Plenior enim hîc quidem eſt inutilis. Omnis nimirum prudentia ſingularis conſulit, quidnam agendum, omittendum, permittendum; uſu ſyllogiſmi, cujus Major propoſitio ab univerſali prudentia accepta eſt, Minor ex re ipſa ſingulari. Perinde atque uſu venit in omnibus etiam artibus. Ex. gr. ut conſulas, regi Philippo operam unice dandam, quo contemptum ſuorum evitet, ſyllogiſmus ejusmodi conficitur: Omni regi vitandus eſt contemptus. Philippus eſt Rex: Ergo Philippo vitandus contemptus erit. Non ſolet quidem ſemper explicatus ejusmodi ſyllogiſmus confieri: neque ut fiat ſemper, eſt neceſſum. Ea enim intellectus noſtri celeritas eſt, in iis equidem, quæ non multum ſunt obſcura, ut non attendentibus concluſio ſæpe numero ipſas præmiſſas quaſi antecedat: quale quid in omni animalium motione contingere, eleganter eſt Ariſtoteli obſervatum *lib. de comm. animal. mot. c.* 7.

§. 3. Cæterum qua ratione liceat pervenire ad univerſalem prudentiam, ſive plenam Majoris propoſitionis ſyllogiſmi practici notitiam, jam tum abunde eſt monſtratum. Minor propoſitio itidem ſæpe numero ſenſibus ipſis aperta eſt: eoque tum quidem nulla ad parandam notitiam opus eſt manuductione. Interdum vero illa ſic ſatis eſt obſcura. Cujus proinde cognitio quemadmodum parari poſſit, nunc dicendum.



Digitized by Google

§. 4. Igitur ſingularia quæcunque in dubitationem politicam venire ſolent, ſunt plærumque, vel perſonæ atque earum actus & affectiones, vel res aliæ quæque & quæ iis accidunt. Eſtque quæſtio omnis de eo, quod vel præſentis vel præteriti, vel futuri eſt temporis. Poteſt porro de hiſce aliquid ſciri vel certo, vel nonniſi verſimiliter. Certo autem ita, ut vel nunquam vel raro fallat: nam & quæ raro aliter ſeſe habent certis quadamtenus merentur accenſeri. Certo etiam ita, ut vel duntaxat ſciamus rem aliquam eſſe aut non eſſe, vel vero etiam cauſſas ejus rei propter quas illa ſit aut non ſit intelligamus.

§. 5. Verum heic nonnulli turbant; non poſſe videlicet ſingularium rerum certo quidquam ſciri, quoniam illa nimium quantum contingentiæ h. e. mutationibus ſunt obnoxiæ, certa autem ſcientia non ſit, niſi eorum quæ aliter ſeſe habere non poſſunt h. e. nonniſi eorum, quæ neceſſaria ſunt. Saltim civilia ſingularia non certo teneri; quoniam illa ex parte maxima a liberrimo ſanctiſſimi Numinis & hominum arbitrio unice quaſi ſuſpenſa ſunt. Qui tamen ita ſentiunt, valde inconſiderate loquuntur. Tollunt enim ſimul omnem univerſalium certam ſcientiam prudentiamque. Utique enim jam tum conſtat, demonſtrativam quamque univerſalium cognitionem niti propoſitionibus univerſalibus indemonſtrabilibus, quæ autem ſint eductæ ex ſingularibus per experientiam acceptis. Si autem ſingularium nulla datur certa cognitio, nec propoſitionum illarum univerſalium certa notitia poterit parari; ſi nulla autem fuerint principia certa indemonſtrabilia, non etiam ulla ſupererit demonſtratio. Par ratio eſt ſingulorum prudentiæ univerſalis humanorum actuum. Hæc enim etiam quaſi pro fundamento habet, ſive per demonſtrationem, ſive per inductionem habenda ſit, actus ſingulares humanos: qui ſi certo ſciri haud poterunt, nec indemonſtrabiles propoſitiones univerſales practicæ, nec demonſtrativæ ullæ ſunt reliquæ. Si porro ſingularia omnia incerta ſunt, ergo nullum certum conſilium dari, nulla ars, nulla prudentia certo exerceri poſſit, atque adeo & ars omnis & prudentia fuerit fruſtra. Quæ quoniam perquam abſurda ſunt & ab illorum etiam diſputatorum ſenſu abhorrentia, & falſo & inconſiderate ab illis ſingularium certam notitiam tolli conſectarium eſt. Eſt vero jam tum ſupra *cap. VIII.* §. 23. a nobis manifeſtum redditum, & hypotheticam & ex parte abſolutam neceſſitatem obtinere in humanis negotiis. Quæ ſane ibi in univerſum diſputavimus, illa de ſingularibus quibusque itidem vera ſunt, eoque rurſum heic nulla nunc indigent iſthæc illuſtratione, neque eſt cur illæ quidem dubitationes nos amplius turbent, quo minus pergamus in oſtendenda ratione ad ſingularium rerum notitiam perveniendi.

§. 6. Quoniam ergo jam tum notitiam illam, quæ ſenſibus noſtris externis accipitur, tanquam nulla indigentem manuductione, ſemovimus: ſupereſt, ut de illa ſola, quæ fit ope alicujus collectionis, utpote cum alia nulla ſit reliqua, nonnihil pro inſtituti ratione dicamus. Obſervandum autem prius eſt, etiam propoſitiones quam multas ſingulares æmulari naturam univerſalium, cum quæ proprie tales ſunt, h. e. genericarum, tum quæ particulares appellantur. Ita hæc propoſitio: *Petrus interdum eſt perjurus*, quaſi particularis: hæc vero: *Petrus ſemper eſt perjurus*, quaſi vere eſt univerſalis. Et vero perinde ut aliæ particulares, aut univerſales magis minusque tales ſunt, ita & ſingulares huc illuc magis minusve inclinant. Ita *Petrus ſæpe eſt perjurus*, *Petrus plærumque eſt perjurus*: multum inter ſeſe differunt ratione univerſalitatis.

§. 7. Ergo jam, perinde ut aliæ enunciationes univerſales, ſingulares omnes, (quæ quidem ope alicujus collectionis innoteſcunt] intelligi ſolent deductione facta aut ex meris ſingularibus, aut mixtim ex univerſalibus principiis. Mixtim inquam: nec enim concluſio ſingularis conficitur ex utraque præmiſſa vere univerſali.

§. 8. Ex ſingularibus autem ad illum fere modum fiunt collectiones ſingulares, quomodo ſupra *cap. X.* §. 5. docuimus, ex ſingularibus experimentis fieri univerſales enunciationes. Et vero concluſiones illæ ſingulares ſunt ejus ordinis, quas paulo ante diximus æmulari naturam enunciationum univerſalium. Hinc etiam hîc, ut ibi, ex unico etiam experimento, tanquam per Syllogiſmum expoſitorium, quem vocant, aut ſimilem aliquem ſyllogiſmum imperfectum (quales vulgo, perperam tamen, Enthymemata appellantur) colligitur ſingularis enunciatio, ſed quæ refert quodammodo ſpeciem particularis. Ut: *Petrus fecit contra, quam juravit, Ergo Petrus interdum eſt perjurus.* Ex pluribus porro ejusdem ſingularis rei experimentis, pro earum numero majore, minore, conficiuntur, ope quaſi inductionis, ſingulares enunciationes, ſed quæ magis minuſve itidem vim quaſi habent univerſalem. Ita ut poſſis de re aliqua pronunciare, quemadmodum ſeſe habeat nec ne; vel ſæpe, vel admodum frequenter, vel plerumque. Quaſi generica autem propoſitio (cujusmodi illa eſt, *Petrus ſemper eſt perjurus*) etiam hic per inductionem quidem certo colligere non licet, niſi tantum probabiliter: poſito nempe, etiam impoſterum rem aliquam ſeſe habituram, qualiter hactenus ſeſe habuit. Id quod in vita civili ſcitu per eſt utile; quia vita illa ſingulorum veniat componenda ad id, prout unumquodque ſingulare vel raro, vel frequenter, vel plærumque eſt; atque haud immerito, etiam futuro tempore aliquid ſeſe habiturum, poſſit debeatque exiſtimari, prout hactenus illud ſeſe ſemper habuit. Manifeſtum autem eſt; omnem ejusmodi collectionem confieri ex ſingularibus experimentis, ac proinde & heic etiam atque etiam attendendum eſſe, ne quis error in experiendo ſit commiſſus: cæteroquin ſane certa collectio inſtitui non poteſt. Omnino igitur etiam hîc & alia & cumprimis illa, quæ ſupra *cap. X.* §. 3. & 4. de Experientia docuimus, ſumma cura fuerint obſervanda.

§. 9. Ad tales argumentationes quam proxime accedunt illæ, quæ inſtituuntur ab experimentis ſingularibus non noſtris, ſed aliena fide acceptis. Nec vero plane ſunt eædem cum illis prioribus; utpote quæ tacite ſaltim, interdum & aperte, quaſi involvant propoſitionem univer-

ſalem

ſalem fere hunc in modum: *Quicquid Joannes refert de Petro, id Petrus eſt: At Joannes refert, Petrum plærumque eſſe perjurum, Ergo Petrus eſt plærumque perjurus.* Etſi vero hæ argumentationes nonnihil differant ab illis prioris ordinis, cum tamen perquam affines ſint, non eſt, cur de iis quid ſigillatim addamus. Hoc duntaxat unum meretur notari: quod fides illa, quæ nititur alieno teſtimonio, interdum non niſi veroſimilis ſit, interdum plene certa atque infallibilis (qua de re alias, & ſuo loco) eoque collectionem, quæ ex aliorum narrationibus inſtituitur, nunc certam, nunc dubiam: nequaquam vero omnem ſine diſcrimine eodem certitudinis cenſu habendam eſſe.

§. 10. Complura porro de ſingularibus, cum alias, tum etiam in civilibus, collectione inſtituta mixtim ex una aliqua univerſali & ſingulari præmiſſa, ſolent intelligi. Et quidem, ſi univerſalis illa nonniſi veriſimilis eſt, etſi altera præmiſſa ſingularis ſit certa, tantum opinio oritur, non certa cognitio. Par eſt ratio, ſi ſingularis ſit incerta, univerſalis autem altera certa. At ſi utraque præmiſſarum certa ſit, tum vero firma & fida dubioque carens collectio neceſſario ſubſequitur.

§. 11. Et vero etiam ſingularium cognitio certa aliqua poteſt accipi, argumentatione plane ſimili illi, quæ demonſtratio appellatur. Imo ſi quod eſt res fatendum, etiam ſingularium vera datur interdum demonſtratio: quod recte annotavit etiam ante nos Bartholomæus Viottus *l. 1. de demonſtr. c. 11.* Hinc ergo de ſingularibus quoque rebus demonſtrari aliquid poteſt, nunc indirecte facta deductione ad incommodum, nunc directe & oſtenſive: interdum porro affirmative vel negative: nonnunquam quaſi particulariter, aut quaſi generice: & denique demonſtratione partim τοῦ ὅτι, partim τοῦ διότι. Id quod infinitis exemplis illuſtrare liceat, ſi opus ſit: non eſt autem opus, cum exercitatio ejusmodi cuivis in omni vita ſit quam maxime, ipſi vulgo etiam, prompta atque expedita, etſi nemo ex vulgo ſciat, ſe demonſtrare. Omnino autem etiam in hiſce ſingularum rerum demonſtrationibus adhibenda erunt principia, ſimilia iis, quæ in aliis demonſtrationibus requiruntur. Quæ qualia oporteat eſſe, majore ex parte ſupra a nobis eſt traditum: itaque & hic repetere neceſſum haud eſt. Cumprimis vero etiam hîc ſunt attendenda, quæ ibi de quatuor cauſſis rerum civilium earumque recta demonſtratione diſſeruimus. Omnium quippe etiam ſingulorum civilium ſive actuum ſive operum quatuor ſunt cauſarum ordines: & in harum plena atque exacta cognitione perfecta ſingulorum notitia denique eſt collocata. Nec ſingulorum cauſſæ quæque aliter, quam quo ſupra dictum eſt modo, poſſunt accipi. Quod exemplis oſtendere, non patitur inſtitutum, etſi id fieri facile poſſit infinitis. Et vero, quæ in univerſum de omnibus probata ſunt, neceſſum utique eſt in ſingulis etiam uſum ſuum obtinere: ut natura ſua in univerſalibus ſingularia comprehenduntur.

§. 12. Cum ea porro, quæ collectione quadam facta intelligenda ſunt, alia ad perſonas & perſonis nonnihil ſimilia, Deum inquam & Spiritus, alia ad res (vocibus ex romanis juris uſu acceptis) pertineant; illorum cognitio, (cumprimis, ſi de præteritis & futuris quæſtio ſit) difficilior quidem redditur, propterea quod illa omnia partim a voluntate, partim a facultate dependeant, in rebus autem nihil, fere præter facultatem attendendum veniat; modo tamen illa, quæ itidem ſupra attulimus, exacte etiam hîc obſerventur, omnia expeditu erunt longe faciliora, utpote quum via quadam certa poſſit ita de omnibus, quæ in quæſtionem veniunt, inquiſitio inſtitui: a qua ſi diſcedamus, temerario & incerto fluctu quaſi agitamur, nunc proſpero, nunc etiam infelice eventu.

§. 13. Ea poſtremo de quibus quæſtio ſolet in vita civili inſtitui, ceu ante diximus, vel præſentis, vel præteriti vel futuri ſunt temporis. Etſi enim quæ jam præterierunt, non ſoleant trahi in deliberationem (quæ potiſſimus eſt actus politicæ in ſingularibus prudentiæ) facit tamen haud parum etiam ad deliberationem iſthæc noviſſe: quandoquidem perfrequenter in futurum probe conſulere haud poſſis, niſi noveris, qua ratione vel conſtituta, vel corrupta, vel correcta antehac fuerint illa de quibus forte nunc deliberatur. Neque enim nunc adducam, quantum talia ſcire ad perſuadendum profit: quoniam non eſt hujus loci oratorem inſtruere, cujus proprium munus eſt perſuadere, ſed Politicum virum, qui non adeo ſollicitus eſt de perſuadendo, quam de bene conſulendo. Etiam vero extra deliberationes ſaltim jucundum eſt, & decet virum politicum, nihil eorum temere ignorare, quæ in republica, quam curandam ſuſcepit, jam etiam olim acciderunt.

§. 14. Quæ præterierunt vero, ea aut nos ipſimet meminimus, aut non meminimus. Illa, ut ſenſibus noſtris jam percepta, non indigent ad parandam ſui notitiam adjumento. Hæc vero innoteſcere poſſunt vel aliqua certa ex aliis collectione. Igitur ut antiqua quidem illa cognoſcamus, opus fuerit fide digna quævis teſtimonia advocare, eaque ſive vivorum adhuc hominum, ſive eorum, qui narrationes poſteritati tradiderunt. Quænam autem horum vere fidem mereantur, alias explicamus, ubi de humani teſtimonii auctoritate diſputatur. Collectio autem certa in hunc quidem uſum inſtitui optime poteſt, accurate cognitis iis, quæ ad cauſſas quasque eventuum civilium faciunt. Nec enim quidquam fieri potuit, niſi quatuor cauſarum ad illum eventum idonearum vi: ac proinde, ſi vel adfuiſſe, vel non adfuiſſe eas notum ſit, non poteſt non nota ſimul eſſe eventi veritas, utrum ſcilicet ita factum, aut non ſit factum. Poteſt tamen illa collectio fieri etiam a poſteriore, ut loquuntur ſcholæ logicæ, h. e. ab effectu aliquo aut certo ſigno: nam etiam hinc licet quæſtiones, *an ſit*, expedire.

§. 15. Præſentia cognoſcimus, præter ſenſum proprium, itidem & teſtimonio, ſed hominum non niſi adhuc ſuperſtitum, non autem mortuorum, & collectione non quidem ex effectu, ſed a cauſis, ſive a priore facta.

§. 16. Futura vero nec ſenſu, nec proprie quidem dicto teſtimonio intelligere eſt. Ad teſtimonia

Digitized by Google

monia tamen, quadamtenus referre liceat prædictiones eorum, qui vel ipſimet rem facturi ſunt, vel conſcii ſunt eorum quæ gerentur: quales ſunt, aliæ ab hominibus, aliæ a Deo aut Spiritibus futurorum gnaris profectæ. Maxime vero propria Politico homini futurorum prænotio fit, collectione inſtituta ex cauſis ſingulorum eventuum accurate & plene cognitis. Hæ ſane ſi habeant neceſſitatem hypotheticam, tum hypothetica, ſi cathegoricam cathegorica, poteſt a prudente & cauſſarum eventuumque civilium gnaro viro, etiam futurorum eventuum inſtitui prædictio. Deficiente autem alterutra neceſſitate, nulla certa ab homine, per collectionem quidem, divinatio futurorum haberi poteſt. Quo ſimul manifeſtum eſt, futurorum eventuum prænotionem collectione prudentem habere ſemper non poſſe: habere autem interdum, ſed non niſi conditionalem; omnium rariſſime vero cathegoricam. Patet etiam, illam vim prænoſcendi ſolis admodum gnaris rerum civilium conceſſam eſſe, atque adeo prudentis acuminis eſſe certum ſignum: eoque merito inter ſummas Themiſtoclis & Ciceronis laudes, divinatoriam πολιτικὴν ab antiquis memoratam eſſe. *Vid. ſupra cap.* 8. §. 29.

§. 17. CAETERUM de via communi, qua ad ſingulorum ſine diſcrimine omnium prudentem notitiam pervenire liceat, fortaſſe plus ſatis eſt dictum. Quamvis enim de illa & prolixius & plus diſſeri queat, tamen alienum id fuerit ab hoc loco; cum ne hæc quidem licuiſſet promere in medium, niſi alibi & quidem ſuo loco ſoleant a magiſtris negligi, nos vero amor promovendi civilem omnem prudentiam in melius, operam hanc ſuſcipere compuliſſet. Dicendum nunc nonnihil eſt ſeorſim, quænam illa ſingularia ſint, ad quæ rempublicam aliquam integram curaturum attendere potiſſimum, quæve eorum ſcire cumprimis, oporteat. Erit autem & hoc non ſine inſigni fructu: cum videamus multos regendæ reipublicæ integræ curationem non dubitare aggredi, ignaros prorſus non tantum univerſalis prudentiæ (hoc namque in præſens non urgebimus) verum etiam eorum ſingulorum, ſine quibus civitas curanda commode regi haud poteſt. Qui edocti, ſaltim quorum ſingularium paranda ſibi notitia ſit, poterunt impoſterum, ſtudia & operam rectius impendentes, in reipublicæ ſuæ uſum ſeſe præparare.

§. 18. Repetendum vero prius memoria eſt: & integræ ſingularis civitatis cujuslibet, & ſingulorum civitatis cujusque actuum operumque, quatuor eſſe cauſſas, inque horum notitia demum perfectam ſingulorum cognitionem conſiſtere. Quemadmodum ergo ad univerſalem omnium civitatum, ita etiam ad particularem ſingularis alicujus civitatis prudentiam, unice requiritur, ut omnium civitatis illius rerum cauſſas quatuor plene pernoſcas. Quantum ſane horum aliquid deficit, in tantum imperfecta eſt particularis quæque prudentia ſingularis cujusque civitatis. Ac proinde aſpiraturo ad prudentiam hanc accuratam particularem integræ cujusque civitatis, perinde ut ad ſingulorum quorumvis civilium negotiorum, neceſſarium eſt, uti omni ſtudio allaboret ediſcere, quicquid ad quatuor iſtas cauſas integræ ſingularis reipublicæ attinet.

§. 19. Obſervandum porro & hoc in anteceſſum, ad plenam civitatis alicujus ſingularis notitiam poſtulari, primario quidem, nihil ignorare, quæ interna & (uti ſic loquar) domeſtica ſunt civitati illi: ſecundo tamen loco etiam requiri, ne neſcias ea, quæ foris in aliis civitatibus obtinent aut geruntur. Ac illa quidem prioris ordinis neceſſaria eſſe ad plenam & omnibus modis abſolutam notitiam, non indiget probatione. Etiam externa vero illa pernoſcenda eſſe ad id, ut tuæ reipublicæ omnia plene ſcias, aut ut integræ civitatis alicujus plenam habeas prudentiam particularem, argumento eſt, quoniam ſine illorum cognitione nemo aptus eſſe poteſt, omni ſane ex parte alicui reipublicæ recte conſulere. Id quod manifeſto eſt indicio, ſine tali integræ civitatis notitia particularem prudentiam haberi non poſſe. Cauſſa vero hujus eſt, quoniam civitas & reſpublica quæque, vel indiget aut favore, aut auxiliis aut bonis nonnullis alterius reipublicæ, vel habet quod ab illa ſibi metuat, vel denique poteſt aliquid rerum ſuarum emolumentum inde exſpectare. Nihil horum vero cedere in uſum reipublicæ illius, cujus notitiam primario ſpectas, poteſt, niſi probe cognitis iis omnibus etiam alterius reipublicæ quæ iſthuc faciunt. Non ſane expleveris ex alieno indigentiam reipubl. tuæ, niſi ſcias, quænam alibi reperiri queant & quemadmodum ſint acquirenda. Pari modo caveri non poterit, ſi quid aliunde ex vicinia forte imminet maligni, niſi omnia ejus civitatis teneas quæ cavenda fortaſſe ſunt. Non denique foris emolumentum parari poteſt, niſi ſcias & ubi & quomodo poſſit obtineri. Quoniam vero talia omnia & numero & præſtantia, & utilitate ſuperantur ab iis, quæ reipublicæ tuæ propria ſunt & interna, manifeſtum eſt, externæ reipublicæ notitiam non niſi ſecundario & quaſi ex accidente ad tuæ reipublicæ plenam notitiam facere: longe maxime vero & primo, ea quæ interna ſunt, ad notitiam illam & prudentiam particularem pertinere. Etiam hoc patet; non requiri externæ reipublicæ notitiam plenam, ſed ſatis eſſe, ſi illa ejus haud ignorentur, quæ tuæ civitati vel prodeſſe, vel obeſſe poterunt: eoque prout externa reſpublica magis minusve ad id facit, ita illius notitiam magis minuſve utilem vel neceſſariam eſſe.

§. 20. In memoriam denique revocandum hîc eſt, quod paulo ante diximus: quantum ſit commodum etiam in *præteritorum* (*a*) civilium eventuum notitia collocatum, ad deliberationes quasque politicas inſtituendas. Hinc ſane patet, ad omni ex parte abſolutam peritiam alicujus ſingularis reipublicæ, non præſentis tantum, ſed etiam præteriti ſtatus cognitionem per eſſe utilem. Qua origine ſcilicet ſingula in civitate ceperint, quas paſſa ſint mutationes, unde firmitudinem acceperint, quodnam denique noxæ vel commodi civitati attulerint. Patet itidem, ut præterita illa,

(*a*) *Præteritorum.*) BOCCALINI *Bilancia politica lib. IV. epiſt.* 34. *p.* 289. GOEBEL.



Digitized by Google

illa, quæ ad quamvis rempublicam pertinent, ſi ipſimet haud ſimus experti, addiſcamus, nihil non monumentorum priſcorum, quæ huc faciant, parandum omni ſtudio & conſulendum, quosvis etiam peritos rerum adeundos, & quæ fide certa ſic ſunt accepta, diligenter annotanda eſſe.

§. 21. Atque hæc quidem in univerſum ſunt neceſſaria ad ſingularis cujuslibet reipublicæ prudentem notitiam, nonnihil tamen ſpeciatim magis exponere fortaſſis in rem fuerit, quænam illa ſint, in quibus cognitio illa ſingularis reipublicæ integræ verſatur. Turbant ſcilicet hîc nonnulli hoc ævo, ita differentes, quaſi jus publicum, ut alii, & privatum civitatis alicujus noviſſe, ſit tantundem atque noviſſe ea, quæ ad civitatem illam attinent, quaſique hoc unum ſatis ſit ad reipublicæ ſingularis adminiſtrationem. Verum illud quidem quam ſit erroneum, jam olim oſtendimus *in Præfat. ad Tacit.* eſtque dijudicatu facillimum. Etenim cognitio plena ſingularis reipublicæ excludit utique ignorantiam omnium, quorum in republica illa uſus eſt. At vero juris publici vel etiam privati notitia, quamvis accurata, cum plurimorum ignorantia conjungi poteſt. Fit autem hoc, quia primum quamplura in republica quavis magni ſunt momenti, quæ ex legibus ſive publicis, ſive privatis nequeunt accipi: & ſecundo, quia ex legibus diſcere quidem eſt, quemadmodum in quammultis habere ſeſe debeat reſpublica, non autem quemadmodum ſeſe habeat, cum ſæpenumero leges minime obſerventur, & ipſamet ſecundum leges regiminis forma longe aliena ſit ab ea, quæ reapſe obtinet; *vid. Ariſt. l.* 4. *Polit. c.* 5. ceu cumprimis obſervare eſt circa tempora magnarum in republica mutationum, dolo mutantium manentibus quidem in ſpeciem legibus & vocabulis priſcis, re tamen ipſa prorſus inverſa.

§. 22. Hic quidem igitur error, quamvis haud paucos hodie teneat, non eſt quod nos quidem nunc moretur. At vero longe rectius dixeris, abſolvi illam notitiam iis, circa quæ deliberationes civiles inſtitui potiſſimum ſolent. Sunt autem iſthæc numero fere quinque, ceu probe obſervatum Ariſtoteli *lib.* 1. *Rhet. c.* 4. quæ nempe pertinent *primo* ad vectigalia & reditus publicos, *ſecundo* ad bellum & pacem, *tertio* ad cuſtodiam regionis, *quarto* ad ea, quæ exportantur & importantur, *quinto* ad leges. Quorum *primi* notitia poſita fere eſt in notitia, & ejus, quantum ex quaque re civitas capiat, & ſumptuum, quos faciat civitas. *Secundi*, in cognitione virium & copiarum civitatis, tum quantæ ſint eæ, quæ nunc ſuppetunt, tum quæ parari poſſint, & cujus generis utraque ſint: quomodo item & quæ bella civitas antehac geſſerit: ut & quemadmodum circa arma inſtructæ ſint civitates illæ, quibus cum vel bellum vel pax civitati intercedere debet. *Tertii*, in accurata peritia & regionis, & præſidii ad cuſtodiam regionis collocati: cujusmodi ſit, & quemadmodum pro conditione loci & temporis aliarumque rerum ſit inſtituendum. *Quarti*, in ſcientia eorum, quorum civitas vel eget, vel abundat ad omnem civilis vitæ uſum: ut & quidnam alibi, & ubinam locorum, vel deficiat, vel ſuperfluum ſit. *Quinti* denique, in eo, ne ignores, quænam leges in civitate obtineant, aut olim obtinuerint, idque an cum noxa, an cum ſalute civitatis. Et vero horum omnium notitia præcipui eſt momenti in quavis civitate, quive hæc tenet multum eſt idoneus ſingulari alicui reipublicæ regendæ. Certe vel ex his manifeſtum eſt, juris publici aut privati peritiam partem quidem eſſe peritiæ illius ſingularum civitatum, non niſi partem quintam tamen; longe plurium vero cognitionem ad reipublicæ regendæ uſum expoſci.

§. 23. Non tamen horum etiam quinque peritia, integram & omnibus partibus plenam civitatis cujusque notitiam, licet impetrare: utque vulgari uſui, ſic & oratori ſatis quidem conformis eſt iſthæc enumeratio, nec perfecta tamen eſt, nec ſapit philoſophiam. Et vero Ariſtoteles diviſionem illam tantum ibi inſtituit in uſum Rhetorum, non autem philoſophi civilis: nec voluit omnia in deliberationem venientia adducere in medium, ſed præcipua duntaxat, vel ut ipſe loquitur, τὰ μέγιςα. Philoſophia nimirum civilis, ut perfectam notitiam a quatuor cauſis arceſſit, ita jubet in quatuor cauſſarum claſſes diſtribuere quicquid ad civitatis cujusque facit cognitionem, & nihil negligere.

§. 24. Igitur ante omnia attendendum; quem ſcopum præcipue civitas propoſitum habeat; num omnium civium ex æquo ſalutem quærat, aut vero dominantis præcipue utilitatem, reliquorum non niſi ex accidente: tum qua in re felicitatem ſuam collocet, in potentiane, an in divitiis, an in otio & voluptatibus, an denique in virtutum exercitio cum ſufficiente rerum copia conjuncto: num denique ſingula quæque reipublicæ ad communem illum ſcopum faciant, an nonnulla potius aliud agant. Quæ omnia *finalis* ſunt cauſſæ. *Secundo* videndum, quæ ſit conditio rerum omnium in civitate, immobilium & mobilium, publicarum & privatarum: interque immobiles ipſius præcipue regionis: quemadmodum ſcilicet res illæ omnes ſeſe habeant ad propoſitum civitati ſcopum, ad formam regiminis, atque ad eos, quorum in manu eſt reſpublica. Ut proinde huc pertineat etiam pars plæraque eorum, quæ ad primas quatuor claſſes illorum, quæ in deliberationem veniunt ex Ariſtotelis recenſione. Videndum porro, quæ ſit conditio perſonarum, ſive civium ſive reliquorum incolarum, compoſita cum ſcopo & forma regiminis ipſisque regentibus. Ac proinde inquirendum, quis & quantus illorum numerus, quæ dotes aut qualitates corporis, quæ animi, idque ratione virtutum cum moralium, tum intellectualium omnium, quæ denique ipſorum conditio circa fortunæ, quæ vocantur, bona. Eſt vero & perſonarum examen inſtituendum veluti rerum: ſpectatis & ſcopo, & forma regiminis, & ipſis reipublicæ adminiſtratoribus. Prout ſane hæc alia ſunt atque alia, ita & tota reſpublica multum accipit diverſitatis; ceu jam tum ſupra docuimus. Pertinent vero iſthæc omnia ad genus cauſſæ *materialis*. *Tertio* contemplanda venit ipſamet forma regiminis, ſive ἡ πολιτεία. Cum autem illa ſit (quod recte obſervavit & Ariſtoteles) diſpoſitio aut τάξις poteſtatum civitatis omnium, inprimis vero

ejus,

Digitized by Google

ejus, quæ ſumma eſt: præcipue attendendum, quænam ſummæ poteſtatis aut τὸ κύριον, quæ deinde magiſtratuum, quæ denique judiciorum ſit in civitate ordinatio. Num porro illa regiminis ratio conveniens ſit, nec ne, examinandum eſt; facta comparatione cum iis quæ ad finalem, materialem & efficientem civitatis cauſam pertinent: perinde atque in univerſalis prudentiæ negotiis faciendum eſſe, ſupra *cap.* 10. §. 27. monuimus. Hæc autem omnia ſunt propria *formali* cauſſæ. *Quarto* denique inveſtigandum, primario quidem, quemadmodum ſeſe habeant omnes, quotquot aut ſummam poteſtatem exercent, aut funguntur magiſtratibus, aut jus dicunt, nec ipſimet duntaxat, ſed quomodo & horum primarii quoque miniſtri ac domeſtici: idque reſpectu habito partim ad facultatem eorum, partim ad voluntatem. Inquirendum porro, quis numerus, quæ qualitates (ut vocant) ſint eorum quorum famulitio ad res potiſſimas belli ac pacis primarii iſti utuntur. Inquirendum denique, quantum rerum illis ad manum ſit, animatarum pariter atque inanimatarum, idonearum ut ſint inſtrumenta gerendarum rerum. Quæ, num itidem probe ſint compoſita, facto examine ad cauſſas tres, materialem nempe finalem & formalem, diſpiciendum eſt. Pertinet vero omnis ejusmodi conſideratio ad claſſem cauſſæ *efficientis*.

§. 25. In hunc modum civitatis cujusque rebus ſpectatis atque examinatis, nihil utique poteſt ejus fugere, quamvis curioſiſſimum indagatorem. Tam ſtudioſe autem quærenda omnia ſunt, ſi quidem omnibus numeris perfectam civitatis notitiam acquirere fuerit animus. Obſervandum nempe eſt: non requiri in quolibet curatore reipublicæ negociorum, integræ civitatis exactam adeo notitiam; ſed ſatis eſſe, ut qui non niſi partem civitatis curant, illius ſuæ partis plenam habeant notitiam. Sunt autem tales plane omnes, qui circa civitatis regimen occupantur: idque quoniam excedit vires hominis unius, in univerſum omnia agere, quorum civitas indiget. *Vid. cap. VIII.* §. 39. Quoniam vero ille, qui ſumma fungitur poteſtate, communem omnium curam neceſſum eſt habeat; hinc liquet, non eſſe fas, ut hic quicquam eorum in civitate ignoret, quæ communem illam curam attinent: liquet etiam, huic potiſſima ſaltim civitatis perſpecta eſſe oportere. Niſi profecto & rempublicam perdere & ſe prudentibus deridendum velit exponere. Quam rem quoniam eximie illuſtrat illud Socratis cum Glaucone, nobili adoleſcente Attico, patriæ reipublicæ regimen inepte affectante, colloquium, quod ſumma ſuavitate & elegantia, apis illa Attica, Xenophon memoravit *lib.* 3. *memorab.* libet illud addere, eoque hanc de notitia ſingularis cujusque civitatis doctrinam claudere. Quamvis enim nonnihil ſit prolixius, compenſabitur tamen lectio diffuſior inſigni fructu pariter & voluptate: præſertim cum hodie rari antiquorum ſcripta evolvant, Xenophontem multo rariſſimi, nimis multi contra, juvenum pariter ac ſeniorum ad Glauconis exemplum inſaniant. Nec tamen ſuamet lingua loquentem producemus Xenophontem, ſed qua illum expreſſit Joannes Leonclavius, etſi minime leporem Attici ſermonis aſſecutus: tantum ne cui videamur moleſti aut tædium creemus Græce indoctis. *Cæterum* (inquit) *Glauconem Ariſtonis filium, quum is necdum viginti natus annos, Oratoris uſurpare munus ac Præſes eſſe civitatis cuperet, nemo ab hoc inſtituto, poterat abducere; quamquam alios & propinquos & amicos haberet, ac de tribunali detraheretur, planeque ridiculus eſſet. Hunc Socrates, qui ei bene cuperet ob Charmidem Glauconis filium & ob Platonem ſolus ab hoc inſtituto avertit. Nam quum in eum incidiſſet, primum verbis hujusmodi prolatis detinuit hominem, ut ſe audire vellet. Præeſſe civitati noſtræ cogitas, mi Glauco? Cogito equidem, mi Socrates, inquit. Profecto, ait Socrates, ſi quid aliud humanis in rebus, hoc certe, præclarum eſt: perſpicuum eſt enim, futurum, ut ſi hoc impetres, tum poſſis, & ipſe conſequi ea, quæ concupiveris, & amicis uſui eſſe, & familiam paternam extollere, & amplificare patriam: præterea celebritatem nominis adipiſceris primum in hac urbe, deinde in Græcia, ac fortaſſis etiam uti Themiſtocles, apud Barbaros: ubicumque autem fueris, nusquam non eris illuſtris. Hæc quum audiret Glauco, efferebatur animo, lubenterque manebat apud Socratem. Is vero deinde: Planum eſt omnino, ait, mi Glauco, neceſſarium eſſe, ut ſiquidem eſſe in honore velis, aliquam reipublicæ utilitatem adferas. Omnino, ait. Non igitur rem celaveris, per Deos, inquit Socrates, ſed dicito nobis, unde principium adficiendi beneficiis rempublicam facturus ſis. Heic quum Glauco ſubjiceret, ut qui tum conſideraret, unde potiſſimum inciperet. An non, ait Socrates, perinde ac, dum amici domum vis amplificare, locupletiorem efficere niteris, ita & civitatem conaberis* opulentiorem *reddere? Omnino, inquit. Fueritne igitur* 1) *opulentior ſi proventus ei plures accedant? Hoc quidem conſentaneum eſt, ait. Dic ergo: quibus ex rebus nunc civitas hæc proventus habeat & quanti ſint; nam planum eſt, hæc te conſideraſſe, ut ſi quidam ex eis exigui ſint, eos tu expleas, ſi qui autem omittuntur eos præterea compares. Ego vero, ait Glauco, numquam hæc profecto conſideravi. Quod ſi hoc neglexiſti, ait Socrates, ſaltim ſumtus quos facit civitas nobis expone; nam certum eſt cogitare te jam, ut ſupervacaneos tollas. Ne his quidem, ait, unquam vacavi. Ergo, ſubjecit Socrates, differamus aliquantulum rationem locupletandæ reipublicæ; nam qui poſſit fieri, ut harum rerum curam aliquam ſuſcipiat is, qui & ſumtus & proventus ignorat? Verum mi Socrates, inquit Glauco, poteſt etiam ab hoſtibus reſpublica reddi locupletior. Ac vehementer quidem, ait Socrates, ſi eos ſuperet: at ſi eis inferior ſit, etiam ſua amiſerit. Vere dicis, inquit. Ergo qui* 2) *de* bello gerendo *adverſus illos, quos oppugnari neceſſe eſt, deliberat, eum civitatis & adverſariorum vires habere cognitas oportet; ut ſi majores ſint civitatis, bellum ſuadeat, ſin eæ minores ſint, quam hoſtium auctor ſuis ſit, ut caute agant. Recte dicis, ait. Ergo nobis primum indicato, ſubjecit Socrates, quæ hujus civitatis tum pedeſtres tum navales ſint copiæ, deinde quæ adverſariorum. Ego vero, inquit, non poſſim hoc tibi profecto de memoria promptum exponere. At ſi quid conſcriptum habes, profer, ait: nam lubens hoc audiero. An ne conſcriptum quidem hoc unquam eſt a me, inquit. Ergo, ſubjecit Socrates, etiam deliberationem de bello nonnihil initio ſuſpendemus; nam ob rei magnitudinem fortaſſe nondum explorati quidquam habes, præſertim,* quum

*quum nuper adeo præeſſe reipublicæ ceperis. Cæterum* 3) cuſtodiam regionis *hujus ſcio tibi curæ fuiſſe teque tenere, quot ejus præſidia ſint opportuna, nec ne, quot præſidiarii milites ſufficiant, quot non: denique conſulere te, ut opportuna præſidia adaugeantur, ac ſuperflua tollantur. Immo vero, ſubjecit Glauco, equidem tollenda univerſa arbitror, quod ita cuſtodiant ut ea quoque attingantur quæ noſtro in agro ſunt. At ſi quis præſidia tollat, inquit Socrates, an non exiſtimas cuivis rapiendi poteſtatem fore? tu vero num profectus eo rem inveſtigaſti, aut quomodo ſcis, eos malas excubias agere? Conjicio, inquit. Ergo de his quoque tum deliberabimus, quum non amplius utemur conjectura, ſed cognitam rem habebimus. Fortaſſis hoc fuerit potius, ait Glauco.* 4) *In* argenti fodinas *quidem certe, ſubjecit Socrates, non veniſſe te ſcio: ut dicere poſſis, quamobrem nunc minus inde quam antehac proveniat. Equidem eo non ſum profectus, ait. Profecto, inquit Socrates, fertur is locus eſſe gravis, quamobrem ubi de hoc conſultandum erit, hæc tibi excuſatio ſufficiet. Hoc equidem meditor, ait Glauco. Et Socrates: Hoc autem, ait, non neglexiſſe te ſcio ſed omnino conſideraſſe, quamdiu* frumentum, *quod noſtro in agro naſcitur, ad alendam civitatem hanc ſufficiat, quantumque præterea in annum requiratur: ne te inſcio civitas inopia ejus laboret, ſed quia tibi de hoc conſtiterit, poſſis conſulendo de neceſſariis rebus reipublicæ proſpicere, eamque conſervare. Rem magnam dicis, ait Glauco, ſi quidem erit etiam talium habenda cura. Enimvero, ſubjecit Socrates, ne ſuam quidem domum recte quis adminiſtraverit, ſi non omnia quibus opus ſit teneat; & omnia diligenti cura ſuppleat. Sed quum civitas ex pluribus, quam decies mille domibus conſtet, ac difficile ſit tot domuum curam ſimul habere, cur non patrui tui domum unam primum augere conatus es? Te quidem ille rogat. Id facere ſi poſſis, etiam ad plures animum adjicies. Sin uni prodeſſe nequeas, quí pluribus proſis? Quemadmodum ſi quis unum talentum geſtare nequeat, quí non manifeſtum eſt, huic ne conandum quidem eſſe ut plura geſtet? Ego vero, ſubjecit Glauco, prodeſſem patrui familiæ, ſi mihi vellet obtemperare. Ergo, ait Socrates, quum patruum perſuadere non poſſis, effecturum te putas, ut Athenienſes univerſi una cum patruo tibi pareant? Cave mi Glauco, inquit, ne gloriæ cupiditate in contrarium prolabaris. An non vides, quam periculoſum ſit ea vel dicere vel agere aliquem, quæ ignorat? Etiam de aliis, quoſcunque tales noſti, cogites velim, quales eſſe videantur, dum vel dicunt ea quæ neſciunt, vel tractant: num tibi videantur propterea laudem potius quam vituperationem conſequi, atque utrum in admiratione magis quam in contemtu eſſe. Itidem cogites velim de iis, qui norunt quidquid vel dicunt vel agunt: invenies, mea quidem ſententia, in omnibus actionibus eos, qui cum gloria ſunt & in hominum admiratione, maxime ex illorum eſſe numero, qui rerum periti ſunt, inglorios autem hominumque contemtui expoſitos, ex imperitiſſimorum eſſe numero. Quamobrem ſi & clarus eſſe vis in republica & in hominum admiratione, inprimis operam dato, ut ea noris quæ ſuſcipere cogitas. Nam ſi cæteris in hoc præſtans tractare negotia reipublicæ ceperis, mirum mihi non videbitur, ſi facile conſequaris ea, quæ concupiſcis.*

§. 16. Hæc omnia præclare atque eleganter Xenophon. Conferentibus autem illa, quæ ab Ariſtotele differuntur quarto capite primi Rhetoricorum libri facile apparet, longe rectius & plenius ab Ariſtotele eſſe traditum, quidnam in publicas deliberationes venire ſoleat. Et vero locus ille de argenti fondinis xenophonteus, pertinet ad primum Ariſtotelis deliberandorum, ultimus vero de frumento ad exportanda & importanda: quæ tamen longius multo patent, quam uti ad ſolum frumentum poſſint reſtringi. Ne tactus vero quidem eſt a Socrate locus ariſtotelicus de Legibus: qui in qualibet republica potiſſimæ eſt conſiderationis, & rempublicam plene curaturo ſumme eſt cognitu neceſſarius. Ab ipſomet vero etiam Ariſtotele non omnia, quæ cujusque civitatis notitiam attinent, allata eſſe in medium, jam tum monuimus. Ut multo minus ſocratica illa eſſe numeris omnibus perfecta, jam ſit *clariſſimum.* (*a*)

## CAPUT XIII.

### *De iis, quæ in Politico, cum Philoſopho, tum verſaturo in actu rerum, requiruntur: deque recta utriusque inſtitutione.*

§. 1.

Expediendum nunc denique eſt etiam id, quemadmodum quis inſtitui quam optime poſſit ad civilem prudentiam, cum univerſalem illam pariter θεορητικωτέραν, tum ſingularem, quæ jam in actu rerum occupatur. Prius vero docendum, quis idoneus ſit ſive ad hanc, ſive ad illam comparandam. Nec enim quivis ſine diſcrimine ad id aptus eſt; fruſtra autem inſtitueris hominem ineptum. Sed & qui eſt aptus Politicæ philoſophiæ, non ſtatim eo ipſo eſt par Politicæ, ut ita dicam, pragmaticæ & vitæ negotioſæ. Eoque diſtinctim de utraque agemus; & quidem de priore prius.

§. 2. Atque Ariſtoteles quidem, ceu Aulus Gellius teſtatur *l.* 20. *c.* 4. (quantum conjicere eſt, ex Andronici Rhodii commentariis acceptum) olim ad accuratas quasque Philoſophiæ auditiones admiſit neminem, niſi cujus ingenium, amorem diſcendi, laboris tolerantiam, & denique elementa eruditionis exploraſſet. Quod ejus inſtitutum quantæ fuerit prudentiæ, a nobis prolixe alibi eſt traditum. Cum in omni autem accuratioris Philoſophiæ auditore ſive ſtudioſo quatuor iſthæc merito exigantur, utique idem faciendum fuerit circa eum, qui ad civilem Philoſophiam affectat,

(*a*) *Clariſſimum.*) Relinquemus hunc locum, ſimul ac audierimus & Tullium *l.* 3. *de LL.* de hac ſingularis reipublicæ notitia differentem. *Eſt,* inquit ille, *Senatori neceſſarium noſſe rempublicam. Idque late patet. Quid habeat militum: quid valeat ærario: quos ſocios respublica habeat, quos amicos, quos ſtipendiarios: qua quisque ſit lege, conditione, fœdere; tenere conſuetudinem decernendi, noſſe exemplum majorum.* Hæc Cicero. Quæ tamen itidem non ſatis eſſe ad plenam notitiam, ex iis, quæ docuimus palam eſt. CONRING.

Digitized by Google

affectat gradum: quandoquidem illud Philoſophiæ genus ſubtilitate & amplitudine non temere cuiquam alii cedit.

§. 3. Igitur initio ingenii quædam ſingulares dotes adferendæ ſunt ad Philoſophiam hanc diſcendam; & quidem plane illæ ipſæ, quæ in quolibet Philoſophiam aggreſſuro requiruntur. Sunt autem *primum* vis eximia, & percipiendi, & judicandi, & memoria comprehendendi omnia, quæ a magiſtris Philoſophiæ civilis proponuntur. Et vero non ſufficit in auditore, poſſe percipere mentem magiſtri, aut meminiſſe eorum poſſe, quæ accepta ſunt, ſed, idque cumprimis quidem, poſſe etiam judicare. Tantum ſcilicet ſcimus quantum judicio aſſequimur. Propoſitum autem eſt auditori, ſcientiam ſibi comparare. Eoque nec idoneus auditor Philoſophiæ eſt is qui haud pollet facultate, illa quæ ſibi audita ſunt judicandi, vera ſint nec ne, quam ve habeant certitudinem. Pertinet huc *deinde* & quædam vis, proprio, ut ita dicam, Marte, ex ſingularibus experimentis ſubito colligendi aliquod aſſertum commune, & exhinc ulterius ratiocinandi; cumprimis vero indita quædam cum curioſitas de cauſſis rerum atque eventuum cognoſcendis, tum illas cauſſas inveniendi felicitas. Quæ utraque dos, illa eſt ἀγχίνοια, quæ Ariſtoteli 1. *Analyt. poſt. cap. ult.* ſcite definitur, εὐστοχία τις ἐν ἀσκέπτῳ χρόνῳ τοῦ μέσου: *veluti* (addit) *ſi quis videns, quod luna lucidam ſui partem ſemper obverſam ſoli habeat, illico excogitet, cur ita ſit, nempe quod luna luceat a ſole: aut ſi quis cum divite colloquentem quem videns, ſtatim conjiciat peti mutuo pecuniam: aut ob id eſſe amicos, quoniam habeant communes inimicos.* Πάντα γὰρ τὰ αἴτια τὰ μέσα ὁ ἰδὼν τὰ ἄκρα ἐγνώρισε. Definitur etiam eleganter, nec non magis ad uſum practicum, in libello qui Andronico Rhodio tribuitur *l.* περὶ παθῶν. ἕξις ἐξ ὑπογύου τὸ καθῆκον εὑρίσκουσα, καὶ καταστοχαζομένη τοῦ δέοντος. Eſt ſcilicet quædam ὀξύτης τῆς ψυχῆς, ut Plato in Charmide loquitur, cujus contrarium eſt ſtupiditas ſive ἀναισθησία. Hæc porro felicitas ingenii, ſaltim ex parte, ſemper Naturæ debetur beneficio. Niſi ſane a Natura, ſaltim ex parte ſit hac in re felicior quis, nunquam in Philoſophia ulla, atque adeo nec in civili, diſcenda fecerit laboris pretium. Ea autem vis interdum eſt Naturæ, ut quidam, pene nulla adhibita induſtria, ſtupendos in omni Philoſophia progreſſus faciant, alii ſeorſim in civili ejus parte, modo animum iſtuc appulerint: quos merito hactenus εὐφυεῖς dixeris. Poſſunt vero illæ ingenii vires, etiam cum exercitio, tum arte promoveri atque intendi plurimum. Exercitii certe vis, ad ingenii judiciique acumen parandum, nota eſt. Nec temere quem latet, Mnemonicæ artis & Logicæ ingens facultas. Quibus proinde inſtructum eſſe oportet Philoſophiæ civilis aſſectatorem, ut ſcilicet & cito poſſit, quæ illius ſunt loci invenire ac judicare, & quæ didicit firma memoria continere. Cito inquam. Haud peſſime enim Craſſus apud Tullium *l.* 3. *de Orat. Res quidem ſe, mea ſententia, ſic habet, ut niſi quod quisque cito potuerit, numquam omnino poſſit perdiſcere.*

§. 4. Ineſſe *ſecundo* debet comparaturo ſibi prudentiam accuratam Politicam, ἡ φιλομάθεια: non quævis ſine diſcrimine quidem, cupido tamen diſcendi illa civilia. Sunt nimirum nonnulli φιλομαθεῖς quidem, ſed horum alii feruntur impetu quodam promiſcuo ad omnia, alii usque adeo ad certum aliquod & ſingulare doctrinæ genus, ut reliquum omne diſpiciant, nec animum queant ad alia appellere. Seorſim igitur poſtulatur hic ardor quidam addiſcendi, civitatis regendæ prudentiam: ſive ſit conjunctus ille cum propenſione ad univerſam eruditionem omnem, ſive ſoli illi diſciplinæ addictus, aut unice, aut potiſſimum. Quoniam vero amor diſcendi ſeu veritatis affectus, eſt non tam intellectus, quam voluntatis, manifeſtum eſt, quæ moralibus virtutibus, quarum ſedes itidem eſt voluntas, eadem quoque huic cum obſtacula eſſe, tum incitamenta, easdemque parandi rationes. Etiam hic ſcilicet haud parum valet natura, longe plus autem proba conſuetudo, removens quicquid ſolet animum a veri & ſcientiæ civilium rerum ſtudio reddere diverſum: cujusmodi ſunt, præcipue quidem vana gloriæ lucri & voluptatum cupido, interdum vero etiam ſive nativa ſive electitia, quædam in μαθήματα alia propenſio, cum anguſtia ingenii, quæ nimirum vetat multis intendere, conjuncta.

§. 5. Minime *Tertio* deditus otio aut ſegnis, ſed gnavus, induſtrius, imo φιλόπονος eſſe debet Philoſophiæ hujus æmulator omnis; quandoquidem, plena quidem & accurata, ejus cognitio, diffuſior eſt, nec leviter comparari poteſt. Enimvero ex iis, quæ antehac diſputavimus manifeſtum utique eſt, perfectam undique civilem prudentiam ad omne genus rerumpublicarum pertinere; & parari illam partim exſtructis univerſalibus pronunciatis ex ſingularium eventuum, ſive proprio uſu, ſive aliorum relatu acceptorum, peritia. Ad quæ labore utique opus eſt, & magna diligentia. Nec vero perfunctoriæ eſt operæ, in rerumpublicarum ſingularium quarumvis mores, inſtituta, diſciplinam & actus inquirere, ſaltim inſpectis monumentis jam conſcriptis: ne quid dicam de uſu proprio. Induſtriam quoque ſingularem neceſſum eſt adhibeas, ſi ex omnium temporum gentiumque rebus communia velis præcepta condere. Quod omnino faciendum eſt. Ex illis porro communibus experimentis (ſit fas ita loqui) ulterius philoſophari, & quæ omne genus reipublicæ conſtituere, mutare, conſervare idonea ſunt, docere itidem non eſt, niſi hominis gnavi ac laborioſi. Obſervandum vero, φιλοπονίαν dum requirimus, non ſtudium nos duntaxat, ſed ſimul & laborandi facultatem requirere. Eſt enim, ut quis velit quidem laborare, non poſſit tamen, præ corporis fortaſſe invalitudine. Opus vero eſt non ſtudio ſolo laborandi, ſed & facultate. Quoniam vero ſtudium illud itidem opus voluntatis eſt, idem omnino, quod ante περὶ τῆς φιλομαθείας monuimus, etiam hic in conſiderationem merito venit. Sed non eſt quare heic quidem iſti rei immoremur, ut a propoſito alienæ.

§. 6. Sunt *quarto* & ſingularia quaedam velut praecedania elementa doctrinae civilis, qui-



Digitized by Google

bus niſi fueris ante imbutus, non poſſis debito cum fructu in tractatione civilis Philoſophiæ verſari. *Ante omnia* videlicet prænoſcenda fuerit propria hujus Philoſophiæ προπαιδεία: qualem hoc ipſo libro docemus. Ut enim & in aliis Philoſophiæ partibus venit uſu, ita niſi προπαιδείαν hanc adferat ad Philoſophiam hanc, ſive addiſcendam, ſive docendam, nec quæ propria, quæ aliena huic ſint doctrinæ, nec unde & in quantum poſſit debeatque illa accipi, nec quo ſit ordine in docendo diſcendoque progrediendum, poterit noviſſe: ac proinde non poterit non graviſſime identidem impingere. Inſtructus *porro* idoneus hujus Philoſophiæ cultor ſit neceſſum eſt, ceu jam tum ſignificavimus, ſaltim communi Philoſophiæ omnis Organo, quod appellant: & quidem cumprimis Apodictices peritia: ut & Artis experimentalis, qua ratione ſcilicet poſſit experientia & uſus rerum accipi & quemadmodum experimento comperta poſſint redigi in univerſalia pronunciata: & denique doctrina de ordine docendi diſcendique. Quamvis enim hæc nondum ſint ex dignitate hactenus tradita, omnino tamen organicæ diſciplinæ partes haberi debent. Omnibus enim illis utendum eſſe Philoſopho civili, luculente jam oſtendimus. *Porro* & ſingularium omnis generis civilium rerum experimentalis peritia, ſive proprio experimento, ſive ex hiſtoriis comparata, præmittenda merito venit Philoſophiæ hujus ſtudiis: utpote quum & circa talia verſetur omnis hæc Philoſophia, atque hæc adeo principia ſint demonſtrationum omnium Philoſophiæ civilis; perinde atque τὰ φαινόμενα, quæ appellantur, Aſtronomices, & in univerſum obſervationes atque hiſtoriæ naturalium rerum principia ſunt naturalis Philoſophiæ. Cæterum & qui hæc omnia civilis Philoſophiæ προπαιδευτικὰ atque ὀργανικὰ nullo magiſtro didicere, nonnullos poſſe nihilominus eximios progreſſus facere, jam ante faſſi ſumus: nec tamen eſt, cur aſſertionum noſtrarum ullam mutemus. Id enim qui præſtant, etſi nullo magiſtro ſint uſi, tenent tamen etiam illa, adjuti eximia Naturæ benignitate, vi ſcilicet ingenii nativa magiſtri defectum ſupplente. Qui porro ea valeant felicitate nativa, illorum numerus oppido eſt rarus: plærique niſi edocti fuerint illa προπαιδευτικὰ & hiſtorica priusquam ad Civilem Philoſophiam fecerint aggreſſum, vel nihil vel parum poſſunt proficere præ ἀπαιδευσίᾳ. Id quod nimium frequenter venire uſu, inſcitia & erroribus eorum, qui circa Philoſophiam hanc ceſpitant, cum ſcripta docentium, tum diſcentium inanis prudentia, ſatis faciunt manifeſtum.

§. 7. ATQUE hæc quidem par eſt adſint illi, qui Philoſophiam civilem velit aggredi. Pene eadem vero poſtulantur ab illo, qui in negotiis civilibus inſigne aliquod pretium operæ eſt præſtiturus. Et intellectus ſcilicet & voluntas recte penitus ſint inſtructa oportet, ratione habita illius ſcopi: perinde atque omnis reipublicæ alicui recte conſulturus, neceſſarium eſt, ut & poſſit hoc agere & ſimul velit.

§. 8. Quod intellectum igitur quidem attinet, ante omnia eſt opus vivida quadam & erecta ingenii vi. Conſiſtit autem etiam illa in facultate inveniendi, judicandi & memorandi. Et vero etiam hîc maxime utilis eſt illa paulo ante laudata ἀγχίνοια. Circa ſingularia ſane negotia etiam illam ex Ariſtotelis quoque ſententia verſari, ſignificant exempla, quibus in deſcribenda illa Ariſtoteles, verbis paulo ante adductis, utitur. Solet autem ingenii vis talis, quatenus quidem eſt πρακτικὴ, ab Ariſtotele δεινότης ſingulatim appellari; ſcilicet vis ea, quæ ad ſcopum aliquem facientia prompte invenire & agere, adeoque ſcopum aſſequi, idonea eſt: ceu illam deſcribit ſexto Nicomacheorum libro *c.* 12. verſari ſcilicet δεινότητα circa ſingularia πρακτὸ, ut ſcribitur l. 2. Magnorum, quæ appellantur, Moralium cap. ult. Videtur quodammodo & illa eſſe, quam σύνεσιν appellant: qua de, idem agit Ariſtoteles ſexto Nicomachior. cap. X. Niſi quod ἀγχίνοια ex parte quidem ſit dos naturæ, ex parte autem & comparata, σύνεσις autem pariter & δεινότης Ariſtoteli ſint facultates tantum naturales: in qua arcta ſignificatione tamen ab aliis græcis auctoribus neutra vox ſemper accipi ſolet. Cæterum parum intereſt, qua voce velis vim iſtam ingenii appellare: ſatis eſt ſciamus, requiri in eo, qui politicis negotiis eſt admovendus, promptitudinem inveniendi, judicandi & memorandi, illa, quæ pertinent ad negotia civilia. Et vero quo magis illa eximie ſeſe habet, eo ad res civiles quisque magis eſt idoneus.

§. 9. Neque vero eſt, cur aliam indolem politico practico convenire credamus. Teſtatur enim quidem Thucydides *l.* 3. *hebetiores, quam acutiores ut plurimum melius rempublicam adminiſtrare.* οἱ φαυλότεροι, inquit, τῶν ἀνθρώπων πρὸς τοὺς ξυνετωτέρους, ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον ἄμεινον οἰκοῦσι τὰς πόλεις, Cui ſententiæ aſtipulatus Juſtus Lipſius adducit cauſſam *l.* 3. *Pol. c.* 2. *& in Notis: quia ſubtilia illa & ignea ingenia in aſſiduo motu, novandis: quam gerendis rebus aptiora.* Idem alibi acria ingenia etiam duabus aliis de cauſſis improbat. Quarum *altera* nimirum ſit, *quod in multiplici inventione & rationum copia plerumque natant, & ægre expediunt aliquid, cui inſiſtant: Tertia, quod ea ſibi proponunt, quæ non ſunt, non erunt, & mentem conſiliaque adverſarii æſtimant a ſubtili ſua mente; atqui ille ſæpe ſtipes.* Cæterum, quod illi improbant ingenium, acre quidem eſt ad inveniendum, judicandi tamen facultate deſtitutum, quod diſerte idem Lipſius addit. Quale profecto a nobis neutiquam eſt laudatum. Qui utique fatemur, longe potiorem eſſe vim judicii, quam inventionis; & ſi alterutra carendum ſit, hujus jacturam minore cum damno eſſe conjunctam. Acria porro ingenia ſaepenumero corrumpit nimia ſui fiducia, *quæ*, ut recte inquit Cicero, *pro L. Manil. cum ſapientia non commiſcetur*, aut praecipitantia ſive nimia celeritas; vitia voluntatis, non intellectus ipſiusmet, quamvis impediant judicandi facultatem. Utrum vero acribus ingeniis *plærumque* adhaereant illa vitia necne, haud fortaſſe facile eſt definitu: ſaepe iis infici certius eſt. Quicquid ſit, non probatur etiam nobis indoles, niſi quae pleno valeat judicandi robore: qualis a temerariis novationibus multum aliena eſt. Requiri vero in politico artifice etiam vim eximiam inveniendi id, quod ſalutare, argumento eſt, quoniam ea ſaepenumero in vita civili inopinato occurrunt expedien-

Digitized by Google

dienda, de quibus vix quiſquam facile cogitaverit: in hiſce vero, quo quis acrior eſt in excogitandis & inveniendis quammultis, eo magis praeſtat; certe talis aliquis multum hic antecellit omnem eum, qui ſola judicii pollet gravitate. Quid? quod & ſaepe incidant tempora, quae deliberandi moram non ferunt, utque ceu in arena capiendum ſit conſilium. Tunc certe opus eſt non tantum acumine inveniendi, ſed ſimul & celeritate. Illud igitur ingenium non poſſumus non commendare, quod ſupra vim judicii valet quoque eximia facultate varia, quae ad rem faciunt, excogitandi.

§. 10. Eſt autem indoles illa laudata potiſſimum quidem ipſiuſmet Naturæ benigna dos. Et vero hîc interdum longe eſt liberaliſſima Natura: quod nos docent exempla quammulta illorum, qui præ aliis res maximas præſtiterunt. Themiſtoclis ſane felix ingenium jam tum ſupra *c. VII.* §. 10. Thucydidis teſtimonio laudavimus. De eodem Cornelius Nepos ſcribit: *Celeriter, quæ opus erant, reperiebat: neque minus in rebus gerendis promtus, quam excogitandis erat, quod & de inſtantibus veriſſime judicabat, & de futuris callidiſſime conjiciebat.* Idem Nepos Datamin mirifice laudat ab eo, quod *maximi conſilii* fuerit, Eumenem item a *celeritate ingenii*, nec non Hamilcarem & Hannibalem Pœnos. Et vero hos, naturæ potiſſimum beneficio valuiſſe vel illud documento eſt, quod res magnas jam tum adoleſcentes geſſerint. Plurimos alios ſimilem in modum ab ingenio felices ex omni ævo licet laudare: ſed non eſt hujus inſtituti. Quantumvis autem non niſi paucis contingat tanta Naturæ dos, in omnibus tamen politicis viris, ſaltem eximium quid hujus expoſcitur. Qui ſane omnino vi illa deſtituuntur, ad reipublicæ negotia inepti ſunt, nec proinde admittendi ad hæc ſtudia. Quo conſilio Glauconem dehortatus quondam eſt Socrates, Charmidem vero accendit: ceu memorat Xenophon *l. 3. memorab.* Non a ſola Natura tamen illa vis omnis eſt expectanda. Poteſt enim utique inſignem in modum etiam exercitatione atque arte intendi: perinde atque illa, quæ ad Philoſophiam ipſam civilem parandam exigitur. Enimvero etiam ad ſingularia τὰ πρακτὰ prompte atque probe, ſive invenienda, ſive judicanda, ars logica, præſertim illa, quæ circa demonſtrationem occupatur, plurimum poteſt *acuere ingenium*: (*a*) quoniam & in ſingularibus locus ſuus eſt demonſtratoriæ, ſicut quam vulgo creditur. Verum quemadmodum acuenda ſint ingenia varias in partes, non eſt hujus inſtituti docere.

§. 11. Perinde porro atque φιλομάθεια ad parandam Philoſophiam, ita & ſingularis amor quidam gerendæ reipublicæ poſcitur in eo, qui ad vitam ſive πρᾶξιν civilem affectat gradum. Abſque certe ille amor ſi fuerit, etiam heic fruſtra laboraveris. Eſt autem ille non ſane in omnibus promiſcue. Nonnullos quippe inertiæ videre eſt totos deditos & ſocordiæ. Alii amore quidem eximiarum rerum ducuntur, interque eos doctrinæ variæ quidam ſunt cupidiſſimi, contemplativam tamen potius vitam amplexantur, ab omni negocio prorſus alieni. Alii ſtudiis negotioſis, qualia utique ſunt artium omnium, delectantur quidem, nec tamen illos capit reipublicæ adminiſtratio. Eſt autem omnis ejuſmodi amor non intellectus, ſed voluntatis quidam affectus: ideoque ut alia voluntatis, ita & hic amor partim naturali inclinationi, maxime autem aſſuetudini, præmiorum ſpe præcipue excitatæ, debetur. Enimvero, eſt quædam occulta etiam animorum inclinatio ad varii generis ſtudia, ſive illa diviniorem habeat cauſſam, quod in multis ſic ſatis eſt evidens, ſive vim quandam nativam. Potiſſimum tamen hîc aſſuetudo valet. Quo manifeſtum fit, ſi qui ad reipublicæ negotia debeant aliquando admoveri, iis cavendum eſſe: ne aliorum ſtudiorum, quæ vitæ illi negocioſæ poſſunt impedimento eſſe, amœnitate ac dulcedine nimium afficiantur, ſed aſſuefieri illos oportere, hæc potiſſimum πρακτικὰ æſtimare, hæc diligere. Sunt nempe nonnulli vaſto admodum ingenio; ut nulli pene non ſcientiæ comparandæ ſufficiant & ſimul tamen rebus gerendis ſint perquam intenti. Qualem ſacræ literæ narrant nobis Salomonem *Reg. lib. 1. cap* 4. quem Regem populo regendo componendoque ſtatui ſuo unice deditum fuiſſe dixeris; niſi accepiſſemus, eundem *locutum eſſe tria millia parabolarum, & cantica ejus fuiſſe quinque ac mille; diſputaſſe porro ſuper arboribus a cedro, quæ eſt in Libano, uſque ad hyſſopum; quæ egreditur de pariete; diſſeruiſſe item de quadrupedibus animalibus, reptilibus & piſcibus*, quæ omnia ad ſtudia pertinent contemplativa. Conſimili quadamtenus amplitudine animi fuiſſe & Marcum Tullium Ciceronem, teſtantur ejus & res geſtæ pariter civiles, & locupletiſſima omnigenæ eruditionis ſcripta. Cæterum paucis data eſt illa capacitas ingenii: neque ad unius exemplum componi poterunt omnia. Itaque conſultiſſimum eſt, ut quiſque ſuo ſeſe metiatur modulo; atque univerſim ne aſſueſcat amare nimium illa, quæ aliquando officere poſſint reipublicæ curationi. Quod in educando ad rempublicam Julio Agricola filio ſuo, prudens mater Julia Procilla præclare obſervavit. Ex re fuerit, quae hac de re Tacitus Agricolae gener in Hiſtoria vitae ſoceri commemorat, huc adducere. *Memoria teneo*, inquit, *ſolitum ipſum narrare, ſe in prima juventa ſtudium Philoſophiæ ac juris, ultra quam conceſſum Romano & Senatori, hauſiſſe; ni prudentia matris incenſum & flagrantem animum coërcuiſſet. Scilicet ſublime & erectum ingenium, pulchritudinem ac ſpeciem excelſæ magnæque gloriæ, vehementius, quam caute appetebat: mox mitigavit ratio & ætas, retinuitque, quod eſt difficillimum, ex ſapientia modum.*

§. 12. Indole praeterea oportere eſſe laborum non tolerante, ſed avida, illum omnem, qui rempublicam aliquando vult capeſſere, haud indiget probatione. Nec enim obſcurum, cuiquam eſt, quanti ſit laboris civitatem regere, aut ſaltim curare civilia cum reipublicae commodo ceu fieri par eſt. Dies, noctes ipſae reipublicae impendendae veniunt. Bene enim Homerus:

οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα.

Eos ſane quam maxime utiles reipublicae, & magnis rebus gerendis idoneos experimur, qui laboris

(*a*) *Acuere ingenium.*) Plurimum huc faciunt diſciplinæ mathematicæ. *GOEB.*

Digitized by Google

boris ſunt indefeſſi. Deſides, inertes, ignavi ad reipublicae curationem inepti ſunt. Adhoc, etiam quo comparetur prudentia, opus eſt ſtudio & induſtria ſingulari: nec enim facilia plane comparatu ſunt, quae ad illam faciunt. Quemadmodum vero jam ante diximus, φιλοπονία illa, partim Naturae eſt beneficium, partim exercitio acquiritur. Certe Natura neceſſum eſt ſaltim faveat, ne nimirum valetudo officiat laborum patientiae. Eſt autem quaedam & φιλοπονία congenita, Magna vero praecipue ad eam intendendam vis eſt exercitii: quemadmodum & homines quamvis ſolertes redduntur otio deſides. Sed & quaſi pro calcaribus eſſe ad laborem poſſunt gloria, potentia, & opes: quae conſequi ſolent gnavos civilium rerum curatores: ne quid nunc dicam de virtute ipſa, quae ſibimet ſufficit fortaſſis in proemium; ut ſilentio etiam praeteream aeternum βραβεῖον a Deo bene meritis deſtinatum. Ex adverſo manent utique in pœnam inertibus, contemptus, paupertas, & divina ipſa indignatio. Etiam illis itaque cum proemiis, tum pœnis invitandi ſunt ad laborem animi rudiores, aut nonnihil proniores in ſegnitiem: propoſitis quoque in medium utriusque generis hominum clariſſimis exemplis. Et vero Themiſtocles ipſe quondam faſſus eſt, ſomnum ſibi excuti trophaeis Miltiadis: P. quoque Scipio & Q. Fabius excitari ſeſe affirmaverunt ad operas, illuſtrium virorum conſpectis imaginibus.

§. 13. Sunt praeterea admoturo animum ad reipublicae negotia, atque adeo ad Prudentiam politicam ſingularem parandam, neceſſaria quaedam προπαιδεύματα ſive elementa illius prudentiae: a quibus diverſa ſunt illa, quae politico artifici ad res gerendas per quam utilia eſſe ſolent, de quibus nonnihil deinceps ſeorſim ſubjungemus. Revocandum vero in memoriam heic eſt, id quod ſupra *cap. XII.* jam probavimus, ſingularem prudentiam eſſe illam, quæ apta eſt conſulere reipublicae alicui ſingulari; ut autem hoc rite poſſit fieri, opus eſſe cum univerſali aliqua & communi notitia eorum, ſub quibus ſingularia quaeque comprehenduntur, tum notitia ipſorummet ſingularium, circa quae verſandum eſt. Hinc patet vero primum, univerſaliorem doctrinam politicam, ſingulari eſſe quaſi pro elemento ſive aliqua προπαιδεία. Sine quo ſcilicet haberi non poteſt doctrina aliqua, illud ad doctrinae illius προπαιδείαν pertinet. Eſt vero duplex doctrina politica univerſalis: alia rudior ſcilicet, alia omni ex parte accurata: itaque in controverſiam hoc etiam venit, num rudior illa ſufficiat in actu rerum verſaturo, an vero poſtuletur accurata illa & vere philoſophica. Verum hanc quaeſtionem antehac jam agitavimus, & diſcrimine quodam facto inter eos ipſos, qui in actu rerum verſaturi ſunt, modo hanc requiri, modo & illam ſatis eſſe, demonſtravimus *cap. IIX.* §. 38. *& ſqq.* non itaque eſt, cur illi dubitationi iterum nunc tempus & operam impendamus. Repetenda hîc ſunt illa ſuperius adducta.

§. 14. Caeterum etiam hoc manifeſtum eſt, modum, quo ſingularia quaeque ſive praeteriti, ſive praeſentis, ſive futuri temporis poſſunt addiſci, praecognitum eſſe oportere. Nec enim ſemper illorum cognitio perinde eſt facilis, ſed quaſi arte opus eſt ad illum modum animo obtinendum. Qui quoniam itidem a nobis jam ſupra *cap. XII.* §. 13. *& ſeqq.* nonnihil eſt oſtenſus, ſaltim illa, quae ibi docuimus nos, praecognoſci debere, jam conſtat. Quod ſi praeter nos alii idem argumentum hoc cum cura perſecuti ſunt (qui nos latent tamen) conſulere etiam illos, fuerit operae pretium. Quamtumvis ſane nonnulli ejusmodi adminiculis haud adjuti, felici quadam nativa benignitate, ſaltim plaeraſque licet arcanas, praeteriti, praeſentis ac futuri temporis, res aſſequantur: nihilominus ſatius eſt, bene compoſita quadam arte adjuvari; quoniam ſcil. pauciſſimis data eſt illa ingenii felicitas, ut ſcilicet erroribus ſolo naturae beneficio evitatis, non ſaepenumero circa ſingularia iſthaec impingant atque fallantur. Sed & εὐφυεῖς illi arte certa adjuti majorem adhuc ſibi poterunt felicitatem comparare. Qui adeo feliciter nati haud ſunt, quales ſunt plærique, illorum defectum ars ejusmodi quam optime expleverit.

§. 15. Sed & in quæſtionem merito hîc venit, utrum quilibet ſine diſcrimine, qui aſpirat ad politicam πρᾶξιν ſive actus rerum civilium, debeat præcognoſcere univerſam politicam philoſophiam, nec ne. Eſt autem quæſtio iſthæc haud fortaſſis expeditu difficilis, modo illud ceu certum conſtituatur, prout certum eſt, nihil eſſe neceſſarium ad προπαιδείαν quam ſolum illud, quo ſine doctrina ipſa accipi non poteſt. Jam vero multis haud eſt propoſitum univerſam aliquam rempublicam ſingularem curare, ſed ejus duntaxat partem aliquam. Hiſce igitur videtur ſufficere, ſaltim illam Philoſophiæ civilis partem addiſcere, quæ parti iſti reipubl. reſpondet: quod jam tum ante docuimus. Alia vero ratio eſt eorum, qui architectos quaſi velint agere alicujus civitatis integræ, & curare ſummam ipſammet rerum; vel regni ſcilicet alicujus, vel ariſtocratiæ, vel tyrannidis, vel democratiæ, aut oligarchiæ. Hiſce profecto doctrina omnis de ariſtocratia, vel regno, vel tyrannide, vel democratia, vel oligarchia, accurate tenenda ante eſt. Imo raro ſufficit, unam illam reipublicæ ſpeciem, in qua verſari velit, prænoviſſe. Quandoquidem prudentis reipubl. adminiſtratoris eſt non ſuam duntaxat, ſed etiam omnes omnino reſpublicas, quibuscum ſuæ aliquid commercii intercedit, accurate cognoſcere. Illæ vero ſæpenumero a ſuæ civitatis regimine multum forma omni differunt. Ut proinde vel ideo etiam doctrina iſta, quæ eſt de aliarum rerumpublicarum conſtitutione, ſit comparanda. Quod ſi porro velit quis idoneus haberi ad varii generis reſpublicas gubernandas, ſaltim huic neceſſum fuerit, non intra breves cancellos unius alicujus formæ rerumpublicarum commorari, verum ulterius, ſi non per omnes, ſaltim per plæraſque vim ingenii extendere.

§. 16. Quoniam præterea qui integram aliquam rempublicam ſingularem curandam ſuſcipit, illi neceſſum eſt, ut integram illam teneat (perinde atque illi, qui partem curat, ſufficit partis illius notitia) non cujusvis autem eſt vel illud ſcire, quid ad integræ civitatis cognitionem requiratur;

tur; facile apparet etiam, id prænoſcere, ad προπαιδείαν Politicæ ſingularis pertinere. Tradidimus autem illam doctrinam itidem jam tum ſupra *cap. XII. §. 21. & ſeqq.* Itaque ſaltim illa noſtra (nec enim fortaſſis ab alio quoquam hoc argumentum eſt tactum) prænoſcenda fuerint, integrae alicujus civitatis notitiam ſibi comparaturo.

§. 17. Atque hactenus quidem Philoſophia civilis cum Politica practica ſingulari in praerequiſitis haud parum convenit; habet autem haec etiam nonnihil peculiare, quo de nunc aliquid eſt adjiciendum. Non poteſt ſcilicet quilibet promiſcue moratus rempublicam curare. Et vero ita comparatum eſt cum rebus humanis, ut quemque opus aliquod homines inter effecturum, moribus ad id efficiendum idoneis praeditum eſſe oporteat. Quibus ſi deſtitutus fuerit, fruſtra opus illud aggreditur. Itaque & de moribus pragmatico homini convenientibus hîc nonnihil eſt addendum. Perinde ac Hippocrates judicavit, non alienum eſſe ab inſtituto ſuo etiam docere, qui mores requirantur in artem medicam facturo. Id ſane eſt argumentum hippocratici opuſculi περὶ εὐσχημοσύνης, ut & ex parte τῶν παραγγελιῶν. Atque nonnulli quidem de plano quaſi ſtatim pronunciant, politicum virum omnem oportere eſſe & virum bonum. Quod ſi verum ſit, ſaltim iidem mores debeant eſſe utriusque. Eſt autem in vocabulo *bonus vir* nonnihil ambiguitatis. Aliis enim audit demum

*Vir bonus & ſapiens, qualem vix repperit unum*
*Millibus e multis hominum conſultus Apollo:* Auſon:

vel is, *cujus nomen innumerabilibus officiis contineri*, affirmat Cicero *l. 3. de Offic.* Aliis etiam vir bonus eſt, qui malus non eſt, quamvis nævis haud careat, aut vitiis quoque modicis: qua ratione

*optimus ille eſt*
*Qui minimis urgetur.*

Ne quid vero diſſimulemus, poſteriore tantum ſignificato virum bonum volunt eſſe nonnulli Politicum omnem; non illo priore. Ex adverſo autem non deſunt, qui negent quenquam ſimul virum bonum poſſe eſſe & Politicum. Quibus affines ſunt, qui exiſtimant, non eſſe fas chriſtiano homini, magiſtratum gerere. Propemodum enim idem eſt vir bonus & Chriſtianus; niſi quod Chriſtianum bonum eſſe, nonnihil plus ſit, quam eſſe bonum virum. Haud obſcure exprobrant & illi Politicis pragmaticis omnibus improbitatem, qui vitam aſceticam profeſſi, ſoli inter Chriſtianos ſpirituales & mundi deſertores cupiunt audire: quaſi nimirum reliqui omnes ſint ψυχικοὶ ſive animales & mundani; quæ appellationes in ſacris voluminibus nonnihil habent infamiæ.

§. 18. Verum enimvero contra illos quidem poſteriores Politicorum criminatores, jam tum ſic ſatis prolixe diſputavimus hoc ipſo libro, & quidem integro capite 2. itaque ſupervacuum fuerit denuo illam quidem diſputationem heic agitare. Poſſit videri inutile etiam eſſe cum illis, qui Politicum omnem virum bonum eſſe docent, contendere, quandoquidem ab ipſo jam Ariſtotele accurate diſputatum eſt *l. 3. Polit. c. 4.* Utrum boni civis & boni viri eadem virtus ſit. At juvare quidem nos ariſtotelica illa idonea ſunt: iſthæc tamen ariſtotelica diſputatio ab hac noſtra multum eſt diverſa. Enimvero *bonus civis* non idem eſt atque bonus Politicus. Eſt enim civis is etiam, cujus in officio eſt obtemperare, vel cujus gloria eſt in obſequio collocata. At Politicus pragmaticus omnis ad imperantium ordinem pertinet. Eoque omnis quidem ejusmodi Politicus eſt civis; ſed non omnis civis eſt Politicus. *Vir bonus* porro Ariſtoteli eſt καλοκἀγαθὸς: nobis autem hîc, qui malus non eſt. Et quæſtionis ariſtotelicæ hic tantum ſenſus eſt: Utrum viri boni & boni civis eadem ſit perfectio. Hac ſignificatione enim hîc capitur vox *virtutis:* quo ſenſu Poëta ait: *eſt in juvencis, eſt in equis patrum virtus.* Noſtra autem diſputatio in eo vertitur, utrum Politici viri moralis virtus eadem ſit, quæ viri boni. Quæ proinde a nobis hîc inſtituenda eſt.

§. 19. Ut autem res illa omnis ex vero definiatur, obſervanda ante omnia tria ſunt. *Primum* eſt, munia reipublicæ gerendæ atque adeo Politici pragmatici varia eſſe. *Alterum*, reſpublicas ipſas plurimum differre; atque earum alias unice vel potentiam quærere, vel divitias, vel voluptates, ſive totius civitatis, ſive regentium: alias autem veram vitæ hujus felicitatem ſectari: item alias ſecundum, alias contra receptas leges adminiſtrari. *Tertium*, eſſe virtutes & ὁμιλητικὰς præter vere morales.

§. 20. Cum igitur mores debeant convenientes eſſe operi, quod agendum eſt, Politici pragmatici autem opus ſit varium & multiplex, cum in una eademque republica, tum in diverſis: manifeſtum eſt, mores quoque politici cujuslibet hominis non eosdem eſſe poſſe, ſed itidem diverſos eſſe oportere. Rerumpublicarum tamen varietas non videtur exigere magnam varietatem morum homileticorum: nec enim hactenus quidem neceſſum eſt mores illos differre, niſi quod in omni vita componendi illi quodammodo ſint ad cujusque loci innoxiam conſuetudinem. At pro varietate rerumpublicarum, reliqui mores, quos veræ virtutes perficiunt, non poſſunt non multum *diverſi eſſe.* (a) Aliquæ ſcilicet reſpublicæ, quæ utique ad veram felicitatem ſeſe non componunt, aut ipſiſmet legibus ſuis adverſantur, iniquæ ſunt, & ſolis bonis artibus

(a) *Diverſi eſſe.*) Huc facit illud, quod Ariſtoteles l. v. Polit. cap. 9. docet, omnem adminiſtratorem reipublicæ oportere præditum eſſe virtute, & juſtitia illa, quæ facit ad ſtatum reipubl. *Si enim*, addit, *non eſt idem in omnibus rebuspublicis juſtum, neceſſario varia ſunt differentia juſtitia.* Et vero magna eſt rerumpublicarum hac in re varietas. Eodem porro ſpectat etiam illud, quod Ariſtoteles dicit l. 4. Polit. cap. 7. in ſola vere optima republica, eundem eſſe virum & civem bonum, ἐν δ᾽ ἐν ταῖς ἄλλαις, ἀγαθοὺς πρὸς τὴν πολιτείαν εἶναι τὴν αὐτῶν. CONR.

bus non poſſunt regi. In iis igitur non licet, ſimul virum bonum agere & bonum Politicum ſaltim non ſummum rectorem. Ut ſane in tali aliqua republica privatim te præſtes virum bonum, vere atque exacte vir ſimul & civis bonus eſſe tamen ibi haud poteris: nec enim vir exacte bonus, niſi in omnibus bonus eſt.

§. 21. Olim talem rempublicam fuiſſe athenienſem, paſſim legimus: ſufficit autem in teſtimonium unus libellus Xenophontis iſtius argumenti. Hinc hujus civitatis magni nominis civis Ariſtides, a ſingulari virtute Juſti quidem cognomentum conſecutus eſt; quum bonum civem tamen Politicumque pragmaticum voluit præſtare, haud parum & ille a rigore virtutis deſciſcere coactus eſt. Memoratu digna ſunt, quæ hanc in rem de Ariſtide tradidit Plutarchus in *Ariſtide*. In leges ſcilicet certas & pacta adegiſſe Ariſtidem Græcos ad jusjurandum, ipſumque Athenienſium nomine juraſſe, cum imprecatione in mare projectis maſſis ferreis candentibus. Inde vero quum res viderentur poſcere vim imperii in Socios intenſiorem, cohortatum eſſe Athenienſes, ut perjurio in ſeſe verſo ipſi, prout conduceret, imperium exercerent. In univerſum igitur hunc virum περὶ τὰ δίκαια καὶ τοὺς πολίτας ἄκρως ὄντα δίκαιον, ἐν τοῖς κοινοῖς πολλὰ πρᾶξαι πρὸς τὴν ὑπόθεσιν τῆς πατρίδος, ὡς συχνῆς ἀδικίας δεομένην. Non aliter geſſerunt ſeſe optimi quique Laconum. Imo & in romana republica (nam & huic tandem

*ſi quis ſinus abditus ultra,*
*Si qua foret tellus, quæ fulvum mitteret aurum,*
*Hoſtis erat, fatisque in triſtia bella paratis*
*Quærebantur opes*) Petronius.

tales plane fuere ipſimet etiam Catones. Utique Cato Minor, ille a virtute usque adeo laudatus, non dubitavit, juſſus duntaxat a Senatu, ſpoliare Cypri Regem omnemque inſulam, tantum quod immenſæ opes viderentur Romanis aptæ magis, quam illi Regi. Quod bellum ob iniquitatem etiam M. Tullio fuit improbatum *l.* 3. *de Offic.*

§. 22. Nec in iſtis tamen rebuspublicis nemo bonum Politicum agere poterit ſine vitio. Varia nimirum cum ſint munia reipubl. quæ omnia per politicos homines ſint adminiſtranda, nonnulla eorum ſine injuria geri poſſunt. Illa cumprimis, quæ ad peregrinos non faciunt: quoniam perſuaſum fere eſt, domi juſtitiam colendam, in exteros autem omnia utilitate metienda eſſe. Hinc ſane legimus, ſanctiſſimos etiam viros magnis dignitatibus perfunctos in rebuspublicis non profecto optimis. Qualis utique fuit Daniel Propheta apud Babylonios pariter & Perſas. Igitur illis, qui rectores agunt ejusmodi rerumpublicarum, aut qui regentium illorum ſumma vel conſilia vel opera adjuvant, probis quidem eſſe non licet. Quin laudem merentur, ſi ſint πανοῦργοι vel doloſi ac fraudulenti, interdum & ſævi, & raptores, omnia metientes præſenti utilitate reipublicæ aut imperantium. Cæterorum tamen, qui in magiſtratu etiam verſantur, alia ratio eſt.

§. 23. Neutiquam vero pravi illi mores neceſſum eſt inſint cuiquam vere Politico, in rebuspublicis, quibus ſincera felicitas civilis eſt cordi. Imo in his quam maxime poſtulantur mores probi. Ita ut optima reſpublica non niſi viros mere bonos admiſerit ad gubernaculum. Vera felicitas nempe rebuspublicis illis eſt pro Ratione ſtatus, quam vocant: eoque nihil improbum eſt committendum a rectoribus earum. Hoc autem fieri non poteſt, niſi illi ſint virtute undique imbuti. Germana videlicet felicitas, tantum bonis artibus comparatur: artes bonæ autem duntaxat a bonis queunt rite exerceri.

§. 24. Etiam corruptas tamen respublicas nemo adminiſtraverit, qui omnino improbus eſt. In omni enim rectore exigitur fides & juſtitia ſaltim erga ſuos: quum ne *latronum quidem ſocietas* (*a*) vel tantillum duraverit, omni plane juſtitia exulante. Igitur quales tyrannos eſſe vult Ariſtoteles *l.* 5. *Polit. cap.* 11. iis moribus hi Politici ſint oportet: non male affecti nimirum ad virtutem, ἡμίχρηστοι καὶ μὴ πονηροί, ἀλλ' ἡμιπόνηροι: *Semiprobi, & non mali, ſed ſemimali.*

§. 25. Quantumvis vero bonæ reſpublicæ omnes nihil exigant mali moris in rectoribus & magiſtratibus ſuis, vel quod idem eſt, in ſuis Politicis: attamen modo quisque moraliter haud malus, & virtutibus praeditus ſit iis, quales cumprimis ad munus ſuum gerendum commodae ſunt, fieri id poteſt ſine magna reipublicae noxa. Si autem illis virtutibus fuerit deſtitutus, ad munus etiam illud politicum gerendum eſt inidoneus. Sic qui ad Judicia appellere vult animum, neceſſum eſt, ne ſit avarus, ne praecipitis iracundiae, ut ſit amans juſti, Dei reverens. In aliis Fortitudo: in aliis Taciturnitas: in aliis Liberalitas: in omnibus Temperantia & Juſtitia maxime requiritur. Quae omnia ſingulatim hîc exponere non fert inſtitutum. Et vero ſatis eſt demonſtraſſe, virtutes morales non eodem modo in quovis politico homine habere ſeſe oportere, ſed hanc morum partem admittere magnam varietatem: accuratior & magis diſtincta morum inquiſitio non eſt hujus argumenti.

§. 26. Eadem de cauſſa non etiam eſt, quare prolixius hîc velimus diſſerere de moribus homileticis viri politici cujuslibet. Monuiſſe ſatis eſt paucis, quod nonnulli eorum magis, nonnulli minus in Politico hoc aut illo poſtulentur, prout varia reipubl. munia ſunt exercenda. In univerſum tamen videtur utile eſſe vitæ civili: *eſſe ſermone affabilem acceſſuque facilem: vultu, qui maxime populum demeretur, amabilem: æquis deſideriis propenſum, nec iniquis acerbum:* quod Senecæ verbis jam tum ante docuimus *cap.* 1. §. 3. Qui certe ſunt μισάνθρωποι, & moroſi multum, ad res civiles aut politica negotia inepti ſunt. Qua de re cumprimis legi merentur, etiam quæ a S. Guazzo libro *de civili converſatione* diſputata ſunt. Debentur autem omnia hæc partim Naturæ, partim exercitio, ceu ex Ethicis notum; eoque neceſſum eſt utrumque beneficium bono Politico uti contingat.

§. 27.

(*a*) *Latronum quidem ſocietas.*) GROTIUS *de I. B. & P. lib.* III. *C.* III. §. II. GOEB.

Digitized by Google

§. 27. QUANDOQUIDEM autem & de moribus Politici Pragmatici jam ſatis diſſeruimus, nihil nunc quidem ſupereſt, quod ulterius de prærequiſitis ad Politicam ſive pragmaticam, ſive Philoſophiam, adferamus in medium. Ex iis vero, quæ allata ſunt, hoc utique *primum* licet colligendo definire: non omnem, qui idoneus eſt ad Philoſophiam civilem, eundem etiam aptum eſſe ad negotia expedienda. Quoniam nimirum inter alia ſaltim illa morum ratio, ut & amor negotioſæ vitæ in Philoſopho civili haud poſtulatur: ne cætera nunc repetamus. Et vero hinc videmus uſu venire, ut optimi etiam & prudentiſſimi Philoſophi Politici manum tamen gerendæ reipublicæ non admoveant: ſive quod amor ſtudiorum & otii literarii eos maxime afficiat, ſive quod & moribus vitæ civili convenientibus deſtituantur. Priore ſane de cauſſa & Plato pariter & Ariſtoteles aliique olim rempublicam haud attigerunt. Poſteriore autem nonnulli & riſum & contemptum & ſannas pragmaticorum hominum imo & vulgi, cum jam olim incurrerunt, tum hodieque coguntur experiri. Mores nempe quales ad civilem converſationem poſtulantur, non neceſſum eſt inſint Philoſophiam ſectaturis. Fieri igitur poteſt, ut quis ſit indole auſtera, moroſa, & ſubagreſti, & tamen ſumma cum laude Philoſophum agat. Sed & ſi quem fortaſſe natura genuit minus aptum converſationi, ille quo magis ſtudiis totum ſeſe dedit, vitato hominum conſortio, non poteſt non ipſa illa aſſuetudine ſenſim reddi plane inurbanus atque intractabilis. Si quis, inquam, ita natus fuerit: non autem, ſi comitate & humanitate eximia ornaverit illum ipſa generatio. Porro cum Philoſophus omnis debeat eſſe vir bonus (poſſit certe eſſe, quantumvis politicarum artium omnium etiam vitioſarum peritiſſimus) reſpublicæ autem illæ quotquot a vera felicitate aberrant, aut (ut noſtro more loquar) in quibus Ratio ſtatus honeſta non eſt, bonum virum rectorem haud admittant, facile apparet, mores bonos aut virtutes hominis Philoſophi interdum haud pati, ut rempublicam, in qua vivit, gubernandam ſuſcipiat. Enim vero fortaſſis hac etiam de cauſſa olim magni Politici Philoſophi, Athenis cumprimis verſantes, alieno a republica illa gerenda animo fuerunt: quod nimirum id agere ſibi non licuerit ſine virtutis læſione, in illo corrupto reipublicæ ſtatu. Et vero reipublicæ atticæ admoverat quidem antehac manus Solon vir optimus, ſed quando reſpublica ipſamet cuperet bene regi: gubernandam componendamque illam poſt etiam accepit Demetrius Phaleræus, ſed abolito jam per Macedones impotente illo & improbo civitatis ſtatu. Quod ſi autem abſque hiſce duabus cauſſis fuerit, nihil obſtat, quo minus & Philoſophus civilis quis ſit perfectiſſimus & ſimul Pragmaticus optimus. Nec enim aut morum illud homileticorum vitium, aut negotioſæ vitæ averſatio, neceſſum eſt ſemper Philoſophiam comitetur; ſed interdum poſſunt, imo ſolent perfrequenter, illa abeſſe. Qui ſane cum malitioſo vulgo ſine diſcrimine doctis omnibus ineptos objiciunt mores aut averſionem a republica, quales ſane & jam olim haud defuerunt, iniquiſſime calumniantur. Quapropter nonnulli Philoſophorum civilium jam tum antehac ſumma cum laude rempublicam rexere. Id quod prolixius ſupra *cap. VII.* §. 12 demonſtravimus. Imo vero illæ demum vere beatæ ſunt reſpublicæ, quas vel Philoſophi regunt, vel quas qui regunt, philoſophantur. Quod fuit olim ſapientiſſimi Platonis dictum. De cujus ſententiæ veritate dubitare nemo poteſt, ſaltim qui intelligit, Philoſophi hoc nomine venire virum, & bonum pariter, & reipublicæ ad veram felicitatem componendæ ſapientem. Nec enim profecto per alios reſpublica aliqua veram felicitatem poterit conſequi, quam per eos, qui & ſapiunt ſimul, & amant ea, quæ iſthuc faciunt. Quales cum bona ex parte ſint etiam γνήσιοι Juriſconſulti, haud injuria Ulpiano auctore *ff. de Juſt. & Jur.* veram & non ſimulatam philoſophiam profiteri ſeſe, gloriantes, ſunt adeo rebuspublicis & ipſi longe utiliſſimi. A quo vere prudentum juris ordine tamen cum plurimum diſtent Leguleji non minus, quam qui φιλοσοφήματα quædam docti, pallio & barba tenus olim, nunc titulo ſolo ſeſe efferunt, veri Philoſophi non ſunt; abſit ut hos promiſcue omnes reipublicæ recte gubernandæ idoneos pronunciemus. Sed & jam tum ſupra eos hinc rejecimus *cap. VII.* §. 13.

§. 28. Poteſt *ſecundo* & hoc colligi; non adoleſcentem, multo minus puerum, eſſe idoneum ad plene accipiendam civilem Philoſophiam, ut nec ad πρᾶξιν politicam omnino exquiſite exercendam. Eſt autem hoc quadamtenus idem cum illo Ariſtotelis pronunciato *l. 1. Nicom. c. 3.* ὅτι τῆς πολιτικῆς οὐκ εἴη οἰκεῖος ἀκροατὴς ὁ νέος, *quod juvenis non ſit aptus vel proprius Politices auditor:* aut quod alibi affirmat *l. 6. Nicom. c. 8.* ὅτι γεωμέτρικοι μὲν νέοι καὶ μαθηματικοὶ γίνονται καὶ σοφοὶ τὰ τοιαῦτα. φρόνιμος δ᾽ οὐ δοκεῖ γίνεσθαι, *quod juvenes geometrici quidem fiunt & mathematici, & talibus diſciplinis eruditi, prudens autem non videatur fieri.* Et vero iisdem de cauſſis omnia hæc ita aſſerenda veniunt; modo etiam hoc obſerves; illum denique eſſe diſciplinæ alicujus vere idoneum auditorem, qui plane judicare poteſt omnia ea, quæ proponuntur: qui novit, quæ proponuntur in diſciplinis, illa firmis rationibus probanda a magiſtris eſſe, cum ita demum liceat ad ſcientiam pervenire: judicari autem, quod prolatum eſt, non poſſe, niſi perſpecta intime rationum firmitate. Verſatur ſcilicet Politica omnis Philoſophia circa ea, quæ per experientiam accipiuntur, & ex ejuſmodi unice exſtruitur. Eſt autem juvenis rerum civilium inexpertus: atque ita nec judicare illa poteſt, quorum fides ſoli experientiæ innititur; utque verbo iis aſſentiatur, animo tamen firmiter iis nequit aſſentiri. Accedit, quod juvenis nondum ſoleat eſſe ſatis compoſitis ad virtutem moribus: atque adeo corruptas & improbas reſpublicas a probis & laudandis, haud perinde conſtante & generoſa ſententia, ceu fieri par eſt, diſcreverit. Qui ſane virtute non inſtructus ſatis eſt, facile improba & iniqua (cujuſmodi plurima ſunt rerumpublicarum nonnullarum inſtituta) rectis prætulerit. Utitur vero ad primum quidem pronunciatum ſuum roborandum Ariſtoteles argumento hoc utroque: ad poſterius primo duntaxat, quoniam illud unum tunc exigebat inſtituta tractatio.



Digitized by Google

§. 29. Quæ politicæ Philoſophiæ autem, eadem eſt & Pragmaticæ ratio. Exercere ſcilicet illam itidem non eſt plene aptus juvenis aliquis. Idque itidem *primario* quidem, quod cum in univerſum ſit rerum humanarum non ſatis peritus, tum ejus populi, cujus forte curationi eſt adhibendus, indolis, morum, inſtitutorum rerumque omnium, per ætatem haud poſſit temere plenam notitiam ſibi acquiſiviſſe. Et tamen utrumque præſcire oporteat, priusquam poſſis feliciter rem gerere. Tametſi ſane talia omnia interdum & audierint juvenes & legerint, probent etiam; quoniam tamen non ſatis animo infixa tenent, perinde ſæpe eſt, quaſi non didicerint. Itaque & nimis creduli plerique ſunt & ad ſperandum faciles nimium, eoque & idonei multum, qui decipiantur, & dum minus circumſpiciunt, agantur in præceps. *Vid. Ariſt. l. 2. Rhet. c.* 12. Qui morbi omnes ab inexperientia profluunt.

§. 30. Obſtat *porro* juvenili ætati ad prudens omni ex parte regimen, affectuum animi nondum ſatis temperata violentia. Moribus enim plærique ſive affectibus rapiuntur; quin omnem in partem nunquam pene non ſunt nimii, ſive ament, ſive oderint, celeres item in cupiditatem pariter omnem atque iracundiam, & viciſſim facile mobiles in adverſum. Quibus moribus non poteſt non civitatis quodque regimen in grave diſcrimen adduci. Eleganter Ariſtoteles *l.* 1. *Polit. c.* 9. in juvenibus ait eſſe τὸ βουλευτικὸν ἀτελές. ut in fœminis ἄκυρον: ſive, vim animi conſultatricem imperfectam juveni, fœminæ minus certam. Eſt vero hoc usque adeo notum, ut in proverbium abierit *ſenum prudentia*, & nusquam gentium non ſit juventutis imbecillitas iſthæc obſervata; utque in multis bene conſtitutis civitatibus per leges annales a muneribus reipublicæ potioribus capeſſendis juvenes arceri ſoleant.

§. 31. Cumprimis inidoneus eſt in republica quidem bona, diſcendis vitioſarum rerumpublicarum artibus, juvenis aliquis potens ſimul atque ambitioſus, aut rerum novarum cupidus: idque quoniam intereſt reipublicæ, ut omnis ejusmodi indoles, quantum fieri licet, ab artibus illis diſcendis arceatur; ne ſcilicet abutens aliquando iis, rempublicam patriam in diſcrimen conjiciat. Magnæ ſcilicet eſt virtutis, tenere malas artes, iisque non uti, ſi offerat ſeſe occaſio: qualis in republ. ſæpe offertur. Sicut in univerſum *plus valet ignoratio vitiorum, quam virtutis cognitio.* Niſi fallor, hac de cauſa Theagem, juvenem atticum avidum diſcendi artes tyrannicas, noluit in diſciplinam admittere Socrates, prætexens a dæmone ſeſe vetari: eſtque adeo ſcopus platonici dialogi, docere: non admittenda ad quasvis politicas auditiones ambitioſa ingenia, *vid. Plat. Theagem.* etſi aliud ejus voluerit eſſe Marſilius. Conſimili certe de cauſſa noluit Hippocrates perverſæ indolis homines ad Artem medicam diſcendam admittere, quod nimirum & Ars illa ut valetudini conducentium, ita & adverſantium peritiam profiteatur, eaque proinde malus quispiam facile abuti poſſit. Hinc quo ille uſus eſt exemplo, huc quoque pertinet: τὰ ἱερὰ ἐόντα πρήγματα ἱεροῖσιν ἀνθρώποισι δείκνυται, βεβήλοισι δ' οὐ θέμις, πρὶν ἢ τελεσθῶσιν ὀργίοισιν ἐπιστήμης. *Quæ ſacra ſunt negotia ſacris hominibus oſtenduntur, profanis autem fas non eſt, priusquam ſint initiati orgiis ſcientiæ.*

§. 32. Hæc quamvis clariſſimæ ſint veritatis, videntur tamen duo obſtare eorum luminibus, quo minus omnibus perinde ſint conſpicua. *Primum* enim, juvenes non eſſe idoneos Philoſophiæ civili diſcendæ videtur repugnare iis, quæ reapſe experimur: nempe illos felices in addiſcenda illa progreſſus facere, docet uſus. Si addiſcere eam juvenes nequeant, tum vero, ne conatus quidem adferri ab illis debeant ad Philoſophiam iſtam addiſcendam. Id quod itidem laudato omnibus mori adverſatur. *Secundo* omnium gentium hiſtoriæ docent, nonnullos quamvis adoleſcentes res magnas geſſiſſe, nec ulla ſapientiæ parte fuiſſe ſenibus inferiores. Et vero Salomonis, Alexandri Magni, Scipionis, Octaviani Auguſti exemplis ipſimet nos antehac idem docuimus *c. VII.* §. 7. *& cap. XIII.* §. 10. Addi autem poſſunt & aliorum ex veteri pariter & noſtro ævo, ſi opus ſit.

§. 33. Verum hæc tanti non ſunt, ut ſententiæ profeſſæ quidquam mutemus. Ut enim ad *primam* objectionem primo reſpondeamus: aliud eſt progreſſus facere in diſcendo, aliud ſcientiam ipſam plene aſſequi. Illud qui poteſt, non ſtatim hoc etiam poteſt. Opinionem ſcilicet ſive δόξαν bonam parare ſibi juvenis poteſt, & hactenus tendunt juventutis non in Politicis duntaxat, ſed in Arte medica & naturali Philoſophia profectus: nititur nimirum fides paratæ omnis cognitionis auctoritate potiſſimum docentium, non adeo rebus ipſis. Ut vel hanc vero conſequatur juvenis, admitti utiliter poteſt ad philoſophicas auditiones. Etenim haud nihili, ſed eximium

*eſt, quadam prodire tenus, ſi non datur ultra:*

quandoquidem illa ipſa opinio, ubi ſenſim rerum uſu fuerit confirmata, facili negotio in perfectam abit ſcientiam: & ſæpenumero ad res agendas etiam opinio bona ſatis eſt, quamvis ſcientiæ major & vis ſit, & certitudo. Quum tantam vero utilitatem ex ſtudiis Philoſophiæ civilis poſſit juvenis capere, quidni, etſi plenum laboris fructum aſſequi nequeat, ad auditiones philoſophicas admittatur? Non poteſt ſane placere Pythagoræ inſtitutum, licet etiam Auguſtinus laudaverit *l. 2. de Ordine.* Ita nimirum hic loquitur: *Efferre laudibus ſoleo Pythagoram, quod regendæ reipublica diſciplinam auditoribus ſuis ultimam tradebat, jam doctis, jam perfectis, jam ſapientibus, jam beatis.* At vero uſus nos docet, nihil eſſe cauſſæ, quamobrem in ſeram iſtam ætatem omnis regendæ reipublicæ diſciplina differatur.

§. 34. Geſſerunt porro (fateor) & juvenes magnas res: horum autem numerus perquam eſt rarus & habet aliquid inuſitatum. Nobis autem ſermo faciendus fuit de eo, quod plærumque obtinet, atque adeo naturæ maxime eſt conſentaneum. Sed & haud difficulter apparet, nonnullis eorum datum ſapere, & res gerere, divina extra naturæ ordinem liberalitate. De Salomone

Digitized by Google

neutique certos reddit nos Sacra hiſtoria. Felicitas quoque armorum Alexandri ea fuit, ut non tam hujus prudentiæ, quam divino regimini debeatur, quicquid ex adverſo diſputet Plutarchus *de Fort. Al.* Idem in Hannibalis, Scipionis Africani, Auguſti Cæſaris aliorumque nonnullorum rebus obſervare eſt. Talia vero inſolita & divina non utique in exemplum eorum, quæ plærumque hominibus nobis contingunt trahenda ſunt. Juvenum aliis non defuerunt bonæ opiniones: quibus ſuffulti qui ſunt, illos poſſe interdum egregios ſeſe præſtare, jam tum profeſſi ſumus. Aliis fuere ad manum prudentes conſiliarii: juvenum gloria tantum in eo collocata, quod prudentum monitis regendam rempublicam permiſerint. Qualem primo quinquennio Neronem Burro & Seneca ducibus romana, Joaſum Iſraëlis Regem Jojada Pontifice vivo Sacra hiſtoria prodidit *l. 2. Reg. cap. XII.* Itaque hi quidem poſteriorum ordinum juvenes aſſertionem noſtram haud faciunt dubiam. Et vero plerumque illos, qui adulti non ſunt, per imprudentiam nocumento rebuspublicis eſſe, cum volumina illa ſacra, tum ipſiuſmet Salomonis parœmia doceat: *væ tibi terra, cujus Rex puer eſt. Eccleſ. cap. X. v. 16.*

§. 35. EST igitur ſatis ſic certum illud, quod diximus: non juvenem, multo minus puerum, omni ex parte idoneum eſſe politicæ ſive Philoſophiæ, ſive pragmaticæ diſcipulum. Quoniam vero ſimul oſtendimus, poſſe juvenem inſigni cum fructu utramque civilem prudentiam, univerſalem nempe illam & ſingularem, aggredi, eaque imbui; illud quoque diſquirendum fuerit; quemadmodum inſtitutio politica omnis quam rectiſſime poſſit peragi. Et vero etiam heîc controverſa quædam ſunt: *Primum* de modo & ordine inſtitutionis, *Secundo* de magiſtris, & *Tertio* de loco inſtitutioni apto. Reliqua ſcilicet omnia plana ſunt, ac proinde non eſt, quod a nobis heîc moveantur. Ne quid ergo noſtræ deſit tractationi, de hiſce etjam tribus nonnulla, pro ratione tamen inſtituti breviter, diſputabimus; ſeorſim & heîc de Philoſophiæ civilis, ſeorſim de Politicæ pragmaticæ inſtitutione agentes, ne quæ, ob confuſionem utriusque (quoniam itidem nonnihilo differunt) vel obſcuritas oriatur, vel error, vel defectus.

§. 36. *Primum* vero (ut ab inſtitutione Philoſophiæ civilis faciamus exordium) quod in quæſtionem venit, hoc eſt: Philoſophiæ civilis æmulator, utrum debeat a ſingularium rerum peritia pergere demum ad ſcientiam civilem philoſophicam; an vero aggredi hanc, nondum verſatus licet in ſingularibus, ſingularium vero notitiam demum addere oporteat jam cognitis univerſalibus ſcientiæ politicæ præceptis. Via prior videtur & jam olim Politices magiſtris placuiſſe, & perquam multis etiamnum placere. Sophiſtæ ſane, qui præ aliis apud Græcos Socratis ætate Politices doctores ſeſe profeſſi ſunt, quantum ex Ariſtotele *l. 10. Ethic. cap. ult.* colligere eſt, nihil aliud egere, quam quod multarum rerumpublicarum ſingularium leges diſcipulis propoſuerint, eligendi meliores quasque commiſſo ipſis arbitrio. Hodie pro legibus hiſtoriæ ſunt: fortaſſis quod hiſtoria paululum melioris notæ Sophiſtarum ævo fuerit apud Græcos prope nulla, (Herodotum ſcilicet ſi excipias, quoniam & Thucydides ipſe ac Xenophon tum demum innotuerunt) nunc autem præclarorum Hiſtoricorum in promptu ſit manus ingens. Hinc hodie videas, ad parandam civilem prudentiam nihil prius, nihil aptius, a multis cenſeri, quam Hiſtoriæ lectionem: ac proinde & juvenibus τὰ πολιτικὰ indoctis commendari, adductis omnibus hinc inde conquiſitis Hiſtoriæ laudibus. Saltim igitur multorum Politices profeſſorum auctoritas pugnat pro via iſthac priore. Corroborari illa videtur & Gerardi Johannis Voſſii, Viri utique citra controverſiam magni, acceſſione. Hic enim non dubitavit contra Bartholomæum Keckermannum Viam illam diſcendi improbantem prolixe diſputare in ſuo de arte hiſtorica libro *cap. 5. pag. 30.* Videtur autem ideo etiam præferenda, quoniam omnes artes omnesque pene ſcientiæ principiorum loco utuntur ſingularibus experimentis, & natæ demum ſunt, ulteriusque parantur augenturque non alia, quam illa via, qua a ſingularibus uſu obſervatis ad univerſalia progredimur.

§. 37. Cæterum nec auctoritas ita ſentientium, nec addita ratio me quidem hactenus potuit trahere in aſſenſionem. Sophiſtæ certe non illi fuerunt, qui movere quenquam debeant: ut qui Politicam ſapientiam reapſe ignoraverint, quod poſt veteres a nobis quoque jam eſt monſtratum hoc ipſo libro *cap. IV.* Vereor ne in eodem luto hæreant & illi hodie, qui nihil perinde atque hiſtorias commendant: haud ſane illorum quenquam temere invenias, in civili Philoſophia ipſa, ceu par erat, verſatum. Voſſius quæ adfert, nihil ad hanc rem faciunt: ac proinde nec adſtruunt, quo de nunc eſt quæſtio. Diſtinguit enim & ipſe, idque recte, inter hiſtoriam ſimplicem, & quam vocat ἱςορικὴν πραγματείαν, quæ curate in circumſtantias & eventuum cauſſas inquirit. Illam ſimplicem exiſtimat juventuti convenire. Sed non illa, verum altera inſervit Prudentiæ comparandæ. Quum igitur ipſemet agnoſcat, ſimplicem duntaxat illam & rudem juventuti aptam eſſe, non alteram, quæ unice Politicæ ancillatur, liquet, nec Voſſium reapſe diſſentire a noſtris ſententiis. Sed & tota illa, quam laudat Voſſius hiſtoricæ lectionis inſtructio, ad uſum Grammatici Hiſtorici facit quidem, ad Politicum Hiſtoricum non item: quod obſcurum eſſe non poteſt cum cura & judicio legentibus. Ratio etiam, quæ adducta eſt, valet nihili. Nec enim neceſſum eſt, eodem ordine diſcere, quod jam eſt inventum, quo aliquid inventum eſt, aut porro oportet inveniri: poſſumus enim utique, ex quibus partibus minimis conſtent compoſita quæque, addiſcere, ſola inſtituta compoſitorum diſſolutione, non opus autem eſt, ut videamus primum omnia iſta componi: imo eſſe illud expeditius, quam hoc, manifeſtum eſt.

§. 38. Igitur fatemur quidem & nos, omnium optime proficere quem poſſe in addiſcenda civili Philoſophia, ſi fuerit antehac uſu rerum ſingularium probe inſtructus; imo hunc demum eſſe omni ex parte idoneum illius diſcipulum, multis evicimus. At vero minime hinc conſequens eſt, omnem promiſcue iſthac via progredi oportere. De juvene igitur ſi quæratur, nego huic viam

am illam convenire. Idque *primum* ideo, quandoquidem juventus plerumque non valet facultate, ex ſingularibus eventis univerſalem ſcientiam condendi: non judicio recte atque utiliter geſta a pravis & imprudentibus ac reipublicæ noxiis facinoribus diſcernendi, aut vero etiam attendendi ad momenta rerum eaque obſervandi. At vero, ut ſcientiam ex ſingularibus compares, utique neceſſum eſt recto pede progredi a ſingularibus ad communia ſive univerſalia enunciata, quibus nempe ſolis ſcientia & ars omnis conſtat. Eſt autem illud vel idcirco juveni perquam difficile, quoniam hactenus nemo artem ex ſingularibus proficiendi ſcripto tradidit: quod jam tum conqueſti ſumus: ut proinde unusquisque hactenus debuerit propriis hic viribus inniti, quæ in juvene ſunt plerumque perimbecilles. Longe vero adhuc eſt difficilius, ex ſola hiſtoriarum lectione obſervare, quid cuique ſtatui reipubl. utile, quid noxium, & quævis obſervatu digna juſta attentione proſequi.

§. 39. Valent autem eadem hæc argumenta etiam adverſus illos, qui variarum legum collectionem ad parandam prudentiam ſufficere arbitrantur. Par enim fere hiſtoriæ & hujusmodi collectionis ratio eſt, niſi quod hiſtoriæ aptiores ſint ad docendum noxia & utilia; quoniam ſimul narrant conſiliorum factorumque eventus proſperos adverſos, ſecus quam fit in Legum collectionibus. Quid Ariſtoteles Sophiſtis ſui ævi, collectiones legum juventuti pro civili prudentia venditantibus objecerit, hîc legi atque expendi omnino fuerit pretium operæ. Recitabimus itaque illa, ſaltim (quanquam eorum vim interpres vix aſſequatur) prout latine verſa ſunt a Dionyſio Lambino: ſpreta interpolatione Bergiana ceu minus hîc commoda, ne græce indocto cuiquam ſim moleſtus. *Jam vero* (ait) *lib. X. Nicom. cap. ult. Sophiſtæ, qui hanc facultatem ſe tradituros profitentur, ab eo longiſſime videntur abeſſe, ut docere poſſint. Omnino enim neque quid ea ſit, neque quibus in rebus verſetur, ſciunt. Non enim, ſi ſcirent, eandem eſſe atque artem dicendi, vel deteriorem ſtatuerent: neque ferre leges eſſe facile putarent ei, qui leges omnium opinione comprobatas collegiſſet: quoniam (inquiunt) præſtantiſſimas eligere licet. Quaſi vero delectus non ſit intelligentiæ: aut quaſi non ſit maximum, recte judicare: quemadmodum in iis, quæ ad muſicam pertinent. Nam qui cujusque rei uſu periti ſunt, cum de artis operibus recte judicant, tum quibus rebus, ut quomodo ea, quæ par eſt effici, perficiantur & quæ quibus congruant & concinant, ſciunt. Imperiti vero præclare ſecum agi putant, ſi non ignorent, rectene, an perperam opus effectum ſit: quemadmodum fit in pictura. Leges autem opera civilis videntur eſſe. Quonam igitur pacto quis aut ad leges ferendas aptus, his effici, aut, quæ ſint optima, judicare poſſit? Nam ne medicinæ quidem ſatis periti fieri videntur ex commentariorum lectione. Atqui commemorare & tradere conantur illi non ſolum curationum genera, ſed & quibus remediis ægros ſint curaturi, & quemadmodum medicinam facere oporteat, de cujusque habitudine corporis diſtincte ac diſtribute diſſerentes. Sed hæc uſu peritis & exercitatis prodeſſe poſſe credibile eſt: imperitis autem atque inſciis, nequaquam. Fortaſſe igitur etiam legum, rerumque publicarum genera collecta, eis, qui animo cernere & judicare poſſunt, quid bene, quid contra conſtitutum ſit, & quæ quibus apta ſint, uſui eſſe poterunt. Si autem, qui hæc ſine animi habitu perſecuti fuerint, recte judicandi facultatem quidem ſibi nunquam comparabunt, niſi forte temere & aliquo caſu: intelligentiores autem fortaſſe in his eſſe poterunt.* Hactenus de ſophiſtica docendi ratione Ariſtoteles.

§. 40. Ad hoc (quod *ſecundi* argumenti vicem eſſe poteſt) diffuſior eſt ratio diſcendi univerſam quidem civilem Philoſophiam ex Hiſtoriis, quam ut illi par ſit juvenilis ætas, præſertim ſi & alia agere debeat. Nec enim niſi ex quamplurimis libris peti poſſunt hiſtoriæ omnis generis rerumpublicarum. Utque tu velis non niſi unam reipublicæ ſpeciem, regnum fortaſſis & quæ illi commoda ſint addiſcere, itidem tamen verſandi fuerint hiſtorici complures: quoniam nimirum & regnorum varia ſunt diſcrimina, mutationes item & utilitates variæ, ſinguli autem Hiſtoricorum raro ultra unam regni formam excurrunt, nemo eorum omnia, quæ vel uni formæ ſolent evenire, attingit.

§. 41. Pleroſque *Tertio* præſtantium Hiſtoricorum videas de rebus, quas narrant, judicium ſibi ſumere, vix quenquam vero inveniri, qui in aſſignandis eventuum cauſſis non multum ſubinde aberret, non obſervato ſcilicet diſcrimine inter πρόφασιν, initium & veram actuum cauſſam. Ea ſane in re peccatum a ſcriptoribus belli punici monet Polybius *lib.* 3. Ariſtoteles *l.* 2. *Rhetor. c.* 24 errorem illum non cauſam pro cauſa adducendi, τῶ μετὰ τοῦτο ὡς διὰ τοῦτο capiendo, maxime committere eos, qui in reipublicæ tractatione verſantur. Hic autem error niſi vitetur, non poſſunt non falſiſſimæ naſci ſententiæ politicæ. Vitare autem, imo errantem Hiſtoricum poſſe corrigere, ſuperat utique vires judicii juvenilis. Legum variarum electio multo minus juveni poteſt prodeſſe, quoniam inter leges addi rationes rerum vix ſoleant: excogitare autem rationem, ſupra captum ſit juvenis.

§. 42. Hæc cum longe ſint veriſſima, manifeſtum utique eſt, illam rationem diſcendi Prudentiam civilem univerſalem, quæ a ſingularibus incipit, haud convenire juventuti. Unde conſequens eſt, viam alteram juveni quidem ambulandam eſſe. Et vero quamvis non ſcientia exacta, ſed opinione duntaxat inſtruatur juvenis, doctrinam politicam ſyſtematicam Ariſtotelis aut aliorum ediſcens, illa ipſa tamen opinio mirum quantum vim judicii politici acuere idonea eſt. Oculum dixeris additum, ſaltim oculare aliquod ὄργανον, pervidendi minuta quæque & alias abdita, aut diſcretu difficillima; quæ certe juvenem non ita inſtructum, vel omnino fugere vel non niſi confuſe, & quaſi in tenebris apparere ſolent. Id ſane omne, quod primo loco alteri viæ objecimus, hoc fere unico modo ſublatum eſt, tantum ſi acceſſerit ars ex ſingularibus univerſalia conſtituendi. Similiter licet utique hac ratione quamvis juveni diſcrimina rerumpublicarum multiplicia, omniſque generis mutationes & conſervationes exiguo temporis ſpacio addiſcere; quantum

Digitized by Google

tum quidem ad bonam ſufficit opinionem. Quod factu impoſſibile eſſe modo illo priore, paulum ante oſtenſum eſt. Ita porro inſtructus cauſas veras eorum, quæ in civili vita ſolent contingere, jam didicit: ac proinde ſic ſatis paratus jam eſt veras a fictis cauſſis eventuum civilium diſtinguere, atque ita ab erroribus aliorum ſibi cavere. Expeditiſſima denique hæc ad plenam ſcientiam via eſt: quippe cui nihil deeſt præter robur illud, quod ab experimentis ſive hiſtoria poteſt accipi. Et vero, ſi quis ſingularium rerum hiſtorias conferat cum doctrina politica Ariſtotelis & aliorum (quod utique & a juvene interdum fieri poteſt) opinio in plenam ſcientiam ſolet tranſire.

§. 43. Cæterum de prima quæſtione plus quam ſatis fortaſſe. Breviores erimus in *Secunda*, quæ de idoneis eſt magiſtris. Etenim vacat dubitatione, utendum eſſe magiſtris, ſi qui haberi poſſint: cum non uſu duntaxat, ſed diſciplina etiam politicam prudentiam diſci poſſe jam ſit conſtitutum. Haud negamus, ſine etiam magiſtro poſſe profici: ut ſunt etiam in aliis Artibus & ſcientiis nonnulli αὐτοδίδακτοι. Quin tamen doctis adhibitis magiſtris, & tutius, & facilius longe unusquisque, quamvis ingenio valens, quamvis poſſit eſſe αὐτοδίδακτος, diſcat, nemo temere ibit inficias. Hoc igitur duntaxat hîc ſupereſt controverſum, quales magiſtri adhibendi ſint: utrum nempe illi, qui verſantur in actu rerum civilium, an qui extra negotia poſiti vitam magis in ſtudiis degunt: & ſi hi ſunt admittendi, utrum qui ſcripto docent & quaſi muti ſunt, an qui inſtituunt ore.

§. 44. Ad hæc autem definienda neceſſum eſt ponere, id, quod omnibus eſt in confeſſo & omnino certum: illum eſſe cujusque doctrinæ magiſtrum idoneum, qui doctrinam illam exacte tenet, & cum ordine, tum perſpicua dictione, quæ tenet, profert; qui ulla hujus parte inſtructus non eſt, nec idoneum eſſe doctorem.

§. 45. Jam vero pragmaticorum hominum bona pars, vel non tenet ipſammet civilem Philoſophiam, vel docendi modum aut ignorat plane, aut quoniam non exercuit nec exercere aptus eſt, vel & vitio quodam laborat, quo minus id poſſit. Adduximus jam tum ſupra *cap. VII.* §. 2. in eandem ſententiam diſſerentes cum Platonem, tum Ariſtotelem, & hunc quidem ſua loquentem lingua. Meretur hic denuo audiri ſaltim latine interprete Lambino: *Utrum igitur*, inquit *lib.* 10. *Nic. cap. ult. videndum deinceps eſt, unde & quonam modo quis legibus ferendis idoneus eſſe poſſit? An, ut fit in cæteris artibus, ab iis, qui in republica gerenda verſantur, hanc facultatem comparaturus eſt? Civilis enim prudentiæ pars eſſe videbatur legum ferendarum facultas. An vero aliter ſe res habet in ratione reipublicæ gerendæ, atque in reliquis tum ſcientiis, tum facultatibus? In cæteris enim eosdem videmus artem, facultatemque agendi tradere, & facultatis munere fungi; ut medicos & pictores. At rerumpublicarum adminiſtrandarum ſcientiam docere ac tradere ſe profitentur Sophiſtæ, eorum tamen adminiſtrat rempublicam nemo: ſed ii, qui in republica gerenda verſantur: qui quidem vi & facultate quadam freti, uſuque potius, quam mentis agitatione ac ratione hoc agere videri poſſunt. Nam neque eos ſcribere, neque dicere de talibus rebus (atqui præclarius hoc erat fortaſſe, quam orationes judiciales aut conciones ſcribere) neque vel filios ſuos, vel ullos alios ex amicis ſuis ad rempublicam gerendam aptos effeciſſe videmus: quod quidem probabile & conſentaneum erat eos fuiſſe facturos, ſi id ulla ratione conſequi potuiſſent. Nam neque quicquam civitatibus melius reliquiſſent, neque aut ſibi, aut amiciſſimis quicquam hac facultate præſtantius exoptare poſſent.* Hæc Ariſtoteles, & recte quidem. Ubi tamen obiter monendum venit, videri lectionem Ariſtotelis mendoſam & hiatum aliquem eſſe, circa illa verba græca: ἀλλ' οἱ πολιτευόμενοι. οἱ δοξαίεν ἄν, *ſed ii, qui in republica gerendo verſantur, qui quidem.* Quid tamen velit ſibi Ariſtoteles, haud difficile conjectu eſt. Rectius vero longe ex eo, quod Politici præcipui neminem docere ſolent, colligit Ariſtoteles, eos vi potius ingenii feliciter in republica gubernanda verſari, quam quod a ſcientia civili ſint inſtructi: atque ex eodem principio vult perſuadere in Menone Socrates, ut & Crito Socraticus ſive quis alius auctor, virtutem atque adeo & Prudentiam doceri non poſſe, ſed omne illud Naturæ aut Dei donum eſſe. Quanquam largimur facile, quo minus Politici nonnulli pragmatici ſuos inſtituant, interdum in cauſſa eſſe defectum ingenii in filiis, aut aliorum, quæ præneceſſaria eſſe ad ſcientiam illam comparandam, paulo ante docuimus.

§. 46. Licet autem pragmaticus omnis Politicus ad docendum aptus non ſit, eo quod ſcientiæ ſit expers, indubie tamen, ſi quis ejus ordinis fuerit ſimul iis, quæ ad docendum requiruntur, inſtructus, idque laboris velit poſſitque ſuſcipere, ille omnibus aliis præferendus fuerit, cumprimis quod valeat auctoritate perſuadendi, atque ita apud auditores majorem fidem inveniat, præ iis, qui rerum actui admoti non ſunt.

§. 47. Quoniam vero Pragmaticos inter rari vel poſſint, vel velint docere, facile apparet, plerumque utendum eſſe magiſtris extra negotia civilia vitam degentibus. Inter hos autem in univerſum prævalere, qui ſaltim a multa hiſtoria inſtructi ſimul ſunt juxta præceptorum civilium peritiam, conſequens itidem eſt ex eo, quod præmiſimus principio. Itaque horum quidem nihil amplius probatione indiget. Notum vero etiam eſt, quanta ſit ad docendum vis vocis vivæ, præ muta. Itaque magiſtrum Politicum qui ore doceat, itidem præferendum eſſe in confeſſo eſt. Quoniam tamen raro contingit, ut quis unus doceat quem plene omnia, utique & muti magiſtri illi audiendi erunt.

§. 48. Etiam Altera itaque quæſtio jam expedita eſt. Supereſt ultima. Eſt autem illa longe omnium definitu facillima, modo rationes velis audire, atque ire, quo eundum eſt, non qua ducunt forte antecedentium greges. Sunt enim, hodie cumprimis, perquammulti, qui non niſi foris quærendam cenſeant civilem Philoſophiam, & quidem potiſſimum remotis in regionibus;

ratio-

rationem tamen hujus ſuæ ſententiæ nullam adferunt. Unicum Ulyſſis exemplum pro omni ratione eſt, qui nempe humanarum rerum fuerit perquam peritus, quoniam

*Multorum mores populorum vidit & urbes.*

At Ulyſſes quidem, ad rem hanc probandam nihil omnino facit. Videtur enim ille potius ingenii bonitate valuiſſe, quam Philoſophia. Neque ille comparavit ſibi, ſapientiam peregrinando, ſed domo attulit. Ut fabulæ enim habent, peregrinatus demum eſt finito bello Iliaco: dudum vero ante verſutiæ ſuæ præclara ediderat ſpecimina. Fac autem, peregrinationes demum perfecerint Ulyſſis prudentiam; minime tamen hinc eſt conſequens, ad unius illius, aut paucorum aliquot exemplum, comparare ſeſe omnes oportere.

§. 49. Igitur eſt hoc quidem certum atque conſtitutum, ubicunque reperiantur magiſtri optimi, ibi doctrinam quærendam eſſe. Jam vero etiam id conſtat, nunc domi nunc foris, & vel in vicinia, vel procul, haberi illos poſſe. Hinc vero ſequitur infallibili conſequentia, alibi atque alibi magiſtros ſectandos eſſe, domi, foris, prope, procul, prout accipi poſſint: atque adeo ea in re nec domeſticis ſemper præferendos exteros, nec hoſce illis, multo minus ſola longinquitate idoneum ſapientiæ magiſterium metiendum eſſe. Quod ſi domi profecto poſſit parare juvenis illam philoſophiam, cum ſumptuum parcendorum cauſſa, tum & melioris educationis gratia (utpote quæ fieri poſſit in conſpectu quaſi parentum & cognatorum, quo nihil juveni conſultius eſt) domeſtica inſtitutio omni alii eſt anteferenda. Recte ſane Salomon *Proverb. XXVII.* 8. *Sicut avis tranſmigrans de nido ſuo, ſic is, qui derelinquit locum ſuum.*

§. 50. De Tribus igitur quæſtionibus, quantum illæ nonnihil dubiam reddebant inſtitutionem civilis Philoſophiæ aut univerſalis Prudentiæ, nihil addere neceſſum eſt. Prius vero, quam ad Inſtitutionem pragmatici quoque Politici progrediamur, obſervandum venit: ex re eſſe, ut qui ſive ad Philoſophiam, ſive ad pragmaticam Politicam aliquando affectabit gradum, ſtatim in ipſa pueritia ſenſim addiſcat, quæ poſſint illi inſtituto eſſe utilia. Enimvero fatemur ultro, longe minus quam juvenes eſſe aptos pueros, qui civilis Prudentiæ ſtudiis occupentur, eſt tamen, quo & illa ætas commode imbui poſſit. Igitur ubi animadverſum fuerit illud eſſe pueri ingenium, quod aliquando poſſit civilis Philoſophiæ eſſe capax, aut reipublicæ gerendæ idoneum (*Ex ſtudiis autem ſuis intelligitur puer, ſi munda & recta ſint opera ejus*, ut ſapienter pronunciavit Salomon Rex) ſaltim addiſcat & mandet memoriæ ſcita aurea ſapientum de omni vita, cumprimis autem de civili. Etſi enim horum vim minime aſſequatur puer, adultus tamen, excuſſa memoria, poterit illis uti, tanquam collecto theſauro. Videre hunc uſum jam tum olim prudentiores quique: neque noſtro ævo non multi idipſum obſervaverunt. Hinc illud natum Æſchinis: διὰ τοῦτο τὰς τῶν παλαιῶν γνώμας παῖδες ἐκμανθάνομεν, ἵν' ἄνδρες γενόμενοι αὐταῖς χρώμεθα: *Ideo pueri diſcimus veterum ſententias, ut viri facti iis utamur.* Sunt autem inter ſententias ejuſmodi facillimæ omnium, quæ diſci pariter poſſunt & firma memoria teneri, illæ, quæ numeris incluſæ ſunt, ceu notum eſt; itaque & illæ præ aliis indubie teneræ iſti ætati quam maxime conveniunt.

§. 51. Nunc & de pragmatici hominis inſtitutione nonnihil addendum eſt. Sunt autem omnia expeditu non multum difficilia. *Primum* enim, quoniam in pragmatico Politico requiritur & prudentia univerſalis, ſive tota, ſive ex parte, & notitia ſingularium, cum reipublicæ ejus, in qua verſandum fuerit, tum earum, quæ illi vicinæ ſunt, rerum, facile apparet addiſcendum omnino ipſi venire utrumque, alterum horum non ſufficere.

§. 52. *Secundo* (ut de magiſtris prudentiæ univerſalis nunc nihil dicamus) ad intelligenda illa cujuslibet reipublicæ ſingularia, faciunt magiſtri partim muti, ut ita loquar, partim vivi. Omnis ſcilicet generis monumenta ſcripta, ſive typis fuerint edita, ſive hactenus publicata non ſint, quæ ſaltim aliquid habent de negotiis reipublicæ alicujus ſingularis, ſtudioſe colligenda & volvenda fuerint. Poteſt autem horum diſpoſitio commodiſſime inſtitui ſecundum illas claſſes, illoque ordine, quem in republica quavis ſingulari cognoſcenda ſequendum eſſe, capite duodecimo docuimus. Cumprimis vero hic valent magiſtri vivi, qui in actu rerum diu verſati, mores, leges, inſtituta, conſilia, ſtatumque omnem reipublicæ, plene didicerunt. Certe & citius & tutius omnia ab illis diſcuntur. Quantum igitur fieri poteſt, hi ſectandi, cum his converſandum, hi reverenter habendi, hi conſulendi, hiſce credendum maxime eſt. Nec vero non & multum prudentiæ univerſalis juxta ſingularem ab iis didiceris. Huc ſane ſpectat ſapiens dictum illud Salomonis: *Qui cum ſapientibus graditur, ſapiens erit: Amicus ſtultorum ſimilis efficietur.* Hac ſane de cauſſa, in omni republica, prudens quisque longo uſu peritos rerum magiſtratus & conſulit & magni æſtimat, quamvis Rex fuerit. Quale quid proinde in ſacra Eſtheræ hiſtoria etiam de Ahaſſuero rege proditur *Eſth. I.* 13. quod nimirum *interrogaverit ſapientes, qui ex more regio, ſemper ei aderant, & illorum faciebat cuncta conſilio, ſcientium leges ac jura majorum.* Et de Alexandro Severo Auguſto in vita ejus *Lamp. c. XVI. requiſiviſſe* cum alios, *tum literatos, maxime eos, qui hiſtoriam norant, quid in talibus cauſſis, quales in diſceptatione verſabantur, veteres imperatores vel romani vel exterarum gentium feciſſent.* Quamvis ad illa vetera exempla recurrere non ſit neceſſum, cum hodieque nemo prudens dubitet, paſſimque id obſervetur. Quin itaque tales magiſtri auro contra cari ſint habendi, & ad horum monita conſilia ſint componenda, non eſt, quod quis dubitet. Certe quod de moralibus Seneca, idem quam maxime & de Politicis valet: *Longum iter eſt per præcepta; breve & efficax per exempla. Zenonem Cleanthes non expreſſiſſet, ſi eum tantummodo audiſſet. Vitæ ejus interfuit, ſecreta perſpexit, obſervavit illum, an ex formula ſua viveret.*

§. 53. Utrum *Tertio* domi, an foris & apud exteros inſtituendus quis ſit ad pragmaticam prudentiam civilem, haud difficulter ex iis, quæ jam dicta ſunt, apparet. Utique enim illius reipublicæ

Digitized by Google

ex, in qua eſt quis verſaturus ſtatum & arcana quælibet qui rectius doceant quam qui in illa verſantur? Foris ergo & apud exteros fruſtra illos quidem magiſtros quæſieris. Vicinorum tamen, aut ſimpliciter eorum, quibuscum tuæ reipublicæ commercii aliquid neceſſario intercedit, ſtatum exactum alibi rectius didiceris. Quantum tamen reipubl. tuæ intereſt, etiam domi talia diſci poſſunt, præcipue a prudentibus & in rebus magnis verſatis. Nec vero Philonis iſtud ulla quis veroſimili ratione comprobaverit, (niſi fortaſſe quis ſit

*Vervecum in patria craſſoque ſub aëre natus.*)

*τυφλοὶ πρὸς ὀξὺ βλέποντας, ἀναπόδημητοι πρὸς τοὺς ἐνδεδημηκότας: eos, qui non ſunt peregrinati reſpectu eorum, qui peregrinati ſunt, eſſe quaſi cæcos cum acute videntibus comparatos.* Niſi inquam ita quis natus ſit. Qui enim infeliciter adeo eſt natus, illi utique neceſſitas impoſita eſt alibi ſapientiam quærendi, & ipſum patrium ſtatum foris addiſcendi. Interim rariſſimum eſt, ut juvenis pragmaticæ Politices ſtudioſus poſſit peregrinationis juſtum fructum capere: id quod docent quotidiana germanicæ juventutis exempla. De quibus id vere affirmaveris, quod olim Attico adoleſcenti Socratem dixiſſe, narrat Plutarchus *in Apopht.* Querenti ſcilicet cuidam, quod peregrinationes ſibi nihil profuiſſent, reſpondiſſe fertur Socrates: *Non immerito tibi iſtud evenit: tecum enim peregrinabaris.* Eſt vero & cumprimis aureum Ariſtotelis præceptum *lib. 5. Polit. c. 9.* quod non poſſumus non integre huc adferre. *Maximum eorum quæ dicta ſunt, facere ad conſervationem rerumpublicarum eſt, cujus nunc nulli curam gerunt, inſtitui apte ad reſpublicas, in quibus* ſcilicet quis civem agere velit. *Nullum enim emolumentum capitur ex utiliſſimis legibus & quæ prolata ſunt judicio cunctorum, qui dant operam reipubl. niſi erunt aſſueti & inſtituti, ſi leges populares ſint, populariter, ſi Oligarchica, Oligarchice.* Cum nihil hoc ſcito ſit verius, facile profecto apparet, (ut momento temporis liceat ſine incommodo foris degere) ſaltim non educandam juventutem apud exteros, ubi aliis quam in patria moribus & inſtitutis vivitur, ſi quidem in patria tandem vivere placeat. Peregrini ſane mores nocent reipublicæ usque adeo, ut propterea prudentum multi peregrinum omnem e republica exeſſe juſſerint. Eſt autem perinde, ſive natalibus ſis peregrinus, ſive educatione aut conſuetudine.

§. 54. Eſt porro obſervandum, Pragmatico futuro nihil proficuum magis eſſe, quam cito admoveri gerendis rebus. Facile ſcilicet deſes otium allubeſcit, itaque ad labores trahi, quam cito poteſt fieri prodeſt, quo animus nimirum ab otio plane alienus, laborum autem fiat cupidus. Incredibile porro dictu eſt, quantum juvet, præceptorum civilium vim uſu ſtatim confirmare. Bene profecto Plinius *l. XXVI. Uſus efficaciſſimus rerum omnium magiſter:* & Cicero *de Oratore: Uſus omnium magiſtrorum præcepta ſuperat.* Sed & nemini eſt ignotum, plurimum antecellere eos qui in actu rerum ſunt exercitati præ iis etiam, qui longe doctiores ſunt *τὰ πολιτικὰ*, non niſi ex libris tamen. Nec vero huic ſententiæ obſtat, quod non ſit fas quaſi illotis manibus rerum adminiſtrationem aggredi. Volo enim duntaxat, jam nonnihil doctum ad ſapientum collegia admitti; ut ſenſim diſcat & mature quidem, inſtructus tot aliorum ſapientibus conſiliis aut deliberationibus, quænam reipublicæ ſuæ noxia, quænam commoda ſint.

§. 55. CÆTERUM & de hiſce pro ratione quidem inſtituti ſatis. Paucis adhuc monendum aliquid eſt de iis ſtudiis, quæ Politico Pragmatico non quidem neceſſaria, per tamen ſunt utilia, ſive ſemper, ſive plærumque, ſive interdum, pro more & inſtituto gentium. Inter ea *primo loco* ponendum exiſtimo, ut quis diſcat cum ſimpliciter omnis *religionis*, (*a*) tum ejus, quæ tot inter ſectas potiſſimum amplectanda eſt, ſaltim vera atque accurata principia. Enimvero *initium* aut fundamentum *ſapientiæ eſt timor Domini.* Quin & prudentiam interdum ſingulari beneficio divino dari, notum eſt exemplo Salomonis. Id quod nec alios latuiſſe, intelligere eſt ex illo Dialogo, qui Platoni quidem adſcribitur, eſt autem potius Critonis Socratici, *de eo quod virtus doceri non poſſit:* ubi docet auctor, viros prudentes non minus divinitus inſtitui & dari quam vates aut fatidicos. Quod etſi ſimpliciter haud temere probaveris, hoc tamen omnibus populis ſemper notum fuit, ſæpenumero divinitus extra ordinem conſuetum regi conſilia humana, nunc in bonum nunc in noxam. Verum hæc potiſſimum docent pietati ſtudendum eſſe. Fundamenta autem ſimpliciter cultus divini ideo diſcenda ſunt, ne quis ab atheis patiatur ſe decipi: quoniam ille error reipubl. etiam capitalis eſt. Sunt & optimæ religionis ediſcenda principia, quandoquidem item publice intereſt ut optima religio foveatur quam maxime in republica: quod fieri non poteſt, ſi rectores rerumpublicarum principiorum quoque ignorantia laborent. *Altero loco* Philoſophiam omnem moralem conſtituo. Comprehendo autem illa voce omnem ſimul peritiam Juris naturalis: utpote, cum hæc non ad aliam Philoſophiæ partem pertineat. Non commendabo tertio loco inter utilia, peritiam legum ejus reipubl. cui quis præeſſe vult: utpote cum revera pars ſit plenæ peritiæ ſingularis illius reipublicæ. Anima quippe reipubl. lex eſt. Abſurdum igitur fuerit, plena ſingularis reipublicæ peritia ſeſe jactare, ignoratis legibus. *Tertio* autem loco utilium in numero ponimus eloquentiam: cujus profecto in omni vita civili, cumprimis in concionibus aliiſque conventibus eximia vis eſt, quæque adeo id perſuadere apta eſt, quod Politica non niſi ſciſcere poteſt. *Quarto* non poſſum non laudare & linguarum exoticarum, quarum in vita civili uſus eſſe ſolet, ſtudium. Solet autem ille uſus alibi atque alibi diverſus eſſe. Itaque pro cujusque loci ratione, aliæ atque aliæ linguæ peregrinæ addiſcendæ fuerint. *Ad ultimum* ſumme

(*a*) *Religionis.*) Maximo igitur futuro politico uſui erit, ſi non ſolum veræ religionis veris imbutus ſit principiis, notaque ipſi ſint aliqua ex parte controverſiæ, quæ ſuæ religioni addictis cum diverſæ religionis ſociis intercedunt, quodque ſit ſingularum religionum intereſſe e ubi VALENTINI ALBERTI libellus adhiberi poteſt. COKE.

ſumme fuerit utile, didiciſſe τὰ γεωγραφικὰ, & magnatum γενεαλογικὰ ſaltim noſtri & proximi ævi. Cumprimis vero ſi non hiſtoriam, ſaltim ſtatum præcipuarum ſui temporis rerumpublicarum per orbem, quantumvis cum iis tuæ reipubl. nihil ſit commercii. Apprime certe horum cognitio in vita civili utilis eſt; ad dignitatem & exiſtimationem Pragmatico Politico conciliandam ſumme etiam neceſſaria. Quemadmodum vero hæc omnia quam rectiſſime parari poſſint, non eſt hujus loci docere.

# CAPUT XIV.

## *Quæ ſcripta edita ad parandam prudentiam civilem univerſalem maxime ſint idonea.*

§. 1.

Eorum quæ agere & inſtituti noſtri & officii fuit, nihil non perſecuti hucusque ſumus, præter unicum illud de editis hactenus libris, qui ad parandam prudentiam civilem queant eſſe adminiculo. Id quod ultimum in locum rejecimus: ac proinde nunc eſt expediendum.

§. 2. Cum duplex autem ſit prudentia civilis, alia communis alia ſingularis, de iis, qui ad hanc quærendam queant facere, non eſt quod tentemus docere. Infiniti enim quaſi id laboris eſt, quoniam & respublicæ ſingulares, ſi præteritas futuras & eas, quæ nunc ſunt ſpectes, numero itidem quaſi infinitæ ſint. Sed & ſtatus earum, quæ quidem hodie ſunt per univerſum terrarum orbem maxime celebres civitates, ex quibusnam ſcriptoribus poſſit accipi, alibi ſeorſim documus. Multo minus omnia, quæ quovis modo civili ſocietati inſervire idonea ſunt ſcripta, ſub cenſuram vocare, hujus noſtri eſt propoſiti: quamvis tale quid factum videamus cum ab aliis, tum a Gabriele Naudæo in Politica Bibliographia. Ceu enim ſupra jam oſtendimus, latius longe patent etiam prudentiæ nomine venientia. Quæ proinde nihil ad rem noſtram faciunt. Igitur hoc duntaxat nobis nunc agendum: ut indicemus illa in publicum edita monumenta, quorum lectio univerſalem prudentiam politicam quam maxime poſſit adjuvare. Quoniam vero illa variis ſunt linguis conſcripta, non eſt noſtri inſtituti ire etiam per iſta omnia: ſed quandoquidem literatorum ordini cumprimis operam noſtram quaſi conſecravimus, non alia quoque tangemus quam quæ lingua literatorum hodie communi, hoc eſt latina, ſive ex primo auctorum conſilio, ſive interpretum ope, nunc leguntur; præſertim quoniam illa reliquis omnibus multum prævaleant, ut qui hæc habeat, cætera non ſit quare deſideret. Quamvis autem hæc tractatio calumniis, imo infeſtis ſit odiis obnoxia, præponderat tamen apud nos boni publici ſtudium. Conſcii videlicet ſumus, quantum valeat omni in doctrina, ad eruditionem acquirendam, optima quæque & maxime utilia ſcripta noviſſe, cum a vivis magiſtris omnia accipi nequeant; quamque multum ſuperet primæ juventutis captum, ſcripta quævis non inepta cenſura diſtinguere.

§. 3. Ex iis vero, quæ antehac prolixe diſputavimus manifeſtum eſt, ex actibus civilium rerum ſingularibus, colligenda primo omnium univerſalia pronunciata, quorum certitudo proinde innitatur experientiæ, ex illis porro firma ratiocinatione ulterius parari, quæ ſunt Politicæ ſcientiæ. Igitur videndum ante omnia, *quænam* ſcripta ita exhibeant illos ſingulares actus & eventus, ut ex iis queant univerſalia iſta pronunciata quam commodiſſime confici: *quænam* deinde ipſamet illa univerſalia pronunciata poſſint promere: *quæ* denique tradant plenam ſcientiam, ſive omnium ſive quarundam civilium rerum.

§. 4. Atque HISTORICIS ſcriptis civilibus unice hoc agi, ut ſingulares actus eventusque humanarum rerum (nec enim naturalium rerum, aut aſtronomicarum, ſimiliumque hiſtoriam nunc quidem moramur) narrentur, vacat dubitatione. Sunt autem illa perquam varia, eoque opus eſt exacto diſcrimine. Summa Hiſtoriæ differentia eſt, quod alia ſit ficta, alia vera, ſive rerum, quævere contigerunt, narratio. *Adv. Mathemat. cap.* 12. Apud Sextum Empiricum Hiſtoria in veram, fabularem, & quaſi veram, ab Aſclepiade dividitur: *quaſi vera* autem definitur, quæ ſit eorum, quæ non contigere, quidem contingere tamen potuerunt, ut ſunt argumenta comœdiarum: *fabularis*, eorum, quæ ne contingere quidem potuerunt. Verum hæc diviſio proprie eſt in uſum grammaticæ hiſtoricæ excogitata: bene an ſecus non diſputo, quoniam tota nihil facit ad uſum Politicum. Res præterea humanæ aliæ ad privatam magis vitam pertinent, aliæ ad publicam. Publicæ res porro aliæ ſunt reipublicæ & civitatis vere civilia negotia, aliæ alterius nonnihil ordinis, cujusmodi exempli gratia ſunt mere bellicæ, aut navales commerciorum cauſſa inſtitutæ expeditiones. Hinc & Hiſtoria cum vera, tum ficta pro rerum illarum diverſitate iterum eſt multiplex.

§. 5. Cæterum facile apparet, privatæ vitæ hiſtoriam ad politicam parandam prudentiam nihil facere. Militarium item rerum ſimiliumve, quamvis publicarum, etſi ad militarem aliasque artes quarum in vita civili magnus eſt uſus, plurimum juvent, narrationes itidem non eſſe vere politicas, conſtat utique ex iis quæ de artis militaris & politicæ prudentiæ diſcrimine ſupra *cap. VI.* §. 8. *& ſeqq.* docuimus. Unde conſequens eſt, ſolam illam hiſtoriam, quæ circa actus vere civiles occupatur, ad noſtrum hoc inſtitutum pertinere.

§. 6. Ejus generis vero etiam FICTÆ hiſtoriæ reperiuntur perquam elegantes; quamquam rariores aliis, quarum bona pars ludicri aut vitioſi eſt argumenti. Enimvero ſi non & Odyſſea, ſaltim Ilias homerica politici generis figmentum eſt poëticum: ut & hujus æmuli Virgilii Æneis. Quî cum ex parte convenit etiam Lucani poëma. Ex parte inquam; plæraque enim

ejus

Digitized by Google

ejus ex vero tracta ſunt: quo nomine jam olim inter hiſtoricos potius numeratus eſt ab Ariſtarchis, quam poëtas. Citra controverſiam vero hujus notæ eſt Xenophontis Κύρȣ παιδεία, ſive *de vita & diſciplina Cyri*, ut Cicero vocat, opus. Etenim, ut idem Tullius ſcribit ad Q. fratrem: *Cyrus ille a Xenophonte non ad hiſtoria fidem ſcriptus eſt, ſed ad effigiem juſti imperii.* Et vero, quæ ibi narrantur, tantum non omnia a reliquis de Cyri vita monumentis plurimum diſſentiunt. Patrum quoque & noſtra memoria, præclari, argumento ſimili, libri prodierunt. Palmam vero inter omnes merentur Thomæ Mori Utopia, quo vir elegans & prudens optimæ reipublicæ, ſed qualis nusquam reperitur, imaginem exhibere eſt conatus: & *Joannis Barclaji Argenis* (*a*) pleniſſima bonæ frugis. Minus enim huc pertinet Barclaji ejusdem, quod Euphormionis nomine adoleſcens conſcripſit Satyricon, quamvis perdoctum: & Thomæ Campanellæ *Civitas Solis* (*b*) ut & Verulamii Atlantis Nova, laude quidem digna, multum tamen ſunt infra Utopiam.

§. 7. Ad hanc claſſem haud immerito & Apologos retuleris. Agunt enim & ipſi ficte de rebus humanis, quaſi tamen in ſimulacro. Pro hominum ſcilicet perſonis animalia ratione carentia aut plantas aut res alias ſubſtituentes. Quod hiſtoriæ genus priſcæ ſapientum ætati videtur perquam familiare fuiſſe, Aſiaticis & Libycis præcipue: unde & in ſacris monumentis nonnulli reperiuntur.

§. 8. Tamen etſi vero ejusmodi ſcripta haud exigui ſint uſus (quapropter & Græcis olim prudentiæ æmulatoribus Homeri Ilias ſummo ſemper in pretio fuit, a Dione Chryſoſtomo aliisque iſthoc nomine item maxime commendata; & Cyrum Xenophontis non dubitavit ipſemet Scipio Africanus pene nunquam e manibus deponere) ſi verum tamen eſt fatendum, non ſunt idonea, ut exinde promi poſſit firma aliqua politica ratiocinatio, vel ut ex fictis hiſtoriis poſſit elici univerſale aliquod politicum pronunciatum, cui indubitatam poſſis fidem adhibere. Nec enim utrum veris humanis rebus aliquid ſit convenienter fictum nec ne, aliter ſcitur, quam propter auctoritatem ſcriptoris. Qui cum interdum falli poſſit (nam & Flacco judice,

*quandoque bonus dormitat Homerus*)

non poteſt non & narratio nonnunquam fallere. Non poteſt ſane non eſſe ſuſpectæ certitudinis. Prudentia nempe certa & immota, nititur unice certis atque immotis principiis: qualia cum ex hiſtoriis fictis peti nequeant, manifeſtum eſt, ad hunc quidem ſcopum ſcripta illa, quamvis elegantiſſima, non perinde utilia eſſe. Enimvero & in Rhetorum uſum exempla atque Apologos Enthymematibus recte poſthabuit Ariſtoteles *l. 2. Rhet. cap. 20.* multo minus ergo hæc apta ſunt ad veras demonſtrationes, quibus ſolis conſtat Politica prudentia. Hæc tamen non niſi de narrationibus fictis ipſis accepta velim. Alia ratio eſt diſſertationum ſive ſermonum, qui narrationibus iſtis ſolent inſeri. Quales ſane perquam egregios habet cumprimis Barclaiana Argenis. Hi ſcilicet non proprie ſunt hiſtorici: eoque veluti aut oratorium quid ſapiunt, aut Philoſophiam, ita quoque ad illos Hiſtoriæ fictæ cenſura haud pertinet: ſed æſtimandi veniunt ex vi rationum, quibus utuntur, aliis atque aliis.

§. 9. VERA rerum civilium hiſtoria eſt quidem unice vivus quaſi fons prudentiæ politicæ; attamen quandoquidem & illa non unius eſt ſtructuræ, hinc nec promiſcue univerſa illa eſt æque idonea ad prudentiam iſtam. Eſt autem primaria Hiſtoriæ civilis veræ diviſio ab objecto petita: quod alia narret civitatis alicujus integræ mores inſtituta & ſtatum publicum, alia non niſi res ſive pace, ſive bello geſtas. Utriusque iterum alia res omnes referat: alia pauca quædam. Proximi ordinis differentia eſt, quod alia tantum memoret quid forte contigerit, alia vero ſimul & cauſſas eventuum adjiciat, quarum illa eſt τὸ ὅτι, hæc τȣ̃ διότι. Tertii generis diſcrimen eſt, quod alia exhibeat collectionem ſimilium actuum, alia ſeorſim civitatis alicujus res pertractet, alia poſtremo nullo juſto ordine obſervato, confuſe nunc hæc, nunc illa proſequatur. Quæ reliquæ differentiæ Hiſtoriæ civilis, quoniam ad doctrinam politicam non faciunt, aut ab Hiſtoria alienæ ſunt (quo pertinet, quod aliæ Hiſtoriæ ſententias, aut etiam prolixiores diſſertationes interſerant, aliæ non) jam non moramur.

§. 10. Ac me quidem judice, in *primo* ordine maxime utilis eſt prudentiæ politicæ comparandæ, Hiſtoria, quæ πολιτείαν narrat & quidem integre narrat, præ illa, quæ res tantummodo geſtas commemorat. Conſtitutio quippe ſtatus publici eſt ipſa civitatis forma, eoque ejus hiſtoria tota, quanta eſt politica eſt, & potiſſima comprehendit: ad quæ, res civitatis cujusque geſtæ tanquam ad normam ſunt exigendæ, & unde etiam plæraque earum promanant. Indubie idem ſenſit quondam, ſummi vir judicii Ariſtoteles *lib. 10. Ethic. ſub fin.* Nec enim aliam adduxeris cauſſam, quamobrem paraturus in philoſophiæ politicæ uſum hiſtoriam, hoc genus unice excolendum ſumſerit: aut cur ſuam in philoſophia iſthac tractanda methodum proponens doceat, ſeſe perſequuturum ἐκ τῶν συνηγμένων πολιτειῶν quid civitatibus proſit, quid ſit noxium, aliarum hiſtoriarum nulla facta mentione.

§. 11. Facile præterea liquet, plus juvare Hiſtoriam, quæ civitatis alicujus res omnes exacte tradit, quam quæ circa unum aliquod, vel circa nonnulla duntaxat occupatur. Ita enim diſcere demum licebit ortum, progreſſum, mutationes, conſervationesque civitatum: quod ſcire apprime eſt utile, quia ita potiſſimum intelligitur, quid civitatibus expediat, quid incommodum ſit. Negotia porro pacis, quia in omni civitate præ iis, quæ ad bellum faciunt, ſaltim debent eſſe momenti

(*a*) *Joannis Barclaji Argenis.*) Vide *diſcurſum de auctore ſcripti. GOEBEL.*

(*b*) *Civitas ſolis.*) Hiſce jungi poſſunt HISTOIRE de SEVERAMBES & le *Telemaque* de FENELON. *GOEB.*



Digitized by Google

menti maximi, manifeſtum hinc etiam eſt, Hiſtoriam pacis actuum ad prudentiam politicam plus conducere quam illam, quæ res duntaxat bellicas perſequitur.

§. 12. In ordine *ſecundo* itidem manifeſtum, præferendam eſſe Hiſtoriam τῦ διότι alteri, quæ tantum τὸ ὅτι attingit: quum illa demum maxime ſit idonea ſcientiam, in cauſſarum notitia utique collocatam, parere. Non equidem nego, illius etiam inſignem eſſe uſum, præſertim apud eos qui jam tum valent cauſſarum peritia; hanc prævalere tamen, nemo temere negaverit. Polybius gravis ſcriptor non dubitavit quondam plus dicere; ἱστορίας, inquiens *l.* 3. ἐὰν ἀφέλῃ τις, καὶ διὰ τί, καὶ πῶς, καὶ τίνος χάριν ἐπράχθη, καὶ τὸ πραχθὲν πότερα εὔλογον ἔσχε τὸ τέλος, τὸ παραλειπόμενον αὐτῆς ἀγώνισμα μὲν μάθημα δ' οὐ γίνεται. *Si quis hiſtoriæ adimat quare, quomodo, (a) quem in finem, unumquodque actum ſit, & numquid exitum habuerit rationi conſentaneum: quicquid in illis reliqui fuerit, inanis erit oſtentatio, non documentum.* Verum nos agnoſcimus, ex rudiore etiam hiſtoria, documenti aliquid politici peti poſſe, etſi non perinde multum: itaque omni ex parte aſſentiri Polybio non audemus. Cautius Dionyſius Halicarnaſſenſis; cujus verba latine tantum recitabimus. *Enimvero*, ait *lib.* 5. *alius quiſpiam hoc ſatis eſſe putaſſet, ipſum rei caput dicere, illum eos, qui ſecreta conſilia inter ſe agitaverant, morte multaſſe: tanquam rebus hujusmodi brevis declaratio ſufficiat: at ego ipſum etiam modum, quo illi comprehenſi fuerunt, memoria dignum ratus, ſtatui minime ſilentio præterire. Quippe qui conſiderem, hiſtoriarum lectores non ſatis ex iis utilitatis capere, ſi tantum qui rerum exitus fuerit intelligatur, ſed eorum unumquemque poſtulare, ut ſibi commemoretur & cur & quo ſingula modo acta fuerint, & conſilium illorum qui ea egerunt, nec non quæ divinitus intervenerunt, ac nihil non audire eorum quæ res comitari conſueverunt.* Hæc ille. Quamvis autem Polybius & Dionyſius potiſſimum loquantur de geſtarum rerum hiſtoria, veriſſimum tamen idem eſt & de hiſtoria rerumpublicarum. Imo hæc ſi doceat ſimul, quare & quo eventu unumquodque in civitate ſit conſtitutum, tum demum ſcientiam politicam parere reapſe eſt idonea: utpote quum hæc denique ſit politica legum inſtitutorumque civilium cognitio. Quod quia & alibi *in Præf. ad Hopper. ad l.* 1. *Cod. Theodoſ.* & hoc ipſo libro *c. III.* §. 17. jam docuimus, non eſt quur nunc porro demonſtremus. (*b*)

§. 13. Quandoquidem *præterea* quo plura ſunt experimenta, eo facilius eſt ſcientiam acquirere, collectiones hiſtoricas ejusdem civilis argumenti ad politicæ philoſophiæ uſum plurimum conducere, nemini itidem non compertum jam eſt. Non niſi locum ſecundum ſane, hoc in hiſtoriarum *tertio* ordine merentur ad propoſitum ſcopum Hiſtoriæ ſimplices unius forte rei. Poteſt ſcilicet etiam unicum experimentum præbere materiam concluſioni politicæ, non tamen niſi particulari hinc deducta enunciatione. At multitudo experimentorum longe majorem communioremque notitiam efficit. Id quod itidem jam a nobis ante hac expoſitum eſt *cap. X.* §. 5. & *cap. XII.* §. 8. Minime omnium autem confuſa Hiſtoriæ miſcella docere apta eſt: quoniam nihil plene diſcitur vel docetur niſi ordine obſervato. Quamvis igitur multum ſæpe voluptatis pareat illa Hiſtoriæ ratio, nec omnino nihil ad philoſophiam civilem faciat, (perinde atque videmus naturalium rerum hiſtorias ejusmodi haud ſine fructu illius philoſophiæ legi) tamen non meretur cum alio quovis Hiſtoriæ modo, ſi noſtrum quidem inſtitutum ſpectes, comparari. Quæ Hiſtoriæ denique inſertas habent præclaras de civilibus rebus diſſertationes, perquam ſunt utiles. Sed, ceu paulo ante ſignificavimus, illæ diſſertationes alienum ab Hiſtoria opus ſunt, neque adeo docent, uti Hiſtoriæ ſolent, ſed tanquam philoſophici ſermones. Itaque ad Hiſtoriæ claſſem iſta quidem docendi ratio non pertinet.

§. 14. IN communi igitur hæ quas diximus Hiſtoriæ, maxime ſunt ſectandæ illi, qui ad philoſophiam civilem aſpirat. Addemus nunc paucis aliquid magis ſpeciale de omnis illius Hiſtoriæ potiſſimis atque optimis auctoribus.

§. 15. Cæterum RERUM PUBLICARUM ſcriptores (ut ab iis faciamus initium) habuit quidem vetus ævum præclaros multos: Ariſtotelem cumprimis, de cujus opere illo, latius alias agimus *vid. intr. in Polit. Ariſt. c.* 2. & ſecundo poſt hunc loco Heraclidem Ponticum, quorum uterque complures reſpubl. ſui ævi deſcripſit; Cottam item Romanum, qui Athenæo teſte ſcripſit περὶ Ῥωμαίων πολιτείας, & qui eodem teſte memoravere Lacedæmoniorum rempublicam, Ariſtoclem, Critiam, Molpidem, Perſeum, Proxenum, Sacum ac Sphærum, ut & quem Περινθίων πολιτείαν ſcripſiſſe meminit Plutarchus *lib. de flumin.* Agatoclem Samium. Verum hi quidem omnes

(*a*) *Quare quomodo.*) Vide procemium *vitæ Eliſabethæ*, quæ CAMBDENUM auctorem habet *GOEB.*

(*b*) *Demonſtremus.*) Ubi obiter obſervare eſt, quantum fallantur illi, qui exiſtimant, *acta*,* quæ nunc vulgo ita appellantur publica, plus ipſis hiſtoriis, non tantum ad veritatem geſtarum rerum cognoſcendam, ſed etiam ad parandam prudentiam valere. Nec enim in illis niſi perquam raro cauſſæ veræ motuum actuumque civilium, ſed frequenter inanes προφάσεις reperiuntur, nec ulla cernitur juſta rerum conſiliorumque connexio. *CONR.*

* *Acta.*) Id verum, multa in actis illis publicis otioſa ſæpe occurrere verba, & jejunas ambages: Sunt tamen publica documenta, & ſic majorem, quam hiſtoricorum teſtimonia, fidem habent. Ingentes jam eorum habemus collectiones. Spectant huc opera, quæ antiqua continent diplomata interſperſa vel adjuncta, ut COIUTII *annales eccleſiaſtici, acta ſanctorum*, in quibus multa reperiuntur inepta & inutilia. MABILLONII *Acta Benedicti*, & de *re diplomatica libri*, DU CHENY opera, inprimis *Hiſtoire de la maiſon de Montmorenci, de Bourgogne, des Comtes de Bethune, & de la maiſon de Chataigneri, de Luxembourg.* GOLLUTTI & BERARD. *annales Burgundiæ*, UREDII *probat. genealog. comit. Flandriæ.* HEDÆ *hiſtoria ultrajectina*, HUNDII *metropolis Salisburgenſis*, SCHATENII *annales Paderbornenſes.* Sunt etiam quædam diplomata in ANTHONII MATHÆI libro *de nobilitate*, & ejus *veteris ævi analectis.* Nec non permultæ eorum particulæ in CANGII *gloſſario* occurrunt. Qui ex profeſſo acta publica compilarunt, ſunt LUNDORPIUS, RYMERUS, LEIBNITIUS, LUNIGIUS, DU MONT. Recentiorum temporum varia etiam in AIZMÆ *Hiſtorien van Holland, Theatro & diario Europæo* continentur. *GOEBEL.*

Digitized by Google

omnes dudum perierunt. Imo ex omni veteri ævo, quod hujus argumenti ſeorſim ſit, habemus hodie nihil, præter Xenophontis exigua opuſcula de Athenienſium & Lacedæmoniorum republica. Nam & quæ ſuperſunt ariſtotelici & heraclidei operis fragmenta, Grammaticis magis inſerviunt quam politicis. Idem argumentum vero olim, perinde ut ſit hodie, attigere & Geographi, quanquam illorum opera iſthuc nequaquam jure pertineat. *Vid. Epiſt. ad Bunon. præfixam Geographiæ Cluverii.* Non alia ſane de cauſſa Ariſtoteles, ad deliberationes de ferendis legibus, commendavit olim ſolas τὰς τῆς γῆς περιόδους; quaſi inde accipi debeant variarum gentium leges, quod fortaſſis illa cum ſcriberet, nondum prodiiſſet in lucem vel ſuum vel Heraclidis opus, Eudoxi autem Cnidii aliorumque περίοδοι τῆς γῆς & celebri eſſent fama hoc nomine, & verſarentur in manibus. Perierunt vero & illæ Ariſtoteli laudatæ περίοδοι: ſi excipias Scylacis & Hannonis opuſcula, perexigui ad politicam philoſophiam uſus. Quæ *Strabo* (a) tamen Auguſti Cæſaris ævo operi ſuo geographico haud pauca ejusmodi inſeruit, ſuperant hodieque. Eſt autem cumprimis prudens deſcriptio Maſſilienſium reipublicæ. Reliqua geographica veteris illius ævi, quæ quidem ſunt reliqua, rerumpublicarum notitiam pene nihil juvant. Cæterum & in Polybiano opere hiſtorico, reperire eſt hujus argumenti alia ſtrictiora queis varias, diffuſiora alia quibus ille Romanam rempublicam illuſtravit. Num qui alii idem olim præſtiterint, ignoramus. Certe ad nos nihil ejus pervenit.

§. 16. Quinimo, nulla reipublicæ alicujus juſta deſcriptio videtur mille quadringentis annis poſt Strabonem vel tentata eſſe; donec ſeculo chriſtiano quinto decimo cum Politica doctrina alia hæc quoque curatio nonnihil cœpit in uſum revocari. Et vero jam tum Æneas Sylvius, cum Romano Pontificatu poſt Pii ſecundi nomen conſequutus, quo tempore a ſecretis fuit Friderico III. Cæſari Viennæ Auſtriacorum, illius civitatis ſtatum omnem prolixa epiſtola, ſed quæ libelli inſtar eſt, deſcripſit: ejusque exemplum ſecutus Conradus Protucius Celtes librum exiguum, at non temere ſpernendum, de urbe & republica noribergenſi, quæ inter germanicas ſine dubio eminet, Maximiliano Imperatore edidit. Superiore autem noſtroque ſeculo adeo ab multis atque præclare hic locus eſt illuſtratus, ut omnem antiquitatem non provocare tantum liceat, ſed fortaſſis etiam vincere, noſtri ævi rebuspublicis omni ex orbe claram in lucem productis.

§. 17. Fecerunt autem illud alii ſingularibus voluminibus, alii inſperſa diverſi argumenti ſcriptis tractatione. In quo poſteriore ordine excellit in primis Joannes Bodinus, multa hujus generis, novo exemplo, inter communem de republica doctrinam complexus: quem ſecutus poſt eſt Arniſæus noſter in opere relectionum politicarum, imparibus tamen nonnihil veſtigiis. Carolus Sigonius reipublicæ bononienſis, imaginem exhibuit itidem aliud quaſi agens, in regni italici ſub Henricis Cæſaribus hiſtoria. Sebaſtianus quoque *Munſterus* (b) coſmographico operi inſeruit hujus argumenti nec pauca, nec contemnenda: ut ſuo hiſtorico Thuanus, ne de aliis nunc dicam. Primo autem in ordine non dubitavere nonnulli, Ariſtotelis forte quadam æmulatione, ſingulatim tantum non omnes, præſtantiſſimas ſaltim, univerſi orbis reſpublicas deſcribere, vel hiſpanice ut Tercera & Hieronymus Romanus, vel italice ut Sanſovinus & Joannes Boterus, vel gallice ut ille Anonymus, auctor Theſauri ſtatuum omnium. Ex quibus tamen, ſolus Boterus & Gallus ille, in latinum ſermonem tranſlati ſunt. Nec enim hac lingua niſi unus Daniel de Linda, juvenili quamvis opera, tale aliquid conatus eſt. Æque autem diffuſum opus, ſed variis auctoribus tamen, in Italia nonnulli colligere in unum ſtuduerunt: quod deinceps latine verſum in Germania noſtra prodiit, curantibus Caſparo Ens, & hujus verſione latina ingrate uſis Philippo Honorio & Nicolao Bello. *Hollandorum* (c) cura non uno quidem volumine, ſed per complura enchiridia, habemus tamen itidem deſcriptiones optimas omnium ævi noſtri illuſtrium rerumpublicarum, a viris præclariſſimis ſeorſim compoſitas. Citra controverſiam autem præſtant omnibus in genere eorum, qui ſeparatim reſpublicas florentiſſimas illuſtravere, Caſpar Contarenus & Donatus Jannottus, qui Venetam, Ubertus Folieta, qui Genuenſem, Joſias Simlerus, qui Helvetiorum, Martinus Cromerus, qui Polonorum, Thomas Smithus, qui Anglorum, Joannes Tilius, qui Gallorum, Ubbo Emmius, qui Friſiorum, Martinus Schoockius & Boxhornius, qui Belgii fœderati, Joannes de Laet, qui præter Belgii illius fœderati, Hiſpanorum, Gallorum, Italiæ principatuum, Perſarum, Magni Mogoris aliarumque civitatum publica inſtituta, cum prudentum omnium & qui gerendis rebus admoventur ſummo applauſu, literis tradiderunt.

§. 18. Adhoc nonnulli & in antiquis rebuspublicis, ex variis veterum libris deſcribendis, ſingularem induſtriam adhibuere. Et quidem Græcas potiores, ille paulo ante memoratus civis meus Ubbo Emmius, eximio ſimul prudentiæ civilis lumine illuſtravit. Jam ante vero rempublicam atticam Guilielmus Poſtellus, & Carolus Sigonius egregie, hic cumprimis, deſcripſerunt: & circa laconicam nonnihil, quamvis minus feliciter, tentaverat Nicolaus Cragius. Poſt Ubbonem multum adeo in Atticis laboravit Joannes Meurſius, ut omnium diligentiam longo intervallo ſuperaverit, in grammaticum tamen uſum potius, quam politicum: cui ſolo ſuo Areopagitico & Solone commodum ſeſe præſtitit. Achæorum quoque clariſſimi olim fœderis, ut & Vejentum, hiſtoriam ſatis politicam ſeorſim exhibuit non adeo pridem is, quem paulo ante laudavimus Schoockius. Non contemnandam quoque operam in colligendis quinque veterum rerumpublica-

(a) *Strabo.*) Hic hiſtoriam æque ac PAUSANIAS, cum geographia conjunxit, hinc BODINO C. IV. *meth. hiſtor.* geographi hiſtorici dicuntur. *GOEB.*

(b) *Munſter.*) Vid. BODIN. p. 100. *GOEB.*

(c) *Hollandorum.*) Solent vocari reſpublicæ Elzevirianæ, quamquam non omnes Elzevirianis typis ſint exſcriptæ. In pretio LIMNAEI *notitia Galliæ.* *GOEB.*



Digitized by Google

blicarum, Hippodamiæ, Laconicæ, Creticæ, Carthaginienſis, & Athenienſis, contra quas Ariſtoteles poſteriore parte ſecundi Politici diſputavit, fragmentis impendit, Politicus & Philoſophus eruditiſſimus Montecatinus. Quæ ad perſici regni ſtatum faciunt, operoſe congeſſit Barnabas Briſſonius: exiguo tamen politicæ prudentiæ fructu. Sacram quoque Hebræorum rempublicam Carolus Sigonius, Cornelius Bertramus, Petrus Cunæus, Menochius, Seldenus, aliique, illuſtrandam ſibi ſumpſerunt; dignitatem argumenti tamen haud aſſecuti, omnium quamvis optime ſeſe gerente Sigonio. Præcipue vero Romana reſpublica eruditorum complurium, quos vel numerare longum foret, calamos occupavit; ut tamen hîc etiam prudentiæ politicæ peritum præ aliis ſeſe probaverit idem Sigonius.

§. 19. Non patitur hic locus in ſingulorum recte minusque dicta me late digredi. Nec id neceſſum eſt, quandoquidem, quam multa hiſtoriis illis deſint ad plenam perfectamque civitatum notitiam, haud obſcurum eſſe poſſit, non tantum iis, qui in rerum civilium actu verſantur, ſed etiam quibus curæ fuerit exigere illas ad normam abſolutæ peritiæ ſingularis cujusque civitatis, qualem illam eſſe oportere, a nobis capite duodecimo §. 13. *& ſeqq.* prolixe eſt demonſtratum. Enimvero aliæ aliis præſtant, nullam tamen deprehendere fuerit, in qua non multum merito deſideres: idque nunc culpa ſcribentium, quorum bona pars ipſos officii ſui limites ignoravit, nunc defectu eorum, unde inſtituta quævis addiſcenda ſunt, nunc denique & quia ſcriptores, contenti pauca quædam pertractaſſe, quod reliquum eſt etiam attingere conſulto neglexerunt.

§. 20. Pertinet vero ad reipublicæ cujusque notitiam, quod itidem nos jam oſtendimus, etiam LEGUM, quibus civitas aliqua utitur, peritia; eſtque apprime ad politicam prudentiam comparandam utile, complurium civitatum leges & conſuetudines addiſcere; ad legum certe lationem juvat maxime. Recte ſcilicet Ariſtoteles in rhetoricis: (verba ejus tantum latine dabimus Mureto interprete, ne græcis recitandis cuiquam moleſti ſimus) *Utile eſt ad leges ferendas, non tantum ſcire, quæ gubernandi ratio conferat ad civitatem tuendam, conſiderantem id ex ſuperiorum temporum hiſtoria, ſed & noſſe, quibus legibus alii populi utantur, & quales qualibus conveniant. Conſtat igitur, ad leges quidem ferendas, utiles eſſe libros, quibus terrarum ſitus ac deſcriptiones continentur; nam ex iis leges & inſtituta gentium hauriri queunt; ad dandum autem de rebuspublicis conſilium, hiſtorias eorum qui res geſtas literis prodiderunt. Vid. etiam ſupra cap. XIII.* §. 39. Illi fini ſane olim Sophiſtæ diſcipulis ſuis collectiones variarum legum tradiderunt: quamvis perperam eo ipſo politices magiſterio perfunctos ſeſe arbitrarentur, & apparent adeo fuiſſe illas collectiones ineptas, ut Ariſtoteli oratorem politicum inſtituenti, inter utilia legislationi ſcripta eas laudare, religio fuiſſe videatur.

§. 21. Cæterum Ariſtotelis ut in ſchola ſucceſſor, ita in omnigena doctrina æmulus, Theophraſtus Ereſius, plurimum profecto illo in ſtudio laboravit. Tullius ſane teſtatur *lib. 5. de Finib.* ut ab Ariſtotele omnium fere civitatum non Græciæ ſolum, ſed etiam Barbariæ mores, inſtituta & diſciplinas, ita a Theophraſto leges deſcriptas eſſe: & a Diogene Laërtio memorantur Theophraſti legum libri viginti quatuor, & Epitomes legum libri decem; quod poſterius tamen, videtur fuiſſe Epitome librorum Platonis de legibus, quorum excerpta etiam Ariſtoteles dederat libris quatuor, ceu idem Laërtius refert. Verum illius præſtantiſſimi operis vix titulus hodie ſuperat. Quod ſi ex illo ſint deſumpta, quæ recitat Stobæus de variis legibus emptionum & venditionum *ſerm.* 42. (quod vero haud eſt abſimile) apparet, actum ibi eſſe de legibus, juxta rerum non autem civitatum ordinem: quod ad prudentiam legislatoriam ſumme frugiferum. Num quis poſt Theophraſtum, ſimile quid vel ſit conatus, equidem ignoro. Non multum diſparis notæ tamen fortaſſis fuere collectanea de moribus gentium, unde varia deprompſit paſſim idem Stobæus, Nicolaï; qui videtur eſſe Damaſcenus ille, Auguſto Cæſari & Regi Herodi familiaris, peripateticæ ſectæ philoſophus, maximi quondam nominis. Patrum quoque memoria tale quid conati ſunt Alexander Sardus & Joannes Boëmus, libellis de gentium moribus, non aſpernandis quidem, longe tamen imparibus tanto argumento. Quod mirere autem, magno in numero etiam eorum, quibus legum diſciplinam excolere ab Irnerio usque aliquot ſeculis unice fuit curæ, nemo illi nobili argumento de induſtria quidem manum admovit. Non enim, nec niſi obiter, varia inſtituta & leges inſpergere commentariis ſuis, noſtra patrumque memoria, cæpit a nonnullis Jurisconſultorum doctiſſimis inſtitui, (quos inter cumprimis mihi videtur laude dignus Petrus Gregorius Tholoſanus) nec in commodum Legislationis (ut quæ raro cuiquam fuit in animo) ſed vel oſtentandæ variæ lectionis cauſſa, vel in Romani juris illuſtrationem aut uſum forenſem. Quæ ſcripta tamen poſſunt quodammodo cedere in tanti defectus ſolatium cogimur certe illis uti: dum meliora alia deficiunt. Duo autem cumprimis ſunt, quæ deſideramus tali in opere doceri. Alterum eſt, quid lege ſit varias apud civitates conſtitutum circa res quaslibet civiles: Alterum, quamobrem civitas quæque leges iſtas ſuas ita condiderit. Horum prius autem cum diligentis collectoris, poſterius accurati ſit cenſoris politici, atque adeo quoniam illa curatio facilior, hæc difficilis maxime & rariſſima ſit, magis optari tale quid poſſe, quam exſpectari, facile eſt maniſeſtum.

§. 22. Prodierunt tamen in lucem, paſſimque exſtant ſeorſim, variarum gentium & *antiquæ* (a) & recentes leges, ſcriptæ pariter & conſuetudines. Quas magno in pretio habere merito debet, quisquis ad legislatoriam prudentiam aſpirat: etſi uſum illum præbere nequeant, quem deſiderata illa a nobis legum collectio præſtiterit. Et vero ideo etiam leges illæ ſingularium civitatum minus proſunt, quoniam ratio latæ cujusque legis ignota fere eſt; idque quandoquidem

(a) *Antiqua.*) Spectant huc LINDENBROGII *codex* & BALUTII *capitularia*. GOEB.

dem rariſſime adjici quæ ſoleat, aut quæ additur in ſpeciem plærumque adferatur, diſſimulata vera legis cauſſa: ac proinde vix quisquam, niſi ſagax ſit admodum ac rerum, temporum, locorumque peritus, arcanam legis cauſſam, quaſi divinando, poſſit aſſequi. Quod paucis eſt conceſſum; minus tamen difficile paratu, ſi alicunde regiminis ſcopus & ratio, quæ tempore conditæ legis fuerit, poſſit accipi. Quam in rem, auxilio eſt; cumprimis, Hiſtoria prudenter ſcripta.

§. 22. Inter leges autem illas nullæ utique magis divinæ ſunt iis Hebræorum, quæ moſaicis libris continentur: (nec enim nunc moror, quas Judæorum Rabbini itidem Moſi adſcribere non erubeſcunt) quoniam ſolæ illæ, Deo ipſo legiſlatore ſunt conditæ. Quo ſaltim veriſimile pariter ſit, eſſe illas non æquas tantum, ſed etiam ad felicitatem civilem per quam idoneas, atque adeo prudentiſſime latas: præſertim, quum Hebræum ſuum populum, Deus voluerit eſſe quam feliciſſimum. Cum plurimi vero, ſacros codices moſaicos erudite illuſtraverint, qui tamen politicam legum illarum prudentiam oſtenderit, inventus, quantum equidem novi, hactenus eſt nemo. Imo num quis tale quid hucusque vel conatus ſit, præter Philonem in variis opuſculis, Joſephum libro contra Appionem ſecundo, & libello de republica Hebræorum in paucis legibus Petrum Cunæum, perquam dubito. Nec tamen Politico ſapiente & pio hac opera poſſit eſſe quid temere dignius.

§. 23. Omnium numeroſiſſimæ porro & ampliſſimæ & maximæ famæ hodie ſunt leges romanæ. Non loquor nunc de illis veteribus, aut Regiis, aut duodecim Tabularum, aut per Senatusconſulta, Plebiſcita, Prætorum edicta, reſponſa Prudentum, & Cæſarum conſtitutiones, promulgatis: horum enim omnium bona pars dudum periit, ut indefeſſo ſtudio noſtri temporis præſtantium virorum vix tenuia *quadam fragmenta* (*a*) potuerint in lucem revocari. Ne quidem ſermo mihi eſt de iis, quæ Codice Theodoſiano, aut Baſilicis, aut Græcorum Cæſarum Novellis continentur. Nec enim illæ, hodie ſunt in magna aliqua exiſtimatione, quamvis & ipſæ ad legiſlationem haud inutiles. Loquor autem nunc de ſolis illis, quæ Juſtiniano Cæſare curante unum in grande corpus receptæ ſunt, & civilis juris nomine κατ' ἐξοχὴν paſſim uſurpantur. Enimvero non in uſum forenſem tantummodo (ceu fit vulgo) ſed & *prudentiæ legiſlatoriæ* (*b*) cauſſa hæ leges cumprimis lectionem diligentem merentur: non adeo quoniam tantæ ſunt auctoritatis, quam quoniam alterius civitatis nullæ ita per omnia, quorum in civili ſocietate eſt uſus aliquis, ſunt diffuſæ, ac proinde ex nullis aliis legibus temere liceat æque multa in civilem quamque ſocietatem recipere; præcipue vero, quandoquidem ex hiſce legibus depromi inſtituta quam plurima poſſunt, idonea cum in univerſum herilibus rebuspublicis quibuslibet, tum quam maxime talibus Monarchiis. Et vero cum cæſareum Romanorum imperium reapſe herilis fuerit Monarchia, hiſce legibus autem & inſtitutis longo tempore, & ſteterit & floruerit, manifeſtum utique vel hinc eſt, quanto leges illæ, talibus cumprimis rebuspublicis (habent autem heriles etiam Democratiæ & Oligarchiæ cum Monarchiis ejusmodi multa communia) queant eſſe commodo. Probavit vero jam dudum etiam ſequior ætas hunc legum illarum uſum, in quamplurimis reipublicæ dominicis ſtatibus: qui magna illarum legum parte in civitatem ſuam recepta, feliciter res ſuas adminiſtraverunt: quamvis ipſi illam vim legum iſtarum, atque adeo cauſſam fortunæ ſuæ hactenus ignoraverint. Alii ſtatus, pauciora quidem ex corpore illo Juſtinianeo potuerunt transferre in uſum; attamen nonnulla, quæ nimirum in omni reipublicæ forma inveniunt locum, hinc accepta, illis quoque a dominatu & monarchia alienis perquam utilia deprehenſa ſunt. Cæterum fateor, hunc fructum ex legum illarum lectione perquam difficulter carpi poſſe: quandoquidem illum qui oſtenderit, imo qui tale quid agere vel aggreſſus ſit hactenus, equidem ſcio neminem: etſi tantum non infiniti, aliquot jam ſeculis, in jure Juſtinianeo enucleando atque interpretando occupati ſint: & Politicam legum κρίσιν inſtituere, ſit omnibus numeris abſolutæ demum civilis prudentiæ pariter & reipublicæ ſingularis cujus ſunt leges, peritiæ, opus; ac proinde romanarum omnium quidem legum arcanam ſapientiam nemo poſſit aſſequi, niſi & romanam hiſtoriam ſimul & civilem philoſophiam accurate doctus fuerit. Certe, quod jam ante monuimus in univerſum de rationibus quæ addi legibus a legiſlatoribus interdum ſolent, id veriſſimum quoque eſt de iis, quæ aut præmittuntur aut ſubjunguntur Juſtinianeis quibusdam: non tuto videlicet ipſis credi, & ſæpenumero aliud longe, quam loquuntur verba, prudentiſſimum legiſlatorem intendiſſe.

§. 24. Verum hæc prolixe docere, non eſt inſtituti hujus. Non poſſumus tamen non paucis refellere, quæ de Juſtinianeis iſtis legibus, earumque infinito pretio & commodo, a nonnullis juris iſtius doctoribus in vulgus ſolent deprædicari. Nam & late ſerpunt errores illi, & ii ſunt, qui valeant respublicas quamvis optime conſtitutas convellere, imo plane deſtruere: eſt autem hujus utique loci non diſſimulare, quantum a vero abſunt, quæ de legum romanarum utilitate in rebuspublicis, a quammultis imprudenter jactitantur. Eſt autem horum hæc ſumma: quod leges iſtæ *primum* ejus ſint æquitatis, ut quicquid ab iis diſſidet, iniquum ſit: quod *ſecundo* ejus ſint perfectionis, ut illis quidquam addere ſuperfluum ſit, demi itidem ſine damno publico nihil poſſit: quod *denique* omnibus in univerſum rerumpublicarum formis regendis ſint idoneæ.

§. 25. Nihil vero horum non eſſe ſaltim vero abſimile, vel hinc poteſt colligi, quod quamvis hæc elogia aliquot jam ſeculis ab Irnerio usque fundi paſſim ſoleant a Doctoribus iſtis, nulli tamen reipublicæ per univerſum terrarum orbem quidquam hujus perſuaderi hactenus potuerit

(*a*) *Quadam fragmenta.*) Conf. SCHULTINGII *juriſprudentia ante juſtinianea.* GOEB.

(*b*) *Prudentia legiſlatoria.*) Vid. MOESTERTIUM *de juſtitia legum romanarum*, quas ſugillavit CYPRIANUS REGNERUS. GOEB.

Digitized by Google

rit, ipſis adeo doctoribus, ſimul rebus gerendis fuere admoti, longe aliter regimen omne inſtituentibus, & damnantibus quaſi, poſt uſum rerum, ſcholaſticas ſuas declamationes. Nulla ſcilicet reſpublica hactenus Juſtinianeas leges univerſas admittit: nulla non earum multas rejicit, quæ reſpublicæ vel heriles non ſunt, vel non plane monarchicæ, in univerſum omnes, quamplurima legibus Juſtinianeis directa fronte oppoſita, & ſancire ſolent & ſancte obſervare. Nec enim quæ poſt alios quoſdam Arthurus Duyck de legum Juſtinianearum late diffuſa per orbem obſervantia operoſe collegit, aliud quid perſuadere apta ſunt, quam illarum legum aliquem eſſe uſum paſſim receptum: eoque ne Anglos quidem ſuos trahere in ſententiam potuit, ſaltim ut romanis legibus aliquam in republica anglicana vim concederent, qui tamen unicus fuit illius libri ſcopus. Jam vero quæcunque reſpublica non dubitat Juſtinianea multa non obſervare, alia vero conſtituere, utique nec primo nec ſecundo pronunciato conſentit: multo minus, quæ plane contrariis inſtitutis regitur; quæ ſine iis plane adverſis ſalvam ſeſe non eſſe opinatur, illa nec tertium iſtud elogium approbat. Non tantum vero hæc rerumpublicarum omnium a doctoribus illis Romani juris diſſenſio vero abſimilem eorum ſententiam eſſe oſtendit, ſed ſimul haud obſcure indicat uſu rerum illam refelli. Fuere ſcilicet jamdudum fere primo in rerumpublicarum Europæ plæriſque loco, certe prima civilis prudentiæ fama, Doctores iſti, magnaque adeo auctoritate, ut ab illorum conſiliis paſſim reſpublicæ aliquamdiu pependerint. Qui igitur nemo tanto in doctorum numero potuerit illis elogiis fidem invenire, niſi uſus rerum abſurditatis & falſi illa conviciſſet?

§. 26. A vero præterea alienas eſſe laudationes iſtas romanarum legum, argumento haud exiguo eſt, quod talia ipſimet Romani numquam de ſuis legibus ſint profeſſi, ſed plane contraria. Maximam enim utique partem ſuarum legum non niſi ex conſtituto valere, & latas eſſe, non quod æterna juſtitiæ ratio eas exegerit ſed utilitas reipublicæ, cum diſerte affirmaverunt, tum ſemper oſtenderunt opere ipſo, mutantes ſcilicet leges ſuas plurimis vicibus, ſimul id commodum viſum fuit: quæ eſt natura poſitivi juris, neutiquam vero ejus, quod ipſa ſanxit natura. Leges porro ſuas ita perfectas eſſe, ut nec addi nec demi iis quidquam poſſit, haud arbitror cuiquam veterum Romanorum vel in mentem veniſſe. Nemo certe id aſſeruit: & perpetuæ legum romanarum viciſſitudines plane contrarium loquuntur. Nec profecto ipſemet Juſtinianus non idem diſerte agnovit. Verba ejus ſaltim illa nunc adferam quibus uſus eſt illa conſtitutione, qua Digeſta confirmavit, nonnihil tamen a nobis emendata. *Sed quia*, inquit, *divinæ quidem res perfectiſſimæ ſunt, humani vero juris conditio ſemper in infinitum decurrit, & nihil eſt in ea, quod ſtare perpetuo poſſit* (*multas etenim formas edere natura novas deproperat*) *non dubitamus, quædam poſſe emergi negotia, quæ adhuc legum laqueis non ſunt innodata.* Mox addit Cæſar. *Si quid tale contigerit, Auguſtum implorandum eſſe remedium: quia ideo Imperialem fortunam rebus humanis Deus præpoſuerit, ut poſſit omnia, quæ noviter contingunt, & emendare & componere, & modis & regulis competentibus tradere.* Similiter affirmavere quidem prudentes Romani, *privatum jus* ſuum *collectum eſſe* ex parte *ex naturalibus præceptis aut gentium*, & *populum Romanum partim* quoque *communi hominum jure uti*; attamen ſimul profeſſi ultro ſunt, jus illud ſuum præcipua ex parte eſſe *proprium ſuæ civitatis*, & ita *civile Romani populi*, ut Athenienſium Atticum. Tantum abeſt certe illos arbitratos, jus ſuum illud idoneum eſſe omnibus civitatibus omnibusque rerumpublicarum formis, ut ne quidem ſuo ſtatui idem ſemper aptum eſſe exiſtimaverint: in univerſum enim, *naturalia quidem jura, quæ apud omnes gentes peræque obſervantur, divina quadam providentia conſtituta, ſemper firma atque immutabilia permanere: ea vero, quæ ipſa ſibi quæque civitas conſtituit ſæpe mutari ſolere.* Alibi hoc argumentum prolixius perſequuti ſumus: *Vid. præfat. in Joach. Hopperi veram Juriſpr.* eoque nolumus nunc illi amplius immorari, præſertim cum res clariſſima ſit, ſaltim Romani juris hiſtoriam edoctis, & ad Juſtinianei juris verba attendentibus.

§. 27. Non opus vero eſt provocare hîc vel ad romanos ipſos vel ad alios quoſque, eorumque diſſenſu perpetuo infirmare abſurdas illas Romani juris laudes: quandoquidem ſimpliciter eſt impoſſibile, uti leges aliquæ civiles condantur quarum non pars maxima ſit mere poſitiva, atque adeo non idcirco duntaxat habeatur juſta, quoniam ita lata eſt & naturali juſtitiæ non adverſatur, vel non eſt injuſta: quæ item non interdum additamenti aliquid exigant aut mutationis: quæ denique non aliis civitatibus & rebuſpublicis ſint incommodæ imo noxiæ. Egregie profecto S. Cæcilius, optimorum veterum Romani juris conſultorum unus, faſſus eſt *apud Gell. lib.* 20. c. 1. *legum oportunitates & medelas pro temporum moribus, & pro rerumpublicarum generibus, ac pro utilitatum præſentium rationibus, pro que vitiorum quibus medendum eſt fervoribus, mutari atque flecti, neque uno ſtatu conſiſtere, quin ut facies cœli & maris, ita rerum ac fortunæ tempeſtatibus varientur.* Sunt hæc apud prudentes & doctos quoſque in confeſſo, & nobis itidem alias per partes illuſtrata prolixius. Cum nullius vero non civilis juris hæc communis ſit conditio, utique manifeſtum eſt, nec aliam eſſe Romani juris poſſe; ac proinde illa invidenda ejus encomia non niſi deliria eſſe, merces ſuas improbe apud imperitos laudantium umbraticorum hominum.

§. 28. Poſſit tamen forte cui videri non abs ratione dictum: leges illas Juſtinianeas omni civitati omnique reipublicæ formæ convenire, ſi id accipias de jure privato: ſaltim id enim uſu & experientia comprobari. Verum enimvero certum eſt, quod itidem alibi demonſtravimus, jus etiam privatum cujuſque civitatis debere ſtatui ejus publico eſſe aptum, nec unum idemque privatum jus, ſtatibus omnibus poſſe congruere. Nec vero experientia quidquam aliud docet, quam nonnulla juris illius privati Romani promiſcue ubivis poſſe recipi. Habent ſcilicet omnes omnino reſpublicæ quædam communia: quæ igitur eodem modo inſtitui poſſunt. Ita exempli cauſa

Digitized by Google

ſa, in omnibus civitatibus mere ſubditi quidam inveniuntur, quorum felicitas non niſi per accidens attendi ſolet; circa hos itaque etiam illa poſſunt ubivis uſurpari, quæ promiſcue in ſubditorum uſum jure privato Juſtinianeo conſtituta ſunt. Non tamen illa apta ſunt civibus ullius reipublicæ, quorum ſalus primario & per ſeſe quæritur. In hiſce ſcilicet curandum, ut ante omnes originarii cives bene ſeſe habeant, quorum proinde familiæ & res unice conſervandæ ſunt. At Juſtinianeum jus nullo diſcrimine cenſet originarios novosque cives, proinde & nullam familiarum, nullam nobilitatis rationem habet: imo quicquid adhuc ſupererat priſci moris, de jure quiritum, de filiorum præ filiabus circa bona parentum legitima prærogativa familiis conſervandis aptum, laxato ſimul teſtandi freno, omne abrogavit. Recte quidem & convenienter dominatui: at minime iis civibus, quorum ſalus primo ac per ſeſe quærenda fuerit. Unde etiam uſus docet, etſi rectæ civitates, nonnulla Juſtinianei juris admiſerunt, reliquis civibus ſuis tamen longe aliis inſtitutis conſulere ſolere. Quoniam porro in omni etiam herili imperio, quamvis non primo, ſed ſecundario, ſalutis civium habenda eſt ratio, eaque propterea etiam hactenus habita ſit per Juſtinianeas leges, hinc nihil vetat, leges illas, in quantum continent aliquid civibus ſalutare, in uſum promiſcuum accipi: minime tamen hoc extendi poteſt ad privatum jus omne. Et vero perquam veroſimile eſt, illam inuſitatam hactenus in muliebrem ſexum & ſervos indulgentiam Juſtinianeam, itidem in arcanum potius dominationis inſtrumentum inſtitutam eſſe, quam in verum populi commodum: certe minus huic aptam eſſe alias docetur: jamque tum Ariſtoteli *l.* 5. *Pol. c.* 11. fuit obſervata inter dominatus arcana, *γυναικοκρατία τε περὶ τὰς οἰκίας, καὶ δούλων ἄνεσις*, *nimia poteſtas fœminarum in domibus & ſervorum indulgentia.* Imo ipſa legum forma, quum litibus & contentionibus civilibus ſerendis alendisque perquam ſit idonea, reapſe haud congruit, ubi ſalus civium primario quæritur: quamvis ad auctoritatem judiciis conciliandam, ad diſtrahendos item populi animos, ad enervandos cives plurimum faciat, & hactenus itidem dominatui ſit commoda. Verum de his pro ratione inſtituti ſatis.

§. 29. Juxta romanum vero, etiam Canonici Pontificum juris magna eſt auctoritas. Igitur & illud eſt in politicum uſum diligenter volvendum. Quantumvis enim ad omnia civitatis negotia non dimittat ſeſe, & ſacrum potius videri poſſit, reapſe tamen civilis eſt argumenti, plenumque dominandi artium, cumprimis in *decretalibus.* (*a*) Et vero capere hinc eſt nonnulla alias inſueta imo & ignota. Nec vero alibi usquam legere eſt, forenſem etiam proceſſum formatum in monarchici dominatus inſtrumentum, ſpecioſo juſtitiæ prætextu: ceu hic vafre inſtitutum obſervare eſt. Enim vero admittit frequentes ad curiam appellationes, & impenſe favens reo, moroſeque invitum quamvis trahens detinensque actorem, utramque partem in diuturno tenet curiæ obſequio, & non niſi meliore exhauſto ſucco languentes dimittit. Ne nunc tangam alias artes quam multas. Vix tamen invenias, qui arcana ejus juris hactenus prodiderit, in illa *interpretum* (*b*) lectorumque copia: ſive religioſo quodam ſilentio, ſive inſcitia occultorum politices ſtratagematum, ſive talium incuria præ fori ſtudio, ſive denique periculi ex doctrina metu. Non fugere autem queunt facile, dominatus artium probe conſcium, & ſacræ Pontificum monarchiæ gnarum.

§. 30. Ut ſeorſim alias leges nunc nominatim memoremus, haud opus eſt. Sufficit ſcilicet in genere omnes commendaſſe; præſertim, quæ prudentioribus quibusque civitatibus fuerunt aliquando, aut ſunt hodieque in uſu. Et vero poſſumus videri nimis diu jam immorati recenſendis iis ſcriptis, quæ circa ſingularium rerumpublicarum notitiam occupantur. Eoque & relinquemus nunc illum locum, ſimul ac duo monuerimus.

§. 31. Alterum eſt de iis monumentis, quibus mores & ingenia ſingularium gentium deſcripta ſunt. Enimvero pertinent & illa quodammodo ad ſingularium civitatum intellectum: certe niſi ingenio populi cujusque perſpecto, plenam civitatis alicujus ſingularis cognitionem haud acceperis.

§. 32. Præter autem illa, quæ geographicis & hodeporicis paſſim libris inſpergi ſolent, veterum quidem nemo hoc argumentum ſeparato ſcripto tradidit. Etiam noſtro ævo hæc cura hactenus fere itidem non niſi illorum geographorum & hodeporicorum fuit. Unus, quod ſciam, Joannes Barclajus peculiarem dedit librum, Iconem dictum animorum, ita ſane elegantem, ut & æmulandi conatus videatur omnibus præreptus. Memorat Gabriel Naudæus *in Bibliogr. Polit.* & *Garciam quendam, & auctorem Anonymum Sortianarum quæſtionum: quorum ille Hiſpanorum ſimul ac Gallorum ingenia minutiſſime delinearit: hic vero Italorum artes, ac in rebus & urbibus ſingulis receptas conſuetudines tanta diligentia expreſſerit, ut nauſeam aliquando & faſtidium vel patientiſſimis lectoribus injiciat.* Verum neuter mihi viſus: forte etiam neuter latino calamo eſt uſus: itaque de iis quod addam, nihil eſt cauſſæ. Et ſufficiunt hæc pauca de priore.

§. 33. Alterum monitu dignum eſt: quod occurrunt veteres pariter recentesque libri, qui etſi respublicas integras non deſcribant, circa partem tamen verſantur. Etiam hos proinde in uſum ſaltem aliquem cedere poſſe politicæ prudentiæ. Ejus generis eſt notitia utriusque imperii: quam doctiſſimo commentario Guido Pancirollus illuſtravit: ut & Georgii *Codini* (*c*) liber de

(*a*) *Decretalibus.*) Multa tamen ſunt in jure canonico, quæ ſummam habent æquitatem. *GOEB.*

(*b*) *Interpretum.*) Præter PANORMITANUM aliosque veteres, decretalium multi ſunt interpretes recentiores, commentatores, ſyſtematum & compendiorum ſcriptores. Vid. MASTRICHII *hiſtoria juris eccleſiaſtici*, ex quibus GONZALEZ de *Tellez*, PIRRINGHI, BARBOSA, VAN ESPEN, ZYPÆUS haud dubie aliis palmam præripiunt. Dolendum, nos idoneo in Gratiani decretum deſtitui commentario. *GOEB.*

(*c*) *Codini.*) Add. GUTHER, *de officiis domus Auguſtæ.* *GOEB.*



Digitized by Google

de officialibus palatii Conſtantinopolitani, & officiis magnæ eccleſiæ. *Recentiorum* (*a*) ſimilis argumenti libros non eſt, quod commemoremus. Juvare autem ſcripta talia ſaltim in id poſſunt: uti ejusmodi exemplis addiſcas, quemadmodum magnarum rerumpublicarum adminiſtratio per varios magiſtratus & diverſa officia quam commodiſſime inſtituatur: id quod ſcire utique ad politicum pertinet.

§. 34. Conſequens nunc eſt, uti ad HISTORICOS magis proprie ſic dictos progrediamur.

§. 35. In hiſtoriarum vero ordine illam, quæ conſtat quadam velut in locos communes politicos civilium multorum actuum collectione, merito maximo dixeris φιλοσοφίαν ἐκ παραδειγμάτων, quod de Hiſtoria omni affirmavit olim Dionyſius Halicarnaſſenſis *l. de Art.* eſtque proximæ & paratæ utilitatis; verum vix quenquam laudare eſt qui in hoc genere fecerit pretium operæ. Etenim habemus quidem ſimilem aliquam συλλογὴν libro, qui Ariſtotelis dicitur ſecundus Oeconomicus: ſed illa non attingit, niſi pecuniæ cogendæ artificia æqua, iniqua; qualia conducunt ſoli oeconomiæ politicæ ſive ærarii curationi. Quod illi quidem inſtituto ſatisfacit, non item reliquæ civili philoſophiæ. Ex illo tamen omni vetere ævo par nihil ſupereſt. Tiberio imperante vixit Valerius Maximus. Cujus memorabilium collectanea, Politicum multis locis juvare idonea ſunt quidem: morali tamen potius philoſophiæ inſerviunt, & in hujus uſum præcipue ſunt compoſita. Trajano Cæſare, Sextus Julius Frontinus Latine, Marco Polyenus Græce, Stratagematicῶν collectiones perquam egregias poſteritati reliquerunt: ſed ad artem bellicam illæ faciunt, ad politicam, etiam militarem, vix quidquam. Sequiore demum tempeſtate, qua jam omnia pene barbaries occuparat, ſeculo chriſtiano ſcilicet decimo, Conſtantinus Porphyrogennetus, Leonis Philoſophi filius, Imperator novæ Romæ & princeps literatus ſtudiorumque ſapientiæ patronus maximus, viſo hiſtoriæ ad rem omnem civilem ſummo commodo, ſupino tamen ipſius in Conſiliariis quoque neglectu, in uſum politicum ex quammultis hiſtoricis fecit colligi quaſi flores unum in corpus, & in quinquaginta tres partes, velut totidem communes locos, digeri, ſingulos locos duobus libris comprehendens. Illud opus quin fuerit magnæ utilitatis, equidem haud dubito. Verum eſt jamdudum, quod eruditus orbis illud deſideraverit. Nec enim hactenus in manus noſtras niſi loci duo pervenere. Alter videlicet de legationibus, cujus librum priorem Fulvio Urſino, poſteriorem Davidi Hœſchelio debemus: Alter de virtute & vitio, quem in Cypro ære Nicolai Peireſcii redemptum, græce latineque edidit Henricus Valeſius. Qui profecto incenderunt deſiderium reliquarum quinquaginta & unius partium.

§. 36. Poſt illa nemo, quod ſciam, ſimile quid aggreſſus eſt, noſtra etiam & patrum ætate, quæ infinitos alias orbi ſcriptores dedit. Exſtat tamen Juſti Lipſii liber monitorum & exemplorum politicorum: ſed longe infra noſtram exſpectationem. Addidit & Aphoriſmis politicis ſuis congeriem aliquam hiſtoricam Gregorius Richterus, parum vero utilem & judicio exiguo. Majorem multo vim & ingenii & doctrinæ attulit ad ſimile opus *Joannes a Chokier*: (*b*) perpauca tamen & ille vere politica attigit. Et Baptiſtæ Fulgoſi opus ſicut ad exemplum Valerii Maximi compoſitus, ita ejusdem eſt notæ. Ut proinde hic locus hactenus incultus haberi debeat.

§. 37. Inter hiſtorias reliquas præ omnibus utiles arbitror ad rerumpublicarum ſalutem illas, quæ divino veteris præcipue pacti codice continentur. Expedit ſcilicet unice mortalibus nobis, ſemper animo obſervari providentiam divinam, occulto ductu commoda cum omnis privatæ vitæ noſtræ, tum cumprimis rerumpublicarum gubernantem. Eſt quidem illa non difficilis obſervatu, juſta attentione actus atque eventus rerum quosque conſiderantibus. Arcanam ſane ac maximi roboris vim, integras civitates populosque verſantem, etiam Nicolaus Machiavellus advertere potuit, minime omnium cæteroquin religioſus. *Vid Animadv. noſtr. ad Mach. c. 21.* Perquam pauci tamen hiſtorici, ſolent illam diviniorem cauſſam juſta commemoratione proſequi: quidam imo de induſtria hoc videntur agere, ut excutiant lectorum animis τοῦ θεοῦ curam: quo vitio & Polybium teneri vereor, ne manifeſtius ſit, quam ut Caſauboniana excuſatio tegendo illi ſufficiat. *Vid. Caſaub. præf. ad Polybium.* Nullæ hiſtoriæ igitur magis hîc juvant, quam illæ ſacræ. Optime videlicet S. Auguſtinus *l. de vera relig. c. 25.* *Quoniam divina providentia, non ſolum ſingulis hominibus quaſi privatim, ſed univerſo generi humano tanquam publice, conſulit: quid cum ſingulis agatur Deus ſcit, atque ipſi, cum quibus agitur, ſciunt; quid autem agatur in genere humano, per hiſtoriam commendari voluit & per prophetiam.*

§. 38. Ex græcis ſcriptoribus (nam de his primo loco dicere & antiquitas jubet & doctrina) *Herodotus*, (*c*) recte conſcriptæ hiſtoriæ parens jure Tullio dictus *l. 2. de LL.* argumento vario & amplo, idoneus eſt politicorum magiſter, minus accurata tractandi ratione tamen non perinde ſatisfecerit deſiderio. Qui hunc vero æmulatus eſt *Thucydides*, (*d*) in conſiliis rimandis narrandisque perſpicax & accuratus, velut verbis preſſus & prope aridus, ita ſententiis denſus & locuples, quæ ad popularis belli & diſſidiorum negotia attinent, feliciter docet; at præter hæc aliud pene nihil attingit. Cui Thucydidem debet poſteritas *Xenophon* (*e*) plus docet politicæ prudentiæ in ficta hiſtoria, quam vera: multum certe hac parte inferior, quem Hiſtoria rerum græcarum

(*a*) *Recentiorum.*) Sunt tamen nonnulli hujus tenoris de aula Imperatoria, Anglica, Gallica, Hiſpanica, Suecica &c. typis impreſſi tractatus. *GOEB.*

(*b*) *Joannes a Chokier.*) Sed ipſius liber, æque ac LIPSII, præter ſententiarum & exemplorum congeriem nihil continet. *GOEB.*

(*c*) *Herodotus.*) Scriptor mendaciis indulgens. *GOEB.*

(*d*) *Thucydides.*) de hoc conf. BOSIUS *de prudentia civili comparanda* §. 28. qui & de aliis ex veteribus ab autore citatis eſt conferendus. *GOEB.*

(*e*) *Xenophon.*) Optimus ſub fabula magiſter. *GOEB.*

Digitized by Google

rum excepit, Thucydides. Quamvis autem fere totus itidem ſit in narrandis turbis & motibus popularibus, neutiquam tamen aſpernandus prudentiæ ſtudioſo. Longo autem hos etiam omnes intervallo poſt ſeſe reliquit *Polybius.* (*a*) Eſt enim ſtilo quidem minus comptus, at civilis prudentiæ maximus magiſter. Etenim pacis non minus, quam belli negotia tractat longe exactiſſime, & quidem cumprimis romani populi, quo tempore ille magnitudine rerum maximam ſui admirationem peperit, ut & aliarum Græciæ florentiſſimarum civitatum. Ne quid nunc dicam de artis militaris peritia, quam eximiam oſtendit, ut & de hiſtoriæ miſtis præclaris diſſertationibus. Etſi enim in hiſce non tam hiſtoricum, quam philoſophum aut Tacticum agat Polybius, attamen dictu eſt incredibile, quam illa omnia apta ſint augendæ omnigenæ prudentiæ. Quo magis dolendum, magni & in quadraginta libros diffuſi operis minimam partem integram, reliquam non niſi per levia excerpta ſupereſſe. Magis exilem obſcuramque romanæ hiſtoriæ portionem, ipſa ſcilicet reipublicæ illius exordia, illuſtrandam ſuſcepit *Dionyſius* (*b*) Halicarnaſſenſis, minus item in actu rerum ipſe verſatus armorumque tractandorum peritia valuit, quam Polybius, etſi hunc æmulatum ſuſpiceris, perducta illuc hiſtoria, ubi Polybius ſuam fuit orſus: ita tamen argumentum ſuum tractavit, ut palmam ſapientiæ politicæ nemini non fecerit dubiam. Artem certe bene temperandi regni per leges pace belloque aptas, ut & regni & ariſtocratiarum mutationes varias, & utriusque temporis inſtituta, felicius pleniusque haud temere ex hiſtoria alia in exemplo didiceris. Inferior hoc *Dio Caſſius* (*c*) eſt, ut tamen & ipſe politicum ſeſe probet, aptumque docendis *τοῖς μοναρχικοῖς*: fortaſſis & in ariſtocraticis & democraticis inſtitutis parem laudem a nobis referens, niſi ampliſſimæ hiſtoriæ totos triginta quatuor priores libros, quibus res ab Urbe condita ad Lucullum usque tradidit, ævi infelicitas detraxiſſet. Inſignes certe ſunt ſuperſtites viginti quinque libri, quamvis in morte Claudii deſinant: & nihil vulgare ſapiunt ipſa reliqui operis Xiphiliniana excerpta. Quod ſi profecto haberemus integros, & hunc, & Dionyſium, & Polybium, poſſemus ſine magno prudentiæ diſpendio ipſamet latina Romanorum hiſtoria carere. Ætate ſuppar non tamen ſcriptione Dione eſt *Herodianus*; (*d*) bonus vero & ipſe nec indoctus.

ſ. 39. Poſt hoſce, qui romani imperii res geſtas digne ſit perſequutus, græcus quidem ſcriptor haud reperitur. Qui Juſtiniani tamen Cæſaris bella memoraverunt *σύγχρονοι* duo *Procopius* (*e*) & Agathias, ſaltim prudentiæ bellicæ inſerviant. Illius *ἀνέκδοτα* etiam alia doceant: modo fidem mereantur. Inter ſequioris ævi Græcos, Nicetæ Choniatæ laudes in politicum uſum præclare perſequutus eſt Juſtus Lipſius *in Not.* idque ex merito, nec enim Coleri ſententiam *in Epiſt. de Stud. Pol.* eſt quod moremur. Idem Lipſius nec Nicephorum Gregoram hoc ordine excluſum voluit. Qua in re itidem me conſentientem habet. Debuiſſet vero jure addi & Joannes Contacuzenus, & Anna Comnena: & hæc & ille cæſarei generis, imo ille imperatoria etiam quondam dignitate functus. Habet ſane utriusque hiſtoria perquam multa ad vitam politicam utilia. Et vero fuerunt tempora illa inſignibus rerum viciſſitudinibus obnoxia. Quin & Baſilii Macedonis vita, a Conſtantino Porphyrogenito Imperatore nepote Baſilii conſcripta, quæ inter *σύμμικτα* Leonis Allatii paucos eis annos demum prodiit in lucem, digna eſt, quam manus politica verſet diligenter, utpote quæ ſimul ignavi ſtolidique Michaëlis fatum doceat.

§. 40. Præter hoſce romanarum rerum ſcriptores duo adhuc ſunt memorandi in primis. Alter eſt *Plutarchus*: (*f*) cujus vitæ parallelæ ſunt ſine exemplo, & accuratiſſima prudentia civili plane refertæ. Alter Flavius *Joſephus.* (*g*) Etſi enim hujus hiſtoriam illam, quam ex ſacro codice deſcripſit, utilius & rectius ipſo ex fonte petieris, attamen quod reliquum ejus eſt, præcipue totus de bello judaico commentarius, prudentiam viri non minus oſtendit, quam ſcribendi promptitudinem. Non pænitebit itidem quenquam operæ in lectionem *Diodori Siculi* (*h*) impenſæ; valuit enim cum variorum populorum notitia, tum bono judicio, idque præ ſeſe ferunt, quæ ſuperſunt volumina. Non contemnendus quoque eſt *Appianus*: (*i*) utilior tamen viro militari, quam civili.

ſ. 41. Cæterum de hiſtoricis græcis pro inſtituti ratione ſatis. Latinorum alii ſunt antiqui res romanas præcipue narrantes, alii ſequioris, imo alii & noſtri propemodum ævi.

ſ. 42.

(*a*) *Polybius.*) Optimus ſcriptor, quem CASAUBONUS in *præfat.* Polybii libris præmiſſa, Tacito longe ante ponendum putat. Vide BODINUM *in methodo hiſtor. p.* 69. *GOEB.*

(*b*) *Dionyſius.*) Optimi antiquit. romanar. ſcriptoris nomine venit BODINO. *GOEB.*

(*c*) *Dio Caſſius.*) Prudentia & gravitate percelebris ſcriptor, qui ipſe reipublicæ gubernaculis adſedit, & ſic a Lipſio non fuiſſet omittendus. *GOEB.*

(*d*) *Herodianus.*) BOSIO dicitur abſolutiſſimi ſtyli & judicii hiſtoricus. De ſcriptoribus annotat. in aliquot præcedentium auctorum conſulendus BOSIUS *l. c. p.* 12. *GOEB.*

(*e*) *Procopius.*) Habemus jam omnes hiſtoricos in hoc §. relatos, cum aliis adhuc rerum conſtantinopolitanarum ſcriptoribus, CAUSINI opera, in linguam gallicam translatos. Regium eſt opus multis voluminibus *ſcriptores hiſtor. Byzantina* continens, quod Lutetiæ elegantiſſimis exſcriptum typis in publicum produxit. Vide de PROCOPIO aliisque Bodin. c. IV. *GOEB.*

(*f*) *Plutarchus.*) In primis merentur legi Periclis, Gracchorum, Marii, Catonis, Pompeji, Demoſthenis, Ciceronis vitæ. *GOEB.*

(*g*) *Joſephus.*) Ad intelligendas antiquitates judaicas maxime neceſſarius, rerum Romanarum non imperitus, prudensque fuit ſcriptor. *GOEB.*

(*h*) *Diodori Siculi.*) Ad Celebrium olim gentium mores, ritus, omnesque propemodum antiquitates delineat. Vide tamen *Bodinum l. c. p.* 81. *GOEB.*

(*i*) *Appianus.*) Varia in eo de gentium moribus & legibus reperiuntur. In antiquitate romana ipſum ſæpe offendere, docet BODINUS *in meth. hiſt. c. IV. p.* 79. Nec obliviſcendus ÆLIANVS, qui multa veterum inſtituta narrat. Addi debet ARRIANUS, ſummo vir ingenio ſummaque doctrina præditus, vitæ Alexandri magni ſcriptor Græcus. *GOEB.*

§. 42. Primi temporis princeps citra controverſiam eſt Titus *Livius*, (*a*) ſaltem ſi argumentum ſpectemus, & quæ hinc oritur ad varias civilis prudentiæ partes utilitatem. Perſecutus eſt enim res populi romani a prima usque origine non pace minus, quam bello geſtas: quæ profecto præclaræ fuerunt & ſimul obnoxiæ maximis mutationibus. Utinam haberemus integrum! Æque amplus argumento eſt *Vellejus Paterculus*, (*b*) & *Florus*: (*c*) ſed uterque non niſi compendium dedit eorum, quæ juſta ubertate Livius exſecutus eſt: uterque licet prudens, imo civilium rerum peritia inſignis. Quæ ſuperſunt hodie *Salluſtiana*, (*d*) civiles motus & corruptæ reipublicæ mores docere cumprimis ſunt idonea: proœmia tamen cum Catalinarii, tum Jugurthini belli etiam ad alia lectorem ducunt. Multo magis illum inſtruxiſſent hiſtoriarum volumina, ceu oſtendunt fragmenta, (quæ Grammatici, non niſi ſuos in uſus tamen, excerpſerunt) niſi periiſſent.

§. 43. Si judicium politicum, ſi accuratam tractandi rationem videas, omnibus Græcis pariter Latiniſque auſim præferre Cornelium *Tacitum*. (*e*) Recte de illo Lipſius *in not. ad Polit. Quis illo verius narrat, aut brevius? In moribus quid eſt, quod non tangat? in affectibus, quod non revelet? Mirabilis omnino ſcriptor, & qui ſerio hoc ipſum agit, quod non agit: nec enim hiſtoria ſolum eſt, ſed velut hortus & ſeminarium præceptorum.* Cæterum quia Tiberios tantum, & Cajos, & Claudios, & Nerones, portenta tyrannica, nobis narrat, nec multo meliores Galbas, Othones, Vitellios, Veſpaſiani autem & Titi paucula delibat, præter illa tyrannico ſtatui familiaria, parum docere eſt idoneus. Nec enim ferendi, qui unum Tacitum omnis prudentiæ fontem æſtimant, imo unum hunc omnibus in univerſum Principibus, & in principatu viventibus, unde vitæ præcepta illi hauriant, ſolent commendare. Optime id ipſum vidit animadvertitque Iſaacus Caſaubonus, cujus ea de re ſententia, præfationi ad Polybium inſerta, lectu eſt digniſſima. Mihi Tacitum cereæ indolis & ad populi ſalutem inſtituendus Princeps nullus legat: parum ſiquidem abeſt a ſcelera dominatus docente, iſta quum narrat Cornelius. Non carebit fructu ſuo & *Tranquillum* (*f*) triviſſe: illius tamen ſcribendi ratio non perinde apta eſt momentis negociorum explicandis. Multo minus juverint reliqui *Cæſarearum* (*g*) vitarum ſcriptores. Quam utilis vero quondam fuerit *Trogus Pompejus*, (*h*) monſtrat Epitome ejus Juſtiniana, abundans illuſtribus exemplis pariter & præceptis. Militaribus conſiliis multum item proſunt *Julii Cæſaris* (*i*) commentarii, at minus civilibus. Non alia etiam, quam bellica narrat *Q. Curtius*, (*k*) Politico tamen homini ipſomet Cæſare tanto commodior, quanto diffuſior eſt, docens non vincere duntaxat, ſed victa etiam retinere. Ætate & ſtilo omnibus hisce inferior, neutiquam tamen prudentia, Ammianus eſt *Marcellinus* (*l*) pacis bellique negociorum, eorum præſertim, quæ in regnis ſolent venire uſu, præſtans narrator. Alios vetuſtioris illius ævi heic laudare, nihil attinet.

§. 44. Sequiore barbara tempeſtate omni, qui noſtro inſtituto profuerit, vix quenquam jure laudaveris. Majorem tamen ævo illo prudentiam obſervare eſt in *Matthæi Pariſii* (*m*) Anglicanarum, Lamberti *Schafnaburgenſis* (*n*) Germanicarum, Saxonis Selandici Danicarum, Roderici Toletani Hiſpanicarum, & Theoderici Nihemii Pontificiarum rerum hiſtoriis: qui proinde lectores ſuos nunquam non prudentiores dimiſere.

§. 45. Cæterum ex quo bonis literis ſuus iterum ſplendor rediit, (quod tempus a Maximiliani primi id nominis Cæſaris imperio fas eſt ordiri) nullus non Europæus populus conſecutus aliquem eſt, qui ad Græcorum Romanorumque veterum ſublimitatem ſeſe erexerit. Eoque licet illorum indicem texere haud exiguum. Non patitur tamen hic locus vel optimorum, niſi tanquam per ſaturam, meminiſſe.

§. 46. Igitur in Italis, accurato civilium quarumque rerum judicio, omnium princeps eſt

(*a*) *Livius*) Celeberrimus rerum romanarum ſcriptor. A patavinitate ſtyli ipſum vindicat MORHOFIVS. Coarguunt in eo, quod in fingendis orationibus eisque hiſtoriæ ſuæ infarciendis nimius, atque ſuperſtitionibus evulgandis addictiſſimus fuerit. BODINVS *l. c. p.* 67. 68. *GOEBEL.*

(*b*) *Vellejus Paterculus*) Impenſe laudatur a BODINO *l. c. p.* 88. Adulationibus in Tiberium, ſub cujus imperio in Germania ſtipendia meritus, ſæpe obnoxius. *GOEB.*

(*c*) *Florus*) Romanorum bella in compendio nobis ſiſtit: reperiuntur tamen quædam in hoc autore, quæ alii prætermiſerunt. *GOEB.*

(*d*) *Salluſtiana*) *TACITVS lib.* 3. *annal. c.* 30. *SALLVSTIVM rerum Romanarum florentiſſimum* vocat *autorem. BODINO l. c. p.* 66. vocatur, *integerrimus ſcriptor & rerum magnarum uſu præditus.* Quæ ex ſcriptis ejus exſtant, ſe eruditis ſententiarum pondere commendant. *GOEB.*

(*e*) *Tacitum*) De hoc alibi late monui. vide BODINVM *p.* 83. *GOEB.*

(*f*) *Tranquillum*) Eſt in TRANQVILLO plurima romanæ vetuſtatis & antiqui juris imago, multæ leges, edicta, ſenatus conſulta, quæ nusquam alibi reperiuntur &c. vid. BODIN. *p.* 88. *GOEB.*

(*g*) *Cæſarearum*) Conf. ſcriptores hiſtoriæ Auguſtæ ab OBRECHTO, BOXHORNIO aliisque conjunctim editi. Sunt in eorum cenſu SPARTIANVS, LAMPRIDIVS, CAPITOLINVS, TREBELLIVS, POLLIO, FLAVIVS, VOPISCVS, Bodini de his judicium. *GOEB.*

(*h*) *Trogus Pompejus*) Vid. VOSSIVM *de ſcript. latinis lib. I. c.* 32. *GOEB.*

(*i*) *Julii Cæſaris*) BODIN. *c. IV. p.* 57. 62. Ipſius fidem & modum ſcribendi laudat. *GOEB.*

(*k*) *Curtius*) Hic eleganti ſtylo res Alexandri M. perſecutus eſt. Sunt, quæ contra hujus hiſtorici fidem a nonnullis in medium proferuntur, ſed hi egregie vapulant a PERIZONIO. *GOEB.*

(*l*) *Marcellinus*) BODIN. *l. c. p.* 102. Candidiſſimus & veritati addictiſſimus ſcriptor. *GOEB.*

(*m*) *Matthæi Pariſii*) VOSSIVS *de ſcript. latin lib. II. c.* 58. veraciſſimus ſcriptor, qui dominatus papalis ſævitiem non tacuit, quod tantum in eo, Baronio diſplicet. *GOEB.*

(*n*) *Schafnaburgenſis*) Inter rerum germanicarum ſcriptores, qui medio ævo tribuuntur, hic præ aliis prudentiæ laudem promeritus eſt, cum illorum temporum ſcriptores de rebuspublicis, earumque mutationibus minus ſint ſoliciti. De aliis autoribus hic ab autore enarratis, idem VOSSIVS conſulendus. *GOEB.*

Digitized by Google

eſt Franciſcus *Guicciardinus*. (*a*) Liceat enim hunc memorare, etſi italice ſcripſerit, quoniam Cœlium Secundum Curionem nactus eſt interpretem. Proximus huic Paulus *Jovius*, (*b*) imo eruditione & diffuſo argumento major: impar tamen fide pariter & prudentia, venali ad hoc calamo, & amicis inimicis favore atque odio obnoxius. Tertium locum merentur *Bembus*, (*c*) Juſtinianus, ac Maurocenus, in Veneta: *Pontanus*, (*d*) Facius, & Collenutius in Neapolitana: *Platina*, (*e*) Onuphrius, Ciacconius in Pontificia: in *Genuenſi* (*f*) P. Bizarrus & Folieta: Hieronymus *Rubeus* (*g*) in Ravennatenſi; Joannes Baptiſta *Pigna* (*h*) in Ateſtina, & *Poſſevinus* (*i*) in Mantuana hiſtoria: ut ultimum tamen dixeris merito forte hujus claſſis primum. Quandoquidem *Machiavelli* (*k*) etiam Florentina hiſtoria latine verſa eſt, optimeque docet reipublicæ illius varias viciſſitudines ac civiles motus, quaſi in exemplum ſimilium, non ſine culpa ſileri hîc poterit. Certe Leonardum *Aretinum* (*l*) longe ſuperat: qui res ejusdem civitatis latino ſtilo illuſtravit. Laude digna quoque hîc eſt Inſubrica hiſtoria Erycii Puteani: niſi auctoris Belgæ opus non debeat inter Italica laudari.

§. 47. *Res Germanicæ* (*m*) juſto pauciores acceperunt ſcriptores a prudentia commendandos. Perquam egregii vero ſunt Joannis Sleidani Commentarii: & quæ his jungi debet, hiſtoria Concilii Tridentini Petri Suavis aut rectius *Pauli Servitæ* (*n*) Theologi Veneti, plane eſt incomparabilis, quicquid nuper egerit Pallavicinus. Bellum Caroli V. cum Smalcaldicis fœderatis docte enarravit Lamb. Hortenſius. Nuperrimi quo Germania omnis laboravit, arcana conſilia & eventus, videntur omnium optime perſecuti Caraffa Italus, & neſcio quis Anonymus auctor Epitomes rerum germanicarum, quanquam a ſtudio partis ſuæ minime vacui. Multos præclaros ſcriptores invenit bellum belgicum, ſed horum inprimis quatuor idonei ſunt juvandæ prudentiæ: Joannes Reidanus Dionyſio Voſſio interprete, Famianus Strada, (nec enim eſt quod nos moremur Grammaticam infamiam a C. Scioppio illi inuſtam) Nicolaus Burgundus, & feliciſſimus Taciti æmulator ὁ πάνυ Hugo Grotius. Proximi illis, Dominicus Baudius induciarum belgicarum hiſtoria, & Joannes Meurſius, magnum illud in literis nomen, cujus Guilhelmus Auraicus & Ferdinandus Albanus ut & de induciis libri, digni profecto ſunt, qui & Politicæ diſcendæ cauſſa legantur cum cura. Non etiam ſpernendi ſunt in Bajoaricis Joannes Aventinus & Andreas Brunnerus: cumprimis vero excellens eſt Ludovici IV. Imperatoris hiſtoria a Nicolao Burgundo conſcripta, & cum melioribus Græcis Romanisque comparanda, prudentia, fide, eloquentia. Auſtriaca non inſipienter tradidit G. de Rhoo: at in Helveticis magis ſeſe probavit Franciſcus Guillimannus. Friſica gens mea hiſtoricum accepit Ubbonem Emmium, nulli quamvis veterum temere ſecundum, judicio politico, ſtili elegantia, & accurate tractata narratione. Nec inferiora eſt ſecutus qui eum excepit Pierius Winſemius, ut & geldricarum rerum ſcriptor Joannes Iſaacius Pontanus. Hamburgenſium binos jam tum libros edidit Petrus Lambecius: inſigne ſpecimen popularis reipublicæ deſcriptæ: (quale hiſtoriæ

(*a*) *Guicciardinus*) In ſcribenda hiſtoria judicio graviſſimorum virorum ſuos æquales ſuperavit. BODINVS *l. c. p.* 90. *GOEB.*

(*b*) *Jovius*) Hic pennam habuit venalem & audita & inaudita ſcripſit. BODIN. *p.* 331. *GOEB.*

(*c*) *Bembus*) BODINVS *p.* 331. *S. R. FABRICII Theol. noſtri bibliothecæ Fabricianæ part.* 3. *p.* 438. Enarratis hic rerum Venetarum ſcriptoribus addendi SABELLICVS, PARVTA, FVSCARENVS & inprimis NANI, vir multis & maximi momenti publicis exercitus negotiis, ita, ut ſi diutius ſuperſtes fuiſſet, in principalem haud dubie evectus fuiſſet ſedem. vid. *orat.* quam in funere ejus habuit OCTAVIVS FERARIVS. Hic primus fuit, qui inter hiſtoricos a republica conſtitutos, hiſtoriam ſuam vivens edidit. Auctores, qui publico ſcripſerunt decreto. jam conjunctim 8. voluminibus in lucem prodierunt. vid. *Giornale de letterati d' Italia tom. XXX. p.* 447. *Hiſtor. Biblioth. Fabricianæ p. II. p.* 514. 517. *part. III. p.* 78. 438. 439. 440. *part. IV. p.* 3. 4. *GOEB.*

(*d*) *Pontanus*) Nec ex Pontano nec ex Facio multum hauriri poterit prudentiæ politicæ, utrique præferendus COLLENVTIVS, qui tamen a vero nonnunquam aberrat. His addend. SVMMONTE *iſtoria di Napoli.* JVL. CÆSAR. CAPAC. *hiſtor. Neapolitana.* FRANCISC. CAPECELLATRO *iſtorie di Napoli. GOEB.*

(*e*) *Platina*) Vid. *caracteres des auteurs anciens & modernes p.* 111. Qui tamen ipſum immerito inſignem mendacem vocat. Inter ſcriptores Pontificum comparet etiam PALATIVS, qui impenſe tamen Romanis Pontificibus eorumque rebus adulatus eſt. *GOEB.*

(*f*) *Genuenſi*) Adde *Annali di Genoa da AGOSTINO GIUSTINIANO. Annales Piſani a* PAVLO TRONCI conſcripti inter ſcriptores hujus generis referri merentur. *GOEB.*

(*g*) *Rubeus*) Huic jungendus Roſſi, qui itidem Ravennatenſem edidit hiſtoriam. *GOEB.*

(*h*) *Pigna*) Sæpe hic autor titubavit & non admodum fertilis eſt in prudentia politica porrigenda. *GOEB.*

(*i*) *Poſſevinus*) Jung. *L' hiſtoria di Mantoua du MORIO EQVICOLA.* Mediolanenſem hiſtoriam italice literis conſignavit CORIO, latine ALCIATVS, MERVLA, TRISTANVS CALCHVS: hi non ſunt inter meliores, qui prudentiæ politicæ inſerviunt. *GOEB.*

(*k*) *Machiavelli*) Hic liber æque ac ille, quem CONESTAGGIVS de conjunctione Hiſpaniæ & Portugalliæ conſcripſit, a WICQVEFORTIO fere politicus vocatur. Nec laude ſua defraudanda *hiſtoria Florentina*, quæ SCIPIONEM AMMIRATVM autorem habet. *GOEB.*

(*l*) *Aretinum*) Sterilis hic eſt ſcriptor, & fluctuantis admodum fidei. Si *BODINO l. c. p.* 58. fides eſt habenda quem laudavit: ab eo etiam ſe muneribus affectum gloriatus eſt. Ex Sabaudicis hiſtoricis præter *Guichenonem* LVDOVICVS *della Chieſa* uſum aliquem præbere poteſt. Nec inter ſcriptores Italicos SIGONIVS eſt omittendus. *GOEB.*

(*m*) *Res Germanicæ*) De hujus ſcriptoribus ex monachorum plerumque numero antiquis vide *HERTII biblioth. Germ.* & *FREHERI repertorium* & *MEIBOMII orat. de genuin. H. G. fontibus.* In hoc Germani aliis gentibus longe inferiores ſunt, quod Annales eorum hactenus nec Polybios, nec Livios, nec Tacitos, nec Nonios, nec Maurocenos aut Thuanos autores habuerunt. Pauci tamen ſunt excipiendi, PVFFENDORFII res Suecicæ ad Germaniam maximam partem pertinentes & Brandenburgicæ laudem merentur, quanquam non ignorem, eſſe quæ in iis deſiderantur. *GOEB.*

(*n*) *Pauli Servitæ*) Hic concilii Tridentini conſcripſit hiſtoriam, papalis aulæ arcanis refertiſſimam. Adverſarium expertus eſt Cardinalem PALLAVICINUM, ſed parum ſtrenuum & Andabatarum more pugnantem. AMELOT DE LA HOVSSAIE, qui eam in gallicam vertit linguam, Thucydidi, Xenophonti & Tacito comparat. *GOEB.*



Digitized by Google

riæ genus paucis datum eſt hactenus juſte tractare) deſiderantur tamen illius florentiſſimæ urbis adhuc potiſſima.

§. 48. Francorum res a prima usque origine, gallicas tamen præcipue, inſigni non prudentia minus, quam eloquentia & induſtria perſecutus eſt Paulus *Æmylius* (*a*) Veroneníis Italus, ad annum usque ſeculi quinti decimi Chriſtiani duodenonageſimum. Non minor virtus eſt ejus, qui Paulum excipit, ad Henrici id nominis ſecundi Regis tempora, Arnoldi *Ferronii* (*b*) Burdigalenſis Galli, viri magnis in republica negotiis admoti. Ab exceſſu Franciſci ad horribilem Henrici quarti Regis cædem, non Gallica duntaxat, ſed univerſi orbis negotia, inuſitato ſtudio & fide, ſummo etiam cum prudentiæ politicæ commodo, poſteritati narravit Jacobus Auguſtus *Thuanus*; (*c*) cujus operis tamen ultima, offenſam ſeculi metuentia, lucem nondum videre: vere princeps Hiſtoricorum noſtri temporis, ſaltim tanto auſu pariter & judicio & integritate. Intra ſola Gallica continuit ſeſe, nec ultra annum ſeculi hujus nonum viceſimum hactenus in publico quidem excurrit Gabriel Bartholomæus *Gramondus*: (*d*) prudentia tamen, & παῤῥησίᾳ, non temere cuiquam ſecundum dixeris. Utinam veri odium non invideat nobis tanti viri & reliqua! Latinos interpretes quoniam nacti, & prudentia inſtruere lectores apti ſunt, Philippus *Cominæus*, (*e*) Petrus *Matthæus*, (*f*) & Rudolphus *Botoreus*, (*g*) merentur laudatis auctoribus accenſeri. Multum vero eminet inter hos Philippus Cominæus. Quamvis enim Matthæus affectaverit etiam ſcholas politicas hiſtoriæ miſcere, tamen illo ipſo tenuitatem judicii potius prodidit. Eundem in lapidem impegit quoque *ſcriptor hiſtoriæ* (*h*) Miniſterii binorum Cardinalium Richelii & Mazarini: quem latine verſum legere nihilominus haud abs re fuerit.

§. 49. Quod in Francica Æmylius, id in Anglicana hiſtoria fere eſt Polydorus *Vergilius* (*i*) Urbinas: etſi ipſi Angli exactiorem rerum peritiam in ipſo deſiderent. Non inferiora certe eſt ſectatus. Plenum autem variæ eſt prudentiæ opus, cum illud de rebus Eliſabethæ Guilielmi *Cambdeni*, (*k*) tum alterum Franciſci *Verulamii* (*l*) de geſtis Henrici ſeptimi: perinde atque Henricus ille rex fuit perquam cautus & felix, & Eliſabethæ ſapientia ac fortitudo captum ſexus multum exceſſit, vere miraculum ſui ævi.

§. 50. Scotia in ſua gente nacta eſt, nemini prudentiæ & eloquentiæ laude cedentem, rerum ſuarum ſcriptorem, Georgium *Buchananum*; (*m*) dignum, qui unus pro multis æſtimetur.

§. 51. Hiſpania etiam genuit præclarum ſibi Hiſtoricum Joannem *Marianam*: (*n*) in quo nec judicium, nec ſtudium, nec ſcribendi facultatem deſideres, licet a prima usque memoria Hiſpanicas res univerſas tradere conatus ſit. Seorſim vero Luſitania dedit Hieronymum Oſorium, feliciſſimos Emanuelis Regis actus non impari virtute enarrantem.

§. 52. Dania Batavis duobus debet ſapientem ſuarum rerum hiſtoriam Joanni *Meurſio* (*o*) & Joanni Iſaacio Pontano: ut Suecia ſuam J. *Loccenio* (*p*) Holſato. Nec tamen aſpernandus eſt is etiam labor, quem patriæ impenderunt, *Joannes* (*q*) & Olaus Magni fratres, imo jam ante hosce Ericus Olai Upſalienſis.

§. 53. Hungarorum res bellicoſæ acceperunt ſcriptorem inſignem Italum Antonium *Bonfinium*. (*r*) Præſtitit autem in eodem argumento operæ quoque pretium Stephanus Iſtuanfius Hungarus.

§. 54. Cæterum Poloni plures diſertiſſimos Hiſtoricos in *magiſterium prudentiæ* (*s*) pro-

(*a*) *Æmylius*) *BODINVS l. c. p.* 104. *GOEB.*

(*b*) *Ferronii*) Adde BELCARIVM, BELLAIVM, MEZERÆI VARILLASIIque hiſtorias, quanquam hunc veritatis non æque ac MEZERÆVM ſtudioſum eſſe dicant, & nimis ſæpe arcanis politicis & anecdotis operam dare. Jungantur quoque *SERRII inventarium hiſtoriæ GALLICÆ*, *VASSORII hiſtoria Ludovici XIII.* & *DANIELIS hiſtoria Galliæ* nuper edita. Hic ſe non ſemper ab adulationis & falſitatis vitio temperare potuit. *GOEB.*

(*c*) *Thuanus*) Totum jam exſtat opus, & integrum ſervavit æque ac Guicciardinum editio Genevenſis. *GOEB.*

(*d*) *Gramondus*) Partium catholicarum nimium fuit ſtudioſus. *GOEB.*

(*e*) *Cominæus*) Elogia ejus DIONYSIVS GODOFREDVS actis publicis ad Cominæum ſpectantibus præmiſit. *GOEB.*

(*f*) *Matthæus*) Hic ſententias ex veteribus excerptas hiſtoriæ ſuæ margini adſcripſit. *GOEB.*

(*g*) *Botoreus*) Ejus hiſtoria non multum politici ſpirat *GOFB.*

(*h*) *Scriptor hiſtoriæ*) Puto, Richeliani miniſterii ſcriptorem eſſe AVBERIVM, adulationibus notiſſimum. In hunc cenſum *PRIOLI hiſtoria Galliæ* eſt referenda. *GOEB.*

(*i*) *Vergilius*) Pontificiis partibus maxime obnoxius, & obinde ſæpe veritatem celans aut corrumpens. De ſcriptoribus Anglicæ gentis agit MEIBOM. *de Anglicanæ hiſtoriæ periodis & præcipuis ſcriptoribus*, & ſelectiſſimos ſcriptores, quorum non pauci angliæ hiſtoriam aut partem ejus ſummo cum judicio & maxima prudentia adornarunt, refert *Catalogus bibliothecæ Bultellianæ p.* 808. ſeqq. *GOEB.*

(*k*) *Cambdeni*) Aulicum ſæpe ipſum egiſſe, nonnulli contendunt, quod ei Thuanus exprobravit. *GOEB.*

(*l*) *Verulamii*) Hoc ſcriptum optimis & maxime politicis eſt annumerandum. Huc ſpectant *CLARENDONII commentarii de anglicis motibus*. Hunc Angliæ Livium vocare ſolent. Addenda quoque *BVRNETTI hiſtoria reformationis Anglicanæ* & *hiſtoria ejus Anglica*, cujus pars nuper comparuit. *GOEB.*

(*m*) *Buchananum*) Huic adiungendi ſunt HECTOR BOECIUS & JONSTONVS. *GOEB.*

(*n*) *Marianam*) Hic aliis palmam præripit, qui una cum eo in *SCHOTTI Hiſp. illuſtr. IV. tomis* continentur. Multorum autorum, qui Hiſpanica gentis ſuæ Annales conſignarunt lingua, mentionem iniicit *catalogus bibliothecæ Bultellianæ p.* 786. ſeqq. *GOEB.*

(*o*) *Meurſio*) Adde HVTFELDVM, qui Danica lingua hujus gentis hiſtoriam conſcripſit. *GOEB.*

(*p*) *Loccenio*) PVFFENDORFIO Suecica hiſtoria multum debet *GOEB.*

(*q*) *Joannes*) Alios ſcriptores ad hiſtoriam Suecicam pertinentes recenſet *catalogus bibliothecæ Bultellianæ p.* 844. 845. *GOEB.*

(*r*) *Bonfinium*) Vid. *catalogum bibliothecæ Bultellianæ p.* 854. 855. *GOEB.*

(*s*) *in magiſterium prudentiæ*) *Catalogus bibliothecæ Bultellianæ p.* 848. *ſeqq.* *GOEB.*

Digitized by Google

producere poſſunt & quidem ſuæ gentis. Præcellunt vero in hiſce quam maxime: Martinus Cromerus, Stanislaus Orichovius, Stephanus Lubienskius, Stan. Kobierziccus, & P. Piaſecius, quanquam ſtilo minus comptus. Etiam exteri nonnulli in polonicis rebus narrandis oſtendere ſuam prudentiam: Salomon Neugebauerus imprimis, Reinoldus Heidenſtenus, & his ætate major Alexander Guagninus Italus.

§. 55. Hiſtoricos alios hic laudare, ſupervacuæ fuerit operæ. Sufficit nempe præcipuos commendaſſe. Nullæ ſcilicet non hiſtoriæ, utut rudes, juvare politica ſtudia idoneæ ſunt. Satis vero eſt in hunc quidem uſum, illas duntaxat triviſſe, quæ præ aliis ſunt commodæ. Ut hæ proinde ſolæ etiam hic commemorari debuerint.

§. 56. PROTULIT porro noſtra patrumque ætas, qui diſſertationibus & annotatis ad Hiſtoricos aliquot meliores conſcriptis, apprime hæc prudentiae civilis ſtudia in melius promoverunt. Quorum tamen inſtitutum non idem deprehendere eſt; aliis ſcilicet theſes politicas tractantibus, aliis in hypotheſibus duntaxat occupatis. Quamquam vero potius utrique illi, praecipue primi, mereantur alium in ordinem referri, fortaſſis tamen licebit uno omnes loco comprehenſos, ſtatim ipſiſmet Hiſtoricis ſubjungere; ſaltim illos, qui praeſtant. Igitur in pretio eſſe commerentur, quae ad *Thucydidem* (*a*) Enenckelius, ad Polybium J. Caſaubonus annotaverunt. Praevalent vero hiſce etiam perquam multum Nicol. Machiavelli ad Livium diſſertationes, (non enim grammatizat, ſed philoſophatur, ceu bene olim judicavit Albericus Gentilis,) ad *Tacitum* (*b*) Scipionis Ammirati. Nec vero quid vetat, illarum hic meminiſſe, quum ex italico latine verſae ſint. Poſt Ammiratum ad Tacitum docte prudenterque diſſeruit Janus Gruterus. Sed hunc etiam longo intervallo ſuperarunt Chriſtophorus Forſtnerus & Joan. Henricus Boeclerus, viri ad politicam aevi noſtri gloriam nati & compoſiti. Quae Annibal Scottus ad eundem Tacitum annotavit, boni conatus gratia quis laudaverit, non tamen facti operae pretii. Cui enim lectori non talia in mentem ſponte veniant? Meliora ſunt, quae congeſſit Berneccerus, etſi ad laudem eorum, quos paulo ante commendavi, non aſſurgant. Perquam elegantes praeterea ſunt Obſervationes politicae ad Florum & Svetonii Julium Caeſarem Jacobi Zevecotii. Verum ad omnia Svetonii & Flori plæraque quaſi regnat nunquam ſatis laudandus Boeclerus: cui ſimul Vellejum Paterculum, Cornelium Nepotem, & Herodianum illuſtratos debemus, ut Tacitum, Curtium & Juſtinum Freinsheimio ac Berneccero. Aliorum ſimiles labores non eſt quare nominatim tangamus, quandoquidem infra exſpectationem iſtam abjecti ſunt.

§. 57. Præter Hiſtoricos porro in ſingularium rerum expoſitione ita verſantur nonnulli ſcriptis EPISTOLIS, ut etiam illæ plurimum poſſint adjumenti ad prudentiam civilem conferre. Et vero in *epiſtolis* (*c*) videas accuratiſſimas & pleniſſimas nonnunquam narrationes de ipſis negotiorum maximorum arcanis: interdum & conſilia aut divinationes prudentiſſimas de futuris.

§. 58. Quamvis autem ſuperſint hodieque ex antiquo ævo etiam Græcorum illuſtrium virorum Epiſtolæ haud paucæ, illæ tamen parum juverint Politices ſtudioſum. Inter Latinos etiam veteres, nec Senecæ, nec Plinii, nec Symmachi, nec Sidonii Apollinaris ad rem hanc faciunt. Marci Tullii vero cum quas ad Atticum, tum quas ad Familiares alios exaravit, ſunt bonam partem πολιτικώτατα. Et quidem de illis jam Auguſti ævo ita præclare judicavit Cornelius Nepos *in vit. Attic.* Quum enim memoraſſet illam, quæ T. Pomponio Attico cum M. Cicerone interceſſit familiaritatem, hæc verba ſubjungit de Cicerone. *Ei rei ſunt indicio, præter eos libros, in quibus de eo facit mentionem, qui in vulgus jam ſunt editi, ſexdecim volumina epiſtolarum ab conſulatu ejus usque ad extremum tempus, ad Atticum miſſarum. Quæ qui legat non multum deſideret hiſtoriam contextam illorum temporum. Sic enim omnia de ſtudiis principum, vitiis ducum, mutationibus reipublicæ perſcripta ſunt, ut nihil in iis non appareat; & facile exiſtimari poſſit, prudentiam quodammodo eſſe divinationem. Non enim Cicero ea ſolum quæ vivo ſe acciderunt, futura prædixit, ſed etiam quæ nunc uſu veniunt, cecinit ut vates.* Dixeris idem de quamplurimis epiſtolis alterius operis, quod ad Familiares inſcribitur; ſi juſto temporis ordine ſervato, quam in vita Ciceronis Franciſcus Fabricius indicavit, & in ſua editione ſecutus eſt Siberus, eas attente legeris. Omnino vero tales ſunt ad Brutum & Quintum fratrem ſcriptæ. A Ciceronis usque ætate per complura ſecula, nihil ſimile natum eſt. Quin imo, etſi poſt reſuſcitatas literas haud pauci grandia epiſtolarum volumina ediderint, non perinde tamen Politicos juverint. Hujus notæ nihilominus reperire eſt epiſtolas complures in opere epiſtolico Æneæ Sylvii, Deſiderii Eraſmi, Philippi Melanchthonis, & Joachimi Camerarii. Quæ non adeo pridem in lucem ſunt editæ epiſtolæ *Huberti Langueti* (*d*) ad Philippum Sidneium & Camerarios, ut Jacobi Bongarſii itidem ad Camerarium, tantum non omnes agunt de rebus civilibus maximis. Sed & Augerii Gislenii Busbequii Epiſtolas turcicas, ſummo jure in politicum hunc ordinem retuleris, ut & paucas aliquot Juſti Lipſii. Cæterum omnes, me judice, ſuperant eo in genere epiſtolæ Chriſtophori Forſtneri: quibus nec prudentius, nec diſertius, nec elegantius quidquam

(*a*) *Thucydidem*). Vide *BOSIUM de comparanda prudentia civili. GOEB.*

(*b*) *Tacitum*) De hujus commentatoribus agit AMELOT DE LA HOUSSAIE *in præfat. ad Tacitum. GOEB.*

(*c*) *Epiſtolis*) LUNIGIUS aliquot epiſtolarum procerum volumina edidit. *GOEB.*

(*d*) *Huberti Langueti*) Maximum prudentiæ politicæ & arcanorum ſtatus theſaurum continent OSSATII epiſtolæ: ſed ex illis, ut Marechallus quidam falſo ſibi perſuaſum habuit, Germaniæ jus publicum addiſci nequit. *GOEB.*

Digitized by Google

quam lucem vidit: quo magis doleas, earum paucitatem. Ubi *Grotianæ* (*a*) omnes publicabuntur, habebunt ſcholæ politicæ, quare etiam Grotio hoc nomine æternas debeant gratias. *Noſtræ* (*b*) id genus editæ literæ, quoniam ſub alienis latent nominibus, ſatius eſt illas ſilentio præterire.

§. 59. Si vero linguæ latinæ limites egredi ferret inſtitutum, poſſem multo plures præclare hoc functos ſcribendi genere laudare: ſed non licet absque culpa a propoſito abire. Alia tamen eſt ratio earum, quæ latine ſunt verſæ, quales majore numero, cumprimis in Theſauro politico Honorii, reperire fuerit.

§. 60. Ab epiſtolis deliberativi quidem argumenti, parum diverſa ſunt OPUSCULA CONSULTATORIA, magni certe ad prudentiam parandam uſus. Superſunt vero ejusmodi nonnulla etiamnum ex ævo vetere. Ut Xenophontis libelli, alter de Magiſterio equitum, alter de proventibus ſeu rationibus redituum: uterque in commodum atticæ civitatis conſcriptus. Quinti item Ciceronis ad Marcum fratrem de petitione Conſulatus liber eximius. Noſtra ætas hactenus ſcripta ejusmodi juſto pauciora in lucem protulit, cæteroquin aliorum feraciſſima. Pleraque ſane agunt de Turcis oppugnandis; eminente inter hæc opuſculo Busbequiano & Soranziano. Sed non eſt operæ pretium per ſingula nunc digredi.

§. 61. De ſingularibus porro negotiis civilibus ſummo cum politicæ prudentiæ fructu agunt & ORATIONES; illæ quidem potiſſimum, quæ generis ſunt deliberativi, non tamen non & demonſtrativi generis, eæ quæ in laude aut vituperio eorum, qui in republica magnis rebus præfuere, occupantur. Bene ſcilicet etiam de Panegyricis ſermonibus Erasmus *in epiſt. ad Palud. Qui Panegyricos nil aliud, quam aſſentationes eſſe putant, prorſum ignorare videntur, cui rei genus hoc ſcripti ſit a prudentiſſimis viris repertum: nempe ut objecta virtutis imagine, improbi Principes emendarentur, probi proficerent, rudes inſtituerentur, extimularentur oſcitantes, denique ipſi apud ſe pudeſcerent deplorati.* Dudum ante Erasmum, Plinius Panegyrici hunc eſſe fructum dixerat *l. 3. ep. 18. Ut futuri Principes, non quaſi a magiſtro ſed tamen ſub exemplo præmonerentur, qua potiſſimum via poſſent ad eandem gloriam niti. Nam præcipere qualis eſſe debeat Princeps, pulchrum quidem, ſed oneroſum ac prope ſuperbum eſt,* (inquit) *laudare vero optimum Principem, ac per hoc poſteris velut e ſpecula lumen, quod ſequantur, oſtendere, idem utilitatis habet, arrogantiæ nihil.* Reapſe autem, ſaltim pleraque cum ex vero in Panegyrico narrentur, diſcere inde etiam eſt, quænam feliciter quæ infeliciter geſta evenerint. Quæ bona prudentiæ pars eſt.

§. 62. Sunt autem deliberativi ordinis *Iſocraticæ* (*c*) plæræque; plenæ profecto prudentiæ ſenilis: Demoſthenis item Olynthiacæ ac Philippicæ; ſparſim & quædam aliæ veterum decem Græciæ oratorum: Marci etiam Tullii Philippicæ in Antonium, ut & pro lege Manilia, ac contra Legem Agrariam aliæque prudentiſſimæ orationes: nonnullæ porro Dionis Chryſoſtomi, Themiſtii & Sineſii: complures vero & argumenti inſignis Libanii, Sophiſtæ ſive Rhetorices Profeſſoris publici Antiocheni. Exinde illius quidem generis raras reperire fuerit: noſtro etiam ſeculo vix quidquam tale ſuppeditante, quod quidem laudem nomine prudentiæ politicæ mereatur. Non enim annumerabo nunc huic loco, quæ hiſtoriis paſſim inſeruntur, ſuaſorias: quandoquidem pars ſunt hiſtoriarum: etſi & ſeorſim prodierint in lucem a viris præſtantibus excerptæ.

§. 63. Cæterum demonſtrativi generis, quæ juvare Politicum poſſint, græcæ quidem orationes paucæ ſuperſunt. Latinæ autem variæ, primis quatuor Chriſtianis ſeculis natæ, legi poſſunt eximio cum emolumento: maxime Panegyricus Trajano Imperatori a Plinio juniore dictus. Parentum ætas id genus abunde largita eſt. Quarum potiſſimis in duo volumina collectis atque ex officina Wecheliana editis, bene de republica nonnemo meritus eſt, ſeculi hujus ſeptimi decimi anno poſt decimum tertio. Inſignes etiam ſunt Lanſianæ declamationes, in laudem & vituperium illuſtrium Europæ regionum Tybingæ habitæ. Sed obſervandum unice venit, oratorium enthymema non ſemper habere vim ἀποδείξεως πολιτικῆς: eoque non temere omnes ratiocinationes, oratorum in ſeria veritatis politica tractatione locum invenire.

§. 64. Profuerint adhoc Politico & TRAGÆDIÆ veterum, maximorum in dramate artificum. Et quidem Græcæ Sophoclis atque Euripidis, Latinae vero, quae Senecis ſolent tribui. Agunt enim & illae de fatis triſtioribus illuſtrium in republica aliquot hominum: idque ſermone gravi & prudentiſſimis ſententiis referto. Recentiores non commendo, quandoquidem vix unus eorum & alter laudem majorum potuit aſſequi: & quia omne hoc argumentum ficti multum habeat.

§. 65. Pertinent denique huc & MONITA illa Regum maximorum, quibus filios ſucceſſores inſtruxerunt. Qualia ſunt illa mediae aetatis Manuelis Palaeologi & Baſilii Imperatorum, ut & Conſtantini Porphyrogeniti de adminiſtrando imperio libri. Noſtri vero temporis, Monita Caroli V. Imperatoris, Ludovici noni & Philippi ſecundi Franciae atque Hiſpaniae regum, Paparum item Pauli tertii & Gregorii decimi quinti: denique & Βασιλικὸν δῶρον (*d*) Jacobi Scotiae Regis. In hisce enim omnibus praecepta univerſalia rebus ſingularibus applicantur.

§. 66. AT-

(*a*) *Grotianæ*) Jam uno volumine editæ ſunt. Olim enim non niſi epiſtolæ ad Gallos exſtabant. *GOEB.*

(*b*) *Noſtræ*) Quamplurimæ jam autoris noſtri epiſtolæ typis ſunt impreſſæ; plures autem adhuc non editæ paſſim latere dicuntur. Summam adhibebimus curam, ut aliquas earum collectionis noſtræ ultimo tomo inſerere queamus. Habemus etiam SCHURZFLEISCHII epiſtolas, quæ varia eruditione & ſtyli elegantia ſunt conſpicuæ. *GOEB.*

(*c*) *Iſocraticæ*) BOSIUS §. CVI.

(*d*) Βασιλικὸν δῶρον) *Donum regium* ſive *de inſtitutione Principis ad Henricum filium. GOEB.*

§. 66. ATQVE hactenus quidem ea ſcripta, quae circa ſingularia negotia civilia ita verſantur, ut prudentiam parere ſint idonea, recenſuimus. Conſequens eſt, ut luſtremus etiam illa, quae ſuggerunt univerſalia politica axiomata ex ſingularibus jam experimentis elicita, quaeque adeo alterum ordinem politicorum librorum conſtituunt, quem ſecundo loco nos allaturos antehac promiſimus. *vid. ſupra cap. XIV. §. 2. & ſeqq.*

§. 67. Sunt autem ejusmodi univerſalia axiomata ac praecepta partim diverſis libris ſparſim permiſta, partim congeſta in unum, & quidem ſeorſim vel in politicum vel in oratorium uſum.

§. 68. Enimvero talia inſpergi ſolent, cumprimis hiſtoricis optimis quibusque monumentis. Itaque & ex re eſt prudentiae civilis ſeduli aemulatoris, excerpere ex variis ſcriptis, quae hujus ſunt generis. Hoc enim demum operae eſt politicae: multum diverſae ab ea, quae grammatici aut philologici ſtudii eſt, quamvis eodem ex libro. Qua de re hanc in ſententiam eleganter diſſerit Seneca *epiſt.* 108. *Non eſt quod mireris ex eadem materia ſuis quemque ſtudiis apta colligere. In eodem prato bos herbam quaerit, canis leporem, ciconia lacertum. Cum Ciceronis libros de republica prehendit hinc Philologus aliquis, hinc Grammaticus, hinc Philoſophiæ deditus: alius alio curam ſuam mittit. Philoſophus admiratur, contra juſtitiam dici tam multa potuiſſe. Cum ad hanc eandem lectionem Philologus acceſſit, hoc ſubnotat: duos romanos Reges eſſe, quorum alter patrem non habet, alter matrem; præterea notat, eum quem nunc dictatorem dicimus, & in hiſtoriis ita legimus nominatum, apud antiquos magiſtrum populi vocari; æque notat, Romulum periiſſe ſolis defectione, provocationem etiam ad populum a Regibus fuiſſe. Eosdem libros quum Grammaticus explicuit, primum reapſe dici a Cicerone pro reipſa, in commentarium refert, nec minus ſeipſe pro ſeapſe: deinde tranſit ad ea, quæ conſuetudo ſeculi mutavit.* Reliqua mitto, quae pari tamen elegantia Seneca adjicit.

§. 69. Non temere vero quidquam hujus generis, undecunque queat peti, a prudentiæ civilis ſtudioſo negligendum eſt. Certe poterit quis ſibi haud difficulter, ſua induſtria, hinc inde divitem ſententiarum theſaurum conquirere, ſummo cum prudentiæ profectu. Paſſim enim in omnibus, quæ jam tum laudavi, ſcriptis dicta aurea reperire eſt.

§. 70. Exſtant porro & libelli integri pleni politicorum axiomatum. Enimvero & Salomonis Regis & Siracidis opuſcula aphoriſtica, quamvis omnem vitam inſtruant, non autem ſolam tangant rempublicam, tamen multa continent & mere πολιτικά, atque ex ipſis abditis illius prudentiæ latebris eruta. Ejusdem notæ ſunt etiam Iſocratis nonnulla, ad Nicoclem, atque ad Demonicum. Ut & fragmenta plæraque Pythagorea, a Joanne Stobæo, poſt ævum Juſtiniani ante Photium tamen, collecta. Imo Stobæana collectanea plæraque, ſaltim quæ moralia auctori ſunt dicta. In cujus operis ſententiis poëticis latine vertendis multum profecto præſtitit Hugo Grotius. In medio porro ſunt Publii Syri Mimi aliorumque verſiculi, cum diſertiſſimi, tum prudentiſſimi, jam olim unum in libellum collecti: quem poſt alios quam locupletiſſime edidit Janus Gruterus. Vere enim Seneca *ep.* 8. *Quantum diſertiſſimorum verſuum inter mimos jacet! Quam multa Publii, non excalceatis, ſed cothurnatis dicenda!* Pertinet huc & Agapeti ad Juſtinianum libellus: cujus bonam partem ſuo operi & Stobaeus inſeruit. Quo ſimul apparet, non vane me de illius aetate paulo ante fuiſſe ſuſpicatum.

§. 71. Recentior quoque aetas dedit publico bono tales libellos, eosque notae optimae. Laudari merentur prae aliis: Franciſci Guicciardini Hypomneſes, poſtquam latine verſae ſunt: & *Lamberti Danai* (a) Aphoriſmi politici, quibus tamen alii recentibus adjectis exemplis pro luce tenebras fœnerati ſunt: Hieronymi item Cardani unum alterumque opuſculum, niſi quod ſine diſcrimine praecepta miſceat etiam minus honeſta, qualia profecto omnibus rebuspublicis nequaquam conveniunt.

§. 72. Quin & Paræmiarum & *Apophtegmatum* (b) libellos in hunc ordinem haud injuria forte retuleris. Sane de parœmia ita quondam ſcripſit Syneſius in ſuo ludicro Calvitii encomio, ſi quidem liceat latine verſa exhibere: *Paræmia quiddam ſapiens eſt. Quidni enim ſapiens quid? De quibus Ariſtoteles inquit, quod ſint veteris philoſophiæ magnis hominum calamitatibus perditæ reliquiæ, ſervatæ ob nervoſam brevitatem & dexteritatem. Parœmia enim & hoc & præterea dictum eſt, dignitatem habens veteris philoſophiæ, unde nata eſt, unde & iſthuc reſpicit. Veteres enim noſtri ævi hominibus veritatis fuere perſpicaciores.* Hæc tamen omnia non equidem probare auſim: quandoquidem ab adagio abeſſe poteſt τὸ γνωμικὸν, & multa eorum nihil vetus ſapiunt, ſed recentis ſunt futuræ. Quamplurima tamen adagia nata ex longo rerum uſu, ac multæ eſſe prudentiæ & quidem civilis, certum eſt. Quo ſimul liquet, omnino ad hanc claſſem, ſaltim illa πολιτικά, pene tanquam ſapientia longæ experientiæ civilis oracula, pertinere. Apophtegmata etiam politica merentur utique itidem hunc locum: præſertim ſi ſint profecta ab iis, qui rerum civilium uſum ſibi comparaverunt.

§. 73. Cæterum nusquam utilium ejusmodi axiomatum congeſtam copiam eam reperias, quam in rhetorico illo opere, quod Ariſtoteles Theodecti inſcripſit. Quum enim apprime ad negotia politica tractanda conducat, hominum mores & affectus noviſſe, horum omnium per nudas propoſitiones optimum ſane & incomparabile ſpeculum exhibet illud rhetoricum volumen: libro ſecundo cumprimis usque ad caput octavum decimum; bona tamen etiam parte libri

(a) *Lamberti Danai*) Vid. BOSIVM p. 37. GOEB.

(b) *Apophtegmatum*) Talia ſunt LYCOSTHENIS, PLVTARCHI, ERASMI aliorumque. BOSIVS p. 40. GOEB.



Digitized by Google

bri primi, qua propoſitiones continentur generi deliberativo & judiciali potiſſimum idoneæ. Quid, quod Politico itidem perquam utiles ſint propoſitiones plæræque illæ communes, de quibus agitur decimo octavo & nono decimo ſecundi libri capitibus? Certe propoſitionum illa omnis collectio non minus Politico inſervit, quam Oratori. Imo ex re Politici etiam eſt, præmittere, quaſi in anteceſſum, philoſophicæ civilium rerum doctrinæ, talem propoſitionum congeriem, perinde atque Mathematici ſolent dare ſua axiomata: utpote quum reapſe ſint principia politicarum demonſtrationum. Qua de re jam tum nonnulla monuimus *cap. XI. §. 6.*

§. 74. Obſervandum vero etiam atque etiam eſt, non tuto ſemper illis propoſitionibus vel axiomatibus credi. Etſi enim quæ ut plurimum veritati ſunt conſentanea, uſum ſuum politicum habeant; quædam tamen nimis præcipitanter ſolent, unius aut alterius duntaxat eventus gratia, ab imperitis ſubinde pronunciari. Qualia ad politicas conſultationes, quippe quæ debeant per demonſtrationes, non autem per incertas dialecticas argumentationes inſtitui, inepta ſunt. Docuimus vero jam tum, quam circumſpecte & caute ex ſingularibus univerſalia debeant axiomata elici: itaque non difficile fuerit ad illam amuſſim politicarum propoſitionum veritatem explorare.

§. 75. Operæ autem præterea pretium fuerit, ad tria cumprimis attendere. *Primum* a quo auctore profecta ſit ſententia aut propoſitio aliqua: num ſcilicet is ſit, cui ſecure poſſis fidere. Hoc eſt: num valuerit rerum uſu, & judicii aliquo inſigni acumine: An unus id dixerit, an vero multi alii: porro prudentes in idem conſenſerint. Nec enim temere magnus prudentum numerus ſolet falli. Eſtque veriſſimum illud Ariſtotelis *l. 6. Nicom. cap.* 12. δεῖ προσέχειν τῶν ἐμπείρων, καὶ πρεσβυτέρων, καὶ φρονίμων ταῖς ἀναποδείκτοις φάσεσι, ὀυχ᾽ ἧττον τῶν ἀποδείξεων: Διὰ γὰρ τὸ ἔχειν ἐκ τῆς ἐμπειρίας ὄμμα ὁρῶσι τὰς ἀρχάς. *Uſu peritorum & ſenum & prudentium pronunciatis, etſi haud demonſtrata fuerint, non minus quam demonſtrationibus attendendum eſt. Quia enim per experientiam quaſi oculum conſecuti ſunt, pervident ipſa principia.*

§. 76. Eſt *ſecundo* animus ſemper flectendus ad experimenta, atque cum illis comparanda propoſitionum quarumvis certitudo: in quantum fieri poteſt.

§. 77. *Tertio* indaganda ſtatim eſt, quoad licet, pronunciati cujuslibet cauſſa. Hac ſane inventa, non eſt quod amplius dubites.

§. 78. Cæterum tempus eſt uti ad TERTIAM claſſem politicorum ſcriptorum jam aggrediamur. Cujusmodi ſunt, quæ magis ἐπιστημονικῶς politica negotia pertractant.

§. 79. Sunt autem id genus libri ratione quidem argumenti, triplices. Aut miſcellanei ſcilicet, aut circa partem aliquam Politices ſeorſim occupati, aut integram Philoſophiæ hujus methodum promittentes. Tractandi vero ratio, alia eſt inepta plane, alia popularis & quaſi ἐξωτερικὴ, alia denique vere philoſophica & ἀκροαματικὴ. Docuimus vero jam tum prolixe ſatis *cap. X.* quemadmodum habere ſeſe debeat accurata quævis politici cujuslibet argumenti, ſive integræ nimirum illius civilis philoſophiæ, ſive partis, tractatio: eoque non jam multum difficile cuiquam fortaſſis fuerit, illa quidem regula obſervata, cenſuram politicorum id genus librorum ſuapte opera inſtituere, atque adeo licuerit nobis ab illo quidem invidioſo labore abſtinere. Dicemus tamen ſententiam, prout incepimus, ſaltim de iis ſcriptis, quæ præ reliquis in pretio haberi novimus: omiſſis nimirum, quæ inepta plane, aut communi omnium calculo quaſi jam improbata, aut denique & raræ ſunt frugis. Nec vero omnes hic tangere operæ eſt pretium, & fuerit hoc laboris prope infiniti.

§. 80. Igitur ad *miſcellaneos* meliores pertinent illi etiam ex parte, qui ad Hiſtoricos veteres commentantes, θέσεις πολιτικὰς varias agitavere: quales præcipue ſunt Scipio Ammiratus, J. Gruterus, Nicol. Machiavellus, & Chriſtoph. Forſtnerus, jam ante a me hoc nomine laudati. *Vid. c. XIV.* §. 56. Præter hosce autem inſignem operam hic præſtitere Marnixius, Marettus, Frachetta & Zuccolus. A Naudaeo inferiore his loco poſiti quidem ſunt, Piccartus, Junius & Scherbius. Verum Scherbii quidem id genus haud recordor me videre: Piccartum autem nemini ego ſecundum dixerim. Non etiam hisce cum Naudaeo ego accenſuerim Paulum Parutam, quem ille non dubitavit *Deum in hoc genere ſummanum* appellare. Nec enim theſes politicas pertractat, ſed hypotheſes (perquam egregie tamen) de rebus ſcilicet romanis, graecis, aut Venetis agens. Forte etiam Parutae nulla hic mentio fieri debet, quia italice tantum legitur: dubito ſane, num lucem viderit latina interpretatio, quam Chriſtophorum Warſevicium curaſſe teſtatur Simon Starovolscius *l. de ſcript. Polon.* Pleni porro ſunt prudentiae Verulamii ſermones fideles, quos inſcripſit, & Didaci Saavedrae Symbolica. Nec aſpernandae Diſſertationes Joannis Loccenii ut & Ponticæ Diſquiſitiones anonymae illae, quae *Boxhornium* (a) videntur auctorem agnoſcere. Aliae videlicet ab iis Diſſertationibus, quae de Romanorum imperio eundem auctorem habent, & non tam theſes, quam hypotheſes romanae rei politicas illuſtrant. Dignae praeterea lectu ſunt Clapmarii, Kirchneri, Felvvingeri, & aliorum Germanorum noſtrorum Politicae diſputationes. In primis vero laudandae veniunt Bœcleri diſſertationes Academicae. Non infimae quoque ſunt notae Comitis Malvezii illa, quae variis opuſculis latine prodierunt, a Naudaeo autem ſupra meritum extolluntur. Miſcellanei argumenti eſt & Policraticus Joannis Sariſberienſis, ſupra temporis ſui conditionem multa ſapientia refertum ſcriptum.

§. 81. Eorum vero, qui *partem aliquam Philoſophiæ hujus* attigerunt, librorum prope immenſus eſt numerus. Horum autem bona pars ingenue profeſſa eſt argumenti ſui anguſtos limites, nonnulli tamen videri voluerunt exhibere integrum prudentiae politicae, ut ita loquar, Oceanum.

(a) *Boxhornium*) BOSIUS §. 45.

num. Eam ſane culpam jam tum olim in ſui ævi politicis ſcriptoribus Ariſtoteles notavit *l.* 4. *Pol. c.* 1. qui ſcilicet dum optimam reipublicæ formam tradere conarentur, credidere ſatis ſeſe feciſſe univerſæ Philoſophiæ illius inſtitutioni. Et vero ex omni iſto quidem ævo vetere, præter Ariſtotelem, qui non illum in lapidem impegerit, habemus neminem.

§. 82. Superant vero hodieque illius generis aliquot ex Pythagoræ præcipue ſchola libelli philoſophici, pleni ſanctorum præceptorum; non integri tamen, ſed potius librorum ſegmenta nec niſi in opere Stobæano, imo παραγγέλματα magis, quam ἀποδεικτικὰ, ac proinde in ſecundam politicorum ſcriptorum claſſem jam tum a nobis relata. *Vid.* §. 70. *h. c.* In quibus hoc etiam deſideraveris, quod nec univerſa illa, quæ in optima republica agenda veniunt, vel attigerint.

§. 83. Omnes ante ſe natos longo intervallo hoc in ſtudio ſuperavit Plato, cum aliis aliquot dialogis conſcriptis, tum maxime præclaris duobus iſtis operibus, quorum alteri de republica nomen eſt, alteri de Legibus, quæ rara felicitate ad nos usque, ut Platonica alia plæraque, incorrupte pervenerunt.

§. 84. Agit autem Plato primo quidem opere de optima republica ejusmodi, quam optare quidem licet, non autem conſequi: atque adeo animo & oratione quaſi formavit ideam duntaxat aliquam & exemplum bonæ reipublicæ. Hinc legere eſt libro quinto: Τί οὖν, καὶ ἡμεῖς παράδειγμα ἐποιοῦμεν λόγῳ ἀγαθῆς πόλεως; Libro ſexto: οὐδ' ἡ πολιτεία ἣν μυθολογοῦμεν λόγῳ, ἔργῳ τέλος λήψεται. Libro item nono civitas hæc appellatur, πόλις ἐν λόγοις κειμένη, addito: ἐπεὶ γῆς οὐδαμοῦ οἶμαι αὐτήν. Proclo hæc respublica dicitur *l.* 1. *comm.* παράδειγμα πολιτείας τῆς τῷ ὄντι θείας. Maximo Tyrio *Diſſ. VII.* ξυνοίκησις καὶ ἡ πολιτεία γιγνομένη λόγῳ, κατὰ τὸ ἀκριβέστατον μᾶλλον ἢ χρειωδέστατον. Apulejo eleganter *figmentum veritatis.* Non tantum vero hactenus talis reipublicæ forma nusquam eſt reperta, ſed etiam reipſa nec inſtitui poteſt: ceu recte judicavit Gregorius Nazianzenus στηλιτ. Ut omnino deliraverit Plotinus, ejusmodi rempublicam condere in Campania molitus: quod in ejus vita narrat Porphyrius. Vel hinc igitur patet, illud quidem opus politicum parum utile eſſe humanis rebus. Laborat vero ſimul monſtroſa etiam doctrina de communione mulierum: ut & alienis quidem quammultis, defectu vero eorum, quæ maxime docenda fuerant. Quæ vitia jam tum alibi prolixius notavimus. Non tamen & nulla perquam egregia docet opus illud, eſtque dignum, quod cum cura verſetur. Utilitate autem & fructu longe ſuperatur hoc volumen ab eo, quod de Legibus inſcribitur. Agit enim quidem & illud non niſi de beata republica, attamen major ibi habetur ratio ejus ſortis, qua humanum genus poteſt frui. Plurima ſane docet de omnibus pene, quorum in civili ſocietate poteſt uſus eſſe, non ſumma duntaxat ſermonis ſuavitate, ſed & inſigni prudentia. Præclarum profecto opus & nulli temere eo in genere ſecundum, etſi itidem vitiis ſuis non careat.

§. 85. Quo magis dolendum, lectores utrique operi hodie raros reperiri, commentatores itidem idoneos pene nullos. Supereſt nimirum Procli quidem in Politicen commentarius, quem Conradus Geſnerus latine vertit; eſt tamen non niſi *Expoſitio difficiliorum quæſtionum, quæ in decem de republica libris poſſunt occurrere, circa poëſin & fabulas Homeri.* Fertur & Plethonis commentarius in primum de legibus, ſed hactenus non niſi manuſcriptus & momenti exigui. Manuducere interim nonnihil ad lectionem utriusque operis poterit ſumma a Joanne Sleidano confecta: tantum vero manuducere & quidem tyronem. De tribus aliis ita ſcribit Naudæus *in Bibliogr. Ad Platonem quod attinet, tres quos noverim commentatores ſolummodo nactus eſt. Antonium nempe Montecatinum, qui libros de republica Platonis & Ariſtotelis diexodicis notis, tabulis, diſtinctionibus explicare conatus, neque ſibi, neque lectori ſuo ſatisfecit: & Sebaſtianum Foxium Marzilium, qui multa paucis, ac Pompejum Gariglianum, qui pauca multis, complexi ſunt.* Quam ſententiam nec probare, nec rejicere poſſum, quoniam eorum nihil mihi lectum eſt hactenus: quamvis haud ignorem, in aliis cum Montecatinum, tum Foxium ita ſe geſſiſſe, quemadmodum hic judicavit Naudæus. Cujus quæ ſubjungit verba, non poſſum non & ego hic addere. *Utriusque vero libros, Platonis videlicet & Ariſtotelis, Ludovicus Regius, Henrici ſecundi Galliarum Regis aulicus, græce ac latine eruditiſſimus, ornate primum in linguam noſtram* (gallicam nimirum) *translatos apparere fecit, eosdemque demum tantæ doctrinæ copia, & exemplorum apparatu nobiliſſimo illuſtravit, ut licet gravitate cæteris ſit inferior, varietate tamen atque uberrimo fructu, qui ex ipſius lectione percipitur, veniat in primis commendandus.* Hæc Naudæus, & quidem recte. Sed Regii illa deſiderant latinum interpretem.

§. 86. Ad Platonis exemplum componens ſeſe Marcus Tullius Cicero, itidem alterum de Republica, alterum de Legibus volumen conſcripſerat, utrumque in uſum reipublicæ optimæ. Hinc Atticum ita loquentem facit l. 1. de LL. *Quoniam ſcriptum eſt a te de optimo reipublicæ ſtatu, conſequens eſt, ut ſcribas tu idem de Legibus. Sic enim feciſſe video Platonem illum.* Libro 3. de LL. ipſemet Cicero ſic ſcribit: *Quoniam leges damus liberis populis, quæque de optima republica ſentiremus, in ſex libris ante diximus, accommodabimus hoc tempore leges ad illum, quem probamus, reipublicæ ſtatum.* Verum primi nihil eſt reliquum, præter fictum Scipionis ſomnium: Alterius tres ſuperant libri item mutili: eoque parum juvant ſtudia politicæ prudentiæ, nec tamen aſpernanda, cum ſint frugifera.

§. 87. Plutarchi quæ ſuperant politici argumenti opuſcula παραγγέλματα magis ſunt, aut popularia, quam vere ἐπιστημονικά.

§. 88. Præter hæc vero ex omni priſco ævo neque græcum neque latinum hujus claſſis ſcriptum reperitur. Imo nec Arabicum quidquam extat, quod quidem latine verti hactenus meruerit, præter exiguum Averrois libellum, & parvi commodi.



Digitized by Google

§. 89. Seculo demum Chriſtiano tertio decimo prodiere ſcripta Politica duo, utrumque de Regimine principum. Alterum referri vulgo ſolet in Thomam Aquinatem auctorem: ſed error jamdudum a doctis eſt animadverſus. *Vid. Bell. l. de ſcr. Eccleſ. & l. V. de Pontif. c. 5.* Forte eſt ſcriptum illud Thomæ Anglici, ac demum quarto decimo ſeculo exaratum. Quamvis autem Aquinatis acumen & doctrinam non ſapiat, non tamen eſt vacuum bonæ frugis. Alterum eſſe Ægidii Columnæ ſive Romani, Aquinatis diſcipuli & ſectatoris, certius eſt. Teſtatur enim Paulus Æmilius *init. lib.* 8. in gratiam Philippi Pulchri Galliæ Regis, cui Ægidius ille fuit perquam carus, monumenta illa, quæ extant, de regimine Principum conſcripta eſſe. Sunt vero ejusdem cum prioribus illis notæ. Exſtant autem & genuini de eruditione principum Thomæ Aquinatis libri ſeptem, ſatis docti & commodi.

§. 90. Ludovico IV. Imperante poſteritati non minus, quam Cæſaris cauſſæ nomen & doctrinam probavit Marſilius Patavinus, ſuo Pacis defenſore, libro eximio.

§. 91. Excitatis vero jam literarum humaniorum ſtudiis, ingens numerus variorum hoc genus librorum paſſim terrarum in lucem editus eſt, cumprimis autem de Principatu. Hos inter varia eſt fama & perquam nobilis Nicolai Machiavelli labor. At de illo ſilere nunc nobis licet, quoniam in medio ſunt noſtræ in illum politicæ animadverſiones. Eminent vero maxime, argumenti hujus Politica Juſto Lipſio auctore conſcripta. Idque merito: ob perſpicuitatem, brevitatem, ordinem in docendo, doctrinæ amplitudinem, & vim magnam hinc inde ex optimis ſcriptoribus ſelectarum ſententiarum, eamque inuſitata felicitate connexam. Ne quid tamen diſſimulemus, elegans etiam liber ille non uno laborat modo. *Primum* enim non profecto omnia, quæ argumento illi propria ſunt, perſequitur, ſed omittit multo utiliſſima. Dum ſcil. non enumerat varias principatuum differentias, quæ tamen multum inter ſe & ſpecie differunt, ac ſuas quæque mutationes ſuam conſervandi rationem poſtulant: dum nihil de ortu, nihil de interitu, nihil de diverſis mutationibus principatuum docet: dum tacet, quemadmodum pro populi temporis, locique diſcrimine principatus quilibet debeat inſtitui: dum denique pauca duntaxat attingit conſervandorum principatuum remedia. Multus *ſecundo* eſt in iis, quæ ad communiorem attinent de rebuspublicis doctrinam, ab hoc loco autem ſunt aliena. Imo nihil pene totius operis magis ad principatum pertinet, quam ad quamvis reipublicæ ſpeciem aliam. Agnoſcit ipſe Lipſius *in not. ad Tit. libri.* librorum *priorem partem velut commune eſſe* *πρωτόυλιον* *ad quamque rempublicam, & paſſim præcepta* dari *ad civilem vitam.* At vero nec liber ſecundus quidquam habet, excepto cap. ſecundo & tertio, quod non ſit obſervandum omni ſummæ poteſtati cujusvis reipublicæ: Libri tertii item & quarti perpauca unice principatum attinent: Quinti & ſexti nihil non commune eſt. Non nego, etiam illa elegantia eſſe, peregrinitatem duntaxat accuſo. Utitur quidem *tertio* Lipſius plærumque aureis hinc inde petitis ſententiis, ſæpe tamen abſciſſas autorum φράσεις pro ſententiis, ſententias etiam in diverſum plane ſenſum a ſe flexas identidem adducit: quo vis probationibus ſubducitur. Mitto nævos formoſi corporis alios.

§. 92. Et vero hiſce morbis oſtenſis, non opus etiam eſt, ut ſeorſim de aliorum ejus argumenti libris quidquam adferamus. Facile ſcilicet cuivis fuerit & his longe plura majoraque vitia in omnibus aliis deprehendere; etſi ſingulis ſua merito laus maneat.

§. 93. Nimis operoſum porro fuerit, quaſi ad cenſuram huc convocare quosvis recentioris ævi libros politicos alios μερικούς. Ac proinde nec illam operam nunc aggrediemur: contenti quaſi verbo tetigiſſe ſolum Chriſtophorum Beſoldum, quo nemo unus plura id genus & magis varia edidit volumina. In iis autem omnibus merito laudaveris auctoris induſtriam, multam lectionem, & ingenuum candorem. Ut igitur non poſſint non eſſe commoda. Quia vero ſcriptionis ratio tantum non omnis eſt, & tumultuaria, & ſcatens alienis atque ad rem non facientibus, & juſto argumentorum robore paſſim deſtituta, ſubnixa vero identidem loco teſtimonii nominibus inanibus, nunc quidem magnorum, nunc autem & nullius pretii hominum: quid ex operoſis illis libris exſpectari poſſit, jam manifeſtum eſt.

§. 94. SUPEREST, ut de iis etiam voluminibus, quæ integrum corpus civilis prudentiæ tradere pollicentur, (de eorum tamen iis duntaxat, quæ præ aliis in magna ſunt opinione: nec enim operæ fuerit pretium omnia ſollicitare) ſaltim paucis ſententiam noſtram adferamus.

§. 95. Eſt autem horum ut antiquiſſimum, ita & omnium primum Ariſtotelis opus politicum. Nec enim Ariſtotele prior quisquam tale quid vel conatus fuit. Quoniam vero ſingulari libello de opere iſto ariſtotelico prolixe jam diſſeruimus *in introd. in Pol. Ariſt.* non eſt, quare hîc agemus actum. Ibidem vero etiam de ariſtotelici illius operis cum interpretibus, tum commentatoribus ſententiam diximus: igitur etſi etiam hi pertineant ad claſſem hanc politicorum auctorum ultimam, hîc tamen non minus ſine injuria præteriri poſſunt.

§. 96. Ne vero ſtatim ad alia pergamus, vetat hîc ſeſe inexſpectato objiciens nobis noviter enata quorundam haud inepta tamen opinio. Docuimus ſcilicet, Ariſtotelem integram de omnis generis rebuspublicis philoſophiam tradere conatum, atque adeo ſi & gens aliqua in unam civitatem coëat, hujus quoque reipublicæ conſtituendæ conſervandæque ſcientiam Ariſtotelem promittere. Hi ex adverſo, de urbium duntaxat liberarum republica iſthoc in opere agi, nec aliud agere Ariſtoteli fuiſſe propoſitum, eoque *uſum ſcientiæ* Politicæ, *quam Ariſtoteles proponit, anguſtis admodum terminis incluſum eſſe, niſi præcepta ejus per ſimilitudinem & analogiam quandam aliis ſocietatibus accommodemus*, exiſtimant. Et vero poſſit cui videri veroſimilis hæc opinio. 1. Etenim certum utique eſt, ariſtotelicam doctrinam iſtam tantum περὶ πόλεως aut de civitate agere. Atqui civitas a gente palam diſtinguitur, cum multis locis, tum præcipue illo illuſtri cap. 3. libri tertii, ubi Baby-

Babylonem gentis potius, quam civitatis circumſcriptione contineri dicitur. 2. Quoties *ſecundo* exempla civitatum adducuntur, non niſi urbium fieri videtur mentio, ut toto libro politicorum altero. 3. Quæ *tertio* Ariſtoteles in civitate vult obſervanda aut conſtituenda eſſe, illa ſolarum urbium, non gentium rebuspublicis conveniunt: ut de publicis conviviis aut ludis inſtituendis, de prohibendo, ne quis usque a certo ad civitatem loco agrum poſſideat, de diviſione eorum, quæ ex vectigalibus proveniunt, de magiſtratuum in civitate numero & differentiis, de partibus civitatis, ſive civium diviſione in divites, pauperes, agricolas, mercatores, artifices & operarios. 4. Eſt *poſtremo* ex iis, quæ ab Ariſtotele diſſeruntur manifeſtum, finem bonæ reipublicæ, h. e. vitam beatam, niſi in ſola urbe obtineri, non in ulla gentis integræ republica.

§. 97. Quantumvis autem hæc ſint ſpecioſa, a vero tamen multum abſunt. Alibi pro dignitate id demonſtrabitur, nunc pro inſtituti ratione ſuffecerit paucis hæc ſola notaſſe. In antecesſum ſcilicet obſervandum venit, Ariſtotelem nusquam vel verbulo egiſſe de diſtinctione inter urbis & gentis rempublicam; nec tamen vero eſt ſimile, tantum politices magiſtrum hoc diſcrimen ſilentio voluiſſe præterire, atque ita imperfectam tradere hanc *Philoſophiam*. (a) *Ad* 1. Jam vero fateor & ego, vocem πόλεως aut civitatis ſignificare etiam urbem; ſignificat autem & quemvis hominum cœtum, qui eſt ſui juris, atque adeo & illum, qui una urbe non comprehenditur. Poſteriore utique ſignificatione τὸ civitas ab optimis quibusque latinis ſcriptoribus ſolet accipi, etiam de integris gentibus una communi republica utentibus. Par eſt ratio vocis græcæ. Eoque πόλεως vocabulum æque late patet atque πολιτείας, & in politica doctrina propria hæc demum eſt vocum πόλεως & civitatis acceptio. Verum igitur quidem eſt, aliud gentem, aliud civitatem eſſe: quippe quum unius gentis multa interdum ſint civilia corpora: nihil vetat tamen, interdum & integræ gentis unam civitatem eſſe. Hoc certe nusquam eſt negatum ab Ariſtotele, etſi illi viſum fuerit civitatem beatam anguſtis finibus contineri. *Ad* 2. Nihil porro eſt falſius, eo quod Ariſtoteles non aliis civitatum exemplis ſit uſus, quam urbium. Utique enim ipſo libro ſecundo politico agitur de republica Cretenſi, quæ non conſtitit una aliqua urbe, ſed totius inſulæ ambitu. Paſſim ſit mentio reipublicæ Theſſalorum, Achæorum, Chiorum, Cnidiorum, Cypriorum, Rhodiorum, Perſarum, Ægyptiorum, Macedonum, ſimiliumque non urbium amplius ſingularum, ſed gentium. Totidem autem indubie agnovit Ariſtotelis πόλεις, quot πολιτείας. *Ad* 3. Falſum etiam eſt, quæ Ariſtoteles docet omni civitati communia eſſe oportere, non etiam in gentibus integris habere locum. Tantum hoc verum eſt: non omnia, quæ Ariſtoteles docet in civitatibus vel plærisque, vel exacte beatis inveniri, pari modo in civitatibus quibusvis etiam ampliſſimis habere ſeſe. Sunt autem talia bonam partem, quæ enumerata ſunt tertio loco; quædam tamen eorum & in gentium civitatibus obſervare eſt. Et vero agnoſcit utique Ariſtoteles inter regni ſpecies & Barbaricum regnum Perſarum atque Ægyptiorum, quorum utrumque fuit gentile. *Ad* 4. Nulla denique vis ſequelæ eſt: ſi omnibus numeris beata civitas non poteſt integram gentem comprehendere, ergo id nulla poteſt civitas. Imo vero nulla reipublicæ forma exigit (præter forte beatam, & illam ultimam Democratiam, ubi populus magiſtratui & legibus nihil fere relinquens, quælibet negotia publica curanda ſuſcipit) eam civium vicinitatem, quæ unis mœnibus poſſit comprehendi. Nec civitatem Atticam tum demum cœpiſſe quisquam hactenus docuit, quando Theſei ductu Athenienſes unam in urbem commigraverunt.

§. 98. Non fert hic locus prolixius hoc argumentum tractare. Ex hiſce paucis vero haud dubie jam tum liquet, ſine cauſſa ariſtotelicæ doctrinæ ampliſſimæ juſtam laudem a nonnullis detrahi, intra urbium anguſtias omni Politica Ariſtotelis prudentia quaſi per vim compulſa. Redire ergo licet nobis in viam, unde digreſſi ſumus.

§. 99. Poſt Ariſtotelem (de Theophraſto enim non habeo, quod dicam, quoniam ſcripta ipſius Politica Laertio memorata dudum periere) mille octingentos amplius annos, nemo quisquam nobiliſſimam hanc & ſplendidiſſimam Philoſophiam integram docere, ſuopte quidem ductu (nam ariſtotelici operis commentatores jam tum ſejunxi) aggreſſus eſt. Patrum denique & noſtra ætate non defuere, qui magno auſu id tentaverint. Quorum bene de republica merendi ſtudium qui non laude dignum cenſeat, improbus ſane fuerit: vereor autem, ut quiſquam eorum ſpem juſtam expleverit. Ut ego ſane haud diſſimulem quod ſentio; bonæ eorum parti uſu fere id contigit, quod in Sophiſtis olim, poſt Socratem ac Platonem Ariſtoteles animadvertit *l.* 1. *Rhet. c.* 2. nempe ut ignoraverint id etiam, quid vere ſit politice, atque adeo præ ἀπαιδευσία Philoſophiæ hujus, in ipſa janua, quod dicitur, impegerint. Alii ultra tyrocinia Politica vix progreſſi ſunt. Quidam ad aliena delapſi, τὰ πάρεργα quidem operoſe tractavere, τὸ ἔργον autem parce admodum, imo jejune. Rari aliquot locis ultra Ariſtotelem excurrerunt, nec tamen niſi aliquot paucis locis, atque ita, ut alibi Ariſtotelis laceram quamvis mutilamque doctrinam ne quidem aſſequi valuerint. Nemo omnium hactenus Philoſophiam hanc univerſam integra methodo comprehendit.

§. 100. Dedit autem tantos magiſtros & Italia & Gallia & Germania noſtra, numero perquam magno. Verum ſatis eſt, paucorum hîc duntaxat meminiſſe: quoniam reliquos ad idem examen revocare, non poterit amplius eſſe difficile.

§. 101.

(a) *Philoſophiam.*) Idem cum in Ethicis accurate ſpecies prudentiæ enumeret, ne quidem verbulo tamen memorat ſingularem ſpeciem, quæ gentis integræ rebus conſulat, tanquam illa ſit diſtincta a prudentia civili. Ut proinde etiam hîc non fuiſſet boni doctoris functus officio Ariſtoteles, ſi vera fuerit illa nova ſententia. *CONR.*



Digitized by Google

101. Italorum vero huic claſſi nolo accenſere Cyriacum Strozzam, quamvis ſupplementum ariſtotelici operis exhibere voluerit. Nec enim niſi partem dare ipſemet voluit hujus doctrinæ. Nec ſatis tenuiſſe illum, quidnam deſit ariſtotelico operi, liquet (niſi fallor) abunde ex iis, quæ prolixe in introductione *c. 6. & 7.* ſumus perſequuti. Nec temere quis tractandi rationem Strozzianam, vere philoſophicam aut ariſtotelicam dixerit: imo ipſe Strozza id agnovit. Franciſci Philelphi de republica libri gravitate ſcribendi ſunt eximii: ad Platonis tamen imitationem magis, quam Ariſtotelis compoſiti; ac proinde de republica optima quidem diſſerunt aliquid, non autem de omni. Franciſci Patritii de republica opus, quod inſcripſit, diſtinctum plane eſt ab illo ejusdem de principatu: quod unum ſatis eſt indicando, neutiquam omnem civilem Philoſophiam ab iſthoc volumine exſpectandam. At vero nec ille de principatu ſatisfecit ſuo titulo. Non male de utroque volumine id dixeris, quod de priore Naudæus *in Bibliogr. Polit.* Verba ejus hæc ſunt. *Eodem ferme tempore Franciſcus Patricius Senenſis farraginem quandam exemplorum ſub reipublicæ titulo, puerorum credo uſui, ac chriarum in ſcholis compoſitioni, evulgavit: tantum disſimilis alteri Franciſco Patricio Romano, qui nonnihil pariter de hac re inter opuſcula juvenilia protulit, quantum noctua aquilæ, aut anſer diſpar eſt olori.* Non indocti quoque ſunt libri, quos de civili facultate inſcripſit Adovardus Gualandus Piſanus: at Politicæ prudentiæ perparum, plus moralis continent. Omnibus hiſce præſtant, licet mole exigui, & in carcere ſine omni librorum auxilio alienum ad calamum dictati, politici Aphoriſmi Thomæ Campanellæ, quos Latine verſos partem tertiam philoſophiæ realis inſcripſit Thobias Adami. Arguunt ſane capax atque verſutum auctoris ingenium: perinde atque liber de Monarchia hiſpanica prodit peritiam rerum publicarum præcipuarum hujus ævi, in dudum captivo utique admirandam. Cæterum hi Aphoriſmi tangunt quidem Politicæ Philoſophiæ perquam multa, plene nihil exſequuntur: plura etiam docent perperam, quam a Grotio animadverſa ſunt: quod nos forte alias demonſtrabimus. Palmam omnibus præripiunt Ludovici Septalii de ratione ſtatus libelli, quos ex meo conſilio Latine dedit Joannes Garmers doctiſſimus Hamburgenſium Medicus. Nec tamen ultima primis accurata docendi ratione reſpondent, deficiente in poſtremis magni ſenis (fuit enim Septalius Philoſophus pariter & Medicus χαριέστατος) ſive induſtria, ſive animo ipſo. Utque illa, quæ ex uſu ſunt cujuslibet formæ regiminis, hinc non incommode accipias, alia tamen omnia Politicæ Philoſophiæ capita fruſtra exſpectaveris.

§. 102. Inter Gallos duo excellunt in primis, vaſtis uterque voluminibus, uterque ſimul & Romani juris peritia clarus; quod rariſſimum. Alter eſt Petrus Gregorius Tholoſanus, alter Joannes *Bodinus.* (*a*) Ille vero potiſſimum occupatus eſt in iis, quæ ad νομοθεσίαν faciunt, non omnium tamen reipublicæ ſpecierum, ceu fieri par erat, ſed vel optimæ vel Regiæ: reliqua vix leviter attingit, etſi ſint momenti ad rempublicam gerendam maximi. Diſputat quoque plærumque, ſuffultus magis auctoritate legum romanarum & noſtri ævi Juris doctorum, quam veris ſolidisque politicæ prudentiæ principiis. Et tamen auctoritas illa legum & Doctorum juris, demonſtrationem politicam ſuppeditare nequit, ſed duntaxat dialecticam veriſimilitudinem. Nihilominus ſi legislationem ſpectemus, eo majore fuerit in pretio habendus Gregorius, quo pauciores ſunt in politicis noſtri ævi, qui in hac civilis Philoſophiæ parte quidquam operæ collocaverint.

§. 103. Per alia quæque ſeſe magis quidem diffudit Joannes Bodinus, nec tamen quæ ad leges attinent plane neglexit. In utroque tanto felicius Tholoſano, quanto major fuit ingenii capacitate, & hiſtoriarum omnis generis inuſitata peritia. Et vero princeps hic, omnium pene & ſui & veteris ævi rerumpublicarum cognitionem, ad culturam civilis hujus Philoſophiæ, rariſſimo poſt Ariſtotelem exemplo, attulit. Illa certe inſignis peritia paſſim claret & in methodo hiſtorica pariter & in illo de republica opere: in aliorum ſcriptis politicis per eſt infrequens. Attamen debuiſſent illæ hiſtoriæ non ea prolixitate ipſi doctrinæ Politicæ commiſceri, ſed tradi ſeorſim: ceu prudenter factum ab Ariſtotele, & faciendum eſſe jam demonſtravimus *cap. XI.* §. 6. Turbant certe lectores plurimum illæ frequentiſſimæ digreſſiones hiſtoricæ, ſæpe ad rem parum aut nihil facientes. Solet vero Bodinus & alia quammulta plane aliena doctrinæ ſuæ omni miſcere, ac tumultuaria iſthac ſcriptione lectori quaſi crucem figere: a quo vitio Ariſtoteles ſibi ſtudioſe cavit. Nimis porro manifeſtum eſt, nec univerſum argumentum politicum a Bodino vel levi brachio eſſe attactum, nec quidquam pene juſto ordine, aut ex ſolidis principiis ἀποδεικτικῶς eſſe traditum. Ne nunc dicam, quam Bodinus, dum eſt novitatum juſto ſtudioſior, ſæpe paſſim ſcleat vapulare. Ut conſentiam igitur quidem Naudæo, *cæteros* recentiores quosque ab illo memoratos *in Bibliogr. Pol. uni Bodino tantum concedere, quantum lenta ſolent inter viburna cupresſi*: in univerſum tamen omnes, *quicunque unquam de republica libros edidere*, atque adeo & ipſummet Ariſtotelem, a Bodino victos, a veritate quam longiſſime recedit. Proindeque nemo etiam temere πεπαιδευμένος τὰ πολιτικὰ fatebitur, quod *fatendum* eſſe Naudæus ſcripſit: Rempublicam Bodini, *opus eſſe elaboratum ingenio, expolitum induſtria, perfectum judicio, & ita numeris omnibus abſolutum, ut qui ab ipſo diſceſſerit, haud disſimilis videri posſit nautis illis antiquioribus, qui neglecta vel ignorata cynoſuræ præſtantia, navigationis ſuæ curſum ad avicularum quarundam placitum dirigebant, ſæpiusque per cautes & ſaxa præcipites ferebantur.* Mihi Politicus magnus eſt Bodinus, (nec enim probatur illud Cujacii ἀναγραμματιστικὸν σκῶμμα *Andius ſine bono*) major futurus ſi ipſe voluiſſet eſſe minor, & vaſtum ingenium ac diffuſam lectionem freno apodicticæ artis coërcuiſſet intra modum, & in

(*a*) *Bodinus.*) Quid in eo reprehendat GROTIUS, vide *in prolegom. libri de I. B. & B. GOEB.*

Digitized by Google

in magis ſolido collocaſſet. Quod Thuanus refert *l.* 117. Bodinum, de *Henoticorum motuum clauſula, admirando præſagio, annum & menſem quo pax, cum minus putabatur, coitura eſſet prædixiſſe, eventu indicium comprobante*, id vereor, ne non tam civilium rerum prudentiæ, quam illi, cujus Bodinum ſua jam *Dæmonomania* ſuſpectum haud immerito fecerat, malæ arti ſit tribuendum. Cum præſertim a religioſo veri numinis cultu alienum hominis animum, opus impium arcanorum plusquam manifeſtum reddiderit.

§. 104. Serius Gallis pariter atque Italis Germani noſtri operam ſuam ad politicam philoſophiam tradendam appulerunt: ſed tarditatem ſaltim multitudine librorum compenſaſſe credi poſſint, ſi omnium par eſſet bonitas. Deprehendere autem eſt, noſtratium illos libros, paucis exceptis, ab imperii germanici, quod tantum ſingularis quædam respublica eſt, notitia haud potuiſſe politicam philoſophiam diſcernere, pudendo ſane & neutiquam ferendo errore. In paucis autem illis familiam ducit relectionum politicarum opus *Henningii Arniſæi*, (*a*) æterni Juliæ Academiæ & incomparabilis ornamenti. Fuit enim in Arniſæo ingenium capaciſſimum, induſtria ſine exemplo, judicium nullo non Ariſtotelicæ Philoſophiæ aliarumque artium genere ſubactum. Verum enimvero vir alibi occupatiſſimus, maximi operis non niſi primam nobis partem dedit. Nec cavere ſibi potuit a Bodini illis vitiis, intempeſtivarum ad aliena digreſſionum, cum hiſtoricarum, tum aliarum nihil ad rem politicam facientis argumenti. Dum porro multam lectionem oſtentat, raro ſibi temperat calamus, ne quid ſtilus accipiat ſtribliginis illius, qua juridica hodie ſcripta vulgo laborant. Plenior eſt doctrina Politica: ſed juvenilis opera multum abeſt a juſta maturitate. Reliquorum, de jure connubiorum, de jure majeſtatis, de ſubjectione clericorum, de auctoritate principum, nihil non doctiſſimo auctore dignum; attamen nec ad hunc locum univerſalis Politicæ methodi faciunt, & dum nimium frequenter plæraque ad normam receptarum apud nos legum exigunt minus ſapiunt Philoſophiam. Iisdem morbis laborant Althuſii & Hœnonii ſcripta Politica: quin imo tanto ſunt magis conſpicua eorum vitia, quanto nihil pene habent ſcripta illa Arniſæanarum virtutum, tegendis aut excuſandis illis vitiis idoneum. Accedit quod uterque fundamentum doctrinæ ſuæ collocet in eo, quod ſumma reipublicæ cujusvis jure ſit penes ſolum populum: qui error peſtilens eſt & turbando orbi aptus. Melius eſt Keckermanni Syſtema: multum tamen itidem diſtans a perfecta methodo. Clapmarii de Arcanis rerumpublicarum, elegans eſt & ad omnes reipubl. ſpecies pertinentis bonæ frugis pleniſſimum opuſculum: ne quidem propoſitum autem habuit Politicam integram tradere. Sic & Boxhornii inſtitutiones & Cellarii noſtri compendium ipſamet inſcriptione & titulo ſignificant, quid polliceantur. Præſtant autem abunde, quod promittunt, nec fallunt exſpectationem. Ex adverſo Adami Contzenii opus mole ſatis magnum, & titulo dives, ſed fere deludit lectorem. Atque hi quidem ſaltim potiſſimi ſunt Germanicorum.

§. 105. Aliarum gentium nihil vidi, quod mereatur in hoc quidem genere inſignem laudem. Nam Hiſpanus quidem Simanca tantum vulgaria docet, de republica ſecundum virtutem inſtituenda, quædam & minus recte. Andreas Fricius Polonus, plura ac doctiora longe adfert magisque idonea gerendis rebus, plæraque tamen τῶν πολιτικῶν ne attingit quidem. Anglus Hobbes libro elementorum philoſophicorum de cive edito, non dubitavit hiſce verbis gloriari *in ep. dedicat. de corpore. Phyſica res novitia eſt, Sed Philoſophia civilis multo adhuc magis, ut quæ antiquior non ſit libro, quem de cive ipſe ſcripſi.* Inſano profecto faſtu. Perinde atque ſtultum illud eſt de naturali Philoſophia: hujus partem priorem aperuiſſe Galilæum, humani corporis ſcientiam detexiſſe primum Harvæum libris de motu ſanguinis & generatione animalium: *ante hos nihil certi in phyſica fuiſſe præter experimenta cuique ſua & hiſtorias naturales*: de Aſtronomia item, ejus initium referendum in Copernicum. Satis autem apertum eſt, in illis quidem de cive elementis, nihil eſſe boni, quod non ab omni retro memoria fuerit notum. Ne quidem illud autem potuiſſet ſupereſſe, ſi præ judicii defectu vidiſſet Hobbes, quam multum alia deduci debeant ex illo horribili principio: *natura inter homines non ſocietatem, ſed diſcordiam inſtitutam eſſe.* Et vero illo poſito, omnis ſocietas humana contra naturæ fuerit inſtitutum. Quo aſſerto, neſcio, num quid excogitari poſſit abſurdum magis aut improbum.

§. 106. Sed relinquimus hominem illum inſanienti ſuæ ſapientiæ. Quoniam etiam nulli alii occurrunt Politicæ Philoſophiæ nomine nunc quidem magnopere laudandi, toti huic argumento tandem finem imponimus.

---

(*b*) *Henningii Arniſæi.*) Vid. BOSIUS *de comparanda prudentia civili.* §. 126. GOEBEL.

# VIII.
# ARISTOTELIS
# POLITICORUM
## PARATITLA,
*Præſide*
## HERMANNO CONRINGIO,
*Reſpondente*
## HENRICO JOACHIMO *SöHLEN*,
GUELPHERBYTANO,
Anno cIɔ Iɔ CLXXVII.

## Dedicatio.

*Sereniſſimis atque Celſiſſimis Principibus ac Dominis,*
*DOMINO*
**RUDOLPHO AUGUSTO,**
*DOMINO*
**ANTONIO ULRICO,**
Ducibus Brunſvicenſium & Luneburgenſium
*Dominis meis Clementiſſimis*
Hoc Ariſtotelis Politicorum nucleum continens Breviarium
devotiſſimo animi obſequio
Do, Dico, Conſecro
*Sereniſſ. Celſitudinum ipſarum*
humillimus ſervus
HENRICUS JOACHIMUS SöHLEN.

# ARISTOTELIS
# POLITICORUM
## LIBER PRIMUS.
## CAP. I.
### §. 1.

Omnis civitas eſt ſocietas.
2. Omnis ſocietas eſt boni alicujus cauſa.
3. Boni enim gratia omnes agunt omnia.
4. E. Omnes civitates bonum aliquod propoſitum habent.
5. Civitas inter omnes ſocietates naturales, quæ quidem ab homine reguntur, eſt ſumma & præſtantiſſima.
6. Etenim omnes aliæ ſocietates naturales, non tantum in ea continentur, ſed & ab eadem ultimam adipiſcuntur perfectionem, veluti partes in toto.
7. Igitur civitas præſtantiſſimum omnium bonorum pro fine habet.
8. Societates autem, quas civitas, tanquam totum ſuas partes, complectitur, ordine & numero determinato hæ ſunt: (1) Nuptialis. (2) Herilis. (3) Paterna. (4) Fraterna & conſanguineorum. (5) Domus ſ. familia. (6) Vicinitas.
9. Multum illæ diverſæ ſunt a civili ſocietate, non tantum amplitudine, ſed etiam ſcopo.
10. Non eadem igitur eſt ratio regendi domum & regendi civitatem.
11. Alius finis, alia media, alia mediorum ad finem directio.
12. Societatem autem adminiſtrare, eſt media ad finem ſocietatis ducentia dirigere.
13. Quamvis domus, veluti ſimulacrum omnium rerumpublicarum, parva quædam civitas, & civitas magna quædam domus non inepte dici poſſit.
14. Imperiorum genera ex numero parentium non deſumuntur.
15. Compoſiti notitia dependet a notitia partium.
16. In diſtincta proinde civitatis conſideratione civitas reſolvenda eſt in partes, quibus conſtat.
17. Societas nuptialis eſt ſocietas, prima, naturalis, maris & fœminæ, procreandæ ſobolis ergo.

18. Homo

Digitized by Google

18. Homo natura deſiderat ſibi ſimile poſt ſe relinquere, in quo affectat immortalitatem, tanquam æmulus Dei.
19. Herilis ſocietas, eſt heri & ſervi, ob ſalutem utriusque.
20. Qui rationis uſu valet, dominus natura eſt.
21. Qui corpore tantum valet, quicquid valet, ſervus natura eſt.
22. Fœmina & ſervus, natura diſtinguuntur.
23. Natura enim non facit gladium Delphicum, h. e. rem eandem multis uſibus accommodatam; ſed unam rem ad unum uſum ſc. per ſe proprium.
24. Quæ ad unum tantum uſum deſtinantur, melius ſuum præſtant munus, quam quæ ad multos.
25. Apud barbaros, fœmina & ſervus ejusdem ſunt ordinis.
26. Conjunctio ſervi & ancillæ, natura talium, non eſt conjugium.
27. Barbarum eſſe & ſervum eſſe, idem ſunt.
28 Barbaris cultos imperare rectum putant veteres. Quo juſtitiam armorum ſuorum in Indos Hiſpani nonnulli tuentur, ſed perinique.
29. Proxime quæ ex nuptiali & herili ſocietatibus conſtat ſocietas, eſt domus ſ. familia.
30. Familia, eſt propter communicationem bonorum omni die neceſſariorum.
31. Ex pluribus familiis proxime quæ componitur ſocietas, eſt vicinitas, communicans ea bona, quæ non omni die ſunt neceſſaria.
32. Ut domus, ita & vicinitas alia eſt naturalis, alia ab inſtituto.
33. Vicinitas naturalis, eſt colonia domus.
34. Quapropter initio a Regibus gubernabantur civitates, non etiam gentes. Conveniebant enim, qui unius imperio a teneris aſſueti erant.
35. Veriſimile enim eſt mortales olim, antequam in civitatem aliquam aut ſocietatem majorem eos lex vel ratio coëgit, per familias aut vicos ſparſim ſub unius imperio vixiſſe.

## CAP. II.

36. Civitas eſt ſocietas ex pluribus vicinitatibus perfecta, omnis ſufficientiæ ſummum habens; orta quidem vivendi, permanens autem bene vivendi cauſa.
37. Igitur omnis civitas natura eſt; ſiquidem omnium aliarum ſocietatum naturalium complementum.
38. Finis enim iſta harum eſt; natura autem finis, h. e. ultima rei perfectio eſt.
39. Quale enim quidque eſt ortu perfecto, talem dicimus naturam eſſe cujusque.
40. Homo natura eſt animal civile.
41. Unde; qui a ſocietate civili natura alienus eſt, non autem propter caſum ſeu infortunium: ſive improbus, ſive homine melior eſt.
42. Et ſane, ſi homo non eſſet animal natura civile, fruſtra ei datum eſſe ſermonem, putat Auctor.
43. Natura autem nihil facit fruſtra.
44. Sermonis tantum homo ex omni genere animantium particeps eſt.
45. Magis proinde, & ad aliam longe perfectiorem rationali naturæ convenientem ſocietatem propendet homo, quam omnia alia animantia ſocialia.
46. Vox eſt rei jucundæ ac triſtis indicium, homini cum brutis communis.
47. Eo enim usque eorum natura pertingere videtur, ut quæ ſunt moleſta ac iucunda, aut quæ ipſis ſaltem talia videntur, non ſentire tantum, ſed & indicare mutuoque inter ſe ſignificare queant.
48. Sermo autem rerum utilium inutiliumve, ideoque & juſti & injuſti index eſt, quæ ſentire, atque invicem diſcernere inter animantes ſolius eſt hominis.
49. Talium autem communicatio, quæ fit mediante ſermone, familiam conſtituit & civitatem.
50. Et prior quidem natura civitas eſt, quam familia & unusquisque noſtrum.
51. Totum enim, natura; prius eſt ſuis partibus.
52. Nam quod generatione eſt poſterius, prius eſt natura.
53. Et deſtructo toto, deſinunt partes, & nonniſi æquivoce tales dicuntur.
54. Omnia enim definiuntur opere proprio ac facultate.
55. Ut partes, extra totum ſalvæ non ſunt, ita nec homo extra civitatem ſalutem & perfectionem ſuam obtinere poteſt: hodie præſertim.
56. Ad id autem, ſine quo ſalvi eſſe non poſſumus; natura propendemus.
57. Qui vero ſibi ſufficit, aut ſufficere videtur, vel Deus eſt vel bellua.
58. Quapropter, qui primus conſtituit civitatem, maximorum bonorum auctor extitit.
59. Quemadmodum optimum omnium animantium homo exiſtit, ſi perfectionem ſuam eſt conſecutus; ſic ſecretus a lege & juſtitia, hoc eſt: extra ſocietatem civilem vivens, peſſimum omnium.
60. Metu amiſſionis, vel bonorum fortunæ, vel honoris & famæ, vel vitæ, in officio plerique continentur, quo in ſola civitate homo affici poteſt.
61. Malefica autem maximeque metuenda eſt injuſtitia, quæ eſt armata.
62. Homo autem, armis munitus naſcitur, naturali ſc. prudentia & virtute, quibus indifferenter ad bonum & malum uti poſſumus, quare ſceleſtus & ferus maxime eſt homo ſine virtute, ventrique & Veneri dedititiſſimus.

63. Nulla virtus, æque civitatem continet, quam juſtitia.
64. Jus enim, ſocietatis civilis ordo eſt.
65. Judicium autem, eſt juris injuriæve dijudicatio.

## CAP. III.

66. Familiæ ſunt potiores reip. partes.
67. In familiis ſpectandæ partim perſonæ, partim res, familiaris inde dicta.
68. Oeconomiæ proinde pars, altera eſt de perſonis, altera de rebus.
69. Familiam minimum tres conſtituunt perſonæ, paterfamilias, materfamilias, & ſervusfamilias, præter quas perfecta familia, quartam etiam requirit perſonam, filiumfamilias.
70. Prior igitur Oeconomiæ pars, patremfamilias docet regere uxorem, ſervos & liberos.
71. Poſterior, in re familiari occupatur.
72. Etenim ut quælibet ars, cui certum opus eſt propoſitum, ſua propopria habet inſtrumenta; ſic ſua habent inſtrumenta, qui familias moderantur.
73. Inſtrumenta alia ſunt inanima, alia animata.
74. Et miniſter omnis, in artibus artifici pro inſtrumento eſt.
75. Quare quicquid paterfamilias poſſidet, id omne eſt inſtrumentum vitæ.
76. Et res familiaris, eſt ſufficiens multitudo inſtrumentorum vitæ.
77. Servus autem proprie dictus, quia pars eſt rei familiaris, erit patrisfamilias inſtrumentum & quidem præcipuum, animatum.
78. Servo opus habet paterfamilias, quia inſtrumenta inanima ad juſſum domini opera ſua conficere nequeunt.
79 Inſtrumenta porro alia ſunt agentia, alia efficientia.
80. Efficiens inſtrumentum eſt, cujus præter uſum eſt opus aliquod.
81. Agens vero inſtrumentum eſt, quod nihil præter uſum ſui exhibet, opus autem nullum vel producit vel efficit.
82. Quia autem actio & effectio ſpecie differunt, neceſſe eſt, ut inſtrumenta illa ita differant.
83. Quia vita eſt actio, non effectio, idcirco ſervus eſt inſtrumentum activum.
84. Uti porro pars non ſolum totius eſt pars, ſed & omnino totius, ita ſervus non tantum eſt domini cauſa, ſed & omnino illius erit, h. e. non ſui eſt juris.
85. Dominus quidem etiam ſervi eſt dominus, ſed non omnino ſervi, h. e. non quod juris alieni ſit, aut quod proprietate ſit ſervi.
86. Servus proinde vere talis eſt per naturam, proprietate, totus domini.
87 Et hæc eſt conditio ſervi natura, qui cum homo ſit ut dominus, natura tamen non eſt ſuus, ſed alterius.
88. Servum autem eſſe domini inſtrumentum non conjunctum, ſed ſeparatum, patet facile.
89. Dari ſervitutem naturalem, & ratione & experientia conſtat.
90. Imperare & parere non ſolum neceſſarium, ſed & utile eſt.
91. Quædam a primo ſtatim ortu ita ſunt diſtincta, ut alia ad imperandum, alia ad parendum videantur nata.
92. Imperiorum & ſubjectionum varia ſunt genera.
93. Imperium aliud alio eſt præſtantius, quo præſtantiores ſunt parentes.
94 Quæcunque ex partibus ſive conjunctis, ſive disjunctis conſtant, in iis, quod imperat & quod paret, cernitur.
95. Inanimis ineſſe & quod imperat, & quod paret, argumento ſit harmonia.
96. In animalibus optime affectis anima natura imperat, corpus natura paret.
97. In homine anima corpori heriliter, ratio autem appetitui civiliter & regie dominatur, ſalutis ergo.
98. Eſt homini in belluas imperium, ipſis brutis utile & fructuoſum.
99. Mas ut præſtantior, natura imperat, fœmina, ut natura deterior, paret.
100. Si inter partes animalium & ipſa animalia, nec non in ſexu eſt aliquod imperium, conſentaneum maxime erit veritati, & inter ipſos homines eſſe aliquod imperium.
101. Alii hominum nati facti ſunt tantum ad imperandum, alii tantum ad parendum, alii & ad imperandum & ad parendum, denique alii tantum ad ſerviendum. Ad quatuor iſtas claſſes omnes homines reducuntur.
102. Qui vero hominum ad alios ſe habet ut anima ad corpus, is eſt natura imperans, qui autem ad alios ſe habet uti corpus ad animam, is eſt natura parens.
103. A quo autem nihil niſi corporis uſum exſpectare poſſumus, & in quo optimum eſt corporis miniſterium, is ſe habet ad alios, veluti corpus ad animum.
104. Servus naturalis rationem quidem, non autem uſum rationis habet.
105. Bruta rationem non habent, ſed ſerviunt affectibus.
106. Liberi & ſervi natura tales ſæpe & corporibus differunt. His enim robuſta, illis erecta corpora natura conceſſit.
107. Aliquando tamen contra accidit, ut hi quidem liberorum habeant corpora, illi vero animos.
108. Si corpore præſtantes imperio ſunt digniores, ut quidem vulgus, externa attendens, judicat, multo juſtius, qui animo antecellit.
109. Animi autem dotes vulgo ita perſpicuæ non ſunt, uti corporis.

CAP.

Digitized by Google

## CAP. IV.

110. Servitus alia eſt naturalis, alia legalis.
111. Lex illa gentium eſt, qua bello capta victorum eſſe ajunt; quam tamen legem multi tanquam Oratorem, h. e. iniquitatis, accuſant.
112. Nihil enim tam iniquum eſſe dicunt, quam ut is ſit ſervus, qui eſt imbecillior, atque idcirco violentiam non poteſt propulſare.
113. Alii contra; hanc ex bello ſervitutem rationi congruam eſſe dicunt.
114. Victor enim victum in bello virtute ſuperat.
115. Nam virtus cum vi magnam habet cognationem, & tum demum res maximæ geruntur, cum virtus fuerit conjuncta cum viribus.
116. Et præterea omne id, quod ſuperat, bono aliquo excellere videtur.
117. Ex bello ſervitutem ſimpliciter juſtam non judicat Auctor, quod contingere poſſit, ut bellorum cauſæ non ſint juſtæ, & ut præſtantiſſimi in bello capiantur, quos tamen immerito in ſervitutem redigi putat.
118. Servi duum ſunt generum, alii ubique ſunt ſervi, alii autem nuſquam.
119. Quemadmodum quidam ubique, quidam vero nuſquam ſunt nobiles.
120. Hac autem ratione liber homo & ſervus, nobilis & ignobilis virtute & vitio definiuntur.
121. Inde, ut ex homine hominem, & ex belluis belluam, ita ex bonis bonum naſci volunt.
122. Natura quidem vult illud efficere, ſæpe tamen non valet.
123. Ut liberi dominentur, ſervi pareant eo imperio, ad quod natura ſunt apti, utile non modo ipſis eſt, ſed & juſtum.
124. Si vero aut liberi non dominantur & ſervi parent, aut alio, quam ad quod natura ſunt apti, imperio utuntur, detrimentoſum eſt utriſque, quemadmodum corpori & appetitui nec non rationi male eſt, quando hæc aut nullo, aut non debito utitur imperio.
125. Dominum facit non habere, ſed regere ſervos.
126. Herilis autem ſcientia eſt, quæ recte uti docet ſervis.
127. Operæ ſerviles, partim ſunt honeſtiores, partim viliores, & ſervus ſervo præſtat, nec omnes ſunt æquales.
128. Elegantiores homines, quique ſunt alicujus conditionis in re familiari, utuntur adminiſtratore, ipſi vero aut reipublicæ dant operam, aut muſis ſe oblectant.

## CAP. V.

129. Ars diteſcendi ſeu quæſtuaria, eſt miniſtra Oeconomicæ.
130. Artes adminiſtræ duum ſunt generum, aliæ enim inſtrumenta præbent, aliæ materiam.
131. Ars diteſcendi rem familiarem quærit, Oeconomia re quæſita utitur.
132. Res familiaris multa & varia complectitur, quorum comparandorum non una eſt ratio.
133. Hinc quia in animantibus magna eſt victus & alimentorum varietas, idcirco diverſa inter animalia vitæ genera videmus.
134. Inde etiam eſt, quod alia animalia ſint ſocialia, alia ſolivaga.
135. Alia ſint carnivora, alia e terra naſcentibus, alia denique omni pabulo veſcantur.
136. Non enim idem ſingulis natura eſt jucundum, ſed alia aliis.
137. Omnia autem iſta varia & multa, quæ res familiaris complectitur, divitiæ appellantur.
138. Divitiæ omnes in duplici ſunt differentia, naturales & artificiales.
139. Naturales ſunt eæ, quibus primo ſuccurritur indigentiæ humanæ, quæque per ſe ad corpus aut alendum, aut tegendum faciunt.
140. Artificiales ſunt, quæ non primo, ſed ſecundario ad indigentiam noſtram explendam faciunt, eatenus ſc. quatenus earum beneficio naturales illæ comparantur.
141. Oriuntur inde duo diteſcendi modi, vel artes, alia eſt diteſcendi ratio naturalis, alia artificialis.
142. Vitæ genus omnium ſimpliciſſimum & primum eſt, quod agunt Pecuarii, quibus quaſi aliud agentibus victum & amictum ex animantibus ſuppeditat natura.
143. Alterum ſimplex & naturale vitæ genus eſt Captura, qua veteres referunt excurſiones prædæ cauſa inſtitutas, quæ antiquis dicebantur latrocinia, multis olim uſitata.
144. Tertium vivendi genus ſimplex & naturale eſt, Agricultura.
145. Secundum tria iſta vitæ genera, tres etiam ſunt modi diteſcendi naturales, qui nunc conjunctim, nunc ſeorſim uſurpantur, prout temporis, loci & perſonæ conditio atque inſtitutum permittit.
146. Vitæ illa genera a natura ſunt introducta, quæ ut omni animanti, ita & homini non tantum vitam dedit, ſed & tanquam provida mater de vivendi mediis mira ratione ſingulis proſpexit.
147. Animalia trium ſunt generum, alia vermipara, alia ovipara, denique alia vivipara, ſingula iterum vel ſunt naſcentia, ſeu inchoata, vel ſunt perfecta.
148. In verme pars ſuperior, quæ primo formatur, ab inferiore, quæ adhuc informis eſt, tantiſper alitur, dum ipſa quoque abſolvitur.
149. In ovo ex albumine producitur pullus, qui dum fit, alitur vitello, veluti inferiore ovi parte.

150. Vivipara alimentum in ſe habere dicuntur, lac nimirum.
151. Adultioribus factis natura e terra producit ſtirpes, & hoc unum quidem brutorum cauſa, omnia autem in gratiam hominis.
152. Non deſunt, qui rem quoque militarem acquirendi cauſa a natura comparatam eſſe volunt, ejus partem venationem exiſtimantes.
153. Venationi, res militaris ortum ſuum debet atque originem.
154. Antiqui primo omnium in feras, ac deinde in homines videntur arma convertiſſe.
155. Naturalis rei quærendæ ratio, Oeconomicæ pars videtur.
156. In rebus, quæ iſto modo comparantur, veræ divitiæ conſiſtunt.
157. Etenim per ſe ſufficiunt & ſatis ſunt ad vitam recte commodeque degendam.
158. Nullius artis inſtrumenta aut numero, aut magnitudine ſunt infinita.
159. Divitiæ ſunt inſtrumenta vitæ domeſticæ & civili inſervientia.
160. Divitiæ igitur non ſunt in infinitum quærendæ.

## CAP. VI.

161. Cum naturali iſta ratione acquirendi, altera illa, quam quæſtuariam & pecuniariam vocant, non eſt confundenda.
162. Omnium rerum, quæ quidem ſub poſſeſſionem cadunt, duplex eſt uſus per ſe, alter proprius, alter communis.
163. Permutatio eſt uſus rei per ſe non proprius, ſed communis.
164. Permutatio, quæ quidem ſecundum naturam eſt, indigentiæ & abundantiæ rerum originem ſuam debet.
165. Cauponaria proinde permutandi ratio, eſt præter naturam.
166. Permutationis hujus nullus eſt uſus in familia naturali, ſed in ſocietatibus, familia majoribus.
167. Domeſticis omnia ſunt communia.
168. Antiquiſſima & prima permutandi ratio, cujus uſus hodie aliquis apud barbaros habetur, erat non neceſſaria, cum neceſſariis quoad opus eſt, ex proportione permutare.
169. Ex iſta naturali permutandi ratione, enata eſt alia, quæ ab inſtituto hominum dependet.
170. Sæpe diſtantia locorum in cauſa eſt, cur res neceſſariæ plane non, aut difficulter in alienas terras transportari poſſint.
171. Conſtitutum propterea inter homines, quo facilius atque expeditius, quæ vellent, permutare poſſent, ut darent inter ſe quid tale & acciperent e numero utilium, quod transferri quoque facile ad uſus poſſet, quale quid eſt ferrum, argentum, aurum &c.
172. Et quidem primis temporibus æs & argentum, ſimpliciter magnitudine, deinde pondere definitum, poſtremo & nota eidem impreſſa eſt, quantitatis index, ut moleſtiæ appendendi & examinis homines liberarentur.
173. Introducto nummo, ex neceſſaria permutatione cœpit altera diteſcendi ratio, quam antea cauponariam diximus, ab initio quidem ſimplex, paulatim vero uſu & experientia in artem abiit.
174. Artis pecuniariæ objectum eſt nummus, munus vero nummos in infinitum quærere.
175. Vulgo enim divitiæ in copia numerorum conſiſtere creduntur.
176. Sed nunc aliquid eſt, nunc nihil eſt nummus.
177. Natura enim non conſtat nummus, ſed lege, unde contraria hominum voluntate vel alius, vel nullus fieri poteſt.
178. Imo fieri poteſt, ut dives nummorum neceſſario egeat alimento, veluti Midas.
179. Naturalis autem & artificialis diteſcendi rationis differentia in eo conſiſtit, quod illa in divitiis naturalibus; hæc in nummis potiſſimum occupetur; illa nummos ut media, hæc ut finem quærit: illa ad ſufficientiam, hæc ad abundantiam & in infinitum nummos expetit.
180. Plerique autem neceſſariis haud contenti, amplius non neceſſariis incumbunt, quia magis ſolliciti ſunt, ut vivant, quam ut bene vivant.
181. Appetitus autem vitæ eſt infinitus.
182. Hinc appetitus mediorum vitæ eſt infinitus.
183. Multi etiam beatam ſuam vitam collocant in voluptatibus, quibus frui abſque opum copia non datur.
184. Sunt, qui ſcientias & artes ad quæſtum dirigunt, quod maxime contra illarum naturam.

## CAP. VII.

185. Si ars diteſcendi propterea pars politicæ eſt habenda, quia nulla reſpublica ſalva eſſe poteſt ſine opibus, & Medicina pars ejus erit, imo quælibet alia ars res ad uſus vitæ neceſſarias efficiens. Potius igitur ars diteſcendi eſt adminiſtra cum Politices, cum Oeconomices.
186. Univerſa autem diteſcendi ars quatuor tantum complectitur modos generales, quibus modo uti poſſunt, qui res acquirunt.
187. Primus modus dicitur Naturalis, cujus tres ſunt partes, Agricultura, Paſtura & captura.
188. Agricultura alia nuda eſt, alia veſtita.

189. Pa-

Digitized by Google

189. Paſtura itidem duplex eſt, agreſtis & villatica.
190. Captura vero triplex, venatio, aucupium & piſcatus.
191. Secundus diteſcendi modus dicitur artificialis, qui diſpeſcitur in mercaturam, fœneratoriam & mercenariam.
192. Mercaturæ tres ſunt partes, naucleria, oneraria & paraſtaſis, in quibus videndum, quid tutius, & quid lucroſum magis.
193. Mercenariæ IV. ſunt ſpecies: Nam ſunt (1) qui ex arte & opificio ſuo captant mercedem. (2) Operarii. (3) Illi, qui faciunt, ut des liberaliter, mercede non conſtituta. (4) Illi, qui faciunt, ut des liberaliter mercede conſtituta.
194. Tertius diteſcendi modus medius dici poſſet, aliquid de primo & ſecundo memorato modo participans, & in mineralibus eruendis, vel in lignis cædendis occupatur.
195. Habet hic non paucas ſpecies, ſicut plurimæ eorum, quæ e terra eruuntur, ſunt ſpecies.
196. His quartus diteſcendi modus addatur, qui bellicus diceretur, quo ex hoſtium bonis diteſcimus.
197. Hoc curæ eſſe debet & politico & patrifamilias, ut, ſi quæ vel in hiſtoriis, vel ſparſim alibi legantur rationes, quibus quidam, vel in ſuum, vel in reipublicæ uſum rem fecerunt, eas colligant.
198. Modi enim diteſcendi uſu potius & obſervationibus, quam doctrina nobis conſtant.
199. Ita ſingulare fuit inventum diteſcendi, quo Thales Philoſophus & Siculus quidam fuerunt uſi, ad Monopolii rationes pertinens.
200. Philoſophis facile eſt diteſcere, modo vellent, verum aliud eſt, quod illos occupat.
201. Inventa iſta pertinent ad Monopolium, cujus multiplices ſunt vel rationes, vel ſpecies.
202. Artes autem diteſcendi ſcire, Politicis expedit multum.
203. Civitatis enim nervi in pecuniis conſiſtunt.
204. Multi propterea Politicorum unice in artibus diteſcendi occupantur.

## CAP. IIX.

205. Paterfamilias uxori civiliter, liberis regie imperat.
206. Maritus enim natura præſtantior eſt uxore, & pater liberis ſuis.
207. Pater liberis imperat ex amicitia & ætate.
208. Ut rex a ſuis natura diſcrepat, licet genere ſit idem, ita & pater ad liberos ſe habet.
209. Hominum potius, quam rei familiaris & in hominibus liberorum magis, quam ſervorum habenda eſt ratio.
210. Liberis autem non tam de amplo patrimonio, quam de bonis moribus & virtute proſpiciendum.
211. Virtus animi alia eſt intellectualis, alia moralis.
212. Ut alius atque alius eſt intellectus & appetitus, ita alia atque alia eſt virtus intellectualis & moralis.
213. Uti rationis eſt imperare, appetitus parere, ſic imperantium & parentium virtutes ita invicem erunt comparandæ, quemadmodum virtus intellectualis & moralis.
214. Omnes virtutum moralium participes eſſe oportet, non uno quidem modo, ſed quantum unicuique ſatis eſt ad ſuum opus.
215. Imperantem igitur perfecta virtute morali præditum eſſe oportet.

# ARISTOTELIS POLITICORVM LIBER SECVNDVS.

## CAPVT I.

§. 216.

EXamine variarum rerumpublicarum inſtituto, demum quid verum non modo, ſed & quid utile, apparebit.
217. Initium autem cenſuræ ab iis faciendum, quæ in ipſum civitatis genus, quod eſt communio, impingunt.
218. Ut nihil habeant commune inter ſe cives, fieri non poteſt, nec ut omnia inter eos ſint communia, neceſſe eſt.
219. Platonis de communione uxorum ſententia multis difficultatibus eſt implicita, nec ex indubiæ veritatis principio deducitur, nimis etiam generaliter eſt aſſerta,
220. Hypotheſis hæc Platonis: Quod civitatem maxime unam facit, illud eſt optimum & reipublicæ conſervandæ ſalutare, falſa eſt, quia
221. Prorſus unum eſſe, & eſſe civitatem, penitus non conſiſtunt.
222. Omnis enim civitas unum quid non modo, ſed & multitudo quædam eſſe debet.
223. Et ſi maxime civitas una fieri debet, ad unum hominem tandem redigenda eſſet, quod ipſum non eſt rempublicam continere, ſed deſtruere.

## CAP. II.

224. Civitas ex multis non modo, ſed & ſpecie differentibus hominibus, nempe ratione profeſſionis ac vitæ generis, eſt compoſita.



Digitized by Google

225. Civitas non habet ſe ad modum bellicæ ſocietatis, quæ eſt ex ſimilibus, nec ad modum gentis ſparſim habitantis.
226. Talio ex proportione confirmat ſocietates, quapropter hæ ex inæqualibus conſtabunt.
227. In civitate cives licet ſint liberi, & æquales, ſaltem alii imperantes, alii parentes eſſe debent.
228. Diſſimiles autem ſunt, qui imperant & parent.
229. Imperare enim & parere ſpecie differunt.
230. Eſt perpetuitas imperii ſimpliciter melior viciſſitudine imperandi & parendi, ex hypotheſi vero hæc illi præferenda.
231. Ubi viciſſitudo imperandi locum habet, ibi oportet imitari perpetuum regimen aliqua ex parte, quod fit, quando ſimilis ſimili in eodem munere ſuccedit.
232. Patet ex ſuperioribus, civitatem ad eum, quo voluit Plato, modum, unum fieri non poſſe.
233. Et ſi maxime id fieri poſſet, non tamen ex uſu civitatis id foret.
234. Bonum enim rem, cujus eſt bonum, conſervat.
235. Unio vero Platonica civitates corrumpit.
236. Et quo magis civitas eſt una, eo minus ſibi ſufficit.
237. Minor hæc ſyllogiſmi Platonici: ſi omnes dixerint, hoc eſt meum & non eſt meum, civitas erit concors, falſa eſt & æquivocatione laborat.
238. Vox omnes enim dicitur dupliciter, diſtributive & collective.
239. Si ſinguli ſingula ſua reputabunt, iam non amplius quicquam erit commune.
240. Univerſi autem ſeu omnes ſimul ita ſi ſentiant, ſalva non erit concordia.
241. Præterea aliis pluribus incommodis premitur communio Platonica, in quibus præcipuum eſt negligentia, illa rerum corruptela.
242. Communia enim communiter negliguntur.
243. Et pluribus incumbens minor eſt ad ſingula cura.
244. Poſita communione Platonica, de ſuis liberis nemo certus eſſe poteſt, adeoque hi negligentius curabuntur.
245. Ignoti enim nulla, dubii non tanta, quanta noti & certi cupido.
246. Poſita communione Platonica, nulli amplius cognationum & affinitatum ſunt gradus, qui tamen inducti ſunt ad conſervationem ſocietatum, per quas ſtat caditve genus humanum.
247. Communio Platonica atrociſſimorum flagitiorum, quæ, illa poſita, evitari vix poſſunt, licentiam continet.
248. Communio Platonica facit, ut flagitia ſint crebriora, nec expiari poſſint.
249. Non concubitus modo, ſed quæcunque conſuetudo inter liberos & parentes, nec non cognatos, familiaris nimis aut honeſta parum, eſt prohibenda.
250. Nefarios ac inceſtos concubitus unice ob nimiam, quam conjunctam habent, voluptatem improbare nefas eſt.
251. Communio Platonica inter parentes potius, quam imperantes eſſet probanda, ſi probanda.
252. Magis enim expedit, ut inter imperantes concordia alatur, quam inter parentes.
253. Communitas autem uxorum & liberorum diſcordiæ eſt parens.
254. Imo pugnat iſta communio cum ſcopo rectarum legum, nec non cum inſtituto ſui auctoris.
255. Duo ſunt, quæ curam ac amorem inter homines conciliant, nempe ſi quid habeant aut proprium, aut amabile, quorum neutrum obtinet in republica Platonis.
256. Nec liberorum translatio, quam inſtituit Plato, omnino probanda.

## CAPUT III.

257. De bonorum communione triplex inſtitui poteſt quæſtio: An bona communia eſſe oportet ratione proprietatis tantum, aut ratione uſus tantum, an denique & proprietatis & uſus ſimul.
258. Simul vivere & communes, qualescunque eæ ſint tandem, res habere, plurimas difficultates habet.
259. Cumprimis vero agrorum communitas lites ſerit & alit.
260. Bona in bene conſtituta republica aliquatenus communia, omnino propria eſſe debent.
261. Hanc de communione bonorum ſententiam comprobat uſus, rerum civilium optimus magiſter.
262. Ita namque lites ceſſabunt, nec quicquam negligetur non modo, ſed & amicorum bona juxta præſcriptum virtutis uſu communia erunt.
263. Tale autem quid ut obtineat, proprium eſt legiſlatoris munus.
264. Sane ex rerum proprietate magna exiſtit voluptas.
265. Etenim non temere eſt, quod quisque ſui ducatur amore, omnibus namque a natura hoc inditum eſt.
266. Nec enim Philautia ſimpliciter improbatur.
267. Amicis, cum neceſſe eſt, vel hoſpitibus gratificari poſſe, vel proximo, ſumme eſt jucundum, quod fieri nequit, ubi nihil eſt proprium.
268. Imo rerum communi imprimis temperantiæ & liberalitatis officia tollit.
269. Reipublicæ Platonicæ inſtitutio ſpecioſa ac humanitatis plena videtur, nec tamen eſt.
270. Nam nihil niſi concordiam præ ſe fert, cum aliæ civitates, quæ rerum proprietates retinent, multis malis turbari videantur.



Digitized by Google

271. Verum enim vero diſſidiorum inter cives cauſa non eſt rerum proprietas, ſed hominum improbitas.
272. Nam & inter eos, quibus rerum eſt communitas, lites ſunt & diſſidia. Quod ipſum, quia pauci ſunt, qui bona habeant communia, non ita notatur, contra quod plerique omnes propria poſſideant, hi magis invicem contendere videntur.
273. Iniqua autem eſt in re accuſanda, prætermiſſis commodis, incommodorum enumeratio.
274. Cauſa erroris fuit Platoni, quod exiſtimarit, civitatem omnino unam eſſe debere, cum quodammodo tantum una eſſe debeat.
275. Nam ſi omnimodo ſit una, alterutrum neceſſe eſt effici, ut ſit vel nulla, vel peſſima, flagitioſiſſima & miſera.
276. Civitas, diſciplina potius, una ac communis facienda, h. e. moribus, virtutum præceptis & legibus.
277. Reſp. Platonica novitate ſua eſt ſuſpecta, & repugnat experientiæ, nec inſtituto ſuo Plato quidquam proficit.
278. Præterea peccat Plato, dum non omnem ſuæ reipublicæ formam exponit, parentium civium negligentior.
279. Reſpublica Platonis neceſſariis deſtituitur legibus.
280. Peccat Plato, agricolas bonorum dominos faciens, ea tamen lege, ut tributum penderent.
281. Ita agricolæ Helotis Spartanorum & Peneſtis Theſſalorum erunt inſolentiores.
282. Uxores facere communes, bona autem propria, eſt incommodum valde.
283. Abſurdus etiam eſt Plato, eadem fœminarum officia, quæ virorum eſſe debere, ſtatuens, argumento ducto a belluis.
284. Nec probatur, quod ſemper eosdem voluerit imperantes, cum perpetuitas imperantium in non animoſo populo fiat cauſa ſeditionum.
285. Denique peccat Plato, quando totum reipublicæ corpus beatum cupit, partes vero deſerit.

## CAP. IV.

286. In libris, quos de Legibus inſcripſit Plato, paucis de republica doctrinam, pluribus leges exponit: & licet rempublicam, quæ uſibus hominum reſpondet, deſcribere inſtituat, ſæpius tamen ad priorem ſuam, moraliter ſaltem impoſſibilem, delabitur.
287. In ſcriptis Platonis multa occurrunt eximia (2) venuſte propoſita (3) nova (4) diſputanda, licet (5) non omnia in iis, ut oportet, pertractentur.
288. Laborat reſpublica Platonica multitudine militum.
289. Nam Babylonio, h. e. immenſo agro opus eſt alendis quinque millibus otioſorum hominum.
290. Quia milites nulla arte, ſed ſtipendio ſe tuentur, otioſi habentur, pacis imprimis tempore.
291. Licet Politico ſupponere aliquid ex voto, ea tamen conditione, ut poſſibile ſit & uſibus hominum reſpondeat.
292. Politicus, civitatem formaturus, tria ſpectare debet, regionem, homines & vicina loca.
293. Tanta ſint civium bona, ut frugaliter non modo, ſed & liberaliter vivere poſſint.
294. Nam fieri poteſt, ut quis frugaliter, neque minus ærumnoſe atque difficulter vivat.
295. Termini igitur, intra quos bona civium deſcribi debent, ſunt temperantia & liberalitas.
296. Abſurdum etiam eſt, quod cum Plato agros dividat ex æquo, nihil certi tamen de numero civium ſtatuat, nec liberorum procreationem definiat.
297. Ita namque multi egebunt, quod malum per orbitates neutiquam corrigi poteſt.
298. Igitur de procreatione liberorum potius, quam de æquandis bonis, certi quid ſtatuendum fuiſſet.
299. Quia egeſtas eſt ſeditionum & improbitatis mater.
300. Peccat Plato, differentiam imperantium & parentium non explicando, in qua tamen forma civitatis conſiſtit.
301. Si mobilia, quare & immobilia ad quincuplum augere non debeant cives, nullam videt cauſam auctor: nos exiſtimamus, e re reipublicæ eſſe, ne cives agros ſuos nimium amplificent, legibus cavere.
302. Male Plato civibus vult ſuas cuique binas eſſe ædes, locorum intervallo disiunctas.
303. Plato civitatis ſuæ formam vult eſſe mixtam ex Democratia & Oligarchia.
304. Civitas enim Platonica conſtat ex iis, qui arma ferunt.
305. Sed talis forma reipublicæ eſt quidem communis, non tamen optimæ proxima.
306. Melior videtur illa civitatis forma, quæ ex omnibus rebuspublicis temperata eſt.
307. Et quomodo optimæ proxima reſpublica eſſe poteſt, quæ ex peſſimis formis eſt conflata?
308. Præterea reſpublica Platonis nihil quicquam monarchiæ habet, parum Democratiæ, plus Oligarchiæ.

## CAP. V.

309. Politici alii ſunt Dogmatici, alii Pragmatici.
310. Iſtorum autem nemo, præter Platonem, novam illam de communione uxorum & liberorum doctrinam approbavit, iis potius in medium prolatis, quæ ex uſu & neceſſitate hominum videbantur.
311. Cæterum in conſtituendis rebuspublicis diligenter de bonis civium, eorumque modo & ratione eſt videndum, quod hinc pleræque ſeditiones enaſcantur.

312. Ubi

Digitized by Google

312. Ubi Phaleas memorandus, qui æquationem bonorum voluit, quæ facilius in conſtituendam rempublicam introducitur.

313. In jam tum vero conſtituta civitate bonorum æqualitas ex mente Phaleæ introduceretur, ſi divites dotem darent, non acciperent, pauperes contra non darent, ſed acciperent.

314. Sed poſita bonorum æqualitate, nec definito liberorum numero, aut lex de æqualitate ſolvi neceſſe erit, aut multi futuri ſunt pauperes: utrumque civitati noxium.

315. Bonorum quidem æqualitas aliquod adjumentum ad rempublicam confert, ut exemplo veterum rerumpublicarum docemur, verum non quæ in medio rei, ſed quæ in medio rationis eſt poſita.

316. Poſita enim bonorum æqualitate, ſecundum proportionem Arithmeticam, quam inſtituit Phaleas, nihilominus cives nimium vel divites, adeoque luxurioſi, vel pauperes, adeoque miſeri eſſe poſſunt.

317. Igitur in bonis civium deſcribendis, rationis medium eſt obſervandum.

318. Nec modo poſſeſſiones, ſed & cupiditates civium ad mediocritatem ſunt redigendæ, id quod fit legibus, & diſciplinæ beneficio, quam Phaleas neglexit.

319. Præterea quamvis poſſeſſionum modus bene deſcriptus fuerit, nondum tamen civitas ab omni motu immunis erit.

320. Nam non de bonis modo, ſed & de honore inter cives contentiones exiſtunt.

321. Plebeji de bonorum, elegantiores de honorum inæqualitate conqueruntur.

322. Deinde æquatione bonorum non omnis tollitur injuſtitia.

323. Etenim qui aliena invadunt, aut expetunt, trium ſunt generum, alii ad uſus vitæ neceſſarios, alii ut abundantiam rerum habeant, denique alii ad perfruendas voluptates id faciunt.

324. Propter primos bonorum æquatio eſſet, non item propter reliquos.

325. Igitur Phaleas levioribus non gravioribus, malis tollendis incubuit.

326. Triplici autem iſti generi injuſtitiæ totidem applicanda ſunt remedia: primis hominibus exiguæ opes & labor, ſecundis temperantia, quæ injuſtitiæ multum medetur; Tertiis ex ſapientia remedium, utpote quæ ſinceras præbet voluptates, quærendum.

327. Non tam ex neceſſitate, quam propter abundantiam majora committunt homines flagitia.

328. Unde graviora ſunt tyrannorum delicta, quam furum.

329. Ideo judicio veterum quorundam honore afficiendus major eſt, qui tyrannum tollit, quam qui furem.

330. Peccavit Plato, quod vix aliud ſpectaſſe videatur, quam ut cives feliciter inter ſe rem gererent, cum & exterorum, & vicinorum imprimis, non minor habenda ſit ratio.

331. Peccavit Plato, quando civitatem ſuam non inſtruxit ad diſciplinam & uſum militarem.

332. Parum denique eſt, quod æquatio bonorum ad diſſidia civium præcavenda confert.

333. Nam qui ſunt præſtantiores, indigne ferent, ſe æquali cum infimis de plebe haberi loco.

334. Nec per inſatiabilem habendi cupidinem, quæ omnibus pene ineſt, æqualitas bonorum diu obtineri poteſt.

335. Igitur, ut dictum, cupiditates potius, quam poſſeſſiones ſunt adæquandæ; quod fit, ſi probi ſic inſtituantur, ut plus æquo poſſidere nolint, improbi, ut nequeant. Nequeunt autem, ſi nullo loco fuerint, vix etiam volent, ſi injuria non afficiantur.

336. Et ſi bona propter motus imminuendos eſſent æquanda, non immobilia modo, ſed & mobilia æquanda eſſent.

337. Peccavit denique Phaleas, ſine diſcrimine opifices omnes numero civium excludendo.

## CAP. VI.

338. Hippodamus, præſtans architectus & in omni vita elegantior, primus omnium ex iis, qui rempublicam non attigiſſent, de optima republica commentatus eſt.

339. Voluit autem primo, ut optima civitas ex decem millibus conſtet civibus.

340. Hæc civium multitudo in tres partes ſit diſtincta, quarum primam opifices, ſecundam agricolæ, tertiam milites faciant.

341. Ager civitatis itidem in tres partes ſit diſtributus, una ſit ſacra, altera publica, tertia privata.

342. Præterea Hippodamus tria legum conſtituit genera, quod tria modo in judicium veniant, injuria, damnum & cædes.

343. Summum etiam conſtituit tribunal ſenibus quibusdam ſuffragio delectis conſtans, ad quod oporteat cauſas non recte dijudicatas referri.

344. Voluit porro, ne in judiciis per calculos ferretur ſententia (uno nempe cavo, alteroque ſolido;) ſed ut quisque ſententiam ſuam in tabula exhiberet, ſimpliciter vel damnando vel abſolvendo.

345. Sed ſunt, quos ſimpliciter nec damnandos, nec abſolvendos judicamus, & præterea ita ſæpe perjurio judex ſe aſtringeret.

346. Voluit quoque Hippodamus, ut qui primi inveniſſent aliquid, quod aut prodeſſet, aut in poſterum civitati prodeſſe poſſet, debitis honoribus afficerentur.

347. Nec non, ut eorum, qui pro patria occubuerunt, liberi publice alerentur.

348. Denique inſtituit, ut imperantes a populo eligerentur, quibus cura rerum communium hoſpitum & pupillorum incumberet.

349. Verum civium illa diviſio in opifices, agricolas & milites ſua non caret difficultate.

350. Nam

Digitized by Google

350. Nam agricolæ armis, opifices armis & agris deſtituuntur, atque adeo quaſi ſervi militum erunt.
351. In quorum namque manu ſunt arma, penes illos eſt imperium.
352. Igitur opifices & agricolæ ex æquo cum militibus de republica participare non poterunt, & per conſequens ſtatum civitatis non amabunt.
353. Nec illa agrorum diviſio placet, cum ita agricolæ ſuos ſibi modo agros colent, nec erit, qui publicum curaret ac coleret.
354. Omnem enim agrum agricolæ colere ſi deberent, privati cum publicis agris negligentius tractabuntur, unde ſterilitas metuenda.
355. Extraneis vero culturam agrorum publicorum tuto haut committimus, quod tales a ſtatu civitatis ſint alieniores.
356. Ager vero civitatis poſſeſſione ſit privatorum, uſu vero quodammodo publicus
357. Inſtitutum illud de judiciis quod attinet, judicia & arbitria confundit.
358. Lex, quæ novarum rerum inventoribus præmia decernit, ſpecioſa quidem eſt, minus tamen tuta.
359. Nam ut calumniæ eſt obnoxia, ita in rempublicam vix ſine maximo mutationis metu poterit induci.
360. Mutatio legum ſcriptarum & non ſcriptarum, etiam in melius, num in bonis an damnoſis ponenda, dubium eſt.
361. Qui in bonis habent, ita colligunt, quæ in artibus mutata, illorum commutatio artibus in melius proceſſit, E. & inſtitutorum civilium mutatio cum bono doctrinæ politicæ erit conjuncta.
362. Deinde non quod uſitatum, ſed quod bonum expetimus.
363. E. meliora uſitatis ſunt anteponenda.
364. Denique quia legibus omnia humana comprehendi nequeunt, vel hoc nomine, ſaltem aliquando illæ mutandæ erunt.
365. Alii contra ſatius eſſe dicunt, malas ſed immotas habere leges, quam bonas & inſtabiles.
366. Nam mutatione vel unius legis, perit reverentia reliquis.
367. Igitur non ob quodvis incommodum, ſed ob maximum leges ſunt mutandæ.
368. Maximum autem illud eſt, cum in eas anguſtias pervenerimus, ut aut violatis legibus ſalva reſpublica eſſe nequeat, aut ſalvis legibus interitura ſit reſpublica.

## CAP. VII.

369. In inſtitutis rerumpublicarum ad duo reſpiciendum, an optimæ reipublicæ conformia ſint ſive minus, an ſuæ reipublicæ commoda ſint & congrua.
370. In bene conſtituta republica cives a ſordidis & neceſſariis operibus ſint immunes.
371. Hoc autem præſtare, ſua non c[illegible]et difficultate.
372. Indicio Helotia Lacedæmoniorum ſit, ut & Peneſtia apud Theſſalos. Utraque ſaepe ſuae civitati moleſta & noxia fuit.
373. Quod vero publica ſervitia Cretenſibus moleſta haut fuerint, in cauſa eſt, quod, ipſi Cretenſes nullos ſervos in ſubſidium adverſus hoſtes vocarint, ita nec alii Cretenſium ſervos ſollicitarint.
374. Servum iſtud genus hominum in civitate recte tractare, arduum eſt.
375. Nam ſi indulgenter nimis habetur, fit inſolens, & dominis nonnunquam ſe opponit, cumque iis contendere audet; ſi dure, odia & ſeditiones meditatur. Fœminarum licentia Lacedaemone uſitata, & ab optimae civitatis ac Laconum ſcopo abludit multum.
376. Ubi autem diſciplina mulierum haut bene eſt inſtituta, ibi alteram civitatis partem neglectam eſſe exiſtimandum eſt.
377. Lycurgi apud Spartanos ſcopus erat, civitatem reddere laborum ac moleſtiarum patientem, reipublicæ militari convenienter.
378. Fœminæ Spartanæ intemperanter ac luxurioſe vivebant, atque propterea divitiæ ibi non potuerunt non eſſe in pretio, utrumque autem nec optimæ reipublicæ, nec Lycurgi ſcopo reſpondet.
379. Illæ imprimis mulieres, quæ maritis imperant, diſſolute vivunt,
380. Mulieribus autem plerumque militares homines ſerviunt, ad Venerem procliviores.
381. Hinc Spartani in poteſtate uxorum vivebant, ut non pauca etiam in publico dirigerent.
382. Quid enim refert, utrum mulieres imperent, an imperantes ſub imperio ſint fœminarum?
383. Cum audaciæ in bello magna ſit utilitas, ut in quotidiano uſu, ita multum etiam in iſta parte civitati ſuæ Spartanorum nocuerunt fœminæ.
384. Gynæcocratia Lacedæmoniorum eſt a militari, quod ſectabantur, vitæ genere:
385. Nam diſciplina militaris facit homines obſequioſos.
386. Et qui bello eſt habilis, veneri quoque convenit habitus corporis.
387. Etiam bonorum æquationem in ſua republica inſtituit Lycurgus, hanc autem legibus non ſatis firmavit.
388. Hinc factum, ut fœminæ Spartanæ quamplurimæ factæ fuerint ἐπίκληροι, & dotibus nimiæ.
389. In tali autem caſu dos vel nulla, vel exigua, vel mediocris puellis conferenda fuiſſet.



Digitized by Google

390. Nec parum æqualitati bonorum obeſt conceſſa parentibus licentia nuptum dandi puellas ἐπικλήρους, cui velint.

391. Lycurgus cives ſuos ad liberorum procreationem invitare volens, inſtituit, ut trium liberorum pater ab excubiis, quatuor vero liberorum parens ab omnibus oneribus immunis haberetur.

392. Non carent difficultate ſingulorum tum exactiones, tum collationes, ſeu collectiones.

393. Id maxime probatur, ſi in republica ærarium fuerit dives, ſinguli autem mediocres poſſederint divitias.

## CAP. IIX.

394. Spartanorum reipublicæ affinis eſt Cretenſis, cujus inſtituta non pauca meliora ſunt Laconicis, ſed minus polita.

395. Etenim Cretenſium reſpublica longe eſt antiquior Spartana, cum hæc illius quaſi filia ſit.

396. Antiquiora autem recentioribus utplurimum minus ſunt accurata.

397. Eſt Creta ad totius Græciæ dominium quaſi facta, & a natura collocata.

398. Nam pleræque Græciæ civitates maritimæ ſunt, quibus quaſi Creta imminet.

399. Hinc Minoem maris dominum factum fuiſſe, non eſt mirum.

400. Helotis Laconum, reſpondent Perioeci Cretenſium.

401. Phitidiis Laconum reſpondent Andria Cretenſium.

402. Et Senatus utrobique eadem erat ratio.

403. Uti Lacedæmon, ita etiam Creta ſuos habuit Reges.

404. Publicæ ſodalitates in Creta melius, quam Lacedæmone erant inſtitutæ, quia ex publico apparabantur.

405. Multa ad tenuem victum apud Cretenſes ſunt inſtituta, quibus corporum firmitati & ſanitati conſultum, atque ſimul obviam itum luxui & luxuriæ, ac per conſequens egeſtati.

406. Ne multitudine liberorum laboret reſpublica, divortia permiſit Minos.

407. Non placet, quod Coſmi, qui Tribunis plebis reſpondent, ex certis familiis fuerint deſumti.

408. Ita namque aliqui negliguntur, qui ſtatus haut erunt amantes.

409. Et licet populus Cretenſis quietus fuerit, nihilominus inſtitutum improbabile manet.

410. Ut autem ſuperiori malo medicina quæreretur, voluit legiſlator, ut Coſmos magiſtratu abdicare vel collegæ vel privati poſſent; imo ipſis Coſmis abeundi magiſtratu poteſtatem conceſſit.

411. Sed iſta medicina abſurda eſt, eaque non civilis, ſed factioſa.

412. Magni nominis magiſtratus abdicare, ſit res non voluntatis hominum, ſed legum.

413. Voluntas hominum minus tuta eſt norma.

414. Peſſimum omnium in republica Cretenſium erat licentia potentiorum, qui, ut forum declinarent, ſolebant diſtracto populo in duas partes, adſcitis amicis, inter ſe pugnare.

415. Talis autem hominum civitas non eſt tuta, niſi ſpecie tenus.

416. Civitas in partes diſtracta (ex. gr. Germania) magno verſatur in periculo, præſertim cum eſt, qui eam invadere & velit & poſſit.

417. Eſt Cretenſium reipublicæ ſua incolumitas a loco.

## CAP. IX.

418. Carthaginenſes præclaris utebantur inſtitutis.

419. Bene inſtitutæ Democratiæ ſignum eſt diuturna incolumitas.

420. Phitidiis Spartanorum reſpondent Syſſitia Carthaginenſium.

421. Quod Ephori Lacedæmone, id centum quatuor viri ſunt Carthagine.

422. Hoc melius habent Carthaginenſes, quod centum quatuor ſuos viros non ex promiſcua ſua plebe, ut Lacedæmonii Ephoros, ſed ex optimis deligant.

423. Ut Lacedæmon, ita & Carthago ſuos habuit Reges & Senatum.

424. Eſt regnum Carthaginenſe rectius inſtitutum, quam Laconum.

425. Nam Carthagine non ex eadem, nec ex qualibet, ſed illuſtriori familia, non quivis, ſed præſtantior eligebatur in Regem.

426. De plebe homines, magnorum magiſtratuum facti compotes, magna faciunt peccata.

427. Licet Carthaginenſis reſpublica ex ariſtocratia & politia ſit miſta, inſtituta tamen ipſius ſæpe declinant ad oligarchiam & democratiam.

428. Oligarchicum eſt, quando Carthagine quinque viri, magnæ poteſtatis magiſtratus, ipſi ſeſe eligunt, ac ſucceſſorem conſtituunt.

429. Oligarchicum eſt, quando ibidem quinque viri centumviros eligunt.

430. Oligarchicum eſt, ſi pauci diutius, quam alii magiſtratu funguntur.

431. Gratis, mercede nulla, Carthaginenſes magiſtratum gerunt, id quod eſt ariſtocraticum.

432. Ariſtocraticum eſt, quod non ſorte, ſed ſuffragiis magiſtratus eligatur.

433. Eſt & ariſtocraticum, quod non ſingula a ſingulis, ſed omnia ab iiſdem judicentur.

434. Ab ariſtocratia, ad oligarchiam ſtudio declinant Carthaginenſes, & in conſtituendo magiſtratu non ſolius virtutis, ſed & divitiarum habent rationem: quia pauperes plane non, aut minus commode reipublicæ vacare poſſunt.

435. Boni politici eſt, in ipſa civitatis inſtitutione providere, ne quiſquam optimorum egeſtate eo adducatur, ut quicquam minus decorum ſuſcipiat.

436. Ubi

Digitized by Google

436. Ubi in deligendo magiſtratu divitiarum habetur ratio, publica munera venalia fieri neceſſe eſt.
437. Hac autem ratione civitas redditur pecuniæ ſtudioſa: quia tales plerumque ſunt cives, quales Principes in republ.
438. Fieri non poteſt, ut ubi pluris aliquid quam virtus æſtimatur, ibi ſtabilis ſit ariſtocratica regiminis forma.
439. Dives ac improbus magis rempubl. quæſtui habet, quam vir pauper ac bonus.
440. Ex virtute gerendi ſunt Magiſtratus.
441. Qui ex virtute gerit magiſtratum, pauper tamen eſt, illius indigentia ex publico ſublevanda.
442. Peccant Carthaginenſes, plures magiſtratus uni ſimul committendo.
443. Nam ſingula ſingulis rectius curantur, eſtque hoc inſtitutum Democratiæ affine.
444. Labente republ. ad Oligarchiam, Carthaginenſes plebis partem in Colonias deducunt, ut ibi rem faciant. Verum hoc eſt fortunæ opus.
445. Non autem a fortuna, ſed prudentia Politicorum, petenda ſunt remedia civilia.

## CAP. X.

446. Solon, qui intemperiem Oligarchiæ Athenienſium correxit, atque variarum rerumpubl. variis inſtitutis temperatam Democratiam induxit, Areopagum, qui Oligarchiam refert, inſtituit.
447. Solon, omnes etiam de plebe judiciorum participes faciens, Democratiam nimium intendit, quo factum, ut per demagogos in peſſimum prolapſa fuerit ſtatum.
448. Reipubl. intereſt, ut, quorum plurimum refert, rempubl. eſſe ſalvam, ii, in rebus civitatis adminiſtrandis plus reliquis etiam poſſint. Quapropter ex nobilibus imperantes deligi voluit Solon.
449. Zaleucus, primus omnium Politicorum, variarum rerumpubl. leges in unum corpus digeſſit.
450. Philolaus, de adoptandis liberis primus leges tulit.
451. In legibus Draconis peculiare nihil eſt, præter ſeveritatem & pœnæ magnitudinem.
452. Pittacus, in ebrios delinquentes duplicem ſtatuit pœnam.

# ARISTOTELIS POLITICORUM LIBER TERTIUS.

## CAP. I.

§. 453.

Princeps doctrinæ politicæ caput eſt de civitate, cujus ordo eſt reſpublica.
454. De civitate autem acturus, ante omnia quid civis ſit, explicare debet:
455. Civitas enim eſt multitudo civium.
456. Cives honorarii revera non ſunt cives, ſed reſpectu aliquo ita dicuntur.
457. Cohabitatio non facit civem, cum & inquilini & ſervi cum civibus habitent.
458. Nec juris aut fori communio facit civem.
459. Non ubique inquilini locum in judicio habent, ſed non niſi per Actorem vel Patronum agere poſſunt.
460. Pueri per ætatem nondum matriculæ inſerti, item mulieres & ſenes, ſunt cives imperfecti.
461. Nec infantes aut exules ſunt cives.
462. Civis nulla re magis definitur, quam Imperii, judiciorum, & maxime ſuffragiorum jure.
463. Imperium aut ſenatus etiam & judicium vel ſunt definita, vel ſunt indefinita, ſeu ſtata vel extraordinaria.
464. Reſpubl. ſpecie inter ſe differunt, ita ut una primario, alia ſecundario ſit reſpublica.
465. Nam rectæ reſpubl. magis ſunt reſpublicæ, quam corruptæ.
466. Quapropter civis non erit unius generis, ſed pro rerumpubl. ratione variabit.
467. Tradita definitio civis potiſſimum ad civem democraticum eſt accommodata, veluti qui eſt potiſſimum analogatum, id quod erat definiendum.
468. Quia fieri vix poteſt, ut una definitione omnium rerumpubl. cives pariter comprehendantur, ideo dictæ deſcriptioni in applicatione ad cives hujus vel illius ſtatus, nunc aliquid addendum, nunc demendum, prout mores & inſtituta, imo & tempora rerumpubl. exigunt.
469. Vulgaris deſcriptio, qua civis ortu & natalibus æſtimatur, eſt improbanda, quod ad primos cives accommodari nequeat.
470. Nativitas non facit civem, ſed nativitate ex inſtituto hominum acquiritur jus ſuffragiorum, quod civem in eſſe civis conſtituit.
471. Hinc cives aut fiunt, aut naſcuntur; unde alii originales, qui & neceſſarii ſeu naturales dicuntur, alii factitii appellantur.
472. Aliud eſt, verum eſſe civem; & aliud eſt, juſtum eſſe civem, quemadmodum qui imperat, verus eſſe magiſtratus poteſt, licet non ſit juſtus.

## CAP. II.

473. Nec identitas, nec diverſitas loci civitatem eandem vel diverſam facit.



Digitized by Google

474. Fieri enim poteſt, ut diſtinctæ civitates, imo integra gens conjuncta domicilia habeant, atque communibus mœnibus ſepiantur.
475. Ita una eademque urbs Helmſtadium duas continet civitates, Academicam & Oppidanam.
476. Civitas poteſt urbe exire, atque alio migrare, novas ſedes ibi occupans, manente civitate eadem.
477. Nec ab identitate vel diverſitate hominum civitas eadem vel diverſa eſt.
478. Manet etiam idem populus, licet alii moriantur, alii naſcantur; quemadmodum idem fluvius eſſe dicitur, quamvis aqua ſemper alia accedat, alia diſcedat.
479. Sed ab identitate vel diverſitate reipubl. civitas eſt vel eadem, vel alia.
480. Forma enim dat eſſe rei, dat diſtingui: reſpublica, h. e. ſummi imperii adminiſtrandi modus, eſt forma civitatis.
481. Quæſtionem: an civitas, mutata ejus forma, pactis ſtare debeat, an contra, aliter Ethicus, aliter Politicus reſolvit.

## CAP. III.

482. Civium duplex eſt ratio, duplex munus atque virtus.
483. Vel namque ut univerſi, vel ut ſinguli conſiderantur.
484. Univerſi communem finem ſibi habent propoſitum, ſalutem civitatis, communi etiam gaudent virtute.
485. Singulis ſuus peculiaris uti eſt finis, ita & munus, atque virtus in ordine atque reſpectu civitatis deſcribenda.
486. Virtus boni viri una eademque ſemper eſt, boni vero civis virtus pro varietate ſtatus variat. Igitur non eadem boni viri & boni civis erit virtus.
487. Poteſt igitur quis eſſe bonus civis, qui non eſt vir bonus, & vice verſa.
488. Virum bonum amore honeſtatis, civem autem bonum amore præſentis reipubl. ſtatus æſtimamus.
489. Et ne quidem in optima republ. eadem boni viri, quæ boni civis eſt virtus:
490. Nam in optima republ. virtutem boni civis oportet omnibus adeſſe, ut vero omnes in aliqua civitate virtute boni viri gaudeant, eſt impoſſibile.
491. Ut civium, ita & virtutum boni civis magna eſt diſſimilitudo.
492. Civium imperantium in optima republ. eadem virtus eſſe poteſt, quæ eſt boni viri.
493 Communiter in civibus laudatur, poſſe & imperare & parere.
494. Virtus viri boni alia eſt, per quam imperat, alia, per quam paret.
495. Ut viri alia eſt fortitudo aut temperantia, quam uxoris; ita & ſingulæ virtutes morales aliæ ſunt imperantium, aliæ parentium.
496. Sola prudentia eſt virtus imperantium propria.
497. Parentium virtus, eſt reverenda de imperantibus opinio.
498. An opifices ſint cives, dubium adhuc eſt, adeoque pluribus in utramque partem diſputandum.
499. Si opifices ſunt cives, erunt imperii participes.
500. Si non ſunt cives, nullo erunt in civitate loco, neque enim inquilini ſunt, neque hoſpites.
501. Sed non ſequitur: Opifices non ſunt inquilini, aut hoſpites E. nulli: plures namque alii præter illos, ſunt in civitate.
502. Nec eſt, quod nonnulli exiſtiment, ac ſi omnis is ſit civis, ſine quo civitas conſiſtere nequit.
503. Optima civitas non faciet humilem artificem civem.
504. Aſſumtis præterea inter cives opificibus, illa ante memorata boni civis virtus haut omnium, ſed eorum, qui neceſſariis non detinentur operibus, modo erit.
505. Qui neceſſariis detinentur operibus, vel ſervi ſunt, vel opifices & mercenarii: illi indefinitam, hi definitam ſerviunt ſervitutem.
506. Quia plures ſunt reſpublicæ, etiam ſpecies civis neceſſe eſt plures eſſe, & maxime civis illius, qui paret.
507. Quapropter in quadam republ. opificem & mercenarium neceſſe eſt cives eſſe, in quibusdam vero impoſſibile.
508. Ita in ariſtocraticis civitatibus opifices & mercenarii in numero civium haberi nequeunt.
509. In Oligarchia vero opifex civis fieri poteſt, mercenarius non item.
510. Tam multis modis variant cives, ut, præter eſſentialia requiſita ſuperius expoſita, leges & inſtituta ſingularium civitatum ſint attendenda.
511. Maxime civis dicendus eſt, qui eſt capax honorum civilium.
512. Civis eſt nomen officii honoris & oneris.
513. Si quando cives audiunt, qui tales vere non ſunt, hoc fit decipiendi ergo.

## CAP. IV.

514. Reſpubl. eſt imperiorum, & maxime ſummi imperii in civitate ordo.
515. Summi autem imperii, ſeu Majeſtatis, eſt adminiſtrare civitatem, ubique & abſolute.
516. Adminiſtratio vero illa facit rempublicam.
517. Imperium eſt duplex, herile & civile.
518. Herile imperium per ſe imperantium intendit ſalutem, parentium vero per accidens.

519. Ci-

519. Civile imperium vel parentium per ſe, per accidens imperantium, vel utriusque commodum habet propoſitum.
520. Reſpubl. alia eſt civilis, alia Herilis.
521. Illa juſto ſimpliciter, hæc juſto ex hypotheſi utitur.
522. Illa recta, hæc corrupta.

## CAP. V.

523. Ut ſumma, vel abſoluta civitatis adminiſtratio variat; ita variat reſpubl. quia per illam reſpublica ultimo eſt reſpubl. ut homo per rationem.
524. Jam vero civitas abſolute gubernatur vel ab uno, vel a paucis, vel ab omnibus, idque fit utilitatis vel publicæ, vel privatæ cauſa.
525. Ergo tres erunt rerumpubl. formæ rectæ, totidemque corruptæ; omnes autem ſimplices, ex quibus componuntur mixtæ.
526. Civitas, in qua Majeſtas eſt penes unum, commune ſpectantem bonum, dicitur Regnum.
527. Civitas, in qua Majeſtas eſt penes paucos, publicam utilitatem intendentes, dicitur Ariſtocratia.
528. Civitas, in qua Majeſtas eſt penes omnes, publicæ utilitatis rationem habentes, communi nomine Politica audit, quæ rarior.
529. Unius imperium, ad privatum bonum conformatum in perniciem ſubditorum, dicitur Tyrannis.
530. Ubi imperium eſt penes divites, ſibi unice laborantes, ibi eſt Oligarchia.
531. Civitas, in qua ſummum Imperium eſt penes pauperes, divitum perniciem quærentes, vocatur Democratia.
532. Tyrannis eſt Monarchia herilis in populum civilem.
533. Numerus imperantium nec conſtituit, nec diſtinguit reſpublicas.
534. Ut pauci in Oligarchia, multi in Democratia imperent, inſeparabile accidens eſt.
535. Sed Oligarchiam & Democratiam divitiæ & paupertas diſtinguunt; ita quidem, ut ubi divites, propterea quia ſunt divites, imperant, ſive pauci, ſive multi illi fuerint, ibi ſit Oligarchia, & ubi plebeji, quia ſunt liberi homines, imperant, ibi obtineat Democratia.

## CAP. VI.

536. Ut quælibet alia reſpubl. ita & Oligarchia ac Democratia ſua peculiaria habent jura, quibus, veluti limitibus quibusdam, quælibet circumſcribitur.
537. Illud jus nunc ſimpliciter jus eſt, nunc aliquo modo.
538. Democratici, æqualitate, Oligarchici vero inæqualitate, jus ſuum definiunt.
539. Vere quidem utrumque dicitur, ſed non plene; cum primæ iſtæ juris regulæ ita perfecte ſe habeant: Æqualibus æqualia æqualiter; inæqualibus inæqualia æqualiter debentur.
540. Conceduntur iſtæ regulæ ab omnibus; qui autem, & quatenus ſint æquales vel inæquales, inter ſe ferme cuncti controverſantur.
541. Nam vix quiſpiam de ſe & ſuis recte judicat.
542. Et ut plurimum homines ab aliquo jure, quod nobis competit ad omne jus, a quadam æqualitate vel inæqualitate ad omnem æqualitatem vel inæqualitatem, a dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter, argumentantur.
543. Cujus rei cauſa eſt civitas, illud eſt fundamentum, juxta quod æqualitas vel inæqualitas perſonarum in reſpubl. eſt ſumenda.
544. Ex eo igitur, quod quis in ſocietatem pro bono illius impetrando confert, ſumenda eſt proportio perſonarum.
545. Ita ſi civitas eſſet mercatoria ſocietas, opum quærendarum cauſa inſtituta, aliquid obtinere poſſent Oligarchici.
546. Nam ut Oligarchici plus cæteris in publicum conferre poſſunt; ita & de publico plus participare deberent. Exemplo rerumpubl. quibus fœderatum Belgium conſtat.
547. Non ſolum vivendi, ſed potius bene vivendi cauſa reſpublicæ ſunt inſtitutæ, cum & bruta vivant.
548. Nec mutui auxilii aut commerciorum cauſa eſt civitas, cum ita diſtinctæ civitates in unam coirent.
549. Sed poſſunt diſtinctæ civitates defenſionis & commerciorum fœdere uniri, ac nihilominus manere diſtinctæ, veluti exemplo Tyrrhenorum & Carthaginenſium liquet.
550. Nam neque communes habebant illæ imperantes, neque quales eſſent, curabant; ergo diſtinctæ fuerunt reſpublicæ.
551. Virtutis imprimis rationem habere debet civitas, atque ſecundum illam perſonarum dignitas ſumenda.
552. Fœdere autem junctæ reſpublicæ non aliis, quam de non lædendo legibus ut plurimum utuntur, adeoque finis illarum non tam eſt cives bonos ac juſtos efficere, quam reddere quemlibet ſecurum.
553. Sed ut ſecundum virtutem non impeditam vivamus, inſtituta eſt civitas.
554. Igitur ad iſtum finem quatenus quis quid confert, eatenus de honoribus civilibus participare debet.



Digitized by Google

## CAP. VII.

555. Quæſtio, qua quæritur: Penes quem aut quos in civitate debeat eſſe Majeſtas: difficilior eſt, quam ulla alia.
556. Sub pauperum ſane imperio civitas beata eſſe nequit: quia injuſte imperant, alterius partis reipublicæ, quam divites faciunt, negligentiores.
557. Nec Tyrannis melior Democratia.
558. Nec Divitibus ſummum imperium concedendum videtur in plebejos iniquiores.
559. Nec ſolis Probis ſummam poteſtatem concedere conſultum, quod hac ratione cæteri omnes honoribus civilibus excludantur.
560. Imperia enim honores dicimus.
561. Ergo ubi pauci imperant, ibi plurimos honore omni deſtitui neceſſe eſt, id quod non caret periculo.
562. Eodem incommodo premitur & Regius ſtatus.
563. Nec legibus committere imperium extra omne periculum eſt, quia leges feruntur in reſpectu ad rempublicam.
564. Magis multitudini, quam optimatibus ſummum imperium deferendum videtur.
565. Nam multi, univerſe ſumti, meliores ſunt paucis optimatibus.
566. Quoniam ſinguli particulam virtutis & prudentiæ habent, omnes vero integra virtute & prudentia gaudent.
567. Hinc artifices, opera ſua omnium oculis & judicio exponunt: dum namque ſinguli partem operis judicant, totum opus examinatur, ſinguli autem optimatum a ſingulis in multitudine diſtant, ut formoſus a non formoſo, ut verum a picto.
568. Non autem quævis plebs melior paucis optimatibus habetur, ſed ubi ſinguli de plebe habent aliquid virtutis & prudentiæ.
569. Plebs eſt multitudo hominum, qui nec divitiarum, nec virtutis præſtantiam habent.
570. Nec nihil, nec omnia, nec ſumma Plebi tribuenda.
571. Non nihil; ita namque multos reſpublica habebit hoſtes.
572. Non omnia aut ſumma, quia plebeji ſumma poteſtate uti haut didicerunt.
573. Plebeji ad conſultationes & judicia, non tamen quævis, admittendi ſunt; ita fecit Solon & plures Veterum alii.
574. Jure optimo in ſua manu habet multitudo res magnas.
575. Hinc nulla non reſpublica utitur inſtitutis democraticis.
576. Leges in univerſali, agenda omittendave jubeant vetentve; imperantes vero de ſingularibus juxta legum præſcripta ſtatuant.
577. Moralitas legum a ſtatu, cujus ſunt leges, dependet.
578. Leges igitur accommodandæ ſunt rebuspublicis.
579. Cujuslibet ſcientiæ & artis finis eſt bonum.

## CAP. VIII.

580. Præſtantiſſimæ diſciplinæ finis præſtantiſſimum erit bonum, veluti Politicæ.
581. Civile autem bonum eſt, quod juſtum eſt, juſtum autem, quod publice prodeſt.
582. Præſtantiori debetur imperium.
583. Non autem ſecundum cujusvis boni præſtantiam imperia ſunt conferenda; alias & pulcherrimo atque robuſtiſſimo id etiam eſſet tribuendum.
584. Inſtrumenta non niſi artis perito utenda damus, & qui in arte excellit, illi exquiſita ejus artis tribuimus inſtrumenta.
585. Igitur imperandi inſtrumenta illi modo, qui arte imperatoria excellit, committenda.
586. Si cujuslibet boni præſtantia in collatione honorum civilium eſſet attendenda, tum quodlibet cum quolibet compararetur; id quod fieri nec poteſt, nec debet.
587. Quapropter non ſtatim, qui boni alicujus habet præſtantiam, de imperio debet participare.
588. Nunquam illa bona, quæ ſunt extra artem, in laudatione artificis ſunt alleganda.
589. Sed bona civilia allegare poſſunt, qui de imperio contendunt.
590. Sunt vero bona civilia duum generum: ſine aliis civitas eſſe, ſine aliis bene eſſe nequit.
591. Tantum honoris munus aliquod comitatur, quantum in eo obeundo requiritur virtutis.
592. Quæ reſpublica unius boni præſtantiam attendit, aberrans eſt.
593. Divites ſibi imperium deberi exiſtimant, quod potiſſima reipubl. bona immobilia poſſideant, quodque plus fidei ipſis habeatur.
594. Nobiles ſibi imperium deberi judicant, quia magis ſunt cives, & ubique honoratiori loco, quodque meliores melioribus prognaſcantur.
595. Virtuoſi ſibi imperium in civitatem deberi contendunt, quia juſtitia ſocietates conſervat, quam omnes aliæ virtutes comitantur.
596. Populus ſibi ſummam poteſtatem arrogat, quod melior ſit locupletior ac potentior paucis.
597. Si autem divites, quia ſunt divites, imperare debent, ſequitur uni ditiſſimo imperium deberi, & ita non Oligarchia, ſed Monarchia introduceretur.
598. Eodem modo, ſi nobiles aut virtuoſi, quia tales, rempubl. in manu habere deberent, uni nobiliſſimo & virtuoſiſſimo eſſet tradenda; unde Monarchia.
599. Hinc nec virtuoſi, nec divites aut nobiles, nec liberi, ſeu plebs jure ſimpliciter utuntur.

600. Qui

Digitized by Google

600. Qui vult ferre leges rectiſſimas, rectum ſumat æqualiter ad totius civitatis utilitatem, & ad commune civium bonum.

601. Igitur Politicus omnium habeat rationem, ſervata tamen juſta ac debita proportione.

## CAP. IX.

602. Qui ad alios nullam habet proportionem, veluti heros, civitatis pars eſſe nequit.

603. Etenim, qui communibus legibus regi neſcii ſunt, nec ejusdem civitatis cives eſſe poſſunt.

604. Et ne unus in civitate nimium excellens eſſet, introductus eſt a Democraticis oſtracismus.

605. Democratici enim maxime æqualitatem amant.

606. Eſt autem oſtracismus in hiſtoria exilii temporarii genus, quo nimium excellentes vel divitiis, vel potentia civitate exeſſe jubebantur.

607. Ex uſu doctorum Politicorum oſtracismi ſignificatio ampliatur, & denotat omne illud inſtitutum politicum, quod eundem cum oſtracismo habet effectum.

608. Quamvis autem ejusmodi inſtituta, artes & conſilia, multa ſint & varia, omnia tamen ad duas claſſes reducuntur. Vel enim faciunt, ne quis *nimius* vel incivilis fiat, vel ſi *nimius* factus fuerit, iterum ad debitam æqualitatem reducatur.

609. Qua de cauſa Argonautæ Herculem reliquerunt, quod eo loco eſſe nolebat, quo alii, in navi conſtituti.

610. Idem fit nonnunquam in tyrannide. Nec id improbandum omnino, veluti quod Thraſybulo Periander dedit conſilium, demendo eminentes ſpicas, & adæquando ſegetem.

611. Tale quid, quale fecit Periander, & in oligarchia & democratia fieri ſolet.

612. Etenim oſtracismi vis in eo poſita eſt, ut *nimiorum* & incivilium vires frangat atque contundat.

613. Nec tantum erga partem reipublicæ, ſed & reipublicæ adverſus aliam rempublicam, imprimis vicinam, oſtracismi aliquis eſt uſus.

614. Nec in corruptis modo, ſed & in rectis rebuspublicis oſtracismum adhibent.

615. Melius autem eſt reipublicæ in prima inſtitutione præcavere a malis, certo futuris, quam ægrotanti reipublicæ facere medicinam.

616. Ubi vero prius neglectum, recurrendum eſt ad alterum, veluti ſecundam navigationem, h. e. ſatius eſt videre, ne quis *nimius* fiat, quod ſi autem iſtud neglectum fuerit, *nimius* factus iterum erit deprimendus.

617. Eſt autem oſtracismo ſeditioſe minime utendum.

618. Oſtracismus in rebuspublicis corruptis habet aliquod juſtum civile, id quod tamen non ſimpliciter eſt juſtum.

619. Qui bonis civilibus, quæ ad eſſe civitatis faciunt, nimium excellit, adverſus eum oſtracismo uti licet in qualibet republica.

620. Qui vero bonis civilibus, quæ ad bene civitatis eſſe faciunt, & virtute excellit, illum e republica pellere nefas & injuſtum eſt: ſed ubi talis unus exiſtit, ibi regnum eſt inſtituendum.

## CAP. X.

621. De regno nunc acturi, regiam dignitatem cum regia poteſtate confundi nolumus.

622. Nec ſtatim qui Rex audit, Rex vere eſt. Uti qui Rex non audit, non ſtatim Rex non eſt.

623. Plura autem ſunt regnorum genera, quia modus imperii regii variat.

624. Primo loco eſt regnum Laconicum, quod hiſtorice ſumtum denotat illud, quod apud Spartanos obtinuit; ex uſu vero Politicorum omne illud regnum tali nomine venit, quod inſtitutis & adminiſtrandi modo regnum Laconicum refert.

625. Regnum Laconicum erat perpetuum, legibus aſtrictum, interdum hæreditarium, interdum electitium, tempore pacis Rex tantum erat Senator, belli vero tempore, abſolutam bellum adminiſtrandi habebat poteſtatem, & præterea ſacra curabat.

626. Qua igitur parte & quatenus regnum aliquod imitatur Laconum inſtituta, ſecundum id, & eatenus Laconicum dici poteſt; niſi quod perpetuo requiratur, ut Rex legibus ſit aſtrictus fundamentalibus.

627. Secundo loco eſt regnum Barbaricum, cujus Rex poteſtatem habet tyrannidi aſſimilem, legibus tamen fundamentalibus circumſcriptam atque a majoribus traditam, imperans ſervilibus ingeniis, jugum domini ferentibus.

628. Eſt regnum Barbaricum tuta tyrannis, quia hereditarium, & in homines volentes.

629. Quapropter Rex Barbarorum non tyrannica, ſed regia utitur cuſtodia.

630. Regi opus eſt cuſtodia corporis, quæ quando civibus, regia, quando vero exteris committitur, tyrannica appellatur.

631. Rex a civibus, tyrannus adverſus cives cuſtodiam habet.

632. Tertio loco eſt regnum Græcis uſitatum, quibus cum regium nomen inviſum eſſet, illud vocarunt, Æſymnetiam, unde regni Æſymnetici appellatio.

633. Regnum Æſymneticum eſt tyrannis electitia, legibus aſtricta, nunc perpetua, nunc temporaria.

634. Æſymnetiæ reſpondet Romanorum dictatura.

635. Quarta regni ſpecies eſt regnum, quod Heroicis temporibus uſurpabatur, Heroicum inde dictum, eratque in homines nolentes, hereditarium, atque legibus fundamentalibus circumſcriptum, in majores ob merita collatum.



Digitized by Google

## CAP. XI.

636. Quinta regni ſpecies eſt, quando unus in republica abſolutam habet poteſtatem, & regnum plenum vel ſimplex dici ſolet.
637. Quotquot autem ſunt vel eſſe poſſunt regnorum differentiæ, revocantur illæ omnes ad duas claſſes: ita, ut alia ſint Laconica, alia plena & abſoluta.
638. Regnum autem Laconicum non regni, ſed regii inſtituti potius formam habet.
639. Et Rex Laconicus non tam Rex, quam regius eſt magiſtratus, qui in quavis alia non regia republica inſtitui poteſt.
640. Regem autem potius, quam leges imperare in republica debere volunt; quod lex in genere loquatur, cum tamen imperium ad ſingularia ſe extendat, quæ legibus non comprehenduntur.
641. Unde reſpublica, quæ ex præſcriptis tantum legibus regitur, optima non eſt.
642. Sed contra, leges affectibus non ducuntur, ut homines.
643. Verum, quia homo affectuum haut eſt expers, ut lex; idcirco melius ille, quam hæc de actionibus humanis ſtatuere poteſt.
644. Igitur ponendæ quidem ſunt leges, & ſimul legum auctor & cuſtos, qui etiam legum defectum ſupplere poteſt.
645. Unumne autem optimum, an vero omnes imperare oporteat, dubium eſt.
646. Univerſitas melius judicat, nec ita corruptioni obnoxia, ac unus optimus.
647. Non autem quivis populus uni optimo præfertur, ſed qui ſecundum leges, ubi & quantum fieri poteſt, imperare amat.
648. Verum, quia ejusmodi populus rarior eſt, ideo pro quibusdam probis adverſus unum optimum loquendum videtur.
649. Ratione modi perveniendi ad regnum, diſtinguitur regnum, in hereditarium electitium & mixtum.
650. Ratione autem modi habendi regnum, aliud eſt patrimoniale, aliud uſufructuarium.
651. Rex præſidiario milite utatur, non tantum propter parere nolentes, ſed & ſplendoris cauſa.
652. Præſidium autem iſtud ſit quidem majus uno & pluribus, minus autem toto populo.

## CAP. XII.

653. Regnum abſolutum, naturæ haut conveniens eſſe videtur; quia primo injuſtum eſt, æqualibus inæqualia tribuere; ſed inter æquales viciſſitudo imperii juſta eſt, quæ, quia lege nititur, idcirco legum imperium erit juſtum, atque unius imperio abſoluto præferendum.
654. Qui legem imperare jubet, videtur jubere imperare rationem atque Deum; qui vero hominem imperare jubet, adjungit & belluam, adeoque vel hoc nomine, ſecundo, regnum abſolutum improbandum videtur.
655. Validiores autem, & de rebus majoris momenti ſeu publicis ſunt leges, quæ moribus conſtant, quam quæ ſcriptis.
656. Homo, qui præeſt, legibus ſcriptis eſt conſtantior, non vero iis, quæ moribus ſunt introductæ.
657. Jura publica maximam partem conſuetudine conſtant.
658. Tertio, unus omnia in civitate adminiſtrare nequit, &, quarto, plures boni, uno ſunt meliores.
659. Cæterum ratum firmumque eſto, legum imperium melius eſſe imperio hominis, nec de eo amplius dubitandum.
660. Nec de eo, an omnia legibus ſint committenda, cum ea, de quibus deliberant, legibus complecti nequeamus.
661. Sed hoc quæritur: an quæ hominis imperio permittenda, an illa unius, an paucorum, an omnium arbitrio committi debeant? cui quæſtioni ſatisfacimus, ſi dicamus: in quodam populo illud, in quodam iſtud, in alio hoc obtinere poſſe.
662. Populus abſque imperio ſalvus eſſe non poteſt; hinc natura ad aliquod imperii genus propendet.
663. Populi igitur trium ſunt generum, alius civiliter, alius heriliter, alius regie vult tractari, nullus autem tyrannice.
664. Imperium namque tyrannicum nullius populi indoli convenire poteſt.
665. Quando autem populus eo imperio, ad quod ſecundum indolem & mores proprios propendet, regitur, eſt ille civitatis ſtatus juſtus & utilis.
666. Proinde prout populus variat, ita nunc unius, nunc paucorum, nunc omnium, nunc herile, nunc civile imperium eſt probandum.
667. Quæ autem ſupra contra regium ſtatum producta ſunt, locum tantum habent in populo, qui ex Arithmetice æqualibus conſtat.
668. Ille populus aptus eſt regio ſtatui, qui unam eximiam aut præſtantem familiam reverenter habet, ſeque iſti ſubjicit, atque eos, qui ex illa familia oriuntur, maximi facit.
669. Qui autem populus natura fertur ad uno plures liberos homines, quia ſunt virtute præſtantes, ille ariſtocratico regi vult imperio.
670. Denique ille populus, qui ad bellicam virtutem propendet, politiam amat.



Digitized by Google

# ARISTOTELIS POLITICORVM LIBER QVARTVS.

## CAPVT I.

§. 671.

Omnium, qui artes profitentur ac ſcientias, quæ partiales non ſunt, ſed totales, munus eſt, non tantum quid ſimpliciter ſit optimum docere, ſed & quid ſingulis ſit accommodatum.

672. Igitur ejuſdem erit ſcientiæ, videre, quænam optima reſpublica ſit, quæque maxime ex voto, ſi nulla res externa impediat, & quæ quibus conveniat.

673. Nam multis non datur, optimam rempublicam conſequi.

674. Quapropter bonum politicum fugere non debet (1) quæ ſit optima pro nunc (2) quæ ſit optima ex hypotheſi, & denique (3) quæ plerisque ſit conformis.

675. Magna pars politicorum ſcriptorum, eleganter quidem de optima republica loquitur, a rebus vero, quæ uſui eſſe poſſunt, aberrat.

676. Non optimam modo, ſed & quæ, qualisque eſſe & haberi poſſit, quæque facillime conſtituatur, rempublicam noſſe oportet vere Politicum.

678. Alii Politici, unam communiorem formam præſcribunt, omnibus populis accommodandam, cum tamen non omnium pedibus, unus idemque congruat calceus.

679. Certum eſt, non aliam inſtituendam eſſe rempublicam, quam quæ impræſentiarum haberi & conſervari poteſt.

680. Quoniam non minor eſt labor, collapſam reſtaurare rempublicam, aut corruptam corrigere, quam fundare novam ab initio: quemadmodum difficilius eſt dediſcere, quam diſcere.

681. Politici non ſolum eſt, rempublicam inſtituere, ſed etiam, ante conſtitutam; conſervare.

682. Igitur Politicus, quot ſpecies reipublicæ ſint, noſſe debet. Ad conſilium enim, de republica dandum, caput eſt, noſſe rempublicam.

683. Præterea neceſſe eſt, diſcrimen & numerum tenere ſingularum rerumpublicarum, etiam ad leges ſcribendas & judicandas.

684. Leges enim rebuspublicis, non e contrario legibus reſpublicæ, ſunt accommodandæ.

685. Reſpublica namque eſt ordo in civitatibus quoad imperantes, maxime illum, qui ſummam habet poteſtatem, & quoad finem, non unius alicujus partis, ſed totius reipublicæ.

686. Leges igitur, non declarant rempublicam, ſed ſumma poteſtas & finis.

## CAP. II.

687. Peſſima rerumpublicarum, eſt tyrannis, quia primæ & diviniſſimæ opponitur.

688. Tyrannis, quæ peſſima eſt, plurimum abeſt a republica.

689. Oligarchia, inter corruptas, eſt ſecundo loco, uti primo loco democratia.

## CAP. III.

690. Plures ſunt reſpublicæ, quia in omni civitate plures ſunt partes, multum inter ſe differentes.

691. Partes illæ ſunt patresfamilias. Nam omnis civitas ex pluribus familiis conſtat.

692. Patrumfamilias alii ſunt divites & nobiles, alii pauperes & plebeji, alii ſunt medii, alii ſunt inermes, alii armati, alii agricolæ, alii mercatores, alii opifices, alii alia vitæ genera ſectantes.

693. Prout aliter atque aliter multi ac varii iſti patresfamilias conjunguntur ac miſcentur, ita alius atque alius inde oritur populus, & per conſequens alia atque alia civilis regiminis forma.

694. Melius aliæ rectæ, aliæ corruptæ dicuntur.

695. Corruptarum aliæ, aliis nunc intenſiores ſunt, nunc remiſſiores.

696. Perſpicuum igitur, neceſſe eſſe, plures exiſtere reſpublicas, quæ diſcrepant inter ſe ſpecie; cum partes, ex quibus componuntur, inter ſe ſpecie differant.

696. Male duæ extremæ reſpublicæ, oligarchia & democratia, conſtituuntur, ad quas omnes aliæ ſint referendæ.

## CAP. IV.

697. Ut animalium, ita & rerumpublicarum ſpecies, a varia partium neceſſariarum diſpoſitione dependent.

698. Neceſſariæ autem animalium partes ſunt, quæ nutritioni, ſenſui ac motui inſerviunt.

699. Iſtæ partes earumque, quæ quidem conjungi poſſunt, copulæ ſimul ſumtæ efficiunt ſpecies animalium.

700. Hinc tot ſunt ſpecies animalis, quot erunt conjugationes partium neceſſariarum.

701. Ita a varii generis patrumfamilias, ſecundum quantitatem & qualitatem, miſtione ac diſpoſitione, eſt populi cujuslibet habitudo, cui reſpublica reſpondet.

702. Prima civitatis neceſſaria pars, ſunt agricolæ.

703. Secundam civitatis neceſſariam partem faciunt artifices atque opifices, quorum alii ad eſſe, alii ad bene eſſe quicquam conferunt.

704. Tertio loco ſunt mercatores, uti quarto mercenarii, & quinto milites.

705. Sextam civitatis neceſſariam partem conſtituunt ii, qui ſacris operantur.



Digitized by Google

706. Septimo ſunt divites & nobiles.
707. Octavo ſunt imperium, ſenatus & judicium.
708. Ultimo loco inter neceſſarias civitatis partes referimus optimates & virtuoſos.
709. Non autem neceſſe eſt, iſtas neceſſarias omnes reipublicæ partes ſecundum perſonas diſtinguere, cum quis ſimul ex caſu & opifex & mercator eſſe poſſit; ſed ab actionibus, ad finem civitatis obtinendum neceſſariis, illa partium civitatis differentia eſt petita.
710. Tantum, iidem locupletes pariter & pauperes eſſe non poſſunt.
711. Quare divites præcipuæ civitatis partes eſſe videntur.
712. Et quia divites, ut plurimum, pauci, pauperes vero plures, hos maxime contrarias inter ſe partes civitatis eſſe apparet.
713. Plures ſunt plebis, ac eorum, qui ſupra plebem ſunt, ſpecies.
714. Plebis partes præcipuæ, ſex ſunt: agricolæ, artifices ſeu opifices, mercatores, nautici, Mercenarii, ac libertini.
715. A prædominante autem parte, plebs, nomen ſuum habet & ſpeciem.
716. Eorum, qui ſupra plebem ſunt, ſpecies conſtituunt, divitiæ, nobilitas, virtus, diſciplina & hujus generis alia.
717. Democratia eſt reſpublica plebis. Ergo, prout variat plebs, ita & democratia.
718. Non plebs, ſed mores & actiones plebis faciunt democratiam.
719. Democratiæ prima ſpecies eſt, ubi divitum & pauperum par eſt conditio, adeoque ſumma poteſtas eſt penes divites & pauperes, propter libertatem & æqualitatem.
720. Et vero, quia pauperes plures ſemper ſunt; (quod autem pluribus viſum, id ratum habetur;) ideo ejusmodi ſtatus erit democraticus.
721. Secunda democratiæ ſpecies eſt, in qua imperia ex cenſu, ſed eo exiguo, deſignantur, ex omni civium numero.
722. Tertia democratiæ ſpecies eſt, in qua ex omnibus civibus, qui macula aliqua contaminati non ſunt, imperantes eliguntur, ita tamen, ut legibus ſit locus.
723. Quarta democratiæ ſpecies eſt, in qua omnes participant de republica, qui ſunt cives, ita tamen, ut legibus fundamentalibus ibi ſit locus.
724. Quinta democratiæ ſpecies eſt, in qua omnia ab arbitrio plebis, non autem a lege dependent, idque eſt a Demagogis.
725. Extrema hæc democratia, proportione reſpondet tyrannidi: utrobique iidem ſunt mores, utraque eſt contra meliores, utrobique legum loco decreta ſunt, & quælibet denique ſuos habet aſſentatores.
726. Demagogi magiſtratibus obtrectant, & eorum imminutam cupiunt auctoritatem, æquum eſſe dicentes, ut arbitrium ſit penes populum.
727. Peſſima democratia non eſt reſpublica: nam ubi leges non imperant, non eſt reſpublica.
728. Oportet enim leges imperium habere in omnes res, magiſtratus autem & rempublicam de ſingularibus rebus exiſtimare.
729. Igitur ſi democratia eſt reſpublica peſſima, illa democratia vera democratia non erit; quod ibi plebiſcitis omnia adminiſtrentur.
730. Nullum enim plebiſcitum contingit eſſe univerſale.

## CAP. V.

731. Oligarchia eſt, ubi nobiles vel divites imperant, propterea quia ſunt nobiles vel divites.
732. Quæ igitur nobilium & divitum, eadem & oligarchiæ eſt differentia.
733. Oligarchiæ prima ſpecies eſt, quando imperantes ex cenſu deſignantur, non maximo quidem, ſed tamen ejusmodi, ut inopes honorum participes fieri nequeant, quamvis plures numero ſint; illis autem omnibus, qui cenſum legibus definitum nacti ſunt, ad honores detur aditus.
734. Secunda oligarchiæ ſpecies eſt, quando itidem ex cenſu, at non ita magno, creantur imperantes, qui ipſi eos, quos numero legitimo aut uſitato deeſſe vident, in eum cooptant.
735. Tertium oligarchiæ genus eſt, quando propter ea, quæ jam dicta, filius patri ſuccedit in imperio.
736. Quartum oligarchiæ genus eſt, ubi maximi cenſus habetur ratio, ac pro legibus ſtat libido imperantium atque voluntas.
737. Hæc oligarchia in monarchiis tyrannidi, in Democratiis ultimæ democratiæ reſpondet, appellaturque dynaſtia.
738. Sæpius uſu venit, ut reſpublica ſecundum leges non ſit vel democratia, vel oligarchia, quoad modum vero adminiſtrandi ſit talis.
739. Maxime tale quid contingit, ubi reſpublicæ mutantur.
740. Etenim qui ſtatum immutant, non uno molimine id agunt, ſed leges retinent, nihil minus interea, quam quod illæ volunt, agentes.

## CAP. VI.

741. Quia, ut dictum, a varia partium civitatis neceſſariarum habitudine ſunt rerumpublicarum differentiæ; idcirco inde etiam democratiæ ac oligarchiæ diſtinctæ ſpecies deducendæ.
742. Etenim neceſſe eſt, ut vel omnes populi partes, ſuperius enumeratæ, participes fiant reipublicæ, aut ut quædam fiant, quædam non fiant.



Digitized by Google

743. Tam autem Oligarchiæ, quam Democratiæ in duplici ſunt differentia; aliæ ſecundum leges, aliæ abſque legibus adminiſtrantur.

744. Ubi illi, qui modica bona poſſident, rempubl. in manu ſua habuerint, ibi obtinet Democratia ſecundum leges, quod illi res vitæ neceſſarias opera ſua & labore parent, adeoque otio frui nequeant, ſed tantum neceſſariis civitatis conventibus interſint.

745. Democratia, in qua certi, exigui tamen, cenſus habetur ratio, in conſtitutione magiſtratus leges obſervat, atque nulla decernit imperantibus ſtipendia.

746. Et ſecunda atque tertia Democratiæ ſpecies legibus imperium concedit, quia neutra habet publicos reditus.

747. Quarta Democratiæ ſpecies tempore & ſtatu poſtrema eſt, atque extitit, ex quo civitates factæ ſunt populoſiores.

748. Ex quo namque civitates majores ſunt factæ, amplum habuerunt ærarium; unde merces reipubl. vacantibus dabatur.

749. In tali Democratia infimi de plebe imperant abſque legibus.

750. Nam mercede imperantibus conſtituta, pauperes otiari poſſunt.

751. Quo majores ſunt divitiæ, quæ in imperantibus requiruntur, eo intenſior eſt Oligarchia, atque pejor, & magnæ divitiæ faciunt, quo minus legibus ac magiſtratui aliquid relinquatur.

752. Prima Oligarchiæ ſpecies, ut & ſecunda atque tertia legibus imperium permittunt.

753. Ultima Oligarchia legum neſcia eſt, paſſimæ & ultimæ tyrannidi ac Democratiæ reſpondens.

## CAP. VII.

754. Fallitur Plato in recenſione rerumpubl. Politiam omittendo, veluti ipſi nondum obſervatam.

755. Pura Ariſtocratia & prima ejus ſpecies eſt, in qua viri vera virtute præditi, quia ſunt tales, ſummam habent poteſtatem.

756. In ſola hac republ. idem vir & civis bonus eſt; qui autem in aliis boni ſunt, ad rempubl. ſuam boni ſunt.

757. Gratum eſt Ariſtocratiæ nomen, quapropter reſpublicæ, quæ non ſunt Ariſtocratiæ, illud affectant.

758. Secunda Ariſtocratiæ ſpecies eſt, in qua virtutis quidem primario, præter autem eam, & divitiarum atque nobilitatis habetur ratio.

759. Tertia Ariſtocratiæ ſpecies eſt, quæ præter virtutem, & divitiarum ſeu nobilitatis, & libertatis habet rationem.

760. Quarta Ariſtocratiæ ſpecies eſt, ubi præter virtutem, ſolius habetur ratio libertatis.

## CAP. VIII.

761. Reſtat Politia & Tyrannis, & quidem de Tyrannide ultimo loco agendum, quia vix reipubl. nomine digna.

762. De Politia vero hic ſtatuendum, quia ex temperatura Oligarchiæ & Democratiæ oritur.

763. Quicquid boni eſt in Oligarchia & Democratia, id omne in Politia concurrit.

764. Quicquid mali in Oligarchia & Democratia habetur, hoc omne in Tyrannide ſimul reperitur.

765. Bonum Oligarchiæ eſt ſalus divitum & nobilium, Democratiæ vero ſalus plebis.

766. Malum Oligarchiæ quidem eſt pernicies plebis, Democratiæ vero pernicies nobilium.

767. Conſueverunt autem appellari, quæ vergunt ad Democratiam, Politiæ; quæ vero ad Oligarchiam, Ariſtocratiæ.

768. Etenim divitias bona inſtitutio nobilitasque ſequi magis videtur, & ea, quorum cauſa reliqui injuſte agunt, penes divites videntur eſſe.

769. Impoſſibile videtur, optimorum virorum imperium abſque bonis legibus, vel bonas leges abſque optimorum virorum imperio eſſe.

770. Eſt autem duplex bona legum habitudo; una eſt, leges recte conſtituere, altera legibus obtemperare.

771. In iis, quæ ſunt mere poſitiva, quæque ad ſocietatem pertinent, & in poteſtate ſocietatis ſunt, nec ſingulos, ſed univerſos concernunt, atque ob ſalutem, vel majus bonum ſocietatis obtinendum determinatione opus habent; in illis minor pars cum majori ſtare tenetur, niſi ſpeciali pacto hoc vel illud exceptum ſit.

772. In plurimis civitatibus aliqua Politiæ ſpecies obtinet.

## CAP. IX.

773. Primus miſcendi Democratiam & Oligarchiam modus eſt, quo ambo utriusque inſtituta ſunt ſumenda.

774. Ita in Oligarchia divitibus mulctam conſtituunt, niſi lites judicarint pauperibus autem nullam mercedem: in Democratia contra, pauperibus mercedem, divitibus vero nullam mulctam. Ambo hæc ſimul ſumta, faciunt inſtitutum Politiæ accommodatum.

775. Alter miſcendi Democratiam & Oligarchiam modus eſt, quo neutrius, ſed media inſtituta obtinent.

776. Ita nec magni cenſus, ut in Oligarchia, nec nullius, uti in Democratia, ſed mediocris habere rationem in deſignando ſenatu, eſt Politiæ conveniens.



Digitized by Google

777. Tertius Democratiam & Oligarchiam miſcendi modus eſt, quo partim ex democratico, partim ex oligarchico inſtituto aliquid aſſumitur.
778. Ita imperantes ſorte creari, democraticum eſt, ſuffragio vero, Oligarchicum; atque Democraticum quidem non ex cenſu, Oligarchicum autem ex cenſu. Itaque Ariſtocratiæ & Politiæ conveniens erit, ſumere ex utraque utramque, ex Oligarchia quidem facere, ut imperantes ſuffragio mandentur, ex Democratia vero, ut ex cenſu.
779. Tum autem Oligarchia & Democratia bene miſtæ ſunt, quando eandem Politiam dicere liceat Democratiam & Oligarchiam.
780. Univerſe enim medium comparatum ad extrema utrumque eſſe apparet.
781. Hinc nonnulli rempubl. Spartanam Democratiam autumabant, quia plurima ibi obtinebant inſtituta Democratica. Veluti publica inſtitutio, communis victitandi atque veſtiendi ratio; duo etiam magni magiſtratus erant ſuo modo penes plebem.
782. Illa demum Politia bene eſt miſta, quæ videtur utrumque eſſe, neutra tamen eſt.
783. Politia tunc bene eſt miſta, quando per ſe, non extrinſecus, eſt incolumis.

## CAP. X.

784. Primam Tyrannidis ſpeciem facit regnum Barbaricum Lib. 3. Cap. 10. expoſitum.
785. Alteram Tyrannidis ſpeciem conſtituit regnum Æſymneticum citato loco memoratum, & hæ duæ aliquid regni habent.
786. Tertia Tyrannidis ſpecies maxime regno opponitur, eſtque imperium abſolutum in meliores aut pares eosque invitos, boni privati ergo, cum pernicie ſubditorum.
787. Nemo liber homo perpetitur ſua ſponte volensque hujusmodi imperium.

## CAPUT XI.

788. Illa eſt optima plerisque respubl. quæ reſpicit vitam, quam plerique vivere poſſunt.
789. Ex Ethicis ſupponitur, vitam beatam conſiſtere in operatione ſecundum virtutem non impeditam; virtutem autem poſitam eſſe in mediocritate.
790. Ergo optima vita in mediocritate erit poſita.
791. Quia autem respubl. eſt vita civitatis, idcirco optima reſpubl. in mediocritate erit quærenda.
792. In omnibus civitatibus tres ſunt partes civitatis: alii Summi, alii Infimi, alii Medii; vel virtutis, divitiarum, vel generis, vel libertatis, vel alius rei reſpectu.
793. Quia vero indolem civium refert accommoda respublica, non male respubl. optima quamplurimis ex tali civium indole deducitur, cujus plerique eſſe poſſunt.
794. Atqui medii cives optimi cenſentur, & plerique civium medii eſſe poſſunt.
795. Ergo reſpubl. mediorum civium erit reſpubl. optima quamplurimis.
796. Medii cives optimi ſunt, quia facillime obtemperant rationi.
797. Summos autem & infimos cives difficile eſt rationi parere.
798. Illi enim contumelioſi ſunt, & magnis culpis affines; hi vero potius fraudulenti, & in minutis malitioſi.
799. Omne autem injuſtum partim a contumelia, partim a malitia oritur.
800. Medii cives & ad imperandum & ad parendum aptiores ſunt.
801. Divites parere nolunt, pauperes vero imperare neſciunt.
802. *Nimii* cives ſunt contemtores, viliores ſunt invidi, quales ab amicitia longe abſunt.
803. Ut omnis ſocietas, ita & civitas e paribus & ſimilibus quam maxime eſſe vult, quales imprimis ſunt medii cives.
804. Denique medii ex omni genere civium maxime conſervantur, atque adeo civitas optima manet, quæ ex mediis conſtat.
805. Hujusmodi civitates uſu venit bene regi, in quibus media pars multa eſt & firmior, maxime quidem ambabus, ſi non, ſaltem altera parte.
806. Ubi cives vel ſummi vel infimi præponderant, ibi aut extrema Democratia, aut impotens Oligarchia, aut Tyrannis exiſtit.
807. Sola mediorum civitas vacua eſt a ſeditionibus.
808. Hinc magnæ civitates magis vacuæ ſunt a ſeditionibus, quam parvæ.
809. Quia nempe in magnis civitatibus media pars multa eſt, in parvis autem facile omnes, quotquot ſunt, in duas diſtrahuntur partes, adeo ut alii ſequantur pauperes, qui plures; alii ſequantur divites, qui pauciores ſunt: quo modo jam nulla pars media relinquitur.
810. Ob eandem cauſam Democratiæ firmiores ſunt atque diuturniores, quam Oligarchiæ.
811. Plerique eximii Legumlatores e numero mediorum fuerunt.
812. Pleræque reſpublicæ, vel Oligarchicæ ſunt, vel democraticæ, quia cives medii ſunt rariores.
813. Præterea divites ſeu nobiles atque plebeji inter ſe de republica contendunt.
814. Qua de cauſa factum eſt, ut media reſpublica aut nusquam inſtitueretur, aut rariſſime, & apud paucos inveniret locum.
815. Quæ autem melior, quæ deterior vel Oligarchia vel Democratia ſit, ex mediorum republica eſt ſtatuendum: medium enim norma eſt extremorum.



Digitized by Google

## CAP. XII.

816. Ut, quæ, quibus populis conveniant reſpublicæ, conſtet, ſupponendum: firmiorem oportere eſſe partem civitatis, quæ ſtatui præſenti favet, quam eam, quæ ſtatum immutatum mallet.
817. Duo autem ſunt præcipue, ex quibus omnis conſiſtit reſpublica, quantitas & qualitas.
818. Per qualitatem intelligimus libertatem, divitias, diſciplinam, nobilitatem; per quantitatem vero multitudinis magnitudinem.
819. Ubi plebs magis numero ſeu quantitate ſuperat, quam qualitate ſuperatur, ibi recte inſtituitur Democratia.
820. Ut pars plebis prædominans variat, ita & Democratia variat.
821. Ubi vero divites præſtantesque viri magis qualitate ſuperant, quam quantitate ſuperantur, ibi Oligarchia exiſtit.
822. Et prout illi præſtantes comparati erunt, qui habent imperium, ita Oligarchia variabit.
823. Opus autem eſt ſemper, qui ſcribit leges in republ. aſſumere medios, eosque reſpicere: ita contingit, rempublicam eſſe ſtabilem.
824. Nec metuendum, ne adverſus medios cum pauperibus conſpirent divites.
825. Nam uti extrema nunquam unum fieri poſſunt, ita nec divites & pauperes, quamdiu a moribus ſuis non abeunt.
826. Quanto autem melius reſpublica temperata fuerit, tanto ſtabilior erit.
827. Peccant, qui plus tribuunt divitibus, nec non qui decipiunt plebem.
828. Neceſſe enim eſt, tempore aliquando e ſimulatis bonis evenire verum malum.
829. Studia etiam divitum augendi conditionem ſuam, magis perdunt rempubl. quam pauperum.

## CAP. XIII.

830. Quinque imprimis ſunt Sophiſmatum adverſus plebem in Oligarchia genera: circa comitia, imperia, judicia, arma & armorum uſum.
831. Circa Comitia plebi liberum relinquatur adeſſe vel abeſſe comitiis, divitibus vero non item; ſed hi ſub pœna perſolvendi mulctam publicis intereſſe conventibus jubeantur.
832. Circa imperium: plebejo imperium detrectare eique renunciare liceat, diviti non item.
833. Circa judicia: Divites puniantur niſi poſtulati jus dicant, & quidem ſevere; plebeji vero non puniantur, vel ſaltem leviter.
834. Plebejis licet non poſſidere arma, divitibus autem mulcta poſita eſt, nî domi habuerint.
835. Divites armis exerceri oportet, indicta gravi pœna, nî id faciant; plebejis vero impune ab armorum exercitio abſtinere licet.
836. Igitur ſub libertatis ſpecioſo nomine ubique plebi imponi poteſt: quod enim maxime nobis gratum, ſub illius ſpecie decipimur facillime.
837. Callidi Democratici invertunt illa ſtratagemata, atque plebejis mercedem dant, cum reipubl. vacant, divitibus vero nullam ſtatuunt mulctam.
838. Temperatus eſt ſtatus, in quo inſtituta Oligarchica & Democratica prudenter miſcentur.
839. Oportet Politiam conſtare ex his, qui arma habent.
840. Politia mediocris cenſus rationem habet.
841. Apud nonnullos Politia non ſolum ex iis, qui arma ferunt, verum etiam ex iis, qui arma tulerunt, conſtat.
842. Poſt regnum prima apud Græcos fuit Politia, ex equitibus conſtans.
843. Equites enim peditibus ſunt antiquiores, & antiquitus frequentiores erant.

## CAP. XIV.

844. Sunt tres rerumpublicarum partes, quarum ſemper plurimam rationem prudens habet Politicus, ut quid ſingulis conveniat, in illis accurate ac diligenter videat.
845. Nam ſi iſtæ bene ſeſe habeant, bene etiam ſe habebit reſpublica & pro iſtarum ratione ipſæ etiam reſpublicæ inter ſe diſcrepabunt.
846. Tres illæ neceſſariæ & principales omnis reipublicæ partes ſunt, Senatus, Imperium, & Judicium.
847. Etenim conſultare, imperare & jus dicere ſunt præcipuæ inter omnes actiones, ſine quibus ſcopus civitatis haberi nequit.
848. Senatus de rebus ad rempublicam pertinentibus, veluti de bello & pace, de fœderibus, de legibus, de morte vel exilio civium, de publicatione bonorum, de accipiendis rationibus ab iis, qui publico aliquo munere functi ſunt, & hujus generis aliis deliberat.
849. Vel autem omnes de omnibus, vel omnes de quibusdam, vel quidam de omnibus, vel quidam de quibusdam conſultant.
850. Omnes de omnibus conſultare, Democraticum eſt.
851. Hujusmodi enim æqualitatem quærit populus.
852. Sunt autem plures modi, quibus omnes conſultant.
853. Uno & primo modo omnes, non ſinguli, ſed per aliquos per vices de rebus, ad rempublicam pertinentibus, deliberant.
854. Alius modus eſt, quando omnes & ſinguli conveniunt de publicis rebus non omnibus, ſed potiſſimis deliberaturi, cætera magiſtratui committentes.
855. Tertius modus eſt, quando omnes non per aliquos, nec ſinguli, ſed univerſi de rebus magnis qui-



Digitized by Google

quidem, verum non adeo multis deliberant, pleraque autem committunt magiſtratibus, ſuffragiis creatis, & quidem talibus, qui abſque ſcientia & uſu geri nequeant.
856. Quartus Senatus Democratici modus eſt, quando omnes de omnibus deliberant, nec quicquam magiſtratui relinquunt; qui eſt peſſimus omnium.
857. Quosdam de omnibus deliberare, eſt Senatus Oligarchici, cujus plures itidem ſunt differentiæ.
858. Cum pro cenſu non magno, ſed mediocri eliguntur, qui de publicis rebus deliberant, plures in Senatu aderunt, & ſi hi legum præſcripta ſequuntur, erit Senatus Oligarchicus civilior.
859. Civile in Politicis id audit, quod moderatum, quod temperatum.
860. Oligarchicus etiam Senatus eſt, cum delecti ex certis familiis deliberandi habent poteſtatem, ita tamen, ut ex præſcripto legum imperent.
861. Cum vero ii, penes quos deliberandi eſt poteſtas, ipſi ſeſe eligunt, filio ſuccedente patri, atque leges in poteſtate ſua habent, eſt hoc maxime Oligarchicum.
862. Ubi autem quidam de quibusdam, de quibusdam omnes, de reliquis vero magiſtratus vel ſorte vel ſuffragiis creatus deliberat, erit Senatus, aut Ariſtocraticus, aut Politiæ conveniens.
863. Democratiæ ultimæ etiam conducit, tenuioribus mercedem, ut ad Senatum conveniant, ditioribus multam, nî conveniant, conſtituere: ita enim conſultabunt omnes.
864. Prodeſt quoque, ut ex civitatis partibus æqualiter & plebeji, & qui ſunt ſupra plebem, vel ſorte vel ſuffragiis ad deliberandum creentur: nam ſic Democratiæ ſua conſtabit æqualitas, & plebis in conſiliis conferendis temperatur temeritas.
865. Conducit & Democratiæ, non plures in rempublicam ex infimis inducere, quam proportione mediorum civium viribus ac potentiæ conveniunt: reliqui ſunt excludendi.
866. Oligarchiæ autem hæc expedient (1) ſi quidam, pauci tamen, ex plebeiorum ordine dicis cauſa, in Senatum cooptentur. (2) Et probuliæ inter artes Oligarchicas referuntur. (3) Oligarchici commodo ſuo facultatem comprobandi a facultate improbandi diſtinguunt, illam non, hanc Plebejis concedentes. Quemadmodum (4) deliberandi facultatem a poteſtate diſcernendi ſeparant, illam plebejis concedentes, hanc ſibi ſolis reſervantes.

## CAP. XV.

867. Quid ſit magiſtratus, definire haut eſt facile.
868. Multis namque officialibus publicis ſocietas civilis eget, quos omnes magiſtratus eſſe, haut ſtatuere poſſumus.
869. Ita ſacerdotes non ſunt imperantes.
870. Nec choragi, nec præcones, uti nec legati magiſtratus ſunt.
871. Curationes aliæ ſunt civiles, aliæ Domeſticæ, aliæ Adminiſtræ.
872. Civiles curationes ſunt vel cunctorum civium ad aliquam actionem, vel partis.
873. Imperantes maxime ſunt, quibus datum eſt conſultare, judicare atque præcipere, & imprimis hoc.
874. Præcipere namque eſt magis proprium eorum, qui imperium habent.
875. In magnis civitatibus oportet unum conſtitutum eſſe ad unum munus.
876. Fieri namque poteſt, & melius unumquodque opus adipiſcitur munus ſuum, ſi ipſum incumbat in illam rem ſolam, quam ſi in multas.
877. In parvis civitatibus neceſſe eſt uni plures committere magiſtratus ob paucitatem hominum.
878. Imperia ratione loci, rerum, perſonarum & rerumpublicarum diſtinguuntur.
879. Probulia Oligarchiis, βουλὴ Democratiis convenit.
880. Senatus Democratici, in quo omnes & ſinguli cives de omnibus ſtatuunt, vel nulla vel exigua eſt poteſtas.
881. Cenſura eſt magiſtratus Ariſtocraticus.

## CAP. XVI.

882. Magiſtratuum conſtitutio in tribus potiſſimum conſiſtit: quis conſtituat, ex quibus conſtituantur, & quomodo.
883. Unius autem cujusque horum trium tres ſunt differentiæ. Nam vel omnes conſtituunt, vel quidam: & vel ex omnibus, vel ex quibusdam certis: atque vel ſuffragiis vel ſorte. Nec non quidam a quibusdam, quidam ab omnibus, quidam ex omnibus, quidam ex quibusdam, quidam denique ſorte, quidam ſuffragiis.

## CAP. XVII.

884. Judiciorum diſcrimen in tribus potiſſimum conſiſtit, ex quibus, de quibus, & quomodo.
885. Species judiciorum octo recenſet Philoſophus, quorum primum eſt, quod corrigit.
886. Secundum, ſi aliquis injuſte ſe gerit in quapiam republica, veluti de peculatu.
887. Tertium, quæcunque ad ſtatum civitatis referuntur.
888. Quartum, de controverſiis inter imperantes & parentes.
889. Quintum, de privatis contractibus ac magnarum rerum, veluti de nuptiis, teſtamentis, tutelis.
890. Sextum eſt criminale.
891. Septimum eſt peregrinorum.
892. Octavum eſt, de parvis contractibus.

ARI-

# ARISTOTELIS
# POLITICORUM
## LIBER QVINTUS.
### CAP. I.
§.893.

Cunctæ reſpublicæ aliquo modo jure nituntur, & a juſto aliquam partem abeunt; hinc corruptionibus ſunt obnoxiæ.

894. Fons omnium motuum in republica eſt perſuaſio juris.

895. Omnium juſtiſſime ſeditiones moverent, minime autem hoc faciunt, qui antecellunt virtute; cum ſoli illi merito ſe inæquales, ſeu potiores eſſe gloriari poſſent.

896. Nobiles eſſe videntur, quibus adeſt majorum virtus & divitiæ.

897. Duobus modis fiunt rerumpublicarum mutationes, vel in totum, vel ex parte.

898. In totum quando mutatur reſpublica, vel ex uno ſtatu fit alius, vel ſtatus regiminis prorſus annihilatur, populo deſtructo aut republica in anarchiam degenerante.

899. Ex parte mutatur reſpublica, quando, manente ſtatu eodem, mutantur perſonæ, in quarum manu hodie eſt ſtatus.

900. Alter partialium rerumpublicarum mutationum modus eſt, quando ſtatus nec ſecundum ſe, nec ſecundum perſonas ſtatum adminiſtrantes, ſed ſecundum gradus mutatur.

901. Tertius partialium rerumpublicarum mutationum modus eſt, quando non ſtatus, nec illi, in quorum manu eſt ſtatus, nec gradus reipublicæ mutantur, ſed quoad magiſtratum & judicium immutantur nonnulla.

902. Æquale eſt duplex, aliud numero, aliud dignitate; in illo multitudo tantum & magnitudo, in hoc vero ratio ſpectatur.

903. Unius autem æqualitatis in republica ſolum habere rationem, eſt vitioſum, & nulla talium rerumpublicarum eſt ſtabilis.

904. Quare oportet in omni reipublicæ conſtitutione temperamentum fieri æqualitatis arithmeticæ & geometricæ.

905. Quam etiam ob cauſam tutior & magis a ſeditionibus vacua eſt democratia, quam oligarchia.

### CAP. II.

906. De ſeditionum rerumpublicarum mutationumque cauſis & principiis doctrina tribus capitibus abſolvi videtur. Qui ſeditiones movent, cujus rei cauſa, & quæ illarum ſint principia.

907. Quod ad motus ciendos homines impellit, eſt æqualitatis vel inæqualitatis, ſive vera, ſive vana imaginatio.

908. De quibus ſeditiones movent, ſunt lucrum & honos, atque contraria his.

909. Multi enim, ut evadant ignominiam & damnum, ſive ipſi, ſive ii, quibus ſtudent, factiones ac motus in civitate concitant.

910. Cauſæ autem & principia motuum in republica ſunt, (1) lucrum, (2) honor, (3) contumelia, (4) metus, (5) præſtantia, (6) contemtus, (7) incrementum, quod eſt præter proportionem, (8) vile vitæ genus, (9) negligentia, (10) exilitas, (11) diſſimilitudo.

### CAP. III.

911. Quando imperantes contumelioſi ſunt in parentes, vel privati in privatos diſſidere incipiunt. Igitur contumelia motuum cauſa eſſe poteſt, & avaritia imperantium motibus ciendis ſat eſt.

912. Honor, non quatenus eum cupidi quærimus, ſed quatenus in indignos collatus nobis videtur, cauſa motuum eſſe poteſt.

913. Propter nimiam & incivilem præſtantiam motus fiunt, cum aliquis fuerit poteſtate major, quam fert civitas & ratio reipublicæ.

914. Etenim exoriri ſolet ex hujusmodi rebus principatus vel dynaſtia.

915. Metus vel pœnæ vel injuriæ motuum cauſa eſſe poteſt.

916. Metus homines in deſperationem conjicit, deſperatio gignit audaciam; unde furor, inde turbæ.

917. Et propter contemtum ſeditiones nonnulli movent & inſidiantur: cum odio, non cum contemtu reſpublica ſtare poteſt.

918. Fiunt etiam mutationes rerumpublicarum, quando pars aliqua civitatis ultra proportionem incrementa ſumit.

919. Vel abſque tumultu vel cum tumultu mutantur reſpublicæ.

920. Quia hactenus expoſuimus, quod reſpublicæ non ſine notabili motu mutentur, ſequitur nunc, ut indicemus, quæ abſque ejusmodi motu mutationum cauſæ eſſe poſſint.

921. In his vile eſt vitæ genus, quando infimi de plebe nullius cenſus aut elegantiæ, parvis & vilibus rebus occupati, ſublimes ac generoſos ſpiritus concipere neſcii, reipublicæ fiunt participes.

922. Præterea & negligentia mutationum in republica cauſa eſſe poteſt, cum ſiverint ad ſummos magiſtratus pervenire illos, qui non ſunt amici reipublicæ.

923. Inter

Digitized by Google

923. Inter ea, quæ mutationum ſunt cauſæ, eſt quoque id, quod pro parvo habetur, τὸ μικρόν. Quin nationis etiam diſſimilitudo cauſa ſeditionis habetur.

924. Diſcordant aliquando civitates & propter loca; quando regio non ſatis accommodata eſt ad hoc, ut una ibi ſit civitas.

925. Imo omne diſcrimen, omnis diſſimilitudo, amicitiæ, & per conſequens etiam reipublicæ, eſt inimica.

926. Maximum autem diſſidium eſt inter virtutem & vitium, deinde inter divitias & paupertatem, & ſic aliud alio magis.

## CAP. IV.

927. Fiunt porro ſeditiones non de parvis, ſed a parvis: diſſident autem de magnis rebus.

928. Maxime vero parvi motus vires adipiſcuntur, cum inter magnates & principes reipublicæ viros orti fuerint.

930. Principiis motuum obſtandum, quantumvis leviſſimis, præſertim, quando inter præcipuos in republica ſimultates exoriuntur.

931. Nam diſcordiæ magnatum alliciunt ad ſe univerſam civitatem, quomodo reſpublica ſcinditur in contrarias & diſſidentes partes.

932. Quando una pars præ aliis incrementa ſumit, veluti cum magnum nomen conſecuta fuerit, re vel domi vel foris præclare geſta, mutantur reſpublicæ, ſive in totum, ſive ex parte, in oligarchiam, democratiam, aut politiam.

933. Tandem & exæquatio partium contrariarum motuum in republica cauſa eſſe poteſt, veluti divitum & plebejorum.

934. Qui enim adverſarii ſibi invicem pares ſunt, illorum alter alteri haud facile cedit, quolibet pro ſe ſtrenue pugnante.

935. Moventur autem reſpublicæ aliquando quidem per vim, aliquando autem per fallaciam. Quibus nos addimus conſenſum.

936. Democratiæ maxime mutantur per Demagogos.

## CAP. V.

937. Fit hoc partim criminando nobiles & divites, partim plebejos in illos excitando.

938. Ita autem vires jungent nobiles, cum communis metus etiam inimiciſſimos conjungat, exemplo ſyncretiſmi Cretenſium.

939. Iſta autem ratione democratias in oligarchias mutari contingit, exemplis plurimis in textu notatis.

940. Olim vero, quando erat idem Demagogus & dux belli, in tyrannidem mutabantur democratiæ: pleroſque enim antiquorum tyrannos videas primo Demagogos fuiſſe.

941. Cauſa, cur tunc id fieret, nunc autem minime, eſt: quod tum temporis ex belli ducibus Demagogos plebs ſumebat.

942. In quorum enim manu ſunt arma, in eorum poteſtate eſt reſpublica.

943. Altera cauſa ejus rei eſt, quod magni magiſtratus uni alicui committerentur.

944. Præterea, quia non magnæ tunc erant civitates, ſed plebs in agris domicilia habebat, expers otii, occupata in ruſticis operibus; qui plebem regebant, cum periti rerum eſſent, viam ſibi ad tyrannidem patefaciebant.

945. Cuncti autem hoc faciebant fide ſibi parta apud plebem.

946. Mutatur denique democratia una in aliam, utplurimum, deteriorem, nonnunquam rarius tamen in politiam.

## CAP. VI.

947. Oligarchiæ mutantur duobus maxime modis manifeſtiſſimis.

948. Uno quidem, ſi Oligarchici injurias fecerint plebi.

949. Tunc enim quivis putat, ſe tum illius, qui injuria afficitur, tum & ſuam pariter ſuſcipere cauſam; plebeji, ad vindictam ita exſtimulati, nonnunquam, quem etiam ſors offerat, ſtatim agnoſcunt gregis ſui ducem.

950. Imprimis iſti negotio unus ex nobilibus accommodus habetur. Quia ſocius ſocium, & qui ejuſdem ſunt conditionis, artis, & ſtudiorum, invicem ſe maxime perdere & volunt & poſſunt.

951. Altero modo mutatur Oligarchia ob inteſtina Oligarchicorum diſſidia; quomodo nobiles per ſe ipſos pereunt.

952. Novem porro præcipuos notare licet modos, quibus per ſe ipſos pereunt nobiles & divites. Quorum primus eſt, quando inter ipſos diſſidia oriuntur, quia pauci ex ordine nobilium & divitum honoribus civilibus fruuntur, excluſis pluribus.

953. Mutantur vel moventur Oligarchiæ ſuo vitio, per & propter Demagogiam: cum & nobiles nonnunquam a Demagogis ſuis ducantur.

954. Unde Demagogia duplex eſt, oligarchica & democratica.

955. Solvitur tertio oligarchia, quando hactenus uſurpatus ſtatus intenditur.

956. Quartum inteſtinum oligarchiæ malum, quo nobiles & divites per ſe ipſos pereunt, eſt luxus, & quod luxum ſequitur æs alienum: cujus comites ſunt, rerum novarum ſtudium, & publici ærarii compilatio.

957. Diſſolvuntur quinto oligarchiæ, quando aliqui locupletum ſtatum in ſtatu formare ſatagunt.

958. Mu-

Digitized by Google

958. Mutantur ſexto oligarchiæ tempore & belli & pacis.
959. Belli quidem: quia cum fidem nullam habent plebi, coguntur uti milite mercenario.
960. Cui autem, aut quibus bellum adminiſtrandum tradunt, hi ſæpe efficiuntur tyranni.
961. Pacis vero tempore: quia non fidunt ſibi ipſis, committunt cuſtodiam mercede conductis, & præfecto ipſorum, qui aliquando ambarum partium fit dominus.
962. Seditiones quoque in oligarchia exiſtunt, quoties ipſi Oligarchici diſſidiis agitantur, non quidem iis de rebus, quæ ad rempublicam faciunt, ſed de privatis: veluti de nuptiis aut in judiciis.
963. Multæ octavo oligarchiæ, quia valde heriles erant, etiam a quibusdam ſociis ejus ſtatus ſtomachantibus converſæ ſunt.
964. Fiunt nono & caſu quodam mutationes cum politiæ, tum oligarchicarum rerumpublicarum.
965. Univerſe & democratiæ & oligarchiæ migrant interdum non in contrarias reſpublicas, ſed in eas, quæ ſunt ejuſdem generis. Veluti ex democratiis & oligarchiis leges admittentibus in reſpublicas affines, legum expertes.

## CAP. VII.

966. In Ariſtocratiis ſeditiones oriuntur, quia pauci ſunt honorum participes. Quod etiam turbat oligarchias.
967. Ariſtocratia vero aliquo modo eſt oligarchia: in ambabus enim pauci imperant, non tamen ob eandem paucitatem.
968. Maxime autem hoc uſu venire neceſſe eſt, ſicubi reſpublica plures habuerit elati animi cives, magnos ſpiritus gerentes, qui ſe optimatibus pares arbitrantur.
969. Oriuntur & in Ariſtocratia motus, cum magni ac virtute præſtantes viri, quique non opinione ſua, ſed reipſa quoque cæteris non cedunt, ignominia afficiuntur, aut ſaltem minus honorifice tractantur.
970. Nihil enim æque virtuti adverſatur, quam ἀτιμία.
971. Non caret periculo ariſtocratia, in qua vir militaris gloria, virtute & animo magnus ad publicos honores non admittitur.
972. Præterea cum inter optimates nimia fortunarum inæqualitas oritur, amicitia inter illos non manet, adeoque ſtatus periculo exponitur propter inteſtina optimatum diſſidia.
973. Ad ejuſmodi autem inæqualitatem optimates maxime bellorum tempore rediguntur.
974. Mutari etiam ariſtocratia poteſt, ſi in ea aliquis, non tam magnus, (omnes enim optimates magni eſſe poſſunt,) quam major fieri uti poteſt, ita deſiderat.
975. Sic, ſi inter optimates eſt inquietus aliquis, qui aut ſuperiorem aut parem ferre nequit, quique ſuperiores odit, pares gravat, ille tyrannidem in ariſtocratia affectat.
976. Diſſolvuntur autem maxime & politiæ & ariſtocratiæ ob eam, quæ in ipſa republica fit, juris depravationem. Quæ non aliunde eſt, quam quia virtuoſi, divites & nobiles, liberi quoque homines, debito modo non permiſcentur.
977. Politiæ plus virium & firmitatis in ſe habent, quia plures in illis ſua ſorte & loco ſunt contenti, præſentemque amant ſtatum: ariſtocratiæ vero, quando plus locupletibus deferunt, minus diuturnæ ſunt.
978. Reſpublica vel in cognatam vel in contrariam aliam rempublicam convertitur.
979. Ariſtocraticæ reſpublicæ, oligarchiam referentes, corrumpuntur nonnunquam, quia Oligarchici plus æquo ſtudent obtinere.
980. Et τὸ μικρὸν ariſtocratias convertere poteſt.
981. Cunctæ autem reſpublicæ vel interne, vel externe; vel per ſe, vel per aliam corrumpi poſſunt. Unde cauſæ mutationum aliæ internæ, aliæ externæ dicuntur.
982. Externe reſpublica corrumpitur, quando contrariam rempublicam vicinam habet, vel, ſi longius abſit, potentem admodum.

## CAP. IIX.

983. Perſpicuum igitur eſt: ſi ea, quibus corrumpuntur reſpublicæ, tenemus, nos ea quoque, quibus conſerventur, non ignorare.
984. Nam contraria contrariorum ſunt efficientia: interitus autem ſaluti contrarius eſt.
985. Primum, quod in republica bene conſtituta obſervandum, eſt diligens legum & morum antiquorum obſervantia ac cuſtodia, & cura eorum, quæ minima creduntur, ne videlicet rerum minimarum mutationes irrepant; perículoſæ enim ſunt.
986. Deinde non fidere ſophismatibus politicis, quibus callidi ad decipiendam plebem utuntur: quod ex ejuſmodi falſis & ſimulatis bonis vera mala conſequantur.
987. Diſplicent nobis illa ſophiſmata, quæ vel nullum, vel exiguum aut fugax bonum pollicentur, licet culpa careant; multo igitur magis illa, quæ cum injuria alterius damna aut incommoda ſecum ferunt.
988. Experientia docemur, reſpublicas nonnullas, per ſe minus ſtabiles, nulla alia ratione conſervari & ſtare, quam quod illi, qui cum imperio ſunt, erga cujusvis conditionis & ſtatus cives ac ſubditos commode ſe gerant.
989. Fit hoc, quando ſubditos ſeu reipublicæ expertes nulla afficiunt injuria.



Digitized by Google

990. Secundo: quicquid eſt præſtans in vulgo, aut aliquando dux gregis in ſeditionibus eſſe poteſt, qui pro libertate, pro bono publico, contra magiſtratum cum applauſu declamitet, in rempublicam eſt inducendus.
991. Tertio: qui honoribus ducuntur, eos nulla non ſolum ignominia, ſed & aliquo honore civili, minore tamen, afficiat magiſtratus.
992. Quarto: qui lucrum amant, veluti plebeji omnes, illos in lucro aut re familiari facienda ne impediat, vexet aut defraudet magiſtratus.
993. Quinto: imperantes tum inter ſeſe, tum cum illis, qui potentia ſunt magiſtratus, democratice vivant.
994. Nam ſi plures fuerint, qui rempublicam adminiſtrant, multum conducunt inſtituta democratica.
995. Deinde minus incidunt oligarchiæ & ariſtocratiæ in dynaſtiam (quæ nihil aliud eſt, quam plurium tyrannis) ſi magiſtratus nec perpetui, nec diuturni fuerint.
996. Libertatis magna cuſtodia eſt, ſi magna imperia diuturna haut ſinas, & temporis modus imponatur, quibus juris non poteſt. Cujus præcepti neglectus facit, ut in oligarchia ac democratia exoriantur tyrannides.
997. Ad conſervationem rerumpublicarum facit imminens periculum, ſeu periculi metus: ita enim in republica curanda diligentiores erimus, quod ſecuritas ſit mater negligentiæ.
998 Quapropter rempublicam, quæ ſe extra omne periculum poſitam arbitratur, in periculo eſſe judicamus.
999. Igitur prudentes Politici periculum aliquod reipublicæ non quidem accerſere, ſed ſi non immineat, fingere, aut ſi immineat, procul autem ſit, prope adeſſe dicere ſolent.
1000. Conſervantur reſpublicæ, quando modis omnibus curamus, ne inter primarios cives lites oriantur, aut ſi jam cœperint, ſtatim in herba ſupprimantur, antequam reliquos trahant in partes; quoniam malum, dum oritur, pervidere, non eſt cujuslibet, ſed hominis diu in republica verſati.
1001. Ad oligarchiæ & democratiæ conſervationem facit, ſæpius agere cenſum, eumque, auctis facultatibus, augere, imminutis, remittere.
1002. Prodeſt omni reipublicæ, neminem præter proportionem partium civitatis, aut ſupra modum magnum fieri ſinere, aut majorem factum tolerare.
1003. Non autem ſubito aut impetu aliquis major factus deprimendus, ſed tempori & hic inſerviendum; ambagibus & circumductione opus eſt, ne dum moves, nimium moveas rempublicam.
1004. Quia mutatis civium moribus, mutatur reſpublica ipſa; igitur ad conſervationem rerumpublicarum faciet accuratior morum cenſura.
1005. Quando una pars reipublicæ in detrimentum alterius nimium creſcere & luxuriari incipit, ſtatim iſti malo occurrendum his modis.
1006. Maximum autem eſt in omni republica, imprimis oligarchia, legibus cavere, ne imperantes ex republica quæſtum faciant.
1007. Hac ratione haberi & conſervari poteſt optimus reipublicæ ſtatus, ex democratia & ariſtocratia concinne miſtus. Nempe ſi omnibus liberis hominibus pateat aditus ad magiſtratum, nullus autem magiſtratus fuerit quæſtuoſus.
1008. Ratio autem, qua cavere poſſumus, ne imperantes rempublicam quæſtui habeant, hæc eſt: Nemo (1) eorum, qui cum imperio ſunt, pecunias publicas tractato: aut ſi (2) tractat, ſolus non tractet, ſed alii, qui reipublicæ expertes ſunt, eidem adjungantur. (3) Pecuniarum publicarum curatio ſit penes univerſum populum. (4) Populo de pecuniis publicis ratio reddatur; id quod commode fieri poterit, ſi populus tributim per ſuos magiſtros adfuerit, quorum quilibet a præfectis ærario publico tabulam rationis acceptorum & impenſorum accipiat, deferendam ſuæ tribui ad examen. (5) Imperantes ob moleſtias præmiis non quæſtuoſis, ſed honorificis afficiantur.
1009. Ad ſalutem democratiæ facit, ut plebs a bonis divitum abſtineat; cum nulla pars civitatis honoribus non modo ſe excludi, ſed & bonis privari permittat.
1010. Divitibus nec volentibus permittendum, ut ſumtuoſa, & quæ uſum nullum habent, munera ſuſtineant. Certamus enim invicem ſumtibus, & noſmet ipſos conficimus.
1011. Oligarchici, modo ſtatum ament tranquillum, foveant, curent plebejos ſeu pauperes.
1012. Igitur minores magiſtratus, ex quibus aliquod emolumentum ſperatur, plebejis mandandi.
1013. Et gravius in eum animadvertendum, qui plebejum, quam qui nobilem, injuria affecit.
1014. Quia non teſtamentarius, ſed legitimus modus transferendi bona hereditaria ad alios, facit ad æqualitatem retinendam; ideo auctor teſtamenta ex oligarchia & democratia proſcribit, & alterum ab inteſtato ſuccedendi modum probat, non quidem ſimpliciter, ſed cum hac reſtrictione, ne uni nimis multæ hereditates deferantur.
1015. Ad liberas reſpublicas conſervandas facit, reipublicæ expertibus tribuere aut pares aut potiores partes de iis, quæ ſtatum non attingunt.
1016. Majores vero magiſtratus in oligarchia nobilibus, in democratia plebejis ſunt committendi, & quidem vel ſolis, vel quod tutius, pleriſque.

CAP. IX.

Digitized by Google

## CAP. IX.

1017. Tria autem habere oportet eos, qui gerunt majores magiſtratus, (1) Amorem præſentis ſtatus, (2) Peritiam ſeu prudentiam civilem tam generalem, quam ſpecialem, (3) Juſtitiam & quidem illam, quæ ſtatui reipublicæ eſt accommodata.

1018. Quia autem raro iſta tria in uno ſociantur; idcirco videndum, cujus plus in ſe quis habeat, cujus minus. Nec non ad frequentiam & raritatem eorum, qui magnis magiſtratibus obeundis idonei ſunt, attendendum.

1019. Generale rerumpublicarum tutamentum ſunt leges, utpote in quibus ſalus reipublicæ eſt poſita.

1020. Maximum principium Politicum eſt, eam civitatis partem, quæ præ aliis præſentem amat ſtatum, eumque cupit eſſe ſalvum, præſtare potentiorem illa quæ a præſenti ſtatu abhorret.

1021. Fallunt, qui corruptas reſpublicas conſervaturi, omnino a medio abeunt.

1022. Quo quid eſt magis Democraticum, eo minus Democratiam conſervare poteſt.

1023. Democratia & Oligarchia eatenus firmæ erunt, quatenus a ſe abeunt atque de rectis rebuspublicis participant. Omne enim malum in tantum conſervari poteſt, in quantum a ſe abeſt atque bonum refert.

1024. Igitur probe videndum, qualia inſtituta Democratica ſalutaria ſint, qualia noxia; qualia etiam conveniant Oligarchiæ, qualia non.

1025. Maximum denique, & omnibus hactenus memoratis præferendum rerumpublicarum tutamentum eſt, educari & inſtitui bene atque accommodate ad rempublicam.

1026. Liberi enim ſunt futura civitas, & ut quælibet reſpublica ſuos vult eſſe, ita ſunt.

1027. Statui autem accommodata informatio eſt, a teneris iis aſſueſcere & etiam iis informari, quæ conducunt ad ſcopum, quem reſpublica præfixum habet.

## CAP. X.

1028. Poſt liberarum rerump. morbos ac curationes, de Monarchiæ interitu & ſalute acturi obſervamus, ea, quæ hactenus de liberis rebuspubl. fuerunt expoſita, ad Regnum & Tyrannidem accommodari poſſe.

1029. Regnum enim & Ariſtocratia magnam inter ſe habent affinitatem.

1030. Tyrannis vero ex ultima Oligarchia & Democratia eſt compoſita.

1031. Monarchiæ utrique, Civili & Herili, ſuus ortus eſt ex contrariis.

1032. Etenim Regnum occaſione corruptæ Democratiæ ortum fuit: quando adverſus turbulentum populum ex optimatibus Regem delegerunt.

1033. Et qui virtute aut præclaris actionibus eminebat, aut ex domo, quæ talibus nominibus excelleret, originem trahebat, ille ad regale evehebatur faſtigium.

1034. Tyrannis autem extitit ex plebe adverſus nobiles.

1035. Ex Regno non difficilis eſt prolapſus in Tyrannidem.

1036. Et illi facile tyrannidem invadere poſſunt, qui magnum in republica gerunt magiſtratum: præſertim ſi illum vel perpetuo vel diutius gerant.

1037. Rex eſt cuſtos providens, ne divites aliquid injuriæ accipiant, plebsque non vexetur ullo genere contumeliæ.

1038. Tyrannus autem non reſpicit ad commune bonum, niſi ſuæ propriæque utilitatis cauſa.

1039. Scopus Tyrannorum eſt voluptas: Regum vero honeſtas.

1040. Tyrannus divitias, Rex honorem quærit.

1041. Et cuſtodia Regum conſtat e civibus, Tyrannorum autem e peregrinis.

1042. Tyrannis continet in ſe, quicquid eſt malum in Democratia & Oligarchia.

1043. Igitur eadem initia exiſtimare oportet mutationum rerumpub. ſpecialiter dictarum & monarchiarum.

1044. Nam in Monarchiis motus excitantur propter injuriam, propter metum, propter contemtum, &c.

1045. Sunt autem & fines iidem & in rebuspublicis, & in Regno ac Tyrannide; honor nempe & lucrum: motus vero & ſeditiones adverſus vel ſtatum, vel perſonas, in quarum manu eſt ſtatus, aut adverſus utrumque ſuſcipiuntur.

1046. Quarum inſidiarum contumelia eſt cauſa: illæ non in Principatum, ſed in caput Principis plerumque fiunt.

1047. Cum autem multiplex ſit contumelia, quælibet ejus eſt cauſa iræ ac indignationis.

1048. Plerique, qui iraſcuntur, non tam dominationem ſpectant, quam vindictam.

1049. Multæ etiam inſidiæ factæ ſunt adverſus Monarchas, eam ob cauſam, quod corpori turpitudinem attulerint.

1050. Nec pauci Principes invaſere, quod verberibus cæſi fuerint aut plagis.

1051. Metus etiam ſubditos adverſus Monarcham ad conſpirandum adigit.

1052. Et contemtus Principis, cauſa corruptionis Monarchiarum eſſe poteſt.

1053. Non raro Monarcham invadunt ipſius amici aut quibus familiarius utitur, ſub prætextu fidei ac benevolentiæ poſſe ſe latere exiſtimantes.

1054. Imprimis illos, qui arbitrantur vel ſibi potius deberi imperium, vel ſine ulla ſe difficultate ad imperium pervenire poſſe, ad inſidias impellit contemtus.



Digitized by Google

1055. Atque hæc cauſa impulit haud raro belli duces, ut adverſus ſuos conſpirare auderent Reges negligentiores.
1056 Interdum non unam, ſed plures conſpirandi adverſus Monarcham habent cauſas, contemtui adjuncta avaritia.
1057. Etiam ob gloriæ cupiditatem, nulla ſpe imperii, contra Monarchas nonnulli inſurgunt: qui tamen pauci.
1058. Ut alia reſpublica, ita & Tyrannis uno modo extrinſecus corrumpitur, ſi contrariam aliam rempublicam habuerit potentiorem.
1059. Sunt autem reſpublicæ bifariam contrariæ, vel æmulatione vel ſtatu.
1060. Interne vero Tyrannis corrumpitur, cum motus fuerint inter Tyrannum ipſum & filios ejus, cognatos, affines, aut proceres imperii exorti.
1061. Ita inviſi maxime ſunt Tyrannis, qui quaſi ſolem orientem adorant.
1062. Sunt autem duæ cauſæ, ob quas maxime inſidiantur Tyrannidibus, odium & contemtus. Quorum illud neceſſarium eſt malum, ita tamen, ut cum eo Principatus ſtare poſſit; poſterius vero Principatum deſtruit ac diſſolvit.
1063. Ad odium ira referenda eſt, quæ etiam exitium vel Tyranno vel Tyrannidi afferre valet.
1064. Sæpe tamen ira magis impellit ad agendum, quam odium.
1065. Odium nihilominus aptius eſt ad nocendum, quam ira. Quia ira ſecum habet ægritudinem; odium autem eſt ſine ægritudine.
1066. Odium enim ex injuria præterita, aſt ira ex præſenti oritur.
1067. Etſi autem ira ad invadendum Tyrannum promtior, odium lentius. Nihilominus odium aptius eſt ad evertendum Tyrannum, quam ira; quia odium ratione quodammodo utitur, ira non item.
1068. Paucis: tot ſunt mutandæ Tyrannidis cauſæ, quot extremæ Democratiæ ac peſſimæ Oligarchiæ.
1069. Democratia enim & Oligarchia ſunt partiales ſeu dimidiatæ Tyrannides.
1070. Regnum autem a rebus, quæ veniunt extra, non ita facile, ut alia reſpublica, corrumpitur.
1071. Regnum interne duobus modis interit: uno quidem, cum inter regem & eos, qui ſunt Regii ſanguinis, ſunt diſſidia; altero autem modo, cum Tyrannorum more adminiſtraverint, atque id contra leges Regni.
1072. Non conſtituuntur autem amplius hac ætate Regna, ſed potius Tyrannici Principatus.
1073. Quia Regnum eſt voluntarium, qui autem imperium tenent, non excellunt, unde invito imperant populo.
1074. Si autem fallacia uſus aliquis, aut vi, imperium conſecutus fuerit, jam videtur hoc eſſe Tyrannis.
1075. In Regnis hereditariis alia eſt cauſa, quare illa facile corrumpantur. Quando nempe ſucceſſores Regno & majoribus, qui illud virtute peperere, indigni ſunt & diſſimiles, arroganter & per contumeliam cum ſuis agentes.

## CAP. XI.

1076. Monarchiæ conſervantur illis, quæ contraria ſunt iis, quibus evertuntur.
1077. Regna autem ea diuturna ſunt, quæ quam maxime ſunt moderata.
1078. Tyrannides autem conſervantur duobus modis, maxime inter ſe contrariis: alter mitis & humanus, alter ſævus eſt & crudelis.
1079. Tyrannorum artes ex imperio veteri & novo Perſarum, ut & Romano atque Turcico addiſcere licet.
1080. Ad Tyrannidem retinendam facit, viros, qui excellunt, deprimere.
1081. Secundo, magno animo præditos interficere.
1082. Nullæ in tyrannide ſint ſocietates, ſeu collegia opificum, nulli ſint civium ordines, aut ſi fuerint, nulli ipſis concedantur congreſſus, conventus, convivia.
1083. Omnis omnino publica inſtitutio prohibita ſit: ſcholæ ac Academiæ in Tyrannide nullæ ſunto.
1084. Sed oportet omnia cavere, unde ſolent exoriri duo: ſpiritus magni & fides: Cuncta item moliri, e quibus maxime fieri poteſt, cuncti ne noti quidem inter ſe ſint: cognitio enim facit, ut majorem fidem ſibi mutuo habeant.
1085. Et peregrinos ſemper in aperto eſſe, & verſari circa fores: Ita enim minime clam eſſe poterit, quod agunt, & aſſueſcent humiliter ſentire, ſemperque ſervientes.
1086. Nihil eorum lateat Tyrannum, quæ vel publice, vel privatim, vel clam, vel palam ſubditi dicunt, faciuntve; quem in finem alat corycæos, qui ignoti & vilitate ipſa ſæpe parum cavendi ad colligendos rumores per urbes deſtinantur, relaturi quæ audiunt; & honoratiorum circulis aſſiſtendo, pervadendoque tabernas, quicquid noſcere poſſunt latenter intromiſſi per poſticas in regiam referunt.
1087. Tyrannus inter ſubditos & ſubditorum ordines lites ſimultateſque ſerit, ſatas alit fovetque.
1088. Opes ſubditorum, quantum fieri poteſt, imminuit Tyrannus, vel magna & multa tributa imponendo & exigendo, vel opera ſumtuoſa & laborioſa imperando.
1089. Ad bella cum aliis gerenda ſuos ſubditos inſtigat Tyrannus, unum ex alio ſerens, ut implici-

citi

Digitized by Google

citi eo cives otium & opportunitatem nullam habeant inſidiandi, tum ut ejus ductu atque imperio ad profligandum bellum opus habeant.

1090. Tyrannus amicis minime fidit, ſed veluti dubios tractat, dubios vero ut inimicos, & inimicos hoſtes reipublicæ reputat.

1091. Licentiam & nimiam poteſtatem fœminis & ſervis Tyrannus concedere ſolet.

1092. Ut Democratia Demagogos, ita Tyrannis aſſentatores amat, atque propterea Tyrannis eſt malorum amans.

1093. Nullo mortali delectari, qui gravis ſit & elegans, peculiare Tyrannorum eſt, qui etiam exteros patriis hominibus præferre ſolet.

1094. Igitur nihil a Tyrannide pravitatis abeſt.

1095. Artes Tyrannorum ad tria ſumma capita doctrinæ cauſa reducuntur: omne id Tyrannidi eſt commodum atque conveniens, quod ſubditos reddit ſerviles atque abjecti animi, quod facit, ne ſubditi ſibi invicem fidant, quod denique ſubditos infirmos atque egenos reddit.

1096. Ex uſu autem & ſcopo Tyrannidis inſtituta Tyrannica æſtimanda ſunt, quamdiu in civilibus occupamur.

1097. Alter autem melior conſervandi Tyrannidem modus maxime pro fundamento habet, quod Tyrannus, quantum fieri poteſt, Regem callide imitetur, ita ut quod Rex revera eſt, iſte ſaltem talis videatur.

1098. Simulet igitur Tyrannus ſummam curam redituum publicorum ſeu ærarii, nec prodigus ſit in res leves & voluptuarias.

1099. Non eſt tutum Tyranno, magnos pecuniarum acervos colligere ac in theſauros recondere; cum propter invidendas opes & ipſe invidendus reddatur.

1100. Tyrannus præ ſe fert ſpeciem facilis ac gravis viri; facilitas amorem, gravitas reverentiam Tyranno conciliat, licet utraque fuerit ſimulata.

1101. Quapropter & politicæ virtuti dat operam Tyrannus.

1102. Videat Tyrannus, ne aliquis familiarium ipſius aut uxor in ſubditos ſit contumelioſior.

1102. Tyrannus non ſit nimium deditus corporis voluptatibus.

1103. Tyrannus exornet urbem variis ſtructuris.

1104. Tyrannus callide pietatem ſimulet.

1105. Tyrannus viros præſtantes honoribus afficiat, iisque tantis, ut ne quidem in libera republica majores ſint conſecuturi.

1106. Præmia Tyrannus ipſe diſtribuat, pœnas irroget per alios.

1107. Commune Monarchiarum munimentum eſt, (1) haud uni magnos aut diuturnos committere magiſtratus, (2) Sin vero, pluribus: hi namque mutuo ſe obſervabunt, (3) aut ſi uni, non niſi modeſto, non autem audaci ingenio: tale namque omnibus in rebus eſt turbulentiſſimum. (4) Si alicujus nimia potentia diſſolvenda, ſenſim hoc facere, nec univerſam ſimul auferre.

1108. Tyrannus imprimis a verberibus & ſtupro abſtineat.

1109. Denique, quæ ſpeciem habent ignominiæ, majoribus honoribus redimere debet Tyrannus.

1110. Qui Tyranno inſidiantur, in illis imprimis cavendi, qui Tyranno necato, non magnopere laborant, ut ipſi ſalvi evadant.

1111. Ita ſe gerat Tyrannus, ut tam divites, quam pauperes incolumitatem ſuam ab illo dependere exiſtiment.

1112. Tyrannus id agat, ut licet Tyrannus ſit, non tamen is, ſed alius, Rex nempe, videatur.

1113. Ita Principatus honeſtior erit & diuturnior.

1114. Oportet autem Tyrannum ſaltem eſſe ex parte bonum ἡμίχρηστον καὶ ἡμιπόνηρον.

## CAP. XII.

1115. Ex omnibus autem rebuspublicis breviori tempore manent Oligarchiæ & Tyrannides.

1116. Tyrannis, quæ in homines ſerviles exercetur, diuturna eſſe poteſt, quæ vero eſt in ingenuos, diu ſtare nequit.

1117. Plato minus recte de rerumpubl. mutationibus diſſerit, aſtris & numeris eas adſcribens.

# ARISTOTELIS POLITICORUM
## LIBER SEXTUS.

## CAP. I.

§. 1118.

Rerumpublicarum temperatura in variorum inſtitutorum debita conſiſtit conjunctione, veluti ſi ſenatus fuerit oligarchicus, judicium vero democraticum, aut alio ſimili quodam modo.



Digitized by Google

1119. Quæ ratio miſcendi variarum rerumpubl. inſtituta multum prodeſt ad rempublicam, & conſtituendam & adminiſtrandam.

## CAP. II.

1120. Inſtituta autem, & reſpublica, cujus ſunt inſtituta, idem habent fundamentum.

1121. Ita & Democratiæ & Democraticorum inſtitutorum fundamentum eſt libertas, in æqualitate & licentia vivendi conſiſtens.

1122. Quæ igitur inſtituta fundamenti loco habent, vel æqualitatem vel licentiam vivendi, vel utramque, illa ſunt Democratica, veluti ſunt. (1) Creare magiſtratus omnes ex omnibus. (2) Habere imperium omnes in ſingulos, & ſingulos viciſſim in omnes. (3) Sorte eligere magiſtratus, vel cunctos, vel qui uſu non egent atque arte. (4) Cenſus vel nullam vel exiguam habere rationem. (5) Non iterum eundem magiſtratum quempiam gerere, aut raro, aut paucos præter militiæ proprios &c.

## CAP. III.

1123. Æqualitas autem Democratica habetur & ſervatur, ſi tantum plebeji, numero plures, quantum nobiles, numero pauciores, valebunt; vel ſi utroque ordine quidam deligantur numero pari, qui omnem rempublicam in manu ſua habeant; vel ſi numero fuerint impari, paritate tamen votorum utrinque gaudeant.

1124. Optima Democratia eſt optimæ plebis, peſſima peſſimæ.

## CAP. IV.

1125. Optima plebs cenſetur, in qua agricolæ, veluti melior pars plebis, prædominantur.

1126. Etenim plebs, ex agricolis maximam partem conſtans, reipublicæ vacare multum nequit, ob curas & labores domeſticos, adeoque delectis quibusdam, iisque prudentioribus rempubl administrandam permittet, reſervato ſibi jure creandorum & examinandorum magiſtratuum.

1127. Ad efficiendum autem populum agriculturæ deditum, plurima inventa ſunt inſtituta, veluti ſunt leges agrariæ Ebræorum, Græcorum & Romanorum; ex. gr. agrum civitatis definire, & pro numero & ratione familiarum in certas partes dividere, quæ inſcio magiſtratu ab una ad aliam familiam haut ſunt transferendæ ſeu conjungendæ.

1128. Poſt populum agricolis maxime conſtantem, optimus eſt, ubi paſtores ſunt: multa namque habet aſſimilia agriculturæ paſtura.

1129. Quot plebis, tot Democratiæ genera, & quæ plebis, eadem & Democratiæ iſti plebi accommoda eſt conditio.

1130. Extrema Democratia, quæ prope abeſt a confuſione & anarchia, veluti in qua omnibus omnium generum hominibus patet ad rempublicam aditus, non in quemvis cadit populum, & tantum ad breve tempus.

1131. Ad retinendam hanc Democratiam utile imprimis eſt augere numerum civium, ita ut plebs ex oppoſita parte nobilibus & mediis reſpondeat.

1132. Ad Democratiam continendam facit tribuum multitudo, ſacra publica & communia; & ut, quantum fieri poteſt, omnes inter ſe commiſceantur.

1133. Omnia inſtituta Tyrannica conducunt peſſimæ Democratiæ, quia hæc eſt unius belluæ multorum capitum in homines meliores herile imperium.

## CAP. V.

1134. Ad Democratiam, imo alias reſpublicas continendas facit, bonorum publicationes neutiquam permittere; in judiciis nullas dare ſportulas, conceſſo judicibus ampliſſimo ſalario: ſi delinquentes in corpore potius, quam in ære luant, & bona damnatorum non in fiſcum, ſed in pios uſus convertantur, graviſſima pœna in temere litigantes ſtatuta. Quibus ita obſervatis, lites erunt minus frequentes, minus etiam diuturnæ.

1135. Videat Politicus, ut ſi non omnes, ſaltem eos, qui ſunt potentiores, ſibi & ſtatui habeat faventes.

1136. In Democratalis conventus populi ſunt rariores & paucorum dierum.

1137. Videat Politicus, ne plebs prematur valde egeſtate, quod fit: (1) fovendo opificia & artificia, (2) providendo, ut tempore neceſſitatis pecunias, pignore dato, habere poſſit; (3) dando egenis e publico pecuniam, (4) egenos in colonias ducendo, (5) bona quædam, veluti ligna, ad uſum reddendo communia.

## CAP. VI.

1138. Quæ divitum & nobilium, eadem etiam Oligarchiæ eſt conditio.

1139. Prima autem & optima Oligarchia eſt, quæ proxime ad Politiam accedit, h. e. quæ non tantum nobilium & divitum, ſed & plebis rationem habet.

1140. Illa autem, quæ ultimæ Democratiæ eſt oppoſita, quæque maxime violenta & Tyrannica Oligarchia, quanto peſſima eſt, tanto difficilius cuſtoditur.

1141. Democratias πολυανθρωπία, Oligarchias ἐυταξία conſervat.

CAP.

CAP. VII.

1142. Quatuor ſunt militum genera: (1) Equites, (2) gravis armaturæ milites, (3) levis armaturæ milites, (4) milites navales.

1143. Quibus olim diſtinctæ reſpondebant oligarchiæ ſpecies.

1144. Munera publica magnæ poteſtatis & dignitatis ſint conjuncta cum moleſtia & onere quodam, ut ita plebs excludatur.

CAP. IIX.

1145. Magiſtratus alii ſunt neceſſarii, alii utiles, alii ad ornatum & elegantiam facientes.

1146. Primus magiſtratus neceſſarius eſt, qui curat ea, quæ faciunt ad commercia, nec non ad decorum & ordinem; cui vicinus eſt alter, qui aſtynomia dici ſolet.

1147. Poſt hos ſunt agrorum & ſylvarum præfecturæ, quas ſequitur magiſtratus, ad quem publica vectigalia referuntur.

1148. Alius eſt magiſtratus, apud quem contractus privatos perſcribi oporteat, a quo diſtinctus eſt ille magiſtratus, qui circa executionem judiciorum publicorum verſatur &c.

# ARISTOTELIS POLITICORVM LIBER SEPTIMVS

## CAP. I.

§. 1149.

De optima nunc republica acturi, ante omnia notamus, eam talem eſſe per & propter vitam optimam, quam in ethicis deſcripſimus.

1150. Vita optima abſque virtute & prudentia eſſe non poteſt.

## CAP. II.

1151. Ea igitur reſpublica optima cenſenda, ſub cujus ſtatu quilibet ſecundum ſuam virtutem operari, & tantum habere poteſt, quantum ipſi ſatis eſt.

1152. Alii illum reipublicæ gubernandæ modum optimum cenſent, qui nihil niſi tyrannidem habet, beatitudinem in libidine imperandi vaga collocantes. Male.

1153. Apud nonnullos reipublicæ hic ſcopus eſt, ut dominetur vicinis, & fines imperii dilatet. Itidem male. Utrumque enim eſt injuſtum.

1154. Nullus tyrannicum in ſe expeteret imperium; Ergo nullus tali imperandi ratione adverſus alios uti debet.

1155. Quapropter non decet omnibus heriliter imperare, ſed illis, qui ſunt materia dominatus.

1156. Nec igitur optima reſpublica per hoc eſt optima, quia eſt militaris; cum reſpublicæ beatæ fuerint, quæ tamen militares non erant.

1157. Bellum eſt ex numero illorum bonorum, quæ non ſunt propter ſe, ſed propter aliud, adeoque non finis, ſed medium eſt.

1158. Boni Politici eſt legibus inſtitutisque ita rempublicam temperare, ut populus ſub tali ſtatu eam conſequi ac tueri poſſit felicitatem, quæ ipſius moribus, indoli ac conditioni eſt conveniens, ita, ut ſimul vicinarum rerumpublicarum aliquam rationem habeat.

## CAP. III.

1159. Falluntur, qui vitam remotam a rebus agendis præferunt vitæ in rebus agendis occupatæ: cum ipſa beatitudo ſit actio, & qui ex virtute agunt, ſcopum optimum ſibi habeant propoſitum, publicam nempe ſalutem & poſt hanc commoda ſingulorum.

1160. Quamvis verum ſit, multis actionibus præclaris anſam & occaſionem magiſtratus ac imperia dare, non idcirco ſequitur, imperium quavis ratione eſſe expetendum, aut vi aut rapina comparandum a quovis in quosvis.

1161. Præterea qui imperium eſt conſecutus, non ſtatim magnas & honeſtas edit actiones: cum qui talis ſit, virtute cæteris antiſtet neceſſe ſit, ſine qua plerumque etiam flagitiis materiam poteſtas & imperium ſuppeditat.

1162. Ergo, niſi qui verſatur in imperio, reliquis virtute excellat, vix videtur poſſe fieri, ut aut imperio ſit dignus, aut præclaras ac ſe dignas edat actiones.

1163. Actionum autem nomine & contemplandi ſtudium complectimur: cum & mentis agitationes ſint actiones, licet externo nullo ad perfectionem ſui indigeant auxilio.

1164. In qua denique re ſingulorum civium, in eadem totius civitatis collocatam exiſtimamus felicitatem.

## CAP. IV.

1165. Ut cujuslibet, ita & optimæ reipublicæ notitia tribus conſtat partibus, (1) loci, (2) populi, (3) ſtatus deſcriptione.

1166. Vulgus exiſtimat magnam civitatem ſeu ingentem populum optimæ reipublicæ reſpondere, ignorans in quo magnitudo vel parvitas civitatis conſiſtat.

1167. Civitas magna haut eſt per & propter magnam hominum multitudinem, ſed per & propter magnitudinem potentiæ; ſi ſcilicet munus ſuum optime facere valeat.

1168. Opus illud virtute & ſufficientia rerum abſolvitur, ita ut illa civitas ſat magna ſit, quæ beatitudini acquirendæ & tuendæ ſufficit.

1169. E-

Digitized by Google

1169. Et licet ex multitudine hominum magnitudo civitatis æſtimaretur, non tamen ex quavis multitudine hoc fieri poſſet, ſed tantum civium.

1170. Imo nec multi homines, nec multi cives faciunt magnam civitatem: niſi in iſta civium multitudine omnis generis cives habeantur, qui ad ſufficientiam & indigentiam explendam ſufficiunt.

1171. Experientia conſtat, difficile eſſe forſan & impoſſibile, bonis legibus uti juſto majorem civitatem. Idem ratione conſtat: numerus enim valde exſuperans non poteſt obtinere ordinem.

1172. Iſte populus eſt juſtæ magnitudinis, qui (1) tantus eſt, ut ſibi ipſi ſufficiat, & (2) ut ſit cognoſci facilis, adeoque commode poſſit regi, & ut cives ſibi invicem ſint noti ad amicitiam politicam colendam.

## CAP. V.

1173. Optimæ reipublicæ regio & ager omnia ſufficienter proferat, quæ ad neceſſarios vitæ uſus faciunt.

1174. Tantus autem debet eſſe ager, ut cives in otio liberaliter & temperanter vivere poſſint.

1175. Illa præterea regio laudatur, quæ facilem habet exitum, introitum autem hoſtibus difficilem.

1176. Locus optimæ reipublicæ reſpondens non tantum alendo populo ſufficere debet, ſed & amplius requiritur, ut ſit εὐσύνοπτος h. e. qui ita comparatus eſt, ut facili negotio ad omnes ejus partes auxilia mitti poſſint.

1177. Situs loci optimæ reipublicæ eſt, qui habet oportunitates & terreſtres & maritimas: faciunt enim hæ ad facilitatem defenſionis, ut & rerum importationis & exportationis.

## CAP. VI.

1178. Nec obſtat, loca maritima plurimis peregrinis patere, atque in illis magnam multitudinem hominum & turbam mercatorum oriri; utrumque optimæ reipublicæ haut conveniens.

1179. Incommoda iſta majoribus commodis compenſantur: quæ, ut diximus, ſunt facilior defenſio & rerum neceſſariarum importatio, non neceſſariarum exportatio.

1180. Præterea habens optima civitas mare, exerceat mercimonia ſibi, non aliis, non avaritiæ, ſed indigentiæ explendæ ergo.

1181. Nautæ porro & mercatores extra civitatem, non procul tamen ab ea ſedes ſuas habeant: quomodo civitas peregrinis & malis moribus haut inficietur.

1182. Denique turba nautica nec ſit magna, nec ſit in numero civium.

## CAP. VII.

1183. Non cujusvis indolis populus optimæ reipublicæ eſt capax.

1184. Ut autem conſtet, quales natura eſſe debeant cives optimæ reipublicæ accommodi, populos terrarum orbis in tres partes diſtinguit auctor, in Europæos, (Septentrionales) in Aſianos, (Meridionales) & Græcos (Medios.)

1185. Europæi, judice Ariſtotele, animi pleni ſunt, ingenio autem & artibus non adeo valent: ſunt libertatis amantiſſimi, expertes vitæ civilis, neque vim & poteſtatem habent parandi ſibi imperium vicinorum.

1186. Aſiani vero ingenio valent & artibus colendis facti ſunt, animi autem inopes, parere non recuſantes atque ſervientes perpetuo.

1187. Græci de utrisque participant veluti medii, animoſi propterea exiſtentes atque ingenioſi: quare liberi permanent, atque optime rempublicam adminiſtrant: factique ad imperium adipiſcendum cunctarum gentium, ſi una republica continerentur.

1188. Ex quibus colligimus, in cive optimæ reipublicæ primo magnum animum & ſecundo ingenium requiri.

## CAP. IIX.

1189. Non ſtatim ſine quo civitas eſſe nequit, id eſt pars civitatis.

1190. Illud enim demum pars totius eſt habendum, quod cum toto eundem habet finem.

1191. Igitur quia civitas eſt communio ſimilium, vitæ, quantum res patitur, optimæ ergo inſtituta: qui hanc vitam ſibi habent propoſitam, erunt partes civitatis optimæ, alii non item.

1192. Quot autem ſunt vitæ genera, ſine quibus civitas optima eſſe nequit, ſumendum eſt a numero operum, ut factum Cap. IV. Lib. IV. quo hic utendum.

## CAP. IX.

1193. Cæterum cum hic de optima republica h. e. beata agamus, ea autem propter virtutis non ex hypotheſi, ſed ſimpliciter exercitium talis ſit, planum eſt, non poſſe optimæ reipublicæ cives alios eſſe, quam qui virtuti operam dare & volunt & poſſunt.

1194. Militandi autem, conſultandi & judicandi munera iisdem & diverſis ſunt imponenda, iisdem numero, diverſis ætate.

1195. Juvenibus, quia integra & plena ſunt ætate, munus militare, ſenibus judicandi, & conſultandi munus imponendum judicat auctor: nam hoc eget prudentia, illud autem corporis viribus.

1196. Deinde impoſſibile eſt, ut qui vim facere & prohibere poſſunt, ii ſemper ſub imperio contineantur.

1197. Qui enim in ſua manu habent arma, in eorum poteſtate eſt, maneat, an non maneat reſpubl.

1198. Bona civitatis civibus, non aliis adeſſe debent.

1199. Non

Digitized by Google

1199. Non vilioribus, ſed tantum civibus grandævioribus ſacerdotium & cura religionis eſt committenda.

## CAP. X.

1201. Ut in aliis primum inſtituta ſunt neceſſaria, poſt illa vero, quæ ad ſplendorem & abundantiam faciunt: ſic in iis, quæ reſpublicas concernunt, accidiſſe, credi par eſt.

1202. Res enim neceſſarias ipſa neceſſitas, ſive indigentia monſtravit, quibus alia ſenſim acceſſiſſe vero ſimile eſt.

## CAP. XI.

1203. Ut ſitus loci optimæ reipublicæ ad ſemet ipſum conſideratus bene ſe habeat, quatuor imprimis optare debemus: aërem, aquam, agrum, ſylvas: in omnibus autem reſpiciendum (1) ad valetudinem & (2) ad actiones civiles & bellicas.

1204. Loca autem munita quod attinet, non omnibus eadem conveniunt, ſed arces oligarchiæ & monarchiæ; planus autem & æquus locus Democratiæ; ariſtocratiæ vero regnum, ſed magis loca natura munita accommodata ſunt.

1205. Privatarum ædium diſpoſitio talis ſit, ut urbs ſit tuta & ornata.

1206. Meditullium urbis, vias habeat amplas & rectas, circa quod undique ſint viæ arctiores & ſinuoſæ.

1207. In muris, quibus urbes cinguntur, reſpiciendum ad ornatum & bellicos uſus.

## CAP. XII.

1208. Habeat optima civitas varia ædificia publica ad ſacros & civiles uſus, in quorum ſtructura magnificentiæ habenda eſt ratio: ut & in finibus propugnacula & arces.

## CAP. XIII.

1209. Duo ſunt, in quibus cujusque rei bonitas & rectitudo conſiſtit; unum, ut propoſitum atque finis actionum ſit recte conſtitutus, alterum, ut actiones, quæ ducunt ad finem, inveniantur.

1210. Quia autem propoſitum nobis eſt rempublicam optimam conſiderare, hæc autem eſt, per quam optime civitas adminiſtratur, per hanc vero adminiſtratur optime, per quam licet fieri beatam; ſatis intelligitur, in quo vita beata poſita ſit, exploratum eſſe oportere.

1211. Felicitas eſt uſus virtutis perfectus, atque hic non ex ſuppoſitione, ſed ſimpliciter, non excluſa rerum ſufficientia.

1212. Igitur ut felix ſit civitatis ſtatus, quædam ſupponenda ſunt, quædam inducenda. Supponenda, quæ fortunæ res dicuntur, quæ vero ſunt res conſilii, a legiſlatore ſunt inſtituenda.

1213. Eſt autem proba civitas, eo quod cives omnes, quibus reſpublica communicatur, probi ſunt.

1214. Tria ſunt, quorum vi boni probique fiunt, natura, mores & ratio; quibus addimus Numinis auxilium.

1215. Oportet enim primo naſci idoneum, h. e. hominem, non animal quodcunque; tum ut corpus pariter atque animus ſit bene conſtitutus.

1216. Cæteræ animantes maxime quidem naturam ſequuntur: paucæ nonnihil etiam mores: homo vero ducitur etiam ratione, qua ſolus præditus eſt.

1217. Et multa homines præter mores & naturam faciunt, rationem ſi ſequantur.

## CAP. XIV.

1218. Ut omnis, ita & optima reſpublica ex imperantibus & parentibus conſtat. Quia vero non eſt facile obtinere, ut ſemper iidem, hi quidem imperent, hi autem pareant, neceſſe eſt, ut omnibus ſimiliter viciſſitudo imperandi & parendi communicetur.

1219. Viciſſitudinem illam juſtam eſſe inde patet, quia æqualibus æqualia debentur, quomodo reſpublica tranquilla erit.

1220. Diſciplina proinde in optima republica talis ſit, quæ eſt accommoda iis, qui aliquando nunc imperabunt, nunc parebunt.

1221. In legibus & inſtitutis optimæ reipublicæ primo omnium animæ partium atque actionum earundem habeatur ratio.

1222. Duæ autem ſunt animæ partes, intellectus & appetitus, & dividitur omnis vita in otium & negotium, in bellum & pacem.

1223. Deinde ordo, quem natura monſtrat, ſervetur, donec ad ſummum perveniatur.

## CAP. XV.

1224. Prima proinde cura corporis, altera appetitus, ultima intellectus eſſe debet: quarum quælibet pars ſuis eſt perficienda virtutibus in ordine ad otium & negotium, ad bellum & pacem.

## CAP. XVI.

1225. Præcipua ad corpus facientia inſtituta ſunt connubialia. Quorum quædam auctor recenſet, quæ quia ſunt leviora, nec per omnia nobis probantur, hic omittimus.

## CAP. XVII.

1226. Diſciplina & inſtituta ſecundum ætates ſunt diſtinguenda: quæ ſeptenario numero minus recte dividuntur.

1227. Decet potius ſequi naturæ diviſionem, omnis enim ars & diſciplina nititur, quod deeſt in natura explere. Non anni, ſed natura ætates facit.



Digitized by Google

# ARISTOTELIS POLITICORUM LIBER OCTAVUS

## CAP. I.

### §. 1228.

Politico, cura adhibenda in puerorum inſtitutione.

1229. Unde enim bene vel male eſſe poteſt reipublicae, id politico curandum.

1230. Politicum liberorum inſtitutionem atque diſciplinae rationem ſtatui reipublicae conformare oportet.

1231. Semper enim optima indoles ac mores melioris reipublicae cauſa ſunt.

1232. Non eſt quiſpiam civium ſui ipſius, ſed omnes civitatis: pars enim unusquisque eſt civitatis.

## CAP. II.

1233. Cives optimae reipublicae utilibus neceſſariis operam quidem dare poſſunt, nemo tamen illorum illiberalia tractet ſtudia, aut liberalia illiberaliter.

## CAP. III.

1234. Sunt autem quatuor fere, in quibus erudire pueros conſuerunt: literae, gymnaſtica, muſica & ars pingendi.

*Nobiliſſimo, Ampliſſimo & Conſultiſſimo Domino*

# IOACHIMO FRIDERICO SöHLEN,

*Sereniſſimo Duci*

## RUDOLPHO AUGUSTO

a Conſiliis arcaniſſimis
& Iudicii Aulici Aſſeſſori primario
Hæreditario in Unter Sichte &c.

*S. P. D.*

## HERMAN. CONRINGIUS.

Exhibet jam alterum ſuæ perquam eximiæ & indolis & induſtriæ præclarum ſpecimen Academicum Filius Tuus: haud dubie pari hoc etiam promptitudine, ut antehac alterum, in publica noſtra palæſtra defenſurus. Enimvero longe quidem eſt veriſſimum Ariſtotelis illud: quod juvenis nullus, propter humanarum rerum ἀπειρίαν, ſit undequaque idoneus exactæ civilis doctrinæ auditor ſive arbiter: eſtque adeo hoc commune cum aliis artibus exquiſitioribus, inprimis & illa, quæ circa valetudinem hominis eſt occupata. Etiam illa ætas tamen capax eſt eorum, quæ ad τὸ ὅτι pertinent; præſertim ſi iis uti magiſtris conceſſum fuerit, quorum pronunciatis ſic ſatis tuto liceat credere, donec cum tempore plenam poſſit ſcientiam ſibi comparare eorum, quæ hactenus non niſi vim τῶν αἰτημάτων habuerant. Multo magis feliciter omnia etiam tunc procedunt, quando in juvene ſtatim exſerit ſeſe haud vulgaris illa dos ingenii, quam ἀγχίνοιαν nuncupamus, quando φιλομάθεια item & φιλοπονία, juſtusque in diſcendo ordo ſive ἡ προπαιδεία obſervatur. Cum Filio igitur Tuo, quamvis adhuc adoleſcenti, nihil horum deſit, imo omnia inuſitato naturæ beneficio adſint plus, quam abunde; hactenus utique hic illius in civili philoſophia conatus non minorem meretur laudem, quam ille alter jam tum in morali præſtitus. Et vero melioris atque præſtantioris magiſtri, quam in utroque eſt genere Ariſtoteles, doctrinam non potuit ille ſectari. Hujus autem non exiguam aliquam partem, ut vulgo fieri ſolet, ſed qualia quidem nobis ſuperant, omnia producere quaſi in aciem, hoc vero arguit præclaram præſtantiſſimi adoleſcentis cum ſolertiam, tum alacritatem. Utinam Deus tantæ indoli concedat juſtam vitæ longitudinem! Non minus ſane reſpublica, quam Tu Pater, maxima & optima quæque jam tum poteſt ſibi de illa polliceri, modo Deus impoſterum quoque faverit valetudini. Et vero aptus videtur animus adoleſcentis ad vitæ genus cum negotioſum, pariter tum tranquillum illud & θεωρητικὸν aliquando amplexandum. Quanquam malim equidem poſteriori conſecretur fæcundiſſimum ingenium: præſertim quia jam tum a fortunæ quoque bonis ſatis illi eſt proſpectum. Verum hæc cura Tuæ merito Paternæ eſt prudentiæ relinquenda. Interea gratulor Tibi hanc etiam felicitatem: utpote cum præ illa, quæ ex bonis liberis capitur Parentibus nobis, nequeat major contingere. Helmeſtadii d. X. Auguſti 1677.

IX. HER-

Digitized by Google

# IX.

## HERMANNI CONRINGII
# INTRODUCTIO IN POLITICA
## ARISTOTELIS.

### PRAEFATIO.

*Facturus forte ſum pretium operæ, ſi principio quidem, ſitne Politicum hoc opus Ariſtotelis Stagiritæ, cujus præfixum gerit nomen; deinceps, ejus ſi eſt, quo in ordine ſit collocandum; porro, quæ operis ſit ſeries quodque inſtitutum; ad hoc, quale hodieque ſit opus illud; denique quemadmodum illud opus hucusque fuerit habitum: paulo accuratius hic expoſuero.*

*Non tantum enim majore cum fructu verſabitur lector ipſo in libro, hæc ubi probe pernoverit, ſed & ullum ægre ceperit fructum, niſi his ante cognitis. Sane, Senecam ſi audimus, de auctore diligentius quærere fuerit operoſe nihil agere: (a) contra tamen plane ſeſe res habet, perque multum intereſt ad faciendam fidem,*

- - Davuſne loquatur an heros,<br>
Maturuſne ſenex an adhuc florente juventa<br>
Fervidus.

*Et vero, ea eſt Ariſtotelis eruditio (b) & in civili quoque ſapientia auctoritas, ut ejus ſit ſententiis, haud minus propemodum, quam oraculis, fidendum: a qua dignitate, promiſcua ſcriptorum turba plurimum abeſt. Vt profecto multum interſit cognoviſſe, quid ſit ab Ariſtotele profectum, quidque hoc nomen temere mentiatur. Jam vero quoniam omni fere de argumento duo olim ab Ariſtotele librorum genera ſint ſcripta, unum popularius, quod* ἐξωτερικὸν, *alterum limatius, quod* ἀκροαματικὸν *appellant: quæ inter magnum adeo diſcrimen verſatur, ut docendi pariter ac diſcendi ratio plurimum utrobivis diverſa ſit: etiam hoc profecto ſcire, non poteſt non eſſe longe utiliſſimum, quodnam ad genus pertineant hæc politica, ſi illa ſunt Ariſtotelis. Scilicet ne qui ad lectionem eorum ſeſe accingant; quos arcet docendi ratio, aut vero ab illa abſtineant, qui tamen ſummo cum uſu poſſunt in illis occupari. Porro autem nos oſtendemus, obſcurum totum hoc opus eſſe ob nonnulla loco ſuo temere mota, nonnulla item deperdita: quæ omnia mirifice inclareſcunt ſerie ac via illa monſtrata, quam Ariſtoteles in ſcribendo obſervavit. Non parum denique juvat etiam, ſcire librorum quorumque veterum fata: quo aut rectius juves contractam labem aut in re deplorata non ludas operam.*

*Etſi vero a Græcis Ariſtotelis interpretibus, viris magno ingenio & doctrina eximia, pleraque hæc initio cujuslibet operis, quod ſibi interpretandum ſumpſere, accurate ſint olim diſputata, circa hoc tamen ab illis nihil tale præſtitum invenimus, utpote quod nemo illorum ſit politicen explicare aggreſſus, in aliis licet diligentiam oſtenderint & ſatisfecerint exſpectationi. Quin nec ab Arabicis aut Latinis interpretibus quidquam huc quod faciat accipere eſt. Nam inter illos, qui familiam ducit Avenrois, ne vidit quidem hos libros, ut ipſe ſcribit cum in præfat. paraphraſeos Platonicorum de republ. librorum, tum ſub finem Ethicorum. Alii viderint nec ne, incertum eſt. Sane Abubekri Aurificis filius ab Ariſtotele doctrinam hanc præteritam ſcripſit, eo quod tota ſit a Platone ſatis occupata: quo nomine graviter tamen illum Avenrois inſectatur, recte animadvertens platonici operis vitia ac defectus. Unum ille tantum Abunazarem Alpharabium, magni nimirum illum ex Baldach philoſophum nominis, potuit laudare, qui ariſtotelici laboris alicubi meminerit tanquam ſibi fortaſſis viſi. Tantum abeſt, quenquam Arabicæ ſcholæ ad libros hosce illuſtrandos quidquam opera contuliſſe. Hinc ſane contigit, quare nullam ex Arabico habeamus politici operis verſionem Latinam, etſi reliqua Ariſtotelis omnia ex illa lingua Europeo orbi olim dederit cura Friderici II. Cæſaris. In Latinis vero cum pauci ad Politica exponenda acceſſerunt, tum illi ipſi quæ ad noſtrum faciant inſtitutum dixerunt nihil: donec humaniore literatura renata, cum alii nonnulli, tum cumprimis Antonius Montecatinus multo præclariſſimus vir, manum huic negotio admoverunt. Poſt illos perdocte ea de re diſſeruit ſingulari libello celeberrimus Daniel Heinſius. Sed nec ab illis tamen omnia ſunt præcepta, fortaſſis etiam licet propius in nonnullis ad veritatem pervenire. Quod etſi & alias conaturi ſimus, quando de omni plane Ariſtotelis philoſophia diſſeremus, nunc tamen hic agemus ſeorſim; iniquitate temporum aliisque negotiis affecta abſolvere opera & in publicum edere hactenus prohibiti.*

## CAPUT I.

### *Politica eſſe Ariſtotelis, certis argumentis oſtenditur.*

§. I.

Principio ergo videamus, ſitne hoc opus Ariſtotele auctore conſcriptum. Ut autem alibi docetur, duplex eſt ratio iſthæc dijudicandi. At enim ex ipſius *ſcripti natura* (c) ac conditionibus id intelligitur, aut ex teſtimonio aliorum. Duobus enim hiſce omnia, quibus contraver-

(a) *Operoſe nihil agere.*) Qui erat philoſophiæ ſtoicæ addictus & ſic in autoritatem Scriptoris tanquam affectu in partum iniquior. *GOEB.*

(b) *Ariſtotelis eruditio.*) GROTIUS *Præfat. in lib. de J. B. & P. §. 42. GOEB.*

(c) *Scripti natura.*) FELDENUS *in præfat. analyſ. libr. politic. Ariſtotelis.* Conferatur PICCARTI Synopſiis organica. *GOEB.*

verſa ſcripta alii dijudicant, comprehenduntur. Namque & Ariſtotelis Græci expoſitores olim quatuor potiſſimum notis utebantur. Primo an dicendi ratio eſſet illa, quæ Philoſopho familiaris eſt: Secundo dogmata ne conſentirent reliquæ ejus philoſophiæ: Tertio utrum liber alios certæ fidei memoraret, aut vero in certis aliis hujus fieret mentio: Quarto an pro genuino eum habuiſſent aut ſectatorum veterumque fide dignorum hominum alii. Harum vero tres priores notæ ad primum argumentorum genus pertinent, ultima alterum conſtituit. Nec vero quia primum illud majori ex parte rejiciat Franciſcus Patritius *l. 4. volum. primi Peripateticarum Diſcuſſionum*, ideo illo nobis utendum non eſt. Quouſq; enim illum, ſi non obtrectandi ſaltem ἀνθολκῆς ſtudium abripuerit, nemo eſt, qui non videat, & demonſtrabitur fortaſſis alias pluribus. Certe qui vel leviter verſatus eſt in eruditionis negotio, non ſentit, eſſe aliquam ſcribendi, docendique rationem ſingulis familiarem, Ariſtoteli vero ſuam usque adeo privatam eſſe, ut omnibus, poſt ſeculis nihil etiam ſimile ulla imitatione ſit natum.

§. 2. Jam vero & dicendi characterem, & modum diſputandi, & ſententias, quæ hoc politico volumine habentur, eſſe prorſus omni ex parte ariſtotelica, h.e. nihil ab iis ſcriptis, quæ Ariſtotelis eſſe extra controverſiam eſt, diſcrepare, vel cœco manifeſtum ſit. Quis enim non videat illam τῶν ἐννοιῶν πυκνότητα καὶ τὸ συνεστραμμένον τῆς φράσεως, ὡς δι᾽ ὀλίγων πολλάκις συλλαβῶν παραδιδόναι ὅσα οὐκ ἄν τις ἐν πολλαῖς περιόδοις ἐδίδαξε, quod Simplicius obſervavit in ariſtotelico dicendi charactere? Sunt autem hæc plane Ariſtoteli propria, quicquid dixerit Patritius. Statim initio præfixa illa propoſitio, deducta ex univerſali quodam axiomate, morem ariſtotelicum utique redolet. Ἐπειδὴ πᾶσαν πόλιν ὁρῶμεν κοινωνίαν τινὰ οὖσαν, καὶ πᾶσαν κοινωνίαν ἀγαθοῦ τινος ἕνεκεν συνεστηκυῖαν. Plane vero ariſtotelica eſt illa ὑφηγημένη μέθοδος, τὸ σύνθετον μέχρι τῶν ἀσυνθέτων διαιρεῖν: quam obſervans ſingulas civilis ſocietatis portiones ſeorſim examinat, ut ſeſe habeant reſpectu civitatis. Porro nec tam ſubtilis argumenti alicujus tractatio, nec tam exacta & quaſi anxia docendi ratio, in quoquam ſcriptore alio, quam Ariſtotele reperitur; qualem tamen hoc loco cernimus itidem obſervatam eſſe. Uno verbo, ſive dictionem videas, ſive rationem docendi, ne hilum quidem illa abit ab ariſtotelica conſuetudine; neutra ſimile quid aliorum ſcriptis habet.

§. 3. Obſervandum præterea eſt, in hoc opere fieri quidem mentionem multorum præclarorum auctorum, nullius tamen, qui Ariſtotele non ſit ætate major. Hi ſcilicet ſoli ibi memorantur: Alcæus, Androdamas, Apollodorus Lemnius, Archilochus, Chares Parius, Charondas, Draco, Epimenides, Gorgias Leontinus, Heſiodus, Hippodamus Mileſius, Homerus, Lycophron ſophiſta, Lycurgus, Muſæus, Onomacritus, Orpheus, Phaleas Chalcedonenſis, Phido Corinthius, Philolaus, Pittacus, Plato, Pythagorici, Scylax geographus, Socrates, Solon, Thales, Theodectes, Tyrtæus poëta, Zaleucus. Inter hoſce omnes ſolus Theodectes Ariſtoteli par ætate poſſit videri, quum a nonnullis inter Ariſtotelis auditores numeretur. Conſtat tamen, illum quoque jam obiiſſe, quando Alexander Magnus in Aſiam profectus eſt, & hortatu Artemiſiæ, Olympiade CIII. cum Naucrate, Iſocrate & Theopompo in laudem Mauſoli habuiſſe orationem funebrem: quo tempore nondum viceſimum primum ætatis annum Ariſtoteles attigerat; ab Ariſtotele denique alibi etiam, cumprimis in Rhetoricis, Theodectis ſcripta laudari. Ut proinde & hic Theodectes Ariſtotele annis fuerit major. Non etiam credendum eſt Suidæ, Scylacem geographum ſcripſiſſe ἀντιγραφὴν πρὸς τὴν Πολυβίου ἱστορίαν, quaſi ſaltim ille ſit junior Ariſtotele. Hic Scylax enim librum ſuum Dario dedicavit, non Codomanno, ut viſum eſt incomparabili Voſſio *l. 1. de Hiſtor. Græcis c.* 19. ſed Hyſtaſpis filio, a quo in Indiam miſſum Scylacem, ſcribit Herodotis *in Melpomene*. Hiſtoriæ quoque, etſi multæ memorentur in Politicis noſtris, omnes tamen ante Ariſtotelem defunctum contigerunt. Nec enim reperias aliquam, quæ ſit recentior cæde Philippi Macedonis, memorata *l. 5. c.* 10. aut vero occupata per Alexandrum Babylone, de qua videtur eſſe ſermo *l. 3. c. 2.* quorum prius contigit anno ariſtotelicæ vitæ quadrageſimo ſeptimo, poſterius anno quinquageſimo quinto. Neque vero eſt, cur moveamur eo, quod illam de Babylone capta hiſtoriam Ariſtoteles referat aliorum fide, quum tamen Philoponus narret, Ariſtotelem ipſummet fuiſſe Alexandri comitem usque in Indos, & interea ſcripſiſſe opus πολιτειῶν. Illud enim, quod Philoponus refert, repugnat melioribus veteris ævi monumentis, quæ conſtanter narrant, Ariſtotelem Athenas conceſſiſſe, migrante in Aſiaticam expeditionem Alexandro. Cæterum hæc de autoribus & hiſtoriis in opere politico commemoratis obſervatio, non probat ariſtotelicum fœtum eſſe opus illud: probat tamen, ſaltim illa Ariſtotelis ætate opus iſthoc eſſe natum, & proinde ſcriptionis tempus cum ariſtotelicis optime convenire.

§. 4. Conveniunt porro & ſententiæ hujus operis cum iis, quas certum eſt eſſe Ariſtotelis. Non ſane quidquam hic legas, quod alibi dictis adverſetur. Niſi forte velis in medium adducere id, quod ait politico ſecundo: διόπερ καὶ τὸ ἴσον τὸ ἀντιπεπονθὸς σώζει τὰς πόλεις, ὥσπερ ἐν τοῖς ἠθικοῖς εἴρηται πρότερον. Huic enim contraire videtur, quod *V. Nicomach.* ſcriptum eſt: τὸ δὲ ἀντιπεπονθὸς οὐκ ἐφαρμόττει οὔτε ἐπὶ τὸ νόμιμον οὔτε ἐπὶ τὸ πολιτικόν. Et vero Franciſcus Patricius hoc inter alia argumento oſtendere eſt conatus, non eſſe Ethica iſta a Politicorum auctore conſcripta, *tomo I. diſcuſſ. Peripatet. l.* 4. At in promptu eſt nodum ſolvere. Manifeſtum quippe ex ſermonis contextu, in Ethicis verba fieri de talione pythagorica, in Politicis vero de ea, quæ ſecundum proportionem ſive Arithmeticam ſive Geometricam inſtituitur. Imo vero, illa ex Ethicis adducta, etſi in Græcis quibusdam exemplaribus legantur, non invenerunt tamen in ſuis aut vetus latinus interpres, aut Argyropylus, aut Aretinus, aut eorum, qui verterunt iſthuc opus nobiliſſimi quique alii. Græci quoque ſilentio prætermiſerunt, quaſi aut non viderint aut certe improbarint. Quorum exemplo

Digitized by Google

exemplo ductus Petrus Victorius laudabili audacia mendum ſuſtulit: quem prædicat ac defendit Octavianus Ferrarius, elegantiſſimo *de ſermonibus exotericis* libro.

§. 5. Adducuntur porro hoc in opere ea ſcripta, quæ ab Ariſtotele eſſe, putidum fuerit negare. Octavo Politico ſcribit: τί δὲ λέγομεν τὴν κάθαρσιν, νῦν μὲν ἁπλῶς πάλιν δ' ἐν τοῖς περὶ ποιητικῆς ἐροῦμεν σαφέστερον. In noſtro quidem poëtices libello, tale nihil invenitur de purgandis animi affectibus: notum tamen eſt, magna illum ex parte mutilum eſſe. Ut etſi hinc certo non liqueat, hunc librum genuinum eſſe, conſtet tamen laudari librum qualem ab Ariſtotele eſſe conſcriptum certo eſt certius.

§. 6. Tertio Politico legitur: καὶ μέχρι γέ τινος ὁμολογοῦσι τοῖς κατὰ φιλοσοφίαν λεγομένοις, ἐν οἷς διώρισται περὶ τῶν ἠθικῶν. Quibus verbis ſi libri intelliguntur, quibus titulus fuit περὶ φιλοσοφίας, quod Patricio & aliis viſum eſt, confirmatur iterum haud leviter, Ariſtotelem Politicorum auctorem eſſe. Scripſiſſe enim Ariſtotelem aliquid iſto titulo, liquet cum ex Phyſ. ſecundo, tum ex primo de anima volumine. Meminit ejus Tullius, primo de natura deorum: *Ariſtoteles quoque*, inquiens, *in tertio de philoſophia libro multa turbat.* Tres quoque περὶ φιλοσοφίας libros index recenſet Laërtianus. Qui cum totidem ſeorſim περὶ ἀγαθοῦ numeret, non ſit probabilis Simplicii & Joannis Philoponi ſententia, qui in commentariis ad primum de Anima ſcribunt, ſignificari ibi iſthoc titulo libros de bono. Quod poſt illos, in Suidæ etiam centones temere irrepſit in Ἀγαθοῦ δαίμονος. Ne nunc adducam, ab iiſdem ſecundo naturalium, quod dixerat Ariſtoteles, εἴρηται δὲ ἐν τοῖς περὶ φιλοσοφίας, accipi de Ethicis Nicomachiis: non minus perperam certe, quam inconſtanter. Quanquam quid tandem librorum eo nomine intelligendum ſit, parum ad noſtrum inſtitutum faciat: modo ariſtotelicum ſcriptum ſit, quod adductis ante ex politico tertio verbis ſignificatur. Eſſe autem & de bono libros ab Ariſtotele conſcriptos, alias multis licet teſtimoniis oſtendere. Sed ut fateamur quod res eſt, alii ſunt κατὰ φιλοσοφίαν λόγοι, alii περὶ φιλοσοφίας. Bene enim Ferrarius vertit, *ſermones ad philoſophiam idoneos;* etſi forte clarius dixeris: *ſermones philoſophicos.* Quo ſignificatu ſcribit Ariſtoteles primo Eudemiorum: ἐπέσκεπται δὲ πολλοῖς περὶ αὐτῆς (ἰδέας) καὶ ἐν τοῖς ἐξωτερικοῖς λόγοις καὶ ἐν τοῖς κατὰ φιλοσοφίαν. quod ſc. de Ideis & populariter & philoſophice exaratis libris egiſſet. Quomodo item accipiendum, quod primo de partibus animal. legimus: τῶν μὲν γὰρ δύο τρόπων (τῆς ἀνάγκης) οὐδέτερον οἷόν τε ὑπάρχειν, τῶν διωρισμένων ἐν τοῖς κατὰ φιλοσοφίαν. Quod eſt vertente Theodoro: *neuter enim accipi poteſt eorum modorum, qui præfiniuntur in iis, quæ per philoſophiam tractata ſunt.* Clarius: *in ſermonibus accuratis & philoſophicis, quibus de neceſſitatis variis eſt ſpeciebus actum.* Ut proinde & illi λόγοι κατὰ φιλοσοφίαν ἐν οἷς διώρισται περὶ τῶν ἠθικῶν nihil aliud ſint, quam philoſophicæ de moribus tractationes. Dicere enim vult: conſentire vulgi opiniones quodammodo accuratis illis philoſophicisque ſermonibus Ethicis, de æqualitate. Quibus verbis innui Nicomachia Ethica, equidem nihil dubito.

§. 7. Fit vero his in libris diſerte τῶν ἠθικῶν perfrequens mentio, & ita quidem, ut facile pateat, illa politicum opus antecedere. Secundo enim l. legitur: διόπερ καὶ τὸ ἴσον τὸ ἀντιπεπονθὸς σώζει τὰς πόλεις, ὥσπερ ἐν τοῖς ἠθικοῖς εἴρηται πρότερον: quem locum & ante diſcuſſimus. Sed & tertio ſcribitur: καθάπερ εἴρηται πρότερον ἐν τοῖς ἠθικοῖς. Quarto hæc habentur: εἰ γὰρ καλῶς ἐν τοῖς ἠθικοῖς εἴρηται, τὸ τὸν εὐδαίμονα βίον εἶναι τὸν κατ' ἀρετὴν ἀνεμπόδιστον. Septimo item: φαμὲν δὲ ἐν τοῖς ἠθικοῖς &c. iterum: ἀλλὰ τὸ μακάριον ἐν τοῖς ἐναντίοις ἐστί, καὶ γὰρ τοῦτο διώρισται κατὰ τοὺς ἠθικοὺς λόγους. Eſt autem *primo* extra controverſiam, ſcriptos eſſe ab Ariſtotele moralis argumenti libros. Eſt & *deinde* certum, ſententias illas, quæ ex moralibus adducuntur politico in opere, plane eſſe ariſtotelicas. Queis illud ſaltem probatur, eſſe omnino cauſſam haud levem, quare Ariſtoteli omnino debeat opus hoc noſtrum adjudicari. Patet vero etiam *tertio* ſubtilius rimantibus, omnia iſthæc, quæ in Ethicis hic legimus tradita, reperiri omnino in iis, quæ Nicomachia appellitantur. Nam quod Patricius *tomo 1. l. 4.* illud de talione refelli potius in Nicomachiis, illud vero ultimum, *felicitatem in contrariis conſiſtere*, nusquam ſive in Nicomachiis, ſive in Magnis, ſive in Eudemiis inveniri, cauſatur; ab imperitiane potius, an libidine calumniandi profectum ſit, dubites. Allata autem a nobis jam ante eſt prioris objectionis ſolutio. Sed & alterum facile eſt explicatu. Neque enim ſimpliciter dicitur Ariſtoteli, ἐν τοῖς ἐναντίοις εἶναι τὸ μακάριον, ſed in iis, quæ paupertati, morbis, calamitatibus ſunt oppoſita. Verba ipſa ſunt: χρήσαιτο δ' ἂν ὁ σπουδαῖος ἀνὴρ καὶ πενίᾳ καὶ νόσῳ καὶ ταῖς ἄλλαις τύχαις ταῖς φαύλαις καλῶς. ἀλλὰ τὸ μακάριον ἐν τοῖς ἐναντίοις ἐστί. Quæ ita expreſſit Giſanius; *cæterum licet vir probus paupertatem morbumque & cæteras calamitates recte magnoque animo ferat, felicitas tamen in rebus oppoſitis ſita eſt.* Clarius & longe optime doctiſſimus paraphraſtes Heinſius: *nec idcirco tamen ſequitur, felicitatem quoque in iſtis (h. e. in adverſis) ſitam eſſe aut beatitudinem. Cum hoc multo magis in contrariis conſiſtat. Qualia, exempli cauſa, ſunt divitiæ, ſecunda valetudo, & ſimilia.* Jam vero ad beatitudinem perfectam requiri fortunæ bona, & tametſi vir bonus adverſa etiam toleret animo forti, tamen uti idem felix omni ex parte ſit, divitiis ipſum proſperaque valetudine indigere; id vero usque adeo frequenter primo ſtatim Nicomachiorum eſt dictum, ut otioſi ſit, velle illa loca enumerare. Quapropter dubium profecto nullum eſt, omnia illa in Ethicis Nicomachiis reperiri, quæ nude in Ethicis dicta eſſe affirmantur. Patet vero præterea, cum ex initio Ethici illius operis, tum ex ejusdem fine, eſſe illud quaſi præfixum operi alicui de republ. Quæ cum ita ſeſe habeant, nihil eſt etiam, cur dubitetur; Nicomachia ſemper deſignari, quando lector ad ethicos libros tranſmittitur in opere noſtro politico. Illa vero eſſe omnino non Nicomachi, quod creditum olim M. Tullio & Diogeni Laërtio eſt, ſed ipſius Ariſtotelis Stagiritæ, jam tum a multis clariſſime eſt demonſtratum. Ut proinde vel hoc argumento ſatis poſſit intelligi, non mentiri auctorem Politica noſtra.



Digitized by Google

§. 8. Addatur tamen & hoc. Primo Rhetoricorum, (quæ hodie perperam nonnullis ad Theodectem inſcribuntur, ſunt tamen certiſſime Ariſtotelis) quum verbo tactum aliquid eſſet de rerum publicarum moribus & inſtitutis, ſubjungitur: διηκρίβωται γὰρ ἐν τοῖς πολιτικοῖς περὶ τούτων. Quod profecto fit in noſtris.

§. 9. At vero ſi nullum in Politicis noſtris aut auctoris ejuſdem ſcriptum laudatur, quod non Ariſtotelicum eſt: ſi præterea, quæ Ariſtoteles ipſe in Politicis ſibi tradita alibi affirmat, hic inveniantur: quis velit ariſtotelica domo, præclarum hoc ſcriptum expellere?

§. 10. Primum itaque argumentorum genus certe pro nobis facit. Facere vero & ſecundum illud quod a teſtimoniis petitur, liquido niſi fallor, hinc manifeſtum eſt, quod nemo veteri ex ævo quiſquam, cujus memoria extet, Ariſtoteli hoc abjudicaverit; omnes contra, qui mentionem ejus fecerunt, unanimi conſenſu Stagiritæ id iverint attributum.

§. 11. Certe ſcriptos ab illo eſſe politicos libros, vel ex his liceat Tullii verbis colligere. *Poſt* (Platonem,) inquit III. de legib. *Ariſtoteles illuſtravit omnem hunc civilem in diſputando locum.* Idem vero l. IV. de Finib. ſcribit, Ariſtotelem non minus ac Theophraſtum docuiſſe, *qualem in republ. principem eſſe conveniret, quique eſſet optimus reipubl. ſtatus.* Quorum primum forte libro de regno traditum eſt; poſterius eſt inter alia argumentum noſtri operis.

§. 12. Quæ ſi ille ab Andronico Rhodio, per Tyrannionem Grammaticum accepit, (quod non ſine cauſſa ſuſpicatur doctiſſimus Ferrarius,) jam haberemus & Andronici teſtimonium. Eſt autem illud noſtro in negotio longe maximum. Hic enim eſt ille Andronicus, in cujus manus quum per ducentos fere annos ſepultorum Ariſtotelicorum librorum αὐτόγραφα perveniſſent, curata ab illo eſt nova eorum editio, iſthoc judicio ut, Severino Boëtio teſte, *acutus diligensque Ariſtotelis librorum & judex & repertor* ſit ab antiquitate judicatus. Ex Ammonio item diſcimus, eumdem ab Ariſtotele undecimum ſcholæ peripateticæ Athenis præfuiſſe.

§. 13. Cæterum longe clarius ſententiam hujus viri noſſemus, ſi certo illius eſſet paraphraſis Nicomachiorum longe quidem elegantiſſima, quam hujus nomine primus & edidit & vertit Daniel Heinſius. Nam qui Nicomachia pro ariſtotelico agnoſcit opere, eumdem & Politica agnoſcere par eſt. Sed etſi ex Simplicio ſciamus, paraphraſi Andronicum categorias & alia nonnulla Ariſtotelis illuſtraſſe, hæc vero digniſſima etiam ſit tanto auctore: quoniam tamen neque veterum quiſquam, neque recentiorum hanc in Andronicum retulit, ante illum imperitum librarium qui Andronici nomen Lugdunenſi Batavorum codici mſ. præfixit; non poſſumus non ἐπέχειν potius, quam uſque adeo temerario judicio accedere. Habuit ſane prorſus eandem μετάφρασιν Octavianus Ferrarius: ut ex opere ejus exoterico conferentibus apparet; ſed plane ἀνωνύμως. Habuit olim & Dieghus Hurtadus de Mendoza ſcriptoris nomine deſtitutam Nicomachiorum paraphraſin, quod ſcribit Conradus Geſnerus XVI. Pandectar. volumine. In inſtructiſſimæ Bibliothecæ Florentinæ Mediceæorum, & Bavaricæ mss. Græcis invenire itidem eſt, ibi quidem pluteo LXXX. hic autem codice 145. eorumdem Nicomachiorum incerto auctore paraphraſin; ut habent indices bibliothecæ utriusque dudum editi. Conjicere autem fortaſſis non ſine cauſſa licet, cum illam Mendozæ, tum quæ & Florentiæ & Monachii reperitur, eſſe prorſus illam, quam debemus Heinſio. Mirum autem ſit, tot in exemplaribus Andronici nomen diſſimulari, ſi certo ſit illius. Imo ab Andronico non eſſe illud opus, argumento eſt, quod in paraphraſi *l.* I. *c.* 20. alia inveniatur ſententia de libris exotericis, ab illa, quam ex Andronico adfert Gellius *l.* 20 *cap.* 4. Et vero Andronici nomen falſo etiam referre videtur libellus περὶ παθῶν, cura Davidis Hœſchelii Græce editus: etſi & Latine jam dudum illum verſum Andronicoque adſcriptum eſſe, liqueat ex Thomæ Aquinatis Summæ Theologicæ 2. 2. q. 80. a. I. obj. quarta: quippe qui Stoica de affectibus animi placita referat, non ariſtotelica. Niſi forte & Andronicus interdum ad Stoicos deflexerit: perinde ab ariſtotelico abiit dogmate, docens, animam aut temperamentum eſſe, aut facultatem aliquam temperamenti comitem: quod ipſi tribuit Galenus libro *quod animi mores ſequantur temperamentum corporis.* Itaque Andronici conſenſum neque hinc eſt nobis accipere.

§. 14. Nil tamen dubitamus, ad teſtimonium & illius & omnium ejus tempeſtatis doctiorum hominum appellare: quum neminem veterum liceat reperire, qui aut ipſe dubitaverit, aut alios dubitaſſe ſcripſerit de Politicorum noſtrorum natalibus.

§. 15. Ne quidem temere aliquis recentiorum potuit Politicum hoc opus veriſimilibus argumentis dubium reddere. Et vero Antonius quidem Montecatinus, vir longe doctiſſimus, præfatione in politicos hoſce libros adfert quidem haud pauca, quæ, ut ipſe loquitur, *ſibi ſcrupulos aliquando injecerunt*; diſerte tamen profitetur, *ſe non diſſentire* ab iis, qui Ariſtotelem auctorem agnoſcunt. Idem poſt allatos ſcrupulos ſubjungit: *Sed hæc porro omnia, quæ hactenus tacta ſunt, dubitationem tantummodo aliquam afferunt: Doctrinæ autem ſubtilitate, multitudine quæſtionum, rerum pulcherrimarum copia, ſententiarum frequentia, decretorumque firmitate, & conſenſu, ita univerſum hoc opus refert Ariſtotelici ingenii fæcunditatem & acumen, ut alium non potuerit, præterquam Ariſtotelem, auctorem habuiſſe. Quibus omnibus accedit: proponi manifeſte in poſtrema parte decimi ad Nicomachum quæ in his libris traduntur. Quod ſi omnino alium eos habuiſſe auctorem mordicus tenere quis velit, age habuerint, non minorem tamen Ariſtotele, & de ejus ſchola ſapientismſium aliquem ſubtilisſimumque philoſophum.*

§. 16. Hæc omnia ipſemet Montecatinus & ingenue quidem. Nec vero ab illi moti ſcrupuli ſunt tanti, ut jure turbent communem de operis auctore conſenſionem. *Primus*, eſt quod apud veterem nullum ſcriptorem mentio ulla fiat Politici hujus operis. Probabimus vero ſequente capite,

Digitized by Google

pite, in Laërtiano Ariſtotelis librorum indiculo opus hoc comparere. Certum quoque eſt, antiquiſſimos codices, Ariſtotelis nomen referre: & mentionem factam ab antiquis ſaltim ariſtotelici alicujus operis politici. Ac proinde ſi nihil aliud ſit, quod certo indicet, ab Ariſtotele hoc opus profectum non eſſe: ille quidem primus ſcrupulus, nullius eſt momenti. *Alter* eſt, quod in hiſce libris non videatur obſervari ille Ariſtoteli ſuetus tractandi ordo. At vero optimo ordine omnia tradita eſſe, & culpam omnem turbati ordinis, eſſe a vitio aevi longi, quo factum ſit, ut multa ſint loco mota, infra a nobis demonſtrabitur. Sed & ipſemet Montecatinus tum alibi, tum in ſcholio ad text. CXI. libri primi fatetur, *multa diſcerpta eſſe & diſtracta, quae conjungi debebant. Tertius* eſt, quod praeter morem Ariſtotelis, libri poſteriores hiſtoriarum exemplis abundent. At hiſtoriarum exemplis in aliis libris ariſtotelicis non fuit opus: ſola politica doctrina quam maxime iis indiget: non mirum igitur hic factum eſſe aliquid alibi inſolitum. *Quartum* ſcrupulum Montecatino fecit, *ſtilus contortus, non directus, & conciſus mancusque potius, quam brevis*, alienus nimirum ab aureo orationis ariſtotelicae flumine Ciceroni ipſi laudato. Attamed plaerumque oratio hoc quoque in opere fluit quam ſuaviſſime; quod autem paſſim hiet & manca ſit, culpa eſt depravatorum codicum: ceu infra docebimus. *Quintus* ſcrupulus videtur is eſſe, quod in hoc opere alii ariſtotelici libri ſuperſtites non memorentur. Ethicos enim quidem & Poëticos laudari, incertum vero eſſe, utrum illi, qui hodie ſuperant, ſignificentur. Caeterum jam probatum dedimus, ſaltim in hoc opere non memorari libros niſi quales ab Ariſtotele eſſe conſcriptos conſtet, omnia item, quae ex Ethicis peti heic jubentur, reperiri in noſtris Nicomachiis. Ac proinde & hic ſcrupulus levis eſt: nec quidquam eſt cauſſae, quare omni huic negocio amplius immoremur.

## CAPVT II.

### *Oſtenditur idem ex Laërtio: ſimulque de omnibus aliis politici argumenti Ariſtotelicis libris dudum perditis diſſeritur.*

§. I.

Itaque, niſi fallor, primum quidem ſatis clare ac firmiter probavimus; ut liceat pergere ad ſecundum. Majoris tamen certitudinis ergo forte Diogenis Laërtii inſuper ſententia audienda eſt. Namque illi quantum debeamus, alibi explicatius oſtenſum eſt, a nonnullis vero, quorum princeps quaſi eſt Franciſcus Patritius, hodie tanti ejus aeſtimatur auctoritas, ut ad indicem librorum ariſtotelicorum, qui apud illum eſt, ceu ad Lydium lapidem exigatur omnium noſtri Stagiritae ſcriptorum fides & auctoritas. Caeterum hoc quidem indignum facinus eſt: quum ille index ex incertis ſit monumentis deſumptus: acceptus fortaſſis ab Hermippo ex Alexandrina bibliotheca, quae pleriſque ac melioribus libris Ariſtotelicis olim caruit. Tres ſcilicet vetuſtas commendat ariſtotelicorum librorum collectores, omnes Peripateticos, Hermippum Smyrnaeum, Andronicum Rhodium, & Adraſtum Aphrodiſienſem: unius vero tantum Hermippi meminit Laërtius in Ariſtotelis vita: quem conſtat aetate Ptolomaei Philadelphi circiter floruiſſe. Latuit certe Laërtium fortuna illa librorum Ariſtotelis, quam Strabo & Plutarchus memoraverunt; perinde atque indubie illa & Hermippum latuit.

§.2. Quid, quod ipſe ille Laërtianus catalogus haud paucis forte mendis laboret? Certe ipſemet Laërtius in procemio operis Ariſtotelis Μαγικὸν, & in Pythagora ejusdem περὶ τῶν κυάμων, & in Ariſtippo ἐπιτομὴν τῶν ῥητόρων laudat; qui libri in catalogo non recenſentur, niſi forte epitome illa fuerit eadem cum τεχνῶν συναγωγῇ. Non tuto ſane credi omnibus laërtianis catalogis, luculente patet ex recenſione librorum Chryſippi. Cum enim Diogenes ſecundum tres partes philoſophiae Stoicae enumerare illos inſtituiſſet, addito quarto ordine librorum τῶν ἀφιλοσόφων deficiunt integri duo ordines librorum, videlicet Phyſicorum & ἀφιλοσόφων, ordo librorum Ethicorum mutilus eſt, deſinens in tertii ἠθικοῦ τόπου περὶ ἀγαθοῦ καὶ κακοῦ prima συντάξει. Alia nunc tangere non patitur inſtitutum.

§. 3. Operae tamen pretium fuerit, hoc loco nomenclatorem illum laërtianum conſulere; eaque occaſione nonnihil de omnibus civilis argumenti ariſtotelicis ſcriptis, quorum ibi ſit mentio, diſſerere. Licet autem ex confuſo iſthoc indice librorum Ariſtotelis, quem ille libro quinto habet, hos fere colligere.

Ἀλέξανδρος ἢ ὑπὲρ ἀποίκων α'.

Περὶ βασιλείας α'.

Τὰ ἐκ τῶν Νόμων Πλάτωνος α'. ϛ'. γ'.

Τὰ ἐκ τῆς Πολιτείας α'. β'.

Πολιτικὰ β'.

Πολιτικῆς ἀκροάσεως ὡς ὁ Θεοφράστου α'. ϛ'. γ'. δ'. ε'. ϛ'. ζ'. η'.

Νόμων συστατικὸς α'.

Νόμων α'. β'. γ'. δ'.

Πολιτεῖαι πόλεων δυοῖν δεούσαιν ἑξήκοντα καὶ ἑκατὸν, καὶ ἰδίᾳ δημοκρατικαὶ, ὀλιγαρχικαὶ, ἀριστοκρατικαὶ, καὶ τυραννικαί.

Πολιτικοῦ α'. β'.

Περὶ συμβουλείας α'.

§.4. Refero eodem & Δικαιώματα α'. β'. nam hoc titulo, Iſaaco etiam Caſaubono judice, intelliguntur illi libri, quos ad Iliadem Euſtathius δικαιώματα πόλεων, & ἀνώνυμος ariſtotelicæ vitæ ſcriptor ille, quem Petrus Joannes Nunneſius primus edidit & luculento ſimul commentario

rio illuſtravit, appellat: *Juſtificationes græcarum civitatum, quibus lites Græcorum determinabat.* Quo pariter & hoc diſcere eſt, perperam apud Ammonium grammaticum legi voce νῆες: Ἀριςοτέλης δ' ἱςορεῖ ἐν Δικαιώμασι τῶν πολέμων ὅτως Ἀλέξανδρος ὁ Μολυττὸς ὑπὸ ταυτὸν χρόνον, Ταραντίνων αὐτὸν μεταπεμψαμένων ἐπὶ τὸν, πρὸς τὺς βαρβάρυς πόλεμον, ἐξέπλευσε ναυσὶ μὲν πέντε καὶ δέκα, πλοίοις δὲ συχνοῖς ἱππαγωγοῖς καὶ ςρατηγικοῖς. Legendum ſcilicet erat: ἐν δικαιώμασι τῶν πόλεων: etſi etiam Hugo Grotius lectionem popularem ſic ſecutus in prolegomenis aurei operis *de jure pacis & belli.*

§. 5. Cæterum, reliquos libros extra dubium eſt politici eſſe argumenti: ſuntque præterea plærique illorum ex veterum commendatione ſatis noti ac celebres. Nam & Ammonius Hermiæ filius ſive, quod verius, Joannes Philoponus Ammonii auditor, in præloquio ſuorum commentariorum, quos in Ariſtotelis ſcripſit κατηγορίας, ubi perſequitur ariſtotelicorum operum diviſionem, inter τὰ μερικὰ refert epiſtolas, quæve Alexandro Magno rogante de *regno* deque *ducendis coloniis* ſcripſerit, quibus intelligit indubie duos iſtos libros, quos ex Laërtio primo loco collocavimus. Eſt autem utrumque argumentum dignum ſane Alexandro, tot gentium feliciſſimo victore. Namque altero quidem docuit, quomodo erga Græcos & Barbaros gerere ſeſe rex deberet; illos nempe ἡγεμονικῶς hos δεσποτικῶς habendos eſſe; quam ſententiam ab Ariſtotele ſuaſam Alexandro auctor eſt Plutarchus *l. de fort. Alexandri.* Altero, quemadmodum illi late diſſiti populi per colonias græcas contineri in officio poſſent, tradidit.

§. 6. Fuit autem cumprimis clarum olim iſtud περὶ βασιλείας opuſculum. Nam & Philoponus (hic enim non Ammonius vitam iſtam Ariſtotelis conſcripſit, ex Ammonii tamen diſſertationibus) ejus his verbis meminit: τῷ δὲ Ἀλεξάνδρῳ καὶ περὶ βασιλείας ἔγραψε ἐν ἑνὶ μονοβίβλῳ, παιδεύων αὐτὸν, ὅπως δεῖ βασιλεύειν. Alter ἀνώνυμος vitæ ſcriptor ita loquitur: *Ut autem & omnibus hominibus univerſaliter benefaceret, ſcripſit Alexandro librum unum de regno, docens ipſum qualiter oportet regnare: & in tantum movit animum Alexandri ad benefaciendum, quod dicebat: quod non benefeci aliquibus hodie, non regnavi: quod æquale, ægrotans modice morbo ephemero illa die operationes ſanorum non facit.* Neque aliud ſignavit ſcriptum arbitror Cicero, quum verba hæc ad Atticum exararet l. 12. epiſt. 39. συμβουλευτικὸν *ſæpe conor: nihil reperio. Et quidem mecum habeo &* Ἀριςοτέλους & Θεοπόμπου πρὸς Ἀλέξανδρον. *Sed quid ſimile? Illi, quæ & ipſis honeſta eſſent, ſcribebant, & grata Alexandro, ecquid tu hujusmodi repereris? mihi quidem nihil in mentem venit:* Meditabatur nimirum ad Cæſarem aliquid de republica ordinanda: at efficere non poterat Cæſaris actibus impeditus.

§. 7. Porro & Πολιτεῖαι memoratum admodum vetuſtati opus eſt. Etſi vero Diogenes illarum numerum contrahat ad centum quinquaginta octo: Anonymus tamen, quem laudavimus, ad ducentas quinquaginta extendit, quibus quinque inſuper addit Philoponus. Sed fortaſſis in eam ſummam excreſcunt, ſi computentur & ἰδίαι illæ, quas vocat Diogenes, δημοκρατικαὶ, ὀλιγαρχικαὶ, ἀριςοκρατικαὶ καὶ τυραννικαί. Fortaſſis & νόθαι quædam paulatim in eum numerum tranſierunt; quum Simplicius *præfat. in categor.* memoret Ariſtotelis γνησίας πολιτείας, non ita loquuturus, ſi nullas judicaſſet adulterinas. Hæ illæ ſunt, quas ipſemet Ariſtoteles *fine Nicomachiorum* appellat συνηγμένας πολιτείας: nec aliunde forte ſunt deprompta, quæ in opere politico de variis rebuspublicis diſſeruntur. Erant porro omnino in animo reſpublicæ illæ M. Tullio, quando *quinto de finib. libro* in hæc verba loquentem Piſonem faceret: *omnium fere civitatum, non Græciæ ſolum, ſed etiam Barbariæ, ab Ariſtotele mores, inſtituta, diſciplinas, a Theophraſto leges etiam cognovimus.* Et ſane ſcriptos a Theophraſto legum libros quatuor & viginti, epitomes legum libros decem, teſtis eſt Laërtius. Harpocration de Phreattio agens judicio librum octavum decimum legum laudat teſtem, & Joannes Stobæus præclara nonnulla de legibus commerciorum paſſim gentium obſervatis, ex Theophraſti iſthoc opere commemorat. Sed ut ad Ariſtotelis reſpublicas revertamur; varias ex illis ſeorſim Strabo, Athenæus, Plutarchus, Pollux, Clemens Alexandrinus, Stephanus Byzantius, Harpocration, Ariſtophanis, Sophoclis, Pindari & Apollonii Scholiaſtæ, Suidas, Iſacius Tzetzes, alii, paſſim laudaverunt. Collegit illa ruta (ut ſic loquar) cæſaque magnam partem in unum, poſt Franciſci Patricii operam, Vir clariſſimus Iſaacus Caſaubonus (quod ipſe teſtatur ad Diogenem) & Læmarianæ ariſtotelicorum operum editioni primus (niſi fallor admodum) ſubjunxit. Præter autem ab illo adducta teſtimonia, legere eſt memoratam *Athenienſium rempublicam* Harpocrationi in ἀποδέκται, ἀποςασίυ, ἀσύνεμον, διαιτηταὶ, δωροξενίαι, ἱππεῖς & multis aliis locis, Suidæ item non ſemel, & Ariſtophanis Scholiaſtæ in Plutum: *Cypriorum* iterum Suidæ: *Deliorum* & *Locrorum* Athenæo non ſemel: *Ithacenſium* Suidæ in σκυταλή: *Lacedæmoniorum* Scholiaſtæ Pindari ad Iſthm. od. VII. *Opuntiorum* Harpocrationi in Ἄμφισσα: *Samiorum* Suidæ aliquoties. Plane omiſit vero Caſaubonus Elienſium & Crotoniatarum reſpublicas: quarum illam Harpocration in Ἑλλανοδίκαι, hanc Athenæus *l.* XII. commemorant. Sed & Photius in bibliotheca ρξα de Sopatri Sophiſtæ eclogarum libris duodecim agens, monet duodecimum librum cum ex aliis, tum ex Ariſtotelis Politiis fuiſſe excerptum. Verba ejus ſunt: καὶ ἐκ τῶν Ἀριςοτέλους Πολιτειῶν, Θετταλῶν τέ φημι καὶ Ἀχαιῶν, καὶ Παριῶν, Λυκίων τε καὶ Κιῶν, καὶ ὧν ἐκεῖνος ἁπλῶς ἐν τοῖς Πολιτικοῖς αὐτοῦ διαλαμβάνει, ὧν τὸ χρήσιμον οὐκ ἄδηλον. Ubi videmus memorari Achæorum, Lyciorum, Pariorum reſpublicas, quarum in collectis fragmentis nulla fit mentio. Ciorum enim exiſtimo eandem eſſe cum Κιαιῶν republica Scholiaſtæ Apollonii memorata, dicta a Cio Myſiæ urbe. Quod ſi porro id voluit Photius: illarum rerumpublicarum duntaxat a Sopatro quædam monumenta collecta, quarum in politicis h. e. opere politico fit mentio: obſervare itidem hic liceret ſatis antiquam memoriam noſtri operis; Sopater enim vixit ætate Conſtantini Magni, hujus juſſu interfectus: quod nos docet Eunapius *in vita Ædeſii*

Digitized by Google

ſti & Suidas & Sozomenus *l.* 1. *c.* 5. Sed fortaſſis alia mens eſt Photii: de quo cum nemine temere contenderim. In opere autem hoc politiarum omnino eſt veroſimile, tradita illa fuiſſe de Locris Epizephyriis ab Ariſtotele, quæ adverſus Timæi Tauromenitæ criminationes defendit Polybius libro duodecimo. Cujus diſputationis partem jam pridem fuit legere in excerptis a Caſaubono editis: at uberius omnia & plenius nobis poſtea exhibuit Henricus Valeſius in excerptis ex collectaneis Conſtantini Porphyrogenetæ Caeſaris, Nicolai Fabricii Peireſcii cura ex Cypro in Galliam traductis. Caeterum opus illud omne ariſtotelicum videtur pari cum multis aliis fato intercidiſſe. Niſi forte ſpem liceat concipere melioris fortunae, quod nimirum alicubi etiamnum in Graecia lateat, ex eo, quod Scholiaſtae Pindari & Ariſtophanis, imo ipſemet Iſacius Tzetzes illis politiis videantur adhuc uſi, cum ſint ſcriptores recentioribus annumerandi. Fortaſſis vero & illi aliena fide nonnulla ex opere iſthoc attulerunt; ex antiquioribus videlicet mutuati, ut fieri ſolet.

§. 8. Sed ut nihil illa rerumpublicarum hiſtoria olim celebrius fuit, ita neſcio, an quis veterum temere opus aliquod Νόμων ſive *Legum* Ariſtoteli adſcripſerit; cujus tituli quatuor libros a Diogene vidimus recenſitos. Apollonius tamen ἐν θαυμασίαις ἱστορίαις ita ſcribit: Ἀριστοτέλης ἐν Νομίμοις βαρβαρικοῖς * τῆς Καρίας σκόρπιοι γίνονται, οἱ τοὺς μὲν ξένους πατάξαντας οὐ λίαν ἀδικοῦσι τοὺς δ' ἐπιχωρίους παρ' αὐτὰ ἀποκτείνουσι. Varro item l. 6. de lat. lingua: *Hoc factitatum Ariſtoteles ſcribit in libro, qui inſcribitur:* Νόμιμα βαρβαρικά. Ita enim hunc locum, quum ante *nomina barbarica* legeretur, primus emendavit Antonius Auguſtinus, monitus tamen a Nunneſio, uti quidem hic refert §. 44. *ad Ariſtotelis vitam.* Operis ejuſdem meminiſſe & Athenaeum *l.* 12. ubi de mirabili Alciſthenis panno agit, & Stephanum in ethnicis non uno loco, & Stobaeum ſermone *de morbis & moleſtiarum in eis ſolutione*, refert Voſſius *l.* 4. *de Hiſtor. Græcis cap.* 9. Sed incomparabilem virum fefellit memoria circa librum περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων, cujus ibidem paulo ante meminerat. Veriſimile autem eſt, inde promptum illud, quod Plinius habet l. 7. c. 2. inquiens: *Supra Naſamones confineſque illis Madias, androgynos eſſe utriuſque naturæ, inter ſe vicibus coëuntes: Ariſtoteles adjicit, dextram mammam iis virilem, lævam muliebrem eſſe.* Eſt enim hoc nonnil ſimile illi, quod Apollonius ex opere iſthoc adduxit. Porro & Athenaeus primo Δειπνοσοφιστῶν Ariſtotelem adducit ἐν Τυῤῥηνῶν Νομίμοις. Quae diſtincta omnino fuerunt a tractatione νομίμων βαρβαρικῶν, etſi aliter cenſeat Voſſius: nec enim Tyrrhenos Barbaris annumeravit Ariſtoteles. Potuerunt autem νόμιμα & illa & haec in eodem communi opere explicari. Aſt haec Νόμιμα fuerintne idem opus cum iſtis quatuor legum libris, neque affirmare audeo, neque refellere.

§. 9. Caeterum neque Νόμου συστατικοῦ quiſquam forte antiquorum ſcriptorum meminit. Sed nec quis facile dixerit, quid ſit illud: συστατικὸς νόμος, quidve ſignificet. Quare propemodum inducor, ut legendum cenſeam νόμος συσσιτικός. Et ſane συσσιτικὸν Ariſtotelis commemorat Proclus Lycius, is quem Διάδοχον cognominant Platonis, procemio commentariorum in Platonis rempublicam. Quo forte libro leges, quas in ſuis συσσιτίοις vetuſtiſſimi Itali ac Cretenſes obſervaverunt, expoſuit: aut vero quidnam ipſe judicaverit in iis eſſe obſervandum, edocuit. Admodum enim commendatus ab illo eſt συσσιτίων mos in noſtro quoque ſeptimo libro, ideoque inter optimae reipublicae ſtatuta relatus.

§. 10. Contra vero *excerpta illa de Platonis legibus & republica* politici quidem ſunt argumenti: in omni tamen antiquitate vix levis eorum memoria ſuperat. Tantum enim Proclus, illo, quem modo adducebamus, loco, epitomen aliquam laudat reipublicæ Platonis ab Ariſtotele ſcriptam: quæ indubie alterum eſt opus illorum excerptorum. Non tamen temere Ariſtoteli iſthæc quis abjudicaverit, quum notum ſit vel ex Laërtio, illum eundem & Timæi & Architæ Pythagoricorum ſcripta in compendium redegiſſe. Ut taceam, illum morem & ab Ariſtotelis diſcipulis diligenter olim fuiſſe obſervatum. Quin dixeris, ſimiles libros politicos etiam alios ab Ariſtotele eſſe conſcriptos, atque huc pertinere illa verba, quæ ſub finem operis Nicomachii leguntur: πρῶτον μὲν εἴ τι κατὰ μέρος εἴρηται καλῶς ὑπὸ τῶν προγενεστέρων πειραθῶμεν ἐπελθεῖν. Rectius ſane hæc referas ad hujus argumenti libros quam ad illa, quæ operis politici libro ſecundo habentur. Sed & Plutarchus contra Coloten laudat teſtem Ariſtotelem ἐν τοῖς Πλατωνικοῖς: quæ non videntur fuiſſe alia ab hiſce compendiis platonicæ doctrinæ.

§. 11. Πολιτικοῦ alibi plane nulla fit mentio: itaque nec de illo quid ullam licet in partem affirmare. Tantum veroſimile fit, ejuſdem cum Platonis politico argumenti, imo & Διαλογικὸν fuiſſe. An Tullius forte hoc ſcriptum innuit? quando ad Quintum fratrem ait; *Ariſtotelem in iis, quæ de republica & præſtante viro ſcribit, ipſum loqui.* Sane etſi videri poſſit de opere αὐτοπροσώπῳ loqui: de dialogo tamen quodam potius ſermonem illi eſſe, argumento eſt, quod (ut recte obſervatum Octaviano Ferrario longe doctiſſimo viro l. de ſermon. exoteric.) *per literas de libris agat cum Q. fratre, quos ad Ariſtotelis imitationem in dialogo de republica tum ſcribebat.* Nimirum is erat in dialogis mos Ariſtotelis, ut præcipuæ dicendi partes ipſius ſemper eſſent, contra quam fit in Platonicis. Teſtatur vero & hoc ipſum Tullius: *Quæ autem*, inquiens, *his temporibus ſcripſi* Ἀριστοτέλειον *morem habent: in quo ſermo ita inducitur, ut penes ipſum ſit principatus.* Potuit vero quam commodiſſime de præſtante pariter viro & de republica in Politico agi Certe non eſt hoc argumentum noſtrorum de republica librorum. Verum eam conjecturam noſtram ſive quis probarit, ſive rejecerit, non equidem in magno ponam diſcrimine. Libri item περὶ συμβουλείας hactenus alibi nullam memoriam reperi. Meminiſſe enim quidem Cicero videtur cujuſdam συμβουλευτικοῦ ariſtotelici: at longe aliud eſt συμβουλευτικὸν & liber περὶ συμβουλείας. Et vero illud, quod ſignificat

Cicero Ariſtotelis συμβουλευτικὸν, videtur fuiſſe liber de regno ad Alexandrum; ceu jam tum ante monuimus.

§. 12. Reliqua ergo ſunt Laërtio quidem commemorata duo tantum volumina: quorum alterutrum neceſſe eſt, ut noſtrum hoc opus ſignificet, ſi non illud Laërtio eſt indictum. Cæterum viſum hactenus fuit pleriſque probabile, noſtros libros eſſe illos octo, qui a Diogene πολιτικῆς ἀκροάσεως inſcribuntur: quoniam & numerus convenit, & inter ἀκροαματικὰ noſtri illi ſunt recenſendi, quod poſt demonſtrabitur. Non deſunt tamen & qui mendoſam hanc eſſe inſcriptionem velint: legendum nimirum eſſe φυσικῆς ἀκροάσεως non πολιτικῆς. Quorum ſententiæ ſine dubitatione omni accederem ipſe etiam, niſi illa verba: ὡς ὁ Θεόφραστος, nonnihil me ſufflaminarent. Neque enim ille octo Phyſicorum libros ad Ariſtotelis exemplum conſcripſit, ſed totos octodecim περὶ φυσικῶν exaravit: quod & Laërtius ipſe teſtatur, & ex Græcis Ariſtotelis interpretibus Simplicio cumprimis, cui omnia fere priſci illius ævi & viſa & lecta ſunt, liquido manifeſtum eſt. Taceo neque ordinem, quo magiſter præiverat, a diſcipulo obſervatum, neque in eadem ſemper dogmata ab utroque conſenſum eſſe. Certe unus ex diſcipulis Eudemus Rhodius magiſtri Ariſtotelis veſtigia fere, ut interpres, fuit ſequutus; & tamen etiam ille ea, quæ ſeptimo habentur libro, præteriit: quemadmodum hæc omnia in longe uberrimis ac doctiſſimis ſuis ad iſthoc opus commentariis Simplicius nos docuit. His igitur perpenſis, haud facile profecto aſſertu videtur, abeundum eſſe a lectione recepta, & ἀντὶ τῆς πολιτικῆς ſcribendum eſſe φυσικῆς. Cæterum manet nihilominus etiam incerta vulgata iſthæc lectio. Namque nec in ipſius Laërtii indice, quo Theophraſti ſcripta recenſet, nec apud veterum alium quenquam πολιτικῆς ἀκροάσεως Theophraſti volumina temere quis inveniet memorata. Diogenes videlicet numerat quidem: πολιτικῶν l. ſex ejuſdem tituli alios duos: πολιτικῶν πρὸς τοὺς καιροὺς quatuor; totidem πολιτικῶν ἐθῶν: ἀκροάσεως vocem nuſquam addit; ſicut nec ab alio factum eſt quoquam. Semel in illo indice reperio ἀκροάσεως α΄. β΄. ſed nihil præterea. An ergo fortaſſis irrepſerunt illa: ὡς οἱ Θεοφράστου: ab imperita quadam manu in margine libri notata? Id ſane vero non abſimile eſt, quum propter eas, quas adduxi, cauſſas, tum quoniam alibi non ſemel bonus ille Diogenes eſt malam manum paſſus; quemadmodum multis nunc demonſtrari a me poſſet, ſi & res & tempus pateretur. Quod ſi vero iſthæc verba fuerint inducenda, haud improbabile etiam forte fuerit, legendum eſſe non πολιτικῆς, ſed φυσικῆς ἀκροάσεως: quoniam ſcilicet nemo veterum Ariſtotelis interpretum, aut aliorum etiam, πολιτικῆς ἀκροάσεως uſquam meminit. φυσικῆς vero ἀκροάσεως notiſſimum omnibus & in vulgus cognitiſſimum volumen eſt, adeoque nec Diogeni forte penitus ignoratum. Etſi enim nec ille titulus ab ipſo ſit Ariſtotele: ut qui alios ex illis octo libris περὶ φύσεως, alios περὶ κινήσεως inſcripſerit, quod ex Aſpaſio aliiſque priſcis Peripateticis nos docet Simplicius: per tamen eſt antiquus, & jam ante Andronicum Rhodium natus. Accedit, librorum numerum a Laërtio indicatum phyſico noſtro operi convenire, politico nequaquam; utpote quod aliquot ſit libris nunc μείζον, uti infra patebit. Quicquid enim ſit, certe aut plures libri πολιτικῆς ἀκροάσεως numerandi fuerint, quam octo, ſi noſtrum volumen eo titulo ſignatur: aut ſi numerus ille recte ſeſe habet, indubie contextus eſt mendoſus. Neq; vero credendum temere eſt Danieli Heinſio clariſſimo viro, noſtros libros politicos eſſe ἐξωτερικὰς: aliud vero ἀκροαματικὸν de civili prudentia opus ab Ariſtotele conſcriptum, quo ille imperandi arcana in Philippi gratiam potiſſimum & Alexandri ſit complexus. Iſtos enim noſtros ἀκροαματικωτάτους eſſe, infra (niſi fallor) longe clariſſimum reddemus. Atqui duo opera ἀκροαματικὰ ejuſdem plane argumenti Ariſtotelem ſcripſiſſe, neque veroſimile eſt, neque a quoquam traditum. Quocirca patet, omnino titulum aliter legendum apud Diogenem, ſi numerus ſeſe habet recte,

§. 13. Quod ſi vero ἀντὶ τῆς πολιτικῆς ἀκροάσεως ſit legendum φυσικῆς, ſupereſt, ut dicamus, a Laërtio noſtrum hoc opus politicum aut fuiſſe prætervifum, aut vero intelligi tum, quando ſcribit πολιτικῶν β΄. Verum ita numerus non convenit. An cum doctiſſimo Heinſio ſcribendum ιϛ΄; Ut duodecim libri ſint apud Laërtium, qui jam ſunt duo. Certe in mendis & illum numerum laertianum cubare, vel hinc fiat veroſimile, quod duos libros ariſtotelico in indice ſignificaturus Diogenes non unum β΄ ſoleat adſcribere, ſed α΄ β΄. Duodecim autem totis libris opus politicum noſtrum conſtitiſſe olim, non vero iis octo, qui nunc ſuperant, nemini improbabitur, qui noverit ab Ariſtotele de optima republica, qualem ſcilicet optaveris, accuratiſſime copioſiſſimeque actum: cujus tractationis hodie vix primordia continentur duobus illis libris, qui hodie ſeptimo atque octavo loco leguntur. Quin imo ipſis his in libris de virtute mulierum, deque ſervis ſe acturum, optimæque reipublicæ inſtitutionem omnes per ætates ſe deducturum, pollicetur Ariſtoteles: quorum tamen nihil eſt præſtitum. Taceo quam multa præter hæc de judiciis, de magiſtratibus, de conſultationibus, de ærario, de rerum exportatione atque importatione, ſimilibuſque plurimis deſiderentur, quæ ſine dubio expoſuit, ubi optimam rempublicam inſtituit. Neque enim illa tantum nobis deſunt, quæ Cyriacus Strozza duobus libris græce latineque ſcriptis defectum ſuppleturus eſt perſequutus, ſed multa porro alia: qualia vel ex Platonis de republica opere licet petere. Quæ conſideranti, mihi ſane, non poteſt diſplicere viri clariſſimi conjectura, qua ille pro duobus libris in laertiano catalogo duodecim ſubſtituit. Haud parum vero confirmat hanc ſententiam etiam illud, quod integri libri duo voluminis ariſtotelici ſint fere nonniſi præambula ejus doctrinæ, cui volumen illud præcipue eſt conſecratum. Decori ſane ratio poſtulat, ut tantum apparatum ſequantur non ſex libri, ſed plures. Certe ut nunc ſeſe habet ariſtotelici voluminis conditio, fere partem tertiam præambuli illi duo occupant: quod valde indecens eſt. Tum vero poterit decori ratio ſibi conſtare, ſi duos præambulones iſtos decem juſtæ magnitudinis libri alii excipiant.



Digitized by Google

# CAP. III.

## *Politica noſtra ἀκροαματικὸν opus, non vero ἐξωτερικὸν eſſe probatur: ſimulque indicatur, quis demum ſolido cum fructu uti illorum lectione poſſit.*

§. I.

Laërtiano ergo conſenſu impetrato, nunc certe licet progredi ad ſecundum. Ubi ex occaſione in memoriam revocandum, id quod Aulus Gellius l. xx. c. iv. commemorat, bis quotidie Ariſtotelem docere in Lyceo ſolitum: atque veſpertinis quidem horis omnes promiſcue ad erudiendum admiſiſſe, mane vero non niſi *quorum ante ingenium & eruditionis elementa atque in diſcendo ſtudium laboremque exploraſſet.* Itaque veſpere quidem propoſitam ἐξωτερικὴν diſciplinam, matutino vero tempore τὰ ἀκροαματικά. (a) Hinc commentationum librorumque ariſtotelicorum duas eſſe ſpecies natas: quarum una τὰ ἐξωτερικὰ altera, τὰ ἀκροαματικὰ comprehenderit. Quæ diſtinctio habet teſtimonia cum in ariſtotelicis libris, qui nobis hodieque ſuperant, tum longe plurima in ſcriptis aliorum: quorum pars ariſtotelicos libros illuſtravit commentario, pars ariſtotelicum philoſophandi morem expoſuit. Meminit quippe ejus inter veteres & M. Tullius, & Strabo, & Plutarchus, & Lucianus, & Claudius Galenus, & Clemens Alexandrinus: ut Ariſtotelis interpretes nunc ſilentio prætereaм. Etſi vero non idem videantur ſentire recentiores nonnulli de ſignificatione illarum πολυθρυλλήτων vocum, cum veteribus, quorum fere una eſt ſententia: non tamen ego nunc cum illis contendam. Partim quoniam breviter a Pererio, Victorio & Carolo Sigonio, abunde ſatis id jam actum ab Octaviano Ferrario, viro in primis memorando: quos probaverunt Philippus Scherbius, Goldaſtus, Piccartus & alii: partim quoniam a propoſito noſtro id alienius fuerit. Neque vero ſine tædio actum poſſum agere, aut præter propter ſuſceptum negotium verſari. Quaſi itaque judicata ſententia damnatis opinionibus Averrois, quem Albertus Magnus: & Thomæ Aquinatis, quem ſequutus eſt inventionis licet laude diſſimulata Joannes Sepulveda; nec non Franciſci Patricii, aliorumque; quaſi item jam rato & conſtituto. Exotericum eſſe, quod ad vulgi captum, Ἀκροαματικὸν vero, quod eruditioribus eſt lectoribus compoſitum; tantum in præſentiarum diſquiremus, quem ad ordinem Politica noſtra pertineant.

§. 2. Atque A. Gellium quidem ſi audimus, omnis moralis ac civilis doctrina exoterica eſt. Ita enim ille loquitur: *Exoterica dicebantur, quæ ad Rhetoricas meditationes, facultatem argutiarum, civiliumque rerum notitiam conducebant: Acroamatica autem vocabantur, in quibus philoſophia remotior ſubtiliorque agitabatur, quæque ad naturæ contemplationes diſceptationeſve dialecticas pertinebant.* Plutarchum quoque idem ſenſiſſe dixeris. Ille enim in Alexandro ſcribit: *Videtur Alexander non ſolum Ethicum & Politicum ſermonem didiciſſe, ſed etiam ſecretiorum ac profundiorum doctrinarum particeps factus, quas ii viri proprie ἀκροαματικὰς aut ἐποπτικὰς vocantes, non efferebant in vulgus.* Quo loco Ethici & Politici ſermones τοῖς ἀκροαματικοῖς opponuntur. Verum enimvero, moralem ſaltim philoſophiam omnem non exotericis tantum, ſed etiam acroamaticis ſcriptis eſſe traditam ab Ariſtotele, vel unum poſſit probare M. Tullii teſtimonium, quod habetur V. de Finibus. *De ſummo bono*, inquit, *quia alia genera librorum ſunt, unum populariter ſcriptum, quod ἐξωτερικὸν appellabant, alterum limatius, quod in commentariis reliquerunt, non ſemper idem dicere videntur.* Hæc enim verba oſtendunt, de ſummo bono, h. e. de argumento ethico, in libris etiam acroamaticis fuiſſe limatius diſputatum. Ad hoc autem probatu facillimum foret, non tantum Nicomachia noſtra, ſed & Eudemia eſſe prorſus ἀκροαματικώτατα ſcripta, ſi & res & tempus idipſum poſtularet. Sed ſuffecerit illorum errori coarguendo, ſi nos multis claris argumentis probaverimus, politica noſtra in acroamaticorum cenſu eſſe collocata.

§. 3. *Primum* eſto, quod diſertis verbis Ariſtoteles exotericos libros ab his politicis ſejungat. Verba ejus l. 3. Politicor. c. 4. ita ſeſe habent: ἀλλὰ μὲν καὶ τῆς ἀρχῆς γε τοὺς λεγομένους τρόπους ῥᾴδιον διελεῖν. καὶ γὰρ ἐν τοῖς ἐξωτερικοῖς λόγοις διωριζόμεθα περὶ αὐτῶν πολλάκις: *Sed enim & principatus modos facilius eſt dividere: etenim in exotericis ſermonibus determinavimus de iis multoties.* Septimo l. c. I. ita ſcribit: νομίσαντες οὖν ἱκανῶς πολλὰ λέγεσθαι καὶ τῶν ἐν τοῖς ἐξωτερικοῖς λόγοις, περὶ τῆς ἀρίστης ζωῆς, καὶ νῦν χρηστέον αὐτοῖς. *Exiſtimantes, ſatis multa etiam in exoterecis ſermonibus de optima eſſe vita dictum: atque iis nunc eſt utendum.*

§. 4. *Alterum* argumentum capimus ex iis locis, ubi hanc ipſam diſciplinam ſuam politicam φιλοσοφίας vocabulo Ariſtoteles nuncupat. Sunt autem illa plura, quam ut huc poſſint aut debeant adduci. Pertinet eodem ille inſignis locus, qui eſt 3. Polit. c. v. Ubi rationem reddens, cur prolixius ſibi agendum ſit de differentiis rerumpublicarum, ſubjungit hæc: τῷ δὲ περὶ ἑκάστην μέθοδον φιλοσοφοῦντι καὶ μὴ μόνον ἀποβλέποντι πρὸς τὸ πράττειν, οἰκεῖόν ἐστι τὸ μὴ παροράν, μηδέ τι καταλείπειν, ἀλλὰ δηλοῦν τὴν περὶ ἕκαστον ἀλήθειαν. Hæc utique verba diſerte indicant, Ariſtotelem in hiſce libris vere philoſophari, atque accurata uti docendi ratione. Jam vero ſermones philoſophici τοῖς ἐξωτερικοῖς λόγοις ſolent opponi: quod & capite primo jam ante notatum eſt. Neque vero philoſophica & accurata doctrina ad vulgi eſt captum: cui tamen exoterici libri conſcripti ſunt.

§. 5. Ter-

(a) Ἀκροαματικά.) De veterum docendi modo acroamatico & exoterico peculiarem tractatum MELCHIOR ZEIDLERUS conſcripſit, & de eo argumento in *prodrom. introd. in lect. Ariſt.* agit. Acroamaticorum numero libr. politicor. eſſe FELDENUS docet in illorum *Analyſi.* Conf. GELLIUS *N. A. lib.* 20. c. 4. PLUT. *in Alexandro* CLEMENS *Alex. lib.* 6. στρωματων. GOEB.



Digitized by Google

§. 5. *Tertio* idem colligimus ex ipſa tractandi ratione. Primum enim apparet, Ariſtotelem ita inſtituiſſe hanc doctrinam, uti ne quid temere prætermittatur, quod ad civilem locum poſſit facere. Reprehendit certe negligentiæ nomine non ſemel Platonem & alios civilis philoſophiæ ſcriptores. At vero quis dixerit populo atque imperito lectori tantam diligentiam convenire? quis non potius in populari ſcripto hoc vertat vitio? Deinde, illa docendi via (ipſe ὑφηγημένην μέθοδον appellat) qua pergit primo ſtatim libro in ſimpliciſſimas partes ſocietatis civilis, profecto quam maxime eſt philoſophica ac ſubtilis. Porro, & ratio diſputandi arguendique ex neceſſariis hypotheſibus ipſaque natura hominum ac ſocietatis civilis, unice eſt philoſophica: quæ tamen integro hoc opere ubivis obſervatur. Procul ſane hoc abeſt a populari adeoque exoterica docendi via. Argumentari enim ex propriis ac domeſticis principiis Philoſophorum tantum eſt; vulgus autem ſolet non niſi topicis & communibus principiis uti. Bene ſcilicet Philoponus ac Simplicius: ἐξωτερικὲς λόγυς φησὶ πρὸς ἀντιδιαςολὴν τῶν ἀκροαματικῶν καὶ ἀποδεικτικῶν, τὲς ἐξ ἐνδόξων καὶ πιθανῶν ὡρμημένυς: *Exotericos ſermones vocat ad diſcrimen acroamaticorum & demonſtrativorum, eos qui ex probabilibus ac perſuaſibilibus procedunt.* Tametſi vero accuratæ adeo demonſtrationes, quales in Mathematicis ſunt, politicis noſtris deſint fere, ſunt tamen ſuæ quædam demonſtrationes etiam in illis, eæque ſic ſatis accuratæ; quod alibi luculente probamus. Certe quales mens humana rationes in civilibus poteſt invenire, tales adhibitas ab Ariſtotele licet hoc in opere obſervare. Ut aut nulli ſint vere philoſophici de civilibus rebus ſermones: aut certe hi ariſtotelici vere ſint philoſophici libri, adeoque non ἐξωτερικοὶ, ſed ἀκροαματικοί.

§. 6. *Accedit* quod πολιτικὰ hæc noſtra ſcriptum ſint αὐτοπρόσωπον, non vero διαλογικόν: quum tamen teſte Joanne Philopono, aut verius Ammonio Hermiæ filio, in Categor. ἐξωτερικὰ συντάγματα fuerint colloquii in modum ſcripta, ἀκροαματικὰ vero αὐτοπροσώπως.

§. 7. *Denique* vel hoc unum forte ſufficiat evincendæ noſtræ ſententiæ; quod opus hoc Politicum junctum omnino ab Ariſtotele ſit Nicomachiis Ethicis: quæ eſſe ἀκροαματικὰ nemo negaverit, niſi qui nihil eorum legit.

§. 8. Neque vero temere ſibi quis perſuadeat id, quod Heinſio placuit: privatim ἀκροαματικῶς alios politicos libros ab Ariſtotele eſſe ſcriptos, quibus imperandi arcanas artes vel χήματα aut σοφίσματα quæ appellantur πολιτικὰ, in Philippi gratiam potiſſimum & Alexandri ſit complexus: quæ nimirum diſſimulata ſint noſtro in volumine, ut quod ab omnibus legi voluerit ac intelligi. Enimvero equidem arbitror nullum temere, non tyrannicum tantum, ſed neque democraticum, neque oligarchicum σόφισμα, poſſe inveniri, quod non quarto quinto aut ſexto libro noſtro contineatur Certe ne cymbalum quidem illud politicarum artium Machiavellus fere ullum dominatus arcanum conſilium Principem ſuum potuit docere, quod non dudum ante ad tyrannidem ac dominatum conſervandum facere Ariſtoteli ſit v. libro obſervatum. Quin ſua omnia vaferrimus hic nequitiæ doctor diſſimulato plagio ex Ariſtot. fortaſſe tranſcripſit: eo tamen diſcrimine, quod hic impie ac impudenter omni principi commendet, quæ nonniſi Dominis ac Tyrannis convenire longe rectius ac prudentius ſcripſerat ante Ariſtoteles. Deinde certum quidem eſt, Alexandri in gratiam alterum de Coloniis, alterum de Regno, ſcriptum ab Ariſtotele librum eſſe: at iis occultas ac fraudulentas dominandi artes traditas, a nemine legimus proditum, illorum, qui libros iſtos habuere. Cujus tamen ſaltim inimici, niſi fallor, meminiſſent. Contra vero quæ honeſta eſſent ſuaſa ab Ariſtotele eſſe Alexandro iſthoc in libro, utque ille Græcis vere ſeſe regem præberet non autem dominum, ſuperiore capite clariſſimis & luculentiſſimis teſtimoniis oſtendimus. Unus Tertullianus videtur innuere, Ariſtotelem Alexandro fuiſſe adulatum, nec ſine cauſſa ſuſpiceris, hoſce ad Alexandrum libros Tertulliano fuiſſe in mente. *Ariſtoteles*, inquit in Apologetico adverſus gentes c. 46. *familiarem ſuum Hermiam turpiter loco excidere fecit, & tam turpiter Alexandro, regendo potius, adulatur, quam Plato a Dionyſio ventris gratia venditatur.* Attamen & hinc patet, haud inveniſſe Tertullianum turpes tyrannicas artes in hiſce ad Alexandrum libris: utut calumniis in præſtantes duumviros illos fuſis fidem commodaverit, nimis inſerviens ſuæ ſcenæ. Notæ etiam antiquitati fuerunt ad Philippum epiſtolæ: utpote quum etiam illi optimo ſcriptori περὶ ἑρμηνείας qui Demetrius Phalereus perperam audit, fuerint in manibus Ariſtotelis Epiſtolæ ab Artemone collectæ: quod minus honeſtum ſit aut ſapiat dolum malum, ex iis ne hoſtes quidem Ariſtotelis quidquam olim produxere, non omiſſuri, ſi quid tale inveniſſent. Ex adverſo quæ epiſtolæ hodie ad Philippum ſuperant, plenæ ſunt gravium monitorum, & in aliis Philippo commendandis fuiſſe occupatas epiſtolas, teſtantur bini ariſtotelicæ vitæ ſcriptores, Joannes Philoponus inquam & Anonymus iſte, quem Nunneſio debemus.

§ 9. Si vero ἀκροαματικὸν eſt Politicum noſtrum opus, (quod niſi fallor hactenus clariſſime probatum ivimus) licet jam tria quoque affirmare. *Primum* eſt, tam accurate omnino id conſcriptum eſſe debere, quam vel humano ingenio fieri id valuit, vel argumenti conditio patitur: hæc enim communis eſt lex operis ἀκροαματικῦ. Ut igitur aliis ſcriptis politicis forte merito ignoſcas, ſi qua parte deficiant, nec omnem ambitum ſui argumenti perſequantur: ita huic profecto ariſtotelico nihil deeſſe ſine vitio poteſt, quod ad civilem locum faciat.

§. 10. Tam firmæ *ſecundo* inveniri hic debent argumentationes, quantas humana negotia permittunt. Neque vero philoſophiam profitenti ignoſcendum, ſi ἐνδόξως h. e. ex opinione ſumptis utatur argumentis: quando ad manum eſſe ἀποδείξεις poſſunt. Ajo quando ἀποδείξεις licet adferre: Si enim non liceat, quis prudens illas exigat? Eſt autem ea natura civilium rerum, uti τὴν ἀκριβολογίαν μαθηματικὴν quidem reſpuat, non tamen omnibus omnino demonſtrationibus deſti-

Digitized by Google

deſtituatur, quod paulo ante jam monuimus. Nec vero licet abſit hinc τὸ ἀκριβὲς μαθηματικὸν, non omne tamen abeſt ἀκριβὲς, nec protenus omnia ſunt ad vulgi captum. Eſt enim & heic aliquid, quod ut obſervare ſolius eſt Philoſophi, ita intelligere non niſi ejus, qui ad Philoſophiam eſt inſtitutus educatusque. Quam in ſententiam ante audivimus ſuam ἀκριβολογίαν excuſantem Ariſtotelem, quando diſtinguebat inter philoſophicam tractationem & eam, quæ nil niſi praxin cogitat. Certe tam ſubtilem tamque accuratam doctrinam Politicum noſtrum opus pollicetur, eo ipſo quo eſt ἀκροαματικὸν. Hoc enim genus id librorum eſt, quod, quum τὰ ἐξωτερικὰ populariter affirmaſſet eſſe ſcripta, limatius appellabat M. Tullius: & in quo philoſophiam remotiorem ſubtilioremque agitari aſſerebat Gellius. In his ſane Ariſtoteles, Ammonio teſte, πρὸς γνησιοὺς ἀκροατὰς τὸν λόγον ποιούμενος, τὰ δοκοῦντα τε αὐτῷ λέγει, καὶ δι' ἐπιχειρημάτων ἀκριβεστάτων, καὶ οἷς οὐχ οἷοί τε εἰσὶν οἱ πολλοὶ παρακολουθῆσαι: Imo in hiſce data opera eſt obſcurus, ſi Simplicio credimus, quo ſegniores quique a lectione repellerentur.

§. 11. *Tertio* hinc etiam conſequens eſt: quemvis promiſcue minime idoneum eſſe Politicorum noſtrorum lectorem. Idoneum autem illum dico, qui & judicare poteſt, recte an ſecus docuerit Ariſtoteles, & qui ſolidum lectionis ſuæ fructum poteſt capere. Qualem lectorem vel auditorem Ariſtoteles appellat. 1. Nicomach. οἰκεῖον ἀκροατήν. Nempe niſi judicio poſſis aſſequi magiſtri dicta, vel nihil diſcis, vel nihil quam hoc: ita, aut aliter, ſentire tuum magiſtrum. Quod procul eſt a cognitione veri & ipſarum rerum.

§. 12. Quis vero aptus ſit ariſtotelicæ hujus politices auditor, niſi quem olim ipſemet Ariſtoteles ad ἑωθινὸν περίπατον (quo nempe tradere ſolitus eſt τὰ ἀκροάματα) admiſiſſet? Ille vero admiſit ſolos, quos ingenio valere & eruditionis elementis inſtructos invenit, h. e. ut ipſe loqui ſolet, τοὺς πεπαιδευμένους. In Nicomachiis diſerte exponit, qualem velit civilis prudentiæ auditorem: διὸ, inquit, τῆς πολιτικῆς οὐκ ἔστιν οἰκεῖος ἀκροατὴς ὁ νέος. ἄπειρος γὰρ τῶν κατὰ τὸν βίον πράξεων. οἱ λόγοι δ' ἐκ τούτων καὶ περὶ τούτων. Qui itaque ignarus plane eſt rerum humanarum ac inprimis civilium, non eſt ille aptus huic prudentiæ percipiendæ: non magis, quam Aſtrologiam quis rite audierit ignarus τῶν φαινομένων ἀστρολογικῶν. Scilicet ut φαινόμενα illa cœleſtia ſunt Aſtronomiæ principia, ita res civiles principia ſunt Philoſophiæ civilis. At principiorum peritiam habeat neceſſum eſt, ſcientiam aliquam comparaturus. διὸ (ut Ariſtotelis utar verbis X. Ethicor) τοῖς ἐφιεμένοις περὶ πολιτικῆς εἰδέναι, προσδεῖν ἔοικεν ἐμπειρίας. *quisquis in re civili intelligens haberi velit opus ei experientia.* Nec tamen opus eſt, uti ipſemet omnia exploraveris: ſatis eſt, ſi noris hiſtorias humanarum rerum plurimas ac veras. Eſt enim fructus hiſtoriæ experientia. Neque datur compendioſior ad experientiam via, quam per hiſtorias: quod alibi ſumus latius perſequuti. Non enim temere Polybius, ἀληθινωτάτην παιδείαν καὶ γυμνασίαν πρὸς τὰς πολιτικὰς πράξεις τὴν ἐκ τῆς ἱστορίας μάθησιν appellavit: *veriſſimam inſtitutionem atque exercitationem ad res civiles.* Teneat vero non multorum regnorum tantum geſtas res idoneus hujus philoſophiæ auditor oportet, ſed omnino & variarum ariſtocratiarum, democratiarum, oligarchiarum diverſas conſtitutiones atque mutationes. De omnibus enim rerumpubl. ſtatibus agendum eſt Philoſopho civili. Nec Ariſtoteles prætermiſit ullam: qualis illa cunque tandem fuerit. Erant ſcil. ſelecti illi ariſtotelici civilis philoſophiæ auditores jam verſati in aureo illo opere hiſtorico, quo ducentas quinquaginta quinque reſpublicas deſcripſerat illud hominis δαιμόνιον. Inde ſane ceu ex fonte hauſtam ſibi immenſam illam prudentiam, inde hauriendam, nec ipſe diſſimulat. Extremo enim operis Nicomachii ita ſcribit: *Quocirca primum, ſi quod a veteribus recte dictum eſt, id conabimur recenſere:* εἶτα ἐκ τῶν συνηγμένων πολιτειῶν θεωρῆσαι τὰ ποῖα σώζει καὶ φθείρει τὰς πόλεις, καὶ τὰ ποῖα ἑκάστας τῶν πολιτειῶν, καὶ διὰ τίνας αἰτίας αἱ μὲν καλῶς αἱ δὲ τοὐναντίον πολιτεύονται &c. In ipſis vero politicis voluminibus reſpublicæ illæ utramque faciunt paginam, quod dici ſolet. Et vero invenire eſt in Politicis noſtris nominatim ſequentium rerumpublicarum mores & inſtituta quædam adducta in medium. Abydenorum, Achæorum, Æginenſium, Alydenſium, Amphipolitarum, Ambraciotarum, Antiſſæorum, Apolloniatarum ad mare Jonium, Apolloniatarum ad Pontum Euxinum, Argivorum, Athenienſium, Byzantinorum, Carthaginienſium, Catanæorum, Chalcidenſium in Italia, Chalcidenſium in Thracia, Clazomeniorum, Chiorum, Cnidiorum, Coorum, Corinthiorum, Cretenſium, Cumanorum, Cypriorum, Cyrenæorum, Delphicorum, Epidamnenſium, Erythrienſium, Gilenſium, Helienſium, Heræenſium, Heracleotarum, Heſtiæenſium, Japygum, Iſtrenſium, Lacedæmoniorum, Lariſſenſium, Leontinorum, Leucadenſium, Locrenſium, Mantinæenſium, Maſſilienſium, Malienſium, Megarenſium, Meleſiorum, Mitylenæorum, Moloſſorum, Naxenſium, Notienſium, Opuntiorum, Oræenſium, Phocenſium, Rhodiorum, Rheginenſium, Samiorum, Sicyoniorum, Sybaritarum, Syracuſanorum, Tarentinorum, Tenedenſium, Thebanorum, Therenſium, Theſſalorum, Thuriorum, Trœzeniorum, Zanclæorum. Quæ ſunt ſexaginta ſex reipublicæ. Adhoc vero provocatur ad mores & inſtituta integrarum aliquot gentium, ut Ægyptiorum, Perſarum, Æthiopum, Græcorum priſcorum, Macedonum, Thracum, Celtarum & Scytharum.

§. 13. Primum ergo is demum eximius & aptus eſt ariſtotelici hujus operis ſive lector ſive judex (perinde enim eſt) qui omnis generis rerum publicarum mores, inſtituta, fortunam, aut ipſemet jam uſu addidicit, aut vero diligenti hiſtoriarum civilium lectione ſibi comparavit. Requiras merito autem in eodem & alterum illud, quod Ariſtoteles in civilis de moribus philoſophiæ auditore deſideravit. Ut ſc. bene educatus aſſuefactusque ſit amare honeſta, turpia autem habere odio. Fruſtra ſane doceas ſecus inſtitutum, optimæ reipublicæ ſcopum virtutum eſſe actio-

actiones, inque juſtitia poſitam felicitatem civitatis. Bene quippe Ariſtoteles: *Oratio autem & doctrina non ad omnes valet; ſed oportet praecultum eſſe conſuetudinibus animum auditoris, ut recte gaudeat ac oderit, perinde ac terram, quæ educatura ſit ſemen ſparſum.* Ad hoc agunt politica noſtra non tantum de optima republ. ſed etiam de peſſimis. Quo pacto ſc. tyrannides quoque, & paucorum potentiæ, & ὀχλοκρατίαι & id genus aliæ conſtituantur ac conſerventur. Habent & alia, quæ ut interdum fieri, ita in vulgus neſciri publicæ intereſt utilitatis. Sacra civilia aliter ſibi non conſtant. Neque enim plane abſurdum illud Jaſonis Theſſali apud Plutarchum: ὡς ἀναγκαῖον τὰ μικρὰ ἀδικεῖν τοὺς βουλομένους τὰ μεγάλα δικαιοπραγεῖν. At quis prudens iſthæc crediderit in omne ſcelus ac nefas pronis animis? imo vero quei tuto hæc doceas *cereas*, ut ille ait, *in vitium flecti mentes?* Vetus eſt illud:

*Sincerum eſt niſi vas, quodcunque infundis, aceſſit.*

Optime item Hippocrates non quoſvis admittens ad medicas auditiones, ait: τὰ δὲ ἱερὰ ἐόντα πρήγματα ἱεροῖσιν ἀνθρώποισι δείκνυται, βεβήλοισι δὲ οὐ θέμις, πρὶν ἢ τελεσθῶσιν ὀργίοισιν ἐπιστήμης. Ita enim ille loquebatur, quod etiam eorum, quæ medici docent facilis ſit abuſus, etſi tota illa ars in hominis ſalutem nata atque facta ſit. Quod periculum quoniam tanto in civilibus rebus eſt præſentius, quanto plures amplexantur fraudum ac ſceleris viam, atque ad dominatum ac potentiam per fas nefas graſſantur, præ paucis qui per artem medicam conantur alios lædere: nemo profecto non videt, longe adhuc circumſpectius doctrina civili omnes imbuendos; certe non niſi illos, quorum de moribus bonis aut certo conſtat, aut præclara ſit exſpectatio.

§. 14. Ergone, dixeris, vel juvenis, vel alius quis minus peritus rerum civilium nullum capere poteſt fructum ex opere hoc Ariſtotelis? Id ego quidem neque affirmavi, neque ſenſi. Solidum negavi illis fructum: nullum minime. Nec enim qui non omnem decerpere poteſt, idem etiam nullum poteſt. Poteſt inquam & juvenis nec multum adeo rerum peritus alius utilitatem hinc accipere ſatis uberem. Poteſt vero inprimis, ſi tantiſper dum judicare non licet per ætatem ipſi de pronunciatis hujus prudentiæ, interim omnia Ariſtotelis præclara monita tamen notet atque obſervet, mox commodo tempore illorum veritatem ad hiſtorias civiles aut etiam uſum rerum exploraturus. Perinde videlicet atque ſolent tyrones aliarum quarumvis artium ac ſcientiarum, perceptis legibus dogmatibusque ſuorum magiſtrorum hactenus propter eorum auctoritatem credere; donec exactius judicium ætate comparatum veritatem illorum ac falſitatem dignoſcat. Διὰ τοῦτο γάρ, ut Æſchines olim dicebat τὰς τῶν παλαιῶν γνώμας παῖδες ἐκμανθάνομεν, ἵνα ἄνδρες γενόμενοι αὐταῖς χρώμεθα. *Eam ob cauſam ſententias veterum pueri ediſcimus, ut viri facti iis utamur.* Quin hæc ipſa via longe eſt expeditior ad civilem prudentiam, quam illa altera, quæ ab hiſtoriis pergit ad præcepta. Nam qui eſt præceptis ac ſententiis prudentiæ a præclaro magiſtro (qualis utique Ariſtoteles) inſtructus, is jam accepit oculum aliquem politicum, ut ita loquar, quo poſſit pervidere rerum geſtarum cauſas atque arcana: in quæ non penetraveris, ſi ſtatim monitorum civilium artiſque omnis rudis in hiſtoriarum mare te immerſeris.

§. 15. Verum hæc alieniora ſunt ab inſtituto, itaque ad alia potius progrediemur.

## CAP. IV.

### *Argumenta primorum trium librorum exhibentur.*

§. 1.

Proximum vero eſt, ut ſeriem atque ordinem totius operis monſtremus. Quod niſi valde fallor, haud parum faciet ad intelligentiam omnis hujus doctrinæ ariſtotelicæ. Obſervare autem licet tot fere ea de re diſſidentes ſententias, quot interpretum commentantiumque capita. Quas hic ſub examen vocare, dubito admodum, fuerit ne pretium operæ. Certe longum fuerit. Fortaſſis vero haud difficile erit cuivis diſpicere quid in iis probandum ſit, quid rejiciendum, ubi in medium ſine mangonio adduxerimus, quam ordinis ſui rationem ipſemet Ariſtoteles reddiderit. Sane ipſum ante omnia hic Ariſtotelem eſſe conſulendum nemo non videt. Ut mirari ſatis nequeam, cur plærique maluerint ſuum quiſque potius ſenſum adferre, quam ipſis Ariſtotelis verbis uti. Eſt autem Ariſtoteli uſque adeo familiare & proprium, in omnibus ſcriptis rationem ordinis, ſive ſub finem, ſive ſub initium cujuslibet tractationis reddere, ut nulli ſcriptorum alii. Enimvero hac una motus ratione, equidem non dubitem mutilam pronunciare omnem doctrinam, in cujus ſive frontiſpicio, ſive extremo nihil tale reperitur.

§. 2. Agite igitur, collocemus hic ſeorſim Ariſtotelis verba ipſa, quæ huc facere poſſunt: inde judicaturi reliqua.

§. 3. Videtur autem permultis vulgo, Ariſtoteles ordinem, quem ſit toto opere politico obſervaturus, tradidiſſe extremo Nicomachiorum hiſce verbis: *Cum itaque antiquiores negotium de legumlatione imperveſtigatum prætermiſerint, melius fortaſſis eſt, ut nos ipſi id conſideremus, atque omnino de republica; ut pro viribus philoſophia, quæ ad humanas res ſpectat, perficiatur. Quocirca primum, ſi quid a veteribus recte dictum eſt, id conabimur recenſere: deinde ex collectis rebuspublicis quænam ſint ea conſiderabimus, quæ civitates & ſingulas reſpublicas & corrumpunt & conſervant; quaſque ob cauſas alia bene, alia ſecus adminiſtrantur. His enim conſideratis, quænam optima reſpubl. ſit & quomodo unaquæque inſtituta, quibusque legibus ac moribus utens, magis perſpicere poterimus.* Hæc ille. Et vero videtur Ariſtoteles ſtatim libro ſecundo veterum dicta recenſere, inde agere de iis, quæ conſervant & corrumpunt reſpublicas, libro ſeptimo vero ad ultimum agere de optima republica.



Digitized by Google

§. 4. Verum enimvero ita qui ſentiunt, videntur haud parum falli. Falſum enim eſt libro ſecundo recenſeri veterum recte dicta. Inſtituitur enim ibi examen rigidum, non recenſio aliqua olim laudatarum aliquot rerumpublicarum. Et quid fiet de libro primo, ſi hic recitatur ordo politici operis? Voluit nonnemo huic objectioni occurrere obtentu quæſito, quod liber ille primus omnis verſetur circa id, quod a Platone affirmatum erat, βασιλικὸν καὶ οἰκονομικὸν καὶ δεσποτικὸν εἶναι τὸν αὐτόν; atque ita & ipſe veterum dicta recenſeat. At vero illa platonica ſententia adducitur quidem ſtatim cap. I. & poſſit videri ad hanc enodandam ea, quæ ſequuntur, pertinere: hiatu autem magno laborare illum locum, haud difficulter patet accurate conſiderantibus; ut & illa, quæ iſthoc libro agitantur, neutiquam facere ad platonicam illam ſententiam. Paucis ſane illa ſententia poteſt convelli: nec tanti eſt, ut integrum librum iſti confutandæ Ariſtoteles impendat. Quid porro fiet de tertio & quarto? Nec enim in hisce etiam vel veterum dicta recitantur, vel agitur de iis, quæ conſervant aut perdunt reſpublicas. Poſterius ſane ſolius libri quinti poſſit videri eſſe argumentum. Nec vero vel ſextus liber hæc agit; etſi cuipiam queat videri agere & ipſe aliquo modo de iis, quæ rempublicam conſervant: ut poſt clariſſime apparebit. Nonnulli quidem arbitrantur per συνηγμένας πολιτείας intelligi, reſpublicas libro tertio & quarto in genera & ſpecies diviſas. At vero hoc non fuerit ἐκ τῶν συνηγμένων πολιτειῶν aliquid conſiderare, ſed potius delenda fuerit vocula ἐκ. Quanquam ne ſic quidem oriatur dictio commoda iis, quæ ſequuntur, cohærens. Adhoc in ſecundo libro non niſi pauca attingit eorum, quæ veteribus bene erant dicta: & tamen hoc loco affirmat, conaturum ſeſe ἐπελθεῖν, εἴ τι κατὰ μέρος εἴρηται καλῶς ἀπὸ τῶν προγενεστέρων. Illis præterea verbis Ariſtotelis: *His enim conſideratis, quænam optima reſpublica ſit &c.* non indicari, ultimo loco acturum ſeſe de ea, quæ ſimpliciter eſt optima reſpublica: demonſtrant, quæ ſtatim ſubſequuntur, *quomodo unaquæque inſtituta, quibusque legibus ac moribus utens.* Si ſane ordo obſervandus hic indicatur, tum poſt tractationem de optima republica fuerit agendum, quomodo unaquæque reipublicæ forma queat optime inſtitui, quibusque legibus ac moribus debeat uti.

§. 5. Mihi per videtur veriſimile, Ariſtotelem, quando promittit, recitaturum ante omnia ſeſe, quæ poſſint videri ab iis, qui anteceſſerunt, probe dicta, reſpicere ad compendia illa ſua doctrinæ platonicæ, imo forte & pythagoricæ: qualia ab illo eſſe conſcripta in hoc politico argumento, præcedente capite oſtendimus. Similiter videtur Ariſtoteles per συνηγμένας πολιτείας intelligere illud a ſeſe collectum opus politiarum. Hoc ſane opus facile potuit præbere indicia eorum, quæ aut ſervant aut perdunt reſpublicas. Perinde ut hiſtoria quælibet civilis probe elaborata exhibet principia demonſtrationum plerarumque politicarum. Et ſane ex illo ſuo opere πολιτειῶν videtur deprompſiſſe, pleraſque ſaltim hiſtorias, quibus utitur in univerſo opere politico noſtro. Ubi vero ex hiſtoria didiceris, quid ſervet, quid perdat rempublicam quamvis, tum vero in facili eſt definire, quænam ſit reſpublica omnium optima, & quemadmodum rerumpublicarum quælibet poſſit quam optime legibus ac moribus inſtitui.

§. 6. Hæc mihi vera eſſe mens videtur illorum Ariſtotelis verborum. Certe illum ordinem, qui in politico noſtro opere ab Ariſtotele eſt obſervatus, alium eſſe, ab eo, qui his verbis proponi videtur, etiam ex iis, quæ jam ſubſequentur mox, erit manifeſtum, ubi ſingulos libros luſtraverimus.

§. 7. Igitur PRIMUS liber de republica quidem nihil agit. Neque enim vel verbo explicatur ibi quid ſit ἡ πολιτεία, tantum abeſt, ut ejus natura doceatur. Imo ipſe tractationem περὶ πολιτείας aut de republica, ut ab hujus libri doctrina ſejunctum quid adducit cap. 8. ubi diſerte inquit: de mulieris ac viri virtute ſimulque de parentibus ac liberis, quomodo illi ſeſe gerere debeant, ἐν τοῖς περὶ τὰς πολιτείας ἀναγκαῖον ἐπελθεῖν. Quare videri poſſit hic liber omnino alienus a doctrina civili, utpote quæ maxime circa πολιτείαν ſit occupata. Contra tamen ipſemet Ariſtoteles ſub finem hujus libri, illum manifeſto cum ſequentibus libris connectit. Tertio quoque ut & ſeptimo libro diſputationes libri primi appellat πρώτους λόγους. Significans enim librum hunc primum c. 4. l. 3. ſcribit: εἴρηται δὴ κατὰ τοὺς λόγους, ἐν οἷς περὶ οἰκονομίας διωρίσθη καὶ δεσποτείας. Cap. vero 3. l. 7. cum dixiſſet, non minus diſtare imperium in liberos, ab eo, quod eſt in ſervos, quam ipſum natura liberum eſſe a natura ſervo, addit: διώρισται δὲ περὶ αὐτῶν ἱκανῶς ἐν τοῖς πρώτοις λόγοις.

§. 8. Integrum vero hujus libri argumentum videtur eſſe de natura civitatis, omniumque adeo ſimpliciſſimarum etiam partium civilis ſocietatis. Idipſum liquet ex cap. 1. *Quemadmodum* (inquit) *in aliis rem compoſitam ad ſimplices usque partes dividere oportet* (*ea namque totius ſunt minimæ*) *ita & civitatem, ex quibus componatur videntes, conſiderabimus &c.* Utique enim hic profitetur conſideraturum ſeſe civitatem, idque omnium optime poſſe a ſeſe præſtari, totius facta in partes minimas diviſione.

§. 9. Docet vero idem ipſa libri tractatio. Nec enim quicquam toto libro agitur aliud. Primis ſane duobus capitibus in genere partes illæ inveſtigantur: in reliquis omnibus de iis agitur ſeorſim. Quoniam enim prima ſocietatum eſt domeſtica, hæc vero conſtituitur ex domino ac ſervo, marito & uxore, parentibus ac liberis, tria illa ſeparatim Ariſtoteles examinat; naturam nempe ſervi ac domini ad caput usque ultimum: illo autem ultimo rationem maritalis & paternæ conditionis.

§. 10. Itaque ſtatim c. 3. ita ſcribit: *Quoniam perſpicuum eſt, quibus ex partibus civitas conſtituatur, neceſſe eſt prius rei domeſticæ rationem expedire.* Non addam verba ſubſequentia, ne citra cauſam ſim prolixus: accurate tamen iis rationem ordinis obſervandi exponit; concludens tandem:

Digitized by Google

dem: *primum autem de domino & ſervo dicamus &c.* Quam doctrinam finit capite quarto hiſce verbis: *ſed de ſervo ac domino hunc in modum ſit explicatum.* Quinto vero capite incipit agere in univerſum de poſſeſſionibus. Eſt autem & hæc doctrina pars ejus tractationis, quæ δεσποτικὴν exponit: Dominus enim reſpicit omnem poſſeſſionem: & ſervus eſt poſſeſſio quædam. Quam rationem ordinis ipſemet adfert, initio capitis V. *Videamus autem univerſe &c.* Octavo demum capite aggreditur naturam mariti, uxoris, parentis, liberorumque exponere, atque ordinis ſui meminit initio. *Quia* (inquit) *tres erant partes* τῆς οἰκονομικῆς, *una quidem herilis, de qua antea dictum, una vero patria, tertia vero conjugalis.* Ita vero inſtitutum ſcopum ſeſe aſſequutum eſſe, ipſemet fine libri tradit ſcribens, relicturum ſeſe ὡς τέλος ἔχοντας τοὺς νῦν λόγους.

§. 11. Cæterum qui ergo pertinet hæc tractatio ad Politicum, ſi nihil in ea legitur de republica? interrogaveris forte, nec immerito. An dicendum, Politici quoque eſſe de materia (ut ita loquar) civitatis agere? Homines ſane una viventes objectum ſunt, circa quod verſatur Politicus. Propoſitum enim illi eſt docere, quomodo ſocietas civilis beneficio τῆς πολιτείας poſſit bene inſtitui. Quemadmodum igitur quemlibet artificum oportet cognitionem aliquam habere ſui ſubjecti, circa quod occupatur: ita neceſſum eſt, ut & Politicus noſcat materiam civitatis. Non poteſt autem illa pernoſci, niſi cognitis ſimpliciſſimis civitatis partibus. Quæ natura eſt omnis rei compoſitæ. Τότε γὰρ οἰόμεθα γινώσκειν ἕκαςον, ὅταν τὰ αἴτια γνωρίσαμεν τὰ πρῶτα, καὶ τὰς ἀρχὰς τὰς πρώτας καὶ μέχρι τῶν ςοιχείων: ut loquitur Ariſtoteles *l. 1. Phyſ. cap.* 1. quem locum in naturalibus inſtitutionibus illuſtramus. Ita ergo pertinet ad Politicum hæc primi libri doctrina, quomodo ad Ethicum doctrina de anima, ad Medicum doctrina de corpore humano. Etſi vero ſubjecti natura non debeat in ſcientiis atque artibus ipſis inveſtigari, ſed aliunde iſthæc cognitio ſit petenda, ut bene contra Joannem Duns Scotum in ſcholis diſputatur; præmitti tamen poteſt merito talis ſcrutatio, ſiquidem alibi nondum illa ſit inſtituta. Itaque fatemur etiam nos, doctrinam primi libri tradere non eſſe proprie civilis munus prudentiæ. Nec tamen ſine cauſſa ab Ariſtotele id factum eſt, quoniam nimirum alibi nondum illa eſſent explicata.

§. 12. Apparet vero hinc, de ſervi, domini, poſſeſſionum, mariti, uxoris, liberorumque natura recte Ariſtotelem non ulterius hic egiſſe, quam quantum requiritur ad notitiam ſubjecti: contra vero leges methodi non obſervare illos, qui quicquid de iis dici queat ad civilem faciens locum, id omne circa hæc initia effundunt. Quæcunque videlicet ad domini ſive aliorum iſtorum naturam pertinent, in quantum illi ſubjectum ſunt civilis philoſophiæ, ea ſola præmitti par eſt: reliqua aliena ſunt. Bene enim Averroes ſcribit in epit. præd. c. 4: *Subjectum artis hactenus eſſe explicandum, quatenus artem adjuvet.* Rectiſſime ſane Ariſtoteles cap. 8. *De viro & uxore, & liberis & parente, virtuteque ſingulorum ipſorum & conſuetudine officioque inter ipſos, quid recte & non recte fiat, & quomodo oporteat, quod bene ſe habet, ſequi, quod male, fugere; in his, quæ faciunt ad rationem regendarum civitatum, neceſſe eſt percurrere,* ἐν τοῖς περὶ τὰς πολιτείας ἀναγκαῖον ἐπελθεῖν. Non multo poſt ſcribit: περὶ τῶν λοιπῶν ἐν ἄλλοις λεκτέον. Et vero libro demum ſeptimo & octavo cepit hanc doctrinam pro merito illuſtrare: utpote quæ vere ſit politica, non autem faciat ad hanc civitatis materialem, ut ita loquar, cognitionem, quæ aggredientibus civilis prudentiæ doctrinam jam debet eſſe præcognita.

§. 13. Colophonem libro primo hunc addit Ariſtoteles: *Alio facto initio diſputemus: & primum quidem videamus, quid alii de optima republica ſenſerint.* Libri ergo proximi argumentum fuerit examinare aliorum de republica optime inſtituenda ſententias. Eſt vero hæc plane materia LIBRI SECUNDI. Quo patet, recte illum ſecundum primo ſtatim in codicibus noſtris ex Ariſtotelis ſententia ſubjungi. Cæterum quid ſibi voluerit Ariſtoteles illis verbis modo allatis ex libri primi fine, quamve ob cauſam iterum novo principio iſthoc ſit uſus, explicavit ipſemet uberius ſtatim initio libri hujus ſecundi. Quoniam nempe propoſitum Politico ſit de optima republica agere, ante omnia alios hic audiendos eſſe, ſive illi utantur laudabili republica, ſive talem aliquam ſcripto exaraverint: *cum ut & quod rectum & quod utile perſpiciatur, tum etiam ut quærere aliquid ab iis diverſum, ne videatur prorſus ſophiſticum: ſed quia illa, quæ nunc ſunt, non recte ſe habeant, propterea hanc rem ſuſcepiſſe videamur.* Vel ex ipſis igitur verbis hiſce manifeſtum eſt, nondum eſſe propoſitum Ariſtoteli doctrinam politicam aggredi, ſed etiam hunc librum debere quaſi præambulum eſſe. Quoniam tamen examen rerumpublicarum non niſi Politici eſt inſtituere; nec alio habitu, quam politico, nec ex aliis principiis, quam politicis, examen ejuſmodi rerumpublicarum queat inſtitui; vere utique politicus eſt liber hic ſecundus; etſi doctrinæ politicæ partem non comprehendat. Perinde videlicet atque artificum judicia ab arte ſunt, non tamen artem docent. Eſt nimirum quaſi fructus aliquis civilis ſcientiæ jam partæ, talis judicandi facultas: quemadmodum, ſcite dicente Dionyſio Halicarnaſſenſi, ἡ τῶν λόγων κρίσις πολλῆς ἐμπειρίας τελευταῖόν ἐςι ἐπιγένημα, *ſermonum judicatio eſt multi uſus rhetorici ultimus fructus.* Igitur toto hoc libro ſecundo Ariſtoteles politicum judicem ac cenſorem agit variarum rerumpublicarum, quæ iſthac ætate quam maxime commendabantur. Nec vero omni hoc libro præter cenſuram illam quicquam docetur. Unde finis libri ita ſeſe habet: τὰ μὲν οὖν περὶ τὰς πολιτείας τάς τε κυρίας καὶ τὰς ὑπό τινων εἰρημένας ἔσθω τεθεωρημένα τὸν τρόπον τοῦτον. Et ſane laudatæ a Platone Phalea & Hippodamo Mileſio ſex prioribus, reliquis capitibus Spartana, Cretenſis & Carthaginienſis reſpublicæ, quæ ea tempeſtate credebantur optimæ inſtitutæ, examinantur.

§. 14. Obſervandum vero eſt, non omnia rerumpublicarum illarum inſtituta eſſe ab Ariſtotele ſub examen revocata, ſed ſola illa, quæ viſa ſunt præ aliis laudem prudentiæ ſingularis mereri. Hinc non niſi illam paradoxam Platonis doctrinam de communione conjugum & bonorum

in

in opere de republica traditam examinat, etſi in iſthoc opere multa alia occurrerent animadverſione digna.

§. 15. Agit vero de ſcitis platonicis integris quatuor prioribus capitibus; & quidem ita, ut tria capita operi de republica, quartum operi de legibus ſit dicatum. Quinto capite placita Phaleæ Chalcedonii examinat, & ſexto Hippodami Mileſii, non tamen niſi itidem potiſſima. Hinc ſuas in Phaleam animadverſiones ita finit: *περὶ μὲν οὖν τῆς Φαλέου πολιτείας σχεδὸν ἐκ τούτων ἄν τις θεωρήσειεν, ἔι τι τυγχάνει καλῶς εἰρηκὸς ἢ μὴ καλῶς.* Ubi item recenſuiſſet Hippodami placita addit: *τὰ μὲν οὖν πλεῖστα καὶ τὰ μάλιστα ἀξιόλογα τῆς Ἱπποδάμου τάξεως ταῦτ᾽ ἔστω.*

§. 16. Poſt illas reſpublicas ſcripto duntaxat a celeberrimis Politicis commendatas, pergit inde Ariſtoteles ad examen rerumpublicarum, quæ in uſu conſtitutæ præ aliis tum laudabantur: itidem tamen non niſi in potiſſima animadvertens. Lacedæmoniorum igitur examinat capite ſeptimo: hiſce verbis claudens diſputationem: *Περὶ μὲν οὖν Λακεδαιμονίων πολιτείας ἐπὶ τοσοῦτον εἰρήσθω. ταῦτα γάρ ἐστιν ἃ μάλιστ᾽ ἄν τις ἐπιτιμήσειεν.* Octavo capite inſtituta celeberrima Cretenſium examinat: claudens cenſuram hiſce verbis: *περὶ μὲν οὖν ταύτης εἰρήσθω τοσαῦθ᾽ ἡμῖν τῆς πολιτείας.* Inde capite IX. Carthaginienſium reipublicæ cenſura inſtituitur. Quarum trium rerumpublicarum judicium proinde ſic finit: *Περὶ μὲν οὖν τῆς τῶν Λακεδαιμονίων πολιτείας, καὶ Κρητικῆς, καὶ τῆς Καρχηδονίων, αἵπερ δικαίως εὐδοκιμοῦσι, τοῦτον ἔχει τὸν τρόπον.*

§. 17. Hiſce in uſu poſitis celeberrimis rebuspublicis examinatis, ultimo capite breviter Ariſtoteles tangit nonnullos, qui non integras quidem reſpublicas inſtituere conati, leges tamen quaſdam valde præclaras edidiſſe viſi ſunt. Tangit vero potius, quam ut vere examinet: quum tamen ab Ariſtotele examen potius expectaſſes. Fortaſſis itaque hoc totum caput multis modis eſt mutilum. Nec tamen quidquam definio, quoniam integrum librum ita claudit Ariſtoteles, quaſi duntaxat in eo rerumpublicarum, non autem ſingularum aliquot legum examen inſtituerit. Verba ejus ſunt: *τὰ μὲν οὖν περὶ τὰς πολιτείας, τάς τε κυρίας καὶ τὰς ὑπὸ τινῶν εἰρημένας, ἔστω τε θεωρημένα τὸν τρόπον τοῦτον.*

§. 18. Hactenus itaque nondum aggreſſus eſt ipſam doctrinam civilem Ariſtoteles: aſt TERTIUS liber jam ejus facit initium. Qua in re omnes conſentiunt interpretes: etſi de proprio argumento atque ſerie libri plurimum inter ſeſe diſſideant.

§. 19. Ariſtoteles ipſemet hiſce verbis ordinat librum: *Differenti de republica prima fere quæſtio eſt de civitate, ut videat, quid ſit civitas. Jam enim in controverſiam vocant; dum hi quidem civitatem id egiſſe ajunt; illi vero non civitatem, ſed oligarchiam vel tyrannum. Videmus autem politici & legum ſcriptoris omnem operam in civitate poni.*

§. 20. Prima itaque pars libri eſt de civitate, quid nimirum ſit civitas, tribusque prioribus capitibus abſolvitur. Ubi obſervandum, civitatem eſſe ſocietatem aliquam quaſi republica animatam. Non enim verum eſt, quod multi ſcribunt, civitatem eſſe materiæ inſtar, cui reſpublica ſit pro anima. Civitas enim ſignificat totum quid: ſicut animal ſignificat integram ſubſtantiam animatam. Quemadmodum igitur fieri non poteſt, ut quis animæ ſciat naturam, niſi idem noverit, quid ſit animal: ita de republica dicturo neceſſarium omnino eſt, ante quid ſit civitas, cujus forma eſt reſpublica, exponere. Hoc igitur eſt, quod in anteceſſum tribus illis capitibus agit Ariſtoteles. Notandum autem eſt, omnem illam doctrinam occupari duntaxat in civis natura explicanda. Nec male: utpote quum civitas nihil aliud ſit, quam multorum civium ſocietas, atque adeo corpus aliquod ex multis civibus conflatum. Hanc enim ipſe Ariſtoteles cauſam peregregie adfert hiſce verbis capitis primi: *Quia autem civitas eſt ex numero rerum compoſitarum, quemadmodum aliud quid integrum ex multis partibus conſtans, perſpicuum eſt de cive eſſe primum quærendum. Civitas nempe civium eſt multitudo. Videndum eſt igitur, quem civem appellare oporteat, & quid ſit civis.* Scilicet ſequitur heic Ariſtoteles ſuam *ὑφηγημένην μέθοδον*, qua ſolet eorum, quæ ſunt compoſita, naturam exponere. An vero Ariſtoteles præter illa tribus capitibus de cive diſputata, nihil aliud de civitate ipſa addiderit, multum dubito. Nec enim apparet, quare dixerit, *primum* de cive eſſe quærendum: ſi nihil porro de civitate ſit ſequutum. Adhoc capite tertio nulla fit *ἀνακεφαλαίωσις* more ſolito. Suſpicor ſane quædam periiſſe poſt caput tertium; nec tamen certo aſſeveraverim.

§. 21. Capite quarto vero jam incipit doctrina ipſa de republica. Et quidem videtur mihi argumentum eorum, quæ usque ad calcem libri illius traduntur, ſtatim initio capitis iſtius proponi: *Quoniam autem hæc ſunt explicata, quod his proximum, videndum: utrum una ſtatuenda ſit reſpublica, an plures; & ſi plures, quæ & quot, quæque earum ſint diſcrimina.* Reliquum enim libri videtur mihi nihil aliud agere, quam de ſpeciebus rerumpublicarum; ut poſt patebit clarius. Hinc ſane totus liber ille videtur appellari l. 4. cap. 2. *πρώτη μέθοδος περὶ τῶν πολιτειῶν.* Omnino autem recte docet, poſt explicatam naturam civitatis, conſequens eſſe reipublicæ differentias exponere. Cum enim reſpublica ſit vox ex iis, quæ ſunt *πρὸς ἕν*, non poteſt de republica univerſalis doctrina prolixe inſtitui, ſed *ὡς ἐν τύπῳ* præmiſſa generaliore definitione, ſtatim ad differentias ejus eſt pergendum. Quod recte ſemper obſervatum eſt Ariſtoteli in omni philoſophia. Hoc ipſo tertio libro ejus rei & cauſſam adducit hiſce verbis; *Nemini obſcurum eſſe debet, quibus in rebus ſubjecta ſpecie differunt & eorum aliud eſt primum, aliud deinceps ſubſequens, earum rerum aut nihil prorſus eſſe commune, qua ratione ſint tales, aut perquam tenuiter & anguſte.*

§. 22. Cæterum hæc de ſpeciebus rerumpublicarum tractatio, me judice, diviſa eſt in rudiorem & magis exquiſitam. Illa traditur c. IV. & initio V. usque ad illa verba: *δεῖ δὲ μικρῷ διὰ μακροτέρων, oportet autem prolixius explicare*, hoc eſt, usque ad caput VIII. ſectionis Zvvingerianæ. Ubi omnino incipit accuratior doctrina, quæ demum fine libri abſolvitur. Itaque cap.

IV. diſpeſcuntur respublicæ in rectas & vitioſas. Capite V. additur numerus rectarum ac vitioſarum.

§. 23. Rudiore vero illa doctrina finita, ſubditur: *Oportet autem prolixius explicare, quæ harum rerumpublicarum, quæque ſit. Sunt autem multa ea in re dubia. Nam in quaque ſcientia philoſophantis & non tantum ad agendum ſpectantis proprium eſt nihil prætermittere, nihilque relinquere, ſed explicare, quid ſit quaque in re verum.* Nempe quæ hactenus docuerat, illa quidem ad πρᾶξιν civilem ſuffecerint fortaſſis, alia vero addenda φιλοσοφικώτερα, quæque hactenus erant probata, defendenda atque exponenda ſubtilius. Dixerat vero democratiam eſſe ubi pauperes, oligarchiam ubi ſoli divites potiuntur rerum: porro in bona republica interdum præeſſe unum poſſe, interdum multitudinem, interdum optimates. Eſt autem omne hoc controverſiarum plenum. Namque primo falſum videtur, id eſſe democratiam, quando penes pauperes eſt ſumma rerum, & oligarchiam, quando illa eſt penes divites. Deinde, ſunt & pauperibus ac multitudini rationes, quibus probare nituntur ſolam democratiam eſſe juſtam civitatis formam: ſicut item e diverſo alia ſunt divitibus argumenta, quibus & ipſi ſolum ſuum ſtatum commendent. Videtur etiam omnino haud improbabile eſſe, ſolam ἀριστοκρατίαν eſſe rectam rempublicam, reliquas omnes vitioſas. Poſſit etiam videri, non hominibus, ſed ſolis legibus rempublicam concredendam eſſe. Omnino vero videatur, nullam regiam adminiſtrationem juſtam eſſe civitatis adminiſtrandæ rationem. Hoc ſane Græcis plerisque, omnis regii ſtatus inimicis, plane Ariſtotelis tempore fuit perſuaſum.

§. 24. Horum primum diſcutit Ariſtoteles capite V. πρώτη, inquiens, δ᾽ ἀπορία πρὸς τὸν διορισμόν ἐστιν &c. Alterum proponit fine iſtius capitis, ſed loco mutilo, niſi admodum fallor. Poſt enim illa: εὐποροῦσι μὲν γὰρ ὀλίγοι: nonnulla exciderunt. Itaque nec ulla eſt ἀκολουθία. Ibi autem fuiſſe propoſitam alteram illam controverſiam, quam ſtatim ſubjungit capite ſequente, vel illa oſtendant: δι᾽ ἃς αἰτίας ἀμφισβητοῦσιν ἀμφότεροι τῆς πολιτείας, ληπτέον δὲ πρῶτον. &c. Hanc igitur alteram dubitationem & alias usque ad caput X. accuratiſſime, niſi quod multis lacunis oratio laboret, proſequitur.

§. 25. Ibi vero demum in hæc verba prorumpit: *His autem explicatis rectum fortaſſe ſit, tranſitu facto de regia gubernatione diſſerere. Namque ex rectis rebuspublicis unam hanc eſſe dicimus. Videndum autem eſt, utrum conducat civitati & regioni, quam recte gubernari oporteat, regem habere, an non, ſed alia quædam ſpecies gubernandi magis conducat: an quibusdam conducat, quibusdam non.* Hoc nempe ultimo loco veniebat in controverſiam. Ut autem diſputationem hanc probe inſtitueret, ante omnia varias regnorum differentias proponit, ut pateret ſcilicet, quæ de regno ſit controverſia, atque adeo, ut vox *regnum* a ſuis ambiguis ſignificationibus liberetur. Idque fit cap. X. XI. usque ad verba illa σχεδὸν δὴ δύο ἐστὶν, ſeu cap. XV. ſectionis Zvvingerianæ. Ipſa deinde controverſia agitatur ad capitis usque duodecimi illa verba: περὶ μὲν οὖν βασιλείας, τίνας ἔχει διαφορὰς, καὶ πότερον οὐ συμφέρει ταῖς πόλεσιν ἢ συμφέρει, δὲ τίσι καὶ πῶς, διωρίσθω τὸν τρόπον τοῦτον. Ubi interea defendit accurate: eſſe aliquem regium ſtatum bonum, & conducere nonnullis civitatibus uti regnentur: id quod antea quidem jam erat dictum, non autem demonſtratum. Hoc ipſo autem abſolvitur doctrina de ſpeciebus rerumpublicarum.

## CAP. V.

***Poſt tertium librum prolixe ab Ariſtotele actum eſſe de optimæ reipublicæ conſtitutione: cujus doctrinæ pars hodieque ſuperſit in ſeptimo & octavo libris, qui tertio ſtatim ſubjungendi.***

§. 1.

Quæ hactenus attulimus, illa non multa egent fortaſſis probatione. Aſt longe major nunc ſeſe aperit difficultas: quæque adeo nos cogit ad ea, quæ a communi opinione longius recedunt, aſſerenda. Qua in re ne temere egiſſe videamur, adferemus complura ſententiæ noſtræ argumenta, ab eorum, quæ fine libri tertii habentur, accuratiore expenſione (quoniam & illa unice huc facit) capientes exordium.

§. 2. Igitur quæ extremo libri tertii diſſeruntur, & quidem toto capite octavodecimo ſectionis Zvvingerianæ, illa quorſum pertineant, pauci ſunt aſſequuti: eoque Zvvingero quidem viſum eſt, omnia iſthæc alieno loco poſita, per imperitiam librariorum iſthuc rejecta eſſe. Cæterum lacunam aliquam in iis videor mihi & ipſe deprehendere paulo ante illa: διωρισμένων δὲ τούτων, nec enim ſatis pulcre cum antecedentibus cohærent: attamen loco nihil movendum cenſeo, ſed oportune ab Ariſtotele aditum parari ad prolixam doctrinam de optima republica. Opus ſane fuiſſe tali aliquo ſermone, paulo poſt omnibus conſtabit apertius.

§. 3. Hactenus videlicet Ariſtoteles libro tertio in eo maxime laboraverat, ut defenderetur id, quod dictum, tres eſſe ſpecies rerumpublicarum recte & juſte ſeſe habentium; atque adeo cum doctrinam de ſpeciebus rerumpublicarum generalem jam omnem abſolviſſet, omnino ad alia pergendum erat. Quid deinceps itaque ſit agendum, ut ordine procedat civilis philoſophia, ab Ariſtotele debuit utique indicari. Id ſane requirit recta docendi ratio & mos Ariſtoteli ſemper ſuetus. In eo indicando igitur verſatur illud octavum decimum Zvvingerianæ diviſionis caput: atque ita quidem verſatur, ut demonſtret: proxime jam agendum eſſe de optima republica, ſimulque docendum, quemadmodum & civis pariter & vir bonus poſſit inſtitui. Demonſtratio illa plena & integra non adeſt: quod mutilus ſit ſermo. Initium tamen illius demonſtrationis

tionis ſic ſatis apertum eſt, duobus hactenus demonſtratis principiis ſcilicet innitens. Prius eſt: ἐπεὶ δὲ τρεῖς φαμὲν τὰς ὀρθὰς πολιτείας &c. Poſterius: ἐν δὲ τοῖς πρώτοις ἐδείχθη λόγοις, ὅτι τὴν αὐτὴν ἀναγκαῖον ἀνδρὸς ἀρετὴν εἶναι καὶ πολίτου τῆς πόλεως τῆς ἀρίστης &c. Nos alibi plene illam exhibemus. Poſtremum itaque concludit: de optima republica agendum jam eſſe, & quidem, quomodo illa gigni, & quomodo poſſit conſtitui. Verba illa ita ſeſe habent in Sylburgiano codice. Διωρισμένων δὲ τούτων, περὶ τῆς πολιτείας ἤδη πειρατέον λέγειν τῆς ἀρίστης· τίνα πέφυκε γίνεσθαι τρόπον, καὶ καθίστασθαί πως.

§. 4. Hiſce ultimis Ariſtotelis verbis ſignificari, proxime jam agendum eſſe de optima republica, poſſit videri adeo manifeſtum, ut nulla poſſit naſci dubitatio. Et vero ipſe quoque Thomas ita exponit verba illa: *Continuat ſe ad dicenda, & dicit quod his determinatis conſiderandum eſt, qualiter & quomodo inſtituenda eſt optima reſpublica.* Piccartus tamen longe alium ſenſum proponit. *Hiſce*, inquit, *pertractatis porro etiam agendum eſt de optima republica, tum quomodo conſtitui poſſit, tum quomodo haberi poſſit. Ita enim hujus methodi ratio fert, ut expoſitis ordine formis omnibus, judicium tandem confirmetur ut pervideat optimam formam. Vidimus autem hactenus formas duas, pergamus itaque, & reliquas quoque ſubjungamus, ſic tandem quo volumus perveniemus.* At vero hæc utique violenta eſt diſtorſio ariſtotelici ſermonis. Diſerte enim utique Ariſtoteles dicit: περὶ τῆς πολιτείας τῆς ἀρίστης ἤδη πειρατέον λέγειν. *JAm eſſe enitendum de republica optima dicere.* Expoſitis ordine formis omnibus denique hoc agere, non eſt ſane JAM hoc agere. Nec Ariſtoteles ullo verbulo ſignificat, ſeſe prius acturum de formis rerumpublicarum omnibus iis, de quibus hactenus non egerat. Falſum etiam eſt, ab Ariſtotele ſingulatim jam actum de duabus formis. Tractationem certe de regno iſthuc non pertinere, jam tum oſtendimus.

§. 5. Petrus Victorius quoque ita exponit verba illa Ariſtotelis, ut & ſibimetipſi pariter & Ariſtoteli adverſetur. *Aperit*, inquit, *ordinem harum rerum agendarum, & quid NUNC ſequatur oſtendit. Tempus enim jam veniſſe narrat diſſerendi de optima republica: in quam rem pollicetur ſe toto pectore incubiturum, & quomodo ſcilicet illa exiſtat, & quam viam inire debeat, qui eam conſtituere velit.* Hactenus Ariſtoteli ſic convenienter ſatis. Paulo poſt tamen ſubjungit: *Nec tamen ſignificat, ſe velle ita de ipſa præcipere, ut ILLICO formam ipſius aperiat, ſed quomodo gignatur & ortum denique ipſius oſtendere: quare non pauca adhuc diligenter videnda ſunt, ut ratione ac via id moliri valeat.* At ſi Ariſtoteles oſtendit, *quid nunc ſequatur*, narravitque *tempus jam veniſſe diſſerendi de optima republica*, utique voluit *formam optimæ reipubl. illico aperire.* Si certe hoc noluit, credidit que *non pauca adhuc videnda* eſſe antequam id poſſit moliri, non profecto oſtendit, *quid nunc ſequatur*, aut narrare ex vero potuit, *Tempus JAM veniſſe diſſerendi de optima republica.*

§. 6. Sed & Antonius Montecatinus locum hunc de Græco Latine quidem plane vertit: *His autem definitis, de republica ea, quæ optima eſt dicere jam conandum eſt. &c.* At vero in Scholiis tricatur, voculas illas, περὶ αὐτῆς, interpretans: *De ipſa republica, non de ipſa optima republica.* Quaſi vero Ariſtoteles ſtatim ante non egiſſet de ſola republica optima, ſimpliciter autem περὶ πολιτείας nihil egiſſet. In explanatione vero meras tenebras lectori offundit. Docet enim quidem non male, optimam rempublicam variis modis dici. Deinde vero addit, de optima republica primi modi actum eſſe libro tertio: de ſecundi ſignificatus optima, actum itidem quadamtenus tertio, at abundanter libri quarti capitibus aliquot: de Tertii ſignificatus optima, agi libro quinto & ſexto: de republica optima quarto ſignificatu, libri quarti cap. 2. Hæc ſane non tantum non explanant hunc locum, ſed etiam obſcurant, & evertunt. Si enim jam tertio libro egit de republ ſimpliciter optima, quî potuit ab Ariſtotele dici, finita illa tractatione ſeſe jam acturum de republ. optima? Nihil porro eſt falſius, quam argumentum librorum quarti, quinti, ſexti eſſe, agere de republica optima ſive pro rebus ſubjectis, ſive ex ſuppoſitione. In Ariſtotele, hujus rei ne veſtigium quidem apparet. Certe Ariſtoteles l. 4. cap. 11. 12. & 13. longe aliter de optimo ſtatu diſſerit. Sed & in illis libris agitur non minus de rebuspublicis iis, quæ a recto abeunt quam de rectis. Verum quidem eſt, Regnum & Ariſtocratiam proprie dictam eſſe optimas rerumpublicarum formas, deque iis actum jam aliquomodo libro tertio; ibi vero etiam actum fuit de formis rerumpublicarum aliis, multum ab optima remotis; nec actum illud fuit de optima republica, quod jam agendum eſſe dixit Ariſtoteles, nempe, τίνα πέφυκε γίγνεσθαι τρόπον καὶ καθίστασθαί πως.

§. 7. Æque porro & alii nonnulli commentatorum, verba hæc Ariſtotelis ſuis explicationibus involvunt pervertuntque. Borrhaus & Giſanius autem, videntur ſtudio illorum expoſitionem declinaſſe: nihil enim dixerunt quod ad hanc rem faceret: deſperantes indubie, lucem ſe poſſe dare rei, ſuo judicio obſcuriſſimæ. Muretus denique obſervavit, hunc Ariſtotelis epilogum optime connecti cum libro ſeptimo cenſuit autem ad ſextum librum pertinere, ac vitio eſſe conjunctum libro tertio. Sed prius quidem illud recte obſervatum a Mureto: trajectionem autem factam non eſſe, paulo poſt clariſſime patebit.

§. 8. HOC igitur eſto jam quaſi ratum & conſtitutum; conſilium fuiſſe Ariſtoteli ſtatim poſt librum tertium de optima republica agere. Voluiſſe vero non paucis illum defungi, ſed enixe hoc ipſum agere, oſtendunt itidem aperte ipſa illa verba, quibus profitetur πειρατέον τίνα πέφυκε γίνεσθαι τρόπον καὶ καθίστασθαί πως. Propoſitum videlicet ipſi fuiſſe hæc indicant, docere, quemadmodum optima reſpublica & fieri & conſtitui poſſit: quod eſt docere omnia inſtituta, omnes leges, atque in univerſum omnia quibus opus eſt ad rempublicam optimam & omnibus numeris abſolutam beatamque. Id quod operam requirit multam & prolixam. Subindicat tale quid & illud: ἀνάγκη γὰρ περὶ αὐτῆς (ἀρίστης videlicet πολιτείας) ποιήσασθαι τὴν προσήκουσαν σκέψιν. Tractatio ſane conveniens doctrinæ de optima republica requirit omnium optimæ reipublicæ inſtituto-



Digitized by Google

tutorum expoſitionem, eamque uberem. Convenientem autem decentemque σκέψιν facturum ſeſe Ariſtoteles pollicetur. Porro cum totum illud octavum decimum Zvvingerianæ ſectionis caput non niſi aditum faciat ad doctrinam ſubſecuturam de optima republica, ipſe ille apparatus vel ſola ſua prolixitate oſtendit, doctrinæ de republica optima futuram amplitudinem. Ridiculum ſane fuerit, tanto apparatu facto ad brevem aliquam minutamque doctrinam aggredi. Sed & non obſcurum ex illo capite eſt, traditum mox iri, quibus modis, qua diſciplina, quibus moribus vir bonus reddatur, & civitas conſtituatur ἀριστοκρατυμένη ἢ βασιλευομένη: quod a ſuperficiaria tractatione multum eſt remotum.

§. 9. QUOD ſi jam ad librum quartum quintum & ſextum reſpiciamus, longe aliud deprehendere eſt tribus illis libris doceri. Nihil imo legas ibi de republica optima, illa utique πρὸς τὴν αἱρετωτάτην ζωήν. Diſputatur enim quidem cap. XI. de optima republica, ſed de longe alia quam eſt illa ſimpliciter optima; quæ nempe plæriſque hominibus & civitatibus convenit, virtutem non quærens, quæ ſuperet vulgi captum, aut diſciplinam naturæ & copiæ bonorum fortunæ egentem, aut ſtatum reipublicæ qualis voto expetitur: cum in altera illa omnis civis debeat eſſe vir bonus & moraliter felix. Neutiquam ſane quarto libro docetur, quomodo gigni & conſtitui queat ac debeat reſpublica optima. Non niſi etiam capite demum undecimo tangitur aliquid de republica plærumque & in vulgus optima: cum tamen deberet ſtatim ſubſequi illa περὶ ἀρίστης πολιτείας tractatio.

§. 10. Ad hoc in ipſo illo quarto libro diſertis verbis aſſeritur, idque tribus vicibus, de optima republica jam tum actum eſſe. *Primus* locus occurrit capite ſecundo. Περὶ μὲν ἀριστοκρατίας (ait ibi Ariſtoteles) καὶ βασιλείας εἴρηται· τὸ γὰρ περὶ τῆς ἀρίστης πολιτείας θεωρῆσαι ταὐτὸ καὶ περὶ τούτων ἐστὶν εἰπεῖν ὀνομάτων· βούλεται γὰρ ἑκατέρα κατ᾽ ἀρετὴν συνεστάναι κεχορηγημένην. De Regno & Ariſtocratia nempe jam actum eſſe, propterea quod de optima republica agere idem ſit atque de Regno & Ariſtocratia agere, quum in duabus hiſce rerumpublicarum formis imperium tribuatur ſecundum virtutem rebus omnibus neceſſariis inſtructam. Quod non niſi abſurde dici potuit, ſi jam tum actum non eſſet de illa optima republica, ubi virtus copiis inſtructa imperium conciliat.

§. 11. *Alter* locus obfert ſeſe capite tertio. Κἂν, inquit, εἴ τι δὴ τοιοῦτον ἕτερον εἴρηται πόλεως εἶναι μέρος ἐν τοῖς περὶ τὴν ἀριστοκρατίαν. ἐκεῖ γὰρ διειλόμεθα ἐκ πόσων μερῶν ἀναγκαίων ἐστὶ πᾶσα πόλις. Iterum hic audimus. τὰ περὶ τὴν ἀριστοκρατίαν jam eſſe diſſertata: paulo ante vero itidem audivimus, doctrinam de optima republica eſſe eandem cum ea, quæ circa ariſtocratiam occupatur.

§. 12. *Tertius* locus reperitur cap. ſeptimo. Ubi dicitur, de ariſtocratia proprie ita dicta jam tum actum eſſe in prioribus ſermonibus: eſt autem illa utique hæc, quæ conſtituit formam reipublicæ ſimpliciter optimæ. Ἀριστοκρατίαν μὲν οὖν καλῶς καλεῖν, περὶ ἧς διήλθομεν ἐν τοῖς πρώτοις λόγοις· τὴν γὰρ ἐκ τῶν ἀρίστων ἁπλῶς καθ᾽ ἀρετὴν πολιτείαν, καὶ μὴ πρὸς ὑπόθεσιν τινὰ ἀγαθῶν ἀνδρῶν μόνην δίκαιον προσαγορεύειν ἀριστοκρατίαν· ἐν μόνῃ γὰρ ἁπλῶς ὁ αὐτὸς ἀνὴρ καὶ πολίτης ἀγαθός ἐστιν. Sermones igitur de optima republica a ſermonibus quarti libri diverſos eſſe, atque antecedere quartum librum, manifeſtum eſt.

§. 13. Haud obſcure vero idem ſignificatur integro ipſo capite primo quarti hujus libri. Totum enim illud, fatentibus etiam commentatoribus, in eo verſatur, ut doceat, politices ſcriptorem non de ſola ſimpliciter optima republ. agere oportere, ſed de aliis etiam, ac proinde ſpecies rerumpublicarum reliquas eſſe jam enarrandas. Tale profecto proœmium non congruit, niſi præmiſſa aliqua tractatio de optima republica fuiſſet, qua finita poſſit forte videri omni civili doctrinæ finis jam impoſitus.

§. 14. EX hiſce igitur jam allatis hoc quoque manifeſtum eſt: Quartum librum, qui proxime excipere videtur illam ab Ariſtotele fine libri tertii factam de mox ſubſecutura doctrina de optima republica promiſſionem, motæ exſpectationi non reſpondere, ſed ab illo argumento plane eſſe alienum. Conſequens nunc eſt, ut refellamus illos, qui exiſtimant ea, quæ modo audivimus ex quarto libro adducta de optimæ reipublicæ doctrina jam ante tradita, in tertio libro pertractata eſſe. Poſſit autem merito ſufficere ad illos redarguendos, quod ipſemet Ariſtoteles ſub finem libri tertii jubeat demum exſpectare doctrinam de optima republ. ac proinde illa non poſſit eſſe libri ipſius tertii argumentum. Luſtrabimus tamen & trium illorum locorum unumquodvis.

§. 15. Igitur quod *primum* locum attinet, actum quidem eſt tertio libro de Regno & Ariſtocratia, ſed non aliter atque de ſpeciebus rectis & minus rectis reipublicæ reliquis: ac proinde ſi de illa tractatione fuiſſet ſermo Ariſtoteli, non potuiſſet & debuiſſet affirmare, de Regno & Ariſtocratia ſibi jam actum, non autem de reliquis. Adhoc in toto tertio libro non diſputatur de optima republica, etſi agatur de rectis: itaque non in tertio libro egit de Regno & Ariſtocratia Ariſtoteles interim dum ageret de optima republica : quod a ſeſe factum eſſe heic profitetur. Tractatio igitur de Regno & Ariſtocratia, quæ libro tertio inſtituitur, ab illa, cujus hic fit mentio, plane eſt diverſa.

§. 16. Par eſt ratio *Loci Tertii.* In Tertio enim libro egit quidem Ariſtoteles de Ariſtocratia, ſed non magis de optima Ariſtocratia, quam de aliis ejus Ariſtocratiæ ſpeciebus. Ut proinde eodem modo debuiſſet ſimpliciter Ariſtoteles affirmare, de omnibus ariſtocratiis ſibi jam actum eſſe, ſi in animo ipſi fuiſſet illa in Tertio libro inſtituta tractatio. Eſt porro illa non niſi brevis, & adducta tantum, ut pateret numerus rectarum rerumpublicarum. Quis illam vero ita quaſi obi-

Digitized by Google

obiter inſertam tractationem dixerit, λόγους περὶ τῆς ἀριστοκρατίας? Omnino igitur Ariſtoteles etiam hic reſpexit ad alios ab ſeſe inſtitutos de Ariſtocratia ſive optima republica ſermones prolixiores. Victorius ſane in commentario ad verba illa, ſcribens ex Ariſtotelis perſona: *Optimates decet appellare rempublicam, de qua paucis locutus ſum antea, cum diſputarem de regno*: ne meretur quidem confutationem: quum nihil abſurdius ſit dictu, quam doctrinam de Regno appellare λόγους περὶ τῆς ἀριστοκρατίας. Non turbet vero quenquam, quod Ariſtoteles illos ſuos de ariſtocratia ſermones appellet πρώτους, idque accipiendum urgeat de primis ſermonibus de republica, quos libro tertio contineri certum eſt. Πρῶτος enim ibi, & paſſim alibi eſt πρότερος: ac λόγοι πρῶτοι dicuntur omnes qui anteceſſerunt.

§. 17. Quod *ſecundo* loco aſſeritur in doctrina de Ariſtocratia eſſe traditum, *ex quibus neceſſariis membris quævis civitas conſtituatur*, id a Tertio libro noſtro alienum eſſe, vi veritatis coacti ſunt fateri etiam doctiſſimi nonnulli commentatorum. Nemo omnium conſtanter auſus eſt profiteri, in Tertio libro hoc traditum, quoniam facile illum potuiſſet ipſa αὐτοψία refellere. Itaque alii tanquam ſcopulum in commentando vitarunt hunc locum; quo in numero etiam eſt Michael Piccartus. Alii indicarunt quidem difficultatem, ſuam ſententiam tamen interponere non auſi ſunt: quod fecit ipſemet P. Victorius. Eſt autem utrumque tacita profeſſio, victos ſeſe mole & robore argumenti. Alii denique de Tertio libro deſperantes, aliam de optima republica doctrinam, quæ quarto libro ſit anterior reſpici iis verbis, ingenue affirmaverunt.

§. 18. AB ultimis itaque illis jam expreſſa eſt ſaltim hæc confeſſio, antecedere librum quartum aliquam de optima republica doctrinam, quæ libro tertio non ſit comprehenſa. Evictum item a nobis jam eſt, nihil agere illos, qui doctrinam de optima republica ab Ariſtotele in quarto libro laudatam, in tertio libro collocari exiſtimaverunt.

§. 19. Ulterius igitur jam videamus, num forte primum vel ſecundum librum Ariſtoteles reſpexerit. Sed de primo non eſt quod laboremus, quum omni illo in libro nihil agatur περὶ πολιτείας. Secundum librum innui ab Ariſtotele, qua parte contra rempublicam Platonis argumentatur, dicere auſus fuit Thomas & Joannes Sepulveda, uterque ad cap. 3. libri quarti Politicorum. Verum hos coarguit omnis in iſto libro ſecundo tractandi ratio. Totum enim iſtum librum criticum eſſe, & doctrinam Ariſtotelis de republica demum tertio libro capere originem ſuam, in propatulo eſt, & præcedente capite a nobis abunde oſtenſum. Sed & libro ſecundo nihil eorum legitur, quæ Ariſtoteles libro quarto profitetur, jam tum de optima republica ſibi eſſe tradita. Vera hæc adeo ſunt, ut ipſe Thomas & Sepulveda non niſi timide ac dubitanter ad librum illum ſecundum provocaverint. Thomæ verba ſunt: *Puta in ſecundo hujus, ubi poſuit politiam Platonis, quam forte dixit eſſe optimatum: ibi enim numeravit partes civitatis: vel forte in tractatu ſeparato, ubi de republica optimatum dixit.* Sepulveda etiam nunc recurrit ad tertium librum, nunc ad ſecundum, & denique fatetur, in ſeptimo libro ſedulo pleneque de optimo ſtatu reipublicæ Ariſtotelem diſputaſſe, quo arguit, nulla in re ſibi inventum, quod nodum hunc ſolveret.

§. 20. Habemus itaque jam hoc etiam: in noſtris tribus libris prioribus non reperiri illam de optima republica doctrinam, quam Ariſtoteles quarto libro profitetur jam ab ſeſe traditam. Cæterum clariſſimus vir Henningus Arniſæus noſtras *l. 2. relectionum politicarum cap. 4. ſect. 1. ſub finem*, cum omnia hæc prolixe ſatis expendiſſet, dicit veriſimile videri, *in fine libri tertii deeſſe particulam, in qua ſit explicatum de Ariſtocratia eadem ratione, qua de regno ibidem actum fuit, & de Democratia & Republica agetur in libro quarto. Victorium ſane teſtari, viſum ſibi manuſcriptum, in quo ſatis magnum ſpacium vacuum relictum fuerit, inter librum tertium & quartum, unde notabilis alicujus defectus argumentum capiat.* Hanc Arniſæi ſententiam veniſſe in mentem quondam & illi, qui manuſcriptum Victorii codicem confecerat ſpacio magno relicto vacuo, non ſine cauſa profecto ſuſpicari eſt. Dixeris & hoc Giſanium voluiſſe, etſi ad caput 3. lib. 4. non niſi hæc verba ſcripta reliquerit: *Diſputatio de Ariſtocratia fortaſſe intercidit.* Quicquid hujus ſit, non diffiteor illa Arniſæana præ omnibus aliis hactenus allatis ſimilia vero eſſe. Attamen jam ſupra a nobis probatum eſt, fine libri noſtri tertii non *particulam* aliquam ab Ariſtotele promitti, ſed prolixam doctrinam de optima republica: omnino quoque uberis doctrinæ anteceſſum ſignificari initio libri quarti. Si quis porro vel ad ſola illa attendat, quæ Ariſtoteles libro quarto aſſerit a ſeſe jam tradita in ſermonibus de optima republica, non poteſt obſcurum eſſe, quam ampla doctrina præceſſerit. Adeo vero prolixam operam uni tertio libro jam tum ſatis magno fuiſſe adjectam, nemini temere probabitur.

§. 21. Igitur nec illa Arniſæi ſententia poteſt tolerari. Poteſt vero nec Thomæ ſuſpicio admitti: innui ab Ariſtotele ſingularem librum de Ariſtocratia conſcriptum: quamvis idem & Martino Borrhao placuerit. Utique enim non alios de optima republica ſermones Ariſtoteles cap. tertio reſpexit, quam eos, quorum meminit capite ſecundo & ſeptimo: at utrobique agi de doctrina ad opus hoc politicum pertinente, manifeſtum eſt. Capite ſane ſeptimo dicuntur λόγοι πρῶτοι, & utroque in loco dicitur de ariſtocratia nihil repetendum; quoniam de illa jam ſit traditum: quæ excuſatio frivola eſſet, niſi opere hoc ipſo Politico id fuiſſet actum. Non eſt porro veriſimile, Ariſtotelem ſeorſim de Ariſtocratia egiſſe ἀκροαματικῶς quidem: & tamen illa, ad quæ Ariſtoteles provocat quam maxime, ſubtilem aliquam & acroamaticam doctrinam arguunt. Ne nunc urgeam, ſingularis de Ariſtocratia ariſtotelici libri nullam in omni antiquitate memoriam reperiri.

§. 22. QUÆ hactenus itaque diſputavimus, id utique liquido oſtendunt, inter librum tertium & quartum de optima republica prolixe ab Ariſtotele eſſe actum. Aut omnino ergo periit ariſto-



Digitized by Google

ariſtotelica iſthæc doctrina, aut vero loco ſuo mota alibi ſupereſt. In ipſo autem hoc opere noſtro politico ſaltim partem primam uberrimæ de optima republica tractationis ſeptimo & octavo libris reperiri, extra controverſiam eſt. Vel bis ergo in eodem opere ex profeſſo prolixe de eodem illo argumento egit Ariſtoteles, ut alterum perierit quidem, alterius pars autem ſuperſit, vel illi jam poſtremi libri inter tertium & quartum ſunt inſerendi. At vero eandem plane doctrinam, eodem in opere, ſtudio, & prolixe quidem, bis propoſitam eſſe, cui fiat veroſimile? Ab Ariſtotele id factum, auctore peritiſſimo recte docendi, & verborum etiam parciſſimo, mihi, hercle, nemo perſuaſerit. Quocirca non dubito equidem profiteri, ingentem in opere hoc politico factam librorum trajectionem; omnique adeo ab Ariſtotele inſtitutæ de optima republica diſciplinæ, cujus hodieque pars in ſeptimo & octavo libris reliqua eſt, inter tertium & quartum librum juſtum locum deberi, ibique omne illud collocandum eſſe.

§. 23. Hac in ſententia confirmor etiam aliis argumentis non levibus. *Primo* enim obſervare eſt, ita & finem libri tertii & initium ſeptimi eſſe formatum, ut facile appareat, tertium illum librum a ſeptimo ſtatim excipi. Cum enim tertius in hæc verba finiiſſet: *ἀνάγκη γὰρ περὶ αὐτῆς* (*ἀρίϛης* ſcilicet *πολιτείας*) *ποιήσασθαι τὴν προσήκουσαν σκέψιν*: Septimus ſic ſtatim incipit: *περὶ πολιτείας ἀρίϛης τὸν μέλλοντα ποιήσασθαι τὴν προσήκουσαν ζήτησιν, ἀνάγκη διορίσασθαι πρῶτον, τίς αἱρετώτατος βίος.*

§. 24. *Secundo.* Illa etiam, quæ quarto libro ſignificantur jam tradita eſſe in ſermonibus de optima republica, illa inquam partim jam reperire eſt in ſeptimo, partim in illis, quæ ibi incipiunt, nunc autem perierunt, eſſe tradita, ſaltim non obſcure ſeptimo iſthoc libro innuitur. Hoc ſane indicio patet, illam de Ariſtocratia doctrinam, quæ ſeptimo libro inchoatur eſſe plane eam, quam quartus reſpicit, Sic libri illius quarti capite tertio cum Ariſtoteles adduxiſſet plebis & nobilium aliquot diſcrimina, addit: *& ſi qua alia hujuſcemodi res dicta eſt pars eſſe civitatis, ubi de Ariſtocratia diſſeruimus. ἐκεῖ γὰρ διειλόμεθα ἐκ πόσων μερῶν ἀναγκαίων ἐϛὶ πᾶσα πόλις.* Diſſeruit vero L. 7. cap. 8. de partibus civitatis neceſſariis, etſi totum illud caput multis lacunis ſit deforme & mutilum, cumprimis circa initia. Similiter manifeſtum eſt in ſeptimo & octavo libris agi, *περὶ τῆς ἐκ τῶν ἀρίϛων ἁπλῶς κατ᾽ ἀρετὴν πολιτείας*, quo de jam actum eſſe dicitur cap. ſeptimo quarti. Et tametſi in noſtris libris haud reperiatur, *βασιλείαν* & *ἀριϛοκρατίαν* eſſe idem cum ſimpliciter optima republica: non eſt tamen, quare credamus, id non eſſe factum in ea parte doctrinæ hujus de optima republica, quæ intercidit.

§. 25. *Tertio*, nonnulla etiam, quæ vel tertio promitti, vel quarto libro quaſi jam acta eſſe, innui videntur, illa in hac ipſa ſeptimi libri doctrina inveniuntur. Sic ſub finem tertii ſignificatur, docendum *περὶ τῆς πολιτείας τῆς ἀρίϛης, τίνα πέφυκε γίνεσθαι τρόπον καὶ καθίϛασθαι πῶς.* Hæc autem doctrina proponi incipit cap. XIII. libri ſeptimi hiſce verbis: *περὶ δὲ τῆς πολιτείας αὐτῆς, ἐκ τίνων καὶ ἐκ ποίων δεῖ συνεϛάναι τὴν μέλλουσαν ἔσεσθαι πόλιν μακαρίαν καὶ πολιτεύεσθαι καλῶς, λεκτέον.* Conſequenter etiam docetur, qua diſciplina & quibus moribus fiat vir bonus & bonus civis reipublicæ optimæ: quod item paulo ante in libro tertio videmus promitti. Sic quod libro quarto cap. XI. dicitur de republica, quæ plærumque poſſit optima haberi: *ἡ δὲ κρίσις περὶ ἁπάντων τούτων ἐκ τῶν αὐτῶν ϛοιχείων ἐϛὶ*: tum demum recte intelligitur, ſi reſpiciamus ad ea, quæ de ſimpliciter optima republica diſputantur primis tribus capitibus: ex iiſdem enim elementis, ex quibus ibi oſtenditur quænam vita ſit ſimpliciter optima, jam etiam docendum, quænam optima poſſit plærumque haberi.

§. 26. Hiſce rationibus inductum me admodum juvenem; verentem tamen, ne temeritatis arguerer, quod contra exemplarium conſenſionem & unanimem commentatorum, virorum ingenii & judicii dotibus maxime inſignium, ſententiam, auderem juvenis integros Ariſtotelis libros ſueto loco dimovere: erexit & multum confirmavit id, quod Daniel Heinſius in fine præclari illius voluminis, quo & Ariſtotelis Politica ipſa Græce latineque & Politicorum illorum elegantem paraphreſin complexus eſt, annotavit. Verba ejus integra hæc ſunt. *Illud annotandum duxi, quod de ordine librorum ex Antonii Scainii quæſtionibus politicis notavit* (loquitur autem de Andrea Schotto, qui aliquot ad libros priores Politicorum obſervata ſua miſerat) *nam videre has quidem nondum nobis contigit.* POST TERTIUM, *inquit*, STATIM SEQUUNTUR SEPTIMUS ET OCTAVUS: DEINDE QUARTUS, QUI SIC ERIT SEXTUS, AC DEINCEPS QUINTUS. SEXTUS EST POSTREMUS, ET OCTAVO IDEO PONENDUS LOCO. *De quo, ut & capitum quorumdam tranſpoſitione, quid exiſtimem, non dico, nondum enim prorſus mihi ſatiſfeci.* Hæc Heinſiana, inquam, multum me roboraverunt: quod hinc intelligerem, jam ante me idem viſum viro docto, qualis utique fuit Scainus; atque adeo poſſe me jam & auctorem dare quem ſequerer, ſi accuſer. Reperi poſtea a Petro Victorio hæc in verba commentatum eſſe ad libri quarti tertium cap. *Quia autem quod hic tradit ſe jam feciſſe, in libris vero qui hunc antecedunt, non perſpicitur hoc aperte diligenterque auctor præſtitiſſe: venit in mentem docto & ingenioſo viro, Angelo Segnio, multumque in lectione horum librorum verſato, non tamen ſolam hanc conjecturam ſecuto, verum alias quoque nonnullas ſatis acutas; ordinem horum librorum perverſum eſſe, ſeptimumque in quo accurate hoc quod hic narrat, effecit, anteire hunc debere.* Quis ille Angelus Segnius, non ſatis compertum habeo: perinde ut minime novi Bernhardum Segnium, cujus idem Victorius meminit ceu amici ſui & diu in libris Ariſtotelis verſati, *l. 25. Variar. Lectionum c. 7.* tantopere tamen laudati a laudatiſſimo Victorio viri auctoritas, non poteſt non apud me magno eſſe in pretio. Reperi denique & hæc a Sylburgio in præfatione editionis Wechelianæ Græcæ Politicorum Ariſtotelis, annotata:

*ita-*

Digitized by Google

*Italica Politicorum verſio aliam librorum diſtinctionem habere fertur: quippe quæ vulgo ſiniſtre poſitos in nativum ordinem redegerit.* Eſt autem & illa verſio mihi nunquam viſa; latet etiam me cujus curæ debeatur, aut quæ illa ſit nova librorum diſtinctio: indubie vero nec illa interpretatio profecta eſt ab homine vulgari: & perquam mihi ſit veroſimile, expreſſum eſſe modo memoratum iſtum librorum ordinem. Quod ideo heic duxi narrandum, ſaltim, ut appareat non plane novum atque inſolens eſſe id, quod profeſſus ſum: atque adeo, præter firmas multas rationes a me ipſo obſervatas, non deeſſe mihi & nonnullorum doctorum virorum cum ſententia mea conſenſionem: quamvis omnino me lateat, quibus illi argumentis perſuaſi ſic crediderint: utpote cum hactenus ne quidem Scaini illas quæſtiones politicas videre contigerit.

§. 27. Poſtremo autem plurimum ſententiam conceptam affirmavit, quod hactenus quidem nihil fuerit obſervatum, quo ab illa movear. Etenim jam ab initio vidi, poſſe fortaſſis objici iſta ex capite quarto libri ſeptimi: καὶ περὶ τὰς ἄλλας πολιτείας ἡμῖν τεθεώρηται πρότερον: quibus verbis videtur ſignificari, ante doctrinam de optima republica, quæ ſeptimo libro inſtituitur jam actum eſſe de rebuspublicis aliis, quod fieri non potuit, niſi jam præceſſerint quartus, quintus & ſextus. Poſſe item forte objici ea, quæ extremo Nicomachiorum Ethicorum habentur.

§. 28. Verum enimvero jam tum probavimus, illa quidem ex Nicomachiis Ethicis petita non docere, quis ordo in politicis obſervandus ſit, ſed potius, qua via vel methodo progrediendum, aut ex quibus principiis omnia ſint deducenda. Illa vero, quæ ex ſeptimo politicorum libro adducta ſunt itidem, nihil ad rem faciunt. Verus enim ſenſus loci illius eſt: de reliquis rectis rebuspublicis jam actum eſſe, nunc ergo de republica ex voto optima inſtituenda acturo commodas hypotheſes eſſe præmittendas. Et vero quid requiratur ad id, ut respublicæ ſint rectæ, hoc jam libro tertio abunde narratum eſt. Hæc itaque duo, ut dudum viſa, ita dudum rejecta a me ſunt.

§. 29. Nonnulla & quidem fere alia non adeo pridem vidi a doctiſſimo Arniſæo noſtro adducta in medium contra Angelum Segnium in relectionibus politicis l. 2. c. 4. ſect. 1. n. 8. & 9. Quorum ſummam duntaxat nunc recitabimus, quum ſint prolixiora. *Primum* eſt, ſeptimum & octavum librum non eſſe illam ab Ariſtotele quarto libro dictam de ariſtocratia commentationem, quia in hisce libris nulla fiat ariſtocratiæ mentio, multo minus ad illum modum, quo ſcribit Ariſtoteles de ariſtocratia a ſeſe actum eſſe. Quæ enim in ſeptimo & octavo libro pertractantur, & quæ reliqua perierunt, illa non tantum ad ariſtocratiam, ſed ad omnem bene inſtitutam rempublicam pertinere; nec definitionem autem ariſtocratiæ, nec ſpecierum ejus diviſionem adferri, prout Ariſtoteles tamen verſatus eſt circa reliquas rerumpublicarum formas, & res ipſa poſtulabat. *Alterum* eſt, quod ipſemet Ariſtoteles l. 7. cap. 4. affirmet, jam tum a ſeſe de cæteris rebuspublicis actum eſſe: quod tamen non vere dici potuit, niſi quartus, quintus & ſextus præceſſerint. *Tertium* eſt, quod methodus analytica violata fuiſſet ab Ariſtotele, ſi omnem de optimæ republicæ conſtitutione doctrinam tertio ſtatim libro ſubjunxiſſet. *Quoniam* (inquit) *in fine libri tertii & principio libri quarti proponere debuit Ariſtoteles finem totius diſciplinæ, qui conſiſtit in formis rerumpublicarum: In libro vero ſeptimo & octavo aggreditur explicationem mediorum, quibus opus eſt ad finem beatum aſſequendum, ſeu rempublicam quamque probe effingendam: aliud vero eſt, finem ipſum conſiderare, aliud media, quæ producendo fini inſerviunt. Quartum* eſt: *quod in toto libro ſeptimo* (iterum verba ſunt ipſa Arniſæi) *nullibi diſtinguat Ariſtoteles genera nobilitatis, quæ tamen a ſe in tractatu de ariſtocratia propoſita & explicata fuiſſe, dicit quarto politicorum cap. 3.*

§ 30. Hæc fere ſunt, quæ Arniſæus Angeli Segnii ſententiæ, quam noſtram fecimus, oppoſuit: docta quidem omnia & ſpecioſa ſatis, non idonea tamen turbandis noſtris. Nam ad id quidem, quod *ſecundo* loco fuit adductum, jam tum paulo ante ſatis eſt a nobis reſponſum. Itidem jam oſtendimus, ab Ariſtotele libri ſeptimi octavo capite actum de partibus civitatis, mutilum tamen illum locum omnem eſſe, ac proinde non eſſe mirum, ſi non omnia, quæ cap. 3. Politicor. libro quarto dicuntur, jam adducta in doctrina de ariſtocratia, ibi ſatis explicare continerantur. Quo ipſo cadit *ultima* Arniſæi dubitatio.

§. 31. Faciles vero ſunt confutatu & reliquæ ejus objectiones. Ut enim de *prima* prius agamus. Concedimus ab Ariſtotele ſeptimo octavoque libris non eſſe actum de omni ariſtocratia. Non etiam hoc neceſſum erat, ſed debuit agi περὶ ἀρίςης πολιτείας: quæ κατ᾽ ἐξοχὴν καὶ ἁπλῶς eſt ariſtocratia. De hac ſola ſibi jam ante quartum librum eſſe actum affirmat Ariſtoteles diſerte libro iſtoc quarto cap. 2. & 7. de reliquis ariſtocratiis ita vulgo appellatis agit ipſo libro quarto & quidem capite ſeptimo. Non alio indubie ſenſu accipi vox ἀριςοκρατίας debet etiam cap. 3. ejusdem libri, quando ἐν τοῖς περὶ ἀριςοκρατίας dicitur traditum eſſe de neceſſariis civitatis partibus. Etſi igitur libro ſeptimo vox ἀριςοκρατίας non reperiatur: περὶ ἀρίςης tamen πολιτείας omnem iſtam doctrinam occupari, & res ipſa loquitur, & paſſim aſſeritur, & initio ſtatim diſerte ſignificatur. Certe ἀρίςης πολιτείας voce in omni illa tractatione nihil eſt frequentius. Quæcunque vero Ariſtoteles dicit a ſe acta eſſe ἐν τοῖς περὶ ἀριςοκρατίας, illa partem magnam hodieque reperiri in ſeptimo & octavo libro, jam a nobis eſt oſtenſum. Falſiſſimum porro eſt, omnem libri ſeptimi & octavi doctrinam pertinere ad quamvis bene inſtitutam rempublicam. Soli enim illi, quæ omnium eſt optima, iſta, quæ ibi commendantur, inſtituta conveniunt: id quod paſſim diſerte Ariſtoteles ipſe inculcat: unde & cap. 4. libri ſeptimi incipit agere de hypotheſibus τῆς μελλούσης κατ᾽ εὐχὴν συνιςάναι πόλεως.

§. 32. Quæ

Digitized by Google

§. 32. Quæ *tertio* loco objicit Arniſæus, obſcuriora ſunt. Nec enim facile apparet, quomodo ille velit ab Ariſtotele obſervatam eſſe analyticam methodum. Ex adverſo, ſi communem doctrinam de ſpeciebus rectarum rerumpublicarum ſubſequatur ſtatim tractatio de optima republica recte inſtituenda, ordine recto procedere doctrinam civilem, haud difficile eſt perſpectu. Ipſemet ſane Arniſæus illo ipſo capite quarto pulchre docet, rempublicam vocem eſſe, quæ prædicetur de variis ſpeciebus non niſi *καθ' ἕν*, ſeu (ut ipſe latinæ ſcholæ ſequutus morem loquitur) analogice, de optima autem præcipue & primo: præcipuum autem analogatum prius eſſe explicandum: ac proinde de optima republica primo loco & potiſſimum agendum eſſe. Id quod omni ex parte illi ordini, quem nos profitemur, ab Ariſtotele eſſe obſervatum, convenit; non autem, ſi demum poſt illa, quæ quarto, quinto & ſexto libris continentur, de optima doctrina actum fuerit. Similiter analyticus ille ordo, poſt tractatum de fine agendi, de mediis ad finem conſequendum neceſſariis, itidem maxime conſpicuus eſt, facta illa librorum ex noſtra ſententia diſpoſitione In communi enim expoſito in libro tertio fine interno civilis ſocietatis, ſuccedit mox doctrina de optimæ reipublicæ inſtitutis, ſive de mediis conſequendi rempublicam optimam. Cujus reipublicæ inſtituta ſeorſim a reliquis ſunt docenda, quoniam illa reſpublica plurimum ab omnibus eſt diverſa.

§. 33. Igitur nec arniſæanæ objectiones pronunciatæ a nobis ſententiæ vim frangunt. Ac proinde nihil eſt reliquum, quod nos in ejus defenſione amplius moretur.

## CAP. VI.

### *Series & argumentum librorum ſeptimi & octavi. Videri item quatuor ulterius libris de optima republica eſſe actum, ſed qui perierint.*

§. 1.

Quaſi ergo ratum & conſtitutum habeatur, poſt doctrinam de ſpeciebus rerumpublicarum ſequi alium de optimæ reipublicæ conſtitutione, quam ex parte ſeptimus atque octavus liber pertractat. Noſtrum jam fuerit docere, quod utriusque libri capitum argumentum, quæ doctrinæ ſeries ibi obſervata, quo illa usque ſit progreſſa, quave parte deficiat.

§. 2. Ac ſeptimi quidem atque octavi libri *ἀκολουθία* facillima eſt ac clariſſima. Primis enim tribus capitibus procemii modo afferuntur nonnulla de vita feliciſſima: utpote ſine quibus de beatiſſima republica commode non poſſit diſputari. Hanc vero rationem ipſe reddit initio illius ſeptimi libri: *Qui de optima republica recte volet diſputare, ante omnia ei definiendum, quæ vita ſit maxime expetenda, eo namque ignoto, ut optima quoque ignoretur reſpublica neceſſe eſt.*

§. 3. Igitur *capite primo* docet, vitam cum virtute & rerum ſufficientia conjunctam eſſe omnium feliciſſimam. Quoniam autem ita nondum liquet, an hoc verum ſit etiam de civili aliqua multitudine, perinde ut de ſingulis hominibus, ſtatim *capite ſecundo* quæſtionem hanc ita proponit: *πότερον δὲ τὴν εὐδαιμονίαν αὐτὴν εἶναι φατέον ἑνός τε ἑκάστου τῶν ἀνθρώπων καὶ πόλεως, ἢ μὴ τὴν αὐτήν, λοιπόν ἐστιν εἰπεῖν.* Agitatur vero hæc controverſia capite iſthoc ſecundo non tantum, ſed etiam *tertio.* Itaque tertium caput hisce verbis clauditur: *ὅτι μὲν οὖν τὸν αὐτὸν βιόν ἀναγκαῖον εἶναι τὸν ἄριστον ἑκάστῳ τε τῶν ἀνθρώπων καὶ κοινῇ ταῖς πόλεσι, καὶ τοῖς ἀνθρώποις, φανερόν ἐστιν.*

§. 4. Hactenus itaque illud, quod commune quaſi fundamentum eſt doctrinæ de republica optima, fuit ita traditum. Ad ipſam ſcilicet rem Ariſtotelem hactenus non eſſe aggreſſum, docet res ipſa. Diſertis vero verbis etiam ipſe id profitetur initio capitis quarti: *ἐπεὶ*, inquiens, *δὲ πεφροιμίασαι τὰ νῦν εἰρημένα περὶ αὐτῶν.*

§. 5. Ab illo autem quarto capite usque ad octavum jam agit Ariſtoteles de requiſitis ejus civitatis, quæ optimæ & qualem quis optaverit, adminiſtrationis capax eſſe poſſit. Neque enim quælibet civitas ſimpliciter optimæ illius reipublicæ poteſt fieri particeps, ſed illa tantum, quæ a Deo iſthæc omnia eſt conſequuta, quæ huc requiruntur. Ipſemet mentem hanc ſuam hisce verbis exponit cap. IV. *ἀρχὴ τῶν λοιπῶν εἰπεῖν πρῶτον, ποίας τινὰς δεῖ ὑποθέσεις εἶναι περὶ τῆς μελλούσης κατ' εὐχεὶν συνεστάναι πόλεως: οὐ καὶ οἷόν τε πολιτείαν γίνεσθαι τὴν ἀρίστην ἄνυ συμμέτρου χορηγίας. διὸ δεῖ πολλὰ προυποτεθεῖσθαι καθάπερ εὐχομένους.* Hujus igitur generis ſunt, quæ diſputantur de magnitudine, regione, agro civitatis; de civium indole, diſtributione, numero; de ſitu denique urbis, ejusque cum mare communione. Diſputantur hæc autem (uti ante dixi) totis quatuor capitibus, & quidem hoc ordine.

§. 6. Quandoquidem in quarto capite dicitur, *ἐστὶ πολιτικῆς χορηγίας τι τε πλῆθος τῶν ἀνθρώπων, πόσους τε καὶ ποίους τινὰς ὑπάρχειν δεῖ φύσει καὶ κατὰ τὴν χώραν ὡσαύτως, ὅσην τε εἶναι καὶ ποίην τινὰ ταύτην*: hinc *capite* iſthoc *quarto* agitur de optando civium numero, aut civitatis optimæ juſta magnitudine: definitque illa diſputatio hisce verbis: *περὶ μὲν οὖν μεγέθους πόλεως διωρίσθω τὸν τρόποι τοῦτον.*

§. 7. *Quintum caput* ſic incipit: *παραπλησίως δε καὶ τὰ περὶ τῆς χώρας ἔχει.* Cum autem illo capite nonnulla egiſſet de agri qualitate & forma, addit aliquid de ſitu civitatis. *Τῆς δὲ πόλεως τὴν θέσιν εἰ χρὴ ποιεῖν κατ' εὐχήν, πρός τε τὴν θάλατταν προσήκει κεῖσθαι καλῶς, πρός τε τὴν χώραν.* Eaque occaſione *capite ſexto* diſſerit de communione maris, nempe utrum & illa in votis eſſe debeat beatæ primæ civitati, & in quantum. Quas proinde diſputationes claudit hisce verbis ſub finem ſexti illius capitis: *περὶ μὲν οὖν χώρας, καὶ λιμένων καὶ πόλεων* (ſed hæc vox fortaſſis eſt mendoſa) *καὶ θαλάττης, καὶ περὶ τῆς ναυτικῆς δυνάμεως, ἐστι διωρισμένα τὸν τρόπον τοῦτον.*

§. 8. Hisce

Digitized by Google

§. 8. Hiſce verbis ſtatim ſubjungit: περὶ δὲ τοῦ πολιτικοῦ πλήθους, τίνα μὲν ὅρον ὑπάρχειν χρὴ, πρότερον εἴπομεν· ποίους δέ τινας τὴν φύσιν εἶναι δεῖ, νῦν λέγωμεν. Et vero illud de numero civium quarto capite explicaverat, jam *ſeptimo* itaque agit de ea, quæ optari merito debet, civium qualitate naturali.

§. 9. Ita vero finiri tractationem illam quarto capite inſtitutam, docet epilogus capitis ſeptimi: περὶ μὲν οὖν τῶν πολιτευομένων, πόσους τε ὑπάρχειν δεῖ καὶ ποίους τινὰς κατὰ φύσιν. ἔτι δὲ τὴν χώραν πόσην δὲ τινὰ, καὶ ποίαν τινὰ, διώρισται σχεδόν. Clauditur vero eo ipſo & omnis tractatio de hypotheſibus feliciſſimæ civitatis: Eoque in iis, quæ ſequuntur, jam agitur de inſtitutis civilibus, per quæ civitas adſpirans ad omnibus numeris abſolutam beatitudinem ſcopi propoſiti fieri particeps poſſit.

§. 10. Cæterum futuræ tantæ rei exordium, quale alias ab Ariſtotele dari ſolet, non reperitur capite octavo, itaque non dubito affirmare, quædam heic periiſſe. Et vero totum illud caput paſſim obſcurum eſt, nec cohæret ſermo: ut proinde lacunis & hiatu multiplice laboret.

§. 11. Agit vero primum Ariſtoteles capite octavo, nono & parte decimi, de civibus beatiſſimæ illius reipublicæ, quinam ſcilicet inter eos, ex quibus civitas omnis neceſſario conſtituitur, vere debeant & eſſe, & cenſeri cives. Hanc enim rem ut recte conſtitueret, *capite octavo* diſſerit de neceſſariis civitatis cujusque hominibus. Ex illis *capite nono* veros cives veraque membra optimæ reipublicæ eligit. Quare ſub finem hujus capitis inquit: Ὧν μὲν τοίνυν ἄνευ πόλις οὐ συνίσταται, καὶ ὅσα μέρη πόλεως, εἴρηται. *Capitis decimi* parte priore tantum docet, ſuam ſententiam de agricolis, opificibus & mercenariis, ex ordine civium optimæ reipublicæ & eorum, qui armis rempublicam debent propugnare, removendis, non omnino eſſe novam, ſed etiam olim Ægyptiis, Cretenſibus aliisque populis prudentioribus veniſſe in mentem.

§. 12. At vero eodem capite circa illa verba, ὅτι μὲν οὖν δεῖ τὴν χώραν, alia incipit tractatio, de diviſione nempe agrorum optimæ reipublicæ, eorumque cultoribus; quos ſcilicet excluſerat paulo ante ordine civium. Eoque ita orditur: ὅτι μὲν οὖν δεῖ τὴν χώραν εἶναι τῶν ὅπλα κεκτημένων, καὶ τῶν τῆς πολιτείας μετεχόντων, εἴρηται πρότερον καὶ διότι τοὺς γεωργοῦντας ἄλλων ἑτέρους εἶναι δεῖ; καὶ πόσην τινὰ χρὴ καὶ ποίαν εἶναι τὴν χώραν· περὶ δὲ τῆς διανομῆς καὶ τῶν γεωργούντων, τίνας καὶ ποίους εἶναι χρὴ, λεκτέον πρῶτον. Ac de agri quidem diſtributione agitur usque ad verba illa. Τὴν μὲν οὖν χώραν ἀνάγκη διῃρῆσθαι τὸν τρόπον τοῦτον. Mox ſubdit vero: τοὺς δὲ γεωργήσαντας *&c.* atque adeo de cultoribus agrorum reliqua parte capitis diſſeritur.

§. 13. Fortaſſis tamen aliquid hic deeſt. Nec enim videntur omnia doceri, quæ de ſervis ruſticis optimæ reipublicæ obſervanda ſunt: non clauditur etiam more ſolito hæc doctrina & præparatur tranſitus ad doctrinam de urbe probe conſtituenda. Eſt autem hoc argumentum *capitis undecimi* & *duodecimi*, usque ad illa: Μεμιμῆσθαι δὲ χρὴ, ubi paucula adjiciuntur de proba compoſitione publicorum ædificiorum per agrum. Quam omnem doctrinam claudit hiſce: *Verum terere nunc tempus, exquirentes & dicentes de his, ſupervacaneum eſt: non enim hujusmodi arduum eſt intelligere, ſed potius efficere. Dicere namque optati eſt opus, contingere autem fortunæ. Quare de hujusmodi rebus pluribus diſſerere omittatur modo.*

§. 14. Capite *decimo tertio* ſic loqui incipit: περὶ δὲ πολιτείας αὐτῆς ἐκ τίνων καὶ ποίων δεῖ συνεστάναι τὴν μέλλουσαν ἔσεσθαι πόλιν μακαρίαν, καὶ πολιτεύεσθαι καλῶς, σκεπτέον. Inde ergo incipit ipſa de optima republica doctrina. Poſſet vero hinc commodiſſime & octavus liber exordium capere: quo nimirum ſeptimus reſpondeat primo, qui & ipſe tantum circa materiam civitatis verſatur. Ita ſane olim diſtinctum fuiſſe volumen, veroſimile nobis fit, quoniam illa, quæ nunc paſſim obtinet diſtinctio ſeptimi atque octavi libri, non videtur ſatis proba. Nec tamen quidquam definimus, obſtante exemplarium conſenſu, in re haud magni momenti. Potius ſeriem libri monſtrare pergemus.

§. 15. Habet autem illa ſeſe quam optime. Quum enim docuiſſet iterum parte prima *capitis decimi tertii*, beatam illam demum eſſe rempublicam, cui ſcopus eſt omnium civium ſuorum probitas, parte altera ocyus incipit agere de mediis, quibus illum finem liceat comparare. Τοῦτο ἄρα, inquit, σκεπτέον, πῶς ἀνὴρ γίνεται σπουδαῖος. Definit vero ibidem, & natura, & conſuetudine & ſana ratione iſthuc ipſum fieri poſſe.

§. 16. Quoniam vero non pari modo debent eſſe virtutibus inſtructi illi, quibus tantum obtemperare eſt datum, cum iis, quos oportet præeſſe reipublicæ atque illam regere, diſciplina vero, ſive inſtitutio, atque educatio neceſſario debet conformis eſſe virtutibus obtinendis; quo tota ratio inſtituendi pateat clarius, *capite decimo quarto* ante inquirit, an in optima republica iidem debeant parere atque præeſſe. Quam rationem ibi tractandæ illius quæſtionis ipſemet adducit initio capitis.

§. 17. Hoc autem agit usque ad illa verba capitis XIV. ἐπεὶ δὲ πολίτου καὶ ἄρχοντος τὴν αὐτὴν ἀρετὴν εἶναί φαμεν καὶ τοῦ ἀρίστου ἀνδρὸς. *&c.* Ubi omnino nova capitis ſectio eſt inſtituenda. Inde enim jam incipit docere, quasnam virtutes ſectari cives oporteat; nempe non tantum bellicas, ſed etiam, & quidem præcipue illas, quarum in pace atque otio uſus eſt. Contra enim licet perſuaſum fuerit Græcis & cumprimis Lacedæmoniis, qui credebantur quam optime inſtitutam habere rempublicam, illos tamen graviter eſſe hallucinatos.

§. 18. Hac doctrina autem non tantum occupatur caput quartum decimum, ſed ulterius etiam pars prior *capitis decimi quinti*, usque ad illa verba: ἐπεὶ δὲ μείζω τὰ ἀγαθά. Qui locus tamen mendoſus videtur, ut innumeri alii. Concluſionem autem præcedentis diſſertatio-

nis ibi eſſe & initium novæ, indicant illa: φανερὸν ἐκ τούτων· πῶς δὲ καὶ διὰ τίνων ἔσαι, τοῦτο δὴ θεωρητέον. Hactenus nimirum docuerat, ad quas virtutes cives ſint a legislatore inſtituendi: inde vero jam incipit de mediis parandarum virtutum diſſerere. Ita tamen, ut capitis decimi quinti illa ultima parte potiſſimum doceat, quis ordo ſit obſervandus in illis parandarum virtutum inſtrumentis. Nempe in univerſum, quoniam corpus anima prius ortu eſt, & inter animæ partes appetitus prior intellectu ac ratione: *quare primum* (inquit) *corporis curam neceſſe eſt priorem eſſe, quam animi, deinde curam appetitionis. Atque appetitionis quidem curam mentis gratia, corporis vero in uſum animæ.*

§. 19. Hinc igitur jam incipit nobilis illa tractatio, de cura corporis & appetitus ſenſitivi civium beatiſſimæ reipublicæ: exordio tamen facto a corporis curatione tanquam tempore prioris, eaque a primo ortu ſuſcepta. Cæterum hæc corporis curatio non poteſt probe inſtitui, niſi & illi, qui cives progeneraturi ſunt, recte ſeſe gerant, eoque hac de re agit integro *capite decimo ſexto.* Ratio hujus tractationis ipſo initio capitis illius hiſce verbis adducitur: *Si ergo legumlatoris partes ſunt, ab initio ſtatim providere, quomodo illa, quæ ali debent* (ad uſum optimæ ſcilicet reipublicæ) *corpora generentur*; *principio cura habenda erit matrimonii, quando nempe & quales in maritalem conſuetudinem debeant venire.* Hoc vero perſequitur capite iſthoc, & quidem ita, ut non niſi hactenus agat ibi de maris ac fœminæ ſocietate. Quæ ſcilicet alia de matrimoniis optimæ reipublicæ ſanciri debent, illa alias ſunt explicanda.

§. 20. Capite ſequente *ſeptimo decimo*, agitur porro de educatione jam progenitorum civium, per annos primos ſeptem. Et quidem de prima nutritione usque ad illa verba περὶ μὲν οὖν τὴν πρώτην. De educatione reliqua primi quinquennii mox usque ad illa: διελθόντων δὲ τῶν πέντε ἐτῶν. Ubi utrobique commode poſſit nova capitis ſectio inſtitui. Hinc paucis verbis diſſeritur de iis, quæ obſervanda ſunt ſexto & ſeptimo anno. Quoniam vero indubie etiam alia ad illam biennalem educationem pertinent, liquet, hanc doctrinam eſſe mutilam. Quod ipſum indicat quoque ipſa ſermonis mala connexio.

§. 21. Sub finem denique capitis illius fit quædam præparatio ad doctrinam de inſtitutione tenerorum civium usque ad annum ætatis viceſimum primum. Quæ nimirum duas in partes quaſi ſit ſecanda; quarum prior verſetur circa inſtitutionem usque ad pubertatem, altera circa eam, quæ a pubertate ad viceſimum primum annum eſt obſervanda. Eſt autem & hæc introductoria doctrina manca admodum ac male mutuo connexa. Extremis tamen verbis perſpicue proponitur argumentum ejus, quod ſtatim proxime expediendum erat.

§. 22. Finit ergo caput illud XVII. Ariſtoteles hiſce verbis: *Primum igitur videndum erit, num quis ordo in pueros ſit ſtatuendus: Deinde, publice, an privatim, ut nunc in plerisque civitatibus fit, curam puerorum habere oporteat: Tertio, qualis demum ſit ea inſtituenda.* Et vero haſce quæſtiones convenienter hoc loco proponit tractandas: utpote quum a ſeptimo demum anno ex Ariſtotelis ſententia incipere debeat diſciplina & inſtitutio juventutis.

§. 23. Cæterum hoc jam eſt argumentum OCTAVI LIBRI, prout ille nobis hodie eſt in manu. Nam priores quidem duæ quæſtiones deciduntur capite primo. Tertia agitatur reliquis capitibus.

§. 24. Hinc *caput primum* ita incipit: ὅτι μὲν οὖν τῷ νομοθέτῃ μάλιςα πραγματευτέον περὶ τὴν τῶν νέων παιδείαν, οὐδεὶς ἂν ἀμφισβητήσειε. Non multo poſt ſcribitur: δεῖ δὲ τῶν κοινῶν κοινὴν ποιεῖσθαι καὶ τὴν ἄσκησιν. Clauditur denique hoc caput hiſce verbis: ὅτι μὲν οὖν νομοθετητέον περὶ παιδείας, καὶ ταύτην κοινὴν ποιητέον, φανερὸν.

§. 25. *Caput ſecundum* incipit ita: Τίς δ᾽ ἐςὶν ἡ παιδεία καὶ πῶς χρὴ παιδεύεσθαι, δεῖ μὴ λανθάνειν.

§. 26. Agitur vero de diſciplinis, quibus inſtituenda ſit pueritia in genere quidem illo *ſecundo, tertio & quarto* capitibus, ſæpius obſcure, ſed vitio depravatorum codicum.

§. 27. A capite autem *quinto* usque inde ſeorſim de muſica tractatur. Quoniam plurimi aut dedecere illam omnem credebant libere natos homines: aut vero omnem promiſcue arbitrabantur eſſe diſcendam: aut denique vel hanc vel illam muſicæ ſpeciem eſſe fugiendam ingenue natis & ad optimam rempublicam aſpirantibus. Ipſemet hanc ſingularem de muſica diſputationem orditur initio capitis quinti in hunc modum: περὶ δὲ μουσικῆς ἔνια μὲν διηπορήσαμεν τῷ λόγῳ καὶ πρότερον· καλῶς δὲ ἔχει καὶ νῦν ἀναλαβόντας αὐτὰ προαγαγεῖν, ἵνα ὥσπερ ἐνδόσιμον γίνηται τοῖς λόγοις, οὓς ἄν τις εἴποιεν ἀποφαινόμενος περὶ αὐτῆς.

§. 28. Etſi autem varia in controverſiam veniant de re muſica, eaque Ariſtoteles *quinto, ſexto & ſeptimo* capitibus acute & ſumma cura tractaverit; attamen omnis iſthæc diſſertatio paſſim per eſt obſcura & intricata præ mendis & lacunis, quibus ſermo omnis laborat; non etiam vel ſic ad ſuum finem deducta illa eſt, quod extrema libri verba ſatis indicant, etſi a commentatoribus ſit diſſimulatum. Tam paucis vero abſolvitur is, qui nunc ita vulgo audit LIBER OCTAVUS: indubie, quoniam reliqua interciderunt.

§. 29. Et vero poſt illa, quæ ſuperſunt in octavo libro, jam quædam deficere, omnes conſentiunt. Sunt autem, qui defectum exiſtiment eſſe tantum paucorum capitum. Alii longe plura deſiderant. Inter quos Cyriacus Strozza vir græce & latine doctiſſimus, duos integros libros cenſuit ſibi addendos eſſe, quo deperdita reſarciret.

§. 30. Manifeſtum autem vel ex ſuperioribus eſt, plurima intercidiſſe. Inſtituit enim Ariſtoteles omnem optime rempublicam adminiſtrandi rationem accurate docere: & tamen ejus doctrinæ vix primordia hodie ſuperant. Nihil enim agitur de adminiſtratione civitatis opti-

Digitized by Google

optimæ, nihil de ejus magiſtratibus, nihil de judiciis, nihil de conſiliis, nihil de ipſius aut mutationibus aut conſervatione. Præterea ipſemet X. cap. ultimi Ethicorum, uti & VII. Polit. monet, ad optimæ reipubl. conſtitutionem requiri, ut legibus cuique ætati ſua ſtudia atque officia præſcribantur. Quin, ipſo tacente, id poſtulari quilibet dixerit. Et tamen hic ne quidem illa omnia traduntur, quæ ad pubertatis annos ſunt agenda. Etſi enim doceatur, quibus diſciplinis exerceri conveniat illam ætatem: non tamen docetur, quo id ordine fieri debeat, aut quo modo, quæque alia illius ſunt generis. Porro & de inſtitutione juvenum, virorum, ſenum, plane nihil legimus. οὐχ ἱκανὸν δ' ἴσως νέους ὄντας τροφῆς καὶ ἐπιμελείας τυχεῖν ὀρθῆς· ἀλλ' ἐπειδὴ καὶ ἀνδρωθέντας δεῖ ἐπιτηδεύειν αὐτὰ καὶ ἐθίζεσθαι, καὶ περὶ ταῦτα δεοίμεθ' ἂν νόμων. Nihil etiam videmus de ſocietate conjugali, quomodo illa quam optime debeat exerceri, aut vero quomodo gerere ſe fœminæ debeant, quæ alteram civitatis partem conſtituunt, quasque non bene inſtitutas ſpartanam rempubl. perdidiſſe ipſemet Ariſtoteles Lycurgo objicit. Et tamen cum per ſe manifeſtum eſt, de his agendum fuiſſe, tum promittitur hæc doctrina cap. ult. L. 1. Politicorum. *De viro autem & muliere, ac liberis & parente, quæ ſingulatim eorum ſit virtus, quæque ſit inter ipſos conſuetudo, quid rectum ſit, quid pravum, & quemadmodum quod rectum quidem perſequi oporteat, quod pravum fugere; in iis, quæ de republica neceſſario ſunt explicanda.* Ad hoc ipſemet VII. Polit. cap. V. promittit ſeſe dicturum iterum accurate de familiari, quanta illa oporteat eſſe in repubL. lectiſſima. Verum & hoc deſideratur. Ejusdem libri cap. X. ſcribit: *Quomodo autem ſervis utendum ſit, & cur eis libertatem præmium proponere conveniat, poſtea diſſeremus.* Deſideratur autem etiam illud. Octavo denique ipſomet hoc libro promittit, acturum ſeſe de rythmo ac harmonia: nec tamen de rythmo quidquam legitur. Etiam hoc ergo intercidit, una cum multis aliis, quæ nunc recenſere ſupervacanei fuerit laboris. Quam ſane varia ad doctrinam de optima republica pertineant, de quibus nihil nunc ſuperſit, doceant facile quemvis libri de legibus & de republica platonici. Et tamen indubie ab Ariſtotele etiam illa omnia ſunt pertractata.

§. 31. Tantum vero deſiderium quis crediderit, paucis capitibus, imo quis dixerit duobus libris expletum fuiſſe? præſertim, qui videat Ariſtotelem tam prolixum eſſe circa iſthæc initia. Ego vero lacunæ illius magnitudine, non tantum confirmor in ea, quam capite ſecundo defendi, ſententia, quatuor nobis libros deeſſe; verum etiam inducor credere, illis quatuor de optima republica ſola eſſe diſputatum.

§. 32. Aliquot ſane libros integros deeſſe huic doctrinæ, judicavit jam ante nos & Felix Accorombonus, vir doctiſſimus, initio pariter & fine ſuarum in politica Ariſtotelis annotationum. Et tamen cenſuit ille, ſeorſim ab Ariſtotele conſcriptos eſſe libros de magiſtratibus. Quum vero talium librorum nulla omnino fiat mentio in omnibus antiquis monumentis, nec difficulter liqueat, illam de magiſtratibus doctrinam ad ipſam civilem doctrinam pertinere, indubie & ipſe, ſaltim quatuor libros doctrinæ de repubL. optima deeſſe, non invitus fateatur. Non multum vero diſſenſit fortaſſis a nobis & Petrus Victorius. Faſſus quippe hic eſt, præfatione in ſuas notas anno ſuperioris ſeculi quinquageſimo ſecundo editas, *optimam & perfectiſſimam partem hujus ſcriptionis deſiderari.*

## CAPUT VII.

### *Series & argumentum Librorum Quarti, Quinti & Sexti.*

§. 1.

VErum de illa parte politici noſtri operis, quæ circa optimam verſatur rempubl. ſatis eſt dictum. Pergendum nunc ad quartum, quintum & ſextum librum; qui rectius decimus, undecimus, & duodecimus appellarentur.

§. 2. A QUARTO autem libro novam prorſus doctrinam capere initium nemo non videat, qui ſaltim obſervarit, quam prolixe capite primo & ſecundo προπαιδεία ſequentis doctrinæ tradatur. Quintum autem & ſextum librum huic proxime ſubjungi, adeoque tres illos libros junctim aliam partem politicæ tractationis exigere, id vero paulo poſt liquebit clarius.

§. 3. Non adducam autem huc in medium, quæ illo quarti libri capite primo docentur προπαιδευτικά. Totum enim caput adducendum eſſet. Summa ejus eſt. Quemadmodum in omnibus artibus ac ſcientiis, quæ circa integrum aliquod genus verſantur, agi ſolet non tantum de eo, quod optimum ſimpliciter eſt, ſed etiam quid ſingulis uno genere comprehenſis poſſit expedire: ita & politico non ſatis eſſe debet, optimæ tantum reipubl. inſtitutionem docuiſſe, ſed etiam de aliis, ſi quæ poſſint convenire, eſt agendum. Neque enim omnis civitas optimæ reipubl. eſt capax. Oportet vero politicum & omnibus, quæ offeruntur rebuspublicis, quantum fieri liceat, poſſe opitulari. Quapropter neceſſarium eidem quoque fuerit, omnes omnino differentias rerumpubl. accurate cognoſcere.

§. 4. Ut igitur omnium plane rerumpubl. curam habeat Politicus, nec tantum ſciat, quomodo optima civitas ſit adminiſtranda, ſed & alia quæque inferioris conditionis, cujuscunque etiam fuerit, (ſatius enim eſt aliquam habere rempubl. quam nullam) tria ſibi explicanda proponit Ariſtoteles capite ſecundo. Quæ quoniam continent argumentum quarti & quinti libri, non abs re forte fuerit heic adſcribere. *Nobis autem* Primum *quidem diſtinguendum, quot rerumpubl. ſint diſcrimina; ſi plura & democratiæ & oligarchiæ ſunt genera.* Deinde *quæ maxime communis, quæque maxime poſt optimam expetenda: atque ſi qua alia ſit* ἀριστοκρατικὴ *& bene conſtituta, quænam ſit quam pluri-*



Digitized by Google

*mis civitatibus conveniens: ac porro aliarum quæ quibus expetenda. Nam his quidem Democratia magis fortaſſe, quam Oligarchia ſit neceſſaria: his vero hæc magis, quam illa,* Poſtea *quemadmodum is, qui has reſpubl. velit conſtituere, id facere debeat; Democratias inquam in ſuo quamque genere & rurſus oligarchias.* Poſtremo *horum omnium brevi facta mentione, danda erit opera, ut explicemus, qui interitus ac conſervationes ſint rerumpubl. & communiter & ſeparatim, quasque ob cauſas & maxime fieri ſoleant.*

§. 5. Hoc inquam argumentum eſt duorum librorum quarti & quinti, hic eorum eſt ordo. Atque prima & ſecunda quidem harum diſputationum pars abſolvitur usque ad caput XIV. *Libri quarti.* Concluditur enim illa decimo tertio capite hiſce verbis: *Quam igitur ob cauſam plures ſint reſpublicæ, & quare præter eas, quæ dicta erant, ſint aliæ (neque enim una eſt democratia, nec item aliæ) quæ porro earum ſint differentiæ, quamque ob cauſam: ad hæc quænam ſit plærumque optima rerumpublicarum: reliquarum denique, quæ quibus conveniat, dictum eſt.* Tertiam partem tradit tribus ultimis capitibus: Quartam vero integro libro quinto.

§. 6. Sed ſeries illarum diſputationum omnium nunc monſtranda eſt. Igitur initio usque ad XI. caput exponuntur diſcrimina variarum democratiarum, oligarchiarum, ariſtocratiarum, politiarum & tyrannidum. Quæ doctrina reſpondet libri tertii potiori parti, quæ nempe eſt a capite usque quarto. Adeo autem clare eſt illorum capitum ordo ab ipſo Ariſtotele propoſitus, ut de illo quid addere, fuerit prope, quod ajunt, lucem ſoli fœnerari.

§. 7. Agitur nimirum de differentiis rerumpublicarum earumque cauſſis primum in genere, capite *tertio* & *quarti* aliqua parte usque ad illa verba: ὅτι μὲν οὖν εἰσὶ πολιτεῖαι πλείους: deinde ſpeciatim magis ab illis usque verbis quarti capitis ad undecimum.

§. 8. In communiore iſta tractatione ante omnia docet illud, quod habetur initio capitis Tertii: τοῦ μὲν οὖν εἶναι πλείους πολιτείας αἴτιον, ὅτι πάσης ἐστὶ μέρη πλείω πόλεως τὸν ἀριθμόν. Hanc doctrinam claudit medio capite quarto, & novam proponit hiſce verbis, ubi nova ſectio capitis merito erat inſtituenda. ὅτι μὲν οὖν πολιτεῖαι πλείους, καὶ δι' ἣν αἰτίαν εἴρηται· διότι δὲ πλείους τῶν εἰρημένων, καὶ τίνες, καὶ διὰ τί λέγωμεν. Poſterior vero illa tractatio deſinit demum ejusdem capitis illo loco ante laudato, ubi iterum nova capitis ſectio jure erat facienda.

§. 9. Hanc igitur communiorem doctrinam claudit, ſimulque ſpecialiorem aperit Ariſtoteles hiſce verbis: ὅτι μὲν οὖν εἰσὶ πολιτεῖαι πλείους καὶ διὰ τίνας αἰτίας, εἴρηται πρότερον. ὅτι δὲ ἐστὶ δημοκρατίας εἴδη πλείω καὶ ὀλιγαρχίας, λέγωμεν. Agitur autem de variis ſpeciebus democratiarum, & oligarchiarum, ejusque varietatis cauſſis *capitis quarti illa parte* poſteriore & integris capitibus *quinto* & *ſexto.* Deinceps aggreditur Ariſtoteles exponere diſcrimina varia ariſtocratiarum cumprimis & politiarum, ultimo denique & tyrannidum. Et quidem de ariſtocratiis præcipue & politiis ſeſe acturum, ſignificat ipſemet initio *capitis ſeptimi*: quo toto capite mox ariſtocratiæ varias differentias exponit: niſi quod & illa doctrina videatur eſſe non ſatis abſoluta, ſed mutila.

§. 10. *Capitis octavi* initio iterum dicit: λοιπὸν δ' ἐστὶν ἡμῖν περί τε τῆς νομιζομένης πολιτείας εἰπεῖν, καὶ περὶ τυραννίδος. & ſtatim prolixius ſubjungit, quare hunc ordinem tractandi obſervaverit: deinde vero agere incipit de politiis. Sed cum caput illud plurimis lacunis hiet, doctrina iſthæc omnis per eſt obſcura.

§. 11. Quid tamen egerit Ariſtoteles, ſatis perſpicue indicatur ultimis verbis capitis illius. ὅτι μὲν οὖν ἐστὶ καὶ ἕτερα πολιτείας εἴδη παρὰ μοναρχίαν τε καὶ δημοκρατίαν καὶ ὀλιγαρχίαν, εἴρηται· καὶ ποῖα ταῦτα καὶ τί διαφέρουσιν ἀλλήλων αἵ τ' ἀριστοκρατίαι καὶ πολιτεῖαι, καὶ ὅτι οὐ πόῤῥω αὗται ἀλλήλων, φανερόν.

§. 12. *Noni* capitis argumentum indicatur ipſomet capitis illius exordio. τίνα δὲ τρόπον γίνεται παρὰ δημοκρατίαν καὶ ὀλιγαρχίαν ἡ καλουμένη πολιτεία, καὶ πῶς αὐτὴν δεῖ καθιστάναι, λέγωμεν ἐφεξῆς τοῖς εἰρημένοις.

§. 13. Et vero occupatur illud in doctrina de conſtitutione politiæ, ita κατ' ἐξοχὴν ſcilicet dictæ reipublicæ: non alii tamen fini, quam ut ita poſſint videri variæ politiarum ſpecies. Clauditur vero hoc nonum caput hiſce verbis: τίνα μὲν οὖν τρόπον δεῖ καθιστάναι τὴν πολιτείαν, ὁμοίως δὲ τὰς ὀνομαζομένας ἀριστοκρατίας, νῦν εἴρηται. Quibus verbis quod dicitur, actum eſſe de conſtitutione ariſtocratiarum, non capio: niſi forte quædam perierint.

§. 14. *Decimo* denique capite agitur de ſpeciebus tyrannidis. Quod proinde ſic clauditur: Τυραννίδος μὲν οὖν εἴδη ταῦτα καὶ τοσαῦτα διὰ τὰς εἰρημένας αἰτίας. Quo ſimul finis imponitur doctrinæ de rerumpublicarum quarundam differentiis, ſive parti primæ noviter inſtitutæ doctrinæ.

§. 15. Capite autem *undecimo*, ita jam incipit: *Quæ autem optima ſit reſpubl. quæque optima ſit vita, conveniens plæriſque civitatibus & plæriſque mortalium, non aſpirantibus ad virtutem aliquam, quæ ſuperet vulgarem, aut talem aliquam conſtitutionem, quæ naturæ & fortunæ copiis indigeat, aut ad rempubl. voto optandam; ſed eam ſolum vitam, cujus plærique eſſe participes poſſunt, eamque rempubl. in qua vivere plæræque civitates aptæ ſunt: nunc dicendum.* Qualis vero debeat eſſe iſta reſpubl. majore parte hujus capitis agit, usque ad illa: τίς μὲν οὖν ἀρίστη πολιτεία καὶ διὰ τίν' αἰτίαν, ἐκ τούτων φανερόν. Ubi paucis ſubdit, quænam aliarum rerumpublicarum melior ſit, quæ deterior.

§. 16. Sequitur ſequenti capite *duodecimo*: τίς δὲ πολιτεία τίσι καὶ ποία συμφέρει ποίοις, ἐχόμενόν ἐστι τῶν εἰρημένων διελθεῖν. Eſt autem hoc ultimum eorum, quæ ad ſecundum genus propoſitarum capite ſecundo diſputationum attinent: traditurque duodecimo illo & XIII. capitibus, priore loco ſic ſatis perſpicue, obſcurius vero capite altero, quoniam illud mendis & lacunis laborat.

§. 17. Ita vero concludet Ariſtotelis caput *decimum tertium*, ut uno quaſi epiphonemate duos

Digitized by Google

duos priores diſputationum ordines finiat. Verba ejus ſunt: *διὰ τίνα μὲν οὖν εἰσιν αἰτίαν αἱ πολιτεῖαι πλείους, καὶ διὰ τί παρὰ τὰς λεγομένας ἕτεραι (δημοκρατία τε γὰρ οὐ μία τὸν ἀριθμόν ἐστι, καὶ τῶν ἄλλων ὁμοίως) ἔτι δὲ τίνες αἱ διαφοραὶ, καὶ διὰ τίνα αἰτίαν συμβαίνει· πρὸς δὲ τούτοις, τίς ἀρίστη τῶν πολιτειῶν, ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον εἰπεῖν καὶ τῶν ἄλλων ποία ποίοις ἁρμόττει τῶν πολιτειῶν, εἴρηται.*

§. 18. Cæterum *decimo quarto* capite jam incipit tertium, nempe de conſtitutione democratiarum, oligarchiarum, aliarumque ſimilium rerumpublicarum. Itaque ita præfatur Ariſtoteles: *De quaque autem rerumpublicar. iterum & communiter & ſeparatim explicemus, conveniente iis ſumpto exordio.* Etſi vero tribus illis capitibus agatur de ſumma reipubl. poteſtate, de magiſtratibus, & de judiciis: non tamen alio iſthæc ſpectant, quam tantum ad doctrinam de conſtitutione variarum illarum rerumpubl. Tres ſc. partes ſunt *περὶ ὧν δεῖ θεωρεῖν τὸν σπουδαῖον νομοθέτην, ἑκάστῃ τὸ συμφέρον. ὧν ἐχόντων καλῶς ἀνάγκη τὴν πολιτείαν ἔχειν καλῶς, καὶ τὰς πολιτείας ἀλλήλων διαφέρειν ἐν τῷ διαφέρειν ἕκαστον τούτων*, uti ipſe loquitur Ariſtot. c. XIV. Itaq; de harum trium partium conſtitutione agere, eſt agere de conſtitutione diverſarum rerumpublicarum. Quot modis enim differunt hæ partes, tot modis & reſpublicæ differunt, ac prout hæ diverſimode commiſcentur, ita & variæ rerumpublicarum miſturæ reſultant.

§. 19. Prima pars eſt *τὸ βουλευόμενον περὶ τῶν κοινῶν.* De illius diverſiſſima conſtitutione agitur capite *decimo quarto* & quidem ita, ut primum variæ differentiæ exponantur conſtituendi *τοῦ κυρίου*, pro diverſo uſu rerumpublicarum: deinde ſeorſim moneantur nonnulla, quæ ſint ſingulatim nonnullis rebuspublicis obſervanda. Hinc legas in capite illo: *Διήρηται μὲν οὖν τὸ βουλευόμενον πρὸς τὰς πολιτείας τοῦτον τὸν τρόπον, καὶ διοικεῖται ἑκάστη πολιτεία μετὰ τὸν εἰρημένον διορισμόν συμφέρει δὲ δημοκρατίᾳ τε τῇ μάλιστ᾽ εἶναι δοκούσῃ δημοκρατίᾳ &c.* Clauditur vero hoc caput his verbis: *περὶ μὲν οὖν τοῦ βουλευομένου καὶ τοῦ κυρίου δὴ τῆς πολιτείας τοῦτον διωρίσθω τὸν τρόπον.*

§. 20. Altera pars verſatur circa magiſtratus; quod eſt argumentum *capitis quinti & ſexti decimi.* Ac *capite decimo quinto* quidem agitur de varia magiſtratuum, pro rerumpublicarum vario diſcrimine, differentia. Itaque incipit: *ἐχομένη δὲ τούτων ἐστιν ἡ περὶ τὰς ἀρχὰς διαίρεσις*; & in medio capitis legitur: *ποῖαι δὲ ἀρχαὶ καὶ πόσαι ἀναγκαῖαι, εἰ ἔσται πόλις, καὶ ποῖαι ἀναγκαῖαι μὲν οὐ χρήσιμοι δὲ πρὸς σπουδαίαν πολιτείαν &c.* Capite *decimo ſexto* autem tractatur de varia ratione magiſtratuum conſtituendorum. Itaque incipit: *περὶ δὲ τὰς τῶν ἀρχῶν καταστάσεις πειρατέον ἐξ ἀρχῆς διελθεῖν.* Quæ doctrina valde quidem mutila eſt, clauditur tamen hiſce verbis: *οἱ μὲν οὖν τρόποι τῶν περὶ τὰς ἀρχὰς τοσοῦτοι τὸν ἀριθμόν εἰσι, καὶ διῄρηνται κατὰ τὰς πολιτείας οὕτω.* Mox ſubjungitur: *Τίνα δὲ τίσι συμφέρει, καὶ πῶς δεῖ γίνεσθαι τὰς καταστάσεις ἅμα ταῖς δυνάμεσι τῶν ἀρχῶν, καὶ τίνες εἰσὶν, ἔσται φανερόν.* Verum hæc quoque doctrina plane eſt trunca, ita ut vix exordium ejus ſit reliquum.

§. 21. Tertia pars eſt in judiciis poſita. Ea de diſputatur capite *decimo ſeptimo*: *λοιπὸν δὲ τῶν τριῶν τὸ δικαστικὸν εἰπεῖν.* Non ſubjungitur autem colophonis loco, more ſolito, repetitio ejus, quod actum eſt; credo, quoniam pars ejus quoque capitis interiit. Nonnulla quippe & alia partim falſa, partim obſcura in omni hac diſputatione ſunt, præ lacunis & mendis noſtrorum codicum. Non tamen multa ſub finem deficere, argumento eſt, quod ipſemet Ariſtoteles ſupra capite ſecundo, poſt doctrinam de conſtitutione ſtatim ſubjuncturum ſeſe pollicitus ſit doctrinam de conſervatione & mutatione rerumpubl. quodque libri ſexti capite primo itidem illa proxime jungantur.

§. 22. Cæterum argumentum libri quarti ita eſto expoſitum. Libri porro QUINTI aut rectius undecimi, argumentum ſtatim initio ejus adducitur: *Ergo de aliis quidem, de quibus conſtitueramus, dictum fere eſt omnibus: quibus autem ex rebus & quot numero & qualibus reſpublicæ mutantur, quique ſingularum rerumpublicar. ſit interitus, & ex quibus in quas maxime mutentur: præterea quæ ſint conſervationes & communiter omnium & ſeorſim ſingularum: porro per quæ quæque reſpublica maxime conſervetur: videndum eſt deinceps.* Hoc ſcilicet ultimum eſt eorum, de quibus ſeſe acturum Ariſtoteles inſtituit *capite 2. libri quarti.*

§. 23. Primis vero *capitibus quatuor*, agit ille in genere de cauſis mutationum earum, quæ in rebuspublicis illis non usque adeo bene inſtitutis ſolent contingere. Itaque hiſce verbis caput iſthuc quartum terminat: *In omnibus ergo rebuspubl. abſolute mutationes, ex cauſſis ſupra expoſitis accidere ſolent.* Quintum autem caput ita incipit: *Quæ in ſingulis vero rebuſpubl. accidant, ex his facta partitione conſideranda ſunt. Ergo Democratiæ quibus maxime. &c.* Tribus vero ſequentibus capitibus de mutationibus agit rerumpublicar. illarum debilium ſeparatim, quæ quidem vel ab omnibus vel a multis adminiſtrantur. Itaque ſeptimi capitis extremo finis quoque imponitur doctrinæ de mutationibus hiſce verbis: *Mutationes igitur rerumpubl. & ſeditiones unde exſiſtant, fere explicatum.*

§. 24. Fiunt autem hæc iſthoc ordine, ut agatur de mutationibus democratiarum ſive popularium ſtatuum *capite quinto*, oligarchiarum *capite ſexto*, ariſtocratiarum & politiarum *capite ſeptimo.* Hinc quintum caput clauditur hiſce verbis: *τῶν μὲν οὖν δημοκρατιῶν αἱ μεταβολαὶ γίγνονται πᾶσαι σχεδὸν διὰ ταύτας τὰς αἰτίας.* Sextum incipit: *αἱ δ᾽ ὀλιγαρχίαι μεταβάλλουσι διὰ μάλιστα τρόπους τοὺς φανερωτάτους.* Deſinit vero ita: *αἱ μὲν οὖν ὀλιγαρχίαι μεταβάλλουσι καὶ στασιάζουσι διὰ τοιαύτας αἰτίας.* Septimi initium eſt: *ἐν δὲ ταῖς ἀριστοκρατίαις γίνονται αἱ στάσεις.* Clauditur vero illud caput iſthac formula, quam paulo ante latine verſam adduximus: *ὅθεν μὲν οὖν αἱ μεταβολαὶ γίνονται τῶν πολιτειῶν καὶ αἱ στάσεις, εἴρηται σχεδόν.*

§. 25. Huic doctrinæ ſubjungitur altera de conſervatione rerumpublicar. capitibus duobus, *octavo* nimirum & *nono*: ab hoc exordio: *περὶ δὲ σωτηρίας καὶ κοινῇ καὶ χωρὶς ἑκάστης πολιτείας ἐχόμενόν ἐστιν εἰπεῖν.* Eo vero tractatu abſolvitur tota doctrina de rerumpubl. quæ a pluribus reguntur, muta-



tioni-

Digitized by Google

tionibus ac remediis. Quod ipſum extremo capitis noni hiſce indicatur: ἐξ ὧν μὲν οὖν αἱ πολιτεῖαι μεταβάλλουσι καὶ φθείρονται καὶ διὰ τινῶν σώζονται καὶ διαμένουσιν, ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν τοσαῦτά ἐστι.

§. 26. Poſt hæc duobus capitibus *decimo* ſcilicet atque *undecimo*, ut & parte *duodecimi* ſeorſim agitur de regnorum ac tyrannidum mutationibus quidem capite x. conſervatione autem capite xi. Indicat hoc ipſum capitis decimi exordium: λείπεται δ' ἐπελθεῖν περὶ μοναρχίας, ἐξ ὧν τε φθείρεται, καὶ δι' ὧν σώζεσθαι πέφυκε. Ejusdemque extremum: φθείρονται μὲν οὖν αἱ μοναρχίαι διὰ ταύτας καὶ ἑτέρας αἰτίας. Initium quoque capitis decimi: σώζονται δὲ δῆλον, ὡς ἁπλῶς μὲν εἰπεῖν, ἐκ τῶν ἐναντίων.

§. 27. Pertinet vero ad hanc de monarchia doctrinam etiam pars prior capitis duodecimi, usque ad illa verba ἐν δὲ τῇ πολιτείᾳ, ubi merito nova ſectio capitis eſt inſtituenda. Statim enim ante, hæc verba reperias: τὰ μὲν οὖν περὶ τὰς πολιτείας καὶ τὰ περὶ τὰς μοναρχίας, ἐξ ὧν τε φθείρονται, καὶ πάλιν σώζονται σχεδὸν εἴρηται περὶ πάντων. Agitur vero illa parte de tempore, quo durare ſolent monarchiæ: quod partim ad mutationem, partim ad conſervationem pertinet.

§. 28. Reliqua pars capitis *duodecimi*, occupatur in examine doctrinæ alicujus platonicæ, de mutationibus rerumpublicarum, quæ poſſit videri ſubtilis valde & magnam laudem promerita. Hactenus nimirum Ariſtoteles ex ſua ſententia omnia diſputaverat: extremo igitur hujus libri membro platonicum illud mirum dogma examinat. Quoniam vero non finitur hæc tractatio, more ariſtotelico facta repetitione eorum, quæ dicta ſunt, indubie quædam hujus capitis perierunt.

§. 29. Supereſt, ut de SEXTO aut verius duodecimo libro diſſeramus. Quem quidem reliquis poſteriorem eſſe, facile patet ex multis teſtimoniis, quæ paſſim occurrunt: proxime vero quintum, qui appellatur, ab hoc excipi, ſtatim indicat ipſius initium. *Quot quæve ſint differentiæ, Et partis deliberantis quæque reipublicæ domina eſt, Et ejus, quæ circa magiſtratuum ordinationem verſatur, Et ejus denique, quæ circa judicia eſt: Nec non qualia horum quali reipubl. conveniant: Porro de interitu ac ſalute rerumpublicar. ex quibus & propter quas cauſas fiant, ante expoſitum eſt.* Quibus verbis prioribus ſane ſignat Ariſtoteles ultimam partem libri quarti, quæ quatuor poſtremis capitibus abſolvitur: poſterioribus autem ipſum librum quintum.

§. 30. Videndum autem nunc, quodnam ergo ſit hujus libri argumentum. Ac plerisque interpretibus quidem ſi credendum, tantum ἀνακεφαλαίωσις hoc libro inſtituitur eorum, quæ aliquot ante libris ſunt tradita. Verum enim vero, præterquam quod inſolens ſit Ariſtoteli actum agere; demonſtrat res ipſa doceri hic alia plane ab iis, quæ præmiſſa ſunt.

§. 31. Quin ipſemet Ariſtoteles clare ac perſpicue argumentum libri illius proxime ſubſequentibus hiſce verbis exponit: *Cum autem democratiæ aliarumque rerumpubl. ſpecies multæ ſint, non abs re fuerit ſimul conſiderare, ſi quod reliquum ſit, quod de iis poſſit dici, atque tradere unicuivis reipubl. proprium convenientemque* τρόπον *ſive ordinem. Præter hæc explicandæ etiam conjunctiones dictarum rerumpublicarum* (πάντων τῶν τρόπων) *ſecundum omnes modos vel ordinationes. Namque hæc conjuncta efficiunt, ut respublicæ quaſi ambiguæ ſint, atque ariſtocratiæ ſint oligarchicæ, & politiæ in democratias fere abeant. Appello autem conjunctiones, de quibus quidem agi debet, nondum tamen eſt actum Ex. gr. ſi pars deliberans & quæ magiſtratus creat, ſit oligarchice conſtituta, pars vero judicialis ariſtocratice: vel hæc quidem & ea, quæ conſultat, oligarchice, ariſtocratice vero illa, quæ magiſtratus creat. Vel quo alio modo omnia, quæ ſunt uni ſtatui propria, haud conjungantur.*

§. 32. Unde patet, librum hunc ab Ariſtotele duas dividi in partes. Quarum prior agat de variis democratiæ, oligarchiæ, aliarumque ſimilium rerumpublicarum ſpeciebus recte conſtituendis: altera de mixtura ſtatuum ſive rerumpublicar. Per τρόπον enim intelligi τὴν τάξιν, aut κατασκευήν, id vero, ſi non aliunde, ſaltim ex ſequente ipſa tractatione pateſceret. Paulo enim infra eodem capite inquit: ὁμῶς δὲ δεῖ γενέσθαι δῆλον, μὴ μόνον, ποία τούτων τῶν πολιτειῶν ἀρίστη ταῖς πόλεσιν. ἀλλὰ καὶ πῶς δεῖ κατασκευάζειν καὶ ταύτας καὶ τὰς ἄλλας, ἐπέλθωμεν συντόμως. Capite IV. quum late diſſeruiſſet de optimæ & primæ democratiæ conſtitutione, addit: πῶς μὲν οὖν δεῖ κατασκευάζειν τὴν βελτίστην καὶ πρώτην δημοκρατίαν, εἴρηται. Ac ſtatim multa ſubjungit de peſſima democratia conſtituenda. Caput etiam V. finit hiſce verbis: πῶς μὲν δεῖ τὰς δημοκρατίας κατασκευάζειν, εἴρηται. Item cap. VII. πῶς μὲν οὖν χρὴ καθιστάναι τὰς δημοκρατίας καὶ τὰς ὀλιγαρχίας, διωρίσθω τὸν τρόπον. Eſt itaque omnino pars prior de conſtitutionibus rerumpublicarum illarum ſimplicium, non autem mixtarum.

§. 33. Sed forte videri hoc poſſit adverſum illi ordini, quem ipſe Ariſtoteles propoſuit l. IV. capite II. Ibi ſecundo loco enim acturum ſeſe pollicetur de conſtitutionibus: τέλος δὲ πάντων τούτων, ait fore doctrinam de rerumpublicarum interitu ac ſalute. Præterea & ipſi ſupra diximus, tria capita ultima libri quarti doctrinam iſtam de conſtitutionibus rerumpubl. tradere. Verum facile ſolvitur hic nodus. Capite enim ſecundo illo libri quarti tantum dicitur, quid ſit agendum de rebuspublicis illis, non ſimpliciter, ſed tantum in communi magis. Hactenus igitur etiam univerſaliter ac in genere tantum egerat Ariſtoteles, de variarum democratiarum conſtitutionibus, ſalute atque interitu: neque enim illa libri quarti doctrina alia, quam univerſalior quædam eſt contemplatio. Libro vero ſexto magis iſthæc diſtincte ac ſpeciatim agit. Omnino vero doctrina politica manca eſſet, niſi illa ſpecialior tractatio ad univerſaliorem iſtam acceſſiſſet. Hoc ſolum vero etiamnum erat reliquum, nec adhuc ſuperioribus libris traditum.

§. 34. Uno itaque verbo: argumentum libri ſexti eſt, doctrina ſpecialis de conſtitutionibus rerumpublicarum cum ſimplicium, tum mixtarum. Quæ profecto non poteſt non eſſe deſideratiſſima. At (proh dolor!) etiam hæc valde eſt per injuriam temporum detrita. Primo enim integra altera pars de rebuspubl. mixtis periit: niſi quod (neſcio quî) ſuperſit forte unum ejus caput de magiſtratibus. Deinde ne prima quidem pars de conſtitutionibus ſimplicium rerum-

Digitized by Google

rumpublicarum tota ſuperat. Tantum enim agitur hic de democratiis atque oligarchiis; quum tamen etiam de conſtitutionibus politiarum, ariſtocratiarumque ſeorſim abſque dubio actum ſit.

§. 35. Sed defectum quidem iſtum merito lugemus, ut qui conjunctus ſit cum magno ſapientiæ diſpendio: nos tamen non potuimus illum hoc loco non indicare, quo tandem aliquando vera Ariſtotelis methodus, verumque hujus libri argumentum, quaſi poſtliminio in lectorum veniret conſcientiam.

§. 36. Ut ſpeciatim vero magis ſingula etiam capita luſtremus: integris primis *quinque capitibus* agitur de conſtitutione democratiarum. Hinc quintum caput clauditur ita: πῶς μὲν ὖν δεῖ τὰς δημοκρατίας κατασκευάζειν, εἴρηται. *Sextum* & *ſeptimum* caput tradit rationem conſtituendæ oligarchiæ. Hinc *ſextum* incipit: χεδὸν δὲ καὶ περὶ τὰς ὀλιγαρχίας πῶς δεῖ, φανερὸν ἐκ τύτων: clauditur vero *ſeptimum* hiſce verbis: πῶς μὲν ὖν χρὴ καθιςάναι τὰς δημοκρατίας καὶ τὰς ὀλιγαρχίας, διωρίσθω τὸν τρόπον τῦτον.

§. 37. De reliquarum rerumpublicarum variis ſpeciebus conſtituendis nihil ſupereſt, quod doceatur; & tamen indubie non minus de earum quoque conſtitutione aliquid poterat adhuc & debebat dici, perinde ut reliquum nonnihil fuit diſſerendum de democratiarum & oligarchiarum mixtarum conſtitutionibus: quod ipſemet etiam innuit initio libri hujus ſexti.

§. 38. Capite porro *octavo* diſſeritur: περὶ, τὰς ἀρχὰς, πόσαι, καὶ τίνες καὶ τίνων. eoque clauditur: περὶ μὲν ὖν τῶν ἀρχῶν, ὡς ἐν τύπῳ χεδὸν εἴρηται περὶ πασῶν. Verum hujus doctrinæ nulla eſt cum prioribus connexio. Non etiam apparet, quomodo proprie faciat ad ſimplicium rerumpublicarum conſtitutionem. Suſpicor igitur, ſupereſſe hoc caput ex doctrina de mixtione rerumpublicarum. Nec vero mixtio illa exponi poteſt, niſi ſit notum illud omne de magiſtratibus, quod capite iſthoc docetur: utpote quum illa mixtio conſiſtat in varia compoſitione partis conſultantis, partis, quæ circa magiſtratus verſatur, & denique partis, quæ in judiciis occupata eſt. Quemadmodum ipſummet Ariſtotelem paulo ante differentem audivimus. Quod ſi tamen quis veriſimilius quid poſſit conjicere, cum illo haud contenderim.

# CAPUT IIX.

## *Totius operis politici ordo juſtus & argumentum in unum conſpectum producitur.*

§. 1.

Ex iis, quæ hiſce tribus poſtremis capitibus diſputavimus, jam manifeſtum eſt, quodnam ſingulorum politici operis librorum argumentum. Eſt vero ſimul non multum amplius difficile, in unum quaſi conſpectum producere univerſi operis compagem. Id ſane uti fiat, per eſt utile omnibus ariſtotelici voluminis lectoribus, quo juſtum lectionis ſuæ fructum capiant, atque accuratiore judicio omnia aſſequantur. Nec enim pretium operæ ceperis, ſi fueris incertus, quid velit, quorſumque tendat id, quod evolvendum inſtituiſti ſcriptum. Tum ſane demum ſua perfunditur voluptate lecturi animus, dignoque ſtudio rem aggreditur, ſi univerſi operis formam quaſi præceperit, eamque perpetuo ſibi obverſantem habeat. Ne igitur & ea in re ariſtotelici operis lectores habeant, quod deſiderent, hoc quoque agemus. Præſertim quoniam noſtra illa librorum diſpoſitio, a receptis vulgo ſententiis diſſidens, plane inſperatam operis faciem exhibet, non ſine inſigni tamen, quantum arbitramur, lectorum utilitate.

§. 2. Igitur videtur commode politicum hoc omne opus duas in partes poſſe dividi: in eam ſcilicet, quæ materiam civitatis exponit, & alteram, quæ circa ipſam rempublicam omnemque adeo civilis ſocietatis conſtitutionem ordinationemque (hoc eſt, animam quaſi civitatis) occupatur.

§. 3. Prior opera abſolvitur unico libro PRIMO. Nec enim ulteriore cura indiget materiæ conſideratio: perinde atque in omnibus artibus, & practica omni diſciplina, levior hæc curatio eſt.

§. 4. Poſterius agunt omnes libri reliqui, etiam illi, qui perierunt. Non tamen omnes perinde hoc agunt. Liber enim ſecundus verſatur duntaxat in examinandis aliorum quorumdam maxime celebribus, de republica quam prudentiſſime inſtituenda, ſententiis: cæteris vero omnibus libris traditur jam ex ipſiusmet Ariſtotelis mente plena atque accurata ſcientia ordinandæ reipublicæ.

§. 5. Partem igitur illam magnam doctrinæ politicæ, quæ circa rempublicam ſive inſtitutionem omnis civilis rei laborat, diviſit Ariſtoteles in duo membra. Quorum alterum exploratorium & præambulum, & velitatorium; alterum vero ἐπιςημονικὸν, merito appellaveris.

§. 6. Pars præambula eſt liber SECUNDUS. In hoc ſane quaſi velitationes inſtituuntur in uſum decretoriæ pugnæ: & non niſi aliorum maxime famoſa de republica placita explorantur examinanturque: idque duntaxat in anteceſſum mox ſubſecuturæ accuratioris doctrinæ.

§. 7. Poſt librum itaque ſecundum ſequitur jam ipſamet ariſtotelica, de republica ejusque omnibus inſtitutis, diſciplina: ſive membrum alterum τῶν περὶ πολιτείας λόγων: & hoc jam deinceps eſt omnium ſequentium librorum unicum argumentum. Etiam illam vero doctrinam licet diſpeſcere duas in partes: communiſſimam ſcilicet & propriam, aut generalem ac ſpecialem.

§. 8. Communiſſimam & maxime generalem de republica ejusque variis differentiis doctrinam Ariſtoteles unico libro TERTIO complexus eſt, certe complecti voluit. Quædam enim merito addenda eſſe huic parti, alias oſtendimus.

§. 9. Spe-

Digitized by Google

§. 9. Specialis de republica doctrina iterum bipartita eſt; prout reſpublicæ ipſæmet duplici maxime inter ſe diſtant diſcrimine. Alia nimirum doctrinæ hujus pars eſt de republica optima: alia de rebuſpublicis ab optima forma declinantibus.

§. 10. Eſt autem optima reſpublica omnium rerum publicarum naturæ ordine prima, & cæterarum exemplar, præ aliis etiam requirit plurima, utpote cujus nihil non exacte componendum ſit. Doceri proinde debet de republica illa, in ſpeciali de rebuſpublicis tractatione primo omnium: ita etiam doceri debet, ut omnia omnino, quorum in civitate uſus eſt, in accuratam veniant conſiderationem. Quo neceſſum eſt, doctrinam illam præ aliis reddi prolixiorem. Utrumque obſervatum eſt quidem ab Ariſtotele, at longa & infelix ætas corrupit operam. Demonſtravimus ſane, ab Ariſtotele & ſtatim poſt librum tertium & prolixe actum de optima republica: imo ſaltem veriſimile fecimus, integris libris ſex argumentum hoc pertractatum eſſe: quorum ex numero hodieque ſuperſint ea, quæ in ſeptimo & octavo libris continentur, quique proinde ſtatim poſt tertium ſint collocandi.

§. 11. Igitur in ſpeciali de rebuſpublicis doctrina mox primum ſeſe offert illa, quæ exponit omnia, quæ ad optimam rempublicam pertinent. Reſtituendique in locum ſunt priſtinum libri SEPTIMUS & OCTAVUS; merito appellandi quartus & quintus. Reliquum autem hujus doctrinæ ariſtotelicæ cogimur æternum deſiderare & lugere.

§. 12. De cæteris ab optima forma abeuntibus reipublicæ ſpeciebus agitur integris tribus illis, qui hodie audiunt, quartus, quintus & ſextus. Etiam hæc tamen quoque doctrina duas in partes ſecta eſt. Prior eſt generalior: altera maxime ſpecialis.

§. 13. Generalius agitur de rebuſpublicis non optimis libro QVARTO & QVINTO. Maxime ſpeciatim de illarum rerumpublicarum conſtitutionibus actum fuit libro SEXTO. Prior doctrina ſic ſatis integra ſupereſt: at poſterior eſt trunca & mutila.

§. 14. Hæc breviter eſt recenſio integri operis politici, hic ordo, hæc ſeries, hoc argumentum. Ita vero omnia ſpectantibus apparet utique, quam concinnus ſit in docendo ordo, quam item plene, quæ huc faciunt cuncta, ab Ariſtotele ſint tradita, modo non invidiſſet nobis temporum infelicitas magnam operis partem. Neminem certe, doctiſſimorum etiam, ſive veteris ſive noſtri ævi vel conatus attuliſſe, ad ſimilem perfectæ diſciplinæ elaborationem, manifeſtum facile eſt cuivis ariſtotelica cum aliis conferenti. Quoniam porro pars potior doctrinæ de optima republica periit, omnis vero illa tractatio exemplar indubie præbuit reipublicæ probe inſtruendæ, ingentem utique fecimus nos jacturam civilis doctrinæ. Nec vero ferendi ſunt Antonius Montecatinus & Michaël Piccartus, viri cætera doctiſſimi, docentes ſeptimum octavumque librum ad corpus politicæ doctrinæ non pertinere: quum tamen reſpublica optima omnium rerumpublicarum ſit potiſſima. Bene vero, quod ſaltim potiſſima ſuperſint doctrinæ de rebuſpublicis ab optima declinantibus. Ad uſum ſane civilem maximi fere illa eſt momenti præ reliquis. Nec vero hodie aliæ ferme, quam illæ ab optimo declinantes reſpublicæ, uſquam reperiuntur. Iſtæ vero, etſi varii admodum ſunt generis, quemadmodum conſtitui & ſervari debeant, abunde quarto, quinto & ſexto libris docetur. Sed de his atque ſimilibus aliis diſſerere, alienum eſt a noſtro inſtituto.

## CAPUT IX.

### *Quænam hodieque ſit operis politici conditio, quæ ſperanda: & quid hactenus circa illud fuerit præſtitum.*

§. 1.

Pervenimus ad illud, quod ultimo loco expediendum ſuſcepimus. Ut doceamus nempe, quale ſit hodieque opus politicum Ariſtotelis, & quemadmodum illud hucuſque ſemper habitum fuerit.

§. 2. Jam tum vero prolixe demonſtravimus, potiſſima ſui parte illud mutilum, aliquot item libris loco motis trajectiſque, deforme eſſe. Paſſim quoque jam tum de lacunis & mendis plurimis, queis laborat, conqueſti ſumus. Verum enim vero, etſi prius illud adeo perſpicue jam pateat, ut dubitandi locus nullus ſuperſit: poſterius tamen non perinde jam tum oſtenſum eſt. Nec vero tot lacunas & tot menda illi, qui hactenus opus illud verſaverunt, invenere: nec videntur lacunarum mendorumque certa indicia eſſe vel argumenta: nec temerariis tamen infidisque ſuſpicionibus recepta hactenus lectio ſollicitanda; aut operis integritati detrahendum eſt. Cæterum nihil temere novandum accuſandumque, etiam nos ultro fatemur; quemadmodum quoque haud negamus, ferme a pleriſque tantum non omnia pro integris eſſe admiſſa. Aſt certis ſatis indiciis prodi lacunas ac menda, eorumque ingentem paſſim copiam reperiri, quoniam nondum probatum eſt, paucis oſtendemus; alibi, quando de omnibus ſcriptis ariſtotelicis diſſerendi erit occaſio, pluribus idipſum acturi.

§. 3. *Primum* igitur tenendum eſt, fuiſſe Ariſtotelem peritum dicendi ſcribendique artificem. Id ſane quondam cenſuerunt optimi maximi hujus rei judices, Dionyſius Halycarnaſſenſis, M. Tullius Cicero, & Fabius Quintilianus: ſuavitatem orationis omnibus uno conſenſu, Dionyſio etiam τὴν δεινότητα περὶ τὴν ἑρμηνείαν καὶ τὴν σαφήνειαν laudantibus. Sed & aureum, vel ut J. Cæſar Scaliger ſolet loqui, nectareum aliquod orationis flumen etiamnum licet deprehendere in Ariſtotelis ſcriptis quam multis & paſſim, illamque accuratam & perſpicuam in

tenui

tenui charactere (qui ſolus ad docendum idoneus eſt) brevitatem, ut qui paria Ariſtoteli fecerit haud facile ſit repertu.

§. 4. *Deinde* & illud tenendum eſt; ſcripta eſſe ab Ariſtotele politica iſthæc, illa ætate, quæ judicio & uſu præ aliis temporibus valet eminetque. Mentio ſcilicet in illis libro tertio cap. 2. fit captæ Babylonis: quod videtur accipiendum de illa occupatione urbis, quæ ab Alexandro facta eſt anno tertio Olympiadis duodecimæ poſt centeſimum. Agebat vero tum Ariſtoteles ætatis annum quinquageſimum quintum. Utpote forte de illa occupatione ſermo ſit Ariſtoteli, quæ facta eſt a Cyro Perſa Herodoto memorata: cum tamen libro quinto capite decimo mentio fiat cædis Philippi Macedonis, quæ incidit in annum vitæ ariſtotelicæ quadrageſimum nonum: id ſaltem liquet, libros hosce ab Ariſtotele jam quinquagenario confectos eſſe: qua ætate nimirum plæraque, ſi non omnia acroamatica ſcripta reliqua elaboravit.

§. 5. *Poſtremo* & illud ponendum: Ariſtotelicorum librorum exemplaria in univerſum omnia jam olim peſſime fuiſſe habita, atque ita nonniſi multis mendis vitiiſque laborantia ad nos deveniſſe. Simplicitus ſane in præfatione ad lib. 6. Phyſicor. meminit Theophraſti reſpondentis Eudemio Rhodio, conqueſto de vitiis ſui exemplaris operis phyſici: ut jam tum temporis librariorum culpa non defuerit. Ex Strabone porro notum eſt, ἀυτόγραφα ariſtotelica aliquandiu ſub terra delituiſſe defoſſa: cumque blattis & ſitu corrupta & eroſa eſſent, in nova exemplaria ab Apellicone Tejo quidem fuiſſe translata, ita tamen, ut ille ἐπανόρθωσιν ζητῶν τῶν διαβρωμάτων, lacunas perperam repleverit, librique prodierint mendorum usque adeo pleni, ut jam tum Ariſtotelis ſectatores mentem magiſtri ſæpenumero non niſi veroſimili conjectura potuerint aſſequi: auxiſſe poſt mendorum numerum ſuo more librarios ad venalia exemplaria deſcribenda conductos. In hunc modum male habita volumina, ab Andronico Rhodio eſſe divulgata, auctor eſt & Plutarchus in Sulla. Ex illa vero Andronici editione profecta eſſe noſtra omnia acroamatica volumina, equidem nullus dubito: quippe quum, Strabone teſte, antehac ipſis peripateticis non niſi pauca, eaque præcipue exoterica, Ariſtotelis pariter & Theophraſti ſcripta in manibus fuerint: & ſi quæ eorum Alexandriæ fuerint, cum regiæ bibliothecæ indubie incendio perierint, quo tempore urbem illam Julius Cæſar occupavit.

§. 6. Jam vero in politico noſtro volumine (de aliis enim nunc non dicam) ſæpenumero luculente fluit oratio: ſæpe omnis plane ſenſus deficit. Quod cum nulla Ariſtotelis culpa ſit factum, quem audivimus a diſertiſſimis Criticis judicatum fuiſſe ſuaviſſimum ſcriptorem, & ſua hæc politica confeciſſe maturrima ætate; ſupereſt, ut vetera illa διαβρώματα & menda hodieque ſupereſſe, & illis ſermonem omnem obſcurum mutilumque reddi pronunciemus. Certum videlicet indicium eſt latentis in exemplaribus vitii, quando ſenſus ſibi non conſtat, quando nulla eſt ἀκολυθία, quando ordo turbatur, quando nulla ordinis ex more ariſtotelico redditur ratio, quando doctrina ab aliis plane diſſentit, quando denique oratio non eſt digna incomparabili illo ingenio ariſtotelico. Nihil horum enim, cum ſit culpa Ariſtotelis contractum, non poteſt non infelici voluminum fato, quicquid hujus eſt vitii, unice referri acceptum.

§. 7. A commentatoribus & interpretibus quælibet acceptari ſine ulla latentium hiatuum mendorumque ſuſpicione, ut negari non poteſt, ita profecto nec probari. Quam vero illi ſeſe defatigent in commodis ſenſibus eruendis: quam ſæpe ſilentio tegant, quod aſſequuti non ſunt aut crediderunt non ſatis recte dictum: quam poſtremo illi vim faciant textui interpretationibus & commentationibus ſuis, res ipſamet abunde & luculente docet. *Scribunt* nimirum, *non quod inveniunt, ſed quod intelligunt: & dum alienos errores emendare nituntur, oſtendunt ſuos*: ut verba Hieronymi ex epiſt. 28. faciamus noſtra.

§. 8. ILLUD igitur vacat dubio: opus noſtrum politicum (quale quidem vulgo exſtat) & parte magna mutilum eſſe, & libris nonnullis disjectum, & paſſim denique lacunis & mendis corruptum. Diſpiciendum nunc porro erit, num quæ ſpes ſuperſit tantæ jacturæ reſarciendæ, & lacunarum explendarum, corrigendorumque mendorum.

§. 9. Poſſunt autem pleraque talia unice medelam accipere a codicibus melioribus. Nec enim aliter utique illa, quæ deſiderantur & perierunt, reſtitui poſſunt & ſanari, nullo ſuperſtite ſagaci conjecturæ loco: etſi leviora quædam menda felicis ingenii cenſura frequenter corrigantur. Cæterum haud eſt veriſimile, ullum hodie in univerſo terrarum orbe reperiri plenum & emendatum exemplar vitiis omnibus ſanandis par. Certe quæ hodie quidem in occidentali hoc veteris imperii romani orbe ſunt exempla græca, illa omnia iisdem vitiis laborare, argumento eſt, quod omnia etiam manuſcripta, pauciſſimas varias lectiones ſi excipias, cum typographica opera editis conveniant. Etenim manuſcriptis italicis quidem poſt Aretinum Aldum & Camotium, Petrus Victorius & Antonius Montecatinus ſunt uſi. Uſus eſt Gallicis Joachimus Perionius, Dionyſius Lambinus, & forte Iſaacus Caſaubonus. Hiſpanica Joannes Sepulveda conſuluit. Germanica nonnulla habuit Camerarius. Alia alii adhibuerint. Et tamen omnes illi invenerunt eandem librorum pravam diſpoſitionem, & numerum eundem mutilum: nullam diverſitatem annotaverunt, utut diligentiſſime omnia obſervaverint, præterquam in paucis hic alibi voculis.

§. 10. Ante hosce quadringentos annos latine vertit ex græco codice politica hæc noſtra, ut alia Ariſtotelis pleraque, inductus a Thoma Aquinate Thomas Cantipratenſis homo Brabantinus, ſive quis alius eſt veteris tralationis auctor. Etiam ille vero eosdem librorum defectus aliquot, easdem lacunas, eandem librorum pravam diſpoſitionem invenit; ceu ipſa verſio docet. Quin imo annotavit extremo tralationis fine, ſe reliquum hujus operis, a ſe ſtudioſe conquiſitum,

quiſitum, nondum inveniſſe. Uſus tamen ille eſt codicibus melioris notæ. Unde Petrus Victorius procemio ad lectorem commentationum ſuarum ita ſcriptum reliquit: *Non puto, me alieno loco meminiſſe incommodi, quod ab incuria hominum accipiunt monimenta veterum ſcriptorum: cum intelligi poſſit, me nulla alia re tantopere adjutum in tollendis mendis, partibusque quibusdam inſtaurandis horum librorum, & cum olim ipſos emendare ſtudui, & nunc cum eosdem declarationibus meis explicare conatus ſum, quam a vetere illa tralatione. Quoscunque enim calamo exaratos codices indagare potui, cunctos deteriores mendoſioresque inveni, quam fuerit exemplar, quo illa uſa eſt.*

§. 11. Jam igitur ante hosce quadringentos annos amplius eadem fere fuit facies operis politici, quæ eſt hodie. Qualis ante fuerit, ignoramus. Forte vero jam a temporibus Apelliconis Teji & Andronici Rhodii eadem operis fuit miſera conditio: ut omnis de ejus reſtitutione ſpes præciſa ſit. Exemplarium ſane paucitatem videtur oſtendere etiam illud, quod nullum Arabem interpretem invenerit: cujus gentis ſapientes ariſtotelicæ doctrinæ perquam fuerunt ſtudioſi. Quod enim & Græcorum nemo illud opus commentario illuſtraverit, forte debetur potius ingenio hominum a ſtudiis reipublicæ alieno.

§. 12. Etſi vero ex antiquis manuſcriptis codicibus non poſſit ſperari plena operis emendatio, inque integrum reſtitutio; uſum tamen illa præbent in voculis nonnullis emendandis. Quare eorum opera Victorius, Lambinus, Camerarius & alii feliciter multa in melius mutaverunt: & poſſit idem porro fortaſſis ab aliis præſtari, quibus manuſcriptorum copia fuerit.

§. 13. CAETERUM quid a manuſcriptis exſpectari utile poſſit, ita quidem jam eſt manifeſtum. Ut autem porro etiam pateat, quid hactenus circa opus illud ſit præſtitum, (quod docere itidem promiſimus) repetendum ante omnia eſt id, quod jam aliquoties monuimus, neque Græcorum, neque Arabum quenquam in hoc opere illuſtrando quidquam laboraſſe, certe ad nos nihil transmiſiſſe. Ut proinde Arabibus nihil, Græcis ſolam operis conſervationem nec ſatis fidelem debeamus. Seculo demum Chriſtiano tertio decimo Thomæ bini, alter Cantipratenſis de græco latine haud infeliciter vertit opus, alter Aquinas commentario eximio ornavit. Ex eo usque ad ſeculum decimum quintum, per ducentos amplius annos, nullum circa libros illos pretium operæ eſt factum. Imo vix quisquam videtur attigiſſe multum, ſi forte excipias Joannem de Baconthorpe & Buridanum, homines Anglos, & quorum uterque quæſtionibus ſuis quibusdam aliquid conatus eſt. Fertur vero & Nicolaus Oresmius Archiepiſcopus Bajocenſis, vir pro ſeculi captu doctus, nec a reipublicæ negotiis alienus, in diſcipuli ſui Caroli Francorum Regis, quem ſapientem cognominant, uſum gratiamque, ut Ethicos ita & Politicos hosce libros, in gallicum ſermonem transtuliſſe, additis nonnullis reconditæ & uberioris doctrinæ; quod etiam Gabriel Naudæus, amicus (heu!) quondam noſter & V. Cl. libello bibliographiæ politicæ teſtatus eſt. Seculo vero quintodecimo Leonardus Aretinus, & Joannes Argyropylus unus doctiſſimorum, Græcorum exulum, videntur politicæ doctrinæ ariſtotelicæ perinde ut ethicæ, ſtudia iterum accendiſſe. Dedit quippe Aretinus novam latinam tralationem eamque elegantem: unde in verſionem ſuam præfatione, ſolum veterem interpretem latinum memorat. Fertur & Argyropylus dediſſe verſionem novam. Sed dubito. Certe non vidi, etſi me haud lateat ab Argyropylo verſa complura eſſe. Certius eſt, illum non tantum ethica, ſed & politica auditoribus ſuis doctiſſime expoſuiſſe: quos inter fuit Donatus Acciajolus Florentinus, qui ex Thomæ & magiſtri ſui expoſitionibus confecit commentarium operis noſtri eximium. Inde græce cum aliis ſcriptis ariſtotelicis prodiit opus illud, curante Aldo Manutio majore. Sic paulatim magis magisque depoſita veteri barbarie, & renata meliore literatura, ſeculo decimoſexto, & emendatores, & interpretes, & paraphraſtas, & commentatores ſolito plures hoc opus nactum eſt; etſi non omnes æqualem laudem promeruerint.

§. 14. Et vero poſt Aldi curam una cum reliquis ariſtotelicis ſcriptis Baſileæ bis, Francofurti ſemel, ſeorſim vero ſemel etiam Florentiæ, ſine addita latina verſione, in lucem politica hæc prodierunt typis excuſa. Quas inter editiones Baſileenſis poſterior ſive Iſengriniana, quæ anno ſuperioris ſeculi quinquageſimo aſpexit lucem, in eo prioribus præluxit, quod prima omnium exhibuerit operis in capita ſectionem, argumenta græca ſingulis capitibus præfixa, & in margine notatas doctæ manus emendationes varias: quæ tamen omnia, cujus induſtriæ debeantur, neſcio, niſi quod Iſengrinius editor in procemio ad lectorem faciat ſuſpicari, deberi Conrado Gesnero, viro ad rem literariam promovendam toti quaſi nato & compoſito. Hanc biennio poſt excepit Florentina editio, a Petro Victorio, magno talium rerum artifice, plurimis locis feliciter, collatorum multorum exemplarium & veteris interpretationis ope, emendata, ſimulque illuſtrata nonnullis annotationibus. Vicit vero & hanc Francofurtenſis editio, curante Friderico Sylburgio, non characterum duntaxat nitore, ſed etiam diverſarum lectionum e præcipuis editionibus & præſtantium virorum obſervationibus proprioque penu diligentiſſime deprompta notatione, & locupletiſſimo indice græco latinoque adjectis: quanquam in ipſa ariſtotelici textus editione ſolum fere Victorium Sylburgius ſecutus ſit.

§. 15. Sæpius prodierunt in lucem hujus operis editiones græco-latinæ ſeorſim partim, partim & cum reliquis ariſtotelicis. Græcus tamen textus fere vel ex Iſengriniana, vel ex Victoriana editione expreſſus eſt: quanquam editores id diſſimulaverint, illaudabili facinore. Eminent autem has inter, me quidem judice, Zvvingeriana, & Paciana, & Caſauboniana, & Heinſiana editio: quarum prima Victorii & Lambini, altera Aretini, tertia Lambini, quarta Giphanii, tralationes latinas græco textui adjunxit.

§. 16. Et

Digitized by Google

§. 16. Et vero politica noſtra verterunt poſt veterem illum interpretem, Leonhardus, Aretinus, Joannes Geneſius Sepulveda, Dionyſius Lambinus, Joachimus Perionius, Jacobus Ludovicus Strebœus, Petrus Victorius, Obertus Giphanius, priores tres libros Antonius Montecatinus; forte & Joannes Argyropylus, ſed hoc incertum mihi eſt. Harum verſionum (ut veterem non tangam denuo, poſtquam Victorii ſententiam ante audiverimus) fideliſſimæ ſunt & Ariſtotelis dictioni preſſe inhærent, Sepulvedæ, Victorii, Giphanii & Montecatini: omnium elegantiſſima eſt Lambini: inter has mediæ laudis eſt Aretini: at Streboei & Perionii nimis ſibi indulgentes, paſſim quoque nimium ab Ariſtotelis mente diſcedunt; Perionius præcipue, dum affectat eſſe Ciceronianus, Ariſtotelicus eſſe deſinit. Sed & Montecatini opera intra limites trium librorum hæret. Giphanius quoque deſiit in libri ſeptimi capite ſeptimo, & cum ultimam manum non admoverit, illius verſio ſæpe non ſatis polita, ſæpe ambigui ſenſus, interdum non una, ſed duplex eſt Cæteroquin futura omnium optima. Eximia eſt Sepulvedæ tralatio & Petri Victorii; ut dubites, cui ferenda ſit palma. In eo, utraque videtur peccare, quod nimis ſuperſtitioſe paſſim, græciſmos ipſos, pari dictione latina exprimant, non ſatis latine tamen: quodque abſtineant a græcæ originis vocabulis illis, quæ uſu poſſunt & debent τεχνικὰ reddi. Et vero quid opus eſt, exempli gratia, ariſtocratiam aut oligarchiam aut democratiam cum poſſis unico vocabulo dicere, nullo orationis vitio, earum loco uti longa περιφράσει ſtatus optimorum, ſtatus paucorum, ſtatus populi & ſimilium circumlocutionum. De Aretini verſione obſervandum eſt, primas ejus editiones plærasque per eſſe mendoſas. Ludovicus ſane Valentia, qui primus illam junxit Thomæ commentario Venetiis, anno poſt milleſimum quinquageſimo, teſtatur, ita illam antehac editam, *ut ne verbum aliquod Aretini continere videatur*. Nihil dicam de verſione italica, nihil de gallica, ſive illa veteri Oreſmiana rudiore, ſive recentiore Nicolai Regii Henrici II. Regis Francorum conſiliarii ornatiore: quoniam ſatis eſt illa tangere, quæ ſcripta ſunt ſermone literatis omnibus hodie communi.

§. 17. Ad græci porro textus emendationem videntur plurimum juviſſe, poſt Camotium, qui Aldinæ editioni præfuit, Petrus Victorius, Fridericus Sylburgius, Camerarius, & Montecatinus.

§. 18. Danielis Heinſii paraphraſis, elegans eſt luculenteque omne opus illuſtrat: Concisior eſt Cælii Calcagnini & intra primum librum conſiſtens, non aſpernanda tamen.

§. 19. Explanatores hoſce collegiſſe Giphanium, ſcribit Piccartus: *Averroëm, Thomam, Cælium Calcagninum, qui in omnes libros παράφρασιν, in primum commentarium ſcripſit: Dionyſium de Burgo, Borraium, Sturmium, omnes in primum, Acciajolum in omnes: Item Sepulvedam, Perionii obſervationes & Javellii quæſtiones. His ſe addere perpetuos commentarios Petri Victorii, & doctiſſimi Camerarii: item eruditiſſimos Antonii Montecatini in tres priores libros commentarios, & Zwingeri notas.* At vero utique Giphanio ille facit injuriam. Hic enim ita eos recenſet: *Thomam, Dionyſium de Burgo in librum primum, Cælium Calcagninum in librum primum, Borrhaum, Sturmium præceptorem noſtrum & rectorem in librum primum, Acciajolum, Sepulvedam, Perionii obſervationes & Javellii quæſtiones.* Quæ ſimul longe ſunt veriora illis Piccartianis. Averroës enim ne quidem vidit politica noſtra: Cælii Calcagnini tantum primi libri paraphraſis invenitur, commentarius nullus: Borrhaus denique in omnes libros annotationes ſuas edidit. Ut appareat ſcripta iſthæc Piccarto non fuiſſe cognita.

§. 20. Inter eos vero, quos memoravimus, palma merito debetur Antonio Montecatino: quippe qui accuratam ſubtilioris ariſtotelicæ philoſophiæ notitiam conjunxit cum græcæ latinæque linguæ & humanioris literaturæ peritia: quod reliquorum fecit nemo. Verum paucos libros duntaxat illuſtravit: tabulis quoque ſuis potius intricavit diſciplinam, quam expediverit. Proximo loco eſt Petri Victorii, ut tertio Camerarii commentarius. Inſignis quoque opera eſt Thomæ, præſertim in rerum ipſarum explicatione. Has enim aſſecutus eſt, dictionem & exempla non item. Quod, Petro Victorio; hæc verba expreſſit: *Thomas, non minus magnitudine ingenii cognitioneque rerum naturalium ac divinarum, quam ſanctitate vitæ admirandus, cum ſeculo illo pleno inſcitiæ ac tenebrarum natus eſſet, præſtitit in eo genere, quod a nemine tunc exſpectandum erat, cum græcus ſermo in Italia penitus ignoraretur, omnisque polita & elegans doctrina in profundo demerſa foret.* Thomam in quam, multis ſectatus eſt Donatus Acciajolus, eoque & ille res civiles optime expedit: hac ſane in re nemini ſecundus eſt. Quamvis hæc laus, fortaſſe Joanni Argyropylo potius debeatur, quod in Ethicis quoque ſuis commentariis, ipſe Donatus vir candidus ultro profitetur. Injuriam enim facit Donato Naudæus, ſcribens in bibliographia politica: *Argyropyli Byzantini prælectiones, Florentiæ habitas, non abſque manifeſto plagii crimine ſibi poſtea vendicavit Donatus Acciajolus.* Tenues ſunt Borrhai annotationes, & obſervationes Perionii, & Sturmianæ notæ: at Sepulvedæ notationes eminent judicii acrimonia. Dionyſius de Burgo quæ edidit ad librum primum, non vidi. Chryſoſtomi autem Javelli quæſtiones multa feliciter & docte exponunt. Zvvingerus in ſcholiis ſuis itidem nonnulla eleganter illuſtrat: tabulis vero involvit potius doctrinam Ariſtotelis, quam expediverit: prout de Montecatini etiam tabulis ante judicavimus. Laudandus vero maxime eſt, quod inſigni volumine poſteritati exhibuerit Ariſtotelis græcum textum, præclaris illis binis Victorii & Lambini interpretationibus, ut & Victorii commentario ſtipatum.

§. 21. Præter vero illos a Piccarto & Giphanio memoratos explanatores, ipſimet illi, Giphanius inquam & Piccartus, cumprimis præclari ſunt. Giphanianæ tamen explanationes ab auctore non perinde ſunt elaboratæ. Piccarti vero commentarius perfectior eſt, & ut omnibus tempore poſterior, ita fortaſſis omnibus eſt præferendus.

§. 22. Diſſertationes quoque Philippi Scherbii nonnullæ prodierunt in lucem. Sed nec a Scherbio ipſo ſunt conſcriptæ, nec ut ederentur habitæ: eoque multa habent, viro accurate cæteroquin docto, indigna. Merentur huc adferri, quæ Caſpar Hoffmannus medicus & philoſophus χαριέστατος, & amicus (heu quondam) noſter, præfatione in theſes medicas Scherbii, quas gratus diſcipulus publicavit, cum laudaſſet præceptoris vim διδασκαλικὴν, in excuſationem ejusdem dixit. *Factum hinc etiam eſt*, inquit, *quod quidam eo provecti ſunt amoris, ut quidvis notare vellent, atque etiam publici poſtea juris facere. Sed profecto hoc intolerabile eſt, ne dicam impium. Quid enim? Iterum te teſte loquar, non eſt idem, parare aliquid cum multo otio, quod publicam lucem ferre poſſit, & lectiones quotidianas ad clepſydram facere. Non eſt idem, facere lectiones liberum a curis moleſtiisque aliis, & facere diuturno morbo (de aliis non dicam) impeditum adeo, ut lecto ſis affixus tantum non perdius & pernox. Non eſt idem, loquendo explicare mentem ſuam, & ſcribendo, cum alius præſtet in hoc, alius in altero, rari quippe in utroque. Non eſt idem, ſi alius loquatur, alius ſcribat, multo etiam magis, ſi manus hujus non poſſit conſequi linguam illius. Quo magis veniam merebitur ὁ μακαρίτης noſter, ſi in politicis, quæ edita ſunt, non pauca ſint, quæ a tali viro non exſpectes.* Hæc Hoffmannus.

§. 23. Laudantur ab aliis & Antonii Scainii in Politica quæſtiones: verum hactenus in manus noſtras haud inciderunt. Theophili autem Golii quæſtiones non ſane aſpernandæ ſunt. Perinde ut non vacat ſuis commodis Erycii Puteani libellus, *civilis doctrinæ linea* appellatus, quo tres primos Politicorum libros ad perpetuos aphoriſmos breviter ac dilucide reduxit. De Ludovici Regii commentario exemplorum lumine aliis omnibus prælucente, dicere me vetat inſtitutum recenſendi ſolos illos, qui latina ſunt lingua conſcripti. Alias enim mihi & Itali nonnulli interque eos celeberrimus Fabius Albergatus eſſent memorandi & forte Galli alii hiſpanique, qui patria quisque lingua in commentando uſi ſunt. Verum, quoniam illi non tam eruditorum ſcholæ communi videntur laboraſſe, quam ſuæ patriæ hominibus, nolo ego illos nunc in commune hoc theatrum producere.

§. 24. Laudat vero & inter commentatores Tarquinium Gallutium Gabriel Naudæus. Hunc nimirum *tam erudite priores quinque Politicorum libros interpretatum eſſe, ut polymathia cæteros omnes, ipſumque adeo Camerarium & Giphanium facile vincat atque exſuperet.* Sed virum diligentiſſimum, quod iſta ſcribens a bibliothecis abfuerit, vereor, ne memoria fefellerit. In quinque enim ethicos priores exſtant quidem Gallutii commentarii: in politicos vero equidem hactenus nullos inveni.

§. 25. Sunt & alii, qui politica noſtra ornare laboraverunt: ſed non attinet eos memorare. Et vero omnes fortaſſe lapſi plurimum ſunt in vero univerſi operis argumento & vero librorum ordine; atque adeo totius voluminis genuinam plenamque doctrinam nemo forte eſt aſſequutus. Nequaquam tamen fraudandi plærique gloria illuſtratæ Ariſtotelis doctrinæ. Utiles videlicet ſunt illorum conatus, etſi omnia non ex æquo viderint. Nec enim multum eſt difficile inventis aliquid addere. Certe alii niſi præceſſiſſent, fortaſſe & nos jam hæreremus in luto, aut a regia aberraremus. Igitur nos quidem aliis omnibus, qua parte juverunt, agimus gratias; qua lapſi ſunt, ignoſcimus. Viciſſim ab æquis judicibus paria exſpectantes.

X. API-

Digitized by Google

# X.

ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ
# ΠΟΛΙΤΙΚΩΝ
ΤΑ ΣΩΖΩΜΕΝΑ.

ARISTOTELIS
# POLITICORUM
LIBRI SUPERSTITES.

*EDITIO NOVA.*
Cura HERMANNI CONRINGII
Cum ejusdem Emendationibus.
Uti ANNO CIↃ IↃ C LVI.
Helmſtadii fuere excluſi.

## Dedicatio.

*EMINENTISSIMO PRINCIPI AC DOMINO*
*DOMINO*
# JOANNI PHILIPPO
S. Sedis Moguntinæ Archiepiſcopo,
S. R. Imperii per Germaniam Archicancellario, & Principi Electori,
Epiſcopo VVirceburgenſi ac Duci Franconiæ,
Domino ſuo clementiſſimo,

Felicitatem precatur
HERMAN. CONRINGIUS.

Ea eſt civilis inter homines ſocietatis utilitas, ea neceſſitas, poſtquam a nativa & prima eſt *vivendi ſimplicitate* (a) atque integritate diſceſſum, ut, qui hodie ſunt mores, nemini mortalium temere liceat, extra ejusmodi aliquem cœtum, non feliciter duntaxat, ſed vel commode vitam agere. Enimvero etiam illi, qui a ſtrepitu remoti, ſecretius degunt, quietem tamen iſtam atque tranquillitatem ſuam debent civium cœtibus; in quorum aut terris, aut vicinia arcanas ſibi ſedes locavere. Verum magnam hominum, indole, ſexu, ætate, & rebus differentem multitudinem unum ita quaſi in corpus civile cogere, aut jam coactum ita regere, ut ad unum communem ſcopum hominum illorum omnia componantur, arduum profecto opus eſt: magis arduum, poſſe alicujus cœtus omnia ita adminiſtrare, ut civitas præclaris actibus emineat, ut copiis locuples, ut gloria ampla ſit: maxime autem arduum ac difficile eſt, non uni, ſed omnibus aut plæriſque civitatibus bene conſulere, ut, quatenus patitur conditio, cujusque (diſpari enim plurimum natura ſunt) felicitatis illius, quam mortalibus nobis fas eſt hoc in orbe aſſequi, potiantur. Eſt vero hoc munus ejus prudentiæ, quam civilem appellare conſuevimus: quam proinde, (quoniam non minus, atque ipſi hominum cœtus illi, neceſſaria eſt vitæ mortalium) qui tenent, ut rei neceſſariæ & arduæ peritos, oportet utique a cæteris affici multo honore; qui & docere poſſunt voluntque, illi quin venerationem aliquam mereantur, ob tam præclarum humanæ vitæ præſtitum beneficium, neſcio an quis æquus arbiter in dubium vocaverit. Et vero omnium moratiorum gentium conſenſu, non illi duntaxat, qui vi ac poteſtate uſi civitates quasque adminiſtrant, ſed etiam qui leges condunt aut conſilia recte gerendæ rei ſubminiſtrant, magno ſunt in pretio: etſi ſapientiæ illis magiſtris minus, quam par erat, vulgus deferat, intentum videlicet ſolis iis, quæ præ manibus ſunt & privatis maxime commodis, futurorum aut communium bonorum non idoneus ſatis æſtimator. Moyſen ſane (etſi legiſlator ipſe non fuerit, ſed Dei legiſlatoris ad populum legatus atque interpres) omnis iſraëlitica gens, imo omnis poſteritas hoc quoque nomine colit: & Græci ſuos Dracones, Solones, Lycurgos, Minoës, Charondas, Hippodamos, alios-

(a) *Vivendi ſimplicitate.*) GROT. de J. B. & P. lib. II. c. 2. §. 2. *GOEB.*

aliosque ſummis in omne ævum honoribus affecerunt. Magiſtris prudentiæ civilis etſi minus hactenus honorum delatum ſit a vulgo, tamen æque multum, ſi non plus, illis deberi, facile conceſſeris; expenſo illo, quanti ſit non uni, ſed multis civitatibus cives adminiſtratoresque idoneos præparare, præſertim non dum vivis duntaxat, ſed etiam poſt mortem, imo in omne ævum. Horum tamen exiguum admodum numerum hactenus repertum: complures quamvis laudem hanc affectaverint: equidem haud diffitebor. Priſca ſane tempora ſi conſulamus, ad nos quidem ex vetuſtis illis ſeculis, ſoli Græci ſuorum in hac doctrina conatuum monumenta tranſtulerunt: inter etiam illos vero vix unus alterque operæ ſuæ pretium aliquod fecere. Superant videlicet hodieque pythagoricæ ſcholæ præſtantium aliquot virorum ſcripta aut potius ſcriptorum fragmenta nonnulla, gravibus quidem illa regendæ reipublicæ præceptis referta, rara tamen & civilium negotiorum non niſi partem exiguam attingentia. Princeps omnium uberius & plenius & ſolito accuratius quid auſus eſt Plato tradere. Decem ille de republica inſcriptos, duodecim de legibus cum uno Epinomide (ne de aliis nunc dicam) reliquit poſteritati in commentariis. Verum etſi omnia ſint ſumma dictionis ſuavitate & quaſi mero melle condita, attamen in utroque volumine itidem circa pauca ad civilem uſum facientia occupatus ille fuit; & multa ab omni honeſtatis ſenſu & hominum moribus abhorrentia diſputans reliquis quoque omnibus vim auctoritatemque detraxit. Excellens cæteroquin doctrinæ hujus magiſter, & plærosque alios longiſſimo vincens intervallo, uno minor Ariſtotele. Verum de Stagirita illo poſt diſſeremus. Ex ejus ſchola profectorum ſummorum ſane virorum, Theophraſti cumprimis Ereſii, Heraclidis Pontici, Dicæarchi Meſſenii, & Demetrii Phaleræi politicæ doctrinæ ſcripta varia, magnis laudibus celebrantur quidem a præſtantiſſimis auctoribus priſci ævi, ſed cum eorum nihil ad nos pervenerit, non eſt, quod iis commemorandis operam nunc impendamus. Eorum porro, qui hos ſunt ſecuti peripatetici, nemo in veteri quidem illo ævo laudem ullam invenit a nobiliſſima hac philoſophiæ parte exculta. Usque illi adeo diſceſſerunt a præclaris inſtitutis majorum, quos propter eximiam maximarum rerum ſcientiam, a Græcis priſcis politicos philoſophos appellatos accepimus. Imo cum jam a Ciceronis usque ætate Ariſtotelis ſcripta quam multa explanatores ſuos invenerint, nemo tamen omnium politicis adhibuit manum. Quam ſocordiam nec illi, qui arabica & latina lingua doctrinam Ariſtotelis diu poſt ſuſcepere illuſtrandam, exuerunt, donec princeps *Thomas Aquinas*, (*a*) qua ingenti capacitate præclaram quamque ſapientiam, ut illis temporibus, aſſecutus eſt, etiam hæc comprehendere & monumentis quibusdam exornare ſtuduit. Multo minus vero illi, qui aliis philoſophantium ſectis olim ſeſe dediderunt, ad civilem hanc doctrinam quidquam laude dignum contulere. Inter Stoicos ſane unus Diogenes ſubtilius aliquid de magiſtratibus quæſierat, poſtea & Panætius addiderat nonnulla, vir Peripateticis tamen annumerandus fere potius, quam Stoicis: ſed neque illi ad uſum civilem diſſeruerunt; nec potuerunt, aliis ſuis illis ab omni communi ſententia abhorrentibus placitis impediti. Valde ſane abſurdum fuerit, ei concionem aut ſenatum, aut ullum cœtum hominum committere, cui nemo eorum, qui adſunt, ſanus, nemo civis, nemo liber eſſe videatur: ut a Stoicis omnes, qui ſapientes non ſunt, (qualis ferme nemo eſt quisquam,) ſervi, latrones, hoſtes & inſani habiti ſunt. Sed & illa, quæ Diogenes aut Panætius diſputaverant, dudum cum *reliquis Stoicorum monumentis* (*b*) interierunt. Epicuri porro aſſeclæ omnes, ut a republica gerenda fuerunt alieni, ita omnem hanc doctrinam, tanquam inutilem & ſapiente ſuo indignam, imo illi adverſantem, ſemper abjecere. Et vero in *Epicuri* (*c*) myſteriis etiam hoc eſt, non eſſe ſapientis in republica verſari: convenienter ſatis illi ejus inſaniæ, quæ in ſola voluptate & otio felicitatem collocat, cum reipubl. curatio negotiis & curis multis ſit occupata. Ne nunc dicam, quod idem ille magiſter, pietatem omnem & numinis reverentiam animis hominum excuſſam voluerit: quod eſt vinculum ſolvere omnis humanæ ſocietatis. Et vero videas, quos peſtilens Epicuri illud ſidus afflavit, quamvis ſummo loco poſitos atque ad rempublicam quaſi natos, ab illa tamen abhorrentes aliud agere, imo ſpretis coronis ipſis otio & voluptatibus immergi, quaſi omnibus imperiis præpolleat una ἀταραξίας corona, ceu magiſtrum illum peſſimum olim locutum, refert gravis auctor Plutarchus. Porro vero & aliorum, præſtantium quamvis hominum, ab ætate usque Ariſtotelis per ſecula complura, *nihil fere* (*d*) ad noſtra tempora pervenit, quo philoſophia hæc tradita ſit, non dicam digne, ſed non omnino indigne: imo nihil vel memoratur ex omni iſthoc vaſto ævi tractu cum eximia aliqua laude: quum tamen laudationes perſæpe rem ipſam vincant, & earum ſeges alioqui ſit maxima. Et vero minuta profecto ſunt, quæ Plutarchus ſuo præceptorum politicorum libello comprehendit. Uberiora indubie fuerunt, quæ Tullius quondam binis operibus, altero de republica & altero de legibus, ad Platonis exemplum diſputaverat, & quidem ita, ut proxime ad *Platonicos conatus* (*e*) acceſſiſſe videri poſſit. Verum & illorum exigua duntaxat ſupereſt portio, eſtque ipſa civilis doctrinæ non niſi perpuſillum; ſicut omnis ille Ciceronis labor ad ſolam optimam rempublicam pertinuit. Patrum avorumque memoria, magis ſolito doctrina hæc a præclaris quibusdam ingeniis cœpit agitari. Non fraudabimus quempiam gloria iſthac, quam ſua inſigni induſtria promeruit: mentiar

(*a*) *Thomas Aquinas.*) Sed ipſius commentarius vulgaria admodum continet. *GOEB.*

(*b*) *Reliquis Stoicorum monumentis.*) Reliqua ſunt quædam Stoicæ philoſophiæ fragmenta apud DIOGENEM LAERTIUM & STOBÆVM. Ridet illam philoſophiam ut contortam & ultra humanas vires aliquid affectantem LUCIANUS *in Hermotimo. GOEB.*

(*c*) *Epicuri.*) De Epicuri defenſoribus vid. not. *ad diſſert. de nat. & opt. auct. p. c. GOEB.*

(*d*) *Nihil fere.*) De his prolixe agitur *in diſſert. de natura & optimis auctoribus prudentiæ civilis. GOEB.*

(*e*) *Platonicos conatus.*) Hunc, acceptis Ariſtotelis politic. libris omnium Latinorum primum de republica ſcribere tentaſſe, auctor eſt MEIERUS *in præfat. analyſ. libr. Politic. Ariſtot. GOEB.*

tiar tamen, ſi a quoquam omnem civilem ſapientiam vel tactam dixero. Unum ab omni retro memoria invenio *Ariſtotelem*, (*a*) & conatum eſſe quicquid hujus eſt philoſophiæ comprehendere, & ſaltim plæraque ejus feliciter abſolviſſe. In ejus ſummi viri laudes ſingulari libro complura a me alias ſunt dicta: vnum nunc illud repetendum, neminem majoribus ingenii doctrinæque auxiliis, neminem majore animo rem tantam aggreſſum. Docendi demonſtrandique peritia utique illum omnes mortales provocare, paſſim jam innotuit: abſque illa vero nihil ordine & via quadam doceri, aut ſolide, prout eſt par, tradi probarique poteſt. Quantam ille porro (Deum immortalem!) omnis generis rerumpubl. notitiam hiſtoricam, ne de rerum uſu nunc dicam, philoſophiam hanc civilem conditurus ſibi jam comparaverat! Non comparaverat vero duntaxat illam, ſed etiam, editis hiſtoriæ monumentis, jam tum oſtenderat, in omnem poſteritatem victuris, niſi longa ætas & multa injuria ſpem hanc intercepiſſet. Teſtis eſt Marcus Tullius: *omnium fere civitatum non Græciæ ſolum, ſed etiam Barbariæ, ab Ariſtotele mores, inſtituta, diſciplinas*, eſſe litteris traditas. Diogenes centum quinquaginta octo reſpublicas, præter democraticas, oligarchicas, ariſtocraticas, & tyrannicas ſingulares, alii veterum ducentas quinquaginta, quibus alii quinque addunt, ab illo deſcriptas memoraverunt. Luculentum profecto & incomparabile opus: quod proinde Plutarchus gravis cenſor & hiſtoriæ, ſi quis alius, longe periſſimus, non dubitavit inter illa hiſtoriæ monumenta numerare, quæ præter rerum actus pulcros & magnos acceperint λόγον ἔχοντα δύναμιν καὶ χάριν. Mihi ſane illi operi nihil videtur defuiſſe, præter notitiam reipublicæ iſraeliticæ, qualis illa ab ipſo Deo eſt legibus per Moyſen ordinata: utpote cujus inſtitutis ad regnum in uſum populi formandum, nihil fingi abſolutius poſſit ac ſapientius. Verum illa Ariſtotelis ætate nullo in pretio erant Iſraelitarum res, ipſis Judæis plusquam ducentis ſexaginta annis primum Babylonio, hinc Perſæ ſervientibus: & ſcriptæ leges moſaicæ non niſi ſua, hoc eſt ignota, lingua legebantur. Sed & in univerſum de Judæorum rebus, videtur Ariſtoteles, non niſi admodum *ſero aliquid accepiſſe* (*b*) & ſub vitæ extremum. Cæterum cum Græcia hactenus plurimas in civitates fuiſſet diviſa, quæ principatum tyrannicum peroſæ, cæteris fere rerumpublicarum formis regebantur, Ariſtoteli in promptu fuit ex una Græcia plurima accipere, quæ ad illos reliquos ſtatus, alibi terrarum plane inſolitos (perinde ut hodie etiam rariores ſunt, principatibus meris & mixtis ubique fere vigentibus) attinerent. Attulit igitur ad illuſtrandam philoſophiam civilem *Ariſtoteles*, (*c*) plane inuſitatam peritiam hiſtoriæ omnis generis rerumpublicarum. Illa vero docendi & hæc hiſtorica cognitio ſunt demum ſumma illa adminicula, & ſibi comparandæ & aliis tradendæ ſolidæ perfectæque civilium rerum doctrinæ. Quibus proinde cum uſque adeo valuerit Ariſtoteles, ecquis dubitaverit, illum ad philoſophiam iſtam excolendam longe fuiſſe aptiſſimum? At vero & maximis conatibus rem aggreſſum, docent ea, quæ in medio ſunt monumenta. Non tantum enim in communi diſſerere illum videas de republica, aut de una aliqua ejus ſpecie; ſicut plærique alii vel de optima ſola, vel de principatu nunc ferme diſputant; ſed ordine laudabili, primum communia quæque tradere, inde omnia optimæ reipublicæ inſtituta ac leges uberrime componere, demum cæterarum rerumpublicarum quarumvis (nec enim reperiri quæ poteſt, quam neglexerit) quæcunque ſive corrumpere, ſive conſervare illas idonea ſunt, perſequi, atque adeo integrum corpus dare civilis prudentiæ, ſummo ſtudio allaboravit. Aſſecutum vero illum quoque id, quod ſtuduit, loquitur profecto volumen ipſum, ea parte, qua eſt ſuperſtes. Nihil enim ſive uberius, ſive ſubtilius, ſive accuratius, imo nihil par invenias. Quid ni vero liceat, ſi ex ungue de leone, ex illis, quæ in manibus noſtris ſuperant de iis, quæ perierunt, ſecure pronunciare? Perierunt autem (proh dolor!) incomparabilis iſtius & ad humanas omnes res utiliſſimi operis perquam multa. Nam eorum, quæ ad optimam rempublicam faciunt, pleraque, totique adeo libri quatuor; aliorum etiam haud pauca, hodie deſiderantur. Cæterum & iis, quæ ſuperſunt, fateor multum deeſſe juſti ſplendoris. At vero nulla id culpa Ariſtotelis factum, ſed longi temporis invidia, ut ita loquar. Huic videlicet debemus, quod integri libri aliquot ſuo ſint loco moti; ipſa oratio paſſim hiet & lacunis ſit interciſa; complura denique adeo ſint obſcura & ſalebroſa, ut lectorem non inſtruant, ſed inani opera defatigent ludantque. Etiam ſic male habitum opus illud noſtrum, ego tamen haud dubito, omnibus aliorum, nitidis & mole ſua turgentibus ejuſdem argumenti voluminibus anteferre: idque propterea, quoniam, quamvis lacerum, illa doceat, ad quæ alii, præ civilium rerum imperitia, ne quidem animum advertere potuerunt, nec in alienis hæreat, in quibus cæteri fere, ſummo methodi vitio, occupantur. Eapropter & gratias ſemper maximas illis egi, qui præclariſſimum hoc opus ornare atque illuſtrare ſtuduerunt, & quum illi exſpectationi meæ haud omnino ſatisfeciſſent, quantum potui, laboravi ipſemet ſedulo, ut tandem aliquando, ſua operi forma priſtina nonnihil reddita, prodiret in publicum, magis ſolito idoneum ſtudiis ſapientiam civilem affectantium. Id ſane conatus ſum, & jam ante hosce viginti amplius annos adhuc juvenis, & nunc denuo, ut confirmatiore ætate, ita majore animo. Hanc ſane editionem plane novam, & ab omnibus aliis multum diſſidentem adornavi. An bonos conatus par ſucceſſus exceperit, nec ne, aliis judicandum relinquo: interim multa me ſpes tenet, ſaltem conatibus illis optimos quosque favituros. De Tuo cumprimis favore, EMINENTISSIME PRIN-

(*a*) *Ariſtotelem.*) Vid. HERTII *præfat. elem. prudentiæ civilis*, qui ſub initium *partis II.* docet, quid in libris Politicorum Ariſtot. deſideretur. *GOEB.*

(*b*) *Sero aliquid accepiſſe*) BAYLIVS *in dictionario critico tom. I. p.* 346. refellit R. Rapinum, qui, Ariſtotelem judæo quodam magiſtro uſum, aſſerit; nec non & illos, qui ipſum judaicam profeſſum eſſe religionem, mentiuntur. *GOEB.*

(*c*) *Ariſtoteles*) Conf. MEIERI *præfat. citat. GOEB.*

PRINCEPS, plurimum mihi polliceor: quia non uno experimento didici, qua gratia cum omne in univerſum publici boni ſtudium, tum ſeorſim civilis doctrinæ profectum, & (ſi fas adjicere) meos labores omnes communi commodo impenſos, proſequaris. Ea ſane fiducia fretus, ante omnes ad Tuam Eminentiſſimam Celſitudinem ariſtotelici operis politici novam hanc editionem adfero. Et vero, ſi patrocinium illius abs Te ſuſceptum viderint alii, ſuam quoque benevolentiam & illi haud temere denegabunt. Quis enim bonus atque intelligens non moveatur exemplo Principis, inter omnes imperii proceres dignitate primarii, & quod caput eſt, rerum uſu ac doctrinæ copia inſtructiſſimi? Quod ſi adhoc conatus meos non vanos eſſe pronunciaveris, equidem & mihi vehementer gaudebo, & reipublicæ gratulabor. Eandem nempe de me ſententiam & cæterorum futuram confido, ſi tam eminenti cenſuræ me approbavi. Non luſerim itaque ego operam; ſed & ſolito plures ad veram ac non fucatam civilem prudentiam, ex ſummo imo fere unico magiſtro diſcendam, impoſterum ſunt acceſſuri. Quo nihil in vita hac temere quidquam poterit utique eſſe utilius: quippe quum florentiſſimas civitates collabi & penitus interire videamus, non tam malitia hominum, quam regendi inſcitia. Germaniæ cumprimis ſumme commodum fuerit, ſi illi, qui ad clavum ſedent, ex Ariſtotele didicerint, quemadmodum omnis generis respubl. & inſtitui debeant & a morbis atq; interitu defendi. Habet ſiquidem illa in ſingulis principatibus ſuis monarchicum aliquid, in urbibus ſpeciem quandam democratiarum, ariſtocratiarum, politiarum & oligarchiarum, etſi non plene omnia: univerſum ejus corpus regnum optimatum ſtatu temperatum exhibet. Quæ tam diverſa iisdem legibus & inſtitutis ſervari nequeunt, ſed ſingula privatam ſingularemque curam expoſtulant. Illius itaque ſumme neceſſariæ prudentiæ hauriendæ, ſi maximo exemplo Tuo aliis auctor fueris, æternas profecto Tibi imperium gratias debebit. Nec vero majus beneficium mortalibus præſtiteris, quam inſcitia hac vivendi e medio ſublata. Cæterum an benigne adeo liceat Tibi, EMINENTISSIME PRINCEPS, de labore hoc meo judicare, nec ne, dabit tempus, quod mihi exſpectandum fuerit. Interea vero ſatis mihi eſt, ſi non decollet ſpes, quam de gratia Tua ſaltim conatibus meis præſtanda, certam mihi promitto. Nam & illa una idonea eſt firmando animo, ad conſilium, quod de illuſtranda prudentia civili & imperii republica inſtitui, opere ipſo exequendum. Ut multum mihi de benevolentia Tua promittam, facit ſane haud parum & illud, quod jurium Moguntinæ ſedis me volueris uti aſſertore, operamque illam gratiſſimam Tibi fuiſſe luculente oſtenderis. Deum veneror, EMINENTISSIME PRINCEPS, ut imperii bono diu Te ſoſpitem ſervet; quo ſapiente conſilio Tuo, rebus Germaniæ ſua tranquillitas conſtet, Tuo vero patrocinio & ſuum decus civili redeat prudentiæ, & (ſi fas eſt addere) in me ille præclaris ſtudiis promovendis accenſus ardor ne refrigeſcat. Helmeſtadii in Academia Julia anno CIↃIↃCLVI. Nonis Quinctilibus.

# BENEVOLO LECTORI
## S. P. D.

Anni novendecim amplius ſunt, quum invitatus commodo academicæ juventutis, quam ad civilem prudentiam ex optimis magiſtris diſcendam, conabar tum ipſe juvenis manuducere; quod exempla alia deeſſent, Politicorum Ariſtotelis illam latinam verſionem, quam Obertus Giphanius V. C. confecit, noſtræ hujus academiæ typis publicarem; præmiſſo non tantum prolixiore procemio, ſed libello quoque introductorio, quo, etſi mendoſe per abſentiam meam excuſo, docueram, quæ videbantur neceſſaria, juſtum fructum ex lectione ariſtotelici illius operis percepturo. Jam poſt tanti temporis intervallum volvo quaſi (ut ita loquar) idem ſaxum, novo tamen & inſolito modo; ne quis me exiſtimet actum agere. Edo videlicet Politica eadem Ariſtotelis, ſed græce latineque, idque ratione hactenus haud uſitata: edo introductorium libellum, ſed plus, quam altera parte, auctiorem & quaſi novum: addo denique librum emendationum mearum, quo græcus textus infinitis locis corrigitur atque integritati ſuæ reſtituitur. Quæ editio cum magno mihi labore conſtiterit, magnoque ſtudio in publicos uſus ſit abs me adornata, ex re fore videtur, hoc in anteceſſu docere te, quodnam omni in opera fuerit meum inſtitutum, quidque arbitrer a me eſſe præſtitum.

Igitur græca dedi fere, qualia illa Daniel Heinſius exhibuit: fuerunt autem & illa ex Sylburgiana editione (quæ ſane omnium hactenus fuit optima atque emendatiſſima) expreſſa, perinde ut Sylburgius maxime ſecutus fuerat Petri Victorii illam editionem, quæ Florentiæ anno ſuperioris Chriſtiani ſeculi quinquageſimo ſecundo typis excuſa eſt. Fere inquam græca dedi talia. Nonnihil ſcilicet illa nunc alia prodeunt, idque nova mea opera. *Primum* enim perpetuus ſermo in ſuos periodos inciſus quaſi eſt. Quo omnis doctrina multum accepit perſpicuitatis, ſimulque Lectori datum eſt, conquieſcere nonnihil circa ſingula, & iis immorari integro, ut ita dicam, ſpiritu, atque ad ſequentia ſeſe præparare. Certe inciſione iſthac, doctrina quæque nudam magis ſeſe oculis exhibet & ab alienis diverſisq; ſeparatur: quod ad pleniorem intellectum facit plurimum. *Deinde* ſtellulis paſſim ſparſis indicavi, ubi hiare orationem & lacunam ſubeſſe arbitratus ſum.

Quemadmodum omnia nimirum alia Ariſtotelis volumina, ita & hoc Politicum pervenit ad nos, non tantum multorum librorum & defectu mutilum & trajectu deforme, ſed etiam paſſim ſalebroſum multis hiatibus, & tranſpoſitionibus. Unde oratio perobſcura redditur, ſæpe omni ſenſu commodo deſtituitur. Quo vitio haud obſervato, ſi ſecure omnia tanquam ſana & integra admittas, non poteris non in eruendo ſenſu vehementer turbari, atque nunc quidem

animo

Digitized by Google

animo ſuſpendi, nunc in media lectione hærere & defatigari, nunc cogi nonnulla fingere & poſtremo operam ludere. Solet ſane hoc ipſum uſu venire omnibus ariſtotelicorum ſcriptorum lectoribus atque interpretibus, jam a quammultis ſeculis, & quidem jam ab illo usque tempore, quando ea ex ſubterraneis latebris refoſſa, in nova exemplaria ab Apellicone Tejo ſunt deſcripta. Quam rem alibi prolixius perſecuti ſumus, tetigimus vero & noſtræ hujus introductionis capite nono. Hoc vero communi vitio cumprimis politicum volumen noſtrum laborare, etſi alii interpretes commentatoresque non perinde id monuerint, jam tum ab adoleſcentia usque viſus mihi ſum ſemper liquido deprehendere. Non inveni autem medendo nonnihil tanto morbo rectius remedium, quam illud, quod in aliis ſcriptoribus integritati ſuæ reſtituendis feliciter optimi quique criticorum noſtræ ætatis adhibuerunt; quam ſi inquam, ſtellulis interjectis vacua ſpatia & hiatus legentium oculis ſtatim exponerem. Ita ſane efficitur, ut lector monitus non fruſtra ſe in ſenſu, qui nullus eſt, aut mutilus, defatiget. Inſolens quidem hoc facinus & ſine exemplo in ariſtotelicis libris edendis, imo a nemine, quod ſciam, tentatum. Quod ſi tamen lacunis laboret ſcriptum aliquod, illæque ſagace conjectura poſſint dignoſci, quin ex uſu ſit, illas ſtatim primo obtutui offerri legentium & certis notis ſignificari, neminem arbitror dubitare. Non potuit itaque apud me tantum iſthæc facti mei novitas, quantum valuit bonum publicum: cujus intereſt, ut ab Ariſtotelis lectione nemo temere vitiis codicum abſterreatur. Quin imo confido, meo hoc auſu alios, qui judicio pollent critico, ad ſimilem cæterorum ariſtotelicorum librorum editionem excitatum iri: atque adeo id, quod hactenus inuſitatum, impoſterum triti uſus futurum eſſe. Cæterum quæ me rationes impulerint ſingula illa loca, quæ notavi, habere ſuſpecta, in libro emendationum indicatum eſt. Ac proinde in promptu cuivis eſt judicare, bene an ſecus conjectaverim. Quod ſi cui non probavero ſententiam meam, poterit ille, neglectis tantum ſtellulis, facillimo negotio, omnia ordine, quo ſequuntur, conjungere: cum nihil mutaverit lectio priſtina, ſi ſolas illas ſtellulas exceperis.

Expreſſi porro ſectionem illam græci textus in capita, quæ in iſengriniana editione anno decurſi ſeculi quinquageſimo primum inſtituta fuit, auctore (niſi fallor) Conrado Geſnero. Margini vero operis adpoſui, prioribus quidem tribus libris, ſectionem illam, quam princeps Theodorus Zuingerus Philoſophus ac Medicus clariſſimus approbavit. Etſi enim neutra ab Ariſtotelis ipſiuſmet manu ſit; quoniam tamen ejusmodi diſtinctiones cum per ſeſe ſint multum utiles, tum utraque ſectio jam ſit recepti uſus, & ab aliis prior illa, ab aliis poſterior hactenus obſervari ſoleat, utramque exhibere duxi fore pretium operæ: præſertim præeunte Friderico Sylburgio. Cum vero illa Zuingeri ſectio ad primos tres libros duntaxat pertineat; in reliquis vero geſneriana itidem non ſatis ſit commoda, auſus fui margini cæterorum librorum adjungere ex mea ſententia novam ſectionem aliam, forte meliorem. Cæterum tui arbitrii fuerit illam admittere vel rejicere. Nec enim multum refert, quid feceris: interim non dubito, ſaltim futurum tibi meum illum numerum incitamento ad omnia penitius advertenda.

Verſionem latinam novam dare non placuit. Et vero quantumvis accuraveris, non dederis tamen aliquam, quæ non incurrat reprehenſionem. Sed & quis facile meliora dederit iis, quæ a Leonardo Aretino, Geneſio Sepulveda, Petro Victorio, Dionyſio Lambino, & Oberto Giphanio, græcæ latinæque linguæ peritiſſimis viris, profecta ſunt? Inter autem illas, quæ hactenus prodierunt, elegi nunc Petri Victorii tralationem. Eſt illa (fateor) propter affectatam brevitatem & nimis preſſe ſecutam græcam φράσιν ſæpe obſcurior: omnium tamen maxime fida mihi viſa eſt, & quæ græco textui e regione adjungatur aptiſſima. Et vero obſcuritatem facile tollit appoſitus textus græcus. Quo absque fuiſſet, lambinianam prætuliſſem. A giphaniana nunc abſtinui, quod illa plurimis locis nimis abeat a Græco, paſſim quoque ambigua ſit, ſæpe etiam duplex: idque quia ultima auctoris manus non acceſſit. Expreſſi autem Victorii iſtam verſionem juxta editionem Theodori Zvingeri: quod ipſamet florentina defuerit. Satis fideliter quidem: niſi quod pauca nonnulla, quæ viſa ſunt librarii, non auctoris ipſiusmet culpa nimis eſſe obſcura, aut a Græco abhorrentia, mutaverim: quodque ubi ſectiones & lacunæ ſunt notatæ in Græco, earumdem in Latino etiam fecerim indicium, quo latina græcis rectius reſponderent. Forte & hoc diſſimulandum non eſt, quod licet Victorius toti operi titulum dederit latinum *de optimo ſtatu reipublicæ*, ego tamen retinuerim illum communem Politicorum: quum hic jam civitate latina quaſi donatus ſit, & de optimo ſtatu reipubl. non niſi pars agat noſtri operis, & quidem illa, cujus non niſi paucula ſuperſunt.

Politico operi ſubjunxi ſtatim fragmenta uberrimi quondam & utiliſſimi voluminis ariſtotelici de hiſtoriis rerumpublicarum, qualia illa collegit Iſaacus Caſaubonus, pauculis tantum interpolatis. Etſi enim potuiſſem facile longe plura addere, quoniam tamen illa politicum aliquem uſum præſtare nequeunt, ſed grammaticum duntaxat, nolui huic rei operam impendere. Indicavi nihilominus capite ſecundo introductionis loca complura, unde peti queant, ſi videbitur pretium aliquod operæ futurum.

Introductionem in politicum hoc opus jam tum prima mea editione exhibui quidem: nunc autem eandem reddo, verum ut poſſit videri nova. Non quod ſententiam ulla in parte mutaverim (quæ enim juveni quondam, illa nunc quoque tanto poſt temporis intervallo placent) ſed quia pene triplo eſt auctior. Enimvero apprime utile duxi omnibus politica hæc verſaturis, priusquam lectioni ſeſe immergant, operis vim naturamque, cumprimis vero argumentum ac ſeriem, & denique adminicula pleni fructus percipiendi intelligere. Nunc potiſſimum, poſtquam fere nihil non horum diſſidentibus doctorum ſententiis redditum eſt ambiguum. Hinc quæcunque viſa ſunt prima editione nondum ſatis liquido probata, illa iterum revocata in diſ-



Digitized by Google

quiſitionem, jam plane atque accurate a me ſunt pertractata. Et vero, niſi vehementer fallor, probe perceptis, quæ introductione iſthac diſputavi, is, qui ingenii judiciique pollet maturitate, atq; adeo γνήσιος eſt ἀκροατὴς ſubtilioris civilis philoſophiæ, poterit ſine magiſtro alio politica hæc ariſtotelica non difficulter aſſequi: ut vice commentarii eſſe quodammodo poſſit hæc introductio. Certe, niſi ea facies ariſtotelici operis, quam paucis delineavi octavo capite, lectoris animo ſemper obverſetur, ferme ceu in tenebris ceſpitabit lectio, incerta & quorſum tendat, & quantum profecerit. Nec vero mihi quid per injuriam arrogo, ſi a me demum iſthac introductione integri ariſtotelici operis vim proditam affirmem. Hac ſane de cauſſa nec ſingulis capitibus præfixi illas ab aliis traditas ſummas: etſi ſub finem operis adjecerim & quæ primus capitum ſector græce, & quæ latine Zvingerus conſcripſit. Perquam raro ſcilicet (me quidem judice) illi auctores Ariſtotelis mentem ſunt aſſequuti: eoque ſummæ ab illis traditæ turbant potius & fallunt lectorem, quam inſtruant. Ex introductione vero facili opera poterit peti, non voluminis tantum univerſi, ſed ſingulorum quoque librorum, imo ſingulorum capitum verum & genuinum argumentum.

Ad ultimum adjeci & emendationum libellum. Nihil majoris tædii eſt, quam voculis corrigendis tempus impendere: ad optimorum tamen ſcriptorum, præcipue veterum, integritatem nihil utilius, imo magis neceſſarium. Itaque etſi hæc opera maxime moleſta mihi fuerit, aſſueto videlicet rerum inquiſitioni & ſeriis actibus, ſtudium tamen commodi publici, cui ariſtotelica hæc doctrina plurimum præſtare adjumenti poteſt, ſi ab iis, qui adminiſtrationi reipubl. præſident, hactenus vero præ obſcuritate & mendis a lectione ſunt deterriti, ſolito magis in pretio habeatur, tædium illud omne illamque moleſtiam fecit me ſuperare. Et vero motus exemplo ipſiusmet Ariſtotelis, qui Homeri Iliadem non dubitavit purgare a mendis & quaſi novam edere, criticisque omnibus, Dione Chryſoſtomo teſte, ducem auctoremque ſe præbere, didici non eſſe indignum homine ſapientiæ ſtudia æmulante, etiam tali ἐπανορθώσει impendere curam, circa ſcriptum magni uſus; qua ratione politicum hoc opus longe præſtat Iliade. Fuit vero hoc agenti magno mihi auxilio Fridericus Sylburgius & Antonius Montecatinus: quorum uterque varias lectiones inſigni diligentia congeſſit. Cæterum an aſſecutus ſemper ſim lectionem meliorem, nec ne, tuo, lector, judicio arbitraberis. Procul abſum enim, ut conjecturas meas cuiquam obtrudam. Hinc ſane nihil illorum in textum ipſum recepi, ſed ſeorſim libello ſingulari malui omnia exhibere. Et vero prius, quam capitis alicujus ariſtotelici lectionem aggrediaris, facile tibi fuerit percurrere cujusque loci emendationes, ut conſtituta recta ſcriptione, inoffenſo, ut ita loquar, pede, poſſis in doctrinæ ipſiusmet accuratiore expenſione progredi.

Hæc fere ſunt, quæ in hac Politicorum Ariſtotelis editione altera præſtiti; certe præſtare ſtudui. Tuum fuerit, Benevole lector, ſaltim bonis conatibus favere, ſi forte ob multa de nobiliſſimo opere merita gratiæ nullæ mihi debeantur.

# ARISTOTELIS POLITICORUM LIBER I.

# ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ ΠΟΛΙΤΙΚΩΝ ΤΟ Α΄.

## CAP. I.

§. 1.

Quia *omnem civitatem* (a) videmus communionem quandam eſſe, & omnem communionem boni alicujus cauſa conſtitutam (ejus enim, quod videtur bonum eſſe, gratia omnes omnia agunt) perſpicuum eſt, omnes bonum aliquod propoſitum habere; maxime autem, & quod eſt præſtantiſſimum omnium, quæ cunctarum præſtantiſſima eſt, atque omnes alias continet. Hæc autem eſt, quæ vocatur civitas & communio civilis.

** **

Quicunque igitur putant, eundem eſſe idoneum hominem ad civitatem, regnum, domum admi-

§. 1.

Ἐπειδὴ πᾶσαν πόλιν ὁρῶμεν κοινωνίαν τινὰ οὖσαν, καὶ πᾶσαν κοινωνίαν ἀγαθοῦ τινος ἕνεκεν συνεστηκυῖαν· τοῦ γὰρ εἶναι δοκοῦντος ἀγαθοῦ χάριν πάντα πράττουσι πάντες· δῆλον ὡς πᾶσαι μὲν ἀγαθοῦ τινος στοχάζονται· μάλιστα δὲ, καὶ τοῦ κυριωτάτου πάντων, ἡ πασῶν κυριωτάτη, καὶ πάσας περιέχουσα τὰς ἄλλας· αὕτη δ᾽ ἐστὶν ἡ καλουμένη πόλις, καὶ ἡ κοινωνία ἡ πολιτική.

** **

ὅσοι μὲν οὖν οἴονται (b) πολιτικὸν, καὶ βασιλικὸν, καὶ οἰκονομικὸν, καὶ δεσποτικὸν εἶναι τὸν αὐτὸν, οὐ καλῶς λέγουσι· πλήθει

(a) *Omnem civitatem*) De ſcopo duorum priorum librorum politices agit FELDENUS in *analyſi* vid. etiam EUSTRATIUS *ad c. ult. lib. X. Eth. Nicom. & ad c. I. & II. lib. I. Ethic.* Adde PICCART. *in obſervat. p.* 18. 19. Hæ optimum exhibent commentarium. Dolendum tamen, utramque earum editionem multis ſcatere mendis, ita ut multis in locis vix capiatur, quid ille ſcriptor velit. *GOEB.*

(b) Ὅσοι μὲν οὖν.) Bene obſervavit Giphanius, id, quod antecesſit procemium, cum iis, quæ ſequuntur, non cohærere. Sed & non eſt veroſimile, Ariſtotelem, tantum cauſſa confutandi platonici illius erroris, qui voluerat τὸν πολιτικὸν καὶ βασιλικὸν καὶ οἰκονομικὸν καὶ δεσποτικὸν eundem eſſe, omnem ſequentem diſputationem inſtituiſſe. Exiſtimo igitur, quum dixiſſet Ariſtoteles, civitatem eſſe ſocietatem ſummam omnesque alias comprehendentem, adeoque eam, quæ ſummum bonum appetat, ſubjunxiſſe quædam de variis ſocietatibus, quæ civilis ceu totum aliquod ſuas partes, complectitur; eas nimirum multum eſſe diverſas a civili ſocietate non tantum amplitudine, ſed etiam ſcopo. Deficere igitur hic nonnulla, pauca tamen. Forte illa reſpiciunt iſta c. 1. l. 2. ἀρχὴν δὲ πρῶτον ποιητέον, ἥπερ πέφυκεν ἀρχὴ ταύτης τῆς σκέψεως. *CONR.*

Digitized by Google

adminiſtrandam, & ſervos regendum, non recte dicunt. Multitudine enim & paucitate arbitrantur inter ſe diſcrepare & non ſpecie unumquemque horum: ceu ſi paucorum rector ſit, herum: ſi autem plurium, patremfamilias: ſi vero adhuc plurium, civitati aut regno gubernando aptum: tanquam nihil inter ſe diſcrepent magna domus & parva civitas, & civitati & regno regendo facti homines: quando ſane ipſe præfuerit, regius: quando autem, ut ſunt rationes diſciplinæ hujuſcemodi, mutatis vicibus, modo imperat, modo paret, civilis.

§. 2. Hæc autem non ſunt vera. Planum autem erit, quod dicitur, ſpectantibus hoc ex ratione viaque, quæ incepta eſt. Quemadmodum enim in aliis compoſitum usque ad incompoſita neceſſe eſt dividere (hæ namque minimæ parvæ ſunt totius) ſic & civitatem, ex quibus juncta eſt, attendentes, videbimus & de his magis, quid diſcrepant inter ſe & ſi quid proprium artis contingit capere in ſingulis explorandis, dicta ſunt. Si igitur aliquis ab initio res, cum naſcuntur, aſpiceret, quemadmodum in aliis, ita & in his pulcherrime ſpectaret.

§. 3. II. Neceſſe jam eſt primum copulare eos, qui ſejuncti eſſe non poſſunt, ceu *feminam & marem* (a) procreandi cauſa: atque hoc non conſilio ac voluntate, ſed quemadmodum & in aliis animantibus & ſtirpibus natura datum eſt appetere, quale ipſum eſt, tale relinquere alterum. Imperium autem habens naturæ vi & obtemperans propter ſalutem. Quod enim valet ratione providere, imperans eſt natura, & dominans natura: quod autem valet corpore hæc præſtare, obtemperans eſt & natura ſervum. Quare hero & ſervo idem prodeſt.

§. 4. Natura igitur diſtincta eſt femina & ſervus. Nihil enim facit natura tale, quale fabri ærarii gladium delphicum apte ad uſus pauperum: *ſed unam ad unum.* (b) Sic enim optime perficeretur unumquodque inſtrumentum, ſi non pluribus rebus, ſed uni tantum ſerviret. Apud Barbaros autem femina & ſervus *eundem ordinem habent.* (c) Cauſa hujus eſt, quod natura imperans non habent, ſed ſocietas ipſorum eſt ancillæ & ſervi. Quapropter ajunt Poëtæ, Græcos in Barbaros imperium habere, rectum eſſe: tanquam idem natura ſit, Barbarum eſſe *& ſervum.* (d)

§. 5. Ex his igitur duabus ſocietatibus conſtat domus prima: & recte Heſiodus dixit,

*Domum quidem primum* uxoremque (e) *& bovem aratorem.*

Bos enim pro ſervo pauperibus eſt.

θει γὰρ καὶ ὀλιγότητι νομίζουσι διαφέρειν, ἀλλ᾽ οὐκ εἴδει, τούτων ἕκαστον· οἷον ἂν μὲν ὀλίγων, δεσπότην· ἂν δὲ πλειόνων, οἰκονόμον· ἂν δ᾽ ἔτι πλειόνων, πολιτικὸν, ἢ βασιλικόν· ὡς οὐδὲν διαφέρουσαν μεγάλην οἰκίαν, ἢ μικρὰν πόλιν· καὶ πολιτικὸν δὲ, καὶ βασιλικὸν. ὅταν μὲν αὐτὸς ἐφεστήκῃ, βασιλικὸν· ὅταν δὲ, κατὰ λόγους τῆς ἐπιστήμης τῆς τοιαύτης, κατὰ μέρος ἄρχων καὶ ἀρχόμενος, πολιτικόν.

§. 2. Ταῦτα δ᾽ οὐκ ἔστιν ἀληθῆ. δῆλον δ᾽ ἔσται τὸ λεγόμενον ἐπισκοποῦσι κατὰ τὴν ὑφηγημένην μέθοδον. ὥσπερ γὰρ ἐν τοῖς ἄλλοις τὸ σύνθετον μέχρι τῶν ἀσυνθέτων ἀνάγκη διαιρεῖν· ταῦτα γὰρ ἐλάχιστα μόρια τοῦ παντός. οὕτω καὶ πόλιν, ἐξ ὧν σύγκειται (f) σκοποῦντες, ὀψόμεθα καὶ περὶ τούτων μᾶλλον, τί τε διαφέρουσιν ἀλλήλων, καὶ εἴ τι τεχνικὸν ἐνδέχεται λαβεῖν περὶ ἕκαστον τῶν ῥηθέντων. Εἰ δή τις ἐξ ἀρχῆς τὰ πράγματα (g) φυόμενα βλέψειεν, ὥσπερ ἐν τοῖς ἄλλοις, καὶ ἐν τούτοις, κάλλιστ᾽ ἂν οὕτω θεωρήσειεν.

§. 3. II. Ἀνάγκη δὴ πρῶτον συνδυάζεσθαι τοὺς ἄνευ ἀλλήλων μὴ δυναμένους εἶναι· οἷον θῆλυ (μὲν) καὶ ἄῤῥεν τῆς γενέσεως ἕνεκεν, καὶ τοῦτο οὐκ ἐκ προαιρέσεως, ἀλλ᾽ ὥσπερ καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις ζώοις καὶ φυτοῖς φυσικὸν τὸ ἐφίεσθαι, οἷον αὐτὸ τοιοῦτον καταλιπεῖν ἕτερον. Ἄρχον δὲ φύσει καὶ ἀρχόμενον, διὰ τὴν σωτηρίαν· τὸ μὲν γὰρ δυνάμενον τῇ διανοίᾳ προορᾶν, ἄρχον φύσει, καὶ δεσπόζον φύσει· τὸ δὲ δυνάμενον τῷ σώματι ταῦτα ποιεῖν ἀρχόμενον καὶ φύσει δοῦλον. διὸ δεσπότῃ καὶ δούλῳ ταυτὸ συμφέρει.

§. 4. Φύσει μὲν οὖν διώρισται τὸ θῆλυ, καὶ τὸ δοῦλον. οὐθὲν γὰρ ἡ φύσις ποιεῖ τοιοῦτον, οἷον χαλκοτύποι τὴν (Δελφικὴν) μάχαιραν, πενιχρῶς, ἀλλ᾽ ἓν πρὸς ἕν. οὕτω γὰρ ἂν ἀποτελοῖτο κάλλιστα τῶν ὀργάνων ἕκαστον, μὴ πολλοῖς ἔργοις ἀλλ᾽ ἑνὶ δουλεῦον. ἐν δὲ τοῖς Βαρβάροις τὸ θῆλυ καὶ δοῦλον τὴν αὐτὴν ἔχει τάξιν. αἴτιον δ᾽, ὅτι τὸ φύσει ἄρχον οὐκ ἔχουσιν, ἀλλὰ γίνεται ἡ κοινωνία αὐτῶν, δούλης καὶ δούλου. διό φασιν οἱ ποιηταὶ, Βαρβάρων δ᾽ Ἕλληνας ἄρχειν εἰκός· ὡς ταυτὸ φύσει βάρβαρον καὶ δοῦλον ὄν.

§. 5. Ἐκ μὲν οὖν τούτων τῶν δύο κοινωνιῶν οἰκία πρώτη· καὶ ὀρθῶς Ἡσίοδος εἶπε ποιήσας,

Οἶκον μὲν πρώτιστα, γυναῖκά τε, βοῦν τ᾽ ἀροτῆρα.

ὁ γὰρ βοῦς ἀντ᾽ οἰκέτου τοῖς πένησίν ἐστιν.

§. 6.

(a) *Foeminam & marem*) CICERO *lib. I. de officiis: prima ſocietas*, inquit, *eſt in ipſo conjugio.* conf. MEIERUS *l. c. lib. I. c. 1. §. IX.* HERTIUS *in elem. prudent. civil. part. II. ſect. II. §. IIX. IX.* *GOEB.*

(b) *Sed unam ad unum*) Communionem mulierum improbandam eſſe docet PHILOSOPH. *lib. 2. polit.* vid. HERT. *l. c. p. 37.* *GOEB.*

(c) *Eundem ordinem*) Supra ſervorum ſortem oportet eſſe conjugem omnis fortunæ ſociam: imperare autem viris datum. ARISTOT. *polit. lib. II. c. 7. lib. V. c.* II. GROT. *de J. B. & P. lib. II. c. V. §.* 1. HORNIUS *de civit. lib.* 1. *c.* 1. marito in uxorem nullum a natura competere imperium contendit. *GOEB.*

(d) *Et ſervum*) De ſocietate herili HORNIUS *l. c. c.* 2. ubi oſtendit a natura nullos eſſe ſervos. *GOEB.*

(e) *Uxoremque*) In Heſiodo non de conjuge, ſed de ancilla ſermo eſt. PICCARTUS *in obſerv. lib. I. c. II. p.* 31. *GOEB.*

(f) Ἐξ ὧν σύγκειται.) Heinſius aliter interpungit & recte quidem: ἐξ ὧν σύγκειται σκοποῦντες, ὀψόμεθα καὶ περὶ τούτων μᾶλλον. *CONR.*

(g) Ἐξ ἀρχῆς τὰ πράγματα.) Heinſius arbitratur tranſpoſitionem hic dari vocabulorum: pro eo: εἰ δή τις τὰ πράγματα ἐξ ἀρχῆς φυόμενα βλέψειεν. At etiam, ſi nulla facta ſit tranſpoſitio, omnia tamen recte ſeſe habent, illo ſenſu, quem Victorius expreſſit. Magis cohæret autem oratio, ſi legas: εἰ δὲ: elegantior item eſt, utpote cum mox quoque ſubſequatur illud δή. *CONR.*



Digitized by Google

§. 6. Communio igitur, quæ natura ad omnem diem conſtituta eſt, domus eſt: quos Charondas vocat ὁμοσιπύυς, Epimenides autem Cres ὁμοκάπυυς. Quæ autem e pluribus domibus conflata eſt communio prima, non ſane ob uſum diurnum, *pagus eſt.* (*a*)

§. 7. Maxime autem ex natura videtur pagus colonia domus eſſe: quos vocant nonnulli ὁμογάλακτας, natosque & natorum natos.

§. 8. Quapropter & initio *a regibus* (*b*) gubernabantur civitates, & nunc etiam gentes: conveniebant enim, qui regio imperio aſſueti forent. Omnis enim domus regnatur ab eo, qui maximus natu eſt. Quare & coloniæ propter cognationem. Et hoc eſt, quod dicit Homerus:

*Singuli autem ſua ex libidine regunt*
*Liberos & uxores.*

diſſeminati enim erant: & ſic antiquitus habitabant. Et deos hanc ob cauſam cuncti ajunt regem habere, quia & ipſi, hi quidem usque ad noſtra tempora, hi autem antiquitus a rege gubernabantur. Quemadmodum enim & formas ſuæ ſimiles *fingunt homines*, (*c*) ita etiam vitas deorum.

§. 6. Ἡ μὲν οὖν εἰς πᾶσαν ἡμέραν συνεςηκυῖα κοινωνία κατὰ φύσιν, οἶκός ἐςιν. ὃς Χαρώνδας μὲν καλεῖ ὁμοσιπύυς, Ἐπιμενίδης δὲ ὁ Κρὴς ὁμοκάπυυς, (*e*) ἡ δ᾽ ἐκ πλειόνων οἰκιῶν κοινωνία πρώτη χρήσεως ἕνεκεν μὴ ἐφημέρυ, κώμη.

§. 7. Μάλιςα δὲ κατὰ φύσιν ἔοικεν ἡ κώμη ἀποικία οἰκίας εἶναι ὃς καλῦσί τινες ὁμογάλακτας, παῖδάς τε καὶ παίδων παῖδας.

§. 8. Διὸ καὶ τὸ πρῶτον ἐβασιλεύοντο αἱ πόλεις, καὶ νῦν ἔτι τὰ ἔθνη· ἐκ βασιλευομένων γὰρ συνῆλθον. πᾶσα γὰρ οἰκία βασιλεύεται ὑπὸ τῦ πρεσβυτάτυ· ὥςε καὶ αἱ ἀποικίαι. διὰ τὴν συγγένειαν. καὶ τῦτ᾽ ἐςὶν ὃ λέγει Ὅμηρος,

Θεμιςεύει δὲ ἕκαςος
Παίδων ἠδ᾽ ἀλόχων.

σποράδες γὰρ, καὶ ὕτω τὸ ἀρχαῖον ὤκυν. καὶ τὺς θεὺς δὲ διὰ τῦτο πάντες φασὶ βασιλεύεσθαι, ὅτι καὶ αὐτοὶ, (*f*) οἱ μὲν ἔτι καὶ νῦν, οἱ δὲ τὸ ἀρχαῖον ἐβασιλεύοντο. ὥσπερ δὲ καὶ τὰ εἴδη ἑαυτοῖς ἀφομοιῦσιν οἱ ἄνθρωποι, ὕτω καὶ τὺς βίυς τῶν θεῶν.

## CAP. II.

§. 1.

E pluribus autem pagis communio perfecta, civitas eſt: quæ jam omnis ubertatis, ut ita loquar, extremum nacta eſt, nata ſane vivendi cauſa, exiſtens tamen bene vivendi.

2. Quare omnis civitas natura eſt, ſiquidem etiam primæ communiones. Finis enim hæc illarum: natura autem finis eſt. Quale enim unumquodque eſt generatione abſoluta, talem affirmamus eſſe naturam uniuscujusque, quemadmodum hominis, equi, domus. Adhuc cujus cauſa & finis, optimum. Ubertas autem finis & optimum.

§. 3. Ex his igitur perſpicuum eſt, natura civitatem eſſe, atque hominem *natura civile animal eſſe*: (*d*) nec non eum, qui vivit longe a civitate propter naturam, & non propter caſum aliquem, ſive improbum eſſe, ſive meliorem, quam homo ſit: quemadmodum qui ab Homero vexatus contumelia eſt,

*Sine tribulibus, ſine legibus, ſine Veſta, laribusque familiaribus.*

Simul enim natura talis & belli cupidus, veluti ſine jugo ſocioque, ut contingit in avibus.

§. 4.

§. 1.

Ἡ δ᾽ ἐκ πλειόνων κωμῶν κοινωνία τέλειος πόλις, ἤδη πάσης ἔχυσα πέρας τῆς αὐταρκείας, ὡς ἔπος εἰπεῖν· γινομένη μὲν ἂν τῦ ζῆν ἕνεκεν, ὖσα δὲ τῦ εὖ ζῆν.

§. 2. Διὸ πᾶσα πόλις φύσει ἐςὶν, εἴπερ καὶ αἱ πρῶται κοινωνίαι. τέλος γὰρ αὕτη ἐκείνων· ἡ δὲ φύσις, τέλος ἐςίν. οἷον γὰρ ἕκαςόν ἐςι τῆς γενέσεως τελεσθείσης, ταύτην φαμὲν τὴν φύσιν εἶναι ἑκάςυ, ὥσπερ ἀνθρώπυ, ἵππυ, οἰκίας· ἔτι τὸ ὗ ἕνεκα καὶ τὸ τέλος, (*g*) βέλτιςον· ἡ δ᾽ αὐτάρκεια, τέλος, καὶ βέλτιςον.

§. 3. Ἐκ τύτων ὖν φανερὸν, ὅτι τῶν φύσει ἡ πόλις ἐςὶ, καὶ ὅτι ἄνθρωπος φύσει πολιτικὸν ζῶον, καὶ ὁ ἄπολις, διὰ φύσιν καὶ ὐ διὰ τύχην, ἤτοι φαῦλός ἐςιν, ἢ κρείττων ἢ ἄνθρωπος· ὥσπερ καὶ ὁ ὑφ᾽ Ὁμήρυ λοιδορηθεὶς,

Ἀφρήτωρ, ἀθέμιςος, ἀνέςιος·

ἅμα γὰρ φύσει τοιῦτος καὶ πολέμυ ἐπιθυμητὴς, ἅτεπερ ἄζυξ, ὥσπερ ἐν πετεινοῖς.

§. 4.

(*a*) *Pagus eſt*) PICCARTUS *l. c. p.* 33. 34. plures patresfamilias conſtituerunt collegium, ex pluribus collegiis enatus eſt pagus. MEIER. p. 11. *GOEB.*

(*b*) *A regibus*) JUSTINUS *lib. I. c. I.* POLYBIUS *prælect. pol. Arniſæi p.* 319. Naturæ rerum convenientior videtur ſententia inter rerumpublicarum formas democratiam primam fuiſſe. PUFFENDORF. *de jure N. & G. lib. VII. c. V. §. IV.* HERTIUS tamen *in element. prud. civil. p. I. ſect. X.* cum aliis ex veteribus priorem ſequitur opinionem. *GOEB.*

(*c*) *Fingunt homines*) PICCARTUS *l. c. p.* 35. *GOEB.*

(*d*) *Natura civile animal eſſe*) Sed cauſa impulſiva coeundi in ſocietates civiles rectius a metu ſive violentia hominum petitur. VASQUIUS in *præfat. controverſ. illuſtr. n.* 105. BODINUS *de republ. lib. I. c.* 6. GROT. *in proleg. de J. B. & P. proleg. §.* 19. HOBBES. *de cive c. I.* HOUTUYN. *in politica general. §.* 15. PUFFENDORF. *in diſſert. de obl. erga patriam §.* 26. HERT. *l. c. ſect.* 3. *GOEB.*

(*e*) Ὁμοκάπυυς.) Malim, quemadmodum quædam exemplaria græca legere, teſtantur Victorius Montecatinus & alii, ὁμοκάπυς quod eſt, ὁμοτραπέζυς: & placet idem Caſaubono. Parum refert, ſi tamen retineas ὁμοκάπυυς. *CONR.*

(*f*) Καὶ αὐτοὶ.) Heinſius mavult καὶ ἄνθρωποι. Fatetur tamen, *prius quoque ferri poſſe.* Et vero nihil eſt cauſſæ, quare mutemus. *CONR.*

(*g*) Καὶ τὸ τέλος.) In multis græcis exemplaribus legi, καὶ τέλος βέλτιςον, notat Montecatinus & Sylburgius. Quæ ſequuntur, ita emendat Caſaubonus: ἡ δ᾽ αὐτάρκεια τέλος, καὶ βέλτιςον ὄν. *CONR.*

Digitized by Google

§.4. Quare autem homo civile animal ſit, omni ape & omni gregali animante magis, apertum eſt. Nihil enim, ut cenſemus, natura facit *fruſtra*.(a) Orationis enim tantum homo ex omni genere animantium particeps eſt. Vox igitur triſtis rei ac jucundæ nota eſt. Quare cæteris quoque animantibus data eſt. Hucusque enim natura ipſarum pervenit, ut ſentiant, quod moleſtum eſt ac jucundum, & hæc ſignificent ſibi ipſis. Oratio autem inventa eſt ad declarandum, quod prodeſt & obeſt. Quare etiam juſtum & injuſtum. Hoc enim adverſus cæteras animantes hominum proprium eſt, ſolum ipſum boni & mali, juſti & injuſti & aliorum ſenſum habere. Communio autem horum parit domum & civitatem.

§.4. Διότι δὲ πολιτικὸν ὁ ἄνθρωπος ζῶον, πάσης μελίττης καὶ παντὸς ἀγελαίȣ ζώȣ μᾶλλον, δῆλον. ȣ̓θὲν γὰρ, ὥς φαμεν, μάτην ἡ φύσις ποιεῖ. λόγον δὲ μόνον ἄνθρωπος ἔχει τῶν ζώων. ἡ μὲν ȣ̓͂ν φωνὴ, τȣ͂ ἡδέος καὶ λυπηρȣ͂ ἐστι σημεῖον· διὸ καὶ τοῖς ἄλλοις ὑπάρχει ζώοις. μέχρι γὰρ τȣ́τȣ ἡ φύσις αὐτῶν ἐλήλυθεν, (c) ὥστε αἰσθάνεσθαι τȣ͂ λυπηρȣ͂ καὶ ἡδέος, καὶ ταῦτα σημαίνειν ἀλλήλοις. ὁ δὲ λόγος ἐπὶ τῷ δηλοῦν ἐστι τὸ συμφέρον καὶ τὸ βλαβερόν· ὥστε καὶ τὸ δίκαιον, καὶ τὸ ἄδικον. τȣ͂το γὰρ πρὸς τὰ ἄλλα ζῶα τοῖς ἀνθρώποις ἴδιον, τὸ μόνον ἀγαθȣ͂ καὶ κακȣ͂, καὶ δικαίȣ, καὶ ἀδίκȣ, καὶ τῶν ἄλλων αἴσθησιν ἔχειν. ἡ δὲ τȣ́των κοινωνία ποιεῖ οἰκίαν καὶ πόλιν.

§.5. Et prius quidem natura civitas eſt, quam domus & unusquisque noſtrum. Totum enim prius neceſſe eſt eſſe, quam partem. Interemto enim toto, non erit neque pes, neque manus, niſi æquivoce. Quemadmodum ſi quis manum dicit lapideam. Mortua enim erit talis. Cuncta autem officio & poteſtate definita ſunt. Quare cum hujuſcemodi amplius non ſunt, non dici poſſunt eadem eſſe, ſed idem tantum nomen habere.

§.5. Καὶ πρότερον δὴ τῇ φύσει πόλις ἢ οἰκία καὶ ἕκαστος ἡμῶν ἐστι. τὸ γὰρ ὅλον πρότερον ἀναγκαῖον εἶναι τȣ͂ μέρȣς· ἀναιρȣμένȣ γὰρ τȣ͂ ὅλȣ, ȣ̓κ ἔσαι πȣ̀ς, ȣ̓δὲ χεὶρ, εἰ μὴ ὁμωνύμως, ὥσπερ εἴ τις λέγει τὴν λιθίνην. διαφθαρεῖσα γὰρ ἔσαι τοιαύτη. πάντα δὲ τῷ ἔργῳ ὥρισαι καὶ τῇ δυνάμει. ὥστε μηκέτι τοιαῦτα ὄντα ȣ̓ λεκτέον τὰ αὐτὰ εἶναι, ἀλλ᾽ ὁμώνυμα.

§.6. Civitatem igitur natura conſtare, & *prius eſſe*,(b) quam unusquisque ſit, perſpicuum eſt. Si namque unusquisque mortalis ſejunctus a cæteris ſatis ſibi non eſt, ſimiliter atque aliæ partes ſe habebit ad totum. Qui vero non valet ſocietatem colere, ſive nihil indiget ſociis, quia ſatis in ipſo ſit, nulla pars eſt civitatis. Quare vel bellua eſt, vel deus.

§.6. Ὅτι μὲν ȣ̓͂ν ἡ πόλις φύσει πρότερον ἢ ἕκαστος, δῆλον· εἰ γὰρ μὴ (d) αὐτάρκης ἕκαστος χωρισθεὶς, ὁμοίως τοῖς ἄλλοις μέρεσιν ἕξει πρὸς τὸ ὅλον. ὁ δὲ μὴ δυνάμενος κοινωνεῖν, ἢ μηθὲν δεόμενος δι᾽ αὐτάρκειαν, ȣ̓θὲν μέρος πόλεως· ὥστε ἢ θηρίον, ἢ θεός.

§.7. Natura igitur in omnibus propenſio eſt ad hujuſcemodi communionem. Qui autem primus conſtituit ipſam, maximorum bonorum cauſa fuit. Quemadmodum enim perfectum optimum omnium animalium homo eſt: ſic ſecretum a lege ac juſtitia, peſſimum omnium. Moleſta enim maxime injuſtitia eſt, quæ arma habet. Homo autem armis munitus naſcitur, prudentia & virtute, quibus ad contrarias res uti licet maxime. Quare ſceleratum & ferum maxime eſt ſine virtute, & ad Venerem ventremque deterrimum. Juſtitia autem accommodata eſt civitati. Jus enim civilis ſocietatis ordo eſt. Jus autem, juſti exiſtimatio.

§.7. Φύσει μὲν ȣ̓͂ν ἡ ὁρμὴ ἐν πᾶσιν ἐπὶ τὴν τοιαύτην κοινωνίαν· ὁ δὲ πρῶτος συστήσας, μεγίστων ἀγαθῶν αἴτιος. ὥσπερ γὰρ τελεωθὲν (e) βέλτιστον τῶν ζώων ἄνθρωπός ἐστιν· ȣ̔́τω καὶ χωρισθὲν νόμȣ καὶ δίκης χείριστον πάντων. χαλεπωτάτη γὰρ ἀδικία ἔχȣσα ὅπλα· ὁ δ᾽ ἄνθρωπος ὅπλα ἔχων φύεται φρονήσει καὶ ἀρετῇ· (f) οἷς ἐπὶ τἀναντία ἐστὶ χρῆσθαι μάλιστα· διὸ ἀνοσιώτατον καὶ ἀγριώτατον ἄνευ ἀρετῆς, καὶ πρὸς ἀφροδίσια καὶ ἐδωδὴν χείριστον· ἡ δὲ δικαιοσύνη πολιτικόν. ἡ γὰρ δίκη πολιτικῆς κοινωνίας τάξις ἐστίν· ἡ δὲ δίκη, τȣ͂ δικαίȣ κρίσις.

CAP.

(a) *Fruſtra*) FELDEN in analyſi p. 21. *GOEB.*

(b) *Prius eſſe*) Nempe natura. Quid hoc ſignificet, explicat FELDENVS *l. c. p.* 13. AMMONIVS *in comment. ad categorias c. de ſubſtant.* Breviter Ariſtoteles hoc ita exprimit: *Prius natura eſt, a quo non reciprocatur exiſtendi conſequentia. GOEB.*

(c) Ἐλήλυθεν.) Caſaubonus ſcribit: προῆλθεν. Tolerari autem poteſt id, quod vulgatum eſt. *CONR.*

(d) Εἰ γὰρ μή.) Camerarius diſtinguit & recte quidem: εἰ γὰρ μὴ, αὐτάρκης. *CONR.*

(e) Τελεωθέν.) Camerarius & Caſaubonus emendant τελειωθὲν. *CONR.*

(f) φρονήσει καὶ ἀρετῇ.) Neutra vox ſatis commode hic legitur. Nam ſi cum Victorio, Giphanio, Zvvingero & aliis accipias, quaſi φρόνησις & ἀρετὴ ſint ipſa arma illa, quibus homo poteſt abuti, multa ſequuntur dictu abſona, præſertim cum vox ἀρετῆς ſtatim tertio verſu poſt de vera virtute loquatur. Montecatinus vertit: *Homo habens arma, naſcitur ad prudentiam & virtutem.* Sed talem interpretationem vix admittit illud φύεται φρονήσει. Nihil etiam ad rem facit, hominem naſci ad prudentiam & virtutem. Fortaſſis utraque vox aliunde irrepſit. Certe commode poteſt omitti. Si ſcribas ſcil. ὁ δ᾽ ἄνθρωπος ὅπλα ἔχων φύεται, οἷς ἐπὶ τ᾽ ἐναντία ἐστὶ χρῆσθαι μάλιστα. *CONR.*



Digitized by Google

# CAP. III.

§. I.

III. Quia autem apertum eſt, ex quibus partibus civitas conſtituta eſt: neceſſe eſt de ratione regendæ domus prius dicere. Omnis enim civitas e domibus conſtat. Diſciplinæ autem hujus partes ſunt, ex quibus rurſus domus conſtituta eſt. Domus autem perfecta conſtat e ſervis, hominibus & liberis.

§. 2. Quia autem in minimis primum ſingulæ res inquirendæ ſunt: primæ autem & minimæ partes domus ſunt, *herus & ſervus*, (a) & vir & uxor, & pater & filii: de tribus utique iis conſiderandum eſſet, quid unumquodque horum & quale oportet eſſe. Hæc autem ſunt herilis & nuptialis (ſine nomine, namque eſt uxoris & viri copula) & tertia procreatrix liberorum: etenim hæc non nominata eſt proprio nomine. Sint igitur hæ tres, quas diximus.

§. 3. Eſt autem quædam pars, quæ videtur his quidem eſſe ratio domus regendæ. His autem maxima pars ipſius. Quomodo autem ſe res habet, videndum eſt. Loquor autem de ea, quæ vocatur pecuniaria.

§. 4. Primum autem de hero & ſervo dicamus: ut & ea, quæ ad neceſſarium uſum pertinent, videamus: & ſi quid ad intelligendum de ipſis capere melius valemus, quam ea ſint, quæ nunc opinionibus hominum tenentur.

§. 5. His namque videtur ſcientia quædam eſſe facultas heri: & eadem eſſe ratio domeſtica & herilis, & civilis, & regia, ut diximus in principio. His vero præter naturam eſſe dominari. Lege namque hunc quidem ſervum eſſe, hunc autem liberum: natura autem *nihil differre*. (b) Quapropter neque juſtum. Violentum enim.

* * * *

Quia igitur res familiaris pars domus eſt, & facultas ipſius parandæ pars erit domeſticæ diſciplinæ. Sine namque rebus neceſſariis non poteſt neque vivi, neque recte vivi.

§. 6. IV. Quemadmodum autem in artibus definitis neceſſe eſſet adeſſe ſua propriaque inſtrumenta, ſi debet perfici opus: ſic etiam illi, qui domum regit.

§. 7. Inſtrumentorum autem hæc quidem ſunt inanima, hæc autem animata: ceu gubernatori clavus quidem inanime, qui vero manet in prora, animale. Miniſter enim vim habet inſtrumenti in artibus. Sic & res poſſeſſa inſtrumentum eſt ad vitam: & res familiaris multitudo inſtrumentorum eſt: & *ſervus unum eorum*, (c) quæ

§. I.

III. Ἐπεὶ δὲ φανερὸν ἐξ ὧν μορίων ἡ πόλις συνέστηκεν, ἀνάγκη περὶ οἰκονομίας (d) εἰπεῖν πρότερον· πᾶσα γὰρ πόλις, ἐξ οἰκιῶν σύγκειται. οἰκίας δὲ μέρη, (e) ἐξ ὧν αὖθις οἰκία συνίσαται· οἰκία δὲ τέλειος, ἐκ δούλων, καὶ ἐλευθέρων.

§. 2. Ἐπεὶ δὲ καὶ ἐν τοῖς ἐλαχίστοις πρῶτον ἕκαστον ζητητέον· πρῶτα δὲ καὶ ἐλάχιστα μέρη οἰκίας, δεσπότης καὶ δοῦλος, καὶ πόσις, καὶ ἄλοχος, καὶ πατὴρ καὶ τέκνα· περὶ τριῶν τούτων σκεπτέον ἂν εἴη τί ἕκαστον, καὶ ποῖον δεῖ εἶναι. ταῦτα δ᾽ ἐστὶ δεσποτικὴ, καὶ γαμική. ἀνώνυμον γὰρ ἡ γυναικὸς καὶ ἀνδρὸς σύζευξις· καὶ τρίτον ἡ τεκνοποιητική· καὶ γὰρ αὕτη (f) οὐκ ὠνόμασται ἰδίῳ ὀνόματι. ἔστωσαν δ᾽ αὗται τρεῖς ἃς εἴπομεν.

§. 3. Ἔστι δέ τι μέρος, ὃ δοκεῖ τοῖς μὲν εἶναι οἰκονομία, τοῖς δὲ μέγιστον μέρος αὐτῆς. ὅπως δ᾽ ἔχει, θεωρητέον. λέγω δὲ περὶ τῆς καλουμένης χρηματιστικῆς.

§. 4. Πρῶτον δὲ περὶ δεσπότου καὶ δούλου εἴπωμεν, ἵνα τά τε πρὸς τὴν ἀναγκαίαν χρείαν ἴδωμεν, κἂν εἴ τι πρὸς τὸ εἰδέναι περὶ αὐτῶν δυναίμεθα λαβεῖν βέλτιον τῶν νῦν ὑπολαμβανομένων.

§. 5. Τοῖς μὲν γὰρ δοκεῖ ἐπιστήμη (g) τις εἶναι ἡ δεσποτεία, καὶ ἡ αὐτὴ οἰκονομία καὶ δεσποτεία, καὶ πολιτικὴ, καὶ βασιλικὴ, καθάπερ εἴπομεν ἀρχόμενοι· τοῖς δὲ παρὰ φύσιν τὸ δεσπόζειν. νόμῳ γὰρ, τὸν μὲν δοῦλον εἶναι, τὸν δὲ ἐλεύθερον· φύσει δ᾽ οὐθὲν διαφέρειν. διόπερ οὐδὲ δίκαιον· βίαιον γάρ.

* * * *

ἐπεὶ οὖν ἡ κτῆσις (h) μέρος τῆς οἰκίας ἐστὶ, καὶ ἡ κτητικὴ μέρος τῆς οἰκονομίας· ἄνευ γὰρ τῶν ἀναγκαίων ἀδύνατον καὶ ζῆν, καὶ εὖ ζῆν.

§. 6. Ὥσπερ δὲ ἐν ταῖς (i) ὡρισμέναις τέχναις ἀναγκαῖον ἂν εἴη ὑπάρχειν τὰ οἰκεῖα ὄργανα, εἰ μέλλει ἀποτελεσθήσεσθαι τὸ ἔργον, οὕτω καὶ τῶν οἰκονομικῶν. (k)

§. 7. Τῶν δ᾽ ὀργάνων, τὰ μὲν, ἄψυχα· τὰ δὲ, ἔμψυχα· οἷον τῷ κυβερνήτῃ, ὁ μὲν οἴαξ ἄψυχον, ὁ δὲ πρωρεὺς ἔμψυχον· ὁ γὰρ ὑπηρέτης ἐν ὀργάνου εἴδει ταῖς τέχναις ἐστίν. οὕτω καὶ τὸ κτῆμα ὄργανον πρὸς ζωήν ἐστι· καὶ ἡ κτῆσις, πλῆθος ὀργάνων ἐστὶ, καὶ ὁ δοῦλος κτῆμά τι ἔμψυχον· καὶ ὥσπερ ὄργανον πρὸ ὀργάνων, πᾶς ὁ ὑπηρέτης. εἰ γὰρ ἠδύνα-

(a) *Herus & ſervus*) Tres hæ ſocietates minimæ ſocietatem oeconomicam conſtituunt. FELDEN. *l. c. p.* 30. *GOEB.*

(b) *Nihil differre*) Natura omnes homines ſunt æquales. PVFFEND. *in J. N. & Gent. lib. III. c.* 2. *GOEB.*

(c) *Servus unum eorum*) GROTIVS *de J. B. & P. lib. I. c. V. §. III. GOEB.*

(d) Περὶ οἰκονομίας.) Caſaubonus exiſtimat legendum περὶ οἰκίας, Probat idem Piccartus, ſed falſo credit hoc deberi Sylburgio. *CONR.*

(e) Οἰκίας δὲ μέρη.) Camotius & Caſaubonus ſcribunt: οἰκονομίας δ. μ. ſed emendatio rem nihil juvat. Malim cum Giphanio omnia illa inducere ceu peregrina: οἰκίας δὲ μέρη ἐξ ὧν αὖθις οἰκία συνίσταται. *CONR.*

(f) Καὶ γὰρ αὕτη.) Caſaubonus ſcribit: ἢ γὰρ ἢ αὕτη vel ἢ αὕτην. Bene. *CONR.*

(g) Ἐπιστήμη τις.) Mirum quid huc faciat τὸ ἐπιστήμη. Omnia erunt perſpicua, ſi ſcribas: τοῖς μὲν γὰρ δοκεῖ φυσική τε εἶναι ἡ δεσποτεία, aut vero: δοκεῖ ἐπιστήμη τε τις φυσικὴ εἶναι. certe vox φυσικὴ excidit. Ita ſane recte opponitur illud: τοῖς δὲ παρὰ φύσιν τὸ δεσπόζειν. *CONR.*

(h) Ἐπεὶ οὖν ἡ κτῆσις.) Non cohærent hæc cum antecedentibus, ſed hiat oratio. *CONR.*

(i) Ὥσπερ δὲ ἐν ταῖς.) Baſileenſis codex omittit utrumque illud: δὲ ἐν. Victorius delet ἐν. Et vero ita ſermo eſt comptior. *CONR.*

(k) Τῶν οἰκονομικῶν.) Aretinus videtur legiſſe τῇ οἰκονομικῇ, idque non injuria placuit Montecatino. Vetus interpres legit τῷ οἰκονομικῷ: quod probavit Victorius. *CONR.*

Digitized by Google

quæ poſſidentur, animi particeps: & tanquam inſtrumentum ante inſtrumenta omnis miniſter. Si namque potuiſſet unumquodque inſtrumentum, quod mandatum eſſet accipiens, vel ipſum præſentiens, perficere ſuum opus, ceu Dædali ajunt vel Vulcani tripodas, quos Poëta cecinit ſponte ſua divinum ſubiiſſe certamen: ſic radii ipſi ſuo munere fungerentur in tela texenda, & plectra fides pulſarent: nihil opus fuiſſet neque architectis miniſtris, neque heris ſervis.

ἠδύνατο ἕκαςον τῶν ὀργάνων κελευσθὲν, ἢ προαισθανόμενον, ἀποτελεῖν τὸ αὑτȣ̃ ἔργον, ὥσπερ τὰ Δαιδάλȣ φασὶν, ἢ τȣ̀ς τȣ̃ Ἡφαίςȣ τρίποδας, ȣ̃ς φησιν ὁ ποιητὴς, αὐτομάτȣς θεῖον δύεσθαι ἀγῶνα· ȣ̈τως εἰ αἱ κερκίδες ἐκέρκιζον αὐταὶ, καὶ τὰ πλῆκτρα ἐκιθάριζεν, ȣ̓δὲν ἂν ἔδει ȣ̈τε τοῖς ἀρχιτέκτοσιν ὑπηρετῶν, ȣ̈τε τοῖς δεσπόταις δȣ́λων.

§. 8. Vocata igitur inſtrumenta efficientia inſtrumenta ſunt: mancipium autem agendi. A radio enim aliud quippiam gignitur præter uſum ipſius: a veſte autem & lecto uſus tantum. Adhuc autem quia diſcrepat factio ſpecie & actio, & indigent ambæ inſtrumentis, neceſſe eſt & hæc eodem pacto inter ſe diſcrepare. Vita autem actio, non factio eſt. Quare & ſervus miniſter eorum, quæ faciunt ad actionem.

§. 8. Τὰ μὲν ȣ̃ν λεγόμενα ὄργανα, ποιητικὰ ὄργανά ἐςι· τὸ δὲ κτῆμα, πρακτικόν. ἀπὸ μὲν γὰρ τῆς κερκίδος ἕτερόν τι γίνεται παρὰ τὴν χρῆσιν αὐτῆς· ἀπὸ δὲ τῆς ἐσθῆτος καὶ τῆς κλίνης, ἡ χρῆσις μόνον. ἔτι δ᾽, ἐπεὶ διαφέρει ἡ ποίησις εἴδει καὶ ἡ πρᾶξις, καὶ δέονται ἀμφότεραι ὀργάνων, ἀνάγκη καὶ ταῦτα τὴν αὐτὴν ἔχειν διαφοράν· ὁ δὲ βίος, πρᾶξις, ȣ̓ ποίησίς ἐςι· διὸ καὶ ὁ δȣ̃λος ὑπηρέτης τῶν πρὸς τὴν πρᾶξιν.

§. 9. Res autem poſſeſſa dicitur, quemadmodum & pars. Pars enim non ſolum alius eſt pars, ſed & omnino alius. Eodem autem pacto & quod poſſidetur. Quare herus quidem ſervi herus ſolum: illius autem non eſt. Servus autem, non ſolum heri ſervus eſt, ſed & omnino illius.

§. 9. Τὸ δὲ κτῆμα λέγεται, ὥσπερ καὶ τὸ μόριον. τό, τε γὰρ μόριον, ȣ̓ μόνον ἄλλȣ ἐςὶ μόριον, ἀλλὰ καὶ ὅλως ἄλλȣ. ὁμοίως δὲ καὶ τὸ κτῆμα. διὸ ὁ μὲν δεσπότης τȣ̃ δȣ́λȣ δεσπότης μόνον, ἐκείνȣ δ᾽ ȣ̓κ ἔςιν· ὁ δὲ δȣ̃λος, ȣ̓ μόνον δεσπότου δȣ̃λός ἐςιν, ἀλλὰ καὶ ὅλως ἐκείνȣ.

§. 10. Quæ igitur natura ſervi, & quæ poteſtas, ex his apertum eſt. Qui enim non ſui ipſius natura eſt, ſed alius, homo autem, hic natura ſervus eſt. Alius autem eſt homo, quicunque mancipium fuerit idemque homo. Mancipium autem, inſtrumentum activum & ſejunctum.

§. 10. Τίς μὲν ȣ̃ν ἡ φύσις τοῦ δȣ́λȣ, καὶ τίς ἡ δύναμις, ἐκ τȣ́των δῆλον· ὁ γὰρ μὴ αὑτȣ̃ φύσει, ἀλλ᾽ ἄλλȣ, ἄνθρωπος δὲ, ȣ̈τος φύσει δȣ̃λός ἐςιν. ἄλλȣ δ᾽ ἐςὶν ἄνθρωπος, ὃς ἂν κτῆμα ᾖ ἄνθρωπος ὤν· κτῆμα δὲ, ὄργανον πρακτικὸν καὶ χωριςόν.

§. 11. V. Utrum autem eſt aliquis natura talis, an non: & utrum melius ac juſtum alicui ſervire, an non, ſed omnis ſervitus *contra naturam* (*a*) eſt, poſt hæc conſiderandum.

§. 11. V. Πότερον δ᾽ ἐςί τις φύσει τοιȣ̃τος ἢ ȣ̓, καὶ πότερον βέλτιον καὶ δίκαιον τινὶ δȣλεύειν ἢ ȣ̓, ἀλλὰ πᾶσα δȣλεία παρὰ φύσιν ἐςὶ, μετὰ ταῦτα σκεπτέον.

§. 12. Non eſt autem difficile & ratione videre, & ex his, quæ fiunt in vita, perdiſcere. Imperare enim & parere non ſolum partes neceſſariorum ſunt, verum etiam conducentium: ſtatimque ab ortu quædam inter ſe diſcrepant: hæc namque ad parendum, hæc vero ad imperandum facta ſunt. Speciesque multæ & imperantium & parentium; ſemperq; melius imperium eſt meliorum parentium, ceu hominis, quam belluæ. Quod enim efficitur a melioribus, melius opus eſt. Ubi autem hoc quidem imperat, hoc autem paret, exiſtit quoddam horum opus.

§. 12. Οὐ χαλεπὸν δὲ καὶ τῷ λόγῳ θεωρῆσαι, καὶ ἐκ τῶν γινομένων καταμαθεῖν. τὸ γὰρ ἄρχειν καὶ ἄρχεσθαι ȣ̓ μόνον τῶν ἀναγκαίων, ἀλλὰ καὶ τῶν συμφερόντων ἐςὶ. καὶ εὐθὺς ἐκ γενετῆς ἔνια διέςηκε, τὰ μὲν ἐπὶ τὸ ἄρχεσθαι, τὰ δ᾽ ἐπὶ τὸ ἄρχειν. καὶ εἴδη πολλὰ καὶ ἀρχόντων καὶ ἀρχομένων ἐςί. καὶ ἀεὶ βελτίων ἡ ἀρχὴ ἡ τῶν βελτιόνων ἀρχομένων· οἷον ἀνθρώπȣ ἢ θηρίȣ· τὸ γὰρ ἀποτελȣ́μενον ὑπὸ τῶν βελτιόνων, βέλτιον ἔργον. ὅπȣ δὲ τὸ μὲν ἄρχει, τὸ δ᾽ ἄρχεται, ἐςί τι τȣ́των ἔργον.

§. 13. **Quæcunq; enim e pluribus conſtant & fiunt unum aliquod commune, ſive e continuis, ſive ex ſejunctis, in cunctis perſpicitur, quod imperat, & quod paret. Et hoc ex omni natura ineſt in his, quæ ſunt ſine animo. Etenim in his quæ non communicant vita, eſt tamen aliquod imperium, ceu in cantu. Sed hæc fortaſſe ſunt animadverſionis alienioris.

§. 13. **Ὅσα γὰρ (*b*) ἐκ πλειόνων συνέςηκε, καὶ γίνεται ἕν τι κοινὸν, εἴτε ἐκ συνεχῶν, εἴτε ἐκ διῃρημένων, ἐν ἅπασιν ἐμφαίνεται τὸ ἄρχον, καὶ τὸ ἀρχόμενον· καὶ τȣ̃το ἐκ τῆς ἁπάσης φύσεως ἐνυπάρχει τοῖς ἐμψύχοις. (*c*) καὶ γὰρ ἐν τοῖς μὴ μετέχȣσι ζωῆς, ἐςί τις ἀρχὴ, οἷον ἁρμονίας. ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἴσως ἐξωτερικωτέρας ἐςὶ σκέψεως.

§. 14. Animal autem primum conſtitit ex animo

§. 14. Τὸ δὲ ζῶον πρῶτον συνέςηκεν ἐκ ψυχῆς καὶ

(*a*) *Contra naturam*) A natura enim omnes homines ſunt liberi, & ſervitus ex lege civili eſt, pluribus gentibus communi, quæ in iuris romani libris nonnunquam juris gentium nomine venit. Aliquam ſervitutem juri naturæ non repugnare docet PVFFEND. *l.* 6. *c.* 3. §. 4. *GOEB.*

(*b*) Ὅσα γὰρ.) Videntur quædam verba excidiſſe. *CONR.*

(*c*) Ἐνυπάρχει τοῖς ἐμψύχοις.) Ita placuit Lambino & aliis. Victorius legit ἀψύχοις. Sed lectio vulgata videtur melior, præſertim ſi addas μάλιςα. Ut integer locus hic ſit: καὶ τȣ̃το ἐκ τῆς ἁπάσης φύσεως ἐνυπάρχει μάλιςα τοῖς ἐμψύχοις &c. Reperitur ſcilicet illud τὸ ἄρχον καὶ τὸ ἀρχόμενον quam maxime ἐν τοῖς ἐμψύχοις. Etſi enim & in nonnullis vita carentibus reperiatur, illud tamen huc non pertinet: ad animalia potius attendendum. *CONR.*

mo & corpore: quorum hoc quidem *imperans eſt natura*, (*a*) hoc autem parens. Decet autem attendere in integris potius, quod ex natura eſt, & non in corruptis. Quapropter & homo optime diſpoſitus & corpore & animo ſpectandus eſt, in quo hoc perſpicuum eſt. In pravis enim vel prave ſe habentibus, videri poſſet imperare ſæpe corpus animo, quia male & præter naturam ſe habet.

καὶ σώματος· ὧν τὸ μὲν, ἄρχον ἐστὶ φύσει· τὸ δ', ἀρχόμενον. δεῖ δὲ σκοπεῖν ἐν τοῖς κατὰ φύσιν ἔχουσι μᾶλλον τὸ φύσει, καὶ μὴ ἐν τοῖς διεφθαρμένοις. διὸ καὶ τὸν βέλτιστα διακείμενον, καὶ κατὰ σῶμα, καὶ κατὰ ψυχὴν, ἄνθρωπον θεωρητέον, ἐν ᾧ τοῦτο δῆλον. τῶν γὰρ μοχθηρῶν καὶ μοχθηρῶς ἐχόντων, δόξειεν ἂν ἄρχειν πολλάκις τὸ σῶμα τῆς ψυχῆς, διὰ τὸ φαύλως καὶ παρὰ φύσιν ἔχειν.

§. 15. Licet igitur, quemadmodum dicimus, primum in animali ſpectare & herile imperium, & civile. Animus enim imperat corpori herili imperio; mens autem appetitui civili & regio. In quibus manifeſtum eſt, ex natura eſſe, conducereque corpori regi ab animo: & parti, quæ agitatur turbidis motibus, *regi a mente* (*b*) & parte, quæ rationem habet: pariter autem vel contra, detrimentoſum omnibus.

§. 15. Ἔστι δ' οὖν, ὥσπερ λέγομεν, πρῶτον ἐν ζώῳ θεωρῆσαι καὶ δεσποτικὴν ἀρχὴν, καὶ πολιτικήν. ἡ μὲν γὰρ ψυχὴ τοῦ σώματος ἄρχει δεσποτικὴν ἀρχήν· ὁ δὲ νοῦς τῆς ὀρέξεως, πολιτικὴν καὶ βασιλικήν. ἐν οἷς φανερόν ἐστιν, ὅτι κατὰ φύσιν καὶ συμφέρον τὸ ἄρχεσθαι τῷ σώματι ὑπὸ τῆς ψυχῆς, καὶ τῷ παθητικῷ μορίῳ ὑπὸ τοῦ νοῦ καὶ τοῦ μορίου τοῦ λόγον ἔχοντος· τὸ δ' ἐξ ἴσου ἢ ἀνάπαλιν, βλαβερὸν πᾶσι.

§. 16. Rurſus in homine & aliis animantibus eodem pacto. Manſueta enim feris meliora natura: his autem omnibus melius regi ab homine: adipiſcuntur enim ſalutem ita. Adhuc autem maris genus ad fœmineum natura: hoc quidem melius, hoc autem deterius: hoc quidem imperans, hoc autem parens. Eodem autem pacto eſt neceſſe, ſe habere & in omnibus hominibus.

§. 16. Πάλιν ἐν ἀνθρώπῳ, καὶ τοῖς ἄλλοις ζώοις ὡσαύτως. τὰ μὲν γὰρ ἥμερα τῶν ἀγρίων βελτίω τὴν φύσιν. τούτοις δὲ πᾶσι βέλτιον ἄρχεσθαι ὑπ' ἀνθρώπου· τυγχάνει γὰρ σωτηρίας οὕτως. ἔτι δὲ τὸ ἄῤῥεν πρὸς τὸ θῆλυ, φύσει τὸ μὲν κρεῖττον τὸ δὲ χεῖρον· καὶ τὸ μὲν ἄρχον, τὸ δὲ ἀρχόμενον. τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον ἀναγκαῖον εἶναι καὶ ἐπὶ πάντων ἀνθρώπων.

§. 17. Quicunq; igitur tantum diſtant, quantum animus a corpore, & homo a bellua (diſpoſiti autem ſunt hoc modo, quorum opus eſt uſus corporis, & hoc eſt, quod ab ipſis optimum capitur) hi ſunt natura ſervi, quibus optimum eſt regi hoc imperio, ſi quidem & iis, quæ a me dicta ſunt. Eſt enim natura ſervus is, qui alius eſſe poteſt, quare & alius eſt: & qui particeps eſt rationis tantum, ut ſentiat ipſam, *ſed non habeat*. (*c*) Cæteræ enim animantes rationem non ſentientes, ſed affectibus miniſtras ſe præbent.

§. 17. Ὅσοι μὲν οὖν τοσοῦτον διεστᾶσιν, ὅσον ψυχὴ σώματος, καὶ ἄνθρωπος θηρίου· (διάκεινται (*d*) δὲ τοῦτον τὸν τρόπον, ὅσων ἐστὶν ἔργον ἡ τοῦ σώματος χρῆσις, καὶ τοῦτ' ἔσ' ἀπ' αὐτῶν βέλτιστον·) οὗτοι μέν εἰσι φύσει δοῦλοι. οἷς βέλτιόν ἐστιν ἄρχεσθαι ταύτην τὴν ἀρχὴν, εἴπερ καὶ τοῖς εἰρημένοις. ἔστι γὰρ φύσει δοῦλος, ὁ δυνάμενος ἄλλου εἶναι. διὸ καὶ ἄλλου ἐστί· (*e*) καὶ ὁ κοινωνῶν λόγου τοσοῦτον ὅσον αἰσθάνεσθαι, ἀλλὰ μὴ ἔχειν. τὰ γὰρ ἄλλα ζῶα οὐ λόγου αἰσθανόμενα, ἀλλὰ παθήμασιν ὑπηρετεῖ.

§. 18. Et ſane uſus parum variatur. ad ea enim, quæ neceſſaria ſunt corpori, adminiculum capitur ab utriſque: a ſervis, inquam, & a manſuetis animantibus.

§. 18. Καὶ ἡ χρεία δὲ παραλλάττει μικρόν· ἡ γὰρ πρὸς τ' ἀναγκαῖα τῷ σώματι βοήθεια γίνεται παρ' ἀμφοῖν, παρά τε τῶν δούλων, καὶ παρὰ τῶν ἡμέρων ζώων.

§. 19. Vult igitur natura corpora quoque diſcrepantia facere liberorum hominum & ſervorum: hæc quidem firma validaque ad uſum neceſſarium: hæc autem recta, & nullo modo apta ad hujuſcemodi muneribus fungendum, ſed accommodata ad vitam civilem. (Hæc autem diſtinguitur in militarem uſum & proprium pacis.) Contingit tamen ſæpe & contrarium: hos quidem corpora liberorum habere, hos autem animos.

§. 19. Βούλεται μὲν οὖν ἡ φύσις καὶ τὰ σώματα διαφέροντα ποιεῖν, τὰ τῶν ἐλευθέρων καὶ τῶν δούλων· τὰ μὲν, ἰσχυρὰ πρὸς τὴν ἀναγκαίαν χρῆσιν· τὰ δ', ὀρθὰ, καὶ ἄχρηστα πρὸς τὰς τοιαύτας ἐργασίας, ἀλλὰ χρήσιμα πρὸς πολιτικὸν βίον· (οὗτος δὲ καὶ γίνεται διῃρημένος εἴς τε τὴν πολεμικὴν χρείαν καὶ τὴν εἰρηνικήν.) συμβαίνει δὲ πολλάκις καὶ τοὐναντίον, τοὺς μὲν τὰ σώματ' ἔχειν ἐλευθέρων, τοὺς δὲ τὰς ψυχάς.

§. 20.

(*a*) *Imperans eſt natura*) Per animum haud dubie hic intelligitur conatus ille, ſive concupiſcentia in corde, quam homo cum brutis communem habet. Hunc conatum appetitum ſenſitivum vocare ſolent, cui ſi cogitatio accedit, dicitur voluntas. *GOEB.*

(*b*) *Regi a mente*) Debile autem & precarium ſolet mentis in appetitum eſſe imperium, usque per crebra exercitia ad quendam pervenerit valorem. Solet enim voluntas a potentiis internis & externis in transverſum abripi; & ſic falſum eſt, ipſam liberam eſſe & non poſſe cogi, niſi hoc intelligas de coactione extrinſecus violenta. THOMASII *fundamenta juris naturæ lib. I. c. I. §. 40.* Et quanquam voluntas non impellat intellectum, ut rem, quæ in votis eſt, accuratius contempletur, & de mediis ea fruendi circumſpiciat. Atque ſic BVDÆI ſententia *in elementis philoſophiæ practicæ c. II. ſect. I. §. XXXII.* a veritate non abhorret, intellectum & voluntatem omni prorſus deſtitui libertate ſcilicet intrinſeca, quando res ad intelligendum & appetendum adſunt & reliqua recte ſe habeant. Quod ſi enim omnia ad apprehendendum adſint requiſita, voluntas altera mentis facultas ſive operatio, ut non cognoſcat, adigere poteſt, nec penes ipſum intellectum arbitrium non cognoſcendi. *GOEB.*

(*c*) *Sed non habeat*) Quod tanta laborantes ſtupiditate, ut nec ſibi nec ſuis conſulere queant rebus, ſervorum veniant nomine, ad vocis ſignificatum improprium ſpectat. MVRETVS *in comment. ad §. 2. J. de jure perſonarum* ſequentia habet: *Sunt enim quidam natura liberi & quidam natura ſervi. Hi, qui conſilio & prudentia valent, illi, qui ingenio ſunt hebeti & obtuſo.* vid. ARNISÆVM *in relect. polit. c. III. ſect. III.* GOEB.

(*d*) Θηρίου [διάκεινται.) Victorius ſcribit: θηρίου διάκεινται τοῦτον τὸν τρόπον· ὅσων δέ ἐστιν. Non male. *CONR.*

(*e*) Διὸ καὶ ἄλλου ἐστί.) Commode hæc jungas in unam periodum cum ſequentibus, expuncto omni diſtinctionis ſigno. Alterius nimirum eſt omnis ille, qui rationem participat, quatenus ſentiat, non tamen habeat. *CONR.*

Digitized by Google

§. 20. Nam hoc certe planum eſt, ut ſi tantum corpore ſolum diſcreparent, quantum deorum imagines: omnes dicerent eos, qui vincuntur ab ipſis in hoc, dignos eſſe, qui his ſerviant. Si autem in corpore hoc verum eſt, multo juſtius in animo hoc definitum eſſe. Sed non eodem pacto facile eſt, animi pulchritudinem & corporis videre.

§. 20. Ἐπεὶ τȣτό γε φανερὸν, ὡς εἰ τοσȣτον γένοιντο διάφοροι τὸ σῶμα μόνον, ὅσον αἱ τῶν θεῶν εἰκόνες, τȣ̀ς ὑπολειπομένȣς πάντες φαῖεν ἂν ἀξίȣς εἶναι τȣ́τοις δȣλεύειν. εἰ δ᾽ ἐπὶ τȣ̃ σώματος τȣ̃τ᾽ ἀληθὲς, πολὺ δικαιότερον ἐπὶ τῆς ψυχῆς τȣ̃το διωρίσθαι, ἀλλ᾽ ȣ̓χ ὁμοίως ῥᾴδιον ἰδεῖν τό τε τῆς ψυχῆς κάλλος, ϗ τὸ τȣ̃ σώματος.

§. 21. Eſſe igitur natura quosdam, hos quidem liberos, hos vero ſervos, apertum eſt: *quibus prodeſt ſervire* (a) & juſtum eſt.

§. 21. Ὅτι μὲν τοίνυν εἰσὶ φύσει τινὲς, οἱ μὲν ἐλεύθεροι, οἱ δὲ δȣ̃λοι, φανερὸν, (e) οἷς ϗ συμφέρει τὸ δȣλεύειν ϗ δίκαιόν ἐϛιν.

## CAP. IV.

§. 1.

VI. Eos autem, qui contraria his ajunt, etiam aliquo modo recte dicere, non eſt arduum videre: duobus enim modis dicitur ſervire, & ſervus. Eſt enim quidam lege ſervus, & ſerviens. Lex namque conſenſus quidam eſt & pactum, in quo bello *victa victorum eſſe* (b) affirmant. Hoc autem jus multi legum periti tanquam oratorem accuſant repugnareque legibus ajunt: tanquam malum & non ferendum ſit, ſi ejus, qui vim adhibere poteſt, atque opibus præſtat, ſervum erit & in poteſtate ipſius poſitum, quod vim perpeſſum eſt.

§. 1.

VI. Ὅτι δὲ ϗ οἱ τἀναντία φάσκοντες τρόπον τινὰ λέγȣσιν ὀρθῶς, ȣ̓ χαλεπὸν ἰδεῖν. διχῶς γὰρ λέγεται τὸ δȣλεύειν, ϗ ὁ δȣ̃λος. ἔϛι γάρ τις κατὰ νόμον δȣ̃λος ϗ δȣλεύων· ὁ γὰρ νόμος ὁμολογία τίς ἐϛιν, ἐν ᾧ τὰ κατὰ πόλεμον κρατȣ́μενα τῶν κρατȣ́ντων εἶναί φασι. τȣ̃το δὲ τὸ δίκαιον πολλοὶ τῶν ἐν τοῖς νόμοις, ὥσπερ ῥήτορα, γράφονται παρανόμων, ὡς δεινὸν, εἰ τȣ̃ βιάσασθαι δυναμένȣ, ϗ κατὰ δύναμιν κρείττονος, ἔϛαι δȣ̃λον ϗ ἀρχόμενον τὸ βιασθέν.

§. 2. Et his quidem ita videtur, his vero illo modo, e numero quoque ſapientium.

§. 2. Καὶ τοῖς μὲν ȣ̓́τω δοκεῖ, τοῖς δ᾽ ἐκείνως, ϗ τῶν σοφῶν.

§. 3. Cauſa autem hujus controverſiæ, & quod facit, ut rationes hæ varientur, eſt, quod aliquo modo virtus, cum ornata eſt copiis, & vim adhibere poteſt maxime: & ſemper quod ſuperat, ſecum habet exuperantiam alicujus boni: ut videri poſſit non ſine virtute eſſe violentia.

§. 3. Αἴτιον δὲ ταύτης τῆς ἀμφιϛβητήσεως, ϗ ὃ ποιεῖ τȣ̀ς λόγȣς ἐπαλλάττειν, ὅτι τρόπον τινὰ ἀρετὴ τυγχάνȣσα χορηγίας, ϗ βιάζεσθαι δύναται μάλιϛα, ϗ ἔϛιν ἀεὶ τὸ κρατοῦν ἐν ὑπεροχῇ ἀγαθȣ̃ τινος· ὥϛε δοκεῖν μὴ ἄνευ ἀρετῆς εἶναι τὴν βίαν.

§. 4. *** Sed de juſto tantum reſtare controverſiam: ob hoc enim his quidem benevolentia videtur *eſſe juſtum*, (c) his autem ipſum hoc juſtum, ſuperiorem imperium habere.

** **

Nam diſſentientibus inter ſe his rationibus, neque firmum aliquid, neque aptum ad perſuadendum habent alteræ rationes.

** **

quod non decet, quod virtute melius eſt, regere ac dominari.

§. 4. *** ἀλλὰ περὶ τȣ̃ δικαίȣ (f) μόνον εἶναι τὴν ἀμφιϛβήτησιν. διὰ γὰρ τȣ̃το, τοῖς μὲν εὔνοια (g) δοκεῖ τὸ δίκαιον εἶναι, τοῖς δ᾽ αὐτὸ τȣ̃το δίκαιον, τὸ τὸν κρείττονα ἄρχειν·

** **

ἐπεὶ διαϛάντων (h) γε χωρὶς τȣ́των τῶν λόγων, ȣ̓́τ᾽ ἰσχυρὸν ȣ̓θὲν ἔχȣσιν, ȣ̓́τε πιθανὸν ἅτεροι λόγοι.

** **

ὡς ȣ̓ δεῖ τὸ βέλτιον (i) κατ᾽ ἀρετὴν ἄρχειν ϗ δεσπόζειν.

§. 5. Omnino autem pendentes quidam ut putant, ab aliquo jure [lex enim eſt juſtum quoddam] ſervitutem impoſitam bello ſtatuunt juſtam. Simulque tamen non ajunt: principium enim bellorum uſu venire poteſt, ut *non ſit juſtum*: (d) & hominem indignum qui ſerviat, nullo

§. 5. Ὅλως δ᾽ ἀντεχόμενοί τινες, ὡς οἴονται, δικαίȣ τινός· (ὁ γὰρ νόμος δίκαιόν τι) τὴν κατὰ πόλεμον δȣλείαν τιθέασι δικαίαν· ὅλως δ᾽ ȣ̓ (k) φασι. τήν (τε) γὰρ ἀρχὴν ἐνδέχεται μὴ δικαίαν εἶναι τῶν πολέμων, ϗ τὸν ἀνάξιον δȣλεύειν ȣ̓δαμῶς ἂν φαίη τις δȣ̃λον εἶναι. εἰ δὲ μὴ, συμβήσεται

(a) *Quibus prodeſt ſervire*) In ſtatu ideali illi imperare debent, qui aliis prudentia antecedunt: In ſtatu autem reali hoc ſæpe aliter ſe habere videmus. Nec ad hoc reſpici poteſt, cum infinitæ forent contentiones, qui ad prudentum, qui vero ad ſtupidorum claſſem referendus eſſet. *GOEB.*

(b) *Victa victorum eſſe*) Ex naturalis juris rigore, mihi hoſtis pro nullo habetur, & ſic plenum jus in ipſius vitam & bona habeo. GROT. *de J. B. & P. lib. III.* *GOEB.*

(c) *Eſſe juſtum*) Illi, qui hoc modo a morte liberabantur, conquerendi juſtam non habebant cauſam. Vide VISELIUM *ad Gaji inſtit.* apud SCHULTINGIUM *in juriſprud. antejuſt. p. 5.* Ubi & modos quibus, ſervi penes Romanos jure civili fiebant, recenſet. *GOEB.*

(d) *Non ſit juſtum*) Omnia, quæ fiunt in bello injuſto, alias licita pro injuſtis habenda. De cauſis belli juſti agit GROT. *de J. B. & P. lib. II. c. 1*, cujus tamen bellum poenale, merito eſt explodendum. *GOEB.*

(e) Φανερὸν.) Tranſpoſitio hic eſt. Magis perſpicue omnia poſſent ita ſcribi: οἱ δὲ δȣ̃λοι, οἷς ϗ συμφέρει τὸ δȣλεύειν ϗ δίκαιόν ἐϛιν, φανερόν. CONR.

(f) Ἀλλὰ περὶ τȣ̃ δικαίȣ.) Non apparet ἀκολȣθία. Lacuna itaque hoc loco invenitur. *CONR.*

(g) Εὔνοια.) Lambinus mavult εὐνομία: ſed vox εὔνοια rectius facit ad propoſitum. Alii nimirum arbitrantur juſtum eſſe τὴν εὔνοιαν, alii vero τὸν κρείττονα ἄρχειν. *CONR.*

(h) Ἐπεὶ διαϛάντων.) Iterum hiat oratio. *CONR.*

(i) Ὡς ȣ̓ δεῖ τὸ βέλτιον.) Neque hic apparet juſta connexio. *CONR.*

(k) Ὅλως δ᾽ ȣ̓) Vetus interpres legit ἁπλῶς. Idque videtur rectius, cum jam præceſſerit paulo ante ὅλως.



Digitized by Google

nullo pacto diceret aliquis ſervum eſſe. Si autem non, continget nobiliſſimos, habitos ſervos eſſe, & e ſervis ortos, ſi uſu venerit, ut capti bello venumdati fuerint.

σεται τοὺς εὐγενεστάτους εἶναι δοκοῦντας δούλους εἶναι καὶ ἐκ δούλων, ἐὰν συμβῇ πραθῆναι ληφθέντας.

** **

Quapropter ipſos nolunt dicere ſervos, ſed Barbaros.

Διόπερ αὐτοὺς (c) οὐ βούλονται λέγειν δούλους, ἀλλὰ τοὺς Βαρβάρους.

§. 6. Et ſane, quando hoc dixerint, nihil aliud quærunt, quam ſervum natura, quod ab initio diximus. Neceſſe enim eſt, quoſdam confiteri eſſe ſervos, hos quidem, ubicunque fuerint, ſervos: hos autem nullibi. Eodem autem pacto & de nobilitate. Ipſos enim non ſolum ſuis in ſedibus nobiles, verum ubique arbitrantur: Barbaros autem domi tantum: tanquam ſit hoc quidem ſimpliciter nobile & liberum, hoc autem non ſimpliciter: quemadmodum & Helena Theodectis inquit:

*Divinis ab ambobus parentibus radicibus,*
*Quis utique audeat appellare ancillam?*

§. 6. Καί τοι ὅταν τοῦτο λέγωσιν, οὐθὲν ἄλλο ζητοῦσιν, ἢ τὸ φύσει δοῦλον, ὅπερ ἐξ ἀρχῆς εἴπομεν. ἀνάγκη γὰρ εἶναί τινας φάναι, τοὺς μὲν πανταχοῦ δούλους, τοὺς δ᾽ οὐδαμοῦ· τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον καὶ περὶ εὐγενείας· αὐτοὺς μὲν γὰρ (d) οὐ μόνον παρ᾽ αὐτοῖς εὐγενεῖς, ἀλλὰ πανταχοῦ νομίζουσι· τοὺς δὲ Βαρβάρους οἴκοι μόνον. ὡς ὄντι, τὸ μὲν ἁπλῶς εὐγενὲς καὶ ἐλεύθερον, τὸ δ᾽ οὐχ ἁπλῶς· ὥσπερ καὶ ἡ Θεοδέκτου Ἑλένη φησί,

Θείων δ᾽ (e) ἀπ᾽ ἀμφοῖν ἐκγόνοιν ῥιζωμάτων,
Τίς ἂν προσειπεῖν ἀξιώσειεν λάτριν;

§. 7. Quando autem hoc dixerint, nulla alia re, niſi virtute ac vitio definiunt ſervum & liberum, & nobiles & ignobiles. Poſtulant enim, ut quemadmodum ex homine hominem & e belua naſci videmus beluam: Ita *ex bonis bonum*, (a) Natura autem vult quidem hoc efficere ſæpe, non amen valet.

§. 7. Ὅταν δὲ τοῦτο λέγωσιν, οὐθενὶ ἀλλ᾽ ἢ ἀρετῇ καὶ κακίᾳ διορίζουσι τὸ δοῦλον καὶ ἐλεύθερον, καὶ τοὺς εὐγενεῖς καὶ τοὺς δυσγενεῖς. ἀξιοῦσι γὰρ, ὥσπερ ἐξ ἀνθρώπου (f) ἄνθρωπον, καὶ ἐκ θηρίων γίνεσθαι θηρίον, οὕτω καὶ ἐξ ἀγαθῶν ἀγαθόν. ἡ δὲ φύσις βούλεται μὲν τοῦτο ποιεῖν πολλάκις, οὐ μέν τοι δύναται.

§. 8. Continere igitur in ſe rationem quandam hanc controverſiam: & non eſſe hos quidem natura ſervos, hos autem liberos, planum eſt: nec non in quibusdam hoc eſſe definitum: quorum conducit, huic quidem ſervire, huic vero dominari:

§. 8. Ὅτι μὲν οὖν ἔχει τινὰ λόγον ἡ ἀμφισβήτησις, καὶ οὐκ εἰσιν (g) οἱ μὲν φύσει δοῦλοι, οἱ δ᾽ ἐλεύθεροι, δῆλον· καὶ ὅτι ἔν τισι διώρισται τὸ τοιοῦτον, ὧν συμφέρει τῷ μὲν τὸ δουλεύειν, τῷ δὲ τὸ δεσπόζειν·

§. 9. ** Et juſtum eſt atq; decet hoc quidem parere, hoc autem imperare, eo genere imperii, quo a natura facti ſunt, ut utantur.

§. 9. ** Καὶ δίκαιον, (h) καὶ δεῖ τὸ μὲν ἄρχεσθαι, τὸ δ᾽ ἄρχειν, ἣν πεφύκασιν ἀρχὴν ἄρχειν·

§. 10. ** Quare & dominari ipſis licet. ** peccare autem in hoc detrimentoſum eſt ambobus. Idem enim conducit parti ac toto, & corpori atque animo: ſervus autem pars quædam eſt domini, tanquam animalis pars corporis, ſejuncta autem pars. Quare & utilitas eſt quædam communis & amicitia ſervo & hero inter ſe: his inquam, quibus a natura ſtatus hic tributus fuerit: quibus autem non hoc modo, ſed lege & vi adhibita, contrarium uſu venit.

§. 10. ** ὥστε καὶ δεσπόζειν· (i) ** τὸ δὲ κακῶς, ἀσυμφόρως ἐστὶν ἀμφοῖν· τὸ γὰρ αὐτὸ συμφέρει τῷ μέρει καὶ τῷ ὅλῳ, καὶ σώματι καὶ ψυχῇ· ὁ δὲ δοῦλος, μέρος τι τοῦ δεσπότου, οἷον ἔμψυχόν τι τοῦ σώματος κεχωρισμένον δὲ μέρος. διὸ καὶ συμφέρον ἐστί τι καὶ φιλία δούλῳ καὶ δεσπότῃ πρὸς ἀλλήλους, τοῖς φύσει τούτων ἠξιωμένοις· τοῖς δὲ μὴ τοῦτον τὸν τρόπον, ἀλλὰ κατὰ νόμον καὶ βιασθεῖσι, τοὐναντίον.

§. 11. VII. Planum autem eſt etiam ex his, non eſſe idem *dominatum* (b) & poteſtatem civilem: neque omnia inter ſe imperia, quemadmodum nonnulli ajunt. Hoc enim imperium eſt liberorum

§. 11. VII. Φανερὸν δὲ καὶ ἐκ τούτων, ὅτι οὐ ταὐτόν ἐστι δεσποτεία καὶ πολιτική, οὐδὲ πᾶσαι ἀλλήλαις αἱ ἀρχαί, ὥσπερ τινές φασιν. ἡ μὲν γὰρ, ἐλευθέρων φύσει, ἡ δὲ, δούλων ἐστί. καὶ ἡ μὲν οἰκο-

Alii, ut Victorius & Caſaubonus, legunt ἅμα: ſed ſenſus rectior eſt: illos nempe, qui ſervitutem aliquam legalem juſtam pronunciant, non ſimpliciter tamen id affirmare. *CONR.*

(a) *Ex bonis bonum*) HORATIVS *lib. III. Oda IV.* & LAMBINVS in notis ad hanc odam. *GOEB.*

(b) *Dominatum*) Hunc, quatenus eſt ſynonimon regni patrimonialis, ſocietatis civilis naturæ repugnare, alibi probatum ivimus. *GOEB.*

(c) Διόπερ αὐτοὺς.) Iterum verba aliquot exciderunt, pauca tamen. *CONR.*

(d) Αὐτοὺς μὲν γάρ.) Scribendum potius τοὺς aut vero ἑαυτοὺς. Priore modo mox ſubjungitur, τοὺς δὲ Βαρβάρους. Poſteriore de Græcis ſermo fuerit, qui ſeſe ſemper & ubique credebant eſſe nobiles: quod tamen neſcio, an omnes Græci promiſcue ſibi arrogaverint, itaq; malim illud τοὺς. *CONR.*

(e) Θείων δ᾽) Camotius expreſſit θεῖον. Ita quoque ſcribit Caſaubonus. At rectius videtur vocem illam referri ad ῥιζωμάτων. Sed pro ἐκγόνοιν. Vetus interpres legit ἐκγόνον: quod placuit Camerario, Montecatino, aliiſque: ut ἐκ γόνοιν Caſaubono. *CONR.*

(f) Ἐξ ἀνθρώπου.) Baſileenſis codex habet ἀνθρώπων. Ita quoque legit Aretinus Parum quidem refert, videtur tamen rectius, cum in plurali numero reliqua enuncientur. *CONR.*

(g) Καὶ οὐκ εἰσιν) Alii codices habent: καὶ εἰσὶν καὶ οὐκ εἰσιν: quod etiam Lambino placuit. Et vero aut ita, aut vero ſimpliciter legendum: καὶ εἰσὶν: quomodo habet codex Baſileenſis, & legit Aretinus, Acciajolus & Cælius Calcagninus. *CONR.*

(h) Καὶ δίκαιον) Videntur pauculæ voces excidiſſe. *CONR.*

(i) Ὥστε καὶ δεσπόζειν.) Utrinque hiat oratio. Itaque ſudant commentatores, ſed fruſtra, in commodo ſenſu exſculpendo. *CONR.*

Digitized by Google

rorum natura: hoc vero ſervorum. Et domus adminiſtratio, imperium eſt unius. [regitur enim ab uno omnis domus:] civilis autem, liberorum & *parium imperium*, (*a*)

οἰκονομικὴ, μοναρχία (μοναρχεῖται γὰρ πᾶς οἶκος) ἡ δὲ πολιτικὴ, ἐλευθέρων καὶ ἴσων ἀρχή.

§. 12. ** Herus igitur non vocatur ex ſcientia, ſed quia talis eſt: eodem autem pacto & ſervus & liber.

§. 12. ** ὁ μὲν ἦν δεσπότης (*d*) ἐ λέγεται κατ' ἐπιςήμην, ἀλλὰ τῷ τοιόσδ' εἶναι. ὁμοίως δὲ καὶ ὁ δοῦλος καὶ ὁ ἐλεύθερος.

§. 13. Scientia autem eſſet & herilis & ſervilis. Servilis quidem, qualem Syracuſis ille tradebat: illic enim accepta quidam mercede docebat pueros circularia miniſteria. Eſſet autem latior perceptio harum rerum, ceu ars dapes coquendi & alia hujuſcemodi genera miniſtrationis. Sunt enim alia aliis, hæc quidem honeſtiora opera, hæc autem magis neceſſaria: & ut fertur proverbio,

*Servus ante ſervum, herus ante herum.*

§. 13. Ἐπιςήμη δ' ἂν εἴη καὶ δεσποτικὴ, καὶ δουλική. δουλικὴ μὲν, οἵανπερ ὁ ἐν Συρακούσαις ἐπαίδευεν. ἐκεῖ γὰρ λαμβάνων τις μισθὸν ἐδίδασκε τὰ ἐγκύκλια διακονήματα τοὺς παῖδας. εἴη δ' ἂν καὶ ἐπὶ πλεῖον τῶν τοιούτων μάθησις, οἷον ὀψοποιικὴ, καὶ τἆλλα τὰ τοιαῦτα γένη τῆς διακονίας. ἔςι γὰρ ἕτερα ἑτέρων, τὰ μὲν ἐντιμότερα ἔργα, τὰ δ' ἀναγκαιότερα· καὶ κατὰ τὴν παροιμίαν,

Δοῦλος πρὸ δούλου, δεσπότης πρὸ δεσπότου.

§. 14. Cunctæ igitur hujuſcemodi ſerviles ſcientiæ ſunt: *herilis autem ſcientia* (*b*) eſt, quæ utitur ſervis. Herus enim non conſtat poſſeſſu ſervorum, ſed uſu ſervorum.

§. 14. Αἱ μὲν οὖν τοιαῦται πᾶσαι δουλικαὶ ἐπιςῆμαί εἰσι. δεσποτικὴ δ' ἐπιςήμη ἐςὶν, ἡ χρηςικὴ δούλων. ὁ γὰρ δεσπότης οὐκ ἐν τῷ κτᾶσθαι τοὺς δούλους, ἀλλ' ἐν τῷ χρῆσθαι δούλοις.

§. 15. Scientia autem hæc nihil amplum plenumque honoris habet. Quæ namve ſervum *ſcire oportet facere*, (*c*) illum hæc opus eſt ſcire præcipere.

§. 15. Ἔςι δ' αὕτη ἡ ἐπιςήμη, οὐδὲν μέγα ἔχουσα, οὐδὲ σεμνόν. ἃ γὰρ τὸν δοῦλον ἐπίςασθαι δεῖ ποιεῖν, ἐκεῖνον δεῖ ταῦτα ἐπίςασθαι ἐπιτάττειν.

§. 16. Quare quibus licet ipſis non conflictari tenuibus his curis, procurator ſuſcipit hoc munus. Ipſi autem navant operam reipublicæ, ſive doctrinis ſe dedunt.

§. 16. Διὸ ὅσοις ἐξουσία μὴ αὐτοὺς κακοπαθεῖν, ἐπίτροπος λαμβάνει ταύτην τὴν τιμήν αὐτοὶ δὲ πολιτεύονται, ἢ φιλοσοφοῦσιν.

** **

Ratio autem quærendi rem diverſa eſt ab ambobus his, ceu juſta: quæ eſt bellica quædam vel venatoria.

ἡ δὲ κτητικὴ, (*e*) ἑτέρα ἀμφοτέρων τούτων, οἷον ἡ δικαία, πολεμική τις οὖσα, ἢ θηρευτική.

** **

De ſervo igitur & hero definitum ſit hoc pacto.

περὶ μὲν οὖν (*f*) δούλου καὶ δεσπότου τοῦτον διωρίσθω τὸν τρόπον.

# CAPUT V.

** **

§. 1.

IIX. Omnino autem de omni poſſeſſu bonorum & ratione pecuniaria videamus, inſtituto nobis modo: quoniam ſane & ſervus eſt rei familiaris quædam pars.

IIX. Ὅλως δὲ περὶ πάσης (*g*) κτήσεως καὶ χρηματιςικῆς θεωρήσωμεν κατὰ τὸν ὑφηγημένον τρόπον· ἐπείπερ καὶ ὁ δοῦλος τῆς κτήσεως μέρος τι ἦν.

§. 2 Primum igitur quæreret aliquis, utrum pecuniaria ratio, eadem ſit cum diſciplina domeſtica, vel pars quædam ipſius, vel miniſtratrix. Et ſi quidem eſt miniſtratrix, utrum ſit, ut ars, quæ fabricat radios, eſt artis textorum, vel ut ars æraria illi, quæ ſigna ex ære conficit. Non enim eodem

§. 2. Πρῶτον μὲν οὖν ἀπορήσειεν ἄν τις, πότερον ἡ χρηματιςικὴ ἡ αὐτὴ τῇ οἰκονομικῇ ἐςὶν, ἢ μέρος τι, ἢ ὑπηρετικὴ, καὶ εἰ ὑπηρετικὴ, πότερον ὡς ἡ κερκιδοποιικὴ τῇ (*h*) ὑφαντικῇ, ὡς ἡ χαλκουργικὴ τῇ ἀνδριαντοποιΐᾳ. οὐ γὰρ ὡσαύτως ὑπηρετοῦσιν, ἀλλ' ἡ μὲν ὄργανα παρέχει, ἡ δὲ τὴν ὕλην. λέγω

(*a*) *Parium imperium*) Et a Tacito unius imperium libertati contradiſtinguitur. *GOEB.*

(*b*) *Herilis autem ſcientia*) Et recte domeſtico uti regimine, ſcientiæ & artis eſt. Sicut enim princeps imperandi modum juxta ſubditorum indolem eligere debet, ſic etiam herus, ſervos ſecundum genii eorum diverſitatem diverſimode jubere debet. Atque ad id potiſſimum incumbendum, ut ſervis, non ut amicis, ſed ut hominibus utamur. PITHÆI *teſtam. quod corpori J. C. eſt præmiſſum.* *GOEB.*

(*c*) *Scire oportet facere*) Et recte miniſteria, ſecundum præſentis ſeculi mores præſtare, artis eſt, & non male factum foret, ſi qui adeſſent, qui hanc docerent artem. *GOEB.*

(*d*) Ὁ μὲν οὖν δεσπότης) Non certo quidem affirmaverim lacunam heic inveniri. Non tamen etiam connexio ſatis apparet. Quisque judicet. Interim, quo lector excitetur, duxi id monendum. *CONR.*

(*e*) Ἡ δὲ κτητικὴ) Non tam dixerim heic quædam excidiſſe, quam potius illud comma περὶ κτητικῆς aliunde huc intruſum. Nec enim videtur de ſervo & domino hoc loco quidquam ſupereſſe, de quo ſit docendum. Illa autem, περὶ κτητικῆς, nihil omnino huc faciunt, eoque commentatores miras nobis interpretationes in medium attulerunt. *CONR.*

(*f*) Περὶ μὲν οὖν) Cum illud περὶ κτητικῆς, non ſit integra propoſitio: ſi non delendum ſit, etiam hic quædam exciderunt, *CONR.*

(*g*) Ὅλως δὲ περὶ πάσης) Hoc loco quædam deſiderantur, & quidem ex illis videtur deſumtum comma illud περὶ κτητικῆς, de quo modo diximus. Nec tamen dixerim multa deeſſe, ſed pauca. *CONR.*

(*h*) Κερκιδοποιικὴ) Cum Caſaubono legerim: κερκιδοποιητικὴ. *CONR.*



Digitized by Google

eodem pacto miniſtrant, verum hæc quidem inſtrumenta præbet, hæc vero materiam. Intelligo autem materiam ſtratam, ex quo aliquod conficitur opus: ceu textori lanam: fictori æs.

γω δὲ ὕλην, τὸ ὑποκείμενον, ἐξ οὗ τι ἀποτελεῖται ἔργον, οἷον ὑφάντῃ μὲν ἔρια, ἀνδριαντοποιῷ δὲ χαλκόν.

§. 3. Non eſſe igitur eandem *diſciplinam domeſticam* (*a*) cum ratione pecuniaria, perſpicuum eſt: hujus enim officium eſt, parare: hujus vero uti. Quæ namque erit, quæ uſura ſit his, quæ domi ſunt, præter diſciplinam domeſticam?

§. 3. Ὅτι μὲν οὖν οὐχ ἡ αὐτὴ οἰκονομικὴ τῇ χρηματιστικῇ, (*e*) δῆλον. τῆς μὲν γὰρ, τὸ πορίσασθαι· τῆς δὲ, τὸ χρήσασθαι. τίς γὰρ ἔσται ἡ χρησομένη τοῖς κατὰ τὴν οἰκίαν παρὰ τὴν οἰκονομικήν;

§. 4. Utrum autem pars ipſius eſt aliqua, vel alia ſpecies, habet inter ſe controverſiam. Si namque munus eſt ejus, qui quærendæ rei incumbit, videre, unde pecuniæ & reliqua res familiaris paretur: res autem familiaris multas amplexa eſt partes: ac divitiæ

§. 4. Πότερον δὲ μέρος αὐτῆς ἐστί τι, ἢ ἕτερον εἶδος, ἔχει διαμφισβήτησιν. εἰ γάρ ἐστι (*f*) τοῦ χρηματιστικοῦ θεωρῆσαι πόθεν χρήματα καὶ κτῆσις ἔσται· ἡ δὲ κτῆσις πολλὰ περιείληφε μέρη καὶ ὁ πλοῦτος.

** ** ** **

quare primum quæritur, utrum *agricultura* (*b*) pars aliqua ſit pecuniariæ artis, ſive aliud quippiam genus: & in univerſum cura, quæ ponitur in rebus, unde familia alatur, & omnis domus poſſeſſio.

Ὥστε πρῶτον (*g*) ἡ γεωργικὴ πότερον μέρος τι τῆς χρηματιστικῆς, ἢ ἕτερόν τι γένος, καὶ καθόλου ἡ περὶ τὴν τροφὴν ἐπιμέλεια καὶ κτῆσις.

** ** ** **

Atqui ſpecies quidem multæ cibariorum. Quare & vitæ multæ, & cæterarum animantium & hominum ſunt: non enim ſine cibo licet vivere. Quapropter differentiæ alimentorum vitas reddiderunt diverſas animantium. Beluarum enim hæ quidem gregatim, hæ vero diſperſæ vivunt, utro modo prodeſt ipſis ad victum parandum: quia hæ quidem veſcuntur animantibus, hæ autem fructibus telluris, hæ vero e numero ipſarum omni genere ciborum utuntur. Quare ad facilitatem & ſumptionem horum natura vitas earum diſcrevit. Quia autem non idem unicuique natura jucundum eſt, ſed alia aliis: & ipſarum etiam, quæ veſcuntur animantibus, & earum, quæ fructibus aluntur, vitæ diſſentiunt inter ſe.

Ἀλλὰ μὲν εἴδη (*h*) γε πολλὰ τροφῆς. διὸ καὶ βίοι πολλοί, καὶ τῶν ζώων, καὶ τῶν ἀνθρώπων εἰσίν· οὐ γὰρ οἷόν τε ζῆν ἄνευ τροφῆς. ὥστε αἱ διαφοραὶ τῆς τροφῆς τοὺς βίους πεποιήκασι διαφέροντας τῶν ζώων. τῶν τε γὰρ θηρίων, τὰ μὲν ἀγελαῖα, τὰ δὲ σποραδικά ἐστιν. ὁποτέρως συμφέρει πρὸς τὴν τροφὴν αὐτοῖς, διὰ τὸ τὰ μὲν ζωοφάγα, τὰ δὲ καρποφάγα, τὰ δὲ παμφάγα αὐτῶν εἶναι. ὥστε πρὸς τὰς ῥᾳστώνας καὶ τὴν αἵρεσιν τὴν τούτων ἡ φύσις τοὺς βίους αὐτῶν διώρισεν. ἐπεὶ δ' οὐ ταὐτὸ ἑκάστῳ ἡδὺ κατὰ φύσιν, ἀλλὰ ἕτερα ἑτέροις· καὶ αὐτῶν τῶν ζωοφάγων καὶ τῶν καρποφάγων οἱ βίοι πρὸς ἄλληλα διεστᾶσιν.

§. 5. Et eodem pacto hominum. Multum enim diſcrepant horum vitæ. Pigerrimi igitur *paſtoritiam vitam* (*c*) colunt: cibus enim e mitibus animantibus ſine labore adeſt, ipſis in otio degentibus. Cum autem neceſſe ſit pecudibus mutare paſcua, & ipſi coguntur comitari, tanquam viventem agriculturam colentes. Hi autem e venatione vivunt: & venatione alii alia. ceu hi quidem *prædas hominum* (*d*) agendo: hi autem

§. 5. Ὁμοίως δὲ καὶ τῶν ἀνθρώπων. πολλοῖς γὰρ διαφέρουσιν (*i*) οἱ τούτων βίοι. οἱ μὲν οὖν ἀργότατοι, νομάδες εἰσίν· ἡ γὰρ ἀπὸ τῶν ἡμέρων τροφὴ ζώων, ἄνευ πόνου γίνεται σχολάζουσιν. ἀναγκαίου δ' ὄντος μεταβάλλειν τοῖς κτήνεσι διὰ τὰς νομὰς, καὶ αὐτοὶ ἀναγκάζονται συνακολουθεῖν, ὥσπερ γεωργίαν ζῶσαν γεωργοῦντες. οἱ δ' ἀπὸ θήρας ζῶσι, καὶ θήρας ἕτεροι ἑτέρας· οἷον, οἱ μὲν ἀπὸ λῃστείας, οἱ δ' ἀφ' ἁλιείας; ὅσοι λίμνας καὶ ἕλη

(*a*) *Diſciplinam domeſticam*) MEIER. *in analyſ. p.* 41. *GOEB.*

(*b*) *Agricultura*) Et ipſam parandis opibus inſervire, ſi quis artem colendi agros recte intelligat, & cauſæ aliæ tam intrinſecæ, quam extrinſecæ accedant. Tanti tamen ejus haud dubie regulariter non ſunt fructus, quam artis foenerandi nummos, & mercaturæ. *GOEB.*

(*c*) *Paſtoritiam vitam*) PICCARTVS *in obſervat. lib. I. c. IIX. p.* 107. Durioris conditionis ſunt paſtores noſtri, quippe qui non proprios, ſed mercede conducti alienos plerumque ducunt greges, & ſic raro ipſis ex carnibus pecoris, eorum curæ commiſſi, deguſtare dabitur. De laudibus agriculturæ & paſtionis agit XENOPH. *in oeconomico.* vid. HERT. *l. c. part. II. p.* 45. *GOEB.*

(*d*) *Prædas hominum*) Olim in eos, cum quibus nullæ intercedebant pactiones, latrocinari & prædas agere pro licito habebatur. Malis enim moribus regula illa: cognationem quandam inter homines a natura eſſe, & nefas alterum ab altero lædi, obliterata erat. GROT. *lib.* 2. *c.* 15. *GOEB.*

(*e*) Οἰκονομικὴ τῇ χρηματιστικῇ.) Sylburgius nonnihil mutat: τῇ οἰκονομικῇ ἡ χρηματιστική. At lectio vulgaris præplacet. *CONR.*

(*f*) Εἰ γὰρ ἐστι.) Montecatinus cenſet legendum ἐπείπερ ἐστι: fatetur tamen, in omnibus græcis exemplaribus, quæ viderit, legi εἰ γάρ. Ego cenſeo nihil mutandum; orationem tamen eſſe imperfectam, quia paulo poſt ſequitur lacuna, quam expreſſimus. Si illa non adſit, malim & ego Montecatianæ emendationi accedere, quo vitetur ſolœciſmus. *CONR.*

(*g*) Ὥστε πρῶτον.) Hiat oratio. Videtur tale aliquid deeſſe. Quoniam ἡ κτῆσις variis conſtat ſpeciebus, quæri poteſt, utrum omnis omnino poſſeſſionis cura, circa quam verſatur ἡ χρηματιστική, in quæſtionem veniat, an non omnis, ſed quædam ad œconomiam pertineat. Et quidem inter ſpecies τῶν κτήσεων præcipua eſt alimentum, hoc autem ex terra potiſſimum paratur; itaque ante omnia quærendum ἡ γεωργικὴ πότερον μέρος τι &c. *CONR.*

(*h*) Ἀλλὰ μὴν εἴδη) Non recte hæc connecti cum prioribus, liquido apparet attendentibus. *CONR.*

(*i*) Πολλοῖς γὰρ διαφέρουσιν.) Caſaubonus; πολὺ γάρ. *CONR.*

Digitized by Google

autem e piſcatu, qui ſunt, qui lacus & ſtagna, & fluvios, vel mare hujuſcemodi accolunt: hi autem ab avibus victum ducunt, & feris animantibus. Plurimi autem mortales, e tellure vivunt & mitibus fructibus.

ἕλη καὶ ποταμοὺς ἢ θάλατταν τοιαύτην προσοικοῦσιν· οἱ δ', ἀπ' ὀρνίθων, ἢ θηρίων ἀγρίων. τὸ δὲ πλεῖστον γένος τῶν ἀνθρώπων ἀπὸ τῆς γῆς ζῇ καὶ (τῶν) ἡμέρων καρπῶν.

§. 6. Vitæ quidem igitur tot ferme ſunt, quæcunque ſuam, e ſeque natam culturam habent: & non per commutationem & cauponariam victum parant, paſtoritia, ruſtica, piratica, piſcatoria, venatoria. Qui vero miſcent, ex his jucunde vivunt, explentes præterea vitam, quæ penuria maxime laborabat, qua parte deficit, ut contenta ſuis bonis ſit: ceu hi quidem ſimul paſtoritiam & prædatoriam: hi vero ruſticam & venatoriam: ſimiliter autem in aliis vitis, ut uſus utique coëgerit, hoc modo ſe gerunt.

§. 6. Οἱ μὲν οὖν βίοι τοσοῦτοι σχεδόν εἰσιν, ὅσοι γε αὐτόφυτον ἔχουσι τὴν ἐργασίαν, καὶ μὴ δι' ἀλλαγῆς καὶ καπηλείας πορίζονται τὴν τροφήν, νομαδικός, γεωργικός, λῃστρικός, ἁλιευτικός, θηρευτικός· οἱ δὲ καὶ μιγνύντες, ἐκ τούτων ἡδέως ζῶσι, προσαναπληροῦντες τὸν ἐνδεέστατον βίον, ᾗ τυγχάνει ἐλλείπων πρὸς τὸ αὐτάρκης εἶναι. οἷον, οἱ μὲν νομαδικὸν ἅμα καὶ λῃστρικόν, οἱ δὲ γεωργικὸν καὶ θηρευτικόν. ὁμοίως δὲ καὶ περὶ τοὺς ἄλλους, ὡς ἂν ἡ χρεία συναναγκάζῃ, τοῦτον τὸν τρόπον διάγουσιν.

** **

Hujuſcemodi igitur copia perſpicitur natura data cunctis, quemadmodum ſtatim a prima origine ita & perfectis. Etenim initio ab ortu ipſo hæ quidem animantes ſimul pariunt tantum alimentum, ut ſatis ſit, donec potuerit ipſum, quod genitum eſt, parare ſibi cibum: ceu quæcunque vermes gignunt vel ova. Quæcunque autem animal pariunt, alimentum habent in ſe poſitum, quod ſerviat natis, usque ad tempus aliquod, naturam vocati lactis.

** **

Ἡ μὲν οὖν (d) τοιαύτη κτῆσις ὑπ' αὐτῆς φαίνεται τῆς φύσεως διδομένη πᾶσιν, ὥσπερ κατὰ τὴν πρώτην γένεσιν εὐθύς, οὕτω καὶ τελειωθεῖσι. καὶ γὰρ κατὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς γένεσιν, τὰ μὲν συνεκτίκτει τῶν ζώων τοσαύτην τροφήν, ὡς ἱκανὴν εἶναι, μέχρις οὗ ἂν δύναται αὐτὸ αὑτῷ πορίζειν τὸ γενηθέν· οἷον, ὅσα σκωληκοτοκεῖ ἢ ᾠοτοκεῖ. ὅσα δὲ ζωοτοκεῖ, τοῖς γενομένοις (e) ἔχει τροφὴν ἐν αὑτοῖς μέχρι τινός, τὴν τοῦ καλουμένου γάλακτος φύσιν.

§. 7. Quapropter ſimiliter planum, putare nos debere (*de iis quæ jam ſunt nata*) quæ oriuntur e terra animalium cauſſa eſſe, & cæteras animantes hominum gratia. Manſuetas enim, & propter uſum & propter cibum: Feras autem, etſi non omnes, plurimas tamen, cibi & aliorum adminiculorum inde capiendorum cauſa: ut & veſtis, & alia inſtrumenta conficiantur ex ipſis. Si igitur natura nihil *neque imperfectum* (a) neque fruſtra facit, neceſſe eſt *hominum cauſa* (b) cuncta ipſa feciſſe caturam.

§. 7. Ὥστε ὁμοίως δῆλον, ὅτι καὶ γενομένοις (f) οἰητέον, τά τε φυτὰ τῶν ζώων ἕνεκεν εἶναι, καὶ τὰ ἄλλα ζῶα τῶν ἀνθρώπων χάριν. τὰ μὲν ἥμερα καὶ διὰ τὴν χρῆσιν καὶ διὰ τὴν τροφήν· τῶν δ' ἀγρίων, εἰ μὴ πάντα, ἀλλὰ τά γε πλεῖστα, τῆς τροφῆς καὶ ἄλλης βοηθείας ἕνεκεν, ἵνα καὶ ἐσθής, καὶ ἄλλα ὄργανα γίνηται ἐξ αὐτῶν. εἰ οὖν (g) ἡ φύσις μηθέν, μήτε ἀτελὲς ποιεῖ, μήτε μάτην, ἀναγκαῖον τῶν ἀνθρώπων ἕνεκεν αὐτὰ πάντα πεποιηκέναι τὴν φύσιν.

§. 8. Quapropter & ars bellica natura facta aliquo modo erit ad rem quærendam. Studium enim venatorium pars ipſius eſt, quo decet uti adverſum *feras & hominum genus*, (c) qui homines cum a natura facti ſint ad parendum, recuſant: tanquam natura juſtum hoc bellum ſit.

§. 8. Διὸ καὶ ἡ πολεμικὴ φύσει κτητική πως ἔσται· ἡ γὰρ θηρευτική, μέρος αὐτῆς. ᾗ δεῖ χρῆσθαι πρός τε τὰ θηρία, καὶ τῶν ἀνθρώπων ὅσοι πεφυκότες ἄρχεσθαι μὴ θέλουσιν· ὡς φύσει δίκαιον τοῦτον ὄντα τὸν πόλεμον.

§. 9. Una igitur ſpecies rationis, quæ rem quærit, ut natura fert, diſciplinæ domeſticæ pars eſt: quam opus eſt aut jam adeſſe, aut parare ipſam: dareque operam, ut ſit, earum ſcilicet rerum, quæ conduntur ſervanturque ad vitam neceſſariarum, & quæ valeant ad communionem civitatis & domus.

§. 9. Ἓν μὲν οὖν εἶδος κτητικῆς κατὰ φύσιν, τῆς οἰκονομικῆς μέρος ἐστίν. ὃ δεῖ ἤτοι ὑπάρχειν, ἢ πορίζειν αὐτὴν ὅπως ὑπάρχῃ, ὧν ἐστι θησαυρισμὸς (h) χρημάτων πρὸς ζωὴν ἀναγκαίων, καὶ χρησίμων εἰς κοινωνίαν πόλεως, ἢ οἰκίας.

§. 10. Et videntur ſane veræ divitiæ ex his conſtare. Poſſidere namque tantum bonorum, quod ſatis ſit ad bene vivendum, non eſt infinitum, ut Solon ait, qui cecinit:

Divi-

§. 10. Καὶ ἔοικεν ὅγ' ἀληθινὸς πλοῦτος ἐκ τούτων εἶναι. ἡ γὰρ τῆς τοιαύτης κτήσεως αὐτάρκεια πρὸς ἀγαθὴν ζωήν,, οὐκ ἄπειρός ἐστιν, ὥσπερ Σόλων φησὶ ποιήσας,

Πλέ-

(a) *Neque imperfectum*) In ſuo genere, & ſecundum ſyſtematis, quod formari debuit indolem. Scio adeſſe, qui hic dubia movent. BAYLE *dans la reponſe aux queſtions d' un provincial p.* 956. ſq. 1072. *ſeqq. tom. III. GOEB.*

(b) *Hominum cauſa*) De hoc aliqui dubitant. JAQUELOT *de la conformité avec la foy p.* 156. *Eſſais de Theodicée par* LEIBNITZ. *p.* 312. *ſeqq.* GOEB.

(c) *Feras & hominum genus*) PLATO *de LL. VII.* HERT. *in elementis prudentiæ civilis parte I. ſect. V. §. IX.* PICCARTUS *in obſervat. lib. I. c. IIX. p.* 110. EIBENII, BERGERI *& mea diſſert. de venatione. GOEB.*

(d) Ἡ μὲν οὖν.) Videtur connexio non ſatis concinna: itaque nonnihil deeſt. CONR.

(e) Τοῖς γενομένοις.) Rectius, quod placuit Caſaubono: γεννωμένοις. CONR.

(f) Καὶ γενομένοις) Vetus interpres & Aretinus videntur legiſſe τελειουμένοις: optime profecto, in iis tamen, quæ hodie ſuperant exemplaribus græcis non reperias, quod etiam Montecatinus conqueritur. CONR.

(g) Εἰ οὖν.) Oratio magis perſpicua fieret, ſi legeres: εἰ γὰρ aut certe εἰ γοῦν. CONR.

(h) Ὧν ἐστι θησαυρισμός.) Heinſius recte: ὡς ἔσται θησαυρισμός. CONR.



Digitized by Google

*Divitiarum nullus terminus apertus fixus eſt mortalibus.*

Fixus eſt enim quemadmodum cæterarum artium. nullum enim inſtrumentum infinitum eſt ullius artis, neque numero, neque magnitudine. Divitiæ autem inſtrumentorum multitudo ſunt, & reip. & domui accommodatorum.

§. II. Eſſe igitur quandam rationem quærendi rem naturalem & regentibus domum ac rempublicam adminiſtrantibus, & quam ob cauſam, perſpicuum eſt.

Πλούτου δ' οὐθὲν τέρμα πεφασμένον ἀνδράσι κεῖται.

κεῖται γάρ, ὥσπερ καὶ ταῖς ἄλλαις τέχναις. οὐδὲν γὰρ ὄργανον ἄπειρον οὐδεμιᾶς ἐστι τέχνης, οὔτε πλήθει οὔτε μεγέθει. ὁ δὲ πλοῦτος, ὀργάνων πλῆθός ἐστιν οἰκονομικῶν καὶ πολιτικῶν.

§. II. Ὅτι μὲν τοίνυν ἐστί τις κτητικὴ κατὰ φύσιν τοῖς οἰκονόμοις, καὶ τοῖς πολιτικοῖς, καὶ δι' ἣν αἰτίαν, δῆλον.

# CAP. VI.

§. I.

IX. Eſt autem genus aliud rationis quærendi, quam maxime vocant, & dignum ſane eſt ipſam vocare, *pecuniariam* (*a*) per quam nullum videtur extremum eſſe divitiarum & quærendi rem: quam ut unam & eandem, atque eſt ea quæ dicta eſt, multi arbitrantur, propter vicinitatem. Eſt autem neque eadem, quæ tradita, neque valde remota ab illa. Eſt autem ipſarum hæc quidem natura, hæc vero non natura: ſed potius per uſum quendam & artem exiſtit.

§. I.

IX. Ἔστι δὲ γένος ἄλλο κτητικῆς, ἣν μάλιστα καλοῦσι, καὶ δίκαιον αὐτὸ καλεῖν (*b*) χρηματιστικήν, δι' ἣν οὐδὲν δοκεῖ πέρας εἶναι πλούτου καὶ κτήσεως· ἣν ὡς μίαν καὶ τὴν αὐτὴν τῇ λεχθείσῃ πολλοὶ νομίζουσι διὰ τὴν γειτνίασιν. ἔστι δ' οὔτε ἡ αὐτὴ τῇ εἰρημένῃ, οὔτε πόῤῥω ἐκείνης. ἔστι δὲ ἡ (*c*) μὲν φύσει, ἡ δ' οὐ φύσει αὐτῶν, ἀλλὰ δι' ἐμπειρίας τινὸς καὶ τέχνης γίνεται μᾶλλον.

§. 2. Sumamus autem initium de ipſa diſſerendi hinc. Singularum enim rerum, quas poſſidemus, duplex eſt uſus. Ambo autem per ſe quidem, ſed non eodem pacto per ſe: verum hic quidem ſuus propriusque, hic vero non proprius ejus rei. Ceu calcei, cum induitur, & cum commutatur. ambo namque calcei hi ſunt uſus. Etenim qui permutat cum eo, qui eget calceo, pro nummo aut eſca, utitur calceo, qua calceus eſt, ſed non ſuo, neque proprio uſu: non enim permutationis cauſa inventus eſt.

§. 2. Λάβωμεν δὲ περὶ αὐτῆς τὴν ἀρχὴν ἐντεῦθεν. ἑκάστου γὰρ (*d*) κτήματος διττὴ ἡ χρῆσίς ἐστιν· ἀμφότεραι δὲ καθ' αὑτὸ μέν, ἀλλ' οὐχ ὁμοίως καθ' αὑτό, ἀλλ' ἡ μὲν οἰκεία, ἡ δ' οὐκ οἰκεία τοῦ πράγματος· οἷον ὑποδήματος ἥ τε ὑπόδεσις καὶ ἡ μεταβλητική· ἀμφότεραι γὰρ ὑποδήματος χρήσεις. καὶ γὰρ ὁ ἀλλαττόμενος τῷ δεομένῳ ὑποδήματος, ἀντὶ νομίσματος ἢ τροφῆς χρῆται τῷ ὑποδήματι, ᾗ ὑπόδημα, ἀλλ' οὐ τὴν οἰκείαν χρῆσιν. οὐ γὰρ ἀλλαγῆς ἕνεκεν γέγονε.

§. 3. Eodem autem pacto ſe res habet de aliis rebus, quas poſſidemus. Cunctas enim licet permutare: quæ permutatio orta primum eſt ab eo, quod natura fit: quia partim rerum vitæ accommodatarum plus homines habent, partim minus.

§. 3. Τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον ἔχει καὶ περὶ τῶν ἄλλων κτημάτων. ἔστι γὰρ ἡ μεταβλητικὴ πάντων, ἀρξαμένη τὸ μὲν πρῶτον ἐκ τοῦ κατὰ φύσιν, τῷ τὰ μὲν πλείω, τὰ δὲ ἐλάττω τῶν ἱκανῶν ἔχειν τοὺς ἀνθρώπους.

§. 4. ** Quo perſpicuum etiam eſt, non conſtare natura pecuniariæ genus cauponarium. quantum enim ſatis erat ipſis, neceſſe fuiſſe permutationem facere.

§. 4. ** ᾗ καὶ δῆλον (*e*) ὅτι οὐκ ἔστι φύσει τῆς χρηματιστικῆς ἡ καπηλική. ὅσον γὰρ ἱκανὸν αὐτοῖς, ἀναγκαῖον ἦν ποιεῖσθαι τὴν ἀλλαγήν.

§. 5. In prima autem communione, hoc autem eſt domus, planum eſt nullum eſſe munus ipſius, ſed cum jam amplior communio eſt. Hi namque eorundem omnium participes erant: qui vero disjuncti multis præterea & aliis, quæ ut opus venerat, neceſſe erat ſibi mutuo aliis acceptis tradere. Quemadmodum adhuc multæ faciunt barbararum gentium in permutatione: ipſas enim res utiles vitæ inter ſe commutant, nec ultra quicquam; ceu vinum pro frumento dantes & accipientes, & ſingulas alias hujuſcemodi res.

§. 5. Ἐν μὲν οὖν τῇ πρώτῃ κοινωνίᾳ, τοῦτο δ' ἐστὶν οἰκία, φανερὸν ὅτι οὐδὲν ἐστιν ἔργον αὐτῆς, ἀλλ' ἤδη πλείονος τῆς κοινωνίας οὔσης. οἱ μὲν γάρ, τῶν αὐτῶν ἐκοινώνουν πάντων· οἱ δὲ κεχωρισμένοι, (*f*) πολλῶν πάλιν καὶ ἑτέρων· ὧν κατὰ τὰς δεήσεις ἀναγκαῖον ποιεῖσθαι τὰς μεταδόσεις. καθάπερ ἔτι πολλὰ ποιεῖ καὶ τῶν βαρβαρικῶν ἐθνῶν κατὰ τὴν ἀλλαγήν. αὐτὰ γὰρ τὰ χρήσιμα πρὸς αὐτὰ καταλλάττονται, ἐπιπλέον δ' οὐδέν· οἷον οἶνον πρὸς σῖτον διδόντες καὶ λαμβάνοντες, καὶ τῶν ἄλλων τῶν τοιούτων ἕκαστον.

§. 6.

(*a*) *Pecuniariam*) MEIERI *diſſert. de re numaria*, quæ analyſi libr. *Ariſtotelis polit.* eſt inſerta. *GOEB.*

(*b*) Καὶ δίκαιον αὐτὸ καλεῖν.) Notat Montecatinus in quibusdam exemplaribus legi οὕτω. Videtur id rectius, & placuit Caſaubono. *CONR.*

(*c*) Ἔστι δ' ἡ) Scripſerim γάρ: redditur enim ratio, quare non ſit eadem hæc κτητικὴ cum illa, de qua jam actum eſt. Paulo etiam ante jam dictum erat ἔστι δ': ut non potuerit repeti absque ſolœciſmo. Haud male ſcripſeris etiam, δή. *CONR.*

(*d*) Ἑκάστου γάρ.) Elegantius omitti poteſt illud γάρ. *CONR.*

(*e*) Ἦ καὶ δῆλον.) Atqui hoc non eſt ſatis manifeſtum ex antegreſſis. Lacuna itaque hoc loco invenitur, niſi malis hoc totum huc intruſum eſſe. *CONR.*

(*f*) Κεχωρισμένοι,) Lambinus expuncto commate legit: κεχωρισμένοι πολλῶν. *CONR.*

Digitized by Google

§. 6. Hujuſcemodi igitur ratio permutandi, neque præter naturam eſt, neque pecuniariæ ſpecies ulla: ad ſupplementum enim eorum, quæ natura requiruntur, ne familia egeat, inventa eſt.

§. 7. Verum tamen ex hac, prodiit illa, ratione. Cum enim longinquius commodum, quod hinc capitur, factum eſſet, importandis rebus, quibus egebant & exportandis, quibus abundabant neceſſario *uſus nummi* (*a*) comparatus eſt: Non enim facile comportantur alio cunctæ res, quæ ſunt natura vitæ neceſſariæ. Quapropter ad permutationes hujuſcemodi quiddam pepigerunt inter ſe dare, & accipere. Quod cum ipſum unum eſſet eorum, quæ utilia ſunt, continebat in ſe uſum facilem ad vitam, cujuſcemodi eſt ferrum & argentum, & ſi quid hujuſcemodi eſt aliud. Primum quidem ſimpliciter definitum magnitudine & pondere: poſtremum autem nota impreſſa, ut liberet ipſos cura menſurandi. Nota enim poſita eſt quantitatis indicium.

§. 8. Profecto igitur jam nummo e neceſſaria permutatione, altera ſpecies pecuniariæ extitit cauponaria. Primum quidem ſimpliciter fortaſſe orta: deinde propter uſum jam artificioſius, unde & quomodo mutatum plurimum gigneret lucrum.

§. 9. Quapropter videtur pecuniaria maxime circa numum verſari: & munus ipſius eſſe, poſſe videre, unde erit multitudo pecuniæ: cum ſit effectrix divitiarum & pecuniæ.

§. 10. Etenim divitias ſæpe volunt eſſe nummorum multitudinem, quia circa hos eſt pecuniaria & cauponaria. Quandoq; autem contra numus videtur eſſe nugæ, & opinio penitus, natura autem nihil: quia mutato animo eorum, qui ipſo utuntur, nullius æſtimationis eſt, neque utilis ad quampiam rem neceſſariam. Et ſæpe continget, ut dives numorum aliquis egeat *neceſſario alimento.* (*b*) Atqui abſurdum eſt hujuſcemodi quiddam eſſe divitias, quo cum aliquis abundet, fame perit. Quemadmodum Midam illum fabulantur, cui propter inexplebile optatum cuncta, quæ apponebantur, aurea fiebant.

§. 11. Quare quærunt aliud quippiam, divitias & rationem domus inſtruendæ, recte quærentes. Eſt enim alia ratio parandi rem, & aliæ divitiæ, quæ ſunt ex natura. Et hæc quidem propria domus ornandæ: cauponaria vero *effectrix pecuniarum* (*c*) modis omnibus, ſed per commutationem pecuniarum. Et videtur circa nummum hæc eſſe: nummus enim eſt elementum & terminus permutationis.

§. 12. Et infinitæ jam hæ divitiæ, quæ ab hac ratione quærendi proficiſcuntur. Quemadmodum enim medicorum ars curandi ægrotos in infinitum eſt, & ſingulæ artes ſui finis in infinitum: quam maxime enim poſſunt, illud efficere volunt: eorum vero, quæ referuntur ad finem, non in infinitum: finis enim extremum eſt omnibus:

§. 6. Ἡ μὲν οὖν τοιαύτη μεταβλητικὴ, οὔτε παρὰ φύσιν οὔτε χρηματιϛικῆς ἐϛιν εἶδος οὐδέν· εἰς ἀναπλήρωσιν γὰρ τῆς κατὰ φύσιν αὐταρκείας ἦν.

§. 7. Ἐκ μὲν τοιταύτης ἐγένετο ἐκείνη κατὰ λόγον. ξενικωτέρας γὰρ γινομένης τῆς βοηθείας τῷ εἰσάγεσθαι ὧν ἐνδεεῖς, καὶ ἐκπέμπειν ὧν ἐπλεόναζον, ἐξ ἀνάγκης ἡ τοῦ νομίσματος ἐπορίσθη χρῆσις. οὐ γὰρ εὐβάϛακτον ἕκαϛον τῶν κατὰ φύσιν ἀναγκαίων. διὸ πρὸς τὰς ἀλλαγὰς τοιοῦτόν τι συνέθεντο πρὸς σφᾶς αὐτοὺς διδόναι καὶ λαμβάνειν. ὃ τῶν χρησίμων αὐτὸ ὄν, εἶχε τὴν χρείαν εὐμεταχείριϛον πρὸς τὸ ζῆν· οἷον ὁ σίδηρος καὶ ἄργυρος, κἂν εἴ τι τοιοῦτον ἕτερον. τὸ μὲν πρῶτον ἁπλῶς ὁρισθὲν μεγέθει καὶ ϛαθμῷ· τὸ δὲ τελευταῖον καὶ χαρακτῆρα ἐπιβαλλόντων, ἵνα ἀπολύσῃ τῆς μετρήσεως αὐτούς· ὁ γὰρ χαρακτὴρ ἐτέθη τοῦ ποσοῦ σημεῖον.

§. 8. Ποριςθέντος οὖν ἤδη νομίσματος ἐκ τῆς ἀναγκαίας ἀλλαγῆς, θάτερον εἶδος τῆς χρηματιϛικῆς ἐγένετο, τὸ καπηλικόν· τὸ μὲν πρῶτον ἁπλῶς ἴσως γινόμενον· εἶτα δι᾽ ἐμπειρίας ἤδη τεχνικώτερον, πόθεν καὶ πῶς μεταβαλλόμενον πλεῖϛον ποιήσει κέρδος.

§. 9. Διὸ δοκεῖ ἡ χρηματιϛικὴ μάλιϛα περὶ τὸ νόμισμα εἶναι, καὶ ἔργον αὐτῆς, τὸ δύνασθαι θεωρῆσαι πόθεν ἔϛαι πλῆθος χρημάτων, ποιητικὴ γὰρ εἶναι τοῦ πλούτου καὶ χρημάτων.

§. 10. Καὶ γὰρ τὸν πλοῦτον πολλάκις τιθέασι νομίσματος πλῆθος, διὰ τὸ περὶ τοῦτ᾽ εἶναι τὴν χρηματιϛικὴν καὶ τὴν καπηλικήν. ὁτὲ δὲ πάλιν λῆρος εἶναι δοκεῖ τὸ νόμισμα, καὶ νόμος παντάπασι, φύσει δ᾽ οὐθὲν· ὅτι μεταθεμένων τε τῶν χρωμένων οὐθενὸς ἄξιον, οὔτε χρήσιμον πρὸς οὐδὲν τῶν ἀναγκαίων ἐϛί· καὶ νομίσματος πλουτῶν πολλάκις ἀπορήσει τῆς ἀναγκαίας τροφῆς. Καί τοι ἄτοπον, τοιοῦτον εἶναι πλοῦτον, οὗ εὐπορῶν λιμῷ ἀπολεῖται. Καθάπερ καὶ τὸν Μίδαν ἐκεῖνον μυθολογοῦσι, διὰ τὴν ἀπληϛίαν τῆς εὐχῆς, πάντων αὐτῷ γιγνομένων τῶν παρατιθεμένων χρυσῶν.

§. 11. Διὸ ζητοῦσιν ἕτερόν τι, τὸν πλοῦτον καὶ τὴν χρηματιϛικὴν ὀρθῶς ζητοῦντες. ἔϛι γὰρ ἑτέρα ἡ χρηματιϛικὴ καὶ ὁ πλοῦτος ὁ κατὰ φύσιν. καὶ αὕτη μὲν οἰκονομικὴ, ἡ δὲ καπηλικὴ, ποιητικὴ χρημάτων οὐ πάντως, ἀλλ᾽ ἡ διὰ χρημάτων μεταβολῆς, καὶ δοκεῖ περὶ τὸ νόμισμα, αὕτη εἶναι. τὸ γὰρ νόμισμα, ϛοιχεῖον καὶ πέρας τῆς ἀλλαγῆς ἐϛι.

§. 12. Καὶ ἄπειρος δὴ οὗτος ὁ πλοῦτος ὁ ἀπὸ ταύτης τῆς χρηματιϛικῆς. Ὥσπερ γὰρ ἡ ἰατρικὴ τοῦ ὑγιαίνειν εἰς ἄπειρόν ἐϛι, καὶ ἑκάϛη τῶν τεχνῶν τοῦ τέλους εἰς ἄπειρον· ὅτι μάλιϛα γὰρ ἐκεῖνο βούλονται ποιεῖν· τῶν δὲ πρὸς τὸ τέλος, οὐκ εἰς ἄπειρον· πέρας γὰρ τὸ τέλος πάσαις· οὕτω καὶ ταύτης τῆς χρηματιϛικῆς οὐκ ἔϛι τοῦ τέλους πέρας.

(*a*) *Uſus nummi*) FELDEN. *in analyſi polit.* p. 74. 75. GROTIUS *de J. B. & P. lib. II. c. XII XIV. XV. XVII. l.* 1. *ff. de rerum permutat.* §. II. *J. de permutat.* Si pecunia non ut quantitas, ſed ut corpus conſideratur & ſub permutationem cadere poteſt, & ſi res ad certam quantitatem æſtimatur, locum pretii in venditione occupare poteſt. *GOEB.*

(*b*) *Neceſſario alimento*) Sed hoc raro aut nunquam accidet, cum nummis omnia ſint venalia. *GOEB.*

(*c*) *Effectrix pecuniarum*) Cum hac aliquatenus coincidit ars hodie admodum frequens diteſcendi per cambia. *GOEB.*

Digitized by Google

bus: ſic & hujus rationis quærendi non eſt finis ipſius extremum: finis enim ſunt hujuſcemodi divitiæ & pecuniarum comparatio.

πέρας. τέλος δὲ ὁ τοιοῦτος (c) πλοῦτος, καὶ χρημάτων κτῆσις.

§. 13. Ejus vero, quæ ſervit uſibus domus, & non pecuniæ cogendæ, extremum eſt: non enim eſt hoc domeſticæ rationis munus.

§. 13. Τῆς δ' οἰκονομικῆς, οὐ χρηματιστικῆς (d) ἐστι πέρας. οὐ γὰρ τοῦτο τῆς οἰκονομικῆς ἔργον. (e)

§. 14. ** Quare hac quidem apparet, neceſſe eſſe omnium divitiarum exiſtere extremum: in his autem, quæ fiunt, videmus uſu venire contrarium. Cuncti enim ſine termino ullo augent nummum, qui incumbunt *pecuniæ cogendæ*. (a)

§. 14. ** διὸ τῇ μὲν (f) φαίνεται ἀναγκαῖον εἶναι παντὸς πλούτου πέρας· ἐπὶ δὲ τῶν γινομένων ὁρῶμεν συμβαῖνον τοὐναντίον. πάντες γὰρ εἰς ἄπειρον αὔξουσιν οἱ χρηματιζόμενοι τὸ νόμισμα.

§. 15. ** Cauſa autem hujus eſt propinquitas ipſarum. Immutatur enim uſus, qui ejusdem eſt utriusque pecuniariæ. Ejusdem enim uſus eſt poſſeſſio ipſa. Veruntamen non eodem modo, ſed hujus finis, alius autem auctio.

§. 15. ** αἴτιον δὲ (g) τὸ σύνεγγυς αὐτῶν. ἐπαλλάττει γὰρ ἡ χρῆσις τοῦ αὐτοῦ, οὖσα ἑκατέρα (h) τῆς χρηματιστικῆς· τῆς γὰρ αὐτῆς ἐστι χρήσεως κτῆσις· ἀλλ' οὐ κατὰ ταὐτὸν, ἀλλὰ τῆς μὲν ἕτερον τέλος, τῆς δ' ἡ αὔξησις.

§. 16. ** Quare videtur quibusdam hoc eſſe domeſticæ rationis munus: & manent in hoc, vel tueri putantes oportere vel augere nummi vim ſine extremo ullo,

§. 16. ** ὥστε δοκεῖ (i) τισὶ τοῦτ' εἶναι τῆς οἰκονομικῆς ἔργον, καὶ διατελοῦσιν, ἢ σώζειν οἰόμενοι δεῖν ἢ αὔξειν τὴν τοῦ νομίσματος οὐσίαν εἰς ἄπειρον.

§. 17. Cauſa autem hujus animi ipſorum eſt, quod ſtudium adhibent in vivendo, & non in bene vivendo. Cum ſit igitur in infinitum porrecta hæc cupiditas ipſorum, cupiunt etiam infinita efficientia ipſius.

§. 17. Αἴτιον δὲ ταύτης τῆς διαθέσεως, τὸ σπουδάζειν περὶ τὸ ζῆν, ἀλλὰ μὴ τὸ εὖ ζῆν. εἰς ἄπειρον οὖν ἐκείνης τῆς ἐπιθυμίας οὔσης, καὶ τῶν ποιητικῶν ἀπείρων ἐπιθυμοῦσιν.

§. 18. Quicunque autem & bene vivere ſibi proponunt, quod ad *corporis voluptates* (b) facit, quærunt. Quare quia & hoc in poſſeſſu bonorum videtur exiſtere, omnis cura ab his ponitur in quærenda pecunia. Et altera ſpecies pecuniariæ propter hoc in uſum venit. Cum enim frui poſſe voluptatibus maneat in exuperantia, eam, quæ eſt effectrix exuperantiæ, aptæ voluptatibus decerpendis, quærunt. Et ſi per pecuniariam non potuerint ipſam comparare, per aliam cauſam enituntur, ſingulis facultatibus utentes minime ex natura. Fortitudinis enim non eſt gignere pecuniam, ſed audentiam: neque imperatoriæ facultatis, & artis medicorum: ſed hujus victoriam, hujus vero corporis ſanitatem. Hi vero cunctas reddunt pecuniarias, tanquam finis hic eorum ſit, ad finem autem omnia opus ſit referri.

§. 18. Ὅσοι δὲ καὶ τοῦ εὖ ζῆν ἐπιβάλλονται, τὸ πρὸς τὰς ἀπολαύσεις τὰς σωματικὰς ζητοῦσιν. ὥστ', ἐπεὶ καὶ τοῦτ' ἐν τῇ κτήσει φαίνεται ὑπάρχειν, πᾶσα ἡ διατριβὴ περὶ τὸν χρηματισμόν ἐστι. καὶ τὸ ἕτερον εἶδος τῆς χρηματιστικῆς διὰ τοῦτ' ἐλήλυθεν· ἐν ὑπερβολῇ γὰρ οὔσης τῆς ἀπολαύσεως, τὴν τῆς ἀπολαυστικῆς ὑπερβολῆς ποιητικὴν ζητοῦσι. Κἂν μὴ διὰ τῆς χρηματιστικῆς δύνωνται πορίζειν, δι' ἄλλης αἰτίας τοῦτο πειρῶνται, ἑκάστῃ χρώμενοι τῶν δυνάμεων οὐ κατὰ φύσιν. ἀνδρίας γὰρ οὐ χρήματα ποιεῖν ἐστιν, ἀλλὰ θάρσος· οὐδὲ στρατηγικῆς, καὶ ἰατρικῆς, ἀλλὰ τῆς μὲν νίκην, τῆς δ' ὑγίειαν. Οἱ δὲ πάσας ποιοῦσι χρηματιστικὰς, ὡς τοῦτο τέλος ὄν, πρὸς δὲ τὸ τέλος ἅπαντα δέον ἀπαντᾶν.

§. 19. De pecuniaria igitur non neceſſaria, & quæ ſit, & quam ob cauſam egemus ipſa, dictum eſt: nec non de neceſſaria, quod alia eſt ab ea, œconomica autem e natura, quæ occupatur circa alimentum, non quemadmodum hæc infinita, ſed habens terminum.

§. 19. Περὶ μὲν οὖν τῆς τε μὴ ἀναγκαίας χρηματιστικῆς, καὶ τίς, καὶ δι' αἰτίαν τινὰ ἐν χρείᾳ ἐσμὲν αὐτῆς, εἴρηται· καὶ περὶ τῆς ἀναγκαίας, ὅτι ἑτέρα μὲν αὐτῆς, οἰκονομικὴ δὲ κατὰ φύσιν ἡ περὶ τὴν τροφὴν, οὐχ ὥσπερ αὐτὴ ἄπειρος, ἀλλὰ ἔχουσα ὅρον.

CAP.

(a) *Pecuniæ cogendæ*) Miſera eſt eorum conditio, qui conglomerandis nummis unice inhiant, illi enim nullo officiorum recte funguntur. Deum namque, ſeipſos & alios homines negligunt. Interim fateri neceſſum eſt, maximam eſſe pecuniæ vim. *GOEB.*

(b) *Corporis voluptates*) Sed ſine numinis & ambitioni & voluptati nutrimentum deerit, Conf. LAMBINVS *ad ſatyr. III. lib. II. Horat. n.* 137. *Famulatur rerum, quicquid eſt pecuniæ,* ARISTOPHANES apud GROT. *in excerpt. p.* 126. *GOEB.*

(c) Τέλος δὲ ὁ τοιοῦτος.) Conſtabit ſibi oratio, ſi ſcripſeris τέλος δή. *CONR.*

(d) Οὐ χρηματιστικῆς.) Montecatinus corrigit legens: οὐ χρημάτων κτῆσίς ἐστι τέλος. Et vero ita legiſſe videtur etiam interpres Vetus & Aretinus: eſtque omnino ſenſus ita demum clarus. *CONR.*

(e) Τῆς οἰκονομικῆς ἔργον. Caſaubonus ſcribit οἰκονομίας. Sed res eodem recidit. *CONR.*

(f) Διὸ τῇ μὲν.) Nihil præceſſit, cur διὸ dicat hoc loco Ariſtoteles. Hiat igitur oratio. *CONR.*

(g) Αἴτιον δὲ.) Etiam hic videntur nonnulla excidiſſe. Nec enim præceſſere, quo poſſis commode referre illud τὸ σύνεγγυς αὐτῶν. Sermo autem omnino eſt περὶ κτητικῆς illius naturalis & χρηματιστικῆς. Altera ſcil. alteri vicina eſt, quoniam utraque circa idem verſatur, & χρῆσις unius ejusdemque rei ἐπαλλάττει, h. e. varia eſt & non una. *CONR.*

(h) Ἑκατέρα.) Caſaubonus legit ἑκατέρας: & habent ita multa græca exemplaria, ſenſu optimo. *CONR.*

(i) Ὥστε δοκεῖ.) Iterum hiat ſermo. *CONR.*

Digitized by Google

# CAP. VII.

§. 1.

X. Perſpicuum autem eſt & illud, de quo initio dubitatum eſt, utrum ejus qui domum regit, & ejus qui incumbit reipublicæ, ſit *ratio cogendæ* (a) pecuniæ, an non, ſed opus eſt paratum eſſe.

§. 1.

X. Δῆλον δὲ καὶ τὸ ἀπορούμενον ἐξ ἀρχῆς, πότερον τοῦ οἰκονομικοῦ καὶ πολιτικοῦ ἐστιν ἡ χρηματιστική, ἢ οὔ, ἀλλὰ δεῖ τοῦτο (d) μὲν ὑπάρχειν.

§. 2. Quemadmodum enim homines non efficit facultas civilis, ſed cum acceperit a natura, utitur ipſis: ſic & alimentum naturam oportet tradere, tellurem, vel mare, vel aliud quippiam: ex his autem, ut decet, hæc diſpenſare convenit, qui regit domum. Non enim eſt artis textoriæ lanas efficere ſed uti ipſis, & cognoſcere, quæ bona & idonea, & quæ mala & inutilis.

§. 2. Ὥσπερ γὰρ καὶ ἀνθρώπους οὐ ποιεῖ ἡ πολιτικὴ ἀλλὰ λαβοῦσα παρὰ τῆς φύσεως χρῆται αὐτοῖς. οὕτω καὶ τροφὴν τὴν φύσιν δεῖ παραδοῦναι, γῆν, ἢ θάλατταν, ἢ ἄλλό τι· ἐκ δὲ τούτων, ὡς δεῖ ταῦτα διαθεῖναι, προσήκει τὸν οἰκονόμον. οὐ γὰρ τῆς ὑφαντικῆς ἔρια ποιῆσαι, ἀλλὰ χρήσασθαι αὐτοῖς· καὶ γνῶναι δὲ τὸ ποῖον χρηστὸν καὶ ἐπιτήδειον, ἢ φαῦλον καὶ ἀνεπιτήδειον.

§. 3. Etenim quæreret aliquis, cur ratio cogendæ pecuniæ pars ſit curæ familiaris, medicina autem non ſit pars: & tamen oportet valere eos, qui domi ſunt, non minus atque vivere, vel aliud quippiam eorum, quæ neceſſaria ſint. Quia autem eſt quidem, quo modo patrisfamilias & principis civitatis munus eſt videre de valetudine: eſt autem quomodo non eſt, ſed medici. Eodem pacto & de pecunia: eſt enim quomodo patrisfamilias, eſt autem quomodo minime, ſed ejus quæ inſervit ipſi.

§. 3. Καὶ γὰρ ἀπορήσειεν ἄντις διὰ τί, ἡ μὲν χρηματιστικὴ μόριον τῆς οἰκονομίας, ἡ δ᾽ ἰατρικὴ οὐ μόριον. καὶ τοι δεῖ ὑγιαίνειν τοὺς κατὰ τὴν οἰκίαν, ὥσπερ ζῆν, ἢ ἄλλό τι τῶν ἀναγκαίων. Ἐπεὶ δ᾽, ἔστι μὲν ὡς τοῦ οἰκονόμου, καὶ τοῦ ἄρχοντος, καὶ περὶ τῆς ὑγιείας ἰδεῖν, ἔστι δ᾽ ὡς οὔ, ἀλλὰ τοῦ ἰατροῦ· οὕτω καὶ περὶ τῶν χρημάτων, ἔστι μὲν ὡς τοῦ οἰκονόμου, ἔστι δ᾽ ὡς οὔ, ἀλλὰ τῆς ὑπηρετικῆς. (e)

§. 4. Maxime autem, quemadmodum dictum eſt prius, oportet natura hoc adeſſe. Naturæ namque officium eſt, quo alatur ei, quod procreatum eſt, *præbere.* (b) Omni enim ex quo naſcitur, alimentum eſt, quod reſtat. Quare ſecundum naturam, quæ domum inſtruit, omnibus eſt e fructibus telluris & animantibus.

§. 4. Μάλιστα δὲ, καθάπερ εἴρηται πρότερον, δεῖ φύσει τοῦτο ὑπάρχειν. Φύσεως γάρ ἐστιν ἔργον, τροφὴν τῷ γεννηθέντι παρέχειν. παντὶ γὰρ ἐξ οὗ γίνεται, τροφὴ τὸ λοιπόμενόν ἐστι. Διὸ κατὰ φύσιν ἐστὶν ἡ χρηματιστικὴ πᾶσιν, ἀπὸ τῶν καρπῶν, καὶ τῶν ζώων.

** **

§. 5. Cum autem, duplex ipſa ſit, ut diximus: & hæc quidem cauponaria, hæc autem propria rei familiaris: & cum hæc quidem neceſſaria ſit & laudata, commutativa autem jure vituperetur (non enim ortum habet a natura, ſed e ſemet ipſis quæſtum faciunt) meritiſſimo *fœneratoria ars* (c) odio habetur, quia ab ipſo numo fit quæſtus, & non ſervit, cui primo inventus eſt. Permutationis enim gratia extitit: fœnus autem ipſum copioſiorem facit. Unde & nomen hoc nactum eſt: ſimilia enim quæ pariuntur ſunt gignen-

** **

§. 5. Διπλῆς δ᾽ οὔσης, αὐτῆς (f) ὥσπερ, εἴπομεν, καὶ τῆς μὲν καπηλικῆς, τῆς δ᾽ οἰκονομικῆς· καὶ ταύτης μὲν, ἀναγκαίας καὶ ἐπαινουμένης, τῆς δὲ μεταβλητικῆς (g) ψεγομένης δικαίως· οὐ γὰρ κατὰ φύσιν, ἀλλ᾽ ἀπ᾽ ἀλλήλων ἐστίν· εὐλογώτατα μισεῖται ἡ ὀβολοστατικὴ, διὰ τὸ ἀπ᾽ αὐτοῦ τοῦ νομίσματος εἶναι τὴν κτῆσιν, καὶ οὐκ ἐφ᾽ ὅπερ ἐπορίσθη. Μεταβολῆς γὰρ ἐγένετο χάριν. ὁ δὲ τόκος αὐτὸ ποιεῖ πλέον· ὅθεν καὶ τo οὔνομα τοῦτ᾽ εἴληφεν. Ὅμοια γὰρ τὰ τικτόμενα τοῖς γεννῶσιν αὐτά ἐστιν· ὁ δὲ τόκος γίνεται νόμισματος

(a) *Ratio cogendæ*) Infinita propemodum ſunt exempla, feliciori ſæpe aureis, quam ferreis pugnari marte. Nec puto, naturali jure injuſtum eſſe, hoſtis, in quem omnia licent, ſubditorum fidem nummis corrumpere, quicquid etiam GROTIUS *lib. III. de J. B. & P. lib. III. c. I. §. §. 21. in contrarium opinetur.* vid. PUFFEND. *de J. N. & G. lib. VIII. c. VI. §. 15.* *GOEB.*

(b) *Præbere*) Hinc parentes naturæ jure obſtricti ſunt, prolem ſuam alere. GROT. *de J. B. & P. lib. II. c. VII. §. IV. l. 4. ff. de alendis liberis NOODT in Julio Paulo c. VIII.* Controverſia, quam hic cum Binckershuckio viro illuſtri habuit, non eſt hujus loci. *GOEB.*

(c) *Fœneratoria ars*) Si legibus non repugnat, odio non eſt habenda. GROT. *de J. B. & P. lib. II. c. XII. §. XX.* NOODT *de fœnore & uſuris.* *GOEB.*

(d) Ἀλλὰ δεῖ τοῦτο.) At vero nihil anteceſſit quo poſſis absque ſolœciſmo referre illud τοῦτο. Exciderunt igitur nonnulla verba. Sermo ſcil. eſt de eo quod in victum cedit. Ne quidem id vero vult Ariſtoteles, parari debere ab œconomico qua eſt talis, ſed a natura ſuppeditari. *CONR.*

(e) Τῆς ἀπηρετικῆς.) Caſaubonus exiſtimat ſcribendum: τῆς κέρδους ἀπηρετικῆς: at lectio vulgata eſt tolerabilis. Agitur enim περὶ ἀπηρετικῆς τοῦ οἰκονόμου. CONR.

(f) Διπλῆς δ᾽ οὔσης αὐτῆς.) At χρηματιστικὴ ſimpliciter quidem duplicis eſt naturæ; non vero illa quæ κατὰ φύσιν verſatur circa fruges & animantia. Non igitur hæc cum antecedentibus cohærent. Debuiſſet quoque jam definire, antequam de uſuraria fiat ſermo, χρηματιστικὴν illam, quæ circa victum parandum occupatur, utrum ſit οἰκονομικοῦ, quod tamen non eſt factum. Omnino itaque hic etiam nonnulla deſunt. Montecatinus ipſemet ad illa quæ paulo ante præceſſerunt διὸ κατὰ φύσιν, notat, *in multis hujus libri locis non agnoſcere ſeſe aureum illum ordinem ariſtotelicum.* Cauſa vero non eſt alia præter illos hiatus, quod vir illuſtris non obſervavit. Totus quoque hic locus ut ſuſpectus eſt a Caſaubono notatus; qui ea in re ſequutus eſt Zvvingerum. *CONR.*

(g) Τῆς δὲ μεταβλητικῆς.) Zvvingerus monet ſcribendum, καπηλικῆς: poteſt tamen tolerari illud μεταβλητικῆς, ſed fuerit paulo ante itidem vox hæc ſcribenda ἀντὶ τοῦ καπηλικῆς. *CONR.*

gignentibus ipſa. Fœnus autem eſt, cum paratur numo numus. Quare omnium quæſtuum hic eſt maxime præter naturam.

τος· ὥς τε (καὶ) μάλιςα παρὰ φύσιν ἔτος τῶν χρηματισμῶν ἐςιν.

§. 6. XI. Quia autem, quæ faciunt ad cognitionem, definivimus ſatis: quæ ad uſum pertinent, opus eſt percurrere. Cuncta autem hujuſcemodi contemplationem habent libero homine dignam, uſum vero neceſſarium.

§. 6. IX. Ἐπεὶ δὲ (τὰ) πρὸς τὴν γνῶσιν διωρίκαμεν ἱκανῶς, τὰ πρὸς τὴν χρῆσιν δεῖ διελθεῖν. πάντα δὲ τὰ τοιαῦτα, τὴν μὲν θεωρίαν ἐλεύθερον ἔχει, τὴν δ' ἐμπειρίαν ἀναγκαίαν.

§. 7. Sunt autem pecuniariæ partes utiles, rerum peritum eſſe, quales maximos fructus ferunt, & ubi, & quomodo: ceu equorum poſſeſſio qualis, vel boum, vel ovium: eodem pacto & reliquarum animantium. Oportet enim noſſe quæ horum inter ſe collatorum ſint maxime fructuoſa, & qualia qualibus in locis: alia namque in aliis regionibus vigent. Deinde de agricultura: & hac jam nuda, & arboribus conſita, nec non de mellificio, & aliis animantibus, degentibus in aquis, vel volucribus, e quibus licet capere aliquid adminiculi.

§. 7. Ἔςι δὲ χρηματιςικῆς μέρη (a) χρήσιμα, τὸ περὶ τὰ κτήματα ἔμπειρον εἶναι, ποῖα λυσιτελέςατα, καὶ πῶς· οἷον ἵππων κτῆσις ποία τις, ἢ βοῶν ἢ προβάτων, ὁμοίως δὲ καὶ τῶν λοιπῶν ζώων. δεῖ γὰρ ἔμπειρον εἶναι πρός ἄλληλά τε τέτων τίνα λυσιτελέςατα, καὶ ποῖα ἐν ποίοις τόποις· ἄλλα γὰρ ἐν ἄλλαις εὐθηνεῖ χώραις. εἶτα περὶ γεωργίας, καὶ ταύτης ἤδη ψιλῆς τε καὶ πεφυτευμένης, καὶ μελιττεργίας, καὶ τῶν ἄλλων ἢ πτηνῶν, ἀφ' ὅσων ἐςὶ τυγχάνειν βοηθείας.

§. 8. Maxime igitur propriæ pecuniariæ hæ ſunt partes, & primæ quidem. Commutativæ vero maximum eſt mercatura. (Atque hujus partes ſunt tres, naucleria, oneraria, paraſtaſis. Differunt autem harum partium aliæ ab aliis: quia hæ tutiores ſunt, hæ vero majorem fructum afferunt. Secundum autem fœnus. Tertium autem mercenaria. Hujus autem una eſt, quæ mercedem capit, colendo ſordidas artes: altera vero, quæ ex operibus vacuis ab arte & corpore ſolo adminiſtratis.

§. 8. Τῆς μὲν ἔν οἰκειοτάτης χρηματιςικῆς ταῦτα μόρια καὶ πρῶτα. Τῆς δὲ μεταβλητικῆς μέγιςον μὲν ἐμπορία· (καὶ ταύτης μέρη τρία, ναυκληρία, φορτηγία, παράςασις· διαφέρει δὲ τέτων ἕτερα ἑτέρων, τῷ τὰ μὲν ἀσφαλέςερα εἶναι, τὰ δὲ πλείω πορίζειν τὴν ἐπικαρπίαν·) Δεύτερον δὲ, τοκισμὸς, τρίτον δὲ μισθαρνία. ταύτης δ' ἡ μὲν, τῶν βαναύσων τεχνῶν· ἡ δὲ, τῶν ἀτέχνων καὶ τῷ σώματι μόνῳ χρησίμων.

§. 9. Tertia autem ſpecies pecuniariæ, in medio ſita eſt hujus & primæ. Habet enim in ſe & ejus, quæ natura conſtat, quandam partem, & illius, quæ in permutationibus verſatur: quæcunque e tellure, & e rebus, quæ e tellure, naſcuntur, infructuoſis quidem, veruntamen utilibus. Ceu quæ materiem cædit, & omnis ars, quæ fodit aliquid e terra. Hæc autem multa jam complexa eſt genera. Multæ namque ſpecies ſunt eorum quæ e viſceribus terræ eruuntur.

§. 9. Τρίτον δὲ εἶδος χρηματιςικῆς, (b) μεταξὺ ταύτης καὶ τῆς πρώτης. ἔχει γὰρ καὶ τῆς κατὰ φύσιν τι μέρος καὶ τῆς μεταβλητικῆς, ὅσα ἀπὸ γῆς καὶ τῶν ἀπὸ γῆς γινομένων, ἀκάρπων μὲν, χρησίμων δέ. Οἷον ὑλοτομία (c) τε καὶ πᾶσα μεταλλευτική. αὕτη δὲ πολλὰ ἤδη περιείληφε γένη. πολλὰ γὰρ εἴδη τῶν ἐκ γῆς μεταλλευομένων ἐςί.

§. 10. De unaquaque autem harum in univerſum quidem dictum eſt & nunc: ſingulas autem exquiſite tradere, prodeſſet quidem ad eas exercendas, oſtentationem tamen præ ſe ferret diutius in his commorari. Sunt autem maxime artificioſæ tractationes earum, in quibus minimam poteſtatem habet fortuna: ſordidiſſimæ autem, in quarum uſu corpora maxime depravantur: maxime autem ſerviles, ubi corporis plurimæ functiones: ignobiliſſimæ vero, ubi minimum requiritur virtutis.

§. 10. Περὶ ἑκάςε δὲ τέτων, καθόλε μὲν εἴρηται καὶ νῦν το δὲ κατὰ μέρος ἀκριβολογεῖσθαι, χρήσιμον μὲν πρὸς τὰς ἐργασίας, φορτικὸν δὲ τὸ ἐνδιατρίβειν. εἰσὶ δὲ τεχνικώταται μὲν τῶν ἐργασιῶν, ὅπε ἐλάχιςον (τῆς) τύχης· βαναυσόταται δὲ, ἐν αἷς τὰ σώματα λωβῶνται μάλιςα· δελικώταται δὲ, ὅπε τὰ σώματος πλεῖςαι χρήσεις· ἀγεννέςαται δὲ, ὅπε ἐλάχιςον προσδεῖ ἀρετῆς.

§. 11. Quia autem ſunt nonnullis prodita literis de his (ceu Chareti Pario, & Apollodoro Lemnio de cultu agrorum, & nudorum & arboribus conſitorum: eodem autem pacto & aliis de aliis rebus) hæc quidem ex eorum monumentis videantur, ab eo cui curæ ſunt. Adhuc autem, quæ dicta ſunt ſparſe opus eſt colligere, quorum ope nacti ſunt quidam quod expetivere, incum-

§. 11. Ἐπεὶ δὲ ἐςὶν ἐνίοις γεγραμμένα περὶ τέτων, οἷον Χάρητι δὴ τῷ Παρίῳ, καὶ Ἀπολλοδώρῳ τῷ Λημνίῳ, περὶ γεωργίας, καὶ ψιλῆς καὶ πεφυτευμένης· ὁμοίως δὲ καὶ ἄλλοις περὶ ἄλλων· ταῦτα μὲν ἐκ τέτων θεωρείτω, ἐπιμελὲς· ἔτι δὲ καὶ τὰ λεγόμενα σποράδην, δι' ὧν ἐπιτετυχήκασιν ἔνιοι χρηματιζόμενοι, δεῖ συλλέγειν. πάντα γὰρ

(a) Χρηματιςικῆς μέρη.) Videtur addendum οἰκειοτάτης aut οἰκονομικῆς: ad ſolam enim hanc iſthæc pertinent. CONR.

(b) Τρίτον δ' εἶδος χρηματιςικῆς.) Caſaubonus vult legendum τέταρτον. Sed fallitur. Revera enim tres ſunt ſpecies χρηματιςικῆς: prima ἡ οἰκειοτάτη, altera μεταβλητική, tertia quæ mediæ eſt naturæ. μεταβλητική vero iterum dividitur in tres ſpecies. CONR.

(c) Ἡ ὑλοτομία.) Caſaubonus ſcribit: ἡ λατομία. At vero hæc comprehendi poteſt ſub μεταλλευτικῇ. CONR.

Digitized by Google

bentes in rem quærendam. Cuncta namque hæc utilia ſunt in pretio habentibus pecuniariam.

γὰρ ὠφέλιμα ταῦτ᾽ ἐςὶ τοῖς τιμῶσι τὴν χρηματιςικήν.

§. 12. Ceu illud Thaletis Mileſii [hoc enim inventum quoddam eſt aptum ad conficiendam pecuniam: ſed illi adnectunt propter opinionem ſapientiæ: eſt autem quiddam univerſale.] Cum enim objicerent ipſi, pauperi homini, ſtudium ſapientiæ tanquam inutile: ajunt eum cognita futura ubertate olearum e ſcientia ſiderum, adhuc hyeme, cum facultatem nactus eſſet puſillæ pecuniæ, arrabonas dediſſe omnium torculariorum, quæ forent Mileti & in Chio, conductis illis exiguo pretio, quia nullus augeret mercedem. Poſtquam autem tempus venit, cum multi ſimul quærerent, ſubito locantem quomodo voluit, magna pecunia coacta, demonſtraſſe, proclive eſſe philoſophis diteſcere, ſi vellent: verum longe aliud eſſe, cui ſtuderent.

§. 12. Οἷον καὶ τὺ Θάλεω τῦ Μιλησίυ· τοῦτο γάρ ἐςι κατανόημά τι (c) χρηματιςικὸν, ἀλλ᾽ ἐκείνω μὲν διὰ τὴν σοφίαν πηοσάπτυσι, τυγχάνει δὲ καθόλυ τι ὄν ὀνειδιζόντων γὰρ αὐτῷ διὰ τὴν πενίαν, ὡς ἀνωφελῦς τῆς φιλοσοφίας ὔσης κατανοήσαντά φασιν αὐτὸν ἐλαιῶν φορὰν ἐσομένην ἐκ τῆς ἀςρολογίας, ἔτι χειμῶνος ὄτος, εὐπορήσαντα χρημάτων ὀλίγων, ἀῤῥαβῶνας δια δοῦναι τῶν ἐλαιυργίων, τῶν τ᾽ ἐν Μιλήτῳ καὶ Χίῳ πάντων, ὀλίγυ μισθωσάμενον, ἅτ᾽ ὐθενὸς ἐπιβάλλοντος· ἐπειδὴ δ᾽ ὁ καιρὸς ἧκε, πολλῶν ζητυμένων, ἅμα καὶ ἐξαίφνης ἐκμισθοῦντα ὃν τρόπον ἠβύλετο, πολὰ χρήματα συλλέξαντος, ἐπιδεῖξαι ὅτι ῥάδιόν ἐσι πλυτεῖν τοῖς φιλοσόφοις ἂν βύλωνται, ἀλλ᾽ ὐ τοῦτ᾽ ἔςι περὶ ὃ σπυδάζυσι.

§. 13. Thales igitur fertur hoc pacto ſpecimen dediſſe ſapientiæ. Eſt autem, ut diximus, univerſalis hæc via quærendi rem, ſi quis valuerit poteſtatem conſequi, ut ſolus aliquid vendat. Quare civitatum etiam ipſarum quædam hanc rationem ſequuntur, cum egent pecunia: monopolium enim rerum vendendarum inſtituunt.

§. 13. Θαλῆς μὲν οὖν λέγεται τῦτον τὸν τρόπον ἐπίδειξιν ποιήσαϑαι τῆς σοφίας· ἐςὶ δ᾽, ὥσπερ εἴπομεν καθόλυ τὸ τοιῦτον χρηματιςικὸν, ἐαν τις δύναται μονοπωλίαν αὐτῷ κατασκευάζειν. διὸ καὶ τῶν πόλεων ἔνιαι τῦ τον ποιοῦνται τὸν πόρον, ὅταν ἀπορῶσι χρημάτων. μονοπωλίαν γὰρ τῶν ὠνίων ποιῦσιν.

§. 14. In Sicilia autem quidem, depoſita apud eum pecunia, coëmit omne *ferrum ex officinis*: (a) poſtea cum e mercatibus mercatores veniſſent, vendebat ſolus non valde aucto pretio: & tamen e quinquaginta talentis recepit centum. Hoc igitur cum Dionyſius audiſſet, pecuniam ſane paſſus eſt exportare: non tamen voluit amplius Syracuſis manere, ut invenientem vias pecuniæ rebus ſuis detrimentoſas. Quod vidit igitur Thales, & hoc idem eſt. Ambo enim ſibi callido conſilio, ut ſolis ipſis liceret vendere, poteſtatem compararunt.

§. 14. Ἐν Σικελίᾳ δὲ τις, τεθέντος παρ᾽ αὐτῷ νομίσματος, συνεπρίατο πάντα τὸν σίδερον ἐκ τῶν σιδηρείων. κατὰ δὲ ταῦτα, ὡς ἀφικοντο ἐκ τῶν ἐμπορίων οἱ ἔμποροι, ἐπώλει μόνος, ὐ πολλὴν ποιήσας ὑπερβολὴν τῆς τιμῆς· ἀλλ᾽ ὅμως ἐπὶ τοῖς πεντήκοντα ταλάντοις ἐπέλαβεν ἑκατόν. τῦ το μὲν οὖν ὁ Διονύσιος αἰσθόμενος, τὰ μὲν χρήματα ἐκέλευσεν ἐκκομίσαϑαι μὴ μὲν τοι γ᾽ ἔτι μένειν ἐν Συρακύσαις, ὡς πόρυς εὑρίσκοντα τοῖς αὐτῦ πράγμασιν ἀσυμφόρυς. τὸ μὲν τοι ὅραμα Θάλεω (d) καὶ τύτῳ (e) ταὐτόν ἐςιν· ἀμφότεροι γὰρ ἑαυτοῖς ἐτέχνασαν γενέϑαι μονοπωλίαν.

§. 15. Prodeſt autem cognoſcere hæc etiam iis, qui verſantur in republica. Multis enim civitatibus opus eſt pecunia, & hujuſcemodi viis ipſius faciendæ, quemadmodum domui: magis autem. Quare nonnulli eorum qui dant operam reipublicæ, curant tantum hæc.

§. 15. Χρήσιμον δὲ γνωρίζειν ταῦτα καὶ τοῖς πολιτικοῖς· πολλαῖς γὰρ πόλεσι δεῖ χρηματισμοῦ, καὶ τοιύτων πόρων, ὥσπερ οἰκίᾳ· μᾶλλον δὲ. διόπερ τινὲς καὶ πολιτεύονται τῶν πολιτευομένων ταῦτα μόνον.

# CAPUT IIX.

§. 1.

XII. Quia autem tres partes ſunt diſciplinæ domeſticæ: una quidem *herilis* (b) de qua dictum eſt prius: altera autem paterna: tertia vero nuptialis.

§. 1.

Ἐπεὶ δὲ τρία (μέρη) τῆς οἰκονομικῆς ἦν, ἓν μὲν δεσποτικὴ, περὶ ἧς εἴρηται πρότερον. ἓν δὲ, πατρικὴ· τρίτον δὲ, γαμικὴ.

§. 2. ** Etenim uxori præeſt & liberis, ut liberis quidem ambobus: non eodem tamen genere im-

§. 2. ** Καὶ γὰρ γυναικὸς (f) ἄρχειν καὶ τέκνων, ὡς ἐλευθέρων μὲν ἀμφοῖν, ὐ τὸν αὐτὸν δὲ

(a) *Ferrum ex officinis*) Calliditas bona eſt, ſi nullius juri quæſito inde nocetur. Hinc nota eſt diſtinctio inter dolum bonum & malum. *l. 1. ff. de dolo malo. GROT. de J. B. & P. Lib. III. c. 1. §. VII. GOEB.*

(b) *Herilis*) ARNISÆVS *in relect. politic. c. 1. ſect. VII. ſeqq. GOEB.*

(c) Ἐςὶ βαζανόημά τι.) Heinſius obſervat hic tranſpoſitionem, pro eo quod dicendum erat: τῦτο γάρ ἐςὶ καζανόημά τι χρηματιςικὸν. τυγχάνει δὲ καθόλυ τι ὄν, ἀλλ᾽ ἐκείνω μὲν διὰ τὴν σοφίαν προσάπτυσι. At, ita ſcripſiſſe Ariſtotelem, nec ipſe dixerit. *CONR.*

(d) Ὄραμα Θάλεω.) Camerarius monet, ſcribendum forte εὕρημα. At ὅραμα æque commodum eſt. *CONR.*

(e) Καὶ τύτῳ.) Caſaubonus ſcribit τῦτο: & legit ita Montecatinus. Utrumque autem tolerabile eſt. *CONR.*

(f) Καὶ γὰρ γυναικὸς.) Nulla hic eſt connexio. Quin imo videntur heic non pauca deſiderari. Hactenus enim Ariſtoteles diſſeruit tantum de una parte τῆς οἰκονομικῆς: ſuperſunt autem duæ integræ: quæ indubie itidem exigunt curam prolixiorem, quam eſt ea, quæ heic eſt adhibita. *CONR.*



Digitized by Google

imperii, ſed uxori quidem *civiliter*, (*a*) filiis autem regie. Mas enim quam femina natura magis aptum ad regendum, niſi aliquid extiterit præter naturam: & ſenior ac perfectam juniore & imperfecto.

δὲ τρόπον τῆς ἀρχῆς, ἀλλὰ γυναικὸς μὲν πολιτικῶς, τέκνων δὲ βασιλικῶς. τό τε γὰρ ἄῤῥεν φύσει τοῦ θήλεος ἡγεμονικώτερον· εἰ μή που συνέστηκε παρὰ φύσιν· καὶ τὸ Πρεσβύτερον καὶ τέλειον, τοῦ νεωτέρου καὶ ἀτελοῦς.

§. 3. In aliis igitur civilibus imperiis plurimis mutatur quod regit, & quod paret. Par enim & quod paret. Par enim & æqualis natura civium eſſe debet, & nihil inter ſe diſcrepare. Verumtamen quando hæc quidem regit hæc autem obtemperat, ſtudet diſcriminis aliquid exiſtere, & figuris, & oratione, & honoribus: quemadmodum Amaſis expoſuit fabellam de pelui. Mas autem ſemper ad feminam hoc modo ſe habet.

§. 3. Ἐν μὲν οὖν ταῖς πολιτικαῖς ἀρχαῖς ταῖς πλείσταις μεταβάλλει τὸ ἄρχον καὶ τὸ ἀρχόμενον· ἐξ ἴσου γὰρ εἶναι βούλεται τὴν φύσιν, καὶ διαφέρειν μηθέν. ὅμως δὲ, ὅταν τὸ μὲν ἄρχῃ τὸ δὲ ἄρχηται, ζητεῖ διαφορὰν εἶναι καὶ σχήμασι καὶ λόγοις, καὶ τιμαῖς. ὥσπερ καὶ Ἄμασις εἶπε τὸν περὶ τοῦ ποδανιπτῆρος λόγον τὸ δ᾽ ἄῤῥεν ἀεὶ πρὸς τὸ θῆλυ τοῦτον ἔχει τὸν τρόπον.

§. 4. Imperium autem filiorum, regium eſt. Quod enim procreavit, & amicitia imperans eſt & ſenectute: quæ ſane ſpecies eſt imperii regii. Quare recte Homerus Jovem appellavit, his verbis,

-- *pater hominum & deorum:*

** regem horum omnium. Natura enim regem diſcrepare decet: genere autem eundem eſſe. Quod ſane in ſe habet ſenior erga juniorem, & qui procreavit erga natum ex ſe.

** **

§. 4. Ἡ δὲ τῶν τέκνων ἀρχὴ, βασιλική. τὸ γὰρ γεννῆσαν, καὶ κατὰ φιλίαν ἄρχον, καὶ κατὰ πρεσβείαν ἐστίν. ὅπερ ἐστὶ βασιλικῆς εἶδος ἀρχῆς. διὸ καλῶς Ὅμηρος τὸν Δία προσηγόρευσεν εἰπών.

πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε,

** τὸν βασιλέα τούτων (*c*) ἁπάντων. Φύσει γὰρ τὸν βασιλέα διαφέρειν μὲν δεῖ, τῷ γένει δ᾽ εἶναι τὸν αὐτόν. ὅπερ πέπονθε τὸ πρεσβύτερον πρὸς τὸ νεώτερον, καὶ ὁ γεννήσας πρὸς τὸ τέκνον.

** **

§. 5. XIII. Perſpicuum igitur, majus ſtudium poni debere a diſciplina domeſtica in hominibus excolendis, quam in rerum inanimarum conquiſitione: & in virtute horum, quam rerum poſſeſſarum, quas vocamus divitias: & liberorum hominum, magis quam ſervorum.

** **

§. 5. Φανερὸν τοίνυν (*d*) ὅτι πλείων ἡ σπουδὴ τῆς οἰκονομίας περὶ τοὺς ἀνθρώπους, ἢ περὶ τὴς τῶν ἀψύχων κτῆσιν, καὶ περὶ τὴν ἀρετὴν τούτων, ἢ περὶ (τὴν) τῆς κτήσεως, ὃν καλοῦμεν πλοῦτον καὶ τῶν ἐλευθέρων μᾶλλον ἢ δούλων.

** **

Primum igitur de ſervis ambigat aliquis, utrum ſit virtus aliqua ſervi præter inſtrumentales & adminiſtratrices alia, majore honore digna, quam hæ: ceu temperantia, & fortitudo, & juſtitia, & quiſpiam aliorum hujuſcemodi habituum: ſive non eſt ulla, præter miniſteria corporis. Utrinque enim continet in ſe dubitationem. Si qua enim eſt, quid diſcrepabunt a liberis,? Si non eſt, cum ſint homines & participes rationis, abſurdum hoc.

Πρῶτον μὲν οὖν (*e*) περὶ δούλων ἀπορήσειεν ἄν τις, πότερόν ἐστιν ἀρετή τις δούλου παρὰ τὰς ὀργανικὰς καὶ διακονικὰς ἄλλη τιμιωτέρα τούτων, οἷον σωφροσύνη, καὶ ἀνδρία, καὶ δικαιοσύνη, καὶ τῶν ἄλλων τῶν τοιούτων ἕξεων, ἢ οὐκ ἔστιν οὐδεμία παρὰ τὰς σωματικὰς ὑπηρεσίας. ἔχει γὰρ ἀπορίαν ἀμφοτέρως. εἴτε γὰρ ἔστι, τί διοίσουσι τῶν ἐλευθέρων, εἴτε μή ἐστιν, ὄντων ἀνθρώπων καὶ λόγου κοινωνούντων,, ἄτοπον.

§. 6. Ferme autem eadem quæſtio eſt & de muliere & de puero, utrum & horum ſint virtutes: & requiratur mulierem eſſe *temperantem*, (*b*) & fortem, & juſtam: & puer itidem intemperans ſit ac temperans, an non.

§. 6. Σχεδὸν δὲ ταὐτόν ἐστι τὸ ζητούμενον καὶ περὶ γυναικὸς καὶ παιδὸς, πότερα καὶ τούτων εἰσὶν ἀρεταὶ, καὶ δεῖ τὴν γυναῖκα εἶναι σώφρονα, καὶ ἀνδρείαν, καὶ δικαίαν· καὶ παῖς ἐστιν ἀκόλαστος καὶ σώφρων, ἢ οὔ;

§. 7. Et in univerſum jam hoc eſt animadvertendum de eo, qui imperat, utrum eadem virtus ſit, vel diverſa? Si namque decet ambos participes eſſe perfectæ virtutis, cur hunc quidem opus ſit imperare, hunc vero perpetuo parere?

§. 7. Καὶ καθόλου δὴ τοῦτ᾽ ἔστιν ἐπισκεπτέον περὶ ἀρχομένου φύσει καὶ ἄρχοντος, πότερον ἡ αὐτὴ ἀρετὴ, ἢ ἑτέρα; εἰ μὲν γὰρ δεῖ ἀμφοτέρους μετέχειν καλοκἀγαθίας, διὰ τί τὸν μὲν ἄρχειν δέοι ἂν, τὸν δὲ ἄρχεσθαι καθάπαξ;

§. 8. Neque enim dici poteſt, ut majoris & minoris ratione inter ſe diſcrepent. Parere enim & imperare differunt inter ſe ſpecie: magis autem & minus, nihil. Si autem hunc quidem opor-

§. 8. Οὐδὲ γὰρ τῷ μᾶλλον καὶ ἧττον οἷόν τε διαφέρειν. τὸ μὲν γὰρ ἄρχεσθαι καὶ ἄρχειν, εἴδει διαφέρει· τὸ δὲ μᾶλλον καὶ ἧττον, οὐδέν. εἰ δὲ τὸν μὲν δεῖ, τὸν δὲ μὴ, θαυμαστὸν, εἴτε γὰρ ὁ ἄρχων μὴ

(*a*) *Civiliter*) Moderatum tam apud Græcos, quam Romanos mariti in uxorem fuit imperium l. 4. ff. *de his, qui ſui vel alieni juris ſunt*. Jus autem patriæ poteſtatis, quod Quirites Solonis legem ſequentes habebant, rigidum admodum erat, a Conſtantino aut forte ante eum correctum SIMPLICII *comm. in Epictetum. Div. Chryſoſt. orat.* 14. *l. ult. C. de patria poteſtate.* GOEB.

(*b*) *temperantem*) Optandum, ut penes nos adhuc corrumpere & corrumpi non vocaretur ſeculum, per fortem mulierem hic illam haud dubie intelliget, quæ in adverſa, fortuna animum non linquit, ſed marito ſolatio eſt, juſtitiæ in omni ſocietate maximus eſt uſus. *GOEB.*

(*c*) Τὸν βασιλέα τούτων.) Non cohæret cum antecedentibus. Saltim igitur aliquot voculæ exciderunt. *CONR.*

(*d*) Φανερὸν τοίνον.) Ex præcedentibus vero nequaquam hoc eſt manifeſtum: ut recte notat Montecatinus. Non eſt etiam manifeſtum ex ſequentibus, quod ipſe vult. Imo vero, nulla eſt cum prioribus connexio, ſed etiam hic multa deſiderantur. *CONR.*

(*e*) Πρῶτον μὲν οὖν.) Iterum nulla eſt connexio. Nec pauca forte deſunt. *CONR.*

Digitized by Google

oportet, hunc vero minime, dignum admiratione eſt. Si namque qui imperat, non erit *temperans* (*a*) neque *juſtus*, (*b*) quomodo recte imperabit? intemperans enim & formidoloſus nihil efficiet eorum, quæ ipſum decent.

§. 9. Perſpicuum igitur, neceſſe eſſe, ambos participes virtutis eſſe: hujus autem exiſtere diſcrimina, quemadmodum & eorum quæ natura parent.

§. 10. Et hoc ſtatim circa animum inceptum eſt. In hac enim eſt natura quiddam quod imperat, quiddam vero quod paret. Quorum diverſam affirmamus eſſe virtutem: ceu ejus, quod rationem in ſe habet: & ejus, quod expers eſt rationis.

§. 11. Planum igitur eodem pacto ſe rem habere in aliis.

§. 12. Quapropter natura plura quæ imperant, & quæ parent. Alio enim modo liber imperat ſervo, & alio mas feminæ, & alio vir puero: & omnibus inſunt partes animi, verum inſunt diverſo modo. Servus enim omnino non habet partem, qua conſulatur: fæmina autem habet ſane, ſed minime *ratam*: (*c*) puer vero habet quidem. ſed imperfectam.

§. 13. Eodem igitur pacto neceſſe eſt ſe habere & circa virtutes morales: exiſtimandum oportere quidem participes earum omnes eſſe, ſed non eodem modo, ſed quantum unicuique ſatis eſt ad ſuum opus. Quare imperium habentem perfectam habere oportet virtutem moralem. [Opus namque ſimpliciter eſt architecti: ratio autem eſt architectus] aliorum vero unumquodque, quantum contingit ipſi.

§. 14. Quapropter perſpicuum, eſt, virtutem moralem eſſe eorum omnium, qui dicti ſunt: & non eandem temperantiam mulieris ac viri, neque fortitudinem atque juſtitiam, quemadmodum arbitrabatur Socrates: verum hæc quidem fortitudo apta imperando, hæc vero miniſtrando: eodem pacto ſe res habet & circa alias.

§. 15. Planum autem hoc & ſingulatim magis conſiderantibus. Qui enim univerſe loquuntur decipiunt ſemetipſos, ceu bene ſe habere animum virtutem eſſe, vel recte agere, vel aliquid hujuſcemodi. Multo enim melius dicunt, qui virtutes enumerant, ut Gorgias, quam qui ſic definiunt.

§. 16. Quare oportet, quemadmodum poëta de muliere dixit, ſic exiſtimare de omnibus:

*Mulieri decus ſilentium* (*d*) *affert*,

ſed virum non amplius *hoc ornat*. (*e*)

§. 17. Quia autem puer eſt imperfectus, planum hujus quidem etiam virtutem non eſſe ipſius ad ſemetipſum, ſed ad finem, & eum qui du-

μὴ ἔσαι σώφρων καὶ δίκαιος, πῶς ἄρξει καλῶς; εἴθ᾽ ὁ ἀρχόμενος, πῶς ἀρχθήσεται καλῶς; ἀκόλαστος γὰρ ὢν καὶ δειλὸς, οὐθὲν ποιήσει τῶν προσηκόντων.

§. 9. Φανερὸν τοίνυν, ὅτι ἀνάγκη μὲν μετέχειν ἀμφοτέρους ἀρετῆς, ταύτης δ᾽ εἶναι διαφορὰς, ὥσπερ καὶ τῶν φύσει ἀρχομένων.

§. 10. Καὶ τοῦτο εὐθὺς ὑφήγηται περὶ τὴν ψυχήν· ἐν ταύτῃ γάρ ἐστι φύσει, τὸ μὲν ἄρχον, τὸ δὲ ἀρχόμενον· ὧν ἑτέραν φαμὲν εἶναι ἀρετὴν, οἷον τοῦ λόγον ἔχοντος, καὶ τοῦ ἀλόγου.

§. 11. Δῆλον τοίνυν ὅτι τὸν αὐτὸν τρόπο ἔχει καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων.

§. 12. Ὥστε φύσει τὰ πλείω ἄρχοντα καὶ ἀρχόμενα. ἄλλον γὰρ τρόπον τὸ ἐλεύθερον τοῦ δούλου ἄρχει, καὶ τὸ ἄῤῥεν τοῦ θήλεος, καὶ ἀνὴρ παιδός. καὶ πᾶσιν ἐνυπάρχει μὲν τὰ μόρια τῆς ψυχῆς, ἀλλ᾽ ἐνυπάρχει διαφερόντως. ὁ μὲν γὰρ δοῦλος ὅλως οὐκ ἔχει τὸ βουλευτικόν· τὸ δὲ θῆλυ ἔχει μὲν ἀλλ᾽ ἄκυρον· ὁ δὲ παῖς ἔχει μὲν, ἀλλ᾽ ἀτελές.

§. 13. Ὁμοίως τοίνυν ἀναγκαῖον ἔχειν καὶ περὶ τὰς ἠθικὰς ἀρετὰς ὑποληπτέον. δεῖν μὲν μετέχειν πάντας, ἀλλ᾽ οὐ τὸν αὐτὸν τρόπον, ἀλλ᾽ ὅσον ἑκάστῳ πρὸς τὸ αὑτοῦ ἔργον. διὸ τὸν μὲν ἄρχοντα τελείαν ἔχειν δεῖ τὴν ἠθικὴν ἀρετήν· τὸ γὰρ ἔργον ἐστὶν ἁπλῶς τοῦ ἀρχιτέκτονος, ὁ δὲ λόγος ἀρχιτέκτων· τῶν δ᾽ ἄλλων ἕκαστον, ὅσον ἐπιβάλλει αὐτοῖς.

§. 14. Ὥστε φανερὸν, ὅτι ἐστὶν ἠθικὴ ἀρετὴ τῶν εἰρημένων πάντων, καὶ οὐχ ἡ αὐτὴ σωφροσύνη γυναικὸς, καὶ ἀνδρὸς· οὐδ᾽ ἀνδρία, καὶ δικαιοσύνη, καθάπερ ᾤετο Σωκράτης· ἀλλ᾽ ἡ μὲν ἀρχικὴ ἀνδρία, ἡ δ᾽ ὑπηρετική. ὁμοίως δ᾽ ἔχει καὶ περὶ τὰς ἄλλας.

§. 15. Δῆλον δὲ τοῦτο καὶ κατὰ μέρος μᾶλλον ἐπισκοποῦσι· καθόλου γὰρ οἱ λέγοντες ἐξαπατῶσιν ἑαυτοὺς, ὅτι τὸ εὖ ἔχειν τὴν ψυχὴν, ἀρετὴ, ἢ τὸ ὀρθοπραγεῖν, ἤ τι τῶν τοιούτων. πολὺ γὰρ ἄμεινον λέγουσιν οἱ ἐξαριθμοῦντες τὰς ἀρετὰς, ὥσπερ Γοργίας, τῶν οὕτως ὁριζομένων.

§. 16. Διὸ δεῖ, ὥσπερ ὁ ποιητὴς εἴρηκε περὶ γυναικὸς, οὕτω νομίζειν ἔχειν περὶ πάντων·

γυναικὶ κόσμον ἡ σιγὴ φέρει.

ἀλλ᾽ ἀνδρὶ οὐκέτι τοῦτο.

§. 17. Ἐπεὶ δ᾽ ὁ παῖς ἀτελὴς, δῆλον ὅτι τούτου μὲν καὶ ἡ ἀρετὴ οὐκ αὐτοῦ πρὸς αὐτόν ἐστιν, ἀλλὰ πρὸς τὸν τέλειον, (*f*) καὶ τὸν ἡγούμενον· ὁμοίως δὲ

(*a*) *Temperans*) Intemperanter enim obbruteſcunt, & impoſſibile eſt talem homines, qui ob alicujus voluntatis ſive paſſionis primariæ dominatum ſæpe ferocire ſolent, regere poſſe; niſi regat per alios, ut aliquando fieri ſolet. *GOEB.*

(*b*) *Juſtus*) Non male Auguſtinus: regna ſine juſtitia magna ſunt latrocinia. Alias non ignoro, alias eſſe virtutes rectorias, alias homileticas, *GOEB.*

(*c*) *Ratam*) PICCART. *p.* 159. *lib. I. c. XIII.* *GOEB.*

(*d*) *Silentium*) Rara in muliere virtus eſt ſilentium; plerumque enim nimiæ ambitioni, voluptate mixtæ, indulgent, quæ a taciturnitate ſolet eſſe aliena. Et ſic quo rarius, eo carius eſt beneficium mulier. PICCART. *p.* 157. *Pulcherrima eſt res fæmina taciturnitas, & mos modeſtus, & quies intra laborem.* EURIP. Maximum in viro reipublicæ curandæ operam navanti ſilentium eſt. Non male illud prudentiæ. *GOEB.*

(*e*) *Hoc ornat*) *L'homme de cour de Gracian. max. III. GOEB.*

(*f*) Τὸν τέλειον.) Scribendum videtur τὸ τέλειον: aut potius τὸ τέλος, ut Vetus interpres legit, & hodieque teſte Victorio legitur in non nullis exemplaribus, & cum ipſi Victorio tum Caſaubono probatur. *CONR.*

ducit: & ſimiliter ſervi ad herum. Poſuimus autem ad res neceſſarias utilem eſſe ſervum. Quare apertum eſt, ipſum egere puſilla virtute, & tali ſolum, ut neque propter intemperantiam, neque propter timiditatem deficiat ab *operibus ſuis.* (*a*)

δὲ καὶ δούλου πρὸς δεσπότην. ἔθεμεν δὲ πρὸς τἀναγκαῖα, χρήσιμον εἶναι τὸν δοῦλον. ὥστε ͅ ͅλον ὅτι καὶ ἀρετῆς δεῖται μικρᾶς, καὶ τοσαύ ͅς ὅπως μήτε δι᾽ ἀκολασίαν, μήτε διὰ δειλίαν ἐλλείψῃ τῶν ἔργων.

§. 18. Ambigeret autem aliquis, ſi quod modo dictum eſt, verum eſt, nunquid & opifices oportebit virtutem habere. Sæpe namque propter intemperantiam deficiunt ab operibus ſuis. An plurimum hoc intereſt? Servus namque ſocius eſt vitæ: hic autem remotior, & tantum cadit in illum virtutis, quantum ſervitutis. Artifex enim tenuis, definitam quandam habet ſervitutem. Et ſervus quidem natura conſtat, ſutor autem nullus, neque aliorum quiſpiam opificum.

§. 18. Απορησειε δ᾽ ἂν τις, τὸ νῦν εἰρημένον εἰ ἀληθὲς, ἆρα καὶ τοὺς τεχνίτας δεήσει ἔχειν ἀρετήν· πολλάκις γὰρ δι᾽ ἀκολασίαν ἐλλείπουσι τῶν ἔργων, ἢ διαφέρει τούτων πλεῖστον; ὁ μὲν γὰρ δοῦλος, κοινωνὸς ζωῆς· ὁ δὲ, πο῾ῤῥώτερον, καὶ τοσοῦτον ἐπιβάλλει ἀρετῆς, ὅσονπερ καὶ δουλείας. ὁ γὰρ βάναυσος τεχνίτης, ἀφωρισμένην τινὰ ἔχει δουλείαν· καὶ ὁ μὲν δοῦλος, τῶν φύσει· σκυτοτόμος δ᾽ οὐθεὶς, οὐδὲ τῶν ἄλλων τεχνιτῶν.

** ** ** **

§. 19. Perſpicuum igitur hujuſcemodi virtutis oportere cauſam eſſe ſervo herum: non eum, qui teneat herilem rationem erudiendi ſervum in operibus ſuis.

§. 19. Φανερὸν τοίνυν (*b*) ὅτι τῆς τοιαύτης ἀρετῆς αἴτιον εἶναι δεῖ τῷ δούλῳ τὸν δεσπότην, ἀλλ᾽ οὐ τὴν διδασκαλικὴν ἔχοντα τῶν ἔργων δεσποτικήν.

§. 20.** Quare non recte dicunt, qui ratione ſervos ſpoliant, & affirmant utendum eſſe cum illis tantum quaſi edictls. monere namque oportet magis ſervos, quam filios.

§. 20. ** Διὸ λέγουσιν (*c*) οὐ καλῶς οἱ λόγου τοὺς δούλους ἀποστεροῦντες, καὶ φάσκοντες ἐπιτάξει χρῆσθαι μόνον· νουθετητέον γὰρ μᾶλλον τοὺς δούλους ἢ τοὺς παῖδας.

§. 21. Verum de his definitum ſit hoc modo. De viro autem & uxore, & filiis & patre, virtuteque ſingulorum ipſorum, & conſuetudine officioque inter ipſos, quid recte & non recte fiat: & quomodo oportet quod bene ſe habet ſequi, quod male fugere, in his, quæ faciunt ad rationem regendarum civitatum: neceſſe eſt percurrere. Quia enim domus quidem omnis pars eſt civitatis, hæc autem domus: virtutem autem partis ad virtutem totius opus eſt reſpicere: neceſſe eſt ad remp. reſpicientes erudire & filios & feminas: ſi quidem intereſt aliquid, ut civitas ſtudioſa ſit, & filios ſtudioſos eſſe & feminas. Neceſſe autem eſt intereſſe: feminæ namque dimidia pars liberorum ſunt: e filiis autem participes fiunt reipublicæ.

§. 21. Ἀλλὰ περὶ μὲν τούτων (*d*) διωρίσθω τοῦτον τὸν τρόπον. περὶ δὲ γυναικὸς καὶ ἀνδρὸς, καὶ τέκνων καὶ πατρὸς, τῆς τε περὶ ἕκαστον αὐτῶν ἀρετῆς, καὶ τῆς πρὸς σφᾶς αὐτοὺς ὁμιλίας, τί τὸ καλῶς καὶ μὴ καλῶς ἐστι, καὶ πῶς δεῖ τὸ μὲν εὖ διώκειν, τὸ δὲ κακῶς φεύγειν, ἐν τοῖς περὶ τὰς πολιτείας ἀναγκαῖον ἐπελθεῖν. (*e*) ἐπεὶ γὰρ οἰκία μὲν πᾶσα μέρος πόλεως, ταῦτα δ᾽ οἰκίας, τὴν δὲ τοῦ μέρους πρὸς τὴν τοῦ ὅλου δεῖ βλέπειν ἀρετὴν ἀναγκαῖον πρὸς τὴν πολιτείαν βλέποντας, (*f*) παιδεύειν καὶ τοὺς παῖδας καὶ τὰς γυναῖκας. εἴπερ τι διαφέρει πρὸς τὸ τὴν πόλιν εἶναι σπουδαίαν, καὶ τοὺς παῖδας εἶναι σπουδαίους, καὶ τὰς γυναῖκας σπουδαίας ἀναγκαῖον δὲ διαφέρειν· αἱ μὲν γὰρ γυναῖκες, ἥμισυ μέρος τῶν ἐλευθέρων· ἐκ δὲ τῶν παίδων οἱ κοινωνοὶ γίνονται τῆς πολιτείας.

§. 22. Quare quia de his quidem definitum eſt, de cæteris autem in aliis dicendum eſt: dimiſſis, ut finem nactis, præſentibus diſputationibus, alio principio ſumpto, dicamus: & primum conſideremus de his, qui de optima republ. quid ſentirent, enuntiarunt.

§. 22. Ὥστ᾽, ἐπεὶ περὶ μὲν τούτων διώρισται, περὶ δὲ τῶν λοιπῶν ἐν ἄλλοις λεκτέον, ἀφέντες ὡς τέλος ἔχοντας τοὺς νῦν λόγους, ἄλλην ἀρχὴν ποιησάμενοι, λέγωμεν· καὶ πρῶτον ἐπισκεψώμεθα περὶ τῶν ἀποφηναμένων περὶ τῆς πολιτείας τῆς ἀρίστης.

ARI-

(*a*) *Operibus ſuis*) PICCARTUS *p.* 157. FELDEN. *p.* 97. *GOEB.*

(*b*) Φανερὸν τοίνυν.) Nulla eſt connexio. *CONR.*

(*c*) Διὸ λέγουσιν.) Etiam hic non obſcure patet hiatus. *CONR.*

(*d*) Περὶ μὲν τούτων.) Vetus interpres legit δούλων: idque videtur rectius, de ſolis enim ſervis actum eſt. Caſaubonus quoque mox ſcribit: διορίσθω τὸν τρόπον τοῦτον. Περὶ δ᾽ ἀνδρὸς καὶ γυναικός. non male. *CONR.*

(*e*) Ἀναγκαῖον ἐπελθεῖν.) Caſaubonus ſcribit; διελθεῖν. *CONR.*

(*f*) Βλέποντας. Recte Caſaubonis βλέποντα. *CONR.*

ARI-

Digitized by Google

# ARISTOTELIS POLITICORUM LIBER II. (a)

# ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ ΠΟΛΙΤΙΚΩΝ ΤΟ Β.

## CAPUT I.

§. 1.

I. Quia autem ſtatuimus videre de communione civili, quæ optima eſt omnium, illis, quibus licet vivere, quam maxime fieri poteſt, ex ſententia: opus eſt & alias conſiderare reſpublicas, quibusque utuntur quædam civitates, quæ bonis legibus ornatæ feruntur: & ſi quæ aliæ ab aliquibus literis proditæ ſunt, quæ putantur belle ſe habere: ut quod recte ſe habet aſpiciatur, & quod ad uſum referri poteſt: adhuc autem, ne quærere aliquid præter ipſas diverſum, videatur penitus eſſe hominum, qui cavillari velint: ſed quia non recte ſe habent hæ, quæ nunc ſunt, ob hoc putemur propoſuiſſe nobis hanc ſcriptionem.

§. 1.

Ἐπεὶ δὲ προαιρέμεθα θεωρῆσαι περὶ τῆς κοινωνίας τῆς πολιτικῆς, ἡ κρατίςη πασῶν τοῖς δυναμένοις ζῆν ὅτι μάλιςα κατ᾽ εὐχὴν, δεῖ καὶ τὰς ἄλλας ἐπισκέψαθαι πολιτείας, αἷς τε χρῶνταί τινες τῶν πόλεων τῶν εὐνομεῖθαι λεγομένων· κἂν εἴ τινες ἕτεραι τυγχάνωσιν ὑπό τινῶν εἰρημέναι, καὶ δοκᾶσαι καλῶς ἔχειν, ἵνα τότ᾽ ὀρθῶς ἔχον ὀφθῇ, καὶ τὸ χρήσιμον· ἔτι δὲ (d) τὸ ζητεῖν τι παῤ αὐτὰς ἕτερον, μὴ δοκῇ πάντως εἶναι σοφίζεθαι βαλομένων, ἀλλὰ διὰ τὸ μὴ καλῶς ἔχειν ταύτας τὰς νῦν ὑπαρχάσας, διὰ τῦτο ταύτην δοκῶμεν ἐπιβαλέθαι τὴν μέθοδον.

§. 2. Initium autem primnm ſumendum eſt, quod ſane natura initium eſt hujus animadverſionis. Neceſſe namque eſt ſive omnes cives omnium particeps eſſe, ſive nullius: ſive quorundam autem minime. Nullius quidem eſſe participes, perſpicuum eſt non poſſe fieri. Reſp. enim communio quædam eſt, & primum neceſſe eſt participare loco. Locus enim unus eſt unius *civitatis*: (b) cives autem participes unius civitatis.

§. 2. Ἀρχὴν δὲ πρῶτον ποιητέον, ἥπερ πέφυκεν ἀρχὴ ταύτης τῆς σκέψεως. ἀνάγκη γὰρ ἤτοι πάντας πάντων κοινωνεῖν τὰς πολίτας, ἢ μηδενός· ἢ τινῶν μὲν, τινῶν δὲ μή. τὸ μὲν οὖν μηδενὸς κοινωνεῖν, φανερὸν ὡς ἀδύνατον· ἡ γὰρ πολιτεία, κοινωνία τίς ἐςι. καὶ πρῶτον ἀνάγκη τᾶ τόπα κοινωνεῖν. ὁ μὲν γὰρ τόπος, ἰσότης μιᾶς πόλεως. (e) οἱ δὲ πολῖται, κοινωνοὶ τῆς μιᾶς πόλεως.

§. 3. Sed utrum, quorumcunque contingit participes fieri, omnibus præſtat participare civitatem, quæ debet bene conſtitui: vel quibusdam ſane, quibusdam vero minime præſtat? Contingit enim & liberis, & uxoribus, & bonis communicare cives inter ſe: quemadmodum in Rep. Platonis. Illic enim Socrates affirmat oportere communes liberos eſſe, & uxores, bona. Hoc autem utrum, ut nunc fit, ſic melius ſe habere, ſive ſecundum legem in ea rep. ſcriptam?

§. 3. Ἀλλὰ πότερον ὅσων ἐνδέχεται κοινωνῆσαι, πάντων βέλτιον κοινωνεῖν τὴν μέλλασαν οἰκήσεθαι πόλιν καλῶς, ἢ τινῶν μὲν, τινῶν δ᾽ ἃ βέλτιον; ἐνδέχεται γὰρ καὶ τέκνων, καὶ γυναικῶν, καὶ κτημάτων κοινωνεῖν τὰς πολίτας ἀλλήλοις, ὥσπερ ἐν τῇ πολιτείᾳ τᾶ Πλάτωνος. ἐκεῖ γὰρ ὁ Σωκράτης φησὶ, δεῖν κοινὰ τὰ τέκνα καὶ τὰς γυναῖκας εἶναι, καὶ τὰς κτήσεις. τᾶτο δὴ πότερον ὡς νῦν ᾶτω βέλτιον ἔχειν, ἢ κατὰ τὸν ἐν τῇ πολιτείᾳ γεγραμμένον νόμον; (f)

§. 4. II. Continet autem in ſe moleſtias & *alias multas*, (c) eſſe omnium uxores communes: & propter quam cauſam affirmat Socrates lege inſtitui hoc debere, non perſpicitur uſu venire e rationibus. Præterea ad finem, quem ait oportere civitati adeſſe, ut nunc quidem dictum eſt, fieri non poteſt. Quomodo autem opus eſt dividere, non eſt definitum.

§. 14. II. Ἔχει δὲ δυχερείας ἄλλας τε πολλὰς τὸ πάντων εἶναι τὰς γυναῖκας, κοινὰς, καὶ δι᾽ τὴν αἰτίαν φησὶ δεῖν νενομοθετῆθαι τὸν τρόπον τᾶτον ὁ Σωκράτης, ἃ φαίνεται συμβαῖνον ἐκ τῶν λόγων· ἔτι δὲ πρὸς τὸ τέλος ὅ φησι τῇ πόλα δεῖν ὑπάρχειν, ὡς μὲν ἔιρηται νῦν, ἀδύνατον· πῶς δὲ δεῖ διελεῖν, ἀδὲν διώριθαι.

§. 5. Dico autem unam eſſe omnem civitatem, quod optimum inprimis eſt. Sumit enim hoc ſolum ac fundamentum Socrates. Atqui planum eſt civitatem progredientem & factam magis

§. 5. Λεγω δὲ τὸ μίαν εἶναι τὴν πόλιν πᾶσαν, ὡς ἄριςον (ὄν) (g) ὅτι μάλιςα. λαμβάνει γὰρ ταύτην ὑπόθεσιν ὁ Σωκράτης. καί τοι φανερόν ἐςιν, ὡς προϊᾶσα καὶ γινομένη μία μᾶλλον, ἀδὲ πόλις ἔσαι

(a) *Liber II.*) Hunc librum FELDENUS prætermittit. Rationem vide apud ipſum *in analyſi p.* 99. *GOEB.*

(b) *Civitatis*) De differentia inter urbem, civitatem & rempublicam late agit ARNISÆUS *in relect. polit. c. V. ſect.* 2. & 3. Interim civitatis vocabulum eſt æquivocum & interdum urbem, interdum rempublicam denotat. HERT, *p. I. ſ. II. GOEB.*

(c) *Alias multas*) De communionis incommodis ediſſerunt JCti. *l.* 26. *ff. de ſervit. præd. urban. l.* 77. §. 20. *de leg.* 1. vid. PAC. *ad h. c. p.* 662. MEIER. *p.* 105. *ſeqq. GOEB.*

(d) Ἔςι δὲ.) Iſengriniana editio in margine habet: ἔτι δὲ ἵνα τὸν ζητεῖν. Magis perſpicue, modo ſit conſentaneum manuſcriptis, Placuit vero & Caſaubono. *CONR.*

(e) Ἰσότης μιᾶς πόλεως.) Baſileenſis codex, Vetus interpres, Sepulveda, Victorius, Lambinus, alii legunt: ὁ τόπος εἷς ὁ τῆς μιᾶς πολ. Id quod malim etiam ego. Nec enim locus eſt ἰσότης πόλεως; & facilis eſt mutatio vocum εἷς ὁ τῆς in ἰσότης. *CONR.*

(f) Γεγραμμένον νόμον.) Videtur addendum, ἐπισκεπτέον, aut ſimile quid; ut oratio more ariſtotelico fiat plena. *CONR.*

(g) Ἄριςον ὄν.) Illud ὄν, a plærisque codicibus abeſt: at parum refert adſit an abſit. *CONR.*

Digitized by Google

magis unam, ne civitatem quidem futuram. Multitudo enim quædam natura eſt civitas: facta autem magis una, domus quidem e civitate, homo autem e domo erit. Magis enim unam domum, quam civitas ſit, diceremeſſe: & unum hominem, quam domus. Quapropter quamvis poteſtatem aliquis haberet hoc efficiendi, non tamen ei efficiendum eſſet: interimet enim civitatem.

§. 6. Non ſolum autem e pluribus hominibus eſt civitas, verum etiam e ſpecie differentibus. Non enim conflatur civitas e ſimilibus. Aliud enim eſt ſocietas in bello, & civitas. Hoc namque prodeſt quantitate, quamvis idem fuerit ſpecie. Auxilii enim ferendi cauſa ſocietas exorta eſt, quemadmodum ſi pondus magis deprimat.

§. 7. Hujuſcemodi enim quodam diſcrepabit & civitas a gente, quando non per pagos fuerint multitudine ſejuncti, ſed ut Arcades.

§. 8. ** E quibus autem opus eſt unum fieri, ſpecie differunt.

§. 9. ** Quare æquale mutuum tuetur civitates, quemadmodum in libris de moribus dictum eſt prius.

§. 10. ** Quia & in liberis & æqualibus neceſſe hoc eſſe. Simul enim fieri non poteſt, omnes imperium habeant: ſed vel interpoſito anno, vel ſervato alio ordine aut tempore.

§. 11. Et contingit jam hoc pacto, ut omnes imperium habeant: quemadmodum ſi mutarentur inter ſe ſutores, & fabri, & non iidem ſemper ſutores & fabri eſſent.

§. 12. ** Quia autem præſtat ſic ſe habere, & ea, quæ faciunt ad civilem communionem: planum eſt, ſatius eſſe eosdem ſemper imperium habere

ἔσται· πλῆθος γάρ τι την φύσιν ἡ πόλις γινομένη τε μία μᾶλλον, οἰκία μὲν ἐκ πόλεως, ἄνθρωπος δ᾽ ἐξ οἰκίας ἔσται· μᾶλλον γὰρ μίαν τὴν οἰκίαν τῆς πόλεως φαιημεν ἂν, καὶ τὸν ἕνα τῆς οἰκίας. ὥστ᾽ εἰ καὶ δυνατός τις εἴη τοῦτο δρᾶν, οὐ ποιητέον· ἀναιρήσει γὰρ τὴν πόλιν.

§. 6. Οὐ μόνον. δ᾽ ἐκ πλείονων ἀνθρώπων ἐστὶν ἡ πόλις, ἀλλὰ καὶ ἐξ εἴδει διαφερόντων. οὐ γὰρ γίνεται πόλις ἐξ ὁμοίων· ἕτερον γὰρ συμμαχία καὶ πόλις. τὸ μὲν γὰρ τῷ ποσῷ χρήσιμον, κἂν ᾖ τὸ αὐτὸ τῷ εἴδει· βοηθείας γὰρ χάριν ἡ συμμαχία πέφυκεν, ὥσπερ ἂν εἰ σταθμὸς πλεῖον ἑλκύσῃ. (a)

§. 7. Διοίσει δὲ τῷ τοιούτῳ καὶ πόλις ἔθνους, ὅταν μὴ κατὰ κώμας ὦσι κεχωρισμένοι τὸ πλῆθος, ἀλλ᾽ οἷον Ἀρκάδες.

§. 8. ** ἐξ ὧν δὲ δεῖ (b) ἓν γενέσθαι, εἴδει διαφέρει.

§. 9. ** διόπερ τὸ ἴσον (c) τὸ ἀντιπεπονθὸς σώζει τὰς πόλεις, ὥσπερ ἐν τοῖς ἠθικοῖς εἴρηται πρότερον.

§. 10. ** Ἐπεὶ καὶ ἐν τοῖς (d) ἐλευθέροις καὶ ἴσοις ἀνάγκη τοῦτ᾽ εἶναι· ἅμα γὰρ οὐχ οἷόν τε πάντας ἄρχειν, ἀλλ᾽ ἢ κατ᾽ ἐνιαυτὸν, ἢ κατά τινα ἄλλην τάξιν, ἢ χρόνον.

§. 11. Καὶ συμβαίνει δὴ τὸν τρόπον τοῦτον, ὥστε πάντας ἄρχειν, ὥσπερ ἂν εἰ μετέβαλλον οἱ σκυτεῖς, καὶ οἱ τέκτονες, καὶ μὴ οἱ αὐτοὶ ἀεὶ σκυτοτόμοι καὶ τέκτονες ἦσαν.

§. 12. ** Ἐπεὶ δὲ βέλτιον (e) οὕτως ἔχειν καὶ τὰ περὶ τὴν κοινωνίαν τὴν πολιτικὴν, δῆλον ὡς τοὺς αὐτοὺς ἀεὶ βέλτιον ἄρχειν, εἰ δυνατόν· ἐν οἷς δὲ

(a) ἑλκύσῃ ) Malim cum Caſaubono & Sylburgio ἑλκύσει. *CONR.*

(b) ἐξ ὧν δὲ δεῖ ) Hæc propoſitio non eſt, ſimpliciter quidem accepta, vero conſentanea. Unum enim ſimilare corpus potius conſtituitur ex ſpecie iisdem partibus. Ex differentibus autem ſpecie fit unum diſſimilare, aut ut Græci loquuntur ἀνομοιομερές. Itaque vel hinc liquet locum hunc mutilum eſſe ac mendoſum; ne nunc urgeam nullam haberi hic cum proxime antecedentibus & conſequentibus connexionem. Videtur hoc voluiſſe Ariſtoteles. Non habere locum in civitate conſtituenda maximam unitatem, neque hoc obſtare quo minus adſit ſufficiens unitas. Nam civitas conſtituitur ex multis ſpecie differentibus. Utpote cum non habeat ſeſe ad modum συμμαχίας. Nec habet tamen ſeſe ad modum alicujus gentis ſparſim habitantis inſtar Arcadum, inter quos nulla fuit communio. Sed revera eſt in civitate aliqua unitas. Nec tamen etiam illa eſt unitas omnimoda; propterea quia ἐξ ὧν δεῖ ἓν γενέσθαι εἴδει διαφέρει. Hiant ſane & illa: διοίσει δὲ τῷ τοιούτῳ καὶ πόλις ἔθνους, ὅσαν μὴ κατὰ κώμας ὦσι κεχωρισμένοι τὸ πλῆθος, ἀλλ᾽ οἷον Ἀρκάδες. Nec enim Ariſtotelis ætate ita habitabant Arcades, ſed olim habitaverant ante Epaminondam: nec eo differt a gente civitas, quod civitas ſit compoſita ex multis ſpecie diverſis non vero gens; ſed quod in gente ita ſparſim non autem per vicos habitante nulla ſit communio, in civitate autem ſit perfecta ſocietas. In verbis autem hisce Ariſtotelicis hoc loco non exprimitur, quemadmodum civitas a gente differat: quod fieri debuiſſet, & factum eſſe veriſimile eſt. *CONR.*

(c) διόπερ τὸ ἴσον ) Nulla iterum hic eſt cum prioribus connexio: perinde ut in omni hoc argumento paſſim hiat oratio. Nec tamen adeo obſcurum eſt, quorſum omnia hæc collimaverint. Dixerat nempe Ariſtoteles, civitatem componi ex hominum ſpecie inter ſeſe differentium multitudine: indubie igitur etiam hoc docuit: non poſſe proinde ſine injuria inter illos cives omnimodam æqualitatem obſervari, adeoque nec illam Platonicam unitatem. Nec vero ad ſalutem civitatis requiritur quævis æqualitas, ceu nimis παχυλῶς & indiſtincte pronunciaverat Socrates; ſed etiam opus eſt aliqua inæqualitate propter inæquales. Ideoque τὸ ἴσον τὸ ἀντιπεπονθὸς σώζει τὰς πόλεις. &c. *CONR.*

(d) ἐπεὶ καὶ ἐν τοῖς ) Iterum hiat oratio. Videtur tale quid præceſſiſſe. Fieri non poteſt, ut ſimpliciter & ſemper omnia æqualiter tribuantur civibus, atque ita inter eos plane nulla ſit differentia, quæ poſſit eſſe alicujus diſcordiæ cauſſa, qualem volebat Socrates. Saltim enim non omnes poterunt imperare, ſed omnino aliis eſt parendum: ἐπεὶ καὶ ἐν τοῖς &c. *quoniam etiam inter liberos & æquales neceſſum eſt ita eſſe.* *CONR.*

(e) ἐπεὶ δὲ βέλτιον ) Hiat etiam heic oratio: pertinent tamen hæc ad ea, quæ proxime anteceſſerunt. Dixerat nempe Ariſtoteles: Quando omnes ita per vices imperant, fieri perinde atque ſi ſutores & fabri iidem non ſemper ſint. Videtur ſubjunxiſſe. At vero hoc incommodum valde eſt: contingit enim hac ratione interdum, ut rerum fabrilium ignari debeant fabricare. Ex re vero eſt, ut ſoli fabri tractent fabrilia, & ſutores calceos præparent; non vero omnes promiſcue talia agant niſi omnes promiſcue hæc teneant. In univerſum enim conſultiſſimum eſt, ut qui aſſueverunt alicui operi illud tractent: aut ſi id vitio aliquo obtineri non poſſit, ſaltim plerumque iis, qui ſunt periti opera committantur, ac non niſi interdum alii etiam advocentur. Hisce præmiſſis poſſunt ſubſequi, quæ hoc loco recitantur. *CONR.*

Digitized by Google

habere, ſi fieri poteſt. In quibus autem non poteſt (quia cuncti natura æquales ſunt) ſimul autem juſtum eſt (ſive bonum, ſive malum ſit imperium habere) omnes ipſius parricipes fieri: in his utique imitari,

δὲ μὴ δυνατὸν, διὰ τὸ τὴν φύσιν ἴσους εἶναι πάντας, ἅμα δὲ καὶ δίκαιον, εἴτ' ἀγαθὸν εἴτε φαῦλον τὸ ἄρχειν, πάντας αὐτοῦ μετέχειν· ἐν τούτοις δὲ (a) μιμεῖσθαι τὸ ἐν μέρει.

§. 13. ** Viciſſim æquales cedere pariter illis, qui prius imperarent: hi namque imperium habent, hi autem viciſſim parent tanquam alii facti. Eodem jam modo imperantibus, alii alia imperia gerunt.

§. 13. ** τοὺς ἴσους εἴκειν ὁμοίως τοῖς ἐξ ἀρχῆς. οἱ μὲν γὰρ ἄρχουσιν, οἱ δ' ἄρχονται παρὰ μέρος, (b) ὥσπερ ἂν ἄλλοι γενόμενοι. τὸν αὐτὸν δὴ τρόπον (τῶν) ἀρχόντων ἕτεροι ἑτέρας ἄρχουσιν ἀρχάς.

§. 14. Perſpicuum igitur ex his, naturam hujus rei non pati, ut ſic fiat una civitas, quemadmodum quidam dicunt: & quod dictum eſt ut maximum bonum in civitatibus, civitates interimere. Atqui bonum ſingularum rerum conſervat ſingulas.

§. 14. Φανερὸν τοίνυν ἐκ τούτων, ὡς οὔτε πέφυκε μίαν οὕτως εἶναι τὴν πόλιν, ὥσπερ λέγουσί τινες, καὶ τὸ λεχθὲν ὡς μέγιστον ἀγαθὸν ἐν ταῖς πόλεσιν, ὅτι τὰς πόλεις ἀναιρεῖ. Καίτοι τό γε ἑκάστου ἀγαθὸν σώζει ἕκαστον.

§. 15. Eſt autem & alio modo planum, non eſſe melius, eniti civitatem unam reddere. Domus enim abundantior eſt, quam unus: civitas autem, quam domus. Et vult jam tunc civitas eſſe, quando contigerit communionem multitudinis contentam ſuis bonis eſſe. Siquidem igitur magis expetendum eſt, quod magis contentum ſuis bonis eſt: & quod minus unum eſt, quam quod magis, optabilius erit.

§. 15. Ἔστι δὲ καὶ κατ' ἄλλον τρόπον φανερὸν, ὅτι τὸ λίαν ἑνοῦν ζητεῖν τὴν πόλιν, οὐκ ἔστιν ἄμεινον. οἰκία μὲν γὰρ αὐταρκέστερον ἑνὸς, πόλις δ' οἰκίας· καὶ βούλεταί γ' ἤδη τότε εἶναι πόλις, ὅταν αὐτάρκη συμβαίνῃ τὴν κοινωνίαν εἶναι τοῦ πλήθους. Εἴπερ οὖν αἱρετώτερον τὸ αὐταρκέστερον, καὶ τὸ ἧττον ἓν τοῦ μᾶλλον αἱρετώτερον.

# CAPUT II.

§. 1.

III. Quin etiam, neque ſi hoc optimum eſt, communionem eſſe quam maxime unam, hoc demonſtrari apparet ea ratione, ſi omnes ſimul dixerint meum & non meum. Hoc enim putat Socrates ſignum eſſe, quod civitas ſit perfecte una. *Omnes* enim, duplex eſt. Si igitur ut ſinguli, forſitan magis eſſet, quod efficere vult Socrates. Unusquisque enim filium ſuum eundem dicet eſſe, & uxorem eandem: & de patrimonio & de ſingulis caſibus humanis eodem pacto. Nunc autem non ſic dicent, qui communibus utuntur uxoribus & filiis, ſed omnes quidem, non tamen ut unusquisque ipſorum. Similiter autem & patrimonium omnes quidem, non tamen ut unusquisque ipſorum.

§. 1.

III. Ἀλλὰ μὴν οὐδ' εἰ τοῦτο ἄριστόν ἐστι, τὸ μίαν ὅτι μάλιστ' εἶναι τὴν κοινωνίαν, οὐδὲ τοῦτ' ἀποδείκνυσθαι φαίνεται κατὰ τὸν λόγον, ἐὰν πάντες ἅμα λέγωσι τὸ ἐμὸν καὶ τὸ μὴ ἐμόν. τοῦτο γὰρ οἴεται ὁ Σωκράτης σημεῖον εἶναι τοῦ τὴν πόλιν τελέως εἶναι μίαν. τὸ γὰρ Πάντες, διττόν. εἰ μὲν οὖν ὡς ἕκαστος, τάχ' ἂν εἴη μᾶλλον, ὃ βούλεται ποιεῖν ὁ Σωκράτης· ἕκαστος γὰρ υἱὸν ἑαυτοῦ φήσει τὸν αὐτὸν, καὶ γυναῖκα δὴ τὴν αὐτὴν, καὶ περὶ τῆς οὐσίας, καὶ περὶ ἑκάστου δὴ τῶν συμβαινόντων ὡσαύτως. νῦν δ' οὐχ οὕτω φήσουσιν οἱ κοιναῖς χρώμενοι ταῖς γυναιξὶ καὶ τοῖς τέκνοις· ἀλλὰ πάντες μὲν, οὐχ ὡς ἕκαστος δ' αὐτῶν.

§. 2. Eſſe igitur captionem quandam dicere *omnes*

§. 2. Ὅτι μὲν τοίνυν (c) παραλογισμός τίς ἐστι

(a) ἐν τούτοις δὲ) Locus hic omnis videtur mendoſus, eoque eſt perobſcurus. Forte legendum pro δὲ, δεῖ: quod etiam Montecatino eſt viſum. Ita ſane hoc inciſum probe connectitur cum priore, ut ſit ſenſus: *In quibus civitatibus non poſſunt ſemper iidem regere rempublicam, propterea quod ſint natura & ingenio cives pares, ſimul etiam juſtum eſt, omnes ſive probos ſive improbos imperii eſſe participes, in his oportet &c.* At vero etiam illud μιμεῖσθαι τὸ ἐν μέρει quod ſit, haud facile dixeris. An ſcribendum, τῷ ἐν μέρει? Ut ſit ſenſus: *Oportet imitari perpetuum regimen aliqua ex parte.* Jam ita conjectaveram, cum obſervo, utrumque antehac & Heinſio probatum eſſe in ſuis notis. Verum etiam ſic hiat oratio, & verba quædam, etſi pauca, exciderunt: nec enim plenus aliquis ſenſus eſt in iis, quæ ſequuntur: τοὺς ἴσους εἴκειν ὁμοίως τοῖς ἐξ ἀρχῆς: & interpretes vocem εἴκειν perperam vertunt *cedere*, cum hoc loco potius ſignificet *aſſimilari.* Videtur tale quid dictum. Oportet imitari perpetuum regimen aliqua ex parte, & ſucceſſive nunc his, nunc illis committendo imperium (τοὺς ἴσους &c.) eos, qui æquales ſunt, prioribus reddere ſimiles. Hæc itidem jam ſcripſeram, cum obſervo Danielem Heinſium hunc locum ita emendare: ἐν τούτοις δεῖ μιμεῖσθαι, τῷ ἐν μέρει τοὺς ἴσους εἴκειν ὁμοίως τοῖς ἐξ ἀρχῆς. Verum an hæc emendatio ſufficiat, haud difficile eſt arbitratu. *CONR.*

(b) Παρὰ μέρος) Montecatinus habet κατὰ μέρος. quod forte rectius. Ut & illud hamulis incluſum τῶν, videtur omittendum; quod & Victorius & Lambinus in verſionibus ſuis obſervaverunt. *CONR.*

(c) ὅτι μὲν τοίνυν) Quædam editiones, quas & Victorius & Lambinus ſecuti ſunt in ſua interpretatione, ante hæc verba legunt: ὁμοίως δὲ καὶ τὴν οὐσίαν πάντες μὲν, οὐχ ὡς ἕκαστος δὲ αὐτῶν. Utraque lectio tolerabilis eſt; dixeris tamen potius noſtram magis germanam, quod in hoc capite non perinde agatur de communione bonorum. Porro alii codices interpungunt iſta hoc modo: πάντες μὲν οὐχ, ὡς ἕκαστος δέ. At noſtri codicis interpunctio videtur convenientior. *CONR.*

*omnes*, perſpicuum eſt. Illud enim *omnes* & *ambo* & imparia & paria valet: quia eſt duplex, & in diſputationibus litigioſas facit concluſiones.

§.3. Quapropter eſt illud *omnes idem dicere*, ſic quidem bonum, ſed effici non poteſt: ſic autem nullo modo aptum ad pariendam concordiam.

§.4. Præter hæc aliud habet incommodum, quod dicitur. Minime enim nanciſcitur curam, quod eſt plurimorum commune. Suas enim propriasque res mortales *maxime curant:* (*a*) communes autem ipſis cum aliis, minus. Præter alia enim, tanquam alius curaturus ſit, parvi magis ipſas ducunt. Quemadmodum in domeſticis miniſteriis uſu venire videmus. Multi enim famuli aliquando pejus miniſtrant, quam pauci. Naſcuntur enim ſingulis civibus mille filii, & hi non tanquam uniuscujusque: ſed cujuslibet quilibet ſimiliter eſt filius. Quapropter omnes ſimiliter parvam curam gerent ipſorum.

§. 5. Adhuc ſic ſinguli *meus* dicunt bene rem gerentem, vel male, quotusquisque eſt numero, ceu meus vel illius: hoc modo dicens de ſingulis illis mille, ſive quo alio numero civitas conſtat. Et hoc ambigens. Incertum enim eſt, cui contigit naſci filium, & natum ſuperſtitem eſſe. Atqui utrum ſic præſtat *meum* dicere ſingulos, idem appellantes, duorum millium vel decem millium: vel potius, ut nunc in civitatibus *meum* dicunt? Hic enim filium ſuum, hic fratrem ſuum appellat eundem: hic patruelem, vel ex alia quapiam cognatione, vel a ſanguine, vel per propinquitatem & affinitatem ipſius primum, vel aliquorum e ſuis. Præter hæc, alium phratorem vel tribulem. Præſtat enim proprium patruelem eſſe, quam hoc modo filium.

§.6. Quin etiam ne vitari quidem poteſt, quin aliqui ſuſpicentur ſuos eſſe fratres, & filios, & patres, & matres. E ſimilitudinibus enim, quæ in filiis exiſtunt erga eos, qui procrearunt, neceſſe eſt ducant fidem mutuo de ſemetipſis. Quod quidem, ajunt nonnulli eorum, qui ambitus telluris literis prodiderunt, uſu venire. Tradunt enim quibusdam populis Libyæ ſuperioris communes eſſe uxores: morem tamen eos habere natos filios partiri per ſimilitudines. Sunt autem mulieres nonnullæ, & aliarum animantium, ceu equæ ac vaccæ, quæ valde natura pronæ ſunt ad filios ſimiles parentibus edendos, quemadmodum quæ in Pharſalia Juſta equa vocata eſt.

§.7. IV. Adhuc autem & hujuſcemodi difficultates non proclive erit cavere his, qui hanc conſtruent communionem: veluti plagas, neces, partim involuntarias, partim voluntarias: & concertationes, & convitia: quorum nihil fas

ἐστι τὸ λέγειν πάντας, φανερόν. τὸ γὰρ Πάντες, καὶ Ἀμφότερα, καὶ περιττὰ καὶ ἄρτια διὰ τὸ διττὸν, καὶ ἐν τοῖς λόγοις ἐριστικοὺς ποιεῖ συλλογισμούς.

§. 3. Διὸ ἐστὶ τὸ Πάντας τὸ αὐτὸ λέγειν, ὡδὶ μὲν καλὸν, ἀλλ' οὐ δυνατόν· ὡδὶ δ' οὐδὲν ὁμονοητικόν.

§. 4. Πρὸς δ' τούτοις, ἑτέραν ἔχει βλάβην τὸ λεγόμενον. ἥκιστα γὰρ ἐπιμελείας τυγχάνει τὸ πλείστων κοινόν. τῶν γὰρ ἰδίων μάλιστα φροντίζουσι, τῶν δὲ κοινῶν ἧττον, ἢ ὅσον ἑκάστῳ ἐπιβάλλει. πρὸς γὰρ τοῖς ἄλλοις ὡς ἑτέρου φροντίζοντος, ὀλιγωροῦσι μᾶλλον. ὥσπερ ἐν ταῖς οἰκετικαῖς διακονίαις οἱ πολλοὶ θεράποντες ἐνίοτε χεῖρον ὑπηρετοῦσι τῶν ἐλαττόνων. Γίνονται δ' ἑκάστῳ χίλιοι τῶν πολιτῶν υἱοὶ, καὶ οὗτοι οὐχ ὡς ἑκάστου, ἀλλὰ τοῦ τυχόντος ὁ τυχὼν ὁμοίως ἐστὶν υἱός. ὥστε πάντες ὁμοίως ὀλιγωρήσουσιν.

§. 5. Ἔτι οὕτως ἕκαστος (*b*) ἐμὸς λέγει τὸν εὖ πράττοντα τῶν πολιτῶν ἢ κακῶς, ὁπόσος τυγχάνει τὸν ἀριθμὸν ὢν, οἷον ἐμὸς, ἢ τοῦ δεῖνος, τοῦτον τὸν τρόπον λέγων καθ' ἕκαστον τῶν χιλίων, ἢ ὅσων ἡ πόλις ἐστὶ, καὶ τοῦτο διστάζων. ἄδηλον γὰρ ᾧ συνέβη γενέσθαι τέκνον, καὶ σωθῆναι γενόμενον. Καί τοι πότερον οὕτω κρεῖττον τὸ ἐμὸν λέγειν ἕκαστον, τὸ αὐτὸ μὲν προσαγορεύοντας δισχιλίων, ἢ μυρίων, ἢ μᾶλλον ὡς νῦν ἐν ταῖς πόλεσι τὸ ἐμὸν λέγουσιν; ὁ μὲν γὰρ υἱὸν αὐτοῦ, ὁ δὲ ἀδελφὸν αὐτοῦ προσαγορεύει τὸν αὐτὸν, ὁ δὲ ἀνεψιόν, ἢ κατ' ἄλλην τινὰ συγγένειαν, ἢ πρὸς αἵματος, ἢ κατ' οἰκειότητα καὶ κηδείαν αὐτοῦ πρῶτον, ἢ τῶν αὐτοῦ πρὸς δὲ τούτοις, ἕτερον φράτορα, ἢ φυλέτην. κρεῖττον γὰρ ἴδιον ἀνεψιὸν εἶναι, ἢ τὸν τρόπον τοῦτον υἱόν.

§. 6. Οὐ μὴν ἀλλ' οὐδὲ διαφυγεῖν δυνατὸν, τὸ μὴ τινὰς ὑπολαμβάνειν ἑαυτῶν ἀδελφούς τε, καὶ παῖδας, καὶ πατέρας, καὶ μητέρας. κατὰ γὰρ τὰς ὁμοιότητας αἳ γίνονται τοῖς τέκνοις πρὸς τοὺς γεννήσαντας, ἀναγκαῖον λαμβάνειν περὶ ἀλλήλων τὰς πίστεις· Ὅπερ φασὶ καὶ συμβαίνειν τινὲς τῶν τὰς τῆς γῆς περιόδους πραγματευομένων· εἶναι γάρ τισι τῶν ἄνω Λιβύων κοινὰς τὰς γυναῖκας τὰ μέν τοι γενόμενα τέκνα διαιρεῖσθαι κατὰ τὰς ὁμοιότητας. εἰσὶ δέ τινες καὶ γυναῖκες καὶ τῶν ἄλλων ζώων, οἷον ἵπποι καὶ βόες, αἳ σφόδρα πεφύκασιν ὅμοια ἀποδιδόναι τὰ τέκνα τοῖς γονεῦσιν, ὥσπερ ἡ ἐν Φαρσάλῳ κληθεῖσα Δικαία ἵππος.

§. 7. Ἔτι δὲ καὶ τὰς τοιαύτας δυσχερείας οὐ ῥᾴδιον εὐλαβηθῆναι τοῖς ταύτην κατασκευάζουσι τὴν κοινωνίαν· οἷον αἰκίας, καὶ φόνους, τοὺς μὲν ἀκουσίους, τοὺς δὲ ἑκουσίους, καὶ μάχας, καὶ λοιδορίας· ὧν οὐδὲν ὅσιόν ἐστι γίνεσθαι πρὸς πατέρας καὶ

(*a*) *Maxime*) Communia enim communiter negligi ſolent. *GOEB.*

(*b*) ἔτι οὕτως ἕκαστος) Hæc pene opus habent interprete Oedipo: unde in varias eunt ſententias explicatores. Ipſa obſcuritas ſatis prodit locum omnem mendoſum eſſe. Nec tamen apparet, qui poſſit recte corrigi ad mentem Ariſtotelis Etſi enim alii atque alii adferant hic contra Platonem abſurdum aliquod, quod ejus opinio prematur; attamen non equidem auſim aſſerere, ex Ariſtotelis pharetra argumenta illa eſſe deprompta. Fateor me hujus loci ſenſum non aſſequi. Porro Zvvingerus legit ὁπόσος; & in nonnullis codicibus deſunt ſequens participium ὤν; paulo poſt etiam Iſengriniana & Camatiana editio habent copulative δισχιλίων καὶ μυρίων. Verum hæc annotaſſe parum juvant loci hujus obſcuritatem. *CONR.*

Digitized by Google

fas eſt committi adverſus *patres aut matres*, (a) & eos, qui non ſint remoti a cognatione, ut in valde remotos: ſed etiam magis uſu venire neceſſe eſt, neſcientibus, quam intelligentibus ſtirpem ſuam. Et ſi fuerint hæ culpæ admiſſæ intelligentibus: contingit fieri expiationes legibus inſtitutas: neſcientibus autem nullas.

§. 8. Abſurdum autem etiam eſt, qui voluerit eſſe filios communes, *coire tantum* (b) demſiſſe amore incenſis: amare autem non prohibuiſſe, neque conſuetudines alias, quas patri cum filio eſſe fœdiſſimum eſt, & fratri cum fratre: quia & amare ſolum indecorum eſt.

§. 9. Abſurdum autem & hoc, coitum demere propter aliam nullam cauſam, ſed quia valde firma voluptas inde naſcitur: quod vero alter eorum pater vel filius, hi autem fratres, nihil intereſſe putare.

§. 10. Videtur autem magis prodeſſe, agricolis communes eſſe uxores & liberos, *quam cuſtodibus*. (c) Minus enim erit amicitia, ſi fuerint communes filii & uxores. Opus eſt autem hujuſcemodi eſſe ſubjectos imperio, ut obtemperent, & non moliantur res novas.

§. 11. Omnino autem evenire contrarium neceſſe eſt propter hujuſcemodi legem, eorum, quorum decet recte latas leges cauſas eſſe: & ejus, propter quam cauſam Socrates ſic exiſtimat oportere ea, quæ pertinent ad filios & uxores conſtituere. Amicitiam enim eſſe arbitramur maximum omnium bonorum civitatibus. Ita enim minime ſeditionibus conflictabuntur. Et unam civitatem eſſe laudat maxime Socrates: quod & videtur, & ipſe ſane hoc dicit amicitiæ opus eſſe. Quemadmodum in ſermonibus amatoriis ſcimus Ariſtophanem dicere, amantes quia valde diligunt, cupere coaleſcere ac fieri e duobus, qui ambo ſunt, unum. Hic igitur neceſſe eſt ambos interimi, vel unum. In civitate autem amicitiam neceſſe eſt fieri *inſipidam ac tenuem* (d) propter hujuſcemodi communionem, & minime dicturos eſſe meum vel filium patrem, vel patrem filium. Quemadmodum enim puſillum dulce in multam aquam diffuſum temperamentum efficit tale, ut nequeat ſenſu percipi: ſic contingit & propinquitatem, quæ inter ipſos eſt, profectam ab his nominibus.

§. 12. ** Eos minime curaturos eſſe, ut neceſſe eſt, in republica hujuſcemodi, vel patrem ut filiorum, vel filium ut patris, vel fratrum inter ſe. Duo enim ſunt, quæ faciunt, ut maxime homines de ipſis curam ſuſcipiant, proprium & dilectum: quorum neutrum fieri poteſt, ut exiſtat in his, qui hæc inſtituta colunt.

§. 13.

καὶ μητέρας, καὶ τοὺς μὴ πόῤῥω τῆς συγγενείας ὄντας, ὥσπερ πρὸς τοὺς ἄπωθεν. ἀλλὰ καὶ πλεῖον συμβαίνειν ἀναγκαῖον ἀγνοούντων, ἢ γνωριζόντων. καὶ γενομένων, τῶν μὲν γνωριζόντων ἐνδέχεται τὰς νομιζομένας γίνεσθαι λύσεις, τῶν δὲ, μηδεμίαν.

§. 8. Ἄτοπον δὲ καὶ τὸ κοινοὺς ποιήσαντα τοὺς υἱοὺς, τὸ συνεῖναι μόνον ἀφελεῖν τῶν ἐρώντων, τὸ δ᾽ ἐρᾷν μὴ κωλῦσαι, μηδὲ τὰς χρήσεις τὰς ἄλλας, ἃς πατρὶ πρὸς υἱὸν εἶναι πάντων ἐστὶν ἀπρεπέστατον, καὶ ἀδελφῷ πρὸς ἀδελφόν· ἐπεὶ καὶ τὸ ἐρᾷν μόνον.

§. 9. Ἄτοπον δὲ καὶ τὸ τὴν συνουσίαν ἀφελεῖν, δι᾽ ἄλλην μὲν αἰτίαν μηδεμίαν, ὡς λίαν δὲ ἰσχυρᾶς τῆς ἡδονῆς γινομένης. ὅτι δὲ ὁ μὲν πατὴρ, ἢ υἱὸς, οἱ δ᾽ ἀδελφοὶ ἀλλήλων, μηδὲν οἴεσθαι διαφέρειν.

§. 10. Ἔοικε δὲ μᾶλλον τοῖς γεωργοῖς εἶναι χρήσιμον τὸ κοινὰς εἶναι τὰς γυναῖκας καὶ τοὺς παῖδας, ἢ τοῖς φύλαξιν. ἧττον γὰρ ἔσται φιλία, κοινῶν ὄντων τῶν τέκνων, καὶ τῶν γυναικῶν. δεῖ δὲ τοιούτους εἶναι τοὺς ἀρχομένους πρὸς τὸ πειθαρχεῖν, καὶ μὴ νεωτερίζειν.

§. 11. Ὅλως δὲ συμβαίνειν ἀνάγκη τοὐναντίον διὰ τὸν τοιοῦτον νόμον, ὧν προσήκει τοὺς ὀρθῶς κειμένους νόμους αἰτίους γίνεσθαι, καὶ δι᾽ ἣν αἰτίαν ὁ Σωκράτης οὕτως οἴεται δεῖν τάττειν τὰ περὶ τὰ τέκνα καὶ τὰς γυναῖκας. φιλίαν τε γὰρ οἰόμεθα μέγιστον εἶναι τῶν ἀγαθῶν ταῖς πόλεσιν· οὕτω γὰρ ἂν ἥκιστα στασιάζοιεν. καὶ τὸ μίαν εἶναι τὴν πόλιν ἐπαινεῖ μάλισθ᾽ ὁ Σωκράτης· ὃ καὶ δοκεῖ, κἀκεῖνος εἶναί φησι, τῆς φιλίας ἔργον· καθάπερ ἐν τοῖς ἐρωτικοῖς λόγοις ἴσμεν λέγοντα τὸν Ἀριστοφάνην, ὡς τῶν ἐρώντων διὰ τὸ σφόδρα φιλεῖν ἐπιθυμούντων συμφῦναι, καὶ γενέσθαι ἐκ δύο ὄντων ἀμφοτέρους ἕνα. ἐνταῦθα μὲν οὖν ἀνάγκη ἀμφοτέρους ἐφθάρθαι, ἢ τὸν ἕνα. (e) ἐν δὲ τῇ πόλει τὴν φιλίαν ἀναγκαῖον ὑδαρῆ γίνεσθαι διὰ τὴν κοινωνίαν τὴν τοιαύτην, καὶ ἥκιστα λέγειν (f) τὸν ἐμὸν ἢ υἱὸν πατέρα, ἢ πατέρα υἱόν. ὥσπερ γὰρ μικρὸν γλυκὺ εἰς πολὺ ὕδωρ μιχθὲν, ἀναίσθητον ποιεῖ τὴν κρᾶσιν· οὕτω συμβαίνει καὶ τὴν οἰκειότητα τὴν πρὸς ἀλλήλους τὴν ἀπὸ τῶν ὀνομάτων τούτων.

§. 12. ** διαφροντίζειν, (g) ἥκιστα ἀναγκαῖον ὂν, ἐν τῇ πολιτείᾳ τῇ τοιαύτῃ, ἢ πατέρα ὡς υἱῶν, ἢ υἱὸν ὡς πατρὸς, ἢ ὡς ἀδελφοὺς ἀλλήλων. δύο γάρ ἐστιν ἃ μάλιστα ποιεῖ κήδεσθαι τοὺς ἀνθρώπους καὶ φιλεῖν, τό τε ἴδιον, καὶ τὸ ἀγαπητόν· ὧν οὐδέτερον οἷόν τε ὑπάρχειν τοῖς οὕτω πολιτευομένοις.

§. 13.

(a) *Patres aut matres*) PICCART. *lib. II. c. IV. p.* 177. *GOEB.*

(b) *Coire tantum*) PICCARTUS *l. c. p.* 179. *GOEB.*

(c) *Quam cuſtodibus*) Plato in republica ſua, perſonarum & rerum communione gaudente, tres conſtituebat ordines, agricolarum, qui ſub ſe mercatores & opifices alioſque quæſtuarios continebant, ſecundum & tertium ordinem cuſtodes duplices efficiebant, quorum alter militaris, alter ſenatorius ordo dicebatur. PICCARTUS *p.* 179. *GOEB.*

(d) *Inſipidam ac tenuem*) PICCART. *p.* 180. 181. *GOEB.*

(e) ἢ τὸν ἕνα) Forte ſcribendum εἰ τὸν ἕνα. *CONR.*

(f) καὶ ἥκιστα λέγειν) Subintelligendum videtur διὰ. Amicitia ſcilicet in republica platonica dilutior eſt, ideo etiam, quod minime liceat in illa vocare aliquem meum, filium patrem & patrem filium, propter incertitudinem. *CONR.*

(g) Διαφροντίζειν) Caſaubonus notavit, locum eſſe ſuſpectum. Haud difficulter vero apparet, verbum aliquod hic excidiſſe, quod expreſſit dilutionem amicitiæ. Nec vero τὸ διαφροντίζειν quidquam illuc facit, ſed ad ſequens comma pertinet, ut liquet ex vi ſubſequentis argumenti. Obſervavit hoc ipſum quoque Camerarius: qui proinde διαφροντίζειν jungit ſequentibus hunc in modum:

§. 13. Sed etiam de transferendis filiis, qui nati fuerint: his quidem ex agricolis & opificibus in cuſtodes, his autem ex his in illos: continet in ſe moleſtiæ multum, quomodo geri poſſit: & cognoſcere neceſſe eſt, qui dant & transferunt, quibus quos dant.

§. 14. Adhuc autem & quæ olim dicta ſunt, magis in his uſu venire neceſſe eſt: veluti plagas, amores, neces. Non enim amplius appellant fratres, & filios, & patres, & matres, cuſtodes, illi, qui ad alios cives comportati ſunt, & contra qui a cuſtodibus ad alios cives: ut cavere valeant, ne hujuſcemodi aliquid committant propter propinquitatem,

§. 15. De communione igitur circa liberos & uxores, definitum ſit hoc modo.

§. 13. Ἀλλὰ μὴν καὶ περὶ τοῦ μεταφέρειν τὰ γινόμενα τέκνα, τὰ μὲν ἐκ τῶν γεωργῶν καὶ τεχνιτῶν εἰς τοὺς φύλακας, τὰ δ' ἐκ τούτων εἰς ἐκείνους, πολλὴν ἔχει ταραχὴν, τίνα ἔσται τρόπον. καὶ γινώσκειν ἀναγκαῖον τοὺς διδόντας καὶ μεταφέροντας τίσι τίνας διδόασιν.

§. 14. Ἔτι δὲ καὶ τὰ πάλαι λεχθέντα μᾶλλον ἐπὶ τούτων ἀναγκαῖον συμβαίνειν· οἷον αἰκίας, ἔρωτας, φόνους. οὐ γὰρ ἔτι προσαγορεύουσιν ἀδελφοὺς, καὶ τέκνα, καὶ πατέρας, καὶ μητέρας, (c) οἵ τε εἰς τοὺς ἄλλους πολίτας δοθέντες, τοὺς φύλακας, καὶ πάλιν οἱ παρὰ τοῖς φύλαξιν εἰς τοὺς ἄλλους (d) πολίτας· ὥστ' εὐλαβεῖσθαι τῶν τοιούτων τι πράττειν διὰ τὴν συγγένειαν.

§. 15. Περὶ μὲν οὖν τῆς περὶ τὰ τέκνα καὶ τὰς γυναῖκας κοινωνίας διωρίσθω τὸν τρόπον τοῦτον.

# CAPUT III.

§. 1.

V. Sequitur autem hæc, animadvertere de re familiari, quonam pacto opus eſt conſtituere ipſam his, qui debent verſari in optima republica, utrum communem vel non communem eſſe decet poſſeſſionem bonorum.

§. 2. Hoc autem aliquis ſeorſum conſideret ab his, quæ circa liberos & uxores conſtituta jam ſunt. Dico autem, quæ pertinent ad rem familiarem: utrum ſi fuerint illa ſeparata, quemadmodum nunc ſe habent omnibus, communes & poſſeſſiones eſſe præſtat & uſus. Ceu prædia ſeorſum, fructus vero in commune comportantes abſumere: (quod quidem *nonnullæ* (a) faciunt gentes) vel contra, tellurem quidem communem eſſe, & colere ipſam communiter, fructus autem dividere ad proprios uſus (feruntur autem quidam barbari etiam ita inter ſe bonis communicare) vel & prædia & fructus communes.

§. 3. Si igitur diverſi ſint, qui agros colunt, alius eſſet modus, & facilior. Si vero ipſi ſibiipſis laborent, quæ pertinent ad poſſeſſiones bonorum, plures adferent difficultates. Et in abſumendo enim & in opere faciendo, niſi ſervata fuerit æqualitas, ſed extiterit inæqualitas, neceſſe eſt expoſtulationes naſci adverſus eos, qui abſumunt vel capiunt, multa paucos autem labores ferunt, ab illis, qui pauciora capiunt, plures autem labores tolerant.

§. 4. Omnino autem ſimul vivere, & humanarum omnium rerum cum aliquibus *participes eſſe*, (b) difficile eſt: & maxime hujuſcemodi. Declarant hoc eorum, qui una peregrinantur, ſocietates: ferme enim magna pars ipſorum litigant

§. 1.

V. Ἐχόμενον δὲ τούτων ἐστὶν ἐπισκέψασθαι περὶ τῆς κτήσεως, τίνα τρόπον δεῖ κατασκευάζεσθαι τοῖς μέλλουσι πολιτεύεσθαι τὴν ἀρίστην πολιτείαν, πότερον κοινὴν, ἢ μὴ κοινὴν εἶναι τὴν κτῆσιν.

§. 2. Τοῦτο δ' ἄν τις καὶ χωρὶς σκέψαιτο ἀπὸ τῶν περὶ τὰ τέκνα καὶ τὰς γυναῖκας νενομοθετημένων. λέγω δὲ τὰ περὶ τὴν κτῆσιν, πότερον κἂν ᾖ ἐκεῖνα χωρὶς, καθ' ὃν νῦν τρόπον ἔχει πᾶσι, τάς τε κτήσεις κοινὰς εἶναι βέλτιον, καὶ τὰς χρήσεις. οἷον τὰ μὲν γήπεδα χωρὶς, τοὺς δὲ καρποὺς εἰς τὸ κοινὸν φέροντας ἀναλίσκειν· ὅπερ ἔνια ποιεῖ τῶν ἐθνῶν. ἢ τοὐναντίον, τὴν μὲν γῆν κοινὴν εἶναι καὶ γεωργεῖν κοινῇ, τοὺς δὲ καρποὺς διαιρεῖσθαι πρὸς τὰς ἰδίας χρήσεις. λέγονται δέ τινες καὶ τοῦτον τὸν τρόπον κοινωνεῖν τῶν βαρβάρων. ἢ καὶ τὰ γήπεδα, καὶ τοὺς καρποὺς κοινούς.

§. 3. Ἑτέρων μὲν οὖν ὄντων τῶν γεωργούντων, ἄλλος ἂν εἴη τρόπος καὶ ῥᾴων· αὐτῶν δ' αὐτοῖς διαπονούντων τὰ περὶ τὰς κτήσεις, πλείους ἂν παρέχοι δυσκολίας. καὶ γὰρ ἐν ταῖς ἀπολαύσεσι, καὶ ἐν τοῖς ἔργοις μὴ γινομένων ἴσων, ἀλλ' ἀνίσων, (e) ἀναγκαῖον ἐγκλήματα γίνεσθαι πρὸς τοὺς ἀπολαύοντας μὲν ἢ λαμβάνοντας πολλὰ ὀλίγα δὲ πονοῦντας, τοῖς ἐλάττω μὲν λαμβάνουσι πλείω δὲ πονοῦσιν.

§. 4. Ὅλως δὲ τὸ συζῆν καὶ κοινωνεῖν τῶν ἀνθρωπικῶν πάντων χαλεπὸν, καὶ μάλιστα τῶν τοιούτων. δηλοῦσι δ' αἱ τῶν συναποδήμων κοινωνίαι. σχεδὸν γὰρ οἱ πλεῖστοι διαφερόμενοι, ἐκ τῶν ἐν ποσὶ καὶ ἐκ μικρῶν προσκρούοντες ἀλλήλοις. ἔτι δὲ τῶν θερα-

modum: διαφροντίζειν ἥκιστα ἀναγκαῖον ὄν: ſuſpicaturque librarii incuria mutilatum locum, ita eſſe legendum: τὴν οἰκειότητα τὴν πρὸς ἀλλήλους τὴν ἀπὸ ὀνομάτων τούτων διαφορηθῆναι i. e. *diffluere*, φροντίζειν ἥκιστα ἀναγκαῖον ὄν. Forte tamen ἀντὶ τοῦ ὄν legendum οὖν. Nempe ex illa amicitiæ dilutione conſequitur, ut alter alterius minus habeat curam. Legendum proinde: διαφροντίζειν (aut φροντίζειν) ἥκιστα ἀναγκαῖον ὂν ἐν τῇ πολιτείᾳ τῇ τοιαύτῃ. CONR.

(a) *Nonnullæ*) Forte hic de Laconibus & Cretenſibus, aut Spartanis loquitur. PICCARTUS *p.* 185. *GOEB.*

(b) *Participes eſſe*) PICCARTUS *lib. II. c. V.* *GOEB.*

(c) καὶ μητέρας) Camotius & Iſengrinius hic ſtatim ſubjungit τοὺς φύλακας, quæ in noſtro codice paulo poſt leguntur. Et vero illud magis perſpicuum facit ſenſum; quem proinde & Victorius expreſſit. *CONR.*

(d) παρὰ τοῖς φύλαξιν εἰς τοὺς ἄλλους) Ita quidem habent vulgo codices. At vero ſic Ariſtoteles bis idem repetiiſſet, idque inutiliter. Montecatinus proinde cenſet legendum: οἱ παρὰ τοῖς φύλαξιν τοὺς εἰς ἄλλους. Hac ſane levi tranſpoſitione omnia conſonant. Hoc nimirum ſenſu: ***Nec ab iis, qui in alios civium ordines ex ordine cuſtodum tranſlati ſunt, ipſos cuſtodes: nec ab iis econtra, qui in cuſtodum ordine remanſerunt, eos, qui in alios ordines ſunt tranſportati, fratres, filios, patres, matres amplius appellatum iri.*** *CONR.*

(e) ἀλλ' ἀνίσων) Hæ voces in nonnullis codicibus deſunt parvo aut nullo potius diſcrimine. *CONR.*

Digitized by Google

tigant inter ſe, ex rebus, quæ ſunt ante pedes & puſillis controverſantes. Adhuc autem & famulorum his maxime iraſcimur, quibus maxime utimur in miniſteriis circularibus.

§. 5. Communia igitur eſſe bona, has continet in ſe, & alias hujuſcemodi moleſtias. Quomodo autem nunc res ſe habet & conſuetudo, ſi præterea fuerit ornata moribus & ordine rectarum legum, non parum præſtaret. Habebit enim in ſe bonum, quod capitur ex ambabus rationibus. Intelligo autem ex ambabus dicens, ex ea, quæ communia bona habet: & ex ea, quæ propria. Decet enim aliquo modo eſſe communia, omnino autem propria. Curæ namque diviſæ non gignent expoſtulationes. Potius enim augeſcent, ſingulis tanquam ad ſuum proprium que aſſidue manentibus. Propter virtutem autem erit, quod refertur ad uſum, ut eſt in proverbio, *communia amicorum.*

§. 6. Eſt autem & nunc hoc modo in quibusdam civitatibus adumbratum, ut cognoſcatur non eſſe impoſſibile: & maxime in bene inſtitutis civitatibus, partim horum ſunt, partim autem eſſe poſſent. Proprium enim ſingulis patrimonium habentibus, his quidem concedunt, ut utantur amici: his autem ipſi utuntur, ut communibus. Veluti Lacedæmone: Utuntur enim ſervis invicem alienis, ut propriis: & præterea equis & canibus: & ſi eguerint viaticis in agris ſua in tellure. Perſpicuum igitur eſt, præſtare propria eſſe bona, uſu autem efficere illa communia. Ut autem tales cives reddantur, hoc proprium munus eſt legum latoris.

§. 7. Adhuc autem dici non poteſt, quantum ad voluptatem refert, exiſtimare proprium aliquid eſſe. Non enim ſine cauſa ſinguli mortales amicitia tenentur erga ſemetipſos, ſed hoc eſt naturale. Eſſe autem quempiam amatorem ſui ipſius, merito vituperatur. Non eſt autem hoc diligere ſemetipſum, ſed magis, quam oportet diligere: quemadmodum amatorem pecuniæ: quia diligunt omnes, ut ita loquar, ſingulas hujuſcemodi.

§. 8. Quin etiam gratificari & opitulari amicis, vel hoſpitibus, vel ſodalibus jucundiſſimum eſt: quod fit, cum bona propria ſunt.

§. 9. Hæc autem amplius non cadunt in illos, qui valde unam faciunt civitatem. Et præter hæc interimunt opera duarum virtutum aperte: temperantiæ quidem, quod pertinet ad uxores (eſt enim honeſtum factum, abſtinere ſe ab aliena propter temperantiam) liberalitatis autem, quod pertinet ad bona. Neque enim perſpicietur, qui eſt liberalis, neque geret factum ullum liberale. In uſu enim bonorum liberalitatis factum eſt.

§. 10. Pulcra igitur facietenus hujuſcemodi reipublicæ conſtitutio & humana videri poſſet. Qui enim audit, libenter recipit, putans fore amicitiam quandam admirabilem omnibus erga omnes: præſertim cum accuſaverit aliquis mala, quæ

θεραπόντων τούτοις μάλιστα προσκρούομεν, οἷς πλεῖστα προσχρώμεθα πρὸς τὰς διακονίας τὰς ἐγκυκλίους.

§. 5. Τὸ μὲν οὖν κοινὰς εἶναι τὰς κτήσεις, ταύτας τε καὶ ἄλλας τοιαύτας ἔχει δυσχερείας. ὃν δὲ νῦν τρόπον ἔχει, καὶ ἐπικοσμηθὲν ἤθεσι καὶ τάξει νόμων ὀρθῶν, οὐ μικρὸν ἂν διενέγκαι· ἕξει γὰρ τὸ ἐξ ἀμφοτέρων ἀγαθόν. λέγω δὲ τὸ ἐξ ἀμφοτέρων, τὸ ἐκ τοῦ κοινὰς εἶναι τὰς κτήσεις, καὶ τὸ ἐκ τοῦ ἰδίας. δεῖ γὰρ πῶς μὲν εἶναι κοινάς, ὅλως δ' ἰδίας. αἱ μὲν γὰρ ἐπιμέλειαι διῃρημέναι τὰ ἐγκλήματα πρὸς ἀλλήλους οὐ ποιήσουσι. μᾶλλον δ' ἐπιδώσουσιν, ὡς πρὸς ἴδιον ἑκάστου προσεδρεύοντος. δι' ἀρετὴν δ' ἔσται, πρὸς τὸ χρῆσθαι κατὰ τὴν παροιμίαν,

κοινὰ τὰ φίλων.

§. 6. Ἔστι δὲ καὶ νῦν τὸν τρόπον τοῦτον ἐνίαις πόλεσιν οὕτως ὑπογεγραμμένον, ὡς οὐκ ὂν ἀδύνατον. καὶ μάλιστα ἐν ταῖς καλῶς οἰκουμέναις, τὰ μὲν ἔστι, τὰ δὲ γένοιτ' ἄν. ἰδίαν γὰρ ἕκαστος τὴν κτῆσιν ἔχων, τὰ μὲν χρήσιμα ποιεῖ τοῖς φίλοις, τοῖς δὲ χρῆται ὡς κοινοῖς. (a) οἷον καὶ ἐν Λακεδαίμονι, τοῖς τε δούλοις χρῶνται τοῖς ἀλλήλων, ὡς εἰπεῖν ἰδίοις, ἔτι δ' ἵπποις καὶ κυσί, κἂν δεηθῶσιν ἐφοδίων ἐν τοῖς ἀγροῖς κατὰ τὴν χώραν. φανερὸν τοίνυν ὅτι βέλτιον, εἶναι μὲν ἰδίας τὰς κτήσεις, τῇ δὲ χρήσει ποιεῖν κοινάς. ὅπως δὲ γίνωνται τοιοῦτοι, τοῦ νομοθέτου τοῦτ' ἔργον ἴδιόν ἐστιν.

§. 7. Ἔτι δὲ καὶ πρὸς ἡδονὴν ἀμύθητον, ὅσον διαφέρει τὸ νομίζειν ἴδιόν τι. μὴ γὰρ οὐ μάτην τὴν πρὸς αὑτὸν αὐτὸς ἔχει φιλίαν ἕκαστος, ἀλλ' ἔστι τοῦτο φυσικόν. τὸ δὲ φίλαυτον εἶναι, ψέγεται δικαίως. οὐκ ἔστι δὲ τοῦτο τὸ φιλεῖν ἑαυτόν, ἀλλὰ τὸ μᾶλλον ἢ δεῖ φιλεῖν. καθάπερ καὶ τὸν φιλοχρήματον. (b) ἐπεὶ φιλοῦσί γε πάντες, ὡς εἰπεῖν, ἕκαστον τῶν τοιούτων.

§. 8. Ἀλλὰ μὴν καὶ τὸ χαρίσασθαι καὶ βοηθῆσαι φίλοις, ἢ ξένοις, ἢ ἑταίροις, (c) ἥδιστον· ὃ γίνεται τῆς κτήσεως ἰδίας οὔσης.

§. 9. Ταῦτά τε δὴ οὐ συμβαίνει (d) τοῖς λίαν ἓν ποιοῦσι τὴν πόλιν. καὶ πρὸς τούτοις ἀναιροῦσιν ἔργα δυοῖν ἀρεταῖν φανερῶς, σωφροσύνης μὲν τὸ περὶ τὰς γυναῖκας· ἔργον γὰρ καλόν, ἀλλοτρίας οὔσης ἀπέχεσθαι διὰ σωφροσύνην· ἐλευθεριότητος δέ, τὸ περὶ τὰς κτήσεις. οὔτε γὰρ ἔσται φανερὸς ἐλευθέριος ὤν, οὔτε πράξει πρᾶξιν ἐλευθέριον οὐδεμίαν· ἐν γὰρ τῇ χρήσει τῶν κτημάτων τὸ τῆς ἐλευθεριότητος ἔργον ἐστίν.

§. 10. Εὐπρόσωπος μὲν οὖν ἡ τοιαύτη νομοθεσία καὶ φιλάνθρωπος ἂν εἶναι δόξειεν· ὁ γὰρ ἀκροώμενος, ἄσμενος ἀποδέχεται, νομίζων ἔσεσθαι φιλίαν τινὰ θαυμαστὴν πᾶσι πρὸς ἅπαντας. ἄλλως τε, καὶ ὅταν κατηγορῇ τις τῶν νῦν ὑπαρχόντων

(a) ὡς κοινοῖς) Illud ὡς deſideratur in codice Aldino & Baſileenſi, ſed perperam. *CONR.*

(b) τὸν φιλοχρήματον) Elegantius, τὸ φιλοχρήματον: ſcilicet εἶναι, ut ante τὸ φίλαυτον εἶναι. *CONR.*

(c) ἑταίροις) Vetus interpres legit ἑτέροις; quod placuit etiam Sepulvedæ. *CONR.*

(d) οὐ συμβαίνει) Vetus interpres non legit illud οὐ: nec tamen ſenſus diſtorquetur, imo elegantius vocula illa omittitur. *CONR.*



Digitized by Google

quæ inſunt in civitatibus, tanquam gignantur, quia non ſunt communia bona. Intelligo autem lites, quas ſibi intendunt de contractibus, & judicia falſorum teſtimoniorum, & aſſentationes divitum. Quorum nihil exiſtit, quia bona propria non communia ſunt: ſed ortum cuncta habent e pravitate hominum, quia eos, qui communia poſſident & communicant inter ſe aliqua re, videmus multo *magis controverſari*, (*a*) quam eos, qui privatim bona tenent: ſed ſpectamus paucos, qui e communionibus litigent, cum multis conferentes, qui proprie bona poſſident.

χόντων ἐν ταῖς πολιτείαις κακῶν, ὡς γινομένων διὰ τὸ μὴ κοινὴν εἶναι τὴν οὐσίαν. λέγω δὲ δίκας τε πρὸς ἀλλήλους περὶ συμβολαίων, καὶ ψευδομαρτυριῶν κρίσεις, καὶ πλουσίων κολακείας. ὧν οὐδὲν γίνεται διὰ τὴν ἀκοινωνησίαν, ἀλλὰ διὰ τὴν μοχθηρίαν. ἐπεὶ καὶ τοὺς κοινὰ κεκτημένους καὶ κοινωνοῦντας, πολλῷ διαφερομένους μᾶλλον ὁρῶμεν, ἢ τοὺς χωρὶς τὰς οὐσίας ἔχοντας. ἀλλὰ θεωροῦμεν ὀλίγους τῶν ἐκ τῶν κοινωνιῶν διαφερομένους, πρὸς πολλοὺς συμβάλλοντες τοὺς κεκτημένους ἰδίᾳ τὰς κτήσεις.

§. 11. Adhuc autem juſtum eſt, non ſolum dicere, quot malis privabuntur, ſi communia cuncta habuerint: verum etiam quot bonis. Perſpicitur autem, non poſſe ullo pacto traduci ſic vita.

§. 11. Ἔτι δὲ δίκαιον, μὴ μόνον λέγειν ὅσων στερήσονται κακῶν κοινωνήσαντες, ἀλλὰ καὶ ὅσων ἀγαθῶν. φαίνεται δ᾽ εἶναι πάμπαν ἀδύνατος ὁ βίος.

§. 12. Cauſam autem fuiſſe Socrati lapſionis exiſtimandum eſt, fundamentum, quo uſus eſt, non rectum: decet enim eſſe aliquo modo unam & domum & civitatem, ſed non omnino. Eſt enim, quomodo non erit, cum progreſſa fuerit, una: eſt etiam, quomodo erit quidem, proprie autem exiſtens ut civitas non ſit, deterior civitas erit. Quemadmodum ſi quis e pluribus vocibus concordibus efficeret ſimul vocem: vel ordinem motuum, rhythmum vocatum, unum inceſſum.

§. 12. Αἴτιον δὲ τῷ Σωκράτει τῆς παρακρούσεως χρὴ νομίζειν, τὴν ὑπόθεσιν οὐκ οὖσαν ὀρθήν. δεῖ μὲν γὰρ εἶναί πως μίαν καὶ τὴν οἰκίαν καὶ τὴν πόλιν, ἀλλ᾽ οὐ πάντως. ἔστι μὲν γὰρ ὡς οὐκ ἔσται προϊοῦσα πόλις. ἔστι δ᾽ ὡς ἔσται μὲν, ἐγγὺς δ᾽ οὖσα τοῦ μὴ πόλις εἶναι, ἔσται χείρων πόλις. ὥσπερ κἂν εἴ τις τὴν συμφωνίαν ποιήσειεν ὁμοφωνίαν, ἢ τὸν ῥυθμὸν βάσιν μίαν.

§. 13. Sed oportet, multitudinem exiſtentem, ut prius dictum eſt, per diſciplinam, & communem & unam facere: eumque, qui debet diſciplinam inducere, & exiſtimat præſidio hujus fore civitatem ſtudioſam, abſurdum eſt hujuſcemodi rebus putare ſe correcturum, & non inſtitutis & ſtudio ſapientiæ ac legibus. Quemadmodum quæ pertinent ad poſſeſſionem bonorum, Lacedæmone & in Creta, cœnis publicis legum ſcriptor communia reddidit.

§. 13. Ἀλλὰ δεῖ πλῆθος ὂν, ὥσπερ εἴρηται πρότερον, διὰ τὴν παιδείαν κοινὴν καὶ μίαν ποιεῖν· καὶ τόν γε μέλλοντα παιδείαν εἰσάγειν, καὶ νομίζοντα διὰ ταύτης ἔσεσθαι τὴν πόλιν σπουδαίαν, ἄτοπον τοῖς τοιούτοις οἴεσθαι διορθοῦν, ἀλλὰ μὴ τοῖς ἔθεσι, καὶ τῇ φιλοσοφίᾳ, καὶ τοῖς νόμοις. ὥσπερ τὰ περὶ τὰς κτήσεις, ἐν Λακεδαίμονι καὶ Κρήτῃ, τοῖς συσσιτίοις ὁ νομοθέτης ἐκοίνωσε.

§. 14. Decet quoque hoc non ignorare: opus eſſe, multum tempus & multos annos attendere, in quibus nullo modo fefelliſſent, ſi hæc bene ſe habuiſſent. Cuncta enim ferme inventa ſunt: verum hæc quidem non collecta ſunt, his autem homines non utuntur, intelligentes ipſa.

§. 14. Δεῖ δὲ μηδὲ τοῦτο αὐτὸ ἀγνοεῖν, ὅτι χρὴ προσέχειν τῷ πολλῷ χρόνῳ καὶ τοῖς πολλοῖς ἔτεσιν, ἐν οἷς οὐκ ἂν ἔλαθεν εἰ ταῦτα καλῶς εἶχε. πάντα γὰρ σχεδὸν εὕρηται μὲν, ἀλλὰ τὰ μὲν οὐ συνῆκται, τοῖς δ᾽ οὐ χρῶνται γινώσκοντες.

§. 15. Maxime autem hoc perſpicuum fieret, ſi quis rebus ipſis videret hujuſcemodi rempublicam conſtitutam. Non enim valebit, niſi in partes ſecans ipſam & ſejungens, efficere civitatem, quædam in cœnas publicas, quædam in phratrias, quædam in tribus. Quare nihil aliud uſu veniet legibus definitum eſſe, præterquam ne cuſtodes colant agros: quod quidem etiam nunc Lacedæmonii efficere aggrediuntur.

§. 15. Μάλιστα δ᾽ ἂν γένοιτο φανερὸν, εἴ τις τοῖς ἔργοις ἴδοι τὴν τοιαύτην πολιτείαν κατασκευαζομένην. οὐ γὰρ δυνήσεται μὴ μερίζων αὐτὰ καὶ χωρίζων, (*b*) ποιῆσαι τὴν πόλιν, τὰ μὲν εἰς συσσίτια, τὰ δὲ εἰς φρατρίας καὶ φυλάς. ὥστε οὐδὲν ἄλλο συμβήσεται νενομοθετημένον, πλὴν μὴ γεωργεῖν τοὺς φύλακας· ὅπερ καὶ νῦν Λακεδαιμόνιοι ποιεῖν ἐπιχειροῦσιν.

§. 16. Sed neque etiam modus totius reipublicæ quis erit iis, qui ſunt participes ipſius, neque dixit Socrates, neque proclive eſt dicere. Atqui ferme multitudo civitatis aliorum civium fit multitudo, ** de quibus nihil definitum eſt, utrum & agricolis communia decet eſſe peculia, vel ſingulis propria: adhuc autem & uxores & filios, proprios vel communes.

§. 16. Οὐ μὲν ἀλλ᾽ οὐδὲ ὁ τρόπος τῆς ὅλης πολιτείας τίς ἔσται τοῖς κοινωνοῦσιν, οὔτ᾽ εἴρηκεν ὁ Σωκράτης, οὔτε ῥᾴδιον εἰπεῖν. καί τοι σχεδόν τό γε πλῆθος τῆς πόλεως τὸ τῶν ἄλλων πολιτῶν γίνεται πλῆθος, ** περὶ ὧν (*c*) οὐδὲν διώρισται, πότερον καὶ τοῖς γεωργοῖς κοινὰς εἶναι δεῖ τὰς κτήσεις, ἢ (καὶ) καθ᾽ ἕκαστον ἰδίας· ἔτι δὲ καὶ γυναῖκας καὶ παῖδας ἰδίους, ἢ κοινούς.

§. 17. §. 17.

(*a*) *Magis controverſari*) Communio enim eſt mater diſcordiarum HOBBES. *de cive c.* I. §. 6. §. *XI. GOEB.*

(*b*) μὴ μερίζων αὐτὰ καὶ χορίζων) Camerarius notat, in libro quodam vetere repertam ſibi hanc ſcripturam: μὴ μερίζων ποιῆσαι τὴν πόλιν. Placuit illud Caſaubono. Certe & poſſunt omitti illa, quæ interjacent, & videtur ita ſermo reddi comptior. *CONR.*

(*c*) περὶ ὧν) Verba præcedentia integram propoſitionem non exhibent, eoque indubie nonnulla exciderunt. *CONR.*

Digitized by Google

§. 17. Si namque eodem pacto communia omnium omnia, quid intererit inter hos & cuſtodes? vel quid plus erit perferentibus imperium ipſorum, vel quid edocti tolerant imperium, niſi aliquid excogitarint hujuſcemodi, quale *Cretenſes*? (*a*) Illi namque aliis iisdem ſervis conceſſis, ſolum interdicunt ipſis exercitationibus corporis, nec ſinunt arma tenere.

§. 17. Εἰ μὲν γὰρ τὸν αὐτὸν τρόπον κοινὰ πάντα πάντων, τί διοίσουσιν οὗτοι ἐκείνων τῶν φυλάκων; ἢ τί πλεῖον τοῖς ὑπομένουσι τὴν ἀρχὴν αὐτῶν, ἢ τί μαθόντες (*b*) ὑπομένουσι τὴν ἀρχήν, ἐὰν μή τι σοφίζωνται τοιοῦτον οἷον Κρῆτες; ἐκεῖνοι γὰρ τἄλλα ταὐτὰ τοῖς δούλοις ἀφέντες, μόνον ἀπειρήκασι τὰ γυμνάσια, καὶ τὴν τῶν ὅπλων κτῆσιν.

§. 18. Si autem, quemadmodum in aliis civitatibus, & apud illos erunt hujuſcemodi, quis modus erit communionis? In una enim civitate duas eſſe civitates neceſſe erit, & has inter ſe ſubcontrarias. Facit enim cuſtodes, tanquam præſidii cauſſa illic conſtitutos: agricolas autem & opifices & alios, cives.

§. 18. Εἰ δὲ, καθάπερ ἐν ταῖς ἄλλαις πόλεσι, καὶ παρ' ἐκείνοις ἔσαι τὰ τοιαῦτα, τίς ὁ τρόπος ἔσαι τῆς κοινωνίας; ἐν μιᾷ γὰρ πόλει δύο πόλεις ἀναγκαῖον εἶναι, καὶ ταύτας ὑπεναντίας ἀλλήλαις. ποιεῖ γὰρ τοὺς μὲν φύλακας οἷον φρουρούς, τοὺς δὲ γεωργοὺς καὶ τοὺς τεχνίτας καὶ τοὺς ἄλλους πολίτας.

§. 19. Querimoniæ autem, & cauſæ forenſes, & quæcunque alia aliis civitatibus, inquit, ineſſe mala, cuncta inerunt & his. Atqui dicit Socrates, non fore, ut egeant multis legibus, propter diſciplinam, veluti urbis & fori curatoribus, & aliis hujuſcemodi magiſtratibus: cum tamen tribuerit tantum diſciplinam cuſtodibus.

§. 19. Ἐγκλήματα δὲ, καὶ δίκαι, καὶ ὅσα ἄλλα ταῖς πόλεσιν ὑπάρχειν φησὶ κακά, πάνθ' ὑπάρξει καὶ τούτοις. καίτοι λέγει ὁ Σωκράτης, ὡς οὐ πολλῶν δεήσονται νομίμων διὰ τὴν παιδείαν, οἷον ἀστυνομικῶν, καὶ ἀγορανομικῶν, καὶ τῶν ἄλλων τῶν τοιούτων, ἀποδιδοὺς μόνον τὴν παιδείαν τοῖς φύλαξιν.

§. 20. Adhuc autem facit dominos agrorum agricolas, ſi vectigal ſolverint. Atqui multo magis veriſimile eſt ipſos moleſtos futuros & ſpiritus plenos, quam ſint apud quoſdam Ilotiæ & Peneſtiæ & ſervitia.

§. 20. Ἔτι δὲ κυρίους ποιεῖ τῶν κτημάτων τοὺς γεωργούς, ἀποφορὰν φέροντας. ἀλλὰ πολὺ μᾶλλον εἰκὸς εἶναι χαλεποὺς, καὶ φρονημάτων πλήρεις, ἢ τὰς παρ' ἐνίοις εἱλωτείας (*c*) τε καὶ πενεστείας, καὶ δουλείας.

§. 21. Sed enim ſive neceſſaria hæc ſunt ſimiliter, ſive non, nunc quidem nihil definitum eſt: & de iis, quæ ſtatim ſequuntur hæc, quæ ſit horum reſpublica, quæ diſciplina, & quæ leges. Eſt autem neque invenire proclive, neque parvi intereſt, quales hi ſint ad tuendam cuſtodum communionem.

§. 21. Ἀλλὰ γὰρ εἴτ' ἀναγκαῖα ταῦθ' ὁμοίως εἴτε μή, νῦν γ' οὐδὲν διώρισαι· καὶ περὶ τῶν ἐχομένων, τίς ἡ τούτων τε πολιτεία καὶ παιδεία, καὶ νόμοι τίνες. ἔσι δ' οὔθ' εὑρεῖν ῥᾴδιον, οὔτε τὸ διαφέρον μικρόν, τὸ ποιούς τινας εἶναι τούτους πρὸς τὸ σώζεσθαι τὴν τῶν φυλάκων κοινωνίαν.

§. 22. Quin etiam, ſi uxores faciet communes, bona autem propria, quæ domus curam ſuſcipiet? quemadmodum in agris ipſarum viri. Et ſi bona communia, & agricolarum uxores.

§. 22. Ἀλλὰ μήν, εἴγε τὰς μὲν γυναῖκας ποιήσει κοινάς, τὰς δὲ κτήσεις ἰδίας τίς οἰκονομήσει (κἂν εἰ κοιναὶ αἱ (*d*) κτήσεις, καὶ αἱ τῶν γεωργῶν γυναῖκες) ὥσπερ τὰ ἐπὶ τῶν ἀγρῶν οἱ ἄνδρες αὐτῶν;

§. 23. Abſurdum autem eſt, & e belluis collationem ducentes, probare velle eadem oportere tractare mulieres, quæ viri: quibus belluis nihil datum eſt, quod quicquam faciat ad diſciplinam domeſticam.

§. 23. Ἄτοπον δὲ καὶ τὸ ἐκ τῶν θηρίων ποιεῖσθαι τὴν παραβολήν, ὅτι δεῖ τὰ αὐτὰ ἐπιτηδεύειν τὰς γυναῖκας τοῖς ἀνδράσιν, οἷς οἰκονομίας οὐδὲν μέτεστιν.

§. 24. Lubrica autem eſt quoque ratio, qua utitur Socrates in creandis magiſtratibus. Eoſdem enim ſemper facit magiſtratus gerere. Hæc autem cauſa ſeditionis exiſtit etiam apud illos, qui nullius dignitatis ſunt, ne dum apud viros animi plenos & bellicoſos. Neceſſe autem ipſi eſſe iisdem ſemper imperium dare, perſpicuum eſt. Non enim nunc quidem his, alio autem tempore aliis, mixtum eſt in animo immiſſum a Deo aurum, ſed ſemper iisdem. Inquit enim his quidem ſtatim naſcentibus miſcuiſſe aurum, his autem argentum: æs autem & ferrum illis, qui opifices futuri erant, & agricolæ.

§. 24. Ἐπισφαλὲς δὲ καὶ τοὺς ἄρχοντας ὡς καθίστησιν ὁ Σωκράτης· ἀεὶ γὰρ ποιεῖ τοὺς αὐτοὺς ἄρχοντας. τοῦτο δὲ στάσεως αἴτιον γίνεται καὶ παρὰ τοῖς μηδὲν ἀξίωμα κεκτημένοις, ἤπου γε δὴ (*e*) παρά γε θυμοειδέσι καὶ πολεμικοῖς ἀνδράσιν. ὅτι δ' ἀναγκαῖον αὐτῷ ποιεῖν τοὺς αὐτοὺς ἄρχοντας, φανερόν· οὐ γὰρ ὁτὲ μὲν ἄλλοις, ὁτὲ δὲ ἄλλοις μέμικται ταῖς ψυχαῖς ὁ παρὰ τοῦ θεοῦ χρυσός, ἀλλ' ἀεὶ τοῖς αὐτοῖς. φησὶ δὲ, τοῖς μὲν εὐθὺ γινομένοις μῖξαι χρυσόν, τοῖς δὲ ἄργυρον· χαλκὸν δὲ καὶ σίδηρον τοῖς τεχνίταις, μέλλουσιν ἔσεσθαι καὶ γεωργοῖς.

§. 25. §. 25.

(*a*) *Cretenſes*) Hi colebant agros per perioecos, Spartani per Heliotas, Romani per ſervos & Germani per fœminas ſenesque & infirmiſſimum quemque ex familia. *GOEB.*

(*b*) Τί μαθόντες. Ita & in excuſis omnibus & ſcriptis libris ſe reperiſſe notat Victorius. Indicio tamen veteris verſionis obſervat, olim legi ſolere, τί παθόντες: nec improbat. Camerarius quoque utramque lectionem adducit, neutram improbans. *CONR.*

(*c*) Εἱλωτείας.) Baſileenſis habet εἱλωτείας, quod merito præfert Sylburgius. *CONR.*

(*d*) Κἂν εἰ κοιναί.) Hoc membrum incluſum nonnulli codices habent poſt οἱ ἄνδρες αὐτῶν; idque probavit Victorius, Montecatinus, Giphanius; nec immerito. *CONR.*

(*e*) Ἤπου γε δή.) Aldinus Baſileenſis & Montecatinus legit ἤπουθεν δή, parvo diſcrimine. Caſaubonus tamen poſterius probavit. *CONR.*

Digitized by Google

§. 25. Adhuc autem cum demat vitam beatam cuſtodibus, totam oportere ait beatam civitatem efficere legiſlatorem. Fieri autem non poteſt, ut civitas tota beata ſit, niſi plurimi, ſi non omnes partes, aut quidam, vitam beatam nacti ſint. Non enim eorundem eſt beatum eſſe, quorum numero par. Hoc enim contingit toti ineſſe, partium autem neutri: beatum vero eſſe, nullo modo. Atqui ſi cuſtodes non ſunt beati, qui alii erunt? non enim profecto opifices & multitudo ſordidas artes colentium.

§. 25. Ἔτι δὲ καὶ τὴν εὐδαιμονίαν ἀφαιρέμενος τῶν φυλάκων, ὅλην φησὶ δεῖν εὐδαίμονα ποιεῖν τὴν πόλιν τὸν νομοθέτην. ἀδύνατον δὲ εὐδαιμονεῖν ὅλην, μὴ τῶν πλείϛων, ἢ μὴ πάντων (b) μερῶν, ἢ τινῶν ἐχόντων τὴν εὐδαιμονίαν. ȣ̓ γὰρ τῶν αὐτῶν τὸ εὐδαιμονεῖν, ὧνπερ τὸ ἄρτιον. τȣ̃το μὲν γὰρ ἐνδέχεται τῷ ὅλῳ ὑπάρχειν, τῶν δὲ μερῶν μηδετέρῳ· τὸ δὲ εὐδαιμονεῖν ἀδύνατον. ἀλλὰ μὴν εἰ οἱ φύλακες μὴ εὐδαίμονες, τίνες ἕτεροι; ȣ̓ γὰρ δὴ οἵγε τεχνῖται, καὶ τὸ πλῆθος τὸ τῶν βαναύσων.

§. 26. Reſpublica igitur, de qua Socrates diſſeruit, his dubitationibus, & aliis non minoribus his, obnoxia eſt.

§. 26. Ἡ μὲν οὖν πολιτεία περὶ ἧς ὁ Σωκράτης εἴρηκε, ταύτας τε τὰς ἀπορίας ἔχει, καὶ τȣ́των ȣ̓κ ἐλάττȣς ἑτέρας.

# CAP. IV.

§. 1.

VI. Ferme autem aſſimiliter res ſe habet circa leges, quæ poſterius ſcriptæ ſunt: quare & de republica, quæ hic eſt, animadvertere puſilla ſatius erit.

§. 1.

Σχεδὸν δὲ παραπλησίως καὶ περὶ τȣ̀ς Νόμȣς ἔχει τȣ̀ς ὕϛερον γραφέντας. διὸ καὶ περὶ τῆς ἐνταῦθα πολιτείας ἐπισκέψασθαι μικρὰ, βέλτιον.

§. 2. In republica enim de paucis admodum ſtatuit Socrates: de uxorum, inquam, & liberorum communione, quomodo ſe habere oportet, & de poſſeſſione bonorum, reipublicæ etiam ordinem attigit. Dividit enim in duas partes multitudinem eorum, qui illic habitant: unam quidem in agricolas, alteram autem in partem, quæ ſervit bello: tertiam autem harum, quæ deliberat, & ſummam poteſtatem habet in civitate. De agricolis autem & opificibus, utrum nullius vel alicujus magiſtratus participes ſint: & utrum arma oporteat domi habere & hos, atque una cum aliis verſari in bello, vel non: de his nihil definiit Socrates. Sed mulieres putat oportere una *cum viris pugnare*, (a) & eadem inſtitui diſciplina, qua cuſtodes: in cæteris autem alienis inde ſermonibus referſit diſputationem: & de diſciplina, qualem oportet eſſe cuſtodum.

§. 2. Καὶ γὰρ ἐν τῇ Πολιτείᾳ περὶ ὀλίγων πάμπαν διώρικεν ὁ Σωκράτης, περί τε γυναικῶν καὶ τέκνων κοινωνίας, πῶς ἔχειν δεῖ, (c) καὶ περὶ κτήσεως, καὶ τῆς πολιτείας τὴν τάξιν. διαιρεῖται γὰρ εἰς δύο μέρη τὸ πλῆθος τῶν οἰκούντων, τὸ μὲν εἰς τȣ̀ς γεωργȣ̀ς, τὸ δὲ εἰς τὸ προπολεμοῦν μέρος· τρίτον δ' ἐκ τȣ́των τὸ βȣλευόμενον, καὶ κύριον τῆς πόλεως. περὶ δὲ τῶν γεωργῶν καὶ τῶν τεχνιτῶν, πότερον ȣ̓δεμιᾶς, ἢ μετέχȣσι τινὸς ἀρχῆς, καὶ πότερον ὅπλα δεῖ κεκτῆσθαι καὶ τȣ́τȣς, καὶ συμπολεμεῖν, ἢ μὴ· περὶ τȣ́των ȣ̓δὲν διώρικεν ὁ Σωκράτης. ἀλλὰ τὰς μὲν γυναῖκας οἴεται δεῖν συμπολεμεῖν, καὶ παιδείας μετέχειν τῆς αὐτῆς τοῖς φύλαξι· τὰ δ' ἄλλα, τοῖς ἔξωθεν (d) λόγοις πεπλήρωκε τὸν λόγον· καὶ περὶ τῆς παιδείας, ποίαν τινὰ δεῖ γίνεσθαι τῶν φυλάκων.

§. 3. Legum autem maxima pars leges ſunt: pauca autem de republ. dixit: & hanc volens communiorem facere civitatibus, paulatim circumagit rurſus ad alteram rempubl. Extra enim communionem uxorum & bonorum, cætera cuncta tribuit ambabus rebuspublicis. Etenim diſciplinam eandem: & operibus neceſſariis ſe abſtinentes vivere, & de cœnis communibus eodem pacto, præter quam in hac, inquit, oportere cœnas publicas etiam mulierum eſſe: & illam quidem mille arma tenentium, hanc autem quinque millium.

§. 3. Τῶν δὲ Νόμων, τὸ μὲν πλεῖϛον μέρος νόμοι τυγχάνȣσιν ὄντες, ὀλίγα δὲ περὶ τῆς πολιτείας εἴρηκε. καὶ ταύτην βȣλόμενος κοινοτέραν ποιεῖν ταῖς πόλεσι, κατὰ μικρὸν περιάγει πάλιν πρὸς τὴν ἑτέραν πολιτείαν. ἔξω γὰρ τῆς τῶν γυναικῶν κοινωνίας, καὶ τῆς κτήσεως, τὰ ἄλλα ταὐτὰ ἀποδίδωσιν (e) ἀμφοτέραις ταῖς πολιτείαις. καὶ γὰρ παιδείαν τὴν αὐτὴν· καὶ τὸ τῶν ἔργων τῶν ἀναγκαίων ἀπεχομένȣς ζῆν· καὶ περὶ συσσιτίων ὡσαύτως· πλὴν ἐν ταύτῃ φησὶ δεῖν εἶναι συσσίτια καὶ γυναικῶν, καὶ τὴν μὲν χιλίων τῶν ὅπλα κεκτημένων, ταύτην δὲ πεντακισχιλίων.

§. 4. Eximium igitur habent in ſe quiddam cunctæ Socratis diſputationes, & amplum, & novitatis ſtudioſum, nec non plenum quæſtionum. Recte autem omnia, fortaſſe difficile eſt affirmare.

§. 4. Τὸ μὲν οὖν περιττὸν ἔχȣσι πάντες οἱ τȣ̃ Σωκράτȣς λόγοι, καὶ τὸ κομψὸν, καὶ τὸ καινοτόμον, καὶ τὸ ζητητικόν· καλῶς δὲ πάντα ἴσως, χαλεπόν.

§. 5.

(a) *Viris pugnare*) Raræ inter fœminas viragines, & majus in bello impedimentum & detrimentum, quam commodum eſſe ſolent. Quanquam non ignotum ſit, multis gentibus etiam Germanis receptum fuiſſe, uxores & liberos in bello comites habere. TACITUS *in Germ. c.* 7. 8. & memoriæ proditur, quaſdam acies, inclinatas jam & labantes a fœminis fuiſſe reſtitutas. *GOEB.*

(b) Ἢ μὴ πάντων.) Victorius & Montecatinus maluerunt, ȣ̓ μὴ πάντων, idque in ſuis verſionibus expreſſerunt. *CONR.*

(c) Πῶς ἔχειν δεῖ.) Hæc verba in nonnullis codicibus deſunt, eoque ab Aretino & Sepulveda non exprimuntur. *CONR.*

(d) Τὰ δ' ἄλλα τοῖς ἔξωθεν.) Heinſius vult tranſpoſitionem hoc loco fieri: ſed illa non perſpicue ſatis apparet. Utque ſit, nihil tamen debet novari, quum ipſo Heinſio teſte Ariſtoteles ipſemet illius tranſpoſitionis ſit auctor. *CONR.*

(e) Ἀποδίδωσιν.) Aldini & Iſengriniani codices habent δίδωσιν, nullo fere ſenſus diſcrimine. *CONR.*

§. 5.

§. 5. Quia & multitudo, quæ nunc dicta eſt, quod ignorare nos minime oportet, egebit Babylonia tellure, vel quapiam alia, quæ ſit infinita magnitudine, e qua quinque millia otioſorum hominum alantur: & præter hos mulierum & famulorum alia turba multiplex.

§. 6. Opus ſane eſt ponere quemque, ut optat: nihil tamen, quod effici non poſſit.

§. 7. Traditur autem oportere legiſlatorem ad duo reſpicientem: *leges ferre ad regionem*, (a) inquam, & homines. Præterea autem recte habet adjungere: *& ad vicinos locos;* ſi decet civitatem ducere civilem vitam. Non enim ſolum neceſſe eſt ipſam uti hujuſcemodi armis ad bellum, quæ accommodata ſint ſua in tellure, verum etiam uſui ſint ad externos locos. Si autem aliquis non probat hujuſcemodi vitam, neque propriam, neque communem civitatis: nihilominus tamen opus eſt formidabiles eſſe hoſtibus, non ſolum cum invaſerint in regionem, ſed etiam abeuntibus.

§. 8. Et copiam patrimonii videndum eſt, num melius ſit aliter definire, ut ſit magis aperta. Tantum enim, ait, oportere eſſe, ut liceat vivere temperanter: tanquam ſi quis dixiſſet; *ut vivere liceat bene.* Hoc enim eſt magis univerſale. Præterea licet temperanter, miſere autem vivere. Melior igitur finis fuiſſet, temperanter & liberaliter. Seorſum enim utrumque, hoc quidem comitabitur ei, quod eſt delicate vivere: hoc autem illi, quod eſt laborioſe. Quia ſoli ſunt habitus expetendi hi in uſu rei familiaris. Ceu patrimonio leniter vel fortiter non licet uti, temperanter autem & liberaliter licet. Quare & uſus neceſſe eſt circa ipſum eſſe hos.

§. 9. Abſurdum autem eſt etiam, bona æquantem, quod facit, numerum civium non ſtatuere: ſed relinquere procreationem liberorum ſolutam, tanquam ipſa, quod ſatis ſit, adæquatum iri debeat ad eundem numerum per ſterilitates, quotquot illi nati fuerint, quoniam videtur hoc uſu nunc venire in civitatibus. Opus autem eſt, hoc non ſimiliter exquiſite ſe habere in civitatibus tum, & nunc. Nunc enim nullus eſurit, quia bona in quemlibet numerum dividuntur. Tunc autem, cum minime liceret dividere, neceſſe erat, qui reſtarent ſine fundo, nihil habere: ſive pauciores numero fuerint, ſive plures.

§. 10. Magis autem oportere exiſtimaret aliquis, quam bona, definitam eſſe procreationem liberorum, ut non liceret plures gignere numero quodam. Hunc autem numerum ponere ad caſus reſpicientem, ſi contigerit mori quoſdam eorum, qui nati ſunt, & ad aliorum ſterilitatem. Solutum autem hoc relinquere, quemadmodum

§. 5. Ἐπεὶ καὶ τὸ νῦν εἰρημένον πλῆθος δεῖ μὴ λανθάνειν, ὅτι χώρας δεήσει τοῖς τοσούτοις Βαβυλωνίας, ἤ τινος ἄλλης ἀπεράντου τὸ πλῆθος, ἐξ ἧς ἀργοὶ πεντακισχίλιοι θρέψονται, καὶ παρὰ τούτους γυναικῶν καὶ θεραπόντων ἕτερος ὄχλος πολλαπλάσιος.

§. 6. Δεῖ μὲν οὖν ὑποτίθεσθαι κατ' εὐχήν, μηδὲν μέν. τοι ἀδύνατον.

§. 7. Λέγεται δ', ὡς δεῖ τὸν νομοθέτην πρὸς δύο βλέποντα τιθέναι τοὺς νόμους, πρός τε τὴν χώραν, καὶ τοὺς ἀνθρώπους· ἔτι δὲ καλῶς ἔχει προσθεῖναι, (b) καὶ πρὸς τοὺς γειτνιῶντας τόπους, εἰ δεῖ τὴν πόλιν ζῆν βίον πολιτικόν. (c) οὐ γὰρ μόνον ἀναγκαῖόν ἐστιν αὐτὴν τοιούτοις χρῆσθαι πρὸς τὸν πόλεμον ὅπλοις, ἃ χρήσιμα κατὰ τὴν οἰκείαν χώραν ἐστίν, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἔξω τόπους. οἱ δέ τις μὴ τοιοῦτον ἀποδέχεται βίον, μήτε τὸν κοινὸν τῆς πόλεως, ὅμως οὐδὲν ἧττον δ' εἶ φοβεροὺς εἶναι τοῖς πολεμίοις, μὴ μόνον ἐλθοῦσιν εἰς τὴν χώραν, ἀλλὰ καὶ ἀπελθοῦσι.

§. 8. Καὶ τὸ πλῆθος δὲ τῆς κτήσεως ὁρᾶν δεῖ μήποτε βέλτιον ἑτέρως διορίσαι, τῷ σαφῶς μᾶλλον. τοσαύτην γὰρ εἶναί φησι δεῖν, ὥστε ζῆν σωφρόνως. ὥσπερ ἂν εἴ τις εἶπεν, ὥστε ζῆν εὖ· τοῦτο γάρ ἐστι καθόλου μᾶλλον. ἔτι δ' ἐστὶ σωφρόνως μέν, ταλαιπώρως δὲ ζῆν. ἀλλὰ βελτίων ὅρος, τὸ σωφρόνως καὶ ἐλευθερίως χωρὶς γὰρ ἑκάτερον, τὸ μὲν τῷ τρυφᾷν ἀκολουθήσει, τὸ δὲ τῷ ἐπιπόνως. ἐπεὶ μόναι γ' εἰσὶν ἕξεις αἱρεταὶ (d) περὶ τὴν τῆς οὐσίας χρῆσιν αὗται. οἷον οὐσίᾳ πρᾴως ἢ ἀνδρείως χρῆσθαι οὐκ ἔστι, σωφρόνως δὲ καὶ ἐλευθερίως ἐστίν· ὥστε καὶ τὰς χρήσεις ἀναγκαῖον περὶ αὐτὴν εἶναι ταύτας.

§. 9. Ἄτοπον δὲ καὶ τὸ τὰς κτήσεις ἰσάζοντα, τὸ περὶ τὸ πλῆθος τῶν πολιτῶν μὴ κατασκευάζειν, ἀλλ' ἀφεῖναι τὴν τεκνοποιίαν ἀόριστον, ὡς ἱκανῶς ἂν ὁμαλισθησομένην εἰς τὸ αὐτὸ πλῆθος διὰ τὰς ἀτεκνίας, ὁσωνοῦν γενωμένων, ὅτι δοκεῖ τοῦτο καὶ νῦν συμβαίνειν περὶ τὰς πόλεις. δεῖ δὲ τοῦτ' οὐχ ὁμοίως ἀκριβῶς ἔχειν περὶ τὰς πόλεις τότε, καὶ νῦν. νῦν μὲν γὰρ οὐδεὶς ἀπορεῖ, διὰ τὸ μερίζεσθαι τὰς οὐσίας εἰς (τὸ) ὁποσονοῦν πλῆθος· τότε δ' ἀδιαιρέτων οὐσῶν, ἀνάγκη τοὺς παράζυγας μηδὲν ἔχειν, ἐάν τ' ἐλάττους ὦσι τὸ πλῆθος, ἐάν τε πλείους.

§. 10. Μᾶλλον δὲ δεῖν ὑπολάβοι τις ἂν ὡρίσθαι τῆς οὐσίας τὴν τεκνοποιίαν, ὥστε ἀριθμοῦ τινος μὴ πλείονα γεννᾷν. τοῦτο δὲ τιθέναι τὸ πλῆθος, ἀποβλέποντα πρὸς τὰς τύχας, ἂν συμβαίνῃ τελευτᾷν τινας τῶν γεννηθέντων, καὶ πρὸς τὴν τῶν ἄλλων ἀτεκνίαν· τὸ δ' ἀφεῖσθαι, καθάπερ ἐν ταῖς πλείσταις πόλεσι, πενίας ἀναγκαῖον αἴτιον γίνεσθαι

(a) *Leges ferre ad regiones*) SEBAST. CAESARIS DE MENESES *ſumma politica tit. II. c. I. & II.* GOEB.

(b) Προσθεῖναι.) Iidem codices habent προστεθεῖναι: quos ſequitur Montecatinus & Caſaubonus. *CONR.*

(c) Βίον πολιτικὸν) Ita habere vulgo omnes codices, nec aliter legere explanatores & interpretes, fatetur Montecatinus: nihilominus jubet legere βίον ὁπλιτικόν. Et vero τὸ πολιτικὸν nihil facit ad rem, qua de ſermo eſt. Si autem ὁπλιτικὸν legas, omnia ſunt planiora. Neſcio tamen an φράσις iſthæc: βίος ὁπλιτικὸς: Ariſtoteli ſit alibi in uſu. Muretus ut & Caſaubonus cenſuit legendum πολεμικὸν βίον: quæ loquendi ratio eſt familiarior, *CONR.*

(d) Ἕξεις αἱρεταὶ) Aldinus & Baſileenſis imo & veteris interpretis codex habuit: ἀρεταὶ: ſed parum congruenter, ut recte etiam Sylburgius judicavit. *CONR.*

dum in plurimis civitatibus, neceſſe eſt pauper tatis cauſam exiſtere civibus. Paupertas autem inſerit in civitatem *ſeditionem* (*a*) & ſtudium fraudandi.

θαι τοῖς πολίταις. ἡ δὲ πενία, στάσιν ἐμποιεῖ καὶ κακουργίαν.

§. 11. Phidon igitur Corinthius, qui fuit unus e vetuſtiſſimis legiſlatoribus, familias æquales numero putavit opus eſſe permanere, & multitudinem civium: etſi primo fundos habebant inæquales cuncti magnitudine. In legibus autem his contrarium eſt. Sed de his quomodo putamus melius eſſe, dicendum poſtea.

§. 11. Φείδων μὲν οὖν ὁ Κορίνθιος, ὢν νομοθέτης τῶν ἀρχαιοτάτων, τοὺς οἴκους ἴσους ᾠήθη δεῖν διαμένειν καὶ τὸ πλῆθος τῶν πολιτῶν· καὶ εἰ τὸ πρῶτον τοὺς κλήρους ἀνίσους εἶχον πάντες κατὰ μέγεθος. ἐν δὲ τοῖς Νόμοις τούτοις τοὐναντίον ἐστίν. ἀλλὰ περὶ μὲν τούτων πῶς οἰόμεθα βέλτιον ἂν ἔχειν, λεκτέον ὕστερον.

§. 12. Omiſſa autem ſunt in his legibus & ea quæ pertinent ad imperium habentes, quomodo diſcrepantes erunt ab his, qui parent. Ait enim, oportere, veluti ex alia lana ſtamen efficitur quam trama: ſic & imperantem oportere ſe habere ad parentes.

§. 12. Ἐλλέλειπται δὲ τοῖς Νόμοις τούτοις καὶ τὰ περὶ τοὺς ἄρχοντας, ὅπως ἔσονται διαφέροντες τῶν ἀρχομένων. Φησὶ γὰρ δεῖν, ὥσπερ ἐξ ἑτέρου τὸ στημόνιον ἐρίου γίνεται τῆς κρόκης, οὕτω καὶ τοὺς ἄρχοντας ἔχειν δεῖν (*d*) πρὸς τοὺς ἀρχομένους.

** **

Quia autem univerſum patrimonium permittit fieri majus usque ad quincuplum, cur hoc non fieri debeat in tellure aliqua tenus?

Ἐπεὶ δὲ τὴν (*e*) πᾶσαν οὐσίαν ἐφίησι γίνεσθαι μείζονα μέχρι πενταπλασίας, (*f*) διὰ τί τοῦτ' οὐκ ἂν εἴη ἐπὶ τῆς γῆς μέχρι τινός;

§. 13. Decet quoque attendere diviſionem ædium, ne forte non accommodata ſit diſciplinæ domeſticæ: duas enim ædes ſingulis tribuit ſeparatas interſe. Difficile autem eſt duas domos habitare.

§. 13. Καὶ τὴν τῶν οἰκοπέδων δὲ διαίρεσιν δεῖ σκοπεῖν, μή ποτ' οὐ συμφέρῃ πρὸς οἰκονομίαν. δύο γὰρ οἰκόπεδα ἑκάστῳ ἔνειμε, διελὼν χωρίς. χαλεπὸν δὲ οἰκίας δύο οἰκεῖν.

§. 14. Univerſa autem conſtructio vult eſſe neque ſtatus multitudinis, neque dominatus paucorum: media autem harum, quam vocant rempublicam. Ex his enim hominibus conſtat, qui arma tenent. Si igitur, ut maxime communem civitatibus hanc fabricat, quam aliæ ullæ ſint, recte fortaſſe dixit: ſi autem, ut optimam poſt primam rempublicam, non recte. Fortaſſe enim reperiretur aliquis, qui rempubl. *Laconum* (*b*) magis laudaret, vel aliam quampiam, magis vergentem ad ſtatum optimorum.

§. 14. Ἡ δὲ σύνταξις ὅλη, βούλεται μὲν εἶναι μήτε δημοκρατία, μήτε ὀλιγαρχία, μέση δὲ τούτων, ἣν καλοῦσι πολιτείαν· ἐκ γὰρ τῶν ὁπλιτευόντων ἐστίν. εἰ μὲν οὖν ὡς κοινοτάτην ταύτην κατασκευάζει ταῖς πόλεσι τῶν ἄλλων πολιτείαν, καλῶς εἴρηκεν ἴσως· εἰ δ' ὡς ἀρίστην μετὰ τὴν πρώτην πολιτείαν, οὐ καλῶς· τάχα γὰρ τὴν τῶν Λακώνων ἄν τις ἐπαινέσειε μᾶλλον, ἢ κἂν ἄλλην τινὰ ἀριστοκρατικωτέραν.

§. 15. Quidam igitur dicunt, oportere optimam remp. ex omnibus rebuspubl. temperatam eſſe. Quapropter Lacedæmoniorum rempubl. laudant. Conſtare namque ipſam hi quidem ajunt, e dominatu paucorum, & ſtatu unius, & multitudinis ſtatu: dicentes, regiam poteſtatem eſſe monarchiam: Senum autem ordinem ſtatum paucorum: regi autem a multitudine per imperium Ephororum, quia Ephori creantur e populo. Hi autem poteſtatem Ephororum tyrannidem referre volunt: regi autem a multitudine per menſas illas publicas, & reliquam cotidianam vitam. In legibus autem his dictum eſt, oportere optimam rempubl. conſtitutam eſſe e ſtatu multitudinis & tyrannide: quas vel penitus nemo unquam concederet eſſe reſpublicas, vel peſſimas omnium. Melius igitur dicunt, qui plures miſcent: reſpubl. enim, quæ conflata eſt e pluribus, *melior eſt.* (*c*)

§. 15. Ἔνιοι μὲν οὖν λέγουσιν, ὡς δεῖ τὴν ἀρίστην πολιτείαν ἐξ ἁπασῶν εἶναι τῶν πολιτειῶν μεμιγμένην· διὸ καὶ τὴν τῶν Λακεδαιμονίων ἐπαινοῦσιν· εἶναι γὰρ αὐτὴν, οἱ μὲν ἐξ ὀλιγαρχίας, καὶ μοναρχίας, καὶ δημοκρατίας φασί· λέγοντες τὴν μὲν βασιλείαν, μοναρχίαν· τὴν δὲ τῶν Γερόντων ἀρχὴν ὀλιγαρχίαν· δημοκρατεῖσθαι δὲ κατὰ τὴν τῶν Ἐφόρων ἀρχὴν, διὰ τὸ ἐκ τοῦ δήμου εἶναι τοὺς Ἐφόρους· οἱ δὲ τὴν μὲν Ἐφορίαν (*g*) εἶναι τυραννίδα, δημοκρατεῖσθαι δὲ κατά τε τὰ συσσίτια καὶ τὸν ἄλλον βίον τὸν καθ' ἡμέραν. ἐν δὲ τοῖς Νόμοις εἴρηται τούτοις, ὡς δέον συγκεῖσθαι τὴν ἀρίστην πολιτείαν ἐκ δημοκρατίας καὶ τυραννίδος, ἃς ἢ τὸ παράπαν οὐκ ἄν τις θείη πολιτείας, ἢ χειρίστας πασῶν. βέλτιον οὖν λέγουσιν οἱ πλείους μιγνύντες. ἡ γὰρ ἐκ πλειόνων συγκειμένη πολιτεία, βελτίων.

§. 16. Deinde neque habere perſpicitur quicquam

§. 16. Ἔπειτ' οὐδ' ἔχουσα φαίνεται μοναρχικὸν οὐδὲν, ἀλ-

(*a*) *Seditionem*) *Semper in civitate, quibus opes nulla ſunt, nova expetunt, vetera odere, odioque ſuarum rerum omnia mutare ſtudent.* SALLUST. E da notare, che gli huomini ſi muoverano piu per privato intereſſe, che per publica utilitá. MALVEZI. *GOEB.*

(*b*) *Laconum*) Vid. CRAGIUM *de republica Lacedamoniorum.* *GOEB.*

(*c*) *Melior eſt*) *Diſcorſi di* MACHIAVELLI *lib. I. c. II.* *GOEB.*

(*d*) Ἔχειν δεῖν) Τὸ δεῖν aut hic aut paulo ante redundat, a dormitante librario adjectum. *CONR.*

(*e*) Ἐπεὶ δὲ τὴν) Hic videtur oratio hiare. *CONR.*

(*f*) Μέχρι πενταπλασίας) Zvvingerus malit ſcribere; τετραπλασίας. Et vero videtur hoc convenientius ſententiæ Platonis, qui in patrimoniis admittit quadrupli augmentum. Sed fortaſſis ipſum Ariſtotelem fefellit memoria, nam & infra recurrit illud: πενταπλασία. *CONR.*

(*g*) Ἐφορίαν) Baſileenſis habet ἐφορείαν, parvo diſcrimine: noſtrum tamen & planius eſt, & uſitatius. *CONR.*

quam ſimile principatui, ſed cuncta peculiaria dominatus paucorum, & ſtatus multitudinis: magis tamen inclinare vult ad Paucorum dominatum. Patet autem hoc e creatione magiſtratuum. E ſuffragiis enim delectis ſorte ipſos creari, commune ſane eſt amborum ſtatuum. Locupletioribus autem neceſſitatem impoſitam eſſe frequentandi conciones & comitia, vel aliud omne munus obire proprium civium, hoc utique peculiare eſt Paucorum dominatus: dareque itidem operam, ut plures ex ordine locupletum ſint in magiſtratibus: nec non maximos magiſtratus creari e maximis cenſibus.

ἀλλ᾽ ὀλιγαρχικά, καὶ δημοκρατικά· μᾶλλον δ᾽ ἐγκλίνειν βούλεται πρὸς τὴν ὀλιγαρχίαν. δῆλον δ᾽ ἐκ τῆς τῶν ἀρχόντων καταστάσεως. τὸ μὲν γὰρ ἐξ αἱρετῶν κληρωτούς, κοινὸν ἀμφοῖν. τὸ δέ, τοῖς μὲν εὐπορωτέροις ἐπάναγκες ἐκκλησιάζειν εἶναι, καὶ φέρειν ἄρχοντας, ἤ τι ποιεῖν ἄλλο τῶν πολιτικῶν, τοὺς δ᾽ ἀφεῖσθαι, τοῦτο δ᾽ ὀλιγαρχικόν. καὶ τὸ πειρᾶσθαι πλείους ἐκ τῶν εὐπόρων εἶναι τοὺς ἄρχοντας, καὶ τὰς μεγίστας ἐκ τῶν μεγίστων τιμημάτων.

§. 17. Aptum autem poteſtati paucorum facit quoque delectum Senatus. Deligunt enim cuncti neceſſitate ſibi impoſita, ſed e primo cenſu: deinde rurſus æquales e ſecundo: deinde e tertiis: niſi quod non omnibus neceſſe eſt e tertiis vel quartis. E quarta autem claſſe illis ſolis neceſſe eſt, qui primi ſunt, & ſecundi. Deinde ex his parem e ſingulis cenſibus affirmat numerum oportere creare. Erunt igitur plures, qui e maximis cenſibus, & meliores: quia nonnulli e popularibus præſentes non aderunt comitiis, neceſſitate ipſis non impoſita.

§. 17. Ὀλιγαρχικὴν δὲ ποιεῖ καὶ τὴν τῆς βουλῆς αἵρεσιν. αἱροῦνται μὲν γὰρ πάντες ἐπάναγκες, ἀλλ᾽ ἐκ τοῦ πρώτου (b) τιμήματος· εἶτα πάλιν ἴσους ἐκ τοῦ δευτέρου, εἶτ᾽ ἐκ τῶν τρίτων. (c) πλὴν οὐ πᾶσιν ἐπάναγκες ἦν τοῖς ἐκ τῶν τρίτων, ἢ τετάρτων. ἐκ δὲ τοῦ τετάρτου, τῶν τετάρτων μόνοις (d) ἐπάναγκες τοῖς πρώτοις, καὶ τοῖς δευτέροις. εἶτ᾽ ἐκ τούτων ἴσον ἀφ᾽ ἑκάστου τιμήματος ἀποδεῖξαί φησι δεῖν ἀριθμόν. ἔσονται δὴ πλείους οἱ ἐκ τῶν μεγίστων τιμημάτων, καὶ βελτίους, (διὰ τὸ ἐνίους (e) μὴ αἱρεῖσθαι τῶν δημοτικῶν,) διὰ τὸ μὴ ἐπάναγκες.

§. 18. Non oportere igitur e ſtatu multitudinis & unius poteſtate conſtituere hujuſcemodi rempublicam, ex his perſpicuum eſt, & ex illis, quæ poſtea dicentur, cum tempus venerit de hac republ. diſceptandi.

§. 18. Ὡς μὲν οὖν οὐκ ἐκ δημοκρατίας καὶ μοναρχίας δεῖ συνιστάναι τὴν τοιαύτην πολιτείαν, ἐκ τούτων φανερόν, καὶ τῶν ὕστερον ῥηθησομένων, ὅταν ἐπιβάλλῃ περὶ τῆς τοιαύτης πολιτείας ἡ σκέψις.

§. 19. Continet autem in ſe circa creationem magiſtratuum quoque periculi non parum. Si enim aliqui coire volunt, numero etiam mediocri, ſemper creabuntur magiſtratus, quos ipſi volent.

§. 19. Ἔχει δὲ καὶ περὶ τὴν αἵρεσιν τῶν ἀρχόντων τὸ ἐξ αἱρετῶν αἱρετούς, ἐπικίνδυνον. εἰ γάρ τινες συστῆναι θέλουσι καὶ μέτριοι τὸ πλῆθος, ἀεὶ κατὰ τὴν τούτων αἱρεθήσονται βούλησιν.

§. 20. Quæ igitur faciunt ad rempubl. informatam in libris de legibus, ſe habent hoc pacto.

§. 20. Τὰ μὲν οὖν περὶ τὴν πολιτείαν τὴν ἐν τοῖς Νόμοις, τοῦτον ἔχει τὸν τρόπον.

## CAP. V.

§. 1.

VII. Sunt autem nonnullæ & aliæ reſpublicæ: hæ quidem idiotarum, hæ vero philoſophorum, nec non eorum, qui navarint operam reipublicæ: cunctæ autem conſtitutis, & quibus in republ. adminiſtranda utuntur, propinquiores, quam ſint hæ ambæ. Nemo namque neque communionem liberorumn, neque uxorum novavit, ut neque publicas cœnas mulierum: ſed a rebus magis neceſſariis initium capiunt.

§. 1.

VII. Εἰσὶ δέ τινες πολιτεῖαι καὶ ἄλλαι, αἱ μὲν ἰδιωτῶν, αἱ δὲ φιλοσόφων καὶ πολιτικῶν· πᾶσαι δὲ τῶν καθεστηκυιῶν, καὶ καθ᾽ ἃς πολιτεύονται νῦν, ἐγγύτερόν εἰσι τούτων ἀμφοτέρων. οὐδεὶς γὰρ οὔτε τὴν περὶ τὰ τέκνα κοινότητα καὶ τὰς γυναῖκας, ἄλλως κεκαινοτόμηκεν, (f) οὔτε περὶ τὰ συσσίτια τῶν γυναικῶν· ἀλλ᾽ ἀπὸ τῶν ἀναγκαίων ἄρχονται μᾶλλον.

§. 2. Videtur enim quibuſdam, quod pertinet ad rem familiarem, maximum eſſe, ſtatutum bene: de hac enim ajunt cunctos ſeditiones excitare. Quare *Phaleas* (a) Chalcedonius hoc primus

§. 2. Δοκεῖ γάρ τισι τὸ περὶ τὰς οὐσίας εἶναι μέγιστον τετάχθαι καλῶς. περὶ γὰρ τούτων ποιεῖσθαί φασι τὰς στάσεις πάντας. διὸ Φαλέας ὁ Χαλκηδόνιος (g) τοῦτ᾽ εἰσήνεγκε πρῶτος. (h) φησὶ γὰρ δεῖν ἴσας εἶναι τὰς

(a) *Phaleas*) PICCART. *lib. II. c. VII. GOEB.*

(b) ἀλλὰ ἐκ τοῦ πρώτου) Nonnulli codices non agnoſcunt ἀλλ᾽, & Muretus repoſuit notam numeralem, quæ ſignat ἐννενήκοντα *nonaginta. CONR.*

(c) ἐκ τῶν τρίτων) Subjungunt nonnulli, quos ſequutus eſt etiam Lambinus: εἶτ᾽ ἐκ τοῦ τετάρτου. *CONR.*

(d) τῶν τετάρτων μόνοις) Camerarius poſt Aldum legit τῶν τεττάρων. Placet Sylburgius, qui commation hoc cenſet delendum, ceu profectum ab indocta librarii manu. Caſaubonus confuſa & mendoſa hæc eſſe agnoſcens emendari jubet ex ipſo Platone. *CONR.*

(e) διὰ τὸ ἐνίους) Illa hamulis incluſa deſiderantur in Aldinis & Baſileenſibus. Agnovit autem jam tum interpres vetus; & placuerunt Victorio & Lambino viris magnis. *CONR.*

(f) ἄλλως κεκαινοτ.) Aldinus Baſileenſis & veteris interpretis codex habuit ἄλλος. Neutrum male. *CONR.*

(g) ὁ χαλκηδόνιος) Vetus interpres legit καρχηδόνιος. Sed indubie noſtrum hoc rectius eſt, perinde ut receptius *CONR.*

(h) εἰσήνεγκε πρῶτος) At profecto non primus Phaleas id fecit. Scribendum igitur πρώτως, ut legit etiam interpres vetus, quem ſecutus eſt Aretinus. *CONR.*



Digitized by Google

mus induxit: affirmat namque, oportere fortunas civium eſſe æquales. Hoc autem efficere, cum primum conduntur urbes, non magni negocii eſſe putavit: conſtitutas vero jam emendare, laborioſius: ſed tamen celerrime ipſas adæquari, ſi inſtitutum fuerit, ut locupletes dotes dent, non autem accipiant: pauperes autem non dent, ſed accipiant.

τὰς κτήσεις τῶν πολιτῶν· τῦτο δὲ κατοικιζομέναις μὲν εὐθὺς ὐ χαλεπὸν ᾤετο ποιεῖν. τὰς δὴ κατοικυμένας, (a) ἐργωδέϛερον μὲν, ὅμως δὲ τάχιϛ᾽ ἂν ὁμαλιϑῆναι, τῷ τὰς προῖκας, τὺς μὲν πλυσίυς, διδόναι μὲν, λαμϐάνειν δὲ μή· τὺς δὲ πένητας μὴ διδόναι μὲν, λαμϐάνειν δέ.

§. 3. Plato autem leges ſcribens, quadamtetenus putavit oportere permittere: plus tamen quincuplo minimi peculii nulli civi licere patrimonium habere, quemadmodum dictum eſt prius.

§. 3. Πλάτων δὲ τὺς Νόμυς γράφων, μέχρι μέν τινος ᾤετο δεῖν ἐᾷν· πλεῖον δὲ τῦ πενταπλασίαν εἶναι τῆς ἐλαχίϛης, μηδενὶ τῶν πολιτῶν ἐξυσίαν εἶναι κτήσαϑαι, καϑάπερ εἴρηται καὶ πρότερον.

§. 4. Opus eſt autem neque hoc fallere eos, qui ſic lege ſtatuunt, quod nunc ipſos fallit: convenire illis, poſtquam definiunt patrimonii multitudinem, definire etiam multitudinem liberorum. Si namque valde ſuperarit numerus liberorum numerum patrimonii, neceſſe fore legem diſſolvi: & præter diſſolutionem ipſius, malum eſt, multos e divitibus fieri pauperes. Arduum enim eſt, non cupidos rerum novarum eſſe hujuſcemodi homines.

§. 4. Δεῖ δὲ μηδὲ τῦτο λανϑάνειν τὺς ὕτω νομοϑετοῦντας, ὃ λανϑάνει νῦν, ὅτι τὸ τῆς ὐσίας τάττοντας πλῆϑος, προσήκει καὶ τῶν τέκνων τὸ πλῆϑος τάττειν. ἐὰν γὰρ ὑπεραίρῃ τῆς ὐσίας τὸ μέγεϑος ὁ τῶν τέκνων ἀριϑμὸς, ἀνάγκη τὸν γε νόμον λύεσϑαι, καὶ χωρὶς τῆς λύσεως φαῦλον, τὸ πολλὺς ἐκ πλυσίων γίνεσϑαι πένητας. ἔργον γὰρ μὴ νεωτεροποιὺς εἶναι τὺς τοιύτυς.

§. 5. Habere igitur vim & poteſtatem quandam ad civilem communionem patrimonii æqualitatem, priſcorum etiam quidam perſpiciuntur cognoſcere: quale etiam lege Solon complexus eſt: & apud alios eſt lex, quæ vetat poſſidere tantum telluris, quantum quis velit. Similiter autem & patrimonium vendere leges vetant: quemadmodum apud Locros lex eſt, quæ non ſinit vendere, niſi aliquis evidentem calamitatem oſtenderit ſibi contigiſſe. Adhuc autem veteres agellos ſorte datos, conſervare: Hoc autem diſſolutum Leucade popularem valde rempublicam eorum reddidit. Namque enim amplius uſu veniebat, a definitis cenſibus in magiſtratus pervenire.

§. 5. Διότι μὲν ὖν ἔχει τινὰ δύναμιν εἰς τὴν πολιτικὴν κοινωνίαν ἡ τῆς ὐσίας ὁμαλότης, καὶ τῶν πάλαι τινὲς φαίνονται διεγνωκότες· οἷον καὶ Σόλων ἐνομοϑέτησε· καὶ παρ᾽ ἄλλοις ἐϛὶ νόμος, ὃς κωλύει κτᾶσϑαι γῆν ὁπόσην ἂν βύληταί τις. ὁμοίως δὲ καὶ τὴν ὐσίαν πωλεῖν οἱ νόμοι κωλύυσιν. ὥσπερ ἐν Λοκροῖς νόμος ἐϛὶ μὴ πωλεῖν, ἐὰν μὴ φανερὰν ἀτυχίαν δείξῃ συμϐεϐηκυῖαν. ἔτι δὲ τὺς παλαιὺς κλήρυς διασώζειν. τῦτο δὲ λυϑὲν καὶ περὶ Λευκάδα, δημοτικὴν ἐποίησε λίαν τὴν πολιτείαν αὐτῶν. ὐ γὰρ ἔτι συνέϐαινεν ἀπὸ τῶν ὡρισμένων τιμημάτων εἰς τὰς ἀρχὰς βαδίζειν.

§. 6. Verum ſtat, æqualitatem exiſtere quidem patrimonii: hoc autem vel ita multum, ut liceat delitioſe vivere: vel valde paucum, ut neceſſe ſit vivere exiliter. Planum igitur eſt, ſatis non eſſe, fortunas æquales facere legiſlatorem, verum medium ſibi proponendum eſt.

§. 6. Ἀλλ᾽ ἐϛι τὴν ἰσότητα (b) μὲν ὑπάρχειν τῆς ὐσίας, ταύτην δ᾽ ἢ λίαν εἶναι πολλὴν, ὥϛε τρυφᾷν· ἢ λίαν ὀλίγην, ὥϛε ζῆν γλίσχρως. δῆλον ὖν, ὡς ὐχ ἱκανὸν, τὸ τὰς ὐσίας ἴσας ποιῆσαι τὸν νομοϑέτην, ἀλλὰ τῦ μέσυ ϛοχαϛέον.

§. 7. Præterea, ſi quis mediocrem definierit rem familiarem omnibus, nihil prodeſt: magis enim opus eſt cupiditatem adæquare, quam rem. Hoc autem non obtinetur, niſi inſtituti ſint a legibus, quoad ſatis ſit.

§. 7. Ἔτι δ᾽, εἴ τις καὶ τὴν μετρίαν τάξειεν ὐσίαν πᾶσιν, ὐδὲν ὄφελος. μᾶλλον γὰρ δεῖ τὰς ἐπιϑυμίας ὁμαλίζειν, ἢ τὰς ὐσίας. τῦτο δ᾽ ὐκ ἔϛι μὴ παιδευομένοις ἱκανῶς ὑπὸ τῶν νόμων.

§. 8. Sed fortaſſe diceret Phaleas, ſe ſane hæc dicere. Arbitratur enim, duorum horum oportere æqualitatem civitatibus adeſſe, rei familiaris & diſciplinæ. At diſciplinam, quænam erit, opus eſt aperire: & unam & eandem eſſe diſciplinam, nihil prodeſt. Licet enim eandem & unam eſſe diſciplinam: verum hanc eſſe talem, e qua evadent proclives ad plus juſto quærendum vel pecuniæ, vel honoris, vel amborum ſimul.

§. 8. Ἀλλ᾽ ἴσως εἴποι ἂν ὁ Φαλέας, ὅτι ταῦτα (c) τυγχάνει λέγων αὐτός· οἴεται γὰρ δυοῖν τύτοιν ἰσότητα δεῖν ὑπάρχειν ταῖς πόλεσι, κτήσεως καὶ παιδείας. Ἀλλὰ τήν τε παιδείαν ἥτις ἔϛαι, δεῖ λέγειν. καὶ τὸ μίαν εἶναι καὶ τὴν αὐτὴν, ὐδὲν ὄφελος. ἔϛι γὰρ τὴν αὐτὴν μὲν εἶναι καὶ μίαν, ἀλλὰ ταύτην εἶναι τοιαύτην, ἐξ ἧς ἔσονται προαιρετικοὶ τῦ πλεονεκτεῖν, ἢ χρημάτων, ἢ τιμῆς, ἢ συναμφοτέρων.

§. 9. Præterea diſſident homines non ſolum propter inæqualitatem bonorum, verum etiam

propter

§. 9. Ἔτι ϛασιάζυσιν ὐ μόνον διὰ τὴν ἀνισότητα τῆς κτήσεως, ἀλλὰ καὶ διὰ τὴν τῶν τιμῶν.

τουναν-

(a) τὰς δὴ κατοικυμένας) Ita & Aldus legit At vero Baſileenſis codex habet δὲ: quod locum magis perſpicuum reddit. CONR.

(b) ἀλλ᾽ ἐϛι τὴν ἰσ.) Camotius & Iſengrin. habent: ἀλλ᾽ εἰς τὸ τὴν ἰσ. At ſenſus ita obſcurus fuerit. Præplacet itaque noſtra lectio, quam etiam expreſſerunt optimi interpretum Victorius & Lambinus. CONR.

(c) ὅτι ταῦτα) Caſaubonus ταὐτά ſcribit. CONR.

Digitized by Google

propter honorum: contrario autem modo utrique. Multitudo enim propter inæqualitatem fortunarum: politi autem homines de honoribus inter ſe diſcordant, ſi æquales fuerint. Unde illud,

*In eodem honore bonus & malus miles.*

§. 10. Non ſolum autem homines propter res neceſſarias injurias faciunt (quarum medicinam eſſe putat æqualitatem bonorum, ut non cogantur pallium cuiquam detrahere, ne rigeant aut eſuriant) ſed etiam ut gaudeant, & non cupiditatibus flagrent. Si namque majore cupiditate exarſerint, quam ferant res neceſſariæ, ut medeantur huic, injuriam facient. Non igitur propter hanc ſolum, ſed etiam, ſi concupierint, ut gaudeant voluptatibus, quæ vacuæ ſunt ab ægritudine.

§. 11. Quæ igitur medicina trium horum? His quidem, res familiaris modica & induſtria: his autem, temperantia: tertium autem, ſi aliqui velint per ſe gaudere, non deberent quærere medicinam, niſi a ſtudio ſapientiæ.

§. 12. ** Cæteræ namque hominibus egent. Quia maximas injurias faciunt, ut potiantur exuperantiis rerum, & non propter res neceſſarias: ceu imponunt libertati, non ne rigeant. Unde magni honores dantur, non ſi interfecerit aliquis furem, ſed tyrannum.

§. 13. Quare contra parvas injurias opitulatur tantum modus reipublicæ Phaleæ.

§. 14. Præterea multa vult conſtituere, e quibus, quæ faciunt ad ſemetipſos, adminiſtrent publice bene. Oportet autem, & quæ ad vicinos populos, & extra poſitos omnes. Neceſſe igitur eſt, rempublicam inſtructam eſſe ad robur bellicum: de qua diſciplina ille verborum nil fecit.

§. 15. Similiter autem & de poſſeſſione bonorum. Opus eſt enim non ſolum ad civiles uſus ipſam ſatis eſſe, verum etiam ad pericula externa. Quare neque tantam oportet copiam eſſe, ut vicini & potentiores eorum cupiditate corripiantur: qui autem poſſident, ulciſci non valeant in ſe irrumpentes: neque adeo exilem, ut pares non ſint bello ſuſtinendo, ne æqualium etiam & ſimilium.

§. 16. Ille igitur nihil definiit. Decet autem hoc nos minime ignorare, prodeſſe copiam bonorum. Fortaſſe igitur optimus finis eſt, utile non eſſe potentioribus, propter exuperantiam bellum inferre: verum ſic, ut etiam facerent, niſi tantum bonorum haberent.

§. 17. Ceu Eubulus, cum Autophradates paratus eſſet ad oppidum Atarnea obſidendum, juſſit ipſum, cum cogitarit, quanto temporis intervallo capiet locum, ſubducere rationem ſumptus, quem faciet illo tempore: velle enim ſe, ſi minus etiam acceperit, relinquere ſtatim Atar-

τοὐναντίον δὲ περὶ ἑκάτερον· οἱ μὲν γὰρ πολλοὶ διὰ τὸ περὶ τὰς κτήσεις ἄνισον· οἱ δὲ χαρίεντες περὶ τῶν τιμῶν, ἐὰν ἴσαι· ὅθεν καὶ.

Ἐν δ' ἰῇ (a) τιμῇ ἡ μὲν κακὸς ἠδὲ καὶ ἐσθλός.

§. 10. Οὐ μόνον δ' οἱ ἄνθρωποι διὰ τἀναγκαῖα ἀδικοῦσιν, ὧν ἄκος εἶναι νομίζει τὴν ἰσότητα τῆς οὐσίας, ὥστε μὴ λωποδυτεῖν διὰ τὸ ῥιγοῦν ἢ πεινῆν· ἀλλὰ καὶ ὅπως χαίρωσι, καὶ μὴ ἐπιθυμῶσιν. ἐὰν γὰρ μείζω ἔχωσιν ἐπιθυμίαν τῶν ἀναγκαίων, διὰ τὴν ταύτης ἰατρείαν ἀδικήσουσιν. οὐ τοίνυν διὰ ταύτην μόνον, ἀλλὰ καὶ ἂν ἐπιθυμοῖεν, ἵνα χαίρωσι ταῖς ἄνευ λυπῶν ἡδοναῖς.

§. 11. Τί οὖν ἄκος τῶν τριῶν τούτων; τοῖς μὲν, οὐσία βραχεῖα καὶ ἐργασία· τοῖς δὲ, σωφροσύνη· τρίτον δ', εἴ τινες βούλοιντο δι' αὐτῶν χαίρειν, οὐκ ἂν ἐπιζητοῖεν, εἰ μὴ παρὰ φιλοσοφίας ἄκος.

§. 12. ** Αἱ γὰρ ἄλλαι, (b) ἀνθρώπων δέονται· ἐπεὶ ἀδικοῦσί γε τὰ μέγιστα διὰ τὰς ὑπερβολὰς, ἀλλ' οὐ διὰ τὰ ἀναγκαῖα· οἷον τυραννοῦσιν, οὐχ ἵνα μὴ ῥιγῶσι· διὸ καὶ αἱ τιμαὶ μεγάλαι, ἂν ἀποκτείνῃ τις, οὐ κλέπτην, ἀλλὰ τύραννον.

§. 13. Ὥστε πρὸς τὰς μικρὰς ἀδικίας βοηθητικὸς μόνον ὁ τρόπος τῆς Φαλέου πολιτείας.

§. 14. Ἔτι τὰ πολλὰ βούλεται κατασκευάζειν, ἐξ ὧν τὰ πρὸς αὑτοὺς πολιτεύσονται καλῶς. δεῖ δὲ καὶ πρὸς τοὺς γειτνιῶντας, καὶ τοὺς ἔξωθεν πάντας. ἀναγκαῖον ἄρα τὴν πολιτείαν συντετάχθαι πρὸς τὴν πολεμικὴν ἰσχὺν, περὶ ἧς ἐκεῖνος οὐδὲν εἴρηκεν.

§. 15. Ὁμοίως δὲ καὶ περὶ τῆς κτήσεως. δεῖ γὰρ οὐ μόνον πρὸς τὰς πολιτικὰς χρήσεις ἱκανὴν ὑπάρχειν, ἀλλὰ καὶ πρὸς τοὺς ἔξωθεν κινδύνους. διόπερ οὔτε τοσοῦτον δεῖ πλῆθος ὑπάρχειν, ὧν οἱ πλησίον καὶ κρείττους ἐπιθυμήσουσιν, οἱ δ' ἔχοντες ἀμύνειν οὐ δυνήσονται τοὺς ἐπιόντας· οὔθ' οὕτως ὀλίγην, ὥστε μὴ δύνασθαι πόλεμον ὑπενεγκεῖν, μηδὲ τῶν ἴσων καὶ τῶν ὁμοίων.

§. 16. Ἐκεῖνος μὲν οὖν οὐδὲν διώρικε. δεῖ δὲ τοῦτο μὴ λανθάνειν, ὅτι συμφέρει πλῆθος. (c) οὐσίας. ἴσως οὖν ἄριστος ὅρος, τὸ μὴ λυσιτελεῖν (d) τοῖς κρείττοσι διὰ τὴν ὑπερβολὴν πολεμεῖν, ἀλλ' οὕτως, ὡς ἂν καὶ μὴ ἐχόντων τοσαύτην οὐσίαν.

§. 17. Οἷον Εὔβουλος Αὐτοφραδάτου μέλλοντος Αταρνέα πολιορκεῖν, ἐκέλευσεν αὐτὸν σκεψάμενον ἐν πόσῳ χρόνῳ λήψεται τὸ χωρίον, λογίσασθαι τοῦ χρόνου τούτου τὴν δαπάνην. ἐθέλειν γὰρ ἔλαττον τούτου λαβὼν, ἐκλιπεῖν ἤδη τὸν Αταρνέα. ταῦτα δ' εἰπὼν, ἐποίησε τὸν Αὐτοφραδάτην σύννουν

(a) ἐν δ' ἰῇ) Baſileenſis codex habet uno verbo ἐνδεαίῃ: ſed perperam. Verſus enim eſt Homericus expreſſus ex Iliad. θ. CONR.

(b) αἱ γὰρ ἄλλαι) Loci obſcuritas ſatis indicat, quædam verba, etſi pauca, excidiſſe. *CONR.*

(c) ὅτι συμφέρει πλῆθος) Scripſerim ego: τί συμφέρει πλῆθος. Ita ſane demum ſibi ſenſus loci conſtat, ſic interpretandus. *Non oportet autem ignorare, quanam multitudo opum conducat. Eſt autem fortaſſis optimus modus. &c.* CONR.

(d) τὸ μὴ λυσιτελεῖν) Bene Camerarius notat, hæc ob brevitatem obſcuriora eſſe, ac ne mendo quidem videri prorſus carere. Mendoſum eſſe locum notavit quoque Caſaubonus. Quid tamen ſibi velit Ariſtoteles, declarat ſubſequens exemplum. *CONR.*



Digitized by Google

Atarnea. Quæ cum dixiſſet, fecit ut Autophradates, verſans animo diligenter rem, ſibi temperaret ab obſidione.

σύννουν γενόμενον, παύσασθαι τῆς πολιορκίας

§. 18. Eſt igitur quiddam eorum, quæ conducunt, patrimonia eſſe æqualia civibus, ne inter ſe diſcordent: non tamen magnum quippiam, ut ita loquar. Etenim politi homines ſtomacharentur, ut digni non æqualibus. Quare apparet, ipſos ſæpe inſidiari, & ſeditiones facere.

§. 18. Ἔστι μὲν οὖν τι τῶν συμφερόντων, τὸ τὰς οὐσίας εἶναι ἴσας τοῖς πολίταις, πρὸς τὸ μὴ στασιάζειν πρὸς ἀλλήλους· οὐ μὲν μέγ' οὐδὲν ὡς εἰπεῖν. καὶ γὰρ ἂν οἱ χαρίεντες ἀγανακτοῖεν ἄν, ὡς οὐκ ἴσων ὄντες ἄξιοι· διὸ καὶ φαίνονται πολλάκις ἐπιτιθέμενοι καὶ στασιάζοντες.

§. 19. Adhuc autem improbitas hominum eſt quiddam inexplebile. Et primum quidem ſatis erant duo tantum oboli: quando autem hoc jam factum fuerit peculiare, ſemper egent pluribus, donec ad infinitum venerint. Extremum enim non habet natura cupiditatis, ad expletionem, cujus multi mortales vivunt. Hujuſcemodi igitur omnium initium eſt potius, quam patrimonia adæquare, illos, qui ſunt probi natura, tales reddere, ut nolint plus juſto habere: improbos autem, ut non poſſint. Hoc autem eſt, ſi inferiores extiterint, & nullam injuriam acceperint.

§. 19. Ἔτι δ' ἡ πονηρία τῶν ἀνθρώπων ἄπληστον· καὶ τὸ πρῶτον μὲν ἱκανὸν διωβόλια μόνον· ὅταν δ' ἤδη τοῦτ' ᾖ πάτριον, ἀεὶ δέονται τοῦ πλείονος, ἕως εἰς ἄπειρον ἔλθωσιν· ἄπειρος γὰρ ἡ τῆς ἐπιθυμίας φύσις· ἧς πρὸς τὴν ἀναπλήρωσιν οἱ πολλοὶ ζῶσι. τῶν οὖν τοιούτων ἀρχὴ μᾶλλον τοῦ τὰς οὐσίας ὁμαλίζειν, τὸ τοὺς μὲν ἐπιεικεῖς τῇ φύσει τοιούτους παρασκευάζειν, ὥστε μὴ βούλεσθαι πλεονεκτεῖν· τοὺς δὲ φαύλους, ὥστε μὴ δύνασθαι. τοῦτο δ' ἐστὶν, ἂν ἥττους τε ὦσι, καὶ μὴ ἀδικῶνται.

§. 20. Non bene autem neque æqualitatem bonorum ſtatuit. Quod pertinet enim ad telluris poſſeſſionem, ſolum adæquat. Conſtant autem divitiæ & ſervis, & pecore, & pecunia, & multo quoque apparatu eorum, quæ ſupellectilis nomine oſtenduntur. Vel omnium igitur horum æqualitas quærenda eſt, aut ſaltem ordo quidam moderatus, vel cuncta ſoluta relinquenda.

§. 20. Οὐ καλῶς δ' οὐδὲ τὴν ἰσότητα τῆς οὐσίας εἴρηκε. περὶ γὰρ τὴν τῆς γῆς κτῆσιν ἰσάζει μόνον. ἔστι δὲ καὶ δούλων καὶ βοσκημάτων πλοῦτος, καὶ νομίσματος, καὶ κατασκευὴ πολλὴ τῶν καλουμένων ἐπίπλων. ἢ πάντων οὖν τούτων ἰσότητα ζητητέον, ἢ τάξιν τινὰ μετρίαν, ἢ πάντα ἐατέον.

§. 21. Apparet autem e legibus ſcriptis, ipſum condere parvam urbem: ſi quidem opifices cuncti publici erunt, nec quicquam complementi adferent civitati. At ſi quidem opus eſt, publicos eſſe, qui publica opera conficiunt, oportet, quemadmodum Epidamni fit, & quemadmodum Diophantus Athenis inſtituit, rem ſe habere hoc pacto.

§. 21. Φαίνεται δ' ἐκ τῆς νομοθεσίας κατασκευάζων τὴν πόλιν μικράν, εἴ γ' οἱ τεχνῖται πάντες δημόσιοι ἔσονται, καὶ μὴ πλήρωμά τι παρέξονται τῆς πόλεως. ἀλλ' εἴπερ δεῖ δημοσίους εἶναι τοὺς τὰ κοινὰ ἐργαζομένους, δεῖ, καθάπερ ἐν Ἐπιδάμνῳ τε, καὶ ὡς Διόφαντός ποτε κατεσκεύαζεν Ἀθήνησι, τοῦτον ἔχειν τὸν τρόπον.

§. 22. De republica igitur Phaleæ ferme ex his videret aliquis, ſi quid bene dixit, vel non bene.

§. 22. Περὶ μὲν οὖν τῆς Φαλέου πολιτείας σχεδὸν ἐκ τούτων ἄν τις θεωρήσειεν, εἴ τι τυγχάνει καλῶς εἰρηκὼς, ἢ μὴ καλῶς.

## CAP. VI.

§. 1.

IIX. **H**ippodamus (a) autem Euryphontis filius, Mileſius, qui civitatum diviſionem invenit, & Piræum diſcidit, idemque fuit in reliqua vita exquiſitior ob amorem honoris, quo flagrabat, ita ut nonnullis videretur vivere curioſius, comæ copia & ornatu ſumptuoſo: adhuc autem veſtis, tenuis quidem, ejuſdem tamen calori tuendo accommodatæ, non hyeme tantum, verum etiam æſtivis temporibus: cum vellet autem circa omnem naturam diſertus eſſe, primus omnium, qui non attigerant rempublicam, aggreſſus eſt aliquid de republica optima dicere.

§. 1.

IIX. Ἱππόδαμος δὲ Εὐρυφῶντος Μιλήσιος, ὃς καὶ τὴν τῶν πόλεων διαίρεσιν εὗρε, καὶ τὸν Πειραιᾶ κατέτεμε, γενόμενος καὶ περὶ τὸν ἄλλον βίον περιττότερος διὰ φιλοτιμίαν, οὕτως ὥστε δοκεῖν ἐνίοις ζῆν περιεργότερον, τριχῶν τε πλήθει καὶ κόσμῳ πολυτελεῖ· ἔτι δὲ ἐσθῆτος εὐτελοῦς (b) μὲν, ἀλεεινῆς δὲ· οὐκ ἐν τῷ χειμῶνι μόνον, ἀλλὰ καὶ περὶ τοὺς θερινοὺς χρόνους· λόγιος δὲ (c) καὶ περὶ τὴν ὅλην φύσιν εἶναι βουλόμενος, πρῶτος τῶν μὴ πολιτευομένων ἐνεχείρησέ τι περὶ πολιτείας εἰπεῖν τῆς ἀρίστης.

§. 2. Conſtituit autem civitatem, quod ad numerum facit decem millium hominum, in tres autem partes diviſam. Faciebat enim unam quidem partem opifices, alteram autem agricolas, tertiam, quæ verſaretur in bello, & arma haberet.

§. 2. Κατεσκεύαζε δὲ τὴν πόλιν, τῷ πλήθει μὲν μυρίανδρον, εἰς τρία δὲ μέρη διῃρημένην· ἐποίει γὰρ ἓν μὲν μέρος τεχνίτας, ἓν δὲ γεωργούς, τρίτον δὲ τὸ προπολεμοῦν καὶ τὰ ὅπλα ἔχον.

§. 3. §. 3.

(a) *Hippodamus*) PICCARTUS *lib. II. c. VIII.* GOEB.

(b) ἔτι δὲ ἐσθῆτος εὐτελοῦς) Geneſius notat, quibusdam exemplaribus deeſſe illud ἔτι δὲ, putatque obrepſiſſe εὐτελοῦς pro εὐτελοῦς. Videtur emendatio illa ſatis commoda: Illud vero ἔτι δὲ neutiquam expungendum. CONR.

(c) λόγιος δὲ) Ita & vetus interpres legit. Aldinus tamen & Baſileenſis codex habet σπουδαῖος: quod recte Caſaubonus etiam approbavit. CONR.

Digitized by Google

§. 3. Dividebat autem in tres partes agrum: hunc quidem ſacrum, alterum autem publicum, hunc vero privatum. Unde, quæ legibus inſtituta ſunt, diis facient, ſacrum: e quibus, qui deſtinati ſunt bello, alentur, publicum: agrum autem agricolarum proprium.

§. 4. Putabat autem ſpecies legum eſſe tantum tres: de quibus enim lites exoriuntur, tria hæc numero eſſe, contumeliam, damnum, cædem.

§. 5. Statuebat autem curiam unam; quæ ſummam poteſtatem haberet, ad quam omnes referri cauſas oporteret, quæ non bene judicatæ viderentur: hanc autem conſtruxit e quibusdam ſenibus, ſuffragio delectis.

§. 6. Judicia autem in curiis non calculis fieri oportere, ſed ferre ſingulos tabellam, in qua ſcriberent, ſi damnarent ſimpliciter cauſam: ſi autem abſolverent ſimpliciter, inanem: ſi vero hoc ſane, hoc vero minus, idipſum definirent. Nunc enim non arbitratur bene hoc legibus ſtatutum eſſe: cogi enim judices pejerare, ſive hæc, ſive illa judicantes.

§. 7. Ferebat autem legem de his, qui inveniſſent aliquid, quod prodeſſet civitati, ut honorem conſequerentur: & filiis eorum, qui in bello mortui eſſent, e publico cibaria dari, tanquam hoc ad id temporis apud alios lege ſanctum non eſſet. Eſt autem & Athenis nunc hæc lex, & in aliis civitatibus.

§. 8. Magiſtratus autem ſuffragiis delectos a populo eſſe omnes: populum autem faciebat tres partes civitatis. Delectos autem curam gerere rerum publicarum, & earum, quæ ad peregrinos & orbos pertinerent.

§. 9. Major igitur pars, & dignior, quæ ponderetur, ordinis Hippodami, hæc ſunt.

§. 10. Vocaret autem in controverſiam aliquis primum diviſionem numeri civium. Opifices enim & agricolæ, & qui arma habent cuncti participes ſunt reipublicæ.

§. 11. ** Agricolæ quidem arma non habentes: opifices autem neque agros neque arma: quare fiunt propemodum ſervi eorum, qui arma poſſident. Participes igitur omnium honorum eſſe impoſſibile eſt. Neceſſe namque eſt ex his, qui arma habent, conſtitui & belli duces, & civium cuſtodes, & maximæ auctoritatis, ut ita dicam, magiſtratus. Cum autem participes non ſint reipublicæ, quomodo fieri poteſt, ut bene animati ſint erga rempublicam?

§. 12. Sed oportet arma tenentes potentiores ambabus partibus eſſe. Hoc autem non eſt facile, niſi multi ſint. Si vero hoc erit; quid opus eſt cæteros participes eſſe reipublicæ, & dominos comitiorum?

§. 13 Præterea agricolæ qua in re utiles erunt civitati? Opifices namque neceſſe eſt eſſe: omnis

§. 3. Διῄρει δ' εἰς τρία μέρη τὴν χώραν, τὴν μὲν ἱερὰν, τὴν δὲ δημοσίαν, τὴν δ' ἰδίαν· ὅθεν μὲν τὰ νομιζόμενα ποιήσουσι πρὸς τοὺς θεοὺς, ἱεράν· ἀφ' ὧν δ' οἱ προπολεμοῦντες βιώσονται, κοινήν. τὴν δὲ τῶν γεωργῶν, ἰδίαν.

§. 4. Ὤετο δ' εἴδη καὶ τῶν νόμων εἶναι τρία μόνον. περὶ ὧν γὰρ αἱ δίκαι γίνονται, τρία ταῦτ' εἶναι τὸν ἀριθμὸν, ὕβριν, βλάβην, θάνατον

§. 5. Ἐνομοθέτει δὲ καὶ δικαστήριον ἓν τὸ κύριον εἰς ὃ πάσας ἀνάγεσθαι δεῖν τὰς μὴ καλῶς κεκρίσθαι δοκούσας δίκας· τοῦτο δὲ κατεσκεύαζεν ἔκ τινῶν γερόντων αἱρετῶν.

§. 6. Τὰς δὲ κρίσεις ἐν τοῖς δικαστηρίοις, οὐ διὰ ψηφοφορίας ᾤετο γίνεσθαι δεῖν, ἀλλὰ φέρειν ἕκαστον πινάκιον, ἐν ᾧ γράφειν, εἰ καταδικάζοι ἁπλῶς τὴν δίκην· εἰ δ' ἀπολύοι ἁπλῶς, κενόν εἰ δὲ τὸ μὲν, τὸ δὲ μὴ, (a) τοῦτο διορίζειν. νῦν γὰρ οὐκ ᾤετο νενομοθετῆσθαι καλῶς· ἀναγκάζειν γὰρ ἐπιορκεῖν, ἢ ταῦτα, ἢ ταῦτα δικάζοντας.

§. 7. Ἐτίθει δὲ νόμον περὶ τῶν εὑρισκόντων τι τῇ πόλει συμφέρον, ὅπως τυγχάνωσι τιμῆς, καὶ τοῖς παισὶ τῶν ἐν τῷ πολέμῳ τελευτώντων ἐκ δημοσίου γίνεσθαι τὴν τροφήν. ὡς οὔπω τοῦτο παρ' ἄλλοις νενομοθετημένον. ἔστι δὲ καὶ ἐν Ἀθήναις οὗτος ὁ νόμος (b) νῦν, καὶ ἐν ἑτέραις τῶν πόλεων.

§. 8. Τοὺς δ' ἄρχοντας αἱρετοὺς ὑπὸ τοῦ δήμου εἶναι πάντας. δῆμον δ' ἐποίει τὰ τρία μέρη τῆς πόλεως. τοὺς δ' αἱρεθέντας ἐπιμελεῖσθαι κοινῶν, καὶ ξενικῶν, καὶ ὀρφανικῶν.

§. 9. Τὰ μὲν οὖν πλεῖστα καὶ τὰ μάλιστα ἀξιόλογα τῆς Ἱπποδάμου τάξεως, ταῦτ' ἐστίν.

§. 10. Ἀπορήσειε δ' ἄν τις, πρῶτον μὲν τὴν διαίρεσιν τοῦ πλήθους τῶν πολιτῶν. οἵτε γὰρ τεχνῖται, καὶ οἱ γεωργοὶ, καὶ οἱ τὰ ὅπλα ἔχοντες, κοινωνοῦσι τῆς πολιτείας πάντες.

§. 11. ** Οἱ μὲν γεωργοὶ, (c) οὐκ ἔχοντες ὅπλα· οἱ δὲ τεχνῖται, οὔτε γῆν, οὔτε ὅπλα· ὥστε γίνονται σχεδὸν δοῦλοι τῶν τὰ ὅπλα κεκτημένων. μετέχειν μὲν οὖν πασῶν τῶν τιμῶν ἀδύνατον. ἀνάγκη γὰρ ἐκ τῶν τὰ ὅπλα ἐχόντων, καθίστασθαι καὶ στρατηγοὺς, καὶ πολιτοφύλακας, καὶ τὰς κυριωτάτας ἀρχὰς, ὡς εἰπεῖν. μὴ μετέχοντας δὲ τῆς πολιτείας, πῶς οἷόν τε φιλικῶς ἔχειν πρὸς τὴν πολιτείαν;

§. 12. Ἀλλὰ δεῖ κρείττους εἶναι τοὺς τὰ ὅπλα γε κεκτημένους ἀμφοτέρων τῶν μερῶν· τοῦτο δ' οὐ ῥάδιον, μὴ πολλοὺς ὄντας. εἰ δὲ τοῦτ' ἔσται, τί δεῖ τοὺς ἄλλους μετέχειν τῆς πολιτείας, καὶ κυρίους εἶναι τῆς τῶν ἀρχόντων καταστάσεως;

§. 13. Ἔτι οἱ γεωργοὶ τί χρήσιμοι (d) τῇ πόλει; τεχνίτας μὲν γὰρ ἀναγκαῖον εἶναι· πᾶσα γὰρ

(a) τὸ δὲ μὴ) Ingenioſe Heinſius conjicit ſcribendum, εἰ δὲ τὸ μὲν, τὸ δὲ πῆ: h.e. *ſi autem partim damnaret, partim abſolveret.* CONR.

(b) οὗτος ὁ νόμος) Alii codices habent οὕτως: nullo ſenſus diſcrimine. Noſtra tamen lectio videtur elegantior. CONR.

(c) Οἱ μὲν γεωργοὶ) Videntur præceſſiſſe paucula verba hoc ſenſu: *At vero inter eos magna eſt diverſitas.* Voluit ſcilicet Hippodamus, artifices, agricolas & milites ex æquo participare rempublicam. At vero Ariſtoteles judicat, fieri hoc non poſſe, quia inter illos tres ordines ingens eſt differentia, quod artifices & agricolæ pariter armis, illi ſimul & ſolo deſtituantur, ac proinde ſint quaſi ſervi militum. CONR.

(d) Οἱ γεωργοὶ τί χρήσιμοι) Videtur hic locus aut mendoſus, aut hiulcus. Nec enim apparet ulla ratio, quare voluerit hic Ariſtoteles quærere: num agricolæ ſint utiles civitati. CONR.

Digitized by Google

omnis enim civitas eget opificibus: & poſſunt vitam tueri præſidio artium ſuarum. Agricolæ vero, præbentes arma tenentibus unde alantur, merito fuiſſent aliqua pars civitatis. ** Nunc autem proprios *agros* habent, & hos privatim colent.

§. 14. Præterea publicos agros, e quibus milites unde alantur, habebunt, ſi quidem ipſi colent, non erit diverſum militare genus & agricolarum: ut eſſe vult, qui leges tulit. Si vero alii quidam erunt, diverſi ab iis, qui privatim agros colunt & militibus: quarta igitur hæc pars erit civitatis, nullius ſane particeps, quin etiam averſa animo a republica.

§. 15. Atqui ſi aliquis eosdem eſſe volet, qui privatum & qui publicum agrum colunt, multitudo ſatis non erit fructuum, quibus ſinguli alant duas domos: & cujus cauſa non ilico e tellure, & iisdem agellis, ſibique alimentum ſument, & militibus præbebunt. Hæc profecto cuncta multam in ſe continent confuſionem.

§. 16. Non bene quoque ſe habet lex de litium dijudicatione, velle exiſtimare dividentem judicem, cum de quo judicium fieri debet ſimpliciter ſcriptum ſit, & e judice arbitrum fieri. Hoc enim in arbitratu & pluribus exiſtimatoribus locum habet (loquuntur enim ſimul de exiſtimatione) in curiis autem non licet: ſed quod huic adverſatur multi legumlatores faciunt, ne judices valeant communicare conſilia.

§. 17. Deinde quomodo non erit confuſum judicium, quando debere judex ſane putarit: non tantum tamen, quantum qui dicam, ſcripſit? Hic enim viginti minas, judex vero exiſtimat decem minas: ſive quidem plus, hic autem minus, alius autem quinque, hic vero quatuor. Et hoc profecto modo partientur. Hi autem cuncta damnabunt, hi vero nihil. Quis igitur modus erit diſtinguendarum ſententiarum?

§. 18 Præterea nemo pejerare cogit ſimpliciter abſolventem vel condemnantem, ſi ſimpliciter jure dica ſcripta eſt. Neque enim nihil debere, qui abſolvit, exiſtimat, ſed viginti minas. Verum ille jam pejerat, qui damnavit, non exiſtimans debere viginti minas.

§. 19. De illo autem, quod inventoribus alicujus publicæ utilitatis decet honorem aliquem habere, non tutum legem ferre, ſed pulchrum auditu ſolum. Continet enim in ſe criminationes & mutationes, ſi eveniat, reipublicæ.

γὰρ δεῖται πόλις τεχνιτῶν· καὶ δύνανται (a) διαγίνεσθαι καθάπερ ἐν ταῖς ἄλλαις πόλεσιν ἀπὸ τῆς τέχνης. οἱ δὲ γεωργοὶ, πορίζοντες μὲν τοῖς τὰ ὅπλα κεκτημένοις τὴν τροφὴν, εὐλόγως ἂν ἦσάν τι τῆς πόλεως μέρος. ** νῦν δ' ἰδίαν ἔχουσι, (b) καὶ ταύτην ἰδίᾳ γεωργοῦσιν.

§. 14. Ἔτι δὲ τὴν κοινὴν ἀφ' ἧς οἱ προπολεμοῦντες ἕξουσι τὴν τροφὴν, εἰ μὲν αὐτοὶ γεωργήσουσιν, (c) οὐκ ἂν εἴη τὸ μάχιμον ἕτερον καὶ τὸ γεωργοῦν· βούλεται δ' ὁ νομοθέτης. εἰ δ' ἕτεροί τινες ἔσονται τῶν τὰ ἴδια γεωργούντων καὶ τῶν μαχίμων, τέταρτον αὖ μόριον (d) ἔσται τοῦτο τῆς πόλεως, οὐδενὸς μετέχον· ἀλλὰ (καὶ) ἀλλότριον (e) τῆς πολιτείας.

§. 15. Ἀλλὰ μὴν εἴ τις τοὺς αὐτοὺς θήσει τούς τε τὴν ἰδίαν καὶ τοὺς τὴν κοινὴν γεωργοῦντας, τό τε πλῆθος ἄπορον ἔσται τῶν καρπῶν, (f) ἐξ ὧν ἕκαστος ὑπουργήσει (g) δύο οἰκίας. καὶ τίνος ἕνεκεν οὐκ εὐθὺς ἀπὸ τῆς γῆς, καὶ τῶν αὐτῶν κλήρων αὐτοῖς τε τὴν τροφὴν λήψονται, καὶ τοῖς μαχίμοις παρέξουσι; ταῦτα δὴ πάντα πολλὴν ἔχει ταραχήν.

§. 16. Οὐ καλῶς δ' οὐδ' ὁ περὶ τῆς κρίσεως ἔχει νόμος, τὸ κρίνειν ἀξιοῦν διαιροῦντα τῆς κρίσεως ἁπλῶς γεγραμμένης, καὶ γίνεσθαι τὸν δικαστὴν διαιτητήν. τοῦτο δ' ἐν μὲν τῇ διαίτῃ καὶ πλείοσιν ἐνδέχεται· κοινολογοῦνται γὰρ ἀλλήλοις περὶ τῆς κρίσεως· ἐν δὲ τοῖς (h) δικαστηρίοις οὐκ ἔστιν, ἀλλὰ καὶ τοὐναντίον τούτῳ (i) τῶν νομοθετῶν οἱ πολλοὶ παρασκευάζουσιν, ὅπως οἱ δικασταὶ μὴ κοινολογῶνται πρὸς ἀλλήλους.

§. 17. Ἔπειτα πῶς οὐκ ἔσται ταραχώδης ἡ κρίσις, ὅταν ὀφείλειν ὁ μὲν δικαστὴς οἴηται, μὴ τοσοῦτον δ' ὅσον ὁ δικαζόμενος; ὁ μὲν γὰρ εἴκοσι μνᾶς, ὁ δὲ δικαστὴς κρίνει δέκα μνᾶς· ἢ ὁ μὲν πλέον, ὁ δ' ἔλασσον· ἄλλος δὲ πέντε, ὁ δὲ τέτταρας. καὶ τοῦτον δὴ τὸν τρόπον δηλονότι μεριοῦσιν· οἱ δὲ πάντα καταδικάσουσιν, οἱ δ' οὐδέν. τίς οὖν ὁ τρόπος ἔσται τῆς διαλογῆς τῶν ψήφων;

§. 18. Ἔτι δ' οὐδεὶς ἐπιορκεῖν ἀναγκάζει τὸν ἁπλῶς ἀποδικάσαντα ἢ καταδικάσαντα, εἴπερ ἁπλῶς τὸ ἔγκλημα γέγραπται δικαίως. οὐ γὰρ μηδὲν ὀφείλειν ὁ ἀποδικάσας κρίνει, ἀλλὰ τὰς εἴκοσι μνᾶς· ἀλλ' ἐκεῖνος ἤδη ἐπιορκεῖ ὁ καταδικάσας, τὴ νομίζων ὀφείλειν τὰς εἴκοσι μνᾶς.

§. 19. Περὶ δὲ τοῦ, τοῖς εὑρίσκουσί τι τῇ πόλει συμφέρον, ὡς δεῖ γίνεσθαί τινα τιμὴν, οὐκ ἔστιν ἀσφαλὲς τὸ νομοθετεῖν, ἀλλ' εὐόφθαλμον ἀκοῦσαι μόνον. ἔχει γὰρ συκοφαντίας, καὶ κινήσεις, ἂν τύχῃ, πολιτείας.

§. 20. §. 20.

(a) καὶ δύνανται) Aldinus & Baſileenſis codex habet δύναται. quod etiam videtur Camerario placuiſſe. At noſtram lectionem expreſſerunt interpretes optimi, Vetus, Victorius, Aretinus, Lambinus, Geneſius, Giphanius Caſaubonus quoque ut præcedentia, hisce probe convenirent, ſcripſit: πᾶσαι γὰρ δέονται πόλεις τεχνιτῶν, καὶ δύνανται. CONR.

(b) ἰδίαν ἔχουσι) Palam eſt excidiſſe voculam: τὴν χώραν. CONR.

(c) γεωργήσουσιν) Alii codices habent γεωργοῦσιν. Sed nihil intereſt. CONR.

(d) τέταρτον αὖ μόριον) Alii codices τέταρτον ὄν: id quod placuit Caſaubono & expreſſit Victorius: ut Lambinus prius illud. CONR.

(e) καὶ ἀλλότριον) Illud καὶ deeſt in plerisque: & videtur ſuperfluum. CONR.

(f) ἄπορον τῶν καρπῶν) Ita paſſim codices excuſi. At Victorius notat, in codice aliquo manuſcripto ſe deprehendiſſe ἄπειρον: quod videtur rectius. CONR.

(g) ὑπουργήσει) Baſileenſis, Aldinus, aliique codices nonnulli habent γεωργήσει: quod expreſſerunt interpretes Vetus, Aretinus & Lambinus, & probavit Caſaubonus. Sed nihil refert, quam voculam aſſumpſeris. CONR.

(h) ἐν δὲ τοῖς) Aldinus & Baſileenſis habent οὐδὲ τοῖς. Sed prius ſequuntur interpretes, & recte quidem. CONR.

(i) τοὐναντίον τούτῳ) Caſaubonus recte ſcribit: τούτων. CONR.

§. 20. Cadit autem in aliam quæſtionem & animadverſionem diverſam. Dubitant enim quidam, utrum obſit an proſit civitatibus mutare veteres leges, ſi extiterit alia melior. Quare non facile eſt ei, quod dictum eſt, continuo aſſentiri: ſi quidem mutare non conducit. Fieri enim poteſt, ut aliqui proponant diſſolutionem legum, vel reipublicæ tanquam commune bonum.

§. 21. Quia autem mentionem hujus fecimus, adhuc pauca de ipſo deſeruiſſe melius erit. Continet enim in ſe controverſiam, & videri poſſet melius eſſe mutare. In aliis ſane ſcientiis hoc profuit, ceu medicorum ars loco mota, & gymnaſtica contra vetera inſtituta: & demum cunctæ artes & facultates. Quare quoniam unam harum ponere debemus civilem rationem eſſe, perſpicuum eſt, eodem pacto neceſſe eſſe ſe rem habere.

§. 22. Signum autem hujus extitiſſe affirmaret aliquis, quod uſu venit rebus ipſis. *Priſcæ enim leges* (*a*) valde ſimplices erant ac barbarorum ritus referebant. Cum gladiis enim ſemper erant Græci, & uxores alteri ab alteris emebant. Et cuncta, quæ reliqua ſunt ubique priſcorum inſtitutorum, inſulſa ſunt admodum. Veluti Cumis lex eſt de cæde facta, ſi numerum quendam teſtium produxerit accuſator in reum e ſuis cognatis, obnoxium eſſe cædi reum.

§. 23. Ad ſummam omnes ſectantur, non quod antiquitus probatum fuit, ſed quod bonum eſt. Veriſimileque eſt, primos illos, ſive e terra nati fuerunt, ſive ex aliqua internecione ſalvi exiere, aſſimiles fuiſſe quibuslibet hominibus & ſtultis: quemadmodum ſane fertur de terrigenis. Quapropter abſurdum foret manere in eorum decretis.

§. 24. Addi poteſt his, neque etiam ſcriptas leges ſinere immotas manere, ſatius eſſe. Quemadmodum enim in cæteris artibus, ita in civili ordine, fieri non poteſt, ut exquiſite omnia ſcripta ſint. In univerſum enim ſcripta eſſe neceſſe eſt: actiones autem de ſingularibus rebus ſunt.

§. 25. His igitur argumentis planum eſt, moveri oportere leges, & quas potiſſimum & quando. Alio autem modo idem ponderantibus, videri poſſet res multa cautione egere.

§. 26. Quando enim extiterit, quod melius eſt parvum, aſſueſcere autem facile leges ſolvere, malum; perſpicuum eſt, oportere errata quædam legiſlatorum & magiſtratuum ſinere. Neque enim tantum emolumenti capiet, qui moverit, quantum detrimenti aſſuetus non parere imperium in ſe habentibus.

§. 27. Mendax autem eſt exemplum de artibus. Non enim ſimile eſt artem & legem mutare. Lex enim roboris nihil habet, ut ipſi pareatur, præter id, quod accipit a conſuetudine: hoc vero

§. 20. Ἐμπίπτει δ' εἰς ἄλλο πρόβλημα καὶ σκέψιν ἑτέραν. ἀποροῦσι γάρ τινες, πότερον βλαβερὸν, ἢ συμφέρον ταῖς πόλεσι, τὸ κινεῖν τοὺς πατρίους νόμους, ἂν ᾖ τις ἄλλος βελτίων. διόπερ οὐ ῥᾴδιον τῷ λεχθέντι ταχὺ συγχωρεῖν, εἴπερ μὴ συμφέρει κινεῖν. ἐνδέχεται δ' εἰσηγεῖσθαί τινας νόμων λύσιν, ἢ πολιτείας, ὡς κοινὸν ἀγαθόν.

§. 21. Ἐπεὶ δὲ πεποιήμεθα μνείαν ἔτι μικρὰ περὶ αὐτοῦ διαστείλασθαι βέλτιον. ἔχει γάρ, ὥσπερ εἴπομεν, ἀπορίαν· καὶ δόξειεν ἂν βέλτιον εἶναι τὸ κινεῖν. (*b*) ἐπὶ γοῦν τῶν ἄλλων ἐπιστημῶν τοῦτο συνενήνοχεν· οἷον ἰατρικὴ κινηθεῖσα παρὰ τὰ πάτρια, καὶ γυμναστικὴ, ὅλως αἱ τέχναι πᾶσαι, καὶ αἱ δυνάμεις. ὥστ' ἐπεὶ μίαν τούτων θετέον καὶ τὴν πολιτικὴν, δηλονότι καὶ περὶ ταύτην ἀναγκαῖον ὁμοίως ἔχειν.

§ 22. Σημεῖον δ' ἂν γεγονέναι φαίη τις ἐπ' αὐτῶν τῶν ἔργων. τοὺς γὰρ ἀρχαίους νόμους λίαν ἁπλοῦς εἶναι καὶ βαρβαρικούς. ἐσιδηροφοροῦντό τε γὰρ οἱ Ἕλληνες, καὶ τὰς γυναῖκας ἐωνοῦντο παρ' ἀλλήλων. ὅσα τε λοιπὰ τῶν ἀρχαίων ἐστί που νομίμων, εὐήθη πάμπαν ἐστίν. οἷον ἐν Κύμῃ περὶ τὰ φονικὰ νόμος ἐστὶν, ἂν πλῆθός τι παράσχηται μαρτύρων ὁ διώκων τὸν φόνον τῶν αὐτοῦ συγγενῶν, (*c*) ἔνοχον εἶναι τῷ φόνῳ τὸν φεύγοντα.

§. 23. Ζητοῦσι δ' ὅλως οὐ τὸ πάτριον, ἀλλὰ τἀγαθὸν πάντες· εἰκός τε τοὺς πρώτους, εἴτε γηγενεῖς ἦσαν, εἴτ' ἐκ φθορᾶς τινος ἐσώθησαν, ὁμοίους (*d*) εἶναι καὶ τοὺς τυχόντας καὶ τοὺς ἀνοήτους, ὥσπερ καὶ λέγεται κατὰ τῶν γηγενῶν. ὥστ' ἄτοπον μένειν ἐν τοῖς τούτων δόγμασι.

§. 24. Πρὸς δὲ τούτοις, οὐδὲ τοὺς γεγραμμένους ἐᾷν ἀκινήτους βέλτιον. ὥσπερ γὰρ καὶ περὶ τὰς ἄλλας τέχνας, καὶ τὴν πολιτικὴν τάξιν ἀδύνατον ἀκριβῶς πάντα γραφῆναι. καθόλου γὰρ ἀναγκαῖον γραφῆναι· αἱ δὲ πράξεις περὶ τῶν καθ' ἕκαστόν εἰσιν.

§. 25. Ἐκ μὲν οὖν τούτων φανερὸν, ὅτι κινητέοι καὶ τινὲς, καὶ ποτὲ τῶν νόμων εἰσίν. ἄλλον δὲ τρόπον ἐπισκοποῦσιν, εὐλαβείας ἂν δόξειεν εἶναι πολλῆς.

§. 26. Ὅταν γὰρ ᾖ, τὸ μὲν βέλτιον μικρὸν, τὸ δ' ἐθίζειν εὐχερῶς λύειν τοὺς νόμους φαῦλον· φανερὸν ὡς ἐατέον ἐνίας ἁμαρτίας καὶ τῶν νομοθετῶν καὶ τῶν ἀρχόντων. οὐ γὰρ τοσοῦτον ὠφελήσεται κινήσας, ὅσον βλαβήσεται τοῖς ἄρχουσιν ἀπειθεῖν ἐθισθείς.

§. 27. Ψεῦδος δὲ καὶ τὸ παράδειγμα τὸ περὶ τῶν τεχνῶν. οὐ γὰρ ὅμοιον (τὸ) κινεῖν τέχνην καὶ νόμον. ὁ γὰρ νόμος ἰσχὺν οὐδεμίαν ἔχει πρὸς τὸ πείθεσθαι, πλὴν παρὰ τὸ ἔθος· τοῦτο δ' οὐ γίνεται

(*a*) *Priſcæ enim leges*) HERT. *in elem. prudentiæ civilis part. I. ſect. I. §. I. GOEB.*

(*b*) βέλτιον εἶναι τὸ κινεῖν) Camotius & Baſileenſis habet μὴ κινεῖν. Sed noſtra lectio ut magis eſt vulgata ita magis ex vero eſt. Vere enim affirmativa eſt propoſitio. Eoque placuit etiam hæc lectio doctiſſimis quibusque interpretibus. *CONR.*

(*c*) τῶν αὐτοῦ συγγενῶν) Frequentior lectio eſt αὑτοῦ. Quid rectius, vix liquet. Ineptum enim utrumque eſt: admittere in judicio in teſtimonium ſive cognatos accuſatoris, ſive cognatos hominis cæſi. *CONR.*

(*d*) ὁμοίους) Noſtra lectio placet fere omnibus. Aretinus tamen videtur legiſſe ὁμοίως. *CONR.*

vero non contingit ipſi, niſi ſpatio longo temporis. Quare facile migrare e legibus, quæ jam ſunt in alias novas leges, eſt imbecillam reddere poteſtatem legis.

ται εἰ μὴ διὰ χρόνε πλῆθος. ὥϛε τὸ ῥᾳδίως μεταβάλλειν ἐκ τῶν ὑπαρχόντων νόμων εἰς ἑτέρες νόμες καινὲς, ἀϲθενῆ ποιεῖν ἐϛι τὴν τε νόμε δύναμιν.

§. 28. Adhuc autem, ſi mutandæ ſunt, utrum omnes, & in omni republica, vel minime? & utrum a quolibet, vel quibuſdam? Hæc enim magni intersunt.

§. 28. Ἔτι δ', εἰ καὶ κινητέοι, πότερον καὶ πάντες, καὶ ἐν πάσῃ πολιτείᾳ, ἢ ἔ; καὶ πότερον τῷ τυχόντι, ἢ τίσι; (c) ταῦτα γὰρ ἔχει μεγάλην διαφοράν.

§. 29. Quapropter nunc quidem dimittamus hanc animadverſionem: aliorum namque eſt temporum.

§. 29. Διὸ νῦν μὲν ἀφῶμεν ταύτην τὴν σκέψιν· ἄλλων γὰρ ἐϛι καιρῶν.

# CAP. VII.

§. 1.

IX. De republica autem Lacedæmoniorum & Cretum, ferme autem & de aliis rebuspublicis duæ ſunt animadverſiones. Una quidem, ſi quid bene vel non bene conſtitutum eſt, ad optimum ordinem referentibus: altera autem, ſi quid ad ſuppoſitionem & modum, adverſatur propoſitæ ſibi ipſis reipublicæ.

IX. Περὶ δὲ τῆς Λακεδαιμονίων πολιτείας, καὶ τῆς Κρητικῆς, σχεδὸν δὲ καὶ περὶ τῶν ἄλλων πολιτειῶν, δύο εἰσὶν αἱ σκέψεις. μία μὲν, εἴ τι καλῶς, ἢ μὴ καλῶς, πρὸς τὴν ἀρίϛην νενομοθέτηται τάξιν· ἑτέρα δ', εἴ τι πρὸς τὴν ὑπόθεσιν καὶ τὸν τρόπον, ὑπεναντίως τῆς προκειμένης αὐτοῖς πολιτείας.

§. 2. Opus igitur eſſe civitati, quæ debet regi bene, a neceſſariis operibus vacationem adeſſe, conſenſus omnium eſt. Quomodo autem hoc contingat, non facile eſt adipiſci. Theſſalorum enim *Peneſtia* (a) ſæpe impoſuit Theſſalis, & eodem pacto Ilotes Laconibus. Tanquam enim in inſidiis manentes, expectant gravem aliquem caſum ipſorum.

§. 2. Ὅτι μὲν οὖν δεῖ τῇ μελλέσῃ καλῶς πολιτεύεϲθαι τὴν τῶν ἀναγκαίων ὑπάρχειν σχολὴν, ὁμολογέμενόν ἐϛι. τίνα δὲ τρόπον ὑπάρχειν, (d) ἐ ῥᾴδιον λαβεῖν. ἥ τε γὰρ Θετταλῶν Πενεϛεία πολλάκις ἐπέθετο τοῖς Θετταλοῖς, ὁμοίως δὲ καὶ τοῖς Λάκωσιν οἱ Εἵλωτες. ὥσπερ γὰρ ἐφεδρεύοντες τοῖς ἀτυχήμασι διατελέσι.

§. 3. *Cretibus* (b) autem nihil adhuc tale contigit. Cauſa autem forſitan eſt, quod vicinarum civitatum, etſi bella gerunt inter ſe, nulla ſocia ſit deficientibus: quia minime conducit illis, periæcos & ipſis habentibus. Laconibus autem vicini omnes erant hoſtes, Argivi, & Meſſenii, & Arcades. Nam & Theſſalis ab initio deficiebant, quia bellum adhuc gerebant cum propinquis Achæis, & Perrhæbis, & Magnetibus.

§. 3. Περὶ δὲ τὲς Κρῆτας ἐδέν πω τοιῦτον συμβέβηκεν. αἴτιον δ' ἴσως, τὸ τὰς γειτνιώσας πόλεις καίπερ πολεμέσας ἀλλήλαις, μηδεμίαν εἶναι σύμμαχον τοῖς ἀφιϛαμένοις, διὰ τὸ μὴ συμφέρειν καὶ αὐταῖς κεκτημέναις περιοίκες. τοῖς δὲ Λάκωσιν οἱ γειτνιῶντες ἐχθροὶ πάντες ἦσαν, Ἀργεῖοι καὶ Μεσσήνιοι, (e) καὶ Ἀρκάδες. ἐπεὶ καὶ τοῖς Θετταλοῖς κατ' ἀρχὰς ἀφίϛαντο, διὰ τὸ πολεμεῖν (f) ἔτι τοῖς προσχώροις, Ἀχαιοῖς, καὶ Περραιβοῖς, καὶ Μάγνησιν.

§. 4.* Videtur autem, ſi nihil aliud, ratio certe regendi ipſos ardua eſſe, quo pacto decet verſari cum illis. Si namque remiſſius habeantur, contumelioſi fiunt, atque æquum putant, ut æquali loco cum heris habeantur: ſin autem miſere vivant, inſidiantur & odio proſequuntur.

§. 4. Ἔοικε δὲ καὶ εἰ μηδὲν ἕτερον, ἀλλά τό γε τῆς ἐπιμελείας ἐργῶδες. εἶναι τίνα δεῖ πρὸς αὐτὲς ὁμιλῆσαι τρόπον. ἀνιέμενοί τε γὰρ ὑβρίζεσι, καὶ τῶν ἴσων ἀξιέσιν ἑαυτὲς τοῖς κυρίοις· καὶ κακοπαθῶς ζῶντες, ἐπιβελεύεσι καὶ μισέσι.

§. 5. *** Planum igitur eſt, non inveniſſe optimum modum, quibus hoc contingit in Ilotia curanda.

§. 5. *** Δῆλον οὖν (g) ὡς ἐκ ἐξευρίσκεσι τὸν βέλτιϛον τρόπον, οἷς τἔτο συμβαίνει, περὶ τὴν Εἱλωτείαν.

§. 6. Præterea remiſſio circa mulieres & ad reipublicæ finem detrimentoſa eſt, & ad vitam beatam civitatis. Quemadmodum enim domus pars eſt vir & uxor: ita prope accedere civitatem, ut bifariam diſſecta ſit, in numerum virorum

§. 6. Ἔτι δ' ἡ περὶ τὰς γυναῖκας ἄνεσις, καὶ πρὸς τὴν προαίρεσιν τῆς πολιτείας βλαβερὰ, καὶ πρὸς εὐδαιμονίαν πόλεως. (h) ὥσπερ γὰρ οἰκίας μέρος ἀνὴρ καὶ γυνὴ, δῆλον ὅτι καὶ πόλιν ἐγγὺς τε δίχα, διῃρῆϲθαι δεῖ νομίζειν, εἴς τε τὸ τῶν ἀνδρῶν

(a) *Peneſtia*) PICCARTUS *Lib. II. c. IIX. p.* 262. *GOEB.*

(b) *Cretibus*) De Cretenſium reipublicæ forma vide MEURSIUM *in Creta c. VIII.* *GOEB.*

(c) Ἢ τίσι.) Hoc reperit in cod. ms. etiam Sepulveda. Sed τισὶ frequentius eſt, & forte melius. Sequutus ſane eſt Victorius in interpretando: ut alterum Lambinus. *CONR.*

(d) Τίνα δὲ τρόπον ὑπάρχειν) Ex præcedente commate ſubaudiendum: δεῖ. Victorius tamen id in verſione neglexit, quaſi legerit ὑπάρχει. Sed prius & elegantius eſt & codicibus magis conveniens. *CONR.*

(e) Μεσσήνιοι) Camotius habet Μεσήνιοι: atque ita & alii ſcribere ſolent. *CONR.*

(f) Διὰ τὸ πολεμεῖν) Sunt qui hic diſtinctionis ſignum ponant. Optimi tamen codices & interpretes non agnoſcunt. *CONR.*

(g) Δῆλον ὖν) Hæc non ſunt ex iis, quæ anteceſſerunt, perſpicua: itaque nonnulla exciderunt. *CONR.*

(h) Πρὸς εὐδαιμονίαν πόλεως) Aldinus & Iſengrinianus codex habet εὐνομίαν. At prius expreſſerunt interpretes latini interque eos ipſe vetus: videturque rectius. *CONR.*

virorum & mulierum, exiſtimandum eſt. Quare in quibuscunque rebuspublicis vitii in ſe multum continet, quod ad mulieres facit, dimidium civitatis exiſtimandum eſt incorrectum eſſe.

δρῶν πλῆθος καὶ τὸ τῶν γυναικῶν. ὥστ᾽ ἐν ὅσαις πολιτείαις φαύλως ἔχει τὸ περὶ τὰς γυναῖκας, τὸ ἥμισυ τῆς πόλεως εἶναι δεῖ νομίζειν ἀνομοθέτητον.

§. 7. Quod illic uſu venit. Nam cum civitatem legislator duram & patientem operum eſſe vellet, in viris inſtituendis manifeſto talis eſt: in mulieribus vero multum diligentiæ remiſit: vivunt enim *intemperanter* (a) in omni genere intemperantiæ, & molliter. Quapropter neceſſe eſt in hujuscemodi republica divitias in honore eſſe.

§. 7. Ὅπερ ἐκεῖ συμβέβηκεν. ὅλην γὰρ τὴν πόλιν ὁ νομοθέτης εἶναι βουλόμενος καρτερικὴν, κατὰ μὲν τοὺς ἄνδρας φανερός ἐστι τοιοῦτος ὢν, ἐπὶ δὲ τῶν γυναικῶν ἐξημέληκε· ζῶσι γὰρ ἀκολάστως πρὸς ἅπασαν ἀκολασίαν, καὶ τρυφερῶς. ὥστε ἀναγκαῖον ἐν τῇ τοιαύτῃ πολιτείᾳ τιμᾶσθαι τὸν πλοῦτον.

§. 8. Præſertim ſi viri ſint in poteſtate mulierum: quemadmodum eſt major pars militarium & bellicoſarum nationum, exceptis *Celtis*: (b) & ſi qui alii populi palam coluerunt cum maribus coitum. Vident autem, qui primus fabulam finxit, non inſulſe copulaſſe Martem cum Venere. Sive enim ad conſuetudinem marium ſive fæminarum, perſpiciuntur eſſe proni cuncti hujuscemodi. Quapropter apud Laconas hoc extitit: multaque diſpenſabantur a mulieribus, dum potiebantur imperio. Atqui quid intereſt mulieres imperare, vel eos, qui imperium habent, pati ſibi a mulieribus imperari? Idem enim contingit.

§. 8. Ἄλλως τε κἂν τυγχάνωσι γυναικοκρατούμενοι· καθάπερ τὰ πολλὰ τῶν στρατιωτικῶν καὶ πολεμικῶν γενῶν, ἔξω Κελτῶν· ἢ κἂν εἴ τινες ἕτεροι φανερῶς τετιμήκασι τὴν πρὸς τοὺς ἄῤῥενας συνουσίαν. ἔοικε γὰρ ὁ μυθολογήσας πρῶτος, οὐκ ἀλόγως συζεῦξαι τὸν Ἄρη πρὸς τὴν Ἀφροδίτην. ἢ γὰρ πρὸς τὴν τῶν ἀῤῥένων ὁμιλιαν, ἢ πρὸς τὴν τῶν γυναικῶν, φαίνονται κατακώχιμοι πάντες οἱ τοιοῦτοι. διὸ παρὰ τοῖς Λάκωσι τοῦθ᾽ ὑπῆρχε, καὶ πολλὰ διωκεῖτο ὑπὸ τῶν γυναικῶν ἐπὶ τῆς ἀρχῆς αὐτῶν. καί τοι τί διαφέρει γυναῖκας ἄρχειν, ἢ τοὺς ἄρχοντας ὑπὸ τῶν γυναικῶν ἄρχεσθαι; ταὐτὸ γὰρ συμβαίνει.

§. 9 Cum autem audacia utilis non ſit ad aliquid cotidianorum operum, quod ſi alicubi prodeſt, in bello profutura videatur, maxime detrimentoſæ ad has res Laconum feminæ erant. Declararunt autem hoc, cum Thebani incurrerunt cum ſuis copiis in eorum fines: utiles namque nulla in re fuerunt (quod in aliis quoque civitatibus uſu venit) tumultum autem majorem, quam hoſtes attulerunt.

§. 9. Χρησίμου δ᾽ οὔσης τῆς θρασύτητος πρὸς οὐδὲν τῶν ἐγκυκλίων, ἀλλ᾽ εἴπερ (c) πρὸς τὸν πόλεμον, βλαβερώταται καὶ πρὸς ταῦθ᾽ αἱ τῶν Λακώνων ἦσαν. Ἐδήλωσαν δ᾽ ἐπὶ τῆς Θηβαίων ἐμβολῆς· χρήσιμοι μὲν γὰρ (d) οὐδὲν ἦσαν, ὥσπερ ἐν ἑτέραις πόλεσι· θόρυβον δὲ παρεῖχον πλείω τῶν πολεμίων.

§ 10 Initio autem videtur uſu veniſſe Laconibus non ſine cauſa mulierum remiſſio. Extra enim ſuam propriamq; tellurem propter expeditiones longo tempore peregrinabantur, bellum gerentes contra Archivos & rurſus Arcadas & Meſſenios. Cum autem otium nacti erant, ſemetipſos præbebant legislatori, prius eruditos & informatos vita illa militari. Multas enim continet in ſe partes virtutis. Mulieres quidem ajunt aggreſſum fuiſſe Lycurgum perducere ad leges: poſtquam autem illæ reſtiterunt, deſtitiſſe.

§. 10. Ἐξ ἀρχῆς μὲν οὖν ἔοικε συμβεβηκέναι τοῖς Λάκωσιν εὐλόγως ἡ τῶν γυναικῶν ἄνεσις. ἔξω γὰρ τῆς οἰκίας (e) διὰ τὰς στρατείας ἀπεξενοῦντο πολὴν χρόνον, πολεμοῦντες τόν τε πρὸς Ἀργείους πόλεμον, καὶ πάλιν τὸν πρὸς Ἀρκάδας καὶ Μεσσηνίους. σχολάσαντες δὲ, αὐτοὺς μὲν παρεῖχον τῷ νομοθέτῃ προωδοπεποιημένους διὰ τὸν στρατιωτικὸν βίον. πολλὰ γὰρ ἔχει μέρη τῆς ἀρετῆς· τὰς δὲ γυναῖκας, φασὶ μὲν ἄγειν ἐπιχειρῆσαι τὸν Λυκοῦργον ἐπὶ τοὺς νόμους· ὡς δ᾽ ἀντέκρουον, ἀποστῆναι πάλιν.

§. 11. Hæ igitur cauſæ ſunt eorum, quæ facta ſunt. Quapropter hujus etiam erroris. Verum nos non hoc attendimus, cui decet ignoſcere, vel non ignoſcere: ſed de eo, quod recte factum ſit, vel non recte, ſolliciti ſumus.

§. 11. Αἰτίαι μὲν οὖν εἰσὶν αὗται τῶν γενομένων· ὥστε δῆλον ὅτι καὶ ταύτης τῆς ἁμαρτίας. ἀλλ᾽ ἡμεῖς οὐ τοῦτο σκοποῦμεν, τίνι δεῖ συγγνώμην ἔχειν ἢ μὴ ἔχειν, ἀλλὰ περὶ τοῦ ὀρθῶς καὶ μὴ ὀρθῶς. (f)

§. 12. Quæ autem ad mulieres pertinent, cum ſe habent non bene, videntur, ut dictum prius eſt, non ſolum parere quiddam, quod minime

§. 12. Τὰ δὲ περὶ τὰς γυναῖκας ἔχοντα μὴ καλῶς, ἔοικεν, ὥσπερ ἐλέχθη καὶ πρότερον, οὐ μόνον ἀπρέπειάν τινα ποιεῖν τῆς πολιτείας αὐτῆς

(a) *Intemperanter*) CRAGIUS *de republ. Lacedæmoniorum lib. II. c. VII.* EMMIUS *de republica Laconum p.* 243. *ſqq.* 273. *ſeqq.* GOEB.

(b) *Celtis*) Nefanda Celtas maſcula venere, Cretenſibus aliisque licita, ſe polluiſſe, tradit quoque ATHENÆUS *lib.* 13. *c.* 27. Videtur tamen hæc res in tanta gentium occidentalium & ſeptentrionalium antiqua caſtitate non mereri fidem, & ſi per corpore infames, apud TACITUM *in Germania c.* 12. tanti criminis rei intelligendi, videmus, quam acerrime puniti ſint. GOEB.

(c) Ἀλλ᾽ εἴπερ) Recte Sylburgius monet, *poſſe etiam legi* ἀλλ᾽ ἤπερ *quam*. Et vero textus hinc nonnihil redditur clarior. CONR.

(d) Χρήσιμοι μὲν γὰρ) Sunt, qui habeant: χρήσιμον. Noſtrum eſt receptius & vacat reprehenſione. CONR.

(e) Ἔξω γὰρ τῆς οἰκίας) Nonnulli habent τῆς οἰκείας χώρας. Sed prius ſic ſatis bene rem exprimit. CONR.

(f) Καὶ μὴ ὀρθῶς) Deeſt hoc in codice Aldino pariter & Iſengriniano. Alibi paſſim reperitur. CONR.



Digitized by Google

minime decet rempubl ipſamque in ſe ſpectatam inquinare: verum etiam juvare aliquid ad amorem pecuniarum inſerendum in civitatem.

§. 13. Poſt enim ea, quæ modo dicta ſunt, accuſaret aliquis, quæ valent ad inæqualitatem bonorum. His namque contigit habere valde amplum patrimonium, his autem valde exile. Quapropter ad paucos venit ager.

14. Hoc autem & legibus male conſtitutum eſt. Emere enim vel vendere agrum, voluit non honeſtum eſſe, quod ſane recte ſtatuit. Dilargiri vero & relinquere voluit poſſe qui vellent. Atqui idem uſu venire & illo modo & hoc neceſſe eſt.

§. 15. Sunt autem mulierum totius ferme agri quinque partium duæ, & quia multæ factæ ſunt heredes paternorum bonorum, & quia dotes dant magnas. Atqui præſtabant nullam, vel puſillam, ſive ſaltem mediocrem, legibus ſtatutam eſſe. Nunc autem licet dare feminam heredem cuicunque voluerit; & ſi mortuus fuerit inteſtatus, quem utique reliquerit heredem, hic cuicunque voluerit, dat.

§. 16. Cum igitur ager valeat mille & quingentos equites alere & armatorum millia triginta, ne mille quidem numero erant.

§. 17. Factum autem eſt rebus ipſis planum, perperam ſe habuiſſe, quæ ad ordinem hunc pertinebant. Unam enim plagam civitas perpeſſa non eſt, ſed periit propter paucitatem hominum.

§. 18 Fertur autem ætate priorum Regum donare ſolitos civitate, ita ut non extiterit tunc penuria hominum, etſi longa bella gerebant: & affirmant, fuiſſe aliquando Spartiatis etiam decem millia. Veruntamen ſive hæc vera ſunt, ſive non ſunt, ſatius eſt adæquatione bonorum abundare hominibus civitatem.

§. 19. Subcontraria autem etiam lex eſt de liberis procreandis hujus errati correctioni. Volens enim legiſlator quam plurimos eſſe Spartiatas, impellit cives ad plurimos filios procreandos. Eſt enim illic lex, eum qui genuerit tres liberos, *mitti non poſſe in præſidium*: (*a*) qui vero quatuor, immunem eſſe omnium munerum. Quare planum eſt, ſi multi nati fuerint, agerque ita diviſus, neceſſario multos futuros pauperes.

§. 20. Quin etiam & quæ pertinent ad *Ephoriam*, (*b*) culpis affinia ſunt. Magiſtratus enim hic dominus maximarum rerum apud ipſos eſt: creantur autem e populo cuncti. Quapropter ſæpe incidunt in hanc curiam homines valde pauperes, qui propter egeſtatem mercede emuntur. Declararunt autem ſæpe quidem & antea, & modo in Andriis: corrupti enim quidam pecunia, quantum in ipſis fuit, totam civitatem perdiderunt.

§. 21.

τῆς καθ' αὑτὴν, (*c*) ἀλλὰ συμβάλλεσθαί τι πρὸς τὴν φιλοχρηματίαν.

§. 13. Μετὰ γὰρ τὰ νῦν ῥηθέντα, τοῖς περὶ τὴν ἀνωμαλίαν τῆς κτήσεως ἐπιτιμήσειεν ἄν τις. Τοῖς μὲν γὰρ αὐτῶν συμβέβηκε κεκτῆσθαι πολλὴν λίαν οὐσίαν, τοῖς δὲ πάμπαν μικράν. διόπερ εἰς ὀλίγους ἧκεν ἡ χώρα.

§. 14. Τοῦτο δὲ καὶ διὰ τῶν νόμων τέτακται φαύλως. ὠνεῖσθαι μὲν γὰρ ἢ πωλεῖν τὴν ὑπάρχουσαν, ἐποίησεν οὐ καλὸν, ὀρθῶς ποιήσας. διδόναι δὲ καὶ καταλείπειν ἐξουσίαν ἔδωκε τοῖς βουλομένοις. καί τοι ταὐτὸ συμβαίνειν (*d*) ἀναγκαῖον ἐκείνως τε καὶ οὕτως.

§. 15. Ἔστι δὲ καὶ τῶν γυναικῶν σχεδὸν τῆς πάσης χώρας τῶν πέντε μερῶν τὰ δύο, τῶν τε ἐπικλήρων πολλῶν γινομένων, καὶ διὰ τὸ προῖκας διδόναι μεγάλας. καί τοι βέλτιον ἦν μηδεμίαν, ἢ ὀλίγην, ἢ καὶ μετρίαν τετάχθαι. νῦν δ' ἔξεστι δοῦναί τε τὴν ἐπίκληρον ὅτῳ ἂν βούληται. κἂν ἀποθάνῃ μὴ διαθέμενος ὃν ἂν καταλίπῃ κληρονόμον, οὗτος ᾧ ἂν θέλῃ δίδωσι.

§. 16. Τοιγαροῦν δυναμένης τῆς χώρας χιλίους ἱππεῖς τρέφειν καὶ πεντακοσίους, καὶ ὁπλίτας τρισμυρίους, οὐδὲ χίλιοι τὸ πλῆθος ἦσαν.

§. 17. Γέγονε δὲ διὰ τῶν ἔργων αὐτῶν δῆλον, ὅτι φαύλως αὐτοῖς εἶχε τὰ περὶ τὴν τάξιν ταύτην. μίαν γὰρ πληγὴν οὐχ ὑπήνεγκεν ἡ πόλις, ἀλλ' ἀπώλετο διὰ τὴν ὀλιγανθρωπίαν.

§. 18. Λέγουσι δὲ ὡς ἐπὶ μὲν τῶν προτέρων βασιλέων μετεδίδοσαν τῆς πολιτείας, ὥστ' οὐ γίνεσθαι τότε ὀλιγανθρωπίαν πολεμούντων πολὺν χρόνον. καί φασιν, εἶναί ποτε τοῖς Σπαρτιάταις καὶ μυρίους. οὐ μὴν ἀλλ' εἴτ' ἐστὶν ἀληθῆ ταῦτα, εἴτε μὴ, βέλτιον τὸ διὰ τῆς κτήσεως ὡμαλισμένης πληθύειν ἀνδρῶν τὴν πόλιν.

§. 19. Ὑπεναντίος δὲ καὶ ὁ περὶ τὴν τεκνοποιΐαν νόμος πρὸς ταύτην τὴν διόρθωσιν. βουλόμενος γὰρ ὁ νομοθέτης ὡς πλείστους εἶναι τοὺς Σπαρτιάτας, προάγεται τοὺς πολίτας ὅτι πλείστους ποιεῖσθαι παῖδας. ἔστι γὰρ αὐτοῖς νόμος, τὸν μὲν γεννήσαντα τρεῖς υἱοὺς ἄφρουρον εἶναι τὸν δὲ τέτταρας ἀτελῆ πάντων. καί τοι φανερὸν ὅτι πολλῶν γινομένων τῆς δὲ χώρας οὕτω διῃρημένης, ἀναγκαῖον πολλοὺς γίνεσθαι πένητας.

§. 20. Ἀλλὰ μὲν καὶ τὰ περὶ τὴν Ἐφορείαν (*e*) ἔχει φαύλως. ἡ γὰρ ἀρχὴ, κυρία μὲν αὐτὴ τῶν μεγίστων αὐτοῖς ἐστι, γίνονται δ' ἐκ τοῦ δήμου πάντες. ὥστε πολλάκις ἐμπίπτουσιν ἄνθρωποι σφόδρα πένητες εἰς τὸ ἀρχεῖον, οἳ διὰ τὴν ἀπορίαν ὤνιοι ἦσαν. ἐδήλωσαν δὲ πολλάκις μὲν καὶ πρότερον, καὶ νῦν δὲ ἐν τοῖς Ἀνδρίοις. διαφθαρέντες γὰρ ἀργυρίῳ τινὲς, ὅσον ἐφ' ἑαυτοῖς ὅλην τὴν πόλιν ἀπώλεσαν.

§. 21.

(*a*) *mitti non poſſe in præſidium*) Hæc lex etiam relata eſt ab ÆLIANO *lib. VI. c. VI. p.* 128. qui tamen loco quaternarii liberorum numeri, quinarium memorat. *GOEB.*

(*b*) *Ephoriam*) CRAGIUS *de republ. Lacedæmon. lib. III. c. IV.* THUCYDID. *lib. II. p.* 87. ÆLIANUS *lib. III. c.* 10. EMMIUS *p.* 288. *ſeqq.* *GOEB.*

(*c*) Αὐτῆς καθ' αὑτὴν) Montecatinus habet αὐτὰ καθ' αὑτήν: notatque id expreſſum a Vetere interprete & Lambino. Hic tamen videtur maluiſſe: αὐτὰ καθ' αὑτὰ, vertens: *videntur ipſa per ſe non ſolum rempubl. dedecorare.* Aldus & Iſengrinius habent: αὐτὴν καθ' αὑτήν. Eodem modo Caſaubonus ſcribit. Parum videtur referre quemadmodum legeris: *CONR.*

(*d*) Ταὐτὸ συμβαίνειν) Camotius habet τοῦτο. Probat idem Caſaubonus. Noſtrum plærisque placuit: & videtur rectius *CONR.*

(*e*) Ἐφορείαν) Alii malunt ἐφορίαν. *CONR.*

Digitized by Google

§. 21. Et quia poteſtas eſt valde magna & æqualis tyrannidi, aſſentari ipſi cogebantur etiam Reges: ita ut hac etiam parte detrimenti multum acciperet reſpublica. Status enim multitudinis e ſtatu optimorum evadebat.

§. 21. Καὶ διὰ τὸ τὴν ἀρχὴν εἶναι λίαν μεγάλην καὶ ἰσοτύραννον, δημαγωγεῖν αὐτοὺς ἠναγκάζοντο καὶ οἱ βασιλεῖς· ὥστε καὶ ταύτῃ συνεπιβλάπτεσθαι τὴν πολιτείαν. δημοκρατία γὰρ ἐξ ἀριστοκρατίας συνέβαινε.

§. 22. Continet igitur quidem rempubl. curia hæc. Quieſcit enim populus, quia particeps eſt *maximi magiſtratus*. (*a*) Quare ſive legislatoris conſilio, ſive fortuito hoc contigit, conducit rebus ipſorum. Opus eſt enim rempubl. quæ conſervari debet, cunctas partes civitatis velle ſtare & permanere eaſdem. Reges igitur propter ipſorum honorem ita ſe habent: honeſti viri ac præſtantes propter ſenatum. Præmium enim ordo hic eſt virtutis. Plebs autem propter ephoriam. Conſtituitur enim ex omnibus.

§. 22. Συνέχει μὲν οὖν τὴν πολιτείαν τὸ ἀρχεῖον τοῦτο. ἡσυχάζει γὰρ (*d*) ὁ δῆμος διὰ τὸ μετέχειν τῆς μεγίστης ἀρχῆς. ὥστ᾽ εἴτε διὰ τὸν νομοθέτην, εἴτε διὰ τύχην τοῦτο συμπέπτωκε, συμφερόντως ἔχει τοῖς πράγμασι. δεῖ γὰρ τὴν πολιτείαν τὴν μέλλουσαν σώζεσθαι, πάντα βούλεσθαι τὰ μέρη τῆς πόλεως εἶναι καὶ διαμένειν ταὐτά. οἱ μὲν οὖν βασιλεῖς διὰ τὴν αὐτῶν τιμὴν οὕτως ἔχουσιν· οἱ δὲ καλοὶ κἀγαθοὶ, διὰ τὴν γερουσίαν. ἆθλον γὰρ ἡ ἀρχὴ αὕτη τῆς ἀρετῆς ἐστιν. ὁ δὲ δῆμος, διὰ τὴν Ἐφορείαν· καθίσταται γὰρ ἐξ ἁπάντων.

§. 23. Sed deligi ſane magiſtratum hunc ex omnibus decebat, non tamen eodem modo, quo nunc: eſt enim valde puerilis.

§. 23. Ἀλλ᾽ αἱρετὴν ἔδει τὴν ἀρχὴν εἶναι ταύτην, ἐξ ἁπάντων μὲν, μὴ τὸν τρόπον δὲ τοῦτον ὃν νῦν· παιδαριώδης γάρ ἐστι λίαν.

§. 24. Præterea ſunt principes & auctores magnarum exiſtimationum quilibet homines. Quare ſatius fuiſſet, eos exiſtimare non ſuum ſenſum ſecutos, ſed e ſcriptis & legibus.

§. 24. Ἔτι δὲ καὶ κρίσεων εἰσὶ μεγάλων κύριοι, ὄντες οἱ τυχόντες. διόπερ οὐκ αὐτογνώμονας βέλτιον κρίνειν, ἀλλὰ κατὰ τὰ γράμματα καὶ τοὺς νόμους.

§. 25. Eſt autem vita Ephororum minime congruens voluntati civitatis. Ipſa namque remiſſa valde eſt: in cæteris vero potius ſuperat modum verſus duritiem, ut pares non ſint illi tolerandæ, ſed clanculum legem aufugientes, fruantur corporis voluptatibus.

§. 25. Ἔστι δὲ καὶ ἡ δίαιτα τῶν Ἐφόρων οὐχ ὁμολογουμένη τῷ βουλήματι τῆς πόλεως. αὐτὴ μὲν γὰρ ἀνειμένη λίαν ἐστίν· ἐν δὲ τοῖς ἄλλοις μᾶλλον ὑπερβάλλει ἐπὶ τὸ σκληρόν· ὥστε μὴ δύνασθαι καρτερεῖν, ἀλλὰ λάθρα τὸν νόμον ἀποδιδράσκοντας ἀπολαύειν τῶν σωματικῶν ἡδονῶν.

§. 26. Quæ itidem pertinent ad ordinem *Senum*, (*b*) non bene inſtituta ſunt ipſis. Si namque forent moderati viri & ſatis inſtituti ad perfectam virtutem, fortaſſe contenderet aliquis conducere civitati. Etſi donec vivunt in ſua poteſtate ipſos habere magnis de rebus exiſtimationem, anceps eſt & in controverſiam venit. Eſt enim ut corporis, ita quoque mentis *ſenectus*. (*c*) Cum vero ita inſtituti ſint, ut ne Legumlator quidem ipſe iis plane fidat tanquam non probis viris, minime tutum eſt.

§. 26. Ἔχει δὲ καὶ τὰ περὶ τὴν τῶν Γερόντων ἀρχὴν οὐ καλῶς αὐτοῖς. ἐπιεικῶν μὲν γὰρ ὄντων καὶ πεπαιδευμένων ἱκανῶς πρὸς ἀνδραγαθίαν, τάχ᾽ ἂν εἴπειέ τις συμφέρειν τῇ πόλει. καίτοι τό γε (*e*) διὰ βίου κυρίους εἶναι κρίσεων μεγάλων, ἀμφισβητήσιμον. ἔστι γάρ, ὥσπερ καὶ σώματος, καὶ διανοίας γῆρας. τὸν τρόπον δὲ τοῦτον πεπαιδευμένων, ὥστε καὶ τὸν νομοθέτην αὐτὸν ἀπιστεῖν ὡς οὐκ ἀγαθοῖς ἀνδράσιν, οὐκ ἀσφαλές.

§. 27. Intelliguntur enim donis corrupti fuiſſe, & gratia etiam, deliniti multa quæ ad remp. pertinent condonaſſe, qui participes facti ſunt hujus magiſtratus. Quare præſtat, ipſos minime liberos eſſe circa rationem reddendi ſuorum factorum. Nunc autem ſunt.

§. 27. Φαίνονται δὲ καὶ καταδωροδοκούμενοι καὶ καταχαριζόμενοι, πολλὰ τῶν κοινῶν οἱ κεκοινωνηκότες τῆς ἀρχῆς ταύτης. διόπερ βέλτιον, αὐτοὺς μὴ ἀνευθύνους εἶναι· νῦν δ᾽ εἰσί.

§. 28. Videri autem poſſet magiſtratus Ephororum a cunctis magiſtratibus rationem poſcere. Hoc autem Ephoriæ nimis amplum donum datum eſt: & in hunc modum non dicimus reddere oportere rationes.

§. 28. Δόξειε δ᾽ ἂν ἡ τῶν Ἐφόρων ἀρχὴ πάσας εὐθύνειν τὰς ἀρχάς. τοῦτο δὲ τῇ Ἐφορείᾳ μέγα λίαν τὸ δῶρον, καὶ τὸν τρόπον οὐ τοῦτον λέγομεν διδόναι δεῖν τὰς εὐθύνας.

29. Præterea delectus, quem faciunt Senatorum, & ab exiſtimatione puerilis eſt: & ipſum petere, qui in eum gradum recipiendus eſt, non recte ſe habet. Oportet enim & volentem & nolentem, dignum illo magiſtratu, ipſum habere

§. 29. Ἔτι δὲ καὶ τὴν αἵρεσιν ἣν ποιοῦνται τῶν Γερόντων, κατά τε τὴν κρίσιν ἐστὶ παιδαριώδης, καὶ τὸ αὐτὸν αἰτεῖσθαι τὸν ἀξιωθησόμενον τῆς ἀρχῆς, οὐκ ὀρθῶς ἔχει. δεῖ γὰρ καὶ βουλόμενον καὶ μὴ βουλόμενον ἄρχειν τὸν ἄξιον τῆς ἀρχῆς

(*a*) *Maximi magiſtratus*) EMMIUS *de republica Laconum. p.* 282. *ſeqq.* CRAGIUS *lib. II. c.* I. *GOEB.*

(*b*) *Senum.*) Inter requiſita illius, qui in Senatorem penes Lacedæmonios cooptandus erat, inter alia requirebatur, ut annum ſexageſimum attigiſſet, aut eo major eſſet. CRAGIUS *lib. II. c. III.* Hoc collegium, quaſi medium quid inter regem & populum erat, & ephori erant regum abſentium vicarii eorumque obſervatores & arbitri. *GOEB.*

(*c*) *Senectus*) Vid. PLUTARCHI *libell. num Seni ſit gerenda respubl. GOEB.*

(*d*) Ἡσυχάζει γάρ) Quæ ſequuntur usque ad illa verba: ἀλλ᾽ αἱρετὴν ἔδει: Parentheſi includenda ſunt. Ita enim demum cohæret ſermo. συνέχει μὲν οὖν τὴν πολιτείαν τὸ ἀρχεῖον τοῦτο, ἀλλ᾽ αἱρετὴν ἔδει τὴν ἀρχὴν εἶναι ταύτην. *CONR.*

(*e*) Καί τοι τό γε) Etiam hæc parentheſi concludi debent usque ad illa: τὸν τρόπον δὲ τοῦτον. Eſt vero jam hoc a nonnullis interpretibus obſervatum. *CONR.*



Digitized by Google

bere. Nunc autem idem, quod in aliis quoque reipubl. muneribus, perſpicitur legiſlator facere. Reddens enim cupidos honoris cives, ipſis utitur ad delectum Senatorum. Nullus enim imperium peteret, qui non cupidus honoris eſſet. Cum maxima pars injuſtorum factorum, quæ ſponte faciunt homines, ferme proficiſcatur ab ambitione & avaritia.

χῆς. νῦν δ', ὥσπερ καὶ περὶ τὴν ἄλλην πολιτείαν, ὁ νομοθέτης φαίνεται ποιῶν. φιλοτίμους γὰρ κατασκευάζων τοὺς πολίτας, τούτοις κέχρηται πρὸς τὴν αἵρεσιν τῶν Γερόντων. οὐδεὶς γὰρ ἂν ἄρχειν αἰτήσαιτο, μὴ φιλότιμος ὤν. καί τοι τῶν γ' ἀδικημάτων ἑκουσίων (*e*) τὰ πλεῖστα συμβαίνει σχεδὸν διὰ φιλοτιμίαν καὶ διὰ φιλοχρηματίαν τοῖς ἀνθρώποις.

§. 30. *De regno vero*, (*a*) ſi non melius ſit, ſive melius, in civitatibus exiſtere, alio loco diſſeratur.

§. 30. Περὶ δὲ Βασιλείας, εἰ μὲν μὴ βέλτιόν ἐστιν ὑπάρχειν ταῖς πόλεσιν, ἢ βέλτιον, ἄλλος ἔστω λόγος.

§. 31. Atqui melius foret, non tamen, ut nunc, ſed e ſua vita ſingulos Reges exiſtimari. Legumlatorem autem ne ipſum quidem ſperare, ſe reddere illos poſſe probos ac moderatos, perſpicuum eſt. Non fidit enim illis, ut non omnibus bonis viris. Quapropter mittebant ſimul legatos, qui inimici forent inter ſe, & ſaluti eſſe civitati rebantur diſſidere Reges.

§. 31. Ἀλλὰ μὴν βέλτιόν γε μὴ καθάπερ νῦν ἀλλὰ κατὰ τὸν αὐτοῦ βίον ἕκαστον κρίνεσθαι τῶν βασιλέων. ὅτι δὲ ὁ νομοθέτης οὐδ' αὐτὸς οἴεται δύνασθαι ποιεῖν καλοὺς κἀγαθοὺς, δῆλον. ἀπιστεῖ γοῦν ὡς οὐκ οὖσιν ἱκανῶς ἀγαθοῖς ἀνδράσι. διόπερ ἐξέπεμπον συμπρεσβευτὰς τοὺς ἐχθροὺς, καὶ σωτηρίαν ἐνόμιζον τῇ πόλει εἶναι τὸ στασιάζειν τοὺς βασιλεῖς.

§. 32. Non bene autem, neque quod pertinet ad cœnas illas communes, vocatas *Phiditia*, (*b*) ab eo qui primus inſtituit omnia conſtituta ſunt. Decebat enim e publico potius eſſe conventum illum, veluti fit in Creta. Apud Laconas vero ſingulos opus eſt *domo ferre* (*c*) etſi valde pauperes quidam ſunt, & hunc ſumptum facere nequeunt.

§. 32. Οὐ καλῶς δ' οὐδὲ περὶ τὰ συσσίτια τὰ καλούμενα Φιδίτια, νενομοθέτηται τῷ καταστήσαντι πρῶτον. ἔδει γὰρ ἀπὸ κοινοῦ μᾶλλον εἶναι τὴν σύνοδον, καθάπερ ἐν Κρήτῃ. παρὰ δὲ τοῖς Λάκωσιν ἕκαστον δεῖ φέρειν, καὶ σφόδρα πενήτων ἐνίων ὄντων, καὶ τοῦτο τὸ ἀνάλωμα οὐ δυναμένων δαπανᾶν.

§. 33. Quapropter uſu venit legiſlatori contrarium ejus, quod in animo habuit. Vult enim populare eſſe inſtitutum menſarum harum communium. Ita autem informatum minime populare eſt: ægre namque participes ejus poſſunt eſſe valde pauperes. Finis autem reipubl. hic eſt ipſis a majoribus acceptus, qui nequit hoc vectigal ferre minime participem eſſe ipſius.

§. 33. Ὥστε συμβαίνειν τοὐναντίον (*f*) τῷ νομοθέτῃ τῆς προαιρέσεως. βούλεται μὲν γὰρ δημοκρατικὸν εἶναι τὸ κατασκεύασμα τῶν συσσιτίων. γίνεται δ' ἥκιστα δημοκρατικὸν οὕτω νενομοθετημένον. μετέχειν μὲν γὰρ οὐ ῥᾴδιον τοῖς λίαν πένησιν. ὅρος δὲ τῆς πολιτείας οὗτός ἐστιν αὐτοῖς ὁ πάτριος, τὸν μὴ δυνάμενον τοῦτο τὸ τέλος φέρειν μὴ μετέχειν αὐτῆς. (*g*)

§. 34. Legem autem de præfectis claſſis, & alii quidam increpuerunt, recte increpantes: eſt enim cauſa ſeditionis. In reges namque, qui ſunt perpetui duces exercituum, præfectura claſſis, ferme alterum Regnum, conſtituta eſt.

§. 34. Τῷ δὲ περὶ τοὺς Ναυάρχους νόμῳ καὶ ἕτεροί τινες ἐπιτετιμήκασιν, ὀρθῶς ἐπιτιμῶντες. στάσεως γὰρ γίνεται αἴτιος. ἐπὶ γὰρ τοῖς βασιλεῦσιν (*h*) οὖσι στρατηγοῖς ἀΐδιος ἡ ναυαρχία, σχεδὸν ἑτέρα βασιλεία καθέστηκε.

§. 35. Et hoc etiam pacto legiſlatoris ſuppoſitionem increparet aliquis. Quod quidem Plato quoque in legibus increpuit. Ad partem enim virtutis univerſa conſtructio legum refertur, bellicam ſcilicet. Hæc namque valet ad dominandum. Salvi igitur incolumesque fuerunt, dum bella geſſere: periere autem, poſtquam imperium adepti ſunt: quia neſciebant otio uti, neque ſe exercuerant in diſciplina ulla potiore *arte bellica*. (*d*)

§. 35. Καὶ ὡδὶ δὲ τῇ ὑποθέσει τοῦ νομοθέτου ἐπιτιμήσειεν ἄν τις, ὅπερ καὶ Πλάτων ἐν τοῖς Νόμοις ἐπιτετίμηκε, πρὸς γὰρ μέρος ἀρετῆς ἡ πᾶσα σύνταξις τῶν νόμων ἐστὶ, (*i*) τὴν πολεμικήν· αὕτη γὰρ χρησίμη πρὸς τὸ κρατεῖν. τοιγαροῦν ἐσῴζοντο μὲν πολεμοῦντες, ἀπώλλυντο δὲ ἄρξαντες, διὰ τὸ μὴ ἐπίστασθαι σχολάζειν, μηδὲ ἠσκηκέναι μηδεμίαν ἄσκησιν ἑτέραν κυριωτέραν τῆς πολεμικῆς.

§. 36.

(*a*) *De regno vero*) CRAGIUS *lib. II. c. II.* Regum Lacedæmoni limitata admodum erat poteſtas. GROTIUS *de J. B. & P. lib. I. c. III.* §. 8. n. 11. §. 10. n. 11. 5. *GOEB.*

(*b*) *Phiditia*) Vel Syſſitia a Lycurgo, Cretenſium exemplo, inſtituta. Quomodo tales conventus & convictus, a quibus mulieres, non autem pueri excludebantur, celebrati ſint, & quare inſtituti, docet CRAGIUS *lib. I. c. IX. lib. III. inſtit. V.* *GOEB.*

(*c*) *Domo ferre*) Attamen & Cretenſes in hæc ſodalitia unusquisque decimam ſuorum fructuum conferebat, quod ex DOSIADA *lib. IV. rer. Critic.* & EUSTATHIO *ad Odyſſ.* refert MEURSIUS *l. c. p.* 171. In illis autem conſeſſibus a coena conſultabant de rebuspublicis. PLUTARCH. *in ſympoſiac. lib. VII. quæſt.* 9. STRABO *lib.* 10. De German. conviviis TACITUS *in Germania c.* 22. *GOEB.*

(*d*) *Arte bellica*) PICCARTUS *lib. II. c. IX.* PROOEM. *inſtit.* & COCCEII diſſertat. de hoc argumento. *GOEB.*

(*e*) Τῶν ἀδικημάτων ἑκουσίων) Montecatinus jubet delere vocem ἑκουσίων. Et vero nihil ad rem facit, ſed potius turbat. *CONR.*

(*f*) Ὥστε συμβαίνειν τοὐναντίον) Alii legunt συμβαίνει. *CONR,*

(*g*) Μετέχειν αὐτῆς.) Montecatinus & Camotius habent μετέχειν αὐτοῖς. Sed convenientius noſtrum, αὐτῆς. *CONR.*

(*h*) Ἐπὶ γὰρ τοῖς βασιλεῦσιν) Hanc lectionem expreſſit Lambinus vertens: *Claſſis enim præfectura ſempiterna, regibus, qui ſunt belli duces atque imperatores, addita alterum propemodum regnum evadit.* Victorius autem vertit, quaſi ſcriptum fuiſſet: ἐπὶ γὰρ τοῖς βασιλεῦσιν, οὖσι στρατηγοῖς ἀϊδίοις, ἡ ναυαρχία σχεδὸν ἑτέρα βασιλεία κατέστηκε. Vetus quoque interpres legit: στρατηγοῖς ἀϊδίοις: idque eſt convenientius deſcriptioni reipubl. Spartanæ. *CONR.*

(*i*) τῶν νόμων ἐστί) Aldus & Iſengrinius non agnoverunt illud, τῶν. *CONR.*

Digitized by Google

§. 36. Hoc autem erratum non minus. Arbitrantur enim gigni bona, de quibus homines inter ſe certant, per *virtutem* (*a*) potius, quam per vitium: & ſane hoc recte. Quod vero hæc potiora virtute putant, non recte.

§. 37. Male autem ſe etiam habent, quæ ad *publicam* (*b*) pecuniam pertinent apud Spartiatas. Neque enim in communi ærarioque civitatis eſt aliquid, cum tamen cogantur magna bella gerere, conferuntque e privato male. Quia enim Spartiatarum eſt maxima pars agri, non inquirunt ſubtiliter mutuas collationes. Uſu autem venit legiſlatori contrarium ejus, quod profuiſſet. Civitatem enim reddidit vacuam a pecunia: privatos autem ipſius cupidos.

38. De republ. igitur Lacedæmoniorum hactenus dictum ſit. Hæc enim ſunt, quæ maxime aliquis increparet.

§. 36. Τȣ͂το δὲ ἁμάρτημα (*h*) ȣ̓κ ἔλαττον. νομίζȣσι μὲν γὰρ γίνεσθαι τἀγαθὰ τὰ περιμάχητα δἰ ἀρετῆς μᾶλλον ἢ κακίας· καὶ τȣ͂το μὲν καλῶς. ὅτι μέν τοι ταῦτα κρείττω τῆς ἀρετῆς ὑπολαμβάνȣσιν, ȣ̓ καλῶς.

§. 37. Φαύλως δ᾽ ἔχει καὶ περὶ τὰ κοινὰ χρήματα τοῖς Σπαρτιάταις. ȣ̓́τε γὰρ ἐν τῷ κοινῷ τῆς πόλεώς ἐστιν ȣ̓δὲν, πολέμȣς μεγάλȣς ἀναγκαζομένοις πολεμεῖν· εἰσφέρȣσί τε κακῶς. διὰ γὰρ τὸ τῶν Σπαρτιατῶν εἶναι τὴν πλείστην γῆν, ȣ̓κ ἐξετάζȣσιν ἀλλήλων τὰς εἰσφοράς. ἀποβέβηκέ τε τοὐναντίον τῷ νομοθέτῃ τȣ͂ συμφέροντος. τὴν μὲν γὰρ πόλιν πεποίηκεν ἀχρήματον, τὰς δ᾽ ἰδιώτας φιλοχρημάτȣς.

§. 38. Περὶ μὲν ȣ̓͂ν τῆς Λακεδαιμονίων πολιτείας, ἐπὶ τοσȣ͂τον εἰρήσθω. ταῦτα γάρ ἐστιν ἃ μάλιστ᾽ ἄν τις ἐπιτιμήσειεν.

## CAP. IIX.

§. 1.

X. Cretenſium vero reſpublica propinqua eſt huic. Habet enim pauca quædam non pejus: majorem autem partem minus eleganter. Etenim videtur (& ſane fertur) maxima in parte rempublicam Cretenſium imitata reſpublica Laconum. Major autem pars priſcorum minus correcta eſt recentioribus.

§. 2. Ajunt enim Lycurgum, quando relicta tutela Charilai Regis peregrinatus eſt, tunc plurimum temporis moratum fuiſſe *in Creta* (*c*) propter cognationem. Lyctii namque coloni Laconum fuerant. Deprehenderunt autem qui ad eam coloniam venerunt, ordinem legum eſſe in illis, qui tunc illic habitabant. Quare & nunc perioeci eodem pacto ipſis utuntur; tanquam Minos primus *ordinem legum* (*d*) conſtruxerit.

§. 3. *Inſula* (*e*) autem videtur ad imperium Græcorum tenendum nata, pulchreque ſita: ad omne namque mare vergit, ferme cunctis Græcis collocatis juxta mare. Diſtat enim hac quidem parte, parum a *Peloponneſo*, (*f*) hac vero ab Aſiæ loco circa Triopium & *Rhodum*. (*g*) Qua de cauſa & imperium maris tenuit Minos, & inſulas has quidem ſubegit, in his vero colonos conſtituit. Poſtremum autem cum Siciliam ſuæ ditionis facere aggreſſus eſſet, illic circa Camicum mortuus eſt.

§. 1.

X. Ἡ δὲ Κρητικὴ πολιτεία πάρεγγυς μὲν ἐστι ταύτης· ἔχει δὲ μικρὰ μὲν ȣ̓ χεῖρον· τὸ δὲ πλεῖον, (*i*) ἧττον γλαφυρῶς. καὶ γὰρ ἔοικε, καὶ λέγεται δὲ, τὰ πλεῖστα μεμιμῆσθαι τὴν Κρητικὴν πολιτείαν ἡ τῶν Λακώνων. τὰ δὲ πλεῖστα τῶν ἀρχαίων, ἧττον διήρθρωται τῶν νεωτέρων.

§. 2. Φασὶ γὰρ τὸν Λυκȣ͂ργον, ὅτε τὴν ἐπιτροπείαν τὴν Χαρίλλȣ (*k*) τȣ͂ Βασιλέως καταλιπὼν ἀπεδήμησε, τότε τὸν πλεῖστον διατρίψαι χρόνον περὶ τὴν Κρήτην διὰ τὴν συγγένειαν. ἄποικοι γὰρ οἱ Λύκτιοι τῶν Λακώνων ἦσαν· κατέλαβον δ᾽ οἱ πρὸς τὴν ἀποικίαν ἐλθόντες τὴν τάξιν τῶν νόμων, ὑπάρχȣσαν ἐν τοῖς τότε κατοικȣ͂σι. διὸ καὶ νῦν οἱ περίοικοι τὸν αὐτὸν τρόπον χρῶνται αὐτοῖς, ὡς κατασκευάσαντος Μίνω πρώτȣ τὴν τάξιν τῶν νόμων.

§. 3. Δοκεῖ δ᾽ ἡ νῆσος καὶ πρὸς τὴν ἀρχὴν τὴν Ἑλληνικὴν πεφυκέναι καὶ κεῖσθαι καλῶς. πάσῃ γὰρ ἐπίκειται τῇ θαλάσσῃ, σχεδὸν τῶν Ἑλλήνων ἱδρυμένων περὶ τὴν θάλασσαν πάντων. ἀπέχει γὰρ, τῇ μὲν ὀλίγον τῆς Πελοποννήσȣ, τῇ δὲ τῆς Ἀσίας τȣ͂ περὶ Τριόπιον τόπȣ καὶ Ῥόδον. (*l*) διὸ καὶ τὴν τῆς θαλάσσης ἀρχὴν κατέσχεν ὁ Μίνως, καὶ τὰς νήσȣς, τὰς μὲν ἐχειρώσατο, τὰς δ᾽ ᾤκισε. τέλος δὲ ἐπιθέμενος τῇ Σικελίᾳ, τὸν βίον ἐτελεύτησεν ἐκεῖ περὶ Κάμικον. (*m*)

§. 4. §. 4.

(*a*) *Virtutem*) PICCARTUS *l. c.* *GOEB.*

(*b*) *Publicam*) Spartæ nullum ab initio ærarium fuit, deinde ejus cura Ephoris data. CRAGIUS *lib. IV. c. II.* *GOEB.*

(*c*) *Creta*) MEURSIUS *in Creta p.* 116. *ſeqq.* *GOEB.*

(*d*) *Ordinem legum*) Conf. MEURSIUS *in Creta c. III. VIII.* Suas a Jove accepiſſe leges Minos gloriabatur, quod & Rhadamantus, qui ante eum Cretenſibus leges dediſſe fert, fecit. Vid. HERACL. PONTIC. apud CRAG. *p.* 507. & NICOL. DAMASC. *de morib. gent.* apud eundem *p.* 569. *GOEB.*

(*e*) *Inſula*) Eam ex veteribus plene deſcribit MEURSIUS STRABO *lib. X. p.* 474. *ſeqq.* *GOEB.*

(*f*) *Peloponneſo*) Conf. THUCYDIDES PAUSANIAS *lib. VIII.* STRABO *geograph. lib. VIII.* *GOEB.*

(*g*) *Rhodum*) Vid. MEURS. STRABO *lib. XIV.* *GOEB.*

(*h*) τȣ͂το δ᾽ ἁμάρτημα) Camotius & Montecatinus habent τȣ́τȣ δ᾽ ἁμάρτ. quod videtur ſignificantius, *CONR.*

(*i*) τὸ δὲ πλεῖον) Editor codicis Iſengriniani in margine notavit: πλεῖστον: quod etiam ipſe malim. *CONR.*

(*k*) τὴν χαρίλλȣ) Sic quidem Vetus interpres etiam & Aldinus legit: at videtur rectius χαριλάȣ, ut eſt in Baſileenſi & expreſſerunt optimi interpretes, Victorius, Lambinus, Giphanius, Sepulveda, Montecatinus. Cui & Plutarchus & Suidas conveniunt ſcribentes itidem nomen illud Charilai: imo ipſe Ariſtoteles *lib.* 5. *cap. ult.* *CONR.*

(*l*) καὶ Ῥόδον) Montecatinus & Caſaubonus putat legendum Ῥόδȣ: quibus aſſentior, ceu fecit etiam Lambinus. *CONR.*

(*m*) Περὶ Κάμικον) Sic legendum, operoſe & docte aſtruit Victorius *Variar. lect. l.* 16. *c.* 18. Aldinus & Baſileenſis codex mendoſe legunt κάμινον: nec aliter legit Vetus interpres. *CONR.*

Digitized by Google

§. 4. Proportione autem reſpondet ordo cretenſis ad laconicum. Colunt enim agros his quidem Ilotes, Cretenſibus vero periœci: & cœnæ publicæ apud ambos ſunt; antiquitusque Lacones ſuas vocabant non Phiditia, ſed Andria, quemadmodum Cretenſes: quo ſatis conſtat, ipſos illic veniſſe. Præterea ordo reipublicæ Ephori namque eandem poteſtatem habent, quam in Creta, qui vocantur *Coſmi*: (*a*) niſi quod Ephori quinque ſunt numero, Coſmi autem decem. Senatores vero Senatoribus æquales, quos nominant Cretenſes conſilium. Regnum autem prius quidem erat: poſtea diſſolverunt Cretenſes, jusque ducendi exercitum in bello Coſmi habent. Concionis ſane participes ſunt omnes: nullius tamen ipſa poteſtatem habet, præterquam quod ſocia adhibetur ad decernenda, quæ viſa fuerint Senatoribus & Coſmis.

§. 5. Cœnæ igitur publicæ melius *inſtituta* (*b*) ſunt apud Cretenſes, quam apud Laconas. Lacedæmone namque ſinguli per capita conferunt, quod definitum: ſi non, vetat Lex eſſe participes reipublicæ ut prius dictum eſt. In Creta vero popularius hoc adminiſtratur. Ab omnibus enim, qui oriuntur e terra fructibus, & pecore, & publicis vectigalibus, & penſionibus, quas ſolvunt periœci, pars conſtituta eſt: hæc quidem ad Deos & publica munera, hæc vero publicis his cœnis attributa, ita ut e publico alantur omnes & mulieres & pueri & viri.

§. 6. Ad tenuem autem victum, ut rem utilem, multa excogitavit Legumlator: & ad dijunctionem a mulieribus, ne nimis creſceret numerus liberorum, induxit conſuetudinem cum maribus. De qua ſi prave vel non prave, aliud erit conſiderandi magis oportunum tempus.

§. 7. Melius autem inſtituta eſſe, quæ ad cœnas communes pertinent, apud Cretenſes, quam apud Laconas, perſpicuum eſt.

§. 8. Quæ autem ad Coſmos, deterius adhuc ſe habent, quam quæ ad Ephoros. Quod enim mali Ephororum magiſtratus habet, ineſt etiam horum. Fiunt enim quilibet. Quod autem illic conducit ad rempublicam, hic minime eſt. Illic enim quia ſumuntur ex omnibus, populus particeps maximi magiſtratus ſtare rempublicam vult. Hic autem non e cunctis ſumunt Coſmos, ſed e quibusdam familiis, & Senatores ex iis, qui adepti ſint magiſtratum Coſmorum.

§. 9. De quibus iisdem argumentis uteretur aliquis, quibus uſi ſimus, differentes de iis, qui Lacedæmone fiunt. Quod enim non coguntur rationem reddere & perpetui ſunt, ſuperat dignitatem ipſorum: & quod imperium non regunt ſcriptis addicti, ſed ſenſum judiciumque ſuum ſequentes, periculi plenum eſt.

§. 10. Quieſcere autem populum non participem ejus, nullum eſt ſignum bene conſtituti ejus magiſtratus. Nulla enim mercede labefactantur

§. 4. Ἔχει δ᾽ ἀνάλογον ἡ Κρητικὴ τάξις πρὸς τὴν Λακωνικήν. γεωργοῦσί τε γάρ, τοῖς μὲν Εἵλωτες, τοῖς δὲ Κρησὶν οἱ περίοικοι. καὶ συσσίτια παρ᾽ ἀμφοτέροις ἐςί. καὶ τό γε ἀρχαῖον ἐκάλουν οἱ Λάκωνες οὐ Φιδίτια, ἀλλὰ Ἄνδρια, καθάπερ οἱ Κρῆτες. ᾗ καὶ δῆλον ὅτι ἐκεῖθεν ἐλήλυθεν. ἔτι δὲ τῆς πολιτείας ἡ τάξις. οἱ μὲν γὰρ Ἔφοροι τὴν αὐτὴν ἔχουσι δύναμιν τοῖς ἐν τῇ Κρήτῃ καλουμένοις Κόσμοις πλὴν οἱ μὲν Ἔφοροι πέντε τὸν ἀριθμόν· οἱ δὲ Κόσμοι δέκα εἰσίν. οἱ δὲ Γέροντες τοῖς γέρουσιν, οὓς καλοῦσιν οἱ Κρῆτες Βουλήν, ἴσοι. Βασιλεία δὲ πρότερον μὲν ἦν, εἶτα κατέλυσαν οἱ Κρῆτες. καὶ τὴν ἡγεμονίαν οἱ Κόσμοι τὴν κατὰ πόλεμον ἔχουσιν. ἐκκλησίας δὲ μετέχουσι πάντες· κυρία δ᾽ οὐδενός ἐςιν, ἀλλ᾽ ἢ συνεπιψηφίσαι τὰ δόξαντα τοῖς Γέρουσι καὶ τοῖς Κόσμοις.

§. 5. Τὰ μὲν οὖν τῶν συσσιτίων ἔχει βέλτιον τοῖς Κρησὶν ἢ τοῖς Λάκωσιν. ἐν μὲν γὰρ Λακεδαίμονι κατὰ κεφαλὴν ἕκαςος εἰσφέρει τὸ τεταγμένον. εἰ δὲ μή, μετέχειν νόμος κωλύει τῆς πολιτείας, καθάπερ εἴρηται καὶ πρότερον ἐν δὲ Κρήτῃ κοινοτέρως. ἀπὸ πάντων γὰρ τῶν γινομένων καρπῶν τε καὶ βοσκημάτων, (καὶ) ἐκ τῶν δημοσίων καὶ φόρων (*c*) οὓς φέρουσιν οἱ περίοικοι, τέτακται μέρος τὸ μὲν πρὸς τοὺς θεοὺς καὶ τὰς κοινὰς λειτουργίας, τὸ δὲ τοῖς συσσιτίοις, ὥςε ἐκ κοινοῦ τρέφεσθαι πάντας καὶ γυναῖκας, καὶ παῖδας, καὶ ἄνδρας.

§. 6. Πρὸς δὲ τὴν ὀλιγοσιτίαν, ὡς ὠφέλιμον, πολλὰ πεφιλοσόφηκεν ὁ νομοθέτης, καὶ πρὸς τὴν διάζευξιν τῶν γυναικῶν, ἵνα μὴ πολυτεκνῶσι, τὴν πρὸς τοὺς ἄῤῥενας ποιήσας ὁμιλίαν. περὶ ἧς, εἰ φαύλως ἢ μὴ φαύλως, ἕτερος ἔςαι τοῦ διασκέψασθαι καιρός.

§. 7. Ὅτι δὲ τὰ περὶ τὰ συσσίτια βέλτιον τέτακται τοῖς Κρησὶν, ἢ τοῖς Λάκωσι, φανερόν.

§. 8. Τὰ δὲ περὶ τοὺς Κόσμους, ἔτι χεῖρον τῶν Ἐφόρων. ὃ μὲν γὰρ ἔχει κακὸν τὸ τῶν Ἐφόρων ἀρχεῖον, ὑπάρχει καὶ τούτων· (*d*) γίνονται γὰρ οἱ τυχόντες. ὃ δ᾽ ἐκεῖ συμφέρει πρὸς τὴν πολιτείαν, ἐνταῦθ᾽ οὐκ ἔςιν. ἐκεῖ μὲν γάρ, διὰ τὸ τὴν αἵρεσιν ἐκ πάντων εἶναι, μετέχων ὁ δῆμος τῆς μεγίςης ἀρχῆς, βούλεται μένειν τὴν πολιτείαν. ἐνταῦθα δ᾽ οὐκ ἐξ ἁπάντων αἱροῦνται τοὺς Κόσμους, ἀλλ᾽ ἐκ τινῶν γενῶν (*e*) καὶ τοὺς Γέροντας ἐκ τῶν κεκοσμηκότων.

§. 9. Περὶ ὧν τοὺς αὐτοὺς ἄν τις εἴπειε λόγους, καὶ περὶ τῶν ἐν Λακεδαίμονι γινομένων. τὸ γὰρ ἀνυπεύθυνον καὶ τὸ διὰ βίου, μεῖζόν ἐςι γέρας τῆς ἀξίας αὐτοῖς· καὶ τὸ μὴ κατὰ γράμματα ἄρχειν, ἀλλ᾽ αὐτογνώμονας, ἐπισφαλές.

§. 10. Τὸ δ᾽ ἡσυχάζειν μὴ μετέχοντα τὸν δῆμον, οὐδὲν σημεῖον τοῦ τετάχθαι καλῶς· οὐδὲ γὰρ λήμματός τι τοῖς Κόσμοις, ὥσπερ τοῖς Ἐφόροις, πόῤῥω

(*a*) *Coſmi*) MEURSIUS *in Creta c. IX.* PIOCART. *p.* 301. 302. *GOEB.*

(*b*) *Inſtituta*) Quomodo apud Lacones inſtitutæ, docet CRAGIUS *l. c. p.* 58. 59. & apud Cretenſes MEURSIUS *in Creta c. X. GOEB.*

(*c*) ἐκ τῶν δημοσίων καὶ φόρων) Sylburgius expungens καὶ legit, ἐκ τῶν δημοσίων φόρων. Videtur idem placuiſſe Lambino, qui vertit: *ex publicis vectigalibus. CONR.*

(*d*) ὑπάρχει καὶ τούτων) Bene hic monet Sylburgius: *cum* τούτων *ex præcedentibus ſubaudiendum* τῷ ἀρχείῳ *vel legendum* τούτῳ. *CONR.*

(*e*) ἐκ τινῶν γενῶν) Camotius habet γερόντων: quod videtur loco huic convenientius. *CONR.*

Digitized by Google

ſtantur Coſmi, quemadmodum Ephori, cum longe remoti ſint a corruptoribus degentes in inſula.

πόῤῥω γ' ἀποικοῦσιν ἐν νήσῳ τῶν διαφθερούντων. *b*)

§. 11. Medicina autem, quam faciunt huic malo, abſurda eſt & minime civilis, ſed rationi Regulorum accommodata. Sæpe enim ejiciunt Coſmos globo facto ſive collegarum ipſorum ſive privatorum hominum. Licet etiam Coſmis, nondum abſoluto tempore, repudiare magiſtratum. Hæc autem jam præſtat lege fieri, quam e voluntate hominum: non enim tuta eſt norma.

§. 11. Ἣν δὲ ποιοῦνται τῆς ἁμαρτίας ταύτης ἰατρείαν, ἄτοπος, καὶ οὐ πολιτική, ἀλλὰ δυναστευτική. πολλάκις γὰρ ἐκβάλλουσι συστάντες τινὲς τοὺς Κόσμους, ἢ τῶν συναρχόντων αὐτῶν, ἢ τῶν ἰδιωτῶν. ἔξεστι δὲ καὶ μεταξὺ τοῖς Κόσμοις ἀπειπεῖν τὴν ἀρχήν. ταῦτα δὴ πάντα βέλτιον γίνεσθαι κατὰ νόμον, ἢ κατὰ ἀνθρώπων βούλησιν· οὐ γὰρ ἀσφαλὴς ὁ κανών.

§. 12. Peſſimum autem omnium eſt perturbatio reipublicæ, cujus duces ſunt opulenti, cum cauſas dicere noluerint,

§. 12. Πάντων δὲ φαυλότατον τὸ τῆς ἀκοσμίας, (*c*) ἣν καθιστᾶσι πολλάκις, ὅταν μὴ δίκας βούλωνται δοῦναι τῶν δυνατῶν.

§. 13. Quo planum fit, habere ordinem illum quiddam reipublicæ, ſed non eſſe rempublicam, verum potius ſtatum potentiorum.

§. 13. Ἡ καὶ δῆλον (*d*) ὡς ἔχει τι πολιτείας ἡ τάξις, ἀλλ' οὐ πολιτεία ἐστὶν, ἀλλὰ δυναστεία μᾶλλον.

§. 14. Conſueverunt enim, diviſa plebe & amicis, poteſtatem unius moliri, & diſcordare pugnareque inter ſe. Atqui quid intereſt inter hoc, & ſpatio aliquo temporis non eſſe, quæ ita ſe gerit, civitatem, ſed diſſolvi civilem communionem?

§. 14. Εἰώθασι δὲ, διαλαμβάνοντες τὸν δῆμον καὶ τοὺς φίλους, μοναρχίαν ποιεῖν καὶ στασιάζειν, καὶ μάχεσθαι πρὸς ἀλλήλους. καί τοι τί διαφέρει τὸ τοιοῦτον, ἢ διά τινος χρόνου μηκέτι πόλιν εἶναι τὴν τοιαύτην, ἀλλὰ λύεσθαι τὴν πολιτικὴν κοινωνίαν;

§. 15. In periculo autem verſatur civitas hujuſcemodi, ſi extiterint, qui imponere ipſi voluerint ac poſſint. Verum ut dictum eſt, ſalutem illi dat locus ac ſedes: pellit enim inde externos longinquitas. Quapropter natio periœcorum manet Cretenſibus, Ilotes vero deficiunt ſæpe, neque enim externi imperii pars ulla ad eos venit. Nuper autem bellum externum penetravit in inſulam, quod declaravit imbecillitatem Legum, quæ illic ſunt.

§. 15. Ἔστι δ' ἐπικίνδυνος οὕτως ἔχουσα πόλις τῶν βουλομένων ἐπιτίθεσθαι καὶ δυναμένων. ἀλλὰ, καθάπερ εἴρηται, σώζεται διὰ τὸν τόπον· ξενηλασίας γὰρ τὸ πόῤῥω πεποίηκε. διὸ καὶ τὸ τῶν περιοίκων μένει τοῖς Κρησίν. οἱ δ' Εἵλωτες ἀφίστανται πολλάκις. οὔτε γὰρ ἐξωτερικῆς ἀρχῆς κοινωνοῦσιν οἱ Κρῆτες. νεωστί τε πόλεμος ξενικὸς διαβέβηκεν εἰς τὴν νῆσον· ὃ πεποίηκε (*e*) φανερὰν τὴν ἀσθένειαν τῶν ἐκεῖ νόμων.

§. 16. De hac igitur republica tot dicta ſatis ſint.

§. 16. Περὶ μὲν οὖν ταύτης εἰρήσθω τοσαῦθ' ἡμῖν τῆς πολιτείας.

## CAP. IX.

§. 1.

XI. Rempublicam autem adminiſtrare videntur etiam Carthaginienſes bene: & multa eximie, ſi cum aliis conferantur: maxime autem quædam ſimilia inſtitutis Laconum. Hæ namque tres reſpublicæ propinquæ aliquo modo ſunt ſibiipſis, & multum præſtant reliquis: Cretica, inquam, & Laconica, & tertia harum, *Carthaginienſium*: (*a*) & multa eorum, quæ illic inſtituta ſunt, recte ſe habent.

XI. Πολιτεύεσθαι δὲ δοκοῦσι καὶ Καρχηδόνιοι καλῶς, καὶ πολλὰ περιττῶς πρὸς τοὺς ἄλλους· μάλιστα δ' ἔνια παραπλησίως τοῖς Λάκωσιν. αὗται γὰρ αἱ πολιτεῖαι τρεῖς ἀλλήλαις τε σύνεγγύς πως εἰσὶ καὶ τῶν ἄλλων πολὺ διαφέρουσιν· ἥ τε Κρητικὴ, καὶ ἡ Λακωνικὴ, καὶ τρίτη τούτων, ἡ (τῶν) Καρχηδονίων. (*f*) καὶ πολλὰ τῶν τεταγμένων ἔχει παρ' αὐτοῖς καλῶς.

§. 2. Signum autem reipublicæ belle conſtitutæ, quod cum populus locum in ea habeat, permanet tamen in ordine reipublicæ; neque ſeditio illic ulla exorta eſt, quæ merito ita vocari poſſit, neque tyrannus extitit.

§. 2. Σημεῖον δὲ πολιτείας συντεταγμένης, τὸ τὸν δῆμον ἔχουσαν διαμένειν ἐν τῇ τάξει τῆς πολιτείας, καὶ μήτε στάσιν, ὅτι καὶ ἄξιον εἰπεῖν, γεγενῆσθαι, μήτε τύραννον.

§. 3. §. 3.

(*a*) *Carthaginienſium*) POLYBIUS *lib. VI.* LIVIUS *decad. III. & IV.* EMMII *deſcriptio reipublicæ Carthaginienſium. GOEB.*

(*b*) τῶν διαφερόντων) Sic habent codices & interpretes, ſi excipias Veterem atque Aretinum, qui legiſſe videntur διαφερομένων, mendoſe. CONR.

(*c*) τὸ τῆς ἀκοσμίας) Heic Camotius Montecatinus & Caſaubonus ſtatim ſubjungunt vocem τῶν δυνατῶν, quæ in noſtro codice ſerius ſubſequitur. Idem expreſſit præter Veterem Lambinus hiſce verbis: *Magiſtratus hujus vacuitas totiusque reipublicæ ſtatus perturbatur, quam ſæpenumero potentes induunt.* Ibidem Camerarius pro καθιστᾶσι mavult συστᾶσι: quam conjecturam nemo temere improbaverit. CONR.

(*d*) ἡ καὶ δῆλον) Niſi vehementer fallor, tota hæc periodus loco eſt mota, & anteponenda heic eſt ſequens omnis εἰώθασι δὲ. Senſus certe ita redditur clariſſimus. Quid? quod videatur idem probatum Heinſio. CONR.

(*e*) ὃ πεποίηκε) Nonnulli legunt, inter quos & Montecatinus: ὃν πεποίηκε, i. e. πόλεμον: idque videtur rectius. CONR.

(*f*) ἡ τῶν Καρχηδονίων) Illud τῶν a nonnullis codicibus deeſt, ſed perperam. CONR.



Digitized by Google

§. 3. Habet autem ſimilia laconicæ reipublicæ: Cœnas publicas ſodalitarum, phiditiis: *Centum & quatuor virorum* (*a*) magiſtratum, Ephoris: niſi quod non deterius. Illi namque e quibuslibet fiunt, hunc autem deligunt magiſtratum, more optimatum. *Reges* (*b*) autem & Senatum, proportione reſpondentes Regibus & Senatoribus, qui illic ſunt. Et rectius ſane Reges: neque ex eadem eſſe familia: neque tamen ipſa qualibet: ſi autem eſt aliqua præſtans inter alias,

*** ex his potius delectu ducere, quam ætatem ſequentes. Cum enim in ſua poteſtate habeant res magnas, ſi humiles fuerint, magna detrimenta afferunt, & obfuerunt jam civitati Lacedæmoniorum.

§. 4. Plurima igitur, quæ culpantur, quia a vera via migrarunt, communia ſunt omnibus dictis rebuspublicis. Eorum vero, quæ ad propoſitum ſtatus optimorum & reipublicæ vocatæ, partim ad populum vergunt magis, partim autem ad dominatum paucorum.

§. 5. Quod enim quædam ad populum referuntur, quædam vero minime, Reges una cum Senatoribus in ſua manu habent, ſi cuncti conſenſerint inter ſe: ſi non & horum etiam populus dominus eſt.

§. 6. Quæ autem conferunt hi, non ſolum audiendi populo poteſtatem faciunt, quæ viſa fuerint magiſtratibus, verum ſtatuendi jus habent: & licet ei, qui voluerit, his quæ proponuntur, adverſari: quod in aliis rebuspublicis minime licet.

§. 7. *** Quinque viratus autem, qui domini ſunt multarum & magnarum rerum, a ſemetipſis deligi: & magiſtratum Centumvirorum hos deligere, qui magiſtratus eſt maximus: præterea hos longiore tempore imperium habere, quam alios (nam & cum exierunt magiſtratu & cum capturi ipſum ſunt, imperium habent) inſtitutum eſt proprium dominatus paucorum.

§. 8.

§. 3. Ἔχει δὲ παραπλήσια τῇ Λακωνικῇ πολιτείᾳ, τὰ μὲν συσσίτια τῶν ἑταιριῶν τοῖς Φιδιτίοις· τὴν δὲ τῶν ἑκατὸν καὶ τεττάρων ἀρχὴν τοῖς ἐφόροις· πλὴν οὐ χεῖρον. οἱ μὲν γὰρ, ἐκ τῶν τυχόντων εἰσί. ταύτην δ᾽ αἱροῦνται τὴν ἀρχὴν ἀριστίνδην. τοὺς δὲ βασιλεῖς καὶ τὴν γερουσίαν ἀνάλογον τοῖς ἐκεῖ βασιλεῦσι καὶ γέρουσι. καὶ βέλτιον (*c*) δὲ τοὺς βασιλεῖς, μήτε κατὰ τὸ αὐτὸ εἶναι γένος, μηδὲ τοῦτο τὸ τυχὸν, εἴτε διαφέρον, (*d*)

*** ἐκ τούτων αἱρετοὺς μᾶλλον (*e*) ἢ καθ᾽ ἡλικίαν. μεγάλων γὰρ κύριοι καθεστῶτες, ἂν εὐτελεῖς ὦσι, μεγάλα βλάπτουσι, καὶ ἔβλαψαν ἤδη τὴν πόλιν τὴν τῶν Λακεδαιμονίων. (*f*)

§. 4. Τὰ μὲν οὖν πλεῖστα τῶν ἐπιτιμηθέντων ἂν διὰ τὰς παρεκβάσεις, κοινὰ τυγχάνει πάσαις ὄντα ταῖς εἰρημέναις πολιτείαις· τῶν δὲ πρὸς τὴν ὑπόθεσιν τῆς ἀριστοκρατίας, καὶ τῆς πολιτείας, τὰ μὲν εἰς δῆμον ἐκκλίνει μᾶλλον, τὰ δ᾽ εἰς ὀλιγαρχίαν.

§. 5. Τοῦ μὲν γὰρ, τὸ μὲν προσάγειν, (*g*) τὸ δὲ μὴ προσάγειν πρὸς τὸν δῆμον, οἱ βασιλεῖς κύριοι μετὰ τῶν γερόντων, ἂν ὁμογνωμονῶσι (*h*) πάντες· εἰ δὲ μὴ, καὶ τούτων ὁ δῆμος.

§. 6. Ἃ δ᾽ ἂν εἰσφέρωσιν οὗτοι, οὐ διακοῦσαι μόνον ἀποδιδόασι τῷ δήμῳ τὰ δόξαντα τοῖς ἄρχουσιν, ἀλλὰ κύριοι κρίνειν εἰσί· καὶ τῷ βουλομένῳ τοῖς εἰσφερομένοις ἀντειπεῖν ἔξεστιν· ὅπερ ἐν ταῖς ἑτέραις πολιτείαις οὐκ ἔστι.

§. 7. *** Τὸ δὲ τὰς (*i*) Πενταρχίας κυρίας οὔσας πολλῶν καὶ μεγάλων, ὑφ᾽ αὑτῶν αἱρετὰς εἶναι, καὶ τὴν τῶν Ἑκατὸν ταύτας αἱρεῖσθαι τὴν μεγίστην ἀρχήν· ἔτι δὲ ταύτας πλείονα ἄρχειν χρόνον τῶν ἄλλων· καὶ γὰρ ἐξεληλυθότες ἄρχουσι καὶ μέλλοντες· (*k*) ὀλιγαρχικόν.

§. 8.

(*a*) *Centum & quatuor*) EMMIUS *l. c. p.* 8. *GOEB.*

(*b*) *Reges*) Sicut Lacedæmone, ita & Carthagine duo erant reges pari poteſtate. Hi dicebantur Suffetes, & in eo a Laconum regibus differebant, quod eorum poteſtas non perpetua, ſed tantum annua erat. EMMIUS *l. c. p.* 6. 7. *GOEB.*

(*c*) καὶ βέλτιον) Hæc non bene cohærere cum præcedentibus, poſſit videri. At vero ſenſus, niſi fallor, hic eſt: Rectius ſeſe habet conſtitutio Regum apud Carthaginienſes quam apud Lacedæmonios, eo quod Reges neque ex eodem genere ſemper creentur, neque ex quovis genere tamen. *CONR.*

(*d*) εἴτε διαφέρον) Locum obſcurum eſſe, imo mendoſum, etiam alii obſervaverunt monueruntque. Mihi autem videtur vocula una & altera excidiſſe. Nec vero hæc cum ſequentibus cohærent: ut facile apparet. Nec ſequentia illa de Regibus loquuntur, ut vulgo creditur, ſed de ſenibus aut ſenatoribus Carthaginienſibus. Quod ipſum liquet ex Lacedæmoniorum adducto exemplo: apud quos ſcilicet ſæpe ex infimo ordine creati ſunt Senatores, qui deinde reipublicæ vehementer nocuerunt. Alia ſcilicet ratio fuit Senatorum Carthaginienſium, alia Laconum: illi fuerunt lecti, non vero habita ratione ætatis duntaxat, ut Lacedæmone, creati. *CONR.*

(*e*) αἱρετοὺς μᾶλλον) Aldus & Iſengrinius non habent illud μᾶλλον, minus bene. *CONR.*

(*f*) τὴν τῶν Λακεδαιμονίων) Vetus interpres legit: Καρχηδονίων. Rectius autem eſt illud: Λακεδαιμονίων, ſenſu ante a nobis expoſito. *CONR.*

(*g*) τὸ μὲν προσάγειν) Alii legunt τὰ μὲν προσ. τὰ δὲ. Sed parum refert. *CONR.*

(*h*) ἂν ὁμογνωμονῶσι) Heinſius ſuſpicatur fortaſſe legendum: οἱ βασιλεῖς μετὰ τῶν γερόντων· ἂν δ᾽ ὁμογνωμονῶσι πάντες. Sed vulgata lectio præplacet. Nempe ſi Reges conſentiant & Senatores tum in manu ſua habent, velint nec ne magni momenti negocia ad populum referre. Si diſſentiant vero, tum omnium rerum domina ſit multitudo. *CONR.*

(*i*) τὸ δὲ τὰς) Illud τὸ δὲ innuit, Ariſtotelem indicaſſe paulo ante, quæ inſtituta ſint δημοκρατικά. Exciderunt igitur nonnulla. *CONR.*

(*k*) καὶ μέλλοντες) Sylburgius malit μένοντες: ſatis convenienter. *CONR.*

§. 8. Magiſtratus vero *mercedem non accipere*, (*a*) neque ſorte duci, proprium ſtatus optimorum exiſtimandum eſt: & ſi quid aliud huiuſcemodi eſt. Et cauſas omnes a magiſtratibus judicari, & non alias ab aliis, quemadmodum Lacedæmone fit.

§. 9. Migrat autem e ſtatu optimorum ordo Carthaginienſium verſus dominatum paucorum maxime e quodam ſenſu, qui probatur multis. Non enim ſolum e virtute, ſed etiam e divitiis arbitrantur oportere ſumere, qui magiſtratus gerant Quaſi fieri non poſſit, ut *qui egeat*, (*b*) bene imperium regat & quieſcat. Si igitur deligere ſpectatis divitiis, dominationis paucorum eſt: e virtute autem, ſtatus optimorum: hic tertius quidam ordo erit, quo conſtituta ſunt apud Carthaginienſes, quæ ad rempublicam pertinent. Deligunt enim magiſtratus ad hæc duo reſpicientes, & in primis maximos, Reges inquam, & Duces belli.

§. 10. Putandum autem eſt, erratum fuiſſe ejus, qui leges ſcripſit, migrationem hanc e ſtatu optimorum. Initio enim hoc videre, unum eorum eſt, quæ ſunt maxime neceſſaria: ut optimi viri valeant otioſi eſſe, & nihil indecore agere cogantur, non ſolum cum imperium habent, verum etiam cum privati ſunt.

§. 11. Si autem opus eſt reſpicere etiam ad divitias, ut otio liceat uti, flagitioſum eſt maximos magiſtratus precio parari, regnum inquam, & imperium in bello. Lex enim hæc facit, ut major honos habeatur divitiis, quam virtuti, redditque civitatem avaram. Quodcunque autem putarit honore dignum id quod ſummam poteſtatem habet in civitate, neceſſe eſt aliorum civium opinionem comitari his.

§. 12. Ubi autem non ſupra cætera omnia virtuti honos habetur, hanc eſſe non poteſt rempublicam firme in manu optimorum. Conſentaneum autem eſt, ut qui emerint, *aſſueſcant* (*c*) quæſtum facere, quando ſumptibus pervenerint ad imperium. Abſurdum enim eſt, ſi pauper cum ſit, idem tamen vir probus, inducet in animum quæſtui habere rempublicam: improbior vero nolet, ſumptu in eam rem facto.

§. 13. Quare decet illos, qui poteſtatem habent exprimendi conſuetudinem optimorum civium, ipſos imperium habere. Melius autem feciſſet, ſi abjeciſſet egeſtatem proborum legiſlator, potiusque conſuluiſſet otio imperantium.

§. 41.

§. 8. Τὸ δ᾽ ἀμίσθους καὶ μὴ κληρωτὰς, ἀριστοκρατικὸν θετέον, καὶ εἴ τι τοιοῦτον ἕτερον· καὶ τὰς δίκας ὑπὸ τῶν ἀρχείων (*d*) δικάζεσθαι πάσας, καὶ μὴ ἄλλας ὑπ᾽ ἄλλων, καθάπερ ἐν Λακεδαίμονι.

§. 9. Παρεκβαίνει δὲ τῆς ἀριστοκρατίας ἡ τάξις τῶν Καρχηδονίων μάλιστα πρὸς τὴν ὀλιγαρχίαν κατά τινα διάνοιαν, ἣ συνδοκεῖ τοῖς πολλοῖς. οὐ γὰρ μόνον ἀριστίνδην, ἀλλὰ καὶ πλουτίνδην οἴονται δεῖν αἱρεῖσθαι τοὺς ἄρχοντας· ἀδύνατον γὰρ τὸν ἀποροῦντα καλῶς ἄρχειν καὶ σχολάζειν. εἴπερ οὖν τὸ μὲν αἱρεῖσθαι πλουτίνδην, ὀλιγαρχικὸν, τὸ δὲ κατ᾽ ἀρετὴν, ἀριστοκρατικὸν, αὕτη τις ἂν εἴη τάξις τρίτη, καθ᾽ ἥνπερ συντέτακται καὶ τοῖς Καρχηδονίοις τὰ περὶ τὴν πολιτείαν. αἱροῦνται γὰρ εἰς δύο ταῦτα βλέποντες, καὶ μάλιστα τὰς μεγίστας, (*e*) τούς τε βασιλεῖς, καὶ τοὺς στρατηγούς.

§. 10. Δεῖ δὲ νομίζειν ἁμάρτημα νομοθέτου τὴν παρέκβασιν εἶναι τῆς ἀριστοκρατίας ταύτην. ἐξ ἀρχῆς γὰρ τοῦθ᾽ ὁρᾶν ἐστι τῶν ἀναγκαιοτάτων, ὅπως οἱ βέλτιστοι δύνωνται σχολάζειν, καὶ μηδὲν ἀσχημονεῖν, μὴ μόνον ἄρχοντες ἀλλὰ μηδ᾽ ἰδιωτεύοντες.

§. 11. Εἰ δὲ δεῖ βλέπειν καὶ πρὸς εὐπορίαν (*f*) χάριν σχολῆς, φαῦλον τὸ τὰς μεγίστας ὠνητὰς εἶναι τῶν ἀρχῶν, τήν τε βασιλείαν, καὶ τὴν στρατηγίαν. ἔντιμον γὰρ ὁ νόμος οὗτος ποιεῖ τὸν πλοῦτον μᾶλλον τῆς ἀρετῆς, καὶ τὴν πόλιν ὅλην φιλοχρήματον. ὅ τι δ᾽ ἂν (*g*) ὑπολάβῃ τίμιον εἶναι τὸ κύριον, ἀνάγκη καὶ τὴν τῶν ἄλλων πολιτῶν δόξαν ἀκολουθεῖν τούτοις.

§. 12. Ὅπου δὲ μὴ μάλιστα ἀρετὴ τιμᾶται, ταύτην οὐχ οἷόν τε εἶναι βεβαίως ἀριστοκρατικὴν πολιτείαν. ἐθίζεσθαι δὲ εὔλογον κερδαίνειν τοὺς ὠνουμένους, ὅταν δαπανήσαντες ἄρχωσιν· ἄτοπον γὰρ, εἰ πένης μὲν ὢν, ἐπιεικὴς δὲ, βουλήσεται κερδαίνειν· φαυλότερος δ᾽ ὢν οὐ βουλήσεται δαπανήσας.

§. 13. Διὸ δεῖ τοὺς δυναμένους ἀριστα ἀρχεῖν, τούτους ἄρχειν. βέλτιον δ᾽, εἰ καὶ προεῖτο τὴν ἀπορίαν τῶν ἐπιεικῶν ὁ νομοθέτης, ἀλλὰ ἀρχόντων γε ἐπιμελεῖσθαι τῆς σχολῆς.

§. 41.

(*a*) *Mercedem non accipere*) PICCARTUS *lib. II. c. XI.* *GOEB.*

(*b*) *Qui egeat*) Carthagini opibus valentes in magiſtratus eligi debuerunt, quia nullam conſequebantur mercedem 2) In paupertate conſtituti raro prætermittere ſolent media, inprimis, ſi hoc ſub honeſtatis quadam fieri poſſit ſpecie, indigentiæ ſuæ conſulendi. Ut igitur non neceſſum ſit, in magiſtratibus eligendis ad opes eorum reſpicere, reipublicæ maxime intereſt ſufficientia illis conſtituere ſalaria. *GOEB.*

(*c*) *Aſſueſcant*) Id admodum frequens eſt illis, qui officia in republica nummis redimunt, eos ſubditorum crumenis viciſſim excutere. *GOEB.*

(*d*) ὑπὸ τῶν ἀρχείων) Baſileenſis addit vocem πάντων. quam etiam expreſſit Aretinus. Et recte quidem, ceu indicant illa: καὶ μὴ ἄλλας ὑπ᾽ ἄλλων. Vult ſcilicet: omnes cauſas ab omnibus magiſtratibus eſſe Carthagine judicatas, non alias ab aliis, ut Spartæ fuit moris. Eſt autem illud ex parte ariſtocraticum. Montecatinus ſecus ſentit: ab imperito enim librario vocem illam adjectam, & nulli reipublicæ convenire illam judiciorum rationem. *CONR.*

(*e*) μάλιστα τὰς μεγίστας) Si ita ſcripſit Ariſtoteles, excidit vox ἀρχάς. At vero rectius eſt, τοὺς μεγίστους ſcilicet ἄρχοντας, quales ſunt, βασιλεῖς καὶ στρατηγοί. *CONR.*

(*f*) πρὸς εὐπορίαν) Sic communiter ſcribitur. Camotius tamen, Sepulveda & Vetus interpres legerunt ἀπορίαν. Utrumque eodem recidit. *CONR.*

(*g*) ὅ τι δ᾽ ἂν) Vetus interpres & Aretinus legerunt: γάρ: quod ipſe etiam malim. Redditur enim ratio ejus dicti: lege illa, qua regnum & belli prætura ſolis divitibus confertur, effici ut tota civitas ſtudeat avaritiæ aut opibus congerendis? quod nempe eſt in precio apud primores, illud in exiſtimatione etiam eſt apud reliquos cives. *CONR.*



Digitized by Google

§. 14. Culpam autem in ſe continere videri poſſet & hoc, plures magiſtratus eundem habere: quod ſane laudem invenit apud Carthaginienſes. Unum enim opus ab uno optime conficitur. Oportet autem quomodo hoc efficiatur qui ſcribit leges videre, & non præcipere, ut idem officio fungatur tibicinis ac ſutoris. Quapropter, ubi non parva eſt civitas, magis civile eſt, plures participes eſſe magiſtratuum, & magis populare: communiusque, ut diximus, & pulchrius unumquodque conficitur ab iisdem & celerius. Planum autem eſt hoc in rebus bellicis & nauticis. In his enim ambobus per omnes, ut ita dicam, pertranſivit imperandi & parendi officium.

§. 14. Φαῦλον δ' ἂν δόξειεν εἶναι καὶ τὸ πλείους ἀρχὰς τὸν αὐτὸν ἄρχειν· ὅπερ εὐδοκιμεῖ παρὰ τοῖς Καρχηδονίοις. ἓν γὰρ ὑφ' ἑνὸς ἔργον ἄριστ' ἀποτελεῖται. δεῖ δ' ὅπως γίνηται τοῦθ' ὁρᾶν τὸν νομοθέτην, καὶ μὴ προστάττειν τὸν αὐτὸν αὐλεῖν καὶ σκυτοτομεῖν. ὥσθ' ὅπου μὴ μικρὰ πόλις, πολιτικώτερον πλείονας μετέχειν τῶν ἀρχῶν, καὶ δημοτικώτερον. κοινότερόν τε γὰρ, καθάπερ εἴπομεν, καὶ κάλλιον ἕκαστον ἀποτελεῖται ὑπὸ τῶν αὐτῶν, καὶ θᾶττον. δῆλον δὲ τοῦτο ἐπὶ τῶν πολεμικῶν, καὶ τῶν ναυτικῶν. ἐν τούτοις γὰρ ἀμφοτέροις, διὰ πάντων, ὡς εἰπεῖν, διελήλυθε τὸ ἄρχειν καὶ τὸ ἄρχεσθαι.

§. 15. Cum autem reſpublica vergat ad dominatum paucorum, optime declinant invidiam. Nam ditant ſemper aliquam populi partem, præficientes ipſam oppidis ſuæ ditionis: hoc enim medentur, & reddunt ſtabilem rempublicam. Verum hoc eſt fortunæ opus. Oportet autem remotos eos eſſe a ſeditionibus opera Legiſlatoris. Nunc autem, ſi calamitas aliqua extiterit, & multitudo defecerit eorum, qui in ditione ipſorum ſunt, nullum remedium eſt a Legibus profectum requietis.

§. 15. Ὀλιγαρχικῆς δ' οὔσης τῆς πολιτείας, ἄριστα ἐκφεύγουσι τῷ πλουτεῖν αἰεί τι τοῦ δήμου μέρος ἐκπέμποντες ἐπὶ τὰς πόλεις. τοῦτο γὰρ ἰῶνται, καὶ ποιοῦσι μόνιμον τὴν πολιτείαν. ἀλλὰ τοῦτό ἐστι τύχης ἔργον. δεῖ δὲ ἀστασιάστους εἶναι διὰ τὸν νομοθέτην. νῦν δ', ἂν ἀτυχία γένηταί τις, καὶ τὸ πλῆθος ἀποστῇ τῶν ἀρχομένων, (*f*) οὐδέν ἐστι φάρμακον διὰ τῶν νόμων τῆς ἡσυχίας.

§. 16. De republica igitur Lacedæmoniorum, & Cretenſium, & Carthaginienſium, quæ quidem jure bono probatæ ſunt, res ſe habet hoc modo.

§. 16. Περὶ μὲν οὖν τῆς τῶν Λακεδαιμονίων πολιτείας, καὶ Κρητικῆς, καὶ τῆς Καρχηδονίων, αἵπερ δικαίως εὐδοκιμοῦσι, τοῦτον ἔχει τὸν τρόπον.

# CAPUT X.

§. 1.

XII. Eorum autem, qui de republica aliquid enunciarunt, quidam omnium penitus civilium actionum expertes fuerunt, ſed *privatam* (*a*) vitam perpetuo duxere: de quibus ſi quid memoria dignum protulerunt, dictum fere de omnibus.

§. 1.

XII. Τῶν δὲ ἀποφηναμένων τι περὶ πολιτείας, ἔνιοι μὲν οὐκ ἐκοινώνησαν πράξεων πολιτικῶν οὐδ' ὡντινωνοῦν, ἀλλὰ διετέλεσαν ἰδιωτεύοντες τὸν βίον. περὶ ὧν εἴ τι ἀξιόλογον, εἴρηται σχεδὸν περὶ πάντων.

§. 2. Nonnulli autem Leges ſcripſerunt, hi quidem ſuis civitatibus: hi vero etiam externis quibusdam, ipſi verſati in republica. Et horum partim extiterunt opifices Legum tantum. partim autem etiam reipublicæ: ceu & *Lycurgus* (*b*) & *Solon*: (*c*) hi namque & leges & rempublicam conſtituerunt.

§. 2. Ἔνιοι δὲ νομοθέται γεγόνασιν, οἱ μὲν ταῖς οἰκείαις πόλεσιν, οἱ δὲ καὶ τῶν ὀθνείων τισὶ, (*g*) πολιτευθέντες αὐτοί· καὶ τούτων, οἱ μὲν νόμων ἐγένοντο δημιουργοὶ μόνον, οἱ δὲ καὶ πολιτείας, οἷον καὶ Λυκοῦργος, καὶ Σόλων· οὗτοι γὰρ καὶ νόμους καὶ πολιτείας κατέστησαν.

§. 3. De republica igitur Lacedæmoniorum diſputatum a nobis eſt. Solonem autem quidam arbitrantur *ſcriptorem* (*d*) Legum fuiſſe eximium, cum fregerit dominatum paucorum, nimis impermixtum exiſtentem, & ſervitute populum liberarit, popularemq; ſtatum conſtituerit veterem, permixta pulchre republica. Eſſe enim volunt conſilium *Ariopagi* (*e*) accommodatum dominatui paucorum: inſtitutum autem creandi magiſtratus ſuffragiis, proprium optimatum: eundemque auxiſſe ajunt vires populi, ex omnibus civibus foris judiciisque conſtitutis.

§. 3. Περὶ μὲν οὖν τῆς Λακεδαιμονίων εἴρηται. Σόλωνα δ', ἔνιοι μὲν οἴονται νομοθέτην γενέσθαι σπουδαῖον· ὀλιγαρχίαν τε γὰρ καταλῦσαι λίαν ἄκρατον οὖσαν, καὶ δουλεύοντα τὸν δῆμον παῦσαι καὶ δημοκρατίαν καταστῆσαι τὴν πάτριον, μίξαντα καλῶς τὴν πολιτείαν. εἶναι γὰρ, τὴν μὲν ἐν Ἀρείῳ πάγῳ βουλὴν, ὀλιγαρχικόν· τὸ δὲ τὰς ἀρχὰς αἱρετὰς, ἀριστοκρατικόν. τὰ δὲ δικαστήρια, δημοτικόν.

§. 4. §. 4.

(*a*) *Privatam*) Optime de republica docere poſſunt, qui theoriam cum praxi conjunxerunt. *GOEB.*

(*b*) *Lycurgus*) STRABO *lib. VIII. X.* *GOEB.*

(*c*) *Solon*) STANLEI *hiſtor. philoſoph. in Solone.* *GOEB.*

(*d*) *Scriptorem*) EMMIUS *p.* 103. *ſeqq.* & PETITUS *ad leg. attic.* *GOEB.*

(*e*) *Areopagi*) Non parvo, incerto tamen civium numero hic toto terrarum orbe celebris conſtabat Senatus. POSTELLUS *de republica Athenienſium c. IV.* EMMII *deſcriptio reipubl. Athen. p.* 63. *ſeqq. edit. Elzever.* *GOEB.*

(*f*) τῶν ἀρχομένων) Aretinus vertit: *a gubernatoribus*, ut proinde legerit ille τῶν ἀρχόντων. CONR.

(*g*) ὀθνείων τισὶ) τῶν ξένων τισὶ habent nonnulli codices, quos videtur in ſua interpretatione Lambinus ſequutus. Minus recte tamen. *CONR.*

Digitized by Google

§. 4. Solon autem videtur illa quidem, cum prius eſſent, minime ſuſtuliſſe, Conſilium inquam, & Delectum magiſtratuum: Populum autem conſtituiſſe: cum fecerit, ut omnes ad cauſas judicandas pervenirent.

§. 5. Quapropter quidam inſimulant ipſum. Diſſolviſſe enim ajunt alterum, cum forum fecit ex omnibus, in quod ſorte perveniunt. Poſtquam enim hoc vires nactum eſt, tanquam tyranno, populo gratificantes, rempublicam in eam, quæ nunc eſt, poteſtatem multitudinis perduxere. Et conſilium quidem Ariopagi Ephialtes comminuit, & *Pericles*: (*a*) foris autem judiciiſque mercedem aſſignavit Pericles. Et hoc jam modo ſinguli, qui placere populo ſtudebant, rem perduxerunt, augendo, in præſentem ſtatum multitudinis.

§. 6. Apparet autem voluntate Solonis hoc factum non fuiſſe, ſed potius caſu. Cum enim plebs bello Medorum cauſa extitiſſet, ut Athenienſes imperium adipiſcerentur in claſſe, magnos ſpiritus habere cæpit: nactaque eſt auctores malos ſuorum conſiliorum, adverſantibus illis bonis æquiſque viris.

§. 7. Quia Solon perſpicitur tribuiſſe populo neceſſariam vim poteſtatemque, creare inquam magiſtratus & corrigere. Si enim ne hujus facultas populo data fuiſſet, ſervus profecto & hoſtis extitiſſet. Magiſtratus autem e nobilibus locupletibuſque conſtituit omnes, ex iis inquam, quorum cenſus eſſet quingenti medimni: & e Zeugitis, & e tertio cenſu, qui ordo vocatus equeſtris. Quartus e mercenariis conſtabat, qui nullius magiſtratus particeps erat.

§. 8. **** Scriptores autem legum fuere, *Zaleucus* (*b*) Locris Epizephyriis, & Charondas Cataneus ſuis civibus & aliis Chalcidicis civitatibus Italiæ atque Siciliæ.

§. 9. Nituntur autem nonnulli concludere, Onomacritum primum extitiſſe ſcriptorem Legum eximium, qui ſe exercuerit in eo ſtudio in Creta, cum Locrus eſſet: (eo namque ſe contulerat ob artem divinandi) hujuſque fuiſſe ſodalem Thaletem: Thaletis autem auditorem Lycurgum, & Zaleucum: Zaleuci autem Charondam. Sed hæc quidem dicunt inconſideratius, cum tempus refragetur.

§. 10. Fuit autem & Philolaus Corinthius, ſcriptor legum Thebanis. Erat autem Philolaus e genere Bacchiadarum, qui cum amore incenſus

§. 4, Ἔοικε δὲ Σόλων, ἐκεῖνα μὲν ὑπάρχοντα πρότερον οὐ καταλῦσαι, τήν τε βουλὴν, καὶ τὴν τῶν ἀρχῶν αἵρεσιν. τὸν δὲ δῆμον καταστῆσαι, τὰ δικαστήρια ποιήσας ἐκ πάντων.

§. 5. Διὸ καὶ μέμφονταί τινες αὐτῷ. λῦσαι γὰρ θάτερον, κύριον ποιήσαντα τὸ δικαστήριον πάντων, κληρωτὸν ὄν. ἐπεὶ γὰρ τοῦτ᾽ ἴσχυεν, ὥσπερ τυράννῳ τῷ δήμῳ χαριζόμενοι, τὴν πολιτείαν εἰς τὴν νῦν δημοκρατίαν κατέστησαν. καὶ τὴν μὲν ἐν Ἀρείῳ πάγῳ βουλὴν Εφιάλτης ἐκόλουσε, καὶ Περικλῆς· τὰ δὲ δικαστήρια μισθοφόρα κατέστησε Περικλῆς. καὶ τοῦτον δὴ τὸν τρόπον ἕκαστος τῶν δημαγωγῶν προήγαγεν, αὔξων εἰς τὴν νῦν δημοκρατίαν.

§. 6. Φαίνεται δ᾽ οὐ κατὰ τὴν Σόλωνος γενέσθαι τοῦτο προαίρεσιν, ἀλλὰ μᾶλλον ἀπὸ συμπτώματος. τῆς ναυαρχίας (*c*) γὰρ ἐν τοῖς Μηδικοῖς ὁ δῆμος αἴτιος γενόμενος, ἐφρονηματίσθη, καὶ δημαγωγοὺς ἔλαβε φαύλους, ἀντιπολιτευομένων (*d*) τῶν ἐπιεικῶν.

§. 7. Ἐπεὶ Σόλων γε ἔοικε τὴν ἀναγκαιοτάτην ἀποδιδόναι τῷ δήμῳ δύναμιν, τὸ τὰς ἀρχὰς αἱρεῖσθαι καὶ εὐθύνειν. μηδὲ γὰρ τούτου κύριος ὢν ὁ δῆμος, δοῦλος ἂν εἴη καὶ πολέμιος. τὰς δὲ ἀρχὰς ἐκ τῶν γνωρίμων καὶ τῶν εὐπόρων κατέστησε πάσας, ἐκ τῶν πεντακοσιομεδίμνων, καὶ ζευγιτῶν, καὶ τρίτου τέλους τῆς καλουμένης ἱππάδος· τὸ δὲ τέταρτον, θητικὸν, οἷς οὐδεμιᾶς ἀρχῆς μετῆν.

§. 8. **** νομοθέται δ᾽ (*e*) ἐγένοντο Ζάλευκός τε Λοκροῖς τοῖς Ἐπιζεφυρίοις, καὶ Χαρώνδας ὁ Καταναῖος τοῖς αὐτοῦ πολίταις, καὶ ταῖς ἄλλαις ταῖς Χαλκιδικαῖς πόλεσι, ταῖς περὶ Ἰταλίαν καὶ Σικελίαν.

§. 9. Πειρῶνται δὲ τινες καὶ συνάγειν, (*f*) ὡς Ονομακρίτου μὲν γενομένου πρώτου δεινοῦ περὶ νομοθεσίαν, γυμνασθῆναι δ᾽ αὐτὸν ἐν Κρήτῃ Λοκρὸν ὄντα, καὶ ἐπιδημοῦντα κατὰ τέχνην μαντικήν. τούτου δὲ γενέσθαι Θάλητα ἑταῖρον· Θάλητος δ᾽ ἀκροατὴν Λυκοῦργον, καὶ Ζάλευκον· Ζαλεύκου δὲ Χαρώνδαν. ἀλλὰ ταῦτα μὲν λέγουσιν ἀσκεπτότερον τῷ χρόνῳ λέγοντες.

§. 10. Ἐγένετο δὲ καὶ Φιλόλαος ὁ Κορίνθιος νομοθέτης Θηβαίοις. ἦν δ᾽ ὁ Φιλόλαος, τὸ μὲν γένος τῶν Βακχιαδῶν· (*g*) ἐραστὴς δὲ γενόμενος Διοκλέους

(*a*) *Pericles*) Vid. PLUTARCH. *in vita ejus*, cujus partem non levem debet STESIMBROTO THASIO. Conf. JONSIUS *in hiſtor. philoſoph. lib. I. c. IV. n.* 5. *GOEB.*

(*b*) *Zaleucus*) PICCART. *lib. II. c. XII.* Hic erat Locrenſium legislator ÆLIANUS *lib. II. c.* 37. *lib. III. c.* 17. *GOEB.*

(*c*) τῆς ναυαρχίας) Sepulveda maluit ναυαγίας: Camerarius & Caſaubonus ναυμαχίας, quaſi ſermo ſit de prælio navali ad Salamina commiſſo. Vulgatam lectionem egregie tuetur Victorius cum in Commentariis, tum *l.* 34. *c.* 5. *Variar. lection.* Sed & Dionyſius Halycarnaſſenſis teſtatur, populum atticum fuiſſe auctorem τῆς ναυαρχίας bello medico. *CONR.*

(*d*) ἀντιπολιτευομένων) Lambinus dividit vocem hanc in ἀντὶ πολιτευομένων, quod videtur rectius, placuitque Caſaubono: populus ſcilicet accepit improbos demagogos loco bonorum æquorumque regentium, ſeu, ut Lambinus vertit: *pro bonis & moderatis adminiſtratoribus. CONR.*

(*e*) νομοθέται δ᾽) Mirum ſane, ſi tam paucis abſolverit Ariſtoteles examen Legum Solonis. Itaque videntur potius nonnulla periiſſe. *CONR.*

(*f*) τίνες καὶ συνάγειν) Aldus & Iſengrinius habent καὶ τίνες καὶ συνάγ. at ſupervacuum eſt illud prius καὶ. *CONR.*

(*g*) Βακχιαδῶν) Ita Sylburgius ſcripſit, & recte quidem, cum vulgati alii libri habeant Βακχιάδων. *CONR.*



Digitized by Google

cenſus eſſet Dioclis Olympionicæ,poſtquam ille urbem reliquit, peroſus amorem Halcyonæ matris, profectus eſt Thebas, illicque ambo mortui ſunt. Et nunc etiam monſtrant ipſorum ſepulchra, quæ mutuo viſuntur, cum Corinthiorum agrum alterum ſpectet, alterum vero minime.

κλέους τοῦ νικήσαντος ὀλυμπιάσιν, ὡς ἐκεῖνος τὴν πόλιν ἔλιπε, διαμισήσας τὸν ἔρωτα τὸν τῆς μητρὸς Ἀλκυόνης, ἀπῆλθεν εἰς Θήβας· κἀκεῖ τὸν βίον ἐτελεύτησαν ἀμφότεροι· καὶ νῦν ἔτι δεικνύουσι τοὺς τάφους αὐτῶν, ἀλλήλοις μὲν εὐσυνόπτους ὄντας· πρὸς δὲ τὴν τῶν Κορινθίων χώραν, τοῦ μὲν συνόπτου, τοῦ δ' οὐ συνόπτου.

§. 11. Fabulantur enim ipſos ſic teſtamento caviſſe. Dioclem propter odium illius affectus voluiſſe, ne aſpici poſſet ager corinthius ex aggere: Philolaum autem curaſſe, ut cerneretur.

§. 11. Μυθολογοῦσι γὰρ αὐτοὺς οὕτω τάξασθαι τὴν ταφήν· (g) τὸν μὲν Διοκλέα, διὰ τὴν ἀπέχθειαν τοῦ πάθους, ὅπως μὴ ἄποπτος ἔσται ἡ Κορινθία ἀπὸ τοῦ χώματος· τὸν δὲ Φιλόλαον, ὅπως ἄποπτος.

§. 12. Vixerunt igitur propter hanc cauſam apud Thebanos. Scripſit autem ipſis Philolaus leges & de aliis quibuſdam, & de adoptione filiorum, quas Leges vocant illic theticas: & hoc eſt proprie ab illo lege ſancitum, ut numerus agellorum,ſorte acceptorum,conſervaretur.

§. 12. Ὤκησαν μὲν οὖν διὰ τὴν τοιαύτην αἰτίαν παρὰ τοῖς Θηβαίοις νομοθέτης δ' αὐτοῖς ἐγένετο Φιλόλαος, περί τ' ἄλλων τινῶν, καὶ περὶ τῆς παιδοποιίας· οὓς καλοῦσιν ἐκεῖνοι νόμους θετικούς. καὶ τοῦτ' ἔστιν ἰδίως ὑπ' ἐκείνου νενομοθετημένον, ὅπως ὁ ἀριθμὸς σώζηται τῶν κλήρων.

§. 13. *Charondæ* (a) vero quidem proprium nihil eſt, præter cauſas de falſis teſtibus: primus enim accurate conſideravit. Exquiſita autem ſcriptione Legum elegantior eſt,quam ſint etiam hujus ætatis legum ſcriptores.

§. 13. Χαρώνδου δ' ἴδιον μὲν οὐδέν ἐστι, πλὴν αἱ δίκαι τῶν ψευδομαρτύρων. πρῶτος γὰρ ἐποίησε τὴν ἐπίσκεψιν. τῇ δ' ἀκριβείᾳ τῶν νόμων ἐστὶ γλαφυρώτερος καὶ τῶν νῦν νομοθετῶν.

§. 14. *Philolai* (b) autem proprium eſt patrimoniorum inæqualitas. *Platonis* (c) autem uxorum & liberorum & fortunarum communio, & feminarum communes cœnæ. Præterea lex de ebrietate, ut ſicci ſobriique præficiantur conviviis: & exercitatione in rebus bellicis, ut meditatione fiant ambidextri: oportere namque non hanc ſane utilem manum eſſe, alteram vero inutilem.

§. 14. Φιλολάου (h) δ' ἴδιον ἡ τῶν οὐσιῶν ἀνωμάλωσις. (i) Πλάτωνος δ' ἥ τε τῶν γυναικῶν, καὶ παίδων, καὶ τῆς οὐσίας κοινότης, καὶ τὰ συσσίτια τῶν γυναικῶν. ἔτι δ' ὁ περὶ τὴν μέθην νόμος, τὸ τοὺς νήφοντας συμποσιαρχεῖν· καὶ τὴν ἐν τοῖς πολεμικοῖς ἄσκησιν, ὅπως ἀμφιδέξιοι γίνωνται κατὰ τὴν μελέτην, ὡς δέον μὴ τὴν μὲν χρήσιμον εἶναι ταῖν χεροῖν, τὴν δὲ ἄχρηστον.

§. 15. Draconis quidem ſunt leges: reipublicæ autem jam conſtitutæ leges ſcripſit. Proprium autem in ipſius Legibus nihil eſt, quod ſane dignum memoria ſit, præter *aſperitatem*, (d) propter pœnæ magnitudinem.

§. 15. Δράκοντος δὲ νόμοι μέν εἰσι, πολιτείᾳ δ' ὑπαρχούσῃ τοὺς νόμους ἔθηκεν. ἴδιον δ' ἐν τοῖς νόμοις οὐδέν ἐστιν ὅ τι καὶ μνείας ἄξιον, πλὴν ἡ χαλεπότης, διὰ τὸ τῆς ζημίας μέγεθος.

§. 16. Fuit autem & *Pittacus* (e) legum opifex, ſed non reipublicæ. Lex autem propria ipſius eſt, ut ebrii, ſi aliquem pulſarint, majore pœna afficiantur.Quam ſobrii, quia enim plures ebrii, quam ſobrii contumelioſi ſunt, non reſpexit ad veniam, quam decet temulentis magis dare: verum ad id, quod conducit.

§. 16. Ἐγένετο δὲ καὶ Πιττακὸς νόμων δημιουργὸς, ἀλλ' οὐ πολιτείας. νόμος δ' ἴδιος αὐτοῦ, τὸ τοὺς μεθύοντας, ἂν τυπτήσωσι, (k) πλείω ζημίαν ἀποτίνειν τῶν νηφόντων. διὰ γὰρ τὸ πλείους ὑβρίζειν μεθύοντας ἢ νήφοντας, οὐ πρὸς τὴν συγγνώμην ἀπέβλεψεν, ὅτι δεῖ μεθύουσιν ἔχειν μᾶλλον· ἀλλὰ πρὸς τὸ συμφέρον.

§. 17. Scripſit autem & *Androdamas* (f) Rheginus leges Chalcidenſibus, qui Thraciam incolunt: cujus leges ſunt de cæde & virginibus paternorum bonorum heredibus. Sed proprium nihil ipſius, quod tradamus, habemus.

§. 17. Ἐγένετο δὲ καὶ Ἀνδροδάμας (l) Ῥηγῖνος νομοθέτης Χαλκιδεῦσι τοῖς ἐπὶ Θρᾴκης· οὗ περί τε τὰ φονικὰ καὶ τὰς ἐπικλήρους ἐστίν. οὐ μὲν ἀλλὰ ἴδιόν γε οὐδὲν αὐτοῦ λέγειν ἔχοι τις ἄν.

§. 18. Quæ igitur faciunt ad reſpublicas & quæ in uſum venerunt & quæ a quibuſdam literis proditæ ſunt, ſatis hoc modo quæſitum ſit.

§. 18. Τὰ μὲν οὖν περὶ τὰς πολιτείας, τάς τε κυρίας, καὶ τὰς ὑπό τινων εἰρημένας, ἔστω τεθεωρημένα τὸν τρόπον τοῦτον.

ARI- API-

(a) *Charondæ*) Hic erat Catanenſium legiſlator. ÆLIANUS *lib. III. c.* 17. *GOEB.*

(b) *Philolai*) PICCARTUS *lib. II. c. XII. GOEB.*

(c) *Platonis*) STANLEI in vita ejus. JONSIUS *in hiſtor. philoſ. lib. I. c.* 5.

(d) *Aſperitatem*) Athenienſ. legiſlator PLUTARCHUS *in Solone.* Hinc a Demade ſanguine ſcriptæ dicebantur. Abrogatæ ſunt a Solone,exceptis iis, quæ de homicidio latæ erant ÆLIAN. *l.* 8. *c.* 10. *GOEB.*

(e) *Pittacus*) STANLEI *in vita ejus* PLUT. 2. *præcept. politic. GOEB.*

(f) *Androdamas*) PICCARTUS *lib. II. c. XII. GOEB.*

(g) τὴν ταφὴν) Sic legit Vetus interpres, Lambinus, Sepulveda, & Baſileenſis. Victorius tamen ſequutus eſt Aldinam editionem: τὴν γραφὴν, *de teſtamento.* Placuit idem Caſaubono. Ego malim prius. *CONR.*

(h) Φιλολάου) Suſpicor perperam repeti hoc loco nomen Philolai pro alio aliquo. Nam paulo ante inter propria inventa Philolai περὶ τῆς παιδοποιίας numerabatur, quam vocem Victorius inique interpretatur *liberorum adoptionem:* cum potius ille Philolaus videatur definiiſſe liberorum procreandorum numerum. *CONR.*

(i) ἀνομάλωσις) Placuit hoc & Victorio. At alii habent adverſo ſenſu: ἀνωμάλωσις *inæqualitas.* Prudentius autem inventum eſt *æqualitas,*quam *inæqualitas* bonorum. Itaque placet noſtrum. *CONR.*

(k) ἂν τυπτήσωσι) Placuit hoc non Victorio tantum,ſed etiam Lambino. Muretus autem *l.* 14. *c.* 12. contendit legendum ἂν τι πταίσωσι. Idem ſe inveniſſe in codice ms. monet Camerarius. Quod etiam Sylburgius probat: & ſane recte. *CONR.*

(l) Ἀνδροδάμας) Sepulveda ut & Giphanius legit Ἀνδρόμαχος. Utrum rectius, nemo forte dixerit: nec enim legiſlator aliquis celebris reperitur hoc nomine alterutro. *CONR.*

Digitized by Google

# ARISTOTELIS POLITICORUM LIBER III.

# ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ ΠΟΛΙΤΙΚΩΝ ΤΟ Γ.

## CAPUT I.

§. 1.

I. Illius, qui de republica quærere ſibi propoſuit, & quæ & qualis unaquæque ipſarum ſit, ferme prima conſideratio eſt, videre, quidnam eſt civitas. Nunc enim controverſantur, hi quidem affirmantes, civitatem aliquid feciſſe: hi vero non civitatem, ſed paucos, qui dominantur illic, aut tyrannum. Ejus autem, qui deditus eſt reipublicæ & ſcriptoris legum, videmus omnem curam operamque poni in republica. *Reſpublica* (a) autem eſt ordo quidam civitatem habitantium.

§. 2. Quia autem civitas *unum* (b) eſt eorum, quæ juncta ſunt, quemadmodum aliud quippiam totorum quidem, compoſitorum autem e multis partibus, perſpicuum eſt, prius oportere quærere, quinam ſit civis. Civitas enim eſt multitudo *quædam* (c) civium.

§. 3. Quapropter quem oportet appellare civem, & quis civis eſt, conſiderandum eſt. Sæpe enim civis in controverſiam venit: non enim eundem fatentur civem eſſe. Eſt enim quidam, qui cum in ſtatu multitudinis civis ſit, in dominatu paucorum ſæpe non eſt civis.

§. 4. Qui igitur alio quopiam pacto nacti ſunt hanc appellationem, cujuſmodi ſunt civitate donati, *dimittendi* (d) ſunt.

§. 5. Civis autem non quia alicubi habitat, civis eſt. *Inquilini* (e) enim & ſervi communicant ſedibus.

§. 6. Neque qui participes ſunt juris, ſic ut *poſſint* & in forum vocari & litigare.

§. 7. * Hoc enim licet etiam iis, qui communicant *vi teſſerarum.* (f)

§. 8. ** Etenim hæc his quoque conceſſa ſunt. Multis igitur locis neque horum perfecte inquilini participes ſunt, ſed neceſſe ipſis eſt auctorem tribuere. Quare imperfecte aliquo modo participes ſunt, hujuſcemodi communionis.

§. 9.

§. 1.

I. Τῷ περὶ πολιτείας ἐπισκοποῦντι, καὶ τίς ἑκάστη, καὶ ποία τις, σχεδὸν πρώτη σκέψις περὶ πόλεως ἰδεῖν, τί ποτέ ἐστιν ἡ πόλις. νῦν γὰρ ἀμφισβητοῦσιν· οἱ μὲν, φάσκοντες τὴν πόλιν πεπραχέναι τὴν πρᾶξιν· οἱ δ', οὐ τὴν πόλιν, ἀλλὰ τὴν ὀλιγαρχίαν, ἢ τὸν τύραννον. τοῦ δὲ πολιτικοῦ καὶ τοῦ νομοθέτου πᾶσαν ὁρῶμεν τὴν πραγματείαν οὖσαν περὶ πόλιν· ἡ δὲ πολιτεία τῶν τὴν πόλιν οἰκούντων ἐστὶ τάξις τις.

§. 2. Ἐπεὶ δ' ἡ πόλις τῶν συγκειμένων, καθάπερ ἄλλό τι τῶν ὅλων μὲν, συνεστώτων δ' ἐκ πολλῶν μορίων, δῆλον ὅτι, (g) πρότερον ὁ πολίτης ζητητέος, ἡ γὰρ πόλις πολιτῶν τι πλῆθός ἐστιν.

§. 3. Ὥστε τίνα χρὴ καλεῖν πολίτην καὶ τίς ὁ πολίτης ἐστὶ, σκεπτέον. καὶ γὰρ ὁ πολίτης ἀμφισβητεῖται πολλάκις. οὐ γὰρ τὸν αὐτὸν ὁμολογοῦσι πάντες εἶναι πολίτην. ἔστι γάρ τις ὃς ἐν δημοκρατίᾳ πολίτης ὢν, ἐν ὀλιγαρχίᾳ πολλάκις οὐκ ἔστι πολίτης.

§. 4. Τοὺς μὲν οὖν ἄλλως πως τυγχάνοντας ταύτης τῆς προσηγορίας, οἷον τοὺς ποιητοὺς πολίτας, ἀφετέον.

§. 5. Ὁ δὲ πολίτης, οὐ τῷ οἰκεῖν που (h) πολίτης ἐστί· καὶ γὰρ μέτοικοι καὶ δοῦλοι κοινωνοῦσι τῆς οἰκήσεως.

§. 6. Οὐδ' οἱ τῶν δικαίων μετέχοντες οὕτως, ὥστε καὶ δίκην ὑπέχειν καὶ δικάζεσθαι. (i)

§. 7. * τοῦτο γὰρ ὑπάρχει καὶ τοῖς ἀπὸ συμβόλων κοινωνοῦσι.

§. 8. ** καὶ γὰρ (k) ταῦτα τούτοις ὑπάρχει πολλαχοῦ μὲν οὖν οὐδὲ τούτων τελέως οἱ μέτοικοι μετέχουσιν, (l) ἀλλ' ἀνάγκη νέμειν προστάτην. Διὸ ἀτελῶς πως μετέχουσι τῆς τοιαύτης κοινωνίας.

§. 9.

(a) *Reſpublica*) Sumitur hic formaliter pro ordine imperantium & parentium, & contradiſtinguitur civitati, tanquam ejus materiæ ſive ſubjecto. *GOEB.*

(b) *Unum*) Per aggregationem cum ordine, ut loquuntur metaphyſici. *GOEB.*

(c) *Quædam*) Pleniorem definitionem habet GROTIUS *de J. B. & P. lib. I. c. I. §. 14.* *GOEB.*

(d) *Dimittendi*) PICCARTUS *lib. III. c. I. p.* 333. *GOEB.*

(e) *Inquilini*) Hi ſub vocabulo civis generaliter ſumto comprehenduntur. Quod ſi vero civibus privilegia quædam conceduntur, tunc eorum, nonniſi, qui civium ſpecialiter ita dictorum catalogo ſunt inſerti, & quæ ipſis incumbunt, præſtant, participes fiunt. Ad civis in laxiori ſignificatu ſumti naturam, quatenus parentem denotat, explicandam faciunt definitiones BODINI *lib. I. de republ. c.* 6. HOBB. *in Leviath. c.* 17. *GOEB.*

(f) *Vi teſſerarum*) PICCART. p. 334. *GOEB.*

(g) δῆλον ὅτι) Baſileenſis & Aldina editio habent δηλονότι, quod & Caſaubono placuit. At vero noſtrum eſt conſentaneum exemplaribus melioribus, probatumque optimis interpretibus & commentatoribus. *CONR.*

(h) τῷ οἰκεῖν που) Caſaubonus ſcribit ὁμεῖν που: Sed οἰκεῖν ſcribendum indicant, quæ mox ſubſequuntur: κοινωνοῦσι τῆς οἰκήσεως. *CONR.*

(i) καὶ δικάζεσθαι) Hic videtur excidiſſe vocula πολίτας. *CONR.*

(k) καὶ γὰρ) Præter morem Ariſtotelis eſt, bis idem ſine cauſſa repetere: itaque non dubito hoc loco quædam excidiſſe. Et vero aliter ſe habuerunt antehac codices, donec in hunc modum Veteris interpretis ductu locum hunc emendavit P. Victorius *l. 7. c.* 22. Pauca tamen verba deſidero. *CONR.*

(l) μέτοικοι μετέχουσιν ἀλλ') Aldus totum illud quod interjacet inter utrumque μετέχουσι, non edidit: at reliquæ editiones pariter & verſiones agnoverunt. Videtur culpa librarii omiſſa illa verba ex deceptione, enata propter repetitionem, τοῦ μετέχουσι. *CONR.*

Digitized by Google

§. 9. *** Sed ſicuti & pueros, qui nondum per ætatem notati ſunt, & ſenes, qui ſoluti ſunt, dicere opus eſt aliquo modo cives: non valde tamen ſimpliciter, ſed cum appendice: hos quidem imperfectos, hos vero effœtos,aut hujuſcemodi aliquo addito(nihil enim intereſt.)

§. 10. Apertum enim eſt,quod dicitur. Quærimus enim ſimpliciter civem,& nullum hujuſcemodi mendum continentem, quod correctione egeat. Quia de notatis ignominia, & de exulibus hujuſcemodi in quæſtionem venire & diſſolvi poſſunt.

§. 11. Civis autem ſimpliciter nulla alia re definitur magis quam participatione exiſtimationis (*judicii*) & *magiſtratus.* (*a*) Magiſtratuum autem hi quidem ſunt diſtincti tempore (ita ut nonnullos omnino iterum non liceat gerere,vel poſt aliqua definita tempora) hic autem indefinitus eſt, ceu judex, & qui deliberat.

§. 12. Fortaſſe igitur diceret aliquis, ne magiſtratus quidem hujuſcemodi eſſe: neque participes propter hæc eſſe imperii. Atqui ridiculum eſt eos, qui tantam vim poteſtatemque habent in republica privare imperio. Sed intereſt nihil: (de nomine namque eſt controverſia.) Caret enim nomine, id quod commune eſt judici,& illi, qui ad deliberationes adhibetur, quo decet utrumque appellare. Sit igitur diſtinctionis cauſa, indefinitus magiſtratus.

§. 13. Statuimus autem eſſe cives, ita participantes.

§. 14. Qui igitur maxime congruit civis ad omnes vocato s cives, ferme hujuſcemodi eſt.

§. 15. Non oportet autem nobis clam eſſe, quod rerum, in quibus ſubjecta differunt ſpecie, & ipſorum hoc quidem primum eſt, hoc autem ſecundum, hoc vero quod ſequitur, vel penitus nihil eſt, qua talia ſunt, commune, vel exiliter.

§. 16. Reſpublicas autem videmus differentes ſpecie inter ſe: & has quidem poſteriores, has vero priores eſſe. In quibus enim errati multum eſt, & quæ recta via exiere, neceſſe eſt poſteriores eſſe vacuis ab erratis. Recta autem via migraſſe quomodo dicimus,poſtea perſpicuum erit.

§. 17. Quapropter & civem diverſum eſſe neceſſe eſt, qui in ſingulis rebuſpublicis exiſtit.

§. 18. **** Qua de cauſa, qui dictus eſt, in ſtatu

§. 9. *** ἀλλὰ καθάπερ (*b*) καὶ παῖδας τὰς μή πω δι᾽ ἡλικίαν ἐγγεγραμμένους, καὶ τοὺς γέροντας τοὺς ἀφειμένους, φατέον εἶναι μέν πως πολίτας, οὐχ ἁπλῶς δὲ λίαν, ἀλλὰ προστιθέντας, τοὺς μὲν ἀτελεῖς, τοὺς δὲ παρηκμακότας, ἤ τι τοιοῦτον ἕτερον· οὐδὲν γὰρ διαφέρει.

§. 10. Δῆλον γὰρ τὸ λεγόμενον. ζητοῦμεν γὰρ (*c*) τὸν ἁπλῶς πολίτην, καὶ μηδὲν ἔχοντα τοιοῦτον ἔγκλημα διορθώσεως δεόμενον. ἐπεὶ καὶ περὶ τῶν ἀτίμων καὶ φυγάδων ἐστὶ τὰ τοιαῦτα καὶ διαπορεῖν καὶ λύειν.

§. 11. Πολίτης δ᾽ ἁπλῶς οὐδενὶ τῶν ἄλλων ὁρίζεται μᾶλλον, ἢ τῷ μετέχειν κρίσεως καὶ ἀρχῆς. τῶν δ᾽ ἀρχῶν αἱ μέν εἰσι διῃρημέναι κατὰ χρόνον· ὥστ᾽ ἐνίας μὲν ὅλως δὶς τὸν αὐτὸν οὐκ ἔξεστιν ἄρχειν, ἢ διὰ τινῶν ὡρισμένων χρόνων· ἡ δ᾽ ἀόριστος, (*d*) οἷον ὁ δικαστὴς καὶ ἐκκλησιαστής.

§. 12. Τάχα μὲν οὖν ἂν φαίη τις, οὐδ᾽ ἄρχοντας εἶναι τοὺς τοιούτους, οὐδὲ μετέχειν διὰ ταῦτ᾽ ἀρχῆς. καίτοι γελοῖον τοὺς κυριωτάτους ἀποστερεῖν ἀρχῆς. ἀλλὰ διαφερέτω μηδέν· περὶ ὀνόματος γὰρ ὁ λόγος· ἀνώνυμον γὰρ τὸ κοινὸν ἐπὶ δικαστοῦ καὶ ἐκκλησιαστοῦ, τί δεῖ ταῦτ᾽ ἄμφω καλεῖν. ἔστω δὴ διορισμοῦ χάριν, ἀόριστος ἀρχή.

§. 13. Τίθεμεν δὴ πολίτας τοὺς οὕτω μετέχοντας.

§. 14. Ὁ μὲν οὖν μάλιστ᾽ ἂν ἐφαρμόσας πολίτης ἐπὶ πάντας τοὺς λεγομένους πολίτας, σχεδὸν τοιοῦτός ἐστι.

§. 15. Δεῖ δὲ μὴ λανθάνειν, ὅτι τῶν πραγμάτων ἐν οἷς τὰ ὑποκείμενα διαφέρει τῷ εἴδει, καὶ τὸ μὲν αὐτῶν ἐστι πρῶτον, τὸ δὲ δεύτερον, τὸ δ᾽ ἐχόμενον, ἢ τὸ παράπαν οὐδέν ἐστιν ᾗ τοιαῦτα (*e*) τὸ κοινόν, ἢ γλίσχρως.

§. 16. Τὰς δὲ πολιτείας ὁρῶμεν εἴδει διαφερούσας ἀλλήλων, καὶ τὰς μὲν ὑστέρας, τὰς δὲ προτέρας οὔσας. Τὰς γὰρ ἡμαρτημένας καὶ παρεκβεβηκυίας, ἀναγκαῖον ὑστέρας εἶναι τῶν ἀναμαρτήτων. τὰς δὲ παρεκβεβηκυίας πῶς λέγομεν, ὕστερον ἔσται (*f*) φανερόν.

§. 17. Ὥστε καὶ τὸν πολίτην ἕτερον ἀναγκαῖον εἶναι τὸν καθ᾽ ἑκάστην πολιτείαν.

§. 18. **** Διόπερ ὁ λεχθείς, (*g*) ἐν μὲν δημοκρατίᾳ

(*a*) *Magiſtratus*) Sed hæc definitio, inprimis, ſi requiſita conjunctim adeſſe debent, proprie non niſi ad reſpublicas populares, aut mixtas, quæ ex democratiis aliquid trahunt, pertinet. Conf. HERTII *elementa prud. civilis part. I. Sect. V. §. II.* *GOEB.*

(*b*) ἀλλὰ καθάπερ) Non cohærent probe cum antecedentibus. Nec difficile eſt judicatu vel leviter hæc expendenti, quædam deficere. *CONR.*

(*c*) ζητοῦμεν γὰρ) Rectius legeretur δὲ: aut vero vox una & altera iisdem hic perierunt. *CONR.*

(*d*) ἡ δὲ ἀόριστος) Sunt qui legunt: ὁ δὲ, at cum ſermo ſit περὶ ἀρχῆς, omnino rectius eſt ἡ. *CONR.*

(*e*) ᾗ τοιαῦτα) Abundant hæ voculæ & nihil ad rem faciunt. Clarior eſt ſenſus, ſi legas: οὐδέν ἐστι τὸ κοινόν, ἢ γλίσχρως.. *CONR.*

(*f*) ὕστερον ἔσται) Forte ſcribendum ὕστερον εἴρηται, φανερὸν ὥστε καὶ τὸν πολίτην. Vel vero etiam hic deſunt nonnulla, quod veroſimile eſt admodum. Forte tale quid. *Ut reſpublicæ vero & civitatis ita, & civis neceſſario eſt ratio: eoque pro diverſa civitatum natura etiam civium natura variat. Adeoque & civem pro ſingulis rebuſpublicis alium eſſe oportet.* *CONR.*

(*g*) Διόπερ ὁ λεχθείς) Hoc profecto ex præmiſſis non niſi obſcure ſequitur. Omnino vero docendum ante fuerat, quænam ſit civium natura in rebuſpublicis vitioſis, & adducenda cauſſa, quare in rebuſpublicis bonis etiam non eadem ſit ratio. Nulla certe eſt in ſermone connexio: eoque non dubito lacunam hic eſſe. Num ita ſuppleveris? Atque in vitioſis quidem rebuſpublicis vix eſt,ut habeas veros cives. Ubi enim vera ſocietas libera non eſt,ibi nec ſocii liberi dantur. Solum in veris igitur & rectis civitatibus locum habet verus civis: & quidem quantum unaquæque magis minuſque liber quidam cœtus

Digitized by Google

ſtatu multitudinis maxime eſt civis: in aliis vero uſu venire poteſt, non tamen neceſſe eſt.

μοκρατίᾳ μάλιςʼ ἐςὶ πολίτης, ἐν δὲ ταῖς ἄλλαις ἐνδέχεται μὲν, οὐ μὴν ἀναγκαῖον.

§. 19. In quibuſdam enim non eſt populus, neque concionem recipiunt, ſed paucos ad deliberandum vocatos & lites judicant particulatim. Ceu Lacedæmone cauſas contractuum judicat e numero Ephororum *alius* (*a*) alias: Senatores autem de cæde facta: alius fortaſſe *magiſtratus* (*b*) alias. Eodem autem pacto & Carthagine; quidam enim magiſtratus omnes cauſas exiſtimant.

§. 19. Ἐνίαις γὰρ οὐκ ἔςι δῆμος, οὐδʼ ἐκκλησίαν (*e*) νομίζουσιν, ἀλλὰ συγκλήτους, καὶ τὰς δίκας δικάζουσι κατὰ μέρος. οἷον ἐν Λακεδαίμονι τὰς τῶν συμβολαίων δικάζει τῶν Ἐφόρων ἄλλος ἄλλας· οἱ δὲ Γέροντες, τὰς φονικάς· ἑτέρα δʼ ἴσως ἀρχή τις ἑτέρας. τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον καὶ περὶ Καρχηδόνα· πάσας γὰρ ἀρχαί τινες κρίνουσι τὰς δίκας.

§. 20. Veruntamen * * * ſuſtinet (*enim*) correctionem definitio civis. In aliis enim rebuspublicis minime indefinitus magiſtratus eſt, qui deliberat, & qui cauſas judicat: ſed qui, quod ad magiſtratum pertinet, definitus eſt. Horum enim vel cunctis vel quibuſdam tributum eſt deliberare & judicare, vel de omnibus, vel de quibuſdam.

§. 20. Ἀλλʼ (*f*) * * * ἔχει γὰρ διόρθωσιν ὁ τοῦ πολίτου διορισμός. ἐν γὰρ ταῖς ἄλλαις πολιτείαις, οὐχ ὁ ἀόριςος ἄρχων ἐκκλησιαςής ἐςι καὶ δικαςής, ἀλλὰ ὁ κατὰ τὴν ἀρχὴν ὡρισμένος. τούτων γὰρ ἢ πᾶσιν ἢ τισὶν ἀποδέδοται τὸ βουλεύεσθαι (*g*) καὶ δικάζειν, ἢ περὶ πάντων, ἢ περὶ τινῶν.

§. 21. Quis igitur eſt civis, ex his manifeſtum. Cui enim poteſtas facta eſt communicandi magiſtratu, qui deliberat & qui (*judicat*) exiſtimat; eum jam dicimus eſſe hujus civitatis: Civitatem hujuſcemodi hominum multitudinem, quæ (ut ſimpliciter loquar) ſemetipſa contenta ſit ad bene *vivendum*. (*c*)

§. 21. Τίς μὲν οὖν ἐςιν ὁ πολίτης, ἐκ τούτων φανερόν. ᾧ γὰρ ἐξουσία κοινωνεῖν ἀρχῆς βουλευτικῆς, ἢ κριτικῆς, πολίτην ἤδη λέγομεν εἶναι ταύτης τῆς πόλεως· πόλιν δὲ, (*h*) τὸ τῶν τοιούτων πλῆθος ἱκανὸν πρὸς αὐτάρκειαν ζωῆς, ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν.

** **

§. 22. Definiunt autem ad uſum civem, qui ex ambobus parentibus civibus natus eſt, & non *ex altero tantum*, (*d*) ceu patre vel matre. Hi vero hoc etiam ulterius quærunt, ceu ad avos duos, vel tres, vel plures. Sic igitur definientibus civiliter & celeriter, quidam in controverſiam vocant tertium vel quartum, quomodo erit civis?

** **

§. 22. Ὁρίζονται δὴ (*i*) πρὸς τὴν χρῆσιν, πολίτην, τὸν ἐξ ἀμφοτέρων πολιτῶν, καὶ μὴ θατέρου μόνον, οἷον πατρὸς ἢ μητρός· οἱ δὲ καὶ τοῦτʼ ἐπὶ πλέον ζητοῦσιν, οἷον ἐπὶ πάππους δύο, ἢ τρεῖς, ἢ πλείους. οὕτω δὴ (*k*) ὁριζομένων πολιτικῶς, καὶ ταχέως, (*l*) ἀποροῦσί τινες τὸν τρίτον ἐκεῖνον ἢ τέταρτον, πῶς ἔςαι πολίτης.

§. 23. Gorgias igitur Leontinus, partim fortaſſe ambigens, partim ironia utens, dixit, quemadmodum mortaria eſſent, quæ a fabris mortariorum facta eſſent: ſic & Lariſſæos, qui ab opificibus Lariſſæorum facti forent; eſſe enim quoſdam opifices Lariſſæorum.

§. 23. Γοργίας μὲν οὖν ὁ Λεοντῖνος, τὰ μὲν ἴσως ἀπορῶν, τὰ δʼ εἰρωνευόμενος, ἔφη. καθάπερ ὅλμους εἶναι τοὺς ὑπὸ τῶν ὁλμοποιῶν πεποιημένους, οὕτω καὶ Λαρισσαίους τοὺς ὑπὸ τῶν δημιουργῶν πεποιημένους· εἶναι γάρ τινας Λαρισσοποιούς. (*m*)

§. 24. §. 24.

tus eſt, ita in eo magis minusque vera civis eſſentia elucet. Eſt autem liberrima, quam democratiam appellamus: omnis enim populus in ea una actu liber eſt & ſui juris, imo particeps conſultationum reipublicæ: in aliis autem pauci id occupant, reliqui tantum id habent, quod non ſint lege excluſi, ſed pateat ipſis ſuo tempore aditus ad rempublicam. *CONR.*

(*a*) *Alius*) Videntur tamen Ephori omnem ſibi deinde judiciorum vindicaſſe poteſtatem. CRAGIUS *de republ. Lacedæmon. lib. IV. p.* 439. *GOEB.*

(*b*) *Magiſtratus*) Si hoc vocabulum in rigore ſuo ſumitur, judici contradiſtinguitur. DUARENUS *lib. I. diſp. c.* 23. GOVEANUS *lib. I. & II.* *GOEB.*

(*c*) *Vivendum*) ARNISÆUS *in relect. polit. p.* 227. *GOEB.*

(*d*) *Ex altero tantum*) PICCARTUS *lib. II. c. 2. p.* 345. In quamplurimis autem civitatibus illorum, qui ex civibus nati, quædam ſolent eſſe prærogativæ. *GOEB.*

(*e*) οὐδʼ ἐκκλησίαν) Malim legere οὐδὲ ἐκκλησίας νομίζουσιν ἀλλὰ σύγκλητοι. *CONR.*

(*f*) ἀλλʼ) Non difficulter patet, vocem hanc cum ἔχει γὰρ non poſſe recte conjungi. Quis enim ita loquatur? Sed & res ipſa docet, hoc loco non ſatis explicatum eſſe, quænam ſit civis ratio in rebuspublicis aliis præter democratiam, quod tamen omnino fuit explicandum: alioquin enim poſſit videri, ſolam democratiam eſſe rempublicam, & ne hanc quidem omnem, utpote quæ ſolo actu habeat ἀόριςον ἀρχήν. Certe ariſtotelica civis definitio non ſatis eſt explicata. Nec vero alia de cauſſa, quam propter illam doctrinæ obſcuritatem, ſolet illa definitio a quam multis acriter impugnari. Hanc lacunam videntur indicare & illa, quæ mox ſubſequuntur: ἐν γὰρ ταῖς ἄλλαις &c. Hoc enim jam tum dixerat Ariſtoteles, & quidem paulo ante: itaque nova repetitione adeo quidem cito non fuit opus. Nihil mihi videtur certius, quam omnem hanc de cive diſſertationem mendis & lacunis fœde eſſe deformem. *CONR.*

(*g*) τὸ βουλεύεσθαι) Camotius habet βούλεσθαι. Sed cui non liquet noſtrum eſſe rectius? Agitur enim utique περὶ ἀρχῆς βουλευτικῆς. *CONR.*

(*h*) πόλιν δὲ) Sic legerunt Aretinus, Geneſius, Lambinus, Victorius, alii. Aldus Iſengrinus & Montecatinus habent πόλις δὲ: nec aliter legit interpres Vetus. Sed parum refert, quid velis ſequi. *CONR.*

(*i*) ὁρίζονται δὴ) Non cohærent hæc probe cum antegreſſis. Nec enim per τὸ δὴ in hunc modum ſolet oratio connecti, niſi aliud præceſſerit. Neque intelligas nunc facile, quid ſit illud: πρὸς τὴν χρῆσιν. Queis verbis, niſi fallor, indicatum voluit *vulgarem uſum*. Obtinebat ſcilicet Athenis ex Periclis inſtituto, ut civis non haberetur Atticus, niſi utroque parente Attico natus: ceu notum eſt, & teſtatur quoque præ aliis Plutarchus in Pericle. *CONR.*

(*k*) οὕτω δὴ) Scripſerim οὕτω δὲ. *Sic vero.* *CONR.*

(*l*) καὶ ταχέως) Malim cum Camerario ſcribere παχέως, vel cum Caſaubono ἐπὶ πάππους. *CONR.*

(*m*) Λαρισσοποιοὺς) Eidem Camerario ut & Caſaubono aſſentior ſcribendum: Λαρισσαιοποιούς. *CONR.*



Digitized by Google

§. 24. Eſt autem ſimplex, ſi namque participabant reipublicæ dicta definitione, erant utique cives. Etenim fieri etiam non poteſt, ut conveniat illud ex patre cive ſive matre ad eos, qui primi urbem habitarunt, vel condiderunt.

§. 25. Sed forſan illi magis ſcrupulum in ſe continent, quicunque participarunt mutato ſtatu civitatis: quale quid geſſit Athenis Cliſthenes poſt exactos tyrannos: multos enim conjecit in tribus hoſpites & ſervos, urbis inquilinos.

§. 26. Quæſtio autem adverſus hos eſt, non quis civis eſt, ſed utrum injuſte vel juſte facti ſint. Atqui & huic dubitationi illa præterea adjungi poteſt, nunquid, ſi aliquis non juſte civis factus eſt, non ſit habendus civis: tanquam idem valeat injuſtus & *falſus civis.* (*a*)

§. 27. Quia autem videmus quoſdam imperium gerentes injuſte, quos imperium ſane habere dicemus, ſed non juſte: civis autem imperio quodam definitus eſt (qui namque communicat hujuſcemodi imperio, civis eſt, ut diximus) eſt apertum, cives eſſe habendos & hos.

§. 28. III. Iuſte vero, vel non juſte facti ſint, pertinet ad ſuperiorem controverſiam. Ambigunt enim quidam, *quando civitas aliquid geſſit, & quando minime civitas?* ceu quando e dominatu paucorum vel tyrannide extiterit *ſtatus multitudinis.* (*b*) Tunc enim neque contractus quidam diſſolvere volunt: tanquam non civitas, ſed tyrannus pecuniam acceperit: neque alia multa hujuſcemodi ſervare.

§. 24. Ἔστι δ᾽ ἁπλοῦν. εἰ γὰρ μετεῖχον κατὰ τὸν ῥηθέντα διορισμὸν, τῆς πολιτείας, ἦσαν ἂν πολῖται. καὶ γὰρ οὐδὲ δυνατὸν ἐφαρμόττειν τὸ ἐκ πολίτου, ἢ ἐκ πολίτιδος, ἐπὶ τῶν πρώτων οἰκησάντων ἢ κτισάντων.

§. 25. Ἀλλ᾽ ἴσως ἐκεῖνοι μᾶλλον ἔχουσιν (*c*) ἀπορίαν, ὅσοι μετέχον, μεταβολῆς γενομένης πολιτείας· οἷον Ἀθήνησιν ἐποίησε Κλεισθένης μετὰ τὴν τῶν τυράννων ἐκβολήν. πολλοὺς γὰρ ἐφυλέτευσε ξένους καὶ δούλους μετοίκους. (*d*)

§. 26. Τὸ δ᾽ ἀμφισβήτημα πρὸς τούτους ἐστὶν, οὐ τίς πολίτης, ἀλλὰ πότερον ἀδίκως ἢ δικαίως. καί τοι καὶ τοῦτό (*e*) τις ἔτι προσαπορήσειεν, ἆρ᾽ εἰ μὴ δικαίως πολίτης, οὐ πολίτης· ὡς ταὐτὸ δυναμένου τοῦ τ᾽ ἀδίκου καὶ τοῦ ψευδοῦς.

§. 27. Ἐπεὶ δ᾽ ὁρῶμεν καὶ ἄρχοντάς τινας ἀδίκως, οὓς ἄρχειν μὲν φήσομεν, ἀλλ᾽ οὐ δικαίως· ὁ δὲ πολίτης ἀρχῇ τινι διωρισμένος ἐστίν· (ὁ γὰρ κοινωνῶν τῆς τοιᾶσδε ἀρχῆς, πολίτης ἐστὶν, ὡς ἔφαμεν.) δῆλον ὅτι (*f*) πολίτας μὲν εἶναι φατέον καὶ τούτους.

§. 28. III. Περὶ δὲ τοῦ δικαίως ἢ μὴ δικαίως, συνάπτει πρὸς τὴν (*g*) εἰρημένην πρότερον (*h*) ἀμφισβήτησιν. ἀποροῦσι γάρ τινες, πόθ᾽ ἡ πόλις (*i*) ἔπραξε, καὶ πότε οὐχ ἡ πόλις; οἷον ὅταν ἐξ ὀλιγαρχίας ἢ τυραννίδος γένηται δημοκρατία. τότε γὰρ οὔτε τὰ συμβόλαια ἔνιοι βούλονται διαλύειν, ὡς οὐ τῆς πόλεως, ἀλλὰ τοῦ τυράννου λαβόντος· οὔτ᾽ ἄλλα πολλὰ τῶν τοιούτων.

** **

§. 29. Tanquam reſpublicæ nonnullæ vi poteſtateque conſtent, & non publicam utilitatem propoſitam habeant. Siquidem igitur & ſtatus populares quidam ita adminiſtrant, eodem hoc modo ſimiliter civitatis hujus dicendum eſt eſſe hujuſce reipublicæ actiones, & quæ a dominatu paucorum, & quæ a tyrannide.

** **

§. 29. Ὡς ἐνίας (*k*) τῶν πολιτειῶν τῷ κρατεῖν οὔσας, ἀλλὰ οὐ διὰ τὸ κοινῇ συμφέρον. εἴπερ οὖν καὶ δημοκρατοῦνταί τινες κατὰ τὸν τρόπον τοῦτον, ὁμοίως τῆς πόλεως φατέον εἶναι τὰς τῆς πολιτείας ταύτης πράξεις, καὶ τὰς ἐκ τῆς ὀλιγαρχίας, καὶ τῆς τυραννίδος.

## CAP. II.

§. I.

Videtur autem ſua propriaque oratio eſſe hujus dubitationis, quomodonam decet dicere, civitatem eſſe eandem, vel non eandem, ſed diverſam.

§. I.

Ἔοικε δ᾽ οἰκεῖος ὁ λόγος εἶναι τῆς ἀπορίας ταύτης, πῶς ποτε χρὴ λέγειν τὴν πόλιν εἶναι τὴν αὐτὴν, ἢ μὴ τὴν αὐτὴν, ἀλλ᾽ ἑτέραν.

§. 4. §. 2.

(*a*) *Falſus civis*) Committunt hi fallaciam æquivocationis. Aut enim injuſtus idem ille eſt, qui requiſita ad certum ſtatum ſpectantia non habet, & ſic injuſtus a falſo cive non differt; aut per injuſtum intelligunt eum, qui ſtatum ſuum non juſto habet titulo, et ſi in hac poſteriori vox accipitur ſignificatione, omnino inter injuſtum & falſum civem eſt differentia. *GOEB.*

(*b*) *Status multitudinis*) GROTIUS *de J. B. & P. lib. II. c. IX. §. VIII.* PUFFEND. *de J. N. & G. lib. VIII. c.* 12. *GOEB.*

(*c*) ἐκεῖνοι μᾶλλον ἔχουσιν) Aldus & Iſengrinus habent ἐκείνην, quod etiam Aretinus expreſſit. Noſtrum vero omnino eſt convenientius, placuitque non Victorio tantum, ſed etiam Lambino, Geneſio, Montecatino, Sylburgio, Camerario, imo & Veteri interpreti. *CONR.*

(*d*) δούλους μετοίκους) Ita habere omnia græca exemplaria, fatetur Montecatinus. Non aliter legit Vetus, interpretans, *ſervos adventitios.* Lambinus tamen interponit voculam καὶ, idque ſequitur Montecatinus. Verum haud multum intereſt. Et cum illud Cliſthenis factum hodie parum ſit notum, neutram lectionem ſecure quis approbaverit. *CONR.*

(*e*) καὶ τοῦτο). Victorius in ſua verſione videtur probaſſe καὶ τούτῳ. Lambinus tamen noſtram lectionem ſectatus eſt: & recte quidem. *CONR.*

(*f*) δῆλον ὅτι) Iſengrinius, Aldus & Montecatinus minus bene ſcribunt: δηλονότι. *CONR.*

(*g*) συνάπτει πρὸς τὴν) Aldus Iſengrinius & Montecatinus τὸ πρὸς omittunt. *CONR.*

(*h*) εἰρημένην πρότερον) Sub initium capitis. *CONR.*

(*i*) πόθ᾽ ἡ πόλις) Scilicet tyrannides & oligarchiæ apud Græcos non habebantur dignæ nomine & titulo civitatum. Itaque facta mutatione in democratiam, negabant multi civitatem teneri pactis per oligarchicos aut tyrannos, utpote quod nulla tum fuiſſet civitas. Eodem modo, qui contra leges democratiæ facti ſunt cives, orta jam democratia in dubium vocari ſolent, num illi veri ſint cives, utpote vitio creati. *CONR.*

(*k*) ὡς ἐνίας) Etiam hic veroſimile eſt, nonnulla deeſſe. Neque enim ſermo recte fluit more ariſtotelico. Imo omnia, quæ ſequuntur hoc capite, adeo ſunt mendoſa, ut commodum ſenſum elicere nequeas. Nec video, qui poſſint apte corrigi. Itaque hunc locum tanquam deploratum prudenter forte prætterieris. *CONR.*

Digitized by Google

§. 2. Leviſſima igitur inveſtigatio dubitationis eſt circa locum & homines. Contingit enim disjungi locum & homines: & hos quidem hunc, alios vero alium locum inhabitare.

§. 3. Hanc igitur mitiorem eſſe dubitationem, ponendum eſt: Cum enim civitas multis modis dicatur, eſt aliquo modo copia hujuſce quæſtionis.

§. 4. Eodem autem pacto, iisdem hominibus locum incolentibus, quando convenit putare unam eſſe civitatem? Nullo enim pacto mœnibus. Liceret namque Peloponneſo murum circumjacere. Hujuſcemodi autem fortaſſe eſt & *Babylon*, (*a*) & omnis, quæ circumſcriptionem magis habet gentis, quam urbis: qua ajunt capta jam tertium diem, non ſenſiſſe partem quandam civitatis.

§. 5. Verum de hac dubitatione in aliud tempus magis oportunum utilis erit conſideratio. De magnitudine enim civitatis, & quantitas, & utrum una gens vel plures conducant, opus eſt minime ignota eſſe homini civili.

§. 6. Sed iisdem eundem locum habitantibus, utrum donec extiterit genus idem habitantium, eandem eſſe dicendum ſit civitatem, etſi ſemper hi quidem intereunt, hi autem *naſcuntur*? (*b*) quemadmodum & fluvios conſuevimus eosdem dicere, & fontes eosdem, etſi ſemper hæc quidem aqua ſcaturiat, hæc autem effluat.

§. 7. Vel homines dicendum eſſe eosdem propter hujuſcemodi cauſam, civitatem autem diverſam? Si quidem enim eſt communio quædam civitas (eſt namque communio civium) cum civitas diverſa redditur ſpecie *reſpublicaque variatur*, (*c*) neceſſarium eſſe utique videretur & civitatem eſſe non eandem.

§. 8. Quemadmodum & chorum, quandoque quidem comicum, quandoque autem tragicum, diverſum eſſe dicimus, iisdem ſæpe hominibus exiſtentibus. Eodem autem pacto & omnem aliam communionem & compoſitionem diverſam, ſi ſpecies diverſa ſit compoſitionis ceu harmoniam iisdem ſonis exiſtentibus diverſam, eſſe diceremus, quando fuerit Doria, vel quando Phrygia.

§. 9. Si jam res ſe habet hoc modo, perſpicuum eſt maxime dicendum civitatem eſſe unam, ad rempublicam reſpicientes: nomine autem vocare diverſo vel eodem licet & iisdem habitantibus ipſam, & valde diverſis hominibus.

§. 10. An autem juſtum eſt diſſolvere, vel non diſſolvere, quando in aliam rempublicam mutata fuerit, *alia oratio eſt.* (*d*)

§. 2. Ἡ μὲν οὖν ἐπιπολαιοτάτη τῆς ἀπορίας ζήτησις, περὶ τὸν τόπον καὶ τοὺς ἀνθρώπους ἐστίν. ἐνδέχεται γὰρ διαζευχθῆναι τὸν τόπον. καὶ τοὺς ἀνθρώπους, καὶ τοὺς μὲν ἕτερον, τοὺς δ᾽ ἕτερον οἰκῆσαι τόπον.

§. 3. Ταύτην μὲν οὖν πρᾳοτέραν θετέον τὴν ἀπορίαν. πολλαχῶς γὰρ τῆς πόλεως λεγομένης, ἐστί πως εὐμάρεια τῆς τοιαύτης ζητήσεως.

§. 4. Ὁμοίως δὲ καὶ τῶν τὸν αὐτὸν τόπον κατοικούντων ἀνθρώπων, πότε δεῖ νομίζειν μίαν εἶναι τὴν πόλιν; οὐ γὰρ δὴ τοῖς τείχεσιν. εἴη γὰρ ἂν Πελοποννήσῳ περιβαλεῖν ἓν τεῖχος· τοιαύτη δ᾽ ἴσως ἐστὶ καὶ Βαβυλὼν, καὶ πᾶσα ἥτις ἔχει περιγραφὴν μᾶλλον ἔθνους ἢ πόλεως· ἧς γέ φασιν ἑαλωκυίας τρίτην ἡμέραν, οὐκ αἰσθέσθαί τι μέρος τῆς πόλεως.

§. 5. Ἀλλὰ περὶ μὲν ταύτης τῆς ἀπορίας, εἰς ἄλλον καιρὸν χρήσιμος ἡ σκέψις. περὶ γὰρ μεγέθους τῆς πόλεως, τό τε πόσον, καὶ πότερον ἔθνος ἓν (*e*) ἢ πλείω συμφέρει, δεῖ μὴ λανθάνειν τὸν πολιτικόν.

§. 6. Ἀλλὰ τῶν αὐτῶν κατοικούντων τὸν αὐτὸν τόπον, πότερον ἕως ἂν ᾖ το γένος ταὐτὸ τῶν κατοικούντων, τὴν αὐτὴν εἶναι φατέον πόλιν· καίπερ ἀεὶ, τῶν μὲν φθειρομένων, τῶν δὲ γινομένων; ὥσπερ καὶ ποταμοὺς εἰώθαμεν λέγειν τοὺς αὐτοὺς, καὶ κρήνας τὰς αὐτὰς, καίπερ ἀεὶ τοῦ μὲν ἐπιγινομένου νάματος, τοῦ δ᾽ ὑπεξιόντος.

§. 7. Ἢ τοὺς μὲν ἀνθρώπους φατέον εἶναι τοὺς αὐτοὺς διὰ τὴν τοιαύτην αἰτίαν, τὴν πόλιν δ᾽ ἑτέραν; εἴπερ γάρ ἐστι κοινωνία τις ἡ πόλις (ἔστι δὲ κοινωνία πολιτῶν,) πολιτείας γιγνομένης ἑτέρας τῷ εἴδει, καὶ διαφερούσης τῆς πολιτείας, (*f*) ἀναγκαῖον εἶναι δόξειεν ἂν καὶ τὴν πόλιν εἶναι μὴ τὴν αὐτήν.

§. 8. Ὥσπερ γε καὶ χορὸν, ὁτὲ μὲν κωμικὸν, ὁτὲ δὲ τραγικὸν, ἕτερον εἶναί φαμεν, τῶν αὐτῶν πολλάκις ἀνθρώπων ὄντων. ὁμοίως δὲ καὶ πᾶσαν ἄλλην κοινωνίαν καὶ σύνθεσιν ἑτέραν, ἂν εἶδος ἕτερον ᾖ τῆς συνθέσεως· οἷον ἁρμονίαν τῶν αὐτῶν φθόγγων, ἑτέραν εἶναι λέγομεν, ἂν ὁτὲ μὲν ᾖ Δώριος, ὁτὲ δὲ Φρύγιος.

§. 9. Εἰ δὴ τοῦτον ἔχει τὸν τρόπον, φανερὸν ὅτι μάλιστα λεκτέον τὴν αὐτὴν πόλιν, εἰς τὴν πολιτείαν βλέποντας· ὄνομα δὲ καλεῖν ἕτερον, ἢ ταὐτὸν, ἔξεστι καὶ τῶν αὐτῶν κατοικούντων αὐτὴν, καὶ πάμπαν ἑτέρων ἀνθρώπων.

§. 10. Εἰ δὲ δίκαιον διαλύειν, ἢ μὴ διαλύειν, ὅταν εἰς ἑτέραν μεταβάλλῃ πολιτείαν ἡ πόλις, λόγος ἕτερος.

# CAPUT III.

(*a*) *Babylon*) HERODOTUS *lib.* I. STRABO *lib.* 6. *GOEB.*

(*b*) *Naſcuntur*) GROT. *de J. B. & P. lib. II. c. IX.* §. I. *GOEB.*

(*c*) *Reſpublica variatur*) Quomodo hoc intelligendum, vide apud GROT. *l. c.* §. *VIII. n.* 2. *GOEB.*

(*d*) *Alia oratio eſt*) GROTIUS *l. c.* Eadem enim eſt reſpublica, an unius, plurium aut multitudinis ſubſit imperio. Atque princeps reipublicæ nomine & voluntate, ut caput ejus ex probabili cauſa æs alienum conflaſſe creditur. Vide EUNDEM *autorem lib. II. c.* 14. *GOEB.*

(*e*) Τό τε πόσον καὶ πότερον ἔθνος ἓν) Camotius & Zvvingerus legunt ποσῶν, non male. Camerarius omittit vocem ἔθνος. Sed ſi omittas, ſenſus minus eſt integer. *CONR.*

(*f*) διαφερούσης τῆς πολιτείας) Lambinus ita vertit, quaſi legerit τοῖς πολίταις. At vero malim ego delere voces τῆς πολιτείας διαφερούσης, cum paulo ante jam dictum ſit πολιτείας γενομένης ἑτέρας τῷ εἴδει. Quæ enim πολιτεία eſt alia ſpecie, illa utique eſt πολιτεία διαφέρουσα. Lambiniana lectio non placet; quia reſpublica in ſeſe non differt civibus, ſed adminiſtratione aut κοινωνίᾳ τῶν πολιτῶν. *CONR.*



Digitized by Google

## CAP. III.

§. 1.

IV. Sequitur autem ea, quæ nunc dicta ſunt, conſiderare, utrum eandem eſſe virtutem viri probi & civis ſtudioſi ponendum ſit, vel non eandem.

§. 2. Atqui ſi hoc decet in quæſtionem venire, primum conſideranda eſt craſſo modo civis virtus.

3. Quemadmodum igitur nauta unus quidam eſt eorum, qui communicant: ſic & civem dicimus. Nautarum autem, etſi diſſimiles ſunt facultates (hic enim remex eſt, hic autem gubernator, hic vero proreta, alius hujuscemodi quopiam nomine diſtinctus) manifeſtum, maxime exquiſitam ſingulorum rationem, propriam eſſe virtutis. Veruntamen & communis quædam quadrabit cunctis. Salus enim navigationis officium eſt ipſorum omnium. Hujus enim deſiderio ſinguli nautæ tenentur.

§. 4. Eodem igitur pacto & civium, etſi diſſimiles ſunt, *ſalus* (*a*) communionis officium eſt. Reſpublica enim communio eſt. Quare neceſſe eſt virtutem civis ad rempublicam referri.

§. 5. Si igitur ſunt plures reipublicæ ſpecies, apertum eſt non contingere, ut ſtudioſi civis una virtus ſit, perfecta inquam illa. Bonum autem virum affirmamus, eſſe ſecundum virtutem perfectam.

§. 6. Uſu igitur venire poſſe, ut qui civis ſtudioſus ſit, non habeat virtutem, per quam vir ſtudioſus eſt, perſpicuum eſt.

§. 7. Nec tamen non alio modo licet dubitandi more, eandem rationem percurrere de optima republica.

§. 8. Si enim fieri non poteſt, ut ex omnibus ſtudioſis exiſtentibus, ſit civitas: opus autem eſt ſingulos, quod ipſorum munus eſt, recte obire: hoc vero a virtute: quia fieri non poteſt, ut ſimiles ſint omnes cives, non eſſet utique una virtus *civis ac viri boni* (*b*)

§. 9. Virtutem enim ſtudioſi civis oportet omnibus adeſſe (ſic enim optimam neceſſe eſt eſſe civitatem) quæ vero eſt viri boni, impoſſibile; niſi cunctos neceſſe ſit bonos eſſe, qui in ſtudioſa civitate ſunt cives.

§. 10.

§. 1.

IV. Τῶν δὲ νῦν εἰρημένων ἐχόμενόν ἐστιν ἐπισκέψασθαι, πότερον τὴν αὐτὴν ἀρετὴν ἀνδρὸς ἀγαθοῦ καὶ πολίτου σπουδαίου θετέον, ἢ μὴ τὴν αὐτήν.

§. 2. Ἀλλὰ μὲν εἴγε τοῦτο τυχεῖν δεῖ ζητήσεως, τὴν τοῦ πολίτου τύπῳ τινὶ πρῶτον ληπτέον. (*c*)

§. 3. Ὥσπερ οὖν ὁ πλωτὴρ εἷς τις τῶν κοινωνῶν ἐστιν, οὕτω καὶ τὸν πολίτην φαμέν. τῶν δὲ πλωτήρων, καίπερ ἀνομοίων ὄντων τὴν δύναμιν, (ὁ μὲν γάρ ἐστιν ἐρέτης, ὁ δὲ κυβερνήτης, ὁ δὲ πρωρεὺς, ὁ δ' ἄλλην τιν' ἔχων τοιαύτην ἐπωνυμίαν) δῆλον, ὡς ὁ μὲν ἀκριβέστατος ἑκάστου λόγος ἴδιος ἔσται τῆς ἀρετῆς. ὁμοίως δὲ καὶ κοινός (*d*) τις ἐφαρμόσει πᾶσιν. ἡ γὰρ σωτηρία τῆς ναυτιλίας, ἔργον ἐστὶν αὐτῶν πάντων· τούτου γὰρ ἕκαστος ὀρέγεται τῶν πλωτήρων.

§. 4. Ὁμοίως τοίνυν καὶ τῶν πολιτῶν, καίπερ ἀνομοίων ὄντων, ἡ σωτηρία τῆς κοινωνίας ἔργον ἐστί· κοινωνία δ' ἐστὶν ἡ πολιτεία. Διὸ τὴν ἀρετὴν ἀναγκαῖον εἶναι τοῦ πολίτου πρὸς τὴν πολιτείαν.

§. 5. Εἴπερ οὖν ἐστι πλείω πολιτείας εἴδη, δῆλον ὡς οὐκ ἐνδέχεται τοῦ σπουδαίου πολίτου μίαν ἀρετὴν εἶναι τὴν τελείαν· τὸν δ' ἀγαθὸν ἄνδρα (*e*) φαμὲν εἶναι κατ' ἀρετὴν τελείαν.

§. 6. Ὅτι μὲν οὖν ἐνδέχεται, πολίτην ὄντα σπουδαῖον, μὴ κεκτῆσθαι τὴν ἀρετὴν, καθ' ἣν σπουδαῖος ἀνὴρ, φανερόν.

§. 7. Οὐ μὲν ἀλλὰ καὶ κατ' ἄλλον τρόπον ἐστὶ διαποροῦντας ἐπελθεῖν τὸν αὐτὸν λόγον περὶ τῆς ἀρίστης πολιτείας.

§. 8. Εἰ γὰρ ἀδύνατον ἐξ ἁπάντων σπουδαίων ὄντων εἶναι πόλιν· (δεῖ δ' ἕκαστον τὸ καθ' αὐτὸν ἔργον εὖ ποιεῖν· τοῦτο δὲ ἀπ' ἀρετῆς·) ἐπεὶ δ' (*f*) ἀδύνατον ὁμοίους εἶναι πάντας τοὺς πολίτας· οὐκ ἂν εἴη μία ἀρετὴ πολίτου καὶ ἀνδρὸς ἀγαθοῦ.

§. 9. Τὴν μὲν γὰρ τοῦ σπουδαίου πολίτου, δεῖ πᾶσιν ὑπάρχειν· οὕτω γὰρ ἀρίστην ἀναγκαῖον εἶναι τὴν πόλιν· τὴν δὲ τοῦ ἀνδρὸς τοῦ ἀγαθοῦ, ἀδύνατον, εἰ μὴ πάντας ἀναγκαῖον ἀγαθοὺς εἶναι τοὺς ἐν τῇ σπουδαίᾳ πόλει πολίτας.

§. 10.

(*a*) *Salus*) Omnium enim, qui in ſocietatem civilem coeunt, intentio eſt bene beateque vivere, cumque hoc ſine reipublicæ ſalute fieri nequeat, oportet, ut omnes ſalutem publicam tanquam ſupremam legem ante oculos habeant. *GOEB.*

(*b*) *Civis ac viri boni*) Dubium nullum eſt, inter virum bonum & civem bonum eſſe differentiam. Nam poteſt quis omnibus illis, quæ ipſi ut civi incumbunt, recte defungi, & in actionibus privatis. i.e. quæ ad civitatis finem promovendum non faciunt, officium ſuum non recte curare. *Claſen. polit. lib. I. c. IIX.* §. 5. Id ſane certum, in republica perfecta ſive imaginaria, ubi omnia ex virtute fiunt, bonum civem cum bono viro coincidere. ARIST. *lib. IV. c. 7. polit. & lib. 7. c.* 1. ARNISÆUS *p.* 738. *GOEB.*

(*c*) ληπτέον) Aldus habet σκεπτέον: probavitque Caſaubonus: ſenſu nihil differente. *CONR.*

(*d*) Ὁμοίως δὲ καὶ κοινὸς) Græca exemplaria ſic vulgo legunt; nec aliter pleriſque interpretibus viſum. Victorius tamen contendit legendum ὅμως δὲ. quod & ipſe malim. Poteſt videri Victorius cum in commentariis, tum *l.* 36. *c.* 15. *Variar. lection.* Conſentit vero & Caſaubonus. *CONR.*

(*e*) τὸν δ' ἀγαθὸν ἄνδρα) Totum hoc membrum deeſt in Aldino pariter & Iſengriniano codice: videtur autem excidiſſe culpa librariorum. Facit enim quam maxime ad rem. Quæ eſt ſententia etiam Montecatini. *CONR.*

(*f*) ἐπεὶ δ') Sylburgius notat rectius forſan eſſe ἐπειδὴ. Montecatinus vero ſimpliciter id mavult, etſi in omnibus græcis libris, quos viderit, ſcriptum ſit, ἐπεὶ δὲ. Accedo Montecatino, præſertim quum eidem faveant plærique interpretum. *CONR.*

Digitized by Google

§. 10. Præterea quia e diſſimilibus conſtat civitas: quemadmodum animal ſtatim ex animo & corpore, & animus e ratione & appetitu, & domus e viro & uxore, & patrimonium ex hero & ſervo: eodem modo & civitas ex omnibusque his, & præter hæc ex aliis diſſimilibus conſtat formis: neceſſe eſt non unam eſſe civium omnium virtutem: quemadmodum neque ſaltantium, in vertice manentis & prope ipſum exiſtentis.

§. 11. Non eſſe igitur ſimpliciter eandem, ex his patet. Sed nunquid alicujus erit eadem virtus civisque ſtudioſi & viri ſtudioſi?

** **

§. 12. Dicimus jam imperium habentem ſtudioſum, bonum eſſe & prudentem. Qui navat autem *operam reipublicæ* (*a*) neceſſario eſſe prudentem.

§. 13. Et vero diſciplinam ſtatim quidam diverſam eſſe dicunt imperium habentis, quemadmodum ſane perſpiciuntur regum filii inſtitui equeſtri & bellica arte: & *Euripides* (*b*) ait:

*Noli mihi ſpecioſa, ſed quæ civitati accommodata ſunt:*

tanquam ſit certa quædam imperium habentis diſciplina.

§. 14. Si autem eadem eſt virtus principis boni & viri boni: civis autem eſt & ille, qui paret: non eadem ſimpliciter virtus eſſe poterit civis & viri: cujusdam tamen civis. Non enim eadem Principis & civis. Nam fortaſſe hac de cauſa Iaſon inquit, *Eſurire* (*c*) ſe, quando non regnaret, tanquam neſciret privatus eſſe.

§. 15. Atqui laudatur poſſe imperare & *imperio parere.* (*d*)

** **

§. 16. Et civis virtus eſſe ſpectati, poſſe imperare & imperio parere recte. Si igitur boni viri virtutem ponimus eſſe in imperando: civis autem in utroque: non eſſe poſſunt ambo laude digna *eodem pacto.* (*e*)

** **

§. 17. Quia igitur aliquando videtur ambo, &

§. 10. Ἔτι ἐπεὶ ἐξ ἀνομοίων ἡ πόλις, ὥσπερ ζῶον εὐθὺς ἐκ ψυχῆς καὶ σώματος, καὶ ψυχὴ ἐκ λόγȣ καὶ ὀρέξεως, καὶ οἰκία ἐξ ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς, καὶ κτῆσις ἐκ δεσπότȣ καὶ δȣ́λȣ· τὸν αὐτὸν (δὲ) τρόπον (*f*) καὶ πόλις ἐξ ἁπάντων τε τȣ́των, καὶ πρὸς τȣ́τοις ἐξ ἄλλων ἀνομοίων συνέστηκεν εἰδῶν· ἀνάγκη μὴ μίαν εἶναι τὴν τῶν πολιτῶν πάντων ἀρετὴν, ὥσπερ ȣ̓δὲ τῶν χορευτῶν κορυφαίȣ καὶ παραστάτȣ.

§. 11. Διότι μὲν τοίνυν ἁπλῶς ȣ̓χ ἡ αὐτὴ, φανερὸν ἐκ τȣ́των. ἀλλ' ἆρα ἔσαι τινὸς ἡ αὐτὴ ἀρετὴ πολίτȣ τε σπȣδαίȣ, καὶ ἀνδρὸς σπȣδαίȣ; (*g*)

** **

§. 12. Φαμὲν δὴ τὸν ἄρχοντα τὸν σπȣδαῖον, ἀγαθὸν εἶναι καὶ φρόνιμον· τὸν δὲ πολιτικὸν, ἀναγκαῖον εἶναι φρόνιμον.

§. 13. Καὶ τὴν παιδείαν δ' εὐθὺς ἑτέραν εἶναι λέγȣσί τινες τȣ̃ ἄρχοντος. ὥσπερ καὶ φαίνονται οἱ τῶν βασιλέων υἱεῖς ἱππικὴν καὶ πολεμικὴν (*h*) παιδευόμενοι· καὶ Εὐριπίδης φησὶ,

Μή μοι τὰ κόμψ', ἀλλ' ὧν πόλει δεῖ.

ὡς ȣ̓σάν τινα ἄρχοντος παιδείαν.

§. 14. Εἰ δὲ ἡ αὐτὴ ἀρετὴ ἄρχοντός τε ἀγαθȣ̃ καὶ ἀνδρὸς ἀγαθȣ̃, πολίτης δ' ἐσὶ καὶ ὁ ἀρχόμενος, ȣ̓χ ἡ αὐτὴ ἁπλῶς ἂν εἴη πολίτȣ καὶ ἀνδρός. τινὸς μέν τοι πολίτȣ· ȣ̓ γὰρ ἡ αὐτὴ ἄρχοντος καὶ πολίτȣ καὶ διὰ τȣ̃τ' ἴσως Ἰάσων ἔφη, πεινῆν ὅτε μὴ τυραννοῖ· ὡς ȣ̓κ ἐπισάμενος ἰδιώτης εἶναι.

§. 15. Ἀλλὰ μὴν ἐπαινεῖταί γε τὸ δύνασθαι ἄρχειν καὶ ἄρχεσθαι.

** **

§. 16. Καὶ πολίτȣ δοκίμȣ (*i*) ἡ ἀρετὴ εἶναι, τὸ δύνασθαι καὶ ἄρχειν καὶ ἄρχεσθαι καλῶς. εἰ ȣ̓̃ν τὴν μὲν τȣ̃ ἀγαθȣ̃ ἀνδρὸς τίθεμεν ἀρχικὴν, τὴν δὲ τȣ̃ πολίτȣ ἄμφω, ȣ̓κ ἂν εἴη ἄμφω ἐπαινετὰ ὁμοίως.

** *

§. 17. Ἐπεὶ ȣ̓̃ν (*k*) ποτε δοκεῖ ἀμφότερα, (*l*) καὶ ȣ̓ ταὐ-

(*a*) *Operam reipublicæ*) Illud non tam ad eos, quibus obſequii gloria eſt relicta, quam ad illos, quibus ſummum Deus judicium dedit, aut qui illorum vice funguntur, ſpectat. Rectores enim rerumpublicarum oportet, ex præſentium genuina contemplatione, eorumque cum præteritis combinatione de futuris recte conjicere, & quid in medium pro præſenti rerum ſtatu conſuli debeat perſpicere. *GOEB.*

(*b*) *Euripides*) Plenius legitur hoc fragmentum apud STOBÆUM *ſerm.* 43. *GOEB.*

(*c*) *Eſurire*) PICCARTUS *lib. III. c. VI.* *GOEB.*

(*d*) *Imperio parere*) Summa prudentiæ laus eſt, cuivis ſorti convenienter ſe gerere noſſe. *GOEB.*

(*e*) *Eodem pacto*) PICCARTUS *lib. III. c. IV.* *GOEB.*

(*f*) τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον) Malim delere illud δὲ: quod nec Montecatinus agnoſcit, nec Camotiana editio. *CONR.*

(*g*) καὶ ἀνδρὸς σπȣδαίȣ) Non bene cohærent cum his ſequentia. Nec dilucide reſolvitur propoſita quæſtio. Eoque videntur nonnulla excidiſſe. *CONR.*

(*h*) καὶ πολεμικὴν) Aldus & Iſengrinius expreſſerunt πολιτικὴν. Quod probavit & Caſaubonus. Habet idem Montecatinus: fatetur tamen πολεμικὴν legiſſe omnes interpretes, Veterem, Aretinum, Geneſium, Lambinum, Victorium. Non dubito rectius pronunciare τὸ πολεμικὴν: artem enim bellicam ſolent diſcere Regum filii, πολιτικὴν non niſi rarius, etſi magno malo ſuo. *CONR.*

(*i*) καὶ πολίτȣ δοκίμȣ) Membrum hoc usque ad εἰ ȣ̓̃ν non videntur Vetus interpres & Geneſius legiſſe: certe neglexerunt vertere. Non cohærere cum præcedentibus, indicat ſatis vox εἶναι; quam Lambinus & Caſaubonus mutavit in ἐσι. Non deleverim hoc membrum quidem; nec mutaverim illud εἶναι. At videntur quædam, pauca tamen, excidiſſe. Nec enim ſumi potuit tanquam jam notum; boni civis eſſe καὶ ἄρχειν καὶ ἄρχεσθαι καλῶς: ſed probari debuit: adeoque indubie ab Ariſtotele fuit probatum. *CONR.*

(*k*) ἐπεὶ ȣ̓̃ν) Ipſæ illæ hæ voculæ argumento ſunt, quædam deeſſe: nec enim bene cum præcedentibus cohærent. *CONR.*

(*l*) ποτὲ δοκεῖ ἀμφότερα) Montecatinus poſt hanc voculam notat colon, diſtinguens a ſequentibus, quæ ſcribit: καὶ ȣ̓ ταὐτὰ δεῖν, atque ita vertit: *Quia igitur aliquando utrumque videtur: & non eadem eum, qui imperat eumque, qui paret, diſcere oportere.* Id quod placet præ eo, quod paſſim exprimitur etiam ab interpretibus. Contradictio enim eſt tacita in iis, quæ interpretes nobis dant: τὸν ἄρχοντα debere utraque diſcere, & non debere diſcere eadem, quæ τὸν ἀρχόμενον. Si enim imperans utrumque debet diſcere, neceſſum eſt diſcat & quæ ſunt ἄρχοντος & quæ ſunt ἀρχομένȣ. *CONR.*



Digitized by Google

& non eadem oportere, qui habet imperium, perdiſcere, & qui imperio paret: civem autem ambo ſcire & participem eſſe amborum:

οὐ ταὐτὰ, δεῖν τὸν ἄρχοντα μανθάνειν καὶ τὸν ἀρχόμενον· τὸν δὲ πολίτην ἀμφότερ' ἐπίστασθαι (g) καὶ μετέχειν ἀμφοῖν.

** **

§. 18. Hinc utique videre poterit aliquis: eſt enim imperium herile (in hoc autem, quod pertinet ad ea, quæ neceſſaria dicuntur, *noſſe facere*, (a) eum, qui imperium habet, neceſſe non eſt: ſed potius uti ipſis.)

§. 18. Τοὐντεῦθεν (h) ἂν κατίδοι τις. ἔστι γὰρ ἀρχὴ δεσποτική· ταύτην δὲ τὴν περὶ τἀναγκαῖα λεγόμενα, (i) ἃ ποιεῖν ἐπίστασθαι τὸν ἄρχοντ' οὐκ ἀναγκαῖον, ἀλλὰ χρῆσθαι μᾶλλον.

** **

§. 19. Alienum vero ſervile. Voco autem alterum, poſſe etiam adminiſtrare famulorum opera.

§. 19. Θάτερον δὲ καὶ ἀνδραποδῶδες. (k) λέγω δὲ θάτερον, τὸ δύνασθαι καὶ ὑπηρετεῖν τὰς διακονικὰς πράξεις.

§. 20. Servi autem ſpecies plures dicimus. Opera enim ipſorum *plura ſunt*. (b) Quorum partem unam tenent chernetes. Hi autem ſunt, ut nomen oſtendit, qui manibus victum quæritant, in quibus vilis artifex eſt.

§. 20. Δούλου δ' εἴδη πλείω λέγομεν, αἱ γὰρ ἐργασίαι πλείους. ὧν ἓν μέρος κατέχουσιν οἱ χερνῆτες· οὗτοι δ' εἰσὶν, ὥσπερ σημαίνει καὶ τοὔνομ' αὐτοὺς, (l) οἱ ζῶντες ἀπὸ τῶν χειρῶν. ἐν οἷς ὁ βάναυσος τεχνίτης ἐστί.

** **

§. 21. Quapropter apud nonnullos antiquitus participes non erant *opifices magiſtratuum*, (c) antequam poſtremus populus exiſteret.

§. 21. Διὸ παρ' ἐνίοις (m) οὐ μετεῖχον οἱ δημιουργοὶ τὸ παλαιὸν ἀρχῶν, πρὶν δῆμον γένεσθαι τὸν ἔσχατον.

§. 22. Opera igitur eorum, qui ſic parent, non decet *bonum*, (d) neque civilem virum, neque civem bonum diſcere, niſi aliquando ſui propriique uſus cauſa. Ita enim non amplius contingit fieri, hunc quidem dominum, hunc autem ſervum.

§. 22. Τὰ μὲν οὖν ἔργα τῶν ἀρχομένων οὕτως, οὐ δεῖ τὸν ἀγαθὸν, οὐδὲ τὸν πολιτικὸν, οὐδὲ τὸν πολίτην τὸν ἀγαθὸν μανθάνειν, εἰ μή ποτε χρείας χάριν αὐτῷ πρὸς αὐτόν. οὐ γὰρ ἔτι συμβαίνει γίνεσθαι, τὸν μὲν δεσπότην τὸν δὲ δοῦλον.

§. 23. Sed eſt quoddam imperium, quo imperat paribus genere & liberis. Hoc enim dicimus eſſe civile imperium: quod oportet qui ipſum habet parendo diſcere. Ceu curas præfecti equorum, præfecto equitum parendo: munus ducis obire, duci exercitus parendo, & centurioni parendo & præfecto in inſidiis poſitorum militum. Quare fertur hoc recte: non poſſe quempiam bene imperare, qui non *imperio paruerit*. (e)

§. 23. Ἀλλ' ἐστί τις ἀρχὴ καθ' ἣν ἄρχει τῶν ὁμοίων τῷ γένει, καὶ τῶν ἐλευθέρων. ταύτην γὰρ λέγομεν εἶναι τὴν πολιτικὴν ἀρχὴν, ἣν δεῖ τὸν ἄρχοντα ἀρχόμενον μαθεῖν, οἷον ἱππαρχεῖν ἱππαρχηθέντα, (στρατηγεῖν) (n) στρατηγηθέντα, καὶ ταξιαρχήσαντα, καὶ λοχαγήσαντα. διὸ καὶ λέγεται τοῦτο καλῶς, ὡς οὐκ ἔστιν εὖ ἄρξαι, μὴ ἀρχθέντα.

§. 24. Horum autem virtus quidem diverſa. Oportet autem civem bonum ſcire & poſſe, & parere & imperare: & hæc virtus eſt civis, imperium liberorum ſcire in utramque partem:

§. 24. Τούτων δὲ ἀρετὴ μὲν ἑτέρα. δεῖ δὲ τὸν πολίτην τὸν ἀγαθὸν ἐπίστασθαι καὶ δύνασθαι καὶ ἄρχεσθαι καὶ ἄρχειν. καὶ αὕτη ἀρετὴ πολίτου, τὸ τὴν τῶν ἐλευθέρων ἀρχὴν ἐπίστασθαι ἐπ' ἀμφότερα.

** **

§. 25. Et viri jam boni eſt utrumque. Etiamſi diverſum genus eſt temperantiæ ac *juſtitiæ* (f) utilis imperio. Etenim ſubjecti imperio, liberi autem, §. 26.

§. 25. Καὶ ἀνδρὸς δὴ (o) ἀγαθοῦ ἄμφω. καὶ εἰ ἕτερον (p) εἶδος σωφροσύνης καὶ δικαιοσύνης ἀρχικῆς. καὶ γὰρ ἀρχομένου μὲν, ἐλευθέρου δέ. (q) §. 26.

(a) *Noſſe facere*) PICCARTUS *l. c.* GOEB.

(b) *Plura ſunt*) PIGNORIUS *de ſervis*. GOEB.

(c) *Opifices magiſtratuum*) HERTII *prudentia civilis part. II. ſect. II. §. 30.* GOEB.

(d) *Bonum*) HERTIUS *l. c. part. II. ſect. IV. §. 39.* GOEB.

(e) *Imperio paruerit*) Quos enim in ſe durum aut molle habuerit regimen effectus, illud & in aliis obtinere facili negotio judicare poteſt. Neque ſemper obtinet, id quod eſt apud TACITUM de Ruſo olim manipulari, deinde caſtrorum præfecto, *eo immitior, quia toleraverat.* GOEB.

(f) *Juſtitiæ*) LIPSII *politica lib. II. c. X. XI.* GOEB.

(g) ἀμφότερ' ἐπίστασθαι) In quibusdam libris mss. legi ἀμφότερον ἐπίστασθαι, monet Montecatinus. CONR.

(h) τοὐντεῦθεν) Ne hæc quidem cohærere cum præcedentibus, indicabit vel ſola collatio hujus vocis cum illis ἐπεὶ οὖν. Illa enim ſignificant aliquid jam probatum: hæc vero probandum. CONR.

(i) λεγόμενα) Montecatinus & Caſaubonus & Heinſius legunt: λέγομεν, ἃ ποιεῖν. Expreſſit illud & Lambinus: *hoc dico, quod verſatur in iis, quæ neceſſaria dicuntur*, ita tamen, ut retineat λεγόμενα. Sed totus hic locus adeo eſt mendoſus, ut vix aliquid ſani ſenſus hinc exſculpſeris. CONR.

(k) θάτερον καὶ ἀνδραποδῶδες) Non cohærere cum præcedentibus, minime eſt obſcurum. CONR.

(l) τοὔνομ' αὐτοὺς) Montecatinus fatetur in libris omnibus ita ſcribi: ipſe tamen arbitratur legendum αὐτῶν vel αὐτό. Non male. Ultimum ſane & Caſaubono placuit. CONR.

(m) διὸ παρ' ἐνίοις) Quædam excidiſſe, apparet haud difficulter. CONR.

(n) στρατηγεῖν) Deeſt hæc vox in Zvvingeriana editione, ſed perperam. Imo ſenſus clarior eſſet, ſi legatur: καὶ ταξιαρχεῖν ταξιαρχηθέντα καὶ λοχαγεῖν λοχαγηθέντα. Nec tamen ita ſcripſiſſe Ariſtotelem dixerim, cum nota ſit illius βραχυλογία. CONR.

(o) καὶ ἀνδρὸς δὴ) Vox δὴ indicat aliquid de vero bono colligi ex iis, quæ ante ſunt allata. At profecto ex iis hæc non ſequuntur: ideoque omnino quædam exciderunt. CONR.

(p) εἰ ἕτερον) Victorius notat. in libris calamo exaratis perperam ſcribi: εἰς ἕτερον. CONR.

(q) ἐλευθέρου δὲ) Iterum hiare orationem, palam eſt. CONR.

Digitized by Google

§. 26. *** Planum eſt, non poſſe unam boni viri virtutem eſſe, ceu juſtitiam: ſed ſpecies habentem, per quas imperabit & parebit. Quemadmodum viri & uxoris diverſa eſt *temperantia* (*a*) & fortitudo.

§. 26. *** δῆλον ὅτι οὐ μία ἂν εἴη τοῦ ἀγαθοῦ ἀρετή, (*f*) οἷον δικαιοσύνη· ἀλλ' εἴδη ἔχουσα, καθ' ἃ ἄρξει καὶ ἄρξεται· ὥσπερ ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς ἑτέρα σωφροσύνη καὶ ἀνδρία.

§. 27. Videretur enim eſſe timidus vir, ſi ſic fortis eſſet, ut femina fortis: & *mulier loquax*, (*b*) ſi ſic modeſta eſſet, ut vir probus. Nam & rei familiaris cura diverſa eſt viri & uxoris. Hujus enim, quærere, hujus autem, tueri officium eſt.

§. 27. Δόξαι γὰρ ἂν εἶναι δειλὸς ἀνήρ, εἰ οὕτως ἀνδρεῖος εἴη ὥσπερ γυνὴ ἀνδρεία· καὶ γυνὴ λάλος, (*g*) εἰ οὕτω κοσμία εἴη ὥσπερ ὁ ἀνὴρ ὁ ἀγαθός. ἐπεὶ καὶ οἰκονομία ἑτέρα ἀνδρὸς καὶ γυναικός· τοῦ μὲν γάρ, κτᾶσθαι· τῆς δὲ, φυλάττειν ἔργον ἐστίν.

§. 28. Prudentia autem ſola imperium habentis propria *virtus eſt.* (*c*) Cæteras enim videtur neceſſe communes & eorum, qui parent, & eorum, qui imperant, eſſe.

§. 28. Ἡ δὲ φρόνησις, ἄρχοντος ἴδιος ἀρετὴ μόνη. τὰς γὰρ ἄλλας ἔοικεν ἀναγκαῖον εἶναι κοινὰς καὶ τῶν ἀρχομένων καὶ τῶν ἀρχόντων.

§. 29. Ejus autem, qui paret, non eſt utique virtus prudentia, ſed *opinio vera.* (*d*) Eſt enim qui paret, tanquam faber tibiarum: imperans autem, tibicen, qui utitur.

§. 92. Ἀρχομένου δέ γε οὐκ ἔστιν ἀρετὴ φρόνησις, ἀλλὰ δόξα ἀληθής. ὥσπερ αὐλοποιὸς γάρ, ὁ ἀρχόμενος· ὁ δ' ἄρχων, αὐλητὴς ὁ χρώμενος.

§. 30. Vtrum igitur eadem virtus viri boni & civis ſtudioſi ſit, vel diverſa: & quomodo eadem, & quomodo diverſa ſit, manifeſtum ex his.

§. 30. Πότερον μὲν οὖν ἡ αὐτὴ ἀρετὴ ἀνδρὸς ἀγαθοῦ, καὶ πολίτου σπουδαίου, ἢ ἑτέρα, καὶ πῶς ἡ αὐτή, καὶ πῶς ἑτέρα, φανερὸν ἐκ τούτων.

§. 31. V. Reſtat autem adhuc circa civem dubitatio quædam: vere enim utrum civis eſt, cui licet participi eſſe imperii, an humiles etiam artifices cives eſſe ponendum ſit?

§. 31. V. Περὶ δὲ τὸν πολίτην ἔτι λείπεταί τις τῶν ἀποριῶν. ὡς ἀληθῶς γάρ, πότερον πολίτης ἐστὶν ᾧ κοινωνεῖν ἔξεστιν ἀρχῆς, ἢ καὶ τοὺς βαναύσους πολίτας θετέον;

§. 32. Si igitur & hos cives eſſe ponendum, quibus non licet pervenire ad magiſtratus: fieri non poteſt, ut omnis civis hujuſcemodi virtus ſit. Hic enim civis eſt. Si autem nullus hujuſcemodi hominum civis eſt, in qua parte ponendus unusquisque? Neq; enim inquilinus, neque hoſpes.

§. 32. Εἰ μὲν οὖν καὶ τούτους θετέον οἷς μὴ μέτεστιν ἀρχῶν, οὐχ οἷόν τε παντὸς εἶναι πολίτου τὴν τοιαύτην ἀρετήν· οὗτος γὰρ πολίτης. εἰ δὲ μηδεὶς τῶν τοιούτων πολίτης, ἐν τίνι μέρει θετέος ἕκαστος; οὐδὲ γὰρ μέτοικος, οὐδὲ ξένος.

§. 33. An per hanc rationem nullum dicemus evenire abſurdum? Neque enim ſervi eorum quicquam, quæ dicta ſunt, neque liberti. Hoc enim verum eſt, non cunctos habendos cives, ſine quibus non utique eſſet civitas: quia neque pueri eodem pacto cives atque viri: ſed hi quidem ſimpliciter, hi autem ex ſuppoſitione: Cives enim ſunt, ſed imperfecti.

§. 33. Ἢ διά γε τοῦτον τὸν λόγον, οὐδὲν φήσομον συμβαίνειν ἄτοπον; οὐδὲ γὰρ οἱ δοῦλοι τῶν εἰρημένων οὐδέν, οὐδ' οἱ ἀπελεύθεροι. τοῦτο γὰρ ἀληθές, ὡς οὐ πάντας θετέον πολίτας, ὧν ἄνευ οὐκ ἂν εἴη πόλις· ἐπεὶ οὐδ' οἱ παῖδες ὡσαύτως πολῖται καὶ οἱ ἄνδρες· ἀλλ' οἱ μὲν ἁπλῶς, οἱ δ' ἐξ ὑποθέσεως. (*h*) πολῖται μὲν γάρ εἰσιν, ἀλλ' ἀτελεῖς.

§. 34. Priſcis quidem igitur temporibus apud quosdam opifices erant ſervi ſive peregrini: quæ cauſa eſt, ut multi etiam nunc tales ſint. Optima autem civitas non faciet *humilem artificem* (*e*) civem.

§. 34. Ἐν μὲν οὖν τοῖς ἀρχαίοις χρόνοις, παρ' ἐνίοις ἦν δοῦλον τὸ βάναυσον, ἢ ξενικόν· διόπερ οἱ πολλοὶ τοιοῦτοι καὶ νῦν. ἡ δὲ βελτίστη πόλις, οὐ ποιήσει βάναυσον πολίτην.

§. 35.

§. 35.

(*a*) *Temperantia*) Non tam ſpecie, quam gradu differunt, *GOEB.*

(*b*) *Mulier loquax*) Mulierum garrulitati aliquatenus indulgetur, utpote in quam naturæ quaſi impetu ferri videntur. *GOEB.*

(*c*) *Virtus eſt*) LIPSII *polit. c.* 7. 8. 9. *GOEB.*

(*d*) *Opinio*) Bonum civem oportet eſſe præſenti rerum ſtatu contentum, & optimi principes ſunt optandi, qualescunque tolerandi. Nulli facilius aliorum ſequuntur fidem & imperium, quam qui natura ad parendum, quam imperandum ſunt aptiores. *GOEB.*

(*e*) *Humilem artificem*) Loquitur ex veterum hypotheſi, penes quos opificia in nullo erant pretio, ſed ad purgamenta ſervorum & plebis fecem relegabantur. Quod ſi autem rem ex veritate conſideremus, neſcio quid impediat, quo minus & in optima republica artifex poſſit eſſe civis, præſertim cum opificia & artificia tantum in republica præſtent uſum. *GOEB.*

(*f*) τοῦ ἀγαθοῦ ἀρετή) In quibusdam græcis exemplaribus deeſſe τοῦ ἀγαθοῦ, annotat Geneſius. Ego quoque arbitror delendum. *CONR.*

(*g*) γυνὴ λάλος) Ita ex Victorii & Sepulvedæ judicio repoſitum eſſe, teſtatur Sylburgius. In Aldino & aliis pene omnibus codicibus græcis ſcribi γυνὴ ἄλλως, notat Montecatinus. Verum indubie vulgata illa lectio mendoſa eſt, etſi Caſaubono ſeſe probaverit. At nec illud λάλος vitio vacat. Recte enim Montecatinus: *λάλος κοσμίῳ & σώφρονι non proprie opponitur.* Sylburgius agnoſcit *antitheſi magis convenire* ἄκοσμος vel ἀκόλαστος. Et Montecatinus cenſet: *forte ἄκοσμος aut quid ſimile Ariſtotelem ſcripſiſſe, quod librarii deinde exſcribendo corruperunt.* Aſſentior huic ſententiæ. *CONR.*

(*h*) ἐξ ὑποθέσεως) Sic omnes, quos viderit, libros habere, teſtatur Montecatinus. Iſengrinius tamen ad oram adſcriptum habet προθέσεως: alii malunt προσθέσεως [?], quod & Caſaubono placuit. Et vero indubie poſterior lectio omnium eſt optima: nam & alibi Ariſtoteles ejusmodi cives appellat τῷ προσιθέντας [?]. *CONR.*

§. 35. Si autem etiam hic civis, profecto civis virtutem, quam tradidimus, dicendum non omnis, neque liberi ſolum, ſed cunctorum, qui ſoluti ab operibus neceſſariis. E numero autem neceſſariorum operum qui uni miniſtrant hujuſcemodi, ſervi ſunt: communes vero, humiles artifices & operarii.

§. 36. Hinc autem perſpicuum erit, ſi paulum præterea conſideraverimus, quomodo ſe habet de ipſis: ipſum enim cum apparuit, planum faciet, quod dictum eſt.

§. 37. Quia enim plures reſpublicæ & ſpecies civis, neceſſe eſt plures eſſe, & maxime civis illius, qui paret. Quapropter in quadam republica humilem artificem neceſſe eſt & operarium cives eſſe, in quibusdam vero impoſſibile.

§. 38. Ceu, ſi qua eſt, quam vocant ariſtocraticam, & in qua ex *virtute* (*a*) dantur honores, & e dignitate perſonarum. Non enim uſu venire poteſt, ut quæ virtutis ſunt, colat, qui vitam traducit in vilibus miniſteriis ſordidusque artifex eſt atque operarius. In dominatibus autem paucorum operarium ſane non contingit eſſe civem (a cenſibus enim magnis fiunt participationes magiſtratuum) artificem autem ſordidum contingit: diteſcunt enim multi artifices.

§. 39. * * * * Thebis enim lex erat, qui ſe ſpacio decem annorum non abſtinuiſſet a foro rerum venalium, non participare magiſtratu.

§. 40. * * In multis autem rebuspublicis trahit præterea ad ſe peregrinorum lex. Qui enim a femina cive natus eſt, in quibusdam ſtatibus, qui reguntur a multitudine, civis eſt. eodem autem modo ſe habent, quæ pertinent ad ſpurios apud multos.

§. 41. Veruntamen quia propter penuriam verorum civium faciunt cives etiam tales (ob paucitatem enim hominum ſic utuntur legibus) poſtquam nacti ſunt copiam turbæ hujus, paulatim rejiciunt primum ortos e ſervo & ſerva: deinde eos, qui ex feminis: poſtremo tantum cives faciunt, qui ex ambobus ipſis.

** **

§. 42. Plures igitur eſſe *ſpecies civis*, (*b*) perſpicitur ex his: nec non dici maxime civem eum, qui particeps eſt honorum, quemadmodum & Homerus cecinit:

*Tanquam inhoneſtum quempiam erronemque*

Veluti enim *inquilinus* (*c*) eſt, qui non particeps eſt honorum.

§. 43.

§. 35. Εἰ δὲ καὶ οὗτος πολίτης, ἀλλὰ πολίτου ἀρετὴν, ἣν εἴπομεν, λεκτέον οὐ παντὸς, οὐδ᾽ ἐλευθέρου μόνον, ἀλλ᾽ ὅσοι τῶν ἔργων εἰσὶν ἀφειμένοι τῶν ἀναγκαίων. τῶν δ᾽ ἀναγκαίων, οἱ μὲν ἑνὶ λειτουργοῦντες τὰ τοιαῦτα, δοῦλοι· οἱ δὲ κοινῇ, (*d*) βάναυσοι καὶ θῆτες.

§. 36. Φανερὸν δὲ ἐντεῦθεν, μικρὸν ἐπισκεψαμένοις, πῶς ἔχει περὶ αὐτῶν. αὐτὸ γὰρ φανὲν (*e*) τὸ λεχθὲν ποιεῖ δῆλον.

§. 37. Ἐπεὶ γὰρ πλείους εἰσὶν αἱ πολιτεῖαι, καὶ εἴδη πολίτου ἀναγκαῖον εἶναι πλείω, καὶ μάλιστα τοῦ ἀρχομένου πολίτου. ὥστ᾽ ἐν μέν τινι πολιτείᾳ τὸν βάναυσον ἀναγκαῖον εἶναι καὶ τὸν θῆτα πολίτας, ἔν τισι δ᾽ ἀδύνατον.

§. 38. Οἷον, εἴ τίς ἐστιν ἣν καλοῦσιν ἀριστοκρατικὴν, καὶ ἐν ᾗ κατ᾽ ἀρετὴν αἱ τιμαὶ δίδονται, καὶ κατ᾽ ἀξίαν. οὐ γὰρ οἷόν τ᾽ ἐπιτηδεῦσαι τὰ τῆς ἀρετῆς, ζῶντα βίον βάναυσον ἢ θητικόν· ἐν δὲ ταῖς ὀλιγαρχίαις, θῆτα μὲν οὐκ ἐνδέχεται εἶναι πολίτην· ἀπὸ τιμημάτων γὰρ μακρῶν αἱ μεθέξεις τῶν ἀρχῶν· βάναυσον δ᾽ ἐνδέχεται· πλουτοῦσι γὰρ καὶ οἱ πολλοὶ τῶν τεχνιτῶν.

§. 39. *** ἐν Θήβαις (*f*) δὲ νόμος ἦν τὸν δέκα ἐτῶν μὴ ἀπεσχημένον τῆς ἀγορᾶς, μὴ μετέχειν ἀρχῆς. (*g*)

§. 40. ** ἐν πολλαῖς δὲ (*h*) πολιτείαις προσεφέλκεται καὶ τῶν ξένων (*i*) ὁ νόμος. ὁ γὰρ ἐκ πολίτιδος, ἔν τισι δημοκρατίαις πολίτης ἐστί. τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον ἔχει καὶ τὰ περὶ τοὺς νόθους παρὰ πολλοῖς.

§. 41. Οὐ μὴν ἀλλ᾽ ἐπεὶ δι᾽ ἔνδειαν τῶν γνησίων πολιτῶν ποιοῦνται πολίτας τοὺς τοιούτους· διὰ γὰρ ὀλιγανθρωπίαν οὕτω χρῶνται τοῖς νόμοις· εὐποροῦντες (δ᾽) ὄχλου, κατὰ μικρὸν παραιροῦνται τοὺς ἐκ δούλου πρῶτον ἢ δούλης, εἶτα τοὺς ἀπὸ γυναικῶν· (*k*) τέλος δὲ μόνον τοὺς ἐξ ἀμφοῖν αὐτῶν πολίτας ποιοῦσιν. (*l*)

** **

§. 42. Ὅτι μὲν οὖν εἴδη πλείω πολίτου, φανερὸν ἐκ τούτων, καὶ ὅτι λέγεται μάλιστα πολίτης ὁ μετέχων τῶν τιμῶν· ὥσπερ καὶ Ὅμηρος ἐποίησεν,

Ὡσεί τιν᾽ ἀτίμητον μετανάστην.

Ὥσπερ μέτοικος γάρ ἐστιν ὁ τῶν τιμῶν μὴ μετέχων.

§. 43.

(*a*) *Virtute*) *Non cenſebat convenire cuiquam imperium, qui non melior eſſet, qui imperaret. Xenoph. pæd.* 8. LIPS. *polit. c. VII.* GOEB.

(*b*) *Species civis*) PICCART. *obſervat. lib.* 3. *c. V. p.* 374. GOEB.

(*c*) *Inquilinus*) Hic hodie dicitur, qui in civium matriculam non eſt relatus, nec civium juribus & prærogativis gaudet, ſed ſaltim ſub tutela magiſtratus in civitate degit. GOEB.

(*d*) οἱ δὲ κοινῇ) Aldinus & Baſileenſis codex habent κοινοί: quod placuit Caſaubono & ſecutus eſt interpretando Victorius, ut alteram ſcripturam Geneſius, Vetus interpres, Lambinus & Aretinus. Sed nihil intereſt, utrum malis. CONR.

(*e*) φανὲν) Iſengrinianus codex habet in margine annotatum: ὁ φανερὸν φαμὲν. At recte Montecatinus: *hoc eſt depravare libros, non emendare.* CONR.

(*f*) ἐν Θήβαις) Quædam, pauca tamen forte, hoc loco excidiſſe, eſt manifeſtum. CONR.

(*g*) μετέχειν ἀρχῆς) Vetus interpres legit ἀρετῆς: ſed inepte. CONR.

(*h*) ἐν πολλαῖς δὲ) Illud δὲ indicat præceſſiſſe quid, cui adjunctum γὰρ fuerit. CONR.

(*i*) τῶν ξένων) Iſengrinianus codex in margine habet τοὺς ξένους, vel τῶν ξένων ἐνίους. Victorius putat ſubaudiendam voculam τινὰς vel ἐνίους more Attico. CONR.

(*k*) ἀπὸ γυναικῶν) Aldus habet γυναικὸς, probatum Montecatino & Caſaubono. CONR.

(*l*) πολίτας ποιοῦσιν) Periodus hæc incipiens habet illud οὐ μὴν ἀλλ᾽ ἐπεί. Quæ ſequuntur poſt διὰ γὰρ ὀλιγανθρωπίαν, videntur parentheſi includenda; ergo jam debebat ſubnecti concluſio reſpondens initio. Illa vero non comparet: itaque nonnihil periit. CONR.

Digitized by Google

§. 43. ** Sed ubi hujuſcemodi omne occultatum eſt, fallaciæ cauſa eorum, qui illic habitant, factum eſt.

§. 43. ** ἀλλ᾽ ὅπου (*b*) τὸ τοιοῦτον ἐπικεκρυμμένον ἐστὶν, ἀπάτης χάριν τῶν συνοικούντων ἐστίν.

§. 44. Vtrum igitur diverſam vel eandem ponendum eſt, per quam vir bonus eſt, & civis ſtudioſus, patet ex his, quæ dicta ſunt: cujusdam quidem civitatis eundem, cujusdam autem diverſum: & illum non omnem, ſed civilem, & penes quem ſumma poteſtas ſit; ſive poſſit eſſe, vel ſolum, vel cum aliis, curæ reipublicæ.

§. 44. Πότερον μὲν οὖν ἑτέραν ἢ τὴν αὐτὴν θετέον, καθ᾽ ἣν ἀνὴρ ἀγαθός ἐστι καὶ πολίτης σπουδαῖος, δῆλον ἐκ τῶν εἰρημένων, ὅτι τινὸς μὲν πόλεως ὁ αὐτὸς, τινὸς δ᾽ ἕτερος, κἀκεῖνος οὐ πᾶς, ἀλλ᾽ ὁ πολιτικὸς καὶ κύριος, ἢ δυνάμενος εἶναι κύριος, (*c*) ἢ καθ᾽ αὑτὸν, ἢ μετ᾽ ἄλλων, τῆς τῶν κοινῶν ἐπιμελείας.

# CAP. IV.

§. 1.

VI. Quia autem hæc explicata ſunt, quod ſequitur conſiderandum, utrum unam ponendum eſt rempublicam eſſe, vel plures: & ſi plures, quæ, & quot, & diſcrimina quæ ſunt ipſarum.

§. 1.

VI. Ἐπεὶ δὲ ταῦτα διώρισται, τὸ μετὰ ταῦτα σκεπτέον, πότερον μίαν θετέον πολιτείαν, ἢ πλείους· κἂν εἰ πλείους, τίνες καὶ πόσαι, καὶ διαφοραὶ τίνες αὐτῶν εἰσιν.

§. 2. Eſt autem reſpublica *ordo* (*a*) civitatis, cæterorumque magiſtratuum & maxime illius, qui ſummam poteſtatem habet. Vbique enim ſummam poteſtatem habet in civitate pars, quæ regit ipſam, quæ ſane eſt reſpublica ipſa. Dico, ceu in rebuspublicis popularibus populus ſummam poteſtatem habet: pauci autem, contra in dominatibus paucorum. Affirmamus autem & rempublicam diverſam eſſe horum. Eodem autem hoc pacto loquemur & de aliis.

§. 2. Ἔστι δὲ πολιτεία πόλεως τάξις, τῶν τε ἄλλων ἀρχῶν, καὶ μάλιστα τῆς κυρίας πάντων· κύριον (*d*) μὲν γὰρ (*e*) πανταχοῦ τὸ πολίτευμα τῆς πόλεως· πολίτευμα δ᾽ ἐστὶν ἡ πολιτεία. λέγω δ᾽ οἷον, ἐν μὲν ταῖς δημοκρατικαῖς, (*f*) κύριος ὁ δῆμος· οἱ δ᾽ ὀλίγοι τοὐναντίον ἐν ταῖς ὀλιγαρχίαις. φαμὲν δὲ καὶ πολιτείαν ἑτέραν εἶναι τούτων. τὸν αὐτὸν δὲ τοῦτον (*g*) ἐροῦμεν λόγον καὶ περὶ τῶν ἄλλων.

§. 3. Supponendum autem primum eſt, cujus rei gratia conſtituta fuit civitas, & imperii ſpecies quot, quod facit ad hominem & communionem vitæ.

§. 3. Ὑποθετέον δὲ πρῶτον, τίνος χάριν συνέστηκε πόλις, καὶ τῆς ἀρχῆς εἴδη πόσα τῆς περὶ ἄνθρωπον καὶ τὴν κοινωνίαν τῆς ζωῆς. (*h*)

§. 4. Dictum eſt igitur jam prius primis diſputationibus, in quibus de ratione rei domeſticæ explicatum eſt, & herili imperio, hominem eſſe natura animal civile. Qua de cauſa homines, non egentes etiam mutuo præſidio, non minus appetunt ſimul vivere.

§. 4. Εἴρηται δὴ καὶ κατὰ τοὺς πρώτους λόγους, ἐν οἷς περὶ οἰκονομίας διωρίσθη καὶ δεσποτείας, ὅτι φύσει (*i*) μέν ἐστιν ἄνθρωπος ζῶον πολιτικόν· διὸ καὶ μηδὲν δεόμενοι τῆς παρ᾽ ἀλλήλων (*k*) βοηθείας, οὐκ ἔλαττον ὀρέγονται τοῦ συζῆν.

§. 5. Nec tamen non communis quoque utilitas cogit, quanta pars cadit in unumquemque bene vivendi. Maxime igitur hic eſt finis & communiter omnibus & privatim.

§. 5. Οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τὸ κοινῇ συμφέρον συνάγει, καθ᾽ ὅσον ἐπιβάλλει μέρος ἑκάστῳ τοῦ ζῆν καλῶς. μάλιστα μὲν οὖν τοῦτ᾽ ἐστὶ τέλος, καὶ κοινῇ πᾶσι, καὶ χωρίς.

§. 6. Conveniunt autem vivendi cauſa ipſius: fortaſſe enim ineſt aliqua pars honeſti. Et tuentur civilem communionem, ut vivant ipſum ſolum, niſi inciderint vivendo in res admodum duras ac moleſtas. Perſpicuum autem eſt, tolerare multos mortales graves ærumnas propter cupiditatem vitæ, tanquam inſit in ipſa proſperitas quædam & dulcedo naturalis.

§. 6. Συνέρχονται δὲ καὶ τοῦ ζῆν ἕνεκεν αὐτοῦ· ἴσως γὰρ ἔνεστί τι τοῦ καλοῦ μόριον· καὶ συνέχουσι τὴν πολιτικὴν κοινωνίαν, καὶ κατὰ τὸ ζῆν αὐτὸ μόνον, ἂν μὴ τοῖς χαλεποῖς κατὰ τὸν βίον ὑπερβάλλῃ λίαν. δῆλον δ᾽ ὡς καρτεροῦσι πολλὴν κακοπάθειαν οἱ πολλοὶ τῶν ἀνθρώπων, γλιχόμενοι τοῦ ζῆν ὡς ἐνούσης τινὸς εὐημερίας ἐν αὐτῷ, καὶ γλυκύτητος φυσικῆς.

§. 7. §. 7.

(*a*) *Ordo*) Imperantium & parentium. De ejus homonymia confer. HERT. *de prud. civil. part. I. ſect.* 6. *GOEB.*

(*b*) ἀλλ᾽ ὅπου) Hiat oratio: ſaltim itaque voces pauculæ exciderunt. *CONR.*

(*c*) ἢ δυνάμενος εἶναι κύριος) Hæc verba & in Aldina & in Baſileenſi editione male deſiderantur. *CONR.*

(*d*) κύριον) Solet vocari majeſtas hoc vocabulo in ſenſu politico ſumto MEIER *in analyſi p.* 220. GROTIUS *de J. B. & P. lib. I. c. III. §. 7.* ei tribuit majeſtatem, cujus actus alterius juri non ſubſunt, ita ut alterius voluntatis humanæ arbitrio irriti poſſint reddi. Hanc definitionem defendit HERTIUS *l. c.* §. 3. monetque, vocem majeſtatis, eſſe commune ad unum; & addit ejus diviſiones. *GOEB.*

(*e*) κύριον μὲν γὰρ) Neſcio an recte ipſum κύριον poſſit appellari πολίτευμα, exſtetque hujus aliquod exemplum. Forte igitur ſcribendum κυρίου μὲν γάρ. *CONR.*

(*f*) ταῖς δημοκρατικαῖς) Caſaubono placuit δημοκρατίαις: idque rectius reſpondet ſequenti ὀλιγαρχίαις: quod & Sylburgius obſervavit. *CONR.*

(*g*) τὸν αὐτὸν δὲ τοῦτον) Caſaubonus maluit δή; nec male. *CONR.*

(*h*) τῆς ζωῆς) Articulus ille τῆς ſuperfluus eſt. *CONR.*

(*i*) ὅτι φύσει) Aldus & Iſengrin. habent καὶ ὅτι φύσει: indubie mendoſe. *CONR.*

(*k*) παρ᾽ ἀλλήλων) Iidem Aldus & Iſengrinius habent περὶ ἀλλήλων, ſed noſtrum rectius & pleriſque codicibus magis conſentaneum: parum tamen refert. *CONR.*



Digitized by Google

§. 7. Atqui & imperii modos dictos dividere facile eſt: in exotericis namque ſermonibus ſæpe de ipſis diſſeruimus.

§. 7. Ἀλλὰ μὲν καὶ τῆς ἀρχῆς (γε) τοὺς λεγομένους τρόπους ῥάδιον διελεῖν· (a) καὶ γὰρ ἐν τοῖς ἐξωτερικοῖς λόγοις διωριζόμεθα (b) περὶ αὐτῶν πολλάκις.

§. 8. Herile enim imperium, & ſi vere natura ſervo & natura domino eadem eſt utilitas, tamen nihilominus regit ad id, quod hero conducit; curat autem ſervi utile ex accidenti. Neque enim fieri poteſt, ut intereunte ſervo, conſervetur imperium illud.

§. 8. Ἡ μὲν γὰρ δεσποτεία, καίπερ ὄντος κατ' ἀλήθειαν τῷ τε φύσει δούλῳ, καὶ τῷ φύσει δεσπότῃ ταὐτοῦ συμφέροντος, ὅμως ἄρχει πρὸς τὸ τοῦ δεσπότου συμφέρον οὐδὲν ἧττον· πρὸς δὲ τὸ τοῦ δούλου, κατὰ συμβεβηκός. οὐ γὰρ ἐνδέχεται φθειρομένου τοῦ δούλου, σώζεσθαι τὴν δεσποτείαν.

§. 9. Liberorum autem imperium & uxoris & totius domus, quod appellamus domeſticum, ſive eorum, qui parent, gratia conſtat, ſive cujuſdam communis ambobus. Per ſe quidem eorum, qui parent: quemadmodum videmus & alias artes ſe habere; ceu medicorum artem & quæ adoleſcentes exercet: ex accidenti autem ipſorum quoque eſſent.

§. 9. Ἡ δὲ τέκνων ἀρχὴ καὶ γυναικὸς καὶ τῆς οἰκίας πάσης, ἣν δὴ καλοῦμεν οἰκονομικὴν, ἤτοι τῶν ἀρχομένων χάριν ἐστὶν, ἢ κοινοῦ τινος ἀμφοῖν· καθ' αὑτὸ μὲν, τῶν ἀρχομένων, ὥσπερ ὁρῶμεν καὶ τὰς ἄλλας τέχνας, οἷον ἰατρικὴν, καὶ γυμναστικήν· κατὰ συμβεβηκὸς δὲ, κἂν αὐτῶν εἶεν.

§. 10. Nihil enim vetat, quin exercendi magiſter ſit unus & ipſe aliquando eorum, qui exercentur: veluti gubernator unus eſt ſemper nautarum. Magiſter igitur exercitiorum vel gubernator ante oculos habet bonum eorum, qui ipſi parent. Quando autem unus & ipſe horum fuerit, ex accidenti particeps ſit ſalutis, quæ inde naſcitur: hic enim nauta ſit, hic vero unus eorum, qui exercentur, cum tamen magiſter ejus ſtudii ſit

§. 10. Οὐδὲν γὰρ κωλύει τὸν παιδοτρίβην ἕνα τῶν γυμναζομένων ἐνίοτ' εἶναι καὶ αὐτὸν, ὥσπερ ὁ κυβερνήτης εἷς ἐστιν ἀεὶ τῶν πλωτήρων. ὁ μὲν οὖν παιδοτρίβης ἢ κυβερνήτης, σκοπεῖ τὸ τῶν ἀρχομένων ἀγαθόν· ὅταν δὲ τούτων εἷς γένηται καὶ αὐτὸς, κατὰ συμβεβηκὸς μετέχει τῆς ἀσφαλείας· ὁ μὲν γὰρ, πλωτήρ· ὁ δὲ, τῶν γυμναζομένων εἷς γίνεται, παιδοτρίβης ὤν

** ** ** **

§. 11. Quare & civilia imperia, quando reſpublica per æqualitatem & ſimilitudinem civium conſtituta fuerit, viciſſim poſtulant regere.

§. 11. Διὸ καὶ τὰς (c) πολιτικὰς ἀρχὰς, ὅταν ᾖ κατ' ἰσότητα τῶν πολιτῶν συνεστηκυῖα καὶ καθ' ὁμοιότητα, κατὰ μέρος ἀξιοῦσιν ἄρχειν.

§. 12. *** Prius quidem, ut natura ferebat, poſtulantes pro parte quempiam munus id obire, & viſere ſuum bonum, quemadmodum prius ipſe, cum magiſtratum gereret, animo providebat utilitatem ejus. Nunc autem propter utilitatem, quæ publicis ex rebus, & eas, quæ capiuntur e magiſtratu, volunt continenter magiſtratum gerere. Veluti, ſi contingeret perpetuo imperium habentibus valere, cum infirmo corpore forent; etenim ſi fortaſſe ſectarentur magiſtratus.

§. 12. *** πρότερον μὲν, (d) ᾗ πέφυκεν, ἀξιοῦντες ἐν μέρει λειτουργεῖν, καὶ σκοπεῖν τινα πάλιν τὸ αὐτοῦ ἀγαθὸν, ὥσπερ πρότερον αὐτὸς ἄρχων ἐσκόπει τὸ ἐκείνου συμφέρον. (e) νῦν δὲ διὰ τὰς ὠφελείας τὰς ἀπὸ τῶν κοινῶν, καὶ τὰς ἐκ τῆς ἀρχῆς, βούλονται συνεχῶς ἄρχειν· οἷον εἰ συνέβαινεν ὑγιαίνειν ἀεὶ τοῖς ἄρχουσι, νοσακεροῖς οὖσι. καὶ γὰρ ἂν οὕτως ἴσως ἐδίωκον τὰς ἀρχάς.

** ** ** **

§. 13. Perſpicuum igitur, omnes reſpublicas, quæ commune bonum propoſitum habent, has quidem rectas eſſe ſecundum ſimpliciter juſtum: quæcunque vero ſuum tantum propriumque, cunctæ vitioſæ ſunt, & migrationes exituſque e rectis rebuſpublicis. Se gerunt enim, ut domini in ſervos: civitas autem communio eſt hominum liberorum.

§. 13. Φανερὸν τοίνυν (f) ὡς ὅσαι μὲν πολιτεῖαι τὸ κοινῇ συμφέρον σκοποῦσιν, αὗται μὲν ὀρθαὶ τυγχάνουσιν οὖσαι κατὰ τὸ ἁπλῶς δίκαιον· ὅσαι δὲ τὸ σφέτερον μόνον τῶν ἀρχόντων, ἡμαρτημέναι πᾶσαι, καὶ παρεκβάσεις τῶν ὀρθῶν πολιτειῶν· δεσποτικαὶ γάρ. ἡ δὲ πόλις, κοινωνία τῶν ἐλευθέρων ἐστί.

CAPUT V.

(a) διελεῖν) Iſengrinius habet διελθεῖν, probavitque Caſaubonus. Sed altera vox Ariſtoteli iſthoc ſignificatu ſatis eſt frequens. *CONR.*

(b) διωριζόμεθα) Caſaubonus ſcribit διοριζόμεθα. Sed perinde eſt. *CONR.*

(c) διὸ καὶ τὰς) Nulla hic eſt connexio: ſed & facile patet, paulo poſt præceſſiſſe vocem πολιτεία: nec enim alias apparet, quid ſibi velit illud: ὅταν ᾖ κατ' ἰσότητα τῶν πολιτῶν συνεστηκυῖα καὶ καθ' ὁμοιότητα. *CONR.*

(d) πρότερον μὲν) Neque hæc ſatis probe cohærent: & tamen multa deeſſe, haud dixerim. *CONR.*

(e) τὸ ἐκείνου συμφέρον) Sylburgius propendet legendum, τὸ κοινῇ συμφέρον. Videtur idem & Caſaubono placuiſſe. Sed *male*, ut etiam ait Montecatinus. Senſus enim eſt: *illum, qui ante imperabat, ſpectaſſe ulterius, qui nunc imperat commodum. CONR.*

(f) Φανερὸν τοίνυν) Non dubito, hanc concluſionem perſpicue fuiſſe ab Ariſtotele demonſtratam. At profecto in iis, quæ præceſſerunt, probata illa non eſt, niſi perobſcure. Ne quidem audivimus enim; perinde ut in domeſtica ſocietate duo genera ſunt τῶν ἀρχῶν, ita totidem reperiri genera τῶν πολιτειῶν: Aut, ſimpliciter juſtum eſſe, ut homines in civili ſocietate regantur ad communem utilitatem: quod utrumque hic ponitur quaſi pro fundamento concluſionis. Non liquet etiam, quemadmodum hæc concluſio connectatur cum antecedentibus. Suſpicor itaque heic etiam lacunam ſubeſſe, eamque ampliorem. *CONR.*

Digitized by Google

# CAP. V.

§. 1.

VII. Explicatis autem his, ſequitur reſpublicas conſiderare, quot numero & quæ ſunt: & primum rectas ipſarum. Labes enim & migrationes ex ipſis erunt apertæ, cum hæ fuerint explicatæ.

§. 2. Quia autem reſpublica quidem & arbitrium urbis idem ſignificat: arbitrium autem urbis eſt, quod dominatur in civitate: neceſſe autem eſt dominari vel *unum*, (*a*) vel paucos, vel multos; quando unus, vel pauci, vel multi, ut communis utilitas poſtulat, imperium geſſerint, has quidem *rectas* (*b*) eſſe reſpublicas neceſſe eſt: quæ autem ad ſuum propriumque vel unius vel paucorum, vel multitudinis commodum ſe conferunt, has labes migrationesque. Sive enim minime cives vocandi ſunt, qui participant, ſive oportet ipſos eſſe participes utilitatum.

§. 3. Vocare autem conſuevimus ſtatuum, qui reguntur ab uno, ſpectantem ad commune bonum, regnum: paucorum autem ſtatum, plurium tamen uno, optimatum poteſtatem, vel quia *optimi viri* (*c*) imperant, vel quia ſpectant ad id, quod optimum eſt civitati & communicantibus ipſa: quando autem multitudo civitatem rexerit, ad commune bonum converſa, vocatur communi nomine omnium rerumpublicarum, *Reſpublica.* (*d*)

§. 4. Evenit autem hoc ratione. Unum enim antecellere virtute & paucos contingit. Plures autem jam arduum exquiſitos eſſe in omni virtute. Sed maxime in bellica: Hæc enim in multitudine exiſtit. Quare in hac republica ſummam poteſtatem propugnatores habent, participesque ipſius ſunt, qui arma tenent.

§. 5. Depravationes autem dictarum ſunt, *tyrannis* (*e*) quidem, regni: dominatio paucorum, poteſtatis optimorum: ſtatus populi, reipublicæ. Tyrannis enim eſt principatus unius, ſpectans ad id, quod *conducit* (*f*) ipſi, qui ſolus dominatur: dominatio paucorum ad divitum: ſtatus populi ad pauperum utilitatem referuntur: ad id autem, quod publice prodeſt, nullus ipſorum.

§. 6. IIX. Oportet autem paulo longiore ratione dicere, quæ ſingulæ ſint hæ reſpublicæ: habet enim hoc quaſdam difficultates. Illius autem,

§. 1.

VII. Διωρισμένων δὲ τούτων, ἐχόμενόν ἐστι τὰς πολιτείας ἐπισκέψασθαι, πόσαι τὸν ἀριθμὸν, καὶ τίνες εἰσὶ, καὶ πρῶτον τὰς ὀρθὰς αὐτῶν. καὶ γὰρ αἱ παρεκβάσεις ἔσονται φανεραὶ τούτων διορισθεισῶν.

§. 2. Ἐπεὶ δὲ πολιτεία μὲν καὶ πολίτευμα σημαίνει ταυτόν· πολίτευμα δ᾽ ἐστὶ τὸ κύριον (*g*) τῶν πόλεων· ἀνάγκη δ᾽ εἶναι κύριον, ἢ ἕνα, ἢ ὀλίγους, ἢ τοὺς πολλούς· ὅταν μὲν ὁ εἷς, ἢ οἱ ὀλίγοι, ἢ οἱ πολλοὶ πρὸς τὸ κοινὸν συμφέρον ἄρχωσι, ταύτας μὲν ὀρθὰς ἀναγκαῖον εἶναι τὰς πολιτείας· τὰς δὲ πρὸς τὸ ἴδιον, ἢ τοῦ ἑνὸς, ἢ τῶν ὀλίγων, ἢ τοῦ πλήθους, παρεκβάσεις. ἢ γὰρ οὐ πολίτας φατέον εἶναι τοὺς μετέχοντας, ἢ δεῖ κοινωνεῖν τοῦ συμφέροντος.

§. 3. Καλεῖν δ᾽ εἰώθαμεν, τῶν μὲν μοναρχιῶν τὴν πρὸς τὸ κοινὸν ἀποβλέπουσαν συμφέρον, βασιλείαν· τὴν δὲ τῶν ὀλίγων μὲν, πλειόνων δ᾽ ἑνὸς, ἀριστοκρατίαν, ἢ διὰ τὸ τοὺς ἀρίστους ἄρχειν, ἢ διὰ τὸ πρὸς τὸ ἄριστον τῇ πόλει καὶ τοῖς κοινωνοῦσιν αὐτῆς. ὅταν δὲ τὸ πλῆθος πρὸς τὸ κοινὸν πολιτεύηται συμφέρον, καλεῖται τὸ κοινὸν ὄνομα πασῶν τῶν πολιτειῶν, πολιτεία.

§. 4. Συμβαίνει δ᾽ εὐλόγως. ἕνα μὲν γὰρ διαφέρειν κατ᾽ ἀρετὴν, ἢ ὀλίγους, ἐνδέχεται· πλείους δ᾽ ἤδη χαλεπὸν ἠκριβῶσθαι πρὸς πᾶσαν ἀρετήν· ἀλλὰ μάλιστα τὴν πολεμικήν· αὕτη γὰρ ἐν πλήθει γίγνεται. διόπερ κατὰ ταύτην τὴν πολιτείαν, κυριώτατον τὸ προπολεμοῦν, καὶ μετέχουσιν αὐτῆς οἱ κεκτημένοι τὰ ὅπλα.

§. 5. Παρεκβάσεις δὲ τῶν εἰρημένων, τυραννὶς μὲν, βασιλείας. ὀλιγαρχία δὲ ἀριστοκρατίας, δημοκρατία δὲ πολιτείας. ἡ μὲν γὰρ τυραννὶς, ἐστὶ μοναρχία, πρὸς τὸ συμφέρον τὸ τοῦ μοναρχοῦντος· ἡ δ᾽ ὀλιγαρχία, πρὸς τὸ τῶν εὐπόρων· ἡ δὲ δημοκρατία πρὸς τὸ συμφέρον τὸ τῶν ἀπόρων. πρὸς δὲ τὸ τῷ κοινῷ λυσιτελοῦν, οὐδεμία αὐτῶν.

§. 6. IIX. Δεῖ δὲ μικρῷ (*h*) διὰ μακροτέρων εἰπεῖν, τίς ἑκάστη τούτων τῶν πολιτειῶν ἐστι. καὶ γὰρ ἔχει τινὰς ἀπορίας. τῷ δὲ περὶ ἑκάστην μέθοδον φιλο-

(*a*) *Unum*) SENECA *epiſt.* 14. TACITUS *annal. lib.* 4. c. 33. GROTIUS *de J. B. & P. lib. I. c. III. §. VIII. n. IX.* HOBBES. *de cive c.* 7. *& in Leviath. c. XIX.* Diverſis autem illis majeſtatis ſubjectis, unde diverſæ reipublicæ formæ accidentales oriuntur, jus illud a Deo, mediante populo, datum eſt. PUFEEND. *de J. N. & G. lib. VII. c.* 3. *GOEB.*

(*b*) *Rectas*) Sed neſcio, quid impediat, quo minus & respublicas mixtas, ſi genuino fini conformiter ſint inſtituta, rectas dicamus. *GOEB.*

(*c*) *Optimi viri*) Ex voto ſcilicet; quatenus ad promovendum finem aptiores credantur. *GOEB.*

(*d*) *Reſpublica*) In ſtrictiori ſignificatu, cui ſine ratione HORNIUS *de civitate lib.* 3. *c. unic. majeſt. derogat.* Nam & τὸ κύριον per plura poteſt exerceri ſubjecta, & unum ſubjectum phyſicum poteſt plures continere perſonas morales. *GOEB.*

(*e*) *Tyrannis*) Difficile eſt, differentiam inter regnum & tyrannidem abſque ira & ſtudio aſſignare. *GOEB.*

(*f*) *Conducit*) Et ſic ex mente philoſophi omnia regna herilia ſunt tyrannica. HERT. *part. I. ſect. XII. GOEB.*

(*g*) ἐστὶ τὸ κύριον) Iterum hoc loco malim legere οὐ κυρίου, propter cauſam ad præcedens caput allatam. *CONR.*

(*h*) δεῖ δὲ μικρῷ) Ita legit Lambinus, Victorius, Aretinus, Sylburgius. Montecatinus tamen Caſaubonus & ante illos Aldus & Iſengrinius, imo Vetus ipſe interpres legerunt: δεῖ δὲ μικρὸν. Sed parum refert, quid ſequare. *CONR.*

autem, qui in unaquaque ratione philoſophatur, & non ſolum reſpicit ad id, quod geritur, partes ſunt, non deſpicere, neque aliquid relinquere, ſed aperire veritatem de unaquaque re.

φιλοσοφοῦντι, καὶ μὴ μόνον ἀποβλέποντι πρὸς τὸ πράττειν, οἰκεῖόν ἐστι τὸ μὴ παρορᾷν μηδέ τι καταλείπειν, ἀλλὰ δηλοῦν τὴν περὶ ἕκαστον ἀλήθειαν.

§. 7. Eſt autem tyrannis quidem principatus, ut dictum eſt, herilis, & qui frangit communionem civilem: dominatio autem paucorum, quando in manu ſua rempublicam habuerint *locupletes:* (*a*) populi vero ſtatus contra, quando qui non poſſident copiam bonorum, ſed pauperes.

§. 7. Ἔστι δὲ τυραννὶς μὲν, μοναρχία, καθάπερ εἴρηται, δεσποτικὴ τῆς πολιτικῆς (*b*) κοινωνίας· ὀλιγαρχία δ', ὅταν ὦσι κύριοι τῆς πολιτείας οἱ τὰς οὐσίας ἔχοντες· δημοκρατία δὲ, τοὐναντίον, ὅταν οἱ μὴ κεκτημένοι πλῆθος οὐσίας, ἀλλ' ἄποροι.

§. 8. Prima autem quæſtio contra definitionem eſt: ſi enim forent plures, iidemque locupletes, qui in ſua manu civitatem haberent: ſtatus vero populi eſt, quando multitudo dominatur. Eodem autem pacto contra, ſicubi contigerit pauperes quidem pauciores eſſe divitibus: cum autem potentiores ſint in ſua manu rempublicam habere: ubi autem pauci numero dominantur, ſtatum paucorum eſſe, ajunt: non utique recte definitum eſſe videbitur de rebuspublicis.

§. 8. Πρώτη δ' ἀπορία πρὸς τὸν διορισμόν ἐστιν. εἰ γὰρ εἶεν οἱ πλείους, ὄντες εὔποροι, κύριοι τῆς πόλεως· δημοκρατία δ' ἐστὶν, ὅταν ᾖ κύριον τὸ πλῆθος· ὁμοίως δὲ πάλιν κἂν εἴπου συμβαίνη, (*c*) τοὺς ἀπόρους ἐλάττους μὲν εἶναι τῶν εὐπόρων· κρείττους δ' ὄντας, κυρίους εἶναι τῆς πολιτείας· ὅπου δ' ὀλίγον κύριον πλῆθος, ὀλιγαρχίαν εἶναι φασίν· οὐκ ἂν καλῶς δόξειεν διωρίσθαι περὶ τῶν πολιτειῶν.

§. 9. Quin etiam ſi quis compoſita paucitate cum copia patrimonii, multitudine autem cum egeſtate, ſic appellaverit reſpublicas: dominatum paucorum, in qua magiſtratus obtinent divites, qui pauci numero ſint: ſtatum autem populi, in qua pauperes, qui ſunt numero multi: alia dubitatio exoritur.

§. 9. Ἀλλὰ μὲν, κἂν τις συνθεὶς τῇ μὲν εὐπορίᾳ τὴν ὀλιγότητα, τῇ δ' ἀπορίᾳ τὸ πλῆθος, οὕτω προσαγορεύῃ τὰς πολιτείας· ὀλιγαρχίαν μὲν, ἐν ᾗ τὰς ἀρχὰς ἔχουσιν οἱ εὔποροι, ὀλίγοι τὸ πλῆθος ὄντες· δημοκρατίαν δὲ, ἐν ᾗ οἱ ἄποροι, πολλοὶ τὸ πλῆθος ὄντες· ἄλλην ἀπορίαν ἔχει.

§. 10. Quas enim dicemus modo appellatas reſpublicas? illam inquam, in qua plures divites, & alteram, in qua pauciores pauperes, utrique autem ſummam poteſtatem in ſua republica habentes, ſiquidem nulla alia reſpublica præter dictas eſt?

§. 10. Τίνας γὰρ ἐροῦμεν τὰς ἄρτι λεχθείσας πολιτείας; τὴν ἐν ᾗ πλείους εὔποροι, (*d*) καὶ ἐν ᾗ ἐλάττους οἱ ἄποροι· κύριοι δ' ἑκάτεροι τῶν πολιτειῶν, εἴπερ μηδεμία ἄλλη πολιτεία παρὰ τὰς εἰρημένας ἐστίν;

** **

§. 11. Videtur igitur ratio planum facere, paucos vel multos eſſe, qui ſummam poteſtatem habeant, accidens eſſe: unum horum, dominatuum paucorum: alterum autem ſtatuum populi: quia locupletes pauci, puuperes autem multi ubique ſunt.

§. 11. Ἔοικε τοίνυν (*e*) ὁ λόγος ποιεῖν δῆλον, ὅτι τὸ μὲν ὀλίγους ἢ πολλοὺς εἶναι κυρίους, συμβεβηκός ἐστι, τὸ μὲν ταῖς ὀλιγαρχίαις, τὸ δὲ ταῖς δημοκρατίαις, διὰ τὸ τοὺς μὲν εὐπόρους ὀλίγους, πολλοὺς δ' εἶναι τοὺς ἀπόρους πανταχοῦ.

§. 12. Qua etiam de cauſa non contingit, quæ dicta ſunt, cauſas eſſe, cur differant. Quo autem differunt inter ſe ſtatus populi & dominatus paucorum, ſunt paupertas & divitiæ. Et neceſſe quidem eſt, ubicunque imperium nacti fuerint ope divitiarum, ſive pauciores, ſive plures ſint, eſſe hunc dominatum paucorum: ubi autem imperium habent pauperes, ſtatum populi. Verum contingit, ut diximus, hos quidem paucos eſſe, hos vero multos. Pauci namque ad divitias perveniunt.

§. 12. Διὸ καὶ οὐ συμβαίνει τὰς ῥηθείσας αἰτίας γίνεσθαι διαφορᾶς. ᾧ δὲ διαφέρουσιν ἥ τε δημοκρατία καὶ ἡ ὀλιγαρχία ἀλλήλων, πενία καὶ πλοῦτός ἐστι. καὶ ἀναγκαῖον μὲν, ὅπου ἂν ἄρχωσι διὰ πλοῦτον, ἄν τ' ἐλάττους, ἄν τε πλείους, εἶναι ταύτην ὀλιγαρχίαν· ὅπου δ' οἱ ἄποροι, δημοκρατίαν. ἀλλὰ συμβαίνει, καθάπερ εἴπομεν, τοὺς μὲν ὀλίγους εἶναι, τοὺς δὲ πολλούς. εὐποροῦσι μὲν γὰρ ὀλίγοι.

§. 13. §. 13.

(*a*) *Locupletes*) HERTIUS *l. c. ſect. XI.* MEIER. *in analyſi p.* 241. *GOEB.*

(*b*) δεσποτικὴ τῆς πολιτικῆς) Sylburgius propendet, legendum eſſe δεσποστικὴ. Sed alterum placuit omnibus interpretibus: & veriſſimum eſt, tyrannidem eſſe herilem dominatum. C*ONR.*

(*c*) εἴπου συμβαίνη) Sylburgius arbitratur legendum εἴπου συμβαίη. Caſaubonus idem in margine notavit. At vero ſatis bene ſe habet noſtrum συμβαίνη: etſi eleganter videatur illud συμβαίη optativi modi. *CONR.*

(*d*) πλείους εὔποροι) Cum Sylburgio malim ſcribere οἱ εὔποροι prout fit in omni hac diſputatione. *CONR.*

(*e*) ἔοικε τοίνυν) Non hoc ſequitur ex iis, quæ anteceſſerunt, nec ſolutæ ſunt motæ objectiones: ſuſpicor itaque heic non pauca deſiderari. Quemadmodum vero objecta ſolvi debeant aut poſſint, alibi docemus. *CONR.*

Digitized by Google

** **

§. 13. Libertatis vero participes ſunt omnes: propter quas cauſas controverſantur inter ſe utrique de ſummo loco in civitate.

§. 13. Τῆς δὲ ἐλευθερίας (b) μετέχουσι πάντες· δι' ἃς αἰτίας ἀμφισβητοῦσιν ἀμφότεροι τῆς πολιτείας.

# CAPUT VI.

§. I.

IX. Sumere autem primum oportet, quos terminos dicunt dominatus paucorum, & ſtatus populi: &, quod juſtum eſt accommodatum dominatui paucorum, & quod ſtatui populi.

§. I.

IX. Ληπτέον δὲ πρῶτον, τίνας ὅρους λέγουσι τῆς ὀλιγαρχίας καὶ δημοκρατίας, καὶ τί τὸ δίκαιον, τό τε ὀλιγαρχικὸν, καὶ δημοκρατικόν.

§. 2. Cuncti namque attingunt *juſtum quoddam*: (a) ſed quadantenus procedunt, & ajunt non omne, quod proprie juſtum eſt.

§. 2. Πάντες γὰρ ἅπτονται δικαίου τινὸς, ἀλλὰ μέχρι τινὸς προέρχονται, καὶ λέγουσιν οὐ πᾶν (c) τὸ κυρίως δίκαιον.

§. 3. Ceu videtur æquale juſtum eſſe: eſt etenim, ſed non omnibus verum æqualibus. Et inæquale videtur juſtum eſſe: eſt etenim, verum non omnibus.

§. 3. Οἷον δοκεῖ τὸ ἴσον δίκαιον εἶναι· (d) καὶ (γάρ) ἐστιν, ἀλλ' οὐ πᾶσιν, ἀλλὰ τοῖς ἴσοις· καὶ τὸ ἄνισον δοκεῖ δίκαιον εἶναι· καὶ γάρ ἐστιν, ἀλλ' οὐ πᾶσιν, ἀλλὰ τοῖς ἀνίσοις.

§. 4. Hi vero hoc demunt, *quibus* inquam, & exiſtimant male. Cauſa autem eſt, quod judicium fit ab ipſis de ſemetipſis. Ferme autem plurimi mali exiſtimatores ſunt de ſuis propriisque rebus.

§. 4. Οἱ δὲ τοῦτ' ἀφαιροῦσι, τὸ οἷς, καὶ κρίνουσι κακῶς. τὸ δ' αἴτιον, ὅτι περὶ αὐτῶν ἡ κρίσις. σχεδὸν δ' οἱ πλεῖστοι, φαῦλοι κριταὶ περὶ τῶν οἰκείων.

§. 5. Quare quoniam juſtum eſt quibusdam: & diviſum eſt eodem pacto in *rebus*, & *quibus*, quemadmodum dictum eſt prius in libris de moribus: *rei* quidem æqualitatem concedunt; controverſantur autem de æqualitate *quibus*. Imprimis autem ob illud, quod modo dictum eſt, quia homines exiſtimant male de rebus ſuis: deinde autem, & quia dicunt utrique quadantenus juſtum quoddam, arbitrantur juſtum dicere ſimpliciter.

§. 5. Ὥστ' ἐπεὶ τὸ δίκαιον, τισὶ, καὶ διῄρηται τὸν αὐτὸν τρόπον ἐπί τε τῶν πραγμάτων, καὶ οἷς, καθάπερ εἴρηται πρότερον ἐν τοῖς Ἠθικοῖς· τὴν μὲν τοῦ πράγματος ἰσότητα ὁμολογοῦσι, τὴν δὲ οἷς, ἀμφισβητοῦσι. μάλιστα μὲν διὰ τὸ λεχθὲν ἄρτι, διότι κρίνουσι (e) τὰ περὶ αὐτοὺς κακῶς· ἔπειτα δὲ καὶ διὰ τὸ λέγειν μέχρι τινὸς ἑκατέρους δίκαιόν τι, νομίζουσι δίκαιον λέγειν ἁπλῶς

§. 6. Hi namque, ſi in quopiam inæquales extiterint, veluti divitiis, penitus ſe putant inæquales. Hi vero, ſi in quopiam æquales, veluti libertate, penitus æquales. Quod autem firmiſſimum eſt, non dicunt.

§. 6. Οἱ μὲν γὰρ, ἂν κατά τι ἄνισοι ὦσιν, οἷον χρήμασιν, ὅλως οἴονται ἄνισοι εἶναι· οἱ δ', ἂν κατά τι ἴσοι, οἷον ἐλευθερίᾳ, (f) ὅλως ἴσοι. τὸ δὲ κυριώτατον οὐ λέγουσιν.

§. 7. Si namque rei familiaris gratia communicarunt primumque ſe in eandem ſedem contulerunt: tantum participant de civitate, quantum

§. 7. Εἰ μὲν γὰρ τῶν κτημάτων χάριν ἐκοινώνησαν καὶ συνῆλθον, τοσοῦτον μετέχουσι τῆς πόλεως, ὅσονπερ καὶ τῆς κτήσεως. ὥσθ' ὁ τῶν ὀλιγαρχικῶν λόγος δόξειεν ἂν ἰσχύειν·

(a) *Juſtum quoddam*) PICCARTUS *lib. III. c. IX. p.* 396. *GOEB.*

(b) τῆς δὲ ἐλευθερίας) At vero *libertatis* nulla facta erat hactenus mentio, ſed ἀπορίας. Et tamen verum eſt, quod hic de libertate affirmatur: de paupertate fuerit falſum, nec enim omnes ſunt pauperes. Itaque quod hic de libertate aſſeritur, nihil ad propoſitum facit. Sed & ex iis, quæ ſubſequuntur proximo capite, patet, hæc conjungi debere cum ſubſequentibus. In iis vero plane nova agitatur controverſia, quæ nempe vertitur inter populum & divites, quorum utrique imperium ſibi ſolis jure optimo deberi autumant. Hinc vero manifeſtum eſt, hiare hoc loco orationem. Et ſane veroſimile eſt, cum Ariſtoteles dixiſſet præcedente capite de iis, quæ docuerat de variis rerumpublicarum formis, multas controverſias eſſe easque ſolvendas, primamque earum jam propoſuiſſet illis verbis πρώτη δ' ἀπορία: illa ſoluta propoſuiſſe alteram controverſiam, quam nimirum & Democratici movent pariter & Oligarchici. Aſſeruerat nimirum Ariſtoteles: nec Democratiam, nec Oligarchiam eſſe rempublicam ſimpliciter juſtam: hoc vero non Democratici nec Oligarchici admittunt, quippe qui ſeorſim ſuas reſpublicas ſimpliciter imo ſolas eſſe juſtas contendunt. Agitat quidem hanc controverſiam Ariſtoteles prolixe: in noſtris codicibus tamen non proponitur illa. Quod eſt contra morem ariſtotelicum ſimul & rectam docendi rationem. Hoc ipſum igitur hoc loco videtur excidiſſe. Crediderim vero etiam hic præceſſiſſe proxime illa verba, εὐποροῦσι μὲν γὰρ ὀλίγοι: illaque repetitione deceptos librarios conjunxiſſe repetita hæc verba cum prioribus, intermediis neglectis; ut ſæpe fieri ſolet. *CONR.*

(c) οὐ πᾶν) Zwingerus vult legendum οὐ πάντες, & vero ſic loquitur etiam infra Ariſtoteles ipſemet. *CONR.*

(d) τὸ ἴσον δίκαιον εἶναι) Hanc lectionem optimi quique interpretes ſecuti ſunt. Baſileenſis tamen & Aldinus codex transponunt articulum: δοκεῖ ἴσον τὸ δίκαιον εἶναι. Expreſſitque hoc Lambinus, vertens: *jus videtur eſſe, quod æquale eſt*: & probavit Caſaubonus. At parum refert. *CONR.*

(e) διότι κρίνουσι) Clarior eſt oratio, ſi ſcribas ὅτι. *CONR.*

(f) οἷον ἐλευθερίᾳ) Ita Vetus quoque & alii interpretes omnes legerunt: ut recte notatum eſt Montecatinio. Aldus & Iſengrinius habent οἷον ἐλεύθεροι. Placuitque Caſaubono. At noſtrum rectius: ita enim demum bene ſeſe oppoſitio habet ejus quod ante dictum: οἷον χρήμασιν. *CONR.*



Digitized by Google

quantum de re familiari. Quare ratio pene eorum, qui dominari volunt, firma eſſet: non enim juſtum eſt æqualiter participare centum minis, qui unam contulerit, atque ille, qui reliquum omne: neque veteris ſummæ ſortiſque, neque eorum, quæ accreverunt.

§. 8. Si autem neque vivendi ſolum cauſa, ſed potius *bene vivendi:* (*a*) (ita enim ſervorum & aliarum animantium eſſet civitas: nunc autem non eſt, quia non participes ſunt vitæ beatæ, neque vivendi, ut volunt) neque ſocietatis bellicæ cauſa coierunt, ne ab illo injuriam accipiant; neque propter permutationes & uſum mutuum.

§. 9. Etenim *Tyrrheni & Carthaginienſes* (*b*) & cuncti, quibus teſſeræ ſunt inter ſe, quaſi unius civitatis cives eſſent. Sunt igitur ipſis pacta de rebus, quæ importari poſſunt, & teſſeræ ne ſe injuria afficiant, & fœdera de ſocietate in bello. Sed neque magiſtratus communes omnibus conſtituti ſuper his, ſed diverſi apud utroſque. Neque ut ſint quales oportet, alteri de alteris laborant, ſuſcipiuntve de hoc cogitationem ullam: neque ut nullus ſit injuſtus eorum, qui iiſdem pactis tenentur, vitioque ulli affinis ſit: ſed tantum, ne ulla in re ſibi mutuo injuriam faciant. De virtute autem & vitio civili quærunt, quicunque curam gerunt, ut civitas bonis legibus ornetur.

§. 10. Quare perſpicuum eſt, non oportere virtutem ex animo dimittere illam, quæ vere civitas appelletur, non verbotenus. Aliter enim hæc communio fit bellica ſocietas, cæterorum omnium, loco tantum diſcrepans a ſociis longe ſitis. Et lex pactum eſt, ut ait Lycophron ſophiſtes, quæ ſponſor eſt inter ipſos rerum juſtarum: non tamen tantarum virium, ut valeat cives bonos ac juſtos efficere.

§. 11. Ita vero ſe rem habere patet. Si namque aliquis loca in unum cogat, ut ſe tangant muris, Megarenſium & Corinthiorum, tamen non erit una civitas: neque etiam ſi connubiis inter ſe jungantur: & ſi hæc una eſt communionum, quæ ſunt propriæ civitatum. Eodem pacto neque ſi aliqui habitarent ſeorſum quidem, non tamen tantum ſejuncti loco forent, ut non poſſent inter ſe communicare: ſed ſi eſſent ipſis leges, ne in permutationibus inter ipſos aliquæ injuriæ naſcerentur.

§. 12.

ἰσχύειν. οὐ γὰρ εἶναι δίκαιον ἴσον μετέχειν τῶν ἑκατὸν μνῶν τὸν εἰσενέγκαντα μίαν μνᾶν, τῷ δόντι τὸ λοιπὸν πᾶν, οὔτε τῶν ἐξ ἀρχῆς, οὔτε τῶν ἐπιγινομένων.

§. 8. Εἰ δὲ μήτε (*c*) τοῦ ζῆν μόνον ἕνεκεν, ἀλλὰ μᾶλλον τοῦ εὖ ζῆν· (καὶ γὰρ (*d*) ἂν δούλων καὶ τῶν ἄλλων ζώων ἦν πόλις· νῦν δ᾽ οὐκ ἔστι, διὰ τὸ μὴ μετέχειν εὐδαιμονίας, μηδὲ τοῦ ζῆν κατὰ προαίρεσιν·) μήτε συμμαχίας ἕνεκεν, ὅπως ὑπὸ μηδενὸς ἀδικῶνται· μήτε διὰ τὰς ἀλλαγὰς καὶ τὴν χρῆσιν τὴν πρὸς ἀλλήλους.

§. 9. Καὶ γὰρ ἂν Τυῤῥηνοὶ καὶ Καρχηδόνιοι, καὶ πάντες οἷς ἐστι σύμβολα πρὸς ἀλλήλους, ὡς μιᾶς ἂν πολῖται πόλεως ἦσαν. εἰσὶ γοῦν (*e*) αὐτοῖς συνθῆκαι περὶ τῶν εἰσαγωγίμων, καὶ σύμβολα (*f*) περὶ τοῦ μὴ ἀδικεῖν, καὶ γραφαὶ περὶ συμμαχίας. ἀλλ᾽ οὔτ᾽ ἀρχαὶ πᾶσιν ἐπὶ τούτοις κοιναὶ καθεστᾶσιν, ἀλλ᾽ ἕτεραι παρ᾽ ἑκατέροις (*g*) οὔτε τοῦ ποίους τινὰς εἶναι δεῖ φροντίζουσιν ἅτεροι τοὺς ἑτέρους, οὐδ᾽ ὅπως μηδεὶς ἄδικος ἔσται τῶν ὑπὸ τὰς συνθήκας, μηδὲ μοχθηρίαν (ἕξει μηδεμίαν,) (*h*) ἀλλὰ μόνον ὅπως μηδὲν ἀδικήσουσιν ἀλλήλους· περὶ δ᾽ ἀρετῆς καὶ κακίας πολιτικῆς διασκοποῦσιν ὅσοι φροντίζουσιν εὐνομίας.

§. 10. Ἦ καὶ φανερὸν, ὅτι δεῖ περὶ ἀρετῆς ἐπιμελὲς εἶναι τῇ γ᾽ ὡς ἀληθῶς ὀνομαζομένῃ πόλει, μὴ λόγου χάριν. γίνεται γὰρ ἡ κοινωνία συμμαχία, τῶν ἄλλων τόπῳ διαφέρουσα (*i*) μόνον τῶν ἄποθεν συμμάχων. (*k*) καὶ ὁ νόμος συνθήκη, καὶ καθάπερ ἔφη Λυκόφρων ὁ σοφιστὴς, ἐγγυητὴς ἀλλήλοις (*l*) τῶν δικαίων, ἀλλ᾽ οὐχ οἷος ποιεῖν ἀγαθοὺς καὶ δικαίους τοὺς πολίτας.

§. 11. Ὅτι δὲ τοῦτον ἔχει τὸν τρόπον, φανερόν. εἰ γάρ τις καὶ συνάγοι τοὺς τόπους εἰς ἓν, ὥστε ἅπτεσθαι τὴν Μεγαρέων πόλιν καὶ Κορινθίων τοῖς τείχεσιν, ὅμως οὐ μία πόλις· οὐδ᾽ εἰ πρὸς ἀλλήλους ἐπιγαμίας ποιήσαιντο· καί τοι τοῦτο τῶν ἰδίων ταῖς πόλεσι κοινωνημάτων ἐστίν. ὁμοίως δ᾽ οὐδ᾽ εἴ τινες οἰκοῖεν χωρὶς μὲν, μὴ μέν τοι τοσοῦτον ἄποθεν, (*m*) ὥστε μὴ κοινωνεῖν, ἀλλ᾽ εἰ ἦσαν (*n*) αὐτοῖς νόμοι, τοῦ μὴ σφᾶς αὐτοὺς ἀδικεῖν περὶ τὰς μεταδόσεις.

§. 12.

(*a*) *Bene vivendi*) MEIER *in analyſi p.* 247. *GOEB.*

(*b*) *Tyrrheni & Carthaginienſes*) Poſſunt enim civitas commerciorum & defenſionis cauſa uniri & tamen in ſe diſtincte manere. *GOEB.*

(*c*) εἰ δὲ μήτε) Ita in omnibus græcis exemplaribus legi, fatetur Montecatinus: ipſe tamen arbitratur ſcribendum ἢ δὲ. Cujus ſententiæ accedo. Nam ſi εἰ retineas, oratio ſuſpenſa eſt; nihil enim occurrit, quod τῷ εἰ reſpondeat: quod tamen factum eſt in periodo præcedente. *CONR.*

(*d*) καὶ γάρ) Feci hæc includi parentheſi, quoniam id requirat res ipſa, & omiſſa parentheſi, oratio ſit dubia & obſcura. *CONR.*

(*e*) εἰσὶ γοῦν) Malim γάρ. Ita ſane oratio fit clarior, & rectius reſpondet τῷ ἀλλά. *CONR.*

(*f*) καὶ σύμβολα) Perperam Aldus & Iſengrinius omittunt conjunctionem καὶ quam tamen & Vetus interpres obſervavit. *CONR.*

(*g*) παρ᾽ ἑκατέροις) Cum Sylburgio malim ſcribere παρ᾽ ἑτέροις. Quod & Caſaubono viſum eſt. *CONR.*

(*h*) ἕξει μηδεμίαν) Zwingerus hæc verba male omiſit. Nec Aldus recte ſcribit ἕξειν. *CONR.*

(*i*) τῶν ἄλλων διαφ.) Zvvingerus mavult ἀλλήλων. Et vero ſermo ita fuerit elegantior. Ipſe etiam paulo poſt pro. *CONR.*

(*k*) συμμάχων) Legerim συμμαχιῶν: Ut integra propoſitio hæc fuerit: γίνεται γὰρ ἡ κοινωνία συμμαχία ἀλλήλων, τόπῳ διαφέρουσα μόνον τῶν ἄποθεν συμμαχιῶν. *CONR.*

(*l*) ἐγγυητὴς ἀλλήλοις) Cum Zvvingero iterum ſcripſerim ἀλλήλων. *CONR.*

(*m*) τοσοῦτον ἄποθεν) Aldus & Iſengrinius & Caſaubonus addunt εἶεν. Non male. *CONR.*

(*n*) εἰ ἦσαν) Bene monet Sylburgius, ſi voculæ hæ legantur conjunctim εἴησαν, majorem verborum in modo eſſe convenientiam. Et vero probatum id eſt etiam Caſaubono. *CONR.*

Digitized by Google

§. 12. Ceu, ſi hic quidem faber eſſet, hic vero agricola: hic ſutor, hic autem aliud quippiam hujuſcemodi, & numero forent decem millia: non tamen convenirent ipſis in alia quapiam re, præter has, ceu permutatione & ſocietate in bello, ne ſic quidem eſſet civitas. Quia nam potiſſimum de cauſſa? Non enim jam, quia non prope ſit communio. Si namque & in eandem ſedem ſe conferrent, qui ita communicant inter ſe, uterentur tamen ſinguli propria domo, tanquam civitate: & ſibi ipſis, veluti ſocii bellorum eſſent, auxilium ferrent contra injurias inferentes ſolum: neque ſic eſſe videretur civitas accurate videntibus, ſiquidem eodem pacto verſarentur inter ſe, poſtquam coiiſſent, ac faciebant, cum ſeorſim vivebant.

§. 12. Οἷον, εἰ ὁ μὲν εἴη τέκτων, ὁ δὲ γεωργὸς, ὁ δὲ σκυτοτόμος, ὁ δ᾽ ἄλλό τι τοιοῦτον, καὶ τὸ πλῆθος εἶεν μυρίοι μὴ μέν τοι κοινωνοῖεν ἄλλου μηδενὸς ἢ τῶν τοιούτων, οἷον ἀλλαγῆς καὶ συμμαχίας· οὐδ᾽ οὕτω πω πόλις. διὰ τίνα δή ποτ᾽ αἰτίαν; οὐ γὰρ δὴ διὰ τὸ μὴ σύνεγγυς τῆς κοινωνίας. εἰ γὰρ καὶ συνέλθοιεν οὕτω κοινωνοῦντες, ἕκαστος μέν τοι χρῷτο τῇ ἰδίᾳ οἰκίᾳ, ὥσπερ πόλει, καὶ σφίσιν αὐτοῖς ὡς ἐπιμαχίας (c) οὔσης, βοηθοῦντες ἐπὶ τοὺς ἀδικοῦντας μόνον. οὐδ᾽ οὕτως ἂν εἶναι δόξειε πόλις τοῖς ἀκριβῶς θεωροῦσιν, εἴπερ ὁμοίως ὁμιλοῖεν συνελθόντες καὶ χωρίς.

§. 13. Perſpicuum igitur non eſſe civitatem communionem loci: neque conſenſum, ne ſe injuriis afficiant: neque conſtare permutationis gratia: ſed hæc quidem neceſſe eſt eſſe, ſi quidem futura eſt civitas: non tamen exiſtentibus etiam his omnibus, adhuc civitas. Sed *bene vivendi communio*, (*a*) & domibus & familiis, vitæ perfectæ gratia & ſuis rebus contentæ.

§. 13. Φανερὸν τοίνυν ὅτι ἡ πόλις οὐκ ἔστι κοινωνία τόπου, καὶ τοῦ μὴ ἀδικεῖν σφᾶς αὐτοὺς, καὶ τῆς μεταδόσεως χάριν. ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἀναγκαῖον ὑπάρχειν, εἴπερ ἔσται πόλις. οὐ μὴν οὐδ᾽ ὑπαρχόντων τούτων ἁπάντων, ἤδη πόλις. ἀλλ᾽ ἡ τοῦ εὖ ζῆν κοινωνία, καὶ ταῖς οἰκίαις καὶ τοῖς γένεσι, ζωῆς τελείας χάριν καὶ αὐτάρκους.

§. 14. Non erit tamen hoc, niſi eundem & unum habitarint locum, & uſi fuerint connubiis. Qua de cauſa affinium conventus extiterunt in urbibus, & phratriæ & ſacrificia & oblectationes ſimul vivendi cauſſa. Hujuſcemodi autem omne amicitiæ opus. Electio autem ſimul vivendi, amicitia eſt.

§. 14. Οὐκ ἔσται μέν τοι τοῦτο μὴ τὸν αὐτὸν καὶ ἕνα κατοικούντων τόπον, καὶ χρωμένων ἐπιγαμίαις. διὸ κηδεῖαί τ᾽ ἐγένοντο κατὰ τὰς πόλεις, καὶ φρατρίαι, καὶ θυσίαι, καὶ διαγωγαὶ τοῦ συζῆν. τὸ δὲ τοιοῦτον, φιλίας ἔργον. ἡ γὰρ τοῦ συζῆν προαίρεσις, φιλία.

§. 15. Finis igitur civitatis eſt bene vivere: hæc vero finis gratia. Civitas autem eſt familiarum & vicorum communio vitæ perfectæ & ſe ipſa contentæ. Hoc autem eſt, ut affirmamus, vivere beate & honeſte. Honeſtarum igitur actionum gratia ſtatuendum eſt conſtare civilem communionem, ſed non vivendi ſimul.

§. 15. Τέλος μὲν οὖν πόλεως τὸ εὖ ζῆν· ταῦτα δὲ, τοῦ τέλους χάριν. πόλις δὲ, ἡ γενῶν καὶ κωμῶν κοινωνία ζωῆς τελείας καὶ αὐτάρκους. τοῦτο δ᾽ ἐστὶν, ὥς φαμεν, τὸ ζῆν εὐδαιμόνως καὶ καλῶς. τῶν καλῶν ἄρα πράξεων χάριν θετέον εἶναι τὴν πολιτικὴν κοινωνίαν, ἀλλ᾽ οὐ τῆς συζῆν.

§. 16. Quare quicunque plurimum conferunt in hujuſcemodi communionem, his magis civitatis participatio eſt, quam illis, qui cum libertate & genere æquales ſint, vel majores, civili vero virtute inæquales ſunt: ſive cum ſuperent divitiis, vincuntur virtute.

§. 16. Διόπερ ὅσοι συμβάλλονται πλεῖστον εἰς τὴν τοιαύτην κοινωνίαν, τούτοις τῆς πόλεως μέτεστι πλεῖον, (*d*) ἢ τοῖς κατὰ μὲν ἐλευθερίαν καὶ γένος ἴσοις, ἢ μείζοσι, κατὰ δὲ τὴν πολιτικὴν ἀρετὴν ἀνίσοις· ἢ τοῖς κατὰ πλοῦτον ὑπερέχουσι, κατ᾽ ἀρετὴν δ᾽ ὑπερεχομένοις.

§. 17. Omnes igitur, qui & de rebuspublicis controverſantur, partem aliquam virtutis dicere, ex iis, quæ diximus, perſpicuum eſt.

§. 17. Ὅτι μὲν οὖν πάντες οἱ περὶ τῶν πολιτειῶν ἀμφισβητοῦντες, μέρος τι τοῦ δικαίου λέγουσι, φανερὸν ἐκ τῶν εἰρημένων.

## CAP. VII.

§. 1.

X. Dubitaret autem aliquis, quid ſummam poteſtatem in civitate habere debet, ſive enim multitudinem, ſive divites, ſive probos viros, ſive unum optimum omnium, ſive tyrannum. Sed hæc omnia continere in ſe *difficultatem*, (*b*) apertum eſt.

§. 2.

§. 1.

X. Ἔχει δ᾽ ἀπορίαν, τί δεῖ τὸ κύριον εἶναι τῆς πόλεως· ἢ γάρ τοι τὸ πλῆθος, ἢ τοὺς πλουσίους· ἢ τοὺς ἐπιεικεῖς, ἢ τὸν βέλτιστον ἕνα πάντων, ἢ τύραννον ἀλλὰ ταῦτα πάντα ἔχειν φαίνεται δυσκολίαν.

§. 2.

---

(*a*) *Bene vivendi communio*) HERTIUS *lib. I. ſect. IV. p.* 81. Finis civitatis duplex eſt, & vivere & bene vivere. *GOEB.*

(*b*) *Difficultatem*) Non habet dubium, nullam eſſe reipublicæ formam, quæ præ alia non habeat commodum & incommodum. Minus autem incommodi habere mixtam, ſi eam intuitu veri finis civitatum inſpiciamus, monet. SIDNEI *diſcours ſur le gouv. tom. I. ſect. XVI.* *GOEB.*

(*c*) ἐπιμαχίας) Rectius eſſe *συμμαχίας* obſervavit quoque Sylburgius & Caſaubonus. Nec aliter expreſſerunt interpretes Victorius & Lambinus. *CONR.*

(*d*) μέτεστι πλεῖον) Zvvingerus habet πλεῖστον. πλεῖον vero paſſim legere eſt, & rectius eſſe, indicat quæ ſubſequitur comparatio, ἢ τοῖς &c. *CONR.*

Digitized by Google

§. 2. Quid enim? ſi pauperes, quia plures ſunt, diviſerint ſibi bona divitum, hoc non injuſtum eſt? viſum enim eſt ſummam poteſtatem habenti juſte. Quid igitur decet dicere poſtremam injuſtitiam?

§. 3. Rurſus omnibus ſumptis, ſi plures paucorum bona ſibi diviſerint, perſpicuum eſt ipſos perdere civitatem. . Atqui virtus non perdit, quod ipſam habet: neque juſtum naturam eam habet, ut perdat civitatem. Quare planum eſt non poſſe legem hanc juſtam eſſe.

§. 4. Præterea quæcunque tyrannus egerit, neceſſe erit cuncta juſta eſſe: vim enim affert melior exiſtens, quemadmodum & multitudo divitibus.

§. 5. Nunquid igitur pauciores juſtum eſt imperium habere & divites? Si igitur & illi hæc eadem fecerint, & diripuerint & bona multitudini abſtulerint, hoc eſt juſtum? & alterum utique.

§. 6. Hæc igitur omnia eſſe prava & minime juſta, perſpicuum eſt.

§. 7. Sed probos decet imperium habere, & ipſorum arbitrii cuncta eſſe? Neceſſe igitur erit cæteros omnes ignominia notatos eſſe, quippe cum minime honorentur: honores enim dicimus eſſe magiſtratus. Iiſdem autem ſemper imperium habentibus, neceſſe eſt alios vacuos eſſe ab honoribus.

§. 8. Sed unum maxime ſtudioſum imperium habere melius? Atqui hoc propius accedit ad dominatum paucorum: expertes enim honoris plures erunt.

§. 9. Sed fortaſſe dicat quiſpiam, *dominum* (a) omnino eſſe hominem, & non legem, vitioſum eſſe, cujus animo hærent turbidi motus, qui cadunt in ipſum. Si igitur lex extiterit, accommodata tamen illa paucorum dominatui, ſive ſtatui multitudinis, quid intererit de his, quæ in dubium venerunt? contingent enim eodem pacto, quæ prius dicta ſunt.

§. 10. XI. De aliis igitur ſit alia diſputatio. Quod autem dictum eſt, oportere potius, ut multitudo ſummam poteſtatem habeat, quam optimi viri, pauci tamen: videretur ſolvi, & quandam habere dubitationem: fortaſſe autem & veritatem.

§. 11.

§. 2. Τί γάρ; ἂν (b) οἱ πένητες, διὰ τὸ πλείους εἶναι, διανέμωνται τὰ τῶν πλουσίων, τοῦτ' οὐκ ἄδικόν ἐστιν; ἔδοξε γὰρ (ἂν) νὴ Δία τῷ κυρίῳ δικαίως. τὴν οὖν ἀδικίαν τί χρὴ λέγειν τὴν ἐσχάτην;

§. 3. Πάλιν τε, πάντων ληφθέντων, οἱ πλείους τὰ τῶν ἐλαττόνων ἂν διανέμωνται, φανερὸν ὅτι φθείρουσι τὴν πόλιν. ἀλλὰ μὲν, οὐχ ἥ γ' ἀρετὴ φθείρει τὸ ἔχον αὐτήν, οὐδὲ τὸ δίκαιον πόλεως φθαρτικόν. ὥστε δῆλον ὅτι καὶ τὸν νόμον τοῦτον οὐχ οἷόν τ' εἶναι δίκαιον.

§. 4. Ἔτι καὶ τὰς πράξεις ὅσας ὁ τύραννος ἔπραξεν, ἀναγκαῖον εἶναι πάσας ἀδίκους. (c) βιάζεται γὰρ ὢν κρείττων, ὥσπερ καὶ τὸ πλῆθος τοὺς πλουσίους.

§. 5. Ἀλλ' ἆρα τοὺς ἐλάττους δίκαιον ἄρχειν καὶ τοὺς πλουσίους; (d) ἂν οὖν κἀκεῖνοι ταῦτα ποιῶσι (e) καὶ διαρπάζωσι, καὶ τὰ κτήματα ἀφαιρῶνται τοῦ πλήθους, τοῦτ' ἐστὶ δίκαιον; καὶ θάτερον ἄρα.

§. 6. Ταῦτα μὲν τοίνυν ὅτι πάντα φαῦλα καὶ οὐ δίκαια, φανερόν.

§. 7. Ἀλλὰ τοὺς ἐπιεικεῖς ἄρχειν δεῖ καὶ κυρίους εἶναι πάντων; (f) οὐκοῦν ἀνάγκη τοὺς ἄλλους ἀτίμους εἶναι πάντας, μὴ τιμωμένους ταῖς πολιτικαῖς ἀρχαῖς. τιμὰς γὰρ λέγομεν εἶναι τὰς ἀρχάς. ἀρχόντων δ' αἰεὶ τῶν αὐτῶν, ἀναγκαῖον εἶναι τοὺς ἄλλους ἀτίμους.

§. 8. Ἀλλ' ἕνα τὸν σπουδαιότατον ἄρχειν βέλτιον; (g) ἀλλ' ἔτι τοῦτο ὀλιγαρχικώτερον. οἱ γὰρ ἄτιμοι, πλείους.

§. 9. Ἀλλ' ἴσως φαίη τις ἄν, τὸ κύριον ὅλως ἄνθρωπον εἶναι, (h) ἔχοντά γε τὰ συμβαίνοντα πάθη περὶ τὴν ψυχὴν ἀλλὰ μὴ νόμον, φαῦλον. ἂν οὖν ᾖ νόμος μέν, ὀλιγαρχικὸς δέ, ἢ δημοκρατικός, τί διοίσει περὶ τῶν ἠπορημένων; συμβήσεται γὰρ ὁμοίως τὰ λεχθέντα πρότερον.

§. 10. XI. Περὶ μὲν οὖν τῶν ἄλλων, ἔστω τις ἕτερος λόγος. ὅτι δὲ δεῖ κύριον εἶναι μᾶλλον τὸ πλῆθος, ἢ τοὺς ἀρίστους μέν, ὀλίγους δέ, δόξειεν ἂν λύεσθαι, (i) καί τιν' ἔχειν ἀπορίαν, τάχα δὲ κἂν ἀλήθειαν.

§. 11.

(a) *Dominum*) PICCARTUS *lib.* 3. *c. X.* GOEB.

(b) ἂν) Illam voculam non Aldina, non Zvvingeri, non Montecatini editio agnoſcit: videturque ſuperflua. *CONR.*

(c) πάσας ἀδίκους) Victorius, Camerarius, Giphanius, Caſaubonus & Montecatinus legunt δικαίας: idque rectius eſſe illa, quæ ſubſequuntur, ſatis oſtendunt. *CONR.*

(d) καὶ τοὺς πλουσίους;) Sine ſigno interrogationis nonnulli hæc legunt. Sed oratio magis perſpicua eſt & ſibi magis conſentit, noſtro modo lecta: nec tamen multum refert. *CONR.*

(e) ταῦτα ποιῶσι) Victorius, Lambinus, Giphanius, Montecatinus & alii legunt ταὐτὰ *hæc*, ſed ſenſu parum differente. Caſaubono placuit, ταῦτα. *CONR.*

(f) εἶναι πάντων;) Multi hic nullum interrogationis ſignum habent. Sed perinde eſt. *CONR.*

(g) ἄρχειν βέλτιον;) Etiam hic à quam multis nullum ſignum interrogationis agnoſcitur. Verum & hoc perinde eſt. *CONR.*

(h) ἄνθρωπον εἶναι) Noſtram lectionem expreſſit Lambinus. At Victorius, Giphanius ut & Montecatinus proxime ſubſequentia verba illa: ἔχοντά γε τὰ συμβαίνοντα πάθη περὶ τὴν ψυχήν, rejiciunt poſt φαῦλον. Aldus porro & Iſengrinius omittunt articulum τά. Utrum rectius, vix dixeris. Videtur omnis hic locus cum Caſaubono legendus hunc in modum: ἄνθρωπον εἶναι, ἀλλὰ μὴ μόνον φαῦλον, ἔχοντα γὰρ τὰ συμβαίνοντα πάθη περὶ τὴν ψυχήν. *CONR.*

(i) δόξειεν ἂν λύεσθαι) Camerario locus hic eſt mendi ſuſpectus. Nec injuria, ſi quidem expendas ea, quæ ſubſequuntur. Omnia plana videntur, ſi unam illis inſeras voculam μὲν hoc modo: καὶ τιν' ἔχειν μὲν ἀπορίαν τάχα δὲ κἂν ἀλήθειαν. *CONR.*

Digitized by Google

§. 11. Multos namque, quorum unuſquiſque minime ſtudioſus vir eſt, tamen contingit, cum coierint eſſe meliores illis: non tamen ut ſinguli, verum ut ſimul univerſi. Non aliter atque cœnæ collatæ ſtudio plurium ſuaviores ſunt illis, quam unius ſumtu ſtructæ fuerint. Cum enim multi ſint, unumquemque eorum uſu venit habere in ſe particulam virtutis & prudentiæ, & fieri, poſtquam convenerunt in unum locum, tanquam unum hominem numero, qui habeat multos pedes & multas manus, multos itidem ſenſus. Eodem pacto & circa mores & conſilium.

§. 12. Quapropter exiſtimant melius multi & opera muſicæ & poëtarum: alii enim aliam quandam partem: cuncti autem cuncta.

§. 13. Sed hoc diſcrepant ſtudioſi viri a ſingulis multitudinis: veluti ſane a non formoſis formoſos ajunt, & picta artificio a veris, quod in unum coacta ſunt, quæ erant diſſeminata ſeorſum: nam cum ſeparata erant, pulchriorem picto habere hunc quidem oculum, alium vero aliam partem contingit.

§. 14. Si igitur in omni populo & omni multitudine contingit hoc eſſe diſcrimen multorum adverſus paucos ſtudioſos, incertum eſt.

§. 15. Fortaſſe potius perſpicuum eſt, in nonnullis hoc fieri non poſſe. Eadem enim ratio congrueret etiam in belluis. Quid enim profecto diſcrepant quidam mortales a belluis, ut ita loquar?

§. 16. Verum de aliqua multitudine nihil vetat, quod dictum eſt, verum eſſe.

§. 17. Quapropter & prius expoſitam dubitationem ſolveret aliquis ope horum, & eam, quæ ipſi hæret: quas res decet in poteſtate eſſe liberorum hominum & multitudinis civium. Hujuscemodi autem ſunt, quicunque neque divites ſunt, neque dignitatem ullam virtutis habent.

§. 18. Participes namque ipſos eſſe maximorum magiſtratuum, non eſt tutum: ob injuſtitiam enim & ob ſtultitiam in aliquibus injuſte ſe gererent: in aliis autem ipſi laberentur. Non partem autem dare, neque participes ipſos fieri, pavorem adfert. Quando enim expertes honoris multi & pauperes extiterint, hoſtium neceſſe hanc urbem plenam eſſe. Reſtat jam, ut ipſi participes ſint deliberandi & judicandi.

§. 19. Quapropter & Solon & nonnulli aliorum legiſlatorum ſtatuunt ipſos ſuper comitiis, & munere rationum accipiendarum ab iis, qui partem aliquam reipublicæ attigerint, magiſtratus autem gerere ſolos non ſinunt. Cuncti enim cum convenere, tantum habent ſenſus, ut ſatis ſit: & permixti cum melioribus proſunt civitatibus (veluti cibus non purus, una cum puro, omnem reddit utiliorem pauco) ſeorſum autem unuſquiſque eorum imperfectus eſt in exiſtimando.

§. 20.

§. 11. Τοὺς γὰρ πολλοὺς, ὧν ἕκαστός ἐστιν οὐ σπουδαῖος ἀνὴρ, ὅμως ἐνδέχεται συνελθόντας εἶναι βελτίους ἐκείνων, οὐχ ὡς ἕκαστον, ἀλλ' ὡς σύμπαντας· οἷον τὰ συμφορητὰ δεῖπνα τῶν ἐκ μιᾶς δαπάνης χορηγηθέντων. πολλῶν γὰρ ὄντων, ἕκαστον μόριον ἔχειν ἀρετῆς καὶ φρονήσεως, καὶ γίνεσθαι συνελθόντας ὥσπερ ἕνα ἄνθρωπον τὸ πλῆθος, πολύποδα καὶ πολύχειρα, καὶ πολλὰς (a) ἔχοντα αἰσθήσεις· οὕτω καὶ περὶ τὰ ἤθη καὶ τὴν διάνοιαν.

§. 12. Διὸ καὶ κρίνουσιν ἄμεινον οἱ πολλοὶ καὶ τὰ τῆς μουσικῆς ἔργα, καὶ τὰ τῶν ποιητῶν· ἄλλοι γὰρ ἄλλό τι μόριον, πάντα δὲ πάντες.

§. 13. Ἀλλὰ τούτῳ διαφέρουσιν οἱ σπουδαῖοι τῶν ἀνδρῶν, ἑκάστου τῶν πολλῶν, ὥσπερ καὶ τῶν μὴ καλῶν τοὺς καλούς φασι, καὶ τὰ γεγραμμένα διὰ τέχνης τῶν ἀληθινῶν, τῷ συνῆχθαι τὰ διεσπαρμένα χωρὶς εἰς ἕν· ἐπεὶ κεχωρισμένων γε κάλλιον ἔχειν τοῦ γεγραμμένου, τουδὶ μὲν τὸν ὀφθαλμὸν, ἑτέρου δέ τινος ἕτερον μόριον.

§. 14. Εἰ μὲν οὖν περὶ πάντα δῆμον καὶ περὶ πᾶν πλῆθος ἐνδέχεται ταύτην εἶναι τὴν διαφορὰν τῶν πολλῶν πρὸς τοὺς ὀλίγους σπουδαίους, ἄδηλον.

§. 15. Ἴσως δὲ, νὴ Δία, δῆλον, ὅτι περὶ ἐνίων (b) ἀδύνατον. ὁ γὰρ αὐτὸς κἂν ἐπὶ τῶν θηρίων ἁρμόσειε λόγος. καί τοι τί διαφέρουσιν ἔνιοι τῶν θηρίων, ὡς ἔπος εἰπεῖν;

§. 16. Ἀλλὰ περί τι πλῆθος οὐδὲν εἶναι κωλύει τὸ λεχθὲν ἀληθές.

§. 17. Διὸ καὶ τὴν πρότερον εἰρημένην ἀπορίαν λύσειεν ἄν τις διὰ τούτων, καὶ τὴν ἐχομένην αὐτῆς, τίνων δεῖ κυρίους εἶναι τοὺς ἐλευθέρους, καὶ τὸ πλῆθος τῶν πολιτῶν. τοιοῦτοι δ' εἰσὶν ὅσοι (μήτε πλούσιοι,) (c) μήτε ἀξίωμα ἔχουσιν ἀρετῆς μηδέν.

§. 18. Τὸ μὲν γὰρ μετέχειν αὐτοὺς τῶν ἀρχῶν τῶν μεγίστων, οὐκ ἀσφαλές. διά τε γὰρ ἀδικίαν, καὶ δι' ἀφροσύνην, τὰ μὲν ἀδικεῖν ἄν, τὰ δ' ἁμαρτάνειν αὐτούς. τὸ δὲ μὴ μεταδιδόναι, μηδὲ μετέχειν, φοβερόν. ὅταν γὰρ ἄτιμοι πολλοὶ καὶ πένητες ὑπάρχωσι, πολεμίων ἀναγκαῖον εἶναι πλήρη τὴν πόλιν ταύτην. λείπεται δὴ τοῦ βουλεύεσθαι καὶ κρίνειν μετέχειν αὐτούς.

§. 19. Διόπερ καὶ Σόλων, καὶ τῶν ἄλλων τινὲς νομοθετῶν, τάττουσιν ἐπί τε τὰς ἀρχαιρεσίας, καὶ τὰς εὐθύνας τῶν ἀρχόντων· ἄρχειν δὲ κατὰ μόνας οὐκ ἐῶσι. πάντες μὲν γὰρ ἔχουσι συνελθόντες ἱκανὴν αἴσθησιν, καὶ μιγνύμενοι τοῖς βελτίοσι, τὰς πόλεις ὠφελοῦσι. καθάπερ ἡ μὴ καθαρὰ τροφὴ μετὰ τῆς καθαρᾶς τὴν πᾶσαν ποιεῖ χρησιμωτέραν τῆς ὀλίγης. χωρὶς δ' ἕκαστος ἀτελὴς περὶ τὸ κρίνειν ἐστίν.

§. 20.

(a) καὶ πολλὰς) Voculam καὶ male omittit Aldus & Iſengrinius. *CONR.*

(b) περὶ ἐνίων) Sylburgius monet legi etiam poſſe ἐπ' ἐνίων. Nec vero male. Nulla autem neceſſitas cogit nos a vulgata lectione abire. *CONR.*

(c) μήτε πλούσιοι) Zvvingeri textus græcus non habet has voces: expreſſit tamen uterque interpres: exigitque tale quid ratio ſtructuræ, ceu recte monet Sylburgius. *CONR.*

§. 20. Habet autem ordo hic reipublicæ dubitationem, primam quidem, quod videretur ejusdem eſſe exiſtimare, quis recte curavit, cujus & curare & reddere ægrotantem ſanum a morbo, qui tunc eum premebat: hic autem eſt medicus, ſimiliter autem ſe hoc habet in cæteris ſtudiis & artibus. Quemadmodum igitur decet medicum rationem apud medicos reddere; ita & alios apud ſimiles. Medicus autem eſt, & opifex & inter cæteros quaſi architectus, & tertius, qui eſt peritus in arte. Sunt enim nonnulli tales in cunctis, ut ita loquar, artibus. Tribuimus autem exiſtimare nihilominus peritis, quam ſcientibus.

§. 21. Deinde & in delectu eodem modo videretur ſe res habere. Deligere namque recte munus eſt eorum, qui ſciunt: ceu geometram, eorum, qui periti ſunt geometriæ: & gubernatorem eorum, qui norunt, quæ ſunt propria illius artis. Etſi enim de quibusdam operibus & artibus communicant nonnulli idiotæ: ſed non magis, quam ſcientes.

§. 22. Quare vi hujus rationis non oporteret ſummam poteſtatem dare multitudini aut comitiorum aut rationum accipiendarum.

§. 23. Sed forſitan non omnia hæc bene dicuntur & propter veterem rationem, niſi multitudo fuerit admodum rudis & abjecta (erit enim unusquisque deterior exiſtimator, quam qui ſciunt: cuncti autem ſimul congreſſique, aut meliores aut non deteriores) & quia de nonnullis, neque ſolus, qui fecit, neque optime exiſtimaret, quorum ſcilicet opera intelligunt, etiam, qui artem non didicerunt: ceu domum non ſolum ejus eſt cognoſcere, qui fabricavit, ſed & melius, qui utitur, ipſa exiſtimabit, utitur autem paterfamilias: & clavum gubernator, quam faber: & epulum conviva, ſed non coquus.

§. 24. Hanc igitur dubitationem putaret fortaſſe aliquis ſic ſatis ſolvere. Alia autem eſt, quæ ſequitur hanc.

§. 25. Videtur enim abſurdum, majorum rerum auctores, & quaſi dominos eſſe tenues homines, quam honeſtos. Rationum autem cognoſcendarum jus & comitia, ſunt maximum, quas in quibusdam rebuspublicis, ut dictum eſt, permittunt plebi. Concio enim in ſua manu habet hæc omnia.

§. 26. Atqui concionis participes ſunt, & deliberant, & judicant a parvis cenſibus & qualibet ætate: quæſtores autem fiunt, & exercitus ducunt & maximos magiſtratus gerunt a magnis.

§. 27. Eodem jam pacto aliquis ſolveret & hanc dubitationem. Fortaſſe enim ſe habent & hæc recte. Non enim judex, neque qui in ſenatum venit aut in concionem, magiſtratus eſt: ſed forum & ſenatus & populus. Unusquisque

§. 20. Ἔχει δ᾽ ἡ τάξις αὕτη τῆς πολιτείας ἀπορίαν. πρώτην μὲν, ὅτι δόξειεν ἂν τοῦ αὐτοῦ εἶναι τὸ κρῖναι τίς ὀρθῶς ἰάτρευκεν, οὗπερ καὶ τὸ ἰατρεῦσαι καὶ ποιῆσαι ὑγιᾶ τὸν κάμνοντα τῆς νόσου τῆς παρούσης· οὗτος δ᾽ ἐστὶν ἰατρός. ὁμοίως δὲ τοῦτο καὶ περὶ τὰς ἄλλας ἐμπειρίας καὶ τέχνας. ὥσπερ οὖν ἰατρὸν δεῖ διδόναι τὰς εὐθύνας ἐν ἰατροῖς, οὕτω καὶ τοὺς ἄλλους ἐν τοῖς ὁμοίοις. ἰατρὸς δ᾽ ὅ τε δημιουργὸς, καὶ ὁ ἀρχιτεκτονικὸς, καὶ τρίτος ὁ πεπαιδευμένος περὶ τὴν τέχνην. εἰσὶ γὰρ τινες τοιοῦτοι περὶ (a) πάσας, ὡς εἰπεῖν, τὰς τέχνας· ἀποδίδομεν δὲ τὸ κρίνειν οὐδὲν ἧττον τοῖς πεπαιδευμένοις, ἢ τοῖς εἰδόσιν.

§. 21. Ἔπειτα, καὶ περὶ τὴν αἵρεσιν, τὸν αὐτὸν ἂν δόξειεν ἔχειν τρόπον. καὶ γὰρ τὸ ἑλέσθαι ὀρθῶς, τῶν εἰδότων ἔργον ἐστίν· οἷον γεωμέτρην τε τῶν γεωμετρικῶν, καὶ κυβερνήτην τῶν κυβερνητικῶν. εἰ γὰρ καὶ περὶ ἐνίων ἔργων καὶ τεχνῶν μετέχουσι καὶ τῶν ἰδιωτῶν τινες, ἀλλ᾽ οὔ τι τῶν εἰδότων γε μᾶλλον.

§. 22. Ὥστε κατὰ μὲν τοῦτον τὸν λόγον, οὐκ ἂν εἴη τὸ πλῆθος ποιητέον κύριον, οὔτε τῶν ἀρχαιρεσιῶν, οὔτε τῶν εὐθυνῶν.

§. 23. Ἀλλ᾽ ἴσως οὐ πάντα ταῦτα λέγεται καλῶς, διά τε τὸν πάλαι λόγον, ἂν ᾖ τὸ πλῆθος μὴ λίαν ἀνδραποδῶδες. (ἔσται γὰρ (b) ἕκαστος μὲν, χείρων κριτὴς τῶν εἰδότων· ἅπαντες δὲ συνελθόντες, ἢ βελτίους, ἢ οὐ χείρους) καὶ ὅτι περὶ ἐνίων, οὔτε μόνον ὁ ποιήσας, οὔτ᾽ ἄριστ᾽ ἂν κρίνειεν, ὅσων τὰ ἔργα γιγνώσκουσι καὶ οἱ μὴ ἔχοντες τὴν τέχνην. οἷον οἰκίαν, οὐ μόνον ἐστὶ γνῶναι τοῦ ποιήσαντος, ἀλλὰ καὶ βέλτιον ὁ χρώμενος αὐτῇ (c) κρινεῖ· χρῆται δ᾽ ὁ οἰκονόμος. καὶ πηδάλιον, κυβερνήτης τέκτονος. καὶ θοίνην ὁ δαιτυμὼν, ἀλλ᾽ οὐχ ὁ μάγειρος.

§. 24. Ταύτην μὲν οὖν ἀπορίαν τάχα δόξειέ τις ἂν οὕτω λύειν ἱκανῶς· ἄλλη δ᾽ ἐστὶν ἐχομένη ταύτης.

§. 25. Δοκεῖ γὰρ ἄτοπον εἶναι, τὸ μειζόνων εἶναι κυρίους τοὺς φαύλους τῶν ἐπιεικῶν· αἱ δ᾽ εὐθύναι, καὶ αἱ τῶν ἀρχῶν αἱρέσεις, εἰσὶ μέγιστον· ἃς ἐνίαις πολιτείαις, ὥσπερ εἴρηται, τοῖς δήμοις ἀποδιδόασιν· ἡ γὰρ ἐκκλησία, κυρία πάντων τῶν τοιούτων ἐστί.

§. 26. Καί τοι τῆς μὲν ἐκκλησίας μετέχουσι καὶ βουλεύουσι, καὶ δικάζουσιν ἀπὸ μικρῶν τιμημάτων, καὶ τῆς τυχούσης ἡλικίας· ταμιεύουσι δὲ, καὶ στρατηγοῦσι, καὶ τὰς μεγίστας ἀρχὰς ἄρχουσιν, (d) ἀπὸ μεγάλων.

§. 27. Ὁμοίως δή τις ἂν λύσειε καὶ ταύτην τὴν ἀπορίαν. ἴσως γὰρ ἔχει καὶ ταῦτ᾽ ὀρθῶς. οὐ γὰρ ὁ δικαστὴς, οὐδ᾽ ὁ βουλευτὴς, οὐδ᾽ ὁ ἐκκλησιαστὴς, ἄρχων ἐστὶν, ἀλλὰ τὸ δικαστήριον, καὶ ἡ βουλὴ, καὶ ὁ δῆμος· τῶν δὲ ῥηθέντων ἕκαστος, μόριόν ἐστι τούτων. λέγω δὲ μόριον τὸν βουλευ-

(a) Τοιοῦτοι περὶ) Aldus habet καὶ περὶ πάσ. Sed nihil refert: ſatis eſt notaſſe. *CONR.*

(b) ἔσται γὰρ) Incluſa hæc ſunt a me parentheſi, ut oratio fiat magis perſpicua. *CONR.*

(c) χρώμενος αὐτῇ) Aldus & Baſileenſis, imo & Caſaubonus habent αὐτοῦ. Male, cum ſit ſermo περὶ οἰκίας. Et vero etiam Vetus interpres noſtram lectionem obſervavit, ne de aliis nunc dicam. *CONR.*

(d) ἀρχὰς ἄρχουσιν) Aldus habet ἔχουσιν, perinde ut infra pro ἀρχὰς ἀρχόντων habet ἐχόντων. Idque probavit Caſaubonus. Sed in ſenſu nihil eſt diſcrepantiæ. *CONR.*

Digitized by Google

quisque autem eorum, qui dicti ſunt, pars eſt horum. Voco autem partem ſenatorem, & humilem etiam illum conſultorem, nec non judicem.

§. 28. Quare jure bono in ſua manu habet multitudo res majores. E multis enim conſtat populus & curia & forum, omnium quam eorum, qui ſingillatim vel cum paucis magnos magiſtratus gerunt.

§. 29. Hæc igitur definita ſint hoc modo. Prima autem, quæ dicta eſt dubitatio, nihil aliud tantopere planum facit, quam oportere leges dominas eſſe, ſi ſunt recte latæ: qui magiſtratum autem gerit, ſive unus, ſive plures fuerint, ſtatuere poſſe de his, *de quibus* (a) leges nequeunt exquiſite aliquid præcipere, quæ non facile eſt in univerſum de omnibus explanare.

§. 30. Quales vero eſſe oportet recte ſcriptas leges, nondum planum eſt, ſed adhuc manet, de quo jam diu dubitatum eſt. Sed enim non ſecus atque respublicas, neceſſe eſt leges vel malas vel bonas eſſe, vel juſtas vel injuſtas.

§. 31. Præterquam hoc apertum eſt, oportere *leges accommodari* (b) rebuspublicis. Atqui ſi hoc eſt, planum eſt ad rectas respublicas latas neceſſario juſtas eſſe: quæ autem ad vitioſas, non juſtas.

βουλευτὴν, καὶ τὸν ἐκκλησιαστὴν, καὶ τὸν δικαστήν.

§. 28. Ὥστε δικαίως κύριον μειζόνων τὸ πλῆθος. ἐκ γὰρ πολλῶν ὁ δῆμος, καὶ ἡ βουλὴ, καὶ τὸ δικαστήριον. καὶ τὸ τίμημα δὲ πλεῖον τὸ πάντων τούτων, ἢ τὸ τῶν καθ' ἕνα, καὶ κατ' ὀλίγους, μεγάλας ἀρχὰς ἀρχόντων.

§. 29. Ταῦτα μὲν οὖν διωρίσθω τοῦτον τὸν τρόπον. ἡ δὲ πρώτη λεχθεῖσα ἀπορία, ποιεῖ φανερὸν οὐδὲν οὕτως ἕτερον, ὡς ὅτι δεῖ τοὺς νόμους εἶναι κυρίους κειμένους ὀρθῶς· τὸν ἄρχοντα δὲ, ἄν τε εἷς ἄν τε πλείους ὦσι, περὶ τούτων εἶναι κυρίους, περὶ ὅσων ἐξαδυνατοῦσιν οἱ νόμοι λέγειν ἀκριβῶς, διὰ τὸ μὴ ῥᾴδιον εἶναι καθόλου δηλῶσαι περὶ πάντων.

§. 30. Ὁποίους μέν τοι τινὰς εἶναι δεῖ τοὺς ὀρθῶς κειμένους νόμους, οὐδέπω δῆλον, ἀλλ' ἔτι μένει τὸ πάλαι διαπορηθέν. ἀλλὰ γὰρ καὶ ὁμοίως ταῖς πολιτείαις ἀνάγκη καὶ τοὺς νόμους φαύλους ἢ σπουδαίους εἶναι, καὶ δικαίους ἢ ἀδίκους.

§. 31. Πλὴν τοῦτό γε φανερὸν, ὅτι δεῖ πρὸς τὴν πολιτείαν κεῖσθαι τοὺς νόμους. ἀλλὰ μὲν εἰ τοῦτο, δῆλον ὅτι τοὺς μὲν κατὰ τὰς ὀρθὰς πολιτείας, ἀναγκαῖον εἶναι δικαίους· τοὺς δὲ κατὰ τὰς παρεκβεβηκυίας, οὐ δικαίους.

## CAP. VIII.

§. 1.

IIX. Quia autem in cunctis ſcientiis & artibus finis eſt *bonum*: (c) maximum vero, & maxime in ea, quæ longe præſtat omnibus: hæc autem eſt civilis facultas.

§. 2. Eſt autem civile bonum, quod juſtum eſt: hoc vero, quod publice prodeſt.

§. 3. Videtur autem omnibus *æquale* (d) quoddam juſtum eſſe, & quadantenus aſſentiuntur diſputationibus habitis de philoſophia, in quibus definitum eſt de rebus, quæ pertinent ad mores; quid enim & quibus juſtum, & oportere æqualibus æquale eſſe, ajunt.

§. 4. Qualium autem æqualitas, & qualium inæqualitas, opus eſt minime nos fallere: continet enim hoc in ſe controverſiam & ſtudium veri cognoſcendi proprium civium.

§. 5. Fortaſſe enim affirmaret aliquis, pro omnis boni exuperantia oportere inæqualiter diſtribui magiſtratus, ſi reliquis omnibus in rebus nihil inter ſe diſcreparent, ſed ſimiles forent: diſcrepantibus enim diverſum eſſe juſtum, & quod ipſis pro dignitate.

§. 6. Atqui ſi hoc verum, erit & per colorem & per magnitudinem & per quodlibet aliud e genere bonorum, acceſſio quædam civilium juſtorum iis, qui antecellunt. An hæc eſt aperta vanitas?

§. 1.

IIX. Ἐπεὶ δ' ἐν πάσαις μὲν ταῖς ἐπιστήμαις καὶ τέχναις ἀγαθὸν τὸ τέλος, μέγιστον δὲ καὶ μάλιστα ἐν τῇ κυριωτάτῃ πασῶν. αὕτη δ' ἐστὶν ἡ πολιτικὴ δύναμις.

§. 2. Ἔστι δὲ πολιτικὸν ἀγαθὸν τὸ δίκαιον· τοῦτο δ' ἐστὶ τὸ κοινῇ συμφέρον.

§. 3. Δοκεῖ δὲ πᾶσιν ἴσόν τι τὸ δίκαιον εἶναι, καὶ μέχρι γέ τινος ὁμολογοῦσι τοῖς κατὰ φιλοσοφίαν λόγοις, ἐν οἷς διώρισται περὶ τῶν ἠθικῶν· τί γὰρ καὶ τίσι (e) τὸ δίκαιον, καὶ δεῖν τοῖς ἴσοις ἴσον εἶναί, φασι.

§. 4. Ποίων δ' (f) ἰσότης ἐστὶ, καὶ ποίων ἀνισότης, δεῖ μὴ λανθάνειν· ἔχει γὰρ τοῦτ' ἀπορίαν καὶ φιλοσοφίαν πολιτικήν.

§. 5. Ἴσως γὰρ ἂν φαίη τις κατὰ παντὸς ὑπεροχὴν ἀγαθοῦ δεῖν ἀνίσως νενεμῆσθαι τὰς ἀρχὰς, εἰ πάντα τὰ λοιπὰ μηδὲν διαφέροιεν, ἀλλ' ὅμοιοι τυγχάνοιεν ὄντες· τοῖς γὰρ διαφέρουσιν ἕτερον εἶναι τὸ δίκαιον καὶ τὸ κατ' ἀξίαν.

§. 6. Ἀλλὰ μὲν εἰ τοῦτ' ἀληθὲς, ἔσται καὶ κατὰ χρῶμα, καὶ κατὰ μέγεθος, καὶ καθ' ὁτιοῦν τῶν ἀγαθῶν, πλεονεξία τις τῶν πολιτικῶν δικαίων τοῖς ὑπερέχουσιν. ἢ τοῦτο (g) ἐπιπόλαιον τὸ ψεῦδος;

§. 3. §. 3.

(a) *De quibus*) Ob rerum humanarum incertitudinem & circumſtantiarum varietatem, multa magiſtratus arbitrio permitti debent. Etenim leges non niſi de iis, quæ ut plurimum accidunt, conſtituuntur, & non tanta eſt humani ingenii ſolertia, ut de omnibus caſibus cogitare queat. *GOEB.*

(b) *Leges accommodari*) Et formæ reipublicæ & genio ſubditorum accommodari debent. PLUTARCH. *in politica.* *GOEB.*

(c) *Bonum*) 1. *Eth.* c. 3. *GOEB.*

(d) *Æquale*) Omnis juſtitia conſiſtit in æqualitate ſive perfecta, ſive imperfecta. *GOEB.*

(e) τί γὰρ καὶ τίσι) Caſaubonus: καὶ τισί. Rectius. *CONR.*

(f) ποίων δ') Camerarius monet, in msc. codice ſuo non lectam illam adverſativam δὲ. Nec Lambinus illam expreſſit. Sylburgius quoque exiſtimat, illa expuncta, orationem magis fore κατάλληλον. Ego nihil mutandum cenſeo. *CONR.*

(g) ἢ τοῦτο) Lambinus vertit: *an hæc eſt aperta vanitas?*



Digitized by Google

§. 7. Planum autem eſt in aliis ſcientiis & facultatibus. Tibicinum namque parium in arte, non decet dare præſtantiam tibiarum nobilioribus, nihilo enim melius utuntur ipſis: oportet autem ei, qui *opere excellit*, (*a*) dare etiam inſtrumentorum excellentiam.

§. 8. Si autem nondum planum eſt, quod dicitur, adhuc magis nobis ipſum producentibus perſpicuum erit. Si autem foret aliquis, excellens ſane arte tibiarum, valde autem inferior nobilitate vel pulchritudine: etſi unumquodq; eorum majus bonum eſt arte tibiarum: (intelligo autem nobilitatem & pulcritudinem,) & proportione majore intervallo ſuperent artem tibiarum, quam ille arte tibiarum, tamen huic dare oportet excellentiores tibias. Oportet enim ad opus conducere excellentiam & divitiarum nobilitatis: conducunt autem nihil.

§. 9. Adhuc ratione hac omne bonum cum omni bono conferre liceret. Si namque magis quædam magnitudo, & omnino magnitudo in contentionem veniret cum divitiis & cum libertate. Quare ſi hic plus excellit virtute & plus omnino ſuperat magnitudo virtutem, poſſent omnia inter ſe conferri. Tanta enim magnitudo, ſi major eſt, quam tanta, tanta non eſt dubium, quam æqualis futura.

§. 10. Quia autem hoc fieri non poteſt, planum eſt, quod in rebus ad civitatem pertinentibus, non ſine cauſa non controverſantur de magiſtratibus. Si enim hi quidem tardi, hi vero celeres: nihilo plus oportet hac de cauſa hos quidem plus, hos vero minus habere, ſed in *gymnicis certaminibus* (*b*) horum præſtantia honorem adipiſcitur.

§. 11. Verum ex quibus civitas conſtat, de his neceſſe eſt venire in controverſiam.

§. 12. Quare merito contendunt de honore nobiles & liberi & divites. Oportet enim & liberos eſſe & cenſum ferentes. Non enim conſtaret civitas ex pauperibus omnibus: quemadmodum neque e ſervis. Atqui ſi opus eſt his, planum eſt opus etiam eſſe *juſtitia & bellica* (*c*) virtute. Neque enim ſine his civitas habitari poteſt: niſi quod ſine prioribus conſtare civitas non poteſt: ſine his autem, habitari bene.

§. 13. XIII. Ut civitas igitur maneat, videretur vel cuncta, vel quædam horum recte controverſari: ad bene autem vivendum diſciplina & virtus maxime jure bono controverſarentur, quemadmodum etiam dictum eſt prius.

§. 14. Quia autem neque omnium rerum æqualitatem habere oportet illos, qui æquales ſunt tantum in uno quopiam: neq; inæqualitatem, qui inæquales ſunt in uno, neceſſe eſt cunctas hujuſcemodi reſpublicas depravationes eſſe.

§. 15.

§. 7. Φανερὸν δ᾽ ἐπὶ τῶν ἄλλων ἐπιςημῶν καὶ δυνάμεων. τῶν γὰρ ὁμοίων αὐλητῶν τὴν τέχνην, οὐ δοτέον πλεονεξίαν τῶν αὐλῶν τοῖς εὐγενεςέροις· οὐδὲν γὰρ αὐλήσουσι βέλτιον. δεῖ δὲ τῷ κατὰ τὸ ἔργον ὑπερέχοντι, διδόναι καὶ τῶν ὀργάνων τὴν ὑπεροχήν.

§. 8. Εἰ δὲ μή πω δῆλον τὸ λεγόμενον, ἔτι μᾶλλον αὐτὸ προαγαγοῦσιν ἔςαι φανερόν. εἰ γὰρ εἴη τις ὑπερέχων μὲν κατὰ τὴν αὐλητικὴν, πολὺ δ᾽ ἐλλείπων κατ᾽ εὐγένειαν ἢ κάλλος, εἰ καὶ μεῖζον ἕκαςον ἐκείνων ἀγαθόν ἐςι τῆς αὐλητικῆς. (λέγω δὲ τήν τ᾽ εὐγένειαν καὶ τὸ κάλλος) καὶ κατὰ τὴν ἀναλογίαν ὑπερέχουσι πλέον τῆς αὐλητικῆς, ἢ ἐκεῖνος κατὰ τὴν αὐλητικήν· ὅμως τούτῳ δοτέον (*d*) τοὺς διαφέροντας τῶν αὐλῶν. δεῖ γὰρ εἰς τὸ ἔργον συμβάλλεσθαι τὴν ὑπεροχὴν καὶ τοῦ πλούτου καὶ τῆς εὐγενείας· συμβάλλονται δ᾽ οὐδέν.

§. 9. Ἔτι κατά γε τοῦτον τὸν λόγον πᾶν ἀγαθὸν πρὸς πᾶν ἂν εἴη συμβλητόν. εἰ γὰρ μᾶλλον τὸ τὶ μέγεθος, καὶ ὅλως ἂν τὸ μέγεθος ἐνάμιλλον εἴη καὶ πρὸς πλοῦτον, καὶ πρὸς ἐλευθερίαν. ὥς᾽ εἰ πλεῖον ὁδὶ διαφέρει κατὰ μέγεθος, (*e*) ἢ ὁδὶ κατ᾽ ἀρετὴν, καὶ πλεῖον ὑπάρχει ὅλως ἀρετῆς μέγεθος, εἴη ἂν συμβλητὰ πάντα. τοσόν δε γὰρ μέγεθος, εἰ κρεῖττον τοσοῦδε, τοσόνδε δῆλον ὡς ἴσον.

§. 10. Ἐπεὶ δὲ τοῦτ᾽ ἀδύνατον, δῆλον ὡς καὶ ἐπὶ τῶν πολιτικῶν εὐλόγως οὐ κατὰ πᾶσαν ἀνισότητα ἀμφισβητοῦσι τῶν ἀρχῶν. εἰ γὰρ οἱ μὲν βραδεῖς, οἱ δὲ ταχεῖς, οὐδὲν διὰ τοῦτο δεῖ τοὺς μὲν πλεῖον, τοὺς δ᾽ ἔλαττον ἔχειν· ἀλλ᾽ ἐν τοῖς γυμνικοῖς ἀγῶσιν. ἡ τούτων διαφορὰ λαμβάνει τὴν τιμήν.

§. 11. Ἀλλ᾽ ἐξ ὧν πόλις συνέςηκεν, ἐν τούτοις ἀναγκαῖον ποιεῖσθαι τὴν ἀμφισβήτησιν.

§. 12. Διόπερ εὐλόγως ἀντιποιοῦνται τῆς τιμῆς οἱ εὐγενεῖς, καὶ ἐλεύθεροι, καὶ πλούσιοι. δεῖ γὰρ ἐλευθέρους τ᾽ εἶναι, καὶ τίμημα φέροντας. οὐ γὰρ ἂν εἴη πόλις ἐξ ἀπόρων πάντων, ὥσπερ οὐδ᾽ ἐξ δούλων. ἀλλὰ μὴν εἰ δεῖ τούτων, δηλονότι (*f*) καὶ δικαιοσύνης, καὶ τῆς πολεμικῆς ἀρετῆς. οὐδὲ γὰρ ἄνευ τούτων οἰκεῖσθαι πόλιν δυνατόν· πλὴν ἄνευ μὲν τῶν προτέρων ἀδύνατον εἶναι πόλιν, ἄνευ δὲ τούτων οἰκεῖσθαι καλῶς.

§. 13. XIII. Πρὸς μὲν οὖν τὸ πόλιν εἶναι, δόξειεν ἂν ἢ πάντα, ἢ ἔνιά γε τούτων ὀρθῶς ἀμφισβητεῖν· πρὸς μέν τοι ζωὴν ἀγαθὴν ἡ παιδεία, καὶ ἡ ἀρετὴ, μάλιςα δικαίως (ἂν) ἀμφισβητήσειαν, καθάπερ εἴρηται καὶ πρότερον.

§. 14. Ἐπεὶ δ᾽ οὔτε πάντων ἴσον (*g*) ἔχειν δεῖ τοὺς ἴσους, ἕν τί μόνον ὄντας, οὔτε ἄνισον τοὺς ἀνίσους καθ᾽ ἕν, ἀνάγκη πάσας εἶναι τὰς τοιαύτας πολιτείας παρεκβάσεις.

§. 15.

*tas?* interrogationis itaque ſignum agnovit. Quo ſane oratio fit elegantior. Caſaubonus tamen notam interrogationis delet. *CONR.*

(*a*) *Opere excellit*) Atque ſic in reipublicæ negotiis adminiſtrandis ſemper illi, qui alios prudentia ſuperant, legendi eſſent, quod tamen nonnunquam negligitur. vid. PLUTARCH. *in politica.* *GOEB.*

(*b*) *Gymnicis certaminibus*) Conf. PLUTARCHUS *de educandis liberis.* *GOEB.*

(*c*) *Juſtitia & bellica*) Juſtitia inprimis malis internis, virtus bellica externis avertendis inſervit. *GOEB.*

(*d*) τούτῳ δοτέον) Forte legendum τούτῳ οὐ δοτέον perinde ut ſupra. Hoc ſane reapſe Ariſtoteles ſenſit. Si retineamus vero lectionem affirmativam, Ariſtoteles non niſi per εἰρωνείαν locutus eſt. *CONR.*

(*e*) κατὰ μέγεθος) Omnia hæc: ὁδὶ διαφέρει κατὰ μέγεθος ἢ: omittunt Aldinus & Baſileenſis codex. At expreſſit Vetus etiam interpres cum recentioribus. *CONR.*

(*f*) δηλονότι) Sic vertit etiam Lambinus. At in Iſengriniano eſt δῆλον ὅτι: ut & in Montecatiniano. Idque expreſſerunt interpres Vetus, Aretinus & Victorius: probatque Sylburgius. *CONR.*

(*g*) Πάντων ἴσον) Scripſerim πᾶν τὸ ἴσον. ut paulo poſt ἴσους καθ᾽ ἕν τι μόνον. Nec enim temere alius dixit πάντων ἴσον pro πάντων ἰσότητα, ut nec ἴσους ἓν pro καθ᾽ ἕν. *CONR.*

Digitized by Google

§. 15. Dictum igitur eſt & prius, controverſari aliquo modo jure omnes: *ſimpliciter* autem non omnes jure.

§. 16. Divites quidem, quod plus regionis ipſi poſſident: regio autem eſt communis: prætera quod in contractibus magis *plerumque*(*a*) fidi.

§. 17. Liberi autem & nobiles, ut propinqui inter ſe. Cives enim magis, qui magis ſunt generoſi, quam minime generoſi: *nobilitas* (*b*) autem apud cunctos domi honorata. Præterea quod meliores veriſimile eſt creari e melioribus: nobilitas enim eſt virtus generis.

§. 18. Eodem jam pacto dicemus, jure virtutem quoque controverſari. aptam enim communioni virtutem juſtitiam eſſe affirmamus, cui omnes neceſſe eſt comitari alias.

§. 19. Atqui & plures cum paucioribus. Sunt enim potentiores & locupletiores & meliores, ut ſimul ſumptis pluribus adverſus pauciores.

§. 20. Nunquid igitur, ſi cuncti forent in una civitate, (dico autem, ceu boni viri & divites & nobiles, itemque alia quædam multitudo civilis) utrum controverſia exoriretur, quos decet imperium habere, ſive nulla exiſteret.

§. 21. In ſingulis enim rebuspublicis, quas diximus, controverſia vacat judicium; quos decet imperium habere. Diſcrepant enim inter ſe hominibus ſummam in ipſis poteſtatem habentibus. Ceu hæc quidem eo conſtat, quod a divitibus: hæc autem, quod a ſtudioſis viris regatur: & eodem pacto ſingulæ aliæ. Sed tamen videmus, quando eodem tempore hæc fuerint, quo diſtinguendum ſit.

§. 22. Si jam numero forent pauci admodum, qui habent imperium, quo oportet diſtinguere? an qui dicti ſunt pauci, ad opus oportet referre, ſi valent adminiſtrare civitatem? vel tot numero ſunt, ut conſtet civitas ex ipſis?

§. 23. Eſt autem dubitatio quædam adverſus omnes, qui controverſantur de civilibus honoribus. Videri enim poſſent nihil juſtum dicere, qui poſtulant ſe imperare commendatione divitiarum: eodemque pacto, qui ob claritatem generis. Manifeſtum enim, quod ſi quis unus divitior omnibus eſt, eodem jure hunc unum imperium habere in omnes oportebit: eodem pacto, & qui præſtat nobilitate eos, qui controverſantur, freti eo, quod liberis parentibus nati ſunt.

§. 24.

§. 15. Εἴρηται μὲν οὖν καὶ πρότερον, ὅτι διαμφισβητοῦσι τρόπον τινὰ δικαίως πάντες, ἁπλῶς δ᾽ οὐ πάντες δικαίως.

§. 16. Οἱ πλούσιοι μὲν, ὅτι πλεῖον μέτεστι τῆς χώρας αὐτοῖς· ἡ δὲ χώρα κοινόν· ἔτι πρὸς τὰ συμβόλαια πιστοὶ μᾶλλον ὡς ἐπὶ τὸ πλέον.

§. 17. Οἱ δ᾽ ἐλεύθεροι καὶ εὐγενεῖς, ὡς ἐγγὺς ἀλλήλων. (*c*) πολῖται γὰρ μᾶλλον οἱ γενναιότεροι τῶν ἀγενῶν· ἡ δ᾽ εὐγένεια (*d*) παρ᾽ ἑκάστοις οἴκοι τίμιος. ἔτι διότι βελτίους εἰκὸς τοὺς ἐκ βελτιόνων· εὐγένεια γάρ ἐστιν ἀρετὴ γένους.

§. 18. Ὁμοίως δὴ φήσομεν δικαίως καὶ τὴν ἀρετὴν ἀμφισβητεῖν. κοινωνικὴν γὰρ ἀρετὴν εἶναι φαμεν τὴν δικαιοσύνην, ᾗ πάσας ἀναγκαῖον ἀκολουθεῖν τὰς ἄλλας.

§. 19. Ἀλλὰ μὴν καὶ οἱ πλείους πρὸς τοὺς ἐλάττους. καὶ γὰρ κρείττους καὶ πλουσιώτεροι καὶ βελτίους εἰσὶν, ὡς λαμβανομένων τῶν πλειόνων πρὸς τοὺς ἐλάττους.

§. 20. Ἆρ᾽ οὖν, εἰ πάντες εἶεν ἐν μιᾷ πόλει (λέγω δ᾽ οἷον (*e*) οἵ τ᾽ ἀγαθοὶ, καὶ οἱ πλούσιοι καὶ εὐγενεῖς, ἔτι δὲ πλῆθος ἄλλό τι πολιτικόν) πότερον ἀμφισβήτησις ἔσται, τίνας ἄρχειν δεῖ, ἢ οὐκ ἔσται;

§. 21. Καθ᾽ ἑκάστην μὲν οὖν πολιτείαν τῶν εἰρημένων, ἀναμφισβήτητος ἡ κρίσις, τίνας ἄρχειν δεῖ. τοῖς γὰρ κυρίοις διαφέρουσιν ἀλλήλων· οἷον ἡ μὲν, τῷ διὰ πλουσίων· ἡ δὲ, τῷ διὰ τῶν σπουδαίων ἀνδρῶν εἶναι· καὶ τῶν ἄλλων ἑκάστη τὸν αὐτὸν τρόπον. ἀλλ᾽ ὅμως σκοποῦμεν, (*f*) ὅταν περὶ τὸν αὐτὸν ταῦθ᾽ ὑπάρχῃ χρόνον, πῶς διοριστέον.

§. 22. Εἰ δὴ τὸν ἀριθμὸν εἶεν ὀλίγοι (*g*) πάμπαν οἱ τὴν ἀρετὴν ἔχοντες, τίνα δεῖ διελεῖν (τὸν) τρόπον; ἢ τὸ ὀλίγοι πρὸς τὸ ἔργον δεῖ σκοπεῖν, εἰ δυνατοὶ διοικεῖν τὴν πόλιν· ἢ τοσοῦτοι τὸ πλῆθος, ὥστ᾽ εἶναι πόλιν ἐξ αὐτῶν;

§. 23. Ἔστι δὲ ἀπορία τις πρὸς ἅπαντας τοὺς διαμφισβητοῦντας περὶ τῶν πολιτικῶν τιμῶν. δόξαιεν γὰρ οὐδὲν λέγειν δίκαιον οἱ διὰ τὸν πλοῦτον ἀξιοῦντες ἄρχειν. ὁμοίως δὲ καὶ οἱ κατὰ γένος. δῆλον γὰρ, ὡς εἴ τις πάλιν εἷς πλουσιώτερος ἁπάντων ἐστὶ, δηλονότι (*h*) κατὰ τὸ αὐτὸ δίκαιον τοῦτον ἄρχειν τὸν ἕνα ἁπάντων δεήσει· ὁμοίως δὲ καὶ τὸν εὐγενείᾳ διαφέροντα, τῶν ἀμφισβητούντων δι᾽ ἐλευθερίαν.

§. 24.

(*a*) *Plerumque*) Hoc ſæpe fallit; avari enim cupiditati ſuæ habendi modum ponere neſciunt. *GOEB.*

(*b*) *Nobilitas*) HERT. *prudentia civilis part. I. ſect. V.* §. 12. TIRAQUELLUS & KNIPSCHILD. NOLDEN. & MAURITIUS *de nobilitate.* *GOEB.*

(*c*) ἐγγὺς ἀλλήλων) At vero liberum eſſe & commune eſt populo. Qua in re igitur populus & nobiles ſibi mutuo finitimi ſunt? An rectius ἐγγὺς τῶν πόλεων? Nobiles nimirum & liberi homines ſunt maxime propinqui civitatibus. Hinc mox additur: πολῖται γὰρ μᾶλλον. &c. *CONR.*

(*d*) ἡ δὲ εὐγένεια) Zvvingerus ἥ τ᾽ εὐγένεια. Pulchre. *CONR.*

(*e*) λέγω δ᾽ οἷον) Aldus & Iſengrinius non habent δὲ. Parentheſi autem hæc incluſimus perſpicuitatis gratia. *CONR.*

(*f*) σκοποῦμεν) Ita placuit non Victorio tantum, ſed etiam Geneſio & Giphanio. At Vetus interpres & Lambinus & Aretinus legerunt σκοπῶμεν. Neutrum facile alteri prætuleris. Non ferendum vero; quod habet Aldus & Iſengrinius, σκοποῦσι μὲν, corruptum nimirum ex σκοποῦμεν. Miror ſane placuiſſe hoc Caſaubono, qui tamen videtur malle σκοπήσομεν. *CONR.*

(*g*) εἶεν ὀλίγοι) Non habent τὸ εἶεν Aldus & Iſengrinius. *CONR.*

(*h*) δηλονότι) Hoc expreſſit Lambinus. Iſengrinius & Aldus & Caſaubonus habent δῆλον ὅτι: perperam, cum indicat præcedens δῆλον. Mihi ſimpliciter ὅτι legendum videtur. Camerario item viſum, voculam a librario intruſam. *CONR.*

§. 24. Idem autem hoc fortaſſe continget & in ſtatibus optimorum de virtute. Si enim aliquis unus vir melior eſſet cæteris, qui ſunt in ea republica ſtudioſis exiſtentibus, hunc dominari oportet eodem genere juris.

§. 25. Sequeretur, ſi multitudinem oportet ſummam poteſtatem habere, quia potentiores ſunt paucis: & ſi unus, vel plures ſane uno, pauciores tamen multis, potentiores forent aliis: hos oporteret potius ſummam poteſtatem habere, quam multitudinem.

§. 26. Cuncta jam hæc videntur planum facere, nullum horum finium rectum eſſe, per quem poſtulant ipſi quidem imperium habere, cæteros autem omnes ſibi parere. Etenim & adverſus eos, qui ob virtutem poſtulant ſe principes eſſe reipublicæ atque eodem pacto illos, qui ob divitias, poſſent dicere multi rationem quandam juſtam. Nihil enim vetat, quin aliquando multitudo ſit melior, quam pauci, & locupletior: non tamen ut ſinguli, ſed ut toti ſimul.

§. 27. Quapropter & adverſus quæſtionem, qua quærunt, quamque ponunt nonnulli, licet hoc modo decurrere. Dubitant enim quidam, utrum legiſlator, qui velit ferre leges rectiſſimas, debeat referre ſe ad id, quod conducit *melioribus*, (*a*) ſive quod pluribus,

** **

quando contigerit, quod dictum eſt.

§. 28. Rectum vero ſumendum eſt æqualiter. Æqualiter autem rectum ad totius civitatis utilitatem & ad commune civium. Civis autem communiter quidem eſt, qui particeps eſt *imperandi* (*b*) & parendi: in ſingulis autem rebuspublicis diverſus: ad optima vero, qui vim & poteſtatem eam habet atque id eligit, ut pareat alieno imperio & imperet ad vitam, ex virtute.

§. 24. Ταὐτὸ δὲ τοῦτ᾽ ἴσως συμβήσεται καὶ περὶ τὰς ἀριστοκρατίας ἐπὶ τῆς ἀρετῆς. εἰ γάρ τις εἷς ἀμείνων ἀνὴρ εἴη τῶν ἄλλων, τῶν ἐν τῷ πολιτεύματι σπουδαίων ὄντων, τοῦτον εἶναι δεῖ κύριον κατὰ ταὐτὸ δίκαιον.

§. 25. Οὐκοῦν εἰ καὶ τὸ πλῆθος εἶναί γε δεῖ κύριον, διότι κρείττους εἰσὶ τῶν ὀλίγων, κἂν εἷς, ἢ πλείους μὲν τοῦ ἑνὸς, ἐλάττους δὲ τῶν πολλῶν κρείττους ὦσι τῶν ἄλλων, τούτους ἂν δέοι κυρίους εἶναι μᾶλλον, ἢ τὸ πλῆθος.

§. 26. Πάντα δὴ ταῦτ᾽ ἔοικε φανερὸν ποιεῖν, ὅτι τούτων τῶν ὅρων οὐδεὶς ὀρθός ἐστι, (*c*) καθ᾽ ὃν ἀξιοῦσιν αὐτοὶ μὲν ἄρχειν, τοὺς δ᾽ ἄλλους ὑπὸ σφῶν ἄρχεσθαι πάντας. καὶ γὰρ δὴ καὶ πρὸς τοὺς κατ᾽ ἀρετὴν ἀξιοῦντας κυρίους εἶναι τοῦ πολιτεύματος, ὁμοίως δὲ καὶ (πρὸς) τοὺς κατὰ πλοῦτον, ἔχοιεν ἂν λέγειν τὰ πλήθη λόγον τινὰ δίκαιον. οὐδὲν γὰρ κωλύει ποτὲ τὸ πλῆθος εἶναι βέλτιον τῶν ὀλίγων καὶ πλουσιώτερον, οὐχ ὡς καθ᾽ ἕκαστον, ἀλλ᾽ ὡς ἀθρόους.

§. 27. Διὸ καὶ πρὸς τὴν ἀπορίαν, ἣν ζητοῦσι καὶ προβάλλουσί τινες, ἐνδέχεται τοῦτον τὸν τρόπον ἀπαντᾷν. ἀποροῦσι γάρ τινες, πότερον τῷ νομοθέτῃ νομοθετητέον βουλομένῳ τίθεσθαι τοὺς ὀρθοτάτους νόμους, πρὸς τὸ τῶν βελτιόνων συμφέρον, ἢ πρὸς τὸ τῶν πλειόνων,

** **

ὅταν συμβαίνῃ (*d*) τὸ λεχθέν.

§. 28. Τὸ δ᾽ ὀρθὸν ληπτέον ἴσως· (*e*) τὸ δ᾽ ἴσως ὀρθὸν, πρὸ τὸ τῆς πόλεως ὅλης συμφέρον, καὶ πρὸς τὸ κοινὸν τὸ τῶν πολιτῶν. πολίτης δὲ κοινῇ μὲν, ὁ μετέχων τοῦ ἄρχειν καὶ ἄρχεσθαι, ἐστί· καθ᾽ ἑκάστην δὲ πολιτείαν ἕτερος· πρὸς δὲ τὴν ἀρίστην, ὁ δυνάμενος καὶ προαιρούμενος ἄρχεσθαι καὶ ἄρχειν πρὸς τὸν βίον τὸν κατ᾽ ἀρετήν.

** ** ** **

# CAP. IX. (*)

** ** ** **

§. 1.

Si autem eſt unus quidam tantum præſtans exuperantia virtutis: vel plures quidem uno, non tot tamen, ut valeant ex ſe complere civitatem: ita ut conferri non poſſit cæterorum omnium virtus, neque facultas civilis, cum illorum, ſi plures ſunt, ſi vero unus, cum

§. 1.

Εἰ δέ τις ἐστὶν εἷς τοσοῦτον διαφέρων κατ᾽ ἀρετῆς ὑπερβολὴν, ἢ πλείους μὲν ἑνὸς, μὴ μέντοι δυνατοὶ πλήρωμα παρασχέσθαι πόλεως, ὥστε μὴ συμβλητὴν εἶναι τὴν τῶν ἄλλων ἀρετὴν πάντων, μηδὲ τὴν δύναμιν αὐτῶν τὴν πολιτικὴν πρὸς τὴν ἐκείνων, εἰ πλείους· εἰ δ᾽ εἷς, τὴν ἐκείνου μόνον· οὐκέτι θετέον

(*a*) *Melioribus*) Legibus ferendis malitia hominum occaſionem præbet. *per che*, inquit MACH. *lib. I. diſc. c. IV. li buoni eſſempi naſcono dalla buona educatione, la buona educatione dalle buone leggi & le buone leggi da quelli tumulti, che molti inconſideratamente dannano. GOEB.*

(*b*) *Imperandi*) Loquitur de cive, qui eſt membrum reipublicæ democraticæ. *GOEB.*

(*c*) ὀρθός ἐστι) Sic legerunt omnes interpretes. Aldus & Iſengrinius habent ὀρθῶς. *CONR.*

(*d*) ὅταν συμβαίνῃ) Provocat hoc loco Ariſtoteles ad τὸ λεχθὲν; Atqui tale nihil hic legitur. Videntur igitur nonnulla excidiſſe. Nec enim quæſtio integre eſt propoſita, nec integre ſoluta. Sub finem capitis ſane quædam deeſſe, indicatur liquido etiam illi infallibili ſigno, quod nempe nulla ſit cum prioribus connexio. Dixeris tamen merito, in omnibus hiſce multa videri disjecta. Obſcura enim haud pauca occurrunt, & moventur quidem multa, ſed non illuſtrantur. *CONR.*

(*e*) ληπτέον ἴσως) Obiter monendum, interpretes hunc locum valde obſcurare, vertentes ἴσως *fortaſſis*, cum heic ſignificet *æqualiter*. Cavit tamen ſibi Victorius. *CONR.*

(*) *Cap. IX.*) Multa hic deeſſe, res ipſa loquitur. Verſatur ſcilicet Ariſtoteles in illa quæſtione, cuinam jure competat in civitate ſumma poteſtas. Etſi enim jam dixiſſet, ariſtocratiam, politiam, & regnum eſſe ſpecies juſtas rerumpublicarum: oligarchiam vero, democratiam & tyrannidem injuſtas: attamen ſubtiliſſime poſtea hoc ipſum diſputare inſtituit. Et in iis quidem, quæ ſuperant hæc agitari palam eſt: nemini autem accurato diſputatori illa profecto tantis dubiis tollendis poſſunt videri ſufficere. *CONR.*

Digitized by Google

cum illius ſolum: non amplius ponere oportet hos partem civitatis. Injuriam enim accipient æqualibus digni habiti, cum tantum inæquales ſint virtute & civili facultate. Tanquam enim Deum inter homines veriſimile eſt *talem eſſe.* (a)

θετέον τούτους μέρος πόλεως. ἀδικήσονται (e) γὰρ ἀξιούμενοι τῶν ἴσων, ἄνισοι τοσοῦτον κατ᾽ ἀρετὴν ὄντες, καὶ τὴν πολιτικὴν δύναμιν. ὥσπερ γὰρ θεὸν ἐν ἀνθρώποις εἰκὸς εἶναι τὸν τοιοῦτον.

§. 2. Unde planum fit, neceſſe eſſe Leges ferri in æqualibus & *genere & poteſtate.* (b) Contra vero tales non eſt lex. Ipſi namque ſunt lex. Riſum enim de ſe excitaret, qui experiretur lege ipſos illigare. Dicerent enim fortaſſe eadem illa, quæ Antiſthenes ait leones dixiſſe, cum in concione verba facerent lepores, poſtularentque, ut omnes æquum rerum haberent.

§. 2. Ὅθεν δῆλον, ὅτι (f) καὶ τὴν νομοθεσίαν ἀναγκαῖον εἶναι περὶ τοὺς ἴσους, καὶ τῷ γένει καὶ τῇ δυνάμει· κατὰ δὲ τῶν τοιούτων οὐκ ἔστι νόμος. αὐτοὶ γάρ εἰσι νόμος. καὶ γὰρ γελοῖος ἂν εἴη νομοθετεῖν τις πειρώμενος κατ᾽ αὐτῶν. λέγοιεν γὰρ ἂν ἴσως ἅπερ Ἀντισθένης ἔφη τοὺς λέοντας, δημηγορούντων τῶν δασυπόδων, καὶ τὸ ἴσον ἀξιούντων πάντας ἔχειν.

§. 3. Quare & *oſtraciſmum* (c) ſtatuerunt civitates, quæ a multitudine reguntur, ob hujuſcemodi cauſam. Hæ namque videntur maxime omnium ſequi æqualitatem. Quare eos, qui videntur plurimum antiſtare poteſtate propter divitias vel multitudinem amicorum, aut alias quaſdam hujuſcemodi opes, notabant & e civitate ejiciebant ad certa quædam tempora.

§. 3. Διὸ καὶ τίθενται τὸν ὀστρακισμὸν αἱ δημοκρατούμεναι πόλεις, διὰ τὴν τοιαύτην αἰτίαν. αὗται γὰρ δὴ δοκοῦσι διώκειν τὴν ἰσότητα μάλιστα πάντων. ὥστε τοὺς δοκοῦντας ὑπερέχειν δυνάμει διὰ πλοῦτον, ἢ πολυφιλίαν, ἤ τινα ἄλλην πολιτικὴν ἰσχὺν, ὠστράκιζον καὶ μεθίστασαν ἐκ τῆς πόλεως χρόνους ὡρισμένους.

§. 4. Fertur autem & argonautas Herculem reliquiſſe ob hujuſcemodi cauſſam: neque enim velle ipſum remis agere navim una cum aliis, ut qui antiſtaret multum nautis.

§. 4. Μυθολογεῖται δὲ καὶ τοὺς Ἀργοναύτας τὸν Ἡρακλέα καταλιπεῖν διὰ τοιαύτην αἰτίαν. οὐ γὰρ ἐθέλειν αὐτὸν ἄγειν τὴν Ἀργὼ μετὰ τῶν ἄλλων, ὡς ὑπερβάλλοντα πολὺ τῶν πλωτήρων.

§. 5. Quare eos, qui vituperant tyrannidem, & conſilium, quod dedit Periander Thraſybulo, non ſimpliciter putandum eſt recte increpare.

§. 5. Διὸ καὶ τοὺς ψέγοντας τὴν τυραννίδα, καὶ τὴν Περιάνδρου Θρασυβούλῳ συμβουλίαν, οὐχ ἁπλῶς οἰητέον ὀρθῶς ἐπιτιμᾷν.

§. 6. Ajunt enim Periandrum nihil ſane dixiſſe præconi, miſſo ad ſe de conſilio, quo juvari ſolebat; dementem autem eminentes ſpicas, adæquaſſe ſegetem: unde neſciente præcone cauſam facti, nunciante autem, quod factum viderat, intellexiſſe *Thraſybulum*, (d) oportere viros, qui cæteris antiſtent, interimere.

§. 6. Φασὶ γὰρ τὸν Περίανδρον εἰπεῖν μὲν οὐδὲν πρὸς τὸν πεμφθέντα κήρυκα περὶ τῆς συμβουλίας, ἀφαιροῦντα δὲ τοὺς ὑπερέχοντας τῶν σταχύων, ὁμαλῦναι τὴν ἄρουραν· ὅθεν ἀγνοοῦντος μὲν τοῦ κήρυκος τοῦ γινομένου τὴν αἰτίαν, ἀπαγγείλαντος δὲ τὸ συμπεσὸν, συννοῆσαι τὸν Θρασύβουλον, ὅτι δεῖ τοὺς ὑπερέχοντας ἄνδρας ἀναιρεῖν.

§. 7. Hoc enim non ſolum tyrannis prodeſt, neque tyranni ſoli faciunt: ſed eodem pacto ſe habet & in dominatibus paucorum & in ſtatibus multitudinis. Oſtraciſmus enim eandem vim habet aliquo modo, quam habet conterere illos, qui antecellunt, & in exilium mittere.

§. 7. Τοῦτο γὰρ οὐ μόνον συμφέρει τοῖς τυράννοις, οὐδὲ μόνον οἱ τύραννοι ποιοῦσιν· ἀλλ᾽ ὁμοίως ἔχει καὶ περὶ τὰς ὀλιγαρχίας, καὶ τὰς δημοκρατίας. ὁ γὰρ ὀστρακισμὸς τὴν αὐτὴν ἔχει δύναμιν τρόπον τινὰ, τῷ κολούειν (g) τοὺς ὑπερέχοντας καὶ φυγαδεύειν.

§. 8. Idem autem in civitates & gentes faciunt, qui rerum potiuntur. Veluti Athenienſes in Samios & Chios & Lesbios: ſtatim enim, ut firmiter imperium adepti ſunt, contriverunt ipſos contra pacta. Rex autem Perſarum Medos & Babylonios, & aliorum, qui magnos ſpiritus

§. 8. Τὸ δ᾽ αὐτὸ καὶ περὶ τὰς πόλεις καὶ τὰ ἔθνη ποιοῦσιν οἱ κύριοι τῆς δυνάμεως. οἷον Ἀθηναῖοι μὲν περὶ Σαμίους, καὶ Χίους, καὶ Λεσβίους· ἐπεὶ γὰρ θᾶττον ἐγκρατῶς ἔσχον τὴν ἀρχὴν ἐταπείνωσαν αὐτοὺς παρὰ τὰς συνθήκας. ὁ δὲ Περσῶν βασιλεὺς Μήδους καὶ Βαβυλωνίους καὶ τῶν

(a) *Talem eſſe*) Talis optandus eſt, interim alius, quem acciderit habere in regnis, ferendus eſt. Neque obinde, ſi forte in aliquam impingat virtutem moralem aut etiam rectoriam, ab ipſius obſequio illico diſcedere fas eſt. Bonitas enim aut malitia actus, præſertim in civilibus, quæ ſæpe obſcuram habent diſceptationem, aptæ non ſunt ad partes diſtinguendas. *GOEB.*

(b) *Genere & poteſtate*) Leges cum effectu præſcribit ſuperior, qui vires habet immorigeros, ut imperata faciant, adigendi. PUFFENDORF. *de J. N. & G. lib. I. c. VI.* §. 12. *GOEB.*

(c) *Oſtraciſmum*) Vid. PLUTARCHUS *in Ariſtide & Pericle.* DIOD. SICUL. II. THUCYDID. *lib.* 8. PICCARTUS *p.* 446. Nomen habuit ab ὀστράκου teſtula ſive fictilis fruſto, cui relegati nomen inſcribebatur. Erat autem duplex oſtraciſmi genus, unum quod cum bonorum ademtione, graviorum delictorum reis in perpetuum injungebatur, aliud genus illos manebat, qui ad decennium plerumque patriæ abeſſe jubebantur, ita tamen, ut bona ipſis ſalva eſſent. Vid. MAGIUS *in annotat. in* ÆMILII PROBI *Themiſtoclen.* *GOEB.*

(d) *Thraſibulum*) Non Periander Thraſybulo Mileti tyranno, ſed hic illi tale dediſſe fertur conſilium. Vid. HERODOTUS in *Therpſichore n.* 140. PLUTARCH. in *conviv. 7. ſapient.* DIOGENES LAERTIUS *in vita Periandri.* Alia exempla recenſet PICCART. *p.* 449. ARNISÆUS *relect. polit. c. III. ſect.* 5. *p.* 671. *GOEB.*

(e) ἀδικήσονται) Pars illorum dubiorum eſt, quod hoc loco Caſaubonus ſcribit, ἀδικηθήσονται: rectius. *CONR.*

(f) Ὅθεν δῆλον, ὅτι) Aldus & Iſengrinius & Caſaubonus habent δηλονότι. Sed (ut recte ait Montecatinus) melior eſt altera ſcriptura, quam omnes interpretes ſequuntur. *CONR.*

(g) τῷ κολούειν) Pro hac lectione pugnat Victorius multis argumentis: idque merito. Vetus tamen interpres ut & Geneſius ſecuti ſunt illam, quam habet Aldus & Iſengrinius: τῷ κωλύειν. CONR.

Digitized by Google

ritus gerebant, quia ante imperium obtinuerant, ſæpe labefactavit.

τῶν ἄλλων τοὺς πεφρονηματισμένους, διὰ τὸ γενέσθαι ποτ' ἐπ' ἀρχῆς, ἐπέκοπτε πολλάκις.

§. 9. Quæſtio autem in univerſum eſt de omnibus, rebuspublicis, etiam rectis. Quæ namque depravatæ ſunt, ad proprias utilitates verſæ, hoc gerunt: nec tamen non in illis, quæ commune bonum ſpectant, hoc eodem modo fit.

§. 9. Τὸ δὲ πρόβλημα καθόλου περὶ πάσας ἐστὶ τὰς πολιτείας, καὶ τὰς ὀρθάς. αἱ μὲν γὰρ παρεκβεβηκυῖαι, πρὸς τὸ ἴδιον ἀποσκοποῦσαι, τοῦτο δρῶσιν· οὐ μὴν ἀλλὰ περὶ τὰς τὸ κοινὸν ἀγαθὸν ἐπισκοπούσας, τὸν αὐτὸν ἔχει τρόπον.

§. 10. Planum autem hoc eſt & in aliis artibus & ſcientiis: neque enim pictor ſineret animal habere pedem excedentem juſtam menſuram, neque etiam, ſi pulchritudine præſtaret: neque faber navalis puppim, vel quampiam aliarum partium navis: neque jam magiſter chori majus & pulchrius omni choro canentem ſineret in choro manere.

§. 10. Δῆλον δὲ τοῦτο καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων τεχνῶν, καὶ ἐπιστημῶν. οὔτε γὰρ γραφεὺς ἐάσειεν ἂν τὸν ὑπερβάλλοντα πόδα τῆς συμμετρίας ἔχειν τὸ ζῶον, οὐδ' εἰ διαφέροι τὸ κάλλος· οὔτε ναυπηγὸς πρύμναν, ἢ τῶν ἄλλων τι μορίων τῶν τῆς νεώς· οὐδὲ δὴ χοροδιδάσκαλος τὸν μεῖζον καὶ κάλλιον τοῦ παντὸς χοροῦ φθεγγόμενον ἐάσει συγχορεύειν.

§. 11. Quapropter ob hanc cauſam nihil vetat principibus convenire cum civitatibus, ſi ob ſuum propriumque imperium, quod utile eſt civitatibus, hoc faciunt.

§. 11. Ὥστε διὰ τοῦτο μὲν οὐδὲν κωλύει τοὺς μονάρχους συμφωνεῖν ταῖς πόλεσιν, εἰ τῆς οἰκείας ἀρχῆς ὠφελίμου ταῖς πόλεσιν οὔσης, τοῦτο δρῶσι.

** ** ** **

§. 12. Quare in exuperantiis, de quibus conſenſerunt, habet juſtum quoddam civile ratio de oſtraciſmo.

§. 12. Διὸ κατὰ (*b*) τὰς ὁμολογουμένας ὑπεροχὰς, ἔχει τι δίκαιον πολιτικὸν ὁ λόγος ὁ περὶ τὸν ὀστρακισμόν.

§. 13. Melius igitur fuiſſet ab initio legiſlatorem ſic conſtituiſſe rempublicam, ut non eguiſſet hujuſcemodi curatione. Secunda autem navigatio, ſi accidat, eniti hujuſcemodi aliqua correctione corrigere. Quod non fiebat in civitatibus, non enim ſpectabant ad ſuæ propriæque reipublicæ utilitatem; verum ſeditioſe utebantur oſtraciſmis.

§. 13. Βέλτιον μὲν οὖν τὸν νομοθέτην ἐξ ἀρχῆς οὕτω συστῆσαι τὴν πολιτείαν, ὥστε μὴ δεῖσθαι (*c*) τοιαύτης ἰατρείας· δεύτερος δὲ πλοῦς, (*d*) ἂν συμβῇ, πειβῇ, πειρᾶσθαι τοιούτῳ τινὶ διορθώματι διορθοῦν. ὅπερ οὐκ ἐγίνετο περὶ τὰς πόλεις. οὐ γὰρ ἔβλεπον πρὸς τὸ τῆς πολιτείας τῆς οἰκείας συμφέρον, ἀλλὰ στασιαστικῶς ἐχρῶντο τοῖς ὀστρακισμοῖς.

§. 14. In depravatis igitur rebuspublicis privatim hoc prodeſſe, & juſtum eſſe, apertum eſt. Fortaſſe autem non eſſe ſimpliciter juſtum, & hoc apertum eſt.

§. 14. Ἐν μὲν οὖν ταῖς παρεκβεβηκυίαις πολιτείαις, ὅτι μὲν ἰδίᾳ συμφέρει καὶ δίκαιόν ἐστι, φανερόν· ἴσως δὲ καὶ ὅτι οὐχ ἁπλῶς δίκαιον, καὶ τοῦτο φανερόν.

§. 15. Sed in optima republica multa de hoc quæſtio eſt, non de exuperantia aliorum bonorum: ceu viribus corporis, divitiis, multitudine amicorum: ſed ſi quis præſtans virtute fuerit, quid illo faciendum eſt?

§. 15. Ἀλλ' ἐπὶ τῆς ἀρίστης πολιτείας ἔχει πολλὴν ἀπορίαν, οὐ κατὰ τῶν ἄλλων ἀγαθῶν τὴν ὑπεροχὴν, οἷον ἰσχύος καὶ πλούτου, καὶ πολυφιλίας· ἀλλὰ ἄν τις γένηται διαφέρων κατ' ἀρετὴν, τί χρὴ ποιεῖν;

§. 16. Non enim videretur rectum eſſe, ejicere ex oppido, & jubere ſolum mutare hujuſcemodi virum. Sed etiam minime imperium in ipſum exercere. Simile namque foret, ac ſi Jovi imperare poſtularent, partientes imperia. Reſtat igitur, quod videtur, natos eſſe omnes ad parendum tali viro libenter, ita ut *Reges perpetui* (*a*) ſint tales in civitatibus.

§. 16. Οὐ γὰρ δὴ φαῖεν ἂν δεῖν ἐκβάλλειν καὶ μεθιστάναι τὸν τοιοῦτον. ἀλλὰ μὲν οὐδ' ἄρχειν γε τοῦ τοιούτου. παραπλήσιον γὰρ κἂν εἰ τοῦ Διὸς ἄρχειν ἀξιοῖεν, μερίζοντες τὰς ἀρχάς. λείπεται τοίνυν, ὅπερ ἔοικε πεφυκέναι, πείθεσθαι τῷ τοιούτῳ πάντας ἀσμένως· ὥστε βασιλέας εἶναι τοὺς τοιούτους ἀϊδίους ἐν ταῖς πόλεσιν. (*e*)

** ** ** **

# CAPUT X.

(*a*) *Reges perpetui*) ARNISÆUS *de republ. c. 7. ſect. II. GOEB.*

(*b*) διὸ κατὰ) Non ſatis apta videtur connexio; nec tamen multum] forte deeſt. *CONR.*

(*c*) ὥστε μὴ δεῖσθαι) Omnia hæc usque ad illud διορθώματι διορθοῦν deſunt in Aldino pariter & Iſengriniano. Explanatores tamen & interpretes omnes videntur in ſuis libris] inveniſſe. *CONR.*

(*d*) δεύτερος δὲ πλοῦς) Camerarius adnotat ex veteri libro hanc lectionem: δεύτερος δ' ἂν πλοῦς συμβῇ τοιούτῳ τινὶ διορθ. Ita ſcribit & Caſaubonus. *CONR.*

(*e*) ἐν ταῖς πόλεσιν) Ultimo propoſitum dubium ab Ariſtotele quidem ſatis videtur ſolutum. Sed quoniam hoc loco non videmus ab eodem breviter repetitum eſſe, quidnam hactenus docuerit, atque adeo diſputationi non eſt ille impoſitus colophon, qui alias ſolet locis integris nunquam deeſſe, non dubito adhuc quædam deſiderari. *CONR.*

Digitized by Google

# CAPUT X.

§. 1.

XIV. Fortaſſe autem poſt expoſitas rationes belle habet alio tranſire, & conſiderare de regno. Affirmamus enim rectarum rerumpublicarum & hanc unam eſſe.

§. 2. Conſiderandum autem eſt, utrum conducat civitati & regioni, in qua debet bene vivi, regem habere, vel non, ſed alia quæpiam respublica illic magis accommodata ſit: ſive cuidam quidem conducit, cuidam autem non conducit.

§. 3. Oportet autem primum diſtinguere, utrum unum genus eſt ipſius, ſive plures habet in ſe differentias.

§. 4. Facile autem eſt hoc perdiſcere, continere ipſum plura genera: & modum imperii non eſſe unum omnium.

§. 5. Quod enim eſt in Laconum republica, regnum videtur eſſe maxime *legibus adſtrictum:* (a) non ſunt autem omnia arbitrii ipſius: ſed cum in agrum exierit, dux eſt eorum, quæ pertinent ad bellum: amplius autem, quæ ad deos referuntur, permiſſa ſunt legibus.

§. 6. Hoc igitur regnum eſt, tanquam ducis belli plena poteſtas & perpetua. Non enim *necandi poteſtatem* (b) habet, niſi in quodam regno: quemadmodum ætate priſcorum, cum ad pugnam milites exierunt, resque gerebatur. Indicat autem Homerus. Agamemnon enim male audiens in concionibus, æquo animo ferebat: productis vero in aciem, poteſtatem habebat necandi, dicit igitur:

*Quemcunque ego ſejunctum a pugna comperero,*
*Non poterit aufugere canes, neque aves:*
*Apud me namque mors eſt.*

§. 7. Una igitur hæc eſt ſpecies regni, facultas ducendi exercitum, manente vita. Horum autem regnorum, hæc quidem ſunt certæ familiæ: hæc vero ſuffragiis delecta.

§. 8. Præter hoc autem alia principatus ſpecies, qualia regna ſunt apud quosdam barbaros. habent autem hæc cuncta poteſtatem aſſimilem tyrannicæ: ſunt tamen legitima & accepta a majoribus. Quia enim magis *ſerviles ſunt*

§. 1.

XIV. Ἴσως δὲ καλῶς ἔχει μετὰ τοὺς εἰρημένους λόγους μεταβῆναι καὶ σκέψασθαι περὶ βασιλείας. Φαμὲν γὰρ τῶν ὀρθῶν πολιτειῶν μίαν εἶναι ταύτην.

§. 2. Σκεπτέον δὲ, πότερον συμφέρει τῇ μελλούσῃ καλῶς οἰκήσεσθαι καὶ πόλει καὶ χώρᾳ, βασιλεύεσθαι, ἢ οὔ, ἀλλ' ἄλλη τις πολιτεία μᾶλλον· ἢ τισὶ μὲν συμφέρει, τισὶ δ' οὐ συμφέρει.

§. 3. Δεῖ δὲ πρῶτον διελέσθαι, πότερον ἓν τὸ γένος ἐστὶν αὐτῆς, ἢ πλείους ἔχει διαφοράς.

§. 4. Ῥάδιον δὴ τοῦτό γε καταμαθεῖν, ὅτι πλείω τε γένη περιέχει καὶ τῆς ἀρχῆς ὁ τρόπος ἐστὶν οὐχ εἷς πασῶν.

§. 5. Ἡ γὰρ ἐν τῇ Λακωνικῇ πολιτείᾳ, δοκεῖ μὲν εἶναι βασιλεία μάλιστα τῶν κατὰ νόμον· οὐκ ἔστι δὲ κυρία πάντων· ἀλλ' ὅταν ἐξέλθῃ τὴν χώραν, ἡγεμών ἐστι τῶν πρὸς τὸν πόλεμον. ἔτι δὲ τὰ πρὸς τοὺς θεοὺς ἀποδέδοται τοῖς βασιλεῦσιν.

§. 6. Αὕτη μὲν οὖν ἡ βασιλεία, οἷον στρατηγία τις αὐτοκρατόρων, (c) καὶ ἀΐδιός ἐστι. κτεῖναι γὰρ οὐ κύριος, εἰ μὴ ἔν τινι βασιλείᾳ, καθάπερ ἐπὶ τῶν ἀρχαίων ἐν ταῖς πολεμικαῖς ἐξόδοις ἐν χειρὸς νόμῳ. (d) δηλοῖ δ' Ὅμηρος. ὁ γὰρ Ἀγαμέμνων κακῶς μὲν ἀκούων ἠνείχετο ἐν ταῖς ἐκκλησίαις· ἐξελθόντων δὲ, καὶ κτεῖναι κύριος ἦν. λέγει γοῦν·

Ὃν δὲ κ' (e) ἐγὼν ἀπάνευθε μάχης —— 
οὔ οἱ
Ἄρκιον ἐσσεῖται φυγέειν κύνας, ἠδ' οἰωνούς.
Πὰρ γὰρ ἐμοὶ θάνατος.

§. 7. Ἓν μὲν οὖν τοῦτ' εἶδος βασιλείας, στρατηγία διὰ βίου. τούτων δ' αἱ μὲν, κατὰ γένος εἰσίν· αἱ δ', αἱρεταί.

§. 8. Παρὰ ταύτην δ' ἄλλο μοναρχίας εἶδος, οἷαι παρ' ἐνίοις εἰσὶ βασιλεῖαι τῶν βαρβάρων. ἔχουσι δ' αὗται τὴν δύναμιν πᾶσαι παραπλησίαν τυραννικῇ· εἰσὶ δ' ὅμως κατὰ νόμον, καὶ πατρικαί. διὰ γὰρ τὸ δουλικώτεροι (f) εἶναι τὰ ἤθη φύσει, οἱ μὲν βάρβα-

(a) *Legibus adſtrictum*) Ut autem ſecuri eſſent, ne rex in aliquam poteſtatis partem, quæ ipſi non erat data, involaret, omni menſe a regibus ſolenne exigebatur ſacramentum, fore, ut ſecundum leges regerent. Hoc jusjurandum ephoris præſtabatur, hi autem viciſſim civitatis nomine ſe eodem modo obſtringebant, quod hoc modo recturis regnum conſervaturi ſint. CRAGIUS *de republ. Lacedæmon. p.* 99. *GOEB.*

(b) *Necandi poteſtatem*) Alia valde limitatorum regnorum exempla GROTIUS *de J. B. & P. lib. I. c. III. §. XX.* HERT. *de prud. civil. part. I. ſect. X. §. VI.* Videtur autem talis reipublicæ forma ad mixtas referenda. ARNISÆUS *relect. politic. c.* 6. *ſect.* 2. *GOEB.*

(c) αὐτοκρατόρων) Victorius aliquando maluit ſcribere αὐτοκράτωρ: ſed abs ratione: quod recte etiam judicavit Montecatinus. *CONR.*

(d) ἐν χειρὸς νόμῳ) Non intellexit vim φράσεως Sepulveda, eoque legit ἐγχειρος νόμῳ. Sed Victorius præclare lectionem vulgatam defendit atque illuſtravit cum alibi, tum in variis lectionibus *l.* 36. *c.* 12. *CONR.*

(e) Ὃν δὲ κ') Homeri hi verſus leguntur *l.* 2. *Iliad.* paulo tamen aliter: deeſt enim ibi & hemiſtichium illud πὰρ γὰρ ἐμοὶ θάνατός. Id autem arbitror fieri, quod nos hodie utamur Homeri editione, qualem emendavit Ariſtarchus, qui multa ejecit & mutavit. Fuere nimirum olim varii codices poematis Homerici inter ſeſe plurimum differentes. Ipſe Ariſtoteles novam editionem Homeri accuraverat, quæ poſt dicta fuit ἐκ τῆς νάρθηκος. Fugit ratio autem doctiſſ. Hartungum, qui Ariſtotelem memoria lapſum credit, Agamemnoni tribuendo, quæ fuere Hectoris. Enimvero illa Hectoris Il. ο. plane ab hisce alia ſunt. Et vero in Homeri lectione Ariſtoteles fuit longe verſatiſſimus a pueris usque: ut non facile memoria in his potuerit labi. *CONR.*

(f) δουλικώτεροι) Hoc expreſſit quoque Lambinus. At vero aliis, quos inter eſt & Victorius noſter, & Giphanius, & Montecatinus, & Zvvingerus, legunt: δουλικώτερα εἶναι τὰ ἔθνη φύσει. Parum refert, quicquid horum elegeris. *CONR.*

ſunt (*a*) gentes natura, barbari quidem Græcis, qui autem Aſiam incolunt his, qui in Europa tolerant herile imperium, nihil ſtomachantes.

βάρβαροι τῶν Ἑλλήνων, οἱ δὲ περὶ τὴν Ἀσίαν τῶν περὶ τὴν Εὐρώπην, ὑπομένουσι τὴν δεσποτικὴν ἀρχὴν, οὐδὲν δυσχεραίνοντες. (*f*)

§. 9. *Tyrannica igitur* (*b*) ob hæc ſunt: tuta autem, quia profecta ſunt a majoribus legibusque conſtant. Et cuſtodia regia eſt & non tyrannica, eadem de cauſa. Cives enim tuentur armis reges: tyrannos vero externi. Hi namque ex legibus imperant ac volentibus: hi vero invitis Quapropter hi quidem a civibus, hi autem contra cives cuſtodiam habent.

§. 9. Τυραννικαὶ μὲν οὖν διὰ τὸ τοιοῦτόν εἰσιν· ἀσφαλεῖς δὲ, διὰ τὸ πάτριαι (*g*) καὶ κατὰ νόμον εἶναι. καὶ ἡ φυλακὴ δὲ βασιλικὴ καὶ οὐ τυραννική, διὰ τὴν αὐτὴν αἰτίαν. οἱ γὰρ πολῖται, φυλάττουσιν ὅπλοις τοὺς βασιλεῖς· τοὺς δὲ τυράννους ξενικόν. (*h*) οἱ μὲν γὰρ, κατὰ νόμον καὶ ἑκόντων· οἱ δ' ἀκόντων ἄρχουσιν. ὥσθ' οἱ μὲν παρὰ τῶν πολιτῶν· οἱ δ' ἐπὶ τοὺς πολίτας ἔχουσι τὴν φυλακήν.

§. 10. Duæ igitur ſpecies hæ ſunt principatus. Alia quidem, quæ in uſu erat priſcorum Græcorum, quos vocant Æſymnetas. Eſt autem hæc, ut ſimpliciter loquar, tyrannis ſponte ſuſcepta: diſcrepans vero *a barbarica*, (*c*) non quia lege non conſtet, ſed duntaxat, quia non accepta eſt a majoribus.

§. 10. Δύο μὲν οὖν εἴδη ταῦτα μοναρχίας· ἕτερον δ', ὅπερ ἦν τοῖς ἀρχαίοις Ἕλλησιν, οὓς καλοῦσιν αἰσυμνήτας. ἔστι δὲ τοῦθ', ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν, αἱρετὴ τυραννίς· διαφέρουσα δὲ τῆς βαρβαρικῆς, οὐ τῷ μὴ κατὰ νόμον, ἀλλὰ τῷ μὴ πάτριος εἶναι μόνον.

§. 11. Hoc autem imperium quidam retinebant, donec viverent: hi vero ad definita quædam tempora vel facta. Ceu delegerunt quodam tempore Mitylenæi Pittacum adverſus exules: quorum principes erant Antimenides & Alcæus Poëta. Indicat autem Alcæus, creaſſe ipſos tyrannum Pittacum, in quadam cantilenarum ſcoliarum: increpat enim, quod *exitioſum patriæ Pittacum tyrannum conſtituerunt civitatis ira percitæ & quæ gravi dæmone agebatur, valde probantes conſilium frequentesque.*

§. 11. Ἦρχον δὲ οἱ μὲν διὰ βίου τὴν ἀρχὴν ταύτην· οἱ δὲ, μέχρι τινῶν ὡρισμένων χρόνων ἢ πράξεων. Οἷον εἵλον τό ποτε Μιτυληναῖοι Πιττακὸν πρὸς τοὺς φυγάδας, ὧν προειστήκεσαν Ἀντιμενίδης καὶ Ἀλκαῖος ὁ ποιητής. δηλοῖ δ' Ἀλκαῖος, ὅτι τύραννον εἵλοντο τὸν Πιττακὸν, ἔν τινι τῶν σκολιῶν μελῶν. (*i*) ἐπιτιμᾷ γὰρ ὅτι τὸν κακοπάτριδα (*k*) Πιττακὸν πόλεως τᾶς ἀχόλω καὶ βαρυδαίμονος ἐστάσαντο τύραννον, μέγ' ἐπαινέοντες ἀολλέες.

§. 12. Hæc igitur imperia ſunt ac fuerunt, quia tyrannica erant, herilia: quia autem *ſuffragiis* (*d*) delata & ſponte facientibus, regia.

§. 12. Αὗται μὲν οὖν εἰσί τε καὶ ἦσαν, διὰ μὲν τὸ τυραννικαὶ (*l*) εἶναι δεσποτικαί· διὰ δὲ τὸ αἱρεταί, καὶ ἑκόντων, βασιλικαί.

§. 13. Quarta autem ſpecies monarchiæ regiæ ſunt, quæ temporibus *heroum ſponte deferebantur* (*e*) & propriæ generis illius lege fiebant. Quia

§. 13. Τέταρτον δ' εἶδος μοναρχίας βασιλικῆς, αἱ κατὰ τοὺς ἡρωϊκοὺς χρόνους ἑκούσιαί τε καὶ πάτριαι (*m*) γιγνόμεναι κατὰ νόμον. διὰ γὰρ τὸ τοὺς

(*a*) *Serviles ſunt*) GROTIUS *de J. B. & P. lib. I. c. III.* §. 8. *n.* 4. Hodie pleræque gentes toti ſunt aſſuetæ jugo. *GOEB.*

(*b*) *Tyrannica igitur*) Id eſt dominatus, quoad abſolutam poteſtatem, cum tyranno coincidit, quam etiam rex habet, ſed ea non utitur, niſi quatenus conducit ſubditis & hanc puto omnem in ſocietatem coeuntium, qui regi omnem in ſe conceſſerunt poteſtatem, fuiſſe arbitror. Tyrannus autem, ex mente Ariſtotelis, abſolutam exercet poteſtatem injuria in invitos ſubditos. ARNISÆUS *relect. polit. c. III ſect.* 3. 4. 5. *GOEB.*

(*c*) *A barbarica*) Æſymneticum regnum a παμβασιλεια non niſi modo temporis differre, docet HERTIUS *de prudentia civili part. I. ſect. X.* §. *VII.* Id Bodino *de republ. lib. I. c.* 8. Ariſtotelem paſſim criminanti, concedere non poſſum, regna eſſe non poſſe temporaria. Nam rerum moralium natura non ex tempore, ſed operationibus judicatur, quare facultates, quæ eosdem habent effectus, eodem nomine ſunt nuncupandæ. GROTIUS *de J. B. & P. lib. I. c. III.* §. *XI.* PUFFENDORF. *de J. N. & G. lib.* 7. *c.* 6. §. 5. HUBERUS *lib. I. ſect.* 7. *c.* 3. Romanorum dictatorem, cujus poteſtas ſemeſtri finiebatur ſpacio, ad monarcharum temperariorum claſſem non ſpectare, nonnulli dicunt, ſed eum cum Bodino magiſtratum duntaxat extraordinarium fuiſſe, contendunt. PUFFENDORF. *de J. N. & G. lib.* 7. *c.* 6. §. 15. quibus ſe opponunt GROTIUS *de J. B. & P. l. c.* & HUBERUS *de jure civitatis ſect. III. c.* 2. §. 48. Negativam amplexi ſententiam potiſſimum urgent, quod ab eo ad populum provocari potuit; deinde in hiſtoria romana non tradi, omnes & ſingulas partes ſummi imperii exerceri potuiſſe. Ad priorem objectionem reſponderi poteſt; provocationem ad populum non fuiſſe juris, ſed facti; quod autem ad hiſtoriam romanam attinet, DIONYSIUS HALICARNASSÆUS optimus ſcriptor *lib. V. antiquitatum Romanarum c.* 82. eos ſequentibus refellit verbis. *Hic primus*, inquit, *omnium Romæ monarcha eſt deſignatus cum plenaria belli ac pacis omniumque aliarum rerum poteſtate. —— Videntur autem mihi & hanc adminiſtrationis publicæ ſpeciem mutuati a Græcis, nam qui αισυμναιται apud priſcos Græcos vocabantur (ſicut in comment. de regno Theophraſtus narrat) tyranni quidam erant electitii. Eligebantur autem a civitatibus pro ratione temporum, non infinitum nec continuum, ſed certo tempore præfuturi.* Confer. quoque PIGH. *annal. Roman. tom. I p.* 81. *Diſcorſi di* MACHIAVELLI *libr. I. c.* 35. *GOEB.*

(*d*) *Suffragiis*) Sed Ariſtoteles obinde non docet, proprium fuiſſe regnis barbaricis, a Græcis ita dictis, reges a ſtirpe arceſſere, cum & heroica regna patria fuiſſe affirmet. *GOEB.*

(*e*) *Heroum ſponte deferebantur*) Heroica regna rectius forte ad rerumpublicarum mixtarum cenſum ſunt referenda. *GOEB.*

(*f*) οὐδὲν δυσχερ.) Aldus habet οὐδὲ. Sed noſtrum omnibus aliis placet. *CONR.*

(*g*) Πάτριαι) Sylburgius putat ab auctore ſcriptum Πάτριοι. Idque probat Caſaubonus. *CONR.*

(*h*) ξενικὸν) Sylburgius mavult τὸ ξενικὸν, addito articulo: idque recte. *CONR.*

(*i*) σκολιῶν μελῶν) Aldina & Montecatina editio non habent μελῶν. Et vero abundat vox. Scolia enim μέλη eſſe notum eſt. *CONR.*

(*k*) κακοπάτριδα) Verſus illi in ſcolio forte ita fuerunt ſcripti.

κακοπατρίδα πιττακὸν
πόλεως τᾶς ἀχόλω
καὶ βαρυδαίμονος
ἐστάσαντο τύραννον
μέγ' ἐπαινέοντες ἀολλέες.

In hunc ſane modum variometro olim Scolia ſcripta ſunt. *CONR.*

(*l*) τὸ τυραννικαί) Recte Geneſius ſuſpicatur tranſpoſita eſſe verba a librariis, ſcribendumque, διὰ μὲν τὸ δεσποτικαὶ εἶναι τυραννικαί. *CONR.*

(*m*) καὶ πάτριαι) Caſaubonus recte: πάτριοι. *CONR.*

Digitized by Google

Qui enim primi contulerant beneficia in multitudinem, vel artes tradendo, vel bello, vel quia ſparſos coëgiſſent, vel quia ſedes agroſque ipſis comparaſſent, creabantur reges, a volentibus, quæ regna fiebant patria apud eos, qui acciperent ipſa a parentibus. In ſua autem poteſtate habebant belli temporibus imperium, & rem divinam, exceptis ſacris illis, quæ *propria forent ſacerdotum*: (a) & præter hæc cauſas judicabant. hoc autem faciebant, hi quidem iureiurando ſuſcepto, hi vero injurati: jusjurandum autem erat ſceptri ſublatio.

τοὺς πρώτους γενέσθαι τοῦ πλήθους εὐεργέτας κατὰ τέχνας ἢ πόλεμον, ἢ διὰ τὸ συναγαγεῖν, ἢ πορίσαι χώραν, ἐγίγνοντο βασιλεῖς ἑκόντων, (e) καὶ τοῖς παραλαμβάνουσι πάτριοι· κύριοι δὲ ἦσαν τῆς τε κατὰ πόλεμον ἡγεμονίας, καὶ τῶν θυσιῶν, ὅσαι μὴ ἱερατικαί· καὶ πρὸς τούτοις, τὰς δίκας ἔκρινον. τοῦτο δ᾽ ἐποίουν, οἱ μέν, οὐκ ὀμνύοντες· ὁ δ᾽ ὅρκος ἦν τοῦ σκήπτρου ἐπανάτασις.

§. 14. Hi igitur priſcis temporibus & in urbe, & in agro, & extra fines, continenter regnabant. Poſtea autem, partim ipſis remittentibus regibus, partim vero turba populiſque ipſis auferentibus: in aliis civitatibus ſacrificia duntaxat relicta *ſunt regibus*. (b) Ubi autem maneret, quod regni nomine vocari poſſet, extra fines tantum rerum bellicarum imperium habebant.

§. 14. Οἱ μὲν οὖν ἐπὶ τῶν ἀρχαίων χρόνων καὶ τὰ κατὰ πόλιν, καὶ τὰ ἔνδημα, καὶ τὰ ὑπερόρια, συνεχῶς ἦρχον· ὕστερον δὲ, τὰ μὲν αὐτῶν παριέντων τῶν βασιλέων, τὰ δὲ τῶν ὄχλων παραιρουμένων, ἐν μὲν ταῖς ἄλλαις πόλεσι θυσίαι κατελείφθησαν τοῖς βασιλεῦσι μόνον. ὅπου δ᾽ ἄξιον εἰπεῖν εἶναι βασιλείαν, ἐν τοῖς ὑπερορίοις τῶν πολεμικῶν τὴν ἡγεμονίαν μόνον εἶχον.

# CAP. XI.

§. 1.

Regni igitur ſpecies ſunt hæ, quatuor numero. Unum quidem, quod Heroum temporibus in uſu erat, hoc autem erat ſponte ſane ſumentium, definitis tamen quibuſdam rebus: dux enim in bello erat & judex rex, in ſuaque manu habebat, quæ ad deos pertinerent. Secundum autem: barbarorum regnum hoc autem eſt imperium herile proprium ejus familiæ, legibus conſtans. Tertium autem, quam æſymnetiam appellant: hoc autem eſt tyrannis ſponte ſuſcepta. *Quartum* (c) vero horum eſt Laconicum. hoc autem eſt, ut ſimpliciter loquar, jus ducendi exercitum, acceptum a majoribus & perpetuum.

§. 1.

Βασιλείας μὲν οὖν εἴδη ταῦτα, τέτταρα τὸν ἀριθμόν. μία μὲν, ἡ περὶ τοὺς ἡρωϊκοὺς χρόνους· αὕτη δ᾽ ἦν ἑκόντων μὲν ἐπί τισι δ᾽ ὡρισμένοις· (f) στρατηγὸς γὰρ ἦν καὶ δικαστὴς ὁ βασιλεὺς, καὶ τῶν πρὸς τοὺς θεοὺς κύριος. δευτέρα δὲ, ἡ βαρβαρική· αὕτη δ᾽ ἐστὶν ἐκ γένους ἀρχὴ δεσποτικὴ κατὰ νόμον. τρίτη δὲ, ἣν Αἰσυμνητείαν προσαγορεύουσιν· αὕτη δ᾽ ἐστὶν αἱρετὴ τυραννίς. τετάρτη δὲ, ἡ Λακωνικὴ τούτων· αὕτη δ᾽ ἐστὶν, ὡς εἰπεῖν ἁπλῶς, στρατηγία κατὰ γένος ἀΐδιος.

§. 2. Hæc igitur regna hoc pacto diſcrepant inter ſe. Quinta autem *ſpecies regni*, (d) quando omnium auctor fuerit unus exiſtens (quemadmodum unaquæque gens & unaquæque civitas rerum communium) ordinatum ad imaginem diſciplinæ domeſticæ. Quemadmodum enim ratio domus regendæ regnum quoddam eſt domus: ſic regnum civitatis & gentis unius vel plurium domeſtica adminiſtratio eſt.

§. 2. Αὗται μὲν οὖν τοῦτον τὸν τρόπον διαφέρουσιν ἀλλήλων. πέμπτον δ᾽ εἶδος βασιλείας, ὅταν ᾖ πάντων κύριος εἷς ὤν, ὥσπερ ἕκαστον (g) ἔθνος, καὶ πόλις ἑκάστη, τῶν κοινῶν, τεταγμένη (h) κατὰ τὴν οἰκονομικὴν. ὥσπερ γὰρ ἡ οἰκονομικὴ βασιλεία τις οἰκίας ἐστὶν, οὕτως ἡ βασιλεία πόλεως, καὶ ἔθνους ἑνὸς, ἢ πλείονος οἰκονομία. (i)

§. 3. XV. Ferme jam duæ ſunt, ut ita loquar, ſpecies regni, de quibus conſiderandum eſt: hoc ſcilicet, & Laconicum. Cæterorum enim multa in medio horum ſita ſunt: pauciora enim in manu ſua habent, quam plenum regnum: plura autem, quam Laconicum.

§. 3. XV. Σχεδὸν δὴ δύο ἐστὶν ὡς εἰπεῖν, εἴδη βασιλείας περὶ ὧν σκεπτέον, αὕτη τε, καὶ ἡ Λακωνική. τῶν γὰρ ἄλλων αἱ πολλαὶ μεταξὺ τούτων εἰσίν. ἐλαττόνων μὲν γὰρ (k) κύριοι τῆς παμβασιλείας, πλειόνων δ᾽ εἰσὶ τῆς Λακωνικῆς.

§. 4. §. 4.

(a) *Propria forent ſacerdotum*) Conducit certo cuidam hominum ordini, eorum, quæ ad religionis interna ſpectant, curam committere. Cæterum, a gentilium perſpicacioribus. religio pro omni ſuo complexu reipublicæ deſtinabatur, cum in lectionibus ſuis acroamaticis de animæ immortalitate dubitanter admodum ſtatuerent. GOEB.

(b) *Sunt regibus*) Vid. CRAGIUM *l. c. lib.* 2. *c.* 2. GOEB.

(c) *Quartum*) Accuratiorem regnorum diviſionem vide apud HERTIUM *l. c. p.* I. *ſect.* XX. *§.* IIX. *ſeqq.* GOEB.

(d) *Species regni*) PICCARTUS *lib.* III. *c.* XV. GOEB.

(e) βασιλεῖς ἑκόντων) Caſaubonus ſcribit: βασιλεῖαι ἑκόντων. CONR.

(f) δ᾽ ὡρισμένοις:) Aldus: ὡρισμένων. Incongrue. CONR.

(g) ὥσπερ ἕκαστον) Verba hæc obſcura ſunt, nec bene cohærent cum aliis. Montecatinus includit parentheſi: at nec ita ad rem faciunt. Certe aut removendum illud comma eſt, aut includendum. CONR.

(h) Τεταγμένη) Montecatinus, fatetur ita ſcriptum eſſe in omnibus libris: vult tamen legendum τεταγμένων voce relata ad τῶν κοινῶν. Et quidem oratio fit ita concinnior: poteſt tamen τεταγμένη referri ad βασιλείαν. CONR.

(i) Πλείονος οἰκονομία) Iterum male οἰκονομίας habet Aldus. CONR.

(k) ἐλαττόνων μὲν γὰρ) In hiſce vertendis, multi interpretes

§. 4. Quapropter animadverſio ferme de duobus eſt; *Una* quidem, utrum civitatibus conducit, ducem in ipſis eſſe perpetuum: & hunc vel e genere certo vel e qualibet parte: ſive non conducit. *Una* autem, utrum unum conducit in ſua manu omnia habere, vel non conducit.

§. 5. De hujuſcemodi igitur poteſtate aliquid præterea videre, legum magis vim formamque habet, quam reipublicæ. In omnibus enim rebuspublicis uſu venit hoc fieri. Quapropter omittatur primum: reliquus autem modus regni, reipublicæ forma eſt. Quare de hoc opus eſt videre, & dubitationes, quæ ipſi hærent, percurrere.

§. 6. Initium autem inveſtigationis eſt hoc, utrum magis conducit ab optimo viro gubernari vel ab optimis legibus.

§. 7. Videtur autem illis, qui exiſtimant conducere regem habere, quod in univerſum eſt leges duntaxat dicere: nihil autem præcipere, quod faciat ad ea, quæ contingunt. Quapropter in quacunque arte ad monimenta litterarum imperare, ſtultum eſſe dicunt.

§. 8. *** Et in Ægypto poſt quartum diem licet movere medicis: quod ſi prius geſſerint, ipſorum periculo.

§. 9. Planum igitur eſt, non eſſe eam, quæ literis ac legibus conſtat, optimam rempublicam de hac cauſa.

** **

§. 10. Atqui illam etiam opus eſt univerſalem rationem ineſſe iis, qui imperium habent.

** **

§. 11. Satius autem eſt, cui non adeſt omnino quicquam turbulentum, quam cui natura inſitum eſt. Legi igitur hoc non ineſt: animum autem hominis omnem, neceſſe eſt hoc habere.

§. 12. Sed fortaſſe diceret aliquis, propter hoc ipſum deliberaturum de ſingularibus rebus pulchrius.

** **

§. 13. Oportere igitur ſcriptorem legum ipſum eſſe, perſpicuum eſt: & latas eſſe leges, verum non ratas, qua parte recta via non migrant.

§. 14.

§. 4. Ὥστε τὸ σκέμμα σχεδὸν περὶ δυοῖν ἐστιν· ἓν μὲν, πότερον συμφέρει ταῖς πόλεσι στρατηγὸν ἀΐδιον εἶναι, καὶ τοῦτον ἢ κατὰ γένος, ἢ κατὰ μέρος, (a) ἢ οὐ συμφέρει· ἓν δὲ, πότερον ἕνα συμφέρει κύριον εἶναι πάντων, ἢ οὐ συμφέρει.

§. 5. Τὸ μὲν οὖν περὶ τῆς τοιαύτης στρατηγίας ἐπισκοπεῖν, νόμων ἔχει μᾶλλον εἶδος, ἢ πολιτείας. ἐν ἁπάσαις γὰρ ἐνδέχεται γίγνεσθαι τοῦτο ταῖς πολιτείαις· ὥστ᾽ ἀφείσθω τὴν πρώτην. (b) ὁ δὲ λοιπὸς τρόπος τῆς βασιλείας, (πολιτείας) εἶδός ἐστιν. ὥστε περὶ τούτου δεῖ θεωρῆσαι, καὶ τὰς ἀπορίας ἐπιδραμεῖν τὰς ἐνούσας.

§. 6. Ἀρχὴ δ᾽ ἐστὶ τῆς ζητήσεως αὕτη, πότερον συμφέρει μᾶλλον ὑπὸ τοῦ ἀρίστου ἀνδρὸς ἄρχεσθαι, ἢ ὑπὸ τῶν ἀρίστων νόμων.

§. 7. Δοκοῦσι δὴ (c) τοῖς νομίζουσι συμφέρειν βασιλεύεσθαι, τὸ καθόλου μόνον οἱ νόμοι λέγειν, ἀλλ᾽ οὐ πρὸς τὰ προσπίπτοντα ἐπιτάττειν. ὥστ᾽ ἐν ὁποιαοῦν τέχνῃ τὸ κατὰ γράμματα ἄρχειν, ἠλίθιον.

§. 8. *** Καὶ ἐν Αἰγύπτῳ (d) μετὰ τὴν τετραήμερον κινεῖν ἔξεστι τοῖς ἰατροῖς· ἐὰν δὲ πρότερον, ἐπὶ τῷ αὐτοῦ κινδύνῳ.

§. 9. Φανερὸν τοίνυν ὡς οὐκ ἔστιν ἡ κατὰ γράμματα καὶ νόμους, ἀρίστη πολιτεία, διὰ τὴν αὐτὴν αἰτίαν.

** **

§. 10. Ἀλλὰ μὴν (e) κἀκεῖνον δεῖ ὑπάρχειν τὸν λόγον τὸν καθόλου τοῖς ἄρχουσι·

** **

§. 11. Κρεῖττον δ᾽, (f) ᾧ μὴ πρόσεστι τὸ παθητικὸν ὅλως, ἢ ᾧ συμφυές. τῷ μὲν οὖν νόμῳ τοῦτο οὐχ ὑπάρχει, ψυχὴν δ᾽ ἀνθρωπίνην ἀνάγκη τοῦτ᾽ ἔχειν πᾶσαν.

§. 12. Ἀλλ᾽ ἴσως ἂν φαίη τις, ὡς ἀντὶ τούτου βουλεύσεται περὶ τῶν καθ᾽ ἕκαστα κάλλιον. (g)

** **

§. 13. Ὅτι μὲν τοίνυν ἀνάγκη νομοθέτην αὐτὸν εἶναι, δῆλον, καὶ κεῖσθαι νόμους, ἀλλὰ μὴ κυρίους (h) ᾗ παρεκβαίνουσιν.

§. 14.

pretes operam ludunt, & ſenſum plane corrumpunt. Loquitur autem Ariſtoteles de regnis inter Laconicum & πανβασιλείαν mediis. Optime vero illum interpretatus eſt Montecatinus hoc modo: *nam pauciorum quidem quam plenum regnum, plurium autem quam Laconicum ſummam poteſtatem habent.* Quod obiter monendum duxi. *CONR.*

(a) κατὰ μέρος) Pulchre Caſaubonus κατ᾽ ἀρετήν. *CONR.*

(b) τὴν πρώτην) Scripſerim cum nonnullis ἡ πρώτη. *CONR.*

(c) δοκοῦσι δὴ) Aldus & Zvvingerus habent δοκεῖ. Id ſyntaxeos normæ repugnare cenſet Sylburgius: poſſit tamen eſſe elliptica phraſis, ut ſubaudiendum ſit ὅτι: quod Ariſtoteli ſatis eſt frequens. Noſtra tamen lectio omnino eſt planior. *CONR.*

(d) καὶ ἐν αἰγύπτῳ) Videtur vocula quædam deeſſe: nec enim morem illum Ægyptium laudat Ariſtoteles, ſed improbat, adducitque tantum ex cauſſa ad probandum id, quod dixerat; ſtultum in artibus videri ſecundum leges omnia agere. Scripſerim ſic: ὥσπερ καὶ ἐν Αἰγ. Paulo poſt etiam ſcribendum eſſe τριήμερον, præclare oſtendit Mercurialis *l. 2. Variar. lection. c. 18. CONR.*

(e) ἀλλὰ μὴν) Non eſt veroſimile, Ariſtotelem nullo argumento propoſito in medium, pro legibus, ſtatim ita concluſiſſe. Sed & ſatis patet ex iis: κἀκεῖνον δεῖ ὑπάρχειν: plura præceſſiſſe de univerſalibus legum definitionibus. Ego non dubito, lacunam hoc loco ſubeſſe. *CONR.*

(f) Κρεῖττον δ᾽) Cum nulla ſit connexio cum iis, quæ præceſſerunt, veroſimile eſt quædam excidiſſe. *CONR.*

(g) ἕκαστα κάλλιον) Non plene adductum eſt, quod contra imperium Legum pro Rege dicitur hoc loco. Plenius enim dicendum erat; Etſi legibus committas univerſalia præcepta, actiones tamen civiles eſſe ſingularia opera, ſingularem prudentiam exigentia. Suſpicor itaque etiam hic quædam excidiſſe. *CONR.*

(h) ἀλλὰ μὴ κυρίους) Illud κυρίους omnes interpretes accipiunt de legibus. Et vero ſi mendum non ſubeſt, aliter accipi

Digitized by Google

§. 14. (Nam de cæteris oportet ratas eſſe) Quæcunque autem fieri non poteſt, ut lex exiſtimat, vel omnino, vel bene, utrum unum optimum virum decet imperio ſuo definire, vel omnes. Etenim nunc lites judicant, & deliberant de republica, & exiſtimant ſimul coacti. Hæ autem exiſtimationes ſunt omnes de rebus ſingularibus.

§. 14. Ἐπεὶ περὶ (*d*) τῶν γ᾽ ἄλλων εἶναι δεῖ κυρίους, ὅσα μὴ δυνατὸν τὸν νόμον κρίνειν, ἢ ὅλως, ἢ εὖ. πότερον δὲ ἕνα τὸν ἄριστον δεῖ ἄρχειν, ἢ πάντας; (*e*) καὶ γὰρ νῦν συνιόντες δικάζουσι, καὶ βουλεύονται, καὶ κρίνουσιν· αὗται δ᾽ αἱ κρίσεις εἰσὶ πᾶσαι περὶ τῶν καθ᾽ ἕκαστον.

§. 15. Singillatim igitur collatus unusquisque fortaſſe deterior. Verum civitas conſtat e multis: quemadmodum *epulum* (*a*) comportatum a multis, lautius eſt uno & ſimplici. Hac de cauſa melius exiſtimat turba de multis, *quam faciat unus*, (*b*) quicunque ille ſit.

§. 15. Καθ᾽ ἕνα μὲν οὖν συμβαλλόμενος ὁστισοῦν ἴσως χείρων· ἀλλ᾽ ἔστιν ἡ πόλις ἐκ πολλῶν, ὥσπερ ἑστίασις συμφορητὸς καλλίων μιᾶς καὶ ἁπλῆς. διὰ τοῦτο καὶ κρίνει ἄμεινον (*f*) ὄχλος πολλά, ἢ εἷς ὁστισοῦν.

§. 16. Amplius magis incorruptum eſt multum; quemadmodum aqua copioſior, ſic & multitudo paucis incorruptior eſt. Uno autem ab ira oppreſſo, ſive quopiam hujuscemodi alio motu, neceſſe eſt exiſtimationem corruptam eſſe. Illic autem arduum eſt, ſimul omnes iratos eſſe & peccare.

§. 16. Ἔτι μᾶλλον ἀδιάφθορον τὸ πολύ· καὶ καθάπερ ὕδωρ τὸ πλεῖον, οὕτω καὶ τὸ πλῆθος τῶν ὀλίγων ἀδιαφθορώτερον· τοῦ δ᾽ ἑνὸς ὑπ᾽ ὀργῆς κρατηθέντος, ἤ τινος ἑτέρου πάθους τοιούτου, ἀναγκαῖον διεφθάρθαι τὴν κρίσιν. ἐκεῖ δ᾽ ἔργον ἅμα πάντας ὀργισθῆναι καὶ ἁμαρτεῖν.

§. 17. Stet autem multitudinem eſſe liberos homines, nihil præter legem gerentes, niſi in illis rebus, ubi neceſſe eſt ipſam deficere.

§. 17. Ἔστω δὲ τὸ πλῆθος οἱ ἐλεύθεροι, μηδὲν παρὰ τὸν νόμον πράττοντες, ἀλλ᾽ ἢ περὶ ὧν ἐκλείπειν ἀναγκαῖον αὐτόν.

§. 18. Si autem, jam hoc facile non eſt in multis, verum ſi plures *forent probi* (*c*) & viri & cives, utrum unus incorruptior, qui imperium habet, vel potius plures quidem numero, probi autem omnes: an dubitandum non eſt, quin plures?

§. 18. Εἰ δὲ δὴ τοῦτο μὴ ῥᾴδιον ἐν πολλοῖς, ἀλλ᾽ εἰ πλείους εἶεν ἀγαθοὶ καὶ ἄνδρες καὶ πολῖται, πότερον ὁ εἷς ἀδιαφθορώτερος ἄρχων, ἢ μᾶλλον οἱ πλείους μὲν τὸν ἀριθμόν, ἀγαθοὶ δὲ πάντες; ἢ δῆλον ὡς οἱ πλείους;

§. 19. Verum hi quidem diſſident inter ſe, unus autem expers eſt diſcordiarum. Verum ad hoc opponendum eſt fortaſſe, ipſos eſſe ſtudioſos animo, non minus atque unus ille.

§. 19. Ἀλλ᾽ οἱ μὲν στασιάζουσιν· (*g*) ὁ δὲ εἷς ἀστασίαστος. ἀλλὰ πρὸς τοῦτ᾽ ἀντιθετέον ἴσως, ὅτι σπουδαῖοι τὴν ψυχήν, ὥσπερ κἀκεῖνος ὁ εἷς.

§. 20. Si nam imperium plurium, omnium autem proborum virorum, ponendum eſt ſtatum optimorum virorum eſſe; unius autem regnum: magis expetendus foret civitatibus ſtatus, optimorum quam regnum, & cum poteſtate & ſine poteſtate, ſi licuerit nancisci plures ſimiles.

§. 20. Εἰ δὴ τὴν μὲν τῶν πλειόνων ἀρχήν, ἀγαθῶν δ᾽ ἀνδρῶν πάντων, ἀριστοκρατίαν θετέον, τὴν δὲ τοῦ ἑνός, βασιλείαν, αἱρετώτερον ἂν εἴη ταῖς πόλεσιν ἀριστοκρατία βασιλείας, καὶ μετὰ δυνάμεως καὶ χωρὶς δυνάμεως οὔσης τῆς ἀρχῆς, ἂν ᾖ λαβεῖν πλείους ὁμοίους. (*h*)

§. 21.

accipi non poteſt. At vero paulo poſt eadem vox accipitur de hominibus, qui debeant eſſe domini eorum, quæ lege definita non ſunt: nec concinna eſt oratio: leges non debere eſſe dominas, qua parte deficiunt: itaque etiam hoc loco ſermonem arbitror eſſe de hominibus & pro μὴ ſcribendum καὶ. Integra oratio fuerit: καὶ κεῖσθαι νόμους, ἀλλὰ καὶ κυρίους ᾗ παρεκβαίνουσιν. *Ponendas quidem leges, attamen ſimul & dominos, qua parte leges deficiunt.* CONR.

(*a*) *Epulum*) Jejuna, obſcura & hiulca in his libris politicis aliquando occurrunt. *GOEB.*

(*b*) *Quam faciat unus*) Poteſt tamen unus viros rerum peritos in conſilium adhibere. Et nulla vero erit reſpublica, quam deſpotica etiam ſit, in qua ſumma poteſtas non exerceatur per plures, tanquam inſtrumenta. Licet ſæpe nonnulli ad majorem aſcendant ſortem, ita, ut ſumma rerum ſit penes ipſos, nomen autem principis penes alium. *GOEB.*

(*c*) *Forent probi*) PICCARTUS *lib. III. c. XV. p.* 476. *GOEB.*

(*d*) ἐπεὶ περὶ) Hæc Montecatinus, ut & Caſaubonus, conjungit cum antecedentibus & interpretatur de legibus: ſecat vero ſermonem poſt illa δεῖ κυρίους, & reliqua conjungit interponens poſt ὅσα adverſativam δὲ, & expungens illam paulo poſt. Legit enim ita: ὅσα δὲ μὴ δυνατὸν τὸν νόμον κρίνειν, ἢ ὅλως, ἢ εὖ, πότερον ἕνα &c. Victorius & Lambinus paria faciunt cum Montecatino; niſi quod illa verba: ἐπεὶ περί γε τῶν ἄλλων δεῖ κυρίους: accipiant παρενθετικῶς. Conſentit iis & Aldinus codex. In noſtro, ſecatur oratio poſt εὖ Mihi commodiſſimum videtur hoc loco ſecare & reliqua conjungere: velim tamen huc translatum illud δὲ, quod legitur in noſtro textu poſt πότερον. Omnino vero mihi videtur per κυρίους intelligi homines. Senſus eſt: *Quoniam vero dominos eſſe oportet eorum, quæ lex decernere non poteſt aut ſimpliciter, aut bene, an unum optimum oportet imperare?* CONR.

(*e*) ἢ πάντας) Aldus habet πολλούς. Idque expreſſerunt Vetus interpres, Sepulveda & Aretinus. At vero πάντας eſſe legendum palam eſt, quoniam comparatio hic inſtituitur inter unum & totum populum, infra vero demum unus contenditur cum multis. Probat vero noſtram lectionem quoque Montecatinus & Giphanius; ne de aliis dicam. CONR.

(*f*) κρίνει ἄμεινον) Aldus: κρίνειν ἀμείνων. Quod ſequitur, & Caſaubonus. Noſtrum rectius videtur. CONR.

(*g*) στασιάζουσιν) Aldus, Montecatinus, Caſaubonus & alii habent στασιάσουσιν futuri temporis. Perinde vero eſt. CONR.

(*h*) πλείους ὁμοίους) Aldus & Iſengrinius: ὁμοίως;

 quam

Digitized by Google

§. 21. Et hanc ob cauſam fortaſſe regum poteſtati ſe tradebant prius, quia rarum erat invenire viros multum virtute præſtantes, præſertim tunc, cum *parvas urbes* (*a*) habitarent. Præterea *beneficio* (*b*) impellebantur ad conſtituendos reges: quod eſt officium proborum virorum. Poſtquam autem contigit, *naſci multos* (*c*) ſimiles virtute, non amplius tolerabant: ſed quærebant commune quoddam, rempublicamque conſtituerunt.

§. 21. Καὶ διὰ τοῦτ' ἴσως ἐβασιλεύοντο πρότερον, ὅτι σπάνιον ἦν εὑρεῖν ἄνδρας πολὺ διαφέροντας (*f*) κατ' ἀρετὴν, ἄλλως τε καὶ τότε μικρὰς οἰκοῦντας πόλεις. ἔτι δ' ἀπ' εὐεργεσίας καθίστασαν τοὺς βασιλεῖς· ὅπερ ἐστὶν ἔργον τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν. ἐπεὶ δὲ συνέβαινε γίγνεσθαι πολλοὺς ὁμοίους (*g*) πρὸς ἀρετὴν, οὐκ ἔτι ὑπέμενον, ἀλλ' ἐζήτουν κοινόν τι, καὶ πολιτείαν καθίστασαν.

§. 22. Poſtquam autem *deteriores facti*, (*d*) quæſtui rempublicam habuerunt, hinc conſentaneum eſt, aliquando exortos dominatus paucorum. Pepererunt enim honorem divitiis. Ex his autem primum in tyrannides transiverunt: e tyrannidibus autem in ſtatum multitudinis. Semper enim ad pauciores perducentes, cum ſibi a turpibus quæſtibus non temperarent, multitudinem robuſtiorem reddiderunt, ita ut impoſuerit illis, extiterintque ſtatus populares. Poſtquam autem majores eſſe civitates contigit, fortaſſe neque facile eſt amplius rempublicam aliam, præter popularem fieri.

§. 22. Ἐπεὶ δὲ χείρους γιγνόμενοι ἐχρηματίζοντο ἀπὸ τῶν κοινῶν, ἐντεῦθέν ποθεν εὔλογον γενέσθαι τὰς ὀλιγαρχίας. ἔντιμον γὰρ ἐποίησαν τὸν πλοῦτον. ἐκ δὲ τούτων, πρῶτον εἰς τυραννίδας μετέβαλλον· ἐκ δὲ τῶν τυραννίδων, εἰς δημοκρατίαν. ἀεὶ γὰρ εἰς ἐλάττους ἄγοντες δι' αἰσχροκέρδειαν, ἰσχυρότερον τὸ πλῆθος κατέστησαν, ὥστ' ἐπιθέσθαι, καὶ γενέσθαι δημοκρατίας. ἐπεὶ δὲ καὶ μείζους εἶναι συμβέβηκε τὰς πόλεις, ἴσως οὐδὲ ῥᾴδιον ἔτι γίγνεσθαι πολιτείαν ἑτέραν παρὰ δημοκρατίαν.

§. 23. Si autem jam aliquis ſtatuerit, optimum eſſe civitatibus regem habere, quomodo ſe habebunt, quæ faciunt ad filios? utrum & ſobolem oportet regnare? At natis illis, quales contigit aliquando naſci, *detrimentoſum eſt*. (*e*) At non tradet pater, cum hoc in manu ipſius ſit, liberis. Verum de hoc non pronum eſt ipſi fidem habere: majoriſque virtutis eſt, quam natura humana ferat.

§. 23. Εἰ δὲ δή τις ἄριστον θείη τὸ βασιλεύεσθαι ταῖς πόλεσι, πῶς ἕξει τὰ περὶ τῶν τέκνων; πότερον καὶ τὸ γένος δεῖ βασιλεύειν; ἀλλὰ γιγνομένων ὁποίων τινὲς (*h*) ἔτυχον, βλαβερόν. ἀλλ' οὐ καταλείψει (*i*) τοὺς υἱεῖς διαδόχους ὁ βασιλεὺς, ἐπ' ἐξουσίας ἔχων τοῦτο ποιῆσαι. ἀλλ' οὐκ ἔτι τοῦτο ῥᾴδιον πιστεῦσαι· χαλεπὸν γὰρ, καὶ μείζονος ἀρετῆς, ἢ κατ' ἀνθρωπίνην φύσιν. (*k*)

** **

§. 24. Controverſum autem eſt & de poteſtate, utrum decet eum, qui regnaturus eſt, vires

§. 24. Ἔχει δ' ἀπορίαν καὶ περὶ τῆς δυνάμεως, πότερον ἔχειν δεῖ τὸν μέλλοντα βασιλεύειν

quam ſcripturam ſecuti Aretinus, Lambinus & Caſaubonus. Noſtra vero non Victorio tantum, ſed Montecatino & Giphanio ſeſe probavit, videturque rei convenientior. *CONR.*

(*a*) *Parvas urbes*) Sed quis crederet, aliquam urbem, quam exigua etiam fuerit, non plures uno, ad regendam rempublicam aptos, producere potuiſſe. *GOEB.*

(*b*) *Beneficio*) Et circa hanc rationem dubium occurrit. Nam ex eo, quod beneficio impulſi ſunt ad conſtituendos reges, ſequitur, quod jam antea multitudo quædam in ſocietatem coaluerit civilem, & tunc uni, qui forte in ſervanda multitudine commodum maxime ſe præbuerit, omnes jus, quod in ſingulos habebant, contuliſſe. Unde ſequitur, democratiam monarchia priorem eſſe. *GOEB.*

(*c*) *Naſci multos*) Sed quid ni & ſtatim contigiſſet, multos ſimiles virtute naſci. *GOEB.*

(*d*) *deteriores facti*) Humanum genus iisdem ſemper impulſum eſt potentiis & affectibus. Licet nonnulli velint, primos homines, de quibus ex ſacra ſcriptura conſtat, ob ſimplicitatem non peccaſſe, alii autem hoc qualitati ſupernaturali, quam ſtatum innocentiæ vocant, attribuant. Illibata merito ſint, quæ ad revelationem ſpectant. Interim homo ante lapſum non alius erat, ac deinde fuit, nec Deus aliter eum deinde formavit. Oportet igitur, ut qualitas illa primorum parentum adventitia conſtiterit in peculiari dono cupiditatibus moderandi, quod per lapſum amiſſum eſt. Id tamen certum ex rerum & perſonarum defectu aut minori copia peccandi anſam imminui. *GOEB.*

(*e*) *Detrimentoſum eſt*) Parum puto referre, an dicamus, Ariſtotelem hic inquirere, utrum ſucceſſio præſtet electioni, an vice verſa, vel potius cum PICCARTO novum pro ariſtocratia contra monarchiam proferre argumentum. Illud extra omne ponendum dubium, & electionem & ſucceſſionem ſua habere commoda & incommoda, PICCART. *l. c. p.* 475. *ſeqq.* Tumultuariæ ſolent eſſe electiones, & factionibus inteſtinisque motibus obnoxiæ, contingitque eligi non meliorem, ſed ditiorem, qui illorum, quorum in electione potiores ſunt partes, vota emercari poteſt. Econtra contingit quoque regibus naſci prolem a patria indole & virtutibus abludentem, quæ deinde aulico luxu & laxiori vita, quæ ibi ſæpe vivitur, deterior fit. Verum hæc bona educatione, de qua ad *diſſertat.* de recta in republica educatione agetur, evitari & emendari poſſunt. Perutile eſt, illum, qui aliquando regere debet ab ineunte quaſi ætate rectoria imbui arte, quod rectius nullibi, quam in aula tantarum rerum officina & ſpecula fieri poteſt. Deinde nemo facile huic, quam par eſt, invigilabit arti, niſi certo perſuaſus ſit, ſe aliquando regere poſſe. Imo & ſi princeps nauci ex generatione jus regnandi habens præeſt, tot tamen inde mala, quam ex electione, in rempublicam redundare poſſunt, præſertim cum peregrini, rerum patriarum imperiti, cooptentur. Nam hodie ſolet per alios regi. *GOBB.*

(*f*) πολὺ διαφέροντας) Legerim cum Sylburgio πολλοὺς διαφέροντας. *CONR.*

(*g*) πολλοὺς ὁμοίους) Aldus & Iſengrinius iterum: ὁμοίως: idq; unus Vetus interpres expreſſit, reliqui omnes legerunt ὁμοίους. *CONR.*

(*h*) ὁποίων τινὲς) Ita etiam in Aldino eſt: & ſecuta illud eſt Lambini verſio, & a Camerario e veteri libro adnotatum, Iſengrinius: ὁποῖοί τινες. Montecatinus: ὁποῖόν τινες. Non dubito noſtram ſcripturam aliis præferre. *CONR.*

(*i*) οὐ καταλείψει) Aldus & Montecatinus habent: οὐ παραδώσει, κύριος ὤν, τοῖς τέκνοις; Quod ipſum probavit Caſaubonus, atque ita Victorius expreſſit: *At non tradet pater, cum hoc in manu ipſius ſit, liberis?* In ſenſu nulla eſt differentia. *CONR.*

(*k*) ἀνθρωπίνην φύσιν) Quoniam diſputatio de regno hæreditario non plene ſolvitur, veroſimile ſit, nonnulla hic deſiderari. *CONR.*

Digitized by Google

res aliquas prope ſe habere, quibus vim adhibere poſſit nolentibus parere: vel quomodo opus eſt imperium adminiſtrare. Si namque legibus etiam aliquis ſummum locum in civitate teneat, nihil gerens ſua voluntate contra legem, tamen neceſſe eſt ipſi adeſſe vires aliquas, quibus tuebitur leges.

§. 25. Fortaſſe igitur, quæ pertinent ad hujuſcemodi regem, non eſt difficile definiiſſe. Oportet enim ipſum ſane vires habere: eſſe autem *tantas vires*, (a) ut ſingulis, & uno & ſimul pluribus ſuperior ſit: inferior autem multitudine. Quemadmodum priſci cuſtodias dabant, quando conſtituerent quempiam civitatis, ut illi vocabant, Æſymnetem vel Tyrannum: & Dionyſio quidam, quando petebat cuſtodes, ſuadebat Syracuſanis tot dare cuſtodes.

εν ἰχύν τινα περὶ αὐτὸν, ἣ δυνήσεται (c) βιάζεσθαι τὴς μὴ βουλομένους πειθαρχεῖν· ἢ πῶς ἐνδέχεται τὴν ἀρχὴν διοικεῖν. εἰ γὰρ καὶ κατὰ νόμον εἴη κύριος, μηδὲν πράττων κατὰ τὴν αὑτοῦ βούλησιν παρὰ τὸν νόμον, ὅμως ἀναγκαῖον ὑπάρχειν αὐτῷ δύναμιν, ἣ φυλάξει τοὺς νόμους.

§. 25. Τάχα μὲν οὖν τὰ περὶ τὸν βασιλέα τὸν τοιοῦτον, οὐ χαλεπὸν διορίσαι· δεῖ γὰρ αὐτὸν μὲν ἔχειν ἰχύν· εἶναι δὲ τοσαύτην τὴν ἰχὺν, ὥστε ἑκάστου μὲν, καὶ ἑνὸς καὶ συμπλειόνων, κρείττω, τοῦ δὲ πλήθους, ἥττω· καθάπερ οἵ τ᾽ ἀρχαῖοι τὰς φυλακὰς ἐδίδοσαν, ὅτε καθιστᾶιέν τινα τῆς πόλεως ὃν ἐκάλουν Αἰσυμνήτην, ἢ τύραννον· καὶ Διονυσίῳ τις, ὅτ᾽ ᾔτει τοὺς φύλακας, συνεβούλευε τοῖς Συρακουσίοις διδόναι τοσούτους τοὺς φύλακας.

# CAP. XII.

§. 1.

XVI. De rege autem, qui ſua ex voluntate omnia gerat, ſermo nunc ſequitur, & conſiderare oportet.

§. 2. Rex enim, qui lege dictus eſt, non eſt ſpecies (ut diximus) reipublicæ. In omnibus enim locum habet dux belli perpetuus: ceu in ſtatu multitudinis, & optimorum, & multi creant unum, cujus in manu ſit diſpenſatio civitatis. Hujuſcemodi enim magiſtratus quidam eſt & Epidamni, & Opunte, aliqua tamen parte minor.

§. 3. De pleno autem vocato regno (hoc autem eſt, quo cuncta regit ſua voluntate rex,) (*dicendum.*)

§. 4. Videtur quibuſdam, ne naturæ quidem conſentire, unum in ſua poteſtate habere omnes cives, ubi conſtitit e ſimilibus civitas. Similibus enim natura idem juſtum neceſſe eſt, & eandem dignitatem ſecundum naturam eſſe. Quapropter ſi æquale habere alimentum inæquales, aut veſtem, detrimentoſum eſt corporibus: ſic ſe habet & quod pertinet ad honores. Simili igitur modo & inæquale æquales.

** **

§. 5. Quare nihil magis imperium habere, quam imperio parere juſtum eſt. Et per viciſſitudinem igitur eodem pacto. Hoc autem eſt jam lex. Ordo enim lex.

§. 6. *Legem igitur* (b) imperium habere, magis expetendum eſt, quam unum quempiam civium.

§. 7. Eadem autem hac ratione, ſi aliquos imperare melius eſt, hos conſtituere oportet cuſto-

§. 1.

XVI. Περὶ δὲ τοῦ βασιλέως, τοῦ κατὰ τὴν αὑτοῦ βούλησιν πάντα πράττοντος, ὅ τε λόγος ἐφέστηκε νῦν, καὶ ποιητέον τὴν σκέψιν.

§. 2. Ὁ μὲν γὰρ κατὰ νόμον λεγόμενος βασιλεὺς, οὐκ ἔστιν εἶδος, καθάπερ εἴπομεν, πολιτείας. (d) ἐν πάσαις γὰρ ὑπάρχειν ἐνδέχεται στρατηγίαν ἀΐδιον· οἷον ἐν δημοκρατίᾳ, καὶ ἀριστοκρατίᾳ· καὶ πολλοὶ ποιοῦσιν ἕνα κύριον τῆς διοικήσεως. τοιαύτη γὰρ ἀρχή τίς ἐστι καὶ περὶ Ἐπίδαμνον, καὶ περὶ Ὀποῦντα δὲ, κατά τι μέρος ἔλαττον.

§. 3. Περὶ δὲ τῆς παμβασιλείας καλουμένης, (αὕτη δ᾽ ἐστὶ καθ᾽ ἣν ἄρχει πάντων κατὰ τὴν ἑαυτοῦ βούλησιν ὁ βασιλεὺς, (λεκτέον.) (e)

§. 4. Δοκεῖ δέ τισιν οὐ κατὰ φύσιν (f) εἶναι τὸ κύριον ἕνα πάντων εἶναι τῶν πολιτῶν, ὅπου συνέστηκεν ἐξ ὁμοίων ἡ πόλις. τοῖς γὰρ ὁμοίοις φύσει τὸ αὐτὸ δίκαιον ἀναγκαῖον καὶ τὴν αὐτὴν ἀξίαν κατὰ φύσιν εἶναι. ὥστ᾽ εἴπερ καὶ τὸ ἴσην ἔχειν τοὺς ἀνίσους τροφὴν ἢ ἐσθῆτα, βλαβερὸν τοῖς σώμασιν, οὕτως ἔχει καὶ τὸ περὶ τὰς τιμάς· (g) ὁμοίως τοίνυν καὶ τὸ ἄνισον τοὺς ἴσους,

** **

§. 5. Διόπερ οὐδὲν (h) μᾶλλον ἄρχειν ἢ ἄρχεσθαι δίκαιον· καὶ τὸ ἀνὰ μέρος τοίνυν ὡσαύτως· τοῦτο δ᾽ ἤδη νόμος. ἡ γὰρ τάξις, νόμος.

§. 6. Τὸν ἄρα νόμον ἄρχειν αἱρετώτερον μᾶλλον ἢ τῶν πολιτῶν ἕνα τινά.

§. 7. Κατὰ τὸν αὐτὸν δὲ λόγον τοῦτον, κἂν εἴ τινας ἄρχειν βέλτιον, τούτους καταστατέον νομοφύλακας

(a) *Tantas vires*) HOBBES. *de cive c. XIV. §. VII. VIII.* PICCARTUS *lib. III. c. XV. p.* 495. 496. ARNISÆUS *relect. politic. lib. II. c. 3. ſect.* 2. GOEB.

(b) *Legem igitur*) HERTIUS *l. c. part. I. art. VII. §. 7. ſeqq.* GOEB.

(c) ἣ δυνήσεται) Aldus & Iſengrinius mendoſe: ἢ δυνήσετ. CONR.

(d) εἴπομεν, πολιτείας) Hanc lectionem recte probat Victorius & Montecatinus. Aldus tamen, Iſengrinius & Sepulveda habent βασιλείας, atque ita legerunt Vetus interpres pariter & Lambinus. CONR.

(e) λεκτέον) Hanc vocem nunc Aldus, nec Zvvingerus, nec Montecatinus habent. Indubie vero illuſtrat orationem, & ſine illa ſermo eſt mutilus. CONR.

(f) οὐ κατὰ φύσιν) Iidem legunt οὐδὲ κατὰ φύσιν. Sed parum intereſt. CONR.

(g) τὸ περὶ τὰς τιμ.) Aldus, Iſengrinius, Caſaubonus & Montecatinus habent τὰ: nulla ſenſus differentia. CONR.

(h) διόπερ οὐδὲν) Videntur hoc loco ſat multa deſiderari. Jam enim immerſus eſt Ariſtoteles illi dubio: an non ſimpliciter tota reſpublica debeat legibus committi. Hiare ſane orationem, nimis palam eſt. Imo omnis hæc diſputatio confuſa eſt. CONR.

Digitized by Google

cuſtodes legum, & ad earundem miniſtros. Neceſſe namque eſt *magiſtratus* (*a*) quoſdam eſſe, ſed non unum hunc eſſe affirmant juſtum, quando omnes ſimiles inter ſe ſunt.

φύλακας καὶ ὑπηρέτας τοῖς νόμοις. ἀναγκαῖον γὰρ εἶναί τινας ἀρχάς· ἀλλ᾽ οὐχ ἕνα τοῦτον εἶναί φασι δίκαιον, ὁμοίων γε ὄντων (*e*) πάντων.

§. 8. Atqui quæcunque lex non videtur poſſe definire, neque homo poſſet cognoſcere.

§. 8. Ἀλλὰ μὴν ὅσα γε μὴ δοκεῖ δύνασθαι διορίζειν ὁ νόμος, οὐδ᾽ ἄνθρωπος ἂν δύναιτο γνωρίζειν. (*f*)

** **

§. 9. Verum lex, quæ ſedulo erudiit, mandat reliqua juſtiſſima ſententia exiſtimare & adminiſtrare magiſtratus. Præterea concedit, ut corrigatur, quicquid viſum fuerit, periculum ejus facientibus melius eſſe, quam jam ſtatuta.

§. 9. Ἀλλ᾽ ἐπίτηδες (*g*) παιδεύσας ὁ νόμος, ἐφίστησι (*h*) τὰ λοιπὰ τῇ δικαιοτάτῃ γνώμῃ κρίνειν καὶ διοικεῖν τοὺς ἄρχοντας. ἔτι δ᾽ ἐπανορθοῦσθαι δίδωσιν, ὅ τι ἂν δόξῃ, πειρωμένοις ἄμεινον εἶναι τῶν κειμένων.

§. 10. Qui igitur mentem jubet imperare, videtur jubere *imperare Deum* (*b*) atque leges: qui vero jubet hominem, adjungit & belluam. Cupiditas enim hujuſcemodi quiddam eſt: atque excandeſcentia eos, qui imperium habent, *diſtorquet* (*c*) & optimos etiam viros. Quare lex eſt ſine appetitione mens.

§. 10. Ὁ μὲν οὖν τὸν νοῦν κελεύων (*i*) ἄρχειν, δοκεῖ κελεύειν ἄρχειν τὸν θεὸν καὶ τοὺς νόμους· ὁ δ᾽ ἄνθρωπον κελεύων, προστίθησι καὶ θηρίον. ἥ τε γὰρ ἐπιθυμία τοιοῦτον, καὶ ὁ θυμὸς ἄρχοντας διαστρέφει, καὶ τοὺς ἀρίστους ἄνδρας. διόπερ ἄνευ ὀρέξεως νοῦς ὁ νόμος ἐστί.

§. 11. Exemplum autem artium videtur eſſe mendax: mederi inquam ægrotis e præceptis, litteris proditis, vitioſum eſſe. Quinimo magis expetendum eſt & habentibus artem. Hi namque amicitia impulſi, nihil præter rationem faciunt, ſed mercedem capiunt, cum ægrotos curaverint. Qui autem in civilibus imperiis verſantur, multa, obſecuti odio & gratiæ, gerere conſueverunt.

§. 11. Τὸ δὲ τῶν τεχνῶν εἶναι δοκεῖ παράδειγμα ψεῦδος, ὅτι τὸ κατὰ γράμματα ἰατρεύεσθαι φαῦλον, ἀλλὰ καὶ αἱρετώτερον χρῆσθαι τοῖς ἔχουσι τὰς τέχνας. οἱ μὲν γὰρ οὐδὲν διὰ φιλίαν παρὰ τὸν λόγον ποιοῦσιν, ἀλλ᾽ ἄρνυνται τὸν μισθὸν, τοὺς κάμνοντας ὑγιάσαντες· οἱ δ᾽ ἐν ταῖς πολιτικαῖς ἀρχαῖς πολλὰ πρὸς ἐπήρειαν καὶ χάριν εἰώθασι πράττειν.

§. 12. Nam & medicos, cum ſuſpicati fuerint perſuaſos illos ab inimicis ægroti perdere propter lucrum, tunc poſcerent potius curationem e monimentis. Quin etiam inducunt ad ſemetipſos medici, cum ægrotant, alios medicos, & magiſtri corporis exercitiorum alios ejus generis magiſtros, tanquam non valeant exiſtimare, quod verum eſt, quia exiſtimant de ſuis propriisque rebus commoto animo.

§. 12. Ἐπεὶ καὶ τοὺς ἰατροὺς, ὅταν ὑποπτεύωσι πιστευθέντας τοῖς ἐχθροῖς διαφθείρειν διὰ κέρδος, τότε τὴν ἐκ τῶν γραμμάτων θεραπείαν ζητήσαιεν ἂν μᾶλλον. ἀλλὰ μὴν εἰσάγονταί γε ἐφ᾽ ἑαυτοὺς οἱ ἰατροὶ κάμνοντες ἄλλους ἰατροὺς, καὶ οἱ παιδοτρίβαι γυμναζόμενοι παιδοτρίβας, ὡς οὐ δυνάμενοι κρίνειν τὸ ἀληθὲς, διὰ τὸ κρίνειν περί τε οἰκείων, καὶ ἐν πάθει ὄντες.

** **

§. 13. Quapropter apertum eſt, qui juſtum inveſtigant, inveſtigare medium. Lex enim medium eſt.

§. 13. Ὥστε δῆλον (*k*) ὅτι τὸ δίκαιον ζητοῦντες, τὸ μέσον ζητοῦσιν· ὁ γὰρ νόμος τὸ μέσον.

** **

§. 14. Præterea validiores & de validioribus rebus ſunt leges, quæ moribus conſtant, quam quæ ſcriptis. Quapropter homo ipſe imperans tutior, illis in monimentis litterarum, ** ſed non illis legibus more conſtantibus.

§. 14. Ἔτι κυριώτεροι (*l*) καὶ περὶ κυριωτέρων τῶν κατὰ γράμματα νόμων, οἱ κατὰ τὰ ἔθη εἰσίν. ὥστε τῶν κατὰ γράμματα ἄνθρωπος ἄρχων ἀσφαλέστερος, ** ἀλλ᾽ οὐ (*m*) τῶν κατὰ τὸ ἔθος.

§. 15. Atqui neque *proclive eſt* (*d*) unum multa oculis perluſtrare. Opus igitur erit plures

§. 15. Ἀλλὰ μὴν οὐδὲ ῥᾴδιον ἐφορᾶν πολλὰ τὸν ἕνα. (*n*) δεήσει ἄρα πλείονας εἶναι τοὺς ὑπ᾽ αὐτοῦ

(*a*) *Magiſtratus*) HERT. *l. c.* §. 7. *GOEB.*

(*b*) *Imperare Deum*) Forte hic Ariſtoteli de lege naturæ ſermo eſt, quæ voluntas creatoris hominum menti eſt inſinuata, eique omnes homines ſubſunt, legibus autem civilibus ejus autores non ſunt obnoxii, cum hic deſit facultas obligandi. *GOEB.*

(*c*) *Diſtorquet*) Sæpe leges humanæ humanorum affectuum, ad ſalutem reipublicæ minime tendentium, effectus ſunt. *GOEB.*

(*d*) *Proclive eſt*) Proponuntur hic argumenta pro ariſtocratia contra regnum. PICCART. *lib. III. c.* 16. *p.* 503. *ſeqq.* *GOEB.*

(*e*) ὁμοίων γε ὄντων) Aldus habet ὁμοίως. Sed perinde eſt. *CONR.*

(*f*) δύναιτο γνωρίζειν.) Montecatinus adjicit ſignum interrogationis. Acceſſerim Victorio, qui contendit *l.* 23. *Var. lection. c.* 16. pro οὐδ᾽ ἄνθρωπος legendum ὅδε ἄνθρωπος. *CONR.*

(*g*) ἀλλ᾽ ἐπίτηδες) Obſcura eſt oratio. Videtur mihi hiatus ſubeſſe. *CONR.*

(*h*) ἐφίστησι) Montecatinus cenſet legendum ἐφίησι, etſi omnes codices diſſentiant. Tolerabilis tamen lectio vulgata. Quanquam & Caſaubono ἐφίησι placuit. *CONR.*

(*i*) τὸν νοῦν κελεύων) Ita Vetus interpres legit: in uno etiam mss. ita ſe legiſſe teſtatur Victorius: qui fatetur tamen in omnibus aliis legi, τὸν νόμον, prius licet probet. Verum nihil videtur intereſſe, quam velis lectionem amplecti. Caſaubono placet τὸν νόμον. *CONR.*

(*k*) ὥστε δῆλον) De medio hactenus nulla occurrit mentio. Hiat itaque & hoc loco oratio. *CONR.*

(*l*) ἔτι κυριώτεροι) Non cohærent ſequentia cum præcedentibus, nec integrum aliquod argumentum exhibent, ſed mutilum ſenſum præ ſe ferunt. Itaque & hic nonnulla deſunt. *CONR.*

(*m*) ἀλλ᾽ οὐ) Nulla connexio: itaque lacuna adeſt. *CONR.*

(*n*) πολλὰ τὸν ἕνα) Aldus & Iſengrinius non habent πολλά: nec eam vocem Aretinus expreſſit. Alii tamen perinde ut nos legunt: indubie rectius. *CONR.*

Digitized by Google

plures eſſe, qui ab ipſo præficiantur imperiis. Quapropter quid intereſt, hoc ab initio ſtatim fieri, quam unum conſtituere hoc modo?

§. 16. Præterea quod prius etiam dictum eſt, ſiquidem vir ſtudioſus, quia melior eſt, dignus eſt, qui imperet: uno autem duo probi viri meliores. Hoc enim eſt illud,

*Simul duo euntes,*

& votum Agamemnonis,

*Tales decem mihi conſultores.*

** **

§. 17. Sunt autem & nunc de nonnullis rebus magiſtratus, tanquam domini exiſtimandi, quemadmodum judex, de quibus lex non valet definire, ut quæ non optime imperaret atque exiſtimaret.

§. 18. Quia de quibus ſtatuere valet, nemo ambigit de his. Verum quia hæc quidem licet complecti legibus, hæc autem non licet: hæc ſunt, quæ faciunt, ut dubitemus, & quæramus, utrum magis expetendum eſt, optimam legem imperium habere vel optimum virum. Illa namque, de quibus deliberant, lege complecti, unum eorum eſt, quæ non poſſunt effici.

§. 19. Non igitur huic adverſantur, quod neceſſarium non ſit, hominem eſſe, qui exiſtimaturus ſit de hujuſcemodi rebus, verum controverſia eſt, quod volunt, non unum ſolum, ſed multos. Exiſtimat enim unusquisque, qui cum imperio eſt bene inſtitutus a lege.

§. 20. Abſurdum autem eſſe fortaſſe videretur, ſi melius videat aliquis duobus oculis, & duabus auribus exiſtimans, & agens duobus pedibus ac manibus, quam multi multis. Nam nunc quoque principes comparant ſibi *oculos multos*, (a) & aures, & manus, & pedes.

§. 21. Qui diligunt enim principatum, eum, & ipſos, faciunt conſortes imperii.

§. 22. *** Non igitur amici exiſtentes, non ſe gerunt e voluntate illius, qui ſolus imperat. Si autem amici & illius, & principatus.

§. 23. Amicus autem æqualis eſt & ſimilis. Quare ſi hos putat oportere imperium habere, æquales & ſimiles imperium habere putat eodem pacto.

§. 24. Quæ igitur adferunt, qui diſſerunt contra regnum, hæc ferme ſunt.

§. 25. XVII. Sed fortaſſe hæc in quibusdam ſe habent hoc pacto: in quibusdam autem non ſic.

§. 26. Eſt enim quoddam genus hominum natura factum ad herum recipiendum, aliud ad

αὐτοῦ καθισαμένους ἄρχοντας. ὥστε τί διαφέρει τοῦτο ἐξ ἀρχῆς εὐθὺς ὑπάρχειν, ἢ τὸν ἕνα καταστῆσαι τοῦτον τὸν τρόπον;

§. 16. Ἔτι, ὃ καὶ (b) πρότερον εἰρημένον ἐστὶν, εἴπερ ὁ ἀνὴρ ὁ σπουδαῖος, διότι βελτίων, ἄρχειν δίκαιος· τοῦ δὲ ἑνὸς οἱ δύο ἀγαθοὶ βελτίους· τοῦτο γάρ ἐστι τὸ,

Σύν τε δύ᾽ ἐρχομένω·

καὶ ἡ εὐχὴ τοῦ Ἀγαμέμνονος,

Τοιοῦτοι δέκα μοι συμφράδμονες.

** **

§. 17. Εἰσὶ δὲ καὶ νῦν (c) περὶ ἐνίων αἱ ἀρχαὶ κύριαι κρίνειν, ὥσπερ ὁ δικαστὴς, περὶ ὧν ὁ νόμος ἀδυνατεῖ διορίζειν. ὡς οὐκ ἂν ἄριστα ὁ νόμος ἄρξειε καὶ κρίνειεν.

§. 18. Ἐπεὶ περὶ ὧν δυνατὸς, οὐδεὶς ἀμφισβητεῖ περὶ τούτων. ἀλλ᾽ ἐπειδὴ τὰ μὲν ἐνδέχεται περιληφθῆναι τοῖς νόμοις, τὰ δ᾽ ἀδύνατα, ταῦτ᾽ ἐστὶν ἃ ποιεῖ διαπορεῖν καὶ ζητεῖν, πότερον τὸν ἄριστον νόμον ἄρχειν αἱρετώτερον, ἢ τὸν ἄνδρα τὸν ἄριστον. περὶ ὧν γὰρ βουλεύονται νομοθετῆσαι, τῶν ἀδυνάτων ἐστίν.

§. 19. Οὐ τοίνυν τοῦτό γ᾽ ἀντιλέγουσιν, ὡς οὐκ ἀναγκαῖον ἄνθρωπον εἶναι τὸν κρινοῦντα περὶ τῶν τοιούτων, ἀλλ᾽ ὅτι οὐχ ἕνα μόνον, ἀλλὰ πολλούς. κρίνει γὰρ ἕκαστος ἄρχων πεπαιδευμένος ὑπὸ τοῦ νόμου καλῶς.

§. 20. Ἄτοπον δ᾽ ἴσως ἂν εἶναι δόξειεν, εἰ βέλτιον ἴδοι τις δυοῖν ὄμμασι (d) καὶ δυσὶν ἀκοαῖς κρίνων, καὶ πράττων (e) δυσὶ ποσὶ καὶ χερσὶν, ἢ πολλοὶ πολλοῖς· ἐπεὶ καὶ νῦν ὀφθαλμοὺς πολλοὺς οἱ μόναρχοι ποιοῦσιν αὐτῶν, καὶ ὦτα, καὶ χεῖρας, καὶ πόδας.

§. 21. Τοὺς γὰρ τῇ ἀρχῇ καὶ αὐτοῦ (f) φίλους ποιοῦνται συνάρχους.

§. 22. *** Μὴ φίλοι (g) μὲν οὖν ὄντες, οὐ ποιήσουσι (h) κατὰ τὴν τοῦ μονάρχου προαίρεσιν· εἰ δὲ φίλοι κἀκείνου, καὶ τῆς ἀρχῆς.

§. 23. Ὅ τε φίλος (i) ἴσος καὶ ὅμοιος. ὥστ᾽ εἰ τούτους οἴεται δεῖν ἄρχειν, τοὺς ἴσους καὶ ὁμοίους ἄρχειν οἴεται δεῖν ὁμοίως.

§. 24. Ἃ μὲν οὖν οἱ διαμφισβητοῦντες πρὸς τὴν βασιλείαν λέγουσι, σχεδὸν ταῦτ᾽ ἐστίν.

§. 25. XVII. Ἀλλ᾽ ἴσως ταῦτ᾽ ἐπὶ μὲν τινων ἔχει τὸν τρόπον τοῦτον, ἐπὶ δὲ τινων οὐχ οὕτως.

§. 26. Ἔστι γάρ τι φύσει δεσποτὸν, (k) καὶ ἄλλο βασιλευτὸν, καὶ ἄλλο πολιτικὸν, καὶ δίκαιον, καὶ

(a) *Oculos multos*) Id in Ludovico XI. Galliæ rege, teſte COMINÆO reprehenditur, quod alios non vocaverit in conſilium. *GOEB.*

(b) ὃ καὶ) Deſunt hæc in Aldino & Baſileenſi codice: ſed perperam. *CONR.*

(c) εἰσὶ δὲ νῦν) Hæc prioribus cum non cohæreant, indubie quædam perierunt. *CONR.*

(d) δυοῖν ὄμμασι) Bene Sylburgius monet, congruentius eſſe δυοῖν ὄμμασι. *CONR.*

(e) καὶ πράττων) Scribendum eſſe πράττοι, indicat antecedens ἴδοι. *CONR.*

(f) καὶ αὐτοῦ) Sic in omnibus, quæ viderit mſſ. legi teſtatur Victorius: habent quoque ita editi codices. Sylburgius tamen pariter & Montecatinus recte cenſent, ſcribendum: αὐτῶν vel αὐτοῖς. Recte etiam paulo ante Caſaubonus legit τῆς ἀρχῆς. *CONR.*

(g) μὴ φίλοι) Aliquantulum hiare ſermonem, palam eſt. *CONR.*

(h) οὐ ποιήσουσι) Peſſime in Aldino & Iſingriniano codice deeſt οὐ. *CONR.*

(i) ὅ τε φίλος) Scripſerim ὁ δὲ φίλος. Aldus legit ὅτε: itidem male. *CONR.*

(k) δεσποτὸν) Lego cum Sylburgio δεσποστόν. Caſaubonus probat δεσποτόν. *CONR.*

ad regem, aliud itidem civile, ac juſtum & utile. Tyrannicum autem non eſt ſecundum naturam, neque ulla rerumpublicarum, quæ ſunt depravationes. Hæc enim fiunt præter naturam.

καὶ συμφέρον· τυραννικὸν δ' οὐκ ἔστι κατὰ φύσιν, οὐδὲ τῶν ἄλλων πολιτειῶν ὅσαι παρεκβάσεις εἰσὶ. ταῦτα γὰρ γίγνεται παρὰ φύσιν.

§. 27. Sed ex iis, quæ dicta ſunt, apertum eſt, ubi ſunt ſimiles & æquales, neque utile, neque juſtum eſſe, unum in ſua poteſtate habere omnes: neque ſi leges nullæ ſunt, ſed ſit ipſe tanquam lex: neque ſi ſint leges: neque ſi bonus bonis, neque ſi non bonis non bonus, neque ſi melior virtute fuerit, niſi aliquo modo.

§. 27. Ἀλλ' ἐκ τῶν εἰρημένων γε φανερὸν, ὡς ἐν μὲν τοῖς ὁμοίοις καὶ ἴσοις, οὔτε συμφέρον ἐστὶν, οὔτε δίκαιον, ἕνα κύριον εἶναι πάντων, οὔτε μὴ νόμων ὄντων, ἀλλ' αὐτὸν ὡς νόμον ὄντα, (b) οὔτε νόμων ὄντων· οὔτε ἀγαθὸν ἀγαθῶν, οὔτε μὴ ἀγαθῶν μὴ ἀγαθόν· οὐδ' ἂν κατ' ἀρετὴν ἀμείνων ᾖ, εἰ μὴ τρόπον τινά.

§. 28. Quis autem modus, dicendum eſt. Dictum autem eſt aliquo modo jam prius. Primum autem definiendum, quod ſit genus hominum regno, quod optimatibus, quod reipublicæ aptum.

§. 28. Τίς δ' ὁ τρόπος, λεκτέον· εἴρηται δέ πως ἤδη καὶ πρότερον. πρῶτον δὲ διοριστέον τί τὸ βασιλευτὸν, καὶ τί τὸ ἀριστοκρατικὸν, καὶ τί τὸ πολιτικόν.

§. 29. Regalis igitur eſt hujuſcemodi mutlitudo, cui a natura datum eſt ferre familiam, præſtantem virtute, ad civilem poteſtatem. Idonea optimatibus multitudo eſt, cui a natura datum eſt, ut ferat multitudinem, quæ patitur ſe regi liberorum hominum imperio, ab iis, qui propter virtutem digni ſunt, qui regant, ad civile imperium. Civile autem genus multitudo, in qua natura datum eſt, ut gignatur multitudo bellica, quæ poſſit regi & regere ſecundum legem: quæ lex pro dignitate tribuat egenis magiſtratus.

§. 29. Βασιλευτὸν μὲν οὖν τὸ τοιοῦτόν ἐστι πλῆθος, ὃ πέφυκε φέρειν γένος ὑπερέχον κατ' ἀρετὴν πρὸς ἡγεμονίαν πολιτικήν· ἀριστοκρατικὸν δὲ πλῆθος, ὃ πέφυκε φέρειν πλῆθος (c) ἄρχεσθαι δυνάμενον τὴν τῶν ἐλευθέρων ἀρχὴν, ὑπὸ τῶν κατ' ἀρετὴν ἡγεμονικῶν πρὸς πολιτικὴν ἀρχήν· πολιτικὸν δὲ πλῆθος, ἐν ᾧ πέφυκε (καὶ ἓν) (d) ἐγγίνεσθαι πλῆθος. πολεμικὸν, δυνάμενον ἄρχεσθαι καὶ ἄρχειν κατὰ νόμον τὸν κατ' ἀξίαν διανέμοντα τοῖς εὐπόροις (e) τὰς ἀρχάς.

§. 30. Quando igitur vel familiam totam vel aliorum etiam contigerit unum quempiam naſci præſtantem virtute tantum, ut ſuperet illius virtus virtutem aliorum omnium: tunc æquum eſt *familiam eſſe hanc regiam*, (a) in ſuo arbitrio cuncta habere & regem unum hunc.

§. 30. Ὅταν οὖν ἢ γένος ὅλον, ἢ καὶ τῶν ἄλλων ἕνα τινὰ συμβῇ διαφέροντα γενέσθαι κατ' ἀρετὴν τοσοῦτον, ὥσθ' ὑπερέχειν τὴν ἐκείνου τῆς τῶν ἄλλων πάντων, τότε δίκαιον τὸ γένος εἶναι τοῦτο βασιλικὸν, καὶ κύριον πάντων, καὶ βασιλέα τὸν ἕνα τοῦτον.

§. 31. Quemadmodum enim dictum eſt prius, non ſolum ſic ſe res habet eo jure, quod afferre conſueverunt, qui reſpublicas conſtituere, & aptas poteſtati optimorum, & in quibus dominentur pauci, rurſuſque populares (cuncti enim exuperantiam attendendam cenſent, verum exuperantiam non eandem) ſed cuſtodito illo, quod prius dictum eſt.

§. 31. Καθάπερ γὰρ εἴρηται πρότερον, οὐ μόνον οὕτως ἔχει κατὰ τὸ δίκαιον, ὃ προφέρειν εἰώθασιν οἱ τὰς πολιτείας. καθιστάντες, οἵ τε τὰς ἀριστοκρατικὰς, καὶ οἱ τὰς ὀλιγαρχικὰς, καὶ πάλιν οἱ τὰς δημοκρατικὰς· πάντες γὰρ καθ' ὑπεροχὴν ἀξιοῦσιν. ἀλλ' ὑπεροχὴν οὐ τὴν αὐτὴν, ἀλλὰ κατὰ τὸ πρότερον λεχθέν.

§. 32. Neque enim decet necare, neque in exilium agere, neque ad certum tempus exigere hujuſcemodi virum, neque ab eo poſtulare, ut viciſſim pareat. Neque enim natura patitur, ut pars ſuperior ſit toto. Illi autem, qui continet in ſe hujuſcemodi exuperantiam, hoc

§. 32. Οὔτε γὰρ κτείνειν, ἢ φυγαδεύειν, οὐδ' ὀστρακίζειν δὴ που τὸν τοιοῦτον πρέπον ἐστὶν, οὔτ' ἀξιοῦν ἄρχεσθαι κατὰ μέρος. οὐ γὰρ πέφυκε τὸ μέρος ὑπερέχειν τοῦ παντός· τῷ δὲ τηλικαύτην ὑπερβολὴν ἔχοντι τοῦτο συμβέβηκεν. ὥστε λείπεται μόνον, τὸ πείθεσθαι (f) τῷ τοιούτῳ

(a) *Familiam eſſe hanc regiam*) Autor hic loquitur de ſtatu ideali: multa ſunt, quæ ad idealem talem requiruntur regem. Vid. ARNISÆUS *lib. II. c. 3. ſect. III.* placent, quæ habet BODINUS *de republ.* lib. II. n. 200. *Optimum regem cum dicimus, populari ſermone utimur; nec talem quærimus, qui claruerit heroicis illis virtutibus, ſumma inquam pietate, juſtitia, continentia, prudentia, fortitudine, bellicis laudibus, quæ in heroum fabulis ad intuendum & imitandum magnificentius quam verius proponuntur; nec ullis omnino flagitiis inquinatus ſit; qualis nemo exiſtit unquam, nec vero exiſtere poſſit, ſed boni ac juſti regis exemplar in principum genere conquirimus, qualis ab Homero duobus verbis ἤπιος πατὴρ princeps appellatur: qui ut talis ſit, modis omnibus efficere conetur.* GOEB.

(b) ἀλλὰ αὐτὸν ὡς νόμον ὄντα) Male hæc deeſſe in codice Aldino & Iſengriniano, indicat res ipſa, ne quid dicam, quod ipſe Vetus interpres illa legerit. CONR.

(c) φέρειν πλῆθος) Victorius cenſet, delendas hoc loco quatuor voculas: ὁ πεφ. φερ. πλῆθ. Illam ultimam πλῆθος delendam eſſe omnino, & ipſe conſentio; tres reliquæ autem videntur eſſe ſatis commodæ. Caſaubonus quoque Victorio reclamat. CONR.

(d) καὶ ἓν) Illa incluſa non abundant tantum, ſed etiam orationem faciunt falſam. Et vero ſolus Aldus & Iſengrinius ita legunt, & ſoli Geneſius & Lambinus ita verterunt. Reliqui omnes omiſerunt: quos ſecutus eſt noſter quoque Victorius. CONR.

(e) τοῖς εὐπόροις) Hanc lectionem quidem probavit quoque Lambinus & Camerarius. Cum Victorio tamen malo ἀπόροις: in democratiis enim non divites, ſed pauperes potiores ſunt. CONR.

(f) τὸ πείθεσθαι) Aldus & Iſengrinius habent καὶ πείθ. quod eſt elegantius, ſi conferas cum ſubſequente καὶ. CONR.

Digitized by Google

hoc uſui venit. Quapropter reſtat ſolum, ut hujuſcemodi viro obtemperetur: ſummamque poteſtatem ille habeat in civitate, non mutatis vicibus, verum ſimpliciter.

τοιούτῳ, καὶ κύριον εἶναι μὴ κατὰ μέρος τοῦτον, ἀλλ' ἁπλῶς.

§. 33. De regno igitur, quot diſcrimina ipſius ſunt, & utrum minime conducit civitatibus, ſive conducit, & quibus, & quomodo, definitum ſit hoc modo.

§. 33. Περὶ μὲν οὖν βασιλείας, τίνας ἔχει διαφορὰς, καὶ πότερον οὐ συμφέρει ταῖς πόλεσιν, ἢ συμφέρει, καὶ τίσι, καὶ πῶς, διωρίσθω τὸν τρόπον τοῦτον.

§. 34. XIIX. Quia autem tres affirmamus eſſe rectas respublicas, harum autem neceſſe eſt optimam eſſe, quæ adminiſtratur ab optimis viris: hujuſcemodi autem eſt, in qua contingit vel unum quempiam ſimul omnibus, vel familiam totam, vel multitudinem antecellere virtute, his quidem vim poteſtatemque in ſe habentibus parendi, his autem imperandi, propoſita ſibi maxime expetenda vita: in primis autem diſputationibus demonſtratum eſt, neceſſario eandem virtutem eſſe viri & civis optimæ civitatis: perſpicuum eſt eodem modo & per easdem res, virumque effici ſtudioſum, & civitatem conſtitui poſſe ab aliquo, quæ ſit in poteſtate optimorum, vel a rege gubernetur.

§. 34. Ἐπεὶ δὲ (a) τρεῖς φαμὲν εἶναι τὰς ὀρθὰς πολιτείας, τούτων δ' ἀναγκαῖον ἀρίστην εἶναι τὴν ὑπὸ τῶν ἀρίστων οἰκονομουμένην· (τοιαύτη δ' ἐστὶν (b) ἐν ᾗ συμβέβηκεν, ἢ ἕνα τινὰ συμπάντων, ἢ γένος ὅλον, ἢ πλῆθος ὑπερέχον εἶναι κατ' ἀρετὴν, τῶν μὲν ἄρχεσθαι δυναμένων, τῶν δ' ἄρχειν, πρὸς τὴν αἱρετωτάτην ζωήν·) ἐν δὲ τοῖς πρώτοις ἐδείχθη λόγοις, ὅτι τὴν αὐτὴν ἀναγκαῖον ἀνδρὸς ἀρετὴν (c) εἶναι καὶ πολίτου τῆς πόλεως τῆς ἀρίστης· φανερὸν ὅτι τὸν αὐτὸν τρόπον, καὶ διὰ τῶν αὐτῶν ἀνήρ τε γίνεται σπουδαῖος, καὶ πόλιν συστήσειεν ἄν τις ἀριστοκρατουμένην, ἢ βασιλευομένην.

§. 35. Quapropter erit & diſciplina eadem & mores iidem ferme, qui virum ſtudioſum faciunt, & qui faciunt reipublicæ adminiſtrandæ, regnoque idoneum.

§. 35. Ὥστ' ἔσται καὶ παιδεία καὶ ἔθη ταὐτὰ σχεδὸν τὰ ποιοῦντα σπουδαῖον ἄνδρα, καὶ τὰ ποιοῦντα πολιτικὸν (d) καὶ βασιλικόν.

** ** ** **

§. 36. Definitis autem his, jam enitendum eſt de republica optima dicere, quomodo illa apta eſt gigni, & conſtitui quomodo. Neceſſe enim eſt eum, qui de ipſa conſideraturus eſt, ut decet. * * *

§. 36. Διωρισμένων δὲ (e) τούτων, περὶ τῆς πολιτείας ἤδη πειρατέον λέγειν τῆς ἀρίστης, τίνα πέφυκε γίνεσθαι τρόπον, καὶ καθίστασθαί πως. ἀνάγκη γὰρ (f) περὶ αὐτῆς ποιήσασθαι τὴν προσήκουσαν σκέψιν.

---

(a) ἐπεὶ δὲ) Zwingerus caput 18. hinc exorſus monet, hæc debere potius inter decimum tertium & quartum ſuæ ſectionis interjici, cum ſint Syncephalæoſis doctrinæ de rerumpublicarum ſpeciebus: decimo enim quarto capite ab univerſali conſideratione rerumpublicarum ad primam ſpeciem regiam deſcendere Ariſtotelem. *Forte etiam, cum caput præſens ultima ſui parte mutilum ſit & mancum, eademque habeat, quæ initium libri ſeptimi, inſuper libri ſequentis initium nimis generale videatur eſſe, & phraſes quædam parum Ariſtoteleæ occurrant; ſuſpicioni locum eſſe poſſe, hæc omnia uſque ad caput ſecundum ſequentis libri temere interjecta ab aliquibus fuiſſe. &c.* At vero multa hic ponuntur falſa. De regno ſane, non alio fine hic agi, quam ut oſtendatur, regnum quoque eſſe ſpeciem reipublicæ rectam atque juſtam, jam diximus. Sed & mox liquebit, hoc caput quaſi præambulum eſſe doctrinæ de optima republica, mox ſubſecuturæ integris ſex libris: & excipi hunc librum a libro ſeptimo, & libro quarto poſt prolixam & uberem doctrinam de optima republica novæ tractationis juſtum eſſe exordium. Itaque non eſt, cur Zwingeri ſuſpicionibus accedamus. *CONR.*

(b) τοιαύτη δ' ἐστὶν) Hæc, & quæ ſequuntur nonnulla, parentheſi incluſimus: propter perſpicuitatem majorem. *CONR.*

(c) ἀνδρὸς ἀρετ.) Deeſt ἀγαθοῦ: nec enim ſimpliciter de viro, ſed de viro bono loquitur. *CONR.*

(d) ποιοῦντα πολιτικὸν) Videtur potius ſcribendum ἀριστοκρατικὸν, aut certe & hoc addendum. *CONR.*

(e) διωρισμένων δὲ) Illud δὲ prodit male hæc connecti cum antecedentibus. Aut igitur ſcribendum δὴ vel οὖν: aut potius cogitandum eſt de hiatu: quorum poſterius mihi eſt maxime veriſimile. *CONR.*

(f) ἀνάγκη γὰρ) Victorius opinatur, aut mendum hic eſſe, aut lacunam: potius tamen lacunam: viſum quoque ſibi librum calamo exaratum, in quo inane ſatis magnum ſpacium relictum erat. Non diſſentit Montecatinus, modo non repetenda quædam ſint ex præcedentibus. Omnino & ipſe acceſſerim iis, ſi textus græcus ita ſeſe habeat, prout illi legerunt, cumque illis Aldus, Iſengrinius & Zwingerus: ἀνάγκη δὴ τὸν μέλλοντα περὶ αὐτῆς ποιήσασθαι τὴν προσήκουσαν σκέψιν: ſententia enim plane eſt imperfecta. At vero ſi legas, prout expreſſit Sylburgius & Caſaubonus, de mendo vel lacuna nulla eſt ſuſpicandi cauſſa. Satis bene vero ſenſum aſſequutus eſt Lambinus: *neceſſe enim eſt de ea convenienter, & ita ut res poſtulat, commentari ac diſputare.* Omnia clara ſunt, ſi conferantur cum initio libri ejus, qui hodie numeratur ſeptimus. Qua de re jam diſſeruimus in introductione. *CONR.*

# ARISTOTELIS POLITICORUM LIBER IV.

# ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ ΠΟΛΙΤΙΚΩΝ ΤΟ Δ.

## CAPUT I.

§. 1.

In cunctis artibus & ſcientiis, quæ particulares non ſunt, ſed circa genus unum aliquod verſantur perfectæque ſunt, unius eſt contemplari, quod circa unumquodque congruit.

§. 2. Veluti exercitatio corpori qualis quali prodeſt, & quæ optimo (illi namque, qui eſt pulcherrime natura formatus & inſtructus, optimam neceſſe eſt convenire:) & quæ una plurimis omnibus: hoc namque artis, quæ tradit exercitationes corporis, munus eſt. Amplius autem, ſi aliquis optimæ cupidus non eſt, ſive habitudinis, ſive ſcientiæ, quæ faciunt ad certamina: nihilominus magiſtri ejus ludi & exercitatoris officium eſt, facere illos compotes hujus quoque facultatis

§. 3. Eodem autem pacto hoc & in medicorum & in fabrûm navalium, & illa, quæ veſtimenta conficit, & omni alia arte, uſu venire videmus.

§. 4. Quapropter apertum eſt, ejusdem eſſe ſcientiæ videre, quænam optima reſpublica ſit: & qualis aliqua exiſtens maxime ſit ad votum, ſi nihil impediat eorum, quæ ſunt extra: & quæ, quibus congruens? Multis enim optimam adipiſci fortaſſe impoſſibile.

§. 5. Quare fallere non oportet ſcriptorem legum, & vere civilem virum, quæ ſit optima ſimpliciter, & quæ optima, e rebus poſitis. Adhuc autem tertiam quandam e ſuppoſitione. Opus eſt enim & datam poſſe videre, ab initioque quomodo conſtitui poſſit: & conſtituta, quomodo conſervetur plurimo tempore. Dico autem, ceu ſi alicui civitati contingit, neque optimo ſtatu regi, penuriaque laborare rerum etiam neceſſariarum: neque illo, quem obtinere poterat e rebus, quæ ipſi aderant: ſed quendam deteriorem. Præterea autem hæc omnia rempublicam maxime congruentem omnibus civitatibus oportet noſſe.

§. 6. Quoniam *magna pars eorum*, (*a*) qui enunciant de republica, & ſi cætera dicunt belle, a rebus, quæ uſui eſſe poſſunt, aberrant.

§. 7. Non enim ſolum optimam decet contemplari, verum etiam quæ conſtitui poſſit. Eodem autem pacto, & faciliorem & communiorem omnibus. Nunc autem hi quidem celſiſſimam & egentem multa rerum copia, quærunt ſolum: hi autem, magis communem quam-

§. 1.

Ἐν ἁπάσαις ταῖς τέχναις καὶ ταῖς ἐπιστήμαις, ταῖς μὴ κατὰ μόριον γινομέναις, ἀλλὰ περὶ γένος ἕν τι τελείαις ὔσαις, μιᾶς ἐστι θεωρῆσαι τὸ περὶ ἕκαστον γένος ἁρμόττον.

§. 2. Οἷον, ἄσκησις σώματι ποία τε ποίῳ συμφέρει, καὶ τίς ἀρίστη. (τῷ γὰρ (*b*) κάλλιστα πεφυκότι, καὶ κεχορηγημένῳ, τὴν ἀρίστην ἀναγκαῖον ἁρμόττειν·) καὶ τίς τοῖς πλείστοις μία πᾶσι (καὶ γὰρ τοῦτο τῆς γυμναστικῆς ἐστιν.) ἔτι δ', ἐάν τις μὴ τῆς ἱκνουμένης ἐπιθυμῇ (*c*) μήθ' ἕξεως μήτ' ἐπιστήμης τῶν περὶ τὴν ἀγωνίαν, μηδὲν ἧττον τοῦ παιδοτρίβου καὶ τοῦ γυμναστικοῦ παρασκευάσαι τε καὶ ταύτην ἔτι τὴν (*d*) δύναμιν.

§. 3. Ὁμοίως δὲ τοῦτο καὶ περὶ ἰατρικὴν, καὶ περὶ ναυπηγίαν, καὶ ἐσθῆτα, καὶ περὶ πᾶσαν ἄλλην τέχνην ὁρῶμεν συμβαῖνον.

§. 4. Ὥστε δῆλον ὅτι καὶ πολιτείαν τῆς αὐτῆς ἐστιν ἐπιστήμης τὴν ἀρίστην θεωρῆσαι, τίς ἐστι, καὶ ποία τις ἂν οὖσα μάλιστ' εἴη κατ' εὐχὴν, μηδενὸς ἐμποδίζοντος τῶν ἐκτός· καὶ τίς τίσιν ἁρμόττουσα· πολλοῖς γὰρ τῆς ἀρίστης τυχεῖν ἴσως ἀδύνατον.

§. 5. Ὥστε τὴν κρατίστην τε ἁπλῶς, καὶ τὴν ἐκ τῶν ὑποκειμένων ἀρίστην, οὐ δεῖ λεληθέναι τὸν νομοθέτην, καὶ τὸν ὡς ἀληθῶς πολιτικόν. ἔτι δὲ τρίτην τὴν ἐξ ὑποθέσεως. δεῖ γὰρ καὶ τὴν δοθεῖσαν δύνασθαι θεωρεῖν, ἐξ ἀρχῆς τε πῶς ἂν γένοιτο, καὶ γενομένη τίνα τρόπον ἂν σώζοιτο πλεῖστον χρόνον. (λέγω δὲ, (*e*) οἷον εἴ τινι πόλει συμβέβηκε, μήτε τὴν ἀρίστην πολιτεύεσθαι πολιτείαν, ἀχορήγητόν τε εἶναι καὶ τῶν ἀναγκαίων, μήτε τὴν ἐνδεχομένην ἐκ τῶν ὑπαρχόντων, ἀλλά τινα φαυλοτέραν.) παρὰ πάντα δὲ ταῦτα, τὴν μάλιστα πάσαις ταῖς πόλεσιν ἁρμόττουσαν δεῖ γνωρίζειν.

§. 6. Ὡς οἱ πλεῖστοι τῶν ἀποφαινομένων περὶ πολιτείας, καὶ εἰ τἄλλα λέγουσι καλῶς, τῶν γε χρησίμων διαμαρτάνουσιν.

§. 7. Οὐ γὰρ μόνον τὴν ἀρίστην δεῖ θεωρεῖν, ἀλλὰ καὶ τὴν δυνατήν. ὁμοίως δὲ καὶ τὴν ῥᾴω καὶ κοινοτέραν ἁπάσαις. νῦν δ' οἱ μὲν τὴν ἀκροτάτην, καὶ δεομένην πολλῆς χορηγίας, ζητοῦσι μόνον· οἱ δὲ μᾶλλον κοινήν (*f*) τινα λέγοντες, τὰς ὑπαρχούσας ἀναιροῦντες πολιτείας, τὴν

---

(*a*) *Magna pars eorum*) PICCARTUS *lib. IV. c. I. p.* 514. *GOEB.*

(*b*) τῷ γὰρ) Majoris perſpicuitatis cauſſa vinculis hæc incluſi, ut & illa paulo poſt καὶ γάρ. *CONR.*

(*c*) ἐπιθυμῇ) Vocem ſuſpectam eſſe notat Caſaubonus. *CONR.*

(*d*) ἔτι τὴν) Aldus & Zvvingerus & Caſaubonus habent ἐστι, nullo ſenſus diſcrimine. *CONR.*

(*e*) λέγω δὲ) Hæc quoque parentheſis a mea manu eſt: non dubito autem hinc aliquid lucis acceſſurum textui. *CONR.*

(*f*) κοινὴν) Caſaubonus probabiliter ſcribit καινήν τινα. *CONR.*

Digitized by Google

quampiam dicentes, extinctis rebuspublicis, quæ ſunt, Laconicam, vel aliam quampiam laudant.

τὴν Λακωνικὴν ἢ τινα ἄλλην ἐπαινοῦσι.

§. 8. Oportet autem hujuſcemodi ordinem inducere, quem facile ex iis, quæ ſunt, & probare & uſu tueri valeant.

§. 8. Χρὴ δὲ τοιαύτην εἰσηγεῖσθαι τάξιν, ἣν ῥᾳδίως ἐκ τῶν ὑπαρχουσῶν καὶ πεισθήσονται καὶ δυνήσονται κοινωνεῖν.

§. 9. Quoniam non minor labor eſt *corrigere rempublicam*, (*a*) quam ab initio conſtituere: quemadmodum &, deleta priore falſa doctrina, verum perdiſcere, quam a principio *diſcere*. (*b*)

§. 9. Ὡς ἔστιν οὐκ ἔλαττον ἔργον, τὸ ἐπανορθῶσαι πολιτείαν, ἢ κατασκευάζειν ἐξ ἀρχῆς· ὥσπερ καὶ τὸ μεταμανθάνειν, τοῦ μανθάνειν ἐξ ἀρχῆς.

§. 10. Quare præter ea, quæ dicta ſunt, rebuspublicis, quæ ſunt, opus eſt vim & poteſtatem habere opitulandi civilem virum, quemadmodum dictum eſt & prius.

§. 10. Διὸ πρὸς τοῖς εἰρημένοις, καὶ ταῖς ὑπαρχούσαις πολιτείαις δεῖ δύνασθαι βοηθεῖν τὸν πολιτικόν, καθάπερ ἐλέχθη καὶ πρότερον.

§. 11. Hoc autem fieri non poteſt, ſi ignorat, quot ſpecies Reipublicæ ſunt. Nunc autem unum ſtatum popularem arbitrantur quidam eſſe, & unum dominatum paucorum. Non eſt autem hoc verum. Quapropter oportet minime clam eſſe diſcrimina rerumpublicarum, quot ſunt & quot modis componuntur.

§. 11. Τοῦτο δὲ ἀδύνατον, ἀγνοοῦντα πόσα πολιτείας ἐστὶν εἴδη. νῦν δὲ μίαν δημοκρατίαν οἴονταί τινες εἶναι, καὶ μίαν ὀλιγαρχίαν· οὐκ ἔστι δὲ τοῦτ᾽ ἀληθές. ὥστε δεῖ τὰς διαφορὰς μὴ λανθάνειν τὰς τῶν πολιτειῶν, πόσαι, καὶ συντίθενται ποσαχῶς.

§. 12. Cum eadem autem hac prudentia & leges optimas videre, & quæ ſingulis rebuspublicis congruunt. Ad reſpublicas enim leges oportet ſcribere, & ſcribunt omnes, ſed non reſpublicas ad leges. Reſpublica namque eſt ordo ille in civitatibus, qui refertur ad magiſtratus, quo pacto diſtributi ſunt, & quod ſit illud, quod ſummam poteſtatem habet in republica, & qui ſit finis uniuſcujuſque communionis. Leges autem ſeparatæ ſunt ab iis, quæ declarant rempublicam, per quas oportet magiſtratus imperium exercere & cuſtodire illos, qui migrant in ipſas.

§. 12. Μετὰ δὲ τῆς αὐτῆς φρονήσεως ταύτης, καὶ νόμους τοὺς ἀρίστους ἰδεῖν, καὶ τοὺς ἑκάστῃ τῶν πολιτειῶν ἁρμόττοντας. πρὸς γὰρ τὰς πολιτείας τοὺς νόμους δεῖ τίθεσθαι, καὶ τίθενται πάντες· ἀλλ᾽ οὐ τὰς πολιτείας πρὸς τοὺς νόμους. πολιτεία μὲν γάρ ἐστι τάξις ταῖς πόλεσιν ἡ περὶ τὰς ἀρχάς, τίνα τρόπον νενέμηνται, καὶ τί τὸ κύριον τῆς πολιτείας, καὶ τί τὸ τέλος ἑκάστης τῆς κοινωνίας ἐστί. νόμοι δὲ κεχωρισμένοι τῶν δηλούντων τὴν πολιτείαν, καθ᾽ οὓς δεῖ τοὺς ἄρχοντας ἄρχειν, καὶ φυλάττειν τοὺς παραβαίνοντας αὐτούς.

§. 13. Quapropter conſtat, neceſſe eſſe diſcrimina & numerum tenere ſingularum rerumpublicarum etiam ad leges ſcribendas.

§. 13. Ὥστε δῆλον, ὅτι τὰς διαφορὰς ἀναγκαῖον, καὶ τὸν ἀριθμὸν ἔχειν τῆς πολιτείας ἑκάστης, καὶ πρὸς τὰς τῶν νόμων θέσεις.

§. 14. Neque enim fieri poteſt, ut eædem leges proſint dominatibus paucorum & ſtatibus multitudinis cunctis: ſi quidem plures, & non unus eſt ſtatus multitudinis: nec dominatus itidem unus paucorum.

§. 14. Οὐ γὰρ οἷόν τε τοὺς αὐτοὺς νόμους συμφέρειν ταῖς ὀλιγαρχίαις, οὐδὲ ταῖς δημοκρατίαις πάσαις· εἴπερ δὴ πλείω, καὶ μὴ μία δημοκρατία, μηδὲ ὀλιγαρχία μόνον ἐστίν.

## CAPUT II.

§. 1.

II. Quia autem in prima ratione de rebuspublicis diſtinximus, tres eſſe reſpublicas rectas, regnum, ariſtocratiam, rempublicam: treſque harum labes: tyrannidem quidem, regni: dominatum autem, paucorum *optimatum*: (*c*) ſtatum autem, multitudinis reipublicæ: & de optimatium ſtatu & regno dictum eſt: (de optima enim republica contemplari idem eſt atque de his nominibus dicere:

§. 1.

II. Ἐπεὶ δ᾽ ἐν τῇ πρώτῃ μεθόδῳ (περὶ) (*d*) τῶν πολιτειῶν διειλόμεθα, τρεῖς μὲν τὰς ὀρθὰς πολιτείας, βασιλείαν, ἀριστοκρατίαν, πολιτείαν· τρεῖς δὲ τὰς τούτων παρεκβάσεις· τυραννίδα μέν, βασιλείας· ὀλιγαρχίαν δέ, ἀριστοκρατίας· δημοκρατίαν δέ, πολιτείας· καὶ περὶ μὲν ἀριστοκρατίας καὶ βασιλείας εἴρηται (τὸ γὰρ περὶ τῆς ἀρίστης πολιτείας θεωρῆσαι, ταὐτὸ καὶ περὶ τούτων ἐστὶν εἰπεῖν ὀνομάτων· βούλεται γὰρ ἑκατέρα

(*a*) *Corrigere rempublicam*) Imo majorem puto eſſe laborem, vitioſum demere, & bonum ejus loco introducere, quam rempublicam ab initio, ut natura ejus requirit, formare. *GOEB.*

(*b*) *Diſcere*) Hinc dicunt, Muſicum quendam ab eo, qui alium habuerat magiſtrum, duplicem exegiſſe mercedem, cum non ſolum oporteret talem tyronem muſicam docere, ſed illum etiam ab eo, quod perverſi didicerat, liberare. ALEXAND. AB ALEXANDRO *Genial. dier. lib. II. fol. 97.* (*b*) *GOEB.*

(*c*) *Optimatum*) Sunt, qui putant, Ariſtotelem peculiarem de ariſtocratia conſcripſiſſe librum, alii hoc peculiari capite, quod intercidit, factum eſſe autumant: Verum mihi PICCARTUS videtur recte ſentire, autorem ad id, quod *lib. III. c. 16. de ariſtocr. traditum*, reſpicere. *GOEB.*

(*d*) (περὶ)). Non habet quidem illam voculam Zvvingerus. Et Lambinus tamen & Victorius eam agnovere. Perinde vero eſt, quos ſequaris. *CONR.*

cere: vult enim utraque virtute conſtare copiis inſtructa:) adhuc autem, quo diſcrepent inter ſe ſtatus optimorum & regnum, & quando oportet regnum exiſtimare, definitum eſt prius. Reſtat de republica diſſerere, quæ communi nomine appellatur, & de aliis rebuspublicis, dominatu paucorum, & ſtatu multitudinis, & tyrannide.

§. 2. Perſpicuum igitur & harum tranſgreſſionum, quæ peſſima eſt, & quæ ſecunda. Neceſſe enim eſt tranſgreſſionem primæ & diviniſſimæ peſſimam eſſe. Regnum namque neceſſe, vel nomen tantum habere, cum minime ſit, vel per multam regnantis exuperantiam eſſe. Quare tyrannidem, quæ peſſima eſt, plurimum abeſſe a republica. Secundo autem loco dominatum paucorum: ſtatus enim optimorum multum diſtat ab hac republica. Maxime autem moderatum, ſtatum multitudinis.

§. 3. Jam igitur quidam enunciavit ſic e numero eorum, qui extitere ante nos: non tamen ad idem reſpiciens, quod nos. Ille namque exiſtimavit, omnibus probis exiſtentibus, ceu ſtatu paucorum bono & aliis, peſſimum eſſe ſtatum popularem: improborum autem optimum. Nos autem penitus has vitioſas eſſe affirmamus: & meliorem dominatum paucorum alium alio non recte poſſe dici, ſed minus malum.

§. 4. Verum de hujuſcemodi exiſtimatione nunc omittatur.

§. 5. Nobis autem primum dividendum eſt, quot ſunt rerumpublicarum differentiæ: ſi quidem ſunt ſpecies plures popularis ſtatus & dominatus paucorum. Deinde quæ maxime communis, & quæ maxime expetenda poſt optimam rempublicam: & ſi qua extiterit alia ad optimatum ſtatum vergens, & bene conſtituta, ſed plurimis congruens civitatibus, quæ eſt. Deinde e numero cæterarum, quæ quibus expetenda: fortaſſe enim his quidem neceſſarius magis ſtatus multitudinis, quam dominatus paucorum: his vero, hic magis illo.

§. 6. Poſthæc autem, quonam modo oportet conſtituere has reſpublicas, qui huic rei ſtudeat: intelligo autem ſtatus multitudinis per ſingulas ſpecies & rurſus dominatus paucorum.

§. 7. Extremum autem, quando horum omnium breviter mentionem eam fecerimus, quæ contingit: enitendum eſt perſequi, qui interitus, & quæ incolumitates ſint rerumpublicarum & communiter & ſeorſum ſingularum: & per quas cauſſas hæc maxime natura fiant.

ἑκατέρα κατ' ἀρετὴν συνεςάναι (a) κεχορηγημένην·) ἔτι δὲ τί διαφέρουσιν ἀλλήλων ἀριςοκρατία, καὶ βασιλεία, καὶ πότε δεῖ βασιλείαν νομίζειν, διώρισαι πρότερον· λοιπὸν περὶ πολιτείας διελθεῖν τῆς τῷ κοινῷ προσαγορευομένης ὀνόματι, καὶ περὶ τῶν ἄλλων πολιτειῶν, ὀλιγαρχίας τε καὶ δημοκρατίας, καὶ τυραννίδος.

§. 2. Φανερὸν μὲν οὖν καὶ τούτων τῶν παρεκβάσεων τίς χειρίςη, καὶ δευτέρα τίς. ἀνάγκη γὰρ τὴν μὲν τῆς πρώτης καὶ θειοτάτης παρέκβασιν, εἶναι χειρίςην· τὴν δὲ βασιλείαν ἀναγκαῖον (ἢ) (b) τοὔνομα μόνον ἔχειν, οὐκ οὖσαν, ἢ διὰ πολλὴν ὑπεροχὴν εἶναι τὴν τοῦ βασιλεύοντος. ὥςε (καὶ) (c) τὴν τυραννίδα, χειρίςην οὖσαν, πλεῖςον ἀπέχειν πολιτείας· δεύτερον δὲ, τὴν ὀλιγαρχίαν· ἡ γὰρ ἀριςοκρατία διέςηκεν ἀπὸ ταύτης πολὺ τῆς πολιτείας· μετριωτάτην δὲ, τὴν δημοκρατίαν.

§. 3. Ἤδη μὲν οὖν τις ἀπεφήνατο καὶ τῶν πρότερον οὕτως· οὐ μὴν εἰς ταὐτὸ βλέψας ἡμῖν. ἐκεῖνος μὲν γὰρ ἔκρινε, πασῶν μὲν οὐσῶν ἐπιεικῶν· οἷον, ὀλιγαρχίας τε χρηςῆς, καὶ τῶν ἄλλων, χειρίςην δημοκρατίαν· φαύλων δὲ ἀρίςην. ἡμεῖς δὲ ὅλως ταύτας ἐξημαρτημένας εἶναί φαμεν. καὶ βελτίω μὲν ὀλιγαρχίαν ἄλλην ἄλλης, οὐ καλῶς ἔχει λέγειν· ἧττον δὲ φαύλην.

§. 4. Ἀλλὰ περὶ μὲν τῆς τοιαύτης κρίσεως ἀφείσθω τανῦν.

§. 5. Ἡμῖν δὲ, πρῶτον μὲν διαιρετέον, πόσαι διαφοραὶ τῶν πολιτειῶν (εἴπερ ἐςὶν (d) εἴδη πλείονα τῆς τε δημοκρατίας, καὶ τῆς ὀλιγαρχίας.) ἔπειτα τίς κοινοτάτη, καὶ τίς αἱρετωτάτη μετὰ τὴν ἀρίςην πολιτείαν. κἂν εἴ τις ἄλλη τετύχηκεν ἀριςοκρατικὴ, καὶ συνεςῶσα καλῶς, ἀλλὰ ταῖς πλείςαις ἁρμόττουσα πόλεσι, τίς ἐςιν. ἔπειτα καὶ τῶν ἄλλων τίς τίσιν αἱρετή· τάχα γὰρ, τοῖς μὲν ἀναγκαία δημοκρατία μᾶλλον ὀλιγαρχίας· τοῖς δ' αὕτη μᾶλλον ἐκείνης.

§. 6. Μετὰ δὲ ταῦτα, τίνα τρόπον δεῖ καθιςάναι τὸν βουλόμενον ταύτας τὰς πολιτείας. λέγω δὲ δημοκρατίας τε καθ' ἕκαςον εἶδος, καὶ πάλιν ὀλιγαρχίας.

§. 7. Τέλος δὲ πάντων τούτων, ὅταν ποιησώμεθα συντόμως τὴν ἐνδεχομένην μνείαν, πειρατέον ἐπελθεῖν τίνες φθοραὶ, καὶ (τίνες) (e) σωτηρίαι τῶν πολιτειῶν, καὶ κοινῇ, καὶ χωρὶς ἑκάςης, καὶ διὰ τίνας αἰτίας ταῦτα μάλιςα γίνεσθαι πέφυκε.

CAP. III.

(a) συνεςάναι) Aldus & Iſengrinius: συνιςάναι: minus congruenter, ut recte judicat Sylburgius. *CONR.*

(b) (ἢ)) Abeſſe illam voculam a Zvvingeri editione, miror: cum uterque interpres Victorius & Lambinus eam expreſſerint. Forte librarii eſt culpa. *CONR.*

(c) (καὶ)) Victorius non expreſſit: fecit tamen Lambinus. Sed nihil momenti in eo ſitum eſt. *CONR.*

(d) εἴπερ ἐςὶν) Hæc etiam parentheſis a me eſt: non ſine fructu, quantum ſpero. *CONR.*

(e) (τίνες)) A Zvvingeri textu græco abeſt: uterque tamen ejus interpres vertit. Perinde autem & hoc eſt. *CONR.*

# CAP. III.

§. 1.

III Cur igitur plures ſint reſpublicæ, cauſa eſt, quod omnis civitatis *partes plures* (*a*) ſint numero.

§. 2. Primum enim de domibus concretas omnes videmus civitates: deinde rurſus hujus multitudinis, hos quidem divites neceſſe eſt eſſe, hos autem pauperes, hos vero medios: & divitum utique & pauperum hanc quidem partem eſſe armatam, hanc vero inermem. Et hanc plebem deditam agro colendo videmus, hanc autem verſari in foro, hanc vero conſtare ex opificibus.

§. 3. Et nobilium ſunt diſcrimina, & *per divitias, & magnitudines* (*b*) matrimonii, rei familiaris ceu ſtudium equorum alendorum. hoc enim non facile eſt præſtare, niſi divites. Quare antiquis temporibus quibuscunque civitatibus robur militiæ *in equis manebat*, (*c*) apud hos erant dominatus paucorum: utebantur autem adverſus hoſtes equis adverſus vicinos populos, veluti Eretrienſes & Chalcidenſes & Magnetes prope Mæandrum, & aliorum populorum multi Aſiam incolentes.

§. 4. Amplius præter diſcrimina e divitiis, eſt quod proficiſcitur a genere & a virtute: & ſi qua alia hujuscemodi res dicta eſt pars eſſe civitatis, ubi de optimatum ſtatu diſſeruimus: illic enim diſtinximus, e quot partibus neceſſariis conſtat omnis civitas.

§. 5. Harum enim partium aliquando cunctæ participes ſunt reipublicæ: aliquando pauciores: aliquando plures.

§. 6. Perſpicuum igitur, plures neceſſe eſſe rerumpublicis exiſtere, quæ diſcrepent inter ſe ſpecie: hæ namque partes ſpecie diſcrepant inter ſe.

§. 7. Reſpublica namque eſt magiſtratuum ordo: hunc autem cuncti diſtribuunt vel per poteſtatem eorum, qui participes ipſorum ſunt: vel per quampiam aliam æqualitatem communem. Intelligo autem pauperum, vel divitum, vel communem aliquam ambobus. Neceſſe igitur eſt reſpublicas eſſe tot, quot ſunt ordines ſecundum exuperantias & ſecundum diſcrimina partium.

§. 8. Maxime autem videntur eſſe duæ. Quemadmodum *de ventis* (*d*) dicitur: hos quidem eſſe aquilonios, hos autem auſtrales: alios autem, horum egreſſus. Sic & rerumpublicarum duæ, ſtatus populi, & dominatus paucorum. Optimates

§. 1.

III. Τοῦ μὲν οὖν εἶναι πλείους πολιτείας αἴτιον, ὅτι πάσης ἐςὶ μέρη πλείω πόλεως τὸν ἀριθμόν.

§. 2. Πρῶτον μὲν γὰρ ἐξ οἰκιῶν συγκειμένας πάσας ὁρῶμεν τὰς πόλεις· ἔπειτα πάλιν τούτου τοῦ πλήθους, τοὺς μὲν εὐπόρους ἀναγκαῖον εἶναι, τοὺς δ᾽ ἀπόρους, τοὺς δὲ μέσους· καὶ τῶν εὐπόρων δὲ καὶ τῶν ἀπόρων, τὸ μὲν ὁπλιτικὸν, τὸ δὲ ἄοπλον· (*e*) καὶ τὸν μὲν, γεωργικὸν δῆμον ὁρῶμεν ὄντα, τὸν δ᾽ ἀγοραῖον, τὸν δὲ βάναυσον.

§. 3. Καὶ τῶν γνωρίμων εἰσὶ διαφοραὶ, καὶ κατὰ τὸν πλοῦτον, καὶ τὰ μεγέθη τῆς οὐσίας, οἷον ἱπποτροφίας· τοῦτο γὰρ οὐ ῥάδιον, μὴ πλουτοῦντας, ποιεῖν. διόπερ ἐπὶ τῶν ἀρχαίων χρόνων ὅσαις πόλεσιν ἐν τοῖς ἵπποις ἡ δύναμις ἦν, ὀλιγαρχίαι παρὰ τούτοις ἦσαν. ἐχρῶντο δὲ πρὸς τοὺς πολεμίους ἵπποις πρὸς τοὺς ἀστυγείτονας· οἷον Ἐρετριεῖς, καὶ Χαλκιδεῖς, καὶ Μάγνητες οἱ ἐπὶ Μαιάνδρῳ, καὶ τῶν ἄλλων πολλοὶ περὶ τὴν Ἀσίαν.

§. 4. Ἔτι πρὸς ταῖς κατὰ πλοῦτον διαφοραῖς, ἐςὶν ἡ μὲν κατὰ γένος, ἡ δὲ κατ᾽ ἀρετὴν· κἂν εἴ τι δὴ τοιοῦτον ἕτερον εἴρηται πόλεως εἶναι μέρος ἐν τοῖς περὶ τὴν ἀριςοκρατίαν· ἐκεῖ γὰρ διειλόμεθα (*f*) ἐκ πόσων μερῶν ἀναγκαίων ἐςὶ πᾶσα πόλις.

§. 5. Τούτων γὰρ τῶν μερῶν, ὁτὲ μὲν πάντα μετέχει τῆς πολιτείας, ὁτὲ δὲ ἐλάττω, ὁτὲ δὲ πλείω.

§. 6. Φανερὸν τοίνυν, ὅτι πλείους ἀναγκαῖον εἶναι πολιτείας, εἴδει διαφερούσας ἀλλήλων· καὶ γὰρ ταῦτ᾽ εἴδει διαφέρει τὰ μέρη σφῶν αὐτῶν.

§. 7. Πολιτεία μὲν γὰρ, ἡ τῶν ἀρχῶν τάξις ἐςί. ταύτην δὲ διανέμονται πάντες, ἢ κατὰ τὴν δύναμιν τῶν μετεχόντων, ἢ κατά τινα αὐτῶν ἰσότητα κοινήν· (λέγω δὲ οἷον τῶν ἀπόρων, ἢ τῶν εὐπόρων, ἢ κοινήν τιν᾽ ἀμφοῖν.) ἀναγκαῖον ἄρα πολιτείας εἶναι τοσαύτας, ὅσαιπερ τάξεις κατὰ τὰς ὑπεροχάς εἰσι, καὶ κατὰ τὰς διαφορὰς τῶν μορίων.

§. 8. Μάλιςα δὲ δοκοῦσιν εἶναι δύο· καθάπερ ἐπὶ τῶν πνευμάτων λέγεται τὰ μὲν βόρεια, τὰ δὲ νότια, τὰ δ᾽ ἄλλα, τούτων παρεκβάσεις· οὕτω καὶ τῶν πολιτειῶν, δύο, δῆμος, καὶ ὀλιγαρχία. τὴν γὰρ ἀριςοκρατίαν, τῆς ὀλιγαρχίας εἶδος τιθέα-

(*a*) *Partes plures*) PICCARTUS *p.* 520. *GOEB.*

(*b*) *Per divitias & magnitudines*) De diſcrepantia inter veterum nobilitatem & noſtram agit ANTHON. MATHÆUS *de nobilitate c.* I. Veteres Germani nobilitatem à libertate & rebus præclare geſtis repetebant. Nec opibus tantus apud illos honos, ut aliquem inde nobilem appellaverint. In medio ævo tamen, primæ claſſis nobiles divites dicti, quia plerumque reliquos opibus antecedebant. Apud Græcos, ex hoc Ariſtotelis loco apparet, nobilitatem contigiſſe, genere, virtute, opibus, matrimonio, & nobilitatis τεκμήριον fuiſſe alere equos. Hinc nobiles olim unici equitatum conſtituebant, quanquam apud Romanos, nonnunquam nobilem ab equite diſcrepaſſe, invenio. *GOEB.*

(*c*) *In equis manebat*) CRAGIUS *de republica Lacedam. lib. IV. c. IV.* PICCARTUS *p.* 521. *GOEB.*

(*d*) *De ventis*) Conf. PLINIUS *in hiſtor. naturali c.* 47. KIRCH. *mund. ſubt. lib. IV. ſect. II. c.* 8. DU HAMEL *phyſ. part. II. tract. II. diſſ.* I. Multa vulgaria in Ariſtotelicis polit. libris occurrere, jam monui, ad quæ talia etiam ſpectant ſimilia. *GOEB.*

(*e*) ἄοπλον) Rectius ἄνοπλον. *CONR.*

(*f*) γὰρ διειλόμεθα) Aldus & Iſengrinius & Caſaubonus διείλομεν. At Ariſtoteli pluralis numerus eſt frequentiſſimo in uſu. *CONR.*

Optimates enim ſpeciem dominatus paucorum eſſe ponunt, tanquam ſit dominatus quidam: & vocatam rempublicam, ſtatum populi: quemadmodum in ventis, Favonium Aquilonis, Eurum autem Auſtri. Eodem modo ſe habet & circa harmonias, ut quidam ajunt. Etenim illic ſtatuunt ſpecies duas eſſe *concentus*, (*a*) & qui Doricum & qui Phrygium morem exprimit: alias autem compoſitiones, has quidem Doricas, has autem Phrygias appellant.

τιθέασιν, ὡς οὖσαν ὀλιγαρχίαν τινά· καὶ τὴν καλουμένην πολιτείαν, δημοκρατίαν· (*d*) ὥσπερ ἐν τοῖς πνεύμασι, τὸν μὲν ζέφυρον, τοῦ βορέου, τοῦ δὲ νότου, τὸν εὖρον. ὁμοίως δ᾽ ἔχει καὶ περὶ τὰς ἁρμονίας, ὥς φασί τινες· καὶ γὰρ ἐκεῖ τίθενται εἴδη δύο, τὴν δωριστὶ, καὶ τὴν φρυγιστί· τὰ δ᾽ ἄλλα συντάγματα, τὰ μὲν Δώρια, τὰ δὲ Φρύγια καλοῦσι.

§. 9. Maxime igitur conſuerunt ſic arbitrari de rebuspublicis. Verius tamen & melius, ut nos diviſimus. Duabus vel una exiſtente, quæ *pulchre conſtituta ſit*, (*b*) reliquas eſſe migrationes ex ipſis: has quidem bene temperatæ harmoniæ, has autem optimæ reipublicæ: prope accedentes ad dominatum paucorum, quæ fuerint contentiores & magis heriles: remiſſas autem & molles, populares.

§. 9. Μάλιστα μὲν οὖν εἰώθασιν οὕτως ὑπολαμβάνειν περὶ τῶν πολιτειῶν· ἀληθέστερον δὲ καὶ βέλτιον ὡς ἡμεῖς διείλομεν, δυοῖν ἢ μιᾶς οὔσης τῆς καλῶς συνεστηκυίας, τὰς ἄλλας εἶναι παρεκβάσεις· τὰς μὲν, τῆς εὖ κεκραμένης ἁρμονίας· τὰς δὲ, τῆς ἀρίστης πολιτείας· ὀλιγαρχικὰς μὲν, τὰς συντονωτέρας καὶ δεσποτικωτέρας· τὰς δ᾽ ἀνειμένας καὶ μαλακὰς, δημοτικάς.

## CAP. IV.

§. 1.

Non oportet autem ſtatuere ſtatum multitudinis, quemadmodum quidam conſuerunt nunc, ſimpliciter hoc pacto: ubi ſummam poteſtatem habet multitudo: (in dominatibus enim quoque paucorum & ubique major pars ſummam poteſtatem habet;) neque dominatum paucorum, ubi pauci in ſua manu habent rempublicam.

§. 1.

Οὐ δεῖ δὲ τιθέναι δημοκρατίαν, καθάπερ εἰώθασί τινες νῦν ἁπλῶς οὕτως, ὅπου κύριον τὸ πλῆθος· καὶ γὰρ ἐν ταῖς ὀλιγαρχίαις καὶ πανταχοῦ, τὸ πλέον μέρος κύριον· οὐδ᾽ ὀλιγαρχίαν, (*e*) ὅπου κύριοι τῆς πολιτείας ὀλίγοι.

§. 2. Si enim eſſent cuncti mille & trecenti, atque horum mille divites, qui non partem tribuerent imperii trecentis & pauperibus, liberis exiſtentibus & cætera ſimilibus, nemo diceret hos populariter regi. Eodem autem pacto & ſi pauperes quidem pauci eſſent, potentiores autem divitibus, pluribus exiſtentibus, nemo dominatum paucorum appellaret: neque hujuſcemodi, ſi cæteris exiſtentibus divitibus, participatio nulla eſſet honorum.

§. 2. Εἰ γὰρ εἴησαν οἱ πάντες χίλιοι καὶ τριακόσιοι, καὶ τούτων οἱ χίλιοι πλούσιοι, καὶ μὴ μεταδιδοῖεν ἀρχῆς τοῖς τριακοσίοις καὶ πένησιν, ἐλευθέροις οὖσι, καὶ τἄλλα ὁμοίοις, οὐθεὶς ἂν φαίη δημοκρατεῖσθαι τούτους. ὁμοίως δὲ καὶ εἰ πένητες μὲν ὀλίγοι εἶεν, κρείττους δὲ τῶν εὐπόρων, πλειόνων ὄντων, οὐδεὶς ἂν ὀλιγαρχίαν προσαγορεύσειεν· οὐδὲ τὴν τοιαύτην, εἰ τοῖς ἄλλοις οὖσι πλουσίοις μὴ μετείη τῶν τιμῶν.

§. 3. Magis igitur dicendum, popularem eſſe ſtatum, cum liberi in ſua poteſtate rempublicam habuerint: dominatum autem paucorum, cum divites. Sed contingit hos quidem multos eſſe, hos autem paucos: liberi enim multi, divites autem pauci.

§. 3. Μᾶλλον τοίνυν λεκτέον, ὅτι δῆμος μέν ἐστιν, ὅταν οἱ ἐλεύθεροι κύριοι ὦσιν· ὀλιγαρχία δ᾽, ὅταν οἱ πλούσιοι. ἀλλὰ συμβαίνει, τοὺς μὲν πολλοὺς εἶναι, τοὺς δ᾽ ὀλίγους· ἐλεύθεροι μὲν γὰρ πολλοὶ, πλούσιοι δ᾽ ὀλίγοι.

§. 4. Etenim ſi ratione *magnitudinis* (*c*) tribuiſſent magiſtratus, quemadmodum in Æthiopia fieri, ſunt qui affirment, vel pulchritudinis, dominatus paucorum extitiſſet: parvus enim numerus eſt & formoſorum & magnorum.

§. 4. Καὶ γὰρ ἂν εἰ κατὰ μέγεθος διενέμοντο τὰς ἀρχὰς, ὥσπερ ἐν Αἰθιοπίᾳ φασί τινες, ἢ κατὰ κάλλος, ὀλιγαρχία ἦν ἄν· ὀλίγον γὰρ τὸ πλῆθος, καὶ τὸ τῶν καλῶν, καὶ τὸ τῶν μεγάλων.

§. 5. Veruntamen non his ſolum ſatis eſt, definitas eſſe reſpublicas has, ſed quia plures partes ſunt & popularis ſtatus, & dominatus paucorum, amplius ſtatuendum eſt: neque etiam ſi

§. 5. Οὐ μὴν ἀλλ᾽ οὐδὲ τούτοις μόνον ἱκανῶς ἔχει διωρίσθαι τὰς πολιτείας ταύτας· ἀλλ᾽ ἐπεὶ πλείονα μόρια καὶ τοῦ δήμου, καὶ τῆς ὀλιγαρχίας εἰσὶν, ἔτι διαληπτέον ὡς οὔτ᾽, ἂν οἱ ἐλεύθεροι, ὀλίγοι

(*a*) *Concentus*) *De muſica veter.* STRABO *lib. X.* conf. & PLUTARCHUS *in muſicis.* *GOEB.*

(*b*) *Pulchre conſtituta ſit*) Vid. FELDEN. *in analyſi hujus capitis.* Non puto, totum vitæ tempus in veterum de veteribus rebuspublicis dogmatibus excutiendis conſumendum eſſe, cum eæ, quæ hodie dantur, ab illis in quamplurimis ſint diverſæ. *GOEB.*

(*c*) *Magnitudinis*) De exemplis, quibus Ariſtoteles hic theſin ſuam, quod multitudo & paucitas non ſunt veræ rerumpublicarum notæ, ſed tantum accidentia, illuſtrat, vid. STOBÆUS *ſerm.* 42. HEROD. *in Thalia* NICOL. DAMASC. *in fragm. rerumpubl.* PICCARTUS *p.* 429. 430. Dici tamen non poteſt, quantam in animis vulgi excitet reverentiam, ſi rerumpublicarum rectores corporis gaudeant majeſtate. Vulgus enim non niſi externa rerum ſpecie capitur. *GOEB.*

(*d*) πολιτείαν, δημοκρατίαν) Zvvingerus, Caſaubonus ut & Lambinus legerunt δημοκρατείας. Quod eſt elegantius, ſimile illi: τὴν ἀριστοκρατίαν τῆς ὀλιγαρχίας εἶδος τιθέασιν. In ſenſu tamen parum aut nihil eſt differentiæ. *CONR.*

(*e*) οὐδὲ ὀλιγαρχίαν) Plane alieno loco hæc collocavit Aldus. *CONR.*

ſi liberi, pauci exiſtentes, in plures & non liberos imperium habuerint, populi ſtatum eſſe: ut Apolloniæ fit, quæ ad mare Ionium eſt, & Theræ: in utraque enim harum civitatum honores ſoli adipiſcuntur, qui præſtant cæteris nobilitate, & primi in colonias illas venerunt, qui pauci ſunt e multis.

§. 6. Neque etiam ſi divites, quoniam numero ſuperant, populi ſtatus eſſet, veluti antiquitus Colophone: illic enim amplum patrimonium plures poſſidebant ante bellum, quod geſſerunt cum Lydis.

§. 7. Sed populi ſtatus eſt, cum liberi & pauperes, plures exiſtentes, in ſua manu imperium habuerint: Dominatus autem paucorum, cum divites & nobiliores, pauci exiſtentes.

§. 8. IV. Eſſe igitur reſpublicas plures, & quam ob cauſam, dictum eſt. Eſſe vero ipſas plures dictis, & quas, & cur, dicamus, ſumpto principio prius expoſito.

§. 9. Fatemur enim, non unam partem, ſed plures habere omnem civitatem.

§. 10. Quemadmodum igitur, ſi *animalis* (*a*) voluiſſemus prehendere ſpecies, primum ſecreviſſemus, quod neceſſe eſt omne habere animal: ceu quædam ſenſoria, & partem, quæ conficit cibum, & quæ ſumit: ceu os, & ventrem: & præter has, quibus movetur partibus unumquodque ipſarum. Si jam tot ſpecies ſolum, harum autem eſſent diſcrimina. Intelligo autem oris plura quædam genera & ventris & ſenſoriorum: adhuc vero & partium, quibus movetur, numerus copulationis harum neceſſario efficit plura genera animalium. Neque enim fieri poteſt, ut idem animal plures habeat differentias oris: eodem autem pacto neque aurium. Quapropter quando deprehenſæ fuerint omnes horum, quas contingit eſſe conjugationes, efficient ſpecies animalis: & tot ſpecies animalis, quot erunt conjugationes partium neceſſariarum.

§. 11. Eodem autem pacto & rerumpublicarum, quæ dictæ ſunt. Civitates namque non ex una, ſed e multis partibus conſtant, quemadmodum a nobis ſæpe dictum eſt.

§. 12. Una igitur eſt multitudo, occupata in alimentis parandis, quæ *agricolæ* (*b*) vocantur.

§. 13. Secunda autem appellata tenuis ac ſordida: eſt autem hæc, quæ colit artes, ſine quibus civitas habitari non poteſt. Harum vero artium, quaſdam neceſſario adeſſe oportet: quædam ipſarum ad delitias faciunt vel ad bene vivendum.

§. 14. Tertia pars eſt forenſis. Voco autem forenſem, occupatam in venditionibus & emtionibus & mercaturis & cauponariis.

§. 15. Quartam conſtituunt operarii.

§. 16.

γοι ὄντες, πλειόνων καὶ μὴ ἐλευθέρων ἄρχωσι, δῆμος· οἷον, ἐν Ἀπολλωνίᾳ τῇ ἐν τῷ Ἰονίῳ καὶ ἐν Θήρᾳ· ἐν τούτων γὰρ ἑκατέρᾳ τῶν πόλεων ἐν ταῖς τιμαῖς ἦσαν οἱ διαφέροντες κατ' εὐγένειαν, καὶ πρῶτοι κατασχόντες τὰς ἀποικίας, ὀλίγοι ὄντες πολλῶν.

§. 6. Οὔτ', ἂν οἱ πλούσιοι, διὰ τὸ κατὰ πλῆθος ὑπερέχειν, δῆμος· οἷον ἐν Κολοφῶνι τὸ παλαιόν· ἐκεῖ γὰρ ἐκέκτηντο μακρὰν οὐσίαν οἱ πλείους, πρὶν γενέσθαι τὸν πόλεμον τὸν πρὸς Λυδούς.

§. 7. Ἀλλ' ἔστι δημοκρατία μὲν, ὅταν οἱ ἐλεύθεροι καὶ ἄποροι, πλείους ὄντες, κύριοι τῆς ἀρχῆς ὦσιν· ὀλιγαρχία, δὲ, ὅταν οἱ πλούσιοι καὶ εὐγενέστεροι, ὀλίγοι ὄντες.

§. 8. IV. Ὅτι μὲν οὖν πολιτεῖαι πλείους, καὶ δι' ἣν αἰτίαν, εἴρηται. διότι δὲ πλείους τῶν εἰρημένων, καὶ τίνες, καὶ διὰ τί, λέγωμεν, ἀρχὴν λαβόντες τὴν εἰρημένην πρότερον.

§. 9. Ὁμολογοῦμεν γὰρ οὐχ ἓν μέρος, ἀλλὰ πλείω πᾶσαν ἔχειν πόλιν.

§. 10. Ὥσπερ οὖν εἰ ζώου προῃρούμεθα λαβεῖν εἴδη, πρῶτον ἀποδιορίζομεν, (*c*) ὅπερ ἀναγκαῖον πᾶν ἔχειν ζῶον, οἷον ἔνιά τε τῶν αἰσθητηρίων, καὶ τὸ τῆς τροφῆς ἐργαστικὸν καὶ δεκτικὸν, οἷον στόμα καὶ κοιλίαν· πρὸς δὲ τούτοις, οἷς κινεῖται μορίοις ἕκαστον αὐτῶν· εἰ δὴ τοσαῦτα εἴδη μόνον, τούτων δ' εἶεν διαφοραί· (λέγω δ', (*d*) οἷον στόματός τινα πλείω γένη, καὶ κοιλίας, καὶ τῶν αἰσθητηρίων· ἔτι δὲ καὶ τῶν κινητικῶν μορίων,) ὁ τῆς συζεύξεως τῆς τούτων ἀριθμὸς, ἐξ ἀνάγκης ποιήσει πλείω γένη ζώων· οὐ γὰρ οἷόν τε ταὐτὸν ζῶον ἔχειν πλείους στόματος διαφορὰς· ὁμοίως δὲ οὐδ' ὤτων. ὥσθ' ὅταν ληφθῶσι τούτων πάντες οἱ ἐνδεχόμενοι συνδυασμοὶ, ποιήσουσιν εἴδη ζώου· καὶ τοσαῦτ' εἴδη τοῦ ζώου, ὅσαιπερ αἱ συζεύξεις τῶν ἀναγκαίων μορίων εἰσί.

§. 11. Τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον καὶ τῶν εἰρημένων πολιτειῶν. καὶ γὰρ αἱ πόλεις οὐκ ἐξ ἑνὸς, ἀλλ' ἐκ πολλῶν σύγκεινται μερῶν, ὥσπερ εἴρηται πολλάκις.

§. 12. Ἓν μὲν οὖν ἐστι τὸ περὶ τὴν τροφὴν πλῆθος, οἱ καλούμενοι γεωργοί.

§. 13. Δεύτερον δὲ, τὸ καλούμενον βάναυσον· ἔστι δὲ τοῦτο περὶ τὰς τέχνας, ὧν ἄνευ πόλιν ἀδύνατον οἰκεῖσθαι. τούτων δὲ τῶν τεχνῶν, τὰς μὲν, ἐξ ἀνάγκης ὑπάρχειν δεῖ· τὰς δὲ εἰς τρυφὴν, (*e*) ἢ τὸ καλῶς ζῆν.

§. 14. Τρίτον δ' ἀγοραῖον· λέγω δὲ ἀγοραῖον, τὸ περὶ τὰς πράσεις καὶ τὰς ὠνὰς καὶ τὰς ἐμπορίας καὶ καπηλείας διατρῖβον.

§. 15. Τέταρτον δὲ, τὸ θητικόν.

§. 16.

(*a*) *Animalis*) PICCARTUS *p.* 524. *GOEB.*

(*b*) *Agricolæ*) MEIERI *analyſis p.* 322. PETRUS GREGORIUS *de republ. lib. IV. c. VIII. p.* 210. *c. VII. p.* 204. *GOEB.*

(*c*) ἀποδιορίζομεν) Iſengrinius habet ἀποδιωρίζομεν: ſed noſtra lectio magis congrua eſt illi εἰ προῃρούμεθα. Nec tamen multum refert, ſi alterum præplacet; ut placet Caſaubono, qui & ἀποδιορίζοιμεν ſcribit. *CONR.*

(*d*) λέγω δ') Parentheſin hanc notavi ipſe, quo oratio fiat clarior. Animalium nimirum ſpecies, aliæ ſunt atque aliæ, pro varia conjunctione illarum partium neceſſariarum, ut præclare quoque docetur *l.* 1. *de partib. animal.* & obſervatur in omni animalium hiſtoria. *CONR.*

(*e*) εἰς τρυφὴν) Perperam Aldus, quem tamen Caſaubonus ſequitur, τροφήν. Alimentum enim eſt neceſſarium quid & non facit πρὸς τὸ καλῶς ζῆν, quo de hic ſermo eſt. *CONR.*



Digitized by Google

§. 16. Quintum genus eſt, cui mandata eſt cura belli: quod non minus neceſſarium eſt extare, ſi futurum eſt, ut cives non ſerviant in ipſos hoſtiliter incurſantibus. Unum enim foret eorum, quæ non poſſunt effici, putare dignam nomine civitatis, quæ ſerva natura eſt. Sui juris civitas eſſe debet: quod autem ſervit, minime ſui juris eſt.

§. 16. Πέμπτον δὲ γένος, τὸ προπολεμῆσον· οὐ τούτων οὐθὲν ἧττόν ἐστιν ἀναγκαῖον ὑπάρχειν, εἰ μέλλουσι μὴ δουλεύσειν τοῖς ἐπιοῦσι. μὴ γὰρ ἓν τῶν ἀδυνάτων ᾖ, πόλιν ἄξιον εἶναι καλεῖν τὴν φύσει δούλην· αὐτάρκης γὰρ ἡ πόλις, τὸ δὲ δοῦλον οὐκ αὔταρκες.

§. 17. Quapropter in politia magnifice hoc, non plene autem dictum eſt. Inquit enim Socrates, e quatuor maxime neceſſariis civitatem conſtare. Vocat autem hos, textorem, & agricolam, & ſutorem, & fabrum domorum. Rurſus autem adjungit, tanquam hi ſatis non ſint, fabrum ærarium: & eos, qui curant armenta neceſſaria. Adhuc autem mercatorem & cauponarium: & cuncta hæc complementum fiunt primæ civitatis. Tanquam neceſſariarum rerum cauſa omnis civitas conſtituta ſit, & non potius dignitatis; æqualiterque egeat *ſutoribus & agricolis*. (a) Partem autem militarem non prius aſſignat, quam regio aucta ſit, & agrum vicinum attingentibus, ad bellum perventum ſit.

§. 17. Διόπερ ἐν τῇ Πολιτείᾳ (c) κομψῶς τοῦτο, οὐχ ἱκανῶς δὲ εἴρηται. Φησὶ γὰρ ὁ Σωκράτης, ἐκ τεττάρων τῶν ἀναγκαιοτάτων πόλιν συγκεῖσθαι· λέγει δὲ τούτους, ὑφάντην, καὶ γεωργὸν, καὶ σκυτοτόμον, καὶ οἰκοδόμον· πάλιν δὲ προστίθησιν, ὡς οὐκ αὐτάρκων τούτων, χαλκέα, καὶ τοὺς ἐπὶ τοῖς ἀναγκαίοις βοσκήμασιν· ἔτι δ' ἔμπορόν τε καὶ κάπηλον· καὶ ταῦτα πάντα γίνεται πλήρωμα τῆς πρώτης πόλεως· ὡς τῶν ἀναγκαίων γε χάριν πᾶσαν πόλιν συνεστηκυῖαν, ἀλλ' οὐ τοῦ καλοῦ μᾶλλον· ἴσόν τε δεομένην σκυτέων τε καὶ γεωργῶν· τὸ δὲ προπολεμοῦν οὐ πρότερον ἀποδίδωσι μέρος, πρὶν ἢ τῆς χώρας αὐξομένης καὶ τῆς τῶν πλησίον ἁπτομένης, (d) εἰς πόλεμον καταστῶσιν.

§. 18. Atqui & in quatuor, & quibuscunque aliqua re communicantibus, neceſſe eſt exiſtere quempiam, qui *jus dicat*, (b) & lites exiſtimet. Si igitur & animum aliquis ponat magis partem eſſe animalis, quam corpus, civitatum etiam magis hujuſcemodi eſſe partes, ponendum eſt, quam quæ tendunt ad uſum neceſſarium: bellicam inquam & quæ particeps eſt juſtitiæ judiciariæ. Præter has autem, quæ conſultat, quod eſt officium civilis prudentiæ.

§. 18. Ἀλλὰ μὴν καὶ ἐν τοῖς τέτταρσι καὶ τοῖς ὁποσοισοῦν κοινωνοῖς, ἀναγκαῖον εἶναί τινα τὸν ἀποδώσοντα καὶ κρινοῦντα τὸ δίκαιον. εἴπερ οὖν καὶ ψυχὴν ἄν τις θοίη ζώου μόριον μᾶλλον, ἢ σῶμα, καὶ πόλεων τὰ τοιαῦτα μᾶλλον θετέον, τῶν εἰς τὴν ἀναγκαίαν χρῆσιν συντεινόντων, τὸ πολεμικὸν καὶ τὸ μετέχον δικαιοσύνης δικαστικῆς· πρὸς δὲ τούτοις, τὸ βουλευόμενον· ὅπερ ἐστὶ συνέσεως πολιτικῆς ἔργον.

§. 19. Atque hæc ſive ſeparatim quibusdam adſunt, ſive iisdem, nihil ad rationem refert: etenim arma gerere & agrum colere contingit ſæpe iisdem. Quapropter, ſiquidem & has, & illas ponendum partes eſſe civitatis, perſpicuum eſt, quæ arma gerit, neceſſe partem eſſe civitatis.

§. 19. Καὶ ταῦτ' εἴτε κεχωρισμένως ὑπάρχει τισὶν, εἴτε τοῖς αὐτοῖς, οὐθὲν διαφέρει πρὸς τὸν λόγον· καὶ γὰρ ὁπλιτεύειν καὶ γεωργεῖν συμβαίνει τοῖς αὐτοῖς πολλάκις. ὥστε εἴπερ καὶ ταῦτα καὶ ἐκεῖνα θετέα μόρια τῆς πόλεως, φανερὸν ὅτι τό γε ὁπλιτικὸν ἀναγκαῖόν ἐστι μόριον τῆς πόλεως.

** ** ** **

§. 20. Septima autem, quæ fortunis ſuis navat operam reipublicæ, quam vocamus divites.

§. 20. Ἕβδομον δὲ, (e) τὸ ταῖς οὐσίαις λειτουργοῦν· ὃ καλοῦμεν (f) εὐπόρους.

§. 21. Octava autem, quæ obit munera publica & magiſtratus gerit: ſi quidem absque magiſtratibus fieri non poteſt, ut civitas maneat. Neceſſe igitur eſt, extare aliquos, qui vim & poteſtatem habeant imperandi, & munera hæc obeundi, ſive continenter, ſive mutatis vicibus civitati.

§. 21. Ὄγδοον δὲ, τὸ δημιουργικὸν, καὶ τὸ περὶ τὰς ἀρχὰς λειτουργοῦν· εἴπερ ἄνευ ἀρχόντων ἀδύνατον εἶναι πόλιν. ἀναγκαῖον οὖν εἶναί τινας τοὺς δυναμένους ἄρχειν, καὶ λειτουργοῦντας, ἢ συνεχῶς, ἢ κατὰ μέρος, τῇ πόλει ταύτην τὴν λειτουργίαν.

§. 22. Reliquæ partes ſunt, de quibus modo diſſeruimus, quæ conſultat, & quæ exiſtimat de juſtis inter litigantes.

§. 22. Λοιπὰ δὲ περὶ ὧν τυγχάνομεν διωρικότες ἀρτίως, τὸ βουλευόμενον καὶ κρῖνον περὶ τῶν δικαίων τοῖς ἀμφισβητοῦσιν.

§. 23. §. 23.

(a) *Sutoribus & agricolis*) Sed Plato non aſſeruit, pari neceſſitate rempublicam ſutore & agricola indigere. *GOEB.*

(b) *Jus dicat*) De judiciorum inſtitutorum neceſſitate conſ. GROTIUS *lib. I. c. III.* §. 2. HOBB. *de cive c.* 3. §. 20. *c.* 6. §. 8. *GOEB.*

(c) διόπερ ἐν τῇ πολιτ.) Hæc omnia usque ad ἕβδομον δὲ longe rectius diſſererentur poſt jam factam partium recenſionem. Nec tamen auſim negare, digreſſionem hanc factam ab ipſomet Ariſtotele. *CONR.*

(d) ἁπτομένης) Caſaubonus ἁπτομένων. Id quoque expreſſit Victorius in verſione ſua. *CONR.*

(e) ἕβδομον δὲ) Non præceſſit mentio partis ſextæ. Nec enim τὸ βουλευόμενον καὶ κρῖνον loco ſexto ab Ariſtotele fuit collocatum, etſi ejus meminerit: alioquin enim non denuo infra illa repetiiſſet λοιπὰ δὲ περὶ ὧν, &c. Ibi enim ſatis indicat hactenus in cenſum non veniſſe. Non poſſunt etiam unam partem conſtituere, utpote quum plane diverſæ ſint naturæ. Eoque Ariſtoteles ipſe eorum mentionem facturus ait: λοιπὰ δὲ, numero plurali. Mihi videtur ſexto loco collocatam illam partem, quæ ſacris inſervit: abſit enim, ut illius partis ſit hoc loco Ariſtoteles oblitus, cum *l.* 7. *c.* 8. illam neceſſariis partibus accenſeat & quidem inter primarios locet. *CONR.*

(f) ὃ καλοῦμεν) Caſaubonus οὓς καλ. elegantius ſane. *CONR.*

§. 23. Si quidem igitur hæc oportet fieri in civitatibus & bene fieri ac juſte: neceſſe eſt eſſe aliquos incumbentium reipublicæ, qui participes ſunt virtutis.

§. 23. Εἴπερ οὖν ταῦτα δεῖ γενέσθαι ταῖς πόλεσι, καὶ καλῶς γίνεσθαι καὶ δικαίως, ἀναγκαῖον καὶ μετέχοντας εἶναί τινας ἀρετῆς τῶν πολιτικῶν.

§. 24. Cæteras igitur poteſtates iiſdem adeſſe contingere videtur multis. Ceu eoſdem eſſe, qui in bello verſentur & agros colant & opifices ſint: adhuc autem & qui conſultent atque exiſtiment lites. Cuncti vero ſibi etiam virtutem tribuunt, ſeque arbitrantur plurimos magiſtratus ſuſtinere poſſe: verum pauperes & divites eoſdem eſſe fieri nullo pacto poteſt.

§. 24. Τὰς μὲν οὖν ἄλλας δυνάμεις τοῖς αὐτοῖς ὑπάρχειν ἐνδέχεσθαι δοκεῖ πολλοῖς, οἷον τοὺς αὐτοὺς εἶναι προπολεμοῦντας, καὶ γεωργοῦντας, καὶ τεχνίτας· ἔτι δὲ τοὺς βουλευομένους τε καὶ κρίνοντας. ἀντιποιοῦνται δὲ καὶ τῆς ἀρετῆς πάντες, καὶ τὰς πλείστας (ἀρχὰς) (c) ἄρχειν οἴονται δύνασθαι· ἀλλὰ πένεσθαι καὶ πλουτεῖν τοὺς αὐτοὺς, ἀδύνατον.

§. 25. Quare hæ partes, maxime civitatis eſſe videntur, qui amplum patrimonium habent, & qui tenue. Amplius autem, quia plerumque hi pauci ſunt, hi vero multi: has contrarias inter ſe partes apparet eſſe ex omnibus partibus civitatis.

§. 25. Διὸ ταῦτα μέρη μάλιστα εἶναι δοκεῖ πόλεως, οἱ εὔποροι καὶ οἱ ἄποροι. ἔτι δὲ διὰ τὸ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, (d) τοὺς μὲν ὀλίγους εἶναι, τοὺς δὲ πολλοὺς, ταῦτα ἐναντία μέρη φαίνεται τῶν τῆς πόλεως μορίων.

§. 26. Quapropter & reſpublica per harum rerum exuperantias conſtituunt, & duæ reſpublicæ videntur eſſe: ſtatus populi & dominatus paucorum.

§. 26. Ὥστε καὶ τὰς πολιτείας κατὰ τὰς ὑπεροχὰς τούτων καθιστᾶσι· καὶ δύο πολιτεῖαι δοκοῦσιν εἶναι, δημοκρατία, καὶ ὀλιγαρχία.

§. 27. V. Eſſe igitur reſpublicas plures, & propter quas cauſas, dictum eſt prius. Eſſe autem plures ſpecies ſtatus populi & dominatus paucorum, dicamus.

§. 27. V. Ὅτι μὲν οὖν εἰσι (e) πολιτεῖαι πλείους, καὶ διὰ τίνας αἰτίας, εἴρηται πρότερον. ὅτι δ' ἐστὶ καὶ δημοκρατίας εἴδη πλείω καὶ ὀλιγαρχίας, λέγωμεν.

§. 28. Planum autem eſt hoc & ex iis, quæ tradita ſunt. Sunt enim ſpecies plures & populi, & eorum, qui appellantur noti.

§. 28. Φανερὸν δὲ τοῦτο καὶ ἐκ τῶν εἰρημένων. εἴδη γὰρ πλείω τοῦ τε δήμου καὶ τῶν λεγομένων γνωρίμων ἐστίν.

§. 29. Ceu populi ſpecies, una quidem *agricolæ*: (a) alia autem, qui artes colunt: alia forenſis, qui occupatur in emendo & vendendo: alia, qui verſatur in mari: atque hujus hæc quidem dedita bello, hæc vero quæſtui incumbens: hæc conſtat e portitoribus: hanc conficiunt piſcatores. Multis autem locis unumquodque genus horum magnam turbam continet: ceu piſcatores Tarenti & Byzantii: remiges Athenis: mercatores in Ægina & Chio: portitorum genus in Tenedo. Præter hos genus eſt, quod manibus victum quærit, atque exilem rem habet, ita ut alio uti non poſſit. Adhuc genus, quod non ex ambobus civibus natum, liberum tamen: & ſi qua alia hujuſcemodi populi ſpecies eſt.

§. 29. Οἷον, δήμου μὲν εἴδη, ἓν μὲν, οἱ γεωργοί· ἕτερον δὲ, τὸ περὶ τὰς τέχνας· ἄλλο δὲ, τὸ ἀγοραῖον, τὸ περὶ ὠνὴν καὶ πρᾶσιν διατρῖβον· ἄλλο δὲ, τὸ περὶ θάλατταν· (f) καὶ τούτου, τὸ μὲν, πολεμικόν· τὸ δὲ, χρηματιστικόν· τὸ δὲ, πορθμευτικόν· τὸ δ', ἁλιευτικόν. πολλαχοῦ γὰρ ἕκαστα τούτων πολύοχλα· οἷον, ἁλιεῖς μὲν ἐν Τάραντι καὶ Βυζαντίῳ, τριηρικὸν δὲ Ἀθήνησιν, ἐμπορικὸν δὲ ἐν Αἰγίνῃ καὶ Χίῳ, πορθμευτικὸν ἐν Τενέδῳ· (g) πρὸς δὲ τούτοις, τὸ χερνητικὸν, καὶ τὸ μικρὰν ἔχον οὐσίαν, ὥστε μὴ δύνασθαι σχολάζειν· ἔτι, τὸ μὴ ἐξ ἀμφοτέρων πολιτῶν ἐλεύθερον. κἂν εἴ τι τοιοῦτον ἑτέρου πλήθους (h) εἶδος.

§. 30. Clarorum autem ſpecies conſtituunt divitiæ, nobilitas, virtus, *diſciplina*: (b) & quæ dicuntur eadem differentia, qua hæc.

§. 30. Τῶν δὲ γνωρίμων, πλοῦτος, εὐγένεια, ἀρετὴ, παιδεία, καὶ τὰ τούτοις (ὅμοια,) (i) λεγόμενα κατὰ τὴν αὐτὴν διαφοράν.



(a) *Agricolæ*) PICCARTUS *p.* 528. *GOEB.*

(b) *Diſciplina*) De eruditione PICCART. *p.* 529. *GOEB.*

(c) Πλείστας (ἀρχὰς) Illud ἀρχὰς plerique codices non agnoſcunt: habent tamen Lambinus, & expreſſit Zvvingerus, quos ſecutus eſt Sylburgius. Sed & in ſua verſione agnovit Giphanius. Et vero, ſi vox illa deſit, ſermo eſt mutilus; optime vero illa rem, qua de agitur, refert. Nec enim eſt, quod cum Camerario ſcribamus, καὶ τὰς πλείστας ἔχειν οἴονται, quaſi de virtutibus ſermo ſit. Nec enim virtutis ſtudium inter partes civitatis Ariſtoteles numeravit: hoc loco autem ad ea, quæ jam dixerat de partibus illis, reſpicit. Legitur quidem paulo ante: ἀντιποιοῦνται δὲ καὶ τῆς ἀρετῆς πάντες. Verum & hic ſcribendum videtur ἀρχῆς: cum de virtute nullus hic poſſit eſſe ſermo. Illa vero voce admiſſa, fateor non deſiderari amplius vocem illam, quam Sylburgius ſubſtituit ἀρχὰς. *CONR.*

(d) ἐπὶ τὸ πολὺ) Aldus & Iſengrinius & Caſaubonus una voce: ἐπιτοπολύ. *CONR.*

(e) ὅτι μὲν οὖν εἰσι) Hoc loco jure merito debebat inſtitui ſectio aliqua & exordium novi capitis. Poſtquam enim in genere Ariſtoteles retuliſſet cauſſas, quare multæ ſint reſpublicæ, jam de democratiarum & oligarchiarum variis differentiis incipit diſſerere. *CONR.*

(f) περὶ θάλατταν) Aldus & Iſengrin. περὶ τὴν θάλ. *CONR.*

(g) πορθμευτικὸν ἐν Τεν.) Forte πορθμ. δὲ ἐν T. ut antehac. *CONR.*

(h) ἑτέρου πλήθ.) Lego præeunte quadamtenus Sylburgio, ἕτερον πλήθους εἶδος. *CONR.*

(i) (ὅμοια) ) Hanc voculam legit etiam Vetus interpres. Abeſt tamen illa ab Aldino & Iſengriniano codice. Victorius exiſtimat abundare, eoque veretur in textum recipere. At vero ſermo mihi videtur planior reddi, illa admiſſa: prout factum etiam a Giphanio in verſione. *CONR.*

§. 31. VI. Status igitur multitudinis eſt primus quidem, qui dicitur maxime per æqualitatem. Æquale enim eſt, inquit lex hujuſcemodi ſtatus populi, nihili magis adeſſe pauperibus, quam divitibus: neque ſummam poteſtatem habere rerum omnium alterutros horum, ſed ſimiles ambos eſſe. Si enim libertas maxime eſt in ſtatu populi (quemadmodum quidam exiſtimant:) & æqualitas: hoc pacto maxime fuerit, ſi cuncti communicant maxime republica eodem modo. Quia autem populi major numerus eſt, ratum vero habetur, quod viſum fuerit pluribus: neceſſe eſt popularem ſtatum eſſe hunc.

§. 32. Una igitur ſpecies popularis ſtatus hæc eſt: alia autem, magiſtratus creari a cenſibus: verum exilibus his. Oportet autem inſtitutum eſſe, ut poteſtas ſit adipiſcendi illi, qui pararit ipſum: contraque, qui amiſerit, non obtinendi.

§. 33. Alia ſpecies popularis ſtatus, participes honorum omnes cives, quicunque maculæ alicui obnoxii non fuerint: imperare autem legem.

§. 34. Alia ſpecies ſtatus populi, cunctos participes magiſtratuum eſſe, ſi tantum fuerit civis: imperare autem legem.

§. 35. Alia autem ſpecies ſtatus populi, cætera quidem eſſe eadem: ratam autem eſſe voluntatem multitudinis & non legem. Hoc autem fit, cum plebiſcita rata fuerint, ſed non lex.

§. 36. Contingit autem hoc opera popularium aſſentatorum. In ſtatibus enim popularibus, qui parent legibus, non exoritur aſſentator multitudinis, ſed optimi cives primum locum tenent: ubi autem leges ſummam poteſtatem non habent, hic exoriuntur aſſentatores. Princeps enim populus fit, junctus unus e multis. Multi namque quaſi domini ſunt, non ſane ut ſinguli, ſed univerſi.

§. 37. Homerus autem qualem dominatum multorum minime bonum eſſe dicit: utrum hunc, vel cum plures fuerint, qui imperent ut ſinguli, incertum eſt.

§. 38. Hujuſcemodi igitur populus, tanquam princeps exiſtens, quærit ſolus cuncta adminiſtrare: quia imperium in ipſum non habet lex: & induit mores domini. Quapropter aſſentatores in precio ſunt.

§. 39. Proportioneque reſpondet hujuſcemodi populus e numero principatum tyrannidi: unde & mores iidem ſunt, amboque hi ſtatus dominantur melioribus. Et plebiſcita ſunt, tanquam illic edicta, & qui blanditur multitudini & aſſentator, idem ſunt, & ſibi reſpondent. Maxi-

§. 31. VI. Δημοκρατία μὲν οὖν ἐστι, πρώτη μὲν ἡ λεγομένη μάλιστα κατὰ τὸ ἴσον. ἴσον γάρ φησιν ὁ νόμος, ὁ τῆς τοιαύτης δημοκρατίας, τὸ μηδὲν μᾶλλον ὑπάρχειν (a) τοὺς ἀπόρους, (b) ἢ τοὺς εὐπόρους· μηδὲ κυρίους εἶναι ὁποτερουσοῦν, ἀλλ᾽ ὁμοίους ἀμφοτέρους. εἴπερ γὰρ ἐλευθερία μάλιστ᾽ ἐστὶν ἐν δημοκρατίᾳ, καθάπερ ὑπολαμβάνουσί τινες, καὶ ἰσότης οὕτως ἂν εἴη μάλιστα, κοινωνούντων ἁπάντων μάλιστα τῆς πολιτείας ὁμοίως· ἐπεὶ δὲ πλείων ὁ δῆμος, κύριον δὲ τὸ δόξαν τοῖς πλείοσιν, ἀνάγκη δημοκρατίαν εἶναι ταύτην.

§. 32. Ἓν μὲν οὖν εἶδος δημοκρατίας τοῦτο· ἄλλο δὲ, τὸ τὰς ἀρχὰς ἀπὸ τιμημάτων εἶναι, βραχέων δὲ τούτων ὄντων. δεῖ δὲ τῷ κτωμένῳ ἐξουσίαν εἶναι μετέχειν, καὶ τὸν ἀποβάλλοντα μὴ μετέχειν.

§. 33. Ἕτερον εἶδος δημοκρατίας, τὸ μετέχειν ἅπαντας τοὺς πολίτας, ὅσοι ἀνυπεύθυνοι· (c) ἄρχειν δὲ τὸν νόμον.

§. 34. Ἕτερον δὲ εἶδος δημοκρατίας, τὸ πᾶσι μετεῖναι τῶν ἀρχῶν, ἐὰν μόνον ᾖ πολίτης· ἄρχειν δὲ τὸν νόμον.

§. 35. Ἕτερον δ᾽ εἶδος δημοκρατίας, τἄλλα μὲν εἶναι ταυτά· κύριον δ᾽ εἶναι τὸ πλῆθος, καὶ μὴ τὸν νόμον· τοῦτο δὲ γίνεται, ὅταν τὰ ψηφίσματα κύρια ᾖ ἀλλὰ μὴ ὁ νόμος.

§. 36. Συμβαίνει δὲ τοῦτο, διὰ τοὺς δημαγωγούς. ἐν μὲν γὰρ ταῖς κατὰ νόμον (d) δημοκρατουμέναις οὐ γίνεται δημαγωγὸς, ἀλλ᾽ οἱ βέλτιστοι τῶν πολιτῶν εἰσιν ἐν προεδρίᾳ. ὅπου δ᾽ οἱ νόμοι μή εἰσι κύριοι, ἐνταῦθα γίνονται δημαγωγοί. μόναρχος γὰρ ὁ δῆμος γίνεται, σύνθετος εἷς ἐκ πολλῶν. οἱ γὰρ πολλοὶ κύριοί εἰσιν, οὐχ ὡς ἕκαστος, ἀλλὰ πάντες.

§. 37. Ὅμηρος δὲ ποίαν λέγει οὐκ ἀγαθὸν εἶναι πολυκοιρανίην, πότερον ταύτην, ἢ ὅταν πλείους ὦσιν οἱ ἄρχοντες ὡς ἕκαστος, ἄδηλον.

§. 38. Ὁ δ᾽ οὖν τοιοῦτος δῆμος, ἅτε μόναρχος ὢν, ζητεῖ μοναρχεῖν, διὰ τὸ μὴ ἄρχεσθαι ὑπὸ νόμου, καὶ γίνεται δεσποτικός· (e) ὥστε οἱ κόλακες ἔντιμοι.

§. 39. Καὶ ἔστιν ὁ τοιοῦτος δῆμος, ἀνάλογον τῶν μοναρχιῶν τῇ τυραννίδι. διὸ καὶ τὸ ἦθος τὸ αὐτὸ, καὶ ἄμφω δεσποτικὰ τῶν βελτιόνων. καὶ τὰ ψηφίσματα, ὥσπερ ἐκεῖ τὰ ἐπιτάγματα. καὶ ὁ δημαγωγὸς, καὶ ὁ κόλαξ, οἱ αὐτοὶ καὶ ἀνάλογον. καὶ μάλιστα δ᾽ ἑκάτεροι παρ᾽

(a) μᾶλλον ὑπάρχειν) Illud ὑπάρχειν nonnihil inſolens eſt. Lambinus tamen non mutat: & Giphanius vertit *in pretio eſſe.* Victorius legendum cenſet μηδὲν μᾶλλον ἄρχειν. Et vero hoc voluit Ariſtoteles, nec tamen in ſenſu eſt differentia. *CONR.*

(b) τοὺς ἀπόρους) Lambinus & Giphanius ita vertunt, quaſi ſcriptum fuerit: τοὺς εὐπόρους ἢ τοὺς ἀπόρους. At vero in Democratiis debent alias primo loco eſſe pauperes, itaque rectius eſt, in ordine hos quoque antecedere. Ut ſenſus ſit. In prima democratiæ ſpecie non anteferri pauperes divitibus, quod aliis in democratiis fieri frequenter ſolet. *CONR.*

(c) ὅσοι ἀνυπεύθυνοι) Aldus: ἂν ὑπεύθυνοι: quod probat quoque Camerarius. At ſi conferas cap. VI. patet lectionem noſtram eſſe probam. *CONR.*

(d) Ταῖς κατὰ νόμον) Aldus κατὰ νόμους. Noſtra lectio eſt Ariſtoteli magis frequens & elegantior. In ſenſu tamen nihil eſt diſcriminis. *CONR.*

(e) δεσποτικός) Monet Sylburgius, poſſe etiam legi δεσποστικός. Non nego, poſſe: nulla eſt cauſſa, quare mutemus. *CONR.*

Maxime autem utrique valent apud utroſque: aſſentatores apud tyrannos, populares oratores apud populos tales. Cauſa autem hi ſunt, ut plebiſcita rata ſint & non leges, cuncta redigentes ad populum. Contingit autem ipſis fieri magnos, quia populus eſt omnium rerum dominus: hi autem populi voluntatis: obtemperat enim multitudo his. Præterea qui criminantur magiſtratus, ajunt oportere populum [illegible]s exiſtimare, hic autem libenter accipit [illegible]nem. Quapropter diſſolvuntur omnes magiſtratus.

παρ' ἑκατέροις (b) ἰσχύϐσιν, οἱ μὲν κόλακες παρὰ τυράννοις, οἱ δὲ δημαγωγοὶ παρὰ τοῖς δήμοις τοῖς τοιϐτοις. αἴτιοι δέ εἰσι τϐ εἶναι τὰ ψηφίσματα κύρια, ἀλλὰ μὴ τϐς νόμϐς, ϐτοι, πάντα ἀνάγοντες εἰς τὸν δῆμον. συμβαίνει γὰρ αὐτοῖς γίνεσθαι μεγάλοις, διὰ τὸ, τὸν μὲν δῆμον εἶναι κύριον, τῆς δὲ τϐ δήμϐ δόξης, τϐτϐς· πείθεται γὰρ τὸ πλῆθος τϐτοις. ἔτι δὲ οἱ ταῖς ἀρχαῖς ἐγκαλϐντες, τὸν δῆμον φασὶ δεῖν κρίνειν. ὁ δὲ ἀσμένως δέχεται τὴν πρόκλησιν. ὥστε καταλύονται πᾶσαι αἱ ἀρχαί.

§. 40. Jure autem videretur incuſare, qui affirmat, hujuſcemodi ſtatum populi non eſſe rempublicam, ubi enim non leges imperant, non eſt reſpublica. Oportet enim leges imperium habere in omnes res, magiſtratus autem & rempublicam exiſtimare de ſingularibus rebus. Quapropter, ſi quidem eſt populi ſtatus una rerumpublicarum: manifeſtum eſt hujuſcemodi ſtatum, in quo plebiſcitis cuncta adminiſtrantur, popularem ſtatum proprium non eſſe. Nullum enim plebiſcitum contingit eſſe univerſale.

§. 40. Εὐλόγως δὲ ἂν δόξειεν ἐπιτιμᾶν, ὁ φάσκων τὴν τοιαύτην εἶναι (c) δημοκρατίαν ϐ πολιτείαν. ὅπϐ γὰρ μὴ νόμοι ἄρχϐσιν, ϐκ ἔστι πολιτεία· δεῖ γὰρ τὸν μὲν νόμον ἄρχειν πάντων· τῶν δὲ καθ' ἕκαστα, τὰς ἀρχὰς καὶ τὴν πολιτείαν κρίνειν. ὥστ' εἴπερ ἐστὶ δημοκρατία μία τῶν πολιτειῶν, φανερὸν ὡς ἡ τοιαύτη κατάστασις, ἐν ᾗ ψηφίσμασι πάντα (d) διοικεῖται, ϐδὲ δημοκρατία κυρίως. ϐδὲν γὰρ ἐνδέχεται ψήφισμα εἶναι καθόλϐ.

§. 41. Species igitur ſtatus popularis definitæ ſint hoc pacto.

§. 41. Τὰ μὲν ϐν τῆς δημοκρατίας εἴδη, διωρίσθω τὸν τρόπον τϐτον.

# CAPUT V.

§. 1.

VII. Dominatus autem paucorum *ſpecies*, (a) una quidem e cenſibus eſſe magiſtratus tantis, ut pauperes participes eorum non ſint, numero plures: licere autem illi, qui poſſederit, participi fieri reipublicæ.

VII. Ὀλιγαρχίας δὲ εἴδη, (e) ἓν μὲν, τὸ ἀπὸ τιμημάτων εἶναι τὰς ἀρχὰς τηλικϐτων, ὥστε τϐς ἀπόρϐς μὴ μετέχειν, πλείϐς ὄντας· ἐξεῖναι δὲ τῷ κτωμένῳ μετέχειν τῆς πολιτείας.

§. 2. Alia autem, cum e cenſibus parvis fuerint magiſtratus, & ipſi delegerint eos, qui deficiunt. Si igitur ex omnibus his hoc fecerint, videtur hoc magis referre inſtitutum optimatum: ſi vero e quibuſdam definitis, propria eſt dominatus paucorum.

§. 2. Ἄλλο δὲ, ὅταν ἀπὸ τιμημάτων μακρῶν (f) ὦσιν αἱ ἀρχαὶ, καὶ αἱρῶνται αὐτοὶ τϐς ἐλλείποντας. ἂν μὲν ϐν ἐκ πάντων τϐτων τϐτο ποιῶσι, δοκεῖ τϐτ' εἶναι μᾶλλον ἀριστοκρατικόν· ἐὰν δὲ ἐκ τινῶν ἀφωρισμένων, ὀλιγαρχικόν.

§. 3. Alia ſpecies dominatus paucorum, cum filius pro patre eo pervenerit.

§. 3. Ἕτερον δὲ εἶδος ὀλιγαρχίας, ὅταν παῖς ἀντὶ πατρὸς εἰσίῃ.

§. 4. Quarta autem, quando extiterit, quod modo dictum eſt, & poteſtatem habuerit, non lex, ſed qui magiſtratus gerunt. Atque dominatus hic in dominatibus paucorum eodem modo ſe habet, ut tyrannis in imperiis unius: & ſtatus populi in popularibus, de quo poſtremo locuti ſumus: & appellant jam hujuſcemodi dominatum paucorum dynaſtiam.

§. 4. Τέταρτον δ', ὅταν ὑπάρχῃ τό τε νῦν λεχθὲν, καὶ ἄρχῃ μὴ ὁ νόμος, ἀλλ' οἱ ἄρχοντες. καὶ ἔστιν ἀντίστροφος αὕτη ἐν ταῖς ὀλιγαρχίαις, (g) ὥσπερ ἡ τυραννὶς ἐν ταῖς μοναρχίαις, καὶ περὶ ἧς τελευταίας εἴπομεν δημοκρατίας ἐν ταῖς δημοκρατίαις. καὶ καλϐσι δὴ τὴν τοιαύτην ὀλιγαρχίαν, δυναστείαν.

§. 5. §. 5.

(a) *Species*) In hoc capite Ariſtoteles quatuor oligarchiarum ſpecies enumerat & examinat. FELDEN. *GOEB.*

(b) παρ' ἑκατέροις) Verba hæc abſunt ab Aldino & Iſengriniano. Nec refert, adſint an abſint; imo dixeris, rectius abeſſe, cum paulo poſt dicatur, τϐς κόλακας valere παρὰ τυράννϐς & τϐς δημαγωγϐς παρὰ τοῖς δήμοις. *CONR.*

(c) Τοιαύτην εἶναι) Sermo fit dubius ob tranſpoſitionem vocabulorum, quæ poſſit ita corrigi: Τοιαύτην δημοκρατίαν ϐκ εἶναι πολιτείαν. Imo ſi ſcribas: Τοιαύτην ϐκ εἶναι δημοκρατίαν ϐδὲ πολιτείαν, id dicas, quod Ariſtoteles paulo poſt demonſtrat. *CONR.*

(d) Ψηφίσμασι πάντα) Lambinus legit ſimpliciter Ψηφίσματι: quem ſequitur Caſaubonus. *CONR.*

(e) Ὀλιγαρχίας δὲ εἴδη) Hoc caput commode poſſit jungi priori. *CONR.*

(f) Τιμημάτων μακρῶν) Aldus & Iſengrinius & Caſaubonus habent μικρῶν: nec aliter legit Vetus interpres aut Lambinus: placuitque Giphanio ſcribendum μὴ μακρῶν, quod idem eſt ac μικρῶν. Victorius pugnat pro μακρῶν. Mihi vero videtur μικρῶν legendum. Nec enim oligarchiæ hæc ſpecies poteſt fieri ἀριστοκρατικὴ, ſi ſoli illi, qui in cenſu magno ſunt, admittantur, ſed tum demum, ſi etiam qui cenſu ſunt minore, locum in magiſtratu inveniant. *CONR.*

(g) ἐν ταῖς ὀλιγαρχίαις) Sylburgius exiſtimat omitti poſſe ἐν. Sed illa non poteſt minus omitti, quam ἐν ταῖς μοναρχίαις, & ἐν ταῖς δημοκρατίαις. *CONR.*



Digitized by Google

§. 5. Dominatus igitur paucorum & populi ſtatus, ſpecies ſunt hæ.

§. 6. Opus eſt autem nobis clam non eſſe, multis locis uſu venire, ut reſpublica, quæ legibus conſtituta eſt, non ſit popularis: moribus autem & inſtitutis vitæ *populariter adminiſtretur*. (*a*) Simili autem modo contra apud alios, rempublicam legibus conſtitutam, eſſe magis factam ad populi utilitates: inſtitutis vero & moribus potius regi a paucis.

§. 7. Contingit autem hoc maxime poſt mutationes rerumpublicarum. Non enim ſubito migrant, ſed amant prima, parvis rebus alii alios vincentes. Quapropter leges permanent, quæ prius erant: dominantur autem, qui rempublicam mutant.

§. 5. Ὀλιγαρχίας μὲν οὖν εἴδη τοσαῦτα, καὶ δημοκρατίας.

§. 6. Οὐ δεῖ δὲ λανθάνειν, ὅτι πολλαχοῦ συμβέβηκεν, ὥστε τὴν μὲν πολιτείαν τὴν κατὰ τοὺς νόμους, μὴ δημοτικὴν εἶναι· διὰ δὲ τὸ ἦθος καὶ τὴν ἀγωγὴν, πολιτεύεσθαι δημοτικῶς· ὁμοίως δὲ πάλιν παρ᾽ ἄλλοις, τὴν μὲν κατὰ τοὺς νόμους, εἶναι πολιτείαν δημοτικωτέραν· τῇ δ᾽ ἀγωγῇ καὶ τοῖς ἔθεσιν ὀλιγαρχεῖσθαι μᾶλλον.

§. 7. Συμβαίνει δὲ τοῦτο μάλιστα μετὰ τὰς μεταβολὰς τῶν πολιτειῶν. οὐ γὰρ εὐθὺς μεταβαίνουσιν, ἀλλὰ ἀγαπῶσι τὰ πρῶτα, μικρὰ πλεονεκτοῦντες παρ᾽ ἀλλήλων. ὥσθ᾽ οἱ μὲν νόμοι διαμένουσιν οἱ προϋπάρχοντες· κρατοῦσι δ᾽ οἱ μεταβάλλοντες τὴν πολιτείαν.

## CAP. VI.

§. 1.

IIX. Eſſe autem tot *ſpecies* (*b*) ſtatus populi & dominatus paucorum, ex iis ipſis, quæ dicta ſunt, perſpicuum eſt.

§. 2. Neceſſe enim eſt vel cunctas populi partes, quæ dictæ ſunt, participes eſſe reipublicæ: vel has quidem, has vero minime.

§. 3. Quando igitur genus hominum, quod colit agros, & quod poſſidet mediocres fortunas, in ſua manu rempublicam habuerit: regunt ipſam legibus. Res enim vitæ neceſſarias opera ſua & labore parant: nequeunt autem otio frui. Quapropter cum legem impoſuerint, neceſſariis tantum concionibus præſentes adſunt.

** **

§. 4. Cæteris autem licet rempublicam capeſſere, cum paraverint cenſum definitum legibus. Quare omnibus, qui poſſident, licet communicare. Omnino enim non licere cunctis, inſtitutum eſt dominatus paucorum: poſſe autem otio uti, non conceditur ſine vectigalibus.

§. 5. Hæc igitur una ſpecies eſt reipublicæ popularis propter has cauſas.

§. 6. Alia autem ſpecies propter rationem, quæ ſequitur creandi magiſtratus. Fieri enim poteſt, ut omnibus liceat, qui non ſunt obnoxii per genus: ſi tamen otii participes eſſe poſſunt. Quare in hujuſcemodi ſtatu populi leges poteſtatem habent, quia non ſunt illic vectigalia.

§. 7. Tertia autem ſpecies eſt, omnibus licere communicare republica, quicunque liberi

§. 1.

IIX. Ὅτι δ᾽ ἐστὶ τοσαῦτα εἴδη δημοκρατίας καὶ ὀλιγαρχίας, ἐξ αὐτῶν τῶν εἰρημένων φανερόν ἐστιν.

§. 2. Ἀνάγκη γὰρ ἢ πάντα τὰ εἰρημένα μέρη τοῦ δήμου κοινωνεῖν τῆς πολιτείας, ἢ τὰ μὲν, τὰ δὲ μή.

§. 3. Ὅταν μὲν οὖν τὸ γεωργικὸν, καὶ τὸ κεκτημένον μετρίαν οὐσίαν, κύριον ᾖ τῆς πολιτείας, πολιτεύονται κατὰ νόμους· ἔχουσι γὰρ ἐργαζόμενοι ζῆν, (*c*) οὐ δύνανται δὲ σχολάζειν· ὥστε τὸν νόμον ἐπιστήσαντες, ἐκκλησιάζουσι τὰς ἀναγκαίας ἐκκλησίας.

** **

§. 4. Τοῖς δὲ ἄλλοις (*d*) μετέχειν ἔξεστιν, ὅταν κτήσωνται τὸ τίμημα τὸ διωρισμένον ὑπὸ τῶν νόμων· (διὸ πᾶσι (*e*) τοῖς κτωμένοις ἔξεστι μετέχειν.) ὅλως μὲν γὰρ, τὸ μὲν μὴ ἐξεῖναι πᾶσιν, ὀλιγαρχικόν· τὸ δὲ δὴ ἐξεῖναι σχολάζειν, ἀδύνατον, μὴ προσόδων οὐσῶν.

§. 5. Τοῦτο μὲν οὖν εἶδος ἓν δημοκρατίας, διὰ ταύτας τὰς αἰτίας.

§. 6. Ἕτερον δὲ εἶδος, διὰ τὴν ἐχομένην αἵρεσιν· ἔστι γὰρ καὶ πᾶσιν ἐξεῖναι τοῖς ἀνυπευθύνοις (*f*) κατὰ τὸ γένος, μετέχειν μέν τοι δυναμένοις (*g*) σχολάζειν. διόπερ ἐν τῇ τοιαύτῃ δημοκρατίᾳ οἱ νόμοι ἄρχουσι, διὰ τὸ μὴ εἶναι πρόσοδον.

§. 7. Τρίτον δ᾽ εἶδος, τὸ πᾶσιν ἐξεῖναι, ὅσοι ἂν ἐλεύθεροι ὦσι, μετέχειν τῆς πολιτείας· μὴ μέν τοι

(*a*) *Populariter adminiſtretur*) FELDEN. *p.* 232. *GOEB.*

(*b*) *Species*) In hoc capite rationem ſubjungit, quare tot ſint democratiæ & oligarchiæ ſpecies. *GOEB.*

(*c*) Ζῆν) Male Iſengriniani codicis margo habet γῆν: nec enim illam habent omnes primæ democratiæ cives, ſatis eſt, ſi laborando vitam poſſint ſuſtentare. *CONR.*

(*d*) Τοῖς δὲ ἄλλοις) Hic nulla eſt connexio. Et vero palam eſt, loqui hic Ariſtotelem de illa democratiæ ſpecie, quam ſecundam dixit capite 4: nec tamen potuit Ariſtoteles hic ordinem mutare & primam quaſi rejicere, nulla adducta ratione. Certe pugnat hoc cum recta docendi methodo. Itaque omnino mihi videtur, deeſſe hic nonnulla, inque iis Ariſtotelem aliquid monuiſſe de prima democratiæ ſpecie, quare nempe illam nolit iterum primo loco hic collocare, forte quod politiæ potius ſit ſpecies, quam ejus, qua de nunc proprie ſermo eſt, democratiæ. Indubie vero etiam docuit, quibus de cauſis ſoleat naſci illa ſpecies, quæ aliquem habet reſpectum τῶν Τιμημάτων etſi exiguorum. Naſcitur nimirum, quando populus is, qui modica habet bona, numero & viribus potior eſt illa infima fæce plebis, paucioribus tamen in populo vacare reipublicæ licet propter inopiam. Ita enim magiſtratus populi conſenſu tribuuntur illis, qui nonnihil lautiore in re ſunt, ut poſſint reipublicæ vacare, etſi & ille cenſus ſit ita exiguus, ut facile quam multis ad honores pateat aditus. Quæ ab Ariſtotele ſane initio ſunt diſſertata, communia pene ſunt omnibus democratiis, una quinta excepta. *CONR.*

(*e*) διὸ πᾶσι) Incluſa illa abſunt ab Aldino & Iſengriniano codice: & videntur ſuperflua. *CONR.*

(*f*) ἀνυπευθύνοις) Zvvingerus notat hic deſiderari μετέχειν. At nihil eſt cauſſæ, quare id ſuſpiceris. *CONR.*

(*g*) μέν τοι δυναμ.) Scribo: τοῖς δυναμένοις. *CONR.*

Digitized by Google

beri fuerint: non tamen ipſos communicare, ob cauſam jam expoſitam. Quapropter neceſſe eſt in hac quoque poteſtatem habere legem.

§. 8. Quarta autem ſpecies ſtatus populi eſt, quæ poſtrema temporibus in civitatibus extitit. Quia enim multo majores extitere civitates, quam initio, & quia exorta eſt copia vectigalium: participes omnes ſunt facti reipublicæ, cum ſuperent numero. Communicant autem republica & navant ipſi operam, quia poſſunt otioſi eſſe etiam pauperes, capientes mercedem. Et ſane hæc multitudo maxime vacat. Non enim impedit ipſam ullam in partem cura rerum domeſticarum: locupletes autem impedit. Quare ſæpe præſentes non adſunt concionibus, neque cauſis judicandis. Quæ cauſa eſt, ut pauperum multitudo in ſua poteſtate habeat rempublicam, ſed non leges.

§. 9. IX. Species igitur reipublicæ popularis tot ſunt & tales, ob has res neceſſarias.

§. 10. Dominatus autem paucorum ſpecies, cum plures rem habuerint: minorem autem, & non valde multam, primi paucorum dominatus ſpecies eſt. Faciunt enim poteſtatem ei, qui poſſidet participandi. Et quia multi ſunt, qui participes ſunt ejus ſtatus: neceſſe eſt non homines, ſed leges dominari. Quanto enim magis abſuerint ab imperio unius, & neque tantum rei habuerint, ut valeant otioſi eſſe ſine cura rerum domeſticarum, neque adeo exilem, ut ali debeant publice: neceſſe eſt ſtatuere, ut lex ipſis imperet, non ipſi imperium habeant.

§. 11. Si non pauciores jam fuerint, qui rem habent, quam qui prius, majorem autem: ſecundi paucorum dominatus exiſtit ſpecies. Majores enim vires habentes, æquum eſſe putant, ſe plus etiam dignitatis tenere. Quare ipſi quidem deligunt ex aliis, qui in ordinem ſuum perveniant: quia vero nondum adeo firmi validique ſunt, ut ſine lege imperium tueantur, legem hujuſcemodi figunt.

§. 12. Si autem magis vires auxerint, ita ut pauciores numero majores fortunas poſſederint, tertia acceſſio fit dominatui paucorum: quæ eſt, ut per ſe quidem magiſtratus gerant: lege autem, quæ jubet, ut filii in locum mortuorum ſuccedant.

§. 13. Quando autem jam plurimum cæteris ſuperaverint, & ubertate patrimonii, & copia amicorum: hujuſcemodi magna poteſtas proxime accedit in imperium unius, & tanquam domini fiunt homines: ſed non lex: & quarta ſpecies hæc eſt dominatus paucorum, quæ reſpondet ultimæ ſtatus popularis.

τοι μετέχειν διὰ τὴν προειρημένην αἰτίαν. ὥστ᾽ ἀναγκαῖον καὶ ἐν ταύτῃ ἄρχειν τὸν νόμον.

§. 8. Τέταρτον δὲ εἶδος δημοκρατίας, ἡ τελευταία τοῖς χρόνοις ἐν ταῖς πόλεσι γεγενημένη. διὰ γὰρ τὸ μείζους γεγονέναι πολὺ τὰς πόλεις τῶν ἐξ ὑπαρχῆς, καὶ προσόδων ὑπάρχειν εὐπορίας, μετέχουσι μὲν πάντες τῆς πολιτείας, διὰ τὴν ὑπεροχὴν τοῦ πλήθους· κοινωνοῦσι δὲ καὶ πολιτεύονται, διὰ τὸ δύνασθαι σχολάζειν καὶ τοὺς ἀπόρους, λαμβάνοντας μισθόν. καὶ μάλιστα δὲ σχολάζει τὸ τοιοῦτον πλῆθος· οὐ γὰρ ἐμποδίζει αὐτοὺς οὐθὲν ἡ τῶν ἰδίων ἐπιμέλεια· τοὺς δὲ πλουσίους ἐμποδίζει. ὥστε πολλάκις οὐ κοινωνοῦσι τῆς ἐκκλησίας, οὔτε τοῦ δικάζειν. διὸ γίνεται τὸ τῶν ἀπόρων πλῆθος κύριον τῆς πολιτείας, ἀλλ᾽ οὐχ οἱ νόμοι.

§. 9. IX. Τὰ μὲν οὖν τῆς δημοκρατίας εἴδη τοσαῦτα καὶ τοιαῦτα διὰ ταύτας τὰς ἀνάγκας ἐστί.

§. 10. Τὰ δὲ τῆς ὀλιγαρχίας, ὅταν μὲν πλείους ἔχωσιν οὐσίαν, ἐλάττω δὲ καὶ μὴ πολλὴν λίαν, τὸ τῆς πρώτης ὀλιγαρχίας εἶδός ἐστι. ποιοῦσι γὰρ ἐξουσίαν μετέχειν τῷ κτωμένῳ. καὶ διὰ τὸ πλῆθος εἶναι τῶν μετεχόντων τοῦ πολιτεύματος, ἀνάγκη μὴ τοὺς ἀνθρώπους, ἀλλὰ τὸν νόμον εἶναι κύριον. ὅσῳ γὰρ ἂν πλεῖον ἀπέχωσι τῆς μοναρχίας, καὶ μήτε τοσαύτην ἔχωσιν οὐσίαν, ὥστε σχολάζειν ἀμελοῦντας, μήθ᾽ οὕτως ὀλίγην, ὥστε τρέφεσθαι ἀπὸ τῆς πόλεως, ἀνάγκη τὸν νόμον ἀξιοῦν αὐτοῖς ἄρχειν, ἀλλὰ μὴ αὐτούς.

§. 11. Ἐὰν δὲ δὴ ἐλάττους ὦσιν οἱ τὰς οὐσίας ἔχοντες, ἢ οἱ τὸ πρότερον, (a) πλείω δέ, (b) τὸ τῆς δευτέρας ὀλιγαρχίας γίνεται εἶδος· μᾶλλον γὰρ ἰσχύοντες, πλεονεκτεῖν ἀξιοῦσι. διὸ αὐτοὶ μὲν αἱροῦνται ἐκ τῶν ἄλλων τοὺς εἰς τὸ πολίτευμα βαδίζοντας· διὰ δὲ τὸ μήπω οὕτως ἰσχυροὶ εἶναι, ὥστ᾽ ἄνευ νόμου ἄρχειν, τὸν νόμον τίθενται τοιοῦτον.

§. 12. Ἐὰν δ᾽ ἐπιτείνωσι, τῷ ἐλάττονες ὄντες μείζονας οὐσίας ἔχειν, ἡ τρίτη ἐπίδοσις γίνεται τῆς ὀλιγαρχίας· τὸ δι᾽ αὐτῶν μὲν τὰς ἀρχὰς ἔχειν, κατὰ νόμον δὲ τὸν κελεύοντα τῶν τελευτώντων διαδέχεσθαι τοὺς υἱεῖς.

§. 13. Ὅταν δὲ ἤδη πολὺ ὑπερτείνωσι ταῖς οὐσίαις, καὶ ταῖς πολυφιλίαις, ἐγγὺς ἡ τοιαύτη δυναστεία μοναρχίας ἐστί, καὶ κύριοι γίνονται οἱ ἄνθρωποι, ἀλλ᾽ οὐχ ὁ νόμος· καὶ τὸ τέταρτον εἶδος τῆς ὀλιγαρχίας τοῦτ᾽ ἐστιν, ἀντίστροφον τῷ τελευταίῳ τῆς δημοκρατίας.

## CAP. VII.

(a) ἢ οἱ τὸ πρότερον) Aldus habet εἰ μὲν. Adverſativam autem agnovit Vetus quoque interpres, ut & optimus quisque interpretum recentiorum, resque ipſa exigit. *CONR.*

(b) πλείω δὲ) Iſengrinius addit ἔχωσι, quod Victorius pariter & Lambinus etiam expreſſerunt: non male. Camerarius plane aliam lectionem ſubſtituit, hanc nimirum: εἰη μὲν τὸ πρότερον· πλείους δὲ τὸ τῆς δευτέρ. Senſus fuerit: *Si in paucorum poteſtate ſumma ſit rerum,* prius genus *oligarchiæ iſtud* eſſe: *ſin ad plures ea perveniat, ſecundum.* Verum hoc haud temere quis admiſerit. Longe aliter enim primam oligarchiæ ſpeciem jam tum Ariſtoteles definierat, & quidem in illa cum pluribus communicari honores. *CONR.*

Digitized by Google

# CAPUT VII.

§. 1.

X. Amplius autem ſunt duæ reſpublicæ præter ſtatum populi, & dominatum paucorum: quarum alteram dicunt omnes, & dicta eſt quatuor rerumpublicarum ſpecies una. Nominant autem quatuor, imperium unius, dominatum paucorum, ſtatum populi, quartam autem appellatam ariſtocratiam.

§. 2. Quinta vero eſt, quæ vocatur communi nomine omnium: Rempublicam enim appellant. Verum quia non crebro exiſtit, fallit eos, qui nituntur enumerare ſpecies rerumpublicarum & quatuor ſolum utuntur, quemadmodum Plato in libris de republica.

** **

§. 3. Statum igitur optimorum recte habet vocare, de quo diſſeruimus in primis diſputationibus. Rempublicam enim, quæ conflata eſt ex optimis ſimpliciter viris ſecundum virtutem, & non ad ſuppoſitionem quandam probis hominibus ſolam, æquum eſt appellare ſtatum optimorum. In ſola enim duntaxat, idem vir & civis bonus eſt: qui autem in aliis boni ſunt ad rempublicam ſuam boni ſunt.

§. 4. Sed tamen ſunt quædam, quæ diſcrepant ab illis, quæ in paucorum poteſtate ſunt, & appellantur *ariſtocratiæ*: (a) atque etiam ab ea, quæ reſpublica vocatur. Ubi non ſolum commendatione divitiarum, verum etiam virtutis, deligunt magiſtratus. Hæc autem reſpublica diſcrepat ab ambabus, & a ſimilitudine optimatum nomen nacta eſt. In illis enim rebuspublicis, quæ publicam curam non ſuſcipiunt de virtute, ſunt tamen aliqui vulgo probati, vel qui putantur eſſe boni viri.

§.5. Ubi igitur reſpublica reſpicit ad divitias, & virtutem, & popularem poteſtatem, veluti Carthagine, hæc ſpeciem habet ſtatus optimorum. Et in quibus ad duo duntaxat, cujusmodi eſt reſpublica Lacedæmoniorum, ad virtutem inquam & populi poteſtatem: & eſt mixtio duarum harum, ſtatus popularis & virtutis.

§. 6. Ariſtocratiæ igitur, præter primam optimam rempublicam, hæ duæ ſpecies ſunt: & tertia ſpecies, quæcunque vocatæ reipublicæ inclinant magis ad dominatum paucorum. (*)

** **

** **

§. 1.

X. Ἔτι δ᾽ εἰσὶ δύο πολιτεῖαι παρὰ δημοκρατίαν τε καὶ ὀλιγαρχίαν, ὧν τὴν μὲν ἑτέραν λέγουσί τε πάντες, καὶ εἴρηται, τῶν τεττάρων πολιτειῶν εἶδος ἕν· λέγουσι δὲ τέτταρας, μοναρχίαν, ὀλιγαρχίαν, δημοκρατίαν, τέταρτον δὲ τὴν καλουμένην ἀριστοκρατίαν.

§. 2. Πέμπτη δ᾽ ἐστὶν, ἣ προσαγορεύεται τὸ κοινὸν ὄνομα πασῶν· πολιτείαν γὰρ καλοῦσιν· ἀλλὰ διὰ τὸ μὴ πολλάκις γίνεσθαι, λανθάνει τοὺς πειρωμένους ἀριθμεῖν τὰ τῶν πολιτειῶν εἴδη καὶ χρῶνται ταῖς τέτταρσι μόνον, ὥσπερ Πλάτων ἐν ταῖς πολιτείαις.

** **

§. 3. Ἀριστοκρατίαν μὲν οὖν (b) καλῶς ἔχει καλεῖν, περὶ ἧς διήλθομεν ἐν τοῖς πρώτοις λόγοις· τὴν γὰρ ἐκ τῶν ἀρίστων ἁπλῶς κατ᾽ ἀρετὴν πολιτείαν καὶ μὴ πρὸς ὑπόθεσίν τινα ἀγαθῶν ἀνδρῶν, μόνην δίκαιον προσαγορεύειν ἀριστοκρατίαν. ἐν μόνῃ γὰρ ἁπλῶς ὁ αὐτὸς ἀνὴρ καὶ πολίτης ἀγαθός ἐστιν· οἱ δ᾽ ἐν ταῖς ἄλλαις ἀγαθοὶ, πρὸς τὴν πολιτείαν εἰσὶ τὴν αὑτῶν.

§. 4. Οὐ μὴν ἀλλ᾽ εἰσί τινες, αἵ πρός τε τὰς ὀλιγαρχουμένας ἔχουσι διαφορὰς, καὶ καλοῦνται ἀριστοκρατίαι, (c) καὶ πρὸς τὴν καλουμένην πολιτείαν· ὅπου γε μὴ μόνον πλουτίνδην, ἀλλὰ καὶ ἀριστίνδην αἱροῦνται τὰς ἀρχάς. αὕτη ἡ πολιτεία διαφέρει τε ἀμφοῖν, καὶ ἀριστοκρατικὴ καλεῖται. καὶ γὰρ ἐν ταῖς μὴ ποιουμέναις κοινὴν ἐπιμέλειαν ἀρετῆς, εἰσὶν ὅμως τινὲς οἱ εὐδοκιμοῦντες, καὶ δοκοῦντες εἶναι ἐπιεικεῖς.

§. 5. Ὅπου οὖν ἡ πολιτεία βλέπει εἴς τε πλοῦτον, καὶ ἀρετὴν, καὶ δῆμον, οἷον ἐν Καρχηδόνι, (d) αὕτη ἀριστοκρατική ἐστι· καὶ ἐν αἷς εἰς τὰ δύο μόνον, οἷον ἡ Λακεδαιμονίων εἰς ἀρετήν τε καὶ δῆμον· καὶ ἔστι μίξις τῶν δύο τούτων, δημοκρατίας τε καὶ ἀρετῆς.

§. 6. Ἀριστοκρατίας μὲν οὖν παρὰ τὴν πρώτην τὴν ἀρίστην πολιτείαν, ταῦτα δύο εἴδη· καὶ τρίτον ὅσαι τῆς καλουμένης πολιτείας ῥέπουσι πρὸς τὴν ὀλιγαρχίαν μᾶλλον.

** **

** **

CAP. IIX.

(a) *Ariſtocratiæ*) Agitur de ariſtocratiæ ſpeciebus. vid. HERTIUM *in element. prudentiæ civilis part. I. ſect. X. §. XIII. ſeqq.* BODINUS *de republ. lib. II. c. 7. GOEB.*

(b) ἀριστοκρατίαν μὲν οὖν) Niſi vehementer fallor, hiat hic oratio, dixitque Ariſtoteles: *præter quintam eſſe ſextam, quæ ariſtocratia vulgo audit.* Illa certe μὲν οὖν indicant, præceſſiſſe aliquid de ariſtocratia. Sed & ſtatim initio capitis dixerat; præter quatuor, eſſe adhuc duas; nec nominaverat jam tunc quintam, itaque & ſextæ facienda fuit mentio. *CONR.*

(c) καὶ καλοῦνται ἀριστοκρατίαι.) Videntur verba hæc trajecta, legendumq; integrum hunc locum ſic: αἱ πρός τε τὰς ὀλιγαρχίας ἔχουσι διαφορὰς καὶ πρὸς τὴν καλουμένην πολιτείαν, καὶ καλοῦνται ἀριστοκρατίαι. CONR.

(d) Καρχηδόνι) Aldus, Iſengrinius & Caſaubonus: χαλκηδόνι. Noſtrum eſſe rectius, palam eſt ex iis, quæ diſſeruntur l. 2, de republ. Carthaginienſi, eoque illam probavit ſuo aſſenſu Lambinus, Victorius, Giphanius. *CONR.*

(*) Sub finem capitis equidem haud pauca deſidero. Nec enim illa pauca de ariſtocratiis vel deſiderio hujus doctrinæ ſtudioſorum, vel reliquæ Ariſtotelis methodo conveniunt. Videntur itaque mihi adjecta fuiſſe complura alia de ariſtocratiis illis, cumprimis qui fiat, ut illæ oriantur & alicubi tanto ſint in pretio: perinde atque de democratiis & oligarchiis factum erat, & mox fit de politia & tyrannide. Certe initium capitis ſequentis ipſo ſuo exordio indicat, pleniorem ariſtocratiæ expoſitionem præceſſiſſe. *CONR.*

Digitized by Google

# CAP. IIX.

§. 1.

Reſtat autem nobis, ut denominata republica dicamus, & de tyrannide.

§. 1.

Λοιπὸν δ' ἐστὶν ἡμῖν περί τε τῆς νομιζομένης (b) πολιτείας εἰπεῖν, καὶ περὶ τυραννίδος.

§. 2. In hunc autem ordinem contulimus, non ſane exiſtentem, ſive hanc transgreſſionem, ſive modo expoſitas ariſtocratias: quia revera cunctæ aberrant a rectiſſima republica.

§. 2. Ἐτάξαμεν δ' οὕτως, οὐκ οὖσαν (c) οὔτε ταύτην παρέκβασιν, οὔτε τὰς ἄρτι ῥηθείσας ἀριστοκρατίας, ὅτι τὸ μὲν ἀληθὲς, πᾶσαι διημαρτήκασι τῆς ὀρθοτάτης πολιτείας.

** **

** **

§. 3. ** Deinde numerantur cum his. Sunt enim hæ transgreſſiones, ut primis in diſputationibus diximus.

§. 3. Ἔπειτα καταριθμοῦνται (d) μετὰ τούτων· εἰσί τ' αὐτῶν αὗται παρεκβάσεις, ὥσπερ ἐν τοῖς κατ' ἀρχὴν εἴπομεν.

§. 4. Ad extremum autem, de tyrannide conſentaneum eſt mentionem facere, cum hæc ſit minime omnium respublica, nobis autem omnis cura ſtudiumque eſt de republica.

§. 4. Τελευταῖον δὲ περὶ τυραννίδος εὔλογόν ἐστι ποιήσασθαι μνείαν, διὰ τὸ πασῶν ἥκιστα ταύτην εἶναι πολιτείαν, ἡμῖν δὲ τὴν μέθοδον εἶναι περὶ πολιτείας.

§. 5. Quam igitur ob cauſam hæc conſecuta ſunt hunc ordinem, expoſitum eſt. Nunc autem diſſerendum nobis eſt de republica. Aperta namque magis erit vis ipſius, explicatis iis, quæ faciunt ad dominatum paucorum & ſtatum multitudinis. Eſt enim respublica, ut ſimpliciter loquar, *mixtio* (a) dominatus paucorum & poteſtatis populi.

§. 5. Δι' ἣν μὲν οὖν αἰτίαν τέτακται τὸν τρόπον τοῦτον, εἴρηται. νῦν δὲ δεικτέον ἡμῖν περὶ πολιτείας. Φανερωτέρα γὰρ ἡ δύναμις αὐτῆς διωρισμένων τῶν περὶ ὀλιγαρχίας καὶ δημοκρατίας. ἔστι γὰρ ἡ πολιτεία, ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν, μίξις ὀλιγαρχίας καὶ δημοκρατίας.

§. 6. Conſuerunt autem appellare, quæ vergunt ad poteſtatem populi, respublicas: quæ vero ad dominatum paucorum, magis optimorum,

§. 6. Εἰώθασι δὲ καλεῖν, τὰς μὲν ἀποκλινούσας (e) ὡς πρὸς τὴν δημοκρατίαν, πολιτείας. τὰς δὲ πρὸς τὴν ὀλιγαρχίαν, μᾶλλον ἀριστοκρατίας. (f)

** **

** **

§. 7. Propterea quod magis comitatur diſciplina & nobilitas locupletioribus. Præterea putantur locupletes habere ea, quorum parandorum cauſa homines ad injuriam faciendam ſtimulantur: unde fit, ut honeſtos proboſque, ac claros hos appellent.

§. 7. Διὰ τὸ μᾶλλον (g) ἀκολουθεῖν παιδείαν καὶ εὐγένειαν τοῖς εὐπορωτέροις. ἔτι δὲ δοκοῦσιν ἔχειν οἱ εὔποροι, ὧν ἕνεκεν οἱ ἀδικοῦντες ἀδικοῦσιν· ὅθεν καὶ καλοὺς κἀγαθοὺς, καὶ γνωρίμους τούτους προσαγορεύουσιν.

§. 8. Quia igitur ſtatus optimorum morem habet præſtantiam tribuere optimis civibus, & dominatus paucorum ajunt eſſe ex honeſtis probiſque potius.

§. 8. Ἐπεὶ οὖν ἡ ἀριστοκρατία βούλεται τὴν ὑπεροχὴν ἀπονέμειν τοῖς ἀρίστοις τῶν πολιτῶν, καὶ τὰς ὀλιγαρχίας εἶναί φασιν ἐκ τῶν καλῶν κἀγαθῶν μᾶλλον.

** **

** **

§. 9. Videtur autem unum eſſe eorum, quæ fieri non poſſunt, ut non bonis legibus utatur civitas, quæ ab optimis viris gubernatur, ſed ab improbis: ſimiliter autem & ab optimis viris gubernari, quæ non utitur bonis legibus.

§. 10.

§. 9. Δοκεῖ δὲ εἶναι (h) τῶν ἀδυνάτων, τὸ μὴ εὐνομεῖσθαι τὴν ἀριστοκρατουμένην πόλιν, ἀλλὰ πονηροκρατουμένην· ὁμοίως δὲ καὶ ἀριστοκρατεῖσθαι τὴν μὴ εὐνομουμένην.

§. 10.

(a) *Mixtio*) Mixtas reipublicæ formas dari cum BODINO *de republ. lib. II. c. I.* HOBBESIO *de cive c. VII. §. 4. & in Leviath. c.* 18. negant plures alii, quos recenſet HERT. *l. c. part. I. ſect. X. p.* 218. eiſque reſpondet. Conſ. quoque FELDEN. ad h. c. & GROT. *l. I. c. 3. §. 17.* *GOEB.*

(b) νομιζομένης) Scribendum ὀνομαζομένης cum Caſaubono. Nec vero aliter verterunt ſive Victorius, ſive Lambinus. *CONR.*

(c) οὐκ οὖσαν) Lambinus videtur legiſſe οὐ δοκοῦσαν: ſed noſtram lectionem probavit Victorius. *CONR.*

(d) ἔπειτα καταριθμοῦνται) Nulla plane eſt connexio. Sed & Ariſtoteles paulo ante ita orſus erat ſuum ἐτάξαμεν, quaſi rationem velit reddere, cur ultimo loco velit docere de politia & tyrannide. Ac de tyrannide quidem dicit aliquid ſatis clarum quod ad rem facit paulo poſt: de politia autem revera nihil dicit. Et tamen ſubjungit Ariſtoteles: δι' ἣν μὲν οὖν αἰτίαν τέτακται, τὸν τρόπον τοῦτον εἴρηται: quomodo non ſolet, niſi longiorem ſermonem claudere. Itaque omnino hic quædam exciderunt. Cauſa vero ordinis hujus eſt, quod politiæ natura non poſſit exponi, niſi poſt democratiam & oligarchiam ſatis explicatam, utpote cum ſit utriusque quaſi miſcella. *CONR.*

(e) τὰς μὲν ἀποκλινούσας) Caſaubonus ſcribit: ἀποκλινούσας ὡς τὴν δημοκρατίαν πολιτείας, τὰς δὲ πρὸς τὴν ὀλιγαρχίαν μᾶλλον, ἀριστοκρατίας. *CONR.*

(f) μᾶλλον μὲν ἀριστοκρατίας) Aldus poſt μᾶλλον habet notam commatis, nec male. *CONR.*

(g) διὰ τὸ μᾶλλον) Hæc & ſequentia tantum faciunt ad id, ut doceatur, quare illæ mixtæ reſpublicæ, quæ declinant ad oligarchiam, dicantur ariſtocratiæ. Et tamen non minus de iis, quæ ad democratiam inclinant, erat ſermo. Videtur itaque vox una & altera ſaltim deſiderari, quibus ſermo eſt contractus ad ſolas illas poſterioris generis mixtas reſpublicas. *CONR.*

(h) δοκεῖ δὲ εἶναι) Nulla plane eſt connexio. Et vero in univerſum omnis hæc diſputatio usque adeo hiat multis lacunis, ut fruſtra hactenus fuerint interpretes in fingendis rationibus ad mentem Ariſtotelis. Mihi ſane totum hoc pene caput eſt deploratæ ſanitatis. *CONR.*



Digitized by Google

§. 10. Non eſt autem bona legum conſtitutio, bene leges poſitas eſſe, minime vero ipſis obtemperari. Quare unam legum tandem exiſtimandum eſt eſſe, obtemperare legibus poſitis: aliam vero recte poſitas eſſe leges, quibus ſtant: Licet enim quoque parere legibus malis.

§. 10. Οὐκ ἔςι δὲ εὐνομία τὸ εὖ κεῖσθαι τοὺς νόμους, μὴ πείθεσθαι δέ. διὸ μίαν μὲν εὐνομίαν ὑποληπτέον εἶναι, τὸ πείθεσθαι τοῖς κειμένοις νόμοις· (b) ἑτέραν δὲ, τὸ καλῶς κεῖσθαι τοὺς νόμους, οἷς ἐμμένουσιν· ἔςι γὰρ πείθεσθαι καὶ κακῶς. (c) κειμένοις.

** **

§. 11. Hoc autem contingit duobus modis. Sive enim optimis omnium, quæ cadunt in ipſos, ſive ſimpliciter optimis.

§. 11. Τοῦτο δὲ ἐνδέχεται (d) διχῶς· ἢ γὰρ τοῖς ἀρίςοις τῶν ἐνδεχομένων αὐτοῖς, ἢ τοῖς ἁπλῶς ἀρίςοις.

** **

§. 12. Videtur autem ſtatus optimorum maxime eſſe, honores tribui ratione virtutis. Status enim optimorum terminus eſt, virtus: dominatus autem paucorum, divitiæ: populi vero, libertas.

§. 12. Δοκεῖ δὲ ἀριςοκρατία (e) μὲν εἶναι μάλιςα, τὸ τὰς τιμὰς νενεμῆσθαι κατ' ἀρετήν. ἀριςοκρατίας μὲν γὰρ ὅρος, ἀρετή· ὀλιγαρχίας δὲ, πλοῦτος· δήμου δ', ἐλευθερία.

** **

§. 13. Quodcunque autem viſum ſit pluribus, in omnibus exiſtit. In poteſtate namque paucorum, in ſtatu optimorum, & in populis, quod probatum fuerit majori parti eorum, qui participes ſunt reipublicæ, hoc eſt ratum.

§. 13. Τὸ δ' ὅτι (f) ἂν δόξῃ τοῖς πλείοσιν, ἐν πάσαις ὑπάρχει. καὶ γὰρ ἐν ὀλιγαρχίᾳ, καὶ ἐν ἀριςοκρατίᾳ, καὶ ἐν δήμοις, ὅ τι ἂν δόξῃ τῷ πλείονι μέρει τῶν μετεχόντων τῆς πολιτείας, τοῦτ' ἔςι κύριον.

** **

§. 14. In plurimis igitur civitatibus forma reipublicæ nominatur. Solum enim mixtio attenditur divitum & pauperum, divitiarum & libertatis.

§. 14. Ἐν μὲν οὖν (g) ταῖς πλείςαις πόλεσι τὸ τῆς πολιτείας εἶδος καλεῖται. μόνον γὰρ ἡ μίξις ςοχάζεται τῶν εὐπόρων καὶ τῶν ἀπόρων πλούτου καὶ ἐλευθερίας.

** **

§. 15. Ferme namque apud plurimos divites honeſtorum proborumque virorum locum tenere putantur.

§. 15. Σχεδὸν γὰρ (h) παρὰ τοῖς πλείςοις οἱ εὔποροι τῶν καλῶν κἀγαθῶν δοκοῦσι κατέχειν χώραν.

§. 16 Quia autem tria ſunt, quæ controverſantur de æqualitate reipublicæ, libertas, divitiæ, virtus (quartum enim, quod vocant nobilitatem, comitatur duobus: nobilitas enim ſunt veteres divitiæ & virtus) manifeſtum eſt, mixtionem duorum, divitum & pauperum, rempublicam vocandam eſſe: trium vero, ſtatum optimorum maxime cæterorum, præter verum & primum.

§. 16. Ἐπεὶ δὲ τρία ἐςὶ τὰ ἀμφισβητοῦντα τῆς ἰσότητος τῆς πολιτείας, ἐλευθερία, πλοῦτος, ἀρετή· (τὸ γὰρ τέταρτον, (i) ὃ καλοῦσιν εὐγένειαν, ἀκολουθεῖ τοῖς δυσίν· ἡ γὰρ εὐγένεια, ἐςὶν ἀρχαῖος πλοῦτος καὶ ἀρετή) φανερὸν ὅτι τὴν μὲν τοῖν δυοῖν μίξιν, τῶν εὐπόρων καὶ τῶν ἀπόρων, πολιτείαν λεκτέον, τὴν δὲ τῶν τριῶν, ἀριςοκρατίαν μάλιςα τῶν ἄλλων, παρὰ τὴν ἀληθινὴν καὶ πρώτην.

§. 17. Eſſe igitur alias ſpecies reipublicæ præter imperium unius, ſtatum populi & dominatum paucorum, dictum eſt. Et quales hæ & quid differunt inter ſe, necnon ſtatus optimorum & reſpubl. a ſtatu optimorum, & non valde has eſſe inter ſe remotas, perſpicuum eſt.

§. 17. Ὅτι μὲν οὖν ἐςὶ καὶ ἕτερα πολιτείας εἴδη παρὰ μοναρχίαν τε, καὶ δημοκρατίαν, καὶ ὀλιγαρχίαν, εἴρηται· καὶ ποῖα ταῦτα, καὶ τί διαφέρουσιν ἀλλήλων, (k) αἵ τ' ἀριςοκρατίαι, καὶ αἱ πολιτεῖαι, τῆς ἀριςοκρατίας, καὶ ὅτι οὐ πόῤῥω αὗται ἀλλήλων, φανερόν.

## CAP. IX.

§. 1.

XII. Quonam *autem modo* (a) fit præter ſtatum populi & dominatum paucorum, quæ vocatur respublica, & quo pacto oportet ipſam conſtituere, dicamus deinceps.

§. 1.

XII. Τίνα δὲ τρόπον γίνεται παρὰ δημοκρατίαν καὶ ὀλιγαρχίαν ἡ καλουμένη πολιτεία, καὶ πῶς αὐτὴν δεῖ καθιςάναι, λέγωμεν ἐφεξῆς τοῖς εἰρημένοις.

§. 2. §. 2.

(a) *Autem modo*) Oſtendit in hoc capite, quomodo oligarchia & democratia in politiam & ariſtocratiam miſceantur. vid. PICCART. *p.* 561. *ſeqq. GOEB.*

(b) τοῖς κειμένοις νόμοις) νόμοις non habet Aldus: non video tamen, qui poſſit deeſſe, absque boni ſenſus jactura. *CONR.*

(c) καὶ κακῶς) Aldus minus bene: καλῶς. *CONR.*

(d) τοῦτο δ' ἐνδέχεσθαι) Multum hiat oratio. *CONR.*

(e) δοκεῖ δ' ἀριςοκρατία) Iterum lacuna ſubeſt. *CONR.*

(f) τὸ δ' ὅτι) Neque hæc cohærent cum antecedentibus aut ſubſequentibus. *CONR.*

(g) ἐν μὲν οὖν) Nova lacuna. *CONR.*

(h) σχεδὸν γὰρ) Quod hic dicitur, non valet ad probandum, recte mixtionem illam ex divitibus & pauperibus dici πολιτείαν, ſed facit ad ἀριςοκρατίας vocabulum. Itaque non connectitur cum ſuperioribus. *CONR.*

(i) τὸ γὰρ τέταρτον) Hæc parentheſis a me eſt addita, quo orationi aliquid accedat perſpicuitatis. *CONR.*

(k) διαφέρουσιν ἀλλήλων) Illud ἀλλήλων abundat & ſenſum obſcurat. Paulo poſt enim dicitur: καὶ ὅτι οὐ πόῤῥω αὗται ἀλλήλων, φανερόν: & omnino ita hæc legenda ſunt: ᾗ διαφέρουσιν αἵ τε ἀριςοκρατίαι καὶ αἱ πολιτεῖαι τῆς ἀριςοκρατίας. *CONR.*

§. 2. Simul autem planum erit, quibus definiunt ſtatum populi & dominatum paucorum. Sumenda enim eſt harum diviſio: deinde poſt hæc ab utraque decet nos tanquam ſymbolum decerpentes componere.

§. 3. Sunt autem termini tres compoſitionis & mixtionis.

§. 4. Sive enim ambo ſumenda ſunt, quæ utraq; lege ſtatuunt, veluti de ratione judicandi. In dominatibus enim paucorum divtibus multam figunt, niſi lites judicarint: pauperibus autem nullam mercedem. In ſtatibus vero populorum, pauperibus mercedem: divitibus autem nullam multam. Commune autem & medium horum, ambo hæc. Quapropter reipublicæ accommodatum inſtitutum hoc. mixta enim eſt ex ambabus.

§. 5. Unus quidem igitur copulæ modus hic eſt. Alter autem, medium ſumere eorum, quæ utrique ſtatuunt: ceu jus conciones colendi. Hi quidem a cenſu nullo, vel admodum parvo; hi vero a magno cenſu. Commune autem neutrum, ſed medium utriusque horum cenſus.

§. 6. Tertium autem e duobus inſtitutis, hæc quidem e lege propria paucorum dominatus: hæc vero ex ea, quæ accommodata eſt ſtatui multitudinis. Intelligo autem ita. Videtur aptum eſſe multitudini, magiſtratus creari ſorte: divitibus autem ſuffragiis: Et populare, non e cenſu: dominatus vero paucorum, e cenſu. Aptum igitur ſtatui optimorum & reipublicæ ab utroque utrumque ſumere. E dominatu paucorum, ſtatuere, ut ſuffragiis creentur magiſtratus: e populi ſtatu, ut non a cenſu.

§. 7. Modus igitur mixtionis hic eſt. Bene autem mixtum eſſe ſtatum populi & dominatum paucorum declarat, quando licuerit dicere eandem rempublicam ſtatum populi & dominatum paucorum. Planum enim eſt, ita affectos eſſe, qui hoc pacto loquuntur, quia pulchre mixta eſt, Quod uſu venit etiam in medio. Apparet enim in ipſo utrumque extremorum.

§. 8. Quod quidem contingit in republica Lacedæmoniorum. Multi enim non dubitant loqui de ipſa, ut de populi ſtatu, quia popularia multa locum illic habent: veluti primum, quod pertinet ad pueros alendos. Similiter enim aluntur filii divitum & pauperum, & inſtituuntur modo hoc, quo poſſent pauperum filii. Similiter autem ſe res habet in ætate, quæ ſequitur hanc: & quando viri facti fuerint, eodem modo, nulla enim re diſtinguitur dives a paupere: ſic & quæ pertinent ad victus rationem, eadem omnibus in communibus illis cœnis. Et veſtem divites hujuscemodi, qualem unus-

§. 2. Ἅμα δὲ δῆλον ἔσαι καὶ οἷς ὁρίζονται τὴν δημοκρατίαν, καὶ τὴν ὀλιγαρχίαν· ληπτέον γὰρ τὴν τούτων διαίρεσιν. εἶτα ἐκ τούτων ἀφ' ἑκατέρας ὥσπερ σύμβολον λαμβάνοντας, (a) συνθετέον.

§. 3. Εἰσὶ δὲ (οἱ) (b) ὅροι τρεῖς τῆς συνθέσεως καὶ μίξεως.

§. 4. Ἢ γὰρ ἀμφότερα ληπτέον, ὧν ἑκάτεροι νομοθετοῦσιν. οἷον περὶ τοῦ δικάζειν. ἐν μὲν γὰρ ταῖς ὀλιγαρχίαις τοῖς εὐπόροις ζημίαν τάττουσιν, ἂν μὴ δικάζωσι· τοῖς δ' ἀπόροις, οὐδένα μισθόν. ἐν δὲ ταῖς δημοκρατίαις, τοῖς μὲν ἀπόροις, μισθόν· τοῖς δ' εὐπόροις, οὐδεμίαν ζημίαν. κοινὸν δὲ καὶ μέσον τούτων, ἀμφότερα ταῦτα. διὸ καὶ πολιτικόν· μέμικται γὰρ ἐξ ἀμφοῖν.

§. 5. Εἷς μὲν οὖν (c) οὗτος τοῦ συνδυασμοῦ τρόπος· ἕτερος δὲ, τὸ μέσον λαμβάνειν ὧν ἑκάτεροι τάττουσιν· οἷον ἐκκλησιάζειν, οἱ μὲν, ἀπὸ τιμήματος οὐθενὸς, ἢ μικροῦ πάμπαν· οἱ ἀπὸ μακροῦ τιμήματος. κοινὸν δ', γε οὐδέτερον, ἀλλὰ τὸ μέσον ἑκατέρου τιμήματος τούτων.

§. 6. Τρίτον δ', ἐκ δυοῖν ταγμάτοιν· τὰ μὲν ἐκ τοῦ ὀλιγαρχικοῦ νόμου, τὰ δ' ἐκ τοῦ δημοκρατικοῦ. λέγω δ' οἷον, δοκεῖ δημοκρατικὸν μὲν εἶναι, τὸ κληρωτὰς εἶναι τὰς ἀρχάς, τὸ δ' αἱρετὰς, ὀλιγαρχικόν· καὶ δημοκρατικὸν μὲν, τὸ μὴ ἀπὸ τιμήματος· ὀλιγαρχικὸν δὲ, τὸ ἀπὸ τιμήματος. ἀριστοκρατικὸν τοίνυν καὶ πολιτικὸν, τὸ ἐξ ἑκατέρας ἑκάτερον λαβεῖν· ἐκ μὲν τῆς ὀλιγαρχίας, τὸ αἱρετὰς ποιεῖν τὰς ἀρχάς· ἐκ δὲ τῆς δημοκρατίας, τὸ μὴ ἀπὸ τιμήματος.

§. 7. Ὁ μὲν οὖν τρόπος τῆς μίξεως οὗτος. τοῦ δ' εὖ μεμῖχθαι δημοκρατίαν καὶ ὀλιγαρχίαν ὅρος, ὅταν ἐνδέχηται λέγειν τὴν αὐτὴν πολιτείαν, δημοκρατίαν καὶ ὀλιγαρχίαν. δῆλον γὰρ ὅτι τοῦτο πάσχουσιν οἱ λέγοντες, διὰ τὸ μεμῖχθαι καλῶς· πέπονθε δὲ τοῦτο καὶ τὸ μέσον. ἐμφαίνεται γὰρ ἑκάτερον ἐν αὐτῷ τῶν ἄκρων.

§. 8. Ὅπερ συμβαίνει περὶ τὴν Λακεδαιμονίων πολιτείαν. πολλοὶ γὰρ ἐγχειροῦσι λέγειν ὡς δημοκρατίας οὔσης, διὰ τὸ δημοκρατικὰ πολλὰ τὴν τάξιν ἔχειν. οἷον, πρῶτον τὸ περὶ τὴν τροφὴν τῶν παίδων· ὁμοίως γὰρ οἱ τῶν πλουσίων τρέφονται τοῖς τῶν πενήτων, καὶ παιδεύονται τὸν τρόπον τοῦτον, ὃν ἂν δύναιντο καὶ τῶν πενήτων οἱ παῖδες. ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῆς ἐχομένης ἡλικίας, καὶ ὅταν ἄνδρες γένωνται, τὸν αὐτὸν τρόπον. οὐθὲν γὰρ ἄδηλος (d) ὁ πλούσιος καὶ ὁ πένης. οὕτω τὰ περὶ τὴν τροφὴν ταὐτὰ πᾶσιν ἐν τοῖς συσσιτίοις. καὶ τὴν ἐσθῆτα οἱ πλούσιοι τοιαύτην, οἵαν ἄν τις παρασκευάσαι δύναιτο καὶ τῶν πενήτων ὁστισοῦν.

(a) σύμβολον λαμβάνοντας) Videtur rectius συμβολήν: idque jam præclaris quibusque interpretibus eſt obſervatum. *CONR.*

(b) (Οἱ)) Ex Zwingeri editione hæc vocula adjecta a Sylburgio. *CONR.*

(c) εἷς μὲν οὖν) Non agnoſcit οὖν Aldus: forte ſolus tamen. *CONR.*

(d) οὐθὲν γὰρ ἄδηλος) Imo Ariſtoteles voluit, nulla re potuiſſe internoſci pauperem a divite. Non itaque heic convenit vox ἄδηλος, ſed legendum εὔδηλος, ut cenſet Camerarius, vel ſimpliciter δῆλος. Interpretes recte locum verterunt, Victorius, Lambinus, Giphanius, alii. *CONR.*



Digitized by Google

unusquisque parare poſſet etiam ex pauperibus. Præterea duos maximos magiſtratus, unum horum deligere populum: alterius autem eundem participem eſſe. Senatores enim deligunt: Ephororum vero poteſtatis participes ſunt. Hi vero dominatum paucorum, quia multa inſtituta habet propria hujus ſtatus: veluti cunctos magiſtratus ſuffragiis creari, & nullum ſorte duci, & paucos in ſua poteſtate habere mortem & exilium, atque alia hujuſcemodi multa.

ὀσιστῶν. ἔτι τῷ δύο (c) τὰς μεγίστας ἀρχὰς, τὴν μὲν αἱρεῖσθαι τὸν δῆμον, τῆς δὲ μετέχειν· τοὺς μὲν γὰρ γέροντας αἱροῦνται, τῆς δ' ἐφορείας μετέχουσιν. Οἱ δ', ὀλιγαρχίαν, διὰ τὸ πολλὰ ἔχειν ὀλιγαρχικά. οἷον τὸ πάσας αἱρετὰς εἶναι, καὶ μηδεμίαν κληρωτήν· καὶ ὀλίγους εἶναι (d) κυρίους θανάτου καὶ φυγῆς, καὶ ἄλλα τοιαῦτα πολλά.

§. 9. Opus autem in republica, quæ mixta eſt probe, utraque videri eſſe, & neutrum. Et conſervari ipſam per ſe non extrinſecus: Et per ſe, non quod plures extrinſecus ſint, qui velint (poſſet enim hoc pravæ quoque reipublicæ contingere) ſed quia partium civitatis nulla omnino aliam rempublicam velit.

§. 9. Δεῖ δ' ἐν τῇ πολιτείᾳ τῇ μεμιγμένῃ καλῶς, ἀμφότερα δοκεῖν εἶναι καὶ μηδέτερον· καὶ σώζεσθαι δι' αὑτῆς, καὶ μὴ ἔξωθεν· καὶ δι' αὑτῆς, μὴ τῷ πλείους ἔξωθεν εἶναι τοὺς βουλομένους (εἴη γὰρ ἂν καὶ πονηρᾷ πολιτείᾳ τοῦθ' ὑπάρχον) ἀλλὰ τῷ μηδ' ἂν βούλεσθαι πολιτείαν ἑτέραν μηθὲν τῶν τῆς πόλεως μορίων ὅλως.

§. 10. Quo igitur modo oportet rempublicam conſtituere, ſimiliter autem & qui ſtatus optimorum nominantur, nunc traditum eſt.

§. 10. Τίνα μὲν οὖν τρόπον δεῖ καθιστάναι τὴν πολιτείαν, ὁμοίως δὲ καὶ τὰς ὀνομαζομένας ἀριστοκρατίας, νῦν εἴρηται.

## CAP. X.

§. 1.

XIII. De *tyrannide* (a) autem reſtat nobis dicere, non ut longa diſputatione de ipſa exiſtente: ſed ut adipiſcatur partem hujus ſcriptionis; quia & hanc ſtatuimus eſſe partem quandam rerumpublicarum.

§. 1.

XIII. Περὶ δὲ τυραννίδος ἦν ἡμῖν λοιπὸν εἰπεῖν οὐχ ὡς ἐνούσης πολυλογίας περὶ αὐτὴν, ἀλλ' ὅπως λάβῃ τῆς μεθόδου τὸ μέρος. ἐπειδὴ καὶ ταύτην τίθεμεν τῶν πολιτειῶν τι μέρος.

§. 2. De regno igitur explicuimus in primis ſermonibus, in quibus de illo, quod maxime vocatur regnum, ſedulo quæſivimus, utrum detrimentoſum ſit, vel conducat civitatibus, & quod, & unde oportet conſtituere, & quomodo.

§. 2. Περὶ μὲν οὖν βασιλείας διωρίσαμεν ἐν τοῖς πρώτοις λόγοις, ἐν οἷς περὶ τῆς μάλιστα λεγομένης βασιλείας ἐποιούμεθα τὴν σκέψιν, πότερον ἀσύμφορον, ἢ συμφέρει ταῖς πόλεσι· καὶ τίνα, καὶ πόθεν δεῖ καθιστάναι, καὶ πῶς.

§. 3. Tyrannidis autem ſpecies duas diſtinximus, ubi de regno animadvertimus: quia vis poteſtasque ipſius aliquo modo inter ſe commutatur & cum regno: quia ſecundum legem ſunt ambo hæc imperia.

§. 3. Τυραννίδος δ' εἴδη δύο μὲν διείλομεν, ἐν οἷς περὶ βασιλείας ἐπεσκοποῦμεν, διὰ τὸ τὴν δύναμιν ἐπαλλάττειν πως αὐτῶν, καὶ πρὸς τὴν βασιλείαν, (e) διὰ τὸ κατὰ νόμον εἶναι ἀμφοτέρας ταύτας τὰς ἀρχάς. (f) —

§. 4. Quidam enim *Barbari* (b) morem habent, ſummam poteſtatem dare unis quibusdam. Et olim apud priſcos Græcos fiebant quidam monarchæ hoc pacto, quos vocabant Æſymnetas.

§. 4. Ἔν τε γὰρ τῶν βαρβάρων τισὶν αἱροῦνται αὐτοκράτορας μονάρχους· καὶ τὸ παλαιὸν ἐν τοῖς ἀρχαίοις Ἕλλησιν ἐγίγνοντό τινες μόναρχοι τὸν τρόπον τοῦτον, οὓς ἐκάλουν αἰσυμνήτας.

§. 5. Habent autem quædam diſcrimina inter ſe hæ poteſtates.

§. 5. Ἔχουσι δέ τινας πρὸς ἀλλήλας αὗται διαφοράς.

** **

§. 6. Erant autem, quia conſtabant legibus, regiæ, nec non, quia imperabant volentibus: Tyrannicæ autem, quia more herorum imperabant, ſuam ſententiam ſequentes.

§. 6. Ἦσαν δὲ (g) διὰ μὲν τὸ κατὰ νόμον, βασιλικαὶ, καὶ διὰ τὸ μοναρχεῖν ἑκόντων· τυραννικαὶ δὲ, διὰ τὸ δεσποτικῶς ἄρχειν (καὶ) (h) κατὰ τὴν αὑτῶν γνώμην.

§. 7. §. 7.

(a) *Tyrannide*) De tyrannide late agit ARNISÆUS *relect. politic. lib. II. c. III. ſect. 6. p. 537. ſeqq.* BODINUS *de republica lib. II. c. IV.* hanc tyrannidis definitionem ſuppeditat; *eſt in qua unus homo, divinis ac naturæ legibus ſublatis, rebus alienis, ut ſuis, & liberis hominibus, quaſi mancipiis ad libidinem abutitur.* HOBBESIUS *de cive c. VIII. §. III.* inter regem & tyrannum nullam agnoſcit *differentiam*, quam quod ille recte, hic aliter regat. Aliis placet tyrannum definire, qui populi everſionem & interitum machinatur. Sed directo tale quid moliens, ſanæ mentis vix dabitur. Cæterum varius eſt tyranni ſignificatus. Aliquando veteribus & ille, qui abſoluta utitur poteſtate, tyrannus vocatur. Vid. HUBERUS *de jure civit. lib. I. ſect. IX. c. I.* GOEB.

(b) *Barbari*) Regnum barbaricum & æſymneticum ad tyrannidem refert non abſolute, ſed ſecundum quid, quia cum tyrannide aliqua ex parte coincidant. FELDEN. ad h. l. GOEB.

(c) τῷ δύο) τῶν δύο habent Aldus & Zvvingerus. Noſtram lectionem ſecutus eſt & Lambinus in verſione & Victorius. CONR.

(d) ὀλίγους εἶναι) εἶναι abeſt ab Aldino, ſed cum ſenſus vitio, CONR.

(e) καὶ πρὸς τὴν βασιλ.) καὶ abundat, & deleto illo ſermo fit clarior. Aut vero ſcribendum ἢ ἑαυτῶν ἢ πρός. CONR.

(f) τὰς ἀρχὰς) τὰς omittit Aldus & Iſengrinius. CONR.

(g) ἦσαν δὲ) Non cohærent præcedentibus: & vero videtur enumeraſſe aliquot differentias æſymnetiarum apud veteres Græcos uſitatas. CONR.

(h) (καὶ)) Zvvingerum ſecutus voculam hanc adjecit Sylburgius. Aldus non habet, nec vel Lambinus, vel Victorius, vel Giphanius expreſſit. Perinde eſt adſit, an abſit. CONR.

Digitized by Google

§. 7. Tertia autem *species tyrannidis* (*a*) eſt, quæ ſane maxime videtur eſſe tyrannis, quæ altera ex parte reſpondet regno. Hujuſcemodi autem eſſe tyrannidem, neceſſe eſt, quæ rationem non reddens ſuorum factorum, poteſtatem exercet in ſimiles & meliores omnes, quod conducit ſibi ſpectans, & non quod iis, quibus imperat. Quare involuntaria eſt. nemo enim liber homo ſponte ſua volenſque perpetitur hujuſcemodi imperium.

§. 7. Τρίτον δὲ εἶδος τυραννίδος, ἥπερ μάλιϛ' εἶναι δοκεῖ τυραννὶς, ἀντίϛροφος οὖσα τῇ βασιλείᾳ. τοιαύτην δ' ἀναγκαῖον εἶναι τυραννίδα τὴν μοναρχίαν, ἥτις ἀνυπεύθυνος ἄρχει τῶν ὁμοίων καὶ βελτιόνων πάντων, πρὸς τὸ σφέτερον αὐτῆς συμφέρον, ἀλλὰ μὴ πρὸς τὸ τῶν ἀρχομένων· διόπερ ἀκούσιος. οὐθεὶς γὰρ (*c*) ἑκὼν ὑπομένει τῶν ἐλευθέρων τὴν τοιαύτην ἀρχήν.

§. 8. Tyrannidis igitur ſpecies hæ, & tot numero, ob cauſas expoſitas.

§. 8. Τυραννίδος μὲν οὖν εἴδη ταῦτα καὶ τοσαῦτα, διὰ τὰς εἰρημένας αἰτίας.

# CAPUT XI.

§. 1.

XIV. Quæ autem optima reſpublica, & quæ optima vita plurimis civitatibus & plurimis hominibus: neque conferentibus cum virtute, quæ ſupra captum eſt vulgarium hominum: neque cum diſciplina, quæ natura eget & copia bonorum illorum, quæ fortuna dilargitur: neque cum republica, quæ votis expetitur: ſed vita, cujus plurimi mortales participes eſſe poſſunt, & republica, cujus plurimas civitates contingit eſſe participes.

§. 1.

XIV. Τίς δ' ἀρίϛη πολιτεία, καὶ τίς ἄριϛος βίος ταῖς πλείϛαις πόλεσι, καὶ τοῖς πλείϛοις τῶν ἀνθρώπων· μήτε πρὸς ἀρετὴν συγκρίνουσι, τὴν ὑπὲρ τοὺς ἰδιώτας· μήτε πρὸς παιδείαν, ἃ φύσεως δεῖται (*d*) καὶ χορηγίας τυχηρᾶς· μήτε πρὸς πολιτείαν τὴν κατ' εὐχὴν γινομένην, ἀλλὰ βίον τε τὸν τοῖς πλείϛοις κοινωνῆσαι δυνατὸν, καὶ πολιτείαν ἧς τὰς πλείϛας πόλεις ἐνδέχεται μεταχεῖν.

** ** ** **

§. 2. Etenim quos vocant ſtatus *optimorum*, (*b*) de quibus modo diſſeruimus, partim cadunt extra plurimas civitates, partim vicini ſunt vocatæ reipublicæ. Quare de ambobus, veluti de uno, dicendum eſt.

§. 2. Καὶ γὰρ ἃς (*e*) καλοῦσιν ἀριϛοκρατίας, περὶ ὧν νῦν εἴπομεν, τὰ μὲν ἐξωτέρω πίπτουσι ταῖς πλείϛαις τῶν πόλεων, τὰ δὲ γειτνιῶσι τῇ καλουμένῃ πολιτείᾳ. διὸ περὶ ἀμφοῖν, ὡς μιᾶς, λεκτέον.

§. 3. Exiſtimatio autem de his omnibus, ex iiſdem elementis proficiſcitur.

§. 3. Ἡ δὲ δὴ κρίσις περὶ ἁπάντων τούτων, ἐκ τῶν αὐτῶν ϛοιχείων ἐϛίν.

§. 4. Si enim recte in libris de moribus dictum eſt, vitam beatam conſtare virtute, vacua ab impedimentis, & virtutem eſſe mediocritatem: mediam neceſſe ſit vitam eſſe optimam, mediocritatis ejus, quam ſinguli adipiſci poſſunt.

§. 4. Εἰ γὰρ καλῶς ἐν τοῖς ἠθικοῖς εἴρηται τὸ τὸν εὐδαίμονα βίον εἶναι τὸν κατ' ἀρετὴν ἀνεμπόδιϛον· μεσότητα δὲ τὴν ἀρετήν· τὸν μέσον ἀναγκαῖον εἶναι βίον βέλτιϛον, τῆς ἑκάϛοις ἐνδεχομένης τυχεῖν μεσότητος.

§. 5. Eoſdem autem eſſe terminos cum his, neceſſe eſt virtutis ac vitii civitatis ac reipublicæ: reſpublica namque vita quædam eſt civitatis.

§. 5. Τοὺς δὲ αὐτοὺς τούτους (*f*) ὅρους ἀναγκαῖον εἶναι καὶ πόλεως ἀρετῆς (*g*) καὶ κακίας, καὶ πολιτείας· ἡ γὰρ πολιτεία βίος τίς ἐϛι πόλεως.

§. 6. In omnibus jam civitatibus ſunt tres partes civitatis. hi quidem valde locupletes, hi autem valde pauperes: tertii vero medii horum. Quia igitur omnes conſentiunt, mediocre eſſe optimum & medium: perſpicuum eſt, rerum ſecundarum poſſeſſionem mediam optimam eſſe.

§. 6. Ἐν ἁπάσαις δὴ ταῖς πόλεσίν ἐϛι τρία μέρη τῆς πόλεως· οἱ μὲν, εὔποροι σφόδρα· οἱ δὲ, ἄποροι σφόδρα· οἱ δὲ τρίτοι, οἱ μέσοι τούτων. ἐπεὶ τοίνυν ὁμολογεῖται τὸ μέτριον (*h*) ἄριϛον, καὶ τὸ μέσον, φανερὸν ὅτι καὶ τῶν εὐτυχημάτων ἡ κτῆσις ἡ μέση, βελτίϛη πάντων,

§. 7. §. 7.

(*a*) *Species tyrannidis*) Hæc teterrima omnium, ubi unus ſine legibus imperat, omnia pro ſuo arbitrio faciens in detrimentum omnium. FELDEN. Tyrannidis exempla in regnis, quam in ariſtocratiis, ſunt frequentiora. HERT. *l. c. part. I. ſect. XII. §. XVI. part. II. ſect. IV. §. VII. GOEB.*

(*b*) *Optimorum*) In hoc capite traditur, rempublicam pleriſque civitatibus optimam eſſe mediocrium i. e. qui nec nimis divites ſunt, nec nimis pauperes; atque hoc ex principiis ethicis deducit. vid. PICCART. & FELD. *GOEB.*

(*c*) οὐθεὶς γὰρ) Tranſpoſitionem nota: cum eſſet ſcribendum: οὐθεὶς γὰρ τῶν ἐλευθέρων ἑκὼν ὑπομένει τὴν τοιαύτην ἀρχήν. *CONR.*

(*d*) ἃ φύσεως δεῖται) Camerarius notat, in vetere[ libro ſimplicius] ſcribi: ἣ (παιδεία ſc.) φύσεως δεῖται. Quæ lectio indubie rectiſſima, probata utique & Caſaubono. *CONR.*

(*e*) καὶ γὰρ ἃς) Quædam excidiſſe, facile patet: nec vero prior propoſitio apte eſt concluſa. *CONR.*

(*f*) αὐτοὺς τούτους) Aldus αὐτοῖς τούτοις. Lectio noſtra magis eſt perſpicua, & invenit illam in libro vetere etiam Camerarius. *CONR.*

(*g*) καὶ πόλεως ἀρετῆς) Malim ſcribere ἀρετῆς καὶ κακίας καὶ πόλεως καὶ πολιτείας. Ut duo ſcilicet ſunt extrema virtute & vitio paupertas & divitiæ, medium vero optimum, ita & in civitate duo ſunt quaſi extremi hominum ordines, pauperes nempe & divites. *CONR.*

(*h*) τὸ μέτριον) μέτρον ἄριϛον dixit olim Chilo & Phocylides. Fortaſſis igitur etiam hoc loco ſic ſcribendum. *CONR.*



Digitized by Google

§. 7. Facillime enim obtemperat rationi. Eximie autem formoſum, eximie robuſtum, eximie nobilem, eximie divitem: Contrariosque, valde mendicum, valde imbecillum, valde obſcurum, difficile eſt rationi parere. Fiunt enim hi quidem contumelioſi, & magnis culpis affines: hi autem potius fraudulenti & minutis flagitiis valde dediti: injuſtorum autem factorum quædam oriuntur a contumelia, quædam autem a malitia.

§. 7. Ῥᾴστη γὰρ τῷ λόγῳ πειθαρχεῖν. ὑπέρκαλον δὲ, ἢ ὑπερίσχυρον, ἢ ὑπερευγενῆ, ἢ ὑπερπλούσιον· ἢ τἀναντία τούτοις, ὑπέρπτωχον, ἢ ὑπερασθενῆ, καὶ σφόδρα ἄτιμον, χαλεπὸν τῷ λόγῳ ἀκολουθεῖν. γίγνονται γὰρ, οἱ μὲν, ὑβρισταὶ, καὶ μεγαλοπόνηροι μᾶλλον· οἱ δὲ, κακοῦργοι, (b) καὶ μικροπόνηροι λίαν. τῶν δ᾽ ἀδικημάτων τὰ μὲν γίγνεται δι᾽ ὕβριν, τὰ δὲ διὰ κακουργίαν.

§. 8. Amplius autem hi minime perfecti tribuum, ſive publici conſilii eſſe volunt: hæc vero ambo detrimentoſa ſunt civitatibus.

§. 8. Ἔτι δ᾽ ἥκιστα οὗτοι φυλαρχοῦσι (c) καὶ βουλαρχοῦσι. ταῦτα δ᾽ ἀμφότερα βλαβερὰ ταῖς πόλεσι.

§. 9. Additur his, quod qui copiam magnam nacti ſunt rerum proſperarum, virium inquam & divitiarum, & amicorum, & hujuſcemodi rerum, parere nolunt magiſtratibus, neque etiam ſciunt: & huic ſtatim rei domi aſſueti ſunt, pueri adhuc exiſtentes. Ob delicias enim, neque etiam in ludis literarum, conſuetudo erat illis imperia pati. Qui autem majorem in modum ſunt in penuria horum, humiles valde ſunt. Quapropter hi quidem imperare neſciunt, ſed imperio ſervili parent. hi vero nulli imperio parere volunt, ſed imperare, veluti heri ſervis. Efficitur igitur ſervorum & herorum civitas, & non liberorum hominum: atque horum quidem invidentium, horum autem deſpicientium.

§. 9. Πρὸς δὲ τούτοις, οἱ μὲν ἐν ὑπεροχαῖς εὐτυχημάτων ὄντες, ἰσχύος, καὶ πλούτου, καὶ φίλων, καὶ τῶν ἄλλων τῶν τοιούτων, ἄρχεσθαι οὔτε βούλονται οὔτε ἐπίστανται· καὶ τοῦτ᾽ εὐθὺς οἴκοθεν ὑπάρχει παισὶν οὖσι· διὰ γὰρ τὴν τρυφὴν (d) οὐδ᾽ ἐν τοῖς διδασκάλοις (e) ἄρχεσθαι σύνηθες αὐτοῖς· οἱ δὲ καθ᾽ ὑπερβολὴν ἐν ἐνδείᾳ τούτων, ταπεινοὶ λίαν· ὥσθ᾽ οἱ μὲν ἄρχειν οὐκ ἐπίστανται, ἀλλ᾽ ἄρχεσθαι δουλικὴν ἀρχήν· οἱ δ᾽, ἄρχεσθαι μὲν οὐδεμιᾷ ἀρχῇ, ἄρχειν δὲ δεσποτικὴν ἀρχήν. γίνεται οὖν δούλων καὶ δεσποτῶν (f) πόλις, ἀλλ᾽ οὐκ ἐλευθέρων· καὶ τῶν μὲν φθονούντων, τῶν δὲ καταφρονούντων.

§. 10. Quæ res plurimum abſunt ab amicitia & communione civili. Communio enim parit amicitiam. ne quidem enim via communicare homines cum inimicis volunt.

§. 10. Ἃ πλεῖστον ἀπέχει φιλίας καὶ κοινωνίας πολιτικῆς. ἡ γὰρ κοινωνία, φιλικόν. οὐδὲ γὰρ ὁδοῦ βούλονται κοινωνεῖν τοῖς ἐχθροῖς.

§. 11. Requirit vero civitas eſſe e paribus & ſimilibus quam maxime: hoc autem adeſt maxime mediis. Quapropter neceſſe optime civitatem hanc regi, ex quibus natura eſt conſtitutio civitatis.

§. 11. Βούλεται δέ γε ἡ πόλις ἐξ ἴσων εἶναι καὶ ὁμοίων ὅτι μάλιστα. τοῦτο δ᾽ ὑπάρχει μάλιστα τοῖς μέσοις. ὥστ᾽ ἀναγκαῖον ἄριστα πολιτεύεσθαι ταύτην τὴν πόλιν ἐστὶν, ἐξ ὧν φαμεν φύσει τὴν σύστασιν εἶναι τῆς πόλεως.

§. 12. Et conſervantur in civitatibus hi maxime ex omni genere civium. Neque enim ipſi aliena *concupiſcunt*, (a) quemadmodum pauperes: neque rem horum alii, ceu pauperes fortunis divitum inhiant. Et quia neque ipſis ſtruuntur inſidiæ, neque ipſi aliis inſidiantur, ſine periculo vitam degunt.

§. 12. Καὶ σώζονται δ᾽ ἐν ταῖς πόλεσιν οὗτοι μάλιστα τῶν πολιτῶν. οὔτε γὰρ αὐτοὶ τῶν ἀλλοτρίων, ὥσπερ οἱ πένητες, ἐπιθυμοῦσιν· οὔτε τῆς τούτων (g) ἕτεροι, καθάπερ τῆς τῶν πλουσίων οἱ πένητες ἐπιθυμοῦσι, καὶ διὰ τὸ μήτ᾽ ἐπιβουλεύεσθαι μήτ᾽ ἐπιβουλεύειν, ἀκινδύνως διάγουσι.

§. 13. Qua de cauſa recte Phocylides optavit;

*Multa mediis eximia bona ſunt:*
*medius volo eſſe in civitate.*

§. 13. Διὰ τοῦτο καλῶς ηὔξατο Φωκυλίδης·

Πολλὰ μέσοισιν ἄριστα· μέσος θέλω
ἐν πόλει εἶναι.

§. 14. Planum igitur, communionem civilem optimam eſſe, quæ conſtat e mediis: atque hujuſcemodi civitates uſu venit bene regi, in quibus media pars multa eſt & firmior, maxime quidem ambabus: ſi non altera parte. Adjuncta enim efficit inclinationem, & non ſinit fieri contrarias exuperantias.

§. 14. Δῆλον ἄρα ὅτι καὶ ἡ κοινωνία ἡ πολιτικὴ ἀρίστη, ἡ διὰ τῶν μέσων· καὶ τὰς τοιαύτας ἐνδέχεται εὖ πολιτεύεσθαι πόλεις, ἐν αἷς δὴ πολὺ τὸ μέσον, καὶ κρεῖττον· μάλιστα μὲν ἀμφοῖν, εἰ δὲ μὴ, θατέρου μέρους. προστιθέμενον γὰρ, ποιεῖ ῥοπὴν, καὶ κωλύει γίνεσθαι τὰς ἐναντίας ὑπερβολάς.

§. 15. Quapropter felicitas maxima eſt, eos, qui verſantur in republica, fortunas habere medias

§. 15. Διόπερ εὐτυχία μεγίστη τοὺς πολιτευομένους οὐσίαν ἔχειν μέσην καὶ ἱκανήν. ὡς ὅπου οἱ μὲν

(a) *Concupiſcunt*) FELDEN. *l. c. p.* 238. *ſeqq.* *GOEB.*

(b) οἱ δὲ κακοῦργοι) Malo legere cum Lambino πανοῦργοι & paulo poſt: διὰ πανουργίας. πανουργία enim vitium eſt magis pauperum, quam divitum, ut κακουργία magis divitum, quam pauperum. *CONR.*

(c) φυλαρχοῦσι) Vetus interpres & Sepulveda & Giphanius & Caſaubonus legerunt: φιλαρχοῦσι. Improbat tamen id Victorius. Quid rectius, non liquet. *CONR.*

(d) τὴν τρυφὴν) Aldus & Caſaubonus: τροφήν. Non male: noſtrum tamen magis ad rem eſt. *CONR.*

(e) ἐν τοῖς διδασκάλοις) Alii legunt διδασκαλείοις. Parum refert. Si tamen prius malis, quoniam & vetus interpres ita legit, forte delendum illud ἐν: nec enim veroſimile ſit, Ariſtotelem ſectatum, neſcio quem, Atticiſmum, quod Victorius nititur perſuadere. *CONR.*

(f) δούλων καὶ δεσποτ.) Aldus: καὶ δούλων. *CONR.*

(g) τῆς τούτων) Lambinus addit οὐσίας: & vero absque ea ſermo mutilus eſt, nec intelligi poteſt. *CONR.*

Digitized by Google

medias & quæ ſatis ſint: quoniam ubi hi quidem valde multa poſſident, hi vero nihil, vel populus poſtremus efficitur, vel paucorum dominatus merus, vel tyrannis, propter ambas exuperantias. E ſtatu enim populi maxime juvenili & e paucorum dominatu naſcitur tyrannis: e mediis autem & qui propinquis opibus inter ſe ſunt, multo minus. Cauſas vero poſtea, ubi agitur de mutationibus rerumpublicarum, afferemus.

§. 16. Mediam autem optimam eſſe, conſtat. Sola enim vacua eſt a ſeditionibus: ubi enim multa pars eſt, quæ in medio ſita eſt, minime ſeditiones & divulſiones rerumpublicarum exiſtunt. Et magnæ civitates magis vacuæ ſunt a ſeditionibus propter eandem cauſam, quia media pars multa eſt: in parvis autem facile eſt dividere omnes in duas, ita ut nihil relinquatur medium: & cuncti ferme ſunt vel egeni vel copioſi.

§. 17. Atque reſpublicæ populares minus lubricæ ſunt, quam paucorum dominatus & diuturniores, propter medios. Plures enim ſunt & magis participes ſunt honorum in populi ſtatibus, quam in paucorum dominatibus; quia quando ſine magno numero horum ſuperarint longo intervallo egeni locupletes, res male ſe habent, & pereunt cito.

§. 18. Notam hujus decet exiſtimare, quod optimi legum ſcriptores extiterint e mediis civibus. Solon enim unus horum fuit: declarat hoc ipſe ſuis verſibus: & Lycurgus, (non enim fuit rex) & Charondas, & ferme plurimi aliorum.

§. 19. Planum autem eſt ex his, cur plurimæ reſpublicæ hæ quidem vergunt ad ſtatus populi, hæ vero ad dominatus paucorum.

§. 20. Quia enim in his ſæpe pauci ſunt medii, ſemper utri ſuperaverint, ſive qui patrimonium habent, ſive plebs, qui medio exeunt, ad ſe perducunt rempublicam. Quare ſive populus efficitur, ſive paucorum dominatus.

§. 21. Additur his, quod quia ſeditiones oriuntur & mutuæ pugnæ inter plebem & divites, utris eorum contigerit vincere adverſarios, non conſtituunt communem rempublicam, neque æquale, ſed victoriæ præmium capiunt accommodatiorem ſibi rempublicam & hi quidem ſtatum populi, hi vero dominatum paucorum moliuntur.

§. 22. Præterea populorum, qui imperium Græciæ conſecuti ſunt, ambo ad rempublicam, quam domi habebant, reſpicientes, hi quidem ſtatus populi in civitatibus conſtituerunt, hi vero dominatus paucorum: non attendentes utilitatem civitatum, ſed ſuam propriamque.

§. 23. Quare propter has cauſas vel nunquam media gignitur reſpublica, vel raro & apud paucos.

§. 24. Unus enim vir ſolus ex iis, qui prius rerum potiti ſunt, perſuaſus eſt hunc ordinem inſtituere. Jam autem in civitatibus etiam hic mos eſt, nolle æqualitatem, ſed eniti vel imperium obtinere, vel perpeti dominatum ſuperiorum.

§. 25.

μὲν πολλὰ σφόδρα κέκτηνται, οἱ δὲ μηθὲν, ἢ δῆμος ἔχατος γίγνεται, ἢ ὀλιγαρχία ἄκρατος, (a) ἢ τυραννὶς, δι' ἀμφοτέρας τὰς ὑπερβολάς· καὶ γὰρ ἐκ δημοκρατίας τῆς νεανικωτάτης, καὶ ἐξ ὀλιγαρχίας, γίνεται τυραννίς· ἐκ δὲ τῶν μέσων καὶ τῶν σύνεγγυς, πολὺ ἧττον. τὴν δ' αἰτίαν ὕστερον, ἐν τοῖς περὶ τὰς μεταβολὰς τῶν πολιτειῶν, ἐρῦμεν.

§. 16. Ὅτι δ' ἡ μέση βελτίστη, φανερόν· μόνη γὰρ ἀστασίαστος. ὅπȣ γὰρ πολὺ τὸ διὰ μέσȣ, ἥκιστα στάσεις καὶ διαστάσεις γίγνονται τῶν πολιτειῶν. καὶ αἱ μεγάλαι πόλεις ἀστασιαστότεραι διὰ τὴν αὐτὴν αἰτίαν, ὅτι πολὺ τὸ μέσον· ἐν δὲ ταῖς μικραῖς, ῥᾴδιόν τε διαλαβεῖν εἰς δύο πάντας, ὥστε μηθὲν καταλιπεῖν μέσον, καὶ πάντες χεδὸν ἄποροι ἢ εὔποροί εἰσι.

§. 17. Καὶ αἱ δημοκρατίαι δὲ ἀσφαλέστεραι τῶν ὀλιγαρχιῶν εἰσι καὶ πολυχρονιώτεραι, διὰ τȣ̀ς μέσȣς· πλείȣς τε γάρ εἰσι, καὶ μᾶλλον μετέχȣσι τῶν τιμῶν ἐν ταῖς δημοκρατίαις, ἢ ταῖς ὀλιγαρχίαις· ἐπεὶ ὅταν ἄνευ τούτων τῷ πλήθει ὑπερτείνωσιν οἱ ἄποροι, κακοπραγία γίνεται, καὶ ἀπόλλυνται ταχέως.

§. 18. Σημεῖον δὲ δεῖ νομίζειν, καὶ τὸ τȣ̀ς βελτίστȣς νομοθέτας εἶναι τῶν μέσων πολιτῶν. Σόλων τε γὰρ ἦν τȣ́των· δηλοῖ δ' ἐκ τῆς ποιήσεως· καὶ Λυκȣ̃ργος· ȣ̓ γὰρ ἦν βασιλεύς· καὶ Χαρώνδας, καὶ χεδὸν οἱ πλεῖστοι τῶν ἄλλων.

§. 19. Φανερὸν δ' ἐκ τȣ́των, καὶ διότι αἱ πλεῖσται πολιτεῖαι, αἱ μὲν δημοκρατικαί εἰσιν, αἱ δ' ὀλιγαρχικαί.

§. 20. Διὰ γὰρ τὸ ἐν ταύταις πολλάκις ὀλίγον εἶναι τὸ μέσον, αἰεὶ, ὁπότεροι ἂν ὑπερέχωσιν, εἴθ' οἱ τὰς ȣ̓σίας ἔχοντες, εἴθ' ὁ δῆμος, οἱ τὸ μέσον ἐκβαίνοντες, καθ' αὑτȣ̀ς ἄγȣσι τὴν πολιτείαν· ὥστε ἢ δῆμος γίγνεται, ἢ ὀλιγαρχία.

§. 21. Πρὸς δὲ τȣ́τοις, διὰ τὸ στάσεις γίνεσθαι καὶ μάχας πρὸς ἀλλήλȣς, τῷ δήμῳ καὶ τοῖς εὐπόροις, ὁποτέροις ἂν μᾶλλον συμβῇ κρατῆσαι τῶν ἐναντίων, ȣ̓ καθιστᾶσι κοινὴν πολιτείαν, ȣ̓δ' ἴσην· ἀλλὰ τῆς νίκης ἆθλον τὴν ὑπεροχὴν τῆς πολιτείας λαμβάνȣσι· καὶ οἱ μὲν δημοκρατίαν, οἱ δ' ὀλιγαρχίαν ποιȣ̃σιν.

§. 22. Ἔτι δὲ καὶ τῶν ἐν ἡγεμονίᾳ γενομένων τῆς Ἑλλάδος, πρὸς τὴν παρ' αὐτοῖς ἑκάτεροι πολιτείαν ἀποβλέποντες, οἱ μὲν δημοκρατίας ἐν ταῖς πόλεσι καθίστασαν, οἱ δ' ὀλιγαρχίας· ȣ̓ πρὸς τὸ τῶν πόλεων συμφέρον σκοπȣ̃ντες, ἀλλὰ πρὸς τὸ σφέτερον αὐτῶν.

§. 23. Ὥστε διὰ ταύτας τὰς αἰτίας, ἢ μηδέποτε τὴν μέσην γίνεσθαι πολιτείαν, ἢ ὀλιγάκις καὶ παρ' ὀλίγοις.

§. 24. Εἷς γὰρ ἀνὴρ συνεπείσθη μόνος τῶν πρότερον ἐφ' ἡγεμονίᾳ (b) γενομένων, ταύτην ἀποδȣ̃ναι τὴν τάξιν. ἤδη δὲ καὶ τοῖς ἐν ταῖς πόλεσιν ἔθος καθέστηκε, μηδὲ βȣ́λεσθαι τὸ ἴσον, ἀλλ' ἢ ἄρχειν ζητεῖν, ἢ κρατȣμένȣς ὑπομένειν.

§. 25.

(a) ἄκρατος) Recte Victorius interpretatur *merus*. Alii legunt ἀκρατὴς ſed ſine cauſa: etſi omnis ὀλιγαρχία ἄκρατος ſit ἀκρατής. *CONR.*

(b) ἡγεμονίᾳ γενομένων) Caſaubonus ſcribit, γενναμένων. *CONR.*

§. 25. XV. Quæ igitur optima eſt reſpublica, & quam ob cauſam, ex iis apertum eſt.

§. 26. Cætera um autem rerumpublicarum (quia plures populi ſtatus & plures dominatus paucorum affirmamus extare) qualem primum ſtatuendum eſſe, & qualem ſecundam, & hoc jam modo illam, quæ ſequitur: quia hæc quidem melior, hæc autem deterior, optima explicata, non erit arduum videre.

§. 27. Non enim dubitandum eſt, quin meliorem neceſſe ſit eſſe, quæ maxime propinqua eſt huic: deteriorem autem, quæ diſtat a medio magis, niſi ad ſuppoſitionem exiſtimarit aliquis. Dico autem ad ſuppoſitionem: quia ſæpe magis expetenda, exiſtente alia republica, quibusdam nihil vetat magis conducere aliam rempublicam.

§. 25. XV. Τίς μὲν οὖν ἀρίστη πολιτεία, καὶ διὰ τίν' αἰτίαν, ἐκ τούτων φανερόν.

§. 26. Τῶν δ' ἄλλων πολιτειῶν, (ἐπειδὴ πλείους δημοκρατίας, καὶ πλείους ὀλιγαρχίας φαμὲν εἶναι,) ποίαν πρώτην θετέον, καὶ δευτέραν, καὶ τοῦτον δὴ τὸν τρόπον ἐχομένην, τῷ τὴν μὲν εἶναι βελτίω, τὴν δὲ χείρω, διωρισμένης τῆς ἀρίστης, οὐ χαλεπὸν ἰδεῖν,

§. 27. Δεῖ γὰρ ἀναγκαῖον εἶναι βελτίω, τὴν ἐγγύτατα ταύτης· χείρω δὲ, τὴν ἀφεστηκυῖαν τοῦ μέσου πλεῖον· ἂν μὴ πρὸς ὑπόθεσιν κρίνῃ τίς. λέγω δὲ τὸ πρὸς ὑπόθεσιν, ὅτι πολλάκις οὔσης ἄλλης πολιτείας αἱρετωτέρας, ἐνίοις οὐθὲν κωλύσει συμφέρειν ἑτέραν μᾶλλον εἶναι πολιτείαν.

## CAP. XII.

§. 1.

Quæ autem reſpublica quibus, & qualis qualibus *conducat*, (*a*) ſequitur, quæ tradita ſunt, ut diſſeramus.

§. 2. Sumendum jam primum de omnibus in univerſum, idem. Oportet enim firmiorem eſſe partem civitatis, quæ vult rempublicam manere, quam quæ minime vult.

§. 3. Conſtat autem omnis civitas ex quali & quanto. Voco autem *quale*, libertatem, divitias, diſciplinam, nobilitatem: *quantum* vero, numeri exuperantiam. Contingit autem quale adeſſe alii parti civitatis, e quibus conflata eſt civitas partibus, alii autem parti quantum.

§. 4. Veluti plures numero eſſe, quam generoſi ſint, ignobiles, vel quam divites, egenos: non tamen tantum vincere quanto, quantum inferiores ſint quali.

§. 5. Quapropter hæc inter ſe ſunt conferenda.

§. 6. Ubi igitur præſtat numerus egenorum proportione, quæ tradita eſt, hic ſtatus populi natura conſtituitur. Si enim agricolæ præſtant, fit populi ſtatus agricolarum: & ſingulæ ſpecies ſtatus populi pro exuperantia uniuscujusque populi. Ceu ſi numerus agricolarum valde ſuperarit, prima reſpublica: Si autem ſordidorum opificum & mercenariorum, poſtrema, atque eodem modo cæteræ, quæ ſunt in medio harum ſitæ.

§. 7. Ubi autem locupletum & nobilium magis præſtat quali, quam ſuperatur quanto, hic dominatum paucorum: & dominatus hujus eodem modo ſingulæ ſpecies pro exuperantia numeri eorum, qui ita dominantur.

§. 8. Opus autem eſt ſemper, qui ſcribit leges in republica, adſumere medios. Sive enim ſcripſerit leges accommodatas paucorum dominatui, oportet dirigere oculos ad medios: ſive aptas ſtatui populi, admovere legibus hos.

§. 9. Ubi autem numerus mediorum ſe extulerit ſupra ambos extremos, vel alterum duntaxat; hic contingit rempublicam eſſe ſtabilem.

§. 10.

§. 1.

Τίς δὲ πολιτεία τίσι, καὶ ποία συμφέρει ποίοις, ἐχόμενόν ἐστι τῶν εἰρημένων διελθεῖν.

§. 2. Ληπτέον δὴ πρῶτον περὶ πασῶν καθόλου, ταὐτόν. δεῖ γὰρ κρεῖττον εἶναι τὸ βουλόμενον μέρος τῆς πόλεως, τοῦ μὴ βουλομένου, μένειν τὴν πολιτείαν.

§. 3. Ἔστι δὲ πᾶσα πόλις ἔκ τε τοῦ ποιοῦ καὶ ποσοῦ. λέγω δὲ ποιὸν μὲν, ἐλευθερίαν, πλοῦτον, παιδείαν, καὶ εὐγένειαν· ποσὸν δὲ, τὴν τοῦ πλήθους ὑπεροχήν. ἐνδέχεται δὲ, τὸ μὲν ποιὸν ὑπάρχειν ἑτέρῳ μέρει τῆς πόλεως, ἐξ ὧν συνέστηκε μερῶν ἡ πόλις· ἄλλῳ δὲ μέρει τὸ ποσόν.

§. 4. Οἷον, πλείους τὸν ἀριθμὸν εἶναι τῶν γενναίων τοὺς ἀγενεῖς, ἢ τῶν πλουσίων τοὺς ἀπόρους· μὴ μέν τοι τοσοῦτον ὑπερέχειν τῷ ποσῷ, ὅσον λείπεσθαι τῷ ποιῷ.

§. 5. Διὸ ταῦτα πρὸς ἄλληλα συγκριτέον.

§. 6. Ὅπου μὲν οὖν ὑπερέχει τὸ τῶν ἀπόρων πλῆθος τὴν εἰρημένην ἀναλογίαν, ἐνταῦθα πέφυκεν εἶναι δημοκρατία· (εἴπερ γὰρ (*b*) γεωργοὶ ὑπερέχουσι, γίνεται γεωργῶν δημοκρατία.) καὶ ἕκαστον εἶδος δημοκρατίας, κατὰ τὴν ὑπεροχὴν τοῦ δήμου ἑκάστου. οἷον ἐὰν μὲν τὸ τῶν γεωργῶν ὑπερτείνῃ πλῆθος, τὴν πρώτην δημοκρατίαν· ἐὰν δὲ τὸ τῶν βαναύσων καὶ μισθαρνούντων, τὴν τελευταίαν. ὁμοίως δὲ καὶ τὰς ἄλλας τὰς μεταξὺ τούτων.

§. 7. Ὅπου δὲ τὸ τῶν εὐπόρων καὶ γνωρίμων μᾶλλον (*c*) ὑπερτείνει τῷ ποιῷ, ἢ λείπεται τῷ ποσῷ, ἐνταῦθα δὲ ὀλιγαρχίαν, καὶ τῆς ὀλιγαρχίας τὸν αὐτὸν τρόπον ἕκαστον εἶδος, κατὰ τὴν ὑπεροχὴν τοῦ ὀλιγαρχικοῦ πλήθους.

§. 8. Δεῖ δ' ἀεὶ τὸν νομοθέτην ἐν τῇ πολιτείᾳ προσλαμβάνειν τοὺς μέσους. ἄν τε γὰρ ὀλιγαρχικοὺς τοὺς νόμους τιθῇ, στοχάζεσθαι τῶν μέσων· ἐάν τε δημοκρατικοὺς, προσάγεσθαι τοῖς νόμοις τούτους.

§. 9. Ὅπου δὲ τὸ τῶν μέσων ὑπερτείνει πλῆθος, ἢ συναμφοτέρων τῶν ἄκρων, ἢ καὶ θατέρου μόνον, ἐνταῦθ' ἐνδέχεται πολιτείαν εἶναι μόνιμον.

§. 10.

(*a*) *Conducat*) Confer. PICCART. & FELDEN. *ad h. c.* Eſt enim una civitas aptior ad oligarchiam, alia ad democratiam. *GOEB.*

(*b*) εἴπερ γὰρ) Vinculis incluſa abſunt a codice Aldino, ſed male. *CONR.*

(*c*) γνωρίμων μᾶλλον) Aldus non habet μᾶλλον, itidem mendoſe. *CONR.*

Digitized by Google

§. 10. Non enim reformidandum eſt, ne aliquando divites conſentiant cum pauperibus adverſus hos: neque enim alteri ipſorum ſervire volent aliis. Communiorem autem ſi quæſiverint, nunquam invenient aliam magis, quam hæc eſt. Per vices autem imperare nunquam paterentur, quia ſibi non fidunt. Ubique autem maxima fide dignus eſt arbiter: arbiter autem medius.

§. 10. Οὐθὲν γὰρ φοβερὸν, μή ποτε συμφωνήσωσιν οἱ πλούσιοι τοῖς πένησιν ἐπὶ τούτους. οὐδέποτε γὰρ ἅτεροι βουλήσονται δουλεύειν τοῖς ἑτέροις. κοινοτέραν δ' ἂν ζητῶσιν, οὐδεμίαν εὑρήσουσιν ἄλλην ταύτης. ἐν μέρει γὰρ ἄρχειν οὐκ ἂν ὑπομείνειαν, διὰ τὴν ἀπιστίαν τὴν πρὸς ἀλλήλους. πανταχοῦ δὲ πιστότατος ὁ διαιτητής· διαιτητὴς δ', ὁ μέσος.

§. 11. Quanto autem melius reſpublica temperata fuerit, tanto ſtabilior erit.

§. 11. Ὅσῳ δ' ἂν ἄμεινον ἡ πολιτεία μιχθῇ, τοσούτῳ μονιμωτέρα.

§. 12. XVI. Peccant autem multi eorum, qui reſpublicas vergentes ad ſtatum optimatum, fabricare volunt: non tantum quia plus tribuunt locupletibus, verum etiam quia decipiunt plebem. Neceſſe enim eſt, tempore aliquando e ſimulatis bonis evenire verum malum. Studia enim divitum augendi conditionem ſuam, magis perdunt rempublicam, quam pauperum.

§. 12. XVI. Διαμαρτάνουσι δὲ πολλοὶ (b) καὶ τῶν τὰς ἀριστοκρατικὰς βουλομένων ποιεῖν πολιτείας, οὐ μόνον ἐν τῷ πλεῖον νέμειν τοῖς εὐπόροις, ἀλλὰ καὶ ἐν τῷ παρακρούεσθαι τὸν δῆμον· (c) ἀνάγκη γὰρ χρόνῳ ποτὲ ἐκ τῶν ψευδῶν ἀγαθῶν, (d) ἀληθὲς συμβῆναι κακόν. αἱ γὰρ πλεονεξίαι τῶν πλουσίων, ἀπολλύουσι μᾶλλον τὴν πολιτείαν, ἢ αἱ τοῦ δήμου.

# CAPUT XIII.

§. 1.

Sunt autem, quæ *prætextus* (a) gratia in reſpublicas aſtute moliuntur adverſus plebem quinque numero: quæ faciunt ad concionem, quæ ad magiſtratus, quæ ad judicia, quæ ad arma paranda, quæ ad corporis exercitationem.

§. 1.

Ἔστι δ' ὅσα προφάσεως χάριν ἐν ταῖς πολιτείαις σοφίζονται πρὸς τὸν δῆμον, πέντε τὸν ἀριθμόν· περὶ ἐκκλησίαν, περὶ τὰς ἀρχὰς, περὶ δικαστήρια, περὶ ὅπλισιν, περὶ γυμνασίαν.

§. 2. Circa concionem, licere cunctis verſari in concione: multam autem divitibus poſitam eſſe, niſi præſentes adfuerint, vel ſolis vel multo majorem.

§. 2. Περὶ ἐκκλησίαν μὲν, τὸ ἐξεῖναι ἐκκλησιάζειν πᾶσι· ζημίαν δὲ ἐπικεῖσθαι τοῖς εὐπόροις, ἐὰν μὴ ἐκκλησιάζωσιν, ἢ μόνοις, ἢ μείζω πολλῷ.

§. 3. Circa magiſtratus autem, iis, qui cenſum habent, minime licere magiſtratus ejurare: pauperibus autem licere.

§. 3. Περὶ δὲ τὰς ἀρχὰς, τὸ τοῖς μὲν ἔχουσι τίμημα, μὴ ἐξεῖναι ἐξόμνυσθαι· τοῖς δ' ἀπόροις ἐξεῖναι.

§. 4. Et circa fora cauſarum, divitibus multam eſſe, niſi cauſas judicarint, pauperibus autem impunitatem: ſive his quidem magnam, his autem parvam: ut in Charondæ legibus.

§. 4. Καὶ περὶ τὰ δικαστήρια, τοῖς μὲν εὐπόροις εἶναι ζημίαν, ἂν μὴ δικάζωσι· τοῖς δ' ἀπόροις, ἄδειαν· ἢ τοῖς μὲν μεγάλην, τοῖς δὲ μικρὰν, ὥσπερ ἐν τοῖς Χαρώνδου νόμοις.

§. 5. Quibuſdam autem in locis licet omnibus, qui deſcripti ſint, colere conciones & lites judicare: ſi autem, qui deſcripti ſunt, neque in concionibus, neque in judiciis interfuerint, magnæ mulctæ his poſitæ ſunt. Ut metu mulctæ, fugiant deſcribi: qui autem deſcripti non ſunt, neque conciones obeant, neque cauſas judicent.

§. 5. Ἐνιαχοῦ δ' ἔξεστι μὲν πᾶσιν ἀπογραψαμένοις, ἐκκλησιάζειν καὶ δικάζειν· ἐὰν δὲ ἀπογραψάμενοι, μήτε ἐκκλησιάζωσι, μήτε δικάζωσιν, ἐπίκεινται μεγάλαι ζημίαι τούτοις· ἵνα διὰ μὲν τὴν ζημίαν, φεύγωσι τὸ ἀπογράφεσθαι· διὰ δὲ τὸ μὴ ἀπογράφεσθαι, μὴ δικάζωσι, μηδ' ἐκκλησιάζωσι.

§. 6. Eodem autem pacto legibus cautum eſt de armis habendis & corporibus exercendis. Pauperibus enim licet non poſſidere, divitibus autem mulcta poſita eſt, niſi domi habuerint. Et niſi ſe exercuerint, his quidem nulla mulcta, divites autem mulctantur: ut hi propter mulctam ſe exerceant, hi vero, quia non metuunt pœnam, præſto non ſint exercitationibus.

§. 6. Τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον καὶ περὶ τοῦ ὅπλα κεκτῆσθαι καὶ τοῦ γυμνάζεσθαι νομοθετοῦσι. τοῖς μὲν γὰρ ἀπόροις ἔξεστι μὴ κεκτῆσθαι, τοῖς δ' εὐπόροις ἐπιζήμιον μὴ κεκτημένοις· κἂν μὴ γυμνάζωνται, τοῖς μὲν οὐδεμία ζημία· τοῖς δ' εὐπόροις, ἐπιζήμιον· ὅπως οἱ μὲν, διὰ τὴν ζημίαν, μετέχωσιν· οἱ δὲ, διὰ τὸ μὴ φοβεῖσθαι, μὴ μετέχωσι.

§. 7. Hæc igitur ſunt callida conſilia paucorum dominationis in legibus ſcribendis.

§. 7. Ταῦτα μὲν οὖν ὀλιγαρχικὰ σοφίσματα τῆς νομοθεσίας.

§. 8.

§. 8.

(a) *Prætextus*) Callida hic enarrantur legiſlatorum conſilia, quæ hodie arcanorum & rationis ſtatus nomine veniunt. FELDEN. PICCARTUS *p.* 593. *GOEB.*

(b) διαμαρτάνουσι δὲ πολλοί) Hæc arcte cohærent cum iis, quæ mox ſubſequente capite leguntur: itaque poſſit hic merito inſtitui novi capitis exordium. *CONR.*

(c) παρακρούεσθαι τὸν δῆμ.) Lambinus notat, quosdam male παρακολουθεῖσθαι *actidi*. At de fallaciis & fraudibus, quibus populum nonnulli decipiendum cenſent, ſermonem eſſe, ex iis, quæ mox ſubſequuntur, palam eſt. *CONR.*

(d) ψευδῶν ἀγαθῶν) Aldus ψευδῶς ἀγαθῶν: quod eodem recidit. *CONR.*

§. 8. In ſtatibus autem multitudinis adverſus hæc aſtute excogitant. Pauperibus enim mercedem dant, cum conciones colunt & cauſas judicant: divitibus vero nullam mulctam ſtatuunt.

§. 8 Ἐν δὲ ταῖς δημοκρατίαις, πρὸς ταῦτ' ἀντισοφίζονται. τοῖς μὲν γὰρ ἀπόροις μισθὸν πορίζουσιν, ἐκκλησιάζουσι καὶ δικάζουσι· τοῖς δ' εὐπόροις οὐδεμίαν τάττουσι ζημίαν.

§. 9. Quapropter manifeſtum eſt, ſi quis velit miſcere juſte, oportere ipſum ea, quæ ſunt apud utroſque, cogere. & his quidem mercedem dare, his vero multam ſtatuere. Sic enim communicarent omnes: illo autem pacto respublica fit duntaxat alterorum.

§. 9. Ὥστε φανερὸν, ὅτι εἴ τις βούλεται μιγνύναι δικαίως, δεῖ τὰ παρ' ἑκατέροις συνάγειν, καὶ τοῖς μὲν μισθὸν πορίζειν, τοῖς δὲ ζημίαν. οὕτω γὰρ ἂν κοινωνοῖεν ἅπαντες· ἐκείνως δ' ἡ πολιτεία γίγνεται τῶν ἑτέρων μόνον.

** ** ** **

§. 10. *Oportet* (*a*) autem rempublicam quidem conſtare ex his ſolum, qui arma habent.

§. 10. Δεῖ δὲ τὴν (*e*) πολιτείαν, εἶναι μὲν ἐκ τῶν τὰ ὅπλα ἐχόντων μόνον.

** ** ** **

§. 11. Numerum autem cenſus ſimpliciter quidem definientes, non licet dicere tantum eſſe: ſed cum rationem duxerint, qualis venit eo maximus, ut qui participes ſunt reipublicæ plures ſint, quam qui participes non ſunt, ipſum ſtatuere.

§. 11. Τοῦ δὲ τιμήματος (*f*) τὸ πλῆθος, ἁπλῶς μὲν ὁρισαμένους οὐκ ἔστιν εἰπεῖν τοσοῦτον ὑπάρχειν· ἀλλὰ σκεψαμένους τὸ, ποῖον ἐπιβάλλει μακρότατον· ὥστε τοὺς μετέχοντας τῆς πολιτείας εἶναι πλείους τῶν μὴ μετεχόντων, τοῦτο τάττειν. * *

** ** ** **

§. 12. *Solent* (*b*) enim pauperes, etſi participes non ſunt honorum, quieſcere: niſi aliquis ipſos contumelia vexarit, aut partem ullam fortunarum iisdem eripuerit. Sed hoc non facile eſt. Neque enim ſemper evenit, ut viri moderati ſint, qui participes ſunt ejus ſtatus,

§. 12. Ἐθέλουσι γὰρ (*g*) οἱ πένητες καὶ μὴ μετέχοντες τῶν τιμῶν, ἡσυχίαν ἔχειν, ἐὰν μὴ ὑβρίζῃ τις αὐτοὺς, μήτε ἀφαιρῆται μηδὲν τῆς οὐσίας. ἀλλὰ τοῦτο οὐ ῥᾴδιον. οὐ γὰρ ἀεὶ συμβαίνει χαρίεντας εἶναι τοὺς μετέχοντας τοῦ πολιτεύματος. * *

** ** ** **

§. 13. Et mos eſt illis, cum bellum exortum fuerit, *declinare militiam*: (*c*) niſi cibaria acceperint, ſi egeni extiterint. Si autem præbuerit aliquis, quibus alantur, non recuſant in bello verſari.

§. 13. Καὶ εἰώθασι (*h*) δὲ, ὅταν πόλεμος ᾖ, ὀκνεῖν, ἂν μὴ λαμβάνωσι τροφὴν, ἄποροι δὲ ὦσιν· ἐὰν δὲ πορίζῃ τις τροφὴν, βούλονται πολεμεῖν.

§. 14. Eſt autem reſpublica apud nonnullos, non ſolum ex iis, qui arma ferunt: verum etiam ex iis, qui arma tulerint.

§. 14. Ἔστι δ' ἡ πολιτεία παρ' ἐνίοις, οὐ μόνον ἐκ τῶν ὁπλιτευόντων, ἀλλὰ καὶ ἐκ τῶν ὡπλιτευκότων.

§. 15. In Malienſibus autem reſpublica conſtituta erat ex iis: magiſtratus autem creabant ex iis, qui militarent.

§. 15. Ἐν Μαλιεῦσι δὲ, ἡ μὲν πολιτεία, ἦν ἐκ τούτων· τὰς δὲ ἀρχὰς ᾑροῦντο ἐκ τῶν στρατευομένων.

§. 16. Et prima quidem reſpublica apud Græcos poſt regna extitit ex iis, qui bellarent: quæ primum fabricata eſt, ex *equitibus*: (*d*) (robur enim & potiorem partem in equitibus bellum habebat. inutilis namque ſine ordine gravis equitatus eſt. uſus autem hujuſcemodi rerum & ordines apud priſcos non erant: quapropter in equitibus erat robur.) Poſtquam autem augeri cæperunt civitates & qui arma gerebant roboris plus nacti ſunt, plures participes reipublicæ extitere.

§. 16. Καὶ ἡ πρώτη δὲ πολιτεία ἐν τοῖς Ἕλλησιν ἐγένετο μετὰ τὰς βασιλείας, ἐκ τῶν πολεμούντων· ἡ μὲν ἐξ ἀρχῆς, ἐκ τῶν ἱππέων· (τὴν γὰρ ἰσχὺν (*i*) καὶ τὴν ὑπεροχὴν τοῖς ἱππεῦσιν ὁ πόλεμος εἶχεν· ἄνευ μὲν γὰρ συντάξεως ἄχρηστον τὸ ὁπλιτικόν, αἱ δὲ περὶ τῶν τοιούτων ἐμπειρίαι καὶ τάξεις, ἐν τοῖς ἀρχαίοις οὐχ ὑπῆρχον. ὥστ' ἐν τοῖς ἱππεῦσιν εἶναι τὴν ἰσχύν.) αὐξανομένων δὲ τῶν πόλεων, καὶ τῶν ἐν τοῖς ὅπλοις ἰσχυσάντων μᾶλλον, πλείους μετεῖχον τῆς πολιτείας.

** ** ** **

§. 17. Quam ob cauſam, quas nunc vocamus reſpublicas, priores illi vocabant ſtatus populi.

§. 17. Διόπερ ἃς νῦν (*k*) καλοῦμεν πολιτείας, οἱ πρότερον ἐκάλουν δημοκρατίας.

§. 18. §. 18.

(*a*) *Oportet*) Vid. FELD. *ad h. c. p.* 251. *GOEB.*

(*b*) *Solent*) Locus eſt difficilis; cujus explicationem vide apud PICCARTUM p. 597. 598. *GOEB.*

(*c*) *Declinare militiam*) Olim cives ſuis militabant ſumtibus. *GOEB.*

(*d*) *Equitibus*) PICCARTUS *p.* 600. *ſeqq.* ubi argumenta proponuntur, an equitatus præſtantior ſit peditatu, an hic illo. *GOEB.*

(*e*) δεῖ δὲ τὴν) Omnia, quæ ſequuntur in hoc capite, cum præcedentibus nullam habent connexionem: nec pene dixeris, qui faciunt ad hunc locum. Imo ne quidem inter ſeſe ſatis cohærent, ſed multis hiatibus obſcura ſunt, etſi nonnulla ſint pereximia, quaſi obiter ſparſa. *CONR.*

(*f*) τοῦ δὲ τιμήματος.) Iterum hiat oratio. *CONR.*

(*g*) ἐθέλουσι γὰρ) Novus hiatus palam eſt. *CONR.*

(*h*) καὶ εἰώθασι) Iterum hiat ſermo. *CONR.*

(*i*) τὴν γὰρ ἰσχὺν) Parentheſin nos addidimus. *CONR.*

(*k*) διόπερ ἃς νῦν) Iterum lacuna ſe prodit. *CONR.*

§. 18. Erant autem vetuſtæ reſpublicæ non ſine cauſa in poteſtate paucorum divitum atque regum; propter paucitatem enim hominum non habebant multos medios. Quare cum pauci eſſent numero & ii inordinati, magis tolerabant imperia.

§. 18. Ἦσαν δὲ αἱ ἀρχαῖαι (c) πολιτεῖαι εὐλόγως ὀλιγαρχικαὶ, καὶ βασιλικαί. δι᾽ ὀλιγανθρωπίαν γὰρ οὐκ εἶχον πολὺ τὸ μέσον. ὥϛ᾽ ὀλίγοι τε ὄντες τὸ πλῆθος, καὶ κατὰ τὴν σύνταξιν μᾶλλον ὑπέμενον τὸ ἄρχεσθαι.

§. 19. Quam igitur ob cauſam reſpublicæ plures ſint, & cur præter eas, quæ dictæ ſunt, aliæ (ſtatus enim populi non unus numero eſt, & aliæ eodem modo.) Adhuc autem, quæ diſcrimina, & quam ob cauſam hoc contingat: Præter hæc quænam optima ſit univerſarum rerumpublicarum, (intelligo autem, quod plerumque fit) & aliarum qualia qualibus quadrent rebuspublicis, dictum eſt.

§. 19. Διὰ τίνα μὲν οὖν εἰσιν αἰτίαν αἱ πολιτεῖαι πλείους, καὶ διὰ τί παρὰ τὰς λεγομένας ἕτεραι (δημοκρατία τε γὰρ, οὐ μία τὸν ἀριθμόν ἐϛι, καὶ τῶν ἄλλων ὁμοίως·) ἔτι δὲ, τίνες αἱ διαφοραὶ, καὶ διὰ τίνα αἰτίαν συμβαίνει· πρὸς δὲ τούτοις τίς ἀρίϛη τῶν πολιτειῶν, ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖϛον εἰπεῖν, καὶ τῶν ἄλλων ποία ποίοις ἁρμόττει (d) τῶν πολιτειῶν, εἴρηται.

# CAPUT XIV.

§. 1.

XVII. Ruſus autem & communiter & ſeorſim de *ſingulis dicamus*, (a) ut deinceps illæ ſe habent, ſumpto principio ipſarum, quod convenit.

§. 1.

XVII. Πάλιν δὲ καὶ κοινῇ καὶ χωρὶς περὶ ἑκάϛης λέγωμεν περὶ τῶν ἐφεξῆς, (e) λαβόντες ἀρχὴν τὴν προσήκουσαν αὐτῶν.

§. 2. Sunt autem tres partes rerumpublicarum omnium, de quibus oportet accurate videre bonum legum ſcriptorem, quod unicuique ipſarum conducit. Quibus recte ſe habentibus, neceſſe eſt rempublicam recte ſe habere, & reſpublicas inter ſe diſcrepare: quia diſcrepant hæ ipſæ.

§. 2. Ἔϛι δὲ τρία μόρια τῶν πολιτειῶν πασῶν, περὶ ὧν δεῖ θεωρεῖν τὸν σπουδαῖον νομοθέτην, ἑκάϛῃ τὸ συμφέρον. ὧν ἐχόντων καλῶς, ἀνάγκη τὴν πολιτείαν ἔχειν καλῶς, καὶ τὰς πολιτείας ἀλλήλων διαφέρειν, ἐν τῷ διαφέρειν ἕκαϛον τούτων.

§. 3. Trium autem harum partium una eſt, quæ *deliberat* (b) de rebus communibus.

§. 3. Ἔϛι δὲ τῶν τριῶν τούτων, ἓν μέν τι τὸ βουλευόμενον περὶ τῶν κοινῶν.

§. 4. Secunda, quæ verſatur in magiſtratibus: hoc autem eſt, quos oportet magiſtratus eſſe, & quas res in ſuo arbitrio habere, & qualem eſſe decet creationem ipſorum.

§. 4. Δεύτερον δὲ, τὸ περὶ τὰς ἀρχάς· τοῦτο δ᾽ ἐϛὶν, (f) ἃς δεῖ, καὶ τίνων εἶναι κυρίας· καὶ ποίαν τινὰ δεῖ γίγνεσθαι τὴν αἵρεσιν αὐτῶν.

§. 5. Tertia, qui ordo debeat cauſas judicare.

§. 5. Τρίτον δὲ, τί τὸ δικάζον.

§. 6. Quæ deliberat, in ſua poteſtate habet, quod pertinet ad bellum & pacem, & ad ſocietatem bellicam ineundam & dirimendam, & ſtatuere de legibus, & de morte, & de exilio, & de publicatione bonorum, & de accipiendis rationibus ab iis, qui publico aliquo munere functi ſint.

§. 6. Κύριον δ᾽ ἐϛὶ τὸ βουλευόμενον περὶ πολέμου καὶ εἰρήνης, καὶ συμμαχίας, καὶ διαλύσεως, καὶ περὶ νόμων, καὶ περὶ θανάτου, καὶ φυγῆς, καὶ δημεύσεως, καὶ τῶν εὐθυνῶν,

§. 7. Neceſſe autem eſt, ſive omnibus civibus traditas eſſe omnes has exiſtimationes, ſive quibusdam omnes: ceu magiſtratui alicui uni vel

§. 7. Ἀναγκαῖον δ᾽ ἤτοι πᾶσι τοῖς πολίταις ἀποδεδόσθαι ταύτας τὰς (g) κρίσεις, ἢ τισὶ πάσας· οἷον ἀρχῇ τινι μιᾷ, ἢ πλείοσιν, (h) ἢ ἑτέραις ἑτέ-

(a) *Singulis dicamus*) Traditur hic, quid in ſingulis reipublicæ formis, quoad tres illas partes potentiales, in quibus τὸ κύριον ſive majeſtas conſiſtit, obtinere debeat. *GOEB.*

(b) *Deliberat*) GROT. *de J. B. & P. lib. I. c. III. §. VI.* PUFF. *lib. VII. c. 3. §. 3. & c. 4.* HORNIUS *lib. II. c. 2.* BODINUS *de republ. lib. I. c.* 10. *GOEB.*

(c) αἱ ἀρχαῖαι) Aldus αἱ ἀρχαί. Sed indubie noſtra lectio proba eſt: quare eam ſequutus eſt quoque Victorius, Lambinus, Giphanius & Sepulveda. *CONR.*

(d) ποία ποίοις ἁρμόττει) Hæc doctrina parte ſui ultima multum eſt mutila. Legit vero Victorius ποῖα ποίοις *qualia qualibus*: ſed ſingularis numeri vox eſt convenientior. Unde & Lambinus vertit rectius; *qualis qualibus conveniat.* *CONR.*

(e) περὶ τῶν ἐφεξῆς) Quid hoc eſt? Rectius indubie ἐπὶ τῶν ἐφεξῆς: quod & Sylburgius eſt ſuſpicatus, *CONR.*

(f) τοῦτο δὲ ἐϛὶν) Aldus non habet δέ; & poteſt abjici. *CONR.*

(g) ἀποδεδόσθαι ταύτας τὰς) Aldus, Iſengrinius, Zwingerus, Caſaubonus habent ταύτας πάσας: idque recte ſecutus eſt Victorius. Giphanius ita interpretatur, quaſi legiſſet: ἀναγκαῖον δ᾽ ἀποδεδόσθαι τοῖς πολίταις ταύτας τὰς κρίσεις. ἤτοι πᾶσι πάσας. *CONR.*

(h) ἢ πλείοσιν ἢ) Aldus mendoſe: ἢ πλείοσιν ἑτέραις ἢ ἑτέρας: in quibus verbis ſenſus vel nullus eſt vel a reipſa alienus. Noſtram lectionem præter Victorium, Lambinum, Giphanium, Camerarius quoque probavit, & quidem veteris exemplaris fide. *CONR.*



Digitized by Google

vel pluribus: vel aliis alias: vel quaſdam ipſarum omnibus, quaſdam autem quibusdam.

§. 8. Omnes igitur, & de omnibus, populare eſt: hujuſcemodi enim æqualitatem quærit populus.

§. 9. Sunt autem modi, quibus omnes, plures.

§. 10. Unus quidem, cum per vices, & non cuncti ſimul. Veluti in Teleclis Mileſii republica res ſe habet. Et in aliis utique rebuspublicis deliberant plures magiſtratus coëuntes. Ad magiſtratus autem perveniunt omnes viciſſim e tribubus & partibus minimis penitus, donec tranſierit per omnes. Conveniunt autem ſolum de legibus ferendis & de republica: & cum auſcultaturi ſunt, quæ a magiſtratibus præcipiuntur.

§. 11. Alius autem modus eſt, coactos omnes: Convenire autem ſolum ad comitia, delecturos, & ad leges ferendas, & de bello & pace, & ad rationes accipiendas: de cæteris autem magiſtratus deliberare, ſingulis rebus propoſitos, qui magiſtratus delecti ſint ex omnibus vel ſorte ducti.

§. 12. Alius autem modus, ad magiſtratus creandos & rationes factorum accipiendas occurrere cives, & de bello deliberaturos & de ſociis ad bellum. Cætera autem magiſtratus diſpenſare ſuffragiis creatos, quotquot licet: hujuſcemodi autem ſunt, quoscunque gerere neceſſe eſt rerum earum peritos.

§. 13. Quartus autem modus eſt, omnes de omnibus deliberare, cum convenerint: magiſtratus autem de nulla re exiſtimare, ſed duntaxat prius ponderare. Quo pacto nunc poſtremus populi ſtatus adminiſtratur, quem reſpondere affirmamus poteſtati paucorum ferenti Dynaſtas, & imperio unius tyrannico.

§. 14. Hi igitur modi ſunt populares omnes.

§. 15. Quoſdam autem de omnibus peculiare eſt dominatus paucorum. Habet autem & hoc diſcrimina plura.

§. 16. Cum enim a cenſibus moderatioribus creati fuerint plures propter cenſus mediocritatem, nec non eorum nihil, quæ lex vetat, moverint, ſed ſequantur leges ipſi, atque licuerit ei, qui cenſum conſecutus fuerit, participi eſſe, dominatus ſane paucorum erit: civilis tamen hujuſcemodi, quia moderate ſe gerit.

§. 17. Cum autem non omnes deliberandi participes fuerint, ſed delecti, ut lex autem jubet, imperium geſſerint, veluti prius, peculiare eſt paucorum dominatus.

§. 18. Cum autem etiam creaverint ipſi ſemetipſos, in quorum arbitrio eſt deliberare, & quando filius ſuccedit patri, & in ſua poteſtate habuerint leges: accommodatum neceſſe eſt eſſe ordinem hunc dominatui paucorum.

ἑτέρας· ἤ, τινὰς μὲν αὐτῶν, πᾶσι, τινὰς δὲ, τισί.

§. 8. Τὸ μὲν οὖν πάντας καὶ περὶ ἁπάντων, δημοτικόν. τὴν τοιαύτην γὰρ ἰσότητα ζητεῖ ὁ δῆμος.

§. 9. Εἰσὶ δὲ οἱ τρόποι τοῦ πάντας, πλείους.

§. 10. Εἷς μὲν, τὸ κατὰ μέρος, ἀλλὰ μὴ πάντας ἀθρόους. (ὥσπερ ἐν τῇ πολιτείᾳ τῇ Τηλεκλέους ἐστὶ τοῦ Μιλησίου. καὶ ἐν ἄλλαις δὲ πολιτείαις βουλεύονται αἱ συναρχίαι συνιοῦσαι.) εἰς δὲ τὰς ἀρχὰς βαδίζουσι πάντες κατὰ μέρος ἐκ τῶν φυλῶν, καὶ τῶν μορίων, τῶν ἐλαχίστων παντελῶς, ἕως ἂν διέλθῃ διὰ πάντων. συνιέναι δὲ μόνον περί τε νόμων θέσεως, καὶ τῶν περὶ τῆς πολιτείας, (a) καὶ τὰ παραγγελλόμενα ἀκουσομένους ὑπὸ τῶν ἀρχόντων.

§. 11. Ἄλλος δὲ τρόπος, τὸ πάντας ἀθρόους· συνιέναι δὲ μόνον πρός τε τὰς ἀρχαιρεσίας αἱρησομένους, καὶ πρὸς τὰς νομοθεσίας, καὶ περὶ πολέμου, καὶ εἰρήνης, καὶ πρὸς εὐθύνας· τὰ δ' ἄλλα τὰς ἀρχὰς βουλεύεσθαι τὰς ἐφ' ἑκάστοις τεταγμένας, αἱρετὰς οὔσας ἐξ ἁπάντων ἢ κληρωτάς.

§. 12. Ἄλλος δὲ τρόπος, τὸ περὶ τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς εὐθύνας ἀπαντᾷν τοὺς πολίτας, καὶ περὶ πολέμου βουλευσομένους, καὶ συμμαχίας· τὰ δ' ἄλλα τὰς ἀρχὰς διοικεῖν, αἱρετὰς οὔσας, ὅσας ἐνδέχεται. τοιαῦται δ' εἰσὶν ὅσας ἄρχειν ἀναγκαῖον τοὺς ἐπισταμένους.

§. 13. Τέταρτος δὲ τρόπος, τὸ πάντας περὶ πάντων βουλεύεσθαι συνιόντας· τὰς δ' ἀρχὰς περὶ μηθενὸς κρίνειν, ἀλλὰ μόνον προανακρίνειν· ὅπερ ἡ τελευταία δημοκρατία νῦν διοικεῖται τρόπον· ἣν ἀνάλογόν φαμεν εἶναι ὀλιγαρχίᾳ τε δυναστευτικῇ, καὶ μοναρχίᾳ τυραννικῇ.

§. 14. Οὗτοι μὲν οὖν οἱ τρόποι δημοκρατικοὶ πάντες.

§. 15. Τὸ δὲ τινὰς περὶ πάντων, ὀλιγαρχικόν. ἔχει δὲ καὶ τοῦτο διαφορὰς πλείους.

§. 16. Ὅταν μὲν γὰρ ἀπὸ τιμημάτων μετριωτέρων αἱρετοί τε ὦσι, καὶ πλείους διὰ τὴν μετριότητα τοῦ τιμήματος, καὶ περὶ ὧν ὁ νόμος ἀπαγορεύει μὴ κινῶσιν, ἀλλὰ ἀκολουθῶσι, καὶ ἐξῇ κτωμένῳ τὸ τίμημα μετέχειν, ὀλιγαρχία μὲν, πολιτικὴ δ' ἐστὶν ἡ τοιαύτη, διὰ τὸ μετριάζειν.

§. 17. Ὅταν δὲ μὴ πάντες τοῦ βουλεύεσθαι μετέχωσιν, ἀλλ' αἱρετοὶ, κατὰ νόμον δ' ἄρχωσιν ὥσπερ καὶ πρότερον, ὀλιγαρχικόν.

§. 18. Ὅταν δὲ καὶ αἱρῶνται αὐτοὶ αὑτοὺς οἱ κύριοι τοῦ βουλεύεσθαι, καὶ ὅταν παῖς ἀντὶ πατρὸς εἰσίῃ, καὶ κύριοι τῶν νόμων ὦσιν, ὀλιγαρχικὴν ἀναγκαῖον εἶναι τὴν τάξιν ταύτην.

§. 19. §. 19.

(a) καὶ τῶν περὶ τῆς πολιτ.) Transpone: καὶ περὶ τῶν τῆς πολιτ. CONR.

§. 19. Cum autem quorundam quidam, veluti belli quidem & pacis, & rationum poſcendarum cuncti, cæterarum autem rerum magiſtratus: & hi ſuffragiis creati, vel ſorte ducti, ſtatus optimorum erit, vel reſpublica.

§. 20. Si vero quorundam ſuffragiis creati, quorundam ſorte ducti; & ſorte ducti vel ſimpliciter, vel ex iis, qui probati fuerint, vel communiter ſuffragiis creati vel ſorte ducti: hæc quidem horum reipublicæ vergentis ad ſtatum optimorum ſunt, hæc vero politiæ ipſius.

§. 21. XIIX. Pars igitur, quæ deliberat, diſtincta eſt hoc pacto, quod ad reſpublicas pertinet: & unaquæque reſpublica diſpenſatur, ut eſt a nobis explicatum.

§. 22. *Prodeſt* (a) autem ſtatui populi, qui maxime videtur eſſe populi ſtatus hac ætate (intelligo autem hujuſcemodi, in quo populus poteſtatem habet ſupra leges) ad deliberandum, meliusque hoc faciendum, quod in curiis in dominatibus paucorum. Statuunt enim multam his, quos volunt cauſas judicare: populares autem mercedem egenis, hoc vero & circa conciones faciunt. Deliberabunt enim melius communiter deliberantes cuncti: populus quidem cum nobilibus, hi autem cum multitudine.

§. 23. Prodeſt autem quoque ſuffragiis delectos eſſe, qui deliberaturi ſunt, vel ſorte ductos æquales e partibus.

§. 24. Prodeſt quoque, ſi vicerint multum numero populares illos, qui amant vocatam rempublicam, ſive non omnibus mercedem dare, ſed quoad menſura reſponderint ad numerum notorum, ſive plures illorum ſorte ejicere.

§. 25. In paucorum autem ſtatibus, vel deligere aliquos e multitudine, vel fabricare curiam: quemadmodum in quibuſdam rebuſpublicis, quos vocant præconſultores & cuſtodes legum, & de iis rebus ſtatuere, de quibus hi prius conſultarint. Ita enim particeps erit populus deliberandi, & nihil poterit diſſolvere eorum, quæ pertinent ad rempublicam.

§. 26. Amplius aut eadem decernere populum, aut nihil, quod adverſetur iis, quæ proponuntur: vel poteſtatem facere omnibus applicandi ſe ad deliberandum, ſtatuere autem magiſtratus.

§. 27. Et oppoſitum facere oportet ejus, quod ſit in rebuſpublicis. Abſolventis enim ratam eſſe ſententiam multitudinis, condemnantis autem

§. 19. Ὅταν δὲ τινῶν τινες, (b) οἷον, πολέμου μὲν καὶ εἰρήνης, καὶ εὐθυνῶν, πάντες, τῶν δὲ ἄλλων, ἄρχοντες· καὶ οὗτοι αἱρετοὶ, ἢ κληρωτοὶ, ἀριστοκρατία μὲν ἐστι (ἡ) (c) πολιτεία.

§. 20. Ἐὰν δὲ, ἐνίων μὲν αἱρετοὶ, ἐνίων δὲ κληρωτοὶ, καὶ κληρωτοὶ, ἢ ἁπλῶς, ἢ ἐκ προκρίτων, ἢ κοινῇ αἱρετοὶ καὶ κληρωτοὶ, τὰ μὲν, πολιτείας ἀριστοκρατικῆς ἐστι τούτων, τὰ δὲ, πολιτείας αὐτῆς.

§. 21. Διήρηται μὲν οὖν τὸ βουλευόμενον πρὸς τὰς πολιτείας τοῦτον τὸν τρόπον, καὶ διοικεῖται (d) ἑκάστη πολιτεία κατὰ τὸν εἰρημένον διορισμόν.

§. 22. Συμφέρει δὲ δημοκρατία τε, τῇ μάλιστ᾽ εἶναι δοκούσῃ δημοκρατίᾳ νῦν· (λέγω δὲ (e) τοιαύτην, ἐν ᾗ κύριος ὁ δῆμος καὶ τῶν νόμων ἐστὶ) πρὸς τὸ βουλεύεσθαι βέλτιόν τε αὐτὸ ποιεῖν, ὅπερ ἐπὶ τῶν δικαστηρίων ἐν ταῖς ὀλιγαρχίαις. (τάττουσι γὰρ ζημίαν τούτοις, οὓς βούλονται δικάζειν, ἵνα δικάζωσιν· ἡ δὲ δημοκρατία, (f) μισθὸν τοῖς ἀπόροις.) τοῦτο δὲ (g) καὶ περὶ τὰς ἐκκλησίας ποιεῖν· βουλεύσονται γὰρ βέλτιον κοινῇ βουλευόμενοι πάντες· ὁ μὲν δῆμος, μετὰ τῶν γνωρίμων· οὗτοι δὲ, μετὰ τοῦ πλήθους.

§. 23. Συμφέρει δὲ καὶ τὸ αἱρετοὺς (h) εἶναι τοὺς βουλευομένους, ἢ κληρωτοὺς ἴσως ἐκ τῶν (i) μορίων.

§. 24. Συμφέρει δὲ κἂν ὑπερβάλλωσι πολὺ κατὰ τὸ πλῆθος οἱ δημοτικοὶ τῶν πολιτικῶν, ἢ μὴ πᾶσι διδόναι μισθὸν, ἀλλ᾽ ὅσοι σύμμετροι πρὸς τὸ τῶν γνωρίμων πλῆθος, ἢ ἀποκληροῦν τοὺς πλείους.

§. 25. Ἐν δὲ ταῖς ὀλιγαρχίαις, ἢ προαιρεῖσθαί τινας ἐκ τοῦ πλήθους, ἢ κατασκευάσοντας (k) ἀρχεῖον. οἷον ἐν ἐνίαις πολιτείαις ἐστὶν, οὓς καλοῦσι προβούλους, καὶ νομοφύλακας· καὶ περὶ τούτων χρηματίζειν, περὶ ὧν ἂν οὗτοι προβουλεύσωσιν, οὕτω γὰρ μεθέξει ὁ δῆμος τοῦ βουλεύεσθαι, καὶ λύειν οὐθὲν δυνήσεται τῶν περὶ τὴν πολιτείαν.

§. 26. Ἔτι ἢ ταὐτὰ ψηφίζεσθαι τὸν δῆμον, ἢ μηθὲν ἐναντίον τοῖς εἰσφερομένοις· ἢ τῆς συμβουλῆς μὲν μεταδιδόναι πᾶσι, βουλεύεσθαι δὲ τοὺς ἄρχοντας.

§. 27. Καὶ τὸ ἀντικείμενον δὲ τοῦ ἐν ταῖς πολιτείαις γιγνομένου δεῖ ποιεῖν. ἀποψηφιζόμενον μὲν γὰρ κύριον δεῖ ποιεῖν τὸ πλῆθος· καταψηφιζόμενον

(a) *Prodeſt*) PICCARTUS *p.* 626. *ſeqq.* GOEB.

(b) τινῶν τινὲς) Illud τινὲς a mala manu irrepſiſſe, bene judicat Camerarius: poſt enim ſequitur πάντες. Eoque vocula iſthæc omnino eſt delenda. Id ſane poſtulat res ipſa & conſenſus cum Veteris interpretis, tum meliorum translatorum noſtri ævi. CONR.

(c) (ἡ)) Demonſtrativum hunc articulum probat Camerarius pariter & Lambinus. Victorius ut & Giphanius Aldum ſecutus legit ἢ *vel*. Quam ſententiam exiſtimo ſequendam. CONR.

(d) διοικεῖται) Aldus διοικεῖ. At noſtra lectio indubie melior: certe præter Victorium illam & Lambinus & Sepulveda & Giphanius probaverunt. CONR.

(e) λέγω δὲ) Utramque parentheſin, quæ in textu græco occurrit, ego addidi. CONR.

(f) ἡ δὲ δημοκρατία) Aldus habet: οἱ δὲ δημοτικοὶ: quod rectius. Aut certe legendum ἐν δὲ δημοκρατίᾳ, ut paulo ante ἐν ταῖς ὀλιγαρχίαις. CONR.

(g) οὗτο δὲ) Malim cum Lambino: ταὐτὸ δὲ. CONR.

(h) συμφέρει δὲ καὶ τὸ αἱρετ.) Aldus non habet articulum τὸ. Sed nihil refert. CONR.

(i) ἴσως ἐκ τῶν) Victorius legit ἴσους, ut patet ex verſione. Lambinus expreſſit ἴσως ut & Giphanius. In ſenſu nihil eſt differentiæ. CONR.

(k) κατασκευάσοντας) Victorius, Lambinus, Giphanius ita verterunt quaſi legerint κατασκευάσασθαι ἀρχεῖον: quod omnino eſt rectius. CONR.



Digitized by Google

autem non ratam, ſed rurſus ad magiſtratus rejici. In rebuspublicis enim contra fit: paucorum enim, cum abſolverint, ſententia rata eſt, cum condemnarint autem, non rata, ſed rejicitur ſemper ad plurimos.

φιζόμενον δὲ, μὴ κύριον· ἀλλ' ἐπαναγέσθω (*d*) πάλιν ἐπὶ τοὺς ἄρχοντας· ἐν γὰρ ταῖς πολιτείαις ἀντεστραμμένως ποιοῦσιν. οἱ γὰρ ὀλίγοι, ἀποψηφισάμενοι μὲν, κύριοι· καταψηφισάμενοι δὲ, οὐ κύριοι· ἀλλ' ἐπανάγεται εἰς τοὺς πλείστους αἰεί.

§. 28. De parte igitur, quæ deliberat, & in cujus poteſtate reſpublica eſt, definitum ſit hoc pacto.

§. 28. Περὶ μὲν οὖν τοῦ βουλευομένου, καὶ τοῦ κυρίου δὴ (*e*) τῆς πολιτείας, τοῦτον διωρίσθω τὸν τρόπον.

# CAP. XV.

§. 1.

XIX. Sequitur autem hæc *diviſio* (*a*) magiſtratuum.

§. 1.

XIX. Ἐχομένη δὲ τούτων ἐστὶν ἡ περὶ τὰς ἀρχὰς διαίρεσις.

§. 2. Continet enim in ſe hæc quoque pars reipublicæ differentias multas. Quot enim magiſtratus & quarum rerum arbitrium habeant, & de tempore, quantum ſingulorum magiſtratuum: (hi namque ſemeſtres, hi vero brevioris intervalli: nonnulli annuos, alii diuturniores magiſtratus faciunt.) Et utrum eſſe oportet magiſtratus perpetuos, vel diuturnos, vel neutrum horum: ſed ſæpe eosdem ipſos gerere, vel non eundem iterum, ſed ſemel tantum: Præterea circa conſtitutionem magiſtratuum, e quibus decet creari, & a quibus, & quomodo.

§. 2. Ἔχει γὰρ καὶ τοῦτο τὸ μόριον τῆς πολιτείας πολλὰς διαφορὰς· πόσαι τε ἀρχαὶ, καὶ κύριαι τίνων· καὶ περὶ χρόνου, πόσος ἑκάστης ἀρχῆς· (οἱ μὲν γὰρ (*f*) ἑξαμήνους, οἱ δὲ δι' ἐλάττονος, οἱ δ' ἐνιαυσίας, οἱ δὲ πολυχρονιωτέρας ποιοῦσι τὰς ἀρχάς·) καὶ πότερον εἶναι δεῖ τὰς ἀρχὰς ἀϊδίους, ἢ πολυχρονίους, ἢ μηδέτερον· ἀλλὰ πλεονάκις τοὺς αὐτοὺς, ἢ μὴ τὸν αὐτὸν δὶς, ἀλλ' ἅπαξ μόνον. ἔτι δὲ περὶ τὴν κατάστασιν τῶν ἀρχῶν, ἐκ τίνων δεῖ γίνεσθαι, καὶ ὑπὸ τίνων, καὶ πῶς.

§. 3. De omnibus enim his oportet poſſe diſtinguere, quot modis contingit fieri: & deinde accommodare, quales qualibus rebuspublicis proſunt.

§. 3. Περὶ πάντων γὰρ τούτων δεῖ δύνασθαι διελεῖν, κατὰ πόσους ἐνδέχεται γενέσθαι τρόπους· κἄπειτα προσαρμόσαι, ποίαις ποῖαι (*g*) πολιτείαις συμφέρουσιν.

§. 4. Eſt autem ne hoc quidem definire parvi negotii, quales oportet appellare magiſtratus. Multis enim præſidibus communio civilis eget. Quare non omnes, ſive ſuffragiis delectos, ſive ſorte ductos, magiſtratus eſſe ſtatuere debemus.

§. 4. Ἔστι δὲ οὐδὲ τοῦτο διορίσαι ῥᾴδιον, ποίας δεῖ καλεῖν ἀρχάς· πολλῶν γὰρ ἐπιστατῶν ἡ πολιτικὴ κοινωνία δεῖται. διόπερ πάντας, οὔτε τοὺς αἱρετοὺς, οὔτε τοὺς κληρωτοὺς, ἄρχοντας θετέον.

§. 5. Veluti *ſacerdotes* (*b*) primum. Hoc enim aliud quippiam eſſe præter civiles magiſtratus, ſtatuendum eſt. Amplius qui choros ducunt & præcones. Deliguntur autem legati quoque.

§. 5. Οἷον τοὺς ἱερεῖς πρῶτον. τοῦτο γὰρ ἕτερόν τι παρὰ τὰς πολιτικὰς ἀρχὰς θετέον· ἔτι δὲ, καὶ χορηγοὶ καὶ (*h*) κήρυκες. αἱροῦνται δὲ καὶ πρεσβευταί.

§. 6. Sunt autem curarum hæ quidem *civiles*, (*c*) vel cunctorum civium ad aliquam actionem, ceu dux exercitus eorum, qui militant: vel partis, ut qui regit feminas, & qui pueros.

§. 6. Εἰσὶ δὲ αἱ μὲν πολιτικαὶ τῶν ἐπιμελειῶν, ἢ πάντων τῶν πολιτῶν πρός τινα πρᾶξιν· οἷον, στρατηγὸς στρατευομένων· ἢ κατὰ μέρος· οἷον, ὁ γυναικονόμος, ἢ παιδονόμος.

§. 7. Hæ autem domeſticæ: ſæpe enim eligunt frumenti menſores.

§. 7. Αἱ δ' οἰκονομικαί· πολλάκις γὰρ αἱροῦνται σιτομέτρας.

§. 8. Hæ vero adminiſtratrices, quibus, ſi locupletes fuerint, imponunt ſervos.

§. 8. Αἱ δ' ὑπηρετικαὶ, πρὸς ἃς, ἂν εὐπορῶσι, τάττουσι δούλους.

§. 9. Maxime autem, ut ſimpliciter loquar, magiſtratus dicere debemus hos, quibuscunque tributum eſt conſultare de aliquibus rebus & exiſtimare, & præcipere, & in primis hoc. Præcipere namque, magis proprium eſt eorum, qui imperium habent.

§. 9. Μάλιστα δ' ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν, ἀρχὰς λεκτέον ταύτας, ὅσαις ἀποδέδοται βουλεύσασθαί τε περὶ τινῶν, καὶ κρῖναι, καὶ ἐπιτάξαι, καὶ μάλιστα τοῦτο. τὸ γὰρ ἐπιτάττειν, ἀρχικώτερόν ἐστιν.

§. 10. §. 10.

(*a*) *Diviſio*) PICCARTUS *p.* 629. *ſeq.* GOEB.

(*b*) *Sacerdotes*) Penes Romanos ſacerdotum præcipui ex patriciorum erant numero, & in Senatorum adſciſcebantur collegium, ut religio ſub his interpretibus rectius reipublicæ inſervire poſſet. PIGHII *annales tom. I. p.* 33. vid. POMPONIUS LÆTUS *de ſacerdotiis Romanorum.* Deinde tamen & ex plebe pontifices creari coeperunt FLOCCUS *de poteſtatibus Romanorum c.* 8. GOEB.

(*c*) *Civiles*) PICCART. *p.* 633. PERIONIUS *de Roman. & Græcor. magiſtrat.* GOEB.

(*d*) ἐπαναγέσθω) Sylburgius exiſtimat legendum ἐπανάγεσθαι: probe. Nec tamen in vulgata lectione periclitatur verus loci ſenſus. CONR.

(*e*) τοῦ κυρίου δὴ) Sic habuit & Vetus Camerarii liber. Mendoſe Aldus & Iſengrinius, δεῖ: nec minus eſt abs re Sylburgii δὲ. CONR.

(*f*) οἱ μὲν γὰρ) Parentheſis a mea eſt manu. CONR.

(*g*) ποίαις ποῖαι) Sylburgius ait: *Forſan convenientius* ποῖαι ποίαις πολιτείαις συμφέρουσι. Imo hoc demum rectum eſt. CONR.

(*h*) καὶ χορηγοὶ) Καὶ omittit Aldus. Nihil autem intereſt. CONR.

Digitized by Google

§. 10. Verum hæc ad uſus nullius momenti ſunt, ut ita loquar. Nondum enim judicium factum eſt, ſententiaque lata inter controverſantes inter ſe de nomine. continet autem animadverſionem aliam quandam rei & ſententiæ.

§. 10. Ἀλλὰ ταῦτα διαφέρει πρὸς μὲν τὰς χρήσεις ὀυθὲν, ὡς εἰπεῖν. ὀυ γάρ πω κρίσις γέγονεν ἀμφισβητέντων περὶ τῦ ὀνόματος. ἔχει δὲ τιν' ἄλλην διανοητικὴν πραγματείαν.

§. 11. XX. Quales autem magiſtratus & quot neceſſarii ſint, ut ſit civitas: & quales neceſſarii quidem non, utiles tamen ad probam rempublicam magis aliquis quæreret, ad omnem utique rempublicam, etiam ad parvas civitates.

§. 11. XX. Ποῖαι δ' ἀρχαὶ, καὶ πόσαι ἀναγκαῖαι, εἰ ἔσαι πόλις· καὶ ποῖαι ἀναγκαῖαι μὲν ὀυ, (a) χρήσιμοι δὲ πρὸς σπυδαίαν πολιτείαν, μᾶλλον ἄν τις ἀπορήσειε, πρὸς ἅπασάν τε δὴ πολιτείαν, καὶ δὴ καὶ τὰς μικρὰς πόλεις.

§. 12. In magnis enim jam locum habet & oportet unum conſtitutum eſſe ad unum munus. Multos namque ad imperia contingit accedere, quia multi ſunt cives. * * *
** **

§. 12. Ἐν μὲν γὰρ δὴ ταῖς μεγάλαις ἐνδέχεταί τε καὶ δεῖ μίαν τετάχθαι πρὸς ἓν ἔργον· πολλὲς τε γὰρ εἰς τὰ ἀρχεῖα ἐνδέχεται βαδίζειν, διὰ τὸ πολλὲς εἶναι τὲς πολίτας.
** **

§. 13. Ita ut hos quidem intermittere longo tempore, hos vero ſemel gerere. Et ſane melius unumquodque opus adipiſcitur ſtudium ſuum, ſi ipſum incumbat in illam rem ſolam, quam ſi in multas.

§. 13. Ὥςε τὰς μὲν (b) διαλείπειν πολὺν χρόνον, τὰς δ' ἅπαξ ἄρχειν. καὶ βέλτιον ἕκαςον ἔργον τυγχάνει τῆς ἐπιμελείας μονοπραγματέσης, ἢ πολυπραγματέσης.

§. 14. In parvis autem neceſſe eſt cogere in paucos multos magiſtratus. Ob paucitatem enim hominum non facile eſt multos in magiſtratibus eſſe: qui enim exiſtent, qui locum horum ſubituri ſint?

§. 14. Ἐν δὲ ταῖς μικραῖς, ἀνάγκη συνάγειν εἰς ὀλίγες πολλὰς ἀρχάς. διὰ γὰρ ὀλιγανθρωπίαν, ὀυ ῥᾴδιόν ἐςι πολλὲς ἐν ταῖς ἀρχαῖς εἶναι. τίνες γὰρ οἱ τέτες ἔσονται διαδεξόμενοι πάλιν;

§. 15. Egent autem aliquando iiſdem magiſtratibus & legibus parvæ civitates, quibus magnæ: niſi quod hæ quidem egent ſæpe iiſdem, his autem longo temporis ſpatio hoc uſu venit. Quapropter nihil vetat, multas curas ſimul jubere. neque enim ſibi ſunt impedimento; & pro paucitate hominum neceſſe eſt magiſtratus tanquam obeliſcolychnia facere.

§. 15. Δέονται δ' ἐνίοτε τῶν αὐτῶν ἀρχῶν καὶ νόμων αἱ μικραὶ ταῖς μεγάλαις· πλὴν αἱ μὲν δέονται πολλάκις τῶν αὐτῶν, ταῖς δ' ἐν πολλῷ χρόνῳ τῦτο συμβαίνει. διόπερ ὀυθὲν κωλύει πολλὰς ἐπιμελείας ἅμα προστάττειν· ὀυ γὰρ ἐμποδιῦσιν ἀλλήλαις. (c) καὶ πρὸς τὴν ὀλιγανθρωπίαν ἀναγκαῖον τὰ ἀρχεῖα οἷον ὀβελισκολύχνια (d) ποιεῖν.

§. 16. Si igitur poterimus dicere, quot neceſſe eſt omni civitati adeſſe, & quot minime neceſſe, tamen decet adeſſe: facilius aliquis, cum cognorit hæc, colligere poterit, quales magiſtratus congruit in unum cogere magiſtratum.

§. 16. Ἐὰν οὖν ἔχωμεν λέγειν πόσας ἀναγκαῖον ὑπάρχειν πάσῃ πόλει, καὶ πόσας ὀυκ ἀναγκαῖαν μὲν, (e) δεῖ δ' ὑπάρχειν, ῥᾷον ἄν τις εἰδὼς ταῦτα συνάγοι, ποίας ἁρμόττει (f) συνάγειν ἀρχὰς, εἰς μίαν ἀρχήν.

§. 17. Quadrat autem hoc etiam minime nos fallere: qualia decet tribunalia, certis locis conſtituta, multarum rerum curam gerere, & qualium omnibus in locis unum magiſtratum auctorem eſſe. Ceu modeſtiæ, utrum in foro quidem præfectum fori, alio autem in loco alium quempiam, vel ubicunque eundem.

§. 17. Ἁρμόττει δὲ καὶ τῦτο μὴ λεληθέναι, ποῖα δεῖ κατὰ τόπον ἀρχεῖα πολλῶν ἐπιμελεῖσθαι, καὶ ποίων πανταχῦ μίαν ἀρχὴν εἶναι κυρίαν· οἷον, ἐυκοσμίας, πότερον ἐν ἀγορᾷ μὲν ἀγορανόμον, ἄλλον δὲ κατ' ἄλλον τόπον, ἢ πανταχῦ τὸν αὐτόν.

§. 18. Et utrum decet dividere, rerum ſive hominum propoſita ſibi varietate. Intelligo autem; ceu unum modeſtiæ, vel alium puerorum & feminarum.

§. 18. Καὶ πότερον κατὰ τὸ πρᾶγμα (g) δεῖ διαιρεῖν, ἢ κατὰ τὲς ἀνθρώπες. λέγω δ', οἷον ἕνα τῆς ἐυκοσμίας, ἢ παίδων ἄλλον, καὶ γυναικῶν.

§. 19. Et per reſpublicas utique, utrum refert per ſingulas variari genus magiſtratuum vel nihil.

§. 19. Καὶ κατὰ τὰς πολιτείας δὲ, πότερον διαφέρει καθ' ἑκάςην καὶ τὸ τῶν ἀρχῶν γένος,

(a) ἀναγκαῖαι μὲν ὀυ) Caſaubonus ſcribit ἀναγκαῖαι μὲν, ὀυ χρήσ. At lectionem vulgarem malim ſequi. Magiſtratus enim quidem non ſunt neceſſarii ſimpliciter ſcilicet & omnibus rebuspublicis utiles tamen reipublicæ optimæ. *CONR.*

(b) ὥςε τὰς μὲν) Hiulca eſt oratio: nec tamen multum deeſt. Facile vero apparet, illud τὰς referri ad ἀρχὰς ſeu magiſtratus. Imo veriſimile eſt ἀρχὰς paulo anteceſſiſſe: alioquin enim ſermo ipſiusmet Ariſtotelis culpa fuiſſet obſcurus. *CONR.*

(c) ἐμποδιῦσιν ἀλλήλαις) Camerarius notat, rectius ſcribi, ἀλλήλας caſu accuſativo, quia pari modo Plato in Phædone locutus eſt. *CONR.*

(d) ὀβελισκολύχνια) Eadem vox occurrit apud Ariſtotelem l. 4. de partib. animal. c. 6. *CONR.*

(e) ἀναγκαῖον μὲν) Camerarius non habet μὲν. Sed huic loco ſatis eſt conveniens. *CONR.*

(f) ποίας ἁρμόττει) Camerarius ita emendat: ποίας ἁρμόττει συνάγειν ἀρχὰς εἰς μίαν ἀρχὴν, ἢ μὴ ἁρμόττει δεῖ δὲ καὶ τῦτο. Quæ correctio ſic ſatis eſt conveniens: etſi vulgatæ lectionis ſenſum non mutet *CONR.*

(g) κατὰ τὸ πρᾶγμα) Lambinus videtur legiſſe: τὰ πράγματα, quod convenit illi: κατὰ τὲς ἀνθρώπες. Non juvat tamen quidquam rem ipſam. *CONR.*

Digitized by Google

nihil. Veluti in ſtatu populi & dominatu paucorum & optimatibus & imperio unius, utrum iidem magiſtratus ſummam poteſtatem habent: non ex æqualibus autem, neque e ſimilibus, verum alii in aliis. Ceu in ſtatibus optimorum e diſciplina imbutis: in dominatibus paucorum, e divitibus: in ſtatibus populi, e liberis.

§. 20. An ſunt quædam & ſecundum ipſas differentiæ magiſtratuum? Eſt autem ubi conducunt iidem, & ubi diſſentiunt.

§. 21. Hic enim quadrat magnos, hic autem eſſe parvos eosdem. Nec tamen non proprii etiam quidam ſunt.

§. 22. Ceu præconſultorum. Hic enim non eſt popularis. Conſilium autem populare eſt. Oportet enim eſſe quiddam hujuscemodi, cui curæ ſit conſultare ante populum, ut ſolutus ſit illa cura. Hoc autem, ſi pauci fuerint numero, dominatui paucorum accommodatum eſt: præconſultores autem paucos eſſe multitudine, neceſſe eſt. Quare paucorum dominatui convenit. Sed ubi ambo hi magiſtratus ſunt, præconſultores conſtituti ſunt poſt conſultores. Conſultor enim eſt populare munus: præconſultor autem aptum paucorum dominatui.

§. 23. Frangitur autem & Senatus poteſtas in hujuscemodi ſtatibus popularibus, in quibus ipſe populus cum convenerit, decernit de omnibus rebus. Hoc autem uſu venire ſolet, quando copia patrimonii extiterit, ſive merces datur his, quæ præſto ſunt concionibus. Cum enim otium habent, coguntur ſæpe, & cuncta ipſi exiſtimant.

§. 24. Moderator autem puerorum, & fœminarum, & ſi quis alius magiſtratus in ſua manu habet hujuscemodi curam, munus eſt ſtatus optimorum: populare autem minime. (Quomodo enim manere poteſt, ut prohibeantur prodire domo pauperum uxores?) Neque etiam aptum paucorum dominatui. molliter enim vivunt paucorum in civitate dominantium uxores.

§. 25. Verum de his hactenus dictum nunc ſit.

γένος, ἢ οὐθέν· οἷον, ἐν δημοκρατίᾳ, καὶ ὀλιγαρχίᾳ, καὶ ἀριστοκρατίᾳ, καὶ μοναρχίᾳ, πότερον αἱ αὐταὶ μὲν εἰσιν ἀρχαὶ κύριαι· οὐκ ἐξ ἴσων δ', (b) οὐδ' ἐξ ὁμοίων, ἀλλ' ἕτεραι ἐν ἑτέραις. οἷον ἐν μὲν ταῖς ἀριστοκρατίαις ἐκ πεπαιδευμένων· ἐν δὲ ταῖς ὀλιγαρχίαις, ἐκ πλουσίων· (c) ἐν δὲ ταῖς δημοκρατίαις, ἐκ τῶν ἐλευθέρων.

§. 20. Ἢ τυγχάνουσι μέν τινες οὖσαι καὶ κατ' αὐτὰς τὰς διαφορὰς (d) τῶν ἀρχῶν; ἔστι δ' ὅπου συμφέρουσιν αἱ αὐταὶ, καὶ ὅπου διαφέρουσιν.

§. 21. Ἔνθα μὲν γὰρ ἁρμόττει μεγάλας, ἔνθα δ' εἶναι μικρὰς τὰς αὐτάς· οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ἴδιαί τινές εἰσιν.

§. 22. Οἷον ἡ τῶν προβούλων. αὕτη γὰρ οὐ δημοκρατική, βουλὴ δὲ δημοτικόν. δεῖ μὲν γὰρ εἶναί τι τοιοῦτον, ᾧ ἐπιμελὲς ἔσται τοῦ δήμου προβουλεύειν· ὅπως ἀσχολῶν ἔσται· τοῦτο δὲ, ἂν ὀλίγοι τὸν ἀριθμὸν ὦσιν, ὀλιγαρχικόν· τοὺς δὲ προβούλους ὀλίγους ἀναγκαῖον εἶναι τὸ πλῆθος· ὥς ὀλιγαρχικόν. ἀλλ' ὅπου ἄμφω αὗται αἱ ἀρχαὶ, οἱ πρόβουλοι καθεστᾶσιν ἐπὶ τοῖς βουλευταῖς. ὁ μὲν γὰρ βουλευτὴς, δημοτικόν· ὁ δὲ πρόβουλος, ὀλιγαρχικόν.

§. 23. Καταλύεται δὲ καὶ τῆς βουλῆς ἡ δύναμις ἐν ταῖς τοιαύταις δημοκρατίαις. ἐν αἷς αὐτὸς συνιὼν ὁ δῆμος χρηματίζει περὶ πάντων. τοῦτο δὲ συμβαίνειν εἴωθεν, ὅταν εὐπορία τις (e) ᾖ ἢ μισθὸς τοῖς ἐκκλησιάζουσι. σχολάζοντες γὰρ συλλέγονταί τε πολλάκις, καὶ ἅπαντα αὐτοὶ κρίνουσι.

§. 24. Παιδονόμος δὲ καὶ γυναικονόμος, καὶ εἴ τις ἄλλος ἄρχων κύριός ἐστι τοιαύτης ἐπιμελείας, ἀριστοκρατικόν· δημοκρατικὸν δ' οὔ (πῶς γὰρ οἷόν τε κωλύειν ἐξιέναι τὰς τῶν ἀπόρων;) οὐδ' ὀλιγαρχικόν· τρυφῶσι γὰρ αἱ τῶν ὀλιγαρχούντων.

§. 25. Ἀλλὰ περὶ μὲν τούτων, ἐπὶ τοσοῦτον εἰρήσθω νῦν.

## CAP. XVI.

§. 1.

XXI. Circa conſtitutiones autem *magiſtratuum* (*a*) enitendum eſt, ut ab initio diſſeramus. Sunt autem differentiæ in tribus terminis, quibus compoſitis, neceſſe eſt cunctos deprehenſos eſſe modos.

§. 1.

XXI. Περὶ δὲ τὰς (*f*) τῶν ἀρχῶν καταστάσεις πειρατέον ἐξ ἀρχῆς διελθεῖν. εἰσὶ δ' αἱ διαφοραὶ ἐν τρισὶν ὅροις· ὧν συντιθεμένων, ἀναγκαῖον πάντας εἰλῆφθαι τοὺς τρόπους.

§. 2. §. 2.

(*a*) *Magiſtratuum*) In hoc capite agitur de magiſtratibus eorumque differentiis, vid. THOLASANUS *lib. IV. c.* 5. & 6. BODINUS *lib.* 3. *c.* 3. ARNISÆUS *c.* 16. *GOEB.*

(*b*) ἐξ ἴσων δὲ) Non habet δὲ Aldus. Præplacet noſtra lectio. *CONR.*

(*c*) ἐκ πλουσίων) Recte Sylburgius: ἐκ τῶν πλουσίων, ut paulo poſt, ἐκ τῶν ἐλευθέρων. *CONR.*

(*d*) τὰς διαφορὰς) Victorius expungit τὰς, & legit διαφορὰς. Certe illud τινες οὖσαι ad aliquod nomen referendum eſt, quod tamen non hic occurrit, niſi cum Victorio mutes. Alii, vocem *respublicas* credunt ſubaudiendam. Sed hoc eſt incuſare Ariſtotelem, quod non juſta ſit uſus in loquendo perſpicuitate. *CONR.*

(*e*) εὐπορία τίς) Vetus interpres legit ἀπορία. Quæ res etiam Thomam turbavit; cum Ariſtoteles plane contrarium voluerit; in democratiis nimirum illis, ubi in concionem propoſito lucro populus invitatur, Senatus nulla tandem eſt autoritas. *CONR.*

(*f*) Περὶ δὲ τὰς) Caſaubonus ſectionem capitis novi tollit, quia, quæ ſequuntur, priori doctrinæ cohærent. Nec male. Noluimus tamen lectores turbare, aſſuetos codicibus paſſim uſitatis. *CONR.*

Digitized by Google

§. 2. Sunt autem trium horum: unum quidem, qui ſunt? qui conſtituunt magiſtratus: ſecundum, e quibus: reliquum autem, quo modo. Uniuſcujusque autem trium horum tres differentiæ ſunt.

§. 3. Vel enim cives cuncti conſtituunt, vel quidam: & vel e cunctis, vel e quibusdam definitis: ceu vel cenſu, vel genere, vel virtute, vel quopiam hujuscemodi alio. (Quemadmodum Megaris ex iis, qui una redierunt, ſimulque pugnarunt adverſus populum.) Et hæc vel ſuffragiis, vel ſorte.

§. 4. Rurſus hæc copulata. Dico autem, hos quidem quidam, hos vero cuncti: & hos quidem e cunctis, hos autem e quibusdam: & hos quidem ſuffragiis, hos autem ſorte.

§. 5. Uniuſcujusque autem horum differentiæ modi quatuor ſunt. Vel enim omnes ex omnibus ſuffragiis; vel omnes ex omnibus ſorte. Et vel ex omnibus, vel per partes: ceu per tribus, & populos, & phratrias, donec tranſierit per omnes cives. Vel ſemper ex omnibus:

** **

** **

§. 6. Et hæc quidem ſic, hæc autem illo modo.

§. 7. Rurſus, ſi aliqui, qui conſtituerunt, vel ex omnibus ſuffragiis, vel ex omnibus ſorte: vel e quibusdam ſuffragiis, vel e quibusdam ſorte: vel hæc quidem ſic, hæc autem illo modo. Intelligo autem hæc quidem ex omnibus, ſuffragiis: hæc autem, * * * * * * ſorte.

§. 8. Quapropter duodecim modi fiunt ſeorſum duarum copularum.

§. 9. Harum autem duæ quidem conſtitutiones ſunt populares. Omnes inquam ex omnibus ſuffragiis,

** **

** **

§. 10. Vel ſorte fieri: vel ambobus: hos quidem ſorte magiſtratus, hos vero ſuffragiis.

§. 11.

§. 2. Ἔϛι δὲ τῶν τριῶν τȣ́των, ἓν μὲν, τίνες οἱ καθιϛάντες τὰς ἀρχάς· δεύτερον δ᾽, ἐκ τίνων· λοιπὸν δὲ, τίνα τρόπον. ἑκάϛȣ δὲ τῶν τριῶν τȣ́των (a) διαφοραὶ τρεῖς εἰσιν.

§. 3. Ἢ γὰρ πάντες οἱ πολῖται καθιϛᾶσιν, ἢ τινές· καὶ ἢ ἐκ πάντων, ἢ ἐκ τινῶν ἀφωρισμένων· οἷον, ἢ τιμήματι, ἢ γένει, ἢ ἀρετῇ, ἤ τινι τοιȣ́τῳ ἄλλῳ· (ὥσπερ ἐν Μεγάροις ἐκ τῶν συγκατελθόντων καὶ συμμαχεσαμένων πρὸς τὸν δῆμον·) καὶ ταῦτα, ἢ αἱρέσει, ἢ κλήρῳ.

§. 4. Πάλιν ταῦτα συνδυαζόμενα. λέγω δὲ, τὰς μὲν τινές, τὰς δὲ πάντες· καὶ τὰς μὲν ἐκ πάντων, τὰς δ᾽ ἐκ τινῶν· καὶ τὰς μὲν αἱρέσει, τὰς δὲ κλήρῳ.

§. 5. Τȣ́των δ᾽ ἑκάϛης ἔσονται τῆς διαφορᾶς τρόποι τέσσαρες. ἢ γὰρ πάντες ἐκ πάντων αἱρέσει, ἢ πάντων κλήρῳ· καὶ ἢ ἐξ ἁπάντων, ἢ ὡς ἀνὰ μέρος· οἷον, κατὰ φυλὰς, καὶ δήμȣς, καὶ φρατρίας, ἕως ἂν διέλθῃ διὰ πάντων τῶν πολιτῶν· (b) ἢ ἀεὶ ἐξ ἁπάντων.

** **

** **

§. 6. Καὶ τὰ μὲν (c) ȣ̔́τω, τὰ δὲ ἐκείνως.

§. 7. Πάλιν, εἰ τινὲς οἱ καθιϛάντες, ἢ ἐκ πάντων αἱρέσει, ἢ ἐκ πάντων κλήρῳ· ἢ ἐκ τινῶν αἱρέσει, ἢ ἐκ τινῶν κλήρῳ· ἢ τὰ μὲν ȣ̔́τω, τὰ δ᾽ ἐκείνως. λέγω δὲ τὰ μὲν ἐκ πάντων, αἱρέσει· τὰ δὲ, (d)

** **

* * * κλήρῳ.

§. 8. Ὥϛε δώδεκα οἱ τρόποι γίνονται χωρὶς τῶν δύο συνδυασμῶν.

§. 9. Τȣ́των δ᾽, αἱ μὲν δύο καταϛάσεις, δημοτικαὶ, τὸ, πάντας ἐκ πάντων αἱρέσει

** **

** **

§. 10. Ἢ κλήρῳ (e) γίνεσθαι, ἢ ἀμφοῖν, τὰς μὲν κλήρῳ, τὰς δ᾽ αἱρέσει, τῶν ἀρχῶν.

§. 11.

---

(a) ἑκάϛȣ δὲ τῶν τριῶν τȣ́των) Camerarius cenſet mendum ſubeſſe in τριῶν: nec enim ſe videre, quomodo hæc ſcriptura cum iis, quæ ſubjiciuntur, congruat. At vero etſi abeſſet vox illa, tamen de tribus ſermonem eſſe, ex iis, quæ antecedunt, palam eſt. Heinſius quoque pro illis, quæ mox ſequuntur: διαφοραὶ τρεῖς εἰσιν, legendum cenſet διαφοραὶ τινὲς εἰσὶν. Et vero primum eos, qui eligunt, ſecundo eos, ex quibus eliguntur magiſtratus, denique electionem ipſam, quæ ſorte vel ſuffragio inſtituitur, tribus modis poſſe variare, certum eſt & ſatis ab Ariſtotele explicatum: Tertius nempe modus fit quadam miſtione, *CONR.*

(b) πάντων τῶν πολιτῶν) Quidam codices habent πολιτικῶν: mendoſe, ut recte quoque judicavit Lambinus. *CONR.*

(c) καὶ τὰ μὲν) Vel ipſa verba indicant defectum aliquem. Simul vero indicat res ipſa: nec enim hactenus enumeravit quatuor differentias. Ipſa proxima periodus ſupplementi rationem miniſtrat. Ita nimirum ſupplenda eſt oratio, ἢ πάντες ἐκ τινῶν αἱρέσει, ἢ πάντες ἐκ τινῶν κλήρῳ, ἢ τὰ μὲν ȣ̔́τω. &c. *CONR.*

(d) τὰ δὲ κλήρῳ) Videtur ſcribendum: τὰ δὲ ἐκ τινῶν κλήρῳ. *CONR.*

(e) ἢ κλήρῳ) Locum hunc mendoſum eſſe, facile liquet. Nec enim vox γίνεσθαι pertinet ad πάντας: nec tamen illa vox adeſt, quæ reſpondeat vel illi πάντας, vel illi, γίνεσθαι. Ad hoc dixerat Ariſtoteles, duas καταϛάσεις eſſe δημοτικὰς, & tamen alteram κατάϛασιν non ſatis perſpicue proponit, & videmus hic memorari tertiam quoque κατάϛασιν, quando nempe omnes conſtituunt τὰς ἀρχὰς ex omnibus, ſed ita, ut has ſuffragio, illas ſortito deferant. Omnino itaque quædam hic deſunt. Id ſane verum, duas conſtitutiones magiſtratuum eſſe populares; Nempe 1. ſi omnes eligant ex omnibus ſuffragio. 2. ſi omnes eligant ex omnibus ſortito. Priore enim ratione meliores democratiæ, poſteriore infimæ utuntur. Eſt tamen & tertia ἀρχαιρεσία popularis; ſi omnes eligant ex omnibus, ſed quoſdam magiſtratus ſortito, quoſdam ſuffragio. In univerſum enim, modo electio fiat ab omnibus ex omnibus, populare eſt. Nec dubito, Ariſtotelem id dixiſſe. Ut proinde forte ita debeat oratio ſuppleri: καὶ τὸ πάντας ἐκ πάντων κλήρῳ. Ἀλλὰ μὲν καὶ ἁπλῶς δημοτικὸν, πάσας ἀρχὰς ἀπὸ πάντων ἐκ πάντων ἢ αἱρέσει ἢ κλήρῳ γίνεσθαι ἢ ἀμφοῖν. &c. *CONR.*

§. 11. Non omnes autem ſimul quidem conſtituere, ex omnibus autem, vel

** **

** **

§. 12. E quibusdam: vel ſorte, vel ſuffragiis, vel ambobus: vel hos quidem ex omnibus, hos autem e quibusdam ambobus (intelligo autem ambobus, hos quidem ſorte, hos autem ſuffragiis) reipublicæ peculiare eſt.

§. 13. Et quosdam ex omnibus; hos quidem ſuffragiis conſtituere, hos vero ſorte: vel ambobus, hos quidem ſorte, hos autem ſuffragiis, dominatui paucorum accommodatum eſt: magis autem accommodatum eſt huic dominatui, ex ambobus creare.

§. 14. Hos vero ex omnibus, hos autem e quibusdam, accommodatum eſt reipublicæ, quæ imitatur optimates: vel hos quidem ſuffragiis, hos autem ſorte.

§. 15. Quosdam autem e quibusdam, dominatui paucorum peculiare. Et quosdam e quibusdam ſorte, non tamen ſimiliter geſtum: & quosdam e quibusdam ambobus modis. Quosdam autem ex omnibus, non eſt accommodatum dominatui paucorum.

§. 16. E quibusdam autem ſuffragiis cunctos, optimatibus accommodatum eſt.

§. 17. Modi igitur eorum, quæ pertinent ad magiſtratus, tot numero ſunt, & diviſi ſunt per respublicas hoc pacto.

§. 18.

§. 11. Τὸ δὲ, μὴ πάντας ἅμα μὲν (a) καθιςάναι, ἐξ ἁπάντων δ᾽, ἢ

** **

** **

§. 12. Ἐκ τινῶν· ἢ (b) κλήρῳ, ἢ αἱρέσει, ἢ ἀμφοῖν· ἢ (c) τὰς μὲν ἐκ πάντων τὰς δ᾽ ἐκ τινῶν, ἀμφοῖν. (τὸ δὲ ἀμφοῖν (d) λέγω, τὰς μὲν κλήρῳ, τὰς δ᾽ αἱρέσει.) πολιτικόν.

§. 13. Καὶ τὸ, τινὰς ἐκ πάντων, (e) τὰς μὲν αἱρέσει καθιςάναι, τὰς δὲ κλήρῳ· ἢ ἀμφοῖν, τὰς μὲν κλήρῳ, τὰς δ᾽ αἱρέσει, ὀλιγαρχικόν· ὀλιγαρχικώτερον δὲ καὶ τὸ ἐξ ἀμφοῖν.

§. 14. Τὸ δὲ, τὰς (f) μὲν ἐκ πάντων, τὰς δ᾽ ἐκ τινῶν, πολιτικὸν ἀριςοκρατικῶς· ἢ τὰς μὲν αἱρέσει, τὰς δὲ κλήρῳ.

§ 15. Τὸ δὲ, τινὰς ἐκ τινῶν, (g) ὀλιγαρχικόν· καὶ τὸ, τινὰς ἐκ τινῶν κλήρῳ, μὴ γενόμενον δ᾽ ὁμοίως· καὶ τὸ τινὰς ἐκ τινῶν, ἀμφοῖν. τὸ δὲ, τινὰς ἐξ ἁπάντων, ἐκ ὀλιγαρχικόν.

§. 16. Τὸ δὲ, ἐκ τινῶν (h) αἱρέσει πάντας, ἀριςοκρατικόν.

§. 17. Οἱ μὲν ἐν τρόποι τῶν περὶ τὰς ἀρχὰς, τοσῦτοι τὸν ἀριθμόν εἰσι, καὶ διήρηνται κατὰ τὰς πολιτείας ἔτω.

§. 18.

(a) ἅμα μὲν) Videtur mendum eſſe in ἅμα. opponitur enim hoc, quicquid eſt, illi ἢ τὰς μὲν. Malim ſcribere ἀρχὰς ἁπάσας μὲν. Si pauci enim conſtituunt omnes magiſtratus ex omnibus, hoc videtur eſſe πολιτικὸν. An potius retinendum τὸ ἅμα, ut ſermo ſit de iis, qui eligunt omnes κατὰ μέρος, non ſimul? Scribendum itaque forte: μὴ πάντας ἅμα μὲν καθιςάναι, ἐξ ἁπάντων δὲ κατὰ μέρος. Poſterius arridet, quia ſequente periodo ſit mentio ejus, quando aliqui eligunt ex omnibus. *CONR.*

(b) ἢ ἐκ τινῶν) Si hæc jungas proxime prioribus, falſum dixerit Ariſtoteles. Utique enim μὴ πάντες ſunt τινὲς: atque τινὰς ἐκ τινῶν eligere, ὀλιγαρχικὸν eſt, ut ipſemet infra Ariſtoteles dicit, non certe eſt πολιτικὸν. Facilis eſt emendatio interjecta una vocula πάντας. Ut ſcripſerit Ariſtoteles: τὸ δὲ ἁπάσας ἀρχὰς μὴ πάντας καθιςάναι ἐξ ἅπαντων δὲ, ἢ πάντας ἐκ τινῶν &c. *CONR.*

(c) ἢ ἀμφοῖν ἢ) Fieri non poteſt, ut vel pauci ex omnibus, vel omnes ex paucis eligant ἀμφοῖν, niſi quosdam magiſtratus ſuffragio, quosdam ſortito eligant. Itaque illud ἢ ἀμφοῖν omnino alieno loco eſt poſitum & ſuperfluit, adeoque delendum eſt. Poſt αἱρέσει igitur ſtatim ſubjunge: ἢ τὰς μὲν ἐκ πάντων τὰς δὲ ἐκ τινῶν ἢ κλήρῳ, ἢ αἱρέσει, ἢ ἀμφοῖν. Certe tot modis fieri poteſt, ut eligantur magiſtratus partim ex omnibus partim ex paucis: ſuffragio ſcilicet & ſorte, non vero tantum ἀμφοῖν. *CONR.*

(d) τὸ δὲ ἀμφοῖν) Parentheſin hanc addidi ego, ut oratio fiat magis perſpicua. *CONR.*

(e) καὶ τὸ τινὰς ἐκ πάντων) Locus hic omnis eſt mendoſus. *Primum* enim bis repetitur idem: τὰς μὲν αἱρέσει καθιςάναι τὰς δὲ κλήρῳ: mox iterum: τὰς μὲν κλήρῳ τὰς δ᾽ αἱρέσει. Quod omnino mendoſum eſt. *Secundo* non applicata eſt varia ratio electionis, quæ fit ab aliquibus ex omnibus. *Tertio* falſum quoque eſt, electionem omnem, quæ fit ex omnibus a paucis, eſſe oligarchiam. Sortito certe ſi fiat electio ex omnibus a paucis, fieri poteſt, ut pauperes eligantur; quod repugnat oligarchiæ. Ne quidem ſi fiat electio ſuffragio, omnis talis oligarchica fuerit; poſſit enim eſſe ariſtocratica; nempe ſi in ſuffragando non divitiarum, ſed virtutis habeatur ratio. Imo in univerſum ex omnibus eligi repugnat oligarchiæ. Unde ipſe Ariſtoteles non multo poſt ſcribit: τὸ δὲ τινὰς ἐξ ἁπάντων ἐκ ὀλιγαρχικὸν. Ita nimirum ſeſe res habet. Paucos ex omnibus eligere omnes magiſtratus ſorte, πολιτικὸν eſt. Paucos ex omnibus eligere magiſtratus omnes ſuffragio, ἀριςοκρατικὸν eſt. Paucos ex omnibus eligere magiſtratus omnes, ſed aliquos ſuffragio, aliquos ſorte, itidem πολιτικὸν eſt. In hiſce vero ariſtotelicis plane non fit mentio ἀρχαιρεσίας, qua omnis magiſtratus eligitur a paucis ex omnibus, ſive ſortito, ſive ſuffragio. Non eſt, quod in emendando laboremus loco, qui totus eſt corruptus. Videtur autem hac in periodo tantum locutus, de electione illa omnium magiſtratuum, quæ a paucis fit ex omnibus, ſive ſorte, ſive ſuffragio: ſequente enim periodo aliquid definitur de electione illa, ubi aliqui magiſtratuum ex omnibus, aliqui ex paucis, aut aliqui ſorte, aliqui ſuffragio conſtituuntur. *CONR.*

(f) τὸ δὲ, τὰς) Aut excidit, aut ſubintelligendum eſt τινὰς. Ut ſcribendum ſit: τὸ δὲ, τινὰς τὰς μὲν. *CONR.*

(g) τὸ δὲ τινὰς ἐκ τινῶν) Locus mendoſus. Sic videtur ſcribendum: τὸ δὲ τινὰς ἐκ τινῶν αἱρέσει, ὀλιγαρχικὸν, καὶ τὸ τινὰς ἐκ τινῶν κλήρῳ. ὁμοίως καὶ τινὰς ἐκ τινῶν, ἀμφοῖν. τὰ δὲ τινὰς ἐξ ἁπάντων, ἐχ ὀλιγαρχικὸν. In hunc ſane modum forte & Lambinus legit ita vertens: *at quosdam ex quibusdam electione oligarchiæ convenit, & quosdam ex quibusdam ſorte: & item quosdam ex quibusdam utroque.* Illud certe μὴ γινομένων nec in ſuo codice invenit Camerarius: ubi tamen plane alia lectio occurrit. *CONR.*

(h) τὸ δὲ ἐκ τινῶν) Falſum hoc eſt. Demum autem ἀριςοκρατικὸν eſt: τὸ ἐξ πάντων αἱρέσει τινάς. Itaque mira eſt transpoſitio. *CONR.*

Digitized by Google

§. 18. Quæ autem quibus conducunt, & quomodo oportet fieri conſtitutiones una cum poteſtatibus magiſtratuum, & qui ſunt, planum erit. Intelligo autem poteſtatem magiſtratus: ceu habentem in ſua manu vectigalia, & cuſtodiam reipublicæ (eſt enim diverſa ſpecies poteſtatis) ceu juris ducendi exercitum, & ejus curæ, quæ contractus in foro factos regit.

§. 18. Τίνα δὲ τίσι συμφέρει, καὶ πῶς δεῖ γίνεσθαι τὰς καταστάσεις ἅμα ταῖς δυνάμεσι τῶν ἀρχῶν, καὶ τίνες εἰσὶν, ἔσται φανερόν. λέγω δὲ δύναμιν ἀρχῆς, οἷον, τὴν κυρίαν τῶν προσόδων, καὶ τὴν κυρίαν τῆς φυλακῆς. ἄλλο γὰρ εἶδος δυνάμεως· οἷον στρατηγίας, καὶ τῆς τῶν περὶ τὴν ἀγορὰν συμβολαίων κυρίας. (b)

** ** ** **
** ** ** **

## CAP. XVII.

§. 1.

XXII. Reſtat e tribus, ut tradamus, quod pertinet ad *judicia.* (a) Sumendi autem modi & horum per idem quaſi fundamentum.

§. 2. Manet autem diſcrimen judiciorum in tribus terminis: ex quibus, de quibus, & quomodo. Dico autem ex quibus, utrum ex omnibus, vel e quibusdam: de quibus vero, quot ſint ſpecies judiciorum: quomodo autem, utrum ſorte, vel ſuffragiis.

§. 3. Primum igitur dividatur, quot ſunt ſpecies judiciorum. Sunt autem numero octo.

§. 4. Unum quidem, quod corrigit.

§. 5. Aliud autem, ſi aliquis injuſte ſe gerit in quapiam republica.

§. 6. Tertium, quæcunque ad ſtatum civitatis referuntur.

§. 7. Quartum, & imperium habentibus & privatis, quæ controverſiæ naſcuntur inter ipſos de multis illatis.

§. 8. Quintum, de privatis contractibus, ac magnarum rerum.

§. 9. Et præter hæc, quod pertinet ad cædem factam & lites peregrinorum. Species igitur cædis factæ, ſive in iisdem judicibus, ſive in aliis: & de iis, quæ conſulto, & de iis, quæ ab invitis admiſſæ ſunt: & quæcunque rei non inficiantur, controverſia autem eſt de juſto. Quartum autem, quæcunque reis cædis, ut redeant, intenduntur: veluti Athenis dicitur, & curia vocata in Phreatte. Contingunt autem hujuscemodi facta in univerſo tempore pauca, & in magnis urbibus.

§. 10. Judicii autem peregrinorum unum quidem genus, peregrinis adverſus peregrinos litigantibus: aliud, peregrinis adverſus urbem incolentes.

§. 11.

§. 1.

XXII. Λοιπὸν δὲ τῶν τριῶν τὸ δικαστικὸν εἰπεῖν· ληπτέον δὲ καὶ τούτων (c) τοὺς τρόπους, κατὰ τὴν αὐτὴν ὑπόθεσιν.

§. 2. Ἔστι δὲ διαφορὰ τῶν δικαστηρίων ἐν τρισὶν ὅροις· ἐξ ὧν τε, καὶ περὶ ὧν, καὶ πῶς. λέγω δὲ, ἐξ ὧν μὲν, πότερον ἐκ πάντων, ἢ ἐκ τινῶν· περὶ ὧν δὲ, πόσα εἴδη δικαστηρίων· τὸ δὲ πῶς, πότερον κλήρῳ, ἢ αἱρέσει.

§. 3. Πρῶτον οὖν διαιρείσθω, πόσα εἴδη δικαστηρίων. ἔστι δὲ τὸν ἀριθμὸν ὀκτώ.

§. 4. Ἓν μὲν, εὐθυντικόν.

§. 5. Ἄλλο δὲ, εἴ τίς τι τῶν κοινῶν ἀδικεῖ.

§. 6. Ἕτερον, ὅσα εἰς τὴν πολιτείαν φέρει.

§. 7. Τέταρτον, καὶ ἄρχουσι καὶ ἰδιώταις, ὅσα περὶ ζημιώσεων ἀμφισβητοῦσι.

§. 8. Πέμπτον, τὸ περὶ τῶν ἰδίων συναλλαγμάτων, καὶ ἐχόντων μέγεθος.

§. 9. Καὶ παρὰ ταῦτα, τό τε φονικὸν, καὶ τὸ ξενικόν. φονικοῦ μὲν οὖν (d) εἴδη, ἄν τ' ἐν τοῖς αὐτοῖς δικασταῖς, ἄν τ' ἐν ἄλλοις· περί τε τῶν ἐκ προνοίας, καὶ περὶ τῶν ἀκουσίων· καὶ ὅσα μὲν ὁμολογεῖται, ἀμφισβητεῖται δὲ περὶ τοῦ δικαίου. τέταρτον δὲ, ὅσα τοῖς φεύγουσι φόνου, ἐπὶ καθόδῳ ἐπιφέρεται· οἷον Ἀθήνησι λέγεται καὶ τὸ ἐν Φρεαττοῖ δικαστήριον. συμβαίνει δὲ τὰ τοιαῦτα ἐν τῷ παντὶ χρόνῳ ὀλίγα, καὶ ἐν ταῖς μεγάλαις πόλεσι.

§. 10. Τοῦ δὲ ξενικοῦ, ἓν μὲν ξένοις πρὸς ξένους· ἄλλο, ξένοις πρὸς ἀστούς.

§. 11.

(a) *Judicia*) FELDEN. *p.* 282. *ſeqq.* PICCART. *p.* 652. *ſeqq.* HERT. *l. c. part. I. ſect. VII. §. XX. ſeqq.* *GOEB.*

(b) συμβολαίων κυρίας) Nonnulla hic deſiderari, fere ipſa, quæ anteceſſerunt, verba loquuntur. Nec enim illa, quæ commemorat, jam tum ſunt facta φανερὰ, ſed talia effici adhuc debuerunt. *CONR.*

(c) καὶ τούτων) Recte monet Sylburgius, convenientius eſſe: καὶ τούτου: eſt enim ſermo de ſolo δικαστικῷ. *CONR.*

(d) φονικοῦ μὲν οὖν) οὖν non habet codex Aldinus. *CONR.*

§. 11. Amplius autem præter hæc omnia de parvis contractibus quæcunque unius drachmæ, & quinque drachmarum, aut paulo majore pecunia (oportet enim de his quoque judicium fieri) non cadunt autem in multitudinem judicum.

§. 12. Verum de his omittatur, & de cauſis necis, & de peregrinis. De rebus autem civilibus diſſeramus: de quibus niſi recte adminiſtrentur, diſcordiæ fiunt, & mutationes rerumpublicarum.

§. 13. Neceſſe autem eſt, ſive omnes de omnibus exiſtimare, quæ diviſa ſunt, ſuffragiis vel ſorte: vel omnes de omnibus, partim ſorte, partim ſuffragiis vel de quibusdam iisdem, hos quidem ſorte, hos autem delectos.

§. 14. Hi ſunt igitur modi quatuor numero. *Totidemque alii ſunt* (*a*) & qui particulatim: rurſus enim, e quibusdam, & qui judicant de omnibus ſuffragiis, vel e quibusdam de omnibus ſorte: vel hæc quidem ſorte, hæc autem ſuffragiis: vel quædam judicia de iisdem rebus, e judicibus ſorte ductis & ſuffragiis creatis.

§. 15. Hi igitur modi, quemadmodum traditi ſunt, iidem ſunt atque illi, qui dicti.

§. 16. Amplius autem eadem copulata. Dico autem, ceu hæc quidem ex omnibus, hæc autem e quibusdam, hæc autem ex ambobus: ceu, ſi ejusdem judicii forent hi quidem ex omnibus, hi vero e quibusdam; & vel ſorte, vel ſuffragiis, vel ambobus.

§. 17. Quot igitur modis judicia contingit eſſe, traditum eſt.

§. 18. Horum autem prima quidem popularia ſunt, quæcunque ex omnibus vel de omnibus: ſecunda vero dominatus paucorum peculiaria ſunt, quæcunque e quibusdam de omnibus: tertia autem accommodata optimatibus & reipublicæ, quæcunque partim ex omnibus, partim e quibusdam.

§. 11. Ἔτι δὲ παρὰ πάντα ταῦτα περὶ τῶν μικρῶν συναλλαγμάτων, ὅσα δραχμιαῖα, καὶ πεντάδραχμα, καὶ μικρῷ πλείονος. δεῖ μὲν γὰρ καὶ περὶ τούτων γίνεσθαι κρίσιν· οὐκ ἐμπίπτει δὲ εἰς δικαστῶν πλῆθος.

§. 12. Ἀλλὰ περὶ μὲν τούτων ἀφείσθω, καὶ τῶν φονικῶν, καὶ τῶν ξενικῶν· περὶ δὲ τῶν πολιτικῶν λέγωμεν· περὶ ὧν μὴ γινομένων καλῶς, διαστάσεις γίνονται, καὶ τῶν πολιτειῶν αἱ κινήσεις.

§. 13. Ἀνάγκη δ' ἤτοι πάντας περὶ πάντων κρίνειν τῶν διῃρημένων, αἱρέσει, ἢ κλήρῳ· ἢ πάντας περὶ πάντων, τὰ μὲν κλήρῳ, τὰ δ' αἱρέσει· ἢ περὶ ἐνίων τῶν αὐτῶν τοὺς μὲν κληρωτοὺς, (*b*) τοὺς δ' αἱρετούς.

§. 14. Οὗτοι μὲν οὖν οἱ τρόποι τέτταρες τὸν ἀριθμόν. τοσοῦτοι δ' ἕτεροι καὶ οἱ κατὰ μέρος. πάλιν γὰρ ἐκ τινῶν καὶ οἱ δικάζοντες περὶ πάντων αἱρέσει, ἢ ἐκ τινῶν περὶ πάντων κλήρῳ· ἢ τὰ μὲν κλήρῳ, τὰ δὲ αἱρέσει· ἢ ἔνια δικαστήρια περὶ τῶν αὐτῶν ἐκ κληρωτῶν καὶ αἱρετῶν·

§. 15. Οὗτοι μὲν οὖν ὥσπερ ἐλέχθησαν, οἱ τρόποι τοῖς εἰρημένοις. (*c*)

§. 16. Ἔτι δὲ τὰ αὐτὰ συνδυαζόμενα. λέγω δ' οἷον, τὰ μὲν ἐκ πάντων, τὰ δ' ἐκ τινῶν, τὰ δ' ἐξ ἀμφοῖν· οἷον, εἰ τοῦ αὐτοῦ δικαστηρίου εἶεν, οἱ μὲν ἐκ πάντων, οἱ δ' ἐκ τινῶν· καὶ ἢ κλήρῳ, ἢ αἱρέσει, ἢ ἀμφοῖν.

§. 17. Ὅσους μὲν οὖν ἐνδέχεται τρόπους εἶναι τὰ δικαστήρια, (*d*) εἴρηται.

§. 18. Τούτων δὲ, τὰ μὲν πρῶτα, δημοτικὰ, ὅσα ἐκ πάντων, ἢ περὶ πάντων· τὰ δὲ δεύτερα, ὀλιγαρχικὰ, ὅσα ἐκ τινῶν περὶ πάντων· τὰ δὲ τρίτα, ἀριστοκρατικὰ, καὶ πολιτικὰ, ὅσα τὰ μὲν ἐκ πάντων, τὰ δ' ἐκ τινῶν. (*e*)

* * * * * * * * * *

* * * * * * * * * *

ARI- API-

(*a*) *Totidemque alii ſunt*) Sed hæc octo judiciorum genera vix in omnibus ſocietatibus civilibus locum habebunt. CLASEN. *in politic. lib. IV. c. 6. GOEB.*

(*b*) τοὺς μὲν κληρωτοὺς) Alii nonnulli codices habent κλήρῳ; at quod ſequitur αἱρετοὺς ſatis indicat, legendum quoque κληρωτούς. *CONR.*

(*c*) οἱ τρόποι τοῖς εἰρημένοις) Inſolens φράσις. forte: τῶν εἰρημένων. *CONR.*

(*d*) τὰ δικαστήρια) Forte τῶν δικαστηρίων. *CONR.*

(*e*) τὰ δὲ ἐκ τινῶν) Non diſſeruit Ariſtoteles, quæ judicia ſpeciebus ſingulis rerumpublicarum conveniant: non etiam ſolenni aliquo colophone, more ſolito, ſermonem concludit. Saltim igitur nonnulla deficiunt. *CONR.*

ARI-

Digitized by Google

# ARISTOTELIS POLITICORUM LIBER V.

# ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ ΠΟΛΙΤΙΚΩΝ ΤΟ Ε.

## CAPUT I.

§. 1.

De aliis igitur, quæ nobis propoſueramus, ferme dictum eſt de omnibus. E quibus autem *mutantur respublicæ*, (*a*) & quot, & qualibus, & qui ſingularum rerumpublicar. interitus, & e quibus in quales maxime tranſeunt: adhuc autem conſervationes, quæ & communiter & ſeparatim uniuscujusque ſunt: adhuc autem per quas res maxime conſervetur unaquæque respublica, conſiderandum eſt deinceps poſt jam tradita.

§. 2. Oportet autem primum animo comprehendere principium, multas extitiſſe respubl. omnibus quidem probantibus juſtum & proportione æquum: ab hoc tamen aberrantibus, quemadmodum dictum eſt etiam prius.

§. 3. Status namque multitudinis extitit, quia, qui ſimiles ſunt quadam in re, putant ſimpliciter ſe eſſe ſimiles. Quia enim liberi cuncti ſunt ſimiliter, ſimpliciter eſſe exiſtimant. Dominatus autem paucorum, quia, qui inæquales ſunt in uno quopiam, omnino ſe eſſe inæquales arbitrantur. Cum enim in re familiari inæquales ſint, omnino eſſe ſe inæquales exiſtimant.

§. 4. Deinde, hi quidem, tanquam æquales, omnium æqualium poſtulant ſe participes eſſe: hi vero, ut inæquales, plus habere quærunt. quod enim plus eſt, inæquale eſt.

§. 5. Cunctæ igitur respublicæ genus quoddam juſti amplexantur, ſimpliciter autem affines errori ſunt. Et hanc ob cauſam, cum contigerit, utrosque minime pro ſua opinione habentes, communicare republica, ſeditioſe agunt.

§. 6. Omnium autem juſtiſſime ſeditionum autores forent, minime autem hoc faciunt, qui antecellunt virtute. maxime enim convenit, inæquales ſimpliciter hos ſolum eſſe.

§. 7. Sunt autem nonnulli, qui cum genere præſtent, non exiſtimant ſe dignos æqualibus propter inæqualitatem hanc: nobiles enim eſſe videntur, quibus adeſt majorum virtus & divitiæ.

§. 8. Principia igitur, ut ita loquar, hæc ſunt & fontes ſeditionum, unde incipiunt ſeditionibus agitari. * * *

** **

§. 9. Quare & duobus modis fiunt ſeditiones.

§. 10.

§. 1.

Περὶ μὲν οὖν τῶν ἄλλων ὧν προειλόμεθα, σχεδὸν εἴρηται περὶ πάντων. ἐκ τίνων δὲ μεταβάλλουσιν αἱ πολιτεῖαι, καὶ πόσων, καὶ ποίων, καὶ τίνες ἑκάστης πολιτείας φθοραὶ, καὶ ἐκ ποίων εἰς ποίας μάλιστα μεθίστανται· ἔτι δὲ σωτηρίαι τίνες καὶ κοινῇ καὶ χωρὶς ἑκάστης εἰσίν· ἔτι δὲ διὰ τίνων ἂν μάλιστα σώζοιτο τῶν πολιτειῶν ἑκάστη, σκεπτέον ἐφεξῆς τοῖς εἰρημένοις.

§. 2. Δεῖ δὲ πρῶτον ὑπολαβεῖν τὴν ἀρχὴν, (*b*) ὅτι πολλαὶ γεγένηνται πολιτεῖαι, πάντων μὲν ὁμολογούντων τὸ δίκαιον, καὶ τὸ κατ᾽ ἀναλογίαν ἴσον· τούτου δ᾽ ἁμαρτανόντων, ὥσπερ εἴρηται καὶ πρότερον.

§. 3. Δῆμος μὲν γὰρ ἐγένετο, ἐκ τοῦ ἴσους ὁτιοῦν ὄντας, οἴεσθαι ἁπλῶς ἴσους εἶναι· ὅτι γὰρ ἐλεύθεροι πάντες ὁμοίως, (*c*) ἁπλῶς εἶναι νομίζουσιν. ὀλιγαρχία δὲ, ἐκ τοῦ ἀνίσους ἕν τι ὄντας, ὅλως εἶναι ἀνίσους ὑπολαμβάνειν· κατ᾽ οὐσίαν γὰρ ἄνισοι ὄντες, ἁπλῶς ἄνισοι ὑπολαμβάνουσιν εἶναι.

§. 4. Εἶτα, οἱ μὲν, ὡς ἴσοι ὄντες, πάντων τῶν ἴσων ἀξιοῦσι μετέχειν· οἱ δ᾽, ὡς ἄνισοι ὄντες, πλεονεκτεῖν ζητοῦσι· τὸ γὰρ πλεῖον, ἄνισον.

§. 5. Ἔχουσι μὲν οὖν τι πᾶσαι δίκαιον· ἡμαρτημέναι δ᾽ ἁπλῶς εἰσί. καὶ διὰ ταύτην τὴν αἰτίαν, ὅταν μὴ κατὰ τὴν ὑπόληψιν, ἣν ἑκάτεροι (*d*) τυγχάνουσιν ἔχοντες, μετέχωσι τῆς πολιτείας, στασιάζουσι.

§. 6. Πάντων δὲ δικαιότατα μὲν ἂν στασιάζοιεν, ἥκιστα δὲ τοῦτο πράττουσιν οἱ κατ᾽ ἀρετὴν διαφέροντες· μάλιστα γὰρ εὔλογον ἀνίσους ἁπλῶς εἶναι τούτους μόνον.

§. 7. Εἰσὶ δέ τινες οἳ κατὰ γένος ὑπερέχοντες, οὐκ ἀξιοῦσι τῶν ἴσων αὑτοὺς, διὰ τὴν ἀνισότητα ταύτην· εὐγενεῖς γὰρ εἶναι δοκοῦσιν, οἷς ὑπάρχει προγόνων ἀρετὴ, καὶ πλοῦτος.

§. 8. Ἀρχαὶ μὲν οὖν, ὡς εἰπεῖν, αὗται, καὶ πηγαὶ τῶν στάσεων εἰσιν, ὅθεν στασιάζουσι.

* * * *

** **

§. 9. Διὸ καὶ αἱ (*e*) μεταβολαὶ γίγνονται διχῶς. (*f*)

§. 10.

(*a*) *Mutantur respublicæ*) In hoc capite ſummas ſeditionum & motuum tradit cauſas, deinde addit, quæ remedia illis morbis ſint adhibenda, & porro ad ſpecialiora transgreditur. PICCARTUS. *GOEB.*

(*b*) ὑπολαβεῖν τὴν ἀρχὴν) Lambinus: ὑπολαβεῖν, τὴν ἀρχὴν. *CONR.*

(*c*) πάντες ὁμοίως) Caſaubonus pulchre. ἐλεύθεροι πάντες ὁμοίως, ὁμοίους ἁπλῶς εἶναι. *CONR.*

(*d*) ἣν ἑκάτεροι) In Aldino deeſt, haud exiguo ſenſus vitio, ἣν. *CONR.*

(*e*) διὸ καὶ αἱ) Illud διὸ non poteſt referri ad ea, quæ antecesſerunt: deſunt igitur nonnulla. *CONR.*

(*f*) διχῶς) Ita quidem & Vetus interpres legit, probavitque Victorius. At vero in Aldino aliisque editionibus eſt δικαίως, quod & Lambino placuit. Ariſtoteles ſane hoc ipſo loco non duas, ſed quatuor adducit ſeditionum ſpecies. *CONR.*



Digitized by Google

§. 10. Aliquando enim adverſus rempublicam, ut ex ea, quæ conſtituta eſt, aliam inducant: ceu e ſtatu multitudinis dominatum paucorum, vel ſtatum multitudinis e dominatu paucorum, vel rempublicam & ſtatum optimorum ex his: vel has ex illis.

§. 11. Aliquando autem non adverſus rempublicam conſtitutam, ſed ſtatum eundem reipublicæ amant: per ſemet tamen magis regi hunc volunt: ceu paucorum dominatum, vel imperium unius.

§. 12. Amplius pugnant de majore & minore. Ceu, aut paucorum dominatum exiſtentem, ut magis intendatur vel remittatur. Vel ſtatum multitudinis exiſtentem, ut magis in poteſtate multitudinis ſit vel minus. Similiter autem in cæteris rebuspublicis, vel ut intendantur vel remittantur.

§. 13. Amplius autem ad partem aliquam movendam reipublicæ, ceu magiſtratum aliquem conſtituere, vel tollere. Quemadmodum Lacedæmone ajunt quidam Lyſandrum aggreſſum eſſe regnum diſſolvere, & Pauſaniam regem Ephororum magiſtratum. Epidamni quoque reſpublica mutata eſt quadam parte: nam pro Phylarchis conſilium conſtituerunt. In Heliæam autem,

** **

§. 14. Neceſſe eſt adhuc accedere magiſtratus, qui ſunt in republica cum plebiſcito creetur magiſtratus aliquis.

§. 15. Peculiare autem dominatus paucorum erat & prætor unus in hac republica.

** **

§. 16. Ubique enim *propter inæqualitatem* (*a*) exoritur ſeditio. Non tamen inæqualibus adeſt, quod proportione fit. Perpetuum enim regnum inæquale, cum fuerit in æqualibus.

** **

§. 17. Omnino enim æquale quærentes, ſeditiones movent.

§. 18. Eſt autem duplex æquale: hoc quidem enim numero, hoc autem dignitate eſt. Dico autem numero, quod multitudine vel magnitudine idem eſt & æquale: dignitate autem, quod ratione.

§. 19. Ceu ſuperant numero pari tria duo, & hæc unum: ratione autem quatuor duo, & hæc unum. æqualis enim pars duo quatuor, & unum duorum: ambo enim dimidia.

§. 20. Confitentes autem ſimpliciter juſtum eſſe,

§. 10. Ὁτὲ μὲν γὰρ πρὸς τὴν πολιτείαν, ὅπως ἐκ τῆς καθεστηκυίας ἄλλην καταστήσωσιν· (*b*) οἷον, ἐκ δημοκρατίας ὀλιγαρχίαν, ἢ δημοκρατίαν ἐξ ὀλιγαρχίας, ἢ πολιτείαν καὶ ἀριστοκρατίαν ἐκ τούτων· ἢ ταύτας ἐξ ἐκείνων.

§. 11. Ὁτὲ δ᾽ οὐ πρὸς τὴν καθεστηκυῖαν πολιτείαν, ἀλλὰ τὴν μὲν κατάστασιν προαιροῦνται τὴν αὐτήν· δι᾽ αὐτῶν δ᾽ εἶναι βούλονται ταύτην· οἷον τὴν ὀλιγαρχίαν, ἢ τὴν μοναρχίαν.

§. 12. Ἔτι περὶ τοῦ μᾶλλον καὶ ἧττον· οἷον, ἢ ὀλιγαρχίαν οὖσαν, εἰς τὸ μᾶλλον ὀλιγαρχεῖσθαι, ἢ εἰς τὸ ἧττον· ἢ δημοκρατίαν οὖσαν, εἰς τὸ μᾶλλον δημοκρατεῖσθαι, ἢ εἰς τὸ ἧττον. ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν λοιπῶν πολιτειῶν, ἢ ἵνα (*c*) ἐπιταθῶσιν ἢ ἀνεθῶσιν.

§. 13. Ἔτι πρὸς τὸ μέρος τι κινῆσαι τῆς πολιτείας, οἷον, ἀρχήν τινα καταστῆσαι, ἢ ἀνελεῖν. ὥσπερ ἐν Λακεδαίμονί φασι Λύσανδρόν τινες ἐπιχειρῆσαι καταλῦσαι τὴν βασιλείαν· καὶ Παυσανίαν τὸν βασιλέα τὴν ἐφορείαν. (*d*) καὶ ἐν Ἐπιδάμνῳ δὲ μετέβαλεν ἡ πολιτεία κατὰ μόριον· ἀντὶ γὰρ τῶν φυλάρχων, βουλὴν ἐποίησαν. εἰς δὲ τὴν Ἡλιαίαν.

** **

§. 14. Ἐπάναγκές ἐστιν (*e*) ἔτι τῷ αὐτῷ πολιτεύματι (*f*) βαδίζειν τὰς ἀρχὰς, ὅταν ἐπιψηφίζηται ἀρχή τις.

§. 15. Ὀλιγαρχικὸν δὲ καὶ ὁ ἄρχων ὁ εἷς ἦν ἐν τῇ πολιτείᾳ ταύτῃ. * * *

** **

§. 16. Πανταχοῦ γὰρ (*g*) διὰ τὸ ἄνισον ἡ στάσις· οὐ μὴν τοῖς ἀνίσοις ὑπάρχει ἀνάλογον· αἴδιος γὰρ βασιλεία ἄνισος, ἐὰν ᾖ ἐν ἴσοις * * *

** **

§. 17. Ὅλως γὰρ (*h*) τὸ ἶσον ζητοῦντες στασιάζουσιν.

§. 18. Ἔστι δὲ διττὸν τὸ ἶσον· τὸ μὲν γὰρ, ἀριθμῷ· τὸ δὲ, κατ᾽ ἀξίαν ἐστί. λέγω δὲ, ἀριθμῷ μὲν, τὸ πλήθει ἢ μεγέθει ταὐτὸν τὸν (*i*) καὶ ἶσον· κατ᾽ ἀξίαν δὲ, τὸ τῷ λόγῳ.

§. 19. Οἷον ὑπερέχει, κατ᾽ ἀριθμὸν μὲν ἶσον τὰ τρία τοῖν δυοῖν, καὶ ταῦτα τοῦ ἑνός· λόγῳ δὲ, τέτταρα τοῖν δυοῖν, καὶ ταῦτα τοῦ ἑνός· ἶσον γὰρ μέρος τὰ δύο τῶν τεττάρων, καὶ τὸ ἓν τοῖν δυοῖν· ἄμφω γὰρ ἡμίση.

§. 20. Ὁμολογοῦντες δὲ (τὸ) (*k*) ἁπλῶς εἶναι

---

(*a*) *Propter inæqualitatem*) PICCARTUS *p.* 663. *GOEB.*

(*b*) καταστήσωσιν) Aldus, Zvvingerus & Caſaubonus: μεταστήσωσιν. Sed perinde eſt. *CONR.*

(*c*) ἢ ἵνα) Tranſpoſitio facta eſt: ἵνα ἢ ἐπιταθῶσιν. *CONR.*

(*d*) Ἐφορείαν) Alii ἐφορίαν. *CONR.*

(*e*) ἐπάναγκές ἐστιν) Hæc nihil faciunt ad illuſtrandum id, quod ultimo loco dixerat: interdum ſeditiones fieri contra unam civitatis partem. Videntur verba quædam excidiſſe. Loquitur autem de republica Athenienſi. *CONR.*

(*f*) τῷ αὐτῷ πολιτευμ.) Caſaubonus: τῶν ἐν τῷ πολιτεύματι. *CONR.*

(*g*) πανταχοῦ γὰρ) Neutiquam hæc cum prioribus cohærent. Aldus quoque habet πάντων forte pro πάντως. *CONR.*

(*h*) ὅλως γὰρ) Iterum videntur quædam excidiſſe, etſi non multa. *CONR.*

(*i*) μεγέθει ταυτὸν) Aldus ταυτὸ. Quod fere perinde eſt. *CONR.*

(*k*) (τὸ)) Non expreſſit Victorii verſio: at Lambinus: *de eo, quod juſtum eſt ſimpliciter.* Revera & paulo poſt ſi abſit εἶναι fuerit ſatius. Nempe ſi dictum ſit: ὁμολογοῦντες τὸ ἁπλῶς δίκαιον, id optime reſponderit ſequente: τὸ κατ᾽ ἀξίαν διαφέρονται. In juſto ſcilicet arithmetico conſentiunt, at non in illo κατ᾽ ἀξίαν. *CONR.*

Digitized by Google

eſſe, quod e dignitate fit, diſſentiunt, quemadmodum prius dictum eſt. Hi quidem, quia cum aliqua in re æquales extiterint, omnino æquales ſe exiſtimant eſſe. Hi vero, quia cum in aliqua re inæquales, omnibus rebus inæqualibus ſe dignos eſſe arbitrantur.

καὶ δίκαιον, τὸ κατ᾽ ἀξίαν διαφέρονται, καθάπερ ἐλέχθη πρότερον· οἱ μὲν, ὅτι, ἐὰν κατά τι ἴσοι ὦσιν, ὅλως ἴσοι νομίζουσιν εἶναι· οἱ δ᾽, ὅτι, ἐὰν κατά τι ἄνισοι, πάντων ἀνίσων ἀξιοῦσιν ἑαυτούς.

** **

§. 21. Qua de cauſa duæ maxime exiſtunt respublicæ, populus & dominatus paucorum. Nobilitas enim & virtus in paucis, hæc vero in multis. Nobiles enim & probi nullibi centum, pauperes autem multi multis locis.

§. 21. Διὸ καὶ (b) μάλιστα δύο γίνονται πολιτεῖαι, δῆμος καὶ ὀλιγαρχία· εὐγένεια γὰρ καὶ ἀρετὴ, ἐν ὀλίγοις· ταῦτα δ᾽, ἐν πλείοσιν· (c) εὐγενεῖς γὰρ καὶ ἀγαθοὶ οὐδαμοῦ ἑκατόν· ἄποροι (d) δὲ πολλοὶ πολλαχοῦ.

§. 22. Simpliciter autem omnino per utramque æqualitatem rempublicam conſtitutam eſſe, vitio affine eſt. Manifeſtum autem hoc eſt ex eo, quod uſu venit: nulla namque ſtabilis eſt harum rerumpublicarum.

§. 22. Τὸ δὲ ἁπλῶς πάντη καθ᾽ ἑκατέραν τετάχθαι τὴν ἰσότητα, φαῦλον. Φανερὸν δ᾽ ἐκ τοῦ συμβαίνοντος· οὐδεμία γὰρ μόνιμος ἐκ τῶν τοιούτων πολιτειῶν.

§. 23. Hujus vero cauſa eſt, quod fieri non poteſt, quin ab eo, quod initio culpam in ſe continet, non incidatur ad extremum in malum aliquod.

§. 23. Τούτου δ᾽ αἴτιον, ὅτι ἀδύνατον ἀπὸ τοῦ πρώτου καὶ τοῦ ἐν ἀρχῇ ἡμαρτημένου, μὴ ἀπαντᾷν εἰς τὸ τέλος κακόν τι.

§. 24. Quare oportet in his quidem uti æqualitate, quæ numeris conſtat: in his vero illa, quæ dignitatem attendit.

§. 24. Διὸ δεῖ, τὰ μὲν ἀριθμητικῇ ἰσότητι χρῆσθαι, τὰ δὲ τῇ κατ᾽ ἀξίαν.

** **

§. 25. Attamen tutior eſt & magis vacuus a ſeditionibus ſtatus populi, quam *dominatus* (a) paucorum. In dominatibus enim paucorum exoriuntur duæ, ſeditio inter ipſos & adhuc qua certant cum populo: In ſtatibus vero multitudinis duntaxat, qua pugnant cum dominatu paucorum. Ipſi autem populo adverſus ſemetipſum non exiſtit, quæ debeat ſeditionis nomine notari.

§. 25. Ὅμως δὲ ἀσφαλεστέρα (e) καὶ ἀστασίαστος μᾶλλον ἡ δημοκρατία τῆς ὀλιγαρχίας· ἐν μὲν γὰρ ταῖς ὀλιγαρχίαις ἐγγίνονται δύο, ἥ τε πρὸς ἀλλήλους στάσις, καὶ ἔτι ἡ πρὸς τὸν δῆμον· ἐν δὲ ταῖς δημοκρατίαις, ἡ πρὸς τὴν ὀλιγαρχίαν μόνον. αὐτῷ δὲ πρὸς αὐτὸν, ὅ τι καὶ ἄξιον εἰπεῖν, οὐκ ἐγγίγνεται τῷ δήμῳ στάσις.

§. 26. Præterea reſpublica, quæ conſtat e mediocribus, propius accedit ad populum, quam ſtatus paucorum, quæ tutiſſima eſt hujuscemodi rerumpublicarum.

§. 26. Ἔτι δὲ ἡ ἐκ τῶν μέσων πολιτεία, ἐγγυτέρω τοῦ δήμου, ἢ ἡ τῶν ὀλίγων, ἥπερ ἐστὶν ἀσφαλεστάτη τῶν τοιούτων πολιτειῶν. (f) * *

** ** ** **

# CAP. II.

§. 1.

II. Quia autem indagamus, ex quibus rebus naſcuntur ſeditiones & mutationes in rebuspublicis, ſumendum in univerſum primum eſt principia & cauſas ipſarum.

§. 1.

II. Ἐπεὶ δὲ σκοποῦμεν ἐκ τίνων αἵ τε στάσεις γίγνονται, καὶ αἱ μεταβολαὶ περὶ τὰς πολιτείας, ληπτέον καθόλου πρῶτον τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς αἰτίας αὐτῶν.

§. 2. Sunt autem ferme, ut ita dicam, tres numero, quas oportet definire per ſe craſſo modo primum. Opus eſt enim primum capere, quomodo diſpoſiti ſeditiones movent: & quarum rerum cauſa: tertium autem, quæ initia ſunt civilium turbarum & ſeditionum, quas inter ſe exercent.

§. 2. Εἰσὶ δὲ σχεδὸν, ὡς εἰπεῖν, τρεῖς τὸν ἀριθμόν· ἃς διοριστέον καθ᾽ αὐτὰς τύπῳ πρῶτον. δεῖ γὰρ λαβεῖν, πῶς τε ἔχοντες στασιάζουσι, καὶ τίνων ἕνεκεν. καὶ τρίτον, τίνες ἀρχαὶ γίγνονται τῶν πολιτικῶν ταραχῶν, καὶ τῶν πρὸς ἀλλήλους στάσεων.

§. 3. Quod igitur facti ipſi aliquo modo ſint ad mutationem, cauſam in univerſum maxime ſtatuendum eſt, de qua jam diximus. Hi namque appetentes æqualitatem, autores ſunt ſeditionum: ſi exiſtimarint ſe minus habere, cum æquales

§. 3. Τοῦ μὲν οὖν αὐτοὺς ἔχειν πως πρὸς τὴν μεταβολὴν, αἰτίαν καθόλου μάλιστα θετέον, περὶ ἧς ἤδη τυγχάνομεν εἰρηκότες. οἱ μὲν γὰρ ἰσότητος ἐφιέμενοι, στασιάζουσιν, ἂν νομίζωσιν ἔλαττον ἔχειν, ὄντες ἴσοι τοῖς πλεονεκτοῦσιν· οἱ δὲ τῆς ἀν-

(a) *Dominatus*) Vix hodie ſeditiones ſunt metuendæ, cum rerumpublicarum rectores perpetuo ſint inſtructi milite. *GOEB.*

(b) διὸ καὶ) Illud διὸ indicat lacunam. Nec enim hoc ſequitur ex præcedentibus. *CONR.*

(c) ταῦτα δὲ, ἐν πλείοσιν·) Ita quidem & Victorius, Lambinus vero τἀναντία *horum contraria:* poſterius verum eſt, quæ autem illa ſint ταῦτα, non liquet. *CONR.*

(d) ἄποροι) Male Aldus εὔποροι: horum enim ſolet numerus eſſe tenuior. *CONR.*

(e) ὅμως δὲ ἀσφαλ.) Non cohærere hæc ſuperioribus, manifeſtum eſt. Hiulca igitur oratio eſt. *CONR.*

(f) Τοιούτων πολιτειῶν) Non concluditur ſermo, prout debebat: ſed & totum illud, quod dictum erat, poſſit videri ab hoc loco alienius. Itaque eſt veriſimile, itidem quædam heic periiſſe. *CONR.*

Digitized by Google

æquales ſint iis, qui plus obtinent. Hi autem inæqualitatem & exuperantiam: ſi putaverint, cum ſint inæquales, non plus habere, ſed æquale aut minus.

ἀνισότητος καὶ τῆς ὑπεροχῆς, ἂν ὑπολαμβάνωσιν, ὄντες ἄνισοι, μὴ πλέον ἔχειν, ἀλλ' ἴσον ἢ ἔλαττον.

§. 4. Hæc autem licet appetere juſte: licet etiam injuſte. Inferiores namque exiſtentes, ut æquales ſint, ſeditioſe agunt: & æquales exiſtentes, ut majores.

§. 4. Τούτων δ', ἔστι μὲν ὀρέγεσθαι δικαίως, ἔστι δὲ καὶ ἀδίκως. ἐλάττους τε γὰρ ὄντες, ὅπως ἴσοι ὦσι, στασιάζουσι· καὶ ἴσοι ὄντες, ὅπως μείζους.

§. 5. Quomodo igitur facti ſeditioſe agunt, dictum eſt.

§. 5. Πῶς μὲν οὖν ἔχοντες στασιάζουσιν, εἴρηται.

§. 6. De quibus autem ſeditiones movent, ſunt *lucrum* (a) & honor, & contraria his. etenim ignominiam declinantes & multam, vel pro ſe vel pro amicis, ſeditionum autores ſunt in civitatibus.

§. 6. Περὶ ὧν δὲ στασιάζουσιν, ἔστι κέρδος καὶ τιμὴ, καὶ τἀναντία τούτοις. καὶ γὰρ ἀτιμίαν φεύγοντες καὶ ζημίαν, ἢ ὑπὲρ αὑτῶν, ἢ τῶν φίλων, στασιάζουσιν ἐν ταῖς πόλεσιν.

§. 7. Cauſæ autem & initia motuum, unde ipſi (ut traditum eſt) afficiuntur dicto modo, & de iis, quæ dicta ſunt, contingit quidem, ut numero ſeptem ſint: contingit, etiam ut plures.

§. 7. Αἱ δ' αἰτίαι καὶ ἀρχαὶ τῶν κινήσεων, ὅθεν αὐτοί τε διατίθενται τὸν εἰρημένον τρόπον, καὶ περὶ τῶν λεχθέντων, ἔστι μὲν ὡς τὸν ἀριθμὸν ἑπτὰ τυγχάνουσιν οὖσαι, ἔστι δ' ὡς πλείους.

§. 8. Quorum duo quidem ſunt eadem cum his, quæ dicta ſunt, ſed non eodem pacto. Ob lucrum enim & honorem exacuuntur inter ſe, non ut ſibi ipſis comparent (quemadmodum prius dictum eſt) ſed alios ſpectantes: hos quidem juſte, hos vero injuſte, his rebus repletos.

§. 8. Ὧν δύο μέν ἐστι ταὐτὰ τοῖς εἰρημένοις, ἀλλ' οὐχ ὡσαύτως. διὰ κέρδος γὰρ καὶ διὰ τιμὴν παροξύνονται πρὸς ἀλλήλους· οὐχ ἵνα κτήσωνται σφίσιν αὐτοῖς, ὥσπερ εἴρηται πρότερον, ἀλλ' ἑτέρους ὁρῶντες, τοὺς μὲν δικαίως, τοὺς δ' ἀδίκως πλεονεκτοῦντας τούτων.

§. 9. Amplius propter contumeliam, propter metum, propter præſtantiam, propter contemptum, propter incrementum, quod ſuperet dignitatem.

§. 9. Ἔτι διὰ ὕβριν, διὰ φόβον, διὰ ὑπεροχὴν, διὰ καταφρόνησιν, διὰ αὔξησιν τὴν παρὰ τὸ ἀνάλογον.

§. 10. Adhuc autem alio modo, propter coitionem humilium, propter neglectum, propter exilitatem, propter diſſimilitudinem.

§. 10. Ἔτι δὲ ἄλλον τρόπον, δι' ἐριθείαν, δι' ὀλιγωρίαν, διὰ μικρότητα, δι' ἀνομοιότητα.

## CAP. III.

§. 1.

III. Ex his autem contumelia & lucrum, quam vim habent, & quomodo *cauſæ ſunt*, (b) ferme apertum eſt. Quando enim magiſtratus contumeliis privatos vexant, & plus æquo ſe habere bonorum ſtudent, diſſidere incipiunt, & inter ſe & adverſus reſpublicas, quæ dant ipſis poteſtatem. Expletio autem illa bonorum injuſta provenit, aliquando quidem a rebus privatis, aliquando autem a publicis.

§. 1.

III. Τούτων δὲ, ὕβρις μὲν καὶ κέρδος τίνα ἔχουσι δύναμιν, καὶ πῶς αἴτια, σχεδόν ἐστι φανερόν. ὑβριζόντων τε γὰρ τῶν ἐν ταῖς ἀρχαῖς καὶ πλεονεκτούντων, στασιάζουσι καὶ πρὸς ἀλλήλους, καὶ πρὸς τὰς πολιτείας τὰς διδούσας τὴν ἐξουσίαν. ἡ δὲ πλεονεξία γίνεται, ὁτὲ μὲν ἀπὸ τῶν ἰδίων, ὁτὲ δὲ ἀπὸ τῶν κοινῶν.

§. 2. Perſpicuum autem eſt, & honor & quam vim habet, & quo modo cauſa eſt ſeditionis. Etenim & ipſi ignominia notati, & alios ſpectantes in honore habitos, ſeditiones movent. Hæc autem & injuſte fiunt, cum præter dignitatem aliqui, vel honorati fuerint, vel inhonorati: juſte vero, quando pro dignitate.

§. 2. Δῆλον δὲ καὶ ἡ τιμὴ, καὶ τί δύναται, καὶ πῶς αἰτία στάσεως· καὶ γὰρ αὐτοὶ ἀτιμαζόμενοι, καὶ ἄλλους ὁρῶντες τιμωμένους, στασιάζουσι. ταῦτα δὲ, ἀδίκως μὲν γίνεται ὅταν παρὰ τὴν ἀξίαν ἢ τιμῶνταί τινες, ἢ ἀτιμάζωνται· δικαίως δὲ, ὅταν κατὰ τὴν ἀξίαν.

§. 3. Propter præſtantiam autem, cum aliquis fuerit poteſtate major, vel unus, vel plures, quam ferat civitas & facultas reipublicæ. Exoriri enim ſolet ex hujuſcemodi rebus principatus vel dynaſtia. Qua de cauſa conſueverunt quibuſdam in civitatibus hos ad certum tempus ejicere e finibus: veluti Argis & Athenis. Atqui ſatius erat ab initio videre, ne in urbe forent, qui tantum cæteris anteirent: quam cum permiſerint exiſtere, poſtea mederi.

§. 3. Δι' ὑπεροχὴν δὲ, ὅταν τις ἢ τῇ δυνάμει μείζων, ἢ εἷς, ἢ πλείους, ἢ κατὰ τὴν πόλιν καὶ τὴν δύναμιν τοῦ πολιτεύματος· γίνεσθαι γὰρ εἰώθεν ἐκ τῶν τοιούτων μοναρχία, ἢ δυναστεία. διὸ ἐνιαχοῦ εἰώθασιν ὀστρακίζειν· οἷον ἐν Ἄργει καὶ Ἀθήνησι. καί τοι βέλτιον ἐξ ἀρχῆς ὁρᾶν, ὅπως μὴ ἐνέσονται τοσοῦτον ὑπερέχοντες, ἢ ἐάσαντας γενέσθαι, ἰᾶσθαι ὕστερον.

§. 4. §. 4.

(a) *Lucrum*) Vide PICCARTUM, PACIUM & FELDENUM ad h. c. *GOEB.*

(b) *Cauſæ ſunt*) Monſtrat jam, quomodo cauſæ in præcedenti capite enarratæ ſeditionem producant. *GOEB.*

§. 4. Propter metum autem ſeditiones movent, qui injuſte aliquid fecerunt, timentes, ne pœnas dent: & qui vident, ſe injuriam accepturos, ſtudentes prævenire, antequam injuria afficiantur. Quemadmodum in Rhodo nobiles coierunt in plebem propter lites, quæ ipſis intendebantur.

§. 5. Propter contemptum autem & ſeditiones movent & inſidiantur. Veluti in dominatibus paucorum, cum plures fuerint, qui participes non ſunt reipublicæ. firmiores enim putant ſe eſſe. Et in ſtatibus multitudinis divites, deſpicientes confuſionem illam & licentiam. Quemadmodum & Thebis poſt prælium in Oenophytis, cum male rempublicam adminiſtrarent, ſtatus populi fractus eſt. Et Megarenſium ſtatus itidem popularis, ob confuſionem eandem & licentiam, victis popularibus. Et Syracuſis, ante tyrannidem Gelonis. Et in Rhodo populus, antequam ſedibus pelleretur.

§. 6. Fiunt autem & propter incrementum, quod exiſtit præter proportionem, mutationes rerumpublicarum. Ut enim corpus e partibus conſtat, & oportet creſcere proportione cuſtodita, ut maneat convenientia partium: ſi autem hoc non fit, interit: cum pes quatuor cubitorum fuerit, reliquum autem corpus duorum palmorum: quandoque & in alius animantis formam mutaretur, ſi non ſolum per quantitatem, verum etiam per qualitatem creſceret, non ſervata proportione. Sic e partibus conſtat civitas, quarum ſæpe aliqua fallit vel aucta: ceu multitudo egenorum in ſtatibus multitudinis, & republica.

§. 7. Uſu venit autem hoc aliquando etiam propter caſus quoſdam. Ut Tarenti victis prælio & extinctis multis nobilibus ab Japygibus paulo poſt bellum Medorum, ſtatus populi extitit e republica. Et Argis, interfectis a Cleomene Lacone, qui erant in Hebdoma, coacti ſunt recipere in rempublicam Caſtellanos quoſdam. Et Athenis, cum terra male pugnaſſent nobiles pauciores facti ſunt. Nam in bello Laconum, delectu militum facto, militabant.

§. 8. Uſu venit autem hoc & in ſtatibus multitudinis, minus autem. pluribus enim egenis factis, vel patrimoniis auctis, mutantur in dominatus paucorum & dynaſtias.

§. 9. IV. Mutantur autem reſpublicæ etiam ſine ſeditione propter coitiones tenuium civium. Quemadmodum Herææ. propter hoc enim, cum prius ſuffragiis crearent magiſtratus, ut ſorte ducerentur, ſtatuere. deligebant enim humiles ſuique loci.

§. 10. Et propter incuriam, cum ſiverint ad magi-

§. 4. Διὰ δὲ φόβον ϛασιάζουσιν οἵ τε ἠδικηκότες, δεδιότες μὴ δῶσι δίκην· καὶ οἱ μέλλοντες ἀδικεῖσθαι, βουλόμενοι φθάσαι πρὶν ἀδικηθῆναι· ὥσπερ ἐν Ῥόδῳ συνέϛησαν οἱ γνώριμοι ἐπὶ τὸν δῆμον, διὰ τὰς ἐπιφερομένας δίκας.

§. 5. Διὰ καταφρόνησιν δὲ καὶ ϛασιάζουσι, καὶ ἐπιτίθενται· οἷον, ἔν τε ταῖς ὀλιγαρχίαις, ὅταν πλείους ὦσιν οἱ μὴ μετέχοντες τῆς πολιτείας· κρείττους γὰρ οἴονται εἶναι. καὶ ἐν ταῖς δημοκρατίαις οἱ εὔποροι, καταφρονήσαντες τῆς ἀταξίας καὶ ἀναρχίας. οἷον καὶ ἐν Θήβαις μετὰ τὴν ἐν Οἰνοφύτοις (a) μάχην, κακῶς πολιτευομένων, ἡ δημοκρατία διεφθάρη. καὶ ἡ Μεγαρέων, δι᾽ ἀταξίαν καὶ ἀναρχίαν ἡττηθέντων· καὶ ἐν Συρακούσαις, πρὸ τῆς Γέλωνος τυραννίδος· καὶ ἐν Ῥόδῳ ὁ δῆμος, πρὸ τῆς ἐπαναϛάσεως.

§. 6. Γίνονται δὲ καὶ δι᾽ αὔξησιν τὴν παρὰ τὸ ἀνάλογον μεταβολαὶ τῶν πολιτειῶν. ὥσπερ γὰρ σῶμα ἐκ μερῶν σύγκειται. καὶ δεῖ αὐξάνεσθαι ἀνάλογον, ἵνα μένῃ συμμετρία· εἰ δὲ μὴ, φθείρεται· ὅταν, ὁ μὲν ποὺς, τεττάρων πηχῶν ᾖ· τὸ δ᾽ ἄλλο σῶμα, δυοῖν σπιθαμαῖν. ἐνίοτε δὲ, κἂν εἰς ἄλλου ζώου μεταβάλλοι μορφὴν, εἰ μὴ μόνον κατὰ τὸ ποσὸν, ἀλλὰ καὶ κατὰ τὸ ποιὸν αὐξάνοιτο παρὰ τὸ ἀνάλογον. οὕτω καὶ πόλις σύγκειται ἐκ μερῶν, ὧν πολλάκις λανθάνει τι αὐξανόμενον· οἷον, τὸ τῶν ἀπόρων πλῆθος ἐν ταῖς δημοκρατίαις καὶ πολιτείαις.

§. 7. Συμβαίνει δ᾽ ἐνίοτε τοῦτο καὶ διὰ τύχας· οἷον, ἐν Τάραντι ἡττηθέντων καὶ ἀπολομένων πολλῶν γνωρίμων ὑπὸ τῶν Ἰαπύγων, μικρὸν ὕϛερον τῶν Μηδικῶν, δημοκρατία ἐγένετο ἐκ πολιτείας. καὶ ἐν Ἄργει, τῶν ἐν τῇ Ἑβδόμῃ (b) ἀπολομένων ὑπὸ Κλεομένους τοῦ Λάκωνος, ἠναγκάσθησαν παραδέξασθαι τῶν περιοίκων τινάς· καὶ ἐν Ἀθήναις ἀτυχούντων πεζῇ, οἱ γνώριμοι ἐλάττους ἐγένοντο, διὰ τὸ ἐκ καταλόγου ϛρατεύεσθαι ὑπὸ τὸν Λακωνικὸν πόλεμον.

§. 8. Συμβαίνει δὲ τοῦτο καὶ ἐν ταῖς δημοκρατίαις· ἧττον δὲ πλειόνων γὰρ τῶν ἀπόρων γινομένων, (c) ἢ τῶν οὐσιῶν αὐξανομένων, μεταβάλλουσιν εἰς ὀλιγαρχίας καὶ δυναϛείας.

§. 9. IV. Μεταβάλλουσι δ᾽ αἱ πολιτεῖαι καὶ ἄνευ ϛάσεως, διά τε τὰς ἐριθείας, ὥσπερ ἐν Ἡραίᾳ· ἐξ αἱρετῶν γὰρ διὰ τοῦτο ἐποίησαν κληρωτὰς, ὅτι ᾑροῦντο τοὺς ἐριθευομένους.

§. 10. Καὶ δι᾽ ὀλιγωρίαν, ὅταν ἐάσωσιν εἰς τὰς

(a) ἐν Οἰνοφύτοις) Curavimus, vocabulum hoc exprimi majuſcula litera initiali: quoniam non eſt appellativum ceu Victorii verſio refert, ſed proprium nomen loci in Bœotia, cujus meminit etiam Thucydidis Scholiaſtes. *CONR.*

(b) ἐν τῇ Ἑβδόμῃ) Idem quod ante obſervavimus, etiam in exprimenda voce Ἑβδόμης obſervandum. Videtur enim eſſe loci nomen, aut certe ordinis vel dignitatis in republica Argivorum, quod placuit Victorio. Viderunt vero hoc etiam Lambinus & interpres Vetus, interpretantes: *in Ebdoma.* *CONR.*

(c) ἀπόρων γινομένων) Aldus habet εὐπόρων. Quod placuit Lambino & Giphanio: ut noſtrum Victorio. Videtur legendum εὐπόρων, quia convenit cum illo mox addito: ἢ τῶν οὐσιῶν αὐξανομένων. Non tamen apparet, quomodo ex democratia poſſit fieri δυναϛεία, ſi multi fiant locupletes. Retinendam itaque exiſtimo vocem ἀπόρων, ſed paulo poſt pro οὐσιῶν ſcribendum ὀλίγων. Ut ſenſus ſit: *Si multi in democratia fiant egeni & pauci ditescant, tum democratias mutari in oligarchias & dynaſtias:* quod eſt veriſſimum. *CONR.*



Digitized by Google

magiſtratus ſummæ poteſtatis pervenire illos, qui non ſunt amici reipublicæ. Quemadmodum Orei diſſolutus eſt dominatus paucorum, cum Heracleodorus, unus eorum, qui imperium haberent, factus eſt: qui e dominatu paucorum, rempublicam & ſtatum multitudinis conſtituit.

τὰς ἀρχὰς τὰς κυρίας παριέναι τοὺς μὴ τῆς πολιτείας φίλους· ὥσπερ ἐν Ὠρεῷ (a) κατελύθη ἡ ὀλιγαρχία τῶν ἀρχόντων γενομένου Ἡρακλεοδώρου, ὃς ἐξ ὀλιγαρχίας πολιτείαν καὶ δημοκρατίαν κατεσκεύασεν.

§. 11. Amplius ex eo, quod pro parvo habetur. Dico autem pro parvo, quia ſæpe fallit magna, quæ fit, legum migratio, cum parvum neglexerint. Veluti Ambraciæ parvus erat cenſus. ad extremum imperium habebant homines nullius cenſus. tanquam propinquum ſit parvum nulli, vel nihil interſit inter parvum & nullum.

§. 11. Ἔτι διὰ τὸ παρὰ μικρόν. λέγω δὲ παρὰ μικρὸν, ὅτι πολλάκις λανθάνει μεγάλη γινομένη μετάβασις τῶν νομίμων, ὅταν παρορῶσι τὸ μικρόν. ὥσπερ ἐν Ἀμβρακίᾳ μικρὸν ἦν τὸ τίμημα· τέλος δ᾽ οὐθενὸς ἦρχον. ὡς ἐγγιον ἢ μηθὲν διαφέρον τοῦ μηθὲν τὸ μικρόν.

** ** ** **

§. 12. Quod etiam non ejuſdem gentis eſt, pronum eſt ad ſeditiones, donec conſpirarit. Quemadmodum enim non e qualibet multitudine fit civitas: ita neque in quolibet tempore. Quare quicunque ad hanc ætatem receperunt, qui una ſecum urbem conderent, vel condita jam illa ſibi aſciſcerent, maxima pars eorum ſeditionibus vexati ſunt.

§. 12. Στασιωτικὸν δὲ (b) καὶ τὸ μὴ ὁμόφυλον, ἕως ἂν συμπνεύσῃ. ὥσπερ γὰρ οὐδ᾽ ἐκ τοῦ τυχόντος πλήθους πόλις γίγνεται, οὕτως οὐδ᾽ ἐν τῷ τυχόντι χρόνῳ. διὸ ὅσοι ἤδη συνοίκους ἐδέξαντο ἢ ἐποίκους, οἱ πλεῖστοι ἐστασίασαν.

§. 13. Veluti Achæi una cum Trœzeniis Sybarin condiderunt. deinde Achæi, cum creviſſent numero, ejecerunt Trœzenios. unde ſcelus exſtitit Sybaritis.

§. 13. Οἷον, Τροιζηνίοις Ἀχαιοὶ συνῴκησαν (c) Σύβαριν· εἶτα πλείους οἱ Ἀχαιοὶ γενόμενοι, ἐξέβαλον τοὺς Τροιζηνίους. ὅθεν τὸ ἄγος συνέβη τοῖς Συβαρίταις.

§. 14. Et in Thuriis Sybaritæ cum his, qui ſimul urbem condiderant, cum poſtularent plus rerum bonarum habere, quia ager ſuus fuiſſet, expulſi ſunt.

§. 14. Καὶ ἐν Θουρίοις Συβαρῖται τοῖς συνοικήσασι. πλεονεκτεῖν γὰρ ἀξιοῦντες, ὡς σφετέρας τῆς χώρας, ἐξέπεσον.

§. 15. Et Byzantiis, qui numero eorum aggregati fuerant imponentes, inſidiis cognitis, armis ejecti ex oppido ſunt.

§. 15. Καὶ Βυζαντίοις οἱ ἔποικοι ἐπιβουλεύοντες φωραθέντες, ἐξέπεσον διὰ μάχης.

§. 16. Et Antiſſæi, cum Chiorum exules in civitatem recepiſſent, victos eos prælio ejecerunt.

§. 16. Καὶ Ἀντισσαῖοι τοὺς Χίων φυγάδας εἰσδεξάμενοι, διὰ μάχης ἐξέβαλον.

§. 17. Zanclæi vero, receptis Samiis in urbem, exturbati & ipſi ſedibus ſuis ſunt.

§. 17. Ζαγκλαῖοι δὲ Σαμίους ὑποδεξάμενοι ἐξέπεσον καὶ αὐτοί.

§. 18. Et Apolloniatæ Ponti Euxini, cum colonos in urbem adduxiſſent, ſeditionibus conflictati ſunt.

§. 18. Καὶ Ἀπολλωνιάται (d) οἱ ἐν τῷ Εὐξείνῳ πόντῳ, ἐποίκους ἐπαγαγόμενοι, ἐστασίασαν.

§. 19. Et Syracuſani liberati a tyrannis, cum advenas & milites, qui ipſis mercede ſervierant, civitate donaſſent, diſcordiis agitati ſunt, & ad pugnam devenerunt.

§. 19. Καὶ Συρακούσιοι μετὰ τὰ τυραννικὰ, τοὺς ξένους καὶ τοὺς μισθοφόρους πολίτας ποιησάμενοι, ἐστασίασαν, καὶ εἰς μάχην ἦλθον.

§. 20. Et Amphipolitæ, cum recepiſſent Chalcidenſes colonos, ejecti oppido ſunt ab his magna ipſorum ex parte.

§. 20. Καὶ Ἀμφιπολῖται, δεξάμενοι Χαλκιδέων ἀποίκους, ἐξέπεσον ὑπὸ τούτων οἱ πλεῖστοι αὐτῶν.

§. 21. Seditionum autem autores ſunt in paucorum dominationibus populares, ut injurioſe tractati, quia non communicant æqualibus rebus, cum æquales ſint: in ſtatibus autem multitudinis nobiles, quia communicant æqualibus rebus, cum æquales non ſint.

§. 21. Στασιάζουσι δ᾽, ἐν μὲν ταῖς ὀλιγαρχίαις (e) οἱ πολλοὶ, ὡς ἀδικούμενοι, ὅτι οὐ μετέχουσι τῶν ἴσων, καθάπερ εἴρηται πρότερον, ἴσοι ὄντες· ἐν δὲ ταῖς δημοκρατίαις οἱ γνώριμοι, ὅτι μετέχουσι τῶν ἴσων, οὐκ ἴσοι ὄντες.

§. 22. §. 22.

(a) ἐν Ὠρεῷ) Alii adſpirationem adjiciunt. Verum ſine aſpiratione exprimit hoc nomen etiam Stephanus de urbibus, quem Victorius, Lambinus, Giphanius & meliores quique interpretum ſequuti ſunt. *CONR.*

(b) στασιωτικὸν δὲ) Ordo expoſcebat, ut Ariſtoteles exponeret ſeditiones, quæ fiunt δι᾽ ἀνομοιότητα. Atqui hujus in genere hic nulla fit mentio, ſed ſtatim adducitur ſeditio, quæ fit propter τὸ ἀνομόφυλον. Quæ non niſi certa eſt ſpecies τῆς ἀνομοιότητος, & quidem longe minor illa, quæ eſt inter pauperes & divites, inter virtutem & vitia: quæ maxime ſolent ſeditiones excitare, & tamen hic prætereuntur. Itaque non dubito quædam hic excidiſſe. *CONR.*

(c) συνῴκησαν) Hanc vocem expreſſit Lambinus & Giphanius: *incoluerunt:* Victorius, Camerarius & Caſaubonus maluerunt legere συνῴκισαν itaq; verterunt: *condiderunt.* Utrum rectius, haud dixerim: & nihil refert. *CONR.*

(d) Ἀπολλωνιάται) Camerarius legit Ἀπολλωνιάται: ſed uti nos, habet etiam Stephanus Byzantius, & cap. 6. infra iterum fit mentio Ἀπολλωνίας ἐν τῷ Πόντῳ. Itaque non eſt, cur mutemus. *CONR.*

(e) στασιάζουσι δὲ ἐν μὲν ταῖς ὀλιγαρχίαις) Hæc quidem & perſpicua ſatis ſunt & veriſſima: aliena tamen quis dixerit forte ab iis, quæ jam agebantur. Nihil tamen muto. Arbitror enim, hanc ſeditionem eſſe ſpeciem eorum, quæ fiunt δι᾽ ἀνομοιότητα. *CONR.*

Digitized by Google

§. 22. Diſcordant autem aliquando civitates etiam propter locos, quando ſedes non ſatis accommodata eſt ad unam urbem illic condendam. Quemadmodum Clazomenis, qui domicilia habent in Chytro, adverſus inſulam incolentes. & Colophonii, & Notienſes. Athenis quoque non eodem modo populares ſunt, ſed magis amant ſtatum eum civitatis, qui habitant Piræeum, quam qui Aſtu. Quemadmodum enim in præliis interjectiones rivorum, valde etiam parvorum, diſtrahunt phalanges: ſic omne diſcrimen videtur gignere diſcidium animorum.

§.22. Στασιάζουσι δὲ ἐνίοτε αἱ πόλεις καὶ διὰ τοὺς τόπους, ὅταν μὴ εὐφυῶς ἔχῃ ἡ χώρα (b) πρὸς τὸ μίαν εἶναι πόλιν· οἷον ἐν Κλαζομεναῖς οἱ ἐπὶ Χύτρῳ, (c) πρὸς τοὺς ἐν νήσῳ· καὶ Κολοφώνιοι, καὶ Νοτιεῖς. καὶ Ἀθήνησιν οὐχ ὁμοίως εἰσὶν, ἀλλὰ μᾶλλον δημοτικοὶ οἱ τὸν Πειραιᾶ οἰκοῦντες τῶν τὸ ἄστυ. ὥσπερ γὰρ ἐν τοῖς πολέμοις αἱ διαβάσεις τῶν ὀχετῶν, καὶ τῶν πάνυ σμικρῶν, διασπῶσι τὰς φάλαγγας, οὕτως ἔοικε πᾶσα διαφορὰ ποιεῖν διάστασιν.

§. 23. Maximum igitur fortaſſe diſcidium, virtus ac vitium, deinde divitiæ & paupertas, & ſic aliud alio magis: quorum unum eſt quoque, quod dictum eſt.

§. 23. Μεγίστη μὲν οὖν ἴσως διάστασις, ἀρετὴ καὶ μοχθηρία· εἶτα πλοῦτος καὶ πενία· καὶ οὕτω δὴ ἑτέρα ἑτέρας μᾶλλον· ὧν μία καὶ ἡ εἰρημένη ἐστί. (d)

# CAPUT IV.

§. 1.

V. Fiunt igitur ſeditiones non de parvis, ſed *a parvis*: (a) diſſident autem de magnis rebus.

§. 1.

V. Γίγνονται μὲν οὖν αἱ στάσεις οὐ περὶ μικρῶν, ἀλλ᾽ ἐκ μικρῶν. στασιάζουσι δὲ περὶ μεγάλων.

§. 2. Maxime autem parvæ quoque vires adipiſcuntur, cum inter principes civitatis ortæ fuerint.

§. 2. Μάλιστα δὲ καὶ αἱ μικραὶ ἰσχύουσιν, ὅταν ἐν τοῖς κυρίοις γένωνται.

§. 3. Veluti contigit Syracuſis priſcis temporibus. Status enim civitatis mutatus eſt duobus adoleſcentibus, qui in magiſtratibus erant, inter ſe contendentibus ex amatoria cauſa. Cum enim eorum alter peregrinaretur, ſodalis ipſius quidam amores ac delitias ejus ſibi conciliavit: rurſus autem ille iratus ei factus, uxorem ipſius domum ad ſe venire impulit. unde cunctos, qui rempublicam regebant, diremerunt.

§. 3. Οἷον συνέβη καὶ ἐν Συρακούσαις ἐν τοῖς ἀρχαίοις χρόνοις· μετέβαλε γὰρ ἡ πολιτεία ἐκ δύο νεανίσκων στασιασάντων ἐν ταῖς ἀρχαῖς ὄντων, περὶ ἐρωτικὴν αἰτίαν. θατέρου γὰρ ἀποδημοῦντος, ἑταῖρος ὤν τις, τὸν ἐρώμενον αὐτοῦ ὑπεποιήσατο. πάλιν δὲ ἐκεῖνος τούτῳ χαλεπήνας, τὴν γυναῖκα αὐτοῦ ἀνέπεισεν, ὡς αὑτὸν ἐλθεῖν. ὅθεν προσλαμβάνοντες τοὺς ἐν τῷ πολιτεύματι, διεστασίασαν πάντας.

§. 4. Quapropter incipientibus eis diſcordiis, cavere malum oportet, & componere diſcordias principum, & eorum, qui poteſtatem habent in civitate. In principio enim naſcitur erratum: principium autem dicitur dimidium eſſe totius. Quapropter peccatum, quod in ipſo parvum eſt, proportione reſpondet ad ea, quæ ſunt in aliis partibus.

§. 4. Διόπερ ἀρχομένων, εὐλαβεῖσθαι δεῖ τῶν τοιούτων, καὶ διαλύειν τὰς τῶν ἡγεμόνων καὶ δυναμένων στάσεις. ἐν ἀρχῇ γὰρ γίγνεται τὸ ἁμάρτημα· ἡ δ᾽ ἀρχὴ λέγεται ἥμισυ εἶναι παντός. ὥστε καὶ τὸ ἐν αὐτῇ μικρὸν ἁμάρτημα, ἀνάλογόν ἐστι πρὸς τὰς ἐν τοῖς ἄλλοις μέρεσιν. (e)

§. 5. Demum diſcordiæ nobilium alliciunt ad ſe univerſam civitatem.

§. 5. Ὅλως δὲ αἱ τῶν γνωρίμων στάσεις συναπολαύειν (f) ποιοῦσι καὶ τὴν ὅλην πόλιν.

§. 6. Veluti contigit Heſtiææ poſt bellum Medorum, duobus fratribus litigantibus inter ſe de partitione paternorum. Qui enim exiliorem habebat rem, tanquam alter non patefaceret

§. 6. Οἷον, ἐν Ἑστιαίᾳ συνέβη μετὰ τὰ Μηδικὰ, (g) δύο ἀδελφῶν περὶ τῆς τῶν πατρῴων νομῆς (h) διενεχθέντων. ὁ μὲν γὰρ ἀπορώτερος, ὡς οὐκ ἀποφαίνοντος θατέρου τὴν οὐσίαν, οὐδὲ τὸν θησαυ-

(a) *A parvis*) Explicat hic principiorum ante dictorum affectiones. Fiunt autem illa principia parva, magna a perſonis, quibus inſunt. FELDEN. *GOEB.*

(b) ἔχει ἡ χώρα) Contra omnium editionum conſenſum cenſet Sylburgius ſcribendum ἔχῃ. Sed cur mutemus, nihil video cauſſæ. *CONR.*

(c) ἐπὶ Χύτρῳ) Sylburgius mavult Χυτῷ, quia ex Ephori l. 19. Stephanus Byzantius habeat: οἱ δ᾽ ἐκ Κλαζομενῶν κατῴκησαν οὐ ἠπείρου τὸ Χυτὸν καλούμενον. Ipſe tamen agnoſcit apud Strabonum eſſe Χύτριον. Itaque Victorium, Lambinum, Camerarium, Giphanium & Heinſium ſecuti, nihil mutamus. *CONR.*

(d) εἰρημένη ἐστι) Vereor, ne & hic quædam exciderint. Nihil tamen definio. *CONR.*

(e) πρὸς τὰς ἐν τοῖς ἄλλοις μέρεσιν.) Recte monet Camerarius, articulo τὰς reſpondere fortaſſis debere ἁμαρτίας. Aut vero ſcribendum, πρὸς τὰ, ut ſubaudiendum ſit ἁμαρτήματα. *CONR.*

(f) συναπολαύειν) Victorius acute ſuſpicatur, Veterem interpretem legiſſe συναπολαβεῖν, cum verterit *conſumere.* Idem vero probe defendit noſtrum συναπολαύειν. *CONR.*

(g) μετὰ τὰ Μηδικὰ) Aldus: μετὰ τὰ δημοτικά. Habuit vero & Camerarii antiquus codex, perinde ut nos: & non ille tantum, verum etiam Victorius, Lambinus, Heinſius, Giphanius & alii lectionem noſtram ſunt ſecuti. Sunt autem medica, tempora belli perſici: Ariſtoteli ſane rarius Perſica frequentiſſime Medica audiunt. *CONR.*

(h) τῆς τῶν πατρῴων νομῆς) Aldus omittit τῶν. Minus recte, etiam Sylburgio judice. *CONR.*



Digitized by Google

ret bona relicta neque theſaurum inventum a patre, ſibi admoverat populares: alter autem, cujus patrimonium erat grande, divites.

θησαυρὸν, ὃν εὗρεν ὁ πατὴρ, προσήγετο τοὺς δημοτικούς· ὁ δ᾽ ἕτερος, ἔχων οὐσίαν πολλὴν, τοὺς εὐπόρους.

§. 7. Et Delphis, cum orta eſſet controverſia e nuptiis, origo fuit omnium ſeditionum, quæ poſtea illic natæ ſunt. Cum enim ſponſus ominatus eſſet quendam gravem caſum, poſtquam venit ad virginem, non accepta illa, abiit. Hi vero, quaſi contumelia notati, dum immolaret ipſi, in loculos pecuniam ſacram injecerunt: poſtea, tanquam ſacrilegum occiderunt.

§. 7. Καὶ ἐν Δελφοῖς ἐκ κηδείας γενομένης διαφορᾶς, ἀρχὴ πασῶν ἐγένετο τῶν στάσεων τῶν ὕστερον. ὁ μὲν γὰρ, οἰωνισάμενός τι σύμπτωμα, ὡς ἦλθεν ἐπὶ τὴν νύμφην, οὐ λαβὼν ἀπῆλθεν· οἱ δ᾽, ὡς ὑβρισθέντες, ἐνέβαλον τῶν ἱερῶν (a) χρημάτων, θύοντος· κἄπειτα ὡς ἱερόσυλον ἀπέκτειναν.

§. 8. Et prope Mitylenen e virginibus paternorum bonorum hæredibus, orta ſeditione, principium id fuit multorum malorum: & belli, quod geſtum eſt adverſus Athenienſes, quo in bello Paches urbem eorum cepit. Cum enim Timophanes, unus e divitibus, duas filias reliquiſſet: Doxander rejectus & non liberis ſuis ipſis impetratis, caput fuit ſeditionis, Athenienſesque exacuit, publicus hoſpes exiſtens civitatis.

§. 8. Καὶ περὶ Μιτυλήνην δὲ ἐξ ἐπικλήρων στάσεως γενομένης, πολλῶν ἐγένετο ἀρχὴ κακῶν, καὶ τοῦ πολέμου τοῦ πρὸς Ἀθηναίους, ἐν ᾧ Πάχης ἔλαβε τὴν πόλιν αὐτῶν. Τιμοφάνους γὰρ, τῶν εὐπόρων τινὸς, καταλιπόντος δύο θυγατέρας, ὁ περιωσθιωθεὶς, (b) καὶ οὐ λαβὼν τοῖς υἱέσιν αὐτοῦ, Δόξανδρος, ἦρξε τῆς στάσεως. καὶ τοὺς Ἀθηναίους παρώξυνε, πρόξενος ὢν τῆς πόλεως.

§. 9. Et apud Phocenſes ex orba virgine orta ſeditio eſt inter Mnaſean Mnaſonis patrem, & Euthycraten Onomarchi: ſeditio hæc origo fuit Phocenſibus ſacri belli.

§. 9. Καὶ ἐν Φωκεῦσιν ἐξ ἐπικλήρου στάσεως γενομένης περὶ Μνασέαν τὸν Μνήσωνος πατέρα, καὶ Εὐθυκράτη τὸν Ονομάρχου. ἡ στάσις αὕτη ἀρχὴ τοῦ ἱεροῦ πολέμου κατέστη τοῖς Φωκεῦσι.

§. 10. Mutata autem eſt & Epidamni reſpublica e nuptialibus cauſis. Cum enim quidam filiam deſpondiſſet, poſtquam multavit ipſum pater ejus, cui deſponſa erat, magiſtratum gerens: alter ſecum aſſumpſit expertes reipublicæ tanquam deſpectus.

§. 10. Μετέβαλε δὲ καὶ ἐν Ἐπιδάμνῳ ἡ πολιτεία ἐκ γαμικῶν. ὑπομνηστευσάμενος γάρ τις θυγατέρα, ὡς ἐζημίωσεν αὐτὸν ὁ τοῦ ὑπομνηστευθέντος πατὴρ, γενόμενος τῶν ἀρχόντων, ἅτερος συμπαρέλαβε τοὺς ἐκτὸς τῆς πολιτείας, ὡς ἐπηρεασθείς.

§. 11. Mutantur autem & in paucorum dominatum, & in popularem ſtatum, & in rempublicam, ex eo, quod laudem magnam conſecutus eſt vel amplificatus, ſive magiſtratus, ſive pars civitatis.

§. 11. Μεταβάλλουσι δὲ καὶ εἰς ὀλιγαρχίαν, καὶ εἰς δῆμον, καὶ εἰς πολιτείαν, ἐκ τοῦ εὐδοκιμῆσαί τι, ἢ αὐξηθῆναι, ἢ ἀρχεῖον ἢ μόριον τῆς πόλεως.

§. 12. Veluti Ariopagi conſilium gloriam adeptum bello Medorum, exiſtimatum eſt reddidiſſe rempublicam contentiorem. Et contra navalis turba, cum cauſa fuiſſet victoriæ apud Salaminem, atque ob hanc, imperii in claſſe propter vires maritimas, popularem ſtatum reddidit robuſtiorem.

§. 12. Οἷον, ἡ ἐν Ἀρείῳ πάγῳ βουλὴ, εὐδοκιμήσασα ἐν τοῖς Μηδικοῖς, ἔδοξε συντονωτέραν ποιῆσαι τὴν πολιτείαν. καὶ πάλιν ὁ ναυτικὸς ὄχλος, γενόμενος αἴτιος τῆς περὶ Σαλαμῖνα νίκης, καὶ διὰ ταύτης, τῆς ἡγεμονίας διὰ τὴν κατὰ θάλατταν δύναμιν, τὴν δημοκρατίαν ἰσχυροτέραν ἐποίησε.

§. 13. Et Argis nobiles laudem adepti in prælio apud Mantineam, quod factum eſt contra Lacædemonios, aggreſſi ſunt diſſolvere popularem ſtatum.

§. 13. Καὶ ἐν Ἄργει οἱ γνώριμοι εὐδοκιμήσαντες περὶ τὴν ἐν Μαντινείᾳ μάχην τὴν πρὸς Λακεδαιμονίους, ἐπεχείρησαν καταλύειν τὸν δῆμον.

§. 14. Et Syracuſis plebs, cum cauſa extitiſſet victoriæ belli, quod geſtum eſt contra Athenienſes, rempublicam in popularem ſtatum mutavit.

§. 14. Καὶ ἐν Συρακούσαις ὁ δῆμος αἴτιος γενόμενος τῆς νίκης τοῦ πολέμου τοῦ πρὸς Ἀθηναίους, ἐκ πολιτείας εἰς δημοκρατίαν μετέβαλε.

§. 15. Et Chalcide plebs, Phoxo tyranno necato una cum claris civibus, extemplo arripuit rempublicam.

§. 15. Καὶ ἐν Χαλκίδι Φόξον τὸν τύραννον κατὰ τῶν γνωρίμων ὁ δῆμος ἀνελὼν, εὐθὺς εἴχετο τῆς πολιτείας.

§. 16. Et Ambraciæ rurſus eodem modo, cum Periandrum tyrannum exegiſſet una cum iis, qui in eum conſpirarant, populus, in ſe rempublicam convertit. §. 17.

§. 16. Καὶ ἐν Ἀμβρακίᾳ πάλιν ὡσαύτως Περίανδρον συνεκβαλὼν τοῖς ἐπιτιθεμένοις ὁ δῆμος τὸν τύραννον εἰς ἑαυτὸν περιέστησε τὴν πολιτείαν. §. 17.

(a) ἐνέβαλον τῶν ἱερῶν) Variis modis hæc interpretes acceperunt. Victorius: *dum immolaret, ipſi in loculos pecuniam ſacram injecerunt.* Lambinus: *interea dum ille ſacrificaret, res quaſdam ſacras in eum locum, ubi ſacrificabat, occulte conjecerunt.* Giphanius: *illum, qui tanquam inter ſacrificandum ſacram pecuniam furatus eſſet, inſimularunt.* Locus omnino eſt mendoſus; nec enim commodum ſenſum exprimit. Si ita legas: ἐνέβαλόν τι τῶν ἱερῶν χρημάτων θύοντι accederet lectio verſioni Victorii. Nihil autem definio. Nec multum refert: cum ad doctrinam politicam non faciat. Poſſunt tamen conferri, quæ eadem de re habet Plutarchus in *præceptis reipublicæ gerendæ.* Videtur vero & paulo ante deſiderari aliqua vocula, quæ fuerit connexa cum οἱ δ᾽. CONR.

(b) περιωσθιωθεὶς) Aldus: περιοσιωθεὶς. Sed noſtrum expreſſit præter Victorium etiam Lambinus & Giphanius. CONR.

§. 17. Demumque oportet hoc nos minime fallere, cunctos, qui publicæ poteſtatis cauſa extitere, & privati homines, & magiſtratus, & tribus, & omnino pars civitatis, & quælibet multitudo, ſeditionem movere. Vel enim, qui his invident, honorem conſecutis, autores ſunt ſeditionis: vel hi, quia dignitate præſtant, cæteris, nolunt manere in æquali gradu cum ipſis.

§. 17. Καὶ ὅλως δὴ δεῖ τοῦτο μὴ λανθάνειν, ὡς οἱ δυνάμεως αἴτιοι γενόμενοι, καὶ ἰδιῶται, καὶ ἀρχαὶ, καὶ φυλαὶ, καὶ ὅλως μέρος καὶ ὁποιονοῦν πλῆθος, στάσιν κινοῦσι. ἢ γὰρ οἱ τούτοις φθονοῦντες τιμωμένοις, ἄρχουσι τῆς στάσεως· ἢ οὗτοι, διὰ τὴν ὑπεροχὴν, οὐ θέλουσι μένειν ἐπὶ τῶν ἴσων.

§. 18. Moventur autem reſpublicæ, & cum quæ videntur contrariæ partes civitatis eſſe, pares fuerint inter ſe, veluti divites & plebeii: Media autem pars, vel parva, vel penitus nulla. Si namque multum præſtiterit utralibet pars, ut ſit aperte firmior, reliqua recuſat periculo ſe objicere. Quapropter & qui virtute antecellunt, non ſunt autores ſeditionum, ut ita loquar: pauci enim ſunt adverſus multos.

§. 18. Κινοῦνται δ' αἱ πολιτεῖαι, καὶ ὅταν τἀναντία εἶναι δοκοῦντα μέρη τῆς πόλεως, ἰσάζῃ ἀλλήλοις· οἷον οἱ πλούσιοι καὶ ὁ δῆμος· μέσον δ', ἢ μικρὸν, ἢ μηθὲν πάμπαν. ἂν γὰρ πολὺ ὑπερέχῃ ὁποτερονοῦν τῶν μερῶν πρὸς τὸ φανερῶς κρεῖττον, τὸ λοιπὸν οὐ θέλει κινδυνεύειν. δι' ὃ (c) καὶ οἱ κατ' ἀρετὴν διαφέροντες οὐ ποιοῦσι στάσιν, ὡς εἰπεῖν· ὀλίγοι γὰρ γίγνονται πρὸς πολλούς.

§. 19. In univerſum igitur in omnibus rebuspublicis principia & cauſæ ſeditionum & mutationum ſe habent hoc modo. Movent autem reſpublicas aliquando quidem per vim, aliquando autem per fallaciam

§. 19. Καθόλου μὲν οὖν περὶ πάσας τὰς πολιτείας αἱ ἀρχαὶ καὶ αἰτίαι τῶν στάσεων καὶ τῶν μεταβολῶν, τοῦτον ἔχουσι τὸν τρόπον. κινοῦσι δὲ τὰς πολιτείας, ὁτὲ μὲν, διὰ βίας· ὁτὲ δὲ, δι' ἀπάτης.

§. 20. Per vim quidem, vel illico a principio, vel poſtea neceſſitatem imponentes.

§. 20. Διὰ βίας μὲν, ἢ εὐθὺς ἐξ ἀρχῆς, ἢ ὕστερον ἀναγκάζοντες.

§. 21. Eſt enim fallacia duplex: aliquando enim uſi fallacia primum: concedentibus deceptis mutant rempublicam, deinde poſterius iis invitis per vim retinent.

§. 21. Καὶ γὰρ ἡ ἀπάτη διττή. ὁτὲ μὲν γὰρ ἐξαπατήσαντες τὸ πρῶτον· ἑκόντων μεταβάλλουσι τὴν πολιτείαν, εἶθ' ὕστερον βίᾳ κατέχουσιν ἀκόντων.

§. 22. Veluti dominantibus quadringentis, populum deceperunt, affirmantes, regem pecuniam præbiturum ad bellum, quod cum Lacedæmoniis gerebatur: cumque mentiti eſſent, rempublicam tenere conati ſunt.

§. 22. Οἷον ἐπὶ τῶν τετρακοσίων τὸν δῆμον ἐξηπάτησαν, φάσκοντες τὸν βασιλέα χρήματα παρέξειν πρὸς πόλεμον τὸν πρὸς τὸν Λακεδαιμονίους· ψευσάμενοι δὲ, κατέχειν ἐπειρῶντο τὴν πολιτείαν.

§. 23. Aliquando autem perſuaſis a principio, poſtea iisdem volentibus, & ſponte accipientibus, dominantur.

§. 23. Ὁτὲ δὲ ἐξ ἀρχῆς τε πείσαντες, καὶ ὕστερον πάλιν πεισθέντων, ἑκόντων ἄρχουσιν αὐτῶν.

§. 24. VI. Simpliciter igitur in omnibus rebuspublicis, ex iis, quæ dicta ſunt, uſu venit fieri mutationes.

§. 24. VI. Ἁπλῶς μὲν οὖν περὶ πάσας τὰς πολιτείας, ἐκ τῶν εἰρημένων συμβέβηκε γίγνεσθαι τὰς μεταβολάς.

# CAPUT V.

§. I.

Per *ſingulas* (a) autem ſpecies reipublicæ ex his partientes, quæ uſu veniunt, oportet videre.

§. I.

Καθ' ἕκαστον δ' εἶδος πολιτείας, ἐκ τούτων μερίζοντας, τὰ συμβαίνοντα δεῖ θεωρεῖν.

§. 2. Status igitur multitudinis maxime mutantur propter aſſentatorum populi improbitatem. partim enim particulatim, qui rem familiarem amplam habent, criminantes, eos coire in ſocietatem cogunt ad ſe defendendos (colligit enim inimiciſſimos communis metus) partim autem communiter multitudinem in eos incitantes. & hoc ita in multis factum aliquis intueri poteſt.

§. 2. Αἱ μὲν οὖν δημοκρατίαι μάλιστα μεταβάλλουσι διὰ τὴν τῶν δημαγωγῶν ἀσέλγειαν. τὰ μὲν γὰρ, ἰδίᾳ συκοφαντοῦντες τοὺς τὰς οὐσίας ἔχοντας, συστρέφουσιν αὐτοὺς· (συνάγει γὰρ (d) καὶ τοὺς ἐχθίστους ὁ κοινὸς φόβος·) τὰ δὲ, κοινῇ τὸ πλῆθος ἐπάγοντες. καὶ τοῦτο ἐπὶ πολλῶν ἄν τις ἴδοι γιγνόμενον οὕτω.

§. 3. In Co namque popularis ſtatus mutatus eſt, cum illic exorti eſſent *aſſentatores* (b) hi parvi: nobiles enim ſui generis gregem fecerunt.

§. 3. Καὶ γὰρ ἐν Κῷ ἡ δημοκρατία μετέβαλε πονηρῶν ἐγγενομένων δημαγωγῶν· οἱ γὰρ γνώριμοι συνέστησαν.

§. 4. Et in Rhodo: mercedem enim quandam populi aſſentatores inſtituerunt, nec ſinebant reddi

§. 4. Καὶ ἐν Ῥόδῳ· μισθοφοράν τε γὰρ οἱ δημαγωγοὶ ἐπόριζον, καὶ ἐκώλυον ἀποδιδόναι τὰ ὀφει-

(a) *Singulas*) Docetur jam, quæ cauſa cuique formæ magis noceat, atque in hoc capite traditur, unde democratia immutetur vel in oligarchiam vel in tyrannidem PICCART. FELDEN. *GOEB.*

(b) *Aſſentatores*) HERTIUS *part. II. ſect.* 8. §. 2. PICCART. *p.* 704. *ſeqq.* *GOEB.*

(c) δι' ὃ) Aldus & Iſengrinius conjuncte διό. CONR.

(d) συνάγει γάρ) Hæc parentheſi a nobis incluſa ſunt. *CONR.*



Digitized by Google

reddi pecuniam, quæ deberetur præfectis triremium: hi autem propter lites, quæ ipſis intenderentur, coacti ſunt, conſpiratione facta, ſtatum populi diſſolvere.

§. 5. Diſſolutus autem eſt & Heracleæ ſtatus populi poſt deductam ſtatim coloniam, ob aſſentatores. injuriam enim paſſi ab ipſis nobiles, urbe abibant: deinde congregati, qui ejiciebantur, cum rediiſſent, diſſolverunt populi ſtatum.

§. 6. Aſſimiliter etiam Megaris ſtatus populi fractus eſt. Aſſentatores enim, ut facultatem haberent dividendi populo pecuniam, ejecerunt ex urbe multos nobiles, donec numerum magnum exulum fecerunt: hi vero redeuntes, commiſſo prælio vicerunt populum, & paucorum dominatum conſtituerunt.

§. 7. Contigit autem idem & Cumis, quo tempore civitas populi ſtatu utebatur, quem ſtatum diſſolvit Traſymachus.

§. 8. Ferme autem & in aliis videret, qui contemplaretur, mutationes hoc modo ſe habere. Aliquando enim, ut plebi gratificentur, injurias ipſis inferentes, nobiles coagmentant, vel patrimonia dividentes, vel vectigalia publica muneribus & miniſtrationibus aſſignantes: aliquando autem criminantes, ut poſſint publicare patrimonia locupletum.

§. 9. Ætate autem veterum illorum, quando erat idem aſſentator & dux belli, in tyrannidem mutabantur: ferme enim plurimi antiquorum tyrannorum ex aſſentatoribus populi fiebant.

§. 10. Cauſa autem, cur tunc quidem fierent, nunc vero minime, eſt: quod tunc aſſentatores populi erant aliqui ex iis, qui exercitum ducebant. Non enim ad id temporis erant oratores magni: hodie vero aucta arte dicendi, eloquentes viri aſſentantur quidem multitudini, quia tamen ignari ſunt militiæ non imponunt libertati, præter quam ſicubi hujuscemodi aliquid extitit.

§. 11. Exiſtebant autem tyrannides prius magis, quam nunc, & quia magni magiſtratus quibusdam committebantur: quemadmodum Mileti e Prytanea. multas enim & magnas res in ſua poteſtate habebat, qui hunc magiſtratum gerebat.

§. 12. Præterea quia non magnæ tunc civitates erant, ſed in agris populus domicilia habebat, expers otii, occupatus in ruſticis operibus; qui populum regebant, cum periti rerum bellicarum eſſent, viam ſibi ad tyrannidem patefaciebant. Cuncti autem hoc faciebant, fide ſibi parta apud populum: fides autem erat inimicitiæ cum divitibus.

§. 13. Ceu Athenis Piſiſtratus, cum contendiſſet cum Pediacis. Et Theagenes Megaris cum locupletum pecora jugulaſſet, deprehenſis cuſtodibus eorum, qui paſcerent prope flumen. Et Dionyſius inſimulato Daphnæo & divitibus, dignus eſt habitus principatu, ob inimicitias has, parta ſibi fide apud plebem, quaſi popularis foret.

§. 14.

ὀφειλόμενα τοῖς τριηράρχοις· οἱ δὲ, διὰ τὰς ἐπιφερομένας δίκας, ἠναγκάσθησαν συςάντες, καταλῦσαι τὸν δῆμον.

§. 5. Κατελύθη δὲ καὶ ἐν Ἡρακλείᾳ ὁ δῆμος μετὰ τὸν ἀποικισμὸν εὐθὺς, διὰ τȣ̀ς δημαγωγȣ́ς. ἀδικȣ́μενοι γὰρ ὑπ᾽ αὐτῶν οἱ γνώριμοι, ἐξέπιπτον· ἔπειτα ἀθροισθέντες οἱ ἐκπίπτοντες, καὶ κατελθόντες, (a) κατέλυσαν τὸν δῆμον.

§. 6. Παραπλησίως δὲ καὶ ἡ ἐν Μεγάροις κατελύθη δημοκρατία. οἱ γὰρ δημαγωγοὶ, ἵνα χρήματα ἔχωσι δημεύειν, ἐξέβαλον πολλȣ̀ς τῶν γνωρίμων, ἕως πολλȣ̀ς ἐποίησαν τȣ̀ς φεύγοντας· οἱ δὲ, κατιόντες, ἐνίκησαν μαχόμενοι τὸν δῆμον, καὶ κατέςησαν τὴν ὀλιγαρχίαν.

§. 7. Συνέβη δὲ ταυτὸν καὶ περὶ Κύμην ἐπὶ τῆς δημοκρατίας, ἣν κατέλυσε Θρασύμαχος.

§. 8. Σχεδὸν δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων ἄν τις ἴδοι θεωρῶν τὰς μεταβολὰς τȣ̃τον ἐχȣ́σας τὸν τρόπον. ὁτὲ μὲν γὰρ, ἵνα χαρίζωνται, ἀδικȣ̃ντες τȣ̀ς γνωρίμȣς συνιςᾶσιν· ἢ τὰς ȣ̓σίας ἀναδάςȣς ποιȣ̃ντες, ἢ τὰς προσόδȣς ταῖς λειτȣργίαις· ὁτὲ δὲ, διαβάλλοντες, ἵν᾽ ἔχωσι δημεύειν τὰ κτήματα τῶν πλȣσίων.

§. 9. Ἐπὶ δὲ τῶν ἀρχαίων, ὅτε γένοιτο ὁ αὐτὸς δημαγωγὸς καὶ ςρατηγὸς, εἰς τυραννίδα μετέβαλλον. σχεδὸν γὰρ οἱ πλεῖςοι τῶν ἀρχαίων τυράννων ἐκ δημαγωγῶν γεγόνασιν.

§. 10. Αἴτιον δὲ τȣ̃ τότε μὲν γίγνεσθαι, νῦν δὲ μή· ὅτι τότε μὲν οἱ δημαγωγοὶ ἦσαν ἐκ τῶν ςρατηγούντων· ȣ̓ γάρ πω δεινοὶ ἦσαν λέγειν· νῦν δὲ, τῆς ῥητορικῆς ηὐξημένης, οἱ δυνάμενοι λέγειν, δημαγωγȣ̃σι μὲν, δι᾽ ἀπειρίαν δὲ τῶν πολεμικῶν ȣ̓κ ἐπιτίθενται, πλὴν εἴ πȣ βραχύ τι γέγονε τοιȣ̃τον.

§. 11. Ἐγίγνοντο δὲ τυραννίδες πρότερον μᾶλλον ἢ νῦν, καὶ διὰ τὸ μεγάλας ἀρχὰς ἐγχειρίζεσθαί τισιν· ὥσπερ ἐν Μιλήτῳ ἐκ τῆς πρυτανείας· πολλῶν γὰρ ἦν καὶ μεγάλων κύριος ὁ πρύτανις.

§. 12. Ἔτι δὲ, διὰ τὸ μὴ μεγάλας εἶναι τότε τὰς πόλεις, ἀλλ᾽ ἐπὶ τῶν ἀγρῶν οἰκεῖν τὸν δῆμον, ἄσχολον ὄντα πρὸς τοῖς ἔργοις, οἱ προςάται τȣ̃ δήμȣ, ὅτε πολεμικοὶ γένοιντο, τυραννίδι ἐπετίθεντο. πάντες δὲ τȣ̃το ἔδρων ὑπὸ τȣ̃ δήμȣ πιςευθέντες· ἡ δὲ πίςις ἦν ἡ ἀπέχθεια ἡ πρὸς τȣ̀ς πλȣσίȣς.

§. 13. Οἷον Ἀθήνησί τε Πεισίςρατος ςασιάσας πρὸς τȣ̀ς πεδιακȣ́ς· καὶ Θεαγένης ἐν Μεγάροις τῶν εὐπόρων τὰ κτήνη ἀποσφάξας, λαβὼν παρὰ τὸν ποταμὸν ἐπινέμοντας· καὶ Διονύσιος κατηγορῶν Δαφναίȣ, καὶ τῶν πλȣσίων, ἠξιώθη τῆς τυραννίδος, διὰ τὴν ἔχθραν πιςευθεὶς, ὡς δημοτικὸς ὤν.

§. 14.

(a) κατελθόντες) Nec Aldus nec Iſengrinius habent καὶ. Indubie tamen melior eſt lectio noſtra. CONR.

§. 14. Mutantur vero e vetere & majoribus probata populari republica, in noviſſimam. Ubi enim ſuffragiis ſane creantur magiſtratus, non tamen ſpectatis cenſibus: eligit autem populus, qui ambiunt magiſtratus, placentes populo rem perducunt ad hoc, ut dominetur etiam legibus populus.

§. 14. Μεταβάλλουσι δὲ (*b*) ἐκ τῆς πατρίας δημοκρατίας εἰς τὴν νεωτάτην. ὅπου γὰρ αἱρεταὶ μὲν αἱ ἀρχαὶ, μὴ ἀπὸ τιμημάτων δὲ, αἱρεῖται δὲ ὁ δῆμος, δημαγωγοῦντες οἱ σπουδαρχιῶντες εἰς τοῦτο καθιστᾶσιν, ὡς κύριον εἶναι τὸν δῆμον καὶ τῶν νόμων.

§. 15. Remedium autem hujus mali, ut ne omnino fiat, aut minus fiat, erit, tribus creare magiſtratus & non univerſum populum.

§. 15. Ἄκος δὲ τοῦ ἢ μὴ γίνεσθαι, ἢ τοῦ γίνεσθαι ἧττον, τὸ τὰς φυλὰς φέρειν τοὺς ἄρχοντας ἀλλὰ μὴ πάντα τὸν δῆμον.

§. 16. Statuum igitur multitudinis mutationes cunctæ ferme ob has cauſas oriuntur.

§. 16. Τῶν μὲν οὖν δημοκρατιῶν αἱ μεταβολαὶ γίγνονται πᾶσαι σχεδὸν διὰ ταύτας τὰς αἰτίας.

# CAP. VI.

§. 1.

Dominatus autem *paucorum* (*a*) mutatur duobus maxime modis apertiſſimis.

§. 1.

Αἱ δ' ὀλιγαρχίαι μεταβάλλουσι διὰ δύο μάλιστα τρόπους τοὺς φανερωτάτους.

§. 2. Uno quidem, ſi injuriam fecerint multitudini. Quivis enim auctor & præſes efficitur. maxime autem quando contigerit unum aliquem ex eo dominatu ducem fieri. quemadmodum in Naxo Lygdamis, qui poſtea tyrannus extitit Naxiorum.

§. 2. Ἕνα μὲν, ἐὰν ἀδικῶσι τὸ πλῆθος· πᾶς γὰρ ἱκανὸς γίνεται προστάτης· μάλιστα δ', ὅταν ἐξ αὐτῆς συμβῇ τῆς ὀλιγαρχίας γίνεσθαι τὸν ἡγεμόνα. καθάπερ ἐν Νάξῳ Λύγδαμις, ὃς καὶ ἐτυράννησεν ὕστερον τῶν Ναξίων.

** ** ** **

§. 3. Initium quoque ſeditionis, quod naſcitur ab aliis, continet in ſe differentias.

§. 3. Ἔχει δὲ (*c*) καὶ ἡ ἐξ ἄλλων (*d*) ἀρχὴ στάσεως διαφοράς.

§. 4. Interdum enim ex ipſis locupletibus, qui tamen magiſtratus non gerunt, oritur diſſolutio, quando pauci admodum fuerint illi, qui ad honores perveniunt.

§. 4. Ὁτὲ μὲν γὰρ ἐξ αὐτῶν τῶν εὐπόρων, οὐ τῶν ὄντων δ' ἐν ταῖς ἀρχαῖς, γίγνεται κατάλυσις, ὅταν ὀλίγοι σφόδρα ὦσιν οἱ ἐν ταῖς τιμαῖς.

§. 5. Ceu Maſſiliæ, Iſtri & Heracleæ & in aliis civitatibus evenit. Qui enim participes non ſunt magiſtratuum, moverunt, donec communicarunt illis ſeniores primum fratrum, poſtea rurſus juniores (non enim imperium ſimul habent quibusdam in locis pater & filius) alibi autem major natu frater & junior.

§. 5. Οἷον ἐν Μασσαλίᾳ, καὶ ἐν Ἴστρῳ, καὶ ἐν Ἡρακλείᾳ, καὶ ἐν ἄλλαις πόλεσι συμβέβηκεν. οἱ γὰρ μὴ μετέχοντες τῶν ἀρχῶν, ἐκίνουν, ἕως μετέλαβον οἱ πρεσβύτεροι πρότερον τῶν ἀδελφῶν· ὕστερον δ' οἱ νεώτεροι πάλιν· οὐ γὰρ ἄρχουσιν, ἐνιαχοῦ μὲν ἅμα πατήρ τε καὶ υἱός· ἐνιαχοῦ δὲ ὁ πρεσβύτερος καὶ ὁ νεώτερος ἀδελφός.

§. 6. Et hic quidem civilior facta eſt dominatio paucorum: Iſtri autem in ſtatum multitudinis evaſit: Heracleæ vero e paucioribus ad ſexcentos pervenit.

§. 6. Καὶ ἔνθα μὲν, πολιτικωτέρα ἐγένετο ὀλιγαρχία· ἐν Ἴστρῳ δ' εἰς δῆμον ἀπετελεύτησεν· ἐν Ἡρακλείᾳ δ' ἐξ ἐλαττόνων εἰς ἑξακοσίους ἦλθε.

§. 7. Mutata autem eſt paucorum dominatio, quæ Cnidi erat, contendentibus inter ſe nobilibus ipſis, quia pauci erant, qui participes ejus forent; & ut dictum eſt, ſi pater, filium non participem fieri: neque ſi plures fratres, præter majorem natu. Cum enim plebs nacta eſſet concertantes, accepto duce & autore e nobilibus, ſtructisque inſidiis, pugna ſuperior fuit. infirmum enim eſt, quod diſcordiis laborat.

§. 7. Μετέβαλε δὲ καὶ ἐν Κνίδῳ ἡ ὀλιγαρχία, στασιασάντων τῶν γνωρίμων αὐτῶν πρὸς αὐτοὺς, διὰ τὸ ὀλίγους μετέχειν· καὶ καθάπερ εἴρηται, εἰ πατὴρ, υἱὸν μὴ μετέχειν· μηδ' εἰ πλείους ἀδελφοὶ, ἀλλ' ἢ τὸν πρεσβύτατον. ἐπιλαβόμενος γὰρ στασιαζόντων ὁ δῆμος, καὶ λαβὼν προστάτην ἐκ τῶν γνωρίμων, ἐπιθέμενος ἐκράτησεν· ἀσθενὲς γὰρ τὸ στασιάζον.

§. 8. Et Erythris in paucorum dominatu Baſilidarum antiquitus, & officio fungebantur, qui clavum reipublicæ tenebant: tamen quia a paucis regebatur, ſtomachans populus, mutatus eſt in rempublicam.

§. 8. Καὶ ἐν Ἐρυθραῖς δὲ, ἐπὶ τῆς τῶν Βασιλίδων ὀλιγαρχίας, ἐν τοῖς ἀρχαίοις χρόνοις. καίπερ καλῶς ἐπιμελουμένων τῶν ἐν τῇ πολιτείᾳ, ὅμως διὰ τὸ ὑπ' ὀλίγων ἄρχεσθαι ἀγανακτῶν ὁ δῆμος, μετέβαλε τὴν πολιτείαν.

§. 9. §. 9.

(*a*) *Paucorum*) De oligarchiarum mutationibus ad h. c. late agit PICCARTUS. Vid. etiam FELDEN. *GOEB.*

(*b*) μεταβάλλουσι δὲ) Videtur ſcribendum: μεταβάλλουσι δὲ οἱ δημαγωγοὶ ἢ ἐκ τ. aut vero μεταβάλλουσι δὲ καί. *CONR.*

(*c*) ἔχει δὲ) Hic ſaltim pauca verba exciderunt. Utique enim debuiſſet aliquid hic legi, quod reſponderet iis, quæ antecesſerunt de duobus modis mutationum oligarchiæ: quorum priorem duntaxat hactenus attigerat. Imo veroſimile eſt, compluſcula periiſſe. Paulo poſt enim dicitur ἔχει δὲ καὶ ἡ ἐξ. Illud enim καὶ ſignificat, differentias aliquot adductas mutationum oligarchiæ, quæ a populo fiunt: & revera non una eſt earum ratio, ut alibi docetur. *CONR.*

(*d*) ἐξ ἄλλων) Atqui omnes, quæ ſequuntur ſpecies mutationum, non ἐξ ἄλλων, ſed ex ipſis oligarchicis oriuntur. Indubie igitur mendum hic ſubeſt, ſcribendumque ἐξ αὐτῶν. Inveni, poſtquam ita jam conjeciſſem, eodem modo a viro doctiſſimo annotatum in margine Iſengrinianæ editionis. *CONR.*

Digitized by Google

§. 9. Moventur autem paucorum dominatus, & ſuo vitio, & propter concertationem aſſentantium ipſis. Aſſentatio autem gemina eſt. una quidem in ipſis paucis: exoritur enim aſſentator, quamvis pauci admodum fuerint.

§. 9. Κινῶνται δ᾽ αἱ ὀλιγαρχίαι ἐξ αὐτῶν (a) καὶ διὰ φιλονεικίαν δημαγωγούντων· ἡ δημαγωγία, δὲ διττή· ἡ μὲν, ἐν αὐτοῖς τοῖς ὀλίγοις· ἐγγίνεται γὰρ δημαγωγὸς, κἂν πάνυ ὀλίγοι ὦσιν.

§. 10. Ceu, cum Athenis triginta dominarentur, Charicles multum valuit, qui triginta illis aſſentabatur: & cum quadringenti in ſuo arbitrio rempublicam habebant, Phrynichus eodem modo.

§. 10. Οἷον, ἐν τοῖς τριάκοντα Ἀθήνησιν, οἱ περὶ Χαρικλέα ἴσχυσαν, τὲς τριάκοντα δημαγωγῦντες· καὶ ἐν τοῖς τετρακοσίοις οἱ περὶ Φρύνιχον, τὸν αὐτὸν τρόπον.

§. 11. Vel quando multitudini adulati fuerint, qui illic dominantur.

§. 11. Ἢ ὅταν τὸν ὄχλον δημαγωγῶσιν οἱ ἐν τῇ ὀλιγαρχίᾳ ὄντες.

§. 12. Veluti Lariſſæ politophylaces. Quia enim deligebat ipſos plebs, blandiebantur illi. Et in quibuscunque paucorum dominatibus non hi magiſtratus creant, e quibus magiſtratus ipſi conſtant: ſed magiſtratus e cenſibus magnis ſunt, vel ſodalitalibus ſuffragiis: aut ſuis ipſos deligunt gravis armaturæ milites, vel populus. quod Abydi uſu venit. Et ubi judicia non conſtituuntur ex iis, qui rempublicam in ſua poteſtate habent. placentes enim iis, qui de litibus exiſtimaturi ſunt, mutant ſtatum reipublicæ, quod factum eſt Heracleæ, quæ in Ponto eſt. Amplius autem, cum quidam ad pauciores traxerint dominatum: qui enim ipſorum æqualitati ſtudent, coguntur ad populi auxilium confugere.

§. 12. Οἷον ἐν Λαρίσσῃ οἱ πολιτοφύλακες, διὰ τὸ αἱρεῖσθαι αὐτὲς τὸν ὄχλον, ἐδημαγώγεν· καὶ ἐν ὅσαις ὀλιγαρχίαις ὐχ ὗτοι αἱρῦνται τὰς ἀρχὰς, ἐξ ὧν οἱ ἄρχοντές εἰσιν· ἀλλ᾽ αἱ μὲν ἀρχαὶ ἐκ τιμημάτων μεγάλων εἰσὶν, ἢ ἑταιριῶν· αἱροῦνται δ᾽ οἱ ὁπλῖται, ἢ ὁ δῆμος. ὅπερ ἐν Ἀβύδῳ συνέβαινε. καὶ ὅπε τὰ δικαστήρια μὴ ἐκ τῦ πολιτεύματός ἐςι· δημαγωγῦντες γὰρ πρὸς τὰς κρίσεις, μεταβάλλεσι τὴν πολιτείαν· ὅπερ καὶ ἐν Ἡρακλείᾳ ἐγένετο τῇ ἐν τῷ Πόντῳ. ἔτι δὲ, ὅταν ἔνιοι εἰς ἐλάττες ἕλκωσι τὴν ὀλιγαρχίαν· οἱ γὰρ τὸ ἴσον ζητῦντες, ἀναγκάζονται βοηθὸν ἐπαγαγέσθαι τὸν δῆμον.

§. 13. Fiunt autem paucorum dominatus mutationes & cum fortunas ſuas abſumſerint, viventes immoderate. Hujuscemodi enim homines dant operam rebus novis: & vel tyrannidi ipſi incumbunt, vel alium tyrannum conficiunt.

§. 13. Γίγνονται δὲ μεταβολαὶ τῆς ὀλιγαρχίας, καὶ ὅταν ἀναλώσωσι τὰ ἴδια, ζῶντες ἀσελγῶς· καὶ γὰρ οἱ τοιῦτοι καινοτομεῖν ζητῦσι· καὶ ἢ τυραννίδι ἐπιτίθενται αὐτοὶ, ἢ κατασκευάζεσιν ἕτερον.

§. 14. Quemadmodum Hipparinus Dionyſium Syracuſis. & Amphipoli, qui vocabatur Cleotimus, colonos Chalcidenſium accerſivit: & cum veniſſent, fecit, ut ipſi concertarent cum illis, qui amplum patrimonium haberent.

§. 14. Ὥσπερ (ὁ) Ἱππαρῖνος Διονύσιον ἐν Συρακέσαις· καὶ ἐν Ἀμφιπόλει, ᾧ ὄνομα ἦν Κλεότιμος, τὲς ἐποίκες τὲς Χαλκιδέων ἤγαγε· καὶ ἐλθόντων, διεστασίασεν αὐτὲς πρὸς τὲς εὐπόρες.

§. 15. Et in Ægina, qui auctor actionis ejus fuit, quæ geſta eſt adverſus Charetem, aggreſſus eſt rempublicam mutare propter hanc cauſam.

§. 15. Καὶ ἐν Αἰγίνῃ ὁ τὴν πρᾶξιν τὴν πρὸς Χάρητα πράξας, ἐνεχείρησε μεταβαλεῖν τὴν πολιτείαν διὰ τοιαύτην αἰτίαν.

§. 16. Aliquando igitur nituntur aliquid movere: aliquando autem furantur publica vectigalia. unde adverſus ipſos certant vel hi, vel qui pugnant cum ipſis, rempublicam compilantibus. quod quidem Apolloniæ uſu venit, quæ in Ponto eſt.

§. 16. Ὁτὲ μὲν ὖν ἐπιχειρῦσί τι κινεῖν, ὁτὲ δὲ κλέπτεσι τὰ κοινά· ὅθεν πρὸς αὐτὲς στασιάζεσιν ἢ ὗτοι, ἢ οἱ πρὸς τέτες μαχόμενοι κλέπτοντας· (b) ὅπερ ἐν Ἀπολλωνίᾳ συνέβη τῇ ἐν τῷ Πόντῳ.

§. 17. Paucorum autem dominatus concors haud facile labefactatur per ſemetipſum. ſignum hujus rei eſt reſpublica Pharſali: illi namque pauci exiſtentes, multos in ſua poteſtate habent, propterea quod recte ſemetipſis utuntur.

§. 17. Ὁμονοῦσα δὲ ὀλιγαρχία, ὐκ εὐδιάφθορος ἐξ αὑτῆς. σημεῖον δὲ ἡ ἐν Φαρσάλῳ πολιτεία· ἐκεῖνοι γὰρ, ὀλίγοι ὄντες, πολλῶν κύριοι (c) εἰσὶν διὰ τὸ χρῆσθαι σφίσιν αὐτοῖς καλῶς.

§. 18. Diſſolvuntur autem, & cum in dominatum ipſum alium paucorum dominatum inſeruerint: hoc autem eſt, cum, omni ſtatu e paucis conflato, maximorum magiſtratuum participes non fuerint cuncti illi pauci.

§. 18. Καταλύονται δὲ, καὶ ὅταν ἐν τῇ ὀλιγαρχίᾳ ἑτέραν ὀλιγαρχίαν ἐμποιῶσι. τῦτο δ᾽ ἐςὶν, ὅταν τῦ παντὸς πολιτεύματος ὀλίγυ ὄντος, τῶν μεγίςων ἀρχῶν μὴ μετέχωσιν οἱ ὀλίγοι πάντες.

§. 19. §. 19.

(a) *αἱ ὀλιγαρχίαι ἐξ αὐτῶν*) Sylburgius exiſtimat ſcribendum *αὐτῶν τε* vel *καὶ ἐξ αὐτῶν*. Et vero interpres Victorius habet: *& ſuo vitio*. Lambinus: *etiam ipſorum*. Ego arbitror & interpretes & Sylburgium abs ratione locum interpolaſſe. Etenim jam ante attulerat non unam rationem mutationis *ἐξ αὐτῶν*, nunc demum itaque vox *καὶ* locum non invenit. *CONR.*

(b) *κλέπτοντας*) Irrepſiſſe hanc vocem in textum imperita librarii manu, ſuſpicatur Lambinus. Non male; abundat enim. *CONR.*

(c) *πολλῶν κύριοι*) Lambinus ſcribit *τῶν πολλῶν*. Itidem recte. Sermo eſt de populo. *CONR.*

Digitized by Google

§. 19. Quod aliquando Elide contigit. cum enim ſtatus civitatis per paucos adminiſtraretur, pauci admodum ordinis ſenatorum extitere, quia perpetui erant numero nonaginta: delectu autem ipſorum, quo utuntur reguli: ſimiliſque illi, quo Lacedæmone ſenatores leguntur.

§. 19. Ὅπερ ἐν Ἤλιδι συνέβη ποτέ. τῆς πολιτείας γὰρ δι᾽ ὀλίγων ἔσης τῶν γερόντων, ὀλίγοι (a) πάμπαν ἐγίνοντο, διὰ τὸ ἀϊδίες εἶναι, ἐννενήκοντα ὄντας· τὴν δὲ αἵρεσιν δυναςευτικὴν εἶναι, ϗ ὁμοίαν τῇ τῶν ἐν Λακεδαίμονι γερόντων.

§. 20. Mutantur autem paucorum dominatus & tempore belli & pacis.

§. 20. Γίγνεται δὲ μεταβολὴ τῶν ὀλιγαρχιῶν καὶ ἐν πολέμῳ, καὶ ἐν εἰρήνῃ·

§. 21. Belli quidem, quia cum fidem nullam habeant populo, coguntur uti militibus mercede conductis. cui enim bellum adminiſtrandum tradiderunt, hic ſæpe efficitur tyrannus. quemadmodum Corinthi Timophanes. ſi plures autem hi fuerint, ſibi ipſis dividunt principatum: aliquando autem hæc metuentes, communicant rempublicam cum multitudine, quia neceſſe habent uti populo.

§. 21. Ἐν μὲν πολέμῳ, διὰ τὴν πρὸς τὸν δῆμον ἀπιςίαν, ςρατιώταις ἀναγκαζομένων χρῆσθαι. ᾧ γὰρ ἂν ἐγχειρίσωσιν, ἔτος πολλάκις γίγνεται τύραννος· ὥσπερ ἐν Κορίνθῳ Τιμοφάνης. ἂν δὲ πλείες, ἔτοι αὐτοῖς περιποιἔνται δυναςείαν. ὁτὲ δὲ ταῦτα δεδιότες, μεταδιδόασι τῷ πλήθει τῆς πολιτείας, διὰ τὸ ἀναγκάζεσθαι τῷ δήμῳ χρῆσθαι.

§. 22. Pacis autem tempore, qui non fidunt ſibi ipſis, committunt cuſtodiam mercede conductis, & præfecto ipſorum, qui medius & arbiter ſit: ille autem aliquando ambarum partium dominus ſit. Quod evenit Lariſſæ, cum Aleuadæ Sami regnarunt, & Abydi, qua tempeſtate ſodalitates rempublicam regebant, quarum una erat illa Iphiadæ.

§. 22. Ἐν δὲ τῇ εἰρήνῃ, διὰ τὴν ἀπιςίαν τὴν πρὸς ἀλλήλες, ἐγχειρίζεσι τὴν φυλακὴν ςρατιώταις καὶ ἄρχοντι μεσιδίῳ, ὃς ἐνίοτε γίνεται κύριος ἀμφοτέρων. ὥσπερ συνέβη ἐν Λαρίσσῃ ἐπὶ τῆς τῶν Ἀλευάδων (b) ἀρχῆς τῶν περὶ Σάμον· καὶ ἐν Ἀβύδῳ ἐπὶ τῶν ἑταιριῶν· ὧν ἦν μία ἡ Ἰφιάδε.

§. 23. Gignuntur etiam ſeditiones, quia alii ab aliis extruduntur, ex iis, qui participes dominatus ſunt, & contendunt inter ſe ob matrimonia vel lites.

§. 23. Γίνονται δὲ ςάσεις καὶ ἐκ τῦ περιωθεῖσθαι ἑτέρες ὑφ᾽ ἑτέρων, τῶν ἐν τῇ ὀλιγαρχίᾳ αὐτῶν (c) καὶ καταςασιάζεσθαι κατὰ γάμες, ἢ δίκας.

§. 24. Ceu ex cauſa matrimonii, quæ prius commemoratæ ſunt, & dominatum paucorum Eretriæ, quem equeſter ordo habebat, Diagoras fregit accepta injuria in matrimonio.

§. 24. Οἷον, ἐκ γαμικῆς μὲν αἰτίας, αἱ εἰρημέναι πρότερον. καὶ τὴν ἐν Ἐρετρίᾳ δ᾽ ὀλιγαρχίαν τὴν τῶν ἱππέων, Διαγόρας (δὲ) (d) κατέλυσεν ἀδικηθεὶς περὶ γάμον.

§. 25. E lite autem in judicio exiſtimata, Heracleæ ſeditio orta eſt: & Thebis diſcordiarum fuit origo adulterium, cum animadverſio juſte quidem, ſed tamen tumultuoſe adminiſtrata eſſet, eorum, quæ facta ſunt Heracleæ contra Eurytionem: quæ vero Thebis contra Archiam. laborarunt enim tantum inimici, ut ipſi vincti fuerint in foro ad Cyphonem.

§. 25. Ἐκ δὲ δικαςηρίε κρίσεως, ἡ ἐν Ἡρακλείᾳ ςάσις ἐγένετο· καὶ ἐν Θήβαις ἐπ᾽ αἰτίᾳ μοιχείας· δικαίως μὲν, ςασιωτικῶς (e) δὲ ποιησαμένων τὴν κόλασιν· τῶν μὲν ἐν Ἡρακλείᾳ, κατ᾽ Εὐρυτίωνος· (f) τῶν δ᾽ ἐν Θήβαις, κατ᾽ Ἀρχίε· ἐφιλονείκησαν γὰρ αὐτὲς οἱ ἐχθροὶ, ὥςε δεθῆναι ἐν ἀγορᾷ ἐν τῷ κύφωνι. (g)

§. 26. Multæ autem, quia dominationes ipſæ valde heriles erant, etiam a quibuſdam ſociis ejus ſtatus, ſtomachantibus everſæ ſunt: ut, quæ Cnidi, & in Chio extitit paucorum dominatio.

§. 26. Πολλαὶ δὲ καὶ διὰ τὸ ἄγαν δεσποτικὰς εἶναι τὰς ὀλιγαρχίας, ὑπὸ τῶν ἐν τῇ πολιτείᾳ τινῶν δυσχερανάντων κατελύθησαν· ὥσπερ ἡ ἐν Κνίδῳ, ϗ ἡ ἐν Χίῳ ὀλιγαρχία.

§. 27. Fiunt autem & caſu quodam mutationes & vocatæ reipublicæ & paucorum dominatuum, in quibuſcunque e cenſu deliberant & cauſas judicant, atque alios magiſtratus obtinent.

§. 27. Γίγνονται δὲ καὶ ἀπὸ συμπτώματος μεταβολαὶ, καὶ τῆς καλεμένης πολιτείας, καὶ τῶν ὀλιγαρχιῶν· ἐν ὅσαις ἀπὸ τιμήματος βελεύεσι, ϗ δικάζεσι, ϗ τὰς ἄλλας ἀρχὰς ἄρχεσι.

§. 28. Sæpe enim cenſus, qui primum ſtatutus fuit, accommodatus illis temporibus, ita ut

§. 28. Πολλάκις γὰρ τὸ ταχθὲν πρῶτον τίμημα πρὸς τὲς παρόντας καιρὲς, ὥςε μετέχειν, ἐν μὲν

(a) γερόντων, ὀλίγοι) Heinſius expuncto illo commate egregie emendat hunc locum: τῆς πολιτείας γὰρ δι᾽ ὀλίγων ἔσης, τῶν γερόντων ὀλίγοι πάμπαν ἐγίνοντο. CONR.

(b) Ἀλευάδων) Herodotus l. 7. Aleuadas Theſſaliæ principes agnoſcit. Sed quid vetat eosdem & alibi emiſiſſe? CONR.

(c) ἐν τῇ ὀλιγαρχίᾳ αὐτῶν) Vir doctus in margine Iſengriniani codicis pro αὐτῶν ſcribit ὄντων. Bene. Nec tamen eſt, quare multum abhorreamus lectionem vulgatam. CONR.

(d) Διαγόρας δὲ) Illud δὲ abeſt ab Iſengriniano.] Et vero omnino eſt ſuperfluum turbatque. CONR.

(e) ςασιωτικῶς) In margine codicis Iſengriniani eſt ςασιαςικῶς. At bene monet Sylburgius, ςασιωτικῶς alibi quoque ſic uſurpari, CONR.

(f) Εὐρυτίωνος) Hoc probatum quoque eſt Victorio pariter & Lambino, imo & Camerario, Aldus tamen & Iſengrinius habent Εὐτίωνος. Utrum rectius, non liquet: cum ſit nomen proprium, alibi forte non dictum a quoquam. CONR.

(g) κύφωνι) Iſengrinius & Aldus habent Κυφῶνι. Utrumque poteſt admitti. Par enim ratio eſt, quæ prioris. CONR.

ut pauci in dominatu participes ejus forent, in republica vero, ut medii. Cum extiterit ubertas propter pacem vel aliam quampiam felicitatem, contingit, eadem bona multo majore pretio æſtimari, ita ut omnes omnium participes ſint: interdum quidem ſenſim & parvis acceſſionibus, & quæ fallant, interdum autem & celerius.

μὲν τῇ ὀλιγαρχίᾳ, ὀλίγους, ἐν δὲ τῇ πολιτείᾳ, τοὺς μέσους, εὐετηρίας γιγνομένης δι' εἰρήνην, ἢ δι' ἄλλην τινά εὐτυχίαν, συμβαίνει πολλαπλασίου γίγνεσθαι τιμήματος ἀξίας τὰς αὐτὰς κτήσεις, ὥστε πάντας πάντων μετέχειν· ὁτὲ μὲν ἐκ προσαγωγῆς καὶ κατὰ μικρὸν γινομένης τῆς μεταβολῆς καὶ λανθανούσης· (e) ὁτὲ δὲ καὶ θᾶττον.

§. 29. Dominatus igitur paucorum mutantur, ſeditioneſque in ipſis oriuntur ob hujuſcemodi cauſas.

§. 29. Αἱ μὲν οὖν ὀλιγαρχίαι μεταβάλλουσι καὶ στασιάζουσι διὰ τοιαύτας αἰτίας.

§. 30. Ad ſummam autem & ſtatus populi & dominatus paucorum migrant interdum non in contrarias reſpublicas, ſed in eas, quæ ſunt ejuſdem generis. Velut e ſtatibus populi & dominatibus paucorum, legibus annexis in proprios & ſolutos, atque ex his in illos.

§. 30. Ὅλως δὲ καὶ αἱ δημοκρατίαι, καὶ ὀλιγαρχίαι, ἐξίστανται ἐνίοτε, οὐκ εἰς τὰς ἐναντίας πολιτείας, ἀλλ' εἰς τὰς ἐν τῷ αὐτῷ γένει· οἷον, ἐκ τῶν ἐννόμων δημοκρατιῶν, καὶ ὀλιγαρχιῶν, εἰς τὰς κυρίους, καὶ ἐκ τούτων εἰς ἐκείνας.

## CAP. VII.

§. 1.

In ſtatibus autem optimorum oriuntur *ſeditiones:* (a) hæ quidem, quia pauci ſunt participes honorum, quod traditum eſt, turbare etiam dominatus paucorum: & quia ſtatus optimorum aliquo modo eſt dominatus paucorum. in ambobus enim pauci ſunt imperium habentes: non tamen ob eandem paucitatem.

§. 1.

Ἐν δὲ ταῖς ἀριστοκρατίαις γίγνονται αἱ στάσεις αἱ μὲν, διὰ τὸ ὀλίγους τῶν τιμῶν μετέχειν. ὅπερ εἴρηται κινεῖν καὶ τὰς ὀλιγαρχίας, διὰ τὸ καὶ τὴν ἀριστοκρατίαν ὀλιγαρχίαν εἶναί πως. ἐν ἀμφοτέραις γὰρ ὀλίγοι οἱ ἄρχοντες· οὐ μέν τοι διὰ ταὐτὸν ὀλίγοι.

§. 2. Nam ob hæc videtur eſſe ſtatus optimorum paucorum dominatus.

§. 2. Ἐπεὶ δοκεῖγε διὰ ταῦτα καὶ ἡ ἀριστοκρατία ὀλιγαρχία εἶναι. (f)

§. 3. Maxime autem hoc uſu venire neceſſe eſt, cum multitudo conſtiterit e magnos ſpiritus gerentibus, tanquam par ſit virtute. Ceu Lacedæmone qui vocati ſunt Partheniæ: (e ſimilibus enim perfecti erant) quos cum deprehendiſſent inſidiari reipublicæ, miſerunt Tarenti conditores.

§. 3. Μάλιστα δὲ τοῦτο συμβαίνειν ἀναγκαῖον, ὅταν ᾖ τὸ πλῆθος τῶν πεφρονηματισμένων, ὡς ὅμοιον (g) κατ' ἀρετήν· οἷον ἐν Λακεδαίμονι οἱ λεγόμενοι Παρθενίαι· ἐκ τῶν ὁμοίων γὰρ ἦσαν· οὓς φωράσαντες ἐπιβουλεύσαντας, ἀπέστειλαν Τάραντος οἰκιστάς.

§. 4. Vel cum aliqui ignominia affecti fuerint, *magni viri*, (b) & nihilo inferiores virtute a quibuſdam honoratioribus. Velut *Lyſander* (c) a regibus.

§. 4. Ἢ ὅταν τινὲς ἀτιμάζωνται μεγάλοι ὄντες, καὶ μηθενὸς ἥττους κατ' ἀρετὴν, ὑπό τινων ἐντιμοτέρων· οἷον Λύσανδρος ὑπὸ τῶν βασιλέων.

§. 5. Vel cum aliquis magno animo præditus, non fuerit particeps honorum. veluti Cinadon, qui regnante Ageſilao princeps fuit conſpirationis adverſus Spartiatas.

§. 5. Ἢ ὅταν ἀνδρώδης τις ὢν, μὴ μετέχῃ τῶν τιμῶν· οἷον Κινάδων ὁ τὴν ἐπ' Ἀγησιλάῳ συστήσας ἐπίθεσιν ἐπὶ τοὺς Σπαρτιάτας.

§. 6. *Præterea* (d) cum hi quidem valde egeni fuerint: alii vero abundarint. maxime autem in bello hoc efficitur.

§. 6. Ἔτι ὅταν οἱ μὲν ἀπορῶσι λίαν, οἱ δ' εὐπορῶσι καὶ μάλιστα ἐν τοῖς πολέμοις τοῦτο γίνεται.

§. 7. Evenit autem & hoc Lacedæmone tempore belli Meſſeniaci. Perſpicitur autem & hoc e poëmate Tyrtæi, quod vocatur Eunomia: exhauſti namque bonis nonnulli propter bellum, poſtularunt, ut ager divideretur.

§. 7. Συνέβη δὲ καὶ τοῦτο ἐν Λακεδαίμονι ὑπὸ τὸν Μεσσηνιακὸν πόλεμον. δῆλον δὲ καὶ τοῦτο ἐκ τῆς Τυρταίου ποιήσεως τῆς καλουμένης εὐνομίας· θλιβόμενοι γάρ τινες διὰ τὸν πόλεμον, ἠξίουν ἀνάδαστον ποιεῖν τὴν χώραν.

§. 8. Amplius ſi aliquis magnus ſane fuerit & facultatem habuerit opes augendi, ut ſolus regnet. Cujus animi videtur fuiſſe Pauſanias dux in bello Medorum, & Carthagine Anno.

§. 8. Ἔτι, ἐάν τις μέγας ᾖ, καὶ δυνάμενος ἔτι μείζων εἶναι, ἵνα μοναρχῇ ὥσπερ ἐν Λακεδαίμονι δοκεῖ Παυσανίας ὁ στρατηγήσας κατὰ τὸν Μηδικὸν πόλεμον· καὶ ἐν Καρχηδόνι Ἄννων.

§. 9. §. 9.

(a) *Seditiones*) Hoc capite proponuntur principia mutationum in politiis & ariſtocratiis. FELDEN, PICCART. *GOEB.*

(b) *Magni viri*) Magno viro contemtus & ignominia ipſa morte durior eſt. *GOEB.*

(c) *Lyſander*) DIODORUS SICULUS *lib. XII.* *GOEB.*

(d) *Præterea*) Hunc textum, qui paululum videtur obſcurior, explicat FELDENUS *p.* 317. *GOEB.*

(e) καὶ λανθανούσης) Aldus ἢ λανθανούσης. Perinde eſt. *CONR.*

(f) ἐπεὶ δοκεῖ γε διὰ ταῦτα καὶ ἡ ἀριστοκρατία ὀλιγαρχία εἶναι) Jam paulo ante dixerat: τὴν ἀριστοκρατίαν ὀλιγαρχίαν εἶναι πως. Itaque hæc periodus abundat. Mihi videtur tota delenda. Nec Giphanius eam expreſſit. *CONR.*

(g) ὡς ὅμοιον) Caſaubonus recte ὡς ὁμοίων, atque ita vertit Lambinus. *CONR.*

§. 9. Diſſolvuntur autem maxime & reſpublicæ & ſtatus optimorum ob eam, quæ in ipſa republica fit, juris depravationem. Initium autem eſt, non permixtum eſſe recte, in republica quidem ſtatum populi & dominatum paucorum: in ſtatu autem optimorum, & hæc & virtutem. maxime autem illa duo. Intelligo autem duo, populum & paucorum dominatum: hæc enim & reſpublicæ dant operam, ut miſceant, & multæ e numero earum, qui vocantur ſtatus optimorum.

§. 9. Λύονται δὲ μάλιςα αἵ τε πολιτεῖαι καὶ αἱ ἀριςοκρατίαι διὰ τὴν ἐν αὐτῇ τῇ πολιτείᾳ (a) τοῦ δικαίου παρέκβασιν. ἀρχὴ γὰρ τὸ μὴ μεμίχθαι καλῶς, ἐν μὲν τῇ πολιτείᾳ, δημοκρατίαν, καὶ ὀλιγαρχίαν· ἐν δὲ τῇ ἀριςοκρατίᾳ, ταῦτά τε καὶ τὴν ἀρετήν. μάλιςα δὲ, τὰ δύο. λέγω δὲ τὰ δύο, δῆμον, καὶ ὀλιγαρχίαν· ταῦτα γὰρ αἱ πολιτεῖαί τε πειρῶνται μιγνύναι, καὶ αἱ πολλαὶ τῶν καλουμένων ἀριςοκρατιῶν.

** ** ** **

** ** ** **

§. 10. Diſcrepant enim a vocatis rebuspublicis ſtatus optimorum hoc: & hanc ob rem ſunt, hæ quidem ipſarum minus: hæ vero magis ſtabiles. Quæ namque magis inclinant ad paucorum dominatum, ſtatum vocant optimorum: quæ autem ad multitudinem, reſpublicas.

§. 10. Διαφέρουσι γὰρ (b) τῶν ὀνομαζομένων πολιτειῶν αἱ ἀριςοκρατίαι τούτῳ· καὶ διὰ τοῦτ᾽ εἰσὶν, αἱ μὲν ἧττον, αἱ δὲ μᾶλλον μόνιμοι αὐτῶν· τὰς γὰρ ἀποκλινούσας μᾶλλον πρὸς τὴν ὀλιγαρχίαν, ἀριςοκρατίας καλοῦσι· τὰς δὲ πρὸς τὸ πλῆθος, πολιτείας.

§. 11. Quapropter tutiores, quæ hujuſcemodi ſunt, aliis exiſtunt. Quod enim plus eſt, firmius eſt: magisque contenti illic vivunt, æquale habentes. qui autem copiam bonorum habent, ſi reſpublicas tribuerit ipſis majores gradus, contumeliis cæteros vexare, & plus quam par ſit, rerum bonarum adipiſci ſtudent.

§. 11. Διόπερ ἀσφαλέςεραι αἱ τοιαῦται τῶν ἑτέρων εἰσί. κρεῖττόν τε γὰρ τὸ πλεῖον, καὶ μᾶλλον ἀγαπῶσιν ἴσον ἔχοντες. οἱ δ᾽ ἐν ταῖς εὐπορίαις, ἂν ἡ πολιτεία διδῷ τὴν ὑπεροχὴν, ὑβρίζειν ζητοῦσι καὶ πλεονεκτεῖν.

§. 12. Ad ſummam autem, ad utrum inclinarit reſpublica, ad hoc ipſum migrat, ambobus, quod ſuum eſt, augentibus. Ceu reſpublica in populum: ſtatus optimorum in paucorum dominatum. Vel in contraria: ceu ſtatus optimorum in populum: (tanquam enim injuriam accipientes, rapiunt in contrarium egentiores:) Reſpublicæ autem in paucorum dominatum, ſolum enim ſtabile eſt, quod æquale eſt, pro dignitate: & habere ſingulos, quæ ſua ſunt.

§. 12. Ὅλως δ᾽ ἐφ᾽ ὁπότερον ἂν ἐγκλίνῃ ἡ πολιτεία, ἐπὶ ταῦτα μεθίςαται, ἑκατέρων τὸ σφέτερον αὐξανόντων· οἷον, ἡ μὲν πολιτεία, εἰς δῆμον· ἀριςοκρατία δ᾽, εἰς ὀλιγαρχίαν. ἢ εἰς τἀναντία· οἷον, ἡ μὲν ἀριςοκρατία, εἰς δῆμον· (ὡς ἀδικούμενοι γὰρ, (c) περισπῶσιν εἰς τοὐναντίον οἱ ἀπορώτεροι·) αἱ δὲ πολιτεῖαι εἰς ὀλιγαρχίαν· μόνον γὰρ μόνιμον τὸ κατ᾽ ἀξίαν ἴσον, καὶ τὸ ἔχειν τὰ αὐτῶν.

§. 13. Contigit autem, quod dictum eſt, Thuriis. cum enim magiſtratus e majore cenſu crearentur, in minorem migravit & in plures curias: quia autem univerſum agrum nobiles poſſidebant contra legem, (reſpublica enim vergebat ad dominatum paucorum, quare facultatem habebant plus ſibi aſciſcendi:) plebs autem in bello exercitata validior facta eſt cuſtodibus, donec parte agri ceſſerunt, qui plus æquo ejus habebant.

§. 13. Συνέβη δὲ τὸ εἰρημένον ἐν Θουρίοις. διὰ μὲν γὰρ τὸ ἀπὸ πλείονος τιμήματος εἶναι τὰς ἀρχὰς, εἰς ἔλαττον μετέβη, καὶ εἰς ἀρχεῖα πλείω· διὰ δὲ τὸ τὴν χώραν ὅλην τοὺς γνωρίμους συγκλήσασθαι παρὰ τὸν νόμον· (ἡ γὰρ (d) πολιτεία ὀλιγαρχικωτέρα ἦν, ὥςε ἐδύναντο πλεονεκτεῖν·) ὁ δὲ δῆμος γυμνασθεὶς ἐν τῷ πολέμῳ, τῶν φρουρῶν ἐγένετο κρείττων, ἕως ἀφεῖσαν τῆς χώρας, ὅσοι πλείω ἦσαν ἔχοντες.

§. 14. Præterea, quia cunctæ reſpublicæ, quæ ſpeciem habent optimatum, in paucorum dominatum inclinant, magis nobiles plus æquo ſtudent obtinere: (Ceu & Lacedæmone ad paucos patrimonia perveniunt:) & licet, quodcunque voluerint nobilibus magis facere: & cuicunque viſum ipſis fuerit, filias in matrimonium dare. Qua de cauſa & Locrorum civitas interiit ex affinitate Dionyſii. quod in ſtatu populi non extitiſſet, neque in ſtatu optimorum bene temperato.

§. 14. Ἔτι διὰ τὸ πάσας τὰς ἀριςοκρατικὰς πολιτείας ὀλιγαρχικὰς εἶναι, μᾶλλον πλεονεκτοῦσιν οἱ γνώριμοι· (οἷον καὶ ἐν Λακεδαίμονι εἰς ὀλίγους αἱ οὐσίαι ἔρχονται·) καὶ ἔξεςι ποιεῖν ὅ τι ἂν θέλωσι τοῖς γνωρίμοις μᾶλλον· καὶ κηδεύειν ὅτῳ θέλωσι. διὸ καὶ ἡ Λοκρῶν πόλις ἀπώλετο ἐκ τῆς πρὸς Διονύσιον κηδείας· ὃ ἐν δημοκρατίᾳ οὐκ ἂν ἐγένετο, οὐδ᾽ ἂν ἐν ἀριςοκρατίᾳ εὖ μεμιγμένῃ.

§. 15. §. 15.

(a) ἐν αὐτῇ τῇ πολιτείᾳ) Niſi vehementer fallor, locus eſt mendoſus. Nec enim commode dicitur hic quidquam in ſingulari numero, quum paulo ante in plurali facta fuiſſet mentio politiarum & ariſtocratiarum. Rectius certe hic ſcriberetur ſimpliciter ἐν αὐταῖς. Non ſatis recte fortaſſis habet etiam ſeſe illud: τοῦ δικαίου παρέκβασιν, quum mox ſubſequatur nihil niſi de vitio commiſſo in miſtione. Quemadmodum tamen emendari hæc debeant, fateor me ignorare. *CONR.*

(b) διαφέρουσι γὰρ) Jam ante præceſſerat γὰρ: nec quæ ſequuntur illuſtrant priora. Videtur igitur oratio hiare. *CONR.*

(c) ὡς ἀδικούμενοι γὰρ) Incluſimus hæc lunulis melioris intellectus cauſſa. *CONR.*

(d) ἡ γὰρ) Etiam hæc parentheſis a manu noſtra eſt. *CONR.*



Digitized by Google

§. 15. Maxime autem fallunt ſtatus optimorum dum mutantur, quia paulatim diſſolvuntur. quod quidem prius in univerſum expoſitum eſt de omnibus rebuspublicis, mutationum cauſam etiam eſſe quod puſillum eſt. Cum enim contempſerint quippiam eorum, quæ pertinent ad rempublicam, poſt hoc & aliud, paulo majus facilius mutant, donec omnem moverint ornatum.

§. 15. Μάλιϛα δὲ λανθάνϐσιν αἱ ἀριϛοκρατίαι μεταβάλλϐσαι, τῷ λύεϑαι κατὰ μικρόν· ὅπερ εἴρηται ἐν τοῖς πρότερον καθόλϐ κατὰ πασῶν τῶν πολιτειῶν, ὅτι αἴτιον τῶν μεταβολῶν καὶ τὸ μικρόν (b) ἐϛιν. ὅταν γάρ τι πρόωνται τῶν πρὸς τὴν πολιτείαν, μετὰ τϐ̃το καὶ ἄλλο, μικρῷ μεῖζον, εὐχερέϛερον κινϐ̃σιν, ἕως ἂν πάντα κινήσωσι τὸν κόσμον.

§. 16. Contigit autem hoc in republica quoque Thuriorum. Cum enim lex eſſet, interjecto ſpatio quinque annorum, exercitum ducere: quidam adoleſcentes verſati in bello & probati cuſtodibus, contemptis illis, qui reip. navabant operam, ſperanteſq; ſe parvo negotio ipſos ſuperaturos, hanc legem diſſolvere primum aggreſſi ſunt, ut liceret eoſdem ſine intermiſſione duces creari, cum perſpicerent multitudinem prompto animo ſe declaraturam: magiſtratus vero, conſiliarii appellati, cum cœpiſſent primum fortiter adverſari, in ſententiam eorum venerunt, exiſtimantes illos, ſi hanc legem ſuſtuliſſent, reliquam rempublicam ſuo in ſtatu relicturos: poſtea autem impedire volentes, cum alia in republica convellerentur, nihil amplius effecerunt, ſed omnis ordo reipublicæ mutatus eſt in eorum ſummam poteſtatem, qui moliri res novas aggreſſi ſunt.

§. 16. Συνέβη δὲ τϐ̃το καὶ ἐπὶ τῆς Θϐρίων πολιτείας. νόμϐ γὰρ ὄντος, διὰ πέντε ἐτῶν ϛρατηγεῖν, (c) γενόμενοί τινες πολεμικοὶ τῶν νεωτέρων, καὶ παρὰ τῷ πλήθει τῶν φρϐρῶν εὐδοκιμοῦντες, καταφρονήσαντες τῶν ἐν τοῖς πράγμασι, καὶ νομίζοντες ῥᾳδίως καταϛχήσειν, τϐ̃τον τὸν νόμον λύειν ἐπεχείρησαν πρῶτον, ὥϛε ἐξεῖναι τϐ̀ς αὐτϐ̀ς συνεχῶς ϛρατηγεῖν, ὁρῶντες τὸν δῆμον αὐτϐ̀ς χειροτονήσοντα προθύμως. οἱ δὲ ἐπὶ τϐ́τῳ τεταγμένοι τῶν ἀρχόντων, οἱ καλϐ́μενοι σύμβϐλοι, ὁρμήσαντες τὸ πρῶτον ἐναντιϐ̃θαι, συνεπείσθησαν, ὑπολαμβάνοντες τϐ̃τον κινήσαντας τὸν νόμον, ἐάσειν τὴν ἄλλην πολιτείαν· ὕϛερον δὲ βϐλόμενοι κωλύειν ἄλλων κινϐμένων, ὐκέτι πλέον ἐποίουν ὐθὲν, ἀλλὰ μετέβαλεν ἡ τάξις πᾶσα τῆς πολιτείας εἰς δυναϛείαν τῶν ἐπιχειρησάντων νεωτερίζειν.

§. 17. Cunctæ autem reſpublicæ diſſolvuntur, aliquando quidem a ſemetipſis: aliquando autem extrinſecus, cum contraria reſpublica vel prope fuerit: vel longe quidem, eadem tamen potens. quod factum eſt Athenienſibus & Lacedæmoniis inter ſe contendentibus. Athenienſes namque ubique dominatus paucorum: Lacones vero populi ſtatus diſſolvebant.

§. 17. Πᾶσαι δ᾽ αἱ (d) πολιτεῖαι λύονται, ὁτὲ μὲν ἐξ αὐτῶν, ὁτὲ δ᾽ ἔξωθεν· ὅταν ἐναντία πολιτεία ᾖ, ἢ πλησίον· ἢ πόῤῥω μὲν, ἔχϐσα δὲ δύναμιν. ὅπερ συνέβαινεν ἐπ᾽ Ἀθηναίων καὶ Λακεδαιμονίων. οἱ μὲν γὰρ Ἀθηναῖοι, πανταχϐ̃ τὰς ὀλιγαρχίας· οἱ δὲ Λάκωνες, τϐ̀ς δήμϐς κατέλυον.

§. 18. Unde igitur mutationes rerumpublicarum & ſeditiones naſcuntur, expoſitum ferme eſt.

§. 19. Ὅθεν μὲν οὖν αἱ μεταβολαί γίνονται τῶν πολιτειῶν καὶ αἱ ϛάσεις, εἴρηται σχεδόν.

# CAPUT IIX.

§. I.

IX. De *incolumitate* (a) autem ſingularum rerumpublicarum & communiter & ſeparatim, ſequitur, ut dicamus.

§. I.

IX. Περὶ δὲ σωτηρίας καὶ κοινῇ καὶ χωρὶς ἑκάϛης πολιτείας, ἐχόμενόν ἐϛιν εἰπεῖν.

§. 2. Primum igitur perſpicuum eſt, ſiquidem tenemus, quarum rerum vi reſpublicæ intereunt, tenere etiam nos, quarum vi conſervantur. res enim contrariæ contrariorum efficientes ſunt: interitus autem ſaluti contrarium eſt.

§. 2. Πρῶτον μὲν οὖν δῆλον ὅτι, εἴπερ (e) ἔχομεν δι᾽ ὧν φθείρονται αἱ πολιτεῖαι, ἔχομεν καὶ δι᾽ ὧν σώζονται· τῶν γὰρ ἐναντίων τὰ ἐναντία ποιητικά· φθορὰ δὲ σωτηρίᾳ ἐναντίον.

§. 3. §. 3.

(a) *Incolumitate*) Poſtquam hactenus de corruptionum cauſis egit, nunc de rerumpublicarum conſervationibus eſt ſolicitus, morborumque remedia aſſignat FFLDEN. Ponit autem generalem regulam, quicquid contrarium eſt principiis corrumpentibus rempublicam, illud rebuspublicis eſt ſalutare morborumque remedia aſſignat, *GOEB.*

(b) τὸ μικρὸν) Lambinus cenſet ſcribendum: τὸ παρὰ μικρόν. At nihil vetat retinere lectionem receptam. Quod & Caſaubono eſt viſum. *CONR.*

(c) ἐτῶν ϛρατηγεῖν) Victorius in quodam vetuſto codice invenit μὴ ϛρατηγεῖν. Agnoſcit vero negantem particulam a Veteri interprete expreſſam non eſſe. Et vero, quare illam inſeramus, nihil eſt cauſſæ: etſi illam probaſſe videatur Caſaubonus. *CONR.*

(d) πᾶσαι δὲ αἱ) Hæc cum pertineant ad omnes in univerſum reſpublicas, ad communem potius pertinere doctrinam de mutationibus rerumpublicarum, manifeſtum eſt. Nec tamen loco movere audemus. Paulo aliter autem exiſtimat hæc legenda Lambinus. Sic videlicet: ὁτὲ μὲν ἐξ αὐτῶν, ὁτὲ δ᾽ ἔξωθεν. ἐξ αὐτῶν μὲν διὰ ϛάσεων· ἔξωθεν δὲ ὅταν ἐναντία. Ariſtoteli tamen non eſt infrequens unum membrum disjunctionis omittere, ſi ad rem non multum faciat. *CONR.*

(e) ὅτι, εἴπερ) Iſengrinius habet: ὡς: Aldus neutram voculam habet. Sed non eſt, quare quidquam mutemus. *CONR.*

Digitized by Google

§. 3. In rebuſpublicis igitur bene temperatis, quemadmodum aliud quippiam opus eſt ſervare, ut nihil *contra inſtituta gerant*, (a) & maxime puſillum cavere. Fallit enim, quæ furtim irrepit transgreſſio, quemadmodum rem familiarem minuti ſumptus crebro facti. Fallit enim ſumptus, quia non totus ſimul fit. decipitur namque animus ab ipſis, quemadmodum ratio captioſa ſe habet: ſi ſingula pauca, & omne. hoc vero contingit, ut ſic, contingit etiam, ut non ſic ſe habeat. Totum enim & omnia minime parvum ſunt, ſed compoſita ſunt e parvis. Unam igitur cuſtodiam adverſus hoc principium oportet facere.

§. 3. Ἐν μὲν οὖν ταῖς εὐκεκραμέναις πολιτείαις ὥσπερ ἄλλό τι δεῖ τηρεῖν, ὅπως μηθὲν παρανομῶσι· καὶ μάλιστα τὸ μικρὸν φυλάττειν· λανθάνει γὰρ ἐπεισδύουσα ἡ παράβασις, ὥσπερ τὰς οὐσίας αἱ μικραὶ δαπάναι δαπανῶσι, πολλάκις γινόμεναι. λανθάνει δὲ ἡ μετάβασις, (d) διὰ τὸ μὴ ἀθρόα γίγνεσθαι. παραλογίζεται γὰρ ἡ διάνοια ὑπ᾽ αὐτῶν, ὥσπερ ὁ σοφιστικὸς (e) λόγος· εἰ ἕκαστον μικρὸν, καὶ πάντα. τοῦτο δ᾽ ἔστι μὲν ὥς, ἔστι δ᾽ ὡς οὔ· τὸ γὰρ ὅλον, καὶ τὰ πάντα, οὐ μικρὸν, ἀλλὰ σύγκειται ἐκ μικρῶν· μίαν μὲν οὖν φυλακὴν πρὸς ταύτην τὴν ἀρχὴν δεῖ ποιεῖσθαι.

§. 4. Deinde non fidere illis, quæ tegendi pravum ſuum conſilium gratia adverſus populum ab inimicis excogitata ſunt: refelluntur enim rebus ipſis. Qualia autem dicimus rerumpublicarum aſtuta commenta, prius expoſitum eſt.

§. 4. Ἔπειτα μὴ πιστεύειν τοῖς σοφίσματος χάριν πρὸς τὸ πλῆθος συγκειμένοις· ἐξελέγχεται γὰρ ὑπὸ τῶν ἔργων. ποῖα δὲ λέγομεν τῶν πολιτειῶν σοφίσματα, πρότερον εἴρηται.

§. 5. Licet autem prope oculis intueri, nonnullos ſtare non ſolum optimorum virorum ſtatus, verum etiam paucorum dominatus: non quia reſpublicæ ipſæ tutæ ſint, ſed quia qui magiſtratus illic adipiſcuntur, recte ſe gerunt erga eos, qui extra rempublicam ſunt, atque eos, qui participes ipſius ſunt. Expertes reipublicæ nulla injuria afficiendo, & præterea e numero ipſorum illos, qui cæterorum duces poſſent eſſe in diſcordiis, in rempublicam inducendo. In quo animadvertendum eſt, ne cupidos honoris lædant in his rebus, quæ ignominiam adferunt: multitudinem autem in his, quæ pertinent ad lucrum. Erga ſemetipſos autem atque eos, qui reipublicæ participes ſunt, tractando *mutuo ſe populariter*. (b) quod enim æquale in multitudine quærunt populares, hoc in ſimilibus non ſolum juſtum eſt, verum etiam utile.

§. 5. Ἔστι δ᾽ ὁρᾷν, (f) ὅτι ἔνιαι μένουσιν οὐ μόνον ἀριστοκρατίαι, ἀλλὰ καὶ ὀλιγαρχίαι, οὐ διὰ τὸ ἀσφαλεῖς εἶναι τὰς πολιτείας, ἀλλὰ διὰ τὸ εὖ χρῆσθαι τοὺς ἐν ταῖς ἀρχαῖς γινομένους, καὶ τοῖς ἔξω τῆς πολιτείας, καὶ τοῖς ἐν τῷ πολιτεύματι· τοὺς μὲν μὴ μετέχοντας, τῷ μὴ ἀδικεῖν, καὶ τῷ τοὺς ἡγεμονικοὺς αὐτῶν εἰσάγειν εἰς τὴν πολιτείαν· καὶ τοὺς μὲν φιλοτίμους μὴ ἀδικεῖν εἰς ἀτιμίαν, τοὺς δὲ πολλοὺς εἰς κέρδος· πρὸς αὑτοὺς δὲ καὶ τοὺς μετέχοντας, τῷ χρῆσθαι ἀλλήλοις δημοτικῶς. ὃ γὰρ ἐπὶ τοῦ πλήθους ζητοῦσιν οἱ δημοτικοὶ τὸ ἴσον, τοῦτ᾽ ἐπὶ τῶν ὁμοίων οὐ μόνον δίκαιον, ἀλλὰ καὶ συμφέρον ἐστί.

§. 6. Quare ſi plures fuerint, qui rempublicam adminiſtrant, multa conducunt inſtituta popularia: veluti *ſemeſtres magiſtratus* (c) eſſe, ut cuncti ſimiles participes ipſorum ſint. Sunt enim inſtar populi jam, qui ſimiles inter ſe ſunt. Quapropter in his etiam exoriuntur ſæpe aſſentatores, ut prius dictum eſt.

§. 6. Διὸ ἐὰν πλείους ὦσιν ἐν τῷ πολιτεύματι, πολλὰ συμφέρει τῶν δημοτικῶν νομοθετημάτων· οἷον, τὸ ἑξαμήνους τὰς ἀρχὰς εἶναι, ἵνα πάντες οἱ ὅμοιοι μετέχωσιν· ἔστι γὰρ ὥσπερ δῆμος ἤδη οἱ ὅμοιοι· διὸ καὶ ἐν τούτοις ἐγγίγνονται δημαγωγοὶ πολλάκις, ὥσπερ εἴρηται πρότερον.

§. 7. Deinde minus incidunt paucorum dominatus & ſtatus optimorum in dynaſtias. non enim ſimiliter pronum eſt malitioſe agere, qui parvo tempore imperium habent, & qui multo. Nam hanc ob cauſam in dominatibus paucorum & ſtatibus multitudinis exoriuntur tyrannides. Sive enim maximi in utraque republica occupant tyrannidem: hic quidem aſſentatores, hic vero valde potentes: ſive qui maximos magiſtratus gerunt, cum longo tempore imperium tenuerint.

§. 7. Ἔπειθ᾽ ἧττον εἰς δυναστείας ἐμπίπτουσιν αἱ ὀλιγαρχίαι καὶ ἀριστοκρατίαι. οὐ γὰρ ὁμοίως ῥᾴδιον κακουργῆσαι ὀλίγον χρόνον ἄρχοντας, καὶ πολύν· ἐπεὶ διὰ τοῦτο ἐν ταῖς ὀλιγαρχίαις καὶ δημοκρατίαις γίγνονται τυραννίδες. ἢ γὰρ οἱ μέγιστοι ἐν ἑκατέρᾳ ἐπιτίθενται τυραννίδι· ἔνθα μὲν, οἱ δημαγωγοὶ, ἔνθα δ᾽, οἱ δυνάσται· ἢ οἱ τὰς μεγίστας ἔχοντες ἀρχὰς, ὅταν πολὺν χρόνον ἄρχωσι.

§. 8. §. 8.

(a) *Contra inſtituta gerant*) Crebra legum & inſtitutorum mutatio reipublicæ ſapit imperfectionem. ARNISÆUS *p.* 508. CHOCKIER *th. pol. lib.* 2. Et conducit ne minimum quid mutare. PICCART. *p.* 74. De Tiberio ait TACITUS *lib. I. annalium*, eum ſibi non putaſſe fas, Auguſti dicta infringere, ſed omnia ejus dicta factaque vice legis obſervaſſe. Vonones Parthorum regnum amiſit, quia mores ſuos non majorum accommodabat inſtitutis. Vid. AMELOT DE LA HOUSSAIE *ad* MACHIAVELLI *princip. p.* 4. *GOEB.*

(b) *Mutuo ſe populariter*) PICCART. *p.* 745. *GOEB.*

(c) *Semeſtres magiſtratus*) Hoc haud dubie, quod academiæ rectorum & vicerectorum poteſtas ſemeſtri ſpacio terminetur, occaſionem præbuit. *GOEB.*

(d) λανθάνει δ᾽ ἡ μετάβασις) Aldus habet δαπάνη. At noſtrum rectius. *CONR.*

(e) ὥσπερ ὁ σοφιστικὸς) Lambinus ſcribit: οἷόσπερ. Nihil intereſt. *CONR.*

(f) ἔστι δ᾽ ὁρᾷν) Victorius legit cum Aldo ἔστι δ᾽ ὁρᾷν. Lambinus vero & Giphanius probaverunt ἔνι. *CONR.*



Digitized by Google

§. 8. Conſervantur autem reſpublicæ non ſolum, quia procul ſunt ab his, quæ interimunt: verum etiam aliquando, quia prope ipſa ſunt. Metuentes enim, magis reipublicæ proſpiciunt. Quapropter opus eſt eos, qui curam gerunt reipublicæ, metus fingere, ut cuſtodiant: & non remittant, tanquam nocturnam vigiliam, reipublicæ cuſtodiam: & quod longinquum periculum eſt, *vicinum facere.* (*a*)

§. 9. Amplius clarorum civium contentiones & ſeditiones *legibus experiri*, (*b*) oportet cavere: atque eos, qui extra contentionem ſunt, antequam corripiat etiam hos.

** **

** **

§. 10. Quoniam quod initio malum exiſtit, intelligere non cujuslibet eſt, ſed hominis diu verſati in republica.

§. 11. Adverſus mutationem autem, quæ fit propter *cenſus* (*c*) e dominatu paucorum, & republica, cum contigerit hoc, manentibus quidem iisdem cenſibus, ubertate autem pecuniæ nata; prodeſt communis cenſus multitudinem attendere ad præteritum hoc tempore, in quibus quidem civitatibus cenſentur ſingulis annis: in his vero, quæ majores, per intervallum trium vel quinque annorum: & ſi fuerit multis partibus major vel minor, quam prius cum conſtituti ſunt cenſus reipubl. legem eſſe, cenſus quoque intendere vel remittere. Si quidem modus rei familiaris ſuperarit priorem, amplificantes pro ratione acceſſionis: ſi vero attritus fuerit, remittentes & minorem facientes cenſum.

§. 12. In dominatibus enim paucorum & rebuspublicis, niſi ſic fecerint: hic quidem paucorum dominatum, hic autem *dynaſtiam* (*d*) fieri contingit: illo autem modo, e republica quidem, ſtatum populi: e dominatu autem paucorum, rempublicam vel populum.

§. 13. Commune autem eſt & in populo, & in paucorum dominatu, & in principatu, & omni republica, neque augere *valde* (*e*) quempiam præter juſtam menſuram: ſed potius experiri parvos & diuturnos honores tribuere, quam brevi magnos. Corrumpuntur enim: & non omnis mortalis eſt, ſecundas res ferre.

§. 14. Sin autem nullo modo, ſi crebri dati ſimulq; ſunt, demere rurſus ſimul cunctos, ſed paulatim.

§. 15. Et maxime quidem enitendum eſt legibus ita inſtituere, ut nemo illic exoriatur, multum

§. 8. Σώζονται δ᾽ αἱ πολιτεῖαι οὐ μόνον διὰ τὸ πόῤῥω εἶναι τῶν διαφθειρόντων, ἀλλ᾽ ἐνίοτε καὶ διὰ τὸ ἐγγύς· φοβούμενοι γὰρ, διὰ χειρῶν ἔχουσι μᾶλλον τὴν πολιτείαν. ὥστε δεῖ τοὺς τῆς πολιτείας φροντίζοντας, φόβους παρασκευάζειν, ἵνα φυλάττωσι, καὶ μὴ καταλύωσιν, ὥσπερ νυκτερινὴν φυλακὴν, τὴν τῆς πολιτείας τήρησιν· καὶ τὸ πόῤῥω ἐγγὺς ποιεῖν.

§. 9. Ἔτι τὰς τῶν γνωρίμων φιλονεικίας καὶ στάσεις, καὶ διὰ τῶν νόμων πειρᾶσθαι, δεῖ φυλάττειν, καὶ τοὺς ἔξω τῆς φιλονεικίας ὄντας, πρὶν παρειληφέναι καὶ αὐτούς.

** **

** **

§. 10. Ὡς τὸ ἐν ἀρχῇ (*f*) γινόμενον κακὸν γνῶναι, οὐ τοῦ τυχόντος, ἀλλὰ πολιτικοῦ ἀνδρός.

§. 11. Πρὸς δὲ τὴν διὰ τὰ τιμήματα γιγνομένην μεταβολὴν, ἐξ ὀλιγαρχίας καὶ πολιτείας, ὅταν συμβαίνη τοῦτο, μενόντων μὲν τῶν αὐτῶν τιμημάτων, εὐπορίας δὲ νομίσματος (*g*) γιγνομένης, συμφέρει τοῦ τιμήματος ἐπισκοπεῖν τοῦ κοινοῦ τὸ πλῆθος πρὸς τὸ παρελθὸν (κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον,) (*h*) ἐν ὅσαις μὲν πόλεσι τιμῶνται κατ᾽ ἐνιαυτόν· (*i*) ἐν δὲ ταῖς μείζοσι, διὰ τριετηρίδος, ἢ πενταετηρίδος· κἂν ᾖ πολλαπλάσιον, ἢ πολλοστημόριον τοῦ πρότερον, ἐν ᾧ αἱ τιμήσεις κατέστησαν τῆς πολιτείας, νόμον εἶναι καὶ τὰ τιμήματα ἐπιτείνειν ἢ ἀνιέναι· ἐὰν μὲν ὑπερβάλλῃ, ἐπιτείνοντας κατὰ τὴν πολλαπλασίωσιν· ἐὰν δ᾽ ἐλλείπῃ, ἀνιέντας καὶ ἐλάττω ποιοῦντας τὴν τίμησιν.

§. 12. Ἐν μὲν γὰρ ταῖς ὀλιγαρχίαις καὶ ταῖς πολιτείαις, μὴ ποιούντων μὲν οὕτως, ἔνθα μὲν ὀλιγαρχίαν, ἔνθα δὲ δυναστείαν γίγνεσθαι συμβαίνει· ἐκείνως δὲ, ἐκ μὲν πολιτείας δημοκρατίαν, ἐκ δ᾽ ὀλιγαρχίας πολιτείαν ἢ δῆμον.

§. 13. Κοινὸν δὲ καὶ ἐν δήμῳ, καὶ ὀλιγαρχίᾳ, καὶ μοναρχίᾳ, (*k*) καὶ πάσῃ πολιτείᾳ, μήτ᾽ αὐξάνειν λίαν μηθένα παρὰ τὴν συμμετρίαν, ἀλλὰ μᾶλλον πειρᾶσθαι μικρὰς καὶ πολυχρονίους (*l*) διδόναι τιμὰς, ἢ ταχὺ μεγάλας. διαφθείρονται γάρ· καὶ φέρειν οὐ παντὸς ἀνδρὸς εὐτυχίαν.

§. 14. Εἰ δὲ μὴ, μή τοί γ᾽ ἀθρόας δόντας, ἀφαιρεῖσθαι πάλιν ἀθρόας, ἀλλ᾽ ἐκ προσαγωγῆς.

§. 15. Καὶ μάλιστα μὲν πειρᾶσθαι τοῖς νόμοις οὕτως ἄγειν, ὥστε μηθένα ἐγγίγνεσθαι πολὺ ὑπερέχοντα

(*a*) *Vicinum facere*) PICCART. *p.* 747. *GOEB.*

(*b*) *Legibus experiri*) Et in ſeditionum autores graviſſimæ ſunt ſtatuendæ pœnæ, ut hoc modo alii a tali deterreantur facinore. ARVELÆSII *enchir. polit. p.* 301. MACH. *in principe c. XVII.* *GOEB.*

(*c*) *Cenſus*) Cenſus & tributorum nimia augmenta non raro motuum fuere cauſæ. vid. DANÆI *aphoriſmos politicos p.* 551. *GOEB.*

(*d*) *Dynaſtiam*) HERT. *l. c. part. I. c.* 12. §. 19. *GOEB.*

(*e*) *Valde*) PICCART. *p.* 757. Rariſſimi ſunt, qui nimios illos honores moderate ferre queant, & aliorum animi inde a principe alienantur, ſibi perſuadentes, illum honores non ex merito, ſed ex affectu tribuere. *GOEB.*

(*f*) ὡς τὸ ἐν ἀρχῇ) Non cohærent cum antecedentibus. *CONR.*

(*g*) νομίσματος) Sepulveda arbitratur abundare illam vocem. Sed tamen commode poteſt retineri: quod fecit Victorius & Lambinus. Vetus interpres videtur legiſſe τιμήματος vertens: *honorabilitatis.* *CONR.*

(*h*) κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον) Non agnita hæc eſſe ab interprete vetere, monet Victorius. *CONR.*

(*i*) κατ᾽ ἐνιαυτόν) Recte Lambinus obſervat, bis illas voculas repetendas: ac proinde ſic vertendum hunc locum: *in iis quidem civitatibus, in quibus cenſentur quotannis.* *CONR.*

(*k*) καὶ μοναρχίᾳ) Non habet hoc Aldus: ſed male. *CONR.*

(*l*) μικρὰς καὶ πολυχρονίους) Camerarius habet μακράς: plane contra ſententiam Ariſtotelis & prudenter inſtituta. Lambinus addit: ἢ βραχυχρονίους καὶ μεγάλας, non male. *CONR.*

Digitized by Google

multum præſtans potentia vel amicorum, vel divitiarum: ſi non, efficere ipſorum amandationes longiores *extra fines*. (a)

§. 16. Quia autem & ob vitas quoque ſuas rebus novis ſtudent, opus eſt magiſtratum aliquem inducere, qui animadverſurus ſit eos, qui vivunt ita, ut detrimento ſint reipublicæ: in *ſtatu populi*, (b) ſtatui ipſi multitudinis: in dominatu paucorum, illi dominatui. Similiter autem & in unaquaque cæterarum rerumpublicarum.

§. 17. Et partem civitatis, cujus ſunt res valde ſecundæ, nunc hanc, nunc illam cavere, ob easdem cauſas. Hujus autem mali remedium eſt, ſemper oppoſitis partibus rem gerendam & magiſtratus tribuere. Dico autem opponi honeſtos viros multitudini, & egenos copioſis. Nec non conari, vel ſimul miſcere multitudinem egenorum & copioſiorum: vel, quod medium inter ipſos eſt, augere. Hoc enim frangit ſeditiones, quæ proficiſcerentur ab inæqualitate.

§. 18. Maximum autem eſt in omni republica, & legibus & alia diſpenſatione, ſic ipſam conſtitutam eſſe, ut non liceat magiſtratibus quæſtum facere.

§. 19. Hoc autem maxime in dominatibus paucorum oportet ſervare. Non enim ita indignatur vulgus, cum obſtruitur ipſis via ad imperium: quin etiam gaudent, ſi quis ſinit ipſos rebus ſuis incumbere: ut facit, ſi putant magiſtratus expilare rempublicam. Tunc enim ambæ res inurunt ipſi dolorem, ſe non participes *eſſe honorum*, (c) & quod vident illos lucrari.

§. 20. Uno autem modo ſolum contingit una eſſe ſtatum multitudinis & optimatum, ſi hoc moliretur aliquis. Contingeret enim & claros cives & populares obtinere, quæ ambo volunt. Licere namque omnibus ad imperium pervenire, populare eſt: nobiles autem eſſe eos, e quibus magiſtratus creentur, proprium optimatium. Hoc autem uſu veniet, cum minime licuerit e magiſtratibus quæſtum facer. Egeni namque nolent imperium habere, quia nihil lucrantur, ſed potius aſſidui eſſe in ſuis artibus: locupletes autem poterunt, quia non egent, contenti ſuis bonis, mercede nulla publica. Quapropter uſu veniet egenis fieri copioſis, quia totos dies conterent in ſuis operibus: honeſtis autem viris, non perpeti imperium deteriorum.

§. 21. Ne igitur ærarium compiletur, ſolutio publicæ pecuniæ fiat adſtantibus omnibus civibus: exemplaque *rationum* (d) per phratrias, & ordines, tribusque deponantur. Ut vero *ſine mercede* (e) magiſtratus gerantur, honores legibus oportet ſtatutos eſſe illis, qui laudem in eo munere conſecuti fuerint.

§. 22. Opus autem eſt in ſtatibus multitudinis

χοντα δυνάμει, μήτε φίλων, μήτε χρημάτων· εἰ δὲ μὴ, ἀποδημητικὰς ποιεῖσθαι τὰς παραστάσεις αὐτῶν.

§. 16. Ἐπεὶ δὲ καὶ διὰ τοὺς ἰδίους βίους νεωτερίζουσι, δεῖ ἐμποιεῖν ἀρχήν τινα τὴν ἐποψομένην τοὺς ζῶντας ἀσυμφόρως πρὸς τὴν πολιτείαν· ἐν μὲν δημοκρατίᾳ, πρὸς τὴν δημοκρατίαν· ἐν δὲ ὀλιγαρχίᾳ, πρὸς τὴν ὀλιγαρχίαν· ὁμοίως δὲ καὶ τῶν ἄλλων πολιτειῶν ἑκάστῃ.

§. 17. Καὶ τὸ εὐημεροῦν δὲ τῆς πόλεως ἀνὰ μέρος φυλάττεσθαι διὰ τὰς αὐτὰς αἰτίας. τούτου δ᾽ ἄκος, τὸ αἰεὶ τοῖς ἀντικειμένοις μορίοις ἐγχειρίζειν τὰς πράξεις, καὶ τὰς ἀρχάς· λέγω δὲ ἀντικεῖσθαι τοὺς ἐπιεικεῖς τῷ πλήθει, καὶ τοὺς ἀπόρους τοῖς εὐπόροις. καὶ τὸ πειρᾶσθαι ἢ συμμιγνύναι τὸ τῶν ἀπόρων πλῆθος, καὶ τὸ τῶν εὐπόρων, ἢ τὸ μέσον αὔξειν. τοῦτο γὰρ διαλύει τὰς διὰ τὴν ἀνισότητα στάσεις.

§. 18. Μέγιστον δὲ ἐν πάσῃ πολιτείᾳ, τὸ καὶ τοῖς νόμοις καὶ τῇ ἄλλῃ οἰκονομίᾳ οὕτω τετάχθαι, ὥστε μὴ εἶναι τὰς ἀρχὰς κερδαίνειν.

§. 19. Τοῦτο δὲ μάλιστα ἐν ταῖς ὀλιγαρχικαῖς δεῖ τηρεῖν. οὐ γὰρ οὕτως ἀγανακτοῦσιν εἰργόμενοι τοῦ ἄρχειν οἱ πολλοὶ, ἀλλὰ καὶ χαίρουσιν, ἐάν τις ἐᾷ πρὸς τοῖς ἰδίοις σχολάζειν, ὡς, ἐὰν οἴωνται τὰ κοινὰ κλέπτειν τοὺς ἄρχοντας· τότε δ᾽ ἀμφότερα λυπεῖ, τό τε τῶν τιμῶν μὴ μετέχειν, καὶ τὸ τῶν κερδῶν.

§. 20. Μοναχῶς δὲ καὶ ἐνδέχεται ἅμα εἶναι δημοκρατίαν καὶ ἀριστοκρατίαν, εἰ τοῦτο κατασκευάσειέ τις· ἐνδέχοιτο γὰρ ἂν καὶ τοὺς γνωρίμους καὶ τὸ πλῆθος ἔχειν, ἃ βούλονται, ἀμφοτέρους. τὸ μὲν γὰρ ἐξεῖναι πᾶσιν ἄρχειν, δημοκρατικόν· τὸ δὲ τοὺς γνωρίμους εἶναι ἐν ταῖς ἀρχαῖς, ἀριστοκρατικόν. τοῦτο δ᾽ ἔσται, ὅταν μὴ ᾖ κερδαίνειν ἀπὸ τῶν ἀρχῶν. οἱ γὰρ ἄποροι οὐ βουλήσονται ἄρχειν, τῷ μηδὲν κερδαίνειν, ἀλλὰ πρὸς τοῖς ἰδίοις εἶναι μᾶλλον· οἱ δ᾽ εὔποροι, δυνήσονται, διὰ τὸ μηδενὸς προσδεῖσθαι τῶν κοινῶν. ὥστε συμβήσεται, τοῖς μὲν ἀπόροις, γίγνεσθαι εὐπόροις, διὰ τὸ διατρίβειν πρὸς τοῖς ἔργοις· τοῖς δὲ γνωρίμοις, μὴ ἄρχεσθαι ὑπὸ τῶν τυχόντων.

§. 21. Τοῦ μὲν οὖν μὴ κλέπτεσθαι τὰ κοινὰ, ἡ παράδοσις γιγνέσθω τῶν χρημάτων, παρόντων πάντων τῶν πολιτῶν· καὶ ἀντίγραφα κατὰ φρατρίας, καὶ λόχους, καὶ φυλὰς, τιθέσθωσαν· τοῦ δὲ ἀκερδῶς ἄρχειν, τιμὰς εἶναι δεῖ νενομοθετημένας τοῖς εὐδοκιμοῦσι.

§. 22. Δεῖ δ᾽ ἐν μὲν ταῖς δημοκρατίαις τῶν εὐπόρων

(a) *Extra fines*) PICCART. *p.* 757. *ſeqq.* *GOEB.*

(b) *Statu populi*) Maxime ſalutare eſt præceptum, ut quilibet obligetur, ſtatui reipublicæ, in qua vivit, convenienter vivere. Et ne quis in transverſum abripiatur, utile eſt, ut illud futuris reipublicæ membris ab ineunte ætate inculcetur. *GOEB.*

(c) *Eſſe honorum*) PICCARTUS *p.* 765. *GOEB.*

(d) *Rationum*) PICCART. *p.* 766. STRYKII *diſſ. de jure principis circa rationes civitatis.* *GOEB.*

(e) *Sine mercede*) Sed quidni & merces quædam ipſis conſtitui poſſet. Nam ſi hoc non fiat, non ad eos, qui ad magiſtratum gerendum aptiores ſunt, ſed ad ditiores eſt reſpiciendum. Magiſtratum enim recte curaturi, in paranda vitæ ſubſidia incumbere impediuntur, & pauci erunt, qui egere in magiſtratu, & ſolis honoribus contenti, eſſe velint. *GOEB.*

Digitized by Google

dinis locupletibus parcere, & non ſolum agros ipſorum non dividere: ſed neque etiam fructus, quod in quibusdam civitatibus cum fiat, fallit. Melius autem eſt, eos etiam, quæ velint obire munera, ſumptuoſa quidem, ſed *minime fructuoſa* (*a*) reipublicæ, cohibere: veluti ornatus chori, & ludos, quibus curſores ſibi faces tradunt: & quicunque alii hujuscemodi ſunt.

εὐπόρων φείδεσθαι, μὴ μόνον τὰς κτήσεις (*i*) μὴ ποιεῖν ἀναδάστους, ἀλλὰ μηδὲ τοὺς καρπούς· ὃ ἐν ἐνίαις τῶν πολιτειῶν λανθάνει γιγνόμενον. βέλτιον δὲ καὶ βουλομένους κωλύειν λειτουργεῖν, (*k*) τὰς δαπανηρὰς μὲν, μὴ χρησίμους δὲ, λειτουργίας· οἷον χορηγίας, καὶ λαμπαδαρχίας, καὶ ὅσαι ἄλλαι τοιαῦται.

§. 23. In dominatu autem paucorum, fovere egenos & magiſtratus, unde capitur *emolumentum*, (*b*) his tribuere: & ſi aliquis e locupletibus hujuscemodi tenues homines contumelia vexarit, in hos majores pœnas ſtatutas eſſe, quam ſi quempiam ordinis ipſorum.

§. 23. Ἐν δ' ὀλιγαρχίᾳ, τῶν ἀπόρων ἐπιμέλειαν ποιεῖσθαι πολλὴν καὶ τὰς ἀρχὰς, ἀφ' ὧν λήμματα, τούτοις ἀπονέμειν· κἄν τις ὑβρίσῃ τῶν εὐπόρων, εἰς τούτους μείζω τὰ ἐπιτίμια εἶναι, ἢ ἂν σφῶν αὐτῶν.

§. 24. Et *hereditates* (*c*) non largitionibus tribui, ſed cognatione venire: neque plurium, quam unius quempiam compotem eſſe. Ita enim æquabiliores erunt fortunæ, & plures egentium ad copiam bonorum pervenient.

§. 24. Καὶ τὰς κληρονομίας μὴ κατὰ δόσιν εἶναι, ἀλλὰ κατὰ γένος· μηδὲ πλειόνων ἢ μιᾶς τὸν αὐτὸν κληρονομεῖν. οὕτω γὰρ ἂν ὁμαλώτεραι αἱ οὐσίαι εἶεν, καὶ τῶν ἀπόρων εἰς εὐπορίαν ἂν καθίσαιντο πλείους.

§. 25. Prodeſt autem & in ſtatu populi, & in dominatu paucorum, aliarum rerum, vel æqualitatem vel præſtantiam tribuere iis, qui minus communicant republica in populo quidem, locupletibus: in paucorum vero dominatu, egenis, exceptis magiſtratibus illis, qui in ſua poteſtate rempublicam habent: hos autem iis, qui ſunt compotes reipublicæ, committere oportet ſolis vel *pluribus*. (*d*)

§. 25. Συμφέρει δὲ καὶ ἐν δημοκρατίᾳ, καὶ ἐν ὀλιγαρχίᾳ, τῶν ἄλλων ἢ ἰσότητα ἢ προεδρίαν νέμειν τοῖς ἧττον κοινωνοῦσι τῆς πολιτείας· ἐν μὲν δήμῳ, τοῖς εὐπόροις· ἐν δ' ὀλιγαρχίᾳ, τοῖς ἀπόροις· πλὴν ὅσαι ἀρχαὶ κύριαι τῆς πολιτείας· ταύτας δὲ τοῖς ἐκ τῆς πολιτείας ἐγχειρίζειν μόνοις, ἢ πλείοσι.

# CAPUT IX.

§. 1.

X. Tria autem quædam habere oportet eos, qui adminiſtraturi ſunt ſummos magiſtratus.

§. 1.

X. Τρία δέ τινα χρὴ ἔχειν τοὺς μέλλοντας ἄρξειν τὰς κυρίας ἀρχάς.

§. 2. Primum quidem *amorem* (*e*) erga ſtatum eum reipublicæ.

§. 2. Πρῶτον μὲν, φιλίαν πρὸς τὴν καθεστῶσαν πολιτείαν.

§. 3. Deinde *vim & poteſtatem* (*f*) maximam munerum obeundorum ejus magiſtratus.

§. 3. Ἔπειτα, δύναμιν μεγίστην τῶν ἔργων τῆς ἀρχῆς.

§. 4. Tertium eorum eſt *virtus ac juſtitia* (*g*) in unaquaq; republica, quæ faciat ad eam rempublicam. Si enim non eſt *idem juſtum*, (*h*) quod cuſtoditur in omnibus rebuspublicis, neceſſe eſt, ut ſint differentiæ juſtitiæ.

§. 4. Τρίτον δ', ἀρετὴν καὶ δικαιοσύνην ἐν ἑκάστῃ πολιτείᾳ, τὴν πρὸς τὴν πολιτείαν. εἰ γὰρ μὴ ταὐτὸν τὸ δίκαιον κατὰ πάσας τὰς πολιτείας, ἀνάγκη καὶ τῆς δικαιοσύνης εἶναι διαφοράς.

§. 5. Eſt autem quæſtio, cum minime contigerit

§. 5. Ἔχει δ' ἀπορίαν, ὅταν μὴ συμβαίνῃ ταῦ- τα

(*a*) *Minime fructuoſa*) Talia enim in captationem auræ popularis & dominatum aliquem tendere ſolent. PICCART. p. 768. *GOEB.*

(*b*) *Emolumentum*) Paupertas peſſima ſæpe inſpirat conſilia. Ille enim, qui ærumnis in vita humana conflictatur, & futuræ vitæ non eſt curioſus, ad perverſiſſima quævis audenda pertrahetur, ſi mortem contemnere ſciverit, præſertim vero in transverſum abripietur, ſi aliorum impune ſubjacet ludibrio. *GOEB.*

(*c*) *Hereditates*) Contra teſtamentorum uſum multa monuit THOMASIUS *in diſſert. de jure teſtam.* penes majores noſtros, ubi nullum teſtamentum, teſtamentorum ſilebant lites. *GOEB.*

(*d*) *Pluribus*) PICCART. *p.* 772. *GOEB.*

(*e*) *Amorem*) Inter virtutes, quibus rerumpublicarum rectores præditi eſſe debent, eſt etiam amor reipublicæ. Nihil magis principi ſui populi amorem conciliat, quam ſi populus percipit, ſe a principe amari. Id autem ex eo colligere ſolet, quando principis actiones eo diriguntur, ut inde intelligi queat, ſe populo, non autem populum ſibi eſſe natum. *Unum eſt inexpugnabile munimentum, amor civium.* SENECA *de clem.* *GOEB.*

(*f*) *Vim & poteſtatem*) Nihil tam arduum, quam onus regendi homines, igitur inprimis in hac provincia recte adminiſtranda, arte & prudentia opus eſt. *GOEB.*

(*g*) *Virtus ac juſtitia*) Si quid mortalibus optandum, eſt, ut publicæ ſalutis gubernaculis pius & juſtus admoveatur princeps: pietate enim & juſtitia conſtant, vigent & florent regna, & privatorum ſalus in reipublicæ ſalute promovetur. *GOEB.*

(*h*) *Idem juſtum*) Non eſt niſi una juſtitia, id eſt recta applicatio actionis ad perſonam; varietatem autem aliquando ſubit, in applicandi modo, qui pro ſubjecti & circumſtantiarum varietate varius eſt. *GOEB.*

(*i*) μὴ μόνον τὰς κτήσεις) Lambinus μὴ μόνον τῷ τὰς κτ. Idque rectius videtur. *CONR.*

(*k*) κωλύειν λειτουργεῖν) Lambinus: κολούειν & poſt λειτουργεῖν e veteri codice addit ἀναγκάζειν. Sic vertens: *Sed utilius eſt iis, qui locupletum copias & opes imminuere ac decurtare volunt, eos cogere, ut muneribus publicis fungantur.* Eleganter. *CONR.*

Digitized by Google

gerit hæc omnia *in eodem exiſtere*, (*a*) quomodo decet diviſionem facere: ceu ſi quis factus ſit ad ducendum exercitum, idem tamen pravus, neque benevolus reipublicæ: hic vero juſtus & ipſi amicus: quomodo decet delectum facere?

τα πάντα περὶ τὸν αὐτὸν, πῶς χρὴ ποιεῖσθαι τὴν διαίρεσιν· (*f*) οἷον, εἰ στρατηγικὸς μέν τις εἴη, πονηρὸς δὲ, καὶ μὴ τῇ πολιτείᾳ φίλος· ὁ δὲ, δίκαιος καὶ φίλος, (*g*) πῶς δεῖ ποιεῖσθαι τὴν αἵρεσιν;

§. 6. Videtur autem oportere reſpicere ad duo: cujus plus in ſe habent, & cujus minus. quapropter in imperatore deligendo *in uſum magis*, (*b*) quam in virtutem. minus enim exercitum ducendi facultatis participant; plus autem probitatis. in cuſtode autem & quæſtore contra. Majore enim virtute res eget, quam *quantam vulgo habent*: (*c*) ſcientia autem, communis omnibus.

§. 6. Ἔοικε δὲ δεῖν βλέπειν εἰς δύο· τίνος πλεῖον μετέχουσι πάντες, καὶ τίνος ἔλαττον. διὸ ἐν στρατηγίᾳ μὲν, εἰς τὴν ἐμπειρίαν μᾶλλον τῆς ἀρετῆς· ἔλαττον γὰρ στρατηγίας μετέχουσι, τῆς δ᾽ ἐπιεικείας πλεῖον· ἐν δὲ φυλακῇ καὶ ταμιείᾳ, τοὐναντίον· πλείονος γὰρ ἀρετῆς δεῖται, ἢ ὅσην οἱ πολλοὶ ἔχουσιν· ἡ δὲ ἐπιστήμη, κοινὴ πᾶσιν.

§. 7. Quærat autem aliquis, ſi facultas adſit reipublicæ adminiſtrandæ, & amor erga ipſam, quid opus eſt virtute? efficiet enim, quæ conducunt reipublicæ, vi duorum horum? an quia uſu venire poteſt, ut qui duo hæc habent, *incontinentes* (*d*) ſint? quare quemadmodum ſuis utilitatibus non ſerviunt, intelligentes & ſe diligentes: ſic & erga commune civitatis nihil prohibet aliquos ita ſe habere.

§. 7. Ἀπορήσειε δ᾽ ἄν τις, κἂν δύναμις ὑπάρχῃ τῆς πολιτείας καὶ φιλίας, (*h*) τί δεῖ τῆς ἀρετῆς; ποιήσει γὰρ τὰ συμφέροντα καὶ τὰ δύο; (*i*) ἢ ὅτι ἐνδέχεται τοὺς τὰ δύο ταῦτα ἔχοντας, ἀκρατεῖς εἶναι; ὥστε καθάπερ καὶ αὑτοῖς οὐχ ὑπηρετοῦσιν εἰδότες καὶ φιλοῦντες αὑτοὺς, οὕτω καὶ πρὸς τὸ κοινὸν οὐθὲν κωλύει ἔχειν ἐνίους.

§. 8. Simpliciter autem quæcunque *in legibus*, (*e*) ut conducentia dicimus reipublicæ, cuncta hæc conſervant respublicas. Et quod ſæpe dictum eſt, maximum elementum eſt, ſervare, ut numerus civium, qui vult rempublicam ſtare, potentior ſit illo, qui non vult.

§. 8. Ἁπλῶς δὲ, ὅσα ἐν τοῖς νόμοις, ὡς συμφέροντα λέγομεν ταῖς πολιτείαις, ἅπαντα ταῦτα σώζει τὰς πολιτείας. καὶ τὸ πολλάκις εἰρημένον μέγιστον στοιχεῖον, τὸ τηρεῖν ὅπως κρεῖττον ἔσται τὸ βουλόμενον τὴν πολιτείαν πλῆθος, τοῦ μὴ βουλομένου.

§. 9. Præter autem hæc omnia oportet minime fallere, quod nunc fallit reſpublicas, quæ recta via migrarunt, medium quod ſit. non pauca enim eorum, quæ ſpeciem habent popularium, frangunt ſtatus populi: & eorum, quæ videntur accommodata paucorum dominatui, dominatum paucorum. Hi vero putantes, hanc unam eſſe virtutem, trahunt ad exuperantiam.

§. 9. Παρὰ πάντα δὲ ταῦτα δεῖ μὴ λανθάνειν, ὃ νῦν λανθάνει τὰς παρεκβεβηκυίας πολιτείας, τὸ μέσον· πολλὰ γὰρ τῶν δοκούντων δημοτικῶν λύει τὰς δημοκρατίας· καὶ τῶν ὀλιγαρχικῶν, τὰς ὀλιγαρχίας· οἱ δ᾽ οἰόμενοι ταύτην εἶναι μίαν ἀρετὴν, ἕλκουσιν εἰς τὴν ὑπερβολήν.

§. 10. Neſcientes naſum, qui migravit pulcherrima rectitudine verſus aduncum vel ſimum: eſſe tamen adhuc pulchrum, venuſtatemque retinere, quæ juvet ſpectantes. verum ſi intendat aliquis adhuc magis ad exuperantiam, primum quidem perdet mediocritatem partis: ad extremum autem ſic efficiet, ut ne naſus

§. 10. Ἀγνοοῦντες ὅτι καθάπερ ῥὶς ἔστι παρεκβεβηκυῖα μὲν τὴν εὐθύτητα τὴν καλλίστην, πρὸς τὸ γρυπὸν, ἢ τὸ σιμὸν ἀλλ᾽ ὅμως ἔτι καλὴ καὶ χάριν ἔχουσα πρὸς τὴν ὄψιν. οὐ μὴν ἀλλ᾽ ἐὰν ἐπιτείνῃ τις ἔτι μᾶλλον εἰς τὴν ὑπερβολὴν, πρῶτον μὲν ἀποβαλεῖ τὴν μετριότητα τοῦ μορίου· τέλος δ᾽ οὕτως, ὥστε μηδὲ ῥῖνα ποιήσει φαίνεσθαι, διὰ τὴν

(*a*) *In eodem exiſtere*) Sunt tamen, qui omnibus hiſce pollent donis, quanquam rarum ſit in mortalibus donum in bello & in pace eniteſcere. Si PLINIUS ab adulationis vitio fuit immunis, Trajanus tanti viri exemplum præbuit. *Enituit*, inquit in panegyrico, *aliquis in bello, ſed obſolevit in pace alium toga, ſed non & arma honeſtarunt reverentiam ille terrore, alius amorem humanitate captavit. — At principi noſtro quanta concordia quantusque concentus omnium laudum omnisque gloria contigit.* Conf. MACHIAV. *de principe c.* 3. *GOEB.*

(*b*) *In uſum magis*) PICCARTUS *p.* 775. In duce bellico ſumma requiritur prudentia potiſſimum rerum uſu comparata, calliditas & artis diſciplinæque militaris peritia. Et ſi res ex voto gerere vult, conducit ante omnia a milite amari. Milites enim, niſi virtute ſua, amore patriæ aut prædæ ſpe ſtimulentur, ad fugam capeſſendam paratiores ſunt, ſi ab eo jubentur, quem tantum metuunt. Cæterum virtutum moralium, licet eſſentiales partes belli ducis non conſtituant, inprimis pietatis ſive veræ, ſive ſimulatæ maximum in bello fuiſſe uſum, exempla docent. *GOEB.*

(*c*) *Quantam vulgo habent*) In quæſtoribus, qui nummi publici curam habent, non niſi vulgaris requiritur ſcientia, ſingularis autem probitas, ut a repetundarum ſibi caveant crimine. *GOEB.*

(*d*) *Incontinentes*) Summum eſt reipublicæ bonum, ſi princeps noverit potentiis ſive cupiditatibus ſuis recte moderari. *GOEB.*

(*e*) *In legibus*) Redit jam ad doctrinam de remediis. PICCARTUS *ad h. t.* *GOEB.*

(*f*) τὴν διαίρεσιν) Aldus τὴν αἵρεσιν. Non male: eadem enim locutio mox reperitur. Placuit hoc & Caſaubono. *CONR.*

(*g*) δίκαιος καὶ φίλος) Iſengrinius addit: μὴ στρατηγικὸς δὲ. Recte: hoc enim deſideratur. Eoque & Camerario placuit. Aldus habet: ἀστρατήγετος δὲ. Indubie vero legendum: ἀστρατήγητος δὲ. CONR.

(*h*) καὶ φιλίας) Aldus rectius: καὶ φιλία. CONR.

(*i*) κατὰ δύο) Hoc probatum quidem fuit Victorio & Lambino: malim tamen id, quod Aldus habet: καὶ τὰ δύο. CONR.

naſus quidem eſſe intelligatur, propter exuperantiam, aut exilitatem contrariorum. eodem modo ſe res habet & de cæteris partibus.

τὴν ὑπεροχὴν. καὶ τὴν ἔλλειψιν τῶν ἐναντίων. τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον ἔχει καὶ περὶ τῶν ἄλλων μορίων.

§. 11. Contingit jam hoc & in aliis rebuspublicis. Etenim paucorum dominatus & ſtatus populi fieri poteſt, ut belle ſe habeat, etſi exiit optimo gradu: ſi autem aliquis intenderit magis ipſorum utrumque, primum quidem deteriorem reddet rempublicam, poſtremum autem, ut respublica non ſit.

§. 11. Συμβαίνει δὴ τοῦτο καὶ περὶ τὰς ἄλλας πολιτείας. (*b*) καὶ γὰρ ὀλιγαρχίαν καὶ δημοκρατίαν ἐςὶν ὥςʼ ἔχειν ἱκανῶς, καίπερ ἐξεςηκυίας τῆς βελτίςης τάξεως· ἐὰν δέ τις ἐπιτείνῃ μᾶλλον ἑκατέραν αὐτῶν, πρῶτον μὲν χείρω ποιήσει τὴν πολιτείαν· τέλος δʼ, οὐδὲ πολιτείαν.

§. 12. Quare oportet hoc minime ignorare, & qui *ſcribit leges*, (*a*) & qui rempublicam conſtituit, qualia inſtituta popularia conſervant, & qualia interimunt ſtatum populi: & qualia eadem, accommodata dominatui paucorum, dominatum ipſum.

§. 12. Διὸ δεῖ τοῦτο μὴ ἀγνοεῖν τὸν νομοθέτην καὶ τὸν πολιτικὸν, ποῖα σώζει τῶν δημοτικῶν, (*c*) καὶ ποῖα φθείρει τὴν δημοκρατίαν, καὶ ποῖα τῶν ὀλιγαρχικῶν τὴν ὀλιγαρχίαν.

§. 13. Neutrum enim ipſorum contingit eſſe & permanere ſine divitibus & multitudine: ſed cum æquabilitas bonorum facta fuerit, aliam neceſſe eſt eſſe hanc rempublicam, quare qui interimunt legibus inducentibus exuperantiam, interimunt reſpublicas.

§. 13. Οὐδετέραν μὲν γὰρ ἐνδέχεται αὐτῶν εἶναι καὶ διαμένειν ἄνευ τῶν εὐπόρων καὶ τοῦ πλήθους· ἀλλʼ ὅταν ὁμαλότης γένηται τῆς οὐσίας, ἄλλην ἀνάγκη εἶναι ταύτην τὴν πολιτείαν. ὥςε φθείροντες τοῖς καθʼ ὑπεροχὴν νόμοις, (*d*) φθείρουσι τὰς πολιτείας.

§. 14. Labuntur autem & in ſtatibus populi, & paucorum dominatibus. In ſtatibus quidem populi, aſſentatores multitudinis, ubi multitudo legibus dominatur. duas enim ſemper faciunt civitatem, pugnantes cum divitibus.

§. 14. Ἁμαρτάνουσι δὲ καὶ ἐν ταῖς δημοκρατίαις, καὶ ἐν ταῖς ὀλιγαρχίαις· ἐν μὲν ταῖς δημοκρατίαις, οἱ δημαγωγοὶ, ὅπου τὸ πλῆθος κύριον τῶν νόμων· δύο γὰρ ποιοῦσιν ἀεὶ τὴν πόλιν, μαχόμενοι τοῖς εὐπόροις.

** **

§. 15. Oportet autem contrarium, videri ſemper dicere * * *
pro divitibus: * * *
In paucorum autem dominatibus, pro populo ſtudioſos eorum dominatuum.

§. 15. Δεῖ δὲ τοὐναντίον, (*e*) αἰεὶ δοκεῖν λέγειν (*f*) * * * *
ὑπὲρ εὐπόρων· * * * *
Ἐν δὲ ταῖς ὀλιγαρχίαις ὑπὲρ τοῦ δήμου τοὺς ὀλιγαρχικοὺς.

§. 16. Et jurisjuranda contraria iis, quæ nunc, jurare ſtudioſos dominatus paucorum.

§. 16. Καὶ τοὺς ὅρκους ἐναντίους ἢ νῦν ὀμνύναι τοὺς ὀλιγαρχικούς.

§. 17. Nunc enim in quibusdam jurant: *Et erga populum malæ mentis ero, & quicquid mali potero ipſi procurabo.* Oportet autem verſare animo & ſimulare contrarium, ſignificatione hac utentes in jurejurando: *Nullam faciam injuriam populo.*

§. 17. Νῦν μὲν γὰρ ἐν ἐνίαις ὀμνύουσι, Καὶ τῷ δήμῳ κακόνους ἔσομαι, καὶ βουλεύσω ὅ τι ἂν ἔχω κακόν. χρὴ δὲ καὶ ὑπολαμβάνειν καὶ ὑποκρίνεσθαι τοὐναντίον, ἐπισημαινομένους ἐν τοῖς ὅρκοις, ὅτι Οὐκ ἀδικήσω τὸν δῆμον.

§. 18. Maximum autem eſt omnium, quæ dicta ſunt, ut reſpublicæ ſtent, cujus nunc cuncti nullam curam gerunt, inſtitui apte ad eas reſpublicas. Nullum enim emolumentum capitur ex utiliſſimis legibus, & quæ probatæ ſint judicio cunctorum, qui dant operam reipublicæ, niſi erunt aſſueti & inſtituti: ſi leges popu-

§. 18. Μέγιςον δὲ πάντων τῶν εἰρημένων πρὸς τὸ διαμένειν τὰς πολιτείας, οὗ νῦν ὀλιγωροῦσι πάντες, τὸ παιδεύεσθαι πρὸς τὰς πολιτείας. ὄφελος γὰρ οὐθὲν τῶν ὠφελιμωτάτων νόμων, καὶ συνδεδοξαμένων ὑπὸ πάντων τῶν πολιτευομένων, εἰ μὴ ἔσονται εἰθισμένοι καὶ πεπαιδευμένοι ἐν τῇ πολιτείᾳ· εἰ μὲν οἱ νόμοι δημοτικοὶ, δημοτικῶς· εἰ δʼ ὀλιγαρ-

(*a*) *Scribit leges*) Vid. THOMASIUM *de prudentia legislatoria.* GOEB.

(*b*) τὰς ἄλλας πολιτείας) Recte Victorius ſuſpicatur, vocem ἄλλας e ſuperiore vicino loco importune huc inculcatam. Giphanius quoque eam non expreſſit in ſua verſione: agnovit illam tamen Lambinus. An forte ſcribendum? περὶ ταύτας πολιτείας. CONR.

(*c*) τῶν δημοτικῶν) Nonnullæ editiones habent τὸν δημοτικὸν: ſed male: ut vel ſubſequens vox ὀλιγαρχικῶν docuerit. CONR.

(*d*) φθείροντες τοῖς καθʼ ὑπεροχὴν νόμοις) Lambinus vult ſcribendum χαίροντες: *dum legibus ad præſtantiam & exſuperantiam accommodatis delectantur.* Perquam placet illa emendatio: aut omnino delenda fuerit vox illa φθείροντες, reddit enim τὴν λέξιν plane inſolentem & ab ariſtotelico more alieniſſimam. Porro Aldus & alii accuſativo caſu legunt τοὺς καθʼ ὑπερνόμους. Verum hoc ſufficit tantum memoraſſe. CONR.

(*e*) δεῖ δὲ τοὐναντίον) Paulo ante fecerat mentionem oligarchiarum & democratiarum. Scripſerat etiam: ἐν μὲν ταῖς δημοκρατίαις: itaque facile apparet ſubſequi debere: ἐν δὲ ταῖς ὀλιγαρχίαις. Vidit vero & Lambinus deſiderari hic: ἐν δὲ ταῖς ὀλιγαρχίαις ὀλιγαρχικούς. At vero videntur plura verba hic excidiſſe. Nam hoc ipſum liquet etiam ex iis, quæ ſtatim ſubjunguntur: δεῖ δὲ τοὐναντίον ἀεὶ δοκεῖν λέγειν ὑπὲρ τῶν εὐπόρων. Apparet enim hinc, allatum aliquid eſſe de eo, quod dicere ſolent & jactare in democratiis pauperes in divites, & in oligarchiis divites in plebem. CONR.

(*f*) δοκεῖν λέγειν) Ut commation hoc reſpondeat ſequenti, ſcribendum apparet: ἐν μὲν ταῖς δημοκρατίαις τοὺς δημοκρατικοὺς. aut potius: ἐν μὲν ταῖς δημοκρατίαις ὑπὲρ εὐπόρων τοὺς δημοκρατικούς. CONR.

Digitized by Google

populares ſunt, populariter: ſi accommodatæ paucorum dominatui, apte ad eum dominatum. Si namque eſt in uno mortali incontinentia, eſt etiam in civitate.

ὀλιγαρχικοί, ὀλιγαρχικῶς. εἴπερ γάρ ἐστιν ἐφ᾽ ἑνὸς ἀκρασία, ἔστι καὶ ἐπὶ πόλεως.

§. 19. Eſt autem inſtitui ad rempublicam, minime hoc, efficere, quo lætantur, qui pauci in civitate dominantur, vel quibus placet ſtatus multitudinis: ſed illa, quorum vi poterunt hi quidem tueri dominatum, hi vero poteſtatem multitudinis.

§. 19. Ἔστι δὲ τὸ πεπαιδεῦσθαι πρὸς τὴν πολιτείαν οὐ τοῦτο, τὸ ποιεῖν οἷς χαίρουσιν οἱ ὀλιγαρχοῦντες, ἢ οἱ δημοκρατίαν βουλόμενοι, ἀλλ᾽ οἷς δυνήσονται, οἱ μὲν ὀλιγαρχεῖν, οἱ δὲ δημοκρατεῖσθαι.

§. 20. Nunc autem in dominatibus paucorum filii eorum, qui imperium habent, molliter vivunt: egenorum autem, exercitati evadunt & laboribus firmati: quapropter & volunt magis, & valent moliri res novas. In ſtatibus autem popularibus, qui maxime videntur eſſe populares, contrarium ejus, quod conducit, in uſu eſt.

§. 20. Νῦν δ᾽ ἐν μὲν ταῖς ὀλιγαρχίαις οἱ τῶν ἀρχόντων υἱοὶ τρυφῶσιν· οἱ δὲ τῶν ἀπόρων, γίγνονται γεγυμνασμένοι καὶ πεπονηκότες· ὥστε καὶ βούλονται μᾶλλον καὶ δύνανται νεωτερίζειν. ἐν δὲ ταῖς δημοκρατίαις ταῖς μάλιστα εἶναι δοκούσαις δημοκρατικαῖς, τοὐναντίον τοῦ συμφέροντος καθέστηκεν.

§. 21. Cauſa autem hujus eſt, quod male definiunt libertatem. Duo namque ſunt, quibus populi ſtatus videtur definiri. Unum eorum eſt, ut plures in ſua manu rempublicam habeant: alterum eſt, libertas. Juſtum enim, æquum eſſe videtur: æquum autem, quodcunque viſum fuerit multitudini, hoc ratum eſſe. Liberum autem & æquum, quodcunque voluerit aliquis facere. Quapropter vivit in hujuſcemodi populi ſtatibus unuſquiſque ut vult, & ad quod libido fert, ut ait Euripides.

§. 21. Αἴτιον δὲ τούτου, ὅτι κακῶς ὁρίζονται τὸ ἐλεύθερον. δύο γάρ ἐστιν οἷς ἡ δημοκρατία δοκεῖ ὡρίσθαι, τῷ τὸ πλεῖον εἶναι κύριον, καὶ τῇ ἐλευθερίᾳ, τὸ μὲν γὰρ δίκαιον, ἴσον δοκεῖ εἶναι· ἴσον δ᾽, ὅ τι ἂν δόξῃ τῷ πλήθει, τοῦτ᾽ εἶναι κύριον. ἐλεύθερον δὲ καὶ ἴσον, τὸ, ὅ τι ἂν βούληταί τις, ποιεῖν. ὥστε ζῇ ἐν ταῖς τοιαύταις δημοκρατίαις ἕκαστος ὡς βούλεται, καὶ εἰς ὃ χρήζων, (c) ὥς φησιν Εὐριπίδης.

§. 22. Hoc autem eſt culpæ affine: non enim decet arbitrari, ſervitutem eſſe vivere ad rempublicam, verum ſalutem.

§. 22. Τοῦτο δ᾽ ἐστὶ φαῦλον. οὐ γὰρ δεῖ οἴεσθαι δουλείαν εἶναι τὸ ζῆν πρὸς τὴν πολιτείαν, ἀλλὰ σωτηρίαν.

§. 23. Ex quibus igitur reſpublicæ mutantur & intereunt, & quorum vi conſervantur ac ſtant, (ut ſimpliciter loquar) tot ſunt.

§. 23. Ἐξ ὧν μὲν οὖν αἱ πολιτεῖαι μεταβάλλουσι καὶ φθείρονται, καὶ διὰ τίνων σώζονται καὶ διαμένουσιν, ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν, τοσαῦτά ἐστι.

## CAP. X.

§. 1.

Reſtat autem diſſerere & de unius imperio, & ex quibus *extinguitur*, (*a*) & quorum vi natura conſervatur.

§. 1.

Λείπεται δ᾽ ἐπελθεῖν καὶ περὶ μοναρχίας, ἐξ ὧν τε φθείρεται, καὶ δι᾽ ὧν σώζεσθαι πέφυκε.

§. 2. Ferme autem *aſſimilia* (*b*) ſunt iis, quæ de rebuspublicis expoſita ſunt ea, quæ eveniunt circa regna & tyrannidas.

§. 2. Σχεδὸν δὲ παραπλήσια τοῖς εἰρημένοις περὶ τὰς πολιτείας ἐστὶ, καὶ τὰ συμβαίνοντα περὶ τὰς βασιλείας, καὶ τὰς τυραννίδας.

§. 3. Regnum enim imago quædam eſt optimatum, tyrannis vero e poſtremo dominatu paucorum concreta eſt, & ſtatu populi. Quapropter maxime detrimentoſa eſt iis, qui in poteſtate ejus ſunt, ut quæ e duabus malis rebus concreta eſt: continetque in ſe transgreſſiones & peccata, quæ proficiſcuntur ab ambabus rebuspublicis.

§. 3. Ἡ μὲν γὰρ βασιλεία, κατὰ τὴν ἀριστοκρατίαν ἐστίν· ἡ δὲ τυραννὶς, ἐξ ὀλιγαρχίας τῆς ὑστάτης σύγκειται καὶ δημοκρατίας. διὸ δὴ καὶ βλαβερωτάτη τοῖς ἀρχομένοις ἐστὶν, ἅτε ἐκ δυοῖν συγκειμένη κακῶν, καὶ τὰς παρεκβάσεις καὶ τὰς ἁμαρτίας ἔχουσα τὰς παρ᾽ ἀμφοτέρων τῶν πολιτειῶν.

§. 4. Exiſtit autem ortus utrique ſingulorum imperio ſtatim e contrariis.

§. 4. Ὑπάρχει δ᾽ ἡ γένεσις εὐθὺς ἐξ ἐναντίων, ἑκατέρᾳ τῶν μοναρχιῶν.

§. 5. Regnum enim ad opem ferendam probis viris contra plebem ortum eſt, conſtituiturque rex ex ordine proborum virorum ob excellentiam virtutis, ſive actionum, quæ proficiſcuntur a virtute, ſive ob excellentiam hujuſcemodi generis.

§. 5. Ἡ μὲν γὰρ βασιλεία, πρὸς βοήθειαν τὴν ἀπὸ τοῦ δήμου τοῖς ἐπιεικέσι γέγονε, καὶ καθίσταται βασιλεὺς ἐκ τῶν ἐπιεικῶν καθ᾽ ὑπεροχὴν ἀρετῆς ἢ πράξεων τῶν ἀπὸ τῆς ἀρετῆς, ἢ καθ᾽ ὑπεροχὴν τοιούτου γένους.

§. 6. §. 6.

(*a*) *Extinguitur*) Agitur in hoc capite de principiis monarchiam corrumpentibus. *GOEB.*

(*b*) *Aſſimilia*) PICCARTUS *p. 786. ſeqq.* GOEB.

(*c*) εἰς ὃ χρήζων) Subaudi: ἐστί. Camerarius notat recte etiam legi: ὡς ὃ χρήζων. Et vero videtur id melius. *CONR.*

§.6. Tyrannus autem e *populo* (a) ac multitudine adverſus nobiles, ut populus nullam ab ipſis injuriam accipiat. Apertum autem eſt, hoc verum eſſe ex iis, quæ evenerunt. Tyrannorum enim magna ferme pars extitit ex aſſentatoribus populi (ut ita loquar) qui criminando nobiles, fidem conſecuti ſunt apud multitudinem.

§. 6. Ὁ δὲ τύραννος, ἐκ τοῦ δήμου καὶ τοῦ πλήθους ἐπὶ τοὺς γνωρίμους, ὅπως ὁ δῆμος ἀδίκηται μηθὲν ὑπ᾽ αὐτῶν. Φανερὸν δ᾽ ἐκ τῶν συμβεβηκότων. σχεδὸν γὰρ οἱ πλεῖστοι τῶν τυράννων γεγόνασιν ἐκ δημαγωγῶν, ὡς εἰπεῖν, πιστευθέντες ἐκ τοῦ διαβάλλειν τοὺς γνωρίμους.

§. 7. Hæ namque tyrannides hoc modo conſtitutæ ſunt, auctis jam civitatibus: quæ vero ante has, partim e regibus, migrantibus ex inſtitutis majorum, & incenſis deſiderio herilis imperii: partim autem e delectis ad ſummos magiſtratus.

§. 7. Αἱ μὲν γὰρ τοῦτον τὸν τρόπον κατέστησαν τῶν τυραννίδων, ἤδη τῶν πόλεων ηὐξημένων· αἱ δὲ πρὸ τούτων. ἔκ τε τῶν βασιλέων παρεκβαινόντων τὰ πάτρια, καὶ δεσποτικωτέρας ἀρχῆς ὀρεγομένων· αἱ δ᾽, ἐκ τῶν αἱρετῶν ἐπὶ τὰς κυρίας ἀρχάς.

§. 8. Antiquitus enim populi conſtituebant diuturna publica munera & ſacra miniſteria: hæ vero e dominatibus paucorum, deligentibus unum quempiam, in cujus arbitrio ſint maximi magiſtratus. Omnibus enim his modis facultas data eſt conficiendi parvo negotio, ſi modo vellent: quia vires jam ipſis adſunt, his quidem regii imperii, his autem dignitatis.

§. 8. Τὸ γὰρ ἀρχαῖον οἱ δῆμοι καθίστασαν πολυχρονίους τὰς δημιουργίας, καὶ τὰς θεωρίας· αἱ δ᾽, ἐκ τῶν ὀλιγαρχιῶν αἱρουμένων ἕνα τινὰ κύριον ἐπὶ τὰς μεγίστας ἀρχάς. πᾶσι γὰρ ὑπῆρχε τοῖς τρόποις τούτοις τὸ κατεργάζεσθαι ῥᾳδίως, εἰ μόνον βουληθεῖεν, διὰ τὸ δύναμιν προϋπάρχειν, τοῖς μὲν, βασιλικῆς ἀρχῆς, τοῖς δὲ, τὴν τῆς τιμῆς.

§. 9. Ceu *Phidon* (b) Argis, & alii tyranni facti ſunt, cum prius regnarent: qui vero in Jonia tyrannidem invaſerunt, & *Phalaris*, (c) ex honoribus eo pervenerunt. Panætius autem apud Leontinos, & Cypſelus Corinthi, & Piſiſtratus Athenis, & Dionyſius Syracuſis, atque alii eodem modo ex aſſentatoribus populi evaſere.

§. 9. Οἷον, Φείδων μὲν περὶ Ἄργος, καὶ ἕτεροι, τύραννοι κατέστησαν, βασιλείας ὑπαρχούσης. οἱ δὲ περὶ τὴν Ἰωνίαν, καὶ Φάλαρις, ἐκ τῶν τιμῶν. Παναίτιος δὲ ἐν Λεοντίνοις, καὶ Κύψελος ἐν Κορίνθῳ, καὶ Πεισίστρατος Ἀθήνησι, καὶ Διονύσιος ἐν Συρακούσαις, καὶ ἕτεροι τὸν αὐτὸν τρόπον, ἐκ δημαγωγίας.

§. 10. Quemadmodum igitur diximus, regnum ordinatum eſt more ſtatus optimorum. Pro dignitate namque eſt, vel per propriam virtutem, vel generis, vel propter beneficia collata, vel per hæc & potentiam.

§. 10. Καθάπερ οὖν εἴπομεν, ἡ βασιλεία τέτακται κατὰ τὴν ἀριστοκρατίαν. κατ᾽ ἀξίαν γάρ ἐστιν, ἢ κατ᾽ ἰδίαν ἀρετὴν, ἢ κατὰ γένος, (f) ἢ κατ᾽ εὐεργεσίας, ἢ κατὰ ταῦτά τε καὶ δύναμιν.

§. 11. Cuncti enim, qui beneficia contulerunt, vel vim poteſtatemque habent in civitates ſive in gentes beneficia conferendi, adepti ſunt hunc honorem: nonnulli ipſorum adverſantes, ne bello in ſervitudinem redigerentur, veluti *Codrus*: (d) alii autem, cum in libertatem vindicarint, veluti Cyrus: vel cum urbium conditores extitiſſent, vel agrum ſedesque paraſſent: veluti Lacedæmoniorum reges, & Macedonum, & Moloſſorum.

§. 11. Ἅπαντες γὰρ εὐεργετήσαντος, ἢ δυνάμενοι τὰς πόλεις ἢ τὰ ἔθνη εὐεργετεῖν, ἐτύγχανον τῆς τιμῆς ταύτης· οἱ μὲν, κατὰ πόλεμον κωλύσαντες δουλεύειν, ὥσπερ Κόδρος· οἱ δ᾽, ἐλευθερώσαντες, ὥσπερ Κῦρος· ἢ κτίσαντες, ἢ κτησάμενοι χώραν, ὥσπερ οἱ Λακεδαιμονίων βασιλεῖς, καὶ Μακεδόνων, καὶ Μολοττῶν.

§. 12. Requiritur autem a rege, ut ſit cuſtos, providens, ne locupletes aliquid injuriæ accipiant, plebsque non vexetur ullo genere contumeliæ. Tyrannus autem, ut ſæpe dictum eſt, non reſpicit ad commune bonum, niſi ſuæ propriæque utilitatis cauſa.

§. 12. Βούλεται δ᾽ ὁ βασιλεὺς εἶναι φύλαξ, ὅπως οἱ μὲν κεκτημένοι τὰς οὐσίας, μηθὲν ἄδικον πάσχωσιν, ὁ δὲ δῆμος μὴ ὑβρίζηται μηθέν. ἡ δὲ τυραννὶς, ὥσπερ εἴρηται πολλάκις, πρὸς οὐδὲν ἀποβλέπει κοινὸν, εἰ μὴ τῆς (g) ἰδίας ὠφελείας χάριν.

§. 13. Propoſitum autem tyrannicum, voluptas eſt: regium autem, honeſtas. Quapropter rerum, quibus mortales ſtudent præſtare, pecunia expetitur a tyrannis: quæ vero referuntur ad honores, potius a regibus. Et cuſtodia regum conſtat e civibus, tyrannorum autem e *peregrinis*. (e)

§. 13. Ἔστι δὲ σκοπὸς, τυραννικὸς μὲν, τὸ ἡδύ· βασιλικὸς δὲ, τὸ καλόν. διὸ καὶ τῶν πλεονεκτημάτων, τὰ μὲν χρήματα, τυραννικά· τὰ δ᾽ εἰς τιμὴν, βασιλικὰ μᾶλλον. καὶ φυλακὴ, βασιλικὴ μὲν, πολιτική· τυραννικὴ δὲ, διὰ ξένων.

§. 14. Tyrannidem autem continere in ſe mala, & ſtatus multitudinis & dominationis paucorum, perſpicuum eſt.

§. 14. Ὅτι δ᾽ ἡ τυραννὶς ἔχει κακὰ, καὶ τὰ τῆς δημοκρατίας, καὶ τὰ τῆς ὀλιγαρχίας, φανερόν.

§. 15. §. 15.

(a) *Populo*) Sed vix credi poteſt, populum ex nobilium odio ſibi everſorem reipublicæ in caput conſtituiſſe. Omnis tyrannis, ſi quæ unquam proprie dicta fuerit, in progreſſu regni aut dominatus exorta eſt. Videtur igitur autor hic tyranni vocabulum in latiori ſignificatu accipere. *GOEB.*

(b) *Phidon*) PICCARTUS *p.* 788. *GOEB.*

(c) *Phalaris*) ÆLIANUS *lib.* II. *c.* 4. *GOEB.*

(d) *Codrus*) JUSTINUS *lib.* 2. PICCART. *p.* 789. *GOEB.*

(e) *Peregrinis*) Vid. PICCARTUS *p.* 792. Sæpe peregrini corporis cuſtodes in majorem tantum aulæ ſplendorem aluntur. *GOEB.*

(f) κατὰ γένος) Alii ſcribunt γένους: ut ſubaudiendum ſit: ἀρετὴν. *CONR.*

(g) εἰ μὴ τῆς) Aldus legit: εἰ μή τις. Sed noſtra ſunt planiora. *CONR.*

Digitized by Google

§. 15. E paucorum quidem *dominatu*, (*a*) quia finis ipſius ſunt divitiæ. (ſic enim & manere duntaxat neceſſe eſt cuſtodes corporis, & vitam teneram mollemque:) & conſilium non committendi ſe ulla in re multitudini. (Qua de cauſa etiam arma adimunt.) Affligere quoque plebem, atque ejicere ex urbe, & ſedibus ſuis exturbare, utriusque commune eſt, dominationis inquam paucorum & tyrannidis.

§. 15. Ἐκ μὲν ὀλιγαρχίας, τὸ, τὸ τέλος εἶναι πλοῦτον. (οὕτω γὰρ (*c*) καὶ διαμένειν ἀναγκαῖον μόνως τήν τε φυλακὴν, καὶ τὴν τρυφήν·) (*d*) καὶ τὸ τῷ πλήθει μηδὲν πιστεύειν· (διὸ καὶ τὴν παραίρεσιν ποιοῦνται τῶν ὅπλων·) καὶ τὸ κακοῦν τὸν ὄχλον, καὶ τὸ ἐκ τοῦ ἄστεος ἀπελαύνειν καὶ διοικίζειν, ἀμφοτέρων κοινὸν, καὶ τῆς ὀλιγαρχίας, καὶ τῆς τυραννίδος.

§. 16. E ſtatu autem populi, bellum gerere contra nobiles, & clam eos interimere, atque palam: & in exilium pellere, tanquam æmulos, & qui impedimento ſint principatui. Ab his enim inſidias naſci contingit, cum hi velint imperium in ipſos habere: illi vero ſervire nolint.

§. 16. Ἐκ δημοκρατίας δὲ, τὸ πολεμεῖν τοῖς γνωρίμοις, καὶ διαφθείρειν λάθρα καὶ φανερῶς· καὶ φυγαδεύειν, ὡς ἀντιτέχνους, καὶ πρὸς τὴν ἀρχὴν ἐμποδίους. ἐκ γὰρ τούτων συμβαίνει γίγνεσθαι καὶ τὰς ἐπιβουλάς· τῶν μὲν, ἄρχειν αὐτῶν βουλομένων, τῶν δὲ, μὴ δουλεύειν.

§. 17. Unde Periandri conſilium ad Thraſybulum extitit, celſiorum ſpicarum ablatio: quo ſignificavit, oportere ſemper, qui eminent ſupra cæteros, cives extollere.

§. 17. Ὅθεν καὶ τὸ Περιάνδρου πρὸς Θρασύβουλον συμβούλευμά ἐστιν, ἡ τῶν ὑπερεχόντων σταχύων κόλουσις· ὡς δέον ἀεὶ τοὺς ὑπερέχοντας τῶν πολιτῶν ἀναιρεῖν.

§. 18. Quemadmodum igitur ferme dictum eſt, eadem initia exiſtimare oportet mutationum in rebuspublicis & in poteſtatibus unius. propter injuſtitiam enim, & metum, & contemptum, multi eorum, qui ſubjecti ſunt, imponunt poteſtatibus unius: atque e genere omni injuſtitiæ, maxime ob contumeliam. aliquando autem & ob expilationem bonorum.

§. 18. Καθάπερ οὖν σχεδὸν ἐλέχθη, τὰς αὐτὰς ἀρχὰς δεῖ νομίζειν περί τε τὰς πολιτείας εἶναι τῶν μεταβολῶν, καὶ περὶ τὰς μοναρχίας· διά τε γὰρ ἀδικίαν, καὶ διὰ φόβον, καὶ διὰ καταφρόνησιν, ἐπιτίθενται πολλοὶ τῶν ἀρχομένων ταῖς μοναρχίαις· τῆς δὲ ἀδικίας μάλιστα δι' ὕβριν· ἐνίοτε δὲ καὶ διὰ τὴν τῶν ἰδίων στέρησιν.

§. 19. Sunt autem & fines iidem, quemadmodum & illic, & circa tyrannidas & regna. magnitudo enim divitiarum & honoris poſſidetur ab his, qui ſoli imperium habent, quarum rerum incenſi ſunt cupiditate cuncti.

§. 19. Ἔστι δὲ καὶ τὰ τέλη ταὐτὰ, καθάπερ κἀκεῖ, καὶ περὶ τὰς τυραννίδας καὶ τὰς βασιλείας. μέγεθος γὰρ ὑπάρχει πλούτου καὶ τιμῆς τοῖς μονάρχοις, ὧν ἐφίενται πάντες.

§. 20. XII. Inſidiarum autem quædam fiunt in corpus principum, quædam autem in *principatum*. (*b*)

§. 20. XII. Τῶν δ' ἐπιθέσεων, αἱ μὲν ἐπὶ τὸ σῶμα γίγνονται τῶν ἀρχόντων, αἱ δ' ἐπὶ τὴν ἀρχήν.

§. 21. Quæ igitur a contumelia proficiſcuntur, in corpus fiunt. Cum autem multæ partes ſint contumeliæ, unaquæque ipſarum cauſa iræ exiſtit.

§. 21. Αἱ μὲν οὖν δι' ὕβριν, ἐπὶ τὸ σῶμα. τῆς δ' ὕβρεως οὔσης πολυμεροῦς, ἕκαστον αὐτῶν αἴτιον γίγνεται τῆς ὀργῆς.

§. 22. Magna autem ferme pars eorum, qui aliquibus iraſcuntur, ulciſcendi gratia inſidiantur, & non deſiderio ſummum locum tenendi.

§. 22. Τῶν δ' ὀργιζομένων σχεδὸν οἱ πλεῖστοι τιμωρίας χάριν ἐπιτίθενται, ἀλλ' οὐχ ὑπεροχῆς.

§. 23. Veluti inſidiæ in Piſiſtrati liberos ortum habuere a ludibrio, quo fuerat ipſis Harmodii ſoror: & a contemptu Harmodii. Harmodius enim ob injuriam ſororis, Ariſtogiton autem ob Harmodii commotus eſt.

§. 23. Οἷον, ἡ μὲν τῶν Πεισιστρατιδῶν, διὰ τὸ προπηλακίσαι μὲν τὴν Ἁρμοδίου ἀδελφὴν, ἐπηρεάσαι δ' Ἁρμόδιον. ὁ μὲν γὰρ Ἁρμόδιος, διὰ τὴν ἀδελφήν· ὁ δὲ Ἀριστογείτων, διὰ τὸν Ἁρμόδιον.

§. 24. Inſidiati autem ſunt etiam Periandro, Ambraciotarum tyranno: quia cum potaret una cum deliciis ſuis, quæſivit ex eo, an prægnans adhuc ex ipſo foret?

§. 24. Ἐπεβούλευσαν δὲ καὶ Περιάνδρῳ τῷ ἐν Ἀμβρακίᾳ τυράννῳ, διὰ τὸ συμπίνοντα μετὰ τῶν παιδικῶν, ἐρωτῆσαι αὐτὸν, εἰ ἤδη ἐξ αὐτοῦ κύει;

§. 25. Philippi autem nex, allata ipſi a Pauſania, inde nata eſt, quia neglexit eum contumelia vexatum eſſe ab Attalo.

§. 25. Ἡ δὲ Φιλίππου, ὑπὸ Παυσανίου διὰ τὸ ἐᾶσαι ὑβρισθῆναι αὐτὸν ὑπὸ τῶν περὶ Ἄτταλον.

§. 26. Et Amyntæ, vocati parvi, a Derda, quia jactaverat ſe in ætatem ipſius.

§. 26. Καὶ ἡ Ἀμύντου τοῦ μικροῦ ὑπὸ Δέρδα, διὰ τὸ καυχήσασθαι εἰς τὴν ἡλικίαν αὐτοῦ.

§. 27. Et eunuchi inſidiæ poſitæ Euagoræ Cyprio: quia enim uxorem rapuerat, filium ipſius interfecit, tanquam accepta contumelia.

§. 27. Καὶ ἡ τοῦ εὐνούχου Εὐαγόρᾳ τῷ Κυπρίῳ· διὰ γὰρ τὸ τὴν γυναῖκα παρελέσθαι τὸν υἱὸν αὐτοῦ ἀπέκτεινεν, (*e*) ὡς ὑβρισμένος.

§. 28.

§. 28.

(*a*) *Dominatu*) PICCARTUS *p.* 792. *ſeqq.* GOEB.

(*b*) *Principatum*) Contingit, non principis perſonam, ſed principatum in ſubditorum eſſe odio. Nonnunquam utrique ſuccenſent. Conjurationum cauſas peculiari SCIPIO GENTILIS proſecutus eſt tractatu, cui adde, quæ PICCARTUS ad hoc caput tradit, qui omnia exemplis tam ex veteri, quam recentiori hiſtoria petitis illuſtrat. GOEB.

(*c*) οὕτω γὰρ) Parentheſeos ſignum addidimus, ut oratio fiat juſtæ perſpicuitatis. CONR.

(*d*) καὶ τὴν τρυφὴν) Aldus mendoſe: τροφὴν. CONR.

(*e*) τὸν υἱὸν αὐτοῦ ἀπέκτεινεν) Aldus diſtinguit commate inter αὐτοῦ & ἀπέκτεινεν, idque recte. CONR.



Digitized by Google

§. 28. Multæ autem inſidiæ factæ ſunt, & quia in corpus principes aliquos dedecorarunt.

§. 29. Quemadmodum Cratæi in Archelaum. Semper enim moleſte ferebat, cum libidini ipſius ſerviebat: quare levior etiam cauſa ſatis ei fuit, quia nullam filiarum ipſi in matrimonium dedit, cum ſpopondiſſet: ſed majorem natu, cum premeretur bello adverſus Sirram & Arrabæum, dedit regi Elimeæ: juniorem autem filio Amyntæ, putans ſic illum minime ſibi adverſaturum, & natum e Cleopatra. Verum initium alienationis fuit, quod iniquo animo ferebat, cum morigerari homini cogebatur. Socium autem ſe præbuit conjurationis & Hellanocrates Lariſſæus eandem ob cauſam. poſtquam enim, utens ipſius ætate, pulſum patria non reduxit, pollicitus ſe hoc facturum: ob contumeliam & non ob amatoriam cupiditatem, exiſtimavit conſuetudinem illam extitiſſe.

§. 30. Paro autem & Heraclides Ænii Cotyn interfecerunt, patrem ulciſcentes. Adamas autem defecit a Coty: quia, cum puer eſſet, ab eo exectus fuiſſet, ut vexatus contumelia.

§. 31. Multi autem quoque, quia corpori ipſorum plagæ inflixæ fuere, irati facti. quorum nonnulli necavere, hi autem aggreſſi ſunt, ut vexati contumelia: & quoſdam etiam, qui imperia nacti erant, & regias poteſtates.

§. 32. Ceu Mitylenæ Pentalidas Megacles interemit, diſcurrentes & cædentes obvios fuſtibus, una cum amicis inſidiatus illis.

§. 33. Et poſtea Smerdes Penthilum, acceptis plagis, & ab ejus uxore tractus, necavit.

§. 34. Conjurationis autem Archelai Decamnichus dux fuit. Primus enim concitavit, qui conſpirarunt in eum. Cauſa autem iræ fuit, quod dedit eum cædendum Euripidi poetæ. Euripides autem homini admodum ſuccendebat, cum dixiſſet nonnihil in gravem odorem oris ipſius.

§. 35. Et alii multi ob hujuſcemodi cauſam, hi quidem interempti ſunt: hi autem inſidiis appetiti.

§. 36. Similiter & propter metum. una enim quædam cauſarum hæc erat, ut in rebuspublicis, ita etiam in imperiis unius.

§. 37. Ceu Xerxem Artabanes, ob metum criminis de Dario, tanquam ſuſpendiſſet, non jubente Xerxe: ſed putabat ſibi ignoturum, tanquam non recordaretur, cum inter cœnam mandatum eſſet.

§. 38.

§. 28. Πολλαὶ δ᾽ ἐπιθέσεις γεγένηνται, καὶ διὰ τὸ εἰς τὸ σῶμα αἰσχύνεσθαι (a) τῶν μονάρχων τινάς.

§. 29. Οἷον, καὶ ἡ Κραταίου εἰς Ἀρχέλαον· αἰεὶ γὰρ βαρέως εἶχε πρὸς τὴν ὁμιλίαν· ὥστε ἱκανὴ καὶ ἐλάττων ἐγένετο πρόφασις, διότι τῶν θυγατέρων οὐδεμίαν ἔδωκεν ὁμολογήσας αὐτῷ· ἀλλὰ τὴν μὲν προτέραν κατεχόμενος ὑπὸ πολέμου πρὸς Σιῤῥᾶν καὶ Ἀῤῥαβαῖον, ἔδωκε τῷ βασιλεῖ τῷ τῆς Ἐλιμείας· (b) τὴν δὲ νεωτέραν τῷ υἱεῖ Ἀμύντα, οἰόμενος οὕτως ἂν ἐκεῖνον ἥκιστα διαφέρεσθαι, καὶ τὸν ἐκ τῆς Κλεοπάτρας. ἀλλὰ τῆς γε ἀλλοτριότητος ὑπῆρχεν ἀρχὴ, τὸ βαρέως φέρειν πρὸς τὴν ἀφροδισιαστικὴν χάριν. συνεπέθετο δὲ καὶ Ἑλλανοκράτης ὁ Λαρισσαῖος διὰ τὴν αὐτὴν αἰτίαν. ὡς γὰρ χρώμενος αὐτοῦ τῇ ἡλικίᾳ, οὐ κατῆγεν ὑποσχόμενος, δι᾽ ὕβριν καὶ οὐ δι᾽ ἐρωτικὴν ἐπιθυμίαν ᾤετο εἶναι τὴν γεγενημένην ὁμιλίαν.

§. 30. Πάρων (c) δὲ καὶ Ἡρακλείδης οἱ Αἴνιοι Κότυν διέφθειραν, τῷ πατρὶ τιμωροῦντες· Ἀδάμας δ᾽ ἀπέστη Κότυος, διὰ τὸ ἐκτμηθῆναι παῖς ὢν ὑπ᾽ αὐτοῦ, ὡς ὑβρισμένος.

§. 31. Πολλοὶ δὲ καὶ διὰ τὸ εἰς τὸ σῶμα αἰκισθῆναι πληγαῖς, ὀργισθέντες, οἱ μὲν διέφθειραν, οἱ δὲ ἐνεχείρησαν, (d) ὡς ὑβρισθέντες· καὶ τῶν περὶ τὰς ἀρχὰς καὶ βασιλικὰς δυναστείας.

§. 32. Οἷον, ἐν Μιτυλήνῃ τοὺς Πενθαλίδας Μεγακλῆς περιιόντας, καὶ τύπτοντας ταῖς κορύναις, ἐπιθέμενος μετὰ τῶν φίλων ἀνεῖλε.

§. 33. Καὶ ὕστερον Σμέρδις (e) Πένθιλον (f) πληγὰς λαβὼν, καὶ παρὰ τῆς γυναικὸς ἐξελκυσθεὶς, διέφθειρε.

§. 34. Καὶ τῆς Ἀρχελάου δ᾽ ἐπιθέσεως Δεκάμνιχος ἡγεμὼν ἐγένετο, παροξύνων τοὺς ἐπιθεμένους πρῶτος. αἴτιον δὲ τῆς ὀργῆς, ὅτι αὐτὸν ἐξέδωκε μαστιγῶσαι Εὐριπίδῃ τῷ ποιητῇ· ὁ δ᾽ Εὐριπίδης ἐχαλέπαινεν, εἰπόντος τι αὐτοῦ εἰς δυσωδίαν τοῦ στόματος.

§. 35. Καὶ ἄλλοι δὲ πολλοὶ διὰ τοιαύτας αἰτίας, οἱ μὲν ἀνῃρέθησαν, οἱ δ᾽ ἐπεβουλεύθησαν.

§. 36. Ὁμοίως δὲ καὶ διὰ φόβον. ἓν γάρ τι τοῦτο τῶν αἰτιῶν (g) ἦν, ὥσπερ καὶ περὶ τὰς πολιτείας καὶ τὰς μοναρχίας.

§. 37. Οἷον, Ξέρξην Ἀρταπάνης, (h) φοβούμενος τὴν διαβολὴν τὴν περὶ Δαρεῖον, ὅτι ἐκρέμασεν (i) οὐ κελεύσαντος Ξέρξου, ἀλλ᾽ οἰόμενος συγγνώσεσθαι ὡς ἀμνημονοῦντα διὰ τὸ δειπνεῖν.

§. 38.

(a) αἰσχύνεσθαι) Activa ſignificatione verbum hoc accipi inſolens eſt: & tamen ita accipiendum fuerit, niſi addere velis: ὑπὸ μονάρχων. Victorius tamen monet illius ὑπὸ nullum veſtigium reperiri in codicibus aut veteri tralatione. *CONR.*

(b) ἐλιμείας) Aldus ἐλιβείας. At ἐλιμείαν habet quoque Strabo. *CONR.*

(c) Πάρων) Docte obſervat Victorius, apud Demoſthenem, Plutarchum, Diogenem Laertium illum, qui heic innuitur, dici Pythona: ac proinde recte idem mavult hic ſcribi πύθων. *CONR.*

(d) ἐνεχείρησαν) Aldus ἐνεχείρισαν: *in manus tradiderunt*, occidendos ſcilicet. Quod videtur melius. Agitur enim hic de mutationibus regnorum, quæ fiunt per cædes regum: ad illas autem non ſufficiunt ſoli conatus. *CONR.*

(e) Σμέρδις) Sylburgius mavult Σμέρδης, quod hoc nomen occurrat apud Herodotum: fatetur tamen illum loqui de alio. Argumentum eſt leve: nec tamen repugnaverim. *CONR.*

(f) Πένθιλον) Idem notat, apud Suidam occurrere nomen Πένθηλος: apud Pauſaniam tamen bis legi Πένθιλος ut hic. In nullo eſt diſcrimine: utrum malis. *CONR.*

(g) τῶν αἰτιῶν) Sylburgius mavult: τῶν αἰτίων. Idque recte, propter præcedentia neutra. *CONR.*

(h) Ἀρταπάνης) Herodotus habet: Ἀρτάβανος. Cteſias Ἀρταπανος. Amplectere quicquid horum libuerit. *CONR.*

(i) ἐκρέμασεν οὐ) Lambinus recte trajicit: οὐκ ἐκρέμασεν. Idem vero paulo poſt dandi caſu ſcribit ἀμνημονοῦντι, ſine cauſa. *CONR.*

Digitized by Google

§. 38. Hæ autem propter contemptum.

§. 39. Quemadmodum Sardanapalum viſum a ſe quidam cum mulieribus nentem, ſi *vera hæc de eo prædicant*, (a) qui tanquam fabulam commemorant: ſi non autem in illo, in alio tamen hoc verum eſſe poſſet.

§. 40. Et Dionyſio poſteriori Dion inſidias ſtruxit, quia contemnebat, videns cives ſic affectos, & ipſum ſemper ebrium.

§. 41. Et amicorum utique quidam inſidiantur propter contemptum. quia enim fides ipſis habetur, contemnunt, ſperantes conſilium ipſorum clam futurum.

§. 42. Et qui putant ſe poſſe occupare principatum, aliquo modo, quia contemnunt, adoriuntur. Ut enim poteſtatem habentes, & contemnentes periculum ob potentiam, prompte aggrediuntur.

§. 43. Veluti duces exercituum monarchas. ceu Cyrus Aſtyagi inſidiatus eſt, vitam ipſius deſpiciens & copias, quia copiæ deſides factæ erant, ipſeque molliter vivebat: & Seuthes Thrax Amadoco, cujus exercitum ducebat.

§. 44. Hi vero ob plura hujus generis adoriuntur, ceu & contemnentes: & propter lucrum, quemadmodum Mithridates Ariobarzanem.

§. 45. Maxime autem hanc ob cauſam adoriuntur, qui ſunt ingenio audaces: honorem autem militarem adepti ſunt apud monarchas. fortitudo enim poteſtatem nacta, audacia eſt. propter quas ambas, ut nullo negotio ſuperiores futuri, inſidias moliuntur.

§. 46. Morum vero, qui ob cupiditatem honoris inſidiantur, alius modus eſt cauſæ præter expoſitos prius. Non enim, veluti nonnulli, tyrannos adoriuntur, aſpicientes & lucra magna & honores magnos, qui ſunt apud ipſos: ſic & eorum, qui propter cupiditatem honorum inſidiantur, unusquiſque ſtatuit ſecum periculo caput objicere: ſed illi quidem ob traditam cauſam, hi vero quemadmodum aliud quodpiam eximium factum, & per quod nomen conſequerentur & clari fierent, ſuſciperent ſibi gerendum: ſic monarchas invadant, non ſtudio parandi ſibi imperium, ſed *gloriam*. (b)

§. 47. Veruntamen pauci admodum numero ſunt, qui hanc ob cauſam impellantur. Oportet enim eum in animo offirmatum habere, nullam curam ſalutis eſſe ſibi attendendam, niſi rem confecerit. quibus comitari oportet Dionis ſententiam. non facile autem eſt ipſam innatam eſſe multis.

§. 48. Ille namque cum paucis in Dionyſium invaſit, hujus animi ſe eſſe prædicans, ut quocunque progredi cum illis ſuis copiis potuerit, ſatis ſibi eſſe exiſtimet ad partem aliquam ejus facti obtinendam: ceu ſi cum puſillum illius telluris occuparit, extemplo contingat ipſum mori, hanc mortem eſſe ſibi plenam dignitatis.

§. 49.

§. 38. Αἱ δὲ, διὰ καταφρόνησιν.

§. 39. Ὥσπερ Σαρδανάπαλον ἰδών τις ξαίνοντα μετὰ τῶν γυναικῶν, εἰ ἀληθῆ ταῦτα οἱ μυθολογοῦντες λέγουσιν· εἰ δὲ μὴ ἐπ᾽ ἐκείνου, ἀλλ᾽ ἐπ᾽ ἄλλου γε ἂν γένοιτο ἀληθές.

§. 40. Καὶ Διονυσίῳ τῷ ὑςέρῳ Δίων ἐπέθετο, διὰ τὸ καταφρονεῖν, ὁρῶν τούς τε πολίτας οὕτως ἔχοντας, καὶ αὐτὸν ἀεὶ μεθύοντα.

§. 41. Καὶ τῶν φίλων δέ τινες ἐπιτίθενται διὰ καταφρόνησιν· διὰ γὰρ τὸ πιςεύεσθαι, καταφρονοῦσιν ὡς λήσοντες.

§. 42. Καὶ οἱ οἰόμενοι δύνασθαι κατασχεῖν τὴν ἀρχὴν, τρόπον τινὰ διὰ τὸ καταφρονεῖν ἐπιτίθενται. ὡς δυνάμενοι γὰρ, καὶ καταφρονοῦντες τοῦ κινδύνου διὰ τὴν δύναμιν, ἐπιχειροῦσι ῥᾳδίως.

§. 43. Ὥσπερ οἱ ςρατηγοῦντες τοῖς μονάρχοις. οἷον, Κῦρος Ἀςυάγῃ, καὶ τοῦ βίου καταφρονῶν, καὶ τῆς δυνάμεως, διὰ τὸ τὴν μὲν δύναμιν ἐξηργηκέναι, αὐτὸν δὲ τρυφᾷν· καὶ Σεύθης ὁ Θρᾷξ Ἀμαδόκῳ, ςρατηγὸς ὤν.

§. 44. Οἱ δὲ καὶ διὰ πλείω τούτων ἐπιτίθενται· οἷον, καὶ καταφρονοῦντες, καὶ διὰ κέρδος· ὥσπερ Ἀριοβαρζάνῃ Μιθριδάτης.

§. 45. Μάλιςα δὲ διὰ ταύτην τὴν αἰτίαν ἐγχειροῦσιν οἱ τὴν φύσιν μὲν θρασεῖς, τιμὴν δ᾽ ἔχοντες πολεμικὴν παρὰ τοῖς μονάρχοις· ἀνδρία γὰρ δύναμιν ἔχουσα, θράσος ἐςί. δι᾽ ἃς ἀμφοτέρας, ὡς ῥᾳδίως κρατήσοντες, ποιοῦνται τὰς ἐπιθέσεις.

§. 46. Τῶν τε διὰ (c) φιλοτιμίαν ἐπιτιθεμένων, ἕτερος τρόπος ἐςὶ τῆς αἰτίας παρὰ τοὺς εἰρημένους πρότερον. οὐ γὰρ ὥσπερ ἔνιοι τοῖς τυράννοις ἐπιχειροῦσιν, ὁρῶντες κέρδη τε μεγάλα καὶ τιμὰς μεγάλας οὔσας αὐτοῖς, οὕτω καὶ τῶν διὰ φιλοτιμίαν ἐπιτιθεμένων ἕκαςος προαιρεῖται κινδυνεύειν· ἀλλ᾽ ἐκεῖνοι μὲν, διὰ τὴν εἰρημένην αἰτίαν· οὗτοι δ᾽, ὥσπερ κἂν ἄλλης τινὸς γενομένης πράξεως περιττῆς, καὶ δι᾽ ἣν ὀνομαςοὶ γίγνονται καὶ γνώριμοι τοῖς ἄλλοις, οὕτω καὶ τοῖς μονάρχοις ἐγχειροῦσιν, οὐ κτήσασθαι βουλόμενοι μοναρχίαν, ἀλλὰ δόξαν.

§. 47. Οὐ μὲν ἀλλ᾽ ἐλάχιςοί γε τὸν ἀριθμόν εἰσιν οἱ διὰ ταύτην τὴν αἰτίαν ὁρμῶντες· ὑποκεῖσθαι γὰρ δεῖ τὸ τοῦ σωθῆναι μηδὲν φροντίζειν, ἂν μὴ μέλλῃ κατασχήσειν τὴν πρᾶξιν. οἷς ἀκολουθεῖν μὲν δεῖ τὴν Δίωνος ὑπόληψιν· οὐ ῥᾴδιον δ᾽ αὐτὴν ἐγγενέσθαι πολλοῖς.

§. 48. Ἐκεῖνος γὰρ μετ᾽ ὀλίγων ἐςράτευσεν ἐπὶ Διονύσιον, οὕτως ἔχειν φάσκων, ὡς ὅπου περ ἂν δύνηται προελθεῖν, ἱκανὸν αὐτῷ τοσοῦτον μετασχεῖν τῆς πράξεως· οἷον, εἰ μικρὸν ἐπιβάντα τῆς γῆς εὐθὺς συμβαίη τελευτῆσαι, τοῦτον καλῶς ἔχειν αὐτῷ τὸν θάνατον.

§. 49.

(a) *Vera de eo prædicant*) A quamplurimis, quæ a JUSTINO, DIOD. SICULO, ATHENÆO aliiſque traduntur, non ſine ratione in dubium vocantur. vid. RUPERT. ad *ſynopſ.* BESOLDI. PICCART. *p.* 800. *GOEB.*

(b) *Gloriam*) Tyrannicidæ olim ſummo erant in honore CIC. *lib.* 3. *de offic.* GOEB.

(c) τῶν τε διὰ) Scribendum τῶν δὲ. CONR.

Digitized by Google

§. 49. XII. *Tyrannis* (*a*) autem interit, uno quidem modo, veluti unaquæque aliarum rerumpublicarum extrinſecus, ſi contraria fuerit aliqua respublica validior. velle namque planum eſt, quod aderit propter contrarietatem electionis: quæ autem volunt, cum poſſunt, agunt omnes.

§. 50. Contrariæ autem reſpublicæ ſunt, populus quidem tyrannidi: ut ait Heſiodus: *quemadmodum figulus figulo.* ſtatus enim multitudinis, poſtremus ille, tyrannis eſt. regnum autem & ſtatus optimorum, propter contrarietatem reipublicæ.

§. 51. Quare Lacedæmonii plurimas diſſolverunt tyrannidas & Syracuſani illo tempore, quo rempublicam adminiſtrabant.

§. 52. Uno autem ſua culpa: quando, qui participes ejus ſunt, ſeditionibus agitantur.

§. 53. Quemadmodum tyrannis Gelonis, & modo tyrannis Dionyſii. Gelonis quidem, Thraſybulo Hieronis fratre, Gelonis filio aſſentante, & ad voluptates impellente, ut imperium ad ſe transferret. Cum autem neceſſarii coiiſſent, ne tyrannis funditus diſſolveretur, ſed Thraſybulus: hi facto agmine ſuorum, ut tempus nacti ejecerunt univerſos ipſos. Dion autem, exercitu ducto contra Dionyſium, affinis exiſtens, adjunctoque ſibi populo, cum illum ejeciſſet, interfectus eſt.

§. 54. Cum ſint autem duæ cauſæ, ob quas maxime inſidiantur tyrannidibus, odium & contemptus: harum altera non poteſt abeſſe a tyrannis, odium ſcilicet: ex contemptu autem multæ diſſolvuntur tyrannides.

§. 55. Signum autem hujus eſt: plurimi enim eorum, qui ſibi pepererunt, principatus ſervarunt: quibus autem relicti ſunt, ſtatim (ut ita loquar) cuncti amiſerunt. cum enim vitam traducant in corporis voluptatibus, contemtui eſſe incipiunt, multasque anſas præbent inſidiatoribus.

§. 56. Particulam autem quandam odii iram eſſe, ſtatuere oportet: exiſtit enim aliquo modo cauſa earundem actionum. Sæpe autem magis impellit ad agendum, quam odium: contentius enim feruntur in eos, quibus inſidiantur, quia non utitur ratione motus animi.

§. 57. Maxime autem contingit excandeſcentiæ parere ob contumeliam: & Piſiſtrati liberorum tyrannis hanc ob cauſam fracta eſt, multæque aliæ.

§. 58. Verum magis odium: ira namque ſecum habet ægritudinem, quare non eſt facile ſubducere rationem: odium autem eſt ſine ægritudine.

§. 59. Ut autem ſummatim loquar, quot cauſas eſſe diximus paucorum dominatus, meri atque ultimi, & ſtatus multitudinis poſtremi: tot & tyrannidis ſtatuendum eſt eſſe. ſunt enim hi ſtatus tyrannides quædam diſſectæ.

§. 60. XIII. *Regnum* (*b*) autem a rebus, quæ veni-

§. 49. Φθείρεται δὲ τυραννὶς, ἕνα μὲν τρόπον, ὥσπερ καὶ τῶν ἄλλων ἑκάστη πολιτειῶν, ἔξωθεν, ἐὰν ἐναντία τις ᾖ πολιτεία κρείττων· τὸ μὲν γὰρ βούλεσθαι, δῆλον ὡς ὑπάρξει διὰ τὴν ἐναντιότητα τῆς προαιρέσεως· ἃ δὲ βούλονται δυνάμενοι, πράττουσι πάντες.

§. 50. Ἐναντίαι δ᾽ αἱ πολιτεῖαι, δῆμος μὲν τυραννίδι, καθ᾽ Ἡσίοδον,

Ὡς κεραμεῖ κεραμεύς.

καὶ γὰρ ἡ δημοκρατία ἡ τελευταία, τυραννίς ἐστι. βασιλεία δὲ καὶ ἀριστοκρατία, διὰ τὴν ἐναντιότητα τῆς πολιτείας.

§. 51. Διὸ Λακεδαιμόνιοι πλείστας κατέλυσαν τυραννίδας· καὶ Συρακούσιοι κατὰ τὸν χρόνον, ὃν ἐπολιτεύοντο καλῶς.

§. 52. Ἕνα δ᾽, ἐξ αὐτῆς· (c) ὅταν οἱ μετέχοντες στασιάζωσιν.

§. 53. Ὥσπερ ἡ τῶν περὶ Γέλωνα, καὶ νῦν ἡ τῶν περὶ Διονύσιον· ἡ μὲν Γέλωνος, Θρασυβούλου τοῦ Ἱέρωνος ἀδελφοῦ, τὸν υἱὸν τοῦ Γέλωνος δημαγωγοῦντος, καὶ πρὸς ἡδονὰς ὁρμῶντος, ἵν᾽ αὐτὸς ἄρχῃ. τῶν δ᾽ οἰκείων συστησάντων, ἵνα μὴ τυραννὶς ὅλη καταλυθῇ, ἀλλὰ Θρασύβουλος· οἱ δὲ συστάντες αὐτῶν, ὡς καιρὸν ἔχοντες, ἐξέβαλον ἅπαντας αὐτούς. Διονύσιον δὲ Δίων στρατεύσας, κηδεστὴς ὢν, καὶ προσλαβὼν τὸν δῆμον, ἐκεῖνον ἐκβαλὼν, διεφθάρη.

§. 54. Δύο δὲ οὐσῶν αἰτιῶν δι᾽ ἃς μάλιστ᾽ ἐπιτίθενται ταῖς τυραννίσι, μίσους καὶ καταφρονήσεως, θάτερον μὲν δεῖ τούτων ὑπάρχειν τοῖς τυράννοις, τὸ μῖσος· ἐκ δὲ τοῦ καταφρονεῖσθαι πολλαὶ γίνονται τῶν καταλύσεων.

§. 55. Σημεῖον δέ. τῶν μὲν γὰρ κτησαμένων οἱ πλεῖστοι, καὶ διεφύλαξαν τὰς ἀρχάς· οἱ δὲ, παραλαβόντες, εὐθὺς, ὡς εἰπεῖν, ἀπολλύασι πάντες. ἀπολαυστικῶς γὰρ ζῶντες εὐκαταφρόνητοί τε γίγνονται, καὶ πολλοὺς καιροὺς παραδιδόασι τοῖς ἐπιτιθεμένοις.

§. 56. Μόριον δέ τι τοῦ μίσους καὶ τὴν ὀργὴν δεῖ τιθέναι· τρόπον γάρ τινα τῶν αὐτῶν αἰτία γίνεται πράξεων. πολλάκις δὲ καὶ πρακτικώτερον τοῦ μίσους· συντονώτερον γὰρ ἐπιτίθενται διὰ τὸ μὴ χρῆσθαι λογισμῷ τὸ πάθος.

§. 57. Μάλιστα δὲ συμβαίνει τοῖς θυμοῖς ἀκολουθεῖν διὰ τὴν ὕβριν· δι᾽ ἣν αἰτίαν, ἥτε τῶν Πεισιστρατιδῶν κατελύθη τυραννὶς, καὶ πολλαὶ τῶν ἄλλων.

§. 58. Ἀλλὰ μᾶλλον τὸ μῖσος· ἡ μὲν γὰρ ὀργὴ μετὰ λύπης πάρεστιν· ὥστε οὐ ῥᾴδιον λογίζεσθαι· ἡ δὲ ἔχθρα, ἄνευ λύπης.

§. 59. Ὡς δὲ ἐν κεφαλαίοις εἰπεῖν, ὅσας αἰτίας εἰρήκαμεν τῆς τε ὀλιγαρχίας τῆς ἀκράτου καὶ τελευταίας, καὶ τῆς δημοκρατίας τῆς ἐσχάτης, τοσαύτας καὶ τῆς τυραννίδος θετέον· καὶ γὰρ αὗται τυγχάνουσιν οὖσαι διῃρεταὶ τυραννίδες.

§. 60. XIII. Βασιλεία δὲ ὑπὸ μὲν τῶν ἔξωθεν ἥκιστα

(*a*) *Tyrannis*) Speciatim jam cauſas, quibus tyrannis evertitur, recitat. PICCARTUS *p.* 803. *ſeqq.* *GOEB.*

(*b*) *Regnum*) Expoſitis tam internis, quam externis mutandarum tyrannidum cauſis, ſibi evertendi regni principia explicanda ſumit. PICCARTUS. Cauſam, quare regnum nullis externis mutationis cauſis ſubſit, inveſtigare laborat FELDEN. *GOEB.*

(*c*) ἐξ αὐτῆς) Aldus ἐξ αὐτοῦ. Mendoſe. Hic enim alter modus recenſetur corruptionis tyrannidis, oppoſitus illi, quæ fit ἔξωθεν. *CONR.*

Digitized by Google

veniant extra, minime extinguitur. quare diuturnum eſt: ab ipſo autem plurimi interitus exiſtunt.

ἥκιστα φθείρεται· διὸ καὶ πολυχρόνιός ἐστιν· ἐξ αὐτῆς δ' αἱ πλεῖσται φθοραὶ συμβαίνουσι.

§. 61. Interit autem duobus modis. Uno quidem, cum diſſenſerint inter ſe, qui communicant ipſo: altero autem modo, more tyrannorum adminiſtrare ipſum nitentibus, cum in ſua poteſtate plura eſſe poſtularint, atque id adverſante lege.

§. 61. Φθείρεται δὲ κατὰ δύο τρόπους· ἕνα μὲν, στασιασάντων τῶν μετεχόντων τῆς βασιλείας· ἄλλον δὲ τρόπον, τυραννικώτερον πειρωμένων διοικεῖν, ὅταν εἶναι κύριοι πλειόνων ἀξιῶσι καὶ παρὰ τὸν νόμον.

§. 62. Non conſtituuntur autem amplius *regna* (a) hac ætate, ſed cum extiterint, principatus potius ac tyrannides ſunt: quia regnum eſt imperium ſponte datum, & quod majores res in ſua manu habet. Multos autem eſſe ſimiles, & nullum præſtantem tantum, ut adæquetur ad magnitudinem & dignitatem imperii. Quapropter ob hoc ſponte ſua non ferunt. Si autem fallacia uſus aliquis, aut vi, poteſtatem conſecutus fuerit, jam videtur hoc eſſe tyrannis.

§. 62. Οὐ γίγνονται δ' ἔτι βασιλεῖαι νῦν, ἀλλ' ἄν περ γίγνωνται, μοναρχίαι καὶ τυραννίδες μᾶλλον· διὰ τὸ βασιλείαν ἑκούσιον μὲν ἀρχὴν εἶναι, μειζόνων δὲ κυρίαν· πολλοὺς δ' εἶναι τοὺς ὁμοίους, καὶ μηδένα διαφέροντα τοσοῦτον, ὥστε ἀπαρτίζειν πρὸς τὸ μέγεθος καὶ τὸ ἀξίωμα τῆς ἀρχῆς. ὥστε διὰ μὲν τοῦτο ἑκόντες οὐχ ὑπομένουσιν· ἂν δὲ δι' ἀπάτης ἄρχῃ τις ἢ βίας, ἤδη δοκεῖ τοῦτο εἶναι τυραννίς.

§. 63. In regnis autem per genus ponere oportet cauſam interitus præter dictas, & naſci multos, qui contemni facile poſſint, & poteſtatem tyrannicam minime tenentes, ſed regium honorem, contumelioſi ſint. Facilis enim eſt diſſolutio. non volentibus enim extemplo non eſt rex, ſed tyrannus etiam non volentibus.

§. 63. Ἐν δὲ ταῖς κατὰ γένος βασιλείαις, τιθέναι δεῖ τῆς φθορᾶς αἰτίαν πρὸς ταῖς εἰρημέναις, καὶ τὸ γίνεσθαι πολλοὺς εὐκαταφρονήτους· καὶ τὸ δύναμιν μὴ κεκτημένους τυραννικὴν, ἀλλὰ βασιλικὴν τιμὴν, ὑβρίζειν· ῥᾳδία γὰρ ἐγίνετο ἡ κατάλυσις. μὴ βουλομένων γὰρ εὐθὺς οὐκ ἔσται βασιλεὺς, (d) ἀλλ' ὁ τύραννος καὶ μὴ βουλομένων.

§. 64. Intereunt igitur imperia unius ob has & hujuſcemodi alias cauſas.

§. 64. Φθείρονται μὲν οὖν αἱ μοναρχίαι διὰ ταύτας καὶ ἑτέρας αἰτίας.

# CAPUT XI.

§. 1.

XIV. *Conſervantur* (b) autem, quod planum eſt, ut in univerſum loquar, e contrariis.

§. 1.

XIV. Σώζονται δὲ δῆλον, (e) ὡς ἁπλῶς μὲν εἰπεῖν, ἐκ τῶν ἐναντίων.

§. 2. Ut autem ſingillatim, ad moderatiorem rationem perducendo regna. quanto enim pauciorum rerum poteſtatem habuerint, majus temporis ſpatium neceſſe eſt manere omne imperium. nam & ipſi minus fiunt in imperiis ſuis ſimiles dominorum, & vita moribusque pares magis: & ab his, qui parent ipſis, minus invidentur.

§. 2. Ὡς δὲ καθ' ἕκαστον, τῷ τὰς μὲν βασιλείας ἄγειν ἐπὶ τὸ μετριώτερον. ὅσῳ γὰρ ἂν ἐλαττόνων ὦσι κύριοι, πλείω χρόνον ἀναγκαῖον μένειν πᾶσαν τὴν ἀρχήν. αὐτοί τε γὰρ ἧττον γίνονται δεσποτικοὶ, καὶ τοῖς ἤθεσιν ἴσοι μᾶλλον, καὶ ὑπὸ τῶν ἀρχομένων φθονοῦνται ἧττον.

§. 3. Hanc enim ob cauſam & regnum *Moloſſorum* (c) longum tempus permanſit, & Lacedæmoniorum itidem, quia initio in duas partes diviſum fuit imperium: & rurſum Theopompus moderate ſe geſſit, & aliis rebus, & ephororum magiſtratum conſtituit. Cum enim dempſiſſet aliquid poteſtatis, auxit tempore regnum: quare reddidit aliquo modo non minus ipſum, ſed majus. Quod quidem ajunt ipſum uxori reſpondiſſe, cum dixiſſet, quomodo non erubeſceret, regnum relicturus liberis minus, quam a patre accepiſſet? non ſane, inquit. relinquo enim diuturnius.

§. 3. Διὰ γὰρ τοῦτο καὶ ἡ περὶ Μολοττοὺς πολὺν χρόνον βασιλεία διέμεινε· καὶ ἡ Λακεδαιμονίων, διὰ τὸ ἐξ ἀρχῆς τε εἰς δύο μέρη διαιρεθῆναι τὴν ἀρχήν· καὶ πάλιν Θεοπόμπου μετριάσαντος τοῖς τε ἄλλοις, καὶ τὴν τῶν ἐφόρων ἀρχὴν ἐπικαταστήσαντος. τῆς γὰρ δυνάμεως ἀφελὼν, ηὔξησε τῷ χρόνῳ τὴν βασιλείαν. ὥστε τρόπον τινὰ ἐποίησεν οὐκ ἐλάττονα, ἀλλὰ μείζονα αὐτήν. ὅπερ καὶ πρὸς τὴν γυναῖκα ἀποκρίνασθαί φασιν αὐτὸν, εἰπούσαν, εἰ μηδὲν αἰσχύνεται τὴν βασιλείαν ἐλάττω παραδιδοὺς τοῖς υἱέσιν, ἢ παρὰ τοῦ πατρὸς παρέλαβεν; Οὐ δῆτα φάναι· παραδίδωμι γὰρ πολυχρονιωτέραν.

§. 4. §. 4.

(a) *Regna*) Rationem affert PICCARTUS, quia hodie nemo tanta ſit præditus virtute, cui reliqui cives omnes libentes volentesque pareant, mihi non videtur adæquato. Nam nulla ætas ejusmodi deſtituta fuit hominibus. Forte huc ſpectat exemplum Franciſci Sfortiæ, qui ſortem privatam cum ducali dignitate mediolanenſi commutavit. MACHIAVELLUS *in principe c. 6. 7.* GOEB.

(b) *Conſervantur*) Exhibentur principia, quæ, ut regnum & tyrannis conſervari queant, adhibenda ſunt. FELDEN. GOEB.

(c) *Moloſſorum*) PICCARTUS p. 811. GOEB.

(d) οὐκ ἔσται βασιλεὺς) Aldus: οὐκ ἔσται βασιλεία. Sequens vero vox τύραννος ſignificat, potius legendum βασιλεύς. CONR.

(e) σώζονται δὲ δῆλον) Videtur ſcribendum καθόλου: ut reſpondeat illi, quod paulo poſt ſequitur καθ' ἕκαστον. Et vero illud δῆλον abs re eſt. CONR.



Digitized by Google

§. 4. XV. Tyrannides autem conſervantur duobus modis maxime contrariis inter ſe: quorum alter eſt, qui per manus traditus eſt, & quo adminiſtrant tyrannorum plurimi imperium, quod habent. Horum autem multa *Periandrum* (*a*) Corinthium ferunt conſtituiſſe: multa etiam hujuſcemodi ab imperio Perſarum licet ſumere.

§. 5. Sunt autem & quæ olim dicta ſunt, ad incolumitatem, quantum effici poteſt, tyrannidis: viros, qui excellunt, deprimere.

§. 6. Magnoque animo præditos *interficere.* (*b*)

§. 7. Et neque concœnationes permittere, neque ſodalitatem, neque diſciplinam, neque aliud *quippiam* (*c*) hujuſcemodi.

§. 8. Sed omnia cavere, unde ſolent exoriri duo, *ſpiritus magni & fides.* (*d*)

§. 9. Et neque *ludos literarum,* (*e*) neque alios conventus ſinere coli, in quibus honeſto otio homines fruantur.

§. 10. Cunctaque moliri, e quibus maxime fieri poteſt, ut cuncti ne noti quidem inter ſe ſint: cognitio enim facit, ut majorem fidem ſibi mutuo habeant.

§. 11. Et peregrinos ſemper in aperto eſſe, & verſari *circa fores.* (*f*) ita enim minime clam eſſe poterit, quod agunt, & aſſueſcent humiliter ſentire, ſemper ſervientes.

§. 12. Et alia quæcunque hujuſcemodi ſunt inſtituta Perſarum & barbarorum, accommodata tyrannis ſunt. cuncta enim idem valent.

§. 13. Atque eniti non fallere ipſos, quæcunque aliquis dicit, aut facit illorum, qui parent ipſis, ſed eſſe exploratores: quales erant fœminæ, quæ Syracuſis vocabantur Potagogides. Et *Hieron* (*g*) mittebat auſcultatores, ubi aliquis eſſet congreſſus & conventus: libere enim loquuntur illic minus, metuentes hujuſcemodi homines, ac ſi libere locuti fuerint, minus fallunt.

§. 14. Et criminari committereque inter ſe, & amicos cum amicis, & *plebem* (*h*) cum nobilibus, & divites cum divitibus.

§. 15. Et pauperes reddere, qui parent ipſis, inſtitutum tyrannorum, & ut præſidium non alatur:

§. 4. XV. Αἱ δὲ τυραννίδες σώζονται κατὰ δύο τρόπους τοὺς ἐναντιωτάτους· ὧν ἅτερός ἐστιν ὁ παραδεδομένος, καὶ καθ᾽ ὃν διοικοῦσιν οἱ πλεῖστοι τῶν τυράννων τὴν ἀρχήν. τούτων δὲ τὰ πολλά φασι καταστῆσαι Περίανδρον τὸν Κορίνθιον. πολλὰ δὲ καὶ παρὰ τῆς τῶν Περσῶν ἀρχῆς ἐστι τοιαῦτα λαβεῖν.

§. 5. Ἔστι δὲ τά τε πάλαι λεχθέντα πρὸς σωτηρίαν, ὡς οἷόν τε, τῆς τυραννίδος, τὸ τοὺς ὑπερέχοντας κολούειν.

§. 6. Καὶ τοὺς φρονηματίας ἀναιρεῖν.

§. 7. Καὶ μήτε συσσίτια ἐᾶν, μήτε ἑταιρίαν, μήτε παιδείαν, μήτε ἄλλο μηθὲν τοιοῦτον.

§. 8. Ἀλλὰ (πάντα) (*i*) φυλάττειν ὅθεν εἴωθε γίνεσθαι δύο, φρονήματά τε καὶ πίστις.

§. 9. Καὶ μήτε σχολάς, μήτε ἄλλους συλλόγους ἐπιτρέπειν γίνεσθαι σχολαστικούς.

§. 10. Καὶ πάντα ποιεῖν ἐξ ὧν ὅτι μάλιστα ἀγνῶτες ἀλλήλοις ἔσονται πάντες· ἡ γὰρ γνῶσις πίστιν ποιεῖ μᾶλλον πρὸς ἀλλήλους.

§. 11. Καὶ τὸ τοὺς ἐπιδημοῦντας ἀεὶ φανεροὺς εἶναι, καὶ διατρίβειν περὶ θύρας· οὕτω γὰρ ἂν ἥκιστα λανθάνοιεν τί πράττουσι· καὶ φρονεῖν ἂν ἐθίζοιντο μικρόν, αἰεὶ δουλεύοντες.

§. 12. Καὶ τἆλλα ὅσα τοιαῦτα Περσικὰ καὶ βάρβαρα, τυραννικά ἐστι· πάντα γὰρ ταὐτὸν δύναται.

§. 13. Καὶ τὸ μὴ λανθάνειν πειρᾶσθαι, ὅσα τυγχάνει τις λέγων ἢ πράττων τῶν ἀρχομένων, ἀλλ᾽ εἶναι κατασκόπους· οἷον, περὶ Συρακούσας αἱ ποταγωγίδες (*k*) καλούμεναι. καὶ τοὺς ὠτακουστὰς ἐξέπεμπεν Ἱέρων, ὅπου τις εἴη συνουσία καὶ σύλλογος. παρρησιάζονταί τε γὰρ ἧττον, φοβούμενοι τοὺς τοιούτους· κἂν παρρησιάζωνται, λανθάνουσιν ἧττον.

§. 14. Καὶ τὸ διαβάλλειν ἀλλήλοις καὶ συγκρούειν, καὶ φίλους φίλοις, καὶ τὸν δῆμον τοῖς γνωρίμοις, καὶ τοὺς πλουσίους ἑαυτοῖς.

§. 15. Καὶ τὸ πένητας ποιεῖν τοὺς ἀρχομένους, τυραννικόν, ὅπως μήτε φυλακὴ (*l*) τρέφηται

(*a*) *Periandrum*) Vid. XENOPH. in *Hierone.* PLATO *de republica* c. 8. *GOEB.*

(*b*) *Interficere*) Talia ſectatus eſt conſilia Cæſar Borgia cum patre ſuo Alexandro VI. pontifice: vid. GRATIANUM *in vita ejus.* Nec ſceleſto regno alia, quam ſceleſta, adhiberi poſſunt conſilia, ut conſervetur. *Non poteſt principatus ſcelere quaſitus ſubita modeſtia & priſca gravitate retineri.* TACITUS *hiſtor. lib. I.* BUDÆO *in philoſophia pract. part. 3. ſect. XII. §. XXXI. §. XXXII.* videtur, domus arcana, Taciti ſtylo, tam preſſe ſumenda eſſe, ut ſaltem flagitia, quæ non publicos, ſed privatos actus attinent, ſignificent, & arcanis dominationis contradiſtingui. Econtra alii putant, fuiſſe ſynonima in bonum & malum ſenſum promiſcua, & ſtatus denotaſſe ſophismata. Sed ut verum fatear, arcanum domus in TACITO *lib. I. annal. c. 7.* adhibetur de Agrippa Augusti nepotis morte: arcanum vero dominationis *l. c. lib. II. c.* 59. vocatur, quod Auguſtus Senatoribus & equitibus romanis inluſtribus prohibuerit, Ægyptum, niſi permiſſu, ingredi, ne fame urgeret Italiam. Cæterum ejuſdem autoris ſtylo hoc ab imperii arcano non differre, ex *lib. II. c.* 36. pateſcit. Addam ſequentia ex Machiavelli *hiſtoria Florentina* lib. IV. Gli huomini grandi s'hanno a toccare, o tochi a ſpegnere. *GOEB.*

(*c*) *Quippiam*) In conventibus enim ejusmodi ſub duro tyranni jugo gementes, animos & conſilia contra vim ejus frangendam conjungere ſolent. *GOEB.*

(*d*) *Spiritus magni & fides*) PICCARTUS *p.* 814. *GOEB.*

(*e*) *Ludos literarum*) De Juliano apoſtata notum eſt, ipſum Chriſtianis omnem ludorum literariorum uſum interdixiſſe. *GOEB.*

(*f*) *Circa fores*) PICCARTUS *p.* 818. *GOEB.*

(*g*) *Hieron*) MACH. *in pr. c.* 6. *GOEB.*

(*h*) *Plebem*) PICCARTUS *p.* 820. *ſeqq.* *GOEB.*

(*i*) ἀλλὰ πάντα) Aldus non habet illud πάντα. Adſit vero, an abſit vocula, nihil refert. *CONR.*

(*k*) αἱ ποταγωγίδες) Budæus & alii contendunt legendum: οἱ ποταγωγίδαι. Et vero Plutarchus ita loquitur. Placet tamen Victorio lectio noſtra. Difficile dictu, utrum rectius. Nihil tamen in utroque aut alterutro ſitum eſt momenti. *CONR.*

(*l*) μήτε φυλακὴ) Victorius mallet ἥ τε. commodo admodum ſenſu. Attamen & ſatis ſibi conſtat doctrina, ſi retineamus μήτε. *CONR.*

Digitized by Google

ſtatur: & illis, occupatis in quotidiano victu parando, otium non ſit ad inſidias ipſis ſtruendas.

§. 16. Exemplum autem hujus ſunt *pyramides* (*a*) Ægypti: & quæ Cypſelidæ dicarunt diis: & templum, quod Olympio Jovi ædificarunt Piſiſtratidæ: & Polycratis opera, quæ Sami ſunt. Cuncta namque hæc valent idem, otio privare, & pauperes reddere, qui ſub imperio ipſorum ſunt.

§. 17. Et collocatio pecuniæ: ceu Syracuſis. quinque enim annorum ſpatio, Dionyſio dominante, univerſam rem familiarem contigit collatam eſſe.

§. 18. Serit etiam *bella* (*b*) tyrannus, ut continentibus curis premantur, & opera ducis egeant.

§. 19. Et regnum quidem conſervatur ſtudio amicorum; tyrannorum autem proprium eſt inprimis, nullam *fidem habere* (*c*) amicis, ut volentibus ſane cunctis, his autem maxime facultatem habentibus, ipſum delendi.

§. 20. Et illa, quæ geruntur a poſtremo genere ſtatus multitudinis, accommodata tyrannis cuncta ſunt.

§. 21. Et nimia poteſtas feminarum in domibus, ut conſilia virorum *nota ipſis faciant*: (*d*) & ſervorum indulgentia, eadem de cauſa. Servi enim non inſidiantur, neque mulieres tyrannis. Cum autem bene cum illis agatur, benevolos neceſſe eſt eſſe tyrannidibus & ſtatibus multitudinis.

§. 22. Populus enim ſtudet eſſe monarcha. quare aſſentator apud utrosq; in pretio eſt: apud populos quidem, qui loquitur ad voluptatem (hic eſt enim aſſentator populi) apud tyrannum autem, qui ſe cum ipſis humiliter gerunt. quod profecto eſt opus aſſentationis.

§. 23. Etenim hanc ob cauſam ſtudioſa eſt improborum hominum tyrannis: lætitia enim afficiuntur, cum vident ſibi aliquos aſſentari. Hoc autem facere nemo in animum induceret, qui *ſpiritum liberum* (*e*) habet: ſed diligunt probi viri, vel certe non adulantur: & utiles ſunt pravi ad res pravas. clavus enim clavo, ut in proverbio eſt.

§. 24. Et nullo mortali delectari, qui gravis ſit & liber, peculiare tyrannorum eſt. talem enim ſe ſolum tyrannus oportere eſſe putat. Qui autem & ipſe dignitatem tuetur, præbetque ſe liberum hominem, eripit ipſi ſummum honoris locum, & quod proprium tyrannidis eſt, quæ dominari in omni re vult. odio igitur hos habent tanquam diſſolventes poteſtatem ſuam.

§. 25. Et vocare ad epulas externos potius, quam cives, familiariterque cum ipſis vivere, eorundem inſtitutum eſt: tanquam hi ſint hoſtes, hi vero minime adverſentur ipſis.

§. 26.

φηται, καὶ πρὸς τὸ καθ' ἡμέραν ὄντες, ἄσχολοι ὦσιν ἐπιβȣλεύειν.

§. 16. Παράδειγμα δὲ τȣ́τȣ αἵ τε πυραμίδες αἱ περὶ Αἴγυπτον, καὶ τὰ ἀναθήματα τῶν Κυψελιδῶν, καὶ τȣ͂ Ὀλυμπίȣ ἡ οἰκοδόμησις ὑπὸ τῶν Πεισιστρατιδῶν, καὶ τῶν περὶ Σάμον ἔργα Πολυκράτεια· πάντα γὰρ ταῦτα δύναται ταὐτὸν ἀσχολίαν καὶ πενίαν τῶν ἀρχομένων.

§. 17. Καὶ ἡ εἰσφορὰ τῶν τελῶν· οἷον ἐν Συρακȣ́σαις· ἐν πέντε γὰρ ἔτεσιν, ἐπὶ Διονυσίȣ τὴν οὐσίαν ἅπασαν εἰσενηνοχέναι συνέβαινεν.

§. 18. Ἔστι δὲ καὶ πολεμοποιὸς ὁ τύραννος, ὅπως ἄσχολοί τε ὦσι, καὶ ἡγεμόνος ἐν χρείᾳ διατελῶσιν ὄντες.

§. 19. Καὶ ἡ μὲν βασιλεία σώζεται διὰ τῶν φίλων· τυραννικὸν δὲ τὸ μάλιστ' ἀπιστεῖν τοῖς φίλοις, ὡς βȣλομένων μὲν πάντων, δυναμένων δὲ μάλιστα τȣ́των (αὐτὸν καθελεῖν.) (*f*)

§. 20. Καὶ τὰ περὶ τὴν δημοκρατίαν δὲ γιγνόμενα τὴν τελευταίαν, τυραννικὰ πάντα.

§. 21. Γυναικοκρατία (τε) περὶ τὰς οἰκίας, ἵν' ἐξαγγέλωσι κατὰ τῶν ἀνδρῶν· καὶ δȣ́λων ἄνεσις, διὰ τὴν αὐτὴν αἰτίαν. οὔτε γὰρ ἐπιβȣλεύȣσιν οἱ δȣ͂λοι καὶ αἱ γυναῖκες τοῖς τυράννοις· εὐημεροῦντάς τε ἀναγκαῖον εὔνȣς εἶναι καὶ ταῖς τυραννίσι καὶ ταῖς δημοκρατίαις.

§. 22. Καὶ γὰρ ὁ δῆμος εἶναι βȣ́λεται μόναρχος. διὸ καὶ ὁ κόλαξ παρ' ἀμφοτέροις ἔντιμος· παρὰ μὲν τοῖς δήμοις, ὁ δημαγωγός· ἔστι γὰρ ὁ δημαγωγὸς τȣ͂ δήμȣ κόλαξ· παρὰ δὲ τοῖς τυράννοις, οἱ ταπεινῶς ὁμιλοῦντες· ὅπερ ἐστὶν ἔργον κολακείας.

§. 23. Καὶ γὰρ διὰ τȣ͂το πονηρόφιλον ἡ τυραννίς· κολακευόμενοι γὰρ χαίρȣσι. τȣ͂το δ' ȣ̓δ' ἂν εἷς ποιήσειε φρόνημα ἔχων ἐλεύθερον· ἀλλὰ φιλȣ͂σιν οἱ ἐπιεικεῖς, ἢ ȣ̓ κολακεύȣσι. καὶ χρήσιμοι οἱ πονηροὶ εἰς τὰ πονηρά· ἥλῳ γὰρ ὁ ἧλος, ὥσπερ ἡ παροιμία.

§. 24. Καὶ τὸ μηδενὶ χαίρειν σεμνῷ μηδ' ἐλευθέρῳ, τυραννικόν· αὐτὸν γὰρ εἶναι μόνον ἀξιοῖ τοιȣ͂τον ὁ τύραννος· ὁ δ' ἀντισεμνυνόμενος καὶ ἐλευθεριάζων, ἀφαιρεῖται τὴν ὑπεροχὴν καὶ τὸ δεσποτικὸν τῆς τυραννίδος. μισȣ͂σιν οὖν ὥσπερ καταλύοντας τὴν ἀρχήν.

§. 25. Καὶ τὸ χρῆσθαι συσσίτοις καὶ συνημερεύταις ξενικοῖς μᾶλλον ἢ πολιτικοῖς, τυραννικόν· ὡς τȣ̀ς μὲν, πολεμίȣς, τȣ̀ς δ', ȣ̓κ ἀντιποιȣμένȣς.

§. 26.

(*a*) *Pyramides*) PLINIUS *lib.* 36. PANCIROLLUS *tom.* I. *rer. deperdit.* PAUL. LUCAS *dans ſon voyage.* GOEB.

(*b*) *Bella*) His enim cives a perpendendis domeſticis malis abſtrahuntur. GOEB.

(*c*) *Fidem habere*) Nec ſervare MACHIAVELL. in principe c. XVIII. GOEB.

(*d*) *Nota ipſis faciant*) SUET. *in Auguſt.* c. 69. Druſi uxor, non a ſocero Tiberio, ut eſt apud PICCARTUM *ad h. c.* ſed a Sejano adulterio corrupta eſt, ut mariti conſilia ejus auſibus adverſa ipſi proderet. TACITUS *annal. lib.* 4. c. 3. GOEB.

(*e*) *Spiritum liberum*) Hoc & reliqua hujus capitis egregie illuſtrat PICCARTUS. GOEB.

(*f*) *αὐτὸν καθελεῖν*) Hæc non Victorius tantum, ſed etiam Lambinus & Giphanius agnoſcunt. Et vero facile patet, illa abeſſe non poſſe ſine ſenſus diſpendio. CONR.

§. 26. Hæc & hujuscemodi cuncta tyrannica ſunt, & conſervant poteſtatem ipſorum: nihil autem inde pravitatis abeſt.

* * * *

** **

§. 27. Sunt autem, ut ita loquar, hæc omnia tribus formis contenta. proponit enim ſibi tyrannis tria.

§. 28. Unum eorum eſt, ut quibus dominatur, verſent animo res tenues. nulli enim parvi animi homo inſidiaretur.

§. 29. Alterum autem, inter ipſos nulla fides ſit: non evertitur enim tyrannis, prius quam aliqui fidere ſibi ipſis cœperint. Qua de cauſa cum probis viris bellum gerunt, ut detrimentoſis ſuæ poteſtati: non ſolum, quia ferre non poſſunt herile imperium, verum etiam, quia fidi ſunt & ſibi ipſis & aliis: nec indicarent aut ſocios inſidiarum, aut alios.

§. 30. Tertium autem eſt, ut facultate privati ſint rerum gerendarum. nemo enim attingit, quæ fieri non poſſunt. quare neque etiam tyrannidem frangere experitur, niſi facultas ſit.

§. 31. Ad quos igitur terminos rediguntur ſtudia tyrannorum, hi tres ſunt. Cuncta enim redigeret aliquis inſtituti ipſorum ad hæc quaſi fundamenta. partim enim, ne fidant ſibi ipſis, partim autem, ne valeant, partim, ut parvos ſpiritus habeant.

§. 32. XVII. Unus igitur modus, unde ſalus exiſtit tyrannidibus, talis eſt. Alter autem ferme ab oppoſito eorum, quæ dicta ſunt, diligentiam adhibet.

§. 33. Licet autem percipere ipſum ab interitu regnorum. quemadmodum enim unus modus eſt interitus regni, efficere poteſtatem procliviorem ad tyrannidem: ſic tyrannidis incolumitas eſt, efficere ipſam magis ſimilem regno, unum duntaxat ſervantem, poteſtatem ſcilicet, ut imperium habeat non ſolum in volentes, verum etiam in nolentes. Qui enim abjicit hoc, abjicit etiam tyrannidem.

§. 34. Sed hoc quidem tanquam ſolum ac fundamentum manere oportet: cætera autem partim facere, partim videri, ſimulantem regiam perſonam callide.

§. 35. Primum igitur videri curæ habere res communes: neque pecuniam abſumentem in largitionibus hujuscemodi, quæ offendunt animos multitudinis: (cum ab ipſis capiant, in officinis ſuis aſſiduis, & minuta mercede accepta magnopere laborantibus: donent autem meretricibus & peregrinis & ſcenicis artificibus copioſe.) Atque rationem reddentem eorum, quæ accepit, & quæ expendit: quod ſane jam præſtiterunt nonnulli e tyrannis. ita enim aliquis diſpenſans res, paterfamilias, non tyrannus eſſe videbitur.

§. 36.

§. 26. Ταῦτα καὶ τὰ τοιαῦτα, τυραννικὰ μὲν, καὶ σωτήρια τῆς ἀρχῆς· οὐθὲν δ᾽ ἐλλείπει μοχθηρίας. (a)

** **

** **

§. 27. Ἔστι δ᾽, ὡς εἰπεῖν, πάντα ταῦτα περιειλημμένα τρισὶν εἴδεσι. στοχάζεται γὰρ ἡ τυραννὶς τριῶν.

§. 28. Ἑνὸς μὲν· τοῦ μικρὰ φρονεῖν τοὺς ἀρχομένους· οὐδενὶ γὰρ ἂν μικρόψυχος ἐπιβουλεύσειε.

§. 29. Δευτέρου δὲ· τοῦ διαπιστεῖν ἀλλήλοις· οὐ καταλύεται γὰρ πρότερον τυραννὶς, πρὶν ἢ πιστεύουσί τινες αὐτοῖς. διὸ καὶ τοῖς ἐπιεικέσι πολεμοῦσιν, ὡς βλαβεροῖς πρὸς τὴν ἀρχήν· οὐ μόνον διὰ τὸ μὴ ἀξιοῦν ἄρχεσθαι δεσποτικῶς, ἀλλὰ καὶ διὰ τὸ πιστοὺς καὶ ἑαυτοῖς καὶ τοῖς ἄλλοις εἶναι, καὶ μὴ καταγορεύειν μήτε ἑαυτῶν, μήτε τῶν ἄλλων.

§. 30. Τρίτον δ᾽ ἀδυναμία τῶν πραγμάτων· οὐθεὶς γὰρ ἐπιχειρεῖ τοῖς ἀδυνάτοις. ὥστε οὐδὲ τυραννίδα καταλύειν, μὴ δυνάμεως ὑπαρχούσης.

§. 31. Εἰς οὓς μὲν οὖν ὅρους ἀνάγεται τὰ βουλήματα τῶν τυράννων, οὗτοι τρεῖς τυγχάνουσιν ὄντες. πάντα γὰρ ἀναγάγοι τις ἂν τὰ τυραννικὰ πρὸς ταύτας τὰς ὑποθέσεις· τὰ μὲν, ὅπως μὴ πιστεύωσιν ἀλλήλοις· τὰ δ᾽, ὅπως μὴ δύνωνται· τὰ δ᾽, ὅπως μικρὸν φρονῶσιν.

§. 32. XVII. Ὁ μὲν οὖν εἷς τρόπος δι᾽ οὗ γίνεται σωτηρία ταῖς τυραννίσι, τοιοῦτός ἐστιν· ὁ δ᾽ ἕτερος, σχεδὸν ἐξ ἐναντίας ἔχει τοῖς εἰρημένοις τὴν ἐπιμέλειαν.

§. 33. Ἔστι δὲ λαβεῖν αὐτὸν ἐκ τῆς φθορᾶς τῆς τῶν βασιλειῶν. ὥσπερ γὰρ τῆς βασιλείας εἷς τρόπος τῆς φθορᾶς τὸ ποιεῖν τὴν ἀρχὴν τυραννικωτέραν, οὕτω τῆς τυραννίδος σωτηρία, ποιεῖν αὐτὴν βασιλικωτέραν, ἓν φυλάττοντα μόνον, τὴν δύναμιν· ὅπως ἄρχῃ μὴ μόνον βουλομένων, ἀλλὰ καὶ μὴ βουλομένων· προϊέμενος γὰρ καὶ τοῦτο, προΐεται καὶ τὸ τυραννεῖν.

§. 34. Ἀλλὰ τοῦτο μὲν, ὥσπερ ὑπόθεσιν, δεῖ μένειν. τὰ δ᾽ ἄλλα, τὰ μὲν ποιεῖν, τὰ δὲ δοκεῖν, ὑποκρινόμενον τὸ βασιλικὸν καλῶς. (b)

§. 35. Πρῶτον μὲν, δοκεῖν φροντίζειν τῶν κοινῶν· μήτε δαπανῶντα δωρεὰς τοιαύτας, ἐφ᾽ αἷς τὰ πλήθη χαλεπαίνουσιν, (ὅταν ἀπ᾽ αὐτῶν μὲν λαμβάνωσιν ἐργαζομένων καὶ πονούντων γλίσχρως, (c) διδῶσι δ᾽ ἑταίραις καὶ ξένοις καὶ τεχνίταις ἀφθόνως·) λόγον τε ἀποδιδόντα τῶν λαμβανομένων καὶ δαπανωμένων· ὅπερ ἤδη πεποιήκασί τινες τῶν τυράννων· οὕτω γὰρ ἄν τις διοικῶν, οἰκονόμος, ἀλλ᾽ οὐ τύραννος εἶναι δόξει.

§. 36.

(a) οὐθὲν δ᾽ ἐλλείπει μοχθηρίας) Hæc verba poſſent commode abeſſe. Si autem toleranda ſunt, neceſſum eſt quædam deeſſe, etſi pauca. Nec enim ſimpliciter verum eſt, nihil improbitatis abeſſe ab illa ratione conſervandæ tyrannidis: utique enim in univerſum debent tyranni abſtinere a contumelia & ſimilibus injuriis. CONR.

(b) τὸ βασιλικὸν) Aldus τὸν βασιλικὸν: non male: nam & alibi ita loquitur Ariſtoteles. Nemo vero etiam improbaverit lectionem receptam. CONR.

(c) καὶ πονούντων γλίσχρως) Lambinus corrigit: καὶ ζώντων γλίσχρως. Forte trajectio hic eſt vocabulorum, ſcribendumque: ἀπ᾽ αὐτῶν μὲν ἐργαζομένων καὶ πονούντων λαμβάνωσιν γλίσχρως. ut γλίσχρως hic ſit usque ad teruncium, & opponatur, ἀφθόνως. CONR.

Digitized by Google

§. 36. Non opus eſt autem metuere, ne aliquando deſit pecunia, cum ſit dominus civitatis.

§. 36. Οὐ δεῖ δὲ φοβεῖσθαι μή ποτε ἀπορήσῃ χρημάτων, κύριος ὢν τῆς πόλεως.

§. 37. Sed etiam longe a domo degentibus tyrannis hoc profuerit magis, quam relinquere pecunias, quas antea coëgerint: minus enim cuſtodes tyrannidis inſidiabantur poteſtati eorum. Sunt autem magis tyrannis peregrinantibus formidandi, qui tuentur dominatum, quam cives: hos namque una ſecum ducunt, hi vero vicem illorum ſubeunt.

§. 37. Ἀλλὰ τοῖς γ' ἐκτοπίζουσι τυράννοις ἀπὸ τῆς οἰκίας, καὶ συμφέροι τοῦτο (*b*) μᾶλλον, ἢ καταλιπεῖν ἀθροίσαντας· ἧττον γὰρ ἂν οἱ φυλάττοντες ἐπιτιθεῖντο τοῖς πράγμασιν. εἰσὶ δὲ φοβερώτεροι τῶν τυράννων τοῖς ἀποδημοῦσιν οἱ φυλάττοντες τῶν πολιτῶν· οἱ μὲν γὰρ, συναποδημοῦσιν· οἱ δὲ, ὑπομένουσιν. (*c*)

§. 38. Deinde ſumptuoſa munera collationesque opus eſt videri eum cogentem, ob reipublicæ adminiſtrationem, & ſi aliquando opus fuerit, ut ſerviant temporibus belli.

§. 38. Ἔπειτα τὰς εἰσφορὰς καὶ τὰς λειτουργίας δεῖ φαίνεσθαι τῆς τε οἰκονομίας ἕνεκα συνάγοντα· κἄν ποτε δεηθῇ χρῆσθαι πρὸς τοὺς πολεμικοὺς καιρούς.

§. 39. Demumque ſe oſtendere cuſtodem ipſarum & quæſtorem, ut publicarum, & non ut ſuarum ac propriarum.

§. 39. Ὅλως τε αὑτὸν παρασκευάζειν φύλακα καὶ ταμίαν ὡς κοινῶν, ἀλλὰ μὴ ὡς ἰδίων.

§. 40. Et ſpeciem præ ſe ferre, non difficilis hominis & aſperi, ſed gravis & ſeveri.

§. 40. Καὶ φαίνεσθαι μὴ χαλεπὸν, ἀλλὰ σεμνόν.

§. 41. Præterea autem hujuscemodi, ut non metuant, qui congrediuntur cum ipſo, ſed potius vereantur. Hoc autem arduum eſt adipiſci, ſi fuerit contemnendus.

§. 41. Ἔτι δὲ τοιοῦτον, ὥστε μὴ φοβεῖσθαι τοὺς ἐντυγχάνοντας, ἀλλὰ μᾶλλον αἰδεῖσθαι. τούτου μέν τοι τυγχάνειν οὐ ῥᾴδιον, ὄντα εὐκαταφρόνητον.

§. 42. Quapropter opus eſt, ut ſi aliis virtutibus minime ſtuduerit, civili facultati deditus ſit, & inſerere in animos civium hujuscemodi de ſe opinionem.

§. 42. Διὸ δεῖ, κἂν μὴ τῶν ἄλλων ἀρετῶν ἐπιμέλειαν ποιῆται, ἀλλὰ τῆς πολιτικῆς, καὶ δόξαν ἐμποιεῖν περὶ αὑτοῦ τοιαύτην.

§. 43. Amplius autem non ſolum ipſum perſpici neminem civem contumelia vexantem, neq; puerum, neque virginem, ſed etiam nullum familiarium ipſius.

§. 43. Ἔτι δὲ, μὴ μόνον αὐτὸν φαίνεσθαι μηδένα τῶν ἀρχομένων ὑβρίζοντα, μήτε νέον, μήτε νέαν, ἀλλὰ μηδ' ἄλλον μηδένα τῶν περὶ αὐτόν.

§. 44. Eodemque pacto ſe gerere ſuas mulieres erga alias. quoniam propter feminarum etiam contumelias multæ tyrannides everſæ ſunt.

§. 44. Ὁμοίως δὲ καὶ τὰς οἰκείας ἔχειν γυναῖκας πρὸς τὰς ἄλλας· ὡς καὶ διὰ γυναικῶν ὕβρεις πολλαὶ τυραννίδες ἀπολώλασι.

§. 45. Et quod pertinet ad corporis voluptates, contrarium facere, quam nunc quidam e tyrannis faciunt. (Non enim tantum ſtatim a mane hoc faciunt, & continenter quidem multos dies: verum etiam aliis videri volunt hoc gerentes, ut tanquam beatos & deorum vitam pene conſecutos, eos admirentur.) Atqui inprimis deceret, ſe moderate gerere in hujuscemodi rebus.

§. 45. Περί τε τὰς ἀπολαύσεις τὰς σωματικὰς τοὐναντίον ποιεῖν ἢ νῦν τινες τῶν τυράννων ποιοῦσιν. (οὐ γὰρ μόνον (*d*) εὐθὺς ἕωθεν τοῦτο δρῶσι καὶ συνεχῶς πολλὰς ἡμέρας, ἀλλὰ καὶ φαίνεσθαι τοῖς ἄλλοις βούλονται τοῦτο πράττοντες, ἵν' ὡς εὐδαίμονας καὶ μακαρίους θαυμάσωσιν.) ἀλλὰ μάλιστα μὲν μετριάζειν τοῖς τοιούτοις.

§. 46. Si autem non, intelligi cæteris fugere ac vitare. neque enim facile inſidiis captari poteſt, neque contemptui eſſe homo ſobrius, ſed temulentus: neque vigil, ſed qui dormit.

§. 46. Εἰ δὲ μὴ, τό γε φαίνεσθαι τοῖς ἄλλοις διαφεύγειν. οὔτε γὰρ εὐεπίθετος, οὔτ' εὐκαταφρόνητος ὁ νήφων, ἀλλ' ὁ μεθύων· οὐδ' ὁ ἄγρυπνος, ἀλλ' ὁ καθεύδων.

§. 47. Contrariumque faciendum eſt eorum, quæ olim dicta ſunt ferme omnium: conſtruere enim & ornare civitatem oportet, ut tutorem exiſtentem, & non tyrannum.

§. 47. Τοὐναντίον τε ποιητέον τῶν πάλαι λεχθέντων σχεδὸν πάντων. κατασκευάζειν γὰρ δεῖ καὶ κοσμεῖν τὴν πόλιν, ὡς ἐπίτροπον ὄντα, καὶ μὴ τύραννον.

§. 48. Adhuc autem & erga deos *videri* (*a*) ſemper ſtudium ponentes eximie. Minus enim metuunt accipere aliquid injuſti facti ab hujuscemodi, ſi religioſum exiſtimaverint eſſe principem, & curam deorum gerere. Et minus

§. 48. Ἔτι δὲ τὰ πρὸς τοὺς θεοὺς φαίνεσθαι ἀεὶ σπουδάζοντα διαφερόντως. ἧττόν τε γὰρ φοβοῦνται τὸ παθεῖν τι παράνομον ὑπὸ τῶν τοιούτων, ἐὰν δεισιδαίμονα νομίζωσιν εἶναι τὸν ἄρχοντα, καὶ φροντίζειν τῶν θεῶν· καὶ ἐπιβουλεύουσιν ἧττον, ὡς συμ-

(*a*) *Videri*) PICCARTUS *p.* 841. MACHIAVELLUS *in principe c.* 18. & AMELOT *in notis.* *GOEB.*

(*b*) καὶ συμφέροι τοῦτο) καὶ abundat. *CONR.*

(*c*) οἱ δὲ ὑπομένουσι) Aldus ὑπολαμβάνουσι. Sed noſtrum rectius opponitur illi: συναποδημοῦσιν. *CONR.*

(*d*) οὐ γὰρ μόνον) Incluſimus illa ut in parentheſi collocata. *CONR.*

minus ipſi inſidiantur, ut ſocios habenti quique auxilium laturi ſint, deos. decet autem talem videri citra ſuperſtitionem.

συμμάχους ἔχοντι καὶ τοὺς θεούς. δεῖ δ᾽ ἄνευ ἀβελτηρίας φαίνεσθαι τοιοῦτον.

§. 49. Atque eos, qui boni ſunt aliqua in re, ſic honorare, ut non arbitrentur, ſe unquam a ſuis civibus magis honoratum iri, ſi liberi forent.

§. 49. Τοὺς τε ἀγαθοὺς, περί τι γιγνομένους τιμᾷν οὕτως, ὥςε μὴ νομίζειν ἄν ποτε τιμηθῆναι μᾶλλον ὑπὸ τῶν πολιτῶν (c) αὐτονόμων ὄντων.

§. 50. Et hujuscemodi honores tribuere ipſum: animadverſiones autem in eos, qui deliquerint, ab aliis, qui poteſtatem ejus rei habeant, & a curiis proficiſci.

§. 50. Καὶ τὰς μὲν τοιαύτας τιμὰς ἀπονέμειν αὐτόν· τὰς δὲ κολάσεις δι᾽ ἑτέρων ἀρχόντων καὶ δικαςηρίων.

§. 51. Communis autem cuſtodia omnis imperii unius, neminem efficere *unum magnum*, (*a*) aut certe plures: ſervabunt enim ſe mutuo.

§. 51. Κοινὴ δὲ φυλακὴ πάσης μοναρχίας, τὸ μηθένα ποιεῖν ἕνα μέγαν· ἀλλ᾽ εἴπερ, πλείους. τηρήσουσι γὰρ ἀλλήλους.

§. 52. Quod ſi unum oportuerit magnum facere, nullo modo, qui ſit ingenio audax: hujuſcemodi enim ingenium indoleſque in omnibus factis eſt prona ad invadendum.

§. 52. Ἐὰν δ᾽ ἄρα τινὰ δέῃ ποιῆσαι μέγαν, μή τοι τό γε ἦθος θρασύν· ἐπιθετικώτατον γὰρ τὸ τοιοῦτον ἦθος περὶ πάσας τὰς πράξεις.

§. 53. Et ſi viſum fuerit cujuſpiam poteſtatem diſſolvere, paulatim hoc facere, & non omnem ſimul ei auctoritatem eripere.

§. 53. Κἂν τῆς δυνάμεώς τινα δοκῇ παραλύειν, ἐκ προσαγωγῆς τοῦτο δρᾷν, καὶ μὴ πᾶσαν ἀθρόον ἀφαιρεῖσθαι τὴν ἐξουσίαν.

§. 54. Adhuc autem ab omni contumelia ſibi temperare: præter cæteras autem a duabus, a *corporibus cædendis*, (*b*) & flore ætatis dehoneſtando. Maxime autem hanc cautionem adhibere debet in illos, qui ſunt ſtudioſi honoris. ſe namque parvi duci in ſpoliatione bonorum, graviter ferunt avari: contemptum vero, qui ab ignominia proficiſcitur, non ferunt ambitioſi, neque probi viri.

§. 54. Ἔτι δὲ, πάσης μὲν ὕβρεως εἴργεσθαι· παρὰ πάσας δὲ δυοῖν, τῆς τε εἰς τὰ σώματα κολάσεως, καὶ τῆς εἰς τὴν ἡλικίαν. μάλιςα δὲ ταύτην ποιητέον τὴν εὐλάβειαν περὶ τοὺς φιλοτίμους. τὴν μὲν γὰρ εἰς τὰ χρήματα ὀλιγωρίαν, οἱ φιλοχρήματοι φέρουσι βαρέως· τὴν δὲ εἰς ἀτιμίαν, οἵ τε φιλότιμοι καὶ οἱ ἐπιεικεῖς τῶν ἀνθρώπων.

§. 55. Quapropter ſive hujuſcemodi factis uti non oportet, ſive verbera videri inflixiſſe more parentum, & minime ob contemptum: Conſuetudines autem, quæ incurrunt in florentes ætate, amoris cauſa, & non ob poteſtatem.

§. 55. Διόπερ ἢ μὴ χρῆσθαι δεῖ τοῖς τοιούτοις, ἢ τὰς μὲν κολάσεις πατρικῶς φαίνεσθαι ποιούμενον, καὶ μὴ δι᾽ ὀλιγωρίαν· τὰς δὲ πρὸς τὴν ἡλικίαν ὁμιλίας, δι᾽ ἐρωτικὰς αἰτίας, ἀλλὰ μὴ δι᾽ ἐξουσίαν.

§. 56. Demumque, quæ ſpeciem habent ignominiæ, redimere majoribus honoribus.

§. 56. Ὅλως δὲ τὰς δοκούσας ἀτιμίας ἐξωνεῖσθαι μείζοσι τιμαῖς.

§. 57. XIIX. Ex iis autem, qui inſidiantur corpori vitæque tyrannorum, hi maxime ſunt metuendi, & egent plurima cuſtodia, quicunque non curant tueri vitam, ſi modo cædem patrarint.

§. 57. XIIX. Τῶν δ᾽ ἐπιχειρούντων ἐπὶ τὴν τοῦ σώματος διαφθορὰν, οὗτοι φοβερώτατοι, καὶ δέονται πλείςης φυλακῆς, ὅσοι μὴ προαιροῦνται περιποιεῖσθαι τὸ ζῆν διαφθείραντες.

§. 58. Quare maxime oportet cavere eos, qui exiſtimant contumelia vexatos, aut ſe ipſos, aut eos, qui curæ ipſis ſunt. Abjecerunt enim cogitationem ſui, qui ira incenſi inſidiantur: ut Heraclitus etiam ſignificat, arduum eſſe affirmans, adverſus iram præliari, animo namque emi.

§. 58. Διὸ μάλιςα εὐλαβεῖσθαι δεῖ τοὺς ὑβρίζεσθαι νομίζοντας, ἢ αὐτοὺς, ἢ ὧν κηδόμενοι τυγχάνουσιν· ἀφειδῶς γὰρ ἑαυτῶν ἔχουσιν οἱ διὰ θυμὸν ἐπιχειροῦντες· καθάπερ καὶ Ἡράκλειτος εἶπε, χαλεπὸν φάσκων εἶναι θυμῷ μάχεσθαι· ψυχῆς γὰρ ὠνεῖσθαι. (*d*)

§. 59. Quia autem civitates duabus conſtant partibus, ex hominibus pauperibus, & e divitibus: maxime quidem utraſque exiſtimare oportet ſalutem accipere a principatu: operaque ipſius fieri, ne mutuo ſibi injurias faciant.

§. 59. Ἐπεὶ δ᾽ αἱ πόλεις ἐκ δύο συνεςήκασι μορίων, ἔκ τε τῶν ἀπόρων ἀνθρώπων, καὶ τῶν εὐπόρων, μάλιςα μὲν ἀμφοτέρους ὑπολαμβάνειν δεῖ σώζεσθαι διὰ τὴν ἀρχὴν, καὶ τοὺς ἑτέρους ὑπὸ τῶν ἑτέρων ἀδικεῖσθαι μηδέν.

§. 60. Et utri ipſorum firmiores extiterint, hos maxime reddere proprios principatus. Quoniam ſi in rebus ipſius hoc exſtiterit, non neceſſe

§. 60. Ὁπότεροι δ᾽ ἂν ὦσι κρείττους, τούτους ἰδίους μάλιςα ποιεῖσθαι τῆς ἀρχῆς· ὡς, ἂν ὑπάρξῃ τοῦτο τοῖς πράγμασιν, οὔτε δούλων ἐλευθέρωσιν ἀνάγκη

(*a*) *Unum magnum*) PICCARTUS *p.* 845. Hoc errore lapſus eſt Tiberius, qui unum Sejanum ſibi omnium ſecretorum conſtituit arbitrum ſocium. TACITUS *lib. IV. annal. c. I. ſeq. Non deve il prencipe mettere in mano di un ſuo miniſtro tutto il governo del ſtato, & dargli tutta l' autorità ſua, percioche vinto da qualche. paſſione potra rouinare ſuoi affari.* GUICC. *lib.* 3. *GOEB.*

(*b*) *Corporibus cædendis*) Druſo Tiberii filio mortem haud dubie approperavit, quod Sejano manus intenderat, & contra tendentis os verberaverat. TACITUS *annal. lib. IV. c.* 3. 8. Quanti Franciſco I. Galliæ regi alapa Borboniæ duci inflicta conſtiterit, ex Francicis conſtat annalibus. *GOEB.*

(*c*) ὑπὸ τῶν πολιτῶν) Forte deeſt poſt ὑπὸ, τῶν ἀρχόντων. Ut ſenſus ſit. *Ut exiſtiment, non magis honorari ſeſe poſſe a magiſtratibus, etſi cives ipſi fuerint liberi. CONR.*

(*d*) ὠνεῖσθαι) Planius ὠνεῖται, prout legitur etiam l. 2. Eudemior. cap. 7. *CONR.*

ſe erit tyrannum ſervos liberare, & civibus arma demere: ſatis enim erit altera pars poteſtati ipſius adjuncta, ut firmiores ſint illis, qui inſidiantur.

ἀνάγκη ποιεῖσθαι τὸν τύραννον, ὅτε ὅπλων παραίρεσιν· ἱκανὸν γὰρ θάτερον μέρος πρὸς τῇ δυνάμει προστιθέμενον, ὥστε κρείττους εἶναι τῶν ἐπιτιθεμένων.

§. 61. Supervacaneum autem eſſet exponere ſingillatim omnia hæc. Propoſitum namque manifeſtum eſt, oportere non tyrannicum, ſed patremfamilias & regalem eſſe videri iis, qui in poteſtate ipſius ſunt: & non extortorem bonorum, ſed tutorem: & vitæ mediocritatem perſequi, non exuperantiam. Adhuc autem conſuetudine conciliare ſibi claros viros, multitudini autem blandiri.

§. 61. Περίεργον δὲ τὸ λέγειν καθ' ἕκαστον τῶν τοιούτων. ὁ γὰρ σκοπὸς φανερὸς, ὅτι δεῖ μὴ τυραννικὸν, ἀλλ' οἰκονόμον καὶ βασιλικὸν εἶναι φαίνεσθαι τοῖς ἀρχομένοις· καὶ μὴ σφετεριστὴν ἀλλ' ἐπίτροπον· καὶ τὰς μετριότητας τοῦ βίου διώκειν μὴ τὰς ὑπερβολάς. ἔτι δὲ τοὺς μὲν γνωρίμους καθομιλεῖν, τοὺς δὲ πολλοὺς δημαγωγεῖν.

§. 62. Ex ipſis enim neceſſe erit, non ſolum principatum eſſe honeſtiorem, & quem magis merito æmulentur: quoniam imperium habebit in meliores, & non humilis & demiſſi animi: & ipſum non odio haberi, neque metui, ſed etiam principatum eſſe diuturniorem.

§. 62. Ἐκ γὰρ τούτων ἀναγκαῖον, οὐ μόνον τὴν ἀρχὴν εἶναι καὶ καλλίω καὶ ζηλωτοτέραν, τῷ βελτιόνων ἄρχειν, καὶ μὴ τεταπεινωμένων· μηδὲ μισούμενον καὶ φοβούμενον διατελεῖν· ἀλλὰ καὶ τὴν ἀρχὴν εἶναι πολυχρονιωτέραν.

§. 63. Præterea ipſum affectum eſſe moribus, ſive probe ad virtutem, ſive dimidia ſui parte *probum*: (a) & non pravum, ſed dimidia ſui parte pravum.

§. 63. Ἔτι δ' αὐτὸν διακεῖσθαι κατὰ τὸ ἦθος, ἤτοι καλῶς πρὸς ἀρετὴν, ἢ ἡμίχρηστον ὄντα· καὶ μὴ πονηρὸν, ἀλλ' ἡμιπόνηρον.

# CAP. XII.

§. 1.

XIX. Atqui ex omnibus rebuspublicis breviori tempore manent dominatus paucorum, & *tyrannis*. (b)

XIX. Καί τοι πασῶν ὀλιγοχρονιώτεραι τῶν πολιτειῶν εἰσιν, ὀλιγαρχία καὶ τυραννίς.

§. 2. Plurimo enim tempore ſuperſtes fuit, quæ Sicyone extitit tyrannis filiorum Orthagoræ, & ipſius Orthagoræ. permanſit enim annos centum. Hujus autem cauſa fuit, quia erga eos, qui in ditione ipſorum erant, ſe moderate gerebant, & multis in rebus legibus ſerviebant: & quia Cliſthenes militaris homo fuit, non erat contemnendus: cunctique ſtudiis ſuis & artibus multis virtutibus gratioſi fiebant apud populum. Fertur igitur Cliſthenes capiti ejus, qui in judicio de victoria parta, ipſum inde rejecerat, coronam impoſuiſſe: nonnullique imaginem ajunt eſſe ejus, qui ita ſententiam tulit, ſtatuam, quæ collocata eſt in foro. Ajunt autem & Piſiſtratum paruiſſe aliquando, cum vocatus eſſet ad cauſam dicendam apud Ariopagum.

§. 2. Πλεῖστον γὰρ ἐγένετο χρόνον ἡ περὶ Σικυῶνα τυραννὶς, ἡ τῶν Ὀρθαγόρου παίδων, καὶ αὐτοῦ Ὀρθαγόρου· ἔτη δ' αὕτη διέμεινεν ἑκατόν. τούτου δ' αἴτιον, ὅτι τοῖς ἀρχομένοις ἐχρῶντο μετρίως, καὶ πολλὰ τοῖς νόμοις ἐδούλευον. καὶ διὰ τὸ πολεμικὸς γενέσθαι Κλεισθένης, οὐκ ἦν εὐκαταφρόνητος. καὶ τὰ πολλὰ ταῖς ἐπιμελείαις ἐδημαγώγουν. λέγεται γοῦν Κλεισθένης, τὸν ἀποκρίναντα τῆς νίκης αὐτὸν, ὡς ἐστεφάνωσεν· ἔνιοι δ' εἰκόνα φασὶν εἶναι τοῦ κρίναντος οὕτω, τὸν ἀνδριάντα τὸν ἐν τῇ ἀγορᾷ καθήμενον. φασὶ δὲ καὶ Πεισίστρατον ὑπομεῖναί ποτε προσκληθέντα δίκην εἰς Ἄρειον πάγον.

§. 3. Secunda autem Corinthi Cypſelidarum: etenim hæc permanſit annos ſeptuaginta tres & menſes ſex. Cypſelus namque tyrannus fuit annis triginta. Periander autem quadraginta quatuor. Pſammetichus vero Gordiæ filius annis tribus. Cauſæ autem eædem hujus rei fuere. Cypſelus enim popularis homo fuit, & in dominatu illo ſuo ſine ſpiculatoribus vixit: Periander autem tyrannicus ſane fuit, verum militaris homo.

§. 3. Δευτέρα δὲ περὶ Κόρινθον ἡ τῶν Κυψελιδῶν· καὶ γὰρ αὕτη διετέλεσεν ἔτη τρία καὶ ἑβδομήκοντα, (c) καὶ ἓξ μῆνας. Κύψελος μὲν γὰρ ἐτυράννησεν ἔτη τριάκοντα· Περίανδρος δὲ τετταράκοντα καὶ τέτταρα· Ψαμμήτιχος δ' ὁ Γορδίου τρία ἔτη. τὰ δ' αἴτια, ταὐτὰ καὶ ταύτης. ὁ μὲν γὰρ Κύψελος, δημαγωγὸς ἦν, καὶ κατὰ τὴν ἀρχὴν διετέλεσεν ἀδορυφόρητος· Περίανδρος δ', ἐγένετο μὲν τυραννικὸς, ἀλλὰ πολεμικός.

§. 4. Tertia autem Piſiſtratidarum Athenis: non fuit autem continens. Bis enim exactus eſt Piſiſtratus, cum jam regnare cœpiſſet. Quare ſpatio annorum triginta & trium, dominatus eſt annos ſeptendecim: filii autem ipſius decem & octo. quapropter cuncti extitere anni triginta & quinque.

§. 4. Τρίτη δ' ἡ τῶν Πεισιστρατιδῶν Ἀθήνησιν· οὐκ ἐγένετο δὲ συνεχής· δὶς γὰρ ἔφυγε Πεισίστρατος τυραννῶν. ὥστε ἐν ἔτεσι τριάκοντα καὶ τρισὶν, ἑπτακαίδεκα ἔτη τούτων ἐτυράννευσεν· ὀκτωκαίδεκα δὲ οἱ παῖδες. ὥστε τὰ πάντα ἐγένετο ἔτη τριάκοντα καὶ πέντε.

§. 5. §. 5.

(a) *Probum*) PICCARTUS *p.* 851. *GOEB.*

(b) *Tyrannis*) Atque illi, quamvis ſervitio ſueti, patientiam abrumpunt. TACITUS *annal.* 12. *GOEB.*

(c) ἔτη τρία καὶ ἑβδομήκοντα) Aut hic, aut in deſignatione temporis, quod exegerunt reges ſinguli, vitium eſt. Ubi lateat, non eſt meum affirmare. *CONR.*

§. 5. E reliquis autem, tyrannis Hieronis & Gelonis Syracuſis: annos autem ne hæc quoque multos permanſit, verum ſimul omnes duodeviginti. Gelo namque ſeptem dominatus eſt, octavo autem vitam amiſit: decem autem Hieron: Thraſybulus autem undecimo menſe dominatu excidit.

§. 6. Multæ autem tyrannides exiguo admodum tempore perdurant.

§. 7. Quæ igitur pertinent ad reſpublicas, nec non quæ ad imperia ſingulorum: quorum vi intereunt, & rurſus conſervantur, ferme dictum eſt de omnibus.

§. 8. XX. In republica autem *Platonis* (*a*) dicitur quidem a Socrate de mutationibus rerumpublicarum, non tamen dicitur recte. Cum enim ſit optima reſpublica & prima, non tradit mutationem ipſius proprie.

§. 9. Inquit enim cauſam hujus eſſe, quod nihil ſuo ſtatu manet, ſed quodam ambitu temporis mutatur. Principium autem horum eſſe dicit ea, quorum ſeſquitertius fundus quinario conjunctus duos conficit concentus: intelligens, quando deſcriptionis hujus numerus fuit ſolidus; tanquam natura aliquando gignat pravos homines, & qui non poſſint diſciplina corrigi.

§. 10. Hoc utique ipſum fortaſſe dicens non male: contingit enim exiſtere quosdam, qui inſtitui & fieri ſtudioſi viri non poſſint.

§. 11. Verum hæc quomodo propria mutatio eſſet ejus, quæ ab eo dicitur, optimæ reipublicæ magis, quam cæterarum omnium, & cunctarum rerum, quæ oriuntur?

§. 12. Et tempore, vi cujus dicit omnia mutari, & ea quoque, quæ non ſimul cœpta ſunt fieri, ſimul mutantur: ceu, ſi priore die natus eſt flexionis ſolis. ſimul igitur mutabitur.

§. 13. Præter hæc, quam ob cauſam ex hac in Laconicam mutatur? cunctæ namque reſpublicæ crebrius *in contrarium* (*b*) mutantur, quam in eam, quæ prope eſt.

§. 14. Eadem autem ratio etiam eſt aliarum mutationum. e Laconica enim (inquit) mutatur in dominatum paucorum: ex hoc autem in ſtatum multitudinis: ex hoc vero in tyrannidem. atqui & contra mutantur: ceu e populo in dominatum paucorum, & magis quam in imperium unius.

§. 15. Amplius autem tyrannidis non dicit, neque an erit mutatio: neque ſi non erit, quam ob cauſam id fiat: & in qualem rempublicam. Hujus autem rei cauſa eſt, quod non facile poterat dicere (indefinitum enim eſt) quia ut eſt ſententia illius, oportet in primam & optimam: ſic enim factus eſſet continens & circulus.

§. 16. Sed mutatur etiam in tyrannidem tyrannis, quemadmodum quæ Sicyone extitit e Myronis in Cliſthenis: atque in dominatum paucorum, quemadmodum quæ in Chalcide Anti-

§. 5. Τῶν δὲ λοιπῶν, ἡ περὶ Ἱέρωνα καὶ Γέλωνα περὶ Συρακούσαις. (*c*) ἔτη δ' οὐδ' αὕτη πολλὰ διέμεινεν, ἀλλὰ τὰ σύμπαντα δυοῖν δέοντα εἴκοσι. Γέλων μὲν γὰρ, ἑπτὰ τυραννεύσας, τῷ ὀγδόῳ τὸν βίον ἐτελεύτησε· δέκα δ', Ἱέρων· Θρασύβουλος δὲ, τῷ ἑνδεκάτῳ μηνὶ ἐξέπεσεν.

§. 6. Αἱ δὲ πολλαὶ τῶν τυραννίδων ὀλιγοχρόνιαι πᾶσαι γεγόνασι παντελῶς.

§. 7. Τὰ μὲν οὖν περὶ τὰς πολιτείας, καὶ τὰ περὶ τὰς μοναρχίας, ἐξ ὧν τε φθείρονται, καὶ πάλιν σώζονται, σχεδὸν εἴρηται περὶ πάντων.

§. 8. XX. Ἐν δὲ τῇ Πολιτείᾳ (*d*) λέγεται μὲν περὶ τῶν μεταβολῶν ὑπὸ τοῦ Σωκράτους· οὐ μέν τοι λέγεται καλῶς· τῆς τε γὰρ ἀ[illegible]της πολιτείας καὶ πρώτης οὔσης, οὐ λέγει τὴν μεταβολὴν ἰδίως.

§. 9. Φησὶ γὰρ, αἴτιον εἶναι τὸ μὴ μένειν μηθὲν, ἀλλ' ἔν τινι περιόδῳ μεταβάλλειν. ἀρχὴν δ' εἶναι τούτων, ὧν ἐπίτριτος πυθμὴν πεμπάδι συζυγεὶς δύο ἁρμονίας παρέχεται· λέγων, ὅταν ὁ τοῦ διαγράμματος ἀριθμὸς τούτου γένηται στερεὸς, ὡς τῆς φύσεώς ποτε φυούσης φαύλους καὶ κρείττους τῆς παιδείας.

§. 10. Τοῦτο μὲν οὖν αὐτὸ λέγων ἴσως οὐ κακῶς· ἐνδέχεται γὰρ εἶναί τινας, οὓς παιδευθῆναι καὶ γενέσθαι σπουδαίους ἄνδρας ἀδύνατον.

§. 11. Ἀλλ' αὕτη τί ἂν ἴδιος εἴη μεταβολὴ τῆς ὑπ' ἐκείνου λεγομένης ἀρίστης πολιτείας μᾶλλον, ἢ τῶν ἄλλων πασῶν, καὶ τῶν γιγνομένων πάντων;

§. 12. Καὶ διά τε τοῦ χρόνου, δι' ὃν λέγει πάντα μεταβάλλειν, καὶ τὰ μὴ ἅμα ἀρξάμενα γίγνεσθαι, ἅμα μεταβάλλει· οἷον, εἰ τῇ προτέρᾳ ἐγένετο τῆς τροπῆς, ἅμα ἄρα μεταβάλλει.

§. 13. Πρὸς δὲ τούτοις διὰ τίν' αἰτίαν ἐκ ταύτης εἰς τὴν Λακωνικὴν μεταβάλλει; πλεονάκις γὰρ εἰς τὴν ἐναντίαν μεταβάλλουσι πᾶσαι αἱ πολιτεῖαι, ἢ (εἰς) (*e*) τὴν σύνεγγυς.

§. 14. Ὁ δ' αὐτὸς λόγος καὶ περὶ τῶν ἄλλων μεταβολῶν. ἐκ γὰρ τῆς Λακωνικῆς, φησὶ, μεταβάλλει εἰς τὴν ὀλιγαρχίαν· ἐκ δὲ ταύτης, εἰς δημοκρατίαν· εἰς τυραννίδα δὲ, ἐκ δημοκρατίας. καί τοι καὶ ἀνάπαλιν μεταβάλλουσιν· οἷον, ἐκ δήμου εἰς ὀλιγαρχίαν· καὶ μᾶλλον ἢ εἰς μοναρχίαν.

§. 15. Ἔτι δὲ τυραννίδος οὐ λέγει, οὔτ' εἰ ἔσται μεταβολὴ, οὔτ' εἰ μὴ ἔσται, διὰ τίν' αἰτίαν, (*f*) καὶ εἰς ποίαν πολιτείαν. τούτου δ' αἴτιον, ὅτι οὐ ῥᾳδίως ἂν εἶχε λέγειν· ἀόριστον γάρ· ἐπεὶ κατ' ἐκεῖνον δεῖ εἰς τὴν πρώτην καὶ τὴν ἀρίστην· οὕτω γὰρ ἂν ἐγίγνετο συνεχὲς (*g*) καὶ κύκλος.

§. 16. Ἀλλὰ μεταβάλλει καὶ εἰς τυραννίδα τυραννὶς ὥσπερ ἡ Σικυῶνος ἐκ τῆς Μύρωνος εἰς τὴν Κλεισθένους. καὶ εἰς ὀλιγαρχίαν· ὥσπερ ἡ ἐν Χαλκίδι, ἡ Ἀντιλέοντος. καὶ εἰς δημοκρατίαν· ὥσπερ ἡ τοῦ Γέλωνος (*h*) ἐν Συρα-

(*a*) *Platonis*) In hoc capite Platonis ſententiam de mutatione rerumpublicarum refutat. *GOEB.*

(*b*) *In contrarium*) PICCARTUS *p.* 858. *ſeqq.* *GOEB.*

(*c*) Περὶ Συρακούσαις) Forte ſcribendum παρὰ. *CONR.*

(*d*) ἐν δὲ τῇ πολιτείᾳ) τῇ τοῦ Πλάτωνος Πολιτείᾳ habet Aldina editio. Idque indubie rectius. *CONR.*

(*e*) εἰς) Illud εἰς debetur emendationi Zvvingeri. *CONR.*

(*f*) διὰ τίν' αἰτίαν) Caſaubonus ſuſpicatur ſcribendum: οὔτ' εἰ ἔσαι, διὰ τίν' αἰτίαν. *CONR.*

(*g*) συνεχὲς) Caſaubono placet τὸ συνεχές. Optime. *CONR.*

(*h*) ἡ τοῦ Γέλωνος) Camerarius & Zvvingerus habent: ἡ τῶν Γέλωνος i. e. Gelonis ſucceſſorum. Lectio recepta ſatis proba eſt. *CONR.*

Digitized by Google

Antileontis tyrannis: & in ſtatum multitudinis, quemadmodum Gelonis tyrannis Syracuſis: & in ſtatum optimorum, quemadmodum tyrannis Charilai Lacedæmone & Carthagine.

Συρακούσαις· καὶ εἰς ἀριστοκρατίαν· ὥσπερ ἡ Χαριλάου ἐν Λακεδαίμονι, καὶ ἐν Καρχηδόνι.

§. 17. Et in tyrannidem mutatur e dominatu paucorum: quemadmodum in Sicilia ferme magna pars veterum tyrannidum: apud Leontinos in Panætii tyrannidem: & Gelæ in Cleandri: & Rhegii in Anaxilai: & in aliis multis civitatibus eodem pacto.

§. 17. Καὶ εἰς τυραννίδα μεταβάλλει ἐξ ὀλιγαρχίας· ὥσπερ ἐν Σικελίᾳ σχεδὸν αἱ πλεῖσται τῶν ἀρχαίων· ἐν Λεοντίνοις, εἰς τὴν Παναιτίου τυραννίδα· καὶ ἐν Γέλᾳ, εἰς τὴν Κλεάνδρου· καὶ ἐν Ῥηγίῳ, εἰς τὴν Ἀναξιλάου· καὶ ἐν ἄλλαις πολλαῖς πόλεσιν ὡσαύτως.

§. 18. Abſurdum autem eſt & arbitrari in dominatum paucorum ob hoc mutari, quod avari ſint, & adepti magiſtratum, pecuniam cogant: & non, quod multi præſtantes aliis copia rei familiaris, juſtum non putent, participes eſſe civitatis æqualiter eos, qui nihil poſſident ſecum, qui rem magnam habent. in multis namque dominatibus paucorum non licet rem quærere, ſed leges illic ſunt, quæ hoc vetant. Carthagine autem, quæ regitur a multitudine, ſunt attentiores ad rem: nec tamen adhuc reſpublica mutata eſt.

§. 18. Ἄτοπον δὲ καὶ τὸ οἴεσθαι εἰς ὀλιγαρχίαν διὰ τοῦτο μεταβάλλειν, ὅτι φιλοχρήματοι καὶ χρηματισταὶ οἱ ἐν ταῖς ἀρχαῖς, ἀλλ᾽ οὐχ ὅτι οἱ πολλοὶ ὑπερέχοντες ταῖς οὐσίαις, οὐ δίκαιον οἴονται εἶναι, ἴσον μετέχειν τῆς πόλεως τοὺς κεκτημένους μηθὲν τοῖς κεκτημένοις· ἐν πολλαῖς τε ὀλιγαρχίαις οὐκ ἔξεστι χρηματίζεσθαι, ἀλλὰ νόμοι εἰσὶν οἱ κωλύοντες· ἐν Καρχηδόνι δὲ δημοκρατουμένῃ χρηματίζονται, καὶ οὔπω μεταβεβλήκασιν.

§. 19. Abſurdum etiam eſt dicere, in qua dominantur pauci divites, duas civitates eſſe, divitum & pauperum. Cur enim ipſa magis hoc perpeſſa eſt, quam Laconica? vel qualibet alia, ubi non omnes habent æquales fortunas? vel non omnes eodem pacto ſunt probi viri?

§. 19. Ἄτοπον δὲ καὶ τὸ φάναι δύο πόλεις εἶναι τὴν ὀλιγαρχικήν, πλουσίων καὶ πενήτων. τί γὰρ αὕτη μᾶλλον τῆς Λακωνικῆς πέπονθεν, ἢ ὁποιασοῦν ἄλλης, οὗ μὴ πάντες κέκτηνται ἴσα, ἢ μὴ πάντες ὁμοίως εἰσὶν ἀγαθοὶ ἄνδρες;

§. 20. Quamvis autem nemo pauperior factus ſit, quam prius: nihilominus mutantur in popularem ſtatum e dominatu paucorum, ſi creverint numero, qui egentes ſunt: & e populi ſtatu in dominatum paucorum, ſi divitum natio validior plebe facta fuerit: & hi quidem negligenter ſe geſſerint, hi vero rebus mentem adhibuerint.

§. 20. Οὐδενὸς δὲ πενεστέρου γενομένου ἢ πρότερον, οὐθὲν ἧττον μεταβάλλουσιν εἰς δῆμον ἐξ ὀλιγαρχίας, ἂν γένωνται πλείους οἱ ἄποροι· καὶ ἐκ δήμου εἰς ὀλιγαρχίαν, ἐὰν κρεῖττον ᾖ τοῦ πλήθους τὸ εὔπορον· καὶ οἱ μὲν ἀμελῶσιν, οἱ δὲ προσέχωσι τὸν νοῦν.

§. 21. Cum multæ autem ſint cauſæ, per quas exiſtant mutationes, non exponit, ſed unam: quod cum luxui dediti ſint, fœnoreque premantur, pauperes fiant, quaſi cuncti initio divites fuerint, aut plurimi (hoc autem vanum eſt). Sed quando principum civitatis nonnulli amiſerint patrimonium, res novas moliuntur: quando autem alii quidam, nihil majoris incommodi gignitur. & mutatur nihilo magis ullo tempore in populum, quam in aliam rempublicam.

§. 21. Πολλῶν τε οὐσῶν αἰτιῶν δι᾽ ὧν γίγνονται αἱ μεταβολαί, οὐ λέγει, ἀλλὰ μίαν, ὅτι ἀσωτευόμενοι (a) κατατοκιζόμενοι γίγνονται πένητες· ὡς ἐξ ἀρχῆς πλουσίων ὄντων πάντων, ἢ τῶν πλείστων· τοῦτο δ᾽ ἐστὶ ψεῦδος. ἀλλ᾽ ὅταν μὲν τῶν ἡγεμόνων τινὲς ἀπολέσωσι τὰς οὐσίας, καινοτομοῦσιν· ὅταν δὲ τῶν ἄλλων, οὐθὲν γίγνεται δεινόν. καὶ μεταβάλλουσιν οὐθὲν μᾶλλον οὐδέποτε εἰς (b) δῆμον, ἢ εἰς ἄλλην πολιτείαν.

§. 22. Amplius autem, & ſi honorum participes non fuerint, & ſi injuriam acceperint, & ſi vexati contumelia fuerint, ſeditiones excitant, & mutant reſpublicas, quamvis bona non perdiderint: quia licet ipſis, quod volunt facere: cujus rei immodicam libertatem cauſam eſſe ajunt.

§. 22. Ἔτι δέ, κἂν τιμῶν μὴ μετέχωσι, κἂν ἀδικῶνται, ἢ ὑβρίζωνται, στασιάζουσι καὶ μεταβάλλουσι τὰς πολιτείας, κἂν μὴ καταδαπανήσωσι τὴν οὐσίαν, διὰ τὸ ἐξεῖναι ὅ τι ἂν βούλωνται ποιεῖν. οὗ αἰτίαν τὴν ἄγαν ἐλευθερίαν εἶναί φησι.

§. 23. Cum ſint autem plures dominatus paucorum, & plures ſtatus multitudinis, tanquam unum ſit genus utriuſque, commemorat mutationes Socrates.

§. 23. Πλειόνων δ᾽ οὐσῶν ὀλιγαρχιῶν καὶ δημοκρατιῶν, ὡς μιᾶς οὔσης ἑκατέρας, λέγει τὰς μεταβολὰς ὁ Σωκράτης. (c)

* * * * *

* * * * *

ARI- API-

(a) ἀσωτευόμενοι) Lambinus recte adjicit καὶ. *CONR.*

(b) οὐδέποτε εἰς) Camerarius mavult οὐδὲ τότε *ne tunc quidem.* Quod rectius videtur. *CONR.*

(c) ὁ Σωκράτης) Cum hæc diſputatio non finiatur ſueto Ariſtoteli more, facile patet, quædam deeſſe. Non tantum vero in opere de republica, ſed etiam in aliis libris de mutationibus rerumpublicarum diſſeruit Plato, & quidem haud paulo aliter, itidem tamen minus bene. Igitur forte & illa ſub examen ab Ariſtotele vocata ſunt. *CONR.*



Digitized by Google

# ARISTOTELIS POLITICORUM LIBER VI.

# ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ ΠΟΛΙΤΙΚΩΝ ΤΟ Ζ.

## CAPUT I.

§. 1.

I. Quot igitur ſunt *differentiæ*, (*a*) & quæ partis, quæ verſatur in deliberando & quaſi regnat in republica, & ordinis pertinentis ad magiſtratus & judicia, & qualia ad qualem conſtituta ſunt rempublicam: adhuc autem de interitu & incolumitate rerumpublicarum, ex qualibus oriuntur, & propter quas cauſas, dictum eſt prius.

§. 2. Quia autem contigit, ut ſint plures ſpecies *ſtatus multitudinis*, (*b*) & eodem pacto aliarum rerumpublicarum, ſimulque de illis, ſi quid reliquum eſt, non eſt alienum animadvertere, & ſuum propriumque atque utilem modum ſingulis illis tribuere.

§. 3. Et item collectiones ipſorum, qui dicti ſunt omnium modorum, animadvertendi. hæc enim ſimul juncta, præſtant, ut reſpublicæ inter ſe commutentur, ita ut ſtatus optimorum vergant ad dominatus paucorum, & reſpublicæ ad ſtatum multitudinis.

§. 4. Voco autem copulationes, quas oportet quidem conſiderare, non ſunt autem nunc conſideratæ: ſi pars, quæ deliberat, & quæ creat magiſtratus, conſtituta fuerit apte ad dominatum paucorum: quæ autem verſatur in foro judiciiſque, apte ad ſtatum optimorum. vel, quod facit ad partem, quæ deliberat, apte ad paucorum dominatum: ad optimorum vero ſtatum, quæ creat magiſtratus. Vel alio quopiam modo, non cuncta conſtituta ſint, quæ ſunt ſua propriaque reipublicæ.

§. 5. Qualis igitur populi ſtatus quali civitati congruit, eodem modo autem & qualis e dominatibus paucorum quali multitudini, & reliquarum utique rerumpublicarum, qualis conducit quibus, dictum eſt prius. Oportet tamen planum eſſe, non ſolum qualis harum rerumpublicarum optima ſit civitatibus: ſed etiam quomodo decet fabricare & has & alias, perſequamur breviter.

§. 6. II. Et primum de populi ſtatu dicamus. ſimul enim & de oppoſita *republica* (*c*) perſpicuum erit. Hæc autem eſt, quam nominant nonnulli paucorum dominatum.

§. 7. Sumenda autem ſunt ad hanc rationem tradendam cuncta popularia, & quæ videntur ſtatibus populi comitari: ex his enim junctis contingit ſpecies popularis ſtatus naſci, & plures uno eſſe populi ſtatus, & diſcrepantes.

§. 8.

§. 1.

I. Πόσαι μὲν οὖν διαφοραὶ καὶ τίνες τοῦ τε βουλευτικοῦ καὶ κυρίου τῆς πολιτείας, καὶ τῆς περὶ τὰς ἀρχὰς τάξεως, καὶ περὶ δικαστηρίων, καὶ ποία πρὸς ποίαν συντέτακται πολιτείαν· ἔτι δὲ περὶ φθορᾶς τε καὶ σωτηρίας τῶν πολιτειῶν, ἐκ ποίων τε γίνεται καὶ διὰ τίνας αἰτίας, εἴρηται πρότερον.

§. 2. Ἐπεὶ δὲ τετύχηκεν εἴδη πλείω δημοκρατίας ὄντα, καὶ τῶν ἄλλων ὁμοίως πολιτειῶν, ἅμα τε περὶ ἐκείνων εἴ τι λοιπὸν, οὐ χεῖρον ἐπισκέψασθαι, καὶ τὸν οἰκεῖον καὶ τὸν συμφέροντα τρόπον ἐπιδοῦναι πρὸς ἑκάστην.

§. 3. Ἔτι δὲ καὶ τὰς συναγωγὰς αὐτῶν τῶν εἰρημένων ἐπισκεπτέον πάντων τῶν τρόπων· ταῦτα γὰρ συνδυαζόμενα, ποιεῖ τὰς πολιτείας ἐπαλλάττειν· ὥστε ἀριστοκρατίας τε ὀλιγαρχικὰς εἶναι, καὶ πολιτείας δημοκρατικωτέρας.

§. 4. Λέγω δὲ τοὺς συνδυασμοὺς, οὓς δεῖ μὲν ἐπισκοπεῖν, οὐκ ἐσκεμμένοι δ᾽ εἰσὶ νῦν· οἷον, ἂν τὸ μὲν βουλευόμενον, (*d*) καὶ τὸ περὶ τὰς ἀρχαιρεσίας, ὀλιγαρχικῶς ᾖ συντεταγμένον· τὰ δὲ περὶ δικαστήρια, ἀριστοκρατικῶς· ἢ ταῦτα μὲν καὶ τὸ περὶ τὸ βουλευόμενον, (*e*) ὀλιγαρχικῶς· ἀριστοκρατικῶς δὲ, τὸ περὶ τὰς ἀρχαιρεσίας· ἢ κατ᾽ ἄλλον τινὰ τρόπον μὴ πάντα συντεθῇ τὰ τῆς πολιτείας οἰκεῖα.

§. 5. Ποία μὲν οὖν δημοκρατία πρὸς ποίαν ἁρμόττει πόλιν· ὡσαύτως δὲ καὶ ποία τῶν ὀλιγαρχιῶν ποίῳ πλήθει, καὶ τῶν λοιπῶν δὲ πολιτειῶν, τίς συμφέρει τίσιν, εἴρηται πρότερον. ὅμως δὲ δεῖ γενέσθαι δῆλον, μὴ μόνον ποία τούτων τῶν πολιτειῶν ἀρίστη ταῖς πόλεσιν, ἀλλὰ καὶ πῶς δεῖ κατασκευάζειν καὶ ταύτας καὶ τὰς ἄλλας, ἐπέλθωμεν συντόμως.

§. 6. II. Καὶ πρῶτον περὶ δημοκρατίας εἴπωμεν· ἅμα γὰρ καὶ περὶ τῆς ἀντικειμένης πολιτείας φανερόν· αὕτη δ᾽ ἐστὶν ἣν καλοῦσί τινες ὀλιγαρχίαν.

§. 7, Ληπτέον δὲ πρὸς ταύτην τὴν μέθοδον πάντα τὰ δημοτικὰ, καὶ τὰ δοκοῦντα ταῖς δημοκρατίαις ἀκολουθεῖν. ἐκ γὰρ τούτων συντιθεμένων τὰ τῆς δημοκρατίας εἴδη γίνεσθαι συμβαίνει· καὶ πλείους δημοκρατίας μιᾶς εἶναι, καὶ διαφόρους.

§. 8.

(*a*) *Differentiæ*) In hoc libro maximam partem ea, quæ libro tertio, quarto & quinto tradita, repetuntur, augentur & illuſtrantur. PICCARTUS. *GOEB.*

(*b*) *Status multitudinis*) Agitur hic de diverſis modis, diverſas introducendi reipublicæ formas. *GOEB.*

(*c*) *Republica*) FELDEN. *p.* 367. *GOEB.*

(*d*) ἂν τὸ μὲν βουλευόμενον) Camerarius exiſtimat, excidiſſe voculam mox ſubjungendam δημοκρατικῶν. Hac addita omnia fieri concinniora. Ego nihil muto. Tantum enim exempli gratia modus aliquis miſtionis rerumpublicarum proponitur, non autem omnis generis miſtiones adferuntur in medium. Certe illa cameriana additio non facit ad rem. *CONR.*

(*e*) καὶ τὸ περὶ τὸ βουλευόμ.) Superflua ſunt illa duo περὶ τὸ: ſufficit τὸ βουλευόμενον. *CONR.*

§. 8. Duæ namque ſunt cauſæ, propter quas populi ſtatus plures ſunt.

§. 9. Primum quidem, quæ dicta prius eſt, quia diverſi ſunt populi. Eſt enim hæc quidem multitudo ex agricolis: hæc autem e tenuibus artificibus: hæc vero ex operariis. quarum ſi prima ad ſecundam adjungatur, & tertia rurſus ad ambas: non ſolum diſcrepant, ut melior aut pejor ſit ſtatus populi: verum etiam, ut non ſit idem.

§. 10. Poſterior autem, de qua nunc dicimus. quæ namque comitantur ſtatibus populi, ac videntur eſſe ſua propriaque hujus reipublicæ, cum juncta ſunt, efficiunt ſtatus populi diverſos. huic enim pauciora: huic autem comitabuntur plura: huic vero cuncta hæc.

§. 11. Prodeſt autem ſingula hæc cognoſcere ad fabricandam, quam quisque ipſarum voluerit, & ad emendandam.

§. 12. Quærunt enim, qui reſpublicas conſtituunt, cuncta, quæ ſua propriaque ſunt, colligere ad propoſitum ſibi opus: peccant autem hoc facientes, quemadmodum in his, quæ ad interitus & incolumitates rerumpublicarum faciunt, dictum a nobis eſt prius.

§. 13. Nunc autem initia, & mores, & quæ cupiunt, dicamus.

§. 8. Δύο γάρ εἰσιν αἰτίαι, δι' ὥσπερ αἱ δημοκρατίαι πλείȣς εἰσί.

§. 9. Πρῶτον μὲν, (*b*) ἡ λεχθεῖσα πρότερον, ὅτι διάφοροι οἱ δῆμοι· γίνεται γὰρ τὸ μὲν, γεωργικὸν πλῆθος· τὸ δὲ, βάναυσον καὶ θητικόν· ὧν τȣ̃ πρώτȣ τῷ δευτέρῳ προσλαμβανομένȣ, καὶ τȣ̃ τρίτȣ πάλιν τοῖς ἀμφοτέροις, ȣ̓ μόνον διαφέρει τῷ (*c*) βελτίω καὶ χείρω γίνεσθαι τὴν δημοκρατίαν, ἀλλὰ καὶ τῷ μὴ τὴν αὐτήν.

§. 10. Δευτέρα δὲ, περὶ ἧς νῦν λέγομεν· τὰ γὰρ ταῖς δημοκρατίαις ἀκολȣθȣ̃ντα καὶ δοκȣ̃ντα εἶναι τῆς πολιτείας οἰκεῖα ταύτης, ποιεῖ συντιθέμενα τὰς δημοκρατίας ἑτέρας· τῇ μὲν γὰρ ἐλάττω, (*d*) τῇ δ' ἀκολȣθήσει πλείονα, τῇ δ' ἅπαντα ταῦτα.

§. 11. Χρήσιμον δ' ἕκαστον αὐτῶν γνωρίζειν πρός τε τὸ κατασκευάζειν, ἣν ἄν τις αὐτῶν τύχῃ βȣλόμενος, καὶ πρὸς τὰς διορθώσεις.

§. 12. Ζητȣ̃σι μὲν γὰρ, οἱ τὰς πολιτείας καθιστάντες, ἅπαντα τὰ οἰκεῖα συναγαγεῖν πρὸς τὴν ὑπόθεσιν· ἁμαρτάνȣσι δὲ τȣ̃το ποιȣ̃ντες, καθάπερ ἐν τοῖς περὶ τὰς φθορὰς καὶ τὰς σωτηρίας τῶν πολιτειῶν εἴρηται πρότερον.

§. 13. Νυνὶ δὲ τὰ ἀξιώματα, καὶ τὰ ἤθη, καὶ ὧν ἐφίενται, λέγωμεν.

# CAP. II.

§. 1.

III. Solum igitur ac fundamentum reipublicæ popularis eſt *libertas*. (*a*) hoc enim dicere conſueverunt, tanquam in ſola republica hac participes ſint libertatis. hoc enim propoſitum ſibi habere ajunt, omnem ſtatum populi.

§. 2. Libertatis autem unum genus eſt, mutatis vicibus parere atque imperare.

§. 3. Etenim juſtum populare eſt, æquale habere ſecundum numerum, ſed non ſecundum dignitatem. Cum ſit autem hoc juſtum, multitudinem neceſſe eſt ſummam poteſtatem habere: & quodcunque viſum fuerit pluribus, hoc eſſe & finem, & hoc eſſe juſtum. ajunt enim, oportere unumquemque civium æquum habere. Quapropter contingit in populi ſtatibus majorem poteſtatem habere egentes, quam copioſos, (plures enim ſunt:) ratum autem eſt, quod pluribus viſum fuerit.

§. 4. Unum igitur libertatis ſignum hoc eſt, quem ſtatuunt cuncti populares reipublicæ terminum.

§. 5. Alterum autem, vivere ut vult quisque. hoc enim libertatis opus eſſe ajunt; ſi quidem eſt ejus, qui ſervus eſt, vivere ut non vult. Status igitur populi, terminus hic eſt ſecundus. Hinc autem profectum eſt, non imperari ſibi, maxime quidem a nemine: ſi non, mutatis vicibus, & conducit hac parte ad libertatem, quæ ſecundum æquale eſt.

§. 6.

§. 1.

III. Ὑπόθεσις μὲν οὖν τῆς δημοκρατικῆς πολιτείας, ἐλευθερία· τȣ̃το γὰρ λέγειν εἰώθασιν, ὡς ἐν μόνῃ τῇ πολιτείᾳ ταύτῃ μετέχοντας ἐλευθερίας· τέτȣ γὰρ στοχάζεσθαί φασι πᾶσαν δημοκρατίαν.

§. 2. Ἐλευθερίας δὲ, ἓν μὲν, τὸ ἐν μέρει ἄρχεσθαι καὶ ἄρχειν.

§. 3. Καὶ γὰρ τὸ δίκαιον τὸ δημοτικὸν, τὸ ἴσον ἔχειν ἐστὶ κατ' ἀριθμὸν, ἀλλὰ μὴ κατ' ἀξίαν. τȣ́τȣ δ' ὄντος τȣ̃ δικαίȣ, τὸ πλῆθος ἀναγκαῖον εἶναι κύριον· καὶ ὅ τι ἂν δόξῃ τοῖς πλείοσι, τȣ̃τ' εἶναι καὶ τέλος, καὶ τȣ̃τ' εἶναι τὸ δίκαιον· φασὶ γὰρ δεῖν ἴσον ἔχειν ἕκαστον τῶν πολιτῶν. ὥστε ἐν ταῖς δημοκρατίαις συμβαίνει κυριωτέρȣς εἶναι τȣ̀ς ἀπόρȣς τῶν εὐπόρων· πλείȣς γάρ εἰσι· κύριον δὲ, τὸ τοῖς πλείοσι δόξαν.

§. 4. Ἓν μὲν ȣ̃ν τῆς ἐλευθερίας σημεῖον τȣ̃το· ὃν τίθενται πάντες οἱ δημοτικοὶ τῆς πολιτείας ὅρον.

§. 5. Ἓν δὲ, τὸ ζῆν ὡς βȣ́λεταί τις· τȣ̃το γὰρ τῆς ἐλευθερίας ἔργον εἶναί φασιν, εἴπερ τȣ̃ δȣλεύοντος, τὸ ζῆν μὴ ὡς βȣ́λεται. τῆς μὲν ȣ̃ν δημοκρατίας ὅρος ȣ̃τος δεύτερος. ἐντεῦθεν δ' ἐλήλυθε τὸ μὴ ἄρχεσθαι· μάλιστα μὲν ὑπὸ μηθενός· εἰ δὲ μὴ, κατὰ μέρος. καὶ συμβάλλεται ταύτῃ πρὸς τὴν ἐλευθερίαν τὴν κατὰ τὸ ἴσον.

§. 6.

(*a*) *Libertas*) MEYER *in analyſi p.* 539. *ſeqq.* GOEB.

(*b*) πρῶτον μὲν) Malim πρώτη μὲν. Hoc enim reſpondet voci αἰτία. & quæ infra eſt δευτέρα. *CONR.*

(*c*) ȣ̓ μόνον διαφέρει) Ita quoque Aldus & Iſengrinius, nec aliter vertit Victorius. At Lambinus διαφέροι optative *interſit*. Nihil vero eſt cauſſæ, cur quidquam mutemus. *CONR.*

(*d*) τῇ μὲν γὰρ ἐλάττω) Rarum eſt hic poni ἐλάττω, mox πλείονα. Docte vero monet Sylburgius, ejusmodi diverſitatem reperiri aliquot locis etiam in Dionyſio Halicarnaſſenſi: qui tamen optimus fuit ſcribendi & cenſor & artifex. *CONR.*

§. 6. His autem *poſitis*, (*a*) & hujuſcemodi exiſtente imperio, hujuſcemodi inſtituta popularia ſunt.

§. 6. Τούτων δ' ὑποκειμένων, καὶ τοιαύτης οὔσης τῆς ἀρχῆς, τὰ τοιαῦτα δημοτικά.

§. 7. Creare magiſtratus omnes ex omnibus.

§. 7. Τὸ αἱρεῖσθαι τὰς ἀρχὰς πάντας ἐκ πάντων.

§. 8. Imperium habere omnes in ſingulos, & ſingulos viciſſim in omnes.

§. 8. Τὸ ἄρχειν πάντας μὲν ἑκάστου, ἕκαστον δ' ἐν μέρει πάντων.

§. 9. Sorte duci magiſtratus, vel cunctos, vel qui uſu non egent atque arte.

§. 9. Τὸ κληρωτὰς εἶναι τὰς ἀρχάς, ἢ πάσας, ἢ ὅσαι μὴ ἐμπειρίας δέονται καὶ τέχνης.

§. 10. Non a cenſu ullo conſtare magiſtratus, vel quam minimo.

§. 10. Τὸ μὴ ἀπὸ τιμήματος μηθενὸς εἶναι τὰς ἀρχάς, ἢ ὅτι μικροτάτου.

§. 11. Non iterum eundem magiſtratum quempiam gerere, aut raro, aut paucos: præter militiæ proprios.

§. 11. Τὸ μὴ δὶς τὸν αὐτὸν ἄρχειν μηδεμίαν, (*b*) ἢ ὀλιγάκις, ἢ ὀλίγας· ἔξω τῶν κατὰ πόλεμον.

§. 12. Ut parvi temporis magiſtratus ſint, vel cuncti, vel quos res patitur.

§. 12. Τὸ ὀλιγοχρονίους τὰς ἀρχάς, ἢ πάσας, ἢ ὅσας ἐνδέχεται.

§. 13. Judicare omnes, & ex omnibus, & de omnibus: vel de plurimis, & maximis, & maxime ratis: ceu de rationibus ac magiſtratibus accipiendis, & de republica, & de privatis contractibus.

§. 13. Τὸ δικάζειν πάντας, καὶ ἐκ πάντων, καὶ περὶ πάντων· ἢ περὶ τῶν πλείστων, καὶ τῶν μεγίστων, καὶ τῶν κυριωτάτων· οἷον, περὶ εὐθυνῶν, καὶ πολιτείας, καὶ τῶν ἰδίων συναλλαγμάτων.

§. 14. Concionem in ſua poteſtate habere cuncta: magiſtratum autem nullum nihil, vel quam pauciſſima, aut maximarum rerum quaſi dominum eſſe.

§. 14. Τὸ τὴν ἐκκλησίαν κυρίαν εἶναι πάντων· ἀρχὴν δὲ μηδεμίαν μηθενός, ἢ ὅτι ὀλιγίστων, ἢ τῶν μεγίστων κυρίαν. (*c*)

§. 15. Magiſtratuum vero maxime populare conſilium eſt, ubi non mercedis copia omnibus. hic enim demunt & hujus quoque magiſtratus vim ac poteſtatem. In ſemetipſum enim redigit exiſtimationes omnes populus, cum copiam nactus eſt mercedis, ut dictum eſt prius in ratione tradita ante hanc.

§. 15. Τῶν δ' ἀρχῶν, δημοτικώτατον βουλή, ὅπου μὴ μισθοῦ εὐπορία πᾶσιν. (ἐνταῦθα γὰρ ἀφαιροῦνται καὶ ταύτης τῆς ἀρχῆς τὴν δύναμιν· εἰς αὐτὸν γὰρ ἀνάγει τὰς κρίσεις πάσας ὁ δῆμος, εὐπορῶν μισθοῦ, καθάπερ εἴρηται πρότερον ἐν τῇ μεθόδῳ τῇ πρὸ ταύτης.

§. 16. Deinde mercedem capere, maxime quidem omnes, concionem, fora, magiſtratus: ſi autem non, magiſtratus, & fora, & conſilium, & conciones, quæ dominæ ſunt; vel magiſtratuum, quos neceſſe eſt ſimul cibum capere.

§. 16. Ἔπειτα τὸ μισθοφορεῖν, μάλιστα μὲν πάντας, ἐκκλησίαν, δικαστήρια, ἀρχάς· εἰ δὲ μή, τὰς ἀρχάς, καὶ τὰ δικαστήρια, καὶ βουλήν, καὶ τὰς ἐκκλησίας τὰς κυρίας· ἢ τῶν ἀρχῶν ἃς ἀνάγκη συσσιτεῖν μετ' ἀλλήλων.

§. 17. Amplius, quia paucorum dominatio & genere, & divitiis, & diſciplina definitur: popularia videntur eſſe, quæ ſunt his oppoſita, ignobilitas, paupertas, cultus humilium artium.

§. 17. Ἔτι, ἐπειδὴ ὀλιγαρχία καὶ γένει καὶ πλούτῳ καὶ παιδείᾳ ὁρίζεται, τὰ δημοτικὰ δοκεῖ τἀναντία τούτων εἶναι, ἀγένεια, πενία, βαναυσία.

§. 18. In magiſtratibus autem, nullum eſſe perpetuum. Si autem aliquis relictus fuerit e vetere mutatione, & conterere poteſtatem ipſius, & e ſuffragio delectis, ut ſorte ducantur, efficere.

§. 18. Ἐπὶ δὲ τῶν ἀρχῶν, τὸ μηδεμίαν ἀΐδιον εἶναι· ἐὰν δέ τις καταλειφθῇ ἐξ ἀρχαίας μεταβολῆς, τότε περιαιρεῖσθαι τὴν δύναμιν αὐτῆς· καὶ ἐξ αἱρετῶν κληρωτοὺς ποιεῖν.

§. 19. Quæ igitur communia ſunt ſtatibus populi, hæc ſunt.

§. 19. Τὰ μὲν οὖν κοινὰ ταῖς δημοκρατίαις, ταῦτ' ἐστί.

§. 20. Exiſtit autem e juſto, quod cuncti fatentur eſſe populare (hoc autem eſt æquale, omnes habere ſecundum numerum) qui maxime videtur eſſe populi ſtatus & populus. Æquale enim eſt nihilo magis imperium habere egentes, quam copioſos: neque tamen dominos rerum eſſe ſolos, ſed omnes pariter ſecundum numerum. ſic enim exiſtimarint æqualitatem in republica & libertatem.

§. 20. Συμβαίνει δ' ἐκ τοῦ δικαίου τοῦ ὁμολογουμένου εἶναι δημοκρατικοῦ. (τοῦτο δ' ἐστὶ τὸ ἴσον ἔχειν ἅπαντας κατ' ἀριθμόν) ἡ μάλιστ' εἶναι δοκοῦσα δημοκρατία καὶ δῆμος. ἴσον γάρ, τὸ μηθὲν μᾶλλον ἄρχειν τοὺς ἀπόρους ἢ τοὺς εὐπόρους· (*d*) μηδὲ κυρίους εἶναι μόνους, ἀλλὰ πάντας ἐξ ἴσου κατ' ἀριθμόν. οὕτω γὰρ ἂν ὑπάρχειν νομίζοιεν τήν τ' ἰσότητα τῇ πολιτείᾳ, καὶ τὴν ἐλευθερίαν.

## CAP. III.

(*a*) *Poſitis*) PICCARTUS *p.* 870. *GOEB.*

(*b*) ἄρχειν μηδεμίαν) Lambinus cenſet interjiciendam voculam ἀρχήν, ſcribendumque adeo, ἄρχειν ἀρχὴν μηδεμίαν. Certe hoc ipſo oratio redditur & elegantior & magis perſpicua. Solent tamen ejusmodi ellipſes duriusculæ Ariſtoteli eſſe, non infrequentes. *CONR.*

(*c*) ἢ τῶν μεγίστων κυρίαν) Lambinus recte cenſet ſcribendum οὐ τῶν μεγίστων. Omnino enim ex ſententia Ariſtotelis eſt δημοτικόν; *magiſtratum non eſſe dominum rerum maximarum.* Aretinus ſic vertit: *dominam eſſe concionem rerum maximarum, magiſtratum vero rerum minimarum.* Quaſi græce legerit: ἢ τὴν μὲν ἐκκλησίαν εἶναι τῶν μεγίστων τὴν δ' ἀρχὴν τῶν μικροτάτων κυρίαν. Giphanius quoque vertit: *magiſtratum vero nullius aut minimarum & pauciſſimarum dominum.* CONR.

(*d*) τοὺς ἀπόρους ἢ τοὺς εὐπορ.) Malim: τοὺς εὐπόρους ἢ τοὺς ἀπόρους. Quodipſum expreſſit etiam Aretinus: *divites quam pauperes:* & videtur Caſaubono etiam placuiſſe. CONR.

Digitized by Google

# CAP. III.

§. 1.

IV. Quod ſequitur autem, *quæritur* (*a*) quomodo æquale habebunt.

§. 2. Utrum oportet cenſus dividere quingentorum mille civibus, & ipſos mille æquum valere ac quingenti illi. Vel non ſic conſtituere oportet æqualitatem ſecundum hoc, ſed dividere quidem ſic: deinde e quingentis æquales ſumentem, & e mille, hos tanquam dominos eſſe comitiorum & judiciorum.

§. 3. Vtrum igitur hæc reſpublica juſtiſſima eſt ſecundum populare jus: vel potius, quæ ſecundum numerum? Ajunt enim populares, hoc juſtum eſſe, quodcunque viſum fuerit pluribus; qui amant autem paucorum dominatum, quod viſum fuerit majori patrimonio: e multitudine enim patrimonii ajunt oportere exiſtimare.

§. 4. Habent autem ambo inæqualitatem & injuſtitiam.

§. 5. Si namque, quod pauci, tyrannis erit. etenim, ſi unus habuerit plura, quam alii locupletes, e jure illo paucorum dominatus, qui unus imperium habeat, dignus eſt. Si autem quod plures numero, injuſte ſe gerent, publicantes bona divitum & pauciorum, quemadmodum dictum eſt prius.

§. 6. Quæ igitur eſſe poterit æqualitas, quam fatebuntur ambo, conſiderandum ex iis, quæ juſta utrique definiunt. Dicunt enim, quodcunque viſum fuerit pluribus civibus, hoc oportere ratum eſſe.

§. 7. Sit jam hoc, non tamen omnino, ſed quia duæ partes ſunt, e quibus conſtat civitas, divites & pauperes: quodcunque ambobus viſum fuerit, vel pluribus, hoc ratum ſit: ſi autem contraria viſa fuerint, quodcunque plures probarint, & quorum cenſus major fuerit.

§. 8. Ceu, ſi hi quidem decem, hi autem viginti. Viſum autem eſt e divitibus ſex, e pauperibus vero quindecim. Acceſſerint autem pauperibus quidem quatuor e divitibus, divitibus vero quinque e pauperibus. Vtrorum igitur cenſus ſuperaverit, connumeratis ambobus cum utriſque, hoc ratum ſit. Si autem pares coinciderint, communem eſſe hanc quæſtionem exiſtimandum eſt: quemadmodum nunc ſi bifariam ſecta fuerit concio vel judicium. Sive enim hoc ſorti committendum, ſive aliud quippiam hujuſcemodi faciendum eſt.

§. 9. Verum de æquo & juſto, etſi valde difficile invenire veritatem de ipſis, tamen faci-

§. 1.

IV. Τὸ δὲ μετὰ τοῦτο, ἀπορεῖται, πῶς ἕξουσι τὸ ἴσον.

§. 2. Πότερον δεῖ τὰ τιμήματα (*b*) διελεῖν χιλίοις τὰ τῶν πεντακοσίων, καὶ τοὺς χιλίους ἴσον δύνασθαι τοῖς πεντακοσίοις· ἢ οὐχ οὕτω δεῖ τιθέναι τὴν κατὰ τοῦτο ἰσότητα· ἀλλὰ διελεῖν μὲν οὕτως· ἔπειτα, ἐκ τῶν πεντακοσίων ἴσους λαβόντα, καὶ ἐκ τῶν χιλίων, τούτους κυρίους εἶναι τῶν διαιρέσεων, (*c*) καὶ τῶν δικαστηρίων,

§. 3. Πότερον οὖν αὕτη ἡ πολιτεία δικαιοτάτη κατὰ τὸ δημοτικὸν δίκαιον, ἢ μᾶλλον ἡ κατὰ τὸ πλῆθος; Φασὶ γὰρ οἱ δημοτικοὶ τοῦτο δίκαιον, ὅ τι ἂν δόξῃ τοῖς πλείοσιν· οἱ δ᾽ ὀλιγαρχικοὶ, ὅ τι ἂν δόξῃ τῇ πλείονι οὐσίᾳ. κατὰ πλῆθος γὰρ οὐσίας φασὶ κρίνεσθαι δεῖν.

§. 4. Ἔχει δ᾽ ἀμφότερα ἀνισότητα καὶ ἀδικίαν.

§. 5. Εἰ μὲν γὰρ ὅ τι ἂν οἱ ὀλίγοι, τυραννίς. καὶ γὰρ, ἐὰν εἷς ἔχῃ πλείω τῶν ἄλλων εὐπόρων, κατὰ τὸ ὀλιγαρχικὸν δίκαιον, ἄρχειν δίκαιος μόνος· (*d*) εἰ δ᾽ ὅ τι ἂν οἱ πλείους κατ᾽ ἀριθμὸν, ἀδικήσουσι, δημεύοντες τὰ τῶν πλουσίων καὶ ἐλαττόνων, καθάπερ εἴρηται πρότερον.

§. 6. Τίς ἂν οὖν εἴη ἰσότης ἣν ὁμολογήσουσιν ἀμφότεροι, σκεπτέον ἐξ ὧν ὁρίζονται δικαίων ἀμφότεροι. λέγουσι γὰρ, ὡς ὅ τι ἂν δόξῃ τοῖς πλείοσι τῶν πολιτῶν, τοῦτο εἶναι δεῖ κύριον.

§. 7. Ἔστω δὴ τοῦτο, μὴ μέντοι πάντως· ἀλλ᾽ ἐπειδὴ δύο μέρη τετύχηκεν ἐξ ὧν ἡ πόλις, πλούσιοι καὶ πένητες, ὅ τι ἂν ἀμφοτέροις δόξῃ, ἢ τοῖς πλείοσι, τοῦτο κύριον ἔστω· ἐὰν δὲ τἀναντία δόξῃ, ὅ τι ἂν οἱ πλείους, καὶ ὧν τὸ τίμημα πλεῖον.

§. 8. Οἷον, οἱ μὲν δέκα, (*e*) οἱ δὲ εἴκοσιν· ἔδοξε δὲ τῶν μὲν πλουσίων τοῖς ἕξ, τῶν δ᾽ ἀπορωτέρων τοῖς πεντεκαίδεκα· προσγεγένηνται τοῖς μὲν πένησι, τέτταρες τῶν πλουσίων· τοῖς δὲ πλουσίοις, πέντε τῶν πενήτων. ὁποτέρων οὖν τὸ τίμημα ὑπερτείνει, συναριθμουμένων ἀμφοτέρων ἑκατέροις, τοῦτο κύριον. ἐὰν δὲ ἴσοι συμπέσωσι, κοινὴν εἶναι ταύτην νομιστέον ἀπορίαν· ὥσπερ νῦν, ἐὰν δίχα ἡ ἐκκλησία γένηται, ἢ τὸ δικαστήριον. ἢ γὰρ ἀποκληρωτέον, ἢ ἄλλό τι τοιοῦτον ποιητέον.

§. 9. Ἀλλὰ περὶ μὲν τοῦ ἴσου καὶ τοῦ δικαίου, κἂν ᾖ πάνυ χαλεπὸν εὑρεῖν τὴν ἀλήθειαν περὶ αὐτῶν,

(*a*) *Quæritur*) Pergit de modo introducendi democratiam, ita ut querelæ inde non oriantur, circumſpicere. FELDEN. PICCART. *GOEB.*

(*b*) δεῖ τὰ τιμήματα) Camerarius mavult τμήματα. Non male. Nec enim in meris democratiis habetur ratio τῶν τιμημάτων aut cenſus. Et tamen tolerari vox poteſt, quum in nonnullis democratiis exigui cenſus habeatur ratio in collatione magiſtratuum. *CONR.*

(*c*) τῶν διαιρέσεων) Victorius contra codicum conſenſum pertendit legendum, αἱρέσεων. Similiter Lambinus ſentit, vel certe legendum ἀρχαιρέσεων. Indubie melius, quam ſe habet vulgatum illud διαιρέσεων. *CONR.*

(*d*) ἄρχειν δίκαιος μόνος) Malim ἄρχει δικαίως μόνος. *CONR.*

(*e*) οἷον οἱ μὲν δέκα) Hanc lectionem expreſſere Lambinus & Giphanius. Victorius: οἷον, εἰ οἱ μὲν δέκα. Sed parvo diſcrimine. *CONR.*



Digitized by Google

facilius eſt adipiſci, quam perſuadere illos, qui valent plus habere. Semper enim quærunt æquum ac juſtum infirmiores: qui autem ſunt ſuperiores, nihil curant.

αὐτῶν, ὅμως ῥᾷον τυχεῖν, ἢ συμπεῖσαι τὲς δυναμένες πλεονεκτεῖν. ἀεὶ γὰρ ζητῦσι τὸ ἴσον καὶ τὸ δίκαιον οἱ ἥττες· οἱ δὲ κρατοῦντες, ὐδὲν φροντίζυσι.

## CAP. IV.

§. 1.

V. Cum autem ſint *quatuor* (a) ſtatus populi, optimus quidem, qui primus eſt ordine, quemadmodum dictum eſt in diſputationibus habitis ante hæc. eſt autem & vetuſtiſſimus omnium hic.

§. 1.

V. Δημοκρατιῶν δ' ὐσῶν τεττάρων, βελτίςη μὲν ἡ πρώτη τάξει, καθάπερ ἐν τοῖς πρὸ τύτων ἐλέχθη λόγοις. ἔςι δὲ καὶ ἀρχαιοτάτη πασῶν αὕτη.

§. 2. Dico autem primum, quemadmodum ſi quis divideret populos: optimus enim populus eſt, qui conſtat ex agricolis * * * Quapropter * * * ſtatum popularem licet conficere, ubi multitudo vivit ex agricultura aut paſtione.

§. 2. Λέγω δὲ πρώτην, ὥσπερ ἄν τις διέλοι τὲς δήμες· βέλτιςος γὰρ δῆμος, ὁ γεωργικός (b) * * * * ἐςιν. ὥςε καὶ ποιεῖν ἐνδέχεται * * * δημοκρατίαν, (c) ὅπυ ζῇ τὸ πλῆθος ἀπὸ γεωργίας, ἢ νομῆς.

§. 3. Quia enim non multum peculii habet, ipſi in concione verſari: quia autem eſt ſine otio, ut non ſæpe liceat, non habent res ad victum neceſſarias, aſſidui ſunt in operibus, & rem aliam non cupiunt.

§. 3. Διὰ μὲν γὰρ τὸ μὴ πολλὴν ὐσίαν ἔχειν, ἄσχολος· ὥςε μὴ πολλάκις ἐκκλησιάζειν· διὰ δὲ τὸ μὴ ἔχειν τἀναγκαῖα, πρὸς τοῖς ἔργοις διατρίβυσι, καὶ τῶν ἀλλοτρίων ὐκ ἐπιθυμῦσιν.

** ** ** **

§. 4. Sed jucundius eſt illis opera ſua moliri, quam civitati navare operam atque imperium habere, ubi quæſtus non fuerint magni e cura reipublicæ, multitudo enim magis appetit lucrum, quam honorem. Signum autem hujus rei eſt: antiquas enim tyrannides tolerabant, & paucorum dominatus ferunt, ſi quis ipſos operibus ſuis incumbere ſiverit, & non abſtulerit aliquid: celeriter enim hi quidem ipſorum diteſcunt, hi autem non egent.

§. 4. Ἀλλ' ἥδιον (d) τὸ ἐργάζεσθαι τῦ πολιτεύεσθαι καὶ ἄρχειν, ὅπυ ἂν μὴ ᾖ λήμματα μεγάλα ἀπὸ τῶν ἀρχῶν. οἱ γὰρ πολλοὶ μᾶλλον ὀρέγονται τῦ κέρδυς ἢ τῆς τιμῆς. σημεῖον δέ· καὶ γὰρ ἀρχαίας τυραννίδας ὑπέμενον, καὶ τὰς ὀλιγαρχίας ὑπομένυσιν, ἐάν τις αὐτὲς ἐργάζεσθαι μὴ κωλύῃ, μηδ' ἀφαιρῆται μηθέν· ταχέως γὰρ, οἱ μὲν πλυτῦσιν αὐτῶν, οἱ δ' ὐκ ἀπορῦσιν.

* * * * ** ** ** **

§. 5. Amplius autem eorum poteſtatis eſſe deligere & corrigere magiſtratus, explet id, quo egent, ſi qua cupiditate honoris tenentur.

§. 5. Ἔτι δὲ (e) τὸ κυρίυς εἶναι τῦ ἑλέσθαι καὶ εὐθύνειν, ἀναπληροῖ τὴν ἔνδειαν, εἴτι φιλοτιμίας ἔχυσιν.

§. 6. Quia apud quoſdam populos, quamvis participes non fuerint deligendorum magiſtratuum, ſed quidam ipſorum delecti ex omnibus per partem (quemadmodum Mantineæ fit) deliberationes autem in ſua poteſtate habeant: ſatis hoc eſt multitudini, & oportet exiſtimare hanc eſſe formam quandam ſtatus populi, quemadmodum Mantineæ quondam fuit.

§. 6. Ἐπεὶ παρ' ἐνίοις δήμοις, κἂν μὴ μετέχωσι τῆς αἱρέσεως τῶν ἀρχῶν, ἀλλά τινες αἱρετοὶ κατὰ μέρος ἐκ πάντων, ὥσπερ ἐν Μαντινείᾳ· τῦ δὲ βυλεύεσθαι κύριοι ὦσιν, ἱκανῶς ἔχει τοῖς πολλοῖς. καὶ δεῖ νομίζειν καὶ τῦτ' εἶναι σχῆμά τι δημοκρατίας, ὥσπερ ἐν Μαντινείᾳ ποτ' ἦν.

§. 7. Quare conducit jam etiam ſtatui populi, qui prius dictus eſt, & adeſſe illi ſolet, deligere

§. 7. Διὸ δὴ καὶ συμφέρον ἐςὶ τῇ πρότερον ῥηθείσῃ δημοκρατίᾳ, καὶ ὑπάρχειν εἴωθεν, αἱρεῖσθαι μὲν

(a) *Quatuor*) Inſtituit inter ſe comparationes rerumpublicarum, democraticarum, oſtenditque earum optimam eſſe, quæ ex paſtoribus, maximam partem autem agricolis conſtat. Poſtea omiſſis intermediis ſpeciebus etiam de peſſima democratiæ ſpecie monet. PICCARTUS. *GOEB.*

(b) ὁ γεωργικὸς) Forte addendum ἢ νομαδικός. Nam & paſtoritia multitudo ejuſdem eſt bonitatis cum ea, quæ agrum colit: & infra conjunguntur γεωργία καὶ νομή. *CONR.*

(c) ἐνδέχεται δημοκρατίαν) Atqui non hoc voluit docere, poſſe ibi conſtitui democratiam, ſed *optimam democratiam.* Itaque non dubito excidiſſe voculam βελτίςην, ſcribendumque: καὶ ποιεῖν ἐνδέχεται τὴν βελτίςην δημοκρατίαν. *CONR.*

(d) ἀλλὰ ἥδιον) Sermo adhuc videtur eſſe de prima ſpecie democratiæ: in qua populus ob egeſtatem non poteſt vacare reipublicæ, nec vult etiam, propterea quod rei domeſticæ cura ſit ſuavior cura publicæ rei. Illud ἀλλὰ tamen, non ſatis probe cohæret cum prioribus. Itaque fortaſſis paucula exciderunt. Non cum quoquam tamen ſuper ea re contenderim. *CONR.*

(e) ἔτι δὲ) Hæc plane diverſa eſſe ab iis, quæ præceſſerunt, nec recte cum iis cohærere, manifeſtum cuilibet eſt. Omnino tamen etiam hæc, quæ ſequuntur, pertinent ad compoſitionem optimæ democratiæ: utpote quam Ariſtoteles accuratiſſime ordinavit usque ad ſextum caput noſtræ ſectionis: πῶς μὲν ὖν δεῖ κατασκευάζειν. *CONR.*

Digitized by Google

re quidem magiſtratus & corrigere, & cauſas judicare omnes: gerere autem maximos magiſtratus delectos viros, & e cenſibus: majores a majoribus; ſive a cenſibus quidem nullum, ſed eos, qui vim & poteſtatem habeant.

§. 8. Neceſſe eſt autem, eos, qui ſic rempublicam adminiſtrant, regere eam recte: magiſtratus enim ſemper per optimos viros gerentur populo volente, & probis hominibus non invidente.

§. 9. Et probi viri, nobileſque hoc ordine contenti eſſe debebunt. non ſervient enim imperio deteriorum, & imperio utentur juſte, quia alii in ſua poteſtate habent correctiones magiſtratuum. Pendere enim aliunde, & non omne licere homini facere, quod viſum fuerit, prodeſt: poteſtas enim efficiendi, quodcunque voluerit aliquis, non valet coërcere id vitii, quod in ſingulis hominibus exiſtit.

§. 10. Quare neceſſe eſt uſu venire, quod eſt maxime utile rebuspublicis imperium habere honeſtos viros, vacuos a culpis, nulla jactura facta ſui juris a multitudine.

§. 11. Eſſe igitur hunc omnium populi ſtatuum optimum, perſpicuum eſt: & quam ob cauſam, quia inquam populus eſt qualis.

§. 12. Ad efficiendum autem populum *agricultura deditum*, (*a*) quædam leges apud multos antiquitus conſtituentes hunc ſtatum, utiles cunctæ ſunt: ſive omnino non licere plus telluris menſura quadam poſſidere, ſive ab aliquo loco verſus urbem & civitatem.

§. 13. Erat autem antiquitus multis in civitatibus legibus definitum, ne licere quidem vendere primos agellos ſorte aſſignatos.

§. 14. Valet autem hujuscemodi quiddam & lex, quam Oxyli dicunt eſſe, non licere fœnori addicere partem quandam agri ejus, quem quisque poſſidet.

§. 15. Nunc autem oportet corrigere lege etiam Aphytæorum. ad id enim, quod dico, utilis eſt. Illi namque, etſi ſunt multi, poſſident autem puſillum agrum: tamen cuncti agriculturæ incumbunt. cenſentur enim non totas poſſeſſiones, ſed per partes tantas dividentes, ut poſſint etiam ſuperare cenſibus pauperes.

§. 16. Poſt multitudinem vero conſtantem ex agricolis, optimus populus eſt, ubi paſtores ſunt, & vivunt e pecoribus (multa enim habet aſſimilia agriculturæ) & ad belli munera maxime hi habitibus exercitati ſunt, & corporibus idonei, vimque habent ſub dio noctu degendi.

§. 17. Cunctæ autem aliæ ferme multitudines, e quibus reliqui populares ſtatus conſtant, multo deteriores ſunt his: vita enim iners & nullum opus cum virtute illorum, quæ tractat multitudo tenuium opificum, & forenſium hominum, & operariorum.

§. 18.

μὲν τὰς ἀρχὰς καὶ εὐθύνειν καὶ δικάζειν πάντας· ἄρχειν δὲ τὰς μεγίστας αἱρετὰς, καὶ ἀπὸ τιμημάτων· τὰς μείζους ἀπὸ μειζόνων· ἢ καὶ ἀπὸ τιμημάτων μὲν μηδεμίαν, ἀλλὰ τοὺς δυναμένους.

§. 8. Ἀνάγκη δὲ πολιτευομένους οὕτω, πολιτεύεσθαι καλῶς· αἵ τε γὰρ ἀρχαὶ ἀεὶ διὰ τῶν βελτίστων ἔσονται, τοῦ δήμου βουλομένου (*b*) καὶ τοῖς ἐπιεικέσιν οὐ φθονοῦντος.

§. 9. Καὶ τοῖς ἐπιεικέσι καὶ γνωρίμοις ἀρκοῦσαν εἶναι ταύτην τὴν τάξιν· ἄρξονται γὰρ (*c*) οὐχ ὑπ' ἄλλων χειρόνων· καὶ ἄρξουσι δικαίως, διὰ τὸ τῶν εὐθυνῶν εἶναι κυρίους ἑτέρους. τὸ γὰρ ἐπανακρέμασθαι, καὶ μὴ πᾶν ἐξεῖναι ποιεῖν, ὅ τι ἂν δόξῃ, συμφέρον ἐστίν. ἡ γὰρ ἐξουσία τοῦ πράττειν ὅ τι ἂν ἐθέλῃ τις, οὐ δύναται φυλάττειν τὸ ἐν ἑκάστῳ τῶν ἀνθρώπων φαῦλον.

§. 10. Ὥστε ἀναγκαῖον συμβαίνειν ὅπερ ἐστὶν ὠφελιμώτατον ἐν ταῖς πολιτείαις, ἄρχειν τοὺς ἐπιεικεῖς ἀναμαρτήτους ὄντας, μηδὲν ἐλαττουμένου τοῦ πλήθους.

§. 11. Ὅτι μὲν οὖν αὕτη τῶν δημοκρατιῶν ἀρίστη, φανερόν· καὶ διὰ τὴν αἰτίαν, ὅτι διὰ τὸ ποιόν τινα εἶναι τὸν δῆμον.

§. 12. Πρὸς δὲ τὸ κατασκευάζειν γεωργὸν τὸν δῆμον, τῶν τε νόμων τινὲς τῶν παρὰ τοῖς πολλοῖς κειμένων τὸ ἀρχαῖον, χρήσιμοι πάντες· ἢ τὸ ὅλως μὴ ἐξεῖναι κεκτῆσθαι πλείω γῆν μέτρου τινός· ἢ ἀπό τινος τόπου πρὸς τὸ ἄστυ, καὶ τὴν πόλιν.

§. 13. Ἦν δὲ τό γε ἀρχαῖον ἐν πολλαῖς πόλεσι νενομοθετημένον, μηδὲ πωλεῖν ἐξεῖναι τοὺς πρώτους κλήρους. (*d*)

§. 14. Ἔστι δὲ καὶ ὃν λέγουσιν Ὀξύλου νόμον εἶναι, τοιοῦτόν τι δυνάμενος, τὸ μὴ δανείζειν εἴς τι μέρος τῆς ὑπαρχούσης ἑκάστῳ γῆς.

§. 15. Νῦν δὲ δεῖ διορθοῦν καὶ τῷ Ἀφυταίων (*e*) νόμῳ· πρὸς γὰρ ὃ λέγομεν ἐστὶ χρήσιμος. ἐκεῖνοι γὰρ, καίπερ ὄντες πολλοὶ, κεκτημένοι δὲ γῆν ὀλίγην, ὅμως πάντες γεωργοῦσι· τιμῶνται γὰρ οὐχ ὅλας τὰς κτήσεις, ἀλλὰ κατὰ τηλικαῦτα μόρια διαιροῦντες, ὥστ' ἔχειν ὑπερβάλλειν ταῖς τιμήσεσι καὶ τοὺς πένητας.

§. 16. Μετὰ δὲ τὸ γεωργικὸν πλῆθος, βέλτιστος δῆμός ἐστιν, ὅπου νομεῖς εἰσι, καὶ ζῶσιν ἀπὸ βοσκημάτων. πολλὰ γὰρ ἔχει τῇ γεωργίᾳ παραπλησίως· καὶ τὰ πρὸς τὰς πολεμικὰς πράξεις, μάλιστ' οὗτοι γεγυμνασμένοι τὰς ἕξεις, καὶ χρήσιμοι τὰ σώματα, καὶ δυνάμενοι θυραυλεῖν.

§. 17. Τὰ δ' ἄλλα πλήθη πάντα σχεδὸν, ἐξ ὧν αἱ λοιπαὶ δημοκρατίαι συνεστᾶσι, πολλῷ φαυλότερα τούτων· ὁ γὰρ βίος φαῦλος, καὶ οὐθὲν ἔργον μετ' ἀρετῆς, ὧν μεταχειρίζεται τὸ πλῆθος, τό τε τῶν βαναύσων, καὶ τὸ τῶν ἀγοραίων ἀνθρώπων, καὶ τὸ θητικόν.

§. 18.

(*a*) *Agricultura deditum*) PICCART. *p.* 892. *GOEB.*

(*b*) δήμου βουλομένου) Iſengrinianus margo habet βουλευομένου. Sed perperam. βουλομένου ſcribendum eſſe, indicat vox ſubſequens οὐ φθονοῦντος. *CONR.*

(*c*) ἄρξονται γὰρ) Zvvingerus male: ἄρξονται δὲ; nam γὰρ hoc loco eſt particula cauſalis. *CONR.*

(*d*) πρώτους κλήρους) Probaverunt hoc quidem Victorius, Lambinus, Giphanius. Attamen & Aldus & Camerarius habent, τοὺς πατρῴους κλήρους: quod etiam ipſe malim. *CONR.*

(*e*) Ἀφυταίων) Alii, inter quos & Victorius, habent Ἀφυτάλων. Mendoſe: judice etiam Caſaubono. Meminit vero Aphytæorum reipublicæ etiam Heraclides Ponticus. *CONR.*

Digitized by Google

§. 18. Amplius autem, quia aſſiduum eſt in foro & urbe omne hujuſcemodi genus hominum, ut ita loquar, facile colit conciones: ruſtici autem homines, quia ſparſi diſſeminatique ſunt per agrum, neque conveniunt, neque eodem pacto delectantur hoc conventu.

§. 18. Ἔτι δὲ, διὰ τὸ περὶ τὴν ἀγορὰν καὶ τὸ ἄστυ κυλίεσθαι, πᾶν τὸ τοιοῦτον γένος, ὡς εἰπεῖν, ῥαδίως ἐκκλησιάζει. οἱ δὲ γεωργοῦντες, διὰ τὸ διεσπάρθαι κατὰ τὴν χώραν, οὔτ' ἀπαντῶσιν, οὔθ' ὁμοίως δέονται τῆς συνόδου ταύτης.

§. 19. Vbi autem contingit regionem hujuſcemodi poſituram habere, ut ager multum ab urbe ſejunctus ſit: nullum negotium eſt, ſtatum popularem efficere bonum & rempublicam. cogitur enim multitudo in agris manſiones facere. Quapropter oportet, ſi turba forenſis fuerit, in populi ſtatibus non ſine illa, quæ degit in agro, conciones facere.

§. 19. Ὅπου δὲ καὶ συμβαίνει τὴν χώραν τὴν θέσιν ἔχειν τοιαύτην, ὥστε τὴν χώραν πολὺ τῆς πόλεως ἀπηρτῆσθαι, ῥάδιον καὶ δημοκρατίαν ποιεῖσθαι χρηστὴν, καὶ πολιτείαν· ἀναγκάζεται γὰρ τὸ πλῆθος ἐπὶ τῶν ἀγρῶν ποιεῖσθαι τὰς ἀποικίας. ὥστε δεῖ, κἂν ἀγοραῖος ὄχλος ᾖ, μὴ ποιεῖν ἐν ταῖς δημοκρατίαις ἐκκλησίας, ἄνευ τοῦ κατὰ τὴν χώραν πλήθους.

§. 20. VI. Quomodo igitur decet conſtruere optimum & primum populi ſtatum, traditum eſt.

§. 20. VI. Πῶς μὲν οὖν δεῖ κατασκευάζειν τὴν βελτίστην καὶ πρώτην δημοκρατίαν, εἴρηται.

§. 21. Planum autem eſt, quomodo etiam alios: ſervato enim ordine opus eſt inde migrare, & ſemper *deteriorem* (a) multitudinem ſemovere.

§. 21. Φανερὸν δὲ καὶ πῶς τὰς ἄλλας. ἑπομένως γὰρ δεῖ παρεκβαίνειν, (b) καὶ τὸ χεῖρον ἀεὶ πλῆθος χωρίζειν.

§. 22. Extremum autem, quia cuncti ipſo communicant: neque omnis civitatis eſt perpeti, neque ipſum facile eſt permanere, niſi legibus & moribus recte fuerit informatus. Quæ autem perdere contingit & hanc & cæteras respublicas, dicta ſunt ferme prius maxima ex parte.

§. 22. Τὴν δὲ τελευταίαν, διὰ τὸ πάντας κοινωνεῖν, οὔτε πάσης ἐστὶ πόλεως φέρειν, οὔτε ῥάδιον διαμένειν, μὴ τοῖς νόμοις καὶ τοῖς ἔθεσιν εὖ συγκειμένην. ἃ δὲ φθείρειν συμβαίνει καὶ ταύτην καὶ τὰς ἄλλας πολιτείας, εἴρηται πρότερον τὰ πλεῖστα σχεδόν.

§. 23. Ad conſtituendum autem hunc populi ſtatum, & populum efficiendum validum, conſverunt principes ipſius quam plurimos aſciſcere, & cives facere non ſolum legitimos, verum etiam nothos, & qui ex utrolibet cive nati ſint. Dico autem patre vel matre. Omne enim hoc idoneum eſt hujuſcemodi populo magis.

§. 23. Πρὸς δὲ τὸ καθιστάναι ταύτην τὴν δημοκρατίαν, καὶ τὸν δῆμον ποιεῖν ἰσχυρὸν, εἰώθασιν οἱ προεστῶτες, προσλαμβάνειν ὡς πλείστους, καὶ ποιεῖν πολίτας, μὴ μόνον τοὺς γνησίους, ἀλλὰ καὶ τοὺς (νόθους, καὶ τοὺς) ἐξ ὁποτερουοῦν πολίτου· λέγω δὲ, οἷον πατρὸς ἢ μητρός· ἅπαν γὰρ οἰκεῖον τοῦτο τῷ τοιούτῳ δήμῳ μᾶλλον.

§. 24. Conſverunt igitur aſſentatores populi ſic conſtruere.

§. 24. Εἰώθασι μὲν οὖν οἱ δημαγωγοὶ κατασκευάζειν οὕτω. (c)

** **

Veruntamen decet aſciſcere, donec ſuperet plebs nobiles & medios, & non ultra hoc progredi. Nam ſi ſine modo numero vicerint ipſos, & rempublicam reddunt confuſiorem, & nobiles magis exacuunt, ut ægre ferant, ſe regi ab ea multitudine.

Δεῖ μέντοι προσλαμβάνειν, μέχρις ἂν ὑπερτείνῃ τὸ πλῆθος τῶν γνωρίμων καὶ τῶν μέσων, καὶ τούτου μὴ πέρα προβαίνειν. ὑπερβάλλοντες γὰρ, ἀτακτοτέραν τε ποιοῦσι τὴν πολιτείαν, καὶ τοὺς γνωρίμους, πρὸς τὸ χαλεπῶς ὑπομένειν τὴν δημοκρατίαν, παροξύνουσι μᾶλλον.

§. 25. Quæ res Cyrenæ cauſa ſeditionis fuit. Paucum enim affine culpæ non aſpicitur: multum autem factum, ante oculos magis eſt.

§. 25. Ὅπερ συνέβη τῆς στάσεως αἴτιον γενέσθαι περὶ Κυρήνην. ὀλίγον μὲν γὰρ πονηρὸν παρορᾶται· πολὺ δὲ γινόμενον, ἐν ὀφθαλμοῖς μᾶλλόν ἐστιν.

§. 26. Amplius autem & hujuſcemodi conſulta proſunt hujuſcemodi populi ſtatui, quibus Cliſthenes Athenis uſus eſt, augere volens populi potentiam: & Cyrenæ, qui ſtatum multitudinis conſtituere.

§. 26. Ἔτι δὲ καὶ τὰ τοιαῦτα κατασκευάσματα χρήσιμα πρὸς τὴν δημοκρατίαν τὴν τοιαύτην, οἷς Κλεισθένης τε Ἀθήνησιν ἐχρήσατο βουλόμενος αὐξῆσαι τὸν δημοκρατίαν, καὶ περὶ Κυρήνην οἱ τὸν δῆμον καθιστάντες.

§. 27. Tribus enim aliæ conficiendæ ſunt plures,

§. 27. Φυλαί τε γὰρ ἕτεραι ποιητέαι (d) πλείους, καὶ

(a) *Deteriorem*) Jam de democratiæ deterrima agit ſpecie, quam dicit, in qua ultima & infima fex plebis imperii eſt particeps. PICCARTUS *p.* 892. *GOEB.*

(b) παρεκβαίνειν) Heinſius ſcribit προβαίνειν. Pulchre. *CONR.*

(c) κατασκευάζειν οὕτω) Quæ præceſſit particula μὲν indicat, aliquid ſubſequutum, cui potuit adjici δὲ. Et vero fortaſſis dixit Ariſtoteles aliquid hoc ſenſu: *At vero hæc demagogorum inſtitutio neutiquam omni ex parte proba eſt. Nec enim prodeſt ita ſimpliciter, quosvis in numerum civium recipere. CONR.*

(d) ἕτεραι ποιητέαι) Lambinus cenſet, inter duas haſce voculas inſerendum: καὶ αἱ ἐνυπαρχοῦσαι, hoc ſenſu: *ideoque aliæ tribus facienda ſunt, & quæ in urbe inſunt multiplicandæ & ſodalitates.* At vero ſimulac *aliæ tribus* inſtituuntur, jam *plures* ſolito inſtituuntur. Lambini igitur emendatione non eſt opus. Magis liquet, vocem φρατρίαι nimis nude collocari. Itaque malim legere: καὶ πλείους φρατρίαι. *CONR.*

plures, & conventus per privata ſacra in pauca & communia redigendi ſunt: & cuncta vafre facienda, ut quam maxime fieri poteſt, commiſceantur omnes inter ſe, conſvetudines autem priores dirimantur.

καὶ φρατρίαι· καὶ τὰ τῶν ἰδίων ἱερῶν συνακτέον εἰς ὀλίγα καὶ κοινά· καὶ πάντα σοφιστέον, ὅπως ἂν ὅτι μάλιστα ἀναμιχθῶσι πάντες ἀλλήλοις, αἱ δὲ συνήθειαι διαζευχθῶσιν αἱ πρότερον.

§. 28. Amplius autem & tyrannica conſulta videntur cuncta popularia. Dico autem, ceu & licentia ſervorum (hæc autem foret quodamtenus utilis) & fœminarum, & puerorum.

§. 28. Ἔτι δὲ καὶ τὰ τυραννικὰ κατασκευάσματα, δημοτικὰ δοκεῖ πάντα· λέγω δ', οἷον ἀναρχία τε δούλων (αὕτη δ' ἂν εἴη μέχρι του συμφέρουσα·) καὶ γυναικῶν, καὶ παίδων.

§. 29. Et ſinere, ut vivat unusquisque, ut vult. Multi enim erunt, qui hujuscemodi reipublicæ opitulentur. jucundius enim eſt multis vivere ſolute, quam temperanter.

§. 29. Καὶ τὸ ζῆν ὅπως τις βούλεται, παρορᾶν· πολὺ γὰρ ἔσται τὸ τῇ τοιαύτῃ πολιτείᾳ βοηθοῦν. ἥδιον γὰρ τοῖς πολλοῖς τὸ ζῆν ἀτάκτως, ἢ τὸ σωφρόνως.

# CAPUT V.

§. 1.

VII. Eſt autem *legiſlatoris* (a) officium & eorum, qui coagmentare volunt hujuscemodi quandam rempubl. non fabricare maximum opus: neque ſolum unum, ſed magis videre, ut conſervetur. Unum enim, vel duos, vel tres dies, manere haud difficile eſt illos etiam, qui verſantur in republica quoquomodo.

§. 1.

VII. Ἔστι δ' ἔργον τοῦ νομοθέτου (c) καὶ τῶν βουλομένων συνιστάναι τινὰ τοιαύτην πολιτείαν, οὐ τὸ καταστῆσαι μέγιστον ἔργον, οὐδὲ μόνον ἕν, (d) ἀλλ' ὅπως σώζηται μᾶλλον. μίαν γάρ, ἢ δύο, ἢ τρεῖς ἡμέρας, οὐ χαλεπὸν μεῖναι, πολιτευομένους ὁπωσοῦν.

§. 2. Quare oportet, de quibus prius animadverſum eſt, quæ incolumitates & interitus rerumpublicarum ex his eniti ponere ipſas in tuto: caventes quidem, quæ perimunt, figentes autem hujuscemodi leges, & non ſcriptas & ſcriptas, quæ amplexantur maxime ea, quæ conſervant respublicas.

§. 2. Διὸ δεῖ περὶ ὧν τεθεώρηται πρότερον, τίνες σωτηρίαι καὶ φθοραὶ τῶν πολιτειῶν, ἐκ τούτων πειρᾶσθαι κατασκευάζειν τὴν ἀσφάλειαν. εὐλαβουμένους μὲν τὰ φθείροντα, τιθεμένους δὲ τοιούτους νόμους καὶ τοὺς ἀγράφους καὶ τοὺς γεγραμμένους, οἳ περιλήψονται μάλιστα τὰ σώζοντα τὰς πολιτείας.

§. 3. Et non arbitrari hoc eſſe populare, ſive accommodatum paucorum dominatui: quod efficiet, ut civitas, quam maxime fieri poteſt, ſit in poteſtate populi aut paucorum: ſed quod plurimo tempore.

§. 3. Καὶ μὴ νομίζειν τοῦτ' εἶναι δημοτικόν, μηδ' ὀλιγαρχικόν, ὃ ποιήσει τὴν πόλιν ὅτι μάλιστα δημοκρατεῖσθαι, ἢ ὀλιγαρχεῖσθαι· ἀλλ' ὃ πλεῖστον χρόνον.

§. 4. Qui autem nunc ſunt fautores populi, gratificantes populis, multa publicant per occaſionem judiciorum.

§. 4. Οἱ δὲ νῦν δημαγωγοί, χαριζόμενοι τοῖς δήμοις, πολλὰ δημεύουσι διὰ τῶν δικαστηρίων.

§. 5. Quare oportet contra hæc comparare præſidia eos, qui rempublicam ſalvam volunt, legem figentes, nihil eſſe publicum e bonis damnatorum, & quæ referuntur ad ærarium, ſed ſacrum. Qui enim injuſte ſe gerunt, nihilominus malum cavebunt: multabuntur enim eodem pacto. fæx autem populi minus reos damnabit, captura nihil earum pœnarum.

§. 5. Διὸ δεῖ πρὸς ταῦτα ἀντιπράττειν τοὺς κηδομένους τῆς πολιτείας, νομοθετοῦντας μηδὲν εἶναι δημόσιον τῶν καταδικαζομένων καὶ φερόντων πρὸς τὸ κοινόν, ἀλλ' ἱερόν. οἱ μὲν γὰρ ἀδικοῦντες, οὐδὲν ἧττον εὐλαβεῖς (e) ἔσονται· ζημιώσονται γὰρ ὁμοίως. ὁ δ' ὄχλος ἧττον καταψηφιεῖται τῶν κρινομένων, λήψεσθαι μηθὲν μέλλων.

§. 6. Amplius autem cauſas publicas quam pauciſſimas ſemper facere, magnis pœnis propoſitis abſterrentes eos, qui temere aliquibus judicii periculum creant. Neque enim plebeios, ſed nobiles morem habent in judicium vocare. (b)

§. 6. Ἔτι δὲ τὰς γινομένας δημοσίας δίκας, ὡς ὀλιγίστας ἀεὶ ποιεῖν, μεγάλοις ἐπιτιμίοις τοὺς εἰκῇ γραφομένους κωλύοντας. οὐ γὰρ τοὺς δημοτικούς, ἀλλὰ τοὺς γνωρίμους εἰώθασιν εἰσάγειν.

§. 7. Oportet autem etiam reipublicæ cunctos cives maxime benevolos eſſe: ſin, non utique hoſtes ipſi reddere, qui ſummas opes habent.

§. 7. Δεῖ δὲ καὶ τῇ πολιτείᾳ πάντας μάλιστα μὲν εὔνους εἶναι τοὺς πολίτας· εἰ δὲ μή, μή τί γε (f) ὡς πολεμίους νομίζειν τοὺς κυρίους.

§. 8. §. 8.

(a) *Legiſlatoris*) Continuat Ariſtoteles tradere præcepta, quæ in teterrima reipublicæ ſpecie ſunt obſervanda. PICCART. FELDEN. *GOEB.*

(b) *Vocare*) HERTIUS *part. II. elem. prud. civil. §. IX. GOEB.*

(c) ἔργον τοῦ νομ.) Illud ἔργον abundare, recte advertit Lambinus: paulo enim poſt repetitur: abjiciendum itaque eſt. Heinſius ſcribit ingenioſe: ἔστι δὲ γοῦν τοῦ νομοθέτου. CONR.

(d) μόνον ἕν) Illud ἕν itidem eſt ſuperfluum: nec habetur in aldino codice. *CONR.*

(e) ἧττον εὐλαβεῖς) Eleganter emendat Camerarius ἀβλαβεῖς, *nihilominus ita punientur ſontes.* CONR.

(f) μὴ τί γε) Aldus: μή τοί γε. CONR.

§. 8. Quia autem noviſſimi populi ſtatus multorum hominum ſunt, & arduum eſt colere conciones ſine mercede: hoc autem, ubi vectigalia non ſunt, hoſtile eſt nobilibus. (A tributis enim & publicatione bonorum neceſſe eſt provenire ac judiciis improbis: quæ res multos jam populares ſtatus everterunt.) Ubi igitur vectigalia non ſunt, oportet paucas facere conciones, & judicia de multis quidem rebus, quæ tamen paucis diebus fiant.

§. 9. Hoc enim valet quidem & ad id, ne divites metuant ſumtus, ſi merces operæ poſitæ in judicandis litibus non detur copioſis: egentes autem taceant. Valet autem & ad illud, ut cauſæ exiſtimentur multo melius. copioſi enim nolunt multos dies a propriis rebus abeſſe: breve autem tempus non recuſant.

§. 10. Ubi autem ſunt vectigalia, non facere, quod nunc populares faciunt. Quæ namque ſuperſunt, dividunt. Sumunt autem ſimul, & rurſus egent iisdem. Perforatum enim eſt dolium mendicis hujuſcemodi auxilium.

§. 11. Sed decet vere popularem videre, ne plebs valde prematur egeſtate: hoc enim cauſa eſt, ut ſtatus populi ſit pravus. Danda igitur opera, ut diuturna ſit ubertas.

§. 12. Quia autem prodeſt hoc etiam copioſis iis, quæ a vectigalibus proveniunt congeſtis, confertim ipſa tribuere oportet egentibus: maxime quidem, ſi quis poteſt tantum cogere, quantum ad agellum emendum ſatis eſt. Si autem non, quod ad anſam quandam mercaturæ vel culturæ agri accommodatum ſit. Et ſi non cunctis hoc tribui poteſt, ſaltim per tribus, aut partem aliquam aliam viciſſim tribuere.

§. 13. In hoc autem ad neceſſarios congreſſus conferre divites mercedem, ſolutos a muneribus ſupervacaneis.

§. 14. Hujuſcemodi autem quodam modo Carthaginienſes rempublicam adminiſtrantes, amicum habent populum: ſemper enim aliquos mittentes e populo ad oppida ſuæ ditionis gubernanda, reddunt ipſos copioſos.

§. 15. Eſt autem elegantium, & ſapientium nobilium, ut dividentes inter ſe egentes, & anſas ipſis dantes, convertant ad operam molienda.

§. 16. Belle autem ſe habet imitari etiam inſtituta Tarentinorum. Illi enim communia bona ſua, quod ad uſum pertinet, facientes cum egentibus, benevolam ſibi comparant multitudinem. Amplius autem magiſtratus omnes fecerunt duplices: hos quidem ſuffragiis delectos, hos vero ſorte ductos, ut populus particeps ſit: ſuffragiis autem creatos, ut melius rempublicam gubernent.

§. 17. Licet autem hoc facere, & ejuſdem magiſtratus partientes: hos quidem ſorte ductos creare, hos autem ſuffragiis.

§. 18.

§. 8. Ἐπεὶ δ' αἱ τελευταῖαι δημοκρατίαι πολυάνθρωποί τέ εἰσι, καὶ χαλεπὸν ἐκκλησιάζειν ἀμίσθους, τοῦτο δ' ὅπου πρόσοδοι μὴ τυγχάνουσιν οὖσαι, πολέμιον τοῖς γνωρίμοις· (ἀπό τε γὰρ εἰσφορᾶς (a) καὶ δημεύσεως ἀναγκαῖον γίνεσθαι καὶ δικαστηρίων φαύλων· ἃ πολλὰς ἤδη δημοκρατίας ἀνέτρεψεν·) ὅπου μὲν οὖν πρόσοδοι μὴ τυγχάνουσιν οὖσαι, δεῖ ποιεῖν ὀλίγας ἐκκλησίας, καὶ δικαστήρια πολλῶν μὲν ὀλίγας δ' ἡμέρας.

§. 9. Τοῦτο γὰρ φέρει (b) μὲν καὶ πρὸς τὸ μὴ φοβεῖσθαι τοὺς πλουσίους τὰς δαπάνας, ἐὰν οἱ μὲν εὔποροι μὴ λαμβάνωσι δικαστικὸν, οἱ δ' ἄποροι. (c) φέρει δὲ καὶ πρὸς τὸ κρίνεσθαι τὰς δίκας πολὺ βέλτιον. οἱ γὰρ εὔποροι, πολλὰς μὲν ἡμέρας οὐκ ἐθέλουσιν ἀπὸ τῶν ἰδίων ἀπεῖναι· βραχὺν δὲ χρόνον ἐθέλουσιν.

§. 10. Ὅπου δ' εἰσὶ πρόσοδοι, μὴ ποιεῖν ὃ νῦν οἱ δημαγωγοὶ ποιοῦσι· τὰ γὰρ περιόντα νέμουσι. λαμβάνουσι δὲ ἅμα, καὶ πάλιν δέονται τῶν αὐτῶν. ὁ τετρημένος γάρ ἐστι πίθος ἡ τοιαύτη βοήθεια τοῖς ἀπόροις.

§. 11. Ἀλλὰ δεῖ τὸν ἀληθινῶς δημοτικὸν, ὁρᾶν ὅπως τὸ πλῆθος μὴ λίαν ἄπορον ᾖ· τοῦτο γὰρ αἴτιον τοῦ μοχθηρὰν εἶναι τὴν δημοκρατίαν. τεχναστέον οὖν ὅπως ἂν εὐπορία γένοιτο χρόνιος.

§. 12. Ἐπεὶ δὲ συμφέρει τοῦτο καὶ τοῖς εὐπόροις, τὰ μὲν ἀπὸ τῶν προσόδων γινόμενα συναθροίζοντας, ἀθρόα χρὴ διανέμειν τοῖς ἀπόροις· μάλιστα μὲν εἴ τις δύναται τοσοῦτον ἀθροίζων (d) ὅσον εἰς γηδίου κτῆσιν· εἰ δὲ μὴ, πρὸς ἀφορμὴν εὐπορίας (e) καὶ γεωργίας· καὶ εἰ μὴ πᾶσι δυνατὸν, ἀλλὰ κατὰ φυλὰς, ἤ τι μέρος ἕτερον ἐν μέρει διανέμειν.

§. 13. Ἐν δὲ τούτῳ πρὸς τὰς ἀναγκαίας συνόδους τοὺς εὐπόρους εἰσφέρειν τὸν μισθὸν, ἀφιεμένους τῶν ματαίων λειτουργιῶν.

§. 14. Τοιοῦτον δέ τινα τρόπον Καρχηδόνιοι πολιτευόμενοι, φίλον κέκτηνται τὸν δῆμον. ἀεὶ γάρ τινας ἐκ πέμποντες τοῦ δήμου πρὸς τὰς περιοικίδας, (f) ποιοῦσιν εὐπόρους.

§. 15. Χαριέντων δ' ἐστὶ καὶ νοῦν ἐχόντων γνωρίμων. καὶ διαλαμβάνοντας τοὺς ἀπόρους, ἀφορμὰς μὲν (g) διδόντας, τρέπειν ἐπ' ἐργασίας.

§. 16. Καλῶς δ' ἔχει μιμεῖσθαι καὶ τὰ Ταραντίνων, ἐκεῖνοι γὰρ, κοινὰ ποιοῦντες τὰ κτήματα τοῖς ἀπόροις ἐπὶ τὴν χρῆσιν, εὔνουν παρασκευάζουσι τὸ πλῆθος. ἔτι δὲ τὰς ἀρχὰς πάσας ἐποίησαν διττὰς, τὰς μὲν, αἱρετὰς, τὰς δὲ, κληρωτάς. τὰς μὲν κληρωτὰς, ὅπως ὁ δῆμος αὐτῶν μετέχῃ· τὰς δ' αἱρετὰς, ἵνα πολιτεύωνται βέλτιον.

§. 17. Ἔστι δὲ τοῦτο ποιῆσαι, καὶ τῆς ἀρχῆς αὐτῆς μερίζοντας, τοὺς μὲν κληρωτοὺς, τοὺς δ' αἱρετούς.

§. 18.

(a) ἀπό τε γὰρ εἰσφορᾶς) Parentheſeos notam addidi ego. CONR.

(b) οὗτο γὰρ φέρει) Margo iſengriniani codicis: συμφέρει. Non male. Fuerit autem eodem modo ſcribendum & paulo poſt: συμφέρει δὲ. CONR.

(c) οἱ δ' ἄποροι) Ut ingratæ ellipſi medeamur, addi poteſt λαμβάνωσι. CONR.

(d) τοσοῦτον ἀθροίζων) Optime Sylburgius: ἀθροίζειν. CONR.

(e) ἀφορμὴν εὐπορίας) At vero tenui illa pecuniola qui poſſit plebs pervenire ad εὐπορίαν? Scribendum igitur ἐμπορίαν: quemadmodum etiam verterunt Lambinus, Giphanius, Sepulveda, Aretinus, & ipſe interpres Vetus. CONR.

(f) πρὸς τὰς περιοικίδας) Aldus: περιοικίας. Utrumque tolerabile. Aldinum tamen videtur rectius. CONR.

(g) ἀφορμὰς μὲν) Illud μὲν ſuperfluum eſt: nec habetur in codice aldino. CONR.

§. 18. Quomodo igitur decet, ſtatus populi fabricare, dictum eſt.

§. 18. Πῶς μὲν οὖν δεῖ τὰς δημοκρατίας κατασκευάζειν, εἴρηται.

# CAPUT VI.

§. 1.

IIX. Ferme autem & quomodo decet, quæ ad paucorum *dominatus* (a) faciunt, ex his manifeſtum eſt.

§. 1.

IIX. Σχεδὸν δὲ καὶ περὶ τὰς ὀλιγαρχίας πῶς δεῖ, (f) φανερὸν ἐκ τούτων.

§. 2. E contrariis enim oportet colligere, ſingulos paucorum dominatus ad contrarium ſtatum populi referentem. Bene quidem *temperatum* (b) maxime paucorum dominatum, & primum.

§. 2. Ἐκ τῶν ἐναντίων γὰρ δεῖ συνάγειν ἑκάστην ὀλιγαρχίαν πρὸς τὴν ἐναντίαν δημοκρατίαν ἀναλογιζόμενον· τὴν μὲν εὔκρατον μάλιστα τῶν ὀλιγαρχιῶν καὶ πρώτην. (g)

** **

§. 3. Hic autem eſt, qui prope vocatam remp. eſt, qua decet cenſus dividere, hos quidem majores, hos autem majores efficientes. Minores quidem, unde neceſſariorum magiſtratuum communicabunt: majores autem, unde magis ratorum: atque ei, qui pervenit ad cenſum, licere participi eſſe reipublicæ, tantum inducente populo numerum per cenſum, cum quo firmiores erunt illis, qui participes non ſunt. Semper autem oportet aſciſcere e meliore populo ſocios reipublicæ.

§. 3. Αὕτη δ' ἐστὶν ἡ σύνεγγυς τῆ καλουμένη πολιτείας, ἡ δεῖ (h) τὰ τιμήματα διαιρεῖν, τὰ μὲν ἐλάττω, τὰ δὲ μείζω ποιοῦντας. ἐλάττω μὲν, ἀφ' ὧν τῶν ἀναγκαίων μεθέξουσιν ἀρχῶν· μείζω δ', ἀφ' ὧν τῶν κυριωτέρων· τῷ τε κτωμένῳ (i) τὸ τίμημα μετέχειν ἐξεῖναι τῆς πολιτείας, τοσοῦτον εἰσαγομένους τοῦ δήμου πλῆθος διὰ τοῦ τιμήματος, μεθ' οὗ κρείττονες ἔσονται τῶν μὴ μετεχόντων. ἀεὶ δὲ δεῖ παραλαμβάνειν ἐκ τοῦ βελτίονος δήμου τοὺς κοινωνούς.

§. 4. Pariter autem & continentem paucorum dominatum intendentes, parvum oportet fabricare.

§. 4. Ὁμοίως δὲ καὶ τὴν ἐχομένην ὀλιγαρχίαν ἐπιτείνοντας δεῖ μικρὸν κατασκευάζειν.

§. 5. Ille autem, qui oppoſitus eſt poſtremo ſtatui populari, quique eſt maxime violentus & tyrannicus paucorum dominatuum, quanto peſſimus eſt, tanto plurima eget cuſtodia.

§. 5. Τῇ δ' ἀντικειμένῃ τῇ τελευταίᾳ δημοκρατίᾳ, τῇ δυναστικωτάτῃ καὶ τυραννικωτάτῃ τῶν ὀλιγαρχιῶν, ὅσωπερ χειρίστη, τοσούτῳ δεῖ πλείονος φυλακῆς.

§. 6. Quemadmodum enim corpora bene conſtituta ad valetudinem, & naves bene inſtructæ nautis ad navigandum, plura errata ſuſtinent, ut non pereant ſuo vitio; quæ autem corpora valetudinaria ſunt, & naves parum firmæ, quæque nactæ ſunt malos nautas, ne puſilla quidem ferre poſſunt errata: ſic & rerumpublicarum peſſimæ plurima egent cuſtodia.

§. 6. Ὥσπερ γὰρ, τὰ μὲν σώματα εὖ διακείμενα πρὸς ὑγίειαν, καὶ πλοῖα τὰ πρὸς ναυτιλίαν καλῶς ἔχοντα τοῖς πλωτῆρσιν, ἐπιδέχεται πλείους ἁμαρτίας, ὥστε μὴ φθείρεσθαι δι' αὐτάς· τὰ δὲ νοσερῶς ἔχοντα τῶν σωμάτων, καὶ τὰ τῶν πλοίων ἐκλελυμένα, καὶ πλωτήρων τετυχηκότα φαύλων, οὐδὲ τὰς μικρὰς δύναται φέρειν ἁμαρτίας· οὕτω καὶ τῶν πολιτειῶν αἱ χείρισται, πλείστης δέονται φυλακῆς.

§. 7. Status igitur populi omnino multitudo hominum conſervat (hoc enim opponitur juſto, quod dignitate conſtat) paucorum autem dominatum perſpicuum eſt contra oportere ſalutem adipiſci a modeſtia.

§. 7. Τὰς μὲν οὖν δημοκρατίας ὅλως ἡ πολυανθρωπία σώζει· τοῦτο γὰρ ἀντίκειται πρὸς τὸ δίκαιον τὸ κατὰ τὴν ἀξίαν· τὴν δ' ὀλιγαρχίαν, δῆλον ὅτι τοὐναντίον ὑπὸ τῆς εὐταξίας δεῖ τυγχάνειν τῆς σωτηρίας.

# CAP. VII.

§. 1.

IX. *Quia autem* (c) *quatuor* (d) quidem ſunt partes maxime multitudinis, agricolæ, opifices, forenſes, operarii: quatuor autem & quæ ſerviunt bello, *equites*, (e) gravis armaturæ milites, levis armaturæ, nautæ.

§. 2.

§. 1.

IX. Ἐπεὶ δὲ τέτταρα μέν ἐστι μέρη μάλιστα τοῦ πλήθους, γεωργικὸν, βάναυσον, (k) ἀγοραῖον, θητικόν. τέτταρα δὲ τὰ χρήσιμα πρὸς πόλεμον· ἱππικὸν, ὁπλιτικὸν, ψιλὸν, ναυτικόν.

§. 2.

(a) *Dominatus*) Sequitur nunc tractatio de oligarchiæ inſtit. & conſervandæ rationibus. PICCART. *GOEB.*

(b) *Temperatum*) Primum de optima agit oligarchia, deinde ad alias ejus progreditur ſpecies. PICCART. *p.* 909. *ſeqq.* *GOEB.*

(c) *Quia autem*) Pergit loqui de inſtituendis & conſervandis oligarchiis. *GOEB.*

(d) *Quatuor*) Cives hic dividuntur tam pro ſtatu pacis, quam pro ſtatu belli. PICCART. *p.* 914. *ſeqq.* *GOEB.*

(e) *Equites*) Iſta militum genera & apud Romanos erant. vid. LIPSII librum *de militia romana* & ejus *analecta*. LIPSIUS ſua debet FRANCISCI PATRITII *libro* de hoc argumento italice conſcripto. Continuata deinde ſunt in variis gentibus, usque ad noſtra tempora. *GOEB.*

(f) πῶς δεῖ) κατασκευάζειν ſcilicet. Hoc enim repetendum ex ultimo commate capitis præcedentis. *CONR.*

(g) καὶ πρώτην) Aliquid deeſſe, dictio ipſa clamat. Dudum in codice meo addideram: πρὸς τὴν πρώτην δημοκρατίαν. Obſervo jam & Lambino videri addendum: πρὸς τὴν βελτίστην δημοκρατίαν καὶ πρώτην. *CONR.*

(h) ἡ δεῖ) Recte Lambinus: ἐν ᾗ δεῖ. *CONR.*

(i) τῷ τε κτωμένῳ) Scripſerim ὡς τῷ κτωμένῳ. *CONR.*

(k) βάναυσον) Aldus & Camerarius: τὸ βαναυσικόν. Idque rectius reſpondet τῷ γεωργικῷ καὶ θητικῷ. *CONR.*

§. 2. Ubi quidem contigit agrum equis accommodatum eſſe, hic quidem natura aliquo modo factum eſt, ut conſtituatur validus paucorum dominatus. Incolumitas enim perveniet ad eos, qui illic habitant, ab hoc præſidio: alere enim equos, proprium eſt eorum, qui ampla patrimonia habent.

§. 3. Ubi autem gravis armaturæ pedites proximum paucorum dominatum. genus enim hoc militiæ peculiare magis eſt copioſorum hominum, quam egentium.

§. 4. Levis autem copia & navalis penitus congruit ſtatui multitudinis. Nunc igitur, ubi talis magna multitudo eſt, cum diſcordarint, ſæpe deterius pugnant.

§. 5. Decet autem adverſus hoc capere remedium a belli ducibus, qui ad equeſtrem vim ac poteſtatem, & graves pedites, jungunt, quæ congruit, levis armaturæ copiam.

§. 6. Hac autem ratione ſuperant populi in ſeditionibus copioſos. leves enim exiſtentes adverſus equeſtrem & gravem copiam facile pugnant. Ex his igitur hanc copiam conſtituere, contra ſemetipſos eſt conſtituere.

§. 7. Oportet autem diviſa ætate, & his quidem ſenibus, his autem adoleſcentibus adhuc, adoleſcentes filios ſuos docere levia & tenuia munera: delectos autem e pueris, athletas ipſos eſſe operum.

§. 8. Poteſtatem autem multitudini facere perveniendi ad honores. ſive quemadmodum dictum eſt prius, poſſidentibus cenſum: ſive, quemadmodum apud Thebanos, iis, qui ſe abſtinuerint ad certum tempus a ſordidis operibus: ſive, ut Maſſiliæ fit, exiſtimatione facta hominum, qui digni ſint, ſive cives fuerint, ſive extra poſiti.

§. 9. Adhuc autem & magiſtratibus maxime ratis, quos decet compotes reipublicæ obtinere, opus eſt munera quædam obeunda injungere, ut ſponte ſua populus non ſit eorum particeps, & veniam det imperia illa habentibus, ut mercedem magnam ſolventibus ejus poteſtatis.

§. 10. Congruit autem, ut magiſtratus ineuntes faciant magnifica ſacrificia, & fabricent aliquid publicorum operum, ut eorum, quæ faciunt ad epulas particeps populus, & urbem aſpiciens ornatam, & donis in fanis poſitis, & ædificiis, libenter videat remp. ſtantem. Continget autem & nobilibus monimenta extare ſumtuum.

§. 11. Sed hoc hodie minime faciunt compotes paucorum dominatuum, verum contrarium: non minus enim captant quæſtum, quam honorem. ut belle liceat hos vocare ſtatus populi puſillos.

§. 12. Quomodo igitur decet conſtituere ſtatus populi & dominatus paucorum, definitum ſit hoc modo.

** **

** **

§. 2. Ὅπȣ μὲν συμβέβηκε τὴν χώραν εἶναι ἱππάσιμον, ἐνταῦθα μὲν εὐφυῶς ἔχει κατασκευάζειν τὴν ὀλιγαρχίαν ἰσχυράν. ἡ γὰρ σωτηρία τοῖς οἰκȣ̃σι διὰ ταύτης ἐςὶ τῆς δυνάμεως· αἱ δ᾽ ἱπποτροφίαι, τῶν μακρὰς ȣ̓σίας κεκτημένων εἰσίν.

§. 3. Ὅπȣ δ᾽ ὁπλίτην, (a) τὴν ἐχομένην ὀλιγαρχίαν. τὸ γὰρ ὁπλιτικὸν, τῶν εὐπόρων ἐςὶ μᾶλλον ἢ τῶν ἀπόρων.

§. 4. Ἡ δὲ ψιλὴ δύναμις καὶ ναυτικὴ, δημοκρατικὴ πάμπαν. νῦν μὲν ȣ̃ν ὅπȣ τοιȣ̃τον πολὺ πλῆθός ἐςιν, ὅταν διαςῶσι, πολλάκις ἀγωνίζονται χεῖρον.

§. 5. Δεῖ δὲ πρὸς τȣ̃το φάρμακον παρὰ τῶν πολεμικῶν λαμβάνειν ςρατηγῶν· οἳ συνδυάζȣσι πρὸς τὴν ἱππικὴν δύναμιν καὶ τὴν ὁπλιτικὴν, τὴν ἁρμόττȣσαν τῶν ψιλῶν.

§. 6. Ταύτῃ δ᾽ ἐπικρατȣ̃σιν ἐν ταῖς διαςάσεσιν οἱ δῆμοι τῶν εὐπόρων. ψιλοὶ γὰρ ὄντες, πρὸς ἱππικὴν καὶ ὁπλιτικὴν ἀγωνίζονται ῥᾳδίως. τὸ μὲν ȣ̃ν ἐκ τȣ́των καθιςάναι ταύτην τὴν δύναμιν, ἐφ᾽ ἑαυτȣ̀ς ἐςι καθιςάναι.

§. 7. Δεῖ δὲ διῃρημένης τῆς ἡλικίας, καὶ τῶν μὲν ὄντων πρεσβυτέρων, τῶν δὲ νέων, ἔτι μὲν ὄντας νέȣς τȣ̀ς αὐτῶν υἱεῖς διδάσκεσθαι τὰς κȣ́φας καὶ τὰς ψιλὰς ἐργασίας· ἐκκεκριμένȣς δὲ ἐκ παίδων, ἀθλητὰς εἶναι αὐτȣ̀ς τῶν ἔργων. (b)

§. 8. Τὴν δὲ μετάδοσιν γίνεσθαι τῷ πλήθει τȣ̃ πολιτεύματος. ἤτοι, καθάπερ εἴρηται πρότερον, τοῖς τὸ τίμημα κτωμένοις· ἢ, καθάπερ Θηβαίοις, ἀποσχομένοις χρόνον τινὰ τῶν βαναύσων ἔργων· ἢ, καθάπερ ἐν Μασσαλίᾳ, κρίσιν ποιȣμένȣς τῶν ἀξίων τῶν ἐν τῷ πολιτεύματι καὶ τῶν ἔξωθεν.

§. 9. Ἔτι δὲ καὶ ταῖς ἀρχαῖς ταῖς κυριωτάταις, ἃς δεῖ τȣ̀ς ἐν τῇ πολιτείᾳ κατέχειν, δεῖ προσκεῖσθαι λειτȣργίας, ἵν᾽ ἑκὼν ὁ δῆμος μὴ μετέχῃ, καὶ συγγνώμην ἔχῃ τοῖς ἄρχȣσιν, ὡς μισθὸν πολὺν διδȣ̃σι τῆς ἀρχῆς.

§. 10. Ἁρμόττει δὲ θυσίας τε εἰσιόντας ποιεῖσθαι μεγαλοπρεπεῖς· καὶ κατασκευάζειν τι τῶν κοινῶν, ἵνα τῶν περὶ τὰς ἑςιάσεις μετέχων ὁ δῆμος, καὶ τὴν πόλιν ὁρῶν κοσμȣμένην, τὰ μὲν ἀναθήμασι, τὰ δὲ οἰκοδομήμασιν, ἄσμενος ὁρᾷ μένȣσαν τὴν πολιτείαν. συμβήσεται δὲ καὶ τοῖς γνωρίμοις εἶναι μνημεῖα τῆς δαπάνης.

§. 11. Ἀλλὰ τȣ̃το νῦν οἱ περὶ τὰς ὀλιγαρχίας ȣ̓ ποιȣ̃σιν, ἀλλὰ τȣ̓ναντίον· τὰ λήμματα γὰρ ζητȣ̃σιν ȣ̓χ ἧττον, ἢ τὴν τιμήν. διόπερ εὖ ἔχει λέγειν ταύτας εἶναι δημοκρατίας μικράς.

§. 12. Πῶς μὲν ȣ̃ν χρὴ καθιςάναι τὰς δημοκρατίας καὶ τὰς ὀλιγαρχίας, διωρίσθω τὸν τρόπον τȣ̃τον. (c)

** **

** **

CAP. IIX.

(a) ὁπλίτην) Lambinus ὁπλίτιν ſcilicet χώραν: *ubi vero regio ad pedites gravioris armaturæ accommodata eſt.* Camerarius eodem reſpiciens ſcribit: ὁπλιτικήν. CONR.

(b) τῶν ἔργων) Hanc lectionem plerique interpretum probant. Camerarius tamen mavult: ἐλέγων. Non multum refert. CONR.

(c) διωρίσθω τὸν τρόπον ȣ̃τον). Jam in introductione monuimus, deſiderari hic integram doctrinam de conſtitutione ariſtocratiarum, & politiarum, ſi non & monarchiarum. Hujus appendix præter alia videtur eſſe doctrina de magiſtratibus: quam præceſſit indubie doctrina de conſilio & ſumma poteſtate, & ſubſecuta eſt doctrina de judiciis. Quæ itidem perierunt. Præmiſſa autem hæc fuerunt doctrinæ de mixtis rebuspublicis, quod mixtio omnis conſiſtat in varia trium horum conſtitutione: ceu liquet etiam ex libri quarti capitibus ultimis quatuor. CONR.

Digitized by Google

# CAP. IIX.

§. 1.

X. *Sequitur*, (a) quæ tradita ſunt, ut diſtinguantur recte ea, quæ pertinent ad magiſtratus: quot ſint, & qui, & quarum rerum, quemadmodum dictum eſt etiam prius.

X. Ἀκόλουθον δὲ τοῖς εἰρημένοις ἐστὶ, τὸ διῃρῆσθαι καλῶς τὰ περὶ τὰς ἀρχὰς, πόσαι, καὶ τίνες, καὶ τίνων, καθάπερ εἴρηται καὶ πρότερον.

§. 2. Sine magiſtratibus enim neceſſariis, fieri non poteſt, ut civitas ſit: ſine iis autem, qui faciunt ad modeſtiam & ornatum, fieri non poteſt, ut bene illic vivatur. Amplius autem neceſſum eſt, in parvis pauciores magiſtratus eſſe, in magnis autem plures: ut prius dictum eſt.

§. 2. Τῶν μὲν γὰρ ἀναγκαίων ἀρχῶν χωρὶς ἀδύνατον εἶναι πόλιν· τῶν δὲ πρὸς εὐταξίαν καὶ κόσμον, ἀδύνατον οἰκεῖσθαι καλῶς. ἔτι δ' ἀναγκαῖον, ἐν μὲν ταῖς μικραῖς ἐλάττους εἶναι τὰς ἀρχάς· ἐν δὲ ταῖς μεγάλαις, πλείους, ὥσπερ τυγχάνει πρότερον εἰρημένον.

§. 3. Quales igitur decet in unum redigere, & quales partiri, opus eſt minime fallere.

§. 3. Ποίας οὖν ἁρμόττει συνάγειν, καὶ ποίας χωρίζειν, δεῖ μὴ λανθάνειν.

§. 4. Primum igitur cura ſtudiumque neceſſariorum, quæ circa *forum* (b) eſt, cui muneri opus eſt aliquem magiſtratum propoſitum eſſe, attendentem, quæ faciunt ad commercia & ornatum. neceſſe namque ferme eſt omnibus civitatibus, quædam emere, quædam vendere, ad neceſſarium uſum, quo inter ſe tenentur. Et hoc eſt, quod inprimis requiritur ad bene vivendum, cujus gratia videntur in unam rempublicam confluxiſſe.

§. 4. Πρῶτον μὲν οὖν ἐπιμέλεια τῶν ἀναγκαίων ἡ περὶ τὴν ἀγορὰν, ἐφ' ᾗ δεῖ τινα ἀρχὴν εἶναι τὴν ἐφορῶσαν περί τε τὰ συμβόλαια καὶ τὴν εὐκοσμίαν. σχεδὸν γὰρ ἀναγκαῖον πάσαις ταῖς πόλεσι, τὰ μὲν ὠνεῖσθαι, τὰ δὲ πωλεῖν, πρὸς τὴν ἀλλήλων ἀναγκαίαν χρείαν. καὶ τοῦτ' ἐστιν ὑπογυότατον πρὸς αὐτάρκειαν, δι' ἣν δοκοῦσιν εἰς μίαν πολιτείαν συνελθεῖν.

§. 5. Alia autem *cura* (c) eſt, quæ hæret huic ac vicina eſt, rerum urbanarum, cum publicarum, tum privatarum, ut elegantia in urbe ſit, & labentium ædificiorum ac viarum incolumitas atque inſtauratio, & finium agrorum, ut nullæ lites inter cives exoriantur: & quæcunque alia hujus curæ ſimilia his ſunt. Vocant autem plerique hujuſcemodi magiſtratum aſtynomiam. habet autem partes numero plures; quorum alios aliis muneribus præficiunt in civitatibus amplioribus: ceu mœnibus ædificandis præfectos, & curatores fontium, & portuum cuſtodes.

§. 5. Ἑτέρα δὲ ἐπιμέλεια ταύτης ἐχομένη καὶ σύνεγγυς, ἡ τῶν περὶ τὸ ἄστυ δημοσίων καὶ ἰδίων, ὅπως εὐκοσμία ᾖ, καὶ τῶν πιπτόντων οἰκοδομημάτων καὶ ὁδῶν σωτηρία καὶ διόρθωσις, καὶ τῶν ὁρίων τῶν πρὸς ἀλλήλους, ὅπως ἀνεγκλήτως ἔχωσι· καὶ ὅσα τούτοις ἄλλα τῆς ἐπιμελείας ὁμοιότροπα. καλοῦσι δ' ἀστυνομίαν οἱ πλεῖστοι τὴν τοιαύτην ἀρχήν. ἔχει δὲ μόρια πλείω τὸν ἀριθμόν· ὧν ἑτέρους ἐφ' ἕτερα καθιστᾶσιν (g) ἐν ταῖς πολυανθρωποτέραις πόλεσιν· οἷον, τειχοποιοὺς, καὶ κρηνῶν ἐπιμελητὰς, καὶ λιμένων φύλακας.

§. 6. Alia autem neceſſaria & ipſa, & ſimilis huic: de iisdem enim rebus, verum in agro, & circa ea, quæ ſunt *extra urbem*. (d) Vocant autem hujuſcemodi præſides, hi quidem præfectos agrorum, hi vero ſylvarum cuſtodes.

§. 6. Ἄλλη δ' ἀναγκαία τε καὶ παραπλησία ταύτῃ. περὶ τῶν αὐτῶν μὲν γὰρ, ἀλλὰ περὶ τὴν χώραν ἐστὶ, καὶ τὰ περὶ (h) τὰ ἔξω τοῦ ἄστεος. καλοῦσι δὲ τοὺς ἄρχοντας τούτους, οἱ μὲν ἀγρονόμους, οἱ δ' ὑλωρούς.

§. 7. Hæ igitur curæ ſtudiaque ſunt horum tria.

§. 7. Αὗται μὲν οὖν ἐπιμέλειαι εἰσὶ τούτων τρεῖς.

§. 8. Alius autem magiſtratus eſt, ad quem vectigalia publica referuntur: a quibus, cuſtodientibus ipſa, partiuntur ad ſingulas diſpenſationes. Vocant autem receptores hos, & *quæſtores*. (e)

§. 8. Ἄλλη δ' ἀρχὴ πρὸς ἣν αἱ πρόσοδοι τῶν κοινῶν ἀναφέρονται· παρ' ὧν φυλαττόντων μερίζονται πρὸς ἑκάστην διοίκησιν. καλοῦσι δ' ἀποδέκτας τούτους, καὶ ταμίας.

§. 9. Alius autem *magiſtratus*, (f) apud quem deſcribi oportet & privatos contractus, & exiſtimationes cauſarum, factas a curiis. Apud eoſdem

§. 9. Ἑτέρα δ' ἀρχὴ πρὸς ἣν ἀναγράφεσθαι δεῖ τά τε ἴδια συμβόλαια, καὶ τὰς κρίσεις ἐκ τῶν δικαστηρίων. παρὰ δὲ τοῖς αὐτοῖς τούτοις (i) καὶ τὰς

(a) *Sequitur*) Pertractat in hoc capite de magiſtratibus, quos in republica eſſe oportet, multaque hic occurrunt præcepta ſumme utilia. FELDEN. PICCART. *GOEB.*

(b) *Forum*) Penes Romanos hæc cura ædilibus erat commiſſa. DION. *Halicarn. lib. 6. antiquit.* *GOEB.*

(c) *Cura*) Et hæc cura apud Romanos ædilium erat, qui in curules ex patriciis, & plebejos diſtinguebantur, KIPPING. *antiquit. Roman. lib. II. c.* 3. PERIONIUS *de magiſtrat. Græc. & Roman. p.* 629. Dolendum, in pleriſque Germaniæ urbibus hæc omnia negligenter admodum pertractari. *GOEB.*

(d) *Extra urbem*) PICCARTUS *p.* 929. 930. *GOEB.*

(e) *Quæſtores*) Græcis vocatos apodectas, teſtatur POLLUX *lib.* 8. & SUIDAS in voc. ἀποδέκται. De Romanorum quæſtoribus conf. SIGONIUS *de antiquo jure civium Romanorum c.* 16. Dividebanturque in urbanos & militares. Vid. PIGH. *Ann. Roman. tom. I.* *GOEB.*

(f) *Magiſtratus*) PICCART. p. 933. *GOEB.*

(g) ἐφ' ἕτερα καθιστᾶσιν) Aldus καθιστῶσιν. Parum intereſt. *CONR.*

(h) καὶ τὰ περὶ) Illud τὰ ſuperfluum eſt: itaque cum Sylburgio expungendum. *CONR.*

(i) τοῖς αὐτοῖς τούτοις) Illud τούτοις poſſit abeſſe: perinde ut abeſt a codice aldino. *CONR.*



Digitized by Google

eosdem autem & hos notationes litium fieri oportet, & importationes. Quibusdam autem in locis dividunt & hunc in plures. Eſt autem unus princeps horum omnium. Vocantur autem hieromnemones, & epiſtatæ, & mnemones: & aliis nominibus, quæ ſunt propinqua his.

τὰς γραφὰς τῶν δικῶν γίνεσθαι δεῖ, καὶ τὰς εἰσαγωγάς. ἐνιαχοῦ μὲν οὖν μερίζουσι καὶ ταύτην εἰς πλείους· ἔστι δὲ μία κυρία τούτων πάντων. καλοῦνται δὲ ἱερομνήμονες, καὶ ἐπιστάται, καὶ μνήμονες· καὶ τούτοις ἄλλα ὀνόματα σύνεγγυς.

§. 10. Poſt hunc autem continens quidem, maxime vero neceſſarius ferme & moleſtiſſimus magiſtratuum eſt, qui verſatur in his, quæ geri debent de *damnatis*, (*a*) & iis, qui rei facti ſunt, & cui mandata eſt cura carcere clauſorum: moleſtus igitur eſt, quia multum odii in ſe continet. quare ubi non licet magnum quæſtum facere, non ſuſcipiunt hanc curam: neque ſi ſuſceperint, inducunt in animum efficere, quæ leges jubent. Neceſſarius autem eſt, quia nullum fructum ferret, judicari cauſas juſte, niſi hæ finem ſuum conſequerentur. Quapropter, ſi judiciis cauſarum non factis, minime maneret ſocietas humana: & factis etiam ad exitum non perductis.

§. 10. Μετὰ δὲ ταύτην ἐχομένη μὲν, ἀναγκαιοτάτη δὲ σχεδὸν καὶ χαλεπωτάτη τῶν ἀρχῶν ἐστιν, ἡ περὶ τὰς πράξεις τῶν καταδικασθέντων, καὶ τῶν προτιθεμένων (*b*) κατὰ τὰς ἐγγραφάς, καὶ περὶ τὰς φυλακὰς τῶν σωμάτων. χαλεπὴ μὲν οὖν ἐστι διὰ τὸ πολλὴν ἔχειν ἀπέχθειαν. ὥστε ὅπου μὴ μεγάλα ἐστὶ κερδαίνειν, οὔτ' ἄρχειν ὑπομένουσιν αὐτήν· οὔθ' ὑπομείναντες, ἐθέλουσι πράττειν κατὰ τοὺς νόμους. ἀναγκαία δ' ἐστίν, ὅτι οὐδὲν ὄφελος γίνεσθαι μὲν δίκας περὶ τῶν δικαίων, ταύτας δὲ μὴ λαμβάνειν τέλος. ὥστ' εἰ μὴ γιγνομένων, (*c*) κοινωνεῖν ἀδύνατον ἀλλήλοις, καὶ πράξεων μὴ γιγνομένων.

§. 11. Quam ob cauſam ſatius eſt, non unum eſſe hunc magiſtratum, ſed alios ab aliis curiis: & quæ faciunt ad propoſitiones relatorum in acta, pariter oportet dividere.

§. 11. Διὸ βέλτιον μὴ μίαν εἶναι ταύτην τὴν ἀρχήν, ἀλλ' ἄλλους ἐξ ἄλλων δικαστηρίων. καὶ περὶ τὰς προθέσεις (*d*) τῶν ἀναγεγραμμένων ὡσαύτως πειρᾶσθαι διαιρεῖν.

§. 12. Adhuc autem quædam geri, & magiſtratus alios, & cauſarum juvenum potius e juvenibus conſtantes magiſtratus. Et eas, quæ ſunt rerum inſtantium, cum alius condemnarit, alium eſſe, qui gerat: ceu aſtynomos, quæ judicatæ fuerint ab agoranomis: quæ autem ab his, alios.

§. 12. Ἔτι δ' ἔνια πράττεσθαι, καὶ τὰς ἀρχὰς τάς τε ἄλλας καὶ τὰς τῶν νέων μᾶλλον τὰς νέας καὶ τὰς τῶν ἐνεστώτων, (*e*) ἑτέρας καταδικασάσης, ἑτέραν εἶναι τὴν πραττομένην· οἷον, ἀστυνόμους τὰς παρὰ τῶν ἀγορανόμων· τὰς δὲ παρὰ τούτων, ἑτέρους.

§. 13. Quanto enim minus odium extiterit, in his, quæ geruntur: tanto magis conſequentur finem facta ipſa. Eosdem igitur eſſe, qui condemnarint & qui faciunt, odium continet in ſe duplex: de omnibus autem eosdem, reddit illos hoſtes omnibus.

§. 13. Ὅσῳ γὰρ ἂν ἐλάττων ἀπέχθεια ἐνῇ τοῖς πραττομένοις, τοσούτῳ μᾶλλον λήψονται τέλος αἱ πράξεις. τὸ μὲν οὖν τοὺς αὐτοὺς εἶναι τοὺς καταδικάσαντας καὶ πραττομένους, ἀπέχθειαν ἔχει διπλῆν· τὸ δὲ περὶ πάντων τοὺς αὐτούς, πολεμίους πᾶσι. (*f*)

§. 14. Multis autem locis diviſus eſt magiſtratus, qui cuſtodit, ab eo, qui gerit: ceu Athenis vocatorum undecim.

§. 14. Πολλαχοῦ δὲ διῄρηται καὶ ἡ φυλάττουσα πρὸς τὴν πραττομένην· οἷον, Ἀθήνησι τῶν ἕνδεκα καλουμένων.

§. 15. Quare ſatius eſt hunc etiam ſeparare. & callidum conſilium excogitare circa hunc quoque: neceſſarius enim eſt non minus, quam qui dictus eſt.

§. 15. Διὸ βέλτιον καὶ ταύτην χωρίζειν, καὶ τὸ σόφισμα (*g*) ζητεῖν καὶ περὶ ταύτην· ἀναγκαία μὲν γάρ ἐστιν οὐχ ἧττον τῆς εἰρημένης.

§. 16. Uſu enim venit, probos viros hunc maxime magiſtratum fugere: improbis autem tutum non eſt, in poteſtatem tradere. Ipſi enim potius egent cuſtodia, quam valeant alios cuſtodire.

§. 16. Συμβαίνει δὲ, τοὺς μὲν ἐπιεικεῖς φεύγειν μάλιστα ταύτην τὴν ἀρχήν· τοὺς δὲ μοχθηροὺς οὐκ ἀσφαλὲς ποιεῖν κυρίους· αὐτοὶ γὰρ δέονται φυλακῆς μᾶλλον ἢ φυλάττειν ἄλλους δύνανται.

§. 17. Quare opus eſt, non unum diſtinctum ab aliis magiſtratum eſſe ſuper his: neque continenter eundem, ſed juvenum, ubi aliquis adoleſcentium vel civitatis cuſtodum eſt ordo, & magiſtratuum oportet per vices alios ſuſcipere hanc curam.

§. 17. Διὸ δεῖ μὴ μίαν ἀποτεταγμένην ἀρχὴν εἶναι πρὸς αὐτοῖς· μηδὲ συνεχῶς τὴν αὐτήν, ἀλλὰ τῶν τε νέων, ὅπου τις ἐφήβων ἢ φρουρῶν ἐστι τάξις· καὶ τῶν ἀρχῶν δεῖ κατὰ μέρη ποιεῖσθαι τὴν ἐπιμέλειαν ἑτέρους.

§. 18.

§. 18.

(*a*) *Damnatis*) PICCARTUS *p.* 936. *GOEB.*

(*b*) προτιθεμένων) Lambinus mavult: προτιμηθέντων. ut infra προτιμήσεις vertit: *multas a multatis exigere atque efflagitare.* Sylburgius tamen arbitratur, nihil mutandum. Malim Lambino accedere. *CONR.*

(*c*) εἰ μὴ γιγνομένων) Subaudiendum ex præcedentibus: δικῶν. Quod & Lambinus obſervavit, vertens: *judiciorum uſu ſublato.* *CONR.*

(*d*) τὰς προθέσεις) Lambinus, idque rectius: προθεσμήσεις. *CONR.*

(*e*) ἐνεστώτων) Lambinus adnotat, alios legere εἰσιόντων. Quod ſufficit verbo monuiſſe. *CONR.*

(*f*) πολεμίους πᾶσι) Lambinus cenſet, addendum ποιεῖ. Recte. Iſengrinianus codex habet: ἀπεργάζεται πᾶσι. *CONR.*

(*g*) τὸ σόφισμα) Vir doctus in margine codicis iſengriniani καὶ τὸ σόφισμα. Optime. *CONR.*

Digitized by Google

§. 18. XI. Hos igitur magiſtratus, ut maxime neceſſarios, primos ponere debemus. Poſt hos autem neceſſarios quidem nihilominus, in majore autem *dignitate conſtitutos*: (*a*) egent enim uſu & fide multa.

§. 19. Hujuſcemodi autem ſunt, quibus mandata eſt cuſtodia urbis, & quicunque præpoſiti ſunt uſibus bellicis. Decet autem & pace & bello portarum & murorum cuſtodiæ pariter curatores eſſe: quique civium perſcrutationis & conſtructionis curam habeant.

§. 20. Hic igitur ſuper his omnibus magiſtratus plures ſunt; hic autem pauciores. ceu in parvis civitatibus, unus de omnibus ſtatuit. vocant autem exercituum duces & *belli principes* (*b*) hujuſcemodi præfectos. Amplius autem, ſi fuerint equites, vel pedites leves, vel ſagittarii, vel turba navalis: & in his ſingulis aliquando conſtituuntur magiſtratus, qui vocantur navium, & equitum, & ordinum præfecturæ: & particulatim ſub his triremium præfecturæ, & poſitorum in inſidiis, militum ductus, & tribuum præfecturæ: & quæcunque horum ſunt partes. In univerſum autem unum quoddam horum eſt genus curæ rerum bellicarum.

§. 21. Quod facit igitur ad hunc magiſtratum, ſe habet hoc modo.

§. 22. Quia autem aliqui magiſtratus, ſi non cuncti, gerunt multas res communes: neceſſe eſt *alium extare*, (*c*) qui rationes accepturus ſit, & delicta correcturus, ipſum quidem nihil aliud gerentem. Vocant autem hos hi quidem correctores, alii autem ratiocinatores, hi vero exquiſitores, nonnulli advocatos.

§. 23. Præter *omnes* (*d*) autem hos magiſtratus exiſtit, qui maxime quaſi dominus eſt omnium rerum: idem enim ſæpe finem habet, & aditum, qui ante multitudinem navat operam ſuam, ubi populus in ſua manu res habet. oportet enim eſſe, qui in unum convocet ordinem, in ſua poteſtate habentem rempublicam. Vocatur autem hic quidem, præconſultores, quia prius conſultant: ubi autem multitudo eſt, conſilium potius.

§. 24. Magiſtratus igitur, qui proprii reipublicæ ſunt, ferme hujuſcemodi quidam ſunt.

§. 25. Alia autem curæ ſpecies, quæ pertinet ad deos, veluti *ſacerdotes* (*e*) & curatores rerum, quæ pertinent ad ædes ſacras: ut conſerventur ſtantia, & inſtaurentur ædificia collabentia: & eodem pacto cætera, quæ referuntur ad deos. Contingit autem curam hanc quibusdam in locis

§. 18. XI. Ταύτας μὲν οὖν τὰς ἀρχὰς, ὡς ἀναγκαιοτάτας θετέον εἶναι πρώτας· μετὰ δὲ ταύτας, τὰς ἀναγκαίας μὲν οὐθὲν ἧττον, ἐν σχήματι δὲ μείζονι τεταγμένας· καὶ γὰρ ἐμπειρίας καὶ πίστεως δέονται πολλῆς.

§. 19. Τοιαῦται δ' εἶεν αἵ τε περὶ τὴν φυλακὴν τῆς πόλεως, καὶ ὅσαι τάττονται πρὸς τὰς πολεμικὰς χρείας. δεῖ δὲ καὶ ἐν εἰρήνῃ καὶ ἐν πολέμῳ, πυλῶν τε καὶ τειχῶν φυλακῆς ὁμοίως ἐπιμελητὰς εἶναι, καὶ ἐξετάσεως καὶ συντάξεως τῶν πολιτῶν.

§. 20. Ἔνθα μὲν οὖν, ἐπὶ πᾶσι τούτοις ἀρχαὶ πλείους εἰσίν· ἔνθα δ', ἐλάττους. οἷον, ἐν ταῖς μικραῖς πόλεσι μία περὶ πάντων. (*f*) καλοῦσι δὲ στρατηγοὺς καὶ πολεμάρχους τοὺς τοιούτους. ἔτι δὲ κἂν ὦσιν ἱππεῖς, ἢ ψιλοὶ, ἢ τοξόται, ἢ ναυτικόν· (*g*) καὶ ἐπὶ τούτων ἑκάστων ἐνίοτε καθίστανται ἀρχαὶ, αἳ καλοῦνται ναυαρχίαι, καὶ ἱππαρχίαι, καὶ ταξιαρχίαι· καὶ κατὰ μέρος δὲ αἱ (*h*) ὑπὸ ταύτας τριηραρχίαι, καὶ λοχαγίαι, καὶ φυλαρχίαι, καὶ ὅσα τούτων μόρια. τὸ δὲ πᾶν ἕν τι τούτων ἐστὶν εἶδος ἐπιμελείας πολεμικῶν. (*i*)

§. 21. Περὶ μὲν οὖν ταύτην τὴν ἀρχὴν ἔχει τὸν τρόπον τοῦτον.

§. 22. Ἐπεὶ δὲ ἔνιαι τῶν ἀρχῶν, εἰ καὶ μὴ πᾶσαι, διαχειρίζουσι πολλὰ τῶν κοινῶν, ἀναγκαῖον ἑτέραν εἶναι τὴν ληψομένην λογισμὸν, καὶ προσευθυνοῦσαν, αὐτὴν μηθὲν διαχειρίζουσαν ἕτερον. καλοῦσι δὲ τούτους, οἱ μὲν εὐθύνους, οἱ δὲ λογιστὰς, οἱ δὲ ἐξεταστὰς, οἱ δὲ συνηγόρους.

§. 23. Παρὰ πάσας δὲ ταύτας τὰς ἀρχὰς ἡ μάλιστα κυρία πάντων ἐστίν. ἡ γὰρ αὐτὴ πολλάκις ἔχει τὸ τέλος καὶ τὴν ἐφορίαν· (*k*) ἢ προκάθηται τοῦ πλήθους, ὅπου κύριός ἐστιν ὁ δῆμος. δεῖ γὰρ εἶναι τὸ συνάγον τὸ κύριον τῆς πολιτείας. καλεῖται δὲ, ἔνθα μὲν πρόβουλοι, διὰ τὸ προβουλεύειν· ὅπου δὲ τὸ πλῆθός ἐστι, βουλὴ μᾶλλον.

§. 24. Αἱ μὲν οὖν πολιτικαὶ τῶν ἀρχῶν, σχεδὸν τοσαῦταί τινές εἰσιν.

§. 25. Ἄλλο δ' εἶδος ἐπιμελείας ἡ περὶ τοὺς θεούς· οἷον, ἱερεῖς τε καὶ ἐπιμεληταὶ τῶν περὶ τὰ ἱερὰ, τοῦ σώζεσθαι τὰ ὑπάρχοντα, καὶ ἀνορθοῦσθαι τὰ πίπτοντα τῶν οἰκοδομημάτων, καὶ τῶν ἄλλων ὅσα τέτακται πρὸς τοὺς θεούς. συμβαίνει δὲ τὴν ἐπιμέλειαν ταύτην ἐνιαχοῦ μὲν εἶναι μίαν· οἷον ἐν ταῖς

---

(*a*) *Dignitate conſtitutos*) PICCARTUS *lib. VI. c. VIII. p.* 943. *GOEB.*

(*b*) *Belli principes*) item ςρατηγοὶ, πολέμαρχοι. vid. ONOSANDRI *ſtrategic.* qui CHOKIERI aphoriſmis politicis adhæret. *GOEB.*

(*c*) *Alium extare*) PICCARTUS *p.* 944. *GOEB.*

(*d*) *Omnes*) PICCARTUS *p.* 945. *GOEB.*

(*e*) *Sacerdotes*) PICCARTUS *p.* 947. *GOEB.*

(*f*) περὶ πάντων) Cum Sylburgio malim ἐπὶ πάντων: ut mox ἐπὶ τούτων. *CONR.*

(*g*) ἢ ναυτικόν) Scripſerim potius ναυτικοί. *CONR.*

(*h*) κατὰ μέρος δ' αἱ) Ultima vocula in nonnullis exemplaribus deficit. At videtur facere ad orationis integritatem. *CONR.*

(*i*) ἐπιμελείας πολεμικῶν) Lambinus: ἐμμελεία. Hoc elegantius: nec tamen illud vulgatum eſt intolerabile. *CONR.*

(*k*) καὶ τὴν ἐφορίαν) Hanc lectionem expreſſit Lambinus. Aldus & Zvvingerus legunt: εἰσφοράς. Idque expreſſit Victorius, pariter & Giphanius. *CONR.*

Digitized by Google

locis eſſe unam, veluti in parvis civitatibus: in quibusdam autem multas & ſeparatas a muneribus ſacerdotum : ceu fanorum fabros, & cuſtodes, & quæſtores ſacrarum pecuniarum.

ταῖς μικραῖς πόλεσιν· ἐνιαχοῦ δὲ πολλὰς καὶ κεχωρισμένας τῆς ἱερωσύνης· οἷον, ἱεροποιοὺς, καὶ ναοφύλακας, καὶ ταμίας τῶν ἱερῶν χρημάτων.

§. 26. Sequitur autem hanc cura definita ad communia omnia ſacra, quæ minime ſacerdotibus tribuit lex, ſed a communi veſta nacta ſunt honorem. Vocant autem hos hi quidem archontas, hi autem reges, hi vero prytanes,

§. 26. Ἐχομένη δὲ ταύτης ἡ πρὸς τὰς θυσίας ἀφωρισμένη τὰς κοινὰς πάσας, ὅσας μὴ τοῖς ἱερεῦσιν ἀποδίδωσιν ὁ νόμος, ἀλλ' ἀπὸ τῆς κοινῆς ἑστίας ἔχουσι τὴν τιμήν. καλοῦσι δ' οἱ μὲν ἄρχοντας τούτους, οἱ δὲ βασιλεῖς, οἱ δὲ πρυτάνεις.

§. 27. XII. Neceſſariæ igitur curæ ſunt de his rebus, ut ſummatim repetamus, quæ ad res divinas & ad bellicas, & ad vectigalia, & ad ſumptus, qui fiunt, & ad forum, & ad urbem, & portus, & agrum. Adhuc autem & ad curias, & contractuum exemplaria, & actiones, & cuſtodias, & ratiocinationes ac exquiſitiones, nec non ad correctiones magiſtratuum: & demum quæ ad id, quod deliberat de rebus communibus.

§. 27. XII. Αἱ μὲν οὖν ἀναγκαῖαι ἐπιμέλειαί εἰσι περὶ τούτων, ὡς εἰπεῖν συγκεφαλαιωσαμένους, περί τε τὰ δαιμόνια, καὶ τὰ πολεμικὰ, καὶ περὶ τὰς προσόδους, καὶ περὶ τὰ ἀναλισκόμενα, καὶ περὶ ἀγορὰν, καὶ περὶ τὸ ἄστυ, καὶ λιμένας, καὶ τὴν χώραν· ἔτι τὰ περὶ τὰ δικαστήρια, καὶ συναλλαγμάτων ἀναγραφὰς, (a) καὶ πράξεις, καὶ φυλακὰς, καὶ ἐπιλογισμοὺς (b) τε καὶ ἐξετάσεις, καὶ πρὸς εὐθύνας (c) τῶν ἀρχόντων· καὶ τέλος αἱ περὶ τὸ βουλευόμενόν εἰσι τῶν κοινῶν.

§. 28. Seorſum autem civitatibus, quæ magis otio fruuntur, quarumque res ſunt magis ſecundæ, iisdem autem ſollicitis de honeſtate, inſunt magiſtratus, & qui regat mulieres, & qui cuſtos ſit legum, & qui pueros coërceat, & qui curet ipſos exercendos. Additur autem his cura, quæ ſuſcipitur de gymnicis certaminibus, & propriis Liberi patris: & ſi qua alia contingit hujuscemodi fieri ſpectacula.

§. 28. Ἰδία δὲ (d) ταῖς σχολαστικωτέραις, καὶ μᾶλλον εὐημερούσαις πόλεσιν, ἔτι δὲ φροντιζούσαις εὐκοσμίας γυναικονομία, νομοφυλακία, παιδονομία, γυμνασιαρχία· πρὸς δὲ τούτοις, ἡ περὶ ἀγῶνας ἐπιμέλεια γυμνικοὺς καὶ Διονυσιακοὺς, κἂν εἴ τινας ἑτέρας συμβαίνει τοιαύτας γενέσθαι θεωρίας.

§. 29. Horum autem magiſtratuum nonnulli aperte non ſunt populares, veluti præfecturæ mulierum & puerorum. Neceſſe enim habent egentes uti mulieribus & pueris tanquam famulis, quia carent ſervis.

§. 29. Τούτων δ' ἔνιαι φανερῶς εἰσιν οὐ δημοτικαὶ τῶν ἀρχῶν· οἷον, γυναικονομία. καὶ παιδονομία. τοῖς γὰρ ἀπόροις ἀνάγκη χρῆσθαι καὶ γυναιξὶ καὶ παισὶν ὥσπερ ἀκολούθοις, διὰ τὴν ἀδουλίαν.

§. 30. Cum autem ſint tres magiſtratus, per quos creant quidam magiſtratus ſummæ poteſtatis: cuſtodes legum, conſultores, conſilium: cuſtodes legum congruunt optimatibus, præconſultores paucorum dominatui, conſilium ſtatui multitudinis.

§. 30. Τριῶν δ' οὐσῶν ἀρχῶν, καθ' ἃς αἱροῦνταί τινες ἀρχὰς τὰς κυρίους, νομοφυλάκων, προβούλων, βουλῆς· οἱ μὲν νομοφύλακες ἀριστοκρατικὸν, ὀλιγαρχικὸν δ' οἱ πρόβουλοι, βουλὴ δὲ δημοτικόν.

§. 31. De magiſtratibus igitur, ut craſſo modo, ferme dictum eſt de omnibus.

§. 31. Περὶ μὲν οὖν τῶν ἀρχῶν, ὡς (ἐν) τύπῳ, σχεδὸν εἴρηται περὶ πασῶν. (e)

* * * * * * * * * * * * * * *

ARI- ΑΡΙ-

(a) *συναλλαγμάτων ἀναγραφὰς*) Aldus: *συναλλάγματα, ἀναγραφάς.* *CONR.*

(b) *ἐπιλογισμοὺς*) Sylburgius maluit: *περὶ λογισμούς.* Sed non eſt, quare mutemus, cum reliqua omnia ſimpliciter accuſativo caſu efferantur. *CONR.*

(c) *πρὸς εὐθύνας*) Cum Sylburgio ſcribendum una voce: *προσευθύνας.* *CONR.*

(d) *ἰδία δ'*) Camerarius adverbialiter: *ἰδίᾳ δ'.* Idque omnino rectius. *CONR.*

(e) *περὶ πασῶν*) Proxime videtur heic ſubſequutam eſſe doctrinam de judiciis. Quæ periit. Periit vero & integra pars de mixtis rebuspublicis: quæ debuit eſſe hujus libri pars altera: ceu patet ex libri initio. *CONR.*

ARI-

Digitized by Google

# ARISTOTELIS POLITICORUM LIBER VII.

## CAPUT I.

§. 1.

Quid de *optima* (*a*) republica, ut decet, quærere debet, neceſſe habet ſtatuere primum, quæ vita maxime eſt *expetenda*. (*b*) Si namque hoc incertum fuerit, & optimam etiam rempublicam incertam eſſe, neceſſe eſt.

§. 2. Optime enim rem gerere convenit eos, qui optima republica utuntur pro rebus, quibus inſtructi ſunt, niſi aliquid exiſtat præter rationem. Quare oportet primum exploratum eſſe, quæ vita ſit omnibus (ut ita loquar) maxime expetenda: deinde utrum communiter, vel ſeparatim eadem, vel diverſa.

§. 3. Cum igitur arbitremur multa a nobis dicta eſſe, quæ ſatis haberi poſſint in diſputationibus etiam *exotericis* (*c*) de optima vita, & nunc utendum eſt ipſis. Certe enim adverſus unam diviſionem nemo unquam controverſaretur. quod cum tres partes ſint bonorum, quæ ſunt, ſcilicet extra nos, & quæ in corpore, & quæ in animo, cuncta hæc non adeſſe opus ſit beatis viris.

§. 4. Nemo enim diceret beatum eum, qui nullam partem haberet in ſe fortitudinis, neque temperantiæ, neque juſtitiæ, neque prudentiæ: ſed metueret prætervolantes muſcas; nec abſtineret ſe a quopiam eorum, quæ poſtrema ſunt, ſi cupiditas invaſiſſet edendi aut bibendi; atque ob quadrantem interimat cariſſimos ſibi amicos. eodem pacto in his, quæ faciunt ad ſenſum animi, adeo demens ſit, & falſis opinionibus teneatur, ut plane puer ſit, vel inſanus.

§. 5. Verum hæc quidem dicta aliquo modo ** ** omnes concederent: diſcrepant autem quanto & exuperantiis. Virtutis enim habere quantulumcunque ſatis eſſe arbitrantur: divitiarum autem, & pecuniæ, & potentiæ, & gloriæ, & hujuſcemodi omnium rerum, ſine termino ullo quærunt ubertatem.

§. 6.

# ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ ΠΟΛΙΤΙΚΩΝ.

## ΤΟ Η.

§. 1.

Περὶ πολιτείας ἀρίστης τὸν μέλλοντα ποιήσασθαι τὴν προσήκουσαν ζήτησιν, ἀνάγκη διορίσασθαι πρῶτον, τίς αἱρετώτατος βίος. ἀδήλου γὰρ ὄντος τούτου, καὶ τὴν ἀρίστην ἀναγκαῖον ἄδηλον εἶναι πολιτείαν.

§. 2. Ἄριστα γὰρ πράττειν προσήκει τοὺς ἄριστα πολιτευομένους ἐκ τῶν ὑπαρχόντων αὐτοῖς, ἐὰν μή τι γίγνηται παράλογον. διὸ δεῖ πρῶτον ὁμολογεῖσθαι τίς ὁ πᾶσιν, ὡς εἰπεῖν, αἱρετώτατος βίος· μετὰ δὲ τοῦτο, πότερον κοινῇ καὶ χωρὶς ὁ αὐτὸς ἢ ἕτερος.

§. 3. Νομίσαντας οὖν ἱκανῶς πολλὰ λέγεσθαι καὶ τῶν ἐν τοῖς ἐξωτερικοῖς λόγοις περὶ τῆς ἀρίστης ζωῆς, καὶ νῦν χρηστέον αὐτοῖς. ὡς ἀληθῶς γὰρ πρός γε μίαν διαίρεσιν (*d*) οὐδεὶς ἀμφισβητήσειεν ἄν· ὡς οὔ, τριῶν (*e*) οὐσῶν μερίδων, τῶν τε ἐκτὸς, καὶ τῶν ἐν σώματι, καὶ τῶν ἐν τῇ ψυχῇ, πάντα ταῦτα ὑπάρχειν τοῖς μακαρίοις δεῖ. (*f*)

§. 4. Οὐδεὶς γὰρ ἂν φαίη μακάριον τὸν μηθὲν μόριον ἔχοντα ἀνδρείας, μηδὲ σωφροσύνης, μηδὲ δικαιοσύνης, μηδὲ φρονήσεως. ἀλλὰ δεδιότα μὲν τὰς παραπετομένας μυίας· ἀπεχόμενον δὲ, μηθενὸς, ἂν ἐπιθυμήσῃ τοῦ φαγεῖν ἢ πιεῖν, τῶν ἐσχάτων· ἕνεκα δὲ τεταρτημορίου διαφθείροντα τοὺς φιλτάτους φίλους. ὁμοίως δὲ καὶ τὰ περὶ τὴν διάνοιαν οὕτως ἄφρονα καὶ διεψευσμένον, (*g*) ὥσπερ τι παιδίον, ἢ μαινόμενον.

§. 5. Ἀλλὰ ταῦτα μὲν λεγόμενα, ὥσπερ ** ** πάντες (*h*) ἂν συγχωρήσειαν· διαφέρονται δ᾽ ἐν τῷ ποσῷ, καὶ ταῖς ὑπεροχαῖς. τῆς μὲν γὰρ ἀρετῆς ἔχειν ἱκανὸν νομίζουσιν ὁποσονοῦν· πλούτου δὲ, καὶ χρημάτων, καὶ δυνάμεως, καὶ δόξης, καὶ πάντων τῶν τοιούτων, εἰς ἄπειρον ζητοῦσι τὴν ὑπερβολήν.

§. 6.

---

(*a*) *Optima*) Optima reſpub. tripliciter dicitur, 1. ex voto optima 2. quæ huic proximè accedit. 3. ſecundum quid, & ex hypotheſi optima i. e. huic vel illi populo. De republica ex hypotheſi optima agit *lib.* 4. *c.* 11. 12. De optima vero republica ex voto tali, pauca ſuperſunt. Hinc nonnullis opinio enata, ac ſi peculiari libro, qui amiſſus, de ea egerit. Idem tentavit PLATO in libr. *de republica*, in quibus ſunt bona mixta malis. Circa hoc argumentum verſati etiam ſunt nonnulli ex recentioribus, ut THOMAS MORUS *in Utopia*. & THOMAS CAMPANELLA *in monarchia ſolis*. Et quanquam talis reſpublica nunquam fuerit, nec eſſe poſſit, conducit tamen, eam ut exemplar proponi, ut deinde pro optima habeatur, quæ eo magis cum ea convenit. Neque Judæorum reſpublica ex voto fuit optima, ſed ex hypotheſi i. e. pro conditione populi. *GOEB.*

(*b*) *Expetenda*) Ut autem eo rectius de republ. optima judicari queat, præmittit quædam capita de optimo vitæ genere. PICCART. FELDEN. Optima namque reſpublica eſt, ubi cives optime vivere poſſunt. Pertractatio tamen de vita optima proprie ad ethicam ſpectat. *GOEB.*

(*c*) *Exotericis*) In exotericis prælectionibus ex opinione vulgi loquebantur, ſententiasque ſuas rationibus probabilibus firmabant; in acroamaticis autem ſecundum rei naturam per demonſtrationes agebant: nonnulli per ſermones exotericos oretenus habitos intelligunt. Sed hæc ſententia minus vera videtur. vid. OCTAV. FER. *de ſermon. exot.* SCHERBIUM *de libris exot. & acroamat.* *GOEB.*

(*d*) πρός γε μίαν διαίρεσιν) Scripſerim potius αἵρεσιν. *CONR.*

(*e*) ὡς οὔ, τριῶν) Illud οὐ videtur omnino abjiciendum. *CONR.*

(*f*) μακαρίοις δεῖ) Ultimum non habet Aldus: ſed minus bene. *CONR.*

(*g*) καὶ διεψευσμένον) Malim cum Sylburgio διεφθαρμένον. *CONR.*

(*h*) ὥσπερ πάντες) Excidiſſe voculam εἰρήκαμεν poſt ὥσπερ, acute notavit Lambinus. *CONR.*



Digitized by Google

§. 6. Nos autem dicemus ipſis: facile quidem eſſe de his factis etiam certiores fieri, videntes, homines quærere & tueri, non virtutes bonis extra nos poſitis, verum illa ope harum: & beate vivere, ſive in voluptate poſitum eſt hominibus ſive in virtute ſive in utriſque, magis cadere in illos, qui moribus & conſilio inſtructi ſunt eximie, in poſſeſſione autem bonorum extra nos poſitorum, ad mediocritatem pervenerunt; quam illis, qui ipſa quidem poſſident plura, quam uſui ſint, in his autem deficiunt.

§. 6. Ἡμεῖς δὲ αὐτοῖς ἐροῦμεν, ὅτι ῥᾴδιον μὲν περὶ τούτων καὶ διὰ τῶν ἔργων διαλαμβάνειν (b) τὴν πίστιν, ὁρῶντας ὅτι κτῶνται καὶ φυλάττουσιν οὐ τὰς ἀρετὰς τοῖς ἐκτὸς, ἀλλ᾽ ἐκεῖνα ταύταις· καὶ τὸ ζῆν εὐδαιμόνως, εἴτ᾽ ἐν τῷ χαίρειν ἐστὶν, εἴτ᾽ ἐν ἀρετῇ τοῖς ἀνθρώποις, εἴτ᾽ ἐν ἀμφοῖν, ὅτι μᾶλλον ὑπάρχει τοῖς τὸ ἦθος μὲν καὶ τὴν διάνοιαν κεκοσμημένοις εἰς ὑπερβολὴν περὶ δὲ τὴν ἔξω κτῆσιν τῶν ἀγαθῶν μετριάζουσιν· ἢ τοῖς ἐκεῖνα μὲν κεκτημένοις πλείω τῶν χρησίμων, ἐν δὲ τούτοις ἐλλείπουσιν.

§. 7. Sed etiam ratione attendentibus parvo negotio idem perſpicitur. Bona enim, quæ ſunt extra nos, terminum habent, tanquam inſtrumentum quoddam: omne autem uſui ſervit, quorum exuperantiam vel obeſſe neceſſe eſt, vel nihil prodeſſe iis, qui poſſident. Singula autem animi bona, quanto majora fuerint, tanto majores fructus ferunt: ſi decet in his laudandis adjungere non ſolum honeſtatem, verum etiam utilitatem.

§. 7. Οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ κατὰ τὸν λόγον σκοπουμένοις εὐσύνοπτόν ἐστι. τὰ μὲν γὰρ ἐκτὸς ἔχει πέρας, ὥσπερ ὄργανόν τι· πᾶν δὲ τὸ χρήσιμόν ἐστιν, ὧν τὴν ὑπερβολὴν, ἢ βλάπτειν ἀναγκαῖον, ἢ μηθὲν ὄφελος εἶναι αὐτῶν τοῖς ἔχουσι. τῶν δὲ περὶ ψυχὴν ἕκαστον ἀγαθῶν, ὅσωπερ ἂν ὑπερβάλλῃ, τοσούτῳ μᾶλλον χρήσιμον εἶναι· εἰ δεῖ καὶ τούτοις ἐπιλέγειν, μὴ μόνον τὸ καλὸν, ἀλλὰ καὶ τὸ χρήσιμον.

§. 8. Omnino autem perſpicuum eſt, nos dicturos comitari optimam diſpoſitionem ſingularum rerum inter ſe pro exuperantia, quam quidem diſtantiam nactæ ſunt: quarum rerum dicimus eſſe affectus hos. Quapropter ſi animus eſt, rebus a nobis poſſeſſis & corpore, majore honore dignum quid & ſimpliciter & nobis, neceſſe eſt optimam diſpoſitionem ſingulorum horum proportione ad hæc ſe habere. Amplius autem propter animum hæc ſunt natura expetenda: & ita ſane decet omnes expetere, qui ſapiunt, ſed non illarum cauſa animum.

§. 8. Ὅλως δὲ δῆλον, ὡς ἀκολουθεῖν φήσομεν τὴν διάθεσιν τὴν ἀρίστην ἑκάστου πράγματος πρὸς ἄλληλα, κατὰ τὴν ὑπεροχὴν ἥνπερ εἴληχε διάστασιν· (c) ὧν φαμὲν αὐτὰς εἶναι διαθέσεις ταύτας. ὥστ᾽ εἴπερ ἐστὶν ἡ ψυχὴ, καὶ τῆς κτήσεως καὶ τοῦ σώματος τιμιώτερον, καὶ ἁπλῶς, καὶ ἡμῖν, ἀνάγκη καὶ τὴν διάθεσιν τὴν ἀρίστην ἑκάστου, ἀνάλογον τούτων ἔχειν. ἔτι δὲ τῆς ψυχῆς ἕνεκεν ταῦτα πέφυκεν αἱρετά· καὶ δεῖ πάντας αἱρεῖσθαι τοὺς εὖ φρονοῦντας, ἀλλ᾽ οὐκ ἐκείνων ἕνεκεν τὴν ψυχήν.

§. 9. Singulis igitur hominibus tantum vitæ beatæ contingere, quantum virtutis & prudentiæ, & factorum ex præceptis harum, extra omnem controverſiam nobis ſit, utentibus Deo teſte: qui felix & beatus ſane eſt, non tamen vi ullius bonorum illorum, quæ ſunt poſita extra ſe, ſed ipſe per ſemetipſum, & quia natura talis eſt.

§. 9. Ὅτι μὲν οὖν ἑκάστῳ τῆς εὐδαιμονίας ἐπιβάλλει τοσοῦτον, ὅσονπερ ἀρετῆς καὶ φρονήσεως, καὶ τοῦ πράττειν κατὰ ταύτας, ἔστω συνωμολογημένον ἡμῖν, μάρτυρι τῷ θεῷ χρωμένοις· ὃς εὐδαίμων μέν ἐστι καὶ μακάριος, δι᾽ οὐθὲν δὲ τῶν ἐξωτερικῶν ἀγαθῶν ἀλλὰ δι᾽ αὐτὸν αὐτὸς, καὶ τῷ ποιός τις εἶναι τὴν φύσιν.

§. 10. Nam & ſecundam fortunam a beatitudine ob hæc neceſſe eſt diverſam eſſe. Bonorum enim, quæ ſunt extra animum, cauſa & caſus & fortuna: juſtus autem nemo neque temperans a fortuna genitus eſt, neque propter fortunam factus.

§. 10. Ἐπεὶ καὶ (d) τὴν εὐτυχίαν τῆς εὐδαιμονίας διὰ ταῦτ᾽ ἀναγκαῖον ἑτέραν εἶναι. τῶν μὲν γὰρ ἐκτὸς ἀγαθῶν τῆς ψυχῆς, αἴτιον ταὐτόματον καὶ ἡ τύχη· δίκαιος δ᾽ οὐδεὶς οὐδὲ σώφρων ἀπὸ τύχης, οὐδὲ διὰ τὴν τύχην ἐστίν.

§. 11. Aptum autem eſt ad hoc, & iisdem rationibus conſtituitur, & civitatem beatam eſſe, quæ optima eſt & bene rem gerit.

§. 11. Ἐχόμενον δ᾽ ἐστὶ καὶ τῶν αὐτῶν λόγων δεόμενον, καὶ πόλιν εὐδαίμονα τὴν ἀρίστην εἶναι καὶ πράττουσαν καλῶς.

§. 12. Fieri autem non poteſt, ut bene *rem gerant*, (a) qui non honeſte agunt. Nullum autem honeſtum opus, neque hominis neque civitatis eſt, abſque virtute & prudentia. Fortitudo autem civitatis & juſtitia & prudentia eandem vim habet & formam, quarum participes ſinguli mortales dicuntur juſti, & prudentes, & temperantes.

§. 12. Ἀδύνατον δὲ καλῶς πράττειν τοῖς μὴ τὰ καλὰ πράττουσιν. οὐθὲν δὲ καλὸν ἔργον, οὔτ᾽ ἀνδρὸς, οὔτε πόλεως, χωρὶς ἀρετῆς καὶ φρονήσεως. ἀνδρία δὲ πόλεως, καὶ δικαιοσύνη, καὶ φρόνησις, τὴν αὐτὴν ἔχει δύναμιν καὶ μορφὴν, ὧν μετασχὼν ἕκαστος τῶν ἀνθρώπων, λέγεται δίκαιος, καὶ φρόνιμος, καὶ σώφρων.

§. 13. Sed enim hæc hactenus ſint verbis more procemii expoſita: neque enim non attingere

§. 13. Ἀλλὰ γὰρ ταῦτα μὲν ἐπὶ τοσοῦτον ἔστω πεφροιμιασμένα τῷ λόγῳ. οὔτε γὰρ μὴ θιγγάνειν

(a) *Rem gerant*) Ille, qui non honeſte agit, non poteſt dici beatus. *GOEB.*

(b) διαλαμβάνειν) Lambinus recte: λαμβάνειν. *CONR.*

(c) εἴληχε διάστασιν) Pleriquc libri alii habent εἴληφε. Mendoſe. *CONR.*

(d) ἐπεὶ καὶ) Probant hanc lectionem optimi quique interpretum. Sylburgius mavult ἐπεὶ δὲ. Non abeundum cenſeo ab eo, quod eſt receptum. *CONR.*

gere ipſa rectum fuit, neque cunctas perſequi rationes ſuas propriasque licet: alius enim ſunt hæc quæſtionis.

γάνειν (c) αὐτῶν δυνατὸν, οὔτε πάντας τοὺς οἰκείους ἐπεξελθεῖν ἐνδέχεται λόγους· ἑτέρας γάρ ἐστιν ἔργον σχολῆς ταῦτα.

§. 14. Nunc vero tantum poſitum ſit, vitam optimam, & ſeorſum ſingulis mortalibus & communiter civitatibus eſſe, quæ cum virtute eſt inſtructa usque eo, ut particeps eſſe poſſit actionum, quæ a virtute proficiſcuntur. Adverſus autem diſſentientes, cum hoc facere omiſerimus in præſenti præceptione, diſputandum poſtea, ſi quis forte noſtris argumentis perſuaſus non eſt.

§. 14. Νῦν δ᾽ ὑποκείσθω τοσοῦτον, ὅτι βίος μὲν ἄριστος, καὶ χωρὶς ἑκάστου, (d) καὶ κοινῇ ταῖς πόλεσιν, ὁ μετὰ ἀρετῆς κεχορηγημένης (e) ἐπὶ τοσοῦτον, ὥστε μετέχειν τῶν κατ᾽ ἀρετὴν πράξεων. πρὸς δὲ τοὺς ἀμφισβητοῦντας, (f) ἐάσαντας ἐπὶ τῆς νῦν μεθόδου, διασκεπτέον ὕστερον, εἴ τις τοῖς εἰρημένοις τυγχάνει μὴ πειθόμενος.

## CAP. II.

§. 1.

II. Utrum autem *beatitudinem eandem* (a) eſſe dicendum ſit uniuscujusque hominis & civitatis, vel non eandem, reſtat nobis dicere.

II. Πότερον δὲ τὴν εὐδαιμονίαν τὴν αὐτὴν εἶναι φατέον, ἑνός τε ἑκάστου τῶν ἀνθρώπων καὶ πόλεως, ἢ μὴ τὴν αὐτὴν, λοιπόν ἐστιν εἰπεῖν.

§. 2. Perſpicuum autem hoc etiam: cuncti enim faterentur eandem eſſe. Quicunque enim in divitiis bene vivere ponunt (de uno mortali loquentes) hi & civitatem totam, ſi fuerit dives, beatam prædicant: quicunque autem tyrannorum vitam maxime ſuſpiciunt, hi etiam civitatem plurimis imperantem beatiſſimam eſſe affirmarint. Si quis vero unum hominem propter virtutem probat, is & civitatem beatiorem eſſe diceret, quæ ſtudioſior eſt.

§. 2. Φανερὸν δὲ καὶ τοῦτο· πάντες γὰρ ἂν ὁμολογήσειαν εἶναι τὴν αὐτήν. ὅσοι γὰρ ἐν πλούτῳ τὸ ζῆν εὖ τίθενται ἐφ᾽ ἑνὸς, οὗτοι καὶ τὴν πόλιν ὅλην, ἐὰν ᾖ πλουσία, μακαρίζουσιν. ὅσοι τε τὸν τυραννικὸν βίον μάλιστα τιμῶσιν, οὗτοι καὶ πόλιν τὴν πλείστων ἄρχουσαν, εὐδαιμονεστάτην ἂν εἶναι φαῖεν. εἴ τέ τις τὸν ἕνα δι᾽ ἀρετὴν ἀποδέχεται, καὶ πόλιν εὐδαιμονεστέραν φύσει τὴν σπουδαιοτέραν.

§. 3. Sed hæc duo jam ſunt, quæ conſiderationem requirunt. Unum quidem eorum, utrum magis expetenda vita, quæ verſatur in republica adminiſtranda & communione civitatis, vel potius quæ in urbe quaſi peregrinatur, & remota eſt a *civili ſocietate*. (b) Amplius autem, quam rempublicam ponere debemus, & qualem ordinem civitatis optimum: ſive cunctis expetendum ſit communicare civitate, ſive quibusdam quidem minime, plurimis tamen.

§. 3. Ἀλλὰ ταῦτα ἤδη δύο ἐστὶν ἃ δεῖται σκέψεως· ἓν μὲν, πότερος αἱρετώτερος βίος, ὁ διὰ τοῦ συμπολιτεύεσθαι καὶ κοινωνεῖν πόλεως, ἢ μᾶλλον ὁ ξενικὸς καὶ τῆς πολιτικῆς κοινωνίας ἀπολελυμένος. (g) ἔτι δὲ, τίνα πολιτείαν θετέον, καὶ ποίαν διάθεσιν πόλεως ἀρίστην· εἴτε πᾶσιν ὄντος αἱρετοῦ κοινωνεῖν πόλεως· εἴτε καὶ, τισὶ μὲν μὴ, τοῖς δὲ πλείστοις.

§. 4. Quia autem civilis animi & contemplationis hoc eſt officium, ſed non quod expetendum eſt ſingulis hominibus, nos vero hanc nunc ſuſcepimus conſiderationem: illud quidem foret alienum a propoſito, hoc autem proprium opus hujus præceptionis.

§. 4. Ἐπεὶ δὲ τῆς πολιτικῆς διανοίας καὶ θεωρίας τοῦτ᾽ ἔστιν ἔργον, ἀλλ᾽ οὐ τὸ περὶ ἕκαστον αἱρετὸν, ἡμεῖς δὲ ταύτην προῃρήμεθα νῦν τὴν σκέψιν, ἐκεῖνο μὲν πάρεργον ἂν εἴη, τοῦτο δ᾽ ἔργον τῆς μεθόδου ταύτης.

§. 5. III. Conſtat igitur, neceſſarium eſſe, rempublicam hanc eſſe optimam, per quem ordinem unusquisque bene rem gereret, & beate viveret. Quæritur autem ab ipſis, qui aſſentiuntur, vitam, quæ ſectatur virtutem, eſſe maxime expetendam, utrum, quæ verſatur in republica adminiſtranda & rebus agendis ſit expetenda,

§. 5. Ὅτι μὲν οὖν ἀναγκαῖον εἶναι πολιτείαν ἀρίστην ταύτην, καθ᾽ ἣν τάξιν (h) κἂν ὁστισοῦν ἄριστα πράττοι καὶ ζώη μακαρίως, φανερόν ἐστιν. ἀμφισβητεῖται δὲ παρ᾽ αὐτῶν τῶν ὁμολογούντων τὸν μετ᾽ ἀρετῆς βίον αἱρετώτατον, πότερον ὁ πολιτικὸς καὶ πρακτικὸς βίος αἱρετὸς, ἢ μᾶλλον ὁ πάντων τῶν ἐκτὸς ἀπολελυμένος· οἷον, θεωρητικός

(a) *Beatitudinem eandem*) Probat in hoc capite, eandem eſſe optimam virtutem totius civitatis, quæ eſt hominum ſingulorum. FELDEN. PICCART. *GOEB.*

(b) *Civili ſocietate*) PICCARTUS *p.* 963. Penes veteres philoſophos admodum controverſum fuit, an contemplatio veri, præſtaret actione, ſecundum virtutem. Et qui veri contemplationi palmam tribuerunt, ex ſimilitudine, quæ per contemplationem cum Deo exoritur; ac ſi Deus eſſet potentia plane otioſa. Tale principium fovit EPICURUS, MAXIMUS TYRIUS aliique philoſophi platonici, & ARISTOTELES *in ethicis* contendit, vitam contemplativam, practicæ longe eſſe præferendam. *GOEB.*

(c) μὴ θιγγάνειν) Alia pleraque exemplaria habent τυγχάνειν. Indubie autem mendoſe. Eoque hanc lectionem noſtram plærique interpretum expreſſerunt. *CONR.*

(d) καὶ χωρὶς ἑκάστου) Aldus: καὶ ἰδίως ἑκάστῳ. Sed eodem res recidit. *CONR.*

(e) κεχορηγημένης) Alii malunt: κεχορηγημένος. Nec male. *CONR.*

(f) πρὸς δὲ τοὺς ἀμφισβητοῦντας) Hoc comma non legitur verſum a Giphanio. Forte librarii culpa. *CONR.*

(g) κοινωνίας ἀπολελυμένος) Aldus: κεχωρηγημένος. Eodem ſenſu. *CONR.*

(h) καθ᾽ ἣν τάξιν) Lambinus recte emendat: καθ᾽ ἧς τάξιν, *ex cujus ordinatione.* *CONR.*

petenda, vel potius quæ libera ſolutaque ſit ab omnibus rebus extra ipſam poſitis: cujusmodi eſt vita tota dedita contemplationi, quam ſolam quidam dicunt eſſe propriam philoſophorum. Ferme enim has duas vitas homines, eximie cupidi honoris tendentis ad virtutem, perſpiciuntur probaſſe, & ſuperioris ætatis, & noſtræ: dico autem duas, quæ verſatur in republica, & quæ incumbit cognitioni rerum.

§. 6. Refert autem non parum, utro modo veritas ſe habeat. neceſſe enim eſt, eum, qui ſapit, ad meliorem finem ſe componere, & privatim quemlibet hominem, & publice civitatem.

§. 7. Arbitrantur autem hi quidem, in vicinos imperium habere heriliter tractatum, injuſtitiam quandam maximam in ſe continere, civiliter autem, injuſti ſane nihil habere, impedimento tamen eſſe vitæ jucundæ, & ſuæ ſecuritati.

§. 8. His autem tanquam e regione conſtituti alii adverſantur: ſolum enim viri vitam eſſe exiſtimant, quæ occupatur in agendo & civitati ſervit. In ſingulis enim virtutibus non anſas dari magis agendi privatis hominibus, quam illis, qui respublicas gerunt, & civitati navant operam.

§. 9. Hi igitur ſic exiſtimant: hi vero herilem & tyrannicum modum reipublicæ ſolum eſſe beatum, ajunt.

§. 10. Apud nonnullos autem reipublicæ hic terminus legum eſt, ut dominentur vicinis. Quare cum plurima inſtituta (ut ita loquar) in uſum venerint, apud plurimos tamen, ſicubi quippiam leges ad unum ſpectant, in ditionem ſuam redigere, cuncti propoſitum habent.

§. 11. Quemadmodum Lacedæmone & in Creta ad bella gerenda ordinata ferme eſt diſciplina & legum multitudo. Præterea in omnibus gentibus, quæ vim habent ſubigendi aliquos, hujuscemodi *poteſtas* (a) honorem conſecuta eſt: ut in Scythis, Perſis, Thracibus, & Gallis.

§. 12. Apud quosdam enim & leges quædam ſunt exacuentes ad hanc virtutem.

§. 13. Quemadmodum Carthagine ajunt, capi ornatum ab annulis, pro expeditionibus, quas aliquis obierit.

§. 14. Erat autem quondam & in Macedonia lex, qui nullum hoſtem interfeciſſet, junctum eſſe capiſtro.

§. 15. Apud Scythas autem non licebat feſto quodam die bibere e poculo, quod circumferebatur, qui neminem hoſtem necaſſet.

§. 16. Apud Iberos autem, gentem bellicoſam, tot numero columellas figunt circa ſepulchrum, quot obtruncaverit ex hoſtibus.

§. 17. Et alia jam apud alios ſunt hujuscemodi multa, partim legibus recepta, partim moribus.

** **

§. 18. Atqui videatur valde abſurdum fortaſſe eſſe

τικός τις· ὃν μόνον τινές φασιν εἶναι φιλόσοφον. σχεδὸν γὰρ τούτους τοὺς δύο βίους τῶν ἀνθρώπων οἱ φιλοτιμότατοι πρὸς ἀρετὴν φαίνονται προαιρούμενοι, ϗ τῶν προτέρων, ϗ τῶν νῦν. λέγω δὲ δύο, τόν τε πολιτικὸν ϗ τὸν φιλόσοφον.

§. 6. Διαφέρει δὲ οὐ μικρὸν, ποτέρως ἔχει τὸ ἀληθές. ἀνάγκη γὰρ τόν τε εὖ φρονοῦντα πρὸς τὸν βελτίω σκοπὸν συντάττεσθαι, καὶ τῶν ἀνθρώπων ἕκαστον, ϗ κοινῇ τὴν πολιτείαν.

§. 7. Νομίζουσι δ᾽ οἱ μὲν τὸ τῶν πέλας ἄρχειν, δεσποτικῶς μὲν γιγνόμενον, μετ᾽ ἀδικίας τινὸς εἶναι τῆς μεγίστης· πολιτικῶς δὲ, τὸ μὲν ἄδικον οὐκ ἔχειν, ἐμπόδιον δὲ ἔχειν τῇ περὶ αὐτῶν (b) εὐημερίᾳ.

§. 8. Τούτων δ᾽ ὥσπερ ἐξ ἐναντίας ἕτεροι τυγχάνουσι δοξάζοντες· μόνον γὰρ ἀνδρὸς τὸν πρακτικὸν εἶναι βίον καὶ πολιτικόν. ἐφ᾽ ἑκάστης γὰρ ἀρετῆς οὐκ εἶναι πράξεις μᾶλλον τοῖς ἰδιώταις, ἢ τοῖς τὰ κοινὰ πράττουσι ϗ πολιτευομένοις.

§. 9. Οἱ μὲν οὖν οὕτως ὑπολαμβάνουσιν·] οἱ δὲ, τὸν δεσποτικὸν καὶ τυραννικὸν τρόπον τῆς πολιτείας εἶναι μόνον εὐδαίμονά φασι.

§. 10. Παρ᾽ ἐνίοις δὲ καὶ τῆς πολιτείας οὗτος ὅρος τῶν νόμων, ὅπως δεσπόζωσι τῶν πέλας. διὸ καὶ τῶν πλείστων νομίμων χύδην, ὡς εἰπεῖν, κειμένων παρὰ τοῖς πλείστοις, ὅμως εἴ που τὶ πρὸς ἓν οἱ νόμοι βλέπουσι, τοῦ κρατεῖν στοχάζονται πάντες.

§. 11. Ὥσπερ ἐν Λακεδαίμονι καὶ Κρήτῃ πρὸς τοὺς πολέμους συντέτακται σχεδὸν ἥ τε παιδεία, καὶ τὸ τῶν νόμων πλῆθος. ἔτι δ᾽ ἐν τοῖς ἔθνεσι πᾶσι τοῖς δυναμένοις πλεονεκτεῖν, ἡ τοιαύτη τετίμηται δύναμις· οἷον ἐν Σκύθαις, ϗ Πέρσαις, ϗ Θρᾳξὶ, ϗ Κελτοῖς.

§. 12. Ἐν ἐνίοις γὰρ ϗ νόμοι τινές εἰσι παροξύνοντες πρὸς τὴν ἀρετὴν ταύτην.

§. 13. Καθάπερ ἐν Καρχηδόνι φασὶ τὸν ἐκ τῶν κρίκων κόσμον λαμβάνειν, ὅσας ἂν στρατεύσωνται στρατείας.

§. 14. Ἦν δέ ποτε καὶ περὶ Μακεδονίαν νόμος, τὸν μηθένα ἀπεκτακότα πολέμιον ἄνδρα, περιεζῶσθαι τὴν φορβειάν.

§. 15. Ἐν δὲ Σκύθαις οὐκ ἐξῆν πίνειν ἐν ἑορτῇ τινι σκύφον περιφερόμενον, τῷ μηθένα ἀπεκτακότι πολέμιον.

§. 16. Ἐν δὲ τοῖς Ἴβηρσιν, ἔθνει πολεμικῷ, τοσούτους τὸν ἀριθμὸν ὀβελίσκους καταπηγνύουσι περὶ τὸν τάφον, ὅσους ἂν διαφθείρῃ τῶν πολεμίων.

§. 17. Καὶ ἕτερα δὴ παρ᾽ ἑτέροις ἐστὶ τοιαῦτα πολλά· τὰ μὲν νόμοις κατειλημμένα, τὰ δὲ ἔθεσι.

** **

§. 18. Καί τοι δόξειεν (c) ἂν ἄγαν ἄτοπον ἴσως

(a) *Poteſtas*) PICCARTUS *p.* 965. *GOEB.*

(b) περὶ αὐτῶν) Aldus & Iſengrinius: περὶ αὐτὸν: idque videtur expreſſiſſe Victorius. Αὐτῶν vero magis convenit cum νομίζουσι. *CONR.*

(c) καί τοι δόξειεν) Videntur quædam deeſſe, pauca tamen. Nec enim ſatis proba eſt connexio, & quæ ſequuntur, manent in eodem argumento pertractando. *CONR.*

Digitized by Google

eſſe illis, qui cogitare volunt, ſi hoc eſt officium civilis viri, vim & poteſtatem habere videndi, ut imperium habeat in vicinos, & dominetur ipſis & volentibus & nolentibus. Quomodo enim foret hoc civilis hominis aut ſcriptoris legum proprium, quod ne legibus quidem conſtat? non eſt autem ſecundum leges, non ſolum juſte. Verum etiam injuſte imperare: licet vero ſubigere etiam injuſte.

ἴσως εἶναι τοῖς βουλομένοις ἐπισκοπεῖν, εἰ τοῦτ᾽ ἔστιν ἔργον τοῦ πολιτικοῦ, τὸ δύνασθαι θεωρεῖν, ὅπως ἄρχῃ καὶ δεσπόζῃ τῶν πλησίον, καὶ βουλομένων καὶ μὴ βουλομένων. πῶς γὰρ ἂν εἴη τοῦτο πολιτικόν, ἢ νομοθετικόν, ὅ γε μηδὲ νόμιμόν ἐστιν; οὐ νόμιμον δὲ, τὸ μὴ μόνον δικαίως (b) ἀλλὰ καὶ ἀδίκως ἄρχειν· κρατεῖν δ᾽ ἐστὶ καὶ μὴ δικαίως.

§. 19. Quin etiam ne in aliis quidem ſcientiis hoc fieri videmus. neque enim medici, neque gubernatoris officium eſt, vel perſuadere, vel cogere: hujus quidem ægrotos, hujus vero nautas,

§. 19. Ἀλλὰ μὴν οὐδ᾽ ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπιστήμαις τοῦτο ὁρῶμεν. οὔτε γὰρ τοῦ ἰατροῦ, οὔτε τοῦ κυβερνήτου ἔργον ἐστὶ, τὸ ἢ πεῖσαι, ἢ βιάσασθαι τοῦ μὲν τοὺς θεραπευομένους, τοῦ δὲ τοὺς πλωτῆρας.

** ** ** **

§. 20. Verum videntur multi herilem poteſtatem, civilem putare eſſe: & quod ſibi ipſis ſinguli inficiantur eſſe juſtum aut utile, hoc non erubeſcunt in alios exercentes. Ipſi namque in ſemetipſos juſte imperare quærunt, in alios autem nullam curam de rebus juſtis ſuſcipiunt.

§. 20. Ἀλλ᾽ ἐοίκασιν (c) οἱ πολλοὶ τὴν δεσποτικὴν, πολιτικὴν οἴεσθαι εἶναι· καὶ ὅπερ αὐτοῖς ἕκαστοι οὔ φασιν εἶναι δίκαιον, οὐδὲ συμφέρον, τοῦτ᾽ οὐκ αἰσχύνονται πρὸς τοὺς ἄλλους ἀσκοῦντες. αὐτοὶ μὲν γὰρ παρ᾽ αὐτοῖς τὸ δικαίως ἄρχειν ζητοῦσι· πρὸς δὲ τοὺς ἄλλους οὐδὲν μέλει τῶν δικαίων.

§. 21. Abſurdum autem eſt, ſi non natura hoc quidem heriliter dominans eſt, hoc autem non heriliter.

§. 21. Ἄτοπον δὲ εἰ μὴ φύσει, τὸ μὲν δεσπόζον, τὸ δὲ οὐ δεσπόζον. (d)

§. 22. Quapropter ſiquidem ſe habet hoc modo, non decet experiri omnibus heriliter imperare: ſed illis, qui ſunt materia hujus dominatus, quemadmodum neque venari ad veſcendum aut immolandum homines, ſed quod eſt captandum ad hoc. eſt autem captandum, quod utique ferum fuerit animal, idemque humano cibo accommodatum.

§. 22. Ὥστε εἴπερ ἔχει τὸν τρόπον τοῦτον, οὐ δεῖ πάντων πειρᾶσθαι δεσπόζειν, ἀλλὰ τῶν δεσποστῶν· (e) ὥσπερ οὐδὲ θηρεύειν ἐπὶ θοίνην ἢ θυσίαν ἀνθρώπους, ἀλλὰ τὸ πρὸς τοῦτο θηρευτόν· ἔστι δὲ θηρευτὸν, ὃ ἂν ἄγριον ᾖ ἐδεστὸν ζῶον.

§. 23. Atqui eſſet etiam per ſe una civitas beata, quæ ſcilicet bene adminiſtratur: ſiquidem contingit civitatem habitari alicubi per ſe, bonis legibus utentem, cujus reipublicæ ordo non ad bellum, neque ad hoſtes ſubigendos referatur. nihil enim hujuscemodi ſit.

§. 23. Ἀλλὰ μὲν εἴη γ᾽ ἂν καὶ καθ᾽ ἑαυτὴν μία πόλις εὐδαίμων, ἡ πολιτευέται δηλονότι καλῶς· εἴπερ ἐνδέχεται πόλιν οἰκεῖσθαί που καθ᾽ ἑαυτὴν, νόμοις χρωμένην σπουδαίοις, ἧς τῆς πολιτείας ἡ σύνταξις οὐ πρὸς πόλεμον, οὐδὲ πρὸς τὸ κρατεῖν ἔσται τῶν πολεμίων· μηθὲν γὰρ ὑπαρχέτω τοιοῦτον.

§. 24. Planum igitur eſt, *omnia ſtudia*, (a) quæ ad bellum faciunt, honeſta quidem eſſe, ſtatui debere; non tamen ut finem omnium altiſſimum, ſed illius gratia hæc.

§. 24. Δῆλον ἄρα ὅτι πάσας τὰς πρὸς τὸν πόλεμον ἐπιμελείας, καλὰς μὲν θετέον· οὐχ ὡς τέλος δὲ πάντων ἀκρότατον, ἀλλ᾽ ἐκείνου χάριν ταύτας.

§. 25. Scriptoris autem legum ſtudioſi officium eſt, videre civitatem, & genus hominum, & omnem aliam communionem, vita bona quomodo communicabunt, & beatitudine, quæ cadit in ipſos. diſcrepabunt ſane inter ſe quædam inſtituta lata.

§. 25. Τοῦ δὲ νομοθέτου τοῦ σπουδαίου ἐστὶ, τὸ θεάσασθαι πόλιν, καὶ γένος ἀνθρώπων, καὶ πᾶσαν ἄλλην κοινωνίαν, ζωῆς ἀγαθῆς πῶς μεθέξουσι καὶ τῆς ἐνδεχομένης αὐτοῖς εὐδαιμονίας. διοίσει μέντοι τῶν ταττομένων ἔνια νομίμων.

§. 26. Et hoc facultatis ferendi leges proprium eſt videre, ſi aliqui fuerint vicini, qualia adverſus quales exercenda ſint: vel quomodo in his, quæ ad officia pertinent, ſingulis utendum ſit.

§. 26. Καὶ τοῦτο τῆς νομοθετικῆς ἐστιν ἰδεῖν, ἐάν τινες ὑπάρχωσι γειτνιῶντες, ποῖα πρὸς ποίους ἀσκητέον, ἢ πῶς τοῖς καθήκουσι πρὸς ἑκάστους χρηστέον.

§. 27. Sed hoc quidem poſtea etiam adipiſci poterit debitam ſibi animadverſionem, ad quem finem oportet optimam rempublicam contendere.

§. 27. Ἀλλὰ τοῦτο μὲν κἂν ὕστερον τύχοι τῆς προσηκούσης σκέψεως, πρὸς τί τέλος δεῖ τὴν ἀρίστην πολιτείαν συντείνειν.

## CAP. III.

(a) *Omnia ſtudia*) PICCARTUS *p.* 971. *ſeqq.* *GOEB.*

(b) μὴ μόνον δικαίως) Lambinus vult: δικαίων. Malo obſervare lectionem receptam. *CONR.*

(c) ἀλλ᾽ ἐοίκασιν) Neque hæc ſatis bene cohærent. Lacunam igitur ſuſpicor ſubeſſe. *CONR.*

(d) οὐ δεσπόζον) Forte ſcribendum: τὸ δὲ δεσποστὸν. *CONR.*

(e) τῶν δεσποστῶν) Alii plerique habent δεσποτῶν. Mendoſe. Noſtram lectionem expreſſit quoque Lambinus & Giphanius. *CONR.*

# CAP. III.

§. 1.

IV. Adverſus autem eos, qui fatentur vitam, quæ cum virtute geritur, eſſe maxime expetendam, diſſentiunt autem de uſu ipſius, diſſerendum nobis eſt *contra utrosque* (a) ipſos.

§. 2. Hi namque improbant civilia imperia, exiſtimantes, liberi hominis vitam diverſam eſſe ab ejus, qui navet operam reipublicæ atque unam omnium maxime expetendam: hi vero hanc optimam. Fieri autem non poteſt, ut qui nihil gerat, bene rem gerat: bonam autem actionem & beatitudinem idem eſſe.

§. 3. Quoniam partim utrique dicunt recte, partim non recte.

§. 4. Hi quidem, quoniam liberi hominis vita herili melior eſt (hoc enim verum eſt) nihil enim amplitudinis continet in ſe, uti ſervo, qua ratione ſervus eſt. Mandare namque, quod facto opus ſit in rebus neceſſariis, nullam partem obtinet dignitatis.

§. 5. Arbitrari autem, omne imperium eſſe dominatum, non rectum eſt. non minus enim diſtat imperium liberorum ab imperio ſervorum, quam ipſum natura liberum a natura ſervo.

§. 6. Explicatum autem eſt de ipſis ſatis in primis diſputationibus.

§. 7. Magis vero laudare vitam remotam a rebus agendis, quam occupatam in ipſis, minime verum eſt: beatitudo enim actio eſt. Præterea multarum & honeſtarum rerum finem habent juſtorum atque temperantium virorum actiones.

§. 8. Atqui fortaſſe exiſtimaret aliquis, cum hæc ita definita ſint, dominari omnibus, optimum eſſe. ſic enim plurimas & pulcherrimas actiones in manu ſua haberet. Quapropter non oportet eum, qui facultatem habet imperandi, cedere propinquo, ſed eripere potius: & neque patrem liberorum, neque liberos patris, neque omnino amicum amici rationem ullam ducere, neque de hoc cogitationem ullam ſuſcipere. quod enim optimum eſt, id maxime expetendum: bene autem rem gerere, optimum eſt.

§. 9. Hoc igitur vere fortaſſe dicunt, ſi aderit de ſpoliantibus alios, ac vim afferentibus, quod omnium rerum, quæ ſunt, maxime expetendum eſt: ſed fortaſſe non poteſt adeſſe, ſed ſupponitur hoc.

§. 10. Neque enim amplius honeſtas actiones contingit eſſe, niſi illi, qui tantum præſtet, quantum vir mulieri, vel pater liberis, vel herus ſervis. Quapropter qui via migrarit, nullum tantum bonum poſtea efficere poterit, quantum jam culpæ admiſit, digrediens a virtute.

§. 11.

§. 1.

IV. Πρὸς δὲ τοὺς ὁμολογοῦντας μὲν τὸν μετ' ἀρετῆς εἶναι βίον αἱρετώτατον, διαφερομένους δὲ περὶ τῆς χρήσεως αὐτοῦ, λεκτέον ἡμῖν πρὸς ἀμφοτέρους αὐτούς.

§. 2. Οἱ μὲν γὰρ ἀποδοκιμάζουσι τὰς πολιτικὰς ἀρχὰς, νομίζοντες τόν τε τοῦ ἐλευθέρου βίον ἕτερόν τινα εἶναι τοῦ πολιτικοῦ, καὶ πάντων αἱρετώτατον· οἱ δὲ, τοῦτον ἄριστον· ἀδύνατον γὰρ, τὸν μηθὲν πράττοντα, πράττειν εὖ· τὴν δ' εὐπραγίαν καὶ τὴν εὐδαιμονίαν εἶναι ταυτὸν.

§. 3. Ὅτι τὰ μὲν ἀμφότεροι λέγουσιν ὀρθῶς, τὰ δ' οὐκ ὀρθῶς.

§. 4. Οἱ μὲν, ὅτι ὁ τοῦ ἐλευθέρου βίος, τοῦ δεσποτικοῦ ἀμείνων. τοῦτο γὰρ ἀληθές. οὐθὲν γὰρ τῷ γε δούλῳ, ᾗ δοῦλος, χρῆσθαι σεμνόν· ἡ γὰρ ἐπίταξις ἡ περὶ τῶν ἀναγκαίων, οὐδενὸς μετέχει τῶν καλῶν.

§. 5. Τὸ μέν τοι νομίζειν πᾶσαν ἀρχὴν εἶναι δεσποτείαν, οὐκ ὀρθόν. οὐ γὰρ ἔλαττον διέστηκεν ἡ τῶν ἐλευθέρων ἀρχὴ, τῆς τῶν δούλων, ἢ αὐτὸ φύσει (b) ἐλεύθερον τοῦ φύσει δούλου.

§. 6. Διώρισται δὲ περὶ αὐτῶν ἱκανῶς ἐν τοῖς πρώτοις λόγοις.

§. 7. Τὸ δὲ μᾶλλον ἐπαινοῖν τὸ ἀπρακτεῖν τοῦ πράττειν, οὐκ ἀληθές· ἡ γὰρ εὐδαιμονία πρᾶξίς ἐστιν. ἔτι δὲ πολλῶν καὶ καλῶν τέλος ἔχουσιν αἱ τῶν δικαίων καὶ σωφρόνων πράξεις.

§. 8. Καί τοι τάχ' ἂν ὑπολάβοι τις τούτων οὕτω διωρισμένων, ὅτι τὸ κύριον, εἶναι πάντων ἄριστον· οὕτω γὰρ ἂν πλείστων καὶ καλλίστων κύριος εἴη πράξεων. ὥστε οὐ δεῖ τὸν δυνάμενον ἄρχειν παριέναι τῷ πλησίον, ἀλλὰ μᾶλλον ἀφαιρεῖσθαι, καὶ μήτε πατέρα παίδων, μήτε παῖδας πατρὸς, μήθ' ὅλως φίλον φίλου μηθένα ὑπολογίζειν, (c) μηδὲ πρὸς τοῦτο φροντίζειν· τὸ γὰρ ἄριστον, αἱρετώτατον· τὸ δ' εὖ πράττειν, ἄριστον.

§. 9. Τοῦτο μὲν οὖν ἀληθῶς ἴσως λέγουσιν, εἴπερ ὑπάρξει τοῖς ἀποστεροῦσι καὶ βιαζομένοις, τὸ τῶν ὄντων αἱρετώτατον. ἀλλ' ἴσως οὐχ οἷόν τε ὑπάρχειν, ἀλλ' ὑποτίθενται τοῦτο (ψεῦδος.) (d)

§. 10. Οὐ γὰρ ἔτι καλὰς τὰς πράξεις ἐνδέχεται εἶναι τῷ μὴ διαφέροντι τοσοῦτον, ὅσον ἀνὴρ γυναικὸς, ἢ πατὴρ τέκνων, ἢ δεσπότης δούλων. ὥστε ὁ παραβαίνων, οὐθὲν ἂν τηλικοῦτον κατορθώσειεν ὕστερον, ὅσον ἤδη παρεκβέβηκε τῆς ἀρετῆς.

§. 11.

(a) *Contra utrosque*) Argumenta tam pro vitæ contemplativæ præ vita practica, quam pro hujus præ illa præſtantia profert, deinde examinat. *GOEB.*

(b) ἢ αὐτὸ φύσει) Caſaubonus ſcribit: ἢ αὖ τὸ φύσει. *CONR.*

(c) ὑπολογίζειν) Recte: ut perperam Aldus: ὑπολογιεῖν. *CONR.*

(d) ψεῦδος) Agnoſcit hanc voculam & Lambinus. Victorius vero cenſet delendam, idque quoniam eam non vertit interpres Vetus; & quia videtur otioſa, cum ſatis jam ſenſum expreſſerit illud: ὑποτίθενται. Fateor, poſſe voculam illam ſenſu integro abeſſe: poſſe tamen & retineri. *CONR.*

Digitized by Google

§. 11. Similibus enim honeſtum & juſtum in parte. hoc namque æquale & ſimile. non æquale autem æqualibus, & non ſimile ſimilibus, præter naturam eſt: nihil autem præter naturam, eſt honeſtum.

§. 11. Τοῖς γὰρ ὁμοίοις τὸ καλὸν καὶ τὸ δίκαιον ἐν τῷ μέρει· τοῦτο γὰρ ἴσον καὶ ὅμοιον. τὸ δὲ μὴ ἴσον τοῖς ἴσοις, καὶ τὸ μὴ ὅμοιον τοῖς ὁμοίοις, παρὰ φύσιν· οὐδὲν δὲ τῶν παρὰ φύσιν καλόν.

§. 12. Quapropter ſi alius quiſpiam melior extiterit virtute & facultate agendi res optimas, hunc ſequi honeſtum eſt, & huic obtemperare juſtum. Oportet autem non ſolum virtutem, verum etiam facultatem adeſſe, per quam erit aptus ad agendum.

§. 12. Διὸ κἂν ἄλλός τις ᾖ κρείττων κατ' ἀρετὴν καὶ κατὰ δύναμιν τὴν πρακτικὴν τῶν ἀρίστων, τούτῳ καλὸν ἀκολουθεῖν, καὶ τούτῳ πείθεσθαι δίκαιον. δεῖ δ' οὐ μόνον ἀρετὴν, ἀλλὰ καὶ δύναμιν ὑπάρχειν, καθ' ἣν ἔσται πρακτικός.

§. 13. Sed ſi hæc dicuntur recte, & beatitudinem ponendum eſt eſſe bonam actionem, & communiter omnis civitatis, & ſingillatim optima vita, quæ in agendo verſatur.

§. 13. Ἀλλ' εἰ ταῦτα λέγεται καλῶς, καὶ τὴν εὐδαιμονίαν εὐπραγίαν θετέον, καὶ κοινῇ πάσης πόλεως ἂν εἴη καὶ καθ' ἕκαστον ἄριστος βίος ὁ πρακτικός.

§. 14. Sed vitam activam non eſt neceſſe ad alios referri, ut quidam arbitrantur: neque cogitationes eſſe ſolas has activas, quæ gratia proficiſcentium inde fiunt ex agendo: ſed multo magis, quæ finem in ſe continent, & quæ ſua cauſa fiunt contemplationes & conſiderationes.

§. 14. Ἀλλὰ τὸν πρακτικὸν οὐκ ἀναγκαῖον εἶναι πρὸς ἑτέρους, καθάπερ οἴονταί τινες· οὐδὲ τὰς διανοίας εἶναι μόνας ταύτας πρακτικὰς, τὰς τῶν ἀποβαινόντων χάριν γιγνομένας ἐκ τοῦ πράττειν, ἀλλὰ πολὺ μᾶλλον τὰς αὐτοτελεῖς καὶ τὰς αὑτῶν ἕνεκεν θεωρίας καὶ διανοήσεις.

§. 15. Bona namque actio finis: quare & actio quædam. Maxime autem & agere dicimus, & dominos eſſe exteriorum actionum, qui ſunt architecti. Atqui neque neceſſe eſt nihil agere civitates per ſe ſitas, & quæ ita vivere elegerunt. Contingit enim per partes & hoc evenire. Multæ namque ſunt communiones inter ſe partibus civitatis. Simili autem modo ſe hoc habet & de unoquoque homine. quomodo enim *Deus* (a) ſe bene haberet, & totus mundus, quibus non adſunt exteriores actiones præter ſuas & proprias ipſorum?

§. 15. Ἡ γὰρ εὐπραξία τέλος. ὥστε καὶ πρᾶξίς τις. μάλιστα δὲ καὶ πράττειν λέγομεν, καὶ κυρίους (c) τῶν ἐξωτερικῶν πράξεων, τοὺς ταῖς διανοίαις ἀρχιτέκτονας. ἀλλὰ μὴν, οὐδ' ἀπρακτεῖν ἀναγκαῖον τὰς καθ' αὑτὰς πόλεις ἱδρυμένας, καὶ ζῆν οὕτω προῃρημένας· ἐνδέχεται γὰρ κατὰ μέρη καὶ τοῦτο συμβαίνειν. πολλαὶ γὰρ κοινωνίαι πρὸς ἄλληλα τοῖς μέρεσι τῆς πόλεώς εἰσιν. ὁμοίως δὲ τοῦτο ὑπάρχει καὶ καθ' ἑνὸς ὁτουοῦν τῶν ἀνθρώπων. σχολῇ γὰρ ἂν ὁ θεὸς ἔχοι καλῶς, καὶ πᾶς ὁ κόσμος, οἷς οὐκ εἰσὶν ἐξωτερικαὶ πράξεις παρὰ τὰς οἰκείας τὰς αὑτῶν.

§. 16. Eandem igitur vitam neceſſarium eſſe optimam unicuique homini, & communiter civitatibus & hominibus, perſpicuum eſt.

§. 16. Ὅτι μὲν οὖν τὸν αὐτὸν βίον ἀναγκαῖον εἶναι τὸν ἄριστον, ἑκάστῳ τε τῶν ἀνθρώπων, καὶ κοινῇ ταῖς πόλεσι καὶ τοῖς ἀνθρώποις, φανερόν ἐστιν.

# CAPUT IV.

§. 1.

V. Quia autem exordii vim habuere, quæ modo de ipſis dicta ſunt, & de his, quæ faciunt ad cæteras reſpublicas, a nobis prius diſputatum eſt; initium reliquarum erit primum dicere, qualia oportet *fundamenta* (b) eſſe civitatis conſtituendæ, quæ voto reſpondeat.

§. 1.

V. Ἐπεὶ δὲ πεφροιμίασται τὰ νῦν εἰρημένα περὶ αὐτῶν, καὶ περὶ τὰς ἄλλας πολιτείας ἡμῖν τεθεώρηται πρότερον, ἀρχὴ τῶν λοιπῶν εἰπεῖν πρῶτον, ποίας τινὰς δεῖ τὰς ὑποθέσεις εἶναι (περὶ) τῆς (d) μελλούσης κατ' εὐχὴν συνεστάναι πόλεως.

§. 2. Neque enim fieri poteſt, ut reſpublica ſit optima ſine moderata copia rerum. Quare opus eſt antea multa poni tanquam optata: eſſe tamen nihil horum tale, ut effici non poſſit. Intelligo autem, ceu de numero civium, & magnitudine agri.

§. 2. Οὐ γὰρ οἷόν τε πολιτείαν γενέσθαι τὴν ἀρίστην ἄνευ συμμέτρου χορηγίας. διὸ δεῖ πολλὰ προϋποτεθεῖσθαι καθάπερ εὐχομένους· (e) εἶναι μέντοι μηθὲν τούτων ἀδύνατον. λέγω δὲ, οἷον περί τε πλήθους πολιτῶν, καὶ χώρας.

§. 3. Quemadmodum enim & aliis opificibus, veluti textori & fabro navali, oportet materiam paratam eſſe ad opus faciendum idoneam. (Quanto enim ipſa melius comparata fuerit, neceſſe eſt, quod efficitur ab arte, pulchrius eſſe:) ſic & politico & ſcriptori legum, opus eſt ſuam propriamque materiam adeſſe, quæ ſit accommodata.

§. 3. Ὥσπερ γὰρ καὶ τοῖς ἄλλοις δημιουργοῖς, οἷον ὑφάντῃ καὶ ναυπηγῷ, δεῖ τὴν ὕλην ὑπάρχειν ἐπιτηδείαν οὖσαν πρὸς τὴν ἐργασίαν· (ὅσῳ γὰρ (f) ἂν αὐτὴ τυγχάνῃ (g) παρεσκευασμένη βέλτιον, ἀνάγκη καὶ τὸ γιγνόμενον ὑπὸ τῆς τέχνης εἶναι κάλλιον·) οὕτω καὶ τῷ πολιτικῷ καὶ τῷ νομοθέτῃ δεῖ τὴν οἰκείαν ὕλην ὑπάρχειν ἐπιτηδείως ἔχουσαν.

§. 4. §. 4.

(a) *Deus*) PICCARTUS *p.* 985. *GOEB.*
(b) *Fundamenta*) Inquirit, quibuſnam utendum ſit inſtrumentis, ut vita beata obtineri queat. FELDEN. *GOEB.*
(c) καὶ κυρίους) Aldus λέγομεν κυρίως. Sed non eſt, quare aliquid mutemus. *CONR.*
(d) περὶ τῆς) Illud περὶ videtur ſuperfluum: nec habetur in codice aldino. *CONR.*
(e) εὐχομένους) Recte Sylburgius: vel ſcribendum: εὐχομένοις, vel activa ſignificatione legendum προϋποτίθεσθαι. *CONR.*
(f) ὅσῳ γὰρ) Signo parentheſeos hæc notare, duximus ex uſu fore. *CONR.*
(g) αὐτὴ τυγχάνῃ) Zvyingerus legit αὕτη: nec male. *CONR.*

Digitized by Google

§. 4. Eſt autem civilis copiæ primum, numerus hominum, quot & quales natura ipſi adeſſe oportet: & de agro eodem pacto, quantum eſſe, & qualem hunc.

§. 4. Ἔςι δὲ πολιτικῆς χορηγίας πρῶτον, τό τε πλῆθος τῶν ἀνθρώπων, πόσους τε καὶ ποίους τινὰς ὑπάρχειν δεῖ φύσει. καὶ κατὰ τὴν χώραν ὡσαύτως, ὅσην τε (*b*) εἶναι, καὶ ποίαν τινὰ ταύτην.

§. 5. Putant igitur plurimi convenire, magnam eſſe *civitatem*, (*a*) quæ beata futura ſit. Si autem hoc verum eſt, ignorant, qualis magna, & qualis parva civitas ſit: e numeri enim multitudine eorum, qui illic habitant, exiſtimant magnam.

§. 5. Οἴονται μὲν οὖν οἱ πλεῖςοι προσήκειν μεγάλην εἶναι τὴν εὐδαίμονα πόλιν· εἰ δὲ τοῦτ᾽ ἀληθὲς, ἀγνοοῦσι ποία μεγάλη καὶ ποία μικρὰ πόλις. κατ᾽ ἀριθμοῦ γὰρ πλῆθος τῶν ἐνοικούντων κρίνουσι τὴν μεγάλην.

§. 6. Decet autem potius non ad multitudinem, ſed ad poteſtatem reſpicere. eſt enim quoddam civitatis opus. Quare quæ valet hoc maxime moliri, hanc putandum eſt eſſe maximam.

§. 6. Δεῖ δὲ μᾶλλον, μὴ εἰς τὸ πλῆθος, εἰς δὲ δύναμιν ἀποβλέπειν. ἔςι γάρ τι καὶ πόλεως ἔργον. ὥςε τὴν δυναμένην τοῦτο μάλις᾽ ἀποτελεῖν, ταύτην οἰητέον εἶναι μεγίςην.

§. 7. Ceu Hippocratem non hominem, ſed medicum eſſe majorem diceret aliquis, quam eum, qui præſtat magnitudine corporis.

§. 7. Οἷον, Ἱπποκράτην, οὐκ ἄνθρωπον, ἀλλ᾽ ἰατρὸν εἶναι μείζω φήσειεν ἄν τις τοῦ διαφέροντος κατὰ τὸ μέγεθος τοῦ σώματος.

§. 8. Veruntamen etſi decet etiam ad multitudinem reſpicientes, non e qualibet multitudine hoc putandum eſt. Neceſſe namque fortaſſe in civitatibus adeſſe & ſervorum multorum numerum, & inquilinorum, & peregrinorum: ſed quicunque civitatis ſunt pars, & e quibus conſtat civitas ſuis propriisque partibus.

§. 8. Οὐ μὴν ἀλλὰ, κἂν εἰ δεῖ κρίνειν πρὸς τὸ πλῆθος ἀποβλέποντας, οὐ κατὰ τὸ τυχὸν πλῆθος τοῦτο οἰητέον· ἀναγκαῖον γὰρ ἐν ταῖς πόλεσιν ἴσως ὑπάρχειν καὶ δούλων ἀριθμὸν πολλῶν, καὶ μετοίκων, καὶ ξένων· ἀλλ᾽ ὅσοι πόλεως εἰσι μέρος, καὶ ἐξ ὧν συνίςαται πόλις οἰκείων μορίων.

§. 9. Horum enim exuperantia multitudinis magnæ civitatis indicium. e qua enim minuti artifices prodeunt multi numero, milites autem pauci, hanc impoſſibile eſt eſſe magnam. non enim idem eſt magna civitas & multorum hominum.

§. 9. Ἡ γὰρ τούτων ὑπεροχὴ τοῦ πλήθους, μεγάλης πόλεως σημεῖον. ἐξ ἧς δὲ βάναυσοι μὲν ἐξέρχονται πολλοὶ τὸν ἀριθμὸν, ὁπλῖται δὲ ὀλίγοι, ταύτην ἀδύνατον εἶναι μεγάλην. οὐ γὰρ ταυτὸν μεγάλη τε πόλις καὶ πολυάνθρωπος.

§. 10. Quin etiam & hoc ex operibus quoque manifeſtum eſt, difficile eſſe. Fortaſſe autem impoſſibile, bonis legibus uti, valde numeroſam.

§. 10. Ἀλλὰ μὴν καὶ τοῦτό γε ἐκ τῶν ἔργων φανερὸν ὅτι χαλεπόν. ἴσως δ᾽ ἀδύνατον, εὐνομεῖσθαι τὴν λίαν πολυάνθρωπον.

§. 11. Earum certe, quæ videntur bene adminiſtrari, nullam videmus eſſe remiſſam verſus multitudinem.

§. 11. Τῶν γοῦν δοκουσῶν πολιτεύεσθαι καλῶς οὐδεμίαν ὁρῶμεν οὖσαν ἀνειμένην πρὸς τὸ πλῆθος.

§. 12. Hoc autem perſpicuum eſt per aſſenſionem etiam, quæ ducitur a rationibus. Lex enim ordo quidam eſt, & bonam legum inſtitutionem, neceſſe eſt bonam ordinationem eſſe. numerus autem valde exuperans, non poteſt obtinere ordinem: divinæ namque poteſtatis hoc jam opus eſt, quæ ſane univerſum hoc continet.

§. 12. Τοῦτο δὲ δῆλον καὶ διὰ τῆς τῶν λόγων πίςεως. ὅ τε γὰρ νόμος τάξις τίς ἐςι, καὶ τὴν εὐνομίαν ἀναγκαῖον εὐταξίαν εἶναι· ὁ δὲ λίαν ὑπερβάλλων ἀριθμὸς, οὐ δύναται μετέχειν τάξεως. θείας γὰρ δὴ τοῦτο δυνάμεως ἔργον ἣ τις καὶ τόδε συνέχει τὸ πᾶν.

§. 13. Nam pulchrum in multitudine & magnitudine ſolet naſci. quare & civitas, cujus cum magnitudine dictus terminus exiſtit, hanc eſſe pulcherrimam neceſſe eſt.

§. 13. Ἐπεὶ τό γε καλὸν ἐν πλήθει καὶ μεγέθει εἴωθε γίνεσθαι. διὸ καὶ πόλιν, ἧς μετὰ μεγέθους ὁ λεχθεὶς ὅρος ὑπάρχει, ταύτην εἶναι καλλίςην ἀναγκαῖον.

§. 14. Sed eſt quædam etiam civitatis magnitudinis menſura, quemadmodum aliarum rerum omnium, animalium, ſtirpium, inſtrumentorum.

§. 14. Ἀλλ᾽ ἐςί τι καὶ πόλεσι μεγέθους μέτρον ὥσπερ καὶ τῶν ἄλλων πάντων, ζώων, φυτῶν, ὀργάνων.

§. 15. Etenim unumquodque horum, neque valde parum, neque magnitudine exuperans, habebit ſuam vim ac poteſtatem: ſed aliquando quidem funditus orbatum erit natura, aliquando autem male ſe habebit.

§. 15. Καὶ γὰρ τούτων ἕκαςον, οὔτε λίαν μικρὸν, οὔτε κατὰ μέγεθος ὑπερβάλλον ἕξει τὴν ἑαυτοῦ δύναμιν· ἀλλ᾽ ὁτὲ μὲν ὅλως ἐςερημένον ἔςαι τῆς φύσεως, ὁτὲ δὲ φαύλως ἔχον.

§. 16. Veluti navigium unius palmi, non erit navigium omnino, neque duorum ſtadiorum. Ad magnitudinem autem quandam cum venerit, aliquando quidem ob exiguitatem, pravam efficiet navigationem: aliquando autem, ob exuperantiam.

§. 16. Οἷον, πλοῖον σπιθαμιαῖον μὲν, οὐκ ἔςαι πλοῖον ὅλως, οὐδὲ δυοῖν ςαδίοιν. εἰς δέ τι μέγεθος ἐλθὸν, ὁτὲ μὲν, διὰ σμικρότητα (*c*) φαύλην ποιήσει τὴν ναυτιλίαν, ὁτὲ δὲ, διὰ τὴν ὑπερβολήν.

§. 17. §. 17.

(*a*) *Civitatem*) PICCART. *p.* 990. *ſeqq.* GOEB.

(*b*) ὅσην τε) Sylburgius ſcribit πόσην. Probe. CONR.

(*c*) διὰ σμικρότητα) Aldus: μικρότητα: quod monuiſſe plus ſatis eſt. CONR.

Digitized by Google

§. 17. Simili autem modo & civitas, hæc quidem ex valde paucis, non contenta ſuis partibus erit: civitas autem quiddam expletum eſt: hæc autem e valde multis, quod facit ad res neceſſarias, ſatis eorum nacta eſt, tanquam gens, non civitas. Rempublicam enim non facile eſt adeſſe. Quis enim dux valde exuperantis multitudinis erit, vel quis præco, niſi ſit Stentori ſimilis.

§. 17. Ὁμοίως δὲ καὶ πόλις, ἡ μὲν ἐξ ὀλίγων λίαν, οὐκ αὐτάρκης· ἡ δὲ πόλις αὔταρκες· ἡ δὲ ἐκ πολλῶν ἄγαν, ἐν μὲν τοῖς ἀναγκαίοις αὐτάρκης, ὥσπερ ἔθνος ἀλλ᾽ οὐ πόλις· πολιτείαν γὰρ οὐ ῥᾴδιον ὑπάρχειν· τίς γὰρ στρατηγὸς ἔσται τοῦ λίαν ὑπερβάλλοντος πλήθους, ἢ τίς κήρυξ μὴ στεντόρειος;

§. 18. Quare primam eſſe civitatem neceſſe eſt, quæ conſtat ex tanta multitudine, quæ prima multitudo contenta eſt rebus ſuis ad bene vivendum, ſecundum communionem civilem.

§. 18. Διὸ πρώτην μὲν εἶναι πόλιν ἀναγκαῖον τὴν ἐκ τοσούτου πλήθους, ὃ πρῶτον πλῆθος αὔταρκες πρὸς τὸ εὖ ζῆν ἐστι κατὰ τὴν πολιτικὴν κοινωνίαν.

§. 19. Contingit autem, & eam, quæ ſuperat hanc multitudinem, majorem eſſe civitatem: ſed hoc non eſt, ut diximus, indefinitum.

§. 19. Ἐνδέχεται δὲ καὶ τὴν ταύτης ὑπερβάλλουσαν κατὰ πλῆθος, εἶναι μείζω πόλιν. ἀλλὰ τοῦτ᾽ οὐκ ἔστιν, ὥσπερ εἴπομεν, ἀόριστον.

§. 20. Quis autem terminus eſt exuperantiæ, videre facile eſt ex operibus, ſunt enim actiones civitatis his quidem imperium habentibus, his autem imperio parentibus. imperantis autem, edictum & exiſtimatio eſt opus. Ad exiſtimandum autem de rebus juſtis, & ad mandandum magiſtratus pro dignitate, neceſſe eſt, ut cives inter ſe noti ſint, quales ſunt. Quoniam ubi hoc non uſu venit, neceſſe eſt perperam tractari, quæ pertinent ad magiſtratus & exiſtimationes. In ambabus enim his rebus non juſtum eſt ſubito de quopiam ſtatuere: quod in valde magna hominum multitudine exiſtit aperte.

§. 20. Τίς δ᾽ ἐστὶν ὁ τῆς ὑπερβολῆς ὅρος, ἐκ τῶν ἔργων ἰδεῖν ῥᾴδιον. εἰσὶ γὰρ αἱ πράξεις τῆς πόλεως, τῶν μὲν ἀρχόντων, τῶν δ᾽ ἀρχομένων. ἄρχοντος δ᾽ ἐπίταξις καὶ κρίσις ἔργον. πρὸς δὲ τὸ κρίνειν περὶ τῶν δικαίων, καὶ πρὸς τὸ τὰς ἀρχὰς διανέμειν κατ᾽ ἀξίαν, ἀναγκαῖον γνωρίζειν ἀλλήλους, ποῖοί τινές εἰσι, τοὺς πολίτας. ὡς ὅπου τοῦτο μὴ συμβαίνει γίγνεσθαι, φαύλως ἀνάγκη γίγνεσθαι τὰ περὶ τὰς κρίσεις. περὶ ἀμφότερα γὰρ οὐ δίκαιον αὐτοσχεδιάζειν· ὅπερ ἐν τῇ πολυανθρωπίᾳ τῇ λίαν ὑπάρχει φανερῶς.

§. 21. Præterea peregrinis & inquilinis facile eſt obrepere ad rempublicam. neque enim arduum eſt fallere, propter exuperantiam multitudinis.

§. 21. Ἔτι δὲ ξένοις καὶ μετοίκοις ῥᾴδιον μεταλαμβάνειν τῆς πολιτείας. οὐ γὰρ χαλεπὸν τὸ λανθάνειν, διὰ τὴν ὑπερβολὴν τοῦ πλήθους.

§. 22. Perſpicuum igitur hunc eſſe civitatis terminum optimum, maxima multitudinis exuperantia, opportunis vitæ rebus inſtructa, quæ non magno negotio cernatur.

§. 22. Δῆλον τοίνυν ὡς οὗτός ἐστι πόλεως ὅρος ἄριστος, ἡ μεγίστη τοῦ πλήθους ὑπερβολή, πρὸς αὐτάρκειαν ζωῆς εὐσύνοπτος.

§. 23. De magnitudine igitur civitatis definitum ſit hoc modo.

§. 23. Περὶ μὲν οὖν μεγέθους πόλεως διωρίσθω τὸν τρόπον τοῦτον.

# CAPUT V.

§. 1.

VI. Similiter autem ſe habent & quæ de agro.

VI. Παραπλησίως δὲ καὶ τὰ περὶ τῆς χώρας ἔχει.

§. 2. De eo namque qualem *deceat*, (*a*) non eſt dubium, quin illum, quo maxime contenti eſſe debeant, unusquiſq; laudaret. Hujuſcemodi autem neceſſe eſt, eſſe omnium rerum feracem: omnia enim adeſſe, & nulla re egere, contentos homines reddit. Multitudine autem & magnitudine tantum, ut poſſint, qui illic habitant, vivere in ocio, liberaliter ſimul & temperanter.

§. 2. Περὶ μὲν γὰρ τοῦ ποίαν τινά, δῆλον ὅτι τὴν αὐταρκεστάτην πᾶς τις ἂν ἐπαινέσειε. τοιαύτην δὲ ἀναγκαῖον εἶναι τὴν παντοφόρον· τὸ γὰρ πάντα ὑπάρχειν, καὶ δεῖσθαι μηθενός, αὔταρκες· πλήθει δὲ καὶ μεγέθει τοσαύτην, ὥστε δύνασθαι τοὺς οἰκοῦντας ζῆν σχολάζοντας, ἐλευθερίως ἅμα καὶ σωφρόνως.

§. 3. Hunc autem finem, recte ne, ſive non recte dicimus, poſtea exquiſitius conſiderandum eſt, quando omnino de poſſeſſione bonorum & copia patrimonii contigerit mentionem facere, qualiter & quomodo ſe habere oportet ad uſum ipſum. Multæ namque circa conſiderationem hanc ſunt controverſiæ, ob ſtudium eorum, qui trahunt ad utramque vitæ exuperantiam: hi quidem ad exilitatem, hi autem ad luxum.

§. 3. Τοῦτον δὲ τὸν ὅρον (*b*) εἰ καλῶς ἢ μὴ καλῶς λέγομεν, ὕστερον ἐπισκεπτέον ἀκριβέστερον, ὅταν ὅλως περὶ κτήσεως καὶ τῆς περὶ τὴν οὐσίαν εὐπορίας συμβαίνῃ ποιεῖσθαι μνείαν, πῶς δεῖ, καὶ τίνα τρόπον, ἔχειν πρὸς τὴν χρῆσιν αὐτήν. πολλαὶ γὰρ περὶ τὴν σκέψιν ταύτην εἰσὶν ἀμφισβητήσεις, διὰ τοὺς ἕλκοντας ἐφ᾽ ἑκατέραν τοῦ βίου (τὴν) ὑπερβολήν (*c*) τοὺς μέν, ἐπὶ τὴν γλισχρότητα, τοὺς δέ, ἐπὶ τὴν τρυφήν.

§. 4. §. 4.

(*a*) *Deceat*) Hic quæritur, in quanam regione optima reſpublica conſtitui debeat. *GOEB.*

(*b*) τοῦτον δὲ τὸν ὅρον) Aldus: τοῦτο δὲ. Nullo diſcrimine. *CONR.*

(*c*) τὴν ὑπερβολὴν) Aldus non habet τὴν. Exornat tamen dictionem. *CONR.*

§. 4. Formam autem regionis non eſt arduum dicere. Decet autem in quibuſdam conſilium ſequi illorum, qui periti ſunt artis imperatoriæ: oportere quidem eam hoſtibus difficilem eſſe ad irrumpendum, ipſis autem pronam ad exeundum.

§. 4. Τὸ δ' εἶδος τῆς χώρας οὐ χαλεπὸν εἰπεῖν. δεῖ δ' ἔνια πείθεσθαι καὶ τοῖς περὶ τὴν στρατηγίαν ἐμπείροις. ὅτι χρὴ μὲν τοῖς πολεμίοις εἶναι δυσέμβολον, αὐτοῖς δ' εὐέξοδον.

§. 5. Adhuc autem, quemadmodum multitudinem hominum affirmavimus oportere facilem eſſe perſpectu, ita & regionem. Perſpectu autem facilem eſſe, perinde eſt atque eandem talem eſſe, ut parvo negotio ipſi auxilium ferri poſſit.

§. 5. Ἔτι δ', ὥσπερ τὸ πλῆθος τὸ τῶν ἀνθρώπων εὐσύνοπτον ἔφαμεν εἶναι δεῖν, οὕτω καὶ τὴν χώραν. τὸ δ' εὐσύνοπτον, τὸ εὐβοήθητον εἶναι τὴν χώραν ἐστί.

§. 6. Poſituram autem urbis, ſi oportet condere illam ex ſententia, ad mare convenit ſitam eſſe recte, & ad agrum.

§. 6. Τῆς δὲ πόλεως τὴν θέσιν, εἰ χρὴ ποιεῖν κατ' εὐχὴν, πρός τε τὴν θάλατταν προσήκει κεῖσθαι καλῶς, πρός τε τὴν χώραν.

§. 7. Unus quidem finis eſt, qui dictus eſt: oportet enim ad auxilia mittenda communem eſſe omnibus locis: reliquus autem, ad exportationes fructuum, qui ibi naſcuntur: adhuc autem materiæ lignorum, & ſi quam aliam rem opera hominum factam regio poſſidet, ut ſit facilis exportatu.

§. 7. Εἷς μὲν ὁ λεχθεὶς ὅρος· δεῖ γὰρ πρὸς τὰς ἐκβοηθείας κοινὴν εἶναι τῶν τόπων ἁπάντων· ὁ δὲ λοιπὸς, πρὸς τὰς τῶν γιγνομένων καρπῶν παραπομπάς. ἔτι δὲ τῆς περὶ ξύλα ὕλης, κἂν εἴ τινα ἄλλην ἐργασίαν ἡ χώρα τυγχάνοι κεκτημένη τοιαύτην, εὐπαρακόμιστον.

## CAP. VI.

§. 1.

VII. De communione autem cum mari, utrum ſit utilis civitatibus, bonis legibus inſtructis, vel detrimentoſa, exiſtunt multæ controverſiæ.

§. 1.

VII. Περὶ δὲ τῆς πρὸς τὴν θάλατταν κοινωνίας, πότερον ὠφέλιμος ταῖς εὐνομουμέναις πόλεσιν, ἢ βλαβερὰ, πολλὰ τυγχάνουσιν (b) ἀμφισβητοῦντες.

§. 2. Frequentare enim ea loca peregrinos quoſdam, in aliis moribus educatos, minime conducere ajunt ad leges utiles ejus loci, & magnum numerum hominum. naſci namque ipſum, quia utuntur mari, mittentes alio, & recipientes mercatorum multitudinem, qui nimis magnus numerus adverſatur reipublicæ bene adminiſtrandæ.

§. 2. Τό τε γὰρ ἐπιξενοῦσθαί τινας ἐν ἄλλοις τεθραμμένους νόμοις, ἀσύμφορον εἶναί φασι πρὸς τὴν εὐνομίαν, καὶ τὴν πολυανθρωπίαν· γίνεσθαι μὲν γὰρ ἐκ τοῦ χρῆσθαι τῇ θαλάσσῃ, διαπέμποντας, καὶ δεχομένους ἐμπόρων πλῆθος. ὑπεναντίαν δ' (c) εἶναι πρὸς τὸ πολιτεύεσθαι καλῶς.

§. 3. Præſtare igitur, ſi hæc non contingunt, & ad tuto illic vivendum, & ad copiam rerum neceſſariarum, *urbem* (a) & regionem participem eſſe maris, non eſt obſcurum.

§. 3. Ὅτι μὲν οὖν εἰ ταῦτα μὴ συμβαίνειν, βέλτιον καὶ πρὸς ἀσφάλειαν, καὶ πρὸς εὐπορίαν τῶν ἀναγκαίων μετέχειν τὴν πόλιν καὶ τὴν χώραν τῆς θαλάττης, οὐκ ἄδηλον.

§. 4. Nam & ad facilius ferendum incurſum hoſtium, opus eſt ambabus partibus auxilia venire poſſe illis, qui e periculo ſunt eripiendi, id eſt terra & mari: & ad incommoda importanda invadentibus, ſi non utrinque, ſaltem ex altera parte facultas erit, ſi ambabus communicabunt.

§. 4. Καὶ γὰρ πρὸς τὸ ῥᾷον φέρειν τοὺς πολεμίους, (d) εὐβοηθήτους εἶναι δεῖ κατ' ἀμφότερα τοὺς σωθησομένους, καὶ κατὰ γῆν, καὶ κατὰ θάλατταν· καὶ πρὸς τὸ βλάψαι τοὺς ἐπιτιθεμένους, εἰ μὴ κατ' ἄμφω δυνατὸν, ἀλλὰ κατὰ (e) θάτερον ὑπάρξει μᾶλλον, ἀμφοτέρων μετέχουσιν.

§. 5. Et quæcunque non ſunt apud eos, accipere hæc, quæque ſuperſunt illic naſcentium alio mittere, eſt profecto una rerum neceſſariarum.

§. 5. Ὅσα τ' ἂν μὴ τυγχάνῃ παρ' αὐτοῖς ὄντα, δέξασθαι ταῦτα, καὶ τὰ πλεονάζοντα τῶν γιγνομένων ἐκπέμψασθαι τῶν ἀναγκαίων ἐστίν.

§. 6. Sibi enim ipſi oportet mercatura providere, non aliis civitatem. Qui autem apud ſe forum inſtituunt omnibus gentibus, hi vectigalium cauſa hæc faciunt. Quod ſi non oportet civitatem tanta cupiditate teneri rei quærendæ, neque mercatum etiam talem apud ſe habere.

§. 6. Αὐτῇ γὰρ ἐμπορικὴν, ἀλλ' οὐ τοῖς ἄλλοις δεῖ εἶναι τὴν πόλιν· οἱ δὲ παρέχοντες σφᾶς αὐτοὺς πᾶσιν ἀγορὰν, προσόδου χάριν ταῦτα πράττουσιν. ἣ δὲ μὴ δεῖ πόλιν τοιαύτης μετέχειν πλεονεξίας, οὐδ' ἐμπόριον δεῖ κεκτῆσθαι τοιοῦτον.

§. 7. §. 7.

(a) *Urbem*) Maritimam urbem, aliis ad mare non ſitis præferendam eſſe docet; habet tamen & ſua mala. HERT. ~~part. II. ſect. III. GOEB.~~

(b) πολλὰ τυγχάνουσιν) Malim cum Camerario: πολλοί; *multi controverſari ſolent.* CONR.

(c) ὑπεναντίαν δ') Poteſt hæc vox, non incommode referri ad πολυανθρωπίαν. At melius tamen ὑπεναντίον: quomodo in veteri codice invenit etiam Camerarius. CONR.

(d) τοὺς πολεμίους) Malim πολέμους. CONR.

(e) ἀλλὰ κατὰ.) Aldus habet, eleganter inſertam voculam εἰ: ἀλλ' εἰ κατὰ. CONR.

§. 7. Quia autem & nunc videmus multis & regionibus (a) & civitatibus adeſſe navalia & portus, opportune ſitos ad civitatem, ut neque eandem urbem colant, neque valde remoti ſint, ſed mœnibus firmari & hujuscemodi aliis operibus: manifeſtum eſt, ſi res fert, ut aliquid boni exiſtat ex communione ipſorum, aderit civitati hoc bonum: ſi autem aliquid detrimenti, cavere ipſum facile eſt legibus, oſtendentes & definientes, quos non oportet, ac quos permiſceri oportet inter ſe.

§. 8. De poteſtate autem navali optimum eſſe, paratam eſſe illam, usque ad aliquem numerum, non eſt obſcurum. Non enim ſolum ſibi ipſis, verum etiam vicinis quibusdam formidoloſos eſſe oportet, & poſſe etiam auxilium ferre, ut terra, ita quoque mari.

§. 9. De numero autem jam & magnitudine poteſtatis hujus conſiderandum eſt pro vita civitatis. Si namque ſtudioſam imperandi vitam & civilem vivet, neceſſe eſt & hanc potentiam adeſſe, reſpondentem ad res gerendas.

§. 10. Multitudinem autem hominum, quæ proficiſcitur e turba navali, minime neceſſe eſt adeſſe civitatibus: nullam enim partem ipſos oportet eſſe civitatis. Genus enim vectorum, liberum; & itidem eorum, qui ſolent terra pugnare. quod illic ſummam poteſtatem habet, & princeps eſt navigationis. Ubi autem eſt numerus magnus caſtellanorum & agricolarum, illic neceſſe eſt copiam etiam eſſe nautarum.

§. 11. Videmus autem hoc nunc etiam adeſſe quibusdam, veluti civitati Heracleotarum: multas enim implet triremes, cum tamen habeant urbem magnitudine aliis concinniorem.

§. 12. De regione igitur, & portubus, & urbibus, & mari, & de nautica poteſtate, ſit explicatum hoc modo: de multitudine autem civili, quem terminum ipſum habere opus eſt, prius diſſeruimus.

§. 7. Ἐπεὶ δὲ (d) καὶ νῦν ὁρῶμεν πολλαῖς ὑπάρχον καὶ χώραις καὶ πόλεσιν ἐπίνεια καὶ λιμένας, εὐφυῶς κείμενα πρὸς τὴν πόλιν, ὥςε μήτε τὸ αὐτὸ νέμειν ἄςυ, μήτε πόῤῥω λίαν, ἀλλὰ κρατεῖσθαι τείχεσι καὶ τοιούτοις ἄλλοις ἐρύμασι· φανερὸν, ὡς εἰ μὲν ἀγαθόν τι συμβαίνει γίγνεσθαι διὰ τῆς κοινωνίας αὐτῶν, ὑπάρξει τῇ πόλει τοῦτο τὸ ἀγαθόν· εἰ δέ τι βλαβερὸν, φυλάξασθαι ῥᾴδιον τοῖς νόμοις, φράζοντας καὶ διορίζοντας, τίνας οὐ δεῖ, καὶ τίνας ἐπιμίσγεσθαι δεῖ πρὸς ἀλλήλους.

§. 8. Περὶ δὲ τῆς ναυτικῆς δυνάμεως, ὅτι μὲν βέλτιςον, ὑπάρχειν μέχρι τινὸς πλήθους, οὐκ ἄδηλον. οὐ γὰρ μόνον αὑτοῖς, ἀλλὰ καὶ τῶν πλησίον τισὶ δεῖ καὶ φοβεροὺς εἶναι, καὶ δύνασθαι, βοηθεῖν, ὥσπερ κατὰ γῆν, καὶ κατὰ θάλατταν.

§. 9. Περὶ δὲ πλήθους ἤδη καὶ μεγέθους τῆς δυνάμεως ταύτης πρὸς τὸν βίον ἀποσκεπτέον (e) τῆς πόλεως. εἰ μὲν γὰρ ἡγεμονικὸν καὶ πολιτικὸν ζήσεται βίον, ἀναγκαῖον καὶ ταύτην τὴν δύναμιν ὑπάρχειν πρὸς τὰς πράξεις σύμμετρον.

§. 10. Τὴν δὲ πολυανθρωπίαν τὴν γιγνομένην περὶ τὸν ναυτικὸν ὄχλον, οὐκ ἀναγκαῖον ὑπάρχειν ταῖς πόλεσιν. οὐθὲν γὰρ αὐτοὺς μέρος εἶναι δεῖ τῆς πόλεως. τὸ μὲν γὰρ ἐπιβατικὸν, ἐλεύθερον, καὶ τῶν πεζευόντων ἐςίν· ὃ κύριόν ἐςι, καὶ κρατεῖ τῆς ναυτιλίας. πλήθους δὲ ὑπάρχοντος περιοίκων, καὶ τῶν τὴν χώραν γεωργούντων, ἀφθονίαν ἀναγκαῖον εἶναι καὶ ναυτῶν.

§. 11. Ὁρῶμεν δὲ καὶ τοῦτο καὶ νῦν ὑπάρχοντισίν· οἷον, τῇ πόλει τῶν Ἡρακλειωτῶν. (f) πολλὰς γὰρ ἐκπληροῦσι τριήρεις, κεκτημένοι τῷ μεγέθει πόλιν ἑτέρων ἐμμελεςέραν. (g)

§. 12. Περὶ μὲν οὖν χώρας, καὶ λιμένων, καὶ πόλεων, (h) καὶ θαλάττης, καὶ περὶ τῆς ναυτικῆς δυνάμεως, ἔςω διωρισμένα (i) τὸν τρόπον τοῦτον· περὶ δὲ τοῦ πολιτικοῦ πλήθους, τίνα μὲν ὅρον ὑπάρχειν χρὴ, πρότερον εἴπομεν.

## CAP. VII.

§. 1.

IIX. Quales autem ipſos *natura* (b) eſſe oporteat, nunc tradamus.

§. 2. Ferme autem perciperet hoc, qui reſpexerit ad Græcorum civitates omnibus probatas, & ad univerſam tellurem, ut gentibus diſtincta eſt.

§. 3. Gentes enim, quæ degunt in frigidis locis, & quæ Europam incolunt, animi quidem plenæ ſunt, *ingenii autem* (c) & artis dotibus non

§. 1.

IIX. Ποίους δὲ τινὰς τὴν φύσιν εἶναι δεῖ, νῦν λέγωμεν.

§. 2. Σχεδὸν δὴ κατανοήσειεν ἄν τις τοῦτό γε, βλέψας ἐπί τε τὰς πόλεις (k) τὰς εὐδοκιμούσας τῶν Ἑλλήνων, καὶ πρὸς πᾶσαν τὴν οἰκουμένην, ὡς διείληπται τοῖς ἔθνεσι.

§. 3. Τὰ μὲν γὰρ ἐν τοῖς ψυχροῖς τόποις ἔθνη, καὶ τὰ περὶ τὴν Εὐρώπην, θυμοῦ μέν ἐςι πλήρη, διανοίας δὲ ἐνδεέςερα καὶ τέχνης. διόπερ ἐλεύθερα μὲν

(a) *Regionibus*) PICCARTUS *p.* 1013. *ſeqq.* *GOEB.*
(b) *Natura*) Inveſtigatur hic, quale civium debeat eſſe ingenium. FELDEN. *p.* 416. *GOEB.*
(c) *Ingenii autem*) De his actum ad Claramontium. Et Septentrionem excellentia interdum produxiſſe ingenia, conſtat. Paraſſe autem gentes ſeptentrionales ſibi imperia, in rerum geſtarum commentariis memoriæ proditum eſt. *GOEB.*
(d) ἐπεὶ δὲ) Aldus ἐπεὶ δή. Sed noſtrum rectius. *CONR.*
(e) ἀποσκεπτέον) Aldus σκεπτέον, Zvvingerus: ἐπισκεπτέον. Parvo ſenſus diſcrimine. *CONR.*
(f) Ἡρακλειωτῶν) Alii Ἡρακλεωτῶν. Utroque autem modo reperitur apud diverſos ſcriptores. *CONR.*
(g) ἐμμελεςέραν) Lambinus ἐνδεεςέραν *minorem*. Non male. *CONR.*
(h) καὶ πόλεων) De urbibus vero non egerat, multo minus illo ordine egerat Ariſtoteles. Videtur itaque vox illa delenda. *CONR.*
(i) διωρισμένα) Aldus: διωρισμένον. Perinde eſt. *CONR.*
(k) τὰς πόλεις) Male hæc abſunt ab aldinis. *CONR.*



Digitized by Google

non tam refertæ. Quare liberæ quidem magis ſervantur: expertes autem ſunt vitæ civilis, neque vim & poteſtatem habent parandi ſibi imperium vicinorum.

§. 4. Quæ vero Aſiæ loca habitant, ingenio valent, & artibus colendis factæ ſunt: animi autem inopes. Quare parere non recuſant, & ſerviunt perpetuo.

§. 5. Genus autem *Græcorum*, (*a*) quemadmodum ſitum eſt in medio horum locorum, ſic communicat ambabus illis naturis: nam & animo præditum eſt, & ingenio valet. Quare liberum permanet, atque optime rempublicam adminiſtrat: factumque ad imperium adipiſcendum cunctarum gentium, ſi ab una republica regeretur.

§. 6. Idem autem diſcrimen exiſtit græcorum populorum inter ſe: hi namque naturam habent unimembrem, hi vero bene temperati ſunt ad ambas poteſtates has.

§. 7. Perſpicuum igitur, oportere ingenioſos eſſe & proclives ad iram natura, qui ſe debent parare faciles ſcriptori legum ad virtutem.

** **

§. 8. Quod enim quidam ajunt, oportere ineſſe *cuſtodibus* (*b*) promptos illos eſſe ad diligendos ſibi notos, adverſus autem ignotos agreſtes ac feros.

** **

** **

§. 9. Animus eſt, qui gignit benignitatem. hæc enim eſt vis & poteſtas animæ, qua diligimus.

§. 10. Signum autem eſt: adverſus enim familiares & amicos animus excitatur magis, quam adverſus ignotos, cum exiſtimarit ſe deſpici. Quare Archilochus etiam, ut decebat, increpans amicos, verba ſua dirigit ad animum:

*Non enim ab amicis ſuffocabare?*

§. 11. Et quod imperium utique habet, & quod liberum eſt, ab hac poteſtate ortum, adeſt omnibus. factus enim ad imperandum & invictus eſt animus.

§. 12. Non belle autem ſe habet dicere, difficiles eſſe adverſus ignotos: adverſus neminem enim oportet eſſe talem. Neque qui magnanimi ſunt natura agreſtes ſunt, niſi adverſus eos, qui faciunt injuriam. ita autem magis adverſus familiares afficiuntur (quod prius a nobis dictum eſt) ſi exiſtimarint ſe injuriam accipere.

§. 13. Atque hoc ratione contingit: a quibus enim deberi ſibi beneficium putant, præter malum, quod datur, beneficio etiam ſe privari exiſtimant. Unde dictum eſt,

*Dif-*

μὲν διατελεῖ μᾶλλον· ἀπολίτευτα δὲ, καὶ τῶν πλησίον ἄρχειν οὐ δυνάμενα.

§. 4. Τὰ δὲ περὶ τὴν Ἀσίαν, διανοητικὰ μὲν καὶ τεχνικὰ τὴν ψυχήν· ἄθυμα δέ· διόπερ ἀρχόμενα καὶ δουλεύοντα διατελεῖ.

§. 5. Τὸ δὲ τῶν Ἑλλήνων γένος, ὥσπερ μεσεύει κατὰ τοὺς τόπους, οὕτως ἀμφοῖν μετέχει. καὶ γὰρ ἔνθυμον καὶ διανοητικόν ἐστι· διόπερ ἐλεύθερόν τε διατελεῖ, καὶ βέλτιστα πολιτευόμενον· (*c*) καὶ δυνάμενον ἄρχειν πάντων, μιᾶς τυγχάνον πολιτείας.

§. 6. Τὴν αὐτὴν δὲ ἔχει διαφορὰν καὶ τὰ τῶν Ἑλλήνων ἔθνη πρὸς ἄλληλα. (*d*) τὰ μὲν γὰρ ἔχει τὴν φύσιν μονόκωλον, τὰ δὲ εὖ τε κέκραται πρὸς ἀμφοτέρας τὰς δυνάμεις ταύτας.

§. 7. Φανερὸν τοίνυν, ὅτι δεῖ διανοητικούς τε εἶναι καὶ θυμοειδεῖς τὴν φύσιν, τοὺς μέλλοντας εὐαγώγους ἔσεσθαι τῷ νομοθέτῃ πρὸς τὴν ἀρετήν.

** **

§. 8. Ὥσπερ γάρ (*e*) φασί τινες, δεῖν ὑπάρχειν (*f*) τοῖς φύλαξι, τὸ φιλητικοὺς μὲν εἶναι τῶν γνωρίμων, πρὸς δὲ τοὺς ἀγνῶτας ἀγρίους.

** **

** **

§. 9. Ὁ θυμός (*g*) ἐστιν ὁ ποιῶν τὸ φιλητικόν· αὕτη γάρ ἐστιν ἡ τῆς ψυχῆς δύναμις, ᾗ φιλοῦμεν.

§. 10. Σημεῖον δέ· πρὸς γὰρ τοὺς συνήθεις καὶ φίλους ὁ θυμὸς αἴρεται μᾶλλον, ἢ πρὸς τοὺς ἀγνῶτας, ὀλιγωρεῖσθαι νομίσας. διὸ καὶ Ἀρχίλοχος προσηκόντως τοῖς φίλοις ἐγκαλῶν, διαλέγεται πρὸς τὸν θυμόν·

Οὐ γὰρ δὴ παρὰ φίλων ἀπάγχεο; (*h*)

§. 11. Καὶ τὸ ἄρχον δὲ καὶ τὸ ἐλεύθερον ἀπὸ τῆς δυνάμεως ταύτης ὑπάρχει πᾶσιν· ἀρχικὸν γὰρ καὶ ἀήττητον ὁ θυμός.

§. 12. Οὐ καλῶς δ' ἔχει λέγειν, χαλεποὺς εἶναι πρὸς τοὺς ἀγνῶτας· πρὸς οὐθένα γὰρ εἶναι χρὴ τοιοῦτον. οὐδέ εἰσιν οἱ μεγαλόψυχοι τὴν φύσιν ἄγριοι, πλὴν πρὸς τοὺς ἀδικοῦντας. τοῦτο δὲ μᾶλλον ἔτι πρὸς τοὺς συνήθεις πάσχουσιν, ὥσπερ εἴρηται πρότερον, ἂν ἀδικεῖσθαι νομίσωσι.

§. 13. Καὶ τοῦτο συμβαίνει κατὰ λόγον· παρ' οἷς γὰρ ὀφείλεσθαι δεῖν τὴν εὐεργεσίαν ὑπολαμβάνουσι, πρὸς τῷ βλάβει, καὶ ταύτης ἀποστερεῖσθαι νομίζουσιν. ὅθεν εἴρηται,

Χαλε-

(*a*) *Græcorum*) Jam Græcorum reliquiæ effeminatæ plane ſub turcico gemunt jugo. *GOEB.*

(*b*) *Cuſtodibus*) Diſputat hic contra Platonem, ejusque ſectatores, quibus reipublicæ cuſtodes canibus ſimiles videntur. Hi notis blanditi, ignotos vero adlatrare ſolent. PLATO. *GOEB.*

(*c*) βέλτιστα πολιτευόμενον) Vetus interpres legit μάλιστα. Probo noſtrum. *CONR.*

(*d*) πρὸς ἄλληλα) Aldus ſuperflue: καὶ πρὸς ἄλλ. Nam καὶ jam tum præceſſit. *CONR.*

(*e*) ὥσπερ γὰρ) Non ſatis cohærent. Nec tamen multa deſunt. *CONR.*

(*f*) δεῖν ὑπάρχειν) Aldus δεῖ. Sed illud δεῖν magis oſtendit, debere aliquid reſpondere illi ὥσπερ. *CONR.*

(*g*) ὁ θυμὸς) Neque hæc cohærent. *CONR.*

(*h*) ἀπάγχεο) Recte obſervat Victorius, Veterem interpretem legiſſe ἀπέγχεο. Lambinus legit ἀπήγχεο; interrogative. Sed parum refert, quid eligeris. *CONR.*

*Difficilia enim bella fratrum: &,*
*Qui ſine modo amarunt, iidem ſine modo etiam odio habent.*

Χαλεποὶ γὰρ πόλεμοι ἀδελφῶν· καὶ,
Οἵ τοι πέρα στέρξαντες, οἱ δὲ καὶ πέρα μισοῦσι.

§. 14. De his igitur, qui participes ſunt reipublicæ, quot oportet eſſe, qualesque natura: adhuc autem & agrum quantum & qualem, ferme explicatum eſt. non enim eandem exquiſitam rationem decet quærere in illis, quæ rationibus conqciuntur, & iis, quæ ſenſu percipiuntur.

§. 14. Περὶ μὲν οὖν τῶν πολιτευομένων, πόσους τε ὑπάρχειν δεῖ, καὶ ποίους τινὰς τὴν φύσιν· ἔτι δὲ τὴν χώραν πόσην τε τινὰ, καὶ ποίαν τινὰ, διώρισαι σχεδόν. οὐ γὰρ τὴν αὐτὴν ἀκρίβειαν δεῖ ζητεῖν, διά τε τῶν λόγων καὶ τῶν γιγνομένων διὰ τῆς αἰσθήσεως.

# CAP. IIX.

§. 1.

IX. *Quia autem,* (*a*) quemadmodum aliarum rerum, quæ natura conſtant, non hæ ſunt partes totius coagmentationis, ſine quibus totum nullo modo eſſet: manifeſtum eſt, neque civitatis partes poni oportere, quæcunque civitatibus neceſſe eſt ineſſe: neque ullius alius communionis, ex qua unum quodpiam genus.

§. 1.

IX. Ἐπεὶ δ' (*c*) ὥσπερ τῶν ἄλλων (*d*) τῶν κατὰ φύσιν συνεστώτων, οὐ ταυτά (*e*) ἐστι μόρια τῆς ὅλης συστάσεως, ὧν ἄνευ τὸ ὅλον οὐκ ἂν εἴη (*f*) δῆλον ὡς οὐδὲ πόλεως μέρη θετέον, ὅσα ταῖς πόλεσιν ἀναγκαῖον ὑπάρχειν, οὐδ' ἄλλης κοινωνίας οὐδεμιᾶς, ἐξ ἧς ἕν τι τὸ γένος.

§. 2. Unum enim quoddam & commune oportet eſſe, & idem communicantibus, ſive æquali ſive inæquali communicabunt: ceu ſive cibus hic eſt, ſive menſura agri, ſive alia quæpiam hujuſcemodi rerum.

§. 2. Ἕν γάρ τι καὶ κοινὸν εἶναι δεῖ καὶ ταὐτὸ τοῖς κοινωνοῖς, ἄν τε ἴσον, ἄν τε ἄνισον μεταλαμβάνωσιν· οἷον, εἴτε τροφὴ τοῦτό ἐστιν, εἴτε χώρας πλῆθος, εἴτε ἄλλό τι τῶν τοιούτων ἐστίν.

§. 3. Quando autem fuerit hoc quidem hujus gratia, hoc autem cujus gratia, nihil in his commune eſt: niſi huic quidem facere, huic autem ſumere.

§. 3. Ὅταν δ' ᾖ (*g*) τὸ μὲν τούτου ἕνεκεν, τὸ δ' οὗ ἕνεκεν, (*h*) οὐθὲν ἔν γε τούτοις κοινόν· ἀλλ' ἢ τῷ μὲν ποιῆσαι, τῷ δὲ λαβεῖν.

§. 4. Intelligo autem, & inſtrumento omni ad opus, quod efficitur, & opificibus: domui enim ad fabrum nihil eſt, quod efficitur commune, ſed eſt gratia domus fabrorum ars.

§. 4. Λέγω δ', οἷον ὀργάνῳ τε παντὶ πρὸς τὸ γιγνόμενον ἔργον, καὶ τοῖς δημιουργοῖς· οἰκίᾳ γὰρ πρὸς οἰκοδόμον οὐθέν ἐστιν ὃ γίνεται κοινὸν, ἀλλ' ἔστι τῆς οἰκίας χάριν ἡ τῶν οἰκοδόμων τέχνη.

§. 5. Quare opus eſt civitatibus poſſeſſione bonorum: poſſeſſio autem nulla pars eſt civitatis. Multæ autem partes bonorum ſunt animales.

§. 5. Διὸ κτήσεως μὲν δεῖ ταῖς πόλεσιν· οὐθὲν δ' ἐστὶν ἡ κτῆσις μέρος τῆς πόλεως. πολλὰ δὲ ἔμψυχα μέρη τῆς κτήσεώς ἐστιν.

§. 6. Civitas vero communio quædam eſt ſimilium, gratia autem vitæ, quantum res patitur, optimæ.

§. 6. Ἡ δὲ πόλις κοινωνία τις ἐστὶ τῶν ὁμοίων, ἕνεκεν δὲ ζωῆς τῆς ἐνδεχομένης ἀρίστης.

§. 7. Quia autem beatitudo eſt optimum: hæc autem virtutis actio eſt, & uſus quidam perfectus: contigit autem ſic, ut hos quidem uſu veniat participes eſſe ipſius, hos autem paulum quiddam vel nihil: planum eſt, hoc cauſam eſſe, quod ſunt ſpecies civitatis & diſcrimina, & reſpublicæ plures. Alio enim modo, & per alia, ſinguli hoc indagantes, & vitas diverſas faciunt, & reſpublicas.

§. 7. Ἐπεὶ δ' ἐστὶν εὐδαιμονία τὸ ἄριστον· αὕτη δὲ ἀρετῆς ἐνέργεια καὶ χρῆσίς τις τέλειος· συμβέβηκε δὲ οὕτως, ὥστε τοὺς μὲν ἐνδέχεσθαι μετέχειν αὐτῆς, τοὺς δὲ μικρὸν ἢ μηδέν· δῆλον ὡς τοῦτ' αἴτιον τοῦ γίγνεσθαι πόλεως εἴδη καὶ διαφορὰς, καὶ πολιτείας πλείους· ἄλλον γὰρ τρόπον καὶ δι' ἄλλων ἕκαστοι τοῦτο θηρεύοντες, τούς τε βίους ἑτέρους ποιοῦνται καὶ τὰς πολιτείας.

§. 8. Adhuc autem conſiderandum eſt, quot hæc ſunt, ſine quibus civitas *nullo pacto* (*b*) eſſet: etenim quas dicimus eſſe partes civitatis, in his foret * * neceſſarium ineſſe.

§. 8. Ἐπισκεπτέον δὲ καὶ πόσα ταῦτ' ἐστιν, ὧν ἄνευ πόλις οὐκ ἂν εἴη. καὶ γὰρ ἃ λέγομεν εἶναι μέρη πόλεως, ἐν τούτοις ἂν εἴη (*i*) * * ἀναγκαῖον ὑπάρχειν.

§. 9. §. 9.

---

(*a*) *Quia autem*) Agit in hoc capite de civibus beatæ reipublicæ, traditque, eos non poſſe dici, qui alterius gratia ſunt, cum non poſſint ſecundum optimam virtutem vivere. *GOEB.*

(*b*) *Nullo pacto*) In ſecunda hujus capitis parte loquitur de iis, quæ civitati maxime ſunt neceſſaria. PICCARTUS p. 1031. *ſeqq.* *GOEB.*

(*c*) ἐπεὶ δὲ) Quod in editione noſtra diſſimulavimus, hic tamen diſſimulare non poſſumus: ſemel atque iterum hiare videri hujus capitis ſermonem. Et vero in ipſo initio merito nonnulla deſideres de partibus neceſſariis civitatis, nec enim hæc probe cum prioribus cohærent. Similiter paulo poſt illa, ἐξ ἧς ἕν τι, non cohærent cum iis, quæ antecedunt. *CONR.*

(*d*) τῶν ἄλλων) Abſunt ab Aldino. Et vero abundant. *CONR.*

(*e*) ταυτα) Victorius & Lambinus rectius: ταῦτα *hæc.* *CONR.*

(*f*) ἂν εἴη) Aldus non habet ἄν. Et poteſt abeſſe. *CONR.*

(*g*) δ' ᾖ) Aldus δή. Sed noſtrum & Victorius probat & Sylburgius. *CONR.*

(*h*) οὗ ἕνεκεν) Quidam interpretum vertunt, quaſi legerint, οὐ ἕνεκεν. Et quidem videtur hoc rectius: ita enim apparet magis oppoſitio. *CONR.*

(*i*) ἂν εἴη) Voculam unam & alteram hic excidiſſe, pla-

 cet

§. 9. Sumendus ergo eſt numerus operum: ex his enim perſpicuum erit.

§. 10. Primum igitur adeſſe oportet alimentum.

§. 11. Deinde artes: multis enim inſtrumentis eget vita.

§. 12. Tertium autem *arma*: (*a*) qui communicant enim, neceſſe eſt & in ſe ipſis habere armas, & ad imperium, propter eos, qui parere nolunt: & adverſus eos, qui extrinſecus injuriam facere aggrediuntur.

§. 13. Adhuc pecuniæ aliquam copiam ut habeant, & ad uſus proprios ſuosque, & ad bellicos.

§. 14. Quintum autem & primum, curam, quæ refertur ad naturam divinam, quam vocant ſacerdotium.

§. 15. Sextum autem numero & omnium maxime neceſſarium, exiſtimationem de rebus utilibus ac juſtis inter ſe.

§. 16. Opera igitur hæc ſunt, quibus eget omnis civitas, ut ita loquar. Civitas enim multitudo eſt, non quælibet, ſed quæ paratas habeat res ad vitam neceſſarias, ut affirmamus. Si autem quippiam horum deſideretur, fieri non poteſt, ut ſimpliciter communio hæc contenta ſuis rebus ſit. Neceſſe igitur eſt per operationes has coagmentatam eſſe civitatem.

§. 17. Opus ergo eſt, agricolarum eſſe multitudinem, qui parent cibaria, & opifices, & milites, & locupletes, & ſacerdotes, & exiſtimatores rerum neceſſariarum & utilium.

§. 9. Ληπτέον τοίνυν τῶν ἔργων τὸν ἀριθμόν ἐκ τέτων γὰρ ἔςαι δῆλον.

§. 10. Πρῶτον μὲν ἂν ὑπάρχειν δεῖ τροφήν.

§. 11. Ἔπειτα τέχνας· πολλῶν γὰρ ὀργάνων δεῖται τὸ ζῆν.

§. 12. Τρίτον δὲ, ὅπλα. τὰς γὰρ κοινωνἂντας ἀναγκαῖον καὶ ἐν αὐτοῖς ἔχειν ὅπλα· πρός τε τὴν ἀρχὴν, τῶν ἀπειθἄντων χάριν, καὶ πρὸς τὰς ἔξωθεν ἀδικεῖν ἐπιχειρἄντας.

§. 13. Ἔτι χρημάτων τινὰ εὐπορίαν, ὅπως ἔχωσι καὶ πρὸς τὰς καθ' αὐτὰς χρείας, καὶ πρὸς πολεμικάς.

§. 14. Πέμπτον δὲ καὶ πρῶτον, τὴν περὶ τὸ θεῖον ἐπιμέλειαν, ἣν καλἂσιν ἱερατείαν.

§. 15. Ἕκτον δὲ τὸν ἀριθμὸν, καὶ πάντων ἀναγκαίοτατον, κρίσιν περὶ τῶν συμφερόντων καὶ τῶν δικαίων, τῶν πρὸς ἀλλήλας.

§. 16. Τὰ μὲν ἂν ἔργα ταῦτ' ἐςὶν, ὧν δεῖται πᾶσα πόλις, ὡς εἰπεῖν. ἡ γὰρ πόλις πλῆθός ἐςιν ἀ τὸ τυχὸν, ἀλλὰ πρὸς ζωὴν αὔταρκες, ὥς φαμέν. ἐὰν δέ τι τυγχάνῃ τέτων ἐκλεῖπον, ἀδύνατον ἁπλῶς αὐτάρκη τὴν κοινωνίαν εἶναι ταύτην. ἀνάγκη τοίνυν κατὰ τὰς ἐργασίας ταύτας συνεςάναι πόλιν.

§. 17. Δεῖ ἄρα γεωργῶν τ' εἶναι πλῆθος, οἳ παρασκευάζἂσι (*c*) τὴν τροφὴν, καὶ τεχνίτας, καὶ τὸ μάχιμον, καὶ τὸ εὔπορον, καὶ ἱερεῖς, καὶ κριτὰς τῶν ἀναγκαίων (*d*) καὶ συμφερόντων.

## CAP. IX.

§. 1.

X. His autem rebus explicatis, reliquum eſt conſiderare: utrum *omnes deceat*, (*b*) omnibus his communicare. (contingit enim eoſdem omnes eſſe & agricolas & opifices, & qui deliberent, & qui judicent,) ſive ſingulis muneribus expoſitis alios proponere oporteat: ſive hæc quidem propria, hæc autem communia omnium neceſſario ſunt, non in omni autem hoc republica.

§. 2. Quemadmodum enim diximus, contingit & omnes omnibus communicare: & non omnes omnibus, ſed quoſdam ipſorum. Hæc enim reddunt reſpublicas diverſas. In ſtatibus enim multitudinis participes ſunt omnes omnium, in dominatibus autem paucorum, contra.

§. 3. Quia autem propoſitum nobis eſt quærere de optima republica, hæc autem eſt, per quam civitas eſſe poſſet maxime beata, beatitudinem autem ſine virtute impoſſibile eſſe obtineri, dictum eſt a nobis prius: manifeſtum eſt in civitate, quæ pulcherrime rempublicam admini-

§. 1.

X. Διωρισμένων δὲ τέτων λοιπὸν σκέψασθαι, πότερον πᾶσι κοινωνητέον πάντων τέτων· (ἐνδέχεται (*e*) γὰρ τὰς αὐτὰς ἅπαντας εἶναι καὶ γεωργὰς καὶ τεχνίτας, καὶ τὰς βαλευομένας καὶ δικάζοντας) ἢ καθ' ἕκαςον ἔργον τῶν εἰρημένων ἄλλας ὑποθετέον. ἢ τὰ μὲν, ἴδια, τὰ δὲ κοινὰ τέτων ἐξ ἀνάγκης ἐςίν, ἀκ ἐν πάσῃ δὲ τἆτο πολιτεία.

§. 2. Καθάπερ γὰρ εἴπομεν, ἐνδέχεται καὶ πάντας κοινωνεῖν πάντων, καὶ μὴ πάντας πάντων, ἀλλὰ τινὰς τινῶν. ταῦτα γὰρ καὶ ποιεῖ τὰς πολιτείας ἑτέρας. ἐν μὲν γὰρ ταῖς δημοκρατίαις, μετέχἂσι πάντες πάντων· ἐν δὲ ταῖς ὀλιγαρχίαις, τἀναντίον.

§. 3. Ἐπεὶ δὲ τυγχάνομεν σκοπἂντες περὶ τῆς ἀρίςης πολιτείας· αὕτη δ' ἐςὶ καθ' ἣν ἡ πόλις ἂν εἴη μάλις' εὐδαίμων· τὴν δὲ εὐδαιμονίαν ὅτι χωρὶς ἀρετῆς ἀδύνατον ὑπάρχειν, εἴρηται πρότερον· φανερὸν ὡς (*f*) ἐν τῇ κάλλιςα πολιτευομένῃ πόλει, καὶ τῇ κεκτημένῃ δικαίας ἄνδρας ἁπλῶς

cet & Victorio & Sylburgio: idque quoniam Vetus tralatio interſerit: *proprie a quo*, aut *proprie quod*. Forte vero poſſunt deleri illa: ἂν εἴη. CONR.

(*a*) *Arma*) HERT. *part. I. ſect. XII. XIII.* GOEB.

(*b*) *Omnes deceat*) De curanda republica democratica omnes participant. In oligarchia vero & democratia, hæc res ſecus ſe habet. PICCART. A FELDE. GOEB.

(*c*) παρασκευάζἂσι) Sylburgius mavult: παρασκευάσἂσι. Sed fere perinde eſt. CONR.

(*d*) κριτὰς τῶν ἀναγκαίων) Lambinus τῶν δικαίων. Quod videtur rectius. Alterum enim nimis eſt inſolens. CONR.

(*e*) ἐνδέχεται) Diſtinctionis illam notam nos addidimus. CONR.

(*f*) Φανερὸν ὡς) Aldus: Φανερὸν ἐκ τέτων. Utrumque poteſt tolerari. CONR.

Digitized by Google

miniſtrat, & quæ juſtos viros habet, ſimpliciter, ſed non ad ſuppoſitionem, neque vitam artificum humilium, neque forenſem oportere cives vivere: ignobilis enim eſt hujuscemodi vita, & ad virtutem ſubcontraria. neque oportet agricolas eſſe: opus enim eſt otio & ad virtutem gignendam, & ad actiones civiles obeundas.

πλῶς, ἀλλὰ μὴ πρὸς τὴν ὑπόθεσιν, οὔτε βάναυσον βίον, οὔτ' ἀγοραῖον δεῖ ζῆν τοὺς πολίτας· ἀγεννὴς γὰρ ὁ τοιοῦτος βίος, καὶ πρὸς ἀρετὴν ὑπεναντίος· οὐδὲ δὴ (*d*) γεωργοὺς εἶναι· δεῖ γὰρ σχολῆς καὶ πρὸς τὴν γένεσιν τῆς ἀρετῆς, καὶ πρὸς τὰς πράξεις τὰς πολιτικάς.

§. 4. Quia autem & quod militiæ ſervit, & quod deliberat de his, quæ conducunt, & quod exiſtimat, de rebus juſtis exiſtit, & partes hæ civitatis perſpiciuntur maxime eſſe, utrum diverſa & hæc ponendum, vel iisdem tribuendum eſt ambo.

§. 4. Ἐπεὶ δὲ καὶ τὸ πολεμικὸν, καὶ τὸ βουλευόμενον, περὶ τῶν συμφερόντων, καὶ κρῖνον περὶ τῶν δικαίων ἐνυπάρχει, καὶ μέρη φαίνεται τῆς πόλεως μάλιστα ὄντα, πότερον ἕτερα καὶ ταῦτα θετέον, ἢ τοῖς αὐτοῖς ἀποδοτέον ἄμφω;

§. 5. Perſpicuum autem & hoc, aliquo modo iisdem, aliquo autem & diverſis.

§. 5. Φανερὸν δὲ καὶ τοῦτο· διότι τρόπον (*e*) μέν τινα τοῖς αὐτοῖς, τρόπον δέ τινα καὶ ἑτέροις.

§. 6. Qua enim alius viriditatis utrumque horum operum eſt, & hoc quidem eget prudentia, hoc autem corporis viribus diverſis: qua vero unum eorum eſt, quæ fieri non poſſunt, ut qui valent vim adhibere ac reſiſtere, hi ferant perpetuo ſibi imperari, hac utique eosdem. Qui enim in ſua manu habent arma, in eorundem arbitrio eſt, maneat, an non maneat reſpublica.

§. 6. Ἡ μὲν γὰρ ἑτέρας ἀκμῆς ἑκάτερον τῶν ἔργων, καὶ τὸ μὲν δεῖται φρονήσεως, τὸ δὲ δυνάμεως, ἑτέροις· ἡ δὲ τῶν ἀδυνάτων ἐστὶ, τοὺς δυναμένους βιάζεσθαι καὶ κωλύειν, τούτους ὑπομένειν ἀρχομένους ἀεὶ, ταύτῃ δὲ τοὺς αὐτούς· (*f*) οἱ γὰρ τῶν ὅπλων κύριοι, καὶ μένειν καὶ μὴ μένειν κύριοι τὴν πολιτείαν.

§. 7. Reſtat igitur ambobus ipſis tribuere rempublicam hanc: non autem ſimul, ſed ut natura fert. Robur enim in *junioribus*, (*a*) prudentia autem in ſenioribus. Sic igitur ambobus adſignare utile ac juſtum eſſe videtur: habet enim diviſio hæc, quod ex dignitate eſt.

§. 7. Λείπεται τοίνυν τοῖς αὐτοῖς μὲν ἀμφοτέροις ἀποδιδόναι τὴν πολιτείαν ταύτην. μὴ ἅμα δέ. ἀλλ' ὥσπερ πέφυκεν, ἡ μὲν δύναμις ἐν νεωτέροις, ἡ δὲ φρόνησις ἐν πρεσβυτέροις ἐστίν. οὐκοῦν οὕτως ἀμφοῖν νενεμῆσθαι συμφέρει καὶ δίκαιον εἶναι· (*g*) ἔχει γὰρ αὕτη ἡ διαίρεσις τὸ κατ' ἀξίαν.

§. 8. Quin etiam & poſſeſſiones bonorum opus eſt in his extare: neceſſe enim eſt *divitias* (*b*) civibus adeſſe. Cives autem hi.

§. 8. Ἀλλὰ μὲν καὶ τὰς κτήσεις δεῖ εἶναι περὶ τούτους. ἀναγκαῖον γὰρ εὐπορίαν ὑπάρχειν τοῖς πολίταις. πολῖται δὲ οὗτοι.

§. 9. *Opifices* (*c*) enim tenues non ſunt participes civitatis, neque aliud ullum genus, quod non obit opus virtutis. Hoc autem manifeſtum eſt e ſuppoſitione: vitam enim beatam ducere, neceſſe eſt cum virtute adeſſe, beatam autem civitatem non ad partem aliquam ipſius reſpicientes decet dicere, ſed ad omnes cives.

§. 9. Τὸ γὰρ βάναυσον οὐ μετέχει τῆς πόλεως, οὐδ' ἄλλο οὐδὲν γένος, ὃ μὴ τῆς ἀρετῆς δημιουργόν ἐστι. τοῦτο δὲ δῆλον ἐκ τῆς ὑποθέσεως. τὸ μὲν γὰρ εὐδαιμονεῖν, ἀναγκαῖον ὑπάρχειν μετὰ τῆς ἀρετῆς. εὐδαίμονα δὲ πόλιν οὐκ εἰς μέρος τι βλέψαντας δεῖ λέγειν αὐτῆς ἀλλ' εἰς πάντας τοὺς πολίτας.

§. 10. Manifeſtum autem eſt, oportere prædia eſſe horum, ſiquidem neceſſe eſt eſſe agricolas, ſervos, vel barbaros, vel pauperculos, qui ſedes habent in agro.

§. 10. Φανερὸν δὲ, καὶ ὅτι δεῖ τὰς κτήσεις εἶναι τούτων, εἴπερ (*h*) ἀναγκαῖον εἶναι τοὺς γεωργοὺς, δούλους, ἢ βαρβάρους, ἢ περιοίκους.

§. 11. Reliquum autem eſt e numero eorum, qui dicti ſunt, ſacerdotum genus. Apertus autem eſt & horum ordo. Neque enim agricola, neque tenuis opifex, ſacerdos conſtituendus eſt: a civibus enim decet coli deos.

§. 11. Λοιπὸν δ' ἐκ τῶν καταριθμηθέντων τὸ τῶν ἱερέων γένος. φανερὰ δὲ καὶ ἡ τούτων τάξις. οὔτε γὰρ γεωργὸν, οὔτε βάναυσον ἱερέα καταστατέον. ὑπὸ γὰρ τῶν πολιτῶν πρέπει τιμᾶσθαι τοὺς θεούς.

§. 12. Quia autem civium genus diviſum eſt in duas partes, (hoc eſt in illud, quod arma geſtat, & alterum, quod adhibetur ad deliberationes;) decet autem cultum *tribuere diis*,

§. 12. Ἐπεὶ δὲ διῄρηται τὸ πολιτικὸν εἰς δύο μέρη, (τουτέστι (*i*) τό τε ὁπλιτικὸν καὶ τὸ βουλευτικόν) πρέπει δὲ τήν τε θεραπείαν ἀποδιδόναι τοῖς θεοῖς, καὶ τὴν ἀνάπαυσιν ἔχειν περὶ αὐτοὺς

(*a*) *Junioribus*) Sic & apud Romanos nulli plerumque majoribus admovebantur magiſtratibus, niſi qui ad tempus caſtra ſecuti eſſent. Rectius bellica ab iis ſuppeditantur conſilia, qui bellicis adſuerunt expeditionibus. *GOEB.*

(*b*) *Divitias*) PICCART. *p.* 1043. *GOEB.*

(*c*) *Opifices*) Hodie opifices & agricolæ in civium recipiuntur numerum. *GOEB.*

(*d*) οὐδὲ δὴ) Aldus: οὐδὲ δεῖ γεωργοὺς εἶναι μέλλοντας τοὺς ἐσομένους πολίτας. Etiam hic, utrumque poteſt acceptari pro libitu. Parum enim refert, quidnam ſequaris. *CONR.*

(*e*) διότι τρόπον) Aut aliquid deeſt, aut ſcribendum ὅτι. Malim poſterius aſſerere. *CONR.*

(*f*) δὲ τοὺς αὐτούς) Illud δὲ abundat. Jam enim ante habetur: ἡ δὲ. Bene vero Camerarius obſervat, τοὺς αὐτοὺς ellipſin continere, ſubaudiendumque εἶναι δεῖ, rectius vero ſcribi τοῖς αὐτοῖς, ut reſpondeat illi, quod præceſſit: ἑτέροις ſcilicet ἀποδοτέον. *CONR.*

(*g*) δίκαιον εἶναι) Recte idem Camerarius delet εἶναι; vel mutandum cenſet in ἐστί. *CONR.*

(*h*) εἴπερ) Abjicienda eſt illa vox, ut quæ dictionem obſcuret. Aut vero quæ præceſſerunt, ita ſunt ſcribenda: καὶ ὅτι τὰς κτήσεις εἶναι τούτων εἴπερ ἀναγκαῖον. *CONR.*

(*i*) τουτέστι) Duximus operæ pretium ita diſtinguere. *CONR.*

*diis*, (*a*) & requietem capere in illis colendis eos, qui per ætatem defecerunt, hos aſſignare oportet ſacerdotiis.

τοὺς διὰ τὸν χρόνον ἀπειρηκότας· τούτους ἂν (*d*) εἴη ταῖς ἱερωσύναις ἀποδοτέον.

§. 13. Sine quibus igitur civitas non conſtat, & quot partes ſunt civitatis, dictum eſt: agricolæ namque, & artifices, & omne genus mercenariorum, neceſſario adſunt civitatibus: partes autem civitatis ſunt, quod arma geſtet & deliberat. & diſtinctum eſt unumquodque horum: hoc quidem ſemper, hoc autem per vices.

§. 13. Ὧν μὲν τοίνυν ἄνευ πόλις οὐ συνίσαται, καὶ ὅσα μέρη πόλεως, εἴρηται. γεωργοὶ μὲν γὰρ, καὶ τεχνῖται, καὶ πᾶν τὸ θητικὸν, ἀναγκαῖον ὑπάρχειν ταῖς πόλεσι· μέρη δὲ τῆς πόλεως, τό τε ὁπλιτικὸν, καὶ βουλευτικόν. καὶ κεχώρισαι δὴ τούτων ἕκασον, τὸ μὲν ἀεὶ, τὸ δὲ κατὰ μέρος.

## CAP. X.

§. 1.

XI. Videtur autem non nunc, neque nuper, hoc eſſe cognitum his, qui ſubtiliter quærunt de republica, oportere dividi ſeorſum per genera civitatem: & militarem copiam diverſam eſſe ab agricolis.

§. 1.

XI. Ἔοικε δ' οὐ νῦν, οὐδὲ νεωσὶ τοῦτ' εἶναι γνώριμον τοῖς περὶ πολιτείας φιλοσοφοῦσιν, ὅτι δεῖ διηρῆσθαι χωρὶς κατὰ γένη τὴν πόλιν, καὶ τό τε μάχιμον ἕτερον εἶναι, καὶ τὸ γεωργοῦν.

§. 2. Et in *Ægypto* (*b*) enim res ſe habet hoc pacto usque ad hoc tempus: & quæ in Creta ſunt. Quæ igitur in Ægypto ſervantur, ut affirmant, Seſoſtrin auctorem habent, qui hoc lege ſanxit; quæ vero in Creta, Minoëm.

§. 2. Ἐν Αἰγύπτῳ τε γὰρ ἔχει τὸν τρόπον τοῦτον ἔτι καὶ νῦν· τά τε περὶ τὴν Κρήτην. τὰ μὲν οὖν περὶ Αἴγυπτον, Σεσώσριος, ὥς φασιν, οὕτω νομοθετήσαντος· Μίνω δὲ τὰ περὶ Κρήτην.

§. 3. Antiquus autem videtur eſſe & communium cœnarum ordo, quæ in Creta extitere circiter regnum Minois: quæ vero in Italia, multo vetuſtiora fuere his.

§. 3. Ἀρχαία δ' ἔοικεν εἶναι καὶ τῶν συσσιτίων ἡ τάξις· τὰ μὲν περὶ Κρήτην, γενόμενα περὶ τὴν Μίνω βασιλείαν· τὰ δὲ περὶ τὴν Ἰταλίαν, πολλῷ παλαιότερα τούτων.

§. 4. Ajunt enim diſerti viri illarum gentium, Italum quendam fuiſſe regem Oenotriæ, a quo mutuato nomine, *Italos* (*c*) eos pro Oenotriis vocatos eſſe, atque oram hanc Europæ adeptam nomen Italiæ, quæcunque intra ſinum Scylleticum eſt & Lameticum: diſtant autem hæc loca inter ſe itinere dimidiati diei. Hunc autem tradunt, cum paſtores forent, Oenotros reddidiſſe agricolas, & leges alias ipſis tuliſſe, & communes cœnas primum inſtituiſſe. Quare & nunc etiam nonnulli, qui ab eo ortum ducunt, utuntur concœnationibus & legibus quibusdam. Habitabant autem partem, quæ verſus Tyrrheniam eſt, Opici, & prius & nunc appellati cognomine Auſones: quæ vero eſt verſus Iapygiam & Ionium Chones, vocatam Syrtim. erant autem & Chones genere Oenotri.

§. 4. Φασὶ γὰρ οἱ λόγιοι τῶν ἐκεῖ κατοικούντων, Ἰταλόν τινα γενέσθαι βασιλέα τῆς Οἰνωτρίας· ἀφ' οὗ τότε τε ὄνομα μεταβαλόντας, Ἰταλοὺς ἀντ' Οἰνωτρῶν κληθῆναι· καὶ τὴν ἀκτὴν ταύτην τῆς Εὐρώπης, Ἰταλίαν τοὔνομα λαβεῖν, ὅση τετύχηκεν ἐντὸς οὖσα τοῦ κόλπου τοῦ Σκυλλητικοῦ καὶ τοῦ Λαμητικοῦ· (*e*) ἀπέχει γὰρ ταῦτα ἀπ' ἀλλήλων ὁδὸν ἡμισείας ἡμέρας. τοῦτον δὴ λέγουσι τὸν Ἰταλὸν, νομάδας τοὺς Οἰνωτροὺς ὄντας, ποιῆσαι γεωργοὺς καὶ νόμους ἄλλους τε αὐτοῖς θέσθαι καὶ τὰ συσσίτια κατασῆσαι πρῶτον. διὸ καὶ νῦν ἔτι τῶν ἀπ' ἐκείνου τινὲς χρῶνται τοῖς συσσιτίοις, καὶ τῶν νόμων ἐνίοις. ᾤκουν δὲ τὸ μὲν πρὸς τὴν Τυῤῥηνίαν Ὀπικοὶ καὶ πρότερον καὶ νῦν καλούμενοι τὴν ἐπωνυμίαν Αὔσονες· τὸ δὲ πρὸς τὴν Ἰαπυγίαν καὶ τὸν Ἰόνιον Χῶνες, (*f*) τὴν καλουμένην Σύρτιν. ἦσαν δὲ καὶ οἱ Χῶνες Οἰνωτροὶ τὸ γένος.

§. 5. Ordo igitur communium cœnarum hinc ortus eſt primum: ſecretio autem per genera civium multitudinis ab Ægypto profecta eſt: valde enim ſuperat temporibus regnum Minois, quod a Seſoſtre profectum eſt.

§. 5. Ἡ μὲν οὖν τῶν συσσιτίων τάξις ἐντεῦθεν γέγονε πρῶτον· ὁ δὲ χωρισμὸς, ὁ κατὰ γένος, τοῦ πολιτικοῦ πλήθους, ἐξ Αἰγύπτου· πολὺ γὰρ ὑπερτείνει τοῖς χρόνοις τὴν Μίνω βασιλείαν ἡ Σεσώσριος.

§. 6. §. 6.

(*a*) *Tribuere diis*) Sacerdotes magna ſunt reipublicæ fulcra: abſit igitur, ut contemtim habeantur. Atque opera danda, ut viri probi & a turbis alieni ad talia promoveantur munera. *GOEB.*

(*b*) *Ægypto*) Veterum exemplis, milites ab iis, qui agros exercent, diſtinctos fuiſſe, probat. Sub agricolis autem hic intelligit, colonos, ſervos, barbaros extraneos, qui mercedis cauſa rus exercebant. *GOEB.*

(*c*) *Italos*) Ex hoc pateſcit, Italiæ vocabulum vetuſtiſſimum, & Ariſtotelis tempore jam tum notum fuiſſe. vid. DION. HALICARNASS. *lib. I. c. XIII. XXXV.* STRABO *libr. V.* LIVIUS *decad. III. IV.* PLINIUS *in hiſt. natural.* paſſim. Unde conſtat, hoc nomen diu ante Gothorum & Longobardorum adventum in uſu fuiſſe. *GOEB.*

(*d*) τούτους ἂν) Aldus rectius: τούτοις ἂν εἴη ταῖς ἱερωσύναις ἀποδοτέον. *CONR.*

(*e*) Λαμητικοῦ) Probat hoc & Victorius, & Lambinus, & Sepulveda. Sylburgius tamen Dionyſium Halycarnaſſenſem ſecutus mavult: Ναπητίνου. Forte vero, & in Dionyſio mendum eſt. *CONR.*

(*f*) χῶνες) Alii habent χάονες, quos ſecutus eſt & Sepulveda & Heinſius. At præclare Victorius, cum in commentariis, tum in Var. Lectionib. l. 22. c. 20. probat, Chaones eſſe gentem Epiri, Chones Italicam. Idem confirmat ex Stephano Byzantio & Strabone Sylburgius. *CONR.*

§. 6. Ferme autem & alia exiſtimare oportet inventa ſæpe in multo tempore, potius autem infinite. Res namque vitæ neceſſarias uſum ipſum docere veriſimile eſt: quæ vero ad ſplendorem & ubertatem faciunt, his jam partis, veriſimile eſt augmentum capere. Quapropter & quæ ad respublicas pertinent, arbitrari oportet eodem pacto ſe habere.

§. 7. Eſſe autem cuncta antiqua, declarant, quæ in Ægypto ſiunt: hi enim antiquiſſimi videntur eſſe, conſecuti autem ſunt legem & ordinem civilem.

§. 8. Quare oportet his, quæ tradita ſunt, ita, ut ſatis eſſe poſſint, uti: quæ vero ſunt omiſſa, eniti quærere.

§. 9. Oportere igitur agrum eſſe eorum, qui arma tenent, & qui participes ſunt reipublicæ, dictum eſt prius: & eos, qui agrum colunt, diverſos ab ipſis eſſe oportere, & quantum qualemque agrum eſſe convenit.

§. 10. De *diſtributione* (*a*) vero & cultoribus agrorum, quos qualesve oportet eſſe, dicendum eſt primum; quia neque communem affirmamus eſſe oportere poſſeſſionem bonorum, quemadmodum quidam voluerunt, ſed uſu, amicorum more, fieri communem: neque quempiam civium, unde alatur, non habere.

§. 11. De publicis cœnis etiam probatur omnibus, conducere bene inſtitutis civitatibus, adeſſe illas. quam autem ob cauſam probatur etiam nobis, poſtea trademus. Oportet autem communicare his omnes cives.

§. 12. Non facile autem eſt, egentes de ſuo conferre, quod definitum eſt, & ſuppeditare reliquæ domui. Adhuc autem ſumptus, qui fiunt in deos immortales, communes ſunt totius civitatis.

§. 13. Neceſſe igitur eſt in duas partes diviſum eſſe agrum, & hunc quidem eſſe publicum, hunc autem privatorum: & utrumque horum dividi rurſus bifariam. publici quidem alteram partem ad munera, quæ pertinent ad deos: alteram autem ad ſumptum, qui fit in cœnas publicas.

§. 14. Agri autem privatorum alteram partem, quæ vergit ad extremos fines: alteram autem verſus urbem; ut duobus agellis unicuique tributis, amborum locorum cuncti participes ſint.

§. 15. Ita enim & æquale cuſtodietur & juſtum, & ad bella adverſus vicinas urbes major, conſenſus animorum. Ubi enim res non ſe habet hoc pacto, hi quidem finitimorum inimicitias parvi ducunt, hi autem valde curant & præter dignitatem. Quare apud nonnullos populos lex eſt, eos, qui vicini ſunt finitimis, non adhiberi ad deliberationes de bellis adverſus eos, tanquam ob proprias utilitates non valeant recte conſultare.

§.16.

§. 6. Σχεδὸν μὲν οὖν καὶ τὰ ἄλλα δεῖ νομίζειν εὑρῆσθαι πολλάκις ἐν τῷ πολλῷ χρόνῳ, μᾶλλον δ' ἀπειράκις. τὰ μὲν γὰρ ἀναγκαῖα τὴν χρείαν διδάσκειν εἰκὸς αὐτήν· τὰ δ' εἰς εὐσχημοσύνην καὶ περιουσίαν, ὑπαρχόντων ἤδη τούτων, εὔλογον λαμβάνειν τὴν αὔξησιν. ὥστε καὶ τὰ περὶ τὰς πολιτείας οἴεσθαι δεῖ τὸν αὐτὸν ἔχειν τρόπον.

§. 7. Ὅτι δὲ πάντα ἀρχαῖα, (*b*) σημεῖον τὰ περὶ Αἴγυπτόν ἐστιν· οὗτοι γὰρ ἀρχαιότατοι μὲν δοκοῦσιν εἶναι, νόμων δὲ τετυχήκασι καὶ τάξεως πολιτικῆς.

§. 8. Διὸ δεῖ τοῖς μὲν εἰρημένοις (*c*) ἱκανῶς χρῆσθαι· τὰ δὲ παραλελειμμένα πειρᾶσθαι ζητεῖν.

§. 9. Ὅτι μὲν οὖν δεῖ τὴν χώραν εἶναι τῶν ὅπλα κεκτημένων, καὶ τῶν τῆς πολιτείας μετεχόντων, εἴρηται πρότερον· καὶ διότι τοὺς γεωργοῦντας αὐτῶν ἑτέρους εἶναι δεῖ· καὶ πόσην τινὰ χρὴ, καὶ ποίαν εἶναι τὴν χώραν.

§. 10. Περὶ δὲ τῆς διανομῆς, καὶ τῶν γεωργούντων, τίνας καὶ ποίους εἶναι χρὴ, λεκτέον πρῶτον· ἐπειδὴ οὔτε κοινήν φαμεν εἶναι δεῖν τὴν κτῆσιν, ὥσπερ τινες εἰρήκασιν, ἀλλὰ τῇ χρήσει φιλικῶς γινομένην κοινήν· οὔτ' ἀπορεῖν οὐθένα τῶν πολιτῶν τροφῆς.

§. 11. Περὶ συσσιτίων τε συνδοκεῖ πᾶσι, χρήσιμον εἶναι ταῖς εὖ κατεσκευασμέναις πόλεσιν ὑπάρχειν. δι' ἣν δ' αἰτίαν συνδοκεῖ καὶ ἡμῖν, ὕστερον ἐροῦμεν. δεῖ δὲ τούτων κοινωνεῖν πάντας τοὺς πολίτας.

§. 12. Οὐ ῥάδιον δὲ τοὺς ἀπόρους ἀπὸ τῶν ἰδίων τε εἰσφέρειν τὸ συντεταγμένον, καὶ διοικεῖν τὴν ἄλλην οἰκίαν. ἔτι δὲ τὰ πρὸς τοὺς θεοὺς δαπανήματα κοινὰ πάσης τῆς πόλεώς ἐστιν.

§. 13. Ἀναγκαῖον τοίνυν εἰς δύο μέρη διῃρῆσθαι τὴν χώραν· καὶ τὴν μὲν εἶναι κοινὴν, τὴν δὲ τῶν ἰδιωτῶν· καὶ τούτων ἑκατέραν διῃρῆσθαι δίχα πάλιν. τῆς μὲν κοινῆς, τὸ μὲν ἕτερον μέρος, εἰς τὰς πρὸς τοὺς θεοὺς λειτουργίας· τὸ δὲ ἕτερον, εἰς τὴν τῶν συσσιτίων δαπάνην.

§. 14. Τῆς δὲ τῶν ἰδιωτῶν τὸ ἕτερον μέρος, τὸ πρὸς τὰς ἐσχατιάς· ἕτερον δὲ, τὸ πρὸς τὴν πόλιν· ἵνα δύο κλήρων ἑκάστῳ νεμηθέντων, (*d*) ἀμφοτέρων τῶν τόπων πάντες μετέχωσι.

§. 15. Τό τε γὰρ ἴσον οὕτως ἔχει καὶ τὸ δίκαιον, καὶ τὸ πρὸς τοὺς ἀστυγείτονας πολέμους, ὁμονοητικώτερον. ὅπου γὰρ μὴ τοῦτον ἔχει τὸν τρόπον, οἱ μὲν ὀλιγωροῦσι τὴν (*e*) πρὸς τοὺς ὁμόρους ἔχθραν, οἱ δὲ λίαν φροντίζουσι καὶ παρὰ τὸ καλόν. διὸ παρ' ἐνίοις νόμος ἐστὶ, τοὺς γειτνιῶντας τοῖς ὁμόροις μὴ συμμετέχειν βουλῆς τῶν πρὸς αὐτοὺς πολέμων· ὡς διὰ τὸ ἴδιον οὐκ ἂν δυναμένους βουλεύσασθαι καλῶς.

§. 16.

(*a*) *Diſtributione*) Vid. PICCART. & FELDE. *GOEB.*

(*b*) πάντα ἀρχαῖα) Aldus: πάντως. Quod rectius videtur: nec enim πάντα apud Ægyptios fuere in uſu, ſed duntaxat alia multitudinis diviſio: quæ πάντως eſt ἀρχαία. Seſoſtris enim paulo poſt Salomonem vixit. *CONR.*

(*c*) εἰρημένοις) Hoc expreſſit Victorius. At Lambinus εὑρημένοις, *iis, quæ inventa & tradita ſunt.* Id quod aptius eſt iis πειρᾶσθαι ζητεῖν. *CONR.*

(*d*) ἑκάστῳ νενεμηθ.) Aldus: καθέκαστον. Quod eodem recidit. *CONR.*

(*e*) ὀλιγοροῦσι τὴν) Recte monet Sylburgius, uſitatius eſſe ὀλιγοροῦσι τῆς ἔχθρας. Idque probat Caſaubonus. *CONR.*

§. 16. Agrum igitur neceſſe eſt diviſum eſſe hoc modo ob cauſas jam dictas.

§. 17. Qui agros autem culturi ſunt, maxime quidem, ſi opus eſt ad votum ſervos eſſe, neque omnes illos ejuſdem nationis, neque pronos natura ad animum. ſic enim ad opus faciendum eſſent utiles, & vacuos a metu nos tenerent, ne quid novi molirentur.

§. 18. Secundo autem loco barbaros colonos, ſimiles ingenio dictis.

§. 19. Horum autem proprios quidem in propriis agris eorum eſſe, qui rem habent: publicos autem in publicis.

§. 20. Quo autem modo decet tractare ſervos, & ſatius eſſe ſervis præmium, propoſitam eſſe libertatem, poſtea dicemus.

§. 16. Τὴν μὲν οὖν χώραν ἀνάγκη διῃρῆσθαι τὸν τρόπον τοῦτον, διὰ τὰς προειρημένας αἰτίας.

§. 17. Τοὺς δὲ γεωργήσοντας μάλιστα μὲν, εἰ δεῖ (c) κατ' εὐχὴν δούλους εἶναι, μήτε ὁμοφύλων πάντων, μήτε θυμοειδῶν. οὕτω γὰρ ἂν πρός τε τὴν ἐργασίαν εἶεν χρήσιμοι, καὶ πρὸς τὸ μηδὲν νεωτερίζειν ἀσφαλεῖς.

§. 18. Δεύτερον δὲ βαρβάρους περιοίκους, παραπλησίους τοῖς εἰρημένοις τὴν φύσιν.

§. 19. Τούτων δὲ, τοὺς μὲν ἰδίους ἐν τοῖς ἰδίοις εἶναι τῶν κεκτημένων τὰς οὐσίας· τοὺς δὲ, ἐπὶ τῇ κοινῇ, γῇ κοινούς.

§. 20. Τίνα δὲ δεῖ τρόπον χρῆσθαι δούλοις, καὶ διότι βέλτιον πᾶσι τοῖς δούλοις ἆθλον προκεῖσθαι τὴν ἐλευθερίαν, ὕστερον ἐροῦμεν.

# CAPUT XI.

§. 1.

XII. Urbem autem oportere communem eſſe continentis & maris, & regionis totius ſimiliter, quantum res patitur, dictum eſt prius.

§. 2. Ipſius autem ad ſemetipſam poſituram optare debemus adipiſci, ad quatuor reſpicientes.

§. 3. *Primum quidem*, (a) ut neceſſe eſt, ad corporis ſanitatem. quæ namque ad auroram vergit, & ad ventos, qui flant ab ortu, ſalubriores ſunt. deinde ad *aquilonem*: (b) hæ namque hyeme commodiores ſunt.

§. 4. Reliquorum autem; ad civiles & bellicas actiones commode ſe habere.

§. 5. Ad bellicas igitur, ipſis quidam facilem ad exeundum eſſe oportet: hoſtibus autem difficilem acceſſu, & talem, ut vix cingi capique poſſit. Aquarum autem & fontium maxime quidem adeſſe domeſticam copiam, ſi vero hoc inventum non eſt, parare ipſam, fabricando receptacula pluvialibus aquis & plurima & ampla, ut nunquam deeſſe poſſint, cum agro arcentur propter bellum.

§. 6. Quia autem oportet curæ habere valetudinem eorum, qui illic habitant: (hoc autem manet in hoc, ut locus ſitus ſit in tali, & ad talem recte. ſecundum autem eſt, ut utantur aquis ſalubribus,) hujus quoque rei opus eſt cogitationem ſuſcipere non negligenter. quibus enim plurimis utimur ad corpus, & plurimum, hæc plurimum conducunt ad corporis ſanitatem: aquarum autem & venti poteſtas ac vis hujuſcemodi naturam habet.

§. 7.

§. 1.

XII. Τὴν δὲ πόλιν, ὅτι μὲν δεῖ κοινὴν εἶναι τῆς ἠπείρου τε καὶ τῆς θαλάσσης, καὶ τῆς χώρας ἁπάσης ὁμοίως, ἐκ τῶν ἐνδεχομένων εἴρηται πρότερον.

§. 2. Αὐτῆς δὲ πρὸς (d) αὐτὴν εἶναι τὴν θέσιν εὔχεσθαι δεῖ κατατυγχάνειν, πρὸς τέτταρα βλέποντας.

§. 3. Πρῶτον μὲν, ὡς ἀναγκαῖον, πρὸς ὑγίειαν. (e) αἵ τε γὰρ πρὸς ἕω τὴν ἔγκλισιν ἔχουσαι, καὶ πρὸς τὰ πνεύματα τὰ πνέοντα ἀπὸ τῆς ἀνατολῆς, ὑγιεινότεραι. δεύτερον δὲ, κατὰ βορέαν· εὐχείμεροι (f) γὰρ αὗται μᾶλλον.

§. 4. Τῶν δὲ λοιπῶν πρός τε τὰς πολιτικὰς πράξεις καὶ πολεμικὰς, καλῶς ἔχειν.

§. 5. Πρὸς μὲν οὖν τὰς πολεμικὰς, αὐτοῖς μὲν εὐέξοδον εἶναι χρή· τοῖς δ' ἐναντίοις δυσπρόσοδον, καὶ δυσπερίληπτον. (g) ὑδάτων τε καὶ ναμάτων, μάλιστα μὲν ὑπάρχειν πλῆθος οἰκεῖον· εἰ δὲ μὴ, τοῦτό γ' εὕρηται (h) διὰ τοῦ κατασκευάζειν ὑποδοχὰς ὀμβρίοις ὕδασιν καὶ μεγάλας· ὥστε μηδέποτε ὑπολείπειν εἰργομένους τῆς χώρας διὰ πόλεμον.

§. 6. Ἐπεὶ δὲ δεῖ περὶ ὑγιείας φροντίζειν τῶν ἐνοικούντων· (τοῦτο δ' (i) ἐστὶν ἐν τῷ κεῖσθαι τὸν τόπον, ἔν τε τοιούτῳ, καὶ πρὸς τοιοῦτον καλῶς· δεύτερον δὲ, ὕδασιν ὑγιεινοῖς χρῆσθαι·) καὶ τούτου τὴν ἐπιμέλειαν ἔχειν μὴ παρέργως. οἷς γὰρ πλείστοις χρώμεθα πρὸς τὸ σῶμα καὶ πλειστάκις, ταῦτα πλεῖστον συμβάλλεται πρὸς τὴν ὑγίειαν. ἡ δὲ τῶν ὑδάτων καὶ τοῦ πνεύματος δύναμις, τοιαύτην ἔχει τὴν φύσιν.

§. 7.

(a) *Primum quidem*) Inquirit in hoc capite de urbis ſitu & munitione. *GOEB.*

(b) *Aquilonem*) Quomodo hoc intelligendum ſit, explicat FELDE. PICCART. *p.* 1059, 1060. *GOEB.*

(c) εἰ δεῖ) Sylburgius mavult ἔδει *oportebat*. Non abs ratione. Nec tamen merito quis rejecerit lectionem vulgatam. *CONR.*

(d) αὐτῆς δὲ, πρὸς) Lambinus notat, alios legere αὐτὴν δὲ πρὸς. Indubie mendoſe. *CONR.*

(e) πρὸς ὑγίειαν) Dixerat paulo ante, ad quatuor eſſe reſpiciendum in collocatione civitatis: & primo loco numeraverat πρὸς ὑγίειαν: quænam tamen ſint reliqua tria, non additum hoc loco eſt. Nec cohærent, quæ ſequuntur, αἵ τε γάρ. Impertinens quoque eſt illud δεύτερον δὲ κατὰ βορέαν. Videntur mire omnia hoc loco lacunis & trajectionibus præpoſteris deformia, quæ ſanare non eſt noſtrum, ſatis eſt deplorare. *CONR.*

(f) εὐχείμεροι) Muretus l. 14. c. 14. Var. Lection. contendit legendum εὐδίεροι. *CONR.*

(g) καὶ δυσπερίληπτον) Videri poſſit lacunam hic reperiri. Commode tamen quæ de aquis & fontibus junguntur, poſſunt accipi de aquis, quatenus illæ faciunt ad uſus bellicos, quemadmodum paulo poſt aliquid adducitur de aquarum ſalubritate. *CONR.*

(h) εὕρηται) Lambinus εὑρῆσθαι. Quod Sylburgio etiam placuit: & rectius convenit cum præcedente infinitivo ὑπάρχειν. *CONR.*

(i) τοῦτο δ') Spero, non ſine lectoris commodo me ita diſtinxiſſe. *CONR.*

Digitized by Google

§. 7. Quare in civitatibus, quæ prudentes ſunt, oportet dividi, ſi non omnes fuerint ſimiles, neque copia extiterit harum, quæ ſponte fluunt, aquarum, ut ſeorſum, quæ ad alendum aquæ, & quæ ad alium uſum habeantur.

** **

§. 8. De locis autem munitis, non omnibus eodem pacto ſe res habet rebuspublicis, ceu arx paucorum & unius dominationi accommodata eſt: planus autem & æquus locus, ſtatui multitudinis: optimatibus autem neutrum, ſed magis firma loca plura.

§. 9. *Privatarum* (*a*) autem ædium forma jucundior putatur & aptior ad alia facta, ſi fuerit eleganter diviſa, & ad recentiorem, & Hippodamium modum: ad tutam autem urbem reddendam ab hoſtibus, contra, ut ſe habebant antiquitus: illa namque difficiles exitus habet peregrinis, & ab inſidiatoribus viæ poſſunt ægre indagari.

§. 10. Quare opus eſt ambarum harum rationum urbem participem eſſe. obtineri enim hoc poteſt, ſi aliquis ita conſtruxerit, ut in rebus ruſticis ſunt, quos quidam appellant ordines vitium. Et univerſam non facere urbem eleganter diviſam, ſed partibus tantum quibusdam & locis: ſic enim & tuta ſimul & ornata ſatis erit.

§. 11. De muris autem, qui negant oportere habere civitatem, quæ virtutem amplectitur, nimis antique ſentiunt: præſertim cum videant re factisque confutatas eſſe, quæ illo modo decus ſectantes ſe ornant.

§. 12. Eſt enim non ſatis quidem honeſtum, adverſus pares & non valde numero præſtantes eniti ſalvos eſſe murorum firmitate: quia autem contingit etiam & uſu venit, ut longe major ſit *exuperantia eorum*, (*b*) qui incurrunt, quam & humana & quæ in paucis eſt virtute ſuſtineri poſſit (ſi decet conſervari, & non incommoda accipere, neque ludibrio eſſe inimicis) maxime tutam firmitatem murorum exiſtimare oportet utilem eſſe maxime in bello: præſertim hoc tempore, cum inventa ſint miſſilia & machinæ, fabricatæ exquiſite ad expugnandas urbes.

§. 13. Simile namque eſt, muros non eſſe urbibus circumagendos, arbitrari, atque regionem quærere apertam, & locos montoſos tollere: eodemque pacto privatis domibus parietes non circumagere, tanquam ſi id fiat, futuri ſint, qui illic habitant, ignavi.

§. 14. Atqui neque hoc opus eſt nos fallere, licere cinctam muris habentibus urbem ambobus modis uti urbibus, & ut habentibus muros, & ut non habentibus: urbibus autem, quæ carent muris, non licere.

§. 15.

§. 7. Διόπερ ἐν ταῖς εὖ φρονούσαις δεῖ διωρίσθαι πόλεσιν, ἐὰν μὴ πάνθ' ὅμοια, μήτ' ἀφθονία τούτων ἢ ναμάτων, χωρὶς τά τε εἰς τροφὴν ὕδατα, καὶ τὰ πρὸς τὴν ἄλλην χρείαν (c)

** **

§. 8. Περὶ δὲ τόπων τῶν ἐρυμνῶν, οὐ πάσαις ὁμοίως ἔχει τὸ συμφέρον ταῖς πολιτείαις· οἷον, ἀκρόπολις, ὀλιγαρχικὸν καὶ μοναρχικόν· δημοκρατικὸν δὲ ὁμαλότης. ἀριστοκρατικὸν δὲ οὐδέτερον, ἀλλὰ μᾶλλον ἰσχυροὶ (d) τόποι πλείους.

§. 9. Ἡ δὲ τῶν ἰδίων οἰκήσεων διάθεσις, ἡδίων μὲν νομίζεται καὶ χρησιμωτέρα πρὸς τὰς ἄλλας πράξεις, ἂν εὔτομος ᾖ, καὶ κατὰ τὸν νεώτερον καὶ τὸν Ἱπποδάμειον (e) τρόπον· πρὸς δὲ τὰς πολεμικὰς ἀσφαλείας, τοὐναντίον, ὡς εἶχον κατὰ τὸν ἀρχαῖον χρόνον· δυσέξοδος γὰρ ἐκείνη τοῖς ξενικοῖς, καὶ δυσεξερεύνητος τοῖς ἐπιτιθεμένοις.

§. 10. Διὸ δεῖ τούτων ἀμφοτέρων μετέχειν. ἐνδέχεται γάρ, ἄν τις οὕτω κατασκευάζῃ, καθάπερ ἐν τοῖς γεωργοῖς, (f) ἃς καλοῦσί τινες τῶν ἀμπέλων συστάδας· καὶ τὴν μὲν ὅλην μὴ ποιεῖν πόλιν εὔτομον, κατὰ μέρη δὲ καὶ τόπους. οὕτω γὰρ καὶ πρὸς ἀσφάλειαν καὶ κόσμον ἕξει καλῶς.

§. 11. Περὶ δὲ τειχῶν, οἱ μὴ φάσκοντες δεῖν ἔχειν τὰς τῆς ἀρετῆς ἀντιποιουμένας πόλεις, λίαν ἀρχαίως ὑπολαμβάνουσι, καὶ ταῦθ' ὁρῶντες ἐλεγχομένας ἔργῳ τὰς ἐκείνως καλλωπισαμένας.

§. 12. Ἔστι δέ, πρὸς μὲν τοὺς ὁμοίους καὶ μὴ πολὺ τῷ πλήθει διαφέροντας, οὐ καλὸν τὸ πειρᾶσθαι σώζεσθαι διὰ τῆς τῶν τειχῶν ἐρυμνότητος· ἐπεὶ δὲ καὶ συμβαίνει καὶ ἐνδέχεται πλείω τὴν ὑπεροχὴν γίγνεσθαι τῶν ἐπιόντων, καὶ τῆς ἀνθρωπίνης καὶ τῆς ἐν τοῖς ὀλίγοις ἀρετῆς, εἰ δεῖ σώζεσθαι καὶ μὴ πάσχειν κακῶς μηδὲ ὑβρίζεσθαι, τὴν ἀσφαλεστάτην ἐρυμνότητα τῶν τειχῶν οἰητέον εἶναι πολεμικωτάτην· ἄλλως τε καὶ νῦν εὑρημένων τῶν περὶ τὰ βέλη καὶ τὰς μηχανὰς εἰς ἀκρίβειαν πρὸς τὰς πολιορκίας.

§. 13. Ὅμοιον γὰρ τὸ τείχη μὴ περιβάλλειν ταῖς πόλεσιν ἀξιοῦν, καὶ τὸ τὴν χώραν εὐέμβολον ζητεῖν, καὶ περιαιρεῖν τοὺς ὀρεινοὺς τόπους· ὁμοίως δὲ καὶ ταῖς οἰκήσεσι ταῖς ἰδίαις μὴ περιβάλλειν τοίχους, ὡς ἀνάνδρων ἐσομένων τῶν κατοικούντων.

§. 14. Ἀλλὰ μὴν οὐδὲ τοῦτό γε δεῖ λανθάνειν, ὅτι τοῖς μὲν περιβεβλημένοις τείχη περὶ τὴν πόλιν, ἔξεστιν ἀμφοτέρως χρῆσθαι ταῖς πόλεσιν, καὶ ὡς ἐχούσαις τείχη, καὶ ὡς μὴ ἐχούσαις· ταῖς δὲ μὴ κεκτημέναις οὐκ ἔξεστιν

§. 15.

(*a*) *Privatarum*) Quid hodie in muniendis urbibus & privatorum ædibus exſtruendis obſervandum ſit, ex autoribus, qui de architectura civili & militari commentati ſunt, addiſcendum eſt. *GOEB.*

(*b*) *Exuperantia eorum*) Non deeſſe, quæ contra munimenta moneri queant, largior. vid. MACHIAVELL. *in principe c.* 20. In majorem tamen reipublicæ ſecuritatem vergit, locis munitis & propugnaculis defendi. *GOEB.*

(*c*) χρείαν) Suſpicor, hic aliquid deeſſe, quia locum hunc de aquis nimis cito videtur Ariſtoteles abrumpere. *CONR.*

(*d*) μᾶλλον ἰσχυροὶ). Lambinus: ὀχυροί. Quod rectius. *CONR.*

(*e*) Ἱπποδάμειον). Aldus: Ἱπποδάμιον. *CONR.*

(*f*) ἐν τοῖς γεωργοῖς) Recte Lambinus: ἐν τοῖς γεωργικοῖς: *in rebus ruſticis.* Victorius tamen hic meretur legi in commentariis pro vulgata lectione. *CONR.*



Digitized by Google

§. 15. Si jam res hoc modo ſe habet, non ſolum ſunt circumagendi, ſed in his cura magna ponenda eſt, ut ad ornatum etiam valeant civitati, ut decet, & ad bellicos uſus, cæteroſque & hos, qui modo inventi ſunt.

§. 15. Εἰ δὴ τοῦτον ἔχει τὸν τρόπον, οὐχ ὅτι τείχη μόνον ἐπιβλητέον, ἀλλὰ καὶ τούτων ἐπιμελητέον, ὅπως καὶ πρὸς κόσμον ἔχῃ τῇ πόλει πρεπόντως, καὶ πρὸς τὰς πολεμικὰς χρείας, τάς τε ἄλλας, καὶ τὰς νῦν ἐπεξευρημένας.

§. 16. Ut enim quærunt diligenter, qui aggrediuntur vias omnes, per quas res ſuas meliores reddant: ita his, quæ inventa ſunt, uti oportet, qui ſe defendunt, & nova quærere ac ſubtiliter indagare. initio enim non aggrediuntur laceſſere, quos paratos & omnibus rebus inſtructos noverunt.

§. 16. Ὥσπερ γὰρ τοῖς ἐπιτιθεμένοις ἐπιμελές ἐστι, δι᾽ ὧν τρόπων πλεονεκτήσουσιν, οὕτω τὰ μὲν εὕρηται, τὰ δὲ δεῖ ζητεῖν καὶ φιλοσοφεῖν καὶ τοὺς φυλαττομένους. ἀρχὴν γὰρ οὐδ᾽ ἐπιχειροῦσιν ἐπιτίθεσθαι τοῖς εὖ παρεσκευασμένοις.

## CAP. XII.

§. 1.

XIII. Quia autem oportet multitudinem civium in communes cœnas diſtributam eſſe, muros autem diſtinctos propugnaculis & turribus per loca opportuna: apertum eſt, ipſa cohortari paratas habere quaſdam harum cœnarum in his propugnaculis.

§. 1.

XIII. Ἐπεὶ δὲ δεῖ τὸ μὲν πλῆθος τῶν πολιτῶν ἐν συσσιτίοις κατανενεμῆσθαι, τὰ δὲ τείχη διειλῆφθαι φυλακτηρίοις καὶ πύργοις κατὰ τόπους ἐπικαίρους· δῆλον ὡς αὐτὰ προκαλεῖται παρασκευάζειν ἔνια τῶν συσσιτίων ἐν τούτοις τοῖς φυλακτηρίοις.

§. 2. Et hæc quidem aliquis hoc modo exornaret. Tecta vero divinis naturis *aſſignata*, (*a*) & maxime ratas magiſtratuum communes cœnas, convenit locum accommodatum habere, & eundem, exceptis fanis, quæ lex ſeparat, ſive oraculum, quod reſponſa edat.

§. 2. Καὶ ταῦτα μὲν δὴ τοῦτον ἄν τις διακοσμήσειε τὸν τρόπον. τὰς δὲ τοῖς θείοις ἀποδεδομένας οἰκήσεις, καὶ τὰ κυριώτατα τῶν ἀρχείων (*b*) συσσίτια, ἁρμόττει τόπον ἐπιτήδειόν τε ἔχειν, καὶ τὸν αὐτόν· ὅσα μὴ τῶν ἱερῶν ὁ νόμος ἀφορίζει χωρὶς, ἤ τοι μαντεῖον ἄλλο πυθόχρηστον.

§. 3. Eſſet autem hujuſcemodi locus omnis, qui conſpectum habet ad virtutis poſituram talem, ut ſatis ſit, & ad vicinas partes urbis firmiter.

§. 3. Εἴη δ᾽ ἂν τοιοῦτος ὁ τόπος, ὅστις ἐπιφάνειάν τε ἔχει πρὸς τὴν τῆς ἀρετῆς θέσιν (*c*) ἱκανῶς, καὶ πρὸς τὰ γειτνιῶντα μέρη τῆς πόλεως ἐρυμνοτέρως.

§. 4. Decet autem ſub hoc loco hujuſcemodi fori ſedem eſſe parem illi, quod in Theſſalia vocant liberum.

§. 4. Πρέπει δ᾽ ὑπὸ μὲν τοῦτον τὸν τόπον τοιαύτης ἀγορᾶς εἶναι κατασκευὴν, οἵαν καὶ περὶ Θετταλίαν ὀνομάζουσιν, (*d*) ἣν ἐλευθέραν (*e*) καλοῦσιν.

§. 5. Hoc autem eſt, quod purum eſſe oportet, vacuumque a rebus cunctis venalibus: neque minutum artificem, neque agricolam, neque alium quempiam hujuſcemodi virum eo commeare, niſi vocatum a magiſtratibus.

§. 5. Αὕτη δὲ ἐστιν ἣν δεῖ καθαρὰν εἶναι τῶν ὠνίων πάντων καὶ μήτε βάναυσον, μήτε γεωργὸν, μήτ᾽ ἄλλον μηδένα τοιοῦτον παραβάλλειν, μὴ καλούμενον ὑπὸ τῶν ἀρχόντων.

§. 6. Foret autem venuſtus locus, ſi loca, ubi corpus exercent ſenes, hic ordinem haberent.

§. 6. Εἴη δ᾽ ἂν εὔχαρις ὁ τόπος, εἰ καὶ τὰ γυμνάσια τῶν πρεσβυτέρων ἔχοι τὴν τάξιν ἐνταῦθα.

§. 7. Decet enim per ætates diviſum eſſe hunc quoque ornatum, & apud juniores præfectos quoſdam manere, ſeniores autem apud magiſtratus. cum enim magiſtratus ſunt ante oculos, inſerunt in animum verum pudorem, & metum ingenuorum virorum.

§. 7. Πρέπει γὰρ διῃρῆσθαι κατὰ τὰς ἡλικίας καὶ τοῦτον τὸν κόσμον· καὶ παρὰ μὲν τοῖς νεωτέροις ἄρχοντάς τινας διατρίβειν, τοὺς δὲ πρεσβυτέρους παρὰ τοῖς ἄρχουσιν· ἡ γὰρ ἐν ὀφθαλμοῖς τῶν ἀρχόντων παρουσία, μάλιστα ἐμποιεῖ τὴν ἀληθινὴν αἰδῶ, καὶ τὸν τῶν ἐλευθέρων φόβον.

§. 8. Forum autem rerum venalium diverſum ab hoc eſſe oportet, & ſejunctum loco: ſedemque habere, in quam facile recipiantur, & quæ mari mittuntur, & quæ tellure, cuncta.

§. 8. Τὴν δὲ τῶν ὠνίων ἀγορὰν ἑτέραν τε δεῖ ταύτης εἶναι, καὶ χωρὶς· ἔχουσαν τόπον εὐσυνάγωγον, τοῖς τε ἀπὸ τῆς θαλάττης πεμπομένοις, καὶ τοῖς ἀπὸ τῆς χώρας πᾶσιν.

§. 9. Quia autem multitudo civitatis dividitur in ſacerdotes, & in magiſtratus: decet quoque, ubi ſacerdotes ſimul cœnant, ſedem eſſe propinquam ſacris ædibus.

§. 9. Ἐπεὶ δὲ τὸ πλῆθος διαιρεῖται τῆς πόλεως εἰς ἱερεῖς, καὶ εἰς ἄρχοντας, πρέπει καὶ τῶν ἱερέων συσσίτια περὶ τὴν τῶν ἱερῶν οἰκοδομημάτων ἔχειν τὴν τάξιν.

§. 10. Magiſtratuum autem, quicunque curæ habent contractus & ſcripturas litium, & vocationis ad ſe, atque aliam hujuſcemodi adminiſtra-

§. 10. Τῶν δ᾽ ἀρχείων, ὅσα περὶ τὰ συμβόλαια ποιεῖται τὴν ἐπιμέλειαν, περί τε γραφὰς δικῶν, καὶ τὰς κλήσεις, καὶ τὴν ἄλλην τὴν τοιαύτην διοίκησιν,

(*a*) *Aſſignata*) Agit hic de ædibus publicis tam ſacris, quam profanis. PICCARTUS. *GOEB.*

(*b*) τῶν ἀρχείων) Nonnulli codices, quos & Vetus tralatio ſecuta eſt: ἀρχαίων. Mendoſe. *CONR.*

(*c*) τὴν τῆς ἀρετῆς θέσιν) Rectius Lambinus, etiam Sylburgio fatente: τὴν τῆς θέσεως ἀρετήν. Alterum enim illud omne commodo ſenſu caret. *CONR.*

(*d*) ὀνομάζουσιν) Lambinus recte: *νομίζουσι: quale in Theſſalia uſu receptum eſt. CONR.*

(*e*) ἐλευθέραν) Victorius notat, in nonnullis codicibus legi, ἐλευθερίαν. Etiam apud nos Germanos tali appellatione ſolent multa loca uſurpari: die Freiheit. *CONR.*

Digitized by Google

niſtrationem, adhuc autem agoranomiam & aſtynomiam appellatam, prope forum oportet & conventum quendam communem fabricare. Hujuſcemodi autem eſt locus, qui eſt circa forum neceſſarium: ſuperius enim volumus eſſe, ubi ocioſe degatur, hoc autem neceſſariis factis aſſignamus.

§. 11. Diſtribui autem oportet dicto ordine illa etiam, quæ in agro ſunt. Illic enim quoque magiſtratibus, quos appellant hi quidem hyloros, hi vero agronomos, & propugnacula & cœnas communes ad cuſtodiam neceſſe eſt eſſe.

§. 12. Præterea fana per agrum eſſe diſtributa partim diis, partim heroibus.

§. 13. Verum terere nunc tempus, exquirentes & dicentes de his, ſupervacaneum eſt: non enim hujuſcemodi intelligere arduum eſt, ſed potius efficere. dicere namque optati eſt opus, contingere autem fortunæ.

§. 14. Quare de hujuſcemodi rebus pluribus diſſerere omittatur modo.

διοίκησιν, ἔτι δὲ περὶ τὴν ἀγορανομίαν, καὶ τὴν καλουμένην ἀστυνομίαν, πρὸς ἀγορᾷ μὲν δεῖ, καὶ συνόδῳ τινὶ κοινῇ, κατεσκευάσθαι. τοιοῦτος δ᾽ ὁ περὶ τὴν ἀναγκαίαν ἀγοράν (b) ἐστι τόπος· ἐνσχολάζειν μὲν γὰρ τὴν ἄνω τίθεμεν, ταύτην δὲ, πρὸς τὰς ἀναγκαίας πράξεις.

§. 11. Μεμιμῆσθαι (c) δὲ χρὴ τὴν εἰρημένην τάξιν, καὶ τὰ περὶ τὴν χώραν· καὶ γὰρ ἐκεῖ τοῖς ἄρχουσιν, οὓς καλοῦσιν οἱ μὲν ὑλωροὺς, οἱ δὲ ἀγρονόμους, καὶ φυλακτήρια καὶ συσσίτια πρὸς φυλακὴν ἀναγκαῖον ὑπάρχειν.

§. 12. Ἔτι δὲ ἱερὰ κατὰ τὴν χώραν εἶναι νενεμημένα· τὰ μὲν θεοῖς, τὰ δὲ ἥρωσιν.

§. 13. Ἀλλὰ τὸ διατρίβειν νῦν ἀκριβολογουμένους καὶ λέγοντας περὶ τῶν τοιούτων, ἀργόν ἐστιν. (d) οὐ γὰρ χαλεπόν ἐστι τὰ τοιαῦτα νοῆσαι, ἀλλὰ ποιῆσαι μᾶλλον. τὸ μὲν γὰρ λέγειν εὐχῆς ἔργον ἐστὶ, τὸ δὲ συμβῆναι, τύχης.

§. 14. Διὸ περὶ μὲν τῶν τοιούτων τόγε ἐπὶ πλεῖον ἀφείσθω τὰ νῦν.

# CAP. XIII.

§. 1.

XIV. De republica autem *ipſa*, (a) ex quibus & qualibus oportet conſtare civitatem, quæ futura eſt beata, recteque debet adminiſtrari, dicendum eſt.

§. 2. Quia autem duo ſunt, in quibus exiſtit laus omnibus rebus: horum autem unum manet in eo, ut propoſitum conſtitutum ſit, & finis actionum recte: unum autem invenire actiones, quæ perducunt ad finem.

§. 3. Contingit enim hæc & diſcrepare inter ſe, & conſentire: aliquando enim finis expoſitus eſt rectus, in agendo autem ab ipſo adipiſcendo aberrant. quandoque autem adipiſcuntur cuncta, quæ ad finem faciunt, ſed finem malum ſibi propoſuerunt: eſt etiam, quando ab utroque aberrant.

§. 4. Veluti in medendi arte: neque enim quale oportet eſſe corpus ſanum exiſtimant aliquando bene: neque conſequuntur res, quæ ſint efficientes termini, quem ſibi propoſuerunt.

§. 5. Opus autem eſt in artibus & ſcientiis hæc ambo teneri, finem & actiones, quæ ſerviunt fini.

§. 6. Omnes igitur bene vivere & beatitudinem expetere perſpicuum eſt. Sed hæc his quidem adipiſci licet, his autem minime, propter fortunam aliquam vel naturam: eget enim copia quadam honeſte vivere, hoc autem pauciore quidem opus eſt melius affectis: pleniore autem deterius.

§. 7. Hi autem ilico non recte quærunt vitam beatam, etſi facultas adeſt.

§. 8.

§. 1.

XIV. Περὶ δὲ τῆς πολιτείας αὐτῆς, ἐκ τίνων, καὶ ἐκ ποίων δεῖ συνεστάναι τὴν μέλλουσαν ἔσεσθαι πόλιν μακαρίαν, καὶ πολιτεύεσθαι καλῶς, λεκτέον.

§. 2. Ἐπεὶ δὲ δύ᾽ ἐστὶν ἐν οἷς γίγνεται τὸ εὖ πᾶσι, τούτοιν δ᾽ ἐστὶν, (e) ἓν μὲν, ἐν τῷ τὸν σκοπὸν κεῖσθαι καὶ τὸ τέλος τῶν πράξεων ὀρθῶς· ἓν δὲ, τὰς πρὸς τὸ τέλος φερούσας πράξεις εὑρίσκειν.

§. 3. Ἐνδέχεται γὰρ ταῦτα καὶ διαφωνεῖν ἀλλήλοις καὶ συμφωνεῖν· ἐνίοτε γὰρ ὁ μὲν σκοπὸς ἔκκειται καλῶς, ἐν δὲ τῷ πράττειν, τοῦ τυχεῖν αὐτοῦ διαμαρτάνουσιν· ὁτὲ δὲ, τῶν μὲν πρὸς τὸ τέλος πάντων ἐπιτυγχάνουσιν, ἀλλὰ τὸ τέλος ἔθεντο φαῦλον· ὁτὲ δὲ ἑκατέρου διαμαρτάνουσιν.

§. 4. Οἷον, περὶ ἰατρικήν· οὔτε γὰρ, ποῖόν τι δεῖ τὸ ὑγιαῖνον εἶναι σῶμα, κρίνουσιν ἐνίοτε καλῶς, οὔτε πρὸς τὸν ὑποκείμενον αὐτοῖς ὅρον τυγχάνουσι τῶν ποιητικῶν.

§. 5. Δεῖ δ᾽ ἐν ταῖς τέχναις καὶ ἐπιστήμαις ταῦτα ἀμφότερα κρατεῖσθαι, τὸ τέλος, καὶ τὰς εἰς τὸ τέλος πράξεις

§. 6. Ὅτι μὲν οὖν τοῦ τ᾽ εὖ ζῆν καὶ τῆς εὐδαιμονίας ἐφίενται πάντες, φανερόν. ἀλλὰ τούτων τοῖς μὲν ἐξουσία τυγχάνειν, (f) τοῖς δὲ οὔ, διά τινα τύχην ἢ φύσιν· δεῖται γὰρ καὶ χορηγίας τινὸς τὸ ζῆν καλῶς· τούτου δὲ, ἐλάττονος μὲν τοῖς ἄμεινον διακειμένοις· πλείονος δὲ τοῖς χεῖρον.

§. 7. Οἱ δ᾽ εὐθὺς οὐκ ὀρθῶς ζητοῦσι τὴν εὐδαιμονίαν, ἐξουσίας ὑπαρχούσης.

§. 8.

(a) *Ipſa*) Docetur hic, quinam ad optimam rempublicam requirantur cives & quomodo ad eam præparandi ſint: FELDE. *GOEB.*

(b) τὴν ἀναγκαίαν ἀγοράν) Aldus: τὴν ἀναγκαίων ἀγοράν *rerum neceſſariarum forum*. Recte. *CONR.*

(c) μεμιμῆσθαι) Fatetur Victorius in hoc conſentire codices: ipſe tamen mavult: νενεμῆσθαι, quemadmodum & vetus interpres videtur legiſſe. *CONR.*

(d) ἀργὸν ἐστὶ) Lambinus περίεργον, quomodo & Sepulveda vertit. *CONR.*

(e) τούτοιν δ᾽ ἐστὶν) Illud δὲ abeſſe ab antiquo codice, atque ita orationem reddi καταληπτοτέραν, recte cenſet Camerarius. *CONR.*

(f) τυγχάνειν) Vetus Camerarii liber habuit: τυγχάνει. Idque eſt concinnius. *CONR.*



Digitized by Google

§. 8. Quia autem propoſitum eſt nobis optimam rempublicam videre, hæc autem eſt, per quam optime regeretur civitas, optime autem regeretur, per quam maxime licet civitatem beate vivere, apertum eſt oportere non fallere nos beatitudinem, quid eſt.

§. 9. Dicimus autem & in libris de Moribus (ſi quid adjumenti capitur ex illis diſputationibus actum eſſe) & uſum virtutis perfectum, atque hunc non ex ſuppoſitione, ſed ſimpliciter.

§. 10. Dico autem ex ſuppoſitione res neceſſarias: ſimpliciter autem, quod honeſte: veluti, quæ fiunt in honeſtis factis juſtæ ultiones & animadverſiones: a virtute enim proficiſcuntur. neceſſariæ autem, & quod honeſtæ ſunt, a neceſſitate habent: expetibilius enim nulla hujuſcemodi re egere, neque virum quempiam, neque civitatem.

§. 11. Quæ autem ad honores & ubertates, ſimpliciter ſunt honeſtiſſimæ actiones: alterum enim mali cujuſdam optio eſt, hujuſcemodi autem actiones contra: conſtructiones enim bonorum ſunt & generationes.

§. 12. Uteretur autem vir ſtudioſus & paupertate, & morbo, & aliis adverſis caſibus recte: veruntamen quod beatum eſt, in contrariis manet.

§. 13. Hoc enim definitum eſt in diſputationibus de Moribus, hujuſcemodi eſſe ſtudioſum virum, cui virtutis vi bona, ſunt ſimpliciter bona. Perſpicuum autem eſt, & uſus neceſſario ſtudioſos & honeſtos eſſe hos ſimpliciter.

§. 14. Quare etiam arbitrantur homines, beatitudinis cauſas eſſe bona extra nos poſita: tanquam ſi utendi cithara clare & recte, cauſam velit eſſe aliquis lyram potius, quam artem.

§. 15. *Neceſſe igitur* (a) eſt ex his, quæ dicta ſunt, hæc quidem oportere adeſſe, hæc autem comparare legislatorem.

§. 16. Quare votis expetimus coagmentationem bonorum, quorum fortuna domina eſt: (dominam enim ipſam ſtatuimus eſſe:) ſtudioſam vero eſſe civitatem, non amplius fortunæ opus, ſed ſcientiæ & electionis.

§. 17. Atqui ſtudioſa civitas eſt, quia cives, qui participes ſunt reipublicæ, ſunt ſtudioſi: nobis autem cuncti cives participes ſunt reipublicæ.

§. 18. Hoc igitur conſiderandum eſt, quomodo vir efficitur ſtudioſus. etenim, ſi cunctos contingit eſſe ſtudioſos, non ſingulos autem cives, ſic expetibilius foret: comitatur enim ſingulos & omnes.

§. 19. Atqui probi utique & ſtudioſi fiunt vi trium. tria autem hæc ſunt, natura, mos, ratio.

§. 20.

§. 8. Ἐπεὶ δὲ τὸ προκείμενόν ἐστι, τὴν ἀρίστην πολιτείαν ἰδεῖν, αὕτη δ' ἐστὶ καθ' ἣν ἄριστ' ἂν πολιτεύοιτο πόλις, ἄριστα δ' ἂν πολιτεύοιτο, καθ' ἣν εὐδαιμονεῖν μάλιστα ἐνδέχεται τὴν πόλιν, δῆλον ὅτι τὴν εὐδαιμονίαν δεῖ, τί ἐστι, μὴ λανθάνειν.

§. 9. Φαμὲν δὲ καὶ ἐν τοῖς ἠθικοῖς (εἴ τι τῶν λόγων ἐκείνων ὄφελος) ἐνέργειαν εἶναι καὶ χρῆσιν ἀρετῆς τελείαν, καὶ ταύτην οὐκ ἐξ ὑποθέσεως ἀλλὰ ἁπλῶς.

§. 10. Λέγω δ' ἐξ ὑποθέσεως, τἀναγκαῖα· τὸ δὲ ἁπλῶς, τὸ καλῶς· οἷον, τὰ περὶ τὰς δικαίας πράξεις αἱ δίκαιαι τιμωρίαι, καὶ κολάσεις, ἀπ' ἀρετῆς μὲν εἰσιν, ἀναγκαῖαι δὲ, καὶ τὸ καλῶς ἀναγκαίως ἔχουσιν· αἱρετώτερον μὲν γὰρ μηθενὸς δεῖσθαι τῶν τοιούτων, μήτε τὸν ἄνδρα μήτε τὴν πόλιν.

§. 11. Αἱ δ' ἐπὶ τὰς τιμὰς καὶ τὰς εὐπορίας, ἁπλῶς εἰσι κάλλισται πράξεις. τὸ μὲν γὰρ ἕτερον, κακοῦ τινος αἵρεσίς ἐστιν, αἱ τοιαῦται δὲ πράξεις, τοὐναντίον· κατασκευαὶ γὰρ ἀγαθῶν εἰσι καὶ γεννήσεις.

§. 12. Χρήσαιτο δ' ἂν ὁ σπουδαῖος ἀνὴρ καὶ πενίᾳ, καὶ νόσῳ, καὶ ταῖς ἄλλαις τύχαις ταῖς φαύλαις, καλῶς. ἀλλὰ τὸ μακάριον ἐν τοῖς ἐναντίοις ἐστί

§. 13. Καὶ γὰρ τοῦτο διώρισται κατὰ τοὺς ἠθικοὺς λόγους, ὅτι τοιοῦτός ἐστιν ὁ σπουδαῖος, ᾧ διὰ τὴν ἀρετὴν τὰ ἀγαθά ἐστι, τὰ ἁπλῶς ἀγαθά. δῆλον δ' ὅτι καὶ τὰς χρήσεις ἀναγκαῖον σπουδαίας καὶ καλὰς εἶναι ταύτας ἁπλῶς.

§. 14. Διὸ καὶ νομίζουσιν ἄνθρωποι τῆς εὐδαιμονίας αἴτια τὰ ἐκτὸς εἶναι τῶν ἀγαθῶν· ὥσπερ εἰ τοῦ κιθαρίζειν λαμπρὸν (b) καὶ καλῶς αἰτιῷτο (c) τὴν λύραν μᾶλλον τῆς τέχνης.

§. 15. Ἀναγκαῖον τοίνυν ἐκ τῶν εἰρημένων, τὰ μὲν ὑπάρχειν, τὰ δὲ παρασκευάσαι τὸν νομοθέτην.

§. 16. Διὸ κατ' εὐχὴν εὐχόμεθα τὴν τῆς πόλεως σύστασιν, ὧν ἡ τύχη κυρία· (κυρίαν γὰρ (d) αὐτὴν ὑπάρχειν τίθεθεμεν·) τὸ δὲ σπουδαίαν εἶναι τὴν πόλιν οὐκέτι τύχης ἔργον, ἀλλ' ἐπιστήμης καὶ προαιρέσεως.

§. 17. Ἀλλὰ μὲν σπουδαία πόλις ἐστὶ, τῷ τοὺς πολίτας, τοὺς μετέχοντας τῆς πολιτείας, εἶναι σπουδαίους· ἡμῖν δὲ, πάντες οἱ πολῖται μετέχουσι τῆς πολιτείας.

§. 18. Τοῦτ' ἄρα σκεπτέον, πῶς ἀνὴρ γίνεται σπουδαῖος. καὶ γὰρ εἰ πάντας ἐνδέχεται σπουδαίους εἶναι, μὴ καθ' ἕκαστον (e) δὲ τῶν πολιτῶν, οὕτως αἱρετώτερον. ἀκολουθεῖ γὰρ τῷ καθ' ἕκαστον, καὶ τὸ πάντας.

§. 19. Ἀλλὰ μὴν ἀγαθοί γε καὶ σπουδαῖοι γίγνονται διὰ τριῶν. τὰ τρία δέ ταῦτά ἐστι, φύσις, ἔθος, λόγος.

§. 20.

(a) *Neceſſe igitur*) PICCART. *p.* 1081. *GOEB.*

(b) καθαρίζειν λαμπρὸν) Præter Victorium Lambinus & Sepulveda & Heinſius illud λαμπρὸν adverbialiter acceperunt. At Muret. Var. lect. l. 9. v. 4. ſic legit: τοῦ καθαρίζειν Λαμπρὸν καλῶς: *ejus quod Lamprus cithara bene cecinit:* quaſi de homine Lampro ſermo ſit. Et vero, ut idem recte monet, cum Plato in principio Menexeni, tum Athenæus meminerunt Lampri muſici. Ut Mureti interpretatio per ſit elegans. *CONR.*

(c) καλῶς αἰτιῷτο) Idem Muretus mavult αἰτιῶντο, vel εἴ τις αἰτιῷτο. Quæ emendatio itidem elegans eſt. *CONR.*

(d) κυρίαν γὰρ) Etiam hæc diſtinctio, niſi fallor, illuſtrat rem. *CONR.*

(e) μὴ καθ' ἕκαστον) Camerarius poſt μὴ diſtinguit. Et hunc vult eſſe loci ſenſum: *Etenim, ſi cunctis cives ut ſint ſtudioſi virtutis non conceditur, ſed ad ſingulos illorum hoc pertinet, fuerit hoc ſatius.* Lambinus poſt οὕτως αἱρετώτερον exiſtimat excidiſſe: ἀλλ' οὐκ ἐνδέχεται. Vertit: *Si fieri poteſt, ut omnes cives ſint viri boni, non ſinguli: ita optabilius eſt: ſed non poteſt.* Videtur ſufficere, ſi legas: καὶ γὰρ εἰ μὴ πάντας ἐνδέχεται σπουδαίους εἶναι, καθ' ἕκαστον δὲ τῶν πολιτῶν. Ita ſenſus ſatis eſt commodus. *CONR.*

Digitized by Google

§. 20. Primum enim oportet naſci: veluti hominem, & non aliud quodpiam animal: deinde qualem corpore atque animo.

§. 20. Καὶ γὰρ φῦναι δεῖ πρῶτον· οἷον ἄνθρωπον, ἀλλὰ μὴ τῶν ἄλλων τι ζώων· εἶτα, καὶ ποιόν τινα τὸ σῶμα καὶ τὴν ψυχήν.

§. 21. Quædam enim naſci, nihil prodeſt: conſuetudines enim gignunt mutationem: quædam enim ſunt, quæ cum natura in utramque partem prona ſint, conſuetudine

** **

feruntur ad deterius aut melius.

§. 21. Ἔνιά τε (a) οὐθὲν ὄφελος φῦναι. τὰ γὰρ ἔθη μεταβαλεῖν ποιεῖ· ἔνια γάρ ἐστι διὰ τῆς φύσεως ἐπαμφοτερίζοντα, διὰ τῶν ἐθῶν (b)

** **

ἐπὶ τὸ χεῖρον καὶ τὸ βέλτιον.

§. 22. Cæteræ igitur animantes maxime quidem naturæ vivunt: paucæ autem quædam & moribus: homo autem & rationi. ſolus enim rationem habet.

§. 22. Τὰ μὲν οὖν ἄλλα τῶν ζώων, μάλιστα μὲν τῇ φύσει ζῇ, μικρὰ δὲ ἔνια καὶ τοῖς ἔθεσιν, ἄνθρωπος δὲ καὶ λόγῳ· μόνον γὰρ ἔχει λόγον.

§. 23. Quare opus eſt hæc conſentire inter ſe: multa enim gerunt præter illa, quibus aſſueti ſunt & præter naturam, per rationem, ſi perſuaſi fuerint aliter melius eſſe.

§. 23. Ὥστε δεῖ ταῦτα συμφωνεῖν ἀλλήλοις· πολλὰ γὰρ παρὰ τοὺς ἐθισμοὺς καὶ τὴν φύσιν πράττουσι διὰ τὸν λόγον, ἐὰν πεισθῶσιν ἄλλως ἔχειν βέλτιον.

§. 24. Quales igitur natura eſſe oportet, qui ſe faciles præbituri ſunt ad obtemperandum legiſlatori, definivimus prius. Quod reſtat autem, opus jam eſt diſciplinæ: quædam enim diſcunt, aſſuefacientes ſe: quædam autem, audientes.

§. 24. Τὴν μὲν τοίνυν φύσιν, οἵους εἶναι δεῖ τοὺς μέλλοντας εὐχειρώτους ἔσεσθαι τῷ νομοθέτῃ, διωρίσμεθα πρότερον. τὸ δὲ λοιπὸν ἔργον ἤδη παιδείας. τὰ μὲν γὰρ ἐθιζόμενοι μανθάνουσι, τὰ δ', ἀκούοντες.

## CAP. XIV.

§. 1.

XV. Quia autem omnis communio civilis conſtat ex iis, qui imperium habent, & ex iis, qui parent: hoc jam conſiderandum eſt, ſi diverſos eſſe oportet, qui imperant, & qui parent, vel eoſdem, donec vivunt. Planum enim eſt, futurum etiam, ut oporteat comitari diſciplinam huic diviſioni.

§. 1.

XV. Ἐπεὶ δὲ πᾶσα πολιτικὴ κοινωνία συνέστηκεν ἐξ ἀρχόντων καὶ ἀρχομένων, τοῦτο δὴ σκεπτέον, εἰ ἑτέρους εἶναι δεῖ τοὺς ἄρχοντας καὶ τοὺς ἀρχομένους, ἢ τοὺς αὐτοὺς διὰ βίου· δῆλον γὰρ ὡς ἀκολουθεῖν δεήσει καὶ τὴν παιδείαν κατὰ τὴν διαίρεσιν ταύτην.

§. 2. Si igitur fuiſſent tantum diſcrepantes alii ab aliis, quantum deos & heroas arbitramur diſcrepare ab hominibus, ſtatim primum corpore multam exuperantiam habentes, deinde animo, ut certa foret atque aperta præſtantia eorum, qui imperant in eos, qui parent: perſpicuum eſt, melius futurum, ut ſemper iidem, hi quidem imperent, hi autem ſemel pareant.

§. 2. Εἰ μὲν τοίνυν εἴησαν τοσοῦτον διαφέροντες ἅτεροι τῶν ἄλλων, ὅσον τοὺς θεοὺς καὶ τοὺς ἥρωας ἡγούμεθα τῶν ἀνθρώπων διαφέρειν, εὐθὺς πρῶτον κατὰ τὸ σῶμα πολλὴν ἔχοντας ὑπερβολήν. εἶτα κατὰ τὴν ψυχήν, ὥστε ἀναμφισβήτητον εἶναι καὶ φανερὰν τὴν ὑπεροχὴν τοῖς ἀρχομένοις τὴν τῶν ἀρχόντων· δῆλον, ὅτι βέλτιον ἀεὶ τοὺς αὐτούς, τοὺς μὲν ἄρχειν τοὺς δ' ἄρχεσθαι καθάπαξ.

§. 3. Quia autem hoc non facile eſt obtinere, neque licet, ut ait Scylax apud Indos, reges tantum antecellere iis, qui parent: manifeſtum eſt multis de cauſis neceſſe eſſe, ut cuncti ſimiliter communicent viciſſim imperio atque obſequio.

§. 3. Ἐπεὶ δὲ τοῦτ' οὐ ῥᾴδιον λαβεῖν οὐδέ ἐστιν, ὥσπερ ἐν Ἰνδοῖς φησι Σκύλαξ, εἶναι τοὺς βασιλέας τοσοῦτον διαφέροντας τῶν ἀρχομένων, φανερὸν ὅτι διὰ πολλὰς αἰτίας ἀναγκαῖον πάντας ὁμοίως κοινωνεῖν τοῦ κατὰ μέρος ἄρχειν καὶ ἄρχεσθαι.

§. 4. Æquale enim idem ſimilibus: & difficile eſt manere rempublicam conſtitutam præter juſtum: adplicant enim ſe ad eos, qui parent, cupidi rerum novarum, cuncti qui in agro vivunt. tot autem numero eſſe, qui rempublicam regunt, ut ſuperiores ſint his omnibus, unum quoddam eſt eorum, quæ fieri non poſſunt.

§. 4. Τό τε γὰρ ἴσον ταὐτὸν τοῖς ὁμοίοις· καὶ χαλεπὸν μένειν τὴν πολιτείαν τὴν συνεστηκυῖαν παρὰ τὸ δίκαιον. μετὰ γὰρ τῶν ἀρχομένων ὑπάρχουσι, νεωτερίζειν βουλόμενοι, πάντες οἱ κατὰ τὴν χώραν· τοσούτους τε εἶναι τοὺς ἐν τῷ πολιτεύματι τὸ πλῆθος, ὥστ' εἶναι κρείττους πάντων τούτων, ἕν τι τῶν ἀδυνάτων ἐστίν.

§. 5. Atqui oportere, qui imperium habent, antecellere iis, qui parent, citra controverſiam eſt. Quomodo igitur hæc erunt, & quomodo participes erunt, opus eſt videre legumlatorem.

§. 5. Ἀλλὰ μὲν ὅτι γε δεῖ τοὺς ἄρχοντας διαφέρειν τῶν ἀρχομένων, ἀναμφισβήτητον. πῶς οὖν ταῦτ' ἔσται, καὶ πῶς μεθέξουσι, δεῖ σκέψασθαι τὸν νομοθέτην.

§. 6. Dictum autem eſt prius de ipſo: natura enim optionem dedit, cum fecerit ipſum idem

§. 6. Εἴρηται δὲ πρότερον περὶ αὐτοῦ. ἡ γὰρ φύσις δέδωκε τὴν αἵρεσιν, (c) ποιήσασα αὐτῷ

(a) ἔνιά τε) Scripſerim potius δέ. CONR.
(b) διὰ τῶν ἐθῶν) Omnino vox aliqua deeſt. Scripſerim ego: διὰ τῶν ἐθῶν δὲ μεταβαλλόμενα. CONR.

(c) τὴν αἵρεσιν) Rectius Aldus, me quidem judice: διαίρεσιν CONR.

Digitized by Google

idem genere: hoc quidem e junioribus, hoc autem e ſenioribus, quorum unis parere convenit, alteris autem imperare.

§. 7. Stomachatur autem nemo, cui per ætatem imperatur, neque arbitratur ſe meliorem eſſe; præſertim cum hoc præmium recepturus ſit, cum res tulerit, juſta ætate.

§. 8. Eſt igitur quomodo eosdem imperare & parere affirmandum eſt: eſt autem & quomodo alios. quapropter quomodo & diſciplinam eandem eſſe neceſſe eſt, eſt autem quomodo aliam. eum enim, qui debet recte imperare, paruerit, primum ajunt oportere.

§. 9. Eſt autem imperium, quemadmodum in primis diſputationibus dictum eſt, hoc quidem imperantis cauſa, hoc autem parentis: horum autem unum quidem herilem eſſe affirmamus, alterum autem liberorum.

** **

§. 10. Quædam autem e numero eorum, quæ mandantur, diſcrepant, non operibus, ſed fine.

§. 11. Quare multa operum illorum, quæ videntur propria eſſe miniſtrorum & adoleſcentium, honeſtum eſt liberis hominibus adminiſtrare. Ad honeſtum enim & non honeſtum, non tam diſcrepant actiones per ſe, quam fine & cujus cauſa.

§. 12. XVI. Quia autem civis & imperium habentis eandem virtutem eſſe affirmamus & optimi viri: eundem autem parentem oportere fieri prius, & *imperantem* (a) poſterius: hoc a legumlatore curandum eſt, ut viri boni fiant, & per quæ ſtudia, & qui ſit finis optimæ vitæ.

§. 13. Diviſæ autem ſunt duæ partes animi: quarum una rationem habet per ſe, altera autem non habet per ſe, quæ valeat tamen audiens eſſe rationi: quarum affirmamus virtutes eſſe, per quas vir bonus dicitur aliquo modo.

§. 14. Harum autem in utra magis finis, dividentibus quidem ſic, ut nos volumus, non incertum eſt, quomodo dicendum: ſemper enim deterius melioris eſt gratia. & hoc perſpicuum eſt eodem pacto in his, quæ ſunt per artem, & in iis, quæ per naturam.

§. 15. Melior autem eſt, quæ ratione prædita eſt. Diviſa autem eſt bifariam, quo conſuevimus modo nos dividere: una enim activa eſt ratio, altera autem contemplativa. Eodem igitur pacto neceſſe eſt diviſam eſſe & hanc partem.

§. 16. Scilicet & actiones utique dicemus propor-

αὐτῷ (b) τῷ γένει ταὐτό· τὸ μὲν νεώτερον, τὸ δὲ πρεσβύτερον· ὧν τοῖς μὲν, ἄρχεσθαι πρέπει, τοῖς δ', ἄρχειν.

§. 7. Ἀγανακτεῖ δὲ οὐδεὶς καθ' ἡλικίαν ἀρχόμενος, οὐδὲ νομίζει (c) εἶναι κρείττων· ἄλλως τε καὶ μέλλων ἀντιλαμβάνειν τοῦτον τὸν ἔρανον, ὅταν τύχῃ τῆς ἱκνουμένης ἡλικίας.

§. 8. Ἔστι μὲν ἄρα ὡς τοὺς αὐτοὺς ἄρχειν καὶ ἄρχεσθαι φατέον· ἔστι δὲ ὡς ἑτέρους. ὥστε καὶ τὴν παιδείαν ἔστιν ὡς τὴν αὐτὴν ἀναγκαῖον· ἔστι δ' ὡς ἑτέραν εἶναι. τόν τε γὰρ μέλλοντα καλῶς ἄρχειν, ἀρχθῆναί φασι δεῖν πρῶτον.

§. 9. Ἔστι δ' ἀρχὴ, καθάπερ ἐν τοῖς πρώτοις εἴρηται λόγοις, ἡ μὲν, τοῦ ἄρχοντος χάριν, ἡ δὲ, τοῦ ἀρχομένου. τούτων δὲ, τὴν μὲν, δεσποτικὴν εἶναί φαμεν, τὴν δὲ, τῶν ἐλευθέρων.

** **

§. 10. Διαφέρει δ' (d) ἔνια τῶν ἐπιταττομένων, οὐ τοῖς ἔργοις, ἀλλὰ τῷ τίνος ἕνεκα.

§. 11. Διὸ πολλὰ τῶν εἶναι δοκούντων διακονικῶν ἔργων, καὶ τῶν νέων τοῖς ἐλευθέροις καλὸν διακονεῖν. πρὸς γὰρ τὸ καλὸν καὶ τὸ μὴ καλὸν, οὐχ οὕτω διαφέρουσιν αἱ πράξεις καθ' αὑτὰς, ὡς ἐν τῷ τέλει, καὶ τῷ τίνος ἕνεκεν.

§. 12. XVI. Ἐπεὶ δὲ πολίτου καὶ ἄρχοντος τὴν αὐτὴν ἀρετὴν εἶναί φαμεν, καὶ τοῦ ἀρίστου ἀνδρός· τὸν δ' αὐτὸν, ἀρχόμενόν τε δεῖν γίγνεσθαι πρότερον καὶ ἄρχοντα ὕστερον· τοῦτ' ἂν εἴη τῷ νομοθέτῃ πραγματευτέον, ὅπως ἄνδρες ἀγαθοὶ γίγνωνται, καὶ διὰ τίνων ἐπιτηδευμάτων, καὶ τί τὸ τέλος τῆς ἀρίστης ζωῆς.

§. 13. Διῄρηται δὲ δύο μέρη τῆς ψυχῆς. ὧν τὸ μὲν ἔχει λόγον καθ' αὑτὸ, τὸ δ' οὐκ ἔχει μὲν καθ' αὑτὸ, λόγῳ δ' ὑπακούειν δυνάμενον. ὧν φαμὲν τὰς ἀρετὰς εἶναι, καθ' ἃς ἀνὴρ ἀγαθὸς λέγεταί πως.

§. 14. Τούτων δ' ἐν ποτέρῳ μᾶλλον τὸ τέλος, τοῖς μὲν οὕτω διαιροῦσιν ὡς ἡμεῖς φαμεν, οὐκ ἄδηλον πῶς λεκτέον. αἰεὶ γὰρ τὸ χεῖρον τοῦ βελτίονός ἐστιν ἕνεκεν· καὶ τοῦτο φανερὸν ὁμοίως ἔν τε τοῖς κατὰ τέχνην, καὶ τοῖς κατὰ φύσιν.

§. 15. Βέλτιον δὲ τὸ λόγον ἔχον· διῄρηταί τε διχῇ, καθ' ὅνπερ εἰώθαμεν τρόπον διαιρεῖν· ὁ μὲν γὰρ πρακτικός ἐστι λόγος, ὁ δὲ θεωρητικός. ὡσαύτως οὖν ἀνάγκη διῃρῆσθαι καὶ τοῦτο τὸ μέρος.

§. 16. Δῆλον, ὅτι (e) καὶ τὰς πράξεις δ' ἀνάλογεν

---

(a) *Imperantem*) Hæc ad rempublicam, in qua omnes aut imperant, aut ſpem imperandi habent, ſpectant: ibi enim omnium eadem educatio eademque vitæ ratio eſſe debet. *GOEB.*

(b) Ποιήσασα αὐτῷ) Iſengrinius: ποιήσασα τῶν αὐτῶν τῷ γένει. Sylburgius cenſet legi poſſe: ποιήσασα αὐτὸ τῷ γένει ταὐτό. An rectius? ποιήσασα ἐν αὐτῷ τῷ γένει ταὐτό. Certe ſenſus ita probe ſeſe habueri. *CONR.*

(c) οὐδὲ νομίζει) Pulchre Victorius: οὐδ' εἰ νομίζει. *CONR.*

(d) διαφέρει δὲ) Non probe cohærent cum ſuperioribus; nec explicatum hic eſt, quorſum pertineat illa memorata diviſio imperii in herile & civile. *CONR.*

(e) δῆλον ὅτι) Recte annotat Lambinus, omnem illum, qui ſequitur, locum in omnibus vulgatis codicibus eſſe mendoſiſſimum. Ille autem hunc in modum vertit: *Semper enim quod deterius eſt, ejus quod melius eſt, gratia eſt. Atque hoc apparet ſimiliter in iis rebus, quæ natura valent, atque in iis, quæ arte conſtant. Rationis porro duæ ſunt partes; quomodo nos quidem dividere conſuevimus. Altera enim in agendo verſatur; altera in contemplando. Quoniam igitur neceſſe eſt actiones ad eundem modum eſſe diviſas, quemadmodum ea, quorum ſint actiones, diviſa ſunt; hanc autem animi partem*

Digitized by Google

proportione ſe habere: oportetque partis naturæ melioris expetibiliores eſſe iis, qui valent adipiſci, vel omnes, vel duas. ſemper enim cuique eſt hoc maxime expetendum, quod ſummum adipiſci valet.

§. 17. Dividitur autem & omnis vita in negotium & otium, & bellum & pacem: & rerum, quæ aguntur, hæ quidem in neceſſarias & utiles, hæ vero in honeſtas. de quibus neceſſe eſt eandem optionem eſſe, quæ eſt in partibus animi, & actionibus ipſarum. bellum quidem *cauſa pacis*; (*a*) & negotium otii, quæ autem neceſſaria ſunt & utilia honeſtorum cauſa.

§. 18. Ad omnia igitur reſpicientem, decet virum civilem ſcribere leges, & per partes animi & per actiones ipſarum: magis autem ad ea, quæ meliora ſunt & fines.

§. 19. Eodem autem modo & circa vitas & diviſiones rerum. Opus enim eſt, poſſe in negotio eſſe & in bello, potius autem pacem agere & otio frui: & res neceſſarias atque utiles gerere, honeſtas autem magis oportet.

§. 20. Quare ad hos fines & pueros adhuc erudire oportet, & cæteras ætates, quæcunque egent diſciplina.

§. 21. XVII. Græci autem, qui nunc optime putantur rempublicam gerere, & legumlatores, qui has conſtituerunt reſpublicas, neque ad optimum finem perſpiciuntur condidiſſe, quæ ad reſpublicas faciunt, neque ad omnes virtutes, leges & diſciplinam: ſed importune ad res, quæ utiles videntur eſſe & explendæ cupiditati eorum aptæ, declinarunt.

§. 22. Eodem autem pacto atque illi & nonnulli, qui poſtea reſpublicas conſcripſerunt, eandem ſententiam edidere.

§. 23. Laudantes enim rempublicam Lacedæmoniorum, probant propoſitum legumlatoris, quod cuncta ad vincendum apta & ad *bellum gerendum* (*b*) legibus ſuis inſtituit. Quæ & ratione argumentisque nullo negotio refelluntur, & re factisque nunc confutata ſunt.

§. 24. Quemadmodum enim plurimi mortales ſuſcipiunt dominari multis, quia multa copia inde naſcitur bonarum rerum, ſic & Thibron perſpicitur probaſſe legislatorem Lacedæmoniorum, & cæteri omnes, qui ſcripſerunt de republica ipſorum, quod per exercitationes in periculis ſubeundis imperium habebant in multos.

§. 25. Atqui apertum eſt, poſtquam nunc non amplius in manu ipſorum eſt imperium, non eſſe eos beatos, neque legislatorem eorum bonum. Præterea autem ridiculum eſt hoc, ſi perdu-

γον ἐρῶμεν ἔχειν· καὶ δεῖ τὰς τοῦ φύσει βελτίονος αἱρετωτέρας εἶναι τοῖς δυναμένοις τυγχάνειν, ἢ πασῶν, ἢ τοῖν δυοῖν. αἰεὶ γὰρ ἑκάστῳ τοῦθ' αἱρετώτατον, οὗ τυχεῖν ἐστιν ἀκροτάτου.

§. 17. Διῄρηται δὲ καὶ πᾶς ὁ βίος εἰς ἀσχολίαν καὶ εἰς σχολήν, καὶ πόλεμον καὶ εἰρήνην· καὶ τῶν πρακτῶν, τὰ μὲν εἰς τὰ ἀναγκαῖα καὶ χρήσιμα, τὰ δὲ εἰς τὰ καλά. περὶ ὧν ἀνάγκη τὴν αὐτὴν αἵρεσιν εἶναι, καὶ τοῖς τῆς ψυχῆς μέρεσι καὶ ταῖς πράξεσιν αὐτῶν· πόλεμον μὲν εἰρήνης χάριν, ἀσχολίαν δὲ σχολῆς· τὰ δ' ἀναγκαῖα καὶ χρήσιμα τῶν καλῶν ἕνεκεν.

§. 18. Πρὸς πάντα (*c*) μὲν τοίνυν τῷ πολιτικῷ βλέποντι νομοθετητέον, καὶ κατὰ τὰ μέρη τῆς ψυχῆς, καὶ κατὰ τὰς πράξεις αὐτῶν· μᾶλλον δὲ πρὸς τὰ βελτίω καὶ τὰ τέλη.

§. 19. Τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον καὶ περὶ τοὺς βίους, καὶ τὰς τῶν πραγμάτων διαιρέσεις. δεῖ μὲν γὰρ ἀσχολεῖν δύνασθαι, καὶ πολεμεῖν, μᾶλλον δ' εἰρήνην ἄγειν καὶ σχολάζειν· καὶ τἀναγκαῖα, καὶ τὰ χρήσιμα δὲ πράττειν, τὰ δὲ καλὰ δεῖ μᾶλλον.

§. 20. Ὥστε πρὸς τούτους τοὺς σκοποὺς καὶ παῖδας ἔτι ὄντας παιδευτέον, καὶ τὰς ἄλλας ἡλικίας, ὅσαι δέονται παιδείας.

§. 21. XVII. Οἱ δὲ νῦν ἄριστα δοκοῦντες πολιτεύεσθαι τῶν Ἑλλήνων, καὶ τῶν νομοθετῶν οἱ ταύτας καταστήσαντες τὰς πολιτείας, οὔτε πρὸς τὸ βέλτιον τέλος φαίνονται συντάξαντες τὰ περὶ τὰς πολιτείας, οὔτε πρὸς πάσας τὰς ἀρετάς, τοὺς νόμους καὶ τὴν παιδείαν· ἀλλὰ φορτικῶς ἀπέκλιναν πρὸς τὰς χρησίμους εἶναι δοκούσας καὶ πλεονεκτικωτέρας.

§. 22. Παραπλησίως δὲ τούτοις καὶ τῶν ὕστερον τινὲς γραψάντων, ἀπεφήναντο τὴν αὐτὴν δόξαν.

§. 23. Ἐπαινοῦντες γὰρ τὴν Λακεδαιμονίων πολιτείαν, ἄγανται τοῦ νομοθέτου τὸν σκοπόν, ὅτι πάντα πρὸς τὸ κρατεῖν καὶ πρὸς πόλεμον ἐνομοθέτησεν. ἃ καὶ κατὰ τὸν λόγον ἐστὶν εὐέλεγκτα, καὶ τοῖς ἔργοις ἐξελήλεγκται νῦν.

§. 24. Ὥσπερ γὰρ οἱ πλεῖστοι τῶν ἀνθρώπων ζηλοῦσι (*d*) τῶν πολλῶν δεσπόζειν, ὅτι πολλὴ χορηγία γίγνεται τῶν εὐτυχημάτων, οὕτω καὶ Θίβρων (*e*) ἀγάμενος φαίνεται τὸν τῶν Λακώνων νομοθέτην, καὶ τῶν ἄλλων ἕκαστος τῶν γραφόντων περὶ πολιτείας αὐτῶν, ὅτι διὰ τὸ γεγυμνάσθαι πρὸς τοὺς κινδύνους πολλῶν ἦρχον.

§. 25. Καί τοι δῆλον, ὡς ἐπειδὴ νῦν γε οὐκέτι ὑπάρχει τοῖς Λάκωσι τὸ ἄρχειν, οὐκ εὐδαίμονες, οὐδ' ὁ νομοθέτης ἀγαθός. ἔτι δὲ τοῦτο γελοῖον, εἰ μένοντες ἐν τοῖς νόμοις αὐτοῦ, καὶ μηδενὸς ἐμποδίζοντος

*partem ita oportet eſſe diviſam; ſcilicet & harum partis animi partium actiones ex proportione inter ſe reſpondere dicemus: & partis animi melioris actiones etiam meliores eſſe neceſſe eſt, iis, qui poſſunt aſſequi, vel omnes, vel duas. Semper enim hoc cuique eſt optatiſſimum, quod ad potiendum eſt ſummum, ſummoque in gradu poſitum.* CONR.

(*a*) *Cauſa pacis*) GROT. *de J. B. & P. lib. III. c. XXV. §. 2.* GOEB.

(*b*) *Bellum gerendum*) Hæc eſt facies reipublicæ militaris vid. CRAGIUS. *GOEB.*

(*c*) πρὸς πάντα) Heinſius ſcribit: πρὸς ταῦτα. At nulla urgente neceſſitate. Imo rectius eſſe illud πάντα, liquet ex ſequentibus. Reſpiciendum ſcilicet eſt legislatori ad omnia, & ſecundum partes animæ & ſecundum actiones illarum. CONR.

(*d*) ζηλοῦσι) Aldus: ζητοῦσι *quærunt*. Optime. CONR.

(*e*) Θίβρων) Xenophonti, Diodoro & Suidæ eſt Θίμβρων. CONR.

perdurantes in legibus ipſius, & nulla re impediente, quin utantur legibus, amiſerunt honeſtam vitam.

ζοντος, πρὸς τὸ χρῆσθαι τοῖς νόμοις, ἀποβεβλήκασι τὸ ζῆν καλῶς.

§. 26. Non recte autem exiſtimant neque de imperio, quod oportet perſpici: in pretio habere legumlatorem. Imperium enim liberorum pulchrius eſt imperio herili, magisque cum virtute.

§. 26. Οὐκ ὀρθῶς δ' ὑπολαμβάνουσιν οὐδὲ περὶ τῆς ἀρχῆς, ἣν δεῖ τιμῶντα φαίνεσθαι τὸν νομοθέτην. τοῦ γὰρ δεσποτικῶς ἄρχειν ἡ (τῶν) ἐλευθέρων (*b*) ἀρχὴ καλλίων, καὶ μᾶλλον μετ' ἀρετῆς.

§. 27. Adhuc autem non oportet ob hoc civitatem beatam exiſtimare atq; legumlatorem laudare, quia firmavit illos exercitationibus ad imperium in vicinos; hæc enim continent in ſe magnum incommodum.

§. 27. Ἔτι δ' οὐ διὰ τοῦτο δεῖ τὴν πόλιν εὐδαίμονα νομίζειν, καὶ τὸν νομοθέτην ἐπαινεῖν, ὅτι κρατεῖν ἤσκησεν ἐπὶ τὸ τῶν πέλας ἄρχειν· ταῦτα γὰρ μεγάλην ἔχει βλάβην.

§. 28. Quis enim dubitat, quin civis omnis, qui valeat, hoc eniſurus ſit perſequi, ut poſſit in ſua propriaque civitate dominari? quod quidem objiciunt Lacones Pauſaniæ regi, etſi tantum legibus honorem adeptus erat.

§. 28. Δῆλον γὰρ, ὅτι καὶ τῶν πολιτῶν τῷ δυναμένῳ τοῦτο πειρατέον διώκειν, ὅπως δύνηται τῆς οἰκείας πόλεως ἄρχειν· ὅπερ ἐγκαλοῦσιν οἱ Λάκωνες Παυσανίᾳ τῷ βασιλεῖ, καίπερ ἔχοντι τηλικαύτην τιμήν.

§. 29. Neque igitur civilis ulla hujuscemodi rationum & legum neque utilis, neque vera eſt,

§. 29. Οὔτε δὴ πολιτικὸς τῶν τοιούτων λόγων καὶ νόμων οὐθεὶς, οὔτε ὠφέλιμος, οὔτε ἀληθής ἐστι

** ** ** **

** ** ** **

§. 30. Quæ enim optima ſunt, & privatim & publice legumlatorem oportet inſerere in animos hominum.

§. 30. Ταῦτα γὰρ ἄριστα (*c*) καὶ ἰδίᾳ καὶ κοινῇ τὸν νομοθέτην ἐμποιεῖν δεῖ ταῖς ψυχαῖς τῶν ἀνθρώπων.

§. 31. Bellicarum autem rerum exercitationem non hujus gratia decet meditari, ut in ſervitutem redigant indignos: ſed ut primum ipſi non ſerviant aliis, deinde, ut quærant principatum utilitatis cauſa eorum, qui ſibi parent, ſed non ut dominentur omnibus: tertium autem, ut domini fiant eorum, qui digni ſunt, qui ſerviant.

§. 31. Τήν τε (*d*) τῶν πολεμικῶν ἄσκησιν οὐ τούτου χάριν δεῖ μελετᾶν ἵνα καταδουλώσωνται τοὺς ἀναξίους, ἀλλ' ἵνα πρῶτον μὲν αὐτοὶ μὴ δουλεύωσιν ἑτέροις· ἔπειτα, ὅπως ζητῶσι τὴν ἡγεμονίαν τῆς ὠφελείας ἕνεκα τῶν ἀρχομένων, ἀλλὰ μὴ πάντων δεσποτείας· τρίτον δὲ, τῷ δεσπόζειν (*e*) τῶν ἀξίων δουλεύειν.

§. 32. Oportere autem legumlatorem potius laborare, ut ſtudium, quod ponit in rebus bellicis ornandis & cætera omni inſtitutione, referat ad otium & pacem, oſtendunt, quæ fiunt, teſtimonioque ſuo confirmant rationes.

§. 32. Ὅτι δὲ δεῖ τὸν νομοθέτην μᾶλλον σπουδάζειν, ὅπως καὶ τὴν περὶ τὰ πολεμικὰ, καὶ τὴν ἄλλην νομοθεσίαν, τοῦ σχολάζειν ἕνεκεν τάξῃ, καὶ τῆς εἰρήνης, μαρτυρεῖ τὰ γιγνόμενα τοῖς λόγοις.

§. 33. Major enim pars hujuscemodi civitatum, dum bellum gerunt, conſervantur: poſtquam autem poſitæ ſunt imperio, pereunt: amittunt enim duritiem, tanquam ferrum, in pace viventes. Cauſa autem hujus eſt legumlator, qui non docuit, quomodo poſſent otio uti.

§. 33. Αἱ γὰρ πλεῖσται τῶν τοιούτων πόλεων, πολεμοῦσαι μὲν σώζονται, κατακτησάμεναι δὲ τὴν ἀρχὴν, ἀπόλλυνται· τὴν γὰρ βαφὴν ἀφιᾶσιν, ὥσπερ ὁ σίδηρος, εἰρήνην ἄγοντες. αἴτιος δ' ὁ νομοθέτης, οὐ παιδεύσας δύνασθαι σχολάζειν.

# CAPUT XV.

§. 1.

XIIX. Quia autem idem finis eſſe perſpicitur & publice & privatim hominibus, & eundem terminum neceſſe eſt eſſe *optimo* (*a*) viro & optimæ reipublicæ: manifeſtum eſt oportere virtutes ad otium facientes adeſſe.

XIIX. Ἐπεὶ δὲ τὸ αὐτὸ τέλος εἶναι φαίνεται καὶ κοινῇ καὶ ἰδίᾳ τοῖς ἀνθρώποις, καὶ τὸν αὐτὸν ὅρον ἀναγκαῖον εἶναι τῷ τε ἀρίστῳ ἀνδρὶ καὶ τῇ ἀρίστῃ πολιτείᾳ, φανερὸν ὅτι δεῖ τὰς εἰς τὴν σχολὴν ἀρετὰς ὑπάρχειν.

§. 2. Finis enim, ut ſæpe dictum, eſt pax quidem belli, otium autem negotii.

§. 2. Τέλος γὰρ, ὥσπερ εἴρηται πολλάκις, εἰρήνη μὲν πολέμου, σχολὴ δ' ἀσχολίας.

§. 3. Utiles autem ſunt ad otium & animi remiſſi-

§. 3. Χρήσιμοι δὲ τῶν ἀρετῶν εἰσι πρὸς τὴν σχολὴν

(*a*) *Optimo*) In hoc capite traditur, quibusnam virtutibus cives ad vitam beatam debeant eſſe imbuti. PICCART. *p.* 1101. *ſeqq.* *GOEB.*

(*b*) τῶν ἐλευτέρ.) Zvvingerus non habet τῶν. Indubie autem noſtrum melius eſt. *CONR.*

(*c*) ταῦτα γὰρ ἄριστα) Non cohærent cum prioribus. Saltim igitur pauca perierunt. Cæterum illud ταῦτα etiam Lambinus expreſſit. At vero veterem interpretem legiſſe ταῦτα *hac*, annotat Victorius. Aldus etiam & Zvvingerus ſic habent: ταῦτα γὰρ ἄριστα, καὶ ἰδίᾳ καὶ κοινῇ τὸν νομοθέτην ἐμποιεῖν δεῖ ταῦτα ταῖς ψυχαῖς. Utut ſit, liquet, quædam hic deſiderari. *CONR.*

(*d*) τὴν τὲ) Scribo: τὴν δὲ. *CONR.*

(*e*) τῷ δεσπόζειν) Aldus: τὸ. Mendoſe. *CONR.*

Digitized by Google

miſſionem virtutes, quarum in ocio munus eſt, & quarum in negotio: opus eſt enim multas neceſſariarum rerum adeſſe, ut liceat in ocio eſſe.

§. 4. Quapropter temperantem civitatem eſſe convenit, & fortem, & ærumnarum tolerantem: ut enim proverbium eſt, *Non otium ſervis.* Quia autem nequeunt pericula fortiter expectare, ſervi ſunt invadentium in ipſos.

§. 5. Fortitudine igitur opus eſt & tolerantia ad negotium: ſcientia autem honeſtarum artium ad ocium: temperantia vero ac juſtitia ambobus temporibus, magiſque in pace atque ocio etiam traducentibus. Bellum enim cogit nos juſtos eſſe & temperanter vivere: quæ autem e rebus ſecundis percipitur lætitia, & ocium cum pace, contumelioſos potius reddit.

§. 6. Multa igitur juſtitia & multa temperantia opus eſt illis, qui videntur bene rem gerere, atque omnibus rebus fruuntur, quæ beatos homines efficiunt.

§. 7. Veluti, ſi qui ſunt, quemadmodum poetæ ajunt, in inſulis beatorum: maxime enim hi egebunt ſcientia honeſtarum artium, & temperantia, & juſtitia, quanto magis otioſe vivunt in copia hujuſcemodi bonorum.

§. 8. Oportere igitur civitatem, quæ beata & ſtudioſa futura eſt, harum virtutum participem eſſe, conſtat.

§. 9. Cum enim turpe ſit non poſſe uti bonis, adhuc magis non poſſe in otio uti: ſed in negotiis quidem & in bellis perſpici eſſe probos, in pace autem mancipiis ſimiles.

§. 10. Quare oportet, non quemadmodum Lacedæmoniorum civitas, virtutem colere. Illi namque non hoc differunt ab aliis, quia non arbitrentur eadem, quæ alii, maxima eſſe omnium bonorum: ſed magis, quia gigni hæc per quandam virtutem exiſtimant.

§. 11. XIX. Quia autem majora hæc bona ſunt, quam bona belli, & fructum, qui capitur ex his, quam qui e virtutibus, & quod per hanc, perſpicuum eſt ex his. Quomodo autem, & vi quarum rerum exiſtit, hoc jam conſiderandum eſt.

§. 12. Diviſimus autem prius, opus eſſe natura, & conſuetudine, & ratione.

§. 13. Horum autem quales natura eſſe oportet, explicatum eſt prius.

§. 14. Reſtat autem videre, utrum erudiendi ſint ratione prius, vel moribus. hæc enim oportet inter ſe conſonare optima, tanquam vocum concordia. Contingere enim poteſt, ut ratio ab optimo propoſito aberret, atque per ſimiles mores traducatur.

§. 15.

λὴν καὶ διαγωγὴν, ὧν τε ἐν τῇ χολῇ τὸ ἔργον, καὶ ὧν ἐν τῇ ἀχολίᾳ. δεῖ γὰρ πολλὰ τῶν ἀναγκαίων ὑπάρχειν, ὅπως ἐξῇ χολάζειν.

§. 4. Διὸ σώφρονα τὴν πόλιν εἶναι προσήκει καὶ ἀνδρείαν, καὶ καρτερικήν· κατὰ γὰρ τὴν παροιμίαν, (a) ἐ χολὴ δέλοις. οἱ δὲ μὴ δυνάμενοι κινδυνεύειν ἀνδρείως, δῦλοι τῶν ἐπιόντων εἰσίν.

§. 5. Ἀνδρίας μὲν ἔν καὶ καρτερίας δεῖ πρὸς τὴν ἀχολίαν· φιλοσοφίας δὲ πρὸς τὴν χολήν· σωφροσύνης δὲ καὶ δικαιοσύνης ἐν ἀμφοτέροις τοῖς χρόνοις· καὶ μᾶλλον εἰρήνην ἄγεσι καὶ χολάζεσιν. ὁ μὲν γὰρ πόλεμος ἀναγκάζει δικαίες εἶναι καὶ σωφρονεῖν· ἡ δὲ τῆς εὐτυχίας ἀπόλαυσις, καὶ τὸ χολάζειν μετ᾽ εἰρήνης, ὑβριςὰς ποιεῖ μᾶλλον.

§. 6. Πολλῆς ἔν δεῖ δικαιοσύνης καὶ πολλῆς σωφροσύνης τὲς ἄριςα δοκῦντας (b) πράττειν, καὶ πάντων τῶν μακαριζομένων ἀπολαύοντας.

§. 7. Οἷον, εἴ τινές εἰσιν, ὥσπερ οἱ ποιηταί φασιν, ἐν μακάρων νήσοις. μάλιςα γὰρ ἔτοι δεήσονται φιλοσοφίας, καὶ σωφροσύνης, καὶ δικαιοσύνης, ὅσῳ μᾶλλον χολάζεσιν ἐν ἀφθονίᾳ τῶν τοιέτων ἀγαθῶν.

§. 8. Διότι μὲν ἔν τὴν μέλλεσαν εὐδαιμονήσειν καὶ σπεδαίαν ἔσεσθαι πόλιν, τέτων δεῖ τῶν ἀρετῶν μετέχειν, φανερόν.

§. 9. Αἰχρῦ γὰρ (c) ὄντος μὴ δύνασθαι χρῆσθαι τοῖς ἀγαθοῖς, ἔτι μᾶλλον μὴ δύνασθαι ἐν τῷ χολάζειν χρῆσθαι· ἀλλ᾽ ἀχολῦντας μὲν καὶ πολεμῦντας φαίνεσθαι ἀγαθὲς, εἰρήνην δ᾽ ἄγοντας καὶ σχολάζοντας, ἀνδραποδώδεις.

§. 10. Διὸ δεῖ μὴ καθάπερ ἡ Λακεδαιμονίων πόλις τὴν ἀρετὴν ἀσκεῖν. ἐκεῖνοι μὲν γὰρ ἐ ταύτῃ διαφέρεσι τῶν ἄλλων, τῷ μὴ νομίζειν ταὐτὰ τοῖς ἄλλοις μέγιςα τῶν ἀγαθῶν, ἀλλὰ τῷ γενέσθαι ταῦτα μᾶλλον διά τινος ἀρετῆς.

§. 11. XIX. Ἐπεὶ δὲ μείζω τε ἀγαθὰ ἢ τὰ τῦ πολέμε ταῦτα, (d) καὶ τὴν ἀπόλαυσιν τὴν τέτων, ἢ τὴν τῶν ἀρετῶν, καὶ ὅτι δι᾽ αὐτὴν, φανερὸν ἐκ τέτων. πῶς δὲ, καὶ διὰ τίνων ἔςαι, τῦτο δὴ θεωρητέον.

§. 12. Τυγχάνομεν δὴ διῃρημένοι πρότερον, ὅτι φύσεως, καὶ ἔθες, καὶ λόγε δεῖ.

§. 13. Τέτων δὲ ποίες μέν τινας εἶναι χρὴ τὴν φύσιν, διώριςαι πρότερον.

§. 14. Λοιπὸν δὲ θεωρῆσαι πότερον παιδευτέοι τῷ λόγῳ πρότερον, (e) ἢ τοῖς ἔθεσι. ταῦτα γὰρ δεῖ πρὸς ἄλληλα συμφωνεῖν συμφωνίαν τὴν ἀρίςην· ἐνδέχεται γὰρ διημαρτηκέναι καὶ τὸν λόγον τῆς βελτίςης ὑποθέσεως· καὶ διὰ τῶν ἐθῶν ὁμοίαν ἦχθαι. (f)

§. 15.

(a) κατὰ γὰρ τὴν παροιμίαν) Non facile apparet, quid hoc faciat ad rem. Vereor, ne ſit a mala manu aliunde intruſum. *CONR.*

(b) ἄριςα δοκῦντας) Subaudi: μετέχειν. Id ſane niſi fiat, nimis dura fuerit oratio: quod recte etiam Victorius notavit. *CONR.*

(c) αἰσχρῦ γὰρ) Rectius legeretur αἰσχρῦ δὲ. Ita enim melius cohærerent omnia cum illis: διὸ δεῖ. Ita quoque vertit Sepulveda: *cum ergo turpe ſit. CONR.*

(d) ἐπεὶ δὲ μείζω τε ἀγαθὰ ἢ τὰ τῦ πολέμε ταῦτα) Aldus non habet illa ἢ τὰ τῦ πολέμε: Nec vetuit Sepulveda. Videtur tamen deeſſe non debere: locum vero hunc omnem eſſe mendoſum. Certe ſenſus obſcurus eſt, nec probe omnia cohærent. *CONR.*

(e) τῷ λόγῳ πρότερον) Illud πρότερον deeſt in Aldino. Male. *CONR.*

(f) ὁμοίαν ἦχθαι) Obſervat Victorius, in codicibus mss. omnibus ita quidem ſeſe offendiſſe: veterem tamen interpretem legiſſe ὁμοίως. Et vero ſic quoque habet Aldus, vertitque Lambinus: *ſimili conſuetudine.* Quid rectius, vix dixeris. Obſcurius quoque nonnihil eſt illud ἦχθαι. Nec tamen temere mutandum. *CONR.*



Digitized by Google

§. 15. Manifeſtum jam hoc utique, primum quidem, quemadmodum in aliis rebus, ortum ab aliquo principio eſſe, & finem ab aliquo principio alius finis. ratio autem nobis & mens naturæ finis eſt. Quapropter ad hos ortum & morum meditationem parare oportet.

§. 15. Φανερὸν δὴ (c) τοῦτό γε, πρῶτον μὲν, καθάπερ ἐν τοῖς ἄλλοις, ὡς ἡ γένεσις ἀπ' ἀρχῆς ἐστι, καὶ τὸ τέλος ἀπό τινος ἀρχῆς ἄλλου τέλους. ὁ δὲ λόγος ἡμῖν, καὶ ὁ νοῦς, τῆς φύσεως τέλος. ὥστε πρὸς τούτους τὴν γένεσιν καὶ τὴν τῶν ἐθῶν δεῖ παρασκευάζειν μελέτην.

§. 16. Deinde, quemadmodum animus & corpus duo ſunt: ſic & animi videmus duas eſſe partes, & quæ vacua eſt a ratione, & quæ rationis eſt compos: & habitus horum duos eſſe numero, quorum unus quidem eſt appetitio, alter autem mens.

§. 16. Ἔπειτα, ὥσπερ ψυχὴ καὶ σῶμα δύ' ἐστίν, οὕτω καὶ τῆς ψυχῆς ὁρῶμεν δύο μέρη· τό τε ἄλογον, καὶ τὸ λόγον ἔχον· καὶ τὰς ἕξεις τὰς τούτων δύο τὸν ἀριθμόν· ὧν τὸ μέν ἐστιν ὄρεξις, τὸ δὲ, νοῦς.

§. 17. Quemadmodum autem corpus prius eſt generatione, quam animus: ita & vacua a ratione, rationis compote. Manifeſtum autem & hoc. Ira enim ac voluntas, adhuc autem cupiditas, & pueris ſtatim, ut nati ſunt, adeſt: ratio autem & mens ætate progredientibus natura innaſcitur.

§. 17. Ὥσπερ δὲ τὸ σῶμα πρότερον τῇ γενέσει τῆς ψυχῆς, οὕτω καὶ τὸ ἄλογον τοῦ λόγον ἔχοντος. φανερὸν δὲ καὶ τοῦτο. θυμὸς γὰρ καὶ βούλησις, ἔτι δὲ ἐπιθυμία, καὶ γενομένοις εὐθὺς ὑπάρχει τοῖς παιδίοις· ὁ δὲ λογισμὸς καὶ ὁ νοῦς, προϊοῦσιν ἐγγίνεσθαι πέφυκε.

§. 18. Quare primum corporis curam neceſſe eſt eſſe priorem, quam animi: deinde curam appetitionis. Gratia ſane mentis eam, quæ eſt appetitionis: illam autem corporis, gratia animi.

§. 18. Διὸ πρῶτον μὲν τοῦ σώματος τὴν ἐπιμέλειαν ἀναγκαῖον εἶναι προτέραν, ἢ (τὴν) (d) τῆς ψυχῆς· ἔπειτα, τὴν τῆς ὀρέξεως· ἕνεκα μέντοι τοῦ νοῦ τὴν τῆς ὀρέξεως· τὴν δὲ τοῦ σώματος, τῆς ψυχῆς.

# CAP. XVI.

§. 1.

XX. Siquidem igitur ab initio legumlatorem videre oportet, ut *corpora* (a) eorum, qui aluntur, ſint optima: primum quidem diligentia adhibenda eſt in matrimonio, quando & quales exiſtentes *nuptialem conſuetudinem* (b) inter ſe coire oportet.

§. 1.

XX. Εἴπερ οὖν ἀπ' ἀρχῆς τὸν νομοθέτην ὁρᾶν δεῖ, ὅπως βέλτιστα τὰ σώματα γένηται τῶν τρεφομένων, πρῶτον μὲν ἐπιμελητέον περὶ τὴν σύζευξιν, πότε καὶ ποίους τινὰς ὄντας χρὴ ποιεῖσθαι πρὸς ἀλλήλους τὴν γαμικὴν ὁμιλίαν.

§. 2. Opus autem eſt legem ferre reſpicientem circa hanc ſocietatem, ad ipſosque & vivendi tempus, ut ſimul deſcendant ætatibus ad eandem temporis opportunitatem, & non diſſentiant facultates: viro quidem adhuc facultatem habente generandi, fœmina autem minime: ſive has quidem, non autem viro. Hæc enim gignunt & ſeditiones inter ipſos, & lites.

§. 2. Δεῖ δ' ἀποβλέποντα νομοθετεῖν (περὶ) ταύτην (e) τὴν κοινωνίαν, πρὸς αὐτούς τε καὶ τὸν τοῦ ζῆν χρόνον, ἵνα συγκαταβαίνωσι ταῖς ἡλικίαις ἐπὶ τὸν αὐτὸν καιρὸν, καὶ μὴ διαφωνῶσιν αἱ δυνάμεις· τοῦ μὲν, ἔτι δυναμένου γεννᾶν, τῆς δὲ, μὴ δυναμένης· ἢ ταύτης μὲν, τοῦ δ' ἀνδρὸς μή. ταῦτα γὰρ ποιεῖ καὶ στάσεις πρὸς ἀλλήλους, καὶ διαφοράς.

§. 3. Deinde & ad liberorum ſucceſſionem. Oportet enim neq; valde relinqui ætatibus filios a parentibus: nullum enim fructum ferret ſenioribus gratia, quæ proficiſci debet a filiis, itemque auxilium, quod a parentibus filiis. Neque valde propinqua eſſe debet: multam enim habet moleſtiam. Pudor namque minus ineſt hujuſcemodi tanquam æqualibus, & in diſpenſanda domo propinquitas hæc plena querelarum eſt.

§. 3. Ἔπειτα, καὶ πρὸς τὴν τῶν τέκνων διαδοχήν. δεῖ γὰρ οὔτε λίαν ὑπολείπεσθαι ταῖς ἡλικίαις τὰ τέκνα τῶν πατέρων· ἀνόνητος γὰρ τοῖς μὲν πρεσβυτέροις ἡ χάρις παρὰ τῶν τέκνων, ἡ δὲ παρὰ τῶν πατέρων βοήθεια τοῖς τέκνοις· οὔτε λίαν πάρεγγυς εἶναι. πολλὴν γὰρ ἔχει δυσχέρειαν. ἥ τε γὰρ αἰδὼς ἧττον ὑπάρχει τοῖς τοιούτοις, ὥσπερ ἡλικιώταις, καὶ περὶ τὴν οἰκονομίαν ἐγκληματικὸν τὸ πάρεγγυς.

§. 4. Præterea autem, unde incipientes huc tranſivimus, ut corpora eorum, qui procreantur, ſint ad voluntatem legumlatoris.

§. 4. Ἔτι δ', ὅθεν ἀρχόμενοι δεῦρο μετέβημεν, ὅπως τὰ σώματα τῶν γεννωμένων (f) ὑπάρχῃ πρὸς τὴν τοῦ νομοθέτου βούλησιν.

§. 5. Ferme jam cuncta hæc exiſtunt per eandem diligentiam.

§. 5. Σχεδὸν δὴ πάντα ταῦτα συμβαίνει κατὰ μίαν ἐπιμέλειαν.

§. 6. Quia enim fixus eſt terminus gignendi dico (quod fere fit) viris quidem ſeptuaginta anno-

§. 6. Ἐπεὶ γὰρ ὥρισται τέλος τῆς γεννήσεως, ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον εἰπεῖν, ἀνδράσι μὲν, ὁ τῶν ἑβδομή-

(a) *Corpora*) Inquiritur hic in ea, quæ requiruntur, ut civium corpora bene conſtituta ſint. Virtutes enim rectius exerceri non poſſunt, quam per bene diſpoſitum corpus. *GOEB.*

(b) *Nuptialem conſuetudinem*) PICCARTUS *p.* 1109. *ſqq.* *GOEB.*

(c) φανερὸν δὴ) Omnis hæc periodus obſcura & ſalebroſa eſt: eoque indubie mendoſa. *CONR.*

(d) ἢ τὴν) Illud τὴν ex zvvingeriana & aldina editione adjecit Sylburgius bono conſilio. *CONR.*

(e) περὶ ταύτην) Illud περὶ expreſſit Vetus Interpres. Et quia multum ad rem facit, a Victorio inſerta eſt textui, codicibus græcis mss. licet refragantibus. *CONR.*

(f) τῶν γεννωμένων) Aldus: τῶν γενομένων, *eorum, qui nati fuerint.* Perinde eſt. *CONR.*

Digitized by Google

annorum numerus ultimus, quinquaginta autem mulieribus, oportet initium conjugii, quod ad ætatem pertinet, ad hæc tempora deſcendere.

δομήκοντα ἐτῶν ἀριθμὸς ἔχατος, πεντήκοντα δὲ γυναιξὶ, δεῖ τὴν ἀρχὴν τῆς συζεύξεως κατὰ τὴν ἡλικίαν εἰς τοὺς χρόνους καταβαίνειν τούτους.

§. 7. Eſt autem adoleſcentium copula ad liberos procreandos mala. In cunctis enim animantibus partus juniorum ſunt imperfecti, & fœminini generis frequentius, & puſilli corporis. Quare neceſſe eſt idem hoc uſu venire etiam in hominibus. Signum hujus rei eſt: in quibuscunque enim civitatibus mos eſt adoleſcentes & virilis & muliebris generis copulare, imperfecti & parvi corpore ſunt.

§. 7. Ἔςι δ᾽ ὁ (b) τῶν νέων συνδυασμὸς φαῦλος πρὸς τεκνοποιΐαν. ἐν γὰρ πᾶσι ζώοις ἀτελῆ τὰ τῶν νέων ἔγγονα, καὶ θηλυτόκα μᾶλλον, καὶ μικρὰ τὴν μορφήν. ὥς᾽ ἀναγκαῖον ταὐτὸ τοῦτο συμβαίνειν καὶ ἐπὶ τῶν ἀνθρώπων. τεκμήριον δέ. ἐν ὅσαις γὰρ τῶν πόλεων ἐπιχωριάζεται τὸ νέους συζευγνύναι καὶ νέας, ἀτελεῖς καὶ μικροὶ τὰ σώματά εἰσιν.

§. 8. Adhuc autem in partubus adoleſcentulæ magis laborant & plures intereunt. Unde & oraculum ajunt nonnulli editum fuiſſe Trœzeniis hanc ob cauſam, tanquam multæ interirent, quia nuberent adoleſcentulæ, non propter fructuum comparationem.

§. 8. Ἔτι δὲ ἐν τοῖς τόκοις αἱ νέαι πονοῦσί τε μᾶλλον καὶ διαφθείρονται πλείους. διὸ καὶ τὸν χρησμὸν γενέσθαι τινές φασι διὰ τοιαύτην αἰτίαν τοῖς Τροιζηνίοις, ὡς πολλῶν διαφθειρομένων διὰ τὸ γαμίσκεσθαι τὰς νεωτέρας, ἀλλ᾽ οὐ πρὸς τὴν τῶν καρπῶν κομιδήν.

§. 9. Conducit autem & ad temperantiam, collocari in matrimonium grandiores: intemperantiores enim eſſe videntur, cum adoleſcentulæ uſæ fuerint Venere.

§. 9. Ἔτι δὲ καὶ πρὸς σωφροσύνην συμφέρει τὰς ἐκδόσεις ποιεῖσθαι πρεσβυτέραις· ἀκολαςότεραι γὰρ εἶναι δοκοῦσι νέαι χρησάμεναι ταῖς συνουσίαις.

§. 10. Et corpora marium impediri videntur ad incrementum, ſi, dum corpus augeſcit, coierint. Eſt enim hujus quoddam definitum tempus, quod non ſuperat amplius augeſcens.

§. 10. Καὶ τὰ τῶν ἀῤῥένων δὲ σώματα βλάπτεσθαι δοκεῖ πρὸς τὴν αὔξησιν, ἐὰν ἔτι τοῦ σπέρματος αὐξανομένου (c) ποιῶνται τὴν συνουσίαν. καὶ γὰρ τούτοις ὡρισμένος χρόνος, ὃν οὐχ ὑπερβαίνει πληθύον ἔτι.

§. 11. Quare virgines hac copula jungi circiter ætatem decem & octo annorum convenit, viros autem circa *triginta* (a) & ſeptem aut paulo plus minusve. In tanto enim tempore vigentibus corporibus conjugium erit, & ad pauſam procreandorum liberorum una temporibus opportune pervenient. Adhuc autem liberorum ſucceſſio, his quidem ineunte viriditate fiet, ſi ſecuta fuerit ſtatim, ut conſentaneum eſt, generatio: his autem jam fracta ætate ad numerum ſeptuaginta annorum.

§. 11. Διὸ τὰς μὲν ἁρμόττει περὶ τὴν ὀκτωκαίδεκα ἐτῶν ἡλικίαν συζευγνύναι, τοὺς δ᾽ ἑπτὰ καὶ τριάκοντα, ἢ μικρόν. (d) ἐν τοσούτῳ γὰρ (e) ἀκμάζουσί (f) τε τοῖς σώμασι σύζευξις ἔςαι, καὶ πρὸς τὴν παῦλαν τῆς τεκνοποιΐας συγκαταβήσεται τοῖς χρόνοις εὐκαίρως. ἔτι δὲ ἡ διαδοχὴ τῶν τέκνων, τοῖς μὲν ἀρχομένης ἔςαι τῆς ἀκμῆς, ἐὰν γίγνηται κατὰ λόγον εὐθὺς ἡ γένεσις· (g) τοῖς δὲ ἤδη καταλελυμένης τῆς ἡλικίας πρὸς τὸν τῶν ἑβδομήκοντα ἐτῶν ἀριθμόν.

§. 12. De hoc igitur, quando decet conjugii initium fieri, traditum eſt. Tempeſtatibus autem uti oportet, quibus nunc multi utuntur recte, re definita ratione, qui hyeme exercent hanc copulam. Opus autem & ipſos jam videre ad procreationem, quæ a medicis dicuntur, & a peritis rerum naturalium. Medici enim tempeſtates corporibus aptas ſatis oſtendunt, & Phyſici de ventis, aquilonios quam auſtrales magis laudantes.

§. 12. Περὶ μὲν οὖν τοῦ πότε δεῖ ποιεῖσθαι τὴν σύζευξιν, εἴρηται. τοῖς δὲ περὶ τὴν ὥραν χρόνοις, δεῖ χρῆσθαι, οἷς οἱ (h) πολλοὶ χρῶνται καλῶς καὶ νῦν, ὁρίσαντες χειμῶνος τὴν συναυλίαν (k) ποιεῖσθαι ταύτην. δεῖ δὴ καὶ αὐτοὺς ἤδη θεωρεῖν πρὸς τὴν τεκνοποιΐαν, τά τε παρὰ τῶν ἰατρῶν λεγόμενα, καὶ τὰ παρὰ τῶν φυσικῶν. οἵ τε γὰρ ἰατροὶ τοὺς καιροὺς τῶν σωμάτων ἱκανῶς λέγουσι· καὶ περὶ τῶν πνευμάτων οἱ φυσικοὶ, τὰ βόρεια τῶν νοτίων ἐπαινοῦντες μᾶλλον.

§. 13. Qualibus vero corporibus exiſtentibus, hoc futurum ſit iis, qui procreantur maxime accommodatum, diſſerendum a nobis erit magis accurate, ubi diſſeretur de inſtitutione liberorum: craſſo autem modo dicere ſatis eſt & nunc. Neque enim habitus athletarum utilis eſt

§. 13. Ποίων δὲ τινῶν τῶν σωμάτων ὑπαρχόντων μάλιςα ὄφελος εἴη τοῖς γεννωμένοις, (k) ἐπιςήσασι μὲν μᾶλλον λεκτέον ἐν τοῖς περὶ τῆς παιδονομίας· τύπῳ δὲ ἱκανὸν εἰπεῖν καὶ νῦν. οὔτε γὰρ ἡ τῶν ἀθλητῶν χρήσιμος ἕξις πρὸς πολιτικὴν εὐεξίαν, οὔτε πρὸς ὑγίειαν, καὶ τεκνοποιΐαν· οὔτε ἡ θεραπευτικὴ καὶ κακοπονη-

(a) *Triginta*) Apud Germanos ſera juvenum Venus, & intra annum XX. mulieris notitiam habuiſſe, in turpiſſimis habebant rebus. CÆSAR *de bello Gallico lib.* 6. *GOEB.*

(b) ἔςι δ᾽ ὁ) Scripſerim libenter: ἔςι δ᾽ καὶ ὁ. *CONR.*

(c) σπέρματος αὐξανομένου) Recte Lambinus antiquum codicem ſecutus: σωμάτος. agitur enim de corporis incremento, cui obſtat Venus feſtinata. Notat tamen Victorius, in nonnullis codicibus neque σπέρματος, neque σώματος vocem reperiri. Sed Lambinianum illud indubie rectius. *CONR.*

(d) ἢ μικρόν) Non agnoſcit Lambinus. At expreſſit Victorius: nec tamen videtur plena oratio. *CONR.*

(e) ἐν τοσούτῳ) Aldus: ἐν οὕτῳ. Nullo diſcrimine ſenſus. *CONR.*

(f) ἀκμάζουσι) Sic etiam legiſſe veterem interpretem: at codices mss. habere ἀκμάζουσα: notat Victorius. *CONR.*

(g) ἡ γένεσις) Zvvingerus ἡ γέννησις *generatio*. Perinde eſt. *CONR.*

(h) οἷς οἱ) Aldus: ὡς. *CONR.*

(i) συναυλίαν) Cum Lambino malim: συνουσίαν. *CONR.*

(k) γεννωμένοις) Aldus: γενομένοις. At facile apparet noſtrum rectius eſſe. *CONR.*

eſt ad corporis habitudinem, quæ requiritur in civibus, neque ad valetudinem & liberorum procreationem neque qui ſtudio medicorum inducitur, ac valde multis laboribus partus eſt, verum medius horum. Laboribus igitur aſſuetum opus eſt habitum habere: laboribus autem non violentis, neque ad unum ſolum, cujusmodi eſt habitus athletarum, ſed ad ingenuo homine dignas actiones.

πονητικὴ λίαν, ἀλλ' ἡ μέση τȣτων. πεπονημένην μὲν ȣ̃ν ἔχειν δεῖ τὴν ἕξιν. πεπονημένην δὲ πόνοις μὴ βιαίοις· μηδὲ πρὸς ἕνα μόνον, ὥσπερ ἡ τῶν ἀθλητῶν ἕξις, ἀλλὰ πρὸς τὰς τῶν ἐλευθέρων πράξεις.

§. 14. Eodem pacto decet hoc exiſtere in viris & fœminis.

§. 14. Ὁμοίως δὲ δεῖ ταῦτα ὑπάρχειν ἀνδράσι καὶ γυναιξί.

§. 15. Oportet autem & prægnantes curam gerere corporum, non deſidiæ deditas, neque alimento tenui utentes.

§. 15. Χρὴ δὲ καὶ τὰς ἐγκύȣς ἐπιμελεῖσθαι τῶν σωμάτων, μὴ ῥαθυμȣ́σας, μηδ' ἀραιᾷ τροφῇ χρωμένας.

§. 16. Hoc autem facile erit legumlatori præſtare, ſi juſſerit, ut ſingulis diebus iter quoddam faciant, ad cultum dearum, quæ ſunt nactæ honorem, ut opem ferant generationi.

§. 16. Τȣ̃το δὲ ῥάδιον τῷ νομοθέτῃ ποιῆσαι, προςάξαντι καθ' ἡμέραν τινὰ ποιεῖσθαι πορείαν πρὸς θεῶν ἀποθεραπείαν, τῶν εἰληχότων τὴν περὶ τῆς γενέσεως τιμήν.

§. 17. Mente autem contra atque corpore ſedatius remiſſiusque degere convenit. apparet enim, quæ gignuntur ad ſe ducere non parum ab ea, quæ in utero habet, pariter ac ſtirpes e tellure.

§. 17. Τὴν μέν τοι διάνοιαν τȣὐναντίον τῶν σωμάτων ῥαθυμοτέρως ἁρμόττει διάγειν. ἀπολαύοντα γὰρ φαίνεται τὰ γενόμενα τῆς ἐχȣ́σης, (*d*) ὥσπερ καὶ τὰ φυόμενα τῆς γῆς.

§. 18. XXI. De exponendis autem liberis & alendis ſit lex, nihil mancum *debileque alere.* (*a*)

§. 18. XXI. Περὶ δὲ ἀποθέσεως καὶ τροφῆς τῶν γιγνομένων, ἔςω νόμος, μηδὲν πεπηρωμένον τρέφειν.

§. 19. Propter multitudinem autem filiorum, ſi ordo gentium vetarit, nihil exponere eorum, quæ genita ſunt,

§. 19. Διὰ δὲ πλῆθος τέκνων, ἐὰν ἡ τάξις τῶν ἐθνῶν (*e*) κωλύῃ, μηδὲν ἀποτίθεσθαι τῶν γιγνομένων,

** **

definitam enim eſſe oportet multitudinem procreandorum filiorum.

ὡρίσθαι γὰρ (*f*) δεῖ τῆς τεκνοποιίας τὸ πλῆθος.

§. 20. Si autem aliquibus præter hæc copulatis exortum fuerit, antequam ſenſus & *vita exiſtat,* (*b*) abortum importare oportet. Sanctum enim & non ſanctum, definitum erit ſenſu ac vita.

§. 20. Ἐὰν δέ τισι γίγνηται παρὰ ταῦτα συνδυασθέντων, πρὶν αἴσθησιν ἐγγενέσθαι καὶ ζωὴν, ἐμποιεῖσθαι δεῖ τὴν ἄμβλωσιν· τὸ γὰρ ὅσιον καὶ τὸ μὴ, διωρισμένον τῇ αἰσθήσει καὶ τῷ ζῆν ἔςαι.

§. 21. Quia autem initium ætatis viro & uxori definitum eſt, quando principium facere oportet conjugalis copulæ, quanto etiam tempore congruit dare operam liberis, definiatur.

§. 21. Ἐπεὶ δ' ἡ μὲν ἀρχὴ τῆς ἡλικίας ἀνδρὶ καὶ γυναικὶ διώρισται, πότε ἄρχεσθαι χρὴ τῆς συζεύξεως, καὶ πόσον χρόνον λειτȣργεῖν ἁρμόττει πρὸς τεκνοποιίαν, ὡρίσθω.

§. 22. Nati enim ſeniorum, ſicut juniorum, imperfecti oriuntur & corporibus & mente: confectorum autem ætate, imbecilli.

§. 22. Τὰ γὰρ τῶν πρεσβυτέρων ἔκγονα, καθάπερ τὰ τῶν νεωτέρων, ἀτελῆ γίνεται καὶ τοῖς σώμασι καὶ ταῖς διανοίαις· τὰ δὲ τῶν γεγηρακότων, ἀσθενῆ.

§. 23. Quare cum viget mens: hoc autem eſt in pleriſque, quod quidam poëtæ dixerunt, metientes ſeptenario numero ætatem, circa tempus quinquaginta annorum.

§. 23. Διὸ κατὰ τὴν (*g*) τῆς διανοίας ἀκμήν· αὕτη δ' ἐςὶν ἐν τοῖς πλείςοις, ἥνπερ τῶν ποιητῶν τινες εἰρήκασιν, οἱ μετροῦντες ταῖς ἑβδομάσι τὴν ἡλικίαν, περὶ τὸν χρόνον τὸν τῶν πεντήκοντα ἐτῶν.

§. 24. Quare quatuor vel quinque annis ſuperantes ætatem hanc, liberari oportet a procreatione liberorum, quæ palam ſit. Reliquo autem tempore valetudinis gratia, vel alicujus hujuſcemodi cauſæ, opus eſt intelligi conſuetudinem hanc colentes.

§. 24. Ὥςε τέτταρσιν ἢ πέντε ἔτεσιν ὑπερβάλλοντα τὴν ἡλικίαν ταύτην, ἀφεῖσθαι δεῖ τῆς εἰς τὸ φανερὸν γεννήσεως· τὸ δὲ λοιπὸν, ὑγιείας χάριν, ἤ τινος ἄλλης τοιαύτης αἰτίας, φαίνεσθαι δεῖ ποιȣμένȣς τὴν ὁμιλίαν.

§. 25. De conſuetudine autem *cum alia* (*c*) vel cum

§. 25. Περὶ δὲ τῆς πρὸς ἄλλην ἢ πρὸς ἄλλον, ἔςω

(*a*) *Debileque alere*) PICCARTUS hoc Ariſtotelis præceptum p. 1118 excuſare laborat. De Germanis TACITUS in *Germania* c. 19. teſtatur, eos, *numerum liberorum finire, aut quenquam ex agnatis necare, flagitium habuiſſe.* GOEB.

(*b*) *Vita exiſtat*) PICCARTUS *p.* 1118. Ex medicorum recentiorum mente foetus a primo conceptionis momento vivit. GOEB.

(*c*) *Cum alia*) PICCARTUS *p.* 1121. ALEXANDER AB ALEXANDRO *lib. IV. genialium dierum c.* I. GOEB.

(*d*) γενόμενα τῆς ἐχȣ́σης) Eleganter emendat Lambinus: τὰ γεννώμενα τῆς τεκȣ́σης. CONR.

(*e*) τῶν ἐθνῶν) Sic Vetus interpres quoque legit, & in ſuo codice mss. invenit Camerarius. Aldus habet τῶν ἐθῶν: quod etiam Sepulveda eſt ſecutus. CONR.

(*f*) ὡρίσθαι γὰρ) Omnino aliquid deeſt. Nec enim docet quid faciendum, ſi jam adſit ſufficiens multitudo liberorum, & tamen aliquid naſcatur. Sed illud γὰρ indicat præceſſiſſe aliquid, cujus cauſſa illo commate reddatur. CONR.

(*g*) κατὰ τὴν) Subaudi ὡρίσθω: CONR.

Digitized by Google

cum alio, ſit quidem ſimpliciter non honeſtum, attingentem intelligi ullo pacto, quando jam vocatus fuerit ſponſus. Tempore autem, quo datur opera liberis, ſi quis perſpectus fuerit hujuſcemodi aliquid gerens, ignominia plectatur, quæ convenit peccato illi.

ἔξω μὲν ἁπλῶς μὴ καλὸν, ἁπτόμενον φαίνεσθαι μηδαμῇ μηδαμῶς, ὅταν ᾖ καὶ προσαγορευθῇ πόσις. περὶ δὲ τὸν χρόνον τὸν τῆς τεκνοποιΐας, ἐάν τις φαίνηται τοιοῦτόν τι δρῶν, ἀτιμίᾳ ζημιούσθω πρεπούσῃ πρὸς τὴν ἁμαρτίαν.

## CAP. XVII.

§. 1.

XXII. Natis autem *filiis*, (*a*) putare oportet magnum eſſe diſcrimen ad corporum vires alimentum, quali utantur.

§. 2. Perſpicitur autem attendentibus, quæ fiunt in cæteris animantibus & gentibus, quæ ſtudent inducere bellicum habitum, *lactis alimentum* (*b*) copioſum maxime accommodatum eſſe corporibus.

§. 3. *Sine vino* (*c*) autem, propter morbos.

§. 4. Adhuc autem proſunt & *motus* (*d*) quos tantuli ferre poſſunt.

§. 5. Ne membra autem diſtorqueantur propter teneritatem, utuntur & nunc quædam gentes inſtrumentis quibuſdam, a *fabris confectis*, (*e*) quæ non ſinunt corpora talium diſtorqueri.

§. 6. Prodeſt autem ſtatim & *contra frigora* (*f*) aſſuefacere a parvis pueris: hoc enim & ad valetudinem, & ad bellica facta maxime accommodatum eſt. Quare apud multos barbaros populos mos eſt, his quidem in flumen frigidum infantes mergere, his vero parvum tegmen inducere veluti *Celtis*. (*g*)

§. 7 Cuncta enim, quibuſcunque fieri poteſt, ut aſſueſcant, ſatius eſt ſtatim ab initio & paulatim aſſuefacere: factus autem eſt naturæ habitus puerorum propter calorem ad frigorum exercitationem.

§. 8. XXIII. Circa igitur primam prodeſt adhibere curam hujuſcemodi, & huic ſimilem.

§. 9. Proximam autem huic ætatem usque ad quinque annorum (quam nondum ad rem aliquam perdiſcendam *rectum eſt admovere*, (*h*) neque ad neceſſarios labores, ne corporum auctionem impediant) decet tantam motionem adipiſci, ut fugiat ignaviam corporum: quam opus eſt comparare & per alia facta, & per luſionem.

§. 10. Decet autem luſiones eſſe neque illiberales, neque laborioſas, neque remiſſas. Et de ſermonibus & fabulis quales decet audire tantulos, curent præfecti ipſorum, quos vocant *pædonomos*. (*i*) §. 11.

§. 1.

XXII. Γενομένων δὲ τῶν τέκνων, οἴεσθαι μεγάλην εἶναι διαφορὰν πρὸς τὴν τῶν σωμάτων δύναμιν, τὴν τροφὴν, ὁποία τις ἂν ᾖ.

§. 2. Φαίνεται δὲ (*k*) διά τε τῶν ἄλλων ζώων ἐπισκοποῦσι, καὶ διὰ τῶν ἐθνῶν, οἷς ἐπιμελές ἐστιν εἰσάγειν (*l*) τὴν πολεμικὴν ἕξιν, ἡ τοῦ γάλακτος πληθύουσα (*m*) τροφὴ, μάλιστα οἰκεία τοῖς σώμασιν.

§. 3. Ἀοινοτέρα δὲ, διὰ τὰ νοσήματα.

§. 4. Ἔτι δὲ καὶ κινήσεις, ὅσας ἐνδέχεται ποιεῖσθαι τηλικούτων συμφέρει.

§. 5. Πρὸς δὲ τὸ μὴ διαστρέφεσθαι τὰ μέλη δι' ἁπαλότητα, χρῶνται καὶ νῦν ἔνια τῶν ἐθνῶν ὀργάνοις τισὶ μηχανικοῖς, ἃ τὸ σῶμα ποιεῖ τῶν τοιούτων ἀστραβές.

§. 6. Συμφέρει δὲ εὐθὺς καὶ πρὸς τὰ ψύχη συνεθίζειν ἐκ μικρῶν παίδων. τοῦτο γὰρ καὶ πρὸς ὑγίειαν, καὶ πρὸς πολεμικὰς πράξεις, εὐχρηστότατον. διὸ παρὰ πολλοῖς ἐστι τῶν βαρβάρων ἔθος, τοῖς μὲν, εἰς ποταμὸν ὑποβάπτειν τὰ γιγνόμενα ψυχρὸν, τοῖς δὲ, σκέπασμα μικρὸν ἀμπιχεῖν, οἷον Κελτοῖς.

§. 7. Πάντα γὰρ ὅσα δυνατὸν ἐθίζειν, εὐθὺς ἀρχομένων (*n*) βέλτιον μὲν ἐθίζειν· ἐκ προσαγωγῆς δ' ἐθίζειν. εὐφυὴς δ' ἡ τῶν παίδων ἕξις, διὰ θερμότητα, πρὸς τὴν τῶν ψυχῶν ἄσκησιν.

§. 8. XXIII. Περὶ μὲν οὖν τὴν πρώτην συμφέρει ποιεῖσθαι τὴν ἐπιμέλειαν τοιαύτην τε καὶ τὴν ταύτῃ παραπλησίαν.

§. 9. Τὴν δ' ἐχομένην ταύτης ἡλικίαν, μέχρι πέντε ἐτῶν, (ἣν οὔτέ πω πρὸς μάθησιν καλῶς ἔχει προσάγειν οὐδεμίαν, οὔτε πρὸς ἀναγκαίους πόνους, ὅπως μὴ τὴν αὔξησιν ἐμποδίζωσι,) δεῖ τοσαύτης τυγχάνειν κινήσεως, ὥστε διαφεύγειν τὴν ἀργίαν τῶν σωμάτων· ἣν χρὴ παρασκευάζειν καὶ δι' ἄλλων πράξεων, καὶ διὰ τῆς παιδιᾶς.

§. 10. Δεῖ δὲ καὶ τὰς παιδιὰς εἶναι μήτε ἀνελευθέρους, μήτε ἐπιπόνους, μήτε ἀνειμένας. καὶ περὶ λόγων δὲ καὶ μύθων, ποίους τινὰς ἀκούειν δεῖ τοὺς τηλικούτους, ἐπιμελὲς ἔστω τοῖς ἄρχουσιν, οὓς καλοῦσι παιδονόμους. §. 11.

(*a*) *Filiis*) Egregia in hoc capite de liberorum educatione traduntur præcepta. *GOEB.*

(*b*) *Lactis alimentum*) Conducit, ut ipſæ matres natis ſuis ubera præbeant: Lactis enim liquore, ſe nutricis temperamentum alumno inſinuare ſolet. Et ex quo munificem mammam mater dare deſierit, ut lacte nutriri pergant. PICCART. *ad h. c.* *GOEB.*

(*c*) *Sine vino*) Rationem vide apud PICCARTUM *p.* 1227. *GOEB.*

(*d*) *Motus*) Huic motui inſerviunt cunæ. *GOEB.*

(*e*) *Fabris confectis*) Hoc ad faſcias multis gentibus uſitatas accommodari poteſt. *GOEB*

(*f*) *Contra frigora*) Vid. PICCARTUS *p.* 1129. *GOEB.*

(*g*) *Celtis*) Sub hoc nomine Germani & Galli comprehenſi ſunt. *GOEB.*

(*h*) *Rectum eſt admovere*) Tenera enim illa ætas diſciplinarum & laborum nondum eſt capax; nec dubitandum, quin nimia corporis aut animi fatigatio impediat, quominus corpora in juſtam excreſcere magnitudinem & animi vires ad aliquam pervenire queant maturitatem. *GOEB.*

(*i*) *Pædonomos*) Quid huic incumbat, pro genii noſtri ſeculo vide in præceptis, quæ nobilis cujusdam præceptori præſcribuntur in BOECLERI *diſſertat. de legendis auctoribus claſſicis.* *GOEB.*

(*k*) Φαίνεται δὲ) Aldus Φαίνεταί τε. Noſtrum melius. *CONR.*

(*l*) εἰσάγειν) Idem: ἀεί. Senſu nullo. *CONR.*

(*m*) πληθύουσα) Idem πληθοῦσα. quod poëticum potius eſt. *CONR.*

(*n*) ἀρχομένων) Recte Sylburgius, aptius eſſe: ἀρχομένους. *CONR.*

§. 11. Cuncta enim hujuscemodi oportet munire viam poſterioribus ſtudiis. Quare luſiones multas oportet eſſe imitationes eorum, quæ poſtea ſerio aguntur.

§. 12. Contentiones autem puerorum & ploratus *non recte* (*a*) prohibent, qui legibus vetant: proſunt enim auctioni: fiunt enim aliquo modo exercitatio corporibus. Spiritus namque retentio parit vires laborantibus: quod uſu venit & pueris, cum contendunt vocem ac tenera ſua membra.

§. 13. Obſervare autem debent pædonomi vitam horum, & aliam, & ut quam minimum cum ſervis ſint: hanc enim ætatem & usque ad ſeptem annos, neceſſe eſt domi cibum capere.

§. 14. Conſentaneum igitur eſt rejicere ab auditionibus & ſpectaculis illiberalibus, & tantulos exiſtentes.

§. 15. Penitus igitur *obſcœnitatem* (*b*) verborum, ut aliud quippiam, oportet legumlatorem exterminare: (e licentia enim quodlibet turpe dicendi prodit & facere, quod prope eſt) maxime igitur ab adoleſcentibus, ne aliquid dicant aut audiant hujuscemodi.

§. 16. Quod ſi aliquis cognitus fuerit aliquid dicere aut facere illorum, quæ vetita ſunt, ingenuum quidem, nondum autem probatum, qui accumbat in cœnis publicis, ignominiis animadvertere in ipſum ac verberibus: grandiorem autem hac ætate ignominiis illiberalibus, quia ſe gerit ut mancipium.

§. 17. Quia autem dicere hujuscemodi aliquid exterminamus, manifeſtum eſt itidem & ſpectare vel picturas, vel fabulas obſcœnas.

§. 18. Diligentiam igitur adhibebunt magiſtratus, ne ſtatua ulla vel pictura hujuscemodi factorum ſit imitatio. Niſi apud hujuscemodi quosdam deos, quibus lex tribuit etiam *laſciviam.* (*c*) Ad hos autem permittit lex & pro ſemetipſis, & pro liberis & uxoribus colere deos.

§. 19. Juniores autem, ne ſint ſpectatores jamborum aut comœdiæ, lege ſtatuendum eſt: antequam ad ætatem pervenerint, in qua poteſtas ipſis facta ſit communicandi jam accubatione & temulentia, diſciplinaque reddiderit omnes tutos a detrimento, quod proficiſcitur ab his rebus.

§. 20. Nunc igitur alio properantes de his rebus locuti ſumus: poſtea autem, cum in hoc ſteterimus, oportet magis explicare, ſive non oportet primum, ſive oportet ſtudioſe quærentes, & quomodo oportet. præſenti autem tempore mentionem fecimus, ut neceſſe erat.

§. 21. Fortaſſe enim non male dicebat hujuscemodi quiddam Theodorus, tragœdiæ actor: nulli enim unquam concedebat, ut ante ſe

§. 11. Πάντα γὰρ δεῖ τὰ τοιαῦτα προοδοποιεῖν πρὸς τὰς ὕϛερον διατριβάς. διὸ τὰς παιδιὰς εἶναι δεῖ τὰς πολλὰς μιμήσεις τῶν ὕϛερον σπȣδαζομένων. (*d*)

§. 12. Τὰς δὲ διατάσεις τῶν παίδων καὶ τȣ̀ς κλαυθμȣ̀ς, ȣ̓κ ὀρθῶς ἀπαγορεύȣσιν οἱ κωλύοντες ἐν τοῖς νόμοις. συμφέρȣσι γὰρ πρὸς αὔξησιν. γίνεται γὰρ τρόπον τινὰ γυμνασία τοῖς σώμασιν. ἡ γὰρ τȣ̃ πνεύματος κάθεξις, ποιεῖ τὴν ἰσχὺν τοῖς πονȣ̃σιν· ὃ συμβαίνει καὶ τοῖς παιδίοις διατεινομένοις.

§. 13. Ἐπισκεπτέον δὲ τοῖς παιδονόμοις τὴν τȣ́των διαγωγὴν, τὴν τ' ἄλλην, καὶ ὅπως ὅτι ἥκιϛα μετὰ δȣ́λων ἔϛαι. ταύτην γὰρ τὴν ἡλικίαν, καὶ μέχρι τῶν ἑπτὰ ἐτῶν, ἀναγκαῖον οἴκοι τὴν τροφὴν ἔχειν.

§. 14. Εὔλογον ȣ̓̃ν ἀπελαύνειν ἀπὸ τῶν ἀκȣσμάτων καὶ τῶν ὁραμάτων ἀνελευθερίας, (*e*) καὶ τηλικȣ́τȣς ὄντας.

§. 15. Ὅλως μὲν ȣ̓̃ν αἰσχρολογίαν ἐκ τῆς πόλεως, ὥσπερ ἄλλό τι, δεῖ τὸν νομοθέτην ἐξορίζειν (ἐκ τȣ̃ γὰρ εὐχερῶς λέγειν, ὁτιȣ̃ν τῶν αἰσχρῶν, γίνεται καὶ τὸ ποιεῖν σύνεγγυς.) μάλιϛα μὲν ȣ̓̃ν ἐκ τῶν νέων, ὅπως μήτε λέγωσι μήτε ἀκȣ́ωσι μηδὲν τοιȣ̃τον.

§. 16. Ἐὰν δὲ τις φαίνηταί τι λέγων ἢ πράττων τῶν ἀπηγορευμένων· τὸν μὲν ἐλεύθερον, μήπω δὲ κατακλίσεως ἠξιωμένον ἐν τοῖς συσσιτίοις, ἀτιμίαις κολάζειν καὶ πληγαῖς· τὸν δὲ πρεσβύτερον τῆς ἡλικίας ταύτης, ἀτιμίαις ἀνελευθέροις, ἀνδραποδωδίας χάριν.

§. 17. Ἐπεὶ δὲ τὸ λέγειν τι τῶν τοιȣ́των ἐξορίζομεν, φανερὸν ὅτι καὶ τὸ θεωρεῖν, ἢ γραφὰς, ἢ λόγȣς ἀσχήμονας.

§. 18. Ἐπιμελὲς μὲν ȣ̓̃ν ἔϛω τοῖς ἄρχȣσι, μηθὲν μήτε ἄγαλμα μήτε γραφὴν εἶναι τοιȣ́των πράξεων μίμησιν· εἰ μὴ παρά τισι θεοῖς τοιȣ́τοις, οἷς καὶ τὸν τωθασμὸν ἀποδίδωσιν ὁ νόμος· πρὸς δὲ τȣ́τοις ἀφίησιν ὁ νόμος τȣ̀ς ἔχοντας ἡλικίαν πλέον προήκȣσαν, (*f*) καὶ ὑπὲρ αὐτῶν καὶ τέκνων καὶ γυναικῶν τιμαλφεῖν τȣ̀ς θεȣ́ς.

§. 19. Τȣ̀ς δὲ νεωτέρȣς, ȣ̓́τ' ἰάμβων, ȣ̓́τε κωμῳδίας θεατὰς νομοθετητέον· πρὶν ἢ τὴν ἡλικίαν λάβωσιν, ἐν ᾗ καὶ κατακλίσεως ὑπάρξει κοινωνεῖν ἤδη καὶ μέθης, καὶ τῆς ἀπὸ τῶν τοιȣ́των γιγνομένης βλάβης ἀπαθεῖς ἡ παιδεία ποιήσει πάντας.

§. 20. Νῦν μὲν ȣ̓̃ν τȣ̃τον ἐν παραδρομῇ πεποιήμεθα τὸν λόγον· ὕϛερον δ' ἐπιϛήσαντας (*g*) δεῖ διορίσαι μᾶλλον, εἴτε μὴ δεῖ πρῶτον, εἴτε δεῖ διαπορήσαντας, καὶ πῶς δεῖ· κατὰ δὲ τὸν παρόντα καιρὸν, ἐμνήσθημεν ὡς ἀναγκαῖον.

§. 21. Ἴσως γὰρ ȣ̓ κακῶς ἔλεγε τὸ τοιȣ̃τον Θεόδωρος ὁ τῆς τραγῳδίας ὑποκριτής· ȣ̓θενὶ γὰρ πώποτε παρῆκεν ἑαυτȣ̃ προεισάγειν, ȣ̓δὲ τῶν εὐτελῶν

(*a*) *Non recte*) Modo non ſint nimii. *GOEB.*

(*b*) *Obſcœnitatem*) Omnia, quæ in hoc capite continentur, illuſtrat PICCARTUS. Conf. quoque PLUTARCH. *de educat. liberor.* & MERCEREUS *de officiis ſcholaſt.* cui ERASMUS de civilitate morum adhæret. *GOEB.*

(*c*) *Laſciviam*) Miſeri profecto ſunt dei, qui per laſciviam aliaque ſcelera & crimina numina agunt. Nec immerito tales divinitates Julianus ſulſe ridet. *GOEB.*

(*d*) σπȣδαζομένων) Lambinus: σπȣδαθησομένων. Rectius. *CONR.*

(*e*) ὁραμάτ. ἀνελευθερίας) Aldus: ἀνελευθέρων. Probe. *CONR.*

(*f*) τȣ̀ς ἔχοντ. ἡλικ. πλ. προσήκȣσ.) Totum hoc deeſt in Aldino. Nec expreſſit Sepulveda. Iſengrinianus margo habet loco illorum: τȣ̀ς πρεσβυτέρȣς. Fateor, poſſe nullo ſenſus damno abeſſe. Illud tamen, quod ſequitur, τȣ̀ς δὲ νεωτέρȣς, indicat, aliquid dictum de ætate provectioribus. *CONR.*

(*g*) ἐπιϛήσαντας) Rectius hoc, quam quod Aldus habet ὑϛήσαντας, etiam Camerario judice. *CONR.*

Digitized by Google

ſe in ſcenam exiret, ne humili quidem hiſtrioni, ut conciliatis theatris primis auditionibus. Contingit autem idem hoc & erga conſuetudines hominum, & erga itidem rerum: cuncta enim prima magis amamus.

§. 22. Quare opus eſt adoleſcentibus omnia efficere aliena, quæ culpæ alicui affinia ſunt: maxime autem e numero ipſorum, quæcunque continent in ſe ſcelus aut odium.

§. 23. XXIV. Cum tranſierint autem quinque anni, duobus usque ad ſeptem oportet eos jam ſpectatores eſſe rerum, quas oportebit perdiſcere ipſos.

** **

§. 24. Duæ autem ſunt ætates, ad quas neceſſe eſt diviſam eſſe diſciplinam: poſt illam, quæ incipit a ſeptem usque ad pubertatem: & rurſus poſt eam, quæ a pubertate usque ad unum ac vigeſimum annum. qui enim ſeptenario numero dividunt ætates, fere non recte dicunt.

§. 25. Decet autem ſequi naturæ diviſionem: omnis enim ars & diſciplina nititur, quod deeſt in natura explere.

** **

** **

§. 26. Primum igitur conſiderandum eſt, deceatne ordinem aliquem conſtituere circa pueros: deinde utrum conducat publice ſuſcipere curam de ipſis, vel privatim, quod fit & nunc in pluribus civitatibus: tertio autem, qualem oportet eſſe hanc.

τελῶν ὑποκριτῶν, ὡς οἰκειουμένων τῶν θεατῶν (c) ταῖς πρώταις ἀκοαῖς. συμβαίνει δὲ ταὐτὸ τοῦτο καὶ πρὸς τὰς τῶν ἀνθρώπων ὁμιλίας, καὶ πρὸς τὰς τῶν πραγμάτων. πάντα γὰρ στέργομεν τὰ πρῶτα μᾶλλον.

§. 22. Διὸ δεῖ τοῖς νέοις πάντα ποιεῖν ξένα τὰ φαῦλα· μάλιστα δ' αὐτῶν, ὅσα ἔχει ἢ μοχθηρίαν ἢ δυσμένειαν.

§. 23. XXIV. Διελθόντων δὲ τῶν πέντε ἐτῶν, τὰ δύο μέχρι τῶν ἑπτὰ δεῖ θεωροὺς ἤδη γίγνεσθαι τῶν μαθήσεων, ἃς δεήσει μανθάνειν αὐτούς. (d)

** **

§. 24. Δύο δ' εἰσὶν ἡλικίαι, πρὸς ἃς ἀναγκαῖον διῃρῆσθαι τὴν παιδείαν· μετὰ τὴν ἀπὸ τῶν ἑπτὰ, μέχρι ἥβης· καὶ πάλιν μετὰ τὴν ἀφ' ἥβης, μέχρι τῶν ἑνὸς καὶ εἴκοσιν ἐτῶν. οἱ γὰρ ταῖς ἑβδομάσι διαιροῦντες τὰς ἡλικίας, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, λέγουσιν οὐ καλῶς.

§. 25. Δεῖ δὲ τῇ διαιρέσει τῆς φύσεως ἐπακολουθεῖν· πᾶσα γὰρ τέχνη καὶ παιδεία τὸ προσλεῖπον βούλεται τῆς φύσεως ἀναπληροῦν.

** **

** **

§. 26. Πρῶτον μὲν οὖν (e) σκεπτέον, εἰ ποιητέον τάξιν τινὰ περὶ τοὺς παῖδας· ἔπειτα, πότερον συμφέρει κοινῇ ποιεῖσθαι τὴν ἐπιμέλειαν αὐτῶν, ἢ κατ' ἴδιον τρόπον, ὃ γίνεται καὶ νῦν ἐν ταῖς πλείσταις τῶν πόλεων· τρίτον δὲ, ποίαν τινὰ δεῖ ταύτην.

# ARISTOTELIS POLITICORUM LIBER IIX. (a)

# ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ ΠΟΛΙΤΙΚΩΝ ΤΟ Θ.

## CAPVT I.

§. I.

Quin igitur legumlatori maxime *cura adhibenda* (b) ſit in puerorum inſtitutione, nemo utique controverſaretur. In civitatibus namque non ſervatum hoc nocet rebuspublicis.

§. 2. Oportet enim apte ad ſingulas verſari in republica. Indoles namque uniuscujusque reipublicæ ſua ac propria, & tueri ſingulos ſolet, & initio conſtituere: veluti popularis indoles popularem ſtatum: & paucorum dominationis paucorum dominatum.

§. 3. Semper autem optima indoles ac mos cauſa eſt melioris reipublicæ.

§. 4. Amplius autem ad cunctas facultates &

§. 1.

Ὅτι μὲν οὖν τῷ νομοθέτῃ μάλιστα πραγματευτέον περὶ τὴν τῶν νέων παιδείαν, οὐδεὶς ἂν ἀμφισβητήσειε. καὶ γὰρ ἐν ταῖς πόλεσιν οὐ γιγνόμενον τοῦτο βλάπτει τὰς πολιτείας.

§. 2. Δεῖ γὰρ πρὸς ἑκάστην πολιτεύεσθαι. τὸ γὰρ ἦθος τῆς πολιτείας ἑκάστης τὸ οἰκεῖον, καὶ φυλάττειν εἴωθε τὴν πολιτείαν, καὶ καθίστησιν ἐξ ἀρχῆς· οἷον, τὸ μὲν δημοκρατικὸν δημοκρατίαν, τὸ δὲ ὀλιγαρχικὸν ὀλιγαρχίαν.

§. 3. Ἀεὶ δὲ τὸ βέλτιστον ἦθος βελτίονος αἴτιον πολιτείας.

§. 4. Ἔτι δὲ πρὸς πάσας δυνάμεις καὶ τέχνας

(a) *IIX.*) Liber hic, admodum mancus eſt. *GOEB.*

(b) *Cura adhibenda*) Docetur hoc capite, juventutem ordine quodam adhibito, diſciplina publice eſſe imbuendam. QVINTIL. *inſtit. orat. lib. II. c.* 2. 3. 8. 12. *GOEB.*

(c) θεατῶν) Probavit hoc Lambinus & Sepulveda interpretatione quisque ſua. Victorius maluit θεατρῶν *conciliatis theatris.* *CONR.*

(d) μανθάνειν αὐτοὺς) Non eſt veriſimile, cito adeo eſſe abruptum ſermonem de ſeptimo & octavo anno. Nec quæ ſequuntur, cohærent. Deſunt igitur nonnulla. *CONR.*

(e) πρῶτον μὲν οὖν) Nulla eſt juſta connexio. Itaque non dubito, quædam periiſſe; non multa tamen. *CONR.*



Digitized by Google

& artes exiſtunt quædam, ad quæ opus eſt *prius erudiri*, (*a*) & aſſuefieri apte ad ſingula ipſorum opera. quapropter apertum eſt, oportere idem fieri in virtutis actionibus.

§. 5. Quia autem unus eſt finis omni *civitati*, (*b*) perſpicuum eſt diſciplinam unam quoque & eandem neceſſe omnium eſſe: atque hanc curam publice adhiberi, non privatim; quomodo nunc quisque ſuorum filiorum curam gerit, privatimque & privatam cognitionem, quam ipſi viſum fuerit, tradens.

§. 6. Oportet autem communium communem quoque eſſe exercitationem. Simul autem neque exiſtimare oportet, quempiam civium ipſum ſui ipſius eſſe, ſed omnes civitatis: pars enim unusquisque eſt civitatis. Cura autem ſtudiumque ſingularum partium ſpectare debet naturæ ordine ad curam totius.

§. 7. Laudaret autem aliquis in hoc quoque Lacedæmonios: plurimum enim ſtudium adhibent in pueros, & hoc quidem *publice*. (*c*)

§. 8. Oportere igitur leges ſcribere de inſtitutione, & hanc communem omnium faciendam, perſpicuum eſt.

ναις ἐςιν, ἃ δεῖ προπαιδεύεσθαι καὶ προεθίζεσθαι πρὸς τὰς ἑκάςων ἐργασίας. ὥςε δῆλον ὅτι καὶ πρὸς τὰς τῆς ἀρετῆς πράξεις.

§. 5. Ἐπεὶ δ᾽ ἓν τὸ τέλος τῇ πόλει πάσῃ, φανερὸν ὅτι καὶ τὴν παιδείαν μίαν καὶ τὴν αὐτὴν ἀναγκαῖον εἶναι πάντων· καὶ ταύτης τὴν ἐπιμέλειαν εἶναι κοινὴν, καὶ μὴ κατ᾽ ἰδίαν· ὃν τρόπον νῦν ἕκαςος ἐπιμελεῖται τῶν αὑτοῦ τέκνων· ἰδίᾳ τε, καὶ μάθησιν ἰδίαν, ἣν ἂν δόξῃ, διδάσκων.

§. 6. Δεῖ δὲ τῶν κοινῶν κοινὴν ποιεῖσθαι καὶ τὴν ἄσκησιν. ἅμα δὲ οὐδὲ χρὴ νομίζειν αὐτὸν αὑτοῦ τινα εἶναι τῶν πολιτῶν, ἀλλὰ πάντας τῆς πόλεως. μόριον γὰρ ἕκαςον τῆς πόλεως. ἡ δ᾽ ἐπιμέλεια πέφυκεν ἑκάςου μορίου βλέπειν πρὸς τὴν τοῦ ὅλου ἐπιμέλειαν.

§. 7. Ἐπαινέσειε δ᾽ ἄν τις καὶ τοῦτο (*d*) Λακεδαιμονίους· καὶ γὰρ πλείςην ποιοῦνται σπουδὴν περὶ τοὺς παῖδας, καὶ κοινῇ ταύτην.

§. 8. Ὅτι μὲν οὖν νομοθετητέον περὶ παιδείας, καὶ ταύτην κοινὴν ποιητέον, φανερόν.

## CAP. II.

(*a*) *Prius erudiri*) Loquitur de diſciplinis circularibus. *GOEB.*

(*b*) *Civitati*) Optandum, ut puerorum educatio ab ineunte ætate eo dirigeretur, ut honeſta & utilia aliquando reipublicæ membra tam in toga, quam ſago evadere poſſent. Ad hoc autem bonis opus eſt præceptoribus, qui hodie eo rariores, quo minus plerorumque eruditio non ad reipublicæ utilitatem eſt attemperata, ſed ſufficit tantum hauſiſſe, ut uni aut alteri eruditorum ordini, quos facultates vocant, accenſeri queant. Commodi negliguntur mores & loco veræ eruditionis, quæ apud nos in genuino uſu rationis & revelationis tam circa agenda, quam credenda conſiſtere deberet, animi aliorum gravantur ſententiis. Intereſſet maxime reipublicæ, ſi ſcrutinia ingeniorum in pueris fierent, ex quo aliquo ſaltim modo ſe in eis manifeſta re inciperent, & alia eorum reipublicæ, alia vero ſeponerentur eccleſiæ, & officiis, quæ in ſeculo aut in eccleſia occurrere poſſent, præparentur, ita tamen, ut in utroque numero nova iterum ſeparatio fieri deberet pro officiorum & munerum imperii & ſacerdotii diverſitate. Atque publica deinde lege ſanciendum, ne quis ad aliud quid incumberet, quam ad res illius ſpartæ, cui ſe, arbitrante republica, addixiſſet excolendas & perficiendas, nec deinde alii, quam ex claſſibus iſtis deſumti, ſi ad debitam perveniſſent maturitatem, publicis præficerentur officiis. Id Græcis & Romanis admodum ſalutare fuit, quod per ſuos plerumque cives ab incunabilis quaſi ad ſuæ reipublicæ indolem formatos recti fuerint. Quod autem ad præceptores attinet, parentibus omnino incumbit, omnes eo intendere nervos, ut liberi in utilia & proba reipublicæ membra efformentur. Solet enim filius ante omnia patris, quem natura ipſi præfecit, ſequi imperium. Verum cum hi plerumque aliis ſint impediti negotiis, ita, ut omnem, quæ requiritur, in liberos ſuos educandos collocare nequeant operam. Sæpe etiam ad talem ſuſcipiendam ſpartam inepti, & liberi ad aliud vitæ genus, quam quod pater ſectatur, aptiores. Porro ex poteſtate illa, quam & hodie patres in liberos habent, ſæpe in corrigendis & caſtigandis liberis ſoleant eſſe nimii, cum non ita facile ad exceſſus ſui rationem reddere teneantur, liberi aliis in diſciplinam ſunt tradendi. Quod ſi vero aliis liberorum educatio committenda, quæritur, an domeſticis, an publicis in diſciplinam tradendi ſint præceptoribus. Qui domeſticorum præceptorum partes tuentur, dicunt eos ſub oculis parentum ad omnia, quæ muneris eorum ratio requirit, accuratius perficienda impelli; deinde rectius aliquem paucis erudiendis defungi poſſe, quam ſi operam ſuam inter tot moribus & indole a ſe invicem diſcrepantes partiri debeat; porro pravos potius, quam bonos ſociorum mores ſe teneris inſinuare animis. Sed hæc non videntur tanti ponderis, ut nihil ad ea reſponderi queat. Domeſticus ille præceptor cum iis, quibus educandis peculiari incluſus cubiculo majorem habet occaſionem minus recte provinciæ ſuæ ſatisfaciendi, quam ille, qui in publico ludo literario multitudine quadam obſitus, & collegarum inſpectorumque quotidianis obnoxius eſt inveſtigationibus. Sic & æmulatio, qua hominum animi ad recte agendum excitari ſolent, vehementius operari ſolet, ſi plures, quam ſi pauciores eandem attingere laborent metam, & probæ notæ præceptor pluribus eodem tempore & vita & doctrina præire poteſt. Sit tamen modus in rebus, nec præceptor nimia diſcipulorum obruendus multitudine, nec non ingeniorum ſeparatio erit facienda. Porro præſtat, ut mature ſtatim fœditatem vitiorum in pluribus addiſcant & contra ea a prudenti præceptore neceſſariis muniantur antidotis, quam ſi in privatos compacti parietes, deinde domeſtico præceptore valere juſſo, veluti laxato freno in omnia ruant vitiorum genera. Pro publicis ſcholis e contra ſequentes militant rationes, ut taceam, paucos eſſe, qui domeſticum alere queunt præceptorem, utile eſt a teneris juventutem aſſueſcere, aliorum uti conſortio, variorumque varios ferre mores, & eorum exemplo cautius mercari diſcere. Si enim juvenes, finito inter paternos lares umbratico ſtudio, academiæ nomen dent, eſt ac ſi in alium protrudantur orbem, atque inde ab aliorum commercio propter inveteratam ſolitudinis conſuetudinem abhorrent, aut ſe ei ut rei, cujus hactenus expertes fuerunt, plus juſto addicunt. Conducet tamen, liberis ſuis pædagogum quendam conſtituere, quem extra tempora lyceo deſtinata morum obſervatorem & ſtudiorum adjutorem habeant, quique præceptorem de iis, quæ in diſcipulo corrigenda animadvertit, nec ille ſuo conſilio emendare poſſit, certiorem faciat. *GOEB.*

(*c*) *Publice*) Ad pædonomum ſeptennes pueri deducebantur ac ſtatim in claſſes diſtributi cum aliis una cibum capiebant, & colludentes exercebantur. CRAGIUS *de republ. Lacedæm. lib. II. c. XIII.* *GOEB.*

(*d*) καὶ τοῦτο) Sylburgius recte emendat: κατὰ τοῦτο. *CONR.*

Digitized by Google

# CAPUT II.

§. 1.

Quæ autem eſt inſtitutio hæc, & quomodo oportet inſtitui, opus eſt nos minime fallere.

§. 2. Nunc enim controverſia eſt de operibus. Non enim eadem cuncti putant oportere adoleſcentes *diſcere*, (*a*) neque ad virtutem, neque ad optimam vitam: neque apertum eſt, utrum ad rationem magis decet, ſive ad animi mores.

§. 3. Ex inſtitutione enim pervulgata, turbulenta eſt animadverſio: nihilq; inde planum elicitur, utrum decet exercere res utiles vitæ, ſive quæ tendunt ad virtutem, ſive res eximias. cuncta enim hæc nacta ſunt aliquos aſſertores.

§. 4. De his quoque, quæ referuntur ad virtutem, nihil eſt omnium conſenſu probatum: virtutem enim ſtatim minime eandem cuncti colunt. quapropter non ſine cauſa diſſentiunt etiam de exercitatione ipſius.

§. 5. Opus igitur eſſe rerum *utilium*, (*b*) eas, quæ neceſſariæ ſunt, perdiſci, non eſt obſcurum. Non omnes autem illas, diviſis liberalibus operibus atque illiberalibus, perſpicuum eſt: decet enim hujuſcemodi participem eſſe, quæcunque utilium rerum non reddent participem ipſarum ſordidum.

§. 6. Sordidum autem opus eſſe oportet hoc exiſtimare & artem hanc & doctrinam, quæcunque ad uſus & actiones virtutis efficiunt inutile corpus liberorum hominum, aut animum, aut mentem. Quare hujuſcemodi artes, quæcunque paulatim efficiunt, ut corpus deterius affectum ſit, ſordidas vocamus, mercenariasque itidem operas: faciunt enim, ut extra otium mens ſit atque humilis.

§. 7. Liberalium etiam ſcientiarum quarundam quodamtenus participem eſſe, non eſt illiberale: aſſiduos autem manere in illis perfecte percipiendis, obnoxium eſt expoſitis incommodis.

§. 8. Diſcrimen autem magnum verſatur in hoc, cujus gratia agit aliquis vel diſcit. Sui enim ipſius cauſa, vel amicorum, vel ob virtutem, non eſt illiberale: qui vero hoc ipſum facit propter alios, is ſæpe mercenarium vel ſervile quoddam agere videretur.

§. 9. Pervulgatæ igitur nunc ſcientiæ, ut prius dictum eſt, in utramque partem trahi poſſunt.

§. 1.

Τίς δ' ἐςὶν ἡ παιδεία, καὶ πῶς χρὴ παιδεύεσθαι, δεῖ μὴ λανθάνειν.

§. 2. Νῦν γὰρ ἀμφισβητεῖται περὶ τῶν ἔργων. ἐ γὰρ ταυτὰ πάντες ὑπολαμβάνεσι δεῖν μανθάνειν τὲς νέες, ἔτε πρὸς ἀρετὴν, ἔτε πρὸς τὸν βίον τὸν ἄριςον· ἐδὲ φανερὸν, πότερον πρὸς τὴν διάνοιαν πρέπει μᾶλλον, ἢ πρὸς τὸ τῆς ψυχῆς ἦθος.

§. 3. Ἔκ τε τῆς ἐμποδὼν παιδείας ταραχώδης ἡ σκέψις· καὶ δῆλον ἐδὲν, πότερον ἀσκεῖν δεῖ τὰ χρήσιμα πρὸς τὸν βίον, ἢ τὰ τείνοντα πρὸς ἀρετὴν, ἢ τὰ περιττά. πάντα γὰρ εἴληφε ταῦτα κριτάς τινας.

§. 4. Περί τε τῶν πρὸς ἀρετὴν, ἐθὲν ἐςιν ὁμολογέμενον. καὶ γὰρ τὴν ἀρετὴν ἐ τὴν αὐτὴν εὐθὺς πάντες τιμῶσιν. ὡς' εὐλόγως διαφέρονται καὶ πρὸς τὴν ἄσκησιν αὐτῆς.

§. 5. Ὅτι μὲν ἔν τὰ ἀναγκαῖα δεῖ διδάσκεσθαι τῶν χρησίμων, ἐκ ἄδηλον. ὅτι δὲ ἐ πάντα διῃρημένων τῶν τε ἐλευθέρων ἔργων καὶ τῶν ἀνελευθέρων, φανερὸν ὅτι τῶν τοιέτων δεῖ μετέχειν, ὅσα τῶν χρησίμων ποιήσει τὸν μετέχοντα μὴ βάναυσον.

§. 6. Βάναυσον δ' ἔργον εἶναι δεῖ τἔτο νομίζειν, καὶ τέχνην ταύτην καὶ μάθησιν, ὅσαι πρὸς τὰς χρήσεις καὶ τὰς πράξεις τὰς τῆς ἀρετῆς, ἄχρηςον ἀπεργάζονται τὸ σῶμα τῶν ἐλευθέρων, ἢ τὴν ψυχὴν, ἢ τὴν διάνοιαν. διὸ τάς τε τοιαύτας τέχνας, ὅσαι τὸ σῶμα παρασκευάζεσι χεῖρον διακεῖσθαι, βαναύσες καλἔμεν, καὶ τὰς μισθαρνικὰς ἐργασίας· ἄσχολον γὰρ ποιἔσι τὴν διάνοιαν καὶ ταπεινήν.

§. 7. Ἔςι δὲ καὶ τῶν ἐλευθερίων (*e*) ἐπιςημῶν μέχρι μέν τινος ἐνίων μετέχειν, ἐκ ἀνελεύθερον· προσεδρεύειν δὲ λίαν πρὸς τὸ ἐντελὲς, ἔνοχον ταῖς εἰρημέναις βλάβαις.

§. 8. Ἔχει δὲ πολλὴν διαφορὰν καὶ τὸ, τίνος χάριν πράττει τις ἢ μανθάνει. αὐτἔ μὲν γὰρ χάριν, ἢ φίλων, ἢ δι' ἀρετὴν, ἐκ ἀνελεύθερον· ὁ δὲ αὐτὸ τἔτο πράττων δι' ἄλλες, πολλάκις θητικὸν ἢ δελικὸν δόξειεν ἂν πράττειν.

§. 9. Αἱ μὲν ἔν καταβεβλημέναι νῦν μαθήσεις, καθάπερ ἐλέχθη πρότερον, ἐπαμφοτερίζεσιν.

# CAP. III.

§. 1.

Sunt autem *quatuor* (*c*) fere, in quibus erudire pueros conſuerunt, literæ, *gymnaſtica*, (*d*) muſica, & quartam pingendi artem quidam adhibent.

§. 2.

§. 1.

Ἔςι δὲ τέτταρα σχεδὸν ἃ παιδεύειν εἰώθασι, γράμματα, καὶ γυμναςικὴν, καὶ μεσικὴν, καὶ τέταρτον ἔνιοι γραφικήν.

§. 2.

(*a*) *Diſcere*) Docetur hic, quænam puerorum eſſe debeat inſtitutio poſt primum ſeptennium. *GOEB.*

(*b*) *Utilium*) PICCART. *ad h. c. p.* 10. *GOEB.*

(*c*) *Quatuor*) PICCART. *p.* 12. *GOEB.*

(*d*) *Gymnaſtica*) Conf. HIERONYMUS MERCURIALIS *de arte gymnaſtica. GOEB.*

(*e*) καὶ τῶν ἐλευθερίων) Illud καὶ abundat. *CONR.*



Digitized by Google

§. 2. Literarum ſcientiam & pingendi artem, ut utiles ad vitam, & quibus utimur multis in rebus: gymnaſticam, ut cujus finis eſt fortitudo. Muſicam jam in controverſiam aliquis vocaret.

§. 2. Τὴν μὲν γραμματικὴν καὶ γραφικὴν, ὡς χρησίμους πρὸς τὸν βίον οὔσας καὶ πολυχρήστους· τὴν δὲ γυμναστικὴν, ὡς συντείνουσαν πρὸς ἀνδρίαν· τὴν δὲ μουσικὴν ἤδη διαπορήσειεν ἄν τις.

§. 3. Nunc enim, ut voluptatis gratia, plurimi participes ſunt ipſius. Hi autem initio collocarunt in diſciplina, quia natura ipſa quærit, quod ſane ſæpe dictum eſt, non ſolum in negotio recte, verum etiam in otio honeſte verſari.

§. 3. Νῦν μὲν γὰρ ὡς ἡδονῆς χάριν οἱ πλεῖστοι μετέχουσιν αὐτῆς. οἱ δ᾽ ἐξ ἀρχῆς ἔταξαν ἐν παιδείᾳ, διὰ τὸ τὴν φύσιν αὐτὴν ζητεῖν, ὅπερ πολλάκις εἴρηται, μὴ μόνον ἀσχολεῖν ὀρθῶς, ἀλλὰ καὶ σχολάζειν δύνασθαι καλῶς.

§. 4. Hoc enim principium eſt omnium, ut & iterum dicamus de ipſo.

§. 4. Αὕτη γὰρ ἀρχὴ πάντων· ἵνα καὶ πάλιν εἴπωμεν περὶ αὐτῆς.

§. 5. Si *enim ambo* (a) quidem oportet, magis autem expetendum eſt otium, quam negotium: & omnino quærendum, quid in otio agere oportet. Non enim ludere: finem enim neceſſe foret eſſe nobis vitæ luſionem. Si autem hoc fieri non poteſt, magisque in negotiis utendum eſt luſionibus. Qui enim laborat, eget requiete: luſio autem gratia requietis eſt, negotium vero tractatur cum labore & contentione.

§. 5. Εἰ γὰρ ἄμφω μὲν δεῖ, μᾶλλον δὲ αἱρετὸν τὸ σχολάζειν τῆς ἀσχολίας, καὶ ὅλως ζητητέον τί ποιοῦντας δεῖ σχολάζειν. οὐ γὰρ δὴ παίζοντας· τέλος γὰρ ἀναγκαῖον εἶναι τοῦ βίου τὴν παιδιὰν ἡμῖν. εἰ δὲ τοῦτο ἀδύνατον, καὶ μᾶλλον ἐν ταῖς ἀσχολίαις χρηστέον ταῖς παιδιαῖς. ὁ γὰρ πονῶν δεῖται τῆς ἀναπαύσεως· ἡ δὲ παιδιὰ χάριν ἀναπαύσεως ἐστί· τὸ δ᾽ ἀσχολεῖν συμβαίνει μετὰ πόνου καὶ συντονίας.

§. 6. Quapropter oportet luſiones inducere, uſu ipſarum tempore adhibito, tanquam medicamenti gratia admoventes: remiſſio enim eſt hujuscemodi motus animi, & per voluptatem requies.

§. 6. Διὰ τοῦτο δεῖ παιδιὰς εἰσάγεσθαι, καιροφυλακτοῦντας (c) τὴν χρῆσιν, ὡς προσάγοντας φαρμακείας χάριν· ἄνεσις γὰρ ἡ τοιαύτη κίνησις τῆς ψυχῆς, καὶ διὰ τὴν ἡδονὴν ἀνάπαυσις.

§. 7. In otio autem degere, videtur ipſum continere in ſe voluptatem & beatitudinem: beneque ac beate vivere. Hoc autem non adeſt illis, qui negotiis premuntur, ſed qui in otio degunt. Qui enim in negotio eſt, ob aliquem finem negotio ſe dedit, tanquam ille minime adſit: beatitudo autem eſt finis, quam non cum ægritudine, ſed cum voluptate putant omnes eſſe.

§. 7. Τὸ δὲ σχολάζειν ἔχειν αὐτὸ δοκεῖ τὴν ἡδονὴν, καὶ τὴν εὐδαιμονίαν, καὶ τὸ ζῆν μακαρίως. τοῦτο δ᾽ οὐ τοῖς ἀσχολοῦσιν ὑπάρχει, ἀλλὰ τοῖς σχολάζουσιν. ὁ μὲν γὰρ ἀσχολῶν ἕνεκά τινος ἀσχολεῖ τέλους, ὡς οὐχ ὑπάρχοντος· ἡ δ᾽ εὐδαιμονία, τέλος ἐστὶν, ἣν οὐ μετὰ λύπης, ἀλλὰ μεθ᾽ ἡδονῆς οἴονται πάντες εἶναι.

§. 8. Voluptatem ſane hanc non amplius eandem eſſe ſtatuunt, ſed ſinguli, quæ ſibi ipſis ſuoque habitui congruat: vir autem optimus optimam & quæ ab honeſtiſſimis factis proficiſcitur.

§. 8. Ταύτην μέν τοι τὴν ἡδονὴν οὐκέτι τὴν αὐτὴν τιθέασιν, ἀλλὰ καθ᾽ ἑαυτοὺς ἕκαστος, καὶ τὴν ἕξιν τὴν αὐτῶν· ὁ δὲ ἄριστος, τὴν ἀρίστην καὶ τὴν ἀπὸ τῶν καλλίστων.

§. 9. Quapropter apertum eſt, oportere etiam ad otium vitæ quædam diſcere, & in illis erudiri: & hæc quidem præcepta & has doctrinas ſui gratia eſſe: quæ vero ad negotium, ut neceſſarias, & aliorum gratia.

§. 9. Ὥστε φανερὸν, ὅτι δεῖ καὶ πρὸς τὴν ἐν τῇ διαγωγῇ σχολὴν, μανθάνειν ἄττα (d) καὶ παιδεύεσθαι· καὶ ταῦτα μὲν τὰ παιδεύματα, καὶ ταύτας τὰς μαθήσεις ἑαυτῶν εἶναι χάριν· τὰς δὲ πρὸς τὴν ἀσχολίαν, ὡς ἀναγκαίας καὶ χάριν ἄλλων.

§. 10. Unde *muſicam*, (b) qui prius vixere, in diſciplinæ ordine collocarunt, non ut neceſſariam: nihil enim tale in ſe habet.

§. 10. Διὸ καὶ τὴν μουσικὴν οἱ πρότερον εἰς παιδείαν ἔταξαν, οὐχ ὡς ἀναγκαῖον· οὐδὲν γὰρ ἔχει τοιοῦτον.

§. 11. Nec ut utilem, quemadmodum literæ ad rem faciendam, & ad domum adminiſtrandam, & ad doctrinas, & ad civiles actiones multas: (videtur autem & pingendi ars utilis eſſe ad exiſtimanda opificum opera melius:) neque & ipſa, quemadmodum gymnaſtica, ad valetudinem & robur corporis. neutrum enim horum videmus proficiſci a muſica.

§. 11. Οὐδ᾽ ὡς χρήσιμον, ὥσπερ τὰ γράμματα πρὸς χρηματισμὸν καὶ πρὸς οἰκονομίαν καὶ πρὸς μάθησιν καὶ πρὸς πολιτικὰς πράξεις πολλάς· (δοκεῖ δὲ (e) καὶ γραφικὴ χρήσιμος εἶναι πρὸς τὸ κρίνειν τὰ τῶν τεχνιτῶν ἔργα κάλλιον·) οὐδ᾽ αὖ καθάπερ ἡ γυμναστικὴ πρὸς ὑγίειαν καὶ ἀλκήν· οὐδέτερον γὰρ τούτων ὁρῶμεν γιγνόμενον ἐκ τῆς μουσικῆς.

§. 12. §. 12.

(a) *Enim ambo*) Obſcuri hujus loci explicationem, vide apud PICCARTUM p. 15. *GOEB.*

(b) *Muſicam*) PICCARTUS p. 17. *GOEB.*

(c) καιροφυλακτοῦντας) Aldus & Zvvingerus: καιροφυλακοῦντας. Nihil tamen eſt cauſæ, quare noſtrum illud rejiciamus. *CONR.*

(d) ἄττα) Recte Sylburgius ſcribit: ἅττα i. e. τινά. *CONR.*

(e) δοκεῖ δὲ) Hæc diſtinctio, quam addidimus, niſi fallor, multum illuſtrat orationem. Aut vero cum Lambino dicendum eſt, excidiſſe hoc loco: οὐδ᾽ ὥσπερ ἡ γραφικὴ, δοκεῖ δὲ. Et vero poſterius fere præplacet. *CONR.*

Digitized by Google

§. 12. Reſtat igitur, ut accommodata ſit ad vitæ curſum in otio, ad quam rem perſpiciuntur ipſam traducentes: quam enim putant eſſe liberorum hominum vitam, in hac collocant.

§. 13. Qua de cauſa Homerus ita cecinit:

*Sed quale licet vocare ad epulas Thaliam.*

& cum ſic locutus eſſet, alios quosdam,

*Qui vocant cantorem,* (inquit) *qui ſuavitate cunctos perfundat.*

& alio loco ait Ulyſſes, hunc eſſe optimum vitæ curſum; quando lætitia affectis hominibus,

*Convivæ domi audierint cantorem ordine in menſa ſedentes.*

§. 14. Extare igitur diſciplinam quandam, quam minime ut utilem tradunt filiis, neque ut neceſſariam, ſed ut liberalem & honeſtam, perſpicuum eſt.

§. 15. Utrum autem ſit una numero, vel plures, & quænam hæ, & quomodo, poſtea dicendum erit de ipſis. nunc autem tantum nobis prævertendo partum eſt, quod ductum a veteribus teſtimonium quoddam nobiscum habemus.

** **

e pervulgatis inſtitutionibus: muſica namque hoc planum facit.

** **

§. 16. Præterea utilium quibusdam oportere inſtitui pueros, non ſolum ob utilitatem, velut i ſcientiam literarum: verum etiam, quia multas contingit ope ipſorum comparari doctrinas alias.

** **

** **

§. 17. Similiter autem & pingendi artem, non ut in propriis artis ejus rebus emendis, ne labantur, ſed decipi non poſſint in emptione ac venditione utenſilium. vel potius, quia reddit hominem ſpectatorem pulchritudinis corporum.

§. 18. Quærere autem omnibus in rebus utilitatem, minime convenit viris magnanimis atque ingenuis.

** **

** **

§. 19. IV. Quia autem manifeſtum eſt, utrum moribus, an ratione in inſtitutione utendum ſit, & circa corpus prius vel mentem: perſpicuum eſt ex his, tradendos pueros eſſe gymnaſticæ & pædotribicæ. Harum enim una gignit qualem habitum corporis, altera autem opera.

§. 12. Λείπεται τοίνυν πρὸς τὴν ἐν τῇ σχολῇ διαγωγήν· εἰς ὅπερ καὶ φαίνονται παράγοντες αὐτήν. ἣν γὰρ οἴονται διαγωγὴν εἶναι τῶν ἐλευθέρων, ἐν ταύτῃ τάττουσι.

§. 13. Διόπερ Ὅμηρος οὕτως ἐποίησεν·

Ἀλλ᾽ οἷον (*b*) μέν ἐστι καλεῖν ἐπὶ δαῖτα θαλείην.

καὶ οὕτω προειπὼν, ἑτέρους τινὰς,

Οἳ καλέουσιν ἀοιδὸν, (φησὶν) ὅ κεν τέρπῃσιν ἅπαντας.

καὶ ἐν ἄλλοις δὲ φησὶν Ὀδυσσεὺς ταύτην ἀρίστην εἶναι διαγωγὴν, ὅταν εὐφραινομένων τῶν ἀνθρώπων,

Δαιτυμόνες δ᾽ ἀνὰ δώματ᾽ ἀκουάζωνται ἀοιδοῦ Ἥμενοι ἑξείης.

§. 14. Ὅτι μὲν τοίνυν ἐστὶ παιδεία τις, ἣν οὐχ ὡς χρησίμην παιδευτέον τοὺς υἱεῖς, οὐδ᾽ ὡς ἀναγκαίαν, ἀλλ᾽ ὡς ἐλευθέριον καὶ καλὴν, φανερόν ἐστι.

§. 15. Πότερον δὲ μία τὸν ἀριθμὸν ἢ πλείους, καὶ τίνες αὗται, καὶ πῶς, ὕστερον λεκτέον περὶ αὐτῶν. νῦν δὲ τοσοῦτον ἡμῖν εἶναι πρὸ ὁδοῦ γέγονεν, ὅτι καὶ παρὰ τῶν ἀρχαίων ἔχομέν τινα μαρτυρίαν

** **

ἐκ τῶν καταβεβλημένων (*c*) παιδευμάτων· ἡ γὰρ μουσικὴ τοῦτο ποιεῖ δῆλον.

** **

§. 16. Ἔτι δὲ καὶ (*d*) τῶν χρησίμων ὅτι δεῖ τινα παιδεύεσθαι τοὺς παῖδας, οὐ μόνον διὰ τὸ χρήσιμον οἷον, τὴν τῶν γραμμάτων μάθησιν· ἀλλὰ καὶ διὰ τὸ πολλὰς ἐνδέχεσθαι γίγνεσθαι δι᾽ αὐτῶν μαθήσεις ἑτέρας.

** **

** **

§. 17. Ὁμοίως δὲ (*e*) καὶ τὴν γραφικὴν, οὐχ ἵνα ἐν τοῖς ἰδίοις ὠνίοις μὴ διαμαρτάνωσιν, ἀλλ᾽ ὦσιν ἀνεξαπάτητοι πρὸς τὴν τῶν σκευῶν ὠνήν τε καὶ πρᾶσιν· ἢ μᾶλλον ὅτι ποιεῖ θεωρητικὸν (*f*) τοῦ περὶ τὰ σώματα κάλλους.

§. 18. Τὸ δὲ ζητεῖν πανταχοῦ τὸ χρήσιμον, ἥκιστα ἁρμόττει τοῖς μεγαλοψύχοις καὶ τοῖς ἐλευθέροις.

** **

** **

§. 19. IV. Ἐπεὶ δὲ φανερὸν, (*g*) πότερον τοῖς ἔθεσιν, ἢ τῷ λόγῳ παιδευτέον εἶναι, (*h*) καὶ περὶ τὸ σῶμα πρότερον, ἢ τὴν διάνοιαν, δῆλον ἐκ τούτων, ὅτι παραδοτέον τοὺς παῖδας γυμναστικῇ, καὶ παιδοτριβικῇ. τούτων γὰρ ἡ μὲν ποιάν τινα ποιεῖ τὴν ἕξιν τοῦ σώματος, ἡ δὲ τὰ ἔργα.

## CAP. IV.

§. 1.

Nunc igitur *civitates*, (*a*) quæ maxime videntur curam gerere puerorum, hæ quidem athle-

§. 1.

Νῦν μὲν οὖν αἱ μάλιστα δοκοῦσαι τῶν πόλεων ἐπιμελεῖσθαι τῶν παίδων, αἱ μὲν ἀθλητικὴν ἕξιν

(*a*) *Civitates*) PICCARTUS p. 21. *GOEB.*

(*b*) Ἀλλ᾽ οἷον) Victorius fatetur, ſe ignorare, unde ille Homeri verſiculus ſit deſumptus. Cæterum etiam hic locus indicat, Ariſtotelem longe alia uſum eſſe Homeri editione ab illa Ariſtarchi, quæ multos verſus rejecit, quæque nunc adeo eſt in uſu. *CONR.*

(*c*) ἐκ τῶν καταβεβλημένων) Nulla eſt connexio. Sed & alia, quæ ſequuntur, mutila eſſe, res ipſa clamat. *CONR.*

(*d*) ἔτι δὲ καὶ) Neque hæc cohærent. *CONR.*

(*e*) ὁμοίως δὲ) Iterum hiat oratio. *CONR.*

(*f*) θεωρητικὸν) Aldus θεωρητικήν. mendoſe. *CONR.*

(*g*) ἐπεὶ δὲ φανερὸν) Ne quidem hæc probe cohærent prioribus. *CONR.*

(*h*) παιδευτέον εἶναι) Sylburgius mavult ἐστί. Debet abjici omnino illud εἶναι: certe tolerari vix poteſt. *CONR.*

athleticum habitum inſerunt in illos, corrumpentes formas & auctionem corporum.

§. 2. *Lacones* (*a*) vero non verſantur quidem in hoc errore, feros autem efficiunt laboribus, tanquam hoc ad fortitudinem maxime conducat. Atqui quemadmodum dictum eſt ſæpe, neque ad unam, neque ad hanc potiſſimum reſpicientem, decet diligentiam adhibere.

§. 3. Si autem & ad hanc, neque hoc inveniunt. Neque enim in cæteris animantibus, neque in gentibus, videmus fortitudinem comitari maxime agreſtes, ſed potius mitiores & moribus leoninis.

§. 4. Multæ autem ſunt gentes, quæ ad cædem & ad humanas carnes comedendas pronæ ſunt, quemadmodum Pontum incolentium Achæi & Heniochi, & aſiaticarum gentium aliæ: quarum hæ quidem pariter atque hæ, aliæ vero magis; quæ e latrociniis quidem vivunt, nullam autem partem fortitudinis nactæ ſunt.

§. 5. Amplius autem ipſos Laconas novimus, donec ipſi aſſidui erant in laboribus, ſuperiores aliis fuiſſe: nunc autem & exercitationibus & bellicis certaminibus victos eſſe ab aliis. Non enim, quod adoleſcentes exercent, hoc modo præſtabant: ſed tantum, quod adverſus non exercentes exercebant.

§. 6. Quapropter quod honeſtum eſt, non quod *ferinum*, (*b*) oportet in certaminibus primum locum tenere. Non enim lupus, neque alia ulla immanis beſtia ſubiret ullum honeſtum periculum, ſed potius vir probus.

§. 7. Qui autem valde relaxarunt ad hæc pueros, & nullam in partem inſtructos rebus neceſſariis fecerunt, ſordidos reddunt: ſive vere de illis ſentimus, ad unum tantum opus reipublicæ utilibus illis redditis: & ad hoc, ut ratio dictat, deterius aliis.

§. 8. Oportet autem non e prioribus factis exiſtimare, ſed ex hujus ætatis: habent enim nunc adverſarios & quaſi æmulos diſciplinæ, prius autem non habebant.

§. 9. Oportere igitur uti exercitatione corporis, & quomodo utendum ipſa, confeſſum eſt: usque ad pubertatem enim leviores adhibendæ ſunt exercitationes, violentum victum & labores, neceſſitate illorum ferendorum impoſita, removentes, ne impedimento ſint corporibus augendis.

§. 10. Signum autem non parvum, quod vim poteſtatemque habens rei efficiendæ. inter olympionicas enim duos tresve invenias, qui iidem vicerint viri ac pueri: qui cum adoleſcentes ſe exercuerint, amiſerunt vires ob neceſſarias exercitationes.

§. 11. Quando autem a pubertate tres annos aliis

ἕξιν ἐμποιοῦσι λωβώμεναι τά τε εἴδη, καὶ τὴν αὔξησιν τῶν σωμάτων.

§. 2. Οἱ δὲ Λάκωνες ταύτην μὲν οὐχ ἥμαρτον τὴν ἁμαρτίαν, θηριώδεις δ᾽ ἀπεργάζονται τοῖς πόνοις, ὡς τοῦτο πρὸς ἀνδρίαν μάλιστα συμφέρον. καί τοι, καθάπερ εἴρηται πολλάκις, οὔτε πρὸς μίαν, οὔτε πρὸς μάλιστα ταύτην βλέποντα ποιητέον τὴν ἐπιμέλειαν.

§. 3. Εἴ τε καὶ πρὸς ταύτην, οὐδὲ τοῦτο ἐξευρίσκουσιν. οὔτε γὰρ ἐν τοῖς ἄλλοις ζώοις, οὔτ᾽ ἐπὶ τῶν ἐθνῶν ὁρῶμεν τὴν ἀνδρίαν ἀκολουθοῦσαν τοῖς ἀγριωτάτοις, ἀλλὰ μᾶλλον τοῖς ἡμερωτέροις καὶ λεοντώδεσιν ἤθεσι.

§. 4. Πολλὰ δ᾽ ἐστὶ τῶν ἐθνῶν, ἃ πρὸς τὸ κτείνειν καὶ πρὸς τὴν ἀνθρωποφαγίαν εὐχερῶς ἔχει, καθάπερ τῶν περὶ τὸν Πόντον Ἀχαιοί τε καὶ Ἡνίοχοι (*c*) καὶ τῶν ἠπειρωτικῶν (*d*) ἐθνῶν ἕτερα· τὰ μὲν ὁμοίως τούτοις, τὰ δὲ μᾶλλον· ἃ λῃστικὰ (*e*) μέν ἐστιν, ἀνδρίας δ᾽ οὐ μετειλήφασιν.

§. 5. Ἔτι δ᾽ αὐτοὺς τοὺς Λάκωνας ἴσμεν, ἕως μὲν αὐτοὶ προσήδρευον ταῖς φιλοπονίαις, ὑπερέχοντας τῶν ἄλλων· νῦν δὲ καὶ τοῖς γυμνασίοις καὶ τοῖς πολεμικοῖς ἀγῶσι λειπομένους ἑτέρων. οὐ γὰρ τῷ τοὺς νέους γυμνάζειν τὸν τρόπον τοῦτον διέφερον, ἀλλὰ τῷ μόνον μὴ πρὸς ἀσκοῦντας ἀσκεῖν.

§. 6. Ὥστε τὸ καλὸν, ἀλλ᾽ οὐ τὸ θηριῶδες δεῖ πρωταγωνιστεῖν. οὐ γὰρ λύκος, οὐδὲ τῶν ἄλλων θηρίων τι, (*f*) ἀγωνίσαιτο ἂν οὐθένα καλὸν κίνδυνον, ἀλλὰ μᾶλλον ἀνὴρ ἀγαθός.

§. 7. Οἱ δὲ λίαν εἰς ταῦτα ἀνέντες τοὺς παῖδας, καὶ τῶν ἀναγκαίων ἀπαιδαγωγήτους ποιήσαντες, βαναύσους κατεργάζονται κατά γε τὸ ἀληθές· πρὸς ἕν τε μόνον ἔργον τῇ πολιτικῇ χρησίμους ποιήσαντες, καὶ πρὸς τοῦτο χεῖρον, ὥς φησιν ὁ λόγος, ἑτέρων.

§. 8. Δεῖ δὲ οὐκ ἐκ τῶν προτέρων ἔργων κρίνειν, ἀλλ᾽ ἐκ τῶν νῦν· ἀνταγωνιστὰς γὰρ τῆς παιδείας νῦν ἔχουσι, πρότερον δ᾽ οὐκ εἶχον.

§. 9. Ὅτι μὲν οὖν χρηστέον τῇ γυμναστικῇ, καὶ πῶς χρηστέον, ὁμολογούμενόν ἐστι. μέχρι μὲν γὰρ ἥβης, κουφότερα γυμνασία (*g*) προσοιστέον, τὴν βίαιον τροφὴν καὶ τοὺς πρὸς ἀνάγκην πόνους ἀπείργοντας, ἵνα μηθὲν ἐμπόδιον ᾖ πρὸς τὴν αὔξησιν.

§. 10. Σημεῖον γὰρ οὐ μικρὸν, ὅτι δύνανται τοῦτο παρασκευάζειν. ἐν γὰρ τοῖς ὀλυμπιονίκαις δύο τις ἂν ἢ τρεῖς εὕροι τοὺς αὐτοὺς νενικηκότας ἄνδρας τε καὶ παῖδας, διὰ τὸ νέους ἀσκοῦντας, ἀφαιρεῖσθαι τὴν δύναμιν ὑπὸ τῶν ἀναγκαίων γυμνασίων.

§. 11. Ὅταν δ᾽ ἀφ᾽ ἥβης ἔτι τρία πρὸς τοῖς ἄλλοις

(*a*) *Lacones*) Palæſtras Lacedæm. laudat XENOPHON *de republ. Lacedamon.* Et virginum corpora curſu, lucta, diſcorum & telorum jactu exercebantur. CRAGIUS *lib. III. inſtitut.* 6. *GOEB.*

(*b*) *Ferinum*) Lacedæmoniorum gymnaſtica exercitia ferini quid involvebant. CRAGIUS *lib. III. inſtit. V. & VI. GOEB.*

(*c*) Ἡνίοχοι) Zvvingerus ſcribit: Ἡνιόχοι, forte librarii culpa. Nam ut nos habemus, occurrit illa vox apud Strabonem etiam & Stephanum Byzantium. *CONR.*

(*d*) Ἠπειρωτικῶν) Appellative hæc vox accepta etiam eſt a Lambino & Sepulveda, pro *mediterraneis*. Forte tamen accipienda proprie. *CONR.*

(*e*) λῃστικὰ) Aldus: λῃστρικὰ, quod etiam Sepulveda expreſſit. *CONR.*

(*f*) θηρίων τι) Aldus θηρίων οὐδὲν: eodem ſenſu. *CONR.*

(*g*) κουφότερα γυμνασία) Victorius cum Vetere interprete mavult: κουφότερα γυμνάσια. Et vero eſt hoc elegantius. *CONR.*

Digitized by Google

aliis rebus perdiſcendis incubuerint, tunc congruit, & laboribus & neceſſitate comedendi continentem ætatem occupare.

ἄλλοις μαθήμασι γένωνται, τότε ἁρμόττει καὶ τοῖς πόνοις καὶ ταῖς ἀναγκοφαγίαις (b) καταλαμβάνειν τὴν ἐχομένην ἡλικίαν.

§. 12. Simul enim & mente & corpore duriter laborare non oportet. Contrarium enim uterque laborum horum naturam habet moliri: impediens corporis labor mentem, hujus autem corpus.

§. 12. Ἅμα γὰρ τῇ τε διανοίᾳ καὶ τῷ σώματι διαπονεῖν οὐ δεῖ. τοὐναντίον γὰρ ἑκάτερος ἀπεργάζεσθαι πέφυκε τῶν πόνων ἐμποδίζων, ὁ μὲν τοῦ σώματος πόνος τὴν διάνοιαν· ὁ δὲ ταύτης τὸ σῶμα.

# CAP. V.

§. 1.

V. De *muſica* (a) autem nonnulla quidem dubitandi modo diximus & prius: rectum autem eſt & nunc repetita illa ulterius producere, ut tanquam endoſimum fiant diſputationibus, quas aliquis haberet enuncians de ipſa.

§. 1.

V. Περὶ δὲ μουσικῆς, ἔνια μὲν διηπορήσαμεν τῷ λόγῳ καὶ πρότερον· καλῶς δ᾽ ἔχει καὶ νῦν ἀναλαβόντας αὐτὰ προαγαγεῖν, ἵνα ὥσπερ ἐνδόσιμον γένηται τοῖς λόγοις, οὓς ἄν τις εἴποιεν ἀποφαινόμενος περὶ αὐτῆς.

§. 2. Neque enim quam vim ac poteſtatem habet, facile eſt de ipſa diſtinguere: neque cujus gratia oportet participem illius eſſe, utrum luſionis cauſa & requietis, quemadmodum ſomni & temulentiæ. Hæc enim per ſe quidem, neque rerum ſerio tractandarum unæ aliquæ ſunt, ſed jucundæ, & ſimul ſedant curas graves, ut ait Euripides.

§. 2. Οὔτε γὰρ τίνα ἔχει δύναμιν, ῥᾴδιον περὶ αὐτῆς διελεῖν, οὔτε τίνος δεῖ χάριν μετέχειν αὐτῆς, πότερον παιδιᾶς ἕνεκα καὶ ἀναπαύσεως, καθάπερ ὕπνου καὶ μέθης· ταῦτα γὰρ καθ᾽ αὑτὰ μὲν, οὔτε τῶν σπουδαίων, ἀλλ᾽ ἡδέα, καὶ ἅμα παύει μέριμναν, ὥς φησιν Εὐριπίδης.

§. 3. Quare ordinant in his ipſam, & utuntur omnibus his uno & eodem pacto, vino, temulentia, & muſica. collocant autem & ſaltationem in his.

§. 3. Διὸ καὶ τάττουσιν αὐτὴν, καὶ χρῶνται πᾶσι τούτοις ὁμοίως, οἴνῳ, καὶ μέθῃ, καὶ μουσικῇ. τιθέασι δὲ καὶ τὴν ὄρχησιν ἐν τούτοις.

§. 4. An magis putandum eſt ad virtutem nonnihil tendere muſicam: ut valeat, quemadmodum gymnaſtica corpus quale conficit, ita & muſica indolem ac mores, aſſuefacientem ipſum ita, ut poſſit recte gaudere.

§. 4. Ἢ μᾶλλον οἰητέον, πρὸς ἀρετήν τι τείνειν τὴν μουσικὴν ὡς δυναμένην, καθάπερ ἡ γυμναστικὴ τὸ σῶμα ποιόν τι παρασκευάζει, καὶ τὴν μουσικὴν τὸ ἦθος ποιόν τι (c) ποιεῖν, ἐθίζουσαν δύνασθαι χαίρειν ὀρθῶς.

§. 5. An ad vitam honeſte traducendam aliquid confert atque ad prudentiam: hoc enim tertium ponendum eſt eorum, quæ dicta ſunt.

§. 5. Ἢ πρὸς διαγωγήν τι συμβάλλεται, καὶ πρὸς φρόνησιν· καὶ γὰρ τοῦτο τρίτον θετέον τῶν εἰρημένων.

§. 6. Oportere igitur adoleſcentes non luſionis cauſa inſtituere, ſatis conſtat: non enim ludunt, qui diſcunt: cum moleſtia enim eſt omnis eruditio. Atqui neque honeſtum otium congruit pueris & ætatibus hujuſcemodi tradere: nulli namque imperfecto convenit finis.

§. 6. Ὅτι μὲν οὖν δεῖ τοὺς νέους μὴ παιδιᾶς ἕνεκα παιδεύειν, οὐκ ἄδηλον· οὐ γὰρ παίζουσι μανθάνοντες· μετὰ λύπης γὰρ ἡ μάθησις· ἀλλὰ μὴν οὐδὲ διαγωγήν τε παισὶν ἁρμόττει καὶ ταῖς ἡλικίαις ἀποδιδόναι ταῖς τοιαύταις· οὐθενὶ γὰρ ἀτελεῖ προσήκει τέλος.

§. 7. Sed fortaſſe videri poſſet cura ſtudiumque puerorum luſionis cauſa adhiberi, ut cum viri fuerint atque perfecti, jam ea utantur. Sed ſi hoc hujuſcemodi eſt, quid eſt, cujus cauſa oporteat diſcere ipſos? & non, veluti Perſarum & Medorum reges, opera aliorum, qui hoc ipſum faciunt, participes fieri voluptatis & eruditionis?

§. 7. Ἀλλ᾽ ἴσως ἂν δόξειεν ἡ τῶν παίδων σπουδὴ παιδιᾶς εἶναι χάριν, ἀνδράσι γενομένοις καὶ τελειωθεῖσιν. ἀλλ᾽ εἰ τοῦτ᾽ ἐστι τοιοῦτον, τίνος ἂν ἕνεκα δέοι μανθάνειν αὐτούς; ἀλλὰ μὴ, καθάπερ οἱ τῶν Περσῶν καὶ Μήδων βασιλεῖς, δι᾽ ἄλλων αὐτὸ ποιούντων μεταλαμβάνειν τῆς ἡδονῆς καὶ τῆς μαθήσεως.

§. 8. Neceſſe namque eſt, melius conficere eos, qui hoc ipſum fecerunt opus & artem ſuam, quam illos, qui tantum temporis in hoc conſumſerunt, quantum ſatis eſſet ſolum ad eam perdiſcendam.

§. 8. Καὶ γὰρ ἀναγκαῖον βέλτιον ἀπεργάζεσθαι τοὺς αὐτὸ τοῦτο πεποιημένους ἔργον καὶ τέχνην, τῶν τοσοῦτον χρόνον ἐπιμελουμένων, ὅσον πρὸς μάθησιν μόνον.

§. 9. Si autem opus eſt in hujuſcemodi rebus

§. 9. Εἰ δὲ δεῖ τὰ τοιαῦτα διαπονεῖν αὐτοὺς καὶ

(a) *Muſica*) In hoc capite late agit de muſica ejusque utilitate. Confer. PICCARTUS *ad h. c.* *GOEB.*

(b) ἀναγκοφαγίαις) Vetus interpres legit, notante Victorio, ξηροφαγίαις. Mendoſe. Gymnaſtica enim diæta non conſtabat τῇ ξηροφαγίᾳ, ſed ἀναγκοφαγίᾳ. *CONR.*

(c) ποιόν τι) Rectius, judice quoque Sylburgio, ποιεῖν τι. *CONR.*

bus ipſos cum labore verſari, & artem etiam coquendarum condiendarumque epularum oporteret ipſos ſibi parare: verum hoc abſurdum eſt.

καὶ περὶ τὴν τῶν ὄψων πραγματείαν αὐτοὺς ἂν δέοι παρασκευάζειν· ἀλλ᾽ ἄτοπον.

§. 10. Eadem autem quæſtio eſt, ſi valet mores meliores reddere: quid enim opus eſt hæc diſcere ipſos? & non alios audiendo, recteque gaudere & vim poteſtatemque habere exiſtimandi? quem morem habent Lacones: illi namque minime diſcentes, tamen poſſunt exiſtimare recte (ut ajunt) qui boni & qui non boni cantus ſunt.

§. 10. Τὴν δ᾽ αὐτὴν ἀπορίαν ἔχει, καὶ εἰ δύναται τὰ ἤθη βελτίω ποιεῖν· ταῦτα γὰρ τί δεῖ μανθάνειν αὐτούς; ἀλλ᾽ οὐχ ἑτέρων ἀκούοντας ὀρθῶς τε χαίρειν καὶ δύνασθαι κρίνειν; ὥσπερ οἱ Λάκωνες· ἐκεῖνοι γὰρ οὐ μανθάνοντες, ὅμως δύνανται κρίνειν ὀρθῶς, ὥς φασι, τὰ χρηστὰ καὶ τὰ μὴ χρηστὰ τῶν μελῶν.

§. 11. Eadem autem ratio eſt, ſi ad res ſecundas & vitam liberaliter gerendam uti ipſa oportet. Quid enim opus eſt ipſos diſcere, & non aliis tractantibus frui ſuavitate ipſius?

§. 11. Ὁ δ᾽ αὐτὸς λόγος κἂν εἰ (*b*) πρὸς εὐημερίαν καὶ διαγωγὴν ἐλευθέριον χρηστέον αὐτῇ. τί γὰρ δεῖ μανθάνειν αὐτούς, ἀλλ᾽ οὐχ ἑτέρων χρωμένων ἀπολαύειν;

§. 12. Licet autem nobis attendere, quod animo concepimus de diis: non enim Iupiter ipſe canit, neque utitur cithara apud poëtas.

§. 12. Σκοπεῖν δ᾽ ἔξεστι (*c*) τὴν ὑπόληψιν ἣν ἔχομεν περὶ τῶν θεῶν· οὐ γὰρ ὁ Ζεὺς αὐτὸς ᾄδει καὶ κιθαρίζει τοῖς ποιηταῖς.

§. 13. Quin etiam conſuevimus vocare ſordidos hujuſcemodi homines, hocque agere non viri eſſe putamus, niſi temulenti aut ludentis.

§. 13. Ἀλλὰ καὶ βαναύσους καλοῦμεν τοὺς τοιούτους· καὶ τὸ πράττειν, οὐκ ἀνδρὸς μὴ μεθύοντος ἢ παίζοντος.

§. 14. Sed fortaſſe de his poſterius a nobis diſſerendum erit.

§. 14. Ἀλλ᾽ ἴσως περὶ μὲν τούτων ὕστερον ἐπισκεπτέον.

§. 15. VI. Prima autem quæſtio eſt, utrum minime *adhibenda ſit* (*a*) ad diſciplinam muſica, ſive adhibenda: & quid præſtare valet eorum, quæ in controverſiam venerunt, utrum diſciplinam, vel luſionem, vel curſum vitæ cum dignitate jucundum.

§. 15. VI. Ἡ δὲ πρώτη ζήτησίς ἐστι, πότερον οὐ θετέον εἰς παιδείαν τὴν μουσικήν, ἢ θετέον· καὶ τί δύναται τῶν διαπορηθέντων τριῶν, πότερον παιδείαν, ἢ παιδιάν, ἢ διαγωγήν.

§. 16. Non ſine cauſa autem adhibetur ad omnia, perſpiciturque in ipſis locum habere. Luſio enim ob requietem recipitur: requies vero jucunda ſit neceſſe eſt; medicina namque quædam eſt triſtitiæ, quæ naſcitur a laboribus.

§. 16. Εὐλόγως δ᾽ εἰς πάντα τάττεται, καὶ φαίνεται μετέχειν. ἥ τε γὰρ παιδιά, χάριν ἀναπαύσεώς ἐστι· τὴν δ᾽ ἀνάπαυσιν ἀναγκαῖον ἡδεῖαν εἶναι· τῆς γὰρ διὰ τῶν πόνων λύπης, ἰατρεία τίς ἐστι.

§. 17. Curſum autem vitæ honeſto viro dignum, omnium conſenſu decet habere in ſe non ſolum dignitatem, verum etiam voluptatem: vita enim beata ex ambobus his conſtat: Muſicam autem cuncti affirmamus unam eſſe rerum jucundiſſimarum, & nudam ſimplicemque & junctam cum concentu.

§. 17. Καὶ τὴν διαγωγὴν ὁμολογουμένως δεῖ μὴ μόνον ἔχειν τὸ καλόν, ἀλλὰ καὶ τὴν ἡδονήν· τὸ γὰρ εὐδαιμονεῖν ἐξ ἀμφοτέρων τούτων ἐστί· τὴν δὲ μουσικὴν πάντες εἶναί φαμεν τῶν ἡδίστων καὶ ψιλὴν οὖσαν καὶ μετὰ μελῳδίας.

§. 18. Affirmat certe Muſæus,

*Mortalibus jucundiſſimum eſſe canere.*

Quare ad conventus hominum, & tempus cum voluptate traducendum, comportant merito ipſam, ut quæ vim ac poteſtatem habeat lætitiam in animum inſerendi.

§. 18. Φησὶ γοῦν καὶ Μουσαῖος, εἶναι βροτοῖς ἥδιστον ἀείδειν. διὸ καὶ εἰς τὰς συνουσίας καὶ διαγωγὰς εὐλόγως παραλαμβάνουσιν αὐτήν, ὡς δυναμένην εὐφραίνειν.

§. 19. Quare hinc etiam aliquis opinaretur, debere juniores muſica erudiri. Cuncta enim, quæ ſunt innocua e numero jucundorum, non ſolum fini congruunt, verum etiam requieti.

§. 19. Ὥστε καὶ ἐντεῦθεν ἄν τις ὑπολάβοι παιδεύεσθαι δεῖν αὐτὴν τοὺς νεωτέρους. ὅσα γὰρ ἀβλαβῆ τῶν ἡδέων, οὐ μόνον ἁρμόττει πρὸς τὸ τέλος, ἀλλὰ καὶ πρὸς τὴν ἀνάπαυσιν.

§. 20. Quia autem in fine raro contingit hominibus eſſe, ſæpe autem requieſcunt & utuntur luſionibus, non ut plus inde capiant, ſed etiam propter voluptatem: utile foret quieſcere in voluptatibus, quæ proficiſcuntur ab hac.

§. 20. Ἐπεὶ δ᾽ ἐν μὲν τῷ τέλει συμβαίνει τοῖς ἀνθρώποις ὀλιγάκις γίγνεσθαι, πολλάκις δὲ ἀναπαύονται, καὶ χρῶνται ταῖς παιδιαῖς, οὐχ ὅσον ἐπὶ πλέον, ἀλλὰ καὶ διὰ τὴν ἡδονήν, χρήσιμον ἂν εἴη διαναπαύειν ἐν ταῖς ἀπὸ ταύτης ἡδοναῖς.

§. 21. Accidit autem hominibus, ut luſiones nem faciant: continet enim fortaſſe in ſe oluptatem aliquam etiam finis, ſed non quam-

§. 21. Συμβέβηκε δὲ τοῖς ἀνθρώποις ποιεῖσθαι τὰς παιδιὰς τέλος· ἔχει γὰρ ἴσως ἡδονήν τινα καὶ τὸ τέλος, ἀλλ᾽ οὐ τὴν τυχοῦσαν. ζητοῦντες δὲ ταύτην,

(*a*) *Adhibenda ſit*) PICCARTUS *p.* 35. *ſeqq.* *GOEB.*
(*b*) κἂν εἰ) Aldus κἄν ἐστι. Sed εἰ probavit Victorius, Lambinus, Sepulveda. *CONR.*

(*c*) σκοπεῖν δ᾽ ἔξεστι) Recte inſertum, etſi abſit vulgo, δὲ, quod etiam expreſſit Sepulveda. *CONR.*

quamlibet. Quærentes autem hanc, ſumunt, ut hanc, illam: quia cum fine actionum ſimilitudinem quandam habet. Finis namque nullius eorum, quæ futura ſunt, gratia expetendum eſt: & hujuſcemodi voluptates nullius futuræ rei gratia ſunt, ſed factarum: ceu laborum & ægritudinis.

ταύτην, λαμβάνουσιν ὡς ταύτην, ἐκείνην, διὰ τὸ τῷ τέλει τῶν πράξεων ἔχειν ὁμοίωμά τι. (a) τότε γὰρ τέλος οὐθενὸς τῶν ἐσομένων χάριν αἱρετὸν, καὶ αἱ τοιαῦται τῶν ἡδονῶν οὐθενός εἰσι τῶν ἐσομένων ἕνεκεν, ἀλλὰ τῶν γεγονότων· οἷον, πόνων καὶ λύπης.

§. 22. Quam igitur ob cauſam beatitudinem exiſtere quærunt per has voluptates, hanc merito aliquis opinaretur eſſe cauſam.

§. 22. Δι' ἣν μὲν οὖν αἰτίαν ζητοῦσι τὴν εὐδαιμονίαν γίγνεσθαι διὰ τούτων τῶν ἡδονῶν, ταύτην ἄν τις εἰκότως ὑπολάβοι τὴν αἰτίαν.

§. 23. VII. De illo autem, quod deceat communicare muſica, non propter hanc ſolam: verum etiam, quod utilis ſit ad requietes, ut videtur,

§. 23. VII. Περὶ δὲ τοῦ κοινωνεῖν τῆς μουσικῆς, οὐ διὰ ταύτην μόνην, ἀλλὰ καὶ διὰ τὸ χρήσιμον εἶναι πρὸς τὰς ἀναπαύσεις, ὡς ἔοικεν,

** **

** **

§. 24. Nec tamen non quærendum eſt, num quidem hoc accidit: majore autem honore digna eſt ejus natura, quam ut recipienda ſit propter hunc uſum: & oportet non ſolum participem fieri communis voluptatis, proficiſcentis ab ipſa, cujus omnes ſenſum habent: (continet enim in ſe muſica naturalem voluptatem. qua de cauſa omnibus ætatibus, & omnibus moribus, uſus ipſius gratus acceptusque eſt:) ſed etiam videre, nunquid ad mores quoque pertinet, atque ad animam.

§. 24. Οὐ μὲν ἀλλὰ (b) ζητητέον, μή ποτε τοῦτο μὲν συμβέβηκε· τιμιωτέρα δ' αὐτῆς ἡ φύσις ἐστὶν, ἢ κατὰ τὴν εἰρημένην χρείαν· καὶ δεῖ μὴ μόνον τῆς κοινῆς ἡδονῆς μετέχειν ἀπ' αὐτῆς, ἧς ἔχουσι πάντες αἴσθησιν· (ἔχει γὰρ (c) ἡ μουσικὴ τὴν ἡδονὴν φυσικήν· διὸ πάσαις ἡλικίαις, καὶ πᾶσιν ἤθεσιν, ἡ χρῆσις αὐτῆς ἐστι προσφιλής·) ἀλλ' ὁρᾷν, εἴ πη καὶ πρὸς τὸ ἦθος συντείνει, καὶ πρὸς τὴν ψυχήν.

§. 25. Hoc autem foret manifeſtum, ſi qualitate aliqua, vi opeque ipſius, afficeremur.

§. 25. Τοῦτο δ' ἂν εἴη δῆλον, εἰ ποιοί τινες τὰ ἤθη γιγνόμεθα δι' αὐτῆς.

§. 26. Atqui fieri nos quales, & aliis multis rebus, non minimum autem & Olympi cantilenis, perſpicuum eſt. Hæ namque, aſſentientibus omnibus, efficiunt animos divini furoris plenos: divinus autem furor indolis animi motus eſt.

§. 26. Ἀλλὰ μὴν ὅτι γιγνόμεθα ποιοί τινες, δῆλον διὰ πολλῶν μὲν καὶ ἄλλων, οὐχ ἥκιστα δὲ καὶ διὰ τῶν Ὀλύμπου μελῶν. ταῦτα γὰρ ὁμολογουμένως ποιεῖ τὰς ψυχὰς ἐνθουσιαστικάς· ὁ δ' ἐνθουσιασμὸς, τοῦ περὶ τὴν ψυχὴν ἤθους πάθος ἐστίν.

§. 27. Amplius autem homines, cum audiunt imitationes, afficiuntur omnes iisdem animi motibus, quibus illæ concitæ ſunt, ſine rhythmis etiam & cantibus ipſis.

§. 27. Ἔτι δὲ ἀκροώμενοι τῶν μιμήσεων, γίγνονται πάντες συμπαθεῖς, καὶ χωρὶς τῶν ῥυθμῶν καὶ τῶν μελῶν αὐτῶν.

§. 28. Quia autem contigit muſicam eſſe unam rerum jucundarum, virtus autem manet in eo, ut recte gaudeamus, itidem diligamus & odio habeamus: non eſt dubium, quin oporteat diſcere, & nullam rem magis conſuetudine obtinere, quam recte exiſtimare & gaudere probis moribus & honeſtis actionibus.

§. 28. Ἐπεὶ δὲ συμβέβηκεν εἶναι τὴν μουσικὴν τῶν ἡδέων, τὴν δ' ἀρετὴν περὶ τὸ χαίρειν ὀρθῶς καὶ φιλεῖν καὶ μισεῖν, δεῖ δηλονότι μανθάνειν καὶ συνεθίζεσθαι μηθὲν οὕτως, ὡς τὸ κρίνειν ὀρθῶς, καὶ τὸ χαίρειν τοῖς ἐπιεικέσιν ἤθεσι, καὶ ταῖς καλαῖς πράξεσιν.

§. 29. Sunt autem ſimulachra maxime ſecundum veras naturas in rhythmis & cantibus iræ & lenitatis: adhuc autem fortitudinis ac temperantiæ, & omnium rerum, quæ ſunt contrariæ his, & cæterorum pertinentium ad mores.

§. 29. Ἔστι δ' ὁμοιώματα μάλιστα παρὰ τὰς ἀληθινὰς φύσεις ἐν τοῖς ῥυθμοῖς καὶ τοῖς μέλεσιν ὀργῆς καὶ πραότητος· ἔτι δ' ἀνδρείας καὶ σωφροσύνης, καὶ πάντων τῶν ἐναντίων τούτοις, καὶ τῶν ἄλλων ἠθικῶν.

§. 30. Perſpicuum autem hoc eſt ex operibus: mutamur enim animo, cum audimus hujuſcemodi res. Conſuetudo autem in ſimilibus dolendi & gaudendi, prope eſt, ut aliquis eodem modo ſe habeat ad veritatem. Veluti, ſi quis gaudet imaginem alicujus ſpectans, non aliam ob cauſam, ſed ob formam ipſam: neceſſe huic eſt & eandem ſpectationem, cujus imaginem libenter, ſpectat jucundam eſſe.

§. 30. Δῆλον δὲ ἐκ τῶν ἔργων. μεταβάλλομεν γὰρ τὴν ψυχὴν, ἀκροώμενοι τοιούτων. ὁ δ' ἐν τοῖς ὁμοίοις ἐθισμὸς τοῦ λυπεῖσθαι καὶ χαίρειν, ἐγγύς ἐστι τῷ πρὸς τὴν ἀλήθειαν τὸν αὐτὸν ἔχειν τρόπον· οἷον, εἴ τις χαίρει τὴν εἰκόνα τινὸς θεώμενος, μὴ δι' ἄλλην αἰτίαν, ἀλλὰ διὰ τὴν μορφὴν αὐτὴν, ἀναγκαῖον τούτῳ καὶ αὐτὴν ἐκείνην τὴν θεωρίαν, οὗ τὴν εἰκόνα θεωρεῖ, ἡδεῖαν εἶναι.

* ** ** **

** ** ** **

§. 31. §. 31.

(a) ὁμοίωμά τι) Aldus: ὁμοιώματα: ſed mendoſe. CONR.

(b) οὐ μὴν ἀλλὰ) Hic quædam periiſſe, nimis manifeſtum eſt. CONR.

(c) ἔχει γὰρ) Opus hic fuit nota parentheſeos. CONR.



Digitized by Google

§. 31. Contigit autem e genere ſenſilium, in aliis nullum exiſtere ſimulachrum morum, ſed in iis, quæ ſub aſpectum cadunt, remiſſe: figura enim hujuſcemodi ſunt. verum parum, cunctique hujuſcemodi ſenſu communicant. Adhuc autem non ſunt hujuſcemodi ſimulacra morum, ſed notæ potius morum: intelligo, quæ fiunt figuræ & colores.

§. 31. Συμβέβηκε δὲ (a) τῶν αἰσθητῶν ἐν μὲν τοῖς ἄλλοις μηδὲν ὑπάρχειν ὁμοίωμα τοῖς ἤθεσιν (οἷον, ἐν τοῖς ἁπτοῖς καὶ τοῖς γευστοῖς) ἀλλ᾽ ἐν τοῖς ὁρατοῖς ἠρέμα· σχήματα γάρ ἐστι τοιαῦτα. ἀλλ᾽ ἐπὶ μικρὸν, καὶ πάντες τῆς τοιαύτης αἰσθήσεως κοινωνοῦσιν. ἔτι δὲ οὐκ ἔστι ταῦτα ὁμοιώματα τῶν ἠθῶν, ἀλλὰ σημεῖα μᾶλλον, τὰ γιγνόμενα σχήματα καὶ χρώματα τῶν ἠθῶν.

** **

** **

§. 32. Et hæc exiſtunt in corpore, cum eſt motibus perturbatum.

§. 32. Καὶ ταῦτ᾽ ἐστὶν (b) ἐπὶ τοῦ σώματος ἐν τοῖς πάθεσιν.

** **

** **

§. 33. Veruntamen puſillum illud, quod intereſt circa harum rerum aſpectationem, oportet non Pauſonis opera ſpectare adoleſcentes, ſed Polygnoti: & ſi quis alius e pictoribus aut ſtatuariis morum eſt expreſſor.

§. 33. Οὐ μὴν ἀλλ᾽ (c) ὅσον διαφέρει καὶ περὶ τὴν τούτων θεωρίαν, δεῖ μὴ τὰ Παύσωνος (d) θεωρεῖν τοὺς νέους, ἀλλὰ τὰ Πολυγνώτου, καὶ εἴ τις ἄλλος τῶν γραφέων, ἢ τῶν ἀγαλματοποιῶν ἐστιν ἠθικός.

§. 34. In cantibus autem ipſis ſunt imitamenta morum. Et hoc perſpicuum eſt. Statim enim concentuum natura diverſa eſt: ita ut, qui audiunt, aliter afficiantur, & non eodem modo ſe habeant ad unumquemque ipſorum, ſed ad nonnullos luctuoſe & contracte magis: veluti ad illum, qui mixolydius vocatur: ad alios autem mollius animo, veluti ad remiſſas: medio autem habitu & conſtanti maxime ad aliam, cujuſmodi quiddam facere videtur Doricus ſolus ex omnibus concentibus: divino autem furore afflat Phrygius.

§. 34. Ἐν δὲ τοῖς μέλεσιν αὐτοῖς ἐστι μιμήματα τῶν ἠθῶν. καὶ τοῦτ᾽ ἐστι φανερόν. εὐθὺς γὰρ ἡ τῶν ἁρμονιῶν διέστηκε φύσις· ὥστε ἀκούοντας, ἄλλως διατίθεσθαι, καὶ μὴ τὸν αὐτὸν ἔχειν τρόπον πρὸς ἑκάστην αὐτῶν, ἀλλὰ πρὸς μὲν ἐνίας ὀδυρτικωτέρως καὶ συνεστηκότως μᾶλλον, οἷον πρὸς τὴν μιξολυδιστὶ καλουμένην· πρὸς δὲ τὰς, μαλακωτέρως τὴν διάνοιαν, οἷον πρὸς τὰς ἀνειμένας· μέσως δὲ καὶ καθεστηκότως μάλιστα, πρὸς ἑτέραν· οἷον δοκεῖ ποιεῖν ἡ δωριστὶ μόνη τῶν ἁρμονιῶν· ἐνθουσιαστικοὺς δ᾽ ἡ φρυγιστί.

§. 35. Hæc enim recte dicunt, qui in hanc diſciplinam incubuerunt: ſumunt enim teſtimonia diſputationum ſuarum ab operibus ipſis.

§. 35. Ταῦτα γὰρ καλῶς λέγουσιν οἱ περὶ τὴν παιδείαν ταύτην πεφιλοσοφηκότες· λαμβάνουσι γὰρ τὰ μαρτύρια τῶν λόγων ἐξ αὐτῶν τῶν ἔργων.

§. 36. Eodem enim pacto ſe res habet & circa numeros: hi namque mores habent ſtabiliores, hi vero pronos ad motum: & e numero horum, hi quidem motus habent importuniores, hi vero magis liberales.

§. 36. Τὸν αὐτὸν γὰρ τρόπον ἔχει καὶ (τὰ) (e) περὶ τοὺς ῥυθμούς. οἱ μὲν γὰρ, ἦθος ἔχουσι στασιμώτερον, οἱ δὲ, κινητικόν· καὶ τούτων οἱ μὲν, φορτικωτέρας ἔχουσι τὰς κινήσεις, οἱ δὲ, ἐλευθεριωτέρας.

§. 37. Ex his igitur apertum eſt, vim ac poteſtatem muſicam habere efficiendi mores animi quales. Quod ſi hoc præſtare valet, non eſt dubium, quin tradenda ſit oporteatque in ipſa erudire adoleſcentes.

§. 37. Ἐκ μὲν οὖν τούτων φανερὸν, ὅτι δύναται ποιόν τι τὸ τῆς ψυχῆς ἦθος ἡ μουσικὴ παρασκευάζειν. εἰ δὲ τοῦτο δύναται ποιεῖν, δῆλον ὅτι προσακτέον καὶ παιδευτέον ἐν αὐτῇ τοὺς νέους.

§. 38. Congruit autem ingenium tale erudire muſica: adoleſcentes enim propter ætatem nihil, cui non ſit aſperſa ſuavitas aliqua, ſponte ſua ferunt. muſica autem ſua natura unum quoddam eorum eſt, quæ ſunt condita ſuavitate, & quædam videtur cognatio eſſe harmoniis cum rhythmis.

§. 38. Ἔστι δὲ ἁρμόττουσα (f) πρὸς τὴν φύσιν τὴν τηλικαύτην ἡ διδασκαλία τῆς μουσικῆς. οἱ μὲν γὰρ νέοι, διὰ τὴν ἡλικίαν, ἀνήδυντον οὐδὲν ὑπομένουσιν ἑκόντες· ἡ δὲ μουσικὴ φύσει τῶν ἡδυσμένων ἐστί· καί τις ἔοικε συγγένεια ταῖς ἁρμονίαις καὶ τοῖς ῥυθμοῖς εἶναι. (g)

** **

Quare multi ſapientes ajunt: hi quidem harmoniam eſſe animam, hi vero habere ipſam in ſe harmoniam.

διὸ πολλοί φασι τῶν σοφῶν, οἱ μὲν, ἁρμονίαν εἶναι τὴν ψυχὴν, οἱ δ᾽, ἔχειν ἁρμονίαν.

CAP. VI.

(a) συμβέβηκε δὲ) Videntur hic quædam periiſſe, pauca tamen. CONR.

(b) καὶ ταῦτ᾽ ἐστὶν) Ne quidem hæc probe cohærent. CONR.

(c) οὐ μὴν ἀλλὰ) Iterum nonnulla deeſſe, facile liquet. CONR.

(d) Παύσωνος) Ita effertur hoc nomen etiam in poeticis. In metaphyſicis eſt πάσσωνος: & Camerarius mavult πάσωνος. CONR.

(e) (τὰ)) Illud incluſum τὰ abeſt ab aldino codice: ſed minus bene. CONR.

(f) ἔστι δὲ ἁρμόττουσα) Aldus: ἔχει δὲ ἁρμόζοντως. Senſu non diverſo. CONR.

(g) ῥυθμοῖς εἶναι) Videtur addendum, μετὰ τῆς ψυχῆς. CONR.

# CAPUT VI.

§. 1.

IIX. Utrum autem oportet diſcere ipſos, canenteſque & manu inſtrumenta *tractantes*, (a) ſive non, de quo quæſitum eſt prius, nunc dicendum eſt.

§. 2. Non eſt autem obſcurum, magni intereſſe, ut fiant in omni re quales, ſi aliquis communicaverit operibus: unum enim quoddam eſt eorum, quæ fieri non poſſunt, aut ſaltem difficilia ſunt, ut qui operibus non communicarint, exiſtimatores fiant boni.

§. 3. Simulque opus eſt pueros habere aliquid, in quo libenter verſentur: & Archytæ crepitaculum putare recte inventum eſſe, quod tradunt infantibus in manus, ut hoc utentes nihil frangant eorum, quæ domi ſunt. Non enim valet, quod juvenile eſt, quieſcere. hæc igitur eſt infantibus apta luſio. Diſciplina autem inſtar crepitaculi eſt adoleſcentibus grandioribus.

§. 4. Rectum igitur eſſe tradere muſicam ſic, ut communicent operibus, patet ex his.

§. 5. Quid autem deceat, vel non deceat ætates, non arduum eſt definire, ac ſolvere adverſus eos, qui aſſeverant ſordidam eſſe hanc tantam curam.

§. 6. Primum enim, quia exiſtimandi gratia opus eſt participem eſſe operum, ob hoc oportet, dum adoleſcentes ſunt, fungi operibus: ſeniores autem factos, operibus quidem liberari, vim autem & poteſtatem habere exiſtimandi de honeſtis cantibus & recte gaudendi, ope illius cognitionis, quæ parta eſt in juventute.

§. 7. IX. De culpa vero, quam nonnulli ipſi objiciunt, tanquam muſica reddat ſordidos: nullus labor eſt diſcutere, ſi conſideraverimus, quatenus operibus communicare debeant, qui ad civilem virtutem inſtituuntur, & qualibus cantibus, qualibuſque rhythmis communicare ipſos deceat. Amplius autem in qualibus inſtrumentis diſcere debeant: etenim hoc intereſſe veriſimile eſt. in his namque manet diſſolutio ejus, quod incuſant.

§. 8. Nihil enim prohibet, quin modo quodam muſicæ efficiant, quod dictum eſt.

§. 9. Perſpicuum igitur eſt, oportere perceptionem ipſius nihil impedimenti afferre ad futuras actiones, neque corpus efficere ſordidum & inutile ad bellicas & civiles exercitationes: ad uſus quidem ſtatim, ad perceptiones autem poſtea.

§. 10. Contingeret autem hoc in diſcendo, ſi neque elaboraverint in his, quæ referuntur ad concertationes cum artificibus: neque ex operum genere, quæ ſunt admirabilia atque eximia, quæ nunc in certamina, & e certaminibus in inſtitutionem venerunt.

§. 11.

§. 1.

IIX. Πότερον δὲ δεῖ μανθάνειν αὐτοὺς ᾄδοντάς τε καὶ χειρουργοῦντας, (b) ἢ μή, καθάπερ ἠπορήθη πρότερον, νῦν λεκτέον.

§. 2. Οὐκ ἄδηλον δὲ, ὅτι πολλὴν ἔχει διαφορὰν πρὸς τὸ γίγνεσθαι ποιούς τινας, ἐάν τις αὐτὸς κοινωνῇ τῶν ἔργων. ἓν γάρ τι τῶν ἀδυνάτων ἢ χαλεπῶν ἐστι, μὴ κοινωνήσαντας τῶν ἔργων, κριτὰς γενέσθαι σπουδαίους.

§. 3. Ἅμα δὲ καὶ δεῖ τοὺς παῖδας ἔχειν τινὰ διατριβήν· καὶ τὴν Ἀρχύτου πλαταγὴν οἴεσθαι γενέσθαι καλῶς· ἣν διδόασι τοῖς παιδίοις, ὅπως χρώμενοι ταύτῃ, μηδὲν καταγνύωσι τῶν κατὰ τὴν οἰκίαν· οὐ γὰρ δύναται τὸ νέον ἡσυχάζειν. αὕτη μὲν οὖν ἐστι τοῖς νηπίοις ἁρμόττουσα τῶν παιδιῶν· (c) ἡ δὲ παιδεία, πλαταγὴ τοῖς μείζοσι τῶν νέων.

§. 4. Ὅτι μὲν οὖν παιδευτέον τὴν μουσικὴν οὕτως, ὥστε καὶ κοινωνεῖν τῶν ἔργων, φανερὸν ἐκ τῶν τοιούτων.

§. 5. Τὸ δὲ πρέπον καὶ τὸ μὴ πρέπον ταῖς ἡλικίαις, οὐ χαλεπὸν διορίσαι, καὶ λῦσαι πρὸς τοὺς φάσκοντας βάναυσον εἶναι τὴν ἐπιμέλειαν.

§. 6. Πρῶτον μὲν γὰρ, ἐπεὶ τοῦ κρίνειν χάριν μετέχειν δεῖ τῶν ἔργων, διὰ τοῦτο χρὴ, νέους μὲν ὄντας χρῆσθαι τοῖς ἔργοις· πρεσβυτέρους δὲ γινομένους, τῶν μὲν ἔργων ἀφεῖσθαι, δύνασθαι δὲ τὰ καλὰ κρίνειν, καὶ χαίρειν ὀρθῶς διὰ τὴν μάθησιν τὴν γενομένην ἐν τῇ νεότητι.

§. 7. IX. Περὶ δὲ τῆς ἐπιτιμήσεως ἥν τινες ἐπιτιμῶσιν, ὡς ποιούσης τῆς μουσικῆς βαναύσους, οὐ χαλεπὸν λῦσαι, σκεψαμένους μέχρι τε πόσου τῶν ἔργων κοινωνητέον τοῖς πρὸς ἀρετὴν παιδευομένοις πολιτικὴν, καὶ ποίων μελῶν, καὶ ποίων ῥυθμῶν κοινωνητέον· ἔτι δὲ ἐν ποίοις ὀργάνοις τὴν μάθησιν ποιητέον· καὶ γὰρ τοῦτο διαφέρειν εἰκός. ἐν τούτοις γὰρ ἡ λύσις ἐστὶ τῆς ἐπιτιμήσεως.

§. 8. Οὐθὲν γὰρ κωλύει τρόπους τινὰς τῆς μουσικῆς ἀπεργάζεσθαι τὸ λεχθέν.

§. 9. Φανερὸν τοίνυν, ὅτι δεῖ τὴν μάθησιν αὐτῆς, μήτε ἐμποδίζειν πρὸς τὰς ὕστερον πράξεις, μήτε τὸ σῶμα ποιεῖν βάναυσον καὶ ἄχρηστον πρὸς τὰς πολεμικὰς καὶ πολιτικὰς ἀσκήσεις· πρὸς μὲν τὰς χρήσεις ἤδη, πρὸς δὲ τὰς μαθήσεις ὕστερον.

§. 10. Συμβαίνοι δ᾽ ἂν περὶ τὴν μάθησιν, εἰ μήτε τὰ πρὸς τοὺς ἀγῶνας τοὺς τεχνικοὺς συντείνοντα διαπονοῖεν, μήτε τὰ θαυμάσια καὶ περιττὰ τῶν ἔργων, ἃ νῦν ἐλήλυθεν εἰς τοὺς ἀγῶνας, ἐκ δὲ τῶν ἀγώνων, εἰς τὴν παιδείαν.

§. 11.

(a) *Tractantes*) Probat hic, pueros, ut ex harmonia lætentur, harmoniam diſcere debere. FELDE. PICCART. *p.* 43. *ſeqq.* GOEB.

(b) χειρουργοῦντας) Sic recte ſcribi, non autem, ut alibi legitur, χειραγωγοῦντας, præclare oſtendit defenditque Victorius. Expreſſerunt vero idem Lambinus quoque & Sepulveda. *CONR.*

(c) τῶν παιδιῶν) Aptius forte: παιδίων, quod mavult Sylburgius. Camerarius habet παιδικῶν. CONR.



Digitized by Google

§. 11. Sed & hujuſcemodi, donec potuerint gaudere honeſtis cantibus & rhythmis, & non ſolum communi muſicæ, veluti cæterarum animantium quædam, itidemque mancipiorum & puerorum multitudo.

§. 11. Ἀλλὰ καὶ τὰ τοιαῦτα μέχρι περ ἂν δύνωνται χαίρειν τοῖς καλοῖς μέλεσι καὶ ῥυθμοῖς, καὶ μὴ μόνον τῷ κοινῷ (*b*) τῆς μουσικῆς, ὥσπερ καὶ τῶν ἄλλων ἔνια ζώων, ἔτι δὲ καὶ πλῆθος ἀνδραπόδων καὶ παιδίων.

§. 12. Patet autem ex his, & qualibus inſtrumentis utendum ſit. neque enim *tibia* (*a*) in diſciplinam ſunt comportandæ, neque aliud quippiam inſtrumentum proprium artificum, veluti cithara, & ſi quid hujuſcemodi aliud eſt: ſed quæcunque ipſorum reddent auditores bonos, vel muſicæ, vel alius diſciplinæ.

§. 12. Δῆλον δὲ ἐκ τούτων καὶ ποίοις ὀργάνοις χρηστέον. οὔτε γὰρ αὐλοὺς εἰς παιδείαν ἀκτέον, οὔτ᾽ ἄλλο τεχνικὸν ὄργανον, οἷον κιθάραν, κἂν εἴ τι τοιοῦτον ἕτερόν ἐστιν· ἀλλ᾽ ὅσα ποιήσει αὐτῶν ἀκροατὰς ἀγαθοὺς, ἢ τῆς μουσικῆς παιδείας, ἢ τῆς ἄλλης.

§. 13. Adhuc autem tibia non eſt inſtrumentum factum moribus expoliendis, ſed potius animis inflammandis. Quare hujuſcemodi temporibus ipſa utendum eſt, in quibus opera ſtudiumque conſumitur, potius in animo purgando, quam in diſcendo.

§. 13. Ἔτι δ᾽ οὐκ ἔστιν ὁ αὐλὸς ἠθικὸν, ἀλλὰ μᾶλλον ὀργιαστικόν. ὥστε πρὸς τοὺς τοιούτους αὐτῷ καιροὺς χρηστέον, ἐν οἷς ἡ θεωρία κάθαρσιν μᾶλλον δύναται ἢ μάθησιν.

§. 14. Addamus, quod uſu venit ipſi contrarium ejus, quod requirit diſciplina, & quod non ſinit oratione uti, qui inflat ipſam.

§. 14. Προσθῶμεν δὲ, ὅτι συμβέβηκεν ἐναντίον αὐτῷ πρὸς παιδείαν, καὶ τὸ κωλύειν τῷ λόγῳ χρῆσθαι τὴν αὔλησιν.

§. 15. Quare pulchre rejecerunt uſum ipſius priores ab adoleſcentibus & ingenuis hominibus, etſi uſi fuere primum ipſa.

§. 15. Διὸ καλῶς ἀπεδοκίμασαν αὐτοῦ οἱ πρότερον τὴν χρῆσιν ἐκ τῶν νέων, καὶ τῶν ἐλευθέρων· καίπερ χρησάμενοι τὸ πρῶτον αὐτῷ.

§. 16. Cum enim nacti eſſent plus otii propter copiam bonorum, & majoris animi facti ad virtutem capeſſendam, adhuc autem & prius & poſt res geſtas contra Medos, ex factis illis auctis ipſorum ſpiritibus, omnem ſcientiam attigerunt nullo habito delectu, ſed ultra conquirentes. Quare tibiarum quoque inflationem adduxerunt in ordinem eorum, quæ diſcerentur. Etenim Lacedæmone quidam choragus ipſe tibias inflavit choro, & Athenis adeo peculiaris erat, ut ferme multi ingenuorum participes forent ipſius. Planum autem eſt hoc e tabula, quam dicavit Thraſippus, cum choragi munere functus eſſet Ecphantidæ. Poſtea autem improbata eſt periculo ipſius facto, cum exiſtimare melius poſſent, quod ad virtutem, & quod minime ad virtutem faceret.

§. 16. Σχολαστικώτεροι γὰρ γιγνόμενοι διὰ τὰς εὐπορίας καὶ μεγαλοψυχότεροι πρὸς ἀρετὴν, ἔτι τε πρότερον καὶ μετὰ τὰ Μηδικὰ φρονηματισθέντες ἐκ τῶν ἔργων, πάσης ἥπτοντο μαθήσεως, οὐδὲν διακρίνοντες ἀλλ᾽ ἐπιζητοῦντες. διὸ καὶ τὴν αὐλητικὴν ἤγαγον πρὸς τὰς μαθήσεις. καὶ γὰρ ἐν Λακεδαίμονί τις χορηγὸς αὐτὸς ηὔλησε τῷ χορῷ, καὶ περὶ Ἀθήνας οὕτως ἐπεχωρίασεν, ὥστε σχεδὸν οἱ πολλοὶ τῶν ἐλευθέρων μετεῖχον αὐτῆς. δῆλον δὲ ἐκ τοῦ πίνακος, ὃν ἀνέθηκε Θράσιππος Ἐκφαντίδῃ (*c*) χορηγήσας. ὕστερον δ᾽ ἀπεδοκιμάσθη διὰ τῆς πείρας αὐτῆς, βέλτιον δυναμένων κρίνειν, τὸ πρὸς ἀρετὴν καὶ τὸ μὴ πρὸς ἀρετὴν συντεῖνον.

§. 17. Eodem autem pacto & multa veterum inſtrumentorum repudiata ſunt, ut pectides & barbari, atque ea, quæ ad voluptatem eorum, qui audiunt, tendunt utentibus ipſis, heptagona, & trigona, & ſambucæ, ac cuncta, quæ ſcientia egent manu ipſa tractantium.

§. 17. Ὁμοίως δὲ καὶ πολλὰ τῶν ὀργάνων τῶν ἀρχαίων, οἷον πηκτίδες, καὶ βάρβιτοι· καὶ τὰ πρὸς ἡδονὴν συντείνοντα τοῖς ἀκούουσι τῶν χρωμένων, ἑπτάγωνα, καὶ τρίγωνα, καὶ σαμβύκαι· καὶ πάντα τὰ δεόμενα χειρουργικῆς ἐπιστήμης. (*d*)

** ** ** **

§. 18. Conſentaneum autem eſt, & quod de tibiis a veteribus in morem fabulæ memoratum eſt. Ajunt enim Minervam, cum repperiſſet, abjeciſſe tibias. Non inſulſum igitur eſt dixiſſe, propter deformitatem oris hoc feciſſe deam ſtomachatam. Veruntamen magis veriſimile eſt, quia nihil facit ad mentem cognitio artis tibiarum: Minervæ autem nos ſcientiam & artem tribuimus.

§. 18. Εὐλόγως δ᾽ ἔχει καὶ τὸ περὶ τῶν αὐλῶν ὑπὸ τῶν ἀρχαίων μεμυθολογημένον. Φασὶ γὰρ δὴ τὴν Ἀθηνᾶν εὑροῦσαν ἀποβαλεῖν τοὺς αὐλούς. οὐ κακῶς μὲν οὖν ἔχει φάναι, καὶ διὰ τὴν ἀσχημοσύνην τοῦ προσώπου τοῦτο ποιῆσαι, δυσχεράνασαν τὴν θεόν· οὐ μὴν ἀλλὰ μᾶλλον εἰκὸς, ὅτι πρὸς τὴν διάνοιαν οὐθέν ἐστιν ἡ παιδεία τῆς αὐλήσεως. τῇ δὲ Ἀθηνᾷ τὴν ἐπιστήμην περιτίθεμεν καὶ τὴν τέχνην.

§. 19. Quia autem & inſtrumentorum & tractationis ipſorum improbamus intelligentiam propriam artificum (propriam autem ipſorum eſſe

§. 19. Ἐπεὶ δὲ τῶν τε ὀργάνων καὶ τῆς ἐργασίας ἀποδοκιμάζομεν τὴν τεχνικὴν παιδείαν· (τεχνικὴν δὲ (*e*) τίθεμεν τὴν πρὸς τοὺς ἀγῶνας· ἐν ταύτῃ γὰρ

(*a*) *Tibiæ*) PICCARTUS *p.* 49. *ſeqq.* Lacedæmoniorum muſica præcipue erat tibia & cythara. CRAGIUS *lib. III. inſtit. IX.* Conf. BARTH. *de tibiis veterum.* GOEB.

(*b*) τῷ κοινῷ) Camerarii editio habet κοινωνῷ. Sed nihil refert. *CONR.*

(*c*) ἐκφαντίδῃ) Hanc lectionem ſecuti ſunt optimi interpretum, Victorius, Lambinus, Sepulveda. Iſengrinianus margo habet: ἐν Φαρτίδῃ. Jure, an injuria, neſcio. *CONR.*

(*d*) ἐπιστήμης) Videtur vocula deeſſe, quam Sepulveda expreſſit latine: *rejecta ſunt.* *CONR.*

(*e*) τεχνικὴν δὲ) Notam parentheſeos addidimus majoris perſpicuitatis ergo. *CONR.*

Digitized by Google

eſſe volumus, quæ ſervit concertationibus: in hac enim, qui agit, non ſuæ propriæ virtutis gratia id attingit, ſed eorum, qui audiunt voluptatis, & ipſius importunæ.) Quare minime liberorum hominum exiſtimamus eſſe tractationem, ſed pene mercenariam: & uſu venit fieri ſordidos.

γὰρ ὁ πράττων, οὐ τῆς αὐτοῦ μεταχειρίζεται χάριν ἀρετῆς, ἀλλὰ τῆς τῶν ἀκουόντων ἡδονῆς, καὶ ταύτης φορτικῆς.) διόπερ οὐ τῶν ἐλευθέρων κρίνομεν εἶναι τὴν ἐργασίαν, ἀλλὰ θητικωτέραν· καὶ βαναύσους δὴ συμβαίνει γίγνεσθαι.

** **

§. 20. Scopus enim malus eſt, ad quem ut ad finem feruntur. Spectator namque importunus exiſtens, morem habet mutare muſicam. Quare & artifices ad eum meditationes ſuas convertentes, & ipſos quales efficit, & corpora eorundem, propter motus.

§. 20. Πονηρὸς γὰρ ὁ σκοπὸς πρὸς ὃν ποιοῦνται τὸ τέλος. ὁ γὰρ θεατὴς, φορτικὸς ὤν, μεταβάλλειν εἴωθε τὴν μουσικήν. ὥστε καὶ τοὺς τεχνίτας τοὺς πρὸς αὐτὸν μελετῶντας, αὐτούς τε ποιούς τινας ποιεῖ, καὶ τὰ σώματα, διὰ τὰς κινήσεις.

# CAP: VII.

§. 1.

X. Differendum adhuc eſt de iis, quæ harmoniarum & *rhythmorum* (a) ſunt, & ad diſciplinam faciunt, utrum omnibus uti deceat harmoniis & rhythmis, an diviſione utendum ſit.

X. Σκεπτέον δ' ἔτι περί τε τὰς ἁρμονίας, καὶ τοὺς ῥυθμοὺς, καὶ πρὸς παιδείαν, πότερον πάσαις χρηστέον ταῖς ἁρμονίαις, καὶ πᾶσι τοῖς ῥυθμοῖς, ἢ διαιρετέον.

§. 2. Deinde incumbentibus ad diſciplinam, utrum eandem deſcriptionem ponemus, ſive opus eſt tertiam quandam aliam. Poſtquam videmus muſicam per cantus, modos, & rhythmos conſtare: horum autem utrumque fallere nos non oportet, quam vim & poteſtatem habet ad diſciplinam: & utrum anteponenda ſit muſica, quæ cantu ſuavi conſtat, ſive quæ ſuavitate rhythmorum delectat.

§. 2. Ἔπειτα τοῖς πρὸς παιδείαν διαπονοῦσι, πότερον τὸν αὐτὸν διορισμὸν θήσομεν, ἢ τρίτον δεῖ τινα ἕτερον· ἐπειδὴ τὴν μὲν μουσικὴν ὁρῶμεν διὰ μελοποιΐας καὶ ῥυθμῶν οὖσαν· τούτων δὲ ἑκάτερον οὐ δεῖ λεληθέναι τίνα ἔχει δύναμιν πρὸς παιδείαν· καὶ πότερον προαιρετέον μᾶλλον τὴν εὐμελῆ μουσικὴν, ἢ τὴν εὔρυθμον.

§. 3. Cum igitur exiſtimaverimus, multa recte de his rebus dicere quoſdam hujus ætatis muſicorum, & profectorum e philoſophia illos, qui periti ſunt eruditionis muſicæ, exquiſitam diſputationem ſingularium partium relinquemus quærere, qui cupidi ejus fuerint ab illis. Nunc autem ex opinione multorum dividamus, formis tantum traditis ipſarum.

§. 3. Νομίσαντες οὖν πολλὰ καλῶς λέγειν περὶ τούτων, τῶν τε νῦν μουσικῶν ἐνίους, καὶ τῶν ἐκ φιλοσοφίας, ὅσοι τυγχάνουσιν ἐμπείρως ἔχοντες τῆς περὶ τὴν μουσικὴν παιδείας, τὴν μὲν καθ' ἕκαστον ἀκριβολογίαν ἀποδώσομεν ζητεῖν τοῖς βουλομένοις παρ' ἐκείνων· νῦν δὲ νομικῶς διέλωμεν, (b) τοὺς τύπους μόνον εἰπόντες περὶ αὐτῶν.

§. 4. Quia autem probamus diviſionem cantuum, ut dividunt quidam ex iis, qui verſati ſunt in philoſophia: qui ſtatuerunt, hos quidem eſſe morales, hos autem activos, nonnullos factos ad inſerendum in animos furorem, & harmoniarum naturam ad horum unaquæque ſuam ac propriam, aliam ad aliam partem eſſe volunt: Affirmamus autem, non unius tantum emolumenti cauſa uti oportere muſica, ſed plurium gratia: (nam & diſciplinæ cauſa, & purgationis utendum eſt ipſa. Quid autem vocamus purgationem, nunc quidem ſimpliciter: rurſus autem in iis, quæ ſunt de Poëtica, planius dicemus. Tertium autem ad vitam cum honeſta voluptate traducendam, ad relaxationem & ad requietem a contentione animi.) Perſpicuum eſt, omnibus uti oportere harmoniis, non eodem autem modo cunctis.

§. 4. Ἐπεὶ δὲ τὴν διαίρεσιν ἀποδεχόμεθα τῶν μελῶν, ὡς διαιροῦσί τινες τῶν ἐν φιλοσοφίᾳ, τὰ μὲν ἠθικὰ, τὰ δὲ πρακτικὰ, τὰ δ' ἐνθουσιαστικὰ τιθέντες, καὶ τῶν ἁρμονιῶν τὴν φύσιν πρὸς ἕκαστα τούτων οἰκείαν ἄλλην πρὸς ἄλλο μέρος τιθέασι· φαμὲν δ' (c) οὐ μιᾶς ἕνεκεν ὠφελείας τῇ μουσικῇ χρῆσθαι δεῖν, ἀλλὰ καὶ πλειόνων χάριν· (καὶ γὰρ παιδείας (d) ἕνεκεν καὶ καθάρσεως· τί δὲ λέγομεν τὴν κάθαρσιν, νῦν μὲν ἁπλῶς, πάλιν δ' ἐν τοῖς περὶ ποιητικῆς ἐροῦμεν σαφέστερον· τρίτον δὲ πρὸς διαγωγὴν, πρὸς ἄνεσίν τε καὶ πρὸς τὴν τῆς συντονίας ἀνάπαυσιν·) φανερὸν ὅτι χρηστέον μὲν πάσαις ταῖς ἁρμονίαις, οὐ τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον πάσαις χρηστέον.

§. 5. Sed ad diſciplinam quidem iis, quæ ſunt maxime

§. 5. Ἀλλὰ πρὸς μὲν τὴν παιδείαν, ταῖς ἠθικωτάταις·

(a) *Rhythmorum*) Traditur hoc capite, quibus modis in muſica utendum ſit. Sed pauca de veterum muſica nobis ſunt reliqua. vid. tamen PICCART. *GOEB.*

(b) νομικῶς διελ.) Lambinus: γενικῶς δὲ, *generaliter.* Iſengrinius in margine: γενικῶς διέλωμεν τοὺς τρόπους. τύπους μόνον εἰπόντες. Verum noſtra lectio bene ſeſe habet, & τὸ νομικῶς magis ad rem facit, quam γενικῶς. *CONR.*

(c) φαμὲν δὲ) Illud δὲ abundat. *CONR.*

(d) καὶ γὰρ παιδείας) Inſeri hæc, ac proinde ſigno aliquo a reliquis diſtinguenda eſſe, facile apparet. *CONR.*



Digitized by Google

maxime morales: ad auditionem autem aliis operantibus, & activis, & furorem excitantibus.

τάταις· πρὸς δὲ ἀκρόασιν, ἑτέρων χειρουργούντων, καὶ ταῖς πρακτικαῖς καὶ ταῖς ἐνθουσιαστικαῖς.

§. 6. Affectus enim, qui in quibusdam animis valide aliquando excitatur, hic in omnibus exiſtit, eo tantum, quod minus aut magis eſt, diſcrepat: veluti miſericordia & metus. amplius autem furor divinus: (ab hoc enim motu quidam oppreſſi ſunt.) Ope autem ſacrorum cantuum videmus quosdam, cum uſi fuerint cantibus, qui vim habent animum deliniendi, ſedatos & compoſitos, tanquam nactos medicinam & purgationem.

§. 6. Ὃ γὰρ περὶ ἐνίας συμβαίνει πάθος ψυχὰς ἰσχυρῶς, τοῦτο ἐν πάσαις ὑπάρχει· τῷ δὲ ἧττον διαφέρει, καὶ τῷ μᾶλλον· οἷον ἔλεος καὶ φόβος. ἔτι δ' ἐνθουσιασμός· (καὶ γὰρ (a) ὑπὸ ταύτης τῆς κινήσεως κατακώχιμοί τινές εἰσιν.) ἐκ δὲ τῶν ἱερῶν μελῶν ὁρῶμεν τούτους, ὅταν χρήσωνται τοῖς ἐξοργιάζουσι τὴν ψυχὴν μέλεσι, καθισταμένους, ὥσπερ ἰατρείας τυχόντας καὶ καθάρσεως.

§. 7. Idem jam hoc neceſſe eſt pati & miſericordes, & formidoloſos, demumque valde pronos ad aliquos affectus: cæteros autem, quantum attingit ad ſingulos hujuscemodi motuum, & omnibus contingere quandam purgationem, levarique ipſos cum voluptate.

§. 7. Ταὐτὸ δὴ τοῦτο ἀναγκαῖον πάσχειν καὶ τοὺς ἐλεήμονας, καὶ τοὺς φοβητικοὺς, καὶ τοὺς ὅλως παθητικούς· τοὺς δ' ἄλλους, καθ' ὅσον ἐπιβάλλει τῶν τοιούτων ἑκάστῳ, καὶ πᾶσι γίγνεσθαί τινα κάθαρσιν, καὶ κουφίζεσθαι μεθ' ἡδονῆς.

§. 8. Simili autem modo & cantus, qui vim habent purgandi, afferunt hominibus gaudium innoxium. Quare hujuscemodi harmoniæ, & hujuscemodi cantis ſpectandi actoribus iis, qui ſectantur muſicam theatralem.

§. 8. Ὁμοίως δὲ καὶ τὰ μέλη τὰ καθαρτικὰ, παρέχει χαρὰν ἀβλαβῆ τοῖς ἀνθρώποις. διὸ ταῖς μὲν τοιαύταις ἁρμονίαις καὶ (τοῖς) τοιούτοις μέλεσι θεατέον (b) τοὺς τὴν θεατρικὴν μουσικὴν μεταχειριζομένους ἀγωνιστάς.

§. 9. Quia autem ſpectator eſt duplex: unus quidem liber & expolitus, alter autem importunus, e ſordidis artificibus & mercenariis, hujusque generis hominibus concretus, tribuendæ ſunt contentiones & ſpectationes iis quoque ad requietem.

§. 9. Ἐπεὶ δ' ὁ θεατὴς διττὸς, ὁ μὲν ἐλεύθερος καὶ πεπαιδευμένος, ὁ δὲ φορτικὸς ἐκ βαναύσων καὶ θητῶν, καὶ ἄλλων τοιούτων συγκείμενος, ἀποδοτέον ἀγῶνας καὶ θεωρίας καὶ τοῖς τοιούτοις πρὸς ἀνάπαυσιν.

§. 10. Sunt autem, ut ipſorum animi diſtorti ab habitu naturali, ſic & harmoniarum depravationes: & cantus intenſi, & a vero colore ejecti. Parit autem voluptatem ſingulis, quod eſt proprium & accommodatum naturæ ipſorum.

§. 10. Εἰσὶ δ' ὥσπερ αὐτῶν αἱ ψυχαὶ παρεστραμμέναι τῆς κατὰ φύσιν ἕξεως, οὕτω καὶ τῶν ἁρμονιῶν παρεκβάσεις εἰσί· καὶ τῶν μελῶν τὰ σύντονα, καὶ παρακεχρωσμένα. ποιεῖ δὲ τὴν ἡδονὴν, ἑκάστοις τὸ κατὰ φύσιν οἰκεῖον.

§. 11. Quapropter tribuenda eſt poteſtas certantibus, ut ad hujuscemodi ſpectatorem utantur hujuscemodi quopiam genere muſices.

§. 11. Διόπερ ἀποδοτέον ἐξουσίαν τοῖς ἀγωνιζομένοις πρὸς τὸν θεατὴν τὸν τοιοῦτον, τοιούτῳ τινὶ χρῆσθαι τῷ γένει τῆς μουσικῆς.

§. 12. Ad diſciplinam autem, ut dictum eſt, moralibus cantibus utendum eſt, atque harmoniis hujuscemodi.

§. 12. Πρὸς δὲ παιδείαν, ὥσπερ εἴρηται, τοῖς ἠθικοῖς τῶν μελῶν χρηστέον, καὶ ταῖς ἁρμονίαις (ταῖς) τοιαύταις.

§. 13. Hujuscemodi autem eſt Dorica, ut ſupra diximus. Recipere autem oportet & ſi cujus alius admittendæ auctores nobis fuerint, qui verſantur nobiscum in ſtudiis philoſophiæ, & diſciplinæ muſices.

§. 13. Τοιαύτη δ' ἡ δωριστὶ, καθάπερ εἴπομεν πρότερον. δέχεσθαι δὲ δεῖ κἂν τινα ἄλλην ἡμῖν δοκιμάζωσιν οἱ κοινωνοὶ τῆς ἐν φιλοσοφίᾳ διατριβῆς, καὶ τῆς περὶ τὴν μουσικὴν παιδείας.

§. 14. Socrates autem in republica non probe relinquit Phrygiam ſolam cum Dorica, præſertim cum improbarit ex inſtrumentis tibiam. nam habet eandem poteſtatem in genere harmoniarum Phrygia, quam tibia in inſtrumentis: ambo enim ſtimulos admovent atque excitant motus animi.

§. 14. Ὁ δ' ἐν τῇ Πολιτείᾳ Σωκράτης, οὐ καλῶς (c) τὴν φρυγιστὶ μόνην καταλείπει μετὰ τῆς δωριστί· καὶ ταῦτα ἀποδοκιμάσας τῶν ὀργάνων τὸν αὐλόν. ἔχει γὰρ τὴν αὐτὴν δύναμιν ἡ φρυγιστὶ τῶν ἁρμονιῶν, ἥνπερ αὐλὸς ἐν τοῖς ὀργάνοις· ἄμφω γὰρ ὀργιαστικὰ καὶ παθητικά.

§. 15. Declarat autem poëſis: omnis enim debacchatio, & omnis hujuscemodi motio, ex inſtrumentis maxime exiſtit in tibiis: ex harmoniis autem in Phrygiis cantibus conſequuntur hæc, id quod decet. ceu dithyrambus omnium conſenſu Phrygius eſſe videtur.

§. 15. Δηλοῖ δ' ἡ ποίησις. πᾶσα γὰρ βακχεία, καὶ πᾶσα ἡ τοιαύτη κίνησις, μάλιστα τῶν ὀργάνων ἐστὶν ἐν τοῖς αὐλοῖς. τῶν δ' ἁρμονιῶν ἐν τοῖς φρυγιστὶ μέλεσι λαμβάνει ταῦτα τὸ πρέπον· οἷον, ὁ διθύραμβος ὁμολογουμένως εἶναι δοκεῖ Φρύγιον.

§. 16. Atque hujus rei multa exempla afferunt, qui verſantur in hoc ſtudio. Aliaque & Phi-

§. 16. Καὶ τούτου πολλὰ παραδείγματα λέγουσιν οἱ περὶ τὴν σύνεσιν ταύτην· ἄλλα τε, καὶ διότι Φιλόξενος

(a) καὶ γὰρ) Iterum ſigno uſi ſumus parentheſeos. CONR.

(b) θεατέον) Hanc vocem probaverunt Victorius, Lambinus & Sepulveda. Vetus tamen interpres videtur legiſſe θετέον, ceu notat Victorius. CONR.

(c) οὐ καλῶς) Alii legunt διὸ καλῶς, utrumque tolerabile eſt ſenſu diverſo. CONR.

Digitized by Google

Philoxeni, qui cum aggreſſus eſſet dithyrambum pangere in Dorica, nequivit; ſed naturæ ipſius vi decidit in Phrygiam, congruentem ipſi harmoniam, unde diſceſſerat.

§. 17. De Dorica autem omnes conſentiunt, eſſe ipſam maxime ſtabilem, indolemque inprimis habere virilem.

§. 18. Amplius autem, quia medium exuperantiarum laudamus, & oportere ſequi affirmamus: Dorica autem naturam hanc habet, collata cum cæteris harmoniis: perſpicuum eſt decere magis juniores inſtituere in doricis cantibus.

§. 19. Duo autem ſunt nobis ante oculos conſtituenda, & quod fieri poteſt, & quod decet: oportet enim ſingulos aggredi magis, quæ fieri poſſunt, & quæ decet. Sunt autem hæc definita ætatibus.

§. 20. Ceu illis, qui per ætatem relanguerunt, non facile eſt canere intenſas harmonias, ſed remiſſas natura præbet talibus.

§. 21. Quare recte objiciunt & hoc Socrati muſici quidam, quod remiſſas harmonias improbaſſet ad diſciplinam, ſumens ipſas, ut ad temulentiam factas, non ſecundum vim ac poteſtatem temulentiæ (pronum enim ad bacchicos motus vinum magis efficit) ſed remiſſas.

§. 22. Quapropter ad futuram ætatem, feniorum inquam, opus eſt hujuscemodi harmonias attingere, & cantus etiam hujuscemodi.

§. 23. Amplius autem, ſi qua eſt hujuscemodi harmonia, quæ convenit puerorum ætati, quia ornatum ſimul & diſciplinam in ſe continet: quale ex harmoniis maxime perſpicitur Lydia habere:

** **

** **

planum eſt, hos tres terminos facere oportere ad diſciplinam: & medium, & quod fieri poteſt, & quod decet.

** **

** **

ξενες ἐγχειρήσας ἐν τῇ Δωριςὶ ποιῆσαι διθύραμβον τὲς μύθες, (a) οἷός τ' ἦν, ἀλλ' ὑπὸ τῆς φύσεως αὐτῆς ἐξέπεσεν εἰς τὴν Φρυγιςὶ, τὴν προσήκεσαν ἁρμονίαν πάλιν.

§. 17. Περὶ δὲ τῆς Δωριςὶ πάντες ὁμολογῦσιν, ὡς ςασιμωτάτης ἔσης, καὶ μάλις' ἦθος ἐχέσης ἀνδρεῖον.

§. 18. Ἔτι δὲ, ἐπεὶ τὸ μέσον μὲν τῶν ὑπερβολῶν ἐπαινῦμεν, καὶ χρῆναι διώκειν φαμέν· ἡ δὲ Δωριςὶ ταύτην ἔχει τὴν φύσιν πρὸς τὰς ἄλλας ἁρμονίας· φανερὸν ὅτι τὰ Δώρια μέλη πρέπει παιδεύεσθαι μᾶλλον τοῖς νεωτέροις.

§. 19. Εἰσὶ δὲ δύο σκοποί· τό τε δυνατὸν, καὶ τὸ πρέπον. καὶ γὰρ τὰ δυνατὰ δεῖ μεταχειρίζεσθαι μᾶλλον, καὶ τὰ πρέποντα ἑκάςοις. ἔςι δὲ καὶ ταῦτα ὡρισμένα ταῖς ἡλικίαις.

§. 20. Οἷον, τοῖς ἀπειρηκόσι διὰ χρόνον ἐ ῥᾴδιον ᾄδειν τὰς συντόνες ἁρμονίας, ἀλλὰ τὰς ἀνειμένας ἡ φύσις ὑποβάλλει τοῖς τηλικέτοις.

§. 21. Διὸ καλῶς ἐπιτιμῶσι καὶ τῦτο Σωκράτει τῶν περὶ τὴν μεσικὴν τινες, ὅτι τὰς ἀνειμένας ἁρμονίας ἀποδοκιμάσειεν εἰς τὴν παιδείαν, ὡς μεθυςικὰς λαμβάνων αὐτὰς, ἐ κατὰ τὴν τῆς μέθης δύναμιν· βακχευτικὸν γὰρ ἥ γε μέθη ποιεῖ μᾶλλον· ἀλλ' ἀπειρηκυίας.

§. 22. Ὥςε καὶ πρὸς τὴν ἐσομένην ἡλικίαν, τὴν τῶν πρεσβυτέρων, δεῖ καὶ τῶν τοιέτων ἁρμονιῶν ἅπτεσθαι, καὶ τῶν μελῶν τῶν τοιέτων.

§. 23. Ἔτι δ' εἴ τις ἐςὶ τοιαύτη τῶν ἁρμονιῶν, ἣ πρέπει τῇ τῶν παίδων ἡλικίᾳ, διὰ τὸ δύνασθαι κόσμον τ' ἔχειν ἅμα καὶ παιδείαν· οἷον ἡ Λυδιςὶ φαίνεται πεπονθέναι μάλιςα τῶν ἁρμονιῶν· (b)

** **

** **

δῆλον ὅτι τέτες ὅρες τρεῖς ποιητέον εἰς τὴν παιδείαν· τό τε μέσον, καὶ τὸ δυνατὸν, καὶ τὸ πρέπον. (c)

** **

** **

# ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ ΠΟΛΙΤΙΚΩΝ
## ΤΑ ΚΕΦΑΛΑΙΑ.

### ΤΟΥ Α ΒΙΒΛ.

1. Τί οἰκία, καὶ τὶ κώμη.
2. Περὶ πόλεως.
3. Οἰκονομίας διαίρεσις· καὶ ὅτι εἰσὶ φύσει τινὲς οἱ μὲν, δῦλοι, οἱ δ', ἐλεύθεροι.
4. Ὅτι ἔνιοι κατὰ νόμον δελεύεσιν ἀδίκως· καὶ ὅτι ἐ ταὐτόν ἐςι δεσποτεία καὶ πολιτικὴ, ἐδὲ πᾶσαι ἀλλήλαις αἱ ἀρχαί.
5. Ὅτι ἐςί τις κτητικὴ κατὰ φύσιν τοῖς οἰκονόμοις, καὶ τοῖς πολιτικοῖς, καὶ δι' ἣν αἰτίαν.
6. Περὶ τῆς χρηματιςικῆς, τίς ἐςι, καὶ διὰ τί.
7. Χρηματιςικῆς διαίρεσις καὶ μόρια.
8. Οἰκονομικῆς μέρη· καὶ ποίας δεῖ εἶναι τῶν κατὰ τὴν οἰκονομικὴν ἀρετάς.

### ΤΟΥ Β.

1. Ὅτι ὔτε πάντας πάντων κοινωνεῖν δεῖ τὲς πολίτας, ὔτε μηδενός.
2. Περὶ τῆς περὶ τὰ τέκνα καὶ τὰς γυναῖκας Σωκρατικῆς κοινωνίας, ὅτι βλαβερά.
3. Ὅτι ἡ Σωκρατικὴ τῶν κτήσεων κοινωνία ἐκ ἀγαθή.
4. Τὰ περὶ τὴν Σωκρατικὴν πολιτείαν τὴν ἐν τοῖς νόμοις ψεκτά.

5.

(a) διθύραμβον τὲς μύθες) Illa non conveniunt. Victorius in ſua verſione neglexit proinde τὲς μύθες: vertens, *aggreſſus dithyrambum pangere in Dorica.* Heinſius vult pro τὲς μύθες ſcribendum, τοιέτων, aut ſimile quid. Non male. *CONR.*

(b) τῶν ἁρμονιῶν) Quæ ſequuntur, plane aliena ſunt a prioribus: itaque multa videntur intercidiſſe. *CONR.*

(c) τὸ πρέπον) Longe plurima deeſſe hoc loco, imo totum opus de optima republica potiori parte ſui eſſe mutilum, jam dictum eſt in introductione. Sed & alias facile liquet, ipſam doctrinam de uſu muſices non abſolvi ſueto Ariſtoteli modo. *CONR.*

5. Περὶ τῆς Φαλέȣ τȣ̃ Χαλκηδονίȣ πολιτείας· εἴ τι τυγχάνει καλῶς εἰρηκὼς ἢ μὴ καλῶς.
6. Περὶ τῆς Ἱπποδάμȣ πολιτείας· καὶ πότερον κινητέοι νόμοι, καὶ τίνες, καὶ πότε.
7. Περὶ τῆς Λακεδαιμονίων πολιτείας, ὅτι φαύλη.
8. Περὶ τῆς Κρητικῆς πολιτείας, ὅτι ȣ̓κ ἀγαθή.
9. Περὶ τῆς Καρχηδονίων πολιτείας, ὅτι φαύλη.
10. Περὶ τῶν ἀποφηναμένων τι περὶ τῆς πολιτείας, καὶ περὶ τῶν νομοθετῶν.

ΤΟΥ Γ.

1. Τί ποτὲ ἐϛιν ἡ πόλις, καὶ τί πολίτης.
2. Πῶς χρὴ λέγειν τὴν πόλιν εἶναι τὴν αὐτὴν ἢ ἑτέραν.
3. Ὅτι ȣ̓ τὴν αὐτὴν ἀρετὴν ἀνδρὸς ἀγαθοῦ καὶ πολίτȣ σπȣδαίȣ θετέον.
4. Ὅτι πλείους θετέον τὰς πολιτείας.
5. Πόσαι πολιτεῖαι· τί βασιλεία, καὶ ἀριϛοκρατία, καὶ πολιτεία, καὶ τί αἱ τούτων παρεκβάσεις.
6. Τίνας ὅρους λέγουσι τῆς ὀλιγαρχίας καὶ δημοκρατίας, καὶ τί τὸ τȣ́των δίκαιον.
7. Τί δεῖ τὸ κύριον εἶναι τῆς πόλεως.
8. Ποίῳ ὑπερέχȣσι νέμεσθαι χρὴ τὰς ἀρχάς.
9. Πῶς ἐν ταῖς πόλεσι χρηϛέον τοῖς λίαν ἀρετῇ διαφέρουσι.
10. Περὶ τεττάρων τῆς βασιλείας διαφορῶν.
11. Ὅτι αἱρετώτερον ταῖς πόλεσιν ἀριϛοκρατία βασιλείας.
12. Περὶ παμβασιλείας, ὅτι βλαβερά.

ΤΟΥ Δ.

1. Τί τῷ νομοθέτῃ ἐπισκεπτέον.
2. Ἀνακεφαλαίωσις τῶν περὶ πολιτείας λόγων.
3. Ὅτι δυεῖν ἢ μιᾶς ȣ̓σης τῆς καλῶς συνεϛηκυίας πολιτείας, αἱ ἄλλαι παρεκβάσεις εἰσίν.
4. Διορισμὸς τῶν δημοκρατίας εἰδῶν.
5. Ὀλιγαρχίας εἴδη.
6. Ἔτι περὶ τῶν δημοκρατίας καὶ ὀλιγαρχίας διαφορῶν.
7. Ἀριϛοκρατίας δύο εἴδη παρὰ τὴν πρώτην.
8. Τῆς ὀνομαζομένης πολιτείας διορισμός.
9. Τίνα τρόπον γίνεται ἡ καλȣμένη πολιτεία, καὶ πῶς αὐτὴν δεῖ καθιϛάναι.
10. Τυραννίδος εἴδη.
11. Τίς ἀρίϛη πολιτεία, καὶ διὰ τίν᾽ αἰτίαν.
12. Τίς πολιτεία τίσι, καὶ ποία συμφέρει.
13. Τὰ ὀλιγαρχικὰ σοφίσματα τῆς νομοθεσίας· καὶ τί ἐν ταῖς δημοκρατίαις πρὸς ταῦτ᾽ ἀντισοφίζονται.
14. Περὶ τȣ̃ βȣλευομένȣ καὶ τȣ̃ κυρίȣ τῆς πολιτείας.
15. Ἡ περὶ τὰς ἀρχὰς διαίρεσις.
16. Περὶ τῶν ἀρχῶν καταϛάσεων.
17. Ὅσους τρόπȣς ἐνδέχεται εἶναι τὰ δικαϛήρια.

ΤΟΥ Ε.

1. Ἐκ τίνων γίγνονται ἐν ταῖς πολιτείαις ϛάσεις.
2. Τῶν ϛάσεων ἀρχαὶ καὶ αἰτίαι.
3. Ἔτι τῶν διαϛάσεων αἰτίαι.
4. Ἐκ τίνων συμβαίνει γίγνεσθαι τὰς μεταβολὰς περὶ πάσας τὰς πολιτείας.
5. Τῶν δημοκρατιῶν αἱ μεταβολαὶ διὰ τίνας αἰτίας γίγνονται.
6. Διὰ τίνας αἰτίας μεταβάλλȣσι καὶ ϛασιάζȣσιν αἱ ὀλιγαρχίαι.
7. Διὰ τίνας αἰτίας μεταβάλλȣσι καὶ ϛασιάζουσιν αἱ ἀριϛοκρατίαι.
8. Τὰ τὰς πολιτείας σώζοντα καθόλȣ.
9. Ἅτινα χρὴ ἔχειν τȣ̀ς μέλλοντας ἄρξειν τὰς κυρίας ἀρχάς.
10. Ἐξ ὧν φθείρονται αἱ μοναρχίαι.
11. Πῶς σώζονται αἱ μοναρχίαι καὶ αἱ τυραννίδες.
12. Ὅτι ὀλιγαρχία καὶ τυραννὶς ὀλιγοχρόνιοι· καὶ ὅτι Σωκράτης ἀμφὶ τῶν περὶ τὰς πολιτείας μεταβολῶν ȣ̓κ ὀρθῶς ἀπεφήνατο.

ΤΟΥ Ζ.

1. Προοίμιον, πῶς τῶν πολιτειῶν ἑκάϛην χρὴ κατασκευάζειν· καὶ πρῶτον περὶ δημοκρατίας.
2. Τὰ κοινὰ ταῖς δημοκρατίαις.
3. Πῶς ἐν τῇ δημοκρατίᾳ ἕξουσι τὸ ἴσον, ἀπορία.
4. Πῶς δεῖ κατασκευάζειν τὴν βελτίϛην καὶ πρώτην δημοκρατίαν, τȣτέϛι τῶν γεωργῶν καὶ νομέων.
5. Τί ἔργον τȣ̃ τῆς δημοκρατίας νομοθέτȣ.
6. Τὰ τὰς ὀλιγαρχίας σώζοντα.
7. Πῶς χρὴ καθιϛάναι τὰς ὀλιγαρχίας.
8. Τὰ περὶ τὰς ἀρχάς· πόσαι, καὶ τίνες, καὶ τίνων.

ΤΟΥ Η.

1. Ὅτι ὁ μετ᾽ ἀρετῆς βίος αἱρετώτατος.
2. Πότερον ὁ θεωρητικὸς αἱρετώτερος βίος, ἢ ὁ πρακτικός· καὶ πρὸς τί τέλος δεῖ συντείνειν τὴν ἀρίϛην πολιτείαν.
3. Ὅτι ἡ αὐτὴ εὐδαιμονία ἑνός τε ἑκάϛȣ καὶ πόλεως.
4. Πόσον τι πλῆθος εἶναι δεῖ τῶν πολιτῶν.
5. Ποίαν καὶ πόσην εἶναι δεῖ τῆς πόλεως χώραν, καὶ πȣ̃.
6. Περὶ τῆς πρὸς τὴν θάλασσαν κοινωνίας τῆς πόλεως.
7. Ποίȣς τὴν φύσιν εἶναι δεῖ τοὺς πολιτευομένȣς.
8. Πόσα ἐϛὶν ὧν ἄνευ πόλις ȣ̓κ ἂν εἴη.
9. Πόσα μέρη τῆς πόλεως.
10. Ὅτι δεῖ διῃρῆσθαι χωρὶς κατὰ γένη τὴν πόλιν, καὶ πῶς
11. Ποίαν δεῖ τὴν θέσιν εἶναι τῆς πόλεως· καὶ ὡς τείχεσι περιβεβλημένην.
12. Πȣ̃ τὰ φυλακτήρια καὶ ἀγορὰς καὶ συσσίτια καὶ ἱερὰ οἰκοδομητέον.
13. Ἐκ τίνων καὶ ἐκ ποίων δεῖ συνεϛάναι τὴν μέλλȣσαν ἔσεσθαι πόλιν μακαρίαν.
14. Ὅτι ἀναγκαῖον πάντας ὁμοίως κοινωνεῖν τȣ̃ κατὰ μέρος ἄρχειν καὶ ἄρχεσθαι· καὶ τίνων τὴν νομοθέτην ϛοχάζεσθαι δεῖ.
15. Ποίας δεῖ ἔχειν τὴν πόλιν ἀρετάς.
16. Πότε καὶ ποίȣς τινὰς ὄντας χρὴ ποιεῖσθαι πρὸς ἀλλήλους τὴν γαμικὴν ὁμιλίαν.
17. Γενομένων τῶν τέκνων ποίαν τινὰ δεῖ ἀγωγὴν ποιεῖσθαι μέχρι τῶν ἑπτὰ ἐτῶν.

ΤΟΥ Θ.

1. Ὅτι νομοθετητέον περὶ παιδείας, καὶ ταύτην κοινὴν ποιητέον.
2. Τίς ἐϛιν ἡ παιδεία, καὶ πῶς χρὴ παιδεύεσθαι.
3. Τίνα παιδευτέον τοὺς παῖδας.
4. Ὅτι χρηϛέον τῇ γυμναϛικῇ, καὶ πῶς.
5. Περὶ μουσικῆς, ὅτι καὶ τὴν μουσικὴν παιδευτέον τοὺς παῖδας τοὺς ἐλευθέρους.
6. Ἐπιτιμήσεως λύσις, ἣν τινες ἐπιτιμῶσιν, ὡς ποιȣ́σης τῆς μȣσικῆς βαναύσȣς.
7. Πότερον πάσαις χρηϛέον ταῖς ἁρμονίαις καὶ πᾶσι τοῖς ῥυθμοῖς, ἢ διαιρετέον.

CAPITA

Digitized by Google

# CAPITA PRIORUM III. LIBRORUM, EX THEODORI ZUINGERI SENTENTIA.

### LIBRI PRIMI.

1. Prooemium politicum de ſubjecto & modo doctrinæ politicæ.
2. Civitatis materiam, ipſam ſcilicet ſocietatem domeſticam, generatim proponit.
3. Societatis domeſticæ ſpecialem enarrationem inſtituit.
4. De herili ſocietate domeſtica primo agit, & de ſervo & ſervitute generatim diſputat.
5. De ſervitute naturali diſſerit.
6. De ſervitute legitima diſputat.
7. De domini & ſervi forma, quoad ſcientiam utriusque, agit.
8. De quæſtuaria acturus, primam ejus ſpeciem, quæ naturalis eſt, explanat.
9. Secundam quæſtuariæ ſpeciem, quæ artificialis eſt, explicat.
10. Utrum quæſtuaria ad œconomiam pertineat, elucidat.
11. Quæſtuariæ theoria explicata, de iis, quæ ad praxin ejusdem faciunt, diſputat.
12. De reliquis duabus ſocietatibus domeſticis, conjugali & patria, agit.
13. Forma ſocietatum domeſticarum, virtus ſcilicet œconomica, declaratur.

### LIBRI SECUNDI.

1. De civitatis forma (de ipſa ſcilicet conſtitutione) acturus, aliorum opiniones de reipublicæ optima conſtitutione primum explicandas proponit.
2. Opinionem Platonis de reipublicæ optima conſtitutione, primam libris decem comprehenſam examinat: & uxorum & liberorum communitatem, per quam civitatis unionem introducere conabatur, per ἔνστασιν impugnat.
3. Eandem per ἀντιπαράστασιν enervat.
4. Multa inſuper alia incommoda communionem uxorum & liberorum ſequi, oſtendit.
5. Platonicæ reipublicæ communionem patrimoniorum impugnat: diviſionem quinetiam civium in certas claſſes.
6. Platonis alteram reipublicæ conſtitutionem libris XII. de legibus traditam, examinat.
7. A Phalea Chalcedonio introductam reipublicæ conſtitutionem examinat.
8. Ab Hippodamo Mileſio propoſitam ideam reipublicæ perpendit.
9. Lacedæmoniorum rempublicam examinat.
10. De Cretenſium republica diſputat.
11. Carthaginienſium rempublicam examinat.
12. Athenienſium rempublicam conſiderat.

### LIBRI TERTII.

1. De forma civitatis, de politia ſcilicet, certum ſubjectum habente, agere inſtituit.
2. De politiæ materia proxima generatim agit, de civibus ſcilicet.
3. Alteram politiæ materiam proximam, civitatem ſcilicet, generatim explicat.
4. De civibus in ſpecie agit, & primum de perfectis civibus.
5. Qui cives imperfecti ſint, oſtendit.
6. De forma reipublicæ quæritur, an una ſit & ſimplex.
7. Reipublicæ formam multiplicem eſſe, declarat.
8. Ex ſubjecta materia, hoc eſt ex civibus, formam reipublicæ variare, oſtendit.
9. Ex diverſitate juris ſeu formæ imperii respublicas variare, oſtendit.
10. De varietate imperii, ſeu formæ reipublicæ in genere agit, quinam imperare debeant.
11. De imperii varietate in ſpecie, hominibusne an legibus magis conveniat.
12. Ex ipſo fine, formas reipublicæ variare oſtenſurus, bonum publicum primo inveſtigat.
13. Ex boni publici diverſitate, respublicas variare demonſtrat.
14. Reipublicæ regiæ ſpecies enarrat.
15. Utrum regnum univerſum inter bonas reipublicæ formas connumerari debeat.
16. Utrum regnum plenum dictum, inter bonas respublicas connumerari debeat, ex aliorum ſententia dubitat.
17. Ex ſua ſententia de regno pleno inter respublicas connumerando quæſtionem decidit.
18. Efficientis inſuper reſpectu varias rerumpublicarum formas eſſe, oſtendit.

# BENEVOLO LECTORI.

Quum longe præclariſſimum fuerit opus illud Ariſtotelis, quo deſcripſit respublicas ſui ævi tantum non omnes, idque cum aliis multis perierit, viſum eſt conſultum factu, exhibere hoc loco ſaltim teſtimonia veterum de opere illo, & quædam hinc inde congeſta fragmenta. Etſi enim hæc excerpta parum vel nihil potius juvent doctrinam civilem, utpote quum plæraque debeantur Grammaticis, & in Grammaticorum uſum ſint annotata: quoniam tamen memoriam aliquam nobis tradunt incomparabilis inſtituti, non poſſunt non etiam ita nobis accepta eſſe. Damus autem nunc iſthæc omnia, qualia congeſſit Iſaacus Caſaubonus, niſi quod uno & altero loco illa nos interpolaverimus. Nec enim addidimus Polybii, pro iis, quæ ab Ariſtotele de Locrenſibus ſcripta erant, adverſus Tymæum apologiam, quæ habetur in Conſtantini Porphyrogenetæ Auguſti excerptis peireſcianis; quod prolixiora ſint & Polybii magis, quam Ariſtotelis, etſi lectu longe digniſſima.

ΠΕΡΙ ΤΩΝ ΤΟΥ ἈΡΙΣΟΤΕΛΟΥΣ ΠΟΛΙΤΕΙΩΝ.

Διογένης ὁ Λαέρτιος ἐν τῷ τῶν Ἀριστοτέλες βιβλίων καταλόγῳ.

Πολιτεῖαι πόλεων δυοῖν δεούσαιν ἑξήκοντα καὶ ἑκατόν. καὶ ἰδίᾳ δημοκρατικαὶ, ὀλιγαρχικαὶ, ἀριστοκρατικαὶ, καὶ τυρανικαί.

ἈΜΜΩΝΙΟΣ ΕΝ ΤΩ ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ ΒΙΩ.

Ἀμέλει καὶ συνώδευσεν αὐτῷ (Ἀλεξάνδρῳ) μέχρι καὶ ἔσω Βραχμάνων, ἔνθ' ἔγραψε τὰς διακοσίας πεντηκονταπέντε πολιτείας.

ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΗΣ ΕΝ ΤΩ ΤΕΛΕΙ ΤΩΝ ΝΙΚΟΜΑΧΕΙΩΝ.

Πρῶτον μὲν ἂν εἴ τι κατὰ μέρος εἴρηται καλῶς ὑπὸ τῶν προγενεστέρων, πειραθῶμεν ἐπελθεῖν. εἶτα ἐκ τῶν συνηγμένων Πολιτειῶν θεωρῆσαι τὰ ποῖα σώζει καὶ φθείρει τὰς πόλεις.

ΣΤΡΑΒΩΝ, ζ. Γεωγραφεμένων.

Ὅτι δὲ πλάνητες, καὶ μετ' ἐκείνων καὶ χωρὶς, καὶ ἐκ παλαιῦ, καὶ αἱ Ἀριστοτέλες Πολιτεῖαι δηλῦσιν. ἐν μὲν γὰρ τῇ Ἀκαρνάνων φησὶ, τὸ μὲν ἔχειν αὐτῆς Κούρητας, τὸ δὲ προσεσπέριον Λέλεγας, εἶτα Τελεβόας. ἐν δὲ τῇ τῶν Αἰτωλῶν, τὲς νῦν Λοκρὲς, Λέλεγας καλεῖ, κατασχεῖν δὲ καὶ τὴν Βοιωτίαν αὐτὲς φησίν. ὁμοίως δὲ καὶ ἐν τῇ Ὀπεντίων καὶ Μεγαρέων. ἐν δὲ τῇ Λευκαδίων καὶ αὐτόχθονα τινὰ Λέλεγα ὀνομάζει, τέτε δὲ θυγατριδῦ Τηλεβόαν· τῦ δὲ παῖδας δύο καὶ εἴκοσι Τηλεβόας· ὧν τινας οἰκῆσαι τὴν Λευκάδα.

## *M. Tullius Cicero de Finibus lib. V.*

Omnium fere civitatum, non Græciæ ſolum, ſed etiam Barbariæ, ab Ariſtotele mores, inſtituta, diſciplinas; a Theophraſto etiam leges cognovimus.

## *Varro de lingua latina lib. VI.*

Hoc factitatum Ariſtoteles ſcribit in libro, qui inſcribitur Νόμιμα Βαρβαρικά.

ἘΚ ΤΩΝ ΠΟΛΙΤΕΙΩΝ, ΤΟΥ ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ.

ΑΘΗΝΑΙΩΝ πολιτεία.

Ἁρποκρατίων ἐν τῷ Στρατεία. τίς ἦν ἐν τοῖς ἐπωνύμοις στρατεία, δεδήλωκεν Ἀριστοτέλης ἐν Ἀθηναίων πολιτείᾳ, λέγων· Εἰσὶ γὰρ ἐπώνυμοι δέκα μὲν οἱ τῶν φυλῶν· δύο δὲ καὶ τεσσαράκοντα οἱ τῶν ἡλικιῶν. οἱ δὲ ἔφηβοι ἐγγραφόμενοι, πρότερον μὲν εἰς λελευκωμένα γραμματεῖα ἐνεγράφοντο. καὶ ἐνεγράφοντο αὐτοῖς ὅ, τε ἄρχων ἐφ' ὗ ἐπεγράφησαν, καὶ ὁ ἐπώνυμος ὁ τῷ προτέρῳ ἔτει δεδιῃτηκώς. νῦν δὲ εἰς τὴν βουλὴν ἀναγράφονται. Καὶ μετ' ὀλίγα· χρῶνται δὲ τοῖς ἐπωνύμοις καὶ πρὸς τὰς στρατείας· καὶ ὅταν ἡλικίαν ἐκπέμπωσι, προσγράφουσιν ἀπό τινος ἄρχοντος ἐπωνύμου μέχρι τίνος δεῖ στρατεύεσθαι.

ΑΙΓΙΝΗΤΩΝ πολιτεία.

Ἀθήναιος ἐν τῇ ς'. τῶν Δειπνοσοφ. Ἀριστοτέλης δ' ἐν Αἰγινητῶν πολιτείᾳ, καὶ παρὰ τούτοις φησὶ γενέσθαι ἑπτὰ καὶ τεσσαράκοντα μυριάδας δούλων.

ΑΙΤΩΛΩΝ πολιτεία.

Στράβων Γεωγραφεμένων ζ. Κεῖται ἐν τοῖς πρὸ ὀλίγε.

ἈΚΑΡΝΑΝΩΝ πολιτεία.

Στράβων ἐν τῷ ζ. Καὶ τῦτο ζήτει ἐν τοῖς πρότερον κειμένοις.

ΑΚΡΑΓΑΝΤΙΝΩΝ πολιτεία.

Πολυδεύκης ἐν τῷ κδ', τῆς τετάρτης. Ἀριστοτέλης δ' ἐν τῇ μὲν Ἀκραγαντίνων πολιτείᾳ προειπὼν ὡς ἐζημίουντο πεντήκοντα λίτραις, ἐπάγει, ἡ δὲ λίτρα δύναται ὀβολὸν Αἰγιναῖον. ἐν δὲ Ἱμεραίων πολιτείᾳ φησὶν, ὡς οἱ μὲν Σικελιῶται τὲς δύο χαλκὲς ἑξαλίτρα καλῦσι· τὸν δὲ ἕνα, οὐγκίαν· τὸν δὲ ὀβολὸν, λίτραν· τὸν δὲ Κορίνθιον στατῆρα, δεκάλιτρον, ὅτι δέκα ὀβολὲς δύναται.

ἈΜΒΡΑΚΙΩΤΩΝ πολιτεία.

Στέφανος ὁ Βυζάντιος ἐν τῷ Δεξαμεναί. Τὸ ἐθνικὸν Δεξαμεναῖος, ὡς Ἀριστοτέλης φησὶν ἐν τῇ Ἀμβρακιωτῶν πολιτείᾳ.

ΑΡΓΕΙΩΝ πολιτεία.

Πολυδεύκης βιβ. ι. κεφ. μς'. Εἴη δ' ἂν καὶ φείδων τι ἀγγεῖον ἐλαιηρὸν, ἀπὸ τῶν Φειδωνίων μέτρων ὠνομασμένον· ὑπὲρ ὧν ἐν Ἀργείων πολιτείᾳ Ἀριστοτέλης λέγει.

ἈΡΚΑΔΩΝ πολιτεία.

Ἁρποκρατίων, ἐν τῷ Μυρίοι. Διείλεκται δὲ περὶ αὐτῶν καὶ Ἀριστοτέλης ἐν τῇ κοινῇ Ἀρκάδων πολιτείᾳ ἀρχόμενος τῦ βιβλίε.

ΒΟΤΤΙΑΙΩΝ πολιτεία.

Πλέταρχος ἐν Θησεῖ. Ἀριστοτέλης δὲ καὶ αὐτὸς ἐν τῇ Βοττιαίων πολιτείᾳ δῆλός ἐστιν ὁ νομίζων ἀναιρεῖσθαι τὲς παῖδας ὑπὸ Μίνω, ἀλλὰ θητεύειν· τὰς ἐν τῇ Κρήτῃ καταγηράσκειν. καί ποτε Κρῆτας εὐχὴν παλαιὰν ἀποδιδόντας, ἀνθρώπων ἀπαρχὴν εἰς Δελφὲς ἀποστέλλειν· τοῖς δὲ πεμπομένοις ἀναμιχθέντας ἐκγόνες ἐκείνων συνεξελθεῖν. ὡς δὲ ἐκ ἦσαν ἱκανοὶ τρέφειν ἑαυτὲς αὐτόθι, πρῶτα μὲν εἰς Ἰταλίαν διαπεράσαι, κἀκεῖ κατοικεῖν περὶ τὴν Ἰαπυγίαν· ἐκεῖθεν δὲ αὖθις εἰς Θρᾴκην κομισθῆναι, καὶ κληθῆναι Βοττιαίες· διὸ τὰς κόρας τῶν Βοττιαίων θυσίαν τινὰ τελέσας ἐπάδειν, Ἴωμεν εἰς Ἀθήνας.

ΓΕΛΩΩΝ πολιτεία.

Ἐν τοῖς εἰς τὸν Πίνδαρον σχολίοις, Πυθιονικ. εἰδ. α. Φησὶ γάρ πε καὶ Ἀριστοτέλης ἐν τῇ τῶν Γελώων πολιτείᾳ, Γέλωνα τὸν τῦ Ἱέρωνος ἀδελφὸν, ὑδέρῳ νοσήματι τὸν βίον τελευτῆσαι· αὐτὸν δὲ τὸν Ἱέρωνα ἐν τῇ τῶν Συρακεσίων πολιτείᾳ δυσερίᾳ δυστυχῆσαι.

ΔΗΛΙΩΝ

ΔΗΛΙΩΝ πολιτεία.

Διογένης ὁ Λαέρτιος ἐν τῷ Πυθαγόρᾳ. Αμέλει καὶ βωμὸν προσκυνῆσαι μόνον τȣ̃ Ἀπόλλωνος τȣ̃ γενέτορος, ὃς ἐςὶν ὄπιθεν τȣ̃ Κερατίνȣ, διὰ τὸ πυρȣ̀ς καὶ κριθὰς καὶ τὰ πόπανα μόνα τίθεσθαι ἐπ' αὐτȣ̃ ἄνευ πυρὸς, ἱερεῖον δὲ μηδὲν, ὥς φησιν Αριςοτέλης ἐν Δηλίων πολιτείᾳ.

ΕΥΒΟΕΩΝ πολιτεία.

Στράβων Γεωγραφȣμένων, θ'.

ΗΠΕΙΡΩΤΩΝ πολιτεία.

Στέφανος ὁ Βυζάντιος ἐν τῷ Αμύνται. Ἀμύνται ἔθνος Θεσπρωτικὸν-μένος πνείοντες Ἀμύνται, καὶ Αριςοτέλης ἐν τῇ τῶν Ἠπειρωτῶν πολιτείᾳ.

ΘΕΤΤΑΛΩΝ πολιτεία.

Αθήναιος Δειπνοσοφ. ιδ. Ἀριςοτέλης δ' ἐν τῇ Θετταλῶν πολιτείᾳ θηλυκῶς λέγεσθαί φησιν ὑπὸ Θετταλῶν τὴν λάγυνον.

ΙΘΑΚΗΣΙΩΝ πολιτεία.

Ισάκιος ὁ Τζέτζης ἐν τοῖς εἰς Λυκόφρονα. Αριςοτέλης φησὶν ἐν Ιθακησίων πολιτείᾳ, Εὐρυτᾶνας ἔθνος εἶναι τῆς Αἰτωλίας, ὠνομασθὲν ἀπὸ Εὐρύτȣ, παρ' οἷς εἶναι μαντεῖον Οδυσσέως

Σȣΐδας ἐν σκυτάλῃ.

ΙΜΕΡΑΙΩΝ πολιτεία.

Πολυδεύκης ἐν τῷ κδ' τῆς τετάρτης. Αριςοτέλης ἐν τῇ μὲν Ἀκραγαντίνων πολ. καὶ τὰ ἑξῆς ὡς κεῖται ἄνωθεν ἐν τῇ Ἀκραγαντίνων πολιτείᾳ.

ΚΑΡΩΝ πολιτεία.

Απολλώνιος ἐν Θαυμασίαις ἱςορίαις ια. Αριςοτέλης δὲ ἐν Νομίμοις Βαρβαρικοῖς τῆς Καρίας * σκορπίοι γίνονται, οἳ τȣ̀ς μὲν ξένȣς πατάξαντες, ȣ̓ λίαν ἀδικȣ̃σι· τȣ̀ς δ' ἐπιχωρίȣς παρ' αὐτὰ ἀποκτείνȣσι.

ΚΕΡΚΥΡΑΙΩΝ πολιτεία.

Ἐκ τῶν εἰς τὸ δ' τῶν τȣ̃ Ἀπολλωνίȣ Αργοναυτικῶν χολίων. Ἡ δὲ Κερκύρα πρότερον μὲν Δρεπάνη ἐκαλεῖτο, εἶτα Σχερία. ἀποδίδωσι δὲ τὴν αἰτίαν Αριςοτέλης ἐν τῇ Κερκυραίων πολιτείᾳ. φησὶ γὰρ τὴν Δήμητραν φοβȣμένην, μὴ οἱ ἐκ τῆς ἠπείρȣ ἐρχόμενοι ποταμοὶ ἤπειρον αὐτὴν ποιήσωσι, δεηθῆναι Ποσειδῶνος, ἀποςρέψαι τὰ τῶν ποταμῶν ῥεύματα· ἐπισχεθέντων οὖν τȣ́των, ἀντὶ Δρεπάνης Σχερίαν ὀνομασθῆναι. Δρεπάνη δὲ ἐκαλεῖτο, διὰ τὸ τὴν Δημήτραν αἰτησαμένην δρέπανον παρ' Ηφαίςȣ, τȣ̀ς Τιτᾶνας διδάξαι θερίζειν· εἶτα αὐτὸ κρύψαι εἰς τὸ παραθαλάσσιον μέρος τῆς νήσȣ. προκλυζȣ́σης δὲ τῆς θαλάσσης, ἐξομοιωθῆναι τὴν θέσιν τῆς γῆς δρεπάνῃ.

ΚΙΑΝΩΝ πολιτεία.

Ἐν τοῖς εἰς Απολλώνιον τὸν τῶν Αργοναυτικῶν ποιητὴν χολίοις, α. Ἔςι δὲ (ἡ Κίος) πόλις Μυσίας, ἀπὸ Κίȣ τȣ̃ ἀφηγησαμένȣ τῆς Μιλησίων ἀποικίας, ὡς ἱςορεῖ Αριςοτέλης ἐν Κιανῶν πολιτείᾳ.

ΚΟΛΟΦΩΝΙΩΝ πολιτεία.

Αθήναιος ἐν τῇ ιδ. Ἦν δὲ καὶ ἐπὶ ταῖς ἑώραις τὶς ἐπ' Ηριγόνη, ἣν καὶ αὐλῆτιν λέγȣσιν ᾠδήν. Αριςοτέλης γȣ̃ν ἐν τῇ Κολοφονίων πολιτείᾳ φησίν· ἀπέθανε δὲ καὶ αὐτὸς ὁ Θεόδωρος ὕςερον βιαίῳ θανάτῳ. λέγεται δὲ γενέσθαι τρύφων τὶς, ὡς ἐκ τῆς ποιήσεως δῆλον ἐςίν· ἔτι γὰρ καὶ νῦν αἱ γυναῖκες ᾄδȣσιν αὐτȣ̃ μέλη περὶ τὰς ἑώρας.

ΚΥΘΝΙΩΝ πολιτεία.

Αρποκρατίων, ἐν τῷ Κύθνιοι. Κύθνος, μία τῶν Κυκλάδων νήσων. Αριςοτέλης ἐν τῇ Κυθνίων πολιτείᾳ.

ΚΥΜΑΙΩΝ πολιτεία.

Ἐν τοῖς εἰς τὸν Σοφοκλέȣς Οἰδίποδα τύραννον χολίοις. Ὅτι δὲ νεώτερον τὸ τȣ̃ τυράννȣ ὄνομα, δῆλον. ȣ̓́τε γὰρ Ὅμηρος, ȣ̓́τε Ἡσίοδος, ȣ̓́τε ἄλλος ȣ̓δεὶς τῶν παλαιῶν, τύραννον ἐν τοῖς ποιήμασιν ὀνομάζει· ὁ δ' Αριςοτέλης ἐν Κυμαίων πολιτείᾳ, τȣ̀ς τυράννȣς φησὶ τὸ πρότερον αἰσυμνήτας προσαγορεύεσθαι· εὐφημότερον γ' ἐκεῖνο τȣ̃νομα.

ΚΥΠΡΙΩΝ πολιτεία.

Αρποκρατίων. Ἄνακτες καὶ ἄνασσαι· οἱ μὲν υἱοὶ καὶ ἀδελφοὶ τȣ̃ βασιλέως, καλȣ̃νται ἄνακτες· αἱ δὲ ἀδελφαὶ καὶ γυναῖκες, ἄνασσαι. Αριςοτέλης ἐν τῇ Κυπρίων πολιτείᾳ.

ΚΥΡΗΝΑΙΩΝ πολιτεία.

Πολυδεύκης ἐν τῇ θ.

ΛΑΚΕΔΑΙΜΟΝΙΩΝ πολιτεία.

Αρποκρατίων. Μόραι, συντάγματά τινα Λακωνικὰ ȣ̓́τω καλεῖται. διείλεκται δὲ περὶ τȣ́των Αριςοτέλης ἐν τῇ Λακεδαιμονίων πολιτείᾳ. φησὶ δὲ ὡς εἰσὶ μοῖραι (μόραι) ὠνομασμέναι, καὶ διῄρηνται εἰς τὰς μοίρας Λακεδαιμόνιοι πάντες.

ΛΕΥΚΑΔΙΩΝ πολιτεία.

Στράβων ζ Γεωγραφȣμένων. Κεῖται ἤδη καὶ τȣ̃το.

ΛΟΚΡΩΝ πολιτεία.

Κλήμης ὁ Αλεξανδρεὺς, Στρωματέων α. Χαμαιλέων ὁ Ηρακλεώτης ἐν τῷ περὶ μέθης, καὶ Αριςοτέλης ἐν τῇ Λοκρῶν πολιτείᾳ, Ζάλευκον τὸν Λοκρὸν παρὰ τῆς Αθηνᾶς τȣ̀ς νόμȣς λαμβάνειν ἀπομνημονεύȣσι.

ΜΑΣΣΑΛΙΩΤΩΝ πολιτεία.

Ἀθήναιος Δειπνοσοφιςῶν ιγ. Τὸ ὅμοιον ἱςορεῖ γενέσθαι καὶ Ἀριςοτέλης ἐν τῇ Μασσαλιωτῶν πολιτείᾳ, γράφων ȣ̓́τως· Φωκαεῖς οἱ ἐν Ἰωνίᾳ, ἐμπορίᾳ χρώμενοι ἔκτισαν Μασσαλίαν. Εὔξενος δὲ ὁ Φωκεὺς Νάνῳ τῷ βασιλεῖ, τȣ̃το δ' ἦν αὐτῷ ὄνομα, ἦν ξένος· ȣ̓́τος ὁ Νάνος ἐπιτελῶν γάμȣς τῆς θυγατρὸς,

κατὰ τύχην παραγενόμενον τὸν Εὔξενον παρακέκληκεν ἐπὶ τὴν θοίνην· ὁ δὲ γάμος ἐγίνετο τόνδε τὸν τρόπον· ἔδει μετὰ τὸ δεῖπνον εἰσελθοῦσαν τὴν παῖδα φιάλην κεκραμένην ᾧ βούλοιτο δοῦναι τῶν παρόντων μνηστήρων· ᾧ δὲ δοίη, τοῦτον εἶναι νυμφίον· ἡ δὲ παῖς εἰσελθοῦσα δίδωσιν, εἴτε ἀπὸ τύχης, εἴτε καὶ δι᾽ ἄλλην τινὰ αἰτίαν τῷ Εὐξένῳ· ὄνομα δὲ ἦν τῇ παιδὶ Πέττα· τούτου δὲ συμβάντος, καὶ τοῦ πατρὸς ἀξιοῦντος, ὡς κατὰ θεὸν γενομένης τῆς δόσεως, ἔχειν αὐτὴν, ἔλαβεν ὁ Εὔξενος γυναῖκα, καὶ συνῴκει, μεθαθέμενος τοὔνομα Ἀριστοξένην. καὶ ἔστι γένος ἐν Μασσαλίᾳ ἀπὸ τῆς ἀνθρώπου, μέχρι νῦν Πρωτιάδαι καλούμενον. Πρῶτις γὰρ ἐγένετο υἱὸς Εὐξένου καὶ Ἀριστοξένης.

## ΜΕΓΑΡΕΩΝ πολιτεία.

Ἐν τοῖς Σουΐδα. Στράβων γεωγραφ. ζ´. κεῖται ἤδη.

## ΜΕΘΩΝΑΙΩΝ πολιτεία.

Ἀθήναιος Δειπνοσοφιστῶν ϛ´. Ἀριστοτέλης δ᾽ ἐν τῇ Μεθωναίων πολιτείᾳ, παράσιτοι, φησὶ, τοῖς μὲν ἄρχουσι δύο καθ᾽ ἕκαστον ἦσαν. τοῖς δὲ πολεμάρχοις εἷς. τεταγμένα δὲ ἐλάμβανον παρ᾽ ἄλλων τε τινῶν καὶ τῶν ἁλιέων ὄψον.

## ΜΗΛΙΕΩΝ πολιτεία.

Ἐν τοῖς Σουΐδα.

## ΝΑΞΙΩΝ πολιτεία.

Ἀθήναιος Δειπνοσοφιστῶν ή. Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Ναξίων πολιτείᾳ περὶ τῆς παροιμίας οὕτως γράφει. Τῶν παρὰ Ναξίοις εὐπόρων, οἱ μὲν πολλοὶ τὸ ἄστυ ᾤκουν, οἱ δὲ ἄλλοι διεσπαρμένοι κατὰ κώμας. ἐν οὖν δή τινι τῶν κωμῶν, ᾗ ὄνομα ἦν Λυστάδαι, Τελεσταγόρας ᾤκει, πλούσιός τε σφόδρα καὶ εὐδοκιμῶν, καὶ τιμώμενος παρὰ τῷ δήμῳ, τοῖς τ᾽ ἄλλοις ἅπασι, καὶ τοῖς καθ᾽ ἡμέραν πεμπομένοις. καὶ ὅτι καταβάντες ἐκ τῆς πόλεως δυσωνοῖντό τι τῶν πωλουμένων, ἔθος ἦν τοῖς πωλοῦσι λέγειν, ὅτι μᾶλλον ἂν προέλοιντο Τελεσταγόρᾳ δοῦναι, ἢ τοσούτου ἀποδόσθαι νεανίσκοι οὖν τινες ὠνούμενοι μέγαν ἰχθῦν, εἰπόντος τοῦ ἁλιέως τὰ αὐτὰ, λυπηθέντες τῷ πολλάκις ἀκούειν, ὑποπιόντες ἐκώμασαν πρὸς, αὐτόν. δεξαμένου δὲ τοῦ Τελεσταγόρου φιλοφρόνως αὐτοὺς, οἱ νεανίσκοι αὐτόν τε ὕβρισαν, καὶ δύο θυγατέρας αὐτοῦ ἐπιγάμους· ἐφ᾽ οἷς ἀγανακτήσαντες οἱ Νάξιοι, καὶ τὰ ὅπλα ἀναλαβόντες ἐπῆλθον τοῖς νεανίσκοις. καὶ μεγίστη τότε στάσις ἐγένετο, προστατοῦντος τῶν Ναξίων Λυγδάμιδος, ὃς ἀπὸ ταύτης τῆς στρατηγίας τύραννος ἀνεφάνη τῆς πατρίδος.

## ΟΠΟΥΝΤΙΩΝ πολιτεία.

Ἡσύχιος. Ἄσπετος, ὁ Ἀχιλλεὺς ἐν Ἠπείρῳ, ὥς φησιν ὁ Ἀριστοτέλης ἐν Ὀπουντίων πολιτείᾳ.
Στράβων Γεωγραφουμένων ζ. Κεῖται ἤδη.

## ὈΡΧΟΜΕΝΙΩΝ πολιτεία.

Πολυδεύκης βιβ. ι. κεφ. λη´. Καὶ ὅταν μὲν Ἀχαρνεῦσιν εἴπῃ Ἀριστοφάνης, ἀχάρνας χρυσίου, τὸ ἀγγεῖον ἴσως Περσικόν· ἔνιοι δὲ τὴν θεωρικὴν κίστην οὕτω κεκλῆσθαι νομίζουσιν. ἐν δὲ Ἀριστοτέλους, Ὀρχομενίων πολιτείᾳ, μέτρον ἐστὶ τετταράκοντα μεδίμνους χωροῦν Ἀττικούς.

## ΣΑΜΙΩΝ πολιτεία.

Ζηνόβιος ἐν Ἐπιτομῇ τῶν Ταῤῥαίου καὶ Διδύμου παροιμιῶν, Τὸ περὶ δρῦν σκότος. Ἀριστοτέλης φησὶν ἐν τῇ Σαμίων πολιτείᾳ, Πριηνέας πολλοὺς ὑπὸ Σαμίων ἀναιρεθῆναι περὶ τὴν καλουμένην δρῦν· ὅθεν καὶ τὰς Πριηνέας γυναῖκας ὀμνῦναι τὸ περὶ δρῦν σκότος.

## ΣΑΜΟΘΡΑΚΗΣ πολιτεία.

Ἐν τοῖς εἰς τὸ πρῶτον τῶν Ἀπολλωνίου Ἀργοναυτικῶν· Ἡ δὲ Σαμοθράκη ἐκαλεῖτο πρότερον Λευκοσία, ὡς ἱστορεῖ Ἀριστοτέλης ἐν Σαμοθράκης πολιτείᾳ.

## ΣΙΚΤΩΝΙΩΝ πολιτεία.

Πολυδεύκης, ἐννάτῃ. Ἀριστοτέλης δὲ αὐτὰ ταῦτα λέγων ἐν Σικυωνίων πολιτείᾳ, σμικρόν τι καινοτομεῖ. ὀφελλοὺς γὰρ αὐτοὺς ὀνομάζει λέγων, τοῦ μὲν ὀφέλλειν δηλοῦντος τὸ αὔξειν, αὐτῶν δὲ διὰ τὸ εἰς μῆκος ηὐξῆσθαι, ὧδε κληθέντων. ὅθεν καὶ τὸ ὠφελεῖν ὠνομάσθαι φησὶν ἐκ οἶδ᾽ ὅπως. ἐπὶ μέν τοι τὸν ὀβολὸν ὑπηλλάχθαι τὸ φ εἰς τὸ β κατὰ συγγένειαν.

## ΣΥΡΑΚΟΥΣΙΩΝ πολιτεία.

Ἀθήναιος Δειπνοσοφ. ι. Ἀριστοτέλης δ᾽ ἐν τῇ Συρακουσίων πολιτείᾳ, καὶ συνεχῶς φησὶν αὐτὸν ἔσθ᾽ ὅτε ἐπὶ ἡμέρας ἐνενήκοντα μεθύειν· διὸ καὶ ἀμβλυωπότερον γενέσθαι τὰς ὄψεις.

## ΤΑΡΑΝΤΙΝΩΝ πολιτεία.

Πολυδεύκης, ἐν τῇ θ´ καὶ Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Ταραντίνων πολιτείᾳ φησὶ καλεῖσθαι νόμισμα παρ᾽ αὐτοῖς νοῦμμον, ἐφ᾽ οὗ ἐντετυπῶσθαι Τάραντα τὸν Ποσειδῶνος, δελφῖνι ἐποχούμενον.

## ΤΕΓΕΑΤΩΝ πολιτεία.

Ἐν τοῖς εἰς τὰς Ἀριστοφάνους Νεφέλας σχολίοις. Ἀριστοτέλης δ᾽ ἐν τῇ Τεγεατῶν πολιτείᾳ φησὶν, ὅτι βάρβαροι τὴν Ἀρκαδίαν ᾤκησαν· οἵτινες ἐξεβλήθησαν ὑπὸ τῶν νῦν Ἀρκάδων πρὸ τοῦ ἐπιτεῖλαι τὴν σελήνην· διὸ καὶ προσωνομάσθησαν προσέληνοι.

## ΤΕΝΕΔΙΩΝ πολιτεία.

Στέφανος ὁ Βυζάντιος, ἐν τῷ Τένεδος. Ἔστι καὶ ἑτέρα παροιμία, Τενέδιος πέλεκυς, ἐπὶ τῶν ἤτοι πικρῶν ἢ καὶ μᾶλλον συντόμως ἀποκοπτόντων τὰ ζητήματα, καὶ τὰ ἄλλα πράγματα· καὶ φησὶν Ἀριστείδης καὶ ἄλλοι, τὸν ἐν Τενέδῳ Ἀπόλλωνα πέλεκυν κρατεῖν διὰ τὰ συμβάντα τοῖς περὶ Τέννην· ἢ μᾶλλον, ὥς φησιν Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Τενεδίων πολιτείᾳ, ὅτι βασιλεύς τις ἐν Τενέδῳ νόμον ἔθηκε τὸν καταλαμβάνοντα μοιχοὺς ἀναιρεῖν πελέκει ἀμφοτέρους· ἐπειδὴ δὲ συνέβη τὸν υἱὸν αὐτοῦ καταληφθῆναι μοιχὸν, ἐκύρωσε καὶ περὶ τοῦ ἰδίου παιδὸς τηρηθῆναι τὸν νόμον· καὶ ἀναιρεθέντος, εἰς παροιμίαν ἐλθεῖν τὸ πρᾶγμα ἐπὶ τῶν ὠμῶς πραττομένων. διὰ τοῦτο φησὶ, καὶ ἐπὶ τοῦ νομίσματος τῶν Τενεδίων κεχαράχθαι ἐν μὲν τῷ ἑτέρῳ μέρει πέλεκυν, ἐπὶ δὲ τοῦ ἑτέρου δύο κεφαλὰς εἰς ὑπόμνησιν τοῦ περὶ τὸν παῖδα παθήματος.



Digitized by Google

ΤΡΟΙΖΗΝΙΩΝ *πολιτεία.*

Ἀθήναιος Δειπνοσοφισ. α. Ὠνομάζετο δὲ παρὰ Τροιζηνίοις, ὥς φησιν Ἀριστοτέλης ἐν τῇ αὐτῶν πολιτείᾳ, Ἄμπελος Ανθηδονιὰς καὶ Ὑπεριὰς ἀπὸ Ἄνθȣ τινὸς καὶ Ὑπέρȣ, ὡς Ἀληθηφιὰς ἀπὸ Ἀληθηφίȣ τινὸς, ἑνὸς τῶν Ἀλφειȣ ἀπογόνων.

ΤΥΡΡΗΝΩΝ *πολιτεία.*

Ἀθήναιος Δειπνοσοφιςῶν πρώτῳ. Ἀριστοτέλης ἐν Τυῤῥηνῶν Νομίμοις. Οἱ δὲ Τυῤῥηνοὶ δειπνȣ̃σι μετὰ τῶν γυναικῶν ἀνακείμενοι ὑπὸ τῷ αὐτῷ ἱματίῳ.

ΦΩΚΕΩΝ *πολιτεία.*

Κλήμης ὁ Ἀλεξανδρεὺς, Στρωματ. λόγῳ α. Ἐξήκεστός τι ὁ Φωκέων τύραννος δύο δακτυλίȣς φορῶν γεγοητευμένȣς, τῷ ψόφῳ τῷ πρὸς ἀλλήλȣς διῃσθάνετο τȣ̀ς καιρȣ̀ς τῶν πράξεων. ἀπέθανε δὲ ὅμως δολοφονηθεὶς καίτοι προσημήναντος τȣ̃ ψόφȣ, ὥς φησιν Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Φωκέων πολιτείᾳ, ἀλλὰ καὶ τῶν παρ' Αἰγυπτίοις ἀνθρώπων ποτέ. &c.

# XI.

## HERMANNI CONRINGII DISSERTATIO DE

# CIVE ET CIVITATE IN GENERE CONSIDERATA

***RESPONDENTE***

**AUGUSTO MILAGIO HALBERSTADIENSE.**

ANNO MDCLIII.

## THESIS I.

Quemadmodum omni illi, qui de republica ejusque ſpeciebus dextre atque ordine diſputare velit, neceſſario incumbit, aliquam de civitate ejusque natura præmittere tractationem, ita & nobis ingenii exercendi cauſſa de civitate, quod bene vertat Deus, acturis in civis ipſius eſſentiam fuerit inquirendum, ſi quidem & veſtigia noſtri Ariſtotelis hanc conſequentiam 3. *polit.* 1. initio nectentis, & methodum ejus ὑφηγημένην ſequi velimus, qui ſatis graves cauſſas ſui reddit inſtituti. Cum enim in ipſa de civitate tractatione frequentes de civibus incidant controverſiæ, quumque civis definitionem civitatis ingrediatur, utique nec hæc accurate conſtitui, nec illæ commode componi, niſi perſpecta civis natura, poſſunt.

II. Quoniam vero vocabuli civis ambiguitas doctis pariter ac indoctis jam tum ab Ariſtotelis ævo impoſuit, & hodienum multis erroribus facem ac occaſionem præbuit, de tollenda ea ante erimus ſolliciti, quam ad extruendam civis definitionem (a qua omnis de re aliqua ſuſcepta inſtitutio proficiſci debet *Cic. lib.* 1. *de offic.*) nos accingamus.

III. Primo autem civis nomine vulgo venit omnis ſubditus: Quo ſpectant ii, qui civem per ſubjectionem definiunt, ut Bodinus 1. *de republ.* 6. & alii. Qui in duplici errore nobis verſari videntur, cum quod hoc modo in civium numerum inquilinos & ſervos (quos utique ſubditos eſſe fruſtra quis negaverit) etiam referant, tum quod non ſatis civitatis naturam percipiant, unde cives appellationem nanciſcuntur. Civitas ſcilicet non denotat quamvis multitudinem hominum, ſed ſocietatem quandam, cujus partes eſſentiales ſunt cives. Jam vero non omnis, qui vivit in civitate aliqua, ſtatim & ſocius revera eſt, aut ſocietatis particeps, niſi per improprie vocem ſocietatis uſurpes.

IV. Secundo nonnunquam ii tantummodo cives appellantur, vel appellari volunt, qui ex *utroque parente* (*a*) cive prognati ſunt, ſed jus civitatis ab avo quoque & proavo repetere poſſunt: Qui cæteros patre tantum vel matre cive ortos nothos appellitant. Hæc ſignificatio Athenis, annitente Pericle, ita invaluerat, ut in jus paulatim verteretur, & ſpurii loco, (referente Plutarcho *in Themiſtocle*) eſſet, qui ex alterutro tantum parente cive naſceretur: quam legem non tantum Ariſtoteles noſter 3. *politic. c.* 1. una cum Georgiæ objectione, egregie refutat, ſed & ante eum, occaſione ejusdem Periclis, abolitam fuiſſe, memorat in vita ejus Plutarchus. Hujus enim unicum filium, ex muliere extranea ſuſceptum, nomine paterno in curia cenſeri ſenatus juſſit. Et vero quæſtio eſt politica, num qui alterutro parente duntaxat nati ſunt cives, in civium numero haberi debeant, nec ne: cur item aliquis omnino peregrinus debeat admitti? Soletque decidi ex uſu reipublicæ cujusvis, quarum alii atque alii hoc vel illud convenit: nec enim in his aliquid eſt, quod perpetuo & in omnibus civitatibus habeat locum.

V. Tertio

(*a*) *Utroque parente*) Quid paſſim in Germania obtinet, docet BAIER *in ſpecimine juris germanici*, *GOEB.*



Digitized by Google

V. Tertio denique civis nomen uſurpare poſſunt pueri ex patre cive nati, ſenes item depontani, & ii, qui ad certum tempus ex civitate relegati ſunt 3. *polit. c.* 1. Sed quum omnibus pro tempore facultas ſuffragii ferendi & judicii adminiſtrandi deſit, liquido patet, eos non ἁπλῶς, ſed ſecundum quid civium mereri nomen. Pueri ſcilicet, quod quando per ætatem licebit, jam actu ſint ſocii: ſenes quod fuerint & ſola ætate reddantur inhabiles: exules item, quod cum jus civitatis habeant, in pœnam careant. Honorarii vero cives tam longe a natura veri civis abſunt, quam quondam is, qui odore carnium paſcebantur, a carnibus ipſis. Qui autem præter hos nobis jam recenſitos, hoc nomine vulgo veniunt (ut, v. g. οἱ ἀπὸ τῶν συμβόλων κοινωνοῦντες) eos, quia una litura e catalogo civium delet philoſophus citato ſæpius cap. 1. Idcirco nobis hic licebit eſſe brevioribus. Hæc illa vocis hujus inſignis ambiguitas in cauſa procul dubio fuit, quare a multis hodiernis politices ſcriptoribus eſſentia veri civis non indagata, aut extranea ferme admiſceantur, aut vero cives cum municipibus mire confundantur. Quod admiratione non egere ait Beſoldus 1. *polit. XI.* §. 1. quum quilibet ſe ad normam ſuæ civitatis, vel uſitatæ etiam loquendi conſuetudinis accommodet. Nunc poſtquam vocem ab ambiguitate, quantum inſtituto noſtro ſufficere arbitramur, liberavimus, ad indaganda ea, in quibus eſſentia civis conſiſtit, duce eodem Ariſtotele perrecturi ſumus.

VI. Sicuti autem in omni in univerſum ſocietate is ſocii demum appellationem meretur, qui ſalutem ſocietatis per ſe promovere velit & poſſit, (quod exemplo a navigantibus petito oſtendit Ariſtoteles 3. *politic. c.* 3.) ita nemo in τελειοτάτην illam κοινωνίαν, (uti in ſimili re a minori ad majus argumentatur philoſophus 1. *polit.* 2.) admitti debet, qui tali facultate deſtituatur, qua finem civitati propoſitum pro viribus poſſit adjuvare. Quamvis autem bene multa ſint, quæ partibus civitatis hic incumbant, eorum tamen ſumma genera ex philoſopho exhibebimus, cujus præclara verba & ad noſtrum propoſitum congrue accommodata *ex* 4. *polit.* 14. non poſſum, quin adſcribam. *Tres autem ſunt omnes rerumpublicarum partes*, inquit, *quibus præclare conſtitutis neceſſe eſt & ejus ſpecies eo ipſo inter ſe dividi, quo ſingulæ hæ partes differunt. Atque ex his tribus partibus una quidem verſatur in publicarum deliberationum facultate: Secunda in magiſtratibus: Tertia in judiciis.*

VII. Tametſi vero primam iſtam partem, i. e. facultatem dextre de rebus communibus deliberandi in cive ſuo expreſſe requirere non videtur Ariſtoteles: id tamen nondum incertitudinis cujusdam iſtud, ex quo civis definitionem jam tradituri ſumus, fundamentum arguit; nam voce ἀρχῆς, qua Ariſtoteles in definitione civis jam utetur, non magiſtratus tantum, ſed & jus ſuffragia ferendi deſignari, Piccartus & Giphanius exiſtimant. Quamvis non deſint, qui voce κρίσεως hanc deliberandi poteſtatem comprehendi volunt.

IIX. Cum itaque jam ea a nobis ſint expoſita, quarum reſpectu quis maxime finem civilis ſocietatis participat, non ultra dubitamus *civem* (*a*) cum Ariſtotele definire: τὸν τῆς κρίσεως καὶ ἀρχῆς μετέχοντα, ſocium *civitatis*, *qui imperii & judiciorum civitatis iſtius particeps eſt vel eſſe poteſt.* 3. *polit.* 1. & 8. Hac ſemper obſervata proportione, ut is magis vel minus civis dicatur, qui magis minusve de fine civitatis participat. Quia enim imperium, ſuffragia & judicia in rebus publicis usque adeo variant, ut inde tot diverſæ oriantur ſpecies, quid mirum fuerit, ſi hæc definitio omnibus civitatum ſociis ex æquo accommodari nequeat, in qua philoſopho ad potiſſimum analogatum reſpiciendum fuit, (eſt enim civis e numero eorum, quæ dicuntur ab uno) quando ipſe monet 1. *polit.* 3. perfectiſſimum quodque in ſuo genere definiendum eſſe, quod inferiora magis minusve participent. Ad hæc veri civis eſſentialia reſpexit Homerus, quando Achillem de injuria ſibi ab Agamemnone illata ſic conquerentem inducit: Iliad. 9.

*Μνήσεμαι ὥς μ' ἀσύφηλον ἐν Ἀργείοισιν ἔρεξεν*
*Ἀτρείδης, ὡσεί τιν' ἀτίμητον μετανάστην.*

Scilicet argumentatur is a poſteriori, quod, quoniam ſibi nullus ad honores aditus pateret, civis quoque loco non haberetur. Conveniunt quoque nobiscum omnes ii doctiſſimi viri, qui Venetiis ſolos Patritios, in Polonia ſolos nobiles cives eſſe volunt.

IX. His ita recte intellectis, facillimo negotio occurri poteſt Joanni Bodino, qui definitionem noſtram ex hoc capite rejicit, quod ſtante ea ſubditis hoc modo e civitate ſublatis, magiſtratus officium inſuper eludatur. Ad quos enim, inquit, pertinebit juſſus magiſtratus, ſi omnes cives ipſi ſunt magiſtratus participes? Clariſſimus Arniſæus ad infirmandum Bodini argumentum ait, Ariſtotelem loqui de cive reipublicæ poteſtati nondum ſubjecto, qui æquali etiamnum jure cum reliquis civibus gaudeat. Quæ ut maxime ita ſe habeant, nos tamen aliunde, quam ex ipſomet Ariſtotele, reſponſionem ad tam elumbe Bodini argumentum minime petemus.

X. Primo enim, quod ſupponit iſte, hac poſita definitione ſubditos e civitate tolli, id nos pernegamus, quia non ilico ipſo actu gerit magiſtratum & judiciis præeſt, qui facultate ejusmodi munia obeundi eſt inſtructus. Neque enim omnes una his officiis præeſſe poſſunt, ſed requiritur, ut idem (ſi aptus imperio civili eſſe velit) parere quoque didicerit. Hinc eſt, quod Ariſtoteles civem 3. *polit.* 3. definiat μετέχοντα τοῦ ἄρχειν καὶ ἄρχεσθαι, imperandi & parendi virtute præditum. Præclare, ut ſolet, M. Tullius l. 3. de LL. *Non ſolum magiſtratibus præſcribendus eſt imperandi modus, ſed & civibus obtemperandi. Nam & qui bene imperet, paruerit aliquando neceſſe eſt, & qui modeſte paret, videtur, qui aliquando imperet, dignus eſſe.* In regno certe aut tyrannide, ut & in ariſtocratiis nihil cauſæ habet, cur timeat de minuendo ſubditorum numero Bodinus,

(*a*) *Civem*) **BODINUS** *de republica lib. I. c.* 6. **COER.**

dinus, cum unus in iis vel pauciſſimi tantum facultatem ſuffragii ferendi, & judicandi explicare queant. In ſtatu vero populari & democratia, quibus principaliter noſtra definitio competit, alternant parentium (uti diximus) imperantiumque officia, nec imperandi facultate, ſed certis quibusdam ſignis, & coërcendi poteſtate ſubditi ab imperantibus diſtinguuntur 1. *polit. ult.* Adeo ut hic quoque timore iſto nos liberatos eſſe videamus. Non dicam jam, quod numerum ſubditorum augeat inquilinorum & opificum multitudo, ex quibus illi quidem ſubditi, cives vero non ſunt; hi vero partim cives ſunt, partim non, uti e ſeqq. apparebit.

XI. Quæ alias de Athenienſibus a jure ſuffragiorum excluſis ſubjicit Bodinus, ea, quum doctiſſime a Piccarto, Arniſæo *polit. c.* 6. & Beſoldo 1. *polit. c. XI.* ſint confutata, huc transſcribere ſuperſedemus. De falſitate definitionis Bodini, qua civem per liberum hominem poteſtati alienæ ſubjectum definit, demonſtranda magnopere non laboramus, ſed ad ea, quæ porro faciunt ad vindicandam noſtræ definitionis veritatem, progrediemur.

XII. Judiciorum autem (1) civem noſtrum volumus eſſe participem, ut de privatis & publicis cauſis jus reddere poſſit. 4. *polit. c.* 16. Circa hæc enim officia judicum verſari notat Polybius *hiſtor. VI. judicia*, inquit, *publica in unoquoque regno conſtituenda, quæ privatorum lites decidant, & ſcelera publica puniant, & provinciarum ſeu partium regni lites inter ſe dirimant.* Non autem audimus eos, quos ætas Ariſtotelis tulit, qui juris dicendi facultate inſtructo nomen magiſtratus non convenire, & hac de cauſa hoc munus nequicquam ad eſſentiam civitatis facere arbitrabantur. 3. *polit.* 1. Etenim, quocunque tandem nomine deſignes judicem, hiſtoriæ certæ documenta nobis certiſſima exhibent, magni ab omni ævo habitum judicum in republica munus, neglectumque judiciorum rempublicam in extrema pericula conjicere poſſe, ut adeo vel hoc uno nomine, ſi maxime magiſtratus nomen minus recte iis competat, ad conſtituendam civis definitionem merito aſſumi debeat juris dicendi facultas. Deinde, quod caput eſt reſponſionis noſtræ, id, ex quo hanc conſequentiam deducunt (nimirum judices nihil cum officio magiſtratus habere commune) evidenti falſitate laborat; Fieri enim ferme non poteſt, ut judex omni omnino coërcendi vi penitus deſtituatur; nam cui jurisdictio data eſt, eidem quoque ea conceſſa eſſe videntur, ſine quibus jurisdictio commode explicari nequit *l.* 2. *de jurisdict.* Quin in romana republica jurisdictio jure magiſtratus competebat; unde manus militaris & mandatæ jurisdict. (mandare autem eam non poterat, niſi qui jure magiſtratus habebat) in jure fit mentio, de quo late *Sutholtus differt. de jurisdict.*

XIII. Quando (2) civem ex imperio æſtimari volumus, mixtum (liceat nobis diſtinctionem Romanis uſitatam ad noſtrum inſtitutum transferre) non tantum, ſed etiam merum imperium deſignamus. Illud enim civis noſtri officium exhaurire nequit, cum nudæ tantum jurisdictioni videatur inſervire: *Suth. de jurisd. th.* 238. Si vero id mirum alicui videri poſſit, quod id, quod ſumma poteſtas ſibi ſoli reſervat, omnibus civibus commune eſſe dicamus, is attendat, nos hic conſiderare civem nondum ſummæ poteſtati ſubditum, & qui & ipſe aliquando ſummæ iſtius poteſtatis particeps fieri poſſit. Sic & majeſtati ſoli competit, ordinare magiſtratus & judicia, attamen propterea non ſequitur, hæc duo ad civis eſſentiam neceſſario non requiri. Attendat porro, civem nobis maxime in democratia & ſtatu populari conſtitutum definitum fuiſſe, in quibus rerumpublicarum ſpeciebus omnino pereſt neceſſarium, uti cives hac imperandi facultate ſint aliquatenus inſtructi. Denique advertendum eſt, nos non a ſingulis civibus exercitium meri imperii exigere, ſed facultatem illam atque illud jus, quo aptus eſt, ad id, ſicubi occaſio ferat, capeſſendum.

XIV. Jus denique (3) ſuffragiorum civi noſtro adſcribimus, ſive id τῇ κρίσει, ſive cum Piccarto τῇ ἀρχῇ complectaris. Eſt autem id usque adeo proprium veri civis κριτήριον, ut officio ſuo nullo modo defungi dextre poſſit, niſi deliberationibus & ſuffragiis ferendis adhibeatur. Evincimus id hoc argumento: Quicunque ſalutem civitatis ope conſilioque pro viribus juvare tenetur, is ad ſuffragia in magni momenti negotiis admitti debet. Atqui omnes cives. E. Quomodo enim ſuppetias feret reipublicæ, qui morbos ejusdem ignorat? Et quomodo quis membrum ſocietatis audiret, qui ad ſententiam de rebus ad ſocietatem pertinentibus dicendam non adhiberetur? Sane plebs romana, antequam ad ſuffragia & honores admitteretur, conqueritur, ſibi nec in conſortio, nec ſocietate reipublicæ eſſe licere apud Livium *VI. cap.* 37. Quod tamen cum dicimus, non ita accipi ſententiam noſtram volumus, quaſi omnes cives de quibuslibet negotiis ferre ſuffragia deberent, (hoc enim & immenſum laborem, & liberalius, quam in quosvis promiſcue cadit, otium exigit) ſed poteſt a civibus in quibusdam (minoris præſertim momenti) negotiis aliquibus poteſtas definiendi & decidendi committi, qui ea autoritate armati univerſum populum repræſentant. Omnes autem ii doctiſſimi viri, qui ſuffragiorum jura a civibus abeſſe poſſe exiſtimant, videntur non tam rem ipſam, & definiti ab Ariſtotele civis perfectionem, quam mores romanæ reipublicæ ſpectaſſe, in qua multi civitatem, ſed ſine ſuffragio ſunt adepti. Gell. 16. c. 13. Liv. Cic. paſſim. Accidit nempe frequenter, ut a ſplendore & magnitudine reipublicæ romanæ deceptis, mores ejusdem pro communibus & univerſalibus præceptis venditentur. De tribus autem his eſſentialibus notis latius & diſtincte agentem vide philoſophum 4. *polit. c.* 14. 15. 16.

XV. His ita poſitis, manifeſtum (opinor) erit, primo: quibus de cauſis Ariſtoteles noſter civem in ſtatu populari & democratia maxime definitum eſſe affirmet, nimirum non tam, quod optima respublica, ſi introduci poſſet, popularis futura eſſet, (hoc enim ad democratiam applicari nequit per ea, quæ contra Platonem diſputat philoſophus 4. *polit. c.* 2.) ſed quia in his ſpe-

ciebus

ciebus nihil ferme, quod alicujus eſt momenti, definiri ſolet, niſi ſciente & approbante multitudine. In aliis autem rebuspublicis, neceſſitate tantum poſtulante, conciones indicuntur, ac pauciſſimi ad ſuffragia de re communi ferenda admittuntur, uno vel oppido paucis rempublicam occupantibus. In hanc ſententiam Cicero civem definit, quod ſit, *qui non poteſt pati eam in ſua civitate potentiam, quæ ſupra leges eſſe velit.* Quæ certe definitio omnium optime ſtatui populari & democratiis applicatur. In tyrannide enim, regno & oligarchiis legum clauſtra facillime perrumpunt ſummæ poteſtates.

XVI. Secundo: in quantum variæ vocis hujus ſignificationes ſupra nobis recenſitæ a genuina noſtra abeant, & quare factitiis, infamibus, inquilinis, pueris & decrepitis noſtram definitionem minime dixerimus convenire. Argumentum evidens eſt, majorem ſcilicet tibi perpetuo ipſa definitio civis ſuppeditat, ſub qua ſi ſubſumſeris ſervos, inquilinos &c. omnibus ſententiæ noſtræ ratio abunde conſtabit. Illud tamen inter eos, quos jam modo excluſimus, diſcrimen exiſtit, quod factitiis, pueris & ſenibus, etſi πρώτως quidem ac per ſe cives appellari nequeant, non tamen intrinſecum aliquod vitium inhæreat, ſed illis quidem novitas, (quemadmodum Cicero a Salluſtio novus homo vocatur) poſterioribus utriſque vero ætas obſtet, quo minus imperium & judiciorum poteſtas illis communicetur, vel communicari poſſit. Reliqui autem, ut infames, exilio perpetuo multati, alio vitio laborant, quod ipſis ſpem capeſſendorum iſtiusmodi honorum fere penitus adimit. Servorum paulo poſt mentionem faciemus, quando de modis, quibus quis jura civitatis conſequitur, acturi ſumus. Illi vero, qui jus vocandi civem in judicium, & coram judice comparendi per fœdera ſibi acquiſiverunt, (ita nimirum τὰ σύμβολα plerique interpretantur) idcirco veri cives non ſunt, quia unus duarum civitatum verus & omni modo proprie ita dictus civis eſſe non poteſt. Quum enim civis omnem operam, cogitationes, bona, ipſum denique ſanguinem in uſum civitatis ſuæ convertere vi juramenti, & omnis inter homines initæ ſocietatis exemplo teneatur, qui quæſo id duabus civitatibus revera diſtinctis, ſibique non ſubordinatis in ſolidum præſtabit? Præſertim cum facillime eveniat, ut civitates illæ vel diſſideant in ipſo ſcopo, vel ita colliment in unum ſcopum, ut ſtudia in diverſa, imo contraria rapiantur. Jure romano certe in aliam civitatem receptus amittebat romanam, *Cic. pro Cæcinna*, adeo ut Atticus beneficio civitatis Athenienſium uti noluerit. *Corn. Nepos in vit. Att.* ne jacturam romanæ faceret civitatis. In qua uſu receptum inſuper erat, ut jus civitatis conſecuturus fortunas ſuas Romam transferre fuerit coactus. Quod vero idem Cicero 2. *de LL.* duplicem ſibi patriam eſſe affirmat, unam loci, in qua genitus, alteram juris, in quam translatus ſit, id noſtram theſin nullo modo convellit. Is enim non de duabus ſpecie diſtinctis civitatibus loquitur, ſed de Arpino & Roma ſimul, quæ omnes etiam colonias & municipia ambitu ſuo complectebatur; Erat enim Roma communis omnium municipum tum patria *l. 33. ad munic.* Neque id alio ſenſu accipiendum fuit, quam ſi nos pro juris patria rempublicam germanicam, pro loci vero patria municipium hoc aut illud agnoſcamus, cum tamen revera iſtud municipium in civitate Germanorum contineatur.

XVII. Hoc loco, quamvis extra propoſitum noſtrum ſit, annotari fortaſſis meretur, quod, cum noſtra reſpublica in tot tamque diverſas partes ſit diſcerpta, & jus temporarium præfecturarum in αὐτοκρατορίαν ferme abierit, adeoque quilibet principatus ſingularem propemodum civitatem conſtituat (vid. Bachov. in Treutl. *Vol. 1. diſp. 3. th. 6. lit. E.* & citatum ab illo Andr. Knichen *de jure territ. c. 1. n. 65.*) magis proprie ſubditi alicujus territorii, ejusdem quoque cives vocentur, dummodo facultate conſultandi, judicandi & magiſtratus gerendi in iſto territorio polleant; Magis, inquam, proprie, quam uſu Romanæ vel Græcarum civitatum, quæ omnia municipia & provincias ſibi ſubordinatas habebant, ita, ut nonniſi magiſtratus in provinciis earum ditioni ſubjectis domo miſſi jus civitatis participarent, nec præfecturas in αὐτοκρατορίας tranſire patiebantur, exiſtimantes cum Seneca, *nihil tam utile eſſe, quam brevem poteſtatem*, quæ magna ſit. Quæ an ita ſe habeant, nos hoc loco non diſceptamus, quo maturius ad ea, quæ ex definitione noſtra deduci poſſunt, revertamur.

XIIX. Pendet autem ex ea tertio deciſio variarum, quas c. 1. & 3. movit, quæſtionum (1) an ſervi & peregrini a Cliſthene in numerum civium aſciti juſti cives ſint, nec ne? Quod quia aliquam dubitationem in animo legentis forſitan excitare poſſit, ſecundum mentem philoſophi breviter diſſolvemus. Diſtinguit autem is inter non juſtum & injuſtum; Et injuſtos quidem eos cives non eſſe affirmat, propterea quod ab eo, qui tum ad clavum reipublicæ ſedebat, in civium numerum aggregati erant, adeoque bono nitebantur initio: Non juſtos autem recte vocari, quia iis nondum fuiſſent inſtructi dotibus, quæ cives ad munus hoc tuendum idoneos reddunt. Ea quippe adhunc agunt, quæ cives illegitimi, & nullo bono titulo nixi. Hæc autem diſtinctio inter injuſtas & non juſtas actiones cum adducitur ab Ariſt. 5. *Eth.* 1. tum exemplis de LL. πῶς & ἁπλῶς juſtis, & actionibus, quas ignorantes & propter ignorantiam exercemus, illuſtratur ab eodem 3. *Eth.* 1. Cui plane geminum eſt, quod *l. 11. de juſt. & jur.* Paulus reſpondet: prætorem etiam tum jus dicere, cum inique decernit. Scilicet facit is quidem, quod injuſti faciunt, verum, quoniam a ſumma poteſtate prætor conſtitutus eſt, injuſtum eum, & latas ab eo ſententias injuſtas appellare nefas eſt.

XIX. (2) Quin inter virum bonum & civem bonum diſcriminis interſit? Nimirum civis bonus eſt, qui facultate judicia & magiſtratus adminiſtrandi, & ſuffragia de ſumma reipublicæ bene ferendi eſt inſtructus. At vero vir bonus eſt, qui munus ſuum proprium (ſecundum quod quilibet bonus vel malus, prout in eo vel præſtat vel deficit, prædicatur,) i. e. virtutis actus

bene

bene poteſt exercere. Equidem & poſſunt hæc in unum idemque ſubjectum cadere, & optime nobiscum, rebusque Chriſtianorum publicis ageretur, ſi ii, qui civium bonorum & verorum laudem præ aliis affectant, ad virtutem etiam, & eam, quæ virtutum merces eſt, gloriam ſerio aſpirarent. Tenendum id autem contra eos, qui eos demum curandæ & adminiſtrandæ rei communi aptos cenſent, qui ipſam pietatem & morum honeſtatem inſuper, fas & nefas juxta habent, dummodo ſe hac ratione boni civis officio præclare functos glorientur: Quod peſtilens dogma ex imis fundamentis convellitur ab excellentiſſimo Domino Præſide *in lib. de civili prudent. cap. 2. & Hug. Grotio in aurea præfat. libro de jur. bel. & pac. præmiſſa.*

XX. (3) An opifices recte civibus annumerentur? quam quæſtionem, quia late pertractat Ariſtoteles 3. *polit.* 3. & 7. *polit.* 8. nos ſumma tantum capita paucis attingemus. Et quidem hoc in univerſum certum eſt, quod opifices, cujuscunque ſint generis, ſalutem civitatis, ſi non alia quapiam re, ſaltem numero (ut Plutarchus ajebat) juvent: Attamen obinde pars civitatis cujuscunque non ſunt. Non enim procedit, inquit Philoſophus 7. *polit.* c. 8. in hac majori conſequentia: ſine quibus civitas conſiſtere nequit, ea ſunt pars civitatis. Diſtinguendum igitur primo loco nobis eſſe videtur inter opifices liberales & illiberales. Illiberales, (βαναύσους Ariſtoteles vocat,) ſimpliciter excludimus, quia dum ſingulis diebus manibus ſuis victum ſibi parare tenentur, reipublicæ ſalutem parcius curare, nec inter tam ſordidas artes animos ad nobiliſſimam hanc curam attollere & elevare poſſunt: Multo vero minus magiſtratibus gerendis & deliberationibus inſtituendis erunt idonei. Liberales vero opifices, (τεχνίτας dixerimus) poterunt ſibi aliquam conſultandi atque judicandi facultatem parare, quo civium munera obire, ac magiſtratus (cumprimis in ſtatu populari & democratiis, in quibus cenſus eſt mediocris,) capeſſere queant. Quæ etſi ita ſe habeant, notat tamen Ariſtoteles 3. *polit.* 3. plerumque hos opifices vano civis nomine lactari, atque hoc quaſi delinimento a rebus novandis averti. Ad extremum ſciendum eſt, olim in græcis & romanis rebuspublicis quæſtionis hujus uſum exiguum, difficultatem pene nullam extitiſſe, quoniam vicem opificum tum temporis ſervi aut peregrini, aut ſummum liberti plerumque obiere, uti autor eſt Plutarchus *in Lyc.* Dionyſ. Halicar. *lib.* 9. Unde non eſt, quod miremur, ſi omnem de hac quæſtione Ariſtotelis noſtri diſputationem eo tendere deprehendamus, quo opificibus jus civitatis penitus abjudicet.

XXI. Incidit hic quæſtio ſatis difficilis, & a paucis hactenus agitata: An civis alterius populi judicio a ſua civitate permiſſus, jura ſuæ civitatis retineat, nec ne? Et negativam quidem valde probabilem facit (1) Quod civitas eum, quem hoc modo judicandum aliis permittit, ſua ſocietate velit ejectum, præſertim cum ipſamet alioquin pœnas de eo ſumere potuiſſet; ubicunque enim aliquis dedi petitur, tum optio civitati relinquitur, aut puniendi ſuum civem, aut vero puniendum dedendi. (2) Quod infames, quales eſſe præſumuntur, qui tam graviter civitatem aliquam læſere, ut eos ſibi dedi poſtulet, vel Ariſtotele teſte, civium numero minime cenſeantur. Verumenimvero iſtæ rationes rem nondum conficiunt, & nos non prius de hac quæſtione mentem noſtram aperire poterimus, quam duos diſtinxerimus caſus. Primo, an populus iſte, cui reus deditus eſt, eum receperit plectendum, an vero ſuæ civitati (uti Poſthumio Samnitibus dedito contigiſſe Livius memorat *lib. IX. c.* 10. 11.) reſtituat. Deinde, an delictum in populum *deditionem poſcentem* (a) ipſo jure, an ſententia demum interpoſita infamet. Quibus ita ſuppoſitis, ſententiam noſtram his aſſertionibus includimus. *Una* eſt; ſi populus iſte civem ſibi permiſſum receperit, tum nulla habita ratione delicti, abalienatur jure civium, & poſtea aliquo caſu reverſus novo beneficio ad conſequenda civitatis jura indiget. Idque probat ratio ſupra allata prima. *Altera.* Si populus uti noluerit permiſſa ſibi plectendi poteſtate, & delictum infamiæ pœna lege expreſſa non coërceatur, tunc retinet tamdiu jura civitatis, donec civitas eum ſocietate interpoſita judicis ſententia, excluſerit. Ratio hæc eſt, ſi enim de infamia non niſi per judicis demum ſententiam definitivam conſtat, utique reſtitutus is priſtinæ famæ videtur, quamdiu civitas eum per judicem ſocietate non ejecerit. Interim tamen liberum eſt civitati arbitrium, eum vel pœna afficiendi, vel abſolvendi. Et per hanc aſſertionem reſtringitur ratio negativam tuentium poſtrema. *Tertia*: ſi delictum ipſo jure infamet, tum etſi populus læſus remittat injuriam ſibi illatam, nihilominus is eo loco cenſetur, quo infames 3. *pol.* 1. Ariſtoteles habet, nempe civitatis membrum tamdiu eſſe deſinit, donec reſtituatur. V. hic H. Grotium *de jur. bel. & pac. lib. 2. cap. XXI.* §. 4. ex quo fundamenta hujus quæſtionis depromſimus, & de infamia, quam lex & judex irrogant, Weſemb. *Parat. de his, qui not. inf.* §. 6.

XXII. Quæſtiones alias, quæ occaſione harum ab interpretibus magno conatu agitantur, data opera præterimus, & antequam ad alterum diſputationis membrum transeamus, modis, quibus quis in civilem illam ſocietatem aſciſcitur, enarrandis paululum immorabimur. Etenim ſi iis, quos primitus mutui ſubſidii neceſſitas & amor vitæ beatæ conjunxit, vita pedetentim functis, civitas novis & ſuccreſcentibus membris redintegrari debet, utique hoc ſaltem nomine non indigna erit tractatio, quæ hoc loco a nobis inſeratur. Quanquam autem modi iſti pro diverſitate rerumpublicarum varient, nos tamen de iis afferendis tantum ſolliciti erimus, qui majorem cum ipſa natura civitatum, & gentium jure convenientiam habere videbuntur, quorum in univerſum tres reperire licet.

XXIII.

(a) *Deditionem poſcentem*) GROTIUS *de J. B. & P. lib. II. c.* 25. §. 3. GOEB.



Digitized by Google

XXIII. Primus isque præcipuus eſt nativitas: Quum enim liberi juxta Ariſtotelem 8. *Ethic.* 12. ſint pars parentum, omnesque exteros amore erga patriam ſuperare credantur, merito ex parentum perſona jus civitatis ſortiuntur communi gentium more, & præſenti civitatis commodo. Nam eos præ aliis ſolemus ſocietati adſcribere, de quorum erga ſocietatem ſtudio ac favore nobis certo conſtat. Ideoque iis gentibus, qui ſingularem nominis gloriam affectarunt accurate obſervatum fuit, ut nullus niſi ex cive natos civitate donarent. Athenienſes ſuos hoc nomine prædicat αὐτόχθονας. Iſocr. *in paneg.* (quanquam alii per αὐτόχθονας indigenas illos, quos e terra hinc inde prognatos vulgari errore credebatur, intelligant) Ulpianus in *l.* 1. *ad municip.* nativitatem primum acquirendæ civitatis modum facit. Noſtros quoque majores minime aliarum gentium adventibus & hoſpitiis mixtos fuiſſe aſſeverat Tacitus *lib. de mor. Germ. cap.* 2. Duo autem nobis ad diſtinctam hujus rei cognitionem tradenda ſuperant. (1) Requiri, ut nati infantis pater civis fuerit: Quoniam enim jus omne liberi hoc caſu ex perſona patris nanciſcuntur, non poteſt in filium aliquid juris derivari, quod in parente non erat. Mater vero jus civitatis in liberos transferre non poteſt, nam etſi matris quoque pars liberi recte vocentur, tamen in civilibus *patrem* (*a*) tanquam digniorem ſequuntur, id quod jure romano ſatis conſtat ex *l.* 19. *de ſtat. hom.* Deinde, ſi e matris quoque perſona jus civitatis in liberos transferretur, utique facillimo negotio contingere poſſet, ut quis duarum diverſarum civitatum civis exiſteret, quod, ut *th.* 16. annotavimus, veri civis officio & civili cumprimis ſocietati, ad quam omnes fere civium actiones referri poſſe, Grotius docet *de jur. bel. & pac. lib.* II. *c.* 5. §. 23. adverſatur. Plane quemadmodum in diverſis rebuspublicis a jure naturæ & gentium, vel per determinationem, vel non aſſiſtentiam LL. civilium receditur. Vid. ampliſſ. Dn. D. Hahnium *in obſerv. ad Weſenb. de juſt. & jur. num. XV.* ita & multo magis, non obſtante communi hac conſuetudine, uxoribus interdum jure civili hoc beneficium concedi poteſt, quod ponticis competere refert Celſus, ut qui matre pontica natus eſſet, ſit Ponticus *l.* 1. §. 1. *ad munic.* Quando vero patrem civem eſſe volumus, eo ipſo eorum refellimus opinionem, qui commorationi vel domicilio patris tantundem efficaciæ in tribuendis civium juribus aſſignant, quod nimis abſurdum eſt: Quî enim filius membrum eſſet ſocietatis alicujus propter patrem, cujus ipſe ſocius non ſit? Huc dubio procul reſpexit Eduardus I. Angliæ rex, qui Wallis natos extra fines ſuos principes detrectantibus, uxorem prægnantem in Walliæ fines duxit, ut futurum regionis principem in ipſa regione eniteretur. Arniſæus *relect. polit. lib.* 1. *cap.* 5. *ſect.* 10. *n.* 4. (2) Tenendum eſt, quod nativitas, quanquam modus ſit tribuendi civitatem præſtantiſſimus, non tamen ſtatim in locum & jus parentum recens natum infantem plene & ſimpliciter ſufficiat: Cuicunque enim ademta eſt poteſtas tractandi ea, quæ ad eſſentiam civis debent concurrere, is ἁπλῶς civis appellari nequit. Atqui infantibus & pueris in tenera ætate eſt adempta. E. ii nequeunt &c. Ariſtoteli cives imperfecti dicuntur 3. *pol.* 1. & 1. *pol.* 8. Illud vero ſpatium, intra quod ejusmodi puer ad maturitatem judicii pervenire poteſt, plerumque certo annorum numero in bene conſtitutis rebuspublicis definiri ſolet: etiamſi enim fortaſſis unus & alter velocitate ingenii ætatem ipſam transgrediatur, tamen ad præcavendas æmulationes, & tollendam e republica invidiam ſatius viſum fuit, omnibus promiſcue certum fixumque tempus ſtatuere, ne adoleſcentes, qui in optimam partem cognoſcuntur, ſtupiditatem ingenii tam gravi atqui manifeſto dedecore luere cogantur. Athenis cives hi imperfecti ad civilia munera prius non admittebantur, quam nomen apud populares tabulis lexiarchicis profeſſi eſſent, Romæ vero, cum togam virilem ſumſiſſent. Et hæc de primo modo, per quem civitas obtineri poteſt, quo ſolo utuntur patritii Veneti, cujus rei cauſſam copioſe deſcribit Machiavell. diſcurſ. *lib.* 1. *c.* 6. Alibi hujusmodi cives Hybridæ dicuntur. Kirchn. *diſp. pol. XV.*

XXIV. Operæ pretium fuerit, ſi quæſtionem hic admiſceamus non plane ſterilem, an civem hujusmodi originarium (de adoptato enim, cum tam arcto vinculo non teneatur, res multum dubitationis non habet) in aliam civitatem commigraturum invitum civitas retinere poſſit? Et pro affirmativa quidem militat amor partim patriæ, quæ maximam ortus noſtri partem ſibi vendicat. Partim, quod novæ civitati fidem nemo poſſit dare, quam prior civitas non remiſerit, quodque a contractu perfecto & conſummato reſilire invita altera parte non liceat. Attamen, ſi quæſtionem non quidem ad romanæ reipublicæ LL. (quibus cives injuſſu principis Italia excedere prohibebantur) ſed naturæ & gentium jura examinaverimus, contrariam ſententiam tuebimur, ſervaturi regulam naturalis æquitatis, ut liceat civi indicto prius abitu alio migrare, dummodo id civitati nullum periculum vel damnum creet, aut minetur. Argumenta pro altera ſententia quod attinet, ea non ſunt tanti ponderis, ut evincant, quod illi volunt. Etenim iſtud, quod quilibet bonus civis ſe non ſibi tantum, ſed patriæ etiam natum meminiſſe debeat, non impedit, quo minus ſine incommodo patriæ tuam conditionem meliorem reddere poſſis, quin ad id te lex Dei & naturæ inſtigat. Sed in eo patriæ amor ſubſiſtit, ut ſi tua & publica ſalus in pari diſcrimine verſetur, tu vi hujus amoris hanc tuæ anteponas. Unde tum demum argumentum primum efficax eſt, quum civis diſceſſurus proponitur, quando civitatis, eum non diſcedere, ullo modo intereſt. Quæ ultimo loco de obſtricta fide & contractuum natura afferebantur, ea omne punctum non ferunt. Nam primo, cum tacito conſenſu hæc ſocietas inita & nullis expreſſis regulis firmata ſit, hanc ſemper adjectam habere conditionem præſumitur, ut in tuo arbitrio poſitum ſit, abire ſocietate, vel in eadem permanere, maxime, ſi finem, ob quem te cœtui cuidam aggre-

(*a*) *Patrem*) In Anglia venter nobilitat. *GOEB.*

Digitized by Google

aggregaſti, aut plane non, aut vero in alia aliqua civitate rectius obtinere licet: Id quod nec a jure civili abhorret, quod renunciationi non fraudulentæ favet §. 4. *inſt. de ſoc.* in ſocietatibus, quæ omnium maxime pro fundamento amicitiam habent. Hæc tamen ubique cautio adhibenda eſt, ne ex abitu illo in diſcrimen ſalus publica adducatur; Veluti belli & obſidionis temporibus, aut cum tributum publicum exſolvendum eſt. Et hinc quoque ſponte ſua ruit altera de obligata fide objectio, quia enim jam conſenſus & finis, ob quem meam fidem obligavi, quique in moralibus jus facit, ceſſat, utique dicemus, te non teneri amplius, poſtquam membrum civitatis eſſe deſiiſti. Renunciatione autem non fraudulenta id factum fuiſſe, jam planum fecimus, Advertendum hic eſt, quæſtioni huic locum non eſſe, ubi civitas edocta de abitu ſui membri, fortunas ei exportari permiſerit, nam tum tacitus ejus conſenſus præſumetur, & res omni difficultate carebit. *Gregatim* (*a*) vero diſcedere nullo modo licet, alioquin brevi ſocietas civilis interiret. V. de hac quæſt. Hug. Grot. *de jure bel. & pac. lib. 2. cap. V.* §. 24. & Arniſæum, qui, dum contrariam ſententiam acriter tuetur, ad inſtituta romanæ reipublicæ delabitur.

XXV. Alter, isque paulo imperfectior modus eſt cooptatio: Quando enim res alicujus civitatis ita ſunt comparatæ, ut ad ſui defenſionem magno civium numero indigeat, merito Romanorum veſtigiis inſiſtit, quorum conditor Romulus, ut apud Tacitum: *ann.* 11. *cap.* 24. *verſ.* 7. Claudius, ajebat, tantum ſapientia valuit, ut pleroſque populos eodem die hoſtes, deinde cives habuerit. Quod ſi Ciceronis judicio ſtandum nobis eſſet, mature cooptatos noſtros cives ſubduceremus: Is enim *lib.* 3. *offic.* uſum quidem civitatis concedit peregrinis, at civitate ex ſententia Craſſi & Scævolæ prohibet. At cum idem 2. *de LL.* patriam vocitet, & illam, qua nati, & illam, qua excepti ſumus, parum ab eo nobis periculi impendebit, præſertim, quoniam Tullium etiam noſtrum *novum hominem* Salluſtius appellat, qui tamen civitatem ſibi ad tempus ademtam ſatis ægre tulit. Pluſculum vero negotii faceſſit nobis ipſe philoſophus, qui factitios cives ſua definit. Non vult comprehenſos, dum 3. *pol.* 1. *ait:* Miſſos igitur faciamus eos, qui (quamvis alia ratione hanc appellationem nacti ſint) facti ſunt & adſcripti cives. Verum enimvero, cum idem Ariſtoteles *in fin. ejuſdem cap.* adſcitos a Cliſthene cives, pro civibus juſtis habeat, dummodo imperii & judiciorum poſſint eſſe participes, verba ejus alio ſenſu accipi commode poſſunt. Nimirum Ariſtoteles non abſolute, ſed comparate ad cives αὐτόχθονας, qui majoris fortaſſis ſunt dignationis, loqui, vel ſe ad perfectos, & morum inſtitutorumque civitatis probe gnaros referre. Idque eſt, quod in bene conſtitutis rebuspublicis ad cooptationem primum accedere ſolet temporis quædam mora, intra quam inſtituta reipublicæ perdiſcere, & ſe dignos gerendis olim honoribus & ſuffragiis ferendis efficere queant, plane eodem modo, quo pueris etiam certum annorum numerum præfinitum fuiſſe *th. præced.* annotavimus. Tandem nec nos inficias ibimus, philoſophum uti alibi, ita hic quoque in extruenda civis definitione formas Græcorum, & præcipue athenienſis civitatis attendiſſe (ſtatum enim popularem non obſcure pro perfectiſſima & optima, quam *lib.* 7. & 8. deſcribere incepit, republica agnoſcit) quæ cum ſemel legitimo civium numero inſtructa eſſet, non temere extraneos adſciſcere, & civitate donare ex uſu & conſuetudine plerarumque democratiarum conſueverat, idque, ut obiter hic immiſcebimus, ratione non caret.

XXVI. Nam (1) ad democratias conſtituendas undique homines ſpe libertatis, interdum & licentiæ allecti, confluunt, ut proinde procedente tempore ad ſui ſuorumque defenſionem extraneis non æque indigeant. (2) Pluris faciunt ſuam rempublicam, in qua honores & dignitates pleriſque communicantur, quam ut extraneos quoſque ejus participes eſſe velint, quod una nos civitas Corinthiorum docere poteſt, quorum legati, quum Alexandro M. jus civitatis obtuliſſent, ridentem hoc officii genus regem maſcule in hunc modum ſunt allocuti: *Nulli civitatem alii unquam dedimus, quam tibi & Herculi, Sen. de benef. l.* 1. *cap.* 13. Sic romani quoque cives ſe ad deorum immortalium numen quam proxime accedere arbitrabantur, adeo usque, ut nec ampliſſimum Galliæ civem cum infimo Quiritium compararent, teſte pro Rab. Cicerone. (3) Denique, quod ingentes facilis illa alienigenarum cooptatio in democratiis & politiis excitet turbas: Cujus rei ratio longe petenda non eſt. Etenim, ſi tu diverſæ nationis indoliſque cives in tuam rempublicam transtuleris, cauto profecto opus eſt, ne inſuetus libertati & licentiæ animus tam ſplendida occaſione ad res novandas, & quævis molienda inſtigetur. Quantum enim interſit, quem animum ac affectationem nativitate & bona educatione inſtillatam ad rempublicam afferas, id præter alios egregie pro more demonſtrat Ariſtoteles 8. polit. 1. his verbis: *ad quamque rempublicam ſua adminiſtratio eſt dirigenda, quum ſui quamque mores & tueri, & ab initio fundare ſoleant, h. e. populares mores rempublicam popularem, & paucorum potentiam, qui huic generi ſunt accommodati.* Quum autem per cooptationem diverſimode educati in unam civitatem facillime conveniant, non poteſt non inde ipſi reipublicæ aliquid periculi ſuboriri.

XXVII. Maxime autem in democratiis ex cooptatione civium periculum metuendum eſt duabus potiſſimum de cauſſis. (1) Quod majores in prædictis rebuspublicis ſtimulos libertas addat, ad quos in tyrannorum, & oligarchicorum imperio contenti ſubditi adſpirare nequeunt. (2) Vehementer timendum eſt, ne populi libidinem pertæſi & ejus libertati inſidiantes optimates (quibus magna dominandi cupiditas, nec minor ſpes ineſt imperii conſequendi) favorem ποιητῶν, atque hinc præclaram rei turbandæ occaſionem captent. Romana certe civitas

(*a*) *Gregatim*) Vid. tamen PUFFEND. *de J. N. & G. lib.* 8. *c.* 11. §. 2. GOEB.



Digitized by Google

civitas incrementum ſuum debet Sabinis, nec quicquam felicitatem ejus impediit, quamdiu ſub regum imperio res ſtetit. Poſtquam vero ad democratiam delapſa eſſet, non inter minimas pereuntis civitatis cauſas promiſcua hæc provincialium & frequens turba a ſapientioribus computatur. Qua de cauſa Cic. 1. phil. ridet Cæſarem, quod non ſingulis hominibus, ſed integris nationibus civitatem aſſignarit. Et Auguſtus ſuccenſebat Antonio, quod Siculis civitatem dediſſet, Sueton. in vit. ejus. Hæc autem ideo attulimus, ut pateret, quare th. 20. dixerimus, Ariſtotelem ad morem athenienſis civitatis reſpexiſſe, cum factitiis jus civitatis abrogavit. Neque enim eorum ſententiæ poſſumus ſuffragari, qui, ut hanc difficultatem declinent, factitiorum nomine honorarios venire aſſeverant, qui tam longe a verorum civium natura abeunt, ut tenacem alioquin verborum Ariſtotelem mentionem eorundem feciſſe parum nobis fiat veriſimile. Hæc omnia autem, quæ de hoc civitatem obtinendi modo dicta ſunt, hac egent cautione, ne dignis pariter ac indignis civitas proſtituatur, neque nimis multi extranei allegantur, multo minus quibusdam ſubſidiis invitentur. *Arniſ. polit. VI. Beſold. 1. cap. XI.*

XXIIX. Tertius obtinendæ civitatis modus eſt manumiſſio, quæ ad ſervos, quemadmodum cooptatio ad extraneos refertur. Nos hic breviter fundamenta ejus indicabimus, quoniam ea, quæ de manumiſſionibus conſtituta ſunt, JCti, occaſione ex Romanorum manumiſſione arrepta, copioſe exequuntur. Duobus autem modis accidit, ut quis per manumiſſionem jus civitatis acquirat (1) ſecundum naturam: Quando homines ingenio imbecilles & corpore robuſti ſibi quid uſui ſit futurum ignorantes, ac idcirco pro ſubſidiis vitæ neceſſariis ſe aliis vegetioris ingenii mancipantes, jam cura dominorum rectæ rationis uſum magis magisque edocti e ſervitute hac dimittuntur, quam ſecundum naturam Ariſtoteles vocat 1. *polit.* 1. Τὸ μὲν γὰρ δυνάμενον, ait, τῇ διανοίᾳ προορᾶν, ἄρχον φύσει &c. Τὸ δὲ δυνάμενον ταῦτα ποιεῖν, ἀρχόμενον καὶ φύσει δοῦλον. Διὸ δεσπότῃ καὶ δούλῳ ταυτὸ συμφέρει. Quantumvis enim libertas natura competat hominibus, id tamen intelligendum eſt de jure naturæ, omne factum humanum præcedente, & de libertate κατὰ σέρησιν, h. e. quod jure naturæ nulla ſit ſervitus; non de libertate κατ᾽ ἐναντιότητα h. e. non quod is jus habeat, ne unquam ſerviat. Ita recte Ioh. Faber in §. jus autem gent. n. 13. *de jure*, inquit, *naturæ omnes naſcebantur liberi, non quod jus naturale hoc diſponeret; ſed quia illo jure non erat ſervitus.* Alioquin divino & gentium jure non liceret hominem in ſervitutem redigere; quod falſum eſſe vel unius Oneſimi exemplum, & Pauli monitum 1. Cor. VII. verſ. 21. *vocatus es ad ſervitutem, id te non cruciet*, teſtatur. An vero integri populi inventi olim fuerint, in quos tam inſignis ſtupiditas ceciderit, de eo merito cum Grotio & Bachovio *in inſtit.* dubitare licet. Et vero Americanos, quos tales eſſe patrum memoria acriter propugnavit Joannes Sepulveda Hiſpanus, longe alio ingenio fuiſſe, præclare oſtenderunt, cum alii, tum imprimis opere *de natural. & moral. hiſtoria Americanorum* Joſephus Acoſta. (2) Altera ſpecies manumiſſionis fundatur in eo jure, quo bella & captivitates introductæ ſunt, h. e. gentium *l. 5. de juſt. & jur.* Huic contraria ſervitus procul omni dubio naturæ inſtituto, quod bella etiam & diſtinctiones dominiorum ignorabat, repugnat. Licet enim ii, qui bello ſuperiores ſunt, excellere re aliqua victos ſoleant (unde Ariſtoteles 1. *pol.* 4. ex aliorum opinione ratiocinatur, ἐστὶν ἀεὶ τὸ κρατοῦν ἐν ὑπεροχῇ ἀγαθοῦ τινος) non raro tamen id fallit, ſi ἁπλῶς & ex vero rem conſideres, quia plerumque præſtantes ingenio viri ab aliis vel ob multitudinem, vel meliorem rerum bellicarum ſcientiam vincuntur. Oportet autem inſigne aliquod manumittendi meritum in dominum extare, ſi civitatem conſecuturus ſit: Nam ordinarie, & ſi vim vocis ſpectes, nihil manumiſſione reſtituitur præter libertatem ſervitute ablatam, cui addere jus civitatis magis eſt beneficium, ab eo, qui ſummæ rerum præeſt, dependens.

XXIX. Hæc ita reputanti facillimum erit judicare, (ut hoc obiter liceat, hoc etſi alieno loco, inſerere) qui hodie in imperio noſtro romano-germanico civium nomen ac dignitatem tueantur. Certe non omnes ii, qui vulgo cives audiunt, & a ſuffragiis ferendis interim longiſſime removentur, ſed ſtatus ac ordines imperii, penes quos eſt poteſtas de iis conſultandi, quæ ſummam reipublicæ concernunt, & honores in noſtra republica gerunt ampliſſimos. Nec vero *l.* 17. *de ſtatu hom.* temere nos a ſententia noſtra dimovebit, cum ea locutio multis de cauſis cum ambigua & hyperbolica, tum noſtræ diſputationi minime congrua videatur. Etenim citato loco ejusmodi civis certe non intelligitur, quem nos *th.* 8. definivimus: Minime gentium. Nam verſa in tyrannidem romana republica tantum abfuit, ut provinciales etiam jura civium ſortiti fuerint, ut, qui veri etiam priſcis temporibus cives fuerant, dignitatem hanc cum jure ſuffragiorum penitus amiſerint. Non eſt igitur, quod mirum alicui videatur, quod tam facilem ſe in exæquandis provincialibus præbuerit Antoninus, cum parum adhuc prærogativæ, & per conſequens veteris inter jus civitatis conſecutos, & reliquos provinciales diſcriminis ſupereſſet. Quin & inſigne tyrannidis fulcrum eſſe, depreſſis optimatibus (qui naris plerumque ſunt emunctioris) promiſcuæ turbæ ſpem libertatis oſtendere, jam dudum ante Antoninum philoſophus noſter 5. *polit. XI.* clare docuit.

XXX. Et hæc erant, quibus via ad ſecundum diſputationis noſtræ membrum ex mente & methodo philoſophi ſub initio indicata munienda erat. Ejusdem nunc ſpicilegia lecturi, pauca de civitate etiam diſputabimus, conſideraturi. (1) Quid ſit civitas? (2) Quomodo cœperit? (3) Quæ jura habeat in cives? Immediate enim Ariſtoteles explicatæ civis definitioni hæc verba ſubnectit: πόλιν δὲ, τὸ τῶν τοιούτων (πολιτῶν) πλῆθος ἱκανὸν πρὸς αὐτάρκειαν ζωῆς, ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν: hoc eſt: *Civitatem vero talium multitudinem, cui ad vitæ uſus neceſſarios ſatis ſuppetat, ut ſummatim dicam.* Quæ definitio utrum naturam civitatis ſic ſatis exprimat, & an eadem

perſe-

Digitized by Google

perfectior in opere politico extet, plenius deinde exſequemur, ubi eam, quæ ſe hic offert, non vulgarem civitati ambiguitatem expediverimus. Quod etſi hic ab Ariſtotele factum non deprehendamus, (notavit autem id alibi, & nominatim etiam 3. *polit.* 2. civitatem multifariam dici confitetur) omitti tamen a nobis ſine ingenti totius tractationis confuſione nequit, præſertim cum & doctos cæteroquin viros in eo lapſos fuiſſe, aliis ſit obſervatum.

XXXI. Primo autem civitas pro *urbe* (*a*) accipi usque adeo frequenter ſolet, ut non tantum, quæ urbis ſunt, civitati, ſed & quæ civitatis ſunt, urbi paſſim a multis aſſignata videamus, non ſecus, atque hodie eccleſiæ vox pro templo interdum accipi conſuevit. Sic Virgilius urbi tribuit ſomnum & crapulam. Et e regione JCtus *in l.* 21. *Quib. mod. uſusfr. am.* aratrum in civitatem induci ait, quod non civitas, ſed urbs paſſa erat. Hæc autem ſignificatio, quemadmodum a mente omnium ſaniorum politicorum aliena eſt, ita merito diſcrimen hoc loco inter civitatem & urbem conſtituendum fuerit, quod in iis, ne in re manifeſta prolixi ſimus, conſiſtit. (1) Quod civitas illæſa urbe, & urbs illæſa civitate interire queat, cujus rei exempla abunde hiſtoriæ ſuppeditant. (2) Quod civitas ut plurimum unius urbis fines longe excedat, & una ſæpenumero eademque ſit civitas, quæ tamen per multas ſitu disjunctas urbes ſit diſperſa. Neque enim continuatæ domus, & mœnia finitima, quæ urbem terminant, in civitate ſemper requiruntur. Appoſite Cicero 1. *de rep. Quum locis manuque ſepſiſſent ejusmodi tectorum conjunctionem, oppidum vel urbem appellarunt, delubris diſtinctam, ſpatiisque communibus. Omnis autem populus, qui eſt talis multitudinis cœtus, qualem expoſui, civitas eſt.*

XXXII. Altera eaque uſitatiſſima civitatis ſignificatio eſt, quæ pro republica eandem uſurpant, plane eundem ad modum, quo Græcis interdum πόλις & πολιτεία idem denotat. Quo ſenſu non a Thoma Aquinate tantum, *principaliſſimum eorum, quæ humana ratione conſtitui poſſunt*, definitur, ſed etiam ab omnibus iis, qui inter civem & ſubditum non recte diſtinguunt, accipitur. Accurate autem Ariſtoteles noſter hæc duo inter ſe diſtinxit, cum quod utrisque diverſas definitiones adhibuerit, tum quod rempublicam vocarit ordinem 3. *polit.* 4. & animam civitatis 4. *polit.* 11. Et vero in genere, ubicunque eſt totum aliquod congregativum, quod ex multis conjungitur (in quorum numero Ariſtoteles & civitatem ponit 3. *polit.* 1.) unitatem habent a forma conjungente, ut numeri & voces in concentu: Sicut jam numerus alius eſt ab harmonia, perſonæ a choris, ita oportet rempublicam, quæ eſt concentus & ordo civitatis, ab ipſa civitate diſtinctam eſſe, ut ait Arniſæus *relect. polit. l.* 1. *c. V. ſect.* 3. *n.* 10.

XXXIII. Tertia ſignificatio (alias enim minus uſitatas ſilentio transmittimus) hujus loci propria eſt, ſecundum quam civitatem eſſe ſtatuimus ſubjectum, quod nondum quidem ea continet, quæ per formam ſuperadduntur, ſed iis tamen ſubordinatur, eodem modo, quo ſe anima rationis particeps ad virtutes habet, quibus perficitur & finem ſuum obtinet. Hoc tamen notatu dignum eſt, Ariſtotelem in definitione civitatis 1. *polit.* 2. tradita videri magis abducere animum ab omni poteſtate, legibus, jurisdictione & cæteris reipublicæ partibus, adeoque magis tertiam hanc vocis ſignificationem attendiſſe; quam 3. *polit.* 1. ubi definit eam per multitudinem civium imperii & judicii participum, quæ nomina jam tum aliquod præſupponunt imperium & judicia, quæ tamen non niſi reipublicæ ſunt annexa. Atque hoc vult Piccartus, quando in exegeſi *cap.* 1. inquit, Ariſtoteli 1. *polit.* 2. Civitatem magis cum reſpectu ad materialia ejus principia fuiſſe definitam, 3. vero *polit.* 1. cum reſpectu ad formalia ejusdem principia, quæ ſunt homines magiſtratus participes. Etſi vero hæc ita diſtinguantur, tamen, cum iſta civium multitudo ferme absque ordine, adeoque & republica ne cogitari quidem, nedum ſubſiſtere poſſit, ideo de nominibus tam ſolliciti non erimus, dummodo rem ſatis tradiderimus. Imo ut, quod res eſt, dicamus, cum homines non ſimpliciter, qua ſunt homines, ſed quatenus ſunt idonei regi per magiſtratus & judicia, ſint ſubjectum ſive materia, cui pro forma eſt respublica, liquet, prudenter admodum tertio politicorum libro ab Ariſtotele definitionem illam civitatis eſſe conſtitutam.

XXXIV. Eſt igitur civitas *κοινωνία ἐκ πλειόνων κωμῶν τέλειος ἤδη πάσης τῆς αὐταρκείας πέρας ἔχουσα, γενομένη μὲν οὖν τοῦ ζῆν ἕνεκεν, οὖσα δὲ τοῦ εὖ ζῆν.* i. e. *Societas ex pluribus pagis perfecta, omnis jam ſufficientiæ finem habens, orta quidem cauſa vivendi, permanens autem bene vivendi cauſa.* Quæ definitio habetur politicorum primo. Quod vero 1. *oecon.* civitatem definiat ſocietatem e multitudine domorum ortam, ejus cauſam reddit Piccartus, ne, quum inibi de domorum cura & œconomia agere inſtituiſſet, nimis longe a ſubjecto diſcederet.

XXXV. Genus definitionis noſtræ eſt ſocietas. Quodcunque enim ex aliis ſocietatibus eſt compoſitum, & aliarum ſocietatum fines in ſe continet, id ipſum eſt ſocietas. A. civitas. E. eſt ſocietas. Min. in ſeqq. confirmabimus. Societas vero hæc non includit omnium rerum bonorumque communionem, quæ potius cum fine noſtræ ſocietatis civilis pugnat, vel eum ſaltem impedit, ſed communicationem ſuffragiorum, judiciorum, conjunctam cum mutua defenſione, jure connubiorum aliisque amicitiæ officiis, ad quæ non ſolum alicui, ut vitam, ſed & beatam degat vitam, tenemur. Quantum enim amicitia momentum afferat ad id, ut cives magis magisque virtute imbuantur, id cum alibi, tum omnium optime oſtendit philoſophus 8. *Ethic.* 1. & 11. ubi, poſtquam pro neceſſitate amicitiæ ita fuiſſet argumentatus (quodcunque ad vitam civilem degendam ſummopere eſt neceſſarium, de eo in ethicis eſt agendum. A. amicitia. E.) Minorem, quæ

(*a*) *Urbe*) HERT. *in elem. prudentiæ civilis part. I. ſect. II.* GOEB.

quæ noſtram aſſertionem complectitur, hoc modo per inductionem probat: Si neque divites, neque pauperes, nec pueri, nec adoleſcentes, nec ſenes, nec Viri feliciter ſine amicitia vivere poſſunt, utique ea ad vitam civilem degendam eſt neceſſaria; Quia omnes in vita civili degentes ad horum aliquod genus referri poſſunt. Taceo jam, quod omne jus (cujus in civitate uſus eſt longe maximus) in ſocietate conſiſtat 8. *ethic.* 9. ut adeo civitatem ſocietatem quandam eſſe fateri oporteat, ſiquidem in ea juri concedere locum velimus. Parum a vero genere abludit idem philoſophus 3 *polit.* 1. quando eam per multitudinem civium, ſeu hominum judiciorum ſuffragiorumque participum definit. Similiter Auguſtinus, qui 2. *de civitate Dei c.* 21. eam appellat cœtum juris conſenſu & utilitatis communione ſociatum, quia nihilominus reſtringit genus remotum ad ſocietatem aliquam, cujus membra ad commune civitatis bonum ſuas actiones dirigunt, quum re communi florente res privatorum quoque bene ſe habeant.

XXXVI. Hæc ſocietas ex pluribus pagis ſeu vicis (non enim moramur eos, quos inter Beſoldus 1. *polit. XII. n.* 52. qui perſuadere nobis conantur, vicum latine nunquam pro aliquot inter ſe conjunctis ædificiis, ſed tantum via publica ædificiis utrinque cincta uſurpari) ortum immediate trahit. Vici autem cum duorum ſint generum, alii quidem primæ ac ſimplicis formæ; quando una familia ita augetur, ut vicum conſtituere poſſit, alii miſtæ, quando videlicet e variis locis homines, nullo alioquin naturali vinculo ſibi obſtricti, tanto numero habitandi gratia conveniunt, ut vicum conſtituant, ex utriusque generis vicis civitatem conſtare poſſe cenſemus. Cum enim primitus homines in tuguriis atque etiam antris habitarent, & jura quisque natis daret & uxoribus, congregarenturque, prout eos vel animi libido ferebat, vel commoditas aliqua, utilitasque communis conciliabat. *Buchan. in dial. de jur. regn. ap. Scot.* poſtmodum ad ſupplendam vitæ indigentiam, & vitam feliciorem, diffuſiori ſocietate opus ſibi fore cenſebant mortales, & natura quadantenus ſtimulante in unum cœtum frequentes coibant. Unde non ſuffragamur iis, qui cauſam initæ eximiæ hujus ſocietatis vel ad metum potentiæ lubidinisque tyrannicæ, vel alia mortalium ſcelera ſolummodo referunt: Hoc ſiquidem poſito, neceſſario ſequeretur, homines ſi in ſtatu integritatis permanſiſſent, nullam inter ſe ſocietatem habituros fuiſſe; vide *diſp. de urbib. germ.* ſub præſidio excellentiſſimi Domini Præſidis habitam *th.* 10. *ad* 15. quanquam inficias non eamus, easdem cauſas inſtinctum illum naturalem, qui in homine jam erat, magis excitaſſe.

XXXVII. Antequam vero ad alia tranſeamus, duo nobis notanda veniunt. (1) Rectius Ariſtotelem ex pagis ſive familiis conſtare civitatem velle, quam hominibus, quia cives non tam homines ſimpliciter, quam patresfamilias eſſe intelliguntur. (2) Ariſtotelem, qui 3. *polit.* 6. & paſſim alibi in cohabitatione ſeu communione locorum civitatem minime conſiſtere docuit, nihilominus ſibi conſtare, tametſi hic plurium pagorum conjunctionem ad civitatem conſtituendam requirat. Nam nec hic per vicos ſimpliciter ædificia, ſed ipſas ſimul familias vicis comprehenſas intelligit, quod ex 3. *polit. c.* 6. liquido patet, ubi civitatem deſcribit, πόλις ἐςὶν ἡ γενῶν καὶ κωμῶν κοινωνία: *Civitas eſt ſocietas familiarum & virorum.* Deinde non negat Ariſtoteles *ſupra citato cap.* 6. cohabitationem & communionem loci ad civitatem requiri, quin id diſerte affirmat, ſiquidem civitas ad perfectam ac abunde inſtructam vitam commode conſequendam contendere velit: ſed diſputat contra eos, qui in communione loci ſummum civitatis apicem conſiſtere arbitrabantur. Adeoq; ad id quidem, uti civitas vivat, & beate, vivat, omnino cohabitatione civium opus eſt, vel certe nimis longum locorum intervallum finem civitatis impedit. Id quod ex eo Ariſtot. probat, quod per hanc cohabitationem amicitia inter cives, quæ congreſſu, ſacrificiis, affinitatibus, ſodalitiis &c. æſtimatur, rectius alitur, ac indigentiæ melius ſuccurritur, etſi fortaſſis unius atque alterius civis abſentia multum incommodi non afferat. Rurſus vero certum eſt, civitatem unam eandemque longa terrarum ſpatia poſſe complecti, atque adeo finem civitatis primarium non eſſe communionem arctioris cujusdam loci, multo minus, poſita cohabitatione, civitatem ſtatim poni, vel jus civitatis. Unde fortaſſis mentem Ariſtotelis non ſatis aſſequuntur, qui τὸ κωμῶν vertunt vicinitates, quaſi e vicinitate ultimus civitatis finis penderet.

XXXIIX. Quæ jam de ortu civitatis ex pluribus pagis ſive familiis diximus, ea de prima & naturali civitatis alicujus conſtitutione intelligenda veniunt. Alioquin enim ex hiſtoriis compertum habemus, uno quaſi momento civitates quasdam extitiſſe, quibus non tam multitudo pagorum, & naturalis quidam inſtinctus, quam ſuperfluus hominum in civitatibus numerus, & ex variis ac diſperſis familiis congregati homines originem præbuerunt. Sic Carthaginienſes profitebantur ſe Tyriorum colonos *Curt. lib.* 3. & tamen diverſa a Tyriorum civitate, & ſui juris erat civitas carthaginienſis. Ita quoque Partheniati Spartæ e diverſis familiis prognati in unam ſocietatem, occupato Tarento, coierunt, nec pluribus pagis, vel integris familiis (de quibus Ariſtotelis definitio loquitur) originem ſuam debuerunt.

XXXIX. Sed audiamus porro Ariſtotelem duo de civitate affirmantem: *Unum*, eam *perfectam* eſſe: Nec immerito: Quæcunque enim ſocietas id conjunctim continet, ob quod omnes aliæ ſocietates contrahuntur, ea eſt perfectior omnibus. Etenim ex fine perfectionem alicujus rei in artibus & philoſophia practica metimur. Atqui civitas id, ob quod reliquæ contrahuntur, continet. Quia, quum reliquas ſocietates primas ad indigentiam & imbecillitatem humanam ſublevandam unice propemodum inſtitutas reperias, hæc in iſto fine nondum acquieſcit, ſed animo etiam ſuccurrit, eidemque ad perfectionem (quæ in virtutum exercitio conſiſtit) obtinendam magno eſt adjumento. Quin, ſi maxime in pago etiam indigentiæ ſuccurri poteſt, civilis tamen ſocietas longe majori copia atque facilitate id aſſequitur, quod aliis ſocietatibus maximo

ſumtu

Digitized by Google

ſumtu majorique labore ſtetit. Ergo civitas eſt perfectior omnibus reliquis ſocietatibus. Notanter dico, *reliquis* perfectiorem eſſe; nam haud raro contingit, ut civitas etiam rerum ad vitam beatamque vitam neceſſariarum penuria laboret: Nec enim omnis fert omnia tellus, interim hoc ſufficit, ſi & reliquis eſt perfectior, & præterea aliunde ea liceat importare, quæ præter domi nata & facta ad finem obtinendum deſiderat. Ex his quoque ſatisfit Acciajolo 1. *polit.* 2. dubitanti, qua ratione civitas perfecta vocari queat, quum adhuc a republica introducenda perfectionem exſpectet. Nam diverſo modo civitas perfecta dicitur. (1) Ea perfectione, quam a ſe habet. (2) Ea, quæ ipſi a republica ſuperadditur. Nemo enim tantam civitati perfectionem tribuerit, cui non aliquid interventu reipublicæ accedere queat. Sed tum civitas ſuam perfectionem (de qua jam nobis ſermo erat) aſſecuta eſt, quum ea in promptu habet, vel aliunde importat, in quibus diſponendis, & ad vitam beatam dirigendis dum verſatur reſpublica, eam magis magisque perficit. Vel, quod perinde eſt, civitas ideo in ſe ſocietatum eſt perfectiſſima, quoniam etiam ratione ſui materialis maxime omnium idonea eſt perfectionem ſummam conſequi. Adde, quod civitas adeo a republica abſtrahi non potuerit, quin in definitione aliquis ad eam, & ſperatam exinde perfectionem reſpectus includeretur, propterea quod reſpublica non forma tantum, ſed & finis ſit reipublicæ i. e. ineuntes hanc ſocietatem ſtatim aliquam ſibi propoſitam habeant rempublicam, oportet, niſi fruſtra de obtinendo utroque civitatis fine laborare velint.

XL. *Alterum eſt: Civitatem* πάσης τῆς αὐταρκείας πέρας ἔχειν, *omnis ſufficientiæ terminum habere.* Scilicet tantorum bonorum autor fuit, qui civitates primus inſtituit 1. *pol.* 2. ut nihil ſit, quod ultra civitatem aptius humanis neceſſitatibus remederi poſſit. Atque hoc ſenſu civitatis ſummam, ſive finem ſufficientiæ complecti dicitur, quod in ea felicitatem humanam terminari oporteat, ita ut, qui extra eam in his terris aliam quærat, ad divinitatem quandam accedere dicatur Ariſtoteli *d. cap.* 2. Aut enim ipſamet ea habet, quibus præſentibus αὐτάρκης eſt civitas, aut tamen inter omnes reliquas ſocietates aptiſſima eſt ad percipienda longinquis terris ea, quibus redditur αὐτάρκης. Ἀυτάρκειαν vero Ariſtoteles in civitate tantopere neceſſariam judicat, ut obinde nimiam civitatis parvitatem damnet 7. *polit. c.* 4. Ὁμοίως δὲ καὶ πόλις, inquit, ἡ μὲν ἐξ ὀλίγων οὐκ αὐτάρκης, ἡ δὲ πόλις αὔταρκες: *Civitas ex nimis paucis civibus conſtans, non eſt ſibi ſufficiens. Civitas autem eſt, vel eſſe debet aliquid ſufficiens.* Ἀυτάρκειαν autem hic ita interpretamur, ut non tantum deſignet, civitatem bonis omnibus omnium optime ita eſſe inſtructam, ut ſibi ſufficiens eſſe queat: Sed præterea etiam, cum deſunt quædam, civitatem longe rectius jacturam eorum ferre atque ſarcire poſſe, quam reliquas ſocietates ſimplices ac compoſitas. Atque poſtremo etiam ſenſu a bonis ſcriptoribus vox hæc accipi conſuevit, & hic ab Ariſtotele hoc modo ſumtam fuiſſe, exinde recte colligunt interpretes, quod in fine definitionis cautelam quandam adhibuerit, ὡς ἔπος εἰπεῖν, qua generaliter dicta reſtringere ſolent philoſophi, (latine *pene, ut ita dicam, ſummatim,*) quaſi diceret, ſe hic in ſummo gradu atque perfectione civitatis definitionem tradidiſſe, propterea tamen, ſi forte civitati cuidam quædam eorum non æque adſint ex his, quæ in definitione expreſſa ſunt, eidem nomen civitatis ideo negandum non eſſe. Pertinet huc, quod 7. *polit. c.* 4. poſtquam paucitatem civium civitati inutilem fore demonſtraſſet, magnitudinem itidem & multitudinem nimiam reprehendat hoc argumento: Quod nimis magna civitas αὐτάρκης μὲν ἡ ἐν τοῖς ἀναγκαίοις, ὥσπερ ἔθνος, ἀλλ' οὐ ὥσπερ πόλις: Quæ verba planum faciunt, philoſophum per τὴν αὐτάρκειαν non ſimpliciter quemlibet omnium bonorum cumulum in una civitate requirere, ſed eum tamen, qui ad vitam civilem eſt neceſſarius.

XLI. Nunc ad finem ſocietatis noſtræ pergamus, quo recte aſſignato, definitio noſtra recte ſe habebit. Is autem duplex eſt, quorum primus impulit homines magis ad jungendam inter ſe ſocietatem & ad alterum tanquam ultimum refertur: Alter, ſocietatem facile alioquin interituram ſimul conſervat. Et ille quidem eſt vivere ſimpliciter, ſive indigentia humana, ſub qua & mutua noſtri defenſio & permutatio comprehenditur. Iſte eſt beate, εὐδαιμόνως viveret. Eſſe vero hanc Ariſtotelis mentem, nec per εὐζῆν commodam, ſed beatam vitam deſignari facile ex 3. *polit. c.* 6. apparet, ubi de Oligarchicorum & Democraticorum jure diſputans tandem in virtute, remotis omnibus cæteris, jus iſtud collocat. Deinde, quod politicam cum morali philoſophia tam arcte conjunxerit, ut nomen etiam politices eidem ſæpenumero tribuerit, hoc potiſſimum fine, ut oſtenderet, virtutem maxime in civitate locum invenire, omnesque virtutes in ea illuſtriores perfectioresque reddi juxta vetus iſtud; *Magiſtratus viros oſtendit.* Et vero, ſi civitas ſocietas eſt omnium perfectiſſima, non poterat in ſimplici vita ultimum ſuum finem collocare, alias nihil impediret, quo minus & ſervorum eſſet civitas atque animantium, quibus a natura inditam vim ad ſe tuenda atque ſuſtentanda deprehendimus.

*Sentit enim vim quodque ſuam, qua poſſet abuti:*
*Cornua nota prius vitulo, quam frontibus extant.*

Atqui eſt ſocietas omnium perfectiſſima, uti ſupra demonſtravimus. Ergo non poteſt ultimum ſuum finem in ſimplici vita collocare. Accedit his, quod nec primum finem diu liceat obtinere, niſi mediante altero: Unde ſic argumentamur. Quicunque in ſocietatem aliquam in multos annos duraturam coëunt, illi neceſſario ſibi honeſtam & *felicem vitam* (a) debent habere propoſitam. A. qui civilem ſocietatem contrahunt, ii ineunt ſocietatem in multos annos duraturam.

E. Maj.

(a) *Felicem vitam*) HERT. *in element. prudent. civilis part. I. ſect.* 4. GOEB.

E. Maj. ratio eſt, quia ſola virtus conſtans eſt & durabilis, reliqua bona omnia aut a fortuna,aut ad exiguum tempus commodata videntur. Maxime vero omnium vim ſuam virtus in ſocietatibus exſerit, ut (quod memorabili latronum exemplo declarat philoſophus,) nequeant conſiſtere, niſi virtutem pro ultimo fine habeant, idque in tantum verum eſt, ut ii etiam, qui virtutem alioquin & vitium juxta æſtimant, aliquam tamen virtutis ſpeciem, qua ſcelera tegant, mentiantur. Minor per ſe patet, quia quilibet majori deſiderio ad bonum aliquod conſtans & durabile, quam caducum & fluxum fertur. Unde manifeſtum eſt, hoc animo initam fuiſſe a primis mortalibus hanc ſocietatem, ut quam diutiſſime duraret: Id autem ipſum nemini felicius contingit, quam qui beatam quoque vitam cum primo civitatis fine habuerit conjunctam.

XLII. Quæ cum firmis principiis innitantur, agnoſcimus (1) laborare Platonis definitionem, *qui finem civitatis in eo ponit, uti communicent præſtentque viciſſim alius alii eas res, quibus ad vitam opus eſt.* Mirum autem id cuivis videri poſſit, quod Plato γενομένης καὶ ἔσης πόλεως eundem conſtituat finem, cum ipſemet alias accurate hæc a ſe invicem diſtinxerit juxta familiare ipſi & decantatum illud; *facile quidem fore, virum bonum eſſe; fieri autem virum bonum, longe eſſe difficillimum.* Removemus (2) eos, qui finem civitatis in bellica ſocietate vel communibus commerciis poſitum eſſe cenſebant. Nam Tyrrhenos inter & Carthaginienſes vaſto mari disjunctos pacta de commerciis & permutationibus, & bellis mutuis viribus propulſandis intercedebant, nec tamen eos recte unius civitatis cives appellaveris cum, quod diverſos habuerint magiſtratus ac judicia, tum quod Tyrrheni de vitiis inter Carthaginienſes graſſantibus ſolliciti non erant, nec hi in illorum mores animadvertebant, ſatis contenti, ſi ſua pactis conventisque fides conſtaret, cujus poſtremi argumenti vim ac conſequentiam egregie oſtendit Philoſophus 3. *pol.* 6. his verbis: *Qui autem de bona civitatis deſcriptione laborant, de virtute quoque & vitio civili vident. Quare & intelligitur, civitati, quæ vere hoc nomine ſit appellanda, non quæ nomine tantum talis eſt, curam virtutis eſſe oportere.* Res his argumentis includi poteſt: Quicunque ſunt cives unius civitatis, ii ſalutem illius civitatis omnibus modis promovent. A. Tyrrheni carthaginienſis civitatis ſalutem non promovent &c. E. Min. probatur: Quicunque non curant vitia in republica & corruptos civium mores, ii non promovent ſalutem civitatis. A. Tyrrheni Carthaginienſium, & hi illorum &c. E. Ex iis fundamentis refutantur ii, qui jus connubiorum veram communicatæ civitatis notam eſſe exiſtimant.

XLIII. Et hactenus quidem civitatis definitionem per ſingula membra excuſſimus. Coronidis loco addimus, quod tametſi finis civitatis γενομένης ſit vivere ſimpliciter, ἔσης beate vivere; ſcopum tamen ratione variarum civitatum & diverſorum, quibus initur civilis ſocietas, modorum longe eſſe diverſum. Hinc illam videas reliquarum virtutum incurioſam uni fortitudini, & dilatandis per eam finibus incumbere, adeoque pro ultimo fine gloriam & fortitudinem bellicam habere: Quam ipſam veteres Romani usque adeo ſectabantur, ut virtutis nomine κατ᾽ ἐξοχὴν fortitudinem intelligerent. Alia rurſus divitiis aut voluptatibus ſtudet, prout magis vel minus a vero fine aberrat. Neque vero exinde imperfectionem definitionis noſtræ eviceris; nam philoſophorum eſt, univerſales definitiones easque in genere ſuo perfectiſſimo concinnare, non ad ſingularia & ſpeciales civitates deſcendere: Jam vero talis eſt civitas ortu ſuo perfecto, qualem nobis definitam reliquit Philoſophus accuratior omnibus iſtis, qui ab univerſalibus præceptis abeuntes in neſcio quam de Germanorum vel Romanorum civitate doctrinam convertunt politices diſciplinam, & tam arctis finibus includunt ſcientiam auguſtiſſimam & maxime ἀρχιτεκτονικήν.

XLIV. Poſtquam nunc, quantum inſtituto noſtro ſatis eſt, quid ſit civitas, explicuimus, quomodo conſtituatur, paucis videamus. Et quidem non una omnium hac de re ſententia eſt. Plato enim ejusque ſectatores mero inſtituto humano ſocietatem civilem introductam eſſe aſſerebat, conformiter opinioni, quam *th.* 42. rejecimus, qua ultimum civitatis finem ἐκ τῶ ζῆν ſimpliciter ponebat. Ariſtoteli & præclariſſimis aliis politices ſcriptoribus nimis humilis, & minime generoſus, ut Cicero de amicit. in ſimili plane argumento aſſeverabat, hic ortus videbatur, quapropter primario a natura intendi civitatem exiſtimabat, ita ut reliquæ ſocietates nomen ſuum amittant, vel ſaltem æquivoce tueantur, niſi ad ſocietatem civilem conſtituendam ordinentur, ſecundario vero indigentiam humanam cauſam ejus putabat extitiſſe, quemadmodum & civitatis primarium finem in naturali & propria hominis perfectione, ſecundarium vero in commoda vita collocarat. Huic opinioni acceſſit poſtea etiam Tullius *lib.* I. *de offic.* ubi in hunc modum contra Platonem diſputat: *Nec verum eſt,* inquit, *quod dicitur a quibusdam, propter neceſſitatem vitæ, quod ea, quæ natura deſideraret, conſequi ſine aliis atque efficere non poſſemus, idcirco iſtam eſſe cum hominibus communitatem & ſocietatem; Quodſi omnia nobis, quæ ad victum cultumque pertinent, quaſi divina virgula i. e. citra operam noſtram ſuppeditarentur, tum ne* (objicit ſibi) *optimo quisque ingenio, negotiis omnibus omiſſis, totum ſe in cognitione & ſcientia collocaret? Non eſt ita,* reſpondet, *nam & ſolitudinem fugeret, & ſocium ſtudii quæreret.* Hæc ille.

XLV. Ne vero quem confundat ambiguitas vocis, per *naturam* hic intelligimus principium illud & cauſſam motus & quietis, de quo in ſcholis phyſicis, non vero jus naturæ: Nam præterquam, quod diverſiſſima ſint a natura, & a jure naturæ eſſe, utique extra omnem controverſiam eſt, civitates juri naturæ eſſe convenientiſſimas: Eam enim ſocietatem, quæ amicitiam auget & propagat, jus omne fovet, & denique pro ſcopo habet beatam vitam, nemo temere a jure naturæ dixerit diſcrepare. An vero a jure naturæ introducta ſit civitas, vel a jure gentium, id ex deciſione propoſitæ quæſtionis apparebit, quam nunc aggredimur.

XLVI.

Digitized by Google

XLVI. Philoſophus ad probandam ſententiam ſuam, civitatem nempe eſſe a natura, & reliquas ſocietates primas & compoſitas natura ad civitatem perficiendam ordinatas eſſe, adducit tale argumentum: Quodcunque ex naturalibus ſocietatibus oritur, illud eſt naturale. A. civitas oritur ex talibus. E. Min. probat, quia civitas finis eſt, & perfectio reliquarum ſocietatum. Plato ejusque aſſeclæ provocant ad experientiam, & civitates ſolo inſtituto humano affirmant introductas eſſe: Quod enim, inquit, ſolis neceſſitatibus humanis medetur, illud prius non eſt introductum, quam indigentia genus hominum premere cœpit. Hoc enim ſic ſatis inſtructum erat ab omni fertilium rerum copia, ut civitatibus indigere non videretur. Jam vero civitas ſolis neceſſitatibus humanis medetur. Verum hoc aſſumit Plato, quod nondum probavit, quodque ipſi non concedimus, per ea, quæ ſupra contra hanc ſententiam diſputavimus. Ut vero etiam appareat, quid veri falſive opinio ariſtotelica habeat, tribus aſſertionibus ſententiam noſtram proponimus. (1) A natura ita reliquas ſocietates eſſe productas, ut in ſubſidium neceſſitatum humanarum ad perfectiſſimam & abſolutiſſimam ſocietatem conſtituendam concurrere deberent: Hoc tamen modo, ut & ipſæ tamdiu conſiſtere per ſe, & uſui hominibus eſſe poſſent, donec neceſſitas poſtularet. Probat hanc aſſertionem argumentum Ariſtotelis ſupra allatum. Neque vero ad id, ut quid a natura conſtitutum eſſe dicatur, ſemper requiritur, uti cum ipſo genere humano cœperit, alioquin nec ipſa ſocietas herilis a natura eſſet, multo minus vicus aut familia. (2) Ideo in primordio rerum civitates a natura introductas non fuiſſe, quod paucitas humani generis per omnes terras diſperſa id non admiſerit; Deinde, quia viventes in pagis ac familiis tum temporis rebus neceſſariis ſatis abundare, & virtuti quodammodo ſtudere potuerunt. Taceo jam, quod non ſemper interſit humanæ beatitudinis, ut omne omnino virtutis negotium peragatur, modo ſis paratus, quacunque data occaſione ejus nihil intermittere. De hac aſſertione vide excellentiſſ. Dn. Præſidem de civil. prud. c. VI. late probantem, in pagis utrumque civitatis finem ſic ſatis feliciter obtineri potuiſſe a primis & vetuſtiſſimis mortalium, qui nulla adhuc mala libidine, ſine probro, ſcelere, eoque ſine pœna aut coërcitionibus agebant *Tacit. annal. 3. c. 26. verſ. 1.* (3) Vel hoc tantum ſenſu civitates recte a natura dici conſtitutas, quod natura ſemper tendat ad perfectiſſimum, adeoque creſcenti indies hominum generi per civitatem, tanquam perfectiſſimam ſocietatem, conſuluerit. Et, niſi valde fallor, ipſemet Ariſtoteles in iis verbis, quæ mox huic quæſtioni ſubjungit, *finis namque hæc illarum, natura autem eſt finis & ſeqq.* per naturam intelligit perfectionem quandam & finem reliquarum ſocietatum: Alioquin merito quis dubitaverit cum Montecatino, cur Ariſtoteles in his verbis probaverit, civitatem eſſe naturam, quum tamen probare debuiſſet, civitatem a natura eſſe conſtitutam. Illud poſtremo tenendum eſt, quantumvis civitatem, eo, quod diximus, modo natura fortaſſis intenderit, nihilominus Ariſtotelem ipſummet alibi fateri, civitatem originem ſuam ex indigentia traxiſſe propterea, quod cum civitas conſtitueretur, & primi patresfamilias in unam magnam ſocietatem coirent, multa ab inſtitutis humanis acceperint, quæ plerumque indigentiæ levandæ, non vero æque beatæ vitæ inſerviebant.

XLVI. Brevibus in hunc modum poteſt etiam quæſtio illa ſolvi, ad naturam humanæ ſocietatis beatæ inſtituendæ faciunt alia primario, alia ſecundario. Etenim Deus condidit homines rectos, probos, ſimplices, qui, ſi intra hosce limites ſeſe continuiſſent, etiam citra magnam aliquam ſocietatem, qualis civilis eſt, feliciter vivere potuiſſent. At poſtquam ab illa primæva virtute multum eſt diſceſſum & homo homini inſidiari, imo vim inferre cœpit, ex eo ad vitam felicem ampliori ſocietate opus fuit, qua & vis arceri & cupiditati jam in morem tractæ potuit ſatis fieri. Itaque relictis vicis & villis, civitates conditæ & habitatæ fuerunt. Verum & hæc quoque felicitati obtinendæ ſine diſcrimine pares non fuere, poſtquam magno numero homines injuriæ aliis inferendæ cauſſa in unum coire cœperunt, ut adeo alibi magnæ, alibi parvæ civitates vitam ſic ſatis felicem degere potuerint. Ut concludamus, civilis ſocietas eſt ex naturæ inſtituto, & non eſt: Hoc quidem, ſi primævos mores ſpectes, nec enim ii exigunt, ut actu ejusmodi ſocietas ineatur: Iſtud, ſi mores attendas poſteriorum ſeculorum, quippe cum vita humana citra civitatem ſalva amplius eſſe nequeat.

XLVII. Cognata huic quæſtio eſt, an homo ſit animal natura civile, h. e. an homo inſtinctu naturæ feratur ad ſocietatem civilem colendam? De qua antequam mentem noſtram plenius explicemus, duas præmittimus cautiones: Una eſt: Si maxime homines ſunt ζῶα πολιτικά, ii tamen, qui ſe certæ alicui civitati non addixerunt, in jus naturæ nihil committunt, nam virtutem humanam ſupergreſſi ad naturam Deorum quam proxime accedunt, fatente hoc *c. 2. Ariſtot.* In hanc claſſem referendi ſunt Anachoretæ, Heſychitæ, quales olim frequentes fuiſſe notiſſimum eſt. Quin & patriarcharum exempla id confirmant. Sub hanc vero conſiderationem non cadunt ii, quos feritas immanis, & agreſtis ſive ſylveſtris vita ita delectat, ut propter eam ſponte a civili ſocietate ſe abſtineant, hi enim majorem cum belluis, quam hominibus habent affinitatem. Altera. Excuſationem etiam mereri eos, qui ante civitates conſtitutas perfectionem ſuam naturalem in vicis ſive familiis tantum quærebant, nam inſtinctus ſeu appetitus iſte naturalis tantam certe vim non habet, ut per ſe hominem ad colendam ſocietatem excitare poſſit, niſi prudentia & ratione perficiatur. Unde Ariſtoteles *in f. cap. 2.* poſtquam a ſe demonſtratum eſſe dixiſſet, hominem animal eſſe natura πολιτικόν, ſubjungit: *Hæc quidem ita ſe habere, attamen eum magnorum bonorum autorem humano generi extitiſſe, qui primus civitates inſtituit*, adeoque (ut doctiſſimi viri interpretantur) ratione hunc inſtinctum expleret, & bona iſta homi-



Digitized by Google

hominibus oſtenderet, ad quæ illi appetitum ſibi inditum eſſe animadverterent. Duce etenim opus erat, ut qui nos, quo natura ferebamur, eodem congregaret.

XLIIX. Præmiſſis iſtis cautionibus, quæſtionem cum Ariſtotele affirmamus. Is ut probaret principium iſtud, cui magnam politices partem ſuperſtruxit, ejusmodi adducit citato loco argumentum. Quodcunque animal a natura omnium optima inſtrumenta ad colendam civilem ſocietatem accepit, illud natura eſt civile. A. homo accepit. E. Min. probat a conceſſo ſermone, quod etſi alia animalia voce moleſtum & jucundum ſignificante ſint inſtructa (moleſti enim & jucundi ſenſum habent animalia) ſolus tamen homo ſermone utatur, quo utile & inutile, juſtum & injuſtum innuere poſſet. Idque ut magis illuſtret, contendit hominem cum animali omnium maxime ad ſocietatem proclivi, apibus ſcilicet, in quibus ſimulacra regis, imperii & inſtitutorum deprehendi, Piccartus ibi ex citato Aldrovando docet. Quibus plane gemina ſunt, quæ Cicero *l. de offic.* tradit: *Ut apum*, inquit, *examina non fingendorum favorum cauſa congregantur, ſed cum congregabilia natura ſint, fingunt favos, ſic homines, ac multo etiam magis natura congregati, adhibent agendi cogitandique ſolertiam.* Maj. ſuam probat Ariſtoteles, quoniam nihil natura facit fruſtra, hominem autem fruſtra loquendi facultate fuiſſe inſtructum, niſi eo aliquando in civili converſatione uteretur. Verumenimvero Ariſtotelis argumentum vim *ἀποδείξεως* non habet. Non enim ſequitur: Si homo ſermone in civili ſocietate non utitur, utique fruſtra eum accepit; nam ſermo magno uſui, etiam in primis ſocietatibus eſt, & fuit olim patribusfamilias vicatim habitantibus. Nam & in minoribus ſocietatibus utili & inutili, juſto atque injuſto locus eſt, adeoque in illis utique reperietur id, quod ad innuenda iſta homini natura, vel autor naturæ dedit.

XLIX. Nos igitur aliunde ſententiæ noſtræ fundamentum, quamvis ex eodem Ariſtotele noſtro, petimus quod, ubi modo ad ſyllogiſmi noſtri probationem devenerimus, dilucidum fiet. In hunc autem modum argumentamur. In quacunque ſocietate homo proprium ſuum munus omnium optime & commodiſſime perficere poteſt, ad eam colendam utique natura ei dedit appetitum. Major hæc innititur huic proſyllogiſmo: Si natura ſemper ad rei alicujus perfectionem connititur, utique etiam ad munus proprium rite obeundum ſtimulabit hominem. A. verum prius. E. & poſterius. Minor jam conſtat experientia, nam natura in rebus naturalibus eſt, & appellatur rerum iſtarum perfectio, &, quamdiu res adhuc ſuam perfectionem deſiderat, tamdiu non habet integram iſtius ſpeciei naturam. Et vero ita in univerſum ſe res habet, ut natura quidem res perfectas producat, quæ tamen poſtea labentibus annis & invaleſcentibus vitiis corrumpi, atque a prima eaque naturali perfectione deſciſcere ſoleant. Quod ipſum innuit Ariſtoteles *1. polit. c. 3.* ubi ait: *Quod ex natura, magis ex iis ſpectari debet, quæ ſecundum naturam ſunt effecta, & non ex depravatis.* Jam vero utut aliis a natura id datum negaremus, nobiliſſimæ certe creaturæ injuriam inferremus, ſi eam a natura penitus deſtitutam eſſe arbitraremur. Nunc ad minorem ſyllogiſmi noſtri. A. in civili ſocietate homo omnium optime & commodiſſime munus ſuum proprium perficere poteſt. Ad minoris probationem duo requiruntur (1) ut ſciamus, quod ſit munus hominis proprium, & (2) An illud in civitate omnium optime & commodiſſime perficere poſſimus. Eſt autem munus hominis proprium, ſecuncundum virtutem vivere, uti peregregie demonſtrat Ariſtoteles 1. *Ethic.* 7. Alterum facile per ſe manifeſtum eſt, nam juſtitia univerſalis eſt virtus perfectiſſima, ea autem ferme in ſola civitate locum invenit 5. *Eth.* 1. E. ad civilem ſocietatem homini natura indidit appetitum. Eleganter Buchananus in dial. de jur. regn. ap. Scot. *Ea eſt quædam naturæ vis, non hominibus modo, ſed manſuetioribus etiam animantibus indita, ut ſi maxime abſint utilitatis illa blandimenta, tamen cum ſui generis animantibus libenter congregentur. Homini certe a natura hanc vim tam videmus alte impreſſam, ut ſi quis omnibus iis rebus abundet, quæ vel ad incolumitatem tuendam, vel ad voluptatem & animorum oblectationem comparatæ ſint, ſine hominum commercio vitam ſibi inſuavem ſit exiſtimaturus.* Hæc de iſta quoque quæſtione dicta ſunto, & quidem ex Ariſtotelis potiſſimum mente: nam accuratius quæ dici poſſint, facile patet ex theſi XLVI.

L. Supereſt nunc, ut maxime præcipua, quæ adhuc lucis aliquid noſtræ diſputationi afferre poſſunt, & quæ vel tetigit Ariſtoteles, vel vero intacta reliquit, adjiciamus: quo ſi defuncti fuerimus, epilogi vice de utilitate civilis ſocietatis pauca diſputabimus. Movet Ariſtoteles *3. polit. c. 3.* quæſtionem, an acta & contractus initi a republica, ſeu ſumma majeſtate, civitatem, pereunte iſta republica, adhuc obligent? ipſe autem quæſtionem propoſitam non decidit, quod contra negantes ex ultimis c. 2. verbis liquido oſtendimus: habent hæc ita: *εἰ δὲ δίκαιον διαλύειν (συμβόλαια) ἢ μὴ διαλύειν, ὅταν εἰς ἑτέραν μεταβάλλῃ πολιτείαν ἡ πόλις, λόγος ἕτερος*: *ſit ne juſtum, nec ne, id quod ex conventione debetur, diſſolvere, obligationique contractæ ſatisfacere, cum in aliam rempublicam civitas traducta ſit, non eſt hujus loci diſputare.* Exinde autem, quod Ariſtoteles ipſe quæſtionem in medio reliquerit, res tota mire & variis diſtinctionibus fuit impedita, & nunc magna laborat difficultate, ut ferme in iis, de quibus Ariſtoteles noſter ſilet, accidere ſolet, uti aut paucis, aut ſatis perplexe tradantur.

LI. Nos, ne nimis longe a materia noſtra abeamus, digitum tantum in quæſtionem hanc intendemus. Ad id autem, uti quis hac de quæſtione certi quid determinet, neceſſe eſt, jura majeſtatis in populum iſtum, de quo quæſtio eſt, percallere, & ſimul generalia ex Ariſtotele noſtro præcepta de differentiis rerumpublicarum in genere ac ſpecie cognita habere, atque huic tractationi præmittere. Unde vix fieri poteſt, uti tu tam late patentem, & pro modo & varietate

rerum-

Digitized by Google

rerumpublicarum diverſam diſputationem certis regulis includas. Diſtinguunt quidam, quod ſi actus utiliter geſti ſint, tum, pereunte etiam republica, civitatem nihilominus teneri; ſi inutiliter, nequaquam: Hos cum ſua diſtinctione *l. 2. c. 14. n. 11. 12. de jur. bel. & pac.* refutat Grotius, & majeſtatis in adminiſtranda republ. poteſtatem ad naturam negotiorum geſtorum exigendam eſſe negat, duabus de cauſis (1) quod hac ratione exitus tantum negotii ſpectetur, qui in republica propter rerum geſtarum magnitudinem & varietatem, propterque humanarum rerum inconſtantiam anceps eſſe poteſt, quantumvis majeſtas optimo conſilio negotium geſſerit, (2) quod ipſi reipublicæ eſſet periculoſum, ad tales anguſtias imperantem redigere, quin ipſis ſubditis moleſtum. Unde in dubio id non ſenſiſſe credendus eſt populus, cum detulit imperium. Quapropter Grotii ſententiam amplectimur, qui diſtinguendum putat, num actus ſive contractus ſummæ poteſtatis probabilem habeat rationem nec ne. Iſto caſu ex contractibus iſtis etiam civitatem teneri, & ſive obſit, ſive proſit civitati, locum habere illud (ſalva tamen proportione) ex *l. 14. de pact. Magiſtri ſocietatis pactum ſocietati prodeſſe & obeſſe.* Hoc caſu non obligari civitatem, veluti leges iſtæ, quæ aut illicitum quid jubent, aut nimis ſtultæ aut abſurdæ ſunt, ſubditos non tenent. Loquitur autem is de jure iſto, quod ad naturam & gentium inſtituta quam proxime accedit, juxta quod populus ſeu civitas ſibi ſponte ſua ſummam majeſtatem imponebat, non vero de tyrannica aliqua majeſtate, unde ex hac viri ſummi deciſione de aliis caſibus facile eſt judicare. Poteſt fortaſſis etiam paucis in hunc modum quæſtio illa decidi. Contractus aut ſpectant unice ſalutem iſtius reipublicæ, quæ obtinebat tempore contractus, aut ad illam plane non pertinent, ſed ad alium quendam uſum populi ac civitatis. Priores obſervare non tenetur mutata reſpublica. Poſteriores non eſt fas reſcindere; quippe cum tendant ad uſum ſocietatis humanæ univerſalis, nec dependeant a republica, quatenus tali, ſed a populo, qui manet idem, mutata quamvis republica.

LII. Huic quæſtioni immiſcet aliam Ariſtoteles, eamque ad prioris quæſtionis enodationem aliquid momenti habere, exiſtimat, quemadmodum ſcilicet civitas eadem vel non eadem ſit dicenda? Philoſophus poſtquam oſtendiſſet, id non identitate locorum, vel hominum metiendum eſſe, concludit tandem his verbis: *quæ, ſi ita ſe habent, perſpicuum eſt, oportere maxime dici eandem civitatem, ſpectantes rempublicam.* Quid vero illud eſt, quod Ariſtoteles alias ſolicite diſtinguit inter civitatem & rempublicam? Quodque alioquin Politici inter differentias reipublicæ & civitatis hanc quoque ponant, quod, pereunte republica, civitas nihilominus ſalva & eadem incolumis permanere queat. Sic civitas romana primum regiæ manui obediit, poſt hæc delapſa in patrum poteſtatem, qua poſt longas contentiones, interjecta decemvirorum oligarchia, degeneravit in ſtatum popularem, donec ad principes ſolos retraheretur. Accedit, quod ſi civitas una cum republica interiret, fruſtra proponeretur quæſtio theſi præcedenti allata. Cum enim mors omnia ſolvat, quorſum opus foret dubitatione, an ex pactis & actibus civitas mortua teneretur? Ex quibus omnibus apparet, ambigua Ariſtotelis verba plane alio ſenſu a quibusdam accepta, quam ab ipſo fuere prolata. Quando enim quærit, quemadmodum eadem vel non eadem civitas eſſe dicatur, & quando reſpondet, id æſtimandum, ſpectando rempublicam non idem eſt, ac ſi diceret: eadem manet civitas, quamdiu manet eadem reipublicæ forma, mutata forma, civitas mutatur. Sed diſtinguit civitates a ſe invicem per rempublicam, ut ita ſenſus verborum iſte ſit: Civitatum inter ſeſe differentia (ut ſcilicet hæc oligarchia, illa democratia appelletur) non ex diverſis hominibus, aut diverſis locis, ſed e diverſis rebuspublicis dependet. Arniſ. *repet. polit.* 1. *c.* 5. *ſect.* 3. *n.* 10. 11. 12. & Montec. *text.* 14 3. *polit.* Quod ſi maxime in priorem ſenſum rapias verba Philoſophi, non deeſt tamen, quod excuſando ei ex Grotio afferamus, qui cum Ariſtotelis verba iſto ſenſu acciperet, quem a mente ejus alienum eſſe jam annotavimus, putat Ariſtotelem per civitatem hic intelligere relationem partium earum inter ſe, quæ regunt, & quæ reguntur, *de jure bel. & pac. l. 2. c. 9. n.* 8. quam mutata forma mutari, & pereunte perire extra dubium eſt. Quod ſuo loco relinquimus.

LIII. Denique non alienum ab inſtituto noſtro fore exiſtimamus, ſi paucula de jure, quod competit civitati in corpus & bona ſingulorum civium, ſubjiciamus. Quoniam vero tam late ſe diffundit hæc materia, ut prolixos aliorum commentarios meruerit, ſumma tantum ejus capita recenſebimus. Ac *primo* quidem civitas in caſu neceſſitatis invitum etiam civem retinere poteſt. De quo jure dictum nobis eſt th. 24. contra vero eum abalienare, a ſe abſcindere atque aliorum ditioni permittere, videtur minime poſſe, nam qui in civitatem coëunt, ſocietatem quandam contrahunt perpetuam & voto immortalem, a qua totum partes nequit excludere, cum neque ſint ſub toto, quemadmodum partes corporis naturalis ſub corpore, quæ uti ſine vita corporis ſubſiſtere non poſſunt, ita recte etiam in corporis uſum abſcinduntur. Grotius *de jure bel. & pac. l. 2. c. 6. n. 4. & 25. n. 3.* ubi cum Scoto affirmat, civitatem non poſſe civem innocentem, ſalvo jure naturæ, pro ſalute ſua conſervanda in hoſtium manus tradere, quoniam civis iſte in naturali ſua libertate adhuc relictus, nullius in ſe imperium agnoſcit. Cæterum, qui ita diſſerunt, non videntur ſatis accurate rem definire. Primum enim non attendunt diſcrimen inter reſpublicas heriles & vere civiles. In herilibus enim licere domino ſubditum alienare, perinde ac ſervum aliquem, non eſt, quod dubitemus. Secundo unusquisque civis ſaluti publicæ obſtrictus eſt vita & fortuna ſua, quod ſi itaque ſalus publica totius civitatis ita exigat, quidni liceat civem alienæ tradere poteſtati, id quod pluribus diſputatum eſt ab ampliſſimo Dn. Præſide *libr. de finib. imperii germanici cap.* 19. *Secundo* jus competit civitati in civium bona, ut



Digitized by Google

ut ea pignori obligare atque ad communem ſalutem per leges cumprimis dirigere queant. *Tertio* in actiones: nulla enim eſt actio civis, quatenus eſt civis, quæ non ad ſocietatis uſum ſpectet, aut per conſequentiam ſpectare poſſit. Etenim omnes cives, dum in unam ſocietatem conſpirant, unum quid eligere tenentur, ad quod omnes ſuas actiones conforment, & propter quod in illam ſocietatem convenerunt, id autem eſt ſalus publica.

LIV. Reſtat nunc ultimo loco, ut omiſſis, quæ de magnitudine, ſituque civitatis alii hoc loco ex *l.* 7. *polit.* late, ſed minus recte & inconvenienter tradunt, in viam redeamus ad finem 1. *polit. c.* 2. Ubi cum Ariſtoteles innuiſſet, appetitum a natura inditum non ſufficere, ſed duce opus habere, ſtatim bona enumerat, quæ ad nos ex conſtitutione pulcherrimæ ſocietatis redundant, quæ huic argumento includi poſſunt: Quicunque lege & judicio hominum improbitatem coërcuit, is maximo eos affecit beneficio. At autor civilis ſocietatis E. Major porro probatur: Quicunque ex peſſimo animali optimum effecit, is maximo id affecit beneficio. At qui lege & judicio coërcuit &c. is fecit ex peſſimo optimum. Maj. eſt extra controverſiam. Min. probat, nam ad mala quævis, ruebat hominum genus, ut omnia alia animalia malitia tanto facilius ſuperaret, quanto plura & perfectiora inſtrumenta a natura acceperat, quibus in contrarium uti poſſet, nimirum facultatem ad prudentiam & virtutem, unde & malas artes invenire, & nomen virtutis aliquando venditare poterat: vel, quod eodem recidit, & idem Philoſophus inculcat. 7. *Ethic.* 6. quia in homine ineſt nocendi principium, i. e. ratio, per quam tamen non niſi facultates naturales intelligi manifeſtum eſt: Jam vero inſignem hunc abuſum compeſcit lex & judicium, quibus virtutes præcipiuntur, & vitia puniuntur. Minor primi noſtri ſyllogiſmi probatur. Quia lex & judicium in civitate locum inveniunt, propterea quod juſtitia, ut Ariſtoteles ait, civile quid ſit. Erat quidem cum *jura natis quisque & uxoribus daret*, at hoc de iſtis quidem temporibus conceſſero, quibus paucitas humani generis, & inſignis ſimplicitas viam nondum ad ſcelera quævis patefecerat, quibusve non tam virtutis exercitio, quam vitiorum ignoratione mortales felices erant. Nemo tamen inficias ibit, quin ad exercitium virtutum plurimum interſit, utrum homines in civitate, an in diſtinctis familiis & pagis etiam vivant. Adde, quod juſtitia univerſalis, quæ vim ſuam in ſola civitate explicare poteſt, ſit perfectiſſima virtus 5. *Ethic. in f.* Quæcunque enim virtus non ſuo tantum poſſeſſori, ſed aliis etiam ſimul prodeſt, illa ſine dubio eſt optima. A. juſtitia univerſalis. E. Quod ſi tot tantaque bona affert civilis ſocietas, eam profecto non ad ethnicum aliquem principem, aut oratorem, ſed ad Deum optimum maximum merito referimus; qui etiam, pro ingenio quidem populi, optimæ alicujus civitatis exemplar in gente judaica nobis exhibuit, ut adeo dubitare non liceat, quin juxta Ciceronem *Principi illi Deo, qui hunc mundum regit, cœtus hominum jure ſocietati accepti ſint & perquam grati.*

TANTUM EST.

# COROLLARIA.

*I. In omni bene conſtituta republica maxime omnium habenda eſt ratio civium Originariorum.*

*II. Non eſt è re bonæ & vere civilis reipublicæ, ut opimam uxores dotem afferant maritis.*

*III. Poſteri omnino tenentur ex conventionibus, quibus majores eorum ſe hujus aut illius poteſtati ſubjecerunt.*

*IV. In germanicis gentibus nunquam obtinuit plena monarchia, quemadmodum nec hodie illa locum habet.*

*V. Conſuetudo, qua mariti in aciem prodeuntes uxores ſuas ſecum circumducunt, eſt omni laude digniſſima.*

*VI. Americani non fuerunt tam ſervili ingenio a natura præditi: ut hinc crudelitatis ſuæ excuſationem petere poſſint Hiſpani.*

XII.

Digitized by Google

# XII.
## HERMANNI CONRINGII DISSERTATIO DE CIVITATE NOVA
### *RESPONDENTE* IOHANNE MATTHÆI REGIOMONT. PRUSS.

ANNO MDCLXII.

*C. B. D.*

## DISPUTATIONIS POLITICAE DE CIVITATE NOVA

### THESIS I.

Reſpublicas omnes, ſuis ſubjectas eſſe viciſſitudinibus & mutationibus, adeo manifeſtum eſt, ut prolixe hoc ipſum & operoſe probare volens, nil aliud agere videatur, quam, ut ſoli meridiano lucem fœneretur, operamque perdat. Quid enim præter quotidianam experientiam, omnium ſeculorum hiſtoriam legenti, crebrius occurrit, quam hanc vel illam rempublicam eſſe mutatam? Adeo, ut hic quoque locum inveniat, quod vulgo dici ſolet: nihil in toto mundo reperiri, quod conſtans ſit, niſi ipſam inconſtantiam. Nequicquam proinde gloriatur Sabellicus, quaſi reſpublica veneta nullam unquam paſſa ſit mutationem; & verius eſt, quod notat Contarenus de eadem, ſenſiſſe ſcilicet ſuas mutationes, licet forte non ita magnas: Sunt enim *variæ mutationes*, (*a*) de quibus paulo poſt. Manet ergo, diu his oſtendendis immorari, non eſſe neceſſarium; quin, cui in præſenti diſcurſu ſtudebimus, brevitas, id non admittit; Solum placet, quod eleganter obſervatum a Polybio *l. 6. hiſt.* §. 2. ubi agit de origine & mutatione rerumpublicarum in alias, quodque ad rem præſentem facere videtur, hic apponere. Sic vero ille: *Sine ulla arte, & naturæ impetu conſtituitur unius dominatio. Hanc ſequitur, atque adeo ex ea originem habet, quum acceſſit ars & emendatio, regnum. Quod, ubi ad congenita mala degeneravit, nempe tyrannidem, regibus ſublatis, naſcitur optimatum imperium. Hoc quoque in paucorum dominationem, ut natura eſt hominum, verſo: ubi multitudo, ira incenſa, imperantium injurias fuerit ulta, exoritur populi imperium; Rurſusque ex hujus inſolentia & legum contemptu emergit tandem turba potentatus.* Hæc Polybius. Quæ tamen nolo ita accipi, quaſi non interdum alio ordine mutationes ſibi ſuccedant. Romanæ reipublicæ mutationem arguunt initialia ſtatim verba Taciti *l.* 1. *Annal. Urbem Romam a principio reges habuere: Libertatem & conſulatum L. Brutus inſtituit.* Sed res, ut diximus, clara eſt.

II. Notari potius accurate meretur reipublicæ mutationum duo eſſe *genera*. (*b*) Quædam enim reipublicæ ſtatum immutant, & alium introducunt, ita ut plane intereat forma vetus, & nova atque diverſa introducatur, ut quando v. g. ex oligarchia fit, aut democratia aut regnum &c. Quædam, non quidem totam reipublicæ formam vel ſtatum immutant, ſed tamen aliquid in ſtatum aut inſerunt, aut aliquid eidem detrahunt, quod manifeſtam arguit mutationem, egregie id oſtendente Philoſopho *5. pol.* 1.

III. Ex eodem porro & hoc obſervandum: poſterioris generis mutationem iterum tripliciter contingere poſſe. *Primo* quidem, quando ſtatu reipublicæ manente, rectores ejus mutantur. Sic debellatis Sardanapalo, Aſtyage, Dario Codomanno, regnum quidem hoc priſtinam formam non mutavit, ſed tantum ad victores rectoresque alios, Arbactum Medum, Cyrum, & Alexandrum M. translatum, Juſtin. *lib.* 1. *c.* 3. & 6. *lib.* 11. *c.* 5. Regnum Galliæ a Merovingis pervenit ad Carolovingos, ab his rurſus ad eos, apud quos & hodie adhuc eſt, Capetovingos. Poloniæ rectorum ſtirps quater jam mutata, & sereniſſimo hoc rege (cui Deus vitam longam & victoriam donet) mortuo, rurſus mutabitur. *Secundo*, quando neque ſtatus, neque principes ſtatus

(*a*) *Variæ mutationes*) Conf. BODINI *method. hiſtoriar.* GOEB.

(*b*) *Genera*) HERT. *in element. prudentiæ civilis part.* I. *ſect.* XII. GOEB.



Digitized by Google

ſtatus mutantur, ſed ſtatus ipſe vel reſtringitur, vel laxatur. Verbi gratia: quando in oligarchiis numerus imperantium, vel redigitur ad pauciores, vel laxatur, ut modo pauciores, modo plures imperii fiant participes. Exemplum, præter alia multa, præbet Heraclidarum reſpublica, cujus mentionem facit Philoſophus 5. *pol.* 6. ubi a paucioribus potentibus τὸ κύριον ad ſexcentos pervenit. *Tertio*, quando pedetentim novus aliquis magiſtratus, repugnans ſtatui, introducitur, aut vetus abrogatur, ut Athenis poſt Codrum reges deſierunt, & inceperunt Archontes Vellei. lib.1.c.12.

IV. Quanquam vero extra omnem ſit controverſiam, reſpublicas ſuas pati mutationes; Non tamen hanc mutationem omnino fatalem, & certo ac definito tempori alligatam aſſerimus. Tum ex aliis cauſis, tum maxime, quod nec ipſi, qui annorum numeris & cancellis, qui tranſiliri nequeunt, imperia definiunt, de certo annorum numero conveniunt. Sunt autem hujus opinionis defenſores Philip. Melanchthon *lib.* 4. *&* 5. *Chron. Carion.* Peucerus *de generibus divinat.* Joh. Leunclavius *in proœmio hiſtoriæ Muſelmannæ.* Ubi hic ita loquitur: *Sunt certa temporum momenta quædam, cum omnibus in genere, tum maxime tyrannicis ſtatuta divinitus imperiis, quæ ſi nec dum appetierint, fruſtra tentare videmus, heroicos etiam principes, quicquid vel ad tuendum ſuas ſuorumque fortunas, vel ad repetendum ablatas injuſte provincias ſuſcipiunt. Sin abſoluto curſu, quaſique periodo ſua, fatales jam vices, metasque cœlitus præfixas attigerint, tum ipſa mole ſua nutant, tum hoſtis, etiam cunctorum opinione debilis, impulſu præcipitata corruunt: ut orbis univerſus mutationem prodigioſam non a viribus humanis, ſed ab inadſpectabili, & præpotenti Numine, mirifica res mortalium providentia gubernante, profectam agnoſcat.* Indubie hi ſuam hanc opinionem hauſerunt e Platonis *lib.* 8. *de republ.* Ille enim idem inculcare olim eſt conatus: Et, quemadmodum animalium vita, certo quodam annorum numero definita eſſe ſolet: v. cauſa, hominum, qui 70 aut 80; equorum, qui 20; canum, qui 10 circiter annos attingunt; ita ille rerumpublicarum converſionem certis quoque numeris conſtare docuit, quibus elapſis, fatalem periodum contingere neceſſum ſit. Verum enimvero refutavit hunc errorem diſcipulus ejus Ariſtoteles 5. *pol. cap. ultimo*, argumentis ſtringentibus, quæ ibi videri poſſunt. Imprimis hoc oſtendere in optima republica laboravit Plato. Et ratio ejus forte hæc erat: quod (cum in aliis rebuspublicis homines non æque virtuti ſtudeant, ſed vitiis ſæpe ſint inquinatiſſimi, ita, ut non quieſcant, niſi ſemper aliquid novi moliantur, inde quoque fieri, ut mutetur illa reſpublica, quæ alias, termino forte fatali nondum elapſo, immutata maneret,) in optima republica, ubi omnes agunt ex virtute perfectiſſima, nemo alteri invidere, nemo res novas moliri velit, verum quivis amore ſtatus præſentis, quietus ſua curet. Sed obſervandum (1) optimam rempublicam, qualem deſcripſit Plato, fingi a nobis & optari quidem; non vero, prout mores ſunt hominum, obtineri poſſe. Imo ſufficere, exemplum nobis eſſe, quod animo, quantum quidem poſſibile, ſequamur. Hinc Gallieni Imperatoris conſiliarii prudenter diſſuaſerunt conſilium Plotini, rempublicam ex præſcripto Platonis, circa Neapolim Campaniæ urbem, in deſerto quodam oppido inſtituere volentis, ut refert Piccartus *ad cap.* 3. *lib.* 2. *polit. Ariſtot. ex vita Plotini a Porphyrio deſcripta.* Obſervandum (2) etiam hoc; Cauſas rerumpublicarum corruptionis duas eſſe, internas & externas; prout homo corrumpitur, vel a vitio ſuo corpori inhærente, vel a cauſa extrinſecus adveniente. Internam corruptionis cauſam dico, quando, qui vivunt in una republica, ſeditione mota, rempublicam mutant. Externam vero, quando in vicinia eſt reipublicæ adminiſtrandæ forma, noſtræ contraria; aut ſi quidem illa longe diſtet; potens tamen ſit & copiis inſtructa, tum enim non quieſcit, donec ſimilem ſtatum in noſtram civitatem introduxerit 5. *pol.* 7. His poſitis, dicimus: Rempublicam ſimpliciter optimam, a cauſis mutationum internis non poſſe mutari, cum contradictionem involverit, eſſe optimam rempublicam, & habere in ſeſe principia mutationis; aſt eandem a cauſis externis corrumpi non poſſe, nihil, quod impediat, video. Uti quoque nullam harum externarum cauſarum connexionem cum termino fatali perſpicio. Egregie Bodinus *in lib. de methodo hiſtoriarum cap.* 6. philoſophatur. *Abſurdum mihi videtur, quod Plato rerumpublicarum exitus & viciſſitudines ſola numerorum poteſtate metitur. Tametſi enim Deus immortalis potentia, numeris, ac menſura mirabili colligavit omnia: non tamen numerorum viribus, multo minus fato tribuendum eſt, ſed Majeſtati divinæ, quæ ipſa (ut Auguſtinus ſcribit) fatum eſt, aut nullum omnino aliud exiſtit.*

V. Cæterum, etſi, uti dictum, nullus fatalis regnorum ſit terminus, non diffitemur tamen, haud parum naturæ in adminiſtratione civitatis tribuendum. Mores enim animi, ſi ſequuntur temperaturam corporis, (quod ex parte ſaltim verum eſſe, nemo ſapiens diffitebitur) conſequens eſt, naturæ magnam eſſe vim flectendi animos hominum, adeoque rerumpublicarum etiam formas & ſtatus commutandi. Innuit hoc Ariſtoteles *dicto. cap. ultimo*, quando dicit: *Contingere, ut quidam exiſtant, qui inſtitui & fieri ſtudioſi viri non poſſint.* Ex quo deſumſiſſe videtur Barclajus, quæ habet *lib. Argenidis c.* 17. *Incitare*, inquit, *ſidera hominem ad ſegnitiem laboremve, callidam indolem aut ingenuæ ſimplicitatis nanciſci: eſſe hilarem aut ad iracundam ſolitudinem declinare; in vitia denique aut virtutes aliquo pondere & impetu ferri.* Aliorum opinionem, qui aut a fato, aut fortunæ temeritate, eclipſibus, terræ motibus, regnorum mutationes pendere ſomniant, hic nihil moramur; præſertim, cum veræ mutationum cauſæ longe aliæ ſint, elegantiſſime partim a philoſopho tractatæ, partim aliunde petendæ.

VI. Ubi ergo contingit mutari rempublicam ſeu ordinem, quo civitas h.e. hominum multitudo conjungitur, oriri dicitur civitas nova: prout in phyſicis unius corruptio alterius ſolet eſſe generatio. Explicari autem hic prius meretur, quam ulterius provehimur, ambiguitas, quæ in

utroque

utroque vocabulo, *civitatis novæ*, latet. Et illius quidem enodationem ſtatim ſubjiciemus; hujus vero tum demum, ubi aliquid de civitate præfati fuerimus, ejusque naturam paucis indagaverimus.

VII. Quod itaque civitatis vocabulum attinet, ſumitur illud multifariam. Primo frequenter pro urbe, adeo, ut paſſim reperias civitati tributa, quæ urbi fuiſſent aſſignanda, & viceverſa. Sic *in l. 21. D. quibus mod. uſusfr. amitt.* JCtus Modeſt. dicit: *Si uſusfructus civitati legetur, & aratrum in ea inducatur, civitas eſſe deſinit, ut paſſa eſt Carthago*: quod tamen aratrum non civitas, ſed urbs paſſa eſt, prout ſubjectum exemplum urbis Carthaginis id quoque innuit. Virgilius *l. 2. Æneid.* contra urbi tribuit ſomnum & crapulam, quando canit de Græcis in occupanda Troja detentis:

*Invadunt urbem, vino ſomnoque ſepultam.*

Inde eſt, ut diſcentes primo politica, quando mentio fit civitatis, ſemper ſibi imaginentur ſingularem aliquam urbem, ac putent de hac ſermonem eſſe; imo omnia, quæ de adminiſtranda civitate audiunt, urbi ſtatim applicare ſoleant, cum tamen urbs ut plurimum exigua quædam civitatis tantum pars ſit. Quamvis tamen nec hoc diffiteri poſſumus, unam aliquam urbem, civitatem conſtituere poſſe: prout id factum, non duntaxat olim in civitatibus Græciæ liberis, ſed etiam hodie adhuc, inprimis apud Helvetios, & Belgico-Germanos nonnullos confoederatos. Quorum pagi & ditiones ſingulæ, etſi quarundam auctoritas ſumma una aliqua in urbe conſiſtat, conſtituunt ſingularem civitatem, fœdus tantum συμμαχικὸν inter ſe colentes. De Belgico-Germanis foederatis teſtatur hoc Grotius *in Apologetico ſuo c. 1.* De Helvetiis Simlerus *l. 1.* Huc pertinet quodammodo, quod Philoſophus habet *7. pol. 2. Unam civitatem ſolitariam eſſe poſſe beatam, ſi bene adminiſtratur.* Notandum etiam hic obiter, civitatem pro urbe apud græcos ſcriptores, imo & apud latinos antiquos, nunquam obtinuiſſe, ſed ſequioribus demum ſeculis ejusmodi uſurpationem inductam eſſe. Apud utrosque namque, ubi reperitur vox πόλεως & civitatis, ſemper denotatur civilis hominum ſocietas, (quæ nobis eſt ſecunda acceptio,) urbs aliqua non niſi per accidens. Utriusque vero differentias eleganter proponit Cicero *l. 1. de republica. Quum locis manuque ſepſiſſent ejusmodi tectorum conjunctionem, oppidum & urbem appellarunt, delubris diſtinctam ſpatiisque communibus.* Omnis autem populus, qui eſt talis multitudinis cœtus, qualem expoſui, civitas eſt. Tertio ſumitur pro republica, etſi non parum hæc etiam inter ſe differant; quandoquidem rempublicam Philoſophus civitatis formam 3. *pol.* 3. ordinem 3. *pol.* 4. animam 4. *pol.* 11. nominat. Idem facit Iſocrates *in orat. Areopag.* ubi dicit: Ἔςι ψυχὴ πόλεως ὀυδὲν ἄλλο, ἢ πολιτεία. *Anima civitatis nihil aliud eſt, quam civilis ratio.* Vide pluribus Henningum Arniſæum *de republ. c. 5. ſect. 3. §. 1. & aliqq. ſeqq.* Eſt autem *civitas*, prout paſſim ab Ariſtotele etiam tacite definitur, *multitudo hominum, qui boni civilis conſequendi vel mali evitandi gratia, in unum quaſi corpus coëunt, & totum quoddam conſtituunt.*

IIX. Ejus ergo, quod theſi abhinc ſecunda promiſimus, memores, putamus & juſto ordine nos proceſſuros, & ſummatim complexuros, quæ de civitate dici poſſunt, ſi ejus tractationem juxta quatuor cauſarum genera inſtituamus. Sequentes in hoc negotio, magnif. Dn. Præſidis Fautoris ac Præceptoris æternum venerandi methodum, cum in lectionibus privatis, de celebrioribus hujus ævi rebuspublicis ei uſitatam, tum etiam publicis aliquot diſſertationibus adhibitam; ita, ut nunc quidem incipiamus de cauſa finali, poſt efficientem ſubnectentes, ac materiali abſoluta, in formali tandem deſinamus. Verum, uti dictum, ſumma tantum in his omnibus capita attingemus.

IX. Et vero, quibus ex cauſis moti homines, primo in unam civilem ſocietatem coaluerunt, non una omnium eſt ſententia. Quanquam, ſi eas, quæ alicujus ſunt momenti, penitius inſpicias, in hoc omnes convenire videntur, factam fuiſſe hanc civilem ſocietatem ideo, ut eo melius ſit conjunctim viventibus. Diximus, quæ alicujus ſunt momenti ſententiæ, in quodam videri convenire. Eorum namque opiniones, qui aut ignis miraculo, aut artis culinariæ ergo coiviſſe homines putant, ceu ridiculas & ineptas merito hic explodimus.

X. Probabilitatis ſpecimen habent, quæ nunc ſubjiciemus. Sunt namque, qui civitatem ortam volunt, quod tyranni ſeu viribus potentes minus validos ſibi *ſubjecerint.* (a) Referunt huc, quod ſcriptum legimus de Nimrodo *Gen. c. 10. v. 9. fortem eum coram Domino fuiſſe venatorem*, quo venatoris nomine, dicunt, ſcripturam ſacram prædonem ſeu latronem ſignificare voluiſſe. Quanquam vero id de Nimrodo haud negaverimus, & nolimus in ejus excuſationem nunc uti illo, quod Ariſtoteles habet *l. 1. polit. c. 2.* de venatoria: attamen nihil facit Nimrodi unius exemplum ad omnium civitatum exordium.

XI. Porro ſunt, qui exiſtimant, non quidem vi externa, coactos fuiſſe homines ad civilem ſocietatem ineundam; aucta tamen progreſſu temporis hominum multitudine, cum multi mali exiſterent, reliquos bonos verentes, ne mali aliquando ſibi inſultent, ac injuriam inferant, (cum imbecilliorem validior facile premat, nec æquali cum eo jure vivere temere velit,) ſponte ſua in civitatem coiiſſe. Sicut vero boni metuerunt injuriam malorum, ſi ſparſim viverent; ita ſinguli homines, ferarum beſtiarum inſultum evitaturi, civitatem, ex aliorum opinione, inſtituerunt.

XII.

(a) *Subjecerint*) Aut, ne ſubjicerentur aut opprimerentur, in ſocietates civiles coiviſſe, HERT. *l. c. part. I. ſect. III.* GOEB.

XII. Rurſus alii religionis cauſa conveniſſe homines, putant. Quo pertinet illud Stigelii:

*Utque alios alii de relligione docerent,*
*Contiguas pietas juſſit habere domos.*

XIII. Tandem ſunt, qui homines in civitatem coiviſſe, arbitrantur, ad indigentiam ſuam implendam, quam hactenus, σποραδῶς viventes, ſenſerunt. Fovet hanc ſententiam Plato *l. 2. de republ.* Proinde etiam *civitatem* definit, *multitudinem hominum unum in locum ad habitandum congregatorum, ut communicent, præſtentque alii aliis eas res, quibus ad vitam eſt opus.*

XIV. Recenſuimus hactenus, diverſas, diverſorum circa finem civitatis, ſententias: ex quibus, ceu antea monuimus, patet, omnes convenire in hoc, coiiſſe civitatem omnem, ut eo melius ſit hominibus conjunctim viventibus. Reſtat, ut, quæ Ariſtotelis hac in re mens ſit, adducamus.

XV. Hic quidem non negat, melius eſſe hominibus in civili ſocietate quadam viventibus, adeoque approbat, hunc finem eſſe civitatis. Id vero, quemadmodum intellexerit ille, nonnihil explicandum eſt. Notandum igitur, Ariſtotelem *l. 1. oecum. l. 1. pol. 2. & 3. pol.* 9. civitatis finem videri facere duplicem τὸ ζῆν, καὶ τὸ εὖ ζῆν, *vivere* ſimpliciter, & *beate vivere.* Priorem finem experientia comprobari, notat 3. *pol.* 9. cum dicit: *Perſpicuum autem eſt, tolerare multos homines multas ærumnas propter vivendi deſiderium, tanquam ſit in ipſa* (*vita*) *proſperitas quadam & dulcedo naturalis.* Sic ſane & gregarius miles ad altiorem dignitatem ſæpe ne aſpirat quidem, contentus ſtipendio accepto parce vitam ſuſtinuiſſe. Et vero eundem in modum multos in civitatem coiiſſe, vitæ duntaxat ſervandæ gratia, quam ſeparatim viventes non poterant tueri propter aliorum injurias, certum eſt. Cæterum potiſſima civilis vitæ cauſſa eſt vera felicitas: quod ſcilicet homines uſu didicerint, prout nunc ſunt mores, neminem poſſe extra civitatem feliciter vivere. Si enim illi priſca virtute eſſent, felicitas poſſit etiam ſine civili ſocietate obtineri: quamvis Ariſtoteles videatur aliter ſenſiſſe. Ariſtotelis ea de re notatu digna hæc verba ſunt 3. *polit. cap.* 9. *Honeſtarum actionum gratia, non vero convictus, dicendum eſt, civilem eſſe ſocietatem.* Quem locum doctiſſimus Heinſius ita paraphraſi illuſtrat: *Neque ut una vivant, & neceſſitudine mutua fruantur, conveniſſe in civitatem homines, exiſtimandum eſt; neque hanc ſocietatem, quam civilem vocant, ea de cauſa inſtitutam eſſe; Verum ut præclaras darent actiones atque honeſtas.* Huc ſpectat, quod Cicero habet: *ut gubernatori navis curſus ſecundus, medico ſalus, imperatori victoria; Sic moderatori reipublicæ beata civium vita propoſita eſt, ut opibus firma, copiisque locuples, gloria ampla, virtute honeſta ſit.* Obſervandum vero, hunc ſcopum eſſe quidem civitatis, ubi reſpublica inſtituta eſt in commune commodum ex æquo, quæque adeo maxime ſecundum naturam eſt: aliter tamen ſeſe rem habere in rebuspublicis herilibus. Hæ enim potiſſimum quærunt dominantium ſalutem, ſubditi populi autem non niſi per accidens.

XVI. Quemadmodum vero diverſæ de civitatis fine exiſtunt ſententiæ: Sic non minus variant in conſtituenda cauſa efficiente. Plato ſocietatem civilem coaluiſſe putat ex mero hominum arbitrio. Quo inclinat etiam Grotius *l. 1. c. 4. §. 7. de jur. bell. & pac.* quando dicit: *Primo homines non Dei præcepto, ſed ſponte, adductos experimento infirmitatis familiarum ſegregum adverſus violentiam, in ſocietatem coiiſſe. Unde ortum habet poteſtas civilis; quam ideo humanam ordinationem Petrus vocat, quanquam alibi & divina ordinatio vocatur, quia inſtitutum hominum Deus probavit.* Lampadius quoque hac ſuper re *tract. de republ. roman. germ. part.* 1. §. 3. & 4. *&c.* ita diſſerit, ut facile appareat, non diſſimilem eum fovere ſententiam. Aliæ ſententiæ de prima ſocietatis civilis origine videri poſſunt apud Keckermannum *in præcogn. ſyſtem. pol.*

XVII. Ariſtoteles civitatis cauſam efficientem ſtatuit ipſam hominis *naturam* (*a*) 1. *Ethic. Nicom.* 7. & 9. 1. *pol.* 2. Id quod ille non profecto inepte demonſtrat. Πᾶσα, inquit, πόλις φύσει ἐστὶν καὶ αἱ πρῶται κοινωνίαι. *Natura omnis civitas eſt, ſi quidem & primæ ſocietates.* Civitas nimirum mediate ex tribus primis ſocietatibus, conjugali ſcilicet paterna, & herili orta eſt; primæ autem illæ ſocietates, ex ipſo naturæ inſtituto, non autem mero arbitrio hominum promanant. Idem docet etiam *Cicero lib. 1. de off. Cum ſit hoc natura commune animantium, ut habeant libidinem procreandi, prima ſocietas in conjugio eſt, proxima in liberis, deinde una domus, communia omnia. Id autem eſt principium urbis & quaſi ſeminarium. Sequuntur fratrum conjunctiones, poſt conſobrinorum, ſobrinarumque: qui cum una domo jam capi non poſſint, in alias domus, tanquam in colonias exeunt. Sequuntur connubia & affinitates, ex quibus & plures propinqui. Quæ propagatio & ſoboles origo eſt rerumpublicarum.* Quoniam vero illæ primæ ſocietates ſunt naturales, civitas quoque, tanquam ex his compoſita, naturalis erit. Deinde homini ſoli ex omnibus animantibus ſermo eſt tributus a natura, eum in finem, ut manifeſtet id, quod utile eſt vel noxium, juſtum vel injuſtum; quæ juſti autem vel injuſti manifeſtatio fieri, niſi in civitate, non poteſt. Alio nonnihil argumento videtur uſus Cicero *l. 1. off.* 1. ubi ita loquitur: *Nec,* inquit, *verum eſt, quod dicitur a quibusdam, propter neceſſitatem vitæ, quod ea, quæ a natura deſideraret, conſequi ſine aliis atque efficere non poſſemus, idcirco initam eſſe cum hominibus communitatem & ſocietatem. Quodſi omnia nobis, quæ ad cultum victumque pertinent, divina quaſi virgula, ſuppeditarentur, tumne optimo quisque ingenio, negotiis omnibus omiſſis, totum ſe in cognitione & ſcientia collocaret? Non eſt ita: Nam & ſolitudinem fugeret, & ſocium ſtudii quæreret.*

XIIX.

(*a*) *Naturam*) Hoc dogma ab HOBBESIO aliisque refutatum eſt, ut alibi docuimus. *GOEB.*

XIIX. Quod pace autem tantorum virorum dixerim, illa quidem argumenta non evincunt, quod probandum erat, ſed illud forte: Civilem ſocietatem non eſſe contra naturam, ut & homines ad ſocietatem aliquam eſſe natos. Quæ enunciationes multum differunt ab illo probando: Civitatem ex ipſiusmet eſſe naturæ inſtituto. Etenim in primo Ariſtotelis argumento nulla eſt vis conſequentiæ: cujus partes ſeorſim ſunt natura, earundem quoque compoſitionem eſſe naturalem. Quam enim multa ſeorſim natura generavit etiam in naturalibus, quæ non niſi arte & arbitrio ſolo humano unum in corpus concrevere, aut poſſunt ita concreſcere? In ſecundo verum quidem eſt, ſermonem natura eſſe, & datum homini ſocietatis colendæ cauſa. At vero ſocietas humana obſervari poteſt, atque adeo poteſt eſſe uſus ſermonis, ubi nulla eſt civitas. Ciceronis argumentatio minimi omnium eſt ponderis. Qui probaverit enim, quemlibet hominem contemplationi deditum, natura fugere ſolitudines, & ſocium ſtudii quærere? Hæc non aſſeri modo, ſed probari debuerunt. Sit vero ita. Nihil hoc facit ad probandam naturalem civilis ſocietatis inſtitutionem. Ut vero nemo paulo doctior non largiatur facile, quod inter homines natura ſit ſocietas (nec enim nunc moramur Hobbeſii abſurdum dogma, de naturali inter homines diſſidio) non tamen omnis ſocietas civitas, aut civilis ſocietas.

XIX. Ex adverſo autem, primævo ſaltem naturæ inſtituto civitatem non eſſe, argumento certiſſimo illud eſt, quod DEUS initio non niſi par unum hominum creaverit, quos tamen voluit feliciſſime vivere. Illud etiam: quod ſanctiſſimi Patriarchæ vixerint extra civilem ſocietatem, non tantum vere feliciter, ut ſunt res humanæ, verum etiam DEO accepta vivendi ratione. Quod fieri non potuit, ſi DEUS conditor naturæ, quaſi ex naturæ inſtituto homines ad civilem vitam unice colendam conſtituerit.

XX. Videtur itaque hunc in modum dicendum: civitas quæque etiam bona ac recta, non eſt primis naturæ legibus mandata. Attamen, prout nunc ſunt mores, ipſamet natura hypothetice quaſi juſſit civitatem conſtituere, ad id, ut homines hic in vita non vivant miſere & improbe. Eoque hodie quidem, ſi quis velit commode hiſce in terris vivere, neceſſum eſt, id ipſum fieri per atque in civitate. Itaque tales reſpublicæ ex parte ſunt humani arbitrii, ex parte autem naturæ. At vero dominicæ civitates plerumque ortæ ſunt per violentiam dominantium. Nec tamen negaverim, quam multas & arbitrarias eſſe poſſe. Quo ſenſu Ariſtoteles docet, regnum æſymneticum fuiſſe tyrannidem optimam. Verum de hiſce nunc ſatis.

XXI. Transeamus ad materiale civitatis, quod in definitione ſupra *th. VII.* propoſita magnam partem exprimitur, voce *multitudinis*. Hominum ſcilicet multitudo materia eſt civilis ſocietatis potiſſima: ſecundaria autem, res immobiles pariter & mobiles. Propter hominum enim beatitudinem civilis vita inſtituitur, & regimen publicum circa homines verſatur, atque pro hominum diſcrimine habet ſe aliter atque aliter.

XXII. Veniunt autem de iis multa quidem inveſtiganda: nos tamen nunc duo duntaxat, tanquam præcipua agitabimus. Primo nimirum, quemadmodum habere ſeſe debeat hominum illa multitudo. Deinde vero, qualis debeat eſſe regio, ubi civitas inſtituenda eſt. Nec vero non intereſt, ut hæc recte ſeſe habeant. Ut ſcilicet quilibet artifex requirit materiam, non quamlibet: ita nec civitas coire poteſt ex qualibet hominum multitudine, aut in quolibet loco.

XXIII. Quod multitudinem vero attinet, ſpectanda venit & quantitas & qualitas ejuſdem. Quantitas propterea, quod nec ex quavis multitudine, ἐκ τȣ̃ τύχοντος πλήθȣς, quæ fortuito coivit, nec ex numero infinita conſtare poſſit civitas. Cæterum hic ſtatim ſuboritur dubium, qui ſciri poſſit, quinam juſtus ſit civium numerus? Id vero facile cognoſci poterit ex operibus civitatis, quæ ſunt bene imperare & bene parere; aut potius ex ſcopo civitatis, hoc eſt, ex beatitudine illa, quam ſibi quæque habet propoſitam. Etenim quæ multitudo illa opera recte poteſt præſtare ad ſcopi aſſecutionem, illa juſta eſt, & hactenus bene ſeſe habet civitas. Perinde atque corpus hominis ſanum eſt, quod in actionibus, vel a toto corpore, vel parte quadam præſtandis, non impeditur. Certe, nimium numerum noxium eſſe, apparet exemplo reipublicæ romanæ; quæ ſcilicet nimia amplitudine vehementer laboravit, fatentibus prudentiſſimis ſcriptoribus ipſorummet Romanorum. Unde patet, quantum errent, qui numerum civium in infinitum augendum eſſe ſtatuunt, & hoc meliorem putant quamque rempublicam, quo plures ſunt in ea homines. Idque propterea, quod hæc reliquis civitatibus metum incutere poſſit. At non facere hoc ipſum ad ſalutem quidem civitatis, Ariſtoteles aliquot argumentis oſtendit, quæ hic repetere nunc nolumus. Elegans cumprimis eſt ſimile, quo illud illuſtrat. Abſurdum ſcilicet eſſe, hominem medicum magnæ ſtaturæ, Hippocrate præſtantiorem propterea dicere, quod hic fuerit forte minore ſtatura. Uti homo autem ex eo, quid præſtare poſſit, quid non, æſtimatur: Sic etiam civitatem, habeatne juſtum civium numerum, aut ea parte deficiat, ex operibus judicandum eſt.

XXIV. Venit ſecundo in hac multitudine ſpectanda etiam qualitas, eaque vel animi vel corporis. Ad animum autem ſpectant virtutes & vitia. Virtutes vero ſunt vel intellectuales, vel morales: quas, cum ſint in vulgus notæ, recenſere ſuperſedebimus; nec minus, his virtutibus oppoſita vitia. Pro diverſa autem conſtitutione animorum, civilis multitudinis variat etiam neceſſario ipſa civitas & reſpublica. Hinc ſane alii ad ferendum dominatum ſunt apti; alii nihil fere patiuntur imperii alieni; alii moderatum imperium non recuſant. Ariſtoteli ſane olim fuit obſervatum *lib. 6. pol. 7.* teſtari experientiam, Europæos, qui verſus ſeptentrionem habitant, eſſe bellicoſos, minus tamen prudentes: Aſiaticos callidiſſimos, ſed ſimul timidos: Græcos medios



Digitized by Google

dios quaſi, callidos ſcilicet ſatis, & fortes & libertatis juſtæ amantes. Facile vero hinc apparet, quosdam homines civitati herili, quosdam civili ſocietati, quosdam nulli idoneos eſſe. In corpore porro hominum ſpectandum eſt præcipue, num ſit imbecillum vel robuſtum, num valetudinis dubiæ an firmæ, num ſtatura magnum vel parvum, num pulchrum vel deforme, & ſi quæ ſunt alia ſimilia. Quamvis enim corporum hæ affectiones minoris ſint, quam animorum, momenti ad vitam civilem: attamen facile etiam hoc liquet, non eſſe nullius: nec poſſe quamlibet civitatis ſpeciem confici, niſi & corpora civium iſti ſpeciei ſint convenientia.

XXV. Circa regionem, quam multitudo talis incolit, eſt ſitus qualitasque, ut & magnitudo ejusdem conſideranda, ſiquidem non miſere ſit vita civilis ibi degenda. De quibus omnibus agere, non eſt hujus inſtituti. Pauca tamen delibabimus. Situs ergo (I) talis debet eſſe, qui conducat ſanitati, cum absque ea humana vita felix eſſe non poſſit. Hoc vero tum maxime aſſequimur, ſi verſus orientem & ſeptentrionem ſita ſit civitas (II) talis ſit, ut ibi haud difficulter actiones civiles peragi poſſint (III) ſit opportunus ad bellicas quoque actiones (IV) aquarum perpetuo manantium debita copia ſit regio inſtructa: aut ſi hoc obtineri nequeat, inſtrumenta ne deſint, quibus aquæ pluviales excipiantur. Et vero prudenter etiam Ariſtoteles monet *l.* 7. *pol.c.*11. Si non poſſit perpetua manantium aquarum copia adeſſe, eaque ad omnes uſus ſufficere, dividendas eſſe aquas, & manantibus perpetuo utendum ad cibum & potum parandum, pluviatili vero ad alios uſus. Maxime ſane curandum, ut aqua & aër ſit ſalubris; quandoquidem hic in præcordia, illa in viſcera quotidie miſſa, vitam & ſpiritum humanum pro diverſa utriusque conſtitutione vel ſervare vel perdere poſſunt. Huc ſpectat & fertilitas regionis, quæ potiſſimum abſolvitur (I) in animantibus domeſticis, (II) feris, (III) piſcibus, (IV) in frugibus, (V) in fructibus arborum, & denique (VI) in metallis, mineralibus & lapidibus.

XXVI. Verum dixerit quis: *primum*, quod hæc quidem in civitate ſimpliciter optima & ejus regione haberi poſſint ac debeant, non tamen in qualibet alia. Deinde, quum Deus univerſum terrarum orbem hominibus inhabitandum tradiderit, nec una tellus ferat omnia; hæc omnia uni civitati contingere non poſſe. Reſpondemus autem: verum quidem eſſe, Ariſtotelem, ubi hæc requirit, agere de republica ſimpliciter optima; verum quoque eſſe, quod Deus conceſſerit hominibus univerſam terram, pro locorum diverſitate valde diſſimilem, ut omnia æque una in regione haberi non poſſint. Laborandum tamen eſt nunquam non, ut felicis regionis ſaltem ex parte, & quantum fieri poteſt, quælibet civitas fiat particeps. Quin imo danda eſt opera in qualibet civitate, ut defectus naturales arte atque induſtria pro virili corrigantur. Sic diximus, ſitam eſſe debere civitatem verſus ſeptentrionem aut orientem. Id vero, quando natura loci non admittit, vitium hoc poſſit nonnihil corrigi, ſi ædium portæ in qualibet civitate quam maxime ſpectent orientem aut ſeptentrionem: aut vero, ubi & hoc negatur, vallum ac mœnia in meridie & occidente ita eleventur, ut ventos inde ſpirantes prohibeant, ne urbem undequaque perflare poſſint.

XXVII. Antequam hinc abeamus, lubet tangere quæſtionem, quæ ex eo, quod *theſi XXII.* affirmavimus, ſitum civitatis debere eſſe aptum ad actiones bellicas, non poteſt non naſci: an ſcilicet expediat, urbes vallis, foſſis, aquis & mœnibus cingere? Et quidem negant id nonnulli adductis aliquot rationibus. *Prima* eſt, quod fortalitia & munitæ urbes effœminatos reddant civium animos, iisque ignaviam & ſocordiam ingenerent, dum hi ſcilicet aſſuefiunt confidere mœnibus potius, quam vero robori. Hac de cauſa Lacones olim munimenta ejusmodi damnaverunt, & Panthoides eorum in Aſiam miſſus legatus, oſtendentibus ſibi Perſis murum probe munitum, dixit: *Per Deos, o hoſpites, bellum conclave mulierum!* teſte Plutarcho *in Lacon. Secunda* eſt: quod non ſolum ſecuros faciant cives munimenta, verum etiam faciles ad hoſtem provocandum. *Tertia*: quod non niſi ingentibus ſumptibus & pacis & belli temporibus munimenta ejusmodi conſerventur. *Quarta:* quod multi præclari populi munitionibus nihil tribuerint, & nihilominus vaſta imperia poſſederint, bellicisque laudibus clariſſimi fuerint. *Quinta:* quod propugnacula certam ſecuritatem afferre nequeant, hodie præſertim, ubi machinis & inſtrumentis bellicis turres prompte dejiciuntur & mœnia devaſtantur. *Sexta*: quod arces munitæ principi adverſus populum, & populo adverſus principem ſuſpicionem & diffidentiam ingenerare; imo principi occaſionem tyrannidis adverſus ſubditos, & ſubditis anſam rebellionis adverſus principem, quandoque & defectionis, præbere ſolent.

XXIIX. Quamvis autem hæc ſpecioſa videantur, a vero tamen nos avocare nequeunt. Facit vero illud in contrariam partem cumprimis triplex ratio ab Ariſtotele *lib.* 7. *pol.* 11. inſinuata. Præſtant ſcilicet munimenta *primo* eximium decus urbis: *Secundo* ſalutem civitati: *Tertio* terrorem hoſti. Ecquid ſane eſt, quod magis faciat ad ſplendorem & magnificentiam urbis, quam mœnia celſiſſima, & turres artificioſiſſime exſtructæ? Dependere quoque inde ſæpius ſalutem, in aperto eſt. Contingere enim frequenter ſolet, ut una urbs probe munita, & rebus omnibus ad obſidionem tolerandam ſufficienter inſtructa, maximum toti vaſtæ etiam regioni afferat momentum. Sic nuperrime Hafnia atque Dantiſcum, ſuis regibus ab omni fere populo reliquo deſertis, fidem præſtiterunt, & a ruina imminente liberarunt. Quæ vero regio caret munitis oppidis, uno vel altero prœlio in poteſtatem hoſtium venire poteſt. Timet quoque hoſtis invadere urbes ejusmodi munitas, quas alioquin audacter oppugnaret. Facile etiam poteſt reſponderi ad ſententiæ adverſæ argumenta. Ad *primum* enim reſpondemus, quod magiſtratus uſu armorum & militaribus exercitationibus pellere poſſit ſocordiam ex animis civium. Sed & infirma eſt

colle-

collectio: naſci ſocordiam in civibus, ſimulac adſint munitæ urbes: utique enim Romani urbes habuerunt probe ſatis munitas, qui omnes tamen populos animi magnitudine & fortitudine ſuperarunt. Quod in *altero* ſumitur, munimentis & temerarios reddi incolas, itidem uſui atque experientiæ repugnat. Utut enim fortaſſis aliqui abuſi ſint in temeritatem munimentis, non tamen aſſeri id ſimpliciter de omnibus debet. Patet *tertio*, quod nullis ſumptibus ſit parcendum, neceſſitate id flagitante; quodque ſumptus in munimenta erogati aut arces pacis tempore compenſentur utilitate tempore belli, dum illis munimentis hoſtes arceantur. Exempla *quarto* nonnullarum gentium non eſt, quod nos moveant: maxime quandoquidem plures ſint, quæ contrarium tuentur, ac fortalitiorum uſum magni faciunt. Sed & ipſi Lacones prœliis aliquot in acie victi, tandem in munimentis itidem præſidium ſuum collocaverunt. Falſiſſimum *quinto* eſt, munimenta nihil valere adverſus machinas pulverarias bellicas, etſi non ſemper omni ex parte ſufficiant tuendis civibus. Similiter *ſexto* munimenta poſſunt exiſtere, ubi inter principem & ſubditos nihil poteſt naſci ſiniſtræ ſuſpicionis: nec id, quod ex accidente interdum eſt noxium, ideo ſimpliciter debet improbari. Videatur pluribus ampliſſimus D. Præſes *in animadv. ad Machiav. princip. c.* 10. Pergendum nobis eſt ad cauſam formalem.

XXIX. Hæc multitudo, quam ad civitatem neceſſariam diximus, ne hinc inde promiſcue vagetur, introducendus eſt ordo quidam, quo gubernetur. Dicitur autem ille ordo forma civitatis, aut etiam reſpublica. Et vero etiam ab Ariſtotele definitur ἡ πολιτεία, *ordo civitatis, ſive magiſtratuum in eadem, & potiſſimum illius, qui ſummam poteſtatem habet* 3. *pol.* 6. 4. *pol.* 1. & 4. Hic autem monendum, reſpublicas eſſe duplices, rectas alias, alias a recto aberrantes (*παρεκβάσεις* dicuntur Philoſopho 3. *pol.* 6.) ſeu minus rectas. Rectæ ſunt, quæ *τὸ συμφέρον κοινόν*, communem utilitatem ſpectant. Aberrantes, quæ quidem itidem commune commodum quærunt, ſed non ex æquo, verum, primario regentium, ſecundario ſubditorum utilitatem *Ariſt. d. c.* Illius iterum tres ſunt ſpecies ſimplices quidem (I) regnum, (II) ariſtocratia, (III) politia ſeu reſpublica in ſpecie ſic dicta. Seneca tres hos modos *epiſt.* 14. ſic deſcribit: *Interdum populus eſt, quem timere debeamus, interdum, ſi ea civitatis diſciplina eſt, ut plurima per ſenatum tranſigantur, gratioſi in ea timentur viri, interdum ſinguli, quibus poteſtas populi & in populum data eſt.* Hujus itidem tres ſpecies recenſentur (I) tyrannis, (II) oligarchia, (III) democratia 3. *pol.* 7. Quæ omnes multifariam rurſus ſubdividuntur, quas tamen ſubdiviſiones jam non afferemus, cum ex Philoſopho 3. *pol.* 14. & 4. *pol.* 4. *aliquot capp. ſeqq.* peti poſſint, ſicuti nec ſingularum definitiones hic cumulabimus.

XXX. Præter ſimplices, quas modo recitavimus, dantur etiam reſpublicæ mixtæ. Dubium enim nullum eſt, quin duæ, tres, vel plures formæ ſimplices ita miſceri inter ſe poſſint, ut exoriatur inde nova ſpecies a ſimplicibus diverſa. Quanquam vero reipublicæ mixtæ definitio ad verbum in Philoſopho reperire non ſit, ex modo tamen miſtionis, præſcripto ab eodem 4. *pol.* 9. ſatis deducitur, non ſolum dari ejuſmodi rempublicam mixtam; ſed ejuſdem etiam definitionem inde erui poſſe. Imo ſexto libro actum ab Ariſtotele de mixtis rebuſpublicis eſſe, etſi hodie pleraque ejus libri perierint, veroſimile eſt ex iis, quæ ab ampliſſimo D. Præſide differuntur *introductione in politica Ariſtotelis.* Sunt autem variæ admodum ſpecies mixtarum ſeu compoſitarum rerumpublicarum. Sic reſpublica mixta quædam eſt illa, ubi diverſis ordinibus diverſa majeſtatis jura ſunt aſſignata. Similiter, ſi quædam ſumma poteſtatis jura optimates, quædam populus ſibi vindicet, erit ex ariſtocratia & democratia reſpublica mixta. Quodſi penes regem jura quædam, quædam penes optimates ſunt, mixta inde exſurget ex monarchia & ariſtocratia reſpublica. Qualis reſpublica mixta eſt imperium Rom. Germanorum, & regnum Poloniæ: Etſi hodierno turbulento omnium rerum in Polonia ſtatu, qualis revera ſtatus ſit, forte ignoretur. Simile vero judicium eſto etiam de mixtione aliarum rerumpublicarum.

XXXI. Exinde vero, quod diximus eſſe reſpublicas nonnullas aberrantes & detortas, non ſequitur, eas non eſſe veras reſpublicas. Pari enim ratione ſe res habet cum republica, atque fieri amat in multis aliis, quæ indifferentia ſunt, & conceptu ſuo neque bonitatem neque malitiam moralem includunt. Talia ſunt v. g. magiſtratus, lex, civis, bellum &c. Magiſtratus nimirum verus eſt, non tantum qui recte, ſed & qui perverſe judicat. Quo fere ſenſu illud *JCti Pauli in l.* 11. *D. de I. & I.* accipiendum. *Prætor etiam tum jus dicit, quando inique decernit.* Eſt ſcilicet prætor verus magiſtratus. Lex quoque mala, vera lex eſt; quandoquidem ad legis eſſentiam non requiratur bonitas moralis aut civilis, ſive convenientia cum jure naturæ aut utilitate publica, ſed ſufficiat ſummæ poteſtatis placitum 5. *ethic.* 10. Civis item eſt, qui particeps eſt jurium civitatis, licet non præſtet ea, quæ bonum civem decent. Bella olim Romanorum, Alexandri M. imo hodie permulta, vere ſunt bella, licet nulla juſtifica bellandi cauſa ſæpe numero ſubſit. Sic etſi quædam reſpublicæ a rectarum ordine deflectant, veræ tamen eſſe reſpublicæ non deſinunt, modo ordine civitati congruo adminiſtrentur.

XXXII. Ulterius & ille modus concludendi fallit, quo nonnulli colligunt, aberrantes reſpublicas, eo quod imperantes in iis primario ſuam, ſecundario tantum ſubditorum ſalutem quærant, prorſus habendas injuſtas, atque naturæ, diviniſque LL. adverſas. Enim vero, quod naturam attinet, illam reſpublicas tales adeo non vetare, in propatulo eſt, ut potius ad eas amplectendas homines quoſdam impellere videatur. Sunt nimirum, quos natura ingentibus animi dotibus exornavit, & quos prudentia & conſilio benigne inſtruxit; contra non deſunt, qui-



Digitized by Google

bus ne micam quidem, aut admodum parum ſalis conceſſit, ut ſibi de neceſſariis vitæ mediis proſpicere neutiquam idonei ſint, quique adeo neceſſum habent, ni perire malint, aliorum ſubeſſe regimini, tanquam ſervi dominis. Hoc vero uti in ſingulis hominibus contingere, extra omne dubium eſt; ita nihil impedit, quo minus etiam in univerſo quodam populo locum inveniat. Qui ſi ſubſit imperio dominico, bene de ſe actum putabit, modo tamen omne id habeat, unde vitam ſuſtentet. Sic Cappadoces ſenſiſſe ſuam imbecillitatem, elucet, quod a Romanis oblatam reſpuerint libertatem, negantes, ſe ſine rege vivere poſſe. *Juſt. lib.* 38. Bello legitimo capti, ut in ſervitutem redigantur, inque eos herile imperium exerceatur, itidem non videtur jus naturæ prohibere. Ut taceam, multas gentes ſatis prudentes, certis ex cauſis ſe ſubdidiſſe aliorum imperio. Egregie & ſuccincte recenſet eas cauſas Cicero *l.* 2. *off.* *Subjiciunt ſe homines*, inquit, *imperio alterius & poteſtati, pluribus de cauſis. Ducuntur enim aut benevolentia: aut beneficiorum magnitudine: aut dignitatis præſtantia: aut ſpe ſibi id utile futurum: aut metu, ne vi parere cogantur: aut ſpe largitionum, promiſſionibusque capti: aut poſtremo (ut ſæpe in noſtra republica videmus) mercede conducti.* Divinis legibus non repugnare, evincit præter ſervitutem ſingularium hominum approbatam, exemplum illud, quo DEUS, ad præviam ſui rejectionem, & alterius regis petitionem, populo iſraëlitico, ad mores finitimarum gentium, regem dedit, cujus arbitrio tantum non omnis libertas exponebatur. 1. *Reg.* 8. Heriliter ſane finitimarum gentium reges dominabantur. Ex quibus conſtat, multa dominantium imperia non eſſe injuſta, quantumvis ſubditorum ſalutem per accidens tantum quærant.

XXXIII. Monendum porro venit: cujuscunque formæ rerumpublicarum tres præcipuas eſſe partes: quæ inprimis obſervari debent in iis, ubi plures participant de ſumma poteſtate: quas qui bene perſpectas habet, is maximam partem novit diſtinguere ac judicare, qualis hic aut alibi obtineat forma reipublicæ, num item bene, an ſecus illa ſeſe habeat; his quippe bene affectis, neceſſum eſt, reipublicæ formam bene etiam eſſe affectam. Eſt autem prima pars ea, quæ verſatur in deliberationibus, de negotiis ad ſalutem reipublicæ ſpectantibus, quarum curatio potiſſimum eſt ipſius ſummæ poteſtatis in qualibet republica. Et vero occupata eſt hæc pars circa leges ferendas, mutandas, vel abrogandas; circa cuſtodiam regionis; circa exportanda & importanda; circa pacem & bellum; circa vectigalia; circa jus vitæ & necis civium; & ſi quæ ſunt alia, quæ recenſet Philoſophus *tum lib.* 4. *pol.* 14. *tum lib.* 1. *rhetor.* 5. Secunda pars dicitur magiſtratus, jus habens a ſumma poteſtate ſibi demandatum ac dependens, deliberandi de quibusdam, & imperandi, maxime autem imperandi. Tertiam partem conſtituunt judicia, quæ juris & injuriæ ſunt dijudicationes 5. *Ethic. Nic.* 6. 1. *pol.* 2. Pro diverſa harum rerum ſeu partium conſtitutione etiam variæ oriuntur formæ. Recenſere tamen, quot modis illa diverſa conſtitutio contingere poſſit, ſuperſedebimus; peti autem breviter poteſt ex Philoſopho *l.* 4. *c.* 14. *& ſeqq.*

XXXIV. His paucis jam ita expoſitis, ſimulque variis rerumpublicarum ſpeciebus indicatis, ulterius pateſcit; ſicubi contingat, mutari unam ſpeciem in aliam, ibi oriri novam civitatem. Sed explicata ambiguitate, quæ latebat in vocabulo civitatis, eam quoque, quam vocabulum *Nova* habet, quamque hucusque reſervavimus, evolvemus, ut eo clarius aſſertionis noſtræ pateat fundamentum.

XXXV. Dicitur ergo Civitas Nova dupliciter, (I) quando multitudo quædam hominum, hactenus nullius reipublicæ & nullo ordine gubernata, alicubi confluit, & certum ordinem inſtituit. Talem civitatem novam populus olim romanus circa initia inſtituit, ut qui tum primo ex variis advenis, nullo jure hactenus devinctis in unam ſocietatem coivit. Qualis Nova Civitas tamen hodie non ſolet eſſe adeo frequens. (II) quando reipublicæ forma, quæ hactenus obtinuit, aut tota, aut ejus ſaltem eximia pars mutatur. Fuit vero jam olim in controverſia, ſi contingant tales mutationes, utrum revera oriatur nova civitas, an vero maneat, quæ fuit ante. Apparet hoc ex ipſo Ariſtotele. Alia ſcilicet tum fuit hac de re opinio vulgi, alia hominum philoſophantium. Vulgus eandem manere putabat civitatem, ſi eadem *mœnia*, (*a*) & iidem manerent homines. At philoſophantes, his licet mutatis, manere tamen eandem civitatem, aſſerebant, nec oriri novam, niſi ordine civium mutato, ſeu inducta alia, quam ante obtinebat, forma regiminis. Non deſunt autem & hodie, quorum alii vulgo, alii philoſophis præbeant aſſenſionem.

XXXVI. Ariſtoteles vero 3. *pol.* 3. poſtquam prioribus ejus libri capitibus ſuam civis definitionem propoſuiſſet, ſimulque definiſſet, utrum civitas eadem ſit, nec ne, ex identitate & diverſitate regiminis æſtimandum eſſe: illam tamen vexatam controverſiam, an mutato ſtatu, civitas ad ſolvendum id, quod ante mutationem ſtatus mutuo ſumpſerat, obligaretur, ex ea non decidit, negans ad forum politicum ſpectare ejus deciſionem: ideoque & nos hanc controverſiam nunc quidem noſtram non faciemus. Veſtigiis autem Philoſophi inſiſtentes, oſtendemus nonnihil clarius, quandonam civitas dicenda ſit nova.

XXXVII.

(*a*) *Mœnia*) GROT. *de J. B. & P. lib.* 2. *c.* 16. GOEB.

Digitized by Google

XXXVII. In univerſum autem tria hic occurrunt, quæ circa enodandam hanc quæſtionem advocanda. (I) locus, (II) homines, (III) ipſe ordo, quo homines adminiſtrantur. Loci mutationem non mutare civitatem, ut nova oriatur, inde patet: quod unius civitatis homines in diverſis aliquando locis habitare, & contra, diverſarum civitatum homines intra eadem mœnia concludi poſſint. Sic, ſi rex Portugalliæ cum ſubditis ſuis Indiam peteret, eandemque regiminis formam ibi quoque retineret, hæc loci mutatio neutiquam novam civitatem faceret. Peloponeſi iſthmum muro aliquis claudere poſſit, adeoque omnes inhabitatores una quaſi inſula atque ita uno loco concludere. Aſt hæc incluſio non faceret Peloponeſum unam civitatem, ſi diverſimode regatur. De loco igitur quid in mutanda republica poſſit, hinc palam eſt.

XXXIIX. Quid autem de mutatione hominum dicendum? An fortaſſis per illam oritur civitas nova? Et vero primo intuitu omnino hoc ipſum videri poſſit. Illi namque, hoc qui ſeculo vivunt homines, propter vitæ brevitatem, ſequens non attingunt, adeoque niſi mortuis ſemper ſuccederent homines alii, civitas infallibiliter interiret, utpote materia ſua, ex qua conflatur, deſtituta. Hi ergo homines novi, facient fortaſſe civitatem novam. Verum, quamvis hæc aſſertio inſignem præ ſe ferat ſpeciem, tanti tamen momenti non eſt, ut in ſuas nos partes trahat. Nec enim ſucceſſio illa, quæ fit in locum demortuorum hominum, facere poteſt, ut exinde civitas dicatur nova; quemadmodum nec flumen mutatur, alia atque alia licet aqua fluente, ſed unum idemque permanet. Viſtula certe adhuc eſt idem fluvius, licet infinities aqua ſit mutata. Qui fuit populus venetus ante octingentos annos, manet hodienum idem, utut priſtinæ gentis homines deſierint eſſe. Hinc Iſocrates oratione, quam inſcripſit de pace, civitates eſſe, dicit, immortales. Quod recte Grotius *lib. 2. de jure belli & pacis c.* 9. §. 3. interpretatur, quaſi eſſe poſſint immortales; quia ſcilicet populus eſt ex eo corporum genere, quod ex diſtantibus conſtat, unique nomini ſubjectum eſt: quod habet ἕξιν μίαν, ut Plutarchus; ſpiritum unum, ut Paulus JCtus (indubie phraſi ex ſtoica philoſophia mutuata) loquitur. Quamdiu autem illa ἕξις μία ſeu ſpiritus unus, qui in civitate qualibet forma ejusdem eſt, manet, tamdiu manet & civitas eadem. Quem modo citavimus Plutarchum, ſic loquentem in libello *de ſera Numinis vindicta*, audiamus. *Quamdiu illa, quæ populum facit, & mutuis nexibus vincit communio, jus unitatis ſuæ ſervat, tamdiu manet eadem civitas & manet idem populus hoc tempore, qui abhinc centum annis fuit, cum ex illis nemo nunc vivat.* Pertinet huc *l.* 76. *D. de Jud.* ubi Alphenus, qui e ſutore, teſte Horatio 1. *ſatyra* 3. factus eſt JCtus, ſic ait: *Proponebatur, ex his judicibus, qui in eandem rem dati eſſent, nonnullos cauſa audita excuſatos eſſe, inque eorum locum alios eſſe ſumptos. Quærebatur, ſingulorum judicum mutatio eandem rem, an aliud judicium feciſſet. Reſpondi, non modo ſi unus aut alter, ſed etſi omnes judices mutati eſſent, tamen & rem eandem & judicium idem, quod antea fuiſſet, permanere.* Ulterius hoc ipſum elegantiſſime multis adductis exemplis illuſtrat. Inde etiam eſt ortus mos loquendi, ut populo, qui nunc eſt, tribuamus, quæ eidem populo ante multa ſecula acciderunt; ut recte itidem obſervatum eſt Hugoni Grotio d. l. confirmanti hoc ipſum pereleganter hiſtoriis ſacris & profanis.

XXXIX. Ex hisce haud difficulter liquere arbitror, mutationem loci aut hominum non facere novam civitatem. Reſtat inquiramus, an ordinis mutatio id faciat. Quod quidem intrepide, cum Philoſopho 3. *pol.* 3. aſſerere nulli dubitamus; quin imo ex ſuperius dictis jam tum eſt manifeſtum. Concludimus autem rem omnem hoc ſyllogismo: *Ubicunque forma alicujus rei mutatur, ibi mutatur ipſa res: Atqui mutato ordine civitatis, mutatur ipſa forma, E. mutato ordine civitatis, mutatur ipſa civitas.* Major luce ſua radiat. Minorem hactenus ſatis probatam dedimus, cum in decenti multitudinis unione ipſam civitatis formam conſiſtere ſæpius profeſſi ſimus. Summa ergo eſt, non locum, non hominum numerum; ſed unionem ac ordinem, civitatem eandem facere vel diverſam. Non locum, quia non in ædificio, ſed in conſilio: non numerum, quia non in multitudine hominum, ſed in ordine & adminiſtratione conſiſtit civitas.

XL. Atque hic forte nobis ſubſiſtere licebit. Quæ vero de regimine alicujus novæ civitatis adjici poſſent, ſingularem operam expoſcunt. Variæ namque ſunt rerumpublicarum ſpecies, variæ mutationes, atque inde diverſi modi eas regendi; ut ſi de ſingulis agere vellem, præſens exercitatio multum excreſceret. Inſigni autem prudentia opus eſt politica, ſi civitatem in eo, quem nacta eſt, ſtatu novo retinere velis, præſertim, ſi in corruptum ex bono mutata ſit. *Non minor certe eſt virtus, quam quærere, parta tueri. Et facilius eſt quadam vincere, quam tenere.* Si vero e corrupto facta ſit mutatio in ſtatum rectum, atque eum, qui aptus eſt ingenio populi, tum facilius retineri poterit; niſi ſint, qui res ſecundas ferre nequeant. In univerſum accurate obſervanda ſunt præcepta ſummi Philoſophi, quæ ille nobis prudenter adhibenda, in omnium rerumpublicarum conſervatione, reliquit.



Digitized by Google

# XIII.
## HERMANNI CONRINGII DISSERTATIO DE
# NECESSARIIS CIVITATIS PARTIBUS
*A. & RESPONDENTE*
FRIDERICO JACOBO LAUTITZ GUELPHERBYTANO.

ANNO MDCLXXIX.

*I. N. I.*

## PROOEMIUM.

Quemadmodum homo abſque membris, tanquam partibus neceſſariis, perfectus dici nequit: ſic quoque ſocietas civitatis nomen præ ſe ferens, partibus autem deſtituta neceſſariis, quæ ſunt vitæ genera, ex quibus civitas conſtat, ut docet *Ariſtoteles VII. polit.* 8. talis nec eſt, nec haberi debet. Multæ autem illæ & variæ eſſe debent, poſtquam conſtat, civitatem omnium ſocietatum eſſe præſtantiſſimam, ac reliquas omnes ambitu non tantum continere, ſed & ſuo modo ultimam perfectionem iisdem ſuperaddere. Atque hinc *Ariſtoteles* ipſemet 1. *polit.* 2. hanc ipſam a reliquis tum minoribus, tum majoribus ſocietatibus aliis diſtinguit, quod ſit ἔχουσα πέρας τῆς αὐταρκείας, *omnis ubertatis extremum nacta.* Quamvis enim nulla forte civitas adeo omnibus præſidiis tum ad vivendum, tum ad bene vivendum ſit inſtructa, ut habet in votis; tot tamen ac talia illa præſto eſſe debent, quæ indigentiæ explendæ vitæque civili degendæ ſufficiunt. Cum autem indigentia noſtra magna ſit, ac admodum late ſe extendat, hodie præſertim, ubi non amplius ſimplicem & a natura inſtitutam vitæ rationem agimus, ad illam ipſam quoque, quam diximus αὐτάρκειαν, habendam multa & varia vitæ genera contribuere, ac mutuas quaſi operas jungere neceſſum eſt. Et hinc naſcuntur civitatis partes, variæ quidem, ſed tamen illi neceſſariæ, ſi non modo decus, ſed & nomen ſuum tueri, hoc eſt, ſcopum propoſitum obtinere vult, uti & debet. Agnovit eas jamdudum princeps philoſophorum *Ariſtoteles*, quando *IV. polit.* 5. ita ſcribit: *Fatemur*, inquit, *non unam partem, ſed plures habere omnem civitatem.* Poſſunt autem illæ ad duo genera revocari, ut aliæ adeſſe, vel ſimpliciter ad vitam, aliæ ad bene eſſe, hoc eſt, ad bene vivendum faciant. De illis omnis civitatis partibus non omnibus, ſed neceſſariis, modo diſſerere atque diſſertationem illam loco ſpeciminis & exercitii academici, ad voluntatem parentis, publico eruditorum examini, more recepto ſubjicere inſtitui. Ita autem neceſſarias omnis civitatis partes hac vice tractabo, ut quæ circa eaſdem obſervatu digna hactenus ſive legi ſive audivi, paucis theſibus comprehendam, ductum ſecutus magni Præceptoris, qui jam laudato loco hîc nobis prævivit, & paſſim in aureo politicorum opere indicavit, quæ præſenti doctrinæ egregie illuſtrandæ faciunt. Nec tamen ſoli autoritati Ariſtotelis ita inhærebimus, ut non aliunde, acceptis & notatis collectaneis, noſtras quoque aſſertiones confirmemus. Quanquam nec omnis ille, qui auctoritatem tanti doctoris ſequitur, mereatur reprehenſionem, quam in rem ſapienter ſcripſit *doctiſſimus Scherbius*: Non eſſe fœdam & turpem quandam ſervitutem, ſi quis in cunis adhuc piloſophiæ jacens, ſequatur (tanquam vocem nutricis) autoritatem eorum, qui tot jam ſeculis ſapientes habiti ſunt. Sed ad inſtitutum. Igitur eſto

## THESIS I.

*Civitas eſt ſocietas perfecta. Ariſtot. lib.* 1. *politic. cap.* 1.

I.

Et ipſa natura civitatis manifeſte indicat, & dudum obſervavit *Ariſtoteles* 1. *politic.* 1. non modo omnem civitatem eſſe communionem quandam, verum quoque omnem communionem boni alicujus cauſa primum fuiſſe inſtitutam. Namque ejus gratia, quod bonum eſt, agere omnes, adeo in confeſſo poſitum eſt, ut qui id negare auſit, hunc valde imperitum eſſe oporteat. Unde hoc ipſum univerſale ſcitum & Ethicorum & Politicorum operi more ſuo Philoſophus præſcripſit. Atque hinc porro fit, ut quo præſtantior eſt ſocietas, eo præſtantius illa ſibi habeat propoſitum bonum atque præſtantiſſima ſocietas præſtantiſſimum bonum reſpiciat.

Hæc

Hæc vero nulla alia eſt, quam civitas ſive ſocietas civilis. Hanc cunctarum præſtantiſſimam eſſe, atque alias omnes ſocietates, e quibus oritur & conſtat, continere, ex dicto textu Philoſophi legenti patebit. Cum vero communio bonorum non niſi in ſocietate ſit & fieri poſſit, haud neceſſum duco, operoſe oſtendere, civitatem quoque inter ſocietates eſſe referendam. Id enim inde etiam conſtat, quod jus & amicitia, quorum extra ſocietatem nullus eſt uſus, in omni civitate quam maxime reperiantur.

II. Sed neque altius jam repetemus ſocietatum differentias, quas ex Philoſopho facile colligere licet. Scilicet alia eſt a natura, alia ab inſtituto & conſilio humano dependet. Alia porro eſt perfecta, alia minus perfecta, quædam perfectiſſima. Ubi non inſuper eſt habendum: perfectionem atque imperfectionem alicujus ſocietatis ex duobus iſtis, in quibus exiſtit laus omnibus rebus *VII. polit. cap.* 13. æſtimandam eſſe, ex fine ſcilicet ſeu ſcopo ſocietatis, & deinde ex mediis ad illud ipſum ordinatis. Prout itaque ſocietas propoſitum ſibi habet vel majus vel minus bonum, & præterea magis vel minus idonea atque ſufficiens eſt, ad hoc ipſum vel conſequendum vel conſervandum: ita plures aut pauciores vel perfectionis vel imperfectionis gradus illa obtinet. Cum autem civitatis finis & ſcopus ſit bonum maxime perfectum & ſibi ipſi ſufficiens, ut *lib.* 1. *Ethic. Nicom. cap.* 7. ex profeſſo docemur, nempe felicitas civilis, & huic conſequendæ neceſſaria & maxime accommodata civitas habeat media: omnino perfectiſſima eſt ſocietas illa, a qua omnes reliquæ, non modo ordinem, ſed quoque perfectionem ſuam (hodie quidem, poſtquam hominibus placuit vivere in civili ſocietate tutioris & ſecutioris boni cauſa) accipiunt.

## THESIS II.

***Civitas eſt ſocietas ex pluribus patribusfamilias conſtans, nata quidem vivendi cauſa, exiſtit autem bene vivendi cauſa.* 1. *polit.* 2.**

I. Hic primo civitatem cum urbe confundi nolumus. Civitas nunc urbe continetur, nunc ultra eam ſe extendit. Civitas tria complectitur, locum, populum & rempublicam; latius itaque patet, quam urbs, cum hæc ad locum modo pertineat. Civitas perire poteſt, urbe manente ſalva, & vice verſa. Deinde dicimus, civitatem eſſe ſocietatem ex pluribus patribusfamilias conſtantem. Proxime quidem civitas non ex hominibus, ſed aliis minoribus ſocietatibus, vicis nempe, familiis, paterna, herili, nuptiali, ſocietatibus conſtat, attamen cum patresfamilias ſint, per quos ſufficientiam rerum habere civitas poſſit, adeoque ſint principales civitatis partes, quibus reliquæ accedunt, idcirco civitas ex patribusfamilias ſocietas appellatur. Sublatis patribusfamilias, nullæ erunt matres, filii aut ſervifamilias, quibus reſpectibus totum diſtinguitur genus humanum. Notanter porro diximus EX PLURIBUS patribusfamilias conſtare ſocietatem civilem: Nam multa ſunt, quæ humana poſtulat indigentia, quæ homines nudi nati neque per ſe, neque per aliquos, ſed per plures ſibi invicem præſtare & communicare valent. Plures familiæ coëunt vicum, ut habeant, quod non omni die ad vitam commode degendam eſt neceſſarium, & ut vivant ſecundum virtutem non impeditam, ſeque & ſua in tuto ſervare & habere poſſint: plures vici in unam congregantur civitatem, quæ proinde non poteſt non componi ex pluribus patribusfamilias.

II. Denique finem civitatis notavimus, nempe natam quidem illam eſſe vivendi cauſa, exiſtere autem bene vivendi cauſa. De fine iſto non ſemel præcipit *Philoſophus lib.* 1. *politic. cap.* 2. *lib.* 3. *cap.* 4. *& lib.* 7. *cap.* 1. Explendæ indigentiæ neceſſitas fuit occaſio, qua natæ primæ civitates, & ut ſe ſuosque tueri poſſent adverſus inſultus hoſtium, coire in unam ſocietatem civilem coacti ſunt homines. Id quod videtur ſignificare, cum *vitæ ergo* natam civitatem dicit. Intelligitur ſcilicet ab Ariſtotele *vita*, qualem inſtituere coacti quaſi ſunt homines partim malitia plurimorum, partim luxuriæ cujusdam cauſa. Et vero abſque his fuiſſet, civiles ſocietates vel omnino nullæ, vel raræ fuiſſent actæ: ſed ſocietatum genera alia multum imperfectiora.

## THESIS III.

***Non ſolum e pluribus, verum etiam e ſpecie differentibus hominibus (patribusfamilias) eſt civitas. lib.* 2. *polit. Ariſtot. cap.* 1.**

I. Ex ante dictis perſpicuum eſt, ad conſtitutionem civitatis requiri multitudinem patrumfamilias. Hanc enim niſi civitas complexa fuerit, fieri non poteſt, ut inter ſe patresfamilias communicent ea bona omnia, quæ ad indigentiam explendam & ſocietatem civilem obtinendam faciunt: Quod autem multitudo iſta hominum ex variis & ſpecie differentibus conſtare debeat patribusfamilias, non eſt ita cuivis in promtu, adeoque paucis hîc demonſtrandum. Patresfamilias qua homines ejusdem ſunt naturæ, nec ſpecie differunt, qua vero vitæ genera, quæ ſectantur, omnino ſpecie differunt. Quia vero non multa modo ſed & varia requirit indigentia humana, idcirco omnem civitatem ex variis vitæ generibus conſtare oportet, & quod inde ſequitur, nulla non civitas ex ſpecie differentibus conſtare hominibus. *Non enim*, addit Philoſophus citato loco, conflatur *civitas e ſimilibus. Aliud enim eſt ſocietas in bello & civitas. Hoc namque prodeſt quantitate, quamvis idem fuerit ſpecie. Auxilii enim ferendi cauſa ſocietas exorta eſt, quemadmodum ſi pondus magis deprimat.* Bene idem noſter *Ariſtoteles lib.* 5. *Ethic. Nicom. cap.* 5. §. 20. inquit: *Non ex duobus medicis civitas conſtare poteſt, ſed ex medico & agricola, & omnino ex diverſis ac diſſimilibus ac inæqualibus.* Eleganter hæc illuſtravit *Giphanius ad lib.* 2. *politic.*

*Ariſto-*

Digitized by Google

*Ariſtotelis cap.* 1. *p.* 151. cujus proinde verba huc transferemus: *Civitatem non eſſe multitudinem ex ſimilibus ſeu ejusdem generis & conditionis hominibus, ſed ex ſpecie diſſimilibus, veluti magiſtratibus, privatis militibus, ſacerdotibus, ſapientibus & opificibus, qui omnes ſpecie quidem differunt, non qua ſunt homines, ſed quo ſunt ejusdem conditionis.* (*a*)

## THESIS IV.

*Quorum autem & quot vitæ generum patresfamilias ad conſtitutionem civitatis neceſſario requirantur, ex reipublicæ ſcopo inprimis, ſæpe etiam ex loco & tempore eſt æſtimandum.*

I. Hac theſi propius accedimus ad inſtitutæ noſtræ diſputationis argumentum. Scilicet abunde jam conſtat, ad conſtitutionem civitatis patresfamilias plures eosque ſpecie differentes neceſſario requri. Cum autem non omnium civitatum unus & idem ſit finis, ſed alia atque alia civitas alium atque alium habeat ſibi propoſitum finem, alia etiam atque alia illæ poſtulabunt vitæ genera, nunc plura nunc pauciora. Et quantitatem autem & qualitatem vitæ generum, & in vitæ generibus patrumfamilias, ex ſcopo inprimis reipublicæ, ſæpe etiam ex loco & tempore, ſumendam & æſtimandam putamus. Ita quod maritima civitas quædam vitæ genera requirat, quibus alia commode carere poteſt, id eſt a loco. Ubi politicus ex veritate (libr. 1. Eth. Nicom. c. 13. §. 3. κατ᾽ ἀλήθειαν (*b*) πολιτικὸς) ſollicite operam dare debet, ut ea vitæ genera omnia, & in ſingulis tot talesque patresfamilias habeat & foveat, aut ſi non habeat, præmiis in ſuam civitatem alliciat, quæ qui & quot ad finem propoſitum maxime conducant; rurſus vero illa vitæ genera ſenſim ac ſine ſtrepitu removeat, quæ vel civitatis fini adverſantur, vel quæ impedimento quoque eſſe poſſunt, quo minus eundem aſſequi vel conſervare valeat. Quapropter bonum politicum in adminiſtranda republica domi ſuam ſæpius examinare oportet civitatem; qua ratione facilius deprehendet, quæ vitæ genera in ſua civitate tam belli quam pacis tempore habere & fovere debeat, vel non debeat. Quorumvis denique vitæ generum in civitate & quantitas & qualitas facilius determinari poteſt, quam patrumfamilias. Quantitas patrumfamilias in civitate ſuam habet latitudinem; alia enim civitas plures, pauciores alia poſtulat atque requirit, adeoque univerſe eam determinare non licet. Certum vero in genere vel civium numerum conſtituere, vel vitæ genera, quæ in civitate florere debent, determinare non licet, ſed potius hæc omnia prudentis politici στοχασμῷ ſive conjecturæ & arbitrio relinquimus, ita tamen, ut in talibus ſit facilior. De quo forſan idem dicendum, quod de hypocriſi oratoris olim dixit Demoſthenes, eam ſi univerſalibus rite innitatur & primas & ſecundas & tertias in republica adminiſtranda mereri. Sed, iſtis generalioribus dimiſſis, neceſſarias partes civitatis ut aggrediamur, & tempus nos monet, & inſtituti noſtri ratio efflagitat.

## THESIS V.

*Omnis porro civitatis neceſſariarum partium prima eſt multitudo, occupata in alimentis parandis, quæ AGRICOLARUM appellatione comprehenditur.*

I. Inter neceſſarias civitatis partes haud ſine ſuffragio tam ſacræ, quam externæ hiſtoriæ primo loco ponimus eos homines, qui neceſſaria civitati procurant alimenta. Cum enim lapſu Adami primi parentes noſtri paradyſo omnium rerum abundanti penu ejicerentur, illico rei ruſticæ operam dederunt agris excolendis & pecoribus ſuſtentandis vitam conſumentes ac tolerantes: ut videre eſt *Geneſ. IV.* §. 2. Apparet ergo hoc vitæ genus, quod *Ariſtoteles AGRICOLAS lib. IV. polit. cap.* 4. vocat, a primo inde naſcentis mundi exordio fere exſtitiſſe. Nec tempore modo, ſed & neceſſitate hoc vitæ genus omnium primum eſt, uti ex ſequentibus patebit. Nomine autem agricolarum hîc intelliguntur omnes illi, qui in civitate illa procurant, quæ ad victum faciunt, & communiter conſumtibilia appellantur. Videatur plurimum reverendus *Dn. Meierus* præceptor ſumme venerandus *in analyſi polit. lib. IV. politicorum Ariſtotelis c.* 4. Sine alimentis enim vivere animali non licet. *Ariſtoteles lib.* 8. *hiſtor. animal. cap.* 1. Hinc natura benigna ſane rerum omnium mater, infanti recens in lucem edito in mammis etiam maternis de cibo proſpexit, ſine quo illi vivere non licet, ut loquitur *Ariſtoteles* 1. *politic.* 2. Et hæc eſt profecto cauſa, quare jam veteres illud primum vitæ genus tantis paſſim in ſuis ſcriptis laudibus extulerint. Nota ſunt illa *Ciceronis ex libro* 1. *offic. Omnium rerum*, inquiens, *ex quibus aliquid exquiritur, nihil eſt agricultura* (*c*) *melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil libero homine dignius.* Et ex libro de ſenectute: *Venio nunc ad voluptates, quibus ego nunc incredibiliter delector: quæ nec ulla impediuntur ſenectute, & mihi ad ſapientis vitam proxime videntur accedere &c.* Romani tanti hoc primum vitæ genus æſtimabant, ut ſæpius rei ruſticæ deditos ex agris ad ſummum dignitatis culmen eveherent. Cujus rei illuſtre exemplum refert *Cicero libro*, quem ultimo jam loco laudavimus. *In agris*, inquit ille, *erant tunc ſenatores, id eſt ſenes. Siquidem aranti L. Q. Cicinnato nuntiatum eſt, eſſe dictatorem factum.* Haud raro etiam contigiſſe referunt Hiſtorici, homines in ſumma autoritate degentes, honorem illum repudiaſſe & ad agros excolendos rediiſſe. De Diocletiano Imperatore narratur, quod cum imperio XX. annos præfuiſſet, reliquum vitæ tempus *ruri* (*d*) tranſegerit, olitorque ex Imperatore romano factus. De L. Quintio Dictatore, quem paulo

(*a*) *Ejusdem conditionis*) Quatenus ſunt diſtincta entia moralia. *GOEB.*

(*b*) ἀλήθειαν) GIPHANIUS *ad h. c. p.* 82. *GOEB.*

(*c*) *Agricultura*) Vid. autores, qui de re ruſtica ſcripſerunt. *GOEB.*

(*d*) *Ruri*) EUTROPIUS *lib. IX.* CASSIODORUS *in chron.* SUIDAS, ZOSIMUS *lib. II.* *GOEB.*

Digitized by Google

paulo ante memoravimus, idem legitur, quod expeditione finita redierit ad boves. Laudant hoc vivendi genus paſſim in ſuis carminibus poëtæ; quando Virgilius *Georg. II. verſ.* 458. *ita canit :*

*O fortunatos nimium ſua ſi bona norint*
*Agricolas.*

Et paulo poſt *verſ.* 532.

*Hanc olim veteres vitam coluere Sabini :*
*Hanc Remus & frater.*

Simili modo *Horatius Epod.* 2.

*Beatus ille, qui procul negotiis,*
*(Ut priſca gens mortalium)*
*Paterna rura bobus exercet ſuis,*
*Solutus omni fœnore.*

Neque parum facit ad agriculturæ laudes, quod eam ad modos diteſcendi maxime naturales & antiquiſſimos referat *Ariſtoteles lib.* 1. *polit. cap.* 5. & 7. Videatur *Arniſ. politic. comp. cap. XII. p. m.* 330.

II. Dividit porro agriculturam omnem *Ariſtoteles* 1. *politic.* 5. in nudam & veſtitam. Nuda vocatur, quæ in cultura agrorum occupata eſt, im Ackerbavv. Veſtita in rebus hortulanis & vineis, im Gartenbavv und Weinvvachs occupatur. Idem alibi agrum diſtinguit in publicum & privatum; ac publicum rurſus in eum, ex quo ſacra fiunt Diis & ſacerdotes alantur. Vulgo Kirchen-Güter, Kirchen-Acker, & ex quo convivia publica, Syſſitia fiunt, judices ac magiſtratus aluntur. Privatus dividitur ipſe in ſuburbanum & ab urbe remotum, de quibus Philoſophus ipſe legatur.

III. Nobis illud potius indicandum eſt, quantum & qualem agrum Ariſtoteles ad civitatis optimæ tum conſtitutionem, tum conſervationem requirat. Ex profeſſo id docte egit *Philoſophus VII. polit.* 4. duas cumprimis dotes in agro requirens, ut civitati optimæ reſpondeat. 1. Ut ſit ſufficiens ad cives alendos, ne opus ſit, ut aliunde neceſſaria vitæ præſidia, quæ tellus ſuppeditat, importentur. 2. Ut ſit perluſtrabilis ac cognitu facilis, ne a vicinis hoſtibus facile invadi, eorumque fructus auferri, ſed ad omnes ejus partes facili negotio auxilia mitti poſſint. Unde iſte locus, qui alendo populo ſufficit, & præterea eſt cognoſci facilis, optimæ reipublicæ ex voto reſpondet. Primum illud quomodo conſequi queamus, videtur Cato indicaſſe, de quo *M. Terent. Varro lib.* 1. *de re ruſtica* refert : *Non incommode Cato videtur dicere, cum ſcribit : optimum agrum eſſe, qui ſub radice montis ſitus eſt, & ad meridianam cœli partem ſpectat.* Verum de his conſuli debent autores, qui vel olim vel nuper de re ruſtica & agricolis ſcripſerunt: ex veteribus *Cato, Varro, Columella, &c.* ex recentioribus: *Beſoldus de ærario, Bornitius de rerum ſufficientia, Colerus & alii.*

IV. Cum autem adeo neceſſaria civitati ſit cultura agrorum, & præterea innoxium ſit vitæ genus atque reipublicæ maxime accommodum, neque tamen illa moleſtia careat, paucis adhuc audiamus monita Ariſtotelis, quibus putat, cives ad illud vitæ genus amplectendum invitari poſſe. Sunt autem potiſſimum illa tria: 1. Ne quis agrum ſuum continuet; quod ſi licuerit, magnus agrorum numerus ad unum deferetur vel paucos, reliquis vel prorſus excluſis vel in tantas agrorum anguſtias conjectis, ut labori fructus non reſpondeant. 2. Nemini bona avita immobilia vendere licet. Namque & hac ratione ditioribus multos agros coëmendi occaſio præſcinditur, & ſimul poſſeſſores ad agros majori ſtudio excolendos incitantur. Hiſce 3. aliqua poſſunt addi, quæ ſpeciem libertatis & præmii in ſe continent, cujus ſpe cives a moleſtis laboribus non declinantur. Ejusmodi agrariæ leges & inſtituta ex rebuspublicis præcipue Ebræorum, cujus conditor ipſe Deus, tum etiam quorundam veterum Græcorum & Romanorum utiliter petuntur.

V. Aſt ſicuti de eo conſtat, quod agricolæ neceſſariam civitatis partem conſtituant: ita de eo dubitare adhuc licet, an hi etiam ſint veri ac proprie dicti cives. Sane ad optimam rempublicam, in qua virtutum exercitio juſtum eſt pretium, ſi reſpiciamus, haud poſſumus diſſentire *ab Ariſtotele*, cujus iſta ſunt diſerta verba *VII. polit.* 9. *Quia autem propoſitum nobis eſt, quærere de optima republica (hæc autem eſt, per quam civitas eſſe poſſet maxime beata, beatitudinem autem ſine virtute impoſſibile eſſe obtineri, dictum eſt a nobis prius) manifeſtum eſt in civitate, quæ pulcherrime rempublicam adminiſtrat, & quæ juſtos viros habet, ſimpliciter, ſed non ad ſuppoſitionem, neque vitam artificum humilium, neque forenſem oportere cives vivere. Ignobilis enim eſt hujuſcemodi vita & ad virtutem ſubcontraria. Neque enim oportet agricolas eſſe; opus enim eſt otio ad virtutem gignendam & ad actiones civiles obeundas.* Cæterum illa Ariſtoteli dicta optima reſpublica nusquam terrarum hactenus obtinuit, ſed ſolo voto eſt conficta. Utque ſunt vulgi res mortalium, ſatius eſt virtutem exercere conjunctam cum labore aliquo, quam in otio vivere. Quamvis quoque nonnullis contemplativa beatitudo forte proſit: haud dubie illorum numerus fuerit perquam rarus, integram aliquam civilem ſocietatem ejusmodi hominum certo expectare non licet. Non etiam omnis agricolatio usque eſt adeo moleſta, ſed quædam ſic ſatis facilis, quando ſolum eſt fœcundum & frugiferum: ſicut alicubi centuplum fert fructum. Paſtoritia quoque vita, vel cultura rei pecuariæ, pigra eſt & otioſa ſatis, adeoque virtutis exercitia neutiquam remorans. Si de aliis ab hac fictitia optima declinantibus formis eſt ſermo, aliter erit pronunciandum. Sane haud immerito idem Philoſophus eam præ reliquis commendat,



Digitized by Google

in qua agricolæ prædominantur. Namque horum multitudo non unice curat publica, ſed plerumque eſt occupata in alimentis parandis neceſſariis, ſine quibus, ut ſæpius ante diximus, nemo vivere poſſit. Atque hinc in tali republica politico curæ eſſe debet, ut major pars civium agriculturæ ſit dedita, ne otioſa iſtam rempublicam aut penitus moveat, aut ſaltem in democratiam convertat peſſimam. Obſervandum porro, ad rem ruſticam pertinere quoque pecuariam & quam Romani appellaverunt villaticam paſtionem: de quibus Cato, Varro, Columella aliique veteres, cum græci, tum latini ſcriptores, præclara monumenta poſteritati tradiderunt, etſi hodie a perquam paucis juſto pretio æſtimentur.

# THESIS VI.

*Secundam civitatis neceſſariam partem faciunt opifices atque artifices.*

I. Sequitur jam altera non minus neceſſaria civitatis pars, cujus munus in effectione conſiſtit; opifices nempe atque artifices. Uti autem agricolæ & qui agricolarum nomine comprehenduntur, ea maxime, quæ ad victum faciunt, procurant, ſic opifices tum amictui, tum inprimis variis inſtrumentis, quibus ad neceſſarios vitæ uſus opus eſt, parandis inſerviunt. Hinc merito quodam jure opifices & artifices ſecundo ſtatim loco poſt agricolas inter civitatis omnis neceſſarias partes collocamus. Eſt certe illa pars civitati adeo neceſſaria, ut ſi quæ his deſtituta ſit, illa nec eſſe, multo minus bene eſſe poſſit. Quod in corpore ſunt manus, id in civitate ſunt opifices atque artifices. Si in domo qualibet varia debent eſſe inſtrumenta, quibus paterfamilias ad ſuas & ſuorum neceſſitates, utilitates, commoditates utatur, quot, quæſo, civitas, utpote plurimis familiis conſtans, privatim non modo, ſed & publice requiret, & quomodo his deſtituta, ſalva eſſe poterit? ſeu ut loquitur *Philoſophus*, *ſine artibus civitas habitari non poteſt*, πόλιν ἀδύνατον οἰκεῖσθαι.

II. Magna autem cum ſit artium varietas, non omnes æque, ſed alias aliis magis neceſſarias eſſe, putandum. Diſcrimen aliquod earum annotavit Philoſophus his verbis: *Harum vero artium aliæ artes neceſſitati inſerviunt humanæ, aliæ vero utilitati, aliæ vitæ commodiori ac liberaliori, denique aliæ voluptatibus, luxui & luxuriæ deſerviunt. Videatur plurimum reverendus Dominus Meierus in analyſi politic. ad lib.* 1. *cap.* 8. *Ariſtotelis*, ut & *doctiſſimus Giphanius ad l. c.* Ex quibus, quæ alteri ratione neceſſitatis ſit præferenda, judicare in promtu eſt. Quædam alicubi, ſtatu reipublicæ ita exigente, plane non ſunt tolerandæ, quædam vel ad tempus, vel certis conditionibus ſunt tolerandæ. Ita exempli gratia, ab academicis rebuspublicis artes, quæ gulæ & voluptatibus ſubſerviunt, exulare volumus; quas rex dominatum monarchicum affectans ad emolliendos & effœminandos nobiles vel ordines regni commodo ſuo recipit & tacite fovet. Reſpublica militaris tales artes prorſus reſpuit. De aliis rebuspublicis vel ita, vel aliter ſtatuendum. Ipſæ ſacræ literæ opificum in republica utilitatem agnoſcunt, dum ipſe Deus fabros commendaſſe legitur *Exod.* 31. Quæ profecto ſola ars talis eſt (liceat enim nobis unius uſu reliquarum commoda indicare) ut ſine ea urbs commode exſtrui, muniri, aut arma ad bellum parari nequeant. Unde non parvum incurrerunt periculum Judæi, cum faber ferrarius eſſet nullus in Iſraël 1. *Reg.* 13. Quas autem artes luxui & voluptati inſervientes ſive nequitia ſive ſolertia hominum excogitavit, longe plurimæ ſunt: ac inter eas *Arniſ. polit. cap. XII. p. m.* 337. laniorum, coquorum, piſcatorum, ſaltatorum & pictorum artes recenſet. Neque vero inter has artes luxus adminiſtras deſunt, quæ detrimento potius ſunt civitati, quam uſui, & a republica amandandi, quod ingenia ſua ad perniciem civium accommodent. *Cicero* 2. *offic. Seneca epiſt.* 88. Nihilominus tamen neque artes hæ omnes, neque earum artifices alibi atque alibi non multum ſunt utiles. Ideoque nolimus etiam nos omnia ejus generis ἁπλῶς neceſſariarum ordine excludere.

III. Quod vero ſupra agricolæ movebant dubium, id denuo opifices quoque excitare videntur; de quibus haud immerito quæſiveris, an pro genuinis civibus haberi mereantur? Tales ſane in celebribus quoque rebuspublicis dici pervulgatum eſt. Aliud autem eſt dici, & aliud eſſe. Quid vero de iis ſentiendum ſit, facile ex jam ſupra laudato loco Philoſophi innotuerit. Cui nihil aliud addimus, quam virtutum ſtudium neutiquam hominibus, artibus illis occupatis, ita curæ cordique eſſe poſſe, ut in optima republica civium nomen jure iisdem tribui queat. In democratiis tamen & inprimis iis, quæ inferiorum ſunt ordinum, tales eſſe nemo negaverit. Qua de re, qui voluerit, conſulat Piccartum.

IV. Certe olim melioribus, uti vocant, ſeculis artificum conditio plane fuit ſervilis, & apud ipſos quoque, *teſte Livio l.* 6. Romanos. Herodotus græcorum hiſtoricorum antiquiſſimus commemorat, ſua ætate ſordidos omnium populorum moribus haberi conſueviſſe, qui opificia tractarent. In qua ſententia Xenophontem quoque fuiſſe, legimus. Hodie vero apud nos quidem, artificum plerorumque conditio longe eſt melior, cum non modo amplius in ſervitute ſint, ſed quoque civium nomine & juribus gaudeant, in iis ſaltem, quarum pars ſunt, civitatibus. Neque forſan fallit eorum conjectura, qui factum illud putant, poſtquam luxuriæ latior apud Germanos aperta feneſtra; cujus ut miniſtros haberent, honeſtis præmiis artifices illi inſervientes aliunde invitari debuerunt. Quod, ut credamus, facile perſuadent ea, quæ hodie omnium fere oculis obverſantur. Nihilominus tamen manet ſententia, interdum & aliqua ex parte, etiam nullo luxuriæ vitio, talia artificia ad beatam civilem vitam eſſe neceſſaria, ac proinde ſaltim hactenus inter reipublicæ membra admitti poſſe.

THESIS VII.

Digitized by Google

# THESIS VII.

*Tertio loco ſunt MERCATORES.*

I. Ariſtoteles loco citato forenſem partem tertio loco ponit, quæ in emtionibus ac venditionibus, mercaturis ac artibus cauponariis eſt occupata. Scilicet, conſtat vero inter omnes, nullum fere usquam, excepto ante lapſum Adami paradiſo, fuiſſe vel deinceps futurum locum, qui ita abunde omnium rerum ad vitam commode degendam neceſſariarum ſit ferax, ut per ſe ſufficiens ſingulis civibus exiſtat, nec opus habeat, ut interdum aliunde neceſſaria quædam vitæ importentur. Nec enim omnis fert omnia tellus, nec ſemper omnia domi fiunt aut naſcuntur neceſſaria, ſed neceſſe eſt, ut aliqui ſint, qui operam dent, quo, ut canit *Virgilius* I. *Georg. verſ.* 57.

*India mittat ebur, molles ſua thura Sabæi.*

quanquam nec ebore nec thure vita humana ad veram felicitatem habeat opus. Sunt ſane aliquæ regiones, quæ abundant neceſſariis vitæ alimentis, quibus altera caret, & vice verſa. Ita Gallia abundat vino, quo caret Anglia, Germania frumento, quo laborat Batavia &c. Non ergo prodeſt modo, ſed neceſſarium quoque eſt, in nonnullis rebuspublicis eſſe, qui ſedulo, nec tam lucri, quam honeſtatis & publicæ ſalutis promovendæ cauſa, artem mercatoriam exerceant, aliunde ea importantes, quæ domi non naſcuntur aut fiunt, in uſus civitatis: & viciſſim ad alias gentes exportent, quæ nobis magna copia benigna natura conceſſit. Imo vero & ii, qui in ſingulis civilibus ſocietatibus expleant aliorum indigentiam, aliorum inquilinorum abundantiam. Illi vero dicuntur *mercatores.* (*a*)

II. Sunt autem varii generis mercatores, prout varia rerum importandarum & exportandarum ſeſe in republica offert vel copia vel inopia. Aliis enim rebus inſtructa eſſe debet civitas ſimpliciter optima, aliis aberrans aliqua, aliis quæ magnam dominandi potentiam intendit, aliis, quæ divitiis affluere ſtudet: aliis, quæ in voluptatibus ſummum bonum quærit, *ut docet magnif. Dn. Præſes in diſput. acad. de importandis & exportandis.* Etſi autem varia hinc naſcantur mercatorum genera, poſſunt tamen illa ad tria hæc præcipue revocari. Ut prima eaque potiſſima dicatur κατ' ἐξοχὴν mercatura, altera fœneratoria, tertia cauponaria. Mercaturam rurſus duplicem facere poſſumus cum *Ariſtotele lib.* I. *politic. XI.* navicularíam ſive nauticam, quæ navi merces importat; & onerariam, quæ plauſtris & jumentis idem præſtat. De fœneratoria prolixe agit *Ariſtoteles* I. *polit.* 6. de qua ſequenti etiam capite judicium ſuum eleganter ſubjunxit: *Cum autem duplex illa ſit, ut diximus*, &c. *eſt maxime præter naturam.* Atque hinc apud Romanos male ſemper fœneratores audivere. *Livius ſatis* aperte: *Patribus viſus eſt mercatorius hic quæſtus plane indecorus*:. Cicero paradox. ult. *Omnis quæſtus ſenatori turpis eſt.* Ita Cato Cenſorius, qui fœneratores furibus pejores alias dixerat, cum nauticum fœnus exerceret, magnam infamiam contraxit, teſte Plutarcho in ejus vita; quem locum erudite explicat *doctiſſimus Salmaſius libro de modo uſurarum cap.* 9. *p.* 379. *ſeqq.* Tandem cauponaria dicitur, quæ nihil importat aut exportat, ſed domi merces ſuas in foro vendit, quæ ſtataria etiam ab adſiſtendo appellatur. Videatur hac de re pluribus Giphanius *cap.* 7. *lib.* I. Piccartus *ad cap. XI. lib.* I. *polit. Ariſtotelis.*

III. Quantum autem publice interſit, ut, quæ ad mercatores pertinent, recte ſe habeant, magno ſuo malo experitur Germania noſtra. Namque cum hodie plerique in ejusdem urbibus mercatores non amplius neceſſaria, ſed luxui & luxuriæ inſervientia magis magisque importent, & rurſus cum nummis ipſis ingentem pretioſarum rerum multitudinem exportent, fieri non poteſt, quin reſpublica noſtra ſenſim & ſine ſenſu intereat. Haud equidem nobis omninò probantur Suevorum veterum mores, de quibus *Cæſar ſub init. libr. de bello gallico*: *Mercatoribus eſt ad eos aditus magis eo, ut quæ bello ceperint, quibus vendant, habeant*: *quam quo ullam rem ad ſe importari deſiderent.* Omnino tamen nimiæ mercatorum licentiæ, fibula erat imponenda. Atque id ſtatim fieri poſſet, ſi iisdem certus præſcribatur finis: ne illa, quæ ad ſplendorem & voluptatem faciunt, invehant, & luxuriæ fiant miniſtri; ſed potius ea importari curent, quibus respublica noſtra carere nequit. Uſum laudamus, abuſum damnamus. Priores mercatores, qui neceſſaria ſtudent, adjuvandi ſunt, poſteriores non neceſſaria invehentes, prohibendi. Quod fit, grandi vectigali impoſito, ut cum aliis Politicorum putat Claſenius *Compend. polit. lib.* 3. *cap.* 7. *pag.* 410. *ſeq.*

IV. Olim, mercatura non fuit in magno pretio, & apud Thebanos ad publica magiſtratus officia nemo admittebatur, niſi decem per annos mercaturæ ſe ſubduxiſſet, quod docet *Ariſtoteles* 3. *polit.* 5. Ruſſi nobiles ita contemnunt mercaturam, ut panem oſtiatim petere malint, quam mercaturam exercere, ceu refert Sigismundus *Baro.* Apud Polonos pro nobilibus non reputantur, qui eas exercent artes & actiones, quas communiter cives, & qui in civitatibus morantur, tractare ſolent. Hæc habet Arniſæus *in polit. compend. cap. XII. p.* 333. Sed diſtinguendum hîc eſt inter mercaturam ſplendidam ſive copioſam, & tenuem ac *ſordidam.* (*b*) Quo diſcrimine neglecto, ſine dubio factum fuit, ut omnis in univerſum mercatura liberali homine videretur indigna. Etſi tamen & fraudes & mendacia, quibus mercuriale hoc hominum genus aliquod ſtrenue operatur, eandem in malam opinionem adduxerit. Rectius vero, cum hanc differentiam animo

(*a*) *Mercatores*) Vid. BODINUM *de republica.* GOEB.

(*b*) *Sordidam.*) Quorſum ea, quæ in jure romano hac de re reperiuntur, pertinent. GOEB.

animo perpenderet, ſcripſit romanæ eloquentiæ parens: *Mercatura*, inquiens, lib. I. offic. *ſi tenuis, ſordida putanda eſt, ſin copioſa, & magna undique portans, multisque ſine vanitate impertiens, non eſt admodum vituperanda.* Tenuem hanc mercaturam neque hodie nobiles & ſummi viri tractare audent, quia aliquid ſordidi habet, & ſine fraude raro multum proficit, quin imo cum incommodis aliorum ut plurimum eſt conjuncta, quod probat *Ariſtoteles 7. polit.* 9. Copioſa mercatura apud omnes eſt in uſu, tum apud vulgus, tum apud eos, qui ſupra vulgus ſunt, modo aliquem ſaltim quæſtum ex illa capere poſſint. Quod denique illud ſpectat, an poſſint eſſe cives in republica optima? facile is intelliget & arbitrabitur, qui mercatorum artes, cum ſtudio virtutis probe comparaverit, nempe alias eſſe plane innoxias & juſti etiam lucri ratione prorſus laudabiles, alias autem non item. Et vero ſi propterea, quia hoc ad illud commodorum vitæ parandorum genus nonnulli abutuntur, velis illud ἁπλῶς damnare, omnis vita civilis fuerit damnanda; quod eſt abſurdum.

## THESIS IIX.

*Inter neceſſarias omnis civitatis partes, quartam conſtituunt MERCENARII.*

I. Promiſſi noſtri memores & hic quoque ordinem ariſtotelicum obſervantes, pergimus ad quartam omnis civitatis neceſſariam partem, quam ſub operariorum ſive mercenariorum nomine ille comprehendit. Etenim, cum omnes patresfamilias in civitate non tantarum ſint facultatum, ut tot ſervos alere poſſint, quot omnibus operis domeſticis exantlandis ſufficiant: ut huic indigentiæ non quidem quotidie, ſubinde tamen emergenti, ſuccurrant, opera eſt navanda, quo homines ſervorum labores ſufferentes in civitate habeantur. Neque tamen propterea hi ſervis ſtatim ſunt annumerandi, cum maximum inter ſervos & mercenarios intercedat diſcrimen. Namque hi, ſervitutem definitam, illi (ſervi ſcilicet) ſerviunt indefinitam. Ut poſt Ariſtotelem & plurimos alios interpretes annotavit *plurimum reverendus Dn. Meierus in analyſi polit. ad hanc partem.* Quin etiam ſervi mercenarii, & ſponte ſua & non niſi conducto tempore exiguo, ad unum alterumque opus inſerviunt, de reliquo plane ſunt liberi & ſui juris: aliorum ἁπλῶς dictorum ſervorum plane alia eſt conditio. Multo maxime differunt ab his ſervis mercenariis ſervi, qui natura tales cenſentur, & a natura ut plurimum dependent ad ſerviles operas præſtandas; Mercenarii vero omnes labores voluntate ac judicio ſive conſilio quodam ſuſcipiunt. Idem quid legitur apud doctiſſimum & jam ſæpius allegatum *Piccartum ad lib. I. polit. Ariſtotelis cap. 13. p. m.* 158.

II. Vocantur autem operarii illi, qui corporis manuumque laboribus incumbunt, *Ariſtoteli 3. polit.* 4. χερνῆτας *i. e. manuales, quaſi* ἀπὸ τῶν χειρῶν ζῶντας *ex opera manuum viventes,* ut obſervat *Cellarius compend. polit. lib. I. c. 3.* Atque eorum virtutes duæ cenſentur præcipuæ; quod Politico obſervatu neceſſarium, cum hic nil aliud curet, quam ut cives ſuo labore rite defungantur, ac virtutibus accommodatis imbuantur. Sunt autem illæ temperantia & juſtitia. Illa nempe præſtat, ut laborum induſtriam ſubeant, nec ignaviæ, omnium malorum radici, locum relinquant: Hæc ut labore rite defungantur, atque opus ſuum recte conficiant, & ita vivant, ne injuſtitiæ feneſtra in civitate aperiatur. Et licet mercenarii, ut diximus *ſuperiori* §. inter cives non ſint numerandi, hoc tamen intelligendum quam maxime eſt de republica, idque propterea, quia exacta civium virtute non ſunt prædití. Quin in nonnullis tamen rebuspublicis, democraticis præſertim, civibus annumerentur, nihil obſtat. Nec enim qui non ſunt ἁπλῶς ſervi, ſunt in quavis republica cives, nec illi, ſine quibus civitas eſſe non poteſt, ſunt cives. Accedit & illud, quod operarii fere ſe habeant ad patremfamilias, quemadmodum ſervus ad dominum.

III. Numerus operariorum certus & unicuique civitati accommodatus in univerſum definiri nequit, cum ex cujuslibet civitatis αὐταρκεία ſive ſufficientia ille conſtitui debeat. Hoc tamen moneri intereſt: nullius partis vel multitudine vel paucitate rempublicam facilius laborare poſſe, quam mercenariorum. Multitudinem mercenariorum nimiam maxime moleſtam eſſe, & omnis ævi experientia teſtatur, & id genus hominum ad turbas in civitate excitandas admodum proclive, eſt varium, mobile, ſine ratione & conſilio, affectibus obſequens, adeoque difficulter tractantur. Hinc illa democratia, in qua multi ſunt mercenarii, nautæ, piscatores &c. quæ *Ariſtoteli VI. polit.* 4. ultima appellatur, inter peſſimas referri ſolet. Provida proinde cura invigilandum eſt reipublicæ politico prudenti, ne talium hominum turbulenta & ſuperflua congeries in civitate temere ſubnaſcatur, cujus examen deinceps educere illi ſit perdifficile. Sed hæc de mercenariis, ut & quatuor plebis partibus, quemadmodum *Ariſtoteles lib. 6. polit. cap.* 7. agricolas, opifices, mercatores & mercenarios appellat, dixiſſe ſufficiant.

## THESIS IX.

*Quintam faciunt MILITES.*

I. Egimus hactenus de iis vitæ generibus, quæ ad ſingulorum civium utilitatem ſpectant. Pergendum nunc erit ad illam partem, quam conſtituunt, qui civitatem contra hoſtium invaſiones cuſtodiunt; ſive quibus cura belli atque militiæ munera ſunt demandata, quive & olim & hodie communi militum nomine vocari ſolent. Etenim cum omnis noſtra vita haud incommode a philoſophis in otium & negotium, in pacem & bellum dividatur, ut utroque tempore civitas recte ſe habeat, ac præclaris inſtitutis ſit munita, operam dare virum vere civilem oportet. Cum autem pax, bello multis ac pene infinitis modis, ſit præferenda, providus legum lator curabit,

Digitized by Google

curabit, ut civitas ab hoc omnium malorum maximo, quale bellum haud injuria cenſetur, non modo jam, ſed deinceps quoque, quantum fieri poſſit, immunis exiſtat. Neque vero auream pacem, quæ hominum malitia & rerum humanarum eſt conditio, diu ſervabit civitas, niſi ſint in eadem, qui pacis tempore fines cuſtodiant, ac bellis obortis, hoſtibus ad libertatem civium conſervandam atque defendendam, opponantur. Divinus Plato, Ariſtotelis præceptor dubitavit, an milites, altæ quoque pacis hora, eſſent in civitate neceſſarii? ſed omnem dubitationem facile deponet, qui cogitabit, prudentis politici eſſe, non in præſens, ſed in futurum quoq; civitati conſulere. Pridem id præclare, ut fere omnia, obſervavit *Ariſt. VI. politic. 5.* E cujus mente *magnif. Dn. Præſes in animadverſ. ad Machiavelli principem cap. 3. p. 10.* iſta ſcripſit: *Et omnis princeps, non præſentes lapſus cernit, ſed & futura proſpicit, illisque omni induſtria occurrit.* Inſperato namque in nos hoſtilia arma poſſunt converti, & ni ſufficientibus copiis ſuccurratur, ſervitus ab hoſtibus facili negotio in noſtram civitatem poſſit introduci. Milites otium procurant, hoſtes profligant, imperia locupletari volunt; hi tres fines poſſunt obtineri, ſi adſunt milites. Atque ita conſtat, militum neceſſarium eſſe uſum in civitate. De quorum numero hac vice illud ſaltem obſervamus, eum non debere eſſe nimium. Namque is potius oneri eſſet, eique brevi exitium attrahet omnibus arma colentibus, ac reliquas operas cum armis ipſis deſerentibus. Quot autem numero in quaque civitate eſſe debeant, in genere definiri nequit, ſed pro ratione loci & temporis multitudo illa eſt moderanda. Præterea cum milites ſtipendiis alendi ſint publicis, non major eorum numerus eſſe debet, quam quibus alendis reliqua civitas ſufficit. Legi hic meretur *Piccartus ad lib. 7. polit. cap. 14. & lib. 2. cap. 7. Ariſtotelis.*

II. Antequam porro ad militum militiæque diviſionem variaque genera progrediamur, haud incommodum fuerit, ſi prius *ex Lipſii libro de militia romana dial. 2.* repetamus, militiæ nomine hîc quoque nihil ſignificari nobis aliud, quam multitudinem aptam & compoſitam in armis ad vim faciendam certis legibus ordinatam. Hæc autem ipſa multitudo alia eſt equitum, alia peditum; etſi tamen hæc militia alia videatur antiquior, ut rationibus non contemnendis probavit *Ariſtoteles IV. polit. 13.* Equites quidem, *ut Chockier ex Vegetio lib. 3. cap. 26.* ſignificat, in certamine & prælio præſtant; hi in obſidionibus: quod tamen, an perpetuum ſit, merito quis dubitaverit, nec non in univerſum, an pedites equitibus, vel hi illis præſtent; Qua de re, collatis pro utraque ſententia argumentis, admodum erudite egit *Piccartus d. l. p. 602.* Quoniam tamen intereſt civitatis, eorum militum multitudinem in promptu habere, quorum ipſi maximus uſus eſt; placet pauca ejus verba addere, quibus totam illam quæſtionem obſignavit: *pag. 619. Diſcernendum accurate eſt inter tempora, loca, bella, quæ trahuntur, & pugnas, denique inter gentes. Eſt enim tempus, quo magis equites proſunt, aliud, quo pedites. Montoſa, aſpera, peditem loca requirunt, eques in planis & apertis utilior. Gentes aliæ equitatu nobiles, ut Arcades, de quibus Pauſan: Jazyges, de quibus Tacitus: Scythæ, de quibus Juſtinus: Parthi & Sarmathæ, de quibus Tacitus: Galli, de quibus Cæſar & Paulus Jovius in vita Columnæ. Aliæ peditatu, ut Catti, de quibus Tacitus, Helvetii, de quibus Cæſar. Denique quicunque Alpes habitant rupes & alioqui inacceſſa loca.*

III. Militia alia eſt mercenaria, alia lecta, alia ſocia; quam diſtinctionem proponit *magnificus Dn. Præſes in animadv. ad Machiavell. princip. cap. 12.* & repetit *in diſput. olim in hac Julia ſub ejusdem præſidio habita de Militia Lecta, Mercenaria & Socia §. 8.* Mercenariam militiam vocamus illam, quæ certis ſtipendiis tam domi, quam foris conducitur, quæ & conductitia vocari ſolet. Hanc in minus rectis rebuspublicis quibusdam magis eſſe utilem, quam lectam militiam cenſet *magnificus Dn. Præſes in laud. diſput. §. 25. & 37. Licet Machiavellus in libro de arte militari* eam inutilem ſimpliciter ac periculoſam eſſe crediderit §. 14. Socia militia eſt, quæ pactionibus fœderum populo periclitanti in auxilium mittitur. Atque hanc dicunt nonnulli eſſe in diſcrimine poſitam, atque ex hiſtoriis omnium temporum conſtare putant, illam eſſe metuendam. Sed ſi quid tale accidat, non tam militiæ ſociæ, quam ducum imperitiæ debetur, ceu dudum obſervavit *Livius lib. 25. cap. 13.* inquiens; *Caveatur a ducibus, ne ita exteris credant auxiliis, ut non plus ſui roboris ſuarumque proprie virium in caſtris habeant.* Sed ulterius eſt diſtinguendum inter militiam ſociam ſive auxiliariam mercede conductam: quæ auxilia ſociorum in armis multum juvant, ut loquitur *Cicero orat. pro M. Marcello*: & eam, quæ gratis militat. Quorum illi tutius confidi poteſt, quia ſua ſpectans commoda, majorem reverentiam habet ducibus ac promtius militat, inprimis ſi juſto tempore dinumerata accipiat ſtipendia. Quod ipſum & plura alia huc facientia dudum ſolide docuit *magnificus Dn. Præſes in animadv. ad Machiavell. princip. cap. XIII.* Lecta militia dicitur, quæ colligitur ex indigenis ſeu domeſticis. Atque hac ipſa non modo olim Romani uſi, orbis terrarum dominium fere ſibi vendicarunt, ſed noſtri quoque majores Germani veteres, eam præ aliis amplexi ſunt: cujus ſat idoneus ac omni fide major teſtis eſt *Tacitus libr. de moribus German. Ex omni,* inquit ille Hiſtoricus, *juventute delectos in acie locabant.* Atque idem feliciſſimo ſucceſſu & gentes bellicoſæ fecerunt. Ad quas reſpiciens *Machiavellus lib. de arte militari p. 29.* ſcribit: *nullum militem, quam proprium utilius haberi.* Per *propria* autem arma intelligit illa, quæ conſtant aut ex ſubditis noſtris, aut ex civibus, aut ex clientibus; reliqua omnia, aut mercenaria ſunt, aut auxiliaria, Ariſtotelis ſane doctrinam de militia ſi intelligere velimus, obſervandum eſt, illum per militiam ſemper intelligere lectam & hanc reliquis præferre. Aſt noſtra hodie militia eſt mercenaria ſeu domi ſeu foris collecta; haud raro tamen & ſocia ex fœderibus & pactionibus ut plurimum conſtans. Plura qui de his tribus militiæ generibus & aliis neceſſariis requiſitis conſiderare cupit, conſulat *magnifici*



Digitized by Google

*Dn. Præſidis diſput. acad. de bello & pace* §. 28. *& ſeqq.* & autores, qui hæc omnia ex profeſſo tractarunt & excoluerunt.

IV. Cum autem nulla militia abſque ducibus ſalva eſſe queat, pauca de illis adjicienda arbitror. Hic vero ſtatim occurrit dubium, an principum præſentia in prælio ſit neceſſaria? Et ſane princeps præſens, militibus ſuis animum addit, & ad ardua aggredienda non parum accendit. *Urget* enim interdum *præſentia Turni*, quod jam olim dixit poëta, ac in nupero bello felicia prælia ac celeres urbium occupationes poſt tot alia exempla denuo docuerunt. Neque tamen quodlibet prælium dignum judicare princeps debet, cujus ancipiti aleæ perſonam ſuam committat, niſi illi demum, unde totius fortunæ eventus dependeat. In minoribus vero pugnis, (præſertim ſi artis militaris non bene ſit gnarus, aut in confligendo cum hoſte fortunam minus ſecundam hactenus expertus fuerit) prudenter abſtinere debet. Militis enim ſors eſt unius, imperatoris vero caſus univerſorum periculum ſimul involvit. *magnif. Dn. Præſes in diſſert. polit. de bello & pace* §. 21. Hinc de ducibus militiæ ſubſtituendis magnam ſuſcipere debet curam, in quibus eligendis ne aberret, reſpiciendum eſt, an 1. ſint fideles, ſive ament præſentem reipublicæ ſtatum. 2. an fortes. 3. num autoritate polleant. 4. an periti, quæ pars præ reliquis eſt neceſſaria. In re namque militari magis ad peritiam, quam ad probitatem eſt reſpiciendum. *Ariſtoteles lib. 5. polit. 5.* Peritia autem hæc, non tam crebra librorum, artem militarem quamvis egregie tradentium lectione, quam diuturna & propria experientia comparatur. Præprimis peritiam hanc Imperator bellicus addidicerit, ſi omnes inferiores militiæ gradus emenſus ad dignitatem hanc aſcenderit. *Vix enim unquam quis bene imperabit, qui parere nunquam didicit; ceu recte ait Ariſtoteles 3. polit. 3. & 3. polit. 4. Nemo tam bene imperare præſumitur, qui non prius ſub imperio fuit.* Id quod hodie præclaræ illuſtrium familiæ imitantur filii, quos ab infimo militum gradu pedetentim ad ſuperiores aſſurgere, non erubuiſſe novimus. Poſt ducem militarem, etiam aliorum officiariorum habenda eſt ratio, ut ſunt Vicarius ducis, ſupremus rei armentariæ præfectus, &c. quorum omnium nomina ac munera recenſet *Georg. Schœnborn polit. lib. 6. cap. 15.*

## THESIS X.

*Sexta civitatis pars neceſſaria, ſunt* PERSONÆ SACRÆ *& eccleſiaſticis functionibus gaudentes.*

I. Pergimus jam ad illas partes, quæ ſtatum civitatis propius attingunt; de quibus ordine in ſequentibus theſibus uberius erit agendum. Et quidem hac theſi, ut jam tum inſcriptione profeſſi ſumus, SACRÆ PERSONÆ paulo plenius conſiderandæ veniunt. Quod antequam fiat, pauca hic monenda eſſe ducimus de RELIGIONE, ſine qua civitati bene eſſe nequit, quod cœtus abſque religione difficulter regatur, quod nec ipſis gentilibus fuit ignotum, & poſt alios denuo monuit *plurimum reverendus Dn. Meierus in analyſ. polit. ad lib. VII. c. 9.* Eſt religio ſecundum *Ariſtotelem VII. polit. 8.* ex eorum numero, ſine quibus civitas eſſe non poteſt. Unde Philoſophus laudatus *VI. polit. ult.* ait: *Neceſſariæ curæ ſunt circa rem divinam, circa rem bellicam, circa reditus publicos, circa forum, circa urbem & portus & regionem.* Cum autem diverſi hodie Deum agnoſcendi & colendi modi & rationes apud diverſos populos reperiantur, omnis cura Politico eſt habenda, ut vera religio in republica ſua obtineat. Vera autem & ad terrenam non modo, ſed & æternam felicitatem obtinendam ſufficiens religio non ſtatim illa eſt, quæ diu alicubi uſu recepta fuit, aut a parentibus ad liberos eſt derivata, ſed quæ ſacrarum literarum & veræ antiquitatis teſtimonio & ſuffragio probe eſt munita. Ut Doctores Theologi ſuo loco pluribus oſtendunt. Habet illa duas potiſſimum hypotheſes, quæ civilem vitam ſimpliciter, & quæ per ſe, non reſpiciunt; ſed per accidens & ſecundario. Sunt autem illæ: 1. Deus eſt, & quidem unus, a quo omnia, quæ ſunt, ſuam naturam & eſſentiam acceperunt. Qui etiam juſtus eſt, & pro malis pœnam, pro bonis vero & honeſtis actionibus præmia confert hominibus. 2. Anima hominis eſt immortalis, adeoque aliquando erit extremum judicium. Hæc duo principia conſtituunt frenum, ut nonnulli loqui amant, quod Politicus ſuis injicit civibus; cum nihil ſit religione potentius ad homines in officio continendos. Hinc *Piccartus comment. ad Ariſtotelis polit. Plutarchi* verba commemorat, præclare ita dicentis: *Facilius eſſe urbem ſine ſolo condere, quam opinione de Diis penitus ſublata, civitatem coire aut conſtare poſſe. Nam religio eſt vinculum omnis ſocietatis & legum ponendarum ac juſtitiæ firmamentum.* Jure merito proinde docuit *Juſtus Lipſius in monit. polit. cap. 2.* inquiens: *ſine religione, non princeps officium, non ſubditi facient; ſine ea ſocietas non erit, quia non fides, non juſtitia, non virtus, ſed fraus, licentia, protervitas, & uno verbo, confuſio hominum ac rerum. Quod frenum erit peccaturis? Quis metus ſatis validus? nam externum illum, qui a pœnis aut morte eſt, multi contemnunt, & deſperatio, impetus aut iracundia eo ducunt. Eſto igitur vinculum & firmamentum reipublicæ religio.* Idem *de Theſeo* refert *Plutarchus in ipſius vita*; quod in conſtituenda republica athenienſi religionem pro fundamento poſuerit. Non male etiam dixit *divinus ille Plato lib. 1. de LL.* religionem eſſe propugnaculum poteſtatis ac legum, & vinculum honeſtæ diſciplinæ. Oppoſitum religionis eſt atheiſmus: de cujus pernicie ſumma, legi poteſt *Claſenius comp. polit. lib. 3. cap. 3.*

II. His de religione præmiſſis, accedimus ad perſonas ſacra procurantes. Debet autem hæc cura ultimo ſe extendere ad illum vel illos, ad quem vel quos ſumma in republica poteſtas ſpectat. Etſi non deſint, qui in utramque partem litis ſerram hîc ducunt, firmiſſima tamen manet politicorum regula: quod ad illa omnia ſeſe debeat extendere majeſtatis autoritas & officium,

ſine

Digitized by Google

ſine quibus felicitas civilis obtineri & conſervari nequit: ut docet *magnif. Dn. Præſes in diſput. acad. de Majeſtate ejusque juribus circa ſacra & profana potiſſimis* §. 31. Jam vero res ad religionem pertinentes, (ſeu uno nomine ſacra) ita comparatæ ſunt, ut inde bene vel male eſſe poſſit reipublicæ. Idcirco poteſtati majeſtatis ilia non ſunt ſubtrahenda, ſed omni modo ejus arbitrio ſubmittenda. Ita ſane majeſtati incumbit reſiſtere atheismo eumque exſcindere prorſus. Impoſſibile enim eſſe videtur, ut plurimis in republica Atheis exiſtentibus, ea ulla ratione ſalva eſſe queat. His etenim cum perſuaſum non ſit, pœnam malorum & retributionem bonorum inſtare, virtuti operam navabunt nullam, ſed potius luxui & luxuriæ, quantum fieri poterit, voluptatibusque corporis ſe mancipabunt. Siquidem, ſublata iſta opinione de malorum pœnis & bonorum præmiis incomparabilibus in altera aliosque excipientibus vita, non poſſunt non craſſæ & fœdæ voluptates pro ſummo bono reputari. Ad hæc autem deteſtanda & civitati perniciofa mala excludenda proſpicere debet majeſtas, ne religionis cultus intereat, ſed ſalvus ac incolumis ſemper maneat. Et cum aliud ſit imperium in ſacra, aliud functio ſacra, ut notat *Hugo Grotius*, reſervabit quidem majeſtas ſibi ſummum in ſacra imperium: aſt magiſtratus non tantum ſacra curantes, (conſiſtoriales hodie appellamus) inſtituet, ſed & functiones ſacras doctis & prudentibus committet perſonis. Et hoc eſt, quod Ariſtoteles monet, ſacerdotes non ex infima plebe & quolibet civium ordine facile eſſe eligendos. Cum enim religio ſit tecta ſarta, ut loquitur *Piccartus VII. polit.* 9. oportet non ſolum ipſum Deum coli, ſed & religioſos, quique cultus divini curam gerunt, conſtituere ſacerdotes. Debet etiam illis aliquid ineſſe, quod faciat eos venerabiles, & auctoritatem ipſorum oſtendat: debent ſapienter munus ſuum obire, cultum rectum docere, & ad virtutem non tantum monitis, ſed & exemplo præire. Quod poſtremum eo magis attendendum eſt; quod, uti alibi, ita & in hoc hominum genere plures deprehendantur, qui monitis, non exemplo præſunt.

III. Ex ante dictis jam ſatis conſtat, non ex agricolis & opificibus illos homines eſſe eligendos, ſed potius ex ſenatoribus. In quo etiam conſentit *doctiſſimus Piccartus ad lib.* 7. *polit. Ariſtot. c.* 9. Apud Proteſtantes & pontificiæ religioni addictos hodie Clericorum non unus, ſed multiplex eſt ordo: veluti ſunt archiepiſcopi, epiſcopi, presbyteri, diaconi &c. homines venerabiles, quos vitæ probitas honoratos reddidit aliis, quique ſedatis affectuum motibus liberi ſint a cupiditatibus & libidinibus, qui ætate jam ſint grandiori & illuſtri aliquo loco nati.

IV. Perſonæ autem ſacras functiones ſuſtinentes & ſacra adminiſtrantes, non ſunt magiſtratus, licet multi eorum gaudeant civilibus immiſceri negotiis, ipſisque talia curare ſæpe arrideat. Nemini tamen Politicorum hoc unquam placuit; ut patet *ex Giph. ad polit. Ariſtot. lib.* 3. *cap.* 1. & *Arniſ. comp. polit. cap. XV. pag.* 378. Inter veros autem civitatis cives poſſunt numerari. Et vero pene ſupra cives ſunt, cum theoreticam virtutem colant, & in contemplatione Dei toti ſunt defixi. *Vid. Piccartus* 7. *polit.* 9. Ariſtoteles etiam docet, quare pro veris civibus ſint habendi, nempe quia ex ſenatorum numero, qui revera veri cives h. e. ſtatum reipublicæ præſentem amantes ſunt, eligi debeant. Numerus autem horum hominum ſacra curantium non debet eſſe nimius. Quo tamen jam laborant multæ reſpublicæ pontificiæ, (inprimis regnum hiſpanicum) ob ingentem monachorum multitudinem, hominum perquam frequenter otioſorum imo & nonnullorum inutilium terræ ponderum.

## THESIS XI.

### *Poſt hos ſeptimo ſunt DIVITES.*

I. Divites & pauperes tales comparative dicuntur, unde fit, ut nulla non civitas ſuos habeat divites, ſuos pauperes. Ut enim omnes ſint æquales ratione divitiarum, nec rerum humanarum, nec reipublicæ fert ratio. Inæqualium æqualitate ſtat & conſervatur civitas omnis. Præterea ex eadem cauſa & ratione major ubique eſt numerus pauperum, minor vero divitum. Cum vero absque divitibus nulla ſit aut eſſe poſſit civitas, hinc non ſine ratione Ariſtoteles eos inter neceſſarias civitatis partes & quidem ſeptimo loco collocavit. Intelliguntur autem divitum appellatione hoc loco illi omnes, qui in civitate bona immobilia, agros aliaque fortunæ bona potiſſima poſſident, fortunisque ſuis reipublicæ proſunt. Ariſtoteles in libris politicis per divites promiſcue intelligere nobiles videtur & vice verſa. Dividit enim omnem populum civitatis in plebem & eos, qui ſupra plebem ſunt, illos pauperes, hos nobiles appellans. Atque proinde pauperum nomine hîc veniunt, qui alias communiter plebeii appellantur. Neque vero alias nos latet ingens diſcrimen, quod inter nobiles ac divites intercedit, dum per nobiles tam domi, quam ubique illi indicentur, qui ob præclare facta majorum, aut ob propria merita nobilitate ſpecialiter afficiuntur, vel nobilibus talibus parentibus naſcuntur. Divites autem tales cenſentur ob præſtantiam bonorum fortunæ, maxime immobilium. Ariſt. autem divitum nomine complecti etiam voluit nobiles, tum quod nobiles absq; divitiis nomen & ſtatum vix tueri poſſint, quodque bona reipubl. immobilia utplurimum poſſideant, tum quod divites bona nobilia non raro poſſideant, gaudeantque tum privilegiis nobilium. In generali ergo ſignificatione divites iidem ſunt, qui nobiles, & nobiles, qui divites. *Legatur hic plurim. rever. Dn. Meierus in analyſ. polit. Ariſtot. ad lib. IV. cap.* 4. & 5. Nec tamen cum quoquam velimus contendere, qui ſecus ſtatuunt: nempe divitum nomine non, qui ſimul genere aliis præſtant, intelligunt, ſed ſimpliciter omnes eos, qui opibus eminent, etiamſi nulla adſit ſimul excellentia ſanguinis. Et vero opum major vis longe plus reipublicæ momenti adfert, quam nobilitas generis cum egeſtate conjuncta.

II. Mores

Digitized by Google

II. Mores divitum reperiuntur varii; illos autem, qui ut plurimum divitibus, hoc eſt iis, qui opibus prævalent, inſunt, recenſet *Ariſtoteles lib. 2. rhetor. cap.* 16. quod agit potiſſimum de moribus divitum, ac tales eorum characteres proponit, quod ſint ſuperbi, contumelioſi, imperare potius, quam parere cupientes. Quæ omnia expoſuit *Scipio Claramontius lib. 3. cap. 2. de conjectandis latentibus animi actibus.* Et *magnif. Dn. Schrader in rhetor. Ariſtotelis commentario ad lib. 2. cap.* 16. Uti vero aliorum, ſic & horum hominum mores exacte noſſe politicus debet, ut diligenter proſpiciat & principiis obſtet, ne divitibus in libera republica nimis tribuatur. Quod ſi enim *τὸ μικρὸν* fuerit neglectum, facili negotio rempublicam mutabunt in oligarchiam peſſimam, quod pridem vidit *Ariſtot. 4. polit.* 6. Cavendum etiam, ne nimius divitiarum ſplendor, & abundans rerum ſufficientia vicinos reipublicæ hoſtes ad invaſionem animoſos reddat, & ad prædam tam divitum, quam pauperum invitet. Id quod varia bella in ejusmodi regionibus geſta ſatis probant, & Hiſpani ſuo exemplo teſtari poſſunt, quos auri ſacra fames in Indiam usque occidentalem pellexit.

III. Deſcribuntur tandem divitiæ, nulla generis aut nobilitatis ratione habita, *ab Ariſtotele lib. 1. Ethic.* 5. quod ſint ſufficiens multitudo inſtrumentorum vitæ, qua indigentiæ humanæ ſuccurratur. Sufficientia autem omnis conſiſtit in medio rationis, & variat non tantum, prout variant vitæ genera, ſed & pro ratione locorum, perſonarum, conditionis & temporis, ut patet *ex analyſ. Ethic. plurim. rever. Dn. Meieri ad lib. 1. cap. V. Ariſtotelis.* Conſtat hinc, quod veræ divitiæ non ſint in nummis poſitæ (ut hodie multi minus recte arbitrantur) ſed in omnibus, quibus humana indigentia ſublevatur. Sæpe namque contingit, ut dives nummorum aliquis egeat neceſſario vitæ alimento: ut docet *Ariſtoteles lib. 1. politic. cap.* 6. Et quemadmodum lege non natura conſtat numus, quia utentium arbitrio mutatur, ita numis paramus nobis divitias veras, quæ ambitu ſuo ea complectuntur omnia, quæ vitæ humanæ ſuccurrunt. Numus ergo eſt fidejuſſor, qui nos ſecuros reddit de re in futurum accipienda. Uti hæc omnia tum *in quinto Ethicorum, tum* 1. *politic.* magnus doctor Ariſtoteles egregie explicavit; Quæ quia a noſtro inſtituto videntur alieniora huc transferre, uti non debebamus, ita nec voluimus.

## THESIS XII.

*Nec minus neceſſariam civitatis partem facit octavo SENATUS.*

I. Expoſita doctrina de divitibus, pergendum nobis erit ad elegantem nec minus principalem civitatis materiam, quam conſtituit SENATUS. Ideo autem princeps civitatis pars ille vocatur, quia conſultat de iis, quæ toti civitati & civibus omnibus ſunt neceſſaria: nempe de bello & pace, de fœderibus, de legum conſtitutione, & hujus generis aliis, quæ a nobis fieri poſſunt. Patet hinc, quod omnis conſultatio ſive deliberatio debeat inſtitui de iis rebus, quæ ſub actionem cadunt, quæque ſunt in noſtra poteſtate, quæ incerta & alicujus momenti exiſtunt. Locum autem habet illa magis in artibus, quam in ſcientiis; quia conſultandi ratio in iis obtinet, quæ plerumque uſu veniunt, cum eorum exitus ſit incertus. Neque conſultatio omnis, quæ ſemper in quæſtione poſita eſt, inſtituitur de fine, ſed de iis, quæ ad finem pertinent; circa finem enim verſatur voluntas, proæreſis vero eſt conſultatio de mediis efficaciter ad finem ſpectantibus. Hac in re conſentit *Philoſophus noſter magnus Ariſtoteles lib. 2. Eudem. cap.* 10. inquiens: *Quia conſultantes omnes gratia alicujus conſultant, & ſcopum habent præfixum certum, quoniam reſpiciunt utile, de fine quidem nemo deliberat, qui principium eſt & fundamentum, quemadmodum in contemplativis ſcientiis hypotheſes.* Sunt autem modi conſultandi varii, prout eos ordine recenſet *Piccartus ad lib. 4. politic. Ariſtot. cap.* 14. Et conſultationes aliæ ſunt ſpeciales, quæ & Probuliæ etiam vocantur, aliæ generales, quæ comitia vel conventus ut & concilia appellantur.

II. Cum in republica omni conſilio nil ſit prius, & conſilium inter humana negotia ſit divinum quid, ſenatu indiget reſpublica maxime. Experientia enim ſatis indicat, quanta ejus ſit neceſſitas, quantosque uſus afferant ſenatus conſilia prudentiæ regulis conſentientia. Et huc ſane ſpectat, quod *Saluſtius* olim dixit: *In omni vita multa audiendo & legendo ita comperi, omnia regna & civitates usque eo proſperum imperium habuiſſe, dum apud eos vera conſilia valuerunt.* Verſatur autem ſenatus proprie in dandis conſiliis de illis rebus, quæ ad totius reipublicæ finem ducunt, ſecundum ſe omni carens juriſdictione. Et deſcribitur, quod ſit ordo in republica, qui de rebus ad bonum publicum ſpectantibus conſultat ad obtinendum finem propoſitum, ut deſcribit *Claſen. compend. polit. lib. 4. cap.* 2. Originem vox ſenatus habet a ſenibus, quia ſenes experientiam rerum propriam & alienam ſimul habere poſſunt, quæ in juvenes omni virili ætate carentes non cadit. Hoc tamen nolumus a quopiam intelligi, quaſi ſenes ſolum conſtituere debeant ſenatum, cum hoc pacto ſenatus mutationi ſæpiſſime eſſet obnoxius. Verum qui non ſunt nimis ſenes, neque nimis juvenes, illi debent publicis intereſſe deliberationibus.

III. Sunt autem, qui conſultant, alii cum imperio & dicuntur Majeſtas, Magiſtratus, alii ſine imperio, ut Conſiliarii, Senatores. Senatus non debet ex peregrinis eſſe conſtitutus, (quia illi rarius amant præſentem reipublicæ ſtatum, ſed potius peregrinos inducunt mores in rempublicam noſtram, quos maxime nocuiſſe omnium ſeculorum monumenta abunde teſtantur.) verum ex civibus, qui tali officio digni ſunt, quia illi præſenti ſtatu magis contenti ſunt, & melius fortunam reipublicæ utramque ferre poſſunt, quam exteri. Quanquam tamen affectus erga patriam plerisque civium natura quaſi ſit ingenitus, quod & proverbio locum fecit, quo,

*Dulce ſolum patria,*

omnium

Digitized by Google

omnium vocibus celebratur. Nec tamen hoc volumus, peregrinos quoslibet ſemper a Senatu eſſe excludendos. Pridem enim docuit experientia, peregrinos ſummo commodo fuiſſe rebuspublicis, in quas fuerunt, quaſi adoptati, ipſosque inquilinos ſuperaſſe. Itaque hoc, quod diximus, accipiendum eſt de eo, quod plerumque fit.

IV. De modo conſultandi egregie egit *Ariſtot. lib.* 3. *Ethic.* 3. *& lib.* 1. *Rhet.* 4. §. 10. affert capita deliberationum quinque, de quibus præcipue in conſiliis agitare ſolemus. Agitur enim in Senatu ſive publicis conciliis de bello & pace, de cuſtodia regionis, de iis, quæ importantur & exportantur & de legum conſtitutione. In his autem quinque partibus Ariſtoteles ſecutus eſt Socratem, ſive potius Platonem, qui ſub perſona Socratis, tot quoque conſultationum præcepta tradidit. Quod apparet ex oratione, quam habuit ad Ariſtonis filium Glauconem, juvenem imperitum, ambitioſum & regimen civitatis intempeſtive ambientem. Oratio illa integra legitur in aureo libro *Magnifici Dn. Præſidis, de Civili prudentia cap.* 12. *p.* 246. repetita ex Xenophonte. Multa quoque huc facientia explicavit *Magnific. Dn. Schrader in Comment. ad Rhetorices Ariſtotelis caput paulo ante citatum*, quod dignum profecto eſt, ut ab omnibus prudentiæ civilis cultoribus totum memoriæ mandetur. Quamvis enim non omnia forſan Ariſtoteles ibi proponat, quæ de quinque illis capitibus deliberaturo cognitu ſunt neceſſaria, quod Socrates apud Xenophontem fecerat, multa tamen huc facientia tangit, atque plura forte in unum locum congeſſit, quam temere apud alium quendam veterum ſcriptorum offendas.

V. Non autem hæc omnia, quæ ſub deliberationem in civitate cadunt, ab uno, qui Majeſtate gaudet, attendi ac probe obſervari poſſunt. Nec Majeſtati præ aliis gravioribus negotiis eſt tantum temporis, ut omnibus civilibus negotiis ac conſultationibus ipſa intereſſe aut præeſſe poſſit. Arduum enim eſt, & ſubjectum fortunæ cuncta regendi onus. *Tacitus Annal.* Pauca unus videt, pauca audit, at Majeſtati aures multas eſſe oportet, multos oculos. Supplere ergo iſtum laborem debent Conſiliarii a Majeſtate conſtituendi, qui tam in publicis, quam privatis deliberationibus ſalutem civium promoveant, & vicem Majeſtatis gerant fideliter. Cæterum, quam neceſſarii in omni civitatis forma ſint Senatores, abunde ac ſapienter jam pridem oſtendit *Magnif. Dn. Præſes in Diſſert. de boni Conſiliarii in republica munere.* Modus autem conſtituendi Senatum variat, prout ipſæ variant respublicæ. Eſt enim in monarchia poteſtas penes regem ſive principem, in Ariſtocratia penes Optimates, in Democratia penes plebem &c.

VI. His de neceſſitate Senatus præmiſſis, generalem ponimus Conſiliarii definitionem. Eſt autem Conſiliarius vir bonus, ſaltem civiliter, virtute politica exacte inſtructus, cui eſt ſtudium, civitatis ſalutem incolumem ſervare. Huic definitioni varia quidem objici poſſunt, quæ annotavit & reſolvit Magnif. Dn. Præſes in Diſputat. jam ſuperiori. §. laudata §. 13. Requiritur autem [1] in conſiliario, ut ſit vir civiliter bonus. [2] ut poſſit ſimulare & diſſimulare, ſi ſalus reipublicæ communis id exigat; Deliberationes enim ſive conſilia nulla ſunt meliora, quam quæ ſecreta haberi poſſunt. Quin imo magnum dicunt eſſe reipublicæ munimentum, conſilia habere ſecreta. Neque etiam hoc pacto mendacium committit conſiliarius; poteſt namque quiſpiam aliter loqui, quam ſentit ita, ut alterum decipere primario non intendat. Notant etiam prudentes politici, nullam rempublicam, quæcunque etiam fuerit, commode ſervari poſſe, niſi interdum bonus dolus & honeſta calliditas admittatur. Et ſi ſcirent homines, quid exinde ſibi emergeret commodi, mallent ſic decipi, quam non decepti longe graviora mala perpeti. *Ut alibi & cumprimis l. de Civili prudentia cap.* 2. *Magnif. Dn. Præſes demonſtravit.* Requiritur etiam, [3] ut ſit civili prudentia inſtructus, ſciatque, quid ſuæ civitati conducat, vel non. Debet omnes rerumpublicarum ſpecies habere cognitas & omnes regendi modos exacte tenere, ut pro ratione loci, temporis ac populorum rempublicam ſuam poſſit conſervare. Sed nos hæc alibi dicta jam non prolixius repetemus, B. L. remittentes *ad Magnifici Dn. Præſidis Diſputationem, De boni Conſiliarii in republica munere* §. 15. *&* 34.

VII. Conſiliariorum ſunt varia genera, alii ſunt ordinarii, quorum conſiliis aut ſemper, aut ſæpius in republica bene gerenda opus eſt. Extraordinarii alii, quorum conſiliis non ſemper, ſed interdum ſolum, & data occaſione, indiget reſpublica. Alii politici, qui ſua conſilia ad civiles actiones applicant. Alii eccleſiaſtici, qui rationem cultus divini habent & ſacrorum ritus curant, ne religio patiatur damnum. Et horum officium eſt videre, ut omnia ordine & decenter in Eccleſia perficiantur, cultus ſacrorum retineatur integer, vera religio conſervetur immunis, ideo vero quidam certi ſacris præficiantur, & bona eccleſiaſtica per viros dignos adminiſtrentur. Sunt etiam alii conſiliarii Pacis, alii Belli, alii Intimi ſive ſtatus, alii Fiſci, Juſtitiæ, Legationum &c. De his omnibus conſuli meretur *Claſen. Polit. Comp. lib.* 4. *cap.* 4.

VIII. Debet autem omnis conſiliarius communem civitatis ſalutem præponere privatæ utilitati, nec non a pravo affectu liber, nec temerarius & inconſtans eſſe. *Nihil enim eſt*, inquit *Cicero lib.* 1. *Offic. quod magis decet, quam in conſilio capiendo ſervare conſtantiam.* Quamvis tamen interdum neceſſitas & utilitas reipublicæ ſuadeat mutare conſilium. In dando conſilio reſpicere debet tempora, præterita, præſentia, & futura. De præteritis judicare, præſentia imperare & ordinare, de futuris deliberare oportet; ab his enim ſalus reipublicæ pendet. Sed hæc de Senatu dixiſſe ſufficiant.

## THESIS *XIII.*

*Maxime autem neceſſarii ſunt nono IMPERANTES.*

I. Quemadmodum homo in omni ſua vita ad duo potiſſimum reſpicere debet: ad finem ſci-



Digitized by Google

ſcilicet & ad media; ita quoque duo hæc in civitate ſunt obſervanda. Finis autem, quem homo ſibi proponit, eſt bonum vel verum, vel apparens, quia omnia appetunt bonum, ut docet *Ariſt.* 1. *Eth.* 1. Civitatis autem ſcopus ex inſtituto naturæ eſt aliquod verum bonum, nempe felicitas civilis, quæ conſiſtit in ſtudio virtutis & rerum ſufficientia. Quamvis autem hominis bonum idem ſit ac civitatis, tamen civitatis bonum cum conſequi, tum conſervare majus quiddam eſt, & perfectius videtur, ut docet *Ariſtot.* 1. *Eth.* 2. Media, quibus ſummum & hominis & civitatis bonum acquiritur, ſunt actiones; Illæ autem ſunt vel bonæ, hoc eſt, legibus conformes, vel malæ, hoc eſt, a legibus diſcrepantes, vel indifferentes, neque bonæ, neque malæ. Ad bonas actiones præmiis invitari debent homines in civitate, a malis, pœnis deterreri: *Pœna enim* [ut habet Grotius lib. 2. de J. B. & P. cap. 10. n. 1.] *eſt malum paſſionis, propter malum actionis*, ſive, ut alii malunt; *malum, quod, qui culpam admiſit, propter culpam incurrit.* Quia in civitate cives, vel pauci, vel nulli ſponte ſua virtuti dant operam, idcirco tam publicæ, quam privatæ utilitatis intereſt, ut virtutes, quaſi armatæ, hoc eſt, legum præcepta vim habentia, in civitatem introducantur. Vid. *Ariſtot.* 10. *Eth. ult.* Is autem, qui legibus vim addit, easque fert, excellens & ſuperior, nec non prudentia politica inſtructus eſſe, ſummamque itidem poteſtatem ac vim puniendi judicandique habere debet. Requiritur etiam in illo, ut ſit virtutibus præditus intellectualibus & moralibus, quibus ſibi conciliet favorem, admirationem & opinionem. *Magnif. Dn. Præſes in Diſput. Acad. de Majeſtate imperantium* §. 10. *ſeqq.* Talis ſumma poteſtas communiter hodie appellatur Majeſtas; & deſcribitur *ab Ariſtot. lib.* 3. *Polit. cap.* 6. quod ſit ſumma poteſtas ubique in civitate; ſive quod habeat ſummam & liberam poteſtatem adminiſtrandi ſocietatem civilem ad finem propoſitum obtinendum & conſervandum. *Claſen. Comp. Politic. lib.* 3. *cap.* 2. Hæc Majeſtas, cum ſit utilitatis publicæ directrix, ad tria potiſſimum reſpicere debet: quibus bene vel male ſe habentibus, bene vel male ſe habebit reſpublica. Tria illa ſunt: Imperare, Deliberare & Judicare. Hæ ſunt illæ actiones, a quibus præcipue reipublicæ conditio dependet. In his tribus politica prudentia, quæ de ſalute publica in civitate procuranda proſpicit, verſatur, eſtque propterea triplex. 1. Legumlatrix, 2. Conſultatrix, 3. Judiciaria. Quia enim temporum momenta, quibus actiones civiles accommodare debent, ſunt in triplici differentia, ut aliud ſit præſens tempus, aliud præteritum, aliud futurum: eodem reſpectu & inſigniores tres partes in civitate diſtingui poſſunt. De præſenti ſcilicet ſtatuimus & ferimus leges, de præterito judicamus, de futuro deliberamus. Hinc Imperium, Judicium, Senatus. Si hæc tria ſe recte habent in civitate, ut jam diximus, neceſſe eſt, maxima ex parte recte ſe habeat reſpublica; ſi diſcrepant, reſpublica quoque inter ſe diſcrepare debet. Quod uberius demonſtrat *Ariſtot.* 4. *polit.* 14. Atque de tribus hiſce partibus, civitati neceſſariis, nunc erit prolixius dicendum. Ni enim reſpublica habeat, qui imperent, judicent, deliberent, ſalva eſſe omnino nequit: ut res ipſa loquitur, ac dudum egregie docuit *Ariſtoteles* 4. *Polit.* 4. ſed ſecundo loco agemus de IMPERANTIBUS.

II. Etſi omnis Majeſtas imperet, non tamen omnis imperans eſt Majeſtas. De Majeſtate *ſuperiori* §. fuit actum. Jam de Imperantibus, qui non habent ſummam poteſtatem, pauca addimus. Cum enim Majeſtas omnes civium actiones, omnia negotia expedire, omnibusque locis præſens eſſe, & per ſe dirigere ac adminiſtrare omnia nequeat, opus eſt, ut ſubſtituat illa prudentes, qui ſint, *ut ait Plinius*, manus, oculi, pedes Majeſtatis. Horum enim neceſſitas alias ſatis eſt manifeſta, cum ſæpenumero melius ſit malum in republica habere Magiſtratum, quam nullum: quod probat *Contzen in Polit. lib.* 6. *cap.* 2. Nam præſente malo Magiſtratu, adeſt parendi & imperandi ordo, & executio eorum, quæ imperantur. Nullo autem exiſtente Magiſtratu, iſte ordo & executio penitus ceſſant: ut ipſe fatetur *Ariſtoteles* 6. *Polit.* 8. *Abſque Magiſtratibus*, inquiens, *impoſſibile eſt, bene rempublicam adminiſtrari; Magiſtratus enim motum, vitam, ſenſum & intellectum rebuspublicis tribuit.* Vid. *Piccartus ad lib.* 6. *cap.* 8. *Polit. Ariſtot.* Magiſtratus dicitur Lex loquens: Magiſtratus debet politica prudentia eſſe inſtructus, ut, ſecundum illud Biantis proverbium, ſe virum oſtendat. Antequam vero ad Magiſtratus deſcriptionem accedamus, notanda prius venit æquivocatio vocabuli Magiſtratus, quam *ex Burrhaio* huc adſcribere placet. Nempe, illo obſervante, ſumitur hæc vox 1. Abſolute, prout denotat ſummum in republica imperium. Qua ratione Magiſtratus in monarchica republica dicitur ſummus Princeps, ſumma Majeſtas, penes quem ſunt jura Majeſtatis. Et hæc acceptio vocis Magiſtratus vulgo quidem placet, prudentibus autem non arridet. 2. Determinate, ſive ſecundum quid: quo ſenſu Magiſtratus eſt, qui quidem habet imperium, ſed a ſuperiore tanquam fonte omnis poteſtatis civilis in republica: & hæc acceptio eſt vocis propria. Plura qui de hac ſynonimia deſiderat, inſpiciat *Comp. Claſenii Polit. lib.* 4. *cap.* 5.

III. His ita præmiſſis, ad ipſam Magiſtratus definitionem eſt progrediendum. Hanc autem perfectam omnibusque numeris talem afferre, uti alibi, ita & hic non caret difficultate, quia Magiſtratuum magna eſt varietas ſecundum diverſas rerumpublicarum ſpecies, nec non circa diverſa objecta. Verum, ſi definiendi accuratas leges, quas philoſophia explicat, mittamus [quod quidem hic ſine magno diſpendio adminiſtrandæ reipublicæ fieri poteſt, ut judicat ipſe artis definiendi peritiſſimus *Ariſtoteles lib.* 3. *Polit.* 15.] rudiori ſaltem Minerva dici poterit Magiſtratus: quod ſit præfectus ſocietatis civilis, cui a Majeſtate eſt conceſſa poteſtas de negotiis civilibus cognoſcendi, judicandi, imperandi. Vid. *Cellarius lib.* 2. *Comp. Polit. cap.* 9. & *Claſen. lib.* 3. *cap.* 5. Quamvis tamen hæc qualiscunque deſcriptio magna cura, neque ſpretis omnibus bonæ

deſi-

Digitized by Google

definitionis legibus ſit concinnata, quod imperiti nonnulli putant: ceu præclare oſtendit *Piccartus in doctiſſimo ad opus Politicum Ariſtotelicum Commentario.*

IV. Sunt autem Magiſtratus varii generis, prout varia negotia ad felicitatem civilem promovendam in civitate reperiuntur. Alii enim ſunt Magiſtratus majores, alii minores, alii neceſſarii, alii non neceſſarii etſi utiles, alii temporarii, alii perpetui. Majores Magiſtratus ſunt, qui in amplis civitatibus gerunt Magiſtratus, ut Conſules &c. Minores ſunt, qui Minorem gerunt Magiſtratum in parvis civitatibus. Neceſſarii ſunt, abſque quibus civitas eſſe non poteſt, uti Judex, Prætor &c. Vid. *Gipbanius in Comment. ad Polit. Ariſtot. lib. 6. cap. 8.* Horum numerus certus conſtitui nequit, cum in parvis civitatibus plures conſtitui non poſſint, in amplis vero plures ad Magiſtratum vocari debeant. Utiles ſunt, qui præterea faciunt ad reipublicæ ſplendorem & dignitatem, & ad curam quorundam certorum negotiorum civilium; uti fuerunt apud Romanos, Cenſores morum, Ædiles &c. Perpetui Magiſtratus ſunt, qui ad tempus vitæ officia ac Magiſtratus retinent, & horum munera ac officia ſunt varia. Temporarii ſunt, qui temporum ratione variant: Alii nempe ſunt annui, ut Decani in nonnullis Academiis, & quibusdam earum Collegiis, Conſules, *Regierende Burgemeiſter*, in plerisque civitatibus. Alii ſemeſtres, ut Rectores in Academiis &c. Verum hi Magiſtratus aliquando reipublicæ proſunt, aliquando obſunt. Poſſumus quoque, ut alibi in moralibus atque civilibus, ita non minus & hîc in exceſſu & defectu peccare. Ut proinde obnixe allaborandum ſit Legumlatori, quo medium rationis pro virili conſequatur.

V. Quod conſtitutionem Magiſtratus attinet, vix quicquam certi hîc præcipi poteſt. Cavendum tamen eſt, ne uni plures Magiſtratus & perpetui in magnis civitatibus deferantur. Non enim hoc neceſſitas efflagitat, cum ſatis multi in numeroſa & populoſa civitate idonei reperiantur ad talia munera obeunda, & ſingula melius obſerventur a ſingulis, quam ſi multa unius hominis curæ relicta fuerint. In parvis contra civitatibus plures uni mandari non modo poſſunt, verum quoque, neceſſitate id exigente propter hominum paucitatem, debent. De modis combinandi ſive conſtituendi magiſtratus hîc multa & fere XXVII. inſtituta afferri poſſent. Verum ne nimium excreſcat hæc explicatio, poteſt conſuli *plurimum reverendi Dn. Meieri analyſis polit. ad lib. 4. cap. 16. Ariſtotelis*, ubi omnia ordine & eleganter propoſuit. Conſtitutio magiſtratus interdum ſolet fieri ſucceſſione, interdum electione. Succeſſio eſt conſtitutio, qua filii parentes, ſi tanto munere & honore fuerint digni, ſuccedunt in locum defunctorum parentum. Hæc ſucceſſio obſervabatur olim Tarenti, ubi talis erat lex: *magiſtratus defuncta perſona ſucceſſorem habeat filium dignum.* Electio eſt, quando in magiſtratum recipitur is, cujus virtus & probitas morum & prudentia explorata ſunt, ipſeque eſt dignus inventus ad capeſſendum ejusmodi officium. Hæc autem eſt vel libera, ut quivis poſſit recipi in magiſtratum, cujus etiam ſit conditionis & ordinis: vel reſtricta, ad certam ſcilicet familiam, gentem & ordinem. Uti E. G. Venetiis, & apud Norimbergenſes mos invaluit, ut familiæ patritiorum *in Rahtsfehige und nicht fehige Geſchlechter* dividanrtur. Electio etiam interdum fit ſorte. Quod non caret periculo, utpote cum hoc pacto etiam inepti ad magiſtratum perveniant, cum majora vota in ſchedulis ſcripta & in urnam conjecta valeant. Interdum pecunia magiſtratus officia acquiruntur, quod inſtitutum non laudandum apud Gallos tamen hodie adhuc obtinet, ubi pleraque officia ſunt venalia. Vid. *Limnæus lib. 2. cap. 9. p. 617. notit. regni Franciæ.*

VI. Tandem & id notari meretur, quod inter magiſtratus non referantur Sacerdotes, Præſides & præfecti ſacrorum omni carentes jurisdictione, de quibus *theſ.* 10. *§. ult.* uberius fuit actum. Nec legati; qui licet in civilibus negotiis verſentur, propriam tamen non habent jurisdictionem, utpote qui a majeſtatis nutu quaſi dependent, ut quod habent in mandatis vel commiſſis temere transgredi, ipſi aliquando capitale ſit. Quin imo, neque etiam Conſiliarii, qui quidem de civilibus negotiis conſultant, attamen abſque effectu ſtatuendi & judicandi. Denique Curatores, qui a curis tam ſacris, quam profanis ſive civilibus nomen habent, non habentur pro magiſtratibus, quia extra ordinem vice magiſtratus curam illam gerunt. *Ideo Boterus lib. 3. Pol. 4.* ita loquitur: *Neque curatores variarum rerum aut perſonarum dici poſſunt magiſtratus.* Hinc eos cum magiſtratibus confundi nolumus.

## THESIS XIV.

*Nec decimo abſque JUDICIBUS ulla eſſe poteſt civitas.*

I. Omne genus hominum a natura ita eſt comparatum, ut vel non poſſit, vel non velit, ſponte ſua virtuti operam navare debitam: tantaque humani cordis eſt perverſitas, ut citra contentionem homines cohabitare nequeant, cum civis civi, vicinus vicino, frater fratri interdum adverſetur. Huic malo occurrendo ſtringens remedium fuit reperiendum, quo non ſolum homines ſecundum leges, hoc eſt, virtutes agere diſcant, ſed litigiis ejusmodi propter meum & tuum in civitate exortis, & perpetuis motibus pacate dirimendis, commode ſuccurratur. Tale vero nullum eſt aliud, quam judiciorum publicorum vigor, ne tot facinora ac malitiæ exempla nec non litigia civium impune atque in infinitum graſſentur.

II. Sunt autem judicia, ex mente *Ariſtotelis lib. 5. Eth. cap. 6. & 1. Polit. 2.* nihil aliud, quam juris & injuriæ dijudicationes atque diſceptationes. Proprium ergo munus eſt judiciorum, judicare. Quod nihil aliud eſt, quam unicuique ſuum jus aſſerere vel tribuere. Quod fit cognoſcendo cauſas, cognitis cauſis decernendo, & quod decretum fuit exequendo vel ſententiam ferendo, qua utraque pars ſive omnino, ſive quadantenus ſtare tenetur.



Digitized by Google

III. Varia autem ſunt judiciorum genera: & ab *Ariſtotele lib.* 4. *polit.* 17. Octo potiſſimum recenſentur. Aliud enim *primo* eſt judicium, quod corrigit, ſive quod eſt adverſus magiſtratum de male adminiſtrato munere, & alias Correctorium appellatur. Vel *ſecundo* aliud eſt, ſi quis injuſte ſe gerit in quapiam republica, ſive qui communibus bonis injuriam facit, quod fit ſacrilegio, *peculatu.* (*a*) *Tertio* loco ſunt, quæcunque ad ſtatum civitatis referuntur: hoc eſt, quibus diſceptatur de crimine majeſtatis vel in ſtatum, vel in perſonas ſtatum adminiſtrantes commiſſum. Succedit *quarto* de controverſiis inter imperantes & parentes. Sequitur *quinto* de privatis contractibus etiam magnarum rerum, veluti de nuptiis, emtione & venditione, teſtamentis &c. His jungi debet *ſexto* criminale ſive judicium ſanguinis de homicidio vel cum, vel ſine proëreſi commiſſo, quod a DD. ſtatuitur eſſe tripartitum, ut patet ex *Piccarti commentario ad polit. Ariſtot. lib.* 4. *cap.* 16. Hoc excipit *ſeptimo* peregrinorum, ſive de peregrinis rebus. Nam vel civis cum *peregrino,* (*b*) vel peregrinus cum peregrino fovet lites, & ideo inſtituitur judex peregrinus, qui controverſias inter illos enatas decidat. Agmen demum claudit *octavo* judicium de parvis contractibus. Non tamen putandum eſt, in omnibus ſocietatibus civilibus hæc octo judiciorum genera habere locum, cum plurimum diſcriminis hîc parere poſſint, tum loci ipſius indoles, tum numerus ipſe incolarum, nec non varia vitæ genera, quibus occupantur cives. Omnino enim alia judiciorum in mercuriali civitate erit ratio, quam in ea, ubi potiſſimus civium numerus ex agricolis vel artificibus conſtat.

IV. Hoc præterea circa judicia melioris doctrinæ ergo obſervari meretur. 1.) *A quibus ſint judicia.* Certum autem eſt, poteſtatem conſtituendi judicia vel judices, eſſe particulam majeſtatis, unde etiam ultimo ad majeſtatem provocatur, veluti ad ſummum judicium. 2.) *De quibus.* Solent hodie DD. judicia revocare ad tria ſumma capita: (I.) ad civilia, (II.) ad criminalia, (III.) ad eccleſiaſtica. Inde omnes cauſæ, quæ in judicio tractantur, totuplices ſunt. Alias in judicium veniunt perſonæ, res, & quæ de rebus inter perſonas oriuntur actiones. Debet autem majeſtas non omnia relinquere judicanda judiciis, ſed debet quorundam dijudicationes ſibi reſervare, quæ propterea dicuntur politicis Caſus reſervati. Et ſunt præcipue tres: (I.) in publicis, (II.) in litibus, quæ oriuntur inter magnates. (III.) Quando reipublicæ utilitate & neceſſitate exigente, ex plenitudine poteſtatis ferenda eſt ſententia; & ejusmodi ſententia Germanis vocatur *ein Machtſpruch.* Qualis ſententia non ex jure, ſed præceptis politicis ferenda & judicanda. Habet quidem ſententia talis utplurimum aliquid iniqui, quod tamen utilitate publica compenſatur. 3.) *Ex quibus.* Videndum an judicia ſint ex doctis, an ex non doctis, an ex nobilibus, an plebejis, an civibus, an peregrinis, 4.) *Quomodo.* Ubi inprimis notandus eſt proceſſus, qui duplex, vel ſummarius, vel ſolennis. Proceſſus ſummarius eſt inſtitutum civile, ſolennis vero perquam frequenter, etſi non ſemper, inſtitutum herile. Qualem poſteriorem proceſſum amat jus canonicum. Unde & artibus pontificiis in Germaniam quoque ille fuit introductus, ceu erudite oſtendit *magnif. Dn. Præſes in lib. de origine juris germanici.* 5.) *Cujus rei cauſa ſint judicia,* ex fine cujuslibet reipublicæ eſt æſtimandum. Judiciorum enim & reipublicæ finis idem eſt.

V. Officium judicis eſt, 1. actoris querelam facile audire, ita tamen, ut reo defenſionem, quam jus naturæ unicuique permittit, non deneget. Actor dicitur, qui prius ad judicem provocat, & coram eo aliquem accuſat. Nomen habet ab agendo, quia juris experiundi gratia alterum vocat in judicium, & ab eo aliquid petit. Reus vocatur, qui coram eo convenitur, & a quo, vel contra quem aliquid petitur. 2. Judex ſecundum leges judicare debet, & requiritur in eo, ut ſit juris & legum peritus, ut judicet ſecundum acta & probata, & in judicando ſequatur normam legis, neque nimis in ferenda ſententia ſit præceps, ſed circumſpectus. 3. In ſententia ferenda non ſit deditus affectibus, utque citra munerum corruptelam juſtum & æquum pronunciet. 4. Pronunciatam ſententiam exequi debet, ne autoritas judicii reddatur eluſoria. Hæ ſunt virtutes judicis, quibus judicem, ſi in autoritate civium eſſe vult, imbutum eſſe, earumque leges obſervare oportet.

VI. Judices hîc non ſunt confundendi cum *arbitris,* (*c*) cum maxima inter illos intercedat differentia. Elegans de hac diſtinctione extat locus *Ciceronis in orat. pro Roſcio: Aliud eſt,* inquit, *judicium, aliud arbitrium: judicium certæ pecuniæ eſt, arbitrium incertæ, ad judicium hoc modo venimus, ut totam litem vel obtineamus, vel amittamus. Ad arbitrium vero hoc animo adimus, ut neque nihil, neque tantum, quantum poſtulavimus, conſequamur.*

VII. Diſtinguuntur judices in ſuperiores & inferiores: inferiores dicuntur, a quibus datur provocatio. Superiores ſunt, a quibus non licet provocare. Etenim lites in forum deducuntur, vel per ſimplicem querelam & dicitur prima inſtantia, vel per ſupplicationem, aut etiam appellationem, & ſecunda inſtantia appellatur. Appellatio autem ad ſuperiorem judicem, ſive judicium non ſemper, præſertim in minoribus rebus, utilis cenſetur, alias perpetuæ eſſent appellationes, & tandem nihil aliud, quam litium ſequeretur immortalitas. Hinc inſtitutum illud præclarum eſt, quod extat paſſim in Germania, & cumprimis terris ſaxonicis, quod nemini ſit licitum in minoribus cauſis, infra certam ſummam appellabilem, ad Cameram ſpirenſem, ſive judicium

(*a*) *Peculatu.*) Sed hoc crimen in auferenda publica pecunia, ab eo cujus curæ non erat commiſſa, committebatur.

(*b*) *Peregrino.*) De Romanorum prætore peregrino & urbano. conf. SIGONIUS *de antiquo jure Italiæ. p.* 83. 84.

(*c*) *Arbitris.*) CUJACIUS *lib.* 10. *obſervat. c.* 38. CORASIUS *lib.* 4. *miſcell. c.* 28.

Digitized by Google

dicium aulico cæſareum, quæ duo ſuprema imperii germanici ſunt judicia, appellare. Videatur hic *magnif. Dn. Præſidis diſput. de negot. in comitiis agitari ſolitis.* §. 27.

VIII. Denique judicia alia ſunt coordinata, alia ſubordinata, alia ordinaria, alia extraordinaria. Hæc autem ita debent eſſe inſtituta omnia, prout omnino par eſt, ac juſtum, ne cuiquam partium ſint gravia. Danda quoque eſt opera omnis, quo litium multitudo, quæ haud multo minus, quam vis militaris perdit ut alias multas regiones, ita etiam noſtram Germaniam, emendetur. Quod ipſum fieri poterit, ſi in temere litigantes quoscunque, abſque omni perſonarum reſpectu, & ſeorſim in litium patronos iniquos, graviſſimis pœnis animadvertatur. Conſilium hoc ſuppeditat *magnif. Dn. Præſes in diſput. acad. de judiciis reipublicæ germanicæ* §. 106. & 107.

THESIS XV. *& ultima.*

*Iſta de neceſſariis omnis civitatis partibus hactenus ex Ariſtotele repetita doctrina, magnum affert momentum ad reipublicæ tum diſtinctam cognitionem & conſtitutionem, tum conſtitutæ reipublicæ examen atque conſervationem.*

I. Hactenus veſtigia ſummi Philoſophi ſecuti, decem civitatis partes expoſuimus, easque omnes illi ſic neceſſarias, ut ſine iisdem finem ſuum in ſtudio virtutum & rerum ſufficientia conſiſtentem aſſequi & tueri non poſſit. Etſi vero de ſingulis illis plura etiam alia, præter ea, quæ allata ſunt, dici hîc potuiſſent: noſtri tamen inſtituti memores, hac vice theſibus hiſce coronidem imponemus. Neque enim aliud nobis propoſitum fuit, quam theſes quasdam conſcribere, de quibus exercitii gratia, more academico prudenter recepto, cum amicis publice conferendi daretur copia. Illud autem facile ex iis, quæ hactenus ordine propoſuimus, pateſcit; eum, qui reipublicæ cujusdam, ſive ſuæ, cujus uſibus ſe parat, ſive alienæ, accuratam notitiam parare velit, illas ſingulas civitatis partes ſollicite non duntaxat explicare debere, ſed quoque tum demum rempublicam ſalvam atque incolumem fore, ſi partibus illis ſingulis probe efformata fuerit, ruinam vero minari ac tandem collabi, ſi quis circa easdem error paulo major commiſſus fuerit.

# XIV.

## HERMANNI CONRINGII DISSERTATIO DE REPUBLICA IN COMMUNI.

*Reſpondente*

OTTO JOHAN. *von Oſten, genand Sacken,* Nob. Suec.

ANNO MDCLIII.

### THESIS I.

Scientiæ aut prudentiæ civilis (quarum prima circa univerſalia, hæc etiam circa ſingularia verſatur, atteſtante id philoſophorum principe *Ariſt.* cum aliis in locis, tum præcipue *lib.* 1. *cap.* 1. *Metaphyſ. lib.* 6. *cap.* 8. *lib.* 10. *cap. ultimo Ethicor. Nicomach.*) licet ſolida cognitio in juvenem cadere non poſſit; quoniam aliqualis tamen ſcientiæ vel prudentiæ civilis uſus eidem denegandus non ſit, facilem ſe benevolus lector præbebit, ſi minutiſſima non quidem quæque, ſed maxime neceſſaria huic, vel illi ſingulari reipublicæ, enarravero.

II. Ante autem, quam rem ipſam aggrediamur, omnino vocabulum reipublicæ ab *æquivocatione* (*a*) liberandum eſt, & quomodo nos id hic, relictis aliis æquivocationibus, accipiamus, ſignificandum.

III. Accipimus ergo vocabulum reipubl. pro integra civitate. Ubi conſideranda venient 1. forma, quæ quaſi anima eſt, 2. materia ſeu multitudo hominum. Illam communiter Politici vocant formale civitatis, & rempublicam poprie ſic dictam; hanc materiale & ſtricte civitatem. Utriusque autem conſideratio ad exactam integræ civitatis cognitionem requiritur. Hinc primo nobis agendum erit de nobiliore civitatis parte, nempe forma ſeu anima, tum de materia, ſeu multitudine hominum, in quam forma, tanquam anima ad obtinendum, quem ſibi proponit multitudo hominum, finem introducitur.

IV. Reſpublica, quatenus eſt anima civitatis, definitur ab Ariſtotele *lib.* 3. *cap.* 4. *pol.* Quod ſit civitatis ordo, cum in aliis magiſtratibus, tum in eo maxime, qui omnium eſt princeps. Huic definitioni, cum & ſpecies rerumpublicarum & diſcrimina imperiorum inde fluant, merito album noſtrum calculum adjicimus.



(*a*) *Æquivocatione.*) HERTIUS *in elem. prudentiæ civilis part.* 1. *ſect.* 2. §. 3. & *ſect.* 6. §. 1.

Digitized by Google

V. Ex eo enim, quod dicatur rempublicam, eſſe civitatis ordinem, omnemque ordinem tendere ad finem, certum ſit, ſequitur, quot ſunt fines, qui ordinem illum magiſtratuum alium, atque alium faciunt, tot quoque eſſe rerumpublicarum ſpecies. Nec enim verum eſt, quod nonnulli ſimpliciter affirmant, quemlibet alium finem reipubl. aliam ſpeciem efficere: utpote quum multi fines inter ſe quidem ſint diverſi, interim ordinem civitatis ſive magiſtratus, & τοῦ κυρίου rationem, atque vim non immutent. Ut alibi finis eſt idem, & reſp. tamen ſunt diverſæ. Sic & Oligarchiæ alicui, & tyrannidi, & ſtatui populari poteſt eſſe unus ſcopus vaſta dominatio, poſſunt etiam eſſe divitiæ: ipſæ tamen illæ reſpublicæ forma differunt. Fieri etiam poteſt, ut Oligarchia tale quid non habeat propoſitum, & tamen ſit oligarchia. Circa leges nonnullas, fateor, ab illis etiam aliis finibus oriri quandam differentiam, non autem circa rempublicam ipſam, ſive formam adminiſtrandæ civitatis. Quod cumprimis notandum duximus in defenſionem veteris & veræ doctrinæ. Nec tamen a ſolo fine diverſæ oriuntur rerumpublicarum formæ, ſed ſimpliciter a diverſa ordinatione magiſtratuum, & cumprimis τοῦ κυρίου in qualibet civitate.

VI. Porro diximus, rempublicam eſſe ordinem, & quidem magiſtratuum; omnis autem magiſtratus vis & auctoritas conſiſtit in imperio, teſte Ariſtotele *lib.* 4. *cap.* 15. *polit.* hoc vero, vel eſt in homines liberos, æquales & parentium cumprimis gratia; vel in homines, aut natura, aut lege ſervos, adeoque primario imperantis, ſecundario vero parentium gratia.

VII. Cum autem duo hæc imperiorum genera plurimum differant, non difficile quoque patet, primum illud civile magis eſſe, quam poſterius. Ratio eſt, quoniam illa hominum communio, ubi prius illud obtinet potiori jure civitatis, & ſocietatis alicujus nomen meretur, quam ubi obtinet forte poſterius, utpote cum inter herum & ſervos non intercedat proprie ſic dicta ſocietas. Unde conſequens eſt: primarii generis eſſe, & ſimpliciter, quaſi rerumgublicarum nomen merentes, quæ commune bonum, & quidem *parentium* (*a*) maxime ſpectant: ſecundi ordinis eſſe alteras illas, quas heriles dixeris. Hinc illas rectas, has deflexas veteres ſapientes appellaverunt. Quod tamen nequaquam ita accipiendum eſt, tanquam illæ ſolæ juſtæ, hæ omnes injuſtæ ſint: id quod hodie nonnulli perperam docent: ſed quod illæ recte ſeſe habeant ad modum verarum proprieque dictarum ſocietatum, hæ non item. Qua de re nonnulla diſſeruntur a Dn. Præſide *l. de civili prudentia cap.* 2. *p.* 10. *&* 11. *cumprimis cap.* 5. *p.* 67. 68. *& ſeq.*

VIII. Porro imperium hoc civitatum, ſi ſimplex quidem illud fuerit, vel eſt penes unum, & appellatur monarchia; vel penes plures, aut penes omnes, & nominatur a quibusdam Polycratia.

IX. Hiſce ita præmiſſis, primo nobis agendum erit de rebuspublicis optimis ſeu rectis, cum propter ſuam præſtantiam id non ſolum mereantur, ſed & ex earum cognitione aberrantium ſpecies facilius tractentur & cognoſcantur.

X. Prima & quidem rectarum rerumpublicarum ſpecies vocatur REGNUM, quando unus imperium dirigit in commune parentium bonum. II. Vocatur Ariſtocratia, quando plures imperium dirigunt in commune parentium bonum. III. Nominatur κατ' ἐξοχὴν Reſpublica, quando multitudo per vices imperio præeſt, & commune bonum quærit.

XI. Cognitis nunc rectis, vitioſæ reſpublicæ ſeſe ultro ingerunt. Et quidem regno opponitur tyrannis, quæ eſt unius imperium ad bonum ejus, qui unus imperat, non vero ad id, quod communi conducit. Quæ ariſtocratiæ contraria eſt, oligarchia nominatur, & eſt imperium divitum in pauperum detrimentum. Quæ politiæ oppoſita eſt, democratiam vocant, quidam, minus tamen, recte anarchiam, nonnulli ochlocratiam, quæ eſt populi imperium, pauperum commodum & divitum detrimentum ſpectans.

XII. Hæc quaſi ſumma ſunt genera rerumpublicarum. Docet uſus, illas iterum variis modis ſeſe habere, atque in varias ſpecies dividi. Hinc Ariſtoteles etiam, inſpectis 255. rebuspublicis, alia rerumpublicarum genera collegit. Et quidem regni primum genus vocat *Laconicum*, (*b*) quod in republica ſpartana id præcipue locum habuerit, ubi pacis tempore regum poteſtas fuit legibus circumſcripta, & circa deos maxime occupata, belli vero tempore in bellicis expeditionibus jus vitæ & necis ipſis datum fuit. Tale regnum eſt, vel Hereditarium, vel Electitium. Secundum genus vocat Barbaricum, quod apud alias gentes, quæ non erant Græci, in uſu eſſet, & ſit imperium herile in ſubditos natura ſervos, volentes tamen, quia aliter ſalvi eſſe non poſſunt, adeoque diverſum a tyrannide, quæ eſt in homines liberos & nolentes, de qua ſuo loco. Tertium eſt Æſymneticum, quod uni propter neceſſitatem imminentem volentibus civibus, vel ad certam rem perpetuo, aut ad certum tempus defertur; quale erat imperium Dictatorum romanorum. Differt autem hoc æſymneticum a barbarico regno, quod barbaricum ſit in homines ingenii ſervilis, æſymneticum vero in homines liberos. Quartum HEROICUM, quod collatum eſt alicui de populo pace vel bello bene merito, totique ejus poſteritati. Hujus autem officium erat 1. ſacris, 2. bello & 3. juri dicundo præeſſe. Quintum eſt pleniſſimum ac poteſtatis maximæ, ubi unus omnium eſt dominus & civitati præeſt, ſicut paterfamilias domui ſuæ, appellaturque πανβασιλικὸν. Hæc 5. genera Ariſtoteles refert ad duo, nempe laconicum & πανβασιλικὸν, cum inter duo hæc, tanquam extrema reliqua interjacere videantur. Revera autem πανβασιλεία demum ipſam ſimplicem regni naturam obtinet, reliquæ ad alias ſpecies pertinent, & non niſi ὁμονύμως regna dici commerentur; quod & Ariſtoteli eſt obſervatum.

XIII. Quem-

(*a*) *Parentium.*) *Diſcours ſur le Gouvernement par ALGERNON SIDNEI ſect. III. ch. II. tom. I.*

(*b*) *Laconicum.*) Ex Huberi ſententia, non niſi duæ dantur monarchiæ ſpecies, regnum & dominatus. *Lib.* 1. *de jure civitatis ſect.* 7. *c.* 3.

Digitized by Google

XIII. Quemadmodum *Ariſtoteles lib.* 3. *cap.* 10. & 11. *polit.* regni ſpecies enarravit, ita quoque *lib.* 4. *cap.* 7. *polit.* quasdam ariſtocratiæ ſpecies enarrat, quas ex quadam mixtione oriri oſtendit, ariſtocratiæ autem nomen ideo adhuc mereri, quod virtutis ratio in illis præcipue habeatur. Prima itaque ariſtocratiæ ſpecies Ariſtoteli eſt, quando respublica ſpectat & ad divitias, & ad virtutem, & ad populum; Secunda, quando & ad populum, & ad virtutem. Tertia, quando democratia cum oligarchia miſcetur, ita tamen, ut oligarchia præponderet. Piccartus ad d. l. Ariſtotelis ariſtocratiæ ſpecies recenſens, Primam eſſe docet, in qua non virtutis modo, ſed & divitiarum habetur ratio; Secundam, ubi partim virtutis, partim libertatis ratio habetur; Tertiam, ubi virtuoſi, populus & divites ſimul imperio præſunt.

XIV. Præter optimam politiam dantur quoque aliæ ejus ſpecies, & Prima quidem illa, quæ pro fine habet virtutem bellicam, hac enim tota aliqua multitudo excellere poteſt, adeoque hic per vices imperare, ut *Ariſtoteles lib.* 3. *cap.* 5. *polit.* teſtatur. Secunda politiæ ſpecies eſt cinnus oligarchiæ & democratiæ: ita tamen, ut magis ad democratiam accedat. Si enim potiores partes oligarchia ſibi vendicat, naſcitur tertia illa ariſtocratiæ ſpecies, de qua theſi antecedenti.

XV. Verùm dum hæc ita, *Ariſt. lib.* 4. *cap.* 8. *polit.* ſtatuimus, obicem noſtræ mixtioni *ex Petro Gregorio Tholoſano lib.* 5. *cap.* 1. *de republ. Bodinus lib.* 2. *c.* 1. *de republ.* figere molitur, quem removere *Piccartus ad lib.* 4. *cap.* 9. *polit. Ariſtotelis* conatur. Nos autem contra Bodinum oſtendemus, mixtionem oligarchiæ & democratiæ ſalutariter fieri poſſe.

XVI. Mixtio ergo democratiæ & oligarchiæ duplici modo fieri poteſt, 1. ſi ſumamus id ex oligarchia, quod eſt in perniciem pauperum, & id ex democratia, quod eſt in perniciem divitum; ex hac mixtione oritur reſpublica aliqua, ſi modo reſpublica adhuc dicenda, omnium deterrima. 2. Elegantiſſime ait *Ariſtot. cap.* 3. *rhet. ad Alexandrum*; *debent in popularibus principatibus leges cohibere plebem, ne locupletiorum bonis inſiſtant inſidienturque; in paucorum vero principatibus avertere illos, qui rempublicam gerunt, & ab imbecillorum contumeliis & a calumniis, inſimulationibusque in cives.* Unde, ſi ſumamus id ex oligarchia, quod eſt in ſalutem divitum, & ex democratia, quod eſt in ſalutem pauperum, adeoque ex legibus conſtituamus formam, & divites, & pauperes, conſervantem, fiet optima aliqua reſpublica, quam hodie multas reſpubl. quæ regibus, non παμβασιλικοῖς, ſed legitimis ſub ſunt, imitari animadvertes. Metu enim regis & legis, & divites, & pauperes, ne invicem adverſi quid intentent, continentur. Sic ubi de majoribus rebus omnes, de minoribus principes, non populi, ſed ſua autoritate propria conſtituunt (quale quid obtinuit, *teſte Tacito* (*a*) apud germanicas gentes) fit quidam cinnus ex democratia & paucorum ſtatu, propendens tamen magis in popularem formam. Ubi de majoribus principes propria autoritate, de minoribus conſultant omnes, ſtatus item mixtus oritur, propendens tamen magis in paucorum potentiam. Diximus *propria autoritate*, ſi primores conſulant fieri cinnum. Aliter enim ſe habet, ſi id faciant autoritate populi, & tanquam magiſtratus: manet enim tunc forma popularis.

XVII. Quomodo autem, & quot modis oligarchia & democratia miſceri poſſint, declarat *Ariſtoteles lib.* 4. *cap.* 9. ſumptis exemplis a tribus partibus reipublicæ, judiciis, ſenatu & magiſtratu. Et 1. quidem lex oligarchica eſt, *omnes divites, qui non interfuerint judiciis, mulctam ſolvent, pauperes vero impune aberunt.* Hac lege oligarchica ſoli divites rerum potiuntur, cum cogantur judiciis intereſſe propter mulctam; pauperes vero hac elati, privilegium quaſi præ ſe ferentes & domi ſua agentes, judicia in divitum utilitatem, & ſuum detrimentum negligunt. DEMOCRATIÆ lex eſt; *Pauperes in judicio comparentes, magnas ſportulas, divites nullas accipient, nec mulctam ſolvent.* Hac lege divites decipiuntur, & omnia in ſuum commodum agunt pauperes. Cæterum, has leges ſi temperaveris hoc modo, ut tam pauperes, quam divites judiciis interſint, erit primus miſcendi oligarchiam & democratiam modus, quod fiet, ſi ex democratica lege ſumatur hoc, ut pauperibus judicia frequentantibus ſportulæ præbeantur; his enim cum anguſta res familiaris ſit domi, ſine præmio judiciis intereſſe, & rem familiarium negligere haud poſſunt; ex oligarchica lege hoc ſumatur, ut divitibus mulcta, ſi abſint, irrogetur.

XVIII. 2. Oligarchia & democratia miſceri poſſunt, quando medium ſumitur eorum, quæ ab utrisque conſtituuntur. v. gr. In oligarchia lex eſt, *omnis, qui vult fieri particeps ſenatus, maximas divitias habeat;* hic excluduntur pauperes a ſenatu. Democratiæ lex eſt, *nulla habeatur ratio cenſuum, vel valde exiguorum, ita, ut omnes ad ſenatum admittantur.* Horum duorum extremorum ſi ſumatur medium, erit reſpublica mixta ex oligarchia & democratia.

XIX. Tertium oligarchiæ & democratiæ cinnum oſtendit Ariſtoteles in creatione magiſtratus. Circa hanc enim in oligarchia talis lex lata eſt; *Omnis magiſtratus ELIGATUR habita ratione divitiarum.* In democratia hæc lex eſt; *Omnes magiſtratus SORTE creentur, neglecta omni ratione divitiarum.* Hæ duæ leges ſalutarem hanc legem exſtruere & ſancire poſſunt; *Omnes magiſtratus eligantur, nulla habita ratione divitiarum.*

XX. Hi autem cinni, quo arctius concinnati ſunt, eo ſunt ſtabiliores, teſte *Ariſtotel. lib.* 4. *cap.* 12. *polit.* Unde ille oligarchiæ & democratiæ cinnus omnium optimus eſt, ſi primo non apparet, ad quam formam magis inclinet, ſed ita ſeſe habet medio quaſi loco, ut æqualiter, utrumque & neutrum ineſſe videatur; ſi ſecundo utraque reipublicæ pars, tam divites ſcil. quam pauperes, præſenti ſtatu ſunt contenti, non quidem, ut cogantur eſſe contenti propter metum imperantis, ſed quod nulla omnino civitatis pars aliam rempublicam velit, teſte eodem Ariſtotele *lib.* 4. *cap.* 9. *polit.*

XXI. Nunc

(*a*) *Tacito.*) *In Germania c. XI.*

Digitized by Google

XXI. Nunc pergimus ad ſpecies *Tyrannidis.* (*a*) Ad quas refert Ariſtot. *lib.* 4. *cap.* 10. *polit.* Regnum etiam barbaricum & æſymneticum, quia ſunt imperia herilia in homines liberos; inter regna tamen propterea quoque recenſentur, quia ſunt legitima & in volentes. Tertium tyrannidis genus eſt, quod regno abſolute ſic dicto opponitur, & definitur ab Ariſtotele *d. l.* quod ſit imperium herile ſine legibus in pares ſeu meliores, adeoque invitos, & quidem non parentium, ſed imperantis gratia.

XXII. ARISTOCRATIÆ ſimpliciter ſic dictæ opponitur oligarchia, in qua divites imperant, vel cum legibus, vel ſine. Illius oligarchiæ prima ſpecies eſt, quando iis committitur ſumma poteſtas, qui tantos habent cenſus, ut pauperes excludant, imperent autem ſecundum leges. Secunda ſpecies eſt, quando eliguntur, & eligunt illi, qui maximos cenſus habent. Tertia ſpecies eſt, quando imperium eſt hereditarium, & filius patri ſuccedit. Hæ tres autem oligarchiæ ſpecies legibus adſtrictæ ſunt, adeoque meliores Quarta ſpecie, quæ ſine legibus eſt, tendens in commodum divitum & detrimentum pauperum. Eam vocat Ariſtot. *lib.* 4. *cap.* 5. δυναςείαν, & reſpondet tyrannidi, regno ſimpliciter ſic dicto adverſæ.

XXIII. Quemadmodum vero oligarchia alia eſt cum legibus, alia ſine legibus; ita quoque democratia. Prima ergo democratiæ ſpecies, & quidem cum legibus eſt, quando tam divites, quam pauperes æqualiter admittuntur ad imperium, & imperant ex legibus; Democratia autem propterea dicitur, quia major pars eſt pauperum, quam divitum, adeoque pauperum vota vincant divitum ſuffragia. Secunda eſt, quando magiſtratus exigui cenſus habita ratione confertur, ut ita maxima pars civium ejus particeps fieri poſſit, imperet autem ſecundum tenorem legum. Tertia eſt, ubi omnes admittuntur, modo non propter privilegium vel ignominiæ maculam arceantur, imperium autem ſit legibus limitatum. Quarta eſt, cum omnibus ad magiſtratum patet aditus, modo ſint cives, lege tamen dominante. Hæc quatuor democratiæ genera ſecundum leges adminiſtrantur, adeoque recedunt a Quinto illo democratiæ genere, quod eſt omnium peſſimum, ubi ſine legibus plebs quævis in divitum detrimentum molitur. Quoniam vero plebs beſtiæ pene inſtar affectibus ducitur, maximus hic aſſentatorum, quos *Demagogos* (*b*) Græci appellavere, uſus eſt.

XXIV. Hiſce ita poſitis, liceret facile cuiquam de forma cujuslibet civitatis judicare, niſi ſaluberrimum monitum ſummus politicorum *Ariſtoteles lib.* 4. *cap.* 5. *polit.* ſuggereret; quod cum maxime ad omnis reipublicæ cognitionem faciat, ut illud nos hic conſideremus, neceſſum eſt. *Non eſt autem*, inquit ille, *ignorandum, ſæpe accidere, ut reſpublica ex legibus quidem non ſit democratica, moribus vero & inſtitutis populariter geratur: Contra vero & apud alios, ut reſpublica legibus quidem ſit magis popularis, inſtitutis vero & moribus magis oligarchica.* Hæc verba, ut clara & perſpicua, ita diligenter monent, non ex legibus fundamentalibus ipſam rempublicam ſemper cognoſci poſſe, ſed adminiſtrationem cumprimis attendendam eſſe, adeoq; non temere politicum affirmare poſſe: Heic leges reperiuntur monarchicæ aut oligarchicæ, ergo hic eſt monarchia vel oligarchia. Leges ſcilicet ſæpe rerum inanes tantum ſuperſunt: reapſe autem reſpublica ipſa ab iis plurimum diſſentit. Quod ipſum ſæpe fit callido regentium conſilio, ſi velint celatam in vulgus factam a ſeſe reipublicæ mutationem. Ubi obiter animadvertendum venit in Johannem Boditum, qui *l.* 2. *c.* 2. *de rep.* jactat, a ſeſe primum obſervatum diſcrimen inter ſtatum reipublicæ & adminiſtrationem. Qua in re venit *aſſeclas* (*c*) nonnullos. At vero, ſi ſtatus eſt ipſa τάξις τῶν κυρίων, impoſſibile eſt, ut ſtatus diverſus ſit actu & reipſa ab adminiſtratione. Involvit ſcilicet contradictionem, ut loquuntur ſcholæ, in adjecto: formam adminiſtrandi eſſe aliam, & aliam formam reipublicæ. Reipſa dico hæc idem ſunt. Fatemur quidem, jure interdum alium eſſe ſtatum reipublicæ, quam eſt de facto. Actu ipſo tamen ſecundo non eſt ſtatus a forma regiminis diverſus.

XXV. Hactenus quaſi ἐν τύπῳ varias rerumpublicarum formas deſcripſimus: dicendum nunc eſt nonnihil, quomodo potiſſimæ reipublicæ partes, in quibus conſiſtit facultas omnis regendæ reipublicæ ita poſſint, aut debeant inſtitui, ut formæ huic aut illi conveniant. Quod cumprimis in rebuspubl. ubi plures uno imperant, accurate eſt advertendum. Sunt autem omnis reipublicæ partes ejusmodi tres. PRIMA eſt ea, quæ de republica conſultat & dicitur ſenatus. SECUNDA magiſtratus. TERTIA judicia. Hisce enim bene affectis, rempublicam bene affectam eſſe, & ex differentia harum inter ſe, reſpublicas quoque differre inter ſe neceſſum eſſe, recte ait *Ariſtoteles lib.* 4. *cap.* 54. *polit.* vel enim ab uno, tanquam primo & ſummo, immediate hæ partes tres dependent, & ſic meretur nomen monarchiæ: vel a paucis vel omnibus, & ſic erit polycratia; vel hæ ſpecies ſeparantur quaſi, ut uni competat magiſtratus, & ſic reſpectu hujus ſit monarchia: paucis judicia, & horum reſpectu ſit ariſtocratia, vel oligarchia: omnes vero deliberent de iis, de quibus ſenatus deliberare ſolet, adeoque hujus reſpectu ſit democratia vel politia.

XXVI. Harum autem partium potiſſima, & princeps eſt illa reipublicæ pars, quæ nominatur SENATUS, & conſultat de rebus ad totius reipublicæ finem ducentibus. Deliberat autem ſenatus *Primo* DE PACE ET BELLO, & quidem eo accuratius, quo certius eſt, circa hæc duo totius reipublicæ cardinem verti. Quomodo enim finem, quem reſpublica ſibi propoſuit, obti-

(*a*) *Tyrannidis.*) *HUBERUS de jure civitatis lib. I. ſect.* 9. *cap.* I.

(*b*) *Demagogos.*) De his paſſim in libris politicorum Ariſtotelis agitur.

(*c*) *Aſſeclas.*) Vid. præfat. libri, qui ſub ficto HYPOLITI a LAPIDE nomine de ratione ſtatus in J. G. comparuit.

Digitized by Google

obtinebit, ſi omni tempore metuere neceſſe habet, ne in ſervitutem trahatur, vel ne quid hoſtis machinetur, quo bona diripiat, ac nos, & noſtram rempublicam evertat. Unde apparet, quantum ſit bonum ſecuritas, & quam ingens malum metus. Hujus vero cauſa eſt bellum externum, illius aurea, innumeris triumphis potior pax. Cum bellum itaq; & pax ipſam reip. ſummam attingant, facile apparet, de bello & pace conſultationem inter præcipuas eſſe, nec committendam niſi iis, penes quos eſt reipubl. τὸ κύριον. Hinc Plato lib. 10. de ll. *capitale eſſe voluit*, (*a*) ſi quis ſine publico ſcitu (id eſt, penes quem eſt τὸ κύριον) bellum vel pacem fecerit. In deliberationem ſenatus veniunt *ſecundo* SOCIETATES ſeu FAEDERA. Diximus enim jam, maximum reipublicæ bonum eſſe ſecuritatem, ad hanc autem tuendam cum nos minus ſufficientes eſſe animadvertimus, fædera, & ſocietates quærimus & inimus. Hinc quibuscum fædera ineunda & quomodo, diligenter circumſpiciendum ipſimet ſummæ poteſtati, utpote cum hæc curatio ſit momenti maximi. Non enim eadem eſt ratio fæderum, & ſæpenumero ipſa illa fædera rempublicam potius peſſundant, quam ut illi proſint. Quod cumprimis metuendum eſt in fæderibus, quæ ineuntur cum potentioribus: ceu hiſtoriæ omnis ævi & uſus hodiernus quemvis probe docuerint. Conſultationi ſenatus *tertio* ſubjacent LEGES, eæque plurimi generis: prout negotia civitatis ſunt plurima. Quæ inter indubie ſunt potiſſimæ illæ, quæ circa virtutes & vitia verſantur. Præter illas vero complures aliæ. Quarum omnium cura merito ſummæ poteſtati competit, utpote cum per illas & ſalus populi & tota reipublicæ forma, etſi non proxime ſemper, remote tamen dependeat. Similiter *quarto* etiam de morte, exilio boniſque publicandis civium conſultatio ad ſummam pertinet poteſtatem: cum in hisce civis cujusque ſumma ſalus conſiſtat. Nec enim talis conſultatio de re levi eſt, ſed omnino una maximarum. Ad hoc *quinto* intereſt cujuslibet civitatis, ut magiſtratus rationem teneantur reddere, ſi res exigat. Non poſſunt autem reipublicæ ſalvæ illæ reddi, niſi ſummo ſenatui, aut ſummæ poteſtati. Hæc ſunt illa, quæ Ariſtoteles *lib.* 4. *cap.* 14. *polit.* in conſultationem ſenatus venire recenſet. Piccartus ad *d. l.* Ariſtotelis addit *primo* conſultationem de religione, quam ſane ipſe Ariſtoteles *lib.* 7. *cap.* 8. *polit.* cunctis præferendam dicit, cum nihil æque valeat ad moderandas ſtabiliendasque reſpublicas & ad religandum hominum animos ſemper, ut *ait Tacitus* 1. *annal.* ad ſuperſtitionem mobiles, quam religio, ſicut hoc dictum *Cromeri ex lib.* 2. *hiſtor. polon.* depromptum multis probat & declarat Arniſæus *lib.* 2. *cap.* 4. *doctrina polit.* Cæterum, merito hanc referas conſultationem ad illam, quæ de legibus eſt. Religio enim ſancitur per leges ſacras. Addit *ſecundo* Piccartus vectigalium & tributorum impoſitionem. Et vero ipſe Ariſtoteles *lib.* 7. *cap.* 8. *polit.* pecuniarum quandam copiam ad uſus & civiles & militares deſiderari dicit: hæc vero ſæpenumero petenda eſt ex tributis & vectigalibus. Cum tamen ea copia parari etiam aliunde poſſit, forte rectius dixeris ſimpliciter, curam parandæ pecuniæ publicæ ad conſultationem ſenatus pertinere: cujus pars ſit, conſultatio de vectigalibus & tributis. Et ſane quemadmodum patrisfamilias in domo, ita ſummæ poteſtatis eſt, providere in civitate, ne pecunia ad uſum publicum deſit. Addit porro Piccartus *tertio* & conſultationem de importandis & exportandis, nec immerito fortaſſis, utpote cum reipublicæ cumprimis interſit hæc conſultatio. Enimvero cum omnis terra non ferat omnia, multis autem indigeat civitas, & aliunde ſibi afferri deſideret, non ſolum neceſſaria, ſed ſæpius etiam ſuperflua, & ad luxum facientia, utique ſenatus eſt deliberare de exportandis & importandis, ne ea cives captandi majoris lucri ſpe exportent, quibus ipſa civitas eget, vel importent, quæ eorum felicitatem & finem evertunt, vel difficilius obtinere faciunt. Sic *Cæſar lib.* 1. *de bello gall.* Belgas fortiſſimos *lib.* 2. *de bell Gall.* Nervios & *lib.* 6. in univerſum omnes Germanos Transrhenanos a magna virtute commendat, quod apud illos raro, apud hos nunquam mercatores commeent, & nil vini, reliquarumq; rerum ad luxuriam pertinentium, cum his rebus langueſcere animos, eorumq; remitti virtutem obſervaſſent. Atque hæc ſunt potiſſima publicarum deliberationum argumenta.

XXVII. SECUNDA REIPUBLICAE pars eſt magiſtratus, quem hoc loco cum Ariſtot. *lib.* 4. *cap.* 15. *polit.* definimus, quod ſit jus habens de quibusdam & deliberandi & judicandi & imperandi, maxime autem imperandi, cum hoc potiſſimum magiſtratus ſit. In hac reipublicæ parte conſiderandum, 1. quot ſint numero magiſtratus, 2. quarum rerum habeant poteſtatem, 3. an ſint hereditarii, an vero eligantur, & quidem 1. ex quibus, 2. a quibus, 3, quomodo eligantur, &, ſi electione creentur, an eorum imperium ſit perpetuum, ut non niſi morte finiatur, an vero ad certum tempus limitatum. Si hoc, videndum, an idem magiſtratus uni ſemel tantum in tota vita, an bis vel ſæpius conferatur. Ex horum enim variatione ipſam rempublicam variare, experientia teſtis eſt.

XXIIX. TERTIAM REIPUBLICAE partem abſolvunt judicia, quæ ſunt: Ariſtotel. *lib.* 5. *cap.* 6. *Eth. Nicom.* & *lib.* 1. *cap.* 2. *polit.* juris & injuriæ dijudicationes. Cum enim plerique in ſuis rebus cæcutiant, affectibus ducti, adeoque verum & falſum videre nequeant. *Ariſt. lib.* 3. *cap.* 6. *polit. lib.* 4. *cap.* 1. *Ethic. Nicom.* eligendus eſt aliquis, qui omni affectu carens id, quod veritati conſentaneum eſt, enunciet, qualis eſt judex. Unde maximo honore Philoſophus *lib.* 1. *cap.* 2. *polit.* eum dignum judicat, qui primus civitates, & cum his judicia introduxit, cum olim homines armis, prout hodie adhuc inter diverſas reſpublicas fit, ob defectum judiciorum, quod ſibi deeſſe arbitrarentur, petierint. Circa hanc reipublicæ partem quoque conſiderandum I. ex quibus judices ſumantur, II. de quibus judicare debeant. Recenſet autem Ariſtoteles *lib.* 4. *cap.* *ultimo*

(*a*) *Capitale eſſe voluit*) HUBERUS *de jure civitatis lib. III. ſect.* 4. *c.* 4. *n.* 14. GROTIUS *de J. B. & P. lib.* I. *c.* 3. §. 4. 5. GOEB.



Digitized by Google

*ultimo polit.* octo judiciorum genera. Primum genus eſt repetundarum, quando rationes repoſcuntur ab iis, qui corrupti pecunia officiis ſuis defuere. Secundum eſt peculatus, ſi quis publicorum bonorum quid furatus ſit. Tertium eſt de ſtatu reipublicæ, quando quis contra rempublicam adverſi quid molitur, ut ſunt crimen læſæ majeſtatis, ambitus, proditio patriæ. Quartum eſt judicium mulctæ iniquæ magiſtratus a privatis extortæ. Quintum contractuum privatorum, & quidem magnorum, ut nuptiarum, tutelæ, emptionum &c. Sextum de homicidiis, quæ fiunt vel cum, vel ſine proæreſi. Septimum de peregrinorum rebus. Sic apud Romanos erat præter prætorem civilem, qui civibus, prætor peregrinus, qui peregrinis, non ex jure gentium, ut nonnulli perperam affirmant, ſed romano peregrinis jus dicebat, alio quidem atque alio in multis tamen cum communi civium jure eodem (unde ex. gr. prohibita erat illis teſtamenti factio, & aditio hereditatis, quod lege gentium utique non eſt vetitum) quale jus Germanis hodie dicitur *Gaſtrecht*. (*a*) Octavum de parvis contractibus. Ex his quinque priora tanquam magis publica & civilia judicia, varias rerumpublicarum ſpecies conſtituunt. III. Quomodo conſtituantur judices, an electione, an vero ſorte?

XXIX. Hisce nunc explicatis, jam paucis addemus, quomodo 1. reſpectu ſenatus reſpublica variare poſſit. Poteſtas autem eorum, de quibus ſenatus deliberare ſolet, vel eſt penes unum, & ſic reſpublica reſpectu ſenatus erit monarchica: vel eſt penes plures, & quidem aut virtuoſos, & ſic erit ariſtocratica: aut divites, & erit oligarchica: vel eſt penes omnes, ut omnes & quidem virtuoſi, aut pauperes deliberent, & ſic gaudebit nomine ſtatus popularis, reſpectu hujus reipublicæ partis, quæ eſt ſenatus.

XXX. Varietatem magiſtratus ipſius reipublicæ variationem quoque introducere perſpicuum erit, ſi quæ hactenus de magiſtratu dixerimus, ad praxin applicemus. Si enim unus imperat, erit monarchica reſpectu magiſtratus; & ſi omnium rerum abſolutam habeat poteſtatem & quidem perpetuam, erit regnum παμβασιλικὸν vel tyrannis; ſi limitatam ratione loci, temporis, rei, una reliquarum ſpecierum regni vel tyrannidis orietur. Ita ſe quoque res habet cum reliquis rerumpublicarum ſpeciebus, quas, ne nimium prolixi ſimus, cum ex his conſtare arbitremur, recenſere ſuperſedemus. Oſtendemus autem tantum, quomodo reſpectu poteſtatis magiſtratum creandi reſpublica variare poſſit. Diximus autem th. XXVII. in creatione magiſtratuum conſideranda eſſe 1. qui eligant, 2. ex quibus, 3. quomodo: Unde ſi omnes eligantur ex omnibus, liberis & pauperibus, ita ut omnes præſint ſingulis, ſinguli vero viciſſim omnibus, ſapit hoc democraticum quid; ut patet ex notis democratiæ ab Ariſtotele cum alibi paſſim, *tum lib. 6. cap. 2. polit.* recenſitis. Si vero quidam virtuoſi eligant ex omnibus, virtuoſis tamen, eſt reſpectu magiſtratus, ariſtocratia. Ex his exemplis, quomodo reliquæ ſpecies reſpectu magiſtratus ſe habeant, inveſtigandum erit.

XXXI. Ratione judiciorum reſpublica variat. Si enim paucis, & quidem virtuoſis, juſtis committantur judicia, eſt horum intuitu reſpublica ariſtocratica; ſi omnibus, & quidem de omnibus judicare licet, eſt popularis, vel porro omnes judicant de quibusdam, ut pace & bello, de aliis alii, aut unus, erit mixta.

XXXII. His ita poſitis, reſpectu harum reipublicæ partium rempublicam varie inſtitui poſſe, ut ex tribus his mixta oriatur reſpublica, evidenter apparet. Poteſt enim quoad magiſtratum eſſe monarchica, quoad judicia ariſtocratica, quoad ſenatum vero popularis: Pro quaſi vivo exemplo patria mea dulciſſima inclitum regnum Sueciæ eſt. Ibi enim ſereniſſima Regina, Domina mea clementiſſima magiſtratum gerens, regnum; Quatuor illa ſuprema judicia Stockholmiæ, Ionecopiæ, Aboæ, & Dorpati, ad quæ ab inferioribus judiciis in provinciis & urbibus extrema eſt provocatio ſecundum clar. Dn. Loccenium *lib. 2. cap. 6. antiquit. Sueo-Goth.* ariſtocratiam; Comitia vero ſenatum, adeoque ſtatum popularem, teſte eodem clar. Dn. Loccenio *lib. 2. cap. 11. antiquit. Sueo-Goth.* repræſentant.

XXXIII. His addendæ eſſent virtutes imperantium & parentium, niſi varias eſſe rerumpublicarum formas & fines oſtenderimus, adeoque illas pro fine cujuslibet reipublicæ eſſe diverſas appareret. Adeo, ut Ariſtoteles evidenter probet *lib. 3. cap. 3. pol.* poſſe aliquem eſſe civem bonum, licet non *ſit vir bonus*; (*b*) Civem autem bonum vocat eum, qui omnes actiones ſuas dirigit ad civitatis ſalutem & finem. De quo cum multa hactenus dixerimus, & in altera noſtræ diſputationis parte plura dicenda occurrant, operæ pretium haud erit, quænam virtutes cujuslibet formæ civibus conveniant, cum ex fine cognoſci poſſint, operoſe hic & quidem ad nauſeam commemorare.

XXXIV. JAM accingimus nos ad alteram reipublicæ partem, quam materiale & ſtricte civitatem vocavimus. Definitionem autem hujus *ex lib. 1. cap. 1. 2. lib. 2. cap. 1. lib. 3. cap. 1. lib. 7. cap. 8. polit.* Ariſtotelis extruimus talem: quod materiale civitatis, & quidem ejus, quæ proprie, non vero per accidens, civilis eſt ſocietas, nil aliud ſit, quam multitudo hominum, qui boni civilis conſequendi, vel mali evitandi gratia in unum quaſi corpus coëunt, & totum quoddam conſtituunt. Hoc materiale differt a formali, de quo hactenus nobis ſermo fuit. Diximus enim, civitatem materialiter acceptam eſſe boni civilis conſequendi, vel mali evitandi gratia. Hoc bonum autem conſequimur, vel malum evitamus per formale, quod eſt ipſa reſpublica.

XXXV. Porro

(*a*) *Gaſtrecht*) BESOLDUS *in theſ. pract. ſub vocab. Gaſtrecht.* GOEB.

(*b*) *Sit vir bonus*) Optimus tamen erit civis, qui etiam erit vir bonus. GOEB.

Digitized by Google

XXXV. Porro definivimus civitatem per multitudinem hominum. Hinc inquirendum, quinam ſint illi, qui multitudinem talem conſtituant. Quod ut eo expeditius fiat, conſiderabimus cum Ariſtotele *lib.* 1. *polit.* tres ſocietates ſimplices, ut conjugalem, paternam, & herilem; cum ex earum conjunctione oriantur domus & vicinitates; quæ ubi frequentes, quantum earum opus eſt, ad victum ſibi, pro eo, qui nunc paſſim eſt inter homines rerum ſtatu, ſufficientem in unum coëunt: efficiunt civitatem. Prout poſt Ariſtotelem *lib.* 1. *cap.* 1. *polit.* elegantiſſimis verbis Cicero *lib.* 1. *offic.* deſcribit. Cujus verba, cum haud parum ad noſtram ſententiam faciant, hic adduxiſſe minime pigebit. *Nam*, ait, *cum ſit hoc natura commune animantium, ut habeant libidinem procreandi, prima ſocietas in ipſo eſt conjugio, proxima in liberis, deinde una domus, cui ſunt omnia communia. Id autem eſt principium urbis, & quaſi ſeminarium reipublicæ ſequuntur fratrum conjunctiones, poſt conſobrinorum, ſobrinorumque; qui cum una domo jam capi non poſſunt, in alias domos quaſi in colonias exeunt. Sequuntur connubia & affinitates, ex quibus etiam plures propinqui. Quæ procreatio & ſoboles, origo eſt rerumpublicarum.* Hæc Cicero.

XXXVI. Eſt autem ſocietas conjugalis maris & fœminæ ad procreationem ſobolis & educationem conjunctio. Licet autem homines plerumque ipſa natura ad hanc ſocietatem ducantur, teſtibus Cicerone *lib.* 1. *offic.* & Ariſtotele *lib.* 1. *cap.* 1. *politic.* adeoque jure optimo cum Romanis nota cenſoria, nullo *eximiæ virtutis* (*b*) ſtudio, aut corporis labe, ab hac ſocietate abhorrentibus eſſet inurenda Val. Max. *lib.* 2. *cap.* 9. tamen, cum hæc ſocietas non tantum pertineat ad explendum munus naturæ, ſed & utilitatem civilem publicam, merito hujus ſocietatis cura a legiſlatoribus habita & habenda eſt. Quanquam vero conſideratio ſocietatis conjugalis, quatenus illa ad civitatem pertinet, ad formalem partem civitatis faciat, prout ab Ariſtotele optime eſt obſervatum, qui hæc demum ſeptimo & octavo politicorum exſequitur, cum illud, quod proprie materiale eſt, libro primo pertractet: obiter tamen etiam hic de illis inſtitutis civilibus aliquid inſerere, nobis fortaſſe licebit. Igitur Ariſtoteles *lib.* 7. *cap.* 16. *polit.* decentem ætatem, tam in mare, quam fœmina requirit, principio petito a communi omnium ſocietatum vinculo, quod eſt amicitia *lib.* 8. *Ethic. Nicom.* quæ diſſolvitur, ſi pari ætate mas & fæmina hanc ſocietatem conjugalem ineant, cum vir generet ad annum 70, fæmina 50. Quoad amicitiam ergo inter conjuges fovendam mas & fæmina 20. annis circiter diſtare debent, quo ſimul generare deſinant. Alias cum vir generare, mulier vero non poſſit, vel contra, animi conjugum alienantur & ſeditiones moventur, peſtes ſocietatum. Præterea ſi adoleſcentuli ineant hanc ſocietatem, primum finem ſocietatis non obtinebunt, multo minus ſecundum. Præoccupata enim venere, adoleſcentulorum corpora enervantur, & ad omnia inutilia redduntur: Puellarum plurimæ in partu moriuntur. Sicut Treceniis accidiſſe Ariſtoteles *d. l.* commemorat. Et licet quid procreatur, tamen ut in aliis animantibus fætus novellorum imperfecti, & fæminei, exiguaque forma ſunt, ita & in hominibus. Unde Tacitus *l. de moribus Germanorum* proceritatis Germanorum cauſam hanc etiam eſſe, ſcribit, quod ſera ſit apud eos juvenum venus. Intemperantiam quoque ſummam ejusmodi conjunctiones arguunt. Si vero primum finem talia conjugia aſſequi nequeant, qui eſt procreatio ſobolis, quomodo obtinebunt ſecundum, qui eſt educatio? Non enim maris & fæminæ conjunctio, qualis hominum eſt propria, in id inſtituta eſt, ut vita propagetur, ſed ut bene etiam degatur. Ariſt. *lib.* 1. *cap.* 3. *oeconom.* Quomodo autem liberi parentum dictis obſequentes erunt, cum ut Ariſt. *lib.* 1. *cap.* 8. *pol.* recte dicit, id, quod genuit, imperat ex amicitia & ex ætate grandiore, liberi contra videant ſe non longe a parentum ſuorum ætate diſtare, ſed eſſe ferme iis æquales. Spretis itaque adoleſcentulorum conjunctionibus, minime tamen laudandæ venient ſenum: Cum quod procreant, imbecillum quoque & ineptum, & quantumvis ſit perfectiſſimum, quod procreatur, ante tamen ad plures, quam id educare poſſint, abire coguntur, & ſic civitatem implent orphanis. Ex his apparet, quid ſentiendum ſit de ſenum & juvenum conjunctionibus, ut recte Solon robuſtum juvenem in ſinu divitis vetulæ pingueſcentem extraxerit & in thorum puellæ introduxerit, quo civitatis robur augeret ſecundum Plutarchum *in Solone.* Præter ætatem conſideranda quoque veniunt maris & fæminæ officia & mores. Marem itaque decet, cum ſecundum Ariſtotelem *lib.* 1. *cap.* 8. *polit.* ad imperandum ſit aptior, nihil intermittere eorum, quæ ad bene inſtituendam uxorem pertinent, ut quam optima ſit diſciplina domeſtica, & ex præſtantiſſima conjuge liberi procreentur, quod Ariſtoteles *lib.* 1. *cap. ult. oecon.* exemplo ab agricultura deducto illuſtrat. Conjugio enim ſolo fit, ut homines conditionis mortalis ſucceſſione perpetua immortalitatem perpetuam conſequantur, & huc vota omnium parentum tendunt. Probam autem matremfamilias omnium, quæ in domo inferuntur, dominam eſſe, eorumque curam ſuſcipere, certis quibusdam legibus convenit: & cogitare quoque, neque corporis nitorem & veſtitus pulchritudinem, neque formam, neque multiplex aurum tantopere commendare eam, quantopere modeſtia in rebus omnibus, & ſtudium vitæ honeſtæ ac pudicæ. Imo nihil huic ſocietati eſt convenientius, quam concordia inter uxorem & virum, ut & conſentiens voluntas in domeſtica conſuetudine, teſte Ariſtotele *lib.* 1. *cap. ult. oecon.* quod fiet, ſi ſuus cuique honor habeatur, & uxor æquo animo mariti mores, modo non inſit turpitudo aut indignitas, ferat. Hoc modo uterque officio ſuo fungetur, & vir quæret, mulier conſervabit, Ariſtoteles *lib.* 3. *cap.* 3. *polit.*

XXXVII. Ex

(*a*) *Eximiæ virtutis*) Igitur merito illi, qui in tanta matrimoniorum copia, reipublicæ rectius inſerviendi cauſa cœlibatum eligunt, nullam nec notam nec pœnam promerentur.



Digitized by Google

XXXVII. Ex hac conjugali profluit alia quædam ſocietas, quæ a patre, tanquam præſtantiori hujus ſocietatis parte, dicitur Paterna; Uxori enim paterf. civiliter, liberis regaliter imperat. Ariſtoteles *lib.* 1. *cap. ult. Polit.* Nam cum finis ſocietatis conjugalis ſit procreatio & educatio ſobolis; Inſtituta debito modo ſocietate conjugali, liberi naſcuntur, quaſi pabulum ſenectutis, & parentum amborum præſidium atque tutela. Hi a parentibus recte educati & bonis moribus pietateque inſtituti, probi evadunt. *Ut enim*, ait Ariſtoteles lib. 1. cap. 2. Polit. *ex animantibus homo, quum perfectus, eſt optimus: ita lege & judicio remotus, omnium deterrimus eſt. Nam injuſtitia armis inſtructa, maxime eſt malefica; homo autem cum armis naſcitur, prudentia & virtute; quibus in contrariam partem uti maxime licet. Quare impuriſſimus, & immaniſſimus eſt abſque virtute, & in venere, ciboque nequiſſimus.* Probi autem fiunt ſecundum Ariſtotelem *lib.* 7. *cap.* 13. *Pol.* tribus modis 1. Natura, 2. moribus, 3. ratione. Quo ergo ratio & mores bene ſint affecti, corpus a teneris curandum eſt, adeo ut etiam mulierum uterum gerentium curam Ariſtoteles *lib.* 7. *cap.* 16. *Politic.* haberi velit, quo neque deſidia torpeant, nec cibo utantur tenuiore; mentem autem contra quam corpus tranquillam, ſecuramque gerant. Quemadmodum enim, quæ ex terra gignuntur, ſic fætus ex prægnante matre bona malaque contrahere, editis autem infantibus lactis copioſum cibum eſſe convenientiſſimum, vinum autem, quod epilepſiam cauſetur, noxium, Ariſtoteles *lib.* 7. *cap.* 17. *Polit.* aſſerit. Puerorum porro fletus non omnino eſſe prohibendos, idque propterea, quod iis corpus quadantenus exerceatur: aſſuefacienda quoque eſſe ab ineunte ætate corpora rigoribus, & exercitationibus modicis; maxime autem abſtinendos pueros a ſervorum conſuetudine, quum teneræ ætatis animi cerei ſint & in vitium faciles flecti; ludis quoque eosdem exercendos, non illiberalibus tamen, nec laborioſis, nec diſſolutis, ſed iis, quæ maximam partem imitationes ſunt earum rerum, quæ ſerio poſtea erunt obeundæ. Hæc ita primo ſeptennio vult Ariſtoteles agenda. Quomodo reliquum ætatis inſtituendum ſit, docuit idem in dubie; ſed omnis illa, ut & potior pars operis politici de optima republica plane interiit. Obſervandum enim, Ariſtotelem illic loci non ſimpliciter agere de re domeſtica, qualis illa habere ſeſe debeat pro vario ſtatu reipublicæ, ſed demum qualis eſſe debeat in republ. optima. Et vero accurate a quovis prudente magiſtratu definiendum legibus eſt etiam hoc omne. Ut enim recte Ariſtoteles quoque *lib.* 1. *cap. ult. Polit.* diſſerit, *omnis domus pars eſt civitatis, hi autem*, (ſcilicet liberi & uxores) *domus, partis autem virtutem ad totius virtutem ſpectare oportet; neceſſario ergo in civitatem intuentes inſtituere debent & liberos & uxores, ſi quid intereſt ad hoc, ut civitas ſit bona, liberos quoque eſſe bonos & uxores bonas. Intereſſe autem neceſſe eſt. Nam fœminæ quidem pars dimidia ſunt liberorum capitum: Ex liberis autem participes civitatis oriuntur.* Unde educatio liberorum pro variis rerump. differentiis varie fieri ſolet, & debet; ſic populares mores popularem, optimi optimam rempublicam conſtituunt, ut ait idem Ariſtoteles *lib.* 8. *cap.* 1. *Polit.*

XXXIIX. Cum vero fieri non poſſit, hominem eundem diverſis in locis uno eodemque tempore negotia ſua peragere, & multa patrifamilias peragenda incumbant, cum multis ſecundum Ariſtotelem *lib.* 7. *cap.* 8. indigeat, ſint etiam nonnulla negotia, quæ ſordida & patremfamil. tanquam illiberalia non deceant, teſtante id eodem Philoſopho *lib.* 8. *cap.* 2. *Polit.* & *lib.* 1. *cap.* 4. *Polit.* (ubi duorum generum munera facit, alia honeſtiora, alia vero magis neceſſaria, adeoque herum hero ſervumque ſervo priorem dicit) hinc *lib.* 1. *cap.* 5. *Oecon.* accuratiſſimus noſter Philoſophus duo genera ſervorum conſtituit, *Procuratores* (a) & operarios. Illi propius ad patrisfam. perſonam accedunt, & liberaliora tractant. Quare idem Ariſtoteles *lib* 1. *cap.* 4. *Polit. quibus*, inquit, *non vacat ſibi ipſis hanc moleſtiam afferre, Curator hunc honorem accipit*, illi vero (ſcilicet patresfam.) *vel capeſſunt remp. vel philoſophantur*; Operariis vero magis ſervilia & ſordida expedienda incumbunt. Unde non eodem modo tractandi ſunt operarii & procuratores; Illis enim pro mercede cibum ſuppeditare ſufficit, opere vero & animadverſione minime neglectis. Si enim cibus ſuppetat ſine opere & animadverſione, petulantia oritur: inter opera vero & animadverſionem cibum non habere, injuſtum & violentum eſt, frangitque vires. His vero tanquam libero homine magis digna tractantibus nonnihil honoris tribuendum eſt, pro meritis eorum cibus, veſtes, ocium, animadverſiones remittendæ & addendæ. Hæc omnia Ariſtoteles, de ſervis h. e. de mancipiis diſſerit. Quæ paucis mutatis locum etiam habent de miniſteriis liberarum perſonarum. Reperiuntur vero homines adeo hebetis ingenii, ut ſibi de neceſſariis ad vitam proſpicere, adeoque ſalvi eſſe nequeant, niſi ſerviant. Hos, ſi ſervili ſint conditione, manumittere, nil aliud eſt, quam civitatem mendicis implere. Id quod eventus monſtravit olim tempore Conſtantini M. cum pontifices eccleſiarum aliique pii Chriſtiani manumittendis ſervis certarent, (ſicut de Paulino Nolæ Epiſcopo hiſtoriæ Africanæ memorant, quod corporis ſui pretium liberandis ſervis impenderit) tanta oborta fuit mendicorum, quique ex propria prudentia ſe nutrire neſciebant, multitudo, ut rogatione pontificum, Xenodochia, Noſocomia, & id genus alia hoſpitalia coacti fuerint imperatores ædificare, quo mendicis regiones levarent, ut ſcribit Arniſæus *lib.* 1. *cap.* 4. *doctrin. Polit.* Præter hos autem natura ſervos (de quibus ut & ſequentibus Ariſtoteles *lib.* 1. *cap.* 3. 4. & *ult. Polit.* multa diſputat) dantur alii adhuc, qui licet ſint ſatis prudentes, ob neceſſitatem tamen, vel bello capti, vel egeſtate preſſi, qui cum ſæpius præter ſua merita homines conflictantur, ſervire coguntur.

XXXIX. Ex tribus his ſocietatibus oritur domus. Cum vero dictum ſit, ſocietatem conjugalem eſſe procreationis cauſa, & liberi iterum gignant liberos, fit tamen, ut una domo contineri

(a) *Procuratores.*) Tales procuratores domeſticos & Romani ex ſervis habebant. PIGNORIUS *de ſervis.*

Digitized by Google

ri nequeant; eoque quaſi colonias ducentes, domo parentum excedunt, & proprias domus conſtituant, unde oriuntur vicinitates, ex

*Natorum natis, & qui naſcuntur ab illis.*

Plurimæ autem vicinitates ſocietatem omnium perfectiſſimam, ſecundum Ariſtotelem *lib.* 1. *cap.* 2. *Politic.* hoc eſt civitatem, demum conſtituunt.

XL. Civitatem autem omnem eſſe boni alicujus cauſa diximus, ſecundum Ariſtotelem vero cum alibi *tum lib.* 7. *cap.* 1. *Polit.* tria bonorum genera ſunt, 1. animi, 2. corporis, 3. fortunæ. Hinc manifeſtum eſt, inquirenti in rempubl. horum bonorum cognitionem minime eſſe negligendam. Bona autem animi quod attinet, ſunt ea talia, quæ pro ingeniis populorum & rerump. formis remitti & extendi poſſunt. Si enim ſervilia ingenia, & natura ſervos perfectiſſima virtute & bonis animi, quæ ab Ariſtotele in *Ethicis* deſcribuntur, imbuere velis, & optimam remp. introducere, operam & oleum perdes. Unde licet in civibus multis non reperias virtutes intellectuales & morales, quantulumcunque tamen virtutis civibus ineſſe debere ad finem reip. obtinendum, Ariſtoteles *lib.* 7. *cap.* 1. *Polit.* declarat. Quomodo enim civitas beata eſſe poterit, ſi tanta timiditas animis civium inſit, ut muſcas prætervolantes metuant, nullaque re temperent etiam nequiſſima: ſi vel cupiant edere vel bibere, & qui ob quadrantem cariſſimos amicos interimant, itemque & mente ſint affecti atque ſtulti? Quapropter Ariſtoteles *lib.* 3. *cap.* 3. *Polit.* ad minimum opinionem bonam parendi virtutem civium eſſe vult, cum imperantis ſit ipſa prudentia; cujus eſt præſcribere, quæ faciunt ad finem civitatis feliciter obtinendum.

XLI. Bona corporis quoque haud negligenda eſſe, hortatur Ariſtoteles *lib.* 10. *cap.* 8. *Ethic. Nicom.* & docet *lib.* 7. *cap.* 16. *lib.* 8. *cap.* 3. *Polit.* præter literas & artem pictoriam, quibus pueros erudiri vult, etiam palæſtram & muſicam requiri, quod illa corpus exerceat, & ſanum conſervet, hæc animum & corpus laboribus enervatum recreet & refocillet. Hinc cum Auguſtus, teſte Suetonio *in Auguſto* omnes peregrinos urbe ejiceret, ſolos medicos ſanitatis, & præceptores virtutis promotores reſervavit, cum abſque his nulla reſp. ſalva eſſe poſſit. Quod agnoſcentes Argivi, (teſte Herodot. lib. 9.) Melampo Medico inſigni, ut mulieres ab inſania liberaret, regnum tradiderunt, ridicule tamen: cum exquiſitiſſima etiam medendi peritia, prudentiam gerendæ reipubl. non arguat, aut etiam ſemper habeat comitem: & tamen prudentia illa unice ſit ad rempubl. adminiſtrandam opus. Sed de his infra, ubi de commodo ſitu urbis ſumus dicturi, plura adferenda erunt.

XLII. Cum vero omnis civitas ſit multitudo non quævis, ſed cui copia ſuppetit ad vitam degendam, adeoque nulla civitas poſſit ſubſiſtere ſine rebus ad vitam neceſſariis, hinc inquirendum, quibusnam rebus indigentiam ſuam cives expleant. Quod fiet, ſi cum Ariſtotele *lib.* 1. *cap.* 5. *Polit.* modos acquirendi naturales & artificiales conſideraverimus, his enim cognitis, facile poterimus perſpicere, quibusnam modis acquirendi civitas magis ſuſtentetur. Naturales autem, acquirendi vitæ inſtrumenta, modi ſunt: agricultura, pecuaria, captura, piſcatura, venatio &c. Dicuntur autem hi modi propterea naturales, quod quemadmodum natura omnibus animalibus ſuum cibum ſuppeditat, ita etiam hominibus non fuit noverca, ſed omnia animalia hominum gratia eſſe voluit, quo haberet homo, quibus ſe ſuſtentaret. Hic modus autem acquirendi, cum ſit naturalis, & natura hominum paucis ſit contenta, finitus eſt. Nemo enim plures feras capit, quam cum familia ſua abſumere poteſt. Cæterum, cum cujuslibet inſtrumenti duplex ſit uſus, 1. proprius ſeu ille, ad quem a natura productus, 2. communis, verbi gr. calcei uſus proprius eſt tegere pedes & ambulare, alter vero ſeu communis eſt permutare, teſte Ariſtotele *lib.* 1. *cap.* 6. *Polit.* Cum enim homines multis indigeant, (eſt enim res familiaris ſecundum Ariſtotelem *lib.* 1. *cap.* 5. *Polit.* organorum domeſticorum & civilium multitudo) & unus non omnibus acquirendis ſufficiat, ſolent homines inter ſe permutare ſuperflua cum ſuperfluis, v. gr. arator, cujus eſt agrum incultum fertilem reddere, & dies noctesque ſudare, piſcari, aut venari fortaſſis commode non poterit; hinc frumentum cum piſcibus aut cum feris permutare gaudet. Hæc permutatio (quæ fit, quando res æſtimans datur pro *re æſtimata*) (*a*) adhuc ſecundum naturam eſt, quia agricola id, quod ſuperfluum eſt, cum piſcibus, quibus piſcator abundat, & frumento indiget, uterque quantum ad vitam ſatis eſt, permutat, & cum præterea nihil lucri in hac permutatione quæratur, ſed tantum ſimpliciter ad expletionem ejus faciat, quod natura ſatis, maxime hic quoque naturalis acquirendi modus eſt; a quo recedit alter ille, qui artificialis eſt, & a priori illo provenit, quem recte Grotius vocat derivativum, quod a priori illo derivetur. Cum enim ſæpius dictum ſit, hominem multis egere ad indigentiam ſuam explendam, & non omnia una tellus ferat, hinc coguntur homines curare, ut aliunde ſibi neceſſaria apportentur; vel licet in regione ſua habeant, quibus ſatis eſt ad vitam, alter autem non indigeat re, quam permutare volunt, ceſſat permutatio. Unde huic incommodo remedium per nummum allatum eſt, cujus utilitatem Ariſtoteles *lib.* 5. *cap.* 5. *Ethic. Nic. eleganter* (*b*) deſcribit. Atque ad permutationem futuram, ait, ſi maxime in præſentia tali re non egeamus, commoda eſt hæc ratio, ut nimirum ejus parandæ facultas & copia nobis conſtet. Cum re illa videlicet egebimus, ad id veluti Sponſor nummus intercedit. Oportet enim nummum afferenti unicuique eam rem, qua egeat, accipere licere, & *lib.* 1. *cap.* 6. *Polit.* idem Philoſophus ait, *nam ſubſidio longinquiore facto importandis, quibus egerent, & exportandis, quibus abundarent, neceſſario nummi repertus eſt uſus. Nam res ſingulæ*

(*a*) *Re æſtimata.*) Permutatio proprie dicta eſt, quando res non æſtimatæ commutantur.

(*b*) *Eleganter.*) Vid. GIPHAN. *in comment. p.* 381. *ſeqq.* MICH. EPHESIUS *ad c. citat. p.* 288. *ex edit. Rachelii.*

*gulæ ad naturam neceſſariæ, non facile huc illuc comportari poſſunt. Quare ad permutationes tale quid inter ſe pacti ſunt dare & accipere, quod ipſum ex rerum vitæ utilium numero uſum ad vitam habeat facilem & commodum.* Libro 5. cap. 5. Eth. Ariſtoteles quoque diſſerit præter allata in hunc modum, *quapropter quarum rerum ſit permutatio, eas res oportet eſſe ejusmodi, ut inter ſe quodammodo comparari poſſint. Atq; ad hanc rem nummus quæſitus & comparatus eſt, qui omnium rerum quodammodo ſit medius ſeu menſura;* vide plura c. l. Ex his dictis Philoſ. noſtri, cum nummus debeat eſſe fidejuſſor, debeat quoq; inſervire rebus a remotioribus locis importandis, & menſura eſſe rerum, evidentiſſime apparet, nummum debere conſtare ex materia rara. Si enim eſſet materia paſſim obvia (ut lapides in tecto & plateis) minime accipientem ſecurum redderet, adeoque haud fungeretur idoneo fidejuſſore. Præterea, ſi non eſſet materia rara ſed vilis, multitudo nummorum in permutationibus requireretur, & ſic non occurreret difficultati transportationis rerum ex peregrinis oris. Et cum nummus porro debeat metiri res omnes (v. gr. quotnam calcei domui vel alimento ſint æquales,) facile apparet, nummum debere eſſe ex materia ſine interitu ſubſtantiæ diviſioni in partes obnoxia. Sic, verbi gr. ſi quis velit nunc emere duo vel tria poma, prout in foro noſtro venalia exponuntur, & dare gemmam, næ ille in hac paucitate gemmarum, & abundantia pomorum multum decipietur; tantum vero æris, quod æquet poma illa, facilius permutationem admittit. Hinc ait Ariſtoteles *lib.* 1. *cap.* 6. *Polit. ferrum & argentum*, (*a*) & ſi quod aliud ejus generis materiam nummi eſſe, primo quidem ſimpliciter magnitudine & pondere definitum, tandem vero & nota impreſſa a permutantibus, ut eos liberaret a dependendo. Nota enim impoſita fuit ponderis index. Hic acquirendi modus, quo res cum nummo permutatur, quatenus eſt ad expletionem ejus, quod natura ſatis, nec lucrum ſpectat, a naturæ ſimplicitate non multum recedit, nec eſt vituperabilis. Verum poſtquam

- - - *divitis auri*
*Imperioſa fames, & habendi ſæva libido*

oculos & animos hominum invaſit, in infinitum nummos acquirendi modos homines invenere, ut etiam nullum terminum divitiarum, (ſi divitiæ ſunt vocandæ, quæ nec famem, nec ſitim ſedare valent) ponant, adeo ut vere dici poſſit,

*Quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.*

His ita conſideratis, facile civitatem intuenti pronunciare erit: quinam modi inſtrumenta vitæ acquirendi in civitate aliqua ſint frequentiores, & unde potiſſimum cives vivant.

XLIII. Porro, qui civitatem cognoſcere vult, ſitum loci bene contemplari debet. Diximus enim ſupra; remp. ſalvam eſſe non poſſe, niſi habeatur ratio ſanitatis & armorum. Hinc ſitus loci ſpectare debet valetudinem, quam maxime neceſſariam eſſe civitati, ſupra jam diximus, & quod fieri putat Ariſtoteles *lib.* 7. *cap.* 11. *Polit.* ſi urbes & januæ privatarum ædium orientem vel aquilonem ſpectent, & in eminentioribus locis ædificentur, quo ventis ab oriente, vel ſeptentrione flantibus, tanquam cæteris ſalubrioribus, ſint expoſitæ. Valetudini etiam haud parum prodeſt ſalubrium aquarum copia & uſus: quia his vita carere nequit, unde Ariſtoteles *c. l.* aquas diviſas eſſe vult, ut quæ potui ſunt aptæ, ſeparatæ ſint ab his, quæ aliis uſibus accommodantur. Inquirendum ergo in aquarum ductus, fontes, & puteos civitatis, & conſiderandum, quomodo valetudini inſerviant, & an præterea civitati ab hoſtibus obſeſſæ ſufficiant. Situs porro loci valet quoque multum ad id, ut quis vel ſecurior ſit, vel minus ſecurus. Intereſt enim civitatis, reipubl. hac quoque parte bene eſſe. Inprimis videndum itaque, an ſitus urbis ſit ad bellicas actiones accommodatus, ut oppidanis ſit exitus facilis, hoſtibus impeditus, & formiduloſus. Quod fiet, ſi in planitie urbis exſtruatur, & in finibus ſeu locis paululum remotioribus ab urbe paludes & montes inveniantur, quæ ſi ſunt caſtellis & arcibus munita, hoſtis ipſo aſpectu terretur, cum non tantum homines, ſed & paludes, montes, caſtella, & arces ſibi obſtare animadvertet.

XLIV. Situm præterea loci ad civiles quoque actiones aptum debere eſſe, Ariſtoteles. *c. l.* monet. Quod cum Piccartus ad *cap.* 12. *lib.* 7. *Polit.* de ſitu ædificiorum interpretetur, neceſſario inſpicienda ſe offerunt templa, ſcholæ, horologia, forum cum rerum venalium, tum juſtitiæ, ubi curia & tribunal ſita, armamentarium, ædes baſilicæ, in quibus nuptiæ celebrantur, vel legati ſeu hoſpites excipiuntur, diverſoria, noſocomia, xenodochia, granaria, theatra, balnea, imo pro cujuslibet civitatis uſu varia. Præter publica autem hæc minime negligenda ſunt privata ædificia, quæ ſingulorum patrumfam. uſibus inſerviunt.

XLV. Jam porro conſideranda veniunt civium tam quantitas, quam qualitas. Quot enim cives numero in beatiſſima quadam republ. eſſe debeant, Ariſtot. *lib.* 7. *cap.* 4. *Pol.* docet, nempe ut eis ſufficiant neceſſaria ad vitam, & ipſi omnibus muneribus vitæ beatæ impetrandæ ſufficiant. Si ſane plures ſunt homines, quam ea, quæ requiruntur ad vitam, inops civitas redditur, & diu felix eſſe nequit. Præterea cum reſp. ſit ordo, tanta multitudo requiritur, ut ordinis particeps eſſe poſſit, ſi enim multitudo eſt nimia, ordo ille ſervari nequit, vel ad minimum imperium difficilius reddunt, & parentes remiſſiores. Unde laudabilis eſt illa moderatio animi, quæ in Scipione Africano conſpicua fuit, de quo refert Valer. Max. *lib.* 4. *cap.* 1. cum *luſtrum conderet*, (*b*) inque ſolito fieri ſacrificio ſcriba ex publicis tabulis ſolenne ei præcationis carmen præiret, quo dii immortales, ut populi Romani res meliores amplioresque facerent, rogabantur, *ſatis*, inquit Scipio, *bonæ ac magnæ ſunt, itaque precor, ut eas perpetuo incolumes ſervent;* ac protinus in publi-

(*a*) *Ferrum & argentum.*) GROTIUS *de J. B. & P. lib. II. c. XII. §. XVII.*

(*b*) *Luſtrum conderet.*) Luſtrum condebant, cum quinto anno urbem luſtralibus, i. e. piacularibus ſacrificiis in campo martio multis cum ritibus expiabant. KIPPING. *antiquit. Roman. lib. II. c. III.*

publicis tabulis ad hunc modum carmen emendari juſſit. Qualitatem civium quod attinet, bene cognoſcenda ſunt ingenia civium. Sic Ariſtoteles *lib. 7. cap. 7. Polit.* Europæos vocat fortes & animoſos, Aſiaticos timidos, ſed prudentiores; Græcos vero ſuos, vel amore patriæ vel veritate ductus, medios. Requirit enim Ariſtoteles *d. l.* maxime in civibus ut ſint natura animoſi, & dociles ad virtutem, cum ejusmodi civibus, optima aliqua reſp. accommodari poſſit. Sane prout ſunt ingenia civium, ita ſe quoque habere remp. inter omnes convenit; adeo ut poſtquam multum diſputaſſet de præſtantia rerump. tandem *lib. 3. cap. 12. Polit.* concludat, eam reip. formam eſſe juſtam, & optimam, quæ ingeniis populi eſt apta & conveniens. Sic v. gr. multitudo, quæ ferre poteſt natura familiam virtute præſtantem, ac principatum civilem, regio imperio, teſte Ariſtotele *d. l.* apta eſt. De reliquis idem judicium eſto.

XLVI. Hæc hactenus dicta qui conſideraverit, & accurate in remp. inquiſiverit, facile ei erit judicare; Quid in ea obtineat: Qualis ſit reip. forma; num ſit ingeniis populi accommodata, adeoque vel bono vel malo civitatis introducta: Quomodo in ſtatum præſentem devenerit, an ſcilicet clandeſtinis dolis, an vero aperte. Bene enim Ariſtoteles *lib. 4. cap. 5. Polit. Neque enim ſtatim*, ait, *momento mutantur; ſed primo contenti ſunt, paucis in rebus alios ſuperantes; Quo fit, ut leges quidem priores maneant, vincant tamen, qui remp. mutant.* Sic idem Philoſophus *lib. 6. cap. 13.* Stratagemata nonnulla recenſet, quibus divites adverſus pauperes, pauperes adverſus divites utantur. Aperte autem reſp. mutatur vi externa vel interna, id eſt bello, vel ſeditionibus. De quibus th. ſeq. nobis adhuc dicenda nonnulla reſtant, ut tamen ſimul brevitatis habeamus rationem, ne vel nobis ipſis, vel aliis prolixitate ſimus moleſti: porro manifeſtum erit: quomodo ſocietates ſimplices ſe habeant: an liberi præſenti ſtatui *convenienter* (*a*) educentur, quo cives facti parendo & imperando ad finem civitatis obtinendum collimare ſciant: Quomodo denique modi acquirendi ſeſe habeant, ac unde potiſſimum cives vivant & ſuſtententur: clara ex hactenus dictis futura, ſi non omnimodo, tamen maximam partem, opinamur.

XLVII. DE Seditionibus reip. imminentibus judicaturo cum Ariſtotele *lib. 5 Polit.* conſiderandæ veniunt cauſæ, quæ homines ad ſeditiones movendas incitare ſolent. Prima eſt, QUÆSTUS ſeu lucrum. Cum enim pecunia ſit vita hominis, & privatio omnium bonorum morte gravior, adeoque recte Cato dixiſſe feratur, majorem homines habere curam *marſupii* (*b*) quam vitæ; Magiſtratuum autem quorundam tanta ſit avaritia, ut nullum terminum faciant privatorum opibus inhiandi, & ſuas augendi, (quam varios enim ad ſe rapiendi ſubditorum pecuniam modos avaritia imperantium excogitet, videre ex parte eſt libro illo, qui ſecundus hodie cenſetur oeconomicorum Ariſtotelis, perperam tamen.) aliter fieri non poteſt, quam ut ſeditiones adverſus imperantes moveantur, vel eorum præfectos, qui aliquando ipſo imperante *acrius mordent*, (*c*) cum ſub prætextu fiſci ſuas in infinitum augere divitias allaborant. Hinc Catilina in Orat. ſua apud Saluſt. ait. *Etenim, quis mortalium, cui virile ingenium eſt, tolerare poteſt, illis divitias ſuperare, quas profundant in exſtruendo mari, & montibus coæquandis, nobis rem familiarem etiam ad neceſſaria deeſſe*, Item: *Poſtremo omnibus modis pecuniam trahunt, vexant; tamen ſumma libidine divitias ſuas vincere nequeunt. At nobis eſt domi inopia, foris æs alienum, mala res, ſpes multo aſperior. Denique quid reliqui habemus, præter miſeram animam?* II Cauſa eſt HONOR. Hic excitat ſeditiones, ſi non tantum dignis non confertur, ſed etiam indignis denegatur. Hinc eleganter ait idem Saluſt. de bel. Catil. *primo magis ambitio, quam avaritia animos hominum exercebat; quod tamen vitium propius virtutem erat; nam gloriam, honorem, imperium bonus, ignavus æque ſibi exoptant. Sed ille vera via nititur, hic, quia bonæ artes deſunt, dolis atque fallaciis contendit*; Idem Saluſt. *de bello Iugurth. etiam homines novi*, inquit, *qui antea per virtutem ſoliti erant nobilitatem ante venire, furtim, & per latrocinia potius, quam bonis artibus ad imperia & honores nituntur.* III. Cauſa eſt CONTUMELIA; quando non ſolum imperantes ſubditorum bona rapiunt, ſed præterea etiam contumeliis eos petunt. Quod variis modis fieri poteſt, & quidem quando vel ipſi cives, vel eorum uxores & liberi contumeliis afficiuntur. Nam & propter uxorum contumelias, ait Ariſtoteles, *lib. 5. cap. 11. Polit.* multæ tyrannides interierunt. IV. Cauſa eſt METUS, quando ſubditi inevitabile ſibi malum imminere vident, ut ſatius ſit prævenire, quam præveniri. Unde Cicero *lib. 1. Off. ſæpe injuriæ a metu proficiſcuntur, cum is, qui alteri nocere cogitat, timet, ne niſi id fecerit, ipſe aliquo incommodo afficiatur.* V. Cauſa eſt, NIMIA alicujus *EXCELLENTIA.* (*d*) De hac vero ait Ariſtoteles *lib. 5. cap. 8. Polit. Eſt in democratia, monarchia & omni rep. commune, neminem augere præter modum, ſed dare operam potius, ut parvi & diuturni honores mandentur, quam ſtatim magni; nam corrumpuntur, neque cujusvis eſt hominis ſecundam ferre fortunam.* His gemina tradit idem Phil. *lib. 5. cap. 11. Polit.* ubi de conſervatione monarchiarum agit, *In omni*, inquit, *unius imperio communis eſt hæc cautio, ne quisquam unus magnus reddatur, ſed ſi, plures: ſic enim ſe mutuo obſervabunt; quod ſi magnus aliquis faciendus fuerit, ne tamen is, qui audaci ſit ingenio; Nam tale ingenium omnibus in rebus turbulentiſſimum eſt.* VI. Cauſa eſt CONTEMPTUS, vel enim imperantes contemnunt ſubditos, vel ab his contemnuntur; utrumque autem reip. pernitioſum eſt. Sic Saluſtius *in bel. Iugurth.* de Metello refert, cui quanquam virtus, gloria, atque alia optan-

(*a*) *Convenienter.*) Omnia, de quibus hic autor agit, late ab ARISTOT. *in libris polit.* traduntur.

(*b*) *Marſupii*) *E da notare, E che gli huomini ſi moverono piu per privato intereſſe, che per publica utilitá, & che ogn' uno ha più caro eſſer ſervo & ricco, che povero & libero.* MALVEZO.

(*c*) *Acrius mordent.*) Cum conſulis populo, remove a te ſuſpicionem alicujus tui commodi, fac fidem, te nihil, niſi populo utilitatem & fructum, quærere.

(*d*) *Excellentia.*) Nihil magis principis lædit exiſtimationem, quam ſi uni ſummam rerum committit, eo ipſo enim aut ſe rebus gerendis imparem, aut ignavum confitetur; præterea periculo non caret, unum ex ſubditis nimis magnum facere.

Digitized by Google

optanda bonis ſuperabant, tamen inerat *contemtor animus & ſuperbia, commune nobilitatis malum.* Hinc Martii adverſus Metellum, totamque nobilitatem indignatio. Imperantes vero contemnuntur, ſi minus debito modo officiis ſuis præfuerint. Requirit autem Ariſtoteles *lib. 5. cap. 9. pol.* tria potiſſimum in Imperante; 1. amorem reipublicæ, ut intimo amore rempublicam proſequatur, & dies noctesque pro ejus ſalute laboret. 2. Facultatem munus ſuum obeundi, ut non tantum velit reipublicæ ſalutem promovere, ſed etiam ſciat 3. virtutem præſenti reipublicæ formæ convenientem; in quibusdam enim rerumpublicarum formis parentes parendo imperare diſcunt, ut ait Ariſtoteles *lib. 3. cap. 3. polit.* Horum requiſitorum abſentia parit plerumque imperantium contemptum. VII. Cauſa eſt augmentum ultra proportionem rerumpublicarum, quando una reipublicæ pars ſuam ἀναλογίαν excedit. Quæ differt a quinta cauſa, cum illa ſit excellentia ſingulorum hominum, hæc unius partis civitatis. Partes autem ſunt duæ, quantum & quale, de quibus ſupra. Sic metus ſeditionis in oligarchia eſt, ne quantum i. eſt, multitudo ſuperet quale, i. e. divites &c. Has ſeptem ſeditionum cauſas cum tumultu fieri, Ariſtoteles *c. l.* docet, quibus addit quatuor alias, quæ ſine tumultu ſeditiones movent, & primam quidem, quam vocat ἐριθείαν, quod vocabulum varii varie interpretantur; Alii enim putant intelligi hic conditiones partium civitatis inter ſe; Piccartus vero ἐριθείαν accipit, quando magiſtratus ſortito delectus in homines viles & abjectos incidit, quod honeſtiores ægre ferentes ſeditionem movent. Multum ſane id etiam nocere eccleſiæ, idem Piccartus recte oſtendit: ſi nempe aſini præficiantur populo, qui nihil intelligunt. Tum enim indignatur populus, incipitq; paulatim odiſſe magiſtratum, quod meliorem curam ſui non habeat, imo averſari incipit ipſam religionem. Secundam dicit eſſe oligoriam ſeu incuriam, quando imperantes nullam curam habent reipublicæ, ſed aliis ejus adminiſtrationem committunt, qui non tam reipublicæ, quam ſuam ſalutem quærunt. III. τὸ μικρὸν, quando exigua in republica non curamus, minime cogitantes ex exigua ſcintillula maximum ſæpius oriri incendium. IV. diſſimilitudinem hominum in republica viventium. Hæc diſſimilitudo autem conſpicua eſt in moribus, in genere, in opinionibus, (quot enim ſunt capita, tot opiniones de juſto,) in virtutibus & vitiis, in divitiis & paupertate, & omnium maxime in religione; de his Ariſtoteles multa *lib. 2. rhetoric.* tradidit. Hinc princeps Arauſionenſium Mauritius felicem prædicaſſe Suediam fertur, quod unum DEUM, unum REGEM, & unam LEGEM haberet; ut teſtatur clariſſ. Dn. Loccenius *lib. 2. cap. 5. antiquit. Sueo-Goth.* Sed de his pro inſtituti ratione nunc ſatis.

# XV.
## HERMANNI CONRINGII DISSERTATIO DE
# POLITIA SIVE REPUBLICA IN SPECIE SIC DICTA
## *RESPONDENTE* JOANNE EBERHARDO *Buſch* CELLENSI.

MDCLII.

## Concluſio I.

Originem & cauſam civilis ſocietatis efficientem ipſam naturam humanam exiſtere, apud plerosque politicæ ſcriptores in confeſſo eſt. Hominem enim ita natum & comparatum eſſe, in civili ut degat ſocietate, ſiquidem felix eſſe velit, perhibent. Quod ipſum magni civilis prudentiæ magiſtri teſtimoniis 1. *pol.* 2. & 3. *pol.* 4. probant. Ubi ille, hominem natura animal civile eſſe, haud uno oſtendit argumento. An vero ipſa illa rem ſatis evincant, propoſiti noſtri non eſt in præſenti diſquirere. Vid. hac de re ampliſſ. Dn. Præſes *lib. unic. de civil. prudent. c. 5.*

II. Quoniam vero civilis iſtiusmodi ſocietatis τάξις, ſeu ordo ex imperantibus ac parentibus conſtat (imperare enim & parere, cumprimis poſt lapſum protoplaſtorum, non modo ex rebus neceſſariis fuit, ſed etiam utilibus) non abs re forte erit, diverſam imperiorum rationem ſub initium ſtatim proponere.

III. Et quidem certiſſimum eſt, in domeſtica etiam ſocietate imperium pro varietate perſonarum variare. Eſt autem illud præcipue duplex. Patrium ſive in liberas perſonas unum: Herile ſive dominicum alterum. Hinc duos etiam ſibi hæc imperia propoſitos habent fines. Herile in ſervos imperium ita conſtitutum eſt, ut primario & per ſe ſpectet utilitatem propriam,

ſervorum

Digitized by Google

ſervorum autem non niſi ſecundario & per accidens, ne ſcilicet illi pereant: nam iis pereuntibus, & ſe ipſum perire neceſſum eſſe, non ignorat herus, quod *d. l.* ampliſſ. Dn. Præſes uberius illuſtrat. Alterum imperium domeſticum eſt parentis in uxorem & liberos, ſpectatque primo commodum ipſorum, quibus præeſt, ſuum vero & proprium non primo non peræque, quatenus videlicet in eadem cum uxore & liberis vivit ſocietate domeſtica. Hoc ipſum autem rite ita fieri in aliis quoque artibus, cum Ariſtotele ex 3. *pol. cap.* 4. haud difficile nobis foret demonſtratu.

IV. Quemadmodum vero in parvis illis ſocietatibus ſeſe res habet, ita & omnino vero eſt conſentaneum id, quod modo dictum eſt, diverſam eſſe imperiorum etiam civilium rationem. Sed & experientia conſtat, multos imperantes egregium ſubditorum publicum intendere; contra alios nullam eorum habere rationem, niſi tantum ex accidenti, quod ipſis nimirum ſuboleat, ſeſe haud aliter ſalvos eſſe poſſe, niſi & ſubditos aliquatenus ſaltim ſalvos præſtent.

V. Hinc porro manifeſtiſſimum eſt, quod ex duobus hisce imperiorum generibus alia ſint herilia & civilium ſocietatum meri (ut Heinſii paraphraſtes loquitur) abuſus, adeoque in commodum dominantium condita: alia vero ad paternam vel domeſticam ſocietatem quam proxime accedant.

VI. Ut autem juſtarum pariter & injuſtarum reipublicæ formarum computationem ineamus, operæ pretium erit. Conſtituimus vero, Philoſophi ductum ſecuti, earum ſimplices tres rectas & bonas, regnum, ariſtocratiam, & rempublicam: totidemque aberrationes & minus rectas, tyrannidem quidem regni, oligarchiam ariſtocratiæ, democratiam vero reipublicæ.

VII. Atque de republica *κατ᾽ ἐξοχὴν* ſic dicta, tertiaque ſimplicium rectarum ſpecie, quæ communi omnium rerumpublicarum nomine 3. *pol.* 5. & 4. *pol.* 3. ipſimet Ariſtoteli audit reſpublica, in præſentia exercitii academici gratia, pro ingenii modulo & ratione materiæ ipſius, brevem diſſertatiunculam aliquam inſtituere, conſilium eſt. Quod ſi vero hac in re forte, an aliquid humanitus paſſi fuerimus, ætati juvenili, ut ſperamus, omnis benevolus lector haud gravate gratiam faciet.

VIII. Ordine autem bono, ut quod facimus, perficere liceat opus, non omnino abs re fore arbitramur, ſi limites quosdam ſeu fines conſtituamus, quos intra præſens noſtra decurrere debeat diſſertatiuncula.

IX. Dicemus itaque (1) de politiæ ſive reipublicæ nomine (2) de definitione ſeu deſcriptione, & quæ illam propius attingunt, (3) ipſam rei arcem, & quæ huc facere videbuntur, aggrediemur, (4) denique de morbis politiæ, eorumque remediis & cautelis verbulo nonnihil monebimus.

X. Vocabulum autem ſeu nomen reipublicæ conſiderantibus, omnium (1) enodanda venit vocis etymologia, (2) ſynonimia, (3) homonymia. His enim ſi in anteceſſum quaſi propoſita materia non liberetur, lapſus non facile aliquis cavebitur. Superſtitioſe tamen prolixi, quod alias vulgo fieri amat, in his eſſe nolumus.

XI. Quod itaque attinet etymologiam, manifeſtum eſt, quod reſpublica ex duabus integris compoſita ſit dictio, quamvis, quod perinde eſſe remur, nonnulli disjungere has voculas malint. Nec refert quicquam, utra earum vel præponatur vel poſtponatur: convenit enim hic, quod communi alias proverbio dicitur, verba valere ut nummos.

XII. Synonimicas dictiones cum alii, tum imprimis Tullius operibus ſuis inſerit plurimas, ille, *Nomen eſt*, inquit, *reſpublica totius civitatis politia, libera civitas, ſtatus liberæ civitatis, communis res*. Idem 3. *de republ.* ait, *reſpublica populi res eſt.* Quod nos Germani efferimus die gantze Gemeine, die Stadt, Land und Leute, das Regiment. Hæc omnia enim appellatione reipublicæ in genere ſic dictæ veniunt.

XIII. Ambiguam etiam eſſe reipublicæ vocem, variisque varie ſumi ex Plutarchi libello *de tribus rerumpublicarum formis* docet nos Philippus Hœnonius *lib.* 1. *diſp. pol.* 1. *th.* 2. Apud Ariſtotelem vero tribus tantum præcipuis ſignificationibus obvia reperitur. (1) Latiſſima 3. *pol.* 4. & 4. *pol.* 2. & hoc modo ſumto vocabulo reipublicæ, omnibus omnino rerumpublicarum formis & rectis pariter & vitioſis eſt commune. (2) Lata 3. *pol.* 5. atque hoc ſignificatu vel ſolum ſtatum regium, vel optimatum, vel politicum, vel alium quempiam non herilem aut vitioſum denotat. (3) Strictiſſima & propria ſignificatione obvia eſt vox reipublicæ apud Ariſtotelem 3. *pol.* 5. & 4. *pol.* 2. & hoc modo ſtatum præſefert quadantenus popularem, juſtum ac rectum, opponiturque democratiæ ſive plebejo regimini: talem enim ſtatum Græci & plerique politicorum *πολιτεῖαν* nuncupant. Atque hac tandem ſignificatione nos inpoſterum vocem reipublicæ uſurpabimus.

XIV. Placet autem, quoniam omnis noſtra diſputatio de republica eſt futura, ante definire, quid ſit ejusmodi reſpublica; *omnis enim*, (verba ſunt *Cic.* 1. *off.*) *quæ a ratione ſuſcipitur de aliqua re inſtitutio, debet a definitione proficiſci, ut intelligatur, quid ſit id, de quo diſputetur.*

XV. Definimus itaque cum Ariſtotele 3. *pol.* 5. *ἡ πολιτεία, ὅταν τὸ πλῆθος πολιτεύηται πρὸς τὸ κοινὸν συμφέρον* i. e. *reſpublica eſt, ubi multitudo gubernat ad communem omnium utilitatem.*

XVI. Haud equidem nos latet, non vulgus tantum politicorum, ſed & nonnullos omniſciolorum, ſpeciem, quam modo, præeunte Philoſopho, definivimus, non modo cum populari ſtatu vitioſo confundere, verum etiam rejicere & a rerumpublicarum numero prorſus excludere, quod videlicet hæc forma nihil a democratia abeat, ſed omnino eadem ſit. Verum, niſi vehementer fallimur, imperium turbæ vulgaris (ita enim democratia Polybio *l.* 6. vocatur) immane



Digitized by Google

quantum differt a politia & contrariatur eidem, ut malum bono. Democratiam enim paſſim ipſe Ariſtoteles reſpicere ait ad utilitatem egenorum tantum & pauperum: Politiam vero in univerſum omnium civium, in ſocietate civili degentium, procurare ſalutem, etenim æquale ibi eſſe jus omnium civium.

XVII. Porro etiam prioris opinionis aſſeclas abſurdos eſſe vel inde conſtat, quod Philoſophus ſingulis fere civilis ſuæ ſcientiæ pagellis veriſſime aſſerat, tres eſſe formas ſimplices rerumpublicarum rectas totidemque aberrationes & labes: quod ſi verum (uti certe ſummi Ariſtotelis fidem temere in dubium vocare fas non eſt) bona ratione ſequitur, politiam in numero rerumpublicarum & quidem juſtarum ſimplicium eſſe habendam.

XVIII. Quas præterea ratiunculas pro ſtabilienda ſua & coloranda opinione afferant, haud ignoramus. Dicunt enim, quod univerſi & omnes cives conjunctim ſumpti, ſibimetipſis ſimul imperare & parere nequeant. Namque ubi ſunt omnes imperantes, ibi non poſſunt eſſe parentes. Argumentari pergunt amplius. Ubi nullus eſt ordo imperantium & parentium, ibi nulla eſt bene conſtituta ſocietas, ubi autem illa non eſt, nec ibi eſſe poterit reſpubl. multo minus ea, quæ in ſpecie ita dicitur. Et ſane, ut ſcitiſſime loquitur Arniſæus hujus quondam Juliæ magnum decus *l. 2. de reip. conſt. c. 2. Ubi omnia ſunt æqualia, ibi periit diſtinctio parentium & imperantium, ſine quibus reſpublica ne cogitari quidem poteſt.* Sed nobis etiam hic incidit, quod Tullius quondam dixit. *Nihil tam abſurde cogitari potuiſſe, quod non aliquis Philoſophorum ſibi defendendum ſumſerit.*

XIX. Cæterum facilis eſt errorum ſolutio & argumenta eorum plumbeo, quod ajunt, jugulari poſſunt gladio. Manibus ambabus ipſis quidem largimur, neminem imperare & parere eodem tempore, atque idem ſecundum idem & reſpectu ejuſdem, nunquam & eſſe & non eſſe poſſe. At hæc etiam aliquatenus ſeſe habere poſſe, indubium eſt. Et vero, ut rei veritas magis magiſque clareat, notandum eſt, illos eoſdem, qui politiæ præſunt, alio tempore reſpectuque alio, & ſubeſſe & obedire poſſe. Etenim cives politicos conjunctim ſi conſideres, revera omnes imperantes aliquo modo exiſtunt, h. e. eos, qui ſunt in magiſtratu proprie dicto, dum vere imperantes legunt & conſtituunt, per quos ſcilicet πολίτευμα ſive τὸ κύριον exerceant. Sin vero diviſim eos conſideres & ut ſingulos, revera omnes quodammodo parent, quodammodo imperant: quoniam & illis ipſis, quibus imperii ſumma a civibus conjunctim ſumptis eſt delata, jure obedire tenentur ſinguli, & ipſi illi, qui funguntur magiſtratu, coguntur obedire totius populi concilio.

XX. Hanc noſtram ſententiam pedibus inire videtur Petr. Gregor. Tholozanus *l. 5. de republ. c. 2. n. 3.* quando ita, verbis pene Ariſtotelis uſus, inquit: *Popularis reipublicæ propoſitum eſt libertas, ad hanc enim reſpicere dicunt omnem popularem ſtatum: libertatis vero ipſius pars una in eo conſiſtit, ut per vices imperent ac pareant. Populare itaque ſumi ad magiſtratus omnes ex omnibus, ac præeſſe omnes unicuique & unumquemque viciſſim omnibus.* Hæc ille non minus ſcite, quam erudite.

XXI. Hiſce jam jactis quaſi fundamentis, rem ipſam aliquanto penitius ponderare, noſtrarum forte partium erit. In definitione noſtra dicere nos meminimus, requiri, *ut multitudo gubernet.* Per multitudinem autem Philoſophum noſtrum intelligere omnes omnino cives in republica viventes, ejus ſcripta pervolventibus liquido apparebit: quandoquidem ipſi non inſolens eſt, vocibus *multi* & *omnes*, niſi quid impediat ac pro re nata (perinde ut interdum fit in ſacris literis) indiſtincte uti. Obvia hæc uſurpatio cum alibi, tum inprimis *libro de poetica* Ariſtotelis; *nam, ait, πάντες omnes pro hac voce πολλοὶ multi ſecundum tranſlationem dictum eſt, quia πᾶν omne eſt πολλόν τι multum quiddam.*

XXII. *Omnem autem civitatem conſiſtere ex quali & quanto 4. pol. 12.* Philoſopho noſtro rectiſſime eſt annotatum: nec forte alia ratione optimatum reſpublica adeo multum differt a politia, quam imperantium quantitate. Sicuti enim in ariſtocratia pauci ἄριςοι ſeu optimi præſunt, ita in politia multi, unde de qualitate eas quadantenus convenire, ad oculum pateſcit. Quippe virtute expolitos in utraque forma eſſe oportet, id quod niſi ipſum ἀριςοκρατίας nomen præ ſe ferret, probatu nobis eſſet hoc facillimum, & vero in politia etiam ſe rem ita habere, ſaltim non levi ex parte, teſte Philoſopho 3. *pol.* 5. certi ſumus.

XXIII. Cæterum politiam talem facile & paſſim dari poſſe, aut perfectam aliquam unquam datam fuiſſe, niſi eam, quæ eſt in civibus militari virtute præſtantibus aut militibus, dicere ita placeat, Ariſtotelis fidei innitentes omnino nobis non perſuaſum habemus. Is enim pulchre hac de re diſſerens. 3. *pol.* 5. ait, fieri poſſe, & quidem rationaliter, ut unus aliquis in civitate omnium virtutum choro ſit inſtructus, contingere etiam poſſe, ut pauci aliqui virtutibus inprimis illis cardinalibus, quas vocant, præ cæteris præſtent, ut autem multitudo omnis omnibus virtutibus ſit expolita, difficile eſſe.

XXIV. De virtute tamen militari Ariſtoteles hoc largitur: hanc enim in multitudinem cadere. *d. l.* expreſſis verbis aſſerit. Sic ſane olim in republica Romanorum pariter aliorumque, ſi non omnes, ſaltim plurimos hac virtute excelluiſſe; ex diuturnis illorum bellis liquido conſtare putamus.

XXV. Nemo autem ſibi perſuadeat, nos exinde colligere velle, eorum reſpublicas veram πολιτείας & perfecti ſtatus popularis habuiſſe naturam: ſpeciem ejuſdem eas, ſaltim interdum, habuiſſe non negamus. Uti enim ſola virtus bellica, non totum virtutum chorum, ſed partem tantum ejuſdem abſolvit: ſic politiæ nomen proprie non meretur reſpublica, in qua cives una duntaxat

Digitized by Google

duntaxat eaque ſola virtute militari ſunt præſtantes. Aſſerere potius licet, quoniam, uti ſæpiuſcule inculcatum eſt, omnes cives virtute omni inſtructos & boni publici procuratores eſſe non contingit, politiam extra illos *th.* 23. nobis recenſitos unquam fuiſſe, niſi & tandem eos illis annumeremus, in quibus præclare agitur, ſi ſint ſimulacra virtutis *Etiam hoc intelligendum puto neminem omnino eſſe negligendum, in quo aliqua ſignificatio virtutis appareat*, ait præclare *Tull. l.* 1. *de off.* Doctiſſimus Piccartus efferens quidem brevioribus, ſed non minus pulchris verbis, ait: *qui virtutes ament, vitia contra oderint.*

XXVI. Et hanc etiam communiter cauſam eſſe, perhibent, quod Philoſophus noſter vulgi morem ſecutus communi nomine eam remp. ſpecialiter ſic appellarit, nec proprio nomine dignatus fuerit. *Natura enim rerum conditum eſt, ut plura ſint negotia, quam vocabula*, ait recte Ulpianus JCtus *l.* 4. *ff. de præſcript. verb.* Ariſtotelem autem hominem emunctioris naris hoc non abſque ratione feciſſe, veriſimilius eſt, ipſe enim 3. *Pol.* 5. bona ratione accidiſſe, ait, quod hæc reip. forma generis nomen retinuerit. Natura enim omnes in republ. viventes facere bonos intendit: uti Platonis quoque doctrina eſt, naturam rem unamquamque perfectiſſimam facere voluiſſe, ac proinde in plantis ſenſus, in brutis rationis, in hominibus divinæ mentis veſtigia expreſſiſſe. Hiſce ita præſuppoſitis, non abſurde nos in hunc modum argumentari poſſe arbitramur. Quæcunque reſp. plurimos habet cives, perfecta quadam virtute præditos, magis finem aſſequitur, magiſque erit dicenda reſp. quam alia aliqua, quæ cives tales non habet: ſtatus Politicus hic vel popularis perfectus eſt talis. Ergo.

XXVII. Divinum vero Platonem hanc reip. formam ut raram & infrequentem ignoraſſe prorſus, aut, dum modo quinque, modo ſeptem conſtituit rerumpubl. formas, Politiam, tanquam ex pluribus aliis permixtam, adjeciſſe, unanimis eſt commentariorum conſenſus.

XXVIII. Et mixtam eſſe reip. formam politiam, quam nominamus, haud obſcure nonnulli modernorum politicorum ex verbis Ariſtotelis colligi poſſe, putant, quæ apud ipſum 4. *Pol.* 8. habentur, ubi politiam *μίξιν ὀλιγαρχίας καὶ δημοκρατίας*, *cinnum* (ita enim verbum *μίξιν* latine loqui faciunt interpretes) *oligarchiæ* & *democratiæ* Notorium namque eſſe, in oligarchia divites, in democratia autem imperare pauperes, indeque rationaliter ſequi, ordinem hunc divitum & pauperum, mixtionem quandam confuſionemque oligarchiæ & democratiæ parere.

XXIX. Cæterum poſſe quodammodo videri hanc regiminis formam mixtam, & quidem ex oligarchia & democratia, non negamus: Veram tamen mixtionem fieri, haud apparet. Nec enim vel divitiarum vel paupertatis proprie hic habetur ratio. Nec Ariſtoteles nude affirmat, mixtionem fieri, ſed addito illo *ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν*.

XXX. Indubium porro eſt, nec facile quis impoſterum niſi ineptus in dubium vocabit, Politiæ finem primarium eſſe & princeps requiſitum, *ut omnium omnino civium in rep. viventium utilitas attendatur.* Id autem quomodo fieri poſſit & debeat, paulo jam altius erit repetendum.

XXXI. Ut autem id obtineatur, neceſſum ſane eſt, uti lex imperet. In politia profecto id omnino neceſſarium eſt, ſi modo genuino politiæ nomine venire debeat, nec privatum loco publici commodi ſibi propoſitum habeat, adeoque, ne naturam ſuam prorſus invertat, periculum naſcatur.

XXXII. Leges autem in publicum omnium peræque civium commodum, cum ab imperita plebis fece ferri haud poſſint, a prudentioribus illud ipſum fieri neceſſum erit; ita tamen, ut & poſtea totius populi autoritas accedat, & latas illas leges multitudo unanimi conſenſu certatim approbet. In quam rectæ & genuinæ Politiæ conſtitutionis ſententiam ita *d. l.* Ariſt. loquitur: *Civili denique imperio apta multitudo eſt, cui natura quædam ineſt multitudo militaris, quæ poſſit imperare & parere ex lege, pro dignitate imperia divitibus diſtribuente.*

XXXIII. His plane gemina, nec forte rem minus illuſtrantia, ſunt apud eundem noſtrum Stagyritam. 4. *Pol.* 4. *Ubi non dominantur*, inquit, *leges*, *non eſt reſp.* (intelligit hic remp. in ſpecie ſic dictam) *omnibus namque legem quidem dominari oportet, de rebus vero ſingulis magiſtratus & rempublicam decernere.*

XXXIV. Hactenus, ni fallimur, potiora pleraque expedivimus, quæ *th.* 9. expedienda in nos recepimus. Superat tantummodo, ut coronidis loco pluſcula de morbis politiæ eorumque remediis ſubjungamus. Politiam autem eſſe ex earum numero, quæ maxime diuturna & ſtabilis, nec ita facile mutationibus ſit obnoxia reſp. ſæpius inculcat Philoſophus, inprimis *l.* 5. *Pol. c.* 1. *in fine* & *c.* 7. *ejusdem.* item *l.* 4. *c.* 11. ubi hanc hujus rei reddit rationem, quod in Politia magna ſit multitudo civium mediocrium, neque nimis divitum, neque nimis pauperum. Exinde mirum non eſſe, rariſſimos & pauciſſimos in ea exiſtere motus. Quis autem & qualis debeat eſſe civium politicorum cenſus, in præſenti haud diſquirentes, remittimus hujus rei cupidum ad Ariſtotelis *lib.* 4. *Pol. c.* 13. cui jungat, ſi velit, Giphan. peregregie ibidem textum ariſtotelicum explicantem.

XXXV. Verum enim vero, ut ut ſit Politiæ permutatio rara, imo rariſſima, imminet tamen eidem maximum periculum, ſi libertas periclitari incipiat, & tantum non collabaſcat. Nam uti omnis popularis ſtatus facile permutatur, ſi libertatis ſtudium inſuper habeatur, ita cumprimis hic morbus politiæ eſt proprius.

XXXVI. Huic vero morbo ut remedium præſentiſſimum quæramus, noſtrarum heic loci partium erit; neque enim ſufficit morbum cognoviſſe, niſi & eidem remedium adhibere



Digitized by Google

probe perdidiceris. Libertatem itaque haud conſervari rectius, omnino arbitramur, quam per virtutem illam militarem jam tum ſæpius nobis laudatam, & cum hæc virtus præcipue *in multitudinem cadat, nec aliter conſtare oporteat illam remp. quam ex iis, qui arma tantum habeant.* Ariſt. dicente 4. *Pol.* 13. non equidem videmus, quomodo iſtiusmodi reip. facies, civibus ſtrenue militantibus, adeoque libertatem vindicantibus, permutationem aliquam facile pati poſſit.

XXXVII. Hoc nihilominus maximo caveant opere Politiæ præſides, ne uni alicui præſtanti omnem armorum poteſtatem delegent. Nam ut in omnibus rerump. formis, in quibus uno plures rerum potiuntur, cum permutatione reip. ſemper eſt conjunctum viro magno & manu ſtrenuo magnam deferre potentiam: ita hoc cumprimis periculoſum eſt in Politia, quando præſertim unus ille potens militibus eſt in amoribus, tum enim facili negotio eorum ope adjutus, tyrannidem reip. poterit invadere.

XXXVIII. Videant denique cives politici, ne libertas tamen illa, qua de diximus in deteſtandam aliquam degeneret licentiam; ita ut in Politia quisque more & modo ſibi commodo vivat, nec ullius amplius imperium agnoſcat. Baſin idcirco veræ & genuinæ libertatis hanc eſſe remur, ut vivas juxta leges ex uſu reip. ſancitas, ſubjectus tuo magiſtratui, ea tamen conditione & lege, ut & tu aliquando magiſtratus capeſcendi ſis particeps. Ita ſane demum erit omnibus civibus politicis par civitatis jus atque honor.

XXXIX. De morbo præcipue politiæ interno ejusque remedio & curatione, reliquis minus gravibus prætermiſſis, pro inſtituto hæc paucula delibaſſe ſufficiat. De externis etiam politiæ morbis, puta inundatione, conflagratione, internecione hisque pluribus geminis, item de numeris fatalibus platonicis, variisque & vanis aſtrorum poſitionibus jam diu exploſis, ne verbulum quidem addentes, terminum diſſertatiunculæ noſtræ hic eſſe jubemus, Deum Opt. M. utpote a quo omnis præcipue civitatis mutatio & conſervatio dependet, ſupplicibus votis rogantes, ut quam expiranti patriæ Germaniæ poſtliminio reſtituit almam pacem, propriam & perpetuam eidem eſſe velit, jubeat.

### *COROLLARIA VARIA.*

*I. Poſt regna prima & antiquiſſima eſt Politia Ariſt.* 4. Pol. 14. *cujus rei rationem hanc reddit Giphanius ibidem, quod virtus militaris prima & præcipua fere cadat in homines. Natura enim ad ſui defenſionem prompta & propenſa eſt, qua de re præclare apud* Cic. 1. off. Principio, ait, generi animantium omni eſt a natura tributum, ut ſe, vitam, corpusque tueatur, declinetque ea, quæ nocitura videantur, omniaque quæcunque, ad vivendum ſunt neceſſaria, inquirat & paret, ut paſtum, ut latibula, ut alia ejusdem generis.

*II. Nulla rerump. rectarum ſimpliciter præ reliquis dici poteſt optima, nec ulla aberrantium ſimpliciter peſſima.*

*III. Imperium muliebre perperam nonnulli ſimpliciter rejiciunt.*

*IV. Seculi IX. Papas cum Platina & aliis rectius portenta, quam homines appellaveris.*

*V. Jus ſuperioritatis in imperio germanico ſibi Papæ inique arrogant.*

*VI. Sanctiſſimos, optimos & de eccleſia Dei bene meritos, certe aliis ſuæ ætatis longe meliores Papas, Imperatores conſtituerunt.*

---

# XVI.
## HERMANNI CONRINGII DISSERTATIO DE
# OLIGARCHIA.

*Reſpondente*
VALENTINO CRUGER, Quedlinburg.

ANNO MDCXLIII.

## THESIS I.

Tametſi de rerump. ſpeciebus diverſi diverſa ſentiant, nos tamen Ariſtotelis veſtigiis inſiſtentes, ſtatuimus pro diverſa ratione τȣ̃ κυρίȣ, diverſa quoque dari rerumpub. ſpecies. Cum vero τὸ κύριον τῆς πόλεως triplici diſtincto modo, ſi miſtionem omnem eximas, variet, certum quoque nobis eſt, tres diverſas ſimplicium rerumpub. formas conſtituendas eſſe; puta cum aut regitur civitas ab uno, aut a paucis, aut a plurimis.

II. Dividit vero ipſe Ariſtoteles 8. *Ethic. c.* 12. & 4. *Polit. c.* 2. dictas haſce rerumpubl. formas

mas in tres rectas, totidemque corruptas ſeu declinantes. Rectas quidem & laudabiles vocat eas, in quibus vel unus, vel pauciores, vel plurimi totum reip. corpus ita curant, ut omnium ordinum ſaluti proſpiciant, obliti commodorum privatorum. Declinantes contra, in quibus itidem vel unus, vel pauciores, vel plurimi, nulla omnium habita ratione, ad privatos uſus cuncta intervertunt.

III. Nec obſtat, quod 1. *Rhetor. c.* 8. quatuor tantum reſp. Ariſtoteles recenſeat, videlicet monarchiam, ariſtocratiam, oligarchiam & democratiam: Regnum enim & tyrannidem, ſicut id citato loco ipſemet innuit, ſub monarchia comprehendit, nomine vero democratiæ tam politiam quam democratiam complectitur, vulgi more loquens.

IV. Cæterum data rerumpubl. diviſio, ſciſſa in duas partes, in rectas nimirum & aberrantes, eſſentialis eſt, & ab utriusque tam rectæ, quam pravæ reipubl. fine ſumpta. Fine enim bonas reſpubl. a pravis differre, jam tum innuimus, cum iſtis bonum publicum, his vero privatum imperantium commodum propoſitum eſſe diximus. Finis autem cujuslibet cœtus aut ſocietatis eſſentiam determinat. Et vero, utut allatam Ariſtotelis diviſionem *lib.* 2. *Rep.* abſurditatis poſtulet Bodinus, legitima tamen illa eſt, neque non communi Dd. ſuffragio & applauſu ſemper recepta & approbata. Videatur hac de re Dionyſius Halicarnas. *Rom. Antiq. l.* 2. *&* 4. & Herod. in *Thalia*.

V. Enimvero, quod Bodinus objicit, ſtante hac Ariſtotelis diviſione, infinitas etiam alias rerumpubl. diviſiones eodem prorſus modo conſtitui poſſe, v. g. a robore corporis, ab opibus, a forma, id ſane exinde non ſequitur. Non enim hæ res adeo immutant rempubl. quam ſi publici vel privati commodi habeatur ratio. Cum enim in hac rep. divites, in alia etiam pauperes imperio præficiuntur, id ſane, fatente ipſo Philoſopho *l.* 3. *Pol. cap.* 12. non adeo multum ſemper diverſitatis in bona rep. parit. Idem quoque de forma & robore corporis eſto judicium.

VI. Quod vero apud ſtolidas gentes formoſis tantum, ut Æthiopum regibus, autore Athenæo *l.* 3. *c.* 4. aditus ad imperium patuit, in aliis locis vero non niſi obeſis & pinguiſſimis, ut apud Gordios; alibi vero tantum robuſtiſſimis, ut apud Medos & Meroenſes, fatente Strabone *l.* 11. & Mela *l.* 3. *cap.* 10. hæc, inquam, gentium ſtolida conſuetudo veritati nihil præjudicat. Revera enim & hi populi hujusmodi corporis affectus per accidens tantum ſpectarunt, credentes ſcilicet, ut ut ſtolide, illis ſignis dignoſci, quantum quis valeat in republica gerenda. Ita ſane Chilenſes illum iudicarunt aptiſſimum ad rempublicam, qui quam diutiſſime grandem truncum humeris portaret: quaſi ſcilicet & humeris reſpublica debeat ferri. Quod refert Alfonſus Erzilla *in deſcript. Bellorum Chilenſ. cap.* 2. Et vero propter præſtantiam cujuslibet rei, puta pulchritudinis vel proceritatis ad civilem ſocietatem nihil plane facientis, ſummus magiſtratus deferri non debet. Unde nec verum eſt, ſi crude accipias, quod ait Euripides: πρῶτον μὲν εἶδος ἄξιον τυραννίδος. Et longe rectiori judicio uſus Homerus, viros heroës quidem a robore corporis & majeſtate vultus commendat, verum eosdem etiam inſuper αὐτομάτους ἀγαθοὺς vocat.

VII. Quod ſi autem corporis forma, in electione magiſtratus præcipue ſpectanda eſſet, ſequeretur, quod & robur corporis adeoque omne non civile bonum in participatione reip. attendendum eſſet. Unde porro illud ſequeretur abſurdi, quod forma, robur, nobilitas, divitiæ inter ſe comparabilia eſſent, ita quidem, ut ex. gr. formoſior in participatione reipubl. ſe præferre poſſet robuſtiori, & hic iterum illi. Præterquam vero, quod nimis ridicula hæc ſint, negat inſuper etiam ipſe Philoſophus *l.* 7. *Phyſ. & Metaph.* 10. res ſpecie diverſas inter ſe comparari poſſe. Nec porro etiam illi hic audiendi ſunt, qui vel exemplo Speuſippi dividentis omnia animalia in duo genera, inducti, vel ſimilitudine ventorum, teſte Ariſtotele, uſi, duo tantum rerumpubl. genera videlicet oligarchiam & democratiam conſtituunt, eoque omnia reliqua referunt. Utut enim hæc eorum diviſio non omnino abſurda ſit, longe tamen melior Ariſtotelis eſt. Imponit autem ipſis præpoſterus ille dichotomiæ huc aptandæ amor, quam tamen omnibus rebus accommodare ἀδύνατον eſt. Videatur Ariſt. 7. *Met. text* 41.

IIX. Omiſſis autem nunc aliis, ſtatim ad ipſam oligarchiæ, cujus naturam exponere in præſens conſilium eſt, definitionem accedimus, quam Ariſtoteles *l.* 3. *Polit. c.* 7. talem offert: *Oligarchia eſt reſp. ubi pauci divites, plures tamen uno, ſummam habent poteſtatem ad propriam reſpicientes utilitatem.* Eſt videlicet ſumma illa poteſtas in oligarchia, non minus ac in ariſtocratia, non penes unumquemque in ſpecie, nec penes univerſos diviſim, ſed indiviſim, ita quidem, ut neuter ſine altero de ſumma rei aliquid ſtatuere queat. Quod ſi enim unus poſſit altero inconſulto tributa & vectigalia exigere, alter autem jura pacis & belli cum exteris exercere, illa nec ſimplex reſp. nec proinde etiam oligarchia fuerit vocanda.

IX. Sed ob lacunas, vitio temporum in textum ariſtotelicum irreptas, nec vero ab ullo interpretum, Cl. D. Præſide *in lect. ad Pol. Ariſtot.* monente, recte animadverſas, data oligarchiæ definitio multis adhuc difficultatibus impedita hæret. Primo enim ſi quæratur, qualisnam obtineat ſtatus reip. ſi in una civitate contingat numerum pauperum parentium longe minorem eſſe numero imperantium divitum. Poſſe enim videri democraticum, quia plures civium numero, non vero pauciores imperant: poſſe & videri oligarchicum, quoniam divites ſunt cum imperio. Deinde, ſi mutata rerum facie, pauci pauperes, oppreſſis pluribus divitibus, ipſi rapiant imperium, recurrit quæſtio, quonam referenda ſit iſta reip. ſpecies. Porro, ſi in una civitate penes omnes æque divites reſp. ſit, idem manebit dubium, quonam nomine talis reſp. ſit inſignienda, cum nec oligarchia, nec democratia dici mereatur.

X. Verum reſpondemus, nec hunc ultimum, nec etiam cæteros in dubium vocatos caſus dari poſſe, eo quod nulla ratione fieri queat, ut in una civitate cives ad unum omnes, vel etiam plærique ſint opulenti & vere divites. Dives enim & pauper peræque, atque vocabula *magnum* & *parvum*, ſibi opponuntur. Quemadmodum autem unum idemque in reſpectu alterius dicitur magnum & parvum, e. g. homo maximus inter reliquos ſtaturæ ſatis proceræ, dicitur magnus: ſic etiam vocabula *Dives* & *Pauper*, in reſpectu aliorum aliter atque aliter ſumuntur. v. g. qui habet in ære mille thaleros, is reſpectu alterius, qui tantum quinquaginta habet, eſt dives, reſpectu autem alius, qui centum millia poſſidet, eſt pauper. Hoc fundamenti vice præmiſſo, apparet, plurimos utut in re lauta conſtitutos, cum aliis ſui ſimilibus collatos, non eſſe revera divites; ſed tantum illos, qui divitiarum ſplendore inter alios, tanquam inter ſtellas luna minores, eminent, præque omnibus caput ſuum efferunt, divites appellandos. Par eſt ratio de pauperibus, nec enim etiam fieri poteſt, ut omnes aut pauciſſimi in una rep. ſint pauperes. Inter cœcos luſcus rex erit.

XI. Ulterius quis quærat, in quonam igitur eſſentialis & ſpecifica differentia oligarchiæ conſiſtat; non enim eam in divitiis, ſicuti nec democratiæ in paupertate, utpote quæ res omnium rerump. accidentia ſint, collocandam videri. Apparere enim etiam in aliis rebuſp. imperantes nunc quidem divitiis circumfluere, inque omnium rerum abundantia vivere, nunc vero cum fame & eſuritione quaſi bellum gerere. Unum ad hoc etiam reſpondetur; divitias & paupertatem reliquis quidem rerump. formis accidere; hinc tamen minime ſequi, opes & pauperiem oligarchiæ & democratiæ eſſentiales & ſpecificas differentias non eſſe. Quod enim uni accidentale, id alteri eſſentiale eſt. Ut calor aquæ accidit, igni vero & ſanguini eſſentialis eſt. Curvitas item aliis rebus accidit, ſimilitati autem eſſentialis eſt. Ita vero nec abſurdum eſt dictu, paupertatem & divitias aliis rerump. ſpeciebus accidere, aliis vero, ut oligarchiæ & democratiæ eſſentiales notas eſſe.

XII. Probatur vero hoc poſterius inprimis inde, quia quocunque titulo oligarchici remp. ad ſe rapiunt, quove nomine ipſorum imperium maxime eſt inviſum & injuſtum, id ipſum etiam oligarchiæ eſt eſſentiale. Verum oligarchici nulla alia ratione, quam opum præeminentia ſtimulati, imperium ſibi arrogant, eoque nomine, non vero quia numero pauci, inviſi & injuſti ſunt. Simili prorſus modo democratici dum rerum potiuntur, non alia de cauſa male audiunt, odioque melioribus exiſtunt, quam quod homines illiberales, ſordidi & abjectæ plane ſint ſortis, qui quidem libertatem prætendant, ſed revera ut remp. quæſtui habeant, ſuamque inde ſublevare queant inopiam, ad gubernacula imperii aſpirant.

XIII. Hiſce ita excuſſis, ſatis liquet, numerum, ut paucitatem oligarchiæ, multitudinem democratiæ, differentiam tantum accidentalem eſſe: ita ut, ubi imperant divites, eo quod ſint divites, ſtatus oligarchicus ſit; ubi vero pauperes, ibi democratia obtineat. Quod ipſum Giphanius quoque & Piccartus contra Arniſæum & Bodinum recte ſtatuunt. Non obſtat vero, hanc a multitudine, iſtam vero a paucitate appellatam eſſe: quia enim ubique & ſemper inopum numerus excedit numerum divitum, inde factum eſt, ut ex perpetuis accidentibus hæ duæ rerumpubl. formæ nomina ſortirentur. Neque vero infrequens eſt, vulgo nomina ab accidentibus rebus indi. Habet autem perinde ſeſe res in omnibus prorſus rebuſpubl. cum bonis tum malis, quod ſcilicet numerus imperantium proprie non conſtituat reſpublicas, aut eas inter ſe faciat proprie differre: neque enim in ulla republica τὸ κύριον demandatur imperantibus propter numerum, verum propter longe alia, quibus cum numerus certus ſolet inſeparabili nexu cohærere. Ita fundamentum regii ſtatus conſiſtit in unius alicujus, ratione civilium bonorum, præcellentia ſive ex ſeſe, ſive ex populi conſenſu. Nec fundamentum aliud ariſtocratiæ eſt, quam non unius, ſed plurium præ omnibus aliis ἀξίωμα; aut πολιτείας proprie dictæ, quam alii democratiam vocant, jus aliud eſt quam quod inter omnes illos neque unus, neque multi valde excellant, ſed omnes pari pene ſint conditione. Ad eundem modum fatemur, paucitatem oligarchiæ & multitudinem democratiæ accidens aliquod eſſe inſeparabile. Imo non multum pugnabimus, ſi multitudinem & paucitatem habeas in exigua eſſentiæ parte, non vero contendas, his ſolis oligarchiam & democratiam conſtare & abſolvi.

XIV. Sicuti vero omnes aliæ rerump. ſpecies ſuum in quo fundantur, cuique innituntur, præfixum ſibi habent fundamentum; ſic etiam ſtatus oligarchicus peculiari ſuo, in poſſeſſione opum poſito, fundamento nititur. Nempe quum conſtet, inæqualibus inæqualia deberi, oligarchici ſibi ut ditiſſimis prima omnia deberi, contendunt: verum unicumque æqualitatis & inæqualitatis fundamentum in divitiis cum dignitate generis plerumque conjunctis collocantes. Quomodo ex adverſo plebs ſibi arrogare ſolet primas illo prætextu. Quod cum æquali ſit cum aliis libertate, æqualia autem æqualibus debeantur, ſibi quoque non minus atque aliis omnia ex æquo ſint concedenda.

XV. Verum ut plebeji, ita & hi divites noſtri vero juſto ſeu fundamento aberrant, nec illud ex toto, ſed ex parte tantum attingunt. Cum enim bona civilia, ad quæ in diſtribuendis reip. muniis reſpiciendum eſt, duum generum ſint, quorum alia ad ipſam civitatis eſſentiam, alia vero ad meliorem beatioremque illius conſtitutionem requiruntur: ſciendum eſt, propter neutrius ordinis bona ſeorſim ſumpta jure tribui omnia reip. munia. Deinde propter primi generis bona, qualia ſunt libertas, nobilitas, divitiæ, virtus bellica, non niſi aliquatenus, ſeu ſecundum quid tantum, magiſtratus peti & conferri poteſt. Propter alterius vero generis bona, ut ſunt juſtitia & virtus imperandi & parandi, non, quod Piccartus ſentit, tota reſp. perfecte & plene

Digitized by Google

plene peti tribuique jure poteſt: ſed potiora tantum reip. munia, quæ virtutem imprimis requirunt, ideoque cum honore omnium maximo conjuncta quoque ſunt, huc conferenda ſunt.

XVI. Quoniam enim ſumma rei, tantum debetur ſimpliciter illis, qui omni bono civili aliis ſuperiores ſunt, inique ſane agitur, ſi uni civium parti alteram vel virtute tantum, vel alio duntaxat civili bono, non autem ſimpliciter omnibus ſuperanti totum imperium deferatur. Dices, juſtitiam ad ipſam bonæ civitatis eſſentiam requiri, & proinde male ad ſecundi generis bona a nobis referri. Neque enim ullam ſocietatem, teſte Cicerone in *off.* neque ullum regnum, fatente Auguſtino *de civ. Dei l.* 4, *c.* 4. remota juſtitia, ſubſiſtere aut civitatis nomine venire. Sed reſpondemus: ad utriusque generis bona referri, non niſi aliquatenus poſſe & juſtitiam & virtutem bellicam; utraque enim, tam ut ſit civitas, quam ut beata ſit, opus eſſe, cum juſtitiæ ſint gradus & perfectiones variæ.

XVII. Hinc igitur patet; propter libertatem & opes, utpote ſine quibus civitas plane eſſe nequeat, tam oligarchicos, quam democraticos habere quidem aliquam cauſam vindicandi ſibi magiſtratus, verum eam eo usque extendendam haud eſſe, ut ejus tantummodo reſpectu, non accedentibus aliis bonis civilibus, ſumma rei ipſis ſimpliciter deferri debeat. Neque enim, ut modo innuimus, qui aliquo bono civili aliis ſuperior vel æqualis, ſtatim ſimpliciter illis ſuperior vel æqualis eſt, adeoque non ſtatim tota illi tradenda eſt reſpublica.

XIIX. Ne autem forte quiſpiam hic dubius hæreat, & quidnam ſit, quod tam oligarchicos quam democraticos in errorem deducit, ambigat, affert ſummus ille philoſophorum apex Ariſtoteles duas ejus rei cauſas. Unam videlicet *philautian*, alteram *incuriam ſeu incogitantiam*. Illa quidem lumen intellectus obfuſcat, eique caliginem offundit, dum, ut Piccartus in *l.* 3. *polit.* ex mente Philoſophi inquit, *intuemur bona noſtra, tanquam ebrii*, i. e. videntur ſemper bona noſtra nobis gemina & majora, quam revera ſunt, videmurque, ut idem ex Varrone loquitur, *omnes lacertæ, cum vix ſimus cochleæ*; contra ad errores noſtros cæcutimus, ad aliorum lyncei ſumus, Itaque alios ſupprimimus, nos attollimus.

XIX. Altera cauſa, ut dictum, *incogitantia* eſt; qua fit, ut juſtum κατά τι ſeu imperfectum poſſidentes, opinentur ſibi juſtum ἁπλῶς tale omnique ex parte perfectum eſſe. Sic divites, dum opibus antecellunt alios, arbitrantur ſe eos abſolute & ſimpliciter omni re antecellere. Itaque præ aliis omnibus ſibi ſolis imperium arrogant. Contra vulgus ſeu pauperes, dum libertate exæquant alios, itidem putant, ſe omni parte eos exæquare, atque fructum ex republica parem ſibi arrogant. Proinde & hi cum divitibus aliisque ſui diſſimillimis, æqualiter imperare præſumunt. Ex quo apparet, utrosque, relicto vero & perfecto jure, manco inniti.

XX. Cæterum recte docet Ariſtoteles *l.* 5. *polit.* totum hoc fundamentum, cujus intuitu imperii regimen oligarchici appetant, eſſe valde lubricum & ruinoſum, imo ipſis quoque oligarchicis tandem & contrarium. Quod ſi enim illorum ante allatum jus valere debeat, ut ſummam rei illi teneant, qui divitiis aut dignitate generis alios exſuperant, facile præſens quoque rerum ſtatus, exorto nimirum aliquo ditiſſimo aut nobiliſſimo, in alium transmutabitur. Neque vero erit, quod ab allegato antea ſuo jure quicquam præſidii tunc amplius exſpectent oligarchici. Ille enim, qui omnium ditiſſimus aut nobiliſſimus in republica exſtiterit, ductus eadem, qua ipſi antea nitebantur, ratione, totum imperium ſibi ſoli vindicabit, nullo relicto aliis non modo dignitatis, ſed ne libertatis quidem loco, qua de re minus illi ſolent cogitare.

XXI. Dices, nihilominus potiore jure divites, quam alios, reipublicæ præficiendos eſſe; etenim eos in patriam longe fideliores, fideique in contrahendis quoque rebus aliis eſſe obſervantiores. Propter quas cauſas enim perfidi aliqui & injurioſi in alios ſint, eas cauſas divitibus delinquendi non eſſe. Nec enim eos per egeſtatem æque ac pauperes ad fraudes & injurias aliis inferendas induci. Quod ſi enim illi fallendi artem præ ſe ferrent, ſane arceſſere ſibi ipſis ultro maximum periculum ſuas etiam opes perdendi. Ipſorum enim artis fallendi exemplo inducti alii, eodem prorſus modo & opibus illorum inſidias ſtruerent. Deinde patriæ quoque amantiores dici ideo poſſunt, quia, dum ipſorum opes, ut de Rom. teſtis eſt *l.* 16. Gellius, apud rempublicam obſidis vice pignorisque ſunt, illorum plurimum intereſt, rempublicam ſartam tectam conſervari. Illa enim pereunte, actum quoque eſſet de ipſorum opibus. Hinc & ſententia Philoſophi *l.* 4. *& 5. polit.* allata huc referri poteſt, qua ſtatuit eos, quorum ſalus cum ſalute reipublicæ conjuncta ſit, adminiſtrationi reipublicæ inprimis adhibendos eſſe.

XXII. Accedit etiam, quod divites honeſtiores & majori quoque virtute ſint, quam pauperes. Rectius enim illi a teneris erudiuntur, cum non deſit divitum parentibus, unde de bonis informatoribus ipſis proſpiciant. In confeſſo autem eſt, nulla re magis rempublicam juvari, magisque virtute homines imbui, quam bona educatione. Videatur præter Plutarchum Cl. Caſelius in *oper. ſuis polit.* Deinde cauſæ quoque, propter quas, ut modo dictum, relicta virtute in omni turpitudinis genere volutantur alii, tam longe a divitibus abſunt, ut ne voluptates quidem, quæ homines alioquin ut plurimum ad flagitia transverſos rapiunt, a regia virtutis via deflectendi ipſis occaſionem dent. Habent enim, unde cuticulam curare, inque omnis generis conceſſis deliciis vitam tranſigere poſſint, ſi velint. Unde apparet, variis modis præ aliis divites a vitiis abſtrahi, & ad virtutis amorem allici & proinde recte ipſis imperium quoque deferri. Comprobat hoc, quod diximus, ſapientiſſimus poëtarum Heſiodus, dum ait;

*Πλούτῳ δ' ἀρετὴ καὶ κῦδος ὀπηδεῖ.*

Et Theog.

Πλοῦτε

Πλῦτε θεῶν κάλλιϛε καὶ ἱμεροέϛυτε πάντων,
Σύν σοι, καὶ κακὸς ὢν, γίγνομαι, ἐσθλὸς ἀνήρ.

Et Eurip. in Archelao.

Τίς δ᾽ ὖκ ἂν εἴη χρηϛὸς ὄλβιος γεγώς.

XXIII. Similes porro rationes pro nobilibus quoque militant. Illi enim, dum præſtantioribus majoribus ſunt prognati, ſequuntur etiam juxta Platonem in *orat. funebr.* & vulgi ſententiam apud Ariſtotelem 2. *rhet. c.* 15. ſuæ naturæ ſemina. Et quoniam aliis generoſiores civisque appellatione digniores ſunt, inſiſtunt quoque fundamento civis firmiori. Suffragatur præterea nobilibus omnium gentium conſenſus. Videre enim licet apud eas, nobilitatem inprimis honorari & ſuſpici. Id quod inprimis comprobari poteſt teſtimonio antiquæ gentis germanicæ, quæ nobilitatem in tanto honore & precio habuit, ut non tantum jus προβυλίας in comitiis, teſte Tacito, principibus ex nobilitate lectis detulerit, verum & juris dicendi poteſtatem, non niſi maxima nobilitatis habita ratione, tribuerit. Confirmat alias hoc ipſum de omnium in nobiles favore etiam ipſe Cicero in *orat. pro Sextio*, cum ait: *Omnes boni nobilitati favemus &c.*

XXIV. Verum enimvero, etſi hæ ab Ariſtotele allatæ rationes nec ſolutæ tamen, nonnihil probabilitatis contineant, ſolvi tamen illæ partim etiam ex præcedentibus ſine negotio poſſunt. Primo enim, quod de divitum fidelitate in patriam & rempublicam afferebatur, ad id reſpondemus, poſſe ſane & debere etiam iſtarum rerum reſpectu aliquam reipublicæ partem divitibus concredi. At vero, ut tota reſpublica, aut potiſſima etiam reipublicæ munia, virtutem & prudentiam adminiſtrantium inprimis deſiderantia, divitiarum tantummodo nomine iis committantur, id vero haud juſtum eſſe, pronunciamus. Quod ſi autem opum acquirendarum gratia civilis ſocietas inſtituta eſſet, tunc haberent quidem oligarchici, quare ſeipſos in participatione reipublicæ aliis præferrent; æquum enim nunc omnino foret, ut illis, qui plus tributorum in ærarium publicum, quam omnes alii contuliſſent, plus etiam omnibus iis de imperio participarent.

XXV. Et licet hujus rei exemplum capere a belgicis Germaniæ ſeptem provinciis, quæ in unum fœdus quidem coierunt, non tamen in unam rempublicam, ut Hugo Grotius in *apologet. ſuo c.* 1. egregie demonſtrat. Neque enim ex fœdere niſi communem hoſtem & communia commercia habent, adeoque uniti tantum ſunt fœdere συμμαχικῷ, non jure civitatis, quod & de Helvetiis ſuis Simlerus lib. 1. oſtendit. Et cum ab omnibus provinciis non æque multum conferatur in commune, hinc in ſenatu fœderis Hollandiæ trium, Geldriæ, Selandiæ, Friſiæ duorum, Trajectinæ, Tranſiſulaniæ, Groningiæ ſingulis unius, ſuffragiorum in ferendis ſententiis jus eſt. Simile quid obtinet etiam in republica veneta, ubi nonnunquam ex Patriciis etiam adhuc juvenes in Rogatorum conſilium, ut vocant, recipiuntur, nulla alia de cauſa, quam quod publici ærarii inopiam privato ſuo ſumtu ſublevent, uti Donatus Jannotius in *dial.* habet. Verum cum alias ſatis conſtet, non propter corradendas opes, ſed propter actionem virtutis civitatem veram inſtitutam eſſe, non poterunt etiam oligarchicis divitiarum tantummodo reſpectu imperii faſces deferri. Probatur autem antecedens a Philoſopho *l.* 1. *polit.* ubi ait: pecunias eſſe vitæ civilis inſtrumentum, jam autem inſtrumentum non eſſe finem, ſed dirigi in finem, nemini non eſt notum.

XXVI. Quod præterea divites propter antegreſſam meliorem informationem virtute aliis dicebantur præſtantiores eſſe, ad id diſtincte forte reſpondendum eſt. Cum enim divitum alii ſint νεόπλυτοι, in quibus teſte Ariſtotele *l.* 2. *rhet. c.* 19. quaſi ἀπαιδευσία τῦ πλύτυ, alii vero ἀρχαιόπλυτοι, non ad illos, ſed ad hos id, quod de inſtitutione eorum eſt adductum, accommodari quandoque poteſt. Illi enim, dum recens divites facti ſunt, ob inopiam majorum deſtituti fuerunt ejuſmodi bonæ educationis adminiculis. Etiamſi vero, quod tamen rarius eſt, ditiorum parentum filii propter fidelem aliorum informationem eo in virtutis ſtudio nonnunquam pertingant, ut imperio, cui propter opes poſtea adhibentur, digni omnino ſint, ex accidente tamen illud & præter intentionem oligarchicorum contingit.

XXVII. Ad alterum de occaſionibus peccandi, quibus divites non ita exponi dicebantur, præclare, noſtro quidem judicio, reſpondet Piccartus, dum ait: *Voluptates ſæpe requirimus non obvias aut promtas, ſed furtivas malumus & cum alterius injuria conjunctas. Deinde omiſſa eſt cauſa*, inquit, *quæ divitibus pene innata & inſita videtur, faſtus videlicet & tumor, quo opibus ſuis præfidentes deſpiciunt alios & contemnunt. Unde contumelia, quam generoſum pectus minus concoquere poteſt, quam damnum aut injuriam aliam.* Et alibi idem ait: *divites honorati effrenes, injurioſi adeoque turbulenti & omnis imperii excuſſores ſunt.* Hisce aſtipulatur Heidmannus, *afferunt*, inquiens, *divites aliis ſuperbe dominari ſtudentes, elatum & contumacem ſuum animum, quaſi domo ſecum in rempublicam.* Nec diſſentit etiam ab hisce illa vulgi vox apud Ariſtotelem, in 2. *rhet. c.* 16. divites nominans *ſuperbos, contumelioſos & avaros.* Quibus ſane vitiis nulla capitalior peſtis reipublicæ afferri poteſt. Unde ſapienter admodum Timon apud Stob. *tit.* 16. ἀπληϛίαν καὶ φιλοδοξίαν i. e. inſatiabile habendi cacoëthes & honoris nimium ſtudium, omnium malorum & calamitatum elementa vocat. Hisce ὁμόψηφα Caſelius affert in πολιτευσομένω ſuo *c.* 10. ubi ait: *maximam reipublicæ peſtem potentiæ & divitiarum cupiditatem eſſe, nec facile, ſecundum Platonem, ſimul cum divitiis virtutem conſiſtere.*

XXIIX. Ad allatas poëtarum ſententias, ex mente vulgi forte prolatas, reſpondemus, eas non abſolute veras eſſe, aut forte paulo aliter, ac ſonant, intelligendas. Quod poſterius de verſu Heſiodi affirmat ejus græcus interpres Tzetzes, dum per Ἀρετὴν, τὴν μὴ ὖσαν δὲ, ἀλλὰ τὴν δοκῦ-

σαν

Digitized by Google

σαν, intelligit, a quo non multum abit Plutarchus, *qui in libro de audiendis poëtis* Heſiodum, rerum ſecundarum gloriam aut potentiam divitias conſequi, verſu ſuo innuere voluiſſe, autor eſt. Verum quicquid ſit, poſſunt facile iſtæ poëtarum ſententiæ contrariis ſapientum effatis enervari, uti inprimis iſto Lactantii *l. c. c. 6. Divitiæ non faciunt inſignes, niſi quos bonis operibus faciunt clariores.*

XXIX. Porro illa, quæ pro nobilibus ſunt adducta, ipſa itidem experientia refellere poteſt. Neque enim omnes videre eſt laudatiſſimorum ſuorum parentum virtutem repræſentare, contrarium enim etiam aſſerit his verſibus: Homerus *l. 2. odyſſ.*

Παῦροι γάρ τοι παῖδες ὅμοιοι πατρὶ πέλονται,
Οἱ πλέονες κακίους, παῦροι δέ τε πατρὸς ἀρείους.

Et non paucos conſpicias haud parum ab iſto nobili differre, qui a Franciſco I. Galliæ Rege jubebatur majorum ſuorum tabulas & inſignia probe cuſtodire, ne illis amiſſis, ipſi poſtea deeſſet, unde alio aliquo virtutis documento nobilem ſe alii probaret. Verumſi nobiles tam genere, quam virtute tales reipublicæ oligarchicæ præficiantur, idem quod de divitibus virtute conſpicuis adduximus, reſpondendum erit. Ad M. Tullii vero locum, de omnium in nobiles favore, liceat ipſum iterum audire Piccartum, hæc reſpondentem: *Subducamus ſane calculos & niſi pro uno decem contraria afferamus, herbam adverſæ parti porrigamus.*

XXX. Patet itaque, dum in oligarchia indigni ſummo loco ſint, & alii contra imperio longe digniores, ex civium albo ejiciuntur, nequaquam bonum illum eſſe reipublicæ ſtatum, ſed metum, ut Heinſius in paraphraſi ait, *reipublicæ abuſum, abortum, & prævaricationem.* Et Ariſtoteles quidem *l. 5. polit.* tam oligarchiam, quam democratiam, iniquam eſſe oſtendit inde, quod neutra requiſitum geometricæ & arithmeticæ æqualitatis temperamentum obſervet, iſtam enim modo geometricam, hanc vero arithmeticam tantum æqualitatem attendere. Et Cicero 3. *de republ.* (allegante Auguſtino locum 2. *de civit. Dei*) vocat talem ſtatum injuſtum ideo, quod in illo res non ſint amplius populi, ſed eorum, ad quos injuſte vertuntur. Gemella hiſce habet Polybius *l. 6.* Porro convincitur oligarchia etiam eo eſſe deterior, quod ariſtocratiæ formæ omnium optimæ opponitur. Illud enim malum, quod majori bono opponitur, eſt majus, ut 3. *Top.* Ariſtoteles ait: Et ex Alexandro Aphrodiſæo ulterius in *reg. philoſoph.* Cl. Stalius explicat.

XXXI. Oſtenſa vero oligarchici ſtatus pravitate, conſequens eſt, neminem, qui illi ſtatui præſit, eo viri boni nomen mereri poſſe. Cum enim, teſte Ariſtotele *in Ethicis* & Cicer. 3. *off.* virum abſolute bonum in omnibus deceat eſſe ἀμετάπτωτον, & καλοκἀγαθίᾳ ſeu virtutum omnium præſidio munitum, contraque quodvis vitiorum genus veluti mœnibus ſeptum, & vero certum ſit, quod in nulla reipublicæ forma, excepto regno & ariſtocratia ejuſmodi vir bonus ſit, multo minus in oligarchia talis erit. Totus enim iſtius imperii ſcopus malus eſt; unde dicere civem imperantem in ejuſmodi forma quatenus tali eſſe bonum virum, eſt contradictionem in adjecto committere. Et ipſe Ariſtoteles pro diverſa ratione reipublicæ civem bonum a bono viro disjungit & aliquando conjungit, ut *Eth. 5. c. 5. polit. 3. c. 3.* Idem quoque facit Cicero *lib. 10. epiſt. 1. ad Atticum,* & *epiſt. 9. ad fam. l. 1.* Porro cum in hac depravata forma cives naſcantur, (qui enim in oligarchia divitis parentis filius eſt, in ea ſimul civis eſt) virtus autem bono viro non connaſcatur, ut Ariſtoteles *l. 2. Eth. c. 1.* & *Magn. moral. l. 1. c. 6.* ait, vel inde diverſitas boni viri & oligarchici civis ſatis luculenter conſtat.

XXXII. Etiamſi vero ſtatus oligarchicus malus ſit, notandum tamen eſt, non omnem oligarchiam, ut nec omnem tyrannidem abſolute & ſimpliciter injuſtam eſſe. Peccaret enim alias non tantum omnis, qui tali imperio præeſt, ſed etiam liceret forte ſubditis, ejuſmodi ſervitute preſſis, jugum illud excutere, & ita vim vi repellere. Verum cum quidam mortalium brutis quam hominibus ſimiliores ſint, a quibus præter corporis uſum vix habeas, quod exſpectes, ut ipſe fatetur poëtarum princeps Homerus *l. 7. odyſſ.* dum ait:

Ἥμισυ γάρ τ' ἀρετῆς ἀποαίνυται εὐρύοπα Ζεὺς
Ἀνέρος, εὖτ' ἄν μιν κατὰ δούλιον ἦμαρ ἕλῃσιν.

Recte proinde etiam illis mancipiis, naturaliter ad ſerviendum deſtinatis, alii inſigni quadam virtutis excellentia ſupra humanam conditionem evecti heriliter imperant, ut *polit. l. 1. Ariſtoteles* fatetur, & Cicero in *lib. de republ.* citante locum Auguſtino *l. 4. contra Pelagium,* inquit, *Annon cernimus optimo cuique dominatum ab ipſa natura & cum ſumma utilitate infirmorum datum? cur igitur Deus homini, animus imperat corpori, ratio libidini iracundiæque cæteris vitioſis ejuſdem animi partibus?* Et ibidem: *Sed & imperandi & ſerviendi diſſimilitudines cognoſcendæ ſunt.* Nam ut *animus corpori dicitur imperare,* dicitur *etiam & libidini*: Sed corpori, ut rex civibus ſuis, aut parens liberis: libidini autem, ut ſervis dominus, quod eam coërcet & frangit: ſic regum, ſic imperatorum, ſic magiſtratuum, ſic patrum, ſic populorum imperia civibus ſociisque præſunt, ut corporibus animus, domini autem ſervos ita fatigant, ut optima pars animi i. e. ſapientia ejuſdem animi vitioſas imbecilleſque partes ut libidines, ut iracundias & perturbationes cæteras. Auguſtinus etiam *lib. 22. c. 21. de civ. Dei.* ipſe ait: *Juſtum, ut homines hominibus dominantibus ſerviant, quia hominibus talibus ſervitus utilis eſt &c.*

XXXIII. Hinc eodem etiam adducti fundamento Hiſpanorum quidam perſuaſerunt ſibi, Americanos juſto titulo a ſe ſubjugatos eſſe, adeoque ipſos, natura ſic volente, ſervire. Cum enim, redactis jam tum in poteſtatem Hiſpanorum Indis, de jure iſtius ſuſcepti belli demum quæreretur, & Joſephus Acoſta aliique religioſi viri de ſumma injuria Indis illata conquererentur, Johannes Sepulveda in aula hiſpanica contrariam plane ſententiam ſummo aulicorum applauſu



Digitized by Google

probare eſt aggreſſus. Aeque etiam dubitandum, quin de nonnullis Americanis populis recte ſtatuerit. Braſilienſes enim natura ſervos eſſe,& proinde recte etiam eſſe *in hominem cogendos*, ut Seneca ait, nemo facile negaverit. De omnibus vero id aſſerere,procul dubio non licebit. Peruvianorum enim & Mexicanorum nobiliſſimæ fuere reſpublicæ. In Chili item & Arauco nobiles quoque deprehenſæ ſunt ariſtocratiæ. De quibus meretur ſane legi Joſephus Acoſta *hiſtoriæ americanæ l.* 6. *&* 7. Cæterum conſilium, quod Alexandro Magno de Græcis regia pietate, Barbaris vero dominica majeſtate regendis dedit Ariſtoteles, vide apud Plutarch. *in vita Alexandri M.* Quanquam in eo, quod omnes Perſas natura ſervos eſſe voluerit Ariſtoteles, aſtipulari ei haud poſſimus.

XXXIV. Verum, inquiat aliquis, annon etiam populo natura libero, ſibique ipſi conſulere idoneo,dominice liceat imperare? ſed reſpondetur: talem ſervitutem ſive unius hominis, ſive integri populi eſſe contra naturam. At non omne, quod contra naturam eſt, injuſtum ſtatim eſt, licet alias converſio ex parte bona ſit. Actiones enim humanæ natura juſtæ aut injuſtæ tunc proprie efficiuntur, ſi illa,quæ vel vetuit,vel mandavit natura, aguntur, aut violantur. Non vero, ſi contra illa, quæ non tam determinavit, quam ſuaſit natura, aliquid committatur. Etſi enim id, quod contra ea, quæ ſuaſit natura, agitur, minus quidem laudabile ſit, injuſtum tamen non eſt, nec recte etiam contra naturæ leges fieri dicitur, ut Cl. Præſes *in diſp. de jure* aſſerit. Quod ſi primi homines peccato ſe non contaminaſſent, nec quidem illa, quæ natura conſulit, transgreſſi fuiſſent: jam autem ſæpe transgrediuntur, imo majorum malorum vitandorum cauſſa etiam coguntur transgredi, ac proinde a lapſu illo emerſit novum aliquod jus gentium,ſupra moribus & malitia hominum ita fundatum, ut ex duobus malis ſemper minimum eligat. Sic revera malum eſt, ut homo prudens innocensque bello captus ſerviat, at majus eſſet malum, ſi occideretur: jus ergo gentium ſervitutem introduxit, quo evitetur illud majus malum. Vid. Hugo Grotius *l.* 3. *c.* 7. *de jure belli & pacis* & Dn. Scoto *l.* 4. *q.* 2.

XXXV. Deinde poteſt fieri, ut quis obtineat in populum ingenuum imperium herile legitimo modo acquiſitum,vel per hereditatem ad ſe delatum; ut Salomon,qui cum ſuis anteceſſoribus non invitis Iſraëlitis, ſed potius efflagitantibus, ut ex *l.* 1. *Samuel. c.* 8. patet,ſecundum jura regum, qualia petierat populus, dominice & ſatis dure imperavit. Fallitur enim Cuneus, qui ex Rabbinorum libris perperam ſcriptis,illa jura vere regia fuiſſe, ſtatuit. Porro contingere etiam poteſt, ut teſte etiam Cicerone 2. *off.* quidam populus majoris mali evitandi gratia vel ſimili de cauſa ſervitutis jugum ultro ſubeat, ut olim populus Collatinus Livio *l.* 15. *&* 7. Et Cappadoces Strab. *l.* 12. Et Græci, Dione Pruſæenſi *orat.* 15. teſte,in Romanorum aliorumque poteſtatem ultro conceſſerunt. Quod ſi itaque juſtus titulus penes imperantem ſit,ſerviendum illi omnino eſt, ut vir incomparabilis Hugo Grotius in libro ſuo de bello & pace ait. Ex quo & id apparet, non omnino Piccarto aſſentiendum eſſe *comment. l.* 3. *in Ariſtotele c.* 17. dicenti, *omnia regna, in quibus reges non excellenti & heroica virtute ſuperant ſuos ſubditos, eſſe abſolute contra naturam & injuſta.*

XXXVI. Hisce pro ratione inſtituti noſtri præmiſſis, reſtat, ut de variis oligarchiæ ſpeciebus earundemque itidem conſervatione & corruptione quædam ſubjungamus. Eſſe autem non unum, ut vulgo creditur, ſed plura oligarchiæ genera,Philoſophus ex diverſis nobilium generibus oſtendit, facitque hinc quatuor oligarchiæ ſpecies. *Prima* eſt, cum magiſtratus creantur ex cenſu non maximo quidem, tanto tamen, ut pauperes, etſi plures numero ſint, ab imperio arceantur, quicunq; autem cenſum legibus definitum nacti ſint, in ſocietatem imperii adſciſcantur. *Secunda*, cum itidem ex cenſu, at non ita magno, magiſtratus conſtituuntur,ita tamen, ut ab imperantibus deſignentur. *Tertia*, quando in magiſtratibus non quilibet dives ex civibus, ſed filius parenti ſuccedit. Qualis reſpublica obtinuit olim Friburgi Wetteraviæ. *Quarta*, quando pauci divites, ſuæ libidinis ductum modo ſequentes, excuſſo omni legum imperio, reipublicæ pro lubitu dominantur. Hanc vero ultimam ſpeciem tyrannidi & democratiæ affinem, vocat Philoſophus omnium deterrimam, proprioque nomine δυναςείαν. Obtinuit illa Athenis, ut ex Diodoro Siculo *l.* 14. *c.* 2. *& orat. Areopag.* patet, imperantibus triginta tyrannis, Romæ itidem triumviratu Lepidi, Antonii, & Auguſti, ut videre eſt ex Floro *l.* 4. *c.* 5.

XXXVII. Cauſæ vero, quare tres priores oligarchiæ ſpecies non tam ex imperantium libidine, quam legum præſcripto gubernentur: aſſignandæ hic quoque erunt. Et in prima quidem ſpecie ideo legum vigor adhuc obtinet, quia,dum plures iſti imperantes in re mediocri conſtituti, non multum lucri ex publico percipiunt, non poſſunt etiam ſemper omnes, poſthabita rerum ſuarum cura, reipublicæ vacare. In ſecunda vero ſpecie, dum propter majores opes cives iſti audaciores quidem potentioresque ſunt, non tamen ita potentes, ut extra omnem ſuſpicionem periculi conſtituti, nihil habeant ſibi a multitudine metuere, ideo etiam adhuc leges conſtituunt. In tertia ſpecie itidem adhuc aliquam legum rationem habent, *ne*, ut Piccartus ait, *in poſteris occaſum dignitatis ſuæ ſentiant.* Dum enim jus ſucceſſionis ad ſolos poſteros reſtringunt, & lata lege illis imperium ſtabiliunt, non licet in omnibus ipſis eſſe ἀνόμοις, nec lex ſucceſſionis quoque abrogetur. Eſt autem quarta hæc oligarchiæ ſpecies ſatis mala, ſeque inſtar tyrannidis quadantenus habet. Secunda minus mala eſt, omnium autem optima eſt prima, ſi modo optimam eam vocare liceat, cum nec bona proprie dici poſſit. Unde Piccartus *lib.* 4. *pol. c.* 2. cum Ariſtotele ejusmodi locutionem,tanquam minus philoſophicam, in Platone reprehendit. Ipſemet tamen Piccartus ſimili utitur *lib.* 4. *pol. c.* 14. *& lib.* 6. *c.* 6. & alibi.

XXXIIX. Porro

Digitized by Google

XXXIIX. Porro, cum in omni reip. ſtatu, teſtante Ariſt. *l.* 4. *Polit. c.* 14. tres præcipuæ partes ſint, videlicet ſenatus, magiſtratus, & judicia, a quorum bona vel mala conſtitutione non tantum totius reip. ſalus vel interitus dependeat, verum pro quarum diverſitate diverſæ etiam formæ oriantur, notandæ illæ & nobis hic imprimis veniunt. Eſt autem ex illis partibus principalior pars ſenatus, penes quem belli eſt arbitrium & pacis, poteſtas item ſocietates & fœdera ineundi vel diſſolvendi, leges condendi vel abrogandi, de civium morte pariter & exilio conſtituendi, de publicatione bonorum, correctione magiſtratuum itidem facultas agendi &c. Quarum deliberationum omnium pauci in oligarchia participes ſunt, ita quidem, ut ab iſtis paucis pro diverſa oligarchiæ ſpecie aliqui vel ex paucorum civium numero, aliqui vero ex pauciſſimorum ordine, non ſorte, ſed ſuffragio, habitaque ratione vel magni vel mediocris cenſus, eligantur, ita quidem ut alibi maximum cenſum adepti, maximi itidem magiſtratus conſtituantur, quique *τὸ κύριον* in rep. obtineant, at in minores, neceſſarios tamen magiſtratus eligantur illi, qui in re mediocri ſunt conſtituti. Deinde judices in hoc ſtatu ſumuntur non ex omni populo, ſed ſolum ex quibusdam, ſive de omnibus rebus, ſive de certis, idque maxime ſuffragio.

XXXIX. Obſervandum autem inprimis in omni oligarchia eſt, ſi ſtabilem & diuturnam illam velis, ne plebs prorſus a rep. excludatur, ſed certo delectu & numero vel ſine omni etiam cenſus reſpectu quandoque ad minores magiſtratus admittatur. Quod ſi autem aliquando propter felicitatem temporum ad mediocrem cenſum in prima oligarchiæ ſpecie requiſitum plurimi ex plebejis perveniant, adeoque ſummi quoque magiſtratus capaces fiant, major cenſus eſt conſtituendus, ne nimis magno plebejorum numero in ſenatum recepto, Patricii poſtea ſuffragiis a plebe vincantur. Obſervandum præterea eſt, ut maximis magiſtratibus imponantur maximi ſumtus & maxima onera. Qualia ſunt magna ſacrificia facere, & ad ea epulatum plebem invitare, ædificium publicum aliquod exſtruere, ſcholas fundare, &c. Hac ratione metu tantorum ſumptuum a petitione ejusmodi magiſtratuum facile plebs abſterrebitur, minus invidens eos aliis tanto ipſis conſtantes. Et divites hinc etiam ob exhibita magnificentiæ ſuæ monumenta immortalem nominis famam conſequentur, adeoque videbuntur jure imperare.

XL. Eſt autem inter oligarchias illa aliis moderatior, & ſtabilior quæ ſuis inſtitutis ad politiam quam proxime accedit, neque plebejos ab omni ſpe gerendi magiſtratus excludit. Secunda, quæ magis eſt intenſa & *τὸ κύριον* fere oligarchicum habet, eſt minus ſtabilis. Tertiæ, quæ adhuc magis cenſum intendit, eadem eſt ratio. Quarta vero, in qua imperantes voluntate pro lege utuntur, omnium deterrima eſt, & ut ultimam democratiam maxime conſervat *πολυανθρωπία*, ſic hanc ex adverſo paucitas civium tenuiorum inprimis perpetuat. Sicuti vero in univerſum democratias multitudo hominum, ſic oligarchias bonæ reip. deſcriptio atque ordo confirmare ſolet. Præterea ſunt etiam equites & gravioris armaturæ pedites oligarchiis præſidio & munimento.

XLI. Cæterum non ignorari hic oportet, ſæpe remp. aliquam eſſe oligarchicam, & tamen aliquatenus inſtitutis democraticis uti, & vice verſa ſæpe eſſe democraticam & nihilominus ex parte inſtitutis oligarchicis uti. Deinde notandum quoque, quod in aliam oligarchiam ſæpe omnia inſtituta oligarchica congerantur, in aliam pleraque, in aliam pauca. Prout autem illa inſtituta oligarchica varie inter ſe miſta ſunt, inde diverſæ quoque oligarchiæ oriuntur. Quanquam philoſophus tam in oligarchia, quam in aliis rebusp. minus probet, quod quidam rerump. formatores optime credant ſe conſulere rebuſpublicis, ſi ſemper omnia vel monarchica vel oligarchica præcepta coacervent, intrudentes v. g. in monarchiam omnia monarchica, in oligarchiam omnia oligarchica. Contingere enim non raro ait, ut formam aliquam nimis monarchicam vel oligarchicam reddere conantibus, non tantum non reſpondeat eventus, ſed & contra longe deterior enaſcatur. Erravit in hoc ipſe etiam Cato dum in fece Romuli verſans, omnia ad optimæ reip. idæam voluit conformare. Cujus rei ratio eſt, quod populus omnis non eſt eodem ingenio præditus: & ſæpe aptus quidem eſt, ut e. g. aliquid oligarchicum patiatur, non tamen omne, ut nec integram libertatem.

XLII. Sed cum ea, quæ ab initio non ſatis firmiter ſolideque ſunt conſtituta, non poſſint etiam perennare vel ætatem diu ferre juxta Ariſt. *l.* 1. *de cœlo c.* 5. *& Pol.* 4. *c.* 12. non poterit etiam oligarchia per ſe ruinoſa, non adhibitis ad ſtabilimen illius remediis aut fulcris, diu eſſe ſtabilis. Quare, ut quodammodo fulciatur, aptanda ei nonnunquam ſunt ſchemata iſta politica, ſeu ut Tacitus 2. *Ann. c.* 37. vocat, arcana imperii, quæ in conſultationibus publicis, in magiſtratibus, in armis, in judiciis aliisque exercitiis locum habent. Quorum 1. eſt, quando ad deliberationes quidem publicas promiſcue omnibus veniendi poteſtas datur, mulcta vero divitibus, ſi abſint, conſtituatur, populo vero non, aut admodum exigua pœna, divitibus contra maxima; 2. eſt, ſi non concedatur locupletibus magiſtratum ejurare, verum tantum pauperibus. 3. eſt, ſi a judiciis, divitibus abſentibus maxima pœna imponatur, tenuioribus vero immunitas concedatur, aut his parva, illis autem maxima decernatur pœna. In quibusdam quidem rebusp. fatente Ariſtot. non omnibus, ſed omnia ſua profeſſis, & in album civitatis, relatis licitum eſt conſiliis & judiciis intereſſe; quibus ſi non interſint, gravi pœna in eos animadvertitur, unde plurimi metuentes, ne tam grandes mulctas incurrant, ultro ejusmodi nominis profeſſione declinant. 4. Eſt, ſi divitibus arma imperentur, pauperes vero hac re ſubleventur, prætextu, ne impenſis faciendis graventur, reipſa, ne quid turbare queant. 5. Si divites in militaribus exerci-

ercitiis inſtituantur, quibus ſi non adſint, mulctentur, pauperes vero, ſi abſint impune habeant.

XLIII. Hiſce obſervatis oligarchicis ſophiſmatibus, pauperes, qui libertate abſentiæ in concionibus ſeſe oſtentantes credunt, ſe longe melioribus, ſi diis placet, privilegiis, quam divites frui, paulatim a concionibus, magiſtratibus & judiciis tecte excluduntur. Et ut porro divites deludendo populum, eo ſtabiliorem ſtatum ſuum reddant, poſſunt ipſi etiam citra damnum & noxam ſuam vel quosdam, vel etiam omnes ex plebe publicis deliberationibus adhibere, ita ut poteſtatem conſultandi ipſis concedant, conſtituendi vero ſibi ſolis reſervent. Deinde poteſt quoque, ſalvo jure oligarchico, abſolvendi reum poteſtas populo relinqui, damnandi vero divitibus reſervari. Hoc modo fit, ut plebeji, etſi honorarii, tantum pedarii & κώφα πρόσωπα in rep. ſint, ſibi perſuadeant, in partem reip. ſe quoque venire, adeoque nihil cauſæ ſibi eſſe, cur tumultuentur aut præſentem ſtatum non amplectentur.

XLIV. Ad mutationes oligarchiæ porro quod attinet, eſt illarum cauſa prima, ſi plebs & homines ingenui injuria vel contumelia afficiantur. Obtigit id ipſum Romæ poſt ejectos reges: nobiles enim oligarchici ingentibus uſuris populum expilarunt, quo factum, ut creatis tandem tribunis plebis, ſtatus mixtus oriretur. Evenit etiam in civitatibus nonnullis germanicis, ut patricii ſive vere, ſive falſo crediti ſint plebem injuria affeciſſe, ut Brunſvvigæ, Argentorati, Coloniæ, Auguſtæ & alibi, ubi magnos iſtos motus ad ſuſpicionem depeculatus a plebe excitatos magnæ, iſtarum rerump. converſiones conſecutæ ſunt. 2. Mutatur etiam oligarchia, ſi plurimi divitum ab omnibus honoribus reip. excludantur, paucis vero familiis, ut olim Auguſtæ Vindelicorum, & Lunæburgi obtinuit, & adhuc hodie Norimbergæ obtinet, omnia munera & honores deferantur. Et vero videtur hæc res etiam Venetis ac Batavis magnum malum minari. 3. Mutatur etiam hic ſtatus, ſi digladiantibus inter ſe principibus reip. plebs vel etiam exteri, animadverſis iſtis inteſtinis diſſidiis, occaſionem capiunt reip. evertendæ. 4. A Demagogis etiam hæc reſp. mutatur. Et 1. quidem, ſi aliquis ex ipſis patriciis aduletur tribus aut quatuor ſuis collegis, reliquos vero deſpiciat, ut olim Athenis ex triginta Tyrannis fecit Charides & Phrynichus, teſte Thucidide *l. 8. & Diod. Sicul l. 10.* 2. Si unus ex patriciis aduletur plebi, qualem adulatorem egit Romæ C. Jul. Cæſar. 3. Cum contendentium inter ſe divitum infirmior pars confert ſe ad plebem, eique blandiendo ad opprimendam partem alteram expetit auxilium.

XLV. Exiſtunt porro mutationes oligarchiæ, ſi nobiles fortunas ſuas abliguriant, & inde ære alieno oppreſſi, novis rebus ſtudeant, vel remp. depeculentur. Romæ talis decoctor, teſte Saluſtio, Catilina fuit, & ferente M. Tullio, triumvir Antonius, & ſi Svetonio & Plutarcho credimus, ipſe C. J. Cæſar, 2. Si oligarchiæ alteram oligarchiam ſuperinduant; quod fit, cum penes paucos quidem reſp. eſt, ſed non omnes tamen ex paucis maximorum magiſtratuum participes ſunt. 3. Facit etiam mutari oligarchias ἀπιςία ſeu diffidentia, quæ pacis & belli tempore inter oligarchicos intercedit. 4. Si mutuis ſe invicem injuriis afficiant oligarchici, tum in matrimoniis, tum in judiciis. 5. Si nimis impotenter & dominice oligarchici imperent, omniaque ſoli minima maximaq; munia ad ſe rapiant, nullis ne quidem magiſtratus ſimulacris, vel honorum inaniis cum plebe communicatis. 6 Si a divitibus luxu & voluptate diffluentibus, nulla educationis ratio habeatur, contra vero pauperum filii optimis ſtudiis & artibus, quibus generoſi ſpiritus ipſis ingenerantur, animum excolant, & iſtos poſtea voluptuarios, aſotos & Epicuri de grege porcos non modo contemnant, ſed etiam, *ubi tam practice quam ſpeculative ſapientes, & ad magna inclinantes redditi ſunt, contra tales principantes*, ut Iavellus loquitur, *inſurgant.*

XLVI. Tandem mutantur etiam oligarchiæ ex eventu, ſi in rebus proſperis, & ad voluntatem plebis fluentibus, ita locupletentur cives, ut ad definitum oligarchiæ cenſum plurimi ex plebejis perveniant, qui ejectis oligarchicis imperium ipſi rapiant. Contigit hoc olim antiquiſſimis Germaniæ urbibus ad Rhenum, Auguſtæ Vindelicorum, & Coloniæ agrippinæ, aliisque ubi poſtquam plebs numero, & opibus aucta, ſuas tribus paſſim & collegia jam haberet, nec ſatis pro conſervando ſtatu ſuo Patricii vigilarent, oligarchiæ in ſtatum democraticum commutatæ ſunt, ita ut hodie, præter Norimbergam, vix una aut altera amplius in Germania ſuperſit. Idem propemodum fatum manet etiam in repub. Batavorum nobiles, quorum quidem dignitas ante inſignem illam mutationem reip. illuſtri loco fuit poſita, at per mercaturam populus divitiis in immenſum auctus, ita emerſit, ut, ſuppreſſis nobilibus, vix relinquatur amplius priſtinus dignitatis locus. Turbavit etiam hæc res urbes italicas, Lucam Patavium, Bononiam, Genuam, Florentiam, &c. dum illas jam olim, narrante Ottone Epiſcopo Friſing. *in vita Frider. I. Barbaroſſæ*, nobiles cum infima plebe habitarent, nec tamen omnes pari dignitate eſſent. Non mutantur autem oligarchiæ ſemper in democratiam, ut Plato vult, ſed aliquando etiam in tyrannidem vel una oligarchia in aliam. Porro, nec ideo tantum oligarchia in democratiam mutatur, quod imperantes oligarchici depauperentur, ut idem Plato afferit, ſed etiam quia plures facti ſunt pauperes, & inde potentia etiam divitibus ſuperiores redditi.

XLVII. Hiſce probe cognitis, obſcurum eſſe nequit, quænam cauſæ hanc remp. tueantur & conſervent, alias enim quaſi ſcopulis, quos enarravimus, declinatis, diu hic ſtatus firmus & contra inſultus hoſtium invictus ſubſiſtere poteſt. Sed tamen, ut res tanto expeditior & clarior ſit, cauſas quoque conſervantes ſubjicere non abs re eſt. Primo autem ad conſervationem oligarchiæ

Digitized by Google

garchiæ facit, ſi imperantes tam erga ſuos æquales, quam erga plebejos adeoque omnes recte & decenter ſe gerant. 2. Si contentionibus & diſſidiis, inter nobiles & principes reip. maxime oriri ſolitis, ſancitis legibus occurratur. Hoc probe hodie obſervant Veneti, ſcientes oligarchiam maxime belli tempore periclitari, ſtudioſe ſibi cavent ab omni tam interni, quam externi belli gerendi occaſione. 3. Si pro diverſa conditione rerum & temporum diverſa etiam ratio cenſus ineatur, ita ut auctis vel imminutis civium bonis, definiatur etiam oligarchicis major vel minor cenſus. 4. Si caveatur, ne unus nimium honoribus & divitiis auctus eo potentiæ perveniat, qua reliquis poſtea metuendus ſit. Experti hoc ſunt Romani, prorogantes Cæſari contra leges per decennium provinciam, idem & Athenienſes Piſiſtrato cuſtodiam corporis concedentes comprobarunt. Hodie vero Veneti caute hac in re agunt, dum ne quidem ex ſuo genere prætorem bellicum temere creant, & alas tam hujus, quam ipſius ducis poteſtatem adeo arcte circumcidunt, ut illi altius, quam ſenatus velit, evolare non poſſint. In hoc circumſpecte etiam Norinbergenſes agunt, dum non niſi duos ejusdem gentis ſenatum ſimul inire permittunt. Quod idem nec Veneti negligunt, dum teſte Donato Jannotio, in conſtituendis triginta ſex electoribus, tantummodo binis ex una familia patriciis iſtius dignitatis per ſortem conſequendæ poteſtatem faciunt. 5. Si non concedatur, ut quisque ad proprium placitum, cum fraude reip. vitam ſuam inſtituat, ſed potius id opera detur, ut ſtatui reip. convenienter omnes agant. In hoc recte quoque ſe gerunt Veneti, dum per conſtitutos morum cenſores in ſingulorum vitam & mores inquirunt; decoctores, petulantes, aut ſimiles reip. noxios homines gravi indicta pœna coërcentes.

XLIIX. Sexto notandum quoque eſt, ut oligarchici, honore ſuo contenti, turpe ſibi cum Amm. Marcell. *l.* 22. ducant, lucrum ex quavis occaſione odorari. Quod ſi enim plebs divites videat absque omni ſtudio quæſtus innocenter in rep. verſari, non expetet etiam magnopere magiſtratum omni lucro deſtitutum, ſed lucroſis ſuis artibus intenta quieſcet. 7. Caveatur, ne ſummi magiſtratus cum plebe communicentur, ne tamen videatur plebs ſibi prorſus ſervire, leviora tantum munia eaque quæſtuoſa ipſi deferantur, ut ita communicatione alicujus imperii delinita, nihil tumultuetur. 8. Ad exemplum Venetorum gravius in eum, qui ex divitum ordine pauperem offendit, animadvertatur, quam ſi divitem læſiſſet. 9. Demortuorum bona, contra noſtram & Romanorum conſuetudinem, non per teſtamenta, ſed per agnationem more hebræorum aliis deferenda ſunt, ita tamen, ut ad unum non niſi una devolvatur hæreditas. Neque omnino nihil huc faciet, ſi juxta hebræorum inſtitutum ab ipſo Deo reip. iſti præſcriptum non concedatur, ut bona immobilia a civibus & peregrinis vendantur, niſi ad certum tempus. Hoc enim modo originarii cives minus depauperantur, minusque facile ab exteris exterminantur, & inprimis inæqualitas, oligarchiæ maxime adverſa, præcavetur. 10. Inprimis autem oligarchia conſervatur, ſi cives a teneris oligarchiæ convenienter inſtituantur, i.e. probe edoceantur, quæ ad firmitatem oligarchiarum faciunt. 11. Si ſecundum præceptum Ariſt. *l. pol.* 2. *c.* 3. & *l.* 6. *c.* 2. a Venetis hactenus recte obſervatum, ſummi magiſtratus non nimis diu aliis prolongentur, unde illis occaſio inſoleſcendi, aliis contra indignandi aut neglectum etiam ſui vindicandi oriri poſſit. Facile enim contingit, ut diuturnitate imperii quis inſoleſcens poſtea præſumat αἰὲν ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων.

XLIX. Ante omnia vero inter oligarchicos, omni ſimultate ſepoſita, bene conveniat: concordia enim & conſenſus, teſte experientia, vinculum & firmamentum omnis imperii eſſe ſolet. Tandem etiam divites omnibus, quibus poſſunt, modis pauperum benevolentiam ſibi demereri ſtudeant, & ſi non vere, ſaltem in ſpeciem ſinceri ſui affectus ſignificationem oſtendant, plus lucri plebi, quam ſibi ipſis ex publico admetientes. Hiſce igitur rationibus, oligarchicæ reip. inprimis conſervandæ accommodandis, ad uſum recte translatis, ſtatus hic ſatis diuturnus poteſt eſſe, & ſtabilis. Ut enim alias is, qui debilis valetudinis eſt, & viſceribus minus recte ſe habentibus, ſi temperanter & ſobrie tamen vivat, diutius ſæpe illo ſuperſtes eſt, qui optima quidem valetudine utitur, verum perpetuo compotandi & pergræcandi ſtudio inhæret: ita etiam ſtatus oligarchicus, ut ut alias malus ſit, ſi in viros prudentes incidat, ab iisque recte & convenienter adminiſtretur, diuturnior ſæpe eſſe poteſt bono reip. ſtatu, legitima gubernandi ratione diſtituto,

# XVII.
# HERMANNI CONRINGII DISSERTATIO DE DEMOCRATIA.

*RESPONDENTE*

ANDREA MULLERO.

Brunſvicenſe.

ANNO MDCXLIII.

Σὺν Θεῷ.

## THESIS I.

Neceſſe eſt, ut quicunque recte atque ordine de re aliqua inſtituit diſputationem, ab ejuſdem definitione faciat initium. Nos autem acturi de democratia, non abs re facturos eſſe, exiſtimamus, ſi priusquam ad hujus reipublicæ ſpeciei definitionem accedamus, in genere, ita tamen, ut brevitati ſtudeamus, præcognitorum loco, quot ab Ariſtotele enumerentur respublicæ, quæ rectæ & bonæ, quot itidem malæ & vitioſæ, & unde nomina acquiſierint ſua, præmiſerimus.

II. Illis enim ob oculos hic poſitis, & probe perceptis, non tantum in reliquis pertractandis expeditior erit progreſſus, ſed &, quo ordine omnia tradi poſſint debeantque, manifeſtum evadet: formæ ipſæ quomodo inter ſe invicem ſint pugnantes, & quaſi e diametro ſibi mutuo oppoſitæ, cuivis ad oculum clarius evidentiusque patebit.

III. Quemadmodum autem ſe habet τὸ κύριον civitatis, ſeu ſummum imperium, ita etiam ſe forma reipublicæ gerit. Hoc totum, ut de ſimplicibus rebuspublicis tantum nunc loquamur, interdum penes unum, aliquando penes paucos, aliquando autem penes plures eſſe neceſſum eſt. Quod cum ita ſit, ſive ſimpliciter unus pauci, multi ita imperant, ut publicam reſpiciant utilitatem, atque ad eam cuncta dirigant, respublicas ejusmodi & recte conſtitutas, & extra reprehenſionem eſſe, res ipſa evincit. In quibus vero omnia ſive unus, pauci, multi ad utilitatem ſuam dirigunt ac flectunt eas vitioſas eſſe, *abuſus meros*, uti eas doctiſſimus Heinſius appellat, merito exiſtimamus.

IV. Hæc eſt vulgata & ab omnibus recepta illa politiæ, ſeu formæ rerumpublicarum, quæ βίος τῆς πόλεως dicitur, diviſio, & ab Ariſtotele ab ipſo naturali fine civitatum, qui eſt utilitas non ſolum publica & communis omnium, verum etiam privata ſingulorum civium, omnino deſumpta eſſe videtur. Hanc igitur ſuam partitionem Ariſtoteles, ut hic, ita & in Ethicis *lib.* 8. *cap.* 10. conſtanter tueri & explicare ſolet; ideoque etiam Platonem, qui quinque tantum genera *lib.* 5. *de rep.* expoſuit, reprehendit. Idem Plato *in politico ſuo* tantummodo ſeptem genera rerumpublicarum facit. Hæc autem ſeptima Platonis forma non eſt ſimplex, ſed ex duabus pluribusve mixta ſimplicibus: quod vero ſextam omiſerit, & politiam neglexerit, tum temporis ejusdem raritas cauſa fuit, quod pulchre notat Piccart. *lib.* 3. *cap.* 7.

V. Quicquid ſit, manet tamen, etiam Platonem hanc diviſionem ſaltem aliqua ex parte agnoviſſe, quando urbium quasdam ab optimatibus, quasdam a populo, quasdam ab uno adminiſtrari docet, etſi eandem ad διχοτομίαν revocat *lib.* 3. *de* LL. ubi *Duæ*, inquit, *ſunt quaſi matres politiarum, ex quibus, qui alias omnes progenitas dixerit, recte dixerit. Et hanc quidem appellari monarchiam rectam, illam vero democratiam ſeu populi regimen: & illius quidem ſummam Perſarum natio, hujus nos tenemus.* Videntur enim hæc cum ſuperioribus ita quodammodo conciliari poſſe, ut Plato reſp. omnes vel ab uno, vel a pluribus gubernari putarit: plures illos aut eſſe omnes, vel aliquos, ut ita duæ ſpecies, imperii plurium optimatum nempe, & regimen populare, rurſus exinde oriantur.

VI. Cæterum diviſionem hanc rectiſſime a philoſophis ſapientiſſimis, tam græcis, quam latinis, exercitatiſſimisque Politicis approbatam atque receptam, nemo inficias ibit. Polyb. *lib.* 6. eam agnoſcit, ita inquiens: *Vere autem dici hæc a nobis clarum. Neque enim unius dominationem omnem regnum eſſe, ſtatim exiſtimandum: ſed eam demum, quæ a volentibus conceditur: & quæ conſilio potius, quam metu & vi regitur. Ita nec, ubicunque paucorum eſt potentia, par eſt arbitrari, eſſe optimatum principatum: verum ubi juſtiſſimi prudentiſſimique viri per electionem rerum ſum-*



Digitized by Google

*ma potiuntur. Similiter nec populi imperium jure dixeris, ubi penes quamlibet turbam poteſtas eſt faciendi quicquid voluerit, aut propoſuerit, ſed ubi patrius mos viget Deos colendi, parentes honorandi, ſeniores reverendi, legibus parendi: ii ſunt cœtus, apud quos, ſi vincit illud, quod pluribus viſum fuerit, populi imperium eſſe dici jure poteſt. Itaque genera rerumpublicarum ſtatui ſex debent: tria, quæ omnium ore jactantur, quæque modo poſita ſunt a nobis: tria cognata cum his naturæ, dominatum dico unius, paucorum, & turbæ vulgaris.* Cicero quoque libro 3. *de republ.* citante Auguſtino *lib.* 2. *c.* 21. *de civ. Dei*, adſtipulatur. Et vero quicquid ſcruteris, cœtum nullum ſocialem perfectum ſimplicem, ſine ulla harum formarum, reperies.

VII. Inter illas igitur reſpublicas, quæ a Philoſopho recenſentur, bonas naturæque conſentaneas, primum locum obtinet *regnum* ſeu imperium unius, in quo communis utilitatis, & publici boni ratio habetur. Dicitur & hæc gubernatio a Cicerone *lib.* 3. *de legib. c.* 2. regalis poteſtas; quo in loco quoque hanc primum ad homines juſtiſſimos & ſapientiſſimos fuiſſe delatam, affirmet. Idem hoc genus imperii antiquiſſimum eſſe, teſtatur, cum eodem loco ait: *idque in terris nomen imperii primum fuit.* Teſtatur & hoc Juſtinus *lib.* 1. *Principio rerum, gentium, nationumque imperium penes reges fuit.* Quam ſententiam Auguſtinus 4. *de civ. Dei cap.* 6. & Vives *comment. ibidem* ſuo calculo adprobat. Atque hæc gubernandi ratio, quod naturæ curſum quam proxime accederet, olim forte populis illis convenientior viſa eſt. Ejusque rei veſtigia non in hominibus tantum, ſed etiam in brutis cernimus. In apibus rex unus, Plin. *lib.* 11. *cap.* 17. *natural. hiſt.* dux unus in gregibus, & in armentis rector unus eſt. Et ut partes hominis vi unius cordis, ita & partes civitatis ſub uno rege maxime vigent. Inde etiam Homer. Iliad. β. cecinit:

εἷς κοίρανος ἔςω, εἷς βασιλεύς.

VIII. Verum licet hæc reipublicæ ſpecies rectiſſima, naturæque conſentanea eſſe videatur: tamen non ab omnibus gentibus usquequaque accepta atque obſervata fuit. Græci enim ex animo regium ſtatum oderunt, atque ſub rege vivere ſervile eſſe putarunt. Ideoque an regnum ſit bonus ſtatus, nec ne, res non caret difficultate. Sed quia vocabulo regni non unum idemque ſemper intelligitur, & ambiguum eſt, non erit etiam unius atque alterius regni ratio una eademque, ſed forma hæc huic civitati, vel regioni magis, illi autem minus conveniet. Quotuplex igitur ſit regnum, & quot ejus ſint ſpecies, uberius ex ipſo Ariſtotele peti poteſt.

IX. Secundo igitur loco recenſenda nobis venit *ariſtocratia*, quæ imperium paucorum, ſed plurium tamen, quam unius definitur. Hic autem ſtatus optimatum, vel quod penes optimos, & maxime virtute præditos, ſuprema ſit poteſtas: vel quod omnia ad civitatis, & qui ejus ſunt participes, utilitatem dirigantur, ita dicitur. Etſi vero ariſtocratiæ vocabulum non unum idemque ſignificat; rectiſſime tamen duabus potiſſimum hisce diſtinctionibus explicari poterit. Si 1. capiatur proprie de optima republica, quæ ex viris bonis, & ſimpliciter virtute præditis, non ex illis, qui reſpectu ſuæ civitatis boni ſunt, conſiſtit. 2. improprie pro eo genere reipublicæ, in quo τὸ κύριον non eſt penes aliquos abſolute, ſed aliquo modo & ex ſuppoſitione optimos, aliquo modo non: & hæc forma potius mixta, quam pura appellanda eſt. Omnino autem multis modis utraque hæc ab illa vera ariſtocratia, in qua ſola idem & ſimpliciter vir bonus eſt, & civis bonus, & viceverſa, eſt diſtincta. Hæc etenim duo nonnunquam ſeparata eſſe poſſunt, id quod ex epiſt. Ciceron. *ad Attic.* 2. *lib.* 10. pateſcit, qua ſcribit: *Gaudeo, te & viri boni & civis boni verbis eſſe delectatum.* Idem *lib.* 1. *ep.* 9. *ad Lentul.* teſtatur.

X. Tertio & quidem ultimo loco earum rerumpublicarum, quæ a Philoſopho rectæ vocantur, definienda nobis ſe offert *politia*, communi nomine ſpecialiter & κατ' ἐξοχὴν ſic dicta: quæ nil aliud eſt, niſi quidam quaſi cinnus & mixtura popularis nempe dominationis & paucorum, ut in ea & divitiarum & popularis libertatis ratio ineatur. Quod autem ſit imperium legitimum populi ad communem utilitatem ſpectans, definitur. Talis vero forma raro admodum ſe offert. Sæpe enim fit, ut unus aliquis virtute excellat, aut pauci: ut vero multi in quacunque emineant, hoc opus, hic labor eſt. In re militari poteſt fortaſſe fieri, ut fortitudo bellica in multitudinem cadat, & pariter in ea multi excellant, ut olim Spartani & Romani; verum in civitatibus multi, omni virtute præditi, & qui ſpectent bonum publicum, raro admodum reperiuntur. Eandem quoque cauſam, quod Plato hanc reipublicæ formam ignorarit, ejus infrequentiam videlicet, ſupra *theſ.* 4. fuiſſe, non immerito quis exiſtimarit: licet *in dialogo politico*, ubi ſeptem enumerat formas, hanc, utpote ex omnibus bonis formis optime mixtam & temperatam, ſeptimo loco adjiciat.

XI. Recenſitis igitur & expoſitis rectis & veris rerumpublicarum formis, paucis quoque liceat aberrantes & vitioſas nobis attingere. Nam iis, quæ ſunt extra vitium, ac reliquarum quaſi normæ, cognitis, etiam vitioſæ facile cognoſcentur. Ex contrariis enim, uno cognito, facillimo negotio cognoſcitur & alterum.

XII. Quemadmodum porro tres laudabiles ſimplices reipublicæ formæ a Philoſopho, magno illo orbis ſidere, ita etiam declinantes tres enumerantur: quarum utraque ex fine, quod & ſupra modo allatum, quem ſibi propoſitum habent, erit cognoſcenda. Illarum finis, ad quem omnia referunt, communis eſt utilitas & publica ſalus, quam etiam ſuis propriis rebus præponunt: harum vero eſt privatum commodum, neglecto prorſus communi.

XIII. Oppo-

Digitized by Google

XIII. Opponuntur autem hæ formæ ſibi mutuo, non omnes tamen uno eodemque modo. Quædam enim contrarie, quædam ſubcontrarie inter ſe pugnant. A regno tyrannis quam longiſſime diſcedit & ἐναντίως, quemadmodum bonum malo contrariatur. Hæc enim omnium peſſima: quippe quæ res rei præſtantiſſimæ eſt diſſimillima, illa neceſſario deterrima eſt. Ceteræ formæ ſibi invicem ὑπεναντίως quodammodo contrariantur.

XIV. Cæterum, ordine Ariſtotelis ſervato, perverſarum rerumpublicarum primo ſe offert loco *tyrannis*: de qua ut & hic agamus, reſtat, non quod prolixe & copioſe id faciendum eſſe exiſtimemus: verum quia ordo doctrinæ, ut in partem hujus diſputationis ipſa quoque veniat, exigit, non erit omittenda. Eſt autem hæc unius imperium, quod ad commodum privatum, non vero ad publicam dirigitur utilitatem; eodemque modo ſe in republica, quo ſe domini imperium in ſuos ſervos habet. Quemadmodum autem longiſſime a regno tyrannis abit, & e diametro opponitur, ita etiam, ſicut illud apud pleraſque gentes non invitas, verum volentes obtinuit, hæc a plurimis rejecta ac ſuis cervicibus excuſſa fuit: cujus rei exempli loco primi romani imperatores nobis eſſe poſſunt, qui ſimulac tyrannidem affectarent, opinione citius faſtigio deturbati ſunt. Etenim hoc imperium omnium deterrimum eſt, quia & in invitos & ſui commodi ergo poteſtatem exercet. Nemo igitur, cui ſanguinis ingenui vel gutta ſit, ejuſmodi imperio ſe ſponte ſubmittit.

XV. Et vero, cum olim ſæpius ſæpiuſque tyranni ſua poteſtate abuterentur, & quotidie in pejus ruerent, exinde factum, ut apud omnes incredibile odium ſui conflarint, & nomen etiam una cum re execrabile reddiderint, cum alias *tyranni tantum illi, qui poteſtate erant perpetua in ea civitate, quæ libertate uſa erat, dicerentur*: ſicut hoc ex Cornel. Nepot. Miltiad. in fine pateſcit. Ex odio igitur illo apud omnes ſibi concitato, eorum imperium etiam a quovis fuit rejectum, meritoque eam definitionem ab Ariſtotele illis tributam ſibi retinent: de qua tamen nonnulli conqueſti ſunt, quemadmodum Trajan. Boccalin. egregius ille ſcriptor *relat. ſecund. ex Parnaſſ. cap. 34.* jocatur.

XVI. Tranſeamus ad *oligarchiam*, quæ erit prolapſarum ſeu vitioſarum altera: ea eſt imperium paucorum divitum, qui omnia ad ſuam utilitatem referunt. Gignitur vero hoc imperium, ſi ſtatus optimatum a virtute aut utilitate publica deflectat, atque in omnibus ſuum proprium commodum ſpectet. Hæc ſpecies a Xenophonte πλουτοκρατία quoque denominatur. Divitiæ enim propria ſunt oligarchiæ nota; quia ejus eſſentia maxime in his, non vero in paucitate, ſeu numero imperantium, ut quidam putant, conſiſtit. Hæc enim paucitas vel multitudo tantum eſt nota per accidens. Siquidem ubique fere terrarum evenit, ut pauperes numero ſuperent divites, plebei nobiles. Nec ſane ulla fieri ratione poteſt, ut omnes in una civitate ſint locupletes, & opulenti: ſimiliter nec ut omnes ſint pauperes atque egeni. Et ſi fieri poteſt, ut multi imo propemodum omnes in aliqua republica ſint divites: revera tamen quidam erunt ditiſſimi, qui aliis opibus præpollent. Inter cœcos luſcus rex erit. In republica Genuenſium plerique in re ſunt valde lauta, pauci tamen ſunt revera divites, id eſt, qui præ aliis emineant. Oligarchici etiam divitiarum nomine inviſi ſunt & odioſi, non vero, quod ſint pauci. Illud enim iniquum eſſe videtur, hoc autem non.

XVII. Supereſt tertia, & quidem ultima ſpecies, *democratia*, de qua ſpecialiter loqui nobis eſt propoſitum. Prius autem, quam incipiamus, nonnullam quæſtionem præmittemus. Audivimus nempe, alias reſpublicas eſſe ad naturam compoſitas, alias præter naturam. Poteſt igitur dubitari & quæri; An ſpecies illæ aberrantes omni ex parte ſint injuſtæ ac iniquæ? Poteſt autem propter duas cauſas quæſtio illa inſtitui: primum, ſi injuſtæ, peccabit, qui præerit; debebat enim ad communem, non vero privatam utilitatem imperare: deinde ſubditis fiet injuria; vim autem vi repellere licet: nec enim eſt neceſſe, ut ingenuus vim patiatur. Verum reſponſio eſt in promptu. Negamus enim, omnes eſſe injuſtas; ſcilicet quædam tyrannides, quædam oligarchiæ poſſunt eſſe juſtæ, quædam non. Ariſtoteles *lib. 1. polit.* ipſe concedit; ubi populus natura ſervus; ibi imperium dominicum ſive herile natura quoque obtinere. Et ſicuti unus aliquis ingenio atque natura poteſt eſſe ſervus, ita fieri poteſt, ut integer populus ſit natura ſervili ingenio præditus. Illud quoque Hiſpani nonnulli ſuis bellis Americanis prætenderunt, quam ſententiam Johannes Sepulveda late propugnavit, monachis Hiſpanicis multis bellum Americanis contra omne jus gentium, & æquitatem inferri intonantibus. Cæterum Americani quidam non fuere natura ſervi. Certe reſpublica peruviana, vulgo Peru, item Mexicana fuere eximiæ; quanquam pleroſque Braſilienſes fuiſſe natura ſervos, non equidem negamus. Verum quicquid ſit, nos cum Philoſopho ſtatuimus, illos populos, qui natura facti ſunt ſervi, quando quidem ita natura vult, heriliter regendos.

XIIX. Verum enim vero major difficultas oritur ex illa quæſtione: An liberi homines ſint heriliter regendi; vel, an liber populus, qui poteſt ſibi ipſe conſulere, dominice queat imperari? Certum eſt, & procul dubio verum, talem ſervitutem fore contra naturam; at non ſtatim omne, quod repugnat primævo inſtituto, naturæ eſt injuſtum. Natura quædam juſſit, quædam vetuit; itaque hactenus jus naturæ non licet oppugnare, neque ſuo deturbare loco. Quod ſi homines in prima integritate perſtitiſſent, non potuiſſent, quæ natura, omnium mater, juſſiſſet, transgredi. Natura vero quædam ſuaſit potius, quam mandavit: contra quæ ſi agas, minus laudabile quidem eſt, peccatum tamen non eſt. Poſterioris ordinis eſt, libertas hominum ingenio & prudentia valentium; hi quippe, lege quadam & conventione facta, ſi libertatem amittant, aut aliis pareant, non eſt ſimpliciter iniquum. Fieri itaque poteſt, ut quis in populum

Digitized by Google

populum alias ingenioſum, imperium herile, & quidem hereditarium, vel alio modo acquiſitum, habeat. Fieri quoque poteſt, uti talis liber populus in ſervitutem ſe dedat alteri, majoris mali gratia vitandi. Verum, quia hæc a lege ſervitus, non vere & ſimpliciter eſt talis, ſed ſolum κατά τι & aliquo reſpectu ita dicitur, hæc quæſtio ab Ariſtotele *lib.* 1. *cap.* 4. *polit.* in utramque partem diſputatur; qui uberius quemque docere poterit. Habet etiam nonnulla, quæ hunc locum illuſtrant Hugo Grotius *lib.* 2. *cap.* 1. *de jure pacis ac belli.* item Auguſtinus *lib.* 19. *c.* 21. *de civ. Dei.*

XIX. Hisce igitur, ut & ſpeciebus rerumpublicarum pro ratione noſtri inſtituti in genere præmiſſis & cognitis, ad democratiam, ſeu popularem poteſtatem, nobis demum erit progrediendum. Ne quid vero hic per vaſtum agrum vagi palemur, intra hosce terminos noſtrum diſcurſum coërcebimus. 1. de definitione. 2. de inſtitutis. 3. de ſpeciebus & differentiis. 4. de mutationibus. 5. denique de conſervatione hujus imperii agemus.

XX. Cæterum definitur popularis ſtatus imperium multorum ſeu populi, in quo pauperum ſpectatur commodum, & omnia ad horum utilitatem referuntur. Seu ut ipſa verba Ariſtotelis *lib.* 4. *polit. cap.* 4. apponamus: *Democratia eſt, cum liberi & in his etiam pauperes numero plures rerum potiuntur.*

XXI. Cum autem ab intelligentia verborum rerum quoque dependet, ipſam etymologiam inveſtigare operæ pretium ducimus. Quemadmodum ergo monarchia a paucorum, ita etiam democratia a populi imperio nomen ſuum accepit. Accipitur autem vocabulum democratiæ vel generatim, vel ſpeciatim. Generatim de imperio populi, qualecunque tandem ſit. Speciatim vel meliorem in partem, vel deteriorem, ſumitur. Per populum autem intelligimus nobiles & ignobiles, optimates & plebeios, divites & pauperes, qui aut omnes, aut certe maximam partem imperii ſunt participes. Quamquam populus interdum ſolam plebem denotat. *Roſin. lib.* 1. *antiq. Romanor. c.* 17.

XXII. Porro dicitur in definitione, quod ſit imperium *multorum*, non quod numerus iſte ſit propria eſſentia hujus dominatus. Sicut enim oligarchia, etſi nomen habeat a paucitate imperantium, tamen ea ſola hic non conſideratur, quia in ariſtocratia etiam pauci imperium obtinent, & eſt tantum hæc nota non de eſſentia, ſed ab accidenti, ut loquuntur. Eadem ratio in democratia militat. Hujus enim eſſentia non in multitudine dominantium, ſed in paupertate conſiſtit, quemadmodum nec illius in paucitate, ſed in divitiis. Quocunque enim titulo oligarchia maxime eſt inviſa, & injuſta, id ipſum oligarchiæ eſſentiale: nulla autem alia de cauſa oligarchici, quam propter divitias, ad ſe dominatum rapiunt, non quod numero pauci ſint, ſed quod ſibi ſolis propter divitiarum exceſſum rempublicam arrogent. Eoque nomine maxime hæc ſpecies redditur inviſa atque iniqua. Similiter ſe habet democratia. Neque enim ulla alia de re æque odioſa eſt, quam quod penes homines, quibus res eſt anguſta domi, ſumma civitatis ſit poteſtas. Nec illi alio animo rempublicam in ſua poteſtate volunt eſſe, quam quo poſſint ex communi ærario diteſcere, ſuamque egeſtatem depellere, licet interdum aliud verbis præ ſe ferant. Exemplum ſuppeditat nobis apud Saluſtium Catilina, ubi inſtigat ſocios ad rempublicam democraticam, pauperes quandoquidem imperare volebat, aut velle hoc volebat videri, ut eo melius nomina ſua (erat enim obæratus) perſolvere poſſet: Cujus verba apponere libet: *at nobis eſt*, inquit, *inopia domi*, *foris æs alienum*, *mala res*, *ſpes multo aſperior*: *denique quid reliqui habemus præter miſeram animam? Quin igitur expergiſcimini? en illa*, *illa*, *quam ſæpe optaſtis*, *libertas.* Ubi autem pauperes dominantur, ibi vix aliter quam penes plures ſolet eſſe respublica.

XXIII. Cæterum in hoc regimine non ſolum multitudo populi, verum etiam æqualitas, & libertas eorum, qui cum imperio, conſideratur. Hisce enim tanquam baſi ac fundamento nititur, quæ ſi ſublatæ fuerint, aut inſuper habitæ, non diu ſartum tectumque conſervabitur, ſed e veſtigio corruet, atque id ipſum, quod ſuperſtruitur, citius flamma, quod dicitur, peſſum ibit.

XXIV. Hujus autem reipublicæ finem ſeu ſcopum, uti modo dictum, libertatem eſſe, vel communi hominum conſenſu, ac judicio comprobari poteſt. Imo adeo huic ſtatui propria videtur, ut apud ſcriptores nonnullos per libertatem nullus alius intelligatur ſtatus, quam democraticus; Quod ipſum & Tacitus voluit, cum *lib.* 1. *annal.* ait: *Libertatem & conſulatum L. Brutus inſtituit*: quanquam, ſi verum eſt dicendum, mutatio illa reipublicæ romanæ per Brutum facta, potius opinionem & ſpeciem popularis libertatis præbuerit, quam rem ipſam. Conſiſtit autem libertas in duabus hisce partibus, æqualitate nimirum & licentia. Æqualitas eſt, ut viciſſim omnes imperent, ac pareant. Hæc vero, quanquam in ſuo genere laudanda, & quoad poterit, obſervanda: *qui enim bene imperat, paruerit aliquando neceſſe eſt, & qui modeſte paret, videtur, qui aliquando imperet, dignus eſſe: Cic. lib.* 3. *de legib. cap.* 2. difficile tamen obtineri poteſt a populo, cum pauci reperiantur optimi, ex re autem reipublicæ ſemper ſit, ut imperandi vices ad optimos quosque devolvantur.

XXV. Duplex igitur eſt æquale, vel ratione numeri, vel dignitatis; ſicut ſe habet proportio arithmetica & geometrica. Notandum autem eſt, quod cum ſingulæ rerumpublicarum formæ ſcopum, quo nituntur, habeant peculiarem, & certum quod tueantur jus, atque amplectantur; ſuum quoque hic noſter habeat ſtatus. Jus nimirum arithmeticum, quo, nulla dignitatis ratione habita, omnium æqualitas ſpectatur. Ubi vero hoc jus viget, ibi ſummam penes multitudinem neceſſe eſt eſſe poteſtatem.



Digitized by Google

XXVI. Negat autem Philoſophus horum ſententiam: qui in democratia æqualitatem ſecundum arithmeticam, in oligarchia ſecundum geometricam proportionem æſtimandam ſtatuunt, eſſe ſimpliciter veram & bonam, quia hiſce tum impune pauperes, illis vero ditiores opprimere liceat. Tradit igitur, utrumque ordinem civium tam nobilium, quam plebeiorum ſimul eſſe ſpectandum: ita, ut omnium ſimul habita ratione, illud juſtum, ratumque, quod plurimis ex utroque civium ordine ſibi prodeſſe viſum fuerit, cenſeatur: ne ulla civium pars ſe poſtpoſitam atque neglectam fuiſſe ſentiat. Præterea addit, quanquam difficile factu ſit obtinere ſemper æqualitatem, facilius tamen eſſe, quam parti ſuperiori perſuadere, ut eam velit obſervare, ſeu jure invento & æquitate uti. Semper enim minus potentes & tenuiores de qualitate ſolliciti ſunt, eamque quærunt, potentiores vero iſtam non curant, neque reſpiciunt; jus enim in armis gerunt.

XXVII. Altera hujus libertatis nota eſt licentia, ſeu poteſtas in civitate vivendi, pro ſuo arbitrio: quod eſt licentiæ ſeu libertatis ſignum. Id quod Ariſtoteles a contrario probat. Nam ſi proprium eſt ſervitutis, non ex ſuo, ſed alieno vivere arbitrio, quod neminem præterit: Sequitur, ut non ex aliena, ſed ſua vivere quadra, proprium ſit libertatis, hoc eſt agere, quod velis. Hanc notam libertatis Plato *lib.* 8. *de republ.* nominat ἐξουσίαν ποιεῖν ὅ, τι τις βούλεται. Et Perſius *ſatyra* 5.

> *An quiſquam eſt alius liber, niſi ducere vitam*
> *Cuilibet ut voluit? licet, ut volo, vivere: non ſum*
> *Liberior Bruto?*

XXIIX. Dicitur autem poteſtas in civitate vivendi; & in eo verſari debet, non ut pro ſua voluntate quiſque, uti diſcinctus nepos, in diem vivat, ſed ut legibus civitatis adſtrictus ita vitam agat, & magiſtratui obtemperet, qui aliquando populos urbemque iterum ſuo imperio regere non indignus cenſeatur. Hoc ſane rempublicam ſpartanam diu ſalvam conſervavit, non quod Reges, uti Theopompus dicere ſolitus eſt, ſcirent imperare, ſed potius, quod cives parere noſſent. Alias iſta licentia potius eſſet diſſolutio quædam, quam libertas. Quippe ubi nimia eſſe cœpit, quidlibet molitur, neque legem ſe tenere putat ullam. Rectiſſime igitur Plato, cum ait: *Utiliſſimum certe eſt, etiam in ipſa libertate ab alieno arbitrio dependere, neque omnia, quæ facere libet, licere, quod nulla major peccandi illecebra, quam peccati impunitas detur.*

XXIX. Ex his ergo fundamentis, queis in populari ſtatu nititur imperium, libertate dico, & duabus ejus notis, imperandi & parendi ſcilicet viciſſitudine, & vivendi, prout quiſque velit, licentia, cuncta ejus exoriuntur inſtituta, quæ ad pauca revocata, pro ratione noſtri inſtituti, hic explicari poſſunt.

XXX. Videntur ab Ariſtotele enumerari duodecim. Quæ tamen omnia, quia ad conſtitutionem hujus reipublicæ maxime faciunt, non incommode ad tria ſumma capita exigi poſſunt: *Senatum, magiſtratum & judicia.* Nam cum hæ omnium rerumpublicarum principes atque primariæ ſint partes, atque ex eorum bona vel mala conſtitutione, vel ſalus, vel interitus reipublicæ exiſtat, tum & pro diſſimilitudine & differentia harum partium diſſimiles & diſcrepantes reddantur formæ, *polit. lib.* 4. *cap.* 14. Philoſophus ſapienti uſus conſilio, quomodo popularis ſtatus hiſce partibus utatur, paucis axiomatibus & quidem communibus explicat. Quæ & a nobis, ordine Ariſtotelis retento, hic recenſebuntur.

XXXI. *Primum* igitur eſt, ut omnes cives ex omnium civium ordinibus creandorum magiſtratuum jus habeant ac poteſtatem. *Secundum* eſt viciſſitudo imperii; hoc eſt, ut omnes in civitate ſingulis, & ſinguli viciſſim omnibus imperent. *Tertium*, ut magiſtratus omnes non ſuffragiis creentur, ſed ſorte ducantur: cum in hac ſpecie nec virtutis, nec generis, nec divitiarum ratio valeat. Excipiuntur autem ii magiſtratus, in quibus adminiſtrandis ſingularis prudentia & experientia requiritur. Tales enim cum judicio & ex delectu neceſſario ſunt conferendi. Cæteri fortunæ, quæ in populari civitate domina comitiorum eſt, committantur. *Quartum*, ut in eligendo non habeatur ratio cenſus, niſi forte exigui. Illud enim oligarchicum, hoc democraticum: quamvis interdum non omnem cenſum negligant. *Ariſtot. polit. lib.* 4. *cap.* 4. & 8. *Quinto* loco venit, eundem magiſtratum bis ſæpiusve eidem non committendum, aut raro ſaltem, aut paucis in magiſtratibus, & quidem levioribus id faciendum. Ratio eſt, quia hoc modo imperandi ordo ad omnes pervenire poteſt, nec ulla inæqualitas offendet, tum & nemo facile tyrannidem rapere poterit. Monet autem Philoſophus, hoc in ſtatu limitationem eſſe adhibendam, & magiſtratus bellicos, qui ad eundem ſæpe redire poſſunt ac debent, ab hac lege excipit. Eſt enim in paucis ſcientia rei militaris, virtutis autoritas, & felicitas, quæ in imperatore Cicero *pro lege Manilia* requirit. *Sexto* cavetur omnino, ne magiſtratus ſint diuturni. Livius *lib.* 4. pulchre: *Libertatis magna cuſtodia eſt, ſi imperia magna non ſines eſſe diuturna, & temporis imponatur modus, quibus non poteſt juris.* Excipiuntur autem & hic illi magiſtratus, quorum crebræ mutationes ſunt reipublicæ noxiæ, ut imperium militare, & quæſtura *politic. lib.* 5. *cap.* 8. Hæc ſunt inſtituta illa communia, quæ in hoc ſtatu ad magiſtratus pertinent.

XXXII. His igitur præmiſſis & cognitis, ut, quæ ob vicinitatem divelli nequeunt, junctim tractentur, ordo doctrinæ exigit. Sequitur nunc, ut de iis, quæ circa judicia verſantur, agamus, Hæc uno hoc continentur inſtituto: ut judices ex omnibus deligantur ordinibus, eiſque de omnibus aut ſaltem pluribus & gravioribus ac maximi momenti rebus poteſtas judicandi concedatur. Uti ſunt judicia reddendarum rationum, repetundarum, majeſtatis, ſeu illarum, quæ ad ſummam reipublicæ pertinent. Adde & his de bello & pace, de legibus, de magiſtra-

magiſtratibus, de privatis contractibus, in quibus civium facultates & famæ, præcipue ſi majoris ſint momenti, nonnunquam periclitantur: & ita deinceps. Sic Athenis olim Solon, judiciis in populum translatis, rempublicam eam ex parte popularem fecit: quod patet ex *politic. lib.* 2. *cap.* 10. Gracchi aliquando Romæ idem fecerunt, de quibus Plutarchus *in Gracch.*

XXXIII. *Proximum* eſt ab illo, quod de *Senatu*, tertia reipub. principe parte, agit: Penes concionem populi, hoc eſt βȣλὴν ſeu conſilium ex omni populo, pro civium magnitudine collectum, ſummam eſſe de omnibus vel majoribus ad rempub. pertinentibus rebus deliberandi & decernendi autoritatem, cæteris magiſtratibus vel de nullis, vel certe minimis, ſtatuendi poteſtate relicta. Hoc in Græcorum civitatibus Cicero *orat. pro Flacco* graviter reprehendit. Anacharſis Scytha Athenienſium rempublicam eleganti dicterio traduxit: *Athenis*, inquit, *viros prudentes de repub. conſultare, plebeculam vero rerum imperitam ſtatuere*, & *decernere vidi.* Plutarchus *in Solone.*

XXXIV. *Nonum* inſtitutum, conſilium magnum conflatum ex populo, ſeu quando ex omni civium numero quidam delecti præſunt reipub. maxime populare dicit: qualis Athenis quingenti olim fuere, quod indicat Thucyd. *lib.* 8. ubi Alcibiades, ſublata oligarchia, quæ eſſet Athenis, veterem democratiam redintegrari ſuadet, in eaque τὴν βȣλὴν, quingentorum virorum conſtituendam demonſtrat. Hujus conſilii magna eſt potentia, ſi deliberationum & judiciorum cauſa plebi nulla merces ſeu ſportula, quam Græci ἐκκλησιαςικὸν & δικαςικὸν vocant numeretur. Nulla prorſus, ſi aliquid mercedis popello dependatur. Tum enim omnes confluunt, & univerſam conſultationem & judiciorum poteſtatem, cum numero plures ſint, ad ſe transferunt Ariſt. *Polit. lib.* 4. *c.* 6. & *l.* 5. *c.* 5. & 6.

XXXV. *Decimum* eſt, mercedem ſeu ſportulam dare omnibus, qui publicis concionibus, judiciis, ac deliberationibus interſunt, ut eo frequentiores conveniant. Aut ſi hoc minus fieri queat, ſaltem magiſtratibus, judiciis, curiis ac concionibus majoribus, erogandum: & hæ, cum ſint aliæ ſtatæ ſeu ordinariæ, aliæ autem extraordinariæ ſeu indictivæ, iis ſaltim, qui ad ſtatus convocantur aſſignandum, cum in iis plerumque de majoribus, ſicuti de minoribus in indictivis frequentiſſime agatur. His enim ſportulis illecti, plures judicia & deliberationes frequentabunt, nec a magiſtratibus abhorrebunt. vid. *Polit. lib.* 4. *c.* 13. & *l.* 2. *de repub. Spartanorum* & *Cretenſ.*

XXXVI. Homines obſcuros, *undecimum* tradit, ignobiles, pauperes, & ſordida opificia exercentes, non plane a publicis honoribus & officiis excludendos. Imo omnia contra quam ſit in Paucorum ſtatu ſunt peragenda, in quo omnes genere, opibus, inſtitutione, inſuper horum ignobilium prorſus habita ratione, cenſentur. *Pol. l.* 4. *c.* 4.

XXXVII Supereſt *duodecimum*, & quidem illorum axiomatum ultimum. Quod cum coincidat, & fere idem ſit cum ſexto, cujus rationes ſupra jam reddidimus, cramben bis coctam his reponere nolumus. Et hæc de *Senatu.* Atque hæc propemodum communia totius ſtaſtus popularis ſunt fundamenta, quæ ab Arithmetica æqualitate, de qua paulo ante *aphor.* 25. diximus, anima illa popularis libertatis dependet.

XXXVIII. Pertinent huc, & non incommode referri poſſunt democratica illa σοφίσματα ſeu callida conſilia, quæ a Tacito *ſecundo annal.* arcana reipub. appellantur, quia nunc a cunctis animadvertuntur ac intelliguntur, quibus popellus ad ſtabiliendam ſuam autoritatem & potentiam adverſus nobiles & divites utitur.

XXXIX. Hæc autem vigent, quando tenuioribus civibus, ſi publicis concionibus, & aliis conventibus interſint, judicentque, loco eorum, quæ domi per illud tempus in laboribus ſuis neglexerunt, merces & præmium datur, a divitibus vero ſi abſtineant, nulla mulcta aut pœna exigatur. Ex quo manifeſtum, raro interfuturos divites, eo quod impune ſibi abeſſe liceat, & domi rei familiaris plus ſatis habeant, quod agant. Contra vero inopes propter ſpem lucri, quod inhiant, atque inde accepturi ſunt, frequentiores venturos. Atque hac via, & ratione pauperibus propter divitum abſentiam, quæ ſuam reddunt democratiam firmam ſtabilemque, facilius decernere licebit.

XL. Hiſce igitur omnibus nunc rudi Minerva expoſitis ac prolatis, ad *diviſionem* accedendum nobis erit. Diſpeſcit autem Philoſophus democratiam in quinque diſtincta quaſi genera, quorum aliud juſtius, aliud deterius, prout ad perfectum accedit propius, & ab eo longius remotiusque diſtat.

XLI. Cæterum, quare tot ſint differentiæ, & plures hujus formæ exiſtant ſpecies, ipſe Ariſtoteles reddit rationes. Primum, quia diverſæ ſunt partes ſeu conditiones, & vitæ genera populi. Multum enim per ſe differunt agricolæ, mercatores, opifices, & mercenarii. Deinde, quod ex inſtitutis popularibus deducit, quia democratiæ aliæ puræ, aliæ ſunt mixtæ, in quibus etiam quædam leges & inſtituta ex aliis rerumpub. formis ſunt deſumpta. Quod vero quinque tantum genera enumeret, procul dubio ideo factum, quod plura genera non dari in hiſtoriis obſervarit.

XLII. *Primam* igitur ſpeciem definit: adminiſtrationem reipubl. ad quam omnibus civitatem inhabitantibus patet aditus, ita tamen, ut ſecundum leges omnia gubernent, illudque ſolum, quod pluribus placuerit, ratum habeant. Hæc videtur omnium optima, & ad politiam, de qua *theſ.* 10. quam proxime accedere. Non excluduntur enim primores ab honoribus, ſed

æquali loco cum plebe habentur, omniaque ex legibus ad communem utilitatem referuntur. Et hinc quis dubitet, talem rempub. eſſe democratiam.

XLIII. *Altera* occurrit ſpecies, in qua cenſus aliqua habetur ratio, & pro ejus ratione, quamvis ſit exiguus, imperia ac magiſtratus diſtribuuntur. In qua tamen & illud obſervandum, ut qui hunc aſſequitur cenſum, is magiſtratuum particeps fiat: qui perdidit, ſeu non attingit, ab iisdem arceatur. Et hæc ſpecies magis eſt democratia, ita tamen, ut infima fex plebis excludatur.

XLIV. *Tertia* numero eſt, in qua omnes cives ſunt honorum capaces: exceptis iis, qui exceptione repelluntur. Utpote ſunt ignominia, macula, aut culpa quadam notati, aut vel genere laborantes, quales olim quidam fuere Romæ opulentiſſimi, tamen de genere vulgi: vel quod in pleriſque rebuſpubl. obſervatur, qui non ſunt utroque parente cive nati, illis ad rempub. aſpirare non licet. Quod Amſtelodami alibique in Batavis hodie obtinet, ubi nemo niſi Batavus natus ad remp. admittitur. Apud Græcos quoque, uti nemo poſſet eſſe civis, niſi civi aut utroque vel alterutro prognatus obtinuit: & hoc eſt, quod apud comicum dicitur, *Civem eſſe Atticam.*

XLV. *Proxima* ab illa ſpecies ſequitur, in qua omnibus, etiam pauperrimis, modo ſint cives, ad rempub. patet aditus, ea tamen lege, ut ex præſcripto legum præſint civitati. Excluduntur peregrini ac ſemiperegrini, id eſt, qui alterutro cive nati in civitatem irrepſere.

XLVI. *Quinta* denique & ultima eſt, quæ cætera cum præcedentibus habet communia, ſed hoc unum, quod omnis poteſtas, & autoritas ſit penes multitudinem, non vero penes leges, ſibi proprium. Hanc autem vix reipub. nomine dignam, nemo, niſi qui vim veritati velit inferre, negabit. Quod ipſum Iſocrates *oratione areopagetica* teſtatur. Eſt enim hæc confuſio vel colluvies quædam hominum, ubi ἐδεὶς ἐδενὸς ἰϐδὲν ἀκέει, qua a Platone ἐχλοκρατία, imo potius ἀναρχία nominatur. Rectiſſime igitur Chryſippus *lib. 2. de legib. Ubi nulla legum autoritas, ibi quoque nulla respub. Lex enim eſt fundamentum libertatis, fons æquitatis, mens, animus, & conſilium, & ſententia civitatis poſita eſt in legibus* Cic. *pro Cluent.* Accedit etiam, quod quaſvis leges hæc ſententia populi, pro lubitu abrogare, ſibi licere, atque ſua nova decreta & plebiſcita in illarum locum ſurrogare exiſtimet. Hoc dum fit, tyrannica quædam inſtituta accipit, & nil niſi crepat.

*Sic volo, ſic jubeo, ſit pro ratione voluntas.*

XLVII. Porro, quemadmodum hæc ab Ariſtotele democratia peſſima, ita e contrario, quæ ex agricolis conſtat, optima judicatur; non quod reliqua vulgi genera ſint nequiora, non quod peſſima, ſed quod ad rempub. hiſce inutiliora. Ex agricultura enim optime vivitur, quæ & diu rempub. conſervavit romanam. Populus enim, expulſis regibus, unde vitam ageret, niſi ex agris, non habebat. Ex ſacris literis etiam videre eſt, ipſum Deum populum ſuum, quem tamen optime vivere voluit, ad agros colendos coëgiſſe, de quo elegans extat locus apud Joſeph. *l.* 1. *contra Appionem*, & inſignis diſcurſus Cunæi *l.* 2. *de republ. Hebræor. cap.* 2. 3. & 4. Sed de ſpeciebus hæc hactenus.

XLIIX. Exoriuntur hoc loco quæſtiones: Rectene populus ſeu multitudo, quæ eſt *bellua multorum capitum.* Horat. *Epiſt. lib.* 1. pro ſua libertate & æqualitate ſibi arroget jus imperandi: Videtur quidem aliqua ex parte jure ſibi vendicare imperium, ſed tamen jure ſimpliciter & abſolute juſto non nituntur. Rationem ipſe Philoſophus reddit duplicem 1. etſi libertate ſint æquales, cæteris tamen virtute ſunt inferiores. 2. Quia plerumque de ſe & ſuis rebus perperam judicant. Qua cum quæſtione coincidit, an multitudo paucis optimatibus ſemper ſit poſtponenda. Nos reſpondemus; Non ſemper, aut ſimpliciter multitudinem ſuperari a paucis prudentibus. Sed notanda eſt differentia. Multitudo aut poteſt disjunctive aut conjunctive intelligi. Disjunctive ſi ſpectetur, tum ſemper eſt prudentia inferior, eſt enim hæc ipſa fex plebis, ad imperandum plane inepta. At vero conjunctive populus conſideratus, omnino ſæpe paucos eosque excellentiſſimos & prudentia & virtute vincit. Atque hac ratione tales multi, paucis optimatibus ſæpe ſunt præferendi. Hinc quoque democratiam juſtam eſſe poſſe, apparet, ſi populus collatis conſiliis, eam habeat virtutem, ut reſpub. recte gubernetur. Dein etiam quæri poteſt: An populus de rebus magni momenti judicare poſſit: hæc autem quæſtio ex proxima præcedenti reſponſione ſolvi poteſt. Ultimo denique: An quoque de rebus ad rempubl. pertinentibus, quæ populo quaſi ſunt ignotæ. Negat Ariſtoteles verum eſſe, neminem, niſi artificem de arte judicare poſſe. Poſſunt nempe melius ferre judicium, qui eorum operibus utuntur, quam qui eadem faciunt. Ut de cythara melius cytharoedus, quam artifex judicat, de epulis rectius convivæ, quam coquus. Unde Martialis *Aphor.* 220. jocatur.

*Non ſatis eſt ars ſola coco, ſervire palato:*
*Namque cocus domini debet habere gulam.*

Ita quoque cocos, ex Poſidippo apud Athenæum *lib.* 9. *c.* 5.

Καὶ τὰ ϛόμα γίνοσκε τῶν κεκλημένων.

Sed de his plus ſatis.

XLIX. Cunctis igitur illis nunc recenſitis, reliquum eſt, de *cauſis* hanc formam conſervantibus, quoad fieri licet, ejusque ratio expoſcit, loquamur. Quemadmodum enim medicinæ peritus non habetur, qui de corporis humani partibus, earumque natura ſatis bene diſputare

Digitized by Google

re ac diſſerere poteſt, niſi easdem in ſuo ſtatu conſervare, contra ægritudinem, morboſve remedia præſcribere, & ſi quid mali contraxerint, priſtino ſtatui reſtituere noverit: ita quoque politici nomen non meretur, qui tantum partes ad civitatem condendam neceſſarias, variaſque rerumpub. formas cognorit, niſi eaſdem in ſuo ſtatu conſervare, atque ad earum ſanitatem vel retinendam vel reparandam, utilia explicare didicerit. *Nam difficilius eſt provincias obtinere, quam facere: viribus parantur, jure retinentur.* Florus *lib. 4. cap. 12.*

L. Noſtri autem eſt inſtituti, ſicuti dictum de democraticis tantum agere ſtratagematibus. *Primum* quod ſe offert, in genere ad omnes pertinent reſpub. in eoque conſiſtit, ut omnia quæ illam mutare ac perdere poſſunt, vitentur: omnesque leges tam ſcriptæ, quam non ſcriptæ, quæ reipub. illi ſunt utiles, ad ejuſque faciunt conſervationem, introducantur. Bonis enim præſcriptis legibus obſervatis, non poteſt non reſpubl. pervenire ad eam diuturnitatem, quam Lycurgus Lacædemone ſua prudentia inſtituit, quæ per multa ſecula duravit: & ad talem, qua hodie Veneti fruuntur. E contrario autem his neglectis, *nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum univerſum ſtare genus, nec rerum natura omnis, nec ipſe mundus poteſt.* Cicer. *lib. 3. de legib.*

LI. *Alterum* eſſe poteſt, ne omnia populi dominatui, quo ejus potentia augeatur, ſubjiciantur. Inde enim populus, qui ſuos affectus domare nequit, redditur effrenis, ac petulans, & occaſionem movendi turbas ac ſeditionies nanciſcitur. Per quam facile quoque delabitur ad tyrannidem, eamque affectat, cum alias ſit natura tyrannus, quo nomine inſignitur a Cicer. *lib. 3. de republ.* Auguſtino referente *l. 2. c. 21. de Civ. Dei.*

LII. *Tertium* ſtratagema, quod ſequitur eſt, quando cura habetur, ne Demagogis bona & pecuniarias pœnas condemnatorum in ærarium publicum redigere permittatur. Hoc enim ſtatui populari periculoſiſſimum. Ratio duplex datur, 1. quia tum plebs condemnationem etiam optimorum civium appetere amat, ex quo non poteſt non ſeditio exoriri. 2. Divites quoque hoc ægre ferentes, contra præſentem ſtatum conſpirare ſolent, eumque mutare cogitant. Ut igitur tale quid præcaveatur, damnatorum opes ad fiſcum potius ſacrum referendæ, inque ſacros uſus ſunt redigendæ. Nam ut ii, qui alias in delicta proni, maneant in ſuo officio, eoque fungantur, ac ut populus ad damnandum minus ſit proclivis, hoc modo fiet; æque enim pæne metuetur, nihilque popello tradetur poteſtatis.

LIII. *Quarto* cavendum, ne publica judicia ſint frequentia, ſed quam pauciſſima curandum, & ut graves pœnæ in temere litigantes & accuſantes conſtituantur. Quo neglecto, reſp. perpetuis laborabit motibus. Opulentiſſimi enim, non tenus, aut infima de plebe homines, accuſabuntur, ab his ſiquidem nihil, ab illis vero multum exſpectatur lucri. Unde Phormio apud Terentium: *Aliis periculum, unde quid abradi poteſt, mihi ſciunt nihil eſſe.* Cæterum elegantem videamus locum de injuſtis iniquiſſimisque accuſationibus apud Ciceronem *Orat. Roſciana.*

LIV. *Quinto* opera danda eſt, ut vel omnes cives bene erga rempub. ſint affecti: aut ne ſaltem proceres, qui cæteris divitiis, prudentia, & uſu antecellunt, ipſi ſint infeſti. Hi enim ſi infenſo ſunt erga præſentem ſtatum animo, quid obſtat, quo minus dynaſtiam aut tyrannidem quandam facultatem nacti introducant: neque enim inferiores, viribus impotentiores contra ire poſſunt, ſed potius, quia *vana eſt ſine viribus ira*, ultro a potentioribus, quo volunt, ſe duci, quam trahi ſinunt. Quapropter etiam in quacunque reipubl. forma aut hoc præceptum ante oculos ponendum, & obſervandum, ut tam imperantes, quam parentes præſentem ament ſtatum, aut ſi non ament, ſaltem ne odio habeant, cavendum.

LV. Obſervari & *ſexto* debet, ut raræ conciones ſeu conventus civium, & rariſſima habeantur judicia, ut tamen iis omnibus totus populus interſit, ſtudendum. Igitur ad conventus populus etiam ſportula ſive mercede aliqua eſt invitandus, ne diſpendio rei familiaris motus manum a republica omnem abſtineat. Si rari autem ſint illi conventus, non ita ditiores gravabuntur, & ærarium, cum forſan non adeo magnus ſit vectigalium reditus, minus exhaurietur, tenuioresque pecunia indigentes, frequentiores apparebunt. Nam ærario exhauſto, ſportulæ ſi ſint diſtribuendæ, divites argento emungere velle, res illa ſeditionibus ac motibus non caret. *Polit. l. 5. c. 8.* Imo etiam hanc ob cauſam multæ democratiæ a demagogis, qui hoc in gratiam plebis factitarunt, ſunt everſæ.

LVI. *Septimo* denique, ne plus æquo plebs cum egeſtate conflictetur inprimis proſpiciendum. Egeſtas enim cauſa eſt, cur democratia ſit vitioſa, & paupertas ſeditionem, atque injuriam efficit. *Pol. 2. c. 4.* Etenim plebs, dum unde vivat, non habet, nemini amplius paritionem vel ſe dicto audientem præſtare curat, ſed quaſi deſperata huc illuc rapitur, nihilque, quod ad excitandas pertinet ſeditiones, intentatum relinquit. Rectiſſime igitur Sil. Ital. *lib. 3:*

*Eſt deforme malum, ac ſceleri proclivis egeſtas.*

LVII. Huic igitur univerſo malo nullum aliud remedium excogitari poteſt, quam ut egeſtas; quoad fieri poterit, de civitate pellatur. Primum autem hoc fieri poteſt, ſi egentibus de plebe ex publico ærario pecunia dividatur. Ex qua diviſione hoc illis commodi erit, ut aliquid agelli, unde victum ſumant, ſibi acquirere, & merces quaſdam ad mercaturam exercendam coëmere poſſint. Deinde ſublevari poſſunt, ſi mittantur in colonias & exteras provincias, ubi domibus & agris donati locupletentur. Tertio, ſi a divitibus pro certa mercede opera quædam perficienda præbeantur, tum & inde vitæ neceſſaria comparare poſſunt. Poſtea quoque



Digitized by Google

que, ſi quoad uſumfructum, non vero proprietatem cum pauperibus bona communicentur. Hoc in ſacris literis olim a Deo ipſo populo Iſraelitico mandatum videmus, ne agros ſuos omnino demeterent, ſed partem aliquam fructuum pauperibus reſervarent. Quod & hodie laudabili prorſus inſtituto in Belgio obſervatur: divites enim quam plurima, quibus egeſtati poſſit ſubveniri, in publicum contribuunt. Ex his vero ſeptem præceptis democratiæ, duo ultima hæc, quod notandum, maxime ad quintam, peſſimam illam ſpeciem, probe obſervanda, quibus poſthabitis, non poteſt non peſſum ire, ſubſultimque corruere.

LVIII. *Octavo* addi merito poteſt, cum primis ſtudendum, quo populus ſit perſuaſus, ſi temere quid moveat, graviſſimam ſibi divini numinis vindictam imminere. Nihil certe, motu illo religioſo, ad coercendos animos, fortius: & conſtat, multas democratias in motus pronas, ſolis ſacerdotum monitis ſuam ſalutem debere. Livius, Numam, qui Romam ſuperſtitionibus replevit, ſpectaſſe hoc, vult: & omnium primum, rem ad multitudinem imperitam, & illis temporibus rudem, efficaciſſimam, deorum metum, injeciſſe. Quin & Polybius Romanos laudat, & prudenter feciſſe autumat, quod partem eam, quæ religionem & Deos ſpectat, in repub. ſua ſic confirmarint & pene tragice extulerint, ut nihil ſit addere. *Quod mihi quidem videntur*, inquit, *plebis cauſa feciſſe. Nam ſi e ſapientibus viris rempub. fas conſtituere: nihil opus ſit tali inductione uti; at cum multitudo vana ſit, & varia præter leges appetat, iracunda ac violenta, utile fuit interno hoc terrore, & ſuperſtitionis velut tragœdia cohiberi.*

LIX. Supereſt igitur, nunc ut de *mutationibus* cauſisque, hanc formam corrumpentibus, nonnulla paucis in medium afferamus, eaque, quæ reſtant levi brachio perſtringamus. Hæc autem quanquam ex ſuperioribus facile cognoſci poſſent, quæ enim conſervant ſtatum præſentem, ſi negligantur, intereat muteturque neceſſe eſt: tamen quia de his agere ſupra promiſimus, & ut in partem hujus diſputationis veniat, neceſſitas requirit, ſingulariter de iis tractare jam nobis incumbit,

LX. Convertuntur autem democratiæ, vel in oligarchiam, vel in tyrannidem, vel in externam & omnium deterrimam democratiæ ſpeciem. Ex quibus videre eſt; quod & Giphanius notat, erraſſe Platonem, cum *lib.* 8. *de republ.* democratiam aliter mutari non poſſe, aut degenerare, niſi in tyrannidem, putarit. Degenerat autem popularis poteſtas in paucorum propter petulantiam, & nimiam licentiam eorum, qui populum factionibus diſtinent. Hi enim demagogi, quorum autoritas apud plebem, plus quam ferrum, valet, divitum & nobilium bonis invidentes, populi odium in eos concitant, eosque partim occulte, partim palam, quaſi plebis libertati & felicitati inſidientur, in ſuis concionibus falſo traducunt. Hoc divites & opulenti ſentientes, ne populus, qui libenter calumnias in divites jactas audit, eorumque bonis inhiat *Polit. l.* 2. *c.* 7. in eos involat, prævenire quam præveniri malunt. Primi igitur ipſi metu coacti arma capiunt, motaque ſeditione & oppreſſo populo, reipub. imperium ad ſe trahunt, oligarchiamque introducunt. Hujus autem mutationis, quam improbitas & impia demagogorum ſeu Tribunorum pleb. conſilia, nulla alia dari poteſt cauſa. Qui & olim apud Romanos ſtatum reipub. ita concuſſerunt, ut populus nulla alia re, quam horum petulantia, poteſtate ſua fuerit dejectus. Id græciæ etiam obtigit, uti, Græciam concionibus periiſſe, in proverbium abierit. Idem quoque de multis germaniæ urbibus propemodum dicere licet.

LXI. Sed pergendum, quomodo hic ſtatus mutetur, & præſertim antiquitus in tyrannidem mutatus ſit. Hujus autem tres a Philoſopho afferuntur rationes, quia demagogi olim non ſolum lingua, ut hodie, valuerunt, ſed quoque virtute bellica præſtantes fuerunt, quibus tempore belli tutela ſalutis publicæ committi potuerit. Hi enim aſſueti imperio, iterum privati vitam ducere non potuere, (quomodo de Miltiade Æmil. Prob. ſcribit; *multum in imperiis magiſtratibusque verſatus non videbatur poſſe eſſe privatus, præſertim, cum conſuetudine imperii ad ejusdem cupiditatem trahi videretur*,) ſed animum viresque invadendæ tyrannidis ſibi compararunt. Videtur etiam hoc accidiſſe, quod illis maxima imperia & ſummi magiſtratus fuerint demandati. eo quod populus multum ſibi de illis, quaſi communis libertatis propugnaculis, promitteret. His dignitatibus elati, facile tyrannidem affectarunt. Accedit etiam ad hujus reipublicæ converſionem, quod prioribus ſeculis civitates eſſent parvæ, hominesque rure delectarentur, non multum, quo pacto negocia civitatis adminiſtrarentur, ſolliciti.

LXII. Denique bonæ in malas mutantur democratiæ, ſi magiſtratus per ſuffragia imperitæ multitudinis ad improbiſſimos viliſſimosque devolvantur. Hac enim ratione per largitiones facillime ſuffragia emi, & nequiſſimi quique in magiſtratum eligi poſſunt. Talis mutatio tempore Demoſthenis Athenis facta eſt, de qua Iſocrat. *orat. Areopagit.* Atque hæ præcipuæ videntur nobis cauſæ, quæ in populari ſtatu aliquam efficiunt aut inducunt mutationem.

LXIII. Hiſce igitur omnibus, quæ faciunt ad ſuſtentationem hujus reipub. probe obſervatis, iisque, quæ turbæ ac mutationis quidquam dare poſſunt declinatis, non poteſt non reſp. hæc quam optime ſe habere, diuque ſalva, niſi ſingulari quodam fato prohibeatur, in ſuo ſtatu permanere. Verum enim, etiam optima conſilia interdum non ſuccedere, verum quoque etiam, ſtultiſſima feliciſſimum tamen nanciſci ſucceſſum; cujus exemplum in Alexandro M. habemus, de quo vide præclarum libellum Plut. *de Fortitud. Alexandri.* Quæ autem ſint fata, quæ nos hoc loco intelligimus, Chriſtianos latere nequit. Nihil enim numeris Platonicis diu jam exploſis, neque vanis illis aſtrorum poſitionibus, neque ſenio, quod a naturalibus cauſis invi-

Digitized by Google

invitabilibus proficiſcitur,amplius tribuendum. Summus autem ille Deus eſt, qui errores & prohibet & permittit: ſi nos nobis relinquat, plurima per imprudentiam committimus. Ille eſt, qui ſtabilit, frangitque reſpublicas: ille eſt, a quo omne in civitatem bonum malumque redundat. Succurrat ille Deus exſpiranti noſtræ Germaniæ, & priſtinum decus, auream pacem, exoptatam tranquillitatem reſtituat, eamque conſervet.

# XVIII.
## HERMANNI CONRINGII DISSERTATIO DE SENATU LIBERARUM RERUMPUBLICARUM

*AUCTORE*
FRIDERICO HOLSTE
HANNOVERANO.

MDCLXXXI.

## THESIS I.

*Omnem civitatem ex multis, iisque variis & neceſſariis, partibus compoſitam eſſe, videmus.*

§. I.

Societas eſt multitudo hominum, certo jure inter ſe ordinatorum, ad commune aliquod bonum, vel efficiendum, vel obtinendum, vel conſervandum. Igitur civitas omnis, quia eſt ſocietas quædam, ex multis erit compoſita. Et quia ſocietates aliæ ſunt ſimplices ſeu minores, quæ proxime conſtant ex perſonis; aliæ compoſitæ ſeu majores, quæ proxime ex aliis ſocietatibus conſtant, civitas autem ex numero majorum ſocietatum, conſtabit illa ex multis proxime ſocietatibus, remote hominibus, & quidem principaliter patribusfamilias, acceſſorie matribus, liberis & ſervisfamilias.

§. II. Uniuscujusque porro rei perfectionem, vim & naturam, in operatione cernimus. Bene proinde fit, ſi quamlibet civitatis partem, quarum permultæ ſunt, ex operatione propria æſtimemus; partium autem illarum operationes in civitate, uti ad finem, nempe felicitatem civilem vel obtinendam, vel amplificandam, tendunt, certe tendere debent, ita inde etiam dijudicantur. Cum vero non multæ modo, ſed & variæ actiones, veluti media, ad dictum ſcopum requirantur, ulterius ſequitur, non multis modo, ſed & variis partibus ſeu vitæ generibus civitatem conſtare & quodlibet horum in ea ſuas actiones ad propoſitum civitatis ſcopum, vel proxime vel remote, vel directe vel indirecte, vel generaliter vel ſpecialiter, dirigere, ſaltem ex intentione ſummarum poteſtatum. Licet enim opifex in effectione ſui operis de publico bono haud cogitet, tamen de eo ſumma poteſtas, opificem in civitate tolerando, tuendo & fovendo, cogitat.

§. III. Deinde partes, ex quibus civitas conſtat, ni valde fallimur, trifariam ſe habent. Vel enim ita comparatæ ſunt, ut ſine iis civitas vel eſſe, vel bene eſſe non poſſit, & harum aliæ ſunt eſſentiales, aliæ non eſſentiales: nam non ſtatim, ſine quo res eſſe non poteſt aut conſervari, id ad rei eſſentiam referri debet, ut præclare obſervat Ariſtoteles *lib.* 7. *polit. cap.* 8. vel ita comparatæ ſunt, ut ſine iis civitas & conſtitui & conſtituta conſervari queat: unde triplex partium civitatis differentia. Quæ igitur ſint neceſſariæ civitatis partes, nunc patet, nempe, ſine quibus civitas omnis, nec conſtitui nec conſervari poteſt. Recenſet illas omnes & ſingulas Ariſtoteles *lib.* 4. *polit. cap.* 4. *pag.* 231. *& ſeqq.* ordine & numero, qui ſequitur. Prima neceſſaria civitatis pars ſunt agricolæ. II. opifices & artifices, quorum alii ad eſſe, alii ad bene eſſe quidquam conferunt. III. mercatores. IV. mercenarii. V. milites. VI. qui ſacris operantur. VII. divites. IIX. imperantes: Reliquæ ſunt neceſſariæ civitatis partes, ſenatus & judicium. Bene & in noſtram rem Philoſophus *lib.* 2. *polit. cap.* 1. *pag.* 55. ita ſcribit: *Non ſolum autem e pluribus hominibus eſt civitas, verum etiam e ſpecie differentibus. Non enim conflatur civitas e ſimilibus. Aliud enim eſt ſocietas in bello & civitas. Hoc namque prodeſt quantitate, quamvis idem fuerit ſpecie. Auxilii enim ferendi cauſa ſocietas exorta eſt, quemadmodum ſi pondus magis deprimat.* Videatur plurimum reverendus Dn. D. Meierus Dn. Hoſpes, Patronus, ac Præceptor meus ſumme venerandus, *in analyſi polit. ad lib.* II. *polit. cap.* I. *pag.* 106. Homines qua homines, ejusdem ſunt

Digitized by Google

ſunt naturæ, nec ſpecie differunt, ratione vero ſtatus, conditionis, profeſſionis ac vitæ generis ſpecie differre, recte dicuntur. Ita ſartor & ſutor, qua tales, ſpecie differunt, quamvis qua homines ſpecie idem ſint, quia vero omnis civitas ex diverſis vitæ generibus conſtat, ſequitur, nullam non ex ſpecie diſtinctis hominibus eſſe compoſitam.

§. IV. Iſtæ ſunt partes omni civitati neceſſariæ. Sunt præter illas & aliæ, non omni, ſed cuidam civitati neceſſariæ, id quod omne ſumendum eſt a loco, tempore, & ſcopo reipublicæ. Ita maritima civitas poſtulat quædam vitæ genera, quæ in locis a mari remotis nec ſunt, nec eſſe poſſunt. Ita ſunt, qui certo anni tempore in civitate commorantur, reliquo vero abſunt, veluti exempli gratia, qui magno numero ex Weſtphalia quotannis meſſem faciendi ergo in Belgium tranſeunt: quod, ni fieret, laboraret Belgium neceſſariæ alicujus partis defectu, quæ tamen non omni tempore requiritur, nec omni tempore ibi vitam degere poteſt. Maxime autem pacis & belli tempora differentias partium in civitate inducunt; pro ſcopo etiam rerumpublicarum aliæ atque aliæ exiguntur vitæ genera, cum actiones veluti media varient, prout variat ſcopus. Unde Ariſtoteles *lib. 7. polit. cap. 8.* dicit: Quot ſunt, imo qualia ſunt, ſine quibus civitas eſſe nequit, ſumendum eſt a numero operum. Eſt hoc opus non ſcientiæ, ſed prudentiæ civilis, utpote quæ non tantum eſt univerſalium, ſed præcipue ſingularium.

## THESIS II.

***Inter neceſſarias iſtas omnis civitatis partes tres ſunt, de quibus oportet bene videre politicum, quid cuique ipſarum conducit, quibus recte ſe habentibus, neceſſe eſt rempublicam recte ſe habere, & reſpublicas inter ſe diſcrepare, quia diſcrepant hæ ipſæ* 4. polit. cap. 14.**

§. V. Quamvis omnes ante memoratæ partes omni civitati ſint neceſſariæ, quod ſine iis civitas finem ſuum obtinere nequeat, tamen illarum aliæ principales, aliæ minus principales habentur, prorſus, ut cum partibus, ex quibus homo componitur, eſt comparatum. Illa differentia deſumitur & dijudicatur ex actionibus earum in ordine ad finem totius. Quam habitudinem actiones eandem & partes, a quibus actiones illæ proficiſcuntur, tum inter ſe, tum in ordine ad civitatem veluti totum habent. Tres autem modo ſunt actiones, quæ directe ſtatum & ſalutem reipublicæ attingunt, conſultare, imperare & judicare. Unde & prudentiæ civilis, qua una & ſola reſpublicæ inſtituuntur, continentur & adminiſtrantur, tres ſunt partes, conſultatrix, legumlatrix & judiciaria. Tres igitur erunt civitatis partes, quæ non tantum, ut aliæ plures, neceſſariæ ei ſunt, ſed etiam principatum tenebunt, nempe ſenatus, imperium & judicium. Sane ex quarum partium bona affectione & conſtitutione pendet ſalus & bona totius reipublicæ affectio, merito ſunt & dicuntur principales: atqui a ſenatus, imperii & judicii bona affectione & conſtitutione pendet ſalus & bona totius reipublicæ affectio; Ergo ſenatu, imperio, & judicio ſtant caduntve reſpublicæ. Deinde pro harum trium differentiis varia exiſtunt & oriuntur rerumpublicarum genera, quod ipſum argumento eſt, illas præ reliquis habere aliquid peculiare atque propius ſtatum attingere. Quæ etiam eſt cauſa, quare politicus illas præcipue attendat & obſervet.

## THESIS III.

***De imperio & judiciis alias & ab aliis fuit actum: equidem nunc de ſenatu, more in academiis uſurpato, diſſeram.***

§. VI. Diſſerere autem inſtituo de ſenatu, gravi iſto politices argumento, idque more academico, exercitii & periculi faciendi ergo, ut ea, quæ hactenus ex præceptoribus vivis audiendo, mutis legendo obſervavi & notavi, publico eruditorum examini ſubmitterem, & ſpecimine aliquo me meaque, qualia qualia, ſtudia omnibus bonis ac doctis probarem, ſimulque de meliori commendarem.

## THESIS IV.

***Senatus inde nomen accepit, quia ex ſenioribus conſtabat.***

VII. Ordine autem in analyticis præſcripto a nomine ordimur, ea modo, quæ ad propoſitum noſtrum conducunt, notaturi. Non ab aſſentiendo, ſed a ſenibus, vel ſenioribus nomen ſuum ſenatum accepiſſe, conſtat. Cicero in Catone obſervat: eos, qui ampliſſimum apud Lacedæmonios geſſerunt magiſtratum, ut fuerunt, ita etiam appellatos fuiſſe ſenes. Adoleſcentes enim ſæpius tum propter imbecillitatem judicii, tum quod affectibus nimium abripiantur, nec ſibi, nec aliis bene conſulere valent, unde univerſe adoleſcentibus majori judicio & prudentia ſemper prævalere præſumuntur ſenes. Hos autem non tam ſenium, quam quæ ſenium comitari ſolent, prudentia & morum gravitas, faciunt, unde & ætate feſſi & depontani ſenes, uti ad res agendas, ita ad conſilium dandum, ſunt inepti. Bene Æmilius: *Eum, qui bono publico conſulere vult, ſi non ætate, tamen moribus ſenem eſſe debere.* Non immerito proinde ſenatum a ſenio denominari & ex ſenioribus conſtare, nunc patet.

§. IIX. Legebantur quidem & olim etiam adoleſcentes in ſenatum, ſed minorem. Duplex habebatur ſenatus: unus, qui erat Romæ, ac poſtea Conſtantinopoli, & vocabatur maximus, alter, qui erat in civitatibus minoribus, & vocabatur minor. Qui in maximo ſenatu erant, non ſolum ætate ſenes, ſed etiam ſenili judicio & prudentia præditi erant, & hi dicebantur ſenatores: Minor ſenatus lectus erat ex diverſæ ætatis hominibus, & in hoc, qui ſenatoris dignitate pollebant

ſant, non ſenatores, ſed decuriones vocabantur. Reſpicit eo Tullius, quando citato loco ſcribit: Conſilium, & ratio, & ſententia, niſi eſſent in ſenibus, non ſummum conſilium majores noſtri ſenatum appellaſſent: Addimus iſta Flori ex *lib.* 1. *cap.* 1. *Auctis brevi viribus, hunc rex ſapientiſſimus, Romulus, ſtatum reipublicæ impoſuit: Juventus diviſa per tribus, in equis & armis, ad ſubita bella excubaret: conſilium reipublicæ penes ſenes eſſet, qui ex authoritate patres, ob ætatem ſenatus vocabantur.* Et ab hac appellatione ſenum & patrum olim reſpublica, ſenatu deſtituta, orba vocari ſolebat, quia ſenatui in civitate quaſi patria poteſtas data videtur, quæ eſt temperatiſſima, civibus tanquam liberis conſulens, ſuaque poſt illos ponens.

## THESIS V.

***Eſt ſenatus collegium aliquod, cujus munus, conſultare de rebus ad rempublicam pertinentibus, id quod tamen cum aliis, qui proprie ſenatus non ſunt, habet commune.***

§. IX. De nomine ſatis: de re acturi ante omnia, in quo vis & natura ſenatus ſit poſita, ordine exponimus. Ut autem rerum phyſicarum proprie duplex natura eſt, communis ſeu generica, & propria ſeu ſpecifica, ita & per analogiam in rebus moralibus & civilibus utramque diſtincte obſervare licet. Communem ſenatus vim & naturam prius exhibemus. Cum tres collegium facere dicantur *l.* 85. *ff. de verb. ſignif.* duo autem ad ſocietatem ſufficiant, ſenatum per collegium potius, quam per ſocietatem deſcribere malumus: duæ enim perſonæ non ſatis ſunt conſtituendo ſenatui, ſed ſaltem tres requiruntur. Collegiorum autem multiplex eſt varietas, quæ inter alia & a munere deſumitur: Cuncta officio & poteſtate definita ſunt, bene docet Philoſophus *lib.* 1. *pol. cap.* 2. *p.* 7. Senatus eſt tale collegium, cujus munus eſt, conſultare de rebus ad rempublicam pertinentibus; id quod propterea diſtincte eſt explicandum.

§. X. Conſultare, eſt actus aliquis noſtri intellectus, quo media ad finem ducentia inquirimus, dijudicamus & ad finem dirigimus. Verſatur igitur conſultatio circa res agendas & in iis, quæ a nobis fieri poſſunt, quæ ſunt in noſtra poteſtate, ſeu per nos, aut alios effici poſſunt. Et ut paucis dicam, deliberamus de rebus tantum humanis, adeoque de rebus contingentibus, & quidem non omnibus, ſed quæ ſunt alicujus momenti, quæque ſunt dubiæ & incertæ, in noſtra tamen poteſtate & ad aliud referuntur, hoc eſt, media ad finem facientia. Nec enim omnis res agenda conſultationem requirit, cum multæ earum ſolo ſenſu judicari poſſint. Et ſi de quibuslibet inſtitueretur conſultatio, non daretur conſultandi finis.

§. XI. Modum conſultandi quod attinet, vult Ariſtoteles *lib.* 3. *Eth. Nic. cap.* 3. *p.* 73. ut ante omnia certum & definitum finem nobis conſtituamus, quo conſtituto, inquiramus media, quibus finem illum vel obtineamus vel conſervemus. Ubi autem in tali efficiamus vel inquiſitione plura & varia ſeſe nobis offerunt media, videndum, quæ directe, quæ indirecte, quæ proxime aut remote faciant ad finem, item, quæ faciliora, quæ difficiliora, quæ tutiora, quæ minus tuta. Quod ſi vero longior rerum agendarum fuerit ordo, tum tamdiu unum poſt aliud eſt agendum, donec perveniamus ad finem ſummum in illo ordine. Etenim quod in intentione eſt primum, hoc in executione debet eſſe ultimum. Agere eſt retexere conſilium. In conſilio autem non ante acquieſcimus, donec perveniamus ad aliquid, quod eſt in noſtra poteſtate, quod vel per nos ipſos, vel per alios, facere aut habere poſſumus. Quod enim quis per alium facit, hoc ipſe feciſſe dicendus eſt, quia principium actionis eſt in ipſo.

§. XII. Magna porro eſt differentia inter rectam & bonam conſultationem. Omnis bona conſultatio eſt recta, ſed non omnis recta conſultatio eſt bona. In dolo rectitudo conſilii ineſſe poteſt, non autem bonitas. Quatuor autem ſunt, quæ ad bonam conſultationem requiruntur. (1) ut bonum pro ſcopo habeamus. Bonum nobis eſt, omne non malum. Quia vero, ut ex falſis etiam poſſumus concludere verum, ita per illegitima media poſſumus bonum finem obtinere: quapropter (2) requiritur, ut debita adhibeamus media. Ex falſis verum colligimus, ſed non in bona forma; verum non niſi ex veris cognoſcimus, ita & bonitas conſilii inter alia in legitimorum mediorum inquiſitione conſiſtit. Requiritur (3) & juſtum deliberandi ſpatium: Deliberandum eſt diu, quod ſtatuendum eſt ſemel, quamvis nonnunquam conſilium in arena ſit capiendum. (4) requiritur ad bonitatem conſilii, ut conſilia noſtra ultimo dirigantur ad bonum publicum & commune, veluti quod eſt norma omnis boni peculiaris & privati.

§. XIII. Cæterum, etſi non de omnibus conſultationes inſtitui debeant, quam latiſſime tamen eæ extenduntur, & quidem quam late patet materia ſeu objectum, circa quod eas verſari ante diximus. Magnæ inde oriuntur conſultationum varietates, quas, denominatione ab objecto facta, diſtinguimus. Senatus non in quibuslibet, ſed politicis deliberationibus occupatur. Hoc dicimus, quando in theſi noſtra per objectum conſultationes ad illas, quæ de rebus communibus ad bonum publicum ſpectant, reſtringimus. Sunt autem hæ res non levis alicujus momenti, ſed graviſſimæ, ab utilitate reipublicæ pondus ſuum habentes, & præterea permultæ ac variæ. Sic ſenatus conſultat de bello & pace, deque ſocietatibus bellicis ineundis & dirimendis, de legibus ferendis, corrigendis, abrogandis, de morte, exilio, publicatione bonorum, de rationibus in magiſtratibus repoſcendis, de jure vitæ & necis, de reditibus, re pecuniaria, exportatione & importatione rerum inutilium & utilium, pœnarum & præmiorum diſtributione, de cuſtodia regionis, creatione magiſtratuum, introductione religionis, ejus conſervatione ac exterminatione ſuperſtitionum. Docemur hoc a Philoſopho, quando 1. *rhet.* 4. dicit: Sunt autem quinque fere numero, maxima & præcipua eorum, quæ in conſiliis agitari ſolent: Agitur enim de bello & pace, de cuſtodia regionis, de iis, quæ importantur & exportantur, & de legum conſti-



Digitized by Google

conſtitutione. Tales in exemplis ſunt res, quæ ſub deliberationes publicas cadunt, de qualibus ſenatus in ſenaculo referre, diſquirere, decernere, & decreta confirmare ſatagit, quod ipſum munus, quia ſenatui cum conſiliariis regum & principum, qui tamen proprie ſenatus non ſunt, eſt commune, hactenus non niſi, quæ ad communem ſenatus naturam declarandam pertinent, expoſuimus.

## THESIS VI.

***Proprius autem proprie dicti ſenatus character eſt, quod ſit collegium, ſummam habens poteſtatem de rebus ad rempublicam pertinentibus deliberandi, decernendi, atque id, quod decretum, executioni mandandi.***

§. XIV. Hanc ſpecificam ſenatus naturam eſſe, autumamus, quod ſit collegium, ſummam habens poteſtatem de rebus ad rempublicam pertinentibus deliberandi & decernendi, atque id, quod decretum eſt executioni mandandi. Multi de multis deliberant, ſed abſque authoritate: quorum conſiliis nihil deferimus, quod vel revera, vel ex opinione noſtra nihil eorum habeant, quod nos movere & inducere poſſit vel in aſſenſum, vel in obſequium. Multi porro alii deliberant, non quidem abſque authoritate, ſed abſque poteſtate. Tales, licet ſaluberrima ſuggerant conſilia, non tamen poſſunt certi quid determinare, multo minus aliquid in rem conferre, quod imperio deſtituantur. Imperium autem & authoritas differunt inter alia in eo, quod authoritas proprie non obliget, licet moveat & obligandi occaſionem præbeat, imperium vero obliget. Præſtans arte medicus, ægroto conſilium ſuper recuperanda valetudine præſcribit, quod licet non ſit abſque authoritate, quia tamen medicus imperio deſtituitur, non eſt in ejus poteſtate, id in actum deducere. Ubi conſilium datur, inquit Hieronymus, offerentis arbitrium eſt, ubi præceptum, neceſſitas eſt ſervientis: citante Hug. Grotio *lib. de imp. ſumma poteſtat. circa ſacra cap.* 6. §. 6.

§. XV. Denique ſunt, qui conſultant non tantum cum authoritate, ſed & cum poteſtate & imperio. Poteſtas illa in duobus conſiſtit, in decernendo & exequendo. Decernere agenda, omittenda, patienda, magnæ poteſtatis res eſt, majoris, illa exequi. Fluit illa ex ſumma poteſtate, qua poſita, ponenda etiam eſt illa decernendi & exequendi poteſtas, utpote ſine qua majeſtas finem civitatis nec obtinere, nec retinere poteſt. Summa illa eſſe debet, alias decreta & executiones impediri poſſent, quomodo tunc imperantes finem ſuum haud conſequerentur. Hinc ſumma illa deliberandi, decernendi & exequendi poteſtas in omni republica, non libera modo, ſed & monarchiis, etiam abſolutis, requiritur, veluti quæ eſt particula majeſtatis civilis, abſque qua reſpublica non minus eſſe poteſt, quam homo abſque ratione. Non ſenatum, utpote qui eſt cœtus quidam hominum, ſed ſummam poteſtatem deliberandi, decernendi & exequendi, particulam majeſtatis eſſe diximus, quod diſtincte notamus, ne facere videamur cum iis, qui ſenatum, magiſtratum & judicium tres majeſtatis civilis partes eſſe, ſibi perſuaſum habent, communi, ſed fortaſſis non tolerando, errore. Quia vero, ut patet in monarchiis, rex, vel princeps unus & ſolus ſummam illam & deliberandi, & decernendi, & exequendi, poteſtatem habet, adeoque ſenatus eam cum tali monarchia communem habeat, hinc in deſcriptione notanter diximus, ſenatum proprie dictum eſſe collegium, habens ſummam poteſtatem deliberandi de rebus ad rempublicam pertinentibus, & in iis decernendi, atque, quod decretum, exequendi.

## THESIS VII.

***Hinc, licet nulla reſpublica conſiliis carere poſſit, non niſi tamen in liberis rebuspublicis, proprie dictus ſenatus habetur, cum quo miniſtri ſtatus ſeu conſiliarii principum ac rerumpublicarum non debent confundi.***

§. XVI. Sunt, qui a neceſſitate conſiliorum colligunt, rempublicam quam maxime indigere ſenatu, cum, teſte Ariſtotele *in præfat. rhet. ad Alexandrum*, conſilio in republica nihil ſit prius. Quo etiam Tacitum reſpicere dicunt, *Aliter*, inquientem, *eventus docuit*, *ubique in ſumma fortuna plura auſpiciis & conſiliis, quam telis manibusque geri.* Ut proinde, addunt, nulla fere detur ſpecies reipublicæ, quin bonis indigeat conſiliis, in tantum, ut, etiamſi civitas maximis polleat viribus, ſi tamen deſtituatur conſiliis, mole ſua ſeipſam perdat. Argumentatur ita: Quo abſente civitas, utut potentiſſima, recte adminiſtrari & defendi non poteſt, illud ei neceſſarium eſt, quia id dicitur neceſſarium alicui eſſe, abſque quo aliquid nec fieri ſeu effici, nec conſervari poteſt: ſed abſente prudenti conſilio, civitas, utut potentiſſima, recte adminiſtrari & defendi non poteſt. Ergo. Minor probatur: quia & adminiſtratio & defenſio reipublicæ prudenter fieri debet, ſed utrumque requirit idonea conſilia, ne in regenda & tuenda civitate aberretur. Ubi igitur deficiunt conſilia, ibi error & imprudentia prævalebunt, cum quibus nunquam conſiſtere poteſt ſalus reipublicæ.

§. XVII. Sed iſti doctores vel conſilia & ſenatum inter ſe confundunt, vel male a conſiliorum neceſſitate ad ſenatum argumentantur, utrumque ex dictis patet facile. Etenim & extra ſenatum in republica conſilii locus eſt, & præterea impoſſibile eſt, in abſoluto regno dari ſenatum, in quo tamen conſultationes de publico inſtitui & poſſunt, & debent. Et unus ſolus conſultare poteſt etiam de rebus graviſſimis, Unus tamen & ſolus nemo ſenatum conſtituit, veluti qui eſt cœtus & collegium aliquod. In abſoluto regno præter regem ſi daretur ſenatus proprie dictus, tum in regno pleno præter regem eſſet cœtus, ſummam deliberandi, decernendi & exequendi poteſtatem habens, id quod eſt unum ex iis, quæ ſimul ſtare nequeunt.

§. XIIX. Hinc licet nulla reſp. conſiliis carere poſſit, non tamen, niſi in liberis rebuspublicis, proprie dictus ſenatus habetur. Quid e re reipublicæ ſit, non eſt in promptu, ſed inquiſitione eget,

Digitized by Google

eget, quam conſilium ſeu deliberationem dicimus. Ubi prudentia ibi conſilium; Jam vero rempublicam quamvis adminiſtrare, eſt prudentiæ civilis res, opus igitur eſt ubique rerumpublicarum conſilio, vanum autem ſine viribus conſilium. Quamobrem aliter ſe res habet cum conſiliis publicis in liberis rebuspublicis, aliter in aliis. Non nuper demum, ſed jam olim ab Ariſtotele omnes reſpublicæ in duas claſſes ſunt diſtinctæ, in monarchias & reſpublicas ſpecialiter ſic dictas, quemadmodum inter alia, *& lib. 5. Polit. capitis noni* ultimo textu & mox ſubſequente primo capitis decimi textu videre eſt, ubi expreſſe Philoſophus dicit: poſt rerumpublicarum mutationes & conſervationes reſtare ſibi agendum de monarchia, ex quibus illa extinguatur, & quorum vi natura conſervatur, *pag. 358. edit. Conring.* Monarchiis igitur reſpublicæ contradiſtinguuntur in ſignificatu ſpeciali, & hodie doctoribus communiter appellantur reſpublicæ liberæ, veluti ſunt ariſtocratiæ, oligarchiæ, politiæ & democratiæ, in talibus modo proprie dictum ſenatum dari diximus. Vocis ſenatus eſt aliqua latitudo ſignificatus, quomodo eruditorum, theologorum, medicorum, philoſophorum, criticorum, poetarum ſenatum hoc vel illud comprobare, vel etiam improbare dicere ſolemus. Magis proprie conſiliarii, principum & regum ſenatus nomine nonnunquam deſignantur, aſt proprie non, niſi liberæ reſpublicæ ſenatus eſt vere ſenatus. De hoc enim ſolo dicere poſſum, quod habeat ſummam de publicis rebus deliberandi & exequendi poteſtatem: omnes alii cœtus, deliberantes etiam de publicum attinentibus negotiis, per analogiam ſenatus appellantur.

§. XIX. Conſtabit id clarius, ſi differentiam, quæ inter conſiliarios & ſenatum intercedit, diſtinctius explicaverimus. Et conſiliarii, & ſenatus, deliberant de reipublicæ ſtatum & ſalutem concernentibus rebus, ſed illi, ut miniſtri ſtatus, hic vero, ut cauſa principalis; Senatus ſuo nomine, authoritate propria deliberat, decernit, exequitur; Conſiliarii vel regis, ſeu principis, vel reipublicæ nomine faciunt, quicquid illorum faciunt. Vel namque conſiliarii tantum deliberant, ſummæ autem poteſtates decretum, atque decreti executionem ſibi reſervant, vel etiam decernunt, atque decretum exequuntur, ſed non ſuo, verum ſummæ poteſtatis nomine & imperio. Omnes proinde conſiliarii vel abſque, vel cum aliqua, nunc majore nunc minore, poteſtate deliberant, quam autem demumcunque poteſtatem habent, a majeſtate dependet, cujus ſunt oculi, aures, pedes, manus. Quædam, quæ majeſtas vel per ſe non poteſt, vel non vult, præſtat per conſiliarios. Quapropter fieri poteſt, ut reſpublica, non quidem abſque conſiliis, abſque tamen conſiliariis eſſe poſſit. Tanta eſt enim principis interdum ſolertia, vel ſuſpecta ſuorum, æque ac externorum fides, ut ſe ipſo meliorem ac prudentiorem quem conſulere poſſit, habeat neminem, ut de Antigono Aſiæ rege ex Plutarcho in Demetrio, de Ludovico XI. Rege Francorum, ex Philippo Cominæo refert, Joh. Bodinus *de rep. lib. 3. cap.* 1. & addit, poſtremi illius regis veſtigiis inſiſtere Carolum V. Imperatorem, non dubitaſſe; ſimulque de C. Cæſare, qui rerum gerendarum tam occulta conſilia capere conſueverat, ut prius confectæ res eſſent, quam conſilium cœptum putaretur. Monarchia igitur ſimpliciter conſiliaros non poſtulat, multo minus libera reſpublica, utraque tamen non reſpuit, ſed pro re nata eos admittit.

§. XX. In monarchiis plenis Rex vel princeps ſolus & unus decernit ac exequitur auctoritate propria, in liberis rebuspublicis idem eodem nomine præſtat ſenatus. Rerum autem & negotiorum vel multitudo vel difficultates nonnunquam exigunt, ut tam Rex in monarchia, quam ſenatus in libera ſua republica, ope & conſilio aliorum utatur, & quidem ordinarie, qui utrobique conſiliariorum nomine veniunt, uſu id approbante. Multum proinde differunt conſiliarii & ſenatus. Senatus, non niſi in liberis rebuspublicis datur. Conſiliarii ubique rerumpublicarum locum inveniunt. Conſiliarii, vel nullam vel dependentem poteſtatem habent, ſenatus vero independentem, quam non alieno, ſed ſuo nomine exercet. Dum ita diſtinguimus rem, putamus; de cætero in nominibus faciles, quamvis ſatius ſit in civilibus, diſtincta diſtinctis ſuis appellare nominibus, præſertim cum talia ſint, quæ propter affinitatem facile confunduntur, veluti in præſenti exemplo conſiliariorum & ſenatus.

§. XXI. Qua confuſione data & accepta, plures aliæ, ut fieri aſſolet, ſecutæ ſunt, quas attingere licet poſſem, non tamen mihi competit, qui me meo pede metiri didicerim. Hoc tantum a me transmitti hic non debet, quod nonnulli omnia alia de Senatu docere ſoleant, quæ inſerere & debita modeſtia expendere, ad doctrinam noſtram aſſerendam & confirmandam juvabit plurimum. Adſcribam autem ipſiſſima illorum verba, quibus utuntur, nec quicquam noſtrum affingam. Ita autem illa ſe habent: Hic videre placet: Num ſenatus qua talis, vel habeat, vel habuerit poteſtatem, hoc eſt, jurisdictionem, ſive imperium, aut jus ſanciendi leges? Ut incipiamus de jure ſanciendi leges, videtur id probari poſſe ſenatui competere ex *§. 5. Inſt. de J. N. G. & civ. ex l. 2. §. 9. ff. de orig. juris* ubi dicitur: Senatusconſultum eſt, quod ſenatus jubet atque conſtituit. - Dico, ſenatui poteſtatem condendi legem competiiſſe, non ex natura ſenatus, ſed ex accidente, quatenus populus, penes quem erat legem rogatam confirmare & ſancire, poteſtatem ſuam ex occaſione in illum transtulit.

§. XXII. Sed quo minus illa probentur, faciunt ſequentia. *Primo*: A notitia ſingularis alicujus reipublicæ omnino debet politica philoſophia diſcerni. A particulari enim ad univerſale argumentatio non procedit. De ſenatu univerſe agere, eſt doctrinæ politicæ, ſenatum romanum exponere, eſt hiſtoriæ. Senatus romanus nec ideam, nec regulam, ſed tantum bonum vel malum exemplum ſenatus in ſcientia civili facit. *Secundo*: Dum civilia dogmata ad normam legum civilium exiguntur, minus ſapiunt philoſophiam. Leges dogma conſtituere nequeunt, cum veritas rerum, non ſit in noſtra poteſtate. Non ex legibus, ſed ex natura rerum

civilium petunt univerſalia politica præcepta. Igitur, *Tertio*: quid hic vel alibi ſenatui competat, ex legibus haberi imo vix haberi poteſt, cum ex legibus, de republica tuto judicari nequeat; quid vero univerſe ſenatui proprie dicto, ut ille in liberis rebuspublicis habetur, competat, ex eo, cujus cauſa eſt ſenatus, peti debet. Quo poſito, ſequitur: ſenatui proprie dicto non ex accidente, ſed ſecundum ſe competere poteſtatem, cum alias fruſtra non tantum eſſent ejus conſilia, ſed & mira rerum confuſio. Senatus vis non eſt in eo poſita, ut conſilium ſuppeditet, quod habet cum conſiliariis commune, ſed in hoc conſilio ſuo regere civitatem, quemadmodum Rex ex conſilio ſuorum miniſtrorum ſtatum regni ſui gubernat. Sane Philoſophus *lib.* 3. *Polit. cap.* 1. ridiculum cenſet, ſenatum privare imperio. Sed nos nunc iſtud diſcrimen, ut perſpicuum, ſupponimus & pluribus de ſenatu in ſequenti agimus.

## THESIS VIII.

*Sex autem ordine in ſenatu veniunt nobis hac vice conſideranda. 1. Cujus rei cauſa, 2. a quibus, 3. ex quibus, 4. de quibus, 5. quomodo fit, habeatur, corrumpatur & conſervetur ſenatus; & denique, 6. de ſenatus differentiis.*

§. XXIII. Inter requiſita bonæ, hoc eſt, ſecundum præſcriptas Analytices leges, tractationis eſt, nec plus, nec minus, quam eſt in objecto, quod tractare inſtituimus, exponatur, juſto autem ordine omnia ad finem usque ſeſe conſequantur. Regulam hanc & dudum a fidelibus, quibus in illuſtri hac Julia, officina illa melioris ac elegantioris doctrinæ, utor præceptoribus, mihi inculcatam, hic etiam me ſequi oportet. Quod ipſum ut oſtenderem, volui ſingulari iſta theſi, veluti in Tabula quadam, omnia, quæ univerſe de ſenatu bene & recte tradi poſſunt, ordine & numero exhibere. Scilicet iſta, & non alia, ſunt ſex ſumma capita eorum, quæ de ſocietate & collegio aliquo doceri poſſunt, ergo & commoda doctrina in declarando ſenatu, ordine per ſingula illa capita nobis eundum: ita tractatio hæc noſtra, neque aliquid negliget, neque in alienis occupabitur, atque concinno facilitati doctrinæ inſerviente ordine decurret.

## THESIS IX.

*Finis ſenatus eſt utilitas reipublicæ, quæ, quia pro ratione rerumpublicarum variat, idem finis ſenatus in omni genere rerumpublicarum, nec eſt, nec eſſe poteſt, ſed in eo nunc ex æquo imperantium ac parentium, nunc primario imperantium, ſecundario parentium utilitas ſpectatur.*

§. XXIV. Finis eſt primum in rebus agendis, optimo proinde jure, cujus rei cauſa fit, & habeatur in republica ſenatus, nunc præ reliquis inquirimus. Etſi enim, uti conſilium, ita & ſenatus non ſit de fine, qua tali, eſt tamen propter finem aliquem, quem ſupponit. Variat iſte finis, prout variant reſpublicæ, quemadmodum & ipſe ſenatus, ut inferius dicetur. Rerumpublicarum alia eſt optima, aliæ ſunt communes, ab optima nunc magis minus recedentes. Senatu opus eſt etiam in republica ex voto optima, cum ne ſapientiſſimo & optimo ſeu prudentiſſimo, quid factu opus ſit vel non, ſtatim ſit in promtu, ſed inquiſitione, licet non difficili & laborioſa, aliqua tamen egeat. Et quia unicuique reipublicæ ſuus reſpondet ſenatus, idcirco uti reſpublica ex voto optima, ita & ſenatus ex voto optimus nusquam reperitur. Illam tamen & hunc haud ignorari, ad perfectionem civilis prudentiæ requiritur.

§. XXV. Cum autem, qui reipublicæ, idem ſit ſenatus finis in illa republica, facile, quis optimæ ex voto reipublicæ ſenatus finis ſit, cognoſcetur. Vera felicitas nempe optimæ ex voto reipublicæ ſenatus finis eſt pro ratione ſtatus, quam vocant, eoque nihil improbum eſt cogitandum a ſenatu illius. Vera autem illa felicitas conſiſtit in eximio virtutum ſtudio & rerum optanda ſufficientia, ut in moralibus *lib.* 1. *Eth. Nicom. & Politicis lib.* 7. a Philoſopho accurate pluribus docemur. Sed non eſt unica ratio optimæ reipublicæ. Eſt enim quædam omnibus numeris optima, cujus ratio omnia integra felicitatis bona poſtulat: in hac ſenatus hoc agit, ut cives omnes exacta virtute ſint præditi, & rerum quarumlibet, ad vitam commodam & tranquillam degendam neceſſariarum, ſufficientiam publice & privatim habeant, quicquid vel hanc vel iſtud ullo modo domi removens aut foris impedire poſſit. Tria ſunt bonorum genera, externa, corporis & animi, a quibus integra hujus ævi felicitas omnesque felicitatis gradus dependent. Iſta igitur ut adſint civibus, optimæ reipublicæ ſenatus curat. Et qui hæc & iſta ita meditatur ac agit ſenatus, eſt ſenatus ex voto optimus, cui primo competit nomen ſenatus, adeoque primum eſt, ut vulgo hodie in ſchola latina loquimur, atque potiſſimum analogatum, ad quod tanquam amuſſim alia exigi poſſunt.

§. XXVI. Eſt porro quædam ex voto optimæ proxima & minus perfecta reſpublica, ſub cujus ſtatu cives virtuti in tantum vacare poſſunt, quantum ſtatui & conditioni ipſius convenit, & tantum etiam bonorum habere, quantum pro præſenti habere licet. Nam non omnes ſunt exactæ virtutis capaces, nec in omni loco & omni tempore optandam ſufficientiam rerum neceſſariarum & utilium habere, datum eſt. Ubi igitur cives virtutum non quidem illam eximiam, talem tamen, qualis capaces ſunt, exercent, & præterea in illo virtutis ſuæ ſtudio non impediuntur, ſed modica ſorte fruuntur. Illa ſecundi ordinis optima reſpublica cenſetur. Plus autem ultra in tali republica prudens ſenatus, nec reſpicit, nec reſpicere tenetur. Non enim quantum agens communicare, ſed quantum patiens capere valeat, hic cogitandum; Nec tempus aut locus ſenatui, ſed ſenatus loco & tempori ſe accommodat.

THE-

Digitized by Google

# THESIS X.

***A QUIBUS ſenatus conſtituatur, non perinde eſt, ſed variat illud pro ratione rerumpublicarum.***

§. XXVII. Quod attinet in ſenatu conſiderandum A QUIBUS, hoc eſt, Quis aut quinam habeant poteſtatem conſtituendi ſenatum, & in locum decedentium ſenatorum alios ſubſtituendi, non uno & eodem, ſed multis & diverſis modis, id ſe habere poteſt, idque tanti eſt, ut variare faciat ipſum reipublicæ ſtatum, nunc magis, nunc minus. Etenim ejusmodi conſtituendi poteſtas eſt vel penes unum, vel penes paucos, vel penes omnes. Ubi diligentiſſime ſpectandum, quis & qualis ſit ille unus, qui & quales ſint illi pauci, vel omnes, ſenatum vel ſenatores conſtituendi facultatem habentes. Etenim conſtitutum arguit quodammodo ſuum conſtituentem, & effectus ſuo modo teſtatur de cauſa, unde liquet, ubi unus poteſtatem illam habuerit, ſit inſtitutum monarchicum, ubi pauci, oligarchicum, ubi omnes, democraticum, magna tamen iterum ſingulorum inſtitutorum eſt varietas.

§. XXIIX. Unus namq; ille vel ex diviſione jurium majeſtatis poteſtatem talem habere poteſt, uti contingeret in republica mixta, ſi in ea jus conſtituendi ſenatores eſſet penes unum, reliqua vero majeſtatis jura penes alios. Vel unus poteſtatem talem habet ex dignitatis quadam prærogativa, veluti ſummus ſenator aut magiſtratus, aut ut inſtar regis alicujus laconici. Nec parum refert, ex quo ordine unus talis ſit, principum, optimatum, divitum, nobilium, plebis, alius atq; alius, alium atque alium vult ſenatorem. Alia porro eſt ratio, ſi in paucorum arbitrio poſitum fuerit, qui in republica ſint, non ſint aut eſſe debeant ſenatores, quod alia ſit mens optimatum, alia oligarchicorum, alia eorum, qui ſunt in ſenatu, alia eorum, qui ſenatus ſunt expertes. Et non raro pauci ex illis paucis poteſtatem illam uſurpant, ut infra pluribus cognoſcemus. Denique ſæpius omnes conſtitutionem ſenatus in manu ſua habent, quod popularis regiminis formæ in minoribus rebuspublicis ſint frequentiores, & in liberis rebuſpublicis inſtituta democratica ſint frequentiſſima, teſte experientia. Inde autem non levis oritur ſenatus varietas, cum aliis alii placeant, & electores plerumque ſibi laborent, alii magis, alii minus. Quod ipſum, ut diſcernere atque arbitrari, bene nempe an ſecus, ita vel aliter ſe A QUIBUS ſenatus habeat, queamus, ad quantum & quale reſpiciendum, nec non ad præſcriptum Philoſophi, quod habet ſub initium cap. 7. lib. Pol. ſecundi, mox commodiori loco repetendum.

§. XXIX. Alicubi ſenatores non fiunt, ſed naſcuntur, veluti Venetiis, & in omni republica, in qua cives non tantum fiunt, ſed & naſcuntur, atque civem perfectum eſſe & ſenatorem eſſe, mutuo ſe ponunt & tollunt. Ita conſilium magnum venetum ex civibus perfectis conſtat, & qui ſunt perfecti cives apud Venetos, magni conſilii participes ſunt, ut legi poteſt in Synopſi reipublicæ venetæ Johannis Cotovici cap. 7. Sed non ut homo hominem, aut ut artifex opus ſuum producit, ita ſenator ſenatorem generat, nil naturæ aut juris naturæ hic quærendum. Ut pater ſenator jus ſenatus in filios transferat, ita primitus conſtitutum fuit, adeoque a placito & voluntate hominum eſt. Accurate proinde loquendo, non nativitas in republica veneta & aliis talibus civitatibus facit civem, ſed nativitate ex inſtituto hominum acquiritur jus, quod ut civem, ita & ſenatorem in eſſe civis & ſenatoris conſtituit.

# THESIS XI.

***Tertium ordine in ſenatu conſiderandum eſt EX QUIBUS, an ex paucis, an ex omnibus, & quot & quales ſint, vel eſſe debeant ſenatores.***

§. XXX. Ea, quæ in civitatis partibus maxime ſint ſpectanda, Philoſophus *lib.* 4. *Polit. cap.* 12. *& lib.* 7. *cap.* 4. ait eſſe duo ſumma capita, quantitatem & qualitatem. Id quod ferme in ſingulis, quæ de qualibet civitatis parte bene quæruntur, attendi debere, equidem exiſtimamus. Sane in EX QUIBUS ſenatus, ad iſta duo commode omnia exponenda referimus. Et quidem, quod QUANTUM attinet, unus non facit ſenatum, eum tamen repræſentare, & quod plus eſt, conſervare poteſt, idque habet ſenatus ex natura & conditione collegii. Monarcha, in arbitrio ſuo omnia poſita habens, ſenatus nec eſt, nec ſenatum repræſentat, multo minus conſervat, licet ſecum agat, quod in aliis rebuspublicis ſenatus agere ſolet. Omnis proinde ſenatus ex uno pluribus, iisque vel paucis, vel omnibus conſtat.

§. XXXI. Numerum ſenatorum intra charitum trigam & novem muſas, qui concludunt, concinne quidem loquuntur, regulis tamen politicis minus convenienter ſentiunt, uti nec illi, qui magnitudine curæ & reipublicæ poſſe numerum ſenatorum definiri, autumant. Nonnunquam, ut ſeditioſis ambitioſorum hominum vocibus occurratur, plures etiam ſupernumerarii, quos παρά͂ζυγες, a tauris, qui extra jugum ſunt, metaphora ſumta, appellat Ariſtoteles *lib.* 2. *Pol. cap.* 4. in ſenatum ſunt inducendi, tranquillitatis in republica cauſa. Plato in ſua republica trigeſimum quemque vult in ſenatum allegi, ita ut ſenatus ſit trigeſima populi pars: cum enim rempublicam ſuam civium quinque millibus & quadraginta conſtare vellet, centum ſexaginta octo civibus ſenatum circumſcripſit. Licet Plato non ex regula quadam, ſed ex inſtituto, ita ordinet ſuum ſenatum, nihilominus videmus, jam ante & Romulum in conſtituendo primo ſenatu Romano eandem ſervaſſe proportionem, centum ſenatoribus, hoc eſt trigeſima parte civium, cum tria millia cenſa fuiſſent, in ſenatum collectis. Idem in republica Athenienſium obſervatum, legimus apud Plutarchum in Solone.



Digitized by Google

§. XXXII. Habet ſenatorum numerus ſuam latitudinem, alius enim ſtatus plures, pauciores alius poſtulat, adeoque univerſe definiri nequit. Extrema quidem determinare licet ex gr. nimium conſtituere poſſumus mille, parum duos vel tres, certus numerus & ſtatui conveniens, quamvis inter iſta extrema interjectus ſit, quia pro ratione circumſtantiarum variat, determinari nequit, eſtque ex numero eorum, quæ prudentiæ ſunt relicta. Interim id generatim hic aſſerimus, in modico numero, ſi modo ſufficiat, plus & concordiæ eſſe, & autoritatis ſenatoribus conciliari. Nam viliora fere habentur, quæ cum pluribus communicantur. Præterea in magna ſenatorum multitudine neceſſe eſt, quæ in ſenatu decreta ſunt, manare in vulgus, quæ res eſt periculi plena, cum ſilentium ſit mater conſilii. Res majoris momenti inter paucos tractentur, quæ vero tanti non ſunt, cum pluribus communicari poſſunt. Inde eſt, quod his temporibus nulla fere civitas ſit, quæ præter ſenatum non habeat ſanctius conſilium, obſervante hoc ipſum Bodino *lib. 3. de republ. cap.* 1. Et Auguſtus ex ſenatoribus ſelegit, quibuscum deliberaret de rebus iis, de quibus in ſenatu decernendum eſſet. Poſt Auguſtum Tiberius a ſenatu petiit, ut viginti ſenatores ſibi darentur, a quibus conſilium caperet de rebus iis, quas ad ſenatum fieri oportebat. Horum deinceps exempla ſecuti ſunt Imperatores ſucceſſores, Galba, Trajanus, Adrianus, Aurelianus, Alexander, Severus: de quo Lampridius in hiſtoria Auguſta.

§. XXXIII. Saluſtius, oratione altera ad C. Cæſarem de republica ordinanda, duabus rebus poſſe confirmari ſenatum, putat: *Si numero auctus per tabellam ſententiam ferret. Tabella obtentui erit, quo magis animo libero facere audeat: in multitudine & præſidii plus & uſus amplior eſt.* De Tabella alias dicetur, de numero ſenatorum, quæ philoſophatur, hujus ſunt loci. Minime autem Saluſtius inſtituit communes regulas præſcribere, cum ipſi propoſitum ſit de ordinanda republica Romana quædam monere, quod autem ſingulare eſt, ad omnes non eſt trahendum reſpublicas. Democraticum illud eſt inſtitutum, quod ſuadet Saluſtius, in democratia autem in multitudine plus eſt præſidii, ut docemur *lib. 6. Polit. cap.* 4. & uſus amplior, ut præclare oſtendit Philoſophus *lib. 3. Polit. cap.* 7. Magna multitudo confuſioni magis eſt obnoxia, ita quidem, ut numero ſenatum augendo, ſit eum invalidiorem reddere, quale quid inter artes tyrannicas habetur. Ut omnis ſocietas, omne collegium, multitudine partium laborare poteſt, ita & ſenatus præcipue in democratia, aut ea reipublicæ parte, qua eſt democratica.

§. XXXIV. Senatum autem romanum aliquando numero ſenatorum nimio laboraſſe, hiſtoria teſtatur. Numerus in republica Romana ſenatorum primum fuit centenarius, ſed poſtea auctus eſt a Tarquinio Priſco, qui non minus regni ſui firmandi, quam augendæ reipublicæ cauſa centum in patres legit, qui deinde minorum gentium dicti ſunt. Poſtea, Regibus exactis, Junius Brutus, primus conſul ſenatorum, numerum cædibus regiis imminutum ad trecentorum ſummam explevit, quo plus virium in ſenatu ordinis frequentia faceret, in quem primores equeſtris gradus legit. Svetonius in Auguſto cap. 35. memorat, *Auguſtum Cæſarem ſenatorum affluentem numerum deformi, & incondita turba* (*erant enim ſuper mille, & quidem indigniſſimi, & poſt necem Cæſaris per gratiam & præmium allecti, quos orcinos* (alii legunt abortivas) *vulgus vocabat*) *ad modum priſtinum & ſplendorem redegiſſe:* modo, quem vide in hiſtorico. Effrenis ſenatorum numerus, quo majorem in veteri hiſtoria non habemus. Carthaginenſium ſenatus quadringentis viris conſtabat, numero multo, plures autem, quam mille ſenatores, alibi quam Romæ olim fuiſſe, quoquam notatum haud memini. Dico olim, hodie enim ſingul. numeroſiſſimi ſenatus exemplum habemus in republica veneta, quod eſt ſine omni exemplo. Tantum quædam eam in rem adſcribo ex Bodini relatione; quæ *lib. 2. de republ. c. 1. p. m.* 282. habentur: *Ex urbis & civium deſcriptione, quæ facta eſt ante triginta annos, cenſa ſunt civium quinquaginta novem millia CCCXLIX. exceptis infantibus, qui annum ſeptimum non attigerant, & patriciis, penes quos verſatur reipublicæ poteſtas, quorum numerus eſt quatuor circitermillium, ex quo numero eximendi, ſunt ſacerdotes ac juniores XXV. annorum, quibus neque ad concilium, neque ad rempublicam gerendam patet aditus, niſi majores annis XX. rogatione ad concilium lata id obtinuerint: nec certe in maximi concilii comitiis, quæ noſtra & majorum ætate coacta ſunt, plures, quam mille & quingenti Patritii, ac ſemper multo pauciores in eorum actis, & ſcriptoribus leguntur.* Et ſæpe tantus eſt ſenatorum in conſilio magno numerus, ut vota eorum, nec numerare, nec ponderare, ſed menſurare ſoleant.

§. XXXV. Et tantum hac vice *de quanto* in *ex quibus ſenatus*. Dico ſimpliciter in *EX QUIBUS Senatus*, nam bifariam id, & in eo τὸ quantum conſiderari poteſt, nempe vel ex quot numero ſenatus conſtet vel ex quot numero ſenatus conſtare debeat, illud eſt hiſtoriæ, hoc prudentiæ politicæ cognoſcere & arbitrari, cum in ſcientia politica id ob cauſam ante dictam determinare non poſſimus. Ceterum, quamvis, ut ſupra demonſtravimus, ſenatus & conſiliarii multum differant, nihilominus non alienum prorſus ab hoc loco erit, in tranſcurſu quærere, quantus eſſe debeat numerus conſiliariorum, & an tutum ſit, Principem vel rempublicam unius tantum conſilio in negotiis ſtatus uti? Non Rex, aut Princeps modo, ſed & ſenatus in libera republica poteſt habere ſuos conſiliarios, ſuum conſiliarium, nondum igitur ab inſtituto alienam tractamus quæſtionem. Sunt & fuerunt Reges, qui, cum ipſi regnare vel non poſſent, vel non vellent, in unum ſolum a ſe regimen univerſæ reipublicæ reclinarunt. Quod inſtitutum Sejaniſmum appellant nonnulli, a Sejano primario Tiberii Imperatoris ſtatus miniſtro, de quo videndus Svetonius in Tiberio. Talem primarium ſtatus miniſtrum nuper in Gallia, tempore Mazarini, Miniſtriſſimum dicere cœperunt. Tales patrum & noſtra memoria fuerunt in Gal-



Digitized by Google

lia dux Gviſius, Marchio Ancræus, dux Luynæus, cardinales Richelius & Mazarinus: In Hiſpania Granvelianus epiſcopus atrebatenſis, Gomez de Sylva, dux Lermæ, Gomez Olivarez, Don Louis de Haro. In Anglia dux de Buckingam.

§. XXXVI. Non abnuimus unum præ reliquis gratia & authoritate apud regem valere poſſe, imo & debere, ſed cujus nota prudentia ſit & probitas, atque hoc ipſum ita, ut non ſolus audiatur, eſto enim prudentiſſimus, tamen profecto nemo in omni re, ſed nec in omni hora æqualiter ſapit, ut bene monet Lipſius *in notis ad polit. lib. 3. cap. 8.* Prudens princeps plures cogit ac audit conſiliarios, quo fiat, ut alter alterius defectum ſuppleat, atque collega collegam obſervet. Unus facilius, plures difficulter corrumpuntur. Nec tutum eſt in monarchia, imo in qualibet republica uni miniſtro dare omnia, ut docet Ariſtoteles *lib. 5. polit. cap. 8.* & teſtatur Francia ſuo exemplo, quando major domus Pipinus factus eſt Rex Francorum: quamvis non diffitendum, caſum extraordinarium dari poſſe, in quo cum uno potius & altero, quam cum pluribus rem ſumme arcanam ſecretamque Rex communicare debeat, ſed aliud eſt cum uno communicare, & aliud, omnem curam a ſe abdicare & unius ſolius arbitrio relinquere. Illud aliquando licet, & utile eſt, hoc vero tutum nunquam, ſemper autem cum detrimento regiæ poteſtatis & dignitatis eſt conjunctum, adeoque corruptæ reipublicæ ſignum. Illud addimus, ut alii unius, ita Galba Imperator *trium* (alius quatuor) *regebatur arbitrio, quos una & intra palatium habitantes, nec unquam non adhærentes, pædagogos vulgo vocabant, referente Svetonio in ejus vita cap.* 14. Senatus in libera republica unius commode, commodius duorum conſilio, ſi neceſſe eſt, utitur, modo caveat ſibi a demagogia. Aliud eſt doctos & longe ac vario rerum uſu peritos in conſilium adhibere, aliud vero eſt ab unius voluntate pendere, ſed abeundum hac quæſtione ad reliqua.

§. XXXVII. Ordine autem ſequitur, ut *ex qualibus* ſenatus conſtare debeat, conſideremus: Cum publica ſalus in optimis potius conſiſtat, quam in pluribus ſenatoribus. Ferme autem, quæ in conſiliariis, eadem & in ſenatoribus requiruntur, unde conſiliariorum qualitates ſatis recte ad ſenatores accommodantur. Univerſe porro idonei alicujus agentis requiſita ſunt tot & talia, quot & qualia ſufficiunt ad id, ut poſſit & velit ſuum munus facere. Tertio hic ſupponimus, qualitates in iis, qui reſpectum ad alterum, ſive ad perſonam, ſive ad ſocietatem aliquam, habent, ſumendas & æſtimandas eſſe a proprio quidem munere, ſed in ordine ad illam vel perſonam, vel ſocietatem, quam reſpicit. Ita e. gr. in ſervo ſatis non eſt ſervire & poſſe & velle, ſed poſſe & velle ſervire illi domino, cujus ſervus eſt, id demum ſufficit.

§. XXXIIX. Quinque a politicis conditiones in conſiliario requiruntur: prudentia, integritas, conſtantia, ſecretum & generoſitas, quibus alius quinque alias ſuperaddit: amorem erga principem, fidem in patriam, zelum ad communia incrementa, libertatem deliberatam in principe admonendo, &, ne indignatum paveat, animoſitatem. Plinius in panegyrico conſiliarios optat fideles, eruditos & in propoſitis reſolvendis agiles & promtos. Licet talia multa in conſiliariis non modo, ſed & in ſenatoribus facilius optare, quam habere poſſimus, nihilominus in politicis deſcribenda eſt optimi conſiliarii ut & ſenatoris idea, quæ ſit inſtar normæ, ad eum modum, quo rhetor oratorem, moralis doctor bonum virum delineare ſolet. Idea, veluti regula quædam, debet eſſe una & conſtans, licet conſiliarii & ſenatores in particulari varient, & nunc propius, nunc remotius, ab iſta regula abſint. Nos propterea hic ſenatorem, non qualis eſt, ſed qualis eſſe debeat, delineamus & nativis ſuis coloribus exprimemus, ſumto inde initio, unde ſumi id par eſt.

§. XXXIX. Senatoris proprium munus eſt, authoritate propria de iis, quæ bona vel mala ſunt ad rempublicam vel inſtituendam, vel inſtitutam gubernandam, collegialiter deliberare in utilitatem ſuæ reipublicæ. Ergo ſenator a prudentia civili debet eſſe inſtructus: conſilium enim de republica capere, eſt ſumma prudentiæ civilis. Et cum in negotiis civilibus occupata prudentia alia ſit univerſalis, alia magis ſingularis, ut præclare docemur a magnifico Domino Præſide in *de civili prudentia libro cap. 9. & 12.* utramque in noſtro requirimus: quia ad conſilium ſingulatim dandum, & ab univerſali prudentia accipiendum aliquid eſt, & ſimul addendum aliquid de re illa ſingulari, qua de conſilium datur. Omne conſilium eſt ſyllogiſmus. Ergo & conſilium politicum erit ſyllogiſmus politicus, cujus major eſt ſcitum aliquod univerſale, ex univerſali prudentia ſeu accuratiore univerſalium de rebus civilibus præceptorum ſcientia deſumtum: minor vero ſæpius non niſi prudentia ſingulari conſtat. Sed videmus ſenatores multos utiliter conſiliis ſuis præeſſe reipublicæ, doctrinam politicam nunquam edoctos. Igitur non opus erit ſenatori univerſalis illa civilis prudentia. Verum impoſſibile eſt, ut quis quid cum ratione agat, niſi mediante aliquo ſcito aut præcepto univerſali, quod tales ſenatores ab uſu habent, atque ipſi ex ſingularibus uſu compertis tacite apud ſe univerſalia præcepta formant. Ejuſmodi uſu peritus ſenator beneficio rationis ex ſingularibus colligit, quod dudum obſervatum, compendioſa doctrina addiſci poteſt. Hoc volumus: Univerſali civilium rerum prudentia deſtitutus ſenator, recta reipublicæ conſilia dare non poteſt, unde autem illam habeat, ſive a ſe, ſive ab aliis, nobis jam quidem perinde eſto. Et cum præterea nobis hic ſermo ſit de ſenatore in genere, non autem de ſenatore ſingularis alicujus reipublicæ, vel hoc nomine univerſalem civilium rerum prudentiam in ſenatore requirimus, quod differentiæ rerumpublicarum non aliunde, quam ex ſcientia politica cognoſcantur. Uſu peritus non niſi ſuæ, ſciens autem cuivis conſulere poteſt reipublicæ.

§. XL. Licet

Digitized by Google

§. XL. Licet porro conſilium omne nitatur aliquo univerſali ſcito, tamen non niſi de re eſt ſingulari, & per conſequens ſenator tantum in ſingularibus occupatur atque proinde magis ei neceſſaria erit ſingularis prudentia. Conſiſtit hæc *primo* in notitia reipublicæ, cujus eſt ſenator. *Ad conſilium de republica dandum caput eſt, noſſe rempublicam*, judice Cicerone 2. de orat. Hauſit id ex Platone, qui in phædro inquit: *In omni re conſulendi principium eſt, noſſe id, de quo conſilium eſt inſtitutum, aut in totum aberrare ſit neceſſe.* Inde Tacitus: *Morum animorumque provinciæ niſi ſint gnari, qui de ea conſultant, perdunt ſe & rempublicam.* Præclare Tacitus lib. 4. annal. cap. 33. ait: *Viro vere civili atque reipublicæ intellectum uſumque profeſſo, nullum potius ſapientiæ talis inſtitutum aut argumentum proponi, quam interiorem reipubl. ſuæ notitiam; ſive in principatu, ſive in procerum aut populi regimine vivatur.* Quæ autem in univerſum ſunt neceſſaria ad ſingularis cujuslibet reipublicæ prudentem notitiam, accuratiſſime inveſtigavit & docuit excellentiſſimus Dominus Præſes in *de civili prudentia libro cap.* 12. qui præterea ſpeciatim magis exponit, quænam illa ſint, in quibus cognitio illa ſingularis reipublicæ integra verſatur. Jubet in quatuor cauſarum claſſes diſtribuere, quicquid ad civitatis cujusque facit cognitionem & nihil negligere.

§. XLI. Igitur ſenatorem oportet ante omnia attendere, quem ſcopum præcipue respublica propoſitum habeat, num omnium ex æquo, an vero imperantium præcipue, parentium vero ex accidente ſalutem quærat; tum qua in re felicitatem ſuam collocet, & in quantum illa a ſcopo optimæ reipublicæ abſit. Secundo ei videndum, quæ ſit conditio tum loci, tum populi reipublicæ ſuæ, quæ ſit conditio rerum omnium in civitate mobilium & immobilium, ratione & quantitatis & qualitatis, & quemadmodum illæ ſe habeant ad propoſitum civitati ſcopum, ad formam regiminis atq; ad eos, quorum in manu eſt respublica. Videndum etiam, quæ conditio perſonarum, habito reſpectu ad ſcopum & formam regiminis. Ac proinde ſenatori conſtare debet magnitudo populi ejusque partium diſtinctio, quæ ſint civium & ſubditorum in republica qualitates corporum, appetitus & intellectus, hoc eſt, quæ ipſorum ſint virtutes, quæ vitia, qui mores, quæ denique ipſorum conditio circa fortunæ, quæ vocantur, bona. Tertio noſſe debet ſenator formam regiminis ſeu politiam, h. e. quomodo ſe habeat ſumma in republica poteſtas, quæ ſit ſenatus, magiſtratuum & judiciorum ordinatio, & an illa indoli & ingenio populi ſit conveniens, nec ne. Denique conſtare debet ſenatori, quemadmodum ſe habeant illi, qui ſunt cum imperio, qui magiſtratibus funguntur, qui jus dicunt, quid illi poſſint, quidve velint in ordine ad ſuam rempubl. Et ut ſufficientem ſuæ reipublicæ ſenator adipiſcatur & habeat notitiam, debet ſæpius apud ſe rempublicam ſub ſuum examen vocare, inque eo quatuor illa inter ſe contendere, atque ire per omnes & ſingulas civitatis partes, quas ordine notavit Philoſophus *lib. 4. pol. c.* 4. Etenim ſtatus habitusque reipublicæ non ſemper idem eſt, ac manet, cum non raro in eo aliquid immutetur. Præſenti reipublicæ conſulit ſenator, præſentem proinde civitatis ſuæ ſtatum eum noſſe oportet.

§. XLII. Et licet ſtatus ſemper maneat idem, impoſſibile tamen eſt, ut is inſtitutis unius reipublicæ conſervetur. Hoc volo, oligarchia non ſolis oligarchicis, democratia non ſolis democraticis inſtitutis, ſed temperamento plurium rerumpublicarum inſtitutorum conſtat & firma eſt. Quomodo autem ſenator plurium rerumpublicarum inſtituta apte miſcere poterit, ſi regiminis civilis genera eorumque mores diſtinguere & invicem comparare non didicerit? Sed id pluribus deducere, non fert inſtituti ratio, & tantum addimus prudentis ſenatoris romani Ciceronis verba ex tertio de legibus, quæ ita habent. *Eſt ſenatori neceſſarium noſſe rempublicam. Id quoad late patet, quid habeat militum, quid valeat ærario, quos ſocios respublica habeat, quos amicos, quos ſtipendiarios, qua quisque ſit lege, conditione, fœdere, tenere conſuetudinem decernendi, noſſe exempla majorum. Videtis jam genus hoc omne ſcientiæ, diligentiæ, memoriæ eſſe, ſine quo paratus ſenator nullo pacto eſſe poteſt.* De hac ſcientia, Tacito etiam laudata, pluribus egit Böclerus in comment. *ad primum ejus annalem cap.* 11. *& quart. annal. cap.* 4.

§. XLIII. Et cum, ut hodie ſunt res, nulla respublica ſibi ſufficiat aut ſibi vivat, verum cuilibet aliquid negotii cum aliis, maxime vicinis, rebuspublicis intercedat, omnino requirenda etiam eſt in optimo ſenatore notitia rerumpublicarum aliarum, præcipue earum, cum quibus ſuæ aliquid eſt, aut eſſe poteſt, commercii ſive pacis, ſive belli tempore. Qui ex ſuæ reipublicæ ingenio alias judicat, aberrat plurimum, multo ſæpe ſuæ reipublicæ detrimento. Hiſpanus ejus erroris & ignorantiæ juſtas dedit pœnas, atque propterea excidit nobili Belgii parte, quam ſeptem fœderati hodie faciunt populi. Alia indoles Belgarum, alia Hiſpanorum, aliter proinde illi, quam hi volebant, adeoque debebant tractari. Galli, quæ in tractatibus pacis monaſterio-oſnabrugenſibus ab imperio pacis cauſa acceperunt bona, ſine nexu feudali poſſidere, ſecus ac Sueci, qui ſua ab imperio bona cum nexu feudali ſuſcipere, malebant. Prudentes laudabant Suecorum prudentiam iſtam, eamque deſiderabant in Gallis, ſtatum germanici imperii ex ſui regni ſtatu æſtimantibus. *Politicus* (ſenator) docet Philoſophus *lib. 2. pol. cap. 4. civitatem formaturus* addo & adminiſtraturus, *non modo ad regionem & homines, ſed etiam ad vicina loca reſpicere debet.*

§. XLIV. Quomodo autem boni conſiliarii & per conſequens & boni ſenatoris prudentia poſſit explorari, ut respublica certa magis ſit de ea, & eo ſecurius ſequi conſilium ejus poſſit, accuratiſſime docemur a magnifico Domino Præſide in animadv. politicis in Machiavelli principem *cap.* 22. *Tribus*, inquit, *modis prudentia miniſtri* (ſenatoris) *fere poteſt explorari, PRIMO ex robore rationum, quibus conſilia innituntur, quo ſane quis eſt prudentior, eo aptior eſt, ut firmis rationibus conſilia ſua muniat: SECUNDO, ex promtitudine apta conſilia ſuggerendi, quo pertinet etiam dexteritas expediendorum negotiorum, utpote quæ ſit quaſi fructus prudentiæ & fidei: TERTIO, ex felici*

*ſucceſſu*

Digitized by Google

*ſucceſſu conſiliorum.* Et poſt pauca: *Num quis particulari prudentia valeat, nec ne, colligi poteſt, facta comparatione virium ingenii aut experientiæ rerum aut doctrinæ politicæ cum ipſis rebus ſingularibus, quæ agendæ veniunt. Idque quandoquidem ad alias atque alias res major minorque ſive ingenii, ſive uſus, ſive doctrinæ vis requiritur.*

§. XLV. Conſulere de republica, & conſulere reipublicæ eſt proprium ſenatoris munus, cujus officii caput, noſſe rempublicam, h. e. loci, populi & ſtatus, cujus eſt ſenator, indolem, mores, inſtituta, resque omnes, hactenus oſtendimus. Ex quibus ita poſitis ſequitur, ad munus ſenatoris exercendum non eſſe plene aptos juvenes, idque primario quidem, cum in univerſum ſint rerum humanarum non ſatis periti, tum ejus populi, cui a conſiliis eſſent, indolis, morum, inſtitutorum rerumque omnium per ætatem haud poſſint temere plenam notitiam ſibi acquiſiviſſe, & tamen ſenatorem utrumque præſcire oporteat, ut demonſtratum, priusquam poſſis feliciter reipublicæ auctoritate & conſilio præeſſe. Nondum igitur hactenus juvenis poteſt reipublicæ ex re conſulere, & licet poſſit, obſtat tamen, quo minus velit, affectuum animi nondum ſatis temperata violentia. Sane juvenum talibus moribus, quos eleganter delineat Ariſtoteles *lib.* 1. *rhet. c.* 12. non poteſt reipublicæ quodque regimen in grave diſcrimen adduci. Placent propterea nobis leges annales, per quas juvenes in bene conſtitutis rebuspublicis a ſenatorio munere arcentur. Cujus inſigne in republica veneta habemus exemplum ex Contareno & Janotto ſatis notum. An non autem juvenis more Papirii conſultationibus publicis auditor ſolus intereſſe commode poſſit, alia eſt quæſtio, quam nec temere, nec absque diſcretione definiendam eſſe, exiſtimamus.

§. XLVI. Præter prudentiam rerum civilium multi & eloquentiam in ſenatore exigunt, qui ita poſſit perſuadere valide, potenter atque conſiliis ſuis fidem & auctoritatem conciliare. Audiamus hac de re ſenatorem, quotquot ſunt aut fuerunt, eloquentiſſimum Ciceronem. *Sæpe*, inquit ille lib. 1. de invent. *& multum hoc mecum cogitavi, bonine, an mali plus attulerit hominibus & civitatibus copia dicendi ac ſummum eloquentiæ ſtudium. Nam & cum noſtræ reipublicæ detrimenta conſidero, & maximarum civitatum veteres animo calamitates colligo, non minimam video per diſertiſſimos homines invectam eſſe partem incommodorum.* Paulo poſt affirmat, diu cogitantem ratione ipſa in hanc potiſſimum ſententiam ductum, ut exiſtimaret, *ſapientiam ſine eloquentia parum prodeſſe civitatibus, eloquentiam vero ſine ſapientia nimium obeſſe plerumque, prodeſſe nunquam.* Optimi oratores in Græcia, peſſimi ſæpe fuere ſenatores, teſte hiſtoria; ita quidem, ut in proverbium abierit, de quo ad *lib.* 1. *pol. c.* 4. commentatores legendi. Nos cum Cicerone ex *lib.* 2. *de orator. In ſenatu minore apparatu agenda omnia eſſe*, cenſemus, non ignari eorum, quæ eleganter, copioſe & ornate de eloquentia viri civilis ſcripſit Johannes Henricus Böclerus diſſertationum academicarum tertia.

§. XLVII. Unde ſenator ſuæ reipublicæ conſulere poſſit, hactenus oſtendimus. Non autem ſtatim qui poteſt, vult id, quod poteſt: idcirco amplius in ſenatore id, unde velit ſuæ reipublicæ conſulere, requirendum, quod amorem erga rempublicam eſſe putamus. Curæ cauſa amor eſt inductus. Amamus, ut curemus. Et quod amamus, id ſalvum volumus. Sollicita cura, magni amoris index. Hæc omnia, alterum ſenatoris requiſitum recte eſſe poſitum, confirmant, nempe, ut alicui velim bene, eſt ab amore. Si amor præſentis ſtatus eſt character boni civis, omnis autem ſenator debeat eſſe bonus civis, jure optimo in eo amorem erga rempublicam requiſivimus. Qui reipublicæ inimicus in magna poteſtate eſt poſitus, res novas molitur, ſtatui, quantum valet, nocet, ſæpe & eum immutat. Inimicum non eſſe, amicum eſſe volumus. Quid ſi ſenator reipublicæ nec inimicus, nec amicus, ſed non amicus fuerit? In omnibus aliis reipublicæ expertibus ſubditis id quidem ſufficit, non item in bono ſenatore, quem hic quærimus. Nam qui reipublicæ non amicus eſt, is negligentior eſſe ac ſtatum parum curare ſolet. Philoſophus *lib.* 5. *pol. c.* 3. inter cauſas mutationum rerumpublicarum nono loco recenſet negligentiam, qua ſinuntur ad ſummos magiſtratus pervenire illos, qui non ſunt amici reipublicæ. Hinc illi, qui multum bonorum immobilium in republica habent, majoris æſtimantur, quam ii, qui multum bonorum mobilium, quia illi magis, quam hi rempublicam amare præſumuntur, & propterea Maſſilienſes non alios in ſenatum cooptabant, quam qui haberent liberos, referente ex Strabone Giphanio ad *lib.* 5. *pol. c.* 9.

§. XLIIX. Nec aliquo tantum modo, ſed ita ſuam rempublicam amare debet ſenator, ut publica privatis anteferat ſemper bonis, cum res privatæ, dicente Livio *lib.* 22. ſemper offecere, officientque publicis conſiliis. Unice ſuam rempublicam amet ſenator, nec ulli alii ſit obſtrictus ullo vinculo. Jacobus Auguſtus Thuanus *lib.* 23. *Venetum ſenatum, qui merito omnis civilis prudentiæ officina vocari debeat, id diligenter cavere* obſervat & laudat: *apud quem ſacris initiati, nullam reipublicæ partem attingunt.* Pontificii enim ſacerdotes ſingulari & religioſo nexu romano pontifici ſunt obſtricti. Senator autem ſit ſuæ reipublicæ homo, nec ab extero quodam & abſoluto principe dependeat, aut ei ſit obnoxius. In rem noſtram quædam adſcribimus ex Bodino, qui *lib.* 3. *de republ. cap.* 1. *p.* 377. ita habet: *Sed hoc inprimis ſenatori cavendum, ne peregrinorum principum largitionibus depravari ſe, aut ulla fiducia beneficiove illigari patiatur. Quod tametſi capitale eſſe debet, nihil tamen frequentius in omnium oculos incurrit. Excipio Venetiarum civitatem, quæ ab hoc ſordium genere adeo purum habet ſenatum, ut etiam ſacerdotes, quantumvis cives ac patricios, ob id a comitiis procul arceant, quod jurati putantur nihil contra romani pontificis utilitates & commoda ſe facturos: contritum eſt illud, quod ante ſuffragia cives in comitio acclamare ſolent: FORA I PRETI. Quin etiam Hermolaum Barbarum (quem virum?) ac non ita pridem cardinalem Mulanum exilio damnarunt,*



Digitized by Google

*minarunt, quod, cum legationem apud pontifices romanos obirent, in collegium Cardinalium cooptari ſe paterentur injuſſi. Ego vero triginta quinque cancellarios hujus imperii, nec pauciores in Anglia ex antiquitatibus commemorare poſſum, in cardinalium cœtum aut in collegium pontificum cooptatos. At etiam apud Polonos, quia Gneſnenſis pontifex regni cancellarium ſe ferebat, neceſſe fuit regibus procancellarium arbitrio ſuo creare, qui nulla jurisjurandi obligatione pontificibus romanis teneretur.*

§. XLIX. Et quia in peregrinis minor eſt prudentia ſpecialis, minor etiam amor erga rempublicam, idcirco prudentes peregrinum omnem e ſenatu exeſſe jubent. Eſt autem perinde, ſive natalibus ſit peregrinus, ſive educatione, aut conſuetudine, ſeu moribus. Non tam peregrina patria, quam peregrini mores nocent reipublicæ. Expertus id eſt Hiſpanus, cujus imperio nihil magis apud Belgas offecit, quam quod Hiſpanis ſeu peregrinis adminiſtrationem rerum belgicarum mandarit. Eſt ingens ſolœcismus politicus, non diſcernere peregrinum & domeſticum. Audiamus Ariſtotelem, ſaluberrime præcipientem *lib. 5. pol. cap.* 9. ultimum rerumpublicarum tutamentum, omnibus aliis præferendum. *Maximum eorum, quæ dicta ſunt, facere ad conſervationem rerumpublicarum, eſt, cujus nunc nulli curam gerunt, inſtitui apte ad reſpublicas, in quibus ſcilicet quis civem agere velit.* Nullum enim emolumentum capitur ex utiliſſimis legibus, & quæ probatæ ſunt judicio cunctorum, qui dant operam reipublicæ, niſi erunt aſſueti & inſtituti, ſi leges ſint populares, populariter, ſi oligarchicæ, oligarchice.

§. L. Cæterum, quia non ſufficit velle per amorem, poſſe per prudentiam, ſed ulterius requiritur, ut id, quod ex amore profectum & per prudentiam ſenator poteſt, etiam reapſe præſtet, nec affectibus ab eo ſe abduci ſinat, *tertio*, virtute & juſtitia præditum eſſe oportet optimum ſenatorem. Virtus autem & juſtitia non eſt unius generis, ſed pro variante republica variant ipſæ, docente Ariſtotele *lib. 5. pol. cap.* 9. Nos in optimo ſenatore eam virtutem, eam juſtitiam exigimus, quæ ſtatui ſuæ reipublicæ eſt accommoda, uti pluribus hoc obſervat Philoſophus citato loco. De moribus porro homileticis optimi ſenatoris quare prolixe hic agamus, nulla eſt cauſa. Obſervaſſe ſatis eſt, quod nonnulli eorum magis, nonnulli minus in ſenatore hoc aut illo poſtulentur, prout varia reipublicæ munera locorum, temporum & perſonarum ratione ſunt exercenda. Alii mores utiles non modo, ſed & neceſſarii ſunt in ſenatore, alii tantum eum ornant atque commendant elegantiæ nomine. *Eſſe ſermone affabilem acceſſuque facilem, vultu, qui maxime populum demeretur, amabilem; æquis deſideriis propenſum, nec iniquis acerbum*, ut verbis Senecæ utamur, utile eſt ſenatori.

§. LI. HACTENUS in genere optimi ſenatoris qualitates ſecundum præcepta politica deſcripſimus. Optimum enim in quolibet genere rerum & in optimo ſtatu deſcribere debemus. Obſervandum nempe eſt, non requiri in quolibet ſenatore tam exacte omnia iſta, ſed ſatis eſſe, ſi & ſuam rempublicam amet maxime, eique bene cupiat, atque aliquam ejus notitiam habeat, paratus alios prudentiores audire. Mentem noſtram declarabunt concinnæ ſimilitudines, quibus utitur Philoſophus *lib. 3. pol. cap.* 7. prærogativas plebis præ optimatibus oſtenſurus, ut cœnæ collatitiæ, ad quas domo quisque conviva ſuam affert ſymbolam, inſtructiores & lautiores eſſe ſolent iis epulis, quas unus de privato ſuo præbet, ita ubi multi pariter conveniunt, id, quod ſinguli præſtare nequeunt, præſtare ſolent omnes. In multis non formoſis ſingulatim reperientur diverſæ partes pulchriores, quam ſunt in uno pulcherrimo. Eodem ferme modo comparatum cum optimis ſenatoribus & ſingulis in ſenatu.

§. LII. Ad EX QUIBUS ſenatus conſtet, pertinet ultimo loco annotare, ſenatores alicujus ſenatus eſſe vel æqualis, vel inæqualis, conditionis. Aliud eſt eſſe in ſenatu & aliud eſſe de ſenatu. Poteſt quis habere poteſtatem veniendi in ſenatum, nondum autem habet poteſtatem ferendi ſuffragium, ſed tantum auſcultandi, & qui habent ſuffragium, illorum etiam diſpar eſt ratio. Ita nuper non fuit diſputatum, an civitates imperiales comitiis intereſſe poſſint, nec an jure ſuffragiorum gaudeant? ſed quæſitum de qualitate votorum, an conſultativum modo, non autem deciſivum habeant, aut habere debeant votum? cujus deciſio in *inſtrumento pacis* (*a*) legitur præſcripta. In Cretenſium republica omnibus civibus in ſenatum veniendi ac ſententiæ ferendæ jus erat, non tamen cum ſtatuendi poteſtate, notante id ex hiſtoria Bodino *lib. 3. cap.* 1. In comitiis imperii, prælatis, comitibus, & aliis ſingulis in ſenatu Principum locus conceditur, ſed inter ſecundarios, quos vocant, ut habet author *der Grundfeſte des Heil. Röm. Reichs p.* 104. quorum nemo dicendi, ſed tantum audiendi facultatem habet. Sed ordine ſequitur.

## THESIS XII.

***Deliberat autem ſenatus de iis, quæ ad utilitatem reipublicæ ſuæ, vel procurandam, vel conſervandam faciunt, adeoque directe tantum de publicis, indirecte autem de privatis, quando ſcilicet privata indirecte publicum tangunt.***

§. LIII. Ordine nunc accedimus ad quartum noſtræ diſſertationis caput, nempe DE QUIBUS. Non de omnibus deliberationes inſtitui vel poſſe, vel debere a Philoſopho *lib. 3. eth. c.* 3. præclare docemur. Ergo nec ſenatus de quibuslibet deliberabit, quum prudens non niſi de iis, quæ ſunt in noſtra poteſtate, ſuntque incerta, nec tamen obvia, conſultare ſoleat. Sed, DE QUIBUS ſenatus deliberare poſſit, intellectu eſt facile: difficile autem dictu, quæ debeant, difficilius, quæ non debeant, in deliberationem civilem ab eo vocari. Hinc videmus politicos doctores occupatos in objecto vel materia deliberationum, non tam quid, quam quid non ſub cognitio-

(*a*) *Inſtrumento pacis*) Ex quo voto deciſivo gaudent *art.* 8. §. 4.

Digitized by Google

gnitionem & diſquiſitionem a ſenatu vocari debeat, exponere. Quomodo ejusmodi quædam negotia offerantur, quæ expediat non ſubjicere cognitioni ſenatus, aut vocare in deliberationem, in caſu quodam, ex hiſtoria Gallica deſumto, diſquirendo docet Boxhornius *diſquiſit.* 56. Rectiſſime profecto cenſuit Thuanus, quædam eſſe, quæ in controverſiam in republica non debeant vocari, ejusmodi eſſe, molitiones adverſus magiſtratum & rempublicam. Si igitur de iis controverſiam inſtituere non licet, niſi contracto crimine læſæmajeſtatis, neque profecto licere ea in deliberationem vocare: & præclare addit: *Deliberare de rebus oblatis, nihil eſſe aliud, quam dubitare, an æquæ ſint, an iniquæ. Nam de re dubia tantum inſtituuntur deliberationes, ergo neutiquam deliberandum de iis eſt in republica, de quibus nefas eſt cogitare, quæ dubitari nec poſſunt, nec debent.*

§. LIV. *Senatus deliberat*, inquit Philoſophus *lib.* 4. *Pol. cap.* 14. *de iis, quæ pertinent ad bellum & pacem, & ad ſocietatem bellicam ineundam & dirimendam, & ſtatuere de legibus, & de morte, & de exilio, & de publicatione bonorum, & de accipiendis rationibus ab iis, qui munere aliquo publico functi ſint.* Et *lib.* 1. *Reth. cap.* 4. §. 10. De quibus rebus ſit deliberatio politica, ita docet: *Sunt autem quinque fere numero maxima ac præcipua eorum, quæ in conſiliis agitari ſolent. Agitur enim de vectigalibus & reditibus publicis, de bello & pace, de cuſtodia regionis, de iis, quæ importantur & exportantur, & de legum conſtitutione.* In exemplis objectum ſenatus depingere, minime vero id iis capitibus circumſcribere, voluit Philoſophus, cum multo plura ſint, quæ rempublicam conſtituunt & firmant, ea modo, circa quæ deliberationes civiles inſtitui potiſſimum ſolent, exponens. Non quinque veniunt in deliberationes civiles, ſed τὰ μέγιστα capita deliberationum civilium ſunt quinque, dicit Philoſophus citato rhetoricorum loco: cujus & ſententiam & uſum inſigniter illuſtrat venerabilis etiam poſt fata præceptor meus Schraderus.

§. LV. Nos noſtram ſententiam in præmiſſa theſi generali, quadam definitione ſeu determinatione expoſuimus, ſub qua omnia & ſingula, de quibus in ſenatu deliberandum, ſubſumi poterunt. Tantum illuſtrationis cauſa tria addimus. Primo, *res humanas alias ad privatam magis vitam pertinere, alias ad publicam. Publicas res porro alias eſſe reipublicæ & civitatis vere civilia negatia*, alias alterius nonnihil ordinis, cujusmodi ex. gr. ſunt mere bellicæ, aut navales, commerciorum cauſa inſtitutæ expeditiones, ut præclare docemur a magnifico Dn. Præſide *lib. de civili prudentia cap.* 14. *p.* 299. Potiſſima deliberationum ſumma capita ex doctrina de juribus majeſtatis deſumi, & diſtincte exhiberi poſſe. Exhiberemus etiam eadem, ſi neceſſe eſſet, & non facile paterent legenti modo Analyſin *lib. III. Pol. Ariſt. cap.* 4. Plurimum reverendi D. Mejeri. Denique obſervamus, unum idemque, diverſo tamen reſpectu, & ſub judicium, & ſub ſenatum cadere. Ita, e. gr. de vita & nece civis ſtatuit judex ex legibus, an autem ſententia, a judice lata executioni ſit mandanda nec ne, & ſi, quomodo, deliberat ſenatus, idque ex utilitate reipublicæ. Id quod non ita vulgo diſtinguimus: quod hactenus in plerisque rebuspublicis, quibus judicia, illis & conſilia curiæ committantur. Dicimus, plerisque, nam jampridem in regnis, principatibus ac majoribus rebuspublicis, aliis conſilia ſtatus, aliis judicia concredi, aut ſaltem ſenatus diſtingui, & ſeparari a dicaſtriis cœperunt, ut in minoribus civitatibus, alii judicia alii conſilia tractent, non ferunt præ indigentia. Natura non facit gladium Delphicum, ut eſt in proverbio apud Ariſtotelem *lib.* 1. *Pol. cap.* 1. uti nec prudentia, niſi in caſu neceſſitatis, & per inopiam.

## THESIS XIII.

***Modus habendi ſenatum varius eſt & in directione, votorum proferendorum ratione, nec non decernendo atque ejus, quod decretum executione cernitur.***

§. LVI. Ordine nunc deferimur ad quintum noſtræ diſſertationis caput, de modo, quo habetur ſenatus tantum dicturi. Nec enim ſenatus quovis vult haberi modo, nec omnis eodem. Leo imperator conſcripſit librum de bellico apparatu, quem e Græco in latinum transtulit Checus Cantabrigienſis, Baſileæ Anno 1554. excuſum, in cujus capite quarto de conſilio bellico capiendo præcepta tradit ejusmodi, quæ ob ſuam generalitatem ad omnem ſenatum applicari poſſunt, ibi, cui volupe, legenda. Nos ea, quæ in modo habendi ſenatum maxime obſervanda in adverſariis noſtris habemus, ordine exhibebimus.

§. LVII. Directorium ſecundum ſe nullam importat vel dignitatem vel poteſtatem, ſed tantum ordinem: quamvis is, qui perpetuum habet directorium facile poſſit ſibi aliquam dignitatem vel etiam poteſtatem acquirere. Hinc ubi ſenatus ex paribus conſtat, nonnunquam viciſſitudo dirigendi ſenatum obtinet, ne diuturna aut perpetua directio alicui invadendæ libertatis cupiditatem ingeneret. In exemplum jam quidem adducimus ſenatum generalium fœderatarum provinciarum in Belgio, cujus non ſemper unus idemque eſt præſes ſeu director, ſed ſingulis octiduis mutatur, ejusque perſonam conſtituunt, vicibus recurrentibus, nunc Geldriæ, nunc Hollandiæ, tandem etiam reliquarum provinciarum fœderatarum legati. Sed licet directorium in parium ſenatu ambulatorium potius, quam perpetuum debeat eſſe, ſingulis tamen octiduis illud per vices mutare, prudentibus minus conſultum videtur. Nec enim parum intereſt, uti cenſet dominus Præſes in MSto collegio de ſingulis Europæ rebuspublicis, qualem habeas conſiliarium directorem. Poteſt enim fieri, ut altero octiduo ſit Præſes prudens, altero imprudentior. Longe itaque conſultius foret, ſi ambulatorii præſidatus longius extenderentur, ad minimum in tempus annuum.



Digitized by Google

§. LIIX. Melior eſt ratio viciſſitudinis directorii in plerisque circularibus imperii conventibus, in quibus ex duobus unus poſt alterum per vices dirigit in eodem conventu, ita tamen, ut ejus poteſtas temperetur condirectorio ſummæ belli præturæ. Dico in plerisque: nam Elector Moguntinus ſingulare etiam hoc habet, quod ſolus ſit *ausſchreibender Churfürſt, und* Director *im Chur-Rheiniſchen Creiſe.* Fieri etiam poteſt, ut uno plures dirigendi facultatem vel ſimul, vel diviſim habeant & exerceant. Hujus notabile exemplum habemus in collegio Electorum imperii, quod verbis ex formula transactionis Spirenſis, de Anno 1529. hic exponimus: 1. *Wann hinführo die Rœmiſche Kayſerl. und Kœnigl. Majeſtæt, und die Stande des H. Reichs, in gemeiner Verſammlung etwas zu fragen, ſo ſol ein jeder Churfürſt von Sachſen, der je zu Zeiten ſeyn wird, die Umbfrage haben, ſo aber die Churfürſten ohne Beyweſen eines Rœmiſchen Kayſers oder Kœniges, mit oder ohne ihre Ræhte, auf der Reichsverſammlung, bey einander in ihrem Raht ſeyn.* 2. *So ſol ein jeder Ertzbiſchoff zu Meintz Churfürſt, der auch je zu Zeiten ſeyn würde, oder ſo er nicht gegenwærtig wære, ſeine Botſchafft die Umbfrage zu thun haben,* 3. *alſo daſs derſelbe Ertzbiſchoff ſelbſt, oder deſſen Botſchafft, die andern Churfürſten, und ihre Botſchafften, und herwiederum der Churfürſt zu Sachſen, oder deſſelben Botſchafften, ein Ertzbiſchoff zu Meintz Churfürſt oder ſeine Botſchafft fragen ſol.* 4. *Wann aber ein gemeiner Ausſchuſs, er ſey groſs oder klein, gemacht wird, darinnen Churfürſten, oder ihre Botſchafften ſitzen, und die andern Stande des H. Reichs, ſo ſoll der Churfürſt zu Meintz, oder in ſeinem Abweſen ſeine Botſchafften den erſten Tag, die andern Churfürſten oder ihre Botſchafften umfragen, und der Churfürſt zu Sachſen, oder ſeine Botſchafften, den Ertzbiſchoff zu Meintz, oder deſſelben Botſchafften, und die anderen Fürſten und der Stande verordneten, auſſerhalb der Churfürſten oder ihrer Botſchafften umfragen. Darnach auff den andern Tag, ſo der Ausſchuſs wieder zuſammen kommt, ſo ſol der Churfürſt von Sachſen, oder ſeine Botſchafften, die Churfürſten, oder ihre Botſchafften, und der Ertzbiſchoff zu Meintz, ihme von Sachſen, oder ſeine Botſchafften fragen, und der Churfürſt von Sachſen, zu jeder Reichs-Verſammlung, ſo der Ausſchuſs gehalten wird, durch ſich ſelbſten, oder ſeine Botſchafften, die andern Stande auſſerhalb der Churfürſten, oder ihre Botſchafften fragen, alſo daſs es mit der Churfürſten, oder ihrer Botſchafften Fragen, je einen Tag um den andern, berührter maſſen umgehe.* 5. *Wo aber in groſſen oder kleinen Ausſchüſſen niemandes von des Ertzbiſchoffs zu Meintz wegen erſchiene, oder zugegen wære, damit denn die Sachen nicht verzogen oder auffgehalten würden, ſoll alsdann der Churfürſt von Sachſen, oder ſeine Botſchafften und Verordneten, die Umfrage zu thun haben, desgleichen hinwiederum, wann von des Churfürſten von Sachſen wegen, niemand in ſolchen Ausſchüſſen erſchiene, ſo ſoll der Ertzbiſchoff zu Meintz, oder wer von ſeinetwegen dahin verordnet wird, des Orts auch die Umfrage thun.*

§. LIX. Directoris autem eſt, (1) convocare ſenatores, (2) capita deliberationum proponere, (3) vota colligere, (4) vota numerare, (5) concluſum indicare & denique, (6) ſenatum dimittere. Hæ ſunt partes Directorii ſecundum ſe, quamvis non raro contingat, ut hic vel ille director plus aut etiam minus poſſit. Debet autem director ſenatus in liberis rebuspubl. omnia iſta & ſingula facere & legum fundamentalium præſcripto, ne poteſtate ſua abutatur. Res enim periculi plena eſt, uni civium tantam poteſtatem tribui, ut, quando ipſi viſum, ſenatum cogere, & quos velit, in ſenatum vocare, vel excludere poſſit. Legis hoc eſſe debet, non arbitrii directoris. Nec minoris periculi eſt, ſi in libera directoris poteſtate poſitum eſt, ſive de jure, ſive de facto, quæ velit in ſenatum deducere vel non deducere. Quantum fieri poteſt, lege & religione conſtringenda eſt poteſtas proponendi, quæ ſint in ſenatu agenda, quibusve de rebus in ſenatu ſit deliberandum. Idem de reliquis directorii partibus ſtatuendum. In omnibus fere græcorum civitatibus Prætor Maximus per accenſum clara voce primum quemque, qui reipublicæ utilia conſulere vellet, dicere jubebat: quod Livius *lib.* 32. Græcis in more eſſe ſcribit, ubi agit de Achæis. Ætholorum vero conſuetudinem ſingularem Imperator Achæorum Philopœmon vehementer laudabat apud eundem Livium *lib.* 25, ne ſcilicet is, quod utile ſibi videretur propoſuiſſet, ſententiæ ferendæ jus haberet. Ea res in liberis rebuspublicis ambitioſa decreta factioſorum hominum, qui alios in ſententiam ſuam pertrahere ſolent, quodammodo prohibere poteſt. Vid. Bodinus *de republ. lib.* 3. *cap.* 1.

§. LX. Poſt directorium in ſenatu conſiderandus eſt modus & ordo ferendi vota, quorum cauſa differentias votorum plerasque hic exponimus. Qui deliberant, hoc agunt vel absque poteſtate executioni mandandi id, quod conſultando concluſum fuit; vel cum poteſtate decernendi & exequendi. Et inde vota diſtinguuntur in conſultativa & deciſiva. Differentiam iſtam pluribus expoſuerunt illi, quos quæſtio: An civitates imperiales in comitiis imperii conſultativum modo, non autem deciſivum votum habeant, patrum memoria occupavit. Vota conſultativa pro arbitrio ſuperiorum nunc numerantur, nunc ponderantur; vota autem deciſiva non tam ponderari, quam numerari volunt. Bene Plinius ad Arrianum *Epiſt.* 12. *lib.* 2. *Numerantur*, inquit, *ſententiæ, non ponderantur. Nec aliud in publico conſilio poteſt fieri, in quo nihil tam eſt inæquale, quam æqualitas ipſa. Nam cum ſit impar prudentia, par omnium jus eſt. Secundo*, vota diſtinguuntur in affirmativa & negativa, in comprobantia & improbantia. Sunt, quibus in ſenatu non eſt conceſſum affirmativum, ſed tantum negativum votum. Ita in electione Romani Pontificis, Rex Franciæ non habet poteſtatem dicendi: Hunc vel illum volo, ſed tantum iſtum & illum nolo Pontificem. Ubi ſimul diſcimus, poſſe aliquem in eadem cauſa & negotio uno plurium votorum negativorum jus habere, quemadmodum dictus Galliarum Rex duos bino voto, quantum in ipſo eſt, a papali dignitate excludere valet. Similis eſt huic differentiæ altera illa improbantium nempe & comprobantium, quæ obſervari ſolet in democraticis civitatibus,

Digitized by Google

vitatibus, in quibus inferioribus de plebe comprobandi jus eſt relictum, improbantium autem clamoſæ etiam voces non attenduntur. Quo ipſo tamen non notamus illos, qui ex intempeſtivo quodam metu, vel ob imperitiam rerum civilium ab aliis diſſentire nolunt, & Germanis dicuntur *die Ja und Amensherrn*, cum & improbandi & comprobandi jure gaudeant.

§. LVI. *Tertio*, alia vota ſunt libera, alia reſtricta, vel de jure, vel de conſuetudine. Omne ſenatorum votum, ſive liberum, ſive reſtrictum, debet eſſe liberum, ſi quando de libertate loquendi, quam Græci *παῤῥησίαν* appellant, eſt ſermo. Neutiquam enim nobis placet ſenatus elinguis, quem vocat Plinius in Panegyrico, *in quo dicere, quod velles, periculoſum; quod nolles, miſerum eſt*, in quo unus & alter cenſent, quod omnibus amplectendum. Ita liberum votum eſt, non ad nutum alterius loqui, licet voti menſura ſit lex civitatis fundamentalis ſcripta vel non ſcripta. Singuli Electores in eligendo Rege romanorum in Imperatorem evehendo, liberum habent votum. In altera illa ſignificatione, licet ex lege non ſcripta ſint adſtricta ad eligendum unum ex Germanis, & in his hactenus ad auſtriacam familiam, de quo videantur publici juris germanici ſcriptores. Ita Cardinalibus, in eligendo aliquo in Papam Alpes transgredi non eſt conceſſum. Et ſane in liberis rebuspublicis conducibile admodum eſt, ne ſenatorum vota ſint omnino libera, ſed reſtricti juris, pro ratione & varietate ſtatus ex utilitate reipublicæ.

§. LXII. Ex eo oritur, *quarto*, differentia, qua votorum alia ſunt publica ſeu manifeſta, alia ſecreta. In imperii collegiis & conventibus votorum editio publice fieri, receptum eſt, quamvis in comitiis de Annis 1594. & 1598. diſceptatum fuit, an non ſatius ſit in deliberationibus de idoneis perſonis, ad officia imperii publica deligendis ſecreta edere vota, quod talia majore cum libertate & minore cum offenſa ambientium ferri poſſint. Spectat huc illud Ulpiani: Potuit præſentia ejus trahere eos in ejus ſententiam *l.* 17. *§. fin. ff. de recept. arbitr.* Unde & in Areopago ſententiæ in pupillaribus conſcriptæ exhibebantur. Ut inter alios Græcia illuſtrata Ubbonis Emmii docebit. Multum porro intereſt, *quinto*, an vota cum rationibus, an nude ſine rationibus, ſint proferenda. Ita Juris Conſulti in conſiliis ſuis ſententiam ſuam exponere ſolent adjunctis ſimul dubitandi ac decidendi rationibus, id quod plenum conſilium appellant. Alias ſenator ſuo voto rationem annectere non tenetur, niſi hoc ſpecialiter lege quadam reipublicæ exigatur. Quod ſi rationem ſententiæ ſuæ expoſuerit, fiet id ex abundanti. Deinde, *ſexto*, non perinde eſt jurati an non jurati, vota edant. Illius inſigne exemplum habemus in electione Regis Romanorum, de quo extat lex in Aurea Bulla *cap.* 2. Solet nonnunquam Princeps in re ardua & periculoſa ſuos conſiliarios ſingulari juramento adſtringere, ut certior ſit de miniſtrorum ſuorum fide, atque eos reddat cautiores. *Nullum vinculum*, inquit Cicero 1. offic. *ad adſtringendam fidem majores noſtri jurejurando arctius eſſe voluerunt.*

§. LXIII. Ulterius, *ſeptimo*, non perinde eſt, utrum ſcripto, an ore, utrum ſeorſim, an in ipſo conventu, omnibus ſenatoribus præſentibus & audientibus, & quidem collegialiter ſuffragia ferantur. Ita conſuevit, notante illuſtri Erico Mauritio in de Comitiis electoralibus diſſertatione theſi XI. in quæſtionem adduci, an Electoribus competat jus eligendi, ut ut ſingulis, vel ut collegio? Quæ quæſtio ibi exponitur verbis Dn. Schützii *vol.* 1. *de ſtatu Rei Romanæ diſp.* 2. *th.* 14. *collegialiter, non in locis diverſis vel ſcriptura debet fieri electio, eſt enim actus collegialis individuus.* Id quod etiam bifariam fieri poteſt, vel enim ſpatium deliberandi conceditur domi, vel ſtatim ac capita deliberationum propoſita ſunt, vota ſeorſim colliguntur. Et ſane plurimum intereſt, utrum quis ad conſilium inſtructus veniat, nec ne. In imperii comitiis univerſalibus & circularibus res deliberanda prius communicatur in domeſticam præmeditationem. Denique vel viritim, vel curiatim, vota feruntur, unde vota alia ſingularia, alia curiata. Uterque ſuffragii ferendi modus in comitiis imperii & conventibus provincialibus uſurpatur: ut pluribus erudite expoſuit magnificus dominus Hugo *in diſp. de ſtatu regionum germaniæ cap.* 4. *§.* 32.

§. LXIV. Ab illis expoſitis votorum differentiis maximam partem modus ſenatum habendi pendet. Indicant enim illæ differentiæ, quot modis ſenatores conſultationem explicare poſſint. Quapropter tam in inſtituendo, quam in inſtituto ſenatu examinando & judicando, ad illas reſpicere debemus. Etiam pro ratione rerumpublicarum modi illi inter ſe miſcendi ac temperandi ſunt, id quod prudentum judicio ordinandum relinquimus. Ut e. gr. in liberis rebuspublicis vota omnino libera ſint, non eſt conſultum, ut autem omnino ſint reſtricta, eſt unum ex iis, quæ fieri non poſſunt. Quæ autem libera, quæ legibus reſtricta eſſe debeant, in ſingulis rebuspublicis ſtatuere, non niſi eſt prudentum, qui noverunt dare interdum aliquid tempori, & indoli populi, aut in hoc vel nobilibus, vel plebi, pro ratione ſtatus. Habet hic locum, quod Philoſophus de liberis rebuspublicis dicit, nempe eas non eſſe respublicas, ſed anarchias, niſi ibi leges imperent. Quam Philoſophiam Cicero ita exprimit: *Ubi nulla legum* (de fundamentalibus legibus eſt ſermo) *auctoritas, ibi quoque nulla reſpublica. Lex enim eſt fundamentum libertatis, fons æquitatis: mens, animus, & conſilium & ſententia civitatis poſita eſt in legibus.* Sed omnia omnino legibus committere non poſſumus, homini non debemus, quia periculo non caret. Homo enim ſibi imperat, & fit tyrannus. Unde *non ſinimus hominem* omnino ſcilicet, *imperare*, ſed, ex parte nempe, *rationem* ſeu legem, inquit Philoſophus *lib.* 5. *Eth. Nicom. cap.* 6. Fit propterea, ut nulla non civitas ſuas habeat de ſenatu habendo leges fundamentales, in quarum obſervantia ſalus reipublicæ maxima ex parte eſt ſita. Illis igitur latis eſt inhærendum, ſi autem ferendæ, rectum quidem ex præſcripto Ariſtotelis ſumatur æqualiter, ſed ita tamen, ut indolis populi ratio habeatur. Non enim ſtatus legibus, ſed leges ſtatui accommodari volunt, & etiam debent.



Digitized by Google

§. LXV. Ex eodem hoc capite ſtatuendum de eo, utrum in libero ſtatu ſatius ſit, ut primores quidam in ſenatu votum deciſivum, reliqui vero tantum votum conſultativum habeant, an vero melius ſit, ut pari omnes gaudeant jure. Univerſe recte dicimus, liberum ſtatum amare æqualitatem, unde ariſtocraticæ & oligarchicæ respublicæ ſalvæ ſunt & manent, ſi inter ſenatores optimates in ariſtocratia, inter nobiles & divites in oligarchia, quædam quaſi ſervetur democratia: uti prudenter docemur *lib.* 5. *Pol. c.* 8. Ut multi deliberent, pauci decernant, res eſt periculi plena in democratiis. Ratio vero ſententiæ ferendæ occultis ſuffragiis, ut apud Venetos; aut locorum mutatione, ut apud Romanos, Bodino probari non poteſt, & merito: ac potiſſimum, ſi plura ſunt capita, quæ in deliberationem cadunt, quorum alia quidem probantur, alia rejiciuntur: in quo genere *ſententiam dividere* oportuit, ut latini loquuntur, & ſenatores ſæpius loco moveri. At cum Veneti in eas difficultates delabantur, occulta ſuffragia deſerere & clara voce ſententiam ferre coguntur. Quod etiam ab illis fieri ſolet, cum de capite, fama ac fortunis omnibus judicatur: quod quidem ſuffragiis occultis ac tabulis, quibus etiam græcorum & latinorum judices utebantur, ſine ſumma injuria fieri non poteſt. Sed quominus democratiis conveniant leges tabellariæ & muta quædam ſuffragatio, non videmus. Plebs enim magis numero, quam ratione agit, atque valet: in quem accidit illud, *unde plus erant, omnes fuere.*

§. LXVI. Quamvis de conſiliis, re noſtræ poteſtatis, ex eventu, utpote in noſtra poteſtate non poſito, non ſit ſtatuendum, non tamen eventibus, ſed certis argumentis & rationibus, quare hoc vel illud, ita vel aliter, agendum aut omittendum ſit, ſenatorem niti oportet. In incerto caſu ſpem conſiliorum publicorum & reipublicæ ſtatum collocare, nefas ſemper habitum. Veteres id ſymbolica ſua doctrina ſignificare volunt, quando fingunt, fortunam Deam e conſilio Deorum excluſam fuiſſe. Rationes autem conſilii ſui ut ſenator reddat, non eſt ſemper neceſſe, imo nonnunquam minus conſultum, quod ita alter alterum illecebris rationum & argumentorum ſubtilitate in ſententiam ſuam pertrahere ſtudeat. In liberis rebuspublicis ſenatoribus Laconica brevitate utendum, ut ſit omnibus dicendi locus, ne quis orator, cum in poſſeſſionem dicendi venerit, reliquos ſenatores excludat, ac propterea veteri Areopagitarum ſenatusconſulto, nec prooemiis uti licuit, nec epilogis: ita artibus demagogicis præcluditur locus & occaſio. Ob idem brevitatis commodum ſtudium ſequentes in ſuffragantium ordine, ſi nihil novi addere aut monere poſſint, aut velint, conſenſum modo ſuum verbo *placet* declarare debent. Vid. R. Imp. de anno 1654. §. *So hatten ſie ſich alleine* per verbum *placet zu erklæhren.*

§. LXVII. Omnibus porro liberis rebuspublicis commune eſt, ut jus majoris partis in ſenatu obtineat. Expreſſe hoc docet Philoſophus *lib.* 4. *Polit. cap.* 8. *p.* 250. his verbis: *Quodcunque autem viſum ſit pluribus, in omnibus exiſtit. In poteſtate namque paucorum, in ſtatu optimorum, & in populis, quod probatum fuerit majori parti eorum, qui participes ſunt reipublicæ, hoc eſt ratum.* Pro majore numero votorum ſtat opinio prudentiæ, licet non ſemper majora & ſaniora conjungantur. Et præterea promtius numerantur ſententiæ, quam ponderantur, præſertim in ampliſſimo aliquo ſenatu, quantus eſt Venetus. Accedit ratio æquitatis, de qua Hugo Grotius *lib.* 2. *de Jure Belli ac Pacis cap.* 5. §. 17. *Ea credenda eſt fuiſſe voluntas in ſocietatem coëuntium, ut ratio aliqua eſſet expediendi negotia: eſt autem manifeſte iniquum, ut pars major ſequatur minorem: quare naturaliter, ſecluſis pactis ac legibus, quæ formam tractandis negotiis imponunt, pars major jus habet integri.* Notanter inſerit: *ſecluſis pactis & legibus*; varia enim illis a communi iſta regula excipi poſſunt, quæ ſecundum ſe ei ſubjacent, uti in diſceptatione inter imperii ſtatus de iis, quæ ex major votorum numero in comitiis non ſunt decernenda, videre eſt, & annotavit Bernhardus Bertram, *de comitiis imperii num.* 73. Non eſt autem liberis rebuspublicis accommodum, ut multa a communi illa regula excipiantur: in quantum ab illa receditur, in tantum decedit aliquid ſtatui.

§. LXIIX. Qui autem faciant majorem partem in ſingulis rebuspubl. liberis, diſtincte obſervandum. Eſt jus majoris partis inſtitutum quidem, ut diximus, commune, maxime tamen democraticum, in democraticis namque rebuspublicis manifeſtius illud eſt atque ſimplicius. Eodem jure cives omnes in democratia æſtimantur, quæque major ibi pars, ſola quantitate majori eſt, qualitate nemo, niſi ex inſtituto: quo tamen ipſo abitur a democratia eaque tum alterius reipublicæ inſtituto temperatur. Et cum omnes per aliquos agere poſſint, ut infra in differentiis ſenatus notabitur, idcirco in democratiis pars major non uno modo definiri poteſt & ſolet. In ariſtocraticis & oligarchicis rebuspublicis, optimates vel nobiles qualitate majorem faciunt civitatis partem, ſeu habent jus majoris partis, & quidem ita habent, ut ſive omnes conſentiant, eo jure ſtetur; ſive optimatum vel divitum pars major conſentiat. Ex quo duplex major pars & majoris partis jus efficitur, vel enim ſenatus in ordine ad civitatem, vel pars una ſenatus ad alteram conſideratur, atque aliter atque aliter major pars definienda.

§. LXIX. Quot vero numero majorem ſenatus partem faciant, etiam attendendum. Variat enim ille, nec ſemper manifeſtus. Numerantur vota, numerus autem major eſt, qui vel unitate ſuperatur. Et id ita ex natura rei: quod etiam manifeſtum, nec ullam hactenus habet difficultatem. Quod ſi autem aliter legibus aut moribus cautum, uti omnino cavere licet, & cautum fuiſſe videmus. Eſt ubi lege certus numerus ſuffragiorum eſt determinatus, qui minimum faciat ex inſtituto majorem partem; eſt ubi major pars cenſetur, quæ duobus, quæ tri-

bus

bus ſuffragiis ſuperior; eſt ubi partes duæ conſtituunt majorem. Qua de re in collegio quoque Principum Ratisbonæ anno 1653. actitatum, in materia tributorum. Evangelicorum enim plerique duas tresve partes in neceſſariis requirebant. Sic & Gregorii X. decreto, duas cardinalium partes expectat futurus pontifex. Boeclerus in diſſertatione de calculo Minervæ §. *Nobis ut quo*, exiſtimat, *egregium temperamentum æquitatis fore, ſi in odioſis duæ, in favorabilibus una ſententia, ad conſtituendam partem majorem, requirantur.* Singularis in definienda majore parte ſuffragiorum eſt cura Venetorum, quos & quot ad majorem votorum partem concurrere oporteat, pro diverſitate cauſarum, legibus varie deſcribentium: quorum inſtitutum admodum nobis probatur. Huc etiam ſpectat reſponſum Papiniani, *majorem eſſe partem pro modo debiti, non pro numero perſonarum arg. l. 9. ff. de pact.*

§. LXX. Utrum præterea in jure majoris partis ad numerum idem ſuffragantium ſenatorum, an vero ad integrum collegium ſenatus ſit reſpiciendum, non levis eſt quæſtionis. Beſoldus in theſauro practico vocab. meiſte Stimmen, ſic reſpondet: *Major pars dicitur, reſpectu totius, non reſpectu minoris numeri: v. g. ſunt XII. canonici, tres eligunt Titium, tres Sejum, ſex Sempronium: nulla iſtarum dicitur major pars; ſed oportet, ut ab uno latere ſtent ſeptem ſaltem. Sed quia hæc ratio aliquando in labyrinthum ducit (quid enim, ſi omnes maneant propoſiti tenaces? non ad ſingulos levis etiam momenti actus, inſtar cardinalium pontificem eligentium, in conclave includi poſſunt, donec convenerint) in collegiis paſſim uſu obtinuit, ut, quod major numerus, non quidem reſpectu totius, ſed minoris partis decreverit, ratum ſit & plenum habeat vigorem.* Et certe planior eſt intellectus, ut comparatio partium inter ſe fiat. Acute etiam Julianus ſcripſit *l. 27. §. 3. ff. de recept. qui arbitr. Si ex tribus arbitris unus quindecim, alius decem, tertius quinque condemnent; quinque debere præſtari: quia in hanc ſummam omnes conſenſerunt.* Sed diſtinctione hic quadam opus eſt. In electionibus ſolet major pars intelligi, reſpectu totius collegii. In deliberationibus autem de agendis, aut judicio de actis numerus ſuffragantium perſonarum, non ſententiarum, attenditur.

§. LXXI. Denique in ordine votorum eſt aliquid poſitum. Non enim perinde eſt, quis ultimo loco votum ſuum proferat. Prior enim poſteriorem diſponere & in ſententiam ſuam amplis perſuaſionibus pertrahere, poſterior priorem refutare poteſt. Quamvis in ſenatu non ſit diſputandum, atque adeo non permittendum, ut ſuccedens antecedentis votum perſtringat atque refutet. Poſteriori a priore diſſentire liceat, ita tamen, ut cum diſſenſu concordia conjuncta ſit: quam urget & exponit Philoſophus *lib. 9. Ethic. Nicom. cap. 6.* Quemadmodum autem pertinaces ſenatores minime ferimus, ita eos, qui cuiquam aſſentire turpe, ac præclare ſecum agi putant, ſi, ut clavum clavo, ſic opinionem opinione trudant, prorſus deteſtamur. Poſterior denique majus deliberandi habet ſpatium, & melius atque uberius ex anteceſſorum votis informatur.

§. LXXII. Quibus vero locis ac temporibus ſenatus haberi debeat, parum admodum intereſt. Plutarchus de Lycurgo refert, quod vetarit picturas ad ea loca, in quibus ſenatus conſilia caperet, adhiberi, propterea, quod rerum earum, quæ ſub aſpectum cadunt, oblatæ ſpecies, mentem, quæ ad conſilia intenta eſſe debet, ſæpiſſime diſtrahere ſolent. De veteribus Germanis refert Tacitus *cap. 22.* quod de pace ac bello in conviviis conſultarint *tanquam nullo magis tempore, aut ad ſimplices cogitationes pateat animus, aut ad magnas incaleſcat.* De quo inſtituto eleganter diſſerit Berneggerus quæſtione CXXIX. ex Taciti Germania. Jejuno ſenatu capienda ſunt conſilia: neque enim ſatur quiſquam recte aut promte conſilium dabit, judice Philippo Cominæo.

## THESIS XIV.

***Senatus, prima & communi differentia, in ariſtocraticum, oligarchicum, politicum & democraticum diſtinguitur, quorum quilibet iterum ſuas admittit differentias.***

§. LXXIII. Philoſophus *lib. 4. polit. cap. 14.* primas has ſenatus differentias his verbis nos docet: *Neceſſe autem eſt, ſive omnibus civibus traditas eſſe omnes has exiſtimationes, ſive quibusdam omnes: ceu magiſtratui alicui uni vel pluribus: vel aliis alias: vel quasdam ipſarum omnibus, quasdam autem quibusdam.* Vel omnes de omnibus: vel omnes de quibusdam, vel quidam de omnibus, vel quidam de quibusdam deliberant. Scilicet, quot ſunt rerumpublicarum liberarum, tot & ſunt ſenatus differentiæ. Et ſenatus idem habet fundamentum, quod habet reſpublica, cui ſenatus eſt accommodus. Qui democratiæ, idem & democratici ſenatus eſt character, & ita in reliquis. Inde deſcendit Ariſtoteles ad ſingula ſenatus genera, eorumque ſpecies. Et quia inter liberas reſpublicas primum locum democratia tenet, idcirco democraticos ſenatus primo loco exponit, omnes de omnibus conſultare democraticum, hujusmodi enim æqualitatem quærit populus. Qui ſenatus libertate & æqualitate, ut democratia, nititur, eſt ſenatus democraticus. Non autem eſt major vel libertas, vel æqualitas, quam cum omnes de omnibus in republica deliberant. Unde talis ſenatus eſt veluti norma & index cujusvis democratici ſenatus, ita ut, quo magis vel minus ad illum aliquis ſenatus accedit, eo magis vel minus ſit democraticus. Sunt enim modi, quibus omnes, plures: ut præclare docemur ab Ariſtotele, citato ſæpius capite 14. *lib. 4. pol.* quatuor autem modos deſignat, quos ordine hic exhibemus, cum in doctrina de differentiis ſenatus, unum & ſolum Ariſtotelem hactenus habeamus magiſtrum.

## THES. XV.

***Cum per vices, & non cuncti ſimul de potiſſimis rebus conſultant, reliqua vero magiſtratui permittunt, eſt character primi democratici ſenatus modi.***

§. LXXIV. Solet Philoſophus ex hiſtoria & rebus ſui ævi differentias rerumpublicarum ſpecia-

Digitized by Google

ſpecialiores explicare, hiſtoricum potius, quam philoſophum eo docendi genere agens, id quod ante omnia hic ſupponi debet. Plures enim & alii dubio procul ſunt modi democratici ſenatus, quam quot & quales hic recenſentur: quot autem & quales recenſentur, ſatis ſunt ad id, ut differentias reliquas per analogiam inde aut conſtituamus, aut judicemus. Prudentis eſt, in applicatione doctrinæ ariſtotelicæ ad hodiernas reſpublicas nunc aliquid addere, nunc aliquid demere, atque ea uti, non ut Polycleti, ſed ut Lesbia regula. Excuſamus ita præcepta Philoſophi, ſi quando non exacte noſtris hodie rebus reſponderint; ut omnino reſpondere non poſſunt. Sed de eo præceptores noſtri audiantur, legantur. Equidem accedo ad primum ſenatus democratici modum, quo omnes, non ſinguli, ſed per aliquos, ſeu tributim & quidem per ſeniores aut primicerios collegiorum, ſocietatum, ſeu tribuum de negotiis reipublicæ deliberant, quemadmodum uſu venit in pleriſque Germaniæ rebuspublicis. Et vero, quia per vices modo hic, modo alius eſt caput alicujus tribus aut collegii, hinc tandem ſucceſſione omnes, aut plerique ſenatus actu fiunt participes. Convocantur autem illi omnes, qui totam referunt civitatem, quando de rebus majoris momenti eſt deliberandum, reliqua vero ſenatui determinato permittuntur. Ubi commode repetimus aliam ſenatus differentiam, qua alius ordinarius, ſtatus & definitus, alius indictivus, extraordinarius & indefinitus ex libro tertio politicorum capite primo dici ſolet. In republica veneta omnes Patricii, qui nomen ſuum publice profeſſi ſunt, conſtituunt ſenatum indictivum, qui vero ex Patriciis in conſilium ex. gr. Rogatorum ſunt delecti, ſenatum ordinarium faciunt. Quando in civitate hamburgenſi de rebus majoris momenti eſt deliberandum, convocantur illi omnes, qui totam referunt civitatem, qui ſenatus eſt extraordinarius, reliqua ſenatui determinato permittuntur. Nam in hoc primo modo populus non de omnibus rebus, ſed de ſummis tantum conſultandi jus & poteſtatem ſibi ſervat.

## THESIS XVI.

*Alius modus eſt, quando omnes & ſinguli ad comitia veniunt de publicis rebus non omnibus, ſed quibusdam deliberaturi, cætera magiſtratui committentes.*

§. LXXV. Alter modus ſenatus democratici eſt, quando omnes & ſinguli publicis deliberationibus non tantum intereſſe poſſunt, ſed ſaltem plerique etiam interſunt. Et hoc quoque modo populus non omnia ſibi ſumit, ſed quædam tantum, ut, jus magiſtratuum rogandorum, jus legum, jus belli ac pacis & jus rationum a magiſtratibus repoſcendarum: reliqua permittens magiſtratibus, vel ſuffragio, vel ſorte, delectis, quorum hoc maxime eſt democraticum.

## THESIS XVII.

*Alius adhuc modus eſt, quando totus populus de non adeo multis conſultat, ſed pleraque magiſtratui committit, qui ſuffragiis deligitur, ſicubi abſque uſu rerum geri haud poſſit.*

§. LXXVI. Tertius comitiorum modus democraticus eſt, ubi omnes non per aliquos, nec ſinguli, ſed univerſi, de rebus magnis quidem, ſed non adeo multis publice conſultant, veluti de repetundis, de fœderibus, pleraque autem magiſtratibus concredunt, quos tamen ipſe populus vel ſorte, vel ſuffragiis deſignat. Quanquam ſuffragiis populus in magiſtratibus deſignandis iis uti ſolet, præterquam in paucis: in iis nempe, in quibus rerum uſus & peritia magna requiritur. Scilicet nil aliud æque æqualitatem amat, quam ſors. (2) quantum ſorti, tantum fortunæ in democratia committitur. (3) omnia ſorti committi, aut in totum, ut videmus.

## THESIS XIIX.

*Quartus autem modus eſt, quando omnes de omnibus deliberant, nihil quicquam magiſtratui permittentes.*

§. LXXVII. Sequitur quarta, eaque ultima, atque peſſima ſenatus democratici forma, in qua magiſtratus proponit & ſciſcit, univerſus populus omnia & ſingula decernit & præſcribit. *Hi igitur ſunt modi populares omnes:* Concludit Philoſophus c. l. democratia eſt reſpublica plebis. Erg. ſenatus democraticus eſt ſenatus plebis, igitur quæ plebis, eadem & ſenatus democratici eſt ratio. Plebs alia melior, alia deterior: hinc democratia alia recta, alia vitioſa, unicuique ſuus reſpondet ſenatus. Ut autem Reges & tyranni multa faciunt eadem, ſed non eodem modo æſtimanda, ita multa fiunt tum a ſenatu melioris democratiæ, tum a ſenatu deterioris democratiæ, quæ eadem videantur, ſed non ſunt, cum diverſo propoſito, diverſisque conſilii rationibus gubernentur. Et quemadmodum hodie pure & mere popularis reſpublica abſque omni temperamento vix dabitur, ita & nullum hodie pure democraticum ſenatum reperire contingit. Miſcentur liberarum rerumpublicarum, imo & deterioris & melioris democratiæ inſtituta ſubinde in ſenatu, ad quam miſturam attendendum in diſcretione ſenatus democratici. Demagogorum artes & ſtudia in turbando & movendo ſenatu democratica, ne attingere jam quidem licet.

## THES. XIX.

*Quoſdam de omnibus deliberare, eſt peculiare oligarchiæ, id quod pluribus fieri poteſt modis, unde plures ſenatus oligarchici poſſunt eſſe formæ.*

§. LXXIIX. Quidam ſeu pauci oligarchiam non quidem faciunt, indicant tamen. Numerus imperantium, eſt inſeparabile accidens rerumpublicarum. Ita hic paucorum deliberationibus

nibus, veluti inſeparabili accidenti, index ſenatus oligarchici deſumitur. Senatus enim ſequitur conditionem ſuæ reipublicæ. Ex eodem principio ſunt ſenatus oligarchici differentiæ, quarum tres ſueta docendi ratione a Philoſopho referuntur.

## THESIS XX.

***Cum a cenſibus moderatioribus eliguntur, qui de publicis rebus deliberant, plures ad erunt, & ſi legis præſcripta ſequuntur, erit ſenatus oligarchicus civilior.***

§. LXXIX. Primus & optimus oligarchici ſenatus modus eſt, quando univerſe mediis civibus omnibus patet aditus ad ſenatum, nec quisquam talium a republica excluditur. Medii cives rationi obtemperant, ut demonſtratum a Philoſopho *lib.* 4. *pol. cap.* 11. Igitur in publicis deliberationibus animum ad leges fundamentales intendent, quomodo non poterit non ſatis ſenatus eſſe optimus inter oligarchicos modos. Eſt talis ſenatus civilior propter mediocritatem, quod moderatum, & temperatum politicis & hiſtoricis *civile* audit.

## THES. XXI.

***Oligarchicus etiam ſenatus eſt, cum delecti deliberandi participes fuerint, ut lex autem jubet, imperarint.***

§. LXXX. Aliquando *quidam*, qui ſenatum conſtituunt, deliguntur, non ex omnibus, ut in priori forma, ſed ex certis ordinibus aut familiis; atque cenſus intenditur, ut arbitrium rerum ad pauciores perveniat. Talis ſtatus eſt magis oligarchicus, quam prior, adeoque incivilior ac deterior & quidem in quantum a mediocritate abeſt. Quia tamen legum fundamentalium aliqua eſt auctoritas in illo ſenatu, hinc melior eſt altera illa ſenatus forma, quæ ultimo loco ſequitur.

## THES. XXII.

***Cum autem creaverint ipſi ſemetipſos, in quorum arbitrio eſt deliberare, & quando filius ſuccedit patri, & in ſua poteſtate habuerint leges, eſt hoc oligarchiæ conveniens.***

§. LXXXI. Eſt hic ſenatus tertius maxime oligarchicus & per conſequens omnium peſſimus. Vitioſa reipublicæ forma, in quantum a ſe abit, fit melior, deterior, ſui ſemper ſimilis. Datur melior, datur deterior oligarchia & oligarchicus ſenatus. Ille primus, hic ultimus, quibus reliqui ſunt interjecti, ex extremis dijudicandi. Prima autem & optima oligarchia cenſetur, quæ prope a politia abeſt, quemadmodum illa, quæ ultimæ democratiæ eſt oppoſita, quæque maxime violenta & tyrannica oligarchia, peſſima habetur. Ubi leges non imperant, non eſt respublica.

## THES. XXIII.

***Ubi vero quidam de quibusdam, de quibusdam omnes, de reliquis vero magiſtratus vel ſorte, vel ſuffragiis creatus, deliberat, erit ſenatus, aut ariſtocraticus, aut politiæ conveniens.***

§. LXXXII. Senatus democratici & oligarchici extremorum inſtar ſe habent, medium autem locum inter eos tenent ariſtocratiæ & politiæ convenientes ſenatus, ex iis, quæ de ariſtocratiis & politiis lib. 4. capp. 7. & 8. docentur, explicandi.

## THES. XXIV.

***Senatus a probuliis eſt diſtinguendus.***

§. LXXXIII. In comparatione, ſenatus eſt democraticum, probulia oligarchicum inſtitutum. Sunt probuliæ vel ordinariæ, vel extraordinariæ, & vel ex certis, vel non certis conſtant perſonis, quæ præconſultandi jus aut habent, aut ſibi ſumunt. Aliquando probuliæ ſunt modo præparatoriæ, aliquando vero res in ſenatu tractanda in probuliis decernitur. Decretum autem ſenatui aut nude proponitur, aut arbitrio ipſius defertur, & quidem non raro dicis cauſa: ut pluribus exponit analyſis mejeriana. Tantum hac vice de ſenatu, proxime, ſi Deus volet, plura & meliora.

## HERMANN. CONRINGIUS
### EXIMIO JUVENI
# FRIDERICO HOLSTE
### *S. P. D.*

Præclarum eſt argumentum, quod induſtria, & quibus vales, ingenii dotibus, excolendum elegiſti. Ut enim recte pridem Ariſtoteles docuit, *tres ſunt partes omnium rerumpublicarum, quarum quid cuique expediat, attendere diligenter legislatorem conducit, atque pro quarum uniuscujusque differentia etiam respublicæ ipſæ inter ſe differunt. Eſt autem trium horum PRIMUM, quod de publicis communibusque rebus conſultat; SECUNDUM, quod circa magiſtratus verſatur: TERTIUM vero, quidnam jus dicat.* Primaria autem trium quoque illarum pars eſt prima, nempe τὸ βουλευόμενον: Longe ſane minoris eſt pretii alterum, τὸ ἀρχικὸν; etſi etiam hoc potius ſit tertio, τῷ δικαστικῷ. Quum ſumpſeris igitur ipſum τὸ βουλευόμενον elaborandum, in nobiliſſimo utique

que regendæ reipublicæ membro fuiſti occupatus. Eſt vero idem hoc argumentum quoque rariſſimum, quod in palæſtram academicam proferatur. Quamobrem, etſi fortaſſis etiam non reſponderet exſpectationi tua opera, laudem tamen merereris præ quam multis aliis: quia in magnis & voluiſſe ſatis eſt, & voluntas ejusmodi habetur inſtar nobilis facti. Verum enim vero non conatus tantum hic tuus perinſignis fuit in hoc campo, ſed reapſe ita te præſtitiſti, qualem, quod equidem ſciam, ante te juventutis noſtræ nemo; arcana ipſa *τȣ̃ βȣλευομένȣ* reipublicæ membri in lucem proferens, hactenus vulgo ſive neglecta, ſive incognita. Quo ſimul oſtendiſti, quam longe rectius vitam & ſtudia tua hactenus impenderis, atque a quamplurimis fieri ſolet: quodque a jam adulto impoſterum liceat reipublicæ, ſive patriæ, ſive alii cuivis, cui es admovendus, non niſi magnum quid atque eximium ſibi polliceri, modo valetudinem & vitam divina benignitas conceſſerit. Equidem Deum veneror, uti pergat tibi largiri, quicquid ex re ſive publica, ſive privatim tua aliquando eſt futurum. Nunc gratulor tam felices jam exantlatos ſtudiorum progreſſus; proxime producturus te in palæſtram Juliæ noſtræ, velut ideam gnavi ſimul & rara eruditione abunde inſtructi juvenis. Helmſtadii XVII. Auguſt. Anno CIↃ IↃC LXXXI.

# XIX.
## HERMANNI CONRINGII DISSERTATIO DE REBUSPUBLICIS IN GENERE

*RESPONDENTE*
GEORGIO POCH
SEMPRONIENSI HUNGARO.

MDCXXXIX.

*THESIS I.*

Antequam autem de rebuspublicis ipſis dicamus: operæ pretium erit, quidquam de civitate & cive prius agere.

II. Ac de iſta quidem vel ob hanc cauſam, quod respubl. ordo quidam ſit civitatis, imo vita. Et ſolent non raro ob factum aliquod ſerram reciprocare inter ſe; authorene civitate, an vero republica iſtud patratum ſit. Ut igitur habeant, quo expedire ſe queant, diſtincte magis & explicitius ob oculos ponendum.

III. De hoc vero, cive dico, ideo explicandum, quod & rationem ejus & naturam non minus in controverſiam vocent multi. Neque enim ubique ſemper videtur eſſe eadem. Sed prout diverſa eſt reipublicæ forma, ita etiam aliter atque aliter civis ſe habet. Adde, quod civis pars ſit civitatis. Iſtorum enim communio civitas eſt. Partibus autem recte perſpectis, totius cognitio ultro ſe ingerit. Quæ etiam ratio eſt, quare civem civitati præmittamus.

IV. Principio vero tenendum, non omnes, qui ita dicuntur, cives revera eſſe, ſed ſpeciem tantum nonnunquam eorum metiri & improprie eo nomine cenſeri. Exponemus tamen eos, ſed & removebimus quoque.

V. Et primo quidem in numerum civium verorum venire minime par eſt illos, qui honoris cauſa civitate donati ſunt. Hi enim non tam re, quam nomine tenus cives æſtimantur. Nec deinde civis eſt omnis, qui civitatem incolit. Idem enim & ſervus & inquilinus faciunt. Ut & ii, quibus legibus agere & jus petere conceſſum, eo pro civibus ſimpliciter non habendi, quandoquidem & inquilinis & *peregrinis* (*a*) nonnullis (quos cives non eſſe, dictum eſt) hoc cum civibus commune eſt. Eos autem dico peregrinos, inter quos jura fœderis & pactorum intercedunt, quique in urbe negotiantur. Et hi quidem omnes longe a perfecti civis natura recedunt.

VI. Propius forte ad eam accedit civium progenies; tenera adhuc & adoleſcens, nec dum in album ſeu catalogum civilem relata: Ut & ſenes depontani, qui immunitate publici muneris gerendi gaudent. Veruntamen cives veri nec hi ſunt. Quod ſatis arguit additio iſta, qua pronunciantur: Illi quidem imperfecti & futuri: hi vero effœti.

VII. Non abludet forte is, qui huc referat infames, tales autem exiſtimo infamia juris pulſos item in exilium ſeu relegatos. Non enim horum ullus civis eſt, ſed olim fuit.

VIII. Expoſitis ſic notis civium minus proprie dictorum, iisque remotis, verorum civium definitionem cum Ariſtotele extruemus. Eam nempe, *quod ſit civitatis membrum, particeps magiſtra-*

(*a*) *Peregrinis*) Quamdiu in civitate vivunt, ſubditorum temporariorum rationem habent.

Digitized by Google

*magiſtratus & judicii*, hoc eſt, cui aditus patet ad honores gerendos aut poteſtatem ſuffragiorum ferendorum habet, item deliberare & conſultare de reipubl. ſumma poteſtate.

IX. Sed vero civis, ita definitus,conſpicuus maxime eſt, in ea reipub. forma quam democratiam vocamus, & cæteris tantum per analogiam ſeu proportionem quandam competit. Id quod mirum videri debet nemini. Reſpicit enim civis rempubl. eam, cujus eſt civis, prout ergo illarum quædam ſunt priores, quædam poſteriores,ratione æqualitatis civilis adeoque ſocietatis, quæ cumprimis gaudet æqualitate: ita quoque cives. Ac proinde haud facile definitio, quæ ad omnium rerumpubl. cives quadret, concinnari poteſt. Niſi forte rei medicati fuerimus, ſi datam corrigamus & ponamus, recte dici civem, qui non prohibeatur lege, quo minus judicum in numerum & ſenatorum cooptetur, atque etiam honores gerat.

X. Cæterum hiſce de cive explicatis, & cum relatorum ſit referri, ad alterum & cognito eorum uno, alterum ignorari non poſſit, facile intelligetur, quid civitas ſit; Nempe nihil aliud, quam multitudo vel ſocietas civium *eorum, quibus aditus jure ſuo ad judicia, deliberationes ſive conciones & magiſtratus, ſufficienti rerum, ad vitam neceſſariarum copia inſtructa.*

XI. His vero ita præfatis, ſtatim rem ipſam aggrederemur, niſi remoram nobis facerent quæſtiones aliquot, quas & Ariſtoteles tractat, & nos cum ipſo enucleandas nobis ſumemus.

XII. Sunt autem duæ de cive, totidemque de civitate.

XIII. Ac quidem oriri controverſia poteſt: verene & legitime civis dicendus ſit is, qui, forma reipubl. mutata, ad ejus communitatem eſt receptus. Ariſtoteles ſane non dubitat, quin rem definitione ſua expediat. Etenim ſi tales magiſtratuum & judiciorum capaces ſunt, cives quoque ſunt, namque his cives cenſentur. Nec obſtat, quod forte injuſte adſcripti ſint in eorum numerum. Nam & magiſtratus eſt,& reapſe imperat; etſi vi aut alio titulo minus honeſto invaſerit imperium.

XIV. Ex hac quæſtione reſultare videtur & iſta de civitate, an nempe, converſa reipubl. forma, civium communio ſtare pactis teneatur, nec ne? Ariſtoteles rem ita impeditam reliquit; expediamus quidem nos,in tantum tamen, quantum ex diſſertationibus Excellentiſſ. Dn. Præſidis adhuc memoria hæret, & tenuitas noſtra ferre poteſt. Quoniam autem res hæc expediri facile nequit, niſi ante conſtet, quæ civitas ſit una, quæ non ſit una, itaque id prius ut doceamus, videtur operæ fore pretium.

XV. Igitur notandum acceptionem vocabuli civitatis duplicem eſſe, materialem & formalem, ut ſcholarum philoſophicarum voces, nunc uſurpemus. Et materialis quidem eſt, cum aut de loco, aut de hominibus in civili ſocietate degentibus, dicitur: Formalis eſt, quum civitatis vocabulo ipſa ſimul ſocietatis atque reipubl. forma intelligitur.

XVI. Fieri itaque poteſt, ut diverſo intellectu civitas quædam ſit una eademque, & non ſit una eademque. Namque & iiſdem manentibus hominibus, diverſa poteſt eſſe civitas, mutata reipubl. forma: & perditis jam dudum, mortuiſque civibus, quibus aliquando conſtitit civitas, altero poſt ſeculo ſuperare nonnunquam eadem civitas poteſt. Nimirum cum forma aut anima civilis ſocietatis ſit reſpublica ſeu adminiſtrandi ratio, a forma autem res quælibet potiſſimum ut eſſentiam ſic, & unitatem conſequatur, non eſt mirum unitatis ac diverſitatis rationem a republica etiam dependere. Quemadmodum ſcilicet diverſus chorus, tragicus nunc, nunc comicus, qui utique maxime inter ſe differunt, iiſdem ſæpe conſtat hominibus. Et eædem ſunt voces muſicæ, ex iiſdem tamen, pro diverſa earundem poſitione & compoſitione, modo naſcitur concentus Doricus, modo Phrygius, ut cantoribus ignotum non eſt.

XVII. Nunc ad quæſtionem, an pacta ſint ſervanda, nec ne? reſpondemus affirmative. Debere ſcilicet populum ſervare, quæ ante *mutatam rempubl.* (*a*) icta fuere, dummodo Magiſtratus aut reipubl. ſumma penes eos fuerit, qui iſtorum authores fuere. Sic utique, icto fœdere a Rege quodam, tenetur communio civium ſtare cum imperium ad ipſam relatum fuerit. Idem enim manet populus,& idem dominium retinet eorum, quæ Regis fuerunt, niſi quod forma mutata ſit; ut quod prius erat in capite, nunc incipiat eſſe in toto corpore. Diſtinguendum autem diligenter eſt inter actus reipublicæ totius,& actus privatos eorum, qui reipubl. ſunt præfecti. De prioribus enim hæc intelligenda eſt quæſtio, de poſterioribus nequaquam, ut quæ totam civitatem non obligent.

XIIX. Una adhuc ſupereſt de quæſtionibus ſupra propoſitis, quæ eſt de cive, utrum nempe eadem ſit virtus civis boni, quæ eſt viri boni. Ad quam quæſtionem reſpondetur. Simpliciter quidem non eſſe, ſecundum quid tamen eandem eſſe. Poſſunt enim vir bonus & civis bonus ſejungi, quod Cicero facit in Epiſtola ad Lentulum: *Ego poſtulavi*, inquit, *a republ. ut me, quem civem bonum ſemper habuiſſet, etiam bonum virum pateretur.*

XIX. Erit autem res clarior ex utriusque deſcriptione. Virtus namque viri boni eſt omnis probitas & honeſtas. Virtus autem civis boni ea eſt, quæ accommodata eſt formæ iſti reipubl. cujus eſt civis h.e. ut poſſit vitam, mores & omnes ſuas actiones aptare legibus & inſtitutis ſuæ civitatis. Quemadmodum enim eorum, qui una navi vehuntur, communis cura eſt, ſecundus navigationis curſus: ita etiam communis cura eſſe debet ſalus & conſervatio civitatis. Et vero præcipuum hoc eſt ejus officium. Cum autem variæ ſint rerumpubl. ſpecies, inde difficile colligere non eſt, eandem non eſſe civis boni & viri boni virtutem. Reſpubl. enim aliæ rectæ ſunt,

(*a*) *Mutatam rempubl.*) *GROT. de J. B. & P. lib. II. c. IX. §. VIII.*



Digitized by Google

ſunt, & rectis quoque actionibus conſervantur: aliæ declinantes & ejuſmodi moribus retinentur ſalvæ. Virtus vero viri boni ſemper eadem eſt, & perfecta; atque ideo coincidere hæc duo haud poſſunt, niſi in Ariſtocratia i. e. ea repub. quæ ab optimis viris abſolute talibus adminiſtrantur, quamquam & in aliis formis, qui cum imperio ſunt & reipub. ſummam tenent, eadem queant virtute eſſe.

XX. Hiſce de cive & civitate explicatis, agendum eſt de eo, cujus gratia potiſſimum hæc omnis inſtituitur tractatio, nempe de republica.

XXI. Non ducimus autem operæ pretium laborioſe nomen hic, quod alias fieri ſolet, explicare. Quippe in rebus omnium notitiæ expoſitis, vocibus ex latebris ſuis eruendis charioſe intentum, eſſe ſupervacuum exiſtimamus. Dicamus tamen aliquid, & quidem de varia hujus vocis acceptione, quæ potiſſimum triplex apud Ariſtotelem invenitur. Scilicet ut univerſe primo ſumatur pro qualibet ordinatione magiſtratus ſummi, quando nempe dicitur reſpub. eſſe vel mixtas vel ſimplices, item vel unius vel paucorum, aut etiam plurium. Arctiore acceptione venit, quando mixtionem oligarchiæ & democratiæ interpretamur. Arctiſſime autem, cum indigitatur illa forma in qua penes populum ſuprema dignitas eſt ſeu majeſtas. Addi porro poteſt & quarta acceptio ſatis uſitata, qua reſpublica eſt ipſa civitas, ſuis adminiſtrandi legibus inſtructa.

XXII. De omnibus hiſce tribus nobis ſermo erit; etſi de prima & poſtrema maxime, de media non niſi obiter. Neque enim decretum nobis eſt, de mixtis rerumpub. formis quidquam attingere, quod, extremis recte expoſitis, de mediis judicium ferre in promptu ſit.

XXIII. Definitur autem reſpubl. prima iſta ſumptione calcatiſſima, *quod ſit ordinatio quædam civitatis, cum in magiſtratibus aliis, tum maxime in eo quem penes ſumma eſt poteſtas & majeſtas.*

XXIV. Nimirum eſſe in qualibet civitate quandam ordinationem, perſpicuum eſt; ſecus enim, quid ſocietas illa futura? certe nihil niſi onus & præda, imo chaos quoddam informe & arena ſine calce. Ordinatio autem cujuslibet formæ maxime ſe manifeſtat in potiore ejus gubernationis parte, quæ alias dicitur imperium habere, a quo poſtea nomen ſuum ſortitur reſpubl. Ita quidem, ut ſi potior ſit populus, dicatur democratia, ſi optimates, Ariſtocratia, & ſic deinceps. Hæc vero ipſa ordinatio eſt id, quod remp. nuncupamus.

XXV. Ac de nomine quidem iſthæc pauca ſufficit nunc adduxiſſe. Proximum eſt, *ut ſpecies ac differentias rerumpubl.* paulo clarius explicemus. Quum enim, ut ex ſequentibus patebit, reſpubl. admodum ſunt diverſæ, prolixe hic proponere communem quandam reipub. definitionem fuerit profecto operam ludere. Qua de re, etſi nonnulli hodie multa faciunt verba, recte tamen pronunciatum eſt Ariſtoteli l. 3. c. 1. *Nemini obſcurum eſſe debet, quibus in rebus ſubjecta ſpecie differunt & eorum aliud eſt primum, aliud deinceps ſubſequens; earum rerum aut nihil prorſus eſt commune, qua ratione ſint tales, aut perquam tenuiter & anguſte.*

XXVI. Quoniam autem omnis humanæ ſocietatis ordinatio & conſtitutio ex imperante aliquo & obtemperantibus conflatur, priusquam explicemus, ſit ne una tantum reip. forma ac natura, an vero plures, & ſi plures, quæ & quot ſint, operæ fuerit pretium adducere in medium imperiorum varia diſcrimina.

XXVII. Docet autem & domeſtica ſocietas, non unam imperiorum rationem eſſe. Uti enim ſunt diverſæ conditionis homines, ita quoque imperium. Eſt ſcilicet imperium in liberos, eſt etiam in ſervos; ac proinde aliud atque aliud ſibi habent bonum propoſitum. Herile enim imperium omne vergit in propriam utilitatem, & ſuum ſpectat commodum, ſervorum autem non, niſi per accidens, rationem habet, quatenus ſcilicet herus non ignorat, poteſtatem ſuam aliter conſtare haud poſſe, quam ſi & ſervus ſit ſalvus. Domeſtica porro gubernatio, quæ eſt in filios & uxorem, bonum ſibi proponit eorum, quibus præeſt, aut certe, quod utriſque competit, non tamen ex æquo, ſed ſubjectis per ſe, imperanti vero per accidens. Nec difficile eſt, idem oſtendere in aliis quoque artibus. Medicus enim præſtans, per ſe ſuam non quærit utilitatem, ſed eorum, quorum curam gerit, ſuam autem per accidens: dum ſcilicet, cum ſolicitus eſt, ut tueatur aliorum valetudinem bonam, amiſſam reſtituat, exiguum aliquid lucelli accipit, ad vitam tolerandam.

XXVIII. Ex hiſce, jacto quaſi fundamento, haud difficile forte fuerit oſtendere, rerumpub. etiam non unum ingenium eſſe. Certum enim eſt, alias quidem communem utilitatem ſpectare, alias tamen imperantium potiſſimum uſui inſervire, ſubditorum autem non niſi ex accidente, eo ſcilicet, quod nec imperantes queant eſſe ſalvi, niſi & ſubditis aliqua ſit parte cautum.

XXIX. Unde porro manifeſtum eſt, alias reſpubl. heriles quodammodo eſſe, quæ nimirum bono imperantium potiſſimum ſunt conditæ, alias vero illius ſocietatis, quæ inter parentes eſt ac liberos, naturam æmulari.

XXX. Quando quidem autem ſupra explicatum eſt, verum ac proprie dictum civem ſui juris ſive liberum eſſe hominem, participem quadantenus ipſius ſummæ rei vel majeſtatis, nequaquam autem aliquem ſervili conditione; facile etiam id patet, in herilibus illis rebuspub. pleroſque, qui nominetenus dicuntur cives, vere tamen ac proprie cives non eſſe; ſed illos tantum in altero illo rerumpubl. ordine naturam & jus ſuum poſſe obtinere. At vero, ubi civibus non eſſe licet, quod ſunt, aut eſſe debebant vel poterant, ibi non poteſt non male cum illis agi: unde conſequens eſt, rerumpubl. illas heriles minus rectas veraſque eſſe civitates, ſolas autem alteras illas iſthoc nomine eſſe dignas. Recte ſcilicet Androdamas.

*Vir bone, ſervorum non eſt ulla civitas.*

XXXI.

XXXI. Uſu autem venire, ut in nonnullis civitatibus rectores ſuum quærant commodum, ſubditorum autem ratio perexigua habeatur, ac non niſi ex accidente, & quaſi obiter, docet profecto quotidiana experientia. Ea certe cauſa unica eſt, quare multis in civitatibus quaſi in orbem adminiſtratio reipub. iverit. Etenim cum Magiſtratus tantum ſubditorum bono ſine mercede gerentur, æquum etiam quisque cenſebat, ut alter viciſſim laborem ſuſciperet, rurſusque ipſius commodo proſpiceret, ut ipſe feciſſet ante, cum clavum reipubl. rexiſſet; adeoque pauci petebant honores illos. Nunc autem, poſtquam ambitio & avaritia homines inceſſit, & quæſtui reſpublicæ haberi cæperunt, perpetuo Magiſtratus gerere volunt, ſummoque illos niſu appetunt: quo nempe morbum ſuum, quo laborant, depellere atque exſatiata avaritia, recte valere poſſint.

XXXII. Ceterum eſſe aliquas reſpublicas heriles, aliquas vero quaſi paternas; atque illas quidem veræ ſocietatis civilis naturam evertere, adeoque vitioſas, has vero bonas eſſe ac rectas perſpicuum eſt: conſequens eſt, ut earum numerum ineamus, rectarum pariter ac vitioſarum.

XXXIII. Dicimus autem cum Philoſopho, tres eſſe juſtas & rectas, totidemque aberrationes & injuſtas. Neceſſe eſt enim, publicam adminiſtrationem eſſe vel penes unum vel paucos vel omnes. Nec intereſt, quantum quidem ad hoc rectæne ſint iſtæ reſpub. an malæ. Nam cunctas nationes & urbes, Populus, aut Primores, aut ſinguli regunt. Sed unaquæque nomine ſuo deſignanda nobis venit.

XXXIV. Ac rectarum quidem prima dicitur Regnum, quod eſt imperium legitimum unius, ad communem utilitatem ſpectans. Secunda ariſtocratia, multorum optimorum imperium, commune bonum curans. Tertia, quæ proprio caret nomine, dicitur tamen πολιτεία. Reſpubl. in ſpecie dicta, quæ eſt imperium legitimum populi ad communem utilitatem.

XXXV. Et hæ quidem rectæ ſunt: His autem oppoſitæ ſunt. Tyrannis, quæ dicitur imperium unius, in ſui ipſius commodum. Oligarchia, imperium plurium ad bonum divitum. Democratia, imperium multorum ad utilitatem pauperum omnia referens.

XXXVI. Diviſionem hanc dedit itidem noſter Philoſophus. ad Nicomach. l. 8. c. 10. & aſtipulatur quoque Cicero l. V. de repub. citante Auguſtino, quando ait: *Tunc eſt reſpubl. cum bene ac juſte geritur: ſive ab uno Rege, ſive a paucis optimatibus, ſive ab univerſo populo. Cum vero injuſtus eſt Rex, quem tyrannum more Græco appellamus, aut injuſti optimates, aut injuſtus ipſe populus, nulla eſt reſpubl.* Et vero quicquid ſcruteris, cœtum nullum ſocialem perfectum ſine ulla harum formarum reperies. Miſceantur inter ſe licet, novæ tamen non oriuntur, ſed quod genus prædominatur, ab eo nomen dependet.

XXXVII. Atque hæc quidem rudiore quaſi Minerva adduxiſſe ſufficere poterant iis, qui praxin ſive actionem potiſſimum ſpectant; iis vero, qui trutina mentis accuratius rem expendunt, nequaquam. Igitur quomodo inter ſe diſcriminentur, ſubtilius explicandum. Sane bonas a malis differre fine, quoniam bonarum diximus eſſe parentium bonum, malarum imperantium, dubium nullum videtur. Quæ autem perfectarum inter ſe, ut & imperfectarum, ſit differentia, non usquequaque ſorte expeditum eſt. Sunt enim, qui ſolo numero reſpubl. illas diſcriminant. Quaſi oligarchia nihil aliud ſit, quam paucorum, Tyrannis unius, democratia vulgi imperium proprii commodi ergo. Quaſi item Regnum eo differat ſolum ab ariſtocratia & politia, quod ei unus præſit, ariſtocratiam pauci, politiam plerique tueantur, in communem uſum tamen.

XXXIIX. Quanquam autem hæc opinio probabilis videri poſſit, & defenſores acceperit viros longe doctiſſimos: non dubitamus tamen cum Ariſtotele definire oligarchiam quidem imperium divitum, democratiam pauperis multitudinis. Cujus rei ratio, quoniam in ariſtotelico opere deſideratur, vitio ævi perdita, nobis adferenda erit. Id profecto conſtat, ad definitionem rei quam maxime pertinere, quo illa eſt illud ipſum, quod eſt, a definitione autem abeſſe & poſſe, & debere, quod non, niſi ex accidente conjunctum eſt. At vero non alio nomine in oligarchia ad paucos venit reſpubl. quam quod ditiſſimi ſemper ſint pauci. Rapiunt vero illi pauci ad ſe rempubl. non propterea, quod pauci ſint, ſed divitiarum prætextu. Eodem nomine & populo reliquo inviſa eſt oligarchia, quod ſcilicet in ea ditiores tantum propter divitias dominatum ſibi ſumant. Imo hac præcipue de cauſa iniquus eſt ille ſtatus. Iniquum enim eſt, propter divitiarum exceſſum ſolis ſibi paucos rempubl. omnem arrogare. Non autem iniquum eſt, paucos regere rempubl. excluſis plerisque: uti poſt patebit. Par ratio eſt & democratiæ. Neque enim aliud æque eſt, quo diſplicet illa reipubl. forma melioribus, quam quod homines egeni, quique civitatis onera non ferunt, ſummo ibi ſint loco. Neque illi alio animo rempubl. ſua in manu volunt eſſe, quam quo poſſint egeſtatem ſuam ex publico ærario depellere, etſi interdum aliud verbis præ ſe ferant.

XXXIX. His expoſitis, aliud ex iis, quæ ſupra dicta ſunt, dubium emergit. Poſſit enim forte falſum videri, & id quod diximus, nec oligarchiam, in qua ditiores, nec ochlocratiam, qua in pauperes commoda reipublicæ ſibi ſolis vindicant, bonos eſſe reipubl. ſtatus. Certe & illi ditiores & hi pauperes pro juſtitia ſuarum rerumpublicarum non leviter ſolent etiam inter ſeſe mutuo contendere. Oligarchici enim, utpote divitiis ſuisque magnis in publicum collatis vectigalibus ſuperbientes, prætexunt: *Inæqualibus debentur inæqualia: Ergo nobis debetur imperium.* Democra-



Digitized by Google

mocratici quoque non deterioris conditionis ſe exiſtimant, gaudent enim æquali libertate cum iſtis; unde crebro perſonat illud: *æqualibus debentur æqualia. Igitur nihil magis juſtum eſt, quam ut æqualiter quoque participes ſimus adminiſtrationis reipublicæ.*

XL. Quamquam autem veriſſima illa ſint, æqualibus æqualia, inæqualibus inæqualia deberi, utrique tamen aberrant a ſcopo, nec eum attingunt, niſi leviſſime. Non enim, qui divitiis præcellit plusque nummorum in publicum ærarium confert, abſolute ſtatim ſimpliciter eſt inæqualis, nec qui ex æquo libertate fruuntur, per omnia pares ſunt. Sane ſi bonorum ſolummodo cauſa conveniſſet ſocietas, eatenus etiam participarent civitatem, quatenus bonorum συμβολαὶ aliter atque aliter ſeſe habent, ac proinde optime ſe haberet jus oligarchicorum. Sed nec ad quæſtum inſtituta eſt communio civilis, neque vivendi tantum gratia; neque etiam commerciorum celebrandorum, ut nec auxilii ferendi cauſa. Sic enim & inter abſentes & maxime diſſitas gentes civitas eſſet, quod a vero longe recedit. Tales enim diverſos habent Magiſtratus, & dummodo fœdus iſtud ſartum tectum maneat, nec quisquam inter ipſos afficiatur injuria, finem ſunt aſſecuti, non curant ulterius utrum cives utriusque partis boni ſint, aut honeſte vivant, de quo maxime laborandum eſt ei, qui civitatem conſtituere velit.

XLI. Nimirum licet aliis multis rebus indigeat civilis communio ad obtinendum finem ſuum, ut eodem loco, commerciis, matrimoniis, affinitatibus, ſodalitatibus, congreſſibus aliisque: ipſe finis tamen hæc non ſunt, ſed naturalis civilis ſocietatis ſcopus eſt potius beata civium vita, h. e. quæ fortunæ naturæque bonis ſufficienter inſtructa in virtutis actionibus occupatur. Quod alibi latius oſtenditur.

XLII. Igitur, quo quisque majus ad finem iſtum conſequendum in ſocietate civili confert, eo quidem majori quoque frui debet jure ac dignitate. Cæterum non qui manu, non qui divitiis ſuis plus in publicum confert, revera abſolute & ſimpliciter plus commodat reipublicæ. Adeoque hoc titulo dignitates reipubl. ſibi ſolis petere, iniquum eſſe, & peccare graviter cum oligarchicos, tum democraticos, manifeſtum eſt.

XLIII. Porro etiam id quod dictum eſt, ariſtocratiam eſſe unam ex rectis rebuspublicis, falſum alicui videri poteſt. Nam in quacunque republica jus ſuum unicuique non tribuitur; illam rectam eſſe, vero haud eſt conſentaneum. Eſt enim contradictio, juſtam eſſe formam, in qua tamen ſecundum juſtitiam non tribuantur honores civiles. Hoc vero accidere videtur in Ariſtocratia. Injuſte nempe concedi honores civiles; quippe cum penes paucos optimates ſit magiſtratus, excluditur reliqua multitudo ab honoribus, quod maxime injuſtum forte quis exiſtimet. Verum enim vero etiam iſthæc ſpeciem tantum veri habent, & ſatis clara redduntur, ſi is, quem diximus finem ſpectetur. Neque enim optimatum rempublicam ſemper eſſe optimam profitemur, ſed interdum. Fatemur enim etiam ipſi nonnunquam, & hanc noxiam ac iniquam fore. Quin tamen, quum ab optimatibus, h. e. qui omnem multitudinem conſilio ac virtute ſuperant tota reſp. occupatur, nulla plebi injuria fiat, nihil cenſemus dubitandum. Cæterum hæc ex ſequentis quæſtionis ſolutione clariorem accipient lucem.

XLIV. Scilicet controverti poteſt etiam illud, utrum politia proprie dicta vera ſit reipubl. forma. Ibi enim cum univerſus populus ſummæ adminiſtrationi præſit, in iſta autem multitudine omnis generis homines habeantur, etiam ſordidi nonnunquam; videtur non raro contingere, ut virtute præſtans, terræ alicui filio, & qui mediocriter tantum virtute tinctus eſt, æquiparetur. Sed & hæc objectio nulla eſt. Eſt enim, ubi valere poſſit ille reipub. ſtatus, eſt etiam ubi non poſſit. Quod ut intelligatur rectius, obſervandum eſt, populum aut ut ſingulos, aut univerſim, ut unum quid, collectum poſſe & ingenio & virtute valere. Quaſi ſcilicet ſymbolam prudentiæ in publicum quoque pro virili conferente. Itaque paucos prudentes, ſi cum ſingulis ex plebe contendas longe illi plerumque ſuperant ſingulos: at collatione cum univerſa plebe inſtituta, ſæpe illi pauci plurimum ſuperantur. Atqui in politia, qua de nunc agimus, non ex ſingulorum, ſed omnium unanimi ſententia reſpublica eſt adminiſtranda. Quin itaque tum, quando omnes junctim paucos ſuperant prudentia & virtute, politia non tantum poſſit ſine illorum paucorum injuria, ſed & jure merito debeat obtinere, manifeſtum videtur. Quod ſi vero nec ita quidem ſuperari pauci illi optimi queant; fatemur ſane ſoli tunc ariſtocratiæ locum ſupereſſe.

XLV. Supereſt, ut de *Regno* diſpiciamus, utrum videlicet & illud bonus ſit reipublicæ ſtatus, nulliusque cum injuria ullo modo conjunctus, quod nos ſupra affirmavimus. Neque enim leves videntur eſſe rationes, quæ aliud prorſus perſuadeant. Viciſſim pro regno haud pauca pugnant. Cæterum tota iſthæc quæſtio minus commode intelligi poteſt, niſi ante, quid regni vocabulo intelligamus, explicetur. Non enim una eſt eademque regni conditio: quod nonnulli hodie videntur credere, qui jura regia Cæſarum Germanicorum per Italiam ad omnes alios, qui regio nomine adorantur, credunt pertinere. Quo errore nihil eſt ineptius.

XLVI. At vero ſub illo nomine regis diverſiſſima latet reipubl. & regni ratio. Etenim Reges aliqui habent liberam, ſolutam & infinitam rerum omnium poteſtatem. Aliquorum vero finita eſt poteſtas, & certis legibus circumſcripta. Nos cum Ariſtotele regnorum quinque genera recenſebimus.

XLVII. Primum ſit Laconicum (non ſane quod ſolius Spartæ; namque & alibi obtinet; ſed quod maxime ibi olim conſpicuum.) Eſt autem tale ſumma velut belli prætura perpetua eaque vel hereditaria, vel electione delata.

XLIIX. Alterum eſt Barbaricum quod appellatur, habetque pene poteſtatem eandem cum tyrannico, nec tamen proprie tale eſt. Namque hoc ſolet eſſe violentum, iſtud hereditarium.

rium. Nec minus ſit tyrannis in invitos, barbarica autem gubernatio in volentes. Accedit, quod & Barbari utantur cuſtodia civium, ac proinde ſecuri & quieti agunt; contra accidit in tyranno, qui corporis tutamen exteros habet.

XLIX. Præter hoc aliud regni genus eſt æſymneticum olim Græcis appellatum, quod, ut ſummatim dicam, nihil aliud eſt, quam tyrannis ſuffragio delata. Differt autem a barbarica monarchia, quod iſta ſit hereditaria per ſucceſſionem omnium rerum domina. Hoc vero & electivum, & alibi quidem perpetuum, alibi vero ad certum tempus conceſſum atque in certis nonnunquam tantum rebus. Eſt autem tale regium, non autem tyrannicum, quia ſuffragiis eſt delatum & in volentes exercetur, quod a tyrannide ita proprie dicta abeſt. Tyrannicum tamen quid habet, quoniam herile.

L. Fuit porro & alia regni ſpecies priſcis temporibus, ab authoribus ſuis heroica appellata. Ea erat poteſtas regia primum electione delata, tum ſucceſſione acquiſita. Nam cum olim quidam ingentis animi viri fuiſſent, quorum opera vel in bello, vel in pace magni erat, multitudo quoque tantorum beneficiorum rea, volens tales pronunciavit Reges, quorum munus erat, præeſſe, ſi quod fiat, bello, curam agere ſacrorum, non omnium, ſed eorum tantum, quibus non erant præfecti ſacerdotes, qualia ſacra & Romanis olim fuere ſolemnia &, ejectis Regibus, a regulo ſacrorum celebrata; præterea cognoſcebant cauſas, & dijudicabant controverſias, & quidem alii juramento conſtituti, alii injurati.

LI. Præter hæc quatuor regni genera etiam quintum eſt, quando ſcilicet unus integræ alicui genti imperat, quomodo paterfamilias præeſt toti domui. Ut nempe neque in nolentes exerceatur imperium illud unius, neque legibus id ſit coarctatum, neque finibus aliis circumſcriptum, nec tamen omnino privatum in commodum ejus cedant. Quomodo gens integra ſit ceu domeſtica quædam ſocietas, rex paterfamilias.

LII. Etſi vero tot ſint regnorum diſcrimina, poſſunt tamen fere ad duo redigi. Ad Laconicum ſcilicet, quæ belli prætura eſt perpetua, & illud ultimum πανβασιλικὸν. Quod reliqua ſive huc ſive illuc inclinent. Ut itaque ad propoſitam revertamur quæſtionem, non in controverſiam nunc trahemus, ſitne una priorum quatuor regni ſpecierum, citra exceptionem, juſta reipublicæ forma & cum nullius injuria conjuncta. Namque prior quidem illa Laconica non eſt peculiaris reipublicæ ſpecies, utpote quum in omni democratia, oligarchia, ariſtocratia, aliisque in civitatibus poſſit unus aliquis eſſe bellicarum rerum præfectus; ex re, an præter rem, jam non diſputamus. Sed & reliquæ illæ ſpecies regnorum injuſtæ quædam ſunt reſpublicæ, regni nomine dicti eo tantum, quod nonnihil ejus πανβασιλείας habeant. De unico igitur quinto illo genere ſupereſt dubitatio, conſultumne ſit & utile, rempublicam ab uno multis legibus regi, an vero melius, legibus illam iisque optimis committere.

LIII. Diſputatur in utramque partem. Qui a Regis ſtant partibus, exiſtimant ideo his ipſum præferendum eſſe, quod leges univerſaliter tantum ferantur, neglectis ſingularibus, nec conſideratis cæteris ad decidendum circumſtantiis, quæ in iis tamen, quæ quotidie accidunt, utramque paginam faciunt. Quod ſi igitur ſecundum eas decidi negotia civilia nequeunt, præſit utique potius unus aliquis, atque pro loci ac temporis ratione omnia dirigat.

LIV. Manifeſtum id quoque in reliquis artibus, ineptum plane ac fatuum eſſe aſtringere certis legibus artifices, quos nefas ſit mutare, aut non obſervare. Sane lege iſta ægyptiaca medicis lata, qua, quod dicit Ariſtoteles, ne quis eorum ante triduum ægro noxios depelleret humores, cavebatur: nihil inſulſius eſſe, norunt hi, qui artem iſtam callent. Invadunt enim morbi nonnunquam potius, quam aggrediuntur, quibus niſi mature occurratur, factum erit cum decumbente. Eadem vero conditio videtur & legum eſſe, quibus, qui rempublicam gerit, ſeſe debet aſtringere. Iis enim ſervatis, ſæpe optima *agendi occaſio* (*a*) elabitur.

LV. Cæterum ex adverſo rerum ſummam alicujus civitatis eſſe credendam non homini, ſed legibus potius, hæc forte oſtenderint. Principio enim eo ipſo teſtatum facit Rex, leges potiores eſſe, quod abſque iſta univerſali ratione, qua lex conſtat, imperare non poſſit, cum tamen lex ſine Regis arbitrio eſſe poſſit, modo cuſtodes & miniſtri ſint exequendi ea, quæ jubet. Præterea magnis perturbationibus obnoxius eſt animus humanus; ut nihil quicquam facilius ſit, quam in quemlibet affectum eum mutari. Affectus autem vel maxima eſt peſtis judiciorum, ſine amore autem & odio ſola lex eſt, Rex nequaquam.

LVI. Fruſtra porro ſunt ii, qui de artibus ſimile afferunt pro Rege. Falſum enim eſt & diverſum. Non enim in artium operibus ita gratiæ & odio locus eſt. Medici etiam plerique non ex odio & gratia curant, ſed mercedis cauſa. Et certe, ſi quis ægrotorum ſuſpicaretur quidquam mali de medico, quotusquisque eſt, qui non mallet tum ex præſcripto artis curari, quam ejus arbitrio. Non igitur ſine ratione dicunt nonnulli, eos, qui legibus imperium tribuunt, quodammodo Diis regnum concredere; qui vero homini, illis ex parte belluam adjungere. Namque cupiditas & ira, quæ in homine ſunt, ſolent non raro etiam non infimæ virtutis homines in tranſverſum rapere, ut cernere verum nequeant. A quibus lex immunis eſt, cum ſit mens abſque affectibus.

LVII. Sed forte quis hoc invertere poterit. Scilicet eo pejus eſſe illud in lege, quod caret affectibus, & melius in homine, quod iſtis ſubjectus. Nam ſi rationi pareant & obtemperent, minus aberret in judicando. Verbi gratia: Rex ipſe deteſtans adulterium, acrius puniet moechos; amore proſequens pietatem, majora quoque præmia ei tribuet.

LIIX. Ex

(*a*) *Agendi occaſio*) Neceſſitatis & ſummæ utilitatis caſus, præſertim, ſi res moram non patiantur, ſemper excipiuntur.

Digitized by Google

LIIX. Ex his vero perſpicuum ſit: forte non ſimpliciter vel hanc, vel illam ſententiam eſſe admittendam; mediam nempe tenendam viam. Ita ut nec omnia tribuantur Regi, nec omnia legi. Sua igitur vis ſit legibus, ſua etiam poteſtas Regibus. Hic enim & legum conditor poteſt eſſe, & qua parte deficiunt, aut vitioſæ ſunt, ſupplementum earum & corrector. Cætera quoad univerſalia poterunt tutiſſime omnium ſolis legibus committi.

LIX. Etſi vere hæc ita ſe habeant, nondum tamen controverſiæ impoſitus finis eſt. Namque, ut primum legibus omnia in republica, quoad fieri poteſt, ſint circumſcripta, de reliquis quæri poteſt, præſtetne unum aliquem Regem judicare de iis legibus non expreſſis, an vero univerſum populum, ingenuum tamen & ſervili animo haud præditum. Pro multitudine quidem faciunt, quod Ariſtotelis tempore maxime fieri Athenis ſolebat, ut congreſſi & integra multitudo judicarit. Quo, ni fallor, non obſcure innuebant, minus poſſe aberrare cunctos, quam unum. Singuli ſcilicet in eadem trutina ſuſpenſi, cum uno aliquo Rege ferre pondus haud poſſint, ſed conſtat civitas ex multis, ideoque collecti ſuperent quoque eum. Etenim & convivium ex ſymbolis paratum, ſine dubio inſtructius eſt privato, quantumvis lauto. Nec aqua copioſa tam facile vitium contrahit, & ſpurcat naſum (ut ita dicam) odore illutibili, quam exigua quædam portio ejus.

LX. Sed inquies, difficilis inventu eſt talis multitudo. Age: demus pauciores, eosdem tamen bonos, nonne idem dicendum erit, aut manifeſtum eſt, magis corruptioni eſſe obnoxios uno, cum raro eveniat & arduum ſit ſemper eodem loci potentiam & concordiam manere? Minime. Erunt enim hi æque boni, atque ille unus. Et certe, ſi uni deferendum ſit imperium, quia bonus, quid reſtat, quo minus duobus aut pluribus itidem bonis demandetur, cum & Rex palam faciat, ſe haud ſufficere & parem eſſe tantis negotiis: pauca enim aliqua, unus videt, unus audit. Itaque ut multos oculos, multas aures comparet ſibi Rex, adjutores & conſiliarios ſibi adſciſci. Adeo ſcilicet unius mens tantæ molis capax minime eſſe poteſt. Quare quid refert ſtatim ab initio hos conſtitui, an poſt ab uno?

LXI. Atque hæc quidem contra regnum ita diſputantur, quibus & fortaſſe veri quiddam ineſt. At maxime diſtinguenda ſunt hominum genera. Nam aliud natura obnoxium eſt herili dominatui, aliud in regium potius inclinat imperium, ut & alii in civile. Itaque eſſe poteſt, ut integer populus aliquis, etiam collato conſilio & opera ſua omni, longe ſit uno aliquo inſigni viro inferior. Utque unus ille & mente plus videat, & prudentia plus poſſit & virtute rectius velit: quam omnis ille populus. Quin ergo tum ſolum a Rege uno potius reſpublica regi debeat, quam a multis liquidum eſt.

LXII. Porro ut hæc rectius decidi queant, dicendum obiter erit, quodnam genus hominum cuique formæ conveniens & aptum ſit. Ac quidem populo ejusmodi, cui natura inditum eſt parere & ſubeſſe ſubjectione liberali, & ingenua uni alicui eminentiſſima & præſtantiſſima virtute, recte inducetur regium imperium. Sed eorum, qui virtute ſua merentur, apta erit ariſtocratia. Communio ejusmodi, cujus maxima pars bellicoſa eſt, nata eſt ad imperandum & parendum.

LXIII. Quodſi igitur inveniatur in ſocietate quadam civili familia quædam adeo inſignis, ut ejus virtus omnium præſtet & ita emineat, quaſi Deus quidam inter mortales, tunc juſtum eſt omnino, ut huic deferatur ſumma rei, etiam ex eorum opinione, qui inſtituunt quamvis reipublicæ formam. Omnes enim judicant ſecundum excellentiam, quam tamen alii in aliis rebus quærunt, deferri debere principatum. Et certe æquum non eſt, talem vel oſtracismo expellere & parere, cum abſurdum ſit partem toti imperare. Igitur deferenda ipſi majeſtas imperii.

LXIV. Hinc vero etiam id patet, non regnum tantum legitimum, verum etiam, etſi raro interdum tamen, & παμβασιλείαν, quæ illimitatam habet poteſtatem, omnia ex arbitrio conſtituendi, poſſe juſtam & utilem, omnibusque numeris perfectam reipublicæ ſpeciem eſſe. Si nimirum unus aliquis tam exacta ſit virtute & prudentia, ut nihil in eo poſſit deſiderari: populus contra ingenio præditus, quo liberi ſunt, qui nondum ad adultam ætatem pervenerunt. Neque enim, etſi raro eveniat, nunquam evenit. Sane & nos fatemur, quum milleſimus quisque non ſit exacta illa virtute, periculoſum admodum eſſe, illum reipublicæ ſtatum, ideoque fere nunquam uſurpandum. Certe hereditarius eſſe non debet. Ut enim pater ſit optimus, degenerant tamen, ſi non filii, ſaltem nepotes.

LXV. Cæterum unum adhuc quæri poteſt, utrum tali regi concedenda ſit cuſtodia corporis. Et affirmandum eſt. Qui enim refractarios in gyrum redigere poterit, iſta deſtituta? Et omnino caput imperii habere debet, qui ſomnum ejus nocturnis excubiis muniant, latera objecti circumfuſique defendant, incurrentibus periculis ſe opponant. Sed & licet in nullo ſit metu, decore tamen princeps & ornamenti cauſa habeat.

LXVI. Quid igitur civitas, quidque reſpublica, quodnam item hujus genera communia; ita expoſitum eſt. Sunt autem porro illorum generum variæ iterum ſpecies. Namque non una eſt democratia, aut una oligarchia, aut una tyrannis, aut una ariſtocratia, ſed plurimas ſingulæ differentias habent, multisque modis inter ſeſe queunt commiſceri. Cæterum, quoniam hæc ſpecialiora magis ſunt, noſtrum autem inſtitutum fuit ſolum de rebuspublicis in communi agere, ut Ariſtoteles librum tertium, ita nos hic diſcurſum noſtrum abrumpimus.

XX.

# XX.

## HERMANNI CONRINGII DISSERTATIO DE

# OPTIMA REPUBLICA

*AUTH. & RESP.*

JOACHIMO BEHRENS

CELLA-LUNEBURGICO.

ANNO MDCLII.

Σὺν Θεῷ.

## Concluſio I.

***Acturi de optima republica, primum omnium explicandum erit, quam rempublicam per optimam intelligamus, deinde, quare hæc pleriſque civitatibus ſit optima: denique qui fiat, quod illa forma nihilominus ſit rarior minusque frequens.***

Architectonici politici inter alia maxime ſplendidum munus eſt, ut omnium rerumpublicarum rationem probe perſpectam habeat, ſive ipſe aliquando rempublicam ſit inſtituturus. ſive laboranti maleque affectæ opem laturus. Vid. *Ariſt.* 4. *pol. c.* 1. Nec enim ſufficit ad ideam optimæ conformaſſe rempublicam, aut obtruſiſſe civitati aliquam formam, quæ in uſu eſt, quaſi vero illa omnibus conveniat; cognoſcendi ſunt prius mores & ingenia hominum, cuinam formæ reipublicæ ſint apta. Leges namque rebuspublicis ſunt accommodandæ, non respublicæ legibus: nec ex unius legibus judicandum eſt de ſtatu alterius. Cujus rei jam olim Nabis Lacedæmoniorum tyrannus admonuit T. Quintium, *Nolite*, inquit apud *Livium lib.* 34. *c.* 31. *ad veſtras leges atque inſtituta exigere ea, quæ Lacedæmone fiunt: nihil comparare ſingula neceſſum eſt, vos a cenſu equitem, a cenſu peditem legitis, & paucos excellere opibus, plebem ſubjectam eſſe illis vultis. Noſter legumlator non paucorum in manu rempublicam eſſe voluit, quem vos ſenatum appellatis: nec excellere unum aut alterum ordinem in civitate: ſed per æquationem fortunæ ac dignitatis fore credidit, ut multi eſſent, qui pro patria arma ferrent.* Hæc ille ſatis prudenter. Foret enim imperitus ſutor, qui omnium pedibus eundem velit inducere calceum: at longe imprudentiſſimus politicus, qui unam eandemque cuivis multitudini præſcribere velit reipublicæ formam, nec videat, quid cuique conveniat. Quomodo vero laboranti reipublicæ ſubveniet politicus, ſine prævia iſtac rerumpublicarum cognitione? fruſtra crepabit, hoc vel illud exigere rationem ſtatus, uti dici ſolet, ad quam veluti ad cynoſuram omnia ſua conſilia & actiones dirigere debet; Examinanda enim eſt illi respublica, quam curandam ſuſcepit, quomodo inſtituta, quibus mediis conſervata, per quas vero cauſas nunc incipiat labaſcere, an quid vitii ſtatim in prima inſtitutione, an vero ſucceſſu temporis, forte quod τὸ μικρὸν minus bene obſervaverint, ſibi attraxerit, quibus cognitis, pro ſua prudentia adhibebit remedia, quæ, ſi non optimum ſtatum reducant, certe ab interitu eum vindicabunt.

### II.

***Principio igitur ſciendum eſt, rempublicam aliquam quatuor modis poſſe dici optimam.*** Ariſt. IV. pol. cap. I.

Conceptuum noſtrorum ſigna ſunt voces, quæ niſi probe prius explicentur, quam ad rerum ipſarum tractationem accedamus, accurate, ob *æquivocationum* (a) multitudinem, progredi haud poſſumus. Quod dum facere nitimur, facile cuiquam incidere poſſet ea cogitatio, nos quærere, quid optimum in vita ſit, cum merito dubitetur, an ſaltem aliquod bonum detur, utpote cum nihil ſit ab omni parte beatum, & non tantum ſacræ literæ, ſed & philoſophorum regumque ſcripta referta ſint querelis de hominum vitæque humanæ calamitatibus. Conf. *Horneji Ethic. lib.* 1. *cap.* 3. Verum enim vero licet, amiſſa priſtina integritate, id, quod omnibus eſt numeris perfectum bonum, hac in vita conſequi non poſſimus, nemo tamen, niſi extreme impius, dicet, ea omnia, quæ a Deo in nos ſunt profecta, & adhuc quotidie proficiscuntur, penitus mala eſſe: utique enim bona ſunt, quia a Deo ſunt. Ejurarit oportet omnem pietatem, qui Deum mali, quod vere eſt tale, autorem faciat, cum ſit omnis bonitatis fons & origo. *Acciaiol. ad cap.* 2. *lib.* 1. *Eth. Ariſt.* Quid? quorſum tenderent omnes noſtræ actiones, niſi in rebus humanis eſſet aliquis finis ultimus, & per conſequens aliquod bonum? ni ſit, fiet proceſſus in infinitum, a quo tamen natura abhorret, cum, quod eſt infinitum, pertranſiri nequeat. Fruſtra inſuper nobis inditus

(a) *Æquivocationum*) Rationem tot æquivocationum, vide in *l.* 4. *ff. præſcriptis verbis.*

ditus eſſet boni appetitus, cujus nunquam participes fieri poſſemus, natura quippe nihil fruſtra produxit.

III.

*Primo quidem ea, quæ eſt* ἁπλῶς ἀρίϛη, *ſimpliciter & abſolute optima, cui nihil deeſt eorum, quæ ad perfectam ejus felicitatem pertinent.*

Qui ex omnibus bonis optimum eſt electurus, ei omnia bona cognita ſint oportet. Politici ergo erit, non tantum videre, quæ reipublicæ forma ſit omnium optima, ſed & quæ haberi poſſit. Incumbit enim illi reipublicæ ſuæ ſtatum, quo uſque fieri poteſt, & ingenium populi patitur, meliorem reddere; ut licet ad optimum non proxime accedat, non tamen longe ab eo diſcedat. *Sicut enim gubernatori*, inquit *Cic. l. 8. ep. 11. ad Attic. curſus ſecundus, medico ſalus, imperatori victoria; ſic moderatori reipublicæ beata civium vita propoſita eſt, ut opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honeſta ſit.* Utile proinde eſt noſſe, quomodo reſpublica ex voto optima inſtitui debeat; at vero ſibi perſuadere, talem paſſim dari poſſe, nimis ridiculum foret, cum exemplum ſit potius, quod animo ſequare, nulla autem vel rariſſima imitatione quis expreſſerit. Ubi enim invenias populum, iis naturæ dotibus præditum, ita etiam inſtitutum, ut perfectæ virtutis poſſit eſſe capax? ubi ejuſmodi rationem gubernandi, eamque omnium rerum ſufficientiam, ut ne optari quidem quid ultra poſſit? Obtinuiſſe, ſcribunt Hiſtorici, Plotinum a Gallieno Imperatore, ut ſibi liceret circa Neapolin Campaniæ urbem, in deſerto quodam oppido rempublicam ex præſcripto Platonis inſtituere, aulicos vero reſtitiſſe, quod naturæ plane repugnare putarent. Vid. *Piccart. ad cap. III. lib. 2. polit. Ariſt. ex vita Plotini a Porphyrio ſcripta.* Idque rectiſſime: quippe quum hominum, quæ hodie eſt conditio, non admittat adeo exquiſita omnia: nunquam nec platonica in eum cenſum ſint admittenda. In politicis ſane non tam quod eſt optimum, quam quod ad uſum transferri poteſt, eſt conſiderandum. Qua in re lapſus fuiſſe recte creditur graviſſimus Philoſophus Plato, quod quidem multa præclara in opere de republica proponat, quæ nemini tamen ex uſu eſſe poſſint, cum, ut nunc ſunt mores, naturæ humanæ prorſus repugnent. Accedit, *cum practicæ diſciplinæ opera ſua in actum deducere promittant, tales ſolummodo rerumpublicarum formæ in conſiderationem trahendæ ſunt, quibus mores civium non repugnent*, ut dicit *Arniſæus l. 2. de rep. c. 7. n. 4.*

IV.

*Deinde ea, quæ* ἐκ τῶν ὑπαρχόντων καὶ ὑποκειμένων ἐϛὶν ἀρίϛη, *hoc eſt, quæ pro rebus ſubjectis, ſeu quantum præſens rerum ſtatus ferre potuit, optime eſt conſtituta.*

Quamvis hæc reſpublica ſimpliciter non ſit dicenda bona, nedum optima, melior tamen evadit in hoc vel illo ſubjecto, cujus indoli magis, quam quævis alia convenit. Sicuti enim circumſtantiæ, cum mirum in modum rem varient, diligenter ſunt perpendendæ, ita nec alicujus reipublicæ conditor eas negliget. Res ſcilicet ſubjectæ, loca, tempora ſunt in cauſa, ut alia reipublicæ forma huic genti conducat, quæ alii populo foret maxime inutilis. Alia quippe reſpublica bona & conveniens eſt barbaris, alia ſeptentrionalibus ingeniis, alia ſub meridionali plaga habitantibus, alia ferocioribus, alia manſuetis populis, alia ad potentiam aſpirantibus, alia ad divitias, alia ad vitæ tranquilitatem. Ratione ergo perſonarum accurate conſiderandum τὸ *quale* & *quantum*; quæ tanquam duo ſumma capita, diverſas conſtituunt rerumpublicarum formas. Vid. *Ariſt. IV. polit. cap. 12.* Nam quod prius attinet, certe aliter regenda erit multitudo, cui natura inſitum eſt, libera & ingenua ſubjectione uni alicui eminentiſſima virtute prædito parere: aliter moderanda eſt multitudo, quæ natura propendet, ad perferendum uno plurium, ſed virorum bonorum imperium, aliter denique cujus maxima pars idonea eſt ad bella gerenda, quæque alternatim cupit imperare & parere. Poſterius ſi ſpectes, patet cum ex Ariſtotele, tum ex aliis, quod, ubi populus libertate ſua ſuperat divites & nobiles, ſit conſtituenda democratia, in qua vero hi illos antecedant, introduci debeat oligarchia, at ubi ſunt cives mediocres, qui reliquos duos ordines civium numero ſuperent, conveniens erit ibi politiam inſtitui. Idem quoque de loco eſt dicendum ſive ſitu civitatis, neque enim eadem reſpublica optima eſt habitantibus in planitie, aut montanis, maritimisve locis. Quod monitum Plato etiam 2. *polit. Ariſt. cap.* 4. ſuggerit legum conditori, cum civitatem format: regionem ſcilicet & homines diligenter eſſe conſiderandos, ſi cives ſuos eſſe velit, quales oportet. Hic ergo requiritur inſignis prudentia politici, quo talem formam introducat, quæ præſenti ſtatui moribusque civium maxime conveniat, quæ licet non ſit ſimpliciter optima, optima tamen pro rebus ſubjectis.

V.

*Tertio optima reſpublica dicitur ex* ὑποθέσει, *pro conſilio inſtituentis, quæ ratione finis & ſcopi, quem ſibi propoſuit, bene eſt conſtituta.*

Ita eſt ingenium humanum: quilibet ſuum maxime habet in deliciis, quilibet in qua republica natus & educatus eſt, ejus formam optimam prædicat, quamvis, ſi cum aliis comparetur, nihil minus ſit talis. Hinc ſit, ut alii præferant monarchicum regimen, alii ariſtocratiam, alii popularem commendent ſtatum. Quin imo quosdam eo videas progredi, ut non vereantur illas formas, quas παρεκβάσεις rectarum vocamus, laudibus extollere. Valde enim abſonum foret dicere, nihil plane boni in ſe habere etiam vitioſum ſtatum, ſi ejus finem attendas, cum ad minimum media, quibus conſervari debet, non omnino eſſe iniqua neceſſe ſit, dicere alias quis poſſet, non niſi per media injuſta ſtatum injuſtum conſervari. Notum eſt, oligarchiam vitioſam eſſe reipublicæ formam: interim tamen ineſt ei aliquid optimi, quamvis non ſimpliciter, optimum

tamen

Digitized by Google

tamen ex illa hypotheſi. Idem dici poteſt de aliis formis, nimis enim grande aſſertum foret, eas omnes velle impietatis & injuſtitiæ damnare: quippe cum non adeo facile in purum & perfectum regnum, puram ariſtocratiam, puram politiam incidas, ſed in mixturam potius bonarum ac pravarum rerumpubl. Facile enim bono lutum aliquod adnaſcitur. *Has enim rectarum reip. formarum excellentias optare potius, quam invenire in terris poſſumus. Sed ponuntur tanquam metæ, quibus quo propiores & a quibus quo remotiores erunt reſpublicæ, quæ re ipſa exiſtunt, eo erunt meliores ac deteriores*, uti doctiſſimus hac de re diſſerit Antonius Montecatinus tab. 7. generali Polit. & locus citatur a *Picc. diſp. 18. th. 32. 28. Philoſ. Altorff.*

## VI.

## *Denique optima dicitur, quæ maxime communis eſt, quæ a pleriſque judicatur optima, omnibusque maxime civitatibus convenit.*

Hæ ſunt quatuor ſpecies optimæ reipubl. quarum quantum una ab altera diſcedat, nemini non eſt manifeſtum; imo prima illa non modo a reliquis abit, ſed toto cœlo diſtat. Eſt enim optima reſpubl. ſive beata civitas, *in qua, optimo ſtatu reipubl. conſtituto, omnes qui in ea ſunt, vitam maxime ex virtute agunt, bonis etiam fortunæ & corporis usque eo inſtructi, ut probas ex virtute actiones obire posſint.* Vid. *Piccart. ad cap. 1. lib. 7. Polit. Ariſt.* Quæ deſcriptio, tantum abeſt ante memoratis ut conveniat, ut ne pars quidem ejus recte iis applicari poſſit. In hac enim ſimpliciter optimus obtinet ſtatus, in illis non niſi ex hypotheſi, ſeu pro rebus ſubjectis optimus. In hac quilibet ſecundum virtutem inſtituit vitam, in illis vix pauciſſimi: quanquam enim fateantur, tria eſſe genera bonorum, animi, corporis & fortunæ, vitamque beatam ex complexu horum trium conſtare, illud vero ſibi perſuaderi non patiuntur, animi bonis h. e. virtutibus præcipuum locum eſſe dandum, ita ut ea vita ſemper ſit eo melior, quo plus in ea virtutis: verum illi fortunæ bonis potius primas attribuunt, & quo plus eorum poſſideant, eo feliciores ſe arbitrantur, magno cum errore. In hac denique eadem eſt beatitudo totius civitatis, quæ eſt ſingulorum civium, ſiquidem totum ſequitur naturam partium. Conf. *Ariſt. lib. 7. Polit. cap. 1. & 2.* Quamvis enim homines de beatitudine, in quo conſiſtat, valde diſſentiant, omnes tamen uno ore fatentur, totius civitatis felicitatem pendere a felicitate ſingulorum: ut ita eadem ſit totius civitatis & ſingulorum beatitudo. Qui enim divitias habent pro ſummo bono, illi eam civitatem beatam judicant, quæ opibus maxime abundat: qui dominatum & potentiam, remp. beatam cenſent, quæ quam plurimis imperat. Ita hodie inferioris Germaniæ plerique cives nihil magis in votis habent quam ut divitiis affluant, contra quam olim Romani, qui civilem felicitatem in longe lateque dominando ponebant. Denique, qui in virtute ſummum bonum collocant, eam prædicant beatam civitatem, ubi omnes ex virtute vivunt; neque enim alia eſt fortitudo, aut juſtitia, aut temperantia totius civitatis, quam quæ ſingulorum eſt, quod ſi jam virtus civium civitatisque non differunt, ſed eſt eadem, utique eadem quoque erit beatitudo, quæ in virtute conſiſtit. Ubi vero velim notetur diſtinctio Acciajoli *ad cap. 2. lib. 1. Ethic. Ariſt.* quod quidem bonum hominis unius & civitatis, *re ſit idem, ratione vero diverſum, quia ſummum bonum unius hominis ſatis eſt uni individuo: non eſt autem tale, quale illud, quod acquiritur civitati, hoc enim cum ad plures extendatur. ideo eſt melius & perfectius, quia bonum tanto eſt præclarius quo communius.* Cuilibet enim bono civi magis ſtudendum eſt bono communi quam proprio, cum hoc in illo concludatur, ut ſi toti reipubl. bene ſit, non poſſit non civibus etiam bene eſſe. Splendidior itaque erit civitatis beatitudo, cum ſe latius extendat, quam ſingulorum. At vero in reliquis illis tribus, quas optimas appellari diximus, abſolute & ſimpliciter dici nequit, quod eadem ſit felicitas civitatis, quæ ſingulorum: quamvis ſi omnes actiones ſuas eo dirigant, ut eum, quem ſibi propoſuit reſp. aſſequantur ſcopum, aliquo modo affirmari poſſit: attamen in illis formis, ubi imperantium & ſubditorum ſalus non peræque ſpectatur, eandem eſſe, haud credo quenquam temere aſſerturum. Nam cum civitas omnis conſtet ex imperantibus & parentibus, certe ſi illorum ratio potiſſimum habetur, horum vero non niſi aliqua ex parte, utique major erit beatitudo imperantium, quam ſubditorum, & per conſequens non erit eadem. Verum nos, his miſſis, revertimur ad optimam rempubl. quarto modo ita dictam, oſtenſuri, deductis ex ſummo Philoſophorum Ariſtotele *IV. Pol. cap. XI.* rationibus, quare hæc reipubl. forma optima ſit quam plurimis, ut ita paulatim ad alterum noſtræ diſſertationis caput tranſeamus. Ruditer itaque in anteceſſum optimam rempublicam, ita deſcribimus.

## VII.

## *Optima reſpublica eſt, in qua virtus quædam eſt, quæ captum idiotarum non ſuperat; & ad quam conſtituendam non eſt opus exquiſitiſſima juventutis inſtitutione, nec opus maximis divitiis.*

Doctiſſimus Heinſius hæc Ariſtotelis verba ita παραφράζει: *Videamus*, inquit, *quænam præſtantiſſima & cunctis præferenda ſit reipubl. conſtitutio. Præferenda quidem, ſed non ſimpliciter & omnibus, ſed qualis in pleriſque civitatibus haberi poteſt, maximæque hominum parti convenire videtur. Tales autem nec virtutem exquiſitam, & quæ in privatos cadere non poteſt, neque accuratam rurſus diſciplinam atque inſtitutionem, qualis ſine maximo naturæ beneficio, longoque ſortis apparatu, obtineri vix poteſt, ſequi & ſpectare hic ſolent, ut nec aliquam reip. quæ ex voto inſtituitur, formam: ſed in qua talis vita vivitur, cujus participes plerique poſſunt eſſe, ſtatum denique uſitatum, atque adeo ad quem pleræque omnes ſe componere poſſunt civitates.* Hæc ille ſatis perſpicue. Unde colligitur, quam-



Digitized by Google

quamnam nos per optimam rempubl. velimus intellectam; non certe ſimpliciter optimam, nihil enim horum iſti convenit, omnia ibi accuratiora, quam hic: Accuratiſſima ſc. juventutis inſtitutio & educatio, neque enim omnes apti ſunt ad optimam remp. Ariſt. 7. *Pol. cap.* 7. Nam cum tria ſeſe offerant hominum genera, alii ἀπολίτευτοι, qui civilis ſocietatis expertes ob ingenii ſtupiditatem, morumque ferociam, nec ipſi inſtituere rempublicam norunt, a ſervitute vero aliorum fortiter ſe vindicant, alii vero ſunt δουλικοὶ, ſervili ingenio nati, quamvis alias ingenioſi, ob timiditatem vero ſemper ſub alieno vivunt imperio, alii denique ſunt πολιτικοὶ, aptiſſimi ad civilem ſocietatem, qui pro ratione temporum & imperare recte & parere poſſunt, maxime ergo πολιτικοὺς oportet eſſe cives optimæ reipubl. qui ſcilicet præter alias naturæ dotes, ita ſint diſpoſiti, ut ingenio maxime valeant ad imbibendam virtutem, magno inſuper animo ad res fortiter & præclare qua publice, qua privatim obeundas, ad quæ omnia inſigne affert momentum diligens & proba inſtitutio. Exquiſitiſſima inſuper requiritur virtus, ita ut in hac republ. idem ſit vir bonus & civis bonus, majores denique opes ac divitiæ, quo eo præſtantiores ex virtute edere poſſint actiones. Sit itaque hæc ratio prima, qua illam optimam plurimis eſſe rempublicam aſtruimus.

IIX.

*Cum virtus in mediocritate conſiſtat, nullum eſt dubium, quin quo magis ea etiam in aliis rebus obſervetur, eo melius eas ſeſe habituras.*

Docet in Ethicis Ariſtoteles, beatam vitam conſiſtere in virtute libera & non impedita, virtutem vero in *mediocritate*. (a) Quod ſi ergo virtus, tanquam præſtantiſſimum hac in vita bonum, in mediocritate maxime ſpectatur, utique videntur aliæ res virtute inferiores, longe melius ſe habituræ, quo magis medium in iis obſervetur: *ut proinde eam vitam neceſſe ſit eſſe optimam,* (Heinſii verbis utor:) *quæ media eſt ea mediocritate, quæ contingere omnibus ac ſingulis poteſt.* Jam ſiquidem totum ſequitur naturam, partium eoq; modo quo de ſingulis hominibus, de tota civitate judicatur, uti jam diximus, utique ſi omnes mediocritati ſtudebunt, tota civitas erit talis, & ex hac ratione optima. Eſt enim in omnibus rebus utiliſſima mediocritas, quamvis difficillimum ſit obſervatu medium illud inter nimium & parum. Auſim affirmare, in qualibet reipubl. forma, etiam vitioſa maximum momentum in mediocritate ſitum eſſe, quod eunti per omnes rerumpubl. formas facile foret manifeſtum, de regno id tantum habeo dicere, quod quo ſint moderatiora, eo diuturniora. Ariſt. 5. *Pol. cap.* 11. *Talia autem ſunt, in quibus*, ut Heinſius παραφράζει, *modum poteſtati ſuæ ipſi præſcribunt Reges, neque more tyrannorum omnia ex ſua libidine moderantur, adeo ut liceat omne, quod libeat, ſed ut quantum poſſunt legibus relinquant.* Quod itaque præſtantiſſimæ formæ diuturnitatem conciliat, quidni illud eandem minus præſtanti afferat? *Præter optimam enim rempublicam, cæteræ omnes ſive remittantur, ſive intendantur, intereunt*, ut dicit Ariſt. 1. *Rhet c.* 4. Democratia enim non tantum ſi remittatur debilior fit, ut tandem ad oligarchiam perventura videatur, ſed etiam ſi nimis intendatur. Quo nomine ſæpius ſui temporis politicos reprehendit Ariſtoteles 5. *Pol. cap.* 9. quod parum obſervantes fuerint mediocritatis, præſertim in rebuspublicis, quæ ab optima longiſſime recedunt, quippe cum democratici hoc maxime democraticum eſſe ſibi perſuadeant, ſi omnia ſint in poteſtate plebis, neque alii ordines quicquam retineant, oligarchici vero id allaborent, quomodo omnia ad ſe rapiant, pauperibus vero nihil relinquant, magno reipubl. malo, ignorantes, quemadmodum naſus, qui paululum diſceſſit a ſua rectitudine in aduncum aut ſimum, pulcher tamen ſit, nec faciei aliquam venuſtatem addere deſinat, ſi quis vero eum plus juſto intendat vel deprimat, tollit primo naſi mediocritatem, tandem vero efficiet, ut ne naſus quidem amplius eſſe videatur. Ad eundem modum in rebuspubl. ſe res habet, nam quamvis democratia & oligarchia bene quodammodo interdum ſe habeant, etiamſi ab optimo ſtatu longe recedant, earum tamen ſi quis alteram nimis intendere velit, ita ut uni parti omnia largiatur, alteri omnia eripiat, faciet primo quidem rempubl. deteriorem, tandem vero plane exſtinguet. *Nimia quippe diligentia, nimiaque contentione corrumpuntur etiam bene coepta:* quo fit, ut qui nimiam perfectionem exigunt, ſeu nimis perfecta omnia eſſe cupiunt, tametſi alias ſint viri boni, reipubl. tamen inutiliter præſint. Ratione ergo mediocritatis erit hæc noſtra reſpubl. quodammodo ſimilis abſolute optimæ, præferenda vero reliquis omnibus, quæ plerumque a medio declinant vel in exceſſum, vel defectum.

IX.

*Conſiſtet autem medium in eo, ſi cives nec ſint ſumme divites, nec extreme pauperes, cum tres ſint civium differentiæ ratione bonorum, ut alii ſint divites, alii pauperes, alii medio loco.*

Piccartus in ſuis ad *lib. IV. Polit.* Ariſtot. *cap. XI.* commentariis haud male videtur extendere eam mediocritatem: prout 1. *ea ſpectatur inter virtutes exactiſſimas & viliores.* 2. *inter ſummum honorem & ſummam infamiam.* 3. *Inter licentioſiſſimam libertatem & extremam ſervitutem.* 4. *Inter nimias opes & nimiam paupertatem*, de quibus ordine paucis videbimus. Atque quod primum attinet, ſciendum eſt, Politicos movere hanc quæſtionem, an etiam ille, qui virtute in tantum ſuperat alios, ut ne quidem reliquarum omnium virtus in unum collata, cum ejus virtute poſſit æquiparari, locum aliquem in civitate habere poſſit? vid. *Ariſt.* 3. *Pol. cap.* 9. Et ſane talem vix eſſe poſſe partem civitatis, evincere videntur hæc duo argumenta, quorum alterum inde ſumptum, quod omnes civitatis partes debeant multum eſſe æquales, alterum, quod ridiculum foret,

(a) *Mediocritate*) GIPHANIUS in c. 6. lib. II. eth. ARISTOT. p. 112. 113.

foret, per leges ei præſcribere, quid facere vel omittere debeat, cum ipſe ſibi lex ſit. Ergone dicat quis ſunt ejiciendi? id profecto nimis eſſet inhumanum. Ariſtoteles citato loco eleganti diſtinctione ſolvit hanc dubitationem, quod ſcilicet in bonis rebuspubl. ſint omnino retinendi, imo ipſis imperium deferendum, inde enim vel oriturum eſſe regnum, ſi unus ſit, vel ſi plures eorum, ariſtocratiam. At vero in pravis & corruptis formis longe aliter ſe rem habere, nec enim illæ ferunt civem, virtute adeo eminenti præditum, ſed vel oſtraciſmo in exilium ejiciunt, vel ipſam vitam adimunt, ſicuti fieri conſuevit, & exempla teſtantur in hiſtoriis cum Græcorum, tum aliorum. Democratici enim non ſuſpiciunt virtutem, Tyranni vero nihil majori odio proſequuntur ac virtutem eminentem, vid. *Ariſt. V. Pol. cap. XI.* ut proinde tanquam pro præcipuo medio habeatur, quo conſervetur ſtatus tyrannicus, clades virorum virtute præditorum; quamvis enim ſimpliciter non ſit juſtum hoc facere, juſtum tamen eſt, pro ratione pravæ reip. ad conſervandum illius ſtatum. Unde videtur in hac noſtra, qua de agimus republ. ubi mediocritatem maxime in omnibus ſpectamus, haud temere iis eſſe locum dandum; metuendum enim eſt, ne etſi non ipſi temere aliquid ſint moturi, dum virtutis ſuæ retinaculis intra limites continentur, alii tamen ſive prætextum hinc quærant, ſive cauſam novandi omnia, quaſi nempe ipſis ſolis reipubl. clavus debeatur; quod tamen præſens ſtatus non admittit. Nec tamen volumus, ut ab exactiſſima virtute viri illi maximi in tantum recedant, ut vitiis ſint proximiores, quam virtutibus, quis enim vitioſos beatos judicet? Sed tantum virtuti ſtudere eos decet, quantum ipſorum ingenii ratio fert, mediocritatemque, ſicuti in aliis omnibus, ita in hac præſertim obſervent. Deinde ſpectandum medium eſſe diximus inter ſummum honorem & ſummam infamiam, utrumque enim extremorum haud videtur noſtræ formæ convenire. Quemadmodum enim opum ſplendor homines dementat, ita & honores eos transverſum rapiunt, mutant quippe juxta illud vulgatum, mores animoſque hominum nimii honores. Eſt quidem virtutis merces gloria & honor, qui eo præſtantior eſſe debet, quo exquiſitior eſt virtus. At vero, cum nos non exactam, ſed quæ vulgi captum non ſuperat, quæramus virtutem, utique & præmium, quod illi debetur, tanti non eſſe neceſſum eſt. Aut ſi contra fiat, periculum eſt, ne cum reipubl. mutatione ea res ſit conjuncta. Neque enim omnes ſecundam moderate ferre poſſunt fortunam, quin inſolentes ſuperbique evadant. Accedit, quod facile eos capiat ambitio honorumque cupido, qua tamen nihil *tetrius fœdiusve* (*a*) dici poteſt: perſuadent enim ſibi, tantos in ſe collatos eſſe honores ob virtutis excellentiam, dignoſque ſeſe non qui pari cum reliquis jure vivant, ſed iis dominentur. Unde fieri aliter nequit, quin iſthac horum inſolentia reliqui cives maxime offendantur, excluſi ſcilicet ab omnibus honoribus, cum exiſtiment ſe æque ac illos dignos eſſe, quibus iſti honores conferantur, tandem vero gliſcente odio ac invidia reip. ſtatus immutetur. *Nemo enim eorum, qui in republ. verſantur, quos vincat, ſed a quibus vincatur aſpicit, & illis non tam jucundum eſt multos poſt ſe videre, quam grave aliquem ante ſe. Habet hoc vitium omnis ambitio, non reſpicit*, ut præclare ait Stoicorum princeps Seneca *Epiſt.* 73. Sicuti autem nolumus, civitatem noſtram conſtare debere ex ſumme nobilibus, ita nec infames cives noſtros eſſe volumus. Dicimus autem infames, qui ob ſcelera & flagitia, aut turpi aliqua ex cauſa, detrimentum exiſtimationis ſunt paſſi, prout ſcilicet opponuntur viris integræ famæ. At vere quis unquam audivit, ex tali hominum genere conſtare poſſe civitatem, qui omni honeſtati renunciarunt, vitiisque quam maxime ſunt nobilitati. Sane ſi, ut ſupra diximus, ex ſingulorum civium conditione de tota civitate judicandum; utique civitas ex infamibus & ſceleratis conſtans, tota erit talis. Neque enim vivendi tantum, ſed & bene vivendi cauſa inſtitutæ ſunt reſp. qui vero bene in civitate vivi poteſt, niſi ſingula membra quærant felicitatem civilem, quam ceu ſcopum ſibi proponunt? Accedit, quod, cum nulla civitas adeo omnibus ad vitam neceſſariis abundet, ut nullius rei importatione indigeat, nemo cum ejusmodi civitate commercia ſit inſtituturus, ac proinde talis reſpubl. nihil minus foret, quam optima, quam tamen nos hic quærimus. Multum ſcilicet intereſt, qualis ſis habearisque ab omnibus, num bene, an ſecus de te *exiſtiment homines:* (*b*) nocet quippe non tantum in præſens, ſed etiam in futurum prava de quodam opinio. Nam *Plaut. in Perſa A.* 3. *S.* 1. dicit:

> *Hominum immortalis eſt infamia*
> *Etiam tum vivit, cum credas eſſe mortuam.*

Hinc Claudius Cæſar, cum cuidam notam appoſitam, deprecantibus amicis, ademiſſet: *Litura tamen, inquit extat*: ſentiens, remiſſa culpa, infamiæ prioris veſtigium remanere. Tertium medium quærimus inter licentioſiſſimam libertatem & extremam ſervitutem. Dulce nomen eſſe libertatis, omnes in ore ferunt, quamvis ignorent, quid per eam intelligatur, quamque *nemo bonus, niſi cum anima ſimul amittit*, ut verba ſunt *Saluſt. in Bello Catilin.* Democratici præſertim de ſua libertate magnopere gloriantur, quod ad eam non tam omnia referant tanquam ad finem, quam quod in communi vita ſibi maxime liceat vivere, ut velint. Verum ut videtur, nimis illi extendunt libertatem, ut non raro in deteſtabilem degeneret licentiam, oriaturque malum omni malo gravius ἀναρχία, cum quilibet ſuo more & modo vivere, nulli poteſtati ſubjectus eſſe cupit: vid. *Ariſt. IV. Polit. c.* 4. Imo vix ibi videtur eſſe reſpub. ubi ita vivitur, ſublato ſcilicet ordine

(*a*) *Tetrius fœdiusque.*) Habet tamen & hæc potentia ſuos laudes. *Optimi quippe mortalium altiſſima cupiunt.* TACITUS *lib. IV. Ann. c.* 38. Et honeſtius dicunt ab hac potentia, quam a voluptate, aut ab avaritia in transverſum abripi.

(*b*) *Exiſtiment homines.*) Contemtu famæ, contemnuntur virtutes. TACITUS *lib. IV. Annal. c.* 39.



Digitized by Google

ne parentium & imperantium, ſublatis legibus, ſublataque honeſtate, in qua quod hodie decretum eſt, cras reſcinditur, perendie recuditur, circumducentibus populum naſo peſtilentiſſimis hominum dæmagogis. Inficiari quidem nemo poterit, aliquid libertatis detrahi, quoties ſecundum alterius præſcriptum aliquid faciendum eſt, nec tamen inde ſequitur, eum eo ipſo fieri ſervum, aut vero aliquid veræ felicitatis ei decedere, quum potius felicitatis interſit, in hunc modum aliquem cogi ad rectæ rationis præſcriptum. Certe ſi de libertate judicandum inde eſt, ut poſſis vivere, quemadmodum velis, de ſervitute vero, quod non liceat vivere, ut velis, quem tandem liberum vocabimus? omnes enim uni cogimur ſubjecti eſſe majeſtati, ipſa vero majeſtas, Deo. Propterea haud immerito Ariſtoteles *V. Polit. c. 9. in fine.* reprehendit nimis craſſum vulgi errorem, quando ait: *Liberum & æquum arbitrantur, quod quis facere velit. Quare in talibus democratiis vivit, quisque ut vult, & ut ait Euripides, ſuo commodo & libidini convenienter, at hoc vitioſum eſt. Neque enim ſervitus putanda eſt, vivere reipubl. convenienter, ſed ſalus.* Maxima proinde libertas eſt & ſalutis propria cura ſecundum leges vivere. *Ut enim* inquit *Cicero pro Cluentio, corpora noſtra ſine mente, ſic civitas ſine lege ſuis partibus, ut nervis, ac ſanguine & membris, uti non poteſt. Legum miniſtri ſunt magiſtratus, legum interpretes judices: legum denique idcirco omnes ſervi ſumus, ut liberi eſſe poſſimus.* Jam quod extremam ſervitutem attinet, ſciendum, eam æque nocere atque nimiam libertatem; utraque rempubl. perdit, ut indigna ſit iſto nomine. Quis enim ſibi perſuadebit, ex ſervili ingenio & non niſi ad parendum natis hominibus civitatem conſtitui poſſe? quomodo aliis proſpicient, qui ſibi ipſis conſulere nequeunt? Civitas enim eſt liberorum hominum cœtus, non ſervorum, quin apud Græcos olim δύλων πόλις, in proverbium de re quæ fieri nequeat, tracta eſt. Notum credo eſſe omnibus, inter homines alios naſci ad imperandum, alios ad parendum, neque enim omnium animis, uti ex Platone citat Ariſtoteles *2. Pol. cap. 3.* admixtum eſt aurum, ſed aliis argentum, aliis etiam ferrum natura admiſcuit, quippe

*Fertur Prometheus addere principi*
*Limo coactus particulam undique*
*Deſectam.* *Horat. Od. 16. lib. 1.*

ut ita cuilibet ſua conſtaret indoles. Jam cum ordini naturæ ſit conſentaneum, ut præſtantius imperet deteriori, uti anima corpori, immerito imperium, quod in eos, qui ad parendum ſunt nati, exercetur, injuſtitiæ accuſatur, quippe cum non omnes mancipii vilitate ſerviant, nec illa ſubjectio ſuo commodo careat. Nam *non omnium ingenia*, dicit *Busbequius Epiſt. 3. p. 119. inopem ferunt libertatem, nec omnes ita nati ſunt, ut ſe regere & ſuo arbitrio recte uti ſciant, melioris ductu atque imperio, tanquam adminiculo, opus habent, nullum alioquin peccando finem facturi.* Ut proinde merito quæri poſſit, an optime rebus noſtris conſuluerit, qui ſervitutem primus ita ſuſtulit, cum *libertas ſine re non ſemper ſuadeat honeſta.* Voco in teſtimonium experientiam; quam, multi nomine tantum ſunt liberi, ingenio ſervi, cum ſervilibus officiis ſint intenti imo ſæpe ſordidis, haud certe iis operam daturi, ſi liberaliori forent indole. Quin non dubitem aſſerere, multos, quibus non raro victus etiam ad neceſſaria deeſt, optare mitiori ratione ſervitutem ſubire, quam in ſumma paupertate liberos eſſe. Evincet porro nativam quorundam ingenii ſtupiditatem, quam ad omnia alieni indigeant conſilii, minusque ſuis commodis proſpicere valeant, nobile facinus ſervorum Tyriorum, qui cum omnem liberum populum cum dominis internecione deleviſſent, ipſique occupata republica, Regem creare vellent, placuit eum conſtituere, qui primus eorum ſolem orientem vidiſſet. Vid. *Juſtin. lib. 18. cap. 3.* Itaque cum media nocte omnes in campum proceſſiſſent, cæteris in orientem ſpectantibus, unus occidentis regionem intuebatur, edoctus a domino, quem ſervaverat, fulgoremque ſolis in ſummo faſtigio civitatis primus omnibus oſtendit. Addit Hiſtoricus: *Non ſervilis ingenii ratio viſa, requirentibus autorem, de domino faſſus eſt. Tunc intellectum eſt, quantum ingenua ſervilibus ingenia præſtarent; malitiaque ſervos, non ſapientia vincere.* Supervacaneum puto addere, quosdam ultro ſe dediſſe in ſervitutem, alios oblatam libertatem reſpuiſſe. Conf. *Athenæus. l. 6. c. 7.* Dicimus ergo, noſtros cives non ita animatos eſſe debere, ut omnibus legibus eſſe velint ſoluti, ſibique perſuadeant, ſe in ſervitutem conjici, ſi legibus obtemperent, neque tamen ita ſerviles, ut non niſi a Domino mancipiorum inſtar, regi poſſint, quæ quidem rationis aliquid participant, non tamen eam audiant; ſed tali ingenio eos præditos eſſe volumus, quibus volupe ſit legibus obedientiam præſtare, non metu pœnæ, ſed amore virtutis, ſapiant autem ſupra ſervorum captum; nam cum hic maxime ſpectemus æqualitatem, ut infra dicemus, eaque magnam partem in eo conſiſtat, ſi per vices imperetur rurſusque pareatur, certe neutrum recte præſtare poterunt, niſi plus ſalis & prudentiæ habeant, quam vile aliquod mancipium. Sequitur ultimum membrum, in quo quam maxime obſervari debet medium, & in quo ipſe Philoſophus quærit, ſcilicet inter ſummas divitias & extremam inopiam. *In omnibus civitatibus*, inquit *IV. Pol. cap. XI. tres ſunt civitatis partes, partim quidem valde divites, valde vero pauperes partim: tertii vero inter hos medii. Cum vero inter omnes conſtet, medium eſſe optimum, certe & rerum ſecundarum ſeu fortunæ bonorum mediocritas, omnium erit optima.* Tres hoſce civium ordines divinis plane verſibus exprimit Euripides in Tragœdia, quam ſupplices inſcripſit:

*Tres,* inquit, *ſunt partes civium: alii quidem divites*
*Inutilesque, & ſemper plura expetunt.*
*Alii vero pauperes & indigentes victu,*
*Vehementes, & tribuentes majorem partem invidiæ,*

Emi-

*Emittunt malos aculeos in divites,*
*Linguis malorum præſidum decepti.*
*Trium vero partium illa, quæ eſt in medio, ſervat civitates*
*Diſciplinam conſervans, quam conſtituerit civitas.*

Et ſane, ſi rem penitius inſpiciamus, nec ſumme divitum, nec ſumme pauperum multitudo, formæ, cujus plurimæ civitates participes fieri poſſunt, apta eſt, quin altera horum pro ſuo lubitu conſtituet rempublicam, non optimam quandam, ſed vitioſam, oligarchiam videlicet aut ochlocratiam. Falſa enim quadam perſuaſione juſti nititur utriusque formæ fundamentum, neque enim ſequitur: oligarchici ſunt nobilitate, divitiis & potentia cæteris ſuperiores, ergo ſunt ſimpliciter ſuperiores, ipſisque jure debetur imperium, uti inæqualibus inæqualia: nec porro ſequitur, democratici ſunt iis, qui imperant, libertate pares, ergo ſimpliciter ſunt æquales, quaſi vero non poſſet fieri, ut divites inferiores aliis ſint virtute; & qui libertate ſunt æquales, virtute tamen aliisque rebus ſuperentur. Legatur omnino Ariſtoteles 3. *pol. cap.* 6. ejusdemque *caput* 3. *lib.* 5. *Ethic.* ubi, de juſto diſtributivo agens, dicit, omnes homines in eo conſentire, juſtum diſtributivum oportere fieri ſecundum dignitatem perſonarum, *ita ut, qui majorem* (verba ſunt Acciajoli) *habeat dignitatem, plus conſequatur, qui minus, etiam minus habeat.* Quamvis vero omnes in hoc convenire videantur, non tamen in eo conſentiunt, quænam illa ſit dignitas, ſecundum quam diſtributio fieri debeat, dum alii eam ponunt in libertate, alii in divitiis, alii in virtute, cum tamen, ſi recte rationem inire velis, neque ex divitiis, neque ex libertate ſit judicandum de inæqualitate, ſed potiſſimum ex virtute. Medio ergo loco ſint cives noſtri, abundent opibus, ut poſſint actiones ſuæ virtuti convenientes, quæ in ipſos cadit, edere: abſit extrema paupertas,

*Magnum enim pauperies, opprobrium jubet*
*Quidvis & facere & pati,*
*Virtutisque viam deſerit ardua.* Horat. *od.* 24. *lib.* 3.

*Oportet* quippe *fieri*, dicit *Plato V. de legib. extr. ut in civitate, quæ ſummi morbi debet eſſe expers h. e. ſeditionis, nec ſumma ſit in aliquibus civibus inopia, nec ſummæ divitiæ.* Hisce poſitis, pergimus nunc cum Philoſopho ulterius probare, quare medii cives ſint optimi, unde & illud efficietur, rempublicam ex mediis conſtantem, eſſe optimam.

## X.

## *I. Mediocres cives facilius rationis imperio obtemperant, quippe cum nec egeſtas eos impediat, quo minus poſſint, quamvis velint, nec abundantia, ut nolint obſequi, quamvis poſſint.*

Legum autoritas, quin ſancta & inviolata eſſe debeat, nullum habet dubium, quippe cum nulla civitas absque *legibus* (*a*) ſalva eſſe poſſit, imo neceſſe ſit hominibus leges præſcribere, ut ſecundum eas vivant; alioquin nihil a feris diſcreparent, ipſe Ariſtoteles 10. *Ethic. cap.* 9. cyclopicam vitam appellat, ubi nullis legibus vivitur, ſed quisque ſuo arbitratu. Sane ſi omnes ſecundum rectæ rationis præſcriptum viverent, neque eos transverſum ageret appetitus ſenſuum, unusquisque ſibi vitæ dux alterius conſilio non indigeret. Vid. *Cornel. Martin. anal. log. cap* 1. *de forma.* Sed plerique mortalium ſui immemores, divinæ auræ particulam ſepeliunt, & brutorum magis, quam hominum ſimiles eſſe volunt, unde neceſſitas imperavit humano generi, ut respublicas conſtitueret, in quibus armatur virtus, & quæ ratio unicuique perſuadere debuiſſet, magiſtratus pro imperio ſuo mandat, adeoque hinc oritur virtutis præceptum, ſed cum ferro & telo, ni pareas. Quæ, quanquam ſit adamantina parendi neceſſitas, non eſt tamen invicta, certe ſi vel divitum, vel pauperum ordo incipiat tumultuari, quodlibet ſuum jus, quod illi inæqualitate, hi æqualitate æſtimant, flagitante, vim ſuam exercere nequeunt. *Quinam enim*, inquit *Ariſt. IV. pol. cap. XI. vel forma, vel viribus, vel genere, aut divitiis excellunt, vel contra, qui paupertate, vel inopia, vel ſordibus & ignobilitate difficulter rationi parent. Nam divites ſunt contumelioſi, magnis in rebus ſunt magis injurii, pauperes vero malitioſi & in parvis rebus malefici, nam injuriæ partim contumelia, partim fiunt malitia.* Et ſane, ut de utrorumque moribus nonnihil adjiciamus, docet nos ipſe Plautus, qui mores ſequi ſoleant divitias. *Poſtquam aliquis*, inquit, *qui me primo eſt adeptus, adapertis foribus me receperit, clam una mecum ingreditur, faſtus, vecordia, mollities, jactantia, dolus, contumelia & alia id genus innumera.* Eadem vitia tribuit illis noſter Philoſophus II. *rhet. cap.* 16. appellans eos *contumaces*, qui quaſi labem ſibi contraxerunt a poſſeſſione divitiarum, ita enim eos eſſe affectos, quaſi omnia alia bona poſſideant, quum divitiæ ſint pretium, quo alia omnia bona æſtimentur: *delicatos*, ob molliciem & felicitatis oſtentationem, *elatos*, quia omnes in eo maxime verſantur, quod amatur & ſuſpicitur ab aliis, *contumelioſos* denique, quippe qui alios præ ſe contemnant, delectenturque tenuiores injuria afficere, non quidem nocendi animo, ſed ut libidini ſuæ indulgeant. Quod vitium credo propterea culpare Ariſtotelem *V. pol. cap.* 3. & 6. in divitibus, quod non tam generalem rerumpublicarum mutationum, quam præcipuam converſionis oligarchiarum cauſam adſcribat contumeliæ, quando ſcilicet a paucis illis divitibus injurioſe nimisque duriter tractatur ſubdita multitudo: tunc enim, conſpiratione facta, cogitationem ſuſcipere ſolent, quomodo intolerabile oligarchicorum jugum excutiant. At vero pauperum mores & ſtudia pleraque contraria videas ſtudiis divitum, quippe qui callide ac verſute improbi ſunt, inque exigui momenti rebus nequitiæ ſe dedunt, incipientes a minoribus, donec paulatim ad majora perveniant. Sed & cum manuum mercede inopiam

(*a*) *Legibus*) Eorum locum etiam habent boni mores.

Digitized by Google

piam tolerare cogantur, certe minus idonei erunt, qui reipublicæ muneribus obeundis admoveantur, quippe quorum ſtudia id tantum intendunt, quo ſibi ſit, unde vivant. Hinc fit, præſertim ſi contumelia afficiantur, ut invidiæ veneno ſuffuſi, torvis oculis aſpiciant aliorum honores, inſidientur divitum bonis, ducant ſibi laudi, ſi qua in re ipſorum commoda vel impedire, vel certe intervertere poſſint, gaudeant non tam bonis propriis, quam malis alienis:

*Omnes enim, quibus res ſunt minus ſecundæ, magis ſunt, neſcio quomodo*
*Suſpicioſi: ad contumeliam omnia accipiunt magis:*
*Propter ſuam impotentiam ſe ſemper credunt negligi.*

Vid. *Terent. Adelph. A.* 4. *S.* 3. Hiſce moribus cum utrique ſint præditi, non eſt mirum, quod difficulter rationi pareant. Qui enim poſſint, cum tam gravibus corruptus ſit animus vitiis. Semel enim, ubi animo hæc vitia inſederint, nec ratione opprimantur, fieri aliter nequit, quin reddantur cives malitioſi & improbi, tantum abeſt ut optimi.

XI.

## *II. Magiſtratuum curam gerunt, eos amant, beneque conſulunt reipublicæ.*

Dicit Ariſtoteles, niſi hæc duo probe obſerventur, id cum periculo civitatis maxime eſſe conjunctum, ac proinde cum nec divites, nec pauperes alterutrum horum faciant, optimos cives minime dicendos. Ejuſmodi enim moribus præditi, quibus divites & pauperes deſcripſimus, quomodo illi vel unum illorum præſtabunt? quomodo bono publico conſulent, qui tantum propriæ ſtudent utilitati? qui, ſi imperarent, rempublicam quæſtui magis haberent, quo avaritiam ſuam explerent, quam ut ejus curam gererent, cum tamen publicam ſalutem, neglecta propria, magis ſpectare fas eſſet. *Habere enim quæſtui rempublicam*, dicit *Cic.* 2. *offic. non modo turpe eſt, ſed ſceleratum etiam ac nefarium, imo caput in omni procuratione muneris publici eſt, ut avaritiæ etiam minima pellatur ſuſpicio.* At vero pauperes, quomodo magiſtratus ament? quomodo virtuoſos colant, qui virtutem odio habent? quos ſi contemnunt, quomodo legibus a magiſtratu latis parebunt, cum lex ſit præceptum virtutis; imo ignorabunt leges, quippe occupati in quærendo victu & amictu, non venient in concionem, quando de ferendis legibus, aliisque ſummam reipublicæ concernentibus agitur, imo, ſi maxime ſuppetat tempus, nihilominus intereſſe nolunt, cum arbitrentur, ſe opprimi ab iis, quibus reipublicæ ſumma eſt commiſſa. Quo ipſo ſatis declarant, quod præſente rerum ſtatu non ſint contenti, ut nihil magis in votis habeant, quam eum immutatum, cum tamen id maxime in bono cive requiratur, ut præſentem reipublicæ ſtatum amet, cumque ſartum tectum conſervare cupiat. Itaque quin illi, data occaſione, graviſſimos ſeditionum fluctus ſint moturi, non eſt, quod quis dubitet: quanto autem cum damno totius reipublicæ id ſit conjunctum, nemo non prudentum videt. *Nulla enim*, verba ſunt *Barcl. part.* 1. *arg. l.* 1. *c.* 8. *reipublicæ gravior labes ac peſtis contingere poteſt, diſſidiis atque ſeditionibus popularibus, cum natis factionibus in republica potentiores, diſtracta in partes plebe, mutuis ſe inſectentur odiis.* Ideoque ſumma ope annitendum, uti prudenti conſilio huic tam pernicioſo morbo medicina afferatur, antequam vulnus fiat immedicabile. Hinc præclare conſulunt reipublicæ, qui non tam latis legibus ſeditiones omnes cavent, quam ſeveriſſime in earum, ſi quæ exiſtant, autores animadvertant.

XII.

## *Bonus civis eſt, qui imperare & parere ſciat, & velit.*

Cum omnis civitas conſtet ex parentibus & imperantibus, certe beata eſſe nequit, niſi utraque pars officio ſuo recte fungatur, h. e. ut recte pareat & recte imperet. Innatum autem vitium dixeris, quod neque divites, neque pauperes id probe præſtare poſſint. Supra cum mores utrorumque ex rhetoricis Ariſtotelis recenſeremus, illud huic loco explicandum relinquebamus, quod divites exiſtiment, ſe ſolos eſſe dignos, qui imperent, propterea quod habeant, unde illis merito ea dignitas debeatur, accedit, cum divitiæ eos arrogantes reddant, quod ſibi imaginentur, hoc maximum dedecus illis fore, ſi tenuiorum imperio obſequerentur. *Atque hæc illis*, inquit Heinſius in *Ariſt. IV. pol. cap. XI. ſæpenumero a teneris accedit inſolentia, ideoque luxu, ut plurimum, immodico corrupti, ne in ſcholis quidem contineri in officio a præceptore poſſunt.* Generoſa indoles, ſi legitima accedat inſtitutio, magno bono eſt patriæ, ſin vero ad vitia declinet, ingens ei malum conciliat. Præſtat ſcilicet hoc bona educatio, quo teneri animi ad bonos mores virtutemque conformentur; difficulter enim reſcinduntur vitia, quæ nobiſcum creverunt. Videtur ergo Ariſtoteles pravæ educationi adſcribere, quod divites adeo corruptis ſint præditi moribus. Nam ſi a puero ad virtutis ſtudia ducerentur, debitaque inſtitutione ſemina vitiorum jam tum animo inſita exterminarentur, non dubium, quin optimi cives aliquando eſſent evaſuri. Verum cum id plerumque negligatur, maxima reprehenſione digni ſunt parentes; & ſane peccatur ab iis tam in exceſſu, quam defectu. Multi parentum eo avaritiæ & odii in liberos progrediuntur, ut nullam curam gerant educationis, aut ſi adhuc aliquam, vile aliquod mancipium ad alia ineptum liberis præficiunt, quod vitiis potius, quam virtutibus mollem animum imbuit, ad quæ alias a natura ſatis eſt pronus. Vid. *Plutarchus* περὶ παίδων ἀγωγῆς. Sapienter dixit olim Crates: ſe, ſi fieri poſſet, altiſſimo urbis loco conſcenſo proclamaturum, quo tenditis homines, qui rei faciendæ omne ſtudium impenditis, liberorum vero, quibus opes veſtras relinquitis, curam negligitis. Contra vero alios parentum videas nihil quidem deſieri pati liberis, quæ ad honeſtam eorum inſtitutionem faciunt, in ſumma vero mollitie & indulgentia eos educare, ignari quantam feneſtram per hoc iis aperiant ad omnem nequitiam. Non aliter ut adulatores ſe ergo liberos gerunt, qui,

Digitized by Google

qui, ut Comicus *Terent. Eunuch. A.* 2. *S.* 2. ait, non parant ſe, ut rideant, ſed eis ultro arrident, eorumque ingenia ſimul admirantur, quicquid dicant, laudant, id rurſum, ſi negant, laudant id quoque, negat quis, negant, ait, ajunt. Quod ſi præceptores iſtam animi mollitiem aliaque vitia evellere tentent, non tamen conceſſerit nimia patrum indulgentia, ut aliquanto durius tractentur, atque tunc vere conquerantur præceptores, una cum Lyco Plautino pædagogo apud *Plaut. Bacchid. A.* 3. *S.* 3.

*Olim populi prius honorem capiebat ſuffragio,*
*Quam magiſtro deſinebat eſſe dicto obediens.*
*At nunc priusquam ſeptennis eſt, ſi attingas eum manu*
*Extemplo puer pædagogo tabula diſrumpit caput.*
*Cum adeas patrem poſtulatum, puero ſic dicit pater:*
*Noſter eſto, dum te poteris defenſare injuria.*
*Provocatur pædagogus: eho ſenex minimi pretii*
*Ne attigas puerum iſta cauſa, quando fecit ſtrenue,*
*It magiſter quaſi lucerna uncto expretus linteo.*

Sed redeamus ad propoſitum, ſatis dictum de divitibus, quænam ſit cauſa, quod parere nolint. Pauperum vero multi adeo abjecto humilique ſunt animo, ut neque ad imperandum, neque ad parendum recte ſint idonei; multo minus, quam divites, plerumque imperare ignorant, nonnulli idque perfrequenter parere item neſciunt, niſi ſerviliter. Quis autem dubitet, quin & ad hoc multum faciat prava educatio; egeſtate ſcilicet compulſi, negligentius curam liberorum gerunt. Non quidem diffitendum eſt, naſci quosdam ſtupido hebetique ingenio: aberrat enim interdum natura vel ob materiæ contumaciam, vel ob inſtrumenti infirmitatem, vel ob impedimentum externum, ut finem ſuum minus obtineat: id vero certo certius eſt, diligenti cura ſedulaque educatione, haud parum corrigi in melius ejusmodi ingenia. *εἰ δέ τις*, inquit *Plutarchus περὶ παίδων ἀγωγῆς, οἴεται, τοὺς εὖ οὐκ πεφυκότας, μαθήσεως καὶ μελέτης τυχόντας ὀρθῆς πρὸς ἀρετὴν, οὐκ ἂν τὴν τῆς φύσεος ἐλάττωσιν εἰς τοὐνδεχόμενον ἀναδραμεῖν ἴσω πολλοῦ, μᾶλλον δὲ τοῦ παντὸς διαμαρτάνων. φύσεως μὲν γὰρ ἀρετὴν διαφθείρει ῥαθυμία: φαυλότητα δὲ ἐπανορθοῖ διδαχή.* Itaque cum nec divites, nec pauperes vitam, mores, actionesque ſuas componant ad leges inſtitutaque civitatis, nec faciant id, quod boni civis eſt, ſed divites parere nolint, imperare vero non niſi heriliter, pauperes vero imperare ignorent, parere autem non niſi ſerviliter poſſint, de ejusmodi civibus nobis non erit multum laborandum; conſtabit enim ejusmodi civitas ex meris ſervis & dominis, uti inquit Ariſtoteles, quæ quam inconvenientia ſint, cuivis facile patet. Relinquitur ergo, medios cives eſſe optimos, cum boni civis officio fungi poſſint.

## XIII.

## *Inter invidentes & contemnentes nulla poteſt eſſe amicitia & concordia, quæ tamen maxima civitatis ſunt vincula & munimenta quovis muro firmiora.*

Quemadmodum ſingula haſtilia nullo negotio franguntur, in faſciculum vero collecta nihil minus; ita diſſidentium inter ſe animi, facillime ſuperantur, concordes longe difficillime. *Neque enim*, dicit *Barcl. Argeni. part.* 2. *l.* 1. *c.* 8. *validius eſt vinculum, quo cives in officio contineantur, concordia ſubditorum. Ad quam conſervandam debet princeps ſummo ſtudio & ope niti, eoque majore incumbere induſtria, cum perſentiſcat, factionum ſuſcitabula expreſſe appetere ſalutem vitamque illius, qui eſt cum imperio.* Propterea legislatores amicitiam magis in civitate vigere volunt, quam juſtitiam, conſervat enim civitates: jam vero, cum concordia videatur eſſe aliquid ipſius amicitiæ, non vero diſcordia, hanc, quoad fieri poteſt, tanquam labem & perniciem civitatum expellunt. Conf. *Ariſt. IIX. Ethic. cap.* 1. Nam concordia res parvæ creſcunt, diſcordia etiam maximæ dilabuntur. Cui gemina tradit ipſe fons veritatis, qui mentiri nequit, *omne*, inquit *Luc. XI. regnum in ſe diviſum deſolabitur, & domus ſupra domum cadet.* Recte flos romanæ eloquentiæ Cicero, *quod ſi*, inquit *in Lælio, exemeris ex natura rerum benevolentiæ conjunctionem, nec domus ulla, nec urbs ſtare poterit: nec agri cultus permanebit. Ex diſſenſionibus & diſſidiis percipi poteſt, quanta vis ſit amicitiæ & concordiæ: quæ enim domus tam ſtabilis, quæ tam firma eſt civitas, quæ non odiis & diſcordiis funditus poſſit everti.* Tantum ergo momentum, cum ſit in amicitia poſitum, recte fit ab illis, qui leges ferunt, ut id maxime intendant, quo civitas nullis laboret ſeditionibus, ſit vero amicitia inter omnes cives. Verum quomodo amabunt alios, qui omnes præ ſe contemnunt? quomodo concorditer vivent, qui invidia tument quaſi, indolentque proſperis aliorum rebus? imo invidia & contemptus plane ſunt contra rationem amicitiæ, adeoque maxime damnoſa rebuspublicis. At vero commune eſt vitium divitum, ut contemnant; affluunt quippe præter cæteros omnibus fortunæ bonis, propterea eo confidentius contemnunt eos, quibus res ſunt minus ſecundæ. Commune item vitium pauperum eſt, ut invideant, nec id immerito, contumelia quippe affecti a divitibus, non poſſunt non obliquo limare oculo illorum bona. Quid? cum nemo contumeliam facile perpeti poſſit, omnem movebunt lapidem, ut intercipiant locupletum commoda, ab iis enim arbitrantur ſibi præripi, quæ ad ſe pertineant. Itaque divitum & pauperum animi vix ita coaleſcent, ut una habitent civitatemque conſtituant, & alter alterius imperium æquo animo ferat. *Abeunt enim longiſſime* (utor verbis Heinſii in *Ariſt. IV. polit. cap. XI.*) *a conjunctione ea & communione, ſine quibus civitates conſiſtere nequeunt. Civilis enim communio eſt civitas: parium autem amicitia communio, quæ in ſimultate locum non habet. Quisquis enim eos metuit, quos odit, ideoque & vitat. Adeo, ut quidam, ne eandem quidem viam, publice cum iis, quos oderunt, inſiſtere ſuſtineant.* Quod quam procul abſit a communione illa, quæ requiritur in civitatibus, quis

non intelligit? Concludimus igitur ex poſitis quatuor rationibus, nec ſumme divites, nec ſumme pauperes eſſe poſſe optimæ reip. cives; ſed tantum medios inter extremos: rationi enim facilius obtemperant, amant magiſtratus, ſciunt & volunt imperare & parere, non invident, tantum quippe habent, quantum ſufficit, denique non contemnunt, alter enim alterum non præcedit, ut propterea eum deſpicatui habeat. Unde porro ſequetur, quod civitas ex ejusmodi civibus conſtans ſe bene ſit habitura, dum quilibet pro virili virtuti ſtudet, vitia declinat. Optimum denique in ea erit regimen. Nam ſi recte dictum ab Ariſtotele 1. *polit. cap.* 3. omnia opera eſſe eo meliora, quo a melioribus fiant, utique imperantis & parentis opus tanto erit melius, quanto a melioribus præſtetur. Erit proinde hæc ratio ſecunda, rempublicam, ex mediis conſtantem, eſſe optimam.

XIV.

***Ea eſt civitatis natura, ut quam optime ex paribus & æqualibus conſtet; ea enim optime adminiſtrabitur, quæ ex iis conflatur, ex quibus natura civitas conſtituitur.***

Generalem mutationum rerumpublicarum cauſam aſſignat Philoſophus *IV. polit. cap.* 1. vanæ hominum perſuaſioni, quaſi uni alterive ordini civitatis fiat injuria. Nam, cum apud omnes conſtet, juſtum & æquale, quod ſecundum proportionem ita dicitur, quam maxime facere ad rerumpublicarum conſervationem, aberrant tamen in determinando illo juſto, in quo debeat conſiſtere. Democratici enim, cum libertate omnibus ſint æquales, perſuaſere ſibi, ſe ſimpliciter eſſe æquales, oligarchici, cum divitiis vel genere ſint inæquales, ſimpliciter ſe inæquales autumant, nec pari cum aliis jure vivere cupiunt, unde poſtea oriuntur vitioſæ illæ rerumpublicarum formæ, oligarchia & democratia. Hoc ne fiat, utile erit, cives eſſe mediocres, illi enim, cum ſint maxime pares & æquales, haud erit periculum, ut ex vana illa inæqualitatis perſuaſione aliquid ſint moturi. Apparebit autem ea æqualitas maxime, ſi alternatim imperent & pareant: neque etiam aliter fieri poterit, ſiquidem nemo alium vel virtute, vel opibus, vel libertate ſuperabit. *Nam ſi*, dicit *Acciaiolus ad cap. 3. lib. 5. Ethic. Ariſt. perſonæ ſint paris dignitatis, neceſſario ſervabitur ibi rerum diſtribuendarum æqualitas, ita ut id, quod dabitur, nec ſuperabit, nec ſuperabitur.* Quod ſi negligatur, ut æqui non accipiant æqua, non poſſunt non inde oriri diſcordiæ & querelæ, quæ, cum e republica exulare debeant, omnino etiam exulabunt, ſi eo modo omnia obſerventur. Porro, cum amicitia maxime ſit opus in civitate, ut, ſi absque ea eſſet, nullum refugium, nec in ſecundis, nec in adverſis haberent homines, imo deſtituerentur omnibus, quæ ad vitam feliciter degendam pertinent, ea vero conſiſtat in æqualitate, maxime ibi florebit amicitia, ubi omnes ſunt æquales; *nihil enim eſt, quod ad ſe rem ullam tam alliciat, & tam attrahat, quam ad amicitiam ſimilitudo*, ut loquitur *Cicero in Lælio.* Variant autem gradus amicitiæ pro ratione ſpecierum rerumpublicarum ita, ut in aliis ſit plus, in aliis minus, in aliis plane nihil: *tantum enim in unaquaque republica eſt amicitiæ, quantum juſti*, dicit *Ariſt. VIII. Eth. cap. XI.* unde patet, cum in tyrannide parum aut nihil ſit juſti, plus paulo in oligarchia, multum vero in politia, ubi omnes æquali jure vivunt, eodem modo etiam ſe habituram amicitiam. In optima vero republica, cum maxime attendenda ſit juſtitia, non dubium eſt, quin ibi pariter ſummo ſtudio colatur amicitia, tanta enim affinitas videtur eſſe inter amicitiam & juſtitiam, ut quod maxime juſtum ſit, maxime quoque jungat amicos. Quid? quod ſi amicitia eſt inter æquales, æquales vero eſſe debeant cives in optima republica, utique non opus erit juſtitia, quippe cum amicitia magis facere videatur ad conſervationem civitatis. Amicitia quippe ſine juſtitia eſſe poteſt, amici enim ſibi ipſis non inferent injuriam, non vero juſtitia ſine amicitia. Vid. *Ariſt.* 8. *Eth. cap.* 1. Addimus huic loco conveniens Tullii monitum, in amicitiis nunquam non obſervandum. *Hæc*, inquit *in Lælio, prima lex in amicitia ſanciatur, ut neque rogemus res turpes, nec faciamus rogati; turpis enim excuſatio eſt & minime accipienda, cum in cæteris peccatis, tum ſi quis contra rempublicam ſe amici cauſa feciſſe fateatur. Nulla enim eſt excuſatio peccati, ſi amici cauſa peccaveris.* Videntur illi in exceſſu amicitiæ peccare, qui ad nutum amicorum omnia & dicunt & faciunt, quaſi religio ſit illis quicquam denegare, neglecta honeſtatis ratione, quæ ſicuti in omnibus, ita in amicitia maximopere eſt obſervanda.

XV.

***III. In qua republica nulla eſt invidia, nullæ inſidiæ, nulla alieni cupiditas, ea diu poteſt eſſe incolumis.***

Quamvis vulgo bonitatem reipublicæ ex ejus diuturnitate metiantur, ut quo diuturnior, eo melior etiam ſit ſtatus, id tamen non ita ſimpliciter eſt aſſerendum. *Diuturnius enim tum eſt melius, ſi cætera paria ſint, Stahl. Reg. Philoſ. til.* 19. *Reg. IV.* ita ſi duo ædificia in bonitate & commoditate ſint paria, id quod ſtabilius & perfectius, eſt alteri longe præferendum. Depravatæ quidem rerumpublicarum formæ durant interdum ſatis diu, niſi vel nimis intendantur, vel remittantur, non tamen ſequitur, ergo ſunt bonæ: nihil minus: ubi enim virtuti nullus vel exiguus eſt locus, ibi certe parum reperietur, quod habeat rationem boni; mali ſcilicet ad diuturnitatem cuſtodes ſunt, metus, odium, invidia, inſidiæ, alieni cupiditas, quæ in corruptis formis, ubi imperantium tantum ſpectatur commodum, quam maxime vigent vitia, quin ſi vel unum ſaltem gliſcere incipiat, haud longe aberit alterum. Quam primum enim ſubditi id agere imperantes ſentiunt, ut ab iis metuantur, quamvis eo nihil ſit dementius, ſeque propterea contumelioſe tractari, ſæviri inſuper in ſe, ſi vel minima in re delinquant, *nec, ſi quis puniatur, ad reipublicæ utilitatem referri, cum tamen omnis animadverſio & caſtigatio contumelia vacare debeat, cavendumque, ne major pœna, quam culpa ſit. Cic.* 1. *offic.* paulatim odio eos proſequi incipiunt, quo indies accreſcen-

creſcente, creſcentibus imperantium contumeliis, ſenſim illorum animis ſe inſinuat invidia. Intuentes enim illorum fortunas, potentiam vitæque commoda, dolent, quod ſibi non liceat iisdem perfrui, omnia tantum agi, ut imperantibus ſit bene, quamvis ſibi ſit male: tum convertunt ſe ad inſidias, ut quæ palam ob imbecillitatem ſuam iis eripere non poterant, clam ſubtrahant, quod ubi ipſis bene proceſſerit, videantque, ſe clandeſtinis fraudibus iis ægre facere poſſe, augetur quotidie illorum cupiditas aliena appetendi, donec tandem in immenſum exeat, ita, ut *nulla liberalitas occurrere poſſit tam plene, quæ cupiditates illorum, quæ creſcunt dum implentur, exſatiet. Sen. ep.* 73. His vitiis dum laborat reſpubl. quis ſibi ejus diuturnitatem promittat? evertetur aliquando de improviſo, etiam cum minime de eo cogitaverint. Verum hæc fabula ſolet agi inter divites & pauperes. Medii cives horum vitiorum ſunt expertes, qui ſicuti mediocritati in omnibus ſtudebunt, ita ſuas cupiditates temperabunt, ne aliorum bonis inhient. Quantum enim ad ſufficientiam opus eſt, poſſident, propterea aliena ne deſiderant quidem, tantum abeſt, ut iis inſidientur: neque porro ad abundantiam ſunt divites, aut potentes, ut ſibi ab aliis habeant metuere, ne ſe compilent, vel ut inde aliorum invidiam ſibi colligere poſſint: nec denique invidendis bonis ſunt præditi, quæ alios ad ea auferenda allicere poſſint, cum tantum hi poſſideant, quantum illi. Unde efficitur, ut ſecure & tranquille vivant, abſque omni periculo, cum nec ipſi aliis inſidias ſtruant, nec ipſis alii, ideoque merito optavit olim Phocylides:

*Eſſe volo medius, mediis ſunt commoda multa.*

Nec tamen intelligimus ejusmodi ſecuritatem, quæ plane degeneret in incuriam & negligentiam, ita enim peſſime ſe habebit civitas, id quod Appius Claudius apud *Valer. Ma. lib.* 7. *cap.* 2. prudenter docuit Romanos: *Negotium*, inquit, *populo Romano melius, quam otium committi: non quod ignoraret quam jucundus tranquillitatis ſtatus eſſet, ſed quod animadverteret præpotentia imperia agitatione rerum ad virtutem capeſſendam excitari, nimia quiete in deſidiam reſolvi. Et ſane negotium nomine horridum, civitatis noſtræ mores in ſuo ſtatu continuit; blandæ vero appellationis quies plurimis vitiis reſperſit.* Huic rei ejusmodi remedio occurrere voluit Ariſtoteles *V. Pol cap.* 8. Fictos interdum vanosque metus civibus eſſe injiciendos, quo major excitetur vigilantia, adminiſtrationisque diligentia ficto timore augeatur, ita ut quæ procul abſunt pericula, tanquam imminentia proponantur. Inſtar periti alicujus nautæ reipubl. gubernator ſe gerere debet, qui quo pacatius eſt mare, tanto magis de jactura atque ſubita tempeſtate præcavenda cogitat. Vid. Piccart. *ad cit. loc.* At dicas, ſi introducatur bonorum æquatio, facilius laudata ſæpius mala cavebuntur, tum enim maxime erunt cives æquales, adeoque civitas diu poterit eſſe incolumis. Verum quidem eſt nimias paucorum opes & multitudinis in opiam ſæpiſſime cauſam mutationum rerumpubl. dediſſe: ac proinde ut hiſce morbis occurreretur præclara ingenia de bonorum æquatione leges tulere, ſed quam feliciter, eventus comprobavit. Lycurgus certe cujus illuſtre in Græca hiſtoria eſt nomen, inſtiturus rempubl. Spartanam, æquatione bonorum ad interitum ferme perduxit rempubl. Etſi enim initio æqualiter agros diſtribuiſſet lata lege ne eos venderent, permiſſa tamen legandi donandive poteſtate, ſumma inæqualitas eſt inſecuta, ita ut alii redderentur pauperrimi, alii ditiſſimi. Idem tentavit Phaleas, nec tamen quod volebat eſt aſſecutus. Nec enim videtur talis bonorum æquatio rixas & odia civium ſublatura, auſim potius affirmare, ipſam talia excitare & augere. Nam ſi nulli civium, plus altero habere licet, tum certe ii, qui virtute, prudentia aliisque dotibus excellunt, ægre ferent, ſi plebejis æquiparentur, & id non immerito, quia contra juſtitiæ regulam peccatur, quæ vult, ut inæquales inæqualia etiam accipiant. Non urgebo nefas eſſe certum numerum procreandorum liberorum præſcribere. Unde bonorum æquationem introducere, eſt quidem non incommodum tam multa autem ei ſunt adjungenda, ut vix obtineri poſſit. Melius conſilium inducendæ æquationis bonorum, ſuppeditat nobis Lactantius *lib.* 3. *divinar. inſtit. cap.* 22. *Qui vult*, inquit, *homines adæquare, non matrimonia, non opes ſubtrahere debet: ſed arrogantiam, ſuperbiam, tumorem, ut illi potentes & elati pares eſſe ſe etiam mendiciſſimis ſciant. Detracta enim divitibus inſolentia & iniquitate nihil intererit, utrumne alii divites alii pauperes, cum animi pares fuerint.* Ad id conducit aliquantum ſi bona ſint æqualia, inquit Ariſtoteles 2. *Pol. cap.* 5. ne ſeditiones moveantur, *ſed vere ut dicam non magnopere. Ceſſant ſeditiones*, uti hunc locum exponit Thomas, *inter parvos cives, manet materia ſeditionis inter majores, minus enim æquo animo ferent æqualitatem præſtantiores quique, unde non poſſunt non oriri conjurationes metusque.* Accedit, quod cum infinita ſit hominum cupiditas *non enim quærit ſola neceſſaria vitæ, ſed omnia, quæ poſſunt eſſe homini delectabilia, quæ tamen ſunt infinita*, quamvis initio ſua ſorte vivant contenti, mox tamen extendent ſuas cupiditates, alienaque affectabunt, unde ſtatim ſeditionis cauſa ſuboritur. In optima ergo republica vix admittetur æquatio bonorum, quam perperam vulgo pacis & concordiæ parentem appellant.

## XVI.

## IV. *Optima eſt civitas quæ ex mediis conſtat, cum eæ urbes optime adminiſtrentur, in quibus pars media eſt potior.*

Quemadmodum anima informat corpus ita reſpubl. informat civitatem, apta vero præcedat oportet materiæ partiumve diſpoſitio, quod ni fiat, aberrat natura nec ſuum finem aſſequitur. Quamvis ergo ex optimis civibus conſtet aliqua civitas, ni tamen legiſlator ſtatum eorum moribus & ingenio convenientem introducat, haud credo eum optimam rempubl. inſtituturum.



Digitized by Google

Non enim adeo difficile rempubl. condere, at longe difficillimum conditam quam diutiſſime conſervari: juxta illud poëtæ:

*Non minor eſt virtus, quam quærere, parta tueri.*
*Caſus ineſt illic, hic erit artis opus.*

Quam ob cauſam laudatur Lycurgi prudentia, quod non ſolum inſtituerit rempubl. ſed talem etiam, quæ ætatem ferre poſſit. Reſpub. romana quondam, hodie Veneta, ob diuturnitatem imperii nobiliſſima habetur. Itaque quamvis cuilibet reipubl. conditori videndum, ut introducat talem formam, quam omnes cives ſalvam velint ac diuturnam: tamen, cum id non adeo facile obtineri poſſit, ſumma ſaltem contentione ſtudebit, ut eam reip. partem, quæ præſenti ſtatu contenta vivit, potentiorem reddat, tum a ſeditionibus non facile habent ſibi metuere. Quod præceptum, cum ſit maximum ϛοιχεῖον, uti id vocat Ariſtoteles *V. Pol. cap.* 9. conſervandæ cujusvis reip. utique utilitas ejus haud erit exigua in republ. optima. Illa enim, cum ex mediis conſtet, optime adminiſtrabitur, eritque eo ſtabilior, quo magis mediorum civium multitudo, ambo extrema, divites & pauperes ſuperabit; continebit ſcilicet utroſque in officio ne quid movere audeant. Nam ſi divites oppreſſum eant pauperes, pars media utique valentior reliquis duabus partibus diviſim ſumptis, adjunget ſe illi parti, quæ magis ratione regitur, nec affectuum turbinibus circumagitur, inque ordinem coget contumaces: idem faciet ſi pauperes aliquid ſint moturi contra divites. Verum dices; quid conſilii tum capiet vir prudens, ſi pauperes cum divitibus conſpirent in mediorum perniciem? Dico, vanum eſſe hunc metum, quod cum ex ante dictis facile patet, tum inde, quod extrema nunquam inter ſe conveniant. Qui enim ne quidem una peregrinari poſſunt, multo minus ſimul habitabunt, cum tamen in ejusmodi molitionibus ſumma animorum conjunctione ſit opus, quam fruſtra quæras inter pauperes & divites, propter ſummam diffidentiam, quod altera pars ab altera ſemper ſibi metuat, imo priusquam una pars alterius imperio ſe ſubdat eligent potius tertium quendam, cui pareant, quique ſit inſtar arbitri, ne partes adeo diſſidentes a ſe invicem in mutuam ruant perniciem.

## XVII.

### *V. Neque metuendum eſt, ut mutetur in oligarchiam vel democratiam, aut ex utraque deterrima formarum exiſtat Tyrannis.*

Præſtat hæc omnia mediocritas, ne ab ejusmodi malis periculum immineat, quod ſi vero ab ea recedatur, ut vel divitum vel pauperum multitudo accreſcat paulatim, fieri aliter nequit, quin aut democratia, aut oligarchia aut ex utraque ſi nimis intendatur, omniaque inſolenter adminiſtrentur, tyrannis oriatur. Ariſtoteles *V. Pol. cap.* 5. tres cauſas aſſignat, qui fiat, quod democratiæ degenerent in Tyrannidem: primam facit improbitatem demagogorum, qui cum non ſolum eloquentia, ſed etiam ſcientia militari præ reliquis excellerent, facile rudi plebi imponere potuerunt, ac ſi ipſi eſſent tales, quibus ſalus publica tuto committi poſſit. Itaque cum nec facultas, nec animus invadendæ Tyrannidis deeſſent, facili negotio id, quod intendebant obtinuere, *diu enim in imperiis verſati non videbantur ſibi, ſe poſſe eſſe privatos, præſertim cum conſuetudine ad imperii cupiditatem trahi viderentur*, uti de Miltiade teſtatur Nepos. Alteram ponit, quod populus, cum nimis confideret Demagogis, ac ſi maximi eſſent communis libertatis defenſores, nimis magnum delegaret iis imperium, idque ſatis diuturnum, magno cum errore, cum eo democratiæ præſertim nihil ſit noxius. Ineſt quippe cuilibet homini imperandi cupiditas, quæ ſi magnitudine & diuturnitate imperii magis accendatur, niſi ratio vincat ſubigatque iſtam cupiditatem, facile patet, quid boni reipubl. ſit allatura. Illuſtre ejus rei exemplum præbet nobis Cæſar, de quo ſæpe Cicero in epiſtolis ſuis conqueritur, ipſum ſenatum auctorem extitiſſe Cæſari, ut invaderet Tyrannidem, tanto ſcilicet imperio & in decennium commiſſo, magnitudine inſuper rerum geſtarum, multitudineque victoriarum elatum cœpiſſe paulatim eam affectare. Tertiam denique cauſam dicit eſſe, quod cum olim apud Græcos haud ita amplæ eſſent civitates, civesque agriculturæ dediti, rerumpublicarum curam Demagogis relinquerent, pateret iis aditus ad tyrannidem: cujus rei tria in medium affert exempla ipſe Ariſtoteles, unum Piſiſtrati apud Athenienſes; alterum Theagenis, qui occidendis divitum jumentis & pecoribus populi favorem meritus, Megaris tandem tyrannidem affectavit; tertium Dionyſii, qui accuſando divites & nobiles, nominatim autem Daphnæum, quem & poſtea ſuſtulit, a populo magni factus, tandem invitis etiam plebejis, tyrannidem invaſit. Conf. *Diod. Sic. lib.* 13. *cap.* 94. *& ſq.* Idem quod democratiis accidit & oligarchiis, maxime ſi ipſi oligarchici a ſe invicem diſſideant, ſibique mutuo diffidant, ac propterea præſidiis quibusdam ſe muniant, adverſus impetum eorum, a quibus ſibi mali quid metuunt. Vid. *Ariſt. V. Pol. cap.* 6. Itaque ſi quis inter eos paulo gratioſior reliquis, plebem largitionibus verborumque blandimentis ſibi adjungit, defenſurus quaſi eam contra nobilium inſolentiam, dejicit primo omnes quos habet ſuſpectos, ipſe poſtea, nullo prohibente tyrannidem arripit. Teſtimonio ſuo hoc comprobat Naxus inſula, ubi plebs nacta ex oligarchicis ducem Lygdamin, oligarchicum ſtatum, ejectis nobilibus evertit, Lygdamis ipſe vero haud multo poſt ſe tyrannum declaravit. Vid. *Athenæus. lib.* 8. *cap.* 7. Ponendum ergo quaſi extra omnem controverſiam, rempubl. in qua omnia mediocritate menſurantur, eſſe optimam: ſumma ſane felicitas eſt ejus reipubl. in qua medias poſſident cives facultates, ea tamen abundantia, quæ ſufficiat. *Nam ubi*, dicit *Heinſ. ad cap.* 11. *lib.* 4. *Pol. Ariſt. plurima aut infinita alii, alii vero nihil poſſident, neceſſe eſt ad ſtatum populi extremum, aut ad inſolentiam paucorum, aut poſtremo ad tyrannidem dilabi eam civitatem.*

XVIII.

## XVIII.

## *VI. Signum quoque eſt, rempubl. ex mediis civibus conſtantem, eſſe optimam, quod ſola ſit ſeditionum expers.*

Gravius malum haud credo reipubl. accidere poſſe, quam ſi ſeditionibus laborare incipiat: ſemel enim ubi fuerint exortæ, nec prudenti ratione compoſitæ, metuendum ne de improviſo cum interitu totius reip. iterum prorumpant. Conſtat quippe inter omnes, nihil tam neceſſarium eſſe civitatibus, quam ut cives tranquille & concorditer inter ſe vivant, ac proinde optimus Magiſtratus omni ſtudio in id incumbet, ut omnes ſeditionum & diſcordiarum civilium fontes obſtruat, quoad ejus fieri poſſit, aut ſi cavere non poſſint, remedia adhibebit, quibus laboranti reipubl. ſuccurrat. Nec eſt, quod quis dicat, ſeditiones interdum civitatibus eſſe utiles, ita ut ſalutarem ſortiantur exitum, leges nempe iniquas per eas abrogari, civitatem improbis civibus purgari, civium animos, quomodo erga rempubl. ſint affecti, cognoſci, ipſam quoque rempubl. nonnunquam in meliorem ſtatum reduci, quod teſtatur Romanorum reſp. quæ, ejectis regibus in libertatem ſe aſſeruit, atque tunc bene ſibi eſſe viſa eſt, excuſſo illo jugo. Verum *qui haſce*, inquit Bodinus *lib. 4. de rep. cap. 7. utilitates bellis civilibus & ſeditionibus aſcribunt: perinde mihi facere videntur, ut qui adulteria, furta, cædes ac rerump. interitus ſalutares ex ſe ipſis opinantur eſſe: cum nulla ſit impietas tanta, nullum tam grave ſcelus, ex quo non interdum aliquid ſaltem utilitatis ad hunc vel illum perveniat, quin illa ipſa improborum flagitia Deus ad eorum ultionem, ſuique gloriam trahere conſuevit.* An vero reſp. Romana omni quidem ex parte melius ſeſe habuerit poſt Regifugium, facile hiſtorias evolventi patet. Deum immortalem! quænam erant plebi cum patriciis contentiones? quæ Decemvirorum impotentia? quæ Tribunorum inſolentia? Graviſſimi erant Syllæ, Marii, Cæſariſque motus, qui cum ferro & ſanguine civium dirimerentur, vaſtiſſimum illud imperium ad interitum ſecum pertraxere. Conf. Barclai. *lib. 1. contra Monarch. p. 200.* Nec enim credo, multos reperiri populos, quibus feliciter ceſſerit ejuſmodi reipubl. mutatio, quæ non maximorum malorum cauſam dederit, *incurrunt quippe in contraria, dum vitant ſtulti vitia.* Imo *vix ullam ejusmodi ſeditionem ſine intertrimento coortam*, *quis inveniet: quin potius vel optimam quamque fellis, quam mellis fœcundiorem. Eſt enim, neſcio quomodo fato compertum, ut quemadmodum teſte Poëta* Homer. Odyſſ. *B.*

*παῦροι γάρ τοι παῖδες ὁμοῖοι πατρὶ πέλονται.*
*οἱ πλέονες κακίους. παῦροι δέ τε πατρὸς ἀρείους.*
*Pauci enim filii ſimiles patri ſunt:*
*Plerique pejores, pauci vero parentibus meliores;*

*ita etiam in reipubl. procuratione bonis ſæpe mali raro meliores, ſuccedant.* Comprobat illud anus Syracuſanæ muliebris quidem, ſed non muliebriter dicta reſponſio, quam interrogata a Dionyſio, quare pro ſua ſalute quotidie vota faceret, protulit apud Valer. Max. *l. 6. c. 2. quia puella, cum gravem tyrannum haberemus, eo carere cupiebam: quo interfecto, aliquanto tetrior arcem occupavit: ejus quoque finiri dominationem magni æſtimabam: tertium te ſuperioribus importuniorem habere cœpimus. Itaque timens ne, ſi tu fueris abſumtus, deterior in locum tuum ſuccedat, caput meum pro ſalute tua devoveo.* Solet a politicis, quando de ſeditionibus agunt, quæſtio moveri, an in ſeditionibus civis bonus alterutri ſeſe adjungere debeat? an vero neutri parti? Certe ſi Solonis legi, apud Gell. *l. 2. c. 12.* quæ jubet, ut is *domo, patria, fortunis careat; ſitque exul & exterris, qui ſolitarius ſeparatusque a communi malo ſeceſſerit*, locus dandus eſt, omnino alteri parti ſe adjungere debet. Alii vero iniquitatis hanc legem accuſant, iniquum eſſe, civem bonum, pacis & concordiæ ſtudioſum, propterea quod ſeditioſorum turbæ accedere nolit, omnibus bonis ſpoliari, multo etiam iniquius, cum neutri factioſorum ſententiæ aſſentiri poſſis, cum utraque ſit mala, cogaris nihilominus harum illarumve partium eſſe. Vid. Bodin. *lib. 4. de rep. cap. 7.* Alii contra legem Solonis maxima cum utilitate eſſe conjunctam autumant, valere quippe multum ad deliniendos ſeditioſorum animos, cives enim otii & tranquillitatis amantes, ſi uni parti adhæreant, diſſidia omnimodo prohibituros, aut ſi id non poſſint, ſedare tamen conaturos, cum non parum valeat boni cujusdam civis virtus & autoritas, ad inſanæ plebis tumultus compeſcendos, accedat etiam, quod ſi nulli parti ſint addicti, ſæpenumero deſerantur ab omnibus, fiantque omnium communis præda. Verum nos relinquimus hanc quæſtionem cuivis decidendam, tanquam minus ad noſtrum inſtitutum pertinentem, revertimurque ad noſtrum ſcopum. Optimæ ſcilicet reipubl. indicium eſſe, cujus, partes ita mutuo ſibi ſunt devinctæ, ut ne minima quidem occaſio movendæ ſeditionis oriri poſſit. Id quod legiſlatorem facilius non arbitror conſecuturum, quam ſi cives ſint ex mediocri hominum genere, iis enim cum ſint præciſæ omnes cauſæ, propter quas turbæ oriri ſolent, non metuenda erit reip. in partes diſtractio. Plato remedium adverſus ſeditionem illud eſſe dicebat, *ut nec extrema in civibus ſit inopia, nec ingentes divitiæ.* Vid. Stobæus *ſerm.* 41. Certe quod magnæ populoſæque urbes minus ſint obnoxiæ ſeditionum turbinibus, facit quod magno numero in iis, reperiantur medii cives, quorum beneficio in æquilibrio manet civitas, ut nec pauperes nec divites aliquid tentare audeant, at vero in minus populoſis, ubi mediorum vel exiguus, vel nullus eſt numerus, ſed omnes aut ſunt pauperes, aut divites, facile patet inſpicienti, utrorumque mores & ſtudia, ſeditionibus iſtam civitatem non carituram. Conf. Ariſtot. *IV. Pol. c. XI.* Quamvis videatur, quod hoc loco dixit Ariſtoteles, intelligendum eſſe de civitatibus Græciæ, quarum quælibet paulo celebrior ſibi propriam conſtituerat rempubl. adeoque, cum non eſſent adeo magnæ, nec alium ſuperiorem agno-



Digitized by Google

agnoſcerent, qui alias eos in officio continere potuiſſet, crebræ erant ejusmodi rerump. mutationes. Verum fit interdum, ut id magis metuendum videatur majoribus urbibus, quam parvis: hæ enim, cum ſuperiorem habeant propter infirmitatem ſuam coguntur quieſcere, quamvis voluntas ipſis non deſit: illæ vero, licet majeſtate ſint deſtitutæ, ad tempus quieſcunt, donec potentia pares ſint principibus, tum enim ſuperiorem non adeo metuunt, aguntque id omnibus viribus, quo ſeſe illorum imperio paulatim ſubtrahant, proque ſuo lubitu rempubl. inſtituant. Experientia enim id videtur abunde conteſtari, hodie rariſſimas in parvis urbibus exiſtere ſeditiones, frequentiores vero in amplioribus civitatibus. Fatemur tamen, illas ipſas urbes non omnino ſub integra majeſtate, ſed aliorum imperio ſaltim ex parte eſſe obnoxias. Id vero ex illa aſſertione firmiter colligi poteſt, quod democratiæ ſtabiliores ſint oligarchiis, cum ibi plures dentur medii cives, pluribus quoque pateat aditus ad honores, qui in oligarchiis ipſis eſt præcluſus, propterea que ſui neglectum magno ſæpe reipubl. damno haud paulo impatientius ferunt, ac proinde occaſionem dubias res novandi haud temere videntur neglecturi. Quod ſi vero in tantum excrevit vel divitum, vel pauperum multitudo, ut mediocritati nullus ſit relictus locus, haud procul ab interitu erit ejusmodi respubl. utpote quæ jam ruinam minetur.

XIX.

*VII. Denique præſtantiores eſſe cives medios, etiam inde conſtat, quod plerique Legumlatores, ad civitatis moderationem natos, haud legas pauperes aut divites fuiſſe, ſed ex numero mediorum.*

Ultima ratio qua Ariſtoteles aſtruere annititur optimam rempublicam eſſe, quæ ex mediis conſtat, inde deducit, quod cum olim apud Græcos præſtantiſſimi extiterint legumlatores, quorumque inſtitutis optime ſint adminiſtratæ civitates, eos tamen non fuiſſe divites aut pauperes, quippe cum alias procul dubio ad pauperum vel divitum placita informaſſent rempublicam, quorum tamen neutrum præſtitere. Certe Solon, vir non ſapientiæ ſolum, ſed & juſtitiæ laude celeberrimus, fuit medii ſtatus homo & de populo unus, quique in mediocrium numero, quam locupletum eſſe maluit, prætulitque paupertatem cum virtute conjunctam, ea tamen bonorum ſufficientia, quæ ſatis eſſet, maximis divitiis; quod & ejus verba apud Plut. *in vita Solonis* ſatis indicant:

*Multi quippe boni cum paupertate premantur,*
*Crebrius eſt quicquam vix locuplete malo.*
*At nos virtutem nunquam mutabimus horum*
*Divitiis, neque ſic pœnitet eſſe probos.*
*Virtutis ſemper ſtabilis poſſeſſio perſtat,*
*Incertæ varia ſorte feruntur opes.*

At cum Athenienſibus placuiſſet Soloni, quem ſolum laboranti civitati ſaluti eſſe poſſe putabant, arbitrium conſtituendæ totius civitatis & novarum legum ferendarum permittere, antea enim in immenſum divitum ſuperbia & avaritia auctæ erant, plebs vero egebat, creſcebatque quotidie æs alienum, unde diſcordiæ, factiones, periculoſique libertati motus videbantur imminere, oblatam tyrannidem modeſte recuſavit, nec oligarchiam aut democratiam inſtituit, ſed uſus inſigni temperamento, optimatum juri multitudinis jus æquavit, ſimulque exitiales ſeditiones Diacriorum popularem ſtatum, Pedicorum oligarchicum, Paraliorum mixtum flagitantium extinxit. Vid. *Ubbo Emius in deſcript. reip. Athen.* De Lycurgo nobili Lacedæmoniorum Legislatore eadem pene accepimus, mediorum enim civium rationem quantopere habuerit, vel inde colligi poteſt: quod cum rempubl. novis legibus conſtitueret, voluerit omnes cives eſſe æquales, (medii vero maxime ſunt æquales) quo invidiæ & diſcordiæ altricem inæqualitatem tolleret, nullam divitum rationem habens aut pauperum ſeorſim, ſed ſimul omnium, quo omnes ad felicitatem civilem perduceret: perſpiciebat enim quantæ turbæ & confuſiones ex inæqualitate hactenus eſſent ortæ: itaque id tandem effecit, ut divitias apud ſuos cives in ſummum adduceret contemptum, *uſus* enim inquit Plut. *in vita Lycurgi*, *earum erat nullus, fruitio nulla, ne conſpectus quidem, aut magni apparatus oſtentatio.* Itaque illud tritum ex omnibus orbis terrarum urbibus Spartæ ſolum verum fuit: *Divitias eſſe cœcas, jacere tanquam picturam, anima motuque vacuam.* Atque hæ ſunt ſeptem illæ rationes, quibus Ariſtoteles probat optimam rempublicam pluribus civitatibus eſſe, quæ ex mediocribus civibus ſit collecta, quæque profecto ſua certitudine non carent ſi recte perpendantur. Mirari vero non nemo haud immerito poſſit, qui fiat, cum non ſit ἐκ τῶν ἀδυνάτων ejusmodi rempubl inſtitui, quod minus frequenter detur, imo rarius in populoſis civitatibus: quas tamen ob mediorum civium multitudinem non facile ſeditionibus laborare affirmavit Ariſtoteles, ſed omnes declinent vel ad oligarchiam, vel ad popularem ſtatum; cujus rei quatuor rationes a Philoſopho allatas, reſtat ut paucis videamus.

XX.

*I. Verum cum mediocrium civium numerus ſit exiguus, plerumque ii, qui a medio diſcedunt pro ſuo lubitu rempubl. formant, ſuæ tantum, non publicæ utilitati conſulentes.*

Aggredimur nunc primam, quidem explicare rationem propter quam optima hæc reſp. rarior ſit, ultimum vero noſtræ diſſertationis caput. Ubi primum omnium, quis quærere poſſet, cum paucitas mediorum civium ſit cauſa, quod ejusmodi reſpubl. minus ſit frequens, unde fiat, quod ubique plures ſint divites & pauperes quam medii? Sane ut videtur, partim nimia habendi cupiditas, partim otii ſtudium atque inertia huic malo originem dant. *Cupiditatis enim,* dicit

Digitized by Google

dicit Cic. 1. *parad. ſitis nec expletur unquam, nec ſatiatur, neque ea ſolum, quæ habent, libidine augendi cruciantur, ſed etiam amittendi metu*, quod divitibus maxime familiare eſt vitium, licet omnibus fortunæ bonis circumfluant, ea tamen deſiderant maxime, quibus abundant, perſuaſi forſan, *nihil ſatis eſſe, quia tanti, quantum habeas, ſis*, ut inquit *Horat. ſat.* 1. *l.* 1. itaque manibus pedibusque id unice agunt, ut opes cumulent, quacunque etiam ratione id fiat, licet ſit interdum minus honeſtum, utile tamen, plauduntque ſibi ipſi domi, ſimul ac nummos contemplantur in arca, alterum extremorum fugientes, in alterum incurrunt: cum tamen ſecundum *Horat. ibid.*

*Sit modus in rebus, ſint certi denique fines,*
*Quos ultra citraque nequit conſiſtere rectum.*

Somnus vero & otium facit, quod multi hominum in ſumma vivant paupertate, quod quidem non ignorant, nihilominus ceſſant a laboribus; per enim ſuave ipſis eſt per otium torpeſcere, quo tamen nihil turpius, nihil homine indignius, nato ſcilicet non ad ſomnum, ſed ad ferendos labores. Adoleſcens certe, cui non arctiora ſunt ſomni quam noctis tempora, parum in ſtudiis ſapientiæ proficiet: Magiſtratus totam noctem dormiens, negligit publicam rem, & hoſtibus malisque civibus occaſionem invadendi rempublicam præbet. Paterfamilias, qui a ſervis excitatus, rei domeſticæ parum ſatagit & nocet exemplo. *Proinde, Senec. ep.* 56. dicit, *ad rerum actus excitandi ac tractatione bonarum artium occupandi ſumus, quoties nos male habet inertia, ſui impatiens. Nunquam vacat laſcivire diſtrictis, nihilque tam certum eſt, quam otii vitia negotio diſcuti.* His vitiis depravatum animum quæ ſoleant ſequi, manifeſtum eſt ex iis, quæ de pauperum divitumque moribus ſupra diximus: utra pars ſuperior eſt, ad ſuam propriam, non communem utilitatem, rempublicam format, inde ut oriatur vel oligarchia, vel ſi populus illius ſit impatiens, impetu facto eam evertunt, ſtatumque popularem, tanquam ſuo ingenio magis convenientem, introducunt.

XXI.

## *II. Contentiones divitum & pauperum, quas inter ſe fovent, faciunt, ut neutra pars amplecti velit medium, ſed ſemper extrema concupiſcat.*

Perverſa ſane eſt hæc divitum pauperumque conſuetudo, quod neutri, odio & invidia perculſi, alterius ſalutem quærant, ſed ſuam tantum, quicquid etiam fiat, de alterius ſalute. *Nam cum graviter inter ſeſe populus ac divites contendant,* (Heinſii verba ſunt ad *Ariſt.* 4. *polit. cap. XI.*) *ſive hi ſuperiores abeant, ſive illi, non expectandum eſt, ut æqualitatis rationem in republica habere poſſint, aut ut in commune conſulant, vel medium ſectentur. Sibi enim utraque pars vincit, ideoque præmium non aliud exiſtimant victoriæ, aut ſpectant, quam ut poteſtatem in ſe ac imperium quacunque ratione transferant ac modo. Ideoque popularem alii, alii paucorum inducunt ſtatum.* Egregium profecto victoriæ præmium! quaſi vero honeſtum ſit de civibus oppreſſis triumphos canere, quos æquali juris & amicitiæ vinculo inter ſe nexos ætatem agere, conjunctisque animis & viribus ſaluti publicæ ſtudere par erat. Vana & ridicula nimis, eſt perſuaſio divitum pauperumve, quod eo ipſo ſuperiores ſe exiſtiment, ſi alteri parti ægre faciant, cum illud raro cum ipſorum utilitate ſit conjunctum, metuendum enim, ne altera pars jugo iterum collum ſubtrahat, & paria acceptis referat. Conſulerent melius ſtatui ſuo oligarchici, ſi aliquo ſaltem in loco haberent pauperes, non ſervorum, moderatamque introducerent oligarchiam, haberent rationem cenſus divitiarumque, quibus totum illorum jus nititur, ita tamen, ut ne excludant tenuiores, ſi præfinitum cenſum ſint conſecuti, atque adeo ad magiſtratus non tantum Craſſi perveniant, h. e. ſumme divites, ſed & tenuioris fortunæ homines, objiciant imperitæ plebi aliquam offam, cui conſumendæ dum incumbunt, ipſi interea adminiſtrent rempublicam, ut quam diutiſſime conſervetur, caute tamen & prudenter. Conf. *Ariſt.* 6. *pol. cap.* 6. Gemina hisce facere deberent democratici, conformarent ſuum ſtatum, ne ἀναρχίαν ſaperet, ut legibus, ut virtuti aliquis eſſet honor, abſtinerent a divitum opibus manus, tribuerentque cuique, quod ſuum eſt, eſſent denique ſua ſorte contenti: non dubito, quin firma ſit futura eorum reſpublica, gaudeant ſua, quam tantopere crepant, libertate, ne tamen evadat in vitioſam aliquam licentiam. Verum quid animis affectuum nebulis, invidia ſcilicet & odio, perturbatis, ut, quod verum eſt, perſpicere nequeant, perſuadeas, qui non admittunt rationem, quibusque, veluti ſurdis, narras fabulam? Sicuti enim periculoſior eſt tempeſtas, quæ non ſinit in portum appellere, quam quæ vetat navigare: ita graviores animi motus ſunt, qui non ſinunt hominem conſiſtere ratione perturbata, ſed præcipitem auferunt in tempeſtates. Hinc fit, ut neutra pars præ alterius odio temperatam cupiat rempublicam, omnia extrema malunt experiri, quam medium perſequi: non ergo eſt mirum, quod optimæ reipublicæ non fiant participes.

XXII.

## *III. Amor ſimilitudinis. Quilibet ſtatum ſuum diligit, cupitque reliquos ad ejus exemplum conformare.*

Ex hoc elucet, quantum momentum ſit in recta puerorum educatione poſitum, ut niſi ea bene ſe habeat, tota ſalus reipublicæ, quæ ab illa unice dependet, in maximum diſcrimen adducatur. Ingeneratur ſcilicet illis a teneris amor ſuæ reipublicæ, ſi recte & ſtatui convenienter inſtituantur, quod profecto plurimum facit ad ſtatus conſervationem, proptereaque nullam reipublicæ formam meliorem exiſtimant, quam in qua ſunt nati, imo eam optimam appellare non dubitant, quamvis revera non ſit talis. Exemplum nobis præbent Athenienſes & Lacedæmonii,

hi

hi oligarchicum, illi democraticum ſtatum magni faciebant, itaque quamcunque urbem occuparent, quilibet ſuum, quem maxime diligebat, ſtatum introducebat. Suum ſcilicet cuique pulchrum eſt, ut vetus ſonat verbum, inſitusque eſt amor ſui, ut neminem tam modeſtum invenias, qui non in propriis æſtimandis cœcutiat, *ſtudio enim magis, quam judicio placent.* Vid. *Eraſm. adagia.* Qua de cauſa optimi quique legislatores, cum viderent ſummam reipublicæ in eo verti, ut juventus recte educaretur, ſalutares inſtitutioni puerorum præſcripſere leges. Minos Cretenſium legislator hoc inprimis ſtudium habuit ob pravum & ferum populi ingenium, ut ab ætate tenera educatione & aſſuefactione id emendaret, redderetque mitius atque ad obſequium legum magis idoneum. Conf. *Ubb. Emm. deſcript. reip. Cretenſ.* Quod velut vetuſtiſſimum & rebuspublicis ſaluberrimum inſtitutum haud omnino male in ſuam quoque traduxit νομοθεσίαν Lycurgus. De quo *Plut. in vita Lycurgi & in comparatione vitæ Lycurgi & Numæ.* Neque enim conceſſit patribus ſuo more educare liberos, ut hunc ruſticum, illum tibicinem eſſe juberent, quaſi vero non ad unum finem ſtatim omnium mores eſſent formandi. Certe quemlibet legislatorum oportet præ cæteris puerorum probæ educationi ſtudere, ne mores diverſos turbulentosque addiſcant, ſed ad communem quandam virtutis ſpeciem, qua inter ſe conveniant, conformentur. Lycurgi legibus diligens inſtitutio attulit diuturnitatem, juramenti metus parum valuiſſet, niſi diſciplina hoc fuiſſet conſecutus. Ariſtoteles idem non uno in loco inculcat. *Omnium inſtitutorum*, inquit *V. polit. cap.* 9. *maximum, ad hoc ut conſerventur reſpublicæ, quod nunc plerique negligunt, eſt, inſtitui convenienter rebuspublicis, nam legum utiliſſimarum & decretorum, quæ ab omnibus rempublicam gerentibus ſunt facta, nulla eſt utilitas, niſi ſint aſſuefacti & inſtituti in republica populariter quidem, ſi leges ſint populares, oligarchice vero, ſi ſint oligarchicæ. Nam ſi in uno eſt incontinentia, eſt & in civitate. Inſtitui autem convenienter reipublicæ, non hoc eſt, efficere, quibus gaudeant oligarchæ, vel qui democratiam volunt, ſed quibus poſſint, hi quidem oligarchiam tenere, illi vero democratiam.* Et cum pro diverſitate rerumpublicarum diverſi quoque ſint civium mores atque ingenia, non dubium eſt, quin diverſa quoque requiratur inſtitutio. Et vero idem fieri, non recte tamen videre licet & in democratiis, ubi omnes in ſumma petulantia & licentia, & in oligarchiis, ubi in extrema mollitie & luxu pueri educantur. Unde fit, ut ex ejusmodi civibus optima reſpublica conſtitui nequeat, ſed ſemper exiſtat aliqua ἐκ τῶν παρεκβάσεων.

## XXIII.

*IV. Temporum denique miſera conditio & morum depravatio facit, ut nemo amplius pari cum cæteris jure velit vivere.*

Dixit jam olim non minus vere, quam ſapienter, vir emunctæ naris Horatius *Odyſſ. 6. lib. 3.*

*Damnoſa quid non imminuit dies?*
*Aetas parentum pejor avis, tulit*
*Nos nequiores, mox daturos*
*Progeniem vitioſiorem.*

quod ſenſiſſe Ariſtotelem arbitror, cum conqueſtus eſt de pravitate ingenii humani, eo jam rediiſſe rem, ut nemo amplius pari cum aliis jure vivere velit, ſed vel imperare, vel parere. Et ſane, ſi jam tum Ariſtoteles ita judicavit de ſui temporis moribus, quid nos dicemus? mutantur ſcilicet mores raro in melius, citius in pejus, ſuccreſcuntque, quaſi herba irrigua, uberrime, ut cum Comico loquar, præſertim mali, quibus, niſi tempeſtive occurratur, quis impietatis & malitiæ finis erit. Quo fit, ut quamvis maximas utilitates unus homo alteri afferre poſſit, haud tamen credo, ullam perniciem tam deteſtabilem, tamque tetram eſſe, quæ non homini ab homine inferatur. Ut non dubitem cum Cicerone 2. *offic.* aſſerere, multo plures malitia hominum & fraudibus interiiſſe, quam ulla alia calamitate. *Ab homine*, dicit *Senec. epiſt.* 103. *homini quotidianum periculum, erras, ſi illorum, qui tibi occurrunt, vultibus credis: hominum effigies habent, animos ferarum.* Verum quid fruſtra hominum improbitatem accuſo, nunquam in melius mutandam? abiit jam malum pene in naturam, eludit tantum non omnia remedia, quæcunque etiam adhibeas, neque non plerique mali ſumus & quicquid alteri vitio damus, id quis in proprio deprehendit ſinu. His itaque de cauſis ſatis gravibus fit, ut media aliqua reſpublica aut nunquam inſtituatur, aut rariſſime. Ariſtoteles unius tantum meminit, qui, opum & ambitionis ratione poſthabita, temperatam reliquis prætulerit rempublicam, quis vero ille fuerit, non conſtat inter autores: verum ſit de hoc liberum cujuslibet judicium. Nos coronidis loco illud huic diſſertationi adjicimus: Rationem ſtatus in optima republica, quæ ſit omnibus accommodatiſſima, requirere, ut ad mediocritatem omnia, quæ ad iſtius reipublicæ conſervationem pertinent, referantur, ceu jam ſupra monuimus, a qua ſi recedatur, ſalvam haud futuram.

- - - *Nam moderate viventium*
*Nomen vincit, & uti eo, longe*
*Optimum eſt hominibus. Sed immoderata*
*Nullo tempore valent hominibus ad diuturnitatem.*

*Euripid. Medea.* Prudens ergo legislator feret leges, mediocrium ſtatui maxime convenientes, quæque medium in omnibus tenere jubeant: Præſcribit divitiis modum, ut tantæ ſint, quantæ ad virtutum actiones obeundas ſufficiunt. Adhibebit curam, ut omnes civitatis partes in analogia conſerventur, ne una alteri ſuperior eſſe præſumat. *Nam uti corpus*, inquit *Ariſt. V. Pol. cap.* 3. *conſtat ex membris, quæque apta corporis proportione augmentum recipere debent, ut partes & membra*

*membra inter ſe reſpondeant, quod ſi non, extinguitur corpus*, eodem modo in rebuspublicis fieri convenit, ut debitam conſequantur magnitudinem. *Nam profecto, ſi pes ſit quatuor cubitorum, totum vero corpus duorum palmorum, omnino interit:* ita & in civitate, ſi una ejus pars vel ſenſim & clam, vel ſubito & perſpicue, contra quam proportio ferat, augeatur, ſubſequitur plerumque reipublicæ mutatio. Porro non permittet, ut quilibet ſuo more modoque vivat, ſed ſtatui convenienter; itaque mores & naturam civium perſcrutabitur, cuinam ſtatui apta ſit, quod ſummopere eſt neceſſarium, ne, ignotis iis, fallatur, proque optimo ſtatu peſſimum introducat, non quidem ſimpliciter, ſed pro ratione iſtius populi. *Omnium quippe, Scipio Ammirat. lib. 4. diſſert. polit. diſcurſ. 7.* dicit, *actionum humanarum finis eſſe videtur, ut aut mala vitentur, aut ut honor & utilitas quæratur, aut publicis rebus conſulatur in pace, in bello. Idcirco diligentiſſime ſingulorum mores conquirendi ſunt, ut, quæ ad res privatas publicasque pertinent, apte perſuadere poſſimus.* Summæ curæ etiam ipſi erit educatio puerorum, ut a teneris ad reipublicæ ſuæ ſtatum conformentur, ejusque amor inſtilletur, multum quippe intereſt reipublicæ, ut pueri, tanquam teneræ plantæ, recte educentur, ne pueri pravi, adoleſcentes pejores, peſſimi tandem viri evadant. Denique vero in id præ omnibus aliis incumbet, ut ita inſtituat rempublicam, non quæ, quamdiu ipſe vivit, optime adminiſtretur, ſed ita, ut poſt illius diſceſſum, nihilominus extet ratio, qua conſervari queat: tum demum enim vere finem erit aſſecutus. Conf. *Machiavell. diſcurſ. ad Liv. l.* 1. *c. XI.* Propterea invitabit cives ad virtutis ſtudium, ad fidem, honeſtatem, juſtitiam, maxime vero ad pietatem & religionem. *Ubi enim religio eſt, ibi*, dicit *Machiav. cit. loc. & bonæ leges ac bona diſciplina locum habent, ex quibus fortunati feliceſque rerum eventus, in expeditionibus præſertim bellicis naſcuntur. Sicuti econtra, ſublata religione, corruere rempublicam oportet: quoniam, ſublato Dei timore, ſequitur impietas, ex eaque ruina imperiorum.* Adeo ut Plutarchus adverſus Colotem dicere non ſit veritus, facilius ſibi videri urbem condere ſine ſolo, quam opinione *de Diis ſublata.* (*a*) Propterea a multis aliis id factum accepimus, quotiescunque novis legibus rempublicam conſtituere vellent, cum alias adducere homines non potuiſſent, ut illas acciperent, quemadmodum Lycurgum & Solonem feciſſe tradunt hiſtorici. Ut maximo & deteſtando in errore verſentur, qui ſtatuunt, religionem ideo eſſe confictam, quo facilius ſubditi in officio contineri poſſint. Ad hunc igitur modum republica conſtituta, non dubium eſt, quin in ea bene ſint victuri cives, concordia & pax mutuis ſeſe ibi excipient oſculis, invidia, odioque ejectis, ipſa vero reſpublica diu ſtabilis & firma erit futura. Nobis hic prolixioribus eſſe non eſt propoſitum; quippe qui tantum rudi ſtylo & tenui Minerva, deductis ex Ariſtotele rationibus, probare conati ſumus, quare reſpublica ex mediis civibus conſtans ſit optima: ulterius ac dilucidius iſtud argumentum, ut tractetur, ingenii noſtri tenuitas non admittit.

Sit ergo finis.

# XXI.

## HERMANNI CONRINGII
## DISSERTATIO
## DE
# REPUBLICA EBRAEORUM

*RESPONDENTE*

MARTINO MULLERO

HAMBURGENSI.

MDCXLVIII.

### *THESIS I.*

Qua ratione unaquævis ſocietas humana, quæ civitatis nomine cenſeri poteſt, adminiſtretur atque gubernetur, id conſiderare nemini non ſuave atque jucundum eſſe poteſt. Atque id eo magis, quo ἀκρότατον illud ἀγαθὸν, quod per commodam ſui gubernationem ſocietas humana obtinere ſolet, expenditur intentius. Cum enim omnia diffluxura videantur, ſi omni omnino ſocietas illa gubernatione deſtituatur, ſola hæc, ſi commoda ſit, præſtat, ut bene beateque inter homines vivi queat. Quin ſi non per omnia ſatis recte ſe habeat, præſtat tamen, ut ſocietas, quæ coiverat, e veſtigio non prorſus diffluat & dilabatur.

II. CÆTERUM, qua ratione gubernata olim fuerit *iſraëlitica gens*, turba illa hominum, quam ægyptiacæ tyrannidi ſubduci juſſerat ipſe Deus, quamque adeo ſeorſim ab Ægyptiis degere,

(*a*) *De Diis ſublata.*) *Diſcorſi di MACHIAVELLI cap. XII. XIII. XIV.*



Digitized by Google

gere, & peculiarem rempublicam conſtituere volebat, id, niſi me omnia fallunt, ſuaviſſime conſiderabitur omnium. Iſraëlitica enim gens illa erat, apud quam, ut ſacra phraſi utar, ignem poſt & caminum habuit, atque adeo ſingulari modo habitavit ipſe Deus: cuique revera præſtitit talia, qualia nunquam nationum ulli. Hanc eandem voluit Deus non conſuetis inter quasvis alias gentes modis gubernari, ſed qui excellentia quadam ſua a cæteris haud parum diſcreparet omnibus. Nos ab inſigni, quam diximus, ſuavitate allecti, in expendenda Ebræorum reipublicæ forma paululum nos exercebimus.

III. In naturam autem rerumpublicarum introſpicere volentibus *τὸ κύριον*, ſive ſumma poteſtas ante omnia conſideranda fuerit, penes quem nimirum illa ipſa ſit; utrum nempe penes unum, an vero penes paucos, an denique penes omnem populum. Hinc nimirum tres diverſiſſimæ & maxime *ἀντιδιῃρημέναι* ſimplicium rerumpublicarum formæ emergunt. Ariſtoteles, ubi conſiderare inſtituit politias ſive respublicas, *πόσαι τὸν ἀριθμὸν, καὶ τίνες εἰσὶ*, quot numero ſint & quæ, (facit id autem *lib. III. polit. c. 7.*) ita pronunciat illico: *ἀνάγκη δ' εἶναι κύριον ἢ ἕνα, ἢ ὀλίγους, ἢ τοὺς πολλούς.* Quam diviſionem & Cicero *ſecundo de divinatione* profitetur, ſe a Platone, Ariſtotelis præceptore, ejusque philoſophia didiciſſe: *respublicas teneri tum a principibus, tum a populo, aliquando a ſingulis.* Tacitus quoque conformiter prorſus hisce loquitur *lib. IV. annal. Cunctas nationes*, inquit, *& urbes populus, aut primores, aut ſinguli regunt.* Ita a numero *τὸ κύριον* ſive ſummam poteſtatem obtinentium, perquam magna rerumpublicarum fluit diverſitas.

IV. Porro autem ſimplicibus politiarum formis, certa etiam nomina jam olim tributa eſſe, nemini non eſt cognitum. Si nimirum unus rerum potiatur, monarchiam appellavere regiminis formam. Præterea *τὴν πρὸς τὸ κοινὸν ἀποβλέπουσαν συμφέρον, quæ ad communem utilitatem reſpicit, βασιλείαν, regiam poteſtatem* dixit Ariſtoteles. Quæ autem monarchia *πρὸς τὸ συμφέρον τοῦ μοναρχοῦντος, ad commodum dominantis* regitur, illam Ariſtoteles *τυραννίδα* appellavit. Si *πολίτευμα*, ſive ſumma poteſtas penes plures, eosque paucos ſit, hæc regiminis forma, ſive recta ſit per omnia, ſive rectæ *παρέκβασις* & *ἡμαρτημένη*, plurimis oligarchia olim eſt dicta. Ariſtoteles vero, ubi respublicas diſpeſcit, oligarchiæ vocabulum paucorum, & quidem divitum potentiæ, minus recte ſe habenti, atque ad publicam utilitatem non reſpicienti, tribuit: Si paucorum potentia publicam ſalutem procuret, atque ex virtute optimis civibus conflетur, ariſtocratiam appellat illam gubernationis formam. Si denique populus *πολιτεύηται*, ſive ſummam poteſtatem obtineat, & quidem ad communem utilitatem, Ariſtoteles hanc regiminis formam communi omnium rerumpublicarum nomine *πολιτείαν* appellat, hujus vero *παρέκβασιν* dictam vult democratiam. Complures tamen, qui Philoſophum & anteceſſerunt, & ſecuti fuerunt, democratiæ vocabulum generale eſſe voluerunt, cujuscunque *τοῦ πλήθους κυρίου*: a quibus neque ipſum Philoſophum prorſus abire intelleximus.

V. Sed ad illam tandem poteſtatem, quæ in gente iſraëlitica obtinuit, verſandam atque conſiderandam accingamur, eamque talem, qualem ubique terrarum in gentium gubernatione omni memoria obſervare fuit. Cum igitur gens iſraëlitica poſt diutinas tergiverſationes ab Ægyptiorum rege dimiſſa tandem eſſet, atque, ut in Palæſtinam commigraret, per deſerta Arabiæ Petrææ iter facere inciperet, peculiarem rempublicam illico conſtituit. Erat ibi juſta hominum multitudo, quæ ex ſimplicibus enata fuerat ſocietatibus. Hanc gubernari utique erat neceſſe, ſi civili etiam ratione commode inter ſe vivere deberet. At ſi more inter alias gentes conſueto gubernari deberet, fuiſſet *τὸ κύριον*, ſeu ſumma poteſtas alicui, vel aliquibus committenda; vel certe, ſi penes univerſum populum eſſe deberet, aliquibus tamen fuiſſet deleganda, qui exercerent.

VI. Hic autem ſingularem rationem, quæ inter alias gentes non obtinuit, neque obtinebit unquam, eſt animadvertere. Omnis quidem poteſtas, quæ civitates moderatur, præcipue Deo ter optimo maximo ab illis, qui eam obtinent, accepta eſt ferenda, juxta illud gentium doctoris: *οὐ γάρ ἐστιν ἐξουσία, εἰ μὴ ἀπὸ θεοῦ.* Neque dubium eſt, quin ille, *qui hominum intereſt animis & mediis cogitationibus intervenit*, (quod prudentiſſimus Seneca agnoſcit,) quin, inquam, ille ſummam poteſtatem, quæ magnos hominum gubernat cœtus, præcipue dirigat atque moderetur. At vero inter ſummam poteſtatem, quæ gentem iſraëliticam gubernavit, & quæ cæteras gubernat gentes, illud eſt: quod hæc, licet occulte a Deo dirigatur, hominibus tamen plene committitur: illam autem ipſe Deus maximam partem immediate exercendam ſibi ſervavit. Fitque adeo, ut illa, quæ hominibus committitur, non raro abutantur ipſi homines. Neque enim vi eam dirigit, aut ſi male ea utitur homo, ſenſibiliter ſemper retundit Deus; ſed ut a præſcripto legum divinarum homo exorbitet, non raro permittit. Quam autem circa Ebræos ſibi ſervaverat Deus, illius uſus non niſi ſanctiſſimus eſſe potuit.

VII. Cum autem *τὸ κύριον*, ſive ſumma poteſtas in variis ſita ſit, videmur operæ pretium facturi, ſi quid potiſſimum nos velimus per hanc *ſummam poteſtatem* intelligi, explicemus. Poteſtatem itaque ſummam quam maxime ſitam eſſe dicimus in regenda aut tuenda republica. Hæc enim potiſſima illa capita ſunt, ad quæ revocari pleraque poſſunt, quæ circa reipublicæ ſummam in diſquiſitionem venire ſolent. Atque huc pertinet illud Poëtarum principis Homeri, quod de Agamemnone dixit: *ἀμφότερον, βασιλεύς τ' ἀγαθὸς, κρατερός τ' αἰχμητής.* Quæ porro ad regendam civitatem pertinet poteſtas, illa præcipue in *legibus* condendis & *magiſtratu* ac *judicibus* conſtituendis eſt ſita: Quæ autem ad tuendam, in *armis* & gerendo bello. Tria adeo fuerint, in quibus ſumma poteſtas, quantam nimirum cunque in politiis obſervare

Digitized by Google

ſervare poſſumus, quam maxime eſt conſpicua: Leges condere, bellum indicere, magiſtratus judiciaque conſtituere.

IIX. PORRO horum omnium in republica Ebræorum penes ipſum Deum arbitrium fuit. Et id quidem in proclivi nunc eſt oſtendere. *Poteſtatem condendi leges*, etiam illas omnes, quibus gens Ebræa ad politicum bonum fruendum gubernaretur, reſervaſſe ſibi ipſum Deum, atque etiam iſtas leges illi genti condidiſſe, tam manifeſtum eſt, ut qui id operoſe probare vellet, lucem ſoli, quod ajunt, fœneraturus videri poſſet. Elucet autem id maxime ex plurimis Levitici, Numerorum & Deuteronomii capitibus: quæ quaſi dives ſunt penu, ubi quicquid etiamnum in vita humana commodis legibus definitum eſt magnam partem comprehenditur. *Primum* ſane, cum Deus tor O. M. ex Arabiæ monte Sinai pararet leges ferre, de ſe ipſo præfatus eſt hunc in modum: *Ego ſum Jehova Deus tuus, qui eduxi te ex Ægypto e domo ſervitutis.* (*a*) Unde liquet, latam Legem a Deo, non tanquam creatore cœli & terræ, ſed veluti a ſummo populi iſraelitici duce. *Tum*, quæ totius reipublicæ quaſi præcipuum debuit eſſe vinculum, legem Decalogi, audienti populo ſeorſim, & quidem juſtæ Legi auctoritatis conciliandæ ergo, ceu decet ſapientem Legiſlatorem, per fulgura ac tonitrua clariſſime promulgavit: eamque mox duabus inſcripſit tabulis, quæ proinde tabulæ fœderis ſunt dictæ: deinde paulo poſt eas ſingulari arca, quæ itidem arcæ fœderis hinc nomen accepit, fecit in perpetuam inuſitati fœderis cum Deo initi memoriam, recondi. *Poſt hæc*, ubi jam populo terror eſſet incuſſus, ſoli quidem Moyſi, ſed poſt ſatis pridem ſpectatam populo divinam ejus probitatem, & non ſine comitantibus perpetuo ſtupendis miraculis, iſtiusmodi complures edidit leges, qualium in politiis optimis inſtituendis uſus eſſe ſolet; qualibusque vigentibus, quam commodiſſime inter homines vivi poteſt, abolitis ex adverſo vel aliis exiſtentibus, fieri non poteſt, quin injuriæ aliqui ſaltim cives ſint expoſiti. Hæ nimirum ſunt illæ, quas ut diſtinguamus a mere cæremonialibus, quarum recenſione codicis moſaici bene magna pars conſumitur, *Forenſes* (*b*) dicere conſuevimus. Atque illarum ſingulas preſſius conſiderare, operæ quidem magnum fuerit pretium, noſtri tamen in præſentia haud quaquam eſt inſtituti. Facturus id aliquando eſt vir Clariſſimus, ſub cujus auſpiciis hæc nobis nata eſt confidentia, ut levidenſia iſta ad publicam συζήτησιν extruderemus.

IX. *Præterquam vero*, quod Deus univerſales tulit leges, per quas ſimilibus delictis ſimilis atque eadem pœna fuit irrogata, uſu etiam venit, ut quidam malefici ad occultas pœnas a Deo raperentur, vel ſciſcitanti Moyſi ſingularis quædam pœna indicaretur, quæ malefico eſſet irroganda. Pœnæ capitales quidem, quæ apud Hebræos obtinebant, videntur *ad quaternarium numerum commode* (*c*) poſſe revocari. Sunt igitur illæ: Combuſtio ſive vivicomburium, lapidatio, decollatio, & denique ſtrangulatio, ſuffocatio ſive ſuſpendium. Quod autem quidam, quos inter ſunt doctiſſimi viri *Sigonius* (*d*) *l. VI. de rep. Heb. c.* 10. & Lipſius *l.* 1. *de cruce c.* 9. crucifixionem etiam ſupplicium inter Hebræos uſitatum fuiſſe exiſtimant, næ in eo oppido falluntur. Id quod oſtendit nobis ὁ πάνυ Iſaacus *Caſaubonus.* (*e*) *Exerc. XVI. in Baron. n. LXXVII.* Sed quod diximus Deum ipſum quoſdam ad occultas pœnas rapuiſſe, apparet ex *Levit. cap. X. Num. XI. XII. XIV. XVI.* Sed & ſingularia quædam ſupplicia ab ipſo Deo quibusdam irrogata videmus, & Moyſi in mandatis datum, ut ea homines exequerentur. Sic. *Num. XXV.* mandat Deus, ut principes populi ſuſpendantur: *ſi recte quidem* (*f*) hic habent ſeſe verſiones codicis Ebræi. *Num. XV.* memoratur, quendam ligna Sabbatho collegiſſe; cum autem lege minus clare fuiſſet expreſſum, quomodo is ipſe plectendus eſſet, mandaſſe Deum, ut capitali ſupplicio afficeretur, hoc eſt lapidibus obrueretur. Ex *Levit, XXIV.* capite intelligimus, blaſphemum quendam in cuſtodiam datum fuiſſe, donec luculenta a Deo darentur reſponſa, qua ipſe pœna eſſet plectendus: & cum illa data eſſent, lapidibus blaſphemum illum itidem fuiſſe obrutum. Ita quæ legibus clariſſime definita non erant, de iis expectabatur ipſius Dei definitio. Non injuria autem forte etiam dixeris, ex parte in locum pœnarum civilium ſacrificia quoque a Deo eſſe imperata, eorumque modum definitum: quandoquidem ſcilicet omne delictum ad injuriam Dei, etiam in quantum ille Rex erat, pertinere viſum fuit.

X. Ea-

(*a*) *Domo ſervitutis.*) Ex hoc apparet, Iſraelitas in Ægypto nullam conſtituiſſe rempublicam, ſed in ſervitute fuiſſe. Aberrat igitur BERTRAM, qui in tractatu *de republica judaica c.* 5. *ariſtocratiam* eis adſcribit.

(*b*) *Forenſes.*) Vocantur illæ Miſchpatim, interdum Edoth, teſtimonia, uti 2. Paral. 34, 31. it. ἡ νομοθεσία Rom. 9, 4. quas ſecundum decalogum nonnulli cum Gerhardo diſtribuunt. Earum autem cum jure Romano convenientiam & collationem inſtituerunt CALVINUS, PAGANINVS GAVDENTIVS, Phil. ZEPPERVS aliique. Veteris autoris incerti collatio legum moſaicar. & roman. quam Pithæus e tenebris eruit reperitur in SCHVLTINGII *jurisprudentia ante juſtinianea* circa finem.

(*c*) *Ad quaternarium numerum*) Ad hunc numerum revocantur *in Tr. Sanhedrin. cap.* 7. apud COCCEJVM p. 52.

(*d*) Sigonius) *De republica Hebræorum lib. VI. c.* 8. *p.* 473 *LIPSIVS de cruce lib. I. c. XI.* Hiſce accedunt *GRETSERUS de cruce lib I. c. XIX. MENOCHIVS de republ.* Ebræorum *lib IIX. c. II. q. III.* BARON. *Annal.* 35.

(*e*) *Caſaubonus*) *In exercit. anti Baroni XVI. §. LXXVII.* & hanc, ut veriorem amplectitur Carpzovius ad Schickardum.

(*f*) *Si recte ſeſe habent verſiones.*) Verum Num. 25. v. 4. capita populi, non proprie ſunt principes, ſed perſonæ delinquentes. Olim enim populus capitibus numerabatur *Coll. Exod.* 30, 12. *Num.* 1. 2. *c.* 31, 26. Poſſunt quoque verba loci citati ita exponi. *Aſſume duces 12. tribuum, & fac, ut ille idololatras adduci faciant, & fac ſuſpendere eos coram Domino ad ſolem.*



Digitized by Google

X. Eadem porro ratione, ſi in iis, quæ *ad ſacros ritus pertinebant*, (*a*) quicquam ſuboriretur dubii, conſulebatur itidem Deus, ejusque expectabatur reſponſum. Ut apparet ex *cap. IX. Num.* ubi de contaminatis, & peregre profectis agitur, an ſimul una cum cæteris feſtum paſchatos celebrare & agnum edere ipſis eſſet integrum. Cum filiæ Zelophchadis peterent, ut ſibi etiam darentur prædia, Moyſes ad Deum ipſarum cauſam defert; & mandata accipit, ut quæ ipſarum parenti Zelophchadi tribuenda fuiſſent, nunc ipſis filiabus tribuantur, uti hæc leguntur *Num. XXVII.* Edita etiam tunc univerſalis ſanctio eſt, ut quæ defuncto cuidam tribuenda eſſent prædia, illa tribuerentur illis, qui proxime ipſi ſanguine eſſent juncti aut cognati. *N. XXXII.* Cum etiam dubium ſuboriretur; an illæ ipſæ Zelophchadis filiæ, jam ἐπίκληροι factæ, viris, qui non ejusdem cum ipſis eſſent tribus, nubere poſſent, nec ne, Moyſes, exquiſita Numinis voluntate, ita reſpondet: *Hoc eſt verbum quod præcipit Jehova de filiabus Zelophchadis, dicendo, cui bonum videbitur in oculis ſuis nubent : verum tamen in familia tribus paternæ ſuæ nubunto. Nam non avertetur poſſeſſio in filiis Iſraëlis a tribu in tribum : quum filii Iſraëlis adhærebunt quisque poſſeſſioni tribus paternæ ſuæ.* Illæ autem relationes, quæ ad Deum fiebant, in Hebræorum republica maxime erant neceſſariæ, cum nec legibus definita omnia eſſent, quæ uſu venire poterant, nec illis quicquam addere ſive demere, vel omnino in illis migrare, ulli homini eſſet licitum. De vulgaribus rerumpublicarum legibus Ariſtoteles *l. 3. Pol. cap. XI.* ita loquitur: δεῖ τὰς νόμους εἶναι κυρίους, κειμένους ὀρθῶς: τὸν ἄρχοντα δὲ, ἄν τε εἷς ἄν τε πλείους ὦσι, περὶ τούτων εἶναι κυρίους, περὶ ὅσων ἐξαδυνατοῦσιν οἱ νόμοι λέγειν ἀκριβῶς, διὰ τὸ μὴ ῥᾴδιον εἶναι καθόλου δηλῶσαι περὶ πάντων. In Ebræorum republica leges, utique erant optime omnium poſitæ, & eædem etiam dominabantur: at incidere quædam poterant, quæ ex illis definiri liquido non poſſent. Circa talia igitur etiam poteſtatem ac arbitrium ſibi ſervaverat & κύριος erat ὁ ἄρχων illius reipublicæ ipſe Deus; quomodo nimirum in aliis rebuspublicis iſtiusmodi poteſtatem habere debent οἱ ἄρχοντες. Et vero legibus θεοδότοις, quæ Ebræorum rempublicam moderari debebant, non licuiſſe ulli homini privato auſu aliquid addere ſive demere, id exſertis verbis dicitur *Deut. IV. & XII. Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo. Cuſtodite mandata Domini Dei veſtri, quæ ego præcipio vobis.* Hoc igitur argumento maximo eſt; juris illius majeſtatis, quod in legibus ferendis eſt poſitum, nihil quicquam penes hominem fuiſſe.

XI. Ut autem poteſtas leges ferendi penes Deum, ſic pariter immunitatem & *privilegia* concedendi poteſtas fuit. Ita, qui ex tribu Levi erant, omnes a militia jubet eſſe immunes & ſacro muneri addixit, *Num. I.* Immunitatem a militia conceſſit etiam aliquibus aliis, utpote qui vineam noviter excolere cœpiſſent: qui uxori ſe deſpondiſſent, necdum domum eam duxiſſent: qui novas ædes exſtruxiſſent, necdum eas incolere cœpiſſent: denique, qui timidi eſſent, & cæteris etiam metum viderentur incuſſuri. Quomodo hæc leguntur *Deut. XX.*

XII. Porro & *belli gerendi arbitrium* (*b*) in gente Iſraelitica Deum ſibi reſervaſſe, & penes Deum illud fuiſſe, de eo dubitari non poteſt. Non enim vel caſtra ex arbitrio ſuo locare aut mutare populo in itinere fas fuit. Deus præerat & intereat præliis. Verſabatur in gente Iſraelitica, *Num. XIV. Deus in medio veſtri eſt*, inquit Moyſes, *& pro vobis contra hoſtes pugnabit*, *Deut. XX.* Ipſe Deus jubet numerari populum, ordines conſtitui, & prælium iniri *Num. I.* Ita ſingulos tribuum præfectos jubet in acie in primo ordine locari *Deut. XX.* Jubet etiam prælium inire cum Midianitis, & internecione delere eos, quia gentem Ebræorum ad idololatriam illexerant *Num. XXV. & XXXI.* Quemadmodum autem ſemper feliciter præliabantur, quoties Dei juſſu id faciebant Iſraelitæ, ſic contra turpiter rem gerebant & magna clade afficiebantur, cum injuſſu Dei pugnabant. Moyſes in quarto hiſtoriæ ſuæ ſacræ c. XIV. dehortatur gentem ſuam, ne inirent prælium: *Dominus vobiſcum non eſt*, inquit, *nè corruatis.*

XIII. Eſt & de *Magiſtratibus* (*c*) tandem oſtendendum nobis, quod ipſorum quoque inſtituendorum arbitrium penes ipſum Deum remanſerit in Ebræorum republica. Fiet id commode ſatis, dum de ipſis magiſtratibus, qui in republica Ebræorum fuerunt, diſſeremus. Antea autem, quam hoc faciamus, conſideranda proponimus illa ipſa S. ſcripturæ verba, quibus Deus ter optimus M. gentis Iſraeliticæ REX diſerte appellatur. Nimirum hinc etiam oppido fiet manifeſtum, τὸ κύριον ſive ſummam poteſtatem, qualis in aliis rebuspublicis penes homines eſſe ſolet, in Ebræorum republica ſervaſſe ſibi ipſum Deum. Igitur jam tum Exodi XIX. *Eritis mibi regnum*

(*a*) *Ad ſacros ritus*) Etiam in his obſervandum eſt, quod Deus, cum ſingulari ratione Iſraelis Rex eſſet, voluerit etiam pro iſtorum temporum œconomia omnia ad pompam magnificentiamque regiam eſſe comparata ceu loquitur HERM. WITZIVS in *Aegyptiacis* p. 247. Erat enim tabernaculum & deinde templum, ejus regia, ubi etiam ſacri ſiecli dimidium, quaſi annui tributi loco quævis in regno capita, quæ 20. annum expleverant, regi ſuo ſolvere tenebantur. Idem in varia atria & receptacula erat diſtributum, & populo pariter miniſtrisque regiis ac regi ipſi congrua præbebat conclavia. In atrio Regi ſacra facturus univerſus confluebat populus. Propius operabantur cum Levitis ſacerdotes Regis miniſtri, ſanctuarium vero quaſi præſentia regia cameram ſepoſuiſſe videtur, quippe ad quam ſacerdotibus ſolis, utpote interioris admiſſionis famulis & veluti purpuratis patebat acceſſus. At præcipue in adyto habitabat Deus, ubi inter Cherubinorum alas in aureo arcæ fœderis operculo propitiatorio Thronum gratiæ erexerat neminique concedebatur introitus niſi ſemel quotannis ſacerdoti maximo. Pro menſa ipſi erat altare, pro cibo ſacrificia & ferta, pro potu libamina, pro odoramentis ſuffitus, pro muſicis Levitæ cantores. Tota denique ædis ratio, ad quæſitiſſimæ pompæ ſplendorem compoſita potentiſſimi alicujus monarchæ ſuperbam regiam referebat. Confer quoque hac de re eruditum OUTRAMI *de ſacrifitiis* opus: *lib. 2. c. 3.*

(*b*) *Belli gerendi*) Conf. CUNÆUS *de republ. Hebræor. lib. II. cap. 19. p. 269. ſeq.* SIGONIUS *de republ. Hebr. lib. VII. c. IX. p. 541. ſeqq.* MENOCHIUS *lib. V. c. 5 fol.* 450. SELD. *de J. N. & G. lib. VI. c.* 12. SCHICKARDUS *in jure regio c. V.*

(*c*) *Magiſtratibus*) SIGONIUS *lib. I. c. 7.*

Digitized by Google

*regnum ſacerdotale*, dixit ipſe Deus. Cum porro Ebræi poſtularent, ut ſibi Rex daretur, quales finitimæ ipſis gentes ſibi præfecerant, Deus ad Samuelem loquitur in hunc modum 1. *Sam. IIX.* 7. *Audi vocem populi in omnibus, quæ loquuntur tibi: non enim te abjecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos.* Regnaverat igitur ipſe Deus in iſraelitica gente, antequam proprie dictus Rex ex hominibus conſtitueretur: & eo modo poſtea non regnabat Deus cum ex hominibus Ebræis Rex eſſet datus. Idem vero clariſſime innuit Samuel, ubi ſuæ genti κακοήθειαν illam exprobrat, quod poſtulaſſent ſibi Regem dari. *Cum videretis*, inquit 1. *Sam. XII.* 12. *Nahaſum Ammonitarum Regem bello vos appetentem, dicebatis mihi: Non tu, ſed Rex nobis dominabitur, cum tamen ipſe Jehova Veſter Rex eſſet.* Sed & illud huc pertinet, quod cum Gideon rem bene geſiſſet, & quidam ex gente Iſraelitica ipſum Regem eligere, & regnum poſteris ipſius itidem addicere vellent, quod, inquam, ipſe Gideon ita reſpondit: *Jud. IIX.* 23. *Ego nequaquam dominabor vobis, ſed Jehova vobis dominabitur.* Syracides denique expreſſit idem hiſce verbis: *In unamquamque gentem præpoſuit rectorem,* καὶ προσελάβετο τὸν Ισραὴλ αὐτῷ μερίδα, *& pars Dei Iſrael facta eſt manifeſta.* Germanicus noſter interpres Lutherus ſenſum commode expreſſit hunc in modum: *über Iſrael iſt er ſelbſt HErr worden.*

XIV. NUNC ad id accedemus, quod paulo ante inſtitueramus dicere. Qui igitur ex hominibus populo Iſraelitico præfuerunt usque ad Saulem, illi non ſummam reipublicæ poteſtatem, aut quæ jura dicuntur majeſtatis, ipſi habuerunt, ſed duntaxat ἀρχαὶ ſive magiſtratus ſtricta ſignificatione vocis ſunt dicendi. Ex mente autem Philoſophi ἀρχαὶ ſive *magiſtratus* maxime illi ſunt appellandi; ὅσοις ἀποδέδοται βυλεύσασθαι περὶ τινῶν, καὶ κρῖναι καὶ ἐπιτάξαι, καὶ μάλιστα τῦτο, *quibus datum eſt deliberare de quibusdam, & judicare ſive ſtatuere, & mandare ſive jubere, & maxime hoc poſtremum.* Geſſit ergo iſtiusmodi magiſtratum in populo Iſraelitico primus omnium *MOYSES.* (*a*) Quem habito reſpectu ad Deum, qui ſummam poteſtatem ſibi in populo Ebræo ſervaverat atque adeo illius Rex erat, haud abſurde Proregem dixeris. Certe *Deut. XXXIII. verſ.* 1. in benedictione Moyſis habentur verba, cum quibus id non male congruit. Apud vulgatum interpretem illa ita ſonant: *Erat Moyſes apud rectiſſimum Rex.* Oſiander autem ita corrigit: *Et fuit Moyſes in recto Rex, in colligendis capitibus populi in unum tribubus Iſrael.* Leonis Judæ verſio hæc eſt: *Et fuit æquabilis Rex.* Illam Vatablus immutat hoc modo: *Fuit autem in Iſrael* (*tanquam*) *Rex.* Quicquid ſit *de una voce Ebræa*, (*b*) de qua ſententiarum animadvertere eſt divortium inter interpretes, Moyſes utique Rex hic videtur dici. Verum id omnino intelligendum, quomodo Vatablus intelligit, quod nimirum Moyſes fuerit *tanquam* Rex. Atque eodem modo commode noſter interpres Germanicus: *Er verwaltet das Amt eines Königes.* Verus utique Rex haud fuit, neque unquam ſe pro vero Rege geſſit, qui ſe afflictiſſimum mortalium queribundus profitetur, *Num. XI. & XII.*

XV. Cæterum geſſiſſe Moyſen magiſtratum, habuiſſeque ipſum poteſtatem, peculiari tamen modo ab ipſo Deo dependentem, deliberandi, ſtatuendi, & mandandi, de controverſiis judicandi in gente Ebræorum, id ex hiſtoria ſacra, quam ipſe Moyſes conſcripſit abunde liquet. Cum per *deſerta Arabiæ* (*c*) in Palæſtinam tenderent Ebræi, aliquanto tempore ſolus Moyſes cauſas dijudicarat omnium: ut operas matutino tempore exorſas in multum veſperæ produceret, & vires ſuas nimium quantum exhauriret. Quod cum Jethro generum ſuum inviſens animadverteret, judicia aliter inſtituendi conſilium ipſi dedit. Sacer ſcriptor memorat illud hiſce verbis *Exod. XVIII.* 17. *& ſeqq. Res, quam tu facis, non eſt bona. Omnino marceſces & tu & populus iſte, qui tecum eſt. Nam gravius eſt negotium, quam ut tu hoc ſolus conficias. Audi igitur vocem meam, conſulam tibi, & erit Deus tecum. Tu gere curam populi coram Deo, & refer cauſas ad Deum, & doce eos ſtatuta & leges, & viam eis oſtende in qua ambulent, atque opus, quod faciant. Porro ex omni populo tu proſpice viros fortes, timentes Deum, viros veraces, odientes avaritiam, & præfice illos tribunos, centuriones, quinquagenarios, & decuriones. Illi judicent populum omni tempore: omnem vero rem gravem, quæ inciderit, ad te referent; ipſi vero univerſas res parvas judicent, levabuntque te cum fuerint tecum.*

XVI. Non inſuper id conſilii habuit Moyſes, atque ex eo operæ, quæ ipſi ſoli hactenus incubuerat, partem in alios derivavit. Audierat ipſe & dijudicarat cauſas ſuæ gentis, promiſcue minimas cum maximis. At ex conſilio ſoceri, in litibus magis liquidi juris judicandi laborem aliis delegavit, nulla judiciorum parte ſibi reſervata, niſi quando lex ipſa vel deficeret, vel obſcurior eſſet. Certe in conſilio Jethronis hæc ſunt: *Tu gere curam populi coram Deo, & refer cauſas ad Deum.* Moyſes ipſe *Deut.* 1, 18. ſcribit, in hunc modum illos a ſeſe conſtitutos judices iſthoc tempore ſeſe allocutum: *Quod ſi difficile vobis viſum aliquid fuerit, referte ad me & ego audiam.*

XVII. Verum illi ipſi, quos Moyſes ita inſtituit *judices*, ex quibus & quemadmodum fuerint inſtituti, non perinde liquet. Poſſit ſane cui videri, fuiſſe illos jam antea capita tribuum, eoque in poteſtate poſitos, cum ita Moyſes memoret ſe dixiſſe: *Et ſumſi capita tribuum veſtra-*

(*a*) *Moſes*) Potius ducem nondum plene in rempublicam formatæ multitudinis, quam populi principem egit.

(*b*) *De una voce ebræa.*) Nim. *Jeſchurum* de qua vide JOH. CLERICUM in comment. ad h. l. nec non S. R. HERMANNUM VAN DER HARDT pecul. diſſertatiuncula.

(*c*) *Deſerta Arabiæ*) Poſtquam in Palæſtinæ fines delati, & inde in deſertum ſaracenicum vel Sinaicum digreſſi erant, caſtris ad urbem Jazeb vel montem Choreb locatis, Moſes gentem illam, promulgato ipſis a Numine accepto, in pleniorem ſocietatem civilem componere allaboravit.



Digitized by Google

*veſtrarum, viros ſapientes & nobiles, & conſtitui illos capita ſuper vos, principes chiliadum, principes centuriarum, principes pentecoſtyων, principes decuriarum, & præfectos tribuum veſtrarum.* Non licet tamen hoc ipſum ex illis verbis colligere; *Capita* enim ſeu *principes* audiunt etiam, qubius nulla in alios competit poteſtas, modo præ aliis vel virtute vel re quadam alia emineant: quales ſane illi fuerunt *ſapientia & nobilitate. Vulgatus interpres* (a) hoſce principes vocat & quidem primi ordinis *tribunos* (commodius fortaſſis chiliarchos dixiſſet) ſecundi ordinis *centuriones*, tertii *quinquagenarios*, quarti denique *decanos*.

XVIII. Quales fuerint illæ chiliades, hecatontades, pentecoſtyes, atque decades, de eo itidem omnium non eadem eſt ſententia. Non poteſt tamen quenquam prudentum fugere, illam populi diviſionem ſumme fuiſſe utilem, & ſapientiſſime inſtitutam; quia nimirum ingens hominum numerus non poteſt commode in ordinem redigi & gubernari abſque ejusmodi populi diſtinctione. Eapropter ſane illa paſſim in militiæ quoque uſum traducta eſt. Cæterum de capitibus, quæ dixi populi ſic diſtincti, legimus conjecturam Bonavent. Cornelii Bertrami *in lib. de rep. Ebræ. VI. p. 60. edit. Conſtant l'Empereur*, quam etiam ipſius verbis huc adſcribemus: *Ex Joſuæ cap. VII. liquet, populum ebræum diſtributum primum fuiſſe in tredecim tribus, tribus illas in ſeptuaginta gentes, quas Hebræi animas vocant ſæpius, quam Miſchpachoth, quod vulgo exponunt familias: ſeptuaginta illas gentes in familias, quas Ebræi fere appellant Batim, id eſt, domos, domos illas in Geſarim, id eſt, viros ſeu capita. Capita vero ſeu viros hic appellamus, qui patres familias ſunt, filiosque & quam Latini familiam appellant, habent. Chiliarchos, Centuriones, Quinquagenarios & Decuriones, ut jam ſubindicavi, non per gentes, quæ duntaxat ſeptuaginta erant, deſignatos puto: nec per eos, qui proprie dicuntur geſarim, id eſt, viri ſeu capita, quum immenſo fere numero futuri eſſent, ſed per batim, id eſt, domos ſeu familias.*

XIX. Cæterum fuerunt quidem ſingulæ tribus diviſæ in gentes: hæ porro in domos: domus denique conſtiterunt ex pluribus patribusfamilias: quod autem gentes illæ exacte ſeptuaginta fuerint, non apparet. Quot & quæ ſingularum tribuum gentes aut familiæ fuerint, cum Ebræi in deſertis Arabiæ quadraginta annos fere exegiſſent, rectius videtur intelligi poſſe ex *vigeſimo ſexto Num. capite*: & vero ſecundum illam diſtributionem populus jam, occupata Palæſtina ſemper fuit diviſus. Quod item Bertramus exiſtimat, chiliades illas, hecatontadas item, pentecoſtyas & decadas eſſe *domorum* (quales nimirum in Joſuæ *capite ſeptimo verſ.* 17. intelliguntur, non patrum familias) id non omni procul eſt dubio. Veriſimilius dixeris, eſſe illas chiliadas *patrum familias*, cum eundem loquendi modum de præfectis militum paſſim uſurpatum videamus. Quemadmodum enim Moyſes dicitur conſtituiſſe principes chiliadum & centuriarum, qui cauſas judicarent, ita etiam præfecti militum dicuntur, alii quidem principes chiliadum, alii hecatontadum. Videantur modo poſtrema *capitis XXXI. Num.* tmemata. Chiliades nimirum hæ atque itidem hecatontades militares, cum fuerint ſingulorum virorum: fuiſſe igitur, & alteras illas tales, *per eſt veroſimile.* (b) An vero principes chiliadum, hecatontadum pentecoſtyων, & decuriarum, qui cauſas dijudicarunt, ſubordinati invicem fuerint, quomodo principes chiliadibus & hecatontadibus militum præfecti utique fuerunt, de eo amplius videtur cogitandum.

XX. Hos igitur minores magiſtratus & judices divus Moyſes inſtituit, ipſe autem a Jehova immediate fuit inſtitutus. Ubi obſervandum: quod illi a Moyſe inſtituti munus ſuum proprio conſilio propriaque prudentia tantum adminiſtraverint: Moyſes vero quam maxime egerit tantum internuncium Dei. Neque vero quidquam legas alicujus in republica momenti a Moyſe actum, niſi ſpeciatim id jubente Deo. Eoque Moyſes mandata immediate accipiebat a Deo, etiamſi quando caſtra mutanda, aut bella gerenda cum hoſtibus eſſent; nec alia autoritate conſtituebantur Chiliarchi & Tribuni militum. Sic *Num. XXXI.* Moyſes a Jehova jubetur ulciſci Midianitas. Poſt Moyſes mandata ſummi Numinis perfert ad populum: juſſo illo deligere atque inſtruere, qui in militiam proficiſcantur. Ipſe tamen delectos dicitur miſiſſe & amandaſſe in campum.

XXI. SUPEREST de illa magiſtratuum inſtitutione agere, de qua narrare putatur ſacer ſcriptor Moyſes *libro quarto cap. XI.* quæque paulo ante facta eſt, quam eo penetraſſet gens Iſraelitica, unde exploratores in Palæſtinam mittebantur. Inceſſerat nempe tum gentem contumacem ſatietas mannæ, mirabilis edulii, quo aliquamdiu victitarat, atque ex adverſo carnium appetitus. Ægre etiam fecerat populus optimo ſuo ἡγεμόνι, carnes ab ipſo expoſcens, quod inde gentem abduxiſſet, ubi carnium fuerat affatim. Queritur igitur Moyſes de ſua miſeria, & mori præoptavit, quam illam perferre amplius. Ipſa Moyſis verba ſunt illa *Num. XI.* 13. *Unde mihi eſſet caro, quam dem toti populo huic? nam flent, adverſum me dicendo: Da nobis carnes, uti comedamus. Non poſſum ego ſolus ferre onus totius populi hujus, nam grave hoc eſt ſupra me.* Deus autem Moyſen deligere jubet ſeptuaginta viros, ex primoribus & præfectis ſeu moderatoribus ſuæ

(a) *Vulgatus interpres*) Cui h. l. Græcam verſionem aliquanto clariorem non immerito præfert CAROLUS SIGONIUS *de rep. Hebr. lib. 7. c. 7.* eo quod diſtinctionem exhibet, unum eorum principatum ſuper populum in chiliarchos, centuriones, quinquagenarios & decanos diſtinctum, alterum eorum principatum in judices LXX. interpretibus *grammatoiſagogei* dictum, qui quidem *Auguſtino lib.* 18. *c.* 38. *de civit. Dei* videntur fuiſſe Grammatici populum literas docentes: rectius autem pro doctoribus & magiſtris judicum vel pro litium introductoribus habentur.

(b) *Per eſt veroſimile*) Hinc declaratur locus inſignis apud Micham c. 5. *Et tu Bethlehem Ephrata &c.* quæ verba id ſignificant. Tu Bethlehem, licet parva urbs adeo ſis, ut mille homines non habeas & præfectum mille hominum, ſive Chiliarchum creare non poſſis, tamen ex te exibit Chriſtus archon i.e. Princeps non ſolum civitatis unius, ſed & totius Iſrael.

Digitized by Google

ſuæ gentis, eosdemque ad tabernaculi oſtium ducere; addens, quid tum facturus ipſe ſit. *Tum deſcendens*, inquit, *loquar tecum ibi, & ſeponam de ſpiritu, qui eſt ſupra te, ponamque in eis: ſic portabunt tecum onus populi, neque portabis tu ſolus.*

XXII. Magnus Grotius dicit in *annot. ad Matth. V.* hæc locutum eſſe Deum ad Moyſen, cum queſtus hic eſſet, ſupremorum judiciorum ac relationum oneri (quod hactenus ſuſtinuerat) ſeſe non ſufficere, & ſeptuaginta illos ſpiritu novo (judiciali) inſtruxiſſe, juſſiſſeque partem oneris ferre, ſupremorum nimirum judiciorum & relationum. Conſtans porro doctorum multorum ſententia eſt, inſtitutum hic a Deo concilium illud atque *SYNEDRIUM* (*a*) eſſe, cujus vim Herodes Rex fregit, majoris momenti cauſis, quæ in ſingulis civitatibus decidi non poterant, dijudicandis conſecratum. Quod ſi autem in primos hujus ſententiæ auctores inquiras, forte non reperire fuerit alios, quam thalmudicos magiſtros. Hi enim diſerte hanc ſynedrii magni originem tradiderunt *titulo Sanhedrin cap.* 1. §. *VI*; mirifice contortis ſcripturæ dictis abuſi: ceu unicuivis palam eſſe poteſt, ſaltim ex latina tituli illius thalmudici verſione a Joanne Coccejo curata. Thalmudicos autem magiſtros illos ſecuti ſunt, quotquot illorum traditionibus fidem habendam eſſe arbitrantur: quales ſunt cum Rabbini omnes ſequioris ævi, tum nonnulli noſtræ tempeſtatis Chriſtianorum literatura ebræa præſtantium. Multa ſane de illo magno ſynedrio, quod *detorta græca voce* συνέδριν (*b*) Ebræis jam olim Sanhedrin appellatum fuit, ex Rabbinorum cum thalmudicorum, tum aliorum adytis depromunt, queis in illa penetrare hactenus collibuit.

XXIII. Ex Moyſis Maimonidæ *valida manu*, & quidem *Halacha Sanhedrin*, producit quædam Wilhelmus Schickardus in ſuo *de jure regio* commentario *cap.* 1. *th.* 2. *p.* 8. quæ ibi legere eſt volenti. Non continemus nos, quin pauca illinc huc etiam transferamus: *Senatus major in ſanctuario erat & vocabatur Sanhedrin magnum. Numerus illorum erat LXXI. ſicut dicitur: congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenibus Iſrael. His Moſe præfuerat, ſicut dicitur: ſtabunt ibi tecum. Ecce in ſumma ſeptuaginta unus. Qui grandior ſapientia, cæteros omnes antecellebat, eum faciebant præſidem, ſeu caput conſeſſus. Is ipſe eſt, quem eruditi ubiq; terrarum appellant NASI, hoc eſt, principem, isque praeeſt loco Moyſis magiſtri noſtri. At qui inter ſeptuaginta ſenatores annorum ratione natu maximus erat, eum collocabant a dextris illius, vocabantque ABH BETH DIN h. e. patrem conſiſtorii. Ceteri ſexaginta novem ſedebant ordine promotionis & dignitatis ſuæ. Quo quisque major in ſapientia, quam collega ſuus, eo locabatur propius ad ſiniſtram principis. Circum ſecum ſedebant autem in dimidiam quaſi aream ſemicirculariter, ut eos ambo præſides, princeps & pater, omnes ſimul in conſpectu haberent.*

XXIV. Credendum ſcilicet cenſent viri eruditi in his Moyſi Maimonidæ & Thalmudiſtis, tanquam ex certa traditione hæc *talia habentibus.* (*c*) Cæterum, quod pace illorum liceat dicere, non profecto ii ſunt Thalmudiſtæ, multo minus is eſt Maimonides ſcriptor recens, quibus tuto credas antiquiſſimas populi Ebræorum res, nullis ſuppetentibus ſacri codicis teſtimoniis: cum conſtet, fabulis plurimis, imo portentoſis mendaciis dudum omnem eos merito decoxiſſe fidem; etſi quandoque id, quod vero eſt conſentaneum, dicant. Nec vero illi omnia ex traditione acceperunt, ſed quam frequentiſſime ſua commenta πατεροπαραδόσεων nomine ſolent venditare. Imo quantumvis plurimum etiam inter ſeſe mutuo diſſideant, omnibus tamen illis fidem æqualem præberi, imo divinæ legis effatis æquiparari, interdum & anteferri poſtulant; impietate, an impudentia majore, incertum, nefaria vero & piorum nemini non execranda. Quoniam illa vero eſt ratio pene in univerſum thalmudicarum omnium narrationum, manifeſtum eſt, quod attinet quidem collegium ſeptuagintavirale a Moyſe inſtitutum, non poſſe de ejus uſu, ratione, & duratione quidquam certi, niſi ex ſacris codicibus haberi. Hi vero, niſi admodum fallar, ab iis judaicis Rabbinorum narrationibus plurimum diſſentiunt.

XXV. *Principio* enim notandum eſt, illo ipſo *Numerorum* loco, ubi ſynedrium tale, quale diximus, inſtitutum eſſe vulgo creditur, de ſummi alicujus judicii inſtitutione vix leviter agi. Non enim legitur, Moyſen fuiſſe queſtum de onere aliquo ſummorum judiciorum, quod hactenus ſibi incubuiſſet: quia jam ex conſilio Jethronis plurimis moleſtiis erat levatus: ſed ſimpliciter de oneroſa totius populi cura. Verba conquerentis apud Deum ſunt *Num. XI. Cur impoſuiſti pondus univerſi populi hujus ſuper me? Non poſſum ſolus ſuſtinere omnem hunc populum,* quid

(*a*) *Synedrium*) SELDENUS *de ſynedriis* ex profeſſo egit. Conf. quoque CUNÆUS *de republ. Hebræorum lib. I. c. XII. XIII.* Cum hoc ſynedrium, ex 71. ſenatoribus conſtans, ad res magni momenti expediendas concurreret, recte aſſeritur, tunc rempublicam judaicam fuiſſe mixtam ex monarchia & ariſtocratia, quanquam Bertramus contendat, fuiſſe etiam aliquid admixtum ex populari regimine.

(*b*) *Detorta græca voce* συνέδριν) Equidem de etymologia hujus vocis Rabbini, literarum græcarum rudes, mira admodum adferunt. Ajunt enim, originem petere hanc vocem ex San, lex in monte Sinai data, & Hadarin, quod idem ſit ac repetentes, quaſi ſeniores ſuis interpretationibus repetiiſſent legem. Sunt alii, qui ſenatores dici Sanhedrin nugantur, quod Sone Doranoth, oſores donorum ſint, vid. BVXTORFF. *Lex. Talmud. p.* 1513. Sed quis craſſam in verpis literarum græcarum ignorantiam non animadvertit? græcæ enim originis vocem Sanhedrin eſſe, luce eſt clarius; quam ut multas alias, poſtquam Macedones rerum potiti erant, ad ſuæ linguæ indolem paulisper inclinatam adoptarunt.

(*c*) *Talia habentibus*) Rabbini ad unum omnes ſynedrii inſtitutionem ad Moſen referunt, ejusque natales in tribus potiſſimum locis quærunt Exod. XIIX. 12. Num. X. 16. Deut. XVII. 8. Hos plerique Chriſtianorum ſecuti ſunt, quorum catalogum exhibet IOH. BENED. CARPZOVIUS *in notis ad Schickardi Jus regium cap.* 1. *theor.* 2. *p. m.* 10. Contrariam vero ſententiam, quam autor hic fovet, ante eum amplexus eſt PETAVIUS & poſtea multis argumentis propugnavit IOH. FRISCHMUTHUS in eleganti libello *de rege eligendo & deponendo* §. 60. originem ſynedrii demum ad Esdræ tempora referens, quem ſequitur HERM. WITSIUS *diſſert. de ſynedr. Ebræorum* §. 89. *lib.* 2. *Tom.* I. *Miſcell. ſacr. p. m.* 563.

Digitized by Google

*quia gravis eſt mihi.* Reſpondens Deus jubet eligere ſeptuaginta viros: *ut ſuſtentent*, inquiens, *tecum onus populi, & non tu ſolus graveris.* Jam vero onus Moyſis, illo quidem tempore, non tam erat ſitum in judicando, quam in omnibus populi negotiis audiendis & ad Deum deferendis, adeoque in perpetua illa moleſtia agendi inter populum & Deum. Non pertinebant autem illa negotia ad lites & controverſias, niſi tantum, ſi quando lex vel deficeret, vel eſſet obſcura, ceu jam ſupra eſt dictum. In hujus itaque oneris (quod, nondum compoſita republica & in vaga illa populi vita, non potuit non eſſe maximum) levamen, non autem proprie judiciorum ergo, *lecti ſunt illi ſeptuaginta.* (*a*) Hinc ſane iidem acceperunt partem Spiritus ſancti, quo unus Moyſes hactenus fuerat præditus, adeoque etiam ipſi facti ſunt prophetæ: quo Spiritu ſimpliciter ad judicia non fuit opus. Quin imo videtur illud collegium propheticum, poſt obitum Moyſis, republica jam ſtata, deſiiſſe: cumprimis munere illo conſulendi Deum in cauſis dubiis poſt translato in collegium Levitarum, aut extraordinarium a Deo conſtitutum pro tempore judicem: qua de re agitur *Deuteronomii c. XVII.* Certe in toto Veteris Teſtamenti codice, prophetici conſeſſus judiciarii, ex ſeptuaginta viris conſtantis, aut vero alicujus collegii prophetici, tantum ex illo prophetarum ordine compoſiti, nusquam fit mentio, ſed prophetarum incertus poſt fuit numerus.

XXVI. Lecti *porro* illi ſeptuaginta fuerunt ex ſenioribus & præfectis ſive moderatoribus populi, adeoque *habuerunt jam antea populi curam*, ut recte dicit Hugo Grotius in *annot. in Matth. V.* 1. Imo pars illorum fortaſſis jam antea cauſas dijudicaverat: pertinens nimirum ad eos, quos ſupra judicandis litibus chiliarchos, hecatontarchos, pentecontarchos & decadarchos conſtitutos fuiſſe dicebamus. Moyſen enim Deus juſſit ſeptuaginta ſeligere, *quos norat populi eſſe ſeniores & Schotrim; h. e. moderatores, præfectos, judices.* At *Schotrim* ſunt illi ipſi chiliarchi, hecatontarchi &c. qui de tribunali pronunciabant. Liquet id ex Deuteronomio Moyſis c. 2. ubi ita ipſe loquitur: *Accipiens itaque primores tribuum veſtrarum, homines ſapientes & cognitos, conſtitui iſtos primores vobis, chiliarchos, & centuriones, & præfectos quinquagenos, & decuriones, & Schotrim, h. e. moderatores per tribus veſtras.* Moderatores, ſive præfecti hi, non ſunt alii a cæteris. Hinc in Exodo *cap. XVII.* 18. ubi eadem res memoratur, vox illa prorſus omittitur.

XXVII. Ex Rabbinorum commentariis quidam depromunt, quod *Schotrim*, ſive moderatores illi fuerint lictores, ſive apparitores cum virga & flagello; utpote Wilhelmus Schickardus *de jure reg. p.* 97. Nicolaus Fullerus *lib. III. Miſcel. c.* 19. Conſtantinus l' Empereur *annot. in Bert. de republ. Hebr.* At profecto ex lictoribus lectum eſſe propheticum illud collegium, cui perſuadebitur? Septuaginta interpretibus illi *Schotrim* ſæpe dicuntur γραμματοεισαγωγεῖς, fortaſſe quod accuſationes ad judices introduxerint. Nam apud Athenienſes εἰσαγωγεῖς τῶν γραφῶν dicebantur, qui certam κατηγοριῶν ſpeciem, nimirum τὰς γραφὰς, ad judices introducebant. Quamvis vero neque hæc ratio nominis ſatis videatur conveniens, fortaſſis tamen eſt veroſimilior etiam illa, quam S. Auguſtinus *de civ. Dei lib. XIIX. c.* 39. expoſuit hisce verbis: *Moyſes in populo Dei conſtituit, qui docendis literis præeſſent, priusquam divinæ legis ullas literas noſſent. Hos appellat ſcriptura Grammatoiſagoges, qui latine dici poſſunt literarum inductores, eo quod eas inducant, vel introducant in corda diſcentium.*

XXIIX. Licet vero ſeptuaginta illi prophetæ in partem curæ illius propheticæ venerint cum Moyſe, multum tamen illo fuerunt inferiores: ideoque longe aliter per ipſos reſpondit Deus, quam per Moyſen. Quod ipſum Deus ipſe ſignificat *Numerorum* XI. 6. 7. 8. Multum itaque eximia manſit præ omnibus Moyſis autoritas. Hinc ſolus legitur poſtea juſſu Jehovæ exploratores in palæſtinam miſiſſe: Solus legatos ad Edomitarum Regem amandaſſe: Solus juſſus etiam eſt, ut Midianitas ulciſceretur. Quam maxime ſolus ille etiam poſtea mandata Jehovæ genti ſuæ expoſuit.

XXIX. Porro autem, cum divinus Moyſes per χρηματισμὸν didiciſſet, ſe diem ſuum jamjam obiturum, & quidem antea, quam gens, cujus hactenus ſummus dux fuerat, in palæſtinam penetraſſet; precatur ipſe Deum, ut ſuæ genti præficeret alterum, qui illam fidi paſtoris in modum duceret ac gubernaret. Annuit Deus *Num. c. XXVII.* 18. atque ita reſpondet: *Sume tecum Joſuam, filium Nunis, virum, in quo eſt ſpiritus meus, ut imponas manum tuam illi, ſiſtensque illum coram Elhazare ſacerdote & coram toto cœtu, mandatis inſtruas illum ante oculos eorum, & impertiaris ei de gloria tua, ut auſcultet ei totus cœtus filiorum Iſraëlis.* Cum igitur deceſſiſſet Moyſes, ſurrogatus in ipſius locum eſt ille ipſe JOSUA, vir conſimili prorſus ſanctimonia, integritate, & innocentia conſpicuus, & ad ſecretiora cum Deo colloquia itidem admiſſus. Verba, quibus ipſum poſt Moyſis obitum alloquitur Deus, initio libri, qui ipſius nomen præfert, eſt legere. Ibidem vero & illud dignum obſervatu occurrit: profeſſam eſſe gentem ebræam, ſe Joſuæ dicto velle audientem eſſe, quemadmodum ipſi Moyſi fuerat. Et vero poſt illa Joſuæ auſpiciis gerebantur omnia.

XXX. Sed opportunum nunc forte eſt, ſaltim paucis docere, quomodo *magiſtratus* inſtitui debuerint in palæſtina. Eſt vero id expoſitum a Moyſe, antequam defungeretur in conſpectu quaſi ipſiusmet palæſtinæ. *Judices*, inquit *Deut. XVI.* 18. & *moderatores conſtituto tibi in ſingulis portis tuis, quas Jehova Deus tuus dat tibi per tribus tuas, qui judicent populum judicio juſto.* Intelligere

(*a*) *Lecti ſunt illi ſeptuaginta*) Sunt etiam, qui ſeptuaginta illis deinceps duos alios, Heldad & Medad additos, adeoque ſynedrium ex 72. viris conſtitiſſe arbitrantur. Sed cum Ebræi conſtanter tradant, omne ſynedrium magnum ex viris tantum conſtitiſſe 70, quibus cum præficiendus eſſet princeps, uti Moſes 70. præfuerit, ipſum cum collegis ſuis effeciſſe numerum modo 71. utique tenendum eſt.

Digitized by Google

telligere vero hinc eſt, cum in ſingulis urbibus fuiſſe judices inſtitutos, tum populo datum jus eos ſibi eligendi ex ſuo numero, tantum habita haud dubie ratione prudentiæ & juſtitiæ.

XXXI. Cæterum pergit Moyſes *Deut. XVII.* 8. 9. 10. 11. paucis interjectis: *Si occulta erit res tibi in judicio ferendo, inter cædem & cædem, inter litem & litem, aut inter plagam & plagam, e rebus controverſis intra portas tuas, tunc ſurgens aſcendes ad locum, quem elegerit Jehova Deus tuus. Et adibis ſacerdotes Leviticos, vel ſummum judicem, qui erit diebus illis, ut conſulas eos & judicent tibi ſtatum illius judicii. Deinde facies ex præſtituto illius ſententiæ, quam indicaverint tibi; profectus a loco illo, quem elegerit Jehova, & obſervabis, ut facias ſecundum omnia, quæ docuerint te. Ex præſtituto legis, quam docuerint te, & ſecundum judicium illud, quod dixerint tibi, facito. Ne recedito ab ea ſententia, quam indicaverint tibi, dextrorſum aut ſiniſtrorſum. Vir autem ille, qui commiſerit ſuperbe, ut non auſcultet ſacerdoti, conſtanter miniſtranti ibi Jehovæ Deo tuo, aut ſummo judici; utique morietur vir ille, & tolles malum illud de Iſraële.* Hactenus Moyſes. Verum de ſenſu horum verborum non una eſt omnium ſententia; ſive judicium ipſum ſpectes, ſive eos, quibus judicium committitur. *Sunt enim, qui exiſtiment,* (*a*) judicium illud fuiſſe conſeſſum ἀνυπεύθυνον adminiſtrandi totam rempublicam, conjunctum cum infallibili ſapientia omnes de ſacris ac religione ipſa enatas controverſias decidendi. Porro judicium hoc alii uni ſummo pontifici, alii & huic & ſeptuaginta illis, quorum ex *Numeris* ſupra meminimus, committi arbitrantur, quaſi hiſce verbis denuo ſit conſtitutum ſynedrium magnum. Non deſunt, *qui duo hic judicia* (*b*) cenſent inſtituta, alterum forenſe, alterum eccleſiaſticum. Quamvis vero hæ ſententiæ perſint celebres, & ob auctoritatem aſſentientium doctorum invenerint applauſum magnum: fortaſſis tamen non fuerit difficile commonſtrare, quantum aberrent a vero.

XXXII. *Primo* igitur, ad certa tantum & quidem pauca, nimirum duntaxat ad controverſias dubii juris inque nonnullis negotiis, judicium hoc ex inſtituto divino pertinuiſſe, ſignificant ipſa Dei verba commate octavo. Quæ optime exponuntur in notis Vatabli: *Si cauſa aliqua fuerit ambigua & difficilior, quam ut de illa pronunciare poſſis: cujusmodi inter ſanguinem & ſanguinem, inter innocentem & crimine capitali damnandum, qui aliis rationibus tibi videtur eſſe innocens: inter cauſam & cauſam, h. e. inter litem pecuniariam & quæ ſit minoris momenti: vel inter litem actoris & litem defenſoris: inter plagam & plagam, h. e. inter livorem & vulnus.* Non igitur hoc loco a Deo cuiquam comittitur cura totius reipublicæ, ſed tantum nonnihil ad partem pertinens judiciariam, quæ inter præcipuas adminiſtrandæ reipublicæ infima eſt. Nonnihil, inquam. Nempe demum *judicum* inter portas variantibus verbis. Tum ſcilicet tandem licuit conſulere ſacerdotes. Fere quemadmodum ex Jethronis conſilio Moyſes ſuſcepit judicanda tantum ea, quæ difficiliora erant & ambigui juris.

XXXIII. *Secundo,* quamvis huic judicio voluerit Deus ab omnibus obtemperari, non tamen hinc debet colligi, fallere, vel falli illud non potuiſſe. Eodem enim modo: *in ore duorum aut trium teſtium* voluit Deus *Deut. XVII.* 6. & *XIX.* 15. *Matth. XIIX.* 16. *ut omne conſtet verbum:* & tamen ſine dubio etiam duo aut tres potuerunt in falſum teſtimonium conſentire: imo ipſe ſacer codex hujus non unum rei geſtæ exemplum ſuggerit 1. *Cor. XIII.* 2. Similiter diſerte præcepit Apoſtolus Coloſſ. III. 20: *Filii obedite parentibus in omnibus.* Epheſ. V. 24: *Uxores ſuis viris ſubjectæ ſint in omnibus.* Non tamen hoc ipſo ſignificavit, parentes & maritos a recto nunquam aberrare. Tantum igitur voluit Deus populo nullam dare poteſtatem detrectandi ſententiam illius judicii. Digna lectu ſunt, quæ ad hunc locum commentatus eſt Dionyſius Carthuſianus: *Dicit gloſſa hebraica, ut refert Lyra; etiamſi dixerint tibi, quod dextra tua ſit ſiniſtra vel e converſo, talis ſententia eſt tenenda. Quod reprobat Lyra; quia ſententia nullius hominis, cujuſcunque ſit autoritatis, ſi contineat manifeſte falſitatem ſive errorem, ſervanda eſt. Quæ reprobatio vera eſt, ſi gloſſa illa hebraica dicere velit, quod talis ſententia ſit tenenda ita, ut ei mente conſentiatur, tanquam veræ & juſtæ. Si autem vult dicere, quod eſt tenenda ita, quod pœna aut damnum ſententiæ debeat patienter tolerari ab innocente, qui non poteſt ad altiorem judicem in hoc mundo habere recurſum, poteſt ſalvari. Nam & Gregorius ait, quod ſive juſte ſive injuſte liget paſtor, ſententia ejus tenenda eſt gregi.* Fateor tamen, judicium illud infallibile fuiſſe ante babylonicam captivitatem, quando ex Dei mandato omnia inſtituit. Etenim in dubiis omnibus tum ſemper a ſacerdote conſuli & potuit & debuit oraculum illud *Urim,* appellatum propterea *rationale judicii.* Et vero huc ſpectat verbum illud ἐμφατικὸν: *non declinabis a verbo, quod annunciabunt tibi.* Fuit nempe ſummus ſacerdos hac in re non niſi Dei nuncius. Quapropter & Diodorus Siculus in eclogis photianis agit: Ἀρχιερέα νομίζουσιν αὐτοῖς ἄγγελον γίνεσθαι τῶν τοῦ Θεοῦ προσταγμάτων. Certe ex eo, quod *v.* 12. habetur, non licet colligere ipſiusmet ſacerdotis infallibilitatem, niſi etiam dicendum ſit, *judicem* fuiſſe infallibilem. Æque enim de judice, atque de ſacerdote ſermo eſt, ſi meliores interpretationes ebræi textus conſulamus. Qualis eſt præter illam Tremellii & Junii, qua ſupra ſumus uſi, ipſius Xantis Pagnini, & græca vetus, & germanica Lutheri. Taceo nunc

(*a*) *Sunt enim, qui exiſtiment*) Cumprimis pontificii, BELLARMINUS, CORNELIUS A LAPIDE, aliique, qui inde aſtruere ſolent, quod concilia errare nequeant.

(*b*) *Qui duo hic judicia*) *Unum* ſcilicet ex ſacerdotibus & Levitis conſtans, quorum caput fuerit ſacerdos M. cum Saggam ſive vicario ſuo, quodque ſynagoga dicta fuerit: *alterum* ex 70. ſenioribus populi conflatum, cujus caput extiterit Naſi ſive princeps dictus, & poſt ipſum Abh beth din, pater judicii, quodque ſynedrium nuncupaverint; cujus duplicis collegii jura, poſt Hatiochi tempora, valde quidem fuerint turbata, veſtigia tamen ſupereſſe Matth. 22, 23. 26, 3. 27, 1. Verum longe aliam hujus loci Deut. ſententiam eſſe, docet cum aliis BURMANNUS *comm. in h. l. p. m.* 269.



Digitized by Google

nunc & Veteris & Novi Teſtamenti monumenta, dare nobis perquam multa exempla pontificialium in judicando commiſſorum criminum.

XXXIV. *Tertio non uni ſummo ſacerdoti* (*a*) commiſſum tale eſſe judicium, manifeſte utique liquet ex verbis diſertiſſimis commatis noni decimi & undecimi: *Venies ad ſacerdotes Levitici generis, & ad judicem, qui fuerit illo tempore &c.* In hisce ſane verbis non de una perſona, ſed de multis agi, qui judicare debeant, ſole meridiano clarius eſt. Porro illi, qui in ſacris *judices* κατ' ἐξοχὴν dicuntur, cujusmodi fuere poſt Moyſen, Joſua, Othoniel, Debora, Thola, Jair, Jephtha, Samſon, Samuel, alii, etiam ipſi judicarunt totius iſraelitici populi difficillima quæque, & tamen tantum abeſt, ut fuerint ſacerdotes ſummi, ut ne quidem, unico excepto Samuele, Levitica fuerint tribu oriundi. Nusquam præterea legas in monumentis ſacris, ſummum ſacerdotem ſolum vel conſultum fuiſſe de jure, vel de jure pronunciaſſe: niſi, quod id feciſſe Eli, ſit veroſimile: qui tamen id judicis potius poteſtate, qua ſimul forte fuit functus, fecit, quam ſacerdotis. Penes pontificem maximum poſtremo non fuiſſe ſummum judicium, ſed penes ſynedrium magnum, conſtans utique eſt judaicorum magiſtrorum ſententia. Hinc Schickardus thalmudicas traditiones ſecutus ſcribit *de jure reg. c.* II. *p.* 60. *Summus ſacerdos non tantum ob varias pollutiones, de facili contingentes, fuſtigationis ritu cædi, ſed & prorſus occidi potuit, ſi mortem ex lege mereretur.* Subjungit ſententiam thalmudicam ex *hala. kel. hammikd.* ita verſam; *Pontifex judicat & viciſſim judicatur, atque teſtantur contra eum: ſed capitaliter eum nemo judicat, niſi ſynedrium magnum.*

XXXV. Aliud *quarto* hoc judicium eſſe, quam illud ſeptuagintavirale Moyſi adjunctum, non uno eſt argumento colligere. Etenim illud jam tum dudum erat inſtitutum: hoc autem demum inſtituendum, poſt occupatam jam palæſtinam, fuiſſe, liquet ex illis: *aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus.* Item: *Facient quodcunque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus.* Illud porro fuit conſtitutum ex omnium tribuum hominibus: hoc ex ſolis Levitis coiiſſe, indicant illa: *Venies ad ſacerdotes Levitici generis.* Illius munus totum fuit propheticum: hoc circa lites quasdam, quarum deciſio ſuperabat captum inferioris ordinis judicum, occupari tantum debuit, ut paulo ante oſtenſum. Illius præſes haud dubie fuit Moyſes: hujus autem ſummus ſacerdos.

XXXVI. Quamvis porro hoc judicium ſacerdotale ſynedrio, poſt quam multa ſecula, originem & occaſionem forte dederit, revera tamen ab inſtitutis ſynedrii plurimum abfuit. Hoc enim Levitici generis ſenatores tantum admiſit: *Synedrium* (*b*) autem præter ſacerdotes habuit aſſeſſores ex aliis quoque tribubus allectos. Hoc ad controverſiarum paucarum judicium fuit tantum adſtrictum: Synedrii vero ampla cumprimis, ſi Judæorum quidem magiſtris credimus, fuit poteſtas. Schickardi verba ſunt *c.* I. *th.* 2. *Senatus ille Magnus cognoſcebat præcipue tantum de rebus magnis, religionem & rempublicam attinentibus, v. g. de controverſiis legalibus, anno intercalari, pſeudoprophetis, apoſtatis, excommunicandis, de rege, bello, fœderibus, legatis, vectigalibus, publicis ædificiis, magiſtratibus inferioribus &c.* Præſes illius Levitici judicii ſine dubio ſemper fuit ipſemet ſummus ſacerdos: at ſynedrii princeps non potuit non interdum eſſe aliquis alterius tribus. Si verum quidem eſt, quod Moyſes Maimonides ſcribit apud eundem Schickardum: *Qui grandior ſapientia cæteros omnes antecellebat, eum faciebant præſidem ſeu caput conſeſſus. Is ipſe eſt, quem eruditi ubique terrarum appellant NASI h. e. principem, isque præeſt loco Moyſis magiſtri noſtri.* Imo ſecundum Abravanelem, *temporibus Haſmonæorum princeps domus Jehudæ ſemper fuit caput ſenatus iſraelitici, nuncupati Sanhedrin*: ut ſcribit Menaſſeh ben Iſraël *in conciliatore quæſt. LXV. Geneſ. p.* 92.

XXXVII. Veroſimilius ſane cui videatur, ſynedrium magnum aliquod conſtitutum demum eſſe poſt captivitatem babylonicam, & quidem maxime Haſmonæorum tempore, idque ad effigiem ſenatus a Joſaphato Rege olim compoſiti, cujus ſit mentio in paralipomenis. Conſtitutum certe Sanhedrin demum eſſe, quo tempore græcæ linguæ uſus inter ipſos Judæos jam invaluerat, ipſa vox ex græco orta liquido oſtendit. Illa vero lingua cæpit denique populo eſſe frequens, potientibus in palæſtina rerum Syriæ & Ægypti regibus macedonici ſanguinis poſt Alexandrum Magnum. Quod attinet vero tribunal a Rege Joſaphato inſtitutum, illud ſane ex parte fuit idem cum iſto ſacerdotali per Moyſen inſtituto, ex parte cum ſynedrio. Verba, quibus narratur illius judicii prima inſtitutio *II. Par. XIX.* 8. obſervatu ſunt digna: *In Jeruſalem quoque conſtituit Joſaphat Levitas, & ſacerdotes, & principes familiarum ex Iſrael, ut judicium & cauſam Domini judicarent habitatoribus ejus. Præcepitque eis dicens: ſic agetis in timore Domini fideliter, & corde perfecto. Omnem cauſam, quæ venerit ad vos fratrum veſtrorum, qui habitabunt in urbibus ſuis, inter cognationem & cognationem, ubicunque quæſtio eſt de lege, de mandato, de ceremoniis, de juſtificationibus: Oſtendite eis, ut non peccent in Dominum, & ne veniat ira ſuper vos, & ſuper fratres veſtros; ſic ergo agentes non peccabitis.* Omnino autem videntur & ſequentia illa ad hoc judicium

(*a*) *Non uni ſummo ſacerdoti*) Hinc manifeſtum ſane apparet diſſidium Pontificis Romani & Hebræi, de quo vide diſſertationem THEOD. DASSOVII. Pontifex romanus concilio vult eſſe ſuperior, Hebræus vero concilio erat inferior. Ille omnibus præeſſe cupit, tanquam Epiſcopus oecumenicus. Hic vero nequaquam omnibus ſacris Judæorum cœtibus præerat. Ille judicat omnes a nemine judicandus. Hic vero aliorum judiciis erat obnoxius.

(*b*) *Synedrium*) Patebat enim ad ſynedrium acceſſus omnibus, ſine tribuum diſtinctione, etiam proſelytis & exteris, qui matre judæa eſſent progeniti, unico excepto rege, uti contendunt rerum ebraicarum periti. Requirebatur tantum in ſenatoribus egregia oris dignitas & ſtatura, egregia ſapientia, juſta ætas, magiæ, &c07. linguarum peritia, quamvis circa extrema illa duo, quæ requirunt Thalmudici, mereantur profecto, ut exſibilentur, ut eosdem quoque cum P. CUNÆO lepide exagitat WITSIUS l. c. §. 43. p. 540.

Digitized by Google

dicium pertinere: *Et ecce Amarias Sacerdos & Pontifex veſter, in his, quæ ad Deum pertinent, præſidebit: porro Zabadias filius Iſmael, qui eſt dux in domo Juda, ſuper ea opera erit quæ ad Regis officium pertinent: habentisque magiſtros Levitas coram vobis.*

XXXIIX. Hunc Joſaphati ſenatum, habuiſſe cum utroque illo altero conſeſſu aliquid commune, aliquid etiam diverſum, facile eſt diſcere ex verbis adductis. Etenim quod admiſcuit in conſeſſum non ſacerdotes tantum, ſed etiam principes familiarum Iſraëlis: item de ſacris controverſiis & dubiis majoris momenti, nec non de negotiis regiis, fas illi fuerit judicare, cum ſynedrii inſtitutis convenit: non autem cum Levit. illo per Moyſen inſtituto. Videntur quoque huic judicio duo quaſi præſides præfuiſſe: alter in cauſis ſacris, isque ſummus ſacerdos, alter in negotiis regiis, isque dux domus Judæ. Quod itidem cum Synedrio ex parte convenit, cui non minus duo præſederunt, unus *Naſi*; alter *Abh beth-din* appellatus, ceu liquet ex verbis Maimonidæ *Hal. Sanhedrin* a Schickardo laudatis. Longe major tamen fuit poteſtas Synedrii, (ſi iis quæ traduntur Thalmudis titulo *Sanhedrin cap.* 1. *par.* 5. fas eſt credere) quam etiam hujus ſenatus, utpote cujus limites longe alios poſuerit Joſaphat Rex, quantum ex ejus verbis colligere eſt. Duorum quoque præſidum Synedrii alia fuit ratio, quam duorum, quos Joſaphat ſuo illi judicio præfecit. Quemadmodum ſane Naſi fuerit conſtitutus in Synedrio, audivimus modo narrantem Maimoniden. De altero pergit idem: *At qui inter ſeptuaginta ſenatores annorum ratione natu maximus erat, eum collocabant a dextris illius* (*a*) [Naſi ſcil.] *vocabantque Patrem conſiſtorii.* Verum de his obiter.

XXXIX. *Quinto* denique etiam id alienum eſſe a veritate, quaſi duplicis generis ſint judicia conſtituta, alterum eccleſiaſticum, alterum Forenſe, apparet ex eo; quod cauſſæ judicio illi ſubmittendæ, non niſi unius fuerint generis. Neque vero in ſacris literis illis, ulla diverſi generis litium ſit mentio. Utut autem nonnunquam circa idem negotium aliud eccleſiaſtici, aliud civilis ſit fori: in paucis tamen hoc habet locum, nec propter illa pauca opus fuit duo diverſa judicia conſtituere. Decepit nimirum viros optimos illud, quod & ſacerdotes hic & judex ſigillatim nominentur. Sed mens legis facile patet, ſi judicis nomine intelligamus Suffetem aliquem, qualis fuit Joſua, & quidam alii, *libro judicum* memorati. Intelligimus nimirum ex illo libro, hujusmodi *ſuffetes* (*b*) [utimur voce Carthagini olim recepta] non ſemper in republica habuiſſe locum; eoque non fuiſſe magiſtratus ordinarios, ſed tantum extra ordinem, efflagitante neceſſitate populi, a Deo ipſo conſtitutos. Ut igitur apud Romanos Dictatori omnes ordinarii magiſtratus ceſſerunt: ita ſine dubio judici tali ceſſere cum alii Hebræorum magiſtratus, tum quoque ſacerdotales judices. Adeoque ſiquando a Deo fuit aliquis Judex conſtitutus, perinde illum licuit adire in controverſis negotiis, atque ſacerdotale collegium: nec minus ipſius ſententiæ fuit ſtandum. Hunc eſſe ſenſum legis, patet ex uſu quem compertum habemus *ex libro ipſo judicum.* (*c*) Illos enim finiiſſe populi controverſias, ſive uno loco conſederint, ſive regionem circuierint, nemini non ex libro iſthoc eſt manifeſtum. Verum de hiſce ſatis.

XL. Nunc porro ſuper hactenus dicta reflectamus paululum mentem, & quæ FORMA REGIMINIS in gente Ebræa ſub Moſe, Joſua & judicibus obtinuerit, conſideremus. Plerique ſane exiſtimant, formam reipublicæ Ebræorum fuiſſe ariſtocraticam omni ante Reges tempeſtate. Petrus nimirum Galatinus, Carolus Sigonius, Angelus Caninius, Joachimus Stephani, Calvinus, Martyr, Danæus, quos Henningus Arniſæus *Relect. Pol* II. *c.* 4. *Sect.* 5. allegat. Caroli Sigonii quædam verba huc lubet apponere. *Ceterum*, inquit, *cum de forma reipubl. quæritur, nihil aliud quæritur, niſi penes quem principatum ſumma rerum fuerit conſtituta. Hæc vero primum penes optimates poſita fuit, deinde penes Reges; quorum principatuum illum Ariſtocratiam, hoc Regnum Græci vocarunt. Ariſtocratia fuit ſub Moyſe, Joſua, ſenioribus & judicibus: Regnum ſub regibus.*

XLI. Tametſi autem hiſce ex parte Joſephus quoque præiverit, imo ipſimet velint videri Joſephum auctorem ſequi, illum tamen de Judæorum regimine longe aliter ſtatuiſſe, paulo poſt liquido apparebit. Ut vero noſtra quoque ſententia adferatur in medium, ante omnia ultro fatemur, nullam ex formis rerumpublicarum, quas Ariſtoteles nobis deſcripſit, reipublicæ Ebræorum, illi quæ ante Reges fuit, ſatis convenire. Omnes videlicet illæ formæ tales ſunt, ut

τὸ

(*a*) *A dextris illius*) Iſta enim in Synedrio conſidendi ratio erat. Conſidebant omnes in figuram ſemicircularem: in medio conſidebat princeps, quem Naſi ſive præſidem nominabant. Ad illius dextram ſedes collocata erat patri domus judicii ſive vice præſidi, unde forte lux aliqua affunditur iis, quæ dicuntur Matth. 26, 64. A ſiniſtra locum occupabat, quem nonnulli duobus illis adjungunt ſapiens, ſeu magnus inter ſapientes, uti I. H. OTTO *in Lexico Rabbinico p.* 631. eum dictum refert. Reliqui deinde aſſeſſores ſuo quisque ordine debitum ſibi locum occupabant, ante quos ad manum utramque duo erant ſcribæ, alter a dextris, qui abſolventium, alter a ſiniſtris qui condemnantium ſuffragia ſcripſiſſe dicitur, unde forte lucem accipiunt, quæ dicuntur Matth. 25, 33. Pſ. 109, 6. obſervante *Saub. in Palaſt. Theol. p.* 288. Conſeſſum hunc figuris delineatum exhibet WITS. l. c. p. 518. ex eoq; etiam nonnulli locum MICH. 7, 3. ita interpretantur. *Quod princeps vult Synedrii, idem placet patri domus Judicii, Magnus* i. e. *magnus inter ſapientes ſecundum bene placitum ſuum judicat.*

(*b*) *Suffetes*) Summus erat Carthaginenſium magiſtratus. Originem non ignorabit, ait VOSSIUS in *Etymologico*, quia ſciat Pœnos eſſe Tyriorum colonos, Tyriorum autem & Ebræorum linguam fuiſſe eandem nempe Cananæam. Sane Ebræi & Tyrii magiſtratus ita diſtinguebantur, ut alii eſſent reges, alii judices. Habebant judices aliquid regium, quod eſſent perpetui; ſed quia deerat iis τὸ ἀνυπεύθυνον, ideo magiſtratus potius erant, quam reges, uti & reges Lacedæmonii, qui nihil habebant, regium præter nomen & προεδρίαν. Tales igitur fuerunt Ebræorum & Tyriorum judices quos Schofetim ſive Suffetes dixerunt, (a SCHAPHAT JUDICAVIT) SCALIGER autem a *Zapha ſpeculari*, unde Zophe ephorus, ſive inſpector nuncupatos arbitratur.

(*c*) *Ex libro Judicum*) TERTULLIANUS quidem pro libro Judicum dixit librum cenſorum. Verum in hoc ſine dubio vehementer erravit. Sunt enim Sophetim non quos Romani Cenſores dixere, ſed quales Athenienſium Archontes fuere perpetui.



Digitized by Google

τὸ κύριον ſive ſumma poteſtas rerum agendarum fuerit penes homines. At in Ebræorum republica τὸ κύριον illo tempore manſit penes ipſum Deum, & quidem unum illum. Apparet ſane idipſum ex majeſtatis juribus, quæ majora vocant; legum ſanctione, inquam magiſtratuum inſtitutione, bellorum indictione, quæ Deus ſibi uni ſervaverat, ſolus etiam interea temporis exercuit.

XLII. Si nunc igitur attendamus, ceu fieri par eſt, quod unus ſummam poteſtatem in republ. Ebræorum ab initio obtinuerit, *Monarchiam merito dicere* (*a*) illam rempublicam debemus. Attamen ſi id attendamus, quod iſte unus fuerit ipſe Deus, non homo, abſtinendum ab illo vocabulo eſſe videatur: fingendum vero aliud, quod inuſitatæ huic formæ tribuas. Et ſane finxit jam olim Joſephus, quo haud male illum appelles, vocabulum. Apponam verba quædam, quibus vulgares formas, & noſtram de qua nunc agimus, inuſitatam, complexus eſt ſcriptor ille. Οἱ μὲν γὰρ μοναρχίαις, inquit, *l.* II. *contra App.* οἱ δὲ ταῖς ὀλίγων δυναστείαις, ἄλλοι δὲ τοῖς πλήθεσιν ἐπέτρεψαν τὴν ἐξουσίαν τῶν πολιτευμάτων. Ὁ δὲ ἡμέτερος νομοθέτης εἰς μὲν τούτων οὐδοτιοῦν ἀπεῖδεν, ὡς δ᾽ ἄν τις εἴποι βιασάμενος τὸν λόγον ΘΕΟΚΡΑΤΙΑΝ ἀπέφηνε, Θεῷ μᾶλλον μόνῳ τὴν ἀρχὴν καὶ τὸ κράτος ἀναθεὶς, καὶ πείσας εἰς ἐκεῖνον, ἅπαντας ἀφορᾷν, ὡς αἴτιον μὲν ἁπάντων ὄντα τῶν ἀγαθῶν, κοινῇ τε πᾶσιν ἀνθρώποις παρέχοντα καὶ ἰδίᾳ. Horum verſio etſi non adeo commoda, quæ Sigismundi Gelenii eſt, ita habet: *Alii ſiquidem monarchis, alii vero paucis, alii vero populo poteſtatem reipubl. commiſere. Noſter vero legiſlator nihil horum intendens, veluti ſi quis hoc dicendo menſuram tranſcendat verbi, divinam rempublicam declaravit: Deo principaliter converſationem noſtram atque poteſtatem excellenter aſſignans; & ſatisfaciens eum cunctos inſpicere, tanquam cauſam bonorum omnium univerſis hominibus exiſtentem.* Appellat igitur Joſephus rempublicam Ebræorum novo vocabulo θεοκρατίαν. Et ſane hoc illud demum eſt, quo inuſitatam formam reipublicæ, in qua Deus ſummam poteſtatem obtinet, exprimere haud incommode poſſis. Apparet vero Joſephum hic loqui voluiſſe ἀκριβέστερον, quomodo & alias in libris contra Appionem ſolet. Sed nec aliter decebat pugnantem cum viro, qui doctrinæ eruditioniſque nomine tam erat celebris, ut *Cymbalum mundi* vulgo audiret. Vid. *Plin. in præfat.*

XLIII. Invitat hæc res nos ad id, ut in ea, quæ alibi paſſim de forma regiminis, qualis illa fuit ante exortos reges & ſub regibus, diſſerit idem Joſephus, nonnihil curam noſtram proferamus. Et vero l. IV. Ἀρχαιολογίας cap. VII. Moſen introducit ad gentem iſraeliticam ultima verba facientem, eaque inter hunc in modum: Ἀριστοκρατία μὲν οὖν κράτιστον, καὶ ὁ κατ᾽ αὐτὴν βίος: καὶ μὴ λάβῃ πόθος ὑμᾶς ἄλλης πολιτείας, ἀλλὰ ταύτην στέργοιντε, τοὺς νόμους ἔχοντες δεσπότας, κατ᾽ αὐτοὺς ἕκαστα πράττοντες. ἀρκεῖ γὰρ ὁ θεὸς ἡγεμὼν εἶναι. *Optimum quidem eſt optimatum regimen, & in ſic adminiſtrata republica vivere. Nec eſt, cur aliam ejus ſpeciem concupiſcatis: ſed præſtat, ut hac contenti in legum & veſtrum ipſorum poteſtate ſitis. Satis enim eſt Deum habere præſidem.* Hiſce addit: Βασιλέως δ᾽ εἰ γένοιτο ἔρως ὑμῖν, ἔστω μὲν οὗτος ὁμόφυλος. παραχωρείτω δὲ οὗτος τοῖς μὲν νόμοις καὶ τῷ θεῷ τὰ πλείονα τοῦ φρονεῖν, πρασσέτω δὲ μηδὲν δίχα τοῦ ἀρχιερέως καὶ τῆς τῶν γερουσιαστῶν γνώμης. *Si Regis vos cupido cœperit, ſit ille gentilis veſter. Is plura legibus & Deo tribuat, quam ſuæ prudentiæ: nihil vero agat præter ſententiam ſummi ſacerdotis & ſenatorum.* Cum ſubjeciſſet porro, nec uxores Regi multas alendas, nec equis aut pecunia multa gaudendum, *quarum rerum copia facile contemptor legum poſſit evadere*, ſubjungit: κωλυέσθω δ᾽, εἰ τούτων τι διὰ σπουδῆς ἔχοι γίνεσθαι τοῦ συμφέροντος ὑμῶν δυνατώτερος. Hæc non dubitavit Flavius Moſen ipſum dicentem facere. Cæterum effinxit, quidem ille hunc ſermonem haud dubie ex capite decimo ſeptimo Deuteronomii; ibi vero nihil legere eſt in commendationem Ἀριστοκρατίας dictum, aut rempublicam optimatum amplectendam populo eſſe, nec mutandam. Nullo verbo ibi præcipitur, Regi nihil agendum citra Pontificis & Senatorum ſententiam: ut nec, ſi forte Rex fiat potentior pecunia aut equis, quam ferat populi commodum cohibendum illum eſſe. Mala itaque fide Joſephum hic recitaſſe Moſis ſermonem, non poteſt non omnibus eſſe liquidum.

XLIV. Idem porro Joſephus undecimo ἀρχαιολογίας libro, quarto capite, hiſce eſt verbis uſus. Καὶ οἱ μὲν ὑπὲρ τούτων δαψιλευόμενοι ταῖς θυσίαις, καὶ τῇ πρὸ τὸν θεὸν φιλοτιμίᾳ, κατῴκησαν ἐν τοῖς ἱεροσολύμοις, πολιτείᾳ χρώμενοι ἀριστοκρατικῇ μετ᾽ ὀλιγαρχίας. οἱ γὰρ ἀρχιερεῖς προεστήκεσαν τῶν πραγμάτων, ἄχρις οὗ τοὺς Ἀσαμωναίου συνέβη βασιλεύειν ἐκγόνους. πρὸ μὲν γὰρ τῆς αἰχμαλωσίας, καὶ τῆς ἀναβάσεως ἐβασίλευοντο, ἀπὸ σαούλου πρώτου ἀρξάμενοι καὶ δαβίδου, ἐπὶ ἔτη φλβ´, μῆνας ϛ´ ἡμέρας ι´. πρὸ δὲ τῶν βασιλέων τούτων ἄρχοντες αὐτοὺς διεῖπον, οἱ προσαγορευόμενοι κριταὶ καὶ μόναρχοι. καὶ τοῦτον πολιτευόμενοι τὸν τρόπον ἔτεσι πλέον ἢ φ´ διήγαγον κατὰ μωυσῆν ἀποθανόντα καὶ ἰησοῦν τὸν στρατηγόν. *Atque hi ita ſumma liberalitate uſi in victimis & ſtudio divini cultus habitaverunt Hieroſolymis, utentes republica ariſtocratica cum oligarchia. Pontifices enim præfuerunt rebus, donec Haſmonai poſteris regnare conceſſum eſt. Ante enim captivitatem & reditum regnatum fuit a Saule, uſque & Davide per annos quingentos viginti duos, menſes ſex & dies decem. Ante vero reges illos imperarunt ipſis illi, qui dicti ſunt judices & monarchæ. Atque ita* admi-

(*a*) *Monarchiam merito dicere.*) Id cum primis *Adrianus Houtuyn* probare annititur Tract. de *Monarchia Hebræorum*, in quo oſtendit, imperium Monarchicum fuiſſe in populo Ebræo ab Abrahamo uſque ad diſperſam gentem, etiamſi Deus in eum quoque imperio peculiari uſus fuerit. Rationem autem nullam eſſe ait, quæ in Theocratica quaſi ſpecie jubeat acquieſcere, imo naturæ humanæ limites tranſcendere, qui Theocratiam fuiſſe velint, loquendum eſſe de imperante viſibili & corporali in terris, de vicariis Dei ipſis diis terrenis, qui jure ſummo ad Deum proxime accederent, ſolo Deo inferiores, aliis cunctis ſuperiores, quo poſito cum Ebræorum regimine Monarchia quodammodo conveniat.

Digitized by Google

*adminiſtrati fuerunt annos plusquam quingentos poſt defunctum Moyſen & Joſuam imperatorem.* Hæc ibi Flavius. Non niſi obiter tamen; cum narraſſet nempe, quemadmodum illi Judæi, qui Darii Perſarum Regis conſenſu, & auſpiciis Babylone erant reverſi, Hieroſolymis templum iterum ſtruxiſſent & feſtum Azymorum ſolenniter celebraſſent. Cæterum de reipublicæ, quam illi ex captivitate reduces inſtituerunt, forma, quæ hic narrat Joſephus, non conveniunt cum iis, quæ idem diſſerit Ἀρχαιολογίας libri viceſimi capite octavo. Reliqua vero iis ſic ſatis conſonant. Agens enim de republica, qua uſus eſt populus ante captivitatem, ſcribit: ἐγένετο δὲ αὐτῶν Ἀριστοκρατικὴ μὲν ἡ πρώτη πολιτεία, μετὰ ταῦτων δὲ μοναρχία, βασιλέων δὲ τρίτη. *Sub bis* (tredecim prioribus Pontificibus) *prima reipublicæ adminiſtratio fuit ariſtocratica, poſt illam Monarchia, regum vero tertia:* quæ ante allatis ſunt paria. Cum dixiſſet vero ibidem, ſoluta per Cyrum babylonica captivitate, Jeſum Joſedeci filium aſſumſiſſe, ſummum ſacerdotium, addit: ἔτος δὲ καὶ οἱ ἔκγονοι αὐτοῦ, πέντε καὶ δέκα ἅπαντες, μέχρι βασιλέως Ἀντιόχου τοῦ εὐπάτορος, ἐπολιτεύοντο δημοκρατικῶς ἔτη τετρακόσια δεκατέσσαρα. *Hic & ejus poſteri quindecim univerſi, usque ad regem Antiochum Eupatora, rempublicam adminiſtraverunt democratice annos quadringentos quatuordecim.* Hæc vero ab illis prioribus diſſentiunt.

XLV. Cæterum videndum jam eſt, quam vera aut falſa ſint Joſephi illa. Et quidem hac vice ea duntaxat, quæ pertinent ad formam reipublicæ, qualis fuit ad usque inſtitutos Reges, perſequemur: de regno & ſtatu, qui excepit captivitatem ſolutam deinceps dicturi. Initio igitur illud inſolens videtur, quod Joſephus alium voluerit eſſe ſtatum reipublicæ Moſis & Joſuæ ætate, alium ſub judicibus. Et vero etiam Sigonius, qui alias ſuam de republica iſthac omni ſententiam ex Joſepho depromſiſſe voluit videri, nullam hic differentiam agnoſcit, ſed eandem cenſet reipublicæ formam fuiſſe usque ad Reges. Ipſe quoque Joſephus *l. VI.* Ἀρχαιολογίας *quarto capite* ea narrat de Samuele ultimo Judicum, quæ oſtendunt Samueli eſſe viſum, tunc etiam ſtatum regiminis fuiſſe ariſtocraticum. Exoſam ſcilicet fuiſſe Samueli Regiam adminiſtrationem. ἥττοτο γὰρ, addens, δεινῶς τῆς Ἀριστοκρατίας, ὡς θείους καὶ μακαρίους ποιούσης τοὺς χρωμένους αὐτῆς τῇ πολιτείᾳ. *Valde enim delectabatur Ariſtocratia, tanquam divinos & felices reddente eos, qui hac regiminis forma utuntur.* Conſtat porro ex ſacro *judicum libro*, ut & iis, quæ tradit Joſephus *l. V. Antiquit*, non omni poſt defunctum Joſuam tempeſtate ad Reges usque perpetuos fuiſſe judices: ſed initio aliquamdiu, ut & poſt frequenter, nullos, nec quanquam, niſi incumbentibus populo ex vicinia hoſtibus, in liberationem. Ut proinde non omni poſt Joſuam ad Reges usque ævo eadem omnino fuerit regiminis ratio, ſed alia atque alia.

XLVI. Ut autem ſeorſim ea, quæ de *judicibus* pronunciavit Joſephus, primo loco conſideremus: nihil profecto apparet cauſſæ, quare dicendum ſit, illos polluiſſe in regenda republica auctoritate majore, quam Moyſen aut Joſuam. Imo vero multo minus illos potuiſſe, liquidum eſt ex ſacro codice. Enimvero proregem, quaſi egiſſe Moſen, jam tum probavimus, ut & non inferiore fuiſſe auctoritate Joſuam. Non ergo Judices monarchæ fuerunt præ illis duobus magnis ducibus. Nullus porro Judicum ulla exercuit ſummæ poteſtatis jura, ſed fuere non niſi magiſtratus ac miniſtri Iſraelitarum maximi monarchæ, ipſiusmet Dei. Non enim ullus eorum legem promulgavit: & bella omnia ab iis geſta ſunt juſſu Dei: præ ſeſe etiam aperte tulerunt, non propria auctoritate ſe populo præeſſe, ſed ceu ſolent illi, qui magiſtratu funguntur a ſumma poteſtate conſtituti. Cumprimis lectu & expenſu digna eſt hiſtoria Gedeonis, qualis deſcribitur cap. VI. VII. & IIX. inque ea præcipue, quemadmodum ille exercitum legerit, & recuſaverit a populo ſibi & poſteritati ſuæ oblatum a populo dominatum. Non etiam in omni illo Judicum libro obſervare eſt vere ariſtocratici regiminis aliquod veſtigium. Ut proinde merito mireris, nunc μοναρχικὴν nunc ἀριστοκρατικὴν adminiſtrationem reipublicæ iſraeliticæ, a quoquam iſti quidem tempeſtati fuiſſe attributam. De Joſepho multo maxime id meretur admirationem; quoniam non tantum in iis, quæ contra Appionem diſputavit, agnovit τὴν θεοκρατίαν, ſed etiam in Antiquitatum opere, illo ipſo loco libri quarti, unde verba ipſius §. 43. deprompſimus, diſerte & ἀριστοκρατίαν populo commendantem Moſen introducit, & ſtatim ſimul adjicientem: ἀρκεῖ γὰρ ὁ θεὸς ἡγεμὼν εἶναι. *Sexto* item Ἀρχαιολογίας *cap. IV.* refert, Samueli dictum a Deo, ſeſe a populo eſſe deſpectum, ἵνα μὴ βασιλεύσῃ μόνος. Quæ utique & cum ariſtocratia & cum monarchia Judicum ſunt omnino ἀσύστατα.

XLVII. Enimvero, ſi accurate loqui velimus, ceu fieri par eſt, illa demum Ariſtocratia dicitur reſpublica, ubi omnis ſumma poteſtas, ſive omnia majeſtatis jura, quantacunque ab hominibus geri poſſunt, ſunt penes paucos quosdam. Quare cum præcipua majeſtatis jura in republica Ebræorum, ſive Moſis & Joſuæ ſive Judicum ævo, non fuerint penes plures, qui quidem non integram gentem conſtituerint, ſed pauci ex illa fuerint, illam ipſam rempublicam, accurate loquendo, Ariſtocratiam non fuiſſe, omnino concedendum eſt.

XLIIX. Quamvis vero ex iis, quæ jam adduximus, res hæc omnis ſit liquida, ne tamen ulla poſſit dubitatio ſupereſſe, adhuc clarius doctrinam noſtram illuſtrabimus. Igitur diximus jam antea, nullam ex vulgatis formis reipublicæ Ebræorum, quæ plane ἐξαίρετος eſt, per omnia eſſe congruam. Quare nec monarchiam fuiſſe, quales vulgo ſunt, etiam ipſi nos denuo fatemur. Verum aliorum, idem qui negant, non eadem mens eſt. Inficiantur enim, Ebræorum rempublicam fuiſſe monarchiam ante Reges, quod quicquid ſummæ poteſtatis in illa gente penes homines ſitum, id fuerit penes paucos. Cæterum ſi hoc volunt; fuiſſe τὸ κύριον penes

 ſeptua-

ſeptuaginta virorum conſilium, de facile eo poſſunt adigi, ut eodem ſenſu monarchiam aliquando fuiſſe ante Reges, debeant concedere. Nimirum quicquid majoris poteſtatis penes homines in gente Ebræorum fuit, id fuit aliquando ſine omni controverſia penes unum Moyſen. In hujus autem *libro ſecundo* memoriæ proditum eſt, omnes cauſas ad hunc ſolum initio fuiſſe relatas; poſt vero ex conſilio Jethronis conſtitutas fuiſſe, quos Vulgatus interpres vocat tribunos, centuriones, quinquagenarios & decanos, qui levioris momenti cauſas dijudicarent; graviores autem & difficiliores Moyſen ſibi reſervaſſe. Tulit igitur unus Moyſes: primo quidem omnes cauſas minimas cum maximis dijudicandi, poſt vero ſummorum tamen judiciorum ac relationum, laborem. Fecitque id per biennium ferme ſine omni controverſia. Fuerit igitur tum penes unum Moyſen ſumma poteſtas: quantamcunque nimirum penes hominem Deus volebat eſſe. Atque adeo per illud ſaltem primum tempus non obtinuerit Ariſtocratia. Quomodo ſane ſeptuaginta Ariſtocratiam conſtituere potuiſſe, nonnulli cenſent, eodem modo per biennium ferme unus Moyſes monarchiam obtinuiſſe, poſſit pari prætextu affirmari.

XLIX. At vero etiam, cum ſeptuaginta illi jam allecti eſſent a Moyſe, hic tamen potiſſimam autoritatem retinuit; id quod ſupra oſtendimus. Poſt ipſum vero non multum diſpari auctoritate fuerunt Joſua ac Judices. Joſuæ ſane eodem modo parebant Ebræi, quo paruerant Moyſi, ut videre eſt ex Joſuæ *capite primo & vigeſimo tertio*, quin imo etiam ex cæteris. Moyſes quidem in Iſraele tanquam Rex fuerat, uti in *Deut. XXXIII. cap.* legere eſt: Joſua igitur itidem. Rectius itaque dixeris, monarchicum potius, quam ariſtocraticum ſtatum plerumque obtinuiſſe, usque ad proprie dictos Reges. Si nimirum ex illa ſumma poteſtate, quæ in Ebræorum republica penes homines ſuperfuit, illam ipſam rempublicam vel Monarchiam vel Ariſtocratiam dicere liceat.

L. Judicum porro, non omnino & vere, quadamtenus tamen, fuiſſe ſummam autoritatem belli pacisque temporibus, ex ſacris literis itidem conſtat. Atque adeo huc forte reſpexiſſe Joſephum, quando Judices ἄρχοντας & μονάρχους appellavit, non diſſimulabimus. Joſephi illa verba ſecutus *Petrus Cunæus* (a) *l. 1. de rep. Ebr. c. 12. Joſuam*, inquit, *pari poteſtate ſecuti ſunt, qui praeundo edicendoque prætores dici dictatoresque poterant.* Eſt tamen & illud valde ἀκύρως dictum: quia Dictatores Romani vere regia omnia habuerunt, tantum quod poteſtas tempore fuerit circumſcripta. Quomodo tamen Moyſes alicubi Rex dictus eſt, ita Judices itidem non ſemel Reges videntur appellati: ceu haud inepte fortaſſis collegeris ex *Judicum cap. XVII*, 6. *cap. XIIX*, 1. *cap. XIX*, 1. ex quibus locis Joſephum ſuos μονάρχους exſtruxiſſe per veroſimile eſt. Minus proprie tamen, ceu ſæpius jam diximus, ita ſunt dicti, quemadmodum itidem ipſe Moyſes. Si ſane velis Judices Regio dignari titulo, certe non niſi κατὰ νόμον reges dixeris fuiſſe, quales Ariſtoteles deſcripſit *Pol. III. c.* 16. Et vero ipſi illi Judices in illa dignitate ſe beatos cenſebant eſſe. Non deſiderabant κατὰ τὴν αὐτῶν βούλησιν πάντα πράττειν, neque adeo vere reges eſſe, vel qui maxime proprie ita dicerentur. Norant nimirum, Jehovam ipſummet ſervare ſibi ſummam poteſtatem, ideoque cum illo in ſocietatem regni venire non conabantur. *Gideonis inter alios* (b) hanc integritatem fuiſſe proditum eſt *Jud. IIX.* ut cum regnum proprie dictum ipſi poſterisque ipſius addicere quidam ex populo vellent, ſuſcipere illud ipſe non ſuſtinuerit.

LI. VERUM de *forma reipublicæ*, qualis fuit Moſis, Joſuæ & Judicum ævo, plus ſatis eſt dictum, omni ſcilicet illo tempore θεοκρατίαν reapſe obtinuiſſe. Sed pertæſum tandem fuit ſtolidam gentem hujus ſtatus; ita ut in ſervitutem ſe tradere mallet, ſive, quemadmodum Sulpitius Severus loquitur, *l. 1. Sac. Hiſt. ut non ſine exemplo amentiæ præoptaret libertatem* (talis nimirum eſt, etiam in regno, etſi undique bene is ſtatus ſeſe habeat) *ſervitio Regio mutare.* (c) Poſtularunt itaque, ut Rex ſibi præficeretur & quidem, qualem vicinæ circumcirca gentes habebant. Indignum ſane id erat illa gente, quæ præſentiſſimum ipſius Dei auxilium haud conſueto

(a) *Petrus Cunæus*) Integra ejus verba ſunt. l. c. *Joſuam pari poteſtate ſecuti, qui praeundo edicendoque prætores dici dictatoresque poterant, etſi in ſacris annalibus judices appellentur, ratione haud multum diverſa. At Flavius Monarchas appellavit. quod nomen etiam Sylla Cinna Marioque, & aliis dictatoribus Romanis Græci dedere. Fuit etiam cum iidem rebus civilibus intenti agerent, cauſasque audirent, ſed graviores, quomodo Moſes. Raro enim pro tribunali ſedebant. Juſſus modo imperiumque & ſumma rei ad ipſos pertinuit.* Ipſe GROTIUS qui alias Synedrii extollit autoritatem, ad Matth. 5, 22. *quoties*, inquit, *Deus cœleſti judicio aliquem populo præfecerat, qualis fuit Joſua, Gideon, Jephthes, Samſon, Samuel, ei etiam citra ſenatum judicandi jus erat ceu apparet Judic.* 8. Deinde, *quibus vero temporibus neminem talem Deus excitaverat recurrendum omnino ad ſenatum erat.* Idem Judices cum inter regibus & dictatoribus comparat in not. ad Gen. 36, 31. Deut. 17, 9. Joſ. 1, 18. Act. 13, 20. neque ab ipſis Regibus Ebræis niſi Pompa & Satellitio diſcriminat, lib. *de jure belli & pacis lib.* 1. *cap.* 3. *n.* 11. Huc atque ejusmodi alia pro ſe allegat HOUTUYN l. c. cap. 4. not atque HOBBESIUM, qui in *Leviath. cap.* 40. *de cive* cap. 16, 14. Summitatem poſt Moſen penes Pontificem fuiſſe contendit.

(b) *Gideonis inter alios*) Sed reſpondet ad h. l. *Houtuyn* p. 47. Dominium Gideon, non imperium detrectavit, Jam tunc meditabatur populus reges ſibi quales haberent alia gentes. Dominos puta conſtituere. Erant jam Palæſtinam ingreſſi, quo tempore conſtituendi jus imo præceptum erat. Imperio civili Gideon contentus erat. Igitur de prædatis mobilibus partem a ſingulis petit, quæ facta præda jure ſingulorum prædantium eſſent, cum ſumere Domino jure Dominii licuiſſet. Pœnam in viros Sucothet Penuel capitalem exercuit. Pacem tempore ſuo Iſraelitis 40. annorum ſtabilivit. Poſt hunc populus in Abimelechum, ex concubina Gideonis filium conſentit. Rex non uno loco dicitur & parabola arborum, regem ſibi petentium, firmatur & regnaſſe dicitur Judic. 9.

(c) *Servitio regio mutare.*) Regem populus petierat, qualem aliæ gentes haberent. At illarum vicinarum gentium Reges Domini erant. Hinc apud Philoſtratum Apollonius. *Aſſyrius cum ſit & Medorum accola, nihil pro libertate præclarum cogitat.* Conf. autorem p. 146.

Digitized by Google

to modo toties fuerat experta, Ægre etiam id tuliſſe divinum Prophetam Judicemque Samuelem, cum ſtultam gentis ſuæ poſtulationem cognoviſſet, atque ideo e veſtigio morem illi haud voluiſſe gerere, apparet. Sivit id tamen; voluitque is, qui hactenus ſingulari modo ſemetipſum ebrææ gentis præbuerat Regem, injuriam gentem voto ſuo abundare. Mandavit itaque Samueli, ut Regem ſuis præficeret & quidem talem, qualem ipſi optabant; prædiceret autem ſimul, fore, ut experirentur tandem, quantum illa divini imperii detrectatio accerſitura eſſet incommodum. Ita vero queritur de ſuo populo 1. Sam. cap. VIII. *Non te abjecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos. Juxta omnia opera ſua, quæ fecerunt a die, qua eduxi eos de Ægypto, uſque ad diem hunc. Sicut dereliquerunt me & ſervierunt diis alienis, ſic faciunt etiam tibi.*

LII. Quæ ſane verba, non apparet, quomodo permittant, mandatum hic intelligi, quod Ebræi de rege conſtituendo acceperint. Clariſſimi tamen viri Petrus Cunæus *l.* 1. *c. XIV. de rep. Hebr.* & Wilhelmus *Schickardus* (*a*) *c.* 1. *theor.* 1. *p.* 6. *de jure reg.* aliique exiſtimant, omnino mandatum eſſe Iſraëlitis a Deo, ut regem ſibi eligerent, ubi in palæſtinam penetraſſent. Videntur autem, ut ita docerent, autoritatem obſervare voluiſſe plerorumque Rabbinorum: qui id pene unanimi conſenſu docent, præeunte *Gemara Sanhedrin cap.* 2. §. 6. præcipue vero Moyſis Maimonidæ. Sed Gemaræ Thalmudicæ & Moyſi quidem illi haud injuria opponi poſſunt ex judaica gente nonnulli, quorum verba itidem producit Schickardus. Accedit vero illis & Iſhacus Abravanel, inter recentiores Judæorum magiſtros primæ dignitatis: ceu ejus ſententiam refert Menaſſeh ben Iſrael *conciliat. pag.* 225. *initio quæſtionis ſextæ.* Ipſe quoque Menaſſeh *pag.* 227. fatetur, Abravanelis ſententiam ſatis eſſe conſentaneam verbis ſcripturæ. Cæterum ſicut illos, quos diximus Judæos, ita multo minus Chriſtianum quempiam, ſive Thalmud, ſive Thalmudicos adorantium Rabbinorum, autoritas hic movere debet. Et vero Gemara illa ipſa Sanhedrin liquido oſtendit, unum eorum magiſtrorum, R. Joſen ſcilicet, ut oſtenderet primum Dei præceptum fuiſſe de rege conſtituendo, in Deutron. XVII. 15. *verſiculo* exponendo plane delirаſſe. Tantum igitur verba Moyſis, non thalmudici Rabbini, etſi illum ex ſuis plurimos poſt ſe relinquere facile credimus, ſed vetuſtiſſimi omnium ſacrorum ſcriptorum & diviniſſimi vatis expendamus. Ita autem illa ſe habent *Deut. XVII.* 14. 15. *Cum ingreſſus fueris terram illam, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & poſſederis eam, habitaverisque in illa: & dixeris, conſtituam ſuper me regem, ſicut habent omnes per circuitum nationes; conſtitues eum, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem regem facere, qui non ſit frater tuus.* Mandatum in his agnoſcit Schickardus, *quod utique non ſit arbitrarium, ſed maxime ſerium, ideoque verbi reduplicatione inculcatum hoc modo; ponendo pones ſuper te regem.* Cunæus etiam, rationem gentis plauſibilem fuiſſe, ratus videtur, ipſique ergo Deo non improbatam. *Permulti mirati ſunt,* (*b*) inquit, *cur indigne tulerit Deus, ſummam rei a Samuele ad regem aliquem transferri; ſiquidem illud & probaverat antea, & futurum pro indole dixerat ſacri populi.*

LIII. Ut autem, quod res eſt, id dicamus; videntur clariſſimi illi viri Thalmudis & Rabbinorum, quorum in ſcriptis volutati plurimum fuere, nimium tribuiſſe autoritati. Enimvero mandatum quidem & nos agnoſcimus in verbis Moyſis, ſed alio longe modo. Advertendum nimirum eſt, mandatum illud non niſi ex hypotheſi eſſe editum. Nec vero mandat per Moyſen Deus abſolute, ut regem ſibi proprie dictum conſtituant Ebræi, ſed potius jubet ipſos *τὰ παρόντα στέργειν*, quod in vulgaribus etiam politiis virtus maxima eſt. Divinum ſane Moyſen etiam Flavius Joſephus *l.* 1. *antiq. cap.* 8. ita facit loquentem: *Μὴ λάβοι πόθος ὑμᾶς ἄλλης πολιτείας, ἀλλὰ ταύτην, στέργοντε τὲς νόμες ἔχοντες δεσπότας, κατ' αὐτὲς ἕκαστα πράττοντες. ἀρκεῖ γὰρ ὁ Θεὸς ἡγεμὼν εἶναι.* Hæc quidem optime. Pergit autem: *βασιλέως δ' ἂν γένοιτο ἔρως ὑμῖν, ἔστω μὲν ἔτος ὁμόφυλος. Attamen ſi regis vos cupido ceperit, nemo ſit, niſi veſtri generis & ſanguinis.* Jam tum ſupra verba illa adduximus: ex re tamen eſſe videtur, etiam hic illa nonnihil expendere hujus quoque argumenti gratia. Ita vero omnino eſt, quomodo hactenus quidem Joſephum videmus rem intellexiſſe. Debebant Iſraëlitæ *στέργειν* præſentem ſtatum. Si tamen ipſos regis, qualem cæteræ habebant gentes, inceſſeret cupido, (quod fore aliquando utique prævidebat) autoritate Dei quidem permittit Moyſes, ut regem conſtituant, qui tamen nequaquam *ἀλλόφυλος* ſit, ſed qui ex eadem gente ſit cum ipſis, quemque præterea Deus ipſe commonſtrarit. Expendenti profecto divini ſcriptoris verba hæc, non poteſt ſenſus eſſe non manifeſtus. Mirum vero, ſi mandatum de conſtituendo rege abſolutum Ebræis fuiſſet datum, quod illud exequi aliquot ſeculis auſi fuerint negligere, quodque Gideon, vir ſapiens & conſcius divinæ legis, cum ipſi ex gente ſua regnum proprie dictum addicere quidam vellent, conditionem illam accipere recuſaverit, ſuosque, ut Jehovam amplius agnoſcerent Regem, commonuerit, Deo nunquam improbante. Non porro reduplicatio verbi, quam Schickardus urget, vim ſuam amittit, ſi ita, quomodo ipſe, verba Moyſis non intelligas. Illius nimirum genuina vis hæc eſt; ut ne *ἀλλόφυλον* conſtituerent regem, ſi regem conſtituere vellent: non illa, quam Schickardus exiſtimat verbis ineſſe; ut nimirum regem omnino conſtituerent.

LIV. Verum

(*a*) *Schickardus*) Varias Rabbinorum aliorumque interpretum circa hoc caput ſententias refert AUTOR *annotat.* ad SCHICKARDUM *p.* 5. & 6.

(*b*) *Multi mirati ſunt*) Ut igitur iſta concilient, exiſtimant, Deum 1. Sam. 8. nequaquam improbare regnum deſideratum, ſed potius quod, vivo adhuc Samuele, id deſiderarent, cumque quaſi per murmur faſtidirent, ſpernerent, rejicerentque, per quem, uti per judices ſæpius, de manu hoſtium eos Deus eripuerat. Ad conſolationem proinde Samuelis dici, *non te, ſed me rejecerunt*: i. e. rejecerunt me quoque antea ſæpius, cum idolorum cultum eligerent, deosque alienos aſſumerent. Ergo ne tu quoque defectionem populi ita ægre feras, quam ipſe toties pertuli.

Digitized by Google

LIV. Verum cum Deus annueret, ut Ebræis ex hominibus rex daretur, mandavit, ut mores, qui in regnis, vicinarum nimirum gentium, obtinebant, Iſraëlitarum populo Samuel exponeret; quomodo nempe agere reges cum ſubditis, & quam duriter eos habere ſoleant. Innuere nimirum voluit, regium dominatum, quem petierant, gravem ipſis futurum; ſpecie modo falſos eſſe; revera autem longe durius illud imperium fore, quod optaverant, quam credidiſſent. Adſcribemus quædam verba ſacri ſcriptoris 1. *Sam. c. VIII.* 9. 10. 11. 18. quibus id innuitur: *Nunc ergo vocem eorum audi. Veruntamen conteſtare eos, & prædic eis jus regis, qui regnaturus eſt ſuper eos. Dixit itaque Samuel omnia verba Domini ad populum, qui petierat a ſe regem, & ait: Hoc erit jus regis, qui imperaturus eſt vobis: Filios veſtros tollet, & ponet in curribus ſuis, facietque ſibi equites & præcurſores quadrigarum ſuarum &c. Et clamabitis in die illa a facie regis veſtri, quem elegiſtis vobis, & non exaudiet vos Dominus in die illa, quia petiiſtis vobis regem.* Sed de jure illo regis, cujus in his verbis fit mentio, varias obſervare eſt doctorum ſententias. Cum enim iniqua videantur eſſe, quæ ad jus regis pertinere ſanctus propheta quaſi ex divino ore affirmavit, per vocem *jus* intelligunt quidam *morem* ſive conſuetudinem. Et ſane ipſa vocula ebræa non omnino recuſat ita verti, cum & alibi eodem modo fiat. Neceſſum tamen non eſt, ut eo deveniamus. At nec de vero jure eſt intelligenda, hoc eſt, de facultate honeſte aliquid agendi. Longe enim alia vivendi ratio præſcribitur regi in ea parte legis, quæ eſt de officio regis. Intelligitur ergo *juris* vocabulo & appellatur id, quod effectum aliquem juris habere debebat, id eſt, non reſiſtendi obligationem. Ideoque additur, populum preſſum iſtis injuriis Dei opem imploraturum; quia ſcilicet humana remedia nulla exſtarent. Sic ergo hoc *jus* vocatur, quomodo prætor jus reddere dicitur, etiam cum inique decernit. Quæ omnia *recte in hunc modum Grotius* (*a*) explicavit, ac proinde illum ſumus hac parte ſecuti. Neutiquam vero hinc colligere eſt, quaſi omnibus ſine diſcrimine regibus id agere fas ſit, quod hic *juris regii* eſſe, dictum a Samuele eſt. Tantum enim hic ſermo fuit prophetæ de jure regum apud vicinos Ebræis populos: quibus nempe dominatum ſatis aſperum in ſuos exercere, juris fuit regii conſuetudinarii: ſecus quam apud germanicas aliasque Europæ gentes olim obtinuit.

LV. Cum autem manifeſtum ſit ex ſacro codice, regem Ebræis a Samuele præfectum eſſe, regnorum vero variæ ſint differentiæ, videndum nunc erit, quænam ſpecies hic obtinuerit. Enimvero Ariſtoteles *l.* 3. *polit. cap.* 14. quinque regnorum ſpecies obſervat & recenſet. Primam laconicam appellat, quæ reapſe non niſi ducalis poteſtas belli a populi decreti fuit. Alterum genus vocat barbaricum, eo quod apud Barbaros Græcis dictos in uſu fuerit: idque differre dicit a tyrannide, eo quod legitimum illud & hereditarium ſit, tyrannis autem nequaquam: alias vero etiam dominatus dici ſolet. Tertia regni ſpecies Æſymnetia vocata eſt, ubi nimirum ad imperium ſuffragio perveniebat rex, & ad certa quædam negotia conficienda abſolutam liberamque gerebat facultatem. Quartus regni modus eſt heroicus, ita dictus, quod græcorum heroum tempore, ut eſt in eorum fabulis, obtinuerit, eumque in volentes, patrium, & legitimum fuiſſe, & propter inſigne collatum beneficium in meritos delatum. Ultimum genus, quod Ariſtoteles recenſuit, eſt illud, quod proprie ſic appellatur, quodque inter tres rerumpublicarum bonarum ſimplices formas primum eſſe voluit. Porro autem ſequente *capite XV.* maximus Philoſophus ita loquitur: *Fere autem duæ ſunt regni ſpecies, de quibus conſiderationem facere expedit; una hæc, de qua diximus proxime* (ὅταν ᾖ πάντων κύριος εἷς ὤν, *quando unus omnium habet poteſtatem*) *altera laconica. Nam aliarum pleraque inter has mediæ ſunt.* ἐλαττόνων μὲν γὰρ κύριοι τῆς παμβασιλείας, πλειόνων δ' εἰσὶ τῆς Λακωνικῆς. *Pauciorum nimirum poteſtatem habent, quam omnimoda poteſtas regia, plurium vero quam laconica.* Sequente præterea *capite XVI.* regem, qui παμβασιλείαν obtinet, ſive qui omnium habet poteſtatem, innuit illum eſſe, qui cuncta ex voluntate ſua agit. De laconico autem rege ſive regno ita loquitur: *ille, qui* κατὰ νόμον (*ſecundum legem*) *dicitur rex, non facit regiæ gubernationis ſpeciem: quia in cunctis rebuspublicis fieri poteſt, ut ſit quidam ducendo exercitui, cum civitas bellum gerit, perpetuo præfectus, puta in populari ſtatu & optimatum gubernatione, pluresque autoritatem uni committunt belli gerendi.* Liquet igitur ex hiſce, παμβασιλείαν & regnum laconicum eſſe quaſi ſummum & infimum regnorum gradum, inter quos ſint quidam intermedii. Τῶν γὰρ ἄλλων, inquit, αἱ πολλαὶ μεταξὺ τέτων εἰσί. *Aliarum pleræque inter has mediæ ſunt.*

LVI. Ut nunc autem de ebræo regno dicere pergamus, laconicum illud procul dubio non fuit, cum auguſtiora longe in illo animadvertere liceat, quam in Laconum regno, huicque ſimilibus. Num vero inter παμβασιλείαν & laconicum regnum medium fuit? Ita ſane cenſet Grotius *l.* 1. *de jure p. & b. c.* 3. *num.* 10. Neque nos ipſi adſtipulari dubitamus. Id tamen ita intelligendum eſt, quod ebræum a laconico longiſſime, a παμβασιλείᾳ propius abfuerit. Ubi notandum tamen, παμβασιλείαν proprie eſſe, quando unus, qui totum populum, univerſe ſumptum, virtute omni civili exſuperat, imperat ad communem utilitatem: eſſe vero quædam & herilia unius imperia, quæ cum παμβασιλείᾳ conveniunt quidem ἐν τῇ αὐτοκρατορίᾳ, alias autem multum differunt, & Ariſtoteli tyrannides audiunt, ſi refragentur legibus, & ſint in populum invitum. Non itaque veram cenſemus παμβασιλείαν fuiſſe Ebræorum hoc regnum, ſed potius regnum tyrannicum (ex Ariſtotelis mente accepta voce) ſive δεσποτικὸν, quod tamen ad regni proprie

(*a*) *Recte in hunc modum Grotius*) HOUTUYN *l. c. p.* 92. miratur, cur Grotius hic verum jus non agnoverit, cum Dominum tamen voluiſſe populum conſentiat. Verum enim, ait, jus deſcribi regis futuri, conſenſus & libera populi voluntas probat -- conſenſus jus verum dat. Annon jure legitimo Dominus poſt conſenſum utitur.

Digitized by Google

proprie dicti modum quodammodo fuerit adminiſtratum, laudato etiam Ariſtoteli circa veras tyrannides more *l. 5. pol. c.* 10. Nec vero abnuit etiam Grotius. *Hi*, reges ebræi inquiens, *quin in rebus pleriſque ſummo jure imperaverint, dubitari nefas arbitror.* Rationem additurus pergit: *Voluerat enim populus regem, qualem habebant vicini. At Orientis populi addicte regnabantur.* Atque hoc quidem oſtendere ille potuit plurimis veterum teſtimoniis. Inter quæ ſunt illa, & quidem Livii: *Syri & Aſiatici, genera hominum ſervituti nata;* Taciti: *Servirent Syria, Aſiaque, & ſuetus regibus oriens;* Ariſtotelis: *οἱ περὶ τὴν Ασίαν ὑπομένουσι τὴν δεσποτικὴν ἀρχὴν, οὐδὲν δυσχεραίνοντες, Aſiatici dominatum æquo animo ferunt:* Maronis quoque iſta in Georgicis, ubi de apum rege loquitur,

*Regem non ſic Ægyptus & ingens*
*Lydia, nec populi Parthorum aut Medus Hydaſpes*
*Obſervant.*

In Ægypto ſane jam tum Joſephi ætate obtinuiſſe herile imperium & quidem ex lege, indicat liquido illa frumenti collectio & venditio, in commodum regis primario, non niſi per accidens autem in uſum populi, per Joſephum inſtituta: quæ criminis habuiſſet multum, niſi jam tum conſenſu publico dominatus valuiſſet. Id meretur attendi, quod nec etiam hodie alia ſit regnorum per omnem Aſiam & Africam ratio, quam herilis.

LVII. Et hanc quidem ſententiam ſuam de regnis aſiaticis Ariſtoteles ibi expoſuit, ubi regnorum ſpecies enarrat. Speciatim vero harum ſecundam, quam apud Barbaros obtinere dicit, hiſce verbis deſcribit *lib. III. polit. cap.* 14. *Eſt & alia monarchiæ ſpecies, qualia ſunt apud quosdam Barbaros regna, vim habentia proximam tyrannidi, licet ſint legitima & ſecundum morem patria. Ob id enim, quia magis aptæ ſunt natura ad ſerviendum nationes Barbarorum, quam Græcorum, & eorum, qui incolunt Aſiam, quam eorum, qui Europam, perferunt ſervile jugum æquo animo. Et ob hoc tyrannica ſunt hujusmodi regna, ſed habent ſecuritatem, quia more & legibus conſiſtunt.* De Ebræorum igitur regno, quod in Aſia itidem fuit, & quidem illorum, qui Græcis audiere Barbari, quid judicaturus etiam fuiſſet Philoſophus, ſi illud perſpectum habuiſſet, conjecturam facere haud eſt difficile.

LIIX. Fortaſſis tamen cui videatur, illam potius regni formam apud Iſraelitas eſſe inſtitutam, quæ Ariſtoteli dicta eſt *κατὰ νόμον*; non ſcilicet dominatum, ſed regnum legitimum, multis legibus vincta regia poteſtate. Idque eo argumento, quandoquidem Deus juſſit, ut & rex futurus omnis cum cura obſervaret legem per Moyſen promulgatam. *Non provocabimus hic ad ea*, (*a*) quæ Schickardus ex Maimonide aliiſque refert; ſunt enim, ſi non fabuloſa, ſaltim dubiæ fidei, imo ab ipſa etiam ſimilitudine veri remota: hauſta vero haud dubie ex thalmudicis commentis, partim confiéta quoque ab illo Maimonidis filio. At diſerta ſunt ipſiusmet divinæ legis *Deuter. XVII.* hæc verba, Pagnino interprete. *Quum autem ſederit* rex *ſuper ſolium regni ſui, ſcribat ſibi iteratam legem hanc in libro a conſpectu ſacerdotum Levitarum. Eritque apud illum, & leget in eo omnibus diebus vitæ ſuæ, ut diſcat timere Jehovam Deum ſuum; ut cuſtodiat verba legis hujus, & ſtatuta hæc, ut faciat illa. Ne elevetur cor ejus ſupra fratres ipſius, neque declinet a præcepto ad dexteram aut ad ſiniſtram, ut prolonget dies in regno ſuo ipſe, & filii ejus in medio Iſraelis.* Neutiquam igitur reges illa fuiſſe divina ſolutos lege, manifeſtum eſt. Obſervandum autem eſt, legem, cujus reſpectu regnum aliquod ſolet *κατὰ νόμον*, aut legitimum appellari, eſſe ſolam poſitivam legem, in quam reges a populo admittuntur ad regiam dignitatem. Omnes videlicet reges, quotquot ſunt, æterna naturæ ut & divina lege tenentur, verum ea parte non ſunt obſtricti ſuis populis, neque in illas leges ſolent accipi. Si contra illas leges deliquerint, Deo peccant, & illius pœnis ſeſe reddunt obnoxios. Tum demum autem peccant populo, ſi non obſervaverint præſcriptas ſibi a populo leges. Quod ſi nullæ tales leges regibus fuerint datæ, tum vero illi ſoluti ſunt legibus & *ἀνυπεύθυνοι*, ſaltim coram populo; neque tunc regnum obtinet legitimum ſive *κατὰ νόμον*. Jam autem Ebræorum reges non adacti ſunt a populo ad obſervationem divinæ legis: nec proinde illi pœnis populi fecerunt ſeſe obnoxios legis iſtius divinæ transgreſſione, ſed ſolius Dei. Ex adverſo ſolvit illos legis hujus obſervatione, ſaltim civiliter, *jus regium*, in cujus licentiam regnum ebræum omne fuit inſtitutum. Diſertis enim verbis jus illud permiſit, contra populi quidem vindictam, quam multa *διαῤῥήδην* repugnantia legi divinæ, quam tamen obſervari etiam regibus Deus juſſit. Enimvero absque fuiſſet ſtolida illa populi regum poſtulatio, juxta mores & jura in vicinis gentibus uſitata, crediderim equidem, ut rigidioribus legibus reges Ebræorum populo devincirentur, fuiſſe futurum: cum ipſis autem, etiam monitis, præfracte placuiſſet reges habere *ἀνευπευθύνους*, acceperunt etiam illos plane liberos & ſui arbitrii, *καὶ μὴ κατὰ νόμον*, adeoque *δεσπότας*. Quod ſi ſane fuiſſent coacti reges, & ipſi vivere & populum regere ex præſcripto divinæ legis, ad ſummam hujus quidem vitæ felicitatem populus non multo minus, quam Rege ipſomet Deo, pervenire potuiſſet, atque adeo potuiſſet obtineri vera *παμβασιλεία*: plena nimirum *αὐτοκρατεία* regum, eaque ad populi primo ac per ſeſe commodum. Sed ipſo populo volente, in vicem *παμβασιλείας* exortum eſt herile imperium, & populus in infinita liberos reges comitantia mala incidit: prout regum ipſorum aut major aut minor fuit improbitas.

LIX. Rem

(*a*) *Non provocabimus hic ad ea*) e. g. quod rex ſynedrio fuerit ſubjectus, ab eoque invitus judicatus, etiam verberibus cæſus, ſi contra leges ſcriptas officio peccaſſet; quæ nonnullis Thalmudicorum nugæ ſunt, juri regio & rationi adverſariæ, neque ullo ſacræ ſcripturæ teſtimonio probata.



Digitized by Google

LIX. Rem omnem hanc illuſtrare inſigni aliquo exemplo ex ſacra hiſtoria, non abs re fuerit. Vetitum erat divina lege, vendere aut alienare prorſus hereditarium agrum. Cum vineam igitur ejusmodi ſibi acquirere vellet rex Achabus, merito eam negavit Nabothus. Scio eſſe, qui cenſeant ab Achabo vineam illam petitam duntaxat in annum usque jubilæum. Verum ita regi potuiſſet morem gerere, forte & debuiſſet, Nabothus. At perpetuam poſſeſſionem Achabum ſibi petiiſſe, & contra divinam legem, ſatis indicat Nabothi reſponſum: *Abſit mihi a Jehova, ut dem hereditatem patrum meorum tibi.* Cum deinde peſſimo ſcelere rex vineam illam occupaſſet, multis itaque modis divinam legem violavit: & haud dubie in conſcientiam vulgi venit ſcelus illud; ſolus tamen Deus vindictam ſuſcepit: populo in regem ex crimine iſthoc nullum fuit jus animadverſionis, excuſante Achabum jure regio illo, quod legitur verſiculo quartodecimo octavi capitis libri primi Regum: *Agros inſuper veſtros & vineas veſtras, & oliveta veſtra optima accipiet, dabitque ſervis ſuis.* Quanquam ſceleſta arte Jezabelis per calumnias circumvento Nabotho, maluerit Achabus ſpecie aliqua juris vineam illam ſibi vindicare. Uno verbo: ex eo, quod Deus voluerit etiam a rege obſervari promulgatam legem, *non oportet colligere regnum* (*a*) κατὰ νόμον, ſeu quale ſolet legitimum appellari.

LX. Cæterum regnum Ebræorum fuiſſe vere μοναρχικὸν, imo δεσποτικὸν, confirmat ante omnia *jus regis* illud, quod a Samuele proponitur 1. *Sam. c. IIX.* Joſephus recte interpretatus hoc ipſum, ſcripſit Iſraelitas fore ſubditos, inſtar mancipiorum regiorum. συνελόντι δ' εἰπεῖν, δουλεύσετε μετὰ πάντων τῶν ὑμετέρων τῷ βασιλεῖ, καὶ τοῖς αὐτῶν οἰκέταις ἴσοι γενόμενοι. *Summatim dicendo, ſervietis cum omnibus veſtris regi, ipſorum famulis domeſticis facti ſimiles.* Et vero paſſim in ſacris Regum libris Iſraelitæ & Judæi omnes audiunt *ſervi Regum.* Illud ſane liquido ex Samuelis iſtoc *Regis jure* apparet, nullam poteſtatem relictam populo fuiſſe adverſus regum injurias; ſed, populum obligatum fuiſſe ad non reſiſtendum regibus, ubi jugo regio ſe ſemel ſubdidiſſet. Sane ita etiam eveniſſe populo illi omni, quemadmodum prædictum fuerat, ex perquam multis ſacræ ſcripturæ locis apparet. De Manaſſe memoratur, multum ſanguinis innocentium illum profudiſſe, 2. *Reg. c.* XXI. Vere tyrannica, per εἰρωνείαν fuſa, fuit vox illa Jezabelis ad Achabum Regem: *Grandis autoritatis es, & bene regis regnum Iſrael*; quod nimirum pateretur Achabus, negari ſibi a Nabotho vineam, hereditate licet acquiſitam. Sed & Urias illud jus regis expertus eſt, cum marita ipſi eriperetur, & de ſubmovendo ipſo conſultaretur. Facti vero pœnitens Rex David ita profeſſus eſt: *Tibi* (Deo) *ſoli peccavi.* (*b*) Ad quæ verba notat is, qui nomine Ambroſii audit pſalmorum commentator: *Rex erat, nullis ipſe legibus tenebatur. Quia liberi ſunt reges a vinculis delictorum: neque enim ullis ad pœnam vocantur legibus, tuti imperii poteſtate. Homini ergo non peccavit, cui non tenebatur obnoxius.* Et Hieronymus epiſtola ad Ruſticum: *Rex enim erat: alium non timebat: alium non habebat ſuper ſe.* Roboamum populus ita alloquitur 1. *Reg. c. XII. Pater tuus duriſſimum jugum impoſuit nobis: Tu itaque nunc imminue.* Ex verbis Pſalmi XVII. 2. *A facie tua judicium meum egrediatur*, probavit ipſemet Rambam, teſte Schickardo: *quod nulla creatura judicet regem, niſi Deus optimus maximus.* Eodem pertinet illud Eccleſ. IX. 4. *Quis dicet regi, quid facis?* Nec vero licet hisce opponere, quod decem tribus deſciverint a Rehabeamo, quaſi nempe populus ea in re libertate ſua ſuoque jure fuerit uſus. Reapſe enim peccavit populus in Rehabeamum: Deus autem illam rebellionem, quamvis injuſtam, ſua auctoritate roboravit & adjuvit, in ultionem idololatriæ a Salomone exercitæ. Quod ex ſacra hiſtoria palam eſt, ac proinde non eget ulteriore probatione.

LXI. Eſt autem jus regis, quod populo expoſuit *Samuel* 1. *c. IIX.* (*c*) illud ipſum, quod in libro conſignaſſe, & coram Domino idem Samuel repoſuiſſe memoratur 1. *Sam.* X. 25. ut nimirum teſtis aliquando eſſet illa ipſa ſcriptio, mala illa, ſuo jumento, ut cum Comico loquar, ſibi attraxiſſe gentem ebræam. Nec enim perſuaſerit nobis *Cunaus*, (*d*) vel quisquam alius, in libro, qui ibi memoratur, conſignata fuiſſe illa, quæ habentur *Deut.* XVII. 16. & *ſeqq. Cumque fuerit conſtitutus, non multiplicabit ſibi equos, nec reducet populum in Ægyptum, equitatus numero ſublevatus, præſertim*

(*a*) *Non oportet colligere*) Equidem juris dominici, ait HOUTUYN p. 94. limitatio perpetua eſt, ne legi naturali vel divinæ repugnet. Poſita igitur lege, in jure Achabi transferendi ius non fuit, nec ad dandum coactio, nec in iure Nabothi dare. Et tamen ſtare ius domini, cum non iure Achabi potuit. Dominus manet, quamvis ius plenum lex divina limitet. Etenim & reges nunc ſunt, licet jus non omne lex naturalis & divina permittat. Et romanæ leges ius Domini in ſervos limitant, cum tamen Domini maneant &c.

(*b*) *Tibi* (Deo) *ſoli peccavi*) Pſalm. LI. 6. Hæc verba, (quæ HOPFNERUS in *Locis Theolog. p.* 224. ita interpretatur: *Tibi, Domine, peccatum ſum*, ut David ſcilicet ſentiat, ſe non modo eſſe peccatorem concretive, ſed & abſtractive, quæ tamen emphaſis non eſt in fonte) plerique exponunt ad mentem epigrammatis OWENI:

Subditus in legem peccat, regemque Deumque
Rex peccat ſoli, rex quia, nempe Deo

Verum HACKSPANIUS *in notis theol. philol. p.* 218. aliud eſſe dicit, ſoli Deo peccare, aliud a ſolo Deo pœna affici: Poſterius verum eſſe, prius tamen hoc loco non dici, ſiquidem David non Deo ſoli, ſed & in ſuum corpus & in Batſebam peccaverit; quare putat, verba hæc idem ſonare, ac ſecreto & nemine conſcio peccare. SCHICKARDUS adhuc aliter obſervat, Davidem quidem peccaſſe quoque in Uriam, ſi ſupervixiſſet, verum, hoc mortuo, peccatum ſoli Deo confiteri. Hunc autem refutat WANDALINVS lib. 2. *de jure regio* c. 8.

(*c*) *Samuel* 1. *c. IIX.*) SCHICKARDUS *c. 2. theor. 7.*

(*d*) *Cunaus*) Sunt nonnulli, qui opinantur, veterum ſtylo conſentaneum eſſe, tribuere proavis maxime illuſtribus, quæ nepotibus debentur, ut eo magis eorum radiis coruſcent, & eo facilius homines in reverentiam & obſequium pertrahant. Ex hoc coniiciunt, Moſi multas adſcribi, conſtitutiones, quæ Davidi & ſequentibus debentur regibus, cum ſimplicitas & tenuitas iudaicæ gentis, in qua tempore Moſis fuit, ab ἀκρίβεια, quæ in quamplurimis legum illarum compareat, abhorruerit. Addunt, conſtitutiones deinde illas per Zadockum & Chilckiam, pontifices, tempore Manaſſis & Joſuæ eſſe in unum corpus digeſtas, & una cum aliis autori gentis eſſe attributas. Ita & plura Davidis & Salomonis placita in Joſuæ hiſtoria legi: Sed hanc ego ſententiam non meam facio.

Digitized by Google

*præſertim cum Dominus præceperit vobis, ut nequaquam amplius per eam viam revertamini. Non habebit uxores plurimas, quæ alliciant animam ejus, neque argenti & auri immenſa pondera &c.* Certe hæc jam antea coram Domino repoſita fuerant; tunc nimirum, cum ipſum *δευτερονόμιον*, cujus illa particulam conſtituunt, ad arcam fœderis reponeretur. Tantum igitur inde depromenda erant, quæ ad officium moresque Regis pertinebant. Quid? quod neque illa, quæ ad mores regum formandos conſcripta erant, *Jus Regis*, cui ex adverſo reſpondeat civium obligatio, commode dici poterant. Eſt vero etiam 1. *Reg.* IIX. & X. eadem *juris regii* appellatio, ut cum priore loco illud ipſum recenſeatur, poſteriore autem deſcriptum & coram Domino repoſitum memoretur, haud diverſum quid intelligi debeat. Sane nihil omnino prohibet, quo minus ita ſtatuamus. Nec enim opinandum eſt, quoniam *jus* illud coram Domino repoſitum memoratur, idem per omnia recte ſe habuiſſe, & Deo probatum. Legimus autem a Samuele productum Dei præcepto *jus regium*, & nunc quoque illud in ſacris *literis reperitur*, (*a*) ac proinde in uſum reipublicæ jus illud a Deo promulgatum eſt. Placent nobis illa Joſephi *l. VI. Antiq. c. 5.* *τὰ μέλλοντα συμβήσεσθαι κακὰ γράψας αὐτοῖς ὁ προφήτης, ἀνέγνω τοῦ βασιλέως ἀκροωμένου: καὶ τὸ βιβλίον τίθησιν ἐν τῇ τοῦ θεοῦ σκηνῇ, ταῖς μετέπειτα γενεαῖς μαρτύριον, ὧν προείρηκε.*

LXII. VERUM quod antea diximus de Regum Ebræorum *plene monarchica* (*b*) imo herili poteſtate, id patebit etiam amplius, ſi jura majeſtatis expenderimus, quomodo ſe illa Regum ævo habuerint. Sunt autem majeſtatis jura nobis hodie cum alia, tum præcipue ipſum *τὸ κύριον*. Cujus quaſi partes ſunt poteſtas ferendarum & abrogandarum legum, jus belli & pacis: appendices, poteſtas magiſtratuum & judiciorum inſtituendorum, facultas judicandi tam in publicis, quam privatis reipublicæ negotiis. Hæc nimirum omnia penes Reges Ebræos fuerunt.

LXIII. Ut autem de *poteſtate ferendarum & abrogandarum legum* primo dicamus, dubium [fateor] cui videri poſſit, an ea penes Reges Ebræorum fuerit. Ex *quinto* ſane Moyſis *cap. XVII.* intelligimus, qui Ebræorum Rex aliquando futurus eſſet, illum juberi, divinas leges evolvere, & ſervare omnia, quæ ab ipſo Deo ſancita ante fuerant. Debuerunt igitur divina ſcita in Ebræorum republica manere rata, etiam tum, cum Reges imperarent, neque regibus illa immutare aut abrogare fuit integrum. Scilicet omnia legis moſaicæ præcepta vim & conditionem quadamtenus habuerunt juris naturalis: itaque hactenus ſane non fuit legiſlatoria poteſtas arbitrii regii. Cæterum multa non fuerunt liquidi juris, neque omnia legibus divinis fuere definita: illa itaque conſtituere & abrogare in mera fuit regia facultate, adeoque in his *ἡ νομοθεσία* regi fuit integra. Hoc perſpicere eſt ex multis conſtitutionibus Davidis & Salomonis, aliorumque etiam optimorum regum: iisque non profanis duntaxat, ſed etiam ſacris. Certe David plurima hujus etiam generis ordinavit: ne quis cauſetur, ab improbis regibus multa eſſe facta ſecus quam licebat. Quod ſi porro & conſtitueret quidquam Rex adverſus legem illam divinam, tamen iis, qui ipſi parebant, facti ſui rationem reddere non tenebatur: vel ut ſi quando injuſte jus diceret, ii qui parebant, ſententiam latam juſte detrectare non poterant, ſed obligati erant, ut jam ante diximus, ad non reſiſtendum.

LXIV. Porro, quod ad *belli gerendi poteſtatem* attinet, penes reges Ebræorum utique etiam illa fuit. De Saulo 1. *Reg. cap. XIV.* memoratur: *Saul confirmato regno, pugnabat per circuitum adverſum omnes inimicos ejus, contra Moab, & filios Ammon, & Edom, & Reges Soba, & Philiſtæos: & quocunque ſe verteret, ſuperabat.* De Davide itidem narratur, quod expeditionem ſuſceperit cum armata manu, & prædas egerit de variis hoſtibus. Ita & de poteſtate deligendi conſcribendique militem dubitari non poteſt, quin penes Reges ea fuerit. Saulus ubicunque fortem & robuſtum deprehendebat, eum ſuæ militiæ addicebat. Immo ubi adverſus Ammonitas bellum gerendum erat, ſub pœna occiſionis & diſcerptionis jumentorum coëgit militem. Par ratio fuit reliquorum regum. Neque vero legas, Reges in bellum profecturos ſemper ante Deum conſuluiſſe, liceret, nec ne: utique quod id neglexiſſent, nuſquam a Prophetis reprehenduntur. Fieri autem alterutrum debuiſſet, ſi etiam tunc, ut ante, bellum indicere, niſi juſſu divino, fuiſſet nefas.

LXV. *Magiſtratus* etiam & *Judicia* pro arbitrio inſtituerunt reges Ebræorum. Sane magiſtratus ſingularum civitatum manſere etiam regum ævo. At qua ratione, & ex quibus inſtitui deberent, penes reges arbitrium fuit. De Joſaphato 11. *Paralip. c. XIX.* memoratur, *conſtituiſſe ipſum judices terræ in cunctis civitatibus Juda munitis per ſingula loca.* Ibidem etiam memoratur, eundem Regem Joſaphatum inſtituiſſe illo ſingularum civitatum magiſtratu aliquem augu-

ſtio-

(*a*) *Literis reperitur*) SCHICKARDUS *c. II. theoremate VII.* negat, ſupereſſe: Sed autoris noſtri ſententia verior, quam etiam quam plurimi ex Rabbinis amplectuntur, ut RABBI LEVI BEN GERSON. R. DAVID KIMCHI R. SALAMON ABEN MELECH.

(*b*) *Plene monarchica*) Limitatam admodum fuiſſe aliis placet. Nonnulli putant, recte formatæ reipublicæ primordia demum a tempore Davidis eſſe repetenda, cum antea fuerit militaris quaſi multitudo, a ducibus exercitus ſub ſacerdotum conſiliis recta, quod ſub Joſua continuatum & judicibus, licet ſub his Judæi plerumque ſub vicinarum gentium jugo gemuerint, Moſis tempore & poſt etiam penes ſacerdotium ſummam fuiſſe autoritatem dicunt ſic ut nonnullis videatur qualem, qualem etiam illam reipublicæ formam, quæ ante Davidis tempora erat eccleſiaſticam fuiſſe ariſtocratiam. Et Samuelem gentem judaicam docere voluiſſe, quam periculoſa foret mutatio, ſi ab ea ad formam reipublicæ vicinis conſuetam diſcedere vellent. Pergunt Saulem proprie non niſi ducem exercitus fuiſſe gentis, ſe a Philiſtæorum iugo liberaturæ. Poſt Davidis autem tempora ſub quovis fere novo rege, novam quaſi regiminis formam rempublicam induiſſe. Denique aliam poſt reditum ex captivitate, & demum aliam ſub Machabæis obtinuiſſe.



Digitized by Google

ſtiorem ac ſuperiorem. Is autem erat concilium judicum in ſancta urbe, ad quod referri debebant illa, quæ liquidi juris non eſſent, adeoque in ſingulis civitatibus decidi nequierant. Verba ſacri ſcriptoris, quibus iſthuc memoratur, jam ſupra §. 37. produximus, ubi de collegio LXX. virorum agebamus. De Davide etiam, qui integro ſeculo ante Joſaphatum vixit, memorat *primus Paralipomenωn cap. 17.* ipſum cum ex Levitis plurimos ſacro muneri addixiſſet, ex iisdem etiam non paucos civilibus negotiis expediendis præfeciſſe, eosque judices conſtituiſſe. Ex verbis ſacri libri pauca ſunt illa: *Iſaaritis præerat Chonenias & filius* [filii] *ejus ad opera forinſecus* [externum] *ſuper Iſrael ad docendum & judicandum eos.* *Opera externa* (a) bene notat Bertramus *de rep. judaica p. 126.* eſſe illa, *quæ ſunt extra ſacra illa munera, quæ in æde Domini ſeu Tabernaculo ſacrificiis faciendis erant neceſſaria.* Cæterum latina verborum verſio fortaſſis per omnia non ſatis hic recte habet, & ea melior eſt verſio noſtri Germanici interpretis. Sed neque de illa, neque de multis aliis, quæ huc omnino pertinent, disquirere fert inſtitutum.

LXVI. *Judicum* itaque *Judiciorumque* conſtituendorum poteſtatem penes Reges fuiſſe, palam eſt. *Utrum* vero ipſiſmet *Regibus fas fuerit judicare*, poſſit forte dubium videri, idque quoniam thalmudici magiſtri hic nonnihil turbant. In titulo enim *Sanhedrin. cap. 2. paragr. 2.* Miſchna citra omnem exceptionem affirmat: *Rex nec judicat, nec judicatur.* In Gemara autem hoc reſtringitur ad ſolos Reges Iſrael. Verba Gemaræ ſic Latine vertit Coccejus: *Traditio hæc non attinet niſi ad Reges Iſrael. Nam qui ex familia Davidis ſunt, judicant & judicantur. Q. S. E. Domus Davidis, ſic dicit Dominus, exercete quolibet mane jus. Atqui niſi in jus vocari poſſent, ipſi quomodo judicarent?* Paulo poſt addit Gemara: *Reges Iſrael quare non? Propter id, quod in ſervo Jannæi Regis accidit.* Cumque ſubjunxiſſet hiſtoriolam, tandem ita finit: *Ea tempeſtate factum eſt decretum; Rex nec judicet nec judicetur, nec teſtimonium dicat, neque in ipſum dicatur.* Sed hæc quidem omnia mera ſunt deliria. Janæus ſcilicet Rex is eſt, qui alias Alexander audivit, Joannis Hyrcani Ethnarchæ Haſmonæi filius, Ariſtobuli, qui primus ejus familiæ diadema aſſumpſit, & frater & ſucceſſor. Si tunc demum itaque decretum factum eſt illud: *Rex nec judicet nec judicetur*: quomodo hoc pertinuit ad Reges Iſrael, priſcos illos, qui regnaverunt a Jeroboamo usque ad Aſſyriacam deductionem? Quomodo ex eo poteſt probari, quid juris illi Reges habuerint aut non habuerint? Sed & hiſtoriola illa re vera mendax fabula eſt. Nec vero Joſephus tam memorabile quid ſiluiſſet; in ipſo nempe judicandi actu aſſeſſores judicii *ab Gabriele angelo ita fuiſſe afflictos, ut omnes animam efflarent.* Ita quoque Joſephus narravit ingenium & facta illius Regis, ut non poſſit vel ſimile vero videri, Regem Jannæum teſtimonii dicendi cauſa in Judicio voluiſſe comparere; utpote qui ſævierit in Judæos minus reverentes Regiæ auctoritatis, ejusque tuendæ gratia pene quinquaginta millia eorum trucidaverit. Ineptiſſima præterea eſt probatio, qua uſus eſt in Gemara Rabbi Joſeph: non potuiſſe Davidicæ familiæ Reges judicare, niſi etiam ipſi fuiſſent judicio ſubjecti. Ab omnium rerumpublicarum inſtitutis enim hoc quidem alieniſſimum eſt. At vero plurima reperiuntur in ſacris Regum cum Saulis & Davidicæ poſteritatis, tum Jeroboami ejusque ſucceſſorum hiſtoriis, exempla Judiciorum, *quamvis capitalium*, (b) ab ipſiſmet regibus exercitorum; ut ad thalmudica teſtimonia aut dicta non neceſſum ſit confugere. Igitur hoc quidem regium jus etiam eſt liquidum.

LXVII. Prius autem, quam hunc locum de Regum Ebræorum poteſtate deſeramus, non abs re fuerit aliquid expendere, quod in ſacra hiſtoria Regum tribus Judæ nonnullorum memoratur. Secundo nimirum Paralipomenon c. XXI. 3. de Joſaphato interprete Pagnino legitur. *Dederat autem eis* [ſex filiis natu minoribus] *pater eorum dona multa argenti & auri & rerum pretioſarum, cum urbibus munitis in Jehuda: regnum autem dederat Jehoram, quod ille eſſet primogenitus.* (c) Hoc quidem factum indicat, a Joſaphato, pio quamtumvis Rege, ita exercitam fuiſſe regiam vim, quaſi in patrimonio regio fuerit Judæa omnis collocata. At vero *cap. XXX. 6.* narratur, cum placuiſſet, ad celebrandum Paſcha non tantum regni Judæ ſubditos, ſed etiam decem aliarum tribuum populares invitare, miſſas eſſe epiſtolas *de manu Regis & principum ejus.* verſic. 12. ſcribitur: *In Jehudah quoque fuit manus Dei, ut daret eis cor unum; ad faciendum præceptum Regis & Principum, juxta verbum Jehova.* Hoc enim poſſit videri indicare, quod non penes Regem Ezechiam ſolum fuerit tunc ſumma poteſtas, ſed in partem illius juris etiam *principes* fuerint admiſſi. Cæterum non licet hoc certo hinc colligere. Potius enim *principum* quoque nomine literæ illæ fuerunt ſcriptæ, quo perſuaderetur omni populo, ad inſolens illud Paſchæ celebrandæ inſtitutum, probe deliberatum conſilium *Principum quoque populi* acceſſiſſe, non autem ab unius Regis præcipite quodam nutu ita mandatum eſſe. Sunt porro, interque eos ipſe Grotius *l. 2. de Jure Belli ac Pac. cap. 3.* qui illud, quod de Zedekia Jehudæ regum

(a) *Opera externa*) Hæc Raſchi, Kimchius, Vatablus, Grotius, Tremellius Juniusque de cæſura lignorum, lapidumque, cultura vinearum & hortorum, aratione fundorum Eccleſiaſticorum, aliisque operis ruſticanis interpretantur, quod etiam placet BECKIO in notis ad *Chaldaicam Paraphraſin lib. 1. Chronic. p. m. 271.*

(b) *Quamvis capitalium*) Non negat quidem GROTIVS *de jure belli & pacis lib. 1. cap. 3. n. 20.* Judæorum reges iudicia quædam capitalia per ſe exercuiſſe. Addit tamen, qua in re ipſos regibus decem tribuum Iſraeliticarum Maimonides præfert, (ap. SELDENUM de *Jur. nat. Ebr. lib. 2. c. 14. n. 1. lib. 3. c. 9. n. 2. 3.*) Verum hoc rationem non habet, dum diviſione facta in utrumque ius derivatum, quod Sauli, Davidi & Salomoni fuerat. SELDENVS iudicia regum extraordinaria vocat *de Synedriis lib. 2. c. 14. n. 1.* De hac vero denominatione pluribus disquirit HOUTUYN p. 108. p. 144.

(c) *Quod ille eſſet primogenitus*) Non quod lege ſucceſſionis ei deberetur, quam ius Domini repudiat, ſed ex libera defuncti diſpoſitione, quod huic dare quam alii placeret, cum & non dare, vel natu minori licuiſſet, quod ius David & alii uſurparunt.

Digitized by Google

gum poſtremo legitur *Jeremiæ* XXXIIX. reſpondiſſe illum proceribus, depoſcentibus a Rege Jeremiam ad mortem: *ecce in poteſtate veſtra eſt,* (*a*) *nam contra vos Rex nihil poteſt*: qui inquam hoc accipiunt, tanquam ſignum limitatæ & communicatæ ex parte proceribus regiæ poteſtatis. Verum enimvero altiore tunc animo fuiſſe illos principes, quam admittit alias regium faſtigium, & Zedekiam illis fuiſſe quadamtenus obnoxium, liquet hinc fortaſſis: non liquet autem, juri hoc fuiſſe conſentaneum. Sæpenumero enim & cæſos eſſe reges a conjuratis, docent nos ſacræ hiſtoriæ. Fas autem hoc fuiſſe, neutiquam exinde colligere id licet. Alia addere nec fert inſtitutum nec operæ fuerit pretium.

LXIIX. SUMMA autem regum poteſtate ſatis evicta, addemus nunc nonnihil etiam de eo, qua ratione Reges Ebræorum ad regiam dignitatem olim evecti fuerint. Quamvis vero vulgo exiſtimetur, totum illud in hac gente habuiſſe ſeſe omni ex parte ad eum modum, qui in aliis populis obtinuit, nempe ut Rex fuerit vel electione populari conſtitutus, vel ad eam dignitatem hereditario jure pervenerit: non videtur tamen id vero eſſe ἁπλῶς conſentaneum, ſed ſaltim interdum ad regum conſtitutionem fuiſſe neceſſarium conſenſum ipſiusmet Dei apertum. Enimvero primum ſane regem non licuiſſe populo ſibi pro arbitrio ſumere, manifeſtum eſt ex ipſa lege divina Deuteronomii XVII. 15. *Eum conſtitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum.* Hinc etiam populus regem ſibi a Samuele, Propheta nimirum & legato Dei, conſtitui petiit 1. *Reg. VIII.* 5. non autem ſuo aliquem arbitrio conſtituit. Samuelis Saulem in regem inungentis, verba fuerunt 1. *Sam. X.* 1. *Ecce unxit te Dominus ſuper hereditatem ſuam in principem.* Sors quoque, qua Saul electus fuit Rex, *coram Domino* ſcribitur miſſa: & Samuel deinde ita allocutus eſt populum: *Videtis quem elegit Dominus.* Similiter ſigillatim Davidem Deus juſſit in regem ungi, projecto Saulo ejusque familia: ſed & ejus poſteritati regiam dignitatem promiſit. Salomon quoque, ex omni fratrum numero, non tam Davidis, quam Dei ſingulari nutu ad regnum liquet perveniſſe. Huc enim videntur ſpectare illa Davidis ad populum verba 1. *Paral.* XXIX. 5. *De filiis meis* [*filios enim mihi multos dedit Dominus*] *elegit Salomonem filium meum, ut ſederet in throno regni Domini Iſrael.* Item 1. *Paral.* XXX. 1. *Salomonem filium meum unum elegit Dominus, adhuc puerum & tenellum.* Quemadmodum regnum, Deo volente fuerit diviſum, & decem tribus Jeroboamo datæ, palam eſt ex 1. *Reg. c.* XI. Alias idem obſervatum, vel certe debuiſſe obſervari, fortaſſis eſt veroſimile. Nec vero alia videtur eſſe cauſſa, cur reges paſſim audiant *Chriſti* vel *uncti Domini.* Certo tamen aſſeri id non poteſt. Voluiſſe ſane ipſummet Deum, jam ante exortos reges, regnum hereditarium eſſe debere, indicant verba illa *Deuton.* XVII. 20. *Ut prolonget dies in regno ſuo, ipſe & filii ejus in medio Iſrael.* Cum populus porro petierit regem ſibi dari, ad morem aliarum gentium, utique eo ipſo itidem ſucceſſionem voluit hereditariam: illa enim obtinebat tunc paſſim gentium. Huc pertinet, quod Joſaphatus legitur inſtituiſſe regem filium Joramum, eo quod primogenitus eſſet præ ſex fratribus. Fuit porro hæc ratio ſuccedendi duntaxat Regum Jehudæ: qui decem tribubus imperarunt, non omnes eodem modo ad regiam dignitatem pervenerunt.

LXIX. Non negamus quidem, populum Ebræum interdum, Deo inconſulto, imo contra Dei inſtitutum, nonnullis regiam dignitatem contuliſſe: verum ex eo non efficitur, idem fuiſſe popularis juris. Ita Abner, Saulo defuncto filium ejus Isboſeth conſtituit regem, & tamen eum non ignoraſſe, quod aliud placuiſſet Deo, manifeſtum eſt ex ejus verbis 2. *Sam. III.* 9. *Hæc faciat Deus Abner & hæc addat ei, niſi quomodo juravit Dominus David, ſic faciam cum eo, ut transferatur regnum de domo Saul: & elevetur thronus David ſuper Iſrael & ſuper Judam, usque Berſabe.* Similiter Seniores tribuum decem Iſraelis, defuncto Isboſetho, demum dixerunt Davidi 2. *Sam. V.* 1. & 2. *Ecce nos os tuum & caro tua ſumus: ſed & heri & nudius tertius, cum eſſet Saul rex ſuper nos, tu eras educens & reducens Iſrael: dixit autem Dominus ad te: Tu paſces populum meum Iſrael, & tu eris dux ſuper Iſrael.* Hiſce autem verbis revera ſemetipſos graviſſime accuſarunt. Nec vero penes populum jus fuit conſtituendi quem vellent, præſertim ſi Deus jam alium feciſſet in Regem ungi. Sed & regum conſtitutio illa, quæ populo in ſacra hiſtoria adſcribitur, plerumque non tam fuit electio, quam præſtatio homagii, ut verbis noſtri ævi utamur. Verum & de hoc argumento pro inſtituti ratione ſatis.

LXX. QUÆCUNQUE autem de Regum Ebræorum poteſtate dicta nobis ſunt, ea valde elevabuntur, ſi vera ſunt, quæ ſive de Synedrii magni poteſtate, ſive de Regibus ipſis, prodiderunt ſequioris ævi Judæi Thalmudici. Ut enim *Synedrii poteſtatem primo* videamus, jam tum ſupra commate XXXVI. auditus quidem de illa eſt Rabbinorum doctrinam ſummatim promens Schickardus, ex re fuerit tamen, ipſum Thalmud quoque audire. Ita vero in *Tit. Sanhedrin* *cap.*

(*a*) *Ecce in poteſtate veſtra eſt*) Rabbini ajunt, de Propheta cognitionem ad ſolum Synedrium pertinuiſſe, Regi vero eam ademtam fuiſſe, quæ ſententia etiam placuit SELDENO de *Synedriis* lib 2. c. 8. n 4. lib. 3. c. 6. n. 1. 4. & c. 9. n. 1. GROTIO *de jur. belli & pacis lib.* 1. *cap.* 3. *n.* 20. Sed cur Prophetæ a iudicandi facultate, Regibus propria eximendi ſint, non video. Ipſi ſane reges Dominos ſuos appellant, ipſos ſe ſervos regum, uti Nathan 1 Reg. 1. & DANIEL *c.* 4. 11. ipſe etiam Jeremia cap. 37, 20. Quare vero intelligentiam ad diſcernendum, quis propheta verus, quis falſus, Regi negabimus? maxime cum & totam legem imprimis regi ſcriptam novimus. Grotius quidem ademtum hoc jus regi dixit. Verum ademti huius iuris probationem ex lege dare debuiſſet, quod cum non fecerit, proinde Zedekiæ reſponſionem potius modeſtam vel prudentem fuiſſe, ſtatuo, qua cum enixe vel importune ad mortem prophetam poſtularent, eum arbitrio ipſorum permiſerit, dicendo. *Ecce habetote Jeremiam, judicio veſtro eum permitto,* contra vos ultra nihil volo, uti Pilatus Judæis Chriſtum permiſit, multitudinem metuens.



Digitized by Google

*cap.* I. *par.* 5. legitur, interprete Joanne Coch ſive Coccejo. *Tribus, Pſeudopropheta, ſacerdos magnus,* (*a*) *non niſi a* LXXI. *Judicum conſeſſu judicantur. Bellum arbitrarium non niſi ex illorum auctoritate ſuſcipitur. Urbs atriumve non niſi his jubentibus amplificatur. Synedria tribuum non niſi horum nutu inſtituuntur. In nullam urbem ſententia univerſalis apoſtaſiæ fertur niſi ab hoc Judicum collegio. Nulla Urbs ob univerſalem idololatriam plectitur, ſi in limitibus ſita ſit.* Si hæc vera ſunt, atque adeo ſi tam ampla fuit Synedrii magni poteſtas, idque fuerit in uſu, florentibus Regum rebus, non ea obtinuit regni ratio quam nos definivimus, ſed alia longe reſtrictiore auctoritate. Id ſane neceſſario ſequitur, ut alia nunc taceamus, ſaltim ex eo, quod Bellum arbitrarium non niſi ex Synedrii auctoritate potuerit ſuſcipi. *Arbitrarii* autem nomine intelligimus illud, quod non a Deo fuit imperatum. Judicandi quoque ſumma poteſtas defuerit Regibus Ebræorum, ſi potiſſima negotia ad ſolum Synedrium pertinuerunt. Et tamen jurisdictio non levis eſt ſummæ civilis poteſtatis portio. Quod ſi denique & Synedria tribuum conſtituere fuerit juris Synedrii hujus magni, ne magiſtratuum quidem conſtitutio omnis in Regum fuiſſet poteſtate collocata. Verum enimvero jam tum liquidum fecimus ex ipſo ſacro codice, Regem iſthæc omnia potuiſſe, quæ Thalmudiſtæ Synedrio magno vendicant: itaque non eſt quod nos παρέδοσις illa hic turbet. Notum quoque eſt, 3. *Reg. c.* II. Abjatharum ſummum ſacerdotem ab ipſo Salomone Rege Pontificatu exutum eſſe, non per Synedrii ſententiam: quod judicium tamen Thalmud attribuit ſoli Synedrio. De Prophetis porro multi Regum judicarunt: ſæpe quidem inique, non ob id tamen a Deo increpati, velut alieni juris invaſores. In univerſum, illius Synedrio a Thalmudicis attributæ poteſtatis, in omni Regum hiſtoria ſacra, nec vola nec veſtigium reperitur, ut proinde ſaltim tunc temporis illa non fuerit in ullo uſu.

LXXI. Imo vero (liceat enim hoc nunc addere) ne quidem in hiſtoria eorum, quæ poſt ſolutam captivitatem acciderunt, ſive ſacra, ſive ea, quam Joſephus conſcripſit, tantæ a Synedrio auctoritatis exercitiæ licet ullum vel minimum reperire exemplum. Ex adverſo narrat Joſephus *l.* 13. *c.* 18. *Antiq.* Joannem Hyrcanum, non impium utique Ethnarcham, abrogaſſe Phariſæorum decreta, eorumque obſervatores pœnis affeciſſe. Ex eodem Joſepho conſtat, Alexandrum Regem, morti propinquum, uxori Alexandræ arbitrium feciſſe conſtituendi ex filiis, quem vellet, Pontificem, illam vero ſummum ſacerdotium contuliſſe Hyrcano: hunc Pontificatum ereptum a fratre Ariſtobulo & ſibi vindicatum ad aliquot annos: ab Herode quoque jam facto Rege, creatos Pontifices, nec amplius ex Haſmonæo genere, ſed ex ſacerdotali quidem tribu, obſcuros tamen quosque pro libitu homines: Herodis denique exemplum ſecutos, primo filium Archelaum, & tandem Romanos. Quæ omnia liquido oſtendunt, ne iſthac quidem tempeſtate Synedrio competiiſſe jus de ſummis ſacerdotibus decernendi. *Libro* quidem *XIV. cap.* 17. narrat Joſephus nonnulla, de Herode Antipatri filio Galilææ tum præfecto: hunc coram Synedrio cauſam dicere coactum. Fuit vero ille tantum cædis reus. Atque ita ex iſta Joſephi narratione hoc duntaxat colligere eſt, Synedrio tunc fuiſſe jus ordinarium magiſtratus, ſententiam de cæde dicendi. Addit vero etiam itidem Joſephus, omnes Synedrii illos judices ab Herode jam Rege, *excepto uno,* (*b*) fuiſſe interemptos. Præter autem hoc unum nihil omnino habet Joſephus, unde auctoritatem Synedrii vel illa Haſmonæorum ætate reapſe multum uſitatam fuiſſe, poſſit patere.

LXXII. Verum hæc, quæ ultimo loco diximus, ad ſtatum reipublicæ judaicæ, qualis ille fuit ſub Regibus ante Babylonicam captivitatem, non pertinent. Ut redeamus igitur ad illa captivitate priora tempora, jam tum ex ipſomet Joſepho demonſtravimus, omni illo a Saule monarcha usque ad captivitatem Babylonicam longo temporum intervallo, vere Regium ſtatum obtinuiſſe, non autem penes Synedrium aliquod fuiſſe ſummi regiminis partem. Quæcunque igitur jactitant Thalmudici magiſtri, & eorum hac in parte ſectatores, de amplæ illius Synedralis poteſtatis a Moſe usque continuata perpetuitate, ſi quod res eſt, licet ſalva doctiſſimorum aliquot virorum auctoritate, profiteri, fabuloſa ſunt univerſa. Meretur vero etiam hic attendi, quod illa Thalmudica doctrina non reperiatur in Joſephi libris: cum tamen ille a Phariſæismo ſui temporis non fuerit alienus. Etenim audivimus quidem illum jam tum ſupra th. XLIII. narrantem, tanquam a Moyſe ſit mandatum, ut Rex aliquando futurus *nihil agat, præter ſententiam ſummi ſacerdotis & ſenatorum,* quod ſi etiam Rex exorbitet, *coërcendum* illum eſſe, ideoque etiam tunc de Synedrii in regenda republica auctoritate, deque ejus jure in temperanda poteſtate Regia, aliquid fuiſſe jactitatum: multum tamen illa omnia mitiora ſunt Thalmudicis placitis. Eſtque proinde haud vero abſimile, *poſt excidium Romanum nata* (*c*) demum iſthæc in Regii regiminis everſionem excogitata dogmata. Quam parum vero liceat fidere Thalmudicis de Synedrio narrationibus, vel illud nos doceat, quod iſthoc ipſo *cap.* I. *Sanhedrin parag.* 6. legatur; alios quidem docuiſſe, Synedrium illud magnum habuiſſe ſeptuaginta unum judices, illudque probaſſe non niſi ex *Num. XI,* 16. Rabbi Jehudam tamen perhibuiſſe, tantum ſeptuaginta illi judicio interfuiſſe. Quoniam vero ne quidem de numero Synedralium judicum Thal-

(*a*) *Tribus, Pſeudopropheta, ſacerdos magnus*) Hæc tria, quæ a iudicio regio excipiunt Thalmudici, cum aliis examinat meritoque refellit HOUTUYN p. 169.--173. Si vero Synedrium ſolum de propheta, pontifice, tribu iudicaverit, id, ne regibus iniuria fiat, intelligendum eſſe vel de iure a regibus mandato vel inveterata conſuetudine.

(*b*) *Excepto uno*) Nimirum *Samea*, quem ob iuſtitiæ cultum in honore habuit Herodes, quodque cum obſideretur urbs ab Herode, autor eius admittendi fuiſſet uti refert JOSEPHUS *antiqu. Jud. lib.* 14. *c.* 17. & *lib.* 15. *cap.* 1.

(*c*) *Poſt excidium Romanum nata*) Ita tamen ut iis anſam dederint res a Synedrio M. ante illud geſtæ, ejusque præſumta in reges autoritas, unde tot inter eos & Synedrium extiterunt contentiones.

Digitized by Google

Thalmudici inter ſeſe fuerunt certi, palam utique vel ex hoc uno eſt, thalmudicis de ſynedrio narrationibus haud tuto poſſe credi.

LXXIII. Haud negaverim tamen, ad ſynedrium forte trahendum eſſe id, quod habet Joſephus *l.* 20. Ἀρχαιολογίας, *fine capitis octavi*, μετὰ δὲ τὴν τούτων τελευτὴν, Ἀριστοκρατία μὲν ἡ πολιτεία, τὴν δὲ προστασίαν τοῦ ἔθνους οἱ Ἀρχιερεῖς πεπίστευοντο. Loquitur ſcilicet Joſephus de eo, quid obtinuerit poſt Archelaum, cum jam Romani imperarent Judæis. Nempe tunc temporis rempublicam factam fuiſſe ariſtocraticam, hoc eſt, ſummam poteſtatem veniſſe ad optimates, præſidentibus tamen pontificibus. Optimatum autem nomine audiiſſe hic Joſepho ſynedriales proceres, per ſane eſt veroſimile: quod jam tum diximus. Et vero Romanis rerum potientibus, eorum paucorum, quæ gubernanda Judæis ipſis fuerunt relicta, regimen penes ſynedrium fuiſſe & pontifices, etiam ex evangelica hiſtoria haud obſcurum eſt. Ex ipſo autem illo Joſephi de pontificibus ſermone, unde alia iſthæc adduximus, manifeſtum eſt, durante & Haſmonæorum & Herodum principatu, non fuiſſe ſynedrii aliquam in regenda republica facultatem: non certe ejus uno meminit verbulo Joſephus vel ibi vel alibi. Quinimo in illa de pontificibus narratione, cum retuliſſet, quemadmodum habuerit ſeſe a ſoluta captivitate pontificum usque ad Antiochum Eupatorem ſucceſſio, diſerte ſcribit: quindecim pontifices per annos trecentos tredecim adminiſtraſſe gentis ſuæ rempublicam δημοκρατικῶς. Quod verbum palam utique facit, ad illam usque tempeſtatem a captivitatē ſoluta, non penes optimates ſynedriales, ſed pontificem & populum univerſum fuiſſe rempublicam: quantum ſcilicet ejus ſub Perſarum & Macedonum ſummo imperio fuerat reliquum. Adduximus quidem nos *theſi quadrageſima quarta* ejusdem Joſephi verba ex undecimo Ἀρχαιολογίας libro, ubi ſcribitur, eos, qui Babylone redierant, uſos fuiſſe regimine ariſtocratico cum oligarchia mixto. Sed hæc intelligi nequeunt: non enim ſolet vera ariſtocratia miſceri cum vera oligarchia. Ea porro ſtatim ſubjungitur ratio pronunciati illius, ut longe minus appareat, quænam ibi fuerit mens Flavii: hisce nimirum verbis: *Pontifices enim præfuerunt rebus, donec Haſmonæi poſteris regnare conceſſum eſt.* Quod vero *pontifices præfuerunt rebus*, id neque ariſtocraticum, neque oligarchicum quid ſapit, multo minus aliquid ex utroque miſtum. Ut proinde locus iſte omnino ſit mendoſus. Quæ ſane ſub finem Ἀρχαιολογίας propoſita ſunt, in iis demum Joſephum acquieviſſe veroſimile eſt.

LXXIV. Pergendum nobis nunc eſt etiam ad aliud aliquod Rabbinorum aſſertum *de regibus ipſiſmet*, idque perquam auctoritati regiæ contumelioſum. Tradunt nempe illi magiſtri, reges veterum Ebræorum, quia ipſi judicarint, judicari etiam ſolitos, imo *vapulationi* (a) fuiſſe obnoxios. Aſſeruerat hoc ex Rabbinorum fide Cæſar Baronius in *annalibus eccleſiaſticis*. Contra ipſum autem Caſaubonus negavit, Rabbinos id prodidiſſe. Verum Wilhelmus Schickardus Caſaubonum παρορῶματος in eo convicit: & ſane liquido Rabbinorum teſtimoniis probavit, fuiſſe reges Ebræorum vapulationi obnoxios. Neque diſſentit Grotius. *Video*, inquit *lib.* 1. *de jure b. & p. c.* 3. *n.* 20. *conſentire Hebræos: regi in eas leges, quæ de officio regis ſcriptæ exſtabant, inflicta verbera. Sed ea apud illos infamia carebant, & a rege in ſignum pœnitentiæ ſponte ſuſcipiebantur: ideoque non a lictore, ſed ab eo, quem legiſſet ipſe, cædebatur & ſuo arbitrio verberibus ſtatuebat modum.* Ita illi.

LXXV. Nos vero facile credimus Schickardis, Grotiis, aliisque, tradi a Rabbinis, regem Ebræorum plagis fuiſſe obnoxium. An autem res ita omnino ſe habuerit, quomodo Rabbini prodiderunt, id vero propter illorum aſſertiones non eſt certum, imo ne quidem habet veri ſpeciem. Accedit, quod ejus nullum exemplum in ſacra pariter & profana, quæ quidem fide ſit digna, ebraicarum rerum hiſtoria reperiatur: etſi frequentiſſimē legere ſit, reges exorbitaſſe. Veroſimile potius eſt, opinionem etiam hanc natam fuiſſe ex illa de ampliſſima poteſtate ſynedrii phariſaica perſuaſione, atque pertinace Phariſæorum ſynedralem vim extollendi ſtudio. Quo pravo affectu laboraverunt ſane olim Phariſæi omnes, regiæ monarchiæ acerrimi hoſtes: qui proinde hanc ſcabiem etiam Joſepho ipſi quodammodo affricuerunt. Cum autem thalmudica tantum non omnia ex Phariſæorum ſcholis prodierint, & hos, & qui Thalmud ſectati hactenus ſunt, Rabbinos, indigna de regum auctoritate docuiſſe, non eſt, quod miremur. Quæ Grotius porro adfert, ſunt quidem illa ingenioſe excogitata in id, ut fidem aliquam inveniant thalmudica iſthæc; hactenus tamen nemo ex ipſo Thalmude produxit talia, ac proinde meræ ſunt viri maximi, ſed nimium thalmudicis traditionibus addicti, hariolationes.

LXXVI. Ut igitur, quod res eſt, dicamus iterum; Rabbinis haud temere credendum in illis eſt, quæ ab ipſorum ævo remotiora fuere, multo minus in iis, quæ faciunt ad Phariſæorum placita. Fingunt videlicet ipſi & conjectura aſſequi conantur talia, quæ multis ante ipſos ſeculis obtinuerunt, figmentaque ſua ventilare ipſis volupe eſt. Cum vero erroribus & falſis commemorationibus in ipſorum ſcriptis nihil ſit frequentius, in iis etiam, quæ de regum vapulatione prodiderunt, fidem ipſis derogare non dubitamus. Præiverunt vero hic exemplo ſuo ipſi Rabbinorum laudatores. Caſaubonus exercit. 1. ad apparat. *Rabbinis in hiſtoria etiam ſacra (nam in omni alia talpis ut plurimum cæciores ſunt) quam parum fidei ſit tribuendum, ignorat eruditorum nemo.* Idem exerc. 16. n. 15. *Rabbinis, ubi de lingua hebraica agitur, & vocis alicujus proprietate, vel aliquo Thalmudis inſtituto, a Chriſtianis tribuatur non parum: ubi vero a verbis venitur ad res, aut ad hiſtoriam, vel rerum antiquarum veteris populi explicationem, niſi falli & decipi volumus, nihil admodum eſt illi fidei habendum.* Joſ. Scaliger. *l.* 7. *emendat. temp.* de computo judaico agens ſcribit: *eos conſulto videri*

(a) *Vapulationi*) SCHICKARD *in jure regio Hebræorum lib. II. theorem. VII. p.* 142. *ſeqq.* Rabbini vocant flagellationem quadraginta plagarum.

Digitized by Google

*deri ignorationem bonarum rerum profiteri.* Cunæus *l.* 1. *c.* 14. narrato Rabbinorum commento de oleo, quo inuncti ſint reges Iſraelis, ſubjungit: *Sed ipſi addunt id modo, ſic traditum a ſapientibus eſſe: ut jam non magnopere laboremus, quam hoc verum ſit.* Alibi ſcribit: *unum in ſua gente Maimoniden recte intellexiſſe, quid hoc ſit, non ineptire*: & tamen etiam ille Moyſes omnia pene ſua videtur vel ex Thalmude transſcripſiſſe, vel propriis hariolationibus effinxiſſe. Verum hæc obiter.

LXXVII. Illud tamen videri poſſit forte, quibusdam regibus ut pœnam fuiſſe irrogatum, quod extra regum ſepulchra ipſorum cadavera ſepulta fuerint. *Secundo* nimirum *paralip. c.* XXIV. & XXVIII. narratur, Joaſi atque Achaſi defunctorum cadavera non fuiſſe illata regum ſepulcris. At neceſſe non eſt in pœnam humanam id fuiſſe factum, multo minus magni ſynedrii aut populi aliquo juſſu, ſed quod divinitus impedimentum aliquod intervenerit, quo minus rite potuerint exequiæ celebrari. Enimvero non ſemel in ſacris literis legere eſt, quibusdam ut pœnam denunciari: fore, ut ipſorum corpora in ſepulcra majorum non inferantur. Inter alios prophetæ, quem ad Jeroboamum Deus miſerat, id denunciatur 3. *Reg. c.* XIII. Velut fato igitur evenire hoc neceſſum fuit, quo divinæ prædictioni ſua conſtaret fides. Veruntamen reges, quorum cadavera in regia ſepulcra non fuere illata, in loco, regibus non indigno, fuiſſe ſepultos, haud negaverit quispiam. Et veroſimile id ſit ex eo, quod licet Jezabelis cadaver ſecundum vaticinium prophetæ a canibus diſcerptum eſſet, ut tamen reliquiæ ejus ſepelirentur ideo, quod regio ſanguine nata ipſa eſſet, Jehu Rex novus juſſerit. Quicquid hujus ſit, quod regum quorundam cadavera in ſepulcra regia non fuerint illata, id ipſis in pœnam ab ipſomet Deo potius, quam ab hominibus irrogatum fuiſſe, credendum eſt.

LXXIIX. Poſſet in teſtimonium hujus rei, quod nempe ſingulari divina vindicta etiam in corpora impiorum regum divinitus ſit animadverſum, adduci huc, & quidem jure optimo, quod *de calvaria Jehojakimi Regis* (*a*) Judæ narratur *capitulo* XI. ſive *Chelec tituli Sanhedrin*, in Gemara; ſed narratio videtur fabuloſa, ſaltim non tuto admitti poteſt, quia provenit ex officina figmentorum: ideoque legat illam ſuo loco, cui videbitur. Et vero Gemaram integram in vernaculam noſtram linguam vertit Chriſtianus Gerſon, ex docto Rabbino pius factus Chriſtianus. Habetur autem eadem hiſtoriola etiam in excerptis Gemaræ capitis noni Sanhedrin §. IV. editionis Coccejanæ pag. 296.

LXXIX. Cæterum eorum, quæ ad argumentum, quod hactenus tractavimus, pertinent, ſuperare ſcimus non pauca. At ſi ſingula perſequi decretum nunc eſſet, fore prævidemus, ut ea nequaquam capiat harum pagellarum modus. De toto autem argumento, quod ſane luculentum eſt) plenius, preſſius ac elegantius aget, ubi otium fuerit, ipſe vir ampliſſimus, qui levidenſia iſta patrocinio ſuo haud eſt dedignatus. Quod cum ſciremus nos, etiam illo nomine multa prætermiſimus conſulto, quæ dici poterant prolixius. Quod igitur ſupereſt, petimus τοῖς παραλελειμμένοις συγγνώμην.

---

# XXII.

## HERMANNI CONRINGII DISSERTATIO DE

# REGNO ET TYRANNIDE

***RESPONDENTE***

**CONRADO ASCANIO *von Marenholtz*,**

**EQ. BRUNSV.**

---

M. DC. XL.

### *CUM DEO*

### *THESIS I.*

Operæ fortaſſis pretium facturi ſumus, ſi procemii loco, ſitne regnum, de quo agemus, in numero optimarum rerumpublicarum habendum, paucis inquiſiverimus. Accidit enim hic, quod plerumque, cum de ſummo bono diſceptatur, fieri ſolet, ut quisque de illo hauriat

(*a*) *De calvaria Jehojakimi Regis*) Narrationem iſtam ex excerptis Gemaræ Sanhedrin Coccejanis lubet apponere. *Ait R. Chaja fil. Abuh. Scriptum erat in cranio Jehojakimi. Hoc & alterum. Senior R. Perida reperit quoddam cranium, quod projectum erat in portis Hieroſolymorum inſcriptum his verbis: Hoc & alterum. Quoties illud terra obruerat, toties iterum emergebat. Tum ille, forte hoc eſt cranium Jehojakimi, de quo Jerem.* XXII. 19. *Suſtulit igitur illud, & obvolutum ſyndone, in arca repoſuit. Forte uxor ejus in eam incidit & invenit cranium, quod vicinis oſtenſum illi putarunt eſſe cranium defunctæ uxoris, cujus memoriam maritus deponere non poſſit. Tum illa ſuccenſa fornace cranium combuſſit. Superveniens R. Chaja dixit: Iſtud eſt, quod ſcriptum in illo erat. Hoc & alterum inſuper.*

hauriat opinionem ex vitæ genere & inſtituto, quod ipſe ſectatur, teſte Ariſtotele *lib.* 1. *Eth. cap.* 5. Vulgus enim corporis voluptatem, civiles & politici honorem & divitias, docti denique & contemplationibus dediti cognitionem & ſcientiam rerum pro ultimo & ſummo bono habent: Eundem in modum, qui libertatem amant, democratiam extollunt, qui ſe virtute cæteris præſtare ſibi perſuadent, ariſtocratiæ, qui unius denique imperio aſſueti ſunt, regno palmam dant. Nos vero nulli ſuam laudem detrahentes, ſaltim hoc unum volumus: regnum neutiquam eſſe excludendum ordine præclariſſimarum rerumpublicarum, ſed cum omnibus aliis de dignitate etiam contendere poſſe; cujus ſententiæ argumenta haud ſunt levia.

II. Eſt enim antiquiſſimum, teſte præter Philoſophum Cicerone *lib.* 3. *de leg.* qui omnes antiquas nationes regibus quondam paruiſſe dicit, & Juſtinus *lib.* 1. *cap.* 1. §. 1. *Principio rerum nationumque*, ait, *imperium penes reges erat.* Seneca ſecundum naturam eſſe regale civitatis genus, vult *lib.* 1. *de clement. cap.* 19. *Hæc enim*, inquit, *mentita eſt regem, quod & ex aliis animalibus licet cognoſcere, & ex apibus &c.* quod & Tacitus *lib.* 1. *annal. cap.* 12. innuere videtur, *unum imperii corpus unius animo regendum eſſe*, dicens.

III. Quod ſi porro concordiam maximum quid & divinum in republica eſſe, ad unum omnes conſentiant, quis dubitat ideo, non aliis ſolum æquandum, ſed etiam præferendum eſſe regnum, quod hæc ipſa facillime ibi conſervetur, cum nemo a ſe ipſo diſſentiat. In optimatum vero regimine ſparſa eſt in plures potentia, quæ, cum diverſis ſententiis atque affectibus jactatur, & quod unus præcipit, alter vel odio, vel invidia, vel inanis gloriæ cupiditate abrogare conatur, communemque ſalutem diſtrahit. Teſtantur hoc Sullæ & Marii factiones, & in Athenienſium republica, principum illæ diſcordiæ ac ſimultates. Hinc recte Tacitus *lib.* 1. *annal. cap.* 9. §. 5. *Diſcordantis ſæpe patriæ non aliud remedium fuiſſe dicit, quam ſi ab uno regeretur.* Et *lib. hiſtor. cap.* 1. §. 3. idem: *Pacis interfuiſſe*, ait, poteſtatem ad unum conferre.

IV. Romani, quibus regis nomen aut unius imperium exoſum erat, ſi aliquod bellum aut alia aliqua calamitas ingrueret, non pluribus virtute præditis imperium deferebant, ſed uni potius, eumque dictatorem dicebant. Ita enim Livius *lib.* 4. *c.* 46. cum de Volſcis & Æquis quædam præmiſiſſet, *ſenatus exemplo*, inquit, (quod in rebus trepidis ultimum conſilium erat) *dictatorem dici juſſit.* Et apud hunc quidem ſummum imperium ſine provocatione, quod Appius Claudius, cum ſuam ſententiam de ſedando tumultu diceret, teſtatur: *Agite*, inquit, *dictatorem, a quo provocatio non eſt, creemus, jam hic, quo nunc omnia ardent, conticeſcet furor.* Idem *lib.* 2. *cap.* 29.

V. Sciebant enim, quam ſæpe plurium imperium inutile eſſet, edocti id exemplo trium tribunorum, de quibus idem author *lib.* 4. *cap.* 31. *Hi*, inquit, *tendendo ad ſua quisque conſilia, quum aliud alii videretur, aperuerunt ad occaſionem locum hoſti, incertam eamque aciem ſignum aliis dari receptui, alii cani jubentibus invaſere opportune Vejentes: caſtra propinqua turbatos, ac terga dantes accepere.*

VI. Quod ſi igitur bellicæ res tantum ab uno feliciter gerantur, quis rempublicam quoque ab unius ſummo imperio non bene tantum, ſed plerumque etiam melius, quam a pluribus adminiſtrari poſſe non videat. Sane, ſi præter cætera commoda, quæ regnum præſtat, id ſpectes, quod arcana imperii & conſilia magis in ſecreto habeantur, quod etiam illa, quæ decreta ſunt, facilius effectui dentur, quod denique in ariſtocratia aut populari ſtatu corruptis ſuffragiis, & ambitu omnia pervia ſint, clarum erit, regnum inter Deos hominesque rem pulcherrimam eſſe, Livius *lib.* 2. *cap.* 9. & quod Homerus:

*Non multos regnare, bonum, Rex unicus eſto.*

VII. Ex quibus liquet, non tantum præclarum reipublicæ ordinem eſſe regium illum, verum etiam plerisque aliis ſæpe anteferendum. Dum tamen regnum ita extollimus, tantum loquimur de rebuspublicis in abſtracto conſideratis; cum alias fieri poſſit, ut vel politia, vel ariſtocratia magis alicui civitati, quam unius imperium, conveniat, ſemper enim ad naturam hominum, ingeniumque ac mores populi in nova republica ordinanda reſpiciendum eſſe, recte monet Philoſophus *lib.* 6. *pol. cap.* 7. Deinde optimum regnum cum optima ariſtocratia & democratia, peſſimum item cum peſſima hic comparamus; quæ enim ejusdem indolis ſunt, inter ea comparatio quam optime inſtituitur.

IIX. Non poteſt autem regnum inter duos dividi, præterquam enim, quod definitioni ejus id repugnet, confirmat hoc Lucanus *lib.* 1.

*Nulla fides regni ſociis omnisque poteſtas*
*Impatiens conſortis erit: nec gentibus ullis*
*Credite, nec longe fatorum exempla petantur*
*Fraterno primi maduerunt ſanguine muri.*

IX. Sane Tatius & Romulus poſt aliquot prælia civitatem unam ex duabus faciebant, regnumque conſociabant, & inde inquit Livius *lib.* 1. *cap.* 14. 15. *non modo commune, ſed concors etiam regnum duobus regibus fuit*, ſed mox ob infidam regni ſocietatem, alterum Romuli inſidiis interfectum eſſe, idem eodem loco ait. Recte proinde Alexander M. Dario, majorem partem regni usque ad Euphratem ſibi offerenti, reſpondebat: Neque mundum poſſe duobus ſolibus regi: neque orbem ſumma duo regna, ſalvo terrarum ſtatu, habere, Juſtinus *lib.* 11. *cap.* 12. §. 15. Et Seneca in Agamemn. *Nec regna ſocium ferre, nec tedæ ſciunt.*



Digitized by Google

X. Siquidem vero neceſſitas exigat, ut regnum dividatur, præſtat tres, pluresve ſummæ rerum præfici, quam duos, tertii enim authoritas duorum ſimultates reprimet, veluti tertium, quaſi medium quid, extrema copulat. Bodin. *lib.* 2. *de republ. cap.* 2. Arniſæus *polit. cap.* 9.

XI. Teſtatur hoc triumviratus Pompeji, Craſſi, & Cæſaris, trium enim iſtorum conjuncta potentia, omni adverſariorum vi ſuperior erat, *Plut. in Craſſo pag.* 271. Craſſo autem in Chaldæa cæſo, ſtatim Pompejus a Cæſare diſſidere cœpit, unde magna bellorum civilium poteſtas, quæ tamdiu ſævitt, donec, deſtructo duumviratu poteſtas in unum transferretur. Certum itaque eſt, ſi penes duos imperium ſit, nec regnum dici, nec eum ſtatum diu conſiſtere poſſe. Scilicet obtinet tunc peſſima illa oligarchiæ ſpecies, quam δυναςείαν dicunt. Qua nihil eſt infirmius, niſi forte ὀχλοκρατία.

XII. Cæterum, aliquot differentias regnorum tradit Ariſtoteles *lib.* 3. *pol. cap.* 10. quarum primam in laconica republica præſertim fuiſſe dicit, eamque ſummam & perpetuam belli præturam vocat, quæ vel hereditaria erat, vel electione deferebatur. Reges autem hi in bello quidem & expeditionibus vitæ & necis jus habebant, quod Agamemnonis exemplo Philoſophus teſtatur, qui apud Homerum ait:

*Quem longe a pugna ad naves diſcedere cernam,*
*Effugiet non ille canes, non ille volucres,*
*Me penes arbitrium namque eſt necis.*

Et Herodotus *lib.* 6. *pag.* 552. *præter hæc, duo ſacerdotia Jovis Lacedæmonii, & Jovis cæleſtis belli tempore iis conceſſa eſſe ſcribit, item jus belli in quamcunque regionem inferendi, utque in expeditionibus adeundis primi eſſent reges, in abeundo poſtremi &c.*

XIII. Pacis vero tempore multo tenuior eorum poteſtas erat, teſte Herodoto loco jam citato, qui inter eorum dignitates hæc refert: quod primi in cœna reges decumbant, quod primis iis diſtribui incipiat utrique eorum duplum omnium, quod libamina & coria immolatorum eorum ſint, & ſi quæ alia, quæ poſt mortem iis tribui ſolebant.

XIV. Negat autem Ariſtoteles, hos vere reges fuiſſe, quod imperium eorum legibus maxime fuerit adſtrictum, unde Xenophon, quem citat Arniſæus *cap.* 9. teſtatur, eos ſingulis menſibus jurare ſolitos, ſe ſecundum leges imperaturos eſſe. Differt autem hoc regnum a prætura militari, quod illud perpetuum exſtiterit & ſæpe hereditarium, hæc vero tempore finita & ſuffragiis delata fuerat.

XV. Alterum regni genus vocat Ariſtoteles barbaricum, ideo, quod apud Barbaros in uſu fuerit, & habet quidem poteſtatem eandem cum tyrannico, proprie tamen tale non eſt, quia hereditarium & legitimum, unde & præſidio ſunt huic regi cives non peregrini, qui tyrannos cuſtodiunt.

XVI. Quemadmodum vero Dominus ſervorum ſalutem primario non intendit, ſed eos ideo tantum ſalvos eſſe vult, quia ipſius ſalus cum eorum ſalute conjuncta eſt: ita etiam in dominatu fit, ut ſubditorum quidem ibi primaria cura neutiquam habeatur, nec tamen eos deglubi & peſſumdari tales cupiunt, quod tyrannorum eſt, ſed ſecundario ad eos curam deflectunt, eorumque ſalutem promovent, uti diſſerit Arniſæus in *polit. c.* 9.

XVII. Non eſt autem hoc imperium plane contra naturam, cum populi, qui ad ſervitutem ſunt procliviores, teſte Philoſopho, non iniquo id perferant animo, vel quod natura ſervi ſint, vel quod neſciant, quid ſit libere vivere. Ita Cappadoces libertatem a Romanis ſibi oblatam abnuebant, negantes, ſe vivere ſine rege poſſe, ut Juſtinus inquit *lib.* 38. *cap.* 2. §. 8. Et de Armeniis ſcribit Tacitus *lib.* 13. *annal. c.* 34. §. 5. quod ignota libertate magis ad ſervitium inclinarint.

XIIX. Quo etiam pertinet, quod Beſoldus *claſſe. diſp. polit.* 5. *theſ.* 21. ex ſcriptore quodam ſeptentrionalium, de ruſticis in Livonia refert: miſere eos tractari, & virgis ad necem cædi, ſi quid deliquiſſent. Horum conditionis miſertus Rex Poloniæ Stephanus a plagis & verberibus vendicare, & mulctam, ſi peccaſſent, imponere voluit. Illi vero ægre hoc admodum ferentes, ſe omnia dura malle perpeti, quam ut novitas aliqua introduceretur, affirmarunt. Adeo proclives illi erant ad ſervitutem.

XIX. Porro dominatus in Perſia olim maxime vigebat. Rex enim omnes pro ſervis habebat, excepta uxore, teſte Plutarcho. Et Xerxes ad Pythium, hominem ditiſſimum, qui ab eo, ut militiæ vacationem filio ejus maximo indulgeret, petebat, *homo*, inquit, *improbe, tunc, cum ego ipſe in expeditionem eam adverſus Græciam, filiosque meos & fratres domeſticos & amicos ducam, auſus es mentionem tui filii facere, qui meus ſervus es, quem oportebat, cum omni familia & uxore me ſequi.* Herod. *lib.* 7. *p.* 625.

XX. Hinc faſtuoſa illa adoratio, qua non ſolum ſubditi, ſed etiam peregrini & cæterarum gentium legati reges proſequi jubebantur. Artabanus certe Themiſtoclem non prius ad regem admiſit, quam ſe eum adoraturum pollicitus eſſet: *leges*, inquit, *o hoſpes! aliæ ſunt apud alios homines, diverſaque apud diverſos honeſta judicantur: apud nos vero, cum multæ ſint ac pulchræ leges, ea omnium præſtantiſſima eſt, quæ honorare regem, adorareque eum tanquam Dei, omnia conſervantis, effigiem jubet.* Plut. *in Themiſt. p.* 224. Conon vero, cum adorare more Perſarum nollet, a conſpectu & colloquio regis eſt prohibitus, Juſtin. *lib.* 6. *cap.* 2. §. 13.

XXI. De dominatu quoque videtur loqui Samuel *lib.* 1. *Reg. c.* 8. dum populo iſraelitico, regem petenti, jura regis proponit, & ſubjungit tandem *verſ.* 17. *vosque eritis ei ſervi.* Non eſt autem, ut de explicatione hujus loci cum aliis maceremus. Neque enim jura omnis regni ibi propo-

Digitized by Google

proponuntur, ſed ejus quale expetebant ſibi Hebræi. Obiter dicimus, Deum Ter opt. Maxim. merito ſervili populo & pertæſo a Deo inſtitutorum, talem regem dediſſe, qualem petebat, aſſimilem nempe vicinarum gentium Dominis, qui ſuos omnes herili poteſtate in officio continebant. Et hæc de Barbarorum regno ſive dominatu.

XXII. Sequitur tertius regni modus, quem apud veteres Græcos in uſu & Æſymnetiam vocatam eſſe Ariſtoteles dicit, quando ſcilicet quis ſuffragio, non hereditario jure, ut in barbarico regno nonnunquam ad imperium perveniebat, legitimo tamen modo magiſtratum illum vel per totam vitam, vel ad certum tempus, vel ad certas res & negotia conficienda gerebat. Veluti Pittacus, quem Philoſophus adverſus exulum turbas deſignatum fuiſſe dicit. Eſt autem regigium hoc genus partim, quia electione conſtabat, & in volentes exercebatur, partim vero tyrannicum, quia herile.

XXIII. Huic imperio Æſymnetico reſpondet dictatura Romanorum, nam & hæc ad certum tempus, & ſemeſtre quidem ſpacium, niſi neceſſitas, & particula reipubl. diuturnius exigerent, ad certas res perficiendas, quibusdam concedebatur, ſicut id ſupra ex Livio patuit.

XXIV. Quarto loco Philoſophus Heroicum regnum ponit, quod Heroum tempore maxime viguit, cujus notas affert, quod in volentes, quod patrium ſive hereditarium, & quod legitimum denique fuerit. Primos putem ad regnum propter bene merita in rempubl. vel belli vel pacis tempore conſtitutos eſſe; quibus poſtea legitimi heredes longa ſerie in regno ſuccedebant. Ita Theſeus, quod omnes in Attica habitantes in unam urbem conduxiſſet, cum hactenus ſparſim degenerent, Rex Athenienſium eſt factus, & poſtea tanquam Heros ab iis cultus, Plut. *in Theſ.* Unde & magnorum bonorum auctores eos fuiſſe dicit Ariſtot. *lib.* 1. *cap.* 2. qui primi talem ſocietatem inſtituerunt.

XXV. Codrus, quod Athenas a Dorum ſervitio, ſe ipſum pro ſalute patriæ morti offerendo, liberaſſet, regium nomen ſepulchro intulit, idque memoriæ nominis ejus tributum, ut nemo poſt eum Athenis Regis titulo inſignitus fuerit Juſtin. *lib.* 2. *cap.* 6. & 7. Vulcanum, quod ignis uſum invenerit, Ducem ab Ægyptiis conſtitutum eſſe, ſcribit Diod. Siculus *lib.* 1. *cap.* 2. Et Mercurium ut repertorem rerum plurimarum quibus vitæ hominum conſuleretur, maximis honoribus affectum fuiſſe, idem teſtatur: unde in principio capitis ait: *quosdam ſapientia & in humanum genus beneficiis immortalitate potitos eſſe.* Et ita quidem Heroici Reges conſtituebantur.

XXVI. Imperium autem eorum non plane abſolutum erat, ſed legibus adſtrictum, ita tamen, ut quædam eorum arbitrio permitterentur, qualia erant primo jus belli, ſacrorum deinde, & quidem ut ea ſacra curarent, quibus peculiares ſacerdotes non erant præſtituti, ſicut & Romæ quædam publica ſacra per Reges factitata eſſe, dicit Livius *lib.* 1. *cap.* 2. Tertio cauſarum ſeu controverſiarum civilium explicatio; in quo officio vel injurati, vel præſtito jurejurando, quod ſceptro ſublato dabant, verſabantur. Sed poſtea cum ſucceſſores eorum in Tyrannos degenerarent, imminuta eſt eorum poteſtas, ut vel ſolum belli jus, vel ſacrorum cura iis relicta ſit.

XXVII. Quemadmodum vero virtus Heroica, non aliter a moralibus, quam propter divinam quandam excellentiam diſtinguitur; Ita nec Heroicum regnum diverſam Monarchiam a cæteris conſtituit, ſed divinum quendam inſtinctum cæteris Regibus ſuper addit. *Arniſæus in Pol. cap.* 9.

XXIIX. His præmiſſis, Ariſtoteles ad quintum Regni genus, quod proprie ac vere ſic appellatur, devenit, quando ſcilicet unus rempubl. adminiſtrat, in ſalutem omnium ſuorum ſubditorum, quomodo Paterfamilias præeſt omnibus, in domo ſua viventibus. Etſi vero tot ſint regnorum genera, poſſunt tamen ad duo redigi, ad Laconicum ſcilicet, quod primum erat, & ad hoc ultimum cujus jam mentionem fecimus. Cæterum, quæ præterea Philoſophus in hoc capite ſatis copioſe diſputat, de iis nunc ſolliciti non ſumus, ſed virtutes, quas ut plurimum bono Principi commendare ſolent Politici, breviter enarramus.

XXIX. Non eſt autem ut ſtudium virtutis ei multis inculcemus, cum omnes omnino homines id ſibi commendatum habere debeant, principi vero eo magis illi incumbendum, quo in majori conſtitutus eſt dignitatis faſtigio; Omnium oculos in ſe converſos habet, nec minus quam ſol latere poteſt, *Seneca lib.* 1. *de clem. cap.* 8. *Multa contra te lux eſt* [Princeps] inquit, *prodire te putas? oriris: loqui non potes niſi vocem tuam quæ ubique ſunt gentes, excipiant.* Et hoc eſt, quod Tiberius apud Tacitum *lib.* 4. *cap.* 40. §. 2. dicit; *Principum diverſam eſſe ſortem, quibus præcipua rerum ad famam dirigenda ſint. Sicut enim in facie lens & verruca,* inquit Plutarch. in præc. gerend. reipubl. *moleſtiores ſunt, quam reliquæ corporis maculæ, mutilationes, & cicatrices: ſic exigua peccata ubi in principis cernuntur vita, pro magnis habentur,* & paulo poſt: *Plerique,* inquit, *mors ac conſilia, actionesque vitæ rationem rempubl. gerentium, quæ vel maxime abdita putantur, perſpiciunt.* Hinc Juvenalis Satyr. 8.

*Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe*
*Crimen habet, quanto major, qui peccat habetur.*

XXX. Accedat, quod Cicero ex Platone *lib.* 1. *ep. famil.* 9. refert: Quales in republ. principes ſint, tales reliquos ſolere eſſe cives. Ideoque Scipio Ammiratus lib. 13. diſcurſu 2. Principem inſtituere perinde eſſe dicit, ac librum per typographiam edere; nam quo pacto unum papyri folium ſi compoſueris innumera deinde faciliimo negotio multiplicantur; ita, ſi unum regem tuis præceptis imbueris, univerſum regnum, cui ille imperat imbutum erit. Quocirca ſi princeps cives ſuos bonos eſſe velit, facere recte eos faciendo doceat, etſi enim imperio ſit maximus,



Digitized by Google

mus, exemplo tamen major eſt. Vellejus Paterc. *lib.* 2. *hiſt. cap.* 127. Sin vero malos ac diſſolutos malit; idem ſuo exemplo efficere poteſt. *Cupiditatibus enim principum & vitiis infici ſolet tota civitas*, inquit Cicero lib. 3. de leg. Et paulo poſt: *Vitioſi principes non ſolum vitia concipiunt ipſi, ſed ea in civitatem infundunt, neque ſolum obſunt, quod illi ipſi corrumpuntur, ſed etiam quod corrumpunt, pluſque exemplo quam peccato nocent.*

XXXI. Hinc Cicero loco citato jubet replicare memoriam temporum, ut manifeſtum evadat, qualeſcunque ſummi civitatis viri fuerunt, talem civitatem fuiſſe. Sane cum Antiochus, omiſſa omnium rerum cura, conviviis & vinum ſequentibus voluptatibus ſe tradidiſſet, eadem omnes præfectos regios cepit luxuria, & in eandem milites quoque effuſi ſunt. Livius *lib.* 36. *c.* 11. Ptolomæi, luxuriæ ſe tradentis mores omnis ſecuta regia eſt, Juſtin. *lib.* 30. *cap.* 1. §. 3. Sic cum Auguſtus Poetas, Nero autem mirmilliones, citharoedos, aurigas & id genus hominum monſtra amaret, quilibet iis artibus operam navabat. Uſque adeo verum eſt, quod Quintil. declam. 4. *hanc conditionem principum eſſe dicit, ut quidquid faciant id præcipere videantur.* Et quod Tacitus *lib.* 3. *Annal. cap.* 55. §. 4. *obſequium in Principem & æmulandi amorem validiorem eſſe, quam pœnam ex legibus & metum.*

XXXII. Principem itaque præclaris rebus & virtuti intentum eſſe debere, dubium non eſt. Cum autem ejus officium præcipue in gubernatione reipubl. conſiſtat, non tam aliis virtutibus, quam iis, quæ regentibus propriæ ſunt, ſtudere debet, unde recte Anchiſes apud Virgilium Æneid. 6.

*Excudent alii ſpirantia mollius æra*
*Credo equidem: vivos ducent de marmore vultus,*
*Orabunt cauſas melius, cœlique meatus*
*Deſcribent radio, & ſurgentia ſidera dicent.*
*Tu regere imperio populos, Romane, memento*
*(Hæ tibi erunt artes) pacique imponere morem,*
*Parcere ſubjectis & debellare ſuperbos.*

Et Ariſtoteles lib. 3. Polit. cap. 3. Euripidis dictum citat: *Ne mihi cuncta, ſed quorum civitati ſit uſus.* Sic Cicero pro Dejot. pag. 818. *Frugi hominem dici*, inquit, *non multum habet laudis in Rege fortem juſtum, ſeverum, gravem, magnanimum, largum, beneficum, liberalem, hæ ſunt regiæ laudes, illa privata eſt.* Quemadmodum itaque gubernatori curſus ſecundus, Medico ſalus, Imperatori victoria, ſic moderatori reipubl. beata civium vita propoſita eſt, ut opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honeſta ſit, Cic. *lib.* 8. *ad Attic. ep.* 11.

XXXIII. Hæc igitur tam magna ut conſequatur princeps, ante omnia *juſtitiam* ei commendamus, hujus enim fruendæ cauſa Reges olim conſtitutos eſſe, Cicero aſſerit *lib.* 2. *offic.* tantamque ejus vim eſſe dicit, ut nec illi quidem, qui maleficio aut ſcelere paſcuntur, poſſint ſine ulla particula juſtitiæ vivere, & hac quidem remota, Auguſtinus regna magna latrocinia vocat. Ideoque Ariſtoteles *Polit.* 5. *cap.* 10. *Rex vigilare debet*, inquit, *ut qui rem quidem habent, nulla injuria afficiantur, populus vero nulla contumelia.*

XXXIV. Nec tantum juſta agat, ſed etiam ipſe juſtus ſit, quam differentiam affert Philoſophus *lib.* 5. *Ethic.* Ita enim ſemper cogitabit non ſolum quantum ſibi commiſſum ſit, ut Cicero alibi loquitur. Et cum omnia poſſit, ea ſola ſibi licere, quæ honeſta ſint, putabit. Etſi enim jure legis ſolutus ſit, tamen nihil magis decorum eſt, quam ſponte legi ſeſe ſupponere Regem, ut Poëta canit.

XXXV. Alterum poſt juſtitiam locum aſſignamus Clementiæ, quæ omnibus quidem hominibus ſecundum naturam, maxime tamen Principi decora eſt, Senec. *lib.* 1. *de clem. c.* 5. Cum enim nihil quicquam ad imperium tuendum aptius ſit, quam ab his, quibus imperatur, amari (unde idem Seneca amorem civium inexpugnabile munimentum vocat) & errant oppido, qui metui, quam diligi, tutius eſſe autumant: Clementia certe omnium optime Principi apud ſuos id conciliare poteſt: quidni enim eum ament, qui tam paterno & leni imperio in eos utitur, qui multis beneficiis eos afficit & ſæpe ad delicta eorum connivet. *Non opus eſt*, inquit Seneca *lib.* 1. *de clem. cap.* 19. *inſtruere in altum editas arces, nec in aſcenſum editos colles emunire: multiplicibus ſe muris turribuſque ſepire, ſalvum regem in aperto Clementia præſtabit*: unde Nerva id ſibi magnum putabat, quod nihil feciſſet, quo minus tuto poſſit vivere, etiamſi privatus viveret. Illum vero miſerabilem dicit Seneca *lib. cit. cap.* 13. qui cædibus ac rapinis potentiam exercuit, qui ſuſpecta ſibi cuncta reddidit tam externa, quam domeſtica.

XXXVI. Sicut autem tam omnibus ignoſcere crudelitatis eſt, quam nulli, teſte Seneca *lib.* 1. *de clem. c.* 2. *Principi incumbit parvis quidem peccatis veniam, magnis vero ſeveritatem commodare.* Tacitus *in Agric. cap.* 29. §. 4. Et ideo Romanis magiſtratibus ſecures, faſcibus illigatæ, præferebantur, ut virgis corrigerentur, qui emendari poſſent, ſecuribus amputarentur immedicabiles. Plut. *probl.* 29.

XXXVII. Cæterum præter Juſtitiam & Clementiam principi Prudentia maxime neceſſaria eſt, quam Ariſtoteles *lib.* 3. *Polit. c.* 3. virtutem ejus, qui præeſt propriam dicit. Cum enim omnia regna, civitates, nationes uſque eo proſperum imper. habuiſſe Saluſtius affirmet *orat.* 2. *ad Cæſ. de rep. ord.* dum apud eos vera conſilia valuerunt, vera autem conſilia nemo niſi prudens ſuggerere poſſit, ſequitur, prudentiam cum primis in principe requiri, ſiquidem regnum ſuum florere velit. Hinc Horatius *lib.* 3. *carm. od.* 4

*Vis*

Digitized by Google

*Vis conſilii expers mole ruit ſua,*
*Vim temperatam Dii quoque provehunt*
*In majus* - - -

XXXIIX. Præclarum etiam eſt illud Ovidii lib. 13. Metam. fabul. 2.

- - *Tibi dextera bello*
*Utilis: ingenium eſt, quod eget moderamine noſtro,*
*Tu vires ſine mente geris, mihi cura futuri eſt;*
*Tu pugnare potes: pugnandi tempora mecum*
*Eligit Atrides, ut tantum corpore prodes,*
*Nos animo, quantoque ratem qui temperat, anteit*
*Remigis officium, quanto eſt Dux milite major*
*Tantum ego te ſupero, nec non in corpore noſtro*
*Pectora ſunt potiora manu, vigor omnis in illis.*

XXXIX. Cum vero graviſſimi principis labores egeant adminiculis, teſte Tacito *lib.* 12. *Annal. cap.* 5. §. 4. & unius prudentia vix ſufficiat tot rebus gerendis, adjungendi ſunt principi Conſiliarii iique probi & prudentes, quos Ariſtoteles *lib.* 3. *Polit. cap. ult.* regis oculos, aures, manus & pedes appellat.

XL. Has ergo virtutes in principe maxime requirimus, conſulto cæteras illas, quibus eum inſtruere ſolent, ut ſunt fortitudo, liberalitas magnanimitas, &c. nunc omittentes. Pietatem vero cum Arniſæo hic tanquam fundamentum omnium, ſupponimus, eamque principi inculcare, aut commendare magis Theologi, quam politici eſſe exiſtimamus.

XLI. Unum addimus, non leviter etiam regnum authoritate & exiſtimatione regnantis ſtabiliri; unde Scipio Ammiratus *lib.* 5. *diſc.* 8. unciam nominis & exiſtimationis principis, plus quam centenas auri libras, & per conſequens, plus quam arma valere, aſſerit. Hinc Cleo apud Curtium *lib.* 8. *majeſtatem imperii ſalutis tutelam eſſe* dicit. Quod intelligens Alexander M. *utinam Indi quoque me Deum eſſe credant*, inquit, *fama enim bella conſtant, & ſæpe quod falſo creditum eſt, veri vicem obtinuit.* Curtius lib. 8. p. 252.

XLII. Quapropter Cyrus minutis etiam rebus authoritatem ſibi quærebat, quod Xenophon, quem citat Arniſæus *Pol. cap.* 2. *lib.* 2. teſtatur. Et ideo perſona Regis apud Perſas occulebatur, Juſtin. *lib.* 1. *cap.* 9. §. 11. Major enim ex longinquo reverentia eſt inquit, Tacitus *lib.* 1. *Annal. cap.* 47. §. 3. Et de Velleda idem *hiſt.* 4. *cap.* 65. §. 8. *Legatos aſpectu ejus arcebantur, quo venerationis plus ineſſet.* Sed & Tiberium ex urbe receſſiſſe, ut, vitato aſſiduitatis faſtidio, authoritatem abſentia tueretur atque etiam augeret, Suetonius *in vita ejus cap.* 10. ſcribit. Et hæc de regno Regisque virtutibus, venimus ad Tyrannidem, quæ longiſſime a regno diſtat.

XLIII. Tradit autem Ariſtoteles lib. 4. Pol. cap. 10. tres ſpecies tyrannidis, quarum duas ex eo ſupra recenſuimus, Æſymnetiam ſcilicet & barbarorum regnum, quæ partim regni, partim tyrannidis naturam referre diximus. Tertia vero, quæ hujus loci propria eſt definiri poteſt: imperium unius herile in pares vel meliores, invitos & nolentes, nullis rationibus obnoxium, omnia ad ſuam utilitatem referens, quam definitionem ex quatuor notis Tyranni, quas Ariſtoteles recenſet, Piccartus comment. ad hunc locum Ariſtot. concinnat.

XLIV. Cæterum Tyranni nomen olim non adeo, ut nunc quidem exoſum erat: ita enim dicebantur & habebantur ii omnes, qui poteſtate erant perpetua in ea civitate, quæ libertate utebatur. Cornelius Nepos in Miltiad. in fine: *& hic Tyrannus eſt appellatus, quod Cherſoneſi perpetuam obtinuerat poteſtatem.* Idem in eod. Poſtea vero, cum ſæpe illi degenerarent, & ſua poteſtate abuterentur, incredibile ſui odium apud omnes concitarunt, & nomen ſimul cum re in deteſtationem abiit, quemadmodum ipſum etiam Regis nomen Romanis execrabile erat, ita ut Brutus jurejurando eos adegerit, ne unquam quempiam Romæ regnare paterentur. Livius *lib.* 2. *cap.* 1. Similiter Sylla & Cæſar Dictatoris nomen Romanis odioſum fecerunt: adeo ut poſt necem Cæſaris lex lata ſit, qua dictatura e republ. in æternum ſublata fuit, ſicut ex Cicerone in Philip. & Dione refert Lipſius *de Magiſt. popul. Rom. cap.* 17.

XLV. Oſtendit autem Ariſtoteles *lib.* 5. *Polit. cap.* 10. quatuor fontes e quibus tyrannides ut plurimum derivantur, ac promanant. Et primo quidem Tyrannos ex Demagogis fieri ſcribit, qui criminandis optimatibus fidem apud plebem conſequuntur, ſcilicet blandiendo populo & potentiores apud eum calumniando, quos jam ante plebs odio habet. Eosdem eloquentiæ ut plurimum ſtudere dicit, ut eo facilius rudem plebeculam in ſuas partes pertrahere poſſint. Denique in magnis urbibus hoc plerumque factum eſſe oſtendit, ubi imperium penes populum eſt, cui ſe facillime inſinuant Demagogi, quibus non multum abſimiles tribuni plebis apud Romanos erant.

XLVI. Et demagogicis quidem artibus tyrannidem Athenis conſecutus eſt Piſiſtratus, qui ſeditioſis per cauſam tutandi montanos contractis (erat enim triplex civium genus ratione locorum Athenis, quorum alii littorales, alii campeſtres, montani alii dicebantur) ſe ipſum ac par mularum vulnerabat, easque in forum agitabat, tanquam ex hoſtibus elapſus, qui eum interimere voluiſſent. Orabat etiam populum, ut ſibi aliquid cuſtodiæ circa ſe habere permitteret, recenſens ſimul res geſtas ſuas, & quæ præclara opera edidiſſet: Impetrato autem præſidio, arcem occupavit, & Athenienſium imperio potitus eſt, *Herod. lib.* 1. *p.* 36. Iisdem artibus uſus eſt Abſolonus: ut enim populum in ſuas partes pelliceret; & Davidem patrem exoſum redderet, ante lucem ſurgebat, cauſas audiebat, easque juſtas quidem eſſe dicebat, ſed non eſſe judicem a Rege con-



Digitized by Google

conſtitutum, conquerebatur, ſi quis etiam eum adibat, hunc exſerta manu prehendebat atque oſculabatur, quibus id tandem effecit, ut in regem eligeretur 2. *Sam. cap.* 5. *verſ.* 2. 3. 4. 5.

XLVII. Et ita quidem ex Demagogis facti ſunt Tyranni. Ex regibus quoque eosdem fieri ait Philoſophus, & hunc modum priori antiquiorem eſſe vult, quando ſcilicet Reges, patria inſtituta violantes tyrannice ſe gerunt, & ex imperio, quod paternum & moderatum eſſe, herile faciunt, omniaque non ad civium, ſed propriam utilitatem adminiſtrant. Facile enim ambitio, avaritia, libido in nimia poteſtate conſtitutos præcipites rapit, ut in Tyrannos degenerent, etiam qui optimi alias erant Reges: *Scelera enim ſi neſciant, regnum docebit*, inquit Seneca. Sic Phido Argivorum princeps Tyrannus eſt factus, *Herod. lib.* 6. Regnum Spartanum in tyrannidem a Nabide. Romanorum a Tarquiniis eſt converſum, Livius lib. I.

XLVIII. Tertio dicit Philoſophus in tyrannos evadere eos, qui ad majores magiſtratus ſunt producti, & hoc frequens fuiſſe cum civitates magnæ nondum eſſent, & populus operis ruſticis occupatus, ruri verſaretur, nec republ. vacare poſſet: quibus enim diuturni honores in civitate concedebantur, quique præter hæc regnandi cupidi erant, & ſe eſurire, niſi imperarent putabant, ut Jaſon ille apud Ariſt. *lib.* 3. *Polit. cap.* 3. facile in tyrannidem regnum verterunt, præſertim ſi bellicoſi eſſent. Cæſar ſane, quod honores diuturnos gerebat tyrannidem introduxit, ut ex epiſtolis Ciceronis ad Atticum liquet: & Plutarchus in Cæſare: *Dictatorem eum* (Cæſarem) *perpetuum crearunt, ea vero haud dubia erat tyrannis, adjecta ad impunitatem perpetuitate.*

XLIX. Denique tyrannos fieri ait, quando in oligarchiis aliquis nimis auctus, reliquos opprimit: ſolent enim diſſidentes in oligarchia unum aliquem e medio eligere, qui controverſias dirimat, illique ſummam rerum committere, qui inde magnam potentiam nactus, utramque partem inter ſe diſſidentem opprimit, ac tyrannidem introducit. Et hæc de modis quomodo conſtituantur tyrannides.

L. Solent autem tyranni ad tres claſſes a politicis referri: quidam enim titulo tantum tales ſunt, quidam exercitio, quidam titulo & exercitio ſimul. Tyrannos titulo dicunt, qui imperium nullo legitimo modo aut jure ſibi acquirunt, acquiſitum vero bene ac legitime adminiſtrant. Tyranni exercitio vocantur, qui imperium, quod legitime acceperunt violenter & tyrannice exercent, qualis Nero, Caligula, &c. fuerunt. Qui titulo denique & exercitio ſimul tyranni dicuntur, omnium ſunt peſſimi: nam & violenter ad ſe rapiunt imperium, & tyrannice adminiſtrant. Nunc quomodo a Rege & Principe bono differat Tyrannus, ex Ariſtotele videndum erit.

LI. Et inter cæteras quidem differentias, hanc ponit maxime inſignem, quod Rex ſuorum civium, tyrannus autem ſuam propriam tantum ſpectet utilitatem & ſalutem.

*- Nec vulgi cura tyranno*
*Dum ſua ſit modo tuta ſalus -*

Rex videlicet dat operam, ne qui rem habent & ditiores ſint, injuria afficiantur aut ſuis bonis ſpolientur, populus vero nulla contumelia. Tyrannus autem omnia ad ſe trahere, ditiorumque bona occupare, & plebem tributis & laboribus defatigare ſolet. Atque hinc eſt, quod Rex parenti & paſtori, tyrannus vero lupo comparari ſoleat, teſte Philoſopho *lib.* 8. *Eth. cap.* 11. Et Plato hunc tantum verum magiſtratum eſſe dicit, qui non quæ ſibi, ſed quæ civibus utilia ſint, procuret. Nec aliter Cicero *lib.* I. *offic. qui reipubl. præfuturi ſunt*, inquit, *utilitatem civium ſic tueantur, ut quæcunque agunt, ad eam referant, obliti commodorum ſuorum.*

LII. In eo quoque differre regem a tyranno dicit, quod ille civium cuſtodia, hic peregrinorum & exterorum utatur, quod & ſupra docuit Philoſophus *lib.* 3. *c.* 10. ubi regem non a civibus, ſed contra cives a Rege habere cuſtodiam, ait. Recte etiam Seneca *lib.* I. *de clem. cap.* 12. *alter arma habet*, inquit, *quibus in munimentum pacis utitur, alter ut magno timore magna odia compeſcat.* Idem hoc diſcrimen eleganter Cicero orat. pro M. Marcello obſervavit, dum ut Cæſarem juſtum principem non tyrannum eſſe, demonſtret: Tibi, inquit, non modo excubias & cuſtodias, ſed etiam laterum noſtrorum oppoſitus & corporum pollicemur. Antonio vero quodam in loco objicit, quod illum homines omnium gentium, & quidem barbari cum ſagittis in forum deducant, innuens vel hoc oſtendere eum tyrannum eſſe, aut tyrannidem affectare.

LIII. Cæterum tyranni, qui quidem crudelitate nititur, ſtudium & artes ad tria ſumma capita Ariſtoteles *lib.* 5. *cap.* 11. poſtquam ſatis copioſe de illa materia egiſſet, refert. Et primo quidem id ante omnia eum agere dicit, ut cives humilia ſentiant, hoc eſt, ut abjecto, humili & anguſto animo ſint. Ita enim futurum eſt, ut nihil alti moliantur, & tyrannidem facile ferant. Unde ſupra, eodem hoc capite tyrannos ſcholas & ludos literarios deſtruere ſolere, ait, ne recte juventus inſtituatur. Et ſane, qui a teneris ad omnem virtutem inſtituti ſunt, & libere educati, quam inique ſecum ſub tyranno agatur facile vident, ideoque ad libertatem adſpirant & tyrannum e medio tollere ſatagunt.

LIV. Hac de cauſa Romæ Philoſophi & Rhetores aliquoties ejecti ſunt, qua de re, qui volet edictum de cœrcendis Rhetoribus latinis legat apud A Gellium lib. 5. cap. 11. Ita Moſcorum principes nullas ſcholas niſi in quibus ſcribere & legere diſcunt, permittunt, ne quis principe plus ſapiat, aut ei par ſit; itaque cum de re gravi & recondita quæritur, proverbio dicunt: DEUS hoc ſcit & magnus Dux, vide *lib.* I. *Polit. Adami Contzen cap.* 16. §. 8.

LV. Deinde tyrannum id quoque agere notat Philoſophus, ut cives ſibi inter ſe diffidant,

dant, & inimicitias atque odia alant: Cum enim eorum concordia ad tollendam tyrannidem nihil majus aut expeditius ſit, ille manibus pedibusque laborat, ut animos civium disjungat. Nec aliam ob cauſam cum viris præclaris & magnis bellum tyranni gerunt, eosque e medio tollere ſtudent, hi enim non modo eorum jugum abhorrent, ſed etiam amicitiam & concordiam, peſtes tyrannidis inter ſe alunt.

LVI. Hac ratione S. Tarquinius tyrannidem ſuam ea in re ſtabilivit, ſecutus conſilium patris, qui ſumma papaverum capita baculo decutiens, per ambages filio ſignificabat, primores civitatis eſſe interficiendos, Livius *lib.* 1. *cap.* 54. Florus *lib.* 1. *cap.* 7. quod ipſum de Thraſybulo & Periandro ſupra retulit Philoſophus. Tyrannis enim ſemper boni quam mali ſuſpectiores ſunt, ſemperque *aliena virtus formidoloſa eſt*, inquit Saluſtius in Cat.

LVII. Tertio, tyrannum omni ſtudio vires civium infringere, dicit: nam eo modo a conſpiratione & invaſione ſuorum tutum & ſecurum ſe reddit: deficientibus enim viribus, nemo tyrannum aggredietur, cum res hæc difficillima & periculoſiſſima ſit, & eorum tantum opus, qui potentia in republica & nervis rerum gerendarum inſtructi ſunt. Huc vox illa tyrannica Neronis ſpectat, quam ſemper alicui officium delegans adjecit: *Scis, quid opus mihi ſit, & hoc agamus, ne quis quicquam habeat*, Suetonius in Nerone cap. 33. De Domitiano idem in vita ejus cap. 12. *nihil penſi habebat*, inquit, *quin prædaretur omni modo bona vivorum & mortuorum usque quoque: quodlibet & accuſatore & crimine corripiebantur — confiſcabantur alieniſſimæ hereditates &c.* Et Xenophon *lib. de Athen. republ.* quem citat Giphanius comment. ad locum Ariſt. *Tyrannos prudenter*, dicit, *facere, qui in paupertate cives continent, cum divitiæ, opes & ſecunda fortuna inſolentes & feroces reddant homines.*

LIIX. Quomodo autem tyranni exhaurire cives ſoleant, Philoſophus ſupra docuit: nam operas publicas, quæ multum temporis multosque ſumptus requirunt, iis imponunt, & tributa, vectigalia, atque actiones, quantum poſſunt, augent. Unde iterum Xenophon apud Giphanium, *gravibus*, inquit, *vectigalibus deprimant cives* (tyranni) *atque ita animos & ſpiritus eorum feroces coërceant, vel etiam operibus aſſiduæ exerceant ac fatigent, ne poſſint præ paupertate, neque ipſis vacet propter opera tyranno inſidiari.*

LIX. Et hujus rei argumentum eſſe, dicit Philoſophus pyramides Ægyptii, Cypſelidarum donaria, vectigalia Syracuſis &c. Et Pharao Rex ille novus, videns, populum Iſrael fortiorem eſſe ſe, ſuoque populo: *Agite*, inquiebat, *callide circumveniamus eum, ne augeſcat: fieret enim, ſi nobis bellum ingrueret, ut junctus hoſtibus contra nos pugnaret*; conſtituit ergo ſuper populum præfectos, qui tributa exigerent, affligerentque eum oneribus ſuis, & exſtruxerunt urbes Pharaoni, quæ eſſent repoſitoria &c. *Exod.* 1 *v.* 10. 11.

LX. Hoc igitur ingenium eſt, hi mores tyrannorum, boni principis moribus plane contrarii. Verum enim vero, ut tota illorum vita propterea periculis plena eſt, exitus plerumque calamitoſus & cruentus eſſe ſolet. Juxta illud Juvenalis *ſatyr.* 10. *verſ.* 112.

*Ad generum Cereris ſine cæde & ſanguine pauci*
*Deſcendunt Reges, & ſicca mortem tyranni.*

Quod ſi etiam mentes eorum recludantur, inquit Tacitus *lib.* 6. *annal. c.* 6. poſſe aſpici laniatus & ictus; quando ut corpora verberibus, ita ſævitia, libidine, malis conſultis animus dilaceretur. Et mox de Tiberio ait: *eum non fortuna, non ſolitudines protegebant, quin tormenta pectoris ſuasque ipſe pœnas fateretur.*

LXI. Idem omnium manus ſubinde obſervant, & eo quoque tempore, quo non captantur, peti ſe judicant, nullum momentum immune a metu habent, teſte Seneca *lib.* 1. *de clem. cap.* 19. Docuerunt id olim porticuum parietes, phengite lapide diſtincti, in quibus ſpatiari conſueverat Domitianus, ut ex ſplendore lapidis per imagines, quicquid a tergo fieret, provideret, Sueton. *in Domit. cap.* 14. tum gladius ille Dionyſii, quem e lacunari ſeta equina appenſum dimitti juſſit, ut cervicibus Damoclis aſſentatoris impenderet, qui paulo ante opes & majeſtatem ejus commemorarat, Cicero 5. *Tuſcul.* Hæc de tyranno. Nunc ad regnum redeamus.

LXII. Plures autem quæſtiones hic politici ventilare ſolent, nos autem quasdam præcipuas tantum proponemus. Primam igitur facimus: ſitne electio ſucceſſioni, an hæc illi præferenda? cumque ardua illa valde ſit, & a variis varie diſceptata, nondum vero deciſa, ita eam tractabimus, ut argumenta tantum utriusque partis in medium proferamus.

LXIII. Et quidem, qui pro ſucceſſione pugnant, his maxime rationibus nituntur, primo, quod hæc quietum & firmum imperium reddat, in electione turbis variisque machinationibus reſpublica expoſita ſit, cum quisque ſe digniſſimum eſſe imperio exiſtimat, & ideo nihil non tentat, quod poteſt. Unde interregni tempore reſpublica in eo diſcrimine poſita eſt, quo navis in fluctibus, gubernatore carens. Teſtatur id jam olim Alexandri M. regnum, nam hic, dum ſucceſſorem nominare non vult, effecit, ut variis procellis poſt obitum ejus jactatum, ac tandem in multos principatus diviſum fuerit. Ita Turcarum quodam Imperatore mortuo, cum interregnum eſſet, milites bona civium locupletiorum diripiebant, nec a cædibus & ſtupris abſtinebatur, donec prætorianorum uni imperium demandaretur. Bodin. *lib.* 6. *c.* 5.

LXIV. Neque hoc incommodum evitant, qui vel inter reges conſtituunt, vel ante mortem regis, eoque vivo adhuc & valente, ſucceſſorem deſignant. Et inter reges quidem creare tutum non eſt, cum illi ſibi tantum ut plurimum proſpiciunt, regnumque non aliis, ſed ſibi firment. Sic Guſtavus, primus Suecorum Rex, in interregno ſibi viam ad regnum munivit, ut notum eſt, & Bodinus narrat. Quod ſi vivo rege ſucceſſor eligatur, verendum eſt, ne, cum plures ſolem adorent

rent orientem, quam occidentem, populus ad eum, ſpreto domino priori, ſe recipiat. In ſucceſſione autem nihil horum metuendum, nam, *ubi ſucceſſor certus eſt, multorum pravæ ſpes cohibentur*, inquit Tacitus *lib.* 3. *annal. cap.* 56. §. 3. Unde idem, *non claſſes, non legiones, perinde firma imperii munimenta eſſe*, ait, *quam numerum liberorum, lib.* 4. *hiſt. cap.* 52. §. 2. Hinc Veſpaſianus, quod filios ſibi certo ſucceſſuros ſciret, aſſiduas in ſe conjurationes ſprevit, Suet. *cap. ult. in Veſp.*

LXV. Porro ipſe Rex, qui majeſtatis ſuæ heredes ſe relicturum ſperat, omnia regni negotia ut propria curat, liberis ſuis de ærario proſpicit, optime eos educari curat, ut aliquando moli imperii pares ſint. Idem amorem civium iis conciliat, idque unice agit, ut regnum ſuis firmum, felix & tranquillum tradat. Is vero, qui ſua morte finiturus eſt imperium, frequenter hoc negligit, mox enim in aliorum forte inimicorum manus venturum id eſſe ſcit, atque ideo omnem cogitationem eo potius confert, ut ſibi ſuisque rebus proſpiciat, liberisque ac familiæ, cui invidiam & multorum ſimultates relinquit, ſecuritatem præſtet: nemo enim mortalium ignoto & ſæpius ingrato ſucceſſori tam ſollicite quam ſuis providet.

LXVI. Deinde habet & hoc electio incommodi, quod illi, penes quos jus eligendi eſt, ut plurimum magis ſibi, quam reipublicæ reges eligant: enim ſummæ rerum præfici volunt, qui ipſis commodo & emolumento eſſe queat, parum ſolliciti, an reipublicæ æque expediat. Ipſe etiam, qui eligitur, promiſſis & donis gratiam electorum ſibi comparat, & his, cum ad clavum ſedet, multa præter fas tribuit, ac indulget, tanquam majeſtatis ſuæ authoribus, ne ingratus videatur. Et fateamur, electores viros bonos eſſe, nec ſuum commodum magis, quam reipublicæ ſpectare, ut proinde optimum electuri videantur, ſæpe tamen, quæ foris ſunt, eos fallunt, & quadrat huc, quod apud Comicum Simo ad Soſiam ait:

*Qui ſcire potes aut ingenium noſcere*
*Dum ætas, metus, magiſter prohibeant?*

LXVII. Scilicet multi, dum privati vivunt, ſpeciem quidem magnam pietatis, juſtitiæ & reliquarum virtutum præ ſe ferunt, longe alii autem ſunt, cum ad principatum perveniunt: *magiſtratus enim oſtendit virum.* Hinc Marius apud Saluſtium *in Jugurth. cap.* 15. *Scio ego*, inquit, *Quirites, non iisdem artibus* (eos patritios) *imperium a vobis petere, & poſtquam adepti ſunt gerere, primo induſtrios, ſupplices, modicos eſſe, dehinc per ignaviam ætatem agere.* Et de Galba Tacitus *lib.* 1. *hiſt. cap.* 49. §. 6. ait, *Major privato viſus eſt, dum privatus fuit, & omnium conſenſu capax imperii, niſi imperaſſet.* Neronis etiam quinquennium nemo non deprædicat, reliquum imperii tempus omnes execrantur, ut ita veriſſime Tacitus dicat: *Solum Veſpaſianum omnium ante ſe principum in melius mutatum eſſe.* Sæpe itaque vitium virtutis ſpecie electores fallit, ac vel propter ea non conducit, eligi principem.

LXIIX. Denique etiam hoc dilemma contra electionem maxime urgeri ſolet: ſi eligendus eſt Rex, eligendus eſt vel ex civibus, vel ex peregrinis. Si ex civibus, quilibet etiam peſſimus imperium affectabit, & ſe bene de republica meritum jactabit, unde obtrectatio, invidia, diſſenſiones, & bella civilia exoriri ſolent. Sic mortuo Sigismundo Auguſto, Poloniæ Rege, controverſia inter optimates, qui regni ſpem ad ſe quisque trahebant, coorta, aliter componi non potuit, quam ſenatus conſulto facto, quo omnibus civibus ad regnum via præcluderetur, ſicut hæc a legatis Polonorum ſe accepiſſe, Bodinus teſtatur *lib.* 6. *c.* 5. Ex civibus itaque aliquem eligere, res periculoſa eſt, & invidentiæ plena.

LXIX. An ergo peregrinus eligendus erit? hoc vero cum contumelia civium, & libertatis publicæ periculo conjunctum eſt, quod Tacitus *lib.* 2. *annal. c.* 2. §. 3. 5. de legatis Parthorum, Roma ſibi regem petentibus, docet: *Mox*, inquit, *ſubit pudor, degeneraviſſe Parthos petitum alio ex orbe regem, hoſtium artibus infectum.* Et paulo poſt: *Accendebat dedignantes & ipſe Rex diverſus a majorum inſtitutis, raro venatu, ſegni equorum cura — faſtu erga patrias epulas &c.*

LXX. Nec ad rem, ſi is, qui eligitur, jam tum alibi regnet, timendum enim, ne vel ex duobus regnis unum faciat, ſiquidem ab imperii ſui finibus non procul abſit, vel ſi procul abſit, id, quod nuper adeo accepit, minori cura, aut per legatos adminiſtret. Legatorum vero imperia ſubditi non facile & æquo animo ferent. Neque tamen vero ſimile eſt, quod princeps alienum regnum curare malit, quam ſuæ gentis, in quo ipſe natus eſt. Itaque ſive peregrinus, ſive civis eligatur, res periculo non caret. Quare ſucceſſio tutior eſſe videtur, quam inſuper & gentium conſuetudo, & Deus ipſe, ut apparet, probat, qui continuandum in filiis imperium bonis, tanquam magnum prœmium, pollicetur. *Deut.* 17. *v. ult.*

LXXI. Verum enim vero, non contemnenda ab altera quoque parte argumenta ſunt; quæ pro electione in medium afferuntur. Sunt autem hæc primo: in regno hereditario regem ſæpe ſine liberis & ſucceſſoribus mori, & hinc infinitas oriri turbas, vel nonnunquam poſt ſe pueros relinquere, qui præ ætate ſceptri incapaces ſint. Puerorum autem imperia ipſa ſacra ſcriptura deteſtatur, & propterea tales non hoſtibus tantum, ſed ipſis ſubditis contemtui ſunt. Neque eſt, quod tutores pueris dare velint, cum metuendum ſit, ne illi vel ſuam magis, quam pupillorum rem curent, vel totum ad ſe imperium rapiant. Teſtatur hoc Caſſandri ſcelus, qui regni adminiſtratione in ſe collata, filios Alexandri, quibus tutor datus erat, interfecit, & regnum ipſe invaſit. Juſtin. *lib.* 15. *cap.* 2.

LXXII. Deinde non tantum pueros ætate ſucceſſio obtrudit, ſed etiam qui ingenio adhuc pueri ſunt, quique vix ſibi, nedum regno, proſpicere poſſunt, imo interdum ob malitiam nolunt, ſed voluptatibus tantum & libidinibus ſerviunt. Neque enim ſemper

*Fortes creantur fortibus & bonis.*

Sed

Digitized by Google

Sed ſæpe parentum virtus in liberis aut degenerat, aut ſeneſcit, ut non raro verum ſit illud, apud Græcos olim jactatum: *Heroum filii noxa.* Exempla ubique obviam ſunt. Et quomodo bonus ſucceſſor aut majoribus ſimilis ſperari poteſt, cum principum liberi plerumque inter delicias & adulationes educantur, omnis generis voluptatibus frangantur, & ipſi patres vix animum ad rectam filiorum inſtitutionem appellare poſſint, ſi ſuo officio ſatis recte fungi & reipublicæ proſpicere velint. His adde, quod principum ingenia propter innatam animi inſolentiam raro rectam educationem admittant: nam indignum ſuo origine ducunt, ſi inferiorum hominum diſciplinæ ſubmittantur, quod Herculis factum teſtatur, qui Lino præceptori tabulam in caput impegit.

LXXIII. Neque tamen bene imperare quis poteſt, niſi qui paruerit, inquit Cic. 3. *de leg.* ut qui neſcit, quomodo erga Principem affecti ſunt ſubditi, vix ſciet, quomodo princeps erga ſubditos ſe gerere debeat. Hinc Plinius ad Trajanum in panegyr. *Quam utile eſt*, inquit, *ad uſum ſecundorum per adverſa veniſſe: vixiſti nobiſcum, periclitatus es, timuiſti, ſcis & expertus es, quantopere malos Principes deteſtentur, etiam qui malos faciunt, meminiſti quem optare, quæ ſi queri ſolitus.*

LXXIV. Electio itaque ſucceſſioni præferenda eſſe videtur, tum quod digniſſimum præficiat imperio, & talem, qui ita alios regat, ut ipſe olim regi voluerit, tum quod ea omnibus calcar ad virtutem adſpirandi addat, ubi enim hæc viget, nulli virtute prædito via ad imperium præcluditur.

LXXV. Et hæc præcipua utriusque partis argumenta ſunt, nam alias multo plura coacervari ſolent. Quæ cum utrinque ſatis firma & evincentia ſint, neutri parti temere adſtipulandum videtur. Interim hoc dicimus: quod diuturnus in aliqua republica uſus firmaverit, id omnino retinendum eſſe, & ſive ſucceſſio, ſive electio alicubi obtineat, a neutra temere diſcedendum: omnis enim mutatio periculoſa eſt. Unde & Bodinus *lib. 6. cap. 5.* recte eos reprehendit, qui aut popularibus concionibus, aut publicis diſpp. regna, quæ a ſtirpe longiſſime deducuntur, ad ſuffragia populi traducenda eſſe, perſuadere conantur. Lyſander etiam male apud Plut. *in vita ejus* audit, quod Lacedæmoniorum regum conſuetudinem immutare voluerit. Scilicet ea eſt natura rerum humanarum, ut nulli omni ex parte ſatis ſit cautum. Interdum itaque ſucceſſio, interdum electio nocet. Fortaſſis tamen rem ita quis recte definierit. Populo feroci ac novitatis cupido prodeſt ſucceſſio: prudenti vero & pacato commodior electio eſt. Item ad παμβασιλείαν tuendam ſucceſſio, ad regnum legitimum electio prævalet. Hæc de prima quæſtione.

LXXVI. Altera ſit: An primogenitus in regno, ubi ſucceſſio valet, ſuccedere debeat, reliquis fratribus a ſucceſſione regni & principatus excluſis, nec ne? Ubi iniquum eſſe videtur, pari jure non haberi illos, qui ab iiſdem parentibus procreati ſunt. Deinde omnis occaſio præcidenda eſt, quæ fratrum odia & diſſenſiones excitare poteſt, quod omnium graviſſimæ eorum inimicitiæ ſint, ut Ariſtoteles *lib. 8. Eth.* docet, & imperiis pernitioſiſſima. Quando autem uni plus tribuitur quam alteri, non facile eæ præcaveri poſſint. Itaque primogenitus cæteris anteferendus non eſt.

LXXVII. Verum etſi interdum ſatius fuerit, primogenitum a regno excludi: ſi quid tamen in genere licet definiri, huic potius reipublicæ ſumma eſt credenda: cum quoniam ætate, ita ingenio potior plerumque eſt, tum id niſi fiat, in incerto eſt ſucceſſio, & obnoxia certaminibus. Quare etiam pro primogenito ipſum gentium jus pugnat. Hinc Artamenes apud Juſtinum *lib. 2. c. 10. §. 3.* maximus natu ætatis privilegio regnum ſibi vendicat, quod id jus, & ordo naſcendi, & natura ipſa gentibus dederit. Et Perſeus, cum in fratrem Demetrium diceret: *Regnare utique vis*, inquit, *obſtat gentium jus, obſtat antiquus Macedoniæ mos, huc tranſcendere, niſi per meum ſanguinem, non potes.* Livius *lib. 40. c. 9.* & Herodotus *lib. 7. Mos*, inquit, *omnium populorum eſt, ut natu maximus imperium habeat.*

LXXIIX. Et hujus rei quidem adeo obſervantes nonnullos fuiſſe accepimus, ut etiam, excluſis ſecundo genitis, qui aptiores tamen imperio erant, primogenitos plane ineptos ad regnum admoverint. Exemplum hoc Bodinus *lib. 6. de republ. cap. 5.* de Pannoniarum ſenatu & populo narrat. Cum enim Ladiſlaus Almum fratris filium juniorem adoptaſſet, repudiato Calomanno, tota corporis ſtatura deformi, balbo, luſco, claudo, gibboſo, ſed natu majori, populus, mortuo Ladiſlao, monſtrum illud ad imperium accerſere, quam junioris imperia ferre maluit. Quod tamen nos minime cenſemus approbandum. Potius enim tum fuerit, rem aut paterno arbitrio, aut populari committere lege lata. Quomodo cernere eſt, olim Davidis Regis in arbitrio fuiſſe poſitum, Salomonem aliis natu majoribus fratribus anteferre.

LXXIX. Quod vero æqualitas inter fratres ſervanda ſit, id ſine dubio de privata hereditate intelligendum eſt, nam in regnis longe alia ratio eſt: quod ſi enim regna tot in partes dividantur, quot numero filii ſunt, & rurſus pro multitudine nepotum, pronepotumque diſtrahantur, ad nihilum tandem reciderent. Unde Dionyſii milites apud Juſtinum *lib. 21. cap. 1. §. 2.* in exſtincti regis locum maximum natu ex filiis ſuffecere, & naturæ jus ſecuti, & quod firmius futurum eſſe regnum, ſi penes unum remanſiſſet, quam ſi portionibus inter plures filios divideretur, arbitrabantur. Nimirum adminiſtratio omnis civilis, omniſque reſpublica populi ſalutem reſpicit. Hinc juſtum eſt omne, quod pro illa ſalute facit: injuſtum, quod illi officit. Diviſio autem illa imperiorum plerumque robur omne illis detrahit: ideoque non toleranda. Privatæ vero aliæ res ſunt propter utilitatem poſſidentis. Neque refert ut plurimum, dividaturne in plures, an ab uno poſſideatur. Quædam tamen rectius ab uno poſſideri, quam a multis, eſt certum.



Digitized by Google

LXXX. Interim ut concordia inter fratres conſervetur, & odia comprimantur, tutiſſimum eſſe ſtatuunt politici, ut tantum minoribus concedatur, unde honeſte vitam tolerent, cujusmodi ſunt certi reditus annui, aut regni aliqua portio, quam tamen non regio, ſed privato titulo poſſideant. Ita Joſaphat filiis ſuis natu minoribus multa munera auri & argenti dedit, etiam civitates munitas in feuda, regnum autem Joramo, qui erat primogenitus, tradidit. 2. *Paralip. cap.* 21. *verſ.* 5. Et Artaxerxe majori natu Rege creato Cyrus frater ejus Lydiam & ſatrapias maritimas accepit, ut Plut. *in Artax.* teſtatur.

LXXXI. Et hoc quidem modo optime reliquis liberis proſpicitur: abſit enim, ut eorum conſilia ſequamur, qui, qualia apud Geometras ſunt, quæ illi ſibi concedi jure ſuo poſcunt, & poſtulata appellant, tale poſtulatum commune Regibus eſſe ajunt, & quaſi conceſſum, ut fratres necare ſecuritatis cauſa ipſis liceat Plut. *in Demet.* eſtque hæc turcicorum Imperatorum præcipue crudelitas, qui fratres omnes poſt ſe genitos occidunt. Videatur etiam Juſtin. *lib.* 8. *cap.* 3. *lib.* 21. *cap.* 1.

LXXXII. Nec multo melius ſentiunt, qui liberos Regum omnes præter eum, qui regnaturus eſt, perpetuæ cuſtodiæ includunt, quod Præto Johannes Rex Abyſſinorum inſtituiſſe dicitur, ut teſtatur Arniſæus *polit. cap.* 9. Præterquam enim, quod iniquiſſimum hoc ſit, non poſſunt non inde turbæ & conſpirationes oriri: cum ii, qui ſe certo perituros ſciunt, omnia audeant, dummodo non inulti moriantur: nam ex deſperatione creſcit audacia, *& cum ſpei nihil eſt, ſumit arma formido*, inquit Veget. *lib.* 3. *de re milit. cap.* 12. Regi itaque præcipue inſidiæ ſtruuntur, inque ejus necem conſpirant, ſcientes eo ſuperſtite ſe ſalvos aut tutos eſſe non poſſe, adeoque melius eſſe credunt prævenire, quam præveniri, quo proverbio Selymus fratricidium excuſare ſolitus fuit; Arniſæus *cap.* 9. *polit.* Et tantum de hac quæſtione,

LXXXIII. Ultimo loco eam reſervavimus, liceatne invaſorem imperii vi dejicere, aut etiam occidere? Multi certe id olim, ſive ut patriam in libertatem vendicarent, ſive quod contumelia a tyrannis affecti eſſent, ſive ut ipſi denique ſibi imperium pararent, aggreſſi ſunt, imo propterea magno honore a populis affecti. Ita Achæi & Sicyonii ſacrificium, in honorem Arati, quotannis celebrabant, eo die, quo urbem tyrannide liberaverat, Plut. *in Arat.* & Cicero pro Milone. *Græci homines*, inquit, *Deorum honorem tribuunt iis viris, qui tyrannos necaverunt, quæ ego vidi Athenis? quæ aliis in urbibus Græciæ? quas res divinas talibus inſtitutas viris, quæ carmina? quos cantus? prope ad immortalitatem & religionem, & memoriam conſecrantur.* Scilicet hoc eſt, quod Senec. *Herc. fur.*

> — *Victima haud ulla amplior*
> *Poteſt, magisque optima mactari Jovi*
> *Quam Rex iniquus* - - -

LXXXIV. Verum reclamat Tacitus *lib.* 4. *hiſt. cap.* 8. §. 3. *Bonos Imperatores voto expetendos, qualescunque tolerandos eſſe*, dicens. Et eodem libro cap. 74. Cerialis Treveros ac Lingones ita alloquitur: Quomodo ſterilitatem, aut nimios imbres & cætera naturæ mala, ita luxum & *avaritiam dominantium tolerate. Vitia erunt, donec homines: Sed neque hæc continuæ & meliorum interventu penſantur.* Et pertinet huc Ariſtophanis illud, quod citat Hugo Grotius *lib.* 1. *de jure belli & pacis c.* 4. *Leonem in civitate non alendum, ſi alitus ſit, ferendum eſſe.*

LXXXV. Tantum autem abeſt, ut ſacræ literæ e medio tolli tyrannos quosvis velint, ut etiam pro ſalute & vita Nabuchdonoſoris, qui tamen nulli ſceleribus ſecundus erat, filiique ejus Balthaſaris ſalute & vita orare Iſraëlitas jubeant. Burch. *cap.* 1. *verſ.* 11. Imo ipſe Chriſtus tributum ſolvi Tiberio jubet, Matth. 21. *verſ.* 20. Et Paulus improbis quoque magiſtratibus obediendum eſſe dicit, quales ejus tempore Caligula, Claudius & Nero erant.

LXXXVI. Huc accedit, quod tyrannis vel interfectis, vel violatis periculoſi plerumque & cruenti motus oriantur. Fieri etiam poteſt, ut is, qui jus habet majeſtatis, invaſorem in poſſeſſione relinqui malit, quam novis motibus & machinationibus occaſionem dare, ſicut Hugo Grotius loco jam citato diſſerit, cum plerumque validam in populo factionem aut externos etiam amicos habent. Unde recte Favonius apud Plut. *in Brut. pejus deteriusque tyrannide bellum civile* ait, & Quintius apud Livium *lib.* 34. *cap.* 48. *Satius fuiſſe*, dicit, *tyrannum Nabidem Lacedæmone relinqui: cum opprimi non poſſet, quam ruina graviſſima civitatis, in ipſa vindicta libertatis perituræ.* Hinc Cicero quoque ſub tyranno eſſe malebat, quam optima ſpe dimicare *lib.* 2. *epiſt. ad Attic.* 14. & theſin hanc politicam varie diſputare ſe dicebat *lib.* 9. *ad Attic. ep.* 3. quam græce ibi proponit: *An tyrannidis deſtructio tentanda ſit, ſi civitas propter id de ſumma rerum periculum ſubitura ſit.* Quid quod tyrannicidæ plerumque pœnas facinoris ſui luerint: ut id de Cæſaris percuſſoribus notum eſt, quorum nemo vel triennio ſupervixit, vel ſua morte defunctus eſt, ſed alius naufragio, alius prælio periit. Idem aliis accidit, quorum longum catalogum *in notis polit. ad Taciti* 1. Forſtnerus recenſet.

LXXXVII. Hæc argumenta oſtendere videntur, non licere invadere tyrannum. Verum nos cum Hugone Grotio *lib.* 1. *cap.* 4. §. 16. 17. 28. *de jure belli & pacis.* eum tolli jure poſſe dicimus, ſi quidem bello injuſto imperium rapuerit, neque pactio ulla ſecuta ſit, aut fides illi data, ſed ſola vi retineatur poteſtas: ita enim belli jus manet, & proinde in eum, quod in hoſtem licet, qui a quovis etiam privato occidi poteſt, idque loco illo Tertulliani confirmat: *In reos majeſtatis & publicos hoſtes omnis homo miles eſt.* Idem cum Plutarcho *lib. de fato ad Piſon, ſi ante invaſionem aut occupatam tyrannidem lex publica exſtiterit, quæ unicuique poteſtatem facit occidendi eum, qui privatus ſatellitium ſibi circumdederit, arcem invaſerit, civem indemnatum necarit, &c.*

quales

Digitized by Google

*quales leges extabant in Græciæ civitatibus, jure eum interfici poſſe, qui leges iſtas transgreſſus ſit.*

*LXXXIIX.* Idem Grotius tyranni cædem permittit, ſi diſerta authoritas accedat ejus, qui jus imperandi habet ſive is rex ſit, ſive ſenatus, ſive populus, quibus etiam regiorum puerorum tutores annumerandi ſunt, qualis Joaſo fuit Jojada, cum Athaliam regno depelleret. *2. Paralip. cap. 23.*

*LXXXIX.* Extra hos vero caſus nulli privato vi dejicere aut interficere tyrannum permittit. Et ſane ſi reipublicæ interſit tolerare tyrannum, quod ita tolli nequeat, niſi cum reipubl. internecione; etiam illi quem penes eſt majeſtas, tyrannum invadere nefas eſt. Multo minus, ſi civitas jam tacite conſentiat quaſi in tyranni imperium, unus aut alter contra debet niti. Certe, qui injuſſu vel populi, vel ſenatus vel alterius penes quem τὸ κύριον, tyrannidi reſiſtit cum præſenti reipubl. periculo, is non minus peccat quam ſi quis alius publicam perturbet tranquillitatem. Neque eſt, quod factum Ehud in Eglonem *ex lib. Jud. cap. lib. 3. verſ. 25.* quis objiciat, cum iſte tanquam vindex & ſervator a Deo mandato ſpeciali ſuſcitatus ſit. Et hæc etiam de propoſita quæſtione ex mente Hugonis Grotii apponere viſum fuit. Quæ autem præterea circa hanc materiam a politicis afferri ſolent, de iis in præſentia ſolliciti non ſumus.

---

# XXIII.

## HERMANNI CONRINGII DISSERTATIO DE REGNO

*Reſpondente*

ANDREA CURTIO LUBECENSI

---

ANNO MDCL.

Σὺν Θεῷ.

### THESIS I.

REGNI vox ambigua eſt, & alias proprie, alias improprie ſumitur. Ariſtoteles *lib. 3. Pol. c. 10.* quinque in univerſum ejus diverſitates recenſet, & explicat: quem tamen Bodinus conatur erroris accuſare, num recte, an ſecus, infra paſſim locus dicendi erit. Accurate autem attendere oportet, cum multis ſpecioſum nominis ſonum imponat, & fucum faciat. Videmus enim, non ubique gentium æquali principes poteſtate eſſe præditos, adeo ut interdum titulo ſolum gaudeant: quæ res mirum quantum diſcriminis inter regem, atque regem parit. Ita ordine mihi facturus videor, ſi improprias & nothas regnorum ſpecies ſive modos præmittam, deinde ad naturam veræ παμβασιλείας, (cujus gratia omnis hæc noſtra diſputatio inſtituta eſt) pluribus exponendum progrediar.

II. Sunt vero illæ nothæ ſecundum mentem Philoſophi, (eum enim ſequimur,) numero quatuor. Primam olim conſtituerunt Reges Spartani: Cornelius Nepos, elegans ſcriptor teſtatur, *morem fuiſſe Lacedæmoniis a majoribus traditum, ut duos ſemper haberent reges, nomine magis quam imperio, ex duabus familiis Proclis & Euryſthenis, qui principes ex progenie Herculis Spartæ regnaverunt.* Scite vero ait, *nomine magis, quam imperio.* Etenim anguſtis admodum limitibus circumſcripta eorum erat poteſtas, ſicut ex Herodoto, & Xenophonte conſtat; Militiæ quidem ſupremum regimen, & jus vitæ necisque in milites habebant: Domi autem legibus ſubjecti, inque eas juramento, quod ſingulis menſibus præſtare ſolebant, obſtricti, officiis modo colebantur: nimirum in conſeſſibus προεδρία occupabant, ſententiam primo loco dicebant, domo publica habitabant, ſi quid negotii incideret, de communi ſenatus voluntate expediebant, religionis ſacra curabant, & id genus alia, quæ vix umbram regiæ dignitatis præ ſe ferunt. Unum Herodotus *lib. 7.* indicat, quod a nullo alio veterum memoriæ proditum eſt, habuiſſe eos binorum jus ſuffragiorum in ſenatu, cum ita ſcribit: *Licet illis* [intellige reges] *pro ſuo arbitrio aſſidere in ſenatu, qui conſtat ex duodetriginta ſenibus; Si eo non acceſſerint, eorum maxime propinqui duo ſenatores jus regum obtinent duos calculos ponendi, tertium pro ſe ipſis.* Nam niſi præſentes reges tale jus habuiſſent, tribuere id propinquis ſuis non potuiſſent. Vide doctiſſimum Ubbonem Emmium de *rep. Laconum.* Sed nullo pacto vel hoc cum majeſtate, quæ regibus proprie ita dictis competit, eſt conferendum. Id circo Ariſtoteles regnum laconicum perpetuam belli præturam appellat, negatque peculiarem reip. formam efficere *l. 3. Polit. c. 10.*



Digitized by Google

III. Ad regni laconici ſimilitudinem noſtro ævo omnium proxime videtur accedere præfectura Hollandiæ, ut tamen tempore pacis pluſculum potentiæ contineat. Movet me ita credere Hugo Grotius, qui aſſeverat *l. de antiq. reip. Bat. cap.* 7. conceſſum eſſe præfecto præſidiis imperare, magiſtratus urbanos e nominatis eligere, & criminum pœnas remittere; quæ ſigna ſunt eminentioris auctoritatis. Contra in caſtris prætulerim Regis ſpartani imperium, cui jus belli, in quamcunque regionem libuiſſet, inferendi fuit, ita ut nulli Spartiatarum id prohibere fas eſſet, alioquin peculiari crimine teneretur, teſte Herodoto *lib.* 7. Apud Batavos autem cuncta de conſenſu ordinum geruntur. *Horum enim eſt*, [verba Pauli Merulæ ſunt *in Diatr. de ſtat. reip. Bat.*] *adhibito in conſilium præfecto, bellum decernere; de pecunia, commeatu, armisque cogitare, exercitus conſcribere, conſcriptis peritos, animoſosque dare duces; ducibus quo, quousque, quando, quomodo ducendum præſignare.* Unde patet, liberam eum rei bellicæ adminiſtrationem non habere, parumque memorem ſuæ orationis fuiſſe Merulam, dum ſub finem diatribæ addit: *in Batavorum civitate regalis imperii notas occurrere in ſummo exercituum ductore, cujus nutu omnia terra marique gubernantur.*

IV. Aliter longe de Venetorum Duce judicandum, quippe cui nihil cum exercitu commercii intercedit, ſed domi præcipua duntaxat dignatione afficitur, & tanquam caput ſenatui præſidet: Bodin. *l.* 1. *de rep. c. ult.* Vulgo dicterium hoc de eo fertur: In curia Senator, in ædibus Rex, in urbe captivus.

V. Solent a nonnullis cum regibus Lacedæmoniorum contendi priſci Imperatores Romani, eo quod, ſtante republ. copias pleno cum imperio in hoſtem duxerint. Ita de Q. Fabio legitur, quod proprio conſilio in vium Hetruriæ ſaltum Ciminium cum exercitu intraverit, *Liv. l.* 9. Sic Manlium, Aſiæ proconſulem non ex ſenatus authoritate, neque juſſu populi Gallo Græcis bellum feciſſe, idem auctor eſt, *l.* 48. Sic Julius Cæſar contra Gallos belgicos arma infeſta movit, populo romano inſcio. Verum notandum eſt, etſi aliqua ratione conveniant, multis tamen modis differre, quia hi anno finito, aut devictis hoſtibus, magiſtratu omni abiere: illi vero priſtinam dignitatem minoris modo pretii in toga, quoad viverent, retinuerunt. Ad hoc ſi rem accurate expendas, imperatoribus non licuit pro arbitrio exercitum ducere, etſi interdum id fecerint, ſibi ea in re pluſculum indulgentes. Nam & ipſi Q. Fabio denunciavit ſenatus, ne tranſiret per loca illa invia: *Livius loc. cit.* & Cajum Cæſarem hoſtibus dedendum ſuaſit Cato, teſte Plutarcho in *Catone.* Atque hæc prima regni ſpecies erit, quæ non injuria dicitur *μάλιϛα κατὰ νόμον.*

VI. Secunda regni ſpecies nihil aliud eſt, quam merus dominatus: cum nimirum unus libertatis, ac fortunarum omnium dominus jure belli, aut fœdere, aut ex alio compacto factus, ſubditos, quaſi paterfamilias ſervos moderatur. Hic vero ſtatim ſeſe nobis objicit Bodinus, autumans in eo labi Ariſtotelem, quod dominatum regni ſpeciebus annumeret, cum formaliter a Regno diſcerni & tertium aliquod monarchiæ genus facere videatur. Sed illa ratio vera haud eſt. Obſervandum enim eſt, quosdam populos toto ingenio ſerviles eſſe, eoque amare & ſibi expetere dominatum, tanquam naturæ ſuæ & moribus maxime convenientem reipubl. ſtatum: quorum proin ſalus in dominico imperio conſiſtit, a quo multum diverſa eſt tyrannis, utpote quæ ſit dominatus in invitos eosque vel pares, vel etiam meliores.

VII. Firmum igitur ſit, dominatum ſpeciem aliquam regni eſſe, etſi non optimi, aut ejus, ubi cives liberali ſunt ingenio. Videndum porro, quantum a regia perfectitudine deficiat. Id quidem ex præcedentibus in promptu eſt intelligere: Scilicet quia domini cives imperio regunt herili, & privatam utilitatem anteponunt publicæ, tyrannicæ potentiæ propriores ſunt. Facit vero vel juſta ſubjectionis cauſa, vel ipſius populi ultroneus conſenſus, ne tam fœdo nomine jure affici nequeant. Neque enim iniquum eſt, ut qui hoſtes juſto ac legitimo bello ſuperaverit, perſonarum & rerum dominus fiat, dummodo ſubditos non aliter, quam bonus paterfamilias ſervos habeat, fatente ipſo Bodino *l.* 2. *de rep. cap.* 2. Item populo ſui juris utique licet uni cuipiam ſeſe dedere, inque eum plenam ſui dominationem transferre, quemadmodum recte judicat Grotius *l.* 1. *de J. B. & P. c.* 3.

VIII. In tales autem dominatus cumprimis legitime exercetur, qui ad inſtar regiæ gubernationis ſeſe habet. Nam ſubditi, jugo ſervitutis aſſueti, imo ad id ferendum compoſiti, lubenti animo parent, nec ægre ferunt herilia juſſa; Ob eamque cauſam imperium ſucceſſoria lege ad heredes tranſire, & ipſorum civium ſatellitio firmari ſolet. Quin ut haud peſſime putant nonnulli, dominatus ejusmodi certior magisque diuturnus eſt, quam verum regnum. Cujus rei rationem dare nititur Bodinus *l.* 2. *c.* 2. *in fin.* quod in tali rep. ſubditi omnia principi accepta ferunt, tum quod ſervi, ſortis ſuæ memores, ne quid novi affectent, ſervili metu dejiciuntur, ac impediuntur. *v. l. c.*

IX. Sane animadvertere illum regni modum licet apud veteres Aſiæ populos. Quid enim Perſarum reges? Nonne ſumma cum ſeveritate, atque ſuperbo aliquo faſtu imperabant? Tradunt hiſtoriarum conditores, eos omnes pro ſervis, uxore excepta, habuiſſe. Vid. Plut. *lib. ad princ. ind.* Primus Artaxerxes Longimanus mitiorem inivit viam, & cum anteceſſores ſummos magiſtratus, veſtibus, nudatos indignum in modum cædere conſuevisſent, ipſe nudari quidem, ſed veſtes, non corpora, cædi juſſit. *Plut. in Apophtegm.* Jam vero adoratio, qua non tantum ſubditi, verum etiam exteri regem compellaturi, eum ſalutare cogebantur; mortales honores excedit. Nihilominus regna illa ſine vi peregrini militis, firma ſteterunt, ſolo civium obſequio, & longo ordine ad poſteros propagata ſunt.

X. Idem

X. Idem apud Ægyptios obſervare eſt, de quibus Herodotus *lib.* 1. literis conſignavit, nullo temporis momento potuiſſe regibus carere, cum tamen plus, quam dominica auctoritate regerentur. Liquet hoc inde, quoniam omnes agri in patrimonio regis erant ex Seſoſtris inſtituto, certaque ex iis pecuniæ ſumma quotannis fiſco proveniebat. Herod. *ibid.* Argumento etiam uberi ſunt Pyramidum moles, quas infinito & gravi labore erigere a dominis coacti ſunt: ut jure merito dixerit Ariſtoteles, *Barbaris placere dominatum*, & Livius, *Barbaros pro legibus ſemper dominorum juſſa habere.*

XI. Quid? quod hodieque tota propemodum Aſia, atque Africa dominis teneatur. Cis montes Lunæ Rex Congo, qui amplam poſſidet ditionem, omnia ex ſuo unius libitu diſponit ac dirigit. Nihil ſubditis proprium eſſe ſinit, ſed bona eorum, quando vult, aufert, & cogit in ærarium. Principes & dynaſtæ ibi quidem reperiuntur, debent autem dominium regis agnoſcere, etiam in rebus privatis, ut tradit Ludovicus Gothfridus in ſua *Archont. Coſm. l.* 2. Simili modo Preſtegan. Abyſſinorum [qui male a nonnullis Presbyter Joannes indigitatur] monarcha potentiſſimus imperat. Divinus honor ei a ſubditis tribuitur, & grande nefas eſt, audito regis nomine, manus confeſtim ad terram non demiſiſſe. Idem tam ſacris uſibus deſtinata prædia, quam aliorum fundos libere transfert, alienatque. Cuncti magnates anno vertente, juramento fidelitatis ei obſtringuntur, & nemini præter regem, feudatarios ſub ſe habere integrum eſt: *Gothfr. eod. lib.* Non minorem poteſtatem uſurpat Seriphius in regnis Marocco, & Feſſæ: Bona omnia Alcaidarum, i. e. Vaſallorum ſuorum ad fiſcum trahit: filiis numerat ſtipendia; filiabus de maritis proſpicit. *Arniſ. Polit.* 1. *c.* 9.

XII. Magnus Chamus ſine controverſia Tartarorum dominus eſt, cum bona ſubditorum decimet, & quoscunque libitum eſt, in bellum educat, vel ad alia adhibeat munera, *Arniſ. l. c.* ſingulos etiam locum a ſe petere cogat, quem habitent: *Goth. l.* 2. *Archont.* qui inſuper memorat, ſigillo ejus majori impreſſum legi hanc ſententiam: imperat Deus cœlo, magnus Chamus terræ, robur Dei & hominum. Chinenſes etiam ſub dominatu vivunt, apud quos Ducum & principum nomen plane ignoratur, Rex vero ſolus omnes reditus pecuniasque ſibi capit. Ejus effigiem, ex auro fabrefactam, tempore novilunii præfecti & magiſtratus per regni provincias, ſumma cum reverentia adorant, & quaſi regem præſentem colunt. Inde perſuaſi ſubditi ad infima quæque proni ſunt, ac ſi regis mancipia eſſent. *Gothofr. l.* 16. Qui regno Chinæ vicinus eſt, Rex Pegu in India orientali eadem dominandi ratione utitur, ruſticis agros pro frugum aliqua parte locat. Nobilibus & Principibus (nam non ut in China hic Principes nulli ſunt) interdum ad vitam feuda concedit, nunquam cum jure hereditario: ſemper autem largitioni hæc annexa eſt conditio, ut urgente neceſſitate belli, regi ſufficientem numerum equitum, peditum, elephantorumve ſubſidio mittant. Ita reliqui indicarum inſularum reges dominos ſeſe gerunt, & ſubditis non invitis ſervilia imponunt onera: cujus rei fides optime ex hiſtoriis conſtabit.

XIII. Atque ſic quidem Aſiæ & Africæ populi plerique & olim, & nunc fuerunt animati. Europæis contra, quantum retro progredi memoria poſſumus, mens erectior ſemper & ingenium liberalius fuit, quam ut ad nutum libidinemque Domini ſe componerent. Neminem latet, infinita Græcos bella, libertatis ergo ſuſcepiſſe, ſuſcepta incredibili ardore perfeciſſe. Notum eſt apud majores noſtros, quorum libertas acrior fuit Arſacis regno, principes auctoritate ſuadendi magis, quam jubendi poteſtate valuiſſe. *Tacit. in Germ.* Videntur etiam veteres Britanniæ, & Galliæ reges raro dominicum exercuiſſe imperium, quod iſti populi valde libertati ſtuduerint, & oderint conditionem ſervitutis, teſte paſſim Cæſare *de bell. Gall.* & Tacit. *in Annal.* in quali populo hæc forma reip. quæ dicitur dominatus, locum vix in venire poteſt, ſi excipias ſubjectionem juſto bello factam. Verum enim vero, cum hominum mores mutabiles ſint, haud ſecus atque tempora mutantur, fruſtra quis conabitur, in genere quid certi hac de re tradere. Ad ſpecialia autem deſcendere mihi non licet, neque opus eſt.

XIV. Præſentem Europæ ſtatum quod attinet, ſatis liquet, præter Turcam, & Moſchorum Ducem, dominos in ea nullos reperiri. Regnum Galliæ verum & abſolutum regnum eſt. Nam penes regem, niſi infans, UT NUNC, aut mente captus ſit, belli & pacis arbitrium eſt, leges ſancit & tollit, tributa & vectigalia imperat, impartitur gratiam a pœnis & multis legalibus, &c. *vid. deſcript. Gall.* Actus tamen ſuos ad publicam ſalutem dirigit, ideoque conſenſum Parlamenti pariſienſis ſolet plerumque exſpectare; id quod decepit Althuſium J. C. *Pol. c.* 18. §. 69. ut ſtatueret, Regem Galliæ παμβασιλέα haud eſſe. In Hiſpania parili Rex poteſtate præditus eſt, nec minus commune bonum procurat. Bodin *de rep. l.* 1. *cap.* 8. Hiſce duobus regnis adjungenda fuit Anglia, quæ jam trucidato per ſummum ſcelus optimo Rege Carolo, multum a priſtino deflexit. Alia quædem regna ad ſeptentriones, tantum abeſt, dominatus eſſe, ut potius principatus ſint & nomine tenus regna, ut non falſo exiſtimat Grotius *de Antiq. reip. Bat. c. ult.* Quapropter mirari ſatis nequeo, quid Piccarto in mentem venerit ad hunc locum Ariſtotelis commentanti, ut ſcriberet, dominatum a Gallis, Hiſpanis, Britannis & Danis uſurpari. Certe refutat eum experientia. Tantum de dominatu.

XV. Tertius regni modus complectitur imperium, quale antiquitus in Græcia extitit αἰσυμνητία dictum, quæ extra ordinem ſuffragio populi, rebus exigentibus conſtitui ſolebat, & quidem plena cum poteſtate. Græci enim, quod eſſent libertatis ſtudioſiſſimi, præ cunctis ejus ævi nationibus, Regis & Domini nomen magnopere fugiebant. Itaque, ſi quando uſu veniret, ut

ut ingentia rempublicam pericula invaderent, malive mores vim afferrent legibus, publicæ quietis gratia ſummum uni regimen committebant, ſed gratiori titulo velatum. Sic Theſſali Ἀρχὰς, Lacedæmonii Ἁρμοσὰς, Mitylenenſes Αἰσυμνήτας vocarunt, quos metu præpediti reges vel tyrannos appellare nolebant. *Dion. Halyc. l. 5. hiſt. c.* 11.

XVI. Hi Æſymnetæ, etſi ex prima inſtitutione debuiſſent reges agere, atque non niſi boni publici gratia rempublicam regere; tamen poſt poteſtate abuſi a dominis Barbarorum nulla re fuere deverſi, præterquam temporis ſpatio, & extraordinaria creatione: Ariſtoteles hoc loco ſcribit penes nonnullos hoc imperium fuiſſe perpetuum, & διὰ βίυ. Sed ut ſtemus ejus ſententiæ, [nam videtur negare Dionyſ. *l. c.*] res tamen eodem redit, quoniam extra dubium eſt, nunquam hereditate, ſicut imperium barbaricum, ad liberos perveniſſe.

XVII. Quadantenus ad eorum exemplum inſtituti olim ſunt romani Dictatores, qui libera cum poteſtate belli & pacis aliarumque rerum omnium creabantur. *Halyc. ibid.* Quod inventum ſenatus primum fuit contra plebis pervicaciam, indies majora molientis; quo mutaret animum, ſi videret, *neque ut in Conſulibus*, (verbis Livii *lib. 2. hiſt.* utar) *qui pari poteſtate eſſent, alterius favorem, neque provocationem, neque ullum usquam niſi in cura parendi, auxilium dari.* Vide *Dion. Halyc. l. c.* Poſtea ſæpius non tam propter domeſticas ſeditiones, quam exſuperantem foris hoſtium vim, atque alia ardua negotia ad dictaturam ventum eſt. Sic Camillus quartus, reipubl. gerendæ cauſa & avertendi hoſtiles conatus, dictator dictus legitur apud Liv. *l.* 6. Sic clavi figendi ergo Manlius *l.* 7. Et comitiorum habendorum cauſa Veturius Philo *l.* 23.

XIIX. Durabat autem hæc poteſtas lege quidem non ultra ſemeſtre ſpatium, licet aliquando in maximis periculis ad annum nonnullis continuata ſit, exemplo L. Papyrii Curſoris, & Q. Fabii maximi. Hinc illa Ciceronis lex: *Quando duellum gravius, diſcordiæque civium creſcunt, unus ne amplius ſex menſes, niſi ſenatus creverit, idem juris, quod duo conſules teneto, isque avi ſiniſtra dictus populi magiſter eſto.* Contra quoque complures denis, vicenisque diebus dictaturam ſuam finierunt, quod laudi eis vertit Livius *l.* 9. Nam moderate ſatis, & civiliter primis temporibus dictatores ſummæ rei præſediſſe, nec unquam, quia ſpectatæ virtutis eſſent, illicita tentaſſe, Dion. *lib. 5. c.* 11. auctor eſt, usque ad ætates Syllæ, & Cæſ. qui terminum imperii ſui vi prorogare conati, ex dictatura tyrannidem fecerunt. *Cic.* 1. *Phil. & Plut. in Cæſ.*

XIX. Iterum perperam Bodinus *lib. 2. de rep. c.* 3. cenſet, eos, qui ita ad tempus reipublicæ conformandæ, & in integrum reſtituendæ ſummo cum imperio ſeliguntur, mox privatum habitum reſumturi, nihil plane regiæ majeſtatis participare. Neque enim vero conſentaneum eſt, ſummi rationem imperii a temporis perpetuitate dependere; ſed rerum moralium natura ex operationibus cognoſcitur, & quæ facultates easdem, eosdem habent effectus, eodem quoque nomine nuncupandæ ſunt. *Grot. de J. B. & P. l,* 1. *c.* 3. At Æſymnetæ, & dictatores intra tempus ſuum pari jure, quo Rex, qui eſt optimo jure, actus omnes exercebant. Quare ſequitur, licet temporariam habuerint poteſtatem, quia tamen ſumma fuit, regium nomen illis merito tribui poſſe: ſicut recte *Salomonius de magiſtratu* colligit, menſtruum æque ac tricennalem, aut longiorem eſſe magiſtratum *l.* 1. *principatu.*

XX. Feſtino ad quartum regni genus: Illud Ariſtoteli *heroicum* appellatur, quia videlicet ſub tempora Trojana, in quæ incidit Heroum ætas, frequenti uſu obtinuit. Cum enim homines nondum inventis artibus, & rerum ſcientiis, ſimplicem degerent vitam, & fere diſperſi per agros ex rapto ſubſidia annonæ quærerent, quotiescunque aliquis prudentia vel fortitudine videbatur eminere alios, aut meritis opinionem viri boni erat conſecutus, illi, ejusque poſteris imperium ſuper ſe multitudo deferebat; ſperabat enim ita futurum, ut poſſet ſecura eſſe ab injuriis potentiorum, & facilius, quæ ad vitam neceſſaria ſunt ſibi parare. Ideo Tullius, *mihi quidem*, ait *lib. 2. de offic. non apud Medos ſolum, (ut inquit Herodotus) ſed etiam apud majores noſtros fruendæ juſtitiæ cauſa videntur olim bene morati reges conſtituti*: reſpiciens ad vetera Italiæ regna, quando Janus & Saturnus in terris verſati ſunt, bonorum morum ſtrenui aſſertores. *Plut. in quæſt. Rom.*

XXI. Non vero exiſtimandum eſt, poteſtatem illorum regum omni ex parte abſolutam fuiſſe, ſed auctore Philoſ. *l. 3. Pol. c.* 10. tria tantum habebant, imperium belli, curationem ſacrorum, & controverſiarum diſceptationem, cætera pares civibus. Ingenue Demophon Theſei filius apud Euripidem in Heraclidis:

> ὐ γὰρ τυραννίδ᾽ ὥστε βαρβάρων ἔχω,
> Ἀλλ᾽ ἢν δίκαια δρῶ, δίκαια πείσομαι.
> *Nec enim poteſtas barbarum in morem mihi,*
> *Sed juſta refero obſequia, dum juſte impero,*

Propterea ſucceſſu temporis facile accidere potuit, ut ejusmodi regna ambitione rectorum, (ut animus humanus a dominandi libidine raro ſibi temperare novit,) in tyrannidem converterentur, vel populus, viribus ſuis confidens, jugum omne excuteret, quod factum eſſe non tantum in Græcia, ſed etiam alibi, hiſtoriarum monumenta produnt.

XXII. Hactenus de quatuor notis monarchiæ ſive regni ſpeciebus: Sequitur nunc juſtum & numeris omnibus abſolutum regnum, quod definio, cum unus ſummum habet imperium, eoque ad publicam civitatis ſalutem utitur. Conciliari cum hac definitione poteſt allata Bodini *l. 2. de rep. cap.* 1. *Monarchia regalis eſt, in qua ſubditi libertate ac dominio rerum fruentes, ſui principis legibus obtemperant.* Quamvis rectius ſubjectum a perſona imperantis hauſiſſet: Eſt etiam reſp. ordo civitatis circa magiſtratus, non circa ſubditos. Ariſtot. *l. 3. Pol. c.* 4.

XXIII.

Digitized by Google

XXIII. Sed ut res ad oculum pateat, antea datam definitionem deducam & ſingula ejus membra latius perſequar. Principio quidem in confeſſo eſt, regna ab uno capite dependere commode poſſe, imo haud temere imperium inter duos vel plures dividendum eſſe. Humani ſcilicet ingenii perverſitas obſtat, nihil minus, quam regni ſocium ferre valens. *Arduum*, inquit Tacit. *annal.* 4. *me hercules ſemper, eodem loci potentiam & concordiam eſſe.* Proinde dyarchiam, ſive duumviratum, triumviratum &c. Doctores inter ſpecies ariſtocratiæ numerare ſolent, qualia imperia maxime lubrica & inſtabilia ſunt: Bodin. *lib.* 2. *de republ. cap.* 2. Beſold. *ſynopſ. pol. lib.* 1.

XXIV. Cæterum, ut παμβασιλεία ſit, neceſſe eſt ita regimen penes unum eſſe, ut unus ille omnia pro ſuo arbitratu gubernandi liberrimam habeat facultatem. Philoſophum audi: πέμπτον εἶδος βασιλείας, ὅταν πάντων κύριος εἷς ὤν: *Quinta ſpecies regni, ubi unus omnium eſt dominus.* Quemadmodum enim in democratia perfecta imperium populi prævalet; & in perfecta ariſtocratia ſoli optimates rerum potiuntur: Ita in ſtatu fere regio, cuncta ductu & arbitrio principis geri debent. Hinc idem *lib.* 3. *pol. cap.* 5. ſcribit, ἀνάγκη δ᾽ εἶναι κύριον ἢ ἕνα, ἢ ὀλίγους, ἢ τοὺς πολλούς: h. e. *oportet ſummam poteſtatem aut unum, aut paucos, aut multos habere.*

XXV. Equidem varietatem huius ſummi imperii, ratione perſonarum, ſolidiſſime magnus magiſter exemplo domeſticæ ſocietatis illuſtravit *l.* 3. *pol. c.* 6. & *l.* 8. *Ethic. Nic. c.* 10. quæ omnia hic in medium proferre non eſt opus. Saltem nunc inde aſſumendum, quod etiam *Plato l.* 1. *de rep.* docet, in imperio patris erga liberos, figuram veri regni elucere. Recto ſane judicio conſiderantes patrium imperium & poteſtatem, reperimus eam omnino maximam eſſe; poteſt enim parens, quicquid rem familiarem concernit, mandare filiis, ut efficiant, delinquentes quoque caſtigare poteſt: liberi vero tenentur ſemper obedientiam patri exhibere, ejusque præcepta pro virili *ſarta tecta*, (ut Comici verbis utar) *habere.* Similis Regis ejus, de quo nunc agimus, in ſubditos eſt poteſtas. Omnes enim placide parere ipſi tenentur, & dicto illis eſſe audientes: ſolus Rex imperii clavum tenet; populum intra officii fines coërcet, & quæ addenda ſunt, ei præſcribit.

XXVI. Nimirum eſt talis Rex αὐτοκράτης, καὶ ἀνυπεύθυνος, & tam ſingulis, quam univerſis major. Æque ſicut paterfamilias in domo ſuper omnes eſt. Cæterum id ſibi perſuaderi nullo modo patiuntur, qui ſummam poteſtatem ſemper & ſine exceptione penes populum eſſe contendunt. Quæ ſane nefaria eſt opinio & nata in perniciem non regnorum duntaxat, ſed omnium omnino, quamvis optimarum reſumpublicarum. Quare haud abs re fuerit, paucis in ejus fundamenta inquirere. Argumentantur autem ejus defenſores primum hoc modo: Si Rex a populo conſtituitur, illiusque nomine imperium gerit, conſequens utique eſt, populum univerſum potiorem Rege eſſe. Nam, qui alterum conſtituit, eo eſt major, quemadmodum ſit oportet effecto major ſua quæque cauſa, & creator creatura. Expreſſe autem tradunt juris & legum periti, mandatarium, ſuſcipiendo mandatum, ſubjicere ſeſe quodammodo mandanti, ac fieri miniſtrum: quapropter etiam mandans dicitur dominus. Eadem hic ratio militat, quando populus univerſus, qui non ſecus ac privatus rerum omnium liberam habet adminiſtrationem, Regem creans ſua illum perſona induit, quo imperet ſingulis, & commune commodum promoveat. II. Inſuper Rex docente Ariſtotele *l.* 3. *pol. c.* 10. non niſi in volentes debet imperium exercere, tentansque vel minimum per vim invitis ſubditis extemplo tyrannus evadit: hinc efficitur, populum revera plus poſſe quam Regem, cum liceat populo contemnere, atque ita irrita facere Regis juſſa, quæ ille, ut obſerventur, vi & armis impetrare jus non habet. III. Deinde vix etiam poſſibile eſt, unum in civitate ſummam obtinere poteſtatem: ſumma enim poteſtas eſt, quæ maximis viribus atque opibus ſuccincta, ſuperiorem agnoſcit nullum. At ſemper populus quoad robora, & vires Regem facile vincit, certe vincere debet; quod monuit Ariſtoteles *l.* 3. *pol. c.* 11. *Regem*, inquiens, *poteſtatem quidem habere oportet, tantam vero poteſtatem eſſe, ut ſingulis quidem & uno & pluribus ſit major, multitudine vero minor.* Hisce potiſſimum rationibus nititur eorum aſſertio, qui omnem autoritatem Regibus adimere, eaque populum veſtire ſtudent. Accumulant alii multas, ſed levioris pretii ſententias.

XXVII. Non difficilis vero eſt ad hæc omnia reſponſio. Atque in primo quidem argumento male initio ponitur, regem omnem a populo conſtitui. Raro certe hoc quidem fit, etſi initia multorum regnorum ita nata ſunt, ac naſci ſoleant. Deinde ne id quidem ſimpliciter verum eſt, eum, a quo aliquis conſtituitur, majorem eſſe conſtituto. Nam conſtitutio hæc aut fit in capite tertii, aut in capite ipſius conſtituentis. In capite tertii fit, cum e. g. princeps exercitui ducem imponit, cum ſuper parte regni vaſallum ſtatuit, cum genti devictæ pactove in clientelam receptæ gubernatorem præficit. Hoc igitur in caſu, quia conſtitutus revera partes miniſtri gerit, regula admitti poteſt. Secus ſentiendum, ſi conſtitutio fiat in capite ipſius conſtituentis. Tum enim conſtitutus non partes miniſtri, ſed domini & ſuperioris perſonam plerumque aſſumit. Intereſt tamen, an conſtituens plenam in ſe alteri det poteſtatem, nec ne; utrum firmam, an revocabilem. Qui aliquam modo dedit, vel quantamcunque revocabiliter dedit, illum fatemur conſtituto majorem eſſe. Ideoque imperia precaria, qualia magiſtratus habent (cujusmodi etiam fuit Vandalorum regnum in Africa, & Gothorum in Hiſpania, cum Reges ſolio dejicerent populi, quoties diſplicerent, Grot. *l.* 1. *c.* 3. *de J. B.*) imperfecta ſunt imperia. At vero poteſt quis omne ſuum jus in alterum transfundere, & quidem cum effectu obligationis; atque is dubio procul nullam amplius ſuperioritatem, (ut ita loquar) ſibi vendicare poterit.

XXVIII.

Digitized by Google

XXVIII. Facile jam licet dijudicare, qualis conſtitutio ſit ea, quando Rex (παμβασιλεὺς) a populo conſtituitur; nimirum talis, ut fiat ſuper capite ipſius conſtituentis, qui eſt univerſus populus, quidem optimo modo, atque irrevocabiliter, adjecta etiam poteſtate pleniſſima. Tria inquam, qui in Regem, quo de nunc agimus, eligitur, accipit (1) liberum & abſolutum imperium; (2) jus irrevocabile, (3) poteſtatem in univerſum populum. De imperio ejus ita colligi poteſt. Quoniam populus ſuum, quod habet, imperium Regi dat & defert, oportet Regem ſummum omnino tenere imperium. Nam contradictionem implicaret, ſi majus aliquod imperium in civitate libera ſtatueretur, præter imperium totius populi. Neq; in dubium vocandum eſt, an populo ſui juris liceat omni imperii ſui jure ſeſe abdicare, illudque in unum quempiam totum transſcribere. Largiuntur enim antagoniſtæ, populum univerſum liberrimam rerum ſuarum adminiſtrationem, diſpoſitionem, & diſpenſationem habere, æque ac privatum hominem, qui tamen in ſervitutem ſe alteri addicere poteſt. Conſ. Alth. *pol. c. 19. n. 12. arg. §. 4. J. de jure perſon.* Ex hiſtoriis vero patet, ſæpiſſime uſu veniſſe, ut populus integer uni quietis publicæ gratia omne ſuum imperium conceſſerit. Quid clarius exemplo iſto Romanorum? Ulpiani teſtimonium eſt, *lege regia, quæ de imperio principis lata fuit, populum ei, & in eum omne imperium ſuum poteſtatemque contuliſſe. l. 1. ff. de conſtit. princ.* Lectu digna ſunt, quæ late hanc in rem diſſerit πολιτικώτατος Grotius *l. 1. c. 3. de J. B. & P.*

XXIX. Porro jus Regis noſtri conceſſo imperio utendi quod attinet, eſt illud ſine controverſia perpetuum & nullo tempore revocabile. Quandocunque enim ſine addita conditione conſenſit civitas; ut unus rempublicam gerat; poſtea tenetur imperium illius ferre. Memento, præſupponere me bene inſtitutum regnum, & judicare ſecundum ea, quæ plerumque fiunt. Alias enim in manu populi eſt, in primo actu conſtituendi regni certum terminum Regi præſcribere, quo elapſo, habenas imperii reſtituere debeat. Sed id hodie quidem nusquam gentium obſervatur, quin imo regna fere ubique hereditaria ſunt. Toto autem cœlo errant, qui cum Rex conſtituendus ſtipulanti populo, vel iis, qui populum præſentant, *num velit juſte regnare*, promittit ac recipit, *ſe juſte regnaturum*, huic pacto tacitam ejusmodi aliquam vim ineſſe cenſent, ut, ſi quando juſtitiæ fines ille tranſiliat, confeſtim jure ſuo excidat, & populus eum deponere poſſit. Nequaquam enim inde hoc conſectarium fluit, præſertim ſi ſit in obſcuro vera populi voluntas. Poſito tamen de voluntate populi ſatis conſtare, nihilominus falſum id eſt, propterea quod bonitas aut malitia actus, præſertim in civilibus, quæ ſæpe obſcuram habent diſceptationem, apta non ſunt ad imperium ſupremum abjudicandum. vid. Grot. *de J. B. & P. l. 1. c. 3.* Nam data mobili multitudini poteſtate deponendi Reges & Principes, quoties videntur contra juſtitiam facere, cunctæ civitates ſeditionibus conflagrabunt, orbemque in vetus plane chaos redire neceſſum erit. Itaque ipſe Althuſius *pol. c. 15. n. 6.* cogitur fateri, *pactum, a populo univerſo cum ſummo magiſtratu initum, utramque partem contrahentem obligare, adeo ut revocare illud, vel violare, neque magiſtratui, neque ſubditis concedatur.* Attendendum porro eſt, etſi populus exigat interdum a Rege juramentum, ac Rex in ejus gratiam juret, eo ipſo tamen perjurii vindicem populum non conſtitui, ſed niſi in pacto expreſſo tale quid populo tribuatur, potius Deo ipſi vindictam perjurii committi, ut cui proprie & maxime illa competat. Neque vero alium in finem talia juramenta ſolent præſtari, quam ut Reges ſigillatim metu divinæ iræ in officio contineantur.

XXX. Hisce duobus ita demonſtratis, tertium ultro ſeſe dat, & clare jam liquet, populum univerſum Regis imperio ſubeſſe. Nam penes quem ſummum imperium eſt, is in omnes habet poteſtatem. Summum enim eſt, quo nihil ſuperius, & cui nihil par eſt. Atqui per ea, quæ attulimus, Regi ſummum in civitate imperium competit, & quidem non ad tempus, ſed perpetuo, & irrevocabiliter, quod etiamſi non augeat imperii ſummitatem, tamen firmat. Turbat hic Salamonius *lib. 1. de princ. p. 27.* tantum enim reſpectu civium ſingulorum competere majoritatem illam Regi vult. Cæterum quæſo an unquam auditum eſt, populum aliquem hac lege Regem creaſſe, ut ſingulis tantum imperaret? Tum ſane quivis globus male feriatorum hominum Rege eſſet ſuperior. An vero, cum dicit *ſingulos*, intelligit etiam multos, qui tamen non ſint univerſus populus? Æque fallit. Nam quantum ex omnium gentium, apud quas olim, vel nunc viget ſtatus vere monarchicus, inſtitutis obſervare eſt, ſemper abſolute & ſine ulla lege Reges conſtitui ſueverunt, populo univerſo in verba eorum jurante. Hinc in ſacris pandectis Reges dicuntur uncti *ſuper populum, ſuper hereditatem Domini ſuper Iſraëlem. 1. Samuel. c. 9. 10. 15.* Tres gubernandi formas hunc in modum deſcribit Seneca *epiſt. 14. Interdum populus eſt, quem timere debeamus: interdum, ſi ea civitatis diſciplina eſt, ut plurima per ſenatum tranſigantur, gratioſi timeantur in ea viri: interdum ſinguli, quibus poteſtas populi & in populum data eſt.*

XXXI. Cum igitur Rex ſummum & omnimodum habeat imperium; cum habeat jus imperii perpetuum & irrevocabile: cum denique poteſtatem habeat ſuper univerſum populum, quidni poſt Deum immortalem maximus in civitate ſit? Nec diverſum, Regemque populo inferiorem eſſe probatur ex eo, quod philoſophorum filii diſputant, creatorem creatura & cauſam effectu potiorem eſſe. Primo enim, ne in naturalibus quidem huic propoſitioni ſua conſtat ratio; utque ita ſeſe habeat, tamen ad moralia nequaquam extendenda eſt. Minus etiam noſtræ ſententiæ repugnat exemplum mandantis, & mandatarii, quia contractus mandati non inducit capitis deminutionem in mandatario; quod fieri in populo, quando Regem ſuper ſe conſtituit, planum, niſi fallor, fecimus.

XXXII. Alterum argumentum laborat fallacia ἀμφιβολογίας, quæ latet in phraſi, *volentibus imperare.* Philoſophus, quando ſcribit, *tyrannos invitis, Reges volentibus imperare*: item,

*dominatum*

*dominatum in eo congruere cum vero regno, quod ſit in volentes*; per hanc voluntatem ſubditorum, non vult innuere vagam ac ſolutam licentiam detrectandi juſſa principis, ut præpoſtere illi concludunt: ſed reſpicit ad modum ſubjectionis, qua ſcilicet populus, aut major prudentior & melior pars ſponte, nulla vi & ab initio Regem ſuper ſe ſtatuit & deinceps obſervat, eique ſuum obſequium & obedientiam defert. Sed occurrat quis, igitur ſemel populo volente Rex factus, nequit quidquam committere, ut invito populo præſit? Nemo id affirmare ſuſtinet, cum ſæpenumero, qui antea pro legitimo Rege fuit, ſuccedente tempore tyrannidem in ſuos auſpicetur. Attamen cave, tyrannum putes eſſe omnem eum, qui in invitos aliquot ſubditos imperium exercet. Quid enim, ſi qui ſubditi bono duci parere recuſent, & legum judiciorumque contemtores ſint? Utique princeps illæſa fama eos per vim cogere, ac in gyrum officii & obedientiæ, a quo nimis aberrarunt, retrahere poteſt. Certe, ſi omnium perinde conſenſio requiritur ad id, ut regnum aliquod non ſit tyrannicum, nulla plane reipublicæ ſpecies non tyrannica fuerit & iniqua, utpote cum nusquam refractarii aliqui & rerum novarum cupidi deficiant.

XXXIII. Poſtremo abſonum & abſurdum dictu eſt, ſummam poteſtatem penes populum reſidere, ideo quia populus Regem magnitudine virium ſuperat. Non enim cum de poteſtate politica, quæ majeſtas appellari ſolet, ſermo eſt, intelligitur externa potentia & robur, ſed facultas aliqua ſive jus agendi, quicquid lubet. Sic apud Herodotum *lib.* 3. Otanes delineaturus poteſtatem domini, ait: *cui licet pro libidine agere omnia impune.* De legitimo Rege mitius Ariſtoteles *lib.* 3. *pol. cap.* 11. *qui ſuo omnia arbitratu agit*; & Tacitus *lib.* 2. *ann. qui ſolus arbiter rerum eſt.* Requiritur quidem ad facultatem illam, promtius in actum deducendam, non exigua potentiæ pars, & hæc quoque cauſa eſt, quare principes militem alere neceſſe habeant. Verum, ut abſint equi, arma, viri, pecuniæ, nihil per hoc poteſtati ipſorum decedit, quæ ſuis certis juribus fundatur, & longe quid diverſum a potentia eſt. Ridiculum ſane eſt, robuſtioribus quibusque imperium tribuere, cum potius illud optandum ſit prudentioribus, qui ſæpe minus valent robore. Claudicat porro etiam hypotheſis: populum nempe viribus ſemper Rege potiorem eſſe. Primo enim poterit Rex ingentem exercitum ad manus habere, aut numeroſo ſatellitio uti, quod in hocce bellis ardente ſeculo, ubi vicinis a vicinorum perfidia, principibus a ſubditorum ſcelere tutis eſſe non licet, facto plane opus eſt. Deinde revera potentia non multitudine, aut corporis viribus æſtimanda eſt. Incompoſito enim magno numero robuſtiſſimorum militum, parva ſæpe manus prævalet, prudenter atque ex arte ſi quis eam ducat. Perinde atque auriga revera potentior eſt equis, robore alias multum præſtantibus. Quapropter fixum maneat, Regem liberum in omnes imperium obtinere, & populo quantumvis univerſim ſumto multo eſſe majorem.

XXXIII. Dixi poteſtatem principum eorum, de quibus nunc agimus, certis in juribus fundari. Hæc vocantur jura regia & majeſtatis, ſive majeſtatica: non tamen, quod ſolis Regibus conveniant, utpote cum omni competant, ſummæ potentiæ. Quot autem numero ſint, inter omnes non convenit. Ariſtoteles *lib.* 4. *polit. c.* 14. in tres claſſes ea diſtribuit, unam, quæ de republica conſultat; alteram, quæ in magiſtratibus legendis & munere cujusque definiendo; atque tertiam, quæ in judiciis occupatur. Ad primam vero refert deliberationem de bello, pace, fœderibus faciendis ac diſſolvendis, de legibus, addit de morte, exilio, publicatione, & repetundis. Adi, ſi placet, Bodin. *l.* 1. *c. ult. de rep.* Grot. *de J. B. & P. lib.* 1. *c.* 3. Piccart. *ad loc. cit. Ariſtotelis.* Alii nonnulli recentiorum, ſolent hoc nomine appellare, quæ *lib.* 2. *feud. tit. quæ ſint regal.* ita nuncupantur: ridiculi tamen; cum illo loco tantum recenſeantur jura fiscalia Regum veterum Longobardicorum, ætate Friderici I. controverſa. Nos, omiſſa curioſa collectione, de præcipuis pauca dicemus.

XXXV. Familiam quaſi ducit, jus ferendi & abrogandi leges. Legibus enim potiſſimum in civitate imperatur, quippe quæ certam ſingulis vitæ rationem præſcribunt, & contumaces pœnis atque ſuppliciis deſtinant. Eas igitur in manu ſummi principis conſiſtere neceſſum eſt, alioquin nullam vim habituras, niſi munirentur autoritate illius, qui plenitudinem imperii poſſidet. Arniſ. *l.* 1. *pol. c.* 11. Quod autem nonnulli Reges leges ſuas valere nolunt, priusquam a ſenatu (ceu Theodoſius Imperator *lib.* 8. *C. de leg.* facere ſolitus eſt) vel alio cœtu approbentur, id, ſiquidem ita agunt, non coacte, ſed libere, ſummæ poteſtati minime derogat: cum, ſi qua lex ita reſcinditur, eam ipſorum mandato reſcindi intelligatur, qui hoc modo præcavere ſibi ſtudent, ne in ſanciendis legibus a ſcopo communis utilitatis declinent. Conf. Grot. *de B. & P. lib.* 1. *c.* 3. Atque eo intuitu JCti tradunt, non poſſe ſubditis ſine conſilio ſapientum legem dari. Beſold. *ſynopſ. pol. lib.* 1. *c.* 2.

XXXVI. Cujus eſt leges jubere, ejusdem quoque eſt tollere, & mutare. Incidunt enim ſæpe cauſæ, quamobrem lex lata ſtare diutius nequeat, & conducibile reipublicæ ſit, eam antiquari. Nonnunquam vero perſonæ infirmitas, aut excellens virtus poſtulat, ut vinculum legis circa illam ſolvatur, unde oriuntur privilegia, ſive jus ſingulare, quod Paulus JCtus definit, *jus contra tenorem rationis, propter aliquam utilitatem auctoritate conſtituentium introductum l.* 16. *ff. de leg.* In hodierno imperio noſtro germanico, quoniam mixtum eſt ex ariſtocratia & regno, poteſtas ſanciendarum legum fere penes comitia eſt: privilegiorum conceſſio ſolum a Cæſare dependet. Vid. Lampad. *l.* 3. *c.* 14. *de rep. germ.*

XXXVII. Poſt legum condendarum poteſtatem, ſecundas merito tenet jus belli & pacis, quod in eo vertitur, ut Rex poſſit bellum cum alia gente jubere, & ubi viſum erit, pacem rurſus facere. Non equidem perpetuum Martis ſtudium Regi commendo & Jani portas ſemper apertas laudo. Nec enim probanda eſt ſimpliciter Marianæ doctrina: *Princeps milites ſuos otioſos*



Digitized by Google

*non ſinet: bella ex bellis ſeret, cum juſtæ cauſæ nunquam deſint a finitimis, a longinquis vel jura vetera repetendi, vel recentes vindicandi injurias. lib.* 3. *c.* 5. *de Rege & Reg. inſtit.* Quanto ſalubrius Alexandrum monebat Philiſtus apud Ælian. *lib.* 14. *c.* 2. ut gloriæ quidem ſtuderet, ſed ea lege, *ne ſe peſtilentiam aut magnum morbum faceret?* innuens populorum occiſionem, deſolationem, urbium peſtilentiæ eſſe opera, nihil autem magis regium, quam conſulere omnium ſaluti, quæ pace continetur. Cicero recte: *cum duo ſint genera decertandi, unum per diſceptationem, alterum per vim, cumque illud proprium ſit hominis, hoc belluarum, confugiendum eſt ad poſterius, ſi uti non licet priore lib.* 1. *de offic.* Scilicet tentatis fruſtra legitimis mediis, Regi demum incumbit vi adhibita providere, ne quid reſpublica detrimenti capiat. Et vero ideo arma infeſta movere, belloque adverſarios, donec mentem in melius mutarint, perſequi licitum eſt, juxta illud Euripidis:

Λόγοισι πείσων εἰ δὲ μὴ βίᾳ δορός.
*Verbis id impetrabo: ſin minus, manu.*

XXXVIII. Contingit autem fere propter publica negotia, ut princeps ipſe copias ducere impediatur, & alii regimen militiæ deferendum ſit, qui tamen per hoc jus belli & pacis non habet. Sicut enim procuratori de re aliqua, abſque juſſu domini, tranſigere, vel eam alienare fas non eſt, *arg. l.* 63. *ff. de procurat.* Ita duces ſine expreſſo mandato ejus, a quo conſtituti ſunt, neque paciſci cum hoſte, neque adverſus pacatos populos bellum volvere poſſunt, quoniam eo usque poteſtas illorum, licet pleniſſima, ſeſe non porrigit, ſane, ſi ratihabitio principis ſuperveniat, idem eſt, ac ſi ab initio idmandatum fuiſſet: quod in procuratore etiam valet, *arg. l.* 19. *C. de procurat. & l. ult. ad SC. Macedon.*

XXXIX. Inprimis notandum, bella privata, civium autoritate ſuſcepta, injuſta reputari. Grot. *de J. B. & P. l.* 1. *c.* 3. Nam ordo naturalis mortalium paci accommodatus, hoc poſcit, ut ſuſcipiendi belli autoritas & conſilium ſit penes principes, ceu loquitur Auguſtinus. In Codice Juſtinianeo conſtitutio Valentiniani, & Valentis extat: *Nulli prorſus, nobis inſciis atque in conſultis, quorumlibet armorum movendorum copia tribuatur.* Hincque diffidationes ſubditorum, Selbgericht oder Befehdungen capitales habentur, & crimen læſæ majeſtatis per illas committitur, Gail. *de pac. publ. l.* 1. *cap.* 4. Merito ne turbæ fiant, & novatoribus contra domeſticos faſces inſurgendi pateat occaſio. Subditi autem ſunt tam magiſtratus, quam plebs & omnes, quicunque non habent ſummam poteſtatem. Huic igitur ſoli, qui habet ſummam poteſtatem, jus belli & pacis competit.

XL. Regis porro eſt, non tantum cives a vi externa tutos præſtitiſſe, verum etiam diſcordias, domi ſubnaſcentes, aptis remediis componere; Hucque facit juriſdictionis exercitium, qua probitas defenditur, ſcelera puniuntur, ſuum cuique tribuitur. Juriſdictio omnis in Principe tanquam in ſubjecto adæquato hæret, & perfectiſſima in eo eſt ſine provocatione. Stultum enim, ut recte Putat Ulpianus *ff. l.* 1. *a quibus appel. non lic.* admonere, a principe appellari non poſſe: quod adeo verum eſt, ut de magiſtratibus aliis ſemper ad eum provocetur. Populus olim romanus, quia ſtatu democratico gaudebat, rogationem valeriam de provocatione decemvirali poteſtate everſam, ſublatis decemviris, ſtatim reſtituit, atque impoſterum munivit ſanciendo novam legem, ne quis ullum magiſtratum ſine provocatione crearet, adjecta pœna capitis Liv. *l.* 3. Nam revera amplum & ſingulare caput majeſtatis eſt extrema provocatio, nec facile divelli ab illa ſalva quidem poteſt.

XLI. Penes Regem ergo poteſtas eſt de capite ac fortunis civium judicandi, inſontes animadvertendi, vel indulgendi. *Primo Samuelis cap.* 8. Judæi inter alias cauſas, quamobrem Regem velint habere, diſerte hanc prætendunt, *ut more vicinarum gentium jus ipſis dicat:* Et regina Arabiæ gratulabatur Salamoni, quod eſſet in regium ſolium evectus a Deo, *quo judicium, juſtitiamque faceret.* 1. *Reg. cap.* 10. Judicii anima eſt juſtitia, quæ abſque pœnis nulla prorſus eſt; imo dum demum hæc virtus in civitate dicitur vigere, cum certa ſceleribus ſupplicia propoſita ſunt. Optime aptemus noſtræ ſententiæ dictum Tullii, quod ille de legibus extulit; *Hoc ſpectant Reges, hoc volunt, incolumem eſſe civium conjunctionem, quam qui dirimunt, eos morte, exilio, vinculis, damnis coërcendi, facultatem habent. offic.* 3. Contra quoque, criminis admiſſi gratiam reis dare in arbitrio principis poſitum eſt. Quo enim jure leges condit & abrogat, vid. §. 36. ſupra, eodem jure ſontes ſupplicio tradit vel noxa eximit.

XLII. Quoniam vero ipſi principi omnes cauſas diſceptare non vacat, opus eſt, ut magiſtratus eligat, qui juſtitiæ adminiſtrandæ operam dent, & juxta tenorem legum, controverſias civiles decidant: Inde quartum regiæ poteſtatis caput oritur, conſiſtens in mandandis magiſtratibus. Enimvero licet interdum, quibus ſuprema reipublicæ munera commiſſa ſunt, alios inferiores magiſtratus ordinare: quemadmodum in ipſo Turcarum dominatu, qui Cadilesqueri dicuntur judicum omnium, quodammodo principes Cadios ac Paracadios i. e. judices ac legatos creandi poteſtatem habent. Bodin. *l.* 1. *de rep. cap. ult.* At majores magiſtratus immediate Rex conſtituit pro jure ſummi imperii.

XLIII. Quapropter juriſdictio omnium indiſtincte magiſtratuum precaria eſt, & a fonte principis fluit, ac per conſequens exceptioni appellationis obnoxia. Nam poteſt utique princeps, cujus ex conceſſione, & cujus nomine cuncti magiſtratus ſua poteſtate funguntur, inquirere, an ſatisfecerint officio. Sed objiciat forſan quis, in regno Galliarum ſeptem parlamenta lites definire, & jura reddere extra provocationem. Item in imperio noſtro germanico duo ſumma δικαστήρια eſſe, ſcilicet Aulicum Cæſareum & Cameram Spirenſem, (par enim & æqualis autoritas

ritas utrique per nuperam Oſnabruggæ initæ pacis conventionem tributa eſt, *vide c.5.* §. 20. *Inſtrum. pacis*) in quibus majoris ponderis cauſæ cum privilegio de non appellando diſceptantur. Sed notandum eſt, verbo extremæ provocationis contineri rogationes ad principem, quas forenſis diſciplina ſupplicationes appellat. At quoties contra ſententiam majorum magiſtratuum appellatio non datur, principi tamen ſupplicare licet. Bodin. *l. c. Beſold. Synop. Pol. l.* 1. *c.* 2.

XLIV. Jam vero cum Spirenſi Camera res ita ſeſe habet, ut ſi culpæ dolive arguatur, poſſit reviſio iſtic, & hic ſyndicatus peti, teſte *Lampad. l.* 3. *c.* 18. *de conſtit. Imp. Germ.* Unde colligit Clariſſ. Dn. Præſes in quadam diſput. de Judiciis germaniæ §. 99. *ſimpliciter ſummam judicandi auctoritatem, non penes ordinarios tribunalis illius judices, ſed ejus viſitatores eſſe*, qui, cognitis decidendi rationibus, ac penſitatis cauſæ momentis, ſententiam latam vel confirmant vel infringunt. Ad Cæſarem porro provocari non licere mirum non eſt, utpote cum reſpubl. prope ſit ariſtocratica, ubi penes ordines eſt imperii ſumma. De judicio aulico germanico expedita res eſt; Diſerte enim cavetur in inſtrumento pacis *cap.* 5. *n.* 20. *Quoad proceſſum judiciarium, ordinatio Cameræ Imperialis etiam in judicio Aulico ſervabitur per omnia; tum ut ne ibidem litigantes omni remedio ſuſpenſivo deſtituantur, loco reviſionis in Camera uſitatæ, licitum eſto parti gravatæ a ſententia, in judicio Aulico lata ad Cæſaream majeſtatem ſupplicare.* Quod ad Gallicanas curias attinet, magis moribus gentis ſupra provocationem illa habentur, quam ex vero, teſte *Vinc. Lupano*, cujus verba adducit Joannes de Laet in ſuo commentario Galliæ: *Sententiæ Parlamentorum arreſta dicuntur, a quibus ad principem moribus noſtris non provocatur, ſed regis edicto licet erroris ſpecie, arreſtum in diſquiſitionem revocare.*

XLV. Sunt alia multo plura majeſtatis jura, quæ hic extremo digito attingere ſufficit. Tale eſt jus imperandi tributa & vectigalia, quod regi, tanquam perpetuo reip. conſuli, competit, quia ſine his pecuniarum ſubſidiis, nequit incolumis eſſe reſpubl. Præclare Tacitus *Hiſt. l* 4. *Non quies gentium ſine armis, non arma ſine ſtipendiis, non ſtipendia ſine tributis habentur.* Tum etiam tributa præſtare, probatio ſubjectionis eſt, quo argumento Chriſtus contra Phariſæos utitur, *Matth. c.* 12. Omnium enim civium bona, & fortunæ vi univerſalis dominii, ad regem pertinent. *Omnia*, inquit Neronis præceptor *lib.* 7. *de Benef. Cæſar habet, fiſcus ejus privata tantum ac ſua; & univerſa in ejus imperio ſunt, in patrimonio propria.* Obſervandum vero eſt, tributorum indictionem ſolum in ſubditis locum habere, vectigalia etiam a peregrinis exigi ſolere, qui cum mercibus vel terra, vel amne vel parte maris, quæ terræ acceſſio dici poſſit, tranſeunt, & quidem non injuria, dum modus cauſæ non excedatur. Adi ſis Hug. Grot. *lib.* 2. *de J. B. & P. cap.* 2.

XLVI. Tale etiam eſt jus cudendæ monetæ. Hinc Ariandes, Ægypti præfectus, cum nummos propria authoritate ex argento conflari curaſſet, Darius Rex Perſarum, eum morte mulctavit. *Hered. lib.* 4. Eadem pœna Pecennium, Commodus affecit, quod nummos publicos ſua imagine ſignaverat. *Herod. in Commod.* Nam haud parvi refert, monetam in civitate abſque fraude curari; fraus autem perfacile admitteretur in ea, ſi hæc res penes privatos eſſet.

XLVII. Tale quoque eſt jus mittendi legatos ad nationes exteras. Legati enim, quo poſſint frui privilegiis, jure gentium illis conceſſis, debent mitti ab iis, qui ſummi imperii ſunt compotes. Grot. *lib.* 2. *c.* 16. *de* J. B. Hac noſtra tempeſtate diſtinctio haud exigua eſt inter legatos. Alii enim delegantur tantum a Regibus, & liberis rebuſpubl. adeoque veri legati ſunt, vulgo autem Ambaſſatores audiunt. Alii minoris longe ſunt dignitatis, eosque principes, urbes imperiales, aliique ſolent mittere.

XLIIX. Tale porro eſt jus erigendi Academias & illuſtres ſcholas, ubi doctoralis & magiſtralis gradus honoris ſtudioſis confertur. Quod jus in Germania etiamnum a ſolo Cæſare dependet. Lamp. *de rep. Germ. lib.* 2. *c.* 2. niſi quo & Papa illud ſibi ſumpſerit. Hinc Doctoribus Lugduno-Batavis, quoniam confirmationem Cæſaris non acceperunt batavicæ Academiæ, ſtatus controverſiam moveri nonnullis in locis, meminit Beſoldus *Syn. Pol. lib.* 1. quod tamen hodie fortaſſis nullo juris prætextu fieri amplius poterit. Talia denique ſunt, jura vacantium bonorum, ducatuum vel comitatuum concedendorum, venationum, argenti & auri fodinarum &c.

XLIX. Omnia igitur hæc jura, de quibus hactenus actum eſt, in abſoluto & legitimo regno indubitato principis ſunt: Sunt tamen ita principis, ut poſſit ea, quæ minus poteſtatis in ſe continent, ſine jactura ſummi imperii cum altero communicare; Majora vero alteri concedere nequit, quin pereat ſimul majeſtas. Non dico, majora jura connexa, & plane individua eſſe, ceu Althuſius *Pol. cap. ult.* falſo arbitratur, cujus verba hæc ſunt: *Natura horum jurium majeſtatis eſt, ut qui unum habet, cogatur etiam neceſſario reliqua habere, neque uno uti poſſit, niſi & reliquorum uſus illi concedatur.* Nimirum præ intemperie animi non vidit, in poteſtate populi, quem alias adorat, ſitum eſſe, cum regem eligit, cuncta ſua jura in eum transfundere, vel non cuncta: & regi dare jus belli & pacis, vel creationem magiſtratuum, vel ambo hæc, atque cætera ſibi retinere, ex qua partitione jurium mixta exiſtit reip. forma. At ſi majora Rex cum altero participet, tum eum majeſtatem amittere, illud eſt, quod affirmo. Etenim, ſicut domus nulla eſt, quæ caret aut baſi, aut tecto, aut pariete. Nam hæ partes ædium principales ſunt. Ita quoque majeſtas in rege perit, quando jus ferendarum legum (hoc mihi loco fundamenti in ædibus ſit) ſive jus belli & pacis, ſive ſupremam juriſdictionem, (quæ duo tectum, & parietes referant,) a ſe alienat, patiturve alienari. Ita volo. Majeſtas (id eſt, poteſtas ſumma) perit, poſſunt nihilominus remanere jura & partes aliquæ majeſtatis, quæ licet non ſummam poteſtatem, ſatis tamen



Digitized by Google

grandem complectantur. Plane ut, deſtructa domo, non ſtatim omnes omnino domus partes intereunt. In exemplis res clara erit: Imperator noſter majeſtatem utique integram non habet, habet tamen poteſtatem, & jura quædam majeſtatis. Sic penes Daniæ & Poloniæ reges majeſtas tota non eſt, eſt tamen haud exigua poteſtas penes eos.

L. SATIS ſuperque pro ratione inſtituti mei me explicaſſe exiſtimo poteſtatem veri & abſoluti regis, quod ideo pluribus facere coactus ſum, quoniam hæc res multis, etiam eruditis alias, negotium creare ſolet. Liquet ergo jam ſole clarius, quomodo ſe habeat genuina *παμβασιλείας* conſtitutio, manifeſtumque eſt, eam talem eſſe formam reip. in qua unus ſummum tenet imperium. Reſtat, ut firmis argumentis demonſtrem, regnum ejusmodi beatæ futuræ civitati conducere, vel ad minimum non inconveniens eſſe. Nam id ordo inceptus a me poſtulat, cum ante in definitione regni mentionem fecerim publicæ ſalutis, quæ nihil aliud eſt, quam beatitudo civitatis. Quapropter ſi potero oſtendere, publicam ſalutem bene atque commode ab uno rege, & quidem ab eo, quem penes ſit omnium rerum liberum arbitrium, procurari & promoveri, planum illud erit, de quo nunc quæritur. Præmittendum vero eſt, quanam in re conſiſtat ſalus publica.

LI. Equidem civitas beata & ſalva eſt, quando omnes cives feliciter, & ex animi ſui ſententia vivunt. Cives viciſſim omnes ex animi ſui ſententia vivunt, quando finem ſuum conſequuntur, quia finis cujuslibet rei optimum quid & optatiſſimum eſt. Jam vero finis civilis hominis, qua talis, forſan non unus eſt, ſed plures & diverſi. Philoſophus *lib.* 3. *Pol. c.* 4. accurate hanc in rem inquirens, tres numerat. Primus, ſecundum ejus collectionem eſt *ipſa vita*, ut homo poſſit ita degere, & verſari cum ſui ſimilibus, tametſi commodi ex ea nihil capiat, ſaltem quia pars aliqua honeſti (*τί τȢ καλȢ μόϱιον*,) ei videtur ineſſe. Natura enim homo *πολιτικὸν* animal eſt, & convictum ejusmodi expetit, ceu pulchre magnus magiſter a ſermone probat, *l.* 1. *Pol. cap.* 2. Alter finis eſt *mutuum auxilium*, quem Plato indigentiam appellat, & cauſam, cur primum civitates condi cœperint, eſſe profitetur. Nam homines ſolitariam vitam agere nequaquam poſſunt, ſed vi potentiorum, vel belluarum incurſione mox peribunt: Deinde quoque deficiet illis annona, quoniam omnia, quæ uſus quotidianus exigit, fieri nequit, ut hac ratione ſibi parent. Concedunt igitur in civitatem, cum quo juncta opera ſe adverſus injurias aliorum tueri, tum quo permutando invicem ea, quibus quisque indiget, facilius rem familiarem ſuſtentare poſſint. Nobilior his ambobus tertius finis longe eſt, qui eſt *communis utilitas*, (*τὸ κοινῇ συμφέϱον* ſua lingua noſter inquit, *καθ᾽ὅσον ἐπιβάλλει μέϱος ἑκάσῳ τȢ ζῆν καλῶς*.) in quantum confert ſingulis partem bene vivendi, uno verbo, *vita beata*. Cum enim homo permultis rebus opus habeat, ut vivat, beate quidem, id eſt in affluentia eorum bonorum, quæ vitæ communio ſecum affert, hæc vero ſunt, quæ continent *τὸ πῆϱας αὐταϱκείας*, ut nunc ſunt mores, niſi in civitate non poteſt aut certe difficulter poteſt. Ideo etiam adjungit: *μάλιςα μὲν ȣ̃ν τȣ̃τ᾽ ἐςὶ τέλος, καὶ κοινῇ πᾶσι, καὶ χωϱὶς*: maxime hic eſt finis, & publice omnibus, & privatim.

LII. Ex dictis facile cuivis apparet, beatitudinem civilis ſocietatis in eo collocatam eſſe & abſolvi, ut cives bonis atque opibus ad vitam honeſte degendam neceſſariis, circumfluant. Hic enim finis, ut modo dixi, præſtantiſſimus & ultimus hominis civilis, qua talis, eſt, quo fine ab omnibus civibus impetrato, omnes fiunt beati, & per conſequens etiam tota civitas ſuam beatitudinem adipiſcitur.

LIII. Porro quia apud omnes, ſanæ qui ſunt mentis, in confeſſo eſt, civitatem nullam ſine regimine aliquo ſtare, nedum ad juſtæ beatitudinis apicem pertingere poſſe, auſim nunc libere aſſerere, æque belle conſultum civitati eſſe, ſi regimen penes unum, quam vel plures, vel ipſum populum, ſit. Certe quis neſcit, ab uno negotia frequenter expeditius geri, quam a multis? Nam raro admodum multi, quæ eſt naturæ mortalium vitioſitas, conſentire ſolent. Dum autem ſententiis pugnant, & diverſo calle ad ſcopum propoſitum tendunt, interea ſæpe præterit tempeſtivum tempus, & non leve damnum mora brevis parit. Eleganter hiſtoricorum princeps Liv. *lib.* 35. *ſi in occaſionis*, ait, *momento*, *cujus prætervolat oportunitas*, *cunctatus paulum fueris*, *nequicquam mox omiſſam queraris*. Intellexit hoc romanus prætor, ideo curæ ſibi duxit, *ne tutela per plures adminiſtraretur*, *quia unus facilius & exercet actiones*, *& excipit. ff. de admin. & peric. tut. l.* 3. Eadem vero ratio tutelæ & reip. mihi videtur eſſe; Nam ſicut tutor poteſtatem in perſonam pariter atque univerſa bona pupilli habet *arg. l.* 12. *ff. h. t.* omnia tamen agit pupilli in uſum: Ita quoque illis, qui ſummo cum imperio reip. præſident, in capita & fortunas ſubditorum autoritas aliqua competit, & nihilominus publicam utilitatem habent pro ſcopo. Cur igitur non præſtabilius ſit, remp. etiam uni committi?

LIV. Optimi Imperatoris Epaminondæ vox eſt apud Polyb. *lib.* 4. *Unica civitatis defendendæ via, ſi conſenſu, & unanimi conſilio omnia tractarint cives*. Sane experti ſunt Romani, privatas ſummorum magiſtratuum ſimultates, & disſidia peſtem capitalem eſſe communis boni. Ut taceam enim innumeras ſeditiones, quæ identidem hanc remp. inundarunt non alia ex origine profectæ, quam quod parum firmam Tribuni plebis & reliqui ſenatores inter ſe gratiam colerent; Omnino exemplum Syllæ & Marii horribile eſt, qui mutuæ ultionis ardore concitati, urbem cædibus oppleverunt. Floreret autem forte adhuc Carthago, niſi Barchinæ factionis vis Hannonis prudens conſilium irritum reddidiſſet. Liv. *lib.* 40. Nihil tale in regio ſtatu accidit, ubi penes unum ſuprema gubernatio eſt, qui neque cum ſe ipſo odia gerere, neque a ſe in ferendis ſententiis diſſidere poteſt.

LV. Dein-

Digitized by Google

LV. Deinde vero illud quanti eſt, quod vires reip. in uno capite conjunctæ validiores multo ſunt! Nam etſi populus in democratia, & in oligarchia optimates haud minus poſſint, quam in monarchia Rex, majeſtas tamen ita diſperſa per multas partes potentiales, ut ſolent dici, debilis evadit & quodammodo robur ſuum perdit. Non poteſt enim non fieri, ut aliqui diſcordes ſint, & quod pars reliqua decrevit, ſaltem animo improbent. Hi tum ſtatim in executione ignave lenteque ſe gerunt, ſtudentque, ſi clam liceret, rem infectam facere. Unde profecto imbecillitas quædam ſuboritur in agendis rebus. Sed eſto: ſint omnes viri boni & ſemper unanimi opera remp. adminiſtrent, nihilominus auctoritate unus ſupremus rector, multis, qui junctim ſumti demum id, quod uni ineſt, explent, præpollet; cum ille quaſi Deus aliquis humana in forma exiſtat, nutu omnia dirigens; in multis vero ut diviſum eſt imperium, ita auctoritas quoque, diviſa inter ſingulos univerſim, fit minor. At permagni intereſt communis ſalutis, eum, qui ad gubernaculum imperii ſedet, maximam auctoritatem habere: Etenim non ſolum domi cives in quiete vivent, & res quisque ſuas ſecure geret, improbis [ne moleſti aliis ſint] metu erga ſummum rectorem deterritis; Verum & foris non temere bella incident: inſigne hujus rei teſtimonium in Romana hiſtoria extat: Plebs ære alieno gravata, ſeditionem ciebat, & prope eo res venerat, ut ex urbe diſcederet; Sabini autem ingenti exercitu coacto, bellum intentabant. Senatus itaque in trepida rerum exſpectatione, cum juniores ad edictum non comparerent, conſilium creandi dictatoris iniit: Creato illo, mirum dictu! confeſtim malitia apud cives juxta atque hoſtes ſedata fuit. *Poſtquam enim præferri ſecures viderunt, magnus plebem metus inceſſit, ut intentiores eſſent ad dicto parendum: Et Sabini, quia propter ſe creatum crediderant, de pace legatos miſerunt.* Liv. *lib.* 2. Idem alibi tradit, Præneſtinos, qui jam ad portam Collinam infeſta ſigna intulerant, cum audiviſſent, dictatorem creatum eſſe, continuo a mœnibus receſſiſſe. *lib.* 6. Quid multis? ſæpiſſime rem Romanam vel incuria ſenatus, vel Tribunitio furore perditam & collapſam, unus cum poteſtate regia creatus, feliciter reſtituit.

LVI. Alias rationes complures pro unius imperio Bodinus *lib.* 6. *de rep. cap.* 4. Lipſius *Polit. lib.* 2. *cap.* 2. Greg. Tholoſanus *lib.* 5. *de rep. cap.* 3. Arniſæus *lib.* 1. *Polit. cap.* 10. in medium afferunt. Et ſane, ſi quis recto velit uti judicio, difficultatis hic nihil ſubeſt. Interim lubens fateor, regnum ſua quoque ſequi incommoda, quæ tamen majoribus bonis compenſantur. Nulla enim reperitur forma reip. quæ periculis & incommodis omnino careat: *Aut hæc cum illis ſunt habenda, aut illa cum his mittenda*, ſcite loquitur Comicus. Concedo etiam ingenium & mores populi cujuslibet, non ſemper ſatis aptos eſſe ad regium ſtatum; unde forſan fit, ut non ſub omni regno cives ex aſſe beati evadere queant. Nam quoties populus mente averſus a rege eſt, ac eum odit, neceſſe eſt motus inteſtinos naſci, quibus nulla capitalior peſtis eſt publicæ ſaluti. Sed id tamen fere ex culpa ipſius regis derivatur, qui moderari ſeveritatem imperii erga erectioris & liberioris animi populum neſcit, aut certe populus, nimius ſui æſtimator, & magis noxiæ licentiæ, quam veræ libertati deditus erit, quod imperium juſti & boni viri ferre adeo indignum putet.

LVII. Neque enim poſſum eo adduci, ut illorum ſententiæ adſtipuler, qui negant, apud ingenuam & libertatis ſtudioſam gentem, regno (de quo in præſentia ferme agitur) locum eſſe. Fœdus hic error eſt, & mare abſurditatum ſecum vehit; eoque minus a nobis ſicco pede præteriri debet. Cum autem tota res nitatur recta explicatione veræ libertatis, operæ pretium eſt, paulo altius eam repetere. Libertas communiter bene definitur, *poteſtas vivendi ut velis.* Nam homo liber & ſui juris pro arbitrio actiones ſuas exercet, nec juſſum alterius expectare neceſſe habet, quemadmodum is, qui ſervili conditione eſt. Talis vivendi ut lubet poteſtas, primo naturæ inſtituto omnibus hominibus competit, *arg. l.* 4. *ff. de J. & J.* Quia enim ante introductum gentium jus nulla fuit ſervitus, omnes erant liberi de jure naturali, cui ſervitus ignota plane eſt. Vide Bacchovium ad §. 2. J. de J. N. G. & C. Sane quod Ariſtoteles quosdam a natura ſervos gigni docet, id demum eſt alio ſenſu verum: Nempe ingenio ſtupidos, & corpore robuſtos, a natura productos videri ad ſerviendum iis, qui ingenio valent, miniſterio ſcilicet œconomico, ut cum aliis explicat D. Heinſius in quadam epiſtola.

LIIX. Conſiſtit vera illa libertas infra vim, & infra leges: Diſerte Juſtinianus *I. de jure perſon.* §. 1. *Libertas eſt naturalis facultas ejus, quod cuique facere libet, niſi quid vi aut jure prohibetur.* Nec per hanc limitationem ullo modo imminuitur poteſtas libere vivendi. Nam vis quidem, ab alio mihi illata juri meo nequit detrahere, etſi exercitium juris impedire poteſt. Legum autem vinculum tantum abeſt, ut minuat libertatem, ut potius illi det eſſe, ceu amant dicere Philoſophi. Aureum dictum Ciceronis eſt: *Ideo legum ſervi ſumus, ut liberi eſſe poſſimus. Pro Cluent.* Nec non in Paradoxis ſuis ita ait: *Quis igitur vivit, ut vult? Niſi profecto qui recta ſequitur, qui gaudet officio, cui vivendi via conſiderata atque proviſa eſt, qui legibus quidem, non propter metum paret, ſed eas ſequitur atque colit, quia id ſalutare maxime eſſe judicat.* Nam libertas haud pro vaga & effreni licentia accipienda eſt, ſed pro libertate hominis, in civitate viventis, adeoque legibus temperata. Quadrant huc appoſitiſſime verba Ariſtotelis *lib. Polit. cap.* 9. οὐ γὰρ δεῖ οἴεσθαι δουλείαν εἶναι, τὸ ζῆν πρὸς τὴν πολιτείαν ἀλλὰ σωτηρίαν: h. e. *non enim exiſtimandum eſt, ſervitutem eſſe vivere ſecundum remp. ſed ſalutem.*



Digitized by Google

LIX. Quod ſi hæc omnium civium libertas eſt, [revera autem hæc eſt) ut ultro leges ſervent, ut officium non coacti faciant, cæteraſque res de propria voluntate adminiſtrent, cur, quæſo, ſub παμβασιλεία populus liber non eſſe, aut cur in libero populo παμβασιλεία locum habere non poterit. Etenim imperii ſummitas regem [quoniam vir bonus eſt, & publicis commodis operam navat] non mutat in tyrannum neque in dominum; ſed ad inſtar boni patrisfamilias, cui liberorum ſalus præcipue curæ cordique eſt, ſemper ſeſe erga ſubditos ſuos gerit. Quid ergo in dubio maneat, num rex aliquis omnimoda cum poteſtate in populum, libertatis ſuæ quantumvis amantem, imperium jure obtinere poſſit. Certe tranſcriptis huc, quæ ſuperius *th.* 53. 54 *&* 55. in genere de monarchiæ commodis diſſerui, poteſt unicuique conſtare, regium ſtatum non modo convenientem liberæ civitati, ſed & optabilem eſſe. Regem quidem poſſe tyrannum evadere, damus & nos: ſimul vero obſervandum, nullum eſſe reipublicæ ſtatum, qui non facile degeneret. Mediusfidius, ſi ideo regnum admittendum non eſt, quod corruptelæ illi ſit obnoxium, omnis omnino reſpublica fuerit e medio tollenda.

# XXIV.
## HERMANNI CONRINGII DISSERTATIO DE
# DIFFERENTIIS REGNORUM
## *RESPONDENTE* FRIDERICO NASSER. SLESVIC. HOLSAT.

M. DC. LV.

### *THESIS I.*

De regnorum differentiis acturi, antequam rem ipſam aggrediamur, obſervandum eſt, vocabulum regni æquivoce prædicari. Solet enim fieri, ut aliquibus in locis appellatio regni maneat, cum tamen ille, qui Rex eſſe debet, majeſtatem diu amiſit. Et hoc potiſſimum contingit ob duas cauſas. Prima eſt, quod regia poteſtate hactenus potitus jacturam ejus ſolo titulo ſolari velit. Ita quondam Rex Danorum magnus, amiſſa ſumma poteſtate, regis titulo contentus erat, cum Friderico I. Cæſari hiſce verbis fidem promitteret: *Rex Danorum Magnus ſe in poteſtatem Imperatoris tradidit, obſides dedit, juramentum fecit, ſe ſucceſſoreſque ſuos, non niſi Imperatoris & ſucceſſorum ſuorum permiſſu, regnum adepturos* vid. Trith. c. 17. Alterum ſuppeditat populus, qui, poſtquam mutavit remp. quam tamen non vult videri mutatam eſſe, inanem regis titulum patitur. Sic apud Romanos fuerunt, qui dicebantur reges ſacrorum, cum tamen nihil minus, quam veri reges eſſent, ut etiam obſervatum eſt Piccarto, qui hos in commentario ſuo ad Ariſtot. *Pol. lib.* 4. *c.* 15. inter eos refert, qui ne quidem magiſtratus participes ſunt. Et in Troade de Scepſi meminit Strabo *lib.* 13. ubi, aſſumtis in libertatem Mileſiis, populari regimine uti cœpiſſet, nihilominus regium nomen manſiſſe. Contra nonnunquam accidit, ut alicubi regius ſtatus obtineat, cum tamen is, qui præeſt, a regio nomine omnino abſtineat. Ita Cæſares, poſtquam democratia, romana ſecundum Dionem, in Auguſtum per factiones Syllæ, Marii, Pompei, & Cæſaris in monarchiam iterum mutata fuit, ſpreto ſolito monarcharum titulo, ſolum modo principes vocari voluerunt. Inter eos enim D. Oct. Auguſtus adeo regium nomen a ſe declinavit, ut non tantum filium, cum illi, ob uxoris partum ſero in ſenatum venienti, Nigidius Figulus acclamaſſet: *nobis, Octavi, dominum genuiſti*, cogitaret interficere (vid. *Dion. in Aug.*) Sed etiam dejecta veſte nudatoque pectore malle ſe occidi, quam regis ſeu Domini titulum recipere, ſignificaret, prout hoc patet ex illo loco Suetonii, ubi *lib.* 2. *c.* 52. de eo ita tradit: *Dictaturam magna vi offerente populo genu nixus, dejecta ab humeris toga, nudo pectore deprecatus eſt.* Et Tib. Nero, Dominus appellatus a quodam, denunciavit, ne ſe amplius contumeliæ cauſa nominaret. Idem in *Tib. c.* 28. Similiter quoque Julianus hunc Auguſti ac Tiberii morem revocare voluit, ſed, ut hiſtorici referunt nimis ſero: irriſerunt enim plerique (ut ipſe teſtator) ejus εἰρωνείαν. Fuiſſe autem hos principes veros & abſolutos reges, ſumma illorum poteſtas, quam paulatim a ſenatu Populoque, contenti cum Auguſto (ſecundum Tacitum 1. Ann.) conſulis & tribunitiæ poteſtatis nomine, ad ſe traxerant, dubitare prohibet. Summa enim poteſtas oſtendit regem, &, quemadmodum Saluſt. ait *in Jugurth.* ſed nimis late, *impune quidvis facere, id demum eſt regem eſſe.* Alibi etiam ſub Ducum & Comitum nomine regia latuit poteſtas, ut hoc teſtari poſſunt Duces & Comites Burgundiæ, quorum ſeries a Richardo, qui ab Arnolpho, ob majorem vim atque autorita-

Digitized by Google

ritatem adverſus Normannos, hunc titulum omnium primus accepit, repetenda eſt. Hi enim easdem majeſtatis particulas habuerunt, quas in Rudolpho, Conradi cujusdam comitis filio, & illi ſuccedentibus Regibus, qui usque ad quartam ſtirpem Jurenſis Burgundiæ regni poſſeſſionem retinuerunt, offendimus. Sic etiam magni duces Moſcoviæ, licet plus, quam regiam poteſtatem exercuerint, regium tamen nomen refugerunt usque ad Baſilium Johannis filium, qui non, ut Paul. Jov. *in præf. Moſc.* putat, ab Imperatore & Pontifice romano Regis titulum ſperavit, cum utroque ſe crediderit ſuperiorem (vid. Sigism. Bar. *in hiſtor. Moſc.*) ſed ſe ipſum, quemadmodum multi alii fecerunt, qui tanti ſuas vires arbitrati ſunt, pro Rege venditavit. Sic Pontifex rom. rex eſt reapſe, & quidem rex potens, etſi regio nomine non gaudeat. Magna itaque eſt imprudentia, ſolo titulo regis & regni reipublicæ formam æſtimare. Quippe abnuunt nonnulli callide & aſtute regis appellationem, quod ſciant, illam cum maxima invidia, imprimis in republica, quæ aut libera hactenus fuit, aut libera etiam nunc credi vult, eſſe conjunctam. Quod ipſum nec Cromvvellum fugit, qui poſt ſublatum Carolum in republica anglicana rerum potitus, vitato regis titulo, protector audit, cum reapſe ſit rex, imo priſcis regibus anglicanis auctoritate ſit ſuperior. Sed de vocabulo, non eſt, quod prolixe diſſeramus. Satis eſt nunc monuiſſe, nos omnem rempublicam, cui aut in totum, aut potiore ex parte præeſt unus cum ſumma poteſtate, regni nomine intelligere, ſive in vulgus ita audiat, ſive aliis vocabulis uſurpetur.

II. Quo autem de variis variorum regnorum differentiis ordine & diſtincte agere poſſimus, quatuor actionum humanarum cauſæ, finalis ſcilicet, formalis, materialis & efficiens, attendendæ venient. Secundum omnes enim cauſas aliter atque aliter ſeſe habent, ut respublicæ quæque, ita & regna. Initio autem, quoniam accurata rerumpublicarum cognitio haberi nulla poteſt, niſi ante omnia illud, ad quod ſingulæ reſpiciunt, probe cognitum ſit, in varios fines inquiremus, & quomodo ſecundum illos regna differant, videbimus.

III. Omnes respublicæ communem utilitatem vel ex æquo ſpectant, vel ita, ut primario quærantur regentium commoda, ſecundario autem per accidens eorum, qui parent. Habemus illarum rerumpublicarum veſtigia in ſocietate domeſtica: quippe parentes filiis præſunt, ut præcipue eorum ſalutem quærant, ſecundum Ariſt. *lib.* 8. *Eth. c.* 10. *& lib.* 3. *polit. c.* 6. ubi ita habet: *Filiorum imperium, & uxoris, & domus totius, quod vocamus rei familiaris gubernationem, aut gratia eſt eorum, qui gubernantur, aut gratia alicujus, quod ſit utrisque commune. Gratia eorum, qui gubernantur, ut videmus & alias artes, ceu medicinam & gymnaſticam, illorum, quibus imperatur, utilitatem quærere, contingenter tamen & eorum, qui præcipiunt, eſſe poteſt &c.* Earum vero rerumpublicarum, quarum præſides ante omnia ſuum privatum commodum reſpiciunt, ſimilitudinem præclare exhibet ſocietas herilis: in illa enim herus non ad ſervi, quemadmodum pater ad filii utilitatem imperat, ſed quærit primario illud, quod in ſuum privatum commodum poſſit vergere. *Dominatio enim*, ait Ariſt. *licet revera utilis exiſtat natura ſervo, & natura domino, nihilominus* (dominus) *imperat pro domini utilitate, pro utilitate autem ſervi contingenter. Nam fieri non poteſt, ut, ſervo deficiente, ſervetur dominatio.* Utrum autem hujusmodi respublicæ juri naturæ conſentaneæ ſint, nec ne, hic diſputare nolumus. Ariſt. 3. *pol. c.* 6. eas, quæ privatum commodum attendunt, vocat respublicas corruptas; item corruptiones 8. *Eth. c.* 12. 3. *pol. c.* 7. 4. *pol. c.* 2. quæ vero cum ſocietate paterna comparantur, iſtas 3. *pol. c.* 6. respublicas rectas nuncupat. Interim non fuerit absque pretio operæ legere, quæ hac de re docte diſſeruntur ab ampliſſimo Dn. Præſide *lib. de civili prudentia cap. V.*

IV. Prout itaque ex his conſtat, dari in genere respublicas, quæ pro ſcopo ſuo habent communem utilitatem ex æquo, & dari etiam, quæ primario reſpiciunt privatum dominantium commodum; ita quoque in ſpecie reperiuntur regna, quæ (licet in iis unus omnia ſua manu teneat) non tamen adeo ad ejus, quam ſubditorum utilitatem adminiſtrantur; & inveniuntur etiam, in quibus unus & plenam facultatem omnium rerum habet, & ad ſuam privatam & propriam ſalutem imperat. Quæ ſecundo modo conſtituta ſunt regna, ea vel conſentientibus, vel etiam invitis inducta deprehendimus.

V. Quando, conſentientibus ſubditis, inducta ſunt, regna adhuc appellari ſolent. Etenim ſunt nonnulli populi eo ingenio præditi, ut non queant bene vivere, niſi ſub ejusmodi abſolutis & herilibus imperiis. Quod teſtantur inter alios Perſæ, quorum Rex omnes volentes, autore Plutarcho in *lib. ad princ. de domo*, pro ſervis habet, excepta uxore, & Turcæ ſecundum *Bod.* 2. *de rep.* 2. & fere omnes aſiaticæ gentes, de quibus jam ſuo tempore obſervavit Ariſtoteles, quod Europæis ad ferendum jugum propenſiores eſſent. Ita enim loquitur *l.* 3. *c.* 14. δουλικώτεροι εἶναι τὰ ἤθη φύσει οἱ μὲν βάρβαροι τῶν Ἑλλήνων, οἱ δὲ περὶ τὴν Ἀσίαν τῶν περὶ τὴν Εὐρώπην, ὑπομένουσι τὴν δεσποτικὴν ἀρχὴν, οὐδὲν δυσχεραίνοντες. De Ægyptiis, quos veteres Geographi Aſiam inhabitantibus annumerarunt, poſteriores autem rectius Africæ tribuunt, refert Herodotus *l.* 2. quod nullo tempore potuerint ſine Rege vivere, qua de cauſa ſe illi lubenter ſubmiſerunt. Quod etiam innuit princeps poëtarum Maro, quando ait:

*— Regem non ſic Ægyptus & ingens*
*Lydia, nec populi Parthorum aut Medus Hydaſpes*
*Obſervant.*

VI. Interdum vero, uti dictum eſt, hujusmodi monarchicæ formæ invitis ſubditis obtruduntur, aſt tunc non amplius regna, ſed tyrannides, &, qui iis præſunt, non Reges vulgo, ſed tyranni dicuntur. Cæterum ad nos illa vocum diſtinctio parum nunc pertinet: quippe cum ſimpliciter regni nomen omni monarchicæ reipublicæ largiamur, ceu ſupra indicavimus. Et vero

olim

Digitized by Google

olim quidem tyranni audiebant in univerſum ii, quos hodie vocamus Reges, vel, ut in fine vitæ Miltiad. loquitur Nepos: *qui poteſtate erant perpetua, in ea civitate, quæ libertate aſſueverat.* Quod cum aliunde, tum ex libro Apocrypho, cui titulus eſt: Sapientiæ Salomonis, oſtendi poteſt: conſcriptus enim ille eſt ad Reges, qui tamen ibi tyrannorum nomine audiunt. Imperantium vitiis vero paulatim factum eſt, ut nomen, ortu ſatis bonum, progreſſu temporis apud Græcos in deteriore ſignificatione ſumi cœperit. Quomodo juxta Ariſt. 3. *pol. c.* 7. Tyrannides ſunt reſpublicæ, in quibus unus, ſummam poteſtatem habens, imperat paribus, aut etiam melioribus, adeoque invitis omnibus ad ſuam utilitatem. Verum hæc obiter. Redeundum nunc eſt in viam.

VII. Præter regna, quorum alia imprimis communem, alia vero præcipue dominantium utilitatem intendunt, videntur eſſe nonnulla medii quaſi ordinis. Exemplum habemus in Gallia: licet enim a tempore usque Ludovici XI. Rex ſummo fere & abſoluto imperio præditus ſit, & poteſtatem belli, pacis, fœderum, conſtituendorum judiciorum & aliorum requiſitorum habeat, atque primario in uſum proprium pleraque adminiſtret; interim tamen ibi permulta quoque ad utilitatem populi ex antiqua conſuetudine peraguntur.

IIX. Quemadmodum vero ſingulorum hominum varii ſunt vitæ ſcopi, quod de felicitate & ſummo vitæ bono aliæ ſint atque aliæ ſententiæ; ita & regna, ſive omnium ex æquo, præcipue dominantium uſum ſpectent, itidem non ad unum omnia ſcopum collimant. Sunt autem, ceu præclare Ariſtoteles in Ethicis obſervavit, illorum ſcoporum in univerſum quatuor ſumma genera. Quippe nonnulli homines ad id potiſſimum animo contendunt, quo poſſint ingentes divitias cogere, atque iis deinde velut magnus iſte draco, quem poëtæ Scythici luci cuſtodem ferunt, incumbere. Nonnulli divitias quidem adeo non curant; interim tamen in nepotando, poculando, ludendo, fœdam libidinem exercendo, aliisque corporis voluptatibus ſummam ſuam felicitatem collocant. Aliis vero omnis induſtria, quam iſti voluptatibus ſeu divitiis anxie impendunt, in vaſta potentia & lato dominatu comparando unice eſt occupata. Alii denique in præclaris virtutis actionibus exercendis beatitudinem ſuam ponunt. Totidem diverſa ſtudia licet reperire, ut in aliis rebuspublicis, ita etiam in regnis. Quod enim ad divitias pertinet, reſpiciat quis hodiernam rempublicam Batavorum. Nonne de iis vere ille canit?

*-- -- Trux ventilet ignes*
*Tiſiphone, quatiatque ſuos irata colubros,*
*Provehimur, quo lucra vocant.*

Quin dixeris haud forte immerito, ante Cæſarum tempora rempublicam romanam divitias ſpectaſſe. Etſi malim aſſerere, quæſitas divitias potentiæ cauſa, non propter ſeipſas. Memoratu tamen digna ſunt, quæ de republica illa canit Petronius:

*Orbem jam totum victor romanus habebat,*
*Qua mare, qua tellus, qua ſidus currit utrumque*
*Nec ſatiatus erat. Si quis ſinus abditus ultra,*
*Si qua foret tellus, fulvum quæ mitteret aurum,*
*Hoſtis erat, fatisque in triſtia bella paratis,*
*Quærebantur opes.*

Ne quidem earum rerumpublicarum, quæ voluptates, tanquam præcipuum ac unicum ſcopum, ſibi propoſuerunt, illuſtria exempla deeſſe poſſunt. Notum eſt, Sibaritas ita gulæ atque ventri ſuo fuiſſe addictos, ut ſeriis rebus attentos riſu & ludibrio dignos exiſtimaverint. Et quid non de immodicis multorum & Perſarum, & Aſſyriorum Regum voluptatibus hiſtoria orientalis prodit? Sardanapalus *vir* (ut Juſtinus loquitur) *muliere corruptior*, quale ſeſe tradiderit voluptatibus mancipium, ipſe confeſſus eſt, cum monumento, quod ſibi adhuc inter vivos commoranti poſuerat, impingi curaret hominem complodentem digitos & edentem ἀποκρότημα, addita Aſſyria inſcriptione, quam Cicero *in Tuſc. V.* e græco in latinum ſermonem ita vertit:

*Hæc habeo, quæ edi, quæque exſaturata libido*
*Hauſit: at illa jacent multa & præclara relicta.*

Porro, vaſtam potentiam multis rebuspublicis & regnis pro ſcopo & olim fuiſſe, & nunc eſſe, plus ſatis eſt notum. Quid aliud enim Aſſyrios, Medos, Perſas, Macedones etiam Regibus Philippo & Alexandro, ſibi propoſitum habuiſſe dixeris? Romanorum utique plerumque non aliud fuit aut deſiderium, aut ſtudium. Omnia Lycurgo autore Lacedæmoniorum inſtituta ad potentiam bellicam inclinaſſe, non ſemel obſervavit & reprehendit Ariſtoteles. Ipſi priſci Germani non ſane fuerunt ab iis ſtudiis alieni, utpote quibus juxta Tacitum, prudentiſſimum ſcriptorem, *nec arare terram, aut exſpectare annum* tam facile perſuaſiſſes, *quam vocare hoſtes & vulnera mereri.* Quæ veram felicitatem in virtutis exercitiis cum vitæ ſufficientia conjunctis poſtremo affectaverint regna, pauca quidem omni tempore fuiſſe, reperire eſt, nunquam tamen aliqua defuerunt. Ante omnia vero olim quidem reſpublica Hebræorum, quæ ipſum Deum initio Regem habebat, omnibus ſuis inſtitutis in illum finem fuit compoſita a Deo legiſlatore; & quidem ita, ut populi vera ſalus cumprimis fuerit regno illi pro ultimo ſcopo propoſita. Id ſane non difficulter prudens aliquis oſtenderit, ſi politicum legum hebraicarum examen cum cura velit inſtituere, ceu fieri par eſt. Sed de regnorum differentiis a cauſa finali prudentibus ſatis. Progrediemur ulterius ad eas, quæ ex FORMA, aut cauſa formali deſumi poſſunt.

IX. In-

Digitized by Google

IX. Intelligimus autem nunc cauſæ formalis nomine ipſum ſtatum, vel ipſam reipublicæ conſtitutionem, quæ Græcis ſolet πολιτεία nuncupari, atque ab Ariſtotele 3. *pol. cap.* 4. definitur, quod ſit ordo civitatis cum aliarum poteſtatum, tum præcipue ejus, quæ eſt ſumma. Et vero ab illa forma, ut rerumpublicarum aliarum, ita & regnorum præcipuæ capiuntur differentiæ. Nec injuria, utpote quæ ſit cujuslibet civilis ſocietatis quaſi anima, atque ideo eſſentiam ejus quam maxime conſtituat. Hinc ſane præclari politici, differentias regnorum tradentes, ad ſolas haſce ſolent reſpicere, etſi revera alia quoque ſpectare oporteat, ſi regna, eaque plene, velis conſiderare. Atque Ariſtoteles quidem, ad formam attendens 3. *d. rep.* 14. quinque diverſorum regnorum mentionem facit. Primum appellat regnum laconicum, quod erat reſpublica, in qua rex perpetuo quidem dominatu in bello utebatur, pacis vero tempore plebejorum judiciis ſeſe ſubmittere debebat. Secundum vocat regnum barbaricum, in quo rex ad ſuum commodum præerat, & ſubditis ut ſervis, volentibus tamen imperabat. Dicebatur autem barbaricum, quod illa ætate apud Perſas aliasque gentes, quæ a Græcis barbaricæ credebantur, eſſet in uſu. Tertium æſymneticum nuncupat, quod erat electiva tyrannis, h. e. reſpublica, ubi unus extra ordinem & præter morem tempore neceſſitatis cum ſumma poteſtate conſtituebatur, ut tamen ille ſalutem ſubditorum non niſi ſecundario attenderet. Quartum venit Ariſtoteli ſub Heroici nomine, in quo uni propter res, ſive in pace, ſive in bello, ſtrenue geſtas, imperium deferebatur, non tamen abſolute cum ſumma poteſtate. Habebat enim hujusmodi rex tantum juris dicendi poteſtatem, deinde tempore belli duxerat, & domi ſacræ ſolennitati præerat. Quintum & ultimum eſt πανβασιλεία, quod *pol. lib.* 3. *cap.* 7. nominat μοναρχίαν πρὸς τὸ κοινὸν συμφέρον ἀποβλέπουσαν. Eſt enim reſpublica, in qua unus cum ſumma poteſtate imperat, non tam ad ſuum, quam ad ſuorum uſum & commodum. Ita fere Ariſtoteles varias regnorum formas propoſuit, easque ex ſui temporis uſu. Poſſemus vero & nos, illis veſtigiis inſiſtentes, ex noſtri ævi moribus itidem non inutiliter varias regnorum ſpecies enumerare. Sed non eſt hoc ſatis φιλοσοφικὸν: nec enim mos & conſuetudines ſingularem dant formam rebuspublicis, niſi per accidens. Itaque formarum in regnis diſcrimina nonnihil accuratius definiemus.

X. Repetendum autem memoriæ eſt id, quod Ariſtotelem dixiſſe jam tum meminimus: τὴν πολιτείαν eſſe diſpoſitionem, ſive τάξιν civitatis, & quidem omnium ejus poteſtatum, præcipue vero ſummæ. Quod illuſtratur iis, quæ idem Ariſtoteles habet *cap.* 4. *l.* 14. tres eſſe reipublicæ cujuslibet partes, ex quarum differentia reſpublicas quoque inter ſe differre neceſſum ſit. Prima eſt τὸ βουλευόμενον περὶ τῶν κοινῶν; pars, quæ conſultat & definit ea, quæ ad ſummam reipublicæ pertinent: altera τὸ περὶ τὰς ἀρχὰς, pars, quæ ad magiſtratus ſpectat: tertia τὸ δικάζον, pars judicans, ſive judicia. Eſt autem prima pars omnium potiſſima & princeps, atque adeo ipſa ſumma poteſtas, quæ alias τὸ κύριον, κυρία ἀρχὴ, πολίτευμα, δύναμις καὶ ἀρχὴ πολιτικὴ, & ἄκρα ἐξουσία, teſte Bodin. 1. de republ. c. 8. Græcis nuncupatur. Et vero, etſi & alia faciant ad formam & τάξιν reipublicæ, hæc tamen poteſtas eam præcipue abſolvit: Quippe cum huc pertineat arbitrium legum, belli & pacis, fœderum, vectigalium, vitæ bonorumque civium, quæ ſane in omni republica momenti ſunt maximi.

XI. Hisce probe expenſis, haud difficulter liquet omnibus, qui attendere volunt ad regnorum univerſi orbis naturam conſtitutionemque, regna ratione πολιτείας ſive formæ regiminis itidem plurimum differre. Alibi enim univerſum τὸ κύριον, imo omnis quoque poteſtas magiſtratuum judiciorumque penes unum eſt: Alibi participant aliquid de ſumma reipublicæ etiam alii. Prior ordo efficit regnum ſimplex, alter regni ſtatum mixtum. Et ſane prior illa regni ratio omnium eſt potiſſima, & maxime regia: unde & Ariſtoteli audit πανβασιλεία. Talis omnino erat rerum potientibus Cæſaribus imperii romani ſtatus, eoque pronunciavit Ulpianus, principem eſſe ſolutum legibus (civilibus ſcilicet & poſitivis) & in ſcriptis apoſtolicis ita deſcribitur rex, quaſi is ſit, cui abſque omni exceptione ſit obtemperandum. Quæ perperam a quam multis ad omnes principes & reges trahuntur: cum de ſolis Romanis non minus Apoſtolo, quam Ulpiano ſermo fuerit, ac proinde non niſi de iis, qui pari jure imperant, vere queant affirmari. Fuerunt quoque, etſi non omnibus legibus civilibus ſuperiores (nec enim licuit illis leges quasque hujus generis moſaicas mutare) ἀνυπεύθυνοι tamen ſaltem populi reſpectu reges iſrahelitici & judaici: quare etiam non male S. Ambroſius Davidis illa: *Tibi ſoli peccavi*, interpretatus eſt, quaſi rex ille ſolo Deo minorem ſe agnoverit. At ne hoc quidem ſimpliciter eſt de eſſentia omnium regum, ſed talium duntaxat, qualis fuit David. In univerſum ſcilicet perperam ad leges unius alicujus regni aliorum jura exiguntur; ſed ſingula quæque ex propriis conſtitutis æſtimanda ſunt. Qua in re nec ipſe Claudius Salmaſius in defenſione Regis Angliæ ſibi ſatis cavit, illa, quæ de ordine hoc Regum primo apud majores leguntur, ita paſſim accipiens, tanquam promiſcue ad omnes pertineant. Quod non potuimus non obiter monere.

XII. Obſervandum porro, regum quam multorum conditionem de cætero quidem omnino legibus ſolutam eſſe, non poſſe tamen eos ſucceſſorem ſibi ex arbitrio, ſed ex lege conſtituere. Illis igitur, quin deſit nonnihil autoritatis πανβασιλικῆς, nullum eſt dubium; plus tamen indubie iſte habet, qui quemvis liberorum ex maſculis & fœmellis, aut quemvis filiorum ſucceſſorem poteſt inſtituere, minus cui ſoli filii poſſunt ſuccedere, excluſis filiabus, adhuc minus, cui ſolos primogenitos ſuccedere fas eſt. Alibi ſane regia poteſtas ſic ſatis magna eſt, ſucceſſio tamen legitima eſt, & quidem vel tota electitia atque arbitrii alterius, vel partim hereditaria, partim electitia. Exhibet harum ſucceſſionum exempla paſſim Europa noſtra. In Gallia ex heredibus regem



Digitized by Google

nemo excipit, niſi maſculus: ſequior enim ſexus, cui lex Salica fundi hereditate olim interdixit, a ſceptro penitus arcetur. In Hiſpania omni, Anglia, & Scotia vero non tantum maſculi, ſed etiam, iis deficientibus, fœmellæ ſuccedunt. Porro etiam ſucceſſio, quæ partim hereditaria, partim vero eo, quem ſignificavimus, pacto electitia eſt, frequentiſſime obſervatur: cum enim iſtam habuerunt in Hiſpania Gothi, in Gallia Franci, in Britannia Angli & Saxones, tum in Germania & Sarmatia omnes populi. Hodieque ejus moris veſtigium ſupereſt in Germania, Dania, Polonia & Hungaria. Et vero in hoc germanico imperio hæc ſuccedendi ratio usque ad Henricum V. Imperatorem permanſit: ab illo vero tempore principes inſtinctu pontificum electionem magis liberam inſtituerunt, quæ ita placuit, donec ante 200. præter propter annos, quia liberrima iſta electio imperio obeſſe videbatur, ex ampla illa auſtriaca domo, quaſi jure hereditario, continua ſerie heredes iterum ſuccedere cœperunt. Eadem olim ſucceſſionis regiæ ratio fuit in Suecia; aſt hodie a tempore Guſtavi hereditaria eſſe cœpit.

XIII. Præter regna ſimplicia & abſoluta ſeu perfecta, alia ſunt minus perfecta, minusque ſimplicia, ſeu imperfecta, quod ſcilicet aliquid a regia unius poteſtate remittant, & in partem ſummæ poteſtatis etiam alii veniant. Hæc jam iterum in varia differentia conſtituta ſunt. Prima talium regnorum ſpecies eſt, quando unus quidem omnia in manu habet, ſucceſſorem tamen ſibi nullo modo conſtituere poteſt, ſed ille ab aliis eligitur. Talis videtur fuiſſe ſubinde ratio imperii romani ſub Cæſaribus: eligebantur enim illi a milite plerumque, & electi erant ἀνυπεύθυνοι.

XIV. Cæterum talis regni ſpecies rarior eſt, certe non ſolet eſſe diuturna: electio enim ſolet plerumque multum decerpere regiæ poteſtati. At vero reperiuntur nonnulla regna, in quibus non omnia majeſtatis jura penes Regem ſunt, ſed aliqua eorum penes Regem, aliqua etiam penes alios, reſident. Quæritur exemplum? præſtat illud regnum Poloniæ: nam ibi jus conſtituendi magiſtratus atque ordinandi judicia penes Regem eſt, quando Palatinos, Caſtellanos (uti vocantur) & Senatores, tanquam regni primarios magiſtratus, conſtituit, judiciis vero aut plerumque ſolus, aut in aliquibus rebus cum populo præeſt; reliqua vero jura, jus nimirum ferendarum legum, jus agendi de capite alicujus civis, jus imponendorum tributorum, belli, pacis, fœderum non penes eum, ſed penes Nobiles reſidet, ut hoc prolixius legi poteſt apud polon. reipublicæ deſcriptores cum alios, tum præcipue Cromerum & Staravolſcium. Sunt præterea regna, in quibus Reges omnia quidem majeſtatis jura habent, non tamen niſi ex parte, ut ex parte illa penes alios ſint. Sic in noſtra republica romano-germanica Cæſar habet jus comitiorum ex dimidio: habet enim poteſtatem ferendarum legum, poteſtatem belli, pacis fœderumque, ſed non niſi ex dimidio: ex dimidio nimirum illa jura penes ordines imperii hærent.

XV. In hujusmodi regnis penes unum abſolute majeſtas non eſt, hinc quoque nec unus pro ſuo lubitu omnia poteſt conſtituere; ſed ſi res, quarum poteſtatem cum illo alii participant, in conſultationem venire neceſſitas exigat, opus eſt, ut omnes, in illis aliquid conſtituendi poteſtatem habentes, conveniant, & ita publica comitia habeantur. Unde ſumma poteſtas ſolet penes comitia eſſe Regis & regni ordinum. Nec tamen comitia ſunt ſignum perpetuum regni mixti, quippe fit, ut illa nonnunquam non, niſi conſilii capiendi ergo, aut etiam dicis gratia, inſtituantur. Quemadmodum enim aliis rebuspublicis mutatis, ad vitandam, invidiam multa ex veteri ſtatu ſervari ſolent, quæ tamen revera nihil aliud ſunt, quam meræ umbræ: ita quoque regna ex ariſtocratiis, ex democratiis, ex oligarchiis orta permittunt interdum comitia, quo populo, qui hinc putat ſupereſſe adhuc veterem reipublicæ formam, inanem fucum faciant. Tale quid obtinuit olim in republica romana, cum vetus ſtatus democraticus in regium iterum mutatus eſſet: ibi enim populus & multitudo conveniebant quidem ad comitia, quemadmodum hoc patet ex Suetonio, quando de Auguſto *lib. 2. cap.* 40. ita refert: *Comitiorum quoque priſtinum jus* (puta illud, quod lib. ſup. c. 41. a Julio Cæſare introductum fuiſſe docuit) *reduxit, ac, multiplici pœna coercito ambitu, Fabianis & Scaptienſibus tribulibus ſuis, die comitiorum, ne quid a quoquam candidato deſiderarent, ſingula millia nummum a ſe dividebat.* Interim tamen nihil tractabatur, niſi ex ſententia principis. Sic quoque Cromwellus, protector ille in Anglia, parlamento aut convocatione ordinum regni hodie tantum in ſpeciem libertatis utitur, re ipſa vero omnia pro ſuo arbitratu agit, ut hoc publicæ relationes abunde teſtantur. Videmus itaque, nos non debere adeo attendere, ubi comitia ſunt, quam quomodo ſeſe illa habeant. Hoc autem optime facere poterimus, ſi aliquanto accuratius inſpiciamus, qua ratione regia poteſtas comparata ſit. Si illa enim eſt abſoluta, tum comitia nihil valent; ſi vero communicata eſt cum hoc vel illo ſtatu, aliud pronunciandum venit. Etenim ſolet fieri, ut aliquando regia poteſtas communicetur vel cum paucis, vel cum toto populo, vel etiam cum paucis partim, & partim cum toto populo, ut exinde regnum miſtum ſit, aut cum ariſtocratia, aut cum oligarchia, aut cum ſtatu populari, aut cum ariſtocratia vel oligarchia partim, & partim cum ſtatu aliquo populari. Ubi regnum miſtum eſt cum ariſtocratia, ibi optimates multum poſſunt. Cujus exemplum facile neminem, qui modo aliqua ratione germanicæ reipublicæ ſtatum cognitum habet, poteſt fugere. In illa enim, quando comitia habenda ſunt, conveniunt ordines, electores, ſcilicet principes, comites, epiſcopi, prælati, ſeu abbates, germanice dicti gefürſtete Aebte, civitates denique imperiales, & juſta habita conſultatione, cum Cæſare aliquid conſtituunt. Eadem quoque ordinum poteſtas quondam in Hiſpania, in Arragonia, in Gallia fuit; verum poſtmodum adeo collapſa eſt, ut hodie regna illa ad παμβασιλεία quam proxime accedant. In Gallia a Ludovico XI. usque ſane decrevit ſenſim magis magisque ordinum regni autoritas, omnibus ad unius Regis arbitrium tractis,

eoque

Digitized by Google

eoque ex eo tempore rariſſima fuerunt in Gallia Comitia, hodie plane nulla celebrantur. Si regnum miſtum eſt cum oligarchia, penes oligarchicos magna eſt poteſtas. Quemadmodum hoc deprehendimus in illuſtri Daniæ regno, ubi Comitiis Nobiles tantum adhibentur. Quando autem regius ſtatus miſtus eſt cum forma populari, multum univerſum valere populum, teſtatur Suecia; ibi enim omnes, etiam agricolæ, conveniunt, & de rebus, ad rempublic. pertinentibus conſultant. Quod procul dubio ex veteri Germaniæ republica retinuerunt. Quippe majores noſtri ſecundum Tacitum *de morib. German.* omnes de maximis rebus conſultarunt, ita tamen, ut ea quoque, quorum penes plebem arbitrium eſſet, apud principes prætractata fuerint. Tandem ubi regnum partim cum paucis, partim vero cum multitudine miſtum eſt; ibi obſervare eſt, vel optimates & multitudinem, vel etiam oligarchicos & multitudinem cum aliqua poteſtate convenire, hoc diſcrimine, ut penes hanc βȣλία, penes illos προβȣλία, & vice verſa ſit. Ita in Polonia univerſa multitudo quodammodo conſultat de rebus maximis, attamen in ſingulis Palatinatibus tantum προβȣλία inſtituitur, in Comitiis autem per Nobilium delegatos, quos Nuncios Terreſtres appellant, potiſſimum omnia conſtituuntur.

XVI. Circa ſummæ itaque poteſtatis participationem, adeo variis modis ſeſe habent regna. Videndum nunc paucis, quomodo ſeſe habeant circa magiſtratuum conſtitutionem: id quod ſecundi ordinis & momenti eſt ad reip. ſpecies quasque conſtituendas. Hinc, ut ſupra diximus, inprimis attendendum eſt, quot magiſtratus ſint, quarum rerum habeant poteſtatem, deinde poteſtas illa quamdiu duret, quinam denique, a quibus, & quomodo præficiantur. Etenim in nonnullis regnis magiſtratus admodum multi, in nonnullis vero, non adeo multi reperiuntur. Deinde magiſtratuum alii ſunt ordinarii, alii extraordinarii, alii majores, alii minores, alii perpetui, alii ambulatorii. Ut itaque hi ratione muneris iidem, reſpectu poteſtatis vero diverſi in regnis paſſim deprehenduntur, ita quoque ipſa regna inter ſeſe differunt. Quod porro conſtitutionem ſpectat, dantur nonnunquam regna, in quibus magiſtratus, pro lubitu, ex quovis ordine conſtituuntur. Quod obſervare licet apud Turcas. Illorum enim Imperator, cum hanc poteſtatis particulam liberrime exerceat, interdum etiam ex infima plebe, aut peregrinis alicui magiſtratum demandat. Apud Romanos ſimili modo Imperator Juſtinianus quemcunque voluit, nullius ordinis ratione habita, in ſenatum adoptavit, atque ad varia reipubl. munera admovit. Contra in aliis regnis conſtitutio illa magiſtratuum minus libera ad certum aliquem ordinem adſtricta eſt, aut etiam ad minimum ex civibus & indigenis fieri debet, prout hoc in Polonia, Dania & Suecia ſecundum leges regni obſervatur. Porro, alicubi poteſtas eligendi, atque conſtituendi magiſtratus ſimpliciter penes unum eſt, alibi vero de hac poteſtate participant etiam alii. Ex. gr. in Hiſpania ſolus Rex, in Dania vero ex parte Rex, ex parte etiam ordines præficiendi magiſtratus habent. In republ. Romano germanica præcipui magiſtratus (qui utique ſunt Epiſcopi, Principes & Comites) ſecundum conſuetudines feudales, aut jura canonica conferuntur, & ſunt quaſi hereditarii. Sic Cæſar Principes, Epiſcopos, Comites non conſtituit, ſed tantum juxta illam, quam diximus, normam conſtitutos confirmat. Apud priſcos Germanos univerſæ reip. auctoritate magiſtratuum præcipuorum, conſtitutio facta videtur: *eliguntur* enim (diſerte inquit Tacitus) *in conciliis & principes, qui jura per pagos vicosque reddunt.* Pertinere huc poſſet videri & ipſa ſucceſſio regum in regna, quæ ſemper vel eſt plene hereditaria, vel partim hereditaria & partim electitia, vel etiam in totum electitia. Sed regia poteſtas proprie ſupra ordinem eſt magiſtratuum; &, quomodo propter variam illam ſuccedendi rationem aliter atque aliter regna comparata ſint, jam ſupra indicatum eſt.

XVII. Præter magiſtratus vero etiam judicia multum faciunt ad id, ut Regnorum diverſæ ſint ſpecies. Verum non eſt opus, ut hoc loco illud ipſum operoſe agitemus, cum judicia non aliter faciant ad formam alicujus reipubl. quam magiſtratus: ſive videas eos, qui conſtituunt judices, ſive eos, ex quibus conſtituuntur, ſive denique ipſum conſtituendi modum. Hoc tantum addendum eſt, quod ipſa in foro procedendi ratio haud parum poſſit ad id ſaltem, ut reſpubl. atque adeo & regnum, vel herile ſit, vel civile. Longus enim & moroſus proceſſus aptiſſimus eſt dominatui; ſimplex vero & planus illi reip. quæ bonum publicum ex æquo propoſitum habet. In tranſcurſu etiam hoc monendum, neutiquam ex legibus, ſive publicis, ſive privatis, ſtatum reip. aut regni alicujus poſſe ediſci, etſi vulgo id ſit perſuaſum: idque quoniam non omnia, quæ ad ſtatum pertinent, legibus ſolent definiri, &, quia plurima ſæpe in rebusp. fiunt contra legum præſcriptum. Ut ex legibus itaque addiſcitur, qualis forte reſp. eſſe debeat, ſi ſecundum leges fuerit adminiſtranda, ita addiſci non poteſt, quomodo actu & reapſe ſeſe habeat. Verum hæc obiter. Hiſce igitur relictis, dum hactenus iſta, quibus potiſſimum regna inter ſeſe diſtinguuntur, inquiſivimus, nunc quoque illa, quæ ratione materiæ, & cauſæ efficientis in regnis diſcrimina ſolent naſci, negligere non debemus. Indagabimus autem principio eas Regnorum differentias, quæ a cauſa materiali proficiſcuntur.

XIIX. Cæterum cauſam materialem, ſeu illud, circa quod regna occupantur, conſtituunt res & perſonæ. De illis prius agemus, de his poſterius. Rerum autem vocabulum ſumitur hic, quemadmodum illud accipiunt JCti, quando res perſonis opponunt. Sunt vero aliæ mobiles, aliæ immobiles, utræque in publicas & privatas diſtinguuntur. Inter res immobiles præcipua eſt regio, circa quam regna diverſe comparata ſunt. Ex ea enim quoddam regnum eſt montoſum, ſterile ſylvisque horridum, quoddam planum, cultu aſpectuque amœnum; hoc circa fines ſuos quaſi eſt clauſum, ita, ut incolis facillimum quidem exitum præbeat, peregrinis autem non niſi difficilem aditum concedat, illud contra undique patens, omnium incurſibus eſt expo-



Digitized by Google

ſitum; aliud denique terra continens eſt, & nullo mari alluitur, aliud vero inſula ex omni parte mari vel Oceano ipſo cingitur. Quod regnum ita Oceano gaudet, illud non modo ea, quibus abundat, facile exportare, ſed etiam iſta, quibus ipſum indiget, aliunde importando commode accipere poteſt; quod vero mari omnino caret, illud hujusmodi commoditate deſtitutum eſt. Simul autem regio mari expoſita peregrinis commerciis affluit quidem, attamen & moribus peregrinis facile afficitur: contra quam ſeſe habet regio a mari & commerciis remota. Porro, ubi regnum datur aditu difficile, ibi incolæ tutiores degunt, quam alibi, quo ſine ullo labore a quovis intrari poteſt. Nec parum refert, an ſolum regni ſterile ſit, an autem fertile: nam in hoc populus plerumque deſidiæ ac ignaviæ deditus, contentus eſt ſuis, tum quoque raro ſolet eſſe bellicoſus; in illo vero alacrior fortiorque id, quod domi deeſt, alibi cupit invenire. Præter regionem (cujus reſpectu regna adhuc differunt, quod alia ampla atque vaſta, alia vero anguſta arctisque terminis incluſa inveniantur) ad res immobiles pertinent quoque urbes, loca munita, omnisque generis ædificia. Etenim num regna multas urbes, multa caſtella, multa precioſa atque ſplendida palatia contineant, an autem urbibus & ædificiis plane inculta ſint, & vel prorſus nulla, vel etiam admodum rara munimenta habeant, non parum ad eorum differentiam adfert. Jam vero, quod res mobiles ſpectat, fieri poteſt, ut illæ alicubi in magna copia adſint, alibi vero non item. Ita hodie belgico germania, licet ſit anguſta regio, adeoque non poſſideat multas res immobiles, mobilibus interim adeo abundat, ut in toto terrarum orbe regio nulla facile cum illa, niſi ejus magnitudinem longe excedat, reſpectu mobilium bonorum jure comparari queat.

XIX. Diximus res ulterius diſtingui in publicas & privatas: publicæ ſunt eorum, penes quos τὸ κύριον eſt; privata ad ſingulos, in republica degentes pertinent. Profecto ex his quoque magna Regnorum differentia oſtendi poteſt. Quippe cum nonnulla dentur, quæ rebus privatis affluunt, publicis autem egent; quod in republ. Spartana & notavit, & reprehendit Ariſtoteles. Viceverſa alia regna non ita privatis, quam publicis bonis pollent. In illis populus plerumque inſoleſcit, &, ſi ei frequentia tributa imperantur, ſine quibus alias publici ſumtus ſufferri non poſſunt, crebris motibus, quod ægre pecuniam veluti animam ſuam, populus expendat, totus nonnunquam reipublicæ ſtatus evertitur; quod in his vero, dum imperantes tanta pecuniæ vi ipſi inſtructi ſunt, ut hujusmodi collationibus adeo opus non habeant, verendum non eſt. Sed de rebus pro inſtituti ratione ſatis. Progrediemur itaque ad Perſonas.

XX. Perſonarum quædam imperant, quædam vero parent. De imperantibus infra, ubi de cauſa efficiente acturi ſumus, videbimus. Inter parentes vero attendendi ſunt primo pauci eximii, & deinde plerique: nam interdum plerique a paucis, & pauci a plerisque, ſi cum fine, forma, & cauſa efficiente conferantur, quoad materiam diſſentiunt. Ex paucis itaque conſiderandi veniunt, qui regibus aliquo modo vel ortu, vel dignitate, vel etiam opibus pares ſunt. Huc autem præ cæteris pertinent Reginæ. Regiæ enim uxores inter eos, qui parent, recte numerantur, niſi forſan in regni conſortium (quod hactenus nulli temere, præter Theodoram, Juſtiniani Imperatoris conjugem contigit) a Regibus, maritis, evectæ fuerint. Quare ut omnium parentium, ita inprimis Reginarum ingenia, atque mores accurate in quolibet regno veniunt obſervanda. Etenim quando in regnis, quæ pro fine habent commune bonum, Reginæ herili ingenio præditæ ſunt, ut olim in Judæa Jezabel, & in Gallia Catharina Medicea dominari geſtivere: aliæ, licet ad finem ſic ſatis bene ſeſe habeant, ambitione tamen turbant regna: nonnullæ etiam adulterio infames, in ipſos maſculos reges conſpirare non dubitant, quo præſentem regni ſtatum ad ſuum beneplacitum componant. Poſt uxores liberi Regii non minorem conſiderationem poſtulant. nam interdum aut formæ, aut fini, aut efficienti cauſæ Regnorum contrarii ſunt, ac proinde magnum Regnorum diſcrimen cauſantur. Deinde quoque huc Fratres faciunt. Quantas ſane turbas, ſi alieno ſunt animo, dare poſſint, notum abunde eſt: ſenſit inter alios cum veteris tum recentis ævi principes, Ericus, Sueciæ Rex, a fratre ſuo throno regni dejectus, carcerique incluſus. Præter hos omnes reliqui etiam in univerſum, ſingulari aliqua potentia valentes, attendendi ſunt. Æſtimatur autem potentia illorum, ſive ſint nobiles, ſive plebeji, ex eo, quod aut populum, aut iſtos, qui rempubl. adminiſtrant, in ſuas partes poſſint trahere.

XXI. Populus, aut potior populi pars, interdum regi magis ſtudet, quam reipublicæ. Exemplum cernere eſt in milite britannico. Quam male ille Carolo ſuperſtite, adverſus regium ſtatum animatus fuit! nunc vero Cromwellum tanto favore proſequitur, ut non ſollicitus ſit de civili aliqua forma introducenda, imo ut ne quidem amplius de regno mixto cogitet. Nonnunquam vero, licet regi ſatis faveat populus, Magiſtratus tamen regis odio habet, ut obſervare id eſt in Catalonia atque Portugallia: horum ſane Regnorum incolæ, non videntur tam animo averſo a Philippo Hiſpaniæ Rege, fuiſſe, quam a primariis regis miniſtris, quos cum removere non poſſent, in regem ipſum inſurrexerunt.

XXII. In univerſum populi differentia peti debet ab animo, a corpore, & a fortunis. Ab animo, ſi populum ſecundum virtutes, illisque oppoſita vitia examines. Sunt autem (prout Ethica docet) virtutum duo genera, unum intellectualium, alterum moralium. Quoad virtutes intellectuales attendi oportet, an populo ingenium ſit ſcientiarum capax, nec ne, i. e. ſtupidus ne ſit, an intelligens, an vero artibus incumbat, aut ſecus. Quippe intelligens non facile concoquit, quod patitur ſtupidus; nec idem in rep. eſt. an populus artibus aſſueſcat, an vero

eas

eas omnino negligat. Sciens enim nobiliore ingenio præditus eſt: & qui imbuitur artibus, nihil fere eorum, quæ ad ejus conſervationem facere poſſunt, deſiderat. Quod autem ad virtutes morales ſpectat, alius populus eſt fortis, alius imbellis; alius elato ac feroci, alius preſſo atque abjecto animo. Qui fortis eſt, paret quidem interdum, ſed aut prorſus non ſervit, aut ſervitutem non ſervit integram, tum quoque aliis ſolet eſſe formidabilis. Quemadmodum hoc de Gallis Senonibus Florus innuit. *Galli Senones*, inquiens lib. 1. c. 13. *gens natura ferox, moribus INDOMITA, ad hoc ipſa corporum mole perinde ac armis ingentibus adeo omni genere terribilis fuit, ut plane nata ad hominum interitum, urbium ſtragem videretur.* At vero ignavus populus & imbellis, alterius abſoluto imperio vel ſponte ſua ſeſe ſubjicit, vel etiam a vicinis, quos turpi ſua ſocordia quaſi invitat, facile ſubjugatur. Eodem quoque modo ferox & abjectus populus differunt. Utriusque nobile nobis exemplum præbent Sicilia atque Neapolitanum regnum. Sicilia nempe homines habet fere abjectos, Neopolitanum regnum contra ferociſſimos alit. Unde & Hiſpanus, cui utrumque regnum paret, diverſis utrumque artibus in officio continet. Poſt fortitudinem conſideratione digna eſt temperantia, &, quæ ei tanquam vitium opponitur, intemperantia. Offendimus enim nonnunquam populum, ebrietati deditum, offendimus etiam alium luxurioſum. Populus vinolentus plerumque bellicoſus eſt, tyrannumque horret. Quod nos doceant majorum noſtrorum Germanorum mores. Quem vero populum luxus deliciæque poſſident, ille fere eſt ignavus, jugoque herili non multum reluctatur. Quod nequaquam ignorarunt romani Cæſares. Ut qui inter alias artes, quibus populum ſuum in officio tenebant, adhibuere theatra, amphitheatra, conceſſere precioſas veſtes, lauta atque opipera convivia, quo ejusmodi deliciis & remiſſionibus altos generoſosque animos populi aut omnino frangerent, aut ſaltem emollirent. Non autem temperantia ſolum circa potum & cibum; ſed & circa venerem verſatur. Quapropter videndum quoque eſt, an populus aliquis caſtus, an vero libidinoſus ſit. In caſto populo bonum regnum obtineri poteſt, in libidinoſo non item. Attendenda porro inter virtutes morales eſt liberalitas, &, quæ ei opponitur, avaritia in defectu, in exceſſu autem prodigalitas. Invenimus enim aliquando populum, qui cum Getis divitias adeo contemnit, ut quotidiano victu vilique veſte contentus paupertatem inter ipſa vitæ commoda referat, adeoque, ſi quæ habent bona, omnia profundat. Alibi autem reperimus, qui ita divitiis opibusque incumbit, ut quoque præ ſordida avaritia animum & Genium ſuum defraudet. Hic, modo lucro nihil decedat, jugum æquo animo patitur; ille vero niſi prorſus effœminato & ſervili ingenio præditus ſit, abſoluto imperio ſemper adverſatur. Denique circa juſtitiam atque injuſtitiam obſervare debemus, alium populum eſſe juſtum, & alium iniquum. Juſto, ſi ſe ſacramento obſtringat regi ſuo, tuto poteſt credi; iniquo haud temere. Nam ſi principes juxta Symmachum *ſolo ſacramento tuti ſunt*, quomodo illi ſalvi eſſe poſſunt, quorum ſubditi fidem flocci pendunt, & perjuriis ludunt, ceu pueri aſtragalis?

XXIII. Aſſeruimus porro, etiam a corpore & fortunis populum in regnis differre. Quod itaque corpus attinet, videndum eſt, an populus robuſtus ſit, an vero imbecillis, uterque enim aliter atque aliter animatus eſt; deinde an numeroſus, aut rarus ſit. Quippe populus, qui multitudine valet, poteſt res magnas gerere; qui autem paucitate laborat, non item. Similiter quoque ætas attendi debet, multumque intereſt, an populus juſto & convenienti juvenum numero inſtructus ſit, nec ne. Quando enim juvenibus deſtituitur, haud facile felicia bella, ſi quæ forſan gerenda ſunt, ſperare audemus; at ubi iis abundat, ſingulari quoque prudentia, quo illi in reip. emolumentum regantur, opus eſt. Ad fortunas autem multum refert, an populus omni rerum copia abundet, an vero cum paupertate conflictetur. Nam divitum mores, quos Ariſt. *lib. 2. Rhet. c. 16.* eleganter depinxit, longe aliter comparati ſunt, quam pauperum. Enimvero primi illi, dum putant ſe omnia bona poſſidere, ſuperbiunt, aliosque præ ſe contemnunt; quibus vero vix paternum ſplendet in menſa tenui ſalinum, tanta ſupercilia non gerunt, nec alios facile ludibrio habent. Præterea, quoniam divitiæ timidæ ſunt, opulenti Penates loculosque ſuos muniunt, & cuſtodes alunt; Pauperes contra hoc ipſo, quod nihil habent, ſecuri, ejusmodi munimenta ac præſidia negligunt. Adhæc ex Diogenis ſententia videtur, neque in domo, neque in civitate opulenta virtuti fere locum eſſe. Nam quoniam divitiis omnia fere alia bona æſtimantur, *neque diſciplina*, ſecundum Senecam, *neque bonæ artes ſatis pollent, ubi divitiarum cupido invaſit.* Unde & Simonides, cum ex eo Hieronis uxor quæſiviſſet, utrum præſtaret ſapientem eſſe, an divitem, divitem reſpondit: videre enim ſe, ſapientes ad fores locupletum præſtolari. At vero paupertas omnium artium quaſi genitrix eſt, quod teſtatur Apulejus in ſua Apol. quando ait: *Quemcunque in aliqua laude miramur, cum paupertas ab incunabilis nutricata eſt: paupertas priſca apud ſecula omnium civitatum conditrix, omnium artium repertrix, omnium peccatorum inops, omnis gloriæ munifica, cunctis laudibus apud omnes nationes perfuncta.*

XXIV. Cæterum de cauſa quoque materiali, Regnorum ex materia petitis differentiis ſatis. Ad *efficientem* cauſam denique h. e. ad eos, qui regnum adminiſtrant, progrediendum eſt. Hi vero alii ſunt principales, alii inſtrumentales. Principales ſunt, penes quos eſt ſumma poteſtas, quique proinde per ſe regnum adminiſtrant; ut in regno abſoluto unus, in mixto præter unum ii, qui in communem actionem majeſtatis veniunt regni ordines. Inſtrumentales autem ſunt, quorum opera in adminiſtrando regno principales utuntur. At de principalibus primum diſſeremus. Tenendum vero eſt, omnium actionum humanarum duos quaſi fontes eſſe, voluntatem ſcilicet, & facultatem: alterutrum nimirum ſi deſit, actio non peragitur. Itaque



Digitized by Google

que circa regum & regni ordinum actiones ad duo illa comprimis etiam attendendum eſt, & quid velint nimirum hi aut illi reges, vel regni ordines, & quid poſſint. At vero, cum ſcopus Regnorum inprimis duplex ſit, unus dominantium commodum, alter ex adverſo commune civium bonum, non deſunt interdum reges, qui herile imperium affectant contra leges, nonnulli vero omnium ſaluti tanquam patriæ patres, ſtudent unice, etſi liceret herum agere. Similiter in regnis mixtis interdum ordines regni affectant majorem libertatem, & volunt regiam auctoritatem magis magiſque imminutam: interdum reges volunt regiam vim magis ſolito auctam. Non tamen ſemper voluntas illa, ſive regnum, ſive ordinum, id, quod opus, aſſequitur, quoniam illis interdum facultas deficit. Ut itaque de regno quovis prudenter poſſis judicare, ſtabile ne ſit, an non, reſpectu habito ad reges aut regni ordines, neceſſum eſt probe inquirere in omnium voluntatem pariter & facultatem.

XXV. Cæterum voluntas, quamdiu ſeſe non prodit per conatus, aliquid latens eſt. Poteſt tamen aliquo modo cognoſci ex quibuſdam indiciis, quæ licet aliquando fallant, plerumque tamen certa ſunt. Petuntur autem illa vel ab animo, vel a corpore, vel denique ſingulari ab objecto, quod voluntatem movere poteſt. Tanta enim interdum objecti alicujus vis eſt, ut moveatur voluntas ad ea, a quibus alias natura aliena eſt. Eoque ad latentem voluntatem explorandam, corpus ante omnia inſpiciendum eſt, & quidem maxime ſecundum regulas τῆς φυσιογνωμονίας: nec enim illa, ut nonnulli putant, doctrina omnino vana atque inutilis eſt. Certe multum referre ad voluntatem inquirendam, num corpus ſanum ſit, an vero ægrotum, notiſſimum eſt. At ampliora arcanæ voluntatis indicia ex animi affectionibus peti poſſunt. Illarum autem cum aliæ intellectuales, aliæ morales ſint, inter intellectuales præcipue ad prudentiam eique oppoſita attendendum eſt. Nam hæc optima imperantium dos, hæc propria eorum virtus eſt. Sunt autem tria, quæ prudentiam pariant: natura ſcilicet, uſus, & doctrina. Hinc attendere debemus, an Rex ſolerti ingenio valeat, an longo rerum uſu edoctus ſit, & an doctrinam adjunxerit. Quippe multum intereſt, utrum reſpubl. regem habeat, cui eſt ingenium ſolers, & ut Poeta loquitur,

> - - *Cor limante Minerva*
> *Acrius, & tenues finxerunt pectus Athenæ.*

an vero rudis ille ſit ac ſtupidus. Etenim finge populum ferocem, & rerum novandarum cupidum, iſte, ſi regem habeat ſtupidum, cogitabit de evertendo reipubl. ſtatu, quod adeo metuendum non eſt, ſi Rex fuerit prudens, alacris, & dexter. Nec parum quoque refert, an reſpubl. rege utatur, cui licet neque ingenium neque animus deſit, qui tamen propter ætatem rerum uſu deſtituitur, vel an gaudeat rege, qui & natura, & experientia, & doctrina pollet. Is ſane, cui cum ad naturam eximiam atque illuſtrem acceſſit uſus quidam atque doctrinæ confirmatio, non poterit non felicius aliis imperare. Præter prudentiam, variæ ſcientiæ atque artes animi affectionibus intellectualibus annumerantur. Verum enim vero hæ, ſi reges in iis conſeneſcant, non tam in laudem, quam in illorum opprobrium cedunt. Quid enim facit ad regium imperium, ſi aliquis cum illo Caſtellæ Rege, Alphonſo Decimo, totus in Mathematicis aut Aſtrologicis cœlum magis quam terram, colat? Quid ſi cum Nerone apud Tacitum *puerilibus ſtatim annis vividum animum in alia detorqueat*, cælet, pingat, cantet, ſaltitet, pugilem agat, vel Poëtam, vel artificem, vel medicum? certe nihil. Imo reges contemptos reddunt illa; & regendæ reip. inutiles, utpote quibus in animo eſſe debet illud ſummi Poëtæ 6. Æn.

> *Tu regere imperio populos, Romane, memento:*
> *(Hæ tibi erunt artes) pacique imponere morem,*
> *Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.*

XXVI. Poſt virtutes intellectuales conſequenter conſiderandæ ſunt morales, & quidem primo Homileticæ. Etenim, ut populum ſibi obſequentem habeant imperantes, duo potiſſimum, amor nempe & metus, requiruntur; amorem vero conſequi nequeunt, niſi hiſce virtutibus imbuti ſint. Quod inter alios M. Ulp. Traj. & Alexandrum Sever. laudatiſſimos Imperatores minime fugit. Poſtremum ſane, cum tantæ humanitatis eſſet, ut etiam ei Mammæa mater, & uxor Memmia illam exprobrarent, dicentes, molliorem tibi poteſtatem & contemtibiliorem imperii feciſti, ſed diuturniorem atque ſecuriorem reſpondiſſe accepimus. Nec minus intereſt, utrum Rex veritati ſtudeat, an vero diſſimulare ſciat. Poteſt autem duplici modo aliquid diſſimulari: nam vel ſimulatio cum vitio aliquo conjuncta eſt, vel etiam omni vitio caret. Cui nullum vitium ſubeſt, hic nobis intelligitur. Et certe, nonnunquam in eo tantum ſitum eſt, ut ſecundum Ludov. XI. Galliæ regem, nemo regnare poſſit, qui diſſimulare ignorat. Cumprimis vero ad reliquas virtutes morales regum aliorumque regentium animi explorandi veniunt. Inter has autem juſtitia & Clementia, veluti duo ingentia lumina, corruſcant. Sane ſi perſpectum habemus, an Rex Juſtitiam colat, an vero iniquus ſit, an clemens ſit, an vero ſeverus & ſævus, ſcire etiam quodammodo poſſumus, quid ille velit, quid nolit. Nam eſt, ut Poëta loquitur.

> *Una ſalus, ſpes una hominum, ſi ſacra gubernat,*
> *Juſtitia, auſpiciis templa forumque ſuis.*
> *Si cuncta ex merito juſtoque examine pendent,*
> *Et ſua ſint laudi præmia, pœna malis.*
> *At cum non merces maneat condigna merentes,*
> *Stat res in caſum publica prona ſuum.*
> *Nec tutum ſatis eſt communi vivere jure,*
> *Jamque locus nulla fraude doloque vacat.*

Et

Digitized by Google

Et clementia mollit, temperat, noxios eripit, erigit lapſos, & ſervatum it eos ipſos, qui ſe perdunt: imo ipſi Regi, præter ſubditorum amorem, quo, Claudiano teſte *ad Hon. Conſ. IV*

*Non excubiæ, nec circumſtantia tela*

magis tutum præſidium, fere omnia, quæ ſceptris optari poſſunt, conciliat; ex adverſo nimia ſeveritas (cujus ſymbolum eſt illud: oderint, dum metuant) tam gubernanti, quam gubernandis certiſſima mala minatur. Quando autem clementiam commendamus, non excludimus ab illa omnem ſeveritatem. Etenim nimia lenitas, regio ſane ſtatui neutiquam conducit. Certe ſi Jacobus Angliæ Rex, lenitatem atque manſuetudinem ſuam ad exemplum Eliſabethæ, cum ira atque ſeveritate miſcuiſſet, non fortaſſis in tantas calamitates poſteri ejus incidiſſent. Attendenda porro venit etiam fortitudo ac liberalitas. Si enim Rex fortis eſt, vult ille res magnas, aut certe injurias, quas ignavus parum curat, non patitur inultas. Similiter ſi in dando eam mediocritatem ſervet, ut nec prodigus, nec parcus ſit, rempublicam tutam & ſalvam præſtabit rectius, quam ſi aut omnia, aut nihil det. Profuſor enim nervos rerum gerendarum perdit, & nimis tenax ſuorum animos ſibi reddit offenſos. Neutiquam hic tacito pede prætereunda eſt in Deum pietas, licet eam Ariſtoteles, quod de providentia divina minus recte ſentiret, inter virtutes non retulerit. Eſt ſane illa omnium virtutum, imo omnis humanæ vitæ quaſi rectrix. Eoque pius, an impius Rex ſit, plurimum profecto intereſt. Nec vero eſt, quod ab impio Rege exſpectes quidquam boni, tuti quidem: & nec a pio quidquam iniqui temere metuas. Reliquæ virtutes, nimirum temperantia, & quæ hujusmodi ſunt aliæ, quoniam minus ad ſocietatem humanam pertinent, non pari momento ad rempublicam valent cum reliquis, quas diximus. Ampliſſimus D. Præſes hiſtoriis electionum Urbani IIX. & Innocentii X. pontificum, adjunxit opuſcula duo, alterum Anonymi, alterum Franciſci Lottini, quibus oſtenditur, quas virtutes in eligendo papa cardinales olim deſideraverunt, & adhuc hodie obſervant. Quoniam mentionem facimus virtutum, minus ad civilem ſocietatem facientium, Lottini quædam verba adducemus, quæ apprime huc faciunt. Ita autem habent: *Cum plures ſint probitatis ſeu virtutis partes, eæ pontifici futuro magis neceſſariæ exiſtimantur, quæ aliorum ſerviunt utilitatibus & commodis, ut ſunt beneficentia, comitas ſive affabilitas, juſtitia & ſimiles. Parſimonia enim, temperantia, continentia & aliæ, quibus homo ſeipſum regit, laude quidem digniſſimæ ſunt virtutes; at multo magis in principe eæ deſiderantur, quibus magnitudo ejus aliis quaſi communicatur.*

XXVII. Ex his igitur virtutibus potiſſimum poteſt explorari, quonam propendeant Regum ſtudia, aut voluntates. Nunc videndum eſt etiam, quibus indiciis facultas regentium queat patere. Cæterum hujus cognitio partim ex iis, quæ circa voluntatem in medium protulimus, partim vero & præcipue ex his, quæ de cauſis inſtrumentalibus nunc adjiciemus, eruenda eſt. Sunt autem cauſæ inſtrumentales vel itidem res, vel perſonæ. Sub rebus continentur hic Regis agri, domus, arma, claſſes quoque, inprimis autem nummi. Horum enim, cum pene ſint omnium rerum gerendarum veluti nervi, quando Rex magna copia inſtructus eſt, vix dici poteſt, quanto robore valeat: poteſt enim exercitum colligere, eum alere, & pro lubitu iterum dimittere; poteſt ſibi agros comparare, ſuperba ædificia erigere, & omnia, quæ ad regium ſplendorem fuerint neceſſaria, magnifice exequi. Non autem parum refert, an hosce nummos in regno aut foris poſſideat. Prudenter ſane notatum eſt quam multis, Hiſpanum, etſi abundet gaza, quoniam illa tamen quotannis ex America eſt exſpectanda, minus validum Regem eſſe. Non unum porro idemque eſt, utrum regiæ divitiæ in publicis, an vero in privatorum bonis conſiſtant. Quippe ſi Rex publicis reditibus caret, ut a ſubditis pecuniam exigat, opus habet. Cum vero pecunia, ut recte cenſuit Hannibal apud Livium, plebis quaſi anima ſit, hinc tributa maxime præter ſolitum & gravia indicta, inteſtinos motus, quibus nulla capitalior peſtis, ſæpe ſolent concitare. Lucem huic fœneratur nupera ſeditio neapolitana ante annos circiter octo ob inſolita tributa exorta, pene cum regni integri perditione, duce, piſcatore viliſſimo, Thoma Aniello: imo catalonica pariter & luſitanica ſeditio, quia Hiſpaniæ Rex duobus ampliſſimis regnis exutus fuit.

XXIIX. Perſonarum, quæ regiis rebus inſerviunt, aliæ ſunt domeſticæ, atque ad familiam regiam pertinent, aliæ extra eam vivunt. Inter domeſticas præter regiam uxorem, de qua antea egimus, omnium primi liberi ſeſe exhibent. Etenim orbus Rex, non ſubnixus ſatis eſt viribus, quibus valet is, qui gaudet liberis. Recte ſane hos Tacitus *munimenta domus* appellat. Similiter tamen liberi, ſi ſint inmorigeri, & parentem non ament, tum vero regiis rebus non proſunt, ſed obſunt, non muniunt paternas domus, ſed eas demoliuntur, imo funditus evertunt. Vicini liberis ſunt fratres, & agnati: qui tamen longe minus ad regiam domum muniendam ſunt apti. Pertinent huc etiam affines: ſed & in iis parum firmi eſt præſidii Regibus poſitum. Et vero, cum triplex ſit amicitia, nempe honeſta, jucunda & utilis, hanc utilem plerique & agnatorum, & affinium colere ſolent, ita ut raro juvent, niſi ubi & ipſis ſeritur & metitur. Exemplum nobile hodieque nobis exhibent Gallia & Hiſpania, maxime ſibi mutuo hoſtiles, quamvis inter Reges arctiſſima intercedat affinitas, & ſanguinis neceſſitudo.

XXIX. Perſonarum porro, quæ ad familiam Regis non pertinent, aliæ intra regnum, aliæ extra regnum vivunt. In regnis præ cæteris omnibus conſiderari debent conſiliarii. Bene ſcilicet Tacitus: *quoniam arduum, & ſubjectum fortunæ eſt regendi cuncta onus, nec poteſt unus ſua ſcientia cuncta complecti, tantæque molis eſſe capax, principem oportet vocare alios in partem curarum.* Eoque profecto multum facit ad regni Regisque ſtatum, hi quomodo ſeſe habeant. Si fidi, ſi rerum humanarum gnari & periti ſunt, ſuis ſalutaribus conſiliis regno ingens addunt robur; ſi vero contra, vel Regi non favent, vel imprudentes ſunt, non roborant, ſed potius debilitant regnum,

Digitized by Google

gnum. Conſiliarios ſequuntur magiſtratus ac judices, quorum hodie alii ſunt ſacri, alii profani. Ad regni ſtatum cognoſcendum plurimum certe conducit etiam in hos inquirere, quales ſint, & quemadmodum ſeſe gerant. Et ſane plurimum in iis eſſe ſitum, cum alias ſemper patet, tum ex eo manifeſtum eſt, quod nonnunquam, Rege adhuc minorenni, illi feliciſſime regnum adminiſtrent: ceu docuerunt nuper ſenatores regni ſuecici. Pertinent denique ad hanc miniſtrorum Regis claſſem cumprimis etiam milites: ſummum utique reipublicæ cujusvis ſive munimentum, ſive detrimentum. Inter hos vero plurimum refert, quales ſint duces atque imperatores bellici. Prudenter ſane Florus: *tanti eſt exercitus, quanti Imperator.* De reliquis miniſtris regiis, intra regnum degentibus, non eſt, quod itidem agamus, quum parum ponderis adferant ipſi regio ſtatui.

XXX. Perſonæ, quæ extra regnum Regibus inſerviunt, rurſus in duplici ſunt differentia. Quædam enim Regi ita inſerviunt, ut ſub ejus poteſtate ſint. E.g. ſi Rex extra regnum conſiliarios habeat, aut militem alat. Quædam vero non ita ſub Regis poteſtate degunt. Poſterioris generis ſunt omnes confœderati, ſive cum illis habeat fœdera amicitiæ, ſive commerciorum, ſive ſocietatem bellicam. Nec tamen in fœderatis firmum robur poteſt plerumque collocari: utpote cum talia fœdera habeant naturam amicitiæ utilis, ac proinde nonniſi commodo communi ſoleant contineri. Pertinent quoque huc ex adverſo omnes hoſtes, &, ut compendium faciamus, omnes vicini, qui aut prodeſſe, aut nocere ſunt idonei. Cæterum de variis regnorum differentiis ex quatuor cauſarum, formalis ſcilicet, finalis, materialis, & efficientis generibus, hæc attuliſſe ſufficiat.

XXXI. Satis ſumus fortaſſis igitur functi officio noſtro: quaſi coronidem tamen addemus nonnihil de regnorum commodis & incommodis, comparatione facta regnorum & cum aliis rerumpublicarum formis, & cum ipſis inter ſeſe mutuo. Obſervat vero præclare Ariſtoteles *lib.* 4. *polit. c.* 11. *&* 12. tribus modis rempublicam aliquam poſſe cenſeri optimam. Primus eſt, quando reſpublica quædam ex voto optima eſt. De qua agit Plato in opere de republica: perinde ac Cicero depingit ſuum oratorem. Ut ſane Ciceroni orator, ita quoque Platoni reſpublica, non qualis revera datur, ſed qualis ex voto dari debeat, deſcribitur. Secundo modo reſpublica optima vocatur, non quæ omnino nullis incommodis atque nævis ſuccumbit, ſed quæ plerumque bene eſt, ac pleriſque optime convenit. Tertia ratione optima eſt reſpublica, ſi pro ſtatu præſenti ex certa aliqua ὑποθέσει commodiſſima eſt. Sunt nimirum nonnulli populi, quorum vel ingenia, vel facultates non admittunt ſimpliciter optimam rempublicam, ſic ſatis commode tamen civili fruuntur ſecuritate, ſi rerumpubl. mores ſunt facultatibus ſuis convenientes. Ita Hebræi, quibus ipſe Deus optimus maximus reipublicæ formam dedit, non fuerunt apti reipublicæ ex voto optimæ: ac proinde Deus legiſlator nonnulla illorum corda duritiei attemperavit. Hujusmodi ſane ſunt πολυγαμία & divortium, diſertis legibus permiſſa, & quidem præſcriptis quaſi formulis, cæteroquin Deo minime probata, aut rectæ rationis dictamini conſentanea.

XXXII. Cæterum tribus illis modis æſtimare regnorum bonitatem, jam quoque noſtrum fuerit. Quod tum demum recte facturi ſumus, ſi ad finem, regno cuique propoſitum, & ſimul ad convenientiam ſtatus regii cum populari negotio, reſpiciamus. Videbimus autem initio, num ſimpliciter regna præ reliquis rebuspublicis omnibus ex voto optima ſint. Reperiuntur ſane nonnulli, qui hoc ſtatuunt: at vero argumenta, quibus pro ſententia ſua defendenda utuntur, non tantum infirma, ſed quædam prorſus inepta ſunt. Primo enim dicunt, regna ſimpliciter optima eſſe, eo quod iſtius imperii, quo Deus optimus maximus univerſum terrarum orbem gubernat, imaginem ferant. Sed quid hac argumentatione ineptius? Num Rex ſcilicet id præſtare civitati poteſt, quod orbi Deus? Homo quidem homini, juxta Comicum, ſæpe præſtat; verum ad illud virtutis atque felicitatis culmen nunquam pervenit, ut Deo, in quo, docente S. S. Scriptura, omnes ſapientiæ theſauri abſconditi ſunt, & a quo omnia bona proficiſcuntur, vel ſecundus ſit. Alii regna, aliis omnibus rebuspublicis anteferunt, quod videantur maxime conformia naturali inclinationi; idque, cum & animalia, quæ aliquod regimen agnoſcunt, e. g. apes, grues unum ducem & conſtituant, & ſequantur. Etiam hæc vero perinepta eſt ratiocinatio, nec enim hominum & apum par ratio eſt: nam, quod hisce commodiſſimum eſt, nihil vetat illis eſſe maxime incommodum. Ex adverſo autem regnum non eſſe optimum reipublicæ ſtatum, ſi ex voto liceat vivere, longe facilius eſt demonſtratu. Utique enim ex voto illa demum optima eſt reſpublica, ubi populus optimus, & populo optime eſt. Vovemus autem, ut ille ſit exactæ prudentiæ, ut polleat virtutibus, atque inſuper omnium rerum copiam & ſufficientiam poſſideat. Prout hoc egregie docet Ariſtoteles *lib.* 7. *polit. c.* 1. ubi fere ſub finem affirmat eandem eſſe beatitudinem univerſæ civitatis, quam alias in Ethicis ſingulorum conſtituit. Ἐχόμενον δὲ, inquiens, ἐςὶ, καὶ τῶν αὐτῶν λόγων δεόμενον, καὶ πόλιν εὐδαίμονα τὴν ἀρίςην εἶναι, καὶ πράττȣσαν καλῶς· ἀδύνατον δὲ καλῶς πράττειν τοῖς μὴ τὰ καλὰ πράττȣσιν· ȣ̓δὲν δὲ καλὸν ἔργον, ȣ̓τ᾽ ἀνδρός, ἔτε πόλεως, χωρὶς ἀρετῆς καὶ φρονήσεως· ἀνδρία δὲ πόλεως, καὶ δικαιοσύνη, καὶ φρόνησις τὴν αὐτὴν ἔχει δύναμιν καὶ μορφὴν ὧν, μεταχὼν ἕκαςος τῶν ἀνθρώπων λέγετε δίκαιος, καὶ φρόνιμος, καὶ σώφρων. Cum quo conſentit romanus philoſophus Cicero *lib.* 8. *epiſt. ad Att.* cujus verba hæc ſunt: *ut gubernatori curſus ſecundus, medico ſalus, imperatori victoria, ſic moderatori reipublicæ beata civium vita propoſita eſt, ut opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honeſta ſit.* An vero jam populo, hujusmodi requiſitis omnibus inſtructo, regnum præ reliquis rebuspublicis optime convenit? Ariſtoteles neutiquam ita cenſuit: ariſtocratiam, cum democratia temperatam, multum ſane prætu-

Digitized by Google

prætulit. Nec, quomodo quis probare regnum præ aliis jure poſſit, apparet. Certe quando populum & rerum ſufficientia, & virtutes comitantur, non modo nulla neceſſitas ſubeſt, quæ eum, ut uni pareat, impellat; ſed videtur etiam id ipſum (ut uni ſcilicet pareat) fieri non poſſe abſque inſigni populi injuria, utpote quoniam & ſe, & rempublicam poſſit regere. Nec vero eſt, quam ob cauſam uni alicui ſummam regni debeat concedere, cum tamen ille unus reliquis non præſtet, & æqualia æqualibus, inæqualia vero demum inæqualibus debeantur. Ariſtoteles profecto *lib. 3. pol. c.* 17. ubi ſerram reciprocat cum iis, qui autumant, regna plane eſſe iniqua, tum demum concedit, regium ſtatum ſimpliciter eſſe optimum, quando ille, qui præeſt, omnes & ſingulos virtutibus ſuperat. Talis autem nemo datur in republica ex voto optima, niſi forſan ipſe Deus Regem ſeſe offerat, & ejus pars fieri velit: qualis fuit quondam in unico Iſraëlitarum populo. Cæterum, regnum inter reliquas reſpublicas ex voto non eſſe optimam reipublicæ formam, manifeſtum eſt.

XXXIII. At vero alia eſt ratio, ſi expendamus, quid plerisque populis ſit commodiſſimum. Ita enim regium ſtatum merito dixerimus omnium eſſe optimum. Evolventi ſane veteris ævi hiſtoriam patebit, non tantum pleraſque, ſed antiquas gentes omnes ſub Regibus degiſſe, quod præter Ciceronem *de leg. lib.* 3. etiam Juſtinus aſſerit, cum hiſtorias ſuas ita orditur: *Principio rerum gentium, nationumque imperium penes Reges erat.* Par autem ratio eſt etiam ævi ſequentis. Nam & omni poſt ævo, & hodieque per Europam, Aſiam, Africam & Americam plerique populi regio more gubernantur. Non tantum vero uſus ipſe docet, in hunc modum regiam gubernationem eſſe populis plerisque commodiſſimam; ſed etiam in promptu eſt, id ipſum bonis rationibus oſtendere. Et vero primum convenientia populorum cum regio regimine ex eo palam eſt, quod populi regiis ſtatibus raro reluctentur: deinde quod ipſa regna præ omnibus reliquis rebusp. firmiſſima ſint, & diutiſſime durare ſoleant; idque quoniam non ſolum ex ſua natura difficulter dividantur, propterea quod unum diviſioni maxime adverſetur; ſed etiam, quod regia gubernatio, atque gubernationis ordo diuturnitati optime inſerviant. Ordo ſane, cum ſit diſpoſitio partium, a quarum prioribus poſteriores dependent, quo priores propius attingunt unitatem, eo quoque perfectior eſt dependentia, & qui exinde fluit ordo, & diutius, & facilius, conſequitur ſuum finem; gubernatio autem, dum ad excogitanda, & perficienda conſilia aptiſſima eſt, non poteſt quoque non diutiſſima contingere. Ubi ſcilicet uno plures ſunt, ibi vix fieri ſolet, ut de eadem re idem judicium omnes ferant, unde conſilia ſæpe impediuntur, nec arcana facile operta manent. Vide Toloſ. *lib.* 13. *de republ. c.* 12. Cumprimis vero obſervandum eſt, quod plerique populi eo ingenio ſint, ut, ſeipſos crebris ſeditionibus & factionibus turbantes, libertatem ferre nequeant. Hujuſmodi autem populis nihil magis ex re eſſe videtur, quam ſi unum, cui pareant, ſibi conſtituant. Quemadmodum hoc de populo romano, ante Cæſarum tempora multis inteſtinis bellis laborante, Tacitus obſervavit: *non fuiſſe* ſcilicet *diſcordantis patriæ aliud remedium, quam ut ab uno regeretur*, atque Auguſtum *cuncta, bellis civilibus feſſa, principis nomine ſub imperium accepiſſe.* Adhoc ſæpe numero in populo deſunt tot idonei viri, quot ariſtocratiæ, aut populares reſpublicæ exigunt. Ut proinde etiam ille defectus ducat quaſi populos ad regna amplectenda.

XXXIV. Quod ſi porro ex hypotheſi ſtatuere aliquid velimus de regii ſtatus commodis & incommodis, dicendum fuerit, regna interdum optima, interdum vero inutilia eſſe. Reperiuntur videlicet nonnulli populi, qui, Regibus ejectis, ſic ſatis quiete & feliciter egerunt. Habemus exemplum in Helvetiis, qui expulſis regiis præfectis per aliquot jam ſecula libertate ſua fruuntur. Docent hoc porro confœderati Belgici Germani, qui, remoto Hiſpaniæ jugo, bene utique ſe hactenus habuerunt. Veneti quoque laxam nimis, & regiam quaſi ducum ſuorum potentiam, in ariſtocraticum ſtatum mutantes floruerunt, & fortuna, & rebus geſtis clariſſimi: nec illam eorum rempublicam mutaveris abſque internecione totius fere civitatis. Non ſemper igitur ex hypotheſi regna optima ſunt. Poſſunt tamen eſſe, ſi quando populus ſive propter imprudentiam, ſive propter ſimultates & diſſidia ſe ipſum regere non valet. Atque adeo ſane id verum eſt, ut non dubitemus affirmare, etiam Britanniæ bene conſultum eſſe a Cromvvello, quod protectoris nomine regiam vim exerceat, quippe quod Britannia populari ſtatui, quem affectabat, non eſſet apta, & diſcordiis ita omnia turbaret, ut nec ariſtocraticam aliquam formam poſſent tolerare. Sic imperio germanico ſtatus magis monarchicus forte eſſet utilior: at vero cum ille ſine ſummis periculis, imo excidio Germaniæ obtineri nequeat, ex hypotheſi utiliſſima Germaniæ eſt illa, qua nunc utimur, reſpublica. Sed de comparatione regni cum aliis rebuspublicis ſatis, nunc etiam collationem regnorum inter ſeſe inſtituemus.

XXXV. Ex iis vero, quæ jam attulimus, repetendum eſt, quod illa reſpublica optima ſit, quæ non modo ſibi optimum finem habet propoſitum, ſed & eum ex ſententia poteſt conſequi: deinceps, quod alia reſpublica ex voto, alia plerumque, & alia denique ex certa quadam hypotheſi optima ſit. Itaque cum regna in univerſum alia ſpectent commodum publicum ex æquo, alia uſum dominantium, illa quin (ſi ex voto res tranſigenda fuerit) præſtent, non eſt dubitandum. Utique enim optabilius eſt, ut omnibus ſit bene, quam uni, vel toti populo, quam ſolis dominis. Ne quidem plerumque illa herilia regna reliquis ſunt commodiora. Quippe quum plerumque ſaltem populus ſit animo ingenuo & liberali, ac proinde heriliter nolit imperari, vel vero id ſit conjunctum cum inſigni populi damno. Porro inter herilia regna veræ tyrannides, quæ ſcilicet a monſtris quibusdam adminiſtrantur tantum ex libidine (qualis fuit ratio imperii romani ſub Cajo, Nerone, Domitiano, Commodo & aliis) nunquam ſunt utilia, ne



Digitized by Google

quidem ex hypotheſi, utpote quum neque dominis, neque ſubditis quicquam præbeant veri commodi. Attamen illa herilia regna, quæ ſerio, etſi per accidens, quærunt commodum ſubditorum, nihil vetat, aliis interdum ex hypotheſi eſſe commodiora: nempe ſi populus ſit animo ſervili, aut vero ſi illi, qui dominantur, adeo ſint potentes, ut dominatum populus non poſſit excutere ſine ſuo ſummo damno, aut vero, niſi illam ſubeat, in magnum damnum debeat incidere. Verum enim vero integrum aliquem populum, qui ſervili ſit ingenio, vix forte reperies, & quamvis alicubi reperias, cum tamen per bonas leges, per culturam & educationem paulatim corrigi, tandemque ex barbaro ita ſatis urbanum reddi poſſe, nulli dubitamus. Hinc ſi ex populorum indole res definienda veniat, admodum raro ejusmodi regna aliis præſtant. Si tamen vim regnantium reſpectas, illa ſæpius expediunt. Frequens ſcilicet ſatis eſt, ut ea ſit populi calamitas, & regnantium potentia, ut, niſi ſerviat populus, omnino ipſi ſit pereundum: ac proinde ex duobus malis hoc ſit minimum. Sic qui ſub turcico vivit imperio populus, non eſt quidem ingenio ſervili, at vero debilis tamen ille adeo eſt, & tanta eſt turcici Imperatoris potentia, ut in hunc modum vivere ſub domino, ſit illi populo hodie commodiſſimum. Porro in univerſum differunt quoque regna ratione finis, ceu ſupra diximus: quod alia potentiam, alia tranquillum ſtatum cum virtutis ſtudio, alia voluptatem, alia divitias ſpectent. Ex voto, & plerumque etiam horum optima ſunt, quæ ſecundi ſunt ordinis, ex hypotheſi tamen interdum præſtant illa priora. Nam ſi populus fuerit pauper, bellicoſus vero, & rerum novandarum cupidus, nihil ei ſatius eſt, quam ſi alios bello petat, lateque dominetur; ne ſcilicet domi egeat, aut, dum pacem ferre neſcit, omnia turbet.

XXXVI. Cæterum hæc comparatio regnorum inter ſeſe, varietate illorum ex fine æſtimata, facilior eſt. At vero, ſi reſpiciamus regnorum diverſitatem, quæ a forma petitur, major videtur eſſe difficultas. Ita enim regna alia ſunt ſimplicia, alia mixta: non deſunt vero inter eruditos, qui ita de regnis diſſerunt, quaſi ſola ſimplicia & παμβασιλικὰ juſta ſint & utilia: alii in univerſum hæc damnant. Priores id probare ſolent vel ex ſacris litteris, vel ex legibus juſtinianeis, ubi jus regium ita deſcribitur, quaſi omni ex parte ſit ἀνυπεύθυνον, & populus in regno nihil valeat. Ex adverſo Græci olim plerique omnia regna damnavere, quorum ſententiam noſtro ſeculo Salamonius, Brutus, Buchananus & alii ſecuti ſunt, idque eo nomine, quod ſint libertati adverſa. Errant autem utrique vehementer, ceu jam ſupra diximus. Fatemur enim quidem, in ſacris literis non exprimi aliam regni ſpeciem, quam ſimplicem, atque adeo talis regii ſtatus jura a Deo optimo maximo iſraëlitico populo eſſe propoſita. At vero nusquam in ſacris literis unicum illum ſimplicem regium ſtatum probat Deus, mixto omni improbato: ſed duntaxat cum Iſraëlitæ vellent regnum, quale erat paſſim vicinis gentibus, ibi vero obtineret regnum ſimplex, ejus jura Deus præ oculis poſuit. In novo quoque teſtamento res eſt de Regibus romanis, qui item ſoli omnem vim reipublicæ habebant in ſua poteſtate. Similiter fatemur, in legibus romanis deſcribi Principem, qui in ſolo regno ſimplici invenit locum: attamen illæ leges non damnant ſtatus regios diverſos, ſed tantum agunt de eo, qui apud Romanos obtinebat. Stultum vero & ridiculum eſt, illud unice juſtum credere, quod Romæ placuit: præſertim cum & Romæ non ſemper idem placuerit, imo ſic diu ſatis ejusmodi regiam vim populus romanus quam maxime fuerit adverſatus. Falſiſſimum porro eſt, libertatem excludi ab omni regno. Certe in omni regio ſtatu, qui ad communem utilitatem adminiſtratur, non minus eſt veræ libertatis, ac in ſtatibus aliis. Falſum & hoc eſt, omnem ſtatum, in quo populus non eſt integra libertate, iniquum eſſe. Verum hæc ad hunc locum proprie non pertinent, itaque non eſt, quod iis nunc immoremur.

XXXVII. Igitur nihil obſtat, quo minus vel ſimplex, vel mixtum regnum ſit juſtitiæ æternæ & naturali conſentaneum. Si utilitatem vero & commodum intuemur, utriusque ſpeciei regnorum ratio multum eſt diverſa. Ex voto igitur fuerit, fortaſſis, regnum ſimplex omnium optimum: nempe ſi unus reperiatur tanta virtute, tantaque prudentia & dexteritate agendarum rerum, ut in eo nihil deſideres: perinde ac ſi ipſe Deus velit Regem agere. Nihil profecto tali ſtatu fingi melius poteſt. Ut proinde & ſumme imprudenter, & maxime improbe egerint Iſraëlitæ, quum viverent ſub Deo Rege, hominem ſibi Regem optantes. At vero raro invenias tales Reges.

*Numero ſunt vix totidem, quot*
*Thebarum portæ, vel divitis oſtia Nili.*

Plerumque igitur dixeris, meliora eſſe Regna mixta, in quibus ſcilicet & populus participat aliquid ſummæ poteſtatis, nec omnia ab unius arbitrio dependent. Quod ſi ad hypotheſin flectamus comparationem, populis ferocioribus, & libertatis avidis, nunquam pene regna ſimplicia conveniunt. Hinc & gentes germanicæ, & ſarmaticæ, & in univerſum omnes europææ regnum ſimplex nunquam olim admiſerunt. Ex adverſo tamen populo improvido, diſſidiis laboranti, & in diem viventi non mixtum, ſed ſimplex regnum maxime eſt commodum. Similiter ſi unus aliquis jam oppreſſit populum, aut ſi populus ab aliis omni fuerit exutus facultate rebus ſuis providendi, tum vero ſatius eſt, omnem poteſtatem reipublicæ unius arbitrio committere. His ſane de cauſis ipſe populus romanus Cæſaribus omnia detulit: quo de argumento merentur legi conſultationes Agrippæ & Mecænatis, coram Auguſto inſtitutæ, apud Dionem.

XXXIIX. Quum

Digitized by Google

XXXIIX. Quum porro ratione formæ regna alia ſint hereditaria, alia electitia, alia ex his quaſi mixta, in aliis item ſoli mares, in aliis etiam fœminæ teneant regni gubernacula; ex voto videntur optima eſſe regna hereditaria, modo virtus, & prudentia cedant ſimul quaſi in hereditatem. Stabiliora quippe ſunt, & minus obnoxia motibus, rebus quoque agendis magis idonea illis electitiis. Plerumque etiam hereditaria ſunt convenientiſſima: quod plerique populi ad motus ſint proni, & libertatem juſto majorem affectent: nam utrique malo hereditaria ſucceſſio medetur. Probat vero idipſum etiam uſus, utpote quum plerumque regna ſint hereditaria. Electio certe mere arbitraria, non eſt utilis niſi in populo conſtante & præclaræ virtutis: atque adeo non niſi ex illa hypotheſi complectenda eſt. Et vero docet quotidiana experientia, exulante illa virtute eligentium, omnia regna electitia ſenſim perdere vim regiam, & formam reipubl. priſtinam amittere. Nec vero ab hac tabe eſt immunis ipſe Papatus Romanus: etſi hunc maxime hactenus defenderit Vicariatus Pontificum perſuaſio, quæ vim eorum reddit quaſi ſacroſanctam. Quoniam tamen interdum nec tam ſtabili ingenio eſt populus, nec adeo valet virtute, ut in eligendo rege ſolius virtutis habeatur ratio, & nihil hinc capiat detrimenti regia poteſtas, interim tamen eo ſimul eſt ingenio, ut nequeat ferre improbos dominantium mores, qui ſæpe ſunt tolerandi in regnis mere hereditariis: hinc poſita illa quidem conditione, & ubi iſti ſunt mores populi, præſtat ſucceſſionem regiam hereditariam temperare electione: quæ ratio ſuccedendi proinde olim in omnibus populis germanicis valuit. Similiter & plerumque, & ex voto melius eſt, ut ſoli maſculi regnent; natura enim mares ſunt ad regendum fœminis aptiores, & rarius invenias fœminam huic muneri idoneam. Attamen, ſi ob defectum maris tota ſucceſſio regia fieri incerta poſſit, & hinc regno imminere poſſint pericula maxima, ſatius eſt fœminas quoque admittere. Verum hoc non niſi ex hypotheſi commodum eſſe, palam eſt. Obſervandum porro eſt, interdum in eam vim accreviſſe reg. potentiam, ut fœminis etiam contra jura tribuenda ſit regia poteſtas, quod id jubeat ferre neceſſitas: dum ſcilicet mutari id nequit ſine longo majore damno. Ferendum nimirum æquo animo, quod mutare non licet. Certum tamen eſt, quod fœmellarum ſucceſſio multum periculi habeat, præſertim ſi nubant peregrino marito, a regni moribus & inſtitutis alieno, quod vitari ſemper non poteſt, imprimis ſi in arbitrio ſit poſitum, maritum ſibi eligere, quem velint.

XXXIX. Materiæ porro Regnorum, quæ ſunt homines & res, ceu jam ſupra meminimus, non omnes ſunt perinde regio ſtatui idoneæ; adeoque prout aliæ ſunt atque aliæ, ita & regna magis minusque commoda ſunt. In univerſum tamen, ubi & res, & perſonæ, regimini regio conveniunt, ibi regna ſunt meliora. Sunt autem perſonæ aptæ, quæ inter ſeſe nequeunt aliquid conſtituere, atque aſſuetæ ſunt regi ab aliis. Quoniam enim per ſe nihil valent, itaque coguntur exſpectare alium, qui omnia conſtituat: & ſi aſſueverint regi, non temere affectant regimen. Ex voto itaque tali modo debent eſſe diſpoſiti ſubditi in regnis. Plerumque etiam hoc ipſum regnis convenit. Ex hypotheſi tamen præſtant, ſi populus ſit calamitatibus multis preſſus, ut, etſi ſit ferox, nihil tamen valeat efficere: quod de populo regni Neapolitani obſervatum eſt prudentibus. Certe ferocia animorum cum viribus conjuncta, ut & arrogantia morum ſi populus fuerit imbutus, ægre regium ſtatum licet tueri. Rerum ſufficientia inſtructum regnum, quin præſtet egeno, nihil dubii eſt. Interdum tamen & egeſtas ſolet eſſe ſtimulus rebus magnis agendis: ut proinde ex hypotheſi interdum præſtet regnum egenum. Sed hoc late tractare, non eſt hujus inſtituti: cum ſit hoc ipſum commune omnibus rebuſpublicis, non autem ſolis regnis. Quapropter nec illam quæſtionem hoc loco agitabimus, alias ſatis celebrem: an regnum amplum præſtet regno magis arcto. Breviter tamen reſpondemus: ut corporibus, ita & rebuſpubl. atque adeo & regnis eſſe aliquos certos magnitudinis limites,

*Quos ultra & citra nequeant conſiſtere recte.*

Laborant igitur regna interdum ſua magnitudine. Id quod de imperio Romano olim a prudentibus eſt notatum, eoque illud prudentiſſimi quidam Cæſarum contrahere omni ſtudio conati ſunt. Idem nonnulli obſervant hodie de regno Hiſpaniæ, cui nunquam occidere ſol creditur, qui regnum Galliæ multo exiſtimant eſſe robuſtius. Exſtat de hac Regnorum Europæ contentione egregia fabula in Lapide Lydio Politico Trajani Boccalini c. 13. lectu digniſſima. Verum ut ante diximus, hæc tractatio ad omnes omnino reſpublicas pertinet.

XL. Ad extremum, quod ad cauſam efficientem attinet. Quæ regna gubernantur a regibus, qui & volunt, & poſſunt reipublicæ bene conſulere, & imperare, ea meliora ſunt illis, quibus vel mali, vel etiam invalidi præſunt. Quæ porro bonos & prudentes magiſtratus habent, præſtant illis, ubi magiſtratuum fides, aut debita rerum peritia deſideratur. Denique quæ milite inſtructa ſunt, illis, quæ eo carent, ſunt meliora. Eſt vero & hoc regnis cum aliis rebuſpublicis commune: eoque hujus loci non eſt, hoc latius exponere. Et vero de omnibus Regnorum differentiis pro inſtituto noſtro ſatis forte eſt dictum.

# XXV.
## HERMANNI CONRINGII
## DISSERTATIO
## DE
# MAJESTATE IMPERANTIUM
*Reſpondente*
## ADOLPHO LEVINÆO STRAND-HOLSATO.

ANNO MDC XLIIX.

Συν Θεῷ.

## THESIS I.

Cum omnes fere homines inquieta quadam prurigine ardor gloriæ ſtimulet: contemtum contra iidem, ut rem, naturæ ſuæ inimiciſſimam fugiant; varii autem varia, ſed plurimi & optimi mortalium recte & præclare facta atque virtutes admirentur, & in parte gloriæ ponant, hinc omnes fere homines enituntur, ut iis, unde ſibi honorem ſperant, conſpicui, præcipue vero virtutibus & præclaris factis ſint, aut certe videantur ornatiſſimi, nihilque in ſe deforme aut vitii habere, ut adeo indoles humani ingenii, vel certe diverſitas hominum diviſiſſe nobis gloriam videatur in veram & falſam.

II. Quæ vero res omnium & infirmoum, & ſummorum (modo rem pernoſcant) votis expetitur, eam ad beate vivendum aut maximopere conducere, aut per eam beate vivi, aut beatæ vitæ individuam eſſe comitem neceſſe eſt. Horum autem ſententia rejecta eſt, qui vitam beatam vivere eos ſtatuerunt, quorum maxima apud omnes eſſet gloria & admiratio. Ad beate ergo vivendum aut ſubſidium eſt, aut felicitatis humanæ comes, quorum utrumque mihi videtur eſſe verum. Nam & ad virtutis actiones calcar addit, & eas cum ſuis ſtimulis adjuvat, longe cumulatior (ut umbra corpus) conſequitur, & rurſus ad nova virtutum exempla incitat. Plane ut frumento ſato (non aliter) naſcuntur fruges; ſed ſata cum fœnore terra reddit, ex quibus uberrime ſuppetit, unde rurſus terra conſeratur, & ſic in circulum. Simile quid in rerum natura etiam deprehenditur.

III. Omnium itaque hominum præclara facta opinio quædam ampla & excellens, & promovet, & conſequitur: quæ quo is qui præclare agit, eſt ſuperior, eo major quoque habetur. Sed cum in imperantibus omnia ſint excellentiora, omniaque majus commodum vel detrimentum ſecum trahant, hinc opinio quoque de Imperantium virtutibus aut vitiis eo major & excellentior erit, eoque ad ſummam rei utilior vel peſtilentior; unde & quæ in privatis Gloria & Authoritas dicitur, in imperantibus a quam multis Majeſtas & σεμνότης peculiariter vocatur, graviori quoque & magnificentiori voce. Quanquam autem ſimile quid aut analogum reperiatur in actionibus privatorum, tamen hæc majeſtas longe majoris eſt uſus, & imperantibus peculiariter commendanda eſt, utpote quorum maxime, ut & totius reip. intereſt, ut ſubditi & cives libenter pareant, & imperata exequantur: Majeſtas vero imperantium (utimur enim & nos hodie illo vocabulo iſthoc, quem diximus, ſenſu) tacitam vim inferre volentibus videtur, ut mandata libenter exequantur. De hac peculiarem hanc tractationem ſuſcepi: generalia autem illa pro conceſſis aſſumpſi, & fundamenta demonſtrationum mearum eſſe volui. Nunc ad rem.

IV. Qui fulminatorem Deum ex veteribus Jovem finxere, rem mihi videntur minime ludicram in ſcenam protuliſſe; ſed publicas ſocietates divini regiminis voluiſſe eſſe imitatrices: & cum ſummum deorum hominumque rectorem Jovem fabulati ſunt, eundemque fulmine terrere magis, quam ferire homines, ſimile quid humanis imperiis cum divino (quo nihil dignius videbatur) eſſe voluiſſe. Quo ſpectant & ea, quæ de nutu & ſupercilio Jovis apte & prudenter commenti ſunt.

V. Cum enim natura ſuperius ſit & dignius, quod imperat, imperia hominum vilium & nulla re inſignium, vix videntur aut diuturna, aut proſpera eſſe (dignior enim hic non imperat:) adeoque requiritur in imperante amplitudo quædam & ὑπεροχή, quæ in ſubditis tanta non ſit, cum alias imperans parentibus dignior non eſſet.

VI. Cum ergo in ſubditis tanta non ſit, in multis etiam nulla, quæ ſcil. tantum faſtigium deceat, dignitas, rarum quid erit, adeoque dignum reverentia ſeu admiratione & amore: quæ omnia eo anguſtiora erunt, quo is, quem admiramur, & amamus, major & multis utilior eſt. Eam dignitatem & amplitudinem (quemadmodum ante dixi) vocabo majeſtatem? Hæc enim vox, quia ſimul ſignificat opinionem magnificam ſubditorum de dignitate imperantium, hoc loco

loco non videtur eſſe incommoda. Non enim unde eam, ut in Imperante eſt, hoc loco conſidero, ſed & prout in ſubditorum animis excitatur.

VII. Eſt autem ejusmodi majeſtas. *Opinio reverenda de imperantium virtutibus, earumve affinibus.* Cum enim demonſtratum ſit, majeſtate multum contineri & ſuſtineri imperia (§. 5.) non poteſt id aliter fieri, niſi & imperantium & parentium ſimul res agatur. Sed ſi majeſtas, ſeu virtutum ὑπεροχὴ non ſit in ſolo imperante, & opinio ejus ad ſubditos quoque derivetur, tum & imperantium & ſubditorum res agitur [nam ignota virtus nihil ad firmandam remp. prodeſt] Ergo [ut ſuſtineantur imperia] opinio quoque de virtutibus principis in ſubditos derivabitur, neque, ſi illæ in ſolo principe ſint & ignotæ, quicquam remp. ſeu imperium firmant. Recte vero opinio definita eſt ſubditorum, & quidem de virtutibus imperantium: in his enim conſiſtit ea dignitas, quæ in eo requirebatur. Quæ cum rara ſit, & in eo, qui multis eſt uſui [talis enim imperans eſt] opinio ſane de ea erit reverenda, & cum blanda quadam admiratione conjuncta. Quæ affinia quoque ſunt virtuti, plerique, aut certe vulgus, admiratur, ut ſunt fortunæ & externa bona proſpera fortuna, magnific. ſubtractio converſationis, & alia, de quibus infra.

IIX. Cum autem variæ ſint de variis rebus opiniones, & de rebus judicent aliter ſapientes, & probi: aliter vulgus: aliter qui humanitatem quandam in hominibus requirunt: aliter qui auſteritatem: ſæpe quoque de eodem homine ejusque natura varient ſententiæ; patet, apud alios atque alios diverſas eſſe opiniones de hac dignitate imperantium, & hinc difficillimum eſſe, apud omnes eſſe in admiratione, & ab omnibus amari: illam autem proprie & veram eſſe majeſt. quæ de virtutibus imper. ſapientum vel plerorumque hominum animis inſita eſt, & ex horum judiciis eam æſtimandam. Hæc quomodo paretur, videndum eſt primum, deinde de reliquis.

IX. Paratur imperantibus majeſtas illa ex virtutibus omnibus, præcipue iis, quæ magis excitant admirationem, quam amorem. Opinio enim de magnis & arduis rebus homines magis efficit verendos, quam amabiles: amor enim ſequitur admirationem. Cum ergo majeſtas hæc ſit talis opinio, imperantes magis efficiet verendos, quam amabiles. Ex virtutibus ergo, quæ magis admirationem excitant, quam amorem, paranda eſt præcipue Principi majeſtas.

X. Virtutes autem quibus admiratio & cultus, aliquis conciliatur magis quam amor, ſunt Fortitudo, in qua & Conſtantia, Prudentia, Magnanimitas, Magnificentia. Cæteræ autem ut Manſuetudo, Temperantia, & virtutes ὁμιλητικαὶ, magis excitant amorem, quam admirationem: & cavendum eſt, ne nimiam pariant hæ modeſtiam majeſtati adverſam: ut & ne illæ ſuperbiam, modeſtiæ inimicam.

XI. *Fortitudo* ſane maxime verendos facit, præſertim imperantes, quod eos, qui nos noſtraque ab injuriis aliorum defendere poſſint, qui contemni, ſuosque & lædi injuſte non patiantur, omnes, qui opere eorum egemus colamus, ſed omnes ſubditi opere ſuperiorum egemus, & ſuperiores tales ſunt, qui nos defendere poſſunt, &c. (fortes enim ſunt, ex hypotheſi) Colunt igitur eos ſubditi. Cultum autem & reverentiam amor ſequitur. *Conſtantia* vero, cum ſit quædam Fortitudo, ſane ex illa quoque majeſtatem parari patet. Non potuit non ergo Dux Biturigum, de quo apud Phil. Cominæum l. 1. *de Geſtis Lud. XI.* a reliquis principibus, ut & ab aliis contemni, qui cum partes Caroli Burgundionis ſequi cœpiſſet, & paucos ſaucios vidiſſet ex ſuis, dicebat præſtare bellum non fuiſſe inchoatum, in quo animum minime fortem & bellicoſum ſatis ſuperque prodidit.

XII. *Prudentia* etiam conciliatur majeſtas, quod eos, qui utiliter de rebus omnibus, ad uſum noſtrum pertinentibus, conſulere & providere poſſint, optimisque nos regere conſiliis, colamus, ſi eorum opera indigeamus. Indicio ſunt parentes, quos liberi venerantur.

XIII. *Magnanimitate & Magnificentia*: quod Magnanimi plerumque fortes ſint: Magnificorum vero impenſæ ſubditorum uſibus inſerviant cum decore quodam, propterea eos colimus & amamus. Talis apud Romanos Tarquinius Priſcus.

XIV. Reliquæ virtutes, licet amorem potius, quam obſervantiam quandam, cum reverentia conjunctam, in ſubditis excitent multum tamen etiam ad majeſtatem parandam imperantibus proſunt, præcipue *juſtitia*. In magnis enim rebus pœnas & præmia æqua factis decernere: in contractibus nihil inæquale velle: cujusque juri pro ſuis viribus patrocinari, divinum quid, & hominis prudentiſſimi eſſe videtur. Nam rerum pretia prudentes determinant, prudentia autem conciliatur majeſtas. Sed juſtitia & reliquæ humaniores [ut ita loquar] virtutes ſi illis gravioribus & præcipuis junctæ ſint, grata quadam mixtura ſummam illam [quæ a nobis definita eſt] reverentiam in ſubditorum animis excitant, uti dubites, an potius uti Deus ab hominibus colatur imperans, an vero uti pater a liberis ametur. Illa autem vix datur in homine: cur tamen optetur, & rationes ſunt, & exempla. Solet tamen effingi illa plerumque ab illis, qui adulatorie principum ſuorum laudes ultra, quam par aut verum erat ſcripſerunt aut cecinerunt. Ita Auguſto tribuunt hanc majeſtatem Poetæ nonnulli, hiſtorici pauciores (argumentum autem hoc fidei non integræ:) Trajano optimo principi Plinius: Honorio & Theodoſio Claudianus: Auſonius Gratiano. Ut exemplum ex libera rep. afferam, Scipionis Africani virtutes vehementer a Romanis cultæ ſunt. Tandem eum etiam ideo in exilium egerunt, quod nimiam excellentiam unius civis in libera rep. & alii cives, & ipſe Cato periculoſam eſſe putaverint, gradumque ad dominatum iis, qui minus altas virtutum radices egerunt. In principatu vero tutior eſt, quo magnificentior, de quo infra.



Digitized by Google

XV. Ex *affinibus quoque virtutum* majeſtas imperantibus paratur, ſed fere apud imperitos & vulgus. Quæ enim virtutibus omnibus fere affinia ſunt, vulgus pro ipſis virtutibus ſeu rebus interpretatur: non enim diſtinguere poteſt, ut ait Ariſtoteles. Virtutes autem ſimulatæ, virtutibus videntur affines. Ex illis ergo vulgus imperantes admiratur.

XVI. *Morum gravitas* (quia magnanimi videntur eſſe graves & graviorum rerum ſtudioſi) magnanimitati affinis eſt, ideoque ex morum gravitate imperanti majeſtas conciliatur: licet eadem gravitas peculiaris etiam virtus ſit apud Ariſt. *l.* 4. *Eth. c.* 12. aliis dicta humanitas. Qui viſu ergo & auditu, ſermone, habitu, geſtibusque non mollibus, ſed ad gravitatem compoſitis ſpectabiles ſunt, coluntur & amantur præcipue a vulgo: gravitatis enim hoc eſſe videtur.

XVII. *Ex divitiis* quoque majeſtas imperantibus conciliatur: quia eæ inſtrumenta ſunt ad virtutem exercendam, & magnifici quid habere videntur.

XIIX. Qui *corpore ingentes* ſunt, eoque robuſto, apud vulgum quoque non nihil in precio ſunt: ad fortitudinem enim nati videntur: Et qui *verbis magnifici ſunt & diſerti:* hi enim prudentes videntur. Et certe principum orationes, quantumvis breves, plus valent in permovendis hominibus, quam aliorum prolixæ: vis enim eorum quoque precibus ineſt. Hinc narrat Phil. Cominæus l. 5. ſibi datum eſſe negotium a Rege Lud. XI. Galliæ R. uti adoleſcenti cuidam perſuaderet, ut ad Angliæ regem nuncius iret [erat autem id tum periculoſum &, propter çœcam Martis aleam euntibus intutum] ſe vero nihil potuiſſe efficere: de rege vero eum aggreſſo ita ſcribit: *Locutus adoleſcenti paucis verbis magis eum excitabat, quam ego ſermone prolixo.*

XIX. Et qui infrequentiores in hominum conſpectu ſunt: magnanimum enim hoc. Inter ipſos Principes & Imperantes hoc adeo neceſſarium eſſe vult Cominæus, ut prorſus omnes congreſſus, & collocutiones magnorum principum improbet, & per prudentes homines ſi quid eſt rerum, tranſigi velit, quia præſentia famam, qua ſæpe bella & ſumma reip. ſtant, minuat. *Sic,* inquit *lib.* 3. *de G. Lud. XI. exiſtimo, debere principes a congreſſibus abſtinere, modo ſalvam eſſe velint & integram amicitiam. Fieri enim vix poteſt, quin ipſorum familiares de rebus ante actis loquantur fere contemtim (ut poſt congreſſum Sigiſmundi Auſtriaci & Caroli Burgundionis) non abſque moleſtia & fremitu alterius partis &c.* Recenſet vero ibidem ſex inſignia exempla ejuſmodi colloquiorum, quæ mutuo contemtui & odio cauſam dederint. Primum eſt Henrici Caſtiliæ regis & Ludovici XI. Galliæ ubi hic arbiter erat inter reginam Arragoniæ & Henricum 2. Caroli Burgundionis & Friderici Cæſaris. 3. Eduardi Angliæ R. & Caroli Sororii 4. Caroli hujusdem & Palatini Rheni. 5. Archiducis Auſtriæ Sigiſmundi & Caroli. 6. Regis Ludovici & Eduardi prope Picenium oppidum *l.* 3. *comm.*

XX. Et qui longius remoti a ſuis, iisque vix noti, tamen imperant; nam hi infrequentiſſimi in ſuorum conſpectu ſunt, quod magnanimitatis eſſe dictum eſt. Et qui cultu victuque liberaliori & amplo, atque ſpecioſo comitatu utuntur: magnificum enim hoc. Et qui forma corporis ſunt inſigni, aut non fœda; hoc enim in externa illa, quibus vulgus capitur. Hinc Mahometus Rex Turcarum, deformitatem corporis tegere ſolitus eſt curru, arte fabrefacto. Ludovicus XI. Galliæ Rex ſplendidis veſtibus, ne contemtui eſſet, ut refert Comin. *l.* 10. & 8. *comm.* Aliqua etiam ſimilitudo morum & habitus majeſtatem conciliat. Nova enim & inſolita, ſi nihil magni habeant, fere contemnuntur vulgo: nihil autem diſſimilibus & peregrinis moribus magis inſolitum, hinc contemtui ſunt. Hinc etiam ſequitur, peregrinum imperium non eſſe diuturnum, neque ulli nationi tolerabile, ut prudenter plurimæ gentes non patiantur, ad fœminas deferri imperium: ſic enim plerumque peregrinus accipitur princeps. Hac de re ſic Cominæus *l.* 8. *comm. ut princeps,* inquit, *aliquis externus bene rem gerat, & commode gubernet, tamen quia moribus & ingenio differt, nec eam erga populum repræſentare poteſt benevolentiam, ac ſi eſſet indigena, faciles oriuntur occaſiones diſſenſionum.* Et in fine. *Quocirca. qui externæ alicujus gentis imperium ſuſcipit, niſi magna quadam & eximia ſit præditus dexteritate, multis haud dubie & longe graviſſimis implicabitur difficultatibus.* Ubi etiam ſingulari Dei beneficio factum ait, quod imperium Galliæ non defertur ad fœminas, ne ſumma regni ſit penes aliquem externum principem.

XXI. Cætera quæ majeſtatem hanc pariunt, ex iisdem fontibus ducuntur. Quibus autem modis paratur, iisdem etiam conſervatur. Materia enim ex qua conſtat majeſtas, ſunt virtutes, & harum affinia. Materia autem, quæ ad rem conſtituendam requiritur, eadem ad conſtitutam conſervandam neceſſaria eſt, ut ex Phyſicis quoque notum eſt. Unde patet propoſitum.

XXII. Viris etiam inſignibus & excellentibus ad officia & miniſteria præcipua obeunda uti, dignitatem inſignem imperantibus parit. Miniſtrorum enim contemtus & obſervantia, in ipſos plerumque dominos revolvitur. Hinc male ſibi conſuluiſſe Carolum Burgundionem, notat *Comin. l.* 2. qui per internuncios homines obſcuros de pace agebat: idque reliquos principes ægre tuliſſe, ut denique omnia ad defectionem ſpectaverint. Prudentes in hoc Romani, magiſtratuum provincialium voluere eſſe aliquam commendationem apud provinciales, aliquam obſervantiam: Permiſerunt xenia accipere: non voluerunt eſſe contemptibiles, quemadmodum hoc patet ex *ff. de offic. Proconſ. & Leg.* Præcipue *ex l.* 3. §. 3. & *l.* 6. §. 3. & *l.* 9. §. 2. Utile itaque fuerit, legatos, magiſtratusque inferiores titulis & inſignibus quibusdam ſubditis commendare: non pati eſſe pauperes: eorum ignominiam acriter vindicare, & quod caput eſt, ab initio graves & præclaros viros eligere. At, inquis, periculoſum eſt, potentiam magiſtratuum nimis augere, & arma ultro miniſtrare, quibus oppugnentur legitima imperia, Reſp. Verum his modis plane id non efficitur, ſed longe aliis, nimirum ſi diuturnus alicui magiſtratus demandetur, ſi ingentibus

Digitized by Google

tibus copiis præficiatur, ſi ſumma rerum ad aliquem transferatur, ſi rationes quis reddere non cogatur. His modis plane dominatum alterius alis & armas; ſed ſi dites tuos, ſi commendes ſubditis, ſi injurias iis factas acriter ulciſcare, nullum ſubſidium ambitioſis afferes, ſed potius tuam dignitatem per illorum latus confirmaveris. Eum in modum ſententiam illam, ne nimis ſubditos emergere patiantur imperantes, explicaſſe in parnaſſo Pavium Parutam fingit, Traj. Boccalinus *Cent.* I.

XXIII. Plane contrario modo amittitur majeſtas, ſeu contemtus conciliatur. Nam parandi & amittendi modi, ſunt contrarii. Cum itaque virtutibus & harum affinibus paretur majeſtas, vitiis & eorum affinibus amittetur. Quæ itaque de paranda majeſtate dicta ſunt, ſi iis non obtemperetur, ſed potius contraria vitiorum via ineatur, vilis quædam & cum odio conjuncta opinio ſubditorum de dignitate imperantium, quæ nulla eſt, exiſtet, i. e. contemtus: qui imperia, ſi mores hominum non ſint corrupti, non patitur eſſe vel proſpera, vel diuturna. Imperat enim tunc, aut certe videtur imperare inferior ſuperioribus. Huc ſpectat Barclaji Meleander, ſeu Henr. Valeſius Rex Galliæ, cui prudenter explicat originem rebellionis Guiſianæ Cleobulus, ſeu Villaregius *l.* 3. *Argen.* & præcipue eam aſſignat lenitati nimiæ Regis, quæ prudentiæ & gravitati morum adverſatur. *Illa*, inquit, *facilitas, illa indulgentia in magnates, illa tua tuorumque majorum incauta in eos confuſio, prodidit præcipuas imperii vires, aperuitque injuriis deſpectam dignitatem, &c.*

XXIV. Ex dictis pulchra quædam corrolaria, veluti in mathematicis fieri ſolet, & in analyticis fecit Ariſtoteles, deduci poſſunt. Patet ergo primo, *infirmitatem regiarum* (ſeu quorumvis imperantium) *virium celari* majeſtatis *intereſſe* Barcl. 3. *Arg.* imo intereſſe quasvis virtutes, & quævis, quæ majeſtatem pariunt, ſaltem ſimulari (dico, intereſſe, non decere, aut licere ſemper.) Nam ſimulata ſæpe, apud prudentes etiam pro iisdem habentur, ſi aſtu colitur dolus, ut Plautus ait. Virtutes ergo & alia, quæ majeſtatem pariunt, ſimulata pro virtutibus & rebus veris habentur, dum fraus latet: eoque majeſtatem pariunt. Sed quia vera fictis diuturniora ſunt, illa potius amplectenda.

XXV. *Et qui ſimulant, ſe probos eſſe, vitiaque ſua diſſimulant, ſæpe utiliter ſuam dignitatem tuentur, quamdiu ſimulata pro veris habentur.* Ita fieri, docet experientia; omnium temporum exemplum eſt in Tiberio apud Tacitum. Si vero emanat dolus, eo majus imminet periculum. Exemplum eſt in Nabide Lacedæmoniorum tyranno apud Livium, Jugurtha, C. Julio Cæſare, & aliis. Sed ea a nobis hic minime ſuadentur, improbum eſt enim ſimulare, ſed (prout ſunt humana) vera eſſe probamus & dolemus.

XXVI. *Parum tuta quoque eſt majeſtas ſine viribus.* Liv. *l.* 2. *c.* 55. Ceſſat enim opinio fortitudinis & magnificentiæ. Valere enim viribus, opibus, amicis, ſatellitiis, &c. affine quid videtur virtuti, præcipue magnificentiæ. Exemplum eſt in faſcibus conſularibus, a Volerone tribuno plebis fractis, & conſulibus in curiam pulſis, *ibid.*

XXVII. *In utraque fortuna quoque eodem eſſe animo*: nihil elati in proſpera, nihil humile in adverſa oſtentare, *multum facit ad majeſtatem.* Conſtantiæ enim hoc & fortitudinis munus.

XXIIX. *In externa pompa quoque memoriam divini beneficii præferre, ſeu morem vetuſtæ gentis ſequi*, videtur eſſe gravitatis, atque magnificentiæ, ideoque *ad majeſtatem ſumme prodeſſe.* Exemplum eſt in Romulo, qui duodecim lictores inſtituit ex numero avium, cum cœlum, augurii cauſa, cum fratre contemplaretur, & faſces ſibi præferri voluit ex moribus Etruſcorum. Liv. *lib.* I.

XXIX. *Majeſtati adverſatur adulari, & plebeis exercitiis operam dare, natura eo trahente,* (nam voluptatis gratia etiam optimi principes & auguſtiſſimi ludicris exercitiis nonnunquam delectati fuerunt) *& quos comiter venerari teneris; eos ſervili modo veluti dominos obſervare: plus etiam ſcurrilibus & ſervilibus operibus occupari.* Etenim omnia magnanimitati adverſantur. Exemplum adulationis, plus quam plebejæ, eſt in Pruſia, Rege Bythiniæ, qui pileatus raſo capite obviam ire legatis romanis ſolitus eſt, libertumque ſe populi romani (debebat amicum) ferre: ſubmiſit ſe, cum in curiam veniſſet, & oſculo limen curiæ contingit: deos ſervatores ſuos ſenatum appellavit, aliamque, ait Livius *l. ult. c. ult.* orationem non tam honorificam audientibus, quam ſibi deformem habuit. Exempla ſcurrilium & plebejarum occupationum ſunt in Nerone, qui noctu plateas pervagatus, fidibus cecinit, ſæpe ob hoc ab occurrentibus alapis egregie multatus: Et in quodam, de quo Herodotus ſcribit, cum hyberno tempore in viam publicam, ubi habitabat, aquam effundi curaſſe, ut ubi congelaſſet, prætereuntesque ibi proruerent, hoc ſpectaculo delectaretur. Egregium ſane & regium ſpectaculum! Et in Ferdinando Neapolitano Rege, qui teſte Comin. *l.* 2. *de geſt. Caroli IIX.* nullum non mercaturæ genus exercebat, adeo ſordidus & illiberalis, ut & porcos diſtribueret ſaginandos alieno ſumtu, quo eſſent vendibiliores, quos ſi contigiſſet perire, tum eos, qui ſuſcepiſſent alendos, damnum ei præſtare oportebat: per Apuliam, quanti vellet, emebat, quicquid erat olei. Et frumentum aliis in locis, antequam maturuiſſet, & quanti omnino poterat, divendebat. Paſſim habebat equorum greges, quos alii cogebantur ei propagare & enutrire. Filius ejus Alfonſus, Abbatias &c. ſervulis ſuis pro mercede dabat, interdum etiam ſub conditione, ſcilicet ut accipitres ad certum tempus ſibi curarent, & manſuefacerent. Hinc etiam factum, ut Carolo IIX, hoſte adventante, omnes ſubditi a mercatoribus iſtis defecerint, nec ullum objectum ſit Carolo impedimentum, quo minus regnum illud brevi, ut vacuum, occupaverit.

XXX. *Rerum magnarum in bellis & pro patria geſtarum cumulum, jura & leges prudenter condita, judiciorum conſtitutiones, diſſimulationem contumeliarum plebejarum, amplas & in honorem Dei, aut decus reipublicæ, excitatis ſtructuras, unicum ſtudium rerum, quæ ad prudentiam civilem ſpectant, cognoſcendarum, in reliquis uſum hominum prudentiſſimorum & optimorum, ea,* inquam, *& ejusmodi omnia ad dignitatem parandam, nimium quantum conducere,* dictum jam eſt. Nam hæc omnia munera ſunt virtutum ſupra recenſitarum. Tantum ſpecialius hic proponere libuit, quia in doctrina de moribus ſæpe univerſalia ſciuntur (τὰ ἐφ' ἑαυτȣ̃) particularia vero (τὰ ἐπὶ τȣ̃ πϱάγματος) ignorantur. Ariſt. *l. 7. Eth. cap. 5. & lib. 2. Analyt.*

XXXI. *Et vulgo viliſſimisque diſplicere velle.* Hoc enim magnanimi. Hinc imperantes de fortuna, ejusque bonis, de rebus externis & ſpecioſis, de pompa habituque & comitatu, cæterisque, quæ vulgus fere admirari ſolet, non adeo ſolliciti eſſe debent, ſed præcipue ea ſummo ſtudio ſectabuntur, quibus vera majeſtas & apud cordatos, probosque tantum quæritur. Externis autem illis utentur tantum, ne contemtui plane apud ſubditos ſint obnoxii, & uti omnes ſciant, non modo amandos eſſe imperantes, ſed & requiri inſuper reverendum aliquem cultum, & in multis cum eo, quem Deo ter optimo maximo præſtare ſolemus, convenientem: hunc autem animis hominum incutiunt externa iſta, uti inſignia, celſum ſolium, aut thronus, & menſa, qualem Imperatoris romani eſſe voluit Carolus IV. *in aur. Bul.* excelſior, ſceptra, comitatus magnificus, qualis in comitiis regni germanici requiritur a Carolo IV. miniſteria principum & illuſtrium virorum (*in aur. bul*) & alia innumera.

XXXII. *Et interdum migrare de provincia in provinciam ſuæ nimirum ditionis.* Continua enim familiaritas & continuus aſpectus, minus verendos faciunt homines, teſte Livio. Migrando autem ſubtrahitur ſubinde ille aſpectus, nec continuus eſt in illa provincia, ex qua migrat; nam alias non migraret. Minus itaque verendi per migrationes non ſunt. Inter cauſas rebellionis Saxoniæ contra Henricum IV. ponitur & hæc, quod Rex nullam provinciam regni germanici, præter Saxoniam, ſibi unquam ſumſerit habitandam, ideoque Saxonibus tantum moleſtus ſit: nec interdum alias regni provincias obeat. Licet hæc ex odio ita conquerantur Saxones, quia ſcilicet Rex eos continuis oneribus & ſumtibus eruerit, tamen etiam contentus nonnihil illos incitaſſe videtur, quod Rex ſcilicet ob continuam familiaritatem minus valuerit apud Saxones. Vid. Lamb. Schaffnaburgenſem. Sed cavendum tamen, ne illæ peregrinationes ſint nimiæ, & ob delicias ſuſceptæ: tunc enim potius contemtum pariunt, quia iſtæ migrationes faciunt, non ut abſis, ſed ut eo plures re præſentem videant: intervalla enim illa non faciunt, ut ex itinere gratior redeas. Perſtringit ſane Seneca ſuæ ætatis homines, & præcipue, ut opinor, Neronem hac de cauſa in *lib. tranqu. animi cap. 2. Inde,* inquit, *peregrinationes ſuſcipiuntur vagæ. Nunc Campaniam petamus. Jam delicata faſtidio ſunt; inculta videantur, Bruttios & Lucanos ſaltus perſequamur. Aliquid tamen inter deſerta amoeni requiratur, in quo luxurioſi oculi longo locorum horrentium ſqualore releventur. Tarentum petatur, laudatusque portus. Jam flectamus curſum ad urbem; nimis diu a plauſibus & fragore aures vacaverunt. Juvat jam & humano ſanguine frui. Ut ait Lucretius: Hoc ſe quisque modo ſemper fugit.* Subtrahitur autem continuus iſte aſpectus duplici modo, vel migrando, de quo modo jam dictum: vel coërcitatione quadam barbara, cujus exemplum unicum mihi videre contingit in Rege Sabæorum, (qui in Arabia felice ad ſinum arabicum habitarunt) quem Agatarchides apud Photium ſcribit fuiſſe ἀνυπεύθυνον, ſed ſi regia exiiſſet, potuiſſe lapidari, teſte Hugone Grotio *lib. 2. c. 3. de J. B. & P.* Nam regis Perſarum tam arctam fuiſſe cuſtodiam, conſtat.

XXXIII. *Majeſtas ſemel amiſſa difficulter reſtituitur:* tum quod in vitia & indecora facta prolapſum animum difficile eſt ſanare: tum quod ei, qui ſemel fefellit, ſemper diffidere ſoleamus. Jam vero vitia imperantium majeſtatem perdunt, & cum arduum iis ſit, ad frugem redire, hinc adeo arduum eſt, ut majeſtas illi reſtituatur. Deinde cum ſubditos, qui opinionem de iis magnificam hauſerant, fefellerint (ex hyp.) hinc diffidunt adeo iis, & difficulter eam opinionem rurſus arripiunt. Ex definitione ergo majeſtatis patet propoſitum. Optimum tamen conſilium eſt, virtutes denuo colere, & vitiis plane valedicere. Huc optime quadrat illud vis & majeſtatis (*reputationis*) de loco certamen, apud Traj. Boccalinum *cent. 2. Rel. 15.* Fingit, eas de loco concertaſſe, qua tamen ſemper ſuperior fuerit majeſtas. Cum eam nonnulli vi aperta eſſe vindicandam ſuaderent, rejecit id majeſtas, ſuam inquiens dignitatem non conſiſtere in copiis & apertis præliis, ſed in nuda hominum opinione: quæ, cum ſit mutabilis, caute hic agendum eſſe: Vim, ſi victa ſit, facile poſſe jacturam reſarcire, ſe vero ſi ſemel fuſa ſit, inſtar prolapſi elephanti, in priſtinum ſtatum non facile poſſe reſtitui: opus itaque eſſe ſolitis remediis, emendatione vitæ, & exercitio virtutum: experientiam docuiſſe, nihil magis ferale, quam authoritatem vi & enſe ſibi velle conciliare. Cum itaque hoc modo rem inſtituiſſet, proximo quodam feſto die vis ei libenter aſſurrexit, hoc ſibi decorum exiſtimans, ſi oras veſtium majeſtati a tergo levare ei liceret.

XXXIV. Hæc præcipua videntur, quæ ex demonſtratis, inſtar corollariorum, conſequuntur. Sunt procul dubio plura, ſed quid attinet illa afferre? Communis vitæ uſus & experientia ſæpe illa rectius docet, quam ſpeculatio. Et cum ex ſupra dictis omnia colligi poſſint, collecta jam eſſe ſunt exiſtimanda. Sub iſtis generalibus plura ſubſumere poteſt, qui valet, & cui experientia plura ſuppeditaverit. Et hactenus in genere, quid ſit majeſtas, quomodo paretur & amittatur: quid contemtus, & quæ ex iis deduci potuerint. Nunc eadem in ſpecie tractanda ſunt pro ſingulis rerumpublicarum formis, quæ ſex ſunt, quarum tres probæ, tres vitioſæ juxta Ariſtotelem.

XXXV. Ma-

Digitized by Google

XXXV. Majeſtas itaque in monarchia eſt reverenda opinio ſubditorum (τῦ πλήθες βασιλευτῦ) de virtutibus monarchæ, aut earum affinibus. In ariſtocratia de virtutibus optimatum, aut eorum affinibus. In πολιτείᾳ de virtutibus eorum, qui ex plebe imperant, aut a plebe juſſi ſunt imperare, & earum affinibus. In ſingulis formis peculiares inveniuntur affectiones, de quibus nunc ordine.

XXXVI. Auguſtior & cum majori obſervantia conjuncta eſt majeſtas in monarchia proprie dicta, quam in reliquis ſpeciebus: in ariſtocratia, quam in democratia. Nam opinio quædam de virtutibus (& quæ his affinia) unius hominis fortior eſt & auguſtior, quam de iisdem virtutibus in plures ſparſis. Virtutes enim junctæ in homine uno, auguſtiores ſunt, & majorem cient admirationem, quam ſi diſperſæ in multis ſint. Qualis enim res, talis opinio eſſe debet; ſi eædem ergo virtutes in uno homine auguſtiorem cient opinionem, quam ſi in multis ſint, auguſtior erit majeſtas in monarchia, quam in reliquis formis. Opinio enim de virtutibus imperantium, eſt majeſtas. In ariſtocratia auguſtior quoque eſt majeſtas, quam in democratia eandem ob cauſam: nam in plures adhuc hic ſparſæ ſunt virtutes eædem, quæ in paucioribus optimatibus inveniuntur: languidior ergo & debilior opinio de iis apud plebem. At, inquies, quid ſi optimatum quidam & collegas, & Reges etiam excellentes, virtutibus ſuperet: item, ſi in populari republica unus ſeu pauci eodem modo excellant. Tum enim ceſſat id, quod dicitur, virtutes unitas & diſperſas aliam atque aliam parere majeſtatem. Sed reſpondeo, ſermonem hic eſſe de rebuspublicis naturæ maxime convenientibus: de monarchia, quæ ab excellentiſſimo & optimo ejus ſocietatis viro (non quidem ſimpliciter, ſed ut ferunt hominum mores) gubernatur: de ariſtocratia, ubi pauci iidemque excellentiſſimi, & optimi, & fere ſimilium virtutum cives imperant, & nemo præ cæteris excellit, ſed eſt quædam æqualitas.

XXXVII. Hinc etiam magis obnoxie reguntur, quæ Regi alicui ſubſunt, gentes, ſi majeſtatem ſibi Rex comparavit, quam reipublicæ liberæ cives, etſi imperantes eodem modo magnifice colantur a reliquis civibus. Colitur enim hic aliquis, at non ſolus; at ita, ut cæteris nihil denegetur obſervantiæ, ubi quaſi particulam obſervantiæ ſeu cultus licet obſervare: ſæpe etiam alius magis, quam alius: ſæpe alter impenſius colitur, ut alterum impune liceat contemnere. At ſane, ubi dividitur quaſi obſervantia: ubi alius alio magis colitur, alius ſæpe cum alterius contemtu, languet certe majeſtas. Contra ſane ſe res habet in monarchia, ubi nihil tale reperitur. Exemplum eſt in republica romana, ubi a conſulum altero ad alterius auxilium provocatio erat, Liv. *l.* 2. & in regibus aliis, quorum infinita exempla.

XXXIIX. Quo arctius, & quo pauciorum eſt imperium, eo auguſtior eſt majeſtas: quo laxius, & quo plurium, languidior. Id ex §. 37. notum jam eſt, quod ad probas reipublicæ formas attinet. In vitioſis, quæ ὑπερβάσεις probarum ſunt, pro majeſtate ſequitur ὑπερβολὴ majeſtatis, id eſt, ſervilis timor: nam eos, qui vi & invitis adminiſtrant imperium, ſervili timore proſequuntur ſubditi. In illis ergo majeſtatem veram parari, vix poſſibile eſt: ut nec contemtum: non enim contemnuntur potentes, ſed imbecilles. Habent autem hic omnia ſe contrario & perverſo plane modo: & quo vitioſior & pejor eſt reſpublica, ut tyrannis, eo major ſervitus in ſubditis naſcitur: & eo major ὑπερβολὴ majeſtatis.

XXXIX. Hæc in rebuspublicis, quæ naturam maxime imitantur, obtinent. Sed cum vix ea ſors humanarum rerum aut fuerit, aut futura ſit, ut, quod natura æquum eſſe jubet, id in ſuſcipiendis, gerendis, conferendisque imperiis obſervetur, hinc ex ratione temporum & humanæ conditionis longe diverſa ab ea, quam modo explicavimus, ratio eſt majeſtatis in plerisque rebuspublicis. Nam quia virtutes, quæ ad adminiſtrandam rempublicam requiruntur, facilius licet reperire in multis, non quidem ſingulis, ſed univerſis, quam in uno aliquo, & vix datur aliquis princeps, qui virtutibus in aliqua ſocietate ſit omnium excellentiſſimus, quod natura requirebat, hinc ſæpe auguſtior eſt in liberis rebuspublicis, quam in monarchia majeſtas. Et quia per humanam conditionem vix eo emergunt homines, ut veris virtutibus poſſint eſſe undequaque ornati, hinc ſi qua majeſtas eſt, parari ea plerumque ſolet ex ſimulatis virtutibus, ex externo aliquo ſplendore, & iis, quæ virtutibus affinia ſunt. Sed hæc obiter. Nos ſcopum altius figimus, ut qui conatus fuerit tantum eum ferire, non humile quid tentaſſe videatur: ſi vero eo eniti non potuerit, temporum & conditionis humanæ obtentu excuſetur. Ut enim aurigæ, cum via in anfractum porrigitur, extra orbitam ſæpe jumenta agunt, ut hoc flexu veram ſemitam aſſequantur; ſic & in civili ſcientia, & in reliquis, ut in architectonica, in ethica, & in aliis non mediocre quid ſpectamus, ſed id, quod optimum eſt, ut id, quod dari poteſt, aſſequamur. Nunc pergendum.

XL. In regno, quo majeſtas principis eſt auguſtior, & excellentior, eo rectius convenit ſubditus cum principe, & propterea eo felicior eſt regni ſtatus (quod in cæteris ſpeciebus paulo aliter ſe habet.) Hoc, ut opinor, patet, & ex dictis facile colligitur. In ariſtocratia vero & democratia majeſtas unius & paucorum pernicioſa ſæpe eſt. Nam eæ formæ ſuis inſtitutis optime conſervantur: alienis vero corrumpuntur; omnis enim res per convenientia & accommodata remedia tantum conſervatur: per aliena & non convenientia corrumpitur. In ariſtocratia vero aliena ſunt inſtituta monarchica: in democratia ariſtocratica. His ergo corrumpuntur. Sed majeſtas unius eſt monarchiæ propria: Hæc ergo pernicioſa eſt ariſtocratiæ: majeſtas paucorum optimatum eſt ariſtocratiæ propria: ea ergo pernicioſa democratiæ. Similis eſt ratio in ſimilibus: ita v. g. majeſtas plurimum pernicioſa eſt monarchiæ.



Digitized by Google

XLI. In maxime barbaris & ſervilibus nationibus crudelia imperia conſequitur aliqua majeſtas. Nam eæ nationes ita ſerviunt, ut etiam quasvis injurias, pœnæ loco, licite ab imperantibus ſibi inferri exiſtiment: vitamque ſibi impune adimi: omnia ſibi ab illis imperari poſſe. Qui vero hæc imperantes poſſe credunt, Deos faciunt ex hominibus: nam divina hæc opera, cum Deus illud eminens & abſolutum dominium in nos, & noſtra omnia habeat, ſed divina ſane opera quis non admiratur, & reverenter adorat? Cum itaque apud illas, quod revera non eſt, ipſa crudelitas aliquid divini habere videatur, ſequitur, illas principes ſuos etiam crudeles veteri, & horrenda quadam obſervantia, colere. Exemplo ſunt Sultani turcici, quibus nihil crudelius: illorum tamen quanta dicitur eſſe majeſtas? opinantur Turcæ, neminem, qui peccatis contaminatus mortem obierit, beatum fieri poſſe, niſi ante cum Sultano eam ob cauſam redierit in gratiam. At, uti teſtis eſt Tr. Boccalinus *cent.* 2. *rel.* 68. hoc quantum valet ad augendam majeſtatem, exæquare nimirum poteſtatem Imperatoris cum divina? Huc facit fortaſſe & illud, quod idem Boccalinus aſſerit, eam, quam Hiſpanus ſibi arrogat, majeſtatem rectius dicere barbaram quandam rempubl. quam hiſpanicam. *Rel.* 4. *Lapidis Lydii.*

XLII. In regno, quod ſecundum leges, & non ἀνυπευθύνως adminiſtratur, majeſtas illa ſumma Regis non adeo videtur facere ad ſalutem reipublicæ, ſed una danda eſt opera Regi, ut amorem ſubditorum ſimul conſequatur. Nam in tali regno in partem imperii veniunt etiam aut optimates, aut populus, adeoque mixtus nonnihil eſt ſtatus. Summa ergo illa majeſtas, quæ in παμβασιλεία & monarchia proprie dicta tantum locum habet, ab ejusmodi ſtatu videtur eſſe aliena, & inconveniens fulcrum talis reipublicæ. Corrumpunt autem rempublicam inſtituta aliena, & non accommodata, quale hoc eſt. Hinc externa illa inſignia & pompæ, ſi vera majeſtas deſit, & illa quid inſolens habeant, odium ſubditorum, præſertim præcipuorum, parere ſolent in nationibus cultioribus; nam in barbaris, quia omnia imperia fere deſpotica ſunt, ſecure & ſatis inſolenter ea a Regibus ſemper ſunt uſurpata. Hinc etiam orientales monarchæ externorum ſemper fuere curioſiores, quam Europæi, quod illi his ad ſervitutem proniores ſint. Jurabant in oriente, & forte adhuc, per dextram, oculum, ſolium Regis: adoratio ibi Regum & oſculatio frequentiſſima, Illinc purpura, diademata, & nihil non, quod ad oſtentationem, ſæpe etiam vanitatem faceret, ortum ducunt. Ea omnia apud Europæos fere neglecta: alia vero, quæ introducta hic ſunt, gravitatem tantum aliquam redolent majorem. In his, ut & in aliis multis, mecum facit J. Lipſius in *politicis*, ut & *monitis & exemplis politicis.*

XLIII. In liberis rebuspublicis majeſtas ita comparata eſſe debet, ut amor in ea prævaleat. Nam alias ſummam illam & regiam ſequerentur imperantes majeſtatem: illam autem monarchiæ propriam eſſe dictum eſt. Quare, ut alienum quid liberas reſpublicas corrumpet, ut quarum naturæ hoc quaſi inimicum eſt. Sane apud Romanos Scipionis africani magna fuit obſervantia, ſed cum amore conjuncta maximo: nec tanta, quanta, ſi Rex Romanorum fuiſſet: tunc enim alias a paribus cultus, ab inferioribus pro ſuo jure etiam exigere iſtam reverentiam potuiſſet.

XLIV. Quo gens aliqua magis obnoxie regitur, eo frequentius ficta & fucata eſt majeſtas, quæ imperantibus apud ſubditos comparatur. Nam quo ſervilior & ſimplicior aliqua gens eſt, eo facilius ſimulata pro veris, affinia pro iisdem arripit: Ex ſimulatis autem virtutibus, & harum affinibus, ficta quædam majeſtas potius comparatur; i.e. Quo magis obnoxie ergo gens regitur, eo facilius falſam opinionem & fictam de imperantium virtutibus concipit. Hinc ſequitur, quo majoribus virtutibus ſubditi præditi ſunt, eo magis de vera majeſtate elaborandum eſſe imperanti, & contra. Et quo regna ſunt ſtrictiora, eo citius fucatis quibusdam majeſtatis ſignis ſubditos decipi poſſe: quo vero reſpublicæ magis liberæ, eo tardius & difficilius.

XLV. Hæc etiam ſpecialiter dicta ſint. In vitioſis rerumpublicarum formis majeſtas non paratur. Neque enim imperantes hic tales, quos admirentur & vereantur ſubditi; ſed eſt in ſubditis cum odio conjunctus, coactus & ſervilis quidam timor, qui ut majeſtate intenſior, ita brevis eſt, ut ita loquar, ævi, & ruinam reipublicæ ſecum trahit.

XLVI. Quæ de majeſtate hactenus dicta, ita capienda ſunt, ut nunquam amor excludatur. Neque enim in tyrannidem quenquam adorno; ſed tum exactiſſime officio ſuo ſatisfeciſſe cenſebo imperantes, ſi dubium ſit, magisne amentur, an vero timeantur a ſuis civibus: Hanc majeſtatem veram illam & quaſi divinam vocabo, hanc volui hic explicare. Si alter, utrum prævaleat nimium, imperfectam cenſebo, & culpam in tempora & mores hominum conferam.

XLVII. Nunc porro dicendum erit, quid valeat majeſtas in confirmandis imperiis: quid contemtus in labefactandis: quo tendat majeſtas, quo contemtus, ſi hominum animos occupaverit, & quibus ſemitis quaſi ad ſalutem aut perniciem rerumpublicarum ferantur: quomodo majeſtas conſervetur, contemtus vero reſtringatur. Nam & hæc noſſe, videtur apprime neceſſarium, cum ita nobiscum comparatum ſit, ut medicina potius, quam ſanitas morbis non interrupta nobis ſit meditanda.

XLIIX. Cum ſupra dictum fuit, majeſtatem ad firmandum imperium multum facere, non ſoli illi hanc vim attribuimus. In multis enim imperiis, præſertim hodie, univerſam rempublicam ſuſtinet juſtus titulus imperii, electio aut ſucceſſio, pacta aut leges, obſervatio evangelicæ legis, quæ imperia etiam injuſta & dura ferre nos jubet. Sed inter hæc majeſtati non infimum locum dedimus. Ea cum ſit opinio quædam, miretur aliquis, quidnam hoc ad reipublicæ ſalutem, opinari.

XLIX. Opi-

Digitized by Google

XLIX. Opinioni reverendæ, neceſſe eſt ſane convenire dicta atque facta: neque enim eſt talis opinio, niſi dictis factisque innotuerit, eſſe talem: & quis dicat, eos te colere, qui contumelioſis dictis factisque, ſi ad rem ventum fuerit, te oppugnent? Porro, qui virtutes aliorum admirantur & colunt, ipſi quoque earum, ſi non cultores, certe ſtudioſi ſunt. Si itaque opinioni reverendæ de imperantibus reſpondent dicta & facta ſubditorum, honorifice ubiq; de iis loquentur: non ferent contradicentes: apud alios & præcipue ignaros deprædicabunt eos: ſi res poſcat, ad opem ferendam promtiſſimos ſe oſtendent: & cum contradicentes ferre non poſſint, nec laceſſentes & oppugnantes ferent, quod enim in animo eſt opinio reverenda, id in verbis & factis eſt honorificus ſermo & devota pro imperantibus propugnatio. At hæc quanta ſunt? Illis ſane omnibus reſp. multum firmatur, ſiquidem pro ſalute imperantium ſubditi, & laborabunt, & vigilabunt: pro ſua vero, quia non, niſi ſalvis imperantibus ipſi ſalvi eſſe poſſunt, & ſaluti imperantium arctiſſime juncta eſt ſalus ſubditorum. Utrorumque ergo commodum atque ſalus vertitur, hoc autem eſt remp. firmari, quantum ſcilicet in utriſque eſt. Sed cum ſubditi, qui imperantium virtutes [ex hypotheſi: quod velint cives, ſalvos eſſe ſuos principes] admirantur, ipſi quoque earundem ſint ſtudioſi amatores [ex axiom. 2.] quæ volunt pro imperantium ſalute ſtrenue agere, eadem quoque poterunt. Nam vix ulla ætate civitas dari aliqua poteſt, quæ virtute non fuerit invicta, etiam exigua. Eſt enim ſocietas, virtutibus prædita, invictum quid: cum alia ratio, in ſingulis hominibus ſit. Cum ergo virtuoſi tam imperantes, quam ſubditi ſint, & utrique velint & poſſint ſalutem reip. tueri, uti probatum, nihil ultra eam morari poteſt, & omnia optime ad eam directa, ſecum quaſi eam trahere videntur.

L. Unde patet, majeſtatem eſſe ex earum rerum numero, quæ, cætera inutiles, ſolo uſu probantur & exercitio: ſine hoc non magis proſunt, quam virtutes in dormiente ad id, uti beatus dicaris. Quare opinari ad reip. ſalutem inutile eſt, ſi ſubditis nihil unquam eſſet agendum extra familiæ adminiſtrationem & privatas curas: niſi forte ideo, quia quocunque tempore, uti ignis ex attritu ſilicis, ita ex veneratione, animis inſita honeſta facinora elici poſſunt, ut optime ſilici eam comparare poſſis. Ex illa, ignis ſemper elici poteſt, non ſine attritu; qui, quo acrior eſt, eo frequentior & magis ignea ſcintilla exit. Dum tamen uſu ignis carere ſine incommodo poſſumus, ſilex negligitur, nec uſus ejus eſt ullus. Ita etiam in hac veneratione, cujus ſane eſt quidam etiam ſtimulus, & quaſi attritus in animis ſubditorum. Ea ſane ſopita, cum rerum nihil geritur, nullius eſt uſus, at cum res poſcunt, præclaras excitat in animis ſubditorum rerum fortiter gerendarum cupiditates, & conatum ad omnia, pro imperantibus audenda, ſubminiſtrat.

LI. Contemtu labefactantur plane contrario modo imperia: nec opus eſt multa de eo demonſtrare, cum id in uno contrariorum jam factum. Sane contemtum ſubſequitur contumelioſus ſermo, ſcommata, famoſi libelli, conjurationes, (de quibus inſigne eſt cap. apud Machiav. 13. Diſp. in Liv.) denique aperta rebellio, quæ, proh dolor! hiſce temporibus frequentiſſima ſunt, nulla habita ratione ſtrictæ iſtius Evangelicæ legis. Exemplum eſt in Henrico Valleſio Galliæ Rege, cujus authoritas plane eviluerat: ita, ut paſſim famoſis libellis, in vulgus ſparſis morderetur, ut cum Henricus duabus uteretur coronis regni Gallici & Polonici cum hac inſcriptione: *Manet altera cœlo*: improbi homines pro cœlo, *clauſtro* repoſuerint: ut Amalia duciſſa, Guiſii ſoror, eſſe ſibi novaculam radendæ concinnandæque in monachalem coronam regis cæſarei, eſſe manus iſti operi non inidoneas, multis inaudientibus, dicere non erubuerit, ſicut Author *Clavis in Argen. Barcl.* ſcribit. Erupit ea rabies demum in funeſtam Galliæ rebellionem. Et ex illo exemplo, licet obſervare veram contemtus naturam, ejus progreſſum & vires, quæ optime perſequitur Barclajus *in Argen.* qui ſive ex vero rem deſcribat, ſive fabulam texuerit, ſane utroque modo rite ſe gerit. Nimiam facilitatem regi tribuit: inſolentiam vero ex ea & nobilitate generis Lycogeni & Eriſtheni. Ego pauca excerpam, & potiſſima, ex quibus origo & progreſſus contemtus obſervari poteſt.

LII. Lycogenes, regiis negotiis perfidioſe imminebat, priſcis regibus, ſuæ ſtirpis [ut ferunt] authoribus, ferox *l.* 1. *p.* 34. & dum rex animum curis exoneratum, otio paſcit [venatui forte plus æquo indulgens] iſte ſuæ factionis hominibus curiam implet, publica munera, veluti ſui juris, amicis diſtribuit, ne qua deinde pars regni ſana eſſet: tandem arma adverſus eum movit, & repreſſus eſt fortitudine regis: ſæpe veniam dedit rex: at hoc indignatus Lycogenes, eſſe aliquem, qui poſſet ignoſcere, ſpiritum non remiſit. *l.* 1. *p.* 35. Cum rege congreſſus deinde, præſertim regis humanitate animos addente. *l.* 1. *p.* 106. nepos ejus patruo ſuo placiturus, pro optimatum imperio contra regium inter epulas diſputat. *p.* 108. Ipſe deinde gentium ritum arguit, quæ uni ſe ſtirpi in hereditatem permiſerunt, *p.* 113. & cæteras extollit, poſt regum obitum in comitia & ſuffragia euntes. Fœdere cum rege icto, nihil illi antiquius fuit, quam illud quam primum rumpere: ſparſit in vulgus criminationes regis: *l.* 2. *p.* 137. Non poterat enim non augeri tanta ſuperbia humanitate illa regia: ut recte Argenis ibid. dixerit: *Forte melius eſſet inter ſtrenua opera ſemel perire, quam tot injuriarum patiens regnare precario*) oppida circumit: magiſtratus exhibito convivio, hilariores monet, ne publicam libertatem ſinerent prodi: *p.* 150. (ubi etiam plures ejus criminationes & fraudes videri poſſunt) opprimere deinde regem meditatur: *p.* 159. tandem cum ſuis arma contra regem movit, jura regni & inſignia uſurpans [huc uſque contemtus progreſſus eſt] dum rex admonitus, de ſociis Lycogenis aliquot ſumto ſupplicio lenitatem ſuam aliquantum depoſuit, & tergiverſantem Lycogenem, cum accerſitus eſſet, defeciſſe arguit:



Digitized by Google

guit: pro hoſte illum, licet fœderatum habuit, & denique perdomitum armis merito ſupplicio affecit. Hæc eſt illa fabula potiſſimum Barclaji: quæ licet ex parte ficta ſit, ex parte hiſtorica fide ſcripta, veram tamen originem progreſſumque contemtus imperantium exprimit. Progreſſus ſane eſt ab opinione quadam vili de regis dignitate (quæ in homine ſuperbo & nobili, qualis Lycogenes, facilius naſcitur,) ad dicta contumelioſa: ad criminationes regiæ majeſtatis tum per ſe, tum per ſuos: hinc ad ipſam rebellionem, & apertam oppugnationem regis. Origo eſt, ut ex aliis vitiis: ita & hic, ex nimia lenitate. Egregiarum alias virtutum fertur fuiſſe Henr. Valeſius: Hinc recte prudenterque monet Barcl. l. 2. p. 216. *Documentum*, inquit, *mortalibus*, *quantumvis egregiam in rege virtutem, niſi fortitudinis opinio accedat*, *poſſe contemni, nec fidelius ullos principes amari a populis*, *quam qui timeri meruerint.* Apte, ad præſens argumentum.

LIII. Uberius quoque, quod ad noſtrum argumentum attinet, legi poteſt Joannis pater, Guilielmus Barclajus *lib. adverſus Monarchomachos*, item ipſe Joannes in *Euphormione*, cum primis vero in *Argenide*: illis enim temporibus, maſcule regiam majeſtatem, uti par erat, contra ſeditioſos cives ambo hi defenderunt, unde merito ab Hug. Grotio regii imperii aſſertor fortiſſimus Guilielmus dicitur. l. 1. de J. P. & B.

LIV. Quid valeant in confirmandis imperii, labefactandisque: quibus viis ad ſalutem perniciemve reip. tendant majeſtas, & contemtus, breviter explicatum. Nunc, quomodo illa conſervetur: hic vero reſtringatur, videndum.

LV. Conſervatur majeſtas iiſdem, quibus comparatur, i. e. virtutum ſtudio, cæteriſque, quibus acquiri eam rebus dictum eſt. Materia enim ſunt hæc majeſtatis. Materia autem, ex qua res conſtat, non modo ad conſtituendam eam, ſed & conſervandam neceſſaria eſt. Non itaque, ſemel acquiſita majeſtate exiſtimandum eſt, virtutibus operam dare ulterius, eſſe ſupervacuum. Plane ut ridiculum eſſet, ſi faber diceret, velle ſe ex maſſa quadam incudem fabricare, fabricata ea, maſſam velle reſumere, & in alios uſus ea abuti, uſu incudis nihilominus integro: aut velle ſe abjicere maſſam, nihilominus incude ſibi ſalva. Neque enim, uti faber abire, aut malleum, quo uſus eſt ad cudendum, abjicere, incude ſeu re, quam procudit, ſalva: ita & materiam aut formam rei adimere, re nihilominus integra poteſt. Ita & hic ſe res habet. Continua enim virtutum ſtudia & ſpecimina ad conſervandam majeſtatem requiruntur: neque unquam intermiſſio eorum ſine languore majeſtatis datur. Si enim materia majeſtatis potiſſimum ſunt virtutes, continuæ erunt & perpetuæ: & intermiſſio aut languor earum perdit, aut debilitat majeſtatem. Sufficit itaque vel unicum peccatum imperantium, ad pariendum contemtum: ad majeſtatem vero requiritur continuum, quod nec vitiis interruptum [ſic enim continuam majeſtatem hic accipio] neque ſufficit ſemel probum & reverendum fuiſſe, aut per biennium, decenniumque, ſed ſemper.

LVI. Contemtus reſtinguitur, ſi illa, ex quibus natus eſt, aboleantur, [unde naſcatur, ſupra dictum eſt,] & quidem initio nonnunquam ſeverius, & potius ad auſteritatem & exceſſum inclinando. Nam opinio quædam, quo acrius & fortius refellitur, eo citius ex hominum animis eruitur. Quo magis autem contrarium ejus opinionis demonſtratur, eo acrius & fortius refellitur. Sic ergo citius ex hominum animis eruetur. Opinionis autem alicujus de defectu virtutum, i. e. contemtus, contrarium magis demonſtratur, ſi in exceſſu aliquantum peccemus, quam ſi tantum medium ſervemus. Ergo ſi exceſſu vel potius minando exceſſum aliquantulum peccemus [nec enim hoc peccatum eſt pro ratione temporum, ſed potius res exempli utilis, ut ex ſeq. patebit] contemtus acrius & fortius refellitur, citiusque ex animis hominum eruitur. Si ergo ex nimia facilitate natus fuerit contemtus, auſterit. quadam animadvertendum eſt in quoſdam, qui maje. petulanter conculcarunt, eoq; exemplo reliqui deterrendi. Si ex imprudentiæ opinione, ita agendum, ut conſil. contemnentium ſuis conſiliis præveniant imper. uti quos a ſuis partibus eſſe putent factioſi, eos præter ſpem in ſuas pertrahant imper. hæc enim opera inſignis cujuſdam prudentiæ. Si ex opinione avaritiæ, magnificentia amplectenda eſt, etiam quæ nimia videri poſſit, ita tamen, ne quis a coacto hæc fieri ſubolfaciat. Exemplum effinxit nobis in Meleandro Barclajus. Hujus autoritas cum eviluiſſet apud ſubditos quoſdam, quod indulgentior & facilior eſſet, tandem ſuaſu Cleobuli eam auſteritate quadam & duritie repetiit. Lycogenes, licet nuper fœdere cum rege icto, occulta conſilia regis opprimendi agitavit: hoc rex odoratus, accerſi eum curavit: cum venire detrectaſſet morbo ſimulato, tergiverſationem pro defectione accepit: qui armatus venit, hunc armatus ipſe exſpectavit: ſocios ejus etiam rebelles, quos in vinculis habebat, ſervari ad ſupplicia juſſit: pro hoſte Lycogenem licet nuper fœderatum habuit; & recte, quia non obſcure compertum habebant prudentes, Lycogenem abuſurum fœdere iſto ad rebellionem excitandam, & *hanc ſeveritatem*, ait Cleobulus *lib. 2. p. 169. in multorum animis reverentia adverſus principem, timorque ſupplicii utiliſſima mutatione ſequetur.*

LVII. Et ſane in eo peccaſſe Romanos prudenter notavit Nicolaus Machiavellus, vir ſæpe quidem improbi, ſed tamen magni ingenii *lib. 2. Diſc. ad Liv. c. 14.* Cum enim, Romanis contemtis latini Samnitibus bellum inferrent, & humanitate Romanorum inſolentiores facti eſſent, ut & tandem hoſtes ſe profiterentur Romanorum, prætor Annius eos ſic allocutus eſſe fertur: *Unde hæc tanta modeſtia* [Romanorum] *niſi ex conſcientia virium & noſtrarum, & ſuarum?* teſte Livio. Vide ſpiritus ex modeſtia. Hinc recte Machiav. dixit, *multos decipi, dum ſub quadam humilitatis umbra ſuperbiam evitare conantur.* Totum caput meretur huc aſcribi, ſed ſatius videtur ipſum authorem tantum laudaſſe. Ita tamen omnia in eo capite ſunt intelligenda, ſi certum eſt,

Digitized by Google

eſt, tantam eſſe malitiam & ſuperbiam adverſariorum, ut humanitate inſolentiores fiant. Alias enim ferendum non eſt, quod dicit idem ibid. Machiav. *Satius eſſe, bello aperto aliquid amittere, quam ut metu belli id condonaſſe videaris.* Id enim longe aliter docere poſſunt Hug. Grotii monita de non temere etiam ex juſtis cauſis ſuſcipiendo bello *l.* 2. *c.* 24. *de* J. B. & P.

LIIX. De Militari majeſtate quoque nonnulla ſunt dicenda. Hæc enim nonnihil diſcrepare videtur a pacata, uti ita loquar. Cum enim in militia ſtricta potiſſimum imperia valeant, quod omnis ævi experientia docuit [& de militia quidem Romana fidem facit titulus in jure civili *ff. l.* 49. *tit.* 16. *de re militari*] ſumma quoque & auguſtiſſima omnium requiritur majeſtas: ut ſcilicet Imperator ſit fortiſſimus, prudentiſſimus, magnanimus, conſtans, ſeverus, reliquisque virtutibus, quæ reverentiam conciliant, præditus: utut externa illa non magnifacias, in illis vix ſuis militibus diſſimilis. Neque enim mihi quis objiciat Marium, aliosque Imperatores, qui ipſi ſæpe vallum portarunt, foſſas duxerunt, humani ſomnum, cepere, hoc ipſo humani magis, quam ſeveri. Neque etiam Scipionem, qui fide, humanitate, liberalitate univerſam fere Hiſpaniam ditionis romanæ fecit. Nam Marius, aliique, externis illis majeſtatis ſignis neglectis, veram illam profecto ſectatus eſt. Virtutes enim bellicas, & civiles primum ſane egregie coluit, & exercuit, licet poſtea vix inter homines cenſeri mereatur, Scipioni autem non ubique res feliciter ſucceſſit. Nec enim potuit ſemper cavere, ut notat Machiav. *l.* 3. *Diſc. ad Liv. c.* 21. quin nimia facilitas ei aliquando periculum crearet. Nam a Scipione defecerunt in Hiſpania cum amici multi, tum magna exercitus pars, ob unicam illam cauſam, quod, cum facilis eſſet & benignus, eum nemo metuerit. Quod cum ſibi eveniſſe Scipio tunc animadverteret, vel nolens coactus fuit eam ſeveritatem adhibere, quam prius ſtudio ac diligentia evitare conabatur. Sed & Scipioni opponam Annibalem, qui vitiis, quæ plane contraria erant virtutibus Scipionis, eadem in Italia geſſit, quæ Scipio in Hiſpania, notante eodem Machiavello, idque ex parte ideo, quod ad crudelitatem usque ſeverus eſſet. Opponam quoque manliana imperia (etſi omnia non probem) & ſimilia innumera: item clades multas acceptas, ob exercitus, lenitate ducum corruptos. Huc facit, quod Plutarch. *in Mario* narrat; Marii torvum vultum, & terribilem vocem uſu & conſuetudine militibus facta fuiſſe jucunda, & ſuavia: & quod Tacitus de Domitio Corbulone: illum ſcilicet, cum præturam militarem gerere cepiſſet, & diſſolutos videret militum mores, duos ſtatim capitis ſupplicio affeciſſe: hunc, quod diſcinctus opus feciſſet: illum, quod pugione tantum, non etiam gladio accinctus incederet & ſubjungit Tacitus: *intentumque & magnis delictis inexorabilem ſcias, cui tantum aſperitatis etiam adverſus levia credebatur.* Vid. Tr. Boccalinum *cent.* 2. *Relat.* 63. ubi dicit, longe aliam rationem ineundam eſſe in ſuppliciis militum, & aliam in regendis civibus.

LIX. Monita in hac doctrina præcipue duo videntur non parvi momenti. 1. Ne majeſtas & Amor divellantur; ſed his mixtis cinnus quidam & temperies exiſtat, uti dubites, major ne ſit amor, an vero reverentia imperantium apud ſubditos. 2. Mores hominum uti accurate pernoſcantur, & juxta hos fundamenta majeſtatis jaciantur. Sane ſi quis inter cæcos regnaret & externa pompa dignitatem ſibi conciliare vellet, ridiculus eſſet: uti & ſi inter ſurdos eloquentia & vocis gravitate. Sic etiam in cæteris. Veræ tamen virtutes, & vera majeſtas, ubique gentium valeant.

LX. Coronidis loco quærere lubet, an divinis honoribus ornari, faciat ad majeſtatem? inſaniverunt in eo multi, præcipue tamen Monarchæ, & apud barbaros: Apud Romanos etiam Imperatores ſeu Cæſares. Inter eos Juſtinianus quoque noſter, uti ex Codice, locis innumeris manifeſtum eſt. Nam quid crebrius, quam conſtitutiones ſuas vocare cœleſtes, affatus divinos? & plura ibidem reperias. Videtur diſtinguendum: nam in cultis gentibus id quidem plane videtur eſſe tyrannicum, neque ſubditis tolerabile. In barbaris longe aliter ſe res habet. Deinde aliud eſt, ſi ſe veluti deos aut ſemideos velint a ſuis coli imperantes: aliud eſt, ſi ſuis legibus, ſuis præclaris geſtis a divina majeſtate adſtruant dignitatem: prius tyrannicum eſt itidem poſterius aliquo modo licitum, & fine, quem intendit, potiri videtur: & a multis inſignibus legum latoribus, licet nonnihil aliter, legitur uſurpatum,

LXI. Hæc eſt illa majeſtas: hæc ſunt illa incitamenta, & carmina, quibus hominum animi ab imperantibus faſcinantur & alligantur; omnibus veneficiis validiora, quemadmodum eleganter Tr. Boccalinus loquitur, *cent.* 2. *Rel.* 74.

LXII. De natura itaque Gloriæ & contemtus in genere dictum eſt primum: his ſuppoſitis, orſus ſum, quod ad imperium firmandum majeſtas ſit neceſſaria, & quid ea ſit, quotuplex & quam varia: quæ vere ſumma illa, & proprie ita dicta, & unde ea paretur, ut & reliquæ ſpecies: tum quomodo amittantur, & quænam ex dictis poſitisque recte deduci poſſint corollaria: Hæc ita in genere tractata ſunt. Tum quomodo in quavis reip. ſpecie ſe habeat, adjunctis cautionibus, in ſpecie dictum eſt: denique, quid valeat eadem in conſervandis imperiis: quibus quaſi viis pergat ad ea conſervanda, quomodo conſervetur, & quæ contra ſit contemtus natura, quæ origo, quis progreſſus, & quid ſit peculiare in majeſtate militari, dictum etiam eſt. Coronidis loco cautiones adjectæ ſunt, & quæſitum de divinis honoribus, an illi majeſtatem concilient; & ſic, ut opinor, naturam majeſtatis, & illi oppoſiti contemtus ſufficienter inquiſivi.

LXIII. Qui aſſererent majeſtatem imperantium, utinam non nimis pauci hiſce temporibus invenirentur. Contemtus enim principum, ita hodie multorum animos obſedit, uti ridiculi ſint, qui mirentur hodiernas imperiorum & rerump. turbas, interneciones exercituum, & juven-



Digitized by Google

ventutis ſtrages: nec ſimul infeſtos animos ſubditorum adverſus principes contemplentur, quos excitant, ſtimulantque magis ſeditioſa ſcripta de tollendo rege, ſi quid peccarit, de imperii jure, populo debito, & vindiciæ adverſus tyrannos &, quod caput eſt, religionis & libertatis prætextus. Non ita ſane primævi Chriſtiani, qui licet religiones, & urbes, & pagos, & oppida impleviſſent, tamen ethnicis imperatoribus iisque monſtris, ſæpe magis quam rebelliones & arma, adverſus imperantes movere: & ſua conſcientia tuti, publicam quietem etiam cum ſua cæde voluere eſſe ſalvam. At nullus titulus penes eos fuit imperii, neque ulla particula, quemadmodum in multis hodie provinciis contra eſt. Thebæa legio paucis apparitoribus cervices porrexit, tantum ut obſequium principi denegatum non videretur: & tamen electio Imperatorum, & multa alia inſignia jura eo tempore penes exercitus erant, qui cum erant ſatis magni & multi, penes hos erat τὸ κύριον: aut, ut Ariſtot. loquitur, erant κύριοι τοῦ μένειν ἢ, μὴ τὴν πολιτείαν. At hoc quantum eſt: Nec quiſquam cordatus eſt, qui neſciat principum contemtum, & oppugnationem rem eſſe impiam, & improbi exempli, peſtem rerumpubl. & gentibus exoſam. Nos Deum precamur, uti a quam optimis regantur homines, & uti, qui reguntur, piis cultibus, officiisque principes ſuos venerentur: & denique, uti inter ſe quoque imperantibus firma pax & concordia ſit.

## COROLLARIA.

I. *Circulorum Germaniæ uſus non modo in exequutione conſiſtit, ſed etiam, ut ratio tributorum facile iniri poſſit: ut de delinquentibus eo rectius conſtet, ut facile copiæ militum expediantur: ut vires & robur hujus nationis innoteſcant: ut officia civilia recte diſtinguantur; ut cenſus, ſi opus ſit facilius minui aut intendi poſſit: ut res monetaria recte conſtituatur; ut pax conſervetur: uti conſtat ex receſſibus imp. anni* 1544. 1548. 51. *&* 55. *tamen multis etiam damnis affecit rempubl.*

II. *Multitudo litium in ſummo Germanorum judicio ex parte caveri poteſt, ſi negotia judiciaria dividantur, & dum alii in aliis cauſis ſententias ferunt, alii interea in aliis vel iisdem cauſis interlocutorias ferunt ſententias, expenſarum ineant rationem, teſtes audiant, aliosque actus medios exſequantur. Ita cautum in Cammer-Gerichts-Ordnung anno* 1500.

III. *Παμβασιλικὴ Reſp. pauciſſimis gentibus recte convenit: ex adverſo tyrannis nonnunquam & juſta eſt, & populo neceſſaria.*

IV. *Nullum olim in omni Europa fuit regnum παμβασιλικὸν, cumprimis in Celticis, Germanicis, & Sarmaticis populis: vix etiam hodie aliquod reperitur, quod omnino jure tale ſit.*

XXVI.

Digitized by Google

# XXVI.
# NAAMANIS BENSENII
*EXERCITATIO POLITICA*
DE
# SUMMÆ POTESTATIS SUBIECTO
*VINDICATA*
A
## JOANNIS FIGLOVII
ALIORUMQUE INEPTIIS ET CALUMNIIS, QUAS PARTURIT
LIBER
DE
## IMPERIO, ABSOLUTE ET RELATE
CONSIDERATO,
OPPOSITUS
## V. CL. HERMANNO CONRINGIO.
PRÆMISSA EST
EIUSDEM CONRINGII
EPISTOLA DE HOC IPSO NEGOTIO.

---

ANNO MDCLI.

*SERENISSIMO AC CELSISSIMO PRINCIPI AC DOMINO*
*DOMINO*
# FRIDERICO
HEREDI NORWEGIÆ
DUCI SLESVVICI, HOLSATIÆ, STORMARIÆ ET DITHMARSIÆ,
COMITI OLDENBURGIACO ET DELMENHORSTANO,
*PRINCIPI AC DOMINO MEO CLEMENTISSIMO*
FELICITER ATQUE FELICITER!

Cunctis rebus SERENISSIME PRINCEPS, DOMINE CLEMENTISSIME, ineſſe quendam veluti orbem, ac quemadmodum temporum vices, ita rerumpublicarum verti, ipſo annorum uſu edocemur. At vero rerum momenta, quibus fiat, ut omnia veluti in circulum agantur, non niſi a ſapientioribus recte animadvertuntur. Inter eas certe, quæ ad imperia civilia vel transformanda, vel deſtruenda, faciunt, haud poſtrema cenſeri poſſit ingenii humani volubilitas, ac novitatis amor; *novis* namque *ſemper cupiditatibus* (ut loquitur Philoſophus romanus *l. 5. de benefic. c. 5.*) *non quid habeamus, ſed quid petamus, inſpicimus: non in id quod eſt, ſed quod appetitur, intenti: Quicquid enim domi eſt, vile eſt. Sequitur autem, ut, ubi quod acceperis, leve novorum cupiditas faciat, auctor quoque eorum non ſit in precio. Amavimus aliquem, & ſuſpeximus, & fundatum ab illo ſtatum noſtrum profeſſi ſumus: deinde irrumpit animum aliorum admiratio, & ad ea impetus factus eſt, uti mortalibus mos eſt ex magnis majora cupiendi; protinus excidit, quicquid ante apud nos beneficium vocabatur.* Hujus rei ut exempla omni ævo longe uberrima, ita ſeculis proximis obſervare fuit multo luculentiſſimum pariter ac pernicioſiſſimum. Quamvis enim nullo non tempore reperti ſint homines, privatim degeneres, in publicum exitioſi, qui rebus compoſitis nihil ſpei haberent, ac proinde civile frenum deteſtarentur; hocce tamen inprimis inſurrexere fanatici nonnulli, qui beneficiorum a Regibus, Principibus atque ariſtocraticis dominis in ſe ſuosque majores collatorum parum memores, libertatem ac ſpecioſa nomina jactantes, civile vinculum reſcindere, atque adeo humanam ſocietatem ipſam, imo universi

verſi

Digitized by Google

verſi compagem convellere ſunt conati. Enim vero, cum civile imperium, qui nunc ſunt mores mortalium, unicum ſit fulcrum humanarum rerum, atque adeo ſine eodem *nec domus illa*, ut inquit Cic. 3. *de legib. nec civitas, nec gens, nec hominum univerſum genus ſtare, nec rerum natura omnis, nec ipſe mundus poſſit*, facile apparet, quantum periculi nova illa peſtilentiſſima doctrina ſub ſpecie ſtatus popularis nobis portendat. Atque huic tamen ipſi, ac ſi in convulſionem univerſi conſpirarent, quam plurimi tam ſacri, quam profani ordinis nomen dederunt. Illi quidem partim, ut muſtea, nec in ratione veri fundamentum habentia, dogmata eo commodius propugnarent, partim nova diſſeminarent, nihil non ſibi in ſummos permiſere Principes & capita. Etenim, poſtquam natum erat conſilium de rebus ſuis vel ſtabiliendis, vel novandis, nihil non ſibi tentandum arbitrabantur, quo, quod animo occœperant, eo promptius exſequerentur; cumque adeo auſis ſuis parum æquos deprehenderent eos, qui cum ſumma rerum erant, ante omnia hosce vel refrænandos, vel, ſi nollent, trucidandos ſibi ſumpſerunt. Neque bene gerendæ rei occaſio ipſis deeſſe poterat; per cuniculos namque, cum vi minus pollerent, atque ſic aperto Marte pugnare non auderent, negotium aggreſſi, religione in ſuum commodum abutebantur, ſubque pietatis ſpecie ſenſim hominum animis ingerebant doctrinam de reipublicæ primoribus coërcendis, quæ hac tempeſtate tam altas egit radices, ut ægre evelli poſſe credatur: maxime quidem, poſtquam magiſtri profani in reliquorum ſententiam propendere cœperunt. Ex eo ſcilicet horrendæ voces auditæ depoſcentium ſummos Principes, ut malæ fidei poſſeſſores, ad carceres, ad gladios, & mirum ſit, niſi tandem etiam ad ipſas rotas.

Ego quidem, cum rerumpublicarum peſtem hanc indies magisque efferveſcere, ac ſummorum Principum capita petere animadverterem; totum negotium, quæ mea eſt tenuitas, complexus animo, operæ precium facturus mihi videbar, ſi probe mecum omnia diſpicerem. Ubi vero ſerio in hanc curam incubueram, viſus fuit totius diſputationis cardo in eo quidem verti, an, quod hodiernorum politicorum multi affirmant, nos vero præfracte negamus, *ſummum imperium naturaliter debeatur populo, cumque eodem tam arcte ſit connexum, ut nulla ratione vel avelli, vel abdicari queat, non magis quam vita, qua quis fruitur? An*, quod inde educitur, *Reges, Principes ac ariſtocratici domini ſint malæ fidei poſſeſſores, atque adeo mortaliter peccent, ſi ſummi imperii jura uſurpent*? Et denique, quod itidem inde elicere conantur, *an populus capitalis peccati reus ſit, ſi Principum &c. imperium patiatur, ac non potius poteſtate, ſique reſiſtunt, fortunis ac vita evertere eosdem teneatur?* Ut vero eo magis conſtaret, quid veri falſive nova hæc doctrina haberet, conſtitueram mecum more academico libellum theſium conſcribere, eundemque publice examinandum proponere: quod & ipſum ante annos plus minus duos, Præſide HERMANNO CONRINGIO, Profeſſore hujus academiæ celeberrimo ac Præceptore æternum venerando, factum eſt. Quæ res cum alios multos, tum inprimis quendam, ex hac academia exeſſe publice juſſum male habuit; igitur pro eo, quo academiæ patres proſequitur odio, in clariſſimum CONRINGIUM ſtringere calamum, ejusque famam congeſtis, hunc in finem variis (ſit venia verbis) mendaciis & calumniis, lacerare non erubuit. Quas, cum metus eſſet, ne incautis & harum rerum ignaris imponeretur, & ſic macula aliqua CONRINGIANO NOMINI inureretur pro ea, quam Præceptori optime merito debeo, pietate paucis retundendas putavi. Quando vero theſium noſtrarum libellus in veſtrum, SERENISSIME PRINCEPS, DOMINE CLEMENTISSIME, nomen fuit editus, neque ab inſtituto noſtro alienum fore exiſtimavimus, ſi vindicias haſce, pro veritate noſtrarum theſium, atque adeo pro legitima Principum, Regum, aliorumque ſummorum capitum poteſtate, adverſus capitales hoſtes aſtruenda, conſcriptas SERENISSIMÆ VESTRÆ CELSITUDINI CONSECRAREM, devota mente obteſtans, ut quemadmodum poſitiones ſæpe laudatas, ita etiam vindicias pro iisdem ſerena fronte accipere, mihique & meis ſtudiis favere ne dedignetur. Rex Regum ac Dominus Dominantium SERENISSIMAM VESTRAM CELSITUDINEM CUM CONIUGE ET PROLE SERENISSIMA ab inſidiis diaboli ac maleferiatorum hominum tutam ac ſalvam præſtet. Scribebam in illuſtri Julia, Nonis Auguſti anno 1651.

*Sereniſſimam Veſtram Celſitudinem*
*humillime colens*
NAAMAN BENSEN.

## HERMANNUS CONRINGIUS
## NAAMANI BENSENIO
### PRÆSTANTISSIMO VIRTUTE ET DOCTRINA JUVENI, IISQUE NOMINIBUS SIBI CARISSIMO
*S. P. D.*

Probo conſilium tuum, cariſſime Benſeni, quod conſtitueris reponere non nihil improbis Figlovii criminationibus. Si ſane illæ mereantur reſponſionem aliquam, & unus par tu es illi rei, ut qui jam tum hac ætate ad longe majora ſis idoneus, & par es tute unus, hoc ut agas. Etſi enim, nomine tuo diſſimulato, in me calamum ſcurra ſtrinxerit, noſti tamen in omni illo libello, quem petit, nihil meum eſſe, ſed ex tua omnia penu profluxiſſe; neque me amplius aſtrictum ad ulteriorem ejus defenſionem, poſt publicum ſcholæ noſtræ examen, jam dudum inſtitutum.

Ea

Ea nimirum eſt conditio exercitationum iſtiusmodi ſcholaſticarum, in rebus præſertim levioribus, quales quæſtiones, meo Galeno, λογικαὶ dicuntur, ut illæ ludi quidam ſint διαλεκτικῆς γυμνασίας; ut oſtendat reſpondens, quid poſſit in defendenda propoſita theſi, opponens, quid in ea oppugnanda: perinde, ſicut olim dialecticæ diſputationes non fuere ζητητικαὶ τοῦ ἀληθοῦς, ceu loquebatur Aphrodiſæus Alexander. Eo ſane animo ſoleo ego præſidium diſputantibus commodare: eoque ſæpenumero patior proponi theſes, a ſententiis meis alienas, tantum ſi ſperem in corona illa ſcholaſtica per reſpondentem meum poſſe eas defendi. Inique profecto mecum comparatum eſſet, ſi omnia, quæ in iſthac arena aliquando ſum tutatus præſidio meo, præſertim, ſi, me auctore, non ſint propoſita, (ut ſunt pleraque) inter meas ſententias velis numerare, egoque tenear illa ſerio adverſus omnes omni tempore defendere. Si qua igitur defenſione opus ſit theſibus tuis, mi Benſeni, illa profecto non a me expectanda eſt, ſed abs te, qui earum es auctor. Nec tamen video, qui vel tu poſſis iſthuc jure adigi, ſi provocaris ad reſpondentum privilegia, qui nequaquam tenentur theſes ſuas rationibus approbare, aut extra publici examinis actum ſuper iis cum quopiam contendere. Sed & ea ſunt Figloviana, ut ultricem lictorum flammam potius mereantur, quam doctam aliquam confutationem tuam. In illa ſcilicet incidimus tempora, quæ & calumniis in Juliæ noſtræ ſcripta, dicta, facta, patulas præbent aures, & per novam illam poplicolarum doctrinam, quam ſcurra tuetur, omnibus rebuſpublicis univerſi terrarum orbis, horribilem μεταμόρφωσιν minitantur. Et vero eo plus damni fortaſſis ab iis chartis eſt metuendum, quod in media Germania, loco illuſtri, a theologo primario lectæ, non rejectæ tamen, a JCto ſummo non lectæ tantum, ſed & manus ſigno approbatæ, ibidem lucem viderint, & frequentiſſimis nundinis, huc illuc, libere ſint divenditæ; cum contra, theſes tuæ intra ſcholæ pene limites ſeſe (ut ſolet) continuerint. Ut proinde, niſi reſpondeas, facile credi poſſit, theſibus tuis probata illa omnia, aut potius me probare, quæcunque ſcurra mihi adſcribit: cum tamen eorum magna pars non mihi, non tibi unquam, vel per ſomnium venerit in mentem: ſenſim etiam Cromwellica doctrina, auctoritate magni doctoris ſtabilita, in Germaniam noſtram, ſumma cum reipublicæ noxa, queat recipi. Quæ cauſa hominem impulerit, ut te diſſimulato, quem non ignorabat theſium auctorem eſſe, in me virus ſuum maluerit expuere, equidem neſcio. Hoc ſcio, nullo verbulo me illi unquam vel moleſtum fuiſſe, (nec enim mihi fuit notus) antequam prætextu tuarum theſium, maledicis literis in caput meum credulam plebem inclutæ viciniæ urbis concitaſſet. Pudet meminiſſe, quas tibi nebulo turbas adverſus me commoverit, nihil tale opinantem, & reipublicæ patriæ ergo profectum peregre, majores daturus, niſi prudentum conſilio Deus avertiſſet periculum. Pene mihi perſuadeo, natum in me odium ſingulare ex eo, quod viſus ipſi ſim, miſlentianam improbitatem nonnihil ipſius opinione acrius inſectari. Quantum enim ex aliis intelligo, illas iniquas partes calide eſt ſolitus ſuſcipere, dum hic apud nos viveret. Et vero non deſunt viri prudentia eximii, quibus, ex eodem iſto partium ſtudio, Lipſiæ quoque, favorem illum erga hunc hominem ortum, ut licuerit illi per unum & alterum ex ſummatibus tam petulanter mihi inſultare, veriſimile videatur. Quorum ego rationibus hactenus tamen nolui fidere, (quid enim? *tanta ne animis cœleſtibus iræ?*) etſi minime omnium me lateat, quanta ſit factionum vis in partium ſtudio, quale cum æterno & ſeculi hujus, & eccleſiæ noſtræ, inter proteſtantes primariæ, opprobrio, hiſce aliquot annis rurſum incipit. Non diffiteor tamen, nihil me cauſæ invenire, quamobrem & Hulſemannus & Carpzovius, quorum in poteſtate fuit avertere, vel certe moderari, tantam injuriam mihi ab ejusmodi ſcurra paſſi ſunt fieri, ne quid de re ipſa nunc dixero. Etenim cum Carpzovio, nihil mihi hactenus amicitiæ interceſſit quidem, nulla tamen unquam re fuit a me læſus. Nam quod audio conqueſtum, me ab ipſius ſententiis nonnullis diſſidere, non negaverim equidem: nunquam tamen ille ſive ſcripto aliquo, ſive in academicis διατριβαῖς ullo verbulo, nominatim a me eſt tactus. Niſi autem vehementer fallor, non ille eſt Carpzovius (in politicis ſane, vel imperii noſtri negotiis, de quibus forte non idem affirmamus) ut diſſentire ab illo injuria ſit. Cum Hulſemanno & patria mihi communis eſt, & aliqua ex parte prima in ſcholis inſtitutio. Ex quo uterque profeſſorio fuit munere ornatus, per literarum frequens commercium aliquot annos arctior inter nos amicitia culta eſt. Ejus fiducia fretus, ſimulac per amicum intellexi, quid Lipſiæ (ubi tum recens advenerat ſuffarcinatus maledicis chartis, quas alibi, opera tributaria, per neſcio quos juſti atque injuſti magiſtros adjutus, commaculaverat) moliretur Figlovius, & quidem Hulſemanno & Carpzovio conſciis, ſtatim & literas ad Hulſemannum dedi, (niſi quid me fallit) quales amicus amico ſolet ſcribere, & ſimul miſi tabulas publicas ſenatus noſtri academici, quibus ex hoc loco facinorum variorum cauſa novus illorum hoſpes erat non adeo pridem relegatus. Recitabo tibi illas utraſque, Benſeni, ſaltim ut per te alii intelligant cauſam omnem, ſimulque eo rectius judicent, num quæ mihi ſit facta, ab Hulſemanno præcipue, injuria, nec ne. Epiſtola hæc erat:

*Plurimum Reverende, Clariſſime atque Excellentiſſime Vir, Domine Amice & popularis honorande,*

Non adeo pridem commendavi tibi juvenem, fiducia amicitiæ noſtræ, eodem animo, ad te nunc redeo, famam honoremque tibi commendaturus. Intellexi nimirum, nomen meum, ut & totius academiæ noſtræ, perſtrinxiſſe indignis modis Figlovium quendam, eumque in eo jam eſſe, ut calumnias ſuas veſtris non typis tantum publicet, ſed etiam præconiis exornet. Atque

ego quidem, non eſt, quod nomini detrimentum aliquod metuam, ſive auctorem, ſive rem ipſam ſpectem. Auctor enim qualis ſit, teſtimonium academiæ publicum, quo hinc juſſus eſt exeſſe, ſatis oſtendit. Theſes vero, quas oppugnandas nebulo ſuſcepit, quantum intelligo, non me habent auctorem, ſed illum, qui reſpondentis partes egit, id quod ne quidem ipſummet illum ſcurram latet. Neq; illæ aliud quiddam defenderunt, quam non ſemper ſummam reip. cujuslibet poteſtatem jure penes populum eſſe, ſed interdum etiam penes unum Regem & Principem, interdum penes multos, interdum ex parte penes unum, aut multos, aut omnes. In quam ſententiam univerſus pene ſapientum ordo hactenus conſenſit. Imo totus mundus; quippe quum fundamentum ſit omnis μοναρχίας, ὀλιγαρχίας, ἀριϛοκρατίας, quo ſubruto, omnes reſpublicæ totius mundi convelluntur. Hanc theſin itaque vindicare a maleferiatorum nebulonum oppugnationibus, facillimum profecto eſt. Neque vero poſſum animum inducere, quenquam in ampliſſ. Veſtro academico ordine ſcurriles hominis chartas, impiam anglicanorum Parlamentarium hæreſin propugnantes, probaturum, aut ut typis publicentur, permiſſurum. Quoniam tamen fortaſſis negotium omne haud æque omnibus eſt perſpectum, neque velim famam meam ab impuro cane admorderi, interim dum mihi in aulam ſuecicam eſt eundum (id quod fiet, Deo volente, perendie) rogo te etiam atque etiam, uti pro ea, qua vales, auctoritate furioſi ſcurræ latratus compeſcas; quod ipſum a brunſvicenſis urbis eſt ſenatu factum, cui tamen cum Principum brunſvicenſium famoſa inſectatione ſtuduit nebulo blandiri. Non dubito, & bene te velle cum nomini meo, tum ipſi veritati, & poſſe te facile improbos conatus prævertere. Sane illud uti agas, intererit quoque loci veſtri: utpote qui, permiſſa chartarum illarum publicatione, non poterit non maculam ſibi inſignem contrahere. Vale Vir Excell. & favere mihi perge. Helmſtadii 17. May 1650.

*Plur. Rev. dignit.*

*Tuæ*

Cultor

HERMANN. CONRINGIUS D.

Jungam epiſtolæ edictum ſenatus noſtri:

*Prorector & Senatus Academiæ Juliæ.*

Triennium fere eſt, quando Tu, Johannes Fichlovi, Inſterburgenſis Boruſſe, in numerum civium noſtrorum receptus promittebas, & jurato quidem, ut mos fert, te nobis obſequium & reverentiam, & quicquid leges noſtræ requirunt, (requirunt autem nihil aliud, quam quod in S. decalogo ab unoquoque Chriſtianorum exigitur) bona fide præſtiturum. Et memorem quidem te ſanctæ hujus promiſſionis futurum, legibusque noſtris obtemperaturum, omnes tum ſperabamus. At vero præter omnem ſpem ita te hic geſſiſti, ut quod dolemus, multorum criminum reus factus ſis. Cum enim non ita pridem civi cuidam oppidano ſine cauſſa (quam enim tu prætendebas, nullam prorſus judicavimus) grave vulnus inflixiſſes, & iis, qui pro tua pariter ac publica ſalute excubias agunt, quod te, ut a convitiis & vi illa deſiſteres, ſevere dehortati eſſent, incendium ſeditioſa voce minatus fuiſſes, nosque, ut vulnerato, quæ in curationem impendiſſet, & quicquid ei præterea abeſſet (per parvi autem illud æſtimatum erat) reſtitueres, ſententia noſtra tibi mandaſſemus, dilata in aliud tempus pœna, in noſtrum judicium ejusque inde ab ipſa academiæ introductione receptum procedendi morem non tantum ſic invehebaris, ut omnem modeſtiam te abjeciſſe judicaremus, ſed etiam peccatum abs te nullum ea in re commiſſum, imo ſi non feciſſes (de vulnere autem inflicto ſermo erat) adhuc te facturum impia voce aſſerere non dubitabas. Nec his contenta fuit inſignis tua malitia, ſed cum ſententiam noſtram pœnalem parumper ſuſpenderemus, foreque putaremus, ut quod arreſto academico obſtrictum te reliqueramus, ad meliorem mentem interea redires, aut ſaltem ad facinus novum non pergeres, tantorum criminum reus, non erubuiſti honeſtiſſimorum hominum famæ inſidiari, eamque apud alios paſſim malitioſe in diſcrimen vocare, ſed irrito plane conatu, adeo ut in publico judicio ſponte tua, & nemine cogente, palam tandem faſſus ſis, injuriam te hominibus integræ famæ feciſſe, ac mendacium te dixiſſe tuamet manu teſtatus fueris. Parum autem nimis tibi viſum fuit ejusmodi patrare facinora, niſi etiam magiſtratui contra fidem, jurejurando datam, inſultares, eique, ſi quid in te adverſi (pro merito tamen tuo) ſtatueretur, dira & horrendum dictu extrema fere minitareris. Ne quid nunc de eo dicamus, quod contemtor ſacrorum fueris, quod duello, legibus noſtris ſevere interdicto, cum aliis aliquoties dimicaveris & alia, legibus noſtris adverſa, commiſeris. Quæ omnia inveteratam tuam & ab ipſo diabolo tibi paratam malitiam luculenter demonſtrant. Ne itaque nobis legibusque noſtris diutius inſultes, Te Johannem Fichlovium, Inſterburgenſem Boruſſum, unanimi hoc noſtro decreto ad annos XII. ex hac academia Julia relegamus, ex eaque exeſſe jubemus. Agnoſce, ſi ſapis, paternam hanc animadverſionem, qui longe graviorem promeruiſti, & quoniam hic noluiſti, apud alios reſipiſce, Deumque bonam mentem roga, niſi dignam facinoribus tuis pœnam & tandem æternam perniciem incurrere velis. P. P. d. 17. Mart. anno MDCL.

Utrumque hoc recte traditum fuit Hulſemanno, & quidem paucos intra dies. adeoque ſic ſatis tempeſtive & re omni fortaſſis adhuc integra. Neque forte dubites, Carpzovio per Hulſemannum eadem communicata. Etſi vero uterque non legerit tantum Figloviana, verum etiam (ut ſui quisque ordinis eſt primas) in illa cenſorem egerit, Hulſemanni quoque auctoritate nonnullæ plagulæ iis ſint detractæ; apud neutrum tamen tantum valuit æqui, & honeſti, & veri ratio,

ratio, [ne quid dicam de communis patriæ & amicitiæ juribus,] ut putida in famam meam, & totius illuſtris ſcholæ noſtræ convitia & mendacia, per ſcurram facinoribus ſuis adeo inſignem jacta, delerentur. Ita per illos cenſores factum eſt, ut impuri nebulonis calamo, in celeberrima Lipſia, quaſi coram orbe univerſo, Julia proclamata ſit, *tanquam ſemper aliquid monſtri alat; ego peſtilentiſſimorum hominum cœtui adſcriptus, degener Friſius, Illuſtrisſimi Oſtfriſiæ Comitis Conſiliarius titulatus* [niſi fallor autem perinde hoc illi eſt, atque non ſim reapſe ea dignitate, ſed tantum nomine tenus, & ne id quidem forte ullo merito] *dignus, qui in Anticyras mittar*, & ſimilibus aliis nominibus audiam. Immo etſi ipſamet diſputatio tua, te auctorem præ ſeſe aperte ferat, Hulſemannus etiam ex literis meis id ipſum intellexiſſet, tamen paſſi ſunt ambo illi per ſummam injuriam nomen meum exagitari contra conſcientiam ſuam. Certe ut Carpzovium hic excuſes, quo tamen colore Hulſemannum fucare poſſis, haud apparet. Cæterum, quæ cauſſa impulerit, ut ita hæc fieri a ſcurra in Academiam noſtram, & me non minore fortaſſis, certe non multum inferiore ac illi ſunt dignitate, uterque & Chriſtianus, & doctor, & profeſſor celeberrimus, alter Theologus ſimul & Eccleſiaſtes, alter JCtus & judicii aſſeſſor, & quod caput dixeris Hülſemannus alter, alter Carpzovius, honeſti ac recti poſtpoſita ratione, voluerint, etſi multis per ſit veriſimile, ex inſano quodam in hanc Juliam odio id profectum eſſe, tamen aliorum judicio, perinde ut injuriæ vindictam Deo, committere nunc malo. De Carpzovio tu, ſeorſim Benſeni, habes jure, quod conqueraris, quod vel non lectis tuis theſibus tamen probaverit cenſura ſua figloviana mendacia, [quis enim feret in ordinario juridici ampliſſimi Collegii, ut pronunciet tantum una audita parte? Sane ut ſit hoc fortaſſis illi ordinarium, tamen eſt extra juſti ordinem] vel vero adeo illas oſcitanter legerit, ut non attenderit, quam multa affingat nebulo illis tuis theſibus, quæ tamen vel tyro aliquis obſervarit, aut puer qui nondum [ut ille ajebat] lavatur ære. Quam enim patet, illa quæ ex tuis theſibus exculpit ſcurra, & mihi adſcribit, eſſe mendacia! Quaſi in illis *invadas jura liberorum populorum, eosque mancipiis exæques; principum manus ad ſanguinem innoxium fundendum præpares; popularem ſtatum ad Orcum usque deprimas: ſtatum monarchicum ingentibus laudibus, non tamen citra invidiam ornes; ſimpliciter affirmes, principes non eſſe propter ſalutem populi, ſed populum propter principes, indefinitam principibus* (hoc eſt, ut ipſe interpretatur, *neque naturæ neque gentium decretis, neque conventionibus limitatam*) *poteſtatem concedas probes Hiſpanorum illa, quæ in Americanos iſti commiſere, aut Græcorum in Barbaros, quod ſibi arrogabant imperium: tyrannicam poteſtatem cum vero regno confundas: remp. principi commiſſam eſſe, doceas, ut propriam & privatam curet utilitatem, homagium nudam ceremoniam eſſe ſtatuas: primores vero & antiſtites reip. Brunſvicenſis mirum in modum exagites.* Et quæ ſunt illius notæ alia. Sed fortaſſe dixerit Carpzovius, ſolis iis, quæ politici, aut juridici ſunt argumenti, a ſeſe calculum tributum. Neque negaverim ſpeciem aliquam ineſſe huic excuſationi, ſi ἐν θέσει rem omnem agitaviſſet Figlovius; nunc quum ex profeſſo tuis ſeſe theſibus objiciat, idque unice agere voluerit videri, non liquet profecto, qui tuam cauſam cenſor poſſit prætendere, veluti illa ad politica, a ſeſe approbata non pertineat. Verum condonetur hæc culpa illi ordinario, quoniam imprudente cenſura ſua, illis, quæ extra controverſiam πολιτικὰ ſunt aut juridica, nomen auctoritatemque ſuam usque adeo maculavit, ut quemadmodum poſſit in integrum illam reſtituere, multis pene videatur ἀδύνατον. Utique enim approbavit cum alia longe iniquiſſima, tum illa: *Status monarchicus inter cæteros eminet quidem, aſt propter faſtum ac libidinem dominandi, qui adfectus huic ſtatui plane familiaris, eſt bonis moleſtus; ſummum imperium dependet proxime a conſenſu, ſuffragio, & voluntate populi, adeoque non eſt independens: Summum imperium ratione fundamenti & proprietatis, pertinet ad corpus univerſalis conſociationis, cui radicaliter ineſt, nec ab eo avelli poteſt, ratione vero adminiſtrationis & exercitii, ſpectat ad ſummum magiſtratum, cui a corpore reipubl. eſt commendatum: Ab omni crimine vacuus eſt populus, ſi injuſte imperanti publice renunciet.* Evertunt autem hæc omnium reip. ſpecierum fundamenta ipſa, divino naturæ & gentium omnium jure conſtituta & hactenus ab orbe usque condito uſu recepta, adeoque univerſum mundum perturbant. Nec enim vel ipſimet democratici iſta quidem conceſſerint [hactenus certe eorum nulli conceſſerunt) utpote quum nullus unquam fuerit paulo potentior popularis ſtatus, quin imperaverit aliis, & ita quidem, ut jura majeſtatis in illos ſubditos ſuos crediderit ſibi ſoli competere, non autem dependere illa a conſenſione aut ſuffragio illorum quibus imperat. Sane populus Athenienſis & Romanus, tale jus ſibi in provincias tribuerunt: hodie Helvetii, Rhæti, Belgico Germani liberi, ipſi pridie nati Angli, populis ſibi ſubjectis negant omnia majeſtatis jura. Liberæ quoque imperii noſtri urbes, non profecto cedunt, ſuum in vicinos pagos dominium a ſuffragio agreſtium dependere. Sibi ſolis quoque, non ſubditis provinciis, jura ſummæ poteſtatis tribuerunt olim Spartani, Carthaginenſes, & fœderati omnes, ſive Ætoli ſive Achaici, ſive Theſſali. Non in alia hodie ſunt ſententia patritii Veneti, ut deſinant calumniæ, quæ ſolos reges ejusmodi jura ſibi arrogare blaterant. Pone vero, illa Carpzovio probata. Conſequens hinc ſane eſt, reges omnes, principes & optimates, imo uno verbo omnes imperantes, auctoritate populi ſubjecti dignitate ſua frui, nec niſi meros eſſe magiſtratus, adeoque, ſi populus non amplius in illorum potentiam conſentiat, tunc illos ea excidere. A moribus profecto germanici imperii noſtri hæc alieniſſima ſunt. Ubi illis, qui ſummis magiſtratibus funguntur, non utique a populo ſuo ſubdito, ſed a Cæſare regalia quæ appellantur, quæque haud exiguam conſtituunt majeſtatis jurium partem, ſolent concedi: idque jam octingentorum amplius annorum ſpacio obtinuit, ex quo nimirum Germania univerſa Francorum armis victa, in victorum regum ditionem devenit. Quam vero & illa juribus imperii noſtri publicis adver-



Digitized by Google

ſantur! *Matriculas imperii vetuſtisſimas eſſe perfectisſimas, & majore reliquis auctoritate: Ejus quod urbs aliqua ſit immediate imperio ſubdita, ſignum eſſe merum & mixtum imperium, jus conſtituendorum magiſtratuum, jus venandi, jus cudendæ monetæ, item quod ejus nomen in matriculis vetuſtisſimis reperiatur.* Omnia ſane hæc Figloviana ſunt, & ad jus publicum imperii noſtri pertinent: ac proinde & a Carpzovio ſunt probata. Neſcio, an cenſor ille extra claſſem juridicam, & politicam projecta velit, adeoque nec probaſſe videri cupiat illa, quæ Figlovius paſſim interſerit ad hiſtoriam rerump. pertinentia. Quæ inter ſunt, & iſta de urbe Brunſviga Sereniſſimorum Ducum noſtrorum juribus, & ſententiis ſummi judicii Cæſarei Cameralis διαῤῥήδην oppoſita, invitis illius civitatis melioribus, & ſcurram averſantibus, ſpero non probaſſe. At delere oportuit improbata. Fortaſſis vero nihil eorum, quæ modo dixi, ſerio probavit Carpzovius. Qui enim iſtiusmodi placita doctor & profeſſor juris non a multis, quique Sereniſſimo Electori ſacramento adſtrictus vivit, tueatur, quæ & juri omni adverſantur, & nata ſunt humanæ ſocietati turbandæ, & ipſiuſmet ſui Domini e majoribus in ſeſe derivatam legitime poteſtatem evertunt. Cæterum & Hülſemanno non potuerunt non ſaltim pleraque illorum diſplicuiſſe, ut & illa, quæ de jure regio Hebræorum diſſerit Figlovius. Longe ſane alia & meliora docuit *cap. XX. Extenſi* ſui *Breviarii.* Et tamen in ſacro hoc libro, nihil eorum etiam ab illo eſt emendatum. Vehementer vereor, ne arriſerit liber tantum, quod mihi maledixerit, qui faveam Calixto noſtro. Perinde ut quondam Caſcellius, an nux pinea pomum eſſet interrogatus, *pomum eſt* reſpondit, *ſi in Vatinium miſeris.* Ita eadem modo placent, modo diſplicent, & infanda quoque laudem nunc inveniunt, ſi petant noſtram Juliam. Verum ut ad epiſtolæ initium redeam: etſi figloviana illa monſtra non aliquem cum clava Herculem, ſed lictorem cum virga & faſcibus mereantur, & in nebulonem ejusque ſcriptum indubie animadvertent, quibus hæc a Deo eſt poteſtas data, (nec enim te latet, quid jam tum ſit a magnis principibus conſtitutum) operæ tamen feceris pretium, cariſſime Benſeni, ſi a maledicis chartis theſes tuas tuearis, & ſalutarem orbi doctrinam, prout cœpiſti, porro pergas proponere. Nec enim parum eſt periculi, ab illis novis Politicis Anglicanis, quorum infamia in omne ævum facinora, quemadmodum (uti audio) inter ſodales laudare & tueri ſcurra ſolet, ita nunc & doctrinam, auctoritate tanti viri munitam, & in media Germania, loco celeberrimo, publicatam, apud rerum imperitiores quosdam indubie reddidit nonnihil plauſibilem. Optime autem fortaſſis omni huic rei conſulueris, ſi ſimul ipſasmet tuas theſes in vulgus edas: quoniam non tantum me pariter ac te a putidiſſimis calumniis ac mendaciis, etiamſi nihil addas tuentur, ſed rem quoque ipſam ſic ſatis dilucide & firmiter proponunt. Nequaquam certe habent aliquid, cujus te debeat pœnitere, aut quod lucem publicam merito fugiat. Meæ ſane famæ abunde arbitror cautum, ſola theſium illarum publicatione: cum accuſationis ſuæ Therſites non aliud adducat teſtimonium. Nam quod ſcribit, me ante hac etiam *majeſtatem Cæſarum ita minuiſſe, ut ingens inde mihi fuerit periculum enatum; alibi etiam Brunſwigam, numero liberarum Germaniæ urbium excluſiſſe*, eo argumento, *quod in comitiis imperii locum non habeat*; adeo ſpiſſa ſunt mendacia, ut non ſit, quod ab iis nomini meo metuam: quanquam poſterius ſi dixiſſem, non equidem revocarem. Sed & parum moveor Latratibus rabidi canis; quod animal ne non imitaretur, dixeris exſpectatum ab illo Sirii ortum, uti oportune ſcilicet, tempore genuino ſuo virulento in famam meam & veritatem ſæviret. Non dubito vero, quæcunque tibi viſum fuerit reponere, Benſeni, illa ſatis fore liberandæ veritati a calumniis & improbis objectionibus illius Sycophantæ: etiam ipſemet tamen, ubi paulum otii fuero nactus; ſingulari libro oſtendam, quæ auctoritas, & quod jus populo in rep. competat. Numerum teſtimoniorum, quo jactare ſeſe nebulo ſtuduit, ſecure potes ſpernere, deprompta illa magnam partem ſunt ex tributorum quibusdam loculis, & adducta, vel ubi nulla opus erat probatione, vel ubi rationem, non teſtimonium, res exigebat, vel ubi id, quod probandum erat, cum illo teſtimonio, quod adfertur nihil pene niſi unum aut alterum verbulum, habet commune. Fidei qua uſus eſt ſpecimen cape ex lepida illa narratione de Alberto Magno, quam recitat ex epiſtolis S. Hieronymi, qui tamen octingentis annis Alberto eſt antiquior. Prodiit videlicet homo ex ſchola illorum, quibus religio quidem eſt absque teſte bis duo eſſe quatuor, pronunciare, non vero falſis aut inidoneis teſtibus omnes decipere. Uno verbo, teſtimonia illius plæraque inania ſunt plebejæ indoctorum laudis aucupia, non rerum argumenta. Vale, mi Benſeni, & quemadmodum hactenus, ita porro in ſtudiis civilium rerum, ingenium & induſtriam exercere perge. Helmeſtadi in Academia Julia X. Kal. Majas. Anno MDCLI.

# CUM DEO!

## THESIS I.

Annos per bene multos eſt, quod periculi non minus quam difficultatis plenæ, quæſtiones de principum enatæ majeſtate, varios variarum gentium homines mirum in modum exercere cœperunt. Ex illo quidem nos ex aliis aliæ excepere turbæ, quæ eo usque etiam ſunt progreſſæ, ut regum de capitibus & principum, comitia [exemplo eſt recentiſſimum Britannorum parricidium] agantur, quaſi omnis poteſtas plane iis abrogari debeat. Etſi vero ipſum hoc tale eſt, a quo omnes jure merito abhorrere habeant, cum ipſi naturæ & rationi rectæ bellum indicat, divino & humano juri directe contrarietur, & denique omnem evertat ſocietatem, atque

que innumera malorum genera ſecum trahat; nihilo tamen minus noſtro & proximis inventi ſunt ſeculis haud pauci turbulentorum hominum, qui, ut eſt ingenium mortalium novitatis amans, reges & principes, emiſſis hunc in finem ſeditioſis chartis, omni majeſtate exuere, & populum rurſus induere voluerunt; nulli equidem ſecum reputantes, populorumne omnium humeris eadem apta ſit, nec ne.

II. Primus ex recentioribus quidem, ſi recte conjicio, claſſicum cecinit quidam patricius, MARIUS SALAMONIUS, [quem Tiraquellus *in l. ſi unquam* 8. *C. de revoc. donat.* Ubi opinionem ejus de partu legitimo cenſendo, etiamſi biduo poſt menſem decimum natus ſit, proponit, *virum, plane juris & humanitatis doctiſſimum* appellat] in ſuis de principatu libris, quos pro ratione ævi eleganter ſatis conſcripſit, & Leoni X. conſecravit. At vero in omnibus hiſce quaſi agmen ducit GEORGIUS BUCHANANUS SCOTUS, ſui ſeculi Poëta facile princeps, & cætera quoque non inverecunde doctus; Qui in Dialogo, quem de jure regni Scotiæ conſcriptum nobis reliquit, ad ſummam ingenii felicitatem parem quoque attulit dicendi facultatem; quo ipſo factum eſt, ut incautioribus egregie impoſuerit ſuis verborum lenociniis. Ipſe enim ille, dum regem ſuum cancellis, neſcio quibus includere ſatagit, omnes in univerſum reges populi in manus tradit, utpote quem penes [ex ipſius ſententia] arbitrium eſt, & vis & norma loquendi agendique.

III. In hanc autem ſententiam quaſi pedibus ivere plures quoque alii, viri magnam partem nobiles & eruditi; quorum pars, an privato magis odio, an vero novitatis ſtudio magis fuerit accenſa, dubium hactenus eſt. Certe qui ſub STEPHANI JUNII BRUTI, aut etiam Junii Stephani nomine latitat, [ſic enim ipſe ſe in prooemio, quod alieno nomine edidit, appellat] ſeu PHILIPPUS MORNÆUS Pleſſiacus, [ut Hugo Grotius in Apologia contra Rivetum exiſtimat] ſeu, ut alii autumant, Politicorum ſummus H. Langvettus, ſeu quicunque tandem alius fuerit, ita rem geſſit, ut haud ſit obſcurum, vindicias iſtas privato potius odio, quam ſolidæ veritatis amori deberi. Cæterum, quid JOHANNEM BOUSCHERIUM; hominem religioſum moverit, ut in ſuo, *de juſta* HENRICI TERTII *abdicatione e regno Francorum*, libro, tam nefarie calamum ſtrinxerit in ſacra regum & principum capita, tot tantaque perperam, imo contra omnem divini & humani juris rationem, in illorum ſcripſerit perniciem, nemo facile, niſi cujus ad notitiam haud quicquam pervenit de periculoſis Religioſorum in Gallia tum machinationibus, ignorabit. Sed & [quod mirandum equidem] in horum ſententiam, incomparabilis vir, juſti atque injuſti ſcientiſſimus, FRANCISCUS HOTTOMANNUS in ſua Franco Gallia & libro, de jure regni gallici, propendere videtur, ubi per Francici latus regis ita omnes petit reges, ut haud obſcurum ſit, quo loco eos habeat, aut ſaltem habere velit. Hos tandem longo ordine ſequuntur complures alii: LAMBERTUS DANÆUS in ſua Politica Chriſtiana: PHILIPPUS HOENONIUS in politicis Diſpp. ROSÆUS, Autor ſcripti, quod haud ita pridem, *Poſtilionis* nomine prodiit; quique nuperrime contra Clariſſ. BOXHORNIUM inſurrexit, legum [ut ſe vocat] in ultrajectina Academia Studioſus, aliique quam plurimi; ad quos omnes enarrandos & ſingulos, face foret opus & viatico, ut cum Plauto loquar. Omnibus illis quantumvis multis, palmam præripit JOHANNES ALTHUSIUS, reip. Emdenſis quondam Syndicus, in ſua [ut loquitur] Politica, methodice digeſta, atque exemplis ſacris & profanis illuſtrata; qui peſtilenti velut ſidere quodam afflatus, eo impudentiæ eſt progreſſus, ut ipſa illa ſeditioſorum hominum deliramenta in formam artis redigere, ſacræque teſtimoniis ſcripturæ incruſtare, atque ſic pro veris & genuinis prudentiæ civilis principiis venditare non erubuerit. Quod ipſum tam feliciter ipſi ſucceſſit, ut aſſeclas haud paucos invenerit.

IV. Verum enim vero, quanto majori cum periculo & veritatis, atque privatæ publicæque cum principum & optimatum, tum reliquorum hominum ſecuritatis eſt conjuncta hæc contagio, tanto magis, enitendum eſt, ne latius ſerpat, omnemque evertat humanam ſocietatem. Conati etiam antehac ſunt nonnulli malo huic remedium quærere, egregiamque hac in parte operam præſtitere GUILIELMUS BARCLAJUS in lib. contra Monarchomachos, & in Tr. de poteſtate principp. ſemper inviolabili, HENNINGUS ARNISÆUS, quondam Academiæ hujus Profeſſor celeberrimus, ſed dum in alienis potius oppugnandis, quam ſuis occupantur demonſtrandis, altius profecti ipſam rei indolem, civilisque prudentiæ principia non niſi leviter attingunt, ex quibus tamen quæſtio hæc unice videtur diſcutienda. Poſt viros hoſce ſummos nullus, quod ſciam, hoc in negotio operæ fecit pretium. Interea tamen & publica & privata exigit neceſſitas, ut gliſcenti malo obviam eatur, & abominanda opinio hominum animis penitus evellatur, veraque iterum inſtilletur. Quod cum ego, quæ mei eſt ingenii tenuitas, cum animo cogitarem meo, cæpit cura, neſcio quæ inquirendi hanc in rem, mentem ſubire, ſummorumque virorum ſpicas legendi. Aggreſſus autem ſum ipſum hoc, quicquid rei eſt, non tam mea, quam Excellentiſſimi Domini Præſidis, ceu viri in rebus ad civilem prudentiam pertinentibus, verſatiſſimi, auctoritate fretus: cujus & ductu mihi nata confidentia haſce majeſtatis, ſive ſummæ de poteſtatis ſubjecto qualescunque poſitiones in publicum protrudendi, atque aliorum examini committendi. Quæ ſi locum invenerint, quemadmodum apud æquos judices non dubium eſt inventura; nulli dubitamus, quin altera ſententia, quæ dignitati principum & optimatum aliorumque multorum obſtrepit, nullo negotio per ſe magnam partem ſit collapſura. Jam quidem cauſæ arcem aggredimur.

V. Et initio quidem, a capite ſuo ut rem arceſſamus, ſummi Philoſophi conſilio utemur; qui

qui 1. *Poſter.* 1. cum quædam præcognoſcenda ſemper eſſe, monuiſſet, ſi, quod agitur, recte percipere velis; Διχῶς δ' [ait] ἀναγκαῖον προγινώσκειν. τὰ μὲν γὰρ, ὅτι ἔστι, προϋπολαμβάνειν δεῖ. τὰ δὲ τί τὸ λεγόμενον ἐστὶ ξυνιέναι δεῖ τὰ δ' ἄμφω: cumque omnes inter, ſanæ qui ſunt mentis, aliquam eſſe majeſtatem ſive poteſtatem ſummam, conſtet, in naturam ſaltem ejus, quid & qualis ſit, inquiremus; hac ut perſpecta eo melius diſcamus, quodnam illius ſit ſubjectum, aut cui denique ea competat poteſtas ſumma ſive majeſtas.

VI. Ut autem & hoc eo rectius procedat, vel ipſum illum ſummum Philoſophum in auxilium vocabimus; qui 3. *Polit.* 4. Κύριον, ait, μὲν γὰρ πανταχοῦ τὸ πολίτευμα τῆς πόλεως h. e. majeſtas eſt ſumma in civitate poteſtas ſive ſummum ubique in civitate imperium. At vero, quibus in rebus ſummum illud imperium conſiſtat, ſolent varii varie diſputare, quo de videatur Hugo Grotius de J. B. & P. l. 1. c. 3. §. 6. Philoſophus noſter, ut alios omittamus, 4. *Pol. c.* 14. docet, hiſce potiſſimum abſolvi: Magiſtratuum nimirum 1. creandorum poteſtate: & 2. ferendarum legum: 3. indicendi belli jure & finiendi, 4. jure vitæ & necis, 5. fiſci, 6. repetundarum. Verba ejus hæc ſunt: Κύριον [μόριον] δ' ἐστὶ βουλευόμενον περὶ πολέμου καὶ εἰρήνης, καὶ συμμαχίας καὶ Διαλύσεως, καὶ περὶ νόμων, καὶ περὶ θανάτου, καὶ φυγῆς, καὶ δημεύσεως καὶ εὐθυνῶν. Idem 1. Rhetor. c. 4. alia quoque adjecit; quæ legi ibidem poſſunt. In quibus omnibus priora tria maxime in republica qualibet ſunt conſpicua. Cum enim imperium illud ſummum in duobus hiſce maxime ſit occupatum, tum ut regat, tum ut tueatur rempubl. & vero ad regendam rempubl. quam maxime faciat poteſtas ferendarum legum & magiſtratus conſtituendi, ad tuendam autem jus armorum præcipue: Hinc adeo apparet, tria illa in omni republ. utramque facere paginam.

VII. Ex hiſce quodammodo manifeſtum eſt, quænam ſummæ ſit natura poteſtatis & quæ conditio. Jam non nihil nobis erit diſquirendum, quodnam ejus ſit ſubjectum. Hoc enim multos habet anxios, præ reliquis illos, ut ſic dicam, populares, qui populo majeſtatem omnem tribuunt, a quibus etiam ſtat Althuſius *in c.* 9. *Polit. n.* 18. *& ſeqq.* Nos Philoſophi noſtri filum hac vice ſequemur, quod ut cum recta convenit ratione, ita etiam omni ab ævo fuit obſervatum, & ſecundum ipſum hoc deinde popularium de opinionibus ſententiam feremus: ita tamen, ut exacte prius omnia expendamus.

IIX. Philoſophus autem *l. c. capite* nimirum *quarto decimo l.* 4. poſtquam de poteſtate ſumma, ejusque particulis pauca præfatus fuiſſet: Ἀναγκαῖον, ait, δ' ἤτοι πᾶσι τοῖς πολίταις ἀποδόσθαι ταύτας τὰς κρίσεις, ἢ τισὶ πάσας, οἷον ἀρχῇ τινι μιᾷ, ἢ πλείοσιν, ἢ ἑτέραις ἑτέρας· ἢ τινὰς μὲν αὐτῶν πᾶσι τινὰς δὲ τισί. &c. *h. e. neceſſe eſt vel omnibus civibus hæc omnia decernenda tribuere, vel quibusdam omnia, ſeu uni cuidam magiſtratui aut compluribus, vel aliis alia: vel quædam illorum omnibus, quædam quibusdam &c.* Quæ verba ſic ſatis produnt divini viri mentem, quando deliberationes haſce modo uni, modo pluribus committi aſſerit pro ratione ſtatus reip. Quid enim hoc aliud eſt, quam ſtatuere, ſummæ poteſtatis, cui illæ conveniunt deliberationes, diverſa eſſe ſubjecta, quibus inhæreat? Et ſane hoc illud eſt ipſum, quod magnus Magiſter 3. Polit. 7. diſerte docet; Ἀνάγκη (inquiens) δ' εἶναι κύριον ἢ ἕνα, ἢ ὀλίγους, ἢ τοὺς πολλούς *h. e. neceſſe eſt, ſummam poteſtatem, aut unum, aut paucos, aut multos habere.*

IX. Hinc quoque pro ratione κυρίου, triplex oritur ſimplex gubernandi forma; quæ reſpectu finis iterum diſpeſcitur in rectam & vitioſam, ſic enim pergit Magiſter laudato capite: Ὅταν μὲν ἓν ὁ εἷς, ἢ οἱ ὀλίγοι, ἢ οἱ πολλοὶ πρὸς τὸ συμφέρον κοινὸν ἄρχωσι, ταύτας μὲν ὀρθὰς ἀναγκαῖον εἶναι τὰς πολιτείας, τὰς δὲ πρὸς ἴδιον, ἢ τοῦ ἑνὸς, ἢ τῶν ὀλίγων, ἢ τοῦ πλήθους, παρεκβάσεις. *h. e. quando igitur unus, vel pauci, vel multi communem utilitatem in gubernatione ſequuntur, has eſſe rectas rerump. ſpecies neceſſe eſt: Quando autem ad propriam utilitatem vel unius, vel paucorum, vel multitudinis gubernatur, transgresſiones ſunt & labes;* ſive, ut alii loqui amant, abuſus & abortus.

X. Quænam autem ſint reſpublicæ rectæ, quæque vitioſæ, non enarrabimus hoc in loco operoſe; ſufficit nobis digito ſaltem eaſdem notaſſe: Neque enim tam inſtituti noſtri eſt, rerumpubl. formas enumerare, quam ex iisdem demonſtrare, quod ſummæ poteſtatis ſubjecta alia ſint atque alia, adeo ut ex varietate illa ipſæ reſp. diverſa ſortiantur nomina, quemadmodum theſi præcedente dictum eſt.

XI. Ne quis vero varietatem illam in dubium vocare poſſit, videbimus, utrum planum facere queamus, eandem cum recta convenire ratione, & ab ipſa natura quaſi doceri. Quod ſi enim multiplex imperiorum diſcrimen intueamur, non obſcura ejus veſtigia reperire eſt; quæ ſi curioſius non nihil relegere velimus, apparebit mox idquod diximus. Verum enim vero, ut eo tutius incedamus, facem nobis præibit Philoſophus noſter *Eth. ad Nicom l.* 5. *cap.* 12. ubi cum eaſdem illas rerump. ſpecies, pro ratione ſummæ poteſtatis diſtinctas, enarraſſet; ita fari infit. Ὁμοιώματα δ' αὐτῶν καὶ οἷον παραδείγματα λάβοι τις ἂν καὶ ἐν ταῖς οἰκίαις. *h. e. harum rerump. ſimilitudines & exemplum quaſi ſumere in familiis quiſpiam poſſet.*

XII. Atque hæc quin vera ſint, haud quaquam eſt dubitandum: Si enim paternum intueri velis imperium, reperies ſane in ea patris erga filium ſocietate figuram regni quandam, (unde & regium vocatur, paterque liberis βασιλικῶς imperare dicitur 1. *Polit.* 12.) quæ vel in eo ſe oſtendit, quod non ſecus ac Rex ſubditorum, liberorum curam pater agat, eosque ſibi commendatos maxime habeat. Quemadmodum vero regni, ita & tyrannidis imago quædam deprehenditur in familia: Non enim tyranni in morem ſolum pater imperat liberis, ſi ſervorum

loco

Digitized by Google

loco eos habeat, (qualis Perſarum fuit ſuos in liberos poteſtas, & in ſuos olim Romanorum, qui in liberos non aliter, quam in ſervos, jus habebant vitæ & necis, referente Paulo *l.* 11. *de lib. & poſthum. l. ult. C. de patr. poteſt.*) ſed etiam, patrisfamilias imperium in ſervos, ſemper eſt tyrannicum: Quemadmodum ſcilicet tyrannus non ſubditorum, ſed ſuum quærit commodum, ita in ſocietate herili non ſervorum, ſed ſolius heri, ſpectatur utilitas. Imagines ergo in familiis duæ ſunt tyrannidis; unaque patris eſt poteſtas nimia, altera herilis; hæcque adeo rationi conſentanea eſt, illa non item: Rationi certe repugnat, liberos quo ſervos loco habere; τῶν διαφερόντων γὰρ, ait noſter magiſter, Αἱ ἀρχαὶ διάφοροι.

XIII. Neque minus ariſtocratiæ & oligarchiæ imaginem quandam in domeſtica reperire eſt ſocietate. Quemadmodum enim optimatum in imperio, pro dignitate & merito quisque ſuo fungitur munere & officio; ſic quoque in familia maritus, tanquam præſtantior, ſummo cum imperio eſt; uxori etiam ſuum relinquit jus, quæque domi peragenda omnia. Contingit autem non raro, ut hæc quoque ſocietas degeneret, ſi nimirum vel maritus omne ad ſe trahat imperium; aut vero, ſi uxor bene nummata (ἐπίκληρον vocat Ariſtoteles) omnem ſibi arroget poteſtatem; Hac enim ratione fit, ut imperium non ſit a virtute, ſed, ut in oligarchiis & tyrannide amat fieri, a divitiis & potentia.

XIV. Fratrum denique in familia ſocietas exhibet nobis politiam, ſive ut Philoſophus loquitur, τιμοκρατίαν. Enim vero quamdiu in paterna vivitur domo, opibus pares ſunt & cenſu, æqualemque in paternis bonis portionem & poteſtatem habent. Tum vero dignitas eorum eadem eſt, niſi forte ætas aliquod induxerit diſcrimen. Ætate namque ſi longius diſtent ab invicem, fraterna illa amicitia quodammodo abit in illam, quæ inter parentes intercedit & liberos, adeo ut natu maximus, a minimo paterna mereatur coli reverentia. Sed & hic non eſt infrequens παρέκβασις, ſi nimirum fratres plures, imbecilli adhuc conſtituti ætate, in diverſas partes abierint, nec commune reſpexerint bonum. Vivum hujus exemplar reperire eſt illis in domibus, ubi paterfamilias & autoritate & conſilio eſt deſtitutus; Illic enim quisque pro arbitrio ſe gerit ſuo, *ita ut fit* (Comici verbis utar) *domini ubi abſunt.*

XV. Ecce quam perſpicua, quam plana, & quaſi ex ipſius naturæ viſceribus (a natura enim ſimplices ſocietates ortum habent ſuum, ceu demonſtrat Ariſtoteles 1. *polit. c.* 2.) deprompta, imo quam ad noſtros accommodata hæc ſunt feliciſſime mores! Ut mirum ſit, reperiri, qui tam immota ſummi Philoſophi fundamenta in dubium vocare non erubeſcant. De veteribus, Platone, Polybio, aliisque; nec non Averrhoë, Patritio, qui reſpublicas variis modis dilacerarunt, jam non dicam; ſaltem impræſentiarum cum illis, qui pro patronis populi, quamvis perperam, ſe gerere ſuſtinent, paucis agemus; quandoquidem adeo malitioſe tam bene dicta imperant.

XVI. Solent autem hi homines non penes πολίτευμα, ſeu principem poteſtatem, veluti Ariſtoteles 4. *polit.* 3. & 4. quærere radicem diſtinctionis rerumpublicarum, cum tamen ordo, in quo conſiſtit reipublicæ eſſentia, ab ea fluat, tanquam a capite; quin imo diſerte negant, ſummam illam poteſtatem, in ullo alio, quam in populo eſſe poſſe. Hinc Althuſius in *c.* 19. *n.* 2. *politicæ* ſic infit: *Jura univerſalis conſociationis & corporis illius politici, ratione proprietatis & dominii pertinent ad corpus univerſale conſociationis, ſeu membra regni: At vero ratione uſus & adminiſtrationis, ſpectant ad ſummum illius magiſtratum, cui a corpore reipublicæ ſint commendata.* Cum in dedicatione antea fuiſſet præfatus, *majeſtatis jura adeo conſociationi eſſe propria, ut etiamſi illa ſe his velit abdicare, eaque in alium transferre & alienare, nequaquam tamen id poſſit, non minus, quam vitam ſuam, qua quis fruitur, alii communicare poteſt. Nam hæc jura majeſtatis conſociationem univerſalem conſtituunt & conſervant*: quibus plane gemina licet reperire apud Hœnonium *diſp.* 8. *n.* 36. & Hottomannum *de antiquo jure Reg. Gall. c.* 19. & 23.

XVII. Hisce & hujus generis aliis refertus eſt libellus iſte, indignis profecto, quæ inter eruditos audiantur. Quicunque enim vel leviter, & primis tantum labris, civilis guſtavit prudentiæ præcepta, non poteſt amplius ignorare, quam graviter Althuſius cum ſuis aſſeclis erret; qui pro fundamento ſupponit, quod omnis ſocietas civilis pro fine habeat perfectam beatitudinem; Deinde quod omnes Reges, Principes, omnesque adeo ſummæ poteſtates, ſint propter populum, & a populo; quæ ſunt longe falſiſſima. Et hoc ex fonte, errores eorum, capitales profecto, promanant, qui nullo negotio evitabuntur, ſi quis ſibi a falſis eorum principiis cavere voluerit.

XIIX. Ut vero id ipſum eo commodius fiat, pauca quædam in anteceſſum delibabimus, ad ſcopum civilis ſocietatis, finemque pertinentia. Ubi initio quidem notandum, quod ſicut in ſimplicibus ſocietatibus, & quidem herili maxime, uſu venit, ita quoque in compoſitis & perfectiſſima omnium ita ſe res habeat, ut nimirum non ſemper propter communem utilitatem, utque omnibus ex æquo bene ſit, inſtituantur; ſed ſæpe, imo ut plurimum, qui ſunt mores corruptæ noſtræ naturæ, propter imperantium præcipue commodum, parentium vero non niſi per accidens.

XIX. Viam nobis hac in parte præivit ſummus politicorum, in operis ſui *libro tertio cap.* 6. quando diſcrimen rerumpublicarum oſtenſurus, geminum ponit fundamentum nimirum, civitatum originem & finem, quibus univerſam ſuam de republica doctrinam ſuperſtruat. Verba ejus hæc ſunt; ὑποτεθέον δὲ πρῶτον, τίνος χάριν συνέστηκε πόλις, καὶ τῆς ἀρχῆς εἴδη πόσα τῆς περὶ ἄνθρωπον καὶ κοινωνίαν τῆς ζωῆς. h. e. *ſupponendum eſt primo, cujus gratia civitas ſit conſtituta, & quot ſint gubernandi ſpecies circa hominem & vitæ ſocietatem:* quibus, niſi valde fallor, Phi-

loſophus

Digitized by Google

loſophus diſerte indicat, fieri non poſſe, ut quicquam, de rerumpublicarum diſcrimine memoratu dignum, afferatur, niſi ante omnia ſcopum civitatis, & humani imperii genera varia perſpecta habeas. Hinc etiam in ſequentibus id ſibi maxime curæ cordique habet, ut de ſeſe hoc ipſum præſtet; cujus nos veſtigia legemus.

XX. Et primo quidem loco ad civitatis finem nos convertimus; qui, ut recte Ariſtoteles obſervat, triplex cenſeri poteſt. 1. Mutuum auxilium, ut nimirum tuti adverſus injurias tum hominum, tum belluarum, eſſe poſſimus. Et ſane, quin per hoc primi homines adducti fuerint, ut de civitate inſtituenda cogitarent, nullum eſt dubium. Cum enim Caini poſteri odia & invidiam aliorum in ſe concitaſſent, atque ſic ab aliis ſibi metuerent, coepere de mediis, ut nonnulli exiſtimant, cogitare, quibus ſe adverſus aliorum infeſtas incurſiones munirent *Gen.* 4. ut vel ex hoc manifeſtum eſſe poſſit, etiam ante diluvium civiles fuiſſe ſocietates. Secundus finis, communis eſt utilitas (τὸ κοινῆ συμφέρον, καθ' ὅσον ἐπιβάλλει ἑκάστῳ μέρος τοῦ ζῆν καλῶς) in quantum confert ſingulis partem bene vivendi & beate. Cum enim multis homo habeat opus, ut vivat, non poteſt ullus beate vivere in hac vita, (de æternæ enim vitæ beatitudine hic nobis ſermo non eſt) niſi in ſocietate. *Maxime igitur hic eſt finis*, ſecundum noſtrum politicum, *& publice omnibus & privatim.* Tertium, quod homines compulit ad colendam ſocietatem, vita eſt; ad hanc enim natura omnes feruntur; ita quidem, ut vivendi cupiditate teneantur, etiamſi miſere ſit vivendum. Quapropter egregia ſunt, quæ affert diſertiſſimus Tullius 5. *de finib. Maxime*, inquiens, *in hoc genere vis eſt perſpicua naturæ, cum & mendicitatem multi perpetiantur, ut vivant, eaque perferant, quæ Philoctetam videmus in fabulis, qui, cum cruciaretur non ferendis doloribus, propagat tamen vitam aucupio ſagittarum.* Quo pertinet & ſervi illud, apud Euripidem: *Omni homini, quanquam ſervus ſit, jucundum tamen eſt lucem intueri.* Sed hæc hactenus de finibus; ſi quis plura deſiderat, adeat quæſo primum Ariſtotelis librum, ubi fuſius omnia ſunt pertractata.

XXI. Nunc de altero fundamento, de variis nimirum humani imperii generibus, etiam paucis agemus: In domo tum 8. *Eth. cap.* 12. tum 1. *polit.* primis capitibus duplex Philoſophus imperium conſtituit; herile nimirum, domini in ſervos; paternum, patris in liberos. Jam vero herile tale eſt, ut in eo dominus præcipue ſuam ſpectet utilitatem, ſervi vero per accidens. οὐ γὰρ ἐνδέχεται, ait Philoſophus, φθειρομένου τοῦ δούλου σώζεσθαι τὴν δεσποτείαν: h. e. *Fieri enim non poteſt, ut, ſervo deficiente, ſervetur dominatio.* Hinc in id incumbit dominus, ut ſervus cibum & veſtitum commodum, aliaque omnia habeat, quo dextre, quæ ſui ſunt officii, exſequi poſſit: ſic Romani ſolebant in promptu habere medicos, qui curam gererent valetudinis ſervorum, ne forte vel per adverſam valetudinem, vel etiam mortem, ſuis negotiis impedimentum injiceretur. Interea tamen per eum & ſibi & ſuis conſulit. Quod alterum concernit imperium, patris nimirum in liberos & uxorem, id ita ſe ſe habet, ut in eo imperans inprimis reſpiciat utilitatem eorum, quibus præeſt (τῶν ἀρχομένων) ſuam vero veluti per accidens, quippe cum in ſocietate ſimul ſit, ceu præclare docet Philoſophus *l. c.* h. e. *c.* 6. *l.* 3. Et quidem exemplo medici, palæſtritæ & (πλωτῆρος) navium gubernatoris. Quilibet enim eorum præcipue ſollicitus eſt de illorum utilitate, quibus operam ſuam addixit; deinde etiam de ſua.

XXII. Ex duplici hoc fundamento ſuam rempublicam Philoſophus exſtruit, variamque e'us faciem depingit. Tota enim oratio ejus eo tendit, ut oſtendat, civilis ſocietatis non ſemper eundem eſſe finem, quod aſſerebamus *th.* 16. Demonſtrat autem e natura ſimplicium ſocietatum herilis & paternæ, ceu partium civilis. Quaſi diceret, ſicut in domo aliud imperium ſuam ſpectat ſalutem, herile ſcilicet; aliud publicam omnium domus partium, ſive membrorum, quod eſt paternum; Ad eundem modum in rebuſpublicis aliis privatum ſpectatur imperantium commodum, in aliis publicum. Quæ reſpublica circa publicum ſimpliciter occupatæ ſunt bonum, illæ ſunt rectæ (ὀρθαὶ) & laudabiles: quæcunque vero ſoli imperantium commodo indulgent, ad eorumque cupiditates explendas omnia referunt (ἡμαρτημέναι) omnes, aque rectis diſcedunt rebuſpublicis, heriles enim ſunt. Civitas autem liberorum hominum eſt ſocietas, quibuscum ita eſt comparatum, ut unus præ altero contemni nolit, ſed ſui æque atque alterius rationem habere cupiat; quod tantum abeſt, in herili ut fiat ſocietate, ut omnia potius, aut certe pleraque reipublicæ commoda, ad emolumentum imperantium vergant maxime, ſubditorum autem ſalus non niſi per accidens, & quoniam dominorum quoque intereſt, ſubditis ut bene ſit, attendatur.

XXIII. Ex hiſce hactenus liquidum eſt, quam argute politicorum princeps rerumpublicarum diſcrimen docuerit, earumque fontes ab ipſis quidem incunabulis derivaverit; ut profecto aut ſtultus ſit, aut cum ipſa inſanire velit ratione, qui horum non percipiat exactam veritatem: E diverſo quam elumbis & flaccida perſonatorum vulgi patronorum ſit doctrina, qui non ſecus ac ſi ipſis a Deo ter optimo maximo imperium in omnem mundum, ejusque res ſit delatum, naturæ modum ponere eique quaſi præſcribere volunt, quem in adminiſtrandis hujus vitæ negotiis obſervare oporteat. Quantum enim hactenus conſtat, natura nullum certum ordinem, quamvis aliquem eſſe velit, definivit, quem in procurandis civilis vitæ negotiis unice ſequi debeamus; ſed hoc humanæ potius reliquiſſe videtur induſtriæ, ut pro ratione gentium (neque enim omnes ejusdem indolis atque ingenii) ipſi viderent, quid e re ſua ſit futurum maxime; ſed de hiſce mox dicemus.

XXIV. Jam enim quaſi in tranſitu noſtris cenſoribus ob oculos ponemus, quam turpiter ſeſe dederint, quando ab hominibus ſimpliciter illa, quæ humanam conditionem (ſi ſimpliciter conſide-

Digitized by Google

conſideres) longe excedunt, exigere non dubitarunt; hoc eſt, ut clarius dicamus, quando ſummam poteſtatem ejusque jura ita inſolidum omnibus (nulla habita ratione vel conditionis, in qua vivunt) populis adſcribunt, cumque iisdem tam arcte connectunt, ut *non minus, quam vita* (verba ſunt Althuſii vid. *th.* 15.) qua quis fruitur, alii communicari poſſint. Hæc enim ſententia, quo eſt inconcinnior, eo diligentius ſub incudem revocanda eſt, ſi forte in ordinem non nihil redigi poſſit. Interea commendabimus illis etiam atque etiam caput longe doctiſſimum & elegantiſſimum, primum nimirum, *l.* 4. *polit. Ariſt.* ut ſi forte minus ignoraverint, exinde diſcant, quid officii ſit ſui, quippe qui pro politicis ſe venditent. Ibi enim, ſi recte memini, ſummus philoſophus præclare docet: non ſatis eſſe, ſi illi, qui veri politici nomen gerere & tueri volunt, notitiam habuerint optimæ reipublicæ, ſed etiam ab iisdem requiri, ut omnes in univerſum formas perſpectas habeant. Et ſane, ſi, quod res eſt, dicere velimus, non poteſt negari, hoc ipſum eſſe longe veriſſimum; quod exemplo omnium artium & ſcientiarum, quæ circa totum aliquod genus occupantur, clarum eſſe poteſt: quibus nos enarrandis hactenus ſuperſedemus, ita tamen, ut experimenti loco unam atque alteram adducamus. Et primo quidem loco nobis cum medico res erit; cui ſane non ſufficit, ſi optimam valetudinem noverit, & qua ratione eadem optime conſervetur: ſed præterea etiam ei incumbit, ut ad mediocrem, vel etiam tenuem deſcendat ſanitatem, eamque etiam cordi habeat; neque enim omnibus, imo vero pauciſſimis optima competit valetudo, quæ eſt noſtra infirmitas. Ita quoque politicum decebit, ut, cum per corruptos noſtros mores optimo ſtatu frui non poſſimus, non ſaltem optimam ſibi commendatam habeat rempublicam, ſed etiam alias pro ratione gentium, locorum & temporis, quaque ratione eædem conſervari velint. Non vacat nunc, operoſe alias artes in teſtimonium vocare; concludimus igitur cum Philoſopho; ὁμοίως δὲ τȣτο καὶ περὶ ναυπηγίαν, καὶ ἐσθῆτα, καὶ περὶ πᾶσαν ἄλλην τέχνην ὁρῶμεν συμβαῖνον. Neque enim ſufficit navium fabro, ſi optimam noverit conficere; ſed etiam lintres aliasque minus bonas compingendi notitiam habere debet; quod neque optimæ ubique commodæ. Similiter & ſartor non tantum optimarum veſtium conficiendarum rationem noviſſe debet, ſed etiam minus elegantium pro conditione hominis: poteſt enim fieri, ut alicui vel propter vitium aliquod corporis, vel aliam aliquam ob cauſam optima non congruat. Et hæc quoque omnia bono politico obſervanda; ȣ γὰρ μόνον τὴν ἀρίστην δεῖ θεωρεῖν, ἀλλὰ καὶ τὴν δυνατὴν, hoc eſt, *non ſolum optimam conſiderare oportet, ſed & eam, quæ in uſum cadere poteſt.* Videant igitur patroni noſtri populares, quo cum judicio dicam, an præcipitantia? rerum gerendarum normam quaſi univerſalem condiderint, ad quam omnes exigi velint: qua itidem imprudentia populos promiscue omnes majeſtatis juribus illis alligaverint, quibus portandis multorum humeri pares nullo modo ſint.

XXV. Primo namque (pace magnorum alias virorum dicemus) extra omne poſitum eſt dubium, reperiri ejus generis homines quam plurimos, quos, ut loquitur Seneca *cap.* 5. de vita beata, *in numerum pecorum & animalium redegit hebes natura & ignoratio ſui.* Illi enim, cum imbecilli prorſus, imo nulla fere ratione prædíti, brutisque magis ſint ſimiles, quam hominibus, haud poſſunt quicquam præter corporis uſum præſtare, adeoque ſemper opus habent duce, greſſus ſuos usquequaque adjuvante. E diverſo alios natura magnis animis & provida inſtruxit ſolertia, ut ad quasvis res, etiam ſumme arduas, apti eſſe videantur, & natura ad imperandum quaſi facti, quemadmodum illi ad ſerviendum. Atque huc reſpexit Plato 3. *d.* 11. quando imperantium animis ait admixtum fuiſſe in prima generatione aurum, unde honoratiſſimi facti fuerint: *illis autem,* inquit, *quos ad auxiliandum fieri voluit, argentum indidit, ferrum denique & æs agricolis.*

*Fertur* quippe *Prometheus addere Principi*
*Limo coactus particulam undique*
*Deſectam,*

ut ludit Venuſinus *l.* 1. *od.* 16. & pro conditione ſuam cuique attribuiſſe indolem. Quod ipſum ex Platone Ariſtoteles 2. *polit.* repetit, & plenius expreſſit Homerus *odyſſ.* 17.

Ἥμισυ γάρ τ' ἀρετῆς ἀποαίνεται εὐρύοπα ζεὺς
Ἄνερος, εὖτ' ἄν μιν κατὰ δȣ́λιον ἦμαρ ἕλῃσιν.

Platoque interpretatus eſt *l.* 6. *de rep.* hunc in modum: *Quos natalis dies jam ſervos edit, mentis vix habent dimidium.* Neque eſt, quod dicas, poſſe homines, quantumvis rudes, cultu veluti edomari, & meliores reddi. Cum enim, ut præclare ſcripſit Ariſtoteles, tria ſint, quæ ad virtutis cultum pertinent. Natura ſeu ingenium, conſuetudo & doctrina; eaque inter princeps quodammodo ſit natura, omnino neceſſe eſt, humano ingenio ſit præditus, qui virtuti operam dare velit. Contigit autem quosdam *figura oris tantum eſſe homines & facie, in quibus tamen feritas belluæ eſt,* ut ait Cicero, quique adeo nihil minus, quam virtuti exercendæ, apti ſunt, ac per conſequens etiam perfectæ & beatæ ſocietati colendæ.

XXVI. Quæ cum ita ſint, planum jam eſt, aliquos eſſe homines ejus conditionis, ut, quæ eſt ingenii imbecillitas, ſua ipſi negotia curare non poſſint, tantum abeſt, ut aliena; hinc neceſſe eſt, ut, cum ipſi per ſe non ſapiant, aliorum conſilio & auxilio utantur, ſi ſalvi eſſe velint. Sane quicquid alii dixerint, experientia ſic ſatis docuit & omni, & præcipue illo ævo, quo religio chriſtiana alas nonnihil expandere cæpit, quantum homini præſtaret homo. Cum enim zelo, neſcio quo, fieret, ut nullo diſcrimine in libertatem ſervi aſſererentur, iique deinde propter intellectus imbecillitatem ne quidem corporis ſui curam gerere poſſint; ad tantas redacti ſunt anguſtias, ut, niſi publicis ſumptibus ſublevati, inque xenodochia & noſocomia magno numero

 fuiſſent

Digitized by Google

fuiſſent detruſi, fame ipſis fuiſſet pereundum. Quid quod, cum nec publica illa hoſpitia omnes illos caperent; iique per plateas diffunderentur, mendicando vitam ſuſtentantes ingenti copia, Valens Imperator neceſſe habuerit per edictum magnam eorum partem in ſervitutem retrahere. Æquitati proinde & naturæ ipſi, prudentiſſimæ rerum matri conſentaneum eſſe videtur, ut, cum ipſi, e re quid ſua ſit, non ſatis videant, alios audiant, ad eorumque nutum ſeſe componant: quod præclare docuit Philoſophus in politico opere tum alibi, tum *l.* 1. *c.* 3. & 4. 3. *polit. c. ult.* 7. *polit. c.* 3. & 14. Et huc tendunt quoque Ciceronis illa, in fragm. 3. *de rep.* (quæ Giphanio in commentario ad politica Ariſtotelis obſervante exſtant apud Auguſtinum *l.* 4. contra Pelagium) *Annon cernimus optimo cuique dominatum ab ipſa natura & cum infirmorum utilitate datum? Cur igitur Deus homini, animus imperat corpori, ratio libidini, iracundiæque & cæteris vitioſis ejusdem animi partibus? &c.*

XXVII. Quæ hactenus allata ſunt, citra controverſiam locum habent in ſingulis hominibus. Quod ſi autem contingat, ſicuti non poteſt non fieri, ut integer aliquis populus ſervilis ingenii ſit, nihil impedit, quo minus eadem obſervari debeat ratio, maxime cum naturam ſimplicium compoſita ut plurimum imitentur. Certe hoc ſcuto olim Græci adverſus omnes, quos vocabant Barbaros, injuſte licet, uſi ſunt; & haud ita pridem adverſus nonnullos religioſos, inque iis Joſephum Acoſtam, in propugnandis rebus ſuis Indicis Hiſpani, Johanne Sepulveda facem prælucente: rectene, an ſecus, non eſt chartæ hujus diſquirere. Quantum alias ex hiſtoricis conſtat monumentis, haud ita multos (ſi Braſilienſes excipias, quorum magna pars ferina & effera, atque proinde *in hominem*, ut Seneca loquitur, fuit *cogenda*) reperire fuit tam exilis ingenii & prudentiæ, ut ſui curam ipſi gerere non potuiſſent. Imo ſi fides habenda Acoſtæ *l.* 6. & 7. *amreicanæ hiſtoriæ*, Peruvianos inter & Mexicanos florentiſſimæ fuere reſpublicæ. In Chili quoque & Arauco ariſtocratiæ ſic ſatis elegantes.

XXIIX. Ex hiſce, ni fallor, diſcere habebunt novi noſtri plebis tribuni, quam incautos ſe geſſerint, quando populorum omnium humeris onus impoſuerunt, ſub quo multi equidem non queunt non ſuccumbere, quemadmodum theſibus ab hac proximis probatum fecimus. Nunc ſupereſt, ut inquiramus, utrum jura illa cum aliquibus ſaltem populis (omnibus enim, ut dictum, non conveniunt) tam arcte ſint connexa, ut ab ipſis divelli nullo modo queant. Multorum namque annorum experientia ſumus edocti, non raro contingere, ut homines, qui natura ſua liberi, talesque nati ſunt, ut ſibimet ſic ſatis conſulere poſſint, liberrima ſua voluntate, vel etiam intervenientem propter cauſam aliquam, juri illi ſuo renuncient.

XXIX. *Subjiciunt ſe homines* (ait Cic. 2. *Officiorum*) *imperio alterius, & poteſtati pluribus de cauſis. Ducuntur enim aut benevolentia, aut beneficiorum magnitudine, aut dignitatis præſtantia, aut ſpe, ſibi id utile futurum, aut metu, ne vi parere cogantur, aut ſpe largitionis, promisſionibusque capti, aut poſtremo* (*ut ſæpe noſtra in rep. videmus*) *mercede conducti.* Egregia ſane, ut Tullii omnia, quæque ipſa experientia, & annorum omnium uſu comprobantur. Nos ut dictorum de veritate conſtet, longius non nihil exſpatiabimur, & antiquorum monumenta oculis & animis noſtris, quantum fieri poteſt, ſubjiciemus; Si tamen prius etiam alias nonnullas interpoſuerimus cauſas, quæ partim homines inducere, partim etiam urgere ſolent, ut juribus ſuis cedant, eaque aliorum arbitrio & libidini exponere cogantur. Quemadmodum illis uſu venit, qui vel juſto bello capti, vel ita alia ratione ad incitas ſunt redacti, ut aut ſerviendum ipſis ſit, aut pereundum, ſed de hiſce poſtea prolixius ſumus dicturi, nunc quidem ad Tullium revertimur noſtrum, viſuri, utrum, quæ modo nobis affirmaverat, re vera ita ſeſe habeant.

XXX. Initio vero excutiemus cunas rerump. ſi forte in illis quippiam deprehendere poſſimus, quod ad illuſtrandum noſtrum negotium faciat ullo modo. Sane Philoſophus noſter, cum de primis rerump. elementis agit, 1. *Polit.* 2. indigitare non ſolum, ſed & demonſtrare videtur, naturam quodammodo ipſam, regio gubernandi modo delectatam fuiſſe, quo cum ipſo lacte quaſi uſa eſt. Poſtquam enim dixiſſet, quod pagus ſit propagatio domus eorum, quos collactaneos vocamus, & natorum natos, & qui naſcuntur ab illis: Διὸ addit καὶ πρῶτον ἐβασιλεύοντο αἱ πόλεις, καὶ νῦν ἔτι τὰ ἔθνη; ἐκ βασιλευομένων γὰρ συνῆλθον. πᾶσα γὰρ οἰκία βασιλεύεται ὑπὸ τοῦ πρεσβυτάτου: ὥστε καὶ αἱ ἀποικίαι διὰ τὴν συγγένειαν, καὶ τοῦτ᾽ ἐστιν ὃ λέγει ὅμηρος:

- - θεμιστεύει δὲ ἕκαστος παίδων, ἠδ᾽ ἀλόχων.

*h. e. hinc factum eſt, ut olim civitates, & noſtro etiam tempore gentes, regio utantur imperio. Ex his enim, qui regno gubernant, originem traxerunt. Omnis autem domus regitur a ſeniore, quemadmodum & coloniæ propter affinitatem. Et hoc eſt, quod Homerus ait: jura dat quisque natis & uxoribus.* Non aliena ſunt ab hiſce, quæ Jornandes initio libri, de regnorum ac temporum ſucceſſione, narrat, quando hunc in modum loquitur: *Ab origine orbis, primumque creatione tam hominum, quam elementorum, usque orbis terræ diluvium, ſecundum veridici Legiſlatoris verba Moyſis, duo millia, ducentos quadraginta, & duos annos collegimus. In quibus annis adhuc rudi & ſimplici hominum natura non reges, ſed familiarium capita in ſuo genere erant.* Conf. Platon. *init. l.* 3. *de LL.* Hæc & hujus generis alia oſtendunt, quomodo ab initio homines quaſi aſſuefacti ſint, ut alieno ſub imperio eſſent, quippe qui a Parentibus, quaſi cum ipſo lacte, hoc ipſum hauſerint inque alios ſuos nepotes tranſmiſerint. Certum eſt, quod patresfamilias ad modum regium, ſi non ut reges ſeſe geſſerint, jusque vitæ & necis exercuerint, Gen. 38. bello finitimorum injurias propulſaverint, Gen. 14. & 33. nemini, niſi ſoli Deo, ſubjecti. Gen. 21. & 34. Ut profecto mirum videri

Digitized by Google

deri debeat, tam ſubito primos homines a calle recto (ſecundum populi patronos,) deflexiſſe, cum, quid rectum, nondum ipſi perſpexiſſent.

XXXI. Hæc deinde ratio quaſi per conſuetudinem ad alios quoque, qui variis e locis cohabitandi gratia conveniſſent, devoluta eſt, ut & ipſi eadem uterentur, quam a ſuis quisque parentibus acceperat. Atque ita quidem ſe habuere initia rerumpubl. Poſtea autem, cum hominum malitia mirum in modum pullulare cœpiſſet, cœpere ſibi quisque conſulere: Hinc non paucos ſola benevolentia induxit, ut aliorum fidei ſeſe committerent, quorum forte de virtutibus bonam aliquam ſpem animo conceperant. Certe Juſtinus, Romanus ſcriptor longe caſtiſſimus, *Principio* ait, *rerum gentium, nationumque imperium penes reges erat, quos ad faſtigium hujus majeſtatis non ambitio popularis, ſed ſpectata inter bonos moderatio provehebat.*

XXXII. Quot & quam multos beneficiorum magnitudo impulerit, ut cum grati eſſe vellent, ipſos ſeſe in eorum, qui bene de ſe meriti eſſent, manus traderent, dici hic non poteſt, neque noſtri eſt inſtituti, annales eorum texere. Certe Cecropi quondam, cum in duodecim oppida, palantes coegiſſet homines: Theſeo quoque (quamvis Plutarchus ſolam belli legumque curam ipſi commiſſam exiſtimet,) & Melantho uſu veniſſe, teſtatur Pauſan: in Attic. Strabo l. 6. & 9. ut cum ſummis beneficiis civitatem demerendo paternum ſuum animum declararent, (regiam enim & paternam amicitiam *μεγέθει τῶν ἐυεργετημάτων*. h. e. beneficiorum magnitudine diſcernit ſummus Philoſophus *Eth. ad Nicom. l.* 8. *cap.* 13.) parentum & regum loco haberi cœperint, qua de re videatur Ariſtoteles, 3. *Polit.* 14. ubi expreſſe ait, quod *κατὰ τὲς ἡρωικὲς χρόνες ἐγίγνοντο βασιλεῖς ἑκόντων, καὶ τοῖς παραλαμβάνεσι πάτριοι*, quare vero? addit Philoſophus, *Διὰ τὸ τὲς πρώτες γενέϑαι τε̃ πλήϑες ἐυεργέτας &c. Conf. Sigon. l.* 1, *de rep. Athen. c.* 1. Non tantum vero, ita factum eſt olim, ſed & non adeo pridem. Hoc initio enim cœpiſſe & Comitum poteſtatem in Oſtfriſiis, & regiæ Guſtavicæ familiæ in Sueonibus dignitatem, & Mediceæ gentis Florentinum imperium, ex hiſtoricis monumentis notiſſimum eſt.

XXXIII. Non minima pars eorum eximiæ alicujus utilitatis ſpe, alios ſibi conſtituere, quorum imperio ſubeſſent. Quod Philoſophus noſter, non uno in loco, politici ſui operis inculcat; ut inhærere illis hac vice inſuper habeamus. Saltem elegantiſſimum noſtrum Tullium, verba de hiſce facientem, pauliſper audiemus, qui libro quem de officiis conſcripſit, ſecundo. *Cum premeretur*, ait, *initio multitudo ab iis, qui majores opes habebant, ad unum aliquem confugiebant virtute præſtantem, qui cum prohiberet injuria tenuiores, æquitate conſtituenda ſummos cum infimis pari jure retinebat.* Neque ſolum infeſtos experiebantur homines potentiores, *qui* (ceu Poëta loquitur) *piſces ut ſæpe minutos. Magnus comes, ut aves enecat accipiter*, imbecilliores conculcabant; ſed etiam a feris & belluis mirum in modum exagitabantur, adeo ut ſi ſalvi eſſe vellent, in unum coire neceſſe haberent.

XXXIV. Si omnes, qui metu, ne vi parere cogerentur, enumerare velimus, charta ſane nos deficeret. Exemplo quaſi nobis eſſe poteſt populus Campanus, qui (ut eſt apud Livium ſeptimo videre libro) cum a Samnitibus miſere vexarentur, *& robore juventutis ſuæ occiſo* (verba ſunt] ipſius Patavini) *nulla propinqua ſpes eſſet* coacti ſunt ab Romanis auxilium petere. Cumque negotium ex voto non ſuccederet, populo Romano ſe ſubjecerunt, ſuaque omnia eorum poteſtatis fecere hiſce verbis: *Itaque populum Campanum, urbemque Capuam, agros, delubra Deum, divina humanaque omnia in veſtram P. C. populique Romani ditionem dedimus: quicquid deinde patiemur deditii veſtri paſſuri.* De Epidamnis jam non dicemus, qui cum Thucydide teſte, a Corcyræis eſſent deſerti, Corinthiis ſe dedidere, adverſus Taulantios & exules ut tegerentur. Non alia de cauſa patrum memoria Flandrus & Brabantus Franciſcum Alanſonium Ducem ſibi creaſſe, ipſosque Hollandos, in Eliſabethæ Anglicanæ ditionem voluiſſe concedere, nemini eſt ignotum.

XXXV. Quas alias atque alias Tullius noſter ſubnectit, jam non attingemus, cum tot querelæ de ambitu, aliisque multis artibus (quibus effectum ſit, ut multi alieno imperio turpiter fuerint ſubditi) apud bonos autores legantur, ut nemini facile ignotæ eſſe queant. Quin alias etiam nonnullas conquiremus, quibus populi etiam cultiſſimi ſint ſubinde permoti, ut a jure ſuo decederent; idque eo liberalius, ut populares noſtri patroni intelligant, quam amplis & validis cum reis res ſibi ſit, & in tempore ſeſe bene munire poſſint; neque enim animus eſt per cuniculos agere cum iisdem: neque vero vel candor tot egregiorum populorum permittet, ut ſubdole cauſam ſuam agamus. Primum locum hic ſibi vendicat ipſe Dei populus, Judæi nimirum: qui nulla idonea magnave de cauſa, ſed potius novitatis (erat enim gens plane mobilis & longe omnium inconſtantiſſima) ſtudio accenſi repudiabant Deum ipſum, ſub quo, ſi vitæ hujus imperia ſpectes, liberaliter & liberrime vivebant, aliumque ſibi regem depoſcebant, qualem nimirum finitimi tum temporis habere ſolebant, quorum maxima pars herili imperio gubernabatur, & non aliter atque ſervi: modo mitius, modo durius, prout illis, qui cum ſumma erant poteſtate. viſum, habebantur. Non eſt noſtrum hic diu ſubſiſtere, alias omnia hæc facile demonſtrari poſſent; ſi quis autem accuratius hæc cognoſcere cupit, poterit conſulere diſputationem de politia Hebræorum ſub Excell. Domino Præſide habitam, ubi prolixe omnia, quæ ad Hebræorum res pertinent, pertractantur. Cæterum ex lege illa, quæ 1. *Regum* 8. regia vocatur, & quicquid alii dicant, omni ex parte eſt herilis, addiſci poteſt, quanta iſraelitici regis fuerit poteſtas. Argumentum ejus etiam præbet Davidis vox, haud vulgare, qui cum Uriam non ſolum ſumma affeciſſet injuria, ſed etiam vita privari feciſſet, *tibi*, ait, DEUS, ſoli peccavi; Uriæ enim cognati, quod in ſervitute eſſent conſtituti, ne hiſcere quidem audebant.

XXXVI. Exempla quoque & multorum annorum uſus teſtatur, quoſdam populos ejus eſſe ingenii, ut alieno quaſi delectentur ſubeſſe imperio, imo cum in integrum poſſint reſtitui, & quod amiſerant jus recuperare, nihilominus ab ea, qua hactenus uſi ſint, conditione diſcedere nolint. Et tale quidem Cappadocum, quorum mentionem facit Strabo. *l.* 12. & Juſtinus *l.* 38. fuit ingenium; cum enim per Romanos ab injuſto Mithridatis dominatu eſſent liberati, jamque optionem haberent, an ſuæ vellent poteſtatis fieri, *munus libertatis abnuentes*, (verbis utar Juſtini) *negabant, gentem vivere ſine regibus poſſe.* Atque hujus quoque farinæ, ſi Philoſtrato in vita Apollonii credendum, Getæ, Myſi, atque Thraces olim fuerunt, *quos ſtultum eſſe*, ait, *in libertatem vindicare, qua non gaudeant.* Non diſputabimus hic de ſtatu, & quis ſit optimus tandem. Certe multi ſub imperio regio feliciſſime vixerunt, & forte hac ratione ſunt permoti, ut in præſenti conditione manere, quam aliam incertam ſubire temere maluerint. De Eumene narrat Livius. *l.* 42. quod ita in regno ſuo ſe geſſerit, *ut quæ ſub ditione ejus urbes eſſent, nullius liberæ civitatis fortunam ſecum mutatam vellent.* Neque hoc mirum adeo videri queat illi, qui aliqua ſaltem ex parte perſpectum habet, quam non incommodus regius ſit ſtatus, ſi modo decori intra limites conſiſtat. Hinc Seneca *l.* 2. de benefic. *c.* 20. non dubitavit, Brutum reprehendere, quod in cauſſa Cæſaris tam imprudenter ſeſe geſſerit; *Mihi* (verba ſunt Romani philoſophi) *cum vir magnus fuerit in aliis, in hac re videtur vehementer erraſſe, nec ex inſtitutione Stoica ſeſe gesſiſſe: qui aut regis nomen extimuit, cum optimus civitatis ſtatus ſub rege juſto ſit, aut ibi ſperavit, libertatem fore; ubi tam magnum præmium erat imperandi & ſerviendi.* Quibus nos quidem in univerſum non accedimus, (neque enim regius ſtatus ſimpliciter optimus (cenſemus tamen omnino, quod perfecta beatitudo, rege rerum potiente) ſi cætera omnia ſint paria) non minus obtineri poſſit, quam ſi vel plures, vel etiam maxima pars, cum ſummo ſit imperio.

XXXIX. Nonnulli etiam, cum plebs ſit bellua multorum capitum, inque hoc fere conſentiat, ut non conſentiat, exigente neceſſitate, coacti ſunt ſummam poteſtatem ad unum devolvere, cum alias rebus ſuis non poſſent conſulere, idque modo ad certum aliquod tempus, modo vero in omnem ætatem. Atque hoc eſt, quod Pomponius de Imperio Romanorum affert *in l.* 2. §. 18. *de origin. jur. Populo deinde aucto, cum crebra orirentur bella, & quædam acriora a finitimis inferrentur, interdum, re exigente, placuit majoris poteſtatis magiſtratum conſtitui. Itaque dictatores proditi ſunt, a quibus nec provocandi jus fuit, & quibus etiam capitis animadverſio data eſt. Hunc magiſtratum, quoniam* ſummam poteſtatem habebat, *non erat fas, ultra ſextum menſem retinere.* Et ita quoque viſum eſt multis prudentibus tempore Auguſti, & noſtro etiam Pomponio l. ead. §. 11. in hæc verba erumpenti: *Noviſſime, ſicut ad pauciores juris conſtituendi via transiiſſe, ipſis rebus dictantibus, videbatur: per partes evenit, ut neceſſe eſſet, reipubl. per unum conſuli: nam ſenatus non perinde omnes provincias probe gerere poterant. Igitur, conſtituto principe, datum eſt ei jus, ut, quod conſtituiſſet, ratum eſſet.* Neque diſſentit hiſtoricorum princeps Tacitus, in hiſtor. ſuæ initio, *omnem*, inquiens, *poteſtatem ad unum conferri pacis interfuit*: quod & factum eſt per legem regiam. *l.* 1. *ff. de conſt. princ. in pr. qua populus*, (verba ſunt Ulpiani) *ei & in eum omne ſuum imperium & poteſtatem contulit.* Conf. §. *Sed & quod principi &c.* J. de J. N. G. &c.

XL. Alii denique, alias ob cauſas in alius alicujus manus ſua reſignarunt: multos fames coëgit, multos aliæ adverſitates. Conf. *Lev. cap.* 25. *v. Si paupertat. compulſ.* At vero, eorum qui vel inclinata re aliorum ditioni ſe ſubjecere, vel etiam victi procubuere, inque victorum verba jurare ſunt coacti, numerus eſt longe maximus, adeo ut omnium pene ſcriptorum libelli ad nauſeam iis ſint referti. Non immorabimur ergo hiſce, cum omnium in oculis ſint poſita, ne, quod dicitur, agere velle videamur actum; ſed tandem ad illa pertexenda, quæ negotio huic manum imponere poſſunt, accingamur, hoc eſt, videbimus, annon in populi alicujus arbitrio ſitum ſit, jura quæcunque ſua, maxime vero ſumma (quod pertinaciter negare ſolent populares patroni) a ſe abdicare, inque alios, ſive unum, ſive plures tranſcribere. Theſibus namq; ab hac proximis manifeſtum fecimus, fuiſſe numero innumeros, qui conari hoc ipſum nulli ſibi religioni duxere.

XLI. In anteceſſum autem paucis de natura ejusque ingenio agemus, ſolent enim hodierni turbones nobis, ceu Gorgonis aliquod caput, eandem ſemper objectare, utpote cui eam imperandi rationem, quæ populum juribus ſuis (ut illi cenſent) privat, neque communem ſibi curæ habet utilitatem, exaſſe contrariam ac proinde injuſtam eſſe, aſſerunt. Sed quod pace eorum dixerim, omnia hæc ſunt falſiſſima; neque enim verum eſt, omne illud eſſe injuſtum, quod contra naturam fieri dicitur. Enimvero, ſi cum animo cogitemus noſtro, quod ſit ingenium quæque naturalis juris conditio, experiemur ſane, cum eodem ita eſſe comparatum, ut, quæ plane a nobis fieri vel non fieri vult, non obſcure ſignificet; circa quædam autem ita ſe gerat, ut deliberare potius & conſilium quaſi dare, quam certi aliquid definire videatur. Jam vero, quæ fieri a nobis, vel non fieri plane debent, ſine manifeſto peccato omitti haud poſſunt; quicquid igitur illis contrariatur, injuſtum eſt. Quæ vero naturæ quaſi conſilio quodam nituntur, ejus ſunt conditionis, ut, ſi humana pateretur infirmitas, omnino obſervari velint; veniam tamen impertiantur, ſi quis, errore aliquo abductus minus caute ſeſe hac in parte geſſerit. Quicquid igitur hæc contra venit, laudem quidem nullam meretur, omni tamen ex parte haud quaquam etiam iniquum eſt, nec ſimpliciter dici poteſt factum contra naturæ leges.

XLII.

XLII. Atque hoc ex ordine hominum eſt libertas, ingenio & prudentia valentium. Quod ſi igitur contingat (quod non poteſt non fieri) ut vel lege quadam, vel conventione aliqua, vel alia quacunque tandem ratione eadem amittatur, iniquum minime cenſeri debet & injuſtum, cum in ea nullo modo impingatur, quæ naturæ jus a nobis plane fieri, vel non fieri voluit. Patet proinde, ſi hæc, qua par eſt, dexteritate expendantur, quantum roboris habeat argumentum, quo conjurati cœlum reſcindere fratres uti, imo velut ſolido inniti fundamento ſolent. Nunc quidem reliquum nihil eſt, quam ut ad rem accedamus, adque oculum demonſtremus, bene poſſe fieri, ut homines omnem a ſe abdicent poteſtatem, aliique eandem recte uſurpent in adminiſtrandis eorum negotiis, a quibus ad ſeſe devoluta eſt, etiamſi non communem ex æquo quærat utilitatem.

XLIII. Quod poteſtatem homines a ſe abdicare poſſint, vel inde conſtat, quia in ſervitutem ſe quisque addicere poteſt alteri. Idque non ſolum Romanis, aliisque populis in more fuit poſitum; ſed ab ipſo Deo ter optimo maximo *Exod. 21. v. 5. & 6. Lev. 25.* permittitur. Verba fere hæc ſunt: *Quod ſi ſervo dominus uxorem dederit, finito ſexennio manumittetur* &c. (hoc ex lege divina detruncatum, in ſuo alcorano imitatus eſt Mahomet, ab omnibus mahometicæ originis vincula concivium & ſervitutem depellens, ut teſtatur Busbequius *epiſt. 3. Bodin. de rep. l. 1. c. 5.*) *Quod ſi vero captus amore uxoris & liberorum ſuorum noluerit a domino diſcedere, offeret eum dominus diis i. e. judicibus, eique ad poſtem applicato, ſubula aurem perforabit, ut ei perpetuo ſerviat.* Auris enim perforata ſervitutis ſignum erat. Magis etiam hoc elucet ex capite *Levit. 25. v. 46. Ubi extraneos & peregrinos Judæis Dominus perpetuo poſſidendos dedit, quos cum liberet, venderent, aut etiam heredibus ſuis relinquerent.* Quod ſi unicuique & ſingulis permiſſum eſt, id quod ex divino conſtat teſtimonio, ut omnia ſua jura, quæ a natura ſibi indulta ſunt, a ſe in alium transferre poſſint, adeo quidem, ut perpetuo ſub alio ſint, ejusque poſteris & poſterorum poſteris: ſequitur omnino, a toto aliquo ac univerſo populo idem quoque non incommode fieri poſſe; nimirum, ut ſe ſuaque omnia alterius poteſtatis faciat, atque in poſteros & poſterorum poſteros interrupto tenore tranſcribat; adeo ut ſui quoque poſteri eodem ſub imperio ſint & conſtanter maneant. *arg. v. 46. c. 25. Levit.* quicquid obloquantur alii. Quinimo cum divino verbo conſentiunt romanæ quoque leges, tum aliæ, tum *5. ff. de ſtatu hom. & §. ult. I. de jur. perſ.* Quamvis enim in favorem libertatis (adeo quidem, ut liberum hominem in commercio eſſe nollent, ſeu conſtat ex *l. 34. ff. de contract. empt. §. ult. Inſt. de empt. vend. §. 2. de inutilit. ſtip.*) nihil non fecerint Imperatores, quo ſuam eo commodius ſtabilirent dominationem, *tamen ſervus fiebat, cum liber homo, h. e. ingenuus & ſui juris, major viginti annis ad pretium participandum* (modo & partem pretii vere accepiſſet *l. 1. quib. ad libert. procl. non licet. &c.* & gnarus conditionis ſuæ *l. 2. ſi lib. ingen. eſſe dicat:* venditus eſſet ignoranti conditionem venditi *l. 7. §. 2. ff. de libr. cauſ. ut notat* Accurſ.) *ſeſe venundari paſſus eſt*: Utut Leo ipſum hoc abrogatum voluerit, ceu patet ex *Conſtit. 59. ad Stylian.* Quin eodem jure Pater filium vendere & urgente neceſſitate, oppignorare poterat, ut liquet ex *l. fin. C. de Patrib. qui. fil.* ſuos diſt. Græcis ipſis etiam, genti certe, ſi ulla, libertatis ſtudioſiſſimæ ſe vel aliis addicere fuit integrum, inque more poſitum, quemadmodum teſtatur Gell. l. 11. 18.

XLIV. Unicum hoc tale eſt, ut omnes tum Althuſii, tum Sectatorum aſſertiunculas, *quæ majeſtatis jura non minus, quam vitam qua quis fruitur, alienari non poſſe* affirmant, redarguere poſſit. Sed ne forte adverſarii noſtri habeant, quod conquerantur, nos etiam alia expediemus, & liberali quidem manu, quantum in nobis erit. Dabimus autem operam, ut, quemadmodum theſi ab hac proxima divino uſi ſumus teſtimonio ad evincendum, majeſtatis jura eſſe talia, quæ alienari poſſint, ita impoſterum naturæ rectæque rationis adminicula in promptu habeamus, ſi forte ex illis etiam elici quicquam poſſit, quod cauſam noſtram magis illuſtret.

XLV. Naturæ ſcilicet commune quaſi conſilium eſt, ut ex duobus, quod minimum eſt, eligatur malum. Quod ſi igitur contingat, ut tantas ad anguſtias aliquis redigatur quacunque tandem occaſione, ut aut ſerviendum ipſi ſit, aut per eundum; natura ipſa quaſi ſuadere, imo exigere videtur, ut libertatis potius, quam vitæ jacturam faciat; cum de judicio omnium, qui ſanæ mentis ſunt, ſatius ſit ſervire quam interire. Neque vero prudentiſſima rerum mater vel uni vel alteri hoc conſilium, ſed omnibus univerſim hominibus, & ſic populis etiam integris, dediſſe exiſtimanda eſt, ſi forte adverſa fortuna premantur, utpote quæ omnibus ex æquo bene cupit. Atque hinc eſt, quod *quidam*, teſte philoſopho 3. Polit. 6. *ipſius vitæ gratia congregentur. Forſan enim ineſt*, ait, *ſibi aliqua particula honeſti, & continet civilem ſocietatem etiam ſolum vivere, niſi moleſtiæ in ea intolerabiles accumulentur. Patet autem, quod tolerant homines multa aſpera deſiderio vitæ, ὡς ἐνύσης τινὸς ἐνημερίας ἐν αὐτῷ καὶ γλυκύτητος φυσικῆς h. e. utpote cum inſit ei quædam felicitas & naturalis jucunditas*: hujusque rei evidens argumentum capere licet ex ipſa morte; quod illa ſit, ut Philoſophus loquitur 3. Eth. ad Nicom. c. 6. φοβερώτατον h. e. terribilium omnium longe quid terribiliſſimum, quippe quæ naturam ipſam diſſolvat, *vitæ commoda omnia, & ipſam hanc lucem nobis eripiat*, ut Tullius ait. Neque enim apud Euripidem Electra in hæc verba fruſtra erupiſſe cenſenda eſt;

- - οὐχ οἷόν τε μὴ στένειν κακὰ
πᾶσι γὰρ οἰκτρὸν ἡ φίλη ψυχὴ βροτοῖς.



Digitized by Google

XLVI. Videmus ex hiſce, naturam omnibus in univerſum quaſi ſuadere, ut in malis ſubacta ratione agamus, quæque minus nocent, (ſiquidem fieri aliter non poteſt) præ iis, quæ majus ſint incommodum allatura, eligamus. Ut proinde optime ſibi conſuluerint, & ex naturæ quaſi præſcripto ſe geſſerint, qui, cum optio ſibi daretur; libertate potius, cunctisque eam comitantibus juribus & commodis, quam vita, dulciſſimo bono, exui voluerunt. Quæ ſi perpendiſſent tribuni novitii, fortaſſis haud ita inconcinne populi cauſam oraſſent, prudentiſſimæque rerum matri, totque egregiis gentibus, quæ ipſius conſilium ſint ſecutæ, tam temere dicam ſcripſiſſent. Neque eſt, quod ſuis dictis perfectam obtendant beatitudinem; quippe cujus propter corruptam noſtram naturam non omnes homines ſunt capaces, & ad quam nec aſpirare quoque omnes auſint vel velint. Quam multi enim ſunt, quos, ut ſuperioribus & proxima viſum theſi, ſolius vitæ amor & cupiditas in ſocietatem egit? Eo certe poſt lapſum primorum parentum res noſtræ redierunt, ut per malitiam hominum ſibi invicem inſidiantium, nobis in hac vita perfecte beatis eſſe non liceat; quo ipſo etiam factum eſt, ut bella fuerint ſuborta, quæ ſervitutibus initium & originem dedere: antea namque [ut cum Juvenale loquamur] *cum frigida parvas præberet ſpelunca domos, ignemque laremque, & pecus & dominos communi clauderet umbra*, conſtat vixiſſe omnes jure fere eodem & æquabili, nulloque niſi animalium ſervitio uſos. Atque hoc in cauſa fuit, cur Romani hujus ſeculi aurei memoriam renovaturi, quotannis 14. Cal. Januar. Saturnalia celebrarent, quibus data ſervis rerum omnium libertas, & par cum dominis poteſtas *Athen. l. 6 c. 7. Macrob. l. 1. Saturn. c. 10. & 11. in Saturn.*

XLVII. Verum enim vero, utcunque ſeſe res habeat, ex hiſce certe, quæ modo attulimus, illud conſtat, lubente natura licere hominibus, ſi majus, quale vitæ diſcrimen, immineat malum, libertatis jura in alios transferre, aque ſe penitus abdicare. An autem tale pactum vel reſcindi poſſit, vel ipſo jure nullum ſit, alius eſt diſquiſitionis. Multi ſunt in ea ſententia, ac ſi pactum tale, utpote quod turpitudinem involvat, ipſo jure nullum ſit: quibus nos quidem aſſentiri nulli poſſumus, niſi eam turpitudinem ad oculum prius demonſtraverint. Quod enim de virtutis cultu, ac ſi ſervitute intervertatur, a nonnullis obtendi ſolet, non usque adeo ſtringit: qui non eſt plane ſuffenus, facile animadvertit ſervitutem, ſi virtus abſit, aut nullam, aut cum emolumento certe domini non eſſe conjunctam: Neque ex eo, quod virtutibus omnibus κατ᾽ ἐξοχὴν vacare non detur, recte confeceris, virtutes in univerſum tibi eſſe interdictas. Alterum fortaſſis fuerit magis impeditum, cum multis magni nominis in integrum reſtitutio, vel ipſa naturæ lege conſtituta videatur. Quod ut temere non negaverim, præſertim ſi ſuam citra culpam aliqui bonis & juribus ſint dejecti, ita pactis conventis omnino ſtandum eſſe judico, ne fide proculcata ſimul omnia, ipſa etiam humana ſocietas peſſum eat: Idque ipſum, ſi ulterius progrediamur, reperiemus non ſolum naturam ſuadere, ſed & ſevere nobis injungere; quippe quæ nunquam non inculcat fidem eſſe ſervandam, utpote cum juſtitiæ ſoror ſit, & ſine ea nulla poſſit conſiſtere amicitia, & proinde nulla ſocietas; *amicitiam autem tollere, eſt ſolem e mundo auferre*, ut affirmat *Tullius in Lælio. Quid autem tam congruum humanæ fidei* (verbis utar Ulpiani *l. 1. ff. de pact.*) *quam ea, quæ inter eos placuerunt ſervare?* Manifeſtum igitur eſt, omnino nobis incumbere, ut, ſi ſocietatem ſalvam velimus, fidem integram & illæſam ſervemus, quandoquidem, ut Tullius præclare docet 1. offic. *juſtitiæ fundamentum ſit dictorum conventorumq; conſtantia & veritas.* Neq; ſolum humanæ ſocietatis neceſſitas hoc nobis injungit, ſed divina inſuper oracula idem nos diſerte docent, quando perhibent, Deum ipſum, qui nulla conſtituta lege alias conſtringi poteſt, contra naturam ſuam facturum, niſi promiſſa præſtaret. Neh. IX. v. 8. Heb. VI. 18. & X. 23. 1. Cor. I. 19. X. 13. Exinde namque conſequitur, ex natura immutabilis Dei juſtitiæ deſcendere, ut promiſſa præſtentur, utpote quæ Deo omnibusque ratione utentibus ſuo quodam modo communis eſt. Hinc eſt, quod ſapientiſſimus Regum Salomo Prov. V. 1. *Fili mi*, inquiat, *ſi quid ſpoſpondiſti alteri, defixiſti externas volas tuas: illaqueatus es verbis oris tui: captus es enunciationibus oris tui.* Ex quibus apparet, omnino homini incumbere, ut dictis per omnia ſuis fidem faciat. Et ſane, ſi ipſas nomenclaturas intueamur, experimur easdem unanimi quaſi conſenſu iſtuc ire, ut nobis ſervandi neceſſitatem ob oculos ponere velint. Hebræis namque, infucati oris hominibus [quorum lingua in promulgandis ſuis decretis & ſententiis ipſe Deus uti voluit] promiſſio notanter אִסָּר dicitur, h. e. vinculum cumque voto comparatur Num. XXX. v. 4. 5. 6. non ſecus, ac ſi hoc ipſo indigitare vellent, nos omnino teneri ad omnia illa præſtanda, quæ forte polliciti fuerimus. Nec profecto Græci abludunt; ſiquidem Euſtathio ad ſecundum Iliados fides habenda, ubi ὑπόχεσιν dictam putat inde quod ἁλίσκει καὶ κατέχει τὸν ὑποχόμενον ὁ τὴν ἐπαγγελίαν δεξάμενος. Conf. H. Grot. de J. B. & P. l. 2. c. 11. num. 4. ubi egregia hac de re habet.

XLIIX. Ex omnibus hiſce, niſi valde fallor, evidenter conſtat, quanti interſit, ut in omnibus dictis & conventis conſtantiam & veritatem, quantum fieri poteſt tenerrime, ſervemus: ut proinde dubitare ſupervacuum ſit, utrum populo, qui vel liberrima voluntate, vel juſto etiam bello coactus, in alius poteſtatem conceſſit, eique ſe ſuaque omnia ſubdidit, fides etiam cuſtodienda ſit, adeo, ut ab eadem reſilire nullus poſſit. Quod ſi autem fides eſt ſervanda; ſequitur omnino in poteſtate ipſis eſſe promittere [fruſtra enim quis promittat, quod in ſua non ſit poſitum poteſtate] h. e. in populi eſſe poteſtate poſitum, illa jura alienare, & quidem ita, ut poſteri quoque ſui iisdem promiſſis teneantur. Conf. *th. 38. ſub fine.* Eorum, quæ modo attuleramus, illuſtre exemplum eſt in libris *Paralipom.* ubi in culpæ parte Zedekiæ ponitur, quod fidem

Digitized by Google

fidem Nabuchodonoſori datam violaverit, quod manifeſtum eſt ex *cap. ult. 2 paralipom. v.* 11. Imo ipſe Deus injungit Judæis, ut ſe ſuaque jura ſumma in Regis Babyloniæ manus conſignent, ſi ſalvi eſſe velint. *Jerem.* 27. *v.* 12. hiſce verbis: *Subjicite colla veſtra jugo Regis Babyloniæ, & ſervite ei, & populo ejus & vivetis.* Sed hæc hactenus. Nunc ad ultimum progrediemur caput, ex quo novitios contra tribunos acturi ſumus, eque natura ipſorum ſummæ poteſtatis jurium oſtendemus, talia illa eſſe, quæ ab uno in aliud tranſire ſubjectum, & proinde alienari poſſint.

XLIX. In confeſſo eſt, jura omnia humana bonum aliquod humanum eſſe, ac proinde in commercium venire; quod ſi in commercio ſunt, omnino etiam ſub dominio erunt, ac proinde etiam in alios transferri poſſunt. Jam vero ſummam poteſtatem etiam jus aliquod humanum ac proinde paris cum reliquis eſſe conditionis, nemo ſanus temere negare auſit, niſi ſimul veritatem & rectam rationem evertere velit, quæ earundem rerum eandem docet eſſe rationem. Ut planum ſit vel ex hoc, ſumma jura per naturam ſuam eſſe talia, ut in alios tranſire poſſint. Verum enim vero, ut, quid velimus, magis appareat, paucula de reliquis juribus humanis (cætera enim JCtis diſcutienda relinquimus) interſpergemus, quæ lucem rebus noſtris facere poſſint.

L. Scilicet notum eſt, quod jura humana alii habeant pleno proprietatis jure, alii uſufructuario, alii etiam temporario. Eadem eſt ſummorum imperii jurium ratio, quod experientia olim in romano dictatore docuit, in quem (ut καθ' ὕϛερον πρώτερον progrediamur) ad certum aliquod & definitum tempus jura quævis ſumma tanto apparatu tranſierunt, ut impediri nullus potuerit, quo minus omnes actus, quos, qui eſt maxime Rex, jure exerceret, quemadmodum romanæ docent hiſtoriæ. Non enim audimus Johannem Bodinum *l.* 1. *de rep.* qui jura majeſtatis ex temporis perpetuitate metiri ſolet, ac proinde dictatores romanos ab iiſdem excludere. Deinde ſunt etiam Reges, qui ſumma illa jura uſufructuario habent & habuere jure, quorum, ſi per monumenta antiquorum aut etiam hodiernam ire velimus conſuetudinem, magnam metere meſſem liceret: nunc quidem parcimus chartæ, eoſque tales eſſe dicimus, qui vel eliguntur primum, vel electis etiam legitimo ordine ſuccedunt. Alii denique pleno proprietatis jure eadem poſſident; quorum e numero illi, qui vel juſto bello imperium quæſiverunt, aut in quorum ditionem populus aliquis, majoris mali vitandi gratia, vel etiam ſponte ſua, nullaque gravi de cauſa (neque enim aſſentiri poſſumus ſummo viro Hug. Grotio, qui *l.* 1. *de J. B. & P. c.* 3. §. 13. concedit *in regnis, quæ populi voluntate delata ſunt, non præſumendum eſſe, eam fuiſſe populi voluntatem, ut alienatio imperii ſuo Regi permitteretur*) ita ſe dedidit, ut nihil exciperetur. Conferatur Hug. Grotius *l.* 1. *c.* 3. ubi haud pauca affert in hanc ſententiam, quæ ſublimem ſapiunt virum.

LI. Apparet itaque ex hiſce, ſumma jura in commercium venire, ſubque dominio eſſe (quod ipſe fatetur Althuſius cum ſectatoribus, vid. *theſ.* 16.) ac proinde etiam alienari poſſe. Neque eſt, quod quiſquam a nobis hæc ita dici exiſtimet, ab uſu tamen longe eſſe remotiſſima, longe enim aliud experientia teſtatur, quippe quæ hactenus docuerit, multa imperia in patrimonio fuiſſe imperantis, ab eoque pro libitu alienari potuiſſe. Sic Strabo *l.* 8. Cythera inſulam Tænaro objacentem fuiſſe, ait, Eryelis Lacedæmoniorum principis ἐν μέρει κτήσεως ἰδίας privato jure. Imo Rex quoque Salomo 1. *Reg.* 9. *v.* 11. legitur Hiramo, Phœnicum Regi, viginti dediſſe urbes, non quidem Hebræorum, ſed ex illis, quas populi, ab Hebræis devicti, hactenus tenuerant, quaſque partim Rex Ægypti Pharao in dotem filiæ ſuæ dederat, partim Salomo in ſuam ipſe poteſtatem redegerat. Vide ſis longe plurima hac de re apud Grotium *l. c.* ubi exempla eorum haud pauca enumerat, qui ſummi imperii jura in alios tranſtulere. Nec vero ſoli Reges talia jura uſurpaverunt, ſed & domini ariſtocratici, imo unus populus in alium id ſibi juris datum ſemper crediderunt. Quod vel ex populi romani in provincias dominatu eſt notiſſimum. Videant igitur tribuni novitii, quomodo ſibi conſtent, quando *jura ſumma, ratione proprietatis & dominii, aſſerunt pertinere ad membra regni,* & tamen aliis communicari poſſe negant.

LII. Nos una cum omnibus, qui veritatem, tranquillitatem, imo ut verbo dicam, qui bonam amant mentem, arbitramur ex illis, quæ hactenus a nobis pro ingenii tenuitate ſunt congeſta, ſic ſatis eſſe liquidum, ſumma jura eſſe talia, quæ pro ratione gentium, loci, temporis etiam aliis ineſſe apta nata ſint, adeo ut ea penes illos eſſe etiam non erubeſcant, qui forte iis non tam communis omnium, quam ſui commodi gratia, uti dicam, an abuti? ſuſtinent.

LIII. Nec profecto ſibi a novis cenſoribus metuunt, quippe cum certum ſit, cum humanis ita non comparatum eſſe rebus, ut commune omnium commodum ex æquo per ſe uſquequaque ſemper promoveri poſſit. Quamvis enim ſocietates illæ, in quibus ita res geruntur, non ſint bonæ civiles ſocietates, neque ſuos omni ex parte felices reddant cives; interim tamen non prorſus eas injuſtas, aut naturæ diviniſque legibus contrarias, eſſe cenſendum eſt. Enim vero in quamcunque etiam partem noſtros flectamus oculos, nullibi ſane in ſacro codice deprehendimus vel veſtigium ſaltem aliquod, quod nos certiores facere poſſit, a Deo ter optimo maximo haſce rerumpublicarum formas unquam vel improbatas, vel etiam prohibitas fuiſſe. Quinimo tantum abeſt, ut omni magiſtratui, etiam iniquo, obedientiam præſtare & tributa ſolvere præceperit. In promptu eſt ſanctiſſimi Servatoris noſtri doctrina, exemplumque, qui cum Regum autor & Rex ſit, optime ſane Regum bona & jura explicaſſe, cenſendus eſt. Cui enim quæſo eſt ignotum celebre illud, ac multæ collectionis oraculum, quo, ut eſt apud *Matthæum* 22. *Cæſari, quæ ſunt Cæſaris, dare jubet:* ut Deo Cæſarem conjungeret pariter ac ſubjungeret; neque

que ſubjungendo tamen minus, quam conjungendo, eminentiæ quandam (verbis utar clariſſimi Boecleri in *lib. de regio auſpicio*) communionem denotaret? Ecce, quam illuſtre eſt, quod, cum terris ageret, auſpicia & majeſtatem ejus honoravit; cui ipſe majeſtatem & auſpicia dederat, cum tamen omnibus illis adeo abuteretur Tiberius, ut qui maxime! Ut vel ex hoc manifeſtum eſſe debeat, quantum ſummis debeatur poteſtatibus, etiamſi illi jure ſuo abutantur. Certe optimus Servatoris noſtri interpres, apoſtolus Paulus, videtur idem haud perfunctorie indigitare. Quando in ſua *ad Romanos epiſtola* 13. *cap.* officia ſubditorum prolixe depingens, inter alia, *Qui obſiſtit poteſtati*, ait, *ordinationi divinæ obſiſtit: tum vero, qui obſiſtunt, ſibi ipſis condemnationem accipient.* Subjungit ſtatim, *DEI enim miniſter eſt, qui poteſtate fungitur tuo bono*, (εἰς τὸ ἀγαθὸν) h. e. ut bene tibi ſit, non vero ſemper optime. Neque enim moramur novos interpretes, qui hæc verba de illis loqui arbitrantur magiſtratibus & poteſtatibus, quæ ad ſubditorum commodum omnia referunt. Sed de hisce poſtea pluribus agemus; nunc quidem Paulo comitem Petrum addemus, ſi forte ipſi plus fidei tribuere velint; loquitur autem in priori ſua *epiſtola c.* II. *v.* 13. hunc in modum: *proinde ſubjecti eſtote cuivis humanæ ordinationi propter Dominum: ſive Regi, ut qui ſupereminet, ſive præſidibus, ut qui per eum mittantur &c. Quoniam hæc eſt voluntas DEI, ut bene agendo capiſtro frenetis amentium hominum ignorantiam &c.* paucisque interjectis: *Deum timete, Regem honorate: Famuli, ſubditi eſtote cum omni timore dominis, non ſolum bonis & æquis, ſed etiam pravis* (τοῖς σκολιοῖς). *Hoc enim cedit gratiæ, ſi quis propter conſcientiam DEI ſuffert moleſtiam injuſte afflictus. Quæ enim eſt laus, ſi peccantes & colaphis cæſi toleratis? at ſi bene rem gerentes & tamen male habiti ſubſiſtitis, hoc gratia vobis cedit apud Deum.*

LIV. Omnia hæc, niſi fallor, abunde oſtendunt, quantum ſummis poteſtatibus, etiam illis, quæ non tam ſubditorum, quam ſui curam, imo quæ illorum nullam fere geſſerint, ſanctiſſimus Servator noſter & ab hoc edocti Paulus, divusque Petrus detulerint. Quid enim fœdius, quid crudelius Tiberio (quem cum dicis, tum peſſima quævis dixeris) excogitari poteſt? nonne tamen tributa illi ſolvi vult Servator, idque tantopere exigit, ut Deum juxta ponere eum nullus dubitet? Neque alia eorum, qui Paulo fuere æquales, fuit ratio, ſicut nec eorum, quos Petrus ſuis commendat adeo. Audiamus eum paucis ab initio ita loquentem: Πέτρος Ἀπόστολος Ἰησοῦ χριστοῦ ἐκλεκτοῖς παρεπιδήμοις, Διασπορᾶς. Πόντου, Γαλατίας, Καππαδοκίας, Ἀσίας καὶ Βιθυνίας &c. Quid clarius dici vel cogitari quidem poteſt? Scribit enim apoſtolus hæc ad Judæos, (cum hisce namque potiſſimum ſibi res erat) per varias regiones diſperſos, & quidem hunc in finem, æquis ut animis ſub aliorum viverent imperiis, imo gentilium & impiorum principum, capitalium denique tyrannorum, ſi ipſi Buchanano, (qui infeſtus adeo Regibus eſſe ſolet,) fides habenda in dialogo, de jure regni ap. Scotos, quando de Rege, quem Judæi ſumpſerant, ita fari infit: *Quid igitur petunt? Regem, qualem vicinæ gentes habebant, qui domi judex, foris Imperator eſſet. Erant autem revera tyranni. Nam ut Aſiæ populi magis ſervili animo ſunt, quam Europæi, ita tyrannorum imperiis facilius parebant, neque usquam, quod ſciam, mentio fit ab hiſtoricis legitimi Regis in Aſia.* Unde jam conſtat, quæ S. Petri mens fuerit, quidque ab electis ſuis fieri voluerit, nimirum ut *ſubjecti eſſent cuivis humanæ ordinationi* (πάσῃ ἀνθρωπίνῃ κτίσει) *propter Dominum*, h. e. omnibus poteſtatibus, etiam tyrannis, quibuscum illi conflictabantur. Quodſi vero ſubjecti eſſe debuerunt, & quidem propter Dominum, omnino ſervitus ejusmodi, neque divinis, neque naturæ legibus eſt contraria (Deus enim, ut fons omnis juſtitiæ, injuſta velle nullus poteſt) ut proinde, qui imperiis ejusmodi parebant, non peccaverint. Manifeſto vero oſtendunt hæc, jura ejusmodi ſumma juſte etiam teneri poſſe ab illis, qui nullam eorum, quibus præſunt, aut certe exiguam curam gerunt; reliqua enim, quatenus ſubditi eſſe debemus, cum ſint alius diſquiſitionis, hic non attingimus.

LV. Oſtendunt etiam hoc alia divina tam mandata, quam teſtimonia, tum in veteri, tum in novo fœdere, ceu manifeſtum eſt ex *capite* 29. Jeremiæ, quando a captivis Judæis exigit, ut pro reipublicæ, in quam ſint abducti, ſalute orent: *Quia*, addens, *ſi illi, & vobis bene erit*: & *ex c.* 2. I. *ad Timoth. epiſt.* ubi Paulus eadem inſtillat, nimirum ut preces fundantur pro Regibus & quibusvis in eminentia conſtitutis, ut tranquillam ac beatam vitam degamus cum omni pietate & honeſtate (ἐν πάσῃ εὐσεβείᾳ καὶ σεμνότητι). At quæſo, quos principes illi commendant noſtris precibus, & quas respublicas? nonne principes longe omnium crudeliſſimos, Tiberios, Caligulas, Claudios, Nerones, de quibus omnibus agunt & paulinæ epiſtolæ? nonne iſte rempublicam DEI & hominum contemptricem, Babylonicam nimirum? Videmus igitur, quemadmodum Deus curam gerat Regum & Principum, etiam idololatrarum & crudelium (quales omnes hi fuere) quippe quos precibus noſtris commendare voluit; tantum abeſt, ut imperium detrectare, multo minus detrahere de ſolio, detractosve trucidare præceperit. Ut quivis ſanæ mentis vel ex hoc capite ſententiam ferre poſſit de perſonata popularium doctrina. Enim vero, quantum roboris hoc divinum mandatum, quo jubentur orare pro ſalute Regum, ad ſtabiliendam eorum majeſtatem, quæque eam conſequuntur jura, conferat, clarius eſt, quam ut hic religioſe inculcari debeat. Quis enim tam nullius ſit judicii, qui exinde non intelligat, neque naturæ, neque divinis contrariari legibus, ſi majeſtatis jura penes unum ſint, & quidem etiamſi ad publicum omnium promovendum emolumentum non deſtinentur.

LVI. Hæc omnia adeo clara ſunt, ut, qui videre nolit, ad ipſam lucem coecutire velle videatur. Quod de ſeſe quidem egregie præſtant, tum alii popularis auræ venatores, tum vir cætera maximus Georg. Buchananus *in tr. de jure regni apud Scotos* (non enim adduci poſſum, ut hæc tanti judicii, tamque admirandi ingenii hominem latuiſſe credam, eoque magis, quod ex

Smithi

Digitized by Google

Smithi Anglia diſcam, ſerio hominem ſcripti pœnituiſſe, imo ex animo id fuiſſe deteſtatum) ubi cum ſuo, quem Thomam appellat Mætellanum, adoleſcente ita ſermocinatur. *Vide, ut ſententias Pauli recte expenderis; non enim verbum ſolum examinare oportet*: & mox: *Non enim de tyranno*, inquit Chryſoſtomus, *hæc a Paulo ſcribuntur, ſed de vero ac legitimo magiſtratu &c. Sed nec ſtatim, ſi pro malis principibus eſt orandum, hinc colligere debemus, eorum vitia non eſſe punienda &c.* ubi multa interſerit de coërcendis magiſtratibus, quam litem noſtram non facimus hac vice, ferre tamen nulli poſſimus, quod Caligulis, Neronibus, Domitianis & aliis ejus generis, nomen magiſtratus abjudicet; *Nec, ſi ad Pauli regulam*, inquiens, *id genus tyrannorum examines, omnino magiſtratus erunt*, cum tam diſerte idipſum tum Paulus, tum etiam Petrus, apoſtoli explicent, ut nihil ſupra. Quid enim ſibi verba illa ὑπερεχούσαις ἐξουσίαις, ὑπὲρ βασιλέων καὶ πάντων ἐν ὑπεροχῇ ὄντων, πάσῃ ἀνθρωπίνῃ κτίσει volunt, quam ut nobis univerſalitatem quandam magiſtratuum proponant, quemadmodum & divus Petrus ſemet ipſum interpretatur, εἴτε βασιλεῖ ὡς ὑπερέχοντι, εἴτε ἡγεμόσιν, ὡς δι' αὐτοῦ πεμπομένοις &c. Ὅτι οὕτως ἐστὶ τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ, ἀγαθοποιοῦντας φιμοῦν τὴν τῶν ἀφρόνων ἀνθρώπων ἀγνωσίαν &c. Quid, Deus bone, luculentius hoc vel dici, vel cogitari poteſt? Neque fortaſſis hic habebunt, quod prætexant, cum verba in tanta luce ſint poſita, & deinde ratio, quæ apoſtolum ad ſcribendum impulit, in promptu ſit; niſi ludibrio ſeſe exponere voluptati habeant. Verba enim, prout jacent, interpretati ſumus, cauſas etiam, quæ ſcribendi officium apoſtolo injunxere, in medium afferemus, inprimis cum & mentio earundem theſi ab hac tertia factum ſit.

LVII. Nimirum Judæos, turbidam gentem, noviſque ſemper rebus ſtudentem, cum forte minus liberaliter a romanis præſidibus haberentur, cœpit tædium romanæ dominationis, adeo ut non raro ad arma confugerent, præſidibuſque bellum facerent. Quod præclare docet Flavius Joſephus in libris *de bello judaico*. Legi inter alia meretur nitidiſſima Agrippæ oratio apud eundem Flavium, *l.* 2. *de bello judaico, capite* 16. in qua vivis coloribus Judæorum mores & turbidum ingenium depingit, ac perſtringit, modo ita eos compellans: *Novi, quod multi & injurias procurantium provincias, & præconia libertatis quaſi tragice proſequantur*; modo ſic: *Libertatis bona ſitientibus providendum atque certandum eſt, ut principio non ea careant, moleſta enim eſt novitas ſervitutis: quam ne utique ſubeas, juſtum ſuſcipere tamen videtur. Qui vero ſemel ſubjectus eſt, & deinceps deficit, contumax magis ſervus, quam amator libertatis oſtenditur &c.* Ex quibus omnibus nullo negotio addiſcitur, quam infeſti Judæi fuerint præſidibus, & tantum non laboraverint ſe eximere jugo romano. Indignum enim putabant, ſuæque genti indecorum, ſi gentilium & exterorum hominum imperio ſubeſſe deberent. Hinc tot coitiones, tot factiones inter illos gliſcere cœperunt, ut nemo tutus eſſe poſſet. Eo etiam tandem fuit deventum, ut clandeſtinis conſpirationibus indulgerent, eoſque e medio tollerent, qui Romanis morem gerebant, ceu teſtatur Flavius noſter Joſephus *l.* 7. *c.* 28. *de bello judaico*, cum de Eleaſaro hunc in modum loquitur: *Vir præpotens, ex origine Judæ, qui non paucis Judæis perſuaſerat, ne profeſſionem facerent, quando cenſor Cyrenius in Judæam miſſus eſt. Tunc enim ſicarii conſpiravere in eos, qui Romanis dicto audientes eſſe vellent; omnique modo his, quaſi hoſtibus, utebantur, diripiendo quidem & abigendo eorum bona, ignem vero domibus injiciendo. Nihil enim eos ab alienigenis differre dicebant, qui pugna etiam petendam libertatem tanta ignavia prodidiſſent, magiſque ſe optare ſub Romanis ſervitium, profeſſi eſſent &c.* denique, multis interjectis, de Johanne Giſeolæ, & Simone Gioræ, perditiſſimis nebulonibus, addit; *Horum furoris æmuli etiam Idumæi fuere*; & mox in quibus illud genus hominum, qui Zelotæ appellati ſunt, viguit, qui nomen factis verum probaverunt.

LIIX. Hæc altius nonnihil repetere libuit, tum quod in vulgus minus nota ſint, tum vero, ut eo rectius appareat, quid divum Petrum commoverit, ut in ſua ad diſperſos Judæos epiſtola tam diligenter præceptum illud de honorando magiſtratu inculcaverit; utque novorum, ut ſic dicam, Zelotarum tela eo commodius evitentur, qui tanto illis ſunt pejores, quod omnes in univerſum populos ab aliorum imperiis, illi duntaxat ſuos Judæos a Romanorum imperio liberos præſtare voluerint. Quantum vero liquet ex apoſtolo noſtro, non ſolum requiritur a Judæis, ut Regi ſint ſubjecti; ſed etiam præſidibus, tanquam ab eo miſſis; idque propter Dominum διὰ τὸν κύριον, quæ & ipſa verba illud, quod volebamus, aſtruunt, nimirum ferendum eſſe imperium ſubditis, etiamſi non ſemper ſuo fiat commodo, imo etiamſi quandoque cum acerbitate quadam ſit conjunctum, utpote quia Domino ita placeat. Ex hac enim Domini ſive voluntate, ſive conſenſu indubitato colligimus, non contra venire divinis & naturæ legibus, ſi unus aliquis tale imperium teneat.

LIX. Quod divus noſter Petrus in novo, illud ipſum divinus Jeremias in veteri fœdere, tempore Nabuchodonoſoris, ſuis ad nauſeam inculcavit Judæis & ante, & in captivitate, quemadmodum tum ex ſacro codice, tum ex *cap.* 10. *l.* 10. *antiquitatum judaicarum* Fl. Joſephi conſtat. Non poſſum proinde mirari ſatis G. Buchanani ſteriles argutias, quando ad ſuum adoleſcentem ita verba facit: *illud oportet animadvertas, prophetam* (Jeremiam) *non jubere, ut omnibus tyrannis pareant Judæi, ſed uni Aſſyriorum Regi. Quod ſi tu ex eo, quod uni ſingulariter juſſum eſt, legis formulam colligere velis, primum non ignoras, (docuit enim id te dialectica) quam abſurde ſis facturus, deinde periculum tibi erit; ne paribus te armis oppugnatores tyrannidis aggrediantur.* Enim vero non hic quæritur, utrum hoc prophetæ mens fuerit, quod Judæi omnibus tyrannis (neque enim vel omnibus ſuberant, vel ſubeſſe poterant) parere debeant; ſed hoc maxime in quæſtione eſt, utrumne imperium, quod juſto bello fuit acquiſitum, hoc tam populi, quam ſuum inten-



Digitized by Google

dit commodum, juſtum eſſe poſſit, an vero ſemper cum legibus divinis & naturæ pugnet: quod Zelotæ noſtri affirmant, nos vero pernegamus, & quidem ex illo capite, quo ipſe DEUS ter optimus aliquando a ſua, h. e. judaica gente, exegerit, ut tali imperio ſubeſſent; cumque refragarentur, pœnæ eos poſtulaverit, ut apparet ex *loc. cit.* Quæ ex philoſophorum libris maxima adducitur, vereor, ut hic locum inveniat; cum loquatur de voluntate humana mutabili, hic autem ſermo ſit de æterna DEI & non mutabili voluntate, quæ ſemper & omni tempore eadem eſt. Cæterum, quæ de Achabo ſubtexuntur, tanti non ſunt, ut nos morari debeant, quo minus ad alia progrediamur. Ambabus enim largimur, fieri poſſe, ut tyranni jure occidantur, quoniam Achabus juſſu divino ſit occiſus; ſi tamen illi rurſus nobis dent, poſſe fieri, ut imperium tyrannorum ſit juſtum, quod exemplo Judæorum manifeſtum eſt.

LX. Poterant, ni fallor, pro inſtituti ratione hæc ſufficere, cum tam luculenter oſtendant imperia, quorum ſumma poteſtas vel penes unum, vel multos eſt, etiamſi non tam parentium, quam imperantium quærat commodum, juſta ac legitima eſſe, ac per univerſum terrarum orbem fere ſemper obtinuiſſe. Ut mirum ſit, ſi novi Zelotæ ſoli ſciant, quid legibus naturæ & divinis ſit conveniens, reliquæ vero omnes gentes, magnam licet partem cultiſſimæ, ignorent. At vero unicum adhuc ſupereſt monendum, quod nimirum ipſe Servator noſter ſanctiſſimus per omnia talibus magiſtratibus dicto fuerit audiens, ſimulac in mundum venit, nomen dederit, vectigal atque alia ſolverit, quemadmodum ex novi fœderis ſcriptoribus apparet. Habemus igitur pro nobis non ſolum veteris & novi fœderis, verum etiam ipſius naturæ ſacratiſſima decreta, imo ipſum Servatorem noſtrum JESUM CHRISTUM; qui ſuo nobis exemplo præivit, viamque, quam in magiſtratibus colendis ſequi debeamus, monſtravit, ut proinde nemo unus dubitare amplius habeat, quin bona conſcientia alii imperium ſummum ſine arbitris exercere, alii vero ferre poſſint, quamvis publici commodi vel nulla, vel certe exigua, habeatur ratio. Quod ſi quis contra ſentiat, eum inſanum, inteſtabilem, & indignum, qui homines inter numeretur, exiſtimamus. Repugnat enim non ſolum naturæ, verum etiam divinæ voluntati, per ſcripturas revelatæ. Atque hic nunc pedem figimus, novisque Zelotis ſanam mentem apprecamur; plura enim hac vice addere non lubet.

LXI. Non poſſumus tamen, quin uno atque altero verbulo attingamus mira corollaria, quæ ex falſis iſtis principiis ſolent deduci. Cum enim perſuaſiſſimum ſibi habeant, finem omnium regnorum, prout ſuperius indicavimus, eſſe communem ſalutem, vid. Jun. Brut. *in vind. quæſt.* 3. & Danæum *l.* 1. *polit. Chriſt. cap.* 4. Hoenon. *diſp.* 9. *n.* 6. hinc colligunt, qui eam non curet, non eſſe verum principem, ſed tyrannum; ac proinde poſſe loco moveri, imo etiam occidi: deinde omnes Principes & Reges a populo eſſe conſtitutos, ac proinde ab eodem iterum poſſe deſtitui, ſi ita viſum fuerit, id quod & Jun. Brut. *quæſt.* 3. impudenter cum reliquis Zelotis affirmat, & nuper non tam verbis, quam re ipſa docuere Britanni parricidæ. Quam vero hæc omnia ſunt falſa, ex ſuperioribus patuit, ubi probatum fecimus, multos vi, multos etiam alia ratione regnum ſibi comparaſſe: deinde non omnium hominum conditionem pati, prout nunc ſunt mores, ut commune ſemper commodum quæratur, multos etiam perfectæ felicitatis nullo modo eſſe capaces. Nemo igitur, niſi extremæ dementiæ homo, non videt, quam ridiculi ſint novi Zelotæ, quando rerum adminiſtrandarum formam talem non tam proponunt, quam præſcribunt, quæ, ſi rem ſpectes, optanda magis, quam ſperanda.

LXII. Poſſemus nos ex principiis noſtris veris & æternis alia derivare corollaria, quæ evincerent, non eſſe in cujusvis populi poteſtate, principibus aut ariſtocraticis poteſtatibus refragari; imo injuſtum id plane eſſe, ſi populus vel ſponte, vel vi in alterius ditionem conceſſit, æque ac injuſtum eſt, ſi unus ſervus Petro aut Paulo proprius ſit, eisque dicto non ſit audiens: ſed inſtituti memores, hic filum abrumpimus, illaque aliis pertexenda relinquimus. Nulli tamen poſſumus, quin quorundam ſupinam jactantiam coronidis loco notemus & caſtigemus, qui ex falſo illo Zelotarum principio, omnes Reges & Principes eſſe a populo (quemadmodum Althuſius etiam in cap. 19. ſomniat) monſtrum, neſcio quod, extundunt, quod nimirum nullus Princeps, etiam hereditarius, ſit verus Princeps, antequam ipſi præſtitum fuerit homagium, idque in omnibus regnis, principatibus, comitatibus per univerſum terrarum orbem obtinere, clamant, neſcio, inſcitiane majore, an impudentia, quorum quidem nos hactenus exiſtimationi parcimus, ut vero, quæ a nobis hac occaſione in medium ſunt prolata, ſecum revolvere etiam atque etiam velint, rogamus.

LXIII. Paulo mitiores, a vero tamen non minus alieni ſunt, qui concinnarunt homagialia acta brunſvicenſia: utpote qui non tam aliorum omnium, quam ſuorum in ore habent libertatem, eamque a Carolo usque M. arceſſunt: ut videre eſt tum ex epiſtola der Stadt Braunſchweig an die Röm. Kayſ. Mayeſt. ſub dato den 30. Auguſt. an. 1583. quæ reperitur in part. 3. der Braunſchvveig-hiſtoriſchen Händel. p. 1403. tum vero ex act. homag. fol. 34. 41. 46. 63. & al. p. 1. In parte namque prima fol. 46. diſerte affirmant, daſs ſie bey ſtreitigem Stande den Hertzogen zu Braunſchvveig für gemeiner Stadt Landes-Fürſten nicht erkennen, daſs ſie keine Unterthanen vveren, ehe dann und zuvorn ſie gehuldiget hätten: folio autem 108. p. 1. & fol. 72. p. 3. hæc eo extendunt, quaſi liberum ſibi ſit, ſi forte Princeps non ad votum ſe geſſerit, quocunque tempore a fide data diſcedere, *propter* (ſic loquuntur) *reciprocationem & correſpectivum pactum conventum & ultro citroque obligatorium contractum homagialem*; quod & hisce verbis ſolent indigitare: So lange he uns by glick und recht und Gevvonheit leth &c. Item, Hölt unſe Here, ſo holden vvie ock. Vide Althuſ. *c.* 20. *n.* 3. *&* 21. ubi cum Jun. Brut. *quæſt.* 3. *vind.*

*cont.*

Digitized by Google

*cont. tyran.* Hottom. *l.* 1. *c.*12. *& ſeq. de Jur. antiq. reg. Gall.* Buchan. Roſſæo & aliis ad eundem modum delirat. Enim vero omni etiam hiſtoriæ repugnat, in hiſce Saxoniæ oris principatus unquam a populari arbitrio fuiſſe ſuſpenſos, & non potius a beneficio Cæſarumve, qui in jura regum Francorum, a quibus Saxones ſunt devicti, ſucceſſerunt, Quis porro unquam tam abſurdus fuit, uttantam Homagio vim tribuerit, tanquam ab eodem omnis Principum & Comitum, quamvis hereditariorum, autoritas pendeat? cum ſit potius ceremonia, quæ ideo adhibetur, ut utramque partem ſui moneat officii. Cæterum hic ſubſiſtimus: quæ enim reliqua ſunt, commodiori tempori & chartæ ſervabimus, demonſtraturi tum exactius, quod regius & ariſtocraticus ſtatus pro ratione temporis, loci, aliarumque circumſtantiarum non minus ſit commodus, quam, qui a Philoſopho noſtro politicus, ſive Timocraticus vocari ſolet, aque novis Zelotis unice adoratur. Interea DEUM ter optimum rogamus, ut pacem nobis & tranquillitatem clementer indulgere velit propter unigenitum ſuum filium. Faxit Jehova! faxit!

# VINDICIARUM.
## NUMERUS I.

Hucusque ſe exporrigunt ea, quæ annum ante & quod excurrit, ſub præſidio longe celeberrimi viri H. CONRINGII, publice in Academia Julia, examinanda propoſueram. Conſtitueram quidem cum animo meo, telam, quam exorſus eram, pertexere, ſed cum ab aliis occupari operam viderem, malui ſubſiſtere, quam actum agere, præſertim quod intelligam, conatus qualescunque noſtros Samiis quibusdam Lucumonibus permoleſtos accidiſſe. Vix infelix illa diſſertatio lucem aſpexerat, cum tot malevolorum clamoribus, tot rumoribus, qui nec dum rauci facti ſunt, fuit excepta, ut in fabulam etiam vulgo ceſſerit. Alii ætatem meam, alii temeritatem, alii rei novitatem, alii aliud accuſabant; plerique ſine cauſa tumultuabantur, cum multi non legerent, plures non intelligerent, quæ a nobis eſſent in medium allata.

II. Non nego, me per ætatem iis non inſtructum eſſe facultatibus, quæ ad ſumme arduam illam, & tentatam hactenus, (quamvis magnam partem fruſtra) & tot magni nominis viris quæſtionem, enodandam ſufficiant; interim tamen, quicquid Bambaliones iſti blaterent, non puto tam inique mecum agi, ut cum *in medio omnibus palma ſit poſita, qui artem tractant muſicam*, ſoli mihi vires non liceat experiri meas, præſertim, cum ejus viri auſpiciis rem geſſerim, qui vel ipſo Momo Judice tum in aliis, tum in rebus, ad civilem prudentiam pertinentibus, ſi quis unquam, eſt verſatiſſimus.

III. Qui temeritatis arguunt, faciunt næ intelligendo, ut nihil intelligere videantur. Quis enim quæſo tam inſubidus fuerit, ut, quæ a majoribus ad ingenia juvenum exercenda, & induſtriam excitandam, ſapienter ſunt excogita, temeritatum nomine accuſare velit? At, dixerint, abſtinendum erat ab illis quæſtionibus, quæ a ſummis quibusque viris diu jam pertractatæ; tantum periculi & difficultatis poſt ſe trahunt, ut potius ſopiendæ, quam diſceptandæ ſint; a Juvenibus præſertim, a quibus vix intelligi, tantum abeſt, ut expediri ullo modo queant. Imo vero vel ideo ab ineunte ætate allaborandum eſt, ſi illa difficultas idone e tolli, ac certi quippiam hac in parte definiri poſſit, eoque magis, quo cum majori periculo humanæ ſocietatis conjunctum eſt, falli hic vel etiam dubitare. Quis enim, niſi extreme ſupinus, ignorat, quantum turbarum & hoc, & omni fere ævo, conflaverit ipſum hoc negotium minus recte intellectum? Profecto, qui perſuaſum ſibi habet, omnem majeſtatem naturaliter penes populum reſidere, ab eoque nullo modo divelli poſſe, videtque unum vel paucos eam ſibi ſumere, non poteſt non ex animo vel unum vel paucos illos, deteſtari, utque e medio tollantur, anniti: qui vero dubitat, aliorum ſermonibus facile in transverſum abripitur, utpote cum non habeat, in quo conſiſtat animus. Denique, quod primo loco afferebatur, nequaquam tanti eſt, ut ab inſtituto nos dimovere debeat: etiamſi enim a viris longe doctiſſimis [quorum laudibus nulli derogamus] quæſtio hæc ſit enucleata, non tamen putamus, omnia adeo eſſe exhauſta, ut aliis, quod ſciſcant, nihil ſit relictum. Pulchre Seneca, *veritas*, inquit, *omnibus patet, nondum eſt occupata, multum ex illa etiam futuris relictum eſt.*

IV. *At vero*, ajunt, (vid. *Auct. de Imp. abſol. & relat. conſid.* §. 2. 3. & 4.) *temeritatis haud levis eſt, liberorum populorum jura invadere:* Fateor equidem, ſique convinci poſſumus, cauſam non dico, quin legibus quod fuerit conſentaneum, in me ſtatuatur: nihil igitur reliquum eſt, quam ut ab iisdem contendamus, quo ad oculum demonſtrent, tale quippiam a nobis unquam vel factum, vel etiam tentatum. Profecto quæ probationis loco hactenus de vicina urbe ſunt adducta, tam ſunt ridicula, ut quæ unquam. Nos nunquam negavimus, neque quisquam forte ſanæ mentis, gaudere urbem illam ſuis privilegiis, & immunitatibus, per tot jam ſecula; at quod ex principiis, quorum theſi ultima mentionem fecimus, hoc ipſum evinci poſſit, hoc eſt, quod pernegamus, infra etiam, ubi eo fuerit deventum, pluribus demonſtrabimus. An autem exinde ſequatur, nos *liberorum populorum jura invadere*, quilibet, cui vel mica ſaltem ſani judicii, facile arbitrabitur.

V. Qui rei novitate turbantur, fatentur eo ipſo, ſe in omni antiquitate plane eſſe hoſpites: ſi enim vel divini Platonis, vel ſummi Ariſtotelis [de aliis atque aliis, quamvis apud Herodotum non pauca reperiantur, ceu ex orationibus non infacetis Otanis, Megabyzi & Darii l. 3.

adductis conſtat, nunc non dicam] ſaltem ſcripta fugitivis perluſtrent oculis, non obſcura ſalebroſæ hujus quæſtionis veſtigia deprehendent. Imo vero, magnam meſſem metere licuerit Ariſtotelis *Pol. l* 3. neque forte minorem in Platonis libris, tam de ll. quam de rep. Ex multis ecce Tibi unum: Cum I. & II. lib. de LL. Plato oſtendiſſet, optime publicæ rei conſultum iri, ſi pueris ab ineunte ætate recte vivendi præcepta inſtillentur, tandem III. incipit nonnulla de origine civilis ſocietatis commentari, inque hæc [cum alia multa de imperiorum incunabulis perdocte dixiſſet,] tandem verba erumpit Athenienſis hoſpes [quem cum Megillo Lacedæmonio, & Clinia Cretenſi loquentem introducit.] *Ἄρχοντας δὲ δὴ καὶ ἀρχομένους ἀναγκαῖον ἐν ταῖς πόλεσιν εἶναι που; Κλ. τι μήν; Α. Εἶεν. Αξιώματα δὲ δὴ τοῦτε ἄρχειν, καὶ ἄρχεσθαι, ποῖά ἐστι καὶ πόσα, ἔντε πόλεσι μεγάλαις καὶ σμικραῖς;* idemque paucis interjectis: *Ὁρᾷς δὲ, ὅσο ἐστὶ πρὸς ἄρχοντας, ἀξιώματα, καὶ ὅσα πεφυκότα πρὸς ἄλληλα ἐναντίως;* Poſſemus, niſi ab inſtituto alienum eſſet, innumera talia huc congerere: qui plura voluerit, ipſos ſummos viros conſulat, poſtque illos etiam alios ſcriptores Græcos; & ipſo opere experietur, quanta animorum contentione hæc lis in gente non ſtupida fuerit usque quaque diſceptata, & quemadmodum Athenienſes poſt Theſei tempora ſtuduerint ſeſe magis atque magis in libertatem aſſerere, donec tandem a morte Codri, qui pro ſalute reip. difficillimo orienſi bello ſe devoverat, regium nomen abrogatum, poſt etiam Prætorum (quos illi *ἄρχοντας* vocabant) perpetua poteſtas primum mire labefacta, deinde Eryxia vel mortuo, vel pulſo, ut alii putant, penitus fuit ſublata. Scilicet inſederat Athenienſium animos fædus error, dicam? an popularis libertatis amor, quaſi absque ea non poſſent eſſe felices; hinc adeo ab eadem nullo modo ſibi recedendum arbitrabantur, etiamſi, collapſa veterum diſciplina, tueri nulli poſſent, ceu præclare docet Xenophon. Sed non eſt noſtri inſtituti hiſce diutius immorari; pertractavit omnia hæc admiranda diligentia Ubbo Emmius *lib. de Græcorum rebusp.* ubi legi poterunt.

VI. Nos omiſſis hiſce, & Gerronibus omnibus valere juſſis, arcem cauſæ ingrediemur, ſub incudem revocaturi ſcriptum JOHANNIS FICHLAV de Inſtera Boruſſi, J. [ut ſe vocat] U. C. haud ita pridem Lipſiæ, approbante *Benedicto Carpzovio*, non parvi nominis JCto, typis exſcriptum: noſtrisque theſibus oppoſitum: in quo præter varia [mitiſſime dicam] mendacia, tot reperiuntur nefanda, quæque regibus ac principibus quibuscunque, æque ac Ariſtocraticis Dominis jugulum minantur, dogmata, ut profecto mirum ſit, potuiſſe probari [in exemplaris MS. fronte hæc verba reperiuntur, *Vidit ordinarius D. Carpzov. & probavit ea, quæ ſunt juridica & politica*] viro, Sereniſſimi Electoris Principis ſtipendia merenti: Enim vero [ut alia nunc prætermittam, quorum catalogum infra texemus] an eundem deceat docere, aut in aliis ferre, quod *in regnis ac principatibus, peſtilentiſſimis hominibus & publico exitio repertis ampliſſima præmia conſtituta ſint, in excidium ac contemptum virtutis, contra omnem ordinem & rationem juſtitiæ*, alii judicent. Nos omnino ſtatuimus, eos, qui talia perpetrent, non eſſe dignos, qui inter homines numerentur, tantum abeſt, ut vel regum vel principum nomine veniant. Atque hæc in ipſo limine occurrunt, & ſplendidum quaſi antipagmentum ſunt, ut quid de reliquis ſit ſtatuendum, divinare in proclivi fuerit. Quin imo eo proceditur, ut ſummum virum *Hermannum Conringium*, qui exercitationem noſtram ſuo dignatus erat præſidio, peſtilentiſſimis hominibus annumerare, famamque ejus quocunque modo lancinare nulli erubeſcant, ne ab ipſa quidem Julia noſtra abſtineant: an forte, cum rationibus non poſſent, ſævidicis dictis protelare nos voluerint, non dixerim: hoc certum eſt, voluiſſe ipſos tanto viro ad minimum oblatrare, & vel ſic famam ſibi quærere. Ne nunc dicamus de Sereniſſ. Brunovicenſibus & Luneburgenſibus Principibus, quos ipſa hæc calumnia proprius tangere videtur: ſi enim, [ut in ſcripto aſſeritur] *illorum peſtilentiſſimorum hominum exemplum habemus, in H. Conringio;* non obſcurum eſt, quid de ipſis Sereniſſ. Principp. aliisque, qui opera ſummi viri utuntur, ſit ſentiendum. Sed nolo hæc, ut memoratu indigna, tantum abeſt, ut a quoquam affirmari debeant, ad nauſeam repetere. Nota ſunt Sereniſſ. Principum præclara in rempublicam ſtudia ac merita; notæ ſunt magni Conringii noſtri eximiæ virtutes admirandaque eruditio, quæ exteros etiam quoscunque diu jam latere non potuerunt, adeo ut in hiſce deprædicandis occupari, ſit in Clariſſimum ſolem mortale lumen velle inferre. Vel verbulo effrenem illam calumniandi proterviam notandam duximus, ut bono cuique pateat, & ex ungue Leonem cognoſcendi anſam præbeat.

VII. De re ipſa nunc videbimus, ita tamen, ut præcipua ſaltem delibemus; [omnia nec volumus nec poſſumus, pauciſſima ſane, merentur,] ſi quæ ſuperſunt, in fine unum in faſciculum coacta proſtabunt: vel recitaſſe enim, eſt refutaſſe. Ante omnia obſervanda eſt Autoris *libell. de imp. abſ. & rel. &c.* artificioſa imitandi ratio, quæ tum alibi, tum in ipſa dedicatione adeo manifeſta eſt, ut nemini non [modo ne oculis fuerit captus] perſpicere integrum ſit, quantillum ſit remanſurum, ſi Hugo Grotius (quæ ex Epiſt. ad Gallos 1. deſcripta ſunt,) vindicaret. Promittit ibidem Brunovicenſium urbi patrocinium; quod tamen adeo jejune præſtat, ut potius prodat, quam agat cauſam, ut patebit ex iis, quæ infra ſumus dicturi; ubi demonſtrabimus non opus fuiſſe vitilitigatore hoc, contra nos quidem, cum rempublicam eorum nunquam ream egerimus, nec ipſa illo egeat patrono, & ſi quo egeat, certe illum nolit, cujus proinde hunc librum non exiſtimavit dignum, quem gratia aliqua afficeret, imo vix admiſerit. In prooemio excutiendo non detinebimur, quamvis calumnias comprehendat ſic ſatis ſpiſſas, quas ſuo tempore vel ipſe Excellentiſſimus vir ulciſcetur, vel quod magis arbitror, ut ab impuro homine promanantes ſplendido contemptu vindicabit. Hoc ſaltem in limine monemus, quod tum hic, tum alibi

Digitized by Google

alibi per totum ſcriptum auctoritatibus potius, quam argumentis certetur. Semel hic dicemus, quod ſemper obſervandum veniet; Vulgare eſt Autori illi, ut, quoties quid probandum venit, tot civilis, tot juris prudentiæ Doctoribus ſuffarcinatus incedat, ac ſi vim potius, quam fidem facere velit: imo eousque etiam progreditur, ut in rebus exigui momenti, & luce meridiana clarioribus, exhibendis, nec non aliorum dictis & verbis recitandis, ſcriptorum turbam corradat, qui alterum tantum ſpacii, atque ipſæ res occupent. v. g. *Peſtilentiſſimum tamen hocce* (ita ab initio ſtatim fari incipit) *genus hominum, quod publico exitio repertum, nec ſatis pœnis coërcitum, Tacitus & ex eo Frachetta l. 1. in princip. Arnold. Clapmar. l. 5. de arcanis rerump. c. 15. Jacob. Bornitius l. 1. de pænis in rep. decernendis p. 38. Rittershuſ. in 3. Orat. de Jud. hab. p. 96. Ut omni tempore in florentiſſimis & liberis quoque exſtitit imperiis, ut teſtatur Tacitus, maxime tamen in regnis ac principatibus reperiri Plato in Epiſt. ad Dionyſ. teſtatur. In his ſiquidem cum ampliſſima his præmia conſtituta ſint, in contemptum & excidium virtutis, contra omnem ordinem & rationem juſtitiæ Bodin. l. 5. de rep. c. 4. Althuſius polit. method. digeſt. c. 24. Timpler. l. 4. Polit. c. 5. q. 5. Joan. Boter. l. 1. della Ragion di ſtato c. 20. & l. 9. c. 12. Franciſc. Patricius l. 9. de rep. c. penult. Juſt. Lipſius l. 8 polit. c. 13. Melchior Junius in quæſtionibus politic. quæſt. 106. Joan Marian. l. 2. de Reg. inſtit. c. 4. Jacob Bornitius l. 1. de præmiis in rep. decernendis per tot: Keckerman. lib. 1. Syſtem. politic. c. 10. Andreas Friccius l. de emend. rep. cap. 9. n. 3. Petrus de Ribadeneira l. 2. c. 1. tit. de virtut. ac relig. princ. Machiav. l. 1. de rep. c. 24. Lauterbach. 2. polit. c. 14. Caſus l. 3. de Sphær. civit. c. 8. Marquard. Freher. l. 1. c. ult. num. 16. de Gloria Jacob. Typot. l. 1. de Solut. reip. p. 43. Caldorinus diſcurſ. politic. c. 28.* Ecce Autorum cohortem, ipſas res vel decies exæquantem. Non dicam nunc, quod in laudatis ſcriptoribus aut nihil tale, aut certe parum, contineatur. Freherus d. l. num. 16. nihil ejus habet, neque Andreas Friccius Modrevius cum Lipſio quicquam, quod huc faciat. Reliquos non evolvo, nec ocium eſt,

VIII. Sed quicquid de illo ſit; hoc nunc in quæſtione eſt, quo loco Autores iidem, etiamſi maxime tale quid dicant, habendi ſint: an judicio eorundem per omnia ſit ſtandum, ut contra ne hiſcere quidem audeas? Non caret difficultate res; enim vero, utcunque te geras, vix ita ſubducta ratione egeris, ut non impingas. Temeritatis haud parvæ eſt, cuivis fidem derogare, neque minoris imprudentiæ fuerit, cuivis temere habere, idque adeo veritati conſentaneum eſt, ut ne tutus quidem ſis, etiamſi longe plurimos, eosque non ultimos, in eandem ſententiam pedibus ire videas. Dicam libere, quod ſentio. Non placet illorum ſententia, qui in probandis quibuscunque rebus uno, & eodem modo ſemper progrediuntur: cum enim ipſæ res non ſint unius generis, neque idem omnium fundamentum eſſe poteſt. Exemplo fiet res clarior: ſunt quædam negotia ita comparata, ut humana ratio nihil in ea poſſit; ſi quid autem hac in parte definiendum, id omne ab aliorum teſtimoniis arceſſendum eſt, atque hujus ordinis ſunt facti [uti ſcholæ loquuntur] quæſtiones, in quibus probandis fruſtra deſudaveris, niſi ejus temporis monumenta, vernacula præſertim ac domeſtica unice tibi commendata habueris; ut hactenus laudandum ſit eorum ſtudium, qui, ut eo magis de veritate conſtet, alios teſtes idoneos in auxilium vocare ſolent. Alia ſunt humanæ rationi in ſolidum expoſita, in quibus ſi feliciter verſari volueris, neceſſum eſt, ut tuo potius, quam alieno judicio nitaris, Imo vero haud ſcio, annon magis utile ſit veritatis ſtudioſo, ſi omnem veluti verecundiam exuat, conſideretque non tam quis, quam quid docuerit. *Nihil* (ait Seneca *l. de Vit. beat. 6. 1.*) *magis præſtandum eſt, quam ne pecorum ritu ſequamur antecedentium gregem, pergentes non qua eundum eſt, ſed qua itur. Atqui nulla res majoribus nos malis implicat, quam quod ad rumorem componimur, optima rati ea, quæ magno aſſenſu recepta ſunt, quorumque exempla nobis multa ſunt. Inde iſta tanta coacervatio aliorum, ſuper alios ruentium. Quod in ſtrage hominum magna evenit, cum ipſe ſe populus premit: nemo ita cadit, ut non alium in ſe attrahat; primi exitio ſequentibus ſunt: hoc in omni vita videas licet: nemo ſibi tantum errat, ſed alii erroris cauſſa & auctor eſt. Nocet enim applicari antecedentibus, & dum unus quisque mavult credere, quam judicare; nunquam de vita,* (imo, ut hæc Senecæ noſtra faciamus, de quibusvis aliis rebus earundemque veritate) *judicatur, ſemper creditur &c.* Sed hæc fortaſſis nota magis, quam ut hic ad nauſeam repeti debent; interim tamen & adeo ſunt noxia, præſertim illis, qui in negotio veritatis operæ precium facere cupiunt, ut *qui inter hæc exempla nutriuntur, non magis ſapere poſſint, quam bene olere, qui in culina habitant.* Videat igitur Ariſtarchus noſter, quo cum judicio ſumme arduam quæſtionem de ſumma poteſtate diſceptans, tantam ſic vel aliter ſentientium ſeriem texat, ac ſi vi facta poſitiones noſtras expugnare velit. Qui primis ſaltem labris deguſtarunt civilis ſcientiæ fontem, norunt, eam eſſe illius majeſtatem, eamque principiorum immotam certitudinem, ut ab hominum opinione ſuſpendi erubeſcant; ſi quis aliter ſentit, caveat, ne quid in nobilem illam Alumnam majeſtate indignum admittat, illudque Comici audire cogatur: *Hic non eſt locus, quin tu aliam quæras, cui centones farcias.*

IX. His præmiſſis, adſcripti illius realem, ut vocant, conſiderationem nos convertimus, in qua primum vellicandam ſibi ſumunt noſtram ex 3. *Polit. Ariſtotelis cap.* 4. deſumptam definitionem, obſcuritatisque atque, uti loquuntur, vitioſitatis arguunt: ſubſtituunt etiam aliam decem cubitos longam, & tantum non monſtroſam. Nos meditabimur omne hoc (ut Comici verbis utar:) cogitate, quidque in noſtra vituperent, diſpiciemus. *Obſcuritas* (ajunt) *ex eo patet, quod naturam ſive quidditatem rei ſufficienter non declaret: Vitioſitas vero ex eo, quod definitio tot fere conſtet membris, quot definitum.* Mira profecto accuſatio, uti ipſe, quid incuſes, ignores! Sunt cuilibet orationi ſuæ virtutes, ſunt etiam ſua vitia; interque hæc non ultimum fortaſſis cen-



Digitized by Google

ſeri poſſit obſcuritas, ſi nempe minus plane, quæ mente conceperas, promas adque audientes proferas, quemadmodum egregie docet *Ariſtoteles l. 3. Rhetoric. cap. 2.* Satis inepte igitur obſcuram vocant definitionem, quam alii (ſi quid tale evinci poſſet) mutilam ac mancam dicerent: nec fortaſſe rectius obſcuritatem vitioſitati contra diſtinguunt, cum hæc illam involvat: ineptiſſimi ſunt, quando definitionem tot membris conſtare ajunt, atque ipſum definitum; niſi forte omnem illam talem eſſe exiſtiment, quæ non, ut ſua, ſit ventoſa ac enormis, magnamque ſibi paginæ partem arroget. Vel tironib. Logicorum notum eſt, vocabulum definitionis modo denotare deſcriptionem aliquam rudem, quæ nominalis, modo accuratam, quæ cauſalis dici conſuevit. Quod ſi Ariſtarchi noſtri hoc ſaltem conſideraſſent, fortaſſis cautius nonnihil fuiſſent mercati. Quæ enim dementia eſt, ab utraque definitione exigere, quod alterutra ſaltem habet. Nos nunquam affirmavimus, definitionem illam Ariſtotelis eſſe cauſalem, uti logicorum filii loquuntur, ut non ſolum τὸ ὅτι ſed etiam τὸ διότι complectatur; neque igitur nos feriunt, quæ in hanc ſententiam afferuntur ab Autore lib. de imp. abſ. & rel. conſid. Interim tamen nulli tam abjecte etiam de eadem definitione ſentimus, ut cum Ariſtarchis noſtris, ceu ineptam plane ablegandam exiſtimemus: Qui Græce docti ſunt, norunt, non incommodam uſque adeo eſſe, quippe, quæ rei naturam, ſi non plane, ut omnibus pateat, ita tamen depingat, ut, qui non percipiat, ſuffenus videatur. Quid enim apertius quæſo hoc ipſo? Κύριον μὲν γὰρ πανταχοῦ τὸ πολίτευμα τῆς πόλεως, hoc eſt, majeſtas, eſt poteſtas quædam per totam civitatem, perque omnia negotia ad eandem ſpectantia, ſe diffundens. Sed de his n. 10. & infra, ubi ad regalia fuerit deventum, in quibus explicandis Ariſtarchus noſter feſtivam præbet operam.

X. Succedat igitur nunc quidem Ariſtarchi noſtri prodigioſa definitio, in qua tantum gloriatur: *ſummum imperium nihil aliud eſt, quam ſumma ac perpetua, legibusque ſoluta poteſtas, voluntate divina, ſuffragio ac conſenſu populi in unum vel plures collata, ut juxta leges divinas, naturales, juxta mores gentium approbatos, ac fundamentales, honeſte multitudinem juris vinculo regat, cunctaque ad ſalutem & utilitatem illius dirigat ac ordinet.* Longa eſt injuria, longæ ambages, ut vix poſſim, quin cum Plautino illo hic exclamem; *Ut multa verba facit, ut lenta* eſt materies! Sed audiamus porro hominem. *In hac definitione duo ſunt notanda, ſubjectum & prædicatum. Prædicatum deſumitur a requiſitis propriis ſeu proprietatibus eſſentialibus, partim a principio originali* (ecce monſtrum principiorum) *partim a ſubjecto principali, partim a principio normali, ſeu principiis imperii regulativis, partim ab objecto ſeu cauſa materiali circa quam, partim a cauſa finali.* Bone DEUS, quantum hoc & quam ſeſquipedale eſt prædicatum! Diſpeream, ſi ex Ariſtotele, ad quem, noſtram vel potius Ariſtotelis definitionem ſugillans, tam ſuperſtitioſe provocabas, ita prædicata exſtruere, & molem quaſi quandam congerere didiciſti. Diximus antea, definitionem eſſe duum generum, aliam nominalem, aliam cauſalem: Illa recte ſe habet, ſi modo diſtincte & abs que ulla ambiguitate, quid nomen ſignificet fuerit declaratum; Hæc (quæ a nonnullis etiam ſcientifica dicitur) ut omnibus numeris ſit abſoluta, non ſolum affectionis a priori demonſtratæ eſſentia, ſed etiam cauſa in luce poni debet quemadmodum præclare docet Ariſtoteles l. 2. poſt Analyt. c. 10. ubi & mediam quandam, quæ tamen imperfecta eſt, aſſuens, ſimul oſtendit viam, quam inſiſtere neceſſe habeant, qui more ſcientifico, accurate τὸ τί ἐστι cujuscunque rei anquirere ſatagunt. Utrum autem hæ leges, ab Autore ſcriptæ, de imperio abſolute & relate conſiderato, ejus ab ſuſurronibus obſervatæ ſint, alii dijudicent: Mihi profecto æque ridiculum videtur in definitionibus *prædicata deſumere a requiſitis propriis ſeu proprietatibus eſſentialibus, principio originali &c.* ac ſi quis cum ratione velit inſanire. Nolo hæc, ut nimis trita, pluribus oſtendere; alias nullo negotio evincerem, nihil magis dedecere definitionem, quam ſi immane quantum turgeat, & hac atque illac ſupervacuis diffluat. Nonne quæſo omnibus doctis ampliter ſe deridendum propinaret, qui hominem definiret animal rationale, riſibile, loquendi, audiendi, guſtandi facultate præditum, a Deo ex maſſa terrena in paradiſo factum &c. ut uno verbo dicam, qui omnia in definitionem cogeret, quovismodo de homine dici apta? Apparet ergo, quam procul ab accurata ratione definiendi abſint Ariſtarchi ipſi, ſibique ſemitam non ſapiant, aliis qui monſtrant viam.

X. Nos pergimus ad ſect. 1. th. 1. qua aſſeritur, *requiſitum imperii hujus ſeu poteſtatis eſſe, ut humana ſit.* (Ita ne vero? Quid ergo de Ebræorum rep. regum tempora prævertente, ſtatuendum in qua Deus ipſe majeſtatem tenuit, perque pontifices & Prophetas, quid fieri vellet, ſignificavit?) *qua ratione dicitur, non ratione termini independentis, ut Conringius exiſtimat.* Eſt hoc craſſum mendacium. Nunquam Conringius docuit, ſummum imperium, ratione termini independentis, (ut barbare tecum loquar) eſſe tale, neque hujus rei, ut proterve calumniaris, ullum eſt veſtigium in theſibus noſtris. Imo vero proponimus th. 6. [ubi obiter declaramus, quid per ſummam poteſtatem intelligamus; neque enim animus erat tam de poteſtate ſumma, quam de ſubjecto ejus agere] ea, quæ directo pugnent cum aſſertione veſtra. Dicimus quippe cum Ariſtotele quod Κύριον ἡ πανταχοῦ τὸ πολίτευμα τῆς πόλεως; hujus igitur intuitu ſummitatem [ut ita dicam] noſtram intellectam volumus cum Philoſopho, laudato capite: ut ſenſus ſit: Cum reſp. ſit ordo magiſtratuum, in ordine autem nullus ſit proceſſus in infinitum, ſed neceſſario tandem ad aliquod ultimum deveniatur, quo nihil ſit in eo genere prius, nihil ſuperius, omnino conficitur, in hoc ordine imperantium ac parentium etiam tale aliquod ſummum eſſe, idque ipſum nobis vocatum eſt ſumma poteſtas. Neque vero eſt, quod quis exiſtimet, nos in ea eſſe ſententia, ac ſi omnia ad lubitum agere poſſit, qui τὸ κύριον habeat; imo vero hæc tam aliena

ſunt

Digitized by Google

ſunt a mente noſtra, ut quæ unquam: Diximus antea, quod κύριον ſit πολίτευμα τῆς πόλεως, ut adeo illis, qui κύριον habent, omnino incumbat, ea procurare, quæ ad finem civitati præſtitutum ducunt. Conſentit nobiſcum A. Conſiderationis *Memb.* 20. &c. Poteſt igitur idem omnia non ſimpliciter & abſolute loquendo (alias enim & male facere ei liceret) ſed ratione iſtius ſocietatis, in qua vivitur. Utrum autem, qui κύριον habet, eaque poteſtate ſua abutitur, a ſubditis in ordinem cogi poſſit, non eſt noſtrum nunc decernere, fortaſſis infra dabitur occaſio pluribus hæc proſequendi. Atque ex his, puto, conſtare poteſt, quid nos per ſummam noſtram poteſtatem intelligamus; nimirum facultatem quandam dirigendi ſocietatem aliquam civilem ad finem præſtitutum, a qua omnia ſcelera procul abeſſe debent. Qui aliud quid e verbis noſtris educere ſe poſſe autumat, *Naſo hic pol plus videt, quam oculis.* Nihil igitur huc faciunt, quæ de termino independenti vel a priori, vel a poſteriori, afferuntur; imo impia ſunt, quæ de providentia divina dicuntur, cum ſæpe fiat, ut populus, per ſeditionem vel malitiam concitatus, legitimo ac bono magiſtratui injuſte poteſtatem omnem abroget, peſſimoque alicui iterum conferat, permittente quidem DEO, nequaquam tamen ita decernente, ut exiſtimat A. *lib. de imp. abſ. & rel. conſ.* &c. affirmans, *ſummum imperium remote dependere a providentia divina, tanquam cauſa principali.* Quam abſurdum autem ſit, *omne ſummum imperium proxime a conſenſu, ſuffragio & voluntate populi vel expreſſa, ut in regnis electitiis, vel præſumpta, ut in regnis ſucceſſivis, dependere*, infra patebit, ubi hanc rem ex profeſſo tractabimus. Poſſemus nunc quidem ex noſtris hypotheſibus demonſtrare, dari aliquod ſummum imperium a priori, ut loquuntur; ſed cum hoc primis capp. 1. polit. Ariſtotelis, ubi demonſtrat, imperium melioribus deberi, luculentiſſime ſit factum, malumus vos eo remittere, quam cramben eandem hic recoquere.

XI. Quin, quod minus planum eſt, potius inquiremus, an tale aliquod ſummum imperium detur, quod, uti loquuntur, careat termino a poſteriori. Autor *CONSIDERATIONIS de imperio abſolute & relate CONSIDERATO;* (ecce tituli elegantiam) negat *talemque poteſtatem illimitatam, indeterminatam, indefinitam* (quid per voces haſce ſibi velit, non compertum habeo, nos ſummam vocavimus) *ſacris eloquiis, ſanctiſſimis naturæ decretis, & receptis ſaniorum gentium moribus repugnare, ipſiſque principibus exitium & ruinam afferre*, aſſerit; qua ratione vero probet, nunc videbimus. *Sacris*, ait, *eloquiis & ordinationi divinæ hæc contraria. Cum enim hæc poteſtas illimitata de reſervatis divinis ſit, Deus, qui Dominus dominantium, ſibi ſoli reſervare, & ſacram eſſe voluit: hinc nullæ creaturæ competit, nec ulla ex his eandem ſibi arrogare poteſt, niſi plane ſe Deo velit exæquare. Quod citra ſummæ majeſtatis divinæ læſionem vix fieri poteſt.* Imo vero plane hoc fieri non poteſt citra læſ. &c. at illud maxime in quæſtione, an divinæ majeſtati detrahat, qui in civili aliqua ſocietate ſummam poteſtatem tenet, quod quidem Autori Conſid. erat probandum. At ille mavult aliorum aſſerta, quam ſuam, ſi qua eſt, certe hactenus animadverti non potuit, conſulere rationem: producit igitur, quæ in Hœnonii diſputationem 9. ex Timplero ſunt tranſcripta; quæ tamen ipſa nulla ex parte nos ſtringunt, multo minus ſcripturæ aliquo fundamento nituntur. Dixi jam antea th. præced. ſummam poteſtatem, intuitu ſocietatis civilis, eſſe talem, nimirum ut omnia (intellige cum honeſtate convenientia, quæ enim contra bonos mores ſunt, ne velle quidem, multo minus facere, poſſe quis cenſetur *l.15. ff. de Condit. Inſt.*) poſſit, quæ ad conſervandam illam ſocietatem quoquomodo faciunt, ut vel cæco patere queat, ſermonem hic nobis eſſe de ordine finitarum potentiarum, deque genere poteſtatis civilis. Alioquin enim, neque ipſius Dei potentia omnis abſoluta eſt, ſed & quædam definita, qua non poteſt omnia, quæ, ut Scholaſtici Dd. loquuntur, habent rationem factibilitatis, habito videlicet reſpectu ad aliquod attributum divinum, vel communem curſum cauſarum ſecundarum. Summa igitur, ut liquet, nobis ea poteſtas dicta fuit ideo, quod ſupra ſe nullam aliam agnoſcat in hoc genere poteſtatis. An autem talis aliqua poteſtas de reſervatis ſit divinis, ſummæque Dei poteſtati deroget, ut Aut. Conſid. &c. nugatur, alii judicent. Nos certe, longe aliud ſumus edocti ex ſacris literis, ubi (quamvis impius Parricida Miltonius, defenſionis ſuæ, uti vocat, p. 53. hæc alioverſum trahat) jubemur *ſubjecti eſſe omni humanæ ordinationi &c.* 1. *Pet.* 2. *Cæſari dare, quæ ſunt Cæſaris, Matth.* 22. *obſervare os Regis, etiam propter juramentum Dei, quo tu te illi obſtrinxiſti, Principibus obſequi &c. ad Tit.* 3. Quæ nolim ſic accipi, quaſi tyrannidi faveam, qua nullum eſt monſtrum tetrius, Deoque & hominibus magis exoſum: aut quaſi eos probem Reges, qui poteſtate ſua in ſubditorum perniciem abutantur. Tantum aſſero, Deum in ſacris literis adjudicare Regibus ſummum jus in omnes & ſingulos ſubditos, eoſque ſimul coactos: tantum abeſt, ut illud ſummum jus cum majeſtate divina pugnet. Atque exinde, niſi fallor, eſt, quod Reges & Principes ſe Dei gratia tales eſſe agnoſcant, vid. omnino *conſtit. ff. & C. de vet. jur. enucl.* Sed de his plura mox ſequentur.

XII. Ejuſdem farinæ ſunt, quæ A. Conſid. ſubnectit, *Juri naturæ*, ajens, *& ſanctiſſimis ejuſdem inſtitutis, illimitata hæc poteſtas repugnat, cum enim violenta ſit, contra naturam quoque erit, utpote quæ homines, natura liberos, duro ſervitutis jugo premit.* Primo namque falſiſſimum eſt, omne violentum eſſe contra naturam, (quod enim diſtinctio illa intelligi non debeat de natura ſimpliciter ſic dicta, vel tironibus notum eſt) alias enim & facinoroſos ſupplicio capitis afficere, fuerit contra naturam, quod nemo ſanus dixerit. Imo etiamſi ſit contra naturæ primam intentionem, nequaquam tamen contra ſecundam. Vide, quæ docte de hac diſtinctione diſſeruit Domin. Soto *de juſtic. & jur. l.* 4. *qu.* 2. *art.* 2. Item Ludovic. Molin. *de juſtic. tract.* 2. *diſp.* 32. *num.* 7. Arniſ. *in relect. polit. ſect.* 1. *c.* 3. Nobis non vacat ea huc tranſcribere. Deinde, etiamſi (quod negamus) maxime ſit contra naturam violentum, non tamen inde conficitur, eſſe contra jus naturæ:



Digitized by Google

ræ: Ita, qui punit ſontes lictor, qui colligat manus, caput obnubit, infelici arbore ſuſpendit, vel quocunque mortis genere afficit, vim quidem naturæ, nequaquam autem naturali juri (quod ſontes omnino vult plecti) vim facit. Supra modum ridicula eſt ratio, qua probat, ſummam poteſtatem eſſe naturæ contrariam; nimirum *quod homines, natura liberos, duro ſervitutis jugo premat.* Quid quæſo commodius ad anarchiam dici poteſt? Somniat ſibi libertatem naturalem, neſcio quam, fingit, homines in civili ſocietate ſervitute premi, ſi forte refrænentur, quo minus impune graſſentur, nulliſque non vitiis ſe mancipent; qui omnem ſocietatem ſublatam vellet, vix aliud diceret. Sed nondum nugarum finis eſt; Diſerte enim affirmat, quod *nullus populus, nulla gens, nulla unquam natio fuerit, quæ ſuis Regibus infinitam quandam & indeterminatam conceſſit poteſtatem* &c. quodque adeo, (vid. init. hujus n.) *Omnium gentium moribus & legibus repugnet ſumma poteſtas.* Hæc propius nonnihil ſunt inſpicienda, cum in communem fere abierint ſententiam, ceu videre eſt tum ex aliis, tum ex commentario Benedicti Carpzovii ad *l. Reg. Germ. cap.* 1. *ſect.* 2. 3. & *ſeqq.* præcipue 8. *n.* 1. adeo, ut etiam ſpurcus ille Miltonius *defenſ.* ſuæ, p. 152. 153. 154. haud leve momentum cauſæ ſuæ in iiſdem ponat. Repetemus autem ex 3. *polit. Ariſtotelis cap.* 10. vocem regni per eſſe ambiguam, ac proprie quidem illi reipublicæ competere, cui unus præſidet, ὁ κατὰ τὴν αὐτοῦ βούλησιν πάντα πράττων ut loquitur *c.* 12. h. e. ad ſuum arbitrium omnia agens, ita tamen, ut publicam utilitatem ſibi commendatam habeat: deinde vox hæc trahitur etiam ad alias reſpublicas, regni ſpeciem mentientes, quales ſunt illæ, in quibus minus diligenter ad publicum commodum reſpicitur, ceu in regno (quod Ariſtoteli barbaricum dictum) uſu venit; vel etiam iſtæ, in quibus poteſtas ſic ſatis eſt reſtricta, omniaque, vel certe pleraque, legibus committuntur. Hujus generis fuit regnum laconicum, umbra potius regni, quam regnum, ut docet Ariſtoteles 3. *polit.* 10. 11. 12. Ὁ μὲν γὰρ κατὰ νόμον λεγόμενος βασιλεὺς. ait *c.* 12. οὐκ ἔστι εἶδος πολιτείας, ἐν πάσαις γὰρ ἐνδέχεται ὑπάρχειν στρατηγίαν ἀΐδιον &c. Reliqua prætermittimus, cum ad ſcopum noſtrum nihil quidem conferant. Dicimus igitur, dari regna, quæ dicuntur, quædam, nequaquam tamen ita comparata, ut majeſtatem nominis adimplere queant, cum ſint nimis reſtricta, ſeu, ut cum Ariſtotele loquar, κατὰ νόμον. Ut adeo inepti ſint, qui tales reipublicæ curatores, vel belli duces perpetuos (quales teſte Ariſtotele olim Epidamni & Opunte, hactenus etiam in Batavia) pro Regibus venditare, atque ex eorum conditione argumentari non erubeſcant, gentem illam Regi (ſcilicet) ſuo non conceſſiſſe ſummam poteſtatem; & per conſequens ad hujus adulteri regni faciem reliqua omnia exigant, æq; inſano errore, ac ſi quis hominem pictum vel mortuum cum vivo contendat. In hiſce familiam ducunt quidam homines in exitium ſacri & profani ordinis, nati Puritani vulgo dicti, (quemadmodum præclare docet clariſſimus Garzius in lib. cui titulum fecit *Puritaniſcher Glaubens-und Regiment-Spiegel* &c.) horumque conſortio dignus Autor *conſiderationis de imp.* &c. una cum ſuo Althuſio, Danæo *l.* 6. *polit. c.* 3. *q.* 4. Brut. *q.* 3. Hœnon. *diſp.* 2. aliiſque. Non eſt operæ hujus, monſtroſa eorum dogmata vel enarrare, vel perſtringere; fecit hoc modo laudatus Garzius l. ſui 6. c. ubi legi poterunt. Nos potius id operam dabimus, ut in luce ponatur, quibus argumentis inſtructus probatum veniat, *nullam gentem, nullam nationem, nullum populum Regibus ſuis conceſſiſſe ſummam poteſtatem* A. Conſid. &c. Scilicet provocat, Puritanorum more, primo omnium ad Spartanos, Regumque laconicorum poteſtatem, legibus aſtrictam, utens teſtimonio quidem idoneo & vero, ſed teſtis non idonei hac in parte, cum Autor *de ſtatu relig. & reip.* fide aliena iſta narret. Notandus autem hic eſt ſupinus quidam Ariſtarchi ſtupor, non attendentis, faciem ſpartanæ reipublicæ pro ratione temporis aliam atque aliam fuiſſe, Regumque inſuper poteſtatem modo magis ſolutam, (qualis fuit ante & poſt tempora troica uſque ad reditum Heraclidarum in Peloponneſum) modo magis aſtrictam, (qualis poſt Cleomenem, maxime vero conſtitutis Ephoris & legibus a Lycurgo latis, obtinuit) ceu notat *Plutarchus in Lycurgo,* & ex eo *DE rep. Lacon. Ubb. Emm.* vir græce & latine doctiſſimus, notandiſque rerum geſtarum momentis peraptus; ſtolida proinde eſt illatio Autoris Conſider. &c. Volentis probare exemplo Spartanorum primo, nullam gentem Regibus ſuis ſummam conceſſiſſe poteſtatem, cum conſtet, ne de Spartanis quidem hoc ſimpliciter verum eſſe, inter quos primis temporibus Reges exſtitere re & nomine, pro libitu pene regnantes, donec in democratiam fere reſpublica tranſiit. Tum enim regiis viribus nervi inciſi, & præter ſolum nomen, parum remanſit, omnibus in popularem ſtatum abeuntibus. Signanda hic quoque venit perfricta Miltonii frons, qui *defenſ. p.* 23. & 149. impudenter, ut ſolet, *regnum laconicum maxime tale, quia penes Regem non omnia erant, ſicque Ariſtotelem ſenſiſſe,* aſſerit.

XIII. Provocat deinde ad *Romanorum Imperatores,* qui *jurejurando, ſe promiſſiones ſanctiſſime ac religioſiſſime obſervaturos, aſtringebantur* (ceu loquitur) *ut hujus rei exemplum præbet Trajanus* &c. *Plin. panegyr.* Æque inepte, ut ad Spartanos modo. Principio enim falſum eſt, omnes Imperatores juraſſe vel teſte ipſo Plinio, in hæc verba erumpente; *Rem novam & nunquam antehac auditam. Jurat is, per quem juramus* &c. Et quem pro ſe imprudenter laudat Ariſtarchus, Bodino etiam; *Ex imperatoribus,* ajente, *nullus ante Trajanum juravit in leges.* Deinde, quæ conſequentia eſt? *Jurejurando aſtrictus eſt, ſe velle promiſſiones ſanctiſſime obſervare,* ſeu, ut Plin. in panegyr. loquitur, *Bene rempublicam & ex utilitate omnium regere,* Ergo non habet ſummam poteſtatem. Muſtea profecto, adeoque dudum jam exploſa a doctis quibusque, ab ipſo etiam commentatore ad *l. Reg. cap.* 1. *ſect.* 8. *n.* 5. 6. quando ait: *Summa namque Imperatorum romanorum in veteri republica, non obſtante illa promiſſione, exſtitit poteſtas* &c. Item *c.* 1. *ſect.* 2. *n.* 53. *Imperatores veteres Romanorum circa ea, quæ ſtatum publicum concernunt, ſponte in ſalutem communis patriæ a jure ſuo, quo plenaria poteſtate agere poterant, receſſerunt.* ut mirari ſubeat, qui

Digitized by Google

qui,ſine deſultoriæ levitatis ſuſpicione, hujus nugatoris λογοδιαῤῥοιαν calculo ſuo approbare potuerit. Mox provocat ad *hodiernos Germanorum Imperatores*, in quibus etiam præſidii parum reperit, cum regia apud nos majeſtas diu jam ſit collapſa, omniaque pleno gradu in ariſtocratiam veluti iverint. Qua ratione enim Germanorum Imperatorum poteſtas poſt Henricorum tempora mutaverit, & plane aliam faciem induerit, adeo ut de ſplendore & poteſtate veteri parum ſuperſit, neminem, niſi illius temporis res geſtas ignorantem, facile latere poteſt. Injurius idem eſt in priſcorum Germanorum Reges, quando *infinitam atque liberam poteſtatem iis nunquam fuiſſe, aſſerit*. Etſi enim de nonnullis hoc conceſſerim, de omnibus tamen nec volo, nec poſſum, præſertim, cum experientia, ſi veterum monumenta evolvamus, teſtetur, non omnium Regum, eandem fuiſſe conditionem. C. Cornel. Tacit. (cujus de morib. German. librum ſecundum mihi hactenus non viſum, allegat Ariſtarchus) in elegantiſſimo libro de *ſitu, morib. & populis, Germaniæ cap.* 44. de Suionibus in hunc modum loquitur; *Eſt apud illos & opibus honos, eoque unus imperitat, nullis jam exceptionibus, non precario jure parendi*. C. Vellejus Paterc. *l.* 2. *hiſt. c.* 108. De Maraboduo, Marcomannorum Rege, in hanc ſententiam: *Maraboduus, genere nobilis, corpore prævalens, animo ferox, natione magis, quam ratione barbarus, non tumultuarium, neque fortuitum, neque mobilem & voluntate parentium conſtantem inter ſuos occupavit principatum, ſed certum imperium, vimque regiam complexus animo &c.* Sed nolo vel illis, vel aliis, quæ ſequuntur, immorari; ex hiſce enim ipſis aliquo modo diſcuſſis vel manifeſtum eſſe poteſt, quam dextre Ariſtarchus noſter evicerit, *ſummam*, quam aſſerimus, *poteſtatem omnium gentium moribus repugnare*. De regno itaque Galliæ & Hiſpaniæ non diſputabimus; ſaltem uno atque altero verbo monebimus, utriusque regni varias fuiſſe viciſſitudines. Initio uterque populus minus addicte regebatur ſecundum morem, pleriſque Germanis uſitatum, eaque Regum moderatio ad Ludovicum usque XI. in Galliis permanſit, ut hactenus tolerari poſſint, quæ ſummus Hottomannus in *Franco-Gallia* ſua diſputat, Ariſtarchus vero noſter imperite hic adducit. At vero, ſi quis res geſtas Ludovici XI. quæque eum conſecuta ſunt, temporum, animo revolvat, qua ratione Angli pulſi, Burgundionum æmula domus exciſa, ducatus & comitatus ad Regem devoluti, non poteſt non damnare Ariſtarchi noſtri ἀκρισίαν καὶ ἀνιστορησίαν, poteſtatem parlamento immane quantum aſſcribentis. Inter Gothos in Hiſpania (a quibus Reges usque ad Philippum Auſtriacum deſcendunt) barbarus mos inoleverat, Reges ſuos, levi de cauſa plerumque, deponendi & trucidandi, adeo ut in concilio toletano quarto *can.* 74. epiſcopi neceſſe habuerint anathemate compeſcere iſtum furorem. Ex eo liberalius nonnihil Reges habiti, altiora cogitare cœperunt, donec Maurorum impetu intra Aſturum, Galliciæ & Cantabriæ ſcopulos, ſunt compulſi. Enituit autem Regum poteſtas iterum, excuſſis Saracenis, præcipue in Ferdinando V. adeo ut, licet magna eſſet conventuum, maxima tamen Regis exiſteret autoritas, quæ etiamnum hodie obtinet, ut conſtat ex rerum hiſpanicarum ſcriptoribus. Neque enim eſt, cur Junio Bruto atque Althuſio, juratis regii & ariſtocratici imperii hoſtibus, (quos hiſpanici regni jura probaturus A. Conſid. &c. male, ut ſolet alias, adducit) magis, quam hiſce fidem habere velis. *Regna Daniæ & Poloniæ*, ut & *Hungariæ*, cum ſint κατὰ νόμον, nihil huc faciunt. De juribus regni *anglicani* diſceptatur etiam dum hodie; cui commodum eſt, evolvat *elenchum motuum britannicorum*, quæque pro Rege Angliæ diſputavit ſummus *Salmaſius* una cum aliis; merentur etiam legi *Garziana* modo laudata, quæque doctiſſime diſcuſſit *Samuel Bocharius in epiſtola ſua* nitidiſſima ad D. Morley, Regis Angliæ Sacellanum. Quæ enim hactenus ab impuro Miltonio pro populo anglicano afferuntur, nequaquam talia ſunt, ut vel Salmaſii, vel aliorum argumenta, magnam partem doctiſſima, elidere queant. *De Bohemia* dicere non eſt meum, niſi quod ferali bello res eorum mirum in modum mutari cœperint, ut dubium ſit, an per omnia ſcripto (quod *de auctionſchrifft* vocatur) ſtare queamus. *De Principibus Germaniæ* hic dicere nihil attinet; cum vel in vulgus notum ſit, ſigillatim ſumptis illis non competere proprie dictam majeſtatem, tantum abeſt, ut proprie limitata eſſe queat. Alias, ſi cum exteris conferas, tanta certe eorum eſt autoritas in ſuo territorio, ut a Baldo ad *l. fin. C. de teſtam. milit.* pro Regibus ſint habiti, idque multorum Imperatorum calculo comprobatum eſt. Quomodo autem intelligendum ſit πολυθρύλλητον illud (quod *Gloſſ. in rubric. de ſtud. lib. urb. Rom. l.* 2. & ex ea *Jacobinus de S. Georgio* feudiſta, poſtque hunc multi alii uſurpant ad nauſeam, adeo quidem, ut Warem. ab Ehrenb. de *regn. ſubſid. & onerib. ſubd.* nullum fere librum, a JCtis conſcriptum, lucem vidiſſe, aſſerat, qui non hoc axiomate ornetur) PRINCIPES IN SUIS TERRITORIIS TANTUM POSSE, QUANTUM IMPERATOR IN IMPERIO, Dd. explicant, neque hic multis repeti debet. Vide omnino Lymnæum *l.* 4. *jur. publ. c.* 8. *n.* 7. *& ſeqq.* ubi limites huic, alias protuberanti, enunciationi ponit, cumque Scipione Gentili locum concedit in ſola jurisdictione: quamvis & ipſa, ſi rem videas, ab imperii majeſtate dependeat. Qui juris feudalis naturam, ex eaque promanantia beneficia recte intelligit, facile de re ipſa tulerit judicium. Æque ridicula ſunt, quæ ſequuntur *de Duce veneto*, quem Ariſtarchus noſter ex eo, quod præcipua dignatione afficiatur, putat majeſtatem habere: pudet profecto ineptiarum. Quod ſi laudatos a ſe autores, Contarenum, Janottum &c. vel per tranſennam ſaltem ſalutaſſet, nunquam adeo ridiculum ſeſe geſſiſſet. Pergit etiam de Barbaris ineptire, aſſerens, Tartaro & Moſcho non competere ſummam poteſtatem, quia jurejurando affirment, ſe velle juſte imperare; quaſi qui juſte imperet, non habeat ſummam poteſtatem, quod tam abſurdum, tamque abſonum eſt, ut quod unquam; ut proinde nullum reſponſum mereatur.

XIV. Ex hiſce, ni fallor, conſtare poteſt hominis in probando dexteritas, vel potius perverſitas, quamque adeo theſibus noſtris nihil officiant hæc Puritanorum deliria, & denique,



Digitized by Google

quo jure nos audaciæ poſtulaverit, aſſerentes,dari ſummam poteſtatem, eamque variam pro ratione ſubjectorum. Poſtquam enim modo adducta deblateraverat, tandem impuras haſce voces effutit: *Hinc audaciam Herm. Conringii non ſatis mirari licet, dum th.* 62. (mentiris, nihil tale ibi reperire eſt) *impudentiæ hos accuſat, qui finitam Principibus concedunt autoritatem, contendentes, hanc & non aliam poteſtatem per univerſum terrarum orbem omnibus omnino tribui Principibus.* Enim vero iſthæc captio eſt! Si vir es, exprome benignum ex te ingenium, nobiſque demonſtra,in th. noſtra hujus rei eſſe aliquid. Apponemus verba, ut pateat perfricta hominis frons. *Nulli* (dico th. 62.) *tamen poſſumus, quin quorundam ſupinam jactantiam notemus, & caſtigemus, qui ex falſo illo Zelotarum principio, omnes Reges & Principes eſſe a populo (quemadmodum Althuſius etiam c.* 19. *ſomniat) monſtrum, neſcio quod, extundunt, quod nimirum nullus Princeps, etiam hereditarius, ſit verus Princeps, antequam ipſi præſtitum fuerit homagium, idque in omnibus regnis, principatibus, comitatibus per univerſum terrarum orbem obtinere clamant, neſcio, inſcitiane majore, an impudentia.* Utrum ex hiſce meis educi queat, quod homo vult, judicent alii: nobis certe in animo non fuit, abſurdam illam licet, & Puritanorum potius *omnium*, quam (ut Ariſtarchus noſter vult) *politicorum communem ſententiam*, iſthoc quidem in loco petere, multo minus th. 37. impugnare. Imo vero longe aliud ibi diſceptatur, dicam breviter: ut omni ævo, ita maxime hoc ipſo,reperti ſunt maleferiati homines, qui totis viribus id egerunt, ut ordinem, in civili vita non ſine ingenti hominum commodo hactenus uſurpatum, everterent, & ſenſim, libertatem præ ſe ferentes, viam ſtruerent ad ἀναρχίαν, imo ad interitum totius humani generis. *Eſt*, namque Imperator, imo quilibet ſummus magiſtratus, ait Seneca, *de Clem. c.* 4. *vinculum, per quod reſpublica cohæret: eſt ille ſpiritus vitalis, quem hæc tot millia trahunt, nihil ipſa per ſe futura, niſi onus & præda, ſi mens illa imperii ſubtrahatur.* (Suppono autem,quod ab Ariſt. *cap. ult.* 3. *polit.* fuit monitum,non eſſe omnes homines aptos ferendo eidem regimini) Conquiſiverunt etiam anxie ratiunculas alius hinc, alius inde,quo imperitam plebem eo melius dementare, inque ſuas partes rapere queant. Præ aliis applauſum meruit, ſæpe etiam doctis impoſuit illa,veteribus quoque non incognita,aſſertio, populo omnem majeſtatem aſſcribens, adeo ut *magis alienari non poſſet, ac vita quavis fruitur*, verba ſunt Althuſii, vid. *th.* 16. *diſſertat.* Hanc aſſertionem, dico eſſe falſiſſimam;proboque tum per alia, tum per ea, quæ th. 37. habentur, ab Autore vero conſiderationis &c. impugnantur, ſi diis placet. Ut rem in pauca conferam verba, poſt multas alias adductas rationes,demonſtro etiam exemplo iſraëlitici populi, (qui Deo ter optimo indulgente, omne imperium in Saulem ejuſque ſucceſſores contulerat, adeo ut plena Regum eſſet poteſtas, vel ut Sulpit. *l.* 1. *hiſt. ſacr.* loquitur, *non ſine exemplo amentiæ, præoptavit libertatem ſervitio mutare*) poſſe ſummam poteſtatem nonnunquam aliis addici, idque hic vel ipſo Deo, ſi non præcipiente, ſaltem connivente eſſe factum, qui non poſſit ferre, multo minus indulgere ea, quæ in ſe ſint turpia, & æque pugnent cum natura ejuſque jure, ac ſi quis vitam, qua fruimur, velit alienare. Cui mica ſani eſt judicii, facile perſpicit, Ariſtarcho noſtro ne quidem eſſe perſpectum τὸ κρινόμενον, multo minus ab eodem potuiſſe everti. Audiamus tamen ogganniententem: *Magnam* (ait) *habuere poteſtatem Reges Iſraëlitarum, major tamen* (qui vero major eſſe potuit, cum nondum eſſet, imo diu poſt introductos Reges cœpiſſet?) *ſynedrii fuit autoritas:* laudat teſtes Junium Brutum (mirum quod non Puritanos parricidas,quibus nunquam non in ore hoc) & Salmaſium in defenſione regia: quam injurius vero ſit in ſummum Virum, omnes intelligent, ubi ſecum expenderint, quæ defenſiones regiæ 2. 3. 4. capp. diſſeruntur contra eos, qui exiſtimant (ceu conſtat de A. Conſid. &c. nec non Carpz. *comm. ad L. Reg. c.* 1. *ſect.* 5. *n.* 14. *& ſeqq.* conf. ſpurciſſimum nebulonem Miltonium, *c.* 1. *p.* 23. 24. 26. *&c.*) illam Judæorum legem eſſe tyrannicam. Quocum faciunt tum eruditi alii, tum Bochartus in ſua eruditiſſima epiſtola. Hulſem. in breviar. extenſ. *c.* 20. *n.* 12. Ut proinde A. Conſid. &c. una cum Bodino & turbatore Miltonio defenſ. impuræ p. 37. commiſeratione potius, quam refutatione dignus ſit, aſſerens, *librum, de jure Majeſtatis conſcriptum, a Regibus concerptum ac dilaceratum, ut eo liberius tyrannidem exercerent, hancque legem tyrannicam fuiſſe ſubſtitutam.*

XV. Sed mittimus aniles illas fabulas, & paucis diſpicimus, quomodo contra legem regiam Romanorum, qua th. 39. probaveram, populum romanum, neceſſitate exigente, abdicaſſe a ſe imperium, inque Imperatores contuliſſe (conſentit nobiſcum Carpzov. *ad l. Reg. c.* 1. *ſect.* 8. *n.* 6. *& ſeqq.* nunc vero, hæc probans, diſſentit) Ariſtarchus noſter inſurgat: *Quando* (ait) *& quo tempore lata fuerit* (lex regia) *apud nullum fere hiſtoricorum occurrit, nec apud quenquam eorundem ejuſdem ſit mentio.* Ne ſutor ultra crepidam: Num tu adeo in numerato habes omnia veterum ſcripta, ut liquido hoc affirmare queas, fortaſſis Scipionis Gentilis fide aſſertio tua nititur, ex cujus ſummi viri 3. oratione, quæ hic longo ordine texis, ſunt deſcripta? Sed ad rem: Natalis legis regiæ, cujus *in l.* 1. *ff. de conſtit. Princip. l.* 1. *§* 7. *de jur. veter. enucl. & §.* 7. *de concept. ff.* fit mentio, quamplures ſummos viros hactenus habuit anxios: ſunt, qui ad Romuli, ſunt, qui ad Jul. Cæſaris, ſunt, qui ad Octavii Auguſti, ſunt denique, qui ad aliorum, inprimis Veſpaſiani, tempora eundem proferant. Nonnulli, inter quos eminent Paurmeiſterus *l.* 1. *de jurisdict. Imp. Rom. c.* 5. Coraſ. & Connan. *l.* 1. *comm. c.* 9. *ult. n.* 3. eandem, ceu prodigioſum aliquod commentum, penitus explodunt, de quibus omnibus varia habes in elegantiſſimo *c.* 12. *l.* 1. *jur. publ. Limn.* ex quo Autor conſid. omnia ſua deſumſit: Ariſtarchus noſter, ut ridiculam hanc amplectitur ſententiam, ita muſteis propugnat quoque argumentis. Neque enim tempus, quo natum eſt decretum, omnem poteſtatem in Principes transſcribens, adeo dubium eſt, atque *Autor conſid.* &c. exiſtimat. Celeberrimi quoque viri, (vid. Limn. *l. c.* Arniſ. *l.* 2. *de republ. c.* 6. *ſect.* 4. *n.* 32. *& ſeqq.* Sutholt. *de jurisd. th.* 68. *& ſeqq.*) Bachovius, Arumæus, Franzkius, Limnæus, & ſuis in præclaris ad Weſenbecium

becium notis Dominus Hahnius, Præceptor meus æternum colendus, in dominatione Octavii eundem reponunt, Dionis præcipue autoritatem ſecuti, quæ [quicquid etiam tricetur Autor conſid. &c. dictitans, *argumentum ex l. Dionis deſumptum eſſe inſufficiens*) tam eximia atque conſpicua eſt, ut nemo paulo emunctior eam defugere poſſit. Repetemus hæc non nihil altius, ut eo commodius arbitrari queas, ſummisne viris potius, an vero A. *Conſid. &c.* fides ſit adhibenda. Poſtquam pugnatum erat apud Actium, cœpit Auguſtus cum animo cogitare ſuo, quam *periculoſæ plenum opus aleæ moliretur & quomodo incederet per ignes ſuppoſitos cineri doloſo*, ad imperii faſtigia contendens. Funeſto namque Patris exemplo didicerat, quanto cum diſcrimine conjuncta eſſet ea, crudi adhuc ſervitii populo objecta imago. Ut igitur eo cautius mercaretur, Mœcenatem & Agrippam, ambos intimæ admiſſionis, in conſilium adhibet. Qui ut moribus, ſtudiis ac rerum peritia [alter enim in pacis, alter belli negotiis plus poterat] a ſe invicem diſſidebant, ita vota quoque in contraria ſcinduntur. Vid. Tacit. *l.* 1. *Hiſt.* Et Agrippa quidem, popularimagis animo *immenſum illud imperii corpus ita recte librari poſſe autumat*, ſi unus omnia conſilio ac cura complectatur; *plures facilius munia reip. ſociatis laboribus exſecuturos*, eoque Auguſto, ut *Monarchiam deponat*, Autor eſt. Mœcenas, in rebus gerendis non minus, quam excogitandis promptus, quod & de inſtantibus veriſſime judicaret, & de futuris callidiſſime conjiceret, *haud aliud diſcordantis patriæ remedium fore, cenſuit, quam ut ab uno regeretur.* Monarchiam igitur, pro qua tot labores exantlaverat, non vult deponi. Habes utramque elegantiſſimam orationem apud *Dionem l.* 52. Auguſtus, re deliberata, in Mœcenatis ſententiam conceſſit, adeoque ut invidiam a ſe amoliretur, alia via rem aggreditur, ut pluribus enarrat *Dio. l.* 53. Nimirum ſe Magiſtratu atque imperio abiturum inque manus Senatus populique omnia conſignaturum, ſimulaverat *hacque arte*, ut loquitur Dio, *effecit, ut a ſenatu populoque imperium ei* CONFIRMARETUR. Quomodo vero? ſine dubio per aliquod SCtum (cujus & in Onuphrio Panvinio mentio fit) vel ſimilem quampiam legem, quæ initio fortaſſis, cum nomen regis adhuc inviſum fuit S. P. Q. R. *lex imperii*, vid. *l.* 3. *C. de teſtament.* deinde vero, pullulante Cæſarum potentia, regia fuit dicta *l.* 1. *ff. de conſtit. Princip. l.* 1. *§.* 7. *C. de jur. vet. enucl. §.* 7. *de concept. ff.* Neque hoc adeo novum fuerit, ſiquidem inter omnes conſtat, longe alia etiam Principibus fuiſſe indulta, quæ tum ab aliis, tum a Dione *l. c. l.* 53. longo ordine enumerantur. Ex multis dabimus unum: *Aliud*, ait, *porro jus habent* (Princip.) *nulli unquam Romano aperte & in omnibus rebus* CONCESSUM. *Legibus enim* (ſcilicet ſcriptis, ut recte vertit Leunclavius) *ſoluti ſunt Imperatores: quo ipſo ſolo & ea quæ retulimus, ac reliqua etiam omnia agendi licentia eis* DATUR. Quæ cum aliis collata, inſigne robur argumentationi addunt, quamvis rem per ſe non evincant, neque etiam, quod ego ſciam, ab aliis hujus gratia adducantur, ut A. *conſid.* fingit: ubi tamen ita miſere contra hæc ipſa inſurgit, ut riſum debeat. Quod aſſerimus, apparebit etiam magis, ſi quis tabulam æneam de imperio Veſpaſiani (quæ etiamnum hodie, atteſtantibus *Jul. Cæſare Bulengero l.* 1. *cap.* 36. *de Rom. Imp.* Hottomann. Jacob. Gothofredo in *Ulpiano*, in urbe Roma aſſervatur) cum modo dictis contendas. Neque parum huc faciunt illa Flavii Joſephi *l.* 19. *Antiquit.* aſſerentis, *ludos illo tempore fuiſſe celebratos in honorem Cæſaris*, (Auguſti) qui primus in ſe *transtulit populi poteſtatem*: quæque Tacitus *l.* 4. *Hiſtor.* in Veſpaſiano ſcribit: *Senatus cuncta Principibus ſolita, Veſpaſiano decernit.* Claudat agmen Senecæ Epiſt. 14, *Interdum populus eſt, quem timere debeamus, interdum ſi ea civitatis diſciplina eſt, ut plurima per ſenatum tranſigantur, gratioſi in eo viri: interdum ſinguli, quibus poteſtas populi & in populum data eſt.* Sed nolo hiſce immorari amplius, quæ enim ſubnectuntur, non tam nobis, quam ipſi Carpzovio bellum indicunt, *in comment. ſuo ad l. Reg. c.* 1. *ſect.* 8. *n.* 12. contraria hiſce docenti, accingar potius ad illud caput diſcutiendum, quo nos incuſat, ac ſi *peſſimi exempli rem peſſime adduxerimus; Cum hanc poteſtatem*, ait, *non populi voluntate, ſed partim per dolum fraudeſque, partim per vim manifeſtam principes romani obtinuerunt, illegitima fuit eorundem poteſtas, & principes illi illegitimi ejuſdem poſſeſſores, ut qui nec ex legitimo titulo neque legitima cauſa, tanti imperii poſſesſionem obtinuere.* Ut recte intelligatur, quam infirmo tibicine nitatur hæc Ariſtarchi accuſatio, paucis repetemus ex monumentis veterum, qua ratione ad incitas Romanorum res fuerint redactæ, adeo ut pereundum ipſis fuiſſet, niſi Divus Auguſtus *cuncta, diſcordiis civilibus feſſa nomine principis ſub imperium accepiſſet.* Omnia factionibus laborabant; Vid. Tacit. 2. *Hiſt. prima inter Patres plebemque certamina exarſere: modo Tribuni turbulenti, modo conſules prævalidi, & in urbe ac foro tentamenta civilium bellorum: Mox e plebe infima C. Marius, & nobilium ſæviſſimus L. Sulla, victam armis libertatem in dominationem verterunt.* Id. 1. *Ann. Suſpectum erat provincialibus ſenatus populique imperium, ob certamina potentium, & avaritiam magiſtratuum, invalido legum auxilio, quæ vi, ambitu, poſtremo pecunia turbabantur.* Poſt alios denique multos, quorum Seneca *l.* 5. *de benefic. c.* 16. aliique ſcriptores meminere, *Pompejus eo redegit populum Romanum, ut ſalvus eſſe non poſſet, niſi beneficio ſervitutis.* Ut breviter dicam, eo res Romanorum redierant, ut *non aliud diſcordantis patriæ remedium eſſet, quam, ut ab uno regeretur*, ut loquitur Tacit. 1. *Ann.* 1. *Hiſt.* vel, ut idem, *pacis interfuerit, omnem poteſtatem ad unum transferri.* Vide quæ pulchre adverſus Brutum *l.* 2. *de Benef.* Catonem 14. *Epiſt.* Seneca diſputat. Quodſi, ut ex hiſce non poteſt non manifeſtum eſſe, res Romana eo in ſtatu fuit, ut neceſſe eſſet omnem poteſtatem ad unum transferri, jam probatum puto, quod *th.* 39. in me receperam; nimirum neceſſitate exigente, ſæpe omne imperium ad unum devolvendum, niſi populus aliquis ſponte ſua in exitium ruere velit. Sed inquiat *A. conſid. &c.* etiamſi hæc ita ſeſe habeant, quid ſit de lege regia, *qua aſſeritur populus ei, & in eum omne ſuum imperium & poteſtatem contuliſſe? l.* 1. *de Conſt. Princip.* quomodo hoc factum probabitur? Imo vero hoc apparet ex Dion. l. 53. *Ad oſtendendam,* ajen-



Digitized by Google

ajentis, *novam magnanimitatem, quo magis ſuus honor augeretur, & ad imperium in rep. ſui unius, volentibus civibus, ne coacti viderentur, ſtabiliendum animum adjecit* (Cæſar Auguſtus.) Deinde graviſſimam Cæſaris orationem interſerens, *hac arte*, (ſubjungit,) *Cæſar effecit, ut a ſenatu populoque imperium ei confirmaretur.* Hæc niſi admodum fallor, ſunt adeo clara ac perſpicua, ut ſpurco Nebuloni Miltonio, qui in aliis cum A. *Conſid. &c.* paria facit, etiam aſſenſum extorſerint *defenſ. p.* 155. quamvis præfracte neget, populum Romanum privative, (ut nos exiſtimamus) poteſtatem ſuam in Cæſarem transtuliſſe, *rationi*, ajens, *maxime conſentaneum eſt, populum Romanum non aliam poteſtatem in principes tranſtuliſſe, atque prius conceſſerat ſuis Magiſtratibus i. e. imperium legitimum & revocabile, non tyrannicum & abſurdum &c.* Quaſi vero imperium irrevocabile ſit illegitimum, tyrannicum & abſurdum. Sed de hiſce jam antea diximus, de tranſlatione imperii romani optime diſputat B. Sutholt. *de Juriſd. th.* 65. *& ſeq.* ubi Coraſii Connani, Marii Salomonii & per conſequens etiam Cl. Limnæi argumenta diluit, exiſtimantium, *communicative* poteſtatem eſſe transfuſam, quamvis idem th. 64. Pomponium *in l.* 2. *Orig. Jur.* §. 11. injuſte adulationis & mendacii poſtulet, ceu ex modo laudatis Taciti verbis apparet. Utrum autem vel vi, vel fraudibus, vel quacunque alia ratione, inducti fuerint, ut in hoc conſentirent, ſenatus populusque Romanus; & utrum *principes ejus poteſtatis illegitimi fuerint poſſeſſores, ut qui nec ex legitimo titulo, neque legitima cauſa eandem obtinuerint*, noſtra nihil intereſt: ſufficit nobis, ſi probatum dederimus, ex uſu rei romanæ fuiſſe, ut populus omnem poteſtatem in unius manus conſignaret, idque etiam conſentientibus Romanis, factum eſſe: Ex hiſce namque & hoc conficitur, poteſtatem omnem non ſemper penes populum reſidere, imo quandoque etiam debere in alios transſcribi, neceſſitate ſic exigente. *A. Conſid. &c.* ita accipit, ac ſi voluerimus per hoc planum facere, principes Romanos jure acquiſiviſſe eam poteſtatem, quod tamen ne quidem in mentem tum nobis venit.

XVI. Nunc pergit nugari in hunc modum: *Cum itaque neque jure divino, neque humano, vel in ratione omnium populorum recepta, fundata ſit infinita ejusmodi & illimitata* (intellige ſumma: qua ratione autem hoc fuerit evictum, ſupra vidimus) *poteſtas, idcirco ſicut omnia, quæ vi nituntur aut violenta ſunt, diuturna eſſe non poſſunt, ſic nec ejusmodi poteſtas æterna eſſe poteſt, ſed breviſſimo temporis intervallo durat, & ipſis principibus exitio eſt &c.* Quaſi vero a ſumma poteſtate, ac non potius ab effreni crudelitate ſit; profecto ſi, ut delirat *A. Conſi. &c.* a ſumma poteſtate eſt, ſequitur, quod nulla reſp. ſit ſtabilis, quodque non ſolum principibus, ſed omnibus, qui cum imperio ſunt, exitio ſit futura majeſtas: At quid hoc aliud eſt, quam tollere omnem ſocietatem civilem? Sed pudet me ineptiarum, in quibus pertexendis tamen tam feſtivam nobis præbet operam, ut etiam Impp. annales texat, idem A. &c. Quid cauſæ fuerit (neque enim una eſt) quod tam inconſtans fuerit Imperatorum imperium, plerique etiam violenta morte interierint, optime docet Fl. Vopiſcus in Aureliano ſuo; cui otium eſt evolvat, experieturque *A. Conſid.* magno conatu magnas agere nugas, contendentem imo confundentem tyrannidem cum regno. Nos progrediemur ad alia, audiemusque, quomodo pro libertate contra mortem pugnet A. conſ. &c. *Errare*, ait, *mihi videtur Conring, dum argumentis plurimis, a ſervilis conditionis hominibus deſumptis ad liberrimi juris populos traducit* (hactenus aſſequi nequeo, quid per hæc velit homo: ſi putat, nos a ſervis argumentari ad liberos homines, mentitur Alaſtor, nunquam hoc vel Conringio vel nobis in mentem venit, ceu theſes inſpicienti manifeſtum erit) *eosdemque inepte ſervorum conditioni exæquare videtur &c.* & mox: *Fateor, quin argumenta &c.* (locutio profecto Ariſtarcho digna.) Prodit ſe ubique contortum hominis ingenium. Dixeramus in theſibus noſtris, vel ex eo planum fieri, quod penes populum non ſemper reſideat poteſtas, quia contingat, populum eſſe talem, qui non poſſit ea poteſtate uti, Ariſtot. 1. *Polit.* 3. 4. deinde dixeramus, non omnibus civitatibus eundem ſcopum eſſe propoſitum, multos etiam ſolius vivere gratia coiiſſe, omniaque a ſe abdicaſſe, quo vita maneret integra, Ariſt. 3. *Pol.* 5. Hæc omnia ille alioverſum accipiens, aſſerit nos *liberrimi juris homines velle ſervorum conditioni* (quod tamen eſt falſiſſimum) *exæquare &c.* ultima etiam ita ſugillat, ut ne quidem a calumniis abſtineat; nos de re ipſa videbimus: *Servitus* (ait) *ſi abſolute conferatur cum morte libertas cum vita, eligibilior* (nota vocem cunctis Cethegis vix exauditam) *videtur libertas, quam vita mors, quam ſervitus.* Rationem nullam ſubjungit, ſua tantum prætoria edicta proponit, ſchemata, mehercle, ſi rem ſpectes, Gallicana hyeme frigidiora, quæque magnam partem ex Stoicorum barba profluxerint. Qui Græcarum literarum non ſunt ignari, neque neſciunt, inter Græcos fuiſſe variæ indolis ſapientes. In omnibus hiſce ſuaviſſimi fuere, quos ſocraticos dicimus. Ii ita ab omni voluptate aberant, ut interim a deliciis honeſtioribus, a jocis, a ſalibus, non abhorrerent: & quod præcipuum videri queat, ab ἀναισθησία longe abeſſent. Erant deinde alii caperatæ frontis, qui e ſeveritate virtutem metiebantur, adeo ut ſuo quaſi ſupercilio niti viderentur, eoque tandem fuit deventum, ut e palliolo ſuo & barba ſapientiam Græci cenſerent, ac indicium continentiæ facerent frontem, exiſtimantes,

> Ex illo fluere, ac retro ſublapſa referri
> Omnia, - -

*Sapientiæ* potius, ut Tertullianus loquitur, *animalia* alicujus, quam Philoſophi, quod ſimulatam non veram profiterentur Philoſophiam conf. *l.* 1. *ff. de I. & I.* Quo enim magis ſe in vulgus oſtentarent, pecuniæ (ſcilicet) & gloriæ & voluptatibus bellum quaſi indixerant, inque id enitebantur, ut [quemadmodum loquitur Imp. *in l.* 8. *C. de Profeſſor.*) *fortunæ vim ferre*, ipſam etiam mortem deſpicere poſſe viderentur, interque homines Dii quaſi eſſent. Non patitur inſtituti ratio, longius hic evagari; qui volet, inſpiciat πάρεργον Freheri c. l. Certe ipſe rerum uſus teſtatur,

Digitized by Google

ſtatur, fuiſſe haud paucos, qui inſano famæ ſtudio, *& jactationis gratia* non ſolum contemſerunt mortem, ſed etiam ultro ſibi conſciverunt; multi etiam vitæ tædio, adverſæ valetudinis impatientia, ſordium & extremæ paupertatis incommodo affecti, ceu teſtantur, tum alii tum Ulpianus *in l. 6. §. 7. ff. de injuſt. rupt. irrit. fact. teſtam. Quod ſi quis*, ajens, *tædio vitæ, vel valetudinis adverſæ impatientia, vel jactationis* (Haloander emendat jactatione) *ut quidem Philoſophi, moriuntur, in ea cauſa ſunt, ut teſtamenta eorum valeant.* An autem viri fortis ſit vita excedere, ut miſeriam fugias, alii judicent; Martialis hercle ſalſe ridet Chæremonem Stoicum L. 12. *Epigr. 57.*

*Rebus in anguſtis facile eſt contemnere mortem,*
*Fortiter ille facit, qui miſer eſſe poteſt.*

Summusque Philoſophus 3. *Ethic.* 7. longe aliter ſentit, τὸ δ᾽ ἀποθνήσκειν, φεύγοντα πενίαν ἢ ἔρωτα ἢ λυπηρὸν οὐκ ἀνδρείου ἀλλὰ μᾶλλον δειλοῦ. Μαλακία γὰρ τὸ φεύγειν τὰ ἐπίπονα, καὶ οὐχ ὅτι καλὸν ὑπομένει ἀλλὰ φεύγων κακόν. Ex illorum tamen ſchola adverſus nos inſurgit *Autor conſiderationis &c.* & quaſi vir fortis mortem contemnens libertatem ſtatuit eligibiliorem, nosque timiditatis arguit, qui in caſu neceſſitatis libertatem potius abdicandam, quam mortem obeundam cenſeamus, Mox etiam Epicteti verbis, quod *non tam mors, quam opinio de morte terrorem incutiat*, in nos invehitur, cum tamen miſer ille non intelligat, quid Epictetus ſibi velit. Notum eſt, & paulo ante meminimus, qua ratione veterum Philoſophorum aliqui ſeſe mirum in modum ſuperciliosos præſtiterint, inque id toti incubuerint, quo immoti viderentur; quamvis poſterorum ſapientia perſonatum fuerit quoddam delirium. Hinc animum ita volebant componi, ut in adverſa atque ſecunda fortuna ſemper eſſet æquus, nihilque non fingebant, quo talem ſibi opinionem conciliarent; ſomniabant ἀναισθησίαν, ἀπάθειαν aliaque fere innumera, quæ in homines haud quaquam cadunt: Sapientiſſimis quibusque in mente fuit, varias agitationes ex animis mortalium evellere, imo ipſam naturam quodammodo [omnem enim nemo homo poteſt] invertere. Quod & ipſum Epicteto fuit propoſitum, quando hominibus glaucoma quaſi aliquod objicere & perſuadere nititur, *non tam mortem, quam opinionem de morte, hominibus terrorem incutere.* At, ut maxime hoc ſenſerit ille, tantum tamen abeſt, ut huic negotio conveniat, ut contrarium etiam ſtatuiſſe liquido conſtet, qui & ipſe Epaphrodito cuidam ſerviverit, atque hoc in parte quoque felicitatis poſuerit. Maluit ſcilicet ſapientiſſimus vir hominum, quam rerum eſſe ſervus, quod ibi corpus, hic impediretur ratio. Quid ſi ne ſervivit quidem? quid ſi ne ſervire quidem poteſt quisquam & non cogi, quemadmodum nec liber eſſe & cogi? Audi vocem ejus magnam & triumphis omnibus ſuperiorem; *Nemo*, inquit, ſervus eſſe poteſt, qui ſit liber voluntate. Ecce vero, quot paraſangis diſtet ſapientiſſimus vir ab Autore conſiderationis &c. cenſente, moriendum potius eſſe, quam ſerviendum, producitur tamen in ſcenam, ac ſi totus ab ipſius partibus ſtet. Atque hæc obiter ſint dicta ad fortitudinem Stoicam Ariſtarchi noſtri, nunc rerum ipſarum viſcera intuebimur, an forte exinde poſſe quippiam hauriri, quod mortem ſervitute eſſe eligibiliorem [utar elegantia A.] evincat. Qui naturalium rerum ſcientia vel leviter ſunt imbuti, norunt equidem, omnibus animalibus innatum eſſe quendam amorem ſemet conſervandi: hinc adeo fit, ut tum reliqua, tum homines pro tuenda vita nihil non audeant. *Eſt* (inquit Cicero pro Milone) *hac non ſcripta, ſed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus: ad quam non docti, ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti ſumus: ut ſi vita noſtra in aliquas inſidias, ſi in vim, ſi in tela aut latronum aut inimicorum incidiſſet, omnis honeſta ratio eſſet expediendæ ſalutis.* Quod ſi, ut liquet, tantopere homines tenentur vitæ amore, ut omnia etiam præ eadem contemnant, extra omnem controverſiam homini ſibi relicto vivere ſumme jucundum fuerit, [loquar autem de hominibus, qui & mente & corpore integro ſunt; multi enim vel morborum laboribus fracti, vel mente capti ſecus faciunt] e contrario mors extreme adverſa, utpote quæ naturam deſtruat; nihilque non egerit homo, nihil non pertulerit, [modo ne contra honeſtatem ſit,] quo vitam poſſit prorogare. *Non enim homo ſolum, omniaque animantia, ſed res omnes reſiſtunt ſuæ corruptioni, & pro viribus annituntur, conſervare ſe in rerum natura, ut dicitur in 2. de Generat. & experientia apertius docet, quam ut probatione res indigeat, neque opus eſt in re non dubia argumentis uti non neceſſariis;* ut loquitur Franc. Victorin Relect. 10. de Homicid. Quod autem obtenditur, *mortem maximorum malorum eſſe remedium &c.* nobis non adverſatur, cum non tam in ſe, ſuaque natura, quam ratione ſubſequentis vitæ, quæ poſt hanc nos manet, talis, imo ab ipſo Deo in pœnam nobis adjudicata ſit, ſed hæc alterius ſcholæ ſunt. Non nego, poſſe contingere, ut tam dura quis ſervitute prematur, ut vel decies mori malit quam ita miſere vitam transfigere: per autem abſurdum delirium eſt, exiſtimare, *ſi ſervitus abſolute cum morte conferatur, libertas cum vita, eligibiliorem* (loquar barbare cum A. conſid. &c.) *eſſe libertatem, quam vitam, mortem, quam ſervitutem*: Imo vero tantum abeſt, ut meo etiam judicio mortaliter peccet, qui optione facta, mortem præ ſervitute elegerit. Videat igitur A. conſid. &c. quomodo ſibi conſtet aſſerens, *a barbaris & ſervilis naturæ hominibus magis æſtimari vitam, quam libertatem.* Profecto ſi illi ſoli ſunt liberi & politi, qui libertatem pluris faciunt atque vitam, nulla non gens barbara erit: Ipſe DEI populus Exod. 14. ita infit: *Nonne ſatius fuerat ſervire, quam in ſolitudine perire:* Ægypti *Gen.* 14. ad Joſephum in hanc ſententiam neceſſitate compulſi loquuntur: *Et nos & terra noſtra tui erimus, eme nos in ſervitutem regiam & præbe ſemina &c.* Et mox: *reſpiciat nos tantum Dominus noſter & læti ſerviemus regi.* Quis autem, niſi extreme Barbarus, ne dicam inſanus, haſce gentes barbaras vocaverit? Ipſi illi



Digitized by Google

Europæi, in quibus A. conſiderat. &c. tantopere gloriatur, non pauci, interque eos libertatis retinentiſſimi Græci, dura ſub ſervitute gemunt, qui vitam redimere queant. Sed non eſt tam noſtri inſtituti hæc operoſius enarrare; quam elumbes & flaccidas Ariſtarchi noſtri poſitiones doctorum judicio exponere, quæ adeo ſunt ridiculæ, ut homines etiam quodammodo infra animalia ponant. Apud Plutarchum Gryllus, perſonatus porcus, probaturus animalium præſtantiam reliquorum præ hominibus δέησις, inquit, δὲ οὐκ ἔςιν, οὐδ' οἶκτου παραίτησις, οὐδ' ἐξομολόγησις, ἥττης, οὐδε δουλεύει λέων λέοντι καὶ ἵππος ἵππῳ, δι' ἀνδρείαν, ὥσπερ ἄνθρωπος ἀνθρώπῳ, τὴν τῆς δειλίας, ἐπώνυμον, εὐκόλως ἐνασπαζόμενος. Ecce Ariſtarcheis illis plane gemina.

XVII. Superſunt nonnulla hic, quæ breviter perſtringamus, & ſic recta aggrediemur monſtroſi illius prædicati requiſitum ſecundum. Neque enim ſilentio poſſumus graviſſimum crimen præterire, quod Alaſtor nobis impingere (quamvis falſo) ſatagens, affirmat, *nos innoxias manus principum ad ſanguinem innoxium fundendum, præparare, dum in theſi 27. perſuademus principibus, optimo quodam jure iis licere barbaras gentes moribus ac religione diſſidentes, invadere & ſubigere, etiamſi ab iis nulla injuria provocati fuerint*, & mox: *Nos exempla Græcorum allegando & dubitando de jure Hiſpanorum prætenſo, non oblique eorum actiones probare.* Hæc ut ſunt magnam partem inſulſa, imo improba etiam, ita nefarie in noſtrum nomen ab impuro homine ſunt conficta, ut ex verbis noſtris, quæ mox adducemus, manifeſtum erit. Dixeramus theſibus præcedentibus, inepte populo omni, & quidem promiſcue aſcribi poteſtatem ſummam, cum notum ſit dari non ſolum ſingulos homines, ſed etiam certos populos tam imbecillis judicii & impeditæ mentis, ut eidem pares nullo modo ſint; atque adeo quaſi natos ad id, ut aliorum prudentia regantur, cum ipſi nequeant ſuæ conſulere ſaluti. Demum addimus: *Certe hoc ſcuto* (nimirum quod reliquæ tam eſſent ſtupidæ, ut ſibimet ipſis proſpicere nequirent) *olim Græci adverſus omnes quos vocabant* (notanda vox: neque enim dixi fuiſſe barbaros) *barbaros*, injuſte *licet*, *uſi ſunt; & haud ita pridem adverſus nonnullos religioſos, inque iis Joſephum Acoſtam, in propugnandis rebus ſuis Indicis Hiſpani, Johanne Sepulveda facem prælucente: rectene an ſecus, non eſt chartæ hujus diſquirere. Quantum alias ex hiſtoricis conſtat monumentis, haud ita multos (ſi Braſilienſes excipias, quorum magna pars ferina & effera, atque proinde in hominem, ut Seneca loquitur, fuit cogenda:) reperire fuit tam exilis ingenii & prudentiæ, ut ſui curam ipſi gerere non potuiſſent. Imo ſi fides habenda Acoſtæ l. 6. & 7. Americanæ hiſtoriæ, Peruvianos inter & Mexicanos florentiſſimæ fuere reſp. in Chili quoque & Araneo Ariſtocratiæ ſic ſatis elegantes.* Ecce verba noſtræ theſeos; Si vir es monſtra nobis, quomodo ex verbis noſtris educi queat, *licere principibus invadere barbaras gentes, moribus ac religione diſſidentes, etiam ſi ab iiſdem nulla injuria fueris provocatus.* Qui non eſt plane ſtupidus, facile animadvertet deteſtandam hominis malitiam, qua fit, ut cum ipſe quod ogganniat, non habeat, ſaltem aliquid fingat. Nos nunquam probavimus Hiſpanorum immanem crudelitatem, qua deſævierunt in miſeros Indos; Conf. *Hiſt. nov. orbis ab Urb. Calvetone latine redditam*, ſed hoc duntaxat nobis quaſi in tranſcurſu notatum eſt, Primates Hiſpanos, præeunte Sepulveda, hoc colore voluiſſe ſuam deteſtandam auri famem, ne quid gravius dicam, incruſtare; nullo tamen modo eorundem ſententiam hac quidem in parte poſſe recto ſtare talo, cum multæ inter Indos ſic ſatis exactæ fuerint reſpublicæ, gentes aut nullæ, aut certe non adeo multæ in iiſdem omnino inſipidæ. Utrum autem, ſi maxime ſint tales, a Chriſtianis principibus bene cultis poſſint in ordinem redigi, alius eſt quæſtionis: quod nos quidem exiſtimamus, demonſtrat autem egregie Franciſcus Victoria utraque *relectione de Indis*, maxime vero circa finem ultimæ, quem vide: nobis namque non tam propoſitum eſt varia hic enarrare, quam atroces calumnias aliorum & objectiones amoliri. Denique, quod §. 3. hic affertur de ſummo imperio, ejuſque juribus, uſque adeo eſt ridiculum, ut nihil ſupra. Dicitur primo, *quod ſummum imperium tale ſit ratione auctoritatis, eo quod magnitudine ſua omnes reliquas poteſtates complectatur, & ſuperet, & reliquarum in rep. poteſtatum fons & ſcaturigo ſit anguſtiſſima, Baſis & origo tum juriſdictionis, tum judicii, tum magiſtratus & imperii, adeoque in eadem rep. exſiſtentis poteſtatis cujuſcunque*, deinde longo ordine enarrat (quam bene autem, vel male in progreſſu apparebit) *in quibus conſiſtat vis ejus ac poteſtas, & ſic ipſa majeſtatis jura*, mirabili atque ante hac vix audito ſcil. ſtudio pertractantur. In ipſa vero tractatione mirum quantum nobis vitio vertitur, quod breviores in explicandis illis juribus fuerimus, cum tamen homo maledicus ſcire debuiſſet, non tam nobis curæ fuiſſe ipſa majeſtatis jura, quam ſubjectum, cui inhæreant, exponere: ad quod peragendum nobis ſufficere poterat, ſi tantum digitis intenderemus, quid per ſummam poteſtatem intelligeremus: præſertim cum una cum Grotio alii, præ reliquis Henningus Arniſæus, libro *de juribus majeſtatis*, omnia hæc ita enodaverit, ut niſi aliorum ſcrinia [quod Autori conſid. &c. in more poſitum eſt] compilare volueris, nihil fere memoratu dignum adjici queat. Deinde vel tironibus notum eſt, quam ſit ab ordine, in diſciplinis obſervando, longe alieniſſimum infarcire ea, quæ ad rem non faciunt. Nonne omnium riſui ſe exponeret, qui de ſubjecto vel civilis vel juris prudentiæ dicturus, totam naturam & conditionem earum ſub calculum vocare vellet? profecto, qui mihi hactenus viſi ſunt, etiam omnium accuratiſſimi Mathematici, bene ſecum actum putant, ſi rudi quaſi penicillo rem, in qua operam occupaturi ſunt, delineent. Denique, etiamſi maxime [quod minime concedimus] tale quippiam a quoquam exigi poſſet, omne hoc in noſtra theſi abunde continetur (quamvis non more Ariſtarchi ebuccinetur, totque, ut ille quidem exiſtimat, conſentientium ſuffragiis ſtipetur) ut a quovis paulo emunctioris naris facile poſſit deprehendi. *Cum enim*, dicimus, *imperium illud ſummum in duobus hiſce*

*hiſce maxime ſit occupatum, tum ut regat, tum ut tueatur rempublicam, & vero ad regendam rempublicam quam maxime faciat poteſtas ferendarum legum, & magiſtratus conſtituendi, ad tuendum autem jus armorum præcipue: Hinc adeo apparet, tria illa in omni republica utramque facere paginam.* Vel ex paucis hiſce manifeſtum eſt, quam inepta & improba ſit Ariſtarchi noſtri accuſatio. Sed properamus ad alia, viſuri, quid dignum magno portet promiſſor hiatu; affirmans, *de* juribus *ſummi imperii ſeu ſummæ poteſtatis, maxime pro cognitione neceſſaria, in gratiam aliorum ſummaria, compendioſa & diſtincta tractatione* jura *ſummi imperii propoſiturum* (nota quæſo ſtultam & ineptam conſtructionem.) Antequam autem opus hoc mirabile aggrediatur, duce Bodino uſus, movet in Ariſtotelem, omneſque ejus aſſeclas, incuſatque; quaſi *ſumma ſummi imperii jura cum magiſtratuum muneribus confundant. Nam* 1. (pergit) *jurisdictio, quam Ariſtoteles tertiam reipublicæ partem facit, quia omnibus fere magiſtratibus, æque ac principibus congruit, majeſtatis igitur propria non erit.* Dignum patella operculum! profecto neſcit homo, quid dicat; antea contendebat (vid. hoc n. laudata) *ſummam poteſtatem &c. eſſe fontem & ſcaturiginem auguſtiſſimam reliquarum in republica poteſtatum, originem & baſin tum jurisdictionis, tum judicii,* nunc contendit, *jurisdictionem æque* (falſum hoc) *congruere reliquis magiſtratibus ac principibus,* ſuo ſe gladio jugulans. Uno verbo; falſiſſimum eſt, jurisdictionem æque congruere magiſtratibus ac principibus, cum illi ab hiſce dependeant, & ſi quid poſſint, hiſce unice acceptum ferre debeant. Eadem eſt ratio 2. objectionis: *Sic etiam* 2. *magiſtratuum creatio, utpote quæ ſubditis etiam convenit, qui non modo magiſtratuum miniſtros domi ac militiæ, verum ipſos etiam magiſtratus creandi jus ſæpe habent*: non enim hic quæritur, an magiſtratus creare illi poſſint, ſed an ſua vel aliena autoritate hoc faciant. Si priori modo hæc intelliguntur, longe ſunt falſiſſima, ipſoque rerum uſu confutantur; ſi poſteriori, nihil nobis officiunt. Idem ſentiendum eſt de reliquis. Quod autem probationis quaſi loco adducitur ibidem, nimirum; quod *ſummum imperium ſumma ſit poteſtas, adeoque ab aliorum magiſtratuum autoritate & poteſtate longe diverſa,* reſponſionem non meretur: neque enim ſequitur, hic ejus autoritate jus dicit, ergo habet parem cum eodem poteſtatem. Conſtitueramus quidem, animadvertere in tractationem de majeſtatis juribus, ſed quia noſtris theſibus ea non obloquuntur, ſeponemus, ut una cum aliis abſurdis dogmatibus unum in catalogum compingantur. Hoc tamen diſſimulare vix poſſumus, in limine ſtatim occurrere diviſionem, neſcio quam, certe oppido abſtruſam. *Jura,* ait, *imperii vere alia ſacra, alia politica ſunt: Jus rerum ſacrarm, quod jus ſacratum Virgilius* (ubi vero? alias non ſolet ita loqui) *vocat, quodque tantam conciliat reverentiam & majeſtatem ad ſummum imperium recte refertur: etenim &c.* Hic Delio urinatore opus eſt, ſi, quid homo ſibi velit, pernoſcere cupis. Fortaſſis hoc vult, incumbere civili majeſtati, ut etiam rem ſacram curet, eaque omnia, quæ ad Deum pertinent & religionem. At quid tum? Ergone jura imperii ſunt ſacra? nequaquam. Diximus ſupra *n.* 8. *circa fin.* majeſtatem eſſe poteſtatem, per omnia civilis ſocietatis alicujus negotia ſe diffundentem; unde conficitur, omnia ea negotia, quæ ad conſervandam civilem ſocietatem faciunt, ſub civilis majeſtatis arbitrium cadere. Jam vero in confeſſo eſt apud omnes nullam ſocietatem poſſe ſubſiſtere ſine aliqua religione, ut proinde ad civilem majeſtatem, ut talem, ſpectet, ſaltem huic rei operam dare; quamvis quilibet ad id quoque teneatur, (non tam ut principes civilis ſocietatis, quæ nihil aliud intendit, quam felicitatem aliquam hujus vitæ, ſed ut homo & apud nos quidem ut Chriſtianus) ut veram religionem proximorum animis inſtillet, ceu præclare demonſtratur in *diſput.* Præſ. cl. Conringio habita, *de autoritate civilis majeſtatis circa ſacra.* Planum igitur eſt, non ſtatim enaſci aliud imperii genus, etiamſi circa ſacra quodammodo occupetur: alias enim infinita, phyſica, mathematica, aliaque exiſterent.

XIIX. Sine ulla prævaricatione nunc aggredimur ſummi imperii ſecundum requiſitum, ex ſententia Ariſtarchi, perpetuitatem ſcilicet. In qua explicanda, inprimis, ſi ſuperius adducta ſpectes, valde turpiter ſe dat. Dixerat antea (vid. n. 12.) *ſummam poteſtatem repugnare omnium gentium moribus.* Item *omnem majeſtatem dependere a conſenſu, ſuffragio & voluntate populi &c.* vid. ſup. n. 10. *nunc quæ hæc poteſtas,* ait, *quæ ab alieno arbitrio dependet, vel quam quis precario poſſidet, aut quæ ad alterius nutum revocabilis? ejuſmodi certe poteſtatem qui habet, etſi ſummam, majeſtatem tamen* (Ecce hominis os! negat eum habere majeſtatem, qui ſummam tenet poteſtatem, cum tamen unum ſint & idem) *habere non intelligitur; cum enim ejuſmodi poteſtas ab alieno arbitrio dependeat, propria non erit; cujus conſequens, ut hi, qui eandem poſſident, cum proprio jure non poſſideant aut quaſi, ſed precario & quaſi ex commodato; idcirco nec eorundem poſſeſſores veri erunt, ſed ſummæ poteſtatis ac imperii curatores, ejuſdemque cuſtodes.* Quid quæſo hoc aliud eſt, quam omnia regna, omneſque ariſtocratias, aliaque imperia, præter populare, tollere? Quantum animadverto, non intelligit *Autor conſid.* &c. Quid ſit majeſtas, multo minus, neminem poſſe dici ſummam poteſtatem habere, niſi idem ſit ἀνυπεύθυνος, (Miltonius *p.* 32. proterve iterum mentitur, ac ſi Ariſtoteles *l.* 4. *polit. cap.* 10. dicat *ἀνυπεύθυνον εἶναι maxime eſſe tyrannicum & in libera natione minime ferendum*) ut proinde ſtulta ac vana ſint, quæ ſequuntur. *Talem poteſtatem habent Regentes,* (quid verbi hoc?) *Pro Principes, Pro-Reges, item Curatores regni.* Enim vero, cum ab aliorum nutu dependeant, nihil minus, quam ſummam poteſtatem tenere ſunt cenſendi, vide, quæ optime *l.* 3. *polit. c.* 10. 11. & 12. Ariſtoteles diſputat. At longe alia eſt romani dictatoris ratio, *a quo nec provocandi jus fuit, & cui etiam capitis animadverſio data erat,* ut loquitur Pomponius *in l.* 2. *ff. de O. J.* §. 18. quod, ut idem ibidem ſubjungit, *ſummam haberet poteſtatem,* deque rebus, ad publicam rem pertinentibus, pro lubitu ſtatueret. Eſt quidem hæc quæſtio non adeo magni momenti, interim tamen, quoniam magna animi contentione ab A. conſid. &c. agitatur, repetemus dictatorum memoriam,

quantum

Digitized by Google

quantum fieri poteſt, ultimam, præeunte ſcriptorum πολιτικωτάτῳ Dionyſio Halicarnaſſæo *l. 5. antiquit. rom.* Ejectis ſcilicet Tarquiniis, plebs romana paulatim animum cœpit erigere, pars etiam libertate ſua abuti. Evenit enim, cum jus diceretur de rebus creditis, necterenturque debitores ſuis creditoribus more civitatis, patres inter plebemque ſeditionem oriri, quæ conſpirantibus in romanum nomen Latinis fere omnibus magis atque magis exarſit, adeo ut, bello Latinorum ad portas imminente, negaret plebs, arma ſe capturam, neque pro libertate & imperio foris dimicaturam contra hoſtes, cum domi a civibus ſuis nexa & de vita, & fortunis omnibus laboraret. Conſultatum tum quidem fuit in ſenatu, quid facto eſſet opus: alii hoc, alii illud ſuadebant; M. Valerius, Marci filius, adducta Solonis σεισαχθεία, aliorumque, æs populi alienum abolendum cenſet, Appius Claudius nequaquam, quod hac ratione ſimultates illæ ſufflaminentur potius, quam ſopiantur. Poſt multas alias tandem tenuit ſententia, ſtatuens, ſuſpendendum eſſe hoc negotium, usque dum bellum eſſet feliciter confectum. Sed neque hac ratione efferati plebejorum animi emolliri potuerunt. Tandem conſilium in arena capitur, *ſenatusque* (verba ſunt noſtri Dionyſii, digna profecto, quæ inſcribantur animis poplicolarum, exiſtimantium, ſummam poteſtatem penes populum naturaliter reſidere, ab eoque non magis, quam vitam, qua quis fruitur, poſſe abdicari) *in hoc rerum ſtatu diſpiciens, quo pacto effici poſſet, ne quas amplius res novas moliretur populus, decrevit conſulari poteſtate in præſens ſublata, alium magiſtratum creare, penes quem belli pacisque & omnium aliarum rerum plena poteſtas eſſet, & a quo conſiliorum factorumque rationem repoſcere non liceret.* (Ἀρχὴν πολέμου τέ καὶ εἰρήνης, καὶ παντὸς ἄλλου πράγματος κυρίαν, αὐτοκράτορα καὶ ἀνυπεύθυνον ὧν ἂν βούληται καὶ πράξῃ.) *Ei ſemeſtre tempus præſtitutum, quo exacto, conſules reipublica gubernacula reſumerent. Ut autem ad depellendum tyrannorum bellum ſponte ſubirent tyrannidem, inter alias præcipua cauſa fuit lex Valeria; quæ non permittebat conſulibus, ut ante cauſæ dictionem pro ſuo arbitratu ſupplicium de quoquam ſumerent: facta reis poteſtate, ut antequam ad ſupplicium ducerentur, ad populi judicium provocare liceret; & tantisper, dum populus de ipſis ſuffragia tuliſſet, tam bona eorum, quam corpora in tuto eſſent: eum vero, qui contra hanc legem faceret, impune liceret occidere. Itaque videbatur, manente hac lege, ad nulla munia per magiſtratus cogi poſſe inopes: nimirum, ſublato metu ſupplicii, quod non ex re nata ſumi poterat, niſi populus ſuo calculo reum condemnaſſet: ceſſante vero lege, neceſſario juſſa facturos, & ne obſiſterent pauperes, ſi quis legem propalam violaret, decrevit ſenatus, in rempublicam introducere poteſtatem tyrannicæ parem, omnibusque legibus ſuperiorem* (ἀρχὴν ἰσοτύραννον, ἣ πάντας ἔμελλεν ἕξειν ὑφ' ἑαυτῇ τοὺς νόμους.) *Atque ita conſcripſit ſenatus conſultum ejusmodi, quo latenter & inopes circumvenirentur, & lex Valeria, qua libertatem eorum tuebatur, enervaretur. Fuit autem tale; Coſſ. & ſi quis alius publico munere fungeretur, poteſthtem deponere: unum autem virum a ſenatu electum, populique ſuffragiis approbatum, habere ſemeſtrem POTESTATEM RERUM OMNIUM, AMPLIOREM QUAM CONSULUM. Hoc quid ſibi vellet, non ſatis intelligentes, plebeji, ſenatus conſultum ratum fecerunt; QUAMVIS MAIOR ESSET HUIUS MAGISTRATUS IMPERIUM, QUAM LEGITIMÆ TYRANNIDIS.* Poſt multa alia; *Hic* (ſcilicet T. Largius) *primus*, ait, *omnium Romæ MONARCHA deſignatus eſt, cum plenaria belli ac pacis, omniumque aliarum rerum poteſtate:* Moxque: *Poteſtatis, quam dictator habet, magnitudo ipſo vocabulo haud quaquam declaratur: nam ELECTITIA QUÆDAM TYRANNIS EST DICTATORIA POTESTAS. Videntur autem mihi Romani & hanc adminiſtrationis publicæ ſpeciem mutuati a Græcis. Nam qui αἰσυμνῆται apud priſcos Græcos vocabantur, tyranni quidem erant electitii. Eligebantur autem a civitatibus pro ratione temporum; non infinitum nec continuum, ſed certum temporis ſpacium, quando & quantisper poſtularet reipublicæ utilitas, ſicut Mitylenæi olim elegerunt Pittacum contra Alcæum poëtam, cum ſociis exilio mulctatum. Eum magiſtratum primi repertores amplexi ſunt, cum rei utilitatem experimento didiciſſent. A principio enim, omnibus Græciæ civitatibus ſui erant Reges &c. Poſtquam vero aliquot eorum inceperunt abuti poteſtate, & in rebus adminiſtrandis rarius leges, quam ſuam libidinem ſequi, plerique Græci rei tædio affecti, regiam reipublicæ formam aboleverunt, legibusque & magiſtratibus inſtitutis, illis præſidiis reſpublicas tueri cœperunt. Quoties autem nec leges ſatis uterentur, juſtitia, nec magiſtratus & rerum curatores ad legum tutelam ſufficerent, & tempus, quod multa innovat, amplecti cogeret inſtituta non tam optima, quam ad præſentem rerum ſtatum accemmodatiſſima, non ſolum in improviſis caſuum adverſitatibus, verum nonnunquam & in immodicis proſperitatibus, quæ bonam reipublicæ conſtitutionem corrumperent, celeremque ex unius arbitrio correctionem poſtularent, REGIAS AC TYRANNICAS POTESTATES RURSUS IN MEDIUM proferre, convelatas honeſtioribus vocabulis. Sic Theſſali ἀρχὰς, ſic Lacedæmonii ἁρμοστὰς eos appellabant. Nam Reges & tyrannos nominare verebantur, quod religio eſſet, reſtituere poteſtates, quas cum jurejurando & devotione abrogaſſent.* Hæc pluribus enarranda duximus, tum quod multi circa eadem fœde ſint lapſi, tum quod ad rem, quæ præ manibus eſt, illuſtrandam apprime faciant. Si enim, ut aſſerit noſter Dionyſius, Ἀνὴρ τῆς Ῥωμαϊκῆς ἱστορίας ἀκριβῆ τὴν γραφὴν ἐκδεδεγμένος, ceu loquitur Fuſebius *in 4. præpar. evang. cap.* 16. & civilis quoque prudentiæ nequaquam ignarus, veteres ex uſu ſuo futurum didicerunt ad Reges, ubi publica res eſſet labefactata, recurrere, idque etiam non unis in more fuit poſitum, omnino patet majeſtate nonnunquam populum, ſi non evertendum, ſaltem liberandum, ne gravi ſub onere ſuccumbat. Neque officit, quod ab A. conſid. &c. affertur; Poteſtas hæc ſumma non fuit perpetua, ergo non fuit majeſtas; Ut enim per eſt ridiculum, duratione naturam rei metiri, ita majorem in modum inſipidus ſit neceſſe eſt, qui eadem rei indolem interverti dicat. Adhæc, ſi majeſtas, quod nonnullis & in his Autori conſid. placet, a temporis perpetuitate debet neceſſario ſuſpendi, nulla quidem, meo judicio, fuerit majeſtas, cum ab orbe condito talis non exſtiterit, ſed ſemper ita fuerit comparata, ut non ſaltem ab homine in hominem,

Digitized by Google

nem, ſed etiam a gente in gentem migraret. Deinde cum *apud veteres dictatoribus ad tempus crederetur SUMMA POTESTAS*, ut habet *l. un. ff. de offic. præf. prætor.* non ita tranſibat, ut quovis tempore pro lubitu revocari poſſet, ſed tum demum, ubi tempus præſtitutum eſſet elapſum. Neque hoc inſolitum videri queat, cum vel inter privatos ſimile quippiam animadvertere habeas: uſu namque venit, ut rei alicujus dominium (quod revocabile vocant) in alios ad certum tempus transeat, nihilo tamen minus plenum exiſtat. Vide, quæ optime diſputat Grotius *l. 1. de. J. B. & P. c. 3.* Fruſtra igitur eſt *A. conſid. &c.* una cum Bodino, König: & aliis, quando dictatores romanos majeſtate evertere conatur, & ſecundum hæc ineptus, quando erroris Ariſtotelem poſtulat, quod *l. 3. polit.* 10. Αισυμνῆτας inter Reges numeret. Sine fronte eſt, dictitans, a nobis dictatores romanos eſſe appellatos Reges, quamvis ea locutio ſuo modo tolerari queat, cum a Dionyſio *monarcha*, eorumque poteſtas, ἰσοτύραννος ἀρχὴ ſit appellata. Conf. modo laudata verba.

XIX. *Ad requiſiti 3. partem 2. §. 2.* nunc nos convertimus, ubi affirmat *A. conſid. &c.* quod *homines per naturam, interna naturæ commotione ducti, reſpublicas inſtituerint, & ſingulari quadam ratione informarint.* Et mox: *Vi naturæ imperia* (at non civilia) *conſtare 1. extrinſeca declarat neceſſitas. Natura ſiquidem cum hominem producat, omni auxilio deſtitutum in terram projiciat, conſilii & auxilii omnis inopem; quibus tamen tum maxime eget, ſi ei ſubvenire nequit, niſi alio interveniente & juvante; etſi vero nutritus eſt corpore, non tamen animi lumen exercere poteſt, niſi in ſocietate,* (at non civili ſtatim) *doceatur.* Non opus eſt pluribus hoc retexere, vel ex ipſa lectione conſtat, argumentis illis nihil plane evinci. Breviter ita habe: In omnium ore eſt Ariſtotelis illud; Ἄνθρωπος τῇ φύσει ζῶον πολιτικόν, *homo natura eſt animal ſociabile*, utpote quo nemo non, politicorum, tanquam firmiſſimo fundamento, innititur hactenus. Quamvis autem hæc ſummi Ariſtotelis, poſtque hunc aliorum longe maximorum virorum ſententia, inter civilis prudentiæ magiſtros multos jam annos obtinuerit, tantum tamen abeſt, ut quam præ ſe tulit, nominis majeſtatem tueri queat; ut etiam, præſertim ſi propius admoveas animum, ejusque conditionem intuearis, vel nihil, vel parum roboris habere videatur. Profecto, quæ ab Ariſtotele primis capitibus *l. 1. polit.* pro eadem ſtatuminanda producuntur, nequaquam *hominem ad CIVILEM ſocietatem* natura ferri evincunt, quamvis ALICUIUS deſiderio eundem duci, bene aſſerant. Experimento res fiet clarior: Capitulo ſecundo l. 1. vir ſummus ita infit: Διότι δὲ πολιτικὸν ὁ ἄνθρωπος ζῶον, πάσης μελίττης καὶ παντὸς ἀγελαίου ζώου μᾶλλον δῆλον· οὐθὲν γὰρ ὡς φαμὲν μάτην ἡ φύσις ποιεῖ. λόγον δὲ μόνον ἄνθρωπος ἔχει τῶν ζώων &c. conaturque, uti liquet, ex eo capite, quod homo ſermonis particeps ſit, probare, eundem eſſe civile animal, cum tamen nihil minus oſtendat. Enim vero, quod ad fulciendam majorem dicitur, nimirum ſermonis uſum, niſi in ſocietate, eſſe nullum, ad civilem vitam nec quicquam porrigitur, cum ab eadem longe ſit alieniſſimum. Idem de aliis eſto judicium. Inſtituti noſtri ratio non patitur vel illis, vel aliis Ariſtarchi ratiunculis excutiendis vacare: qui ipſe quodammodo ſuo ſe gladio jugulat, cum de *naturali* (ut vult) *origine & ſucceſſione imperiorum* tam ſuaviter nugans: *Quapropter*, ait, *ſocietas hominum autoritate dignitateque ſua, præſtanti alicui prudentique viro, vel multis, coacta fuit ejus imperio ſe ſubjicere, ne ſceleratorum injuriis, audaciæque eorum pateret, hincque effectum eſt &c.* Sed neque hæc tum a Platone *l. 3. de legib* tum ab Ariſtotele 1. *polit.* pertractata reſumere noſtrum eſt; Vide omnino Polybium *l. 6. hiſt.* init: argute diſputantem. Perridicula ſunt, quæ *A. conſid.* &c. ſubdit: *Præter id, quod effecto jam homini Deus, ne ſolus eſſet, comitem ſui generis fœminam adjunxit, quod magnum eſt ſocietatis neceſſario naturæ vinculo coactæ argumentum, poſtquam ex eo primo conjugio filii nati ſunt, atque eorum auctus paulatim numerus, non ſolum domicilia ſibi ædificaverunt, in quibus tota familia contineretur, ſed civitates* (quaſi vero hoc a natura ſit) *poſtea coaluere, quæ certe ſine inſtitutis nec eſſe, nec amplificari, derivarique in alias colonias potuerunt &c.* Neque enim firmiter concludas, *civitates coaluere, quæ ſine legibus eſſe non poſſunt, ergo civilis ſocietas eſt a natura.* Nec quicquam te juvat, quod extra eam ſocietatem eſſe nemo felix vitamque tolerare poſſe dicatur: Notandum namque eſt, vocem felicitatis variis obnoxiam eſſe ambiguitatibus, & vel notare omnium rerum abundantiam ac magnificum apparatum, vel quantum ſatis eſt tranſigendæ vitæ: ſi priori modo intelligas, huc nihil facit; cum enim natura paucis ſit contenta, a natura non erunt omnia, ad explendam ſæpe indomitam & perverſam tuam cupiditatem facientia: Alias ſane illudere veſtes auro, *ſolitis* (ut Ammianus loquitur *lib. 27.* de Romanis) *preſſoriis veſtes, luce nitentes, arbitra diligenter explorare*, comas frangere in gradus, magnificas extruere domos, *ut in laxitatem ruris excurrant, ut parietes, advectis trans maria marmoribus, fulgeant, ut tecta varientur auro, ut lacunaribus pavimentorum reſpondeat nitor, Sen. ep. 114.* ut altitudo cœlo pene immineat: *ut pomariorum ſylvæ in tectis domorum ac faſtigiis nutent, inde ortis radicibus, quo improbe cacumina egerunt: undique convehere omnia nota faſtidienti gulæ, Id. ep. 122. & Conſ. ad Helv. c. 9. Ultra Phaſin* (quod in Romanis Seneca ſugillat) *capi velle, quod ambitioſam popinam inſtruat, aque Parthis aves petere:* alias, inquam, & omnia hæc a natura ſint, quod abſurdum. Si poſteriori modo capias, neminem puto tam perfrictæ frontis futurum, ut neget, ſine civili ſocietate ad talem felicitatem poſſe perveniri, imo ſi neget, ipſo uſu, præcipue primorum annorum refelleretur. Peregregie Senec. *l. c. ad Helv. Quantulumcunque*, ait, *eſt, quod in tutelam homini neceſſarium ſit? & cui deeſſe hoc poteſt, ullam modo virtutem habenti?* Nec movent nos injuriæ, quibus ſe ſeorſim a civili ſocietate res noſtras habeamus, exponi contingat, quod ſcilicet hoc ſit ex accidenti ab effreni hominum malitia; quin imo hac ratione fere omnis felicitas tolleretur, cum ne quidem in potentiſſima, multo minus in imbecilli aliqua civitate, extra omnem injuriæ metum eſſe queas. Ecce, quam recte fuit ab Ariſtarchio probatum, imperia civilia eſſe



Digitized by Google

e jure naturæ; nihilo tamen minus, quaſi re bene geſta, ita concludit: *Sicut a divina ordinatione & naturæ ſuffragio* (aliud eſt, *ut naturæ imperia conſtant, homines per NATURAM, interna NATURÆ commotione* (nota elegantiam) *ducti, reſpublicas inſtituerunt*, quod antea dicebat vid. init. h. n. aliud eſt, *civilia imperia ſunt a ſuffragio naturæ*, ut hic loqui amat) *tanquam cauſa a principali, imperia ortum ſuum ducunt, ſic proxime a conſenſu & voluntate populi, tanquam cauſa miniſteriali, dependent.* Hic pedem nonnihil figemus, præſertim cum n. 13. hoc ipſum in nos receperimus, atque omnes fere paginæ horribilis miltonianæ *defenſionis*, quam bono exemplo Galli damnatam per carnificem exuri juſſerunt, aliisque quid ex uſu ſit, digito monſtrarunt, iisdem refertæ deprehendantur p. 152. ita loquitur: *Omnes fere ubique gentium Reges ſub certis conditionibus traditum ſibi regnum A POPULO acceperunt: quibus, ſi Rex non ſteterit, illa poteſtas, quæ fiduciaria tantum fuit, ad populum redire debet tam a Rege, quam a conſule, vel ab alio quovis magiſtratu p. 170. Servæ ſint iſtæ nationes oportet, & ad ſervitutem natæ, talem agnoſcunt dominum, cui ſe ſine ASSENSU SUO hereditate obveniſſe credant: pro civibus certe, aut ingenuis & liberis haberi non poſſunt: neque rempublicam habere ullam cenſendæ: quin imo inter facultates & poſſeſſiones, quaſi heri ſui & herilis filii, numerandæ ſunt: nam quod ad jus dominii, quid diſtent a ſervis & pecoribus, non video p. 183. Principio omnis poteſtas a populo fluxit, & etiamnum fluit.* Quæ omnia, ut a cunctis cunctarum gentium rebus geſtis abeunt, ita vana ſunt & inſipida. Conſtat inter omnes, imperia ab omni usque ævo variis modis fuiſſe translata, magna vero ex parte per vim atque violentiam, idque in hunc usque diem frequentatur, ut mehercle bardus ſit ac bliteus, qui non animadvertat, ferreique oris, qui neget. Stultus quoque ego ſim, ſi in re liquida & notiſſima oſtendenda longius provehar. Quod vero A. conſid. &c. *imperia, per vim obtenta, citra conſenſum populi, non legitima, ſed tyrannica & illegitima* dicat, *utpote quæ a violento poſſeſſore ex cauſa non juſta poſſideantur*, nihil nobis officit. Primo enim, ſi verba, prout jacent, intueamur, perperam arguit idem, qui dicat ea imperia illegitima & injuſta, quæ ſint ex cauſa non juſta, cum potius ſint non juſta. Deinde, etiamſi aliquo modo injuſta eſſe & vitioſa concedas, non tamen ideo omni ex parte fuerint talia, quippe quæ ab ipſo Deo tolerentur, vid. differt. *th.* 41. & 42. quæque doctiſſime diſputat ſummus Conringius in *lib. de civili prudent. cap.* 5. Sed fac (quod eſt falſiſſimum) *imperia dependere a conſenſu & voluntate populi*, quid quæſo fiet de iſtis hominibus, quorum ſupra *n.* 15. & *th.* 25. & *ſeqq.* differt. mentionem fecimus, cum enim, ut diximus, vis animi in illis multo ſit minor, quam ut ſibi ſigillatim conſulere queant, vix quoque erit, ut, quid in rem communem ſit, quisque adeo ſumma rerum præficiendus, diſpicere poſſint. Qualis igitur conſenſus eorum ſit futurus, cuivis, humanarum actionum principia intelligenti, planum erit. Quod reliquum eſt, paucis notabimus inſignem Ariſtarchi futilitatem in quæſtionibus diſceptandis. Parte 3. prædicati, proponit tres reipublicæ ſpecies, monarchiam, ariſtocratiam, democratiam, hic fere circa finem, *imperii*, ait, *proprietas apud populum eſt, minime vero in patrimonio principis, ut opinatur Conringius* (iterum affingit nobis hoc: nam quod ego quidem memini, in theſibus nihil, aut certe parum, hac de re invenire eſt, quamvis nulli negemus, haud pauca regna in patrimonio eſſe imperantium) *hinc a nullo, niſi a populo, ALIENARI vel IN ALIUM TRANSFERRI poterit, utpote cujus conſenſus præciſe neceſſarius eſt.* Vide quæſo, quo homo prolabatur, fatetur, populum poſſe *alienare imperium & in alium transferre*: folio ab hoc quarto, dicit: quod *ſummum imperium, ratione fundamenti, reſideat apud corpus univerſalis conſociationis, cui radicaliter ineſt & cohæret, ne ab eo velli poſſit, multo minus alienari.* Quid quæſo eſt, ſi non hoc nugari? Sed transeant hæc una cum multis aliis: ſcilicet *æquitati conſentaneum, ut is, qui multis ſit imperaturus, ab omnibus eligatur* (quid ſi eligere non poſſint, quid ſi nolint, quid ſi prohibeantur?) *Juſtum quo ſit imperium, eſt neceſſe, ut populi voluntas accedat vel expreſſa, ut in regnis electitiis*, quaſi vero omnia electitia regna a populi arbitrio, ac non multo magis ſæpe a paucorum vel nobiliſſimorum, (ut in Germania, Hungaria, Polonia, Dania) decretis dependeant? *Vel præſumpta & ſigno aliquo declarata, ut in regnis ſucceſſivis, quæ tacite intervenire præſumitur, cum populus in ipſis inaugurationibus, tanquam manifeſto aliquo ſigno, declarat, quem imperare velit.* De ultimo hoc dicturi ſumus infra n. ult. & pen. quantum nimirum iſtis inaugurationibus ſit tribuendum, cum experientia doceat, tum alibi, tum in imperio germanico (ubi principatus tanquam feuda a toto imperio, a populis vero ditionis nullo modo dependent,) eas longe eſſe infra opinionem Ariſtarchi.

XX. Poſt hæc A. conſ. agens de principio ſuo extrinſece movente, nos erroris poſtulat: *Cauſam* (verba ſunt) *minus principalem ſeu impellentem* (confundit hic A. cauſam minus principalem cum impellente, cum tamen hæc alteri una cum inſtrumentali ſit ſubordinata) *fuiſſe vel indigentiam, vel vim externam, vel eximiam aliquam utilitatem, vel aliam neceſſitatem*, (utilitatem vocat neceſſitatem) *uti dubitare non licet, ſic male Conringius haſce EXTRINSECE moventes & impellentes ad cauſam finalem reducit.* Quibus ſibi quid velit, hactenus non ſatis capio. Ego divinum judicavero, qui planum mihi facere queat, quid ſit *impellentes cauſas ad finalem reducere*, niſi forte reducere &c. eſt confundere. Quod ſi hæc ejus mens eſt, magnam equidem nobis facit injuriam, utpote quibus nunquam hoc in mentem venerit; utrum autem præter opinionem exciderit, ex ſequentibus erit manifeſtum. Dixeramus th. 19. *fieri vix poſſe, ut quicquam de rerum diſcrimine memoratu dignum afferatur, niſi ante omnia perſpectum habeas ſcopum civitatis &c.* vel ut Ariſtoteles loqui amat, τίνος χάριν συνέςηκε πόλις: deinde inter varios civitatum fines cum Ariſtotele hosce tres præcipue enumeramus; nimirum mutuum auxilium, vivere & commune omnium emolumentum, quod Philoſopho ibidem μάλιςα τέλος dicitur: th. 29. dicimus; *Multorum annorum experientia ſumus edocti, non raro contingere,*

*ut*

Digitized by Google

*ut homines, quia natura ſua liberi, taleſque nati ſunt, ut ſibimet ſic ſatis conſulere poſſint, liberrima ſua voluntate vel etiam intervenientem propter cauſam aliquam juri illi ſuo renuncient;* & ſic th. 30. nonnullas cauſas impulſivas tum internas tum externas, enarramus ex Cicerone *Theſi* etiam 33. diſertis verbis. *Quot & quam multos*, addimus, *beneficiorum magnitudo* IMPULERIT &c. Ecce vero, num hoc *eſt impellentes ad cauſam finalem* [utemur Ariſtarchi elegantia] *reducere*? Alias vel tironibus Logicorum notum eſt, finem eſſe id [quamvis, ſi accurate loqui velis, non tam finis moveat efficientem, quam notio finis, aut deſiderium ejus, ceu cauſa impulſiva interna] quod efficientem voluntariam cauſam ad agendum moveat, adeoque finem & efficientem, ſibi mutuo cauſas eſſe ſolere v. g. ſanitas movet eum, qui ſanitatem tueri cupit, ut deambulet, atque ita in actu ponit cauſam efficientem: Rurſus is, qui deambulatione concoctionem juvat, cauſa eſt efficiens ſanitatis, ita conſervatæ, ſic quoque utilitas, vita movent eos, qui vitam tueri & utilitatis participes fieri volunt, ut ſocietatem civilem ineant, atque ita in actu ponunt cauſam efficientem &c. ut proinde minus mirum ſit, ſi cum tanta exiſtat affinitas finis & efficientis præcipue impulſivæ, internæ cauſæ, aliquando confundi videantur. Sed hæc ad Logicorum ſcholas pertinent. Quod autem de verbis Tullii idem A. contendit, ac ſi mala fide fuerint laudata, quam frigidum ſit, patebit inſpicienti ipſa verba: *Atque etiam ſubjiciunt ſe homines imperio alterius & poteſtati pluribus de cauſis &c.* Et mox: *Multorum autem odiis nullas opes poſſe ſubſiſtere, ſi antea fuit ignotum, nunc eſt cognitum. Nec vero hujus tyranni* [Cæſaris] *ſolum, quam armis oppreſſa pertulit civitas &c.* ubi loquitur de tota civitate, non de ſingulis, ut inſulſe arguit Ariſtarchus. Quod vero prius attinet, manus equidem dabo, ubi ceu proterve cavillatur, *alterius imperio ac poteſtati ſe ſubjicere* Ciceroni eſſe *ejus autoritatem comiter obſervare*, oſtenderit.

XXI. In tertia prædicati parte breviores erimus, quod tum alibi, tum *n.* 19. partem ejuſdem pertractaverimus: Illud ſilentio nequaquam prætereundum ducimus, quod *Autor conſid. ſummæ poteſtatis ſubjectum*, mox ab initio, *pro diverſitate ſtatus diverſum eſſe*, mox vero *apud populum, cui radicaliter ineſt & cohæret, reſideret, nec ab eo avelli poſſe, multo minus totaliter alienari*, ſibimet non conſtans aſſerat: Neque juvat quicquam, quod pro vindicandis Althuſii aſſertionibus dicat, jura *ſummi imperii apud unum vel plures eſſe poſſe, cui ſcilicet a corpore reip. commendantur; licet pro ratione adminiſtrationis & actualis exercitii, per realem quandam communicationem apud unum vel plures eſſe poteſt ſummum imperium, ratione tamen fundamenti reſidet apud corpus univerſalis conſociationis, cui radicaliter ineſt & cohæret, nec ab eo avelli poteſt, multo minus totaliter alienari.* Eſt namque ridiculum hoc figmentum potius, quam diſcrimen, inque recta ratione nullum plane habet fundamentum *illa*, quam ſomniat, *fundamenti ratio.* Multo minus deteſtanda hominis mentiendi prurigo diſſimulari debet, quæ tum per totum ſcriptum, tum hic etiam, ſeſe mirifice exſerit, *Conringius*, ait, *cum ſuis aſſeclis pro fundamento ſupponit th.* 18. *finem omnis ſocietatis civilis non eſſe parentium utilitatem, ſed imperantium* (dicere voluit nullius ſoc. &c. miſer ne quidem ſenſa animi poteſt exprimere) *reges, principes ac ſummas poteſtates non eſſe propter ſalutem populi, ſed populum propter principes &c.* Quomodo vero probat? Hoc apparebit ex ipſa theſium recenſione; Dicimus th. 17. ut καθ' ὕϛερον πρώτερον incedamus errare Althuſium, cum aliis ſtatuentem, *quod omnes reges principes omnesque adeo ſummæ poteſtates ſint propter populum & a populo;* hinc ille malitioſe infert; *Reges principes &c. non ſunt propter populum, ſed populus propter principem*, cum potius ſic debuiſſet concludere; Ergo quidam reges, principes ac ſummæ poteſtates, non ſunt propter populum, ſed populus quandoque propter principem: quamvis ultima hæc verba in noſtris poſitionibus non compareant. Ejuſdem farinæ eſt & alterum illud; Dixeram th. 18. quod *in compoſitis etiam ſocietatibus, atque perfectiſſima omnium* (civitate) *uſu veniat, ut non ſemper propter communem utilitatem, utque omnibus ex æquo bene ſit, ſed ſæpe, imo ut plurimum, qui ſunt corruptæ noſtræ naturæ mores, propter imperantium præcipue commodum, parentium vero non niſi per accidens*, ille aliovorſum trahit, quaſi affirmemus, *finem omnis ſocietatis civilis non eſſe parentium utilitatem, ſed imperantium*, ſeu ut rectius loquar, omnis civilis ſocietatis finem eſſe imperantium, nullius vero parentium utilitatem. Minime omnium ferenda eſt calumnia, quæ aſſerit, *ſummam Althuſio a nobis fieri injuriam, dum ſententiam ejus, mentemque totaliter pervertamus. Althuſius ſiquidem*, ait, *dum negat jura ſummi imperii in alium transferri poſſe vel alienari, ibi diſputat non de exercitio ſummæ poteſtatis &c. ſed de fundamento & jure*, [Deum immortalem, quid hoc nugarum eſt? Althuſius negat, JURA ſummi imperii alienari poſſe, quando de fundamento & JURE quæſtio eſt, non vero de exercitio ſummæ poteſtatis] *quæſtio hic inſtituta, quæ duo cum ſeparata ſint, temere tamen Conringius confundit.* Jam antea monuimus, diſtinctionem hanc inconcinnam eſſe, imo nullam, ſi ad trutinam rectæ rationis expendatur; an vero eadem uſus ſit Althuſius ſecundum Ariſtarchi mentem, alterius eſt diſquiſitionis. Mihi profecto non fit vero ſimile, præſertim ſi intuear verba Dedicationis *th.* 16. *Diſſert.* a nobis laudata: *Majeſtatis jura adeo conſociationi ſunt* PROPRIA, *ut etiamſi illa ſe his velit abdicare, eaque in alium transferre &* ALIENARE, *nequaquam tamen id poſſit, non minus, quam vitam, qua quis fruitur, alii communicare poteſt*: Quomodo enim hæc inter ſe cohæreant? *Jura majeſtatis non magis poſſunt alienari, quam vita, qua quis fruitur: jura majeſtatis, ratione exercitii, uſus & adminiſtrationis, poſſunt* ALIENARI & IN ALIUM TRANSFERRI. Quin imo, Althuſio fuit propoſitum evertere reliquorum Politicorum ſententias, ſtatuentium, jura majeſtatis ſi aliis communicentur, imminui, formamque reip. perire. Antequam enim modo adducta ſcriberet, præfatus erat in hunc modum: *Plerique JCti & politici hæc ſoli principi & ſummo magiſtratui propria aſſcribunt, adeo, ut, ſi illa tribuantur & communicentur populo vel reipublicæ, eo ipſo pereant*



Digitized by Google

*tant & amplius non ſint. Contrarium ego cum paucis aliis* (Puritanis ſcilicet) *ſtatuo, adeo nimirum hæc corpori ſymbiotico conſociationis univerſalis* PROPRIA *eſſe, ut huic ſpiritum animam, & cor attribuant, quibus ſublatis corpus illud, quod dixi, etiam pereat.* ADMINISTRATOREM, PROCURATOREM, GUBERNATOREM JURIUM MAJESTATIS, *principem agnoſco.* PROPRIETARIUM *vero &* USUFRUCTUARIUM *majeſtatis, nullum alium, quam univerſum populum.* Subjungit ibidem reliqua modo citata, nimirum quod illa majeſtatis jura nullo modo alienari poſſint: Vt proinde ſtulta ſint, quæ A. Conſid. de alienatione exercitii affert. Quæ enim illa fuerit alienatio, ubi proprietas penes populum manet? Neque eſt, quod quis putet, virum illum in juris prudentia adeo hoſpitem fuiſſe, ut aliquid *alienari* poſſe arbitretur, quod tamen ratione dominii & proprietatis ad me ſpectet: Ad hæc ſole clarius eſt, *ex c. ult.* quod Althuſius ſummas poteſtates duntaxat magiſtratuum ſummorum nomine dignetur, & hoc ipſo omnes reliquas reſpublicas e medio tollat. An igitur *ſententia Althuſii a nobis fuerit perverſa*, judicent alii. Alterum accuſationis caput, quo hic utitur, quod *graviſſime peccemus, dum exercitium* (nos nunquam locuti ſumus de exercitii alienatione, quæ nulla eſt,) *ſummi imperii non per modum communicationis, ſed abdicationis in imperantes transferri exiſtimemus, cum NEC in abſolutiſſimis principalibus, quæ populi voluntate deferuntur, NUNQUAM* (neſcit quid dicat) *ita imperantibus permittat imperium populus, ut prorſus nihil excipiat*, tanti non eſt, ipſa namque experientia, totque annorum uſus, longe aliud docet. Conf. Arniſ. *c.* 1. *n.* 14. *De poteſt. Princip. ſem. inviol.* Quod vero de *Populo Romano* affert, *qui transferendo ſummum imperium in principes ſuos, non quidem expreſſa ſed præſumpta, non abdicative, ſed conceſſive, cumulative & communicative transtulerit*, reſponſum non meretur; Utpote doctis dudum exploſum. Neque obſtant, quæ Ariſtarchus ex Clariſſimi Limnæi c. 12. l. 1. Jur. publ. ad verbum una cum allegatis Autoribus tranſcripſit, longoque ordine enarrat, quod nimirum *populus nihilominus jura uſurpaverit, conceſſa poteſtate, leges tulerit, &c. Senatus ſenatus-conſulta fecerit &c*, vid. omnino d. *c.* 12. Nemo enim, niſi ignarus romanæ hiſtoriæ, ignorat, callido id conſilio ab impp. factum, ut patientia iſta & conniventia majeſtatem, noviter partam, conſtabilirent, & firmiorem redderent, nec Patres, retenta umbra quadam priſtinæ dignitatis, ereptam poteſtatem, juſto dolentius & violentius ferrent. Vid. Sutholt. *th.* 27. *de juriſdict.* Notum eſt vel ex illis, quæ ſupra *n.* 15. de conſultatione Auguſti in medium ſunt allata, quod Mæcenas Autor exſtiterit Octavio, ut ſibi imperium ſervaret, neque, ceu conſtituerat ſive quod verius puto, ſimulaverat, in populi manus iterum traderet; Vid. Dio *L.* 52. Monſtrat etiam viam, quam inſiſteret, ſic fore cenſens, ut quæ jam inertia vulgi *reſpublica conſenuerat præter ſpem omnium, motura ſit lacertos, & quaſi reddita iuventute reviAtura*: Fl. *l.* 18. Interque alia hoc ipſi conſilium ſuggerit: *magiſtratuum poteſtatem, antiquitus iis conceſſam, nequaquam ſervabis, ne eodem res recidat: Sed honore eorum integro relicto, tantum potentiæ detrahas, ut neque dignitas eorum diminuatur, neque novi aliquid moliendi facultas adſit.* Hanc autem rationem ipſi fuiſſe obſervatam, tam Dio in ſequentibus, quam Tacitus *l. Annalium docet*: Quomodo (verba ſunt Taciti) *poſito trium viri nomine, conſulem ſe ferens, & ad tuendam plebem tribunitio nomine contentus; ubi militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otii pellexit; inſurgere paulatim*, MUNIA MAGISTRATUUM, LEGEM IN SE TRAHERE, *nullo adverſante, cœperit.* Et mox: *Eadem*, ait, *magiſtratuum vocabula &c. Sed verſo civitatis ſtatu, nihil uſquam priſci & integri moris: Omnes, exuta æqualitate, juſſa principis aſpectare &c.* ſolebant uno verbo: *Omnia ex ſententia imperatoris* (Auguſti) *agebantur. Quod ne viderentur Imperatores ex potentia potius, quam legibus habere, omnia, quæ in populari forma reip. multum valuerant, ſenatu populoque volentibus, ea cum ipſis nominibus in ſe recipiebant, excepta dictatura. Dio. l.* 53. Scilicet ita amat fieri, talibusque ſophiſmatis imperantes ſolent imponere populo, omne imperium in ſe derivaturi. Iisdem artibus & circa reliquas reip. functiones uſus eſt; Nam ut popularis opinionem ſibi nihilominus aliquam pararet, recepta in ſe omni reip. cura, negavit, ſe omnes velle provincias obtinere, aut quas regendas ſumpſiſſet, in perpetuum gubernare: ideoque infirmiores, nimirum quia eſſent pacatiores, aliis attribuit: potentiores provincias, ut quæ plus periculi oſtenderent, ac vel hoſtes accolas haberent, vel novos per ſe ipſæ motus aliquos turbare poſſent, ſibi retinuit. Id faciebat SUB HAC SPECIE, ut ſenatus bonis imperii tuto perfrueretur, ipſe laboribus ac periculis objectus videretur: & SUB HOC PRÆTEXTU EUM FERE INERMEM, IMBELLEMQUE EFFICIEBAT ET AD SE SOLUM ARMA MILITESQUE TRANSFEREBAT &c. ut narrat Dio *l. c.* Fruſtra igitur eſt *Autor Conſid. &c.* cum *ſenatus Belli jus adjudicat* cum Cl. Limnæo, cujus viri ſumma alias eruditio rerumque germanicarum admiranda peritia magnam laudem meretur.

XXII. *In parte* 4. *Prædicati Imperantes*, ait, *teneri legibus divinis, idque innumeris Autorum nominibus additis firmat*, quaſi vero quis hac de re dubitet. De jure naturæ idem facit, ſimulque docet, quanta ſit circa idem principum poteſtas, exemplo Canuti, ad mare ſedentis. Spectatum admiſſi riſum teneatis Amici! In quarto principio normali præſcribit principibus modum, quem in omni ſuo regimine obſervent, notat quoque perverſos [ut putat] eorum mores, nonnunquam etiam in eosdem diris modis invehitur, *quam ſumma* exclamans *erat felicitas gentium in aureo ſeculo* [Viden' paganum?] *degentium &c. At noſtra hac tempeſtate, quod nimis deplorandum eſt, non virtute præſtantiſſimis, ſed potentiſſimis ac ditioribus.* [Audite Gentes, oriens & occidens] *Imperii faſces concreduntur, non ſine manifeſta parentium pernicie, ſiquidem honoribus hujusmodi plane* INDIGNI &c. talibusque querelis, ſine judicio congeſtis, multas conſpurcat paginas,

ginas. In quinto principio normali putat, *majeſtatem capitulationibus non tolli, ſed infinitam* [h. e. ſummam] *tantum poteſtatem coarctari & limitari*; idque ſupra modum ridiculo ſimili declarat, quemadmodum [verba ſunt rigidi cenſoris] *enim candela, vitrea incluſa capſula, æque ac ſi extra eandem poſita lumen ſpargit ſuum; ac hoc modo conſervatur, ne ventis hinc inde expoſita exſtinguatur ac diffluat, ita majeſtatis ſplendor, circumſtanti at non obſtante capitulationis fabrica,* [nota rationem loquendi] *lucidius apparet* [quomodo vero lucidius appareat, cui facultas projiciendi lumen aut certe magna ejus pars ſubtrahitur?] *munitus tamen hac ipſa, ne favonijs adulationum ventis admiſſis, prona licentia pereat, & ſummam denique patiatur Ecclipſin*: quæ, mehercle quantum cœlo terra diſtant. Sed quid attinet hujusmodi næanias recantare? paucis animadvertemus in rem ipſam: nam *exactius* deinde *loquitur* [quamvis mihi perinepte loqui videatur]. *perque*, ait, *ejusmodi pactiones autoritatem principum firmari* [aliud eſt, autoritas firmatur, aliud eſt majeſtas firmatur] *arbitror, abſit, ut eandem infirmari credam.* Monuimus jam ſupra *n.* 9. 10. & 11. in quibus ſummæ poteſtatis vis conſiſtat; quod nimirum per omnia civitatis negotia ſeſe diffundat libere, nulliusque hominis arbitrio ſit obnoxia: Ex adverſo in vulgus notum eſt, capitulationes nihil eſſe aliud, quam certas quasdam leges, quibus illa, alias libera poteſtas conſtringitur, adeo, ut, qui cum hac ipſa eſt, per leges a quibusdam, non raro etiam a quam plurimis civitatis negotiis adminiſtrandis arceatur. Manifeſto igitur hæc duo ſeſe implicant, ſecus atque *Autor conſid.* exiſtimat. Parte 6. prædicati *cauſam finalem imperii*, aſſerit, *eſſe ſalutem publicam*, ibidemq; in nos invehitur, ac ſi *ſubditos propter principes* CREATOS dicamus. Quod poſterius concernit, remittimus homini impuras voces, quas in ſummum virum exſpuere non erubuit: *Scelesta vox eſt, quæ pronunciat, nos ſtatuere ſubditos propter principes eſſe creatos.* Nunquam talia in mentem nobis venerunt, ut ex *n.* 20. conſtat. Fines imperii pro ratione ſocietatum eſſe varios, ibidem ex Ariſtotele monuimus; neque enim placent, qui omnium ſocietatum civilium eundem putant eſſe finem, ſummam & omnium felicitatem. Profecto, ut non ſunt omnes ejus felicitatis capaces, ita pro ingeniorum varietate varia etiam ſibi bona ſumma homines effingunt, eumque ut finem conſequantur, omnes nervos intendunt. Nonnulli divitiis, alii bellica virtute felicitatem ſuam abſolvi autumant, pauciſſimi ad veram contendunt felicitatem. Multi vel vi vel fame, vel alia neceſſitate dura compulſi ſolius vitæ gratia coëunt. Rurſus alii coëunt ex hiſce, ut omnibus ex æquo bene ſit, alii ſecus. Si liberi populi conveniunt, ingenio & prudentia valentes, ſine dubio propoſitam ſibi habent communem utilitatem, quamvis neque hoc ſit perpetuum; non pauci enim ſponte a ſuo receſſerunt jure, multi etiam, ab inſtituto per vim dejecti, duriſſimam acceptarunt conditionem, modo ne vita, cui aliquid ineſſe felicitatis videbatur, excedere cogerentur, conf. *th.* 36. 37. 38. *Diſſert.* Neque pauci ea ſunt ingenii imbecillitate, ut ad eam felicitatem aſpirare nulli auſint, vid. *th.* 25. 26. *ibid.* niſi aliorum auſpiciis res ſuas gerant. Hos igitur, quia vel non poſſunt, vel nolunt, vel prohibentur commune omnium quærere emolumentum, fruſtra, ceu facit A. *conſid.* ejusmodi finem præſtitutum affirmaveris: Non dicam jam, quod finem illum, ut omnibus ex æquo bene ſit, ne quidem, qui ſunt corrupti mores, ſperare liceat, quod, noſtræ dum incumbimus felicitati, communem fere negligamus. Accuſamur etiam, *ac ſi poteſtatem regiam ac tyrannicam confundamus*, ſed perperam, ut ex *Diſſert. th.* 9. 10. & *ſqq.* conſtat. De jurejurando imperantium dicemus *num.* ſequenti, ubi & hujus aſſertionis falſitatem oſtendemus, quod *nullus fere princeps reperiatur, qui idem jurejurando non promittat, aut cui ſub hac lege vel conditione imperium.* [dicere voluit non] concredatur. Fortaſſis etiam dabitur occaſio dicendi de miltoniana ea doctrina, quod quivis princeps, *ſi de manifeſtis ſceleribus* [loquitur autem de violatione virginum, expilatione ſubditorum] *fuerit convictus, nec alia remedia adſint, propter abuſum poteſtatis & imperii conceſſi* [nititur falſo principio omnia imperia eſſe a populo Vid. Amiſ. *d. Tr. c.* 4.] *ab ordinibus vel defenſoribus ejusdem, jure eo privari poſſit, & hoc quidem ut majeſtatis realis.*

XXIII. Tandem ultimo loco excutiemus membrum conſiderationis 2. quod eſt *de imperio relate conſiderato* h. e. *quatenus erga ſubditos exercetur*, quaſi vero in æquales vel ſuperiores exerceatur imperium. In initio ſtatim, quod ſupra, vid. n. 10. & 11. negaverat concedit, *duplex eſſe imperium*, abſolutum & limitatum. Deinde ulterius etiam progreditur, *imperium*, inquiens, *abſolutum ideo dicitur, quod princeps idem jus in ſuos exerceat ſubditos, qui abſolute & ſine omni conditione vel exceptione in ipſius poteſtatem venerunt*, quo ipſo quam diſerte ſibi contradicat, liquidum eſt. Dixerat antea, vid. *n.* 10. & 22. *nullam nationem, nullum reperiri populum, qui non in conceſſione imperii hanc ſibi ſuperioritatem reſervet, & jura quadam ex his ad minimum ſibi reſervet.* Item: *nec in abſolutiſſimis principatibus, qui populi voluntate deferuntur, nunquam ita imperantibus permittere imperium populum, ut prorſus nihil excipiat.* Hic quosdam ſubditos, *abſolute & ſine* OMNI *conditione vel exceptione in imperantium poteſtatem venire*, contendit. Poſtquam tam ridiculum ſeſe geſſerat, iterum ad ingenium redit, nobisque multa alia affingere, more ſuo, ſatagit. Affirmat, nos *Diſſert. th. ultim.* docere, quod *juramentum nuda ſit ceremonia;* Nos *Antiſtites & primores reipublicæ Brunſvicenſis mirum in modum exagitare, urbem eandem municipalem facere, æque numero civitatum imperialium excludere.* Ad ſingula hæc reſpondebimus ſigillatim, atque ſic finem diſquiſitioni imponemus. Sane, ut inverſo ordine incedamus, *Brunſvicenſium urbem e civitatum imperialium numero* [quid enim excludere neceſſe ſit, quæ nunquam inter easdem locum habuit?] *a nobis eſſe excluſam*, putidum eſt figmentum: Atrox eſt calumnia, *Antiſtites & primores ejus urbis fuiſſe unquam exagitatos* a nobis. Exponemus omnium oculis poſitionis ultimæ verba, ut univerſis & ſingu-



Digitized by Google

lis pateat, ſine ulla noſtra culpa tantam nobis invidiam ab impuro homine eſſe conflatam. *Paulo*, dicimus, *mitiores, a vero tamen non minus alieni ſunt, qui concinnarunt Homagialia Brunſvicenſium Acta; utpote qui non tam aliorum, quam ſuorum in ore habent libertatem, eamque a Carolo usque Magno arceſſunt: ut videre eſt tum ex Epiſtola der Stadt Braunſchweig, an die Römiſche Kayſerl. Majeſt.* ſub dato *den* 30. Auguſti anno 1583. quæ reperitur in parte 3. *Braunsweig-Hiſtoriſcher Hændel p.* 1403. *tum vero ex actis homag. fol. &c. in parte namque prima diſerte affirmant, daſs ſie bey ſtreitigem Stande den Hertzogen von Braunſchweig für gemeiner Stadt Landes-Fürſten nicht erkennen, daſs ſie keine Unterthanen wæren, ehe denn und zuvor ſie gebuldiget hatten, fol. autem &c. hæc eo extendunt, quaſi liberum ſibi ſit, ſi forte princeps non ad votum ſe geſſerit, quocunque tempore a fide data diſcedere*, propter (*ſic loquuntur*) reciprocationem & correſpectivum pactum conventum, & ultro citroque obligatorium contractum homagialem, *quod & hiſce verbis ſolent indigitare, So lange he uns by Gelick und Recht und Gewonheit leth, &c.* Item: *Hölt unſe Here, ſo holden wie ock. Enimvero, omni etiam hiſtoriæ repugnat, in hiſce Saxoniæ oris principatus unquam a populari arbitrio fuiſſe ſuſpenſos, & non potius a beneficio Cæſarum, qui in jura regum Francorum, a quibus Saxones ſunt devicti, ſucceſſerunt.* An vero exinde ſequitur. *Urbs Brunſvicenſis non eſt Imperialis*, ſed municipalis? Breviter recenſebo; quid nobis tum quidem in mente fuerit. Notaveramus th. penult. quosdam Althuſii aliorumque ridiculis opinionibus innutritos, qui ex falſo illo principio, quod penes populum reſideat radicaliter majeſtas, conficere inſtituerant, verum nullum eſſe principem, antequam homagium accedat, populusque eum talem eſſe jubeat; idque per univerſum terrarum orbem obtinere clamitant. Deinde quoque tangimus modos quosdam argumentandi eorum, qui Acta compilarunt Brunſvicenſia. Enimvero, cum ſcriptorum illorum autoritatem tantam deprehenderemus, ut a quam multis ad minuenda publica negotia adhiberentur, ſola etiam non paucis viderentur apta diſceptandis cauſis principes inter & ſubditos; operæ precium facturos nos putavimus, ſi quæ politici quidem fori noſtram concernerent quæſtionem, in lucem protraheremus. Qualia ſunt verbi gratia, quod *Brunſvicenſium libertas, a Carolo Magno deſcendit*, quodque adeo nunquam in principum ditione fuerint: quod *princeps non ſit princeps, niſi prius ſubditorum conſenſus accedat, homagiumque præſtetur;* quod *Brunovicenſibus liceat a fide data diſcedere; ſi princeps forte per omnia non ſteterit promiſſis.* Hos inquam, argumentandi modos male ſe habere, ibi indicamus, non vero, ut Autor conſid. calumniatur, *eorum jura invadimus.* Neque enim ſequitur, hic modus probandi jura eſt invalidus, ergo nulla tibi plane competunt jura. Diximus jam ſupra 4. *num.* negari non poſſe, quod *Brunſvicenſium urbs per tot jam ſecula ſuis privilegiis & immunitatibus gaudeat*, idque etiam rerum geſtarum ſcriptores abunde teſtantur; interim neque obſcurum eſſe poteſt, quanta cum imprudentia patronorum nonnulli ad eadem jura vindicanda acceſſerint. Non eſt noſtrum, omnia nunc in aciem producere, eorumque vires explorare, [ſunt enim haud pauca in illis ipſis Actis, quæ juris noſtri principiis directe contraveniunt] hic tantum in tranſcurſu veluti monemus, [quod & *th. ult.* Diſſert. a nobis factum,] *libertatem, a Carolo*, ut ajunt, *deſcendentem Magno*, eſſe prorſus fictitiam, nullaque fide hiſtorica niti, tantum abeſt, ut ab eadem idoneum argumentum ad probanda Brunovicenſium privilegia deſumi queat. Hic quidem latiſſimus evagandi campus ſeſe aperire, ſed inſtituti ratio jubet receptui canere, ipſaque rerum monumenta lectoribus evolvenda committere; ubi deprehendent, Carolum M. devicto Witekindo Saxonibusque in poteſtatem redactis, omnia majeſtatis jura ad ſe traxiſſe, inque ſuos heredes, a quibus ad reliquos ſucceſſores promanaverunt, transmiſiſſe. Unum hac vice ſaltem producam Helmoldum, qui *in Chron. Slavor. tertio capite* primordia rei geſtæ ita depingit: *Et hic annus eſt diuturni Saxonum belli triceſimus tertius, quo Witekindus rebellionis inceptor, depoſita tyrannide, imperio ſubjectus eſt, baptizatusque eſt ipſe cum aliis Saxonum magnatibus: & tunc demum Saxonia in provinciam eſt redacta.* Ecce vero Saxonia in provinciam eſt redacta, quæque ad ſtatum regionis facere videbantur, a Carolo omnia conſtituta ſunt; quamvis nulli negemus, multo remiſſius eos fuiſſe habitos atque Alemannos, aliosque a Francis in duriſſimam ſervitutem actos. *Carolus* namque, verba ſunt Helmoldi *l. c. magna uſus induſtria, Saxonum populos, licet male meritos ſtatuit ſupernæ mercedis intuitu omni debito cenſu* (erant enim initio tributarii, ut reliqui) *abſolvere, atque priſtinæ libertati condonare, ne forte ſervitiis aut tributis prægravati, ad rebellionis neceſſitatem & paganiſmi errores impellerentur. Porro ea conditio a rege propoſita, & ab ipſis ſuſcepta eſt, ut abjecto dæmonum cultu, Chriſtianæ fidei ſacramenta ſuſciperent, eſſentque Tributarii & ſubjugales Domini Dei, omnium jumentorum ſuorum & fructuum culturæ, ſeu nutrituræ ſuæ partem ſacerdotibus legaliter offerentes*, & FRANCIS ADJURATI UNUS CUM EIS POPULUS EFFICERENTUR, ſeu, ut Eginhardus loquitur, *Francis adunati unus &c.* Paria reperiuntur in tabb. quibus Epiſcopatum Bremenſem inſtituit Carolus Magnus, quas videre eſt apud Adamum Bremenſem & Albertum Stadenſem, ut notavit ſummus Conringius in *Diſp. de Urbib. Germ. th.* 63. Scilicet prudentiſſimus Imperator dudum perſpexerat ferox & minime ſervile Saxonum ingenium, eoque facile animadvertebant futurum, ut quacunque ratione jugum excuterent. Ne itaque rurſus a ſeſe facerent ſeceſſum omnibus modis cavendum arbitrabantur. Primum frena laxabat, utque addictiores haberet, in parem juris libertatisque conditionem, atqui ipſi erant Franci, recipiebat. Deinde religionis vinculo conſtringebat, immittens magnam vim ſacerdotum, quibus quotannis bonorum partem exſolvere tenebantur. Vide, hiſce artibus conciliabat ſibi Saxonum animos Divus Carolus, ut dicto haberet audientes, non ut ipſi de rebus ſuis pro lubitu ſtatuerent

Hin

Hinc magiſtratus etiam contulit, quæque huc faciunt, omnia ſibi reſervavit: quod & ipſum teſtatur Poëtaſter quidam, antiquus vitæ Carolinæ ſcriptor, quando ita canit:

*At vero cenſum Francorum Regibus ullum,*
*Solvere, nec penitus deberent atque* tributum,
*Cunctorum pariter ſtatuit ſententia concors.*
*Sed tantum decimas divina lege ſtatutas*
*Offerrent, ac* præſulibus parere ſtuderent &c.
*Tum* ſub judicibus, quos REX IMPONERET ipſis
Legatisque SUIS permiſſi legibus uti
Saxones patriis & libertatis honore.
*Hoc ſunt poſtremo ſociati foedere Francis*
*Ut gens & populus fieret concorditer unus,*
*Ac ſemper* Regi parens æqualiter uni.

Duravit hæc regiminis forma ad Ottonem usque Magnum; Hic enim, *cum ad liberandam ſedem apoſtolicam* (verba ſunt Helmoldi *in Chron. Slav. c.* 10.) *vocaretur in Italiam, conſilium fertur habuiſſe, quem poſt ſe vicarium poteſtatis relinqueret ad faciendam juſtitiam in his partibus,* (Saxonia) *quæ barbaris confines ſunt terminis. Nondum enim poſt tempora Caroli, propter veteres illius gentis ſeditiones, Saxonia ducem acceperat, niſi Cæſarem. Ne ergo in Regis abſentia Dani ſive Slavi novi aliquid molirentur, Rex neceſſitate perſuaſus, Heremanno primum tutelæ vicem in Saxonia commiſit.* Ab hoc Hermanno Saxonia hereditate obvenit poſteris: *Hermannus Saxonum dux* (ait Helmoldus *cap.* 13.) *obiens, heredem ſuſcepit filium Bennonem.* Et *cap.* 16. *Benno,* dicit, *Saxonum dux mortuus eſt; cujus principatus heres factus eſt Bernardus filius ejus &c.* Hæc paucis ita delineare voluimus, ut cuilibet conſtet, quam incaute mercentur, qui inclytæ urbis jura tam ruinoſo & lubrico ſuperædificent fundamento, dicentes, quod Saxonum initio libera gens, nullisque vel Regibus, vel Principibus, fuerit ſubdita, duodecim ex ſuis ſumma rerum commiſſa; quod divus Carolus nullo modo ſuæ (quam fingunt, hiſtoriæ enim aliud teſtantur) libertati derogaverit, quodque magiſtratus conſtituti ab electione populi ſuſpenſi, tantum abeſt, ut vel hereditarii, vel univerſales fuerint. Neque tamen ex eo, quod modus hic probandi ſit incommodus, ſtatim ſequitur, Brunſvicenſibus nihil vel jurium, vel privilegiorum, competere; multo minus dicendus eſt, *exagitaſſe antiſtites ac primores urbis,* qui jura urbis a defenſoribus perperam probata aſſerat, minime omnium credendus, urbem *e municipalium numero excluſiſſe.*

De altero capite, quod *juramentum* dixerimus, *nudam ceremoniam* ita habeto. Qui concinnarunt acta homagialia Brunſvicenſia, affirmare non dubitarunt, ut patet ex verbis adductis tum *n. h.* tum *th. ult. diſſert. Principem non eſſe Principem, neque ſeſe ſubditos, antequam homagium fuerit præſtitum.* Hanc aſſertionem *diſſert. th. ult.* dicimus eſſe a veritate alieniſſimam. *Quis enim unquam,* (verba ſunt noſtra ibidem) *tam abſurdus fuit, ut tantam homagio vim tribueret, tanquam ab eodem omnis Principum & Comitum, quamvis hereditariorum, autoritas pendeat? cum ſit potius ceremonia, quæ ideo adhibetur, ut utramque partem ſui moneat officii.* Declarabimus hæc fuſius nonnihil, ſimulque homagii naturam, vivis quodammodo coloribus, depingemus, ut quivis vel manibus palpare poſſit, quam male nobiscum agatur. Civilium ſocietatum varios eſſe fines, ſupra a nobis *n.* 20. fuit monitum, nec quisquam ignorat, qui civilis prudentiæ principia vel per tranſennam modo ſalutavit. Omnibus ſocietatis membris vi ſocietatis, quam inierunt, incumbit, ut pro ſe quisque in medium conferat, quæ quoquo modo ad finem illum obtinendum fuerint facere viſa. Cum autem ſæpe contingeret, ut tam qui præeſſe, quam qui ſubeſſe debebant, officii ſui parum eſſent memores, non raro etiam fini contraria perpetrarent, factum eſt, ut de aliis remediis, quibus huic malo occurrerent, homines cogitarent. Commodiſſimum vero viſum, religione homines innectere, utpote cujus magnum in animos ſit imperium, ſi forte hac ratione adigi poſſent, ut quam etiam alias debebant, fidem ſanctiſſime ſervarent. Eoque tandem fuit deventum, ut, jurejurando interpoſito, Deum ipſum veluti teſtem laudarent, & ſimul etiam vindicem, ſi a fide data diſcederent. Notandum vero hic eſt, hunc ritum arctius conſtringendi invicem membra ſocietatis (qui hodie homagii voce deſignatur, quamvis homagium nonnunquam ſine juramento fit, ut fruſtra ſit A. conſid. dictans, nos *juramenta vocare nudas ceremonias,* cum de homagiis loquamur) non eſſe perpetuum, neque in omnibus ſocietatibus civilibus obtinere. Vix enim eſt, ut in veteri hiſtoria, præſertim ſacra, tale exemplum reperiatur. *Sic ne Reges quidem ipſos* (verba ſunt Bodin. *l.* 1. *c.* 8. *de rep.*) *Hebræorum populus, nec Samuel in Saule, nec item Helias aut Heliſæus in Regibus renuntiandis ulla jurisjurandi obligatione illos devinxerunt.* Deinde & hoc obſervandum eſt, quod ritus hic non ſemper ſit bilaterus, ſæpe tantum μονόπλευρος; cujus rei luculentiſſima veſtigia in imperio noſtro habemus. Denique & hoc advertendum, quod modus hicce fortius conſtringendi civilis (quamvis & in militari aliisque obtineat) ſocietis membra rempublicam intrinſece non afficiat, ſed duntaxat ſit acceſſorium quiddam, vel ut, rectius loquar, βεβαίωμα quoddam obligationis, qua utraque pars alias obſtricta tenebatur. Ut falſi ſint, qui arbitrantur, *Principes non eſſe Principes, antequam homagium ipſis fuerit præſtitum.* Neque enim exiſtimandum eſt, fieri aliquem hujus ritus vi vel Principem, vel ſubditum, ſed quia vel Princeps, vel ſubditus eſt, ejusmodi peragunt ritum, quo utrinque id, quod facere tenebantur, vel divinæ iræ metu exſequantur. Quæ cum ita ſeſe habeant, hoc eſt, cum homagium non conſtituat Principem in eſſe ſuo, ſed eundem conſtitutum ad fidem præſtandam æque atque ſubditos magis atque magis excitet, luce meridiana clarius eſt, quo jure vel injuria *Autor conſid.* in

nobis

Digitized by Google

nobis vituperet, quod homagium dixerimus ceremoniam. Quin & argumentis a poſteriori hoc ipſum clare evincitur, inque regnis quidem hereditariis atque principatibus adeo clarum eſt, ac quod clariſſimum. Neque dubium eſt de electitiis, conſtat enim, quod Principes quique electi, ab electione ſtatim omnia jura uſurpant, eodem modo atque fieri ſolet, coronatione peracta & homagio præſtito. Sic Pontifex romanus, Rex romanus, aliique nondum coronati, aut reliquis ſolennibus initiati, omnia tamen jura, quæ deinde ſolent, ceremoniis iſtis peractis, exercent. Præclare loquitur in hanc ſententiam Nicolaus Cuſanus Cardinalis *l. 3. concord. cathol. c. 4. Unctio & coronatio, quas etiam legimus aliis Regibus tribui, nec arguunt in Papa majoritatem, ſupra ipſam electionem, vel confirmandam, vel infirmandam, vel ſupra ipſum etiam imperium quoad temporalia; ſicut nec unctio, quæ fit Regi Franciæ Remis, aut coronatio ipſiusmet Imperatoris per Archi-Epiſcopum colonienſem Aquisgrani. Et hoc ex eo, quia legitur, Ottonem I. ab Archiepiſcopo moguntinenſi Hildeberto Aquisgrani in Regem Alemanniæ & Francorum coronatum de conſenſu & voluntate Principum & totius populi Alemanniæ, Franciæ & Saxoniæ. Sic etiam legitur ab Hergero Archiepiſcopo moguntinenſi, unctionem & diadema, mortuo Conrado Rege, Henrico I. de communi omnium conſenſu oblatam, quo recepto diademate noluit inungi, quia dixit ſe indignum. Ex quibus patet, unctionem & diadema* (ac eodem modo homagium) *nihil præſtare imperiali poteſtati. INSIGNIA enim ILLA, quaſi ad majeſtatem ſacram, quæ imperio ineſt, oſtendendam, materiali viſibili ſubjecto imperii, CUM CEREMONIIS IMPENDUNTUR, ut ſint ſigna prædicantia admirandam illam potentiam,* (quemadmodum homagium eſt ceremonia ſive ſignum, admonens ſocietatis membra de officio) *ſicut ſimilia in romano Pontifice videmus fieri tantum. Ante omnia talia Papa eſt poſt electionem &c.* vid. ſummum Conringium in *lib. de Imperio Germ. cap.* 13. ubi pluribus hæc perſequitur, oſtendens; Reges Germanorum tum Carolinæ familiæ, tum Ottonis Magni ſucceſſores, etiam poſt Hildebrandinam tempeſtatem, ante coronationem non minus imperialis autoritatis, dignitatis, majeſtatis ſuæ mentionem feciſſe in literis ſuis eamque reapſe exercuiſſe, quam poſt. Nos breviter hæc adjicienda duximus, ut cuivis pateat, quam *Autor confid.* cum concinnatoribus Act. Brunſv. aliisque perperam homagio tantam vim tribuat, cum *Principes non eſſe Principes,* niſi homagio præſtito, affirmat. Tandem vero non ſequitur, homagium eſt ceremonia, ergo juramentum, homagio accedens, non eſt ſervandum, ut malitioſe infert *Autor confid.* quin imo tantum abeſt, ut moraliter eum peccare judicemus, qui fidem datam, multo magis jurejurando corroboratam violat. Multo minus ſequitur, hic jusjurandum violavit, ergo hereditariis, vel etiam electoribus ſubditis licet *a fide data diſcedere impune,* atque ipſi etiam Principi, ne quid gravius dicam (certe A. conſid. cum Miltonio aliisque in eundem animadverti poſſe, autumant) imperium abrogare. Diximus ſupra, homagium eſſe ritum excogitatum ideo, ut ſocietatis membra, quæ facile a calle recti deflectunt, metu iræ & vindictæ divinæ in ordinem quodammodo redigerentur, ut adeo, quæcunque pars officii limites, quos tam ſancte ſe ſervaturam promiſerat, transgreſſa fuerit, non humanam hac quidem in parte, ubi nemo eſt ſuperior, ſed divinam vindictam incurrat. Quæ tamen nequaquam eo volumus porrecta, quaſi Principi liceret, ſub hoc prætextu totam evertere rempublicam, ſed dicimus tantum, Principem liberum, jurejurando violato, ex hoc quidem capite non ſtatim imperio excidere, multo minus a ſubditis eſſe puniendum. Neque quicquam officit, quod *Autor conſid.* dicit, *juramentum in tantum operari, ut omnes actus ſua natura invalidi, hoc ſolo interveniente, ſuſtineantur, adeo quidem, ut juramenta ſuper aliqua diſpoſitione, vel contractu interpoſita illius naturam aſſumant, vimque contractus habeant.* Primum namque falſiſſimum eſt; alias quod eſt apud A. Gell. *l.* 16. *c.* 7. *jusjurandum foret emplaſtrum omnis æris alieni,* imo omnis malæ cauſæ; vel, ut Pacuvius loquitur, foret *mantile, quo quotidianæ noxæ extergerentur,* hominesque ex jurejurando ad turpiſſima quævis tenerentur. Æque falſum eſt alterum una cum tertio; hoc quidem verum eſt, quod juramentum interdum robur addat contractui, ceu ſtipulatio romano jure; nonnunquam etiam pactum civili jure improbatum de conſuetudine hodierna ſubſiſtere faciat, ſic vi jurisjurandi hodie valet pactum legis commiſſoriæ in pignoribus, civili jure rejectum *l. ult. C. de pact. pignor. & leg. commiſſ.* At, quod juramentum naturam contractus induat, ut per naturam rei eſt ἀδύνατον, ita aliquo jure decretum non equidem memini, multo minus in recta ratione fundamentum habet. Quæ tandem ſubdit, quod *omnis contractus verus ſit ultro citroque obligatorius;* quod *conventiones, jurejurando firmatæ, inter ſubditos & Principes mutuam producant obligationem, a qua ſine mutuo conſenſu diſcedi non poteſt, nec ulla in parte pactis conventis contravenire licet:* quod *ſi de facto contraventio fiat, conventio ſit nullæ futura, contractus nullus,* partim ſunt ἀπροσδιόνυσα, partim juris principiis directe contraveniunt; vel dupondiis enim perſpectum eſt, contractum eſſe vel μονόπλευρον, vel δίπλευρον: Reliqua ad rem non faciunt, cum nemo fuerit tam ſtolidus, ut neget, conventionibus obligari Principes juxta ac ſubditos; ultima omnem juris rationem evertunt. Civili quidem noſtro, & aliis juribus adverſatur neutiquam, ſi contractus, qui conſenſu conſtant, mutua iterum diſſenſione, niſi aliud ſubſit, diſſolvantur; *contractum* autem *ipſo jure nullum eſſe, ſi de facto contraventio fiat,* nemo, niſi rerum jurisprudentiæ imperitus, affirmaverit. Denique hæc ad publica negotia promiſcue trahi erubeſcunt; utut enim concedas, in regnis electitiis, iisque κατὰ νόμον poſſe uſu venire, ut populus vel optimates ſub certis conditionibus alicui imperium deferant, & ita quidem, ut ſi non ſteterit promiſſis, ſolio etiam deturbari queat: in iis tamen, quæ hereditario jure inſiſtere conſueverunt, nequaquam procedit, cum nulla ſumma jura hic competant populo, multo minus ſuper iisdem paciſci queat. Et huc omnino referri debent principatus, qui hereditario jure in feudum conferuntur, ut in imperio noſtro obtinet; cum enim ſumma omnis poteſtas hodie ſit penes totum imperium, nec quicquam

Digitized by Google

quicquam ſibi populi alicujus ditionis poteſtatem arrogant Principem conſtituendi, vel rejiciendi; quod vero homagium concernit, monitum jam ſupra eſt, eo nos non turbari, cum poteſtatem non conſtituat ineſſe ſuo, ſed eos tantum, qui ſubſunt, vel præſunt, arctius conſtringat. Apparet igitur, an *ex hoc principio Autor conſid.* cum *concinn. Act. homagial. Brunſv.* (antiſtites namque ac primores hodie longe rectius rem omnem noverunt) *optima ratione jura urbis defendat*, ut gloriatur. Ex hisce per ſeſe corruunt, quæ de contractu homagiali correlativo nugatur A. neque enim inſtituti ratio patitur hiſce diutius immorari. Hoc obiter monemus, nos litem, quæ ſereniſſimis Principibus cum urbe Brunſvicenſium intercedit, nolle noſtram hactenus facere, multo minus in alienam meſſem falcem immittere. Diſceptata ea eſt in camera imperiali, cujus etiam arbitrio ſtare noſtrum eſt. Certe quo loco res oppidanorum ſint, & utrum per omnia eximii ſunt cenſendi Brunſvicenſes, declarabunt reſcripta cæſareæ cameræ ſpirenſis de annis 1595. 1601. & 1606.

Supereſſent quidem nonnulla, veluti de lite, quæ inter ſereniſſimos Holſatiæ Principes, civesque Hamburgenſes agitatur, atque adhuc ſub judice eſt, ſecus atque Aut. conſid. exiſtimat, non advertens verba a magnifico Dn. Reinkingio adjecta hæc. *Fuit tamen judici denunciatum 17. Febr. anno 1619. Reviſionem ab illa ſententia fuiſſe petitam*: & qua ratione jura Brunſvicenſium propugnet, ſed cum noſtris theſibus non obloquantur, tantum aliis abſurdis dogmatibus annumerabimus. Nunc redarguendi finem facimus, non dubitantes, fore ut Reges, Principes, ariſtocraticique domini rebus ſuis mature conſulant, tamque aliorum exemplo diſcant, ſibi quod ex uſu fiet. Neque enim omnino vana cenſenda eſt oratio Tarquinii apud Liv. 2. *cap.* 9. qua Lartem Porſenam Cluſinum Regem monet, *ne orientem morem pellendi Reges inultum ſineret, ſatis libertatem ipſam habere dulcedinis, niſi quanta vi civitates eam expetant, tanti regna Reges defendant. Æquari ſumma infimis nihil excelſum, nihil quod ſupra cæteros emineat, in civitate fore. Adeſſe finem regnis rei inter Deos hominesque pulcherrimæ.*

## Siſtimus hic Tibi, amice lector, Ariſtarchi noſtri mendacia partim, partim dogmata monſtroſa, ut uno ſub conſpectu habeas, & ex ungue leonem cognoſcas.

### *In Conſid. Prælimin.*

In regnis ac principatibus maxime reperiuntur peſtilentiſſimi homines ac publico exitio reperti, qui tum, cum maxime fallunt, id tamen agunt, ut viri boni eſſe videantur.

In regnis ac principatibus ampliſſima præmia conſtituta ſunt peſtilentiſſimis hominibus, in contemptum & excidium virtutis, contra omnem ordinem & rationem juſtitiæ.

Mirum non eſt, in regnis ac principatibus quam multos reperiri, qui ſpe commodi, ſtudio honoris, vel imperandi, vel helluandi aut nocendi cupiditate, vel aliis etiam deſideriis abrepti, id unice intendant, ut Principum ſuorum libidini inſerviant, ingenioque eorum facta, licet iniquiſſima ſi non excuſare, juris tamen prætextu aliquo palliare ad minimum non verentur, ad quod etiam neceſſitas eos adigit, ſi diu in principali gratia vigere ac virere ſatagunt.

Peſtilentiſſimorum hominum monumentum habemus in H. Conringio, illuſtr. Oſtfriſiæ comitis conſiliario titulato.

Conringius vel privato, vel ſtatus popularis, vel optimatum odio accenſus, ſpe privati commodi ductus, *palam* diſputatione, de ſummæ poteſtatis ſubjecto *in lucem prodita*, in horum patronos multa conviciorum plauſtra conjicit.

Academia helmſtadienſis ſemper aliquid monſtri alit.

Non multum temporis præteriit, *quo* Principum ſacratiſſimorum Romanorum majeſtatem intra eos coarctavit limites, utut non obſcure eandem minueret, nunc liberorum populorum jura invadit Conring.

### *Memb. I.*

Illimitata (h. e. ſumma) poteſtas, cum via ad tyrannidem ſit, diuturna eſſe non poteſt, ſed *eosdem*, qui *eandem* affectant, in extrema famæ & vitæ pericula conjicit.

Adhæc Principes (ſumma) poteſtate elati, in populum miſerum & innocentem, ejusque jura & privilegia armantur, his renitentibus, feralia excitantur bella & ſeditiones.

Hinc qui Principibus ſummam poteſtatem competere aſſerit ſeu concedit, mutuum tam Principibus, quam ſubditis exitium adfert.

Fatalis periodus divinitus prædeterminata imperiis.

Autor diſput. de ſum. poteſt. ſubj. ſtatum popularem ad orcum usque deprimit, regalem ad æthera extollit, dum Principibus inſuper indefinitam quandam (ſummam) poteſtatem concedendo, viam ad tyrannidem ſtruit.

Nihil magis ad ſecuritatem Principum facit, quam ut eorum majeſtas reddatur inviolabilis, aſt nihil magis declinandum ab altera parte, ne ſcilicet Principibus occaſionem ad tyrannidem præbeamus.

Barbarica poteſtas (ſumma) eſt fons omnium ſcelerum ac flagitiorum tyrannicorum.

Status monarchicus inter cæteros præeminet & principatum obtinet, ſicut eundem univerſus politicorum chorus huic ſtatui defert.



Digitized by Google

Idem propter faſtum ac libidinem dominandi, qui affectus huic ſtatui plane familiaris, bonis moleſtus.

Scelera & flagitia indiſſolubili quadam ratione & individuo nexu cum ſumma poteſtate cohærent.

Requiſitum ſummæ poteſtatis eſt, ut ſit humana.

Summa poteſtas remote a providentia divina, proxime a conſenſu populi, ſuffragio & voluntate dependet.

Indeterminata &c. (ſumma poteſtas) ſacris elogiis, ſanctiſſimis naturæ decretis & receptis ſaniorum gentium moribus repugnat.

Eadem eſt de reſervatis divinis, nec creatura eandem arrogare ſibi poteſt, niſi plane ſe Deo velit exæquare.

Eſt violenta & ſic contra jus naturæ.

Nullus populus, nulla gens, nulla natio unquam fuit, quæ ſuis Regibus ſummam conceſſit poteſtatem.

In omnibus nationibus & gentium univerſitatibus & corporibus obſervatum conſtantiſſime. huc etiam uſque deprehendere licet, Regum, Imperatorum, Principum, magiſtratuum poteſtatem certis juramentorum pactorumque formulis fuiſſe coarctatam.

Apud priſcos Germanos nunquam Regibus infinita (ſumma) & libera fuit poteſtas.

Regum Galliæ, Hiſpaniæ, Angliæ &c. item Tartari, Moſchi eſt, fuitque limitata poteſtas.

Per univerſum terrarum orbem nullum reperiri Principem, cujus poteſtas illimitata (ſumma) niſi de facto talis ſit, ſed per certas conventiones, pactiones, capitulationes determinatam, ſententia eſt communis omnium fere politicorum.

Major fuit ſynedrii, quam Regum Hebræorum poteſtas.

Jus regium Hebræorum eſt vere tyrannicum.

Jus vere regium eorum, de quo Samuel integrum librum conſcripſit, non exſtat amplius, ſed a Regibus Judæorum dilaceratus eſt, ut ex eo liberius tyrannidem exercerent.

Si, quod hodie exſtat, eſt verum jus regium Hebræorum, Samuel pro jure majeſtatis, tyrannorum crudelitates, libidines ac ſtupra Regibus ad imitandum propoſuiſſet.

Legis regiæ Romanorum nullus hiſtoricus mentionem facit.

Conringius argumentis plurimis, a ſervilis conditionis hominibus deſumptis, ad populos liberrimi juris traducit, eosdemque inepte ſervorum conditioni exæquat.

Europæi libertatem ducunt vita meliorem, ſecus Barbari ac ſerviles.

Libertas eligibilior, quam vita, mors, quam ſervitus.

Mors nihil habet terribile.

Conringius non tantum liberorum populorum jura invadit, ſed eos mancipiis etiam exæquat, innoxium Principum manus, ad ſanguinem innoxium fundendum, præparat, Principibus perſuadet, optimo quodam jure licere eis barbaras gentes, moribus ac religione diſſidentes, invadere & ſubigere, etiamſi ab illis nulla injuria fuerint provocati.

Conringius probat Græcorum & Hiſpanorum actiones in oppugnandis populis non laceſſitis.

Nefarium, ſtolidum ac adulatorium eſt conſilium, ſi ſtatuas, invitas gentes ad mores humaniores & veram religionem ſuſcipiendam vi & armis adigi, & hoc prætextu ſubigi poſſe.

Qui jus conſtituendi magiſtratus annumerat majeſtatis juribus, jura ſummi imperii cum magiſtratuum muneribus confundit.

Jurisdictio, quam Ariſtoteles tertiam reipublicæ partem facit, quia omnibus fere magiſtratibus ac Principibus congruit, majeſtatis propria non erit.

Nec magiſtratuum creatio, quia ſubditis etiam convenit.

Majeſtatis jura, quæ ſummo Principi propria, magiſtratibus aut privatis tribui nequeunt; aut ſi ſummis Principibus ac privatis communia ſunt, jura majeſtatis eſſe deſinunt.

Jus cudendi, mutandi & reprobandi monetam, eſt minus regale, quia & inferiores respublicæ hoc gaudent.

Merum & mixtum imperium, eſt minus regale, item jus exercendi militiam, viæ publicæ, &c. magiſtratus conſtitutio.

Summi imperii requiſitum eſt, ut ſit perpetuum.

Ergo dictatores romani non fuere participes majeſtatis, (ut neque Regentes, Pro-Reges, Pro-Principes, item curatores regni, vacante imperio) licet ad tempus *ſummam* iis poteſtatem populus tribueret.

Ariſtoteles perperam Æſymnetas dixit Reges.

Princeps obligatus legibus civilibus non ſolum quoad vim directivam, ſed etiam coactivam, quæ pœnam transgreſſoribus dictitat.

Si Princeps quid pœna dignum committat, æque pœnæ reus eſt, ac ſi in republica libera univerſus populus delinquat.

Princeps legibus fundamentalibus tenetur, in quas jurat, ſeque ſervaturum promittit, adeo ut, ſi quid contra leges fundamentales molitus fuerit, de faſtigio imperii dejici & deturbari poſſit: Hocque, niſi concedatur, leges fundamentales nil niſi umbra erunt.

Princeps, niſi ſervet legem, quam ſubditis ſancit, iis cauſis adductis, quæ non minus ad ipſum, quam ad alios pertinent, violabit legem naturæ.

Nam

Digitized by Google

Nam quod oneris tibi imponi non vis, id neque imponere debet aliis, qui ſunt eadem, qua tu, conditione quoad rem de qua agitur.

Deinde turpis eſt pars & præſertim caput, ſi non congruat cum aliis partibus atque adeo cum toto in ea re, quæ ſimiliter ad ipſam pertinet.

Denique ſuperior cum quippiam ſubditis præcipit, hoc ſerio & efficaciter præcipere debet, ſicut oportet, ut ad id præſtandum ſubditi moveantur; & conſequenter non ſolum verbis, ſed etiam exemplo in ea re, quæ ad ipſum ſimiliter ſpectat, debet eos impellere, alioquin gubernatio pareret contemptum, & præceptum contemneretur.

## *Part. 2. Præd.*

§. 1. Qua ratione David voluntate & providentia divina imperium obtinuit, ſic quoque eodem exemplo omnes principes poteſtatem ſuam eidem acceptum ferunt, dum deorum providentia vel Dei gratia ſe conſtitutos ſcribunt.

Homo cum ſit ejuſdem ſpeciei, neque excellentiori polleat intellectu, quoad eſſentiam, neque *acrioribus moribus* abundet, quam ſubditi ſimul, imperium in illos, niſi a Deo non habet.

Homo ut homo aliis præeſſe non poteſt, niſi a Deo autoritatem aliquo titulo haberet, vel per electionem vel ſucceſſionem.

§. 2. Vi naturæ imperia conſtant, non *per vim* aut hominum inſtitutis: hoc declarat 1. extrinſeca neceſſitas, 2. naturalis origo & ſucceſſio imperiorum.

Imperia proxime a conſenſu & voluntate populi dependent.

Imperii proprietas apud populum eſt, minime vero in patrimonio principis, hinc *a nullo niſi populo, alienari*, vel in alium transferri poterit, utpote cujus conſenſus præciſe neceſſarius eſt.

Æquitati eſt conſentaneum, ut is, qui multis ſit imperaturus, ab omnibus eligatur.

Juſtum quo ſit imperium, neceſſe eſt, ut populi voluntas accedat.

## *Part. III.*

Summum imperium ratione adminiſtrationis & actualis exercitii, per realem quandam communicationem apud unum vel plures eſſe poteſt, ratione tamen fundamenti, reſidet apud corpus univerſitatis, cui radicaliter ineſt & cohæret, nec ab eo avelli poteſt, multo minus *totaliter alienari*.

Conringius cum aſſeclis ſupponit pro fundamento, finem omnis ſocietatis non eſſe parentium utilitatem, ſed imperantium, principes & ſummæ poteſtates non eſſe propter ſalutem populi, ſed populum propter principes.

*Nec* in abſolutiſſimis principatibus, quæ populi voluntate deferuntur, *nunquam* ita imperantibus permittit imperium populus, ut prorſus nihil excipiat.

Populus Romanus imperium in principes tranſtulit non abdicative, ſed conceſſive, cumulative & communicative; argumentum huic aſſertioni præbet, quod, conceſſa ſumma poteſtate, populus nihilominus ejus jura uſurpaverit.

## *Part. IV.*

§. 1. Ad leges divinas, ceu normam ac regulam, reipublicæ adminiſtratio exigenda eſt, idque ipſum ordinatio & voluntas divina requirit.

§. 2. Juri naturæ aliquid derogari poteſt.

Circa jus naturæ quæ & quanta ſit principum poteſtas, jam olim Canutius &c. Rex deprehendit, qui ſedile ſuum in littore maris poni juſſit, & mare alloquens, dixit: Tu mare ditionis meæ es, & terra in qua ſedes, mea; impero & denuntio tibi, ne aſcendas terram, nec veſtes vel membra domini tui, nec dominatorem tuum madore perfundas. Qua voce non perterritum mare, & terram, & pedes regis madefecit. &c.

§. 3. Ex jure gentium occaſionaliter & indirecte jura belli, *ſervitutum*, deſcendunt. *Antea dicebat*, quod mors ſit eligibilior, quam ſervitus.

§. 4. Noſtra hac tempeſtate non virtute præſtantiſſimis, ſed potentiſſimis imp. faſces creduntur, non ſine manifeſta parentium pernicie &c. *texitur enim querela hac per aliquot paginas.*

§. 5. Majeſtas ſive eam generice conſideres ſive ſpecifice, non tollitur capitulationibus; imo per ejuſmodi pactiones autoritas principum firmatur, abſit, ut eandem infirmari credam.

Ita uſu ferme receptum, ut imperantibus perfecta imperii adminiſtratio non concedatur, niſi demum poſt latam vel datam capitulationem; Ergo quam antecedit, tollere nequit.

Majeſtas, quæ hodie principibus ac regibus tribuitur, eſt talis, qualem ordines, ſtatus & defenſores imperii voluerunt.

Imperia alias legitima non ſunt, niſi adminiſtratio eorundem inſtituatur ſecundum regulas juris divini & humani, & ad ſalutem f. felicitatem communitatis, ceu finem principalem reip. non enim alia lege imperantibus imperii ſummum exercitium committitur: Hæc conditio ſi minus impleatur, ſolutus eſt populus, irritus contractus, obligatio ipſo jure nulla.

Perfidiæ rei agi poſſunt reip. moderatores, ſi injuſte imperent.

Ab omni crimine vacuus populus erit, ſi injuſte imperanti publice renuntiet, aut regnum retinere illegitime cupienti armis evincere conetur.



Digitized by Google

Omnis imperii cauſa finalis eſt ſalus publica. Nam veluti mures non fecit Deus, ut pinguefacerent feles, ita eam ob cauſam non voluit eſſe homines, ut principum emolumentis inſervirent.

Principes, ſi quando omnium emolumentum in privatum vertunt, tyranni ſunt.

Conringius tollit differentiam inter tyrannum & regem.

Principes, ſi de manifeſtis ſceleribus ſunt convicti, nec alia adſunt remedia, propter abuſum poteſtatis & imperii conceſſi ab ordinibus, jure eo privari poſſunt vi majeſtatis realis.

## *Memb. II.*

Imperium aliud eſt limitatum, aliud abſolutum. *Antea dixerat*, omnia imperia eſſe limitata.

Imperia, in quibus ſubditi abſolute parent, & ſine conditione vel exceptione, ſunt quam pauca. *Antea dixerat*, imperium tam abſolutum non dari, ut populus nihil excipiat.

Conringius ſtatuit, jusjurandum eſſe nudam ceremoniam. Juramentum in tantum operatur, ut omnes actus ſua natura invalidi, hoc ſolo interveniente ſuſtineantur.

Juramenta, ſuper aliquo contractu interpoſita, ejus naturam aſſumunt, vimque habent contractus.

Omnis verus contractus eſt ultro citroque obligatorius.

Conr. Antiſtites & Primores reip. Brunſvicenſis mirum in modum exagitat.

Principp. Brunſvicenſes ſunt Domini reſpective Brunſvicenſis reip.

Iidem noluerunt promittere, quod jura, libertates & privilegia ſarta tectaque conſervare, & tueri velint, optimo itaque jure urbs Brunſvicenſis homagii præſtationem recuſavit.

Sicut propter contractum correlativum homagialem quilibet princeps, ſic quoque Duces Brunſvicenſes obligati ſunt.

Civitas Brunſvicenſis ſe nullo jure ducibus Brunſvicenſibus obligatam credit, antequam ab iis juxta tenorem pactorum conventorum de juribus & privilegiis, quæ immediate ab imperio recognoſcit ſanctiſſimo juris vinculo intercedente aſſecurata ſit.

Civitas Brunſvicenſis, limitata quadam & conditionali ratione, quoad ſpeciales tantum quosdam actus, ſereniſſimis principibus eſt obligata, extra hos vero vi contractus illius conſpectivi, *forte correſpectivi*, & pacti reciproci vel correlativi, ſive commendatitiæ confœderationis, libera eſt.

Civitas Brunſvicenſis jura regalia & immunitates, quas habet, easdem non ducibus Brunſvicenſibus, ſed Auguſtiſſimis imperatoribus imperioque acceptas fert, ſicut omnes civitates Impp. non aliunde niſi ab imperio vel imperialis ſplendoris culmine, eadem arceſſunt, utpote abs quo, tanquam fonte omnium dignitatum, juriſdictionis per conceſſiones privilegia, inveſtituras, confirmationes fluunt.

Regalia & jura, quæ civitas Brunſvicenſis exercet, non niſi civitatibus impp. & cæteris ſtatibus imperii propria ſunt; ſtatus igitur & civitas imperii hæc ſit, infallibili quadam ratione conſequitur.

Liberum religionis exercitium ſtatibus imperii ſaltem proprium: item jura Armandiorum, conducendi peregrinantes per vias publicas, munerum indictio, merum & mixtum imperium, jura venandi, monetæ cudendæ, magiſtratus conſtituendi.

Inter jura ſeu regalia ſtatibus imperii propria, ſingulare eſt, habere peculiare conſiſtorium eccleſiaſticum, forumque cauſarum ſpiritualium.

Conringius civitatem Brunſvicenſem abſoluta quadam ratione principum poteſtati ſubjicit.

Civitas Brunſv. eſt ſtatus imperii & civitas imperialis.

Plures ſunt ſtatus in imperio, qui ad comitia non modo non vocantur, ſed & ultro comparentes a ſeſſionibus & conſultationibus excluduntur.

Epiſcopus Sleſvicenſis eſt ſtatus imperii, item Abbas Walckenredenſis, S. Michaelis Luneburgenſis, Rittershuſanus: Nec non Abbatiſſa Gandersheimenſis &c.

Liber equeſtris ordo *Reichs von Adel die freye Ritterſchafft*, ſtatus eſt imperii, nec tamen ad comitia vocatur hodie, neque votum & ſeſſionem in iis habet.

Multæ reperiuntur civitates imperii, quæ ſeſſura ac jure dicendæ ſententiæ deſtitutæ ſint.

Urbs Brunſvicenſis eſt civitas imperii, quia diſerte in matriculis imperii antiquiſſimis reperitur, vid. Matric. Imp. antiquiſſimam (falſiſſimam) Noribergæ confectam anno 1431.

XXVII.

Digitized by Google

# XXVII.

# JOHANNIS FICHLAU, BORUSSI

*CONSIDERATIO JURIDICO POLITICA*

DE

# IMPERIO ABSOLUTE ET RELATE CONSIDERATO,

*EJUSQUE JURE, DISSERTATIONI DE SUMMÆ POTESTATIS SUBJECTO*

AB

## HERMANNO CONRINGIO

IN LUCEM PRODITÆ,

OPPOSITA

M DC L.

*EXCELLENTISSIMIS, CONSULTISSIMIS, PRUDENTISSIMIS,*

*D O M I N I S*

CONSULARIBUS, ET CÆTERIS AMPLISSIMI SENATORII ORDINIS VIRIS

*JUXTA*

OMNIBUS ET SINGULIS REIP. BRUNSWICENSIS COLLEGIIS APPROBATIS, EORUMQUE DECURIONIBUS; NEC NON TRIBUNIS EJUS SPECTATISSIMIS

SALUTEM.

Octo circiter ſeptimanis fui, viri dignitate & virtutibus Ampliſſimi, in civitate veſtra. Vidi proceres optimos, cives optimos, quod gaudeo, unicum quod doleo. Non potui tum temporis, me veſtræ familiaritati inſinuare. Nunc igitur occaſionem, quæ tum reſtabat præſenti denegatam, inſcriptione hujus tractatus noſtri, bono veſtro & publicæ libertatis commodo, contra calumniantium iniquitates enati, compenſare volui, eo animo, eo conſilio, quo impoſterum teſtatiorem haberetis meum erga vos affectum, cujus hæ literæ inſtrumentum. Plura non ſcribo, ſufficiat vel tribus verbis, ut patronis ſolemne, operas, munus, dona polliceri. Interea, viri optimi, bono veſtræ patriæ & humanioris ſtudii valete, & munusculum hoc levidenſe æquo, animo ſuſcipite

Lipſiæ

Anno cIↄ IↄC L.

JOAN. FICHLAU, de Inſtera Boruſſus J. V. C.

## CONSIDERATIO PRÆLIMINARIS DE IMPERIO EJUSDEMQUE JURE

*Baldus in l. 1. C. de his, qui ante apert. tab.*

Ex varietate temporum, nova quotidie phantasmata, & variæ rerum ſpeculationes in hominibus generantur, & ideo non eſt auferenda poſterioribus facultas ulterius cogitandi.

Quamvis totius injuſtitiæ nulla capitalior ſit, quam eorum, qui tum, cum maxime fallunt, id tamen agunt, ut viri boni eſſe videantur Cicer. L. 1. de officiis p. m. 9. Peſtilentiſſimum tamen genus hocce hominum, quod publico exitio repertum, nec ſatis pœnis coercitum, Tacitus & ex eo Fracheta L. 1. in principe Arnold. Clapmar, lib. 5. de arcanis rerumpubl. c. 15.



Digitized by Google

Jacob. Bornitius lib. 1. de præmiis in rep. decernendis p. 38. Rittershuſ. in 2. orat. de jud. habit. p. 96. Ut ut omni tempore in florentiſſimis & liberis quoque extitit imperiis, ut teſtatur Tacitus, maxime tamen idem in regnis ac principatibus reperiri. Plat. in Epiſt. ad Dionyſ. teſtatur. In his ſiquidem, cum ampliſſima his præmia conſtituta ſint in contemtum & excidium virtutis, contra omnem ordinem & rationem juſtitiæ Bodin. l. 5. de rep. c. 4. Althuſius polit. Method. digeſta c. 24. Timpler lib. 4. polit. c. 5. q. 4. Joan Boter. lib. 1. della Ragion. di ſtato. cap. 20. & lib. 9. c. 12. Franciſ. Patritius lib. 9. de rep. cap. penultim. Juſtus Lipſius lib. 5. politic. c. 13. Melchior Junius in quæſt. politic. quæſt. 106. Joan. Marian. lib. 3. de reg. Inſtit. c. 4. Jacob. Bornitius lib. 1. de præmiis in rep. decernendis per Keckerman. lib. 1. Syſtem. polit. c. 10. Petrus Andreas Fricius lib. de emend. rep. c. 9. num. 3. Petrus de Riba deneira lib. 2. c. 1. tit. de virtutibus ac relig. Prin c. Machiavell. lib. 1. de rep. c. 24. Lauterbach. 2. politic. c. 14. Caſus. lib. 3. Sphær. Civit. c. 8. Marquard. Freher. lib. 1. c. ultim. num. 16. de gloria. Jacob. Typot. lib. 1. de ſolut. reip. pag. 43. Caldorinus diſcurſ. politic. c. 28. Mirum non eſt, in iis quam multos reperiri, qui ſpe commodi, ſtudio honoris vel imperandi, vel helluandi, aut nocendi cupiditate, vel aliis etiam deſideriis abrepti, vid. Aulicum inculpatum Autoris Anonym. a Joachimo Paſtorio Medicin. D. ex gallic. lingua in latin. translatum p. 1. & 2. Id unice intendant, ut principum ſuorum libidini inſerviant, ingenioque eorum ſe accommodent vid. Author. Anonym. allegatus, in Aulico ſuo inculpato, Cælius Calcagninus de patientia Aulica. Æneas Sylvius Epiſt. 42. Hutteng in Dialogis lib. 2. Durus de Paſcolo in aulico politico. Antonius de Guevara in inſtitut. vitæ aulicæ c. 18. Schonborner lib. 3. polit. c. 32. & 33.

Et virtuti Lucanus lib. 8. juſtitiæque Senec. in Hypp. it. in Agamemnone & in Hercule Oethæo Joan. Agricol. proverb. 262. & 272. bello indicto eorum facta, licet iniquiſſima, ſi non excuſare, juris tamen aliquo prætextu palliare ad minimum non verentur. Vasquius illuſt. controv. lib. 1. c. 1. ad quod etiam cum eos neceſſitas adigat, ſi diu in principali gratia vigere ac virere ſatagunt. Æneas Sylvius Ep. 42. vid. hiſt. Sigiſm. Imperat. in Chron. Phil. lib. 5. Bruſonius lib. 1. c. 5. Hinc fit, ut aſſentatorum ejusmodi obſequia, utilitatis gratia tantum inſtituta, Theophraſtus de Aſſentatione apud Stobæum Serm. 14. fol. m. 150. n. 10. poſtpoſita principis utilitate, Author. inculp. aulic. c. 1. p. 1. peſſimo & execrabili exemplo Phavorinus apud Stob. l. d. f. 149 ad vitæ commoditatem jucunditatemque, ad facultates rerum atque copias, ad opes, ad potentiam, quibus & ſe poſſint juvare & ſuos, colliment, conducat id nec ne, de quo deliberent, modo conſilium & deliberatio omnis in rationem utilitatis cadat, verba ſunt Ciceron. lib. 1. de officiis fol. 3. a. Peſtilentiſſimorum ejusmodi hominum exempla, etſi in veteri & recentiori hiſtoria quamplurima extent, quæ ab Anton. Gvevar. in Inſtitut. vitæ aulicæ, it. ab Autore inculpati aulici collecta. Recens hujus rei monumentum habemus in Hermanno Conringio, Illuſtriſſ. Oſtfriſiæ Comitis Conſiliario titulato, qui neſcio, an privato, an vero ſtatus popularis, vel optimatum odio accenſus, ſpe privati commodi ductus, palam diſputatione de ſummæ poteſtatis ſubjecto in lucem prodita, adeo in horum patronos ac defenſores, quos totus terrarum orbis ſumma proſequitur veneratione, tot & tam multa convitiorum plauſtra conjicit, ut, ſi hominem non inſanire, maxime tamen impotentia quadam & rationis imbecillitate laborare, juramento firmares. Prodiit vero hæc diſputatio ex Academia Helmſtadienſi, quæ ut ſemper aliquid monſtri alit, ut Magnus ille Theologus Lipſienſis, in monſtro Calixtino oſtendit. Sic infelicem quoque hunc partum multisque populis ominoſum autore & genitore præmemorato, in lucem edidit, quæ res equidem minime mira videri debet. Non multum enim temporis præteriit, quo principum ſacratiſſimorum Romanorum majeſtatem intra eos coarctavit limites, ut non obſcure eandem minueret; & licet ingens hinc ei periculum enatum, ejus tamen oblitus, adeo jam liberorum populorum jura invadit, ut eundem mercede ad id conductum crederes. Quam male vero agat, dum PRINCIPIBUS ILLIMITATAM QUANDAM POTESTATEM CONCEDIT, ſubditos vero ad infinitam quandam obedientiam & ſubjectionem obligatos exiſtimat in examine hocce noſtro præſentis exercitationis, ſive conſiderationis patefaciam. Tu interim, ſumme cœli Rex, noſtris hiſce adſpira cœptis & gratia ſpiritus tui nobis adſis. Hoc præeunte, univerſam noſtram tractationem in duo diſtinguimus membra; Quorum

## MEMBR. I.

## CONSIDERATIONIS REALIS TRACTAT DE IMPERIO ABSOLUTE CONSIDERATO.

In cujus conſideratione ſtatim ab initio memorabilis mihi occurrit ſententia Domini Cardani, quæ extat lib. 15. de ſubtilitate p. m. 739. qua ſcriptorem monet, ut ea proferat, quæ præſentem habent utilitatem, certum finem & inexpugnabile fundamentum, quæ tria an in præſenti Antagoniſtæ noſtri diſputatione occurrant, inveſtigatione dignum erit.

I. Utilitas, quæ ex præſenti exercitatione profluit, exigua eſſe videtur, tantum enim abeſt, ut commodum aliquod, quin potius mutuum tam principibus, quam ſubditis exitium adferat. Illimitata enim hæc poteſtas, quam principibus concedit, cum via ad tyrannidem ſit, hinc diuturna eſſe non poteſt, ſed eosdem, qui eandem affectant, in extrema famæ & vitæ pericula conjicit, ut infra probabimus.

Adhæc cum principes, hac poteſtate elati, in populum miſerum & innocentem ejusque

quæ jura & privilegia armantur, his renitentibus, feralia excitantur bella & ſeditiones, quæ ſæpe non niſi cum præſentiſſimo reipublicæ exitio, vel etiam alterius partis ruina finiuntur. Tacitus lib. 4. Livius lib. 8. Bodinus lib. 3. method. hiſt. c. 6. Georg. Schönborner. lib. 7. polit. c. 26. Richter. axiom. polit. 25. Peucer. lib. 4. chronic. Lipſius de Magnit. Rom. c. 3. & libro ult. in politic. Keckerm. diſcurſ. philoſ. diſp. 35. problemat. 5. in fin.

Hæc utilitas præſentis exercitationis, qua ſcilicet ante periodum fatalem divinitus prætermınatam fata imperiorum maturantur, funeſtaque Principibus ſepulchra ante fata parantur.

II. Finis & intentio autoris quis & qualis ſit, utut neminem fere latitet, captioſe tamen hic nobiſcum agit, dum in exercitationis ſuæ th. 4. finem alium ſibi non propoſitum fuiſſe, adſerit, quam ut majeſtatem Regum, Principum & optimatum redderet inviolabilem, præterquam enim, quod ſtatum popularem ad orcum usque deprimat, regalem ad æthera extollat, dum Principibus inſuper indefinitam quandam poteſtatem concedendo, viam ad tyrannidem ſternit, Petrus Andreas Canonherius diſſert. in Tacit. annal. fol. 148. 149. 150. 151. 152. 153. 154. Elyſius Calentius epiſt. ſingular. Iſocrates ad Nicoclem & ad Demonicum. Hieronym. ad Celantiam. Anthiſtenes apud Stobæum. l. d. Plinius lib. 8. c. 83. Philo Judæus in lib. quis rerum divinarum ſit hæres, eo indirecto facto, proteſtationi contrario, eorum auctoritatem & poteſtatem ſolvit.

Quæ res equidem, utut invidiæ plena, tolerabilis tamen quodammodo eſſet, ſi eo, quo par eſt, candore cauſam explicaret. Fatemur equidem, mi Conringe, nihil magis ad ſecuritatem Principum facere, quam ut eorum majeſtas reddatur inviolabilis, Bodinus lib. 2. c. 3. aſt nihil magis declinandum ab altera parte, ne ſcilicet Principibus occaſionem ad tyrannidem præbeamus, quo nimirum ſecuritas ſubditorum in diſcrimen vocatur, Gregor. Tholoſan. lib. 26. de rep. c. 7. propterea ut ſubditis occaſionem rebellandi præſcindamus, nec Principes ad tyrannidem & ſcelera nefanda incitemus. Barbarica hæc poteſtas, quæ fons eſt omnium ſcelerum ac flagitiorum tyrannicorum, Lælius Zechius 1. pol. 5. ad fin. Keckerm. diſp. pract. 34. quæſt. 13. Ludolph. Rudolphin. tract. de abſolut. Princip. poteſtate c. 4. & c. 6. Nicol. Betſius de pactis familiar. fol. 154. Warem. de regn. ſubſid. c. 15. num. 6. fol. 178. Petra de poteſt. Princ. c. 1. Iſernia in c. unic. num. 2. quæ ſint regalia, in uſib. feud. removenda erit; Quamdiu enim hæc durat, tamdiu ſalus Principum ac ſubditorum in diſcrimine verſatur, quod tu Dn. D. hic non advertis. Ad hæc lubenter concedimus, ſtatum regalem ſeu monarchicum, quem tu tot tantisque laudibus, non tamen citra invidiam, ornas, inter cæteros præeminere & principatum obtinere, ſicut eundem univerſus politicorum chorus huic ſtatui defert. Vid. Iſocrates in Nicocle. Plato in politic. Ariſtoteles lib. 3. politic. c. 7. & lib. 5. cap. 10. lib. 7. cap. 11. Herod. lib. 3. fol. 85. Xenophon in pædia Cyri. Plutarch. in libello de unius & multorum dominatu. Seneca lib. 2. de beneficentia. Stobæus ſerm. 45. Homer. Iliad. 2. Euripid. in Phœniſſis Thom. lib. 1. de regim. in princip. c. 2. p. 8. & 9. Thom. Morus lib. 1. c. 2. Donel. lib. 1. com. 7. ubi vid. Hilliger. litt. P. Jacob Alemann conſult. 4. Chokier aphoriſm. polit. decad. 7. th. 3. Bodin. lib. 6. de rep. c. 4. & method. hiſt. c. 6. Lipſius 2. monitor. polit. c. 1. Rhodigin. lib. 13. antiquar. lection. c. 27. Patricius lib. 1. de regno tit. 13. & lib. 1. de rep. tit. 1. Arniſæus lib. 1. c. 9. & 10. Kirchner. diſp. 4. th. 1. Althuſ. in politic. c. 32. Philippus Beroaldus de optimo reipublicæ ſtatu. Hippolit. a collibus in Principe c. 13. p. 3. Schönborner lib. 5. politic. c. 1. Clemens Timpler. lib. 5. politic. c. 2. Konig. theatr. politic. part. 1. c. 9. fol. 214. Vincent. Caſtellan. de offic. Regis lib. 1. c. 1. Jacob. Herault. des offices d' eſtat 1. c. 3. Jovianus Pontan. 4. de obedient. Philipp. Camerar. in oper. ſucciſiv. c. 8. Richter axiom. politic. 57. p. 149. Tholoſan. lib. 3. de rep. c. 3. & 4. & lib. 12. c. 13. aſt propter faſtum ac libidinem dominandi, qui affectus huic ſtatui plane familiaris, bonis moleſtus, Polyb. lib. 6. n. 4. Thom. de regimine princip. lib. 1. c. 4. Lipſius lib. 2. monitor. c. 6. & politic. 2. c. 5. Gruter. ad Tacitum fol. 28. Anton. Perez. in aphoriſm. fol. 30. n. 160. & fol. 139. n. 28. & fol. 141. n. 32. fol. 151. n. 64. Richter axiomat. hiſtor. 6. Bodin. c. 6. method. hiſt. Bornitius tract. de majeſt. fol. 59. Oſor. lib. 8. de reg. inſtit. Caſp. Ens 1. Epidorpid. fol. 12. Boccalini 2. c. 5. Calvin. lib. 4. Inſt. religion. chriſt. c. 20. p. 532. Thomas Smith. tr. de rep. Angl. fol. m. 12. Hoc ſane, dum non advertis, Domine Doctor, unde eo, quo indefinitam quandam poteſtatem Principibus concedis, ſcelera quoque & flagitia, quæ indiſſolubili quadam ratione & individuo nexu cum eadem cohærent. Lipſ. lib. 2. polit. c. 5. Plato epiſt. 8. ad Dionyſ. familiares roborare & ſtabilire mihi videris. Bod. in lib. 2. de rep. c. 3. Tholoſan. lib. 26. c. 7. Caſus Sphær. civitat. lib. 4. c. 10.

III. Quod a ſcriptore obſervandum eſt, ut talia proferat, quæ fundamento inexpugnabili nituntur.

Fundamentum ejusmodi adamantinum ſe habere, ſtatuit Author præſentis diſp. dum ex principiis veris ac æternis th. 62. diſputationem ſuam, eaque, quæ in eadem reperiuntur, derivata eſſe ſcribit, quæ verba, etſi prima fronte magna promittant, in receſſu tamen nihil habent, & præter jactantiam nihil aliud ſpirant. Quapropter ut videamus, in quibus vis æternorum illorum principiorum poſita ſit, arcem & fundamentum diſputationis aggredimur; Hoc cum Præſes diſſert. præſentis IN SUMMO IMPERIO EIUSQUE JURIBUS CONSTITUAT, hinc in quo vis ſummi imperii conſiſtat, impræſentiarum excutiendum erit.

## CONSIDERATIO REALIS
## DE IMPERIO EIUSQUE JURE

Cum vero natura cujuslibet rei meliori & accuratiori ratione intelligi non poſſit, quam ex definitione rei cujuslibet accurata Ariſt. 1. Analytic. idcirco, quo naturam ſummi imperii recte perci-

percipiamus, inquirere placet, quid proprie ſummum imperium ſit, & in quo rei ſumma conſiſtat. Præſes diſſertationis præſentis theſ. 5. ex lib. 3. politicor. c. 4. imperium definit ſummam in republica poteſtatem. Quæ definitio non tantum obſcura, ſed etiam omnino vitioſa. Obſcuritas ejusdem ex eo patet, quod naturam, ſive quidditatem rei ſufficienter non declaret. Vitioſitas vero ex eo apparet, quod definitio tot fere conſtet membris, quot definitum, quod in omni definitione regulariter vitioſum, cætera, quæ in eadem deficiunt, vel imperfectionis eandem arguunt, infra exponam.

Nos hunc in modum ſummum imperium definimus. Summum imperium nihil aliud eſt, quam ſumma ac perpetua legibusque ſoluta poteſtas, voluntate divina, ſuffragio ac conſenſu populi in unum vel plures collata, ut juxta leges divinas, naturales juxta mores gentium approbatos & leges fundamentales, honeſte multitudinem juris vinculo conſociatam regat, cunctaque ad ſalutem & utilitatem illius ordinet ac dirigat. In hac definitione duo notanda I. Subjectum, II. Prædicatum.

## SECTIO I. DE SUBIECTO.

Subjecti locum impræſentiarum nomen imperii ſubit, cujus variæ equidem ſignificationes ſunt pro diverſitate ſubjectorum, ad quæ reſtringitur; de quibus prolixe Arnold. Clapmar. lib. 1. de arcan. rerumpubl. p. m. 23. generaliter tamen, abſolute & indefinite, poſitum ſummum tantum connotat imperium. Clapmar. d. lib. 1. de arcan. rerump. c. 10. p. 23. Arniſæus doctrin. polit. p. 217. & c. 8. p. 144. Schonborn. lib. 5. politic. c. 10. Natta conſil. 554. num. 19. vol. 3. Socinus conſ. 4. num. 23. vol. 3. Alexand. conſ. 52. num. 9. vol. 1. Riminald. junior conſ. 370. n. 3. Decian. reſponſ. num. 17. vol. 4. Cravett. conſ. 4. n. 15. Hieronym. Schurff. conſil. 18. Zaſius conſil. 1. n. 21. Modeſtin. Piſtor. conſ. 24. n. 1. vol. 1. Gail. de pace publica c. 6. n. 1. Schneidwin. 2. de feud. 2. part. 9. ſect. 36. Roland. a Vall. conſ. 29. num. 26. vol. 1. & conſ. 68. n. 16.

## SECTIO II. DE PRÆDICATO.

Prædicatum deſumitur partim a requiſitis propriis, ſeu proprietatibus eſſentialibus, partim a principio normali, ſeu principiis imperii regulativis, partim ab objecto, ſeu cauſa materiali, circa quam, partim a cauſa finali. Hæc ſunt membra definitionis, de quibus ſingulis ordine certo & diſtincte dicendum videtur.

## THESIS I.

### DE REQUISITIS SEU PROPRIETATIBUS ESSENTIALIBUS SUMMI IMPERII.

Requiſitum primum imperii hujus, ſeu poteſtatis, eſt, ut humana ſit §. 1. qua ratione dicitur, non ratione termini independentis, ut Conringius exiſtimat. Non enim caret termino a priori, nec a poſteriori. Nam 1. a priori: non enim ideo hæc ſumma dicitur, quaſi hæc a ſuperiori nullo dependeat, cum enim ſummum imperium remote a providentia divina, tanquam cauſa principali. Vid. Arniſæus de ſubject. Clericor. c. 1. n. 2. fol. 5. Bornitius de majeſtat. c. 4. fol. 16. Bort. apud Arumæum d. diſcurſ. 30. c. 5. th. 2. fol. 901. Albericus Gentil. diſp. regia 1. Proxime vero a conſenſu, ſuffragio & voluntate populi vel expreſſa, ut in regnis electitiis, vel præſumpta, ut in regnis ſucceſſivis, dependeat. Joan. Mariana lib. 1. c. 8. de Rege. Obrecht theſib. de bello th. 16. Urſinus lib. 3. diſp. c. 44. c. ult. Danæus lib. 6. politic. c. 2. & 3. Caſman. de antiq. jur. regni gallici c. 12. Stephan. Junius Brut. vindic. contra tyran. q. 3. a. Althuſ. c. 1. Independens igitur non erit.

Qua ratione II. nec caret termino a poſteriori, quo intuitu ſumma dicitur, non eo reſpectu, quaſi nullis omnino terminis coërceatur, ejusmodi enim indeterminata, indefinita & illimitata poteſtas ſacris eloquiis, ſanctiſſimis naturæ decretis & receptis ſaniorum gentium moribus repugnat, ipſisque Principibus ruinam & exitium adfert.

I. Sacris eloquiis & ordinationi divinæ hæc contraria; Cum enim hæc poteſtas illimitata de reſervatis divinis ſit, Deus, qui Dominus Dominantium, ſibi ſoli reſervare & ſacram eſſe voluit. Hinc nullæ creaturæ competit, nec ulla ex his eandem arrogare ſibi poteſt, niſi plane ſe Deo velit exæquare. Quod citra ſummam ſummæ majeſtatis & poteſtatis divinæ læſionem vix fieri poteſt. Timpler. lib. 5. politic. c. 5. quæſt. 1. Hænon. diſp. politic. 9. folio 429.

II. Juri naturæ & ſanctiſſimis ejusdem inſtitutis illimitata hæc poteſtas repugnat, cum enim violenta ſit, contra naturam quoque erit, utpote quæ homines, natura liberos, duro ſervitutis jugo premit. Hœnon. th. 43. diſp. 9. polit. 1. fol. 467.

III. Legibus & moribus omnium fere gentium repugnat. Nullus ſiquidem populus, nulla gens, nulla unquam natio fuit, quæ ſuis Regibus infinitam quandam & indeterminatam conceſſit poteſtatem, ſed in omnibus fere nationibus & gentium univerſitatibus & aliis minoris circuli univerſitatibus & corporibus obſervatum conſtantiſſime, huc etiam usque deprehendere licet, Regum, Imperatorum, Principum, magiſtratuum poteſtatem certis juramentorum pactorumque formulis fuiſſe coarctatam, ne ſcilicet e poteſtate in tempeſtatem, ex adminiſtratione in effrenem ruerent licentiam, rempublicamque pro privata habentes peſſundarent & everterent. Hac de cauſa olim apud Lacedæmonios Rex & ephori ſe ſingulis menſibus mutuo jurejurando obligabant: Ephori univerſorum civium nomine, Rex ſuo peculiari; Rex quidem ſe

ex

Digitized by Google

ex legum præſcripto imperaturum, ephori vero ſe urbem illi conſervaturos, dummodo ex legibus imperaret. Author de ſtatu religionis & reipublicæ gallicæ lib. 12. p. 123. Unde Ageſilaus, vocatus ex Aſia ab ephoris ob bellum, quod a Græcis Spartæ imminebat, jurisjurandi memor in hanc reſcripſit ſententiam. Ageſilaus ephoris ſalutem, magnam Aſiæ partem ſubegimus; Barbaros profligavimus: ſed quoniam me ad definitum diem venire jubetis, ſequar epiſtolam, fere autem antevertam. Imperium enim gero non mihi, ſed civitati ac ſociis, at tunc Imperator vere juſteque imperat, quando regitur a legibus, ephoris, aut ſi qui ſunt in civitate magiſtratus. Plut. in apophtegmat. p. m. 376. Apud Romanos quoque jurejurando Imperatores, ſe promiſſiones ſanctiſſime ac religioſiſſime obſervaturos, adſtringebant, ut hujus rei exemplum nobis Trajanus præbet Imperator, qui ſtans & erectus ante conſulem juravit in leges. Plinius in panegyrica oratione. Bodinus lib. 1. de rep. c. 9. p. 146.

Hodierni Germanorum Imperatores, qui hodie omnes Principes dignitate antecedunt, Bodinus lib. 1. de rep. p. 17. Beſold. diſc. de ſeſſ. prærogativa p. m. 128. Item de Ictione Imp. Rom. c. 6. ad fin. & de appellat. c. 4. n. 8. Zieritz. tract. de præcedent. apud Arumæ. tom. 3. diſcurſ. Quet. conſ. 1. n. 9. Reink. de regim. ſecul. & eccleſiaſt. claſſ. 2. lib. 1. c. 7. p. m. 63. 65. 66. & c. licet magna eorum ſit autoritas. Schönborn. lib. 1. politic. c. 16. p. 91. Matth. Stephani lib. 2. de jurisd. Rom. Imper. part. 1. c. 1. memb. 2. n. 12. Otto Melander in exegeſi ſtudii politici p. 67. Anton. Gothofred. diſp. feudal. theſ. 3. Peucer. in chronic. Carion. lib. 5. Obrecht. in diſp. de regalib. theſ. 543. Treuſler. lib. 1. exercit. c. 5. Andr. Knichen de Saxon. non provocand. jure verb. Ducum Saxon. c. 1. n. 1. usque ad n. 1. usque ad n. 39. Bornitius lib. 2 de fundando reip. ſtatu c. ultim. finita tamen, Bodinus lib. 1. de rep. c. 10. n. 162. Keckerman. curſ. philoſoph. diſp. 36. problem. 12. p. 851. in fine & l. 2. ſyſt. politic. c. 4. p. 566. Tholoſanus lib. 5. de rep. c. 4. n. 11. Lambertus Danæus lib. 1. polit. Chriſt. aphoriſm. 5. p. 171. Otto Casman c. 64. vit. politic. Lipſius lib. 2. politic. c. 2. n. 1. Clapmar. de arcan. rerump. lib. 5. c. 20. Henricus Alſtedius in diſcurſ. politic. gemino de ſtatu rerump. ſect. 2. quæſt. ultim. Herman. Kirchner. in rep. diſp. 5. theſ. 1. lit. c. Arniſæus c. 8. politic. p. m. 180. 181. 182. 183. Joan. Althuſius c. 39. n. 9. 10. politic. p. 947. & per copulationes certas limitata, vid. Goldaſt. in præfat. tom. 3. Conſtit. Impp. Hortleder lib. 3. des teutſchen Krieges c. 9. p. 664. idem apud Goldaſtum politic. imperial. part. 12. diſc. 2. p. 612. Arumæus tom. 4. diſcur. juris publici. Sicut apud priſcos quoque Germanos nunquam Regibus infinita & libera fuit poteſtas, ut teſtatur Tacitus l. 2. de morib. Germ. vid. quoque ſpeculum ſaxonicum lib. 3. artic. 54. Georg. Fabricius rerum memorabil. lib. 1. artic. 811. Goldaſtus tom. conſtit. Impp. p. 113. Sleid. lib. 6. hiſtor. in fin. Eadem ratione Regum Galliæ poteſtas per eaſdem limitatur. vid. vindicias ſecundum libertatem eccleſiæ gallicæ p. 111. Bodin. p. 138. de rep. Hottoman. in Franco Gallia c. 25. Lehman in der Speiriſchen Chronicke lib. 2. c. 4. p. 61. Bruning. de homag. theſ. 428. Thuan. hiſt. l. 97. p. m. 218. adeo, ut non immerito dubitandum, an ſumma autoritas in rebus agendis apud Reges conſtituta ſit, adeo enim crevit Parlamenti gallici autoritas, ut Rex ſiquidem quid Parlamento contrarium mandet, hujus magis, quam illius, habeatur ratio. Choppin de LL. Andium & Nevizan inter conſil. Bruni conſil. 12. n. 158.

Regum Hiſpaniæ poteſtas, utut diverſa, pro diverſitate regnorum, quæ ipſius poteſtati ſubſunt, in regno tamen Hiſpaniæ, ubi abſolutior quodammodo videtur, per certas tamen leges & pactiones reſtricta eſt, vid. Stephan. jun. Brut. in vindic. contra tyrann. quæſt. 3. p 69. Althuſ. politic. 19. n. 42.

Reges Poloniæ poteſtatem aliam non habent, niſi determinatam juxta leges & jura regni vid. Arniſæus relect. politic. lib. 2. p. 1103.

Reges Sueciæ, utut ſummam auctoritatem obtinent, & hanc tamen legibus circumſeptam eſſe, refert Thuanus hiſt. l. 109. p. 608.

Regum Daniæ potentia quam arctiſſimis includatur cancellis, vid. Bodin. lib. 1. de rep. p. m. 146. & 147.

Regum Angliæ, utut ſublime quondam eorum in ſuos imperium erat, definitum tamen & hoc fuit, & per leges fundamentales limitatum. vid. Althuſ. c. 19. politic. n. 42. Bodin. lib. 1. de rep. c. 9. p. m. 143.

Eodem modo Reges Bohemiæ, vid. Deduction-Schrifft pag. 136. und die Landes-Ordnunge des Königreiches Böhmen art. 3. p. 2. edit. per Petrum Sturbam.

Reges Hungariæ Bonfin. de reb. Ungariæ decad. 4. lib. 9. fol. 661. in regnis ſuis finitam & pactionatam quandam obtinent auctoritatem & poteſtatem.

Nec tantum Reges in regnis, ſed Principes quoque in principatibus ſuis limitatum obtinere imperium, in confeſſo omnium eſt. Principes Germaniæ, quorum autoritas inter cæteros totius terrarum orbis Principes præeminet, utut regali poteſtate ſuis præſunt. Caſtrens. conſ. 34. ſuper primo dubio p. 2. Ludovic. Rom. conſ. 59. ad diſcutiendum col. 3. verſ. quinto videndum Roland. a Valle conſ. 88. n. 26. Bald. in l. fin. C. de teſtam. militar. Modeſtinus Piſtor. conſ. 24. vol. 1. Henning. Goeden. c. 1. de aur. & argent. fodin. conſ. 2. n. 4. Weſemb. conſ. 27. n. 29. Gail. lib. 2. obſer. 57. & lib. 1. de P. P. c. 6. n. 10. Joan. Dauth de teſtam. n. 36. Borch. de feud. c. de regal. n. 7. Thom. Michael. diſp. de jurisd. rom. imper. concluſ. 45. lit. c. & hæc tamen ſuis continentur terminis. vid. Jacob Bornitius de maj. c. 14. fol. 126. Tobias Paurmeiſter de jurisd. 2. c. 4. Arumæ. diſp. feud. 3. th. 14. Keckerm. 1. ſyſt. politic. c. 32. Caſpar Klocke de contribut. diſp. theſ. 8. Gothfred. Anton. diſp. feudal. 2. theſ. 4. lit. c. Ritterſhuſius lib. 1. partit. feud. 5. Rutger. Ruland. de commiſſ. 5. c. 4. concl. 45. lit. c. vid. epiſt. ad Philippum Hiſpaniæ Regem adjuncta lib. 12. de

ſtatu regn. & religion. Galliæ p. 423. Goldaſt. in præfat. tom. 3. conſtit. Impp.

Duces Brabantiæ ſumma quoque ſuis præſunt poteſtate, non tamen infinita. Guicciardin. in deſcriptionibus Belgii p. 198.

Venetorum Dux, regali ſplendore præeſt reipublicæ, omnia tamen ex nutu reipublicæ agit, adeo, ut nullo in puncto limites ordinariæ & ſibi commiſſæ poteſtatis excedere poſſit. Quo fine, mortuo Duce, laudatiſſima hæc reſpublica, priusquam ad novam ducis electionem progreditur, quinque correctores creare ſolet, ut cum tribus inquiſitoribus in vitam & acta promortui Ducis inquirentes, operam dent ſedulo, ſi qua lege opus eſſe videatur nova, ad circumſcribendam poteſtatem novi Ducis, qua forte anteceſſor abuti viſus eſt, ejus perferendæ magno conſilio autor exiſtit in interregno, antequam in priſtinum locum ſuccedat alter. Egnat. lib. 6. c. 1. Contarenus, Jovius, Bembus, Paulus Manutius, Bod. lib. 6. c. 4. Don. Gianott. de republ. Venet. Sanſovin. tract. del doge lib. 19. Goldaſt. tom. 3. in præfat. conſtitut. imperial.

Hoc modo Duces Boruſſiæ finitum & limitatum quoddam in ſuos obtinent imperium. vid. ſtatuta & privilegia Boruſſ. Dux Tranſylvaniæ ſumma auctoritate ſuis præeſt, aſt & hæc certis finibus circumſcripta. Brunning. th. 442.

Duces Italiæ, utut ſuperiorem fere non cognoſcunt, imperium tamen, quod in ſuos obtinet, finitum eſt. vid. Rudolph. de Sablonetta ſing. tractat. de origine & poteſtate Ducum Italiæ.

Nec tantum Principum, in chriſtiano orbe viventium, ſed Barbarorum quoque ligata, certisque pactorum ac juramentorum formulis coarctata. In Tartaria hodie quoties inaugurandus, populus ex filiis unum optat, vel qui fratris filius ſit, ac ſublimen aureo ſolido inſidere jubet. Deinde carmine ſolenni, a majoribus accepto, Pontifex ad Regem oratione converſa: Nos, inquit, abs te petimus ac jubemus, ut imperes; tum Rex quidem inquit, cum imperare me vultis, omnia mea juſſa diligenter exequi neceſſe eſt, & quemcunq; occidi mandavero, hunc eodem momento necare, ſummamq; rerum omnium poteſtatem arbitrio meo committi. Ad hæc populus clara voce reſpondet: Eſto. Rex iterum, mea vox inquit, pro ſecure, pro gladio futura eſt. Ad hunc ſermonem populus univerſus applaudit. His ita geſtis, de ſublimi ſede Rex dimovetur ac viliſſimæ tabulæ ſuperpoſitus, humi conſtituitur, ad quem Pontifex orationem convertens, ſuſpice cœlum, inquit, ac Deum præpotentem univerſitatis Regem agnoſce, nam ſi juſte imperaveris, omnia ex animi tui ſententia conſequere, ſin muneris officiique tui obliviſcare, præceps ex alto & ſublimi loco dejectus, poteſtate ac bonis omnibus ſpoliabere, ut ne tabula quidem, cui hæc inſideas, tibi relinquatur. Verbis ita conceptis, in ſublime attollitur, & ab univerſo populo Tartarorum Rex renunciatur. Bodin. lib. 1. de rep. c. 8. p. 130.

Eodem modo, ut Tartarorum Principes, ſic Moſchovitarum magni Duces, utut herili & dominica ſuis præſint autoritate, intra terminos tamen præmemoratos eorum conſiſtit autoritas, Petrus Petrejus in chron. Moſchov.

Cum igitur per univerſum terrarum orbem nullus reperiatur Princeps, cujus poteſtas illimitata, indefinita & indeterminata, niſi de facto talis, ſed per certas conventiones, pactiones, capitulationes, determinata. vid. Petrus Heig. p. 1. q. 18. n. 17. Waremund. ab Ehrenberg c. 5. n. 40. de ſubſid. ſubdit. & c. 6. n. 27. Sixtinus de regalib. c. 1. 39. Bornitius de ſtatu reipublicæ fundando c. 9. p. 67. & 68. Danæus lib. 3. politic. chriſtian. c. 6. Althuſ. c. 6. politic. Keckerm. ſyſtem. politic. c. 6. Antimachiavel. lib. 1. de regno aut quovis principatu theoremat. 1. p. 61. & 71. hinc audaciam Hermanni Conringii non ſatis mirari licet, dum theſ. 62. impudentiæ hos accuſat, qui finitam Principibus concedunt autoritatem, contendentes, hanc & non aliam poteſtatem per univerſum terrarum orbem omnibus omnino tribui Principibus. Hæc ſententia communis eſt omnium fere politicorum, quam, quomodo & quibus fundamentis impugnet Conringius, videamus 1. theſ. 37. Legem regiam Hebræorum, cujus ſit mentio 1. Sam. c. 8. nobis objicit, vigore cujus Reges Hebræorum ſummam & infinitam obtinuiſſe auctoritatem, recte notat Steph. Jun. Brut. vin. contr. tyrann. q. 3. conf. Salmaſius in defenſione regia. Hanc enim adeo Sedechias Rex reveritus, ut apparet ex c. 37. & 38. Jerem. ut Jeremiam, a LXX. viris in tetrum carcerem detruſum, non modo liberare, verum etiam vix in mitiorem transferre auderet, ſuadentibus autem illis, ut in Jeremiæ mortem conſentiret, reſpondet, eum in ipſorum manibus eſſe; ſeque ipſis contradicere nulla in re poſſe, quin & veritus, ne in ſermones, quos cum propheta habuerat, inquirerent, quaſi rationem eorum, quæ dixiſſet, redditurus, mendacium comminiſcitur. Ex quo facile apparet, qualis & quantæ Regum Hebræorum fuerit poteſtas, nec quicquam tibi patrocinatur lex regia allegata, cum ibi jus regium non declaretur ex divina inſtitutione, ſed magis per prophetam pronunciatur ex tyrannica uſurpatione, qui, poſtquam Reges ſunt, jus iniquum conſtituunt & in tyrannos degenerantes, ſubditosque opprimentes, ſine cauſa deprædantur. Barclajus lib. 3. cont. monarchomachos. c. 6. Caſpar Klocke diſſertat. theoret. practic. concluſ. 46. Barthol. tract. de regimine civitatis n. 4. Albericus Gentilis diſp. Reg. 1. fol. 18. Molinæ. ad conſuetud. pariſienſ. §. 1. gl. 5. n. 65. Camman. diſp. 2. de maj. theſ. 11. Molanus 4. de fide hæreticis ſervanda. Beſold. lib. 1. polit. c. 2. fol. 95. Pruckman. §. ſoluta poteſtas c. 3. num. 3. & 166. Althuſ. c. 19. politic. n. 51. Waremund. ab Ehrenberg tract. de ſubſid. Reg. c. 7. n. 13. Bucan. loc. 49. n. 2. in loc. commun. theologic. Stephan. Jun. Brutus in vindic. contr. tyrann. q. 3. p. 122. Stapleton. in promtuar. moral. Dom. 22. poſt pentecoſt. Roſæus de reip. chriſt. poteſt. ſuper Reges c. 2. fol. 103. Zepper. de LL. moſaic. lib. 3. c. 8. p. 215. 216. & c. Ad hæc, quod magis mihi placet, jus illud, quod regium ibi appellatur, a te vero herile indigitatur, revera tyrannicum eſt. Jus enim vere regium, de quo Samuel

Digitized by Google

Samuel integrum conſcripſit librum, quod & quale fuerit, non extat; ſiquidem librum hunc de jure majeſtatis ſcriptum, a regibus concerptum & dilaceratum eſſe, Hebræorum Magiſtri prodiderunt, ut eo liberius in ſuos tyrannidem exercerent, hancque legem tyrannicam ab iis fuiſſe ſubſtitutam nobiliſſimus politicus & ætate noſtra facile princeps Dn. Bod. l. 1. de rep. c. 10. p. 231. probat. Nec diſſentit Beſold. excellentiſſimus ille JCtus & politicus in diſc. ſingul. de lege regia Hebræorum, Marta tract. de JCtione p. 1. c. 35. Quorum certe ſententiam ipſa juvat præſumtio a parte autoris, a quo jus hocce conſcriptum. Non enim præſumitur, quod Samuel, Legiſlator & Princeps optimus tanta integritate, tanta pietate & juſtitia, quanta fuiſſe dicitur pro jure majeſtatis, Tyrannorum crudelitates, libidines ac ſtupra, regibus ad imitandum propoſuiſſet Bodin. lib. 1. de rep. c. 10. p. 232. Hæc de lege regia Hebræorum, ſequitur lex regia Romanorum, cujus autoritate ſummum & infinitum quoddam imperium impp. a populo conceſſum theſ. 39. putat ſed abſurde, ut paulo patebit. Legis hujus mentionem facit Ulpian. in l. 1. ff. de conſtit. Principum, & Imperator Juſtinianus in l. tanta de confirmat. ff. & leg. 1. §. 7. C. de veteri jure enucleando; quando vero, & quo tempore lata fuerit, apud nullum fere Hiſtoricorum occurrit nec apud quemquam eorundem ejuſdem mentio fit, ut bene notat Waremund. ab Ehrenberg de reg. ſubſid. & onerib. ſubditor. in p. 2. Alii enim tempore Romuli eam latam opinantur, deinceps vero cum aliis LL. regiis antiquatam rurſus, occupata ab Imperatoribus rep. in lucem & vitam productam. Et in hac ſententia ſunt: Johan. Calvinus de princ. c. 1. Hoenon diſp. politic. 9. Exeges. th. 11. p. 438. Weſemb. Giphan. Ritterſhuſius ad §. ſed & quod; Paulus Manutius in lib. legum Roman lit. R. Cujac. in §. jus naturale Inſtit. de Jure Gentium naturali & civili Arumæus diſp. 1. ad inſtit. exer. 18. Juſtus Eccardus tract. de lege regia p. 9. & p. 28. Goveanus lib. 2. varior. c. 30.

Fundamentum opinionis ſuæ ex lib. 34. Livii tranſumunt, ſed meo judicio ea in re falluntur. Lex enim regia, cujus ibi fit mentio, active ſumitur, & una videtur ex illis, quæ a Romulo inter cæteras conſtituta cujus meminit etiam Dionyſ. Halic. lib. 2. It. Dn. Scipio Gentil. orat. de L. hac p. 73. Tiraquell. in tr. Ceſſ. cauſ. part. 1. num. 44. Lanſius diſp. de lege regia th. 28. hujus meminit Pomponius in l. 2. §. 2. ff. de orig. jur. Sed eadem ibi regia dicitur active, non paſſive; non enim agit illa de lege regia, quæ de poteſtate Imperatorum lata, ſed de legibus regiis, quæ a regibus conditæ & latæ fuere, ut a Romulo, Numa & quas a Sexto Papyrio, qui eas in unum collegiſſe corpus ſcribitur, jus papyrianum dixerint l. 2. §. 2. ff. de O. J. De his, de quibus Hottomann. in deſcript. JCtorum, qui a Pomponio in tit. de O. J. memorantur, Antonius Auguſtinus, Fulvius Urſinus Juſtus Lipſius & Franc. Modius in Antiludio lib. 6. de V. S. Briſſonius, Theodor. Marcilius Interpret. l. 12. Tabular. Ritterſhuſius in prolegom. dodecade. 4. p. 9. nulla hic eſt quæſtio Decian. lib. 2. tr. criminal. cap. 25. n. 2. Nonnulli ut Muretus ad l. 1. ff. de conſtit. Princip. Fr. Topius Norderm. de jure principatus concluſſ. 45. lit. A. Exiſtimant, legem regiam tunc primum cœpiſſe, quando L. Flac. Inter-Rex de Sylla perpet. dictator legem tulit, qua ei ſummam & plane regiam, omnium rerum poteſtatem in civitatem permiſit. Sed cum hæc lex de poteſtate Dictatoris lata ſit, ut ex lib. 1. Cic. de LL. & lib. 1. Appian. de bell. civil. regia non erit, cujus Ulpian. meminit Tiraquel. de Jure primogen. quæſt. 17. opin. 4. n. 25. Nonnulli ut Mynſing in dict. §. ſed & quod principi num. 1. Vent. Cæcil. in l. 2. §. noviſſime ff. de O. J. Æneas Sylvius lib. de ortu & auctoritate ſacri Rom. imperii c. 5. circa finem legem hanc tempore Julii Cæſaris latam contendunt. Cum autem nullam adferant probationem vel rationem aſſertionis, propterea nec fundatam intentionem mihi habere videntur. Alii, ut Bachovius ad diſp. Treutleri 1. p. 16. Gregor. Tholoſan. lib. 47. ſyntagm. Jur. univerſ. c. 21. Didac. Covaruv. lib. 1. practic. quæſt. c. 1. n. 3. Euginarius Baro. in l. Princeps. ff. de LL. Hopper. de vera Jurisprudent. l. 7. Arniſ. relect. politicar. lib. 2. c. 6. ſect. 4 n. 33. Matth. Stephan. de JCtione. lib. 2. c. 1. num. 77. Juſtus Springer. de pace Religion. c. 3. p. 47. Ungepaver. exercit. Juſtin. 1. theſ. 15. Paul. Caſtrenſis in l. non ambigitur ff. de LL. Akiat. in l. bonæ civitatis ff. de orig. jur. Reſtaur. Caſtald. de Imperatore quæſt. 4 n. 1. Barclajus contra monarchomachos. l. 3. c. 4. Scipio Gentilis orat. p. 25. Corras. lib 6. Miſcellan. c. 8. Arumæ. exercit. ad Juſtin. 1. theſ. 18. Borcholt. ad §. de Inſtit. de Jure Nat. & Gentium & civil. n. 13. Wegner. diſp. Inſtit. 1. th. 5. Thomas Lanſius diſp. de lege regia th. 4. Natales ejuſdem ad Auguſti referunt tempora, fundamentum ſententiæ hujus ſuæ adferunt ex lib. 53. hiſt. Dion. qui meminit, Auguſtum a populo legibus fuiſſe abſolutum. Hoc fundamento ſuppoſito, argumentantur, quæ lex principem legibus ſolvit, illa ſine dubio illa erit cujus fit mentio L. 1. ff. de conſtit. princip. argumento, quod ſane fateor, inſufficienti: non ſtatim enim illa lex regia erit dicenda, cujus autoritate quis legibus ſolvitur, ut ex hiſt. Rom. patet.

Sic Pompejus ut refert Plutarchus in vita ipſius, legibus ſolutus eſt, vid. Aſcon. quoque in L. Cornelianam, Bodin. lib. 1. de rep. c. 9. p. 132. Regiam quis tamen hanc appellandam dicet, aut in Pompejum ſummam poteſtatem fuiſſe translatam, ſicut lege regia id factum, Ulpian &c. Dd. commemorant. Noſtram equidem quod attinet ſententiam, nos legem regiam nunquam expreſſo quodam populi conſenſu latam, aut per eandem ſummum imperium in principes eſſe collatum. I. Enim, cum nullus hiſtoricorum mentionem injiciat hujus legis, ut bene obſervat Warem. ab. Ehremb. perſuadere mihi non poſſum, unquam hanc legem a populo eſſe latam, & quamvis argumentum in logicis ab autoritate ſeu teſtimonio humano negativum, admodum debile ſit, maxime tamen idem firmant præſumtiones ſupereminentes 1. enim, cum leges, ſenatus conſulta, de ſtillicidiis, de aquæ ductibus, de aleatoribus, de fullonibus, aliiſque parvis de rebus, quamvis reip. utilibus ac neceſſariis, non obruit oblivio vetuſtatis; ſic non præſumitur

temporis injuria, adeo hanc legem, qua imperium orbis terræ atque poſſeſſio humani generis ad unum delata, ſi unquam lata fuiſſet, intercidere potuiſſe, vel adeo ad minimum indiligentes fuiſſe hiſtoricos, ut rem tanti momenti monumentis ſuis non insererent, Scipio Gentil. orat. 3. rectorali, de regia lege p. m. 71.

II. Cum nomen regis adeo exoſum & intolerabile populo fuerit, & ipſe Auguſtus regium nomen & alios ſpecioſos titulos, invidiam concitantes averſatus ſit, Bulenger. 1. de Imper. Rom. cap. 19. & lib. 2. c. 27. lib. 3. c. 1. Beſold. lib. 1. politic c. 5. fol. 196. probabile non videtur, legem hanc regiam vel populi voluntate introductam, aut principum voluntate ſic appellatam, ut bene notat Paurmeiſter lib. 1. de Juriſd. Imp. Rom. c. 5. num. 3. ut vero nullo tempore legem regiam latam, recte notat Paurmeiſter, ſic in eo graviſſime errat, dum eandem ab Ulpiano, in gratiam Alexandri confictam, & in numerum legum relatam, ſcribit. In hunc errorem incidit vir hicce doctiſſimus dum ignoraret, ex quo, vel quando, hæc lex regia appellata ſit. Quæ ſane res equidem, ut ingenue fatear, me diu detinuit, ſeria tamen hujus rei inveſtigatione inſtituta animadverti, ſummam hanc poteſtatem, imo infinitam, per vim Principes Romanos arripuiſſe, quia tamen res erat invidiæ plena, ex nullo omnino titulo nullaque cauſa tanti imperii poſſeſſionem detinere, hinc ne per vim tantum imperium habere viderentur, ſed ex legitimo capite juris idem ab iis poſſidere, hinc ſpecioſum aliquem titulum poſſeſſionis obtendere coacti ſunt. Et ut ſæpiſſime fraudibus leges prætexuntur, ſic & Auguſtus I. Imperii vid. l. 3. C. de teſtament. ſe tantum poſſidere imperium populo perſuaſit, poſteriores vero Imperatores, ſicut partim aperta vi, partim fraude & dolo ſummam ad ſe pertraxere poteſtatem, ſic eandem quoque exercuerunt, ex cujus exercitio regia appellata, ratione ſcilicet effectus, quod Impp. & regali & ſumma, imo infinita & illimitata poteſtate præeſſent. Ludovic. Charondæ. 1. veroſimil. 2. Beſol. in Oeconom. tit. 3. & 4. l. 1. ff. quæſtion. 8. & lib. 1. politic. c. 5. p. 199. & 200. Quicquid autem ſit, cum hanc poteſtatem non populi voluntate, ſed partim per dolum fraudesque, partim per vim manifeſtam Principes Romani obtinuere, illegitima fuit eorundem poteſtas, & principes illi illegitimi ejusdem poſſeſſores, ut qui nec ex legitimo titulo, neque legitima cauſa tanti imperii poſſeſſionem obtinuerunt, quæ res, cum peſſimi ſit exempli, peſſime a Conringio loco exempli adducitur, cum nobis cum Conringio, non de imperiis tyrannicis illegitimis, per vim & dolum occupatis, ſed de principatu, civili voluntate & conſenſu populi delato, præſens ſit inſtituta diſputatio. Cum igitur neque jure divino neque humano, vel in ratione omnium populorum conſenſu recepta & fundata ſit infinita ejus & illimitata poteſtas, idcirco, ſicut omnia, quæ vi nituntur aut violenta ſunt, diuturna eſſe non poſſunt, ſic nec ejusmodi poteſtas quoque æterna eſſe poteſt, ſed breviſſimo temporis intervallo durat, & ipſis Impp. & principibus exitio eſt, & ut aliarum gentium hiſtorias omittam, grave hoc & memorabile, ſed a natis rebus & imperiis conditis maxime memorandum, ab Auguſto ad Conſtantinum Magnum XLI. ſive ut aliis placet XLV. Imperatores numerantur, ſed quia magna ex parte populo tyrannice & inhumane imperarunt, inque eum crudeliter ſævierunt, vix decem ex illis ſua & naturali morte defuncti ſunt. Nam Auguſti ſucceſſor, Claudius Tyberius Nero, inſidiis, & veneno a Cajo Caligula lento atque tepido eidem porrecto, in Campania extinctus eſt. Tranquill. in Tyberio lib 3. c. 7. Paulus Diaconus. lib. 7. hiſtoria miſcell. c. 24. Huic ſuccedens Cajus Caligula, cum adverſus cunctos ingenti avaritia, libidine, crudelitate ſæviret, interfectus eſt a militibus, Sueton. in Caligula lib. 4. cap. 58. Diaconus dict. lib. 27. cap. 26. Claudius. IV. Imperator, ab Auguſto veneno, ab uxore Agrippiana parato interimitur, Sueton. l. 6. in eodem. c. 44. Diaconus lib. 8. cap. 3. Nero V. Imp. ictu gladii ſe tranſegit Suetonius in eodem lib. 6. c. 49. Diacon. lib. 8. c. 6. Sergius Galba ab Auguſto VI. Principatum adeptus inſidiis Ottonis occiſus imperii menſe ſeptimo, iugulatus eſt in foro Romæ, Sueton. lib. 7. c. 20. Diacon. lib. 8. c. 7. capite amputato, lixis calonibusque donatus ab Othone. Otho ab Auguſto VII. invaſit imperium, ſponte ſemet occidit. Sueton. c. 10. lib. 7. Diacon. c. 8. in fin. dicti libri. Vitellius VIII. ab Auguſto imperio potius cum Neroni ſimilis eſſe vellet: Tumens, crudelis, avarus cum profuſione Sueton. in eodem lib. 7. cap. 18. Diacon. c. 9. vinctis poſt tergum manibus, minutiſſimorum ictuum crebris jctibus excarnificatus. Indeque unco tractus in tyberim merſus, communi caruit ſepultura. Diaconus dict. c. 9. T. Flavius Veſpaſianus IX. ab Auguſto Imp. profluvio ventris feſſus, in villa propria circa Sabinos exceſſit. Sueton. in eodem cap. 24. lib. 8. Paul Diaconus lib. 9. hiſtor. miſcell. c. 7. Titus Veſpaſianus X. ab Auguſto Imp. delitiæ amorque humani generis appellatus, morbo periit biennio poſt patrem. Sueton. in eodem. c. 10. lib. 2. Diacon. c. 10. Domitianus XI. ab Auguſto Imperator multis vulneribus confoſſus, ignobiliter eſt ſepultus Sueton. in eodem lib. 8. c. 17. Diacon. dict. l. 9. Coccejus Nerva XII. ab Auguſt. Imp. anno ætatis 70. Imperii vero 2. obiit & honeſte ſepultus eſt, Diacon. lib. 10. c. 2. Ulpianus Crinit. Trajanus. XIII. ab Auguſt. Imper. apud Seleuciam Iſauriæ profluvio ventris extinctus eſt, Diacon. lib. 10. c. 6. Ælius Hadrianus XIV. ab Auguſt. Imp. creatus, miſerabili exitu conſumtus, cruciatu membrorum fere omnium confectus, tandem obiit Diacon. lib. 10. cap. 10. Spartianus in eodem cap. 24. Antonius Fulvius Bojanus item pius dictus XV. ab Auguſt. Imperat. febri conſumtus, obiit in villa Diacon. c. 13. lib. 10. Capitolin. Hic ſtatim poſtponit M. Anton. Philoſophum Capitolin. in eodem c. 12. Tom. 1. hiſt. Auguſt. Aurelius Antonius Verus Imp. XVI. ab Auguſto. obiit in Panonia, Diacon. lib. 10. c. 17. Capitolin. in eodem cap. 11. Hic Vulcat. Gallicanum Avidium Caſſium inſerit tom. 1. hiſt. Auguſt. Lucius Aurel. Commodus ab Auguſto XVII. Imp. creatus, porrecto ab uxore veneni poculo, ab

immiſſo

Digitized by Google

immiſſo validiſſimo palæſtrita compreſſis faucibus expiravit, Diaconus cap. 18. lib 10. Lampridius in Commod. cap. 17. Helvius Pertinax, ab Auguſto XVIII. Imp. prætorianorum militum ſeditione & Salvii Juliani ſcelere, multis vulneribus obtruncatur, Diacon. lib. 10. c. 19. Capitolin. eodem cap. 14. tom. 1. hiſtor. Auguſt. Didius Salvius Julianus XIX. ab Aug. Imp. extenta cervice decollatur caputque ejus in roſtris ponitur, Diacon. lib. 10. c. 20. Spartian. in eodem c. 8. Septimius Severus, XX. poſt Auguſtum Romani imperii adminiſtrator, cruditate gravis ac plurimæ carnis preſſus expiravit Diacon. lib. 10. c. 22. juxta paludem ſemivivus inventus idem Spartian. c. 9. Antoninus Baſſian. Caracalla XXI. Imp. ab Auguſto, a milite, ad corporis cuſtodiam conſtituto, videlicet a Macrino præfecto prætorii, qui poſt imperium invaſit, interemtus. Spartianus cap. 6. in eod. Diacon. lib. 10. cap. 23. in eod. Opitius Macrinus cum filio Diadumeno XXII. & XXIII. Imperatores, creati ab exercitu & obtruncati, Diaconus c. 23. dict. lib 2-10. Antonius Heliogabalus XXIV. ab Auguſt. Imp. tumultu militari interfectus eſt, & corpus per vias urbis more canini cadaveris tractum Diacon dict. lib. 10. c. 24. Lamprid. in eodem cap. 17. & c. 33. Aurel. Severus Alexandr. XXV. ab Aug. Imp. capite obtruncatur, Diacon. d. lib. 10. c. 25. a militibus occiditur, Lamprid. cap. 61. Julius Maximus XXVI. ab Aug. Imp. a Pupieno cum filio occiditur Diacon. d. lib. cap. 26. Capitolin. in eod. cap. 23. Gordianus, ex Gordiani filia nepos Imp. XXVII. ab Aug. fraude Philippi præfecti prætorii interficitur. Diacon. c. 27. lib. 10. Capitolin. in Gordian. c. 16. & c. 30. Marcus Jul. Philip. XXVIII ab Aug. imperium invaſit Imperatorum Chriſtianorum primus cum filio Cajo Jul. Saturnin. Philippo ab exercitu interficitur, Diacon. c. 28. lib. 10. Decius XXIX. ab Auguſt. Imp. gurgite paludis ſubmergitur, Diacon. d. lib. 10. c. 29. Virius Gallus Imp. XXX. ab Aug. peſtilentia conſumitur Diacon. c. 30. Licinius Valerianus XXXI. ab Auguſt. Imp. cum filio Gallieno Imp. a Perſarum rege captus ignobili ſervitute conſenuit. Diacon. d. l. 10. cap. 31. Claudius, XXXII. ab Aug. Imp. electus a militibus vitam dono reip. dedit, Diacon. c. 34. d. lib. 10. Trebell. Pollio c. 12. in eod. tom. 1. hiſt. Auguſt. Aurelianus XXXIII. ab Aug. Imp. creatur, ſervi fraude occiditur. Diacon. c. 37. malitia notarii Mneſthei, & manu Mucaporis interemtus Vopiſcus in eodem cap. 36. Tacitus XXXIV. ab Aug. Imp. febre moritur Diacon. cap. 38. lib. 10. Vopiſcus in eodem cap. 13. inſidiis ſive factionibus militaribus oppreſſum commemorat.

Florianus Imp. XXXV. duobus menſibus imperio præfuit. Vopiſcus ibid. c. 38. inciſis a ſemetipſo venis conſumitur. Vopiſcus in Probo a militibus eum interfectum dicit c. 10. Probus, XXXVI. ab Aug. Imp. electus tumultu militari a Sirmio interficitur. Diacon. c. 38. Vopiſcus in eod. cap. 20. a militibus occiſum dicit. Ante Carum Vopiſcus, Firmum Saturninum Proculum & Bonoſum ponit. Firmus ab Aureliano occiſus. Vopiſcus in eod. c. 5. Saturnus jugulatus eſt a militibus, Vopiſcus eodem cap. 11. Proculus a Probo victus & interemtus eſt, Vopiſc. in eod. c. 13. Bonoſus laqueo finiit vitam Vopiſc. in eodem cap. 15. Carus, XXXVII. ab Auguſt. Imp. vi divini fulminis periit Diaconus c. 39. Vopiſcus in eod. c. 8. Diocletianus, ab Auguſt. Imp XXXVIII. Diacon. c. 4. hauſto veneno obiit. idem Diacon. cap. 45. lib. 10. Conſtantinus XXXIX. Imp. ab, Auguſt. Diacon. cap. 2. lib. 2. morbo conſumtus obiit. Diacon. lib. 2. c. 16. Conſtantinus & Galerius XL. & XLI. Imp. creati Diacon. c. 1. lib. 2. hiſt. miſcell. Conſtantinus Magnus, de quo Diacon. lib. 2. c. 2. morbo conſumtus obiit D. l. 11. c. 16. Hi inquam tot imperatores partim temporis injuria, partim culpa ſua e medio ſublati ſunt, propterea quod illis clementia Imperatorum dos, prima ex parte defuerit veluti de Aureliano Cæſare ſcribit Vopiſcus c. 44. in eod. cum juxta Eccleſiaſtici dictum c. 10. verſ. 8. Regnum a gente in gentem transfertur propter injuſtitias & contumelias, & diverſos dolos, adeoque crudelitate imperium non tenetur, ſiquidem veriſſima eſt Tragici ſententia: multos timeat neceſſe eſt, qui a multis timetur, ideoque, qui alios occidunt, ipſi etiam formidoloſi vivunt, id quod aperte d. Maximnio Cæſ. Julius Capitolin. teſtatum reliquit c. 9. in eod. Neque enim fuit crudelius animal in terris, inquit, omnia ſic in viribus ſuis ponens, quaſi non poſſet occidi, denique cum immortalem prope ſe crediderit, ob magnitudinem corporis ſui virtutisque, Mimus quidam in theatro, præſente illo dicitur verſus græcos dixiſſe, quorum hæc erat latina ſententia.

Et qui ab uno non poteſt occidi,
A multis occiditur,
Elephas grandis eſt & occiditur
Leo fortis & occiditur,
Cave multos, ſi ſingulos non times.

Hic tam præclarus Tyrannorum exitus, hæc fata principum immoderatorum, Plutarch. in Sympoſ. Laert. in vita Thalet. Senec. 1. de clement. Timpler lib. 1. politic. c. 2. quæſt. 1. Georg Schonborn lib. 2. politic. c. 39. Richter axiomat. polit. 100. 102. & 103. Adeo

Ad generum cereris ſine cæde & ſanguine pauci
Deſcendunt reges & ſicca morte tyranni.

Quam periculoſa ſit illimitata poteſtas ſatis abundeque audivimus, cujus intuitu uti ſumma non dicitur; Summum imperium ſic nec 2. talis eſt, ratione barbaricæ dominationis. Dominatio enim hæc, cum proxime accedat ad tyrannidem & nihil aliud ſit, quam tyrannis remiſſior Ariſt. 3. polit. c. 10. Heider. c. 6. polit. de ſpecieb. rerump. p. 792.

Barbaris convenientior exiſtimatur, ut iis, qui natura magis ſunt ſervili; eundem vero calceum populis in libertate natis, in libertate educatis, applicare velle, hominis prorſus inſanien-



Digitized by Google

tis & furioſi. Inſanire igitur mihi hic videtur Conringius & dignus, quo Anticyras mittatur, dum argumentis plurimis, a ſervilis conditionis hominibus deſumtis, ad liberrimi juris populos traducit eosdemque inepte ſervorum conditioni exæquare videtur ejusmodi conditiones, cum plerique ſint Europæi vid. Hippocrat. in libr. de Aere, aquis & locis, Bodin. c. 5. method. hiſt. & lib. 5. de rep. utpote libertatis amantiſſimi, adeo, ut eandem vita longe meliorem ducant, longe igitur generoſiori mente erunt prædití, quam tu degener Friſius, qui libertatem, rem alias inæſtimabilem, nec auro comparandam, miſerrimæ etiam vitæ th. 45. poſtponis, fateor, quin argumenta, quæ a ſervili conditione & jure dominationis th. 21. 22. 23. 25. 26. 27. 28. 29. 38. 39. 40. 43—47. Tranſumta, magnam vim ſint habitura apud populos barbaros, aſt populis liberis ridicula erunt; a barbaris enim & ſervilis naturæ hominibus magis æſtimari vitam, quam libertatem, deprehendimus, cum quibus tu, iniquiſſime liberi juris populos comparare mihi videris, imo ſervitus, ſi abſolute conferatur cum morte, libertas cum vita, eligibilior videtur libertas, quam vita mors quam ſervitus. Non equidem nego, mortalibus cunctis lucis aſpectum hunc ſuaviſſimum eſſe, Euripides in Oreſte, mirumque in modum ſplendido hoc æthere lucisque uſura delectari, Homer. Odyſſ. 11. confer. Stobæus ſerm. 118. fol. 601. e contra Plutonis ſpeluncam, ut rem terribilem, & deſcenſum ad eandem horrendum, extimeſcere. Ita quidem illis contingere ſolet, qui ut Ariſtoteles ob ignorantiam rei mortem, ceu malum maximum exhorreſcunt, vel cum Anacreonte apud Stobæum ſerm. 117. fol. 599. reditum hinc non ſperant, aſt cordatis & quibus meliora præcordia finxit Titan cum ſciant, mortem maximorum malorum eſſe remedium, & finem miſerrimæ vitæ Euripides apud Stobæum ſerm. 119. fol. 602. longe ea optabiliorem ducunt. His enim cum Democrito melior glorioſa mors, quam inglorioſa vita, nec certe ita truculenta eſt mors, quam forſan barbaris videtur, hos ſiquidem non perturbant res ipſæ, ſed rerum opiniones, mors enim nihil terribile alioquin & Socrati viſa foret; Sed opinio ſaltem de morte, miſeris ejusmodi hominibus terrorem incutit. Quod cum ita ſit, rectius faceres mi Conringe, ſi quando impediaris, perturberis, & mortem adeo exhorreſcas, nunquam alium niſi temet ipſum, tuasque opiniones accuſes, juxta monitum Epicteti in Enchiridio, quibus perſuaſus non tantum liberorum populorum jura invadis eosque mancipiis tuis, neſcio quibus, exæquare conaris, ſed etiam th. 27. innoxias principum manus, ad ſanguinem innoxium fundendum præparas, dum in th. dicta principibus perſuades, optimo quodam jure illis licere barbaras gentes, moribus ac religione diſſidentes, invadere & ſubigere, etiamſi ab iis nulla injuria provocati fuerint. Hanc licentiam ſibi quondam Græci ſumebant, qui omnes alias nationes, & eſſe barbaras, & ad ſervitutem natas dicebant, ſe ſolos ubique locorum liberos, & imperio dignos idem cacoethes Hiſpanos tenet, qui Americos, gentem innoxiam, a quo neque dicto neque facto laceſſiti fuerant unquam, inaudita crudelitate prope ad internecionem usque, mactarunt vid. de hac crudelitate tract. ſingularem Barthelemi de la caſa Simon. Goulart. hiſtoir admiral tom. 3. fol. 144. & c. Levin. Apollonius hiſtori. peruv. lib. 4. a princip. Hæc tu exempla allegas & dubitando de jure Hiſpanorum prætenſo, non oblique eorum actiones probas, cujusmodi bella jamdudum Lips. l. 5. pol. c 4. juſta pronunciavit ipſe Ariſtot. quoque, quin ejusdem fuerit ſententiæ, apparet ex lib. 1. c. 4. & 5. polit. is enim, qui primus author hujus ſententiæ fuit, Author extitit Alexand. M. ut aliorum populorum jura invaderet eosque ſub hoc prætextu & colore ſubigeret. Vasque lib. 1. illuſtr. controverſ. c. 1. hoc conſilium, quod primo ab Ariſtot. profectum, iniquiſſimum eſſe omnino apparebit, ſi idem ad principia noſtra revocetur. honeſtas enim non admittit, ut reges ac principes eo animo alienum invadunt imperium, quo auctior fiat dominatio, certe, qui hoc faciunt, nihil aliud, quam publicum profitentur latrocinium; remota enim juſtitia, quid regna aliud ſunt, niſi magna latrocinia inquit D. Aug. l. 4. de civit. Dei cap. 4. & Div. L. Cypr. ad Donat. egregie ad hoc alludit: madet inquit, orbis ſane mutuo ſanguine & homicidium cum admittunt ſinguli crimen eſt, virtus cum publice geritur, impunitatem ſceleribus acquirit non innocentiæ ratio, ſed ſævitiæ magnitudo. Hoc quod olim Demetrius Pirata Alexandro M. objecit probrum, vel maxime hic locum obtinere debet, illud honeſte demum quemcunque poſſe, quod jure & dignitate ſalva, poteſt l. 125. ubi Goed. d. V. S. Iniqua igitur ſunt arma, quibus ambitio & avaritia cauſſæ Gerhard. cent. quæſt. polit. decad. 7. q. 7. Caſman. vit. politic. c. 36. fol. 1191. n. 2. & 3. & Iſocrat. ad Nicocl. ex jure Gentium plane corrupto contra Melios argumentantur Athenienſes, cum apud Thucyd. lib. 5. ajunt ſic inter homines eſſe comparatum, ut æquis quidem viribus inſtructi de jure diſceptent, valentiores autem, quæ fieri poſſunt injungant, & inferiores non detrectent, vid. Illuſtriſſ. Enneckel. fol. 617. Ex his facile apparet, quid de Græcorum & Hiſpanorum actionibus ſentiendum, quas hic Conringius probat, Græci ſane, quos libido dominandi ſemper detinuit, quo jus invadendi aliorum populorum jura haberent, ſe ſolos imperio dignos æſtimabant, cæteros ad ſervitutem natos dicebant, hosque barbaros appellitabant, quæ ſane appellatio primum iis tributa, qui difficulter & aſpere loquerentur, ita cum primo, qui craſſiore eſſent lingua, barbari dicerentur aliarum gentium, viſæ ſunt ejusmodi linguæ, quæ videlicet non eſſent Græcorum itaque primum injuriæ & contumeliæ gratia barbari dicti, poſtea vero græca natio arrogantiores & nimium ſibi placentes, eam vocem uſurparunt, ut gentili communi appellatione diſtinguentes a Græcis, quamobrem omnes in univerſum gentes barbari vocabantur, exceptis Græcis, Strabo lib. 14. Geograph. vid. Lexicon. philolog. Martin. lit. b. Drus. 1. Hebraicar. quæſt. c. 17. It. 2. c. 12. voces exotic. Novi teſtamenti fol. 390. hoc ſibi gens cæterarum deſpicientiſſima arrogavit non ab aliis, ipſi tributum, Lælius Biſciola horar. ſucceſſivar. lib. 1. c. 21. quibus non abſimiles mihi videntur Hiſpani, de quorum domi-

dominandi cupiditate. vid. Leonhard. a Weid. in tract. de arcanis dominationis hiſpanic. & actionibus tragicis, cum toti terrarum orbi conſtet; quo jure igitur eaſdem Hermann. Conring. probat, non ſatis intelligo. Non enim certe hi, religionis amore, gentem americanam invaſerunt, ſed auri & ambitionis cupiditate, vid Thuan. hiſt. lib. 2. & poſito, bellum hoc ea intentione fuiſſe ſuſceptum, ad mores & errores eorum emendandos, color tamen hic redigendi invitas gentes ad mores humaniores, a theologis omnibus, etiam Hiſpanis, improbus atque impius cenſetur, videatur Vasquius lib. 1. illuſtr. controv. n. 5. Covarruv. cap. peccatum §. 10. Gentil. de jure belli 1. c. 9. & 12. de Suſanis part. 1. c. 14. Bocer. tract. de jure belli c. 6. & c. non enim qui errant, in viam revocandi ſunt armis aut cædibus, internecionibus, ſed docendo, monendo, benefaciendo, uti ſacræ nobis præſcribunt literæ. vid. Heid. politic. c. 5. de bello & pace p. 656. Marc. Anton. de domin. lib. 7. de rep. eccl. ut vero hæc ſit, nec quoque illa, quæ religionis quoque propagandæ cauſa ſuſcipiuntur, probanda. Tileman. diſp. pandect. 1. th. 16. Fides quippe, ut recte alicubi inquit Thomas, non tollit jus naturale aut humanum, a quo dominia ſunt profecta, quodque vult, ut homo homini non inſidietur. Decian. praxi crimin. f. 378. tract. Hugon. Grot. mare liberum inſcriptus c. 2. Heigius part. 1. quæſt. 12. n. 47. Ut vero hæc bella iniqua, ſic & triſtia ſolent eſſe, exemplo nobis ſint expeditiones illæ hieroſolymitanæ, ut ſtultiſſimi Claſſici, ita triſtiſſimi eventus fuerunt, ut ait Camman. 3. th. 22. de jure maj. Hoc cum ita ſit, hinc ſatis mirari non licet temeritatem Conringii, quod invitas gentes ad mores humaniores & ad veram religionem ſuſcipiendam vi & armis adigi & hoc prætextu ſubigi poſſe ſtatuit, quod, utut nefarium non minus, tamen ſtolidum & adulatorium eorum quoque erit conſilium, qui ad colorandam crudelitatem & ambitionem Hiſpanorum, jus aliquod ex pontificiæ donationis titulo obtendunt, ad id argumentum jam diu eſt, quod Attabaliba, Rex Peruanus, ſufficientem nos docuit reſponſionem, qui, cum Vincentus de Valle Viridi, Dominicanus monachus, eodem prætextu Imp. Caroli V. Indiarum adſereret monarchiam, Pontificem inſigniter fatuum & imprudentem eſſe, ex eo facile prodi referebat, quod aliena tam liberaliter largiatur. Hieronym. Benz. hiſtor. occidentali 3. cap. 1.

III. Sicut igitur imperium civile ſeu politicum, de quo agimus, ſummum non dicitur, ratione termini independentis a priori, nec 2. quaſi omnino termino careat a poſteriori, cum nullum imperium detur, quod vel infinitum, nullo termino circumſcriptum, imo, ſi tale forſan detur, barbaricum plane ſit, ita tertio ſummum hic dicitur, ratione autoritatis, eo quod magnitudine ſua omnes reliquas poteſtates complectatur & ſuperet, Hoenon. diſp. polit. 3. fol. 112. & reliquarum in republica poteſtatum fons & ſcaturigo ſit anguſtiſſima, baſis & origo tum jurisdictionis, tum judicii, tum magiſtratus & imperii, adeoque in eadem republica exiſtentis poteſtatis cujuscunque, Weſemb. in paratit. de Ictione n. 9. Bornitius de maj. c. 4. fol. 46. & c. 12. fol. 105. Etherius Mohr. diſp. de Ictione c. 2. th. 2. Menoch. 2. de præſumtion. 14. num. 2. Calvin. in proceſſ. judicior. fol. 227. n. 14. 18. Beſold. de appellat. c. 2. n. 16. fol. 60. Mascard. concluſ. 1054. num. 2. Bronchorſt. I ἐναντι 15. Alciat. 2 parerg. 6. Bellon ſupputa 1. c. 1. Lyclama 5. membr. c. 8. Tileman. volum. 1. diſp. 4. th. 18. Joachim. Stephan. 1. de Ictione c. 3. n. 25. Bodin. method. hiſtor. c. 6. Scipio Gentilis lib. 3. de Ictione c. 3. fol. 348. Obrecht de jurisd. c. 4. n. 7. Bocer. 8. de Iction. num. 3. Arumæ. diſp. ad LL. præcipuas 2. th. 3. tum quod reliquas poteſtates ſplendore ſuo ſuperveniente obfurſcet. Born. de fundando reipublicæ ſtatu c. 1. p. 2. Beſold. de jure maj. c. 6. th. 28. lib. 1. polit. c. 7. fol. 77. Hoenon. diſp. politic. 3. th. 42. fol. 112. quo aptiſſime Plinius in panegyr. fol. 120. edit. Juſti Lipſii altiſſimæ, ait, civium dignitates, collatione faſtigii imperialis, quaſi deprimuntur, quantoque propius ad magnitudinem aſcendunt, tanto etiam a ſua deſcendiſſe videantur, non aliter, ac ſolis luce ſtellæ cæteræ obfuſcantur, ſoleque etiam ſuper Horizontem exiſtente, lumine ſolari, tanquam mutuatitio, ſplendent, ita eo, qui majeſtate præfulget, præſente, omnes aliæ poteſtates conticeſcunt. Günther. in ligur. 2. Atque omnis judex, omnisque poteſtas, atque magiſtratus, ipſo præſente, quieſcunt. Conf. Caſpar. Schieferdegher lib. 3. tract. ultim. quæſt. ultim. Bocer de jurisdict. c. 8. n. 80. Ummius diſp. 5. num. 60. Caſpar. Leipold. apud Arumæum diſcurſ. 13. q. 1. Berlichius tom. 1. c. 2. concl. pp. Petr. Heig. 2. quæſt. 25. Cumque igitur ſummum imperium, ratione magnitudinis & autoritatis, ſummum dicatur, hinc in quo ejus vis ac poteſtas poſita ſit, maxime diſpiciendum erit, quæ cum meliori ratione dignoſci nequit, quam ex ejusdem juribus, quæ ſummo imperio eſſentiali quodam nexu cohærent & a poſteriori, ceu effectu, ſuam cauſam demonſtrant, de his egit author præſentis exercitationis th. 6. ſed admodum jejune & frigide, non ſecus, ut ciconia, a vulpecula eluſa, vitrum lambendo pultem non attingebat, præterquam enim, quod vix tribus verbis de ſummi imperii juribus agat, adhæc maxime obſcure ejusdem capita proponit Ariſtoteles, equidem magis diſtincte lib. 4. pol. c. 4. D. m. 147. de his agit, aſt idem quoque nimis ſuccincte tractat, juniores JCti, ut Caſtrenſ. conf. 196. lib. 2. Decius conſ. 192. curt. junior conſ. 1. num. 29. Paris conſ. 1. num. 5. lib. 1. Boſſius tit. de crimin. maj. num. 52. it. tit. de Rege num. 1. Socinus conſil. 4. lib. 3. Jaſon conſ. 227. lib. 1. Cacheran. deciſ. pedemont. n. 1. Diffuſis quidem diſcurſibus & diſputationibus, ſuper hac re inſtitutis, rem proſecuti ſunt, aſt quod alibi Ariſtoteli, in præſenti diſputatione Hermanno Conringio infeliciter accidit, idem quoque fatum his obvenit, ut ſumma ſummi imperii jura cum magiſtratuum muneribus confunderent. Nam 1. jurisdictio, quam Ariſtoteles tertiam reipublicæ partem facit, quia omnibus fere magiſtratibus æque ac Principibus congruit, majeſtatis igitur propria non erit. Sic etiam 2. magiſtratuum creatio, utpote quæ ſubditis etiam convenit, qui non modo magiſtratuum miniſtros domi ac militiæ, verum etiam ipſos magiſtratus creandi jus

ſæpe

Digitized by Google

ſæpe habent tribuni militares, quibus imperium ac jurisdictio militum tributa eſt a conſulibus, creari conſueverant. Inter-Rex etiam dictatorem dicebat, hic magiſtrum equitum, denique quibus vaſallis in fiduciæ formula attributa jurisdictio eſt, magiſtratus ac judices creare licet, eisque imperium adimere, quos tamen nullam habere majeſtatem, probat Bodinus lib. 1. de republ. cap. 9. idem judicandum relinquitur de pœnis, quas a magiſtratibus decerni videmus, tametſi omnem poteſtatem Principi acceptam ferant. Conſilium item de republica capere, non magis ad majeſtatem pertinet, quam præmiorum ac poenarum poteſtas, cum id proprium ſit ſenatus, cujus officium a Principis officio diviſas rationes, ex quo perſpicitur nihil eorum, quibus Ariſtoteles, & ex eo Conringius, rempublicam continere dixit, majeſtatis proprium eſſe, vel ad imperium ſummum pertinere.

Cum enim ſummum imperium ſumma definiatur poteſtas, longe igitur ab aliorum magiſtratuum autoritate & poteſtate erit diverſa, Beſold. lib. 1. politic. c. 2. th. 29. fol. 87. altitudo enim hæc poteſtatis cum aliorum imperiis commiſceri non poteſt, nec debet, Arnold. Clapmar. de arcanis rerumpublicarum c. 4. Dn. Hilliger. ad Donell. 17. c. 7. fol. 54. Vincent. Cabotius diſp. jurispublic. & privat. c. 7. Piſo Soacius de Roman. & Venet. magiſtratibus, comparatione n. 15. Philipp. Hœnon. diſp. polit. 10. th. 12. & 38. Fritzius apud Arumæum diſcurſ. 16. th. 118. fol. 440. Bodin. lib. 1. de rep. c. 10. fol. 234. quod cum ita ſit, unde quoque nec ejusdem jura, quæ ſummo Principi propria, magiſtratibus aut privatis tribui poſſunt, diſſent. Bocer. de jurisdict. c. 8. n. 53. 54. 71. aut ſi ſummis Principibus ac privatis communia ſint, jura majeſtatis eſſe deſinant. Bald. conſ. 274. lib. 3. & conſil. 30. 3. eod. Alexand. conſil. 441. lib. 1. not. 2. Joan. Andree in c. ultim. de præbend. Imola in rubrica de V. O. Claud. Aquenſ. in ſumma titul. qui feudum dare limitat. 1. & 12. Molinæus tit. de feud. §. 48. q. 1 Cynus in lib ſi viva matre de bon. matern. C. plateal. ſi quis decurionibus. Felin. in Rubric. extra de præſcription. Cardin. Florentin. & Jaſon in proemio feudor.

Quæ res, cum ita ſe habeat, de juribus ſummi imperii ſeu ſummæ poteſtatis, maxime pro cognitione neceſſaria in gratiam aliorum ſummaria, compendioſa ratione & diſtincta tractatione jura ſummi imperii proponam. Jura imperii vere alia ſacra, alia politica ſunt. Matt. Bortius apud Arumæum diſcurſu 30. c. 3. th. 2. fol. 861. Jus rerum ſacrarum, quod jus ſacratum Virgilius vocat, quodque tantam conciliat reverentiam & majeſtatem, ad ſummum imperium recte Arnold. Clapmar. refert lib. 1. de arc. rerump. c. 15. etenim ita proprium eſſe Principis, curare & tueri ſacra, veteres ſtatuerunt, ut plerique habuerint ſacerdotii & regni munera conjunctim, Virgil. Æneid. 3. Alber. Gentil. diſp. reg. 1. fol. 8. Warem. ab Ehrenberg. veroſimil. n. 5. 11. 12, Sixtin. 1. de regal. c. 4. n. 1. Greg. Tholoſ. 8. de rep. 2. n. 6. Beſold. c. 3. de jur. maj. th. 4. lib. 1. pol. fol. 100. Arumæ. tr. de exempt. cler. c. 1. n. 4. plura Reinking. de regim. eccl. Beſold. c. 3. fol. 101. ad 142. lib. 1. pol. Politica jura ſunt vel majora, vel minora, Beſold. c. 4. de jure maj. lib. 1. polit. fol. 144. Joachim. Stephan. 3. de jurisd. c. 8. n. 2. Bornit. tr. de. maj. c. 30. Interea primum locum obtinet jus, poteſtas & autoritas novas leges ſanciendi l. fin. c. de LL. Bodin. 1. de rep. c. 10. Bart. ad l. 3. n. 8. ff. de jurisd. Maſſ. de gloria mundi part. 5. conſid. 24. §. 27. Joh. Azor. inſt. mor. lib. 10. c. 7. inpr. Tom. 2. Reſtaur. Caſtaldus de imper. q. 110. n. 1. Bornit. de maj. c. 16. Vasque illuſtr. 47. Fachin. 13. controv. c. 12. fol. 204. Lancellot. temp. jud. c. 1. §. 4. fol. 31. Marta tr. de jurisd. c. 87. Tim. Faber. diſp. ad inſtit. 3. th. 9. Nicol. Betſius de pact. fam. illuſtr. c. 3. Harprecht. ad §. 6. n. 12. inſt. de J. N. G. & C. Veteres mutandi L. 1. L. pen. L. ult. C. de LL. Winckl. de princ. jur. 5. c. 7. Donel. 1. com. 12. Lancel. in templ. om. judic. fol. 365. Cabot. lib. 2. c. 1. fol. 179. Beſold. th. 6. c. 4. de juribus ſum. part. fol. 49. lib. 1. pol. aut easdem confirmand. L. 2. C. decurion. Moditius in deciſ. §. Principum placita dub. 50. 60. &c. Paul. Buſius ſub tit. jur. 1. cap. 7. Donell. 1. comm. 13. Hunn. tr. de interpret. 1. c. 1. Forſt. in interprete ſuo 1. c. 1. Gœd. ad l. 6. in pr. n. 9. de V. S. item derogandi Camman. 4. de regal. th. 17. Bodin. lib. 1. c. 10. Scotan. in parat. cod. l. 1. tit. 14. fol. 102. Beſold. diſp. 4. c. 4. lib. 1. pol. fol. 148. Theod. Reinking. lib. 1. de Reg. ſecul. & eccleſ. claſ. 5. c. 6. n. 144. fol. 310. Vel circa easdem diſpenſandi & acrimoniam earum inflectendi, vid. cod. Fabrian. lib. 9. tit. 24. & 34. Freher. 3. de infam. c. 7. Marta part. 1. c. 44. Bodin. 1. rep. c. 40. Henr. Eccard. tr. de ordin. eccleſ. & pol. fol. 217. Philip. Hœnon. diſp. pol. 9. th. 13. & diſp. de reg. jur. 6. ad 37. Heig. part. 2. q. 24. n. 29. Obrecht. de regal. th. 164. Dn. 9. Plebſt. diſp. feud. 2. th. 48. L. B. Camman. diſp. 4. th. 73. Covar. variar. reſol. 2. c. 9. Petr. Faber. 5. de jurisd. n. 70. Clar. §. fin. q. 60. Menoch. arbitr. 1. q. 96. Tiraquell. tr. de pœn. in præf. n. 21. Bornit. de maj. c. 9. Cabotius 2. c. 5. Bocer. 5. de jurisd. n. 65. Vasque illuſt. cont. c. 25. Auguſt. Morla in emporio jur. tit. 1. q. 2. Pruckman. tr. de regal. §. ſoluta poteſtas fol. 215. & 238. Camman. 4. th. 60. Lancell. tr. in templ. jud. 1. c. 1. §. 4. fol. 337. Petra c. 27. II. Jus vitæ & necis Polyb. lib. 6. Beſold. l. 1. pol. c. 4. fol. 57. Thom. Smithius de rep. Angl. lib. 2. c. 4. fol. 67. M. Freher. ad Petr. de Andlo 1. c. 1. Stephan. Brut. q. 3. Vind. contr. tyran. Non equidem quaſi directe & ex arbitrio aliquem vita privare, vel more Japonici Regis offenſus alicui mandare poſſit, ut abeat & ſibi ventrem ſcindat. vid. Boter. pol. Reg. Chriſt. Matth. colleg. pol. 2. diſp. ultim. th. 37. Bodin. lib. 6. de rep. c. ult. n. 757. Sed indirecte & per leges vid. Alſt. in pol. ſua maj. imperantis hocce jus competit. III. Jus extremæ provocationis L. 1. §. 4. ff. de iis, a quibus appel. non lic. Lancell. 1. c. 1. D. 4. f. 429. Ant. Winther. in aſſeſſore part. 1. c. 4. Beſold. de appel. c. 2. ſect. 18. fol. 67. Berteri 1. pithan. 17. Cluten. parad. 12. Colerus de imper. Rom. th. 21. Beſold. th. 27. Bodin. 1. de rep. p. 110. Clapmar. 1. c. 19. Tholoſ. 9. de rep. c. 1. n. 35. IV. Jus belli L. 17. C. de re militari Nov. 10. Thom. Maulius tr. de homag. c. 5. Knich. de territor. c. 3. n. 352. Schonbor. l. 6. pol. c. 12. Marta p. 1. c. 39. c. quid culpatur 23.

q. 1.

Digitized by Google

q. 1. Bocer. de bell. c. 5. Alber. Gent. 1. de jure belli cap. 3. Heig. part. 2. quæſt. 32. n. 8. Johan von Elſvvich diſp. pol. 13. th. 9. Sueton. c. 4. ubi Caſaubon. Camman. 5. th. 54. & 63. Beſold. th. 24. c. 4. lib. 1. pol. 1. fol. 164. Hinc diffidationes privatorum, Befehdungen, capitales habentur, Selbgerichte, Hottoman. ad tit. 22. lib. 2. feud. Item repreſſaliæ prohibitæ, Heig. 1. q. 12. Cothm. conſ. 52. n. 342. vol. 2. Barth. Agala de bello 1. cap. 4. Arnold. Engelbrecht. diſp. de imper. rom. th. 75. Tim. Faber. diſp. ad inſt. 3. th. 4. Rittershuſ. ad Novell. part. 3. c. 7. Dalner. in fin. tr. de renunciat. Bronchorſt. 1. miſcell. art. 75. Nec licitæ, niſi auctoritate ſuperioris & plenitudine ipſius ſuſcipiantur Weſemb. conſ. 46. n. 7. Coler. de proceſſ. exec. part. 1. c. 2. n. 269. Gail de pignorat. c. 1. n. 5. & c. 2. n. 2. Sixtin. de regal. lib. 2. c. 2. n. 12. Camman. de regal. 5. th. 68. V. & Pacis, Mart. 1. de juriſd. c. 39. ad fin. & cap. 40. 41. Cabotius 2. diſp. 15. Bronch. miſcel. c. 14. Beſold. th. 27. c. 4. lib. 1. fol. 166. VI. Jus comitiorum, ſeu poteſtas deliberandi & decidendi de rebus, ad rempublicam pertinentibus, inter jura ſummi imperii refertur. vid. Bortius apud Arumæum diſc. 30. c. 3. n. 21. fol. 875. Born. c. 26. Beſold. th. 30. c. 4. fol. 167. lib. 1. pol. Bertrand. apud Arumæum diſc. 9. th. 17. VII. Jus mittendi & recipiendi legatos, inter jura ſummi imperii referunt. Born. c. 28. Nemini ſiquidem ſubditorum hoc jus conceſſum reputatur, eoque nomine anno 1604. Regis Hiſpaniæ legatus petiit, ne Britanniæ Rex Batavorum oratorem Ambaſſadeurs nomine dignaretur. Meteran von den Niederländiſchen Krieges-Händeln, utut hoc jure Principes imp. Germ. ex privilegio gaudeant. Kirchner. de legat. 1. c. 3. n. 10. Hæc de ſummæ poteſtatis juribus majoribus; ſequuntur minora, quæ vulgo vocantur regalia. Quæ exinde denominationem habent, quod plerumque a Regibus, vel Principibus, ſuperiorem non recognoſcentibus, in ſignum ſupremæ præeminentiæ immenſique laboris, præmia & publicæ utilitatis commoda, ad imperii dignitatem & majeſtatem conſervandam tendentia, data, conceſſa & reſervata, Vultej. lib. 1. de feud. c. 5. n. 67. Ferrar. Montan. lib. 5. feud. c. 7. Borch. c. 11. Roland. a Valle conſ. 1. num. 153. vol. 2. Cæpol. in tr. de ſerv. ruſtic. præd. c. 28. portu n. 2. Marc. Anton. Peregrinus de jure fiſci lib. 1. tit. 2. n. 76. Pruckman. de regal. c. 1. n. 16. Marant. in ſpec. aur. p. 4. diſt. 5. n. 3. Corſet. tr. de poteſtat. Reg. q. 49. n. 13. Hæc communiter diſtinguuntur in majora & minora. Zaſ. conſ. 16. n. 64. vol. 2. Vultej. de feud. c. 5. n. 7. Ferrar. Montan. l. 5. feud. c. 7. Roſenthal. de feud. c. 5. concluſ. 2. L. A. fol. 149. Majora dicuntur, quæ in præeminentiam & dignitatem Principibus, ſuperiorem non recognoſcentibus, & paſſim in legibus & conſuetudinibus exercenda ſpecialiter permittuntur. Zaſ. d. conſ. 16. n. 64. vol. 2. Vultej. de feud. c. 5. n. 7. Inter majora regalia refertur

(1) Facultas & poteſtas dignitates regales conferendi. Peregrinus de jure fiſci lib. 1. n. 39. tit. 2. Zaſ. conſ. 16. n. 64. vol. 2. Roſenthal. l. d. tit. 6. f. 149. Vincent. Cabot. 2. diſp. jur. var. c. ultim. Beſold. tr. de appellat. c. 2. ſect. 15. Heig. part. 1. quæſt. 1. & 2. Camman. 6. th. 60. 63. Rutger. Ruland. de commiſſ. lib. 5. c. 4. n. 34. part. 2. Lancellot. templ. omn. judic. c. 1. §. 4. fol. 387. Marquard. Freher. ad Petr. de Andlo. fol. 186.

(2) Poteſtas liberos, extra matrimonium legitimum quæſitos, legitimandi t. t. C. de nat. reſtit. Nov. 89. Raphael Cuman. conſ. 162. Jaſon conſ. 70. n. 1. vol. 3. Pariſ. conſ. n. 7. vol. 2. Chaſſan. de gloria mundi. Schneidvv. part. 2. jur. feud. n. 97. Vultej. c. 5. n. 7. Beſold. th. 13. fol. 15. c. 4. lib. 1. pol. Bocer. 2. de regal. n. 68. Andr. Gail. 2. obſ. 142. Zaſ. conſ. 16. n. 64. Natta conſ. 487. n. 11. & conſ. 500. n. 40. Valent. Forſter. de ſucceſſ. ab inteſt. l. 6. c. 34. n. 32. Azor. inſt. mor. lib. 10. c. 7. tom. 2. Pruckman. §. ſoluta poteſt. fol. 278.

(3) Poteſtas legis univerſalis condendæ huc refertur a nonnullis. vid. Roſenthal. ſyn. jur. feud. c. 5. concluſ. 2. L. F. Peregrinus de jure fiſci tit. 1. n. 10. ſed eadem meliori ratione ad jura majeſtatis majora ſpectare videtur.

(4) Jus comites palatinos creandi. Sonsbeck. part. 8. n. 18. Gail. 1. obſ. 25. Alvarot. c. 1. n. 6. quæ ſunt regalia. Bartol. in l. non aliter ff. de Adopt. Vultej. de feud. c. 5. n. 7. Bocer. 2. de regal. n. 161. Beſold. th. 49. de jure maj. c. 4. lib. 1. fol. 180. Lancellot. templo jud. 1. c. 1. §. 4. fol. 364. Matth. Stephan. de juriſd. part. 2. n. 7.

(5) Jus veniam ætatis concedendi l. 1. & tot. tit. C. de his, qui ven. ætat. afflict. in d. c. 1. n. 81. quæ ſunt regal. Roſenth. c. 5. concl. 2. lib. 1. fol. 149. Reinking. claſſ. 5. lib. 1. c. 6. num. 141. fol. 311. Hilliger. ad Donel. lib. 21. c. 12. Nicol. Betſius de pact. famil. fol. 273. Paul. Montan. tr. de tutel. c. 37. Reg. 2. p. 186. n. 36.

(6) Jus erigendi univerſitatem, Roſenthal. d. t. Schneidw. Ferrar. Montan. l. alleg. creandi doctores & licentiatos. Bachov. ad Treutl. diſp. 1. fol 28. Vultej. de feud. 1. c. 5. n. 7. Kirchner. diſp. 2. coral. 4. Chriſt. Matth. colleg. pol. 2. diſp. th. 14. Beſold. th. 48. c. 4. de jure maj. fol. 180. lib. 1. pol.

(7) Jus nobilitandi Dd. in l. 1. de natal. reſtit. Bart. & alii in l. 1. C. de dignit. lib. 12. Prückman. in tr. ſol. poteſt. memb. 1. effect. 4. per tot. Tiraquell. in tr. de nobilit. c. 6. Paul. Caſtrenſis in conſ. 21. n. 2. part. 2. Vultej. c. 5. n. 7. Maſcard. de probat. concluſ. 1094. n. 5. vol. 2. Bornit. de maj. c. 20. & tr. de præm. c. 3. Camman. 5. th. 7. P. Fritzius apud Arumæum diſc. 16. th. 20. fol. 453. Hæc multaque alia in locis his allegatis paſſim videnda. Quæ Principibus ſummis propria, alii, niſi ex ſingulari privilegio, vel conſuetudine antiqua, habent. Ægid. Boſ. tit. de regal. n. 11. Borch. c. 4. n. 12. Roſenthal. c. 5. concl. 2. l. c. fol. 49. Paurmeiſter. 2. de juriſdict. c. pen. n. 19.

(8) Jus reſtituendi famæ & honoribus, lib. 1. C. de ſent. paſ. Thom. Mich. de juriſdict. concl. 11. l. 8. Sixtin. de regal. c. 2. n. 20. Roſenthal. de feud. c. 5. con. 2. n. 4. fol. 49.

Theod. Reinking. lib. 1. claſſ. 5. c. 6. n. 131. fol. 310. Rudolph. Fornerius rer. quotid. c. 19. Beſold. c. 4. lib. 1. pol. th. 12. fol. 156.

(9) Poteſtas nundinas ſolennes majores inſtituendi l. un. C. de nund. l. 1. ff. eod. Bortius apud Arumæ. diſcurſ. 30. c. 3. th. 26. fol. 881. Jus Stapulæ ſeu Emporii jus, Mynſing. conſ. 19. Sixtin. 2. de regalib. c. 3. n. 39.

Huc usque de regalibus majoribus; ordo jam poſtulat, ut paucis & de minoribus agamus, quæ Principi ad conſervationem ejusdem imperii ſunt conceſſa. Ut enim majora conſervant dignitatem, ſic hæc utilitatem imperii ſpectant. Peregr. de jure fiſci lib. 1. tit. 1. n. 9. Zaſ. conſ. 16. n 64. vol. 2. Roſenthal. de feud. c. 5. concl. 2. & 3. Sequentia autem fere ſunt:

(1) Merum & mixtum imperium, Hohe und Nieder-Gerichte. Gail. de pace publ. c. 1. n. 14. lib. 1. Rol. a Valle conc. 42. n. 5. & 32. vol. 2. Menoch. præſump. 97. n. 10. 28. 29. lib. 2. Mozz. t. de his, qui feud. dar. poſſ. n. 13. Vult. Herm. c. 5. n. 7. Oldrat. conſ. 252. Cravet. conſ. 128. n. 4. Socin. jun. conſ. 126. n. 37. vol. 3. item conſ. 76. vol. 4. Natta conſ. 240. n. 4. M. Anton. Peregrin. tit. 1. n. 10. lib. 1. quod regulariter conceſſum intelligitur, quoties jurisdictio alii conceditur. Decius in l. imperium n. 27. de jurisd. Alexand. conſ. 35. lib. 9. & lib. 1. n. 66. de offic. ej. cui mand. jurisd. Menoch. præſumt. 97. n. 40. lib. 1. Rol. a Valle conſ. 42. n. 40. vol. 2. ſive cum caſtro vel territorio, ſive ſine eo, jurisdictio transferatur. Olrad. conſ. 121. Jaſon. conſ. 102. n. 2. vol. 1. Boër. q. 58. n. 11. Menoch. præſumt. 98. n. 3. lib. 3. Molinæus conſ. Pariſ. 35. n. 16. Michael Graſſ. comm. opin. lib. 1. c. 2. Pontan. in conſuet. Bleſens tit. 65. §. 20. col. 3. & 4.

(2) Armandiæ ſive armamentaria publica c. 1. quæ ſunt regal. ibi Baro Hottom. Borchol. Cujac. lib. 5. feud. in conſtit. Friderici ſub rubr. alia de jure fiſci. Vult. de feud. l. 1. c. 5. n. 7. Peregrinus de jure fiſci rubr. 1. n. 14. Covarr. in c. peccatum §. 9. n. 1. de reg. jur. Bart. in l. hoſtes de captiv. & poſtlim. reverſ. Roſenthal c. 5. & 20. fol. 166. Camman. 5. th. 64. Knich. in epopſi n. 438.

(3) Jus muniendi & fortificandi civitates lib. 9. de rer. div. Gail. 2. obſ. 69. n. 18. Camman. 5. th. 67. Moditius §. plebiſcitum dub. 77. Juſtus Gebhardus apud Arumæ. diſc. 17. th. 31. fol. 496. Cunæus de rep. Hebræorum c. 7. fol. 58.

(4) Jus exercendi militiam, Muſterung. Zacharias Friedenreich polit. c. 28. fol. 167. Camman. 5. §. 66. Cunæus de rep. Hebræor. 2. c. 21.

(5) Viæ publicæ, Landſtraſſen, alias viæ regiæ, vel prætoriæ, vel conſulares, vel militares nuncupata, nobis frey Kayſerliche Heer-oder Reichsſtraſſen, inter regalia etiam numerantur. Mynſing. obſ. 70. cent. 5. Gail. 2. obſ. 64. n. 4. Item de pace publ. lib. 2. c. 1. n. 13. Pet. Gregor. Tholoſ. ſyntag. jur. univerſ. lib. 3. c. 12. n. 1. Vultej. lib. 1. p. 5. n. 7. Schneidvv. part. 2. n. 101. Cæpol. de ſervit. ruſt. præd. tit 3. de ſervit. viæ n. 16. Mart. Anton. Peregrin. de iure fiſci tit. 1. n. 16. l. 1. non ſolum ratione iurisdictionis, Rol. a Valle conſ. 88. n. 9. Cacheran. deciſ. 30. n. 5. vol. 7. Decius conſ. c. 28. n. 9. Gail. de pace publ. 1. c. 6. n. 14. & c. 11. n. 5. Item lib. 2. c. 1. n. 13. Bald. in l. 1. n. 8. & ibi Jaſon. n. 6. c. de ſum. trinit. Pruckm. de Reg. §. ſoluta pot. c. 2. n. 30. M. Anton. Pereg. lib. 1. tit. 2. n. 10. Sed etiam protectionis, ratione cuius obligatus Dominus loci omnibus tranſeuntibus in via publica ſecuritatem præſtare, Alciat. conſ. 1. n. 13. vol. 7. Philip. Corner. conſ. 181. n. 15. vol. 3. Guido Papæ deciſ. 4. 13. n. 2. Tholoſ. ſyntagm. jur. univ. lib. 3. c. 3. n. 7. Zaſius conſ. 14. n. 8. ſeqq. vol. 1. Calcan. conſ. 61. Wurmbs. obſ. 6. Mynſing. obſerv. 70. cent. 5. Joach. a Bueſt in rub. de jurejur. n. 168. Et ſi qui damnum paſſi fuere, illud de iure reſarcire tenetur Gail. 2. obſerv. 64. n. 1.

(6) Flumina navigabilia Tholoſ. ſyntagm. iuris univ. lib. 3. c. 14. n. 14. Decius conſ. 197. n. 1. conſ. 244. n. 7. Rol. a Valle conſ. 97. n. 4. vol. 3. Vultei. lib. 1. c. 5. Borchol. de regal. n. 30. Ferra. Montan. lib. 5. c. 7. Quæ etſi utilitate iure naturæ communia, Roſenthal. de feud. c. 5. concl. 23. Jaſon. conſ. 119. vol. 4. Dec. conſ. 197. n. 2. ratione tamen imperii, iurisdictionis, alicuius propria ſunt & ſic inter regalia referuntur. Stephan. Bertrand. conſ. 255. n. 8. vol. 1. Cardin. Zabarell. conſ. 38. n. 3. & 5. Boer. in conſuetud. Bituric. tit. de conſuetud. prædiorum. Peregrinus de iure feud. rubr. 1. n. 20. l. 1. Tiraquel. de nobil. c. 37. n. 140. Covarruv. in cap. peccat. §. 8. p. 2. n. 1. Guido Papæ conſ. 171. n. 1. deciſ. 514. Hottomann. conſ 93. n. 6. Thom. Grammat. deciſ. 67. n. 9. Clar. in §. feudum q. 30. Curt. Senior. conſ. 56. n. 3. & 4. Barth. Socinus conſ. 79 n. 1. vol. 3. Alexand. in conſ. 194. num. 8. l. 3. Schrad. p. 3. c. 4. num. 37. Ripa num. 36. ff. de fluminib.

(7) Portus loci concluſi, Hafen, qui nihil aliud ſunt, quam ſtationes concluſæ & munitæ, quo naves ibi appelli & tuto commorari queant. Alciat. de V. S. Roſenthal tr. & ſynop. iur. feud. c. 5. concl. 31. fol. 173. Iſern. in c. 1. n. 9. qui ſunt regal. & ibi Alvarott. Hottom. Cuiac. Vultei. c. 5. n. 7. lib. 1. Petr. Gregor. Tholoſan. ſyntagm. iur. univ. lib. 3. c. 14. n. 7.

(8) Ripatica, ſeu naulum, quod pro traiectione hominum & aliarum rerum exigi ſolet Fehr-Geld. Alverott. & Raven. l. c. Peregrinus de iure fiſci lib. 1. tit. 1. n. 24. Roſenthal. l. d. concl. 32. fol. 174.

(9) Vectigalia aut gabellæ, item prædagia ſeu reditus, qui invectione & evectione mercium præſtantur. Cravett. conſ. 209. n. 3. Schrad. de feud. p. 3. c. 4. n. 38. Vultei. c. 5. n. 7. Fer. Mon. c. 7. lib. 7. Schneidvv. p. 2. n. 112. Peregrin. de iure fiſci rubr. 2. n. 100. l. 1. Mynſ. obſerv. 29. cent. 5. Tholoſ. ſyntagm. iur. univ. lib. 3. c. 3. n. 7. Menoch. conſ. 21. n. 28. vol. 1. Alexand. conſ. 104. col. 3. Decius conſ. 534. n. 6. Alciat. conſ. 22. n. 3. vol. 5. Angel. conſ. 49. Bertachin.

tr. de

Digitized by Google

tr. de Gabellis 2. part. p. 8. Sixtin. de Regal. 2. c. 6. & 14. Bocer. de regalib c. 2. n. 183. & c. 3. n. 213. Bornit. c. 23. Rutger. Ruland. deciſ. 11. Paul. Buſius. diſp. de Regal. 11. th. 10. Lancell. templ. om. jud. 1. c. 1. §. 4. fol. 377.

(10) Jus cudendi, mutandi & reprobandi monetam, Mynſ. obſ. 24. cent. 4. Schneidw. de feud. p. 21. n. 117. Peregr. de jure fiſci tit. 1. n. 25. lib. 1. Ferrar. Montanus c. 7. lib. 5. Vultej. l. 1. de feud. c. 5. n. 7. v. 7. Ægid. Boſſ. tit. de monet. num. 1. Damhoud. in prax. crim. c. 65. n. 1. Claud. Seyſel. in ſpecul. feud. rubr. de his qui feudare poſſ. fol. 114. Ideoque ſi privatus, & poteſtate cudendi monetam carens, cujuscunque ſtatus & conditionis monetam, licet juxta valorem nomine principis cuderit vel finxerit, crimine læſæ majeſtatis tenetur, vivus exuritur & domus, in qua id admiſſum, publicatur l. 1. & 2. C. de falſ. monet. Roſenth. c. 5. concl. 48. fol. 18. Borcholt. n. 56. quæ ſunt Regalia, M. Freher. de re monet. 1. c. 2. Bocer. de jur. monet. c. 3. Buſius diſp. de rep. 11. th. 1. Iſaac. Pontan. 6. de orig. Francic. c. 17. Marſil. donat. in dilucidat. fol. 10. 42. Bulenger in pr. Rom. 2. c. 16. Camman. de regal. 6. th. 12. Balduin. in conſtant. lib. 2. fol. 117. Aleman. palæſt. conſ. 8. fol. 492. Hæc ad minora ideo referuntur, cum & inferiores reſp. hoc gaudeant. Tileman. *Frieſe im Müntz-Spiegel* 1. c. 4. & lib. 4. c. 36. Sixtin. de regal. c. 7. n. 91. Weſemb. conſ. 45. Huic juri affine eſt jus menſuræ, ponderum & ulnarum, Selden. jan. Anglorum fol. 85. Knich. n. 232. 4. deterritor. jure, Beſold. lib. 1. pol. c. 4.

(11) Omnia emolumenta fiſci ex pœnarum mulctarumque compendiis Rol. a Valle conſ. 342. n. 5. Salic. in l. 1. c. de mod. mulct. Bartol. Socin. conſ. 36. n. 13. Cravett. conſ. 128. Roland. conſ. 42. vol. 2. Guido papæ deciſ. 359. Iſern. Bald. Alvarott. Hottom. Cujac. item Borcholt. hic n. 64. 65. Vultej. c. 5. n. 7. v. 8. M. Anton. Peregrinus de jure fiſci l. 4. t. d. pœn. ac mulct. n. 1. & 28.

(12) Ex bonis vacantibus Bartol. & Angel. in l. 1. C. de bon. vacant. Peregrin. de jur. fiſci de bon. vac. tit. 3. n. 19. Vultej. c. 5. n. 7. & 9. Alexand. Conſ. 31. n. 4. lib. 1. Barth. Socinus conſ. 101. n. 5. vol. 1. Zaſius conſ. 17. vol. 2. Roland. conſ. 78. n. 14. Tholoſ. Syntag. jur. univ. lib. 3. c. 12. n. 15. Guiliel. Ranchinus tr. de ſucceſſ. bonor. ab inteſt. §. 23. Bornit. ærar. 3. c. 2. Camman. 8. th. 4. Cævallos. tom. 3. opin. comm. q. 822. Quæ vel lege ut heredibus indignis auferuntur l. 1. ff. de jur. fiſci Tholoſ. Synt. jur. lib. 3. c. 12. n. 16. Valent. Forſt. tr. de ſucceſſ. c. 11. n. 24. lib. 2. Peregrin. tr. de jur. feud. lib. 2. tit. 2. 3. 6. 7. 10. ac lib. 3. tit. 1. l. 1. c. de bon. caduc. Roſenth. d. t. fol. 187. concl. 55. n. 1. Bornit. ærar. lib. 3. c. 5. Camman. diſp. 9. tit. 10. Mynſ. 3. obſ. 91. Heig. part. 2. q. 33. It. quæ ex bonis damnatorum eorum publicationibus & confiſcationibus lib. 1. ff. ibi Bart. de Bon. damn. l. fin. 5. eod. Ceph. conſ. 79. n. 4. Gregor. Tholoſ. Syntag. lib. 3. c. 17. n. 3. Boer. deciſ. 264. Caſtrens. conſ. 17. n. 5. p. 1. Peregrin. lib. 5. de jur. fiſci tit. 1. n. 11. Iul. Clarus lib. 5. recept. ſentent. §. 2. Roſenth. concl. 59. c. 5. Cæpol. conſ. crim. 17. Rol. a Valle conſ. 97. n. 2. conſ. 98. n. 5. vol. 2. Decius conſ. 442. n. 6. Jaſon conſ. 46. n. 1. vol. 3. Decian. conſ. 56. n. 64. vol. 2. Suarez. in th. recept. ſent. in lit. b. n. 40. Alberic. 3. par. ſtatut. q. 18. Jacob de Butrigario in l. 1. ff. de bon. damn. Gomer. de delictis c. 9. n. 2. Damhud 2. in prax. crimin. c. 66. n. 1. & 2. Marſil. in l. fin. n. 189. de Jurisd. Alex. in l. 1. n. 75. ff. de off. ejus. Baro jus conſ. 65. Natta conſ. 597. Vultej. c. 5. n. 7. v. 13. Weſemb. in parat. ad l. 1. ad l. Jul. Maj. Duar. lib. 2. diſp. Anniv. c. 22. Carol. Ruinus conſ. 53. n. 12. vol. 5. Guido papæ deciſ. 344. Alex. conſ. 13. lit. 6. Cravett. conſ. 224. n. 6. Boſſ. de crim. læſæ Maj. n. 5. 6. Pariſ. conſ. 101. Olrad. conſ. 43. Sigismund. Loffred. conſ. 45. n. 21. & conſ. 5. n. 42. Joan. de Anania in conſ. 7. Ex metalli fodinis, Mar. Anton. Peregrin. de jur. fiſc. Heig. p. 1. q. 3. Bart. in l. per ſingul. c. de metal. & metal. Farinac. q. 105. Bornit. in ærar. 5. c. 4. Rauchb. q. 22. Weſemb. conſ. 60. Schneidw. p. 2. n. 5. de feud. Ex lapicidinis Rauchb. q. 22. Ex Salinis, conſ. Marpur. 9. vol. 1. Bornit. de ærar. 5. c. 5. Hardew. a Daſſel conſ. 52. Ex rebus pro derelicto habitis ejusmodi theſauri effoſſi quorum memoria non extat, horum pars dimidia regulariter fiſco cedit. Arumæ. diſp. ad LL. præc. 20. th. 5. M. Anton. Peregrin. de jure fiſc. lib. 2. tit. 4. Vultej. de feud. c. 5. n. 7. v. 20. Caſtrens. conſ. 153. n. 4. Roſenth. concluſ. 92. c. 5. tr. jur. feud. Carol. Molin. conſuet. Pariſ. §. 37. gloſ. 10 n. 48. Schneidw. part. 4. n. fin. Weſemb. de feud. c. 12. n. 5. Joan. de Platea l. unic. c. de theſaur. HaKelman. q. Illuſt. 19. th. 5. Heig. part. 1. q. 13. ad fin. Bornit. ærar. lib. 3. c. 9. Selden. 2. Jani Anglor. fol. 87. Kirchn. diſp. de rep. 16. corol. ultim. Ex tributis collectis &c. Weſemb. 45. n. 19. Schurf. conſ. 59. cent. 1. Tholoſ. Syntag jur. c. 7. de indiction. lib. 3. Natta conſ. 149. n. 3. & 4. Alexand. conſ. 33. n. 1. Pariſ. conſ. 25. n. 5. vol. 1. Henning. Goeden. conſ. 34. n. 4. Curt. jun. conſ. 61. Bodin. 6. de rep. c. 2. n. 638. Simanc. 3. de rep. 15. Friedereich polit. 17. Klock. diſp. de vectig. th. 1. Ariſt. 1. polit. 7. Forſter Jurisd. Rom. fol. 489. Beſold. c. 4. de Jur. Maj. fol. 168.

XI. Huc pertinent Angariæ Parang. *Phrondienſte*, *Schaarwerke*. vid. Natta conſ. 185. tot. tit. 1. c. de curſ. publ. angar. & parang. lib. 12. Roſenth. c. 5. concl. 70. fol. 199. Bald. in. l. 1. c. de oper. libert. Ferrar. Montan. lib. 6. feud. c. 3. Boer. deciſ. 132. Capic. deciſ. 118. Gail. 2. obſ. 62. Bart. in l. 1. c. de excuſ. mun. Guido. Papæ deciſ. 88.

XII. Magiſtratus conſtitutio. Nam cum jurisdictio ſine dubio regalibus accenſeatur, Magiſtratus quoque conſtitutio iis adnumeranda videtur, adeo enim cohærent hæc duo, ut penes quem reſideat jurisdictio, apud eundem etiam magiſtratus conſtitutio c. 1. q. 87. Roſenth. c. 5. tr. feud. concl. 4. n. 8. fol. 150. Beſold. th. 44. c. 4. l. 1. fol. 77. Bornit. de ærar. 6. c. 3. Drus. lib. 1. annotat. Nov. Teſt. fol. 26. Beza ad c. 5. Matth. Forſter de jurisd. Rom. part. 2. in annot. ad L. Numæ n. 162. Knichen. 2. de inveſtit. c. 3. Frid. Mindan. 2. de mandat. c. 48. n. 5. Sichard. ad tit. C.



Digitized by Google

de oper. lib. Sixtin de Regal. l. 2. c. 15. Marta tr. de juriſd. c. 1. p. 42. Velſten. cent. 3. q. pol. Decad. 10. th. 3. Hilliger. ad Donel. 17. c. 7. fol. 48. Lancel. Templo omn. judic. 1. cap. 1. th. 4. fol. 431.

XIII. Jus foreſtæ ſeu foreſtalæ, *die Forſtliche Obrigkeit*, vid. Noe Maurer. tr. *Vom Jagen und Forſtrecht*, Franc. Zoannett. in tr. de emt. & vend. ſub pact. retrovend. n. 162. Gail. obſ. 66. lib. 2. Chaſſan. Catal. de glor. mund. p. 11. conſid. 49. Covar. in c. peccatum p. 2. §. 8. per tot. de regal. jur. lib. 6. Weſemb. parat. de acq. rer. dom. Zaſius in ſingul. intellect. lib. 2. c. 11. & conſ. 6. vol. 2. Tiraquel. de Nobil. c. 37. Mynſing reſp. 16. n. 35. Ludolph. Schrad. de feud. part. 3. c. 4. n. 47. Roſenth. concl. 94. c. 5. fol. 221. Heig. part. 1. q. 15. Frider. Pruckman. Venatio c. 1. Selden. lib. 2. Jani Anglor. fol. 78. Arum. diſp. feud. 4. th. 15. Harprecht. de rer. div. §. 12. n. 143. Bocer. c. 1. de Regal. n. 30, Conrad. Pincier. tr. de juriſd. c. 4. n. 39. Speckhan. cent. 1. q. 97. Arithmæ peric. 1. diſp. 3. th. 5. Val. Riemer. Coroll. 1. decad. 4. Mohr. de Nigromente tr. de venatione part. 1. c. 2. Anton Winther diſput. de rer. div. th. 11. Luc. Oſiander ad Job. c. 24. Anton. Gerhardus diſput. inſtit. 4. th. 4. Beſold. de jur. th. 41. lib. 1. polit. fol. 173. Scipio Amirat. 2. diſc. 1. ad Tacit. Kirchn. orat. 19. Hæc de primo requiſito ſummi imperii ejuſque jure.

## DE II. REQUISITO SUMMI IMPERII.

### II.

Requiſitum ſeu proprietas eſſentialis ſummi imperii, eſt perpetuitas; Non enim ſufficit, ut poteſtas hæc ſumma ſit, ſed etiam requiritur, ut ſit perpetua, quod quidem negat Conringius, ſed imperite. Quæ enim hæc poteſtas, quæ ab alieno arbitrio dependet, vel quam quis precario poſſidet aut quæ ad alterius nutum revocabilis? ejuſmodi certe poteſtatem, qui habet etſi ſummam, majeſtatem tamen habere non intelligitur, cum enim ejuſmodi poteſtas ab alieno arbitrio dependeat, propria non erit, cujus conſequens, ut hi, qui eandem poſſident, cum proprio jure poſſideant aut quaſi, ſed precario & quaſi ex commodato, idcirco nec eorundem poſſeſſores veri erunt, ſed ſummæ poteſtatis ac imperii curatores, Beſold. lib. 2. c. 2. de Maj. theſ. 29. 534. Konig. Theatr. polit. c. 23. part. 1. fol. 39. Richard. Dieter. diſp. de Maj. th. 18. quæ eſt in diſp. Baſilienſibus 1. Camman. 1. th. 63. ejuſdemque cuſtodes eo quod ad ſummas princeps populusve depoſitum imperii repoſcat, cujus ipſi ſunt poſſeſſores ac Domini, non aliter quam ſi res ſuas commodato vel pignori dederunt l. qui pignori de uſucap. l. quod in eo ff. de acquirend. poſſeſſ. aut ſuam Ictionem imperiumve alteri fruendum, ſive ad certum tempus ſive precario, permiſerunt, ſuæ poteſtatis juriſdictioniſque arbitri ac poſſeſſores eſſe non deſinunt, l. errore ff. de Juriſd. l. & quia eod. ut bene notat Bodin. l. 1. de rep. c. 8. Talem poteſtat. habent. Regentes pro-reges, pro-princip. Dieter. diſp. de Maj. d. l. th 20. Beſ. l. 2. c. 2 th. 31. de Maj. fol. 81. Bodin. d. l. 1. de rep. c. 8. fol. 124. It. Curat. regni, qui, vacante imperio adminiſtrationem ejuſdem habent, quam in Imp. Rom. Germ. Palatin. & Saxo Electores, vid. Carol. IV. A. B. tit. 3. Goldaſt. Conſt. tom. latin. 2. in articulis oblig. Reg. Rom. n. 22. fol. 141. Beſold. diſp. Nomic. politic. de ſucceſſ. & elect. lib. 3. diſſ. ultim. n. 35. Dieter. diſp. Baſiliens. 1. th. 21. Thomas Michael. diſp. de Juriſd. th. 29. tales quoque Guſtavus Adolphus Rex Suecorum, expeditionem bellicam ſuſcepturus, adverſus imperat. filiæ unicæ relictæ, pro t. Reginæ Seciæ, certos conſtituit curatores, quod etiam in Gallia aliiſque regnis contigiſſe memorat, Bodin. l. c. atque tales ſunt in regnis, extra vero illa majeſtatem quandam videntur habere legati utpote ſummam ſummi principis authoritatem, & majeſtatem & perſonam repræſentantes, ſed cum eam nec proprio, nec perpetuo jure poſſideant, veram majeſtatem non habebunt, ſed pictam tantum, fictam & effigiatam, vid. Beſold. diſcurſ. de jure præced. & ſeſſ. prærogat. Kirchner. de legat.

Sic olim dictatores romani majeſtatis non erant participes, licet ad tempus ſummam iis populus concrederet poteſtatem, Bodin. lib. 1. de rep. c. 8. fol. 116. quod tamen haud tuto Conringius cont. Bodin. affirmat Vincent. Cabotius diſp. variar. juris publici & privati l. 1. c. 7. Sic conſulibus Romanis ante legem Valeriam, de provocatione latam nihil quicquam de regia majeſtate ademtum, præterquam quod annuum eorum imperium eſſet L. 2. §. 16. ff. de O. J. Dieter. diſp. de maj. theſ. 19. Coras. ad rubric. ff. de officio conſulis n. 2. Videtur ideoque Conringius errare, qui Dictatores & Ariſt. quid Æſymnetas Græcorum, qui nempe ſuffragio ad aliquod negotium aut bellum conficiendum deligebantur, & quaſi Rectores ſ. Juſſores dicti fuerunt, pro regibus venditat lib. 3. polit. 10. & 11. quippe cum Monarcha majeſtatiſque particeps dici haud mereatur cui populus vel optimates pro lubitu abrogare imperium queunt, vel tempore, quod præfinitum eſt, elapſo ille ſeſe cogitur abdicare, Bodin. lib. 1. de rep. c. 8. fol. 126. 127. 128. 129. 130. Hilliger. ad Donell. 17. c. 7. fol. 55. Beſold. lib. 1. politic. c. 2. theſ. 30. fol. 86. Zaſius ad l. non ambigitur. 9. ff. de ll.

Ex his & aliis ſatis dilucide apparet, quam plurimis ſummam poteſtatem fuiſſe commiſſam, quæ cum certo temporis ſpatio definita eſſet. Hinc ejus poſſeſſores, ut ut ſummam poteſtatem habuere, majeſtate tamen caruiſſe, recte monent Dd. Bornit. de maj. 2. fol. 7. Bodin. de rep. c. 8. fol. 126. a princ. Richard. Dietr. de maj. th. 18. Camm. de juribus maj. theſ. 1. Marcilius in proem. inſtit. fol. m. 4. Paulus Buſius ſub tit. juris 1. c. 2. Fritzius apud Arum. diſcur. 16. th. 18. fol. 440. Cabotius 1. diſp. juris publici & privati c. 7. Beſold. l. 1. polit. 12. c. 2. theſ. 30. 31. fol. 79. 80. 81. &c.

DE

## DE III. REQUISITO SUMMI IMPERII.

Requiſitum ſeu proprietas eſſentialis ſummæ poteſtatis eſt, ut legibus ſit ſoluta, Alber. Gentil. in diſp. de poteſt. reg. abſoluta, König part. 1. c. 23. p. 394. Hanc poteſtatem a primo vero humani generis ortum habuiſſe, egregie demonſtrat Ludov. viv. lib. 7. de Cauſ. corrup. art. p. mihi 427. Et ita fere ſe res habet: A principio, coaleſcente hominum congregatione cum veluti moles quædam Rectore indigeret, eligebatur ex tempore aliquis prudentia & probitate inſignis ſpectatus cui parerent omnes, ut ille fultus conſenſu univerſorum, quæ ampliſſimæ ſunt opes ac potentia tueretur bonos, coerceret malos, jus diceret & illius probitate unusquisque, quod ſuum eſſet obtineret. Cujus decreta & juſſa eſſent, jus ratum ac leges dicerentur. Porro, quando talem eligerunt, nefas exiſtimarunt, tam prudentem & probum virum legibus alligare quibus ceteros, qui nec male eſſet acturus volens, quia probus, nec ignorans, quia prudens, nec coactus, quia conſtans, fortis & tanta potentia ſubnixus. Itaque mos hinc manavit & quaſi abiit in jus & legem: Principem legibus non teneri. De quibus vero legibus, & qua ratione hoc axioma intelligendum, ulterius nobis diſpiciendum erit. Hic etſi variæ occurrunt Dd. ſententiæ & opiniones, iis tamen omiſſis, paucis noſtra, quæ hac de re ſententia ſit proponere lubet. Principem igitur quando legibus ſolutum dicimus, non accipimus hoc axioma de legibus naturalibus, his enim principem æque, ut privatum, teneri, ſupra probatum. Quas cum divina providentia §. pen. Inſt. & J. N. G. & C. quæ immutabilitas efficit, ut nihil princeps contra eas poſſit, Joan. Azor. inſt. mor. lib. 6. c. 1. part. 1. Erneſt. Cothman. ad tit. C. de LL. Naturæ. Quippe vinculum naturæ principis autoritatem longe ſuperat. Valer. Maxim. l. 7. c. 7. Joan. Parlador. lib. 2. rer. quotid. c. fin. §. 7. Regner. Sixtin. 2. conſ. 1. Marpurg. 9. n. 108. Aug. lib. 3. de confeſſ. c. 8. Ambr. l. 1. de Patriarch. Abrach. c. 2. Sicut igitur legibus naturalibus, ſic quoque inſtitutis & decretis juris Gent. obligatus. Ut enim decreta juris naturæ immutabilia ſunt, Weſ. ad §. pen. Inſt. de J. N. G. & C. conſ. Azor. inſt. mor. lib. 6. c. 1. q. 2. & 4. 5. part. 1. Bald. conſ. 336. n. 2. vol. 2. Meichsner. deciſ. Camer. 3. n. 351. tom. 3. Tiber. Decian. tract. crimin. l. 2. c. 6. p. tot. Joh. Goed. Conſ. Marpurg. 28. n. 115. Sic quoque jura, quæ ex jure naturæ ſive dictamine rectæ rationis profluunt immutabilia ſunt, & principem non ſecus, ut privatum, ligant, ut alibi a nobis traditum. Multo minus 3. de legibus divinis & moralibus. Hæ ſiquidem cum immotæ divinæ juſtitiæ & voluntatis regulam contineant Thom. 1. 2. q. 99. art. Chemnit. part. 2. loc. Theolog. p. 69. Alber. Gentil. diſp. 7. de crim. læſ. Maj. Tib. Decian. tr. crim. lib. 2. c. 11. n. 6. Nulla principis aut magiſtratus diſpoſitione flecti poſſunt, cum lex divina omnem tranſcendat magiſtratus poteſtatem, Lactant. lib. 5. de vero cultu, Bodin. 1. de rep. c. 10. p. 120. Ulr. Hunn. tr. de juriſd. part. 1. q. 4. th. 5. Sed de legibus civilibus idem accipimus, non tamen indefinite omnibus ex his, cum quædam in lege morali fundentur iisdem, non minus ac legibus moralibus obligatus. Siquidem cum hoc in caſu de iis aliquid participent; ſic tanquam appendices legis moralis & Decalogi principem obligant. Decian. tr. crim. lib. 2. c. 1. n. 8. Alex. conſ. 13. lib. 7. n. 19. Imol. l. 3. colum. ult. ff. de Teſtam. Thom. Aquin. 2. q. 99. art. 2. Menoch. 2. arbit. Caſ. 290. n. 10. Joh. Goed. de contrah. ſtipul. c. 7. n. 531. Stephan. Jun. Brut. Vind. contr. Tyran. c. 3. p. 158. Hering. de fidejuſſor. Petr. Greg. Tholoſ. lib. 26. de rep. c. 4. Georg. Buchan. lib. 20. Rer. ſcot. Hottom. de antiq. jur. Reg. Gall. c. 7. Zoanet. part. 3. n. 8. Lupold. Babenbergius de jur. regni c. 17. Danæ. lib. 3. polit. Chriſt. c. 6. Hænon. diſp. pol. 9. fol. 436. th. 9. Pariſ. de Pute. tr. de Synd. C. de Exceſſ. Imp. Nec tantum quoad vim directivam, quæ hominum actiones dirigit eosque in foro conſcientiæ obſtringit, ut Thom. q. 96. art. 5. ad 3. Cajetan. ibi & Scot. lib. 1. de J. & J. q. 6. art. 7. Did. Covarr. releſt. ſupr. cap. alma Mater part. 1. §. 1. Valent. Tomo 2. comm. Theolog. diſp. 7. q. 5. de lege humana puncto 4. Cajetan. q. 12. art. 5. Ancharan. in c. 1. de conſtit. 1. n. 6. Tholoſ. lib. 7. de rep. c. ult. Fachin lib. 1. controv. c. 2. Petr. Andreas Canonberius diſſ. polit. in comm. Tac. Annal. fol. 226. Barclaj. l. 1. de regali poteſt. Alb. Gentilis in quæſt. Regiis Keckerm. lib. 1. ſyſt. pol. c. 3. p. 83. Item Curſ. Philoſ. diſp. 29. q. 18. p. 355. 356. Sed etiam coactivam, quæ pœnam transgreſſoribus dictitat, Hœnon. diſp. pol. 9. th. 9. fol. 436. Limnæus. lib. 2. jur. publ. n. 47. & 48. fol. 101. Nam ſi princeps aliquid pœna dignum committat, æque eſt is pœnæ reus, ac ſi in rep. libera univerſus populus delinquat. At hanc exigi pœnam, non e publica re eſſe videtur, niſi Tyrannus evadat, quo caſu principem populus plectere poteſt, Beſold. in œcon. A. tit. 3. lib. 1. §. 7. Item lib. 2. polit. c. 9. n. 53. Principem igitur cum legibus ſolutum aſſerimus, id intelligimus de legibus civilibus mereque poſitivis, Coraſ. ad lib. 31. n. 3. de LL. item lib. 2. miſcel. c. 25. Donel. 1. comm. c. 17. Vasque lib. 1. illuſtr. contr. c. 26. Bocer. claſſ. 5. diſp. 20. coroll. 6. Nec tantum his abſolute & ſimpliciter. Leges enim poſitivæ ſunt in duplici differentia. Quædam enim (1) ad ſtatum publicum & reip. conſervationem conſtitutæ, & fundamentales appellantur. In has cum princeps juret, easque ſe ſervaturum promittat, Limnæus d. tom. 1. lib. 2. c. 9. n. 55. fol. 102. iisdem quoque obligatus. Beſold. lib. 2. polit. c. 9. th. 51. fol. 864. adeo ut ſi quid contra leges fundamentales molitus fuerit, de faſtigio imperii dejici & deturbari poſſit Gentil. diſp. reg. 1. fol. 14. & 2. fol. 52. it. diſp. 3. fol. 114. Hocque niſi concedatur, leges fundamentales nil, niſi umbra, erunt. Beſol. d. l. th. 52. fol. 864. (2) Quædam vero ad cauſarum privatarum deciſionem & ſolennia juris judiciorumque exercitium ſpectant. His equidem ut ſolutus ſit princeps, Petr. Heig. ad §. 6. n. 23. Inſt. de J. N. G. & C. Guihl. Forſter. tr. Inſt. diſp. 13. q. 18. & diſſert. apolog. pro jure juſtinianeo. Schneidw. ad §. cum. n. 43. Inſt. de action.

Treutl. diſp. 1. ad ff. theſ. 6. l. B. Dauth. ad l. 3. C. de teſtam. n. 2. Niel. diſp. feud. th. 3. lib. 9. Gotfred. Anton. diſp. feud. 1. th. 1. veruntamen id non eſt de ordinaria poteſtate. Hanc enim ſi inſpiciamus, legibus illa ſubmiſſa cenſetur, regulariter omnibus & ſic legibus etiam ſuis ac a ſemet latis obſtringitur l. 4. de LL. l. 6. de jure fiſci lib. 6. §. 1. de condit. & demonſtr. l. 23. de Leg. 3. l. 3. C. de Teſtam. l. 7. C. qui teſtam. fac. poſſ. l. ult. ff. eod. lib. pen. de hered. inſtit. l. 4. C. ad l. Falcidiam. l. 8. §. 2. de inoff. teſtam. Quod probatur. (1) Ratione civili, quæ a principe hoc exigit, ut executor, non vero deſtructor legum ſit. Poſt Bart. Salicet. & alios, Alber. Gent. diſp. reg. fol. 28. (2) Probatur idem ratione ex lege naturali & æterna ducta. Hoc pacto id tenetur princeps facere, quod niſi faciat violabit legem naturæ, ſed niſi ſervet ipſe legem, quam ſubditis ſancit iis cauſis adductis, quæ non minus ad ipſum, quam ad alios pertinent, violabit legem naturæ; Ergo ipſe quoque in conſcientia tenetur legem talem ſervare. Major non indiget probatione, ut bene obſervat Petr. Andr. Canonherius diſſ. in Tacit. Annal. fol. 225. Minor, ut recte notavit Cajetanus, evidenter poteſt colligi ex aliqua, trium propoſitionum quarum quælibet eſt legis naturalis; atque adeo ipſa quoque minor aſſumpta eſt legis naturalis & conſequenter etiam æternæ. Prima propoſitio eſt. Quod oneris tibi imponi non vis, id neque imponere debes aliis, qui ſunt eadem conditione qua tu quoad rem, de qua agitur. E contrario ſi quid oneris imponas aliis, id tibi etiam eſt ſubeundum. Secunda propoſitio. Turpis eſt pars & præſertim caput, ſi non congruat cum aliis partibus, atque adeo cum toto in ea re, quæ ſimiliter ad ipſam pertinet. Tertia propoſitio. Superior cum quicquam ſubditis præcipit, hoc ſerio & efficaciter præcipere debet ſicut oportet, ut ad id præſtandum ſubditi moveantur & conſequenter non ſolum verbis, ſed etiam exemplo ut alibi in hac diſſ. plenius dictum in ea re quæ ad ipſum ſimiliter ſpectat debet eos impellere, alioquin gubernatio pareret contemtum & præceptum contemneretur. Sicut igitur tam ratione naturali, quam civili Princeps, ſecundum ordinariam poteſtatem legibus obſtrictus: ita ſecundum extraordinariam aut civilem nomotheticam ſeu architectonicam quam vulgo poteſtatis plenitudinem vocant, his ſolutus, Rud. Rudolphin. tr. de abſol. princip. poteſt. c. 1. n. 3. Petra de poteſt. princ. c. 2. contra Covarr. Pinell. aliosque adductos a Petra Auguſtino Mola emtor. jur. part. 1. q. 1. Alber. Gent. diſp. Reg. 1. fol. 28. Auctor. Antimach. Theorem. 1. fol. 61. Dautius in explic. l. 3. C. de teſtam. n. 2. fol. 28. Arniſ. de Maj. c. 3. fol. 50. Hanc licet Vasque l. d. Anton. Faber. in Jurisp. Papin. t. pr. 2. Confut. 3. Waremund. ab Ehrenberg. de Regno ſubſid. & onerib. ſubdit. c. 15. n. 6. Rimnialdus Junior conſ. 5. n. 229. Vol. Georg. Acac. Enenckelius lib. 1. de privileg. c. 8. n. 73. Limn. lib. 2. c. 8. fol. 101. impugnent. ejus veſtigia tamen in regimine hujus univerſi reperiri Arniſ. 1. de Maj. c. 4. n. 3. Jacob. Martin. lib. 1. Metaph. exerc. 3. th. 8. demonſtrant. In hoc enim, quemadmodum Dei T. Opt. Max. gubernatio providentiæ ipſius imperium communem fere ſemper naturæ ſeriem ſequitur, qua ratione naturam, Scaliger definit. exercit. 188. ſect. 1. quod ſit ordinaria Dei poteſtas, ſed interim ſæpius ordinem tanquam autor naturæ ſpernit & negligit, ac pro ſapienti ac benigna ſua omnipotentia, quicquid lubet, & miraculis ſiſtit & efficit. Quando etiam non agit ſecundum modum, quem ſuis ipſe promiſſis determinavit. Sic quoque in regimine civili ſummus princeps, qui ſecundum ordinariam poteſtatem legibus omnibus obſtrictus, ſecundum earum præſcriptum imperium ſuum in ſuas exercet; ſic a juris legalis rigore vi hujus poteſtatis, liberatur, quando ſalus publ. aut veritas vel juſtitia periclitatur l. 23. de legat. 3. lege 3. de Teſtam. §. fin. Inſt. quibus mod. teſtam. infirm. Bachov. ad diſp. Treutl. 1. fol. 22. Beſold. oecon. tit. 3. & 4. l. n. 1. ff. q. 7. quo intuitu jure meritoque legibus ſoluta dicitur, Valent. Forſter. tr. de Jurisd. Rom. ad L. Romul. 2. n. 1. Hilliger. ad Donell. 1. comm. c. 17. l. A. Bach. ad diſp. Treutl. 1. fol. 24. Henr. Scotanus diſp. ad lib. C. th. 3. Harprecht. ad pr. Inſtit. de R. D. n. 124. Bocer. tr. de inveſtit. c. 3. n. 75. Thom. Lanſ. de L. Reg. th. 58. Pauermeiſter 1. de jurisd. M. Anton. Delrio in miſcel. ad L. 31. de LL. Hackelman. 1. Illuſtr. th. 10. Andr. Gerhard. diſp. ad inſtit. 1. th. 7. Piccolom. in Philoſ. mor. grad. c. 19. Keck. diſp. pract. 29. probl. 12. Henr. Velſten. cent. 1. q. polit. decad. th. 6. Mantica de conject. ult. lib. 6. tit. 1. Menoch. conſ. 351. n. 8. Sichard in l. Sancimus pr. n. 18. & ſeqq. C. de donat. Roſent. de feud. c. 12. concluſ. 10. n. 15. fol. 645. & effectu 2. fol. 166. Bernh. Græveus concl. pract. concl. 38. n. 25. Piſtor. lib. 3. q. 9. Bocer. de donat. c. 3. n. 76. Wehner. conſ. Franc. 1. Bornit. tr. de Maj. c. ult. Spechan. 1. q. 72. niſi enim hæc præcellentia conceſſa foret, quomodo quæſo circa leges diſpenſare, easdem mutare & pro ratione ſtatus, utilitate reip. exigente, iisdem derogare poſſet, Bodin. 1. de rep. cap. 10. Clapmar. lib. 1. de arc. rerump. c. 11. & 12. Amirato. 4. diſc. 7.

## PARS II.

### Prædicati ex ordine diſpoſitionis tractat

### DE PRINCIPIO ORIGINALI IMPERII.

Principium originale ſummi imperii duplex, eſt vel remotum, vel proximum. Remotum eſt Deus, proximum eſt vel principale, vel miniſteriale. Proximum & quidem principale, duplex eſt, vel internum, vel externum. Internum eſt natura ejusque inſtinctus irrefragibilis. Externum vero neceſſitas, ſeu communis indigentia. Miniſteriale eſt populi ſuffragium ejusdemque conſenſus.

§. 1. DE

## §. I.
## DE PRINCIPIO REMOTO.

Principium remotum dixi eſſe Deum. Hic enim eſt, qui primos noſtros parentes conjugio primum colligavit, deinde copulavit, eidem conjugio benedicens, liberos ex eo ſuſcipi voluit, quos naturalibus affectibus tum inter ſeſe, tum etiam cum parentibus, colligavit, ut ſibi mutuo ſic adhærerent, & in una eademque domo & familia viverent, atque hinc ſocietas domeſtica originem traxit, ex qua poſtea cæteri hominum cœtus, reſp. & imperia profluxere, ut uberius infra patefaciam. vid. Keckerman. præcogn. pol. 9. & curſ. philoſ. diſp. 29. probl. 4. Danæus pol. Chriſt. 1. c. 3. Nec tantum naturalis ortus rerumpublicarum earum originem ad ſummum hujus univerſi Rectorem referendum docet, ſed idem quoque ſacræ literæ paſſim inculcant. Salvator ipſe ortum imperiorum huic refert, dum Joh. c. 19. Pilato imperium ſuper ſemetipſum divinitus ei conceſſum fatetur. Et proverb. 18. ſapientia ipſa inquit, per me Reges regnant & legum conditores juſta decernunt 3. Reg. c. 10. Hæc verba reperiuntur: ſit Dominus Deus tuus benedictus, cui complacuiſti, & poſuit te ſuper thronum Iſraël, & conſtituit te Regem, ut faceres judicium & juſtitiam. Salomo ipſe fatetur ſe Regem a Deo, & Deus ipſe Deut. 16. conſtituit judices, vel magiſtratus conſtitui juſſit, ubi antea non erant. Sic Sap. 6. Deus ipſe præfecit populo Moſen Exod. 8. & David divina ordinatione electus 1. Reg. D. Thom. opuſc. 20. lib. 3. c. 1. Auguſtin. lib. de civ. Dei. Comin. c. 90. Lipſ. in mon. polit. Qua ratione igitur David voluntate & providentia divina imperium obtinuit. Sic quoque eodem exemplo omnes Principes poteſtatem ſuam eidem acceptam ferunt, dum Deorum providentia, vel Dei gratia, ſe conſtitutos ſcribunt. Bodin. 1. de rep. c. 11. n. 177. Beſold. l. 1. pol. c. 2. th. 13. fol. 62. Nec certe alii poteſtati, quam divinæ, ortum imperiorum tribuendum eſſe, vid. Joh. Meierſ. in mantiſ. c. 8. Bornit. de maj. c. 4. recta ratio dictitat; ſecundum enim hujus rationis dictamen homo in hominem non habet imperium, aut dominium, niſi habeat a Deo. Petr. Andr. Canonherius diſſ. pol. in Cornel. Tac. Ann. lib. p. 162. Nam Rector omnibus ſubditis ſapientia debet antecedere, ſi eos recte regere, & potentior, ſi reprimere velit. Quare cum homo ejuſdem ſit ſpeciei, neque excellentiori polleat intellectu, quoad eſſentiam, neque acrioribus moribus abundet, quam ſubditi, ſimul imperium in illos, niſi a Deo, habet. Caper non poteſt eſſe dominus caprarum, nec taurus vaccarum, nec aquila aquilarum, ſed paſtor, qui eſt diverſæ ſpeciei & jumentorum dominus. Belluæ vero, dominum non habentes, diverſæ ſpeciei per anarchiam vivunt, ut lupi, paſſeres & id genus, & per democratiam, ut formicæ, grues, locuſtæ, vel per monarchiam, ut apes, quæ diverſæ ſpeciei regem habent. Multa animalia coronam a natura in capite habent; ſed inter homines nullus cum corona naſcitur, quare homo, ut homo, aliis præeſſe non poteſt, niſi a Deo auctoritatem aliquo haberet, vel per electionem, vel ſucceſſionem.

## §. II.
## DE PRINCIPIO ORIGINALI PROXIMO INTERNE MOVENTE.

Proximum, ut dixi, principium originale internum, eſt ipſa natura. Sicut enim respublicæ a Deo duxerunt ortum, & a Deo modo vario nobis fuere patefactæ, homines per naturam, interna naturæ commotione ducti, eas inſtituerunt, & ſingulari quadam ratione informarunt. Non enim certe hominum inſtitutis, aut per vim, ut Conringius putat, ſed vi naturæ imperia conſtare, 1. extrinſeca declarat neceſſitas, Thom. lib. 1. de reg. princ. c. 4. Natura ſiquidem, cum hominem producat, omni auxilio deſtitutum in terram projiciat, conſilii & auxilii omnis inopem. Quibus tamen tum quam maxime eget, ſi ei ſubveniri nequit, niſi alio interveniente & juvante, etſi vero nutritus eſt corpore, non tamen animi lumen exercere poteſt, niſi in ſocietate doceatur. Patritius lib. 1. de rep. tit. 10. Althuſ. c. 1. pol. 2. Idem demonſtrat naturalis origo & ſucceſſio imperiorum, quæ mihi hiſce principiis orta videtur, quod hominibus diſſociatis adhuc & vagis, atque in unum locum coëuntibus, appetitu ſocietatis nativo, amoreque ſui ſimilis inſtigante, non frigoris neceſſitate, ut Vitruv. nec eloquentiæ admiratione, ut Cicero, exiſtimarunt iidem continuo aliquem ordinem, qui eſt omni multitudini neceſſarius, adhibendum cognovere, ſicque reipublicæ formam quandam, initio quidem rudem fereque informem, quod adhuc rerum multarum, quæ uſu quoque poſtea compertæ ſunt, caruiſſent. Deinde perfectiorem meliusque inſtitutam ad mores ingeniaque gentis ſuæ & regionis conſtituere. In hac autem ſocietate, quia id maxima perturbationum erat cauſa, quemcunque e vulgo, ſine ordine, pro lubitu, quocunque tempore ac loco, obire, nec eſſe aliquos civium gradus, alii quidem duos, tresve, aut plures, quorum conſilio uti vellent, ſibi elegere; alii ſocietatis ſuæ optimos, alii unum, alii denique alios, ut tempus, occaſio, vel ingeniorum eorundem natura poſtularet. Neceſſarium porro fuiſſe hunc hominum principatum in terris, ex eo intelligitur, quod idem illud, quod nunc perturbatis ſeditione civitatibus evenit, olim extitiſſe ante omnem reipublicæ conſtitutionem videtur. Nam ut hodie, commota republica, quivis e media plebe audaciſſimus poteſt ſummam poteſtatem occupare, pro libidine cunctis imperare, ſpoliare aliorum bona & quidvis pro lubitu agere non veretur, ſic olim id uſu eveniſſe videtur. Quapropter ſocietas hominum autoritate dignitateque omni ſua præſtanti alicui prudentique viro vel multis coacta fuerit ejus imperio ſe ſubjicere, ne ſceleratorum imperiis audaciæque eorum pateret, hincque effectum eſt, ut cui communi omnium conſenſu tributa eſſet ſumma poteſtas, quaſi communitatis perſo-

nam

Digitized by Google

nam gerens, jure aliquo inciperet omnes prohibere, leges imponere ac facere, alios vi ac metu coërcere, alios præmiis afficere, neceſſaria præſidia ſocietatis univerſæ & ſibi parare, quibus ſe tueretur, non modo adverſus domeſticorum hoſtium impetus, ſed externorum etiam. Atque huic paulatim auctoritas magna atque imperium, univerſæ ſocietatis approbatione, datum acceſſit, quousque vel idem ſibi ipſi perpetuo ac poſteris ſuis vi ac armis uſurpavit, repugnante etiam communitate, faventibusque illius tyrannidi paucis amicis & potentioribus, vel oblatum ab aliis ultro accepit retinuitque in poſteros, hereditate relicta. Hisce igitur ex initiis omnia imperia nata & conſtituta mihi videntur, ſi rerumpublicarum ac gentium mutationes, hiſtoriam antiquitatis vel ab orbis primordio repetamus, niſi quod ſæpe, ut dixi, apud alias gentes unus aut alter fortaſſe rerum potiri ſolitus ſit, apud alios plures, vel ex præſtantibus, vel potentibus, apud alios aliqui ex ipſa multitudine, lecti. Ex qua formæ rerumpublicarum diverſæ natæ ſunt, de quibus hoc loco omnino non opus eſt dicere. Dummodo conſtet, adminiſtrationis cujusque formam omnem atque ordinem ex aliquo hujusmodi fonte manaviſſe, quod ad inſtitutum noſtrum ſpectabat. Cum itaque hujusmodi omnium origo & incrementum, natura quoque humani ingenii id indicante, videatur, ſit, ut alii imperiorum alias neceſſitudines & ſucceſſiones induxerint. Alii caſu quodam homines, ipſa ex terra, ſponte, veluti herbas, natos coiiſſe, cognitoque ſocietatis beneficio, paulatim congregatos fuiſſe finxerint. Alii demum pro captu ſuo aliud ejusmodi excogitarint. Nam Plato, & cum eo poëtæ omnes, auream fuiſſe quandam mundi ætatem ſub Saturno, dicunt, cum homines paſſim ſine lege, ſine jure, ſine ordine, nullo duce Regeve, præterquam Deo, vagabantur alebanturque ex terræ fructibus, ſponte ſua enaſcentibus, nullo cultu aut agricolatione, cum nihil injuriarum ab aliis cuiquam inferretur, cum omnia eſſent communia cunctis atque obvia. Hanc ſine dubio mundi conditionem poëtæ antiqui & philoſophi fortaſſe ex eo commenti, quod ab Hebræis aliquando audierint, ut alia religionis eorum decreta Cluverus lib. 1. antiq. Germ. cap. 20. non pauca ætatem fuiſſe quandam primi hominis, in qua idem Deo gratus atque innocens, ubi nondum ullis adhuc ſervitiis ſe inquinarent; ſive ex eo, quod apud Danielem, vatem, in ſacris litteris legerent, primum illud terrarum orbis ſub Babyloniis imperium aureæ cujusdam ſtatuæ forma eſſe ſignificatum. Aiunt præterea, Jove regnante, argenteam ætatem ſubito a priori deteriorem, iuſtitia e terris ad ſuperos evolante, extitiſſe, tumque rapinis, cædibus, pugnis diſſidiisque homines inter ſe deſæviiſſe, cunctaque perturbata eſſe. Quapropter neceſſe fuerit artes excogitari & neceſſaria vitæ adiumenta, cum propter hominum iniuſtitiam neque facilem ſe terra iis præbuerit & eius fructus ab aliis per vim raperentur; tunc leges, iura & reſpublicæ condi cœpiſſe, denique omnem hunc vitæ cultum, quo nunc etiam utimur, paulatim ruente in peius mundo, hoc eſt ænea & ferrea ætate iam ſubeuntibus, propter maiores neceſſitates invectum. Itaque hominum vitio reſpubl. informatas, leges & iura condita, imperia & Reges inſtitutos, omnem denique civitatum ordinem inſtitutum propterea, quod nulla ratione alia vita, ſic affectis hominibus corruptisque, degi poſſet, quam ſi iure aliquo illi cohiberentur: cum ut priores illa in ætate aurea innocentiores ſincerioresque erant, ita nec tot legibus & inſtitutis eguerint. Qui vero mundum fuiſſe ab æterno putant, ut nullum rerum omnium interitum plane, ſic nec rerum nec ordinis civitatum iſtius inſtitutionem fuiſſe unquam intermiſſam, nullamve prorſus arbitrantur: licet diverſas regnorum viciſſitudines & converſiones fuiſſe exiſtimarint, ut, quæ imperio unius civitatis primum parebat, eadem alias ſubjiceretur pluribus, aut vice verſa, quæ pluribus prius, uni poſtea. Sic Plato in Atlantico Athenienſium rempublicam aliam quandam ante octo annorum millia extitiſſe, aliasque Athenas fingit, idemque in Timæo apertius confirmat, quod quaſi cum mundo æternus hic rerumpublicarum ordo, quo nunc utimur, ab eo fortaſſe alius præſtantior extiterit. Ariſtoteles ne verbum quidem ea de re faciens, modum duntaxat & ordinem, quo reſpublicæ conſtitui potuiſſe videantur, arbitratu ſuo tradit: minime ſignificat, num idem ita ab æterno fuerit, an inceperit aliquando. Quanquam vero eſt ſimilius, eum, qui mundi æternitatem induxerit, rerum item publicarum conſtitutionem perpetuo fuiſſe putarit. Epicurei, qui homines ſubito ex atomorum concurſu editos opinantur, non minus temerariam civitatum originem aſſerunt, quam illam ipſam humani generis. Mihi autem veram hominum originem intuenti, ab ipſo ſtatim exordio, natura ingenii noſtri ſermonis rationisque, vi atque appetitu nos inſtigante, cœtus fuiſſe hominum videntur. Nam præter id, quod effecto jam homini, Deus, ne ſolus eſſet, comitem ſui generis fœminam adjunxit, quod magnum eſt ſocietatis, neceſſario naturæ vinculo coactæ, argumentum, poſtquam ex eo primo conjugio filii nati ſunt, atque eorum auctus paulatim numerus, non ſolum domicilia ſibi ædificarunt, in quibus tota familia contineretur, ſed civitates poſtea coaluere, quæ certe ſine ordine atque inſtitutis nec eſſe, nec amplificari derivarique in alias colonias potuerunt. Hisce tenuiſſimis ortæ initiis reſpublicæ omnes, plura & incrementa & ornamenta tum legum & juris, tum cultus & artium, tum reliquorum vitæ commodorum, accepere, docente videlicet ea multa neceſſitate, uſu, experimento, poſcenteque plura hominum vitio, varietate ingeniorum, locorum atque temporum, quorum omnium, qui hic forſan antiquitates evolvere noſcereque velit, rationem facile intelligit, cum autem jam unaquæque civitas ſuis regionibus eſſet concluſa, earumque rectores anguſtorum adhuc finium dominatione contenti, primo paucos illos cives, quaſi filios, patrio jure continerent, tum demum, aucto ipſorum numero & propagato, in proximos pagos atque colonias paulatim eos deducere inceperunt; quousque gentis ejusdem homines non jam unis mœnibus, nec civitate una, ſed latioribus agri ſpatiis diffuſi, alias civitates ædificarunt & coluere. Creſcente vero, ut fit una cum rerum copia, cupiditate atque avaritia, ſubiit continuo inva-

Digitized by Google

invadendi aliorum fines ac ſuos propagandi libido. Quod primo a Nino, Aſſyriorum Rege, factum Juſtinus, a Nembroto Joſephus, ſcribunt. Itaque primum, quos communis populorum conſenſus Principes juris atque ordinis conſervandi cauſa delegerat, anguſtiſſimam illam hominum, quibus præerant, ſocietatem imperio ſuo vel armis occuparunt, ut rerum ſoli potiti vitam omnem tranquillius, ſemotis longius hoſtibus, agere poſſent & filiis ſuis, quos ſimili in dignitate imperii cuperent conſtitutos, eandem ditionem relinquerent, recte vel factorum in ſuos, nomine perpetui regni privilegium & ſibi & poſteris, quos ipſis fore ſimiles cuncti ſperabant, oblatione veluti præmium ſervatæ ſocietatis accepere: Sicut vero a divina ordinatione & naturæ ſuffragio, tanquam cauſa a principali, imperia, ortum ſuum ducunt: ſic proxime a conſenſu & voluntate populi, tanquam a cauſa miniſteriali, dependent. Bodin. lib. 6. de rep. c. 5. Lipſ. lib. 2. doctr. civil. c. 4. Caſus lib. 3. Spheræ Civit. cap. 11. fol. 200. Eberhard. a Weihe in peculiari & eruditiſſimo ſcripto polit. Barth. Keckerm. lib. 1. ſyſtem. pol. c. 4. p. 10. & ſeq. item curſu philoſ. diſp. 29. problem. pol. 14. Wilhelm. Zepperus lib. 3. de LL. moſaic. c. 4. per tot. Herman. Kirchner. orat. Marp. 15. p. 182. 183. Alber. Gentil. in diſſert. ſua de abſol. imper. Georg. Schonborn. lib. 2. pol. c. 9. Lælius Zech. 1. pol. 3. n. 2. Cum enim imperii proprietas apud populum ſit, minime vero in patrimonio Principis, uti opinatur Conringius. Videatur Boſſius de Principe & privilegiis illius. Vasque lib. 1. illuſtr. controv. c. 4. Gregor. Tholoſ. lib. 3. c. 8. de rep. Roſenthal. lib. 1. de feud. c. 5. concl. 10. Natta conſ. 640. n. 8. Rolandus a Valle conſ. 1. vol. 2. n. 109. Molinæus in conſuetud. Pariſ. tit. 1. §. 1. gloſſ. 5. n. 49. Petr. Heigius q. 19. Renat. Hoppinus de domanio lib. 2. tit. 13. 14. Menoch. lib. 2. caſ. 559. arbitr. jud. hinc a nullo, niſi populo, alienari, vel in alium transferri poterit. Pruckman. tract. de regal. §. ſoluta poteſtas memb. 2. c. 4. effect. 6. n. 11. & ſq. p. 471. Petr. Heigius p. 1. q. 19. Hottomann. illuſtr. q. 1. utpote cujus conſenſus præciſe neceſſarius eſt. Æquitati enim conſentaneum, ut is, qui multis ſit imperaturus, ab omnibus eligatur. Machiavel. lib. 1. diſ. 10. Herman. Kirchner. in rep. diſp. 4. th. 2. L. A. Greg. Tholoſan. lib. 7. de rep. c. 1. Danæus lib. 5. pol. Chriſt. c. 3. Unde imperia, per vim obtenta, citra conſenſum populi, non legitima, ſed tyrannica & illegitima exiſtimantur. Lipſ. lib. 5. civ. doct. c. 4. Caſman. 8. vit. pol. Keckerman. lib. 1. ſyſtem. pol. c. 4. p. 124. Timpler. 4. polit. c. 10. q. 7. Utpote quæ a violento poſſeſſore ex non juſta cauſa poſſidentur. Hippol. a Collibus in Principe c. 2. Keckerman. d. l. p. 123. Hoenon. diſp. pol. 9. th. 24. p. 466. Juſtum igitur quo ſit imperium, eſt neceſſe, ut populi voluntas accedat, vel expreſſa, ut in regnis electitiis. Plato lib. 6. de LL. Timpler. lib. 2. pol. c. 2. q. 3. Ariſt. lib. 4. pol. c. 15. Tholoſ. lib. 4. de rep. c. 5. Alth. c. 8. pol. n. 67. Alex. ab Alex. Genial. dier. c. 11. Bodin. lib. 6. de rep. c. 5. Philipp. Cominæus lib. 8. comm. p. 625. Vincent. Cabot. lib. 1. diſp. 15. Jacob. Orloshaus c. 35. in reſponſ. jur. Chaſſan. catalog. gloria mundi part. 2. conſid. 8. Vel præſumta & ſigno aliquo declarata, ut in regnis ſucceſſivis. vid. Bodin. lib. 6. de rep. c. 5. Lipſ. lib. 2. civil. doctr. c. 4. Alber. Gentil. in diſp. ſua de abſol. imper. Keckerm. in ſyſtem. pol. 110. & ſeq. Quæ tacite intervenire præſumitur, cum populus in ipſis inaugurationibus, tanquam manifeſto aliquo ſigno, declarat, quem imperare velit. Hocque modo, quos approbavit, eos eo ipſo in quaſi poſſeſſionem imperii mittit, more non tantum antiquiſſimo. Num. 27. v. 22. 1. Sam. c. 10. v. 24. 1. Reg. 1. c. 1. verſ. 3. Althuſ. c. 15. in pol. Tholoſ. lib. 6. de rep. cap. ult. & lib. 8. c. 2. num. 11. & ſeq. Keckerm. curſ. philoſ. diſput. 29. probl. pol. 16. Barclajus lib. 3. de reg. poteſt. c. 2. Hieronym. Balbus in lib. de coron. p. 39. Matt. Stephan. de juriſd. n. 142. Olradus conſ. 90. n. 75. vol. 2. Bodin. lib. 2. de rep. c. 6. n. 225. Petr. de Andlo lib. 2. de imper. rom. c. 5. Warem. ab Ehrenberg. de regn. ſubſid. c. 1. n. 1. Paurmeiſter. de juriſd. 2. c. 4. n. 4. Pacianus lib. 2. de probat. n. 32. Mandellus conſ. 62. n. 31. Molinæus conſuet. pariſ. tit. 1. Des. fies. n. 73. Schonb. lib. 5. polit. c. 8. Sed etiam conſuetudine & moribus omnium fere gentium receptis & approbatis. Timpler. lib. 2. pol. c. 3. q. 5. Hier. Balb. de coron. p. 8. Schonb. lib. 2. pol. c. 20. Lancellottus in templ. omn. judic. lib. 1. c. 1. n. 9. Matth. Steph. lib. 2. de juriſd. part. 1. c. 1. n. 133. Tholoſ. lib. 35. ſyntagm. jur. univ. c. 1. n. 21. Lactant. lib. 4. de vera ſap. c. 7. Alex. ab Alexandro lib. 1. gen. dier. c. 28. Greg. Tholoſ. lib. 6. de rep. c. 20. Barth. Keck. lib. 1. ſyſtem. pol. c. 4. p. 126. 127. Althuſ. c. 15. polit.

Hæc de ortu & principio originali omnium imperiorum ſufficiat dixiſſe. Non igitur, ut Conringius putat, ab hominum inſtitutis, ſed ab ipſa divina ordinatione. Nec ſecundo per vim, ſed ipſius naturæ decretis ortum habent. Ab his enim cum imperia proficiſcuntur, violentus eorum ortus non poterit, quod enim naturale eſt, violentum eſſe non poteſt. Bodin. lib. 1. de rep. c. 1. & l. 3. c. 5. adſerit, ſibi ipſi lib. 1. de rep. c. 6. item lib. 4. c. 1. contrarius. conf. Schönborn. lib. 1. pol. c. 4. p. 7. Timpler. lib. 1. pol. c. 3. q. 8. Bornit. de fund. reipublicæ ſtatu c. 4. p. 20 21.

Ad hæc, utut imperia a Deo & natura deſcendant, tanquam cauſa principali, mediate tamen a populi ſuffragio, tanquam a cauſa miniſteriali, imperium conferente dependent. Et hoc quidem maxime in regnis electitiis, ſicut quoque ab ejuſdem approbatione in regnis ſucceſſivis, ut ſupra notatum, conſpicitur; quod tamen imperite in præſenti diſſertatione Conringius negat.

## §. III.

## DE PRINCIPIO EXTRINSECE MOVENTE.

Cauſam minus principalem ſeu impellentem, fuiſſe vel indigentiam, vel vim externam, vel eximiam aliquam utilitatem, vel aliam neceſſitatem, uti dubitare non attinet, ſicut hoc quoque præclare Cicero lib. 2. offic. docet. vid. Danæ. lib. 1. polit. Chriſt. c. 3. Keckerman. ſyſtem. pol. p. 9. usque ad p. 20. item in curſu philoſ. diſp. 29. problem. q. 2. Timpler. lib. 1. pol. q. 3. Sic male Conringius cauſas haſce extrinſece moventes & impellentes theſ. 20. 30. 32. 33. 36. 39. 40. 41.



Digitized by Google

41. 42. ad cauſam finalem reducit. Nec quicquam eidem patrocinatur autoritas Ciceronis: Cicero ſiquidem in loco allegato lib. 2. offic. fol. 37. diſerte de cauſa impellente, & principio movente diſputat, quo ſcilicet hominum ſtudia ad utilitates noſtras allicere atque excitare poſſumus, h. e. orationis thema hic ſtatus controverſiæ, quem Cic. ipſe lib. 2. off. fol. 36. L. B. determinat. Hoc ita determinato, præmiſſis nonnullis fol. 37. proponit breviter, propter quas cauſas ſe homines imperio alterius & poteſtati ſubjiciant, quæ & quales ſint, his monet verbis: Ducuntur enim, inquit, aut benevolentia, aut beneficiorum magnitudine, aut dignitatis præſtantia, aut ſpe, ſibi id utile futurum, aut metu, ne vi parere cogantur, aut ſpe largitionis, promiſſionibusque capti, aut poſtremo, ut ſæpe noſtra in republica videmus, mercede conducti. Hæc eſt ſumma diſſertationis præſentis, hac de materia inſtitutæ. Quæ non de cauſa finali, ſed de principio originali movente, non quidem univerſorum, ut idem male exiſtimat, ſed ſingulorum tantum, quo ſcilicet ii ducuntur, vel moventur, ut hujus vel illius poteſtati ſe ſubmittant, & ejus autoritatem comiter obſervent, agitur.

## PARS III.

### Prædicati agit

### DE SUBIECTO SUMMÆ POTESTATIS VEL IMPERII.

Summæ poteſtatis ſubjectum pro diverſitate ſtatus diverſum. Aut enim ſtatus reipublicæ eſt monarchicus, aut ariſtocraticus, aut democraticus. Plato de rep. c. 8. & de LL. c. 3. Ariſtot. ethic. 8. cap. 10. lib. 3. pol. c. 7. 1. Rhetor. c. 8. Dionyſ. Halicarn. l. 2. Plutarch. in libr. de unius domin. imperio, paucorum populari ſtatu, M. Tullius in fragm. de rep. Seneca lib. 2. epiſt. 14. Æſchines in Timarchum & Cteſiphontem. Iſocrates in Nicocl. Hermogenes de polit. Herod. lib. 3. Arrian. lib. 1. Dion. lib. 44. Stobæus ſermon. 40. Bellarm. lib. 1. de Pontif. rom. c. 1. Bodinus lib. 2. de rep. c. 1. Lipſ. lib. 2. civil. doctr. c. 2. Greg. Tholoſ. lib. 5. de rep. c. 5. Timpler. lib. 5. pol. c. 2. q. 7. Keckerm. lib. 2. ſyſtem. pol. c. 4. 5. 6. Obrecht. diſp. de regal. th. 543. Schönborn. lib. 1. pol. c. 16. Danæus lib. 1. pol. Chriſt. c. 6. Sigon. de antiquo jure Rom. lib. 1. c. 1. Franc. Patritius lib. 1. de Reg. tit. 3. item lib. de rep. tit. 4. Simanca de rep. lib. 2. Oſorius lib. 7. de Reg. inſtit. Julianus Barbaranus in ſua officina tit. de Principe n. 10. Pontanus lib. 4. de obedientia. Arniſæus lib. 1. doctr. pol. c. 8. Vincent. Cabot. lib. 2. diſp. c. 4. vel mixtus. Sicut igitur ſtatus imperii diverſus; ſic quoque diverſa ejusdem ſunt ſubjecta. In ſtatu ariſtocratico apud paucos virtute & dignitate, meritisque erga rempublicam maxime inſignes. Ariſt. 3. pol. 7. Herod. lib. 3. Bodin. l. 2. de rep. c. 6. Melchior Junius q. pol. 4. p. 16. Keckerman. lib. 2. ſyſtem. pol. c. 2. Althuſ. c. 32. pol. In ſtatu vero democratico apud multitudinem. Ariſtot. 4. pol. 4. & 6. pol. c. vid. Tholoſ. l. 5. c. 2. 31. l. 6. c. 2. n. 12. Bodin. lib. 2. de rep. c. 76. & lib. 6. c. 4. Althuſ. c. 32. Keckerman. 2. pol. c. 3. & curſu philoſ. diſp. 36. q. 7. Danæus lib. 6. c. 5. Caſus Sph. civ. l. 6. c. 2. In ſtatu vero mixto apud plures diviſim, ſecundum proportionem inæqualitatis, & ſic quidem res non eadem ratione eodemque modo ſe habet, ſed varie & diverſimode pro diverſitate mixtionis apud omnes vero ſimul & æquali gradu eſſe non poteſt, quod tamen Ariſtoteles lib. 4. c. 4. & ex eo Author diſputationis theſ. 8. affirmat, cum enim in quolibet imperio unus præſit, alter ſubſit, ut bene notat Vultejus lib. 1. jurisprud. rom. cap. 11. hinc ubi majeſtas, ſive imperium apud omnes, cum nullus ibi præſit, nullus ſubſit, hinc ibi nec imperium, nec ſubjectio erit, ſed mera ἀταξία, confuſio igitur & anarchia, cum igitur, ut ſupra probatum, diverſa ſint ſubjecta ſummi imperii, hinc non tantum apud multitudinem, ſed etiam apud plures virtute excellentes vel unum eſſe poteſt, pro diverſitate ſtatus. Nec unquam hoc negavit clariſſ. Dn. Althuſius, ut Hermannus Conringius th. 7. eidem affingit. Clariſſimus enim vir c. 19. in politic. qua ratione c. 9. populo omnem tribuat majeſtatem, ipſe ſemetipſum declarat: Jura, inquit, univerſalis conſociationis & corporis illius politici, ratione proprietatis & dominii, pertinent ad corpus univerſalis conſociationis, ſeu membra regni, at vero, ratione uſus & adminiſtrationis, ſpectant ad ſummum illius magiſtratum, cui a corpore reipublicæ ſunt commendata. Hæc ſunt verba clariſſ. Viri Dn. Althuſii, quæ totidem ſyllabis ab Authore diſp. de ſummæ poteſtatis ſubjecto totidemq; referuntur literis, quibus manifeſto docet, ſummi imperii jus apud unum, vel plures eſſe, poſſe, cui ſcilicet a corpore reipublicæ commendatur: licet vero ratione adminiſtrationis & actualis exercitii per realem quandam communicationem apud unum, vel plures, eſſe poteſt ſummum imperium, ratione tamen fundamenti reſidet apud corpus univerſalis conſociationis, cui radicaliter ineſt & cohæret, Hottom. de antiqu. jure regn. Gall. c. 19. & c. 23. Hoenon. diſp. politic. 3. th. 39. p. 110. nec ab eo avelli poteſt, multo minus totaliter alienari, quæ ſententia Althuſii & aliorum politicorum certe non adeo abſurda, ut forſan tibi videtur th. 17. nec adeo indigna, ut eruditus aures ſuas præcludat, profecto quicunque vel leviter & primis tantum labris civilis guſtavit prudentiæ præcepta, non poteſt amplius ignorare, quam graviter non Althuſius, ſed Conringius cum ſuis aſſeclis, erret, qui pro fundamento ſupponit, finem omnis ſocietatis civilis non eſſe parentium utilitatem, ſed imperantium th. 18. Reges, Principes & ſummas poteſtates, verba ſunt autoris th. 17. non eſſe propter ſalutem populi, ſed populum propter Principes, quæ certe aſſertiones, ſicut impiæ, ſic jam dudum etiam, conſenſu omnium politicorum, tam e ſchola, quam republica, exploſæ. Nec abs re, cum Reges ac Principes ad tyrannidem incitent & finem omnium imperiorum evertant, ut ex lib. 1. polit. Ariſt. c. 1. idem apparet. Summam igitur, uti

Digitized by Google

uti conſtat, injuriam Conringius Cl. Dn. Althuſio facit, dum ſententiam ejus, mentemque totaliter pervertit. Althuſius ſiquidem dum negat, jura ſummi imperii in alium transferri poſſe vel alienari, ibi diſputat non de exercitio ſummæ poteſtatis; hoc enim transferri in alium poſſe nullus politicorum ſaniorum negavit, quod tamen citra neceſſitatem Autor. th. 43. 44 - 50. probat & in ejusmodi heterogeniis maximam partem diſputationis abſumit. Non igitur de exercitio ſummi imperii ejusdemque jurium, ſed de fundamento & jure quæſtio hic inſtituta; hoc alienari poſſe, Conringio probandum erat contra Althuſ. & alios, vid. Bald. conſ. 274. lib. 3. & conſ. 303. Claud. Aquens. in ſum. qui feud. dare limitat 1. & 12. Molin. tit. de feud. §. 46. q. 1. & 2. Cyn. in l. ſi ſerva matre de bon. matern. C. Joan. Andr. in cap. ultim. de præbend. lib. 6. Alex. conſ. 141. lib. 1. notab. 6. Quæ duo cum ſeparata ſint, temere tamen Conringius confundit, & ſic, quo imperitioribus nebulam objiciat aliquam longa diſputatione inſtituta, id probat, quod probandum non erat, in quo ſane quin mentem Cl. viri omnino pervertat, dubitare non attinet. Ad hæc cum de ſummæ poteſtatis translatione diſputat, graviſſime peccat, quod exitium ſummi imperii, non per modum communicationis, ſed abdicationis in imperantes transferri exiſtimat; cum nec in abſolutiſſimis principatibus, quæ populi voluntate deferuntur, nunquam ita imperantibus, permittat imperium populus, ut prorſus nihil excipiat. Hugo. Grot. lib. 1. de J. B. c. 3. §. 13. Stephan. jun. Brut. q. 1. vindic. contra. Tyrann. lib. 1. fol. 25. Exemplo nobis ſit populus Romanus, qui transferendo ſummum imperium in principes ſuos, non quidem expreſſa, ſed præſumta, nec tam libera quam coacta voluntate, non abdicative (ſe eo abdicando & ſoli principi cedendo,) ſed conceſſive cumulative & communicative (hoc eſt tantum apud ſe retinendo, quantum transferendo & principem in conſilium poteſtatis aſſumendo) tranſtulit. Non enim ceſſio hic, ſed conceſſio facta, ut bene notat Govean. variar. lection. lib. 2. c. 30. Coraſ. miſcell. jur. lib. 6. c. 8. Hottomann. epitom. pandectar. de conſtit. princip. n. 1. argumentum huic aſſertioni præbet, quod conceſſa ſumma poteſtate, populus nihilominus ejus jura uſurpaverit. Conſtat enim etiam, poſt hanc translationem leges tuliſſe & approbaſſe l. 32. §. 1. verſ. nam cum ff. de LL. princ. inſt. de bonorum poſſeſ. verſ. quos autem etſi fides habenda, Rævardo de auctoritat. prudent. c. 6. arrogationes approbaſſe, Cajus. 2. inſt. tit. 3. §. 4. Hilliger. ad Donell. lib. 2. c. 23. 2. conſtat habuiſſe poteſtatem belli indicendi l. 24. de captivis & poſtlim. reverſ. 3. obtinuiſſe imperium in loca ſubjecta l. 3. in pr. ne quid in loc. publ. 4. Majeſtate quoque fuiſſe præditum l. 7. §. 1. de captiv. & poſtlim reverſ. l. 1. §. 1. l. 3. ad L. Jul. Maj. 5. nequit negari etiam ſenatum jus ſuum ſub principibus retinuiſſe, & quidem de nomotheſia, auguſtiſſima juris ſenatorii particula textus clari proſtant l. 9. ff. de LL. l. unic. C. de ſenatus conſulto, Donell. 1. comm. c. 8. qui alienæ opinationis nube veluti ſpiſſis explicationis incongruæ tenebris, involvi ſe minime patiuntur, teſtantur ſi quidem hoc ipſum infinitæ orationes, a principibus in ſenatu habitæ, l. 8. ff. de transact. l. 1. & 2. ff. de feriis, l. 3. ff. de fugitivis, l. 15. ff. de ſponſal. l. 32. ff. de donat. inter vir. & uxorem. l. 1. §. 1. ff. de ſtatu defunctor. l. 4. ff. ſi libert. ingen. eſſe dicatur Cujac. 1. obſerv. 18. Weſemb. part D. de Senat. Gothfred. ad l. 7. C. de præd. minor. Thom. Michael. de Ictione th. III. lit. F. Briſſonius 1. antiquit. 16.

Quibus ſenatus rogatus fuit, ut quæ conſtitui vellent, principes confirmarent. Idem confirmant complura ſub diverſis Impp. facta & nonnulla Corpori juris quoque inſerta SCta. Auguſti tempore factum fuit SCtum de aquæ duct. relatum apud Frontin. de aquæ ductibus l. 2. nec SCt. Syllanian. tempore Claudii, SCt. Julian. ut ex Paul l. 22. q. & Calliſt. l. 1. q. patet ac SCt. vellejan. de aſſignat. libertor. Hottom. de ſenator. & inſignibus JCtor. c. 9. Tempore Neronis SCtum Pegaſianum, Trebellianum, Neronianum de ſimulatis adoptionibus, Turpillianum de accuſat. deſertis. Briſſon lib. 17. de V. S. in verbo SCtum, Tempore Veſpaſiani SCtum Claudianum ac Macedonianum, vid. Muret. l. 9. ff. de LL. Giphan. ad §. SCtum inſtit. de J. N. G. & civili, Faber. 1. ſemeſt. ultim. Hillig. in not. ad Donell. lib. 1. c. 5. lit. g. & denique, tempore Leonis, conſtitutione effectum, ne amplius SCta fierent, Novel. Leon. 78. facta ergo antea ut dicamus, veritas poſtulat, accedit præterea fides hiſtorica, non exiguam ſenatus autoritatem etiam principum tempore, comprobans. Legimus namque apud Sueton. in vita Neronis ſub capite de morte ejusdem. Neronem, a ſenatu hoſtem judicatum, more majorum puniendum, id eſt, ſecundum Eutropium, ut nudus per publicum ductus furca ejus capiti inſerta, virgis usque ad mortem cæderetur, atque ita præcipitaretur ex Saxo. Et de Maximo quoque ſenatum ſumſiſſe ſupplicium, refert Calv. in Princ. fol. 31. Dauth. ad l. 3. C. de Teſt. & Xiphil. quoq; prodit in Auguſt. per ſe ſenatum judicaſſe dediſſeq; reſp. quorundam regum & populorum legatis, vid. l. 3. C. qui manumitti non poſſunt l. 14. ff. de accuſat. l. 2. in pr. ff. de heredit. pet. l. 1. §. 1. ff. de fugit. l. 1. C. de compenſat. l. 64. in pr. eod. tit. l. 32. in pr. ff. de donat. inter vir. & uxor. l. unic. §. 1. ff. de libert. univerſit. l. 7. §. 1. ff. de oper. publ. cenſit. præterea excellentem ſenatus poteſtatem amplius probat, quod ab eadem ad principem non liceat appellare l. 1. §. 2. ff. a quibus appellare non licet Quod ſenatus æque, ut Principes vetare poſſit, ne aqua ex flumine publico ducatur l. 2. ff. de fluminibus. Quod ſenatus æque, ut Principes, relegandi poteſtatem obtineat, l. 14. §. 2. ff. de interdict. & relegat.

Æque ut Principes quasdam conditiones inſtitutionum improbet, l. 15. ff. de condit. Inſtit. & l. 70. de hered. inſtit. æque ut Princeps, famæ reſtituat, l. 1. §. 10. ff. de poſtulando heredes faciat §. quos autem inſtit. de bonor. poſſeſ. hoſtes judicet atque declaret l. 5. §. 1. ff. de capite minutis, indignis auferat hereditatem, l. 22. ff. de his quib. ut indign. privilegia concedat, l. 17. ff. de excuſat. Jus nundinarum, cui voluerit, tribuat. vid. Plin. lib. 5. Epiſt. ad Valerian. Briſon. l. 1. Antiquit. c. 15. & ejus generis complura alia ſuo jure perficiat. Ex uſurpatione horum jurium



Digitized by Google

ſatis manifeſte apparet, ſummam poteſtatem, non abſolute & ſine omni conditione in principem translatam, ſed potius principem in conſortium ſummæ poteſtatis aſſumtum, populumque hæc jura vel expreſſe, vel tacite ſaltem, eadem ſibi reſervaſſe. Marius Salamonius, defenſus a Foppio ab Arema. diſſ. jur. lib. 2. c. 10. Euginar. Baro & Duaren. ad l. 1. ff. de conſtit. princip. Calvin. tract. de principe c. 1. Bocer. de crimin. læſæ maj. n. 27. Hordlederus diſp. ſingular. ad l. 20. ff. de LL. th. 28. Diſſ. Petr. Theodoric. diſput. criminal. 5. th. 1. lit. p. Bronchorſt. cent. 1. ἐναντιοφανῶν aſſert. 5. Harprecht. ad §. ſed & quod principi. n. 10. Riemerus Illuſtr. q. 7. Wegner. diſp. inſt. 1. th. 5. lit. G. Dn. Frantzkius diſp. de conſtit. princ. th. 13. n. 11. Hilliger. in not. ad Donell. lib. 1. t. 15. lit. G. Faber. in Rational. ad 1. de conſt. princ. Barclajus 2. contra monarchomachos p. 294.

Sicut igitur populus Romanus poteſtatem non omnino depoſuit, depoſitamque transtulit in principes; ſic hodie nulla fere natio, nullus reperitur populus, quæ non in conceſſione imperii hanc ſibi ſuperioritatem reſervet, & jura quædam ex his ad minimum, ſi non expreſſe, ſaltem tacite, excipiat, ut bene obſervat Hugo Grotius l. d. quo tamen nulla ratione motus recedit Conringius Confer. hac de re Roland. a Valle conſ. 80. n. 15. vol. 2. Homod. conſil. 108. n. 13. Alciat. conſ. 103. n. 6. & 10. vol. 5. Ripa reſponſ. 4 part. 4. Curt. ſenior. conſil. 73. n. 24. Jaſon. conſ. 70. n. 1. vol. 3. Pariſ. conſ. 2. n. 13. & 18. vol. 2. Bald. conſ. 201. Schrader. tract. feudal. part. 10. ſect. 1. n. 131. Chaſſan. in conſv. Burg. rubr. 2. des confiſcations §. 1. Thom. Grammat. deciſ. 30. & conſ. 528. n. 4. Rom. conſ. 393. Franc. de Aretio conſ. 102. Dec. conſ. 3. col. 2. Albert. Brun. conſ. 27. n. 18. Mynſ. obſervat. 99. cent. 6. Weſemb. conſ. 95. n. 2. part. 2.

# PARS IV.
## Prædicati tractat
## DE PRINCIPIO NORMALI
## SEU
## PRINCIPIIS REGULATIVIS SUMMI IMPERII.

Ex his primum ſibi vindicat locum jus divinum ſeu LL. divinæ. Licet enim Princeps, vel is, apud quem ſummæ poteſtatis exercitium, legibus ſolutus ſit; ut ſupra prolixe diſputatum, quia tamen pauci ex principibus ejus perfectionis & integritatis ſint, ut recte vivant, imo ſæpiſſime affectibus [quia homines,] ultra modum dediti ſint, quapropter ne in moderatione reip. a via regia declinent, hinc neceſſe habent, ut hanc ſequantur regulam, quæ ad arbitrium hominum inflecti non poſſit, Petrus Gregor. Tholoſan. lib. 10. de rep. c. 5. Lipſius lib. 2. civilis doctrin. c. 11. Althuſius c. 16. & 17. politic. Schönborn. lib. 3. politic. c. 1. Bodin. l. 1. de rep. c. 10. Talis vero cum Lex ſit, utpote quæ nullo affectu movetur, non iraſcitur, non odit, nulla ambitione ducitur, ſed pariter omnes ex æquo diligit, nec permittit aliquem per ambitionem ſurgere, qui populum ducat turbulentasque actiones agat, ſed optime remp. gubernet, Franciſ. lib. 1. de rep. Caſpar. Contaren lib. 1. de rep. Venetor. Hinc ut ad hanc, ceu normam inflexibilem & infallibilem, princeps ac reip. moderatores actiones ſuas inſtituant, neceſſitas jubet Picolom. grad. 10. phil. moral. c. 19. Clemens Timpler. lib. 4. polit. c. 4. c. 2. Bodin. lib. 6. de rep. c. 6. Gregor. Tholoſan. lib. 7. de rep. c. 20. Caſus Sphær. civitat. lib. 3. c. 11.

Quamvis vero variæ legum differentiæ, inter omnes tamen cum principatum obtineant leges divinæ hinc, ut ad eas, ceu normam & regulam, reip. gubernatio exigatur, conſultum videtur, Barthol. Keckerman. in curſu philoſ. poſt diſp. 30. problem. 1. & lib. 1. ſyſt. politic. c. 6. p. 137. & 38. lex ſiquidem hæc, cum nihil aliud præcipiat, quam quod Deus a nobis fieri velit, & qua ratione voluntas noſtra divinæ voluntati confirmis reddi poſſit; hinc nihil magis e re Principis erit, quam ut omnes actiones ſuas ad hanc, ceu regulam exigat; ſicut quoque ordinatio & voluntas divina id ipſum requirit, ub bene notat Origen. in exod. hom. 10. & in numer. hom. 11. Divus Hieronym. in epiſt. ad D. Auguſtin. Auguſtinus adverſ. Manichæos Ambroſ. in epiſt. Pauli ad Colloſſenſes c. 2. Tertullian. adverſ. Judæos, Thom. de Aquin. 1. part. ſummæ. q. 104. art. 3. & 2 ſumm. q. 87. art. 1. Bonavent 4. ſentent. diſt. 3. art. 3. q. 2. Alex Hales part. 2. ſummæ quæſt. 3. membr. 1. part 3. q. 5. Lutherus tom. 1. Wittenberg. latin fol. 435. Philippus Melanchton. locor. commun. loco de conjugio, Calvinus l. 4. inſtit. c. 2. ſect. 15. Bucer. de regno Chriſti lib. 2. c. 17. Beza vol. 1. de hæretic. puniend. 154. Joann. Wolff Tigurin in Deuteron lib. 1. ſermon, Simlerus in exod. 20. Zanchius in tert. Decal. præcept. Caſpar. Olevianus in c. 7. epiſt. ad Romanos, Piſcator in aphoriſmis, in loco de lege Dei aphoriſm. 17. & loco de magiſtratu politico aphoriſm. 12. Wilhelm Zepper tract. de LL. Moſaicis lib. 1. c. 12. Zachar. Urſinus part. 4. explication Catecheticar. Lambertus Danæus l. 5. polit. Chriſtian. c. 2. Victorin. Strigel. lib. 2. locorum commun. de diviſione legis fol. 13. & part. 4. de magiſtr. & part. 3. in deſcript. Nov. & veteris Teſtamenti, Andr. Tiraquell. de pœn. mitigand. cauſ. 38. n. 3-6. & in præfat. de utroque retractu n. 8. 9. 10. Joan. Gœddeus tract. de contrah. ſtipulat. c. 7. concluc. 16. n. 296. Philipp. Decius c. conſuluit in 2. notabil. extra de appellationib. Zaſius conſ. 1. n. 61. vol. 2. Alexand. Immoliens ad l. ſtipulatio hoc modo col. 3. in fin. ff. de V. O. Martinus Laudenſis tract. de jur. primogenitur. col. penult. Schönborn lib. 3. polit. c. 1. & c. 11. Principium directivum imperii eſt jus naturæ, ſeu recta ratio diffuſa in omnes, conſtans, ſempiterna quæ vocat ad officium jubendo, vetando a fraude deterret Cicer. lib. 3. de rep. apud Lactantium. l. 6. divinar. inſtitut. c. 6. conf. Ariſt. lib. 5. Ethic. c. 7. & lib. 1. Rhetoricor. c. 13. hocce jus nobiſcum natum eſt, quod non didicimus aut legimus, ſed ex ipſa

Digitized by Google

ipſa natura arripuimus & hauſimus ad quod non docti, ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti ſumus ſunt verba Ciceron. in orat. pro Milone. Confer. Schneid. ad tit. 2. Inſt. de J. N. G. & C. n. 1. fol. 10. Huic juri, licet aliquid derogari poſſit, totum tamen abrogari non poteſt, nec quiſquam aut per ſenatum, aut per populum, hac lege ſolvi poteſt, Cic. lib. 3. de rep. n. 9. in fragm. Joanne Sturmio editis. Nulla igitur neceſſitas, nulla authoritas hinc tanta, quæ principem in adminiſtratione imperii, ejusdem obligatione eximere valeat. Ideo enim Deus ejus principia cordibus hominum inſcribi voluit Rom. 1. c. 1. & 2. Weſemb. in paratit, de juſt. ac. jur. p. Zanchius in oper. redemtion. c. 11. th. 1. lib. 2. Althuſ. in polit. c. 16. quo ſecundum eorum dictamen & præſcriptum, ceu normam, omnes actiones examinarent, eamque, ceu regulam ſequerentur in tantum, ut qui hoc facturi non ſint, majeſtatis divinæ judicium non effugient. can. quæ contra mores diſt. 8. Vasque Illuſtr. controverſiar. 31. n. 21. & 22. Bodin. lib. 1. de rep. c. 8. n. 102. ad fin. capit. Hermann. Vultej. ad §. 7. Inſt. de jure N. G. & C. Joan. Camman. de maj. diſp. 1. th. 37. 41. Benedictus Wincklerus de princ. jur. 3. c. 7. & 5. c. 4. Scotan. diſp. ad lib. 1. c. th. 4.

Cum igitur ſanctiſſimis naturæ decretis & inſtitutis quilibet obligatus; ſic quoque Principem iis teneri, dubitare non attinet, vid. Mynſing. n. 3. Inſt. de J. N. G. & civil. Schurf. 1. conſil. 59. n. 7. Rol. a Vall. conſ. 1. n. 2. & 28. lib 2. Pariſ. conſ. 1. n. 8. Regner. Sixtin. conſil. Marpurg. 9. n. 76. Cum intuitu divinæ & naturalis legis rectæque rationis non ut Princeps, ſed ut homo conſideratur, qui Imperat. l. quod attinet ff. de reg. jur. c. 1. & cap. non licet. diſt. 10. Enenckelius 1. de privileg. c. 8. licet enim princeps ſuprema gaudeat poteſtate cujus reſpectu jus naturale determinari, Sarmient. 2. ſelect. interpretat. c. 14. Bortius apud Arumæ. in Apophtegmat. Circa hoc enim, quæ & quanta ſit poteſtas principum, jam olim Canutius, Nortmanniæ, Daniæ & Angliæ rex deprehendit, qui ſedile ſuum in littore maris poni vel ſtatui juſſit, & mare alloquens dixit: Tu mare ditionis meæ es, & terra, in qua ſedeo eſt mea; impero & denuncio tibi, ne aſcendas terram, nec veſtes vel membra Domini tui, nec Dominatorem tuum madore perfundas. Qua voce non perterritum mare & terram, & pedes regis madefecit unde rex clamavit. Sciant omnes habitatores terræ, univerſi orbis, vanum eſſe meum imperium, vanas juſſiones meas & vanam potentiam regni; & ſtatuant neminem fere dignum nomine regis, præter eum, ad cujus nutum & mare quieſcit, & omnia obediunt elementa. vid. Eberhard a Weihede, vanitate gloriæ humanæ fol. m. 95. & ſeq.

## DE TERTIO PRINCIPIO FORMALI SEU REGULATIVO IMPERII.

Principium imperii directivum eſt jus gentium, ad cujus obſervantiam principem vel moderatorem reip. commune naturæ conſortium, Thomas Morus lib. 2. Utopiæ & conventio tacita obligat, Decian. reſponſ. 123. n. 73. Regner. Sixtin conſil. Marpurg. 14. n. 110. vol. 2. Anton. Quett. conſ. 12. n. 6. Vultejus 3. conſil. Marpurg. 35. Tiber. Decian. reſponſ. 2. n. 10. vol. 1. Alexand. 3. conſ. 17.

Ex hoc jure conventionum fides Bald. in l. ex imperfecto C. de teſtam. Covarr. pp. qq. c. 19. n. 3. Petr. Gregor. Tholoſan. 8. de rep. c. 8. Zaſ. ad 2. §. eodem tempore n. 21. de orig. jur. Caſpar. Anton. Theſaur. quæſt. forenſ. 100. n. 16. lib. 1. Gail. 2. obſerv. 55. n. 7. Gylman. in ſymphoremat. ſupp. part. 1. tit. 2. ſub n. 134. pacta & contractus, l. 4. l. 5. ff. de juſt. & jure Dominia & diſtinctiones rerum &c. directe deſcendunt; occaſionaliter vero & indirecte jura belli Tileman. diſp. ff. 1. th. 14. Zepper. de LL. Moſaic. fol. 165. Chemnit. locor. Theologic. tom. 2. de vindicta fol. 312. Forſter. diſp. ad Decalog. decad. 2. problem. 6. Chriſtoph. Binder. tract. de bello th. 27. Petr. Martyr. in loc. commun. de bello. Oſiand. in tract. de papa non papa fol. 168. Gerhard. decad 7. q. 1. Bodin. 5. de rep. c. 5. Junius quæſt. polit. q. 67. Gentil. 1. de bello c. 5. Caſman. vitæ politicæ c. 34. Hœnon. 7. th. 1. & 5. Covar. in c. peccatum part. 2. §. 10. n. 6. de Reg. jur. Alciat. 2. paradox. c. 21. Stuk. diſp. ad Inſt. fol. 97. ſervitutum, l. 4. l. 5. ff. de ſtat. homi. Ariſt. 1. politic. c. 4. Marc. Lyclama 4. Membr. ecc. 11. Jacob. Martin. tract. de ſum. bon. diſp. 8. q. 1. & 8. Bodin. 1. de rep c. 5. Pignorius de ſervitut. fol. 102. item 252. Cothman. diſp. inſt. 4. coronid. c. 1. Jacob. Cramer. diſp. 2. th. 1. Thom. Smith. de rep. Anglor. c. 10. Arniſæus hic. cap. 4. fol. 107. manumiſſionum l. 5. ff. de J. ac J. jura fœderum, Waremund. ab Ehrenberg. lib. 1. c. 2. de fœder. Petr. Faber. ſemeſt. c. 7. Ayalam. de jure & offic. bellic. 1. c. 7. fol. 137. Melchior. Junius q. polit. 74. Leichterus tr. *von Bündniſſen*, Richter, axiom. hiſtor. 4. Hæc jura cum omnes, qui in ſocietate vivunt, naturaliter & tacite quaſi ex conventione obligant, ſic quoque principem iis ligatum eſſe, non dubitamus. Herman. Vultejus conſil. Marpurg. 35. n. 88. Benedict. Winkler. de princip. juris 4. c. 13. Phil. Decius conſ. 15. col. 5. Ancharan. conſ. 65. ſocin. conſ. 164. Zaſius 1. conſ. 50. n. 6. Hieron. Schurff. conſ. 50. n. 4. Chaſſanæus de gloria mundi part. 5. conſiderat. 36. Joan. Azorius Inſtitut. Moral. l. 5. c. 11. part. 1.

## DE QUARTO PRINCIPIO NORMALI SEU REGULATIVO IMPERII.

Quartum principium normale imperii eſt honeſtas, ad cujus obſervationem quemlibet, tum maxime principem, ſanctiſſima legis naturæ decreta incitant. Honeſtas enim ſæpiſſime gentibus etiam maxime barbaris pudorem quendam naturalem incuſſit, ſi quaſi in parte ejusdem fines & terminos violaſſent; Gentes vero & populi, a barbarie remoti eam huic honeſtati reve-



Digitized by Google

rentiam exhibuere, ut ad eandem, ceu normam & cynoſuram, conſilia & inſtituta ſua examinarent, & ad hanc. veluti ſcopum in omnibus actionibus tum præſertim in reip. & imperii directione, collimarent, Barth. Keckerman. præcogn. polit. p. 22. 24-27. Lambert. Danæus lib. 1. polit. Chriſt. c. 2.

Exemplo nobis ſit Athenienſium populus hic a Themiſtocle in concionem vocatus, eo conſilio, ut magnum aliquid, quod in animo ſe habere ajebat, reip. utilitatem concernens communicaret, ea tamen adjecta conditione, efferre ſe id nolle prius, quam alicui id communicaſſet, quem populus deligeret. Delectus igitur Ariſtides: re Ariſtidi per Themiſtoclem communicata, conſcendens ſuggeſtum Philoſophus, ut quid eſſet, populo referret, ait, Themiſtoclis conſilio nihil reip. utilius, ſed eodem nihil injuſtius. Hoc audito tacere eum populus juſſit, nec vel auribus excipere conſilium maxime utile voluerit, quod ab honeſto & recto diſcreparet, Plutarch. in vita Ariſtidis. Nec tantum jura Gentium; ſed & ſacra eloquia hanc toties regulam & principium imperii directivum conſtituunt, quoties magiſtratum jubent populum ſuum in omni pietate, ſanctitate ad gloriam ſuam, 1. Cor. 10. v. 13. & vitam tranquille & quiete degendam, 1. Tim. 2. v. 2. informare, Danæus lib. 1. polit. Chriſt. c. 5. Caſus in prolegom. Sphær. civit. c. 1. q. 2. Keckerman. lib. 1. præcogn. polit. p. 7. Bodin. lib. 1. De Rep. c. 1. p. 1. & 2. Antimachiavell. lib. 3. de regno adminiſtrando Theoremat. 22. Hoc autem quomodo Princeps efficiet, niſi ipſemet ſibi honeſte vivendi rationem præſcribat? Qua ut ſua natura amabilis, ita quicunque tenetur eandem omni ſtudio complecti, & tale præbere exemplum, ut luceat coram hominibus. Hoc tamen ſingulari quadam ratione exigitur ab eo, quem ad ſummum dignitatis apicem evexit virtus comite fortuna. Is enim adſtringitur arctiori, quodam vinculo utpote inferiorum exemplar. Xenophon in pædia Cyri Cic. pro lege Manilia, Eraſm. Chiliad. 2. cent. 6 prov. 38. jun. 1. part. 1. qq. polit. q. 20. p. 121. 122. Antima Chiavell. lib. 3. de Regn. adminiſt. Theorem. 27. Clem. Timpler. lib. 3. polit. c. 1. q. 1. qualis enim ſuperior, tales inferiores eſſe ſolent, ita acclamante ſapientiſſimo rege Eccl. 10. Qua Rector civitatis, tales & habitantes in ea. Quoniam ſicut heliotropium ſolis curſum imitatur. Plinius lib. 28. c. 27. ita populus inſtituendæ vitæ regulam a Principis ingenio mutuatur. Hinc Poeta tragicus. Rex velit honeſta, nemo non eadem volet. Primum mobile, ut tradunt Philoſophi, ab oriente in occidentem tendens, omnes ſphæras violento impulſu ſecum trahit & modo quodam rapit, ſic princeps in vitia declinans, multos ſimul ad delictum ducet rupis ingentis inſtar, quæ a montis vertice decidens, plurimos ſecum cadendo pertrahit lapillos. Quapropter omni ſtudio cavendum, ne viri primarii, relicto honeſtatis ſtudio, pravo exemplo alios inficiant. Quoniam quales principes in rep. tales reliqui ſolent eſſe cives & quod magis refert. Non ſolum vitia concipiunt ipſi, ſed etiam fundunt in civitatem, pluſque exemplo, quam peccato nocent. Turpe quidem non inficior, privatum hominem errare; at in principe multo magis indecorum. Actio namque principis cum in aperto ab omnibus conſpiciatur, ad illum imitandum excitare ſolet ſubjectos. Ita Plutarchus docet & quidem pulchre, ait enim: quemadmodum majore dedecore, ſolent eſſe notæ in facie quam in reliquo corpore, ſic etiam minima quæque principum errata notantur. Sic quam pulchre huic rei facit Iſidorus lib. 2. de ſummo bono. c. 18. Creſcit delicti cumulus juxta ordinem meritorum & ſæpe, quod in minoribus ignoſcitur, majoribus imputatur. Nonne in Hieruſalem plurimi erant cives vitiis addicti, nullum tamen arguit Johannes, niſi Herodem, arguebat Herodem Johannes: Quorſum hoc? Quia in ipſo tanquam in rege major culpa notatur. Proinde Plato, ſcribens Dioniſ. Syracuſarum Regi. Recens facto, vid. epiſt. ejus 4. hoc præcipuum præſcripſit obſervandum: nempe quod ita ſe haberet, tanquam ſpeculum omnibus expoſitum ſiquidem princeps, ſolis inſtar omnium oculos in ſe convertit, propterea laudabile vitæ inſtitutum amplectatur quoniam ad ejus exemplum civium mores componuntur, & velut divinus magnes ſubditos ad ſe trahit. Notiſſimus eſt Claudiani verſiculus, vid. paneg. 7. huic rei egregie deſerviens.

In commune jubes, ſi quid cenſeſve tenendum,
Primus juſſa ſubi, tunc obſervatior æqui.
Fit populus, nec ferre vetat, quod viderit ipſumi
Auctorem parere ſibi. Componitur orbis,
Regis ad exemplum, nec ſic inflectere ſenſus,
Humanos edicta valent, quam vita regentis.

Hinc per Ezechielis animalia princip. intelliguntur, per currus & rotas populares viri. Sicut enim rotæ non habent motum proprium, ſed ad motum animalium movebuntur; ita & ſubditi fere ſemper ad motum principum moventur, idcirco qui præſunt, longe magis exemplo, quam culpa nocent. Proinde Zenophon Cyrum regem ad bonum regimen inducens ajebat: præcipuum principis opus eſt, ſe virum bonum præbere, ac pro virili operam dare, ut qui ſub imperio ejus degunt, quam optimi evadant: populi namque eorum vitam, qui præſunt æmulari ſolent, ſi boni fuerint ad honeſta eos ducunt ſi mali ad turpia. Quocirco non liceat Principi ne latum quidem unguem a legis ac honeſtatis præſcripto recedere, ne pravo exemplo cunctas corrumpantur. Hæc eſt enim principis conditio, ut quod ipſe facit, id aliis præcipere videatur. Et hoc eſt plebis ingenium, ut magis oculis, quam auribus credat & magis ſi exemplis vivis, quam verbis mortuis excitetur. Hinc Livium Druſum Romanum ſummis laudibus celebravit antiquitas; is enim cum domum haberet, ob feneſtrarum multitudinem oculis vicinorum nimis patentem, fabro cuidam murario promittenti quinque talentorum mercede huic incommodo occurreret reſpondit & quidem prudenter. Decem potius dabo tibi, ſi totam domum meam conſpicuam effece-

Digitized by Google

effeceris, ut cives omnes, quemadmodum vitam inſtituo, cernere queant. Vellejus Paterculus lib. ultim. rom. hiſtor. Voluit quippe vir egregius innuere: eum, qui cæteris præeſt, illud vivendi inſtitutum ſibi præſcribere debere, ut ſit omnibus tanquam exemplar, a quo ceteri diſcant, & ſpeculum quoddam lucidiſſimum, id quod populi inſpicientes, viam virtutis aſſequantur. Quorſum Johannes Apocal. c. 1. ſtellarum nomine honeſtavit Principes, & ſub hoc velamine docuit, quod ſicut ſtellæ in firmamento ſemper micant, & nunquam patiuntur ecclipſin, quod nimis a terra remotæ ſint, ejusque umbra ad eas usque nequeat pergere, ita, qui clavum tenet imperii, vitæ honeſtate aliis prælucere debet, nec ulla unquam macula, licet minima, deliquium pati. Cui doctrinæ egregie facit Baſilii, Imperatoris, oraculum ad Leonem, filium: ſicut cæteris prælatus es, ut omnibus imperares; ita contende, ut virtute quoque cæteris antecellas; virtus enim omni principatu præſtantior eſt, ſi autem dignitate reliquis præſtas omnibus, virtute autem ab aliis præcelleris, Imperator quidem es, ſed in eo, quod minoris excellentiæ eſt, in eo vero, quod præclarius eſt, Imperator non es; imo ſub alterius imperio es, nec deſunt ſacrarum litterarum teſtimonia, dixit enim Dominus ad Moyſen Num. c. 17. Accipe virgas a Principibus tribuum, quem ex his elegero, germinabit virga ejus: Germinavit autem virga Aaron, & turgentibus gemmis, erumpebant flores, qui, foliis dilatatis, in amygdalas formati ſunt. Quid hinc? hoc nimirum, quod ille ſolus principatum gerere debet, qui germina virtutis profert.

Quam ſumma erat felicitas gentium, in aureo ſeculo degentium, in quo non poterat eſſe præſtantior, niſi melior; tunc prudentum fuit regnum: at noſtra hac tempeſtate, quod nimis deplorandum eſt, non virtute præſtantiſſimis, ſed potentiſſimis ac ditioribus Imperatoribus faſces concreduntur, non ſine manifeſta parentium pernicie. Si quidem honoribus hujusmodi plane indigni, quamprimum ad dignitates promoti, non curant prodeſſe, ſed gloriantur ſaltem præeſſe, non quærunt opus, ſed opes, non libros, ſed libras; non prece, ſed tantum pretio, juvant; in ſumma, ſic in hoc mortalium ævo comparatum: qui ſe cernit ſuperiorem, ſe alio meliorem præſumit. At bonum non facit gradus, ſed virtus; non dignitas, ſed honeſtas; ſcite admodum Cyrus, qui dicebat, neminem debere imperare, qui ſubditis non eſſet melior. Pulchre quidem Bernhardus ad Eugenium conſid. lib. 3. c. 13. Audi canticum meum, minus ſuave, ſed ſalutare; monſtroſa res gradus ſummus, ſed animus infirmus; ſedes prima, vita ima; lingua verboſa, manus otioſa; ſermo multus, fructus nullus; vultus gravis, actus levis; caput canum, cor vanum; ingens autoritas, nutans ſtabilitas. Non ſic, non ſic, o Principes! ait Ambroſius, ſed ſtudete, ut nomen congruat actioni, & actio reſpondeat nomini. Scio quidem, Principem eſſe hominem, nec ob dignitatem penitus exuere humanitatem, ut prudenter docuit quidam philoſophus. Is enim flentem Imperatorem ob infauſta quædam nuntia, cum a ſenatu magiſtratibusque increpari cerneret, in hæc verba prorupit: Sinite plorare, quia dignitas imperatoris non impedit, illum eſſe hominem. Negari tamen non poteſt, pravo Regis exemplo, plurimos perdi, ſiquidem hoc in more poſitum eſt apud omnes, ut Principum actiones aures & oculi populi ſequantur, quod quidem divinarum humanarumque litterarum monumentis facile comprobatur: acclamavit Jonas vid. c. 3. Jonæ adhuc quadraginta dies & Ninive ſubvertetur: Tunc Rex hac voce perculſus, ſacco induitur, ſed & in cinere fundit lacrymarum imbres. Quid hinc? omnes illico ſecuti ſunt Regem. Vaſa templi prophanavit Rex Chaldæus ſtatim poſt illum & optimates ejus, Dan. c. 5. Arripuit Saul gladium ſuum & irruit ſuper eum; hoc cum vidiſſet armiger ejus, & ipſe ſuper gladium ſuum & mortuus eſt cum eo 2. Reg. 4. tantum valuit Regis exemplum in re omnium acerbiſſima. Cum eſſet Jerobeam idolorum cultor, ejus exemplo plebs edocta idolis incenſum adolere non dubitavit. 3. Reg. c. 12. Sic Matth. 2. turbatur Herodes, omnis turbatur mox Hieroſolyma cum ipſo. Unde Bernhardus exclamat, o miſera civitas, in qua regnat Herodes, quoniam Herodianæ procul dubio particeps erit malitiæ. Nec deſunt teſtimonia, ex humanis literis depromta: cum Dionyſius, Platone magiſtro, philoſophiæ operam daret, tota regia pulvere fuit repleta, fuit præ turba geometricas fingentium turbas, ſed eodem ad ſua pocula & voluptates redeunte, vitæ mollities univerſos occupavit. Plutarchus in moralibus. Alexander, Macedonum Rex, cum interiorem Perſidis regionem penetraſſet, ventum eſt ad iter, perpetuis nivibus obſitum, ubi ſolitudines inviæ animos militum deterrebant & detinebant; tunc Rex ipſe equo deſiliit, pedesque per nivem & concretam glaciem, quaſi reptans, ingredi cœpit, & dolabra glaciem perfringens, viam ſibi feliciter aperuit; erubuerunt non ſequi primum amici, deinde copiarum duces, milites denique omnes. Tantæ molis erat egregium Principis exemplum. Quint. Curtius lib. 5. de rebus geſt. Alexandri. Viſo in acie Imperatore, animi militum accenduntur; Quid Julii Cæſaris exercitum ad Cordubam contra Pompejum juniorem perterrefactum, & jam de fuga magis, quam pugna, meditantem reſtituit, animavit & ad bellum impulit? pudor militum ad Principis exemplum. Cum enim milites audiviſſent, Cæſarem in concione exclamantem: hic dies mihi finis vitæ erit, & militiæ veſtræ ultimus, quod, his dictis, mox arripuit obvii militis clypeum, ſolus hoſtes invaſit, loco deturbavit, & ducenta circiter tela, in ſe miſſa, partim audacter evitavit, partim ſcuto excepit. Tanto pudore accenſi fuere milites, moxque tanto impetu in hoſtes irruere, ut Pompejum cum univerſo exercitu in fugam compulerint, Ducesque, capta Corduba, in quam confugerunt, magna ex parte cæſi ſunt, & eorum capita ad Cæſarem perlata. Livius lib. 2. decad. 1. En quanti ponderis Ducis ſtrenui exemplum. Neronis parricidium laudant Centuriones, & tribuni, mox capto exemplo, proxima Campaniæ municipia victimis & legationibus lætitiam teſtantur. Tacit. lib. 14. annal. En populares viri, quam facile illuſtrium virorum exemplo inficiuntur. Clodoveus, Gallorum Rex, cum fidem publice profi-

Digitized by Google

profiteretur, & ad ſanctum convolaret lavacrum, a beato Remigio, epiſcopo baptizatur, mox ipſius exemplo tria hominum millia baptiſmum ſuſcepere. Gregor. Turon. l. 3. hiſt. Francic. Regnante Conſtantino, optimo Principe, fides indies florebat: At regnante Conſtantio, quia catholicæ eccleſiæ hoſtis fuit acerrimus, etiam populus Arriana labe fere omnis infectus. En quantum refert vel bonum, vel malum Principis exemplum? tantum inquam, ut corporum etiam notas, motus ac geſtus imitari in dominis ſubditi geſtiant. Hinc Perſæ pulchrum exiſtimabant, naſo adunco eſſe, quia Cyrus, eorum Rex, talem habebat. Platonis contractos humeros familiares exprimebant. Ariſtotelis gibbum diſcipuli pulchritudinis loco ducebant. Ita cecinit Poëta:

Claudum cum claudo Principe vulgus erit.

Apud Æthiopes, ut memorat Diodorus Siculus lib. 4 rerum antiquarum c. 1. habebantur inglorii, qui non imitabantur Principes in corporis etiam defectibus, ſi quando Rex aliqua corporis parte, ex quavis cauſa, debilitabatur, domeſtici omnes ſponte eandem partem debilitabant. Turpe enim exiſtimabant, Rege claudo, non etiam amicos claudos eſſe. Sed quod majoris admirationis eſt, non ſolum claudicabant cum claudo, ſed, mortuo Rege, magis intimi & familiares morti ſe dabant. Proinde ſubjunxit autor: ferunt quoque conſuetudinis eſſe, amicos ultro in Regis morte defungi: Ad hanc rem ſatis appoſite facit divini vatis oraculum: Vidi iniquitatem & contradictionem in civitate, die ac nocte circumdabit eam ſuper muros ejus iniquitas Pſal. 54. Hic pulchre advertit Auguſtinus, non in muris lapideis iniquitas, ſed in viris, qui ſunt munimenta civitatum, hoc eſt, in Principibus, qui a Deo conſtituti ſunt propugnacula urbis. Quod autem hæc fuerit divini vatis intentio, liquido conſtat ex alio ipſius oraculo, Pſ. 46. ubi vocat Principes clypeos civitatum: Quoniam Dii fortes terræ vehementer elevati ſunt; alia lectio habet: quoniam Principes ſunt clypei terræ, nec inepte, quia principes ad protectionem populorum conſtituti ſunt. Cum autem in his apparet iniquitas, & revera inſit, quid mirum, ſi non defecit in plateis ejus uſura & dolus? Qualis enim Rex, talis quoque grex. Heu quam pernicioſum Principis exemplum, ſanguineis lacrymis deplorandum, & graviſſimis ſuppliciis dignum. Ita divino oraculo comminante, duriſſimum judicium fiet his, qui præſunt. Sap. 6. Hoc probe noverat piiſſimus Ferdinandus, qui poſt multa, licet egregia, facinora morti jam vicinus, ingemiſcens dixit: O utinam divinæ majeſtati placuiſſet, me alterius ſortis hominem fuiſſe, nunc enim tam exacte tot regnorum ratio non eſſet reddenda! quaſi jugiter maneret alta mente repoſitum Oſeæ Proph. oraculum: Peccata populi comedentis, Oſeæ c. 4, quæ verba exponens Cyrillus, dixit peccata populi comedentis, h. e. hoſtias, pro peccatis oblatas, ad religioſos viros dirigens ſermonem. Scriptura enim ita loqui ſolet: cum non comediſtis hoſtiam pro peccato in loco ſancto. Levitic. 10. In Hebræo eſt: cur non comediſtis peccatum? Decet enim ſacerdotes, qui laborant in altari, de altari vivant. Alexander, Pontifex hujus nomine primus, hoc dictum intelligit de ſacerdotibus: qui precibus ſuis peccata populi delent 1. q. 1. c. ipſi ſacerdotes, comedere namque pro conſumere multoties in divinis literis ſolet accipi: quia comederunt Jacob & locum ejus deſolaverunt: Comederunt, hoc eſt, conſumſerunt, D. Hieronymus ſic explicat: peccata populi comedunt, h. e. ex iis vivunt. Diſſimulant enim peccata & laudant, ſicque ad eorum quæſtum afferuntur hoſtiæ, ac populum ſpoliant, ac comedunt, de quibus loquitur ſcriptura: qui devorant plebem meam, ſicut eſcam panis. Quaſi dicat: comedendo peccata populi, populum ipſum comedunt. Sic enim exponit Gregorius Homil. 17. in Evang. cur peccata populi comedere dicuntur? niſi quia peccata delinquentium fovent, ne temporalia ſtipendia amittant. Sed afferamus explicationem, noſtro inſtituto magis conſonam. Peccata populi comeditis, hoc eſt, pro peccatis populi pœnas luetis. Non ex alia cauſa, niſi propter exemplum peſſimum & boni publici neglectum, ad quod Principes, vitæ integritate conſpicui, aſſidue anhelare debent, gerentes pro ſtemmate illud inſigne, nimirum vas vitreum, in quo lumen incluſum, appoſita notula: Intus, quo foris. Quod regium inſtitutum, ut tenacius menti hæreat, Principibus amantiſſimis hoc inſigne appingo; Alvearium nempe, una cum apibus & melle, adjecta inſcriptione Virgiliana: Sic vos, non vobis. Siquidem apes argumentoſæ non tam ſibimetipſis, quam humano uſui mellificant; ita Principes alieno ſemper & publico bono inſudare debent. Hoc ſemper perpendendum Principibus, ut pro virili dulciſſima publicæ utilitati mella irrogare contendant, ut juxta ſubditos ſuos ſanctitatis & integritatis exemplo ad meliorem frugem reducant, cogitantes, quod ſi hoc non fecerint, Deus ſanguinem ſubditorum de manu Principis ſit requiſiturus. Ezech. c. 3. Hoc ſtimulo vehementer angebatur Rex David, proinde lacrymarum imbres quotidie ab oculis effundebat, quoties in mentem redibat iniquitas, quam fecerat, toties exitus aquarum deducebant oculi ejus, nec unquam toto vitæ curriculo lacrymas intermiſit, ſic Pſalm. 6. idcirco lacrymas appellabat panes; fuerunt mihi, inquit Pſ. 42. lacrymæ meæ panes, dum dicitur mihi quotidie, ubi eſt Deus tuus? nec abs re vocabat panes, quoniam ſicut inter omnes cibos nullus eſt pane frequentior, ita continuus peccatorum dolor cor ejus angebat; bene panes, quia quemadmodum panis reliquos cibos comitatur, ita fletus omnium ejus actionum individuus erat comes. Bene ergo panes, quia ſicut panis eſt cibus omnibus communis, ita Rex coram omnibus plorabat, quoniam publice deliquit, ut, ſi forte aliquis ſecutus ſit, errantem ſequatur & pœnitentem. Bene igitur panes: quia, licet panis famem avertat, ſitim tamen non extinguit, quin potius accendit. Igitur bonus Rex innuit, quod, quo magis lacrymatur, tanto magis in eo accendebatur lacrymarum ſitis. Propterea lacrymas appellabat, non aquas, ſed panes, ac ſi diceret: plus ultra Deum infinitum offendi, ſine fine plorabo, quia dolor de peccatis nunquam ſa-

tis

Digitized by Google

tis deplorari poteſt. Quaſi pro ſtemmate haberet crocodilum, de quo refert Plinius, quod ſemper creſcat, quamdiu vivit, appoſita nota hac: noſtri ſimulacra doloris. Amarantho hæc ineſt natura, ut ſi in aquam mittatur, vigorem nunquam amittat. Et ergo dicit David, aquarum lacrymis mundatus, dolorem cordis, præ offenſa Dei acceptum, non dimittam; quaſi illud academicum pronuntians. At lacrymis mea vita viret, quocirca lavabo per ſingulas noctes lectum meum, & lacrymis meis ſtratum meum rigabo. Prudenter quidem lectum & ſtratum copulavit, quia in hiſce præcipue locis divinum numen offenderat, lectum; en thori alieni violatio! ſtratum regium, en juſtitiæ corruptio! nam ibi ſententiam mortis contra innocentem Uriam promulgaverat, & manu regia firmaverat; ſicut enim apud multas nationes mos inolevit, in eodem loco, ubi deliquit reus, ibi delicti pœnas luat, vid. Gen. 30. ita David in ſtrato & lecto, ubi deliquerat, de ſeipſo vindictam ſumebat, & quia in populis jam evulgatum delictum, ideo, ut pœnitentiæ ſignum omnibus pateſaceret, ubique amare flebat. Flebat in aula regia: ſtratum meum rigabo. Flebat in lecto: lavabo lectum meum. Flebat in menſa: fuerunt lacrymæ panes. Flebat etiam in via: exitus aquarum deduxerunt oculi mei, & nunquam finis. Euripidis ſententia fuit, quod Regi flere non licet. Non enim bene cohærent fletus & majeſtas Cur igitur Rex David plorat? non plorat, quod civitatem amiſerit, quod in bello ſuperatus fuerit, quod in captivitatem ductus; ſed plorabat, quia bonorum ſpiritualium jacturam fecit. Nam gratiam divini Numinis amiſerat, juſtitiæ decorem, animam denique ſuam turpiter fœdaverat. Et ideo regiæ dignitatis oblitus, lacrymis & fletibus vacabat, nec unquam intermiſit toto vitæ curriculo. Quidam orator celebris, laudes Epheſtionis Alexandri Regis amici decantans, hoc unum repetebat: De delicto nunquam ſatis: ita Rex frequentibus ſuſpiriis clamabat, pro offenſa Dei & pro plebe, exemplo meo corrupto, die & nocte plorabo, & nunquam ſatis. Siquidem qui clavum tenent & excelſa puppi ſedent, cæteris præfecti pro commiſſis populis enactam rationem reddent, pœnasque graviſſimas dabunt, niſi ad meliorem frugem illos reducant. Optimos itaque mores Princeps, honeſtatis amans, ſummo complectatur ſtudio, turpes vero radicitus evellat, & idem facient populi: nam quales virgas figebat Jacob in canalibus, tales etiam partus edebant oves. Huc facit appoſite, quod olim monimenta hiſtoriarum tradidere, & multi doctores non ſane vulgares affirmant, vid. D. Heron. tom. 3. epiſt. ſpecioſam quandam & candidam mulierem prolem ediſſe, inſtar Mauri nigerrimam, quam calamitatem, cum eadem fœmina ad Albertum M. retuliſſet, ſcire cupiens tanti caſus rationem aliquam. Albertus Magnus Mauri imaginem reperit in thalamo: quam mulier in extremo voluptatis æſtu fuerat contemplata, dixitque illi: inveni, domina, patrem filii tui. Alvar. de planctu eccleſiæ lib. 1. Idem prorſus populis contingit: qualia enim vident in Principe, talia pariunt & operantur. Nunquamve raro in ſacris literis de ſolis obſcuratione fit mentio. Iſac. 13. Joel. c. 2. quin ſtatim ſequatur lunæ & ſtellarum obtenebratio: obſcuratus eſt ſol in ortu ſuo, & luna non ſplendebit in lumine ſuo, Sic & luna & ſol obtenebrati ſunt, ſtellæ quoque retraxerunt lumen ſuum. Et in fine capitis: ſol convertetur in tenebras, & luna in ſanguinem. Nec credat Princeps, cum turpiter vivit, vitia ſua latere, & proinde pravo exemplo non inficere. Aberrat toto cœlo. Fama enim penetrat abditos quosque Principum receſſus, ſecreta quæque rimatur; occulta introſpicit, latebras omnes explorat; non tenebræ, non ſolitudo obſtat, quo minus in vulgus dimanet, quicquid egerint Principes. Nam lux principatus omnia reddit conſpicua. Hinc veteres poetæ veritatem finxere temporis & memoriæ filiam, Aulus G. noct. attic. lib. 12. c. 12. quia aliquando lateat, parvo tamen temporis progreſſu emergit in lucem. Annales Taciti legantur, & in his omnes propemodum romanæ aulæ angulos excuſſos reperiemus. Quid, quæſo, profuit Tiberio obſcurum & ſubdolum fingendis virtutibus ingenium? Quid ſolitudines, ad inauditam & inexplebilem libidinem occultandam quæſitæ? Tacit. lib. 5. annal.

Nonne monſtrum illud, dimotis parietibus, hiſtoria ob oculos nobis ponit? O quam pulchre Saluſtius ad Cæſarem: aliis inquit, alia licentia eſt, qui demiſſi in obſcuro vitam agunt, ſi quid iracundia deliquere, pauci ſciunt; at qui in excelſo dignitatum culmine, eorum facta cuncti mortales novere. Principis eſt vitium tanto conſpectius in ſe, quanto aliis Princeps eſt magis conſpicuus. Hoc enim habet magna fortuna, quod nihil tectum, nihilve occultum eſſe patiatur: privatus homo tegere improbitatem poteſt. Principum facta dictaque omnia ex edito proſpectanda proponuntur. Quapropter maxime advertendum, ne Duces ſuis ad impietatem fiant, trahantque exemplo in interitum, quos debebant in ſalutem; Hoc autem facile præſtabunt, ſi honeſtam vivendi rationem ſibi præſcribant, ſi juſtitia, pietate, clementia, ac cæteris virtutibus comitati incedant, tanquam ampliſſimo totius orbis theatro expoſiti. Siquidem domus regia Principis, debet eſſe Dei templum, prudentiæ oculus, libra juſtitiæ, fortitudinis ſedes, regula temperantiæ, charitatis ſplendor, fons gratiarum, Muſarum chorus, honeſtatis exemplum, prudentum ſenatus, præmium litteratorum bonorum, ſpes innocentium, refugium omnium, Muſarum tutiſſimum præſidium. Marſil. Ficin. lib. 5. epiſt.

Moribus ingenuis, ſint aurea ſceptra tenentes,
Moribus ingenuis, ſic erit & populus
Mobilis, ad primi motum volvantur & aſtra,
Sic currit corpus, currit & umbra ſimul.

## DE QUINTO PRINCIPIO NORMALI SEU REGULATIVO IMPERII.

### V.

Principium normale imperii, ſunt LL. fundamentales, quæ nihil aliud ſunt, niſi pactiones ſeu conventiones inter magiſtratum ſummum, & proceres, ſeu ordines imperii initæ, & ultro citroque confirmatæ; ejusmodi pactiones vulgo dici ſolent capitulationes, quibus cavetur, ne ſcilicet fas ſit Regibus, vel imperantibus, absque ſtatuum conſenſu, etiam neceſſitate urgente, quicquam ſtatuere in iis, in quibus reipublicæ intereſſe vertitur. Cum igitur hæ leges præciſe ad conſervationem ſtatus ſpectent, iisque reſpublica, tanquam fundamento, nitatur, hinc, ſi Princeps easdem non obſervando ab iis recedat, ipſa regni fundamenta convellit, & totam rempublicam evertit: Jacob. Bornitius de fundando reipublicæ ſtatu c. 9. Keckerm. lib. 2. ſyſt. polit. c. 6. Antimachiavell. lib. 1. de regno, aut quovis principatu. Theorem. 1. p. m. 61. Lambertus Danæus lib. 3. politic. Chriſt. c. 6. Althuſ c. 6. polit. methodice digeſtæ. Ne igitur hoc accidat, nihil magis ad regni vel principatus ſalutem ſpectabit, quam ut pactiones hæ eidem ſacroſanctæ ſint. Hoc, utut ita ſit, non immerito tamen dubitare licet, an ſalva authoritate principali Princeps in ejusmodi capitulationes jurare queat.

Noſtram quod attinet ſententiam, arbitramur, majeſtatem, ſive generice eandem conſideremus, ſive ſpecifice, qualis vel in hoc, vel in illo regno pro arbitrio ſtatuum inducta, eam hujusmodi capitulationibus non tolli, ſed finitam tantum poteſtatem coarctari & limitari. Quemadmodum enim candela, vitreæ incluſa capſulæ, æque ac ſi extra eandem poſita, lumen ſpargit ſuum; ac hoc modo conſervatur, ne ventis exinde expoſita extinguatur, aut diffluat; ita majeſtatis ſplendor circumſtanti, at non obſtante capitulationis fabrica, lucidius apparet, munitus tamen hac ipſa, ne favoniis adulationum ventis admiſſis, prona licentia pereat, & ſummam denique patiatur ecclipſin: imo ſi exactius loqui velimus, per ejusmodi pactiones authoritatem Principum firmari arbitror, abſit, ut eandem infirmari credam. Ita enim uſu ferme receptum, ut imperantibus perfecta imperii adminiſtratio non concedatur, niſi demum poſt latam vel datam capitulationem. Ergo quam accepit, tollere nequit; at bene cum modificatione transferre. Nec enim majeſtas, vel poteſtas hæc, quæ hodie Principibus ac Regibus tribuitur, generalis eſt & illimitata, ut ſupra probatum, ſed ſpecifica & limitata, hoc eſt talis, qualem ordines, ſtatus & defenſores imperii voluerunt. vid. Reinking. tract. de regimin. ſecul. & eccleſiaſt. lib. 1. claſſ. 3. c. 9. per totum, Arumæus vol. 4. diſcurſ. jurispubl. diſc. 2. Albergates in diſc. politic. cont. Bodinum lib. 2. c. 11. p. 292. quod cum ita ſit, facile apparet, quod Princeps, illæſa autoritate & ſalva majeſtate ſua, in leges fundamentales jurare & ſecundum eas adminiſtrare poſſit ac debeat, ni ſe ipſum & totam rempublicam peſſumdare velit. Bornit. c. 9. p. 67. & 68. Sixtin. de regalib. c. 9. n. 39.

## PARS V.

### Prædicati

## DE OBIECTO PRINCIPALI IMPERII.

Objectum principale, eſt multitudo hominum, certo ordine & juris vinculo conſociata. Henning. Arniſæ. lib. 1. polit. doctrin. c. 1. p. 34. Timpler. lib. 1. polit. c. 1. q. 3. Caſus ſphæra civit. L. 1. c 1. Non enim quælibet multitudo hominum rempublicam conſtituit, ſed quæ certo aliquo ordine conjuncta; ordo enim, formale reipublicæ eſt, quo tota cohæret reſpublica. Bodin. lib. 1. de rep. c. 1. Danæus lib. 1. polit. Chriſtian. c. 1. p. 1. Keckerm. præcognit. polit. p. 8. Caſus ſphær. civitat. c. 1. q. 2. Antimachiavell. libr. 3. de regno adminiſtrando theoremat. 22. quem tamen ordinem non de ordine naturæ, qualis datur inter numerum & numerum in arithmeticis, ſed de ordine juris & juſtitiæ accipimus, ſine qua imperia nihil aliud ſunt, niſi magna latrocinia, ut bene monet Auguſtinus lib. 2. de civitate Dei c. 4. vid. Bodin. lib. 1. de rep. c. 1. p. 2. Casman. lib. 1. polit. vitæ. Schönborn. lib. 1. polit. c. 10. Tholoſan. lib. 1. de rep. c. 1. Conzen. lib. 3. pol. c. 6. p. 123.

Juſtitia ſiquidem imperantes & obedientes legitimo conjungit imperio, ut injuſtitia eos disjungit. Fundamentum igitur, quo juſtitia hæc nititur, in ordine legitimi imperii & ſubjectionis debitæ fundatur. Bornitius de fundando reipublicæ ſtatu c. 9. Danæus lib. 3. polit. Chriſt. c. 6. p. m. 219. Althuſ. c. 14. p. 146. & c. 15. p. 168. & c. 23. p. 302.

Imperium legitimum, quod & quale ſit, facile ex principiis noſtris æternis, omnium populorum conſenſu comprobatis & receptis, apparet. Aliud enim non videtur eſſe, quam directio multitudinis, juris vinculo conſociatæ, ad ejus ſalutem & felicitatem. Thom. lib. 1. de Reg. Princip. c. 3. Imperia enim alias legitima non ſunt, niſi adminiſtratio eorundem inſtituatur ſecundum regulas juris divini & humani, ceu normale principium & ad ſalutem ſ. felicitatem, communitatis ceu finem reip. principalem: non enim alia lege imperantium exercitium ſummi imperii committitur, niſi ſub hac conditione, ut infra audiemus. vid. 1. Timoth. 2 v. 2. Rom. 13. v. 1. & ſeqq. Althuſ. c. 38. polit. p. 849. Hæc conditio, ſi minus impleatur, ſolutus eſt populus, irritus contractus, obligatio ipſo jure nulla. Perfidiæ igitur jure imper. ſeu moderatores reipublicæ rei agi poſſunt, ſi injuſte imperent. Nec hanc maculam evitabunt ſubditi, ſi imperium legitime imperantium detrectabunt. Ab omni crimine vacuus populus erit, ſi injuſte imperanti publice renunciet



Digitized by Google

nunciet aut regnum retinere illegitime cupienti armis evincere conetur; Cur enim ei, qui primus pacta conventa violat,fides in totius reip. damnum a populo ſervetur? cur qui ipſa reip. fundamenta convellit,princeps populi audire cenſeatur, cum demum ille ſit Princeps, qui ea ſtabilita, non everſa cupit, Pſalm 75. v. 3. Danæus lib. 3. polit. Chriſtian. c. 6. Althuſ. polit. c. 38. p. 849.

Imperio huic legitimo relative opponitur ſubjectio debita, cujus ſumma in eo conſiſtit, ut ſubditi magiſtratum,juſte imperantem,amore intimo, reverentia & obedientia filiali proſequantur. Rom. 13. v. 1. 1. Petr. 2. v. 17. Ariſt. lib. 4. polit. Tholoſan. lib. 8. de rep. c. 3. Thomas Sagittarius in diſp. 2. de civil. converſ. publ. theſ. 296. 297. 298. Keckerm. lib. 1. Syſt. polit. 25. Caſman. c. 54. vitæ politicæ, Timplerus lib. 5. pol. c. 3. q. 4. Danæus lib. 2. polit. Chriſt. Steph. Jun. Brut. vind. contra tyrann. q. 3. Aretin. tom. 2. problem. loc. 153. Quæ eo extendenda, quousque conſcientia noſtra. Timpler. lib. 5. polit. c. 3. q. 5. pietas erga patriam, Picol. grad. 3. Philoſ. civil. c. 10. & ſalus. reip. admittit; quod ſi vero ſalus reip. in diſcrimen vocatur, veritas religionis periclitatur; tum maxime cavendum ſubditis ne impiis mandatis obediant. Hic enim Deo magis obediendum quam hominibus, Act. 5. Keckerm. lib. 1. Syſtem. polit. c. ultim. p. 519. Timpler. lib. 5. polit. c. 3. q. 6. Danæus lib. 5. polit. Chriſtian. c. 2. p. m. 331. Stephan. Jun. Brut. vindic. contr. tyrann. & author. de jure magiſtrat. in ſubdit. Caveant interim ſibi, ne plane ab obedientia recedant; hoc enim pietas non admittit, quæ debitam & naturalem obedientiam non tollit. Secus ut Andreas Philopater in lib. 2. contra edictum Reginæ Angliæ anno 1593. Ingolſtadii germanice excuſ. Johannes Dinardus Jeſuita Pariſienſis. Wilhelmus Roſſæus in lib. cui titulus eſt de vindicta reip. Chriſtian. adverſ. reges impios hæreticos. Bellarm. lib. 5. de ſummo Pontific. Gregor. de valentia tom. 3. diſp. 5. q. 8. &c. exiſtimant vel manu militari aut armata reſiſtant. Keckerm. lib. 1. ſyſt. polit. cap. ult. p. 527. Imo ſi per vim religionem falſam obtrudere conatus fuerit, Exemplo primorum Chriſtianorum aut clariſſima morte vita calamitoſa commutanda, Danæus lib. 5. polit. Chriſt. c. 2. p. 331. aut ſalus in fuga erit quærenda. Obrecht. diſp. de bello th. 30. Interim hic ſibi ordines & ſtatus caveant, quod fideliter moneo, ne ſub prætextu religionis vel pietatis jura & privilegia eorundem petantur. Experientia enim comprobatum ſceleribus, ſæpe pietatem obtendi. Arnol. Clapmar. de Arcan. rerump. Scip. Amirato diſc. ad Tacit. Hoc quoties metuendum ad officium eorum ſpectabit, ut jura & privilegia tueantur, quæ prætextu religionis petuntur religionem veram & orthodoxam, contra peſſima molimina tyranni, defendant usque ad extremum halitum. (a) Hoc enim ab iis, tum conſcientia propria, tum officii ratio efflagitat. vid. conſilium inſigne & prolixum hac de re, quod extat apud Goldaſtum in polit. Imperial confer. Althuſius c. 14. polit. p. 146. Keckerman. lib. 1. ſyſtem. politic. c. ultim. p. m. 525. Stephan. Junius Brutus. q. 3. in vindic. cont. Tyrann. Author. de jure magiſtratus q. 6. Calvin. lib. 4. Inſt. c. 20. & ultim. Quod probe advertendum: Magiſtratus enim dum animis imperare cupit, Curt. lib. 8. & imperium in conſcientias vendicat, Lactant. lib. 5. c. 14. Theod. apud Caſſiod. 2. epiſt. 28. id ſibi arrogat. Quod ipſi nullo jure competit. Hoſtili igitur ejusdem conatui, quin jure ordines ſeu ſtatus imperii, vel ejus defenſores, eidem reſiſtere poſſint non dubito. Nec enim divina vel naturalis ratio idem prohibet, Bornitius de fundando reip. ſtatu c. 15. p. 14. c. 141. Heig. part. 1. q. 12. num. 47. Althuſ. c. 28. polit. num. 65. Antimachiavel. lib. 3. de regni adminiſtratione Theoremat. 1. p. m. 296. Author de jure Magiſtratus q. 10. p. m. 278. Keckerm. lib. 1. Syſtem. polit.

# PARS VI.

## Prædicati

## DE CAUSA FINALI IMPERII.

Cauſa finalis imperii, eſt ſalus publica. Non enim ideo rei ſumma commiſſa Principi, ut propriam & privatam curet utilitatem, uti temere Conringius nugatur. Sceleſta enim hæc eſt vox, quæ ſubditos propter Principes creatos pronuntiat. Nam veluti non ideo, mi Conringe, Deus murei feciſſe putatur, quam ut pingue facerent feles, Trajan Bocalin Ragguagli 84. eadem ratione non eam ob cauſam homines eſſe voluit, ut Principum commodis & emolumentis inſervirent prædæq; iis cederent. Æg. de Reg. Princ. l. 1. c. 2. Sed contra principes propterea eſſe voluit, ut ipſum nomen oſtendit, ut cæteris præeſſent; minime vero, ut ſibi prodeſſent. Rex enim propter regnum, non regnum propter regem. Sicut non totum propter partes, ſed quælibet pars etiam caput propter bonum totius condita, Ariſt. 3. pol. Hinc dicebat Plin. jun. pan. in Traj. Bonus princeps poſt omnes. Sed quomodo paradoxum iſtud? Nonne caput præ aliis membris in corpore? Qui igitur princeps, præſertim optimæ reip. caput optimum poſt alios habendum? optime dixit poſt omnes, non poſt ſingulos, quia & ipſe princeps reip. pars eſt. Omnibus, hoc eſt univerſo reip. corpori; ut & alia quælibet pars minor eſt toto poſt omnes ſimul acceptos, quia & princeps ad bonum commune eſt creatus. Fateor equidem, imperantium non unum eundemque, ſed ſæpe diverſos eſſe fines, nec ſemper utilitatem publicam, ſed privatam. Fateor equidem hoc, intentionem hanc principum a vero univerſalis conſociationis fine non de jure, ſed de facto eſſe diverſam.

(a) Hic autor allegaverat exemplum Maccabæorum, ſeu Aſtamonæorum. Sed Cenſor adſcripſerat: Hi non fuere ſtatus, ſed reges ipſi. Eraſa igitur fuerant verba autoris, ut omnia potuerint legi.



Digitized by Google

ſam. Cujus finis alius non eſt, niſi utilitas; hujus enim cauſa omnem ſocietatem inſtitutam præclare docet Ariſt. lib. 1. polit. 1. ſtatim in pr. Hinc principes, cum boni publici cauſa creati, ſi quando omnium emolumentum in privatum vertunt, tyranni ſunt, non reges. Unde Bernhard. lib. de conſid. ad Eugen. docte & eleganter, ut ſolet: Dejecti inquit animi ſunt principes, qui ſubditorum profectum non quærunt, ſed quæſtum proprium : Indecens enim eſt valde Principi, voluntate pro lege uti, & veluti rationis expertem non pro ratione, ſed pro lubitu agere. Hac enim ratione diſtinguitur poteſtas regia a tyrannica; ut bene notat Thom. lib. 1. de reg. quam tamen inconſiderata quadam ratione Conringius hic confundit. Regia enim poteſtas commune procurat; Tyrannica vero privatum commooum quærit, D. Thom. 1. 2. q. 9. art. 2. Qui igitur hanc diſtinctionem communi omnium Politicorum conſenſu comprobatam impugnat, nobiliſſimis viris, & in civili prudentia verſatiſſimis non tantum facit injuriam; ſed etiam peſſimo molimine boni & mali principis, Tyranni & Regis optimi diſcrimen, quod conſtantiſſime hactenus, ab iis aſſertum, convellit, vid. Ariſt. 3. pol. c. 4. lib. 8. Eth. 10. Plato lib. 1. de rep. & lib. 9. Alcinous de doctr. Platon. c. 33. Stobæ. ſermon. 47. Xenophon. in Hieron. Bodin. l. 2. c. 4. Schönborn. l. 2. c. 37-40. Antimachiavel. in præfat. lib. 2. l. 3. theorem. 4. 5. 6. & ſeqq. Arniſ. lib. 1. pol. c. 9. item vindic. contra Tyrann. Althuſ. c. 14. Barthol. in tr. de tyrann. Pariſ. de puteo. tr. de Syndic. Rubr. de exceſſ. Princ. & Duc. n. 3. Vacon. a vacuna declar. 9. n. 2. Middendropp. in quæſt. Theolog. & pol. q. 1. p 185. Joan. Caſus ſph. civ. lib. 1. c. 10. Hi omnes non tantum nefarias Tyrannorum actiones explicarunt; Sed etiam in quantum ab actionibus optimi principis diſtent exacta & optima ratione tradiderunt. In quo enim hæ ab invicem diſcrepent dilucide apparebit, ſi juxta ſe oppoſitæ conferantur. Rex ſiquidem quicquid agit, omnia ſtudia ſua ad reip. ſalutem confert. Tyrannus vero omnia ad voluntatem dirigit. Rex naturæ leges amplectitur, Tyrannus eaſdem proculcat; Rex religionem, juſtitiam ac fidem colit; hic impietate, injuſtitia & perjuria delectatur. Ille ſuos cives locupletari gaudet; hic incommodis ac detrimento ditari ſtudet: Ille ſuas opes civium eſſe putat; hic non bona tantum, ſed etiam corpora civium ſua ducit. Ille publicas injurias ulciſcitur, ſuas ignoſcit; hic ſuas alibi vindicat, alienas ignoſcit, ille in aliorum erratis condonandis facilis, proprias actiones ſeveriſſima proſequitur cenſura; Hic aliorum leviſſimas offenſiones acerrime ulciſcitur, ſibi vero indulgentiſſimus. Rex ab aliorum uxoribus ſe continet, Tyrannus de utriusque ſexus impudicitia triumphat. Ille reprehendit liberos eorumque peccata coargui gaudet; hic graves perſonas ac liberas linguas capitaliter odit. Ille cives mutua inter ſe amicitia & cum rep. conjungit, hic inimicitias & odium ſerit, ut mutuis cædibus pereant & proſcriptionibus fiſcum impleant. Ille libenter cives aſpicere & viciſſim ab iis conſpici cupit; hic civium, perinde ut hoſtium, conſpectum reformidat. Rex civium amore paſcitur. Tyrannus metu. Ille nihil a civibus, niſi publica urgente neceſſitate, exigit; Hic civium ſanguinem bibit, oſſa corrodit, medullas etiam, nudatis oſſibus, exſugit, ut eos modis omnibus debilitare poſſit. Ille vitam ſibi acerbam atque inſuavem putat, niſi ad ampliſſimos honores & imperia optimum quemque proferat. Hic viros omnium maxime ſceleratos veluti ſpongias ad opes civium exhauriendas adhibere ſolet. Ille magiſtratus ac poteſtates liberaliter bene meritis largitur, ut a ſordibus & corruptela puri ſint. Hic publice proſcribit, ut, qui carius emerunt, poſteaquam bene ſaginati fuerint, ſupplicio afficiat, bona proſcribat, & in furibus puniendis gloriam conſequatur. Ille ſuas actiones ac mores legum ponderibus examinat. Hic ſuis voluptatibus leges metitur. Rex vitam pro patriæ ſalute & ſanguinem fundere, pulcherrimum putat; Tyrannus pro ſe patriam interire cupit. Rex a civibus amatur & colitur; Tyrannus cives omnes inviſos habet, & bonis omnibus æque inviſus eſt. Rex ab hoſtibus laceſſitus, ad ſubditorum auxilia recurrit; Tyrannus perpetuum bellum cum ſubditis gerit. Rex non aliorum, niſi ſuorum, utitur præſidiis; Tyrannus peregrinorum cohortes prætorias ad ſui tutelam & civium terrorem ſemper armatas antecedere jubet. Rex altiſſima quiete ac animi tranquillitate ſecurus vivit. Tyrannus perturbationibus ſecum diſſidentibus ſemper conflictatur, ac formidine perpetua languet. Princeps beatam ſempiternamque cœleſtium vitam ſperat; Tyrannus cruciatus ſempiternos. Rex Deum immortalem rerum gerendarum autorem habet; Tyrannus conſceleratos homines aut malos genios conſulit. Rex, & vivus & mortuus clariſſima omnium voce ac laudibus cumulatur; Tyrannus, & vivens & mortuus fœdiſſimis laceratur contumeliis: ac tametſi tyrannus opes, honores, imperia firmare valeat, multarum magnarumque rerum cognitionem ac ſcientiam, illamque ipſam, quæ tyrannis maxime metuenda eſt, flexanimam eloquentiam habeat; nihilo tamen ſanior aut melior, ſed eo deterior futurus eſt, opibus enim abutitur ad explendas libidines; imperiis ad aliorum libertatem opprimendam; robore ad obeunda facinora; ſcientia ad imperitos circumveniendos & ad omnia ſacra profana turpiter permiſcenda. Hæc eſt differentia inter tyrannum & Regem; inter Principem legitimum ac illegitimum, quam ſane Hermann. Conringius tollit, non ſine manifeſta nominis & dignitatis imminutione. Princeps enim, ut ſummariter rem contraham, qui reſpicit ad privatum commodum, Princeps non eſt, ſed tyrannus: non ſecus, ut lex inſtituta ad privatum commodum, non dicenda lex, ſed iniquitas. Siquidem ceſſante boni communis ratione, ceſſat & ipſa lex, nec vim obligandi habet. Nam lex eſt proprium opus publicæ poteſtatis; at poteſtas publica de ſe in bonum publicum ordinata eſt. Hinc merito laudatur Auguſtus, qui, poſtquam multis ædificiis Romam decoraſſet, ſuis familiaribus dixit: Romam lateritiam accepi, marmoream relinquo. Proinde optimo huic Principi apprime convenit illud adagium: Dignus eſt obeliſco. Erat autem obeliſcus apud Ægyptios columna, pyramide minor, ſoli ſacra, quæ nulli

erige-

erigebatur, niſi ei, cujus vita, veluti quidam ſplendor, omnibus poſſet prodeſſe, etiam non poſcentibus; ſiquidem ille tenet juſti imperii clavum, qui nemini nocet, omnibus prodeſt, publico bono ſemper addictus, Ægid. 2. diſt. 1. part. 2. ſupremi Principis exemplo, qui produxit creaturas ex nihilo, non ut inde bonum reciperet; ſed ut eis bonitatem, quam habebat, influeret, adeo quod finis productionis creaturarum, non eſt neceſſitas indigentiæ; ſed abundantia divinæ bonitatis, quam Deus creando communicat: non enim Deus agit propter deſiderium boni & finis, ut alia agentia, ſed propter amorem. Nam ſi deſierium proprie eſt rei non habitæ, at Deus agit propter amorem boni, & finem, quem habet, & vult aliis communicare. Florianus Nannius epiſcop. ſcal. in ſua cat. arg. Hoc igitur eſt proprium Principis munus, publicis commodis inhiare. Ut etiam ſapienter affirmant, alienum bonum eſt juſtitia: proinde Adrianus, veri Principis ſimulacrum, frequenter in ſenatu dicere ſolebat: ſe ita geſturum principatum, ut ſciret, rem populi eſſe, non ſuam privatam: Vox plane aurea, & res multo magis, cum præſtatur. Hoc egregie teſtatum reliquit Pelopidas Imperator; nam in expeditionem proficiſcenti cum uxor ingemiſcens ſæpius exclamaret, propriam vitam tueretur, ſibique conſuleret; aliorum eſt, reſpondit, vitam propriam tueri, at Imperatoris, ex ſuis incommodis omnia reipublicæ commoda parare. Hujus exemplo princeps bonus, commodi gratia, tanquam verus pater, omnibus proſpicere, nullum deſpicere, neminem reſpicere; ſed unicuique, quod ſuum eſt, fideliter tribuere debet, ut feliciter expreſſit doctiſſimus ille academicus, qui lucidiſſimum ſpeculum appendens, brevem hanc ſententiam appoſuit: Omnibus æque fidum. Ut enim omnium ſeculorum memoria receptum, ut præclara multorum Principum exempla teſtantur, ita ſcilicet gerendum eſſe imperium, ut non unius, ſed univerſalis conſociationis & communitatis felicitatem quærerent. Ad hoc ſicut primis temporibus ex ſimplici & nuda quadam promiſſione tenebantur Principes, ſic hodie ſanctiſſima juriſjurandi religio eos ad idem adſtringit: Nullus ſiquidem fere Princeps, licet abſolutiſſimus in univerſo orbe reperitur, qui ſub hac lege imperium non accipiat. Tartarorum Rex, licet abſolutiſſima rerum omnium a populo in eum conferatur poteſtas, cunctaque arbitrio ejus committantur, adeo, ut vox ipſius pro gladio & ſecuri ſit, ita tamen imperium moderare tenetur, ut Deum præpotentem univerſitatis Regem agnoſcat, & juſte imperet, ni velit præceps ex alto & ſublimi loco dejici, regali poteſtate ac bonis omnibus ſpoliari, ut hoc ex ſolenni ejuſdem renunciatione apparet, de qua Bodinus lib. 1. de rep. c. 8. p. 130.

Eadem ratione Corinthiorum Dux, ut ex veteri ſolenni ejuſdem inaugurandi formula apparet, licet arbiter omnium rerum conſtitueretur, populo tamen, ſe intuenti, virum bonum ac juſtum fore pollicebatur. Bodin. l. c. p. 137.

Imperatores noſtri romano-germanici, qui cæteros Principes dignitate ſuperant. vid. Beſold. diſcurſ. de ſeſſion. præced. ſ. prærogativ. p. m. 128. & 1. polit. 2. num. 23. item de Iſtione Imp. Rom. c. 6. ad finem & de appellat. c. 4. n. 8. Zieritz. tract. de præcedent. apud Arumæ. tom. 33. diſcurſ. Quet. conſil. n. 9. quod extat etiam apud Goldaſt. in politic. imperial. Theodor. Reinking. tract. de regim. ſecular. & eccleſiaſt. claſſ. 2. lib. 1. c. 7. p. 63. 64. 65. &c. antequam ſacris auſpiciis inaugurantur, idem ſanctiſſime promittunt.

Sanctiſſimo hocce religionis vinculo ad hunc effectum ſe obligant Reges Hungariæ, Bohemiæ, Galliæ, Bodin. p. 138. Item Poloniæ, Angliæ, idem p. 142. Daniæ p. 142. Sueviæ, vid. Crantzius &c.

Cum igitur nullus fere Princeps reperiatur, qui idem jurejurando non promittat (ut hoc pluribus ſupra a nobis probatum) aut cui ſub hac lege vel conditione imperium concredatur; non igitur privata, ſed univerſalis conſociationis felicitas, imperantibus curæ cordique eſſe debet, juxta vulgare illud: Salus reipublicæ ſemper ſuprema lex eſto. Stephan. Junius Brutus in vindic. contra tyrannos q. 1. p. 9. Lambertus Danæus lib. 31. polit. Chriſtian. c. 6. p. m. 219. Althuſ. in politic. methodice digeſta c. 14. p. m. 146. & c. 15. p. 168. 169. 170. 171. & c. 23. p. 302. 303. 304. Bornit. de fundando reip. ſtatu c. 9. Petrus Gregor. Tholoſan. lib. 8. de rep. c. 6.

## PORISMA.

Cum igitur imperium non aliud, niſi certis limitibus circumſcriptum, nec alia ratione idem Principi conceſſum ſit, quam ut illud juxta legum divinarum, naturalium & humanarum præſcriptum, minime vero ex arbitrio ad ſalutem privatam, ſed publicam felicitatem communitatis coordinet, & ſic præſit populo ſuo, non ſecus, ut pater patriæ, paſtor populi, cuſtos pacis, præſes juſtitiæ, innocentiæ vindex. Calvin. lib. 4 inſt. relig. chriſtian. c. 20. fol. 5. 38. 6. Unde his ſuppoſitis, facile apparet, quid de Principibus ſentiendum, qui eorum omnium ſecuri, quibus providendis intenti eſſe debuerant, procul omni ſollicitudine ſocordes delicientur, vel ad rem ſuam attenti, jura omnia, privilegia, judicia, diplomata venali proſtituant, vel plebeculam miſerrimam pecunia exhauriant. Quam poſtea non neceſſariis largitionibus profundunt, vel expilandis virginibus, ac matronis violandis, mactandis innocentibus, mera lenocinia exerceant, leges fundamentales evertant, transactionibus ac pactis conventis contraveniant; hi, cum ea faciant, quæ a boni Principis officio aliena ſint, & aperti tyranni evadant. Hinc, ſi de manifeſtis ejuſmodi ſceleribus fuerint convicti, nec alia remedia adſint. Gregor. Tholoſan. l. 26. c. ult. de rep. num. 8. 9. 10. Althuſ. in polit. p. 148. Danæus lib. 6. polit. Chriſt. c. 3. Stephan. Jun. Brut. vindic. contr. tyrann. q. 3. pag. 154. Obrecht. de bell. conſtit. theſ. 156. Bodin. lib. 2. de rep. c. 5. Urſin. diſp. ult. lib. 2. Keck. lib. 1. ſyſt. polit. c. 28. p. 433. Propter abuſum poteſtatis & imperii conceſſi

conceſſi, ab ordinibus vel defenſoribus ejuſdem jure eo privari poteſt, & hoc quidem vi majeſtatis realis, ac de qua alibi plenius. Hæc de imperio abſolute conſiderato.

# MEMBRUM II.

ac poſterius

CONSIDERATIO REALIS

DE

## IMPERIO RELATE CONSIDERATO

SEU

## EXERCITIO SUMMÆ POTESTATIS.

Imperium relate conſideratur, quatenus imperium erga ſubditos exercetur. Quod duplex, vel abſolutum, vel limitatum. Abſolutum dicitur non eo reſpectu, quod nullis omnino legibus circumſcriptum ſit. Piccart. obſerv. dec. 12. c. 1. Anton. Peretz. in aphoriſmis fol. 23. n. 119. Bornit. de maj. c. 10. Hegenitius tract. de poſſeſſ. 1. c. 6. num. 25. Marc. Anton. Piſilius colore 5. fol. 71. Rudolph. Rudolphin. concluſ. juris pract. 9. Petra de poteſt. Princip. c. 1. Vasquius illuſt. controverſ. 31. n. 21. & 22. Bodin. 1. de rep. c. 8. num. 102. Herman. Vultej. ad §. 7. inſtitut. de jure naturæ gent. & civil. Benedict. Winckl. de principiis juris c. 7. & 5. c. 4. Scotanus ad lib. 1. cod. theſ. 4. Enenckelius 1. de privileg. c. 8. n. num. 16. Eberhardus a Weihe de vanitate gloriæ humanæ fol. 95.

Cum hac ratione nulla poteſtas ſit infinita, nullum imperium abſolutum. Paurmeiſt. 1. de juriſdict. c. 3. num. 11. imo ſi tale forſan datur, non verum ac legitimum, ſed barbaricum & tyrannicum erit. Lælius Zechius 1. polit. 5. ad fin. Keckerman. in diſp. pract. 34. quæſt. 13. a Princ. Ludovic. Rudolph. tract. de abſoluta poteſtate Principum cap. 4. & 6. Waremund. de Reg. ſubſid. c. 15. n. 6. fol. 178. Conrad. Lancellotus in templ. omnium judic. 1. c. 4. §. 4. fol. 443. Petra de poteſt. Princ. c. 3 quæſt. 3. & c. 21. Amirato lib. 17. diſc. 2. Joann. Camman. diſp. 1. theſ. 105. Bocalin. di Parnaſſo c. 6. fol. 32. Nicol. Betſius de pact. fam. c. 6. fol 154. Hieronym. Savonarola in oraculis della renovatione della Chieſa ad initium lib. 1. Scipio Gent. 1. de juriſd. 1.

Sed ideo abſolutum dicitur, quod Princeps idem jus in ſuos exerceat ſubditos, qui abſolute & ſine omni conditione vel exceptione in ipſius poteſtatem venerunt. Hoenonius diſp. pol. 9. theſ. 15. fol. 445. Hujusmodi imperia, quibus ſubditi abſolute parent, etſi quam pauca reperiantur; in his tamen, utut hoc ſenſu abſoluta quodammodo ſit Principum poteſtas, nihilominus eadem habet duo ſepimenta, interne conſcientiam, externe pudorem & honeſtatem. Ad hæc, ceu principia infallibilia, ut ſupra quoque probatum, tam ſubditi, quam Principes, licet abſolutiſſimi, vel quicunque illi ſint, actiones ſuas examinare, & easdem, ſi qua in parte a ſemita juſtitiæ, vel honeſtatis, declinent, ad hanc, ut cynoſuram, revocare tenentur. Quod tam Principibus, quam ſubditis, aurea imponit regula JCti in L. 15. ff. de condit. inſtitut. Quæ facta lædunt pietatem, exiſtimationem, verecundiam, &, ut generaliter dicam, contra bonos mores fiunt, eadem facere nos poſſe, credendum non eſt.

Imperium limitatum dicitur, quod plerique reges vel principes in ſuos exercent, qui ſub certis pactorum formulis, vel certis quibusd. legibus, eorum poteſtati ſe ſubjecerunt, quibus equidem principem ac privatum teneri non dubitamus. Sunt enim pacta ejusmodi ſeu conventiones, nihil aliud quam leges, pactionata principum, Baldus in l. donationes ff. de donat. inter vir. & uxor. Cynus & Bartol. in l. digna vox C. de LL. Bart. & Caſtren. in l. princeps ff. de LL. Anton Butrio Immol. panormitan. Felin. in c. 1. de probat. quibus æque ligatur princeps ac ſubditus. Baldus in l. ex imperfecto C. de teſtamen. Petr. Gregor. Tholoſan. lib. 8. de rep. c. 8. Zaſius ad l. 2. §. eodem tempore num. 21. de O. J. Caſpar. Anton. Theſaur. q. Forenſ. 10. n. 16. lib. 1. Gail. 2. obſervat. 55. n. 7. Gylman. in ſymphorem. ſupplicat. part. 1. tit. 2. n. 134. fol. 102. Pruckman. de regalib. c. 4. membr. 21. Effect. 3. Petr. Heigius part. 1. quæſt. 5. n 1. Bodin. 1. de rep. c. 88. p. 88. & 156. Rauchbar. lib. 2. quæſt. n. 121. Arnold. Clapmar. de Arcanis rerump. Waremund. ab Ehrenberg. l. d. c. 11. n. 39. Ripa in Rubric. de conſtit. princip. num. 21. Quamvis enim princeps non ligatur lege legis, ut ſupra evictum, tamen ligatur lege conventionis, Bald. in l. 1. ff. de conſtit. princ. & in l. princeps ff. de LL. Anton. Quet. conſ. 12. n. 6. Vultejus 3. conſil. Marpurgens. 35. n. 114. multiplex enim hic occurrit obligatio, qua princeps pacta conventa ſervare obſtringitur. Altera ex his naturalis eſt, ratione cujus nihil magis naturæ conſentaneum, quam juſta promiſſa ſervare. Alexand. conſ. 7. lib. 3. n. 13. Cynus in l. reſcripta C. de precib. Imperat. offerend. Jacob. Butrigar. l. ult. C. ſi contra jus vel utilitat public. Keckerm. Curſ. Philoſophic. diſp. 29. problem. 13. Hœnon. diſp. politic. 9. theſ. 13. fol. 442. & 443. Anton. de petra de jure quæſit. per princip. non tollend. c. 3. n. 72. 73. & 80. Cum enim obligatio ejusdem ſit naturæ atque conventio; igitur ſi conventio naturalis ac Gentium omnium communis, obligationes quoque & actiones ejusdem eſſe naturæ, neceſſarium conſequens eſt. L. indebiti ff. de condict. indebit. l. 2 ff. Rer. amotar. l. ex hoc jure ff. de juſtit. & jur. Bartol. Bald. Angel. ibid. at vero conventio nulla, nulla obligatio cogitari poteſt, quæ non ſit naturæ & gentium omnium communis, Decian. reſponſ. 123. n. 73. Regner. Sixtin. conſil. Marpurg. 14 n. 110. vol. 2. Hinc ſicut omnes huic juri ex æquo ſubjecti ſunt. Mynſing. ad §. ult. Inſt. de J. N. G. & Civil, Oldendorp. act. claſſ. in præfat. argum. §. ult.

Digitized by Google

ult. Inſt. de J. N. G. & C. Jacob. Schultes. quæſt. 70. n. 138. Valer. Maxim. lib. 7. c. 7. Bald. in c. 1. §. notandum n. 2. qui feud. dare poſſ. Molin. de primogenit. Hiſpan. lib. 3. c. 3. n. 17. Joan. Oldendorpius 2. conſil. Marpurg. 3. n. 13. Hieron. Schurff. 1. conſ. 59. n. 7. Roland. a Valle conſ. 1. n. 27. & 28. lib. 2. Pariſ. conſil. 1. n. 8. Regner. Sixtin. in conſil. Marpurg. 9. n. 76. vol. 1. Menoch. 2. Arbitrar. caſu 421. n. 8.

Sic quoq; principes hoc jure & conventionibus ex eodem deſcendentibus teneri, graviſſimorum JCtorum ſententia receptum & comprobatum. Decius conſ. 10. n. 22. & conſ. 404. num. 8. Caſtrenſ. in l. digna vox C. de LL. Bald. in l. Princeps de LL. l. ex imperfecto C. de teſtament. & quid mirum, cum Deus ipſe ſuis promiſsis teneatur, ut recte Magiſter ſententiarum ſcripſit, vid. Bald. in l. 1. ff. de pact. Tiber. Decian. reſponſ. 2. n. 100. vol. 1. Sic enim ipſemet apud Hieremiam cap. 45. clara voce obteſtatur. Cogite, inquit, populos omnes totius terrarum orbis, ut inter me ac populum meum judicent, ſi quid a me fieri debuit, quod non fecerim.

Altera ratio ſive cauſa obligationis, eſt dignitas Principis, Alex. conſ. 97. lib. 3. n. 13. quæ maxime poſita eſt in fide ſervanda, etiam cum ſui detrimento, cum violatæ fidei omnibus ultor ac vindex eſſe debeat. Bodin. 1. de rep. c. 8. pag. 156. Bald. in C. de hered. inſtit. Anton. Faber. in conſult. de ducat. Montisfer. part. 1. fol. 11. Cynus in lege reſcripta C. de precib. Imp. offerend. Herman. Vultej. conſil. Marpurg. 35. num. 88.

Nec a Principe crimen, perfidia gravius, admitti poſſit, Innocent. in c. ad apoſtolic. de re judic. Bald. in l. digna vox in fin. & ibi Bartol. num. 2. C. de LL. Mart. de juriſdict. p. 1. c. 34. num. 2. Philip. Dec. conſ. 151. colum. 5. Socinus conſ. 164. Anchoran. conſ. 65. Hieron. Schurff. conſil. 50. num. 4. Zaſius 1. conſil. 10. num. 6. Alexand. Trentacinq. 3. reſolut. tit. de pact. reſolut. 1. num. 1. & ſeqq. Joannes Azor. Inſtitut. Moral. lib. 5. c. 11. Adeo enim perfidia Regis totum ejus regnum exoſum reddit, ut ſicut vita, ſemel amiſſa, nunquam revertitur; ſic nec fides deperdita, Guicciardinus Hip. 12.

Qui perdit pecuniam, habet, in quo ſe ſervet. Qui fidem, nihil, cui ſe ſervet, habet, ex fide enim non ſervata, ſemper exitus malus: ut inquit Ariſtoteles. Fide enim hominum ſocietas, civitatum domicilia, gentium univerſalitas, Regum dominia conſervantur. Sine fide homines in errorem incidunt, & tanquam beſtiæ exiſtimantur. Omnia ſine hac vana & mendacia ſunt, & cæteræ virtutes ſine illa degenerant. Fides igitur nulla aut violanda, vel ex parte labefactanda. Petrus Andreas Canonberius diſſ. ſ. diſcurſ. polit. in Cornel. Tacit. annal. fol. 185. Scotus lib. 2. de natura & gratia. cap. 6. Alex. Alenſis part. 3. q. 74. Albert. M. 3. diſ. 23. Bonavent. in 3. d. 13. Alphonſus d. Caſtro. in ſum. de hæreſ. 2. verb. fides legati de juſt. q. 1. Jaſon. conſ. 147. lib. 4. Auguſtin. epiſt. 19. ad Hieronym. Franciſc. Patritius lib. 8. de regn. Cicero lib. 1. de offic. Apud Perſas, ut legitur in lib. 8 c. 18. Alexand. ab Alexandr. nihil fide antiquius fuit. Romana gens tanti hanc faciebat, ut humanam ſocietatem cum fide tolli crederet, & ideo Numa Pompilius, cum romanæ juventutis bellicoſos, acresque ſpiritus, & feroces animos, incuſſo Deorum metu remollire ac retundere cuperet, omnium fidei exemplum conſtituit; illamque Romanis, Plutarcho autore, maximum eſſe jusjurandum demonſtravit. Proinde cum ad id ſacrarum flamines, bigis curru arcuato & veluti fornicato vehi juſſiſſet, manu quoque, ad digitos usque involuta, rem divinam facere voluiſſe, ſignificantes ſymbolice, fidem tutandam eſſe, eidem ſedem in dextris eſſe ſacratam. Quare rectiſſime ſcripſit Cicero, nullam rem vehementius continere rempublicam, quam fidem, ad cujus obſervationem Princeps divina authoritate obſtrictus, ut apparet ex cap. 9. verſ. 19. ubi Joſua dicit: juravimus illis in nomine Dei Iſraël, & idcirco non poſſumus eos contingere. Maximo enim periculo frangitur fides, ut apparet ex cap. 17. Ezechiel. Ubi ita Jehova: vivo ego, dicit Dominus, quoniam in loco Regis, qui eum conſtituit Regem, cujus fecit irritum juramentum, & ſolvit pactum, quod habebat cum eo, in medio Babylonis morietur. Et ibid. v. 16. Spreverat juramentum, ut ſolveret fœdus; ecce dedit manum ſuam, & cum hæc fecerit, non effugiet. Cum igitur res periculi plena ſit, ni pacta conventa ſerventur, hocque tam divina, quam naturalis ratio exigat; hinc nihil magis e dignitate Principis eſſe videtur, quam ut talem de ſe opinionem in animis hominum excitet; ut nudis verbis ſanctius præſtare promiſſa credatur, quam quæ alii jurejurando pollicentur. Hippolit. a Collib. cap. 10. de Principe. Hoc probe obſervavit Sextus Pompejus, magni illius Pompeji filius, qui a Menedoro, claſſis ſuæ præfecto admonitus, ut patris & fratris injurias in Antonium & Octavium, qui in navi apud eum cœnabant, & conciliati ſocietatem iniverant, ulciſceretur; reſpondit: Refer Menedoro, ei ſine me id facere licere, qui jam pejerare conſuevit, mihi autem nefas, qui fidem fallere neſcio. Et Alexander Parmenioni, ſibi quicquam, quod præter fidem & decorum eſſet, ſuadenti: facerem id quidem, ſi Parmenio eſſem; verum Alexandro neutiquam id licet, male me fortunæ pœniteat, quam victoriæ pudeat. vid. Petr. Martyr. in loc. communib. claſſ. 2. loc. 13. n. 21. Bodin. lib. 5. de rep. cap. 6. p. 928. 929. 930. Timpler. lib. 4. polit. c. 10. quæſt. 30. Hoenon. diſp. polit. 9. th. 13. fol. 443. Petr. Andr. Canonherius diſſ. polit. in annal. Cornel. Tacit. fol. 179. 180. 181. 182. Althuſ. c. 20. fol. 261. Keckerman. lib. 1. ſyſtemat. polit. c. 31. Goclen. q. Ethic. 94.

Ex his exemplis apparet, quodſi principes licet Ethnici, honeſtate & pudore naturali moti, tam ſancte & religioſiſſime fidem & pacta conventa cuſtodierint, quanto hinc majorem devotionem ſanctiſſima noſtræ religionis decreta principibus noſtris exigant, facile apparet, quibus ut nefas promiſſa alicui facta infringere; ſic ſcelus extremum, pacta jurejurando firmata violare vel ab iis minimo in puncto recedere. Molin. in not. conſilior. Alexandr. paſſim. Alex. conſ. 224. lib. 6. Principes, qui ab his recedunt, non tantum religionem, Weſenbec. conſ. 23. n. 25. Erneſt.

Coth-

Digitized by Google

Cothman. 4. conſ. 3. n. 86. & pietatem lædunt, utpote quæ perjuria neſcit, Ariſt. 1. Rhetoric. c. 15. Sed etiam quam maxime dignitatem ſuam minuunt, cum turpiſſimum ſit, principem vel magiſtratum eo ipſo mentiri, quo Deum jure jurando invocavit, Plato. lib. 2. de LL. Cum igitur tanta vis vel virtus inſit juramentis. vid. Angel. conſ. 94. n. 4 Caſtrenſ. in l. fin. num. 1. C. de non numerat. pecun. Cævall. conſil. n. 17. part. 1. Vincent. Honded. 2. conſil. 44. n. 31. Mynſ. 5. obſervat. 59. n. 2. Hering. de fidejuſſor. cap. 24. n. 108. Cacheran. deciſ. 75. n. 7. Dec. conſ. 375. n. 4. Pariſ. conſ. 72. n. 18. part. 1, Oldrat. conſ. 238. n. 2. Non igitur nuda erit ceremonia, ut autumat Hermann. Conringius theſ. ult. Gentiles ſaniores cenſuerunt, jusjurandum perinde æſtimandum, quam ſi Jovem feſelliſſet perjurus. Deorumq; injurias diis curæ eſſe, ſcribit Tac. l. 1. annal. certe non abſurde: per jusjurandum enim cum Deo contractum cenſetur, cap. debitores Ext. de jurejurand. Natt. conſ. 506. n. 14. Juxta illud Prophetæ: mihi jurabit omnis lingua, Eſa. 45. verſ. 23. cui votum omnino reddendum Pſalm. 75. v. 12. l. 2. C. de rebus credit. cap. etſi Chriſtus de jurejurand. Zaſius in l. ſtipulationes dividuntur. n. 40. de V. O. & conſil. 426. n. 15. vol. 2. Pariſ. conſil. 107. n. 9. vol. 1. ad hæc juramentum animæ frenum injicit, Portius conſ. 5. n. 40. Pariſ. conſ. 69. num. 31. part. 1. Gail. 1. obſerv. n. 3. & religionis vinculum continet, quod ſine contemtu religionis violari nequit. Oldrad. conſ. 238. Nuda igitur ceremonia non erit. Ad hæc non tantum ex ſe & ſua natura juramenta tantam vim habent, ſed omnium fere gentium more & conſuetudine. 2. In eam enim operantur, ut omnes actus ſua natura invalidi, hoc ſolo interveniente, ſuſtineantur gl. in l. ſi pecuniam col. final. v. neceſſ. ff. de condict. cauſ. dat. & ibi Jaſon. colum. final. v. 2. Salicet. quoque col. fin. Corſet. tract. de jurejurand. col. 7. Dec. conſil. 305. col. 2. Curt. Jun. conſ. 56. col. 1. Jaſon. conſ. 6. col. 5. vol. 3. & conſ. 60. col. 6. vol. 3. Aim. conſ. 51. col. 4. Corn. conſ. 289. col. 5. Ruin. conſ. 123. n. 9. Alexandr. conſil. 14. Stengel. conſ. 179. col. 6. Socin. conſil. 53. & 332. col. 1. Paul. de Caſtr. conſ. 61. volum. 2. Aretin. conſ. 41. vol. 2. Bertrand. conſil. 85. col. 1. Anchoran. conſ. 192. Brun. conſ. 12. col. 7. Adeo quidem, ut juramenta ſuper aliqua diſpoſitione, vel contractu, interpoſita, illius naturam aſſumant. Per text. in l. fin. C. de non numerat. pecun. & in l. ſed etſi poſſeſſor in §. item ſi juravero & ibi Jaſon. ff. de jurejurand. & in c. quemadmodum, ubi Abb. col. 1. in Septim. Notab. de jurejurand. Oldrad. conſ. 95. col. fin. & conſ. 231. col. 1. Bartol. in l. fin. C. de non numerat. pecun. & ibi Bald. Paulus de Caſtro Angel. conſ. 133. Bart. in conſ. 49. col. 7. vol. 4. & conſil. 43. col. pen. vol. 2. Corn. conſ. 102. col. 1. vol. 1. & conſ. 11. col. 7. vol. 3. Anchoran. conſ. 350. col. 5. Curt. Sen. conſ. 3. col. 1. Roma. conſ. 269. Dec. conſ. 240. Bertrand. conſ. 95. col. pen. calcan. conſ. 17. col. fin. Aretin. conſ. 24. col. 2. Ruin. conſ. 134. col. 2. vol. 1. Aimo. conſ. 12. col. pen. Pariſ. conſ. 47. col. 4. Brun. conſ. 195. Cæpolla in conſil. civil. 26. col. 3.

Vimque contractus habeant ſpecul. tit. de feud. ſub rubric. de homag. num. 36. 78. Alvarott. in prælud. feudal. col. 8. verſ. 8. & his vaſallagiis. Jacob. de S. Georg. in tract. de homag. in princ. n. 7. & 8. Intrique de feud. quæſt. 56. num. 16. Decianus conſil. 60. num. 44. Joannes Ferrar. de feud. lib. 6. c. 1. Gail. de Arreſt. Imperii c. 7.

Ut vero omnis contractus verus ultro citroque obligatorius in c. de forma in fin. 22. q. 5. Ferrar. de feud. libr. 6. c. 1. Sic quoque conventiones, jurejurando firmatæ, inter ſubditos & Principes mutuam producunt obligationem l. labeo. ff. de V. S. a qua ſine mutuo conſenſu diſcedi non poteſt l. ab emtione ff. de pact. & l. nihil tam naturale de reg. jur. Bodin. lib. 1. de rep. p. m. 137. nec ulla in parte pactis conventis contravenire licet, gloſſ. in l. ſi pecuniam ff. de condict. cauſa dat. & ibi Bald. col. 1. & Salycet. Cuman. conſ. 182. col. 2. Alex. in l. ſi convenerit col. 1. ff. de jurisd. omn. judic. Immol. in c. 1. col. pen. de pignorib. Paul. de Caſtro in C. ſi convenerit col. 1. ff. de jurisd. omn. judic. & ibi Jaſon. col. 2. v. 2. Guido Papæ q. 627. Zaſius conſ. 12. num. 19. vol. 2. Jaſon. conſ. 9. num. 9. col. 6. & conſ. 41. col. 2. Socin. conſ. 90. num. 14. Gozad. conſ. 32. col. 1. in fin. Bertrand. conſ. 82. vol. 2. Trigon. ſing. 18. Marian. jun. conſ. 64. col. 2. Alex. conſ. 89. col. 2 vol. 7. Abb. conſ. 42. in fin. vol. 2. Dec. in l. fin. col. 3. v. 2. ff. ſi cert. Pet. Gratian. conſ. 84. col. 1. Brun. conſ. 39. col. 1. & conſ. 67. col. 2. v. 2. Corn. conſ. 256. col. 1. vol. 4. Anym. conſ 12. col 1. Unde, ſi de facto contraventio fiat, conventio erit nulla, contractus nullus. Danæus lib. 3. polit. Chriſt. c. 6. Bartol. in tractat. de tyrann. Maſcard. concluſ. 1387. Althuſ. in polit. methodice ſcripta c. 20. fol. 261. Jus ſubjectionis, ſuper certo aliquo pacto fundatæ, ſi non omnino expirabit, in ſuſpenſo tamen manebit, tam diu; quousque transact. & LL. convent. ſatisfiat. Bodin. l. d.

Ex hoc principio reſpubl. brunſwicenſ. cujus antiſtites & primores Antagoniſta noſter in præſenti exercitatione mirum in modum exagitat, optima quadam ratione jura ſua defendit. In hac ſiquidem cum uſu & conſuetudine ſpeciali vel ſingulari receptum, ut illuſtriſſimi Principes brunſwicenſes, tanquam Domini ejusdem reſpective tales, jurato litteriſque reverſalibus & homagialibus, in hunc effectum datis, promittant, quod jura, libertates & privilegia ſarta tectaque conſervare & tueri velint. Hinc cum hactenus vel temporum forſan injuria, vel peſſimorum hominum inſtigatione, idem recuſarint, ut teſtimonium hac de re illuſtre Auguſtiſſ. Imp. Rudolph. in act. brunſvvic. extat. Eadem quoque optimo jure, quicquid etiam pica diſſonans hic garriat, homagii præſtationem recuſarit. Idque propter reciprocationem & correſpectivum pactum conventum, & ultro citroque obligatorium contractum homagialem.

Hunc equidem, utpote in quo fundamentum fere diſſertationis poſitum, attingit quidem noſter adverſarius, ſed magis prætoria autoritate, quam exactis rerum momentis eundem impugnat; ſed quo adverſario os obturemus, circa hunc contractum correlativum homagialem notandum



Digitized by Google

tandum, quod, ſicut propter eundem quilibet Princeps ſuis ſubditis, ſic quoque ſereniſſimi Duces brunſvvicenſes, ut apparet ex inſtrumento transact. & convention. de anno 35. obligati ſint, antequam iis cives reipublicæ brunſvvicenſis obedientiam debitam jurato promittant, iidem ſub fide juramenti viciſſim ſpondeant, ſe iis, tanquam ſubditis reſpective talibus, fidos futuros, quicquid privilegii vel conſuetudinis habeant, id eis ſalvum illibatumque manſurum. Cum igitur obligatio hæc limitata & conditionata ſit, unde tamdiu inter magiſtratum & ſubditos ſubſiſtit, quamdiu conventionibus mutuis, quibus, ceu fundamento, correſpectivæ ejusmodi obligationes nituntur, ſatis fiat, juxta vulgare illud axioma, quod a ſereniſſimo quoque Principe, Henrico Julio, in præſentia multarum illuſtrium perſonarum, & conſpectu totius civitatis allegatum, vid. acta brunſvv. Fidelis dominus, fidelis ſervus, getreuer Herr, getreuer Knecht. Valentin. Forſter. de jurisd. part. 2. fol. 462. num. 147. Ac ſane, cum hæc conditio tacite ineſſe videatur homagiali obligationi, etiamſi non exprimatur, Dn. Bocerus de regalib. fol. 484. num. 44. multo magis, ſi expreſſe eadem homagiali contractui fuerit adjecta. Beſold. theſaur. pract. fol. 418. Jam vero, cum illuſtriſſimi Principes & eorum ſucceſſores ſub lege conventionis certa obligati ſunt, ut ex inſtrumento producto apparet, utpote in quo expreſſe diſpoſitum.

*Daſs, ſo offt ein Todes Fall an einen regierenden Landes-Fürſten ſich begeben vvürde, ſolten nicht allein die Hertzogen zu Braunſchvveig und Lüneburg &c. Wolffenbüttliſcher Linie, ſolchen Vertrag, von Articuln zu Articuln, von Worten zu Worten, in allen ſeinen Inhaltungen und Clauſulen von neuen beſtätigen und confirmiren, beſondern es ſolte auch der regierende Erbe vor der Huldigung der Landſchafft an Eydes ſtatt glaublich zuſagen, gereden und geloben, daſs Er den Vertrag dermaſſen ſeines Inhalts verfolgen und halten, auch verſchaffen ſolte und vvolte.*

Hinc apparet, juri & æquitati conſentaneum, ut illuſtriſſimi Principes, pro ratione conventionis, obligationis & receptæ conſuetudinis, civitatem hanc limitata quadam ratione, iis obligatam, de juribus & privilegiis ſecuram reddant. Bruning. de var. univerſit. ſpecieb. concluſ. 33. Caſpar. Ziegler. in §. civitas num. 27. Si iterum obedientiem reſpective debitam ſperare velint. Et quid ſane magis æquitati & dignitati Principis conſentaneum, quam civitatem in eodem ſtatu conſervare, in quo Princeps eandem invenit l. nomine C. de decurion. gl. in l. moveor. 4. C. ſi ſerv. export. & ibi Bart. Bald. Salicet. Goeden. conſ. 31. num. 7. Nevizan. conſ. 11 num. 3. & 4.

Ad hoc enim abſolutiſſimi quoque Principes, magis tamen in his terminis noſtris ſereniſſimi Duces brunſvvicenſes, propter contractum correſpectivum obligati. Cum enim contractuum correſpectivorum ea ſit natura, ut unus fiat reſpectu alterius & cauſa ſit alterius, Cravet. conſ. 153. num. 8. Tiraquell. verſ. donatione largit. num. 118. C de revocat. donat. Menoch. præſumt. 12. num. 2. lib. 6. & conſil. 109. Hippolit. Riminald. conſil. 204. num. 2. Hinc ex contractu correſpectivo nemo agere, aut ullo modo aliquid petere poteſt, niſi primo ipſe contractum ex parte ſua ad amuſſim adimpleverit. Qui enim differt facere, quod debet, non poteſt petere, quod ei debetur l. Julianus §. offerre, ubi Dd. ff. de action. emt. l §. quæro inter locatorem ff. locat. cap. perveniat, ubi Abb. de jurejurand. Decianus reſponſ. 1. num. 38. vol. 1. Surd. conſ. 381. num 7. & conſ. 431. num. 52. Cravett. conſ. 356. num. 6. & conſ. 411. num. 25. Neque recipit, quod oportet, qui non facit, quod debet, cap. eſto in gloſſ. 5. diſt. 95. c. fruſtra de Reg. jur. in 6. & qui fidem contractus correſpective non implet, facit, ut adverſa pars liberetur, & placita obſervare non teneatur, dict. cap. fruſtra ubi Joann. Andre Dyn. l. cum proponas lat. 2. ibi Jaſon. & Alexand. C. de pact. Maul. de homag. tit. 1. num. 11. & 12 arg. l. cum proponas C. de pact. Ex eo enim ſe juvare nemo poteſt, quod ipſe impugnat, vel transgreditur. cap. ex eo & ibi Dyn. de Reg. jur. in 6. l. auxilium ff. de minor. quod verum eſt, etiamſi is, qui exigit aliquid ab altero, ex parte ſua omnia prope adimplerit, ſed in modico capitulo defecerit, eique onus probandi implementum illud manebit, qui implere prius tenebatur. Decian. reſponſ. 60. n. 45. lib 2. Hartman. Piſtor. quæſt. l. 1. quæſt. 22. per totum. Non enim dicitur actum, quamdiu adhuc supereſt aliquid agendum, Jaſon poſt gloſſ. & alios in l. cum Syllanianum C. de his, quib. ut indign. Specul. de ſalar. Advocat. num. 11. Weſenbec. conſ. 12. n 41. Gail. lib. 1. obſerv. 140. num. 10. Vultej. Conſil. Marpurg. 24 num. 21. volum. 2. Gylman. in ſymphorem. part. 1. tit. 2. volum. 1. Cum igitur pactum reciprocum & correlativum, quod J. G. & communi omnium populorum conſenſu receptum. Reinck. claſ. 3. c. 9. num. 16. Stephan. Jun. Brutus vindic. contr. tyrann. q. 3. ex natura correlativorum. Bart. Bald. Paul. Caſtrenſ. in l. fin. C. de indict. Viduit. tollend. Bald. 310 col. 1. & conſil. 449. col. 2. Cuman. conſil. 35. col. 2. Angel. conſil. 110. col. 2. hanc vim & effectum habeat, ut in omnibus punctis, clauſulis & terminis, legibus conventionis ſatisfiat. Hinc e contrario hoc operatur, ut contractus ejusmodi, ſi ab utraque parte implementum ſuum non accipiat, conditionibusque eidem adjectis ſatisfiat, ipſo jure irritus & nullus ſit. Hoc juris fundamento ſuppoſito, civitas brunſvvicenſis ſe nullo jure Ducibus brunſvvicenſibus obligatam credit, antequam ab iis, juxta tenorem pactorum conventorum, de juribus & privilegiis, quæ immediate ab Imper. recognoſcit, ſanctiſſimo juris vinculo intercedente, aſſecurata ſit. Quæ, ſi ridicula videntur Conringio, non dubito, quin hæc ex oſcitantia nuda quadam, vel mera ignorantia pactorum conventorum proficiſcantur. Armiger enim ille Jovis, cum naturam contractus reciproci & correlativi ignoret, mirum non eſt, quod ejus vim & effectum non intelligat. Nos meliora edocti, ſereniſſimos Principes ad idem teneri, omnino perſuaſum habemus: cum enim per modum conventionis & contractus, Anchoran. conſ 1. col. 4. Paul. de Caſtro. conſ. 116. col. 1. Barbat. conſ. 1. col. 5. Jozad. ad conſ. col. 3. Boer. deciſ. 215. ad idem obligati ſunt, hinc ut nullus Princeps contractum, cum ſubditis factum, revocare, vel ab



Digitized by Google

eodem recedere poteſt; Cyn. in l. digna vox C. de LL. & ubi Bart. & Paul. de Caſtr. Bart. Bald. & Salicet. ex imperfecto C. de Teſtam. Jaſon. conſ. 1. in dubio 1. vol. 1. Lofred. conſ. 38. col. pen. Roman. conſ. 352. col. 4. conſil. 116. col. 2. Card. conſ. 147. col. 1. Socin. conſ. 4. & 86. Alex. conſ. 1. col. 6. vol. 2. Anchoran. conſ. 2. Dec. conſ. 151. & conſ. 286. Zaſius conſ. 10. vol. 2. Bertrand. conſ. 206. vol. 2. & conſ. 1. col. 3. Joan. Crot. in c. 1. col. 8. Pariſ. conſ. 11. num. 47. & 54. Aym. conſ. 135. col. 2. Brun. conſ. 2. col. 5. & conſil. 10. col. 6. Col. conſ. 51. Anton. de Butrio. conſ. 59. Marian. Junior. conſ. 94. col. 1. vol. 2. conſ. 115. col. 2. volum. 2. & conſ. 160. col. 2. Ruin. conſ. 7. col. 6. vol. 1. & conſ. 36 col. 6. vol. & conſ. 90. col. 3. vol. 1. conſ. 91. conſ. 115. & conſ. 196. & conſ. 230. col. 4. vol. 1. Paul. de Caſtro. conſ. 317. colum. fin. vol. 1. Grammat. conſil. civil. 100. col. fin. Sic illuſtriſſimi Duces brunſwicenſes, vel eorundem ſucceſſores, per ea, quæ tradunt Dd. Cardin. Mantic. de tacit. & ambig. Convent. lib. 27. tit. 5. num. 4. Bodin. 1. de rep. c. 8. Hottoman. Juſt. quæſt. 1. Heig. illuſt. q. 5. Buxtorff. in diſſ. ad A. B. concl. 7. Cacheran. deciſ. pedem. 139. num. 11. Weſenbec. conſ. 11. num. 14. Hieron. Schurff. conſ. 17. num. 6. Jacob. Schult. in addit. ad Modeſt. Piſtor. p. 49. 140. num. 6. & 8. Hillig. in not. ad Donell. lib. 20. c. 2. lit. N. Matt. de affict. deciſ. 17. n. 5. Alex. Trentacinq. var. reſolution. lib. 3. tit. de pact. reſol. 1. Herman. Vultejus 3. conſil. Marp. 35. num. 115. 116. Erneſt. Cothman. 2. reſponſ. 52. n. 231. Arniſ. de J. M. lib. 1. cap. 7. num. 13. Ruinus conſil. 46. num. 13. vol. 1. Treutler. 1. diſp. 6. th. 7. Syringius de pac. relig. concluſ. 19. Nicol. Everhard. Jun. conſ. 1. ſub. n. 24. & 31. vol. 1. Cravett. conſ. 241. num. 17. Tiber. Decian. reſponſ. 25. num. 43.

Illæſa fide principali, Nicol. Reusner. conſ. num. 55. lib. 1. Philipp. Comm. lib. 2. Conem. p. m. 377. a pactis, cum civitate brunſvvicenſi conventis, recedere non poſſunt, quorum intuitu, utut Brunſvvicenſes sereniſſimis iisdem Principibus certo aliquo reſpectu & ſub conditione obligati; obligatio tamen hæc eo usque in ſuſpenſo manet, quoad convent. & pactis, vel conditionibus iisdem adjectis, ſatisfiat, quod probe advertendum. Alias enim lubens admitto, Duces aliquod jus quæſitum & in jure hereditario fundatum obtinere; juris tamen hujus exercitium ante præſtationem homagii non habent; per hanc enim ſereniſſimi Principes jurium illorum ſpecialium exercitium in civitate brunſvvicenſi partim ex conventione, partim ex præſcriptione, juxta tenorem reverſalium homagialium, conſequuntur, & in quaſi poſſeſſionem imperii conſtituuntur. Barcal. lib. 3. de Reg. poteſt. cap. 2. Tholoſan. lib. 6. de rep. cap. ultim. Keckerman. Curſ. Philoſoph. diſp. 29. problem. polit. 16. Althuſ. c. 20. polit. fol. 255. Hoc vero, cum ex conventione ad certos quosdam actus obedientiales limitatum & reſtrictum; Sic quoque civitas hæc limitata quadam & conditionata ratione, quoad ſpeciales tantum quosdam actus, ſereniſſimis Principibus erit obligata, extra hos vero, vi contractus illius correſpectivi & pacti reciproci vel correlativi; ſive commendatitiæ confœderationis, libera erit. Bald. in l. etiam Col. fin. C. de jure dot. l. executorem ver. ſed. quæro de civitatibus col. 8. de execut. rei indicat Decius conſ. 360. Bartol. in l. non dubito ff. de captiv. &c. Felin. in cap. poſtul. num. 10. de for. convent. Anchoran. conſ. 437. num. 2. Cardinal. Tuſch. practic. concluſ. 628. num. 5. & 6. & n. 23. Cardin. Mantic. de Tacit. & Ambig. convent. lib. 27. tit. 7. num. 13. Reſtaur. Caſtald. de Imper. q. 109. num. 9. Jure enim receptum & conſuetudine maxime approbatum, ut locus aliquis, certis quibusdam conditionibus ſubjectus, in aliis remaneat liber, ad hoc bonus textus eſt in Clement. paſtoralis §. denique de re judic. vid. Don. Garſ. Maſtrill. de Magiſtrat. lib. 1. cap. 7. num. 14. Gail. 2. obſerv. 54. n. 10. Ubi dicit, illas civitates, quæ certa lege & conventione ſuperiorem agnoſcunt, (a) has extra pacta conventa placide ſua frui libertate, quæ ſententia, Gailii inductione facile probari poteſt. Sic Colonia Agrippina, ſeu Agrippinenſis, aut Agrippinenſium, quod placet Lipſio in not. ad Tacit. 12. annal. num. 61. de qua Dreſſerus de German. urbib. pag. 192. Irenicus lib. 1. Exegeſ. German. p. 199. Reusner. de Urbib. Imper. p. 27. Curio in epiſt. de origin. Francor. p. 170. Licet in eadem Archiepiſcopus jus meri imperii habeat. Wilhelm. Kyriander. de orig. ac ſtatu antiq. civit. Aug. Trevir. p. 13. & 146. Sleidan. de ſtatu relig. lib. 6. circa fin. p. 102. Wehner. obſervat. pract. verb. *freye Reichs-Städte* p. 180. Matth. Stephan. c. 1. num. 33. ubi a num. 24. ad 34. de Ict. Heinricus Bocerus de collect. cap. 4. n. 27. De cætero tamen libera imperialis civitas eſt. vid. Cölniſche ſtatuta fol. 5. fol. 6. vid. liter. Frideric. Imperat. de anno 1370. quæ extant in lib. ſtatut. Colon. fol. 9. vid. Homag. civit. Colon. in d. ſtatutis lib. 1. p. 5. apud Goldaſtum in *Reichs-Handelungen* p. 44. Beſold. lib. 1. polit. cap. 9. n. 12. fol. 315. & diſc. de jure Imper. civit. n. 5. Limnæus lib. 7. juris public. c. 10. fol. 172. & 173. Goldaſt. tom. 1. Conſtitut. Imperial. p. m. 584.

Eadem ratione Civitas Hamburgenſis, Vandaliæ urbs florentiſſima, Ditmarſiæ, Holſatiæ & Stormariæ vicina, de qua Johannes Goropius Becanus lib. 6. Antiquitat. Antverp. p. 166. Irenicus lib. 11 p. m. 214. Münſterus lib. 3. Cosmagraph. cap. 444. p. 108. Gryphiand. de Weich. Saxon. cap. 78. n. 10. licet homagium *die Erbhuldigung*, Ducibus Holſatiæ præſtet, & ratione ſpecialium quorundam actuum iisdem obligata ſit; pro ſtatu tamen imperii & libera imperii civitate jam olim Imperatorum decreto agnita, vid. Gylman. tom. ſymphorem. part. 1. tit. 3. vot. p. 220. n. 1. Thomas Michael diſp. de juriſd. theſ. 54. lit. c. Vietor. de cauſ. exemt. concl. 36. & per ſententiam definitivam pro tali declarata, cujus tenor hic eſt:

In

(a) Verba cenſoris margini adſcripta, ſed ab autore rurſum deleta. Cum antea liberæ eſſent, ſpectanda eſt enim prima conditio.

Digitized by Google

*In Sachen des Kayſerlichen* Fiſcalis, *Ambts halber Klæger*, contra Holſtein pro intereſſe *und* Hamburg, *iſt die Sache vor beſchloſſen hiemit angenommen, darauf und allen Fürbringen nach zu Recht erkandt. Daſs gedachtes Hertzogen vorgewandtes* intereſſe *angeregter* exemption *halber, ungeachtet, Bürgermeiſter und Raht der Rœmiſ. Kayſerl. Majeſt. und des heiligen Reichs hohen Obrigkeit, und ohnmittelbahren* ſubjection *ſich beklagter maaſſen eigenes Gewalts zu erbrechen und frey zu machen nicht gebühret, ſondern daran zu viel unrecht gethan, ſich deſſen hinführo gæntzlich zu enthalten, und beſagte Stadt ihre Kayſerl. Majeſt. und dem H. R. ohne Mittel zuſtændig, unterworffen und verwandt, auch von mannigl. dafür zu erkennen, und deswegen ſie Bürgermeiſter und Raht des Reichs anlagen, Steuer und Bürden, auch derſelben Ausſtand zu bezahlen ſchuldig, und zu ſolchen allen zu* condemniren, *und zu verdammen, jedoch mehr erwehnten Hertzogen ihre Spruch und Forderung, ſo ſie ſonſten gegen gedachte Stadt zu haben vermeinen, ordentlicher Weiſe Rechtens, ob ſie wollen, auszuführen, hiemit ohnbenommen, ſondern vorbehalten.* Ex hoc decreto, quod anno 1618. 6. Julii publicatum. vid. Reink. tract. de regimin. ſecul. & eccleſiaſt. lib. 1. claſſ. 4. c. 21. fol. 250. dilucide apparet, quod civitas Hamburgenſis, licet homagium præſtet Holſatiæ duci Hottoman. diſp. Feud cap. 24. in cæteris tamen ſimpliciter ei ſubjecta non ſit, ſed ad plenam libertatem quam proxime accedat, quorſum ea pertinet relatio, quæ apud Crantzium eſt lib. 10. Saxon. cap. 2.

Aderant, inquit, Comites tales quidem tunc, hodie autem Duces Holſatiæ querimoniam deferentes adverſus Hamburgenſes, qui & ipſi aderant, rei exitum videre cupientes Comites devocabant eos in ſuum jus, ut ab antiquo ſemper habitum fuerit; illi imperialem deſuper declarationem audire cupientes, invenire ſe aſſeruerunt in privilegiis, quod Comitibus prope nihil debentes exemti cenſerentur, quodque a nonnullis Imperialis Aulæ aſſeclæ Imperatoris haberentur. Nam D. Friderici privilegia multa illi oppido contuliſſe videbantur, quæ tum edebantur. Imperator interlocutus, juſſit Hamburgum oppidum Comitibus parere, ſalvis libertatibus, quas ab imperiali culmine promeruit. Idem quod de Colonia Agrippina, & civitate Hamburgenſi, idemque quoque de civitate Brunswicenſi dicendum videtur, quæ ipſa quidem homagium princip. Ducibus Brunſw. præſtat, ſi princeps prior juraverit de conſervandis privilegiis in cæteris privilegiis egregiis exornata. Adeo ut anno 1499. 27. Spiræ decretum, Ducique Brunſw. pure & ſine clauſula mandatum fuerit, ut ille a cognitionibus & proceſſibus cauſarum, quæ civitatis regalia tangunt, abſtinere omnino (a) Ex hoc mandato pœnali facile apparet, quod jura, regalia & immunitates, quas habet, eaſdem non ducibus Brunſwicenſibus; ſed Auguſtiſſimis Imperatoribus, imperioque accepto ferat, ſicut omnes civitates Impp. non aliunde, niſi ab imperio vel imperialis ſplendoris culmine eadem arceſſunt, utpote abs quo, tanquam fonte omnium dignitatum, juriſdictionis per conceſſiones, privilegia, inveſtituræ, confirmationes fluunt. Vultejus de feud. c. 5 n. 6. in fin. poſt. Bald. in c. 1. n. 1. Alvarott. n. 4. præpos n. 1. Afflict. n. 1. Schenck. verſ. hic textus videtur, quis dicat Dux. Pruckman. de regal. c. 1. n. 16. Robert. Marant. in ſpecul. Aure. p. 4 diſt. 5. n. 3. Cæpol. de ſervit. ruſtic. prædior. cap. 3. n. 3. n. 17. Marin. Frecc. lib. 1. de orig. Bar. n. 36. Schneid. Epitom. juris feudal. part. 2. num. 94. Mozz. tit. de his, qui feud. dar. poſſ. num. 12. & 13. Roſenth. ſynop. J. Feud c. 5. concl. 10. Alciat. conſ. 1. n. 4. Capic. deciſ. 121. n. 1. Decian. conſ. 2. n. 168. vol. 1. Cephal. conſ. 154. n. 1. Oldrad. conſ. 231. M. Anton peregrin. de jure fiſci lib. 1. Rubric. 3. n. 71. Roland. a Valle conſ. 1. n. 102. Jaſon. in l. qui Romæ §. Seja. n 15. de V. O. Tob. Paurmeiſt. de JCt. Imp. Rom. lib. 2. c. 4. num. 23. Covar. pract. qq. cap. 4. Cacheran. deciſ. pedemont. 30. Goeden. conſ. 59. n. 2. & ad eundem, tanquam Oceanum, per appellationes nullitates ac querelas refluunt ac recurrunt. Bald. conſ. 333. col. 2. lib. Thom. Michael. de jurisd. concl. 1. lit. c. Paurmeiſter de juriſdictione Rom. Imp. cap. 4. n. 22. Meichsn. tom. 2. lib. 1. decad. 6. n. 88. Natta. conſ. 636. n. 169.

Cum igitur hæc jura adeo ſupremæ poteſtati propria ſint, ut ei quaſi medullitus cohæreant, Carol. Molin. in Conſuet. pariſ. tit. 1. §. 2. gloſ. 4. ſub n. 16. Covarruv. pract qq. c. 4. circ. princ. Corſet. de poteſt. Reg. part. 1. q. 4. Don. Gars. Maſtrill. de Magiſtr. lib. 3. cap. 2. n. 26. Sixtin. 1. de regal. c. 5. n. 3. Cacheran. deciſ. 170. n. 3. Roſenth. de feud. c. 5. concl. 15. n. 3. Decian. conſ. 123. n. 25. vol. 3. Meichsn. tom 2. lib. 1. deciſ. Camer. 6. n. 88. Mynſing. conſ. 39. n. 7 Joan. Gœdden. in reſponſ. jur. de reſtit. Baron. Vallend. n. 105. Natta. conſ. 636. n. 170. Thom. Mich. de jurisd. concl. 8. Bald. 334. n. 1. & ſublimioris imperii ſummique dominatus ſymbola ſint. Joan. Gœdden. lib. d. Andr. Knich. de ſublimit. & Regn. territ. jur. c. 5. n. 70. Roland. a Vall. conſ. 1. n. 135. volum. 2. Alexand. Raudens reſponſ. 1. n. 262. & 435. Cacher. conſ. 3 n. 7. Natta. conſ. 487.

Alia igitur ratione acquiri non poterunt, niſi ſummi Principis conceſſione, Alber. in l. 1. ff. in fin. de offic. ejus, cui mand. eſt JCtio Bald l. 1. n. 4. ff. de offic. præfect. Roland. a Valle d. l. Meichsner. deciſ. 3. n. 34. Luc. de penn. in l. 1. col. 7. C. de privileg. Scholar. Carol. Molin. in conſuetud. pariſiens. tit. 1. §. 1. gl. 5. n. 53. vel temporis immemorialis præſcriptione gl. in cap. vol. 16. quæſt. 4. Jaſon. conſ. 208. Roman conſ. 371. Decius conſ. 307. n. 9. Bertrand. conſ. 66. vol. 3. Carol. Ruinus conſ. 45. Socin. conſ. 275. n. 1. vol. 2. Pariſ. conſ. 14. vol. 1. Tiraquel. Tract. de Nobilitat. cap. 14. n. 4. Vaſqu. libr. Illuſt. controver. cap. 2. n. 14. Zaſius conſ. 16. n. 16. vol. 2. Anchoran. conſ. 142. n. 3. Alex. conſ. 56. n. 1. & 3. lib. 1. Henning. Goedd. conſ. 53. n. 24. Cravetta conſ. 54. n. 8. Roland. a Valle conſ. 3. n. 82. vol. 1. Curt. Jun. conſ. 58. n. 12. Alciat. conſ. 22. lib. 2. Menoch.

(a) Verba ſeq. Cenſor margini adſcripſerat, ſed autor rurſum deleverat. **Ergo pactio hereditaria erat exceptio, in quibusdam caſibus ſolum accidentalis.**



Digitized by Google

Menoch. conſ. 21. n. 19. & 20. vol. 1. Sigismund. Lofred. conſ. 40. n. 48. Andr. Knichen. de jure territorial. c. 3. n. 53. Joan. Goedd. in reſp. juris de reſtitut. Baron. Vallend. n. 175. Hieron. Treutlerus vol. 1. diſp. 3. th. 6. quia tempus immemoriale habet vim privilegii & conceſſionis. Menoch. 2. Arbitrar. cap. 43. Erneſt. Cothman. conſ. 79. n. 72. Sixtin. de Regal. lib. 1. cap. 5. n. 13. Cacheran. dec. 29. n. 7. Mynſ. obſ. 30. cent. 1. conſil. Marpurg. 9. n. 36. Meichsner. deciſ. came. 3. n. 23. tom. 3. Decian. reſponſ. 24. n. 111. vol. 1. Cravett. de Antiquitat. temp. part. 1. ultim. prim. part. princ. n. 30. Vultej. conſ. Marpurg. 16. n. 52. & 58. vol. 1. Gylman. in ſymphoremat. ſupplicat. part. 1. tit. 2. ſub. n. 22. not. 1. Menoch. 1. conſ. 90. n. 6. & lib. 3. præſumt. 131. n. 39. Honded. conſ. 17. n. 57. Sixtin. conſ. Marpurg. 9. n. 34. Weſemb. conſ. 2. n. 82.

Ex his principiis quoque jura, privilegia, (*a*) quæ habent cives Brunſwicenſes derivant, minime vero eadem a sereniſſimis Ducibus arceſſunt; cum enim eadem Imperatori propria ſint, tanquam fonti omnis dignitatis ac jurisdictionis, Roland. a Valle. conſ. 100. n. 3-7. vol. 4. Petr. Heig. quæſt. 2. n. 7. non igitur principes inferiores vel ſuperiorem recognoſcentes, ejusmodi jura conſtituere potuerunt. Roſenth. de feud. cap. 5. concl. 14. Petr. de jure quæſit. non tollend. c. 21. num. 36. fol. 283. Knich. de autocrati. c. 1. n. 1089. Roland. a Vall. conſ. 1. n. 44. Rauchbar. part. 2. q. 1. n. 33. Caſtrenſ. conſ. 179. n. 15. lib. 1. Decian. conſ. 269. purpurat. Con. 119. n. 13. Meichſner. deciſ. 6. ſub n. 65. tom. 3. fol. 96.

Hoc ſuppoſito, uti dictum, jura regalia & privilegia ſua civitas Brunſwicenſis non a Ducibus, ſed Imperatore tanquam ſublimium horum jurium ſcaturigine, Bald. ad c. 1. n. 2. de Allod. Menoch. 2. præſumt. 14. n. 4. per cap. 1. de feud. March. Tob. Paurmeiſter. de jurisdict. lib. 2. c. 8. n. 31. item 39. Joan. Gœdd. in reſponſ. jur. de reſtit. Baron. Vallend. n. 236. derivat. Cui ſoli cognitio ſuper iisdem juribus reſervata, ut ex mandato & decreto ſuperius allegato apparet, quo diſerte Ducibus Brunſwicenſibus injunctum, ut impoſterum a cognitionibus, proceſſionibus cauſarum, quæ civitatis regalia tangunt, abſtinerent, vid. omnino Limnæ. tom. 2. lib. 7. jurispubl. cap. 1. fol. 15. n. 31. quæ ſane cognitio mandato pœnali inhiberi non potuiſſet, ſi cum regalibus & cæteris juribus ſublimioribus civitatis Brunſwic. Duces præmemorati quicquam negotii vel commercii habuiſſent, vel quod magis, ſi ab eorum authoritate hæc jura dependerent; ſententiam hanc noſtram magis confirmat, quod jura hæc ſublimia, quæ civitas Brunſwicenſis exercet & æque, ut ceteræ civitates Impp, in vim privilegii & jurisdictionis vel ſublimitatis territorialis obtineat. Thom. Michael. de jurisd. th. 44. Dn. D. Bocer. de jurisd. c. 8. n. 81. & tract. de collect. cap. 4. n. 24. Paurmeiſter. de jurisd. lib. 2. cap. ultim. num. 24. Matth. Steph. de jurisd. lib. 2. part. 2. cap. 1. num. 63. Bertram. de comitiis theſ. 48. Limn. lib. 7. Jurispubl. cap. 1. fol. 32. Rutger. Ruland. de commiſſ. lib. 1. c. 6. n. 6. Apologia meri Imper. Civit. ſpirenſ. in Camerales fol. 7. Scipio Gentilis lib. 3. de jurisd. c. 22. Sixtin. de Regal. 1. cap. 4. n. 82. Caſpar. Ziegler. §. Auſtregæ in limitat. n. 45. & c. fol. 57. Caſpar. Klocke in faſcicul. Rer. quotidian. th. 27. Joan. Dauth. in hypotypoſi Bruning. de univerſit. th. 19. Erneſt. Cothman. 3. conſ. 29. n. 531. Borell. conſ. 70. n. 34. & conſ. 86. n. 11. Andr. Gail. obſerv. 57. num. 71. & de p. p. cap. 6. n. 11. Waremund de Ehrenberg. 2. de fœderib. c. 1. n. 37. Cravett. conſ. 263. Menoch. 5. n. 40.

Cum vero hæc regalia & jura quæ Civit. Brunſwic. prædicto modo exercet, non niſi civitatibus Impp. & cæteris ſtatibus imperii propria ſint. Status igitur & civitas imperii hæc ſit, infallibili quadam ratione conſequitur. Quod ut clarius pateat, jura ſaltem quædam ſublimia, quæ huic civitati competunt, ſummariter referam. Inter hæc vero primum vendicat locum liberum religionis exercitium, *die Freyheit in Religions-Sachen*, *welches der Stænde des Reiches hœchſt und fürnembſt.* Regale vid. Except. Fori declinat. Landgravii Haſſiæ Mauritii p. 73. vigore cujus poſt tranſactionem Paſſavienſem & pacem religioſam Auguſtæ An. 1555. firmatam tam auguſtanæ, quam catholicæ religionis ſtatus, religionis publicum exercitium ſuis in territoriis inducere poſſunt, Beſold. de jurisd. q. 18. Ziegler. §. Landſaſius num. 182. Knichen. de ſublim. & Reg. territ. jure cap. 3. n. 233. Matth. Steph. de jurisd. lib. 3. part. 1. cap. 1. n. 14. & 15. & c. 15. n. 1. Theodor. Reincking. lib. 1. claſſ. 4. cap. 4. n. 228. fol. 290. Limn. lib. 1. jurispubl. c. 13.

Summum hocce jus, quod ſtatibus imperii ſaltem proprium, non tantum habet Civitas Brunſwicenſis, ſed & cætera jura quæ ſublimi huic juri connexa, de quibus ex profeſſo Reinck. lib. 3. de regimin. eccleſiaſt. per totum Cranius tract. de pace religion. ex parte Chriſtoph. Mingius d. ſuperioritate territoriali cap. 5. concl. 61. Syring. de pace relig. theſ. 25. Limnæus. tom. 1. lib. 1. jurispublic. cap. 13. Beſold. lib. 1. politic. cap. 3. de eccleſiaſtico majeſtatis jure fol. 96. 97. &c.

Inter hæc vero illud ſingulare eſt, quod civitas hæc peculiare conſiſtorium eccleſiaſticum forumque cauſarum ſpiritualium habeat, cum quo nihil commercii habent Duces Brunſw. ut ex propria eorum confeſſione apparet de qua ſeqq. refert. Martin. Chemnitius Anno 1571. *Im Monaht* Junio, *als die* Cenſur *unſers* miniſterii *von wegen des Wittenbergiſchen* Catechiſmi *gehalten, und an den Tag gegeben, hat Chur-Pfaltz an Hertzog Julium geſchrieben, und gebeten. Alſo, daſs weil ſeine Fürſtl. Gnad.* conſenſ. *mæchtig, mœchte doch ſeine Fürſtl. Gnaden, unſer* Cenſur *und Wohlmeynung wegen des Wittenbergiſchen* Catechiſmi *abſchaffen, und zunichte machen: Darauf hat Hertzog* Julius *ſchrifftlich alſo geantwortet; Wiewol die Prediger zu Braunſchweig aus freyen Willen und ungezwungen, unſer Kirchen-Ordnung gemæſs, lehren, und dazu ſich bekennen, ſo haben ſie doch ihren eigenen* Superintendenten. *Und ſind unſern* Conſiſtorio *nicht unterworffen. Dieſes ſollen die von Braun-*

(*a*) Immunitates,

Digitized by Google

*Braunſchweig wol in Acht haben, und es für bekandt annehmen. Dieſen Brief ſagt ferner* D. M. Chemnitius, *hat mir der Cantzler* D. Lucas Dungel, *in der Raht-Stuben zu Wolffenbüttel ſelbſt zu leſen gegeben &c.* 2. Jus quoque Armandiorum ſeu Armamentariorum &c. quæ ad bellicum apparatum pertinent. *Als da ſind ihren Bürgern Wehr und Waffen aufzulegen, ſelbige in Wehr und Waffen zu üben, und in Bereitſchafft zu halten; Muſterung anzuſtellen, und was dergleichen Dinge mehr ſind*, quæ omnia territoriali ſublimitati adhærent, & ſtatibus imperii tantum competunt, vid. R. A. *zu Speyer* de an. 1526. §. *Darauf* & paſſim Receſſ. de Anno 1548. de an. 1555. de an. 1566. de an. 1570. Limnæus lib. 4. cap. 8. l. P. n. 206. fol. 245. Andr. Knichen. de jure Territor. cap. 3. n. 238. Warem. ab Ehrenberg de fœder. lib. 1. cap. 2. num. 5. 6. Anton. Fab. in conſult. de Ducat. Montisferrat. pro Duce Sabaudiæ part. 1. pag. 241. Arniſæ. de jure majeſt. lib. 2. cap. 4. n. 2. pag. 334. Bidenbach. quæſt. nob. 7. p. 57. Sixtin. de Regal. lib. 2. c. 1. n. 15.

Huic connexum eſt jus fœderum, quod jus quin æque, ut ceteri imperii ſtatus, vid. A. B. Carol. 4. tit. 15. Ordin. Camer. part. 2. tit. 9. §. *ſo jemand*, Bodin. 1. de rep. cap. 7. circ. fin. p. 122. Wahremund ab Ehrenberg de fœderib. lib. 2. cap. 2. num. 13. Reſp. Brunſwicenſium obtineat plus quam notorium. Adhæc. 3. jus habet conducendi peregrinantes per vias publicas, *die gleidliche Obrigkeit auf freyer Kayſerl. Heer-und Land-Straſſen*, ut apparet ex transact. de anno 53. quod jus ſublimitati territoriali adhæret & ſtatibus imperii tantum competit, vid. Mynſing. 5. obſerv. 70. num. 9. & 10. Meichsner. tom. 2. deciſ. 4. Weſemb. conſ. 33. num. 3. & 10. Gail. 2. obſervat. 64. n. 34. Sixtin. de regalib. 2. n. 42.

4. Ducibus excluſis civitati in ſuos competit indictio tam perſonalium, quam realium tam ordinariorum, quam extraordinariorum munerum, quorum exactio & præſtatio immediate ſuperioritati territoriali adnexa. Nicol. Everhard. jun. conſ. 10. num. 28. lib. 1. Simon. de præt. conſ. 100. n. 1. part. 3. Meichsner. tom. 2. lib. 2. deciſ. ultim. n. 177. Modeſtin. Piſtor. 2. conſ. 14. num. 41. Pruckman. conſ. 27. n. 15. Vultejus Conſil. Marpurg. 35. num. 39. vol. 3. Corn. Conſil. 333. num. 2. vol. 1.

5. Civitas hæc immediate imperio contribuit & ſemper contribuiſſe legitur, *ſie haben ohne Mittel die Reichs hülffe, an das Reich ſelbſt, oder deſſen Pfenning-Meiſter behändiget*, excepto unico caſu, *darüber ſie doch einen* Revers *erhalten, ihren Rechten unnachtheilig zu ſeyn.*

6. Civitas Brunſwic. merum & mixtum imperium habet, quod ſane jurisdictioni territoriali adhæret, & non niſi ſtatui imperii competit. Decius in l. nemo 71. de reg. jur. Decian. reſponſ. 43. n. 2. lib. 3. Cravett. conſ. 195. n. 4. Oldrad. conſ. 252. n. 7. Weſemb. conſ. 95. n. 18. Thom. Michael. de jurisd. concluſ. 82. Wehner. in obſervat. p. 700. Boer. deciſ. 50. n. 11. Covarruv. pp. qq. cap. 1. n. 10. Cardin. Mantic. de Tacit. & ambig. Convent. lib. 4. tit. 4. num. 28. & lib. 13. tit. 24. n. 9. Carol. Mol. in conſuet. Pariſ. tit. 1. §. 1. gl. 5. n. 48. Zaſius de feud. p. 5 n. 11. Meichsner. tom. 2. deciſ. lib. 2. deciſ. 4. num. 137. Roland. a Vall. conſ. 47. vol. 2. Vultejus de feud. cap. 5. n. 7. Sixtin. de Regal. lib. 2. cap. 8.

Utrique vero tam mixto. vid. Ruland. de commiſſ. part. 1. lib. 3. cap. 9. n. 8. quam mero imperio, pro diverſitate tamen jurium competentium, item caſuum & cauſarum, mulctarum atque pœnarum compendia cohærent. Bart. ad l. Imperium n. 12. ff. de JCt. Roland. a Valle conſ. 42. n. 2. vol. 2. Nicol Boer. deciſ. 180. n. 4. Joan. Koppen. deciſ. 30. n. 35. Joan. Goedd. in reſp. jur. de reſtit. Baron. Vallend. n. 329. con. Gars. Maſtr. de Magiſtrat. lib. 3. cap. 10. n. 44. Menoch. de Arbitrar. lib. 1. caſ. 74. n. 9. Proſper. Farinac. in pract. crim. q. 18. n. 46. conſil. Marpurg. 2. conſ. 27. n. 57. quæ etiam civitas Brunswicenſis, ſicut aliæ Civit. Impp. tanquam regale aliquod ſingulare. Roſenth. de feud. cap. 8. concl. 49. Vultejus 1. de feud. cap. 5. num. 7. 28. Sixtin. de regalib. lib. 2. cap. 8. n. 46.

Vi ſuperioritatis vel territorialis poſſidet. Gœdd. in reſponſ. jur. de reſtit. Baron. Vallend. n. 325. Zaſius de feud. pag. 5. n. 11. Meichsner. tom. 2. deciſ. 4. n. 137. Roland. a Vall. conſ. 47. vol. 2. Joan. Köppen. deciſ. 30. n. 35. Gail. de Arreſt. c. 8. num. 4. 5. Theſaur. deciſ. 266. n. 5. Bartol. & Bald. ad l. 5. C. de mod. multar. Thomas Michael de jurisd. concl. 66. in fin. Vultejus de feud. c. 5. n. 7. Sixtinus de Regal. lib. 2. dict. cap. 8. a n. 4. usque ad 39. Molin. ad conſuet. Pariſ. tit. 1. §. 1. gl. 1. n. 1. & 8. Reſp. Brunswic. inter cætera regalia jura fiſci, ut detractionis, confiſcationis &c. jura quoque teloniorum ac vectigalium habet, vid. privileg. Othon. 4.

9. Jus conſtituendi Magiſtratus tam inferioris, quam ſuperioris ordinis, eosque rurſum deſtituendi, quod ſane regale ſignum eſt Dominii & ſuperioritatis, l. 1 ff. ad l. Jul. de Ambit. Nov. 15. cap. 1. §. 1. Bald. in l. fin. n. 2. C. de leg. Schurff. conſ. 35. n. 13. cent. 3. Natta conſ. 636. n. 64. Molin. in conſued. Pariſ. tit. 1. §. 1. gl. 5. n. 57. Chaſſan. Catalog. glor. mund. conſid. 24. num. 14. Meichsner. tom. 1. lib. 2. deciſ. ult. n. 120. &c.

10. Jus venandi, quod etiam regale ſummum, vid. Pruckman. in §. Venatio Sebaſt. Medic. & Georg. Mohr. item Noe Meurer. tract. ſingular. Arumæ vol. 4. jurispubl. deciſ. 37. Beſold. de Majeſt. fol. 178. Gilken. ad §. fera Inſt. de acquirend. rer. Domin. fol. 179. & 190. Molin. de juſt. ac jur. tr. 2. diſp. 41. Camman. diſp. de Regal. 7. theſ. 6. Bidenbach. quæſt. Nobil. 12. Gail. lib. 2. obſerv. 68. n. 7. Zaſius conſ. 56. vol. 2. Harprecht. tract. de rer. diviſ. num. 170-172. Meichsner. deciſ. cameral. 33. n. 1. fol. 1039. tom. 3. & deciſ. 2. n. 30. fol. 136. tom. 2. lib. 2. Gylman. tom. 1. part. 1. vol. 1. num. 6.

11. Et ultimo, ut cetera jura omittam, jus habet cudendæ monetæ, quod idem juribus ſublimioribus accenſetur, & non niſi ſtatibus & imperialibus civitatibus competit. Sixtin. 2. de Regal. 7. M. Freher. de monetar. 1. cap. 2. Covar. in collat. veter. numiſ. in cap. 7. Bocer. de jure



Digitized by Google

re monet. cap. 3. Buſius diſp. de Rep. 1. th. 1. Iſaac Pontan. 6. Orig. Franc. cap. 17. ad fin. Aleman. palæſt. conſult. fol. 492. Tileman. *Frieſs Müntz-Spiegel*. 1. c. 4. & lib. 4. cap. 6. Weſemb. conſ. 45. Joan. Selden. lib. 2. Juris Anglorum. 41. fol. 88. R. A. de anno 59. §. 10. Hæc & alia jura etſi indubitato libertatem hujus civitatis confirment, quo jure tamen eandem Conringius invadat, & abſoluta quadam ratione principum poteſtati ſubjiciat, alibi vero ex numero civitatum imperialium excludat, ulterius examen inſtituendum erit. Præſes hujus diſſertationis ideo hanc civitatem mere municipalem eſſe adſerit, alibi vero e numero Impp. Civitatum excluſam adſtruit; quod eadem voto conſultivo & deciſivo in comitiis careat argumento, ut mihi videtur inſufficienti. Manet ſtatus imperii, vid. R. A. de anno 1152. in fin. Juſt. Reiffenberg. in not. ad Receſſ. deputat. de anno 1600. §. initial. lit. e. Cum primis R. A. de anno 1548. *Wann auch ein ausgezogener* Gail. 1. obſervat. 21. n. 9. Paurmeiſter de jurisdict. lib. 1. cap. 6. n. 2. Meland. in commentar. ad ordin. Camer. part. 1. tit. 6. Auctor. deciſ. Cameral. verb. ſtatus imperii verſ. An princeps J. G. fol. 325. Matth. Stephan. de jurisd. lib. 2. p. 1. cap. 4. num. 45. Zachar. Vietor. de exemt. concl. 5. Nicol. Everhaed. Junior. conſ. 41. n. 89. Meichsnerus deciſ. Camer. 6. poſt num. 27. tom. 3. & civitas imperialis, Geor. Obrecht. de jurisd. cap. 6. num. 76. Buxtorff. diſſ. ad A. B. theſ. 5. Bruning. de univerſitat. theſ. 18. Lehman. lib. 4. Chron. Spirenſ. Paurmeiſt. lib. 2. cap. ultim. Arnold. Engelbrecht diſp de jurisd. theſ. 143. Caſpar. Bitſchius in annotat. ab lib. 16. hiſt. Natal. Comit. fol. 342. Springer. de pace Relig. cap. 1. fol. 101. Anonym. tract. de jurisd. cap. 2. fol. 111. Marquard. Freher. ad Pet de Andlo. fol. 75. Munſter. 3. Coſmogr. cap. 18.

Bene ex eo definiatur, quod votum ac ſeſſionem in comitiis habeat, male tamen ex propoſitione vel axiomate hocce argumenta negative nectuntur, Limnæus tom. 1. lib. 3. Jurispubl. cap. 8. num. 22. fol. 87.

Cum plures equidem ſtatus ſunt in imperio, qui ad comitia non modo non vocantur, ſed & ultro comparentes a ſeſſionibus & conſultationibus excludantur, cujusmodi ſunt: Adminiſtratores Archiepiſcopatuum Miſnenſis, Merspurgenſis, Naumburgenſis, Mindenſis Halberſtadienſis, Ultrajectinus, Verdenſis, Lubecenſis, Sverinenſis, Ratzeburgenſis, Caminenſis, Sleswicenſis, Brandenburgenſis, Havelburgenſis, Libuſſenſis &c. Abbatiarum principalium Hirſfeldenſis, Salfeldenſis &c. Abbates Walckenriedenſis, S. Michaelis Lüneburgenſis, Rittershuſanus, Rebenhuſanus, Maulbronnenſis, Hirſaugienſis, Heilbronnenſis, Königsbergenſis &c. Abbatiſſæ Hervordenſis, Gandersheimenſis, Wuntſtroffenſis, Kauffingenſis, quibus propter mutatam religionem aditus ad comitialem ſenatum interdictus eſt. Item præpoſiti: Stateriensſis ad Rhenum, Odenheimenſis, Bruxellanus in Prutheimio, Burshedenſis prope Aquisgranum, Arnuelemis prope Sarbruckum &c. Abbates Bruwileranus. S. Blaſii in Nigra Sylva, Bingenbachius &c. Abbatiſſæ: Schoningenſis, Seckingenſis ad Sommam, Comites: Bergiæ in Geldria, Egmondæ, Culenburgi, Tybingæ, Bredæ, Viaredæ, Naſſaviorum, Stulingæ, Papenheimiorum, Stirumbi in Geldria &c. Barones Juſtingenſis, Hohenſaxenſis in Helvetia, Ehrenfelſis in Rhætia, Bergæ in Hollandia, Baſſenheimius, Anholdinus in Geldria, Burrenſis in Weſtphalia, Milchlingus in Franconia, Reiſſenbergius, Heuſenſtamius, Stralenbergius, omnes tres in Wetteravia, Ulmius, Wangiæ, Baro in Suevia, Pleſſenſis in Saxonia, Fleckenſteinius in Alſatia, Bredenrodus, Vianæ Dominus in Hollandia &c. Burggravii, Friedbergæ, Geilnhauſæ, Kirchbergæ in Thuringia, Rotenbergæ in Franconia &c. de quibus vid. Goldaſt. de regno Bohemiæ lib. 2. tit. 16. num. 4.

Sic Rex Bohemiæ ad comitia hodie non vocatur, licet olim fuerit vocatus. arg. A. B. c. 4 in princ. at ſtatus eſt imperii, Gevoldus de S. R. Imp. Septemvir. c. 9. p. 18. Sic liber equeſtris ordo *Reichs von Adel, die freye Ritterſchafft*. vid. Gail. de pignor. obſervat. 1. num. 1. Bidembach. qq. Nob. 1. num. 7. *R. A. zu Augſpurg* de anno 1576. *denn vveiters vvollen vvir* Ordin. Camer. part. 2 tit. 5. ad comitia hodie non vocatur, nec votum aut ſeſſionem in iis habet, ut hoc clariſſimis verbis teſtantur *die Chur-Fürſten, Fürſten und gemeine Stände des Reichs in ihrer Antvvort in Religions-Frieden der Rœmiſchen Kœniglichen Maj. den 6. Sept. Anno* 1555. *vergegeben* §. & ipſi Nobil. immediati Circuli Francici confitentur, ut apparet ex litteris, quas anno 1619. 11. Novembr. Norimbergæ correſpondentibus ſtatibus exhibuerunt. vid. Receſſ. quoque *des deputations Tages zu Wormbs de anno* 1564 §. *VVir vvollen auch Krafft des uns fürbracht, bedenken &c.* Status tamen imperii eſt, Sixtin. de Reg. 1. cap. 4. num. 92. Joachimus Cluten. Faſcic. rerum quotidian. th. 26 lit. k. Auctor deciſ præjud. Cameral. verb Nobilitas; Sicut olim tanquam Imp. Status ad conventus generales vocatus fuit, ut prorſus id innuit Cæſareus ſtylus: *Mit guten Raht unſer und des heiligen Reichs Chur-Fürſten, Grafen, Freyherren, Ritter-Knechten und Städten*. Conſil Brunſvv. fol 38. Buxtorf. th. 5. Beſold. lib. 1. polit. cap. 9. fol. 318. quem frequentatum innuunt non ſolum finalia verba proemii Bullæ Aureæ Carol. 4. ibi: aſſidentibus nobis omnibus Principibus, Electoribus eccleſiaſticis & Secularibus, ac aliorum Principum, Comitum, Baronum, Procerum, Nobilium & Civitatum multitudine; verum etiam Sigismundi atque Friderici 3. teſtimonia, quorum ille in bulla quadam, quæ extat apud Goldaſt. tom. 1. Conſtit. Impp. p. 143. per quatuor paragraphos prædicti ſtyli accuratius rem inſinuat §. 2. ait: cum per literas omnium Principum, Electorum &c. ac etiam Principibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus §. 3. Unde ſane tam eccleſiaſticorum, quam ſecularium Principum ſacri Romani imperii, Electorum conſilio & conſenſu accedente, non improvide, nec per errorem, ſed animo deliberato, aliorum etiam Principum pluſimorum eccleſiaſticorum & ſecularium Baronum, Nobilium & Procerum noſtrorum ac imperii ſacri Fidelium, mature communicato conſilio §. 4. ſcribit: prout hoc idem per præfat. Domin.

Carol.

Carol. 4. Roman. Imp. noſtrum chariſſimum omnium ac ſingulorum Principum, Comitum, Nobilium ac fidelium conſilio & unanimi conſenſu accedente. Frider. 3. verba fere eadem, ſic num. 15. Reformatione promulgata Francofurti Anno 1442. fatur. *Und darum durch Anbringen auch mit Beyvviſſen und Raht unſer und des heiligen Reichs Chur-Fürſten, geiſtlichen und vveltlichen Grafen, Freyherrn, Ritterknecht und Stadten, die vvir dann durch ſie ſelbſt, oder ihre mæchtige Send-Boten, darum inſonderheit, her zu Fuſſe zukommen geboten und geheiſſen.* Sicut vero equeſtris pro ſtatu imperii habendus, eo non obſtante, quod voto conſultivo ac deciſivo careat. vid. *den Kæniglichen Land-Frieden zu VVorms. anno* 1498. *aufgerichtet R. A. de anno* 1542. §. *dergleichen vvir jetzt in nachſten Articul angezeiget verſ. es vvolten dann dieſelbe von Adel*, Wehner. in obſervat. ſuis verb. *Ritterſchafft.* Otto Meland. part. 1. ad proceſſ. Meureri cap. 6. p. 17. Author Repertorii ad Imp. Receſſ. ſub tit. *Von Standen des heiligen Reichs in gemein.* Compilator deciſion. ſeu præjudic. Cameral. ſub verb. Nobilibus. Caſpar. Ziegler. §. *Landſaſs* concl. 8. in limit. num. 44. fol. 20. Arum. de jure publ. diſc. 9. th. 39. fol. 136. Symphorem. ſupplic. part. 1. tit. 4. fol. 299. Bernh. *Hertzog in der Elſaſſchen Chronica* lib. 6. Beſold. diſc. de ord. equeſtr. num. 13. & lib. 1. polit. cap. 9. fol. 317. Limnæus tom. 2. lib. 6. J. p. cap. 3. fol. 89. Bertram. de comit. 3. theſ. 49.

Sic quoque multæ reperiuntur civitates impp. quæ ſeſſura ac jure dicendæ ſententiæ deſtitutæ ſint, de quibus Wehner. in obſerv. pract. *freye Reichs-Stadte* p. 179. Matth. Stephan. de juriſd. Imp. Rom. lib. 2. part. 2. cap. 1. num. 60. refer. Limnæ. lib. 1. cap. 7. id fol. 93. Reinking. lib. 1. claſſ. 4. cap. 2. num. 27. & 31.

Multæ enim ex his non invitatæ libellis citatoriis, non invitæ ſe præteriri ſunt paſſæ, quo hoc pacto mitigationem & exemtionem onerum *der gevviſſen Anſchlag* impetrarent, & tolerabiliores fierent contributiones illæ, quæ ad peculiares Cæſaris expeditiones conferuntur. Heinricus Bruning. diſp. de var. univerſ. ſpecieb. th. 18. ad finem quod ſane cum his vel diſerte ab Imperat. vel imperio, vel temporis diuturnitate & præſcriptione, quæ vim privilegii habet & conceſſionis, loco privilegii conceſſum, nequaquam ulla ex parte in earum odium retorqueri debet. arg. cap. quod in favorem de R. J. in 6. confer. Naucler. qui generat. 43. fol. 231. ad hoc alludit. Beſold. lib. 1. polit. fol. 319. Limnæus tom. 2. lib. 6. juriſpubl. cap. 3. num. 8. fol. 90.

Ex his facile apparet, quam iniquiſſime Conringius agat, dum ex hoc capite civitatem brunſvvicenſem ex numero civitatum imperialium excludit, quæ tamen diſerte in matriculis imperii antiquiſſimis reperitur. vid. matricul. imperii de anno 1431. quæ antiquiſſima & Norimbergæ confecta anno Chriſti 1431. ab Imperat. Sigiſmund. vid. Goldaſt. de regn. Bohemiæ lib. 2. cap. 19. num. 2. Meichsner. tom. 3. deciſ. 6. pag. 66. Item de anno 1467. l. 471. vid. Lehman. lib. 8. Chronic. Spirenſ. fol. 112. acta brunſvvic. tom. 2. num. 174. &c. de quibus Vietor de cauſ. exemt. concl. 5. Meichsnerus l. c. Goldaſtus *in Reichs-Handelungen* p. 65. nec non d. lib. 2. cap. 17.

Quæ ſatis & ſufficientiſſ. civitatis hujus exemptionem arguunt, e contra quaſi poſſeſſionem ſtatus eidem competere, demonſtrant: Ut enim matricula academiæ probat, quem eſſe ſtudioſum. Tiber. Decian. vol. 3. Reſponſ. 66. num. 55. Cothman. Reſponſ. Academ. 4. num. 5. militaris probat militem l. 87. ex tempore §. 2. ff. de militar. Tertamint. l. 10. C. de cohortal. lib. 12. civitatis civem, Maſcard. de probat. concluſ. 1297. Mercatorum mercatorem. Chaſſanæ. in conſuetud. Burg. rubr. 4. §. 1. Notariorum notarios. Menoch. lib. 2. præſumt. 78. num. 3. ita deniq; imperii matricula ſtatum probat eſſe imperii, qui in eadem reperitur deſcriptus. Gail. lib. 1. obſervat. 21. num. 4. Petr. Fridericus lib. 2. de proceſſ. c. 67. num. 4. Author. deciſ. ac præjudic. Cameral. verb. Matricula tom. 3. Symphoremat. pag. 228. vid. præjudicia multa, quæ extant in protocollo Conſilii de anno 1550. 51. 52. primo fol. 8. in cauſa Fiſcalis contra *Spiegelberg, daſs anno* 1548. *bevvilgt Baugelt betreffend* 18. Jul. anno 1550. diſceptata, ſecundo fol. 21. in cauſa Fiſcalis contra *Ertz-Biſchoff zu Bieſantz.* 2. Aug. conſultata anno 1550. Item fol. 27. Fiſcalis contra Lemgau Aug. anno 1550. deliberata. Quarto fol. 41. & ſeq. in cauſa Fiſcalis contra *Schleſsvvig.* confer Frider. Herculanus de probat. Negat. num. 168. Vultej. Conſil. Marpurg. 30. num. 13. vol. 3. Trentacinq. variar. Reſolut. lib. 2. Reſol. 2. Theod. Reink. lib. 1. claſſ. 4. c. 1.

Cum igitur civitas brunſvvicenſis in vetuſtiſſimis reperiatur Matriculis, ſtatus igitur imperii ſit neceſſe eſt. Nec obſtat, quod Andreas Knichen in Encyclopedia fol. 21. Matriculas veteres abrogatas contendit & recentiores anterioribus præferendas exiſtimat, Reinking. in tract. de regim. ſecul. & eccleſiaſt. fol. 150. nam ut taceam, quam depravatæ hæ ſint. Cothman. reſponſ. academ. 47. num. 50. Gerard. Mercat. in Atlante pag. 208.

Ad hæc juxta maxime imperfectæ exiſtunt. Quam in rem receſſuum autoritatem paratam habeo, in quibus ſæpius conſultatum lego: *VVie die Matricul zu ergantzen und richtig zu machen. R. A. de anno* 1570. §. *VVann dann darneben ervvogen R. A. de anno* 1570. §. *Demnach vvie ferners R. A. de anno* 1582. *vvann vvir neben &* §. *vveiters als vvir auch R. A. de anno* 1594. §. *demnach vvir auch zum fünfften.*

Sed perfectionem debitamque emendationem nunquam ſubſecutam. Acta Comitiorum Imperii de anno 1603. Ratisbonæ celebratorum, abunde declararunt. Ex imperfecta autem matricula, perfecta quomodo dabitur probatio l. 17. C. de fid. inſtr. præſertim cum imperfectum & nullum æquiparentur §. pen. Inſt. quib. mod. teſtam. infirm. Quod cum ita ſit, majorem tribuo autoritatem vetuſtioribus, ut perfectioribus, quam recentioribus, utpote imperfectis imperii matriculis. Qua in re nobiſcum Gail. lib. 1. obſerv. 21. num. 11. conſentit, qui non minorem autoritatem veterum matricularum eſſe adſerit, ad probandam quaſi poſſeſſionem ſtatus imperii, quam recentiorum. Ergo certe puto, non facile eximendum matric. veter. inſertum vel inſcriptum,

Digitized by Google

p·um, licet in poſterioribus matriculis nomen ejus amplius non reperiatur, quia hoc imperio fraudi aut nocumento eſſe non debet, niſi legitime probatum ſit, eum Cæſaris & ſtatuum voluntate ex matricula deletum eſſe, quod ſine nota exiſtimationis & dignitatis vix fieri poteſt. Bald. in l. Scriniarios de teſtam. militar. n. 1. & in l. ſiç præſens n. 1. C. quomodo & quando jud. Utrobique dicit per illum text. quod minus rite deletus e matricula, pro non deleto habeatur, & quod matricula cancellata probet pro eo; paria enim ſunt, aliquid non fieri, vel minus legitime fieri, tex. in l. quoties ff. qui ſatisd. cog. & in lib. de ætate §. nihil intereſt de interrogat. act.

Ex his & ſimilibus facile apparet, quod civitas brunſvvicenſis, cum tot tantiſque privilegiis, non niſi ſtatibus imperii competentibus, exornata, adhæc in vetuſtiſſimis imperii matriculis inſcripta reperiatur. Eandem non mere municipalem, ut Conringius nugatur, ſed liberam imperialem eſſe, quam quo jure, quo titulo, quo prætextu, aut quo ſaltem colore, præmemoratus noſter Antagoniſta, e numero civitatum Impp. excludat, ipſe ſecum conſideret, & in tempore, ſi ſapit, reſipiſcat erratorum commiſſorum veniam ab his petat, quos non provocatus ultro offendit? Hoc conſilium, mi Conringe, tibi ſaluberrimum ultimo loco relinquere volui, tu interim hæc boni conſule, & a ſcriptis ejusmodi abſtine; quo ſi feceris, meliora quoque a nobis impoſterum ſperes.

---

# XXIIX.

## LITTERÆ HERMANNI CONRINGII AD SENATUM BRUNSVICENSEM, QUIBUS SE FALSA SUSPICIONE, AC SI QUÆDAM IURIBUS BRUNSVICENSIUM NOXIA *DISSERTATIONI* DE SUMMÆ POTESTATIS SUBIECTO *IMMISCUISSET*, LIBERARE ANNITITUR.

---

M DC L.

*Edle, Ehrenveſte, Hoch-und Wohlvveiſe, Groſsachtbahre, ſonders Groſsgünſtige, Hochgeehrte Herren und Freunde,*

*Nach Anwünſchung eines glückſeligen, freudenreichen neuen Jahrs, beſtændiger Geſundheit, glückliche Regierung, und was ſonſten liebes und gutes kan und mag wiederfahren, kan E. E. Hoch-und Wohlw. Gſten ich klagend nicht verhalten, was maſſen vor acht Tagen bey meiner Wiederkunfft aus Oſt-Frieſsland ich nicht ohne Beſtürtzung vernommen, ob ſolte in einem, von hier aus an E. E. Hoch-und Wohlw. Gſten vornehmen Bürger, Herrn Hanſs Behren, in der alten Stadt wohnend, abgelaſſenen Schreiben, ich beſchuldiget ſeyn worden, als hætte ich in einer Diſputation, ſo allhier publice gehalten, die læbliche Burgerſchafft zu Braunſchweig injuriöſe angegriffen, dieſelbe vor Meineydige, Rebellen, und Kænigs-oder Fürſten-Mærder ausgeruffen, und allerdings denen jetzigen Engliſchen verglichen; Ob nun zwarten ich kaum gettrauen kænnen, daſs dergleichen Schreiben ſollen von einem dieſes Orts ſeyn hergefloſſen; Wann dennoch ich glaubwürdig berichtet, daſs ſolches gewiſs geſchehen, auch dahero in der gantzen Stadt gar ungleiche und faſt weit ausſehende Reden geführet worden, ſo habe ichs leyder endlich müſſen glauben, und darauf fleiſſig um eine Copiam der Schmæh-Schrifft mich umgethan, jedoch bishero keine erhalten, kan dabey gleichwohl nicht acquieſciren, zumahlen ich an meinem ehrlichen Nahmen zum hæchſten mich durch Verlaumdung lædiret befinde, und abſonderlich mir ſchwer fællet, daſs bey E. E. Hoch-und Wohlw. Gſten læblichen Bürgerſchafft, bey deme ich nunmehr eine geraume Zeit (ohne Ruhm zu melden) lieb und angenehm geweſen, ich in einen bæſen Credit, durch Lügen vielleicht, gerahten mægte: Gelanget dannenhero an E. E. Wohlw. Gſten meine unterdienſtliche Bitte, Sie geruhen von vorgemeldten Herrn Behrens das Schreiben abzufordern, und deſſen vidimirte Copiam auf meine Unkoſten gegen die Gebühr mir zukommen zu laſſen; damit ich meine Unſchuld deſto beſſer vvieder falſche Anklage und Verlaumdungen retten, und dem Lügner gebührlich begegnen kænne. Belangend ſonſten die Sache an ſich ſelbſten, kan E. E. Wohlvv. Gſten ich mit guten Gevviſſen verſichern, daſs mir niemahls etvvas zu Hertzen geſtiegen, vvelches Dero Stadt und læbliche Burgerſchafft ſolte zunahe ſeyn, vielvveniger daſs dergleichen grobe unbeſonnene Reden aus meiner Feder ſolten gefloſſen ſeyn, oder auch etvvan von mir vertheidiget vvorden; Habe hingegen mich jederzeit befliſſen, nach meiner Wenigkeit, dero Stadt Anvervvandten angenehme Dienſte zu ervveiſen,*

*geſtalt*

Digitized by Google

geſtalt ich bishero bey vielen dieſervvegen Ruhm damit davon getragen, auch mit vielen vornehmen Leuten jederzeit gute aufrichtige Freundſchafft habe gepflogen, auf deren gute Bezeugniſs ich mich kühnlich darff beziehen, ſo vveiſs ich mich nicht zu erinnern, daſs ſonſt etvvas von mir ſolte allhier diſputiret vvorden ſeyn, vvelches E. E. Hoch-und Wohlvv. Gſten Stadt und lœblichen Gemeine kan zuvvider lauffen, daſs nicht etvva durch eine vviedrige interpretation vvolle ausgeleget vverden, vvas in theſi 63. einer Diſputation, de ſummæ poteſtatis ſubjecto, berühret vvird. Solte ſolches alſo ausgedehnet vverden, vvürde mir gevviſslich ungültig geſchehen, maſſen ich einmahl vorernandten Diſputationis nicht Auctor, beſondern nur Præſes ad aliquot horas bin gevveſen; So iſt vors andere in dem Theſi nichts befindlich, vvider die Stadt und lœbliche Bürgerſchafft, beſondern vverden nur allein etzliche Maximen, ſo die Concipienten der homagial-acten, vor 40. und mehr Jahren, bey denen damahls ſchvvürigen Zeiten, ſich unterſtanden zubehaupten, mit vvenigen refutiret, daſs aber alles, vvas damahls, da die Gemühter beyderſeits gegen einander verbittert, von einem und andern, und zvvar theils privat Concipienten, geſchrieben vvorden, ich oder auch mein Reſpondens, Auctor Diſputationis, einen Theil ſelbſten, und zvvar noch jetzo nach ſo vielen verfloſſenen Jahren, und da alle VViedrigkeit durch eine ἀμνηςίαν iſt vorlængſten beygeleget, ſolten zumeſſen, und alſo der lœblichen Bürgerſchafft imputiren, vvas etvva vor ſo langen Jahren von einem und andern unbedachtſamer VVeiſe aus der Feder im Eiffer entfallen, vvird gevviſs aus dem Theſi nicht zu erzvvingen ſeyn; Geſtalt ich vor GOtt kan bezeugen, daſs mir dergleichen Gedancken niemahls gevvachſen ſeyn, ſo iſt mir auch ſattſam bekandt vieler tapferer Leute friedſames Gemühte, vvelche dergleichen Maximen nicht vveniger äuſſerſt improbiren, von Hertzen vvünſchend, daſs dieſelbe niemahls auch vor dieſen vværen gehœret vvorden;

VVürde alſo vvieder mein Gevviſſen haben gehandelt, da ich hätte zugegeben, daſs E. E. VVohlvv. Gſten anſehnlichen Gemeine, die nunmehr GOtt Lob! veraltete Meinungen aufgerucket vverden. Es vvird aber, vvie geſagt, aus dem theſi nicht erzvvungen können vverden, daſs der löblichen Stadt und Gemeine das geringſte der improbirten Maximen vverde imputiret, beſondern iſt dieſelbe auch nominatim den Concinnatoribus homagialiorum actorum zuvvieder geſetzet. Es vverden aber auch dieſelben Concinnatores nicht verunglimpffet, oder injurioſe angegriffen, vielvveniger denen Engliſchen Königs-Mördern gleich geſetzet, vvie allerdings die calumnia hat vvollen ausſprengen. VVie dann auch ein groſſer Irthum iſt, daſs dieſelbe mit den Engliſchen ſolten in eins verglichen ſeyn, in den VVorten, paulo mitiores, zumahlen klar, daſs dieſer theſis auf die vorhergehende ſich beziehet, darinnen zvvar etzlicher Leute vvunderliche Maximen vverden angezogen, es ſind aber dieſelbe keine Engliſche, ſondern gute Teutſche an einem vvohlbekandten Orte, vvelche nach des Althuſii Lehre fürgeben dürffen, daſs alle Obrigkeit von des Volcks VVillkuhr dependire, und dahero auch keine Erb-Herrſchafft ſtatt habe vor beſchehener Huldigung. item daſs dieſes in der gantzen VVelt geübet vverde, beruffen ſich, daſſelbe zu behaupten, bloſs auf die acta homagialia, und vvollen demnach ante præſtitum homagium ihnen von etlichen hundert Jahren her angeſtammte Herrn, vor keine regierende Herrn erkennen, oder deſſen väterlich Teſtament paſſiren laſſen. In denen Engliſchen Büchern habe ich bishero dieſe Maximen nicht gefunden, zvveifle gar ſehr, ob ein ander dieſelbe in den Engliſchen Schrifften obſerviret habe. Geſchiehet demnach dem Auctori Diſputationis ungleich, auch in deme, da ihm vvird zugemeſſen, als vvenn er eine Comparationem der homagial-actorum und der Engliſchen Kœnigs-Mörder habe angeſtellet; hingegen iſt vvahr, daſs nicht etvvan Engliſche, ſondern die vorgemeldte teutſche Scribenten den Autorem Diſputationis bevvogen haben, die homagial-acten nachzuſehen, und auch deren mit vvenigen zu ervvehnen, nachdem er aber im fleiſſigen Nachſuchen befunden, daſs dieſe Concipienten mit den andern allerdings nicht übereinſtimmen, hat er nicht unterlaſſen, ihre Meinung von den Althuſianiſchen Maximen zu unterſcheiden, darneben aber nicht umbhin gekont, auch dieſer Scribenten irrige Meinungen mit vvenigen VVorten zu confutiren, maſſen ſonſten denen andern, auf die er ſonderlich ſein Abſehen gehabt, nicht gebührlich hat können begegnet vverden, vveil dieſelbe eben auf dieſe Homagial-Acten provociret. So muſs auch ein jeglicher unpartheyiſcher Fried-liebender Menſch bekennen, daſs die Concipienten der Acten bey den vervvirrten Zeiten ihren eiffrigen Gedancken den Zügel gar zu vveit gelaſſen, und dahero ſich unternommen, ſolche gefährliche Meinungen zu ſuſtiniren, vvelche allen Frieden zvviſchen Herrn und Unterthanen, in alle erbliche Regierung, zvvar nicht in der gantzen VVelt, vvie die Althuſianiſche, jedoch in gantz Sachſen-Land auf einmahl über den Hauffen vverffen. Denn einmahl gevviſs, vvo alle Sachſen von Carolo Magno die Freiheit erlanget, und bishero haben erhalten, daſs ſie nach ihren beſten Belieben alle Obrigkeit dürffen ſetzen, und demnach alle jura majeſtatis dem gemeinen Manne gehören, denen Fürſten, Grafen und Herrn aber keine unterthänige Pflichte gebühren, ehe und bevor dieſelbe bey der Huldigung ſeyn angenommen vvorden. So iſt Sonnenklar, daſs keine rechtmäſſige Erb-Obrigkeit in Sachſen vorhanden, die Fürſtliche und Gräffl. Dignitäten kein Kayſerlich Lehn, und alſo nicht allein Fürſten, Grafen und Herrn, ſondern auch Ihro Kayſerl. Maj. vvieder alle Recht und Billigkeit die jura majeſtatis in Sachſen exerciren. Daſs nun ſolche Maximen der Concipienten überaus gefährlich, und im Grunde unrecht und falſch, lieget am hellen Tage, daſs auch denſelben muſs billig vviederſprochen, und mit genugſamen Fundamenten begegnet vverden, damit nicht ins künfftige (vvie leyder vorhin geſchehen) ſolche ungleiche Gedancken dem unverſtändigen Pöbel vviederum eingepflantzet, und ein neueres Blut-Bad (vvelches GOtt in Gnaden verhüte) mit des gantzen Landes Ruin vverde angeſtifftet, vvird ein jeglicher Fried-liebender Menſch meines Erachtens bekennen müſſen. Ich bezeuge für GOtt, daſs die Liebe zum Frieden und Einigkeit, und folgends zum Glück und VVohlſtand, ſo vvohl E. E. VVohlvv. Gſten Stadt und Gemeine, als des gantzen Landes mich bevvogen, den theſin, vvie dieſelbe gedrucket, ſtehen zulaſſen. Denen Privilegien und Freyheiten der löbl. Stadt Braunſchvveig gehet durch

*Confutation der angezogenen bœſen Maximen nichts abe, maſſen dieſelbe nicht auf ſolchen Fundamenten, ſondern auf altes Herkommen, auf ſchrifftliche Privilegien und Vertrægen beruhen, und aus ſolchen Fundamenten billig deducirt vverden. Wenn die Freyheit und Privilegien aus vorgemeldten Maximen vverden geſtritten, vvird auch daſſelbe, vvas vvahr und recht, unpartheyiſchen Leuten ſuſpect und odioes gemacht, und muſs ich geſtehen, daſs meines Erachtens die Concipienten der Homagial-Acten, indem ſie ſolche abſurde Maximen durch unzeitigen Eiffer ſuſtiniret, offtmahls nicht allein die Gemühter der lœblichen Burgerſchafft verleitet, ſondern auch der Stadt Sachen ſelbſten unbedachtſamer Weiſe hœchlich incommodiret, indem viele Fremde dadurch in die Gedancken gerahten, als vvenn an Seiten der Stadt keine andere Fundamenta vorhanden. Wie in dem allen bin ich gevviſs, daſs jetziger Zeit E. E. und Wohlvv. Gſten nicht vveniger, als ich und mein Reſpondens, die dick bemeldte Maximen von Hertzen improbiren, als vvelche unrecht, und dem lang begehrten Frieden und Tranquillitat dieſes Landes im Grunde zuvvieder. Zvveiffle dannenhero auch nicht, E. E. Hoch-und Wohlvv. Gſten, als Fried-liebende und Hochverſtændige Leute vverden, daſs dieſelbe ſeyn modeſte refutiret, nicht allein in keinen unguten vermercken, ſondern vielmehr ferner dahin ſtreben, daſs dieſelbe gæntzlich mægen ausgerottet vverden.*

*Wo ſonſten E. E. und Wohlvv. Gſter ſamt und ſonders, vvie auch Dero lœbl. Bürgerſchafft, oder deren Angehœrigen ich beþegliche Dienſte kan oder mag ervveiſen, es ſey allhie, oder am andern Orte, vverden dieſelbe nach vvie vor jedesmahl einen aufrichtigen getreuen Diener an meiner geringen Perſon befinden. Will jetzo meinen vorigen Wunſch, vvie auch der Communication des an Herr Behrens abgelaſſenen Brieffes halber beſchehenen Bitte nochmahls repetirt haben, zu E. E. Wohlvv. Gſten beharrlicher Faveur meine Wenigkeit unterdienſtlich recommandirend. Geben Helmſtedt den* 12. *Febr.* 1650.

*E. E. und Wohlvveiſe Gſten*

*Jederzeit*

*Unterdienſtgefliſſener Diener und Freund*

HERMANNUS CONRINGIUS,

Prof. Med. *in Helmſtedt.*

---

# XXIX.

## HERMANNI CONRINGII DISSERTATIO DE

# DOMINIO EMINENTE SUMMÆ POTESTATIS CIVILIS

*AUTORE*

JOHANNE HENRICO *von Elsvvich*

HOLM. SUECO.

ANNO MDCLXXVII.

## THESIS I.

Majeſtatem civilem omnibus in terris, ſolo excepto divino omnique potente illo numine, ſuperiorem eſſe, eamque omnia poteſtate ſua ambire atque regere, uti nemo unquam negaverit, ita certe ſummum quoque illi omnium eorum, quæ in civili ſocietate continentur, dominium competere, dubitari minime poteſt. Etenim, cum ea jam conſtans fere atque perpetua mortalium ſit conditio, ut extra civilem ſocietatem neque bene, neque ut hominem decet, vivere poſſimus; in illo autem perfectiſſimo omnium cœtu, reliquis potiſſimum cunctis emineat majeſtatis civilis, quæ ſola invitos etiam quosque ad promovendam vel defendendam ſalutem publ. modis omnibus cogere poſſit ac debeat: omnino cuivis liquere exiſtimo, imperio ſummæ illius poteſtatis ſubjecta omnia eſſe debere, illamque, prout uſus vel neceſſitas reip. exigit, verum ac plenum tam in cives, quam in bona, atque poſſeſſiones civium, dominium omni jure uſurpare. Cæterum, priusquam hac de re, quantum per ingenii tenuitatem licuerit, pluribus agere incipiam, operæ omnino pretium fore arbitror, pauca quædam de Dominiis præmiſiſſe, ex quibus dein ad alia facilior nobis aditus patere queat. Ipſum vero ante omnia ſupremum æternumque univerſi hujus Dominum, Deum T. O. M. devota, qua decet, mente obnixe veneror,

Digitized by Google

ror, ut juvenilibus hiſce conatibus meis divina ſua gratia clementer adeſſe dignetur, omniaque in ſanctiſſimi nominis ſui gloriam ſempiternam dirigat atque convertat.

II. Quod igitur dominii originem concernit, nulla prorſus ratione aſſenſum iis præbendum eſſe exiſtimo, qui non tantum innumera de communione primæva fingentes, omnem privatam poſſeſſionem primi iſtius ævi hominibus ignotam fuiſſe, uno ore aſſerunt. Ne enim nunc dicam, in ipſa illa communione neceſſario proprietatem quandam conſtituendam eſſe, dum, quæ quisque ita arripuerat, ſine injuria eripi illi ab aliis non potuerint: quis, licet in aurea atque beatiſſima ætate, ea mortales rudi & ſimplici vivendi ratione uſos fuiſſe, exiſtimabit, ut nihil proprium, nihil determinatum, nihil, niſi quod rapiendo quisque acquireret, poſſidendum ſibi eſſe putarent? creſcente inprimis una cum hominum multitudine malitia, & quæ hanc veluti comitata eſt, quælibet invadendi inexhauſta illa cupiditate. Ipſius vero ſacri codicis autoritati diſerte omnia ea repugnare, abunde teſtantur non ſemel illæ a primis humani generis parentibus factæ inter liberos bonorum diviſiones. *Vid. Gen. IV. v. 3. & 4. & Gen. X.* Quin & ipſis quoque naturæ & ſocietatis civilis principiis adverſari promiſcuum rerum omnium uſum, jam tum contra Platonem diſputando docuit ſummus ille Philoſoph. magiſter *l. II. Pol. c. III.* Vide prolixius hac de re diſſer. Böcler. in Grot. *II. II. 2.* & Ziegl. *in eund. ib.*

III. Cum ipſo itaque humano genere rerum quoque Dominia a DEO, tanquam autore & moderatore omnium, introducta eſſe, irrefragabilis ſacræ hiſtoriæ autoritas dubitare nos omnino vetat. Conceſſerat ſcil. is homini Dominium orbis terrarum univerſi, *Gen. I. v. 24.* quod poſtea in Noacho confirmatum, *Gen. IX.* ad poſteros quoque illius tranſiit, diſperſis atque diſſeminatis paſſim per orbem mortalibus; quorum ſinguli, eodem diſtribuente & conſervante cœleſti numine, certa & diſtincta rerum ſuarum poſſident dominia. Neque enim hic cum Cl. Böclero *l. c.* tuto affirmare licebit: *Proprietates atque dominia juris naturalis primævi eſſe certisſimum fœtum*, niſi & eorum originem ab ipſa natura, naturatam quam vocant, arceſſere atque derivare velimus. Vid. & Ziegl. *in Grot. I. I. 6.* Jam vero certo conſtat, inter prima naturæ dictata, præter abſtinentiam alieni, nihil omnino de dominiis eſſe conſtitutum; unde non immerito Venuſinus ille vates *l. 2. Serm. Sat. 2.* cecinit:

*Nam propriæ telluris herum natura neque illum,*
*Nec me, nec quenquam poſuit.*

Cui geminum quoque eſt effatum Ciceronis *Off.* I. *Sunt autem privata nulla natura.* Ideoque non tam originem, quam confirmationem & præſidium Dominiorum a lege naturæ, aliena detrectare prohibente, ducendam omnino eſſe arbitror.

IV. Majori ergo longe veriſimilitudine ortum dominiorum, gentium voluntati atque conſenſui tribuere *nonnulli videntur.* (a) Scil. poſt univerſalem illam a Deo factam donationem, aucto indies mortalium numero, cum in diſtinctas ille familias, poſtea vero in civitates & regna denique excreſceret, tacito ſive expreſſo conſenſu gentium factum eſt, ut quicquid terrarum domino vel poſſeſſore careret, occupantibus cederet: acquiſita vero hoc modo poſſeſſione, ipſo naturæ jure (cui divina etiam ſanctio vim ſuam atque autoritatem addidit) dictitante, nemo niſi per injuriam turbari potuit.

V. Dividitur vulgo dominium in directum ſeu ſuperius, & in indirectum ſeu utile. Hocque poſterius denuo nonnulli ſubdividunt in ſubalternatum directo, ſive non verum vel quaſi domi-

(a) *Nonnulli videntur*) Nec ipſum GROTIUM *lib. II. de J. B. & P. c.* II communionem quandam poſitivam, mortalium primis receptam, ſtabiliviſſe puto. Nam quod communionem illam, quam PUFFENDORF. *de J. N. & G. lib. IV. c.* 4. §. 4. 9. negativam vocat, de promiſcuo rerum uſu intellectum voluerit, ex ſequentibus, quæ §. II. *l. c.* habet, apparent: *Deus*, inquit, *humano generi generaliter contulit jus in res hujus inferioris naturæ, ſtatim a mundo condito atque iterum mundo per diluvium reparato. Hinc factum, quod quisque ſtatim hominum ad ſuos uſus arripere poſſet, quod vellet.* Exempla ab ipſo allata, quæ de communione poſitiva agunt, non ſimpliciter, ſed ſecundum quid & ex hypotheſi ſunt adducta, ſcilicet ut oſtenderet, communionis adhuc majoris eſſe exempla nempe poſitivæ, igitur multo minus de negativa illa, ſive promiſcuo rerum uſu, eo minus eſſe dubitandum. Nec ex ſacra ſcriptura conſtat, nec ex lumine naturæ pateſcit, Deum hominibus dominia aſſignaſſe, ſed mundum & quicquid in illo eſt, eorum uſibus permiſit, eosque mente inſtruxit, ut videre poſſent, quid uſibus eorum conveniens eſſet. Cumque jam dominia non fuerint aſſignata & ex ſacræ ſcripturæ divina fide unus ab initio homo rerum univerſitati impoſitus, cui ſocia addita, ex qua ipſi deinde non æque numeroſa exorta eſt proles, neſcio quid paucos illos mortalium in tanta rerum copia a promiſcuo rerum uſu illico diſcedere, impellere potuerit. Filiis Adami Geneſ IV. non aſſignata a patre fuerunt dominia, ſed unus ab eo quosdam colere agros, alter quendam pecoris numerum in uſus domeſticos cuſtodire eſt juſſus. Simplicitatem primævæ vitæ, ubi homines eis, quæ natura porrigebat, contenti erant, communioni illi inſerviiſſe non dubito. Neque Grotius ZIEGLERI & BOECLERI ſtomacho eſt dignus, quod ad hoc illuſtrandum Americanorum exemplum allegaverit. Majori enim gentes illæ vitæ innocentia fuerunt, ac aliæ, quas vaſtus & luxus invaſerunt. Quum majores noſtri adhuc ſine elegantiori lautiorique erant vita, penes eos plus valebant boni mores, quam leges, & nemo illic vitia videbat, nec corrumpere & corrumpi ſeculum vocabatur. Aucto poſtea ad tantum numerum humano genere, & irrepente molliori lautiorique vita, creſcenteque litium materia, occupationes & aſſignationes rerum privativæ & perpetuæ inſecutæ ſunt, quæ dominia pepererunt. Ad ea, quæ contra hanc communionem, ſive potius indifferentiam rerum, ad occupationem promiſcuam proferuntur, reſpondet PUFFENDORF. *de J. N. & G. lib. IV. c. IV.* §. 10 11. 12. 13. An autem talis uſus univerſalis juris fuerit, vice proprietatis, ut GROTIUS cum aliis vult, dubium habet. Quinimo in ſtatu æqualitatis omnium ad omnia æquale eſt jus, & occupatio ſive detentio tamdiu alicui ſaltim rei uſum concedit, quamdiu alter, qui idem habet jus, ipſum eo non depellit. Nam ſola prior occupatio, ubi alter idem habet jus, in ſtatu æqualitatis abſque pacto jus dare nequit. HOBBES. *de cive c.* I. *§. VIII.* & VAN DER MUELEN *ad lib. II. c. II.* GROT. *de J. B. & P.*



Digitized by Google

dominium, & in id, quod ſuperiori ſubordinatum non eſt, quod verum dominium appellatur. Vid. Schneidew. *com. inſtit. l. 2. Tit. 1. de rerum div, & A. R. D. ad* §. 11. *fere ſub fin.* Ego omiſſa horum omnium ſubtiliori, nec quicquam ad inſtitutum noſtrum neceſſaria tractatione, unicam illam celeberrimi H. Grotii *l. I. c. I.* §. 6. *de J. b. & p.* traditam dominiorum diſtinctionem ſufficere nobis poſſe autumo, dominium cum eodem in vulgare ſeu privatum, & Eminens ſeu majeſtati civili competens, (cujus definitionem paulo infra ſubjungam) diſpeſcendo. Et *primo* quidem dubitatione omni vacat, privata quælibet dominia *ſuperiori cuidam in rep. facultati* (*a*) ſubeſſe, cui, neceſſitate urgente, illa cedant, & a qua bono publico adhibeantur. Quamvis enim initio eum in finem homines in unam quaſi & communem ſocietatem conſenſerint, ut quæ quisque poſſideret, ea ab omni aliena vi ſarta tectaque haberet, (unde etiam Cicero, *ſpe cuſtodiæ rerum ſuarum, urbium præſidia mortales quæſiviſſe*, dixit *l. 2. off.*) ipſa tamen cum publica omnium ſalus, tum ſumma ſæpe atque extrema neceſſitas jubent, ut de privatis noſtris poſſeſſionibus detrahi interdum aliquid patiamur, quod in remp. patriæque commodum redundet.

VI. Neque vero ſolum bona atque opes civium ſuorum certo quodam modo ſibi tribuit reſpublica, ſed & vitam eorum ac ſanguinem veluti *repoſcere*, (*b*) hoſtiumque etiam eos furori objicere jure eodem poteſt. Ut enim in omni alias ſocietate humana, ita in civili potiſſimum, ſocius quisque non tantum bonis ſuis & conſilio reip. adeſſe, ſed & ipſum quoque ſpiritum pro communi omnium ſalute profundere tenetur. Id quod eleganter admodum affirmat Tullius *Off.* 3. ubi, *Cum omnia*, inquit, *ratione animoque luſtraveris, omnium ſocietatum nulla eſt gratior, nulla carior, quam ea, quæ cum rep. eſt unicuique noſtrum; pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, ſi ei ſit profutura.*

VII. Atque hanc majeſtatis civilis in cives eorumque fortunas ſupremam poteſtatem, certam quandam & peculiarem illius partem comprehendere, non omnem illius in rep. poteſtatem abſolvere, facile patet. Quemadmodum enim ea, bellum cum hoſte decernere, pacem ac fœdus inire, Magiſtratus creare, leges ferre, inque nocentes ſevera quadam vindicta animadvertere &c. diverſa plane poteſtatis civilis jura eſſe dicuntur: ita certe etiam, imminente imprimis belli tempeſtate, ſubditos ad arma vocare, nova iis tributa imperare, partem bonorum detrahere, ipſos denique cives integrasque regiones alienare, non niſi ſingularem & diverſam ab aliis poteſtatem arguere poſſunt.

IIX. Ex quibus ſane omnibus levi quoque negotio illorum revelli poteſt ſententia, qui hanc ſummæ poteſtatis civilis in cives atque civium poſſeſſiones ſupremam poteſtatem, ſolo *jurisdictionis, adminiſtrationis*, denique etiam *protectionis* jure, defendere ſunt conati. Vid. Annot. *ad Hipp. a Coll. p. m.* 29. Reinking. *de Reg. Sec. & Eccl. l. 1. cl. 3. c. 13. n. 26.* Tametſi enim negare non poſſumus, ratione quoque illorum jurium cives eorumque bona quodammodo ſubeſſe reipublicæ; omnem tamen rem hæc minime complecti, ſatis, ni fallor, ſequentia evincunt. Quod namque *primo jurisdictionem* attinet, adeo late vocis illius uſum apud pleroſque jam obtinuiſſe conſtat, ut cum ipſo etiam majeſtatis & *imperii nomine* (*c*) confundi ſæpe illam videamus. Quod ſi vero ad propriam & genuinam illius vim atque ſignificationem reſpexerimus, nihil ſane illa præter publicam de cauſis cognoſcendi & juris reddendi denotat poteſtatem. *Reink. l. 1. cl. 2. c.* 17. *num.* 3. Cum itaque in privatorum tantum controverſiis dirimendis jurisdictio proprie verſetur, nulla profecto probabili ratione ad hanc de bonis atque vita civium decernendi facultatem referri illa poteſt.

IX. Multo vero minus vocabulum *adminiſtrationis* locum hic inveniet. Tametſi enim & illud adeo late pateat, ut in omnibus majeſtatis juribus ſe exſerere videatur; (*Bœcl. in Grot. de D. E.*) Ipſam tamen adminiſtrationem, tantam, de qua nunc potiſſimum ſermo eſt, rem non abſolvere, vel ex eo liquet, quod minoribus etiam in rep. magiſtratibus, regimen illius certo quodam modo concredi ſoleat; quos ſane nefas foret in hæc majeſtatis ſacra temere involare. Et quidem in omni populari regimine, non tam penes eos, qui reip. gubernacula moderantur, quam penes reliqua ſtatus illius membra jus illud proprie reſidere, paulo quoque infra patebit.

X. Minime tamen omnium, ſolo *protectionis* jure, civium ſuorum bona invadere poteſt reſp. Ut enim nuda & ſola protectio, nec jurisdictionem, *nec dominium* (*d*) ſtatim affert, juxta vulgatum illud, *Schutz und Schirm gibt keine Obrigkeit:* Ita quoque præter defenſionem ab injuriis & violentiis nihil plane illa involvit. Reink. *l. I. cl.* 5. *c.* 4. *n.* 48. *& ſeqq.* Hinc etiam, ſi præter leges & pacta fœderis clienti reipublicæ quicquam detrahere vel imperare voluerit patronus, *illa* patrocinii legibus ſoluta vim inferenti reſiſtere, & periculoſæ huic defenſioni, modo vires rei gerendæ ſuppetant, ſubducere ſe jure poteſt. Bod. *de rep. V.* 6. Ex quibus ſane facile apparet, nimis omnino anguſtam protectionis illius vim eſſe, quam ut ad hanc in privatorum fortunas facultatem extendi queat atque dilatari.

XI. Longum fortaſſe nimis, ex parte etiam juvenili ætati minus decorum foret, varias variorum ſententias operoſius examinare, præſertim cum de voce tantum & nomine lis ſit: cujus non immerito inventio cujuslibet ingenio & arbitrio, modo in reipſa conſenſus appareat, forte

(*a*) *Superiori cuidam in republ. facultati*) Hanc facultatem ſuperiorem vocant imperium. GROTIUS *de J. B. & P. lib. II. c. III.* §. *IV.*

(*b*) *Repoſcere*) PUFFENDORF. *de obligatione erga patriam* §. 20. *ſeqq.*

(*c*) *Imperii nomine*) GROTIUS *de J. B. & P. lib. I. c. III.* §. 1. Idem & de aliis vocibus dicendum.

(*d*) *Nec dominium*) *Inſtr. pacis art.* 5. §. 44. KLOCK. *conſil.* 12. MAGERUS *de advocatia armata c. IX.*

Digitized by Google

forte relinquenda eſt. Primus certe omnium in tam multis, inuſitati prorſus ille ingenii Hug. Grotius, licet novo, elegantiſſimo tamen *Dominii Eminentis atque ſupereminentis* vocabulo, rem omnem expreſſit; id quod & Arniſæus in *tr. de pot. maj. in bona priv.* per *Dominii univerſalis* vocem ſignificare, alii vero *imperii* nomine, alio denique alii indigitare voluerunt. Sed uti ſummo illi viro, (Grotio) vix pauca quædam, quæ huc pertinerent, præter ipſam vocis originem, debemus; ita ſane etiam effectum eſt, ut alios modo novitas vocabuli, alios, neſcio quæ perſuaſa ſibi inde tyrannica in ſubditorum bona libido, alios vero denique alia fortaſſis hinc oritura mala deterruerint.

XII. Cæterum, revera quoque merum & proprie ita dictum dominium, ſummæ poteſtati civili in cives atque civium fortunas arrogare, nulli omnino dubitamus. Nam quæ de nova & inuſitata vocis illius uſurpatione vulgo objici ſolent, vix certe ea tanti eſſe arbitramur, ut ab hoc incomparabili gentium & naturæ legum doctore quicquam ideo diſcedendum nobis fore judicemus. Vid. modo hanc in rem diſſertata a Böclero *in Grot. l. III.* 6. & Hornio *de civit. l. 2. cap.* 4. §. 5. Neque vero facile ullum movere debet, quod hoc inprimis Dominii Eminentis jure, quamlibet privatorum bona invadendi licentiam monarchis, aut aliis ſummis poteſtatibus ſubminiſtrari quibusdam videatur. Cum enim ſanctiſſima etiam quæquæ majeſtatis jura, incenſis præſertim ad illicita principum animis, non ſemel in vim & apertas ſubditorum injurias tranſeant, nec tamen ideo quicquam ſummæ poteſtati civili, ejusque plenitudini, derogare nobis licitum ſit: nefas quoque omnino foret, intempeſtivo rerum ſuarum metu, hanc principibus reique publicæ in ſingulos poteſtatem detrahere conari. Et quid quæſo tandem commercii tyrannicis illis rapinis cum ſaluberrima dominii eminentis erit ratione? quod certe adeo cum publicæ rei utilitate conjunctum ſemper eſſe oportet, ut ſine hac, nihil plane in cives eorumque facultates poteſtas civilis jure illo poſſit. Sed hæc fortaſſe dein pluribus deducenda erunt: proximum jam eſt, ut ad ipſam dominii eminentis definitionem progrediamur.

XIII. Eſt igitur illud, ipſo quoque ita definiente Grotio: Jus ſive facultas quædam ſuprema, competens ſummæ poteſtati civili in cives & res civium, boni tantum communis cauſa; ſiquidem is ſit ſcopus reipubl. quem non ſemper eſſe haud diffitemur. Vid. *Grot. l. I.* 6. *& l. III.* 6. 2. Hujus autem allatæ definitionis membra dum uberius paulo illuſtrare decrevi, forte non abs re fuerit, uſitata inprimis in civilibus methodo progredi, perque quatuor potiſſimum cauſas, efficientem videlicet, materialem, formalem, (& de hac quidem quantum licuerit) denique etiam finalem, rem omnem inveſtigare.

XIV. Quod itaque *cauſam efficientem* attinet: Ante omnia notandum erit, jura majeſtatis (quorum non exiguam partem dominium eminens comprehendit) non magis ex vaſtis illis romanarum legum codicibus, veterumque iſtius juris commentatorum atque gloſſatorum libris petenda eſſe, quam ex unius cujuslibet alterius reipubl. ſive ſtatutis, ſive moribus receptis. Non equidem, fateor, noſtri eſt inſtituti prolixe hic de autoritate illarum legum diſſerere, utpote quæ res dudum a Magnif. Domino Præſide cum alibi paſſim, tum vero præſertim libro de *orig. jur. germ.* c. 20. *usque ad* 24. *&* 32. 33. ut & in *præf. ad Tac. de Mor. Germ.* luculentiſſime eſt expoſita; illud tamen minime omittendum eſſe duximus, Dominium ſummæ poteſtatis in privata, nulla prorſus ratione una alterave Juſtiniani lege probari poſſe. Quin imo tantum abeſt, ut ullum inde robur iis præſertim, quæ vel ipſius naturæ jure mandata, vel communi omnium aut plurimarum gentium uſu comprobata ſunt, accedere poſſit; ut potius, niſi quatenus illæ, vel quod naturali æquitati, vel bono etiam atque moribus reipubl. interdum conveniant, ab aliis receptæ fuerint atque admiſſæ, nulla earum obligandi vis ſit atque autoritas. Vid. *D. Præſ. ll. cc.*

XV. Simili quoque ratione forte mireris, pleroſque hactenus jura majeſtatis, interque ea dominium eminens adductis ex ſacra pagina *I. Sam. IIX. v.* 10. *& ſeqq.* verbis defendere, enixe adeo laboraſſe. Vide Hornium *de civit. l. c. In univerſum* enim, *quemadmodum ex alieni regni legibus non licet definire, quid in tuo juris eſſe oporteat, ita perperam ex legibus regni hebraici diſcitur, quid hic, alibi &c. debeat obtinere.* Ceu pluribus id docuit D. Præſ. *in annot. ad Lampad. part. I.* §. 22. *&* 43. nec non in *diſſ. de rep. Ebr. th.* 54. *ſub fin.* Et vero ne nunc dicam, Samuelem *l. c.* non tam jura regni in genere, quam ad mores & conſuetudinem vicinorum reſpiciendo, futurorum regum *Ebræorum herile* (a) prorſus imperium, populo effreni ferendum, propoſuiſſe. Vid. Beſold. *I. Pol.* 2. §. 45. Nihil certe conſtitutum aut definitum hic voluit Propheta, quod jus ſive facultatem quandam honeſte aliquid agendi regibus tribueret, ſed veluti ex irati numinis ore locutus, futura mala regem intempeſtive poſtulantibus eſt comminatus. Neutiquam igitur per jus illud regium, quale quidem hoc loco traditur, verum aliquod jus erit intelligendum, ſed tale quid, quod effectum quendam juris, i.e. non reſiſtendi obligationem habere debebat. Jus autem regis, qualem ſcilicet eum populo ſuo præeſſe Deus ipſe voluerat, jam tum per Moſen, *Deuter. XVII. v.* 15. *& ſeqq.* longe ſane ab hoc alienum, erat expreſſum. Vid. D. Præſ. *dicta diſſ. l. c. & ſeqq. th. usque ad th.* 62. quanquam nec illud inficias ire velim, exigente extrema reipublicæ neceſſitate, nihil omnino iniquitatis iis, quæ a Propheta *d. l.* recenſentur, ineſſe. Böcler. *de D. Em. & Beſold. l. c.*

XVI. UT igitur magis rei veritas eluceſcat, negari certe nullo modo poteſt, quælibet privata dominia ſuperiori cuidam & vulgari illa ſublimiori poteſtati ſubeſſe, hancque, veluti normam

(a) *Ebræorum herile*) In quamplurimis regnis & ultra illa jura, de quibus Samueli ſermo eſt, aſcenditur, SIDNEI *diſcours ſur le gouvernement tom. II. ſect. III. p.* 321. *ſeqq.*



Digitized by Google

mam & regulam actionum humanarum,ſemper agnoſci. Certum quoque præterea eſt, flagitante inprimis reipubl. neceſſitate, omnia invitis etiam licet poſſeſſoribus ſaluti publicæ cedere oportere; adeo quidem, ut vel hac ſaltim ratione conſtet, revera civitati aliquod dominium in privata deberi. Neque enim hic locum meretur axioma illud, quo plures ab unius rei poſſeſſione prohibentur. Si namque ſano ſenſu rem omnem conſideres, dubium omnino nullum eſt, quin eadem res a diverſis quoque perſonis ſimul poſſideri queat, non quidem ex æquo & in ſolidum, ex parte tamen vel certo habito reſpectu, & in republ. maxime per ſubordinationem. Scilicet inter mortales, quorum maxima pars certa & diſtincta poſſidet bona, in terris eminet poteſtas civilis, quæ rurſus divinum illud numen, cujus ipſa vicem ſuſtinet, ceu ſuperiorem reveretur, ſuamque poteſtatem illius arbitrio ſubjectam eſſe, pie agnoſcit. Et ſane hoc eſt, quod alias Deo T. O. M. tribui ſolet Dominium Excellentiſſimum, quod ipſum quoque Grotio dominii eminentis atque ſupereminentis vocem ſuppeditaſſe, quidam clariſſimi viri forte non injuria exiſtimarunt. Denique vero, nequicquam omnem proprietatem turbat atque imminuit, nedum excludit, dominium illud ſummæ poteſtati tributum. *Habet* enim *quisque privatorum ſuum proprium, licet patiatur jus ſuperius majeſtatis, quod ad illicita non porrigitur.* Horn. *l. c. Nec vero propria rerum poſſeſſio* (verba ſunt Magnif. D. Præſ. *lib. de civ. prud. c. 2. prope. fin.*) *ita omnem excludit communionem, ut non exigente id ſumma neceſſitate, debeant illa aliorum uſibus cedere.* Vid. etiam Grot. *II. II. 6.*

XVII. His vero præmiſſis, ipſam jam aggredimur dominii eminentis *cauſam efficientem*, in cujus tractatione illud potiſſimum diſpiciendum nobis erit, cuinam ſupremum illud dominium competat; An ſcilicet vel uni alicui per univerſum orbem, vel vero in qualibet republ. majeſtati civili tribuendum ſit; & porro ſi hoc, an penes eos ſolum, qui ſumma & independente pollent in republ. autoritate & potentia, illud reſideat, an vero ad minores etiam magiſtratus interdum deſcendat? Principio vero notandum eſt, jam aliquot retro ſeculis eo hildebrandinam illam Pontificum romanorum excreviſſe ſuperbiam, ut non contenti iis, quas octingentis fere ab hinc annis ſuperſtitioſa quorundam Imperatorum illis conceſſerat pietas, poſſeſſionibus, non tantum Germaniæ, ſed & totius chriſtiani orbis divitiis inhiare, nec in ipſos ſolum Imperatores atque Reges nefanda prorſus anathematum fulmina vibrare, ſed partem etiam majeſtatis illorum invadere, bonaque omnia & perſonas, ſacris inprimis deſtinatas, tyrannidi ſuæ immediate ſubjicere, denique etiam dominos Mundi totius ſeſe jactitare palam, fuerint conati. Adeo ſcilicet jam inde a ſeculo IV. ſenſim ſenſimque incrementa cepit portentoſa ſedis romanæ ambitio, donec adulta ſatis & obfirmata Heinrico IV. Imperante, primum ſeſe erigere, inque florentiſſimam hanc & formidandam omnibus potentiam, cum ſubſequentium temporum injuria, exſurgere tandem potuerit. Et vero, qui primus omnium feliciter adeo monarchiæ pontificiæ jecit fundamenta Gregorius VII. quique eum ad annum usque 1200. & paulo poſt ſecuti ſunt Pontifices, extra ſtatum, quem vocant, eccleſiæ, præter Epiſcoporum inaugurationem atque inveſtituram, non adeo multum in reliquas Chriſtianorum Principum terras prætenderunt. Friderico autem II. Imp. (quo fere neminem poſt Caroli M. fata potentiorem vidit Germania) Honorius III. mox & Gregorius IX. editis anno 1235. decretalibus, juriſdictionem quandam in Clerum ejusque bona arrogare ſibi cæperunt. Vid. Lehm. *Chron. Spir. l. V. c. 79.* Et quamvis prudentiſſimus alias Imperator initio imperii ſui, promulgata libertatis eccleſiaſticæ Aurea Bulla, ) qua inter alia jure etiam ſuo, quod antiqua conſuetudine in bona decedentium prælatorum & vacantium Eccleſiarum Imperatores habuerant, ceſſerat. Vid. Magn. Dn. Præſ. *in diſſ. de conſtit. Epiſc. Germ. th.* 64. & Lehm. *l. c. c.* 78.) non minimam majeſtatis ſuæ partem detrahi ſibi paſſus eſſet: tamen meliora poſtea edoctus, acerrime eandem vindicare non deſtitit, graviſſimis ob id atque alia bellis infrunitam Pontificum romanorum proterviam ulciſcendo. Verum enim vero, concidente paulatim cum FRIDERICO II. imperatoria majeſtate, lacerato videlicet poſt obitum ejus inteſtinis diſcordiis atque interregni malis Germanorum imperio, immane quantum romanæ acceſſit potentiæ virium. Equidem ab eo usque tempore, quod infelici hactenus ſucceſſu tentaverat Curia papalis, conniventibus partim per aliquam forte ſocordiam ad HENRICUM usque VII. Imperatoribus, non tantum non omnino obtinuit. Sane ALBERTO I. Auſtriaco imperante, is, quo ſuperbiorem forte nullum tulit unquam romana ſedes, Bonifacius IIX. ut malis artibus dignitatem illam invaſerat, ita quoque inventa uberrima Jubilæi meſſe, eandem augere, & corraſis undique divitiis firmare non minori audacia ac ſtudio laboravit. HENRICUS vero ille VII. proximorum Cæſarum ignaviam haud imitatus, furialem hunc faſtum, ſuſcepta iterum in Italiam expeditione, quanquam infauſtis ominibus, perfringere fuit conatus. Illo autem nefarie in Bonconventano agro exſtincto, potiſſimum illud regni pontificii robur, conſtitutiones ſcil. CLEMENTIS V. ab autore ſuo denominatas, edidit ſucceſſor hujus JOHANNES XXII. Sed & eandem, diuturniorem tamen, cum HENRICO fortunam expertus LUDOVICUS Bavarus, hujus & CLEMENTIS VI. Papæ conatus armis calamoque nonnihil ſufflaminavit; defendente videlicet regiam Cæſaris majeſtatem Wilhelmo Occamo Monacho, idque conſcripto inſigni opere Nonaginta, quod appellavit, dierum, Marſilio item Patavino, libro cui titulus: *defenſor pacis.* Donec tandem, eo etiam ſublato, Anno 1347. CAROLO IV. ceſſit auguſtalis imperii dignitas. Scilicet tum demum exoptatiſſimam nactus ſpei conſequendæ occaſionem URBANUS V. primus omnium in ſpolia defunctorum Epiſcoporum Germaniæ involavit. Vid. D. Præſ. *in diſſ. de conſt. Epiſc. Germ. th.* 76. Quibus non contentus poſtea BONIFACIUS IX. (obiit is Anno 1404.

dignum

Digitized by Google

dignum ſceleribus ſuis exitum nactus) *Annatarum exactionem,* (*a*) ſeu primi anni reditibus Abbatiarum & Epiſcopatuum fiſcum pontificalem augendi rationem, primus omnium excogitavit. Epiſcopatuum præterea collationem una cum Pallio, ingenti pecuniæ vi redimendam, primus idem quoque venundavit. &c. Vid. D. Præſ. *l. c.* De redimendo vero pallio uberius Sleid. *de Stat. Rel. l. IV. p. m.* 88. *&* *l. XIII. p.* 377. ut & Reinking. *de reg. ſec. & eccleſ. l. III. cl. I. c.* 8. *n.* 31. *& ſeqq.*

XIIX. Atque hac ratione centum ac quinquaginta & amplius annis ſaltim, per Germaniam, de dominio eminente Pontificis in bona & perſonas eccleſiæ acerrime fuit diſceptatum, primique omnium, uti dixi, ſeculo demum XIII. lapidem ſuperſtruendæ monarchiæ pontificiæ omnem hac in parte moverunt Honorius III. & GREGORIUS IX. Quæ tandem omnia ad faſtigium ſummum perduxit Urbanus, quique ad noſtra usque tempora ſedem, quam vocant D. Petri, longa jam ſerie occuparunt. Certe ante prædictum illud tempus vix unquam tale quid agitatum a Pontificibus fuiſſe, diſerte ipſius S. Auguſtini verbis prodidit Gratiani decretum *P. I. diſt. IIX. C. Quo jure.* Prodiit vero illud vix octoginta ante editas decretales Gregorii annis, Friderico nempe I. Imp. ut vel ex eo ſaltem veritas ſententiæ noſtræ abunde reluceat. Ita vero ille: *Quo jure, inquit, defendis villas eccleſiæ? Divino, an humano? Divinum jus in ſcripturis habemus, humanum in legibus regum. Unde quisque posſidet, quod posſidet? Nonne jure humano? Nam jure divino domini eſt terra & plenitudo ejus &c. Jura autem humana, jura Imperatorum ſunt. Quare? Quia ipſa jura humana per Imperatores & Reges ſeculi diſtribuit Deus generi humano.* Idem paulo poſt: *Tolle jura Imperatorum, & quis audet dicere, mea eſt illa villa, aut meus eſt ille ſervus, aut domus hæc mea eſt? &c.* Et paulo infra: *Nolite dicere, quid mihi & regi? Quid tibi ergo & poſſeſſioni? Per jura regum posſidentur poſſeſſiones. Dixiſti, quid mihi & regi? Noli dicere poſſeſſiones tuas: quia ipſa jura humana renunciaſti, quibus posſidentur poſſeſſiones.* Ita ex Auguſtino Gratianus. Cæterum plura hujus rei teſtimonia accuratius rerum annales revolventibus deeſſe non poterunt. Nobis verba ipſius decreti in præſentiarum adduxiſſe ſatis erit. Quibus etiam illa, ni fallor, addi omnino poterunt, quæ in Bullam Innocentii X. diſſerit Magn. Dn. Præſ. *cap. IIX.* quæque operi illius de pace perpetua nunc denuo recuſo annexa reperiuntur.

XIV. Liquere igitur ſatis ex dictis exiſtimo, vel ſero demum, vel certe non amplius trecentis præterpropter annis, ſummum in bona ſacra & perſonas eccleſiæ dominium per Germaniam Pontifices obtinuiſſe, idque indultu ex parte CAROLI IV. (*b*) Imp. ob navatam ſibi in adeundo imperio a Pontifice operam, nihil non huic atque aliis etiam, cum ſummo æternoque imperii damno, largientis. Neque vero tamen ſemel, etiam ab omni fere totius Europæ clero, lis ſuper hac re mota Pontifici fuit: quippe quæ tædium injuſtæ hujus uſurpationis dudum ceperat. In concilio namque conſtantienſi, habito anno 1418. mox etiam exoptato magis ſucceſſu in baſileenſi anno 1439. (ut in Gallia vi pragmaticæ ſanctionis) omnia hæc aucupia pecuniarum ſublata fuere atq; abolita, Eugenio quamvis IV. Papa inſigniter fremente, remq; veluti impiam, reipſa vero potentiæ & ærario ſuo maxime detrimentoſam, modis omnibus execrante. Atque utinam perpetua hæc europæi orbis permanſiſſet felicitas! Etenim FRIDERICO ſtatim III. Imp. Annatas avariſſime rurſus exegit is, qui ante adeptum pontificatum infenſiſſimus tyrannidis illius hoſtis, poſtea Pius II. nominari voluit, Aeneas Sylvius, idque dein pari modo & violentia omnes ad LEONEM usque X. ſedulo per Germaniam cæterasque Europæ fere totius ditiones, ſolis tantum Galliæ Regibus inexhauſtæ Pontificum avaritiæ fortiſſime renitentibus, uſurparunt. Tandem vero provida & ſingulari divini Numinis benignitate effectum eſt, ut erepta primum denſiſſimis pontificiarum ſuperſtitionum tenebris magna Germaniæ parte, intolerabilis illa ſervitus omnis per hanc & reliquam inclytæ Septentrionis oram penitus deſierit.

XX. PAUCA hæc de origine atque progreſſu prætenſi a Pontificibus jam per aliquot ſecula Summi in clerum & bona eccleſiæ juris & dominii, pro ingenii modulo leviter tantum attigiſſe ſufficiat. Quod ſi ulterius progredi inque ipſa prætenſionis hujus jura atque fundamenta inquirere accuratiori paulo ſtudio quis conaretur, nihil profecto is, præter canones atque decreta ipſorum Pontificum, nec non ſæpius jam illud decantatum, & lippis ac tonſoribus fere notiſſimum *Paſce oves,* inveniet. Nam quod epiſtolas *Pſeudo-Iſidorianas,* (*c*) ſeculo demum IX. & NICOLAO quidem I. Papa, (qui primus harum autoritatem adducere auſus eſt,) in media, quod videtur, Germania Moguntiæ inventas, attinet: certe jam in concilio conſtantienſi a Nicolao Cuſano, poſtea Cardinali & magni nominis viro, in dubium vocari cæperunt. Fumum tamen callidiſſimo iſthoc commento toti terrarum orbi per ſexcentos fere & amplius annos vendidere Pon-

(*a*) *Annatarum exactionem*) Vid. SCHILT. *de libertate eccleſiarum Germaniæ* & LUDWIG. *de annatis* prætextum eis bellum turcicum a Papa, ut ſpectrorum congeries, ad terrendos deplumandosque Chriſtianos, adhibitum. Graviter ſemper de hoc onere conqueſti ſunt Germani.

(*b*) *Caroli IV.*) Hujus conſtitutionem Papis in ſuis non æque favere uſurpationibus, alibi docui.

(*c*) *Pſeudo-Iſidorianas*) Fictitias eſſe, egregie demonſtravit BLONDELLUS *in pſeudo Iſidoro & Turriano vapulantibus* vid. PET. DE MARCA *de concordia ſacerdotii & imperii lib.* 3. *c.* 5. CHRISTIANUS LUPUS *part. IV. p.* 362. *notarum ad ſynodorum generalium ac provincial. canones.* Nec non falſitatem illarum epiſtolarum agnoverunt: PERRONIUS, CONTIUS, BARONIUS, BELLARMINUS, SIRMONDUS, LABBEUS, PETAVIUS &c. Variorum argumenta, quibus evincitur, ſuppoſititias eſſe, collegit *van* ESPEN *part. IV. opuſculor.* §. 5. *p.* 141. Certum eſt, has decretales epiſtolas ad ſublevandam ſedis apoſtolicæ majeſtatem, & omnem eccleſiaſticam poteſtatem eſſe adinventas. LUPUS *l. c.* ESPEN *l. c. p.* 139. §. 3. Adrianus I. ex iis capitula deſumſit, & Nicolaus I. acerrime defendit SCHELSTRAT. in *antiquitate illuſtrata diſſert.* 3. QUADRIMARIUS *in propugnato adverſus Launojum S Germani privilegio. p.* 193. NATALIS ALEXANDER in *ſelectis ad hiſtoriam eccleſiaſticam diſſertat.*

Digitized by Google

Pontifices, nec quiſquam ante fatale illud ſedi romanæ concilium, de veritate epiſtolarum illarum dubitare viſus eſt. Noſtra vero potiſſimum ætate non tantum prudentioribus quibusvis, etiam romanæ curiæ addictiſſimis, agnitus ille error fuit, ſed in ipſa etiam urbe Roma nuper a Cardinali Bona, edito *opere*, quod vocatur, *liturgico*, palam oppugnari, ac veluti impium revera figmentum rejici & damnari omnino cæpit. Add. etiam hiſce David. Blondelli *Pſeudo-Iſidorus*, & D. Præſ. *lib. de or. jur. cap. XVI. p.* 78. *& ſeqq.*

XXI. Quod autem reliqua Pontificum placita atq; decreta, huc inprimis pertinentia, concernit; ſane, ſi nemo in propria cauſa judicem agere, vel quicquam ſibi ipſi tribuere, omni naturali æquitate prohibente, poteſt: facile cuivis conſtare arbitror, quantum inanibus illis Pontif. rom. conſtitutionibus fidei atq; autoritatis fuerit adhibendum. At vero, leges ſibi cum aliorum injuria ferre, ſubditos alterius poteſtati atq; imperio, nullo prorſus vel natural. vel divini juris prætextu, ſubducere, quid quæſo aliud eſt, quam in ipſa illa pietatis atque ſanctimoniæ ſpecioſa jactatione, ſub viliſſimo *ſervi ſervorum* (*a*) titulo, ſupremum totius terrarum orbis impie affectare dominium? ſed frequens hoc curiæ romanæ multorumque jam ſeculorum uſu receptum eſſe conſuevit: fraudulento religionis fuco in ſanctiſſima quæque Regum ac Principum jura invadere, velumque hac ratione profundæ ſuæ regnandi libidini obtendere. Neque enim immerito callidus quidem ille, & quanquam alias in omnem religionem non ſatis æquus, ſuo tamen ævo inter prudentiſſimos quosque civilis doctrinæ cultores numerandus, Nic. Machiavellus obſervavit: obtentu potiſſimum religionis, papalem illam monarchiam ad ſummum hoc dignitatis faſtigium evectam, iisdem nunc quoque artibus florere atque conſiſtere. Vid. Mach. *Princ. c. XI. &* Dominus Præſ. *in animadv. ad eund. l.* Usque adeo verum eſt illud Juvenalis,

*Latet vitium ſpecie virtutis & umbra.*

Nimirum hoc eſt, quod ſuo jam tum tempore V. *Pol. c. XI p.* 374. *& ſeq.* inter arcana conſervandæ tyrannidis poſuit philoſophorum omnium Princeps, falſam pietatis atque religionis ſpeciem præ ſe ferre, & hoc veluti *humanarum mentium ludibrio*, (*Cart. l.* 7. *c.* 7.) occæcatas mortalium mentes atque voluntates circumducere. Vid. & Piccart. *in Pol. Ariſt. l. c. p.* 836.

XXII. Sed redeo, unde veneram. Prius autem, quam hunc locum deſeram, de cæteris etiam, quibus hæc ſuperba nititur Pontificum prætenſio, juris potiſſimum, ut volunt, divini coloribus quædam ſuperaddere, non alienum plane ab incepto fore videtur. Et primo certum eſt, omnem temporalem in terris poteſtatem vel naturali quadam juris æquitate, vel divina etiam inſtitutione, vel denique gentium, ſaltem plurimarum, conſenſu fundatam omnino eſſe debere. Hinc, ſi quid forte Papæ in bona atque perſonas ſacras eminens debetur dominium, vigorem certe illius ex hiſce ſolummodo fontibus, non aliunde ducendum eſſe, conſtat. Jam vero tantum abeſt, ut juris aliquo naturalis prætextu, (excepta forte ſola præſcriptione, quæ tamen *malæ fidei poſſeſſorem non juvat*, juxta decret. Greg. *l. II. tit. XXVI. de præſcript. cap. V.*) defendi illud tuto poſſit, ut potius, ceu initio diſſertationis hujus *th.* 3. *&* 4. probavimus, nihil de dominiis, præter abſtinentiam rei alienæ paucaque alia, introductionem dominiorum ſecuta jura, natura ipſa generatim definierit. Jura autem gentium quod attinet; certe ut ſola legum illarum vi, non ſine manifeſto imbecillitatis ſuæ argumento, poteſtas Pontificum evinci poteſt, ita nec facile quicquam hac in parte ab acerrimis quibusvis dignitatis illius defenſoribus tentatum unquam videbis. Neque enim ullo gentium jure aliorum dominia, tot ſeculorum continua poſſeſſione firmata, invadere cuipiam juſta ſine cauſa licebit; multo etiam minus fingi vel excogitari quicquam ejusmodi poterit, quod ulli mortalium, nedum Pontifici romano, dominium, quale quidem ille affectat, totius terrarum orbis tribuat atque aſſignet.

XXIII. Supereſt igitur, ut divina ſaltem autoritate independentem illam in terris, atque ſuperiorem omnibus *Vicariorum Chriſti* (*b*) poteſtatem probent Pontificii. Atque hic præter vulgatum illud tritumque *Paſce oves*, (*Joh.* 21.) Apoſtolo Petro dictum, ex ſacro codice ſuggeri ab iis nihil fere ſolet. Sane eo quidem jam tum impudentiæ proceſſit BONIFACIUS IIX. Papa, ut per hanc Servatoris noſtri vocem, omnem ſibi in omnia orbis poteſtatem conceſſam eſſe, pronunciare non erubuerit. Adeo enim is honorifice de majeſtate ſua ſentiens, *Extravag.* 1. *Tit. IIX. cap. Unam ſanctam*, *ſubeſſe*, inquit, *romano Pontifici omni humanæ creaturæ declaramus, dicimus, definimus & pronunciamus, omnino eſſe de neceſſitate ſalutis.* Et paulo ante *l. c. Sive ergo Græci*, ait, *ſive alii ſe dicant Petro ejusque ſucceſſoribus non eſſe commiſſos, fateantur neceſſe eſt, ſe de Ovibus Chriſti non eſſe.* Ulterius dein progreſſus, ALEXANDER VI. (monſtrum illud & flagitium hominis,) Anno 1493. edita peculiari bulla, quæ ſeptimo decretalium l. reperitur, omnem incognitam hactenus Europæis Novi orbis atque Indiæ orientalis oram, inter JOHANNEM II. Luſitaniæ & FERDINANDUM Arragoniæ reges, *de mera* ſua *liberalitate & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine*, (majorine regnorum illorum bono, an incommodo, jam non dixerim) dividere, illique orientalia, huic occidentis omnia occupanda concedere non dubitavit. Vid. de hac donatione Pontificis Fr. Victoria *Rel. V. ſect.* 2. *n.* 3. 4. *&* 6. *&* 7. *it.* Joſ. a Coſta *de promulg. Evang. ap. Ind. l.* 3. *c.* 2 quibus add. Grot. *de M. L. c.* 3. Sed a gente quidem barbara, prout tum temporis illis videbatur, ejusque rege Attabalipa, quid tandem reſponſi tulerit legatus in Americam Hiſpanicus,

(*a*) *Servi ſervorum*) Hunc titulum primus adhibuit Gregorius M. ut Joannis Conſtantinopolitani, qui ſe oecumenicum dixit epiſcopum, faſtum reprimeret vid. MABILLON *de re diplomatica lib. II. p.* 62. Eſt quoque hic titulus ab epiſcopis, regibus & principibus adhibitus. CANGIUS *in gloſſ. tom. II p* 841. *edit pariſ.*

(*b*) *Vicariorum Chriſti*) Vid. ZIEGLER *de epiſcopis c. VI.* & HOBBES. *in Leviathane c.* 45. VASQUIUS *controv. illuſtr. lib. I. c. XXI.*

Digitized by Google

cus, legi omnino meretur Hieronymus Benzon *in hiſtoria novi orbis.* Superiori etiam adhuc ſeculo, exorto videlicet inter ELISABETHAM, Angliæ Reginam, & PHILIPPUM II. Hiſpaniæ Regem, illo Hiſpaniæ funeſto bello, Sixtus V. Angliam, (quam tributariam ſacerdotio iſti Regum quondam *ſimplicitas* (a) effecerat. Vid. Sleid. *de ſtat. relig. l. IX. p. m.* 239.) Hiſpano occupandam tradidit, *prædeceſſorum ſuorum exempla callide imitatus, qui per diſcordias Principum in regna primum, deinde in Reges jus uſurpaverant.* Grot. *Annal. Belg. l.* 1. *p. m.* 117. Sed quid de paſtione iſta ſentiendum, paucis tantum expendiſſe juvabit. Equidem Cæſar Baronius, & quotquot cum eodem monarchiæ pontificiæ tutandæ provinciam hactenus ſuſceperunt, dominatum hic merum intelligi, terrenaque omnia imperio S. Petri ejuſque ſucceſſoribus, vi dicti illius, ſubdita eſſe diſerte volunt. Verum, hunc Baronii errorem ex Bernhardo potiſſimum abunde refellit Chriſtophorus Lehman. *Chron. Spir. l. V. c.* 68. ut & D. Præf. *in animadv. ad Bull. Innocent. X. aliique.*

XXIV. Etenim, ut nihil nunc quidem de vicariatu papali, de Petro, in ejusque ſede romanorum Pontificum commentitia ſucceſſione diſſeram: Ionge ſane diverſam ab hac interpretatione ſanctiſſimi Redemtoris noſtri mentem fuiſſe, nemo non bonus intelligit. Non enim temere exiſtimandum erit, quicquam hic aliud præter ovium ſuarum, (h. e. eccleſiæ) & verbi divini curam, diſcipulis Chriſti commendatum, quos certe adeo ab omni terreſtri ſplendore atque opulentia abhorruiſſe conſtat, ut in tenuiſſima etiam fortuna, nihil fere proprii poſſidentes, atrocia tandem quæque martyria pro Chriſto & evangelii veritate ſubire non detrectaverint. Scilicet hoc verum ac genuinum paſtoris videbatur officium; in hoc, non vero in late illa dominandi libidine, propria animarum atque ovium Chriſti ſalus poſita illis erat. Dederat autem jam tum inſigne hujus rei non ſemel exemplum, cœleſtis ille æternusque humani totius generis Dux & Paſtor Chriſtus: qui regnum ſuum non de hoc mundo eſſe aſſerens, *Joh.* 18. *v.* 36. populo etiam, ne Rex crearetur, ſeſe ſubtraxerat, *Joh.* 6. *v.* 15. Idem ille, miſerrimam ſtatus ſui conditionem mortalibus exponens, caput ſanctiſſimum ubi reclinet, ſe non habere, conqueritur *Matth.* 8. *Luc.* 9. Quin imo adeo omnem in terris dominatum atque potentiam aſpernatus fuit omnipotens hic cœli terræque Monarcha, ut cenſum civili magiſtratui debitum, non ſolum dari eidem ab omnibus juſſerit, ſed & ipſe cum ſuis perſolverit. *Luc.* 2. *Matth.* 17. *&* 22. *v.* 21. Magiſtrum, prout ante memini, ſicuti dein Apoſtoli, tantum abeſt, ut ullum unquam commiſſæ ſibi gregis vel eccleſiæ affectarint dominium, ut potius ipſe ille, cujus ſe ſucceſſores hodieque ſuperbo iſthoc titulo jactant Pontifices, 1. *epiſt.* 5. *v.* 2. *&* 3. paſtores ſive presbyteros exemplo ſolum, *non inſtar dominantium ovibus præeſſe*, commoneat. Eundem vero in modum, dictum hoc Servatoris noſtri, præter Cardinalem Cuſanum *lib. de concord. Cathol.* 2. *c.* 13. aliosque, ſua etiam ætate fuit interpretatus S. Bernhardus *ad Eugen.* 4. ubi *Evangelizare*, inquit, *paſcere eſt; Fac opus Evangeliſtæ, & Paſtoris opus impleſti.* Sed hoc paſturæ genus, quam alienum omnino ab ea ſit paſcendi ratione, quæ hodienum Romæ longo jam temporis tractu inolevit, quis quæſo ignorat? Incedunt Epiſcopi regia paſſim pompa, infulis ſericis, auro & gemmis pretioſiſſimis ornati; omnibus hisce unus eminet, Regi, quam Apoſtolo Chriſti, ſimilior. Venduntur cariſſimo pretio quælibet ovium greges, ut eo uberiorem inde lanæ proventum emtores percipiant: Ovium vix ulla cura, & ut ipſius Bernhardi hic verbis utar, *Honori totum datur, ſanctitati nihil aut parum.*

XXV. Atque hic ille egregius ſcilicet hodieq; eſt ovium in eccleſia romano-catholica paſcendarum modus, ſuis etiam hominibus non raro agnitus atque damnatus. Cæterum, quam procul ille a Chriſti & Apoſtolorum doctrina atq; fide aberret, quamq; lubrico nitatur fundamento, vel ex iis ſolis, quæ theſi hic præcedente diximus, colligere eſt. Nihilo tamen minus omnem ſuam in terris poteſtatem ſibi a Petro, oves Chriſti paſcere juſſo, traditam eſſe Papæ affirmant. At vero diſerte hic profeſſus eſt: Aurum & argentum ſe non poſſidere; ideoque etiam, quam ſolam a Chriſto habebat ſanandi virtutem, ſtipem petenti egeno porrexit, *Act.* 3. *v.* 6. 7. Quod ſi igitur oves paſcere idem ſit ac dominari, dominium vero Petrus, luculento ſuo ipſius teſtimonio, nullum in gentes agnoverit; qua quæſo tandem ratione effici potuit, ut, quod ille non habuit, ſucceſſoribus ſuis, (quales quidem illi videri geſtiunt) poſſidendum relinqueret? Sed ponamus tandem tale quid conceſſum Apoſtolo a Deo fuiſſe, licet in tenero illo naſcentis eccleſiæ ſtatu ad ſummum iſthoc dignitatis perveniri eo tempore non potuerit: An vero vel ſoli Petro, cæteris omnino excluſis, ovium ſuarum curam Servator noſter commiſit, vel hic romano tantum Præſuli propriam & quaſi hereditariam eſſe eandem voluit? Certe nihil hic novi, nedum ſingulare quicquam Petro accidiſſe, rem ipſam accuratius intuenti facile apparet. Commiſerat videlicet is paulo ante inſigne illud imbecillitatis humanæ teſtimonium, Dominum ac Deum ſuum non tantum deſerendo, ſed & eundem contra omnem datam fidem temere denegando, ideoque dignus omnino erat, cujus dein amorem & conſtantiam trinis compellationibus experiretur Chriſtus, terrena jam omnia relicturus, quemque, commiſſæ nuper perfidiæ crimen placide eidem objiciens,

(a) *Simplicitas*) Denarius Petrinus complectebatur æs, quod ab Angliæ regno inſtar tributi Papæ quotannis pendendum erat. Ad hoc recipiendum, quæſtorem aliquem Angliæ imponebat. Provinciam hanc ſuſtinuit VERGILIUS, rerum anglicarum ſcriptor, a veritate ſæpiſſime devius. Autorem nummi illius faciunt, Regem Ina, qui cum ſingulis domibus impoſuiſſe dicitur, ut inde anglica juventus, quæ Romæ in conſtituto ad hoc a dicto Rege monaſterio ſe mancipante literario ludo erudiebatur, inde aleretur. Aucta deinde inſigniter eſt penſio illa, inprimis Edelphi ſtudio, qui clero addictiſſimus erat. MATTH. VVESTMON. *ad ann.* 727. SMITHIUS *hiſt. eccleſ. lib. II. c.* 7. *& lib. III. c.* 2. *ſect.* I.



Digitized by Google

ciens, præ reliquis omnibus officii ſui ſedulo admoneret. Nullum ſane hic dominationis ullius traditæ, ne quidem leviſſimum apparet indicium, nec etiam facile quis crediderit: eum, quem ſolum illud flagrantiſſimum ſalutis humanæ deſiderium ad tot & tam infinitos cruciatus adegerat, confecto jam omni redemtionis opere, regnum, quod cœleſte & æternum omni mortalium generi tanto labore paraverat, ſuis vel uni alicui eorum, in hac caduca rerum fragilitate relinquere unquam voluiſſe. Oves vero paſcendi, i. e. docendi munus, cum alias, tum præſertim *Matth. ult. v.* 18. 19. *& ſeq.* diſcipulis ſuis omnibus idem injunxerat, nullo prorſus diſcrimine facto. Id ipſum vero poſtea Petrus quoq; ipſe, cæteris etiam eccleſiæ epiſcopis, iisdem plane, quibus ſibi mandatum fuerat verbis 1. *ep. l. c.* commendat: queis certe omnibus non minus ac Petro, vel nunc quidem romano Pontifici, ſupremum ita in oves dominium foret attribuendum. Utque tandem alia, longe quidem plura, prætextum hunc pontificium apertæ vanitatis redarguentia, prolixiori ſermone afferre ſuperſedeam; certe non tantum quibusvis orbis chriſtiani epiſcopis eodem argumento dominium, quod ſibi ſolis Papæ arrogant, omne in gentes & eccleſias ſuas competeret, ſed & cuilibet minoris etiam conditionis Paſtori ſive Diacono idem plane hac ratione concedi oporteret. Illud vero, quid aliud foret, quam in quovis dominio aliud dominium, ſtatum in ſtatu, imprudenter formare? Cæterum tantum abeſt, ut hæc atque alia admittant Pontifices, ut potius longa dominii hujus poſſeſſione jam aliquot retro ſeculis ſuperbientes, jus fasque omne contemnere, finemque & modum ambitionis ſuæ ignorare penitus illi videantur. *Bene* igitur omnino *Petrus*, (concludam enim omnem hanc tractationem verbis Alberti Crantzii, mira feſtivitate atque elegantia Pontificum ſuorum faſtum & avaritiam perſtringentis) *bene*, inquam, *laxavit rete, bene duxit in altum, & traxit rete plenum magnis piſcibus. Unde merito audivit etiam in hoc caſu de communi Domino: Modicæ fidei, quare dubitaſti, num potens ſum tibi dare provincias & regna? Tu dubitaſti, num potui orbem pedibus tuis ſubjicere? Quare dubitaſti? Nonne Domini eſt terra & plenitudo ejus? Ecce magna pars Italiæ tibi tributaria eſt; Per univerſam Germaniam & Hiſpanias de eccleſiis & majoribus beneficiis diſponis, in Francia idem facturus, niſi nova adinventio pragmaticæ ſanctionis obſiſteret. Ex Anglia & Polonia uber tibi proventus eſt: quia omnia inde capita tibi ſunt cenſualia. Ungaria mittit aurum, nec detractat Illyricum. Ergo laxa, Petre, retia; anguſta interim ſunt. Laxa, ut fiant capaciora. Duc in altum: quia ad littora nulli ſunt piſces: in altitudine maris, in profundo nationum, ibi ſunt piſces, quos capies. Duc in altum; nam in Judæa anguſtiis non eſt, quod impleat ſaginam. In omnem terram cum ſono exiit imperium tuum, ut non ſit, unde merito poſſis dubitare &c.* Hæc Crantzius *l. XI. cap. XXIV. Metrop.* Plura autem hac de re vid. apud Arniſæum *de ſubject. & exemt. clericor. cap. V.* aliosque.

XXVI. SED longius forte, quam initio deſtinaveram, proceſſit hæc de dominio eminente romani Pontificis oratio. Nec tamen omnia huc pertinentia, v. g. de eccleſia Chriſti, ſuper petram ædificanda, *Matth.* 16. de duobus gladiis Petri, *Luc.* 22. &c. latius hic quidem nunc perſequi noſtrum patitur inſtitutum. Vid. tamen de his, Arniſ. *l. c.* & ex parte etiam *Tom. 2. Pol. lib.* 1. *c.* 2. Cæterum, ut ulterius tandem progrediar, neutiquam diſſimulanda hic loci videtur erronea etiam illorum ſententia, qui ſacro romano imperio, ejusque Auguſtis Cæſaribus dominium univerſale orbis totius aſſignare, aliquando non dubitarunt. Communis autem fere hæc & paſſiva quondam omnium juris, tam civilis, quam canonici, doctorum fuit opinio, nec forte injuria dixeris, ex eo potiſſimum tempore, quo primum in Italia ſpontaneo italici populi ſtudio jus illud juſtinianeum magis magisque refloreſcere cœperit, (quod, quando & quomodo factum ſit, uberius docet M. D. Præſ. *lib. de Orig. Jur. Germ. cap. præſertim XXIII.*) vel certe paulo ante, enatum errorem hunc eſſe. Vid. idem D. Præſ. *lib. de Fin. Imp. cap.* 1. *p.* 3. & Ziegl. *in Grot. de J. B. ac P. l.* 2. *c.* 22. §. 13. Certe Leo Oſtienſis, Lothario II. Imperatori fere coævus, mortaliter eos peccare aſſeruit, qui Imperatori obſequium denegarent. Illius autoritatem ſecuti dein alii, quos longa ſerie recenſet Arniſæus *l. c.* interque eos magnum illud JCtorum lumen, Bartolus, manifeſto hæreſeos inſimulare eos auſus eſt, qui Imperatorem dominum orbis eſſe negarent. Vid. & Reink. *de Reg. ſec. & Eccl. l.* 1. *cl.* 3. *c.* 13. Cæterum pro fundamento aſſertionis hujus hæc præſertim afferri ab iis conſueverunt. Sacra videlicet ſcriptura teſte, edictum prodiiſſe ab Auguſto, ut omnis terrarum orbis cenſeretur, *Luc.* 2. Cenſus vero vel tributi collationem, ſubjectionem maxime arguere. Præterea Chriſtum, ſoli romano Imperatori cenſum pendere voluiſſe. Eundem quoque *Luc.* 22. duobus illis gladiis Pontificem romanum & Imperatorem toti orbi regendo ſufficere annuiſſe &c. Quibus dein alia, longe tamen plura, ex ipſo jure juſtinianeo coacervata, addiderunt. De ſingulis quidem hic ex profeſſo agere jam non vacat, præſertim cum a prudentioribus quibusvis aſſerti illius falſitas dudum agnita ſit atque repudiata; adeo ut ſummæ nunc quidem imprudentiæ, & impudentis animi ſignum fuerit, ejusmodi quid, ipſa rerum experientia reclamante, affirmare. Vid. Arniſ. *l. c.* & D. Præſ. *diſſ. de Imperio Romano Germ.*

XXVII. Ne tamen officio meo defuiſſe penitus videar, quod teſtimonia illa ſcripturæ concernit, quam nihil omnino roboris ſententiæ huic afferant, omnibus jamdudum innotuit. Nam quæ de edicto cæſareo Auguſti vulgo dicuntur, ſatis jam tum ad ea reſponſum ab aliis fuit, nimirum uſitata hic ſcripturæ ſacræ formula ſive αὐξήσει uſum fuiſſe Evangeliſtam Lucam *l. c.* totum ſcilicet pro parte, vel eo, quod maximum erat, reſpectu minoris uſurpando: idque eodem plane modo, quo majori parte anni poſſediſſe is intelligitur, qui licet exigui tantum temporis ſpatio rem, diutius tamen, quam adverſarius, poſſedit. Vid. D. Præſ. *l. c.* it. Arnis. & Reink. *ibid.* Latiſſime autem tum temporis patebant Romani imperii vires, perque omnes fere mundi plagas, (nam de quarta illa vel Americana jam non dicam) diffuſæ & veluti ad ſummum perductæ erant,

Digitized by Google

erant, adeo, ut nec poſt ejus etiam deceſſum, excepto Trajani imperio, ad eum potentiæ ſplendorem reſpirare unquam facile illud potuerit. Sed ne tunc quidem, quo tempore maxime floruit imperii Romani dignitas, omnia mundi ſubjecta Romanis fuiſſe, abunde teſtantur vel in ſola etiam Germania acerrime geſta ab Auguſto bella, acceptaque memorabilis trium legionum, Varo duce, clades; qua certe maxime effectum tunc fuit, ut in Rheni ripa romanum imperium conſiſteret, nec ullum inde, Auguſto quidem Imperante in Germania bellum amplius decerneretur. Vid. Svet. *Octav. Aug. c. 23. &* Tac. *An.* 1. *c.* 61,

XXIIX. Verum de hoc plus ſatis. Alterum quod attinet, nempe quod ſoli Imperatori Romano tributum vel cenſum perſolvere DEUS, aſſumta carne humana, voluerit, ejusdem pene illud cum præcedente levitatis eſſe nemo ambigit. Neque enim probari vel admitti hæc poterit conſequentia: Chriſtus homo factus, ſoli Cæſari cenſum exſolvit, ergo eundem aliis magiſtratibus denegavit. Ut enim unius rei poſitio ſive affirmatio, alterius excluſionem non ſtatim infert: ita neque hic temere judicandum erit, ex tributo illo Cæſari dato, reliqua omnia orbis univerſi regna romano imperio tributaria facta eſſe. Quin imo nihil hæc aliud evincunt, niſi quod ſervatoris noſtri exemplo tam Cæſari in ſuo imperio, quam in aliis quibusvis rebuspubl. ſupremo magiſtratui, obſequium atque imperata præſtanda eſſe. Conf. loca ſcripturæ ex *Matth. 22. v. 21.* 1. *Epiſt. Paul. ad Rom. 3. ad Tit. 3. & ad Tim. 2. &c.* Pari quoque modo perperam omnino colligitur, duobus illis Petri gladiis duas tantum, Papæ nimirum & Imperatoris, denotari in terris poteſtates. Ne enim nunc ea repetam, quæ paulo ante de pontificali illo dominio diſſerui, certe neque hic gladius poteſtatem ullam deſignat: neque per eam Papæ atque Imperatoris ſolius imperium intelligi ulla ratione debet. Enimvero longe hic alium, quam de temporali gladio, ſermonem Chriſto fuiſſe, manifeſto ſatis docet; prohibitus poſtea Petro, ferri illius uſus *Matth. 26. v. 52. & Joh. 18.* Tantum abeſt, ut quicquam inde juris, vel Pontifici, vel Imperatori etiam in reliquas gentes, redundare poſſit.

XXIX. Jam quid de domeſticis illis teſtimoniis, ex legibus videlicet juſtinianeis depromtis, ſentiendum ſit, vel ex iis ſolis, quæ *th. h. XIV.* & ex parte etiam XIX. adduximus, facile patet. Neque enim eſt, cur huic rei refellendæ diutius inhæream, tædiumque Benevolo Lectori operoſa nimis prolixitate excitare intempeſtive contendam; præſertim cum non tantum, uti dixi, dudum errorem hunc agnoverint omnes, ſed nec præterea ullum vere arrogati ſibi ab Auguſtis ſacri imperii Imperatoribus, ſummi in omnia mundi regna dominii, exemplum vel indicium exſtet: niſi forte quod initio ſuperioris ſeculi Maximilianus I. Cæſar Suecos, nullo ſibi tum neque feudi, neque ſubjectionis jure devinctos, ob repudiatum regno Johannem II. Regem, ex imperio ſuo proſcripſerit. Cui tamen ſententiæ, quomodo ab ordinibus inclyti illius regni contradictum fuerit, pluribus docent Dav. Chytr. *Saxon. l.* v. & Joh. Loccen. *hiſt. R. Svec. l.* v. *in vita Suantonis Sturii.*

XXX. QUANQUAM vero hæc adeo clara ſint atque perſpicua, ut plura iis addens operam ludere merito videri poſſit; fuere tamen nihilominus, qui univerſalem hanc orbis totius monarchiam, & rebus humanis apprime utilem, & vel ideò juſtam ac neceſſariam eſſe affirmarent. Duo autem potiſſimum hic obſervanda occurrunt, *primo*, an mortalium generi ejusmodi expediat unius per omnia mundi imperium; *& dein*, an ullum ex eo jus in reliquas gentes atque regna enaſci Romano Imperatori queat? Prioris aſſertionis fundamentum ab ipſius DEI O. M. exemplo deſumi conſuevit, qui ſolus & unus, omnia univerſi regit, gubernat atque conſervat; illius autem, utpote ſapientiſſimi regis, regimen homines quoque imitari maxime deceat. Imo vero nulla alia re magis tranquillitati humanæ conſuli poſſe autumant, quam ſi, ſublata omni exitioſa principum ac regum æmulatione, illo tot malorum & miſeriarum fonte, unius dominio atque nutui omnia ſubeſſent. Verum enimvero, ab hac perfectiſſima numinis divini prudentia, de incerta penitus & tot erroribus maxime obnoxia hominum ſagacitate, argumentari nemo ſanæ mentis conabitur: quippe quibus nihil adeo frequens aut proclive, ne dicam proprium, eſſe ſolet, quam errare & imprudentiæ ſuæ pœnas atque damna graviſſima ſubinde incurrere. Tot vero tamque remotas, &, quod maximum eſſet, moribus atque ingenio longe diverſiſſimas gentes, unius hominis imperio contineri ulla ratione poſſe, quis crediderit? Divinæ certe poteſtatis hoc opus eſt, fatente Ariſtotele *Pol. VII. c.* 4. quam tamen humana conſilia, aſſequi nullo modo poſſunt. Adde quod hujusmodi univerſale dominium neceſſario omnia mala ſecutura ſint, quæ prolixius de inconveniente civium multitudine *d. l.* recenſet idem Philoſophus. Quemadmodum enim navis, nimia mole aut magnitudine ſua laborans, nec regi facile poterit, nec expeditam vel tutam vehentibus reddet navigationem; ita nec regna etiam atque respublicæ ambitu ſuo & potentia modum excedentes, vel bene adminiſtrari, vel perpetuam *ſtatus ſui diuturnitatem* (*a*) polliceri ſibi certo poſſunt. *Periculoſum enim eſt prægrave omne imperium, & difficile continentur ea, quæ capere non poſſis.* Curt. *l. IV. c. XI.* Quibus geminum eſt illud Livii *l.* 37. *Facilius parari ſingula, quam teneri univerſa.* Ne nunc dicam, eandem omnibus populis regiminis formam obtrudere, non modo injuſtum, ſed nec in ullius hominis poteſtate atque arbitrio poſitum eſſe.

XXXI. Et quamvis denique, (pergendum enim jam ad alterum dubitationis hujus caput) quamvis inquam, ex utilitate generis humani videri fortaſſe poſſet, ut uno ſub rege, & quaſi in

(*a*) *Status ſui diuturnitatem*) GROTIUS *de J. B. & P. lib. III. c. XV. §. 8.*



Digitized by Google

in una communi republica atque civitate omnia regerentur; nequicquam tamen inde juris ulli Imperatorum exiſteret, cum nec ſemper aliis imponere illud tibi liceat, quod utile iis ſit, nec niſi vel conſenſu populorum omnium, vel ex delicti cujusdam pœna oriri tale in eos imperium poſſit. Quin autem iisdem plane, quibus alii, gentium & naturæ legibus obſtrictus quoque ſit Imperator romanus, nemo dubitat; adeo quidem, ut vel illarum vigore ab hac univerſali orbis monarchia manifeſto ſatis prohibeatur, quippe quæ ſine certiſſima tot gentium atque regum, (quorum tamen omnium eadem in terris poteſtas a DEO eſt. *Ep. ad Rom. c.* 13. *& Prov.* 8. *v.* 15. 16.) injuria fieri plane nequit. Ad hæc vero ne quidem in omnia ea, quæ florentiſſimo quondam Romani imperii ſtatu Cæſaribus paruerunt, recuperandi jus Imperatoribus manſit. Vid. D. Præſ. *lib. de Fin. cap.* 1. Multa enim, ut bello quæſita, ita bello amiſſa ſunt: alia pactionibus, alia derelictione in aliarum gentium & regum jus tranſierunt: pleraque adeo occupata ab exteris fuere atque poſſeſſa, ut una cum poſſeſſione jus quoque recuperandi, romanum imperium, [cujus paſſim terrarum nihil hodieque ſupereſt] dudum amiſerit. Hiſpania enim ſemel imperio avulſa, conjungi illi denuo nunquam potuit; ſero demum Gallia, ſui tamen ſemper juris, Carolo præſertim M. Imperante, cum reliqua Italiæ parte rediit, mox iterum, facta inter Ludovici Pii liberos regnorum diviſione, finibus ab imperio diſtincta. Ut nunc vaſtiſſimum illud Orientis imperium ſilentio involvam, quod pridem adeo a Romano ſecretum, anno tandem 1453. Turcarum violentiæ atque furori penitus ceſſit. Add. Grot. *de J. b. & p. cap. II. XXII.* 13.

XXXII. HACTENUS de dominio univerſali & eminente, tam Pontificis, quam Imperatoris Romani, in exteras orbis terrarum gentes: quod quidem nullum omnino eſſe ſtatuendum, ſatis, ni fallor, ex dictis elucet. Quin imo adeo illud de Pontifice certum eſt, ut ne quidem in iis, quas hodieque ampliſſimas Curia romana poſſidet, regionibus, revera dominium aliquod eminens eidem competere, affirmare auſim. Mala namque fide, nec niſi ſub & obreptitie ditiones illæ paulatim imperio & regno longobardico, aſtu pontificio fuere ſubductæ, confictis magna ex parte ad id Imperatorum quorundam diplomatibus Queis tamen, ut & in aliis, quas veras illi produxerunt, donationum literis, nihil imperatorio juri detractum fuiſſe, luculentiſſime docet Mag. D. Præſ. *lib. de Fin. cap. X.* Accedit quod bona etiam ditionum illarum pars, inprimis vero ea, quæ incerta adhuc Comitiſſæ Mathildis donatione Seculo XI. vel XII. ſub initium, Patrimonio D. Petri adjecta fuit, utpote immediate imperio ſubdita, legibus & dominio illius, inconſultis vel certe invitis ſuperioribus, ſubtrahi nullo modo potuerit. Utque tandem accedente ſenſim imperatorio conſenſu, [quod ſero demum, & Friderico II. Imperatore, ſed quem mox pœnitentia facti cepit, contigit,] poſſeſſiones illas obtinuerint Papæ, nequaquam tamen omni imperii jure exemtas eas illi acceperunt; reſervante videlicet ſibi in ſingulis ſuper omnia imperiale dominium cæſarea majeſtate, nec quicquam præter dominium utile, ſeu uſumfructum bonorum illorum eccleſiæ romanæ largiente. Imo vero cuivis veteris illius ævi monumenta perſcrutanti obſcurum eſſe nequit, non minus atque alia Epiſcoporum, Papæ etiam bona oneribus imperii ſemper olim fuiſſe obnoxia, ipſumque Pontificem fiſco regio, veluti in recognitionem ſuperioris dominii, tributum, quod fodrum appellarunt, ſubinde contuliſſe. Vid. D. Præſ. *l. c.* & Reink. *de Reg. Sec. & Eccl.* 1. 2. 6. 21.

XXXIII. SED HÆC atque alia prolixiori ſermone enarrare, alterius loci & temporis erit. Nobis, ne diſſertationis modum excedere videamur, ad reliqua, quæ circa cauſam efficientem dominii Eminentis conſideranda veniunt, progrediendum. At vero præter Pontificem, quem dixi, & eos, qui una tantum alterave Juſtiniani lege freti, imperatoriam poteſtatem adeo late extendere fruſtra laborarunt, nemo fere etiam potentiſſimorum Principum, dominium aliquod orbis ullo unquam juris prætextu ambire conatus eſt. Soli tamen Hiſpani, ex quo Philippi II. Regis ſingulari quadam & inſolita fere felicitate, (nam etiam Botero teſte intra 800. annos tale quid non contigerat) in unum veluti corpus vaſtiſſima illa regio coaluit; Soli inquam illi, ſi non orbis univerſi, ſaltem Europæ imperium palam agitare verius, quam prætendere cœperunt. Neque inter prudentiſſimos etiam gentis illius defuere, qui ad id conſequendum, publicis quoque ſcriptis editis, media & conſilium regibus ſuis ſuppeditarent. Quos inter merito nominandus eſt Thom. *Campanella* (*a*) tractatu *de Monarch. Hiſpan.* Add. Ferdin. Vaſqv. *in proem. Controv. Illuſtr.* & Boteri *relat. de regno Hiſp.* Equidem ex eo usque tempore, quanquam renitente ſemper fortuna, indies tamen magis magisque tale quid ſpiravit Hiſpania. Crevit enim animus forti alioquin & bellis maxime aſſueto populo, aucta novis americanæ terræ opibus regni illius potentia; cui præter ingentes Belgii atque Burgundiæ, ut & Mediolani ducatus aliarumque opulentiſſimarum regionum poſſeſſiones, mira ſuperiori ſeculo Caroli V. Imperatoris acceſſit cum felicitate conjuncta virtus atque prudentia. Et certe his demum omnibus factum eſt, ut accreſcente

(*a*) *Campanella*) Hic in citato libro arcana & flagitia dominationis ſuppeditavit, quomodo alienatos ad obſequium reducere, parentes in eo retinere, & alios ſibi ſubjicere queant. Multa ſunt in illo libro inepta, & videtur Campanella ſibi perſuaſum habuiſſe, bardos & fungos. Quod autem ad VASQUIUM attinet, ille ſaltim *in proemio controverſiarum illuſtrium Hiſpaniæ* præ Gallia aliisque regnis præeminentiam vindicare laborat, quanquam ejus argumenta non ſint, niſi petitiones principii & falſo nitantur præſuppoſito, uni autem omnes obtemperare & juri divino & humano repugnare docet *lib I. c. XX. § 27. l. c.* Sic & BOTERUS late patentes tantum Hiſpanorum imperio ſubjectas provincias *c.* 27. deſcribit, non autem, ſi recte memini, conſilia obtinendæ monarchiæ univerſalis ſuppeditat. De potentia, qua erat monarchia hiſpanica, tempore Philippi II, ſingularia quædam continet. *l' eſpion dans les cours des princes Chretiens tom. I. lettre LXXXI.*

Digitized by Google

ſcente etiam Hiſpaniæ, poſt exſtinctum in infelici africana expeditione *Sebaſtianum regem*, (*a*) Portugalliæ regno, omni fere Europæ formidabilis & ſuſpicienda jam videretur. Cæterum, quam infelici poſtea eventu fruſtrata hæc Hiſpanorum de Monarchia univerſali ſpes fuerit, nemo ignorat; neque enim ſingula hic referre neceſſum eſt. Certe ipſo adhuc Philippo II. rege, ſimulatque vix ad hoc potentiæ culmen regnum illud ſurrexerat, Belgii inprimis atque Angliæ, nec non Galliæ viribus, adeo ſtatim collabaſcere atque nutare illud cœpit, ut ſubſequentibus his & aliis deinde fortunæ malis, de fructu ſpei illius adipiſcendo deſperari hodie non immerito poſſit. Exhauſta videlicet continuis fere bellis atque coloniis, ut & inquiſitionis illo rigore, populi in regnis hiſce multitudine, deficientibus item ſenſim ſenſimque Indiæ occidentalis divitiis, &, quod tacendum minime erat, divulſo ab Hiſpanis una cum potiſſima *Belgii* (*b*) atque aliarum provinciarum parte, ante annos 37. *Portugallia etiam regno &c.* (*c*) Vid. de Monarchia hiſpanica Traj. Boccal. *in Lap. Lyd. relat. X. XII. & XIII.* ut & *in Relationibus ex Parnaſſ. Cent. 3. rel.* 48. it. Dominus Præſ. *in Relat. de ſingulis rebusp. noſtri ævi, & inprimis de regno Hiſp. ſub fin.* de inquiſitione vero Hiſpan. uberius Nicol. Burgund. *Hiſt. Belgic. l. 2. p.* 91. *Edit. Ingolſtad. usque ad p.* 105. it. *Boccal. l. c. relat.* 23.

XXXIV. UT IGITUR certi aliquid hic tandem definiamus, omnino extra omnem controverſiam poſitum eſſe debet. I. Dominium eminens in una quaque libera republica ſupremo loci illius magiſtratui ſeu poteſtati civili, utpote ſuperiorem neminem agnoſcenti, unice eſſe tribuendum. Neque etiam illud II. negare quis poterit, dari videlicet caſus atque tempora, quibus jus aliquod ſive dominium revera in partes ſuas reipublicæ competat, adeo ut pro rerum uſu ac varietate, utilitatis ſæpe, interdum neceſſitatis, illud eſſe videatur. Hinc etiam III. fluit: Licere omnino, imo vero ex officio ſummi in republica magiſtratus eſſe, jure iſthoc in cives etiam invitos eorumque fortunas uti, idque vel ad augendum, vel vero defendendum atque conſervandum reipublicæ ſuæ ſtatum. Quibus denique illud IV. addi oportet, civibus vel ſubditis magiſtratui, officium ſuum in procuranda communi omnium ſalute exequi hac ratione volenti, reluctari minime fas eſſe. Adeo ſane hoc verum eſt, ut cum ipſo etiam vitæ bonorumque omnium diſpendio, quisque laboranti Patriæ quantocyus ſuccurrere magis, quam opem vel minimam neceſſitatibus publicis ſubtrahere teneatur. Vid. *th. noſtra* 7. *b.* & al.

XXXV. Ex his autem quatuor veluti hypotheſibus, omni quoque *primo* luce clarius eſt, in qualibet aliena republica neminem imperantium, extra ditionis ſuæ limites dominium eminens arrogare ſibi poſſe. Quamdiu enim ſuis illa legibus utens proprios agnoverit reges ſive magiſtratus, dominio certe alterius poteſtatis ſubdita eſſe plane nequit. Nam cum una ſemper & ſumma abſolutaque quælibet debeat eſſe poteſtas civilis, (id quod vel ex ipſa majeſtatis vulgari definitione cuique notiſſimum eſt) impoſſibile etiam utique erit, parem huic vel ſuperiorem in eadem republica poteſtatem unquam admitti. Quemadmodum enim illud ſummum eſt,

qub

(*a*) *Sebaſtianum Regem*) Hunc ex prælio cum Afris ſalvum evaſiſſe, & poſt aliquod temporis intervallum, Venetias appuliſſe, & tandem in Hiſpanorum perveniſſe manus, qui eum remigum numero eſſe voluerunt, plerique ex Luſitanis ſibi perſuaſum habuerunt, vid. *l'eſpion dans les cours de princes Chretiens tom. I. lettre* 97. Liceat quædam ex dicto autore adducere, quæ ipſum aut Sebaſtianum, aut ſummum fuiſſe impoſtorem, oſtendunt. *Il ſe preſenta*, inquit, *a Veniſe dans une aſſemblée des plus ſages magiſtrats de l'Europe. Il y raconta les aventures de ſa vie, il y etala l'hiſtoire de ſes predeceſſeurs, & les malheurs, qu'il avoit eu en Afrique, d'ou il s'étoit retiré dans la Calabre. Il fit plus encore, il ſe depouilla devant cette illuſtre aſſemblée, il fit voir ſur ſon corps dix ſept marques, que les Portugais reconnurent avec etonnement pour étre au moins ſemblables a celles, qu'ils ſavoient, que leur ſouvrain avoit ſur ſon corps. Il fit voir auſſi, qu'il avoit une main plus grande, que l'autre & une levre plus groſſe, que l'autre. Il parla des ambaſſadeurs, qu'il avoit envoyés a la republique, des reponſes qu'il en avoit reçuës, & il ne dit rien, qu'on ne trouva conforme a la verité: Il repondit ſans chanceller à toutes les objections, qu'on lui fit, & contenta ſi bien l'aſſemblée, que pluſieurs ſenateurs le prirent pour le veritable Dom Sebaſtien & d'autres crurent, qu'il etoit ſorcier. Mais en fin ce prince faux ou veritable, eſt conduit en priſon, a la ſolicitation de l'ambaſſadeur d'Eſpagne. Apres y avoir demeuré long tems, il fut remis en liberté, à condition de ſortir dans trois jours des états de la republique. Quelques Portugais, emeus de compaſſion, le traveſtirent en Dervis, & le conduiſirent ſecretement à Florence pour le faire en ſuite paſſer à Rome. Mais le grand Duc le fit arreter, & l'envoya au Vice-Roy de Naples. Il ſe preſenta devant le Vice-Roi avec ſes airs de confiance, qu'il avoit accoutumé & ſurprit tous ceux, qui le virent, & qui l'entendirent parler. Il s'apperçut, que le Vice-Roi étoit decouvert, & lui dit avec une grande aſſurance & avec beaucoup de gravité. Couvrés Vous Comte de Lemnos. Ce miniſtre ſe crut alors obligé, de lui demander, de quelle autorité il lui parloit avec tant de hardieſſe? il repondit: que ſon autorité étoit née avec lui, qu'il foiſoit ſemblant, de ne le pas reconnoitre, mais que cependant il devoit ſe reſouvenir, que le Roy Philippe ſon Oncle l'avoit envoyé deux fois à lui, & que l'epe, l'qu'il avoit alors au coté, étoit la meme, qu'il lui donna en ce tems la.*

(*b*) *Belgii*) Cauſæ, quod Belgæ ab Hiſpanis deſciverint, variæ recenſentur. 1) quod Hiſpani belgicorum jurium & privilegiorum non haberent rationem, imo ſunt, qui credunt, eos motibus illis ideo anſam præbuiſſe, ut Belgas privilegiis deinde in pœnam emungere poſſent. 2) novorum epiſcopatuum inſtitutio. 3) ſæviſſimæ inquiſitionis in eos, qui a romana fide alieni eſſent, introductio. Vide GROTIUM, METERANUM, REDANUM, aliosque rerum belgicarum ſcriptores; item PUFFENDORF. *J. ad. H. c. VI. §. 2. Forma politia belgica*, inquit BOTERUS *c.* 28, *ab intolerabili ſævitia eorum, qui ſub largo regia authoritatis prætextu inclementius ſe geſſerunt, quam generoſa Belgarum ingenia, mollioribus aſſueta imperiis, concoquere potuerunt.*

(*c*) *Portugallia etiam regno &c.*) Maximum Hiſpaniæ ex Portugallia accedebat incrementum, ut ex CONESTAGGIO, qui SCHOTTI *Hiſpania illuſtrata* inſertus eſt, apparet. Servare eam Hiſpani potuiſſent, ſi placida Margarethæ ſecuta eſſent conſilia, non autem luſitanicam gentem Vaſconcello, qui ſub primarii ſecretarii, ut ajunt, nomine in aula Margarethæ omnium rerum arbitrum faciebat, non in prædam & tyrannidem permiſiſſent. *L'eſpion dans les cours des princes Chretiens. lettr.* 69. *tom.* I. *p.* 212. *ſeqq.*



Digitized by Google

quo nihil in ordine illo datur ſuperius, [Cic. *Tuſc. quæſt.* 2.] ita nec majeſtatis nomine digna cenſenda poteſtas ulla erit, quæ non ſit ſumma, quæque ab imperio & nutu alterius reipublicæ pendere omnino tenetur. Sola igitur dominium hoc quælibet in ſua republica uſurpabit majeſtas. Quæ cum in omni ſocietate civili eadem ſit, nec variare niſi in numero tantum perſonarum, ſuprema hac poteſtate ſimul & conjunctim pollentium, queat; tuto etiam in univerſum edicere nobis licebit, hanc, ceu omnium, quæ in civili cœtu continentur dominam, excluſis reliquis omnibus, ſolam imperium ſive dominium in cives eorumque poſſeſſiones obtinere, nec jure iſto turbari ab ullo alio, niſi injuria poſſe. Ut vero unum idemque rei dominium in plures eaſque diſtinctas perſonas non cadit; ita neque hæc eminens reipublicæ in ſua poteſtas, aliis etjam Principibus promiſcue tribui debet. Neque enim hic quicquam obſtat, quod urgente rerum neceſſitate, alterius quoque reipublicæ bona ſuis ſæpenumero uſibus accommodare liceat. Vid. Grot. *II. II.* Tametſi enim hoc caſu uſus interdum rei cedat occupanti, non tamen dominium priſtinus inde vel amittit poſſeſſor, vel novus acquirit invadens; præſertim cum duo iſta, uſum videlicet ac proprietatem, diſtincta maxime eſſe, & diverſis uno tempore hominibus competere poſſe nemo dubitet. Et quamvis hæc ita nonnunquam liceant, concedi tamen minime debent, ſi vel aliter evadi neceſſitas poſſit, vel pari neceſſitate ipſe teneatur poſſeſſor; nec denique licent, niſi *cum onere reſtituendi*, (*a*) ubi neceſſitas illa ceſſaverit. Vid. Grot. *loco cit.* §. 7. 8 9. Quæ certe omnia, cum vero dominio ſtare neutiquam poſſe, quis non videt? Manet igitur firmum & omni dubitatione majus, ſupremum hoc majeſtatis in republ. dominium alteri cuidam competere minime poſſe, id quod hac theſi probandum erat.

XXXVI. Deſtituuntur vero *ſecundo* ſuprema hac poteſtate in univerſum omnes, cujuscunque fuerint ſtatus & conditionis, quibus præter obſequii gloriam nil vere relictum, ſeu quorum munus in ſola parendi neceſſitate conſiſtit. Hi autem in genere ita conſiderati, ſunt omnis ordinis ſubditi, quibus de ſumma reip. deliberare atque decernere non conceditur. Quorum vero in civili aliqua ſocietate ea eſt poteſtas, ut vel ipſi vel per alios rempubl. curent, vel denique aliqua ſaltem ex parte de majeſtate participent, eorum ſane longe alia eſt habenda ratio, quod paulo etiam infra, theſi nimirum ab hac 2. clarius erit exponendum.

XXXVII. NON minus itaque, ac reliqua etiam majeſtatis jura, ſummæ poteſtati civili proprium hoc eſſe debet dominium, nec ab ullo alio, niſi qui ſumma iſthac in republica valeat autoritate, temere aut impune uſurpandum. Hinc etiam *tertio* ab hoc ſupereminentis dominii jure arcentur quilibet minores magiſtratus: inquantum ſcilicet illi nihil de majeſtate participant, ſed a ſuperioris tantum nutu atque voluntate dependent. Ut enim non exigua interdum illi polleant dignitate atque potentia, reſpectu tamen ſuperioris nihil a reliquo populo differunt. Quod ipſum egregie docuit laudatiſſimus Grot. *I. IV.* 6. cujus etiam verba quam maxime hanc theſin illuſtrare videntur. Ita enim ille, *omnis*, inquit, *facultas gubernandi, quæ eſt in magiſtratibus, ſummæ poteſtati ita ſubjicitur, ut quicquid contra* [addamus etiam, *citra*] *voluntatem ſummi imperantis faciant, id defectum ſit ea facultate, ac proinde pro actu privato habendum.* Hæc ille.

XXXIIX. CONSTAT vero denique, ſummam in republica civilem poteſtatem, [quæ vulgo hodie majeſtas, Ariſtoteli paſſim in opere ſuo politico τὸ κύϱιον, appellari ſolet] non uno ſemper & eodem, ſed pro diverſa rerumpublicarum ratione, alio interdum atque alio etiam modo ſe habere. Ita quidem Tacitus *Annal. IV. Cunctas*, ait, *nationes atque urbes, populus, aut primores, aut ſinguli regunt*: Idemque longo jam ante eum tempore, ſummus ille civilis prudentiæ magiſter obſervavit. Præter has autem ſimplices rerumpublicarum formas, alias itidem mixtas reperiri, non eſt quod quicquam ſubdubitemus. Cum igitur pro diverſo plane regiminis modo, ipſa quoque majeſtas vel uni propria, vel paucis aut pluribus interdum communis ſit; nec minor in ſua republica liberi cujuſdam populi vel optimatum, quam regis in regio ſtatu exſiſtat autoritas: manifeſto etiam hoc inde liquebit, dominium eminens, [quod partem ſummæ poteſtatis eſſe jam tum antea monuimus,] non ſolum in regnis, ſed in quibusvis liberis rebuspublicis, ab iis, penes quos ſummum civitatis arbitrium eſt, exerceri poſſe. Igitur in regio ſtatu regi, in ariſtocratico optimatibus, in populari vero populo, denique etiam in mixta republica, pro varia ejuſdem mixtura, ſummæ poteſtati civili jus illud unice erit attribuendum.

XXXIX. PERVENIMUS jam ad alteram tractationis hujus partem, *cauſam* nimirum *materialem*. Sunt autem objectum ſive materia, circa quam verſatur ſupereminens hæc majeſtatis poteſtas, *res & perſonæ*: quarum aliæ publicæ, aliæ privatæ, aliæ eccleſiaſticæ, ſeculares vero denique aliæ exiſtunt. Perſonis publicis hic accenſentur quilibet magiſtratus, quorum ea in regenda civitate dignitas eſt atque autoritas, ut quamvis a ſuperiore poteſtate omnino dependeat, cæteris tamen inferioribus major ſit atque eximior. Horum vero alii ſacris & eccleſiæ præfecti, alii reipublicæ proprie præeſſe ſolent. Reliqui certe omnes, cujuscunque tandem fuerint conditionis, privatorum ordini merito erunt annumerandi. Sed & in his quoſdam divino cultui conſecratos eſſe, nonnullos, quales ſunt primo nobiles, dein milites, cives urbani atque agreſtes, mercatores, nautæ, opifices &c. temporalibus rebus præſertim vacare in omni ſibi ſufficiente republica, conſtat. Jam quod res ſive bona reipublicæ alicujus concernit, quemadmodum & illa diſpeſci in publica & privata ſolent, ita & alia ſacris, alia profanis reipublicæ uſibus ſunt dicata, pleraque privatorum dominiis atque poſſeſſionibus acquiſita. Omnia autem hæc, ſive res, ſive perſonas conſideres, neceſſario eminentiſſimo ſupremæ poteſtatis dominio ſubdita eſſe debere, jam demonſtrabimus.

XL. Et

(*a*) *Cum onere reſtituendi*) Vid. tamen ZIEGLER. ad GROTII *l. c. p.* 232.

Digitized by Google

XL. Et *primo* quidem de ſecularibus ſive profanis rebus atque perſonis, quin omnia in iis, urgente rerum & temporum neceſſitate ſuperioribus liceant, dubitari minime poteſt. Videlicet in qualibet civili ſocietate, civium vel ſubditorum quisque, non bonis ſolum, ſed & vita atque ſanguine, *mit Leib*, *Gut und Blut*, reipublicæ ſuæ eſt obſtrictus. Hinc certe Horatiorum, ut & Deciorum, Fabii item aliorumque Heroum celebris hodienum exſtat memoria: nec ſubſequentibus dein ſeculis defuere, qui illorum facta intuentes, mortem, omni laude majorem, fortiter pro Patria oppetierunt. Sed horum inprimis virtus amorque in Patriam vere ſingularis, alias etiam merito laudari conſuevit; nobis in re veluti notiſſima, ad hæc etiam inſignia virtutis exempla jam provocaſſe ſufficiat. Et vero omnes certa quadam atque immutabili naturæ lege ad promovendum commune civitatis bonum teneri, probatione nulla indiget. Ut enim naturali quodam inſtinctu ad hanc perfectiſſimam omnium ſocietatem nati ſumus atque educati; ita & illius præ reliquis potiſſimum ſalutem eadem nobis commendat natura. Præſertim *cum non nobis ſolum nati ſimus, ſed & præter parentes atque amicos*, *non minimam quoque ortus noſtri partem Patria ſibi vindicare videatur*. [*Plato.*] In omni præterea ſocietate, ſocius quiſque ad finem, ſocietati propoſitum vires atque operam ſuam conferre maxime eſt obligatus: Is vero cum generatim ita loquendo, in qualibet bene ordinata republica ſit *licitum ſtatus ſui incrementum atque conſervatio*, quis tandem inficias ire conabitur, hunc etiam ab omnibus, quotquot in civili illo cœtu ſpiritum trahunt, procurandum omnino eſſe?

XLI. UT ut vero *ſecundo* hæc ita de temporalibus reipublicæ rebus, ac perſonis, quas vocant, laicis, vera ſint, & ſatis, ni fallor, manifeſta; de iis tamen, quæ ad eccleſiam pertinere vulgo dicuntur, non eadem omnium mens eſt atque ſententia. Etenim omnium illorum eminens dominium dudum, ut ſupra monuimus, ſibi tribuerunt Papæ; quæ certe res, dum in pleriſque Europæ regnis maximam fere bonorum partem poſſideant eccleſiaſticæ vitæ addicti homines, non poterit non cum ſumma rerumpublicarum illarum injuria atque diſcrimine eſſe conjuncta. Egimus autem jam tum ea de re *a th. hujus diſſ. XVII. ad XXV. incluſive*, ſatisque, opinor, falſitatem pariter atque injuſtitiam prætenſionis illius pontificiæ evictam reddidimus. Unicum tamen fortaſſe hic loci peragendum adhuc reſtat, nimirum, non minus ac reliqua omnia reipublicæ, hæc quoque eccleſiæ bona eorumque poſſeſſores eminenti civilis poteſtatis dominio ſubeſſe.

XLII. ET QUIDEM quæ paulo ante de ſecularibus rebus reipublicæ atque perſonis earumque ſubjectione diximus, eadem quin de eccleſiaſticis quoque affirmari queant, nihil obſtat. Sunt enim omnino & clerici, eorumque poſſeſſiones pars quædam reipublicæ. Neque enim reſpublica eſt propter eccleſiam, ſed hæc atque religio in republica ſint neceſſe eſt, ideoque ab hac, utpote potiore, facienda denominatio. Eſſe autem partem ſive membrum civilis cujusdam ſocietatis, & tamen alterius, (Papæ videlicet) poteſtati immediate ſubjectum, contradictionem quam maxime implicat. Licet enim quis poſſit vaſallus eſſe plurium dominorum, niſi ſit ligius, duarum tamen majeſtatum ſubditus *eſſe ſimul* (*a*) nequit, idque potiſſimum eam ob cauſam, quam *theſi hic* 35. adduximus. At vero iisdem plane illi, & longe etiam majoribus præ reliquis in republica fruuntur beneficiis atque immunitatibus. Præſidium & defenſionem vitæ rerumque ſuarum ab una eademque ſortiuntur civitate: Muneribus reipublicæ præcipuis atque ampliſſimis non raro admoti, bonis quoque & divitiis opulentiores quosvis antecellunt: nullius major exiſtit reverentia, dignitas vix ulli habetur æqualis. Atque hos quidem tantos tamque late patentes beneficiorum montes, unde quæſo, niſi ex largiſſima majeſtatis civilis conceſſione poſſident? Quam certe, utpote ſupremam rerum omnium dominam, eadem, ubi neceſſitas poſtulaverit, revocare, bonoque publico, (ſiquidem aliunde conſervandæ vel ſubveniendæ reipublicæ media non adſint) accommodare juſtiſſimum eſt. Cum igitur non minus, quam cæteri omnes in republica cives, ſummo magiſtratui clerus obſtrictus ſit atque obligatus, nihil utique convenientius æquitati naturali eſſe poterit, quam eadem in hunc, quæ in reliquos ſubditos ſive cives, decerni ab illo poſſe. Videtur autem omnino præterea tale quid jubere æqualis illa æqualium ſemper habenda ratio, nec juſtum aut æquum magis quid dici vel excogitari poteſt, quam ut onera atque incommoda ferat is, cui fructum & commodum ex rei alicujus poſſeſſione percipere fuerit conceſſum.

XLIII. Sed nec difficile adeo, ipſius divini Numinis voluntati directo contrariari illam clericorum a poteſtatis civilis dominio exemtionem, oſtendi poteſt. Sunt autem efficaciſſima hujus rei documenta, Petri ipſius atque Pauli Apoſtolorum præcepta. Quorum ille electis advenis Ponti, Galaciæ, Cappadociæ, Aſiæ & Bithyniæ ſcribens: *Subjecti*, inquit, *eſtote omni ordinationi humanæ propter Deum, quia ſic eſt voluntas Dei*. 1. *Pet. ep.* 2. *v.* 13. *& ſeqq.* Hic vero *ad Rom.* 13. *Omnis*, ait, *anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*; *Non eſt enim poteſtas, niſi a Deo: Quæ autem ſunt poteſtates, a Deo ordinatæ ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit &c.* Ambo certe illi, veluti ex ipſius Spiritus ſancti ore verba facientes, quid aliud docuerunt, quam id, quod ſæpius inculcavimus: ſupremum in omnia tam ſacra, quam profana, dominium majeſtati civili competere, eique, veluti divinæ ordinationi, per omnia ab omnibus obediendum eſſe? Quæ cum ita ſint, ſi inquam, omnes magiſtratui civili ſubeſſe ſine diſcrimine jubemur; ſi nulla in terris poteſtas eſt, quæ non a Deo data ſit atque ordinata; ſi denique huic reſiſtere absque manifeſto

(*a*) *Eſſe ſimul*) Et hoc fieri poſſe puto, poteſt enim quis pluribus in locis ſibi domicilium figere, & plures ſuſcipere qualitates morales. Imo ſunt territoria, ubi omnis qui eſt vaſallus, eſt etiam ſubditus.

Digitized by Google

niſeſto læſæ majeſtatis divinæ crimine nemo poterit: qua quæſo tandem fronte omni ſeculari juriſdictioni atque imperio ſeſe ſubducere audebunt illi, quorum tamen in perfecto, ut videri volunt, obſequio & legis divinæ exactiſſima impletione virtus atque officium præcipue conſiſtit? Sed obſtat ordinis ſanctitas, & ſpiritualis eccleſiæ & Pontificis poteſtatis ſubjectio. At vero hanc Pontificis poteſtatem ultra ſpiritualia non protendi, alias etiam pluribus diſputari ſolet, & prolixe id demonſtrat ipſe Fr. Victor *Rel. I. ſect.* 6. & *Rel. V. ſect.* 2. *n.* 3. Fatetur quoque idem Innocentius Papa cap. *Venerabilem, de electione: Se non habere poteſtatem temporalem in regno Franciæ*, & per conſequentiam nec in reliquis orbis chriſtiani regnis. Jam vero, pleraque clericorum bona temporalia eſſe, nemo ambigit. Sunt enim magnam partem aut privatorum hereditatibus acquiſita, aut emtione & donationibus congeſta. Quæ tamen veluti ſummæ poteſtati civili emortua cenſeri minime debent. Quicquid enim hac ratione bonorum eccleſiæ vel miniſtris ejus acceſſit, certe ab hominibus majeſtati civili omni ex parte ſubditis, eamque ob cauſam facultate hac plenaria de rebus ſuis diſponendi deſtitutis, acceſſiſſe credendum eſt. Aut igitur vel harum ſaltem poſſeſſionum reſpectu, ſupereminenti rempublicam moderantium imperio clerici quoque homines ſubeſſe, aut certe dominium omne rerum ſuarum abdicare, easque, quas opulentiſſimas poſſident, poſſeſſiones reipublicæ reſtituere omnino coguntur; idque tum ex adductis rationibus, tum ipſius S. Ambroſii autoritate, egregie plane alicubi hunc in modum dicentis, ubi, *Non vis*, inquit, *ſubeſſe Cæſari, noli poſſidere, quæ ſunt mundi*: quibus etiam non immerito addi oportet ea, quæ ex *Decret. Gratiani P. I. diſt. IIX. cap. Quo jure*, *theſi hic* 18. attulimus.

XLIV. Evidenter igitur ſatis ex dictis apparet, quam cum ſumma reipublicæ atque imperantium injuria, dominio ſummæ poteſtatis eminenti eximere ſeſe hactenus laborarint clerici. Plura etiam addi potuiſſent, quæ non tantum injuſtam, ſed & quibusvis Chriſtianis, præcipue Regibus atque rebuspublicis, maxime damnoſam & ſuſpiciendam hanc eſſe immunitatem probarent, niſi ad alia nos progredi temporis habenda ratio juberet. Certe ſi nihil magis reipublicæ expedit, quam ut civibus illa propriis ſtatumque præſentem adamantibus abundet: quanto illius malo id fore quis crediderit, maximam civilis ſocietatis partem peregrinis hominibus eſſe repletam, queis non ſolum impune in omnia graſſari permiſſum eſt, ſed etiam quos veluti alterius poteſtatis ſubditos, amicos potius, quam hoſtes, timeas? Non poterunt autem non illi, vi juramenti fidelitatis ſuæ Pontifici adſtricti, infenſo ad Papæ nutum eſſe in rempublicam, quantumvis optimam interdum, animo. Simulatque enim in Reges & Principes debacchatus fuerit Papa, vel imperio indignum furiali fulmine aliquem judicaverit, tot certe hoſtium atque armatorum manus experietur reſpublica, quot otioſorum illa clericorum antea aluerit cohortes. Ut ut vero illi quam maxime tum velint, abnuente tamen externa poteſtate, nihil quicquam pro ſalute reipublicæ tentare audebunt: quin imo dum alienæ poteſtati fidem dare coguntur, ad nutum quoque illius arma in rempublicam corripere ſunt obligati: idque eo magis, quod & iniquis Papæ mandatis obediendum eſſe, ſuperſtitioſis quibusdam hominibus pridem ſit perſuaſum. Senſerunt vero hæc omnia, quotquot a ſeculo XI. ad Carolum usque V. felicis memoriæ Imperatores, a cœtu fidelium excluſit & excommunicavit Pontifex. Vix enim in ſacratiſſimos illos Principes rabies atque ira papalis detonuit, quin veluti ad claſſici cantum, confeſtim contra eosdem inſurgere, & iniquiſſimis modis ſævire reliquus pene omnis clericorum juratus cœperit ordo. Vid. modo hiſtoria Henrici IV. & V. Imperatorum, ut & Friderici I. Henrici VI. Ottonis IV. & Friderici II. aliorumque; ut nunc cætera omittam, quæ in Anglia, Gallia, Suecia itidem quondam ſimiliter contigiſſe paſſim commemorantur, & ex parte etiam recenſet Arniſæus *tr. de Subj. & Exemt. Cleric. c.* 2. *& ſeqq.* Quæ ſane omnia, quemadmodum iniquitatem rei illius ſummam manifeſto declarant, ita nullo unquam tempore tuta ſatis atque tranquilla erit reſpublica, quæ hac pravarum opinionum colluvie inquinata, periculum atque bella non tam ab exteris, quam ſuæ gentis & reipublicæ hominibus metuere fuerit coacta. Tanto autem magis tale quid verendum eſt Regibus ac Principibus, quanto ſæpe majoribus rebus & dignitatibus præficiuntur illi, qui omni juriſdictioni civili exemti, omnia ad conſervandum atque augendum ſedis romanæ ſplendorem unice conferre, etiam cum reliquorum injuria, vi quidem juramenti, Papis præſtiti, tenentur.

XLV. REDIT itaque eo omnis hæc noſtra diſſertatio, nimirum in omni & qualibet civili ſocietate ſupremum in omnia ſacra & profana dominium atque imperium imperantibus competere, nihilque, niſi quamdiu benigna illud conceſſerit ſuperiorum voluntas, exemtum ab eo eſſe debere. Latius autem hæc agere, alterius operæ atque laboris eſſe videtur. Nos, priusquam ab hac cauſæ materialis tractatione abeamus, quosdam eosque præcipuos dominii eminentis effectus, rudi tantum, quod ajunt, Minerva delineaturi, primo quidem loco ea, quæ in vitam & perſonas civium ex hoc capite jura majeſtatis fluunt, perluſtrabimus, reliqua dein fortunas atque poſſeſſiones eorundem concernentia, juſto etiam ordine ac modo perſequentes. Quemadmodum vero omnes vitæ humanæ actiones, in pacis bellique negotia accurate diſpeſcit Ariſtoteles *VII. Pol.* 14. ita & hic alios pacis tempore, alios vero belli tempeſtate exorta, dominii eminentis effectus obſervare licet. Sane pacis fruendæ cauſa bella primum inventa eſſe, ipſe ille magnus teſtatur Stagirita. *l. c.* quippe cum unicus ille vel ſolum præcipuus bellorum finis eſſe debeat, poſt tot ærumnas atque moleſtias parta demum rerum omnium tranquillitate frui. Hinc etiam, quo minus certam ac ſtabilem ſæpe pacem, vel propter nimiam vicinorum potentiam, regnandique inordinatam libidinem, vel aliorum, etiam ſuorum interdum, exitioſas molitiones atque

inſidias

Digitized by Google

inſidias promittere ſibi poterit reſpublica; eo quoque majori cura, ſtudio atque opera id ſummam poteſtatem civilem agere decet, ut contra quasvis exterorum & fortunæ injurias tuta ſatis atque munita eſſe queat.

XLVI. Maximum vero firmiſſimumque civilis ſocietatis præſidium, cum in virtute & robore ſubditorum merito collocandum ſit, nullius ſane injuſtitiæ argui ſumma poteſtas poteſt, ſi exigente id rerum neceſſitate, vel propter aliud *evidens reipublicæ (a)* commodum, certam quandam civium partem, armis aſſuetam atque exercitatam, defenſioni publicæ deſtinare interdum decreverit. Etenim non raro evenit, ut imminentem belli molem depellere aliter illa non poſſit, dum vel ob gravem ærarii defectum ſtipendia mercenario militi ſolvenda non ſuppetant, vel propter aliam etiam cauſam vagæ atque incertæ militum conductorum fidei, publica omnium ſalus defendenda tuto nequeat committi. Sæpe etiam numero accidit, (ne nunc cætera ex mercenariis copiis oritura mala atque incommoda recenſeam) ut cum domi haberi illæ non poſſint, aut ab exteris ſint accerſendæ, aut ſi hoc non liceat, aliorum longe potentiorum opem & auxilia, non ſine præſentaneo ſuorum atque libertatis ſuæ periculo, implorare civitas cogatur. Uti autem hoc cum ſummo rerum omnium diſcrimine non poteſt non eſſe conjunctum; ita neque illud obtinere ſemper licebit: præſertim ſi vel exteri id nolint permittere, utpote rebus noſtris interdum infenſi, vel etiam non poſſint, cum ſuis ipſi expeditionibus impediantur, vel denique ineptus plane ille fuerit, unde ſalutem adeo ſperabamus, populus. Hoc certe rerum ſtatu, niſi unicum in cives evocandos ſuperfuerit majeſtati remedium, brevi omnis exſpirabit reſpublica. Ad quam tamen ab interitu vindicandam eo fortiori nexu omnes obligamur, quo ampliori ruina, illa quidem pereunte, reliqua omnia concidant neceſſe eſt.

XLVII. Quin imo tantum abeſt, ut quicquam hic contra fas æquumve præcipere ſumma poteſtas civibus videatur: ut potius extremæ impietatis in rempublicam nota, atque certiſſima læſæ majeſtatis pœna digni merito habeantur ii, qui vel minimum ſaluberrima hæc illius juſſa contemnere, debitumque iis obſequium denegare fuerint auſi. Quemadmodum enim majeſtatis civilis eſt, ſubditos eorumque fortunas contra quosvis aliorum inſultus tueri: ita certe impium quoque illis foret, præſertim in tanto rerum diſcrimine ſibi reique publicæ quicquam deeſſe velle. Neque enim patriæ ſalutem perdendo, privatam ſervare poterimus. Etenim, *everſa*, quidem, *domo, intentatus reipublicæ ſtatus manere poteſt, urbis vero ruina penates omnium ſecum trahat neceſſe eſt.* Val. Max.

XLVIII. SED quid ego nunc quidem me in hunc campum diffundere pergo, remque adeo certam operoſa magis, quam neceſſaria probatione, veluti in ſuſpicionem dubiæ veritatis deducere allaboro? Certe ſi parentibus operam auxiliumque noſtrum ſubtrahere omnia humana divinaque jura nos prohibent; cujus quæſo impietatis foret, communem illum parentem deſerere, huncque ſpiritum vitalem, quem hæc tot millia trahunt, privatæ ſaluti poſtponere? Romanis equidem inter omnia alia virtutis incitamenta ſufficere potuit Amor Patriæ; nec pejus quicquam cuiquam imputatum fuiſſe meminit Plutarchus, quam M. Coriolano, quod arma contra patriam uſurparet. Vid. *Plutarch. in vita Coriolani.* Camillus vero, licet invidia in immeritum pulſus eſſet exilium, non tamen Gallis ſe ducem, ut Marcius Volſcis præbuit, ſed ſui tantum deſiderium civibus ingratis imprecatus, exſpectavit occaſionem, qua ſummam injuriam beneficio non inferiori rependeret. *Liv. l. 5. Inter Athenienſes Themiſtocles, quem virtus ſua victorem, injuria patriæ Imperatorem Perſarum fecerat, ut ſe ab ea oppugnanda abſtineret, inſtituto ſacrificio, exceptum patera tauri ſanguinem hauſit, & ante ipſam aram, quaſi quædam pietatis clara victima concidit, eoque memorabili exceſſu ne Græciæ altero Themiſtocle opus eſſet, effecit.* Vid. Val. M. *l. c.* Quod ſi itaque tanta vis eſt Amoris Patriæ, ut non ſolum omnes alias charitates vincere ille poſſit, ſed nec in ingratam minusque benignam peccare vel minimum nobis liceat: quanto magis ad juſtam ſui defenſionem cives excitare poterit majeſtas, nec certam tantum illorum partem, ſed quoſcunque tandem ad arma idoneos judicabit, hoſtibus reſiſtendis educere, quo vel imminentia belli mala eo certius declinentur, vel tuta etiam & tranquilla rerum omnium facies Patriæ laboranti facilius reddatur.

XLIX. Minime tamen exiſtimandum hic erit, non niſi re penitus deſperata cives ad defenſionem publicam cogi atque convocari poſſe. Nutante enim reipublicæ ſtatu atque fortuna, vix ulla in imbelli & armorum tractandorum imperita civium turba ſpes ſupereſſe ſalutis poteſt. Longo namque otio langueſcentibus paulatim hominum animis, belli omnino impatiens vel ad quemvis hoſtium conſpectum terga dabit miles ille rudis atque inexcercitatus, vel certe cum publico omnium damno præda hoſtibus fiet, vel denique miſera & funeſta ſuorum clade certiſſimas imprudentiæ ſuæ pœnas univerſa luet reſpublica. Quoniam igitur in bello de pace, pacis vero tempore de bello maxime cogitare prudentes ſolent rerumpublicarum rectores; omnes autem, quotquot civilem ſocietatem colunt, illius quoque conſervationem & ſecuritatem procurare tenentur: Certe non minus prudenti conſilio, quam neceſſitate rerum ipſa monente, quibusdam in regnis atque rebuſpublicis, certum quendam incolarum numerum militiæ deſtinari perpetuo quaſi ſolere videmus. Quod quidem Romanis ad Cæſarum uſque tempora, [qui novam reipublicæ formam introducere aggreſſi, inani libertatis umbra incautos ab armorum omnium uſu ſenſim ſenſimque detraxerunt] tot præclaras de hoſte victorias, tot ditiſſimarum regionum & provinciarum acceſſiones unice peperiſſe, hiſtoriarum teſtantur monumenta. Certe inter

(*a*) *Evidens reipublicæ*) Nam qui habet jus ad finem, habet etiam jus ad media, quæ cum fine illo neceſſarium habent nexum.



Digitized by Google

inter præcipuas collapſi, ingruentibus validioribus barbarorum copiis, vaſti illius imperii cauſas, abolitum lectæ militiæ uſum recenſet Magn. D. Præſ. cum *in Animadverſion. Politic. ad Machiav. Princ. cap.* 13. tum in peculiari quadam diſſertatione *de Milit. lecta, mercen. & ſoc. th.* 12. Neque etiam reliquo europæo orbi, ante illatas ingentes Americæ opes, invectamque cum illis luxus atque luxuriæ indies creſcentis contagionem, niſi rarus mercenarii militis uſus innotuit. Tutiſſimum ſiquidem rerum omnium præſidium in civium cujusque reipublicæ virtute ponebatur, neque facilius vel certius etiam ab aliorum injuriis vindicari ſe atque defendi poſſe majores crediderunt, quam ſi cives paratos ſemper, vigilantes atque exercitatos in republica haberent. Hoc ſcilicet præſidio quaſi muris cinctæ & firmatæ, quemvis etiam exterorum vicinorumque metum contemnere, & hoſtium animos ab inferendis periculis avertere potuerunt reſpublicæ. Poſteaquam vero reliquarum etiam orbis partium, inprimis autem Indiæ occidentalis divitiis abundare in Europa cœpimus, nihil magis dolendum regnis atque rebuspublicis pleriſque accidit, quam loco perpetui illius militis, introductus mercenariæ militiæ uſus. Crevit enim ex eo una cum opibus luxuria, cum luxu mollities. Hac vero infecti populi atque gentes, non potuerunt non ſenſim a priſtina virtute decedere, iisque, quæ ex conducto milite proficiſcuntur, malis atque incommodis omnem fere exponere Europæ rempublicam.

L. ET vero parum omnino abeſt, quin ex quo plus ſolito quæſtui lucroque intenti eſſe cœperunt Europæi, antiqua illa & ſaluberrima belligerandi ratio per omnem penitus Europam deſierit. Hiſpani certe atque Luſitani, quibus inprimis novi illius orbis inventio debetur, dudum mercede militem conducere conſueverunt. Pari quoque ratione in Gallia, ut & in Anglia, hodie non lectis, ſed conductitiis militum copiis decernitur. Sed nec in fœderatis Belgii provinciis aliud obſervare licet. De Germanis ſua jam ætate affirmat Tacitus *de Mor. Germ. cap.* 8. *Ex omni juventute delectos ante aciem locare* ſolitos eos fuiſſe. Quod tamen a ducentis circiter annis per univerſam fere Germaniam deſiiſſe, uſus ipſe & rerum monumenta docent. Certe ſoli adhuc inter germanicas gentes, priſtinum illum bellandi modum hodieque retinent Helvetii: niſi quod & Hungaria, (ſi eam quoque Germaniæ annumerare liceat) partim lecto, partim etiam conductitio milite utatur. Cauſas autem abolitæ in hoc imperio lectæ militiæ, inque ejus locum introductæ militem conſcribendi conſuetudinis, recenſet Dominus Præſes *ad Machiav. l. c. cap.* 12. *ſub fin.*

LI. IN quibusdam tamen Europæ regnis, maximo quidem reipublicæ bono, antiquus ille & a majoribus traditus milites colligendi modus hodienum obtinet. Nam & in inclyto Sueciæ regno, Patria mea florentiſſima, ab omni retro memoria uſu & moribus patriis invaluit, ut decimus quiſque ex optima agreſtium juventute in militum cenſum adſcriptus, armis mature adſueſceret, firmumque pacis & belli tempore præſidium regno præberet. Milites vero non teneræ adhuc ætatis, neque etiam ſenio confecti, ibi eliguntur; ſed quos ignominiam minus, quam mortem & pericula, ferre poſſe conſtat; quosque virtus ac vires corporis ad quaſvis etiam moleſtias ſubeundas idoneæ, animus denique præparatus, adque omnia intrepidus maxime commendaverit. Præclare admodum Seneca in epiſtola quadam docuit: *Nullum laborem recuſare manus, quæ ab aratro ad arma transferuntur; unctum & nitidum inprimo etiam pulvere deficere.* Quod quidem, ut de omni in univerſum militiæ genere pronunciare licet, ita & de noſtris quoque militibus aſſerere minime dubito. Tranquillo enim eipublicæ ſtatu rei inprimis agrariæ operam navare conſueti, non otio, non voluptatibus corpus illi langueſcere patiuntur: ſed quo præclaram magis virtutis ſuæ laudem mereri poſſint, labore, curis & vigiliis animum mentemque corroborant, tanto majori fiducia quidvis etiam in expeditione auſuri, quanto minus, pacis præſertim tempore, corpus libidinibus, animum otio attritum ſentiant.

LII. Sed & idem fere in Poloniæ quoque regno, in quo tamen ſoli nobiles, raro autem agreſtes atque oppidani, ad militiam vocantur, uſurpari hactenus conſuevit; niſi quod major in hac republica populi ſive nobilium libertas, & lenta nimis diſſidiorumque plena interdum comitia, optimam haud raro rei gerendæ occaſionem intercipere iis videantur. Enimvero, *interpolatis quaternis ſeptimanis, ter demum convocati ad expeditionem coëunt nobiles, niſi decreto comitiali tempus id accidatur binæque ut vocant, Reſtes,* [ſive literæ ſigno regio conſignatæ] *conjungantur.* Vid. Martini Cromeri *Polon. l.* 2. *de bellic. inſtit. & potent. Polon.* Add. & Starovolſkii *Polonia p.* 234. *& p.* 274. *usque ad* 285. *ubi de militia Polon.* Minori tamen cum difficultate in Ruſſiæ M. Ducatu, nec non Tartariæ vaſto illo imperio miles colligitur. Cum enim a ſubditis, ſervili jugo longo jam temporis tractu aſſuetis, vix quicquam ſibi metuere dominantes poſſint, hinc certe evenit, ut & cum minori reipublicæ periculo perpetuus ille miles iis in locis ali, & exigente neceſſitate citius quoque evocari poſſit. Vid. *deſcript. Moſcov. & Tartar. operis Elzeviriani.*

LII. Cæterum, hæc atque reliqua huc pertinentia, [quibus nempe rerumpublicarum formis lecta militia maxime conveniat, ſimulque commoda & incommoda illius) uberrime jam tum antea expoſuit Dominus Præſes: ex quibus plura levioribus hiſce noſtris conatibus addere merito ſuperſedemus. Vid. modo Dominus Præſes, *Animadv. in Mach. Princip. cap.* 12. *&* 13. *&* diſſ. ejusdem *qe Mil. lecta mercen. & Socia.* Illud tamen notiſſimum omnibus eſſe exiſtimo; In qualibet populi inprimis ſalutem ſpectante republica, pacis quoque tempore ſubditos aptos & idoneos ad bellum ſeligendos eſſe atque exercendos, qui, incidente neceſſitate manu expediti, promti & ſemper parati ſint, ad vim quamvis illatam armis propulſandam. Omnino tamen maximeque cavendum hic erit: ne, [quod in corruptis illis ſeu herilibus rebuspublicis haud raro

Digitized by Google

raro evenit) ingens aliquod ex perpetuo illo milite reipublicæ imminere poſſit periculum. Vix enim a bellis civilibus quieſcere poterit reſpublica; in qua major pars civium armis ſtudiiſque militaribus aſſueta, victum non niſi ex bello & rapinis parare ſibi poteſt: quorum certe alius pacis tempore uſus nullus erit, quam qui eſt in media æſtate fornacum. Vid. Beſold *Pol. l.* 2. *c* 7. *Facile* enim *otioſæ armatorum manus laſciviunt*, inquit Tacitus *de Mor. Germ. cap.* 44. Igitur præter militarem diſciplinam alias quoque pacis artes edoceantur cives neceſſe eſt, ne tranquillo reipublicæ ſtatu otium tandem exuentes, in ſemetipſos miſere aliquando ſævire cogitent.

LIV. SED ut ad alia non minoris momenti, divina annuente Numinis gratia, progrediamur; non ſolum cives imminenti hoſti jure opponit reſpublica, verum & obſeſſos ad *extremum usque ſpiritum* (*a*) pugnare interdum jubet: præſertim ubi ex arcis ſeu munimenti alicujus deditione, vel ingens aliquod hoſtibus commodum accreſcere, vel graviſſimum quoddam malum ſibi metuendum fore præſentit. Ut autem, ſiquidem aliter obſeſſorum atque publicæ ſaluti conſuli queat, vitam illi cum arce perdere cogantur, omnem ſane humanitatis modum excedere merito dixeris. Quamobrem hic potius commendanda erit glorioſiſſimæ memoriæ Regis, CAROLI inquam GUSTAVI prudentia; qui, cum in ſueco-polonico proximo bello arx ſandomirienſis acri Polonorum obſidione premeretur, nec ulla ſpes retinendi eam Suecis ſupereſſet; relicta tandem arce, incenſoque pulvere nitrato, hoſtibus munimentum jam ingreſſis, nec mediocriter de ejus occupatione exſultantibus, omnem ſimul lætitiæ ac vanæ oſtentationis ſuſtulit materiam. Vid. Dom. Loccen. *Hiſtor. Suec. l.* 9.

LV. Cæterum majoris controverſiæ rem nunc aggredimur, quæ quidem alio, niſi hoc ipſo ſupereminentis dominii fundamento, niti nullo modo poteſt. Quæritur autem: an unus vel plures civium deſeri a civitate, & hoſtibus quoque ad necem tradi liceat? Negat hoc inprimis Ferdinandus Vasquius *Controv. illuſtr. l.* 1. *c.* 13. & cum eo plures. Queis tamen omnibus ſæpius ille laudatus Grotius *II. XXV.* 3. paucis licet reſpondit. Verumenimvero, quamvis ab utraque parte adeo firmis hac de re diſceptatum fuerit rationibus, ut difficile omnino ſit, certi aliquid hic definire velle, operæ tamen pretium erit, de hac quoque materia pauca ſolum quædam delibaſſe.

LVI. Fatendum igitur *primo* quidem loco erit: vix ullis vel divinis vel etiam humanis legibus, hanc poteſtatis civilis in civium ſuorum vitam poteſtatem expreſſe defendi, (Boecler. *de Dominio Emin. p.* 99.) nec etiam in vaſtis illis hiſtoriarum monumentis, præter ea, quæ *th. hic* 40. notavimus, paucaque alia, ejuſmodi quicquam inveniri, unde hæc aſſertio forte illuſtrari queat. *Secundo* & illud facile concedimus: non leve aliquod damnum aut diſcrimen inde reipublicæ parari, præſertim ſi quis longo rerum uſu & prudentia, vel aliis præclare factis conſpicuus vir ab hoſte depoſcatur; id quod præcipue ex vulgata illa Demoſthenis de lupis atque ovibus fabula colligere licet. (Horn. *de Civit. l.* 2. *p.* 280. *& ſeqq.*) Neque vero denique *tertio* certum quendam malorum & belli exitum facile ſibi ita promittere poterit reſpublica, quæ ad tantas anguſtias redacta, quidvis etiam truculentæ hoſtium libidini dare cogetur. *Id. ibid.*

LVII. Interim tamen non omni prorſus juris & æqui patrocinio, hæc ſummæ poteſtatis in ſuos poteſtas privanda erit, quo minus unius vel paucorum diſpendio reliqua multitudo ſervetur. Quemadmodum enim merito ille nauta ex omni humano conſortio ejiciendus eſt, qui, ut levis quædam jactura evitetur, totam navim præſenti naufragio exponit: Ita certe, nec ipſa quoque majeſtas, ſi aliter commune illud excidium repelli atque declinari nequit, vitam unius hominis cum cæterorum innocentium morte ſervandam eſſe exiſtimabit. Agit quidem illa ſingulorum etiam civium curam, eo tamen modo, ut potior ſemper totius habeatur reipublicæ ratio. Quocirca nec ad bellum, propter gravem licet unius civis acceptam injuriam, cum reliquorum concivium incommodo ſuſcipiendum ea obligabitur, tametſi hujus laceſſiti cauſa ultionem & vindictam efflagitare videatur. Grot. *l. c. §. praced.* Cui etiam add. ea, quæ diſſerit Franciſc. Victor. *Relect. III. de Poteſtate Civili n.* 13.

LIIX. E duobus præterea malis minimum eligendum eſſe, omnis ubique ſuadet recta ratio. Igitur vel innocentis unius aut plurium traditione atroci hoſtium crudelitati occurret civitas, vel ultimum jamjam & funeſtiſſimum rerum ſuarum exſpectabit finem. Unius vero hominis morte tot innocentium myriadum internecionem, miſerrimumque totius reipublicæ interitum non redimere, certe ut nullam omnino meretur virtutis laudem, ita nec ſine ſummæ quadam impietatis nota admitti poteſt. Et quamvis facile largiamur, non exiguam injuſti pariter atq; inhoneſti ſpeciem huic rei ineſſe, imo impium alias & lege divina prohibitum, *inſontem morte affici*; (Vid. Vaſq. *l. c.*) Hac tamen extrema reip. neceſſitate poſita, nullius plane injuſtitiæ argui poteſtas civilis poterit, ſi ultimis illis malis remedia etiam ultima adhibenda eſſe decreverit. Etenim, qui in civilibus præſertim negotiis, ſtrictum juris atq; honeſti rigorem ſervandum ſemper eſſe exiſtimant, illi ſane nil aliud agere videntur, quam ut cum ipſo Catone, optimo animo & ſumma fide utentes, maxima quæque reipublicæ ſuæ vulnera infligant. Cic. *l* 2. *epiſt.* 1. *ad Attic.* Licet nimirum interdum etiam a juſti honeſtique via recedere, & veluti levi quadam delibatæ juſtitiæ jactura, ingentia patriæ commoda parare. Adde, quod id plerumque juſtum eſſe dicatur, quod reipu-

(*a*) *Extremum usque ſpiritum*) Poteſt enim quis & per legem naturæ ejusmodi actum ſuſcipere pro ſalute plurium, in quo vitam ſibi amittendam probabiliter proſpicit. Qua ratione etiam iſti navarchæ excuſari poſſe videntur, qui ubi hoſtis nave potitur, ignito fune ſe juxta ac hoſtes perdunt. PUFFENDORFII *elementa jurisprudentiæ univerſalis lib. II. obſerv. IV. §.* 10.



Digitized by Google

reipublicæ exigit utilitas. (Ariſtotelis *IIX. Nicom. IX.* 15.) Et ipſe ſane romanæ eloquentiæ Princeps, non minus vere, quam eleganter docuit: *Multa, quæ natura honeſta videntur, temporibus fieri non honeſta; ſæpe etiam accidere, ut quod plerumque turpe haberi ſoleat, pro ratione temporis inveniatur non eſſe turpe.* Cic. *offic.* 3. Ne nunc dicam, quod ea ſæpe invicta vis exiſtat neceſſitatis, ut etiam ad ea, quæ natura quodammodo negavit, jus dare videatur. Reinking. *de Reg. ſec. & Eccleſ. II. III. l.* 52.

LIX. Et quid denique prohibet, quo minus ad id cogi poſſit civis, quod ipſe ſponte patriæ præſtare tenetur. Ut enim ſæpius ante innuimus, non ſolum omnia noſtra bono reipublicæ conſecrata ſemper eſſe debent, ſed nec vitam ipſam & ſanguinem optimus quisque pro communi omnium ſalute reddere unquam recuſabit. Exigit hoc inprimis ille cuique noſtrum congenitus patriæ amor; nec aliud etiam tot illuſtria ſummorum virorum nos monent exempla, quorum glorioſa morte non ſolum regna atque civitates periculo exemtæ, ſed præclaris admodum victoriis refectæ fuerunt atque exornatæ. Codrus certe Athenienſium Rex, ſuo interitu victorem reddidit ſuorum exercitum. Et plures huic aſſimiles romana edidit reſpublica, qui non tam in laude poſuerunt fortiter pro patria occumbere, quam indignum eſſe judicarunt illius calamitatibus quicquam ſupereſſe velle. *Æqua* ſcilicet illi *virtutis* eſſe perſuaſum ſibi habebant, *& bona patriæ auxiſſe, & ejus mala in ſe transferre voluiſſe.* Val. Max. Et ſane, ſi omni omnino tempore publica privatis præferenda eſſe, certum ac juſtum eſt; quidni præſertim tali in caſu *vitam, quæ fato debetur, patriæ ſolvendam eſſe* judicabimus? Cic. *ad Herenn. IV.* Sed objiciat forte quis, dominium in vitam & membra ſua nemini divinitus conceſſum eſſe, ideoque nec ſine graviſſimo parricidii ſcelere hanc atque illa negligi, nedum iis privari ſibi ab ullo mortalium poſſe. Cui tamen objectioni paucis tantum hæc retuliſſe ſatis, ni fallor, erit. Videlicet: Tametſi vitæ membrorumque ſuorum dominus proprie nemo ſit, (quippe quorum revera dominium ſoli DEO O. M. tanquam autori vitæ bonorumque omnium tribui decet) jus tamen ſive facultatem quandam cuique hominum conceſſam eſſe, qua licite iis omnibus non ſolum in ſuam ipſius, ſed & patriæ atque proximi ſalutem uti omnino poſſit ac debeat. Et vero, *quemadmodum mortem ſibi conſciſcere ſemper impium eſt, ita & mortem non ſolum patienter ferre, ſed etiam libere interdum ſubire, plerumque conſilium, nonnunquam præceptum eſt.* Vid. Franc. Vict. *Rel. X. de Homicid.* Eſſe autem & omni laude dignum facinus, mortem pro aliorum ſalute oppetere, & DEO imprimis gratum & chriſtianæ charitati maxime conſentaneum, vel ipſius ſanctiſſimi redemtoris noſtri teſtimonio *Joh. XV. v.* 12. & 13. ut & 1. *Joh. III. v.* 16. verbis, (*Und wir ſollen auch das Leben für die Brüder laſſen*) probaſſe jam ſufficiet. Quibus denique omnibus ultimo etiam loco illud accedit, quod *multa ſint non juſtitiæ proprie dicta, ſed dilectionis officia, quæ non tantum cum laude præſtantur, ſed etiam omitti ſine culpa nequeunt. Tale autem omnino hoc videtur eſſe, ut maximæ multitudinis innocentis vitam ſuæ unius quis præferat.* Vid. Grot. *l. c.*

LX. Atque his ita, prout licuit, expoſitis, dubitari forte adhuc poſſet, an quod ipſe facere teneretur, ad id cogi civis queat? Et quidem, dum circa omnem hanc tractationem acerrime pro negativa ſua Vaſquius loco ſupra allegato pugnat, hanc veluti ſuperfluam conſulto præteriiſſe videtur. Cæterum & is, cujus ſententiam adeo ille tanquam perfidiæ proximam reprehendit, Dominicus Sotus, licet civem ad id *teneri* (*a*) conſtanter affirmet, cogendum tamen minime eſſe cenſet. Probat hoc imprimis divitis ſtipem egeno præbentis exemplo, qui quidem ex miſericordiæ præcepto ad id tenetur, cogi tamen non poteſt. Verumenimvero, ut paucis rem omnem expediam, nihil omnino hic evincit argumentatio illa ab inferiore ad ſuperiorem inſtituta, cum neque ullum egeno in ditiorem jus eſſe conſtet, neque ille cum ſumma in republica poteſtate omnino comparari mereatur. Et ſane longe alia ratio eſt parium inter ſe, alia vero ſuperiorum, præſertim ubi cum ſibi ſubditis comparantur. Nam qui æquales ſunt, ad alia, niſi quæ ipſo jure debentur, cogi invicem non poſſunt. Quorum vero poteſtas imperantium poteſtati ſubordinata eſt, illos etiam ad ea cogere majeſtas civilis poteſt, quæ virtus quælibet præcipit. Vid. Grot. *loc. cit.*

LXI. Manifeſto igitur ſatis apparet, civem quamvis inſontem pro redimenda totius multitudinis ſalute, hoſtibus ad necem tradi poſſe. Quin imo tantum etiam abeſt, illum cum præſenti reliquorum innocentium excidio ſervandum eſſe, ut potius cogi omnino debeat, ſuo unius interitu ſalvam præſtare omnem rempublicam. Cæterum & hoc, niſi extrema urgente neceſſitate, omnique alias, vel hoſtium animos emolliendi, vel imminentem patriæ cladem avertendi, ſpe penitus præciſa, admitti minime debet. Neque etiam tum tale quid uſurpandum erit, ſi ea conditione civis depoſcatur, ut quicquam vel contra pietatem cultumque divinum, vel aliam quamlibet honeſtatis legem a ſe committi patiatur. Hoc ſane caſu, ultima etiam quæque experiri, &, ſi aliter fieri nequit, momentaneam vitæ hujus jacturam ultro præoptare decet, quam vel minimum contra ſanctiſſimum illud numen, gloriamque divinam delinquere.

LXII. Jamque, ut de obſidibus pauca diſſeram, ordo exigit. Scilicet & hic invitos ſæpe hoſti cives tradit reſpublica, qui ſane cum duram interdum ſatisque periculoſam experiri coguntur fortunam, niſi hoc ipſo ſupremæ poteſtatis dominio adacti, vix ſponte ſua ad tantas moleſtias ſubeundas poterunt adduci. Frequentius tamen olim, præſertim inter belligerantes, quoties vel de pace agendum erat, vel ſuſpecta etiam fides alterius partis habebatur, obſides imperari ſole-

(*a*) *Teneri*) BUSSIER. *hiſtor. Franciæ lib.* 10. *p.* 482. agit de clariſſimis Caleti civium, qui ſe, ut concivium cædes redimerent, Eduardo III. Angliæ Regi, ob ſtrenuiſſimam defenſionem illi urbi graviter ſuccenſenti, in victimam obtulerunt. Aliud exemplum vide in ANTONII *de Vera legato perfecto p.* 64. de quæſtione ipſa alibi egi.

ſolebant: cujus quidem rei cum tot innumera fere atque infinita exſtent documenta, non eſt, quod in iis conquirendis atque huc loci adducendis juſto ſimus prolixiores. Plerumque autem obſidio dabantur præcipuæ dignitatis ſive viri, ſive juvenes. Unde & Joſephus *ſub ſpecie pacis univerſam nobilitatem Orientis Romæ ſerviiſſe* refert. Nonnunquam etiam, rarius tamen, fœminas exigebant victores; idque tanquam novum omnino primo quidem ab Auguſto Imperatore factum meminit Suetonius *in Aug. c.* 21. Interea tamen jam tum antea a Romanis puellas quoque obſides Porſenæ datas fuiſſe, Clœliæ factum Livio *Hiſt. l.* 2. *c.* 13. collaudatum evidenter arguit. De Germanis idem quoque obſidum genus ſæpius fuiſſe exactum, Tacitus expreſſe teſtatur *lib. de Morib. Germ. c.* 8. dum, *efficacius animos civitatum* (*germanicarum*) *obligari*, inquit, *quibus inter obſides puellæ quoque nobiles fuerint imperatæ.* Hodie certe, poſteaquam per delegatos utrinque miſſos, in loco ab omni inſidiarum metu & ſuſpicione immuni, pax concludi cœpit, mos ille erogandorum obſidum per omnem fere Europam videtur abolitus. Longe præterea tutius in fide retinentur devictæ urbes & provinciæ, vel per impoſitas illis arces & militum præſidia, vel per ingentem pecuniæ vim, mutui interdum nomine ab iis imperatam, vel denique per divendita opulentioribus paſſim alibi locorum prædia &c. Qua quidem, poſteriori præſertim, arte non ſolum Genuenſes alioſque Italiæ Principes, ſed ipſos etiam quodammodo curiæ romanæ miniſtros ſibi devincire Hiſpaniæ Reges conſueviſſe, docet Magn. Dn. Præſes *in diſc. de rep. Hiſpan. & alibi paſſim.*

LXIII. Cæterum, relictis his atque aliis, illud fortaſſe inprimis diſpiciendum hic nobis erit; Utrum videlicet vitam quoque obſidis obligare civitas valeat; & dein, an etiam juſte is, ubi fidem fregerit principalis, interfici atque occidi queat? Equidem quin ea conditione civis, licet invitus, (nam de volente minor vel nulla difficultas eſt) obſes tradi poſſit, dubium vix ullum ſupereſſe credo: præſertim queis ea, quæ de poteſtate majeſtatis civilis in vitam & perſonas civium hactenus diſſeruimus, probe fuerint perſpecta. Similiter & illud dubitatione caret: Poſſe nimirum, imo teneri cives pro republica fidejubere, ſiquidem alia ratione pax & tranquillitas publica Patriæ reddi nequeat. Quemadmodum autem fidejuſſor, vel qui pro alio fidem interponit, etiam ut principalis, Germ. *Als ein Selbſtſchüldiger*, obligari interdum poteſt: (Vid. Vaſq. *Contr. Ill. p* 1. *c.* 33. *n.* 2. it. Struv. *Jurisprud. for. l.* 3. *c.* 9. *de fidejuſſ. aliique*) ita & hic omnino cives alicujus reipublicæ, quo minus eundem in modum fidejuſſionem præſtare cogantur, nihil impedit. Fieri enim utique poteſt, ut civitas, cujus de fide dubitatur, ad quaſvis etiam perfidiæ pœnas tolerandas ſeſe devoveat, quo eo benigniorem & faciliorem experiatur victoris ſententiam. Has autem cum de integra aliqua civili ſocietate ſumere vix ſit conceſſum, quid tandem prohibet, quin, ſi ſub mortis etiam comminatione obſides depoſcantur, tradi petentibus a republica poſſint? Sed reſtat adhuc, an etiam ob civitatis delictum morte & ſupplicio obſides punire liceat? Et vero, ſi jura tantum gentium, ut Grotio appellantur, externa, vel ſolam impune quid agendi licentiam inſpicias, licere utique videtur, ut perfidæ civitatis pœnam *obſides luant.* (*a*) Ita quidem Romani, [ut nunc alia taceam] Volſcorum obſides ad trecentos, Theſſali 250. internecioni dederunt; ſemperque perſuaſum veteribus fuit, juſte etiam illos, ſi, qui dederant, fidem non ſervaſſent, occidi atque trucidari poſſe. Verum enimvero de jure gentium interno, ſeu ipſius naturalis juſtitiæ dictamine, niſi par obſidum culpa acceſſerit, tale quid affirmare impium omnino foret. *Deficiunt* enim *hic fines pœnarum, cum ita nec emendetur delinquens, nec a ſimili delicti genere, ſed tantum ab ejusmodi tali fidejusſione deterreantur alii, nec etiam ſatis fiat læſo aut damnum paſſo.* Vid. Ziegl. *in Grot. II. XXI.* §. 11. Hinc certe heroicum vere illud Narſetis, ut & Scipionis laudatur exemplum, qui non in obſides innoxios, ſed in ipſos defectores armatos, ſævire maluerunt. Et pari quoque virtute, Carolum, Burgundiæ Ducem trecentos Leodienſium obſides dimiſiſſe tradit Bodinus *de rep. V. p.* 965. *quos tamen jure*, [Gentium videlicet externo] *necare potuiſſet, cum Leodienſes a fide defeciſſent.* Scilicet hic quoque locum invenit illud Agamemnonis apud Senecam *in Troade.*

*Quod non vetat lex, hoc vetat fieri pudor,*

Vel, uti idem id explicat Grotius *l. III. c. X.* §. *I.* æqui bonique, ſive ejus quod *æquius* (*b*) & melius eſt, reſpectus atque conſideratio. Si igitur obſides ſint de numero nocentum, vel clandeſtina atque exitioſa contra rempublicam agant cum civitate ſua conſilia, vel denique certo fallendi propoſito fidejuſſiſſe deprehendantur, interfici omni jure poſſunt. De innocentibus vero pœnam eandem expetere nequaquam permiſſum eſt. Vid. Grot. *III. XX.* 53. Fr. Victor. *Rel. VI. n.* 43.

LXIV. Obſidum dationi proxime accedunt legationes perículoſæ. Tametſi enim omni gentium jure publicæ legatorum ſecuritati optime cautum ſit, nec etiam ab hoſtibus miſſos, quamdiu vel officii ſui vel verecundiæ fines non exceſſerint, violare liceat ulli; [quin ne ipſo quidem talionis jure interfici aut male tractari eos poſſe, egregie, uti ſolet, *Grotius II. XIIX.* 7. (*c*) demonſtrat. Vid. & Beſold. *Pol. l.* 2. *c.* 8. *n.* 11.] miſerrimam tamen ſortem vitæque ipſius periculum & jacturam non ſemel eos incurrere, præter innumera alia, vel unicum illud inſigne Baſilii Moſc. tyranni docet crudelitatis exemplum. Cui atrocius longe aliud ex Bodino *de rep. l. c. p.* 967. ſubjungam de Helena quadam Ruſſorum Regina: *Hujus* etenim *nuptias cum Rex Prutenorum*

(*a*) *Obſides luant*) GROTIUS *de J. B. & P. lib. III. c. IV.* §. *XIV.*

(*b*) *Æquius*) GROTIUS *lib. III. c. XI.* §. *XVIII.*

(*c*) *Grotius II. XIIX.*) Qui tamen inviolabilitatem legatorum plus juſto extendit. COCCEJI *de legato inviolabili non impuni.*



Digitized by Google

*norum peteret, ipſa legatos viventes ac ſpirantes terra obrui juſſit; ac priusquam ad hoſtes fama perveniret, digniores legatos ad ſe mitti petiit; quod cum obtinuiſſet, hoſtium 50. principes & ſumma inter ipſos autoritatis ad ſe miſſos uno cremari & eodem incendio mandavit. Poſt etiam pacta matrimonium, convivii ſpecie hoſtium quinque millia, quos inebriari curaverat, trucidari juſſit: &c.* Quamvis autem hæc atque alia legatorum munere fungentibus ſæpius ſint metuenda, præſertim ſi hoſtibus iisque ferocioribus mittantur; nequaquam tamen ideo vel a ſuſcipienda legatione excuſabitur civis, vel quo minus ille ad exequenda imperata cogi poſſit, prohibebitur majeſtas civilis.

LXV. Cæterum, ex eodem hoc eminentiſſimo majeſtatis in civis dominio, Colonias quoque ducendi oritur jus & poteſtas: præſertim ubi vel ad ſecuritatem reipublicæ, vel ad eandem a *fæce* (*a*) otioſorum atque egenorum hominum purgandam, ejusmodi quid neceſſitas imperat. Ut enim illos tanquam bilem & pituitam ex corpore ejiciendos putabat Plato; ita quoque egenis referta civitas, motibus non raro graviſſimis eſt obnoxia.

*Magnum*, enim, *pauperies opprobrium jubet*
*Quicquid & facere & pati,*
*Virtutisque viam deſerit ardua.* Horat. *Carm. III. Od.* 2. 4.

Huic autem malo, ut mature medicina quædam adhiberetur, ſæpius adeo colonias ducendo, urbem metu & inutilium hominum pondere liberabant Romani. Eandem etiam ob cauſam Antipater, devictis Athenis, tenues omnes & quicquid egeſtate in motus pronum videbatur, ad viginti millia in Thraciam eduxit. Et Cicero de lege Agraria ita ſe cenſuiſſe ait: *ut agrorum diviſione conſtituta, ſentina urbis exhauriretur & Italiæ ſolitudo frequentaretur.* Quæ certe ratio, quemadmodum ad levandam rempublicam apprime utilis eſt, ita & ad eandem augendam interdum atque excolendam plurimum confert. Neque enim id agimus, ut in diſſitiſſimas terras, longius a matrice urbe remotas transferantur cives. Vix enim ullum inde emolumentum ſperari poterit. Quin, ſi frequentius tale quid uſurpabitur, incolis tandem omnis deſtituetur civitas atque regio. Igitur in propinquo, nec quantum fieri poteſt, extra provinciam mittendæ erunt coloniæ; id quod exactiori trutina penſiculati Romani, plures in Italia, quam in reliqua imperii ſui parte, poſuerunt colonias, primaque earum anno demum ab U. C. ſexcenteſimo in Africa Carthaginem, in Gallia vero Narbonam fuit deducta. Vid. Boteri *Pol. Illuſtr. l. VI. c.* 4. De coloniis autem uberius diſſerentem vide Dominum Præſ. *in animadv. ad Machiav. Princ. cap.* 3. *p.* 24. *& ſeqq.* item Fr. Verulamii Serm. Fidel. ubi *de plant. popul.* Queis propter affinitatem materiæ addi etiam poterunt, quæ de excludenda vel emittenda ex obſeſſa civitate imbelli hominum turba, *in Commentario ad Vegetium de re milit. l.* 4. *c.* 7. diſſerit Godeſcal. Stewechius, *p.* 401. *& ſeq.*

LXVI. Quemadmodum vero hac ratione exuberanti civium multitudini interdum medetur reſpublica; ita forte ex adverſo non parum momenti ad ſupplendum incolarum defectum afferet, ſi reſtricta quodammodo nimia fere illa peregrinandi licentia, cives diutius patria abeſſe, vel in alieno ſolo domicilium figere legibus quandoque prohibeantur. Non quidem hic cum magno illo Spartanorum duce Lycurgo, omne prorſus cum exteris nationibus interdictum volumus commercium; Neque etiam illam probamus Platonis ſententiam, qui ſolos quinquagenarios inter alienigenas verſari voluit: Illud tamen maxime cavendum in civili ſocietate arbitramur omnino, ne longiori itinere cives detenti, vel Patriæ amorem atque deſiderium paulatim amittant, vel peregrinis moribus imbuti, graviſſima ſæpe cum iis damna civitati ſuæ inferant. Et vero exhauſtæ urbis Romæ frequentiæ hac inprimis ratione jam tum ab ipſo Jul. Cæſare ſubventum fuiſſe, tradidit Suetonius, dum octoginta civium millibus in transmarinas colonias diſtributis Cæſarem ſanxiſſe refert. *Ne quis civis major annis viginti, minorve quadraginta, qui ſacramento non teneretur, plus triennio continuo Italia abeſſet; neu quis ſenatoris filius, niſi contubernalis aut comes magiſtratus, peregre proficiſceretur &c.* Vid. Sveton. *Jul. Caſ. c.* 52. Simili etiam modo ipſum M. *Moſcoviæ ducem*, (*b*) & ſecuritati imperii ſui, & ſubjectorum præterea abundantiæ conſulere hodieque videmus. Vid. *deſcr. Moſcov. operis Elezevir. p.* 168. *& ſeq.* Ut & Boteri *Rel. p.* 38. & Dominus Præſ. *de eadem rep.* Uti vero hoc deſpotico inprimis regimini maxime prodeſt, ita & in aliis quibusvis rebuspublicis, quas forte civium penuria laborare contingit, omnino tale quid ſancire poterit majeſtas vi poteſtatis, qua in vitam & perſonas ſubditorum ſuorum pollet.

LXVII. Omnium tamen maxime in civium ſuorum *alienatione*, (*c*) hanc ſupereminentis dominii poteſtatem majeſtas civilis exſe..it. Licet enim hic objici ſoleat: Homines liberos in commercio non eſſe, ideoque nec ulla ratione ſervorum ac mancipiorum more vendi aut permutari eos poſſe. Omnes vero civiles ſocietates populi inprimis, non autem imperantium utilitatem reſpicere oportere. Quibus denique illud accedit, quod non proprietarii, ſed tantum nudo adminiſtratoris & diſpenſatoris titulo bona reipublicæ ſummus magiſtratus poſſideat. Vid. Althuſ. Pol. cum alibi paſſim, tum inprimis *cap.* 37. *&* 52. & Tholoſanus *de republ. l.* 3. *c.* 8. *n.* 1. Uſus tamen fere quotidianus ſatis ſuperque edocet, non ſolum unam aut alteram corporis politici partem, verum

(*a*) *Fæce*) Duplex coloniarum deductarum finis fuit, unus ut eo melius loca occupata in Romanorum fide conſervari poſſent, alter, ut civitas ſeſe a pauperibus inquietis & corruptis exonerare poſſet. PIGHII *annal. roman. tom. I. p.* 422. KIPPINGII *antiquitates romanæ p.* 566. *lib.* 2. *c.* 5. Et poſterior hic finis, una cum aliis, expeditionibus in terram ſanctam propoſitus fuit.

(*b*) *Moſcoviæ Ducem*) GROTIUS *de J. B. & P. lib. II. c. V. §.* 24.

(*c*) *Alienatione*) De hac quæſtione, ad libr. *de finibus imperii* egi.

Digitized by Google

verum etiam integras ſæpe regiones atque gentes, per donationis, venditionis, permutationis item atque ſucceſſionis hereditariæ contractus, aliaque pacta conventa alienari, & quaſi de uno in aliud dominium ſubinde tranſire. Sic populum romanum regni ſui heredem reliquerat Attalus, nec alio etiam titulo Bythiniæ acceſſione crevit romana potentia. [Liv. *Epit.* 50. *&* 93.] Tacitus quoque *Annal.* 14. *c.* 18. idemque Livius *Epit.* 70. Apionem Cyrenarum regem pari modo ditiones ſuas tradidiſſe romanis memorant. Et præter hæc alia ſexcenta hujus rei exſtarent exempla, quæ quidem omnia hic loci adducere velle, nihil aliud foret, quam Soli, quod ajunt, meridiano lucem fœnerari. Vid. modo Grot. *l. III.* 12. *& in not. ad eund. loc.* Et Annot. *in Hipp. a Collib. Princ. c.* 3.

XXIIX. Enim vero non ſolum omnis ævi hominibus recepta atque uſurpata, & noſtris quoque moribus comprobata eſt hæc cives alienandi poteſtas, ſed nec cum ipſo naturæ, & quod idem eſſe dixeris, divino jure pugnare ea poteſt. Probat hoc inprimis illa 1. *Reg. IX.* a Salomone Hiramo facta viginti urbium traditio, quas paulo ante dotis loco idem a ſocero ſuo Ægypti rege acceperat. Non quidem expreſſe in hanc alienationem DEUS O. M. conſenſit, aut factum illud Salomonis usquam probavit; ſed nec prohibuit. Quod ipſum certe vel tacitum ſaltim ſupremi numinis conſenſum evidenter ſatis arguit. Odit enim omne iniquum DEUS, & juſta gravique vindicta ſcelerata mortalium facta ulciſcitur. Itaque vel ſevera quadam ultione Salomonem reprehendiſſet, vel certe ab incepto revocaſſet, ſi quicquam hac in re contra fas æquumque facturum eundem intellexiſſet. Sed de traditione XX. illarum urbium prolixius contra Franciſcum Hottomannum vide Böcler. *in Grot. l. III.* 12.

LXIX Quod autem *primo* objici ſolet, Liberos homines in commercio non eſſe: Illud certe, ut nec omnino negari, ita nec ſine juſta quadam interpretatione facile admitti debet. Principio enim notandum eſt, fieri utique poſſe, ut qui reſpectu hujus vel illius liber ſit ac ſui juris, idem reſpectu alterius, [nempe ſuperioris] non omni ex parte liber exſiſtat. In ſocietate videlicet paterna & conjugali, uxor & liberi extra hoc vinculum conſiderati, non minus ac reliqui homines libertate ſua naturali gaudent, cum tamen illa maritum, hi vero parentem, diverſo licet cultu atque obſervantia, proſequi, imo ſervire eisdem quodammodo teneantur. Hinc etiam Ariſtoteles *I. Pol. IIX. & paſſim*, Marito in uxorem civile quoddam imperium, parenti vero in liberos regium competere dixit. Nec aliud etiam omnis illa probat patria poteſtas, quæ filium oppignorari, & ſi neceſſe fuerit vendi quoque a parentibus, certo tamen caſu permittit. Vid. Grot. *II. V.* 5. *& annot. ad eund. l.* it. Ziegler. *ibid.* Ex quibus ſane facile apparet, cives, utut inter ſe pari & eadem libertate fruantur, ratione tamen reipublicæ & ſummæ poteſtatis, etiam non omnino liberos dici interdum poſſe. Neque vero illud *porro* largiri cuiquam facile poſſumus, omnem populum ſui juris eſſe atque liberum. Uti enim is liber dici non poteſt, qui alterius poteſtati & imperio ſubeſſe cogitur: ita nec integer aliquis populus, qui in ditione alicujus eſt, ſui quoque omnino juris cenſeri debet. *Tametſi* enim *ille omnis non ſerviat infimam ſervitutem*, *in quantum tamen caret juribus majeſtatis*, *quadamtenus ſervit*, *& eſt in poteſtate imperantium.* Vid. Magn. Dominus Præf. *lib. de fin. Imp. Germ. c. XIX.*

LXX. Denique etiam omnino negamus vera eſſe, quæ magni licet nominis JCtus Ferdinandus Vaſquius aſſerit, & inſtar normæ atque regulæ actionum civilium proponit. Etenim ſic ille *Controv. Illuſtr. l. c. I.* §. 10. *Omnes omnino*, ait, *principatus*, *regna*, *imperia*, *potentatus legitimos*, *legum & hominum*, *ob publicam ipſorum civium utilitatem*, *non etiam ob regentium commoda inventos*, *creatos*, *receptos admiſſosque fuiſſe &c. non ſecus quam reliquos etiam magiſtratus.* Vid. idem Vaſqv. *ibid. c.* 2. *&* 3. *& alibi paſſim.* Verum enim vero, ut nunc taceam, non ſine præſentiſſimo reipublicæ atque majeſtatis periculo hæc & ſimilia affirmari poſſe; notum certe cuivis & extra omnem controverſiam eſt, præter eas, quas rectas nominare ſolemus rerumpublicarum ſpecies, alias nec tamen injuſtas reperiri, in quibus imperantium ſalus primario, ſecundario vero, & non niſi per accidens, ſubditorum utilitas quæritur. Ariſtoteles certe III. *Pol. IV. & V.* eleganter admodum eas *παρεκβάσεις τῶν ὀρθῶν πολιτειῶν*, *i. e. labes ſive migrationes atque exitus e rectis rebuspublicis* appellat. Quæ quidem voces, licet minus bonam & depravatam denotent rempublicam, non tamen iniquam ſemper arguunt regiminis formam. Quin imo tantum abeſt, ut cum ſubditorum injuria conjuncta ſemper eſſe ejusmodi imperia poſſint, ut potius juſtum interdum quibusdam populis ſit atque utile ſervire, & ſub dominico vel herili vivere imperio. Vid. Ariſtotelis I. *Pol.* III. Add. etiam quæ de continuanda ſervitute diſſ. Gislen. Busbequ. *Ep. Turc.* 3.

LXXI. Sed nec in melioribus iſtis, vel ut alias dici ſolent, civilibus rebuspublicis hæc alienandi facultas majeſtati deneganda erit, cum quicquid in ſua, ut ita dicam, republica quilibet Paterfamilias poteſt, idem & longe etiam majora in illis quoque ſummis poteſtatibus licere nemo dubitet. Neque etiam illud uſque verum eſt, quod idem Vaſquius *cap.* 3. §. 8. *l. c.* innuit, Deteriorem ita partis abalienatæ ſortem reddi. Fit enim omnino interdum, ut durum illa & grave imperium cum molli & benigno ſatis domino permutet; nec rara hæc eſſe ſolet quorundam populorum felicitas, qui vel ingenti rerum inopia preſſi, vel diuturna bellorum clade defatigati, vel alia denique fortunæ vi coacti, ſub novo tandem regimine meliorem longe rerum ſuarum conditionem feliciter fuere adepti. Ipſa præterea extrema ſæpe neceſſitas jubet atque imperat, ut populi ſui partem, licet invitam, hoſtibus longe potentioribus cedat respublica. Neque hic attendendum erit, an pars alienata, vel reliquum illud civilis ſocietatis, detrimenti aliquid inde percipiat. Quemadmodum enim levi unius membri ſectione totius humani corporis ſalus ſæpe ſervanda eſt; ita quidem nihil omnino prohibet, quo minus aliqua reipublicæ parte amiſſa,

com-

communi omnium bono atque ſecuritati conſulatur. In alienatione vero civium, non illud ſemper ab iis, qui reipublicæ præſunt, agi ſolet, ut quos alienaverint, iisdem noceant. Exceptis enim illis, quas diximus, corruptis & herilibus rebuspublicis, nihil in reliquis ſponte ſua ſumma poteſtas agit atque decernit, unde civibus damnum aliquod creari poſſit. Quod autem tali in caſu civium nonnulli minus æquam conditionem ſubire cogantur, illud certe non tam imperantium culpæ, quam temporum iniquitati erit tribuendum.

LXXII. Ut autem ad ea tandem deveniam, quæ eodem hoc eminentis dominii jure in bona & poſſeſſiones civium ac reipublicæ majeſtatis civilis poteſt; ante omnia quoque de harum alienatione quædam ſunt dicenda. Neque enim ſemper ſubditos una cum fortunis eorum alteri cedit reſpublica, vel cum bonorum poſſeſſione imperium, quod in cives habebat, transfert in alium, ſed his in fide retentis, ſola interdum prædia aliis, præſertim potentioribus, tradit. Imprimis vero in memoriam revocanda nobis erunt, quæ de bonorum cujuslibet civilis ſocietatis diviſione eorumque ſub imperio majeſtatis ſubjectione, a th. 39. ad 45. generatim diſſeruimus. Nimirum ſatis jam tum oſtenſum eſſe a nobis arbitror, privata dominia, queis merito eccleſiaſtica quoque magnam partem annumerare licet, ſupereminenti reipublicæ poteſtati ſemper ſubeſſe. Præter has autem civium poſſeſſiones publica etiam quædam civitatis bona exiſtunt, quæque vel ſacris eccleſiæ uſibus proprie conſecrata, vel fiſco & domanio Principum atque imperantium ſunt deſtinata. Omnia hæc alienari interdum ab iis, qui ſuprema & independente pollent in republica autoritate, poſſunt.

LXXIII. Et quidem de temporalibus ſubditorum bonis longe hæc manifeſtiora ſunt, quam ut prolixa indigeant probatione, cum quælibet illa ſaluti publicæ devincta eſſe fateantur omnes. De iis tamen, quæ ad eccleſiam pertinent, major oritur dubitatio: quanquam & in his dominium aliquod eminens ſummæ poteſtati civili competere, abunde, ni fallor, probavimus. Quo autem hæc clarius eluceſcant, obſervandum omnino eſt inſigne bonorum, quæ vulgo eccleſiaſtica, ſpiritualia & ſacra dicuntur, diſcrimen. Neque enim omnia, quæ eccleſia vel perſonæ eccleſiaſticæ poſſident, nomine iſthoc indigitari promiſcue debent. Sunt enim revera hæc in triplici quadam differentia, ut non immerito quædam eccleſiæ, quædam eccleſiaſtica, quædam denique eccleſiaſticorum bona appellari mereantur. Et vero non omnia iſthæc ſacra eſſe facile patet. Quemadmodum enim I. inter eccleſiaſticos quidam præter ſacra rebus etiam ſeculi non raro incumbunt; ita & vel hoc ſaltim reſpectu ab iis poſſeſſa ſecularibus reipublicæ rebus omnino ſunt accenſenda. Sic v. g. quæ in Germania epiſcopis atque abbatibus imperii per *annulum aut vexillum* (a) conferuntur bona, ut vocant, regalia, quæque magna ex parte canonici, præſertim irregulares, poſſident, ad eccleſiam ejusque poſſeſſiones non pertinent. Dum enim feudi nomine illa *ab Imperatore* (b) accipiuntur, nihil quoque eo ipſo a reliquis ſecularium Principum bonis differunt. Hinc etiam, ſi quando alienari ea, vel aliis laicis, concedi urget neceſſitas, reipſa heic nihil detrahitur eccleſiæ, neque etiam ſtatum ſuum mutant hac ratione alienata, cum aliis, quam quibus antea dicata fuerant uſibus, non adhibentur.

LXXIV. Idem quoque fere II. de rebus eccleſiaſticis, ſeu quæ ornamento potius & augmento eccleſiæ, quam ſacris inſerviunt, exiſtimandum. Conſtituunt enim hæc veluti ſacrum quoddam reipublicæ ærarium, unde neceſſitatibus publicis ſubveniri etiam ad profanos interdum uſus licet. Tametſi enim plerumque bona illa certi cujusdam finis gratia, additis etiam diris & tremendis exſecrationibus, eccleſiæ ſint initiata; [Vid. *Traditiones Fuldenſes edit.* a Joh. *Piſtorio* (c) *T. III. Scriptor. Germ.*] ſemper tamen ſubintelligendum eſt, ſalvo ſupremo reipublicæ jure factum hoc eſſe, cui certe ab hominibus pleno rerum ſuarum dominio deſtitutis, nihil quicquam hac ratione eripi vel præjudicari potuit. Quin ea etiam III, quæ cultui divino immediate ſunt ſubjecta, quæque proprie eccleſiæ & ſacrorum bonorum nomine veniunt, exigente hujus & reipublicæ neceſſitate, in alios uſus impendere licet, imo hoſtibus pro redimenda pace tradere. Liquet hoc evidentibus ſatis cum ſacræ hiſtoriæ teſtimoniis, 1. *Reg.* 15. *it* 2. *Reg.* 12. & 16. 18. tum etiam ipſorum romanorum Pontificum exemplis. Neque inter præſtantiſſimos etiam pontificiæ doctrinæ Theologos quisquam, credo, abſolute tale quid negare auſus eſt. Sane Clementem VII. pretioſiſſima quæque eccleſiæ conflari, indeque pecuniam cæſarianis militibus diſtribui juſſiſſe, auctor eſt Continuator Platinæ Onuphrius Panvinius *in Vita Clementis*. Idem quoque Pontifex paulo etiam poſt Ferdinando, Bohemiæ regi, præter tributum eccleſiaſticis imperatum, ut omnia totius Germaniæ templorum ornamenta & quicquid eſſet auri atque argenti, ad bellum Turcis inferendum ſumeret, conceſſit. Vid. Sleidan. *de ſtatu relig. l. 7. p.* 170. Omittam nunc illud prolixius agere, an citra Pontificis conſenſum bona eccleſiæ alienari poſſint; quod ne inter ipſos quidem ejus aſſeclas hactenus convenit. Præterquam enim quod jam tum ſupra demonſtravimus, Dominium Papæ eminens in bona & perſonas eccleſiæ nullum omnino eſſe agnoſcendum: certe ne quidem diſſenſum romani Pontificis in bonorum ſacrorum alienatione attendi, acta inprimis pacis proximæ monaſterienſis abunde docent. Nam cum in illius confectione an. 1648. de pluribus archiepiſcopatibus, epiſcopatibus, monaſteriis, canonicatibus &c. Principibus, uti appellabant, Acatholicis tradendis actum eſſet, quamvis inuſitato exemplo bis eodem menſe per Nuncium apoſtolicum Fabium Chiſium proteſtatus Pontifex, tertio itidem poſt con-

ditam

(a) *Annulum aut vexillum*) Hic ritus ab uſu receſſit, & ſolet tam eccleſiaſticorum, quam ſecularium inveſtitura mediante enſe fieri.

(b) *Ab Imperatore*) Nihilominus puta ea eccleſiaſtica manere, quia eccleſiæ data ſunt, & eccleſiaſtici ea habent.

(c) *Piſtorio*) Quibus aliæ addendæ, quas nuper CHANATUS vir doctiſſimus, abbatiæ fuldenſis archivarius, edidit.

Digitized by Google

ditam pacem anno, peculiari Bulla irritam hanc & veluti *per non habentes poteſtatem temere contractam* pronunciaret: Manſit tamen eadem omnium imperii, tam eccleſiaſticorum, quam ſecularium Principum concors & communis ſententia, paxque Germaniæ & orbi univerſo chriſtiano reddita, integra, dum fata volebant, ſtetit atque intemerata. Vid. *in Bull. Innoc. X. P. Animadv.* Domini Præſidis, quibus add. *tractatus ejusd. de Pace ſect. 2. concl. XIII. & XV.* Ut ergo in viam redeam, omnino etiam *bona eccleſiæ*, (*a*) exigente publica rerum neceſſitate, alienari & uſibus quoque reipublicæ profanis applicari poſſe conſtat. Sive igitur miles ſit conſcribendus, ſive pacem ingenti pecuniæ vi ab hoſte redimere, vel ad hunc opprimendum aliorum opem implorare fuerit coacta civitas &c. (modo non ad luxum aut aliam rem nullius fere uſus adhibeantur,) quædam etiam ex hoc ſacro reipublicæ ærario depromi juſtiſſimum ſane erit. Optime enim hanc in rem edixit S. Ambroſius: *Aurum eccleſiam non habere ut ſervet, ſed ut ſubveniat in neceſſitatibus, maxime vero publicis.* Confer ea, quæ habentur in tract. Domini Præſidis *de pace ſect. I. hypoth. VI. VII. IX. & ſect. II. concluſ. V. usque ad XIII.*

LXXV. Antequam vero hinc abeam, verbo tantum quædam de *alienatione domanii*, (*b*) ſive bonorum regii, ut vocant diadematis, addam. Certe neque hæc alienari a principe poſſe, præter Vaſquium *Controv. Ill. l. I. c. IV. n. 5.* alii, inprimis Tholoſanus *de republ. III. 8. n. 2. & ſeqq.* volunt. At vero falſam illam [cui hæc innititur ſententia] Vaſquii hypotheſin theſi modo 70. rejecimus. Neque etiam ea, quæ fundamenti loco congeſſit Tholoſanus, rem omnem expediunt. *Primo* enim nihil ille aliud agere videtur, quam ut extra rempublicam bona domanii transferenda non eſſe probet. Cum autem ſubditis quoque poſſeſſio bonorum illorum concedi interdum ſoleat, vel hoc ſaltim caſu quid ſentiendum ſit, dubitari adhuc poſſet. *Præterea* vero differentiam regnorum vel ſtatuum monarchicorum idem non attendit, dum bona hæc patrimonialia ſine diſcrimine a populo Regibus commiſſa, ideoque reſtitutioni ſubjecta eſſe, affirmat *n.* 3 & 4. Nec *denique* quicquam huc faciunt, quæ *n. 7. ibid.* de indiviſibili Regum dignitate & juribus huic annexis ſubjiciuntur. Eſt enim omnino in poteſtate alienantis, quousque parte bonorum alteri cedere velit. Et quocunque tandem modo fiat alienatio, integra tamen remanet in reliquis Principum majeſtatis autoritas.

LXXVI. Ut igitur paucis me abſolvam, notum omnino cuivis eſt, perinde ut aliarum rerumpublicarum, ita & regnorum varias exſiſtere ſpecies, quas vide in diſſ. Domini Præſid. *de different. regnorum*, & ex parte etiam *III. Pol. Ariſt. c. X. & XI.* Omnes autem ad duo potiſſimum genera referri non incommode poſſunt. Aut enim ab unius ſolius Principis arbitrio abſolute omnia dependent, aut legibus interdum circumſcripta eſt Regum poteſtas. Jam vero in regnis mere monarchicis non minus atque alia hæc quoque domanii bona Regibus propria ſunt, ideoque & in ſola illorum poteſtate & voluntate poſitum, alienari ea velint, an non; niſi forte legibus familiæ, ne quid ſucceſſoribus ſuis præjudicent, ab hac alienatione prohibeantur; quæ tamen leges neque abſolutam minuunt illorum potentiam, neque populo jus ullum reſiſtendi præbere poſſunt. In iis autem, quæ ſecundum leges adminiſtrantur, regnis, duplex iterum oritur conſideratio. Vel enim bona hæc ſolo percipiendi jure a republica Reges accipiunt, vel vero per ſe quædam poſſident patrimonialia, quæ non ſunt reipublicæ, ſed immediate regali imperio ſubjecta. Accurate hæc diſtinguit Tholoſanus *de rep. l. 3. c. 2. n. 9.* in publicum & privatum domanium. Et certe hujus generis quæ ſunt, de iis, quin pro lubitu diſpenſare Rex, quantumvis legibus reipublicæ adſtrictus poſſit, dubium non eſt; In reliquis vero minime eadem, præſertim ubi legibus, ne diſtrahantur, cautum eſt, licet. Vid. leges provinc. Suecic. *Konungz. B. cap. 2.* §. 1. & *cap. 4.* §. 5. It. annot. ad Hippol. a Collib. Princip. *c. 2. p. 26. & ſeqq.*

LXXVII. Atque hæc etiam de alienatione bonorum reipublicæ. Proximum eſt, ut de *tributis & vectigalibus* (*c*) nonnulla ſubjungam. Et quidem ſine juſta tributorum exactione nullam vere rempublicam conſiſtere poſſe, Tacitus *Hiſtor. IV. cap.* 74. probat, dum, *Neque quies gentium*, ait, *ſine armis, neque arma ſine ſtipendiis; neque ſtipendia ſine tributis haberi poſſunt.* Videlicet hi illi nervi ſunt rerum tam pacis, quam belli tempore, gerendarum, quibus deſtitui regna & civitates, ſine certiſſimo ſtatus & ſalutis ſuæ periculo nequeunt. Quocirca vel in florentiſſimis etiam quibusvis rebuspublicis tributa ſæpius erogari, ærarioque publico addita recondi ſolent; ut vel inde uſus & neceſſitas illorum abunde appareat. Cæterum majoris longe indaginis hæc ſunt atque alia, quam ut digne pertractari nunc quidem a nobis poſſint. Quare vel ſolius Tullii prudentiſſimum hic omnibus commendo conſilium, eleganter ſane hunc in modum *II. Offic. ſub fin.* dicentis, ubi, *Omnino danda eſt*, inquit, *opera, ne propter ærarii tenuitatem aſſiduitatemque bellorum, tributum ſit conferendum: idque, ne eveniat, multo ante erit providendum. Sin qua neceſſitas hujus muneris alicui reipublicæ obvenerit, danda erit opera, ut omnes intelligant, (ſi ſalvi eſſe velint) neceſſitati eſſe parendum.* Inprimis vero honeſtiſſimum pariter atque utiliſſimum reipublicæ id erit tributi vel vectigalis genus, quod rebus ad delicias, *luxum* (*d*) & libidines ſubditorum

(*a*) *Bona eccleſiæ*) Et ſacra ob reipublicæ utilitatem alienari poſſe, docent HENNINGES & RHETIUS *in diſſertat. de ſecularisatione.* Quod ſi enim ad redimendos captivos alienari poſſunt, quidni hoc fieri poſſet ob reipublicæ ſalutem redimendam.

(*b*) *Alienatione domanii*) Domanialia bona in regnis, populi conſenſu, aut antecedente, aut ſubſequente, delatis, regulariter alienari non poſſe, ad librum de finibus imperii docui.

(*c*) *Tributis & vectigalibus*) Jus tributorum & vectigalium ex ordinaria Principis poteſtate fluit, & ſic non eſt neceſſum, ut ad dominium ſupereminens referatur. vid. BOECLERUM *de domin. eminente p.* 90. & ARNIS. *de jure majeſtatis lib. 3. c. II.*

(*d*) *Luxum*) vid. BESOLD. *de ærario.*



Digitized by Google

torum ſpectantibus imponitur. Quo de vid. Hipp. a Collib. *Princ. c.* 24. *p.* 377. *& ſeqq.* & Bod. *de rep. VI.* 2. nec non D. Præſ. *diſſ. de ærar. boni Principis th.* 61. Neque etiam minus juſtum exigitur a quibusvis iter facientibus mercium aut perſonarum vectigal. Cujusmodi ſunt licentiæ, pontivegia, paſſagia, portoria, item atque telonia &c. quæ quidem non minus a civibus cujusque reipublicæ, quam exteris advenis, imperantur. Porro præter tributa iis rebus impoſita, queis vel commode carere ſubditi poſſunt, vel quæ ſine aliquo reipublicæ detrimento exportari nequeunt, huc etiam referri merentur ea, quæ de rebus quibusvis conſumtibilibus, inprimis vero, quæ ad victum quotidianum requiruntur, (Germ. Accis-*Gelder*) exiguntur. Quibus denique omnibus ordinaria etiam tributa, (capitationem puta cenſus, atque collectas &c) accedunt.

LXXIIX. Omnia ſane hæc & longe etiam plura pro diverſa rerum & temporum varietate, vi ſupereminentis in bona ſubditorum poteſtatis exigi in republica poſſe, nemo dubitat. Interim illud hic inprimis cavebunt optimi quilibet rerumpublicarum rectores, ne juſto acerbius pecuniis civium conquirendis plus ſibi invidiæ, quam virium, attrahant. *Uti enim nec ſtomacho prodeſt, ſi una vice ita ingurgitetur, ut rumpatur* &c. *ita nec Principis commodum eſt, omnia ſemel ad eum deferri, & magis ut multa habeat, quam ut multum & diu poſſideat, laborare.* Vid. Acat. Enenkel. *Sejanus cap.* 3. *Adulterinum* enim *aurum eſt*, inquit in panegyri ſua Plinius, *quod cum ſubditorum lacrymis colligitur.* Et plena omnis ævi ſunt hiſtoriarum monumenta, funeſtiſſimorum ex Principum avaritia motuum & ſeditionum exemplis. Vid. Tholoſ. *de rep. l. XXII. cap.* 12. & Arniſ. *Tom. I. Pol. l.* 2. *c.* 4. *p.* 198. aliosque. Solent quidem in devictis præſertim populis ſæpius reiterare tributa victores, ut ſcilicet exhauſto omni ſeditionum fomite atque adminiculo facilius illi coërceantur; quale quid inter alia in ſubjugando Belgio tentaſſe Albanum, memorant Nicolaus Burgundus & Fam. Strada in *Hiſt. Belg.* Verum an ſemper ejusmodi atque alia violenta conſilia ex voto ſuccedant, vel unicus ille infelix imperii albanici eventus dubitare nos omnino jubet. Neque enim vere minus quam prudenter omnia hæc obſervarunt paulo ante laudati Hiſtorici, quorum ille *p.* 344. *edit. Ingolſtad. Albanus*, inquit, *nullo neceſſitatis prætextu vectigalia augendo, res priſcas novare, vimque regiam intendere arbitrabatur. Populo certe nimia libertate innutrito aliis artibus imponere debuerat &c.* Hic vero in eadem hiſtoria *lib. VII. p.* 243. *& ſeq. Patuit ſane*, ait, *quam acre telum ad rebellandum ſint tributa, cum graviora populis aliunde commotis imperantur.* Et paulo poſt: *Supplicia*, inſit, *paucorum ſunt, quantumque multitudinem odio ſtimulant, tantum metu retardant. At vero tributum propria cujusque jactura ducitur, qua qui ſe gravius premi vident, cum re projiciunt quoque metum, nullaque futurorum diſcriminum cura avertendæ præſenti tantummodo injuriæ viam quærunt.* Certe per inopiam & ſubtractionem fortunarum ſubditos ad obſequium perducere, idem omnino videtur Trajano Boccalino *Rel.* 67. *cent. I.* ac hominem hydropicum curare multo potu. Add. his, quæ contra Machiavellum, atrocia quæque novis præſertim Principibus ſuadentem, diſputat Magnif. Dominus Præſes *in animadverſ. ad eundem cap. VII. & ſeqq.* Ne igitur his quoque diutius immorando tempore & patientia B. L. abutar, ultimo tandem loco præter illud Ciceronis præceptum *th. præced.* adductum aliud quoque ejusdem farinæ addam Joſephi Acoſtæ *lib. III. de promulg. Evang. ap. Indos cap.* 10. Ita vero ille, *In lege*, monet, *ferenda oneroſa, præſertim finis ipſe inſpiciatur, atque penſionis tantum imponatur, quantum fini propoſito congruit. Tum vero in diſtribuendis ejusmodi oneribus, proportionis æqualitas conſervetur &c.* Ita ſcilicet, ut in pauperibus ignavia, induſtria in divitibus exaſperetur.

LXXIX. Tranſeam nunc reliqua, quæ mero ac ſolo eminentis dominii jure de bonis civium & reipublicæ quotidie fere ſancit & decernit majeſtas. Pertinent certe huc jura præſertim omnia *pupillorum* (*a*) atque impuberum, quorum illa tutelam atque curam vel ipſa interdum ſuſcipit, ut in Anglia, (Vid. Bot. *Rel. de regno Angl.*) vel per alios etiam gerit; quo ſpectat inprimis tutela dativa & ex parte legitima atque teſtamentaria, de quibus vid. Dominus Præſes in *Colleg. manuſcr. ad Lampad. p. III. c.* 4. Porro leges teſtamentariæ, & familiæ herciſcundæ &c. Item de his, quibus alienare liceat, vel non; de bonorum poſſeſſionibus, acquiſitionibus, venditionibus; de interdictione bonorum prodigis, furioſis aut mente captis facta, quatenus ſcilicet reipublicæ intereſt, ne quis re ſua male utatur. Denique huc etiam refero jura detractus, ut & poteſtas prædia hortos & ædificia civium diruendi, ne vel defenſioni publicæ impedimento, vel hoſtibus receptui aut ſuſtentationi eſſe poſſint: Et ſimilia. Verumenimvero, ne nimium moles diſſertationis hujus excreſcat, omiſſis his atque aliis, quæ forte de eminentiſſima ſummarum poteſtatum in bonis civium facultate adhuc dicenda reſtarent, tandem quoque de juribus & privilegiis ſubditorum, (qualia ſunt exemtiones & immunitates ab oneribus publicis, monopolia &c.) quatenus & hæc civili poteſtati ſubſunt, paucis ſolum theſi ſequenti agam.

LXXX. ET vero omnia etiam hæc, quoniam non niſi ſalvo jure ſuperioritatis conceduntur, [Reinking *de Reg. ſec. & eccleſ.* I. 4. 19. *n.* 135.] ut ſcilicet tamdiu durent, quamdiu id ferat uſus & neceſſitas reipublicæ, flecti, reſtringi & tolli etiam omnino interdum poſſunt. Fateor equi-

(*a*) *Pupillorum*) Neſcio, quid autor hic ſibi velit. Nam conſtitutio tutorum non ad dominium ſupereminens, per quod privato cujusdam juri nocetur, ſed ad ipſum jus majeſtaticum, ſive imperium ſpectat. Intereſt enim reipublicæ, ut bene educatos & non egenos habeat cives igitur capiti ejus incumbit, aut per ſe, aut per alios curare, ut impuberum perſonæ & bonis proſpiciatur. Autor forte hic loquitur de more a Wilhelmo illo Conquæſtore introducto, quod pupillarium bonorum reditus ad Regem pertinerent, usque dum hi vigeſimum ætatis annum abſolverint. Hoc refert BOTERUS *p.* 24. *rel.* ad quem autor provocat.

Digitized by Google

equidem, quemadmodum nulla ratione temere quid concedi civibus aut etiam aliis oportet, unde vel inſigne aliquod publicæ rei detrimentum creari, vel quod repentinam quandam abrogationem requirere videatur: ita nec ſemel conceſſa, niſi prævia deliberatione, & ubi tale quid jubeat vis major neceſſitatis bonique publici, frangi atque revocari debent. Detrahit enim majeſtati ſplendorem frequens & ſubita legum omnis mutatio. Quibus cum non immerito jura etiam privatis conceſſa annumeranda ſint, quid quæſo indignum magis tanto faſtigio dici vel excogitari poteſt, quam quæ modo placuerant, eodem fere temporis momento exſtingui rurſus atque deleri? Interim tamen, ſicuti leges mutare, præſertim ſi vel impares illæ flagitiis exſtent, vel inutiles eas fecerit ſeculi conditio, vel denique alias ferri tempora poſtulent, interdum cogitur civilis majeſtas; ita certe etiam illius poteſtati relictum ſemper eſſe debet, non ſecus de his ac de bonis & perſonis civium pro ſalute publica diſponere. Si enim in præjudicium alterius ſubditi non valet conceſſum privilegium, per quod ſcilicet, res uni donata alteri poſſidenda traditur &c. [Vid. Vaſqv. *Controv. Ill. Tom.* 2. *l.* 1. *cap.* 2. *n.* 4.] quanto magis civibus quibusdam *adimi* (*a*) illud denuo decet, quod ſine præſenti reliquorum damno aut injuria retineri ab iis nequit? Et certe cum ſumma atque præcipua omnium lex eſſe debet *ſalus reipublicæ*, quicquid etiam huic adverſari in republica videbitur, tolli omnino & poteſt & debet. Quin imo hac eadem de cauſa non ſolum civibus, ſed & exteris quoque, data privilegia revocare æquum & juſtum eſt. Hinc etiam cum ſuperioris ſeculi anno 23. Lubecenſibus Dantiſcanis conceſſa privilegia regno & civibus extreme pernicioſa eſſe, Divus GUSTAVUS I. animadverteret, omnes illas immunitates, & quæ ab eo uſque tempore exhauſto regni Suecici ærario quaſi extorta ſoli fere illi exercuerant monopolia, anno 1534. retractavit, factaque omnibus exteris liberrima regnum illud adeundi copia, commerciis pariter atque ærario bonoque publico optime proſpexit. Vid. Chytr. Saxon. ad eund. ann. *&* *l. XXIII. p.* 678. *it.* Locen. *Hiſt. Suec.*

LXXXI. Cæterum, perſpectis hac ratione omnibus etiam iis, vel ſaltem pleriſque, quæ in efficientis atque materialis cauſæ tractatione erant conſideranda, reliquum eſt, ut ad *formalem & finalem* denique dominii eminentis cauſam accedam. Illam igitur quod concernit, præter conſenſum civium, quem una cum reſtitutione damni nonnulli requirunt, nihil fere hic monendum occurrit. Sed neque ille, niſi in rebuspublicis melioribus & populi ſalutem primario reſpicientibus locum invenit, neque in his etiam ad omnes, qui in civili ſocietate vitam degunt, (ſola forte excepta democratia & rebuspublicis democratice mixtis) pertinere videtur. In regno itaque abſoluto vel optimatum etiam republica, tametſi ad communem omnium ſalutem cuncta adminiſtrentur, conſenſum tamen populi non requiri facile patet. Nam cum nihil hic de majeſtate plebs ſeu populus participet, ſed liberam omnino circa omnia, quæ ſalus publica exigit, poteſtatem habeant imperantes; neceſſario etiam ſequitur, in ſtatu mere *monarchico* (*b*) & ariſtocratico vel hactenus ſaltem abſque præmiſſa reliquorum conſultatione & aſſenſu, dominium eminens exerceri poſſe. Quin neque in omni populari regimine, niſi in infima illa & tyrannidi proxima democratiæ ſpecie [Ariſt. *Pol. IV. c. IV.*] quilibet ex fœce populi publicis deliberationibus admittuntur. Nunquam enim ulla adeo libera, aut numeris omnibus abſoluta inventa eſt reſpublica, in qua non aliqui ſerviant, vel a negotiis reipublicæ excludantur, ideoque nec horum conſenſio opus eſt, ut impetretur. Jam vero in herilibus illis & ad utilitatem imperantium unice inſtitutis rebuſpublicis, tantum abeſt, ut ſubditorum approbatione indigeant dominantes, ut potius, *ſuſpenſum eſſe ex conſenſu ſubjecti populi, adverſetur ſane ei juri, quo poteſt imperans primario ſibi conſulere, & non niſi per accidens tenetur commodum quærere ſubditorum. Si itaque herile imperiorum genus juſtum eſt, conſenſum illum negligere haud fuerit injuſtum.* Vid. Dominus Præſ. *de Fin. Imp. cap. XIX. p.* 349.

LXXXII. Quæ cum ita ſint, non eſt, quod prolixius Vaſquii illam aliorumque, nec non celeberrimi Grotii de conſenſu civium ſummis in republica poteſtatibus neceſſario, ſententiam examinare velim. Satis enim jam tum ad ea Magn. Dn. Præſes *loco citato* reſpondit; quo etiam benevolum lectorem lubens hac vice remitto. Vid. & Ziegler. & Böcler. *in Grot. II. VI.* 4. Cæterum, an cum eodem Vaſquio [*l.* 1. *c.* 5. *n.* 1.] cui & Grotius III. XX. 7. accedit, damnum quoque civibus ſarcire teneatur reſpublica, non ſane immerito dubitari poteſt. Congruit enim omnino naturali æquitati, ut *omnium contributione ſarciatur*, *quod pro omnibus datum eſt.* Vid. Annot. in Horn. *de Civit. l.* 2. *c.* 4. *n. ult.* Hinc in una eademque navi vehentibus facta levandæ navis cauſa bonorum jactura ſarciri ab omnibus debet, nihilque magis fini ſocietatis repugnat

(*a*) *Adimi*) Privilegiorum non habetur ratio, ſi hoc reipublicæ ſalus requirit. Omnes enim leges exceptionem neceſſitatis admittunt, & privilegia ſunt leges ſingulares. Deinde & in pœnam jus quæſitum a ſuperiore eripi poteſt. GROTIUS *de J. B & P. lib. II. c. XIV. §.* 7.

(*b*) *Monarchico*) Nam ibi populus jus omne conſulendi rationibus reipublicæ in Principem transtulit. Hoc autem ad alienationem commode referri nequit. Etenim coierunt in civitatem, ut membra ſint civitatis & communi fruantur ſalute & utilitate. Nec ignorare poſſunt, rationes reipublicæ hoc interdum ferre, ut privato jure quis uti nequeat. Atque in Principem omne jus transferentes & hujus rei arbitrium in ipſum transtuliſſe creduntur. Verum enim vero, jus cives pro lubitu alienandi ſub hac facultate comprehendi nequit. Quis enim crederet aliquem cœtus alicujus membrum fieri voluiſſe, ut penes cœtum aut ejus caput ſit libere plane ut mancipio de eo diſponere, ipſumque civium numero eliminare & alii tradere. Nam licet & ob utilitatem reipublicæ & extremo ſe vitæ periculo exponere debeat, tunc tamen non deſinit eſſe civis, per alienationem autem civis eſſe deſinit.



Digitized by Google

gnat, quam ſocium ex detrimento alterius fieri locupletiorem. Præterea eo potiſſimum fine civilem ſocietatem omnes amplectimur, ut una omnium ſalus ſit, unum & commune periculum &c. Vid. Vaſquius *l.* 1. *c.* 13. *t. c. & paſſim.* Quanto igitur magis damnum, quod ab univerſis facilius, quam ſingulis tolerari poteſt, civibus a republica compenſari decet? quæ certe æquali jure, ſi non ubique ſaltem in civilibus rebuſpublicis, civium ſaluti adſtricta omnino eſſe videtur. Verum enimvero, tametſi hæc atque alia pro confirmanda remunerationis civium, in dominio eminente neceſſitate ſuggeri a quibusdam ſoleant; reipſa tamen præter ſpeciem veritatis & umbram nihil continent. Præterquam enim, quod in *herilibus imperiis*, (*a*) in quibus vel raro admodum vel non niſi per accidens ſubditorum ſalus attenditur, admitti illa minime debeant; certe nec in civilis quoque ordinis rebuſpublicis majeſtatem civilem obligare ea poſſunt. Neque enim *primo* de juribus ſummæ poteſtatis diſſerendi ratio a privatæ ſortis hominibus commode ſatis deſumitur. Nam qui mercium jactu navim ſervant, *æquales ſunt;* (*b*) ideoque nec quicquam cum eminente iſthac ſummi Imperantis in cives facultate conferendi. Utque damnum æquale ferant ſocii, pacto inter eos convenit; ſubditi vero juramento omnes jurarunt, vitam & opes ſuas in ſalutem reipublicæ profundere ſe fore paratos. Vid. Horn. *de Civit. l. c.* queis add. *theſis quoque noſtra* 60. *Porro* autem quæ de fine ſive intentione civilis ſocietatis obvertit Vaſquius *l. c. & paſſim.* quemadmodum de omnibus in univerſum rerumpublicarum formis ejusmodi quid affirmare nemo ſanæ mentis audebit; ita neque intentio illa niſi moraliter accipienda eſt. Quamdiu ſcilicet non obſtat moralis quædam impoſſibilitas, quæ finem quo minus conſequamur impediat. Confer Domin. Præſid. *lib. de Fin. p.* 350. Hæc certe ſi quæ fuerit exorta, nihil omnino prohibet, quin etiam unius vel plurium civium damno melior interdum reddatur reipublicæ ratio: præſertim cum, ut ſæpius monui, in qualibet etiam maxime civili ſocietate cives re & corpore reipublicæ ſuæ ſint obſtricti. *Sarcit* igitur *quidem acceptum damnum reſpublica, ſi poteſt, aſt magis in præmium, quam ex debito. Itaque ſi non poteſt, neceſſe eſt, ut pars quæque ferat, quod mutari non poteſt, ob reliqui corporis ſalutem.* Vid. eund. Dn. Præſ. *l. c. p.* 351. *& ſeq.*

LXXXIII. UT autem finem diſſertationi noſtræ imponam, ultimo tandem loco *de Finali* dominii Eminentis *cauſa* verbo tantum hæc addidiſſe ſufficiat. Nimirum, quamvis *publicæ utilitatis* gratia in omni fere rerumpublicarum genere dominium illud eminens exerceri omnino debeat, quippe cum in quovis etiam herili imperio aliqua, & ſaltim ad uſum dominantis primario directa, ſubditorum cura habenda ſit: Minus tamen illud in hoc, quam in reliquis ſocietatibus politicis, videtur eſſe neceſſum. Cum enim in tali regimine cives, [ſi qui hoc nomine dici merentur] ſervorum conditionem non excedant, quicquid certe cum illorum etiam incommodo imperantis ſalutem promovere videbitur, vi eminentiſſimi hujus dominii exigi ab illis licet, tametſi nihil vel parum inde in eos emolumenti redundet. Quæ vero imperia ſalutem communem omnium quærunt, in iis ſane citra neceſſitatem vel utilitatem publicam, prætextu dominii Eminentis, cives eorumque fortunas invadere, ſumme iniquum eſt. Præclare igitur Cicero, cujus etiam verba coronidis veluti loco apponam, *omnino*, inquit, *qui reipublicæ præfuturi ſunt, duo Platonis præcepta teneant: Unum, ut utilitatem civium ſic tueantur, ut quicquid agunt, ad eam referant, obliti commodorum ſuorum: Alterum, ut totum corpus reipublicæ curent, ne dum partem aliquam tuentur, reliquas deſerant.*

(*a*) *Herilibus imperiis*) Talia ſi patrimonialium debeant eſſe ſynonimon, nulla dari, alibi demonſtratum eſt. Et omne id, quod quis ſibi arrogat contra jus, ipſi ex populi conſenſu expreſſo aut tacito, quem regulæ interpretationis ex æquitate deſumtæ declarant, enatum, ex uſurpatione eſt.

(*b*) *Æquales ſunt*) Sed jus æqualitatis juris naturalis eſt, & omnino locum habet, niſi quis ei tacite aut expreſſe renunciaverit, at neuter confluentium in civitatem, aut tacite, aut expreſſe promiſit, quod ille pro concive pati velit. ubi ipſi damnum pro rata reſarciri poteſt.

XXX.

Digitized by Google

# XXX.
## HERMANNI CONRINGII DISSERTATIO DE SUBIECTIONE ET IMPERIO

*PUBLICEE DEFENDENTE*

ERNESTO CONERDING SCHAUMB.

ANNO MDCXXXV.

### THESIS I.

Principio quid ſubjectio atque imperium denotet, videndum eſt. Atque ſubjici quidem nobis,eſt, teneri alterius ſuperioris arbitrio: imperare vero, ſuo arbitratu alterius hominis actiones dirigere. Cæterum, ut hoc planum eſt, ita merito poſſit dubitari juſtum ne ſit, ut homo homini pareat atque obſequatur? neque deſunt enim, qui omnem paritionem injuſtitiæ accuſant; adeoque ab hominibus violenter contra omne jus atque fas introductam arbitrantur.

II. At vero Ariſtotelem quod attinet, iſte ſane etiam ſervitutem quandam, quæ eſt ultimum genus ſubjectionis, naturalem appellat. Ideoque ſervitus illi diſtinguitur in naturalem & legalem, hoc eſt, eam, quæ ex arbitratu & hominum conſuetudine dependet. Multo magis igitur conceſſerit etiam non omnem obedientiam contra naturalem libertatem hominum pugnare. Sed a nobis idem etiam,rationibus oſtendendum erit.

III. Paritionem autem ex jure naturæ prodire,evidens eſt: nam imperare & parere poſt lapſum hominis non modo neceſſarium, ſed & utile fuit. Ariſtot. *l.* 1. *pol. c.* 3. Nihil enim humanæ ſocietati perniciofius eſt anarchia, quæ diu conſiſtere nequit, ubi unusquisque omnia nefaria pro depravata ſua natura agit, atque perpetrare ſuſtinet.

IV. Deinde, quod indoli & naturæ cujusque convenit, id non poteſt non naturale eſſe. Jam experientia conſtat, duo hominum genera ubique inveniri, quorum alia ad parendum ſunt nata, alia ad dominandum. Ariſtot. *l.* 1. *polit. c.* 3. Alios præterea homines magis animi dotibus natura inſtruxit, & provida ſolertia; alios vero tam ſtupido produxit ingenio, ut nihil fere differant a brutis animantibus,quam forma hominis.

V. Naſci autem quosdam usque adeo impotentis animi, ut nec ſuis commodis proſpicere, nec in longitudinem conſulere poſſint indigentes ad conſervandam omnem vitam conſilii alieni, unusquisque in media plebe & manipulis ruſticorum advertit: neque enim fere quisquam ex infima vulgi plebe victum ſibi parandi copiam habet, niſi pareat, & ex quotidiano labore vivat.

VI. Omnibus etiam rebus, quæ partibus conſtant, ſive conjunctis, ſive disjunctis, ineſſe videtur id,quod imperat, & quod paret. Ariſt. *ibidem.* Neque vero id tantum conſpicitur in animatis, ſed etiam in inanimatis: nam in his imperium quoddam eſt, tanquam harmonia, quæ conſiſtit in reſpectu materiæ & formæ, ut, in tabulis pictis atque ædificiis, in quibus forma veluti dominatur, materia paret.

VII. Idem quoque illud in animali apparet, in quo anima imperat, corpus vero obtemperat. In homine etiam videre eſt herile imperium & civile. Anima enim corpori herili imperio dominatur, mens autem appetitui civili & regio. Quod ſi ſecus fieret,tum ſane ipſa natura inverteretur & tam animæ quam corpori perniciofum eſſet. Ariſt. *l.* 1. *Pol. c.* 3.

IIX. Porro inter ipſa animantia imperium & paritio conſpicitur: Nam homo brutis imperat omnibus, quæ tamen manſvetudine & feritate inter ſe diſcernuntur: & manſueta feris meliora ſunt, homo vero utrisque imperat, quia natura utrisque melior atque præſtantior eſt. Ariſt. *ibidem.*

IX. Præterea in quolibet genere animalium ſexus maſculus natura præſtat fœmineo, unde etiam maſculus fœmineo imperare videtur. Ariſt. *ibidem.* Ipſa quoque natura ſervilia ingenia a liberis differre voluit: his enim dedit corpora erecta,ad vitam civilem idonea, & ad ſervilia munia obeunda inepta. Illis vero,quoniam non multum diſtant a brutis animantibus,tribuit corpora jumentorum ſimilia, prona, quadrata, ut ſervitia a dominis impoſita recte exequi poſſint.

X. Ulterius naturale dominium juſtum rectumque eſſe inde probatur. Nam hominis natura eſt, ut ſecundum rationem vivat, eique obtemperet: ergo, ſicut perfectio appetitus ſenſi-



Digitized by Google

tivi in homine eſt, rationi parere: ita & inter homines perfectio agreſtium ſcientiarumque rudium eſt ſapientiori obedire. Domin. Soto *l.* 4. *q* 2. *art.* 2.

XI. Sicut porro homo ad ea, quæ agenda ſunt libera electione & ex proprio conſilio movetur, ita etiam ad hoc, ut ſuperioribus pareat proprio conſilio impelli debet: id quod non fit ſine obſequio. D. Thomas 2. 2. *q.* 104. *art.* 1.

XII. Denique quemadmodum in naturalibus rebus inferiora moventur a ſuperioribus ex ordine naturæ, ſic etiam hebetiores a præſtantioribus per rationem regi debent. Thom. *ibid.*

XIII. Non omnem igitur paritionem eſſe injuſtam, hinc liquet. Poteſt hinc etiam idem de ipſa ſervili ſubjectione oſtendi. Intelligimus autem ſervitutis vocabulo: quando homines tam animo, quam corpore alterius voluntati atque imperio ſubordinantur. Isque natura ſervus dicitur, qui natura ſuus non eſt, ſeque ipſum regere nequit, ſed totus alterius eſt, quique melioris ductu atque imperio, tanquam adminiculo opus habet.

XIV. Reperiri autem hujusmodi homines, nimis evidens eſt, quam ut in dubium poſſit vocari. Ut enim, ſupra etiam diximus, quidam ſive naturæ, ſive educationis, ſive alioquin conſuetudinis vitio ita ſunt projecti & corrupti ingenii, ut non poſſint non peſſime vivere, ſi ex proprio iis arbitratu vivere concedatur.

XV. Præterea ipſa natura etiam creat quosdam, corpore quidem ad labores aptiſſimo, animi tamen viribus aut raris aut nullis. At hoc profecto indicium eſt ſatis manifeſtum, velle quodammodo naturam, ut hujuscemodi homines laborent corpore & animo prudentibus obſequantur: quod eſt, ſervum generare.

XVI. Neque vero tantum pauci quidam hoc ſunt modo affecti, ſed interdum integri populi iſthoc vitio laborant. Ita ſane de omnibus olim barbaris judicaverunt Græci, de Americanis item Hiſpani quidam, quos acerrime defendere non dubitavit doctus vir Joannes Sepulveda. Cæterum hi fortaſſis male cenſuerunt, integras tamen gentes ferinis hodieque moribus degere, notum eſt ex iis, qui terræ ambitus deſcripſerunt. Ariſtot. *l.* 1. *Pol. c.* 1. Euripides in *Iphigenia.* Joſeph. a coſta *in præfat.* 3. *lib. de Promulg. Evangelii apud Indos.*

XVII. Verum hæc naturalis poteſtas in ſervos, non latius ſeſe extendit, quam ipſa natura præſcribit Nam cum natura poſtulet, ut hebetiores ſua ſponte alterius imperio, qui mente præſtat, ſeſe objiciant, non primario quidem ad utilitatem & commodum domini, ſed ut in ipſorummet proprium bonum a ſapientiore regantur. Ideoque natura dominus non poteſt natura ſervis uti, ut mancipiis & propriis ſuis rebus in ſuum ſolummodo commodum: ſed potius in ipſorum utilitatem & conſervationem, nimirum eos docendo moribusque inſtituendo. *Domin. Soto l.* 4. *de juſtit. & jure q.* 2. *art.* 2.

XVIII. Quapropter non tenentur illi dominis ſuis ſervire, ut mancipia, ſed æquitate quadam & honeſtate naturali iis viciſſim pro alimentis, aliisque, quas a dominis accipiunt, utilitatibus, debent honorem, obſervantiam, obedientiam, obſequia, & omnia ſervitia, prout ea cedunt in commodum & emolumentum dominorum.

XIX. Neque dubium eſt, quin homines ad parendum natos, ſi omnium gentium jura violant, & beluarum ritu hac & illac palantes oberrant vi cogere, iisque bellum inferre poſſimus, [modo majus malum evitetur,] ut ab illa feritate deſiſtant, ſeque prudentioribus regendos tradant. Domin. Soto. *lib.* 4. *de juſtit. & jure q.* 2 *art.* 2. Tantum de naturali ſervitute.

XX. Alia præterea eſt ſervitus, quam Ariſtoteles *l.* 1. *Pol. cap.* 4. legalem vocat. Cujus ratione ſervi id, quod ſunt, dominorum ſunt ad operas & utilitates, quæ ex eis percipi poſſunt. Et hujusmodi homines ſervi dicti ſunt a ſervando, eo, quod ab imperatoribus, quum juſte interfici poſſent, conſervantur, mutata eorum morte in perpetuam ſervitutem. §. 3. *Inſtit. de jure Perſonar.*

XXI. Iſta autem ſervitus multum differt a naturali: hæc enim non includit ea omnia, quæ nomen ſervitutis naturalis dicit; ut ex præcedentibus perſpicuum eſt. Servus enim bello captus, quia liber non eſt, quicquid eſt domini eſt; neque dominus eo utitur in bonum ipſius ſervi primario, ſed ad ſuam propriam utilitatem, ſicut jumento.

XXII. De hac ſervitute varia eſt eruditorum virorum ſententia: Vid. Ariſt. *lib.* 1. *pol. c.* 4. alii namque eam plane iniquam eſſe affirmant; cum iniquum ſit, ut iis deferatur imperium, qui viribus tantum ſunt ſuperiores; inferiores vero pareant, cum vim repellere nequeant: alii contrarium omnino ſtatuunt, idque duplici ratione probare conantur.

XXIII. Primo enim virtutem cum vi maximam cognationem habere ajunt, quæ ſi copiis inſtructa eſt, egregiam vim inferre poteſt. Ariſt. *ibid.* Jam in confeſſo eſt, victores non tam vi, quam virtute, hoſtes ſuperare, ideoque potentioribus jure meritoque imperium deberi, manifeſtum eſſe. Deinde qui vincit, is ſemper illuſtri aliquo bono excellit; bonum vero nihil differt a virtute, quare victores & vi & virtute ſuperatis juſte imperare videntur. Virtuti autem imperium deberi, extra dubium eſt.

XXIV. Ariſtoteles tamen, hanc ſervitutem ex parte tantummodo juſtam eſſe aſſerit, quatenus videlicet eſt legitima: Lex enim omnis quodammodo juſta eſt, quia utilitatem ſpectat eorum, quorum gratia fertur. In hac autem ſervitute maxima perſpicitur utilitas, quoniam ii conſervantur, quos alioquin victor occidiſſet.

XXV. Ex parte vero eandem quoque iniquam eſſe, idem judicat, *l.* 1. *Pol. c.* 4. quum accidere poſſit, ut bellum ſit injuſtum, unde ſequitur, ſervitutem inde ortam eadem ratione iniquam



Digitized by Google

quam eſſe. Deinde quia multi indigni ob virtutem & animi præſtantiam hac ratione ſervire coguntur. In omni enim bello non tantum ignavi, ſed & fortes vincuntur, qui non tantum ejusmodi ſervi fiunt, ſed ex alia in aliam facillime prolabuntur ſervitutem.

XXVI. Verum enim vero & hanc ſervitutis ſpeciem & alias juſtas eſſe, dummodo legitimi adſint tituli, ſatis manifeſtum eſt, tum ex communi omnium fere hominum conſenſu, tum ex ipſis ſacris literis, ubi ſervi diligentiſſime admonentur, ne ſeſe dominis ſuis ſubtrahant, ſed eos debito honore proſequantur, iisque liberaliter ſerviant. 1. *Tim. VI.* 1-4. 1. *Corinth. VII.* 21, *item Epheſ. VI.* 1. *Coloſſ. III.* 22.

XXVII. Nec ſtatuendum eſt, ſervitutem abſolute contra naturam eſſe, ut dici videtur *l. libertas D. de ſtatu hominum & §. Servitus inſtit. de jure Perſon.* quod ſervitus de jure gentium ſit: *qua quis dominio alieno contra naturam ſubjicitur*, unde colligunt quidam, ſervitutem illicitam eſſe, utpote contra jus naturæ.

XXVIII. Verum dicendum eſt, bifariam aliquid naturam intendere. Uno modo ſecundum intentionem primam, quemadmodum generationem intendit corruptibilis naturæ conſervatricem: altero modo, quo ad ſecundam intentionem, quo pacto corruptionem intendit, ut generet. Simili ratione, ſervitus contra naturam eſſe dicitur, nempe contra primam naturæ intentionem, qua cupit, omnes homines ſecundum rationem virtuoſos & ſui juris eſſe: Attamen, illa deficiente intentione, ex culpa ſubſecuta eſt pœna, quæ eſt conformis naturæ corruptæ. Atque inter pœnarum genera unum eſt legalis ſervitus. Nam ex peccato originali ſubſequuta eſt egeſtas & bellorum turba, quæ homines in ſervitutem adigunt. *Domin. Soto de juſtit. & jure l.* 4. *q.* 2. *art.* 2. *Lud. Molin. de juſt. tract.* 2. *diſput.* 32. *num.* 7.

XXIX. Quemadmodum etiam contra naturam non peccat magiſtratus, licet naturæ vim inferat, dum ſontes punit; ita nec alius, dum in ſervitutem adducit eos, qui iniquum bellum vel movent vel moventes adjuvant.

XXX. Præterea ſervitus hæc a ſumma miſericordia profecta videtur, quæque ob eam cauſam jure gentium introducta eſt, ut victores, multis commodis & utilitatibus moti, a ſummo rigore lubenti animo abſtineant, quo captos & ſtatim & poſt moram jure interficere poſſint. Hugo Grotius *de jure belli ac pac. l.* 3. *c.* 7. *n.* 5. Qui enim bellum gerunt victoriam & pacem difficulter conſequi poſſunt, niſi ex adverſa parte pugnantes e medio tollant.

XXXI. Neque dubium eſt, quin ii, qui hoſtili animo contra rempublicam veniunt, vitam, quam aliis injuſte ereptum eunt, procul dubio perdiderint. Quodſi vitam, multo magis libertatem. Niſi etiam milites, qui corpus & vitam ſtipendio vendiderunt, ſervitutis vinculo poſt victoriam coërcerentur, tum ſane de novo bellum redintegrarent & victori victoriam iterum erepturi viderentur.

XXXII. Non tantum vero milites, acriter pugnantes, jure gentium pro ſervis habentur, ſed & omnes eorum liberi & poſteri innocentes, bello juſto capti, jure meritoque ſervituti ſubjiciuntur, etiamſi ejusmodi homines minime ſint interficiendi. Ludov. Molin. *de juſt. tract.* 2. *diſput.* 120.

XXXIII. Non eſt vero etiam illud abs ratione: quoniam tota reſpublica reputatur hoſtis, ſi effectum videas, ut tota puniri poſſit in membris ſuis, quoad bona fortunæ: quare cum libertas inter fortunæ bona computetur, conſequens eſt, ut, quemadmodum tota, etiam in membris innocentibus, ſpoliari poteſt bonis externis, ſic tota ſubjici poſſit ſervituti, quando tanta eſt culpa, ut terris & aliis bonis ſpoliari mereatur. Ludov. Molin. *ibid.*

XXXIV. Sed nec illud iniquum eſt, ut ex captivis poſtmodum nati ſervilis ſint conditionis. Nam ſi captores parentes ſtatim interficerent, tum ii quoque non exiſterent aut naſcerentur. Hug. Grot. *de jure belli ac pacis l.* 3. *c.* 7. *n.* 5. *& c.* 14. *n.* 8. Sicut etiam ex naturali ratione ſervitus captivorum prodit: ita & hæc altera ſpecies eorum, qui ex captis & in ſervitutem damnatis naſcuntur, quoniam naturali ratione partus ſequitur parentes. Nefas enim eſt, ut effectus ſuperet cauſam ſuam, quia in effectu nihil eſt, quod non pendeat a cauſa, & proinde deterior quidem effectus naturaliter poteſt eſſe, quam cauſa, ſed non melior.

XXXV. Non ſolum autem jure belli fieri queunt ſervi, ſed & ex delicto quodam ad ſervitutem damnantur ab eo, qui pœnæ exigendæ poteſtatem habet; quando delictum, tanta pœna dignum, perpetrarunt, ut ob id morte affici poſſent. Nulla enim iis fit injuria, dum gravior pœna mortis mutatur in minorem; perinde ut diximus de captis, quos ſervitus a morte præſervat.

XXXVI. Alius porro eſt modus, quo homines juſte ſervituti ſubjiciuntur: ſi nimirum ſeſe libere vendant ex inopia alimentorum & aliis rebus ad vitam neceſſariis. Idque jure fieri poteſt: ſicut enim homo ſuorum externorum bonorum, propriique honoris & famæ dominus eſt, ita etiam libertatis ſuæ, quam jure naturali alienare poteſt. Domin. Soto *lib.* 4. *de juſtit. & jure q.* 2. *art.* 2

XXXVII. Hanc ſervitutem ſacræ litteræ approbare videntur: legitur enim Exod. XXI. 2. *Si emeris Hebræum, ſex annis ſerviet tibi, in ſeptimo autem egrediatur liber.* Et Levit. XXV. 39. *Si paupertate compulſus vendiderit ſe tibi frater tuus, non opprimes eum ſervitute famulorum*, & infra: *Servus & ancilla, qui in circuitu veſtro ſunt, (hoc eſt ex gentilibus) hos habebitis famulos & hereditatis jure tranſmittetis ad poſteros, ac poſſidebitis in æternum.*

XXXIIX. Præterea non tantum quisque ſe ipſum hoc modo in ſervitutem dare poteſt, ſed parentes etiam liberos una ſecum in ſervitutem addicere non prohibentur. Quando videlicet

Digitized by Google

licet iis non ſuppetit, unde eos alant atque ſuſtentent. Et hoc jus originem ducit ex ipſa neceſſitate, ſine qua liberos ſervituti tradere nefas eſt, Hug. Grot. *de jure belli ac pacis lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 29.

XXXIX. Conſtat igitur tam divino veteris & novi teſtamenti jure, quam legibus omnium gentium naturæ principiis conformatarum, has ſpecies ſervitutis juſtas eſſe, quas idcirco oportet naturali rationi conſentaneas videri, quia nec omnes gentes præſumuntur ex æquo naturam ejuraſſe; nec jus divinum ſummam hominibus injuriam pro lege obtrudet.

XL. Quamvis vero dominus abſolutam habeat poteſtatem in ſervum, & ſervus, quicquid ſit, domini ſit, & proinde domino acquirat, eique vitam ac ſanguinem debeat. (*Poſſeſſionis enim pars eſt, rebusque mobilibus annumeratur*, teſte Ariſtotele l. 1. Polit. c. 3. *quibus unusquisque uti & abuti poteſt:* præſertim quum in eo dominium conſiſtat.)

XLI. Nihilominus tamen æquitas poſtulat, ut a ſummo rigore paululum decedant, neque ſupra modum ſæviant, ut olim in uſu fuit, non enim id omne naturalis ratio fieri ſinit, quod jure quarumdam gentium impune fit in ſervum. Unde lex hebræa, eum, qui inopia coactus ſe vendidit, mercenario exæquat Levit. XXV. 2. Et Apoſtolus Paulus hunc in modum alloquitur dominos: *Domini*, inquit, *jus, & quod æquum eſt, ſervis præſtate, gnari vobis quoque dominum eſſe in cœlo*, Coloſſ. IV. Item Epheſ. IV. 9. adhortatur dominos, ne minaciter cum ſervo agant; propter eandem rationem, quod ipſi etiam in cœlo dominum habeant, apud quem nullus eſt reſpectus perſonarum.

XLII. Seneca quoque l. 1. de clement. c. 18. *Servis*, inquit, *imperare moderate, laus eſt: & in mancipio cogitandum eſt, non quantum illud impune pati poſſit, ſed quantum tibi permittat æqui bonique natura: qua parcere etiam captivis & pretio paratis jubet.*

XLIII. Nec dominium in ſervos tam amplum tribuitur dominis, quam in bruta animantia, quæ pro ſuo jure interficere atque mutilare poſſunt. Tanta quidem poteſtas domini olim in ſervile corpus fuit, ut ſine more & modeſtia in id impune ſævire poſſet, non ſolum flagris & loris cædendo & ſcindendo quamvis innocentes, verum etiam occidendo. Quod & Seneca teſtatur lib. 5. de clement. c. 18. dicens: *Vedium Pollionem ſervos ſuos muranis devorandos objicere conſueviſſe.*

XLIV. Quoniam autem ſervitus a miſericordia profecta eſt, ut miſerorum hominum temporalis mors in perpetuam commutetur ſervitutem: itaque jus vitæ ac necis arbitrarium in ſervum domino non competit, neque de eo ſupplicium ſumere poteſt. Quod Cato Cenſorius egregie obſervavit, narrante Plutarcho: is enim de nullo ſervo ſupplicium ſumpſit, qui capitale admiſiſſe videbatur, niſi condemnatus etiam eſſet conſervorum judicio.

XLV. Si inſuper nemini privato, in civitate viventi, hominem reipublicæ nocentem occidere licet, niſi publica interveniat autoritas: multo minus dominus ſervum ſuum ſine cauſa occidere poterit. Thomas Aquin. 2. 2. *q.* 64. *art.* 3. Quod ſi ſervum ſuum interfecerit, tanquam homicida puniendus eſt, non ſecus ac alium interfeciſſet; *§.* 2. *Inſtit. de his, qui ſui vel alieni.* quod confirmari poteſt ex illo Exod. XXI. 20. ubi dicitur: *quum percuſſerit quiſpiam ſervum ſuum vel ancillam ſuam bacillo, & mortuus fuerit ſub manu ejus, vindicanda vindicabitur.* neque deeſt ratio: ſervo enim quaſi fides data eſt de vitæ incolumitate a domino ſuo, ideoque novum niſi delictum acceſſerit, impium fuerit illum occidere.

XLVI. Porro quod dictum eſt de ſervorum interfectione, idem quoque ſentiendum eſt de mutilatione. Thom. Aquin. 2. 2. *q.* 65. *art.* 2. Membra enim ſunt partes vitæ, a quibus fere tota dependet, quæque ad conſervationem totius corporis faciunt. Itaque nemo ob improbitatem & delicta a quoquam in civitate, niſi a publica perſona, mutilandus eſt. Quod ſi quisquam id auſus fuerit, is lege hebræa tenetur, ut eadem viciſſim patiatur Exod. XXI. 2. *Oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede.*

XLVII. Verbera vero ſervis a dominis infligi poſſunt pro gravitate delicti, modo æquitas & clementia adhibeatur. Thom. Aquin. 2. 2. *q.* 65. *art.* 2. Verbera enim minus malum ſunt mutilatione, quippe hæc membri integritatem tollit, illa vero ſenſum tantummodo dolore afficiunt. Nec alia de cauſa ſervos verberare domino licet, niſi, quatenus ſunt emendandi & ad ſervitia præſtanda coërcendi. Ejusmodi autem verberatio modum ne excedat, aut nimis atrox ſit. Domin. Soto *l.* 5. *de juſt. & jur. q.* 2. *art.* 2. Quare Paulus Epheſ. VI. *Vos*, inquit, *patres nolite ad iracundiam provocare filios veſtros; & vos domini eadem facite ſervis remittentes minas.* Ubi tam parentes, quam domini admonentur, tum ne minis acerbis ſuos exterritent, tum præcipue, ut, dum bile correpti acerba minantur, non ſe ad ea præſtanda obligatos arbitrentur: ſed potius, quæ perturbato animo comminati ſunt, ſedato poſt condonent.

XLIIX. Dixi ſupra, ſervos teneri dominis omnes operas præſtare: per quas non intelligo illicitas, ſed eas duntaxat, quæ honeſte fieri poſſunt, quæque rectæ rationi non repugnant. Eæ vero ſervis ita imponendæ ſunt, ne valetudini & corpori eorum noceant. Quo etiam lex hebræa reſpexit in inſtitutione ſabbati, nimirum, ut laboribus aliqua daretur requies *Exod. XX.* 10. *& XXIII.* 12. Hug. Grotius *de jure belli ac pacis lib.* 3. *cap.* 14. *num.* 5. Theano *in epiſtola.* Isque juſtiſſimus mancipiorum uſus eſt, ut nec præ labore deficiant, nec per egeſtatem impares ſint ferendo.

XLIX. Quare, ſi domini vel vitam, vel membrum aliquod ſervis eripiant, vel immoderatis laboribus, inedia, nuditate, vel injuſto ſupplicio, & quacunque ratione, quæ juſtam coërcitionem dominorum in ſervos excedit, eos afficiant; tum ſane graviſſime peccant, & ſi injuria concur-

Digitized by Google

concurrentibus circumſtantiis notabilis fuerit, obligantur ipſis mancipiis ad reſtitutionem damnorum, aut heredibus eorum, punirique debent a magiſtratu, ne miſeri homines omni ſubſidio careant in damnis & injuriis, quibus a dominis injuſte afficiuntur. Lud. Molin. *tract. 2. de juſt. diſp. 38.*

L. Præterea, licet ſervi ex more, quicquid acquirunt, domino acquirant: in quibusdam tamen caſibus ſibi ipſis acquirunt, verumque dominium comparant. Lud. Mol. *ibidem.* Si nimirum domini cum ſervis paciſcantur, ut quotidie vel ſingulis hebdomadibus, menſibus, vel annis certum quid eis ſolvant, reliquum vero de ſuis laboribus atque lucris ſibi reſervent. Neque obſtat, quod inter dominum & ſervum, quatenus ſervus eſt, neque amicitia neque juſtitia intercedat, ea tamen ratione, qua homo eſt, utrumque eſſe poteſt. *Ariſtot. lib. 8. Ethic. cap. 11.* Quo fit, ut tunc contractui ſtare teneantur, neque uſurpare poſſint; quæ ſibi ſervi eo modo compararunt.

LI. Deinde, ſi dominus expreſſe quid donet ſervo ſuo, velitque eum tanquam ſuum habere; ſive ex alterius donatione, ſive ex ludo, aut quacunque alia ratione, tum ſervus id ſibi ſoli acquirit. Aut quando ſervo a domino, vel alio quopiam, aliquid reſtituitur pro damno aut injuria ſibi allata, in iis, quæ domini poteſtati non ſubjacent. Cauſa eſt: quoniam omne donum fit alterius, quod autem in alterius eſt poteſtate, non licet jure eripere: eſt autem in poteſtate domini manumittere ſervum, multo magis illi aliquid donare.

LII. Si porro ſervo quid ſit donatum aut relictum, expreſſa conditione adjecta, ut ſervi tantum ſit, neque quicquam ad dominum perveniat, tum ſane id ad dominum nulla ratione pertinere poteſt: quandoquidem unusquisque de bonis ſuis diſponere poteſt, ut voluerit, imponereque illis poteſt conditionem, ne ad hunc vel illum deveniant. Lud. Mol. Denique ſervus ſibi acquirit, quando bonis ſuis, quorum dominus eſt, aliquid lucratur, ſine ullo præjudicio obſequiorum, quæ domino præſtare debet.

LIII. Porro omnes ſervi, qui ſe ipſos vendiderunt, aut ab aliis legitime venditi ſunt, quique ex matre ſerva nati ſunt, licite fugere nequeunt, & tenentur, ſi ſeſe domino ſubtraxerint, ſe ipſos reſtituere, nec non omnia damna dominis ex eorum fuga contracta. Domin. Soto. Ludov. Molin. Hugo Grotius *de jure belli ac pacis.* Nihil enim æquius eſt, quam ut pro pretio & alimentorum præbitione tam diu ſerviant, donec tantundem refundant dominis, quantum in eos impenderunt.

LIV. Idem quoque ſtatuendum eſt de iis, qui in pœnam delicti juſte in perpetuam ſervitutem ſunt redacti. Ludov. Molin. *tract. 2. de juſtit. diſput. 37.* Etenim ſicut juſto exilio damnati, per ſe ipſos eam pœnam exequi ac implere tenentur: ſic etiam, qui ob delictum ſervitute ſunt juſte mulctati, fugere e ſervitute non poſſunt, ſed in ea, qua ſunt conditione, permanere tenentur eo ipſo, quod per ſententiam judicis juſte libertatem amiſerunt.

LV. De ſervis autem, juſto bello captis, quidam ambigunt atque ſtatuunt, eos licite & ſine injuria dominorum fugam capeſſere poſſe. Quod *Dominicus Soto etiam aſſerere videtur lib. 4. de iuſtit. & jur. q. 2. art. 2.* Inquit enim: *illi, qui ſe inopia preſſi, ſervituti manciparunt, quia libere ſe pretio vendiderunt, fugere jure nequeunt: ſervos autem captos non auderem in has cogere anguſtias.* Verius tamen eſt, fas non eſſe, ut ſervus, juſto bello captus, fugiat, quoniam jure gentium operas ſuas nomine eorum, pro quibus acriter pugnavit, debet. Hugo Grotius *de jure belli ac pacis l. 3. c. 14. n. 7.*

LVI. Ac ſane conſuetudine eſt receptiſſimum, ſervos fugientes tum maxime puniri, quando deprehenduntur in ipſa fuga, quocunque etiam titulo in ſervitutem juſte ſint redacti. Lud. Molin. *tract. 2. de juſt. diſput. 37.* Quod ſi nefas eſſet punire ſervos, juſto bello captos, & ad ſuos fugientes, inutilis admodum redderetur ejusmodi ſervitus. Quotidie enim ſervi fugam arriperent ad ſuos, ſcientes, ſe nec peccare, nec pro fuga puniendos: unde plus domini inſumerent in eis quærendis & iterum aſportandis, quam eſſet eorum obſequium, uſus & valor.

LVII. Eſſet præterea ejusmodi ſervitus dominis multorum peccatorum occaſio; neque enim continere ſe poſſent, quin ſervos, toties ad ſuos fugam arripientes, eoque tot damna ipſis inferentes, punirent. Quare potius juſte interficerent in bello hoſtes, quam ad tale ſervitutis genus eos aſportarent: quod in ipſorummet ſervorum detrimentum redundaret. Ludov. Molin. *tract. 2. de juſt. diſp. 37.*

LIIX. Atque hactenus quidem dictum eſt de herili imperio & ſervitute, nunc fortaſſis operæ pretium fuerit de poteſtate viri in uxorem diſſerere, quoniam omnes gentes talem aliquam poteſtatem agnoſcunt. Eſt autem vir ſuapte natura, rector uxoris ſuæ: quandoquidem is naturaliter præſtantia corporis, ingenii ac animi dotibus uxorem ſuperat. Quod ſi forſan fœminis aliquando majorem ingenii vim, majoremque prudentiam conceſſam eſſe videamus: id ſane non ſecundum, ſed præter naturam; & errore quodam fieri certum eſt. Ariſtot. *l. 1. polit. c. 8.*

LIX. Quapropter etiam vir non fuit conditus propter mulierem, ſed e contrario mulier propter virum, ut adjutorium haberet tum ad generationem & educationem liberorum, tum ad alia facientia ad totius familiæ conſervationem. Quod evidentiſſime colligi poteſt *ex Gen. II. 18.*

LX. Et Paulus 1. *Cor. XI. Caput*, inquit, *mulieris vir eſt, & vir non ex muliere eſt, ſed mulier ex viro.* Item Petrus mulieres admonet, *ut viris obedientiam præſtent, cum hi illarum capita ſint. 1. epiſt. 3.* Quo fit, ut uxores tam jure divino, quam naturali imperio maritorum ſubjiciantur,

præſertim quum & ipſe autor conjugii id ipſum ita ex voluntate ſua ordinaverit. Propterea etiam, natura eas ad omnia imbecilliores viris fecit, ut imbecillitatis ſuæ memores eſſent. Poſtulat enim natura, ut inferiores ſuperioribus pareant.

LXI. Hæc vero poteſtas adeo apud quasdam gentes excrevit, ut maritus jus vitæ ac necis in uxorem habuerit, eamque leviſſima de cauſa, ſine magiſtratus cognitione, potuerit interficere. Cæſar *l. 5. de bello gallico.* Inhumanum tamen eſt, ea conditione innocentes mulieres eſſe, atque eas a viris pro libitu tractari; cum uxores ſint pars mariti: in propriam autem carnem ſævire, aut manus inferre, naturali jure minime cuiquam licet; eſtque propria vindicta tam jure divino, quam humano, omnino prohibita. *l. 13. D. de leg. Aquil.* Ideoque ut patria poteſtas non in crudelitate conſiſtit, ſed in pietate: ita etiam poteſtas mariti in uxorem, in paterna caſtigatione, non in atrocitate & capitali ſupplicio.

LXII. Interea tamen non eſt negandum, quin vir poteſtatem habeat in uxorem cum vi quadam, ut loquuntur, coërciva, quæ futura non fuiſſet, ſi nullum irrepſiſſet peccatum, eo quod in ſtatu innocentiæ non neceſſaria eſſet, ſed ſufficeret ſola vis directrix. Lud. Mol. *tract. 2. de juſt. diſp. 22.* Hoc vero jure viros minime decet abuti, ſed omnia quæque prius experiantur oportet, antequam minus benigne uxores tractent. Quod ſi vero earum petulantia molliori admonitione reprimi nequeat, & graviſſima urgeat neceſſitas, non dubium eſt, quin a viris gravius in eas animadverti queat. Domin. Soto *l. 5. de juſt. & jure q. 2. art. 2.*

LXIII. Etiamſi vero certum ſit, mulierem jure naturali viro parere, attamen eodem loco non eſt habenda, quo ancilla, ut barbari volunt, *teſte Ariſt. 1. Polit. c. 1.* Omnino enim differunt fœmina & ancilla, quia hæc inſtrumentum eſt conſervationis, illa vero procreationis liberorum. Nec tantum obedientiæ mulier viro præſtare tenetur, quantum filii parentibus, qui eo plus obſervantiæ & ſubjectionis debent, quo plus a parentibus acceperunt, longeque uxore inferiores ſunt. Ludov. Molin. *ibidem.*

LXIV. Neque uxori imperium in res domeſticas, liberos & ſervos denegandum eſt, ſed ei diviſum ſit oportet imperium cum marito, modo ipſa ejus rationem habeat, tanquam ſuperioris in ordinandis rebus domeſticis. Maritus enim foris laboret, uxor vero labore parta tueatur domi. Recteque Ariſtoteles *l. 8. Eth. c. 10.* hoc imperium comparat ariſtocratiæ, pro dignitate enim & tanquam præſtantior vim imperat. Vera autem erit ariſtocratia, quoties quæ viro conveniunt, ſibi vir tribuit: ſicut etiam fœmina, quæ fœminis. Quicquid vero juris ultra in uxorem, aut bona ejus, maritus habet, illud non a natura, ſed ab humano eſt inſtituto.

LXV. De jure mariti, in uxorem naturaliter ei conceſſo, diſſeruimus; conſequens jam eſt, ut, quæ naturalis poteſtas parentum in liberos ſit, dicamus. Eam Ariſtoteles *l. 8. Ethic. c. II. & l. 1. Pol. c. ult.* regiam eſſe dicit; tum ob benevolentiam, tum ob ætatem, quæ duo maxime in Rege requiruntur. Benevolentia quippe efficit, ut bene ſuis eſſe velit: Ætas, ut de ſuis ſit ſollicitus, & quod proprium eſt provectæ ætatis, ut prudentia inſtructus ſit, quæ futura in longum proſpicit. Cum itaque utrumque in parentibus reperiatur, evidens eſt, patriam poteſtatem maxime convenire cum regia.

LXVI. Perſpicuum vero eſt, hanc poteſtatem originem ducere ex natura ipſa. Natura enim dominatur ſenior ſeniori, perfectum imperfecto, totum parti, & id, quod beneficium accipit, inferius eſt eo, quod confert. Parentes vero ſunt liberis poſt Deum vitæ autores, quibus alimenta, educationem & omnia debent. Proinde dubium non eſt, quin merito parentibus imperium in liberos debeatur. Et certum eſt, ſi modo quis ſenſa animi exprimere velit, unumquemque aliquas ſcintillas reverentiæ erga parentes a natura habere. Sicut etiam naturæ autori, a quo vitam & omnia bona accipimus, religionem, obſervantiam & obedientiam debemus; ita parentibus, ex quibus nati ſumus, inſtinctu naturali certo modo & ordine eadem præſtare obligamur.

LXVII. Inter prima præterea præcepta ſecundæ tabulæ decalogi, qui ex naturæ principiis nobiſcum natis educitur & explicatam legem naturæ ſecundam Thomam. 1. 2. *q.* 100. *art.* 1. continet, primo loco lex poſita eſt, qua parentibus de honore, a liberis exhibendo, cavetur, eamque ſolam præ reliquis, adjecta pœna, nobis commendat Moſes, dum longam vitam promittit parentes honorantibus, & inopinam mortem interminatur iis, qui ſecus fecerint.

LXIIX. Et Paulus inquit: *Qui par reddit parentibus, recte facit, & acceptus eſt Deo* 1. *Corinth. V.* item *Coloſſ. III. Auſcultate parentibus in omnibus, & Epheſ. VI. Obedite parentibus in domino. Juſtum enim eſt, honorari patrem & matrem, idque præceptum primum omnium habet promiſſionem.*

LXIX. Utrique vero parentum, tam patri, quam matri, imperium debetur: cum non ſolum pater, ſed & mater, tum ætate, tum prudentia, anteit liberos. Quia vero pater eſt principium totius generationis, adeoque autor vitæ, & ejus cura atque ſumptu inſtituuntur liberi, quia præterea ætate, prudentia & perfectione uxorem ſuperat, & denique, quoniam ipſam matrem in autoritate atque imperio tenet; hinc manifeſtum eſt, patris imperium merito præferri materno.

LXX. Tria autem tempora in liberis ſunt attendenda: ſecundum quæ parentum poteſtas variatur. Primum tempus eſt imperfecti judicii, dum abeſt προαίρεσις: ſecundum perfectioris judicii, ſed dum liberi partes manent familiæ: tertium, poſtquam ex ea familia exierunt. Hug. Grot. *de jure pacis & belli l. 1. c. 5.* Imperfecti judicii tempore, omnes liberorum actiones imperio paren-

parentum ſubjiciuntur. Regere enim ſe ipſos per ætatem nequeunt, ideoque ut ſub parentum imperio vivant, ipſa natura exigit.

LXXI. Eſt tamen eo tempore filius aut filia capax dominii ex jure gentium; ſed exercitium impeditur ob imperfectionem judicii. Habent jus, ut de pueris Plutarchus loquitur, ἐν κτήσει non ἐγχρήσει. Quare ut res omnes liberorum parentibus acquirantur, non naturale eſt, ſed ex quorundam populorum legibus. Hugo Grot. *de jur. belli ac pacis l. 2. c. 5. n. 2.*

LXXII. Cum vero perfecto judicio præditi ſunt liberi, eæ tantummodo actiones parentibus debentur, quæ aliquid emolumenti ad paternam familiam conferunt. In cæteris autem actionibus, liberum habent arbitrium quidvis agendi, modo ita ſunt comparatæ, ne parentibus diſpliceant.

LXXIII. Quoniam autem poteſtas ſine coercitione nihil aliud eſt quam ludibrium, nec multi liberi dicto parentum auſcultarent, niſi metu pœniſque traherentur: inde usque a prima pueritia coactione opus eſt, & jus caſtigandi, quatenus cogendi ſunt ad officia, vel emendandi, parentibus tam jura humana quam divina tribuunt. Domin. Soto. *lib. 4. de juſtit. & jure q. 2. art. 2.* Homo namque tribus mediis virtute eruditur: nam vel ratione ducitur, vel metu cogitur, vel allicitur præmio; proinde liberi, qui per ætatem ratione uti nequeunt & ii, qui quidem ſecundum rationem vivunt, membrum tamen ſunt paternæ domus, & metu cogi & munuſculis affici debent.

LXXIV. Unde Salomon dicit: *qui odit filium, parcit virgæ, qui diligit caſtigat. Et Proverb. XXIII. 13. Noli ſubtrahere diſciplinam a puero.* Senec. *l. VI. de benef. cap. 24 Non vides, quemadmodum teneram liberorum infantiam parentes ad ſalubrium rerum patientiam cogant? Flentium corpora, ac repugnantium, diligenti cura fovent: & ne membra libertas immatura detorqueat, in rectum exitura conſtringunt: & mox liberalia ſtudia inculcant, adhibito timore nolentibus. Ad ultimum audacem juventam frugalitati, pudori, moribus bonis ſi parum ſequitur, coactam applicant. Adoleſcentibus quoque ac jam potentibus ſui, ſi remedia metuant intemperantia rejiciunt, vis adhibetur ut ſervitus.*

LXXV. Jus autem vitæ ac necis parentes, quatenus parentes ex jure naturæ in liberos non habent. Vitam enim ipſis non dederunt, nec ſemel ablatam reſtituere poſſunt: eaque poteſtas omnino patriæ pietati repugnat, quam natura omnium animis implantavit. Ideoque vitam liberorum pro arbitrio diripiendam ſibi vendicare nequeunt.

LXXVI. Id tamen parentibus licitum eſt, ut liberos interdum naturali jure in ſervitutem dare poſſint, ſi iis nulla alendi copia ſuppetat, qua liberos ſuſtentent atque educent; tum enim ipſa natura id expoſcere videtur, cum ſine alimentis, quæ parentes liberis naturaliter præſtare tenentur, conſervari nequeant. *Hug. Grot.*

LXXVII. In tertio vero tempore, quando liberi paterna domo egrediuntur, in omnibus ſunt ſui juris; manente tamen ſemper illo pietatis & obſervantiæ debito, quod in perpetuum pro vita alimentis & educatione parentibus debetur. *Hug. Grot.*

LXXIIX. Atque hæc eſt ratio ſubjectionis & imperii inter liberos & parentes. Sicut autem hæc ex conſociatione quadam fluit naturali, ita dubitari merito poteſt, an etiam homines porro ex voluntate ſua propter ſocietatem, ſubjectionem atque imperium queant inſtituere. Cæterum quum ſocietatem naturali conceſſione inire licitum ſit hominibus, ſocietas autem nulla poſſit conſtare ſine imperio & ſubjectione, apparet etiam, hæc quoque licite conſtitui poſſe. Quapropter etiam videndum quidnam imperii natura illis ſocietatibus permittat.

LXXIX. Solet autem vulgo credi, eſſe aliquod jus in ſocietate majoris partis. Illud autem naturæ eſſe conſentaneum hinc liquet. Nam aut nullum erit imperium ſociorum in ſe mutuo, aut aliquod jus minoris partis in majorem, aut vero majoris in minorem. Primum repugnat naturæ ſocietatis, ut paulo ante diximus: ſed & ſecundum iniquum eſt: inde enim colligetur, inferiores poſſe ſuperioribus naturaliter imperare, quod omnino eſt abſurdum. Id etiam ratum eſt atque plus valet, quod plurimi approbare videntur, *teſte Ariſt. l. 6. Polit. c. 2.* Curtius quoque lib. x. *Eo*, inquit, *quod major pars decreverit, ſtetur.* Cui ſententiæ Thucydides, Appianus, Dionyſius Halicarnaſſenſis & alii ſcriptores unanimi conſenſu applaudunt. *Hug. Grot. de jure belli ac pacis l. 2. c. 5, n. 17.*

LXXX. Cæterum, quum ſocietatum conditio admodum ſit varia, apparet quoque, imperii & ſubjectionis ſocialis rationem non unam eſſe. Neceſſe autem eſt, ut illa ſeſe extendat ad omnia ſocietatis cujuslibet negotia: alioquin enim fruſtra coiiſſet ſocietas. Ergo etiam, quo plura erunt negotia ſocietatis; eo latior quoque erit imperii ſubjectioniſque natura.

LXXXI. Eſt vero ampliſſima ſocietatum ea, quam civilem dicimus, quippe quæ omnes in ſe reliquas comprehendit. Cum autem ſcopus civitatis ſit vita civium [quoad fieri licet] beata, manifeſtum quoque eſt, imperii & ſubjectionis rationem in civitate longe eſſe latiſſimam, atque pertinere ad omnia ſine quibus beata eſſe ſocietas nequeat, adeoque ad omnes hominum actiones fortunaſque.

LXXXII. Cuinam vero proprie competat in civili ſocietate imperandi jus ex naturæ præſcripto, videtur explicatu perdifficile. Nam humana inſtituta contemplanti magna diverſitas imperiorum civilium objicitur. Alibi enim majeſtas omnis penes populum eſt, alibi penes paucos, alibi penes unum, interdum & diviſa eſt illa multis modis, interque varios diſtributa. Non deſunt quoque argumenta, quibus & populus & optimates, & divites, & unus aliquis imperium ſibi deberi conantur perſuadere. Prout illa peregregie adducit ac ſolvit *Ariſt. 3. l. Polit.*



Digitized by Google

LXXXIII. Cæterum, ut compendio rem omnem includamus, principio credimus, naturali jure illi ſemper ac merito deferendum imperium, qui ad vitam illam beatam maxime poteſt cives perducere. Poteſt autem hoc fieri interdum ab ipſo populo, interdum ab optimatibus, interdum ab uno aliquo. Quod ſi vero contra fiat, eſt quidem illud primo naturæ inſtituto adverſum, tolerandum tamen majoris mali evitandi gratia. Nam & hoc juſtum, nullas dare turbas, ſi certum inde damnum atque periculum reſultabit: tum vero licet cuilibet de jure ſuo cedere aliquid.

LXXXIV. De minoribus autem magiſtratibus, qui ipſi jus majeſtatis non habent, ſed tantum adminiſtrant rempublicam nomine alterius, res ſimiliter videtur impedita. Statuendum tamen, ſi ex. gr. populo competat majeſtas, non teneri populum ejus magiſtratus edictis aut legibus, niſi velit: at ſingulorum ex populo alia longe eſt ratio, neque enim penes ſingulos majeſtas eſt, ſed univerſos, ideoque magiſtratus commiſſa ſibi poteſtate in ſingulos, etiam nolentes licite poteſt animadvertere.

# XXXI.
## HERMANNI CONRINGII
## DISSERTATIO
## DE
# MUTATIONIBUS RERUM-PUBLICARUM

*Reſpondente*

CHRISTIANO WILHELMO ENGELBRECHT

HALENSI-SAXONE.

MDCXXXV.

## THESIS. I.

Differenti de omnibus omnium rerumpubl. mutationibus atque interitu, natura quoque ac conſtitutio uniuscujusque nota eſſe debet. Ariſt. *l.* 5. *c.* 4. 5. & 7. Sunt autem reſpubl. aliæ perfectæ, aliæ imperfectæ. Perfectæ ſunt, in quibus vel unus, vel pauci, vel multi bonum ſpectant commune, eoque omnia referunt, ut cives ſint quam beatiſſimi. *Nam ſicuti*, dicit Cic. *l.* 8. *Epiſt.* 11. *ad Attic. gubernatori curſus ſecundus, medico ſalus, imperatori victoria, ſic moderatori reipubl. beata civium vita propoſita eſſe debet, ut opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honeſta ſit.* Imperfectæ: in quibus non tam parentium, quam imperantium utilitati felicitatique conſulitur, nec cives finem, propter quem coierunt, communem, nempe utilitatem conſequuntur.

II. Rectarum autem rerumpubl. cum tres ſpecies ſimplices recenſeri ſoleant, totidem quoque neceſſario erunt aberrantium. Ariſt. *paſſim*. Regno opponitur tyrannis, Ariſtocratiæ, Oligarchia, Democratiæ vero reſpubl. Regnum proprie eſt, in quo unus propter virtutis excellentiam ad bonum commune præeſt; Ariſtocratia, in qua optimi quique attamen pauci, reſpubl. in qua omnes: quarum iterum multæ ſunt ſpecies, aliæ ſimplices, aliæ ex commiſtione ortæ.

III. Cæterum, quemadmodum in toto hoc univerſo omne, quod gentium corruptioni eſt obnoxium, nihil conſtans, ſtabile ac perfectum reperitur, ita quoque nulla civilis ſocietas tam perfecta unquam coiit, quin domeſticis atque ingenitis vitiis laboraverit, multas paſſa ſeditiones ac denique prorſus diſſoluta atque collapſa fuerit. Cujus generis eſſe aſſerimus omnes tyrannides, omnes oligarchias, ac denique omnes reſpubl.

IV. Verum quemadmodum corporis infirmitatem, qua ſtatim, atque in lucem edimur, plærumque tenemur, prudentia noſtra vel in ſuo ſtatu, quatenus rei natura fert, incolumem tueri, corrigere, vel morbo etiam nonnunquam deterioratam ad qualemcunque valetudinem reducere poſſumus: Sic naturales vel pronaſcentes omnis civilis ſocietatis defectus ac morbos vel omnino tollere, vel ne majus incrementum capiant inſanabilioresque evadant, ſapientia noſtra ſalutariumque legum beneficio præcavere poſſumus. At quoniam conſervatio & ſalus cujuscunque reipubl. a morborum vitiorumque accurata cognitione dependet, (neque enim medicus, non præcognita prius cujuscunque morbi, quantum fieri poteſt, natura ac qualitate, vel prudenter curam ſuſcipere vel ex animi ſententia ad finem perducere poteſt) tum hujusmodi methodum accurata tractandi ratio poſtulat: videamus, quibus ex rebus & quot numeris & qualibus

Digitized by Google

bus reſpubl. mutentur, quique ſingularum rerumpubl. ſit interitus, & ex quibus in quas maxime mutentur. Atque nunc quidem iſtos inter terminos continebit ſeſe labor noſter.

V. Generale caput ac fontem omnium motuum in rebuſpubl. nos cum Ariſtotele *l. 3. Pol. c. 6. 7. & 8.* ſtatuimus inæqualem inter cives, onerum ac public. præmior. diſtributionem, ubicunq; enim inæquales æqualia, æquales vero inæqualia conſequuntur, vel conſequi ſe arbitrantur, non poſſunt non hinc oriri querelæ ſtatuique præſenti pernicioſæ contentiones. Verum illa æqualitas atque illud jus pro diverſitate partium civitatis aliud eſt atque aliud. Populare eſt, æquale habere numero; non dignitate oligarchicum vero huic directe oppoſitum. *Utrique*, inquit Ariſtoteles, *l. 5. cap. 6. jus quoddam afferunt aliquo usque, non tamen afferunt omnino. Nam quadam ex parte, qui ſunt inæquales, ut divitiis toto genere ſe inæquales eſſe: qui vero quadam ex parte æquales, ut libertate, toto genere ſe æquales eſſe arbitrantur.*

VI. Sciendum tamen eſt, neque divitias, neque qui generis nobilitatem, neque qui alterius denique alicujus boni præſtantiam jactant, omnino pares aut impares eſſe dicendos, ſed qui plurimum ad ſalutem ac ſcopum civitati propoſitum conferunt, ac virtute civili omnibus ſunt ſuperiores. Idem *l. 5. cap. 6.*

VII. Ex his itaque conſtat, vitioſam ac minime diuturnam fore rempubl. in cujus deſcriptione temperamentum utriusque æqualitatis tam geometricæ, quam arithmeticæ negligitur. Idem *l. 4. c. 11. & 12.* Cauſa eſt, quod fieri nequeat, quin ex peccato in principio facto, ad malum aliquem finem perveniatur. *Sicut enim rubigo ferro*, inquit Polyb. *l. 6. c. 8. cos, & teredines ligno congenitæ peſtes inſunt, adeo, ut quamvis nihil extrinſecus illa læſerit, per ea tamen, quæ cum ipſis ſunt nata intereant, ſic reipubl. forma ſimul lex, & uno tantum conſtans genere, periculoſa eſt, & ad vitium, quod ipſam naturam comitatur, facile deflectit, ac tandem corrumpitur.* Quanto autem melius fuerit temperata, tanto quoque erit ſtabilior, Ariſt. *l. 4. c. 12.* tolletur enim eo ipſo, quæ ab inæqualitate oriri conſuevit omnis diffidentia atque amica civitas efficietur.

VIII. Atque fons quidem omnium ſeditionum ac mutationum unicus hic eſt, *lib. 3.* Nunc porro cauſas earum ac principia ordine perſequemur. Eorum autem nos tria ſtatuimus maxime univerſalia. *lib. 5. c. 2.* Primum ſit voluntas animique affectio, qua illi ſunt præditi, qui factionibus ſtudere, turbasque in civitate dare ſolent. Alterum ſit finis, cujus gratia omnes operantur, tertium occaſiones, ſive ea, quæ Polybio principia motuum dicuntur. *lib. 6. c. 3.* Quid propenſionem animique ſeditioſam inclinationem producat ſupra ſatis explicatum, oritur nempe ex falſa juris atque inæqualitatis perſuaſione, qua tum divites tum pauperes ducuntur, neutra enim pars præſentem reipubl. ſtatum amat; eo quod non æqualiter vel omnino non bonorum ſe fieri participem arbitratur, *nam hi quidem* (pauperes puta) dicit Ariſt. *l. 5. pol. c. 2. æqualitatem expetentes, ſeditionem movent, ſi plura habentibus pares, ipſi ſe minus habere putent, illi* (divites ſcilicet) *inæqualitatem & excellentiam expetentes, ſi impares, ipſi putent, ſe non plus, ſed æquum vel minus habere.* Sapienter itaque monet Ariſtot. *l. 4. Pol. c. 9. 11 & 12.* maximam civium partem ita erga ſtatum debere eſſe affectam, ut alium, quam quo in præſentia utitur, non exoptet. Hoc ſtatum Venetum præter cætera conſervat, omnes enim illum, aut certe quam plurimi, ſalvum atque incolumem percupiunt; Sicuti hoc prudenter obſervavit in deſcriptione illius reipubl. Caſpar. Contarenus.

IX. Finis, cujus gratia ſeditiones excitantur eſt, honoris nimirum ſtudium atque inſatiabile habendi cacoëthes, hiſque contraria contumelia & damnum, ſive ad nos, ſive ad alium familiaritate nobis conjunctum, alterutrum horum pertineat; injuriam enim amico illatam, noſtram plærumque facere ſolemus, quibus fortaſſis & voluptas jungenda, nam & hæc ducit mortalium pectora. Hinc Cæſar, *ſi violandum eſt jus*, inquiebat, *regnandi gratia eſt violandum, in cæteris pietatem colas*, vid. Suet. *in Cæſare*, & Plato *lib. 4. de repub.* illam civitatem optime & procul a ſeditionibus permanere judicabat, in qua cives ad expetendos honores ac divitias minime ſint cupidi; contra vero, quæ aliter affectos habeat cives, cum *pecuniæ enim cupidine*, inquit Saluſtius in *Bello Catilin. creſcit cupido imperii, quæ materies ſunt atque elementa omnium malorum graviumque motuum in rebuſpubl.*

X. Occaſiones denique ſive principia, quibus ſeſe offerentibus, pernicioſa conſilia ac machinationes diu interdum ante agitatæ prorumpunt atque in effectum deducuntur, in duplici ſunt differentia, aliæ, quarum ſeptem ab Ariſtotele recenſentur, non ſine inſigni commotione rempubl. invadunt, aliæ ſine ullo fere motu. Duæ priores ſunt honor & quæſtus, aliter tamen acceptæ, quam ſupra, ubi fines ſtatuimus eorum, qui ſeditiones movent, hic autem conſiderantur, prout his affecti ſunt ii, quos dignos aut indignos iis æſtimamus. Multiplici autem hoc contingit ratione, vel quando indigni ampliſſimis honoribus decorantur; vel quando unus vel pauci (ut in oligarchiis & monarchiis accidit) ſummo conſtituti ſunt loco, cæteris & virtute & eruditione paribus, aut nonnunquam ſuperioribus excluſis; vel ſi aliquis, qui debebat honorari, quemque ordo depoſcebat ſupplantatur per illos, qui jam in dignitate verſantur; Mich. Picc. *c. 3. com. ad lib. 5. Pol. Ariſt.* vel quia hi metuunt ſibi ab illo, tanquam ſuperiore virtute, eruditione, & gratia populari; vel denique quia ille ſervili adulatione non vult obnoxius eſſe iis, penes quos eſt eligendi poteſtas. Sic frequentes illæ diſſenſiones in Romana republ. inter plebeios atque patritios aliunde non oriebantur, quam quod illis nullæ partes in republ. relinquerentur, ſed hi ab omnibus muneribus eſſent excluſi. Eadem cauſa Catilinam ad nefariam iſtam conjurationem impulit, quod respubl, ut ipſe apud Saluſtium conqueritur, *in paucorum potentium jus atque*

*ditionem conceſſiſſet, cæteri cives ſtrenui, boni nobiles vulgus fuerint ſine gratia, ſine autoritate.* Rectius Veneti ſuæ conſulunt reipubl. ita enim inter cives honores diſtribuuntur, ut jus publicæ poteſtatis ad plures ſimul pertineat. Caſp. Contar. *lib* 1. *deſcript. reip. Ven.* Duo enim ejusdem gentis aut etiam conſanguinei maxime neceſſarii in eodem magiſtratu eſſe nequeunt, quemadmodum nec iisdem comitiis duo gentiles aut agnati maxime neceſſariio ſortis benefici, electores eſſe queunt. Cæſar quoque hinc ſumſit occaſionem Pompejum bello perſequendi, quod hunc perpetuis honoribus ornari, ſibi vero repulſam parari videret. Vid. Cic. *in epiſt. quad. ad Attic.*

XI. Altera occaſio eſt nimia eorum, qui clavo reipubl. aſſident, avaritia. *Nullum vitium,* inquit Cicero, *eſt tetrius avaritia, præſertim in principibus & rempubl. gubernantibus, habere enim quæſtui rempubl. non modo turpe eſt, ſed ſceleratum etiam atque nefarium;* contra abſtinentia & continentia, duo omnis imperii maxima ſunt fundamenta atque ſuſtentacula, conſpicitur autem avaritia vel in publicis vel privatis rebus: in publicis exhauriendo ærarium, eamque pecuniam non in publicos, ſed privatos uſus. luxuriam nempe, commeſſationes, magnificasque ædium ſtructuras & quæ ſunt ejus generis alia, convertendo. Huc pertinent acerbiſſimæ ac ſæpius iteratæ exactiones, non ex neceſſitate reipubl. ſed pro libidine ac commodis regentium imperatæ. Recte enim Cicero, *l.* 2. *off.* ut *ſalva maneat reſpubl. operam dandam eſſe,* inquiebat, *ne tributum ſit conferendum: idque ne eveniat multo, ante eſſe providendum; ſin autem quæ neceſſitas hujus muneris alicui reipubl. obvenerit dandam eſſe operam, ut omnes intelligant, parendum eſſe neceſſitati.* Eodem reſpiciebat & Tiberius, oves ſuas tondendas quidem affirmans, non autem deglubendas; Vid. Suet. *in Tib.* & Annibal *ex publicis malis tantum ſentimus,* inquiebat apud Livium *l.* 10. *quantum ad privatas res pertinet, nec in eis quicquam acrius, quam pecuniæ damnum ſtimulat.* In privatis, quando privatorum bona vel vi aperta, vel dolo vel alio quovis juſtitiæ aut neceſſitatis prætextu ad ſeſe trahunt; huc etiam refero honorum nundinationes, quas ſignum turbulentæ reipubl. Plutarchus *in vita Cæſ. in præf.* appellat. Hæc vitia, quamvis ſerius aliquantulum, teſte Livio & Saluſtio, in Romanam rempubl. immigraverint, nec ulla reſpubl. tum temporis fere ſit inventa, ubi tantus ac tamdiu paupertati honos fuerit, tandem tamen rempubl. illam peſſundederunt; adeo ut exteri populi ac reges, Romam venalem dixerint, & ſi emptorem invenerit, mox eſſe perituram, qua de re Catilina vehementer conqueritur apud Saluſtium *in Iugurth.* in oratione ad conjurationis ſocios habita.

XII. Tertiam cauſam ſtatuimus contumeliam, per quam nihil aliud intelligimus, quam ſuperba ac libidinoſa imperia, parentium illuſiones, pudicitiæ ſubditorum invaſiones, & denique omne genus dedecoris, quo alteri nocemus ac moleſti ſumus, non tam utilitatis noſtræ, quam voluptatis aut animi gratia, quod vitium, ſicuti inter privatos homines pervulgatum eſt, atque ad vindictam, ſi quicquam homines ſtimulat, ita maximas in civili ſocietate turbas concitare ſolet, in democratiis quidem, ſi plebs divites, in oligarchiis, ſi divites plebem libidinoſe ac contumelioſe habeant, vel denique, ſi ipſi inter ſeſe, unus nimirum vel pauci, reliquos contumelioſe vel verbis vel factis tractent. Sic C. Julius Cæſar regnum, volentibus civibus, fere ſtabilitum, pariter cum vita ob nullam aliam cauſam amiſit, quam quod, cum eſſent in ſenatu honores ſibi immodici decreti, accedentibus ad ipſum pro roſtris tum ſedentem conſulibus, prætoribus, totique ſenatui non aſſurrexerit, ſed ita ſe geſſerit, tanquam cum privatis hominibus colloqueretur. Plut. *in vita Cæſar.* Brevis ſimiliter fuit decem virorum poteſtas, propterea quod *læta principia illius magiſtratus,* ut ait Livius *lib.* 5. *c.* 34. 35. 36. *cum ſeqq. nimia luxuriaverint.* Præterquam enim, quod nemo jam memorem vocem libertatis aut in ſenatu aut in populo mittere audebat, ſtuprum Virgineæ plebejæ virgini ab Appio decem viro eſt illatum, ut ita non ſolum idem finis decem viris, qui Regibus, ſed cauſa etiam eadem imperii amittendi fuerit. Ita Cæſar Marius, in ampliſſimo dignitatis gradu conſtitutus, & ſeptimum jam conſul cum contumelioſe tandem & ſuperbe nimis in patritiorum capita ſæviret, præter offenſas patrum, plebis etiam odium ſibi conflavit, atque ita tyrannidem recens partam amiſit, aliaque tum reipublicæ forma eſt inducta. Plut. *in vita C. Mar.* Similiter Alexander Medices patrum ætate propter libidinem a civibus eſt interfectus; ne alia noſtræ tempeſtatis propudia commemorem.

XIII. Contumeliam excipit contemtus, cauſa motuum tum imperantium, tum parentium reſpectu. Illorum quando contemtum ulciſcuntur, horum quando, vileſcente magiſtratus autoritate, imperii jugum excutiunt, atque diutius ferre recuſant; duo enim quaſi maxima imperii ſunt munimina, amor obſequentium atque dignitas imperantis, alterutrum ſi abſit, minus erit tranquillum. Neque enim poteſtas Regum valet, niſi prius valeat autoritas, & majeſtas imperii vera eſt ſalutis tutela. Arniſ. *in doct. polit.* Non quod exiſtimem, odium ſubditorum cuidam ſtatui conducere, ſed tantum, quia non æque lethale eſt atque contemtus, illud enim modo contemtu non fuerit armatum, ita ut audere aliquid & ſeſe manifeſtare in effectu poſſit, vi poteſt optime ſuffocari: unde tyranni facilius ſe odio haberi patiuntur, dummodo contemtum avertere, atque autoritatem incolumem tueri poſſint. Crudelitas enim, niſi modum excedat, & cives ad deſperationem adigat, terrore quodam abigit eos ab innovandis rebus, inprimis, ſi latera præſidiis militum munita ſemper habeat.

XIV. Oritur autem contemtus vel a forma imperii, vel moribus imperantis. Moribus: ſi nimirum libidini, laſciviæ, temulentiæ, ignaviæ dediti fuerint. Qui enim voluptariam vitam traducunt, ii facile deſpiciuntur, multasq; dant impetui faciendo opportunitates. Ariſt. *l.* 5. *pol c.* 1. Hanc ob cauſam nobilis illa ac famoſiſſima mutatio regni aſſyriaci, qua ad Medos fuit translatum, contigit: propterea & Wenceslao ab electoribus imperium fuit abrogatum. Forma vero

ro imperii: I. ſi laxa & remiſſa nimis ſit. Nimia enim licentia cives fiunt deteriores, evadunt ad majus malum per impunitatem, quotidieque ad majora facinora proſiliunt, audaciaque eorum nutritur; quemadmodum patris nimia comitate obſoleſcit autoritas. II. contemtum pariunt magni ac diuturni honores, ſubditis collati; talibus enim deteriores fiunt & ferre ſecundam fortunam non omnes poſſunt: Longiora enim ac diuturniora imperia multos attollunt, & ad res novas impellunt. Ariſtot. Dio. *l.* 57. Exemplo ſit C. Julius Cæſar, C. Marius, L. Sulla & Sejanus ille Taciti, qui cum ad ſummos honores Tiberii beneficio effectus eſſet, poſtea ad mortem adactus, magno Romanorum exitio & periit & floruit.

XV. Præterea cum magno quoque reip. periculo eſt conjunctum, aliquem in civitate ad tantam potentiam, opibus & amicis inſtructam, evehi, ut non tantum pleroſque excedat, ſed toti quoque reipublicæ fiat formidabilis. Quoniam enim conſtat, quantum alias ordinum inæqualitas, ac prava contemperatio civitati noceat, & quam difficile ſit res ſecundas ferre viro etiam ſapienti, necdum in ſummo & honoris & potentiæ gradu conſtituto: cavendum, ut tales vel omnino non oriantur, vel exorti in tempore, ſupprimantur. Semper enim ab hujusmodi hominibus eſt metuendum, ne vel totam imperii ſummam ad ſe ſoli trahant, vel cum paucis eam ſibi faciant communem. Id quod ſine memorabili reipublicæ concuſſione nunquam hactenus factum, nec fieri impoſterum poterit. Tales Plato fucis comparat, *ſicuti enim*, inquit *lib. IIX. de republ. fucus, in favo ortus, examinis apum morbus eſt, ita & hujusmodi homo perpetua reipublicæ peſtis ac tandem interitus.* Talis olim fuit in romana republica C. Julius Cæſar, qui, licet in principio nullo prorſus loco fuerit, brevi tamen temporis ſpatio, gratia populari ſibi comparata, (immenſo enim animi vigore & clementia; imo civili pariter atque militari prudentia erat præditus) tanta indies potentiæ incrementa fecit, ut non occulte jam ad mutationem reipublicæ ſpectaret, nec cuniculis amplius, ut Lutatius ajebat, ſed machinis rempublicam inciperet oppugnare; neque enim per gradus amplius, ſed ſaltus, ad maximos quosque honores evehebatur, neque id ipſi erat difficile; quippe qui & opibus & amicorum copia egregie fuerit munitus; ſicuti dominatus ejus initia atque progreſſus egregie obſervavit Plutarchus in vita. Talis olim fuit Marius, talis fuit Coſmus Medices; tales fuerunt Auriæ Genuæ, tales Veronæ Scaligeri & alii alibi.

XVI. Propter metum etiam respublicæ nonnunquam concutiuntur; quod fit, quando illi, qui in rempublicam vel privatum aliquem enormiter peccarunt, injuriam vel pœnam metuunt, illam ut antevertant, hanc ut prorſus effugiant. Metus adegit ex parte C. Julium Cæſarem, ut arma in patriam verteret. Vehementer enim tum potentiam æmulorum, ne opprimeretur, tum judicium repetundarum, metuebat, quod Cato, *ſe privatum republicæ male geſtæ poſtulaturum*, jam dudum in concione erat minitatus. Hæc ſimiliter occaſio conjurationis catiliniariæ: Nam, ut teſtatur Saluſtius, Catilina *pecuniarum repetundarum reus, prohibitus petere conſulatum* &c. Conf. Thuanus *l.* 2. Item Genuæ in conjuratione fliſcana, lapidem omnem movit conjurationis Verina, æris alieni magnitudine oppreſſus, & ſic privatis vulneribus tegendis turbandarum rerum occaſionem ſolertiſſime circumſpexit.

XVII. Fiunt porro mutationes, ſi quædam civitatis pars tantum capit incrementi, ut cæteras quantitate & qualitate longe ſuperet. Monſtroſa enim tum erit civitas, quicquid autem monſtroſum eſt, ſibimet ipſi diſcors atque diſſimile evadit. Plane, inquit Ariſtoteles *l.* 5. *pol. c.* 3. *ſicut corpus conſtat ex membris, & proportione quadam augeri debet, ut partes & membra inter ſe reſpondeant; quod ſi non, interit corpus. Ubi pes quidem quatuor ſit cubitorum, reliquum vero corpus duarum palmarum, interdum vero etiam in alterius animantis formam mutatur; ſi non tantum quantitate, ſed etiam qualitate ultra proportionem augeatur.* Augentur autem partes civitatis vel occulte, vel fortuito. Occulte: veluti populus romanus patritiis initio & quantitate & qualitate inferior, progreſſu temporis, cum & numero & armis in immenſum creſceret, ita quidem, ut ſuo ſanguine potentia opesque reipublicæ multum augerentur, nobilibus formidabilis eſt factus, & perpetuo de honore cum ipſis contendit. Fortuito: veluti ſi civitas, ex trecentis divitibus & quingentis pauperibus conſtans, oligarchice adminiſtretur, contingatque, ut ducenti divitum ſuperſtitibus pauperibus vel bello vel peſte conſumantur, plebs, hoc pacto divitibus ſuperior, ſtatum democraticum contra oligarchicos facile obtinebit. Contrarium contigit in primis Venetiarum exordiis. Cum enim metu belli, quo tota tum temporis Italia flagrabat, populi maritimi quam plurimi eo confluxiſſent, forma in principio utebantur fere populari, maxima tamen civium parte poſtea peſte conſumta, pauci ſuperſtites ſummam imperii ad paucorum potentiam traxerunt, atque ex eo tempore oligarchice iſthæc reſpublica cœpit adminiſtrari.

XIIX. Atque cauſæ quidem tumultuum hæ fere ſunt; tamen nunc etiam reliquas, quæ etiam ſine motu fere mutant, videbimus. Prima eſt ὀλιγωρία, ſive incuria atque imprudentia circa magiſtratuum conſtitutiones: quando videlicet reipublicæ adminiſtratio non abjectis quidem tenuibusque hominibus committitur, ſed tamen hujusmodi, quibus primum diſplicet præſens reipublicæ ſtatus, tum civili deſtituuntur facultate, & denique ea juſtitia atque virtute, quæ reipublicæ reſpondeat. Summus namque magiſtratus ſummam habet poteſtatem, quod ſi igitur velit, (ſicuti propter inimicum erga rempublicam animum omnino vult) facile turbas dare aliamque reipublicæ formam, inducere poteſt. Ariſt. *l.* 5. *pol. c.* 9. Quamobrem hi quoque imprudenter faciunt, qui peregrinos ad maximos quosvis honores extollunt; nam ut taceam, quod omnino diſpares ſint moribus, ipſorum quoque parum interdum intereſt, rempublicam diu eſſe ſalvam, adeoque ad ſeditiones ſunt procliviores, &, quantulacunque data occaſione, cum præſenti nonnun-

Digitized by Google

nonnunquam totius civitatis interitu ſtatum immutare aggrediuntur. Deinde, ſicuti navis, imperitum nacta gubernatorem, perpetuo fluctuat, huc atque illuc pellitur, donec tandem ſcopulo allidatur ac ſubmergatur, ita reſpublica, imperito concredita moderatori, non poteſt non tandem collabi atque peſſum ire.

XIX. Præterea τὸ μικρὸν, ſive exiguum non animadverſum, totam tandem reipublicæ formam valet immutare: adeo enim nullius rei initium parvum eſt putandum, quin aſſiduitate magna incrementa idque brevi temporis ſpatio facere poſſit, Plut. *in vita Caſ.* plærumque tamen illud contemnimus eo, *quod nulli finitimum aut parum diſcrepans arbitremur latere atque detrimentum*, ut loquitur Ariſtoteles *lib. 5. pol. c. 3. & 8. eo quod non ſimul fiat univerſum.* Lapſi ſunt hac in re perſæpe Romani, tum alias, tum in eo maxime, quod uni ampliſſimos honores, quibus jam tum erat perfunctus, bis terve aut etiam amplius contra leges capere permiſerint, exiſtimantes, tantillum ſtatui fore innoxium. Verum quantum hac in re ſit ſitum, magno malo ſæpius ſunt experti. Quod ſi enim potentiam Cæſaris, apud vulgus effloreſcentem, in herba ſuppreſſiſſent, nec errorem ſero nimis animadvertiſſent, nunquam tantas viciſſitudines ac motus reſpubl. ab ipſo eſſet paſſa. At Venetorum merito commendatur prudentia. Caſp. Contar. *lib. 1. de ſ. reip. Ven.* Cum enim, ut notum eſt, reſpublica illa maximam partem oligarchice adminiſtretur, certis apud eos legibus eſt cautum, ne in iis, quæ proxime ſtatum concernunt, tantillum quidem innovetur; patet hoc in magiſtratuum electione atque conſtitutione; Ibi enim, ne qua fraus confici poſſit, neve quiſpiam degener furtim obrepat in nobilitatis cœtum, patritii juvenes, qui annum vigeſimum exegere, antequam cooptantur, coguntur probare, ſe ex eo parente, quem profitentur, non ſpurios, ſed ex matrimonio, legitimo & ex matre honeſta eſſe natos; & qui ſunt alii ritus, quos circa hanc rem & alia negotia, ad ſtatum pertinentia, accurate obſervant: qua in re Trajanus Boccalinus *Relat. 3. ex parnaſſo* ad cœlum usque prudentiam extollit. Notandum tamen eſt, democratias frequentius hanc ob cauſam mutationibus exponi; tum quod plebei rerum ſuarum non ita ſatagant, ſed victui potius, aliisque ad victum neceſſariis quærendis, incumbant, tum quod τὸ μικρὸν ſpernant, nec illud magnarum rerum momenta afferre poſſe exiſtiment.

XX. Tertia cauſa eſt diſſimilitudo ac diſcrimen animorum, nationis, generis, loci, & quicquid denique naturalem inter homines affectum atque amicitiam tollere ſolet. Id quod ex natura amicitiæ eſt perſpicuum. Quoniam enim vera ac firma amicitia non niſi inter ſimiles vel natione, vel moribus, vel genere, vel quacunq; alia re contrahi poteſt, ſed contracta querelis atque diſſidiis laborat, donec tandem dies ac conſuetudo diffidentiam tollat, animique coaleſcant: ſic civilis ſocietas ex hominibus diſpari genere, diſpari lingua, diſpari natione, imo aliis alio more viventibus conflata, priusquam conſpiret (ad quod tamen multum temporis requiritur) perpetuo diſſidere, atque in diverſas partes ire ſolet. Contingit autem hoc non tantum in conſtituenda quadam civili ſocietate, ſed peregrinos, propter incolarum paucitatem, prioribus bello, peſte, aut alio quovis caſu abſumtis, adſciſcendo; maxime ſi veris civibus in participandis immunitatibus, privilegiis atque honoribus exæquentur. Apparet hoc etiam in externis gentibus, bello ſub imperium redactis, quam rigida plerumque cervice jugum ſubeant, tum quod alterius imperio ac nomine fuerint aſſuetæ, tum quod nec ſacris, nec moribus nobiſcum cohæreant. Præterea civitates quoque vel flumine, vel muro invicem diſtinctas, imo ex parte montoſas, ex parte planas diſſidiis laborare videmus, ſicut Pariſiis Sequanæ divortium, animorum quoque divortium cauſatur. Et Feſſa Africæ urbs, flumine diviſa, circiter centum & octuaginta annis, perpetuis diſſidiis ac inteſtinis bellis laboravit, donec Joſephus rex ponte exſtructo in unum redegit, concordiamque tandem reduxit, teſte I. Leone Africano. Maxima tamen inæqualitas omnique civili ſocietati ſumme peniciosa oritur tum a probitate & improbitate, tum opulentia nimia & infima civium paupertate. Quomodo enim illa civitas ſibi amica eſſe poſſit in qua ſcelerati bonos numero longe ſuperant? eo quod inter tales amicitia iniri omnino nequeat, & bonis cum improbis nunquam vere conveniat. Denique, quoniam nihil æque valet ad moderandas ſtabiliendasque reſpubl. & ad religandos hominum animos, quam religio, eaque una, una in civitate, facile patet, quam periculoſum ſit cuicunque ſtatui religionis diſſidium: tranquilla certe aut diu ſalva eſſe non poterit.

XXI. Perſpicuum igitur eſt, occaſiones atque initia motuum plerumque per eſſe exigua atque levicula, licet ſemper vergant in reipubl. exitium atque interitum. Citius autem atque celerius parva illa initia non invaleſcunt, quam ſi inter principes primarioſque civitatis ſimultates ac contentiones exiſtant. Ariſt. *l. 5. pol. c. 4.* Quoniam enim ambitione & regnandi cupiditate plerumque ducuntur, quacunque data occaſione res novas moliuntur. Qui enim divitiis præpollent, præferunt ſemetipſos omnibus, omnia ſibi venalia eſſe, ſibique vires atque facultatem imperandi adeſſe arbitrantur. Sic qui prudentia civili pariter ac militari, magna item copia amicorum ſunt inſtructi, quoniam vident, ſe tenere ea, quorum auxilio res præclaræ ac magnæ fiunt, eas ipſas res gerere appetunt; & cum ſint ſtudioſiores, nunquam non de rebus, vel ad opes vel potentiam augendam ſtabiliendamque pertinentibus, cogitare ſolent. *In univerſum autem principum motus totam quoque ſecum trahunt civitatem*, dicit Ariſt. *l. 5. pol. c. 4.* nec minus periculi ab iis reipubl. imminet, quam navi, nautis de clavo inter ſeſe decertantibus. Evertit ſane hæc cauſa rempubl. romanam. Quamdiu enim partes civitatis proportione ſibi invicem reſpondebant, quamdiu nullum erat imperii divitiarumque inter proceres certamen, tamdiu quoque res romana ſtetit atque floruit; ſtatim autem atque ſe quiſque magis ac magis attolleret, mutuum honorum atque imperii certamen inciperet, omnia miſceri ac peſſum ire ceperunt.

Quod

Quod contigit tempore Sullæ ac Marii, tempore C. Julii Cæſaris ac Pompeji, tempore Augu-ſti, Lepidi, Antonii & Ciceronis, qua de re conſulatur Plutarchus, Suetonius, Dio Caſſius & alii.

XXII. Denique, ſicuti cujuſcunque hominis damnum ac malum ſitum eſt in mala educatione, ita etiam maximum diſpendium eſt reip. ſi cives non ſecundum eam normam ac leges ejus reipubl. in qua naſcuntur, educantur.

XXIII. Expoſitis communibus cauſis converſionum rerumpubl. unamquamque ſeorſim, & ex quibus in quas maxime mutetur conſiderabimus. Democratia quidem vel in oligarchicum, vel tyrannicum, vel denique in alium ejusdem generis ſtatum commutatur. Plato *l.* 8. *de rep.* Ariſt. *l.* 5. *pol. c.* 5. In tyrannicum eadem ferme ratione, qua paucorum potentia in popularem. Quemadmodum enim illam inexplebilis divitiarum ſitis, voluptates, populi contemtus evertit, ita ſtatus popularis propter inexplebilem libertatis cupiditatem (quod bonum hoc in ſtatu præclariſſimum cenſetur) in graviſſimam ac maxime agreſtem ſervitutem tandem delabitur. *Præſertim, ſi ejusmodi civitas libertatem ſitiens, malos pincernas*, ut ait Plato *l.* 8. *de rep. nanciſcatur, & ea profuſius, quam decet ſeſe ingurgitans debachetur, principes velut rigidiores & paucorum dominatum appetentes accuſans punit;* atque hi perſuadent populo, bonorum adæquationem eſſe inſtituendam, eaque inter pauperes diſtribuenda. His & aliis injuriis divites laceſſiti rerum novandarum occaſionem arripiunt, inſidiantur populo, & ad paucorum dominatum animum intendunt, quibus ſeſe opponens plebs unum aliquem ſui defenſorem creat, qui re feliciter contra principes civitatis geſta, tyrannidem, volente nonnunquam populo invadit.

XXIV. Sciendum tamen eſt, olim ejusmodi democratiæ mutationes frequentius contigiſſe, cum nimirum idem adhuc eſſet Imperator & Dæmagogus, adeoque idem lingua pariter valeret & arte militari. Conf. Ariſt. *l.* 5. Noſtro vero tempore, quoniam dæmagogi juxta eloquentiam rei bellicæ imperiti, ejusmodi quid raro tentare ſolent. Reſpondent autem veterum dæmag. interdum ſacerdotes noſtri, qui licet tyrannidem non affectent, proprii tamen commodi cauſa concitando plebem adverſus ſenatum & reliquas principes civitatis partes, peſſimam democratiæ ſpeciem, ubi decreta tantum non vero lex imperat, introducere ſolent. Democratia enim eſt reſpubl. libertatis plena; facile autem populus licentiæ cupidus, ſibi perſuaderi ſinit, ut omni ſe ſolvat legum vinculo ac pro libidine arbitratuque ſuo omnia agat, principes plebejis, plebeios principibus, peregrinum denique vero civi exæquet.

XXV. Cæterum, quamvis Plato *l.* 8. *de republ.* exiſtimet, democratiam nullam aliam, præter tyrannicam, pati mutationem, rectius tamen videtur ſentire Ariſtoteles *ibidem*, qui eam & in oligarchiam & aliam ejusdem ſpeciei formam degenerare demonſtrat. In paucorum autem ſtatum ſimiliter delabitur malitia dæmagogorum. Hi enim & privatim & publice plebem contra divites incitant, plebique quæſtus cauſa in aures inſuſurrant, illos divitias ingentes poſſidere, omnia per fas atque nefas ad ſe rapere, maximam autem civium partem extremam pati paupertatem, proinde bona ipſorum eſſe publicanda, potentiam in tempore eſſe minuendam. Tantis dæmagogorum calumniis nobiles concitati, ut & vitæ & bonis ſuis conſulant, ſive velint, ſive nolint, turbas dare atque paucorum potentiæ ſtudioſi eſſe coguntur: exiſtimantes, melius eſſe prævenire, quam præveniri. Ejusmodi dæmagogus olim erat C. Marius, qui non tantum privatim plebem contra patritios inſtigabat, ſed publice etiam eos pro concione conviciis proſcindebat, quemadmodum ex illa oratione, quæ apud Saluſtium extat, apparet, quæ cauſa poſt Sullam concitavit reipublicæ ſtatum immutandi.

XXVI. Circa majores magiſtratus in democratiis magnum ad mutationem momentum affert, ſi illi bis terve aut etiam amplius uni committantur. Vid. Ariſt. *ibid.* Perit enim eo æqualitas illa, qua maxime jus democraticum nititur: omnes enim viciſſim parere & imperare hic debent. Quod ſi enim contrarium obſervetur, tum plures ad magiſtratus poterunt pervenire, neque quisquam tempore imperii abuti & tyrannidem affectare poterit. Aliter de minoribus magiſtratibus eſt comparatum, hi enim ſine ullo reipublicæ detrimento uni ſæpius poſſunt prorogari, ſicut etiam interdum prætura bellica, propter paucitatem eorum, qui hac præditi ſunt facultate.

XXVII. Pernitioſum quoque eſt ſtatui populari, mulctas a damnatis numeratas inter plebem ex peſſimo dæmagogorum conſilio diſpertiri; utilius, ſi vel in fiſcum, vel potius ſacros uſus convertuntur. Ariſt. *lib.* 6. *Pol. c.* 5. Alioquin plebs ſpe lucri occaſionem inſontes æque ac ſontes deferendi, potentiorumque bona diripiendi arripiet, unde amicitia ac benevolentia patritiorum erga plebejos magnum democratiæ ſuſtentaculum, collabitur. Quin potius pœna iſtis delatoribus eſt conſtituenda, tum quod dæmagogi non plebeios, ſed patritios accuſare ſoleant, tum quod omnes cives optime ſibi invicem cupere oporteat, ſin minus ſaltem Principes non videri inimicos. Frequentia etiam judicia ac conciones peſſimæ democratiæ parum conducunt: quippe quæ multitudine tenuiorum vehementer laboret, qui, niſi ſportula conſtituta, convenire frequenter adeo nolunt, ex reditibus autem & vectigalibus, quoniam deſumi nequit, divites ſine inſigni moleſtia tantum pecuniæ vix erogabunt; ut ita ſatius ſit crebritatem concionum contrahere, vel, ſi id fieri nequeat, in longum non protrahere. Graviter denique peccant dæmagogi, quod, dum populo ſtudent gratificari, ex ærario egeſtatem ſupplent, quaſi illud e re primum ſit reipublicæ, tum quaſi tantæ multitudini, ad incitas fere redactæ ſufficere illud poſſit; præcavendum potius, ne in tantam populus paupertatem incidat. Quo pacto id fieri poſſet, docet Ariſtot. *l.* 6. *Pol. c.* 5.



Digitized by Google

XXIIX. Pernitioſum denique eſt democratiis, quam plurimos inutiles ſumtus a divitibus fieri, quales ſunt convivia præbere populo, magnificas extruere ædes, ſpectacula præbere & ejus generis alia, quæ plus ad oſtentationem, quam utilitatem reipublicæ faciunt. Nam ut taceam, quam facile hac occaſione luxuria civitatem invadere poſſit, certum eſt, alios ob nimias hujusmodi largitiones omnia ſua abligurire patrimonia, alios tantum æris alieni contrahere, ut inviti nonnunquam in perniciem reipublicæ conſpirent; quod autem præcipuum eſt, populum hac ratione in ſuas trahunt partes, atque ſic haud exigua oligarchici imperii ponunt fundamenta. Ex quibus igitur democratiæ, & in quas mutentur, ex iis, quæ diximus, fere eſt perſpicuum, nunc porro oligarchiarum vitia ac mutationes conſiderabimus.

XXIX. Quæcunque autem in oligarchiis contingunt mutationes, vel prorſus eas ſubvertunt, vel magis aut minus tales efficiunt. Ariſtot. *l.* 5. *pol. c.* 9. Prius accidit, quando plebs, ab omnibus excluſa honoribus ac divitibus contemtui inſuper habetur, bonis vel vi vel dolo ſpoliatur, nullo non injuriarum generi eſt expoſita. Tum enim nullas non vindicandi ſeſe captat occaſiones, & quamprimum idoneum vel e ſuo, vel divitum, vel etiam oligarchicorum imperantium numero ducem nanciſcitur, contra divites inſurgit, totumque ſtatum nonnunquam evertit. Id quod rempublicam romanam ſæpiſſime concuſſit. Cum enim patritii omnem imperii majeſtatem paulatim ad ſeſe traherent, ignominioſe & contumelioſe populum tractarent, nihilque præter inopiam atque ignominiam relinquerent, perpetua ille erga patritios flagrabat invidia, ſtatimque ac ducem nanciſcebatur, ad ſeditiones erat promtus. Tales ſeſe ex populari ordine C. Marius, C. Memmius, ex patritiorum vero C. Julius Cæſar præbuerunt. Illi enim concionibus populum, ut ex Saluſtio apparet, ad vindictam hortabantur, monebant, ne rempublicam, ne libertatem ſuam desererent, multaque ſuperba ac crudelia facinora nobilitatis oſtendebant. Hic vero partes Marianas fovendo, non tantum plebis benevolentiam conſequebatur, ſed nobilitatem plebeio ordini ſumme exoſam efficiebat, donec ipſe dominatum atque imperium in ſe ſolum transferret.

XXX. Plures quoque divites aut nobiles ab omnibus excluſi honoribus, magnorum in republica motuum, quacunque data occaſione, autores eſſe ſolent, præſertim ſi iis, quibus tantum magiſtratus capere licet, vel genere vel divitiis pares ſint, aut nonnunquam ſuperiores. Injuriam namque tum ſibi fieri exiſtimant, quam magno cum reipublicæ incommodo plerumque perſequuntur. Ut ita minus ſtabiles illæ ſint oligarchiæ, in quibus publica adminiſtratio ad paucas certasque familias contrahitur, niſi alia ſint, quæ rempublicam in lapſum pronam ſuſtentent, quemadmodum Noribergæ & Lunæburgi in Germaniæ oligarchiis, & Venetiis in Italia obſervatur. Quanquam in eo Venetorum prudentia merito laudanda, quod non omnino populum omnibus honoribus excludant, ſed facta illorum etiam civium diſtinctione, eos, qui ſunt medii ordinis, multorum reipublicæ honorum participes faciant.

XXXI. Quemadmodum autem ſibi conſentiens oligarchia firma eſt, nec facile concuti poteſt, ita ſibimetipſi diſcors facile ſolvitur. In cauſa eſt perpetuum ac vetus plebis erga oligarchicum ſtatum odium, tamdiu latens, quamdiu viribus plebs eſt inferior, mutuaque inter Principes amicitia intercedit, qua ſublata, ſtatim prorumpit, idoneamque invadendi ſtatum occaſionem oblatam eſſe exiſtimat, duceque rebus ſuis favente conſtituto, vires oligarchicorum propter diſſenſiones infirmas, facile frangit, aliamque civitati formam inducit. Valet enim hic quod recte Plato collegit, omnem gubernationis ſtatum mutari, quanquam firmiſſimus antea fuerit, ſi diſſidiis laboret, muniri contra, quamvis ſit exigua gubernatio, ſi concors tantum ſit. Hoc ſtatum Venetum conſervat, concordia nempe nobilium ac democratica illa inter ſeſe æqualitas.

XXXII. Corrumpunt porro oligarchiam luxus, commeſſationes, mollis ac delicata oligarchicorum vita, denique ingentes æris alieni contractiones. Perditi enim hoc modo luxu, variis aſſueti voluptatibus, oppreſſi ære alieno, paupertatis impatientes, non poſſunt non ad novas res moliendas animum appellere, ut vel ipſi imperium invadant, vel quoscunq; ad imperii cupiditatem inſtigent. Hujus rei illuſtre nobis exemplum præbet conjuratio Catilinaria, de qua Cicero, *nemo non Romæ*, inquit, *ſed nec in ullo totius Italiæ angulo oppreſſus ære alieno fuit, quem non Catilina ad hoc incredibile ſceleris foedus aſciverit, patrimonia illi ſua dudum profuderant, fortunas abligurierant, res eos, jampridem fides deſeruit.* Ipſe Catilina apud Saluſtium conqueritur, ſibi *domi eſſe inopiam, foris æs alienum, malam rem, ſpem multo aſperiorem, & denique ſibi nihil præter miſeram vitam ſupereſſe.* Ita Cæſar perpetuis commeſſationibus, magnificis epulis populo præbendis, ſpectaculis exhibendis, & denique muneribus dandis ad tantam paupertatem redactus, ut non potuerit non animum novis rebus intendere, ac tandem in rempublicam arma vertere. Hoc eſt, quod apud Trajanum Boccalinum Ioviano Pontano (illum enim inducit loquentem) tantam movet admirationem, nempe quod licet in ea republica nonnulli regias opes habeant, procul tamen abſint a ſuperbia atque oſtentatione, imo infimæ conditionis hominibus ſeſe exæquent, adeoque in ea omnis faſtus, omnis ambitio, & denique omnis luxuria maximæ reipublicæ peſtes exulent.

XXXIII. Diſſolvitur quoque ſtatus, quando non omnes, qui reipublicæ interſunt negotiis, omnium in republica munerum aut certe maximorum, ne per totam quidem vitam ſemel participes fieri poſſunt. Tum enim inferiores cupiditate imperii allecti, turbant rempublicam, *maluntque*, ut Tacitus ait, *habere imperium, quam exſpectare.* Hoc olim Elide, Græciæ civitate contigiſſe, Ariſtoteles narrat: *reſpublica*, enim inquit, *penes paucos ſenes conſtituta, omnino pauci redde-*

Digitized by Google

*reddebantur eo, quod eſſent perpetui & quidem nonaginta*, accedente inſuper electione δυναστικῇ. Etiam hac in parte prudenter ſe gubernant Veneti, ut ex Trajani Boccalini *Relat. 3. ex Parnaſſo* conſtat.

XXXIV. Præterea & belli & pacis tempore oligarchiæ ſeditionibus atque domeſticis motibus laborare ſolent. Belli quidem: quando cives contra hoſtes mittuntur, ipſiſque unus ex plebeio vel patritio ordine præficitur, ab utroque, ſi ex ſententia expeditio conficiatur, reipubl. periculum incumbit: tum, quod imperio ſint aſſueti, tum, quod bene de republ. ſint promeriti, adeoque magnis honoribus dignos ſeſe exiſtiment. Neque intereſt, unuſne an plures huic muneri præficiantur, hoc ipſo enim periculi magnitudo non imminuitur; ille enim tyrannidem, hi δυναστείαν invadere poſſunt. Quamobrem Veneti bellum, quoad ejus fieri licet, quam maxime ſolent declinare, urgente tamen neceſſitate, malunt externo atque conductitio milite duceque uti, quam populo aut ipſis etiam nobilibus. Imminui tamen periculum, quod a bellicis hujusmodi ducibus ac milite impendet, hac ratione poteſt, ſi imperia certo temporis ſpatio includantur. Minus hac in re ſuo proſpexerunt ſtatui ſæpiſſime Romani, cum alias, tum imprimis, quod C. Julio Cæſari non tantum adminiſtrationem belli Gallici demandarint, ſed toties ipſi imperium prorogaverint. Similiter ipſa plebs, omnibus initio muneribus publicis excluſa, cum perpetuo poſtea bellis eſſet implicata, multorum populorum victor extitiſſet, eosque Romano imperio ſubjeciſſet, anguſtis iſtis patritiorum imperiis ſeſe includi diutius noluit, ſed ex eo tempore de libertate ſua cogitare cepit. Pacis autem tempore concutitur oligarchia, quando ipſi oligarchici imperantes ſuo metuunt ſtatui, ne vel in tyrannidem vel δυναστείαν delabatur, adeoque ſuæ diffidentes potentiæ, ducem quaſi mediatorem conſtituunt, qui ab utraque parte turbas præcavere, & ſi quando opus fuerit, reprimere debeat. Tum enim ſæpius accidit, ut ipſe mediator tyrannidem cui præcavendæ erat conſtitutus, invadat.

XXXV. Mutari quoque recte dicitur oligarchia, quatenus vel laxatur vel conſtringitur, numerusque imperantium ad majorem vel minorem reducitur paucitatem. Quæ converſio ex duplici potiſſimum demagogiæ ſpecie oritur. Alia inter ipſos reipubl. principes, unus namque paucis ſe adjungens, reliquos oligarchicos calumniatur, unde odia ipſorum & pernicioſæ de imperio contentiones indies ingraveſcunt, donec pars prævalens oligarchiam paulatim arctius ſtringere, atque in paucorum manus contrahere aggrediatur. Sic Athenis Charicles, inter triginta tyrannos dæmagogum ſe gerens, magnam potentiam eſt conſecutus. Alia dæmagogiæ ſpecies in eo conſiſtit, quando nempe unus imperantium adverſus cæteros quacunque adulandi ratione, vel magnis ſumtibus faciendis, vel pecuniis dividendis favorem populi ſibi ſtudet conciliare, hoc fine, ut viam ſibi muniat ad maximos quosque honores obtinendos. Quod ſophiſma tum tamen præcipue locum habet, quando magiſtratuum eligendorum ac judiciorum exercendorum jus non tam in oligarchicorum imperantium, quam populi manu atque arbitrio eſt conſtitutum. Quantas turbas ejusmodi prenſationes in republica excitent, exemplon obis ſit reſpubl. Romana. Quoniam enim populi beneficio ex parte honores obtinebantur, candidati ambibant, prenſabant ac rogabant populum, & quo quis pluribus ſuffragiis erat inſtructus, omnibus competitoribus præferebatur. Ad populi autem favorem conſequendum, danda erant congiaria, prandia præbenda, gladiatores exhibendi, pecunia dividenda: propterea inter patritios oriebantur diſſidia, & quam plurimi patrimonia conſumebant.

XXXVI. Evertunt etiam ſtatum ſuperba nimis atque herilia oligarchicorum imperia. Quoniam enim omnis civitas eſt conſociatio ac ſocietas non ſervorum, ſed ingenuorum liberorumque hominum, ſerviliter quoque huic ut imperetur, injuſtum eſt, quia naturæ ſocietas ratione utentium repugnat. *Quin animus humanus*, inquit Cicero, *ſublime quiddam & generoſum natura inſitum habet, ut nemini parere velit, niſi utiliter imperanti, neque quicquam eſt valentius ad continendam humanam ſocietatem, quam beneficiorum viciſſitudo.* Tale in republ. Rom. fuit Decemvirorum & Caj. Julii Cæſaris imperium.

XXXVII. Præterea, quoniam ſupra demonſtravimus, illas reſpubl. minus eſſe diuturnas, in quibus ſubditorum nulla prorſus habeatur ratio, ſed imperantium injuriis ac libidini tantum ſint expoſiti, manifeſtum quoque eſt, ejusmodi oligarchiam brevi interituram, in qua plebi a nobilibus, his a plebe injuriæ inferantur, ſeveriſſima igitur illæ pœna puniantur. Hac in re Trajanus Boccalinus Venetorum extollit prudentiam. Nobilis enim cujuscunque generis autoritatis ac dignitatis tandem ſit, quando cum plebei ordinis homine litigat, majorem habet adverſarium, quam ſi cum ſui ordinis homine.

XXXIIX. Hinc patet, oligarchias, omnino e medio aberrantes infirmas eſſe ac minime diuturnas, quales ſunt, in quibus nulla mediorum habetur ratio, & populus ab omnibus etiam viliſſimis, officiis eſt excluſus; pacatiores vero illæ, in quibus præter majores reipubl. magiſtratus [hos enim iis, qui reip. ſunt participes, vel ſolis, vel pleriſq; mandare oportet] officia honoratiora plebejis etiam demandantur. Qua in re Venetorum conſpicitur prudentia, qui quo populum deliniant, ſicut etiam ſupra dictum, ne ab omnibus ſeſe honoribus excluſum ægre ille ferat, ad honores ſatis præclaros præſtantiores ex iis evehunt, hoc ſi Romani obſervaſſent, pacatior interdum reſpubl. fuiſſet.

XXXIX. Denique, ſicut ſingulorum hominum omniumque civitatum damnum ac maxima pernicies a prima mala morum conformatione dependet, ita imprimis maximum oligarchiæ periculum luxurioſa impendet educatione patritiorum. Ita enim petulantia, libido atque divitiarum ſtudium, prima malorum elementa, civibus inſtillantur. In quocunque autem ho-



Digitized by Google

minum cœtu opulentiæ ac divitiarum nimius honor, huic peſſimi mores aderunt. Ibi enim contumelia, ibi injuria proximæ motuum cauſæ locum habent. Et hactenus de cauſis per ſe mutationum earum, quæ in oligarchiis obveniunt.

XL. Cæterum, & ex eventu quoque nonnunquam oligarchiæ hac ratione commutantur, ſit ex. gr. in parva quadam civitate lex poſita, ut nemo, niſi qui duo millia aureorum in ære habeat, ad reip. gubernacula admittatur, civitas autem illa progreſſu temporis & potentia & opibus tantum creſcat, ut omnes fere tantum æris poſſideant, adeoque nemo a republ. excludatur, totus tandem ſtatus prius oligarchicus in democraticum abibit. Quod ſimiliter & belli & pacis tempore accidere poteſt, maxima nimirum nobilium parte bello conſumta, aut gravi peſtilentia enecata: tum enim plebs & quantitate & qualitate ſuperior democratiam introducet.

XLI. Cæterum, quales mutationes in miſtis rebuspubl. contingant, porro erit explicandum. Conf. hic Ariſt. *l.* 5. *pol. c.* 7. Et primo quod attinet ariſtocratiam non quidem proprie ſic dictam, ſed mixtam ex democratia & oligarchia, ne illa quidem ſicuti eſt imperfecta, internis caret vitiis, ſed nunc in democratiam, nunc in tyrannidem convertitur. In univerſum, ad quamcunque reipubl. formam mixtæ inclinant, eo plærumque transferuntur. Sic politia in democratiam, ariſtocratia in oligarchiam tranſit, vel etiam nonnunquam in contraria, ut ariſtocratia in democratiam propter injuriam tenuioribus illatam; politia vero in oligarchiam.

XLII. Sed quoniam oligarchia ariſtocratiæ per affinis eſt, (*ſiquidem in utraque pauci ſunt, qui præſunt*, ut ait Ariſtoteles, *etſi non eadem ratione pauci*) eædem ferme ſeditionum cauſæ in ea occurrere ſolent. Sicuti enim illa ex falſa inæqualitatis perſuaſione, & ob paucitatem eorum, quibus ad honores patet aditus, concutitur; ita & hæc ſumma rerum ad paucorum, nimis divitum nempe atque nobilium manus contracta. Præſertim, ſi maxima pars plebis, aut certe viri generoſi ac virtute excellentes maneant inhonorati, imo ſi deſpiciantur inſuper & ſuperba nimis atque ignominioſa imperia perferre cogantur. Sic reſp. Romana, minus in principio temperata hac parte poſtea ſemper laboravit, maxime tum cum plebs numero patritiis eſſet ſuperior, ipſique nihilominus invita plebe ſummam imperii ad ſeſe traherent, excluſis nonnunquam ſui ordinis hominibus Conqueritur hac de re Catilina apud Saluſtium, & C. Marius in oratione pro concione ad populum habita. Nam cum tempore Ciceronis & paulo ante reſpubl. lege eſſet ariſtocratica, oligarchice vero revera nolente populo adminiſtraretur; patritiis omnem ad ſeſe majeſtatem trahentibus, non potuit non miſere lacerari ac tandem interire.

XLIII. Præterea, quoniam omnis inæqualitas, ut ſupra dictum, amicitiæ eſt inimica, eaque maxima inter homines diſſidia excitat, perſpicuum eſt nimiam bonorum inæqualitatem ariſtocratiis parum conducere, præterquam enim, quod hac ratione ii, qui affluunt divitiis, ſeditioſa agitet conſilia, plebs bonorum adæquationem agrorumq; diviſionem acriter urgere ſolet, id quod raro fit ſine ruina ac reipubl. everſione. Sic C. Grachus primus quietem Romanæ reipubl. non immerito turbaſſe creditur, quod primum agrorum dividendorum mentionem apud populum fecerit, quem deinde inſecuti ſunt alii, magno tamen ſemper cum reipubl. detrimento. Catilina apud Saluſtium *omnis gratia*, inquit, *potentia, honos, divitiæ apud illos ſunt* (paucos intellige) *aut ubi illi volunt, nobis reliquerunt pericula, repulſas, judicia & egeſtatem.*

XLIV. Tertia cauſa mutationis Ariſtocratiarum oritur ab unius nimio honoris atque potentiæ ſtudio; qui licet magno jam tum in dignitatis gradu ſit conſtitutus, non quieſcat, ſed indies majorem ſemper affectet. Sic Cæſar ampliſſimis ſemper perfunctus honoribus, prius non acquievit, donec totam imperii ſummam ad ſeſe paulatim traxiſſet, ac dominatum ſtabiliiſſet.

XLV. Denique occultas quaſdam atque irrepentes ariſtocratia & politia patiuntur mutationes a minus accurata exigui obſervatione; cujus neglectio, quantum progreſſu temporis cuique ſtatui detrimentum afferat, ſupra eſt explicatum. Exemplo nobis ſit reſpubl. Romana, cum enim in ea maximi honores initio non eſſent perpetui, nec quiſquam eos, lege enim cautum erat, bis terve petere poſſet, quam primum paulatim inde fuit diſceſſum, imperiorumque prorogationes unus itemque alter impetraret, magnum tandem hinc reipubl. malum eſt enatum, illis, quos honorum diuturnitas & opibus & potentia cæteris ſuperiores effecerat, eam invadentibus.

XLVI. In ſumma tam ariſtocratiæ quam politiæ, ex prava utrorumque extremorum contemperatione nimiaque a medio aberratione, corrumpuntur: In politia quidem, ſi divitiæ & paupertas, in ariſtocratia, ſi paupertas, divitiæ, virtus, legitima careant temperatura, atque ſic unum extremorum in utraque ſemper prædominetur. Stabiliores ſunt, in quibus *utrumque & neutrum*, ut ait Ariſtoteles *l.* 4. *c.* 9. *ineſſe videtur*, atque ubi eandem rempubl. dicere licet & democratiam, & oligarchiam. Qua in re Lycurgi, in deſcriptione reipubl. Lacedæm. ſingularis conſpicitur prudentia, eo quod tam bene fuerit mixta, ut de utriſque inſtitutis æqualiter viſa ſit participare. Talis etiam ferme fuit reſpubl. Carthaginenſium.

XLVII. Reliquum nunc eſt, ut mutationes monarchiarum, regni atque tyrannidis, videamus. Confer. Ariſt. *l.* 5. *pol. c.* 10. *&* 13. Quemadmodum autem utraque ex contrariis originem ducit, ita quoque a contrariis cauſis corrumpitur, ſicut hoc Ariſtoteles docet *lib.* 6. *pol. c.* 10. Et quoniam regnum ariſtocratiæ per affine eſt (ob virtutem enim, generis nobilitatem, & beneficiorum in rempubl. collatorum magnitudinem defertur) tyrannis vero ex peſſima oligarchiæ & democratiæ ſpecie conſtet, propterea eadem fere erunt principia mutationum regni & tyrannidis.

XLIIX. Omnes autem mutationes vel ab injuria proficiſcuntur, vel metu, vel contemtu, vel denique quacunque re imperantes parentium odium atque invidiam ſibi conflant. Quoniam item, ut ſupra dictum, omnes vel propter honoris, vel lucri cupiditatem, vel denique voluptatem rebus novis ſtudent, duplici quoque ratione ſtatus monarchicus interibit, conjuratione a ſubditis facta vel in regis caput, vel ipſius principatum. Illud C. Julio Cæſari, hoc Tarquinio ſuperbo & aliis contigit.

XLIX. Injuriarum duas conſtituimus ſpecies; contumeliam & injuſtam bonorum direptionem, ad illam pertinent libidinoſa imperia, quibus nobiſmet ipſis vel ſanguine nobiſcum cohærentibus illuditur, injuſtæ civium cædes ac verbera, citra omnem culpam, libidinis tantum ac petulantiæ gratia ſæpius iterata. Contumelia enim iram concitat, hanc, veluti individuus comes vindictæ cupido comitatur: quæ nullis nocendi opportunitatibus indormire ſolet. Exiſtimant autem homines, tunc maxime læſam ſibi eſſe famam a tyrannis, cum vel mulierum violatur pudicitia, vel ipſi aliquo vituperio afficiuntur & contemnuntur. Hæc fuit occaſio Romanis evertendæ regiæ poteſtatis, eadem cauſa atque idem finis Cæſaris tyrannici fuit imperii. Interfectus etiam eſt Philippus eo, quod atrocem contumeliam ab Attalo aulicorum uni Pauſaniæ illatam vindicare noluerit. Carolus item Borbonius alapa a Franoiſco I. percuſſus magnorum motuum fuit occaſio. Similiter ætate noſtra conjuravit Julius Bellantius adverſus Pandolphum, Senenſium tyrannum, ſocerum ſuum, ob nullam aliam cauſam, quam quod filia illum ſpoliaſſet, quam prius illi in matrimonium dederat.

L. Præterea nimius metus odiumque ſubditorum immoderatum cuicunque dominatui eſt exitioſum. Nulla enim vis, inquit Cicero, *tanta eſt, quæ premente odio ac metu poſſit eſſe diuturna, malus enim cuſtos diuturnitatis eſt metus.* Quapropter merito Largius Dictator optimum & firmiſſimum imperium eſſe dixit, quod ſubditos beneficiis magis, quam ſuppliciis in officio contineat, illi enim benevolentiam, huic metum eſſe comitem, quicquid autem timeatur, id neceſſitate naturali exoſum eſſe omnibus. Nulla res Galbam Cæſarem vita & imperio ſpoliavit, quam metus a ſævitia natus, quam principio gubernationis indicta cauſa exercebat in optimates & viros conſulares. Ita Alexander Magnus, quamdiu juxta reverentiam amorem ſuorum retinebat, tamdiu ipſi omnia ex voto fluebant, amore autem ob nimiam in ſuos ſævitiam in odium, reverentia vero in timorem converſa, vitæ atque imperio inſidiæ ſtruebantur.

LI. Odio peraffinis eſt contemtus, malum longe gravius, ut ſupra demonſtratum, lethaliuſque: Oritur autem, ut ſimiliter dictum, cum a forma imperii tum moribus imperantis. Vileſcente autem hac ratione regum autoritate, præ cæteris ii, quos in delitiis habent, quique ampliſſimo dignitatis gradu apud ipſos funguntur non unam ob cauſam ſunt metuendi; tum quod propter amicitiam, qua regi ſunt conjuncti, impune ac citra ullam ſuſpicionem rebus novis ſtudere poſſint, tum quod facultate, qua conatus in effectus deducuntur, non deſtituantur.

LII. Alii, contemtu pariter atque lucro moti tyrannos invadunt: præſertim ſi præter fortitudinem potentiæ junctam magnum in militia locum apud monarchas obtineant. Alii nudæ gloriæ conſequendæ cupiditate, quam in eo ſitam exiſtimant, ſi tyrannos e medio tollant & cives in libertatem vindicent; loquitur autem Ariſtoteles *l.* 5. *c.* 11. ex opinione, qua tum temporis de tyrannis jure interficiendis plerique ducebantur, exiſtimantes, eorum imperium, quia eſſet contra naturam, propterea minime tolerandum; imo eorum interfectores maximis honoribus nobilitandos; quomodo Ariſtogitoni & Harmodio ſtatuæ Athenis propter occiſos tyrannos ſunt poſitæ. Talis olim etiam fuit Brutus & Caſſius, Cæſaris interfectores. Et hactenus de communibus mutationum cauſis regii & tyrannici ſtatus.

LIII. Notandum tamen eſt, maxime principales cauſas, tyrannicum ſtatum evertentes eſſe odium & contemtum, licet propter hunc, ut ſupra dictum, plures tyrannides interierint. Odium enim tyranni nunquam poſſunt evitare, quippe qui nolentibus civibus imperent, omniaque ex libidine ſui tamen commodi cauſa agant, parum de communi civium ſalute ſolliciti. Tamdiu autem magnam iſtam ſubditorum invidiam poſſunt ſuſtinere, quamdiu ipſorum autoritas ac reverentia ſalva fuerit.

LIV. Cæterum duas omnis tyrannidis differentias conſtituimus. Una, quæ crudelitate ac ſævitia nititur, altera, quæ ficta quadam ac ſimulata benevolentia. Illa eſt injuſta atque ex omni civili ſocietate exterminanda, hæc majorem præ ſe fert juſtitiæ ſpeciem, quippe quæ volentibus magis fiat civibus atque in publicum ex parte bonum directa. Prioris ſpeciei corruptionis cauſas prius videbimus.

LV. Et primo quidem minus eſt diuturna, quæ viros generoſos, fortes, imo virtute excellentes quam plurimos alit. Utilius ſi caveatur ne omnino exiſtant, vel exorti in tempore civitate pellantur, vel morte, quod tutius mulctentur. Peccavit hac in parte Tarquinius ſuperbus: quod ſi enim Brutum & alios potentia atque virtute florentes, quorum tum temporis Roma abundabat, intereniſſet, diuturniore fortaſſis uſus fuiſſet imperio. Nocet ipſi ſimiliter mutuus civium amor atque amicitia, omnis enim notitia parit fidem; hæc animorum conſpirationem conſiliorumque communicationem, quia tyrannico ſtatui nihil pernicioſius, efficiunt vero fidem crebra conventicula, collegia, ſodalitates & quicquid denique ad copulandos religandoſque hominum animos aliquid momenti affert. Pertinet etiam huc cultura ingeniorum, & omnis ad virtutem atque eruditionem inſtitutio, utrumque enim generat libertatis recuperandæ atque amicitiæ ineundæ cupiditatem. Quid? quod ſemper hi, indignos ſeſe herili imperio æſtimantes

tes ſeditioſa agitent conſilia. Ejusmodi conventicula ſtatuum imperii Germanici interdixit olim Fridericus I. poſtea Carolus V. item in Galiis Franciſcus I.

LVI. Præterea propter otium ſubditorum nonnullæ tyrannides evertuntur. In cauſa eſt, quod illud quieti ſit perinimicum, hominesque ad novas res plerumque impellere ſoleat. Quapropter opera danda eſt tyranno, ut ſemper ſubditi, quod agant habeant, quo fiet, ut princeps eos ſemper quaſi in conſpectu habeat, & clandeſtinæ atque occultæ impediantur conſpirationes, imo ad ſervitutem evadant promtiores. Secundo minus ſibi conſulit, ſi nullos delatores vel otacuſtas [ut Siculo utar vocabulo] habeat, qui civium ſeſe immiſceant congregationibus, ſermonesque atque occulta eorum conſilia aucupentur, hoc enim efficeret, ut conſilia rarius communicent vel certe majori cum cautione. Tales olim otacuſtas habuit Hiero, Syracuſarum tyrannus.

LVII. Divitiæ porro ſubditorum, frangunt tyrannorum vires; tum quod maximo ſemper præſidio ad corporis cuſtodiam opus habeant, tum quod perpetuæ libertatis recuperandæ conſilia ab ipſis agitentur, adeoque in magno metu atque periculo verſentur. Ergo tyrannicum eſt inopia cohibere cives, ſi quidem otio atque divitiis luxuriantes, ad res novas & fidem exuendam procliviores fuerint. Sic paci minime eſt ſtudioſus tyrannus, partim ut ſubditi, bellis implicati, de rebus novis non cogitent, partim ut ducem ſeſe, quo alioquin deſtituuntur, conſtituant, ipſeque hoc pacto benevolentiam civium, dum vitæ periculum pro illorum ſalute ſubire videtur, conſequatur. Porro nihil pernicioſius & tyranno multorum familiaritate; cauſa eſt, quod dum amicis plurimum fidit, ipſis facultatem [voluntate enim nunquam deſtituuntur] ſeſe occidendi præbeat. Sic Alexander Pheræorum tyrannus, ab uxore eſt ſublatus, ſic Dionyſius Syracuſanorum tyrannus, a filiabus etiam ſibi metuebat. Vid. Diodorus Sicul.

LIIX. Denique nihil æque lethale ipſi eſt quam bonorum conſortium, hi enim nec adulabantur illi, nec iis ad maxima quæque ſcelera perpetranda uti poteſt, imo nefaria conſilia ac peſſimam gubernandi rationem in vulgus ſpargent, unde naſcetur odium animusque ad mutationem promtus. Hinc etiam fit, ut plus confidant peregrinis quam civibus; illis, quoniam jugum non ita recuſant: his, quoniam inviti illud ſubeunt, adeoque memores libertatis, ejus potentiæ plerumque ſeſe opponant. In univerſum tria ſunt, quæ tyrannicum ſtatum evertere ſolent, primum eſt mutuus inter cives amor atque benevolentia, tum ſi facultate ac viribus valeant, quibus ipſius ſeſe potentiæ opponere ac libertatem vindicare poſſunt, & denique, ſi cives ſublimia ſemper cogitent ac ſpiritus alant generoſos.

LIX. Hactenus de violentiore tyrannide; nunc molliorem quandam ejusdem evertendæ rationem videbimus. Quemadmodum autem regnum ſubvertitur, ſi nimis intendatur atque ad tyrannidem abeat, ita etiam hæc, quantum a vera regni natura abit, tantum ruinæ atque interitui eſt propinquior. Licet nunquam vere volentibus civibus exerceri poſſit, hoc enim eſſentiale eſt huic ſtatui, & in eo opponitur regiæ dominationi. Quapropter videamus, quibus vitiis hæc tyrannidis ſpecies laboret, quas ob cauſas plerumque intereat.

LX. Primo nocet, ſi talis ſubditis ſuis videatur, qui omnia in ſuum trahat commodum, pecuniam publice collatam non in reipubl. utilitatem, ſed voluptates, omniſque generis luxuriam convertat. Quoniam enim pecunia ac communi utilitate mortales potius aut carius nihil habent, nihil quoque acerbius ferunt, quam ejusmodi bonorum jacturam ac petulantem profuſionem: quæ ſuſpicio plerumque augetur, ſi expenſorum atque acceptorum rationem reddere recuſet, eo ipſo enim non tam diſpenſatorem ſeſe, quam dominum, (inviſum alias civibus nomen) publicorum bonorum profitetur. Neque tamen tametſi publica bona publicum in commodum convertat, propterea inopia aliquando laborabit, quippe qui cives in obſequio habeat, ac pro neceſſitate ipſis tributa imperare poſſit; ut taceam, tantum pecuniæ, quippe qui ſæpius bellis & aliis externis negotiis occupetur, tuto in abſentia nec ſuis, nec cuſtodibus hanc in rem conſtitutis committi. Odium denique pariunt immodicæ ac creberrimæ exactiones pro libidine, non pro neceſſitate regni imperatæ; ideoque vel prorſus ab iis abſtinendum, vel quædam illis neceſſitas affingenda. Breve propterea fuit C. Caligulæ imperium: non tantum enim omnem pecuniam, a Tiberio relictam annuo temporis ſpatio diſſipavit, ſed perpetuis exactionibus ſubditos porro oppreſſit atque exhauſit. Rectius ſuaſit Mæcenas Auguſto, dicens, eo libentius ſubditos tributa collaturos, quo principem in re familiari publicaque viderint diligentiorem, & minus ſumtuoſum. Peccavit ſimiliter Flavius Veſpaſianus, qui vectigal urinæ eſt commentus, recte hoc inſtitutum reprehendente filio Tito.

LXI. Sic etiam peccant tyranni, qui imitantur imperitos ſtatuarios: quemadmodum enim hi magnos ac validos viſum iri coloſſos exiſtimant, ſi eos admodum divaricatis cruribus diſſentosque & hiantes fingant, ſic ſi & ipſi vocis gravitate, & vultus torvitate, morum importunitate, & averſatione convictus majeſtatem præ ſe ferant. Verum ſicuti nimia comitate perit auctoritas, ita nimia ſeveritate amor, ſublato amore, una omne, quod ad ſtatus ſecuritatem facit tollitur. Quod ſi Cæſar in illa facilitate perſtitiſſet, nec ſuperbiæ ſeſe tantopere permiſiſſet, tantum odium nec ſibi unquam conflaſſet, nec ignobili adeo morte periiſſet. Faſtus peſſundedit Caligulam, Neronem, & alios; Vid. Suetonius *in vita*. Contra Auguſtus, utpote prudentior, promiſcuis ſalutationibus admittebat & plebem: tanta comitate adeuntium deſideria excipiens, ut quendam joco corripuerit, quod ſibi libellum porregerit, quaſi *elephanto ſtipem*. Conf. Proleg. Manil. Laudat ejusmodi humanitatem Cicero in Pompeio, quod nimirum ita faciles aditus ad

eum

Digitized by Google

eum privatorum, tam liberæ querimoniæ de aliorum injuriis fuerint, *ut is, qui dignitate principibus excelluit, facilitate par infimis eſſe videretur.* Sic Franciſcus I. Galliæ rex, ita comitate atque affabilitate claruit, ut domi foriſque *delicia generis humani paſſim* nuncuparetur.

LXII. Verum quoniam per difficile eſt tyranno utrumque, odium nempe atque contemtum ſuorum evitare, hunc tamen quibus poteſt artibus, omnino a ſe declinare debet, potiusque illud Caligulæ atque Tiberii: *oderint dum metuant*, imitari: cur autem contemtus ipſi tantopere noceat, quoniam ſupra a nobis fuit indicatum ulterius nihil addimus. Alia autem ratione avertere vix poterit, quam ſi prudentiæ civilis pariter atque militaris cognitionem præ ſe tulerit.

LXIII. Præterea multum nocet tyranno contumelia, civibus eorumque liberis, conjugibus, & denique conſanguineis a ſe vel uno ſuorum familiarium impune illata. Regem enim recte ajebat Theopompus, libertatem quidem ſuis concedere poſſe, pro viribus tamen ipſi eſſe advigilandum, ne ſubditi ab illis injuria afficiantur. Quod ſi obſervaſſet Philippus & injuriam, ab Attalo aulico Pauſaniæ illatam, in tempore vindicaſſet, tam cito fortaſſis & ignobili adeo morte non periiſſet. Idem quoque finem dedit Caligulæ, cum nec ſuæ amplius, nec alienæ pudicitiæ parceret: ſicuti nefanda illius ſcelera pluribus perſequitur Suetonius in vita.

LXIV. Porro ſi quicquam tyrannidem evertit, nimium certe hoc facit voluptatis ſtudium. Parit enim contemtum, contemtu autem tyranno nihil exitioſius, animum namque addit ſubditis atque idoneam invadendi præbet occaſionem. Qui enim temulentus ac luxurioſus multiplices ſubditorum inſidias, a quibus [quippe nolentibus imperans] nunquam eſt tutus, aut providere aut prudenter excipere poſſit? exemplo ſit Sardanapalus, Caligula, Heliogabalus, Vitellius & alii. Frugalitatem ac temperantiam in Cajo Julio Cæſare & Auguſto vehementer extollit Suetonius; quorum ille tantæ fuit abſtinentiæ, ut vulgo jactatum *ſit, unum hunc ex omnibus ad evertendam rempubl. ſobrium acceſſiſſe;* hic autem *cœnam ternis ferculis, aut cum abundantiſſime, ſenis inſtruebat, ut non nimio ſumtu, ita ſumma comitate.*

LXV. Præterea, quoniam tyranni ſalus maximam partem in amore ac benevolentia ſubditorum eſt collocata, illa autem donis ac munificentia comparetur, facile patet, quantum noceat illiberalitas atque ſordida quædam parſimonia, præſertim in primis imperii exordiis. Novus enim princeps, novum quaſi eſt imperium, novum autem imperium omnes plerumque detrectant. Hinc Alexander interrogatus: quis optimus principum eſſet? *qui*, inquit, *amicos donis retinet, & inimicos beneficiis amicos facit.* Vid. Plutarch. *in vita.* Ipſe quoque Ariſtoteles ad Alexandrum ita ſcripſit: *avaritiæ fugam atque liberalitatis gratiam, rerum eſſe gloriam & regnorum firmamentum.* Sic Auguſtus, poſtquam *militem* (verba ſunt Taciti *lib.* 1. *Annal.*) *donis, populum annona, cunctos dulcedine otii pellexit, inſurgere paulatim, munia ſenatus, magiſtratuum, legum ad ſe trahere cœpit, nullo adverſante; cum ferociſſimi per acies aut proſcriptione cecidiſſent, cæteri nobilium, quanto quis ſervitio promtior, honoribus & opibus extollebatur.* Idem ſæpius jactabat, ſe Romam relinquere marmoream, quam accepiſſet lateritiam.

LXVI. Porro, quoniam nulla res multitudinem efficacius regit, quam religio ſive vera illa ſit, ſive ſimulata; maximo fuerit damno tyrannis, ſi in opinione fuerint impietatis. Itaque ad ſalutem facit, vel ſpecie tenus videri religioſos. *Fere enim homines*, inquit Machiavellus in Principe cap. 18. *Specie magis & colore rerum, quam rebus ipſis permoventur, nam videndi facultas omnes attingit, attrectandi vero paucos duntaxat; nemo non videt, quid præ te feras, at pauci ſunt, qui, quis ſis percipiunt.* Uſus eſt hac arte Numa Pompilius, qui congreſſum Egeniæ Deæ ſimulans, eo ferocem populum redegit, *ut quod vi*, ait Florus, *& injuria occupaverat imperium, religione atque juſtitia gubernaret.* Eadem arte uſi ſunt Sertorius, Scipio, Mahomet, & in Africa Seriphii.

LXVII. Quoniam item injuriæ ac pœnæ altius in mortalium animos deſcendunt, quam præmia, nihilque ſubditorum animos magis abalienet, quam pœnarum inflictio, eaque a principibus facta, contra præmiorum collatio benevolentiam conſervet, parum tyrannus ſibi conſulet, ſi pœnarum curam ad ſe trahat, præmiorum vero collationem aliis committat. Hinc Bodinus inter magna arcana regni Gallici refert, quod rex præmiorum quidem conferendorum curam habeat, pœnarum vero inflictionem permittat Parlamentis, *hoc enim fit*, inquit, *ut omnium amore dignus rex habeatur, nullius odio.* Similiter multum de ſubditorum erga principem amore detrahitur, ſi ipſe primo deteſtabile carnificis munus obeat, tum ſi ſpectatorem ſeſe præbeat, & denique ſi delectari ejusmodi ſuppliciis videatur. Hinc male audit Balduinus VII. Flandriæ comes, qui duo equeſtres viros, qui quod tres mercatores per viam ſpoliaſſent, vocatos in palatium laqueo ſuſpendit. Spectator olim fuit: Domitianus, noſtro tempore Carolus IX. &c.

LXIIX. Ad hæc pereunte proportione, qua membra regni ſibi invicem reſpondere debent, ipſa quoque firmitas regni pereat tandem neceſſe eſt, quo fit ſi patiatur tyrannus, ut unus ad tantam potentiam aſpiret, quæ tandem ſit formidabilis, præſertim ſi unus ille juxta potentiam generoſo & ad maximas quasque res gerendas promto ſit animo. Tanti autem viri potentiam uno impetu, & quidem temporis articulo frangere velle, abſurdum eſt, & cum præſenti plerumque ſtatus ruina atque interitu conjunctum. Satius, ſi ſenſim & progreſſu temporis in ordinem redigatur. Exemplo ſit C. Julius Cæſar, Pompejus & alii, quos ſilentio nunc quidem præteribimus.

LXIX. Hactenus de mutationibus, quibus quælibet reſpubl. ob vitia intrinſecus nata interit, de illis autem, quæ extrinſecus & caſu quodam obveniunt, quales ſunt, ſi terræ motu, peſtilentia, bello aut alio infortunio pereat, quoniam noſtri non eſt inſtituti, nihil addemus, præ-

ſertim

Digitized by Google

ſertim cum ea accurate ſatis Clariſſimus vir Hugo Grotius lib. 2. de jure pacis & belli c. 9. ſit proſecutus.

LXX. Atque hæ fere cauſæ ſunt tum in communi, tum privatim omnium illarum, quæ rebuspubl. obtingunt mutationum. Solent autem ab aliis & aliæ adduci; quidam enim ex ſideribus uſque trahunt civitatis cujusque fortunam; quidam in numerorum arcanis viribus eam credunt collocatam: quidam & fatales metuunt converſiones. Sed prima opinio Chaldaicam reſipit vanitatem, quam nunc argumentis refellere non eſt noſtrum: poſtquam id ab aliis abunde eſt factum, inprimis vero Joanne Pico Mirandulano principe, Hieronymo Savanarolar & Thoma Eraſto hominibus ſane longe eruditiſſimis. Similiter nec de numerorum poteſtate nunc diſputabimus, quam licet maximam olim crediderit eſſe Pythagoræ & Platonis ſchola, ab Ariſtotelis tamen diſciplina dudum eſt exterminata.

LXXI. Eſſe autem interdum fatale aliquid in ruinis civitatum, id vero non credimus diffitendum, modo fati vox aut caſtigetur, aut ex Chriſtianæ fidei conſuetudine explicetur. Saltem enim ex oraculis Hebræorum prophetarum abunde conſtat, mutationibus rerumpubl. divini quid ſubeſſe. Imo vero usque adeo id manifeſtum eſt, ut non tantum omnes totius terræ populi hic cum primis divinam providentiam agnoverint, ſed etiam ipſimet parci alioquin religionis cultores, præter humani vim conſilii arcanam aliquam fortunam, ſibi tamen conſtantem & quaſi coactricem, adacti ſint profiteri. Sed quomodo Deus verſet res humanas, majoris altiorisque eſt diſquiſitionis.

# XXXII.

## HERMANNI CONRINGII DISSERTATIO DE MORBIS AC MUTATIONIBUS RERUMPUBLICARUM

*RESPONDENTE*

ERNESTO *von Wartensleben*

NOBIL. SCHAUMBURG.

ANNO MDCXL.

## THESIS I.

Cum tota doctrina de republ. tam nobilis ac præſtans ſit, vix ut ea præſtantiorem nemo aſſequatur hominum: tum hæc imprimis ejus pars, quæ de variis morborum generibus, quæ reſpublicas affligere & nonnunquam quoque evertere ſolent, ac horum remediis, quibus ſalva conſervari civitas poſſit, tractat, frugifera maxime ac fructuoſa eſſe videtur. Noſtris certe his temporibus, ubi rariſſime & paucis admodum contingit de novo conſtituere reſpublicas, omnibus vero incumbit jam conſtitutis, laborantibus conſilio ac ope ſua ſubvenire; ubi non ad normam optimæ illius, quam ipſe Ariſtoteles ex voto eſſe ait, omnes exacte examinari aut redigi poſſunt: Sed quantum licet in eo quo ſunt ſtatu, ſalvæ quam diutiſſime a bono cive conſervari debent, utiliſſima adeoque penitus imbibenda hac de re præcepta ſunt.

II. Pertractavit autem hoc argumentum jam dudum optime omnium Ariſtoteles, ſummus in doctrina vir atque ingenio maximus. Et quidem quinto Politicorum volumine. Illo enim libro agitur: *quibus ex rebus, & quot numeris, & qualibus reſpublicæ mutentur, quique ſingularum rerumpubl. ſint interitus ex quibus in quas maxime mutentur: præterea quæ ſint conſervationes & communiter omnium, & ſeorſim ſingularum.*

III. Ea autem hujus materiæ eſt amplitudo, ut una vice omnia, quæ huc pertinent commode non poſſint attingi. Quare in præſentia (de conſervationibus rerumpubl. doctrinam peculiari diſſertationi relinquentes) ea tantum tradituri ſumus, quæ de morbis ac mutationibus rerump. apud Ariſtotelem leguntur. Quod ipſum quoque extremis, quod ajunt digitis, & ſuſpenſa manu attingi a nobis procul dubio videbitur, cum ea hujus materiæ ſit dignitas, ea quoque difficultas, ut ingenium promptum acutumque ac imprimis judicium maturum & exercitatum poſtulet, nec ab homine adoleſcente, cum a cæteris rebus valde tenuiter inſtructo, tum in hiſtoriarum monumentis, uſu rerum, vitaque hominum plane hoſpite ac peregrino, omni ex parte capi poſſit. Altum tamen, quod ſemel ingreſſus ſum urgebo, certus, ſi quid minus accurate minus-

Digitized by Google

minusque ſufficienter, quam nobiliſſima hæc materia poſtulat, prolatum fuerit, id æqui bonique nihilominus conſultum iri.

IV. Principio igitur, antequam ad rem propius accedamus, præmittenda quædam ſunt. Primum eſt, mutationem omnem, quæ fit in republica non eſſe uniusmodi. Contingit quippe nonnunquam, ut totus civitatis ſtatus plane immutetur, & ex uno fiat alius. Exempli cauſſa, ex democratia oligarchia, ut Athenis ipſo bello peloponeſiaco, & finito eo, evenit, teſtibus Juſtino lib. 5. cap. 3. & 5. Diodoro Siculo lib. 13. c. 16. & lib. 14. c. 2. Plutarcho in Alcibiad. & Lyſandr. Thucydide lib. 8. Xenophonte lib. 2. Hiſtor. Græc. Vel contra ex oligarchia democratia, ut in eadem Athenienſium republ. poſt ejectos Oligarchos, & ſub initium belli peloponeſiaci Corcyræ non ſine ſanguine factum, quod teſtatur Thucydides lib. 3. vel denique ex democratia, & oligarchia, ariſtocratia, aut vice verſa.

V. Hæc igitur una mutationis ſpecies. Alia eſt, quando non ipſa forma regiminis quoad ſubſtantiam ſuam, ſed in ea aliquid mutatur. Quod ipſum quoque una non evenit ratione. Aut enim ii, in quorum manu & poteſtate eſt reſp. mutantur: quod cum in aliis ſtatibus, tum regnis imprimis frequenter fieri videas. Sic debellatis Sardinapalo, Aſtyage, Dario Codomanno, ne minimum quidem mutata fuerunt regna ipſa, ſed ad victores Arbactum Medum, Cyrum & Alexandrum Magnum tantum tranſlata, *Juſtin. lib.* 1. *c.* 3. *&* 6. *lib.* 11. *c.* 5. *Curt. lib.* 5. Aut aliqua regiminis forma intentior fit, vel remiſſios, ut de Heracleenſium rep. noſter docet *h. lib.* 5. *c.* 6. Aut denique novus magiſtratus introducitur, vetus abrogatur, ut Athenis poſt Codrum Reges deſierunt, inceperunt Archontes. Vellejus *lib.* 1. *c.* 2.

VI. Hoc primum eſt. Notandum deinde, omnem mutationem fieri per vim vel conſenſu. Illud contingit, cum vi quadam nova reip. forma introducitur, ſicut captis Athenis triginta rectores, a Lacedæm. impoſiti remp. qua armis potiti fuerant, armis ſibi retinebant. *Juſt. l.* 5. *c.* 8. Hoc fit cum non vi, ſed conſenſu eorum, quibus intereſt, ſive is perſuaſione aut dolo impetretur, ſive alias intercedat, mutatio inſtituitur: quomodo Lycurgus rempubl. Lacedæmoniorum mutavit. *Plutarch. in Lycurgo* & Valerius Publicola, ut autor eſt idem *Plutarch. in Publicola.*

VII. Atque hi duo modi inter ſe non raro commiſcentur. Aliquando enim initio quidem vi coguntur cives, poſtea conſentiunt ſponte ſua, vel perſuaſione aut fraude quadam permoti. Itaque tunc primo invitis, poſtmodo volentibus imperatur. Quomodo Romanorum imperium vi ad unum tranſlatum eſt, poſtea perſuaſione & blanditiis præſertim Auguſti, lege regia lata, is ſtatus manſit, *Sueton. in Jul. Caſ. & Auguſto.* Contra nonnunquam mutuo conſenſu quid fit, poſtea accedit vis: ſicut tempore belli Peloponeſiaci dolo Alcibiadis conſenſerunt Athenienſes in oligarchiam, quam poſtea in invitos vi retinere voluerunt quadringenti oligarchici, ut noſter *philoſophus c.* 4. tradit.

IIX. His præmiſſis, ad rem accedamus & cauſſas mutandarum rerumpublicarum paucis exponamus. Sunt vero illæ in genere vel internæ, vel externæ. Quarum illæ & difficilius præcaventur, & majori cum periculo ſunt conjunctæ: hæ rarius turbant aut mutant reſpublicas. Unde recte Livius *lib.* 3. *Decad.* 18, dicit: factiones *fuiſſe foreque pluribus populis magis exitio, quam bella externa, quam fames morbive, quæque alia in Deum iras, velut ultima publicorum malorum vertunt.*

IX. Nos de Internis agemus maxime: Non niſi uno atque altero verbo autem externas quoque attingemus.

X. Omnium igitur internorum motuum fons & origo eſt perſuaſio, dum aliqui putant non tribui ſibi id, quod tribuendum jure eſſet, hoc eſt, cum aliqui arbitrantur ſe æquales eſſe vel inæquales, & propterea, æquali aut inæquali loco in civitate habendos. Sæpius agit Philoſophus de hac perſuaſione, præcipue 3, *pol. c.* 6. *&* 8. *& hoc lib.* 5. *c.* 1. *&* 2. Plato *quoque lib.* 6. *de LL.* In Democratiis itaque tumultuantur divites, nec æquali loco haberi, ſed cum præſtent opibus, præſtare quoque dignitate & potentia volunt. In Oligarchiis contra injuriam ſibi fieri plebs exiſtimat, quod cum libertate ſit divitibus par, paria tamen in republ. cum iis non auferat. In ipſa quoque Ariſtocratia & regno ſicubi motus exiſtunt, ex hac opinione plerumque oriuntur, quod divites & plebs virtuti non cedere, ſed æqualia omnia propter unum aliquod, quo forte æquales ſunt, aut etiam ſuperiora capere, fas judicent. Ipſi vero ii, qui inter omnes virtute excellunt viri boni, ſi jure ſuo agere vellent, rectius fortaſſis rempubl. ad ſe traherent, multo tamen ſedatiores ſunt, raroque propter hanc ſuam prærogativam ſeditiones movent, utpote a quibus virtus eorum longe alieniſſima.

XI. Æqualitas autem & inæqualitas, quæ tanto impetu urgetur, duplex eſt. Alia Numeri, dignitatis altera. Illam Philoſophus deſcribit lib. 5. c. 1. *cum aliquid multitudine aut magnitudine idem eſt & æquale, vel contra:* Hanc vero *cum ratione & proportione.* Prior vulgo Arithmetica, poſterior Geometrica vocatur, & egit quoque de his Ariſtoteles 3. *pol. c.* 6. *&* 5. *Ethic. c.* 3.

XII. Neque vero ex una harum ſpecierum æqualitas aut inæqualitas eſt judicanda, ſed eſt utraque, hoc eſt, non tantum divitiæ cum divitiis, libertas cum libertate, ſed & unum quoq; cum altero, divitiæ cum virtute aut libertate comparandæ, quidnam horum proportione ſuperet.

XIII. Et exacte quidem ac accurate hoc eſt examinandum. Videntur namque omnes conſentire, aliquo modo æqualitatem & inæqualitatem ex dignitate eſſe quoque cenſendam: Verum quæ dignitate paria ſint, aut imparia, de eo maxime contendunt his divitias ſuas, genus, virtutes inæquale, illis libertatem æquale poſtulare judicantibus. Hinc igitur perpetui tumultus & ſeditiones, donec altera pars ſuperior facta, remp. ad ſe jure ſcilicet ſuo rapuerit.

XIV. Hæc igitur perſuaſio inſtar faſcini alicujus corripit homines, & addit ſi quicquam aliud animos ad aliquid in republ. novandum. Unde plurimi tantum non omnes, qui tumultuantur, eo modo ſunt affecti.

XV. Neque tamen ita temere illi tum progrediuntur, ſed certos habent ſibi fines propoſitos, *quos quieta republ. deſperant perturbata vero, poſſe ſe conſequi arbitrantur*, ut Cicero inquit 2. *Catalin.* Sunt ii fines plerumque Lucrum & Honor. Unde recte Saluſtius in *Catilin. c.* 10. hæc duo omnium malorum materiem. Stobæus. *cit.* 10. & Thucidides *lib.* 3. *omnium calamitatum elementa & cauſas vocant, quorum gratia bella atque certamina omnia inter mortales ſunt. Manlius apud Saluſtium* in Catilin. c. 23. De honore egregie hoc probat Cicero 1. de offic. dum ait: *Maxime adducuntur plerique, ut eos juſtitiæ capiat oblivio, cum in imperiorum, honorum gloriæve cupiditatem inciderint:* quod Caji Julii Cæſaris exemplo confirmat, quem eodem loco dicit *divina & humana pervertiſſe, propter eum, quem ſibi opinionibus erroneis finxerat principatum.* Nota hujus eſt vox apud Sueton. *ſi jus violandum eſt, regnandi cauſa violandum eſt, in cæteris pietatem colas.* Ut vero hunc, ſicut maximos animos ſplendidiſſimaq; ingenia ſolet, honoris, imperii, potentiæ, gloriæ cupiditates rapuerunt: ita viliora pectora auri ſacra fames ad quidvis innovandum impellit.

*Inde fere ſcelerum cauſæ, nec plura venena*
*Miſcuit, aut ferro graſſatur ſæpius ullum,*
*Humanæ mentis vitium* - -

Canit Juvenal. *Satyr.* 14. rempubl. enim præmii loco in medio poſitam eſſe arbitrantur, de qua cives concertent, ſatis libidini & avaritiæ eorum, in quorum manus pervenerit, conſulturam.

XVI. Nunc ipſas illas cauſas, ut principia quædam & occaſiones, quæ anſam dare ſolent ac impellere homines ad jus ſuum propter inæqualitatem aut æqualitatem poſtulandum, ac de duobus finibus quæſtu & honore, contendendum, paucis craſſa Minerva exponemus.

XVII. Conſiderantur illa vel in genere, prout omnes reſpubl. concernunt, vel in ſpecie, ut ſingulis accommodata maxime periculoſa ſunt. Priori modo nos ea prius, poſteriori deinceps conſiderabimus.

XIIX. Mutant igitur omnes reſpubl. vel certe perturbant ad minimum quædam violentius, ut ita dicam, & uno quaſi impetu magnoque cum tumultu, quædam minus violente & ſenſim, fere abſque tumultu, illius generis ſunt: *Quæſtus, Honor, Contumelia, Metus, Excellentia, Contemptus, Augmentum immoderatum & diſſimilitudo.* Illius: *Vile vitæ genus, negligentia & exiguum.*

XIX. Quæſtus cauſſa eſt tumultus in omni regiminis forma, quando cives vident eos, qui in magiſtratu ſunt, penesque quos eſt reip. ſumma, affluere divitiis; ſe vero paupertate premi. Etenim invidia ex opulentia oritur. Unde apud Saluſt. Catilina ſuos ad ſeditionem concitaturus, totus in eo eſt, ut nimias magiſtratus opes, ſuorum vero paupertatem ante oculos ponat. Ita ait cap. 20. *Quis mortalium, cui virile ingenium ineſt, tolerare poteſt, illis divitias ſuperare quas profundant in extruendo mari & montibus exæquandis, nobis rem familiarem etiam ad neceſſaria deeſſe? illos binas & amplius domus continuare, nobis larem familiarem nuſquam ullum eſſe? cum tabulas, ſigna, toreumata emunt; nova diruunt; alia ædificant, poſtremo omnibus modis pecuniam trahunt, vexant, tamen ſumma libidine divitias ſuas vincere nequeunt. At nobis eſt domi inopia, foris æs alienum: mala res, ſpes multo aſperior, denique quid reliquum habemus præter miſeram animam? Quin igitur expergiſcimini, &c.*

XX. Maximum vero ſeditionum & motuum incitamentum eſt, ſi cives non tantum magiſtratus divites, ſed etiam ſuo damno divites cernant; hoc eſt ſi ii, in quorum manu eſt reſpubl. non opulenti tantum, ſed & injuſti ac avari ſint.

XXI. Ea avaritia exerceri ſolet cum in publicis rebus, tum in privatis. Quæ in publicis verſatur, viciſſim quasdam quaſi ſpecies habet. Prima eſt peculatus, quando ab iis, quæ communia ſunt, & ad omnes pertinent, manus non continentur. Quod vitium ſatis vulgare & quotidianum eſt, neque inter illos tantum, qui iisdem mœnibus muniuntur, tumultus & ſeditiones conciere ſolet, ſed totius quoque regionis alicujus incolas, gentes ab ſe invicem remotiſſimas, inter ſe non raro committit. Magnum certe illud incendium, quo tota Græcia viginti ſeptem annis flagravit, ipſæque Athenæ pene abſumptæ ſunt, ſine controverſia conflavit. Cum enim Athenienſes pecuniam, quæ erat in ſtipendium Perſici belli ab univerſa Græcia collata, a Delo Athenas transtuliſſent, cæterorum popularium, & præſertim Peloponeſiorum armis petiti ſunt, teſte Juſtino *lib.* 3. *c.* 6. Nec ſacrum bellum alia de cauſa cœpit, quam propter Phocenſium rapinam & quaſi peculatum, qui commune Græciæ templum ſpoliare veriti non fuerant. *Idem Juſtin. lib.* 8. *c.* 1. Hæc prima ſpecies avaritiæ, qua in publicis rebus peccatur.

XXI. Altera nimia tributorum exactio. Hinc decem tribus, maxima & potentiſſima pars Judæorum, mortuo Salomone, a domo Davidica deſcivit, ut notum eſt ex ſacris. Apud Romanos quoque, cum ingruente ob Hannibalis bellum maxima pecuniæ remigumque neceſſitate ſenatus edixiſſet, ut *privati ex cenſu & ordinibus remiges darent cum ſtipendio cibariisque,* hoc edictum tantus fremitus tantusque furor civium conſecutus eſt, ut *magis Dux, quam materia ſeditioni deeſſet,* Livio teſte.

XXII. Tertia ſpecies hujus avaritiæ eſt Nundinatio, qua cum omnes honores, tum jura quoque omnia venduntur. Eam omnium optime deſcribit Cajus Memmius Trib. Pl. apud Saluſt. in Jugurth. c. 31. oratione graviſſima, qua plebem Romanam concitaturus eſt adverſus patricios, qui immunes tum temporis ab hoc vitio profecto non erant. Nam ut idem Saluſtius c. 13. ait.

Digitized by Google

ait. *Jugurtha adverſus iram populi romani, nullam ſpem usquam, niſi in avaritia nobilitatis, & pecunia ſua habebat*: qui & totam Romam propterea *dixit venalem, & mature perituram, ſi emptorem inveniret c. 35.* Suo quoque tempore in Romanis idem vitium affirmat Horatius ep. 1. lib. 1.

*Si quadringentis ſex, ſeptem millia deſunt,*
*Eſt animus tibi, ſunt mores & lingua fideſque,*
*Plebs eris* * * * *

Et Ovid. 2. Amor. Eleg. 7.

*Curia pauperibus clauſa eſt, dat cenſus honores:*
*Inde gravis judex, inde ſeverus eques.*

XXIII. Quarta ſpecies, quando nimia pecuniæ ſumma pro quovis delicto, mulctæ loco imperatur. Sic *Phocenſes, a Thebanis accuſati, & in communi Græciæ concilio tanta pecunia damnati, quanta exſolvi non poſſet, tandem deſperatis rebus, cum agris, liberis conjugibusque privarentur, ad id adacti ſunt, ut celeberrimum illud Apollinis templum, quod Delphis erat ſpoliarent*, quæ res poſtea, ut ſupr. diximus, ingens bellum movit & totam Græciam Macedonum jugo ſubjecit. Juſt. l. 8. c. 1. & ſq.

XXIV. Atque hæ fere ſunt ſpecies avaritiæ, quæ in publicis negotiis exercitæ, cauſam tumultui dare ſolent. Non levius periculum timendum ex illa, quæ in privatis cernitur rebus, cum ſcilicet vel ſinguli ex magiſtratibus, vel totus ordo magiſtratuum, privatorum bona ad ſe vi aut dolo & ſub prætextu quodam trahunt. Quare Batto quidam quærenti Tyberio, cur Romanis Dalmatæ rebellaſſent, reſpondit: Vos *ipſi in culpa eſtis, qui ad veſtros greges cuſtodiendos non canes mittitis paſtoresve, ſed lupos*, ut refert Dio Caſſ. l. 15. hiſt. Rom. Quæ libera reſponſio forte etiam movit Tiberium, ut ad Æmilium quendam, eadem libidine & avaritia Ægyptiis imperitantem, poſtera ſcripſerit: *tonderi pecus volo, non deglubi*. Sueton. in Tiber. Hæc quoque non minima cauſa fuit, cur ejectis triginta tyrannis Athenienſes rempubl. ſuam mutaverint: Juſtin. lib. 5. c. 9. Plut. & Æmil. Prob. in Thraſibulo. Xenoph. 11. hiſt. &c. Referri huc commode poteſt, quando privati privatos vexant, opulentus & potentior inopem ac minus potentem: quod cum alias contingat, tum inprimis uſuris fieri ſolet: Unde Romæ magna ſeditio orta, & diſceſſio plebis in ſacrum montem facta, quæ totius reip. mutationem ſecum traxit. Flor. lib. 1. c. 23.

XXV. Pergemus tandem aliquando ad alia, ſi hunc locum, loco Marci Tullii Ciceronis inſigni concluſerimus. Ita ille 3. de off. dicit: *Detrahere aliquid alteri, & hominem hominis incommodo ſuum augere commodum, magis eſt contra naturam, quam mors, quam paupertas, quam dolor, quam cætera, quæ poſſunt aut corpori accidere aut rebus externis. Nam tollit convictum humanum & ſocietatem: ſi enim ſic erimus affecti, ut propter ſuum quisque emolumentum ſpoliet aut violet alterum, diſrumpi neceſſe eſt eam, quæ maxime eſt ſecundum naturam, humani generis ſocietatem. Ut ſi unumquodque membrum ſenſum hunc haberet, ut poſſe putaret, ſe valere, ſi proximi membri valetudinem ad ſe traduxiſſet, debilitari & interire totum corpus neceſſe eſſet: ſic ſi unusquisque noſtrum rapiat commoda aliorum, detrahatque quodcuique poſſit emolumenti ſui gratia, ſocietas hominum & communitas evertatur, neceſſe eſt, &c.*

XXVI. Hæc igitur una cauſa tumultus in quavis republ. quæ cum præ omnibus frequentiſſime occurrat, & multa inſuper in ſe contineat & complectatur, paulo diutius ei inhæſimus. Accedemus nunc ad ſecundam, quam honorem eſſe diximus, cum ſcilicet quidam ab honore ſe excluſos, alios vero eo ornatos eſſe dolent & indignantur. Quæ indignatio interdum eſt juſta, ubi indigni honores gerunt, dignis excluſis, quomodo omnes, qui ex hac cauſſa contra remp. inſurgunt, ſe excuſare conantur, ut Catilina in literis ad Q. Catulum apud Saluſt. in Cat. c. 25. Injuſta etiam nonnunquam, ubi videlicet contra accidit, ut digni præſtent honoribus, indigni inhonorati maneant. Hæc cauſa per multos annos maximas turbas Romæ dedit. Nobilitas enim cum omnia munia, tum conſulatum imprimis ſibi ſoli rapuerunt, *novus nemo tam clarus, neque tam egregius factis erat, quin is indignus illo honore & quaſi pollutus haberetur*, teſt. Saluſt. in Jugurth. c. 63. & in Catilin. c. 23. Tandem poſt creberrimas contentiones *fuſa nobilitate cum plebe, honores ſunt communicati*. Flor. lib. 1. c. ult. & ſic ordines in concordiam conciliati.

XXVII. Sequitur tertia cauſa motuum, *contumelia* cujus præcipuæ ſpecies ſunt, *Libido & Injuria* ſive contumelia ſtricte dicta. Quarum utraque tantam vim habet, ut multis id oſtendere aliud nihil ſit, quam conari ſoli lucem inferre. Illa ejecit Piſiſtratidas Athenis Juſt. l. 2. c. 9. Roma Tarquinios & Decem viros Liv. Dec. 1. l. 1. & 3. Flor. l. 1. c. 7. & 24. Hæc tarentinum bellum conflavit, *quod maximam partem Italiæ, fortiſſimas gentes, opulentiſſimas urbes uberrimaſque regiones in ditionem imperii romani redegit*. Flor. l. 1. c. 18. *Nec minus, Achajæ caput, Græciæ decus Corinthum*, ſi eidem Floro fides, hæc cauſa evertit ac delevit lib. 2. c. 16. Reges certe non paucos peſſum dedit, ut noſter hoc lib. 5. c. 10. pluribus docet. Adeo ſcilicet verum eſt, quod Publius Mimus dicit: *Multis minatur, qui uni injuriam facit*. Neque tantum male eſt reip. ſi ſummi magiſtratus contumelioſe habeant vel omnes, vel quoſdam e civibus, ſed etiam non raro periclitatur civitas, ſi privatum privatus injuria afficiat, ut idem Ariſtoteles c. 3. multis probat.

XXIIX. Quarto loco hic merito inter cauſas conturbandæ vel omnino mutandæ cujusvis reipubl. ponenda eſt *excellentia*, cum unus aliquis vel etiam pauci quidam ita opibus, dignitate, aut potentia præſtant, ut plus obtinere videantur, quam unum aliquem aut plures decebat, hoc eſt, quam ſtatus civitatis vel opes reip. ferunt. Ita eminebant Romæ Pompejus & Cæſar. *Neque enim hic parem, neque ille ſuperiorem ferebat*: unde tandem eo proceſſit impotens eorum ambitio, ut *Urbem, Italiam, gentes, nationes, totum denique qua patebat imperium, quodam quaſi diluvio ac in-*



Digitized by Google

*flammatione corripuerint.* Flor. lib. 4. c. 11. Sic *princeps Carthaginenſium Hanno, opes ſuas, quibus reip. vires ſuperabat ad occupandam dominationem intendit, regnumque invadere, interfecto ſenatu, conatus eſt. Juſtin. lib. 21. c. 14.*

XXIX. Quinta cauſa eſt *metus*, quando vel timent injurias aliorum, vel metuunt pœnas, quod minus recte ſe geſſiſſe viſi ſint. Hinc Cicer. 2. de offic. *Nulla vis imperii tanta eſt, quæ premente metu poſſit eſſe diuturna.* Nolunt enim homines, cum prævenire poſſint, præveniri: *& quod in certamine dubium eſt, quorſum accidat, id per inertiam quaſi victi in ſe recipere.* Saluſt. ad Cæſar. Unde Antipater cum cariſſimos amicos ab Alexand. M. necatos videret, ſe quoq; invidioſum rebus in Græcia geſtis, & vexatum olympiadis criminationibus cerneret; arbitrabatur non ad ſocietatem belli, ſed ad pœnam ſe e Macedonia evocatum, quare ad occupandum regem Caſſandrum filium dato veneno, ſubornavit *Juſtin. lib.* 12. *c.* 14. Cæſar quoque inimicos & præſertim Catonis metuens ſeveritatem, ut rationem reddere cogeretur privatus, noluit exercitum dimittere, ſed omnibus modis potentiam ſibi & imperium conciliavit. *Suet. in vit. ejus.*

XXX. Sexta eſt *contemptus*, qui dupliciter active vel paſſive in imperantibus aut parentibus poteſt conſiderari. Active quidem in imperantibus, quando ii, apud quos ſumma reip. eſt, aliquos cives prudentia ac opibus omnino inferiores exiſtimant, ac proinde contemnunt. Quomodo Ariſtoteles nobiles deſcribit 2. Rhet. ubi de moribus eorum agit, cui conſentit in Jugurth. Saluſt. c. 44. *Contemptor animus, & ſuperbia commune nobilitatis malum.* In parentibus: quando ſubditi & reliqui civium, multitudine ſua confiſi, vel alia quadam ratione permoti, parvi faciunt magiſtratus. Quo pertinet Martii apud Liv. Dec. 1. lib. 6. oratio, qua plebi patriciorum paucitatem, ſuam vero multitudinem oſtendit: *Quouſque tandem ignorabitis vires veſtras &c.* Paſſive vero conſideratur in imperantibus, quando rectores reipubl. ſe contemni ac nihil haberi vident. Quomodo Caracalla Antiochenos ad unum omnes occidit, qui jocati in eum fuerant *Herodian. in Caracall.* In parentibus, quando excluſi a muneribus publicis & privati ſe deſpicatui eſſe cernunt. Sic rex Siciliæ Hieronymus a ſubditis trucidatus, quod ab eo ſe negligi ſpernique cernerent, *Liv. Dec.* 3 *lib.* 4. Utroque igitur reſpectu, ſive active, ſive paſſive conſideratus, maximas plerumque turbas dat. Aut enim ii, qui contemnunt, invadunt, aut qui contemnuntur, ſe ulturi arma arripiunt, & ferro contemptum demere ſolent.

XXXI. Septima cauſa motuum ac mutationum eſt *nimium augmentum*, quando pars civitatis vel ordo aliquis reip. ultra proportionem augetur, quod interdum occulte & ſenſim fieri ſolet, interdum perſpicue & ſubito. Illud evenit, quando paulatim aliquis ordo aſſurgit & creſcit. Hoc cum caſu quodam ordo aliquis incrementum accipit v. g. ſi pars aliqua civitatis in prælio occumbat, pars propter victoriam ab hoſtibus reportatam nimis in civitate extollatur. Quantum poſſit hæc cauſa philoſophus egregie egregia quadam ſimilitudine, a corpore humano ſumpta declarat, adductiſque multis exemplis confirmat: quare nos ad alia properantes, nihil nunc addemus.

XXXII. Tantum notandum hic ex eod. Ariſtotele, aliam rationem eſſe partium earum, quæ quodammodo contrariæ ſibi invicem eſſe videntur, ut pauperes & divites, virtute præſtantes & improbi, quam reliquorum civitatis ordinum. Illæ enim partes ſibi adverſæ, ſi coæquentur, mediis nullis aut paucis exiſtentibus, turbas tantum non ſemper dant, nec raro reſp. plane evertunt. Sin alterutra earum longe præemineat, & ſit aperte potentior, infirmior non ſolet adverſus eam inſurgere. Contrarium cujus in reliquis civitatis ordinibus uſu venire diximus.

XXXIII. Cauſarum, quæ reſp. cum quadam violentia & tumultu magno mutant, agmen claudit, *diſſimilitudo*. Quæ utut non unius ſit generis, ſed varia, ab Ariſtotele tamen duo primaria ejus genera maxime afferuntur: Diſſimilitudo nationis & loci. Illa fit fere duplici ratione. Primo cum in origine urbium multi ex variis populis hinc inde conveniunt, unamque civitatem conſtituunt. Sic Romulus facto aſylo, *miram hominum vim, Latinos, Thuſcosque paſtores, quoſdam & Transmarinos Phryges, qui ſub Ænea, Arcades, qui ſub Evandro influxerant, contraxit, atque ita ex variis quaſi elementis congregavit corpus unum, populumque Romanum ipſe fecit.* Flor. lib. 1. c. 1. Secundo nationis diſſimilitudo oritur, quando advenæ, peregrini, coloni aut devicti recipiuntur, vel commilitii cauſa & præſidii loco, vel quod alias novis civibus opus ſit. Hæc majori cum periculo ſolet eſſe conjuncta, quod Philoſophus pluribus exemplis comprobat, quibus addi poſſunt duo illa, quæ uno capite (adeo frequentia ſcil. apud hiſtoricos ſunt) epitomator Trogi Pompei Juſtin. habet de Veteranorum Rheginis, & Athenienſium Catinienſibus latis auxiliis lib. 4. cap. 3

XXXIV. Sed mirum videatur alicui, diſſimilitudinem & diſparitatem civium inter motuum cauſas referri, cum ipſa orbis domina, Roma, contrarium teſtari videatur. *Poſtquam enim in una illius moenia convenere homines diſpari genere, diſſimili lingua, alius alio more viventes, incredibile dictu eſt, ait Saluſt. in Catal. c. 4. quam brevi coaluerint.* Et Cicero pro Corn. Balbo. *Illud ſine ulla dubitatione, maxime noſtrum fundavit imperium & populi Romani nomen auxit, quod princeps ille & creator hujus urbis Romulus, fœdere Sabino docuit, etiam hoſtibus recipiendis augeri hanc civitatem oportere, cujus autoritate & exemplo nunquam intermiſſa eſt, a majoribus noſtris largitio & communicatio civitatis. Itaque & ex Latio multi, & Thuſculani, & Lanuvini, & ex cæteris generibus gentes univerſæ in civitatem ſunt receptæ, ut Sabinorum, Volſcorum, Hernicorum &c.* Plutarchus quoque Romulum non alia magis ratione, quam hac, Romam auxiſſe arbitratur, *quod ſubinde, quos ſuperaſſet eos ſibi adjungeret,* in Romul. Horum graviſſimorum virorum autoritatem ex hodiernis politicis aliqui

aliqui ſecuti, tantum abeſt, ut civium diſparitatem inter motuum cauſas referant, ut potius maximum rebuspubl. incrementum dare ſtatuant, ſicut Schönborn lib. 1. pol. c. 5.

XXXV. Verum enim vero, quod pace tantorum virorum dixerim, per accidens factum eſſe opinor, quod non ſtatim atque convenerunt Romam variarum gentium homines, aperte ſeditiones ex diſparitate fuerint ortæ. Continuit quippe aliquantulum & maxime diverſos communis externi hoſtis metus, ut Cl. D. Præſes ad Lampad. de republ. Rom. German. monuit, cui conſentire Arniſæus videtur in polit. lib. 2. c. 4. *Patrii enim ſoli gleba nulla, ſed ſtatim hoſtile pomærium, mediique inter Latium & Thuſcos, velut in quodam bivio collocati, omnibus portis in hoſtem incurrebant.* Flor. lib. c. 9. Ceſſante autem pauliſper hoc externo metu, ſtatim turbæ domi fuerunt, & in viſcera cruentum adhuc hoſtili ſanguine ferrum converſum. Quod cum alia, tum creberrimæ diſceſſiones plebis a patribus teſtatum faciunt, & imprimis contentio illa Romanorum & Sabinorum, mortuo Romulo declarat, quæ profecto non tam facile compoſita fuiſſet, *ſi quiſquam, aut factionis ſuæ alium, aut denique patrum, aut civium quemquam præferre Numæ Pompilio potuiſſet.* Liv. Dec. 1. lib. 1. Sapienter igitur *Lycurgus eos, qui Spartam nullius utilis negotii cauſſa confluebant, urbe expulit, ne quid mali docerent. Homines enim peregrini, peregrinos ſecum adferunt ſermones, unde rurſus nova de rebus judicia oriuntur, ex quibus fieri non poteſt, quin affectus multi conſiliaque naſcantur, quæ ab inſtituta reip. ratione diſcrepent.* Plutarch. in Lycurg. Ex quibus verbis, ut & conſequentibus, cuivis facile patet, Plutarchum non ſtatuere, quod Romæ caſu quodam & per accidens fuit utile, id omnibus rebuſpubl. æque convenire. Nec Marco Tullio Cornelium Balbum civem Romanum aſſerere omnibus modis conanti, uſque quaque fides, ut ſuſpecto oratori habenda, vel certe non minus late hoc, quod dixit, extendendum.

XXXVI. Neque tamen omnino civitate prohibemus peregrinos, quod inhumanum ſane eſſet, multo minus crudelius adhuc quid in eos ſtatuere, ſicut Buſyris apud Diod. Sic. lib. 5. æquum judicamus: ſed maximam adhibendam eſſe cautionem credimus quinam quotve numero recipiantur.

XXXVII. Hæc igitur una eſt diſſimilitudo: alteram Philoſophus ex diſſimilitudine loci fieri docet; cum nimirum pars civitatis in loco montano, pars in plano, pars cis, pars trans flumen habitat &c. Et licet levis iſta diſſimilitudo videatur, non leve tamen ad alienandos ab ſe invicem civium animos, & dandas turbas affert momentum. Quod exemplis tribus probat Ariſtoteles, & eleganti ſimilitudine declarat. Referri ad hanc cauſam motus commode poteſt diſſimilitudo generis, opum, morum, victus & amictus, cumprimis vero religionis, & quæ præterea diſparitatem quandam inter cives gignunt.

XXXIIX. Nunc de iis cauſis agemus, quæ abſque tumultu plerumque mutant reſpubl. & oriuntur non tam ab improbitate, ſeu vitio, & culpa, quam imprudentia. Primo loco ponimus *vile vitæ genus*, quando magiſtratum gerunt homines ſordidi, & prorſus abjecti, qui *parcis & vilibus rebus occupati, ſublimes & generoſos ſpiritus concipere nequeunt, ut loquitur* Demoſthenes in orat. de rep. ordinand. Indignantur enim tunc, honeſtiores contaminari hoc modo magiſtratus; quare & ipſi nolunt eos amplius gerere, ne mulonibus ac coquis, quod Cicero in epiſtolis ad Atticum ſibi contigiſſe conqueritur, aſſidere cogantur. Unde ſenſim hoc modo ad infimam hominum fecem deveniunt ſumma reip. munia, quæ facies diu profecto conſiſtere haud poterit. Recte igitur Thebis, teſte Ariſtotele, lex obtinuit, ne cui ad magiſtratum aditus pateret, qui non toto decennio abſtinuiſſet foro, id eſt taberna *lib. 3. c. 3*

XXXIX. Secundo huc referenda *Oligoria ſeu Negligentia*, cum iis permittitur aditus ad ſummos magiſtratus, qui alieno ſunt animo a republ. & præſentem ejus formam vel non amant, vel non admodum curant. Ita aliqua ex parte affectus fuit Lycurgus. Cum enim regnum ſpartanum in ejus manu eſſet, ipſe non tantum reſpuit illud, ſed inſuper etiam ita reſtrinxit legibus, ut nihil præter nomen fere ei manſerit *Juſtin. l. 3. c. 3 Plutarch. in Lycurg.* Eodem modo Valerius faſces, quæ in ipſius poteſtate erant, ſubmiſit populo, ut ſupra th. 6. diximus. Referri huc commode poteſt, ſi peregrinis & iis, qui nihil in civitate habent, cur eam ſalvam velint, reſp. committitur. Recte enim Saluſtius *orat. 2. ad Cæſarem* de rep. ordinanda: *Cuicunque in civitate amplior illuſtriorque locus, quam aliis eſt, ei magna cura eſt reip. Nam cæteris ſalva urbe tantummodo libertas tuta eſt: qui per virtutem ſibi divitias, decus, honorem pepererunt, ubi paulo reſp. agitari cœpit, multipliciter animus curis atque laboribus fatigatur, aut gloriam, aut libertatem, aut rem familiarem defenſat, omnibus locis adeſt, feſtinat.* Et Diod. Sicul. lib. 1. *Abſurdum, his ſalutem omnium committere, qui nihil in patria, pro quo dimicent, cari & precioſi habent.*

XL. Tertio huc pertinet *exiguum*, cum parvum aliquid & quod uno momento & perſpicue non mutat remp. prorſus negligatur ac nihili habetur. Sic Athenienſes necquicquam, dehortante Solone, Piſiſtrato conceſſerunt ſatellites, quod ad tutelam corporis ſufficere is putaret, neque prius quicquam mutari animadverterunt, quam ſub tyranni imperio eſſent, *Plutarch. in Solon. Juſtin. lib. 2. c. 8.* Leve quoque viſum fuit Romanis, Julio Cæſari contra leges moremque majorem provincias per decennium prorogare, ſed tamen illa res omnino mutavit deinde remp. cum Cæſar nimis potens redditus, ſibi ſoli omnia ſubjiceret. Ut videri poteſt ex Sueton. in vit. Cæſ. Huc pertinent Sophiſmata: quibus imperantes ſubditis imponere ſolent, ne ſibi imperium ereptum ſentiant. Quomodo Pericles curatorem ſe dici voluit populi, *ut nomen quidem imperii penes populum, re vera autem regimen rerum omnium penes ipſum eſſet.* Thucid. lib. 2. Et Julius Cæſar ac Auguſtus, licet revera regnum obtinerent, nunquam tamen paſſi ſunt ſibi coronas imponi,

ni, ſed ille quidem ſub nomine Dictatoris, hic principis regium imperium exercebant. *Sueton. in Jul. Cæſ. & Auguſt.*

XLI. Hæc nunc de cauſis mutandarum quarumvis rerumpubl. in genere dicta ſufficiant, cum quædam hujus generis, quæ tamen occaſiones potius, quam cauſæ motuum dicenda, tam varia & levia ſint, ut certis non poſſint limitibus circumſcribi. Pergamus paucis, (neque enim omnia attingere nos poſſe profitemur) ad ea, quibus ſinguli ſtatus in ſpecie laborare ſolent, initio facto a *Democratia*. Turbat eam, ſi quicquam aliud, effrenis petulantia & improbitas Demagogorum, hoc eſt, eorum, qui in conventu populi, quando de reipubl. negotiis deliberatur, multum valent ſive opinione ſive reapſe, populumque adeo auribus poſſunt ducere. Hi enim modo nobiles & divites, modo ipſam plebem ad innovandum quicquam incitant, modo etiam eousque rem producunt, utriſque & locupletibus & inopibus ſub jugum miſſis, Dominos ſe civitatis efficiant.

XLII. Tripliciter igitur mutare fere ſolent Democratias. Primo in oligarchiam, cum ſcilicet nobiles & divites, cum clandeſtinis eorum calumniis, tum publicis concionibus plebem adverſus ſe concitari videntes, communi metu ſuadente, coeunt, & rempublicam plebi ereptam ſibi attribuunt. Secundo, ex una ſpecie democratiæ in aliam, pura & moderata in ultimam illam ſpeciem, in qua non ex legibus, ſed infimæ plebis libidine reſpubl. geritur. Tertio in tyrannidem, quod olim valde familiare fuiſſe, Ariſtoteles dicit, quia Demagogi plerumque tum temporis erant periti rei bellicæ gratique militibus, quibus præſidiis facile potuerunt tyrannidem invadere: deinde quia magna & diuturna imperia iis mandabantur; denique quia, populus privatis operibus intentus, negligebat rempubl. Hæc igitur maxima certiſſimaque peſtis eſt popularium ſtatuum, unde omnes fere turbæ & ſeditiones pullulant. Ita Romæ *ſeditionum omnium cauſas tribunitia poteſtas excitavit, quæ ſpecie quidem plebis tuendæ, cujus in auxilium comparata erant, re autem dominationem ſibi acquirens, ſtudium populi & favorem agrariis, frumentariis, judiciariis, legibus aucupabatur.* Flor. lib. 3. cap. 13. Et Sicyoniorum civitas, poſtquam in contentiones & ſeditiones popularium oratorum incidit, perpetuis tumultibus agitata laboravit, aliumque poſt alium ſubinde Tyrannum pertulit. *Plut. in Arat.*

XLIII. Hinc in ſpecie motus in democratia, *oligarchia* mutatur pluribus quoque de cauſis, inter quas eminent maxime duæ: Injuria populo ab imperantibus illata, & diſſenſio ipſorum magnatum. Prior, ut in aliis omnibus rerump. formis, ingentes ſemper turbas dare ſolet: ita huic inprimis paucorum ſtatui adeo periculoſa, imo exitioſa eſt, ut vix ſubverſam eſſe oligarchiam legamus a populo, hac ſive cauſſa, ſive prætextu deſtituto. Rem tam manifeſtam multis confirmare quid fuerit aliud, quam ſoli inferre lucem? Teſtantur oligarchiæ, quæ Athenis fuerunt deſtructæ; teſtatur Decemviratus Romæ everſus; teſtatur paucorum ſtatus apud Corcyræos crudeliter ſublatus. Hinc, qui plebem contra nobiles concitare cupiunt, factioſis ſuis orationibus nihil aliud agere ſolent, quam ut injurias, ab imperantibus nobilibus cæteris civibus illatas, enarrent atque exaggerent, certe maximum id ad vulgi animos movendos pondus. Sic Memmius apud Saluſt. in Jugurth. c. 31. Marius ibid. c. 23. M. Lepidus 3. Hiſtor.

XLIV. Altera cauſa, Diſcordia ipſorum divitum & nobilium, ut non levior priori eſt, ita quaſdam ſub ſe continet ſpecies & quaſi multiplex eſt. Aut enim non imperantes diſſident cum imperantibus, vel quod pauca ſint honorum genera, divites contra multi: vel quod paucæ familiæ ad ſe imperium traxere; denique quod lege patre vel fratre ſeniore magiſtratum gerente, filius vel frater natu minor excludatur. Inhonorati enim, alioquin opibus, nobilitate ac potentia cæteris non inferiores, injuriam ſibi fieri credunt & proinde tumultuantur, aſſumpta nonnunquam in auxilium plebe. Atque ſic interdum laxior fit Oligarchia, interdum plane in democratiam mutatur, populo duce ex ipſis oligarchicis accepto, aut occaſione diſcordiæ ſibi imperium rapiente. Aut ipſi imperantes inter ſe diſſident. Cujus rei variæ cauſæ & occaſiones, primo enim ipſum hoc, quod modo diximus, paucos ſcilicet admitti ad honores, excludi plures æque magnos ipſos inter ſe committere poteſt. Secundo Demagogi id præſtare ſolent, & duplici quidem ratione. Primo cum unus vel pauci quibuſdam e collegis adulantur, cæteris neglectis, ut ſe magnos reddant. Secundo cum adulantur populo, eumque adverſus collegas concitant, quod ſæpius fieri videmus, ubi populo jus magiſtratuum cooptandorum, item judicia exercendi relictum eſt. Tertio diſſenſio ipſorum imperantium inter ſe, exinde mutatio reip. oritur, quando ad pauciores trahere rempubl. atque ſic ſtrictiorem efficere quidam conantur. Qui enim tunc a republ. vel prorſus removentur, vel non habentur eo loco, quo habebantur antea tumultuantur, aſſumpto plerumque in auxilium reliquo populo. *Conturbari quippe remp. quam minus valere ipſi malunt.* Saluſt. in Cat. c. 37. Quarto ſi qui luxu aut intemperantia, ſuis amiſſis, æs alienum contraxere, diſcordia fieri ſolet inter oligarchicos. Ejuſmodi enim homines *egentes bonis invident, malos extollunt, vetera odere, nova exoptant, odio ſuarum rerum mutare omnia ſtudent.* Id c. 38. Hinc cum nihil ſuperſit, unde vitam voluptuariam, ut conſueverunt, agere deinceps poſſint, aut conantur collegis oppreſſis, tyrannidem vel ſibi vel alteri, e quo emolumentum ſperant, occupare, aut quæſtui habent remp. & proinde adverſus collegas inſurgunt, vel petuntur a collegis, qui peculatui eorum ſe opponunt. Quinta cauſa diſſenſionis inter imperantes ſolet eſſe, ſi ex iis pauci ad ſe ſolos ſummos magiſtratus maximaque imperia pertrahere conantur, cæteris collegis inferiores honorum gradus tantum permittentes. Idem ſexto contingere poteſt, ſi alter imperantium ab altero, vel ab omnibus collegis ſe injuria affectum & vexatum



Digitized by Google

tum eſſe putet. Ita Pſammetichus *a collegis maxima potentiæ ſuæ parte exutus, & in paluſtria relegatus, ſtatuit ultum ire, qui ipſum perſecuti eſſent, quare auctus copiis Jonum & Carum, ſubjugatis collegis regnum invaſit Ægypti.* Herod. lib. 2. utut autem injuria ejusmodi varia eſſe poſſit, plerumque tamen in cauſa matrimoniorum & judiciorum eam fieri videas. Denique non raro in diverſas partes abeunt Imperantes, quoties oligarchiæ nimis deflectunt a civili imperio, & heriles plane redduntur. Tunc enim quibusdam ex numero imperantium plerumque non amplius ferendæ eſſe videntur.

XLV. Atque his modis omnibus oriri poteſt diſcordia inter imperantes, certiſſimum & infallibile ad remp. mutandam momentum. Quo minus mirandum, Romæ Decem virorum dynaſtiam inter tot ferociſſimos & ſeditioſos cives potuiſſe aliquandiu ſtare, cum concordia imperantium fuerit probe munita. Liv. Dec. 1. lib. 3.

XLVI. Præter duas has cauſas omnium frequentiſſimas aliæ duæ adhuc enarrandæ ſunt, oligarchiis admodum periculoſæ. Prior eſt diffidentia, quæ mutat paucorum ſtatum, tam pacis, quam belli tempore. Illo, quando Dux ſeu præfectus militis, quem inter ſe vel plebi diffidentes alunt, reip. formam, cujus conſervandæ gratia conſtitutus eſt, ipſe evertit, & omnium dominum ſe efficit. Hoc eodem fere modo cum Dux exercitus, quem contra hoſtes peregrinum ſemper conſcribere ſolent, idem machinatur, quod ille, qui in togata rep. præſidii loco conſtituitur, atque ſi unus ſit, tyrannidem, ſi paulo plures, dynaſtiam occupant. Aut vero, quod non raro quoque uſu venit, ipſi imperantes oligarchici, ne externum dominum hac ratione ferre cogantur, ad communicandam cum plebe remp. neceſſitate cogente adiguntur.

XLVII. Poſterior cauſa ac inter eas, quæ in ſpecie ad paucorum ſtatum mutandum faciunt ultima, licet non hominis vitio, nec deliberato ejus conſilio, ſed fortuito eveniat, & ut Philoſophus loquitur, ex eventu fit, ſæpiſſime tamen non oligarchias tantum, ſed ipſas etiam quæ communi nomine reſpubl. dicuntur affligit. Cum enim in utroque ſtatu cenſus definitus accommodatus ſit iis temporibus, quibus conſtitutus eſt, ita ut tunc in republ. peculiariter ſic dicta, excluſa infima plebis fæce, medios tantum; In oligarchiis paucos ditiſſimos, ad ſummam rerum admittat; facile profecto accidere poteſt, ut diutina pax, vel alia quædam felicitas longe ampliorem rem familiarem civium reddat, quam erat eo tempore, quo is cenſus præſcriptus eſt. Itaque vel omnes, vel certe plures adepto legitimo cenſu, participes tum fieri reip. neceſſe eſt. Unde certa oritur mutatio, alias quidem ſenſim, ubi ſcilicet bona civium paulatim adaugentur, alias vero uno quaſi momento, ubi caſu quodam ditior civitas facta eſt. Contra eodem modo contingere poteſt, ut tempore eo, quo cenſus præſcribitur, in lauta ſatis ſint re cives, poſtea bello aut calamitate quadam alia ita attenuentur opes, ut multo paucioribus liceat participibus eſſe reip. Itaque & tunc non poteſt aliter fieri, quin reſp. vel plane in diverſas vel ex una ſpecie in alias mutentur.

XLIIX. Hæc præcipua ſunt, quibus laborant & mutantur oligarchiæ. *Ariſtocratiis* a quibus maxime periculum impendeat, nunc porro videndum. Primum inter illa, quod & facem tumultibus in hac regiminis forma præferre videtur, inde oritur, quod pauci ad honores & rempublicam admittantur. Quemadmodum enim in Oligarchia hanc cauſam tumultuum eſſe diximus: ita hic etiam perpetuæ inde proveniunt turbæ. Maxime quidem, ſi multi feroces elatique animi ſint in civitate. Hi namque, ut Jaſon ille, apud noſtrum lib. 3. pol. c. 3. *quando non imperant, eſurire ſe credunt*: & cum virtute aliisque omnibus, quo in Ariſtocratia ſpectantur, nulla ex parte imperantibus ſe impares arbitrentur, communicari ſecum remp. poſtulant, ut Cinadon, cujus hic meminit Ariſtoteles & Xenoph. 3. Rerum Græc. Lacedæmone; ita in ſua civitate illi nemini inferiores eſſe cupiunt. Quod ſi id non poſſunt pace eorum, quorum intereſt obtinere, violentiora conſilia ineunt, & cum Polynice apud Senec. in Thebaide, *pro imperio patriam, penates, conjuges flammis exponere* velle videntur.

XLIX. Atque hi injuriam tunc faciunt, utpote a nemine, niſi ſe ipſis digni judicati, qui æquali loco habeantur. Majori jure autem id urgere poſſunt, & maximo quoque conatu nonnunquam urgent, viri revera magni, nemine virtute inferiores. Neque enim unusquisque cum Senec. in Thyeſte ſentit.

*Stet quicunque volet potens,*
*Aulæ culmine lubrico:*
*Me dulcis ſaturet quies,*
*Obſcuro poſitus loco,*
*Leni perfruar otio,*
*Nullis nota Quiritibus*
*Ætas per tacitum fluat.*
*Sic cum tranſierint mei*
*Nullo cum ſtrepitu dies,*
*Plebejus moriar ſenex.*

Multi enim abjecti animi ſe fore credunt, ſi metu laborum & periculorum territi, vitam obſcuram & ingloriosam agere, quam ad reip. clavum ſedere, & res difficiles & arduas non ſine periculo ſuſcipere malint. Hæc prima motus cauſa in Ariſtocratia.

L. Altera omnibus tribus formis communis, huic maxime in ſpecie accommodatur. Diſſimilitudo ſcilicet bonorum, ſive ea inter ipſos ſit optimates, ſive inter illos & plebem reliquam. Nunquam enim ſumme egentibus convenit cum nimium opulentis, ſed invidioſæ illæ divitiæ in civitate inſtar pomi Eridis ſunt, de quo omnes concertent.

LI. Ter-

LI. Tertia cauſa mutandæ vel conturbandæ Ariſtocratiæ eſt, quando aliquis vir ita extollitur, ut major non poſſit fieri, niſi totius civitatis dominium & regnum in manus ejus tradantur. Eſt hæc cauſa eadem, quam in ſuperioribus omnibus rerump. formis exitioſam diximus, quare de ea plura quoque non addemus nunc.

LII. Quarto male ſe habent non Ariſtocratiæ minus, quam peculiari nomine ſic dictæ *reſpubl.* propter minus rectam contemperationem ſeu mixtionem. Utraque enim harum formarum mixta & compoſita eſt, illa quidem reſp. peculiari nomine ſic dicta, ex democratia & oligarchia: Ariſtocratia quoque præcipue ex his, quamvis interdum etiam ex virtute. Quare ſi vel hæc vel illa minus accurate mixta fuerit & contemperata, hoc eſt, ſi major ratio unius, quam alterius, libertatis quam opum, & vice verſa habeatur; laborat reſpubl. peculiari nomine ita dicta, laborat & optimatum ſtatus. Et utri potiores fuerint divites vel populus, ad ſe rem omnem trahunt, his ad democratiam, ad oligarchiam illis ſpectantibus. Licet ſæpe non in eas, quas cupiant formas, mutare poſſint, ſed divites ſuperentur a populo, & tunc fiat democratia, vel populus a divitibus, & tunc oligarchia.

LIII. Ubi tamen primo obſervandum, ſtabiliorem eſſe eum ſtatum, in quo magis attenditur libertas, quam opes, eo, ubi contrarium obtinet, ut opum major ratio habeatur quam libertatis. In illis enim & plures ſunt participes reip. ac proinde plures defenſores, & contenti magis ſorte ſua vivunt, ut qui jus ſuum ſe aſſecutos credunt. In his vero pauciores admittuntur, qui ipſi more divitum contumelioſi ſunt ac ſuperbi, magnaſque inter opes inopes, quo plura cupiunt. Quomodo mores eorum expreſſit Ariſtot. 2. Rhet.

LIV. Secundo notandum, nobis hic non eſſe ſermonem de prima illa Ariſtocratiæ ſpecie, ubi viri abſolute boni præſunt, ſed de reliquis & præſertim ultima illa, quæ accurate loquendo Ariſtocratia non poteſt dici, ut multis probavit Ariſtot. lib. 4. c. 8. vulgo tamen ita appellari conſuevit. Eſtque nihil aliud, quam compoſitio & mixtio oligarchiæ & democratiæ, præeminente tamen oligarchia. Quare & a politia non differt, niſi ſecundum magis & minus, non ſpecie. Quæ enim ad oligarchiam magis inclinant, Ariſtocratias ejusmodi, quæ ad democratiam propius accedunt, politias vocant.

LV. Ultimo loco, ſicut omnes, ut diximus reſp. ita Ariſtocratias in ſpecie facile mutat Exiguum; cum recepta res, ſed primo intuitu non magna, abrogatur, quæ mutatio poſtea cauſam præbere, & primus gradus eſſe poteſt ad totam rempubl. mutandam.

LVI. Hæc quoque de Ariſtocratiæ mutandæ cauſa dicta ſufficiant. Supereſt, ut de *Monarchiis* videamus. Quæ enim peculiariter & in ſpecie rempubl. peculiari nomine ita dictam mutant, licet non ita aperte & ordine poſita ſint, facile tamen intelligentur ex iis, quæ de cauſis cæteras rerumpubl formas mutantibus diximus. Quomodo & illa ipſa, quæ monarchias in ſpecie mutare ſolent, obſcura amplius nequeunt eſſe. Una enim monarchiæ ſpecies, regnum proprie dictum, convenit aliquo modo cum optimatum ſtatu, perſimileque eſt Ariſtocratiæ: Tyrannis contra ex ultima oligarchia ac democratia componitur. Unde peſſimus omnium ſtatuum eſt reſpectu eorum, qui parent, utpote qui utriusque reip. mala ferre ſub Tyranno cogantur.

LVII. Verum autem id quod modo diximus eſſe, regnum reſpondere ariſtocratiæ, democratiæ & oligarchiæ ultimæ Tyrannidem, exinde patet. Primo origo utriusque monarchiæ eſt diverſa. Regnum enim bonorum adverſus plebem tuendorum gratia fere exſtitit, & collatum fuit initio vel propter virtutem; vel res præclare geſtas, vel propter genus clariſſimum, & quod virtutem quaſi infundere videbatur, vel denique propter hæc & potentiam. Quomodo & Ariſtocratia orta. Tyrannis vero ex populo & promiſcua multitudine adverſus optimates conſtituta eſt, ut nulla injuria ab his afficeretur plebs. Licet enim non raro & prioribus quidem temporibus e regibus, a paternis veſtigiis deflectentibus Tyranni fuerint orti: licet quoque ex iis, quibus maximus perpetuusque magiſtratus e populo aut oligarchis fuit impoſitus, non pauci tales exſtiterint: plerique tamen & auctis civitatibus tantum non omnes ex demagogis nati ſunt, qui fidem criminandis & oppugnandis magiſtratibus conſecuti, tyrannidem invaſere.

LVIII. Deinde regis finis & ſcopus eſt, ut bene ſit civibus, nec divites afficiantur injuria, neque Plebs contumelia. Quod utique ariſtocraticum plane. Tyrannis vero finem habet divitias, & ſuum proprium commodum:

> - *Ne vulgi cura Tyranni,*
> *Dum ſua ſit modo tuta ſalus.*

Diffidensque multitudini, externo ſe munit ſatellite, quo multis modis oligarchica prorſus ratione plebem vexat. Nec minus tamen principibus infeſtus, eorum potentiam democratico more partim occulte, partim aperte frangit.

LIX. Cum igitur ariſtocratiæ & regni origo eadem fere ſit; finis quoque ac ſcopus utriusque idem: Tyrannidis vero ac oligarchiæ ac democratiæ ultimæ non ſit diverſa origo nec finis ac adminiſtratio diverſa. Sequitur inde, has reſpubl. multis modis ſimiles eſſe inter ſe, & proinde quæ de mutandis Ariſtocratiis Oligarchiis item ac Democratiis diximus, accommodari optime poſſe & extendi ad monarchias quoque.

LX. Maxime tamen huc referuntur primo injuria, quæ duas hic imprimis ſpecies complectitur, contumeliam & avaritiam. Illa iterum duplex eſt, crudelitas & libido. Propter crudelitatem imperio dejectus Aſtyages, ultimus Medorum Rex. Cum enim Harpagi amici ſui filium interfeciſſet, epulandumque patri tradidiſſet, *ille ad præſens tempus quidem diſſimulato dolore, odium*

regis

Digitized by Google

*regis in vindictæ occaſionem diſtulit, ſed poſtea regis crudelitatem perfidia defectionis ultus eſt.* Juſtin. lib. 1. c. 5. & 6. Dejectus quoque Phalaris, *cujus præter cæteros nobilitata crudelitas. Nec enim ex inſidiis ille interiit: non a paucis, ſed univerſa Agrigentinorum multitudo impetum in eum fecit.* Cic. 2. de offic. Tarquinii vero crudelitatem *tam diu populus Romanus perpeſſus eſt, donec aberat libido: hanc ex liberis ejus importunitatem tolerare non potuit.* Flor. lib. 1. c. 7. Unum Junioris Dioniſii exemplum hunc de injuria monarcharum locum claudat. Ita de eo ait Juſtin. lib. 21. c. 2. & 3. *Conjuges principum ad ſtuprum rapi jubebat: virgines ante nuptias abducebat, ſtupratasque ſponſis reddebat: locupletiſſimos quosque aut civitate pellebat, aut occidi imperabat, bona eorum invadebat. Dein cum rapinæ occaſio deeſſet, fœminas certatim impenſius exornatas in Veneris templum callido commento pellicit, immiſſisque ſatellitibus ſpoliat, ac ornamenta matronarum in prædam ſuam vertit: Quarundam viros ditiores interficit, quasdam ad prodendas virorum divitias torquet. His artibus cum per annos ſex regnaſſet conſpiratione Locrorum civitate pulſus eſt.* Usque adeo verum: *Inviſa nunquam imperia retinentur diu.* Senec. in Thebaid. act. 4.

LXI. Secundo huc pertinet Metus. Licet enim non pauci ejus ſint ſententiæ, ut ſtatuant, nulla ratione melius in officio retineri cives, ac cuſtodiri regna, quam metu, plurimi tamen eorum, imprimis qui paulo altius rem conſiderant; &, ut Comicus dicit, non ea ſaltem, quæ ante pedes ſunt, ſed etiam futura proſpiciunt, credunt imperium gravius & ſtabilius eſſe, quod amicitia conjungitur, quam quod vi fit. *Malus* enim *cuſtos diuturnitatis eſt metus, contraque benevolentia fidelis eſt ad perpetuitatem. Nec rerum omnium aptius quicquam ad tuendas opes, quam diligi, neque alienius quam timeri:*

*Quem metuunt, oderunt,*
*Quem quisque odit, periiſſe expetit.*

Cic. 2. de Offic. Cui conſentit graviſſimus autor Plutarch. in Arato, dum ait: *Nec melior neque tutior principi poteſt eſſe cuſtodia, quam vera & conſtans ſubditorum benevolentia. Cum enim aſſueverunt plerique & potentes non principem, ſed principi ſuo metuere, multis ille oculis videt, multis auribus audit, præſentitque ea, quæ aguntur. Eorum autem, qui arces occupaverunt, ſtipatores aluerunt, defendique ſui corporis cauſa portas, arma & cataractas objecerunt, pauci leporum inſtar violentam mortem effugerunt.*

LXII. Tertium locum obtinet contemptus. Recte enim Cleo apud Curt. lib. 8. dicit, *majeſtatem imperii ſalutis eſſe tutelam.* Quippe cum immania tyrannorum ſcelera per ſe ſufficiant ad alienandos omnium civium animos; & optimo cuique ad dejiciendum tyrannum, ſi non ita ac odium tantorum facinorum, gloria tamen ac ipſius rei honeſtas, ut Dioni, ſicut noſter Philoſophus h. c. 10. refert & Pelopidæ, ut Plutarch. in ejus vit. ferrum accingit: hæc tamen cauſa revera id ſtringit, ut jugulo tyranni intendat. Quis enim ejus eſt aut conſtantiæ aut temeritatis, ut quod nulla ratione ſe perficere poſſe confidit, incipere audeat? Quis vero tam vecors ac ignavus, qui hac fiducia armatus, quod cupit ac diu cogitavit, non aggrediatur? Licet igitur tyrannidi plurimi ſint infenſi, plurimi quoque inſidientur, vix tamen quisquam ſe manifeſtare audebit, niſi aut princeps is ſit, qui vinci, aut eæ vires imperii ſint, quæ ſuperari ac debellari poſſe videntur. Ita Xerxes Rex Perſarum, cum adhuc terror eſſet gentium, tutus ſatis fuit; ubi *bello in Græciam infeliciter geſto etiam ſuis contemptui eſſe cœpit, Artabanus præfectus ejus in ſpem regni adductus eſt.* Juſtin. lib. 3. c. 1. Ut licet tyrannice non absque aliqua cauſa tamen & temere dixiſſe videatur Caligula: *Oderint dum metuant.* Suet. in vita ejus. Sed in ſuperioribus de his tribus cauſis injuria metu ac contemptu ſatis diximus. Unicum notandum, non diverſas abs ſe invicem & diſtinctas adeo has cauſas eſſe, ut non interdum omnes aliquem ad inſurgendum ſicuti contra alias rerump. formas, ita contra monarchiam incitent. Ita Thebe, uxor Alexandri Phærei, *docta, ne externum ſplendorem apparatumque Tyrannidis metueret, præterea perfidiam ejus timens, crudelitatem odio habens, re cum fratribus compoſita necem marito ſtruxit.* Plutarch. in Pelopid. Ex quibus verbis & contemptus Thebis, & Metus, & Odium apparet.

LXIII. Quartus conturbandæ aut evertendæ monarchiæ modus ſimilis ei, qui oligarchias vexat, eſt, quando ipſi illi, in quorum manu eſt monarchia diffident, hoc eſt quando cognati, ac gentiles aut hæredes, de ſucceſſione non poſſunt convenire, aut ex alio aliquo capite in diverſas partes abeunt. Quo pertinet oratio Micipſæ ad filios apud Saluſt. in Jugurth. c. 10. Exempla hujus rei apud Hiſtoricos adeo obvia ſunt, adeo frequentia, ut qui numerare ſaltem ea vellet ac enarrare, principium facilius, quam finem reperturus ſit. Magnum catalogum eorum texunt commentatores Ariſtotelis Giphanius & Piccartus in cap. 10. lib. 5. quibus etiam addi poteſt diſceptatio duorum fratrum, quæ Philippo Macedoni regnum Thraciæ ſubjecit Juſtin. lib. 8. c. 3.

LXIV. Et hæc quidem cauſa tam late etiam patet, ut ipſum quoque regnum proprie dictum conturbare & mutare valeat. Licet enim in eo cum præſit aliquis volentibus civibus, virtute aliisque omnibus ſine controverſia maximus ac excellentiſſimus, vix odium, ira aut contemptus locum habeat: non raro tamen hæc cauſa excidium ei attulit, & primus proinde mutandi regni modus haud male dici poteſt.



Digitized by Google

LXV. Secundus originem trahit ex inſita, & quaſi innata hominum malitia. Pauci enim imperium retinere ſtudent iis artibus, quibus initio partum eſt, plures deflectunt & deficiunt ab iis virtutibus, quarum intuitu imperio digni viſi ſunt, vel ſi ipſi hoc non faciunt, filii aut nepotes tamen plerumque degenerant. Quo fit, ut vel Tyrannides ex regnis reddantur, vel cives unius imperium plane amplius ferre nolint. Quod de Græcis narrat Dion. Halicarn. lib. 5. cap. 83. *A principio*, inquit, *omnibus Græciæ civitatibus ſui erant reges, niſi quod illi non barbarica licentia dominabantur, ſed juxta leges & mores patrios regnum exercebant: optimusque Rex habebatur juſtiſſimus, & legum ſervantiſſimus, nusquam diſcedens ab inſtitutis patriis. Sed poſtquam aliquot eorum inceperunt abuti poteſtate, & in rebus adminiſtrandis rarius leges, quam ſuam libidinem ſequi, plerique Græci rei tædio affecti, regiam reip. formam aboleverant, legibusque ac magiſtratibus inſtitutis, illis præſidiis reſp. tueri cœperunt.*

LXVI. Atque de cauſis internis, reſpublicas mutantibus, dictum eſt ſatis. Nihil nunc reſtat, quam ut externas quoque breviſſime enarremus. Secuti autem ſummi Ariſtotelis ductum, verbo hic nos expediemus. Mutantur igitur omnes reſpublicæ, ab externa quoque aliqua ac potentiori vi: verbi gratia, cum una reſpublica alteram ſibi ſubjicit & immutat aut evertit. Quod ſæpius fieri conſuevit, ubi contraria reſpublica eſt in propinquo, aut ſi longius abſit, potens tamen valde & aperte ſuperior fit. Ita Athenienſes, Lacedæmonios, ac Syracuſanos multas mutaſſe reſpublicas, Ariſtoteles non uno in loco dicit: Idem fecere Carthaginienſes, Macedones, Romani ut hiſtoricorum tantum non infinita volumina teſtantur. Ultimo loco ponimus eam, quæ prima merito inter omnes mutandarum rerumpublicarum cauſas poni debebat, providentiam divinam. Maximum enim ac ſummum periculum omnibus civitatibus impendet & timendum a maximo & ſummo Deo. Ille transfert, diſtrahit ac ſcindit imperia, ut ex Samuele notum: imo prorſus nonnunquam evertit ac delet. Ab ipſo quippe veniunt terræ motus, inundationes, incendia, peſtes, bella denique & plurima alia, quæ non tantum ad immutandas & affligendas, ſed funditus atque radicitus etiam tollendas reſpublicas ſatis ſuperque ſufficiunt. Nihil Platonis numeris diu jam exploſis, tribuendum, nec aſtrorum poſitiones tanta cura obſervandæ, quam ipſe ſiderum creator & Dominus timendus, venerandus & placandus. Ille eſt, qui & ſtabilit & frangit reſpublicas; ille eſt, a quo omne in civitatem malum redundat; ille eſt, qui humanas opes altiſſime a fortuna levatas, uno nutu ſupprimere ac in nihilum prorſus redigere; e ſummo faſtigio & throno potentiſſimos dejicere, & infimos ex ſtercore trahere, & juxta principes collocare poteſt. Merito igitur ſuadentem Senecam in Thyeſt, act. 3. audientes:

*Vos, quibus rector maris atque terræ,*
*Jus dedit magnum necis atque vitæ,*
*Ponite inflatos tumidosque vultus:*
*Quicquid a vobis minor extimeſcit,*
*Major hoc vobis dominus minatur.*

Cæterum, quoniam de providentia illa divina differere rectius ex cœlitus revelatis licet, nobis autem Ariſtotelem ſequi inſtitutum in præſenti fuit: nolumus de illa multum nunc verborum facere.

XXXIII.

# XXXIII.

## HERMANNI CONRINGII DISSERTATIO DE

# MORBIS AC MUTATIONIBUS OLIGARCHIARUM, EARUMQUE REMEDIIS.

*RESPONDENTE*
FRIDERICO *LENTEN.*

ANNO MDCLXI.

Quanquam univerſa doctrina de republ. adeo præſtans eſt, ut vix quisquam ea præſtantiorem aſſequi poſſit, eſt tamen alia magis alia nobilis & excellens. Nam ſi utilitas rem maxime commendat, ſicuti revera facit; *omnes* quippe (uti recte Cicero 3. *off.*) *illam expetimus*, *ad eamque rapimur;* utique illa ejus pars, quæ agit de variis morborum generibus, infirmitatibus, mutationibus, ac corruptionibus, quibus reſpubl. non ſecus ac corpus humanum obnoxiæ ſunt, merito cæteris anteferenda eſt. Et quemadmodum medicinæ peritus non habetur, qui de partibus humani corporis, earumque natura diſſerere poteſt, niſi contra ægritudinem morbosve remedia præſcribere, & ſi quid mali contraxerint, priſtinæ valetudini reſtituere valeat: ita quoque veri politici nomen non meretur, qui tantum rerumpubl. ſpecies recenſere didicit, ſed is demum, qui vitia rerumpubl. & labes, quibus mutari, corrumpi, imo omnino deſtrui poſſunt ac ſolent, accurate attendit, ut cauſas corruptionum eo melius averſari, præcavere, atque e medio tollere, adhibitisque convenientibus remediis ſtatum reipubl. ſalvum atque incolumem tueri queat.

Ea itaque quum ſit doctrinæ hujus dignitas nobilitasque, ut ſummi quique politici eam vix ſatis prædicare poſſint; operæ pretium me facturum autumo, ſi ſaltim morbis ac mutationibus OLIGARCHIARUM paullo accuratius expendendis & e medio tollendis ſtudii nonnihil impendam. Accedit eo, quod illæ ipſæ *oligarchiæ* præ cæteris rebuspubl. motibus ſint obnoxiæ, & pronæ in rebelliones & civilia bella omni tyrannide peius malum; adeoque majori cura ac diligentia opus habeant. Etenim, ſicut Gubernator præcipua laude fertur, qui navem ex hieme & ſcopulis ſervat: ita etiam ſingularis exiſtimanda eſt illius prudentia, qui cum nave rerumpubl. Oligarchicarum ex multis & gravibus procellis civilibus (quibus præ cæteris, ut dixi, ipſæ agitantur) ad incolumitatem pervenit. Priusquam vero hoc argumentum aggrediar, monendum arbitror: Ariſtotelis quidem ævo oligarchiæ nomine audiiſſe eas reſpubl. præcipue, in quibus non tantum pauci ſummam tenent poteſtatem, ſed iidem pauci omnium item ſunt ditiſſimi, imo in quibus potiſſimum ſpectatur, in conferenda ſumma poteſtate divitiarum excellentia: quæ quoniam paucis contingit, per accidens quaſi ſimul fit, ut reſpubl. illæ ſint paucorum. Mihi autem placet nunc *oligarchias* appellare, ex more Politicorum ſcholis hodie recepto, etiam illas reſpublicas, quibus præſunt ſoli antiquæ nobilitatis patricii, idque quandoquidem reapſe hæ reſpublicæ reguntur itidem a paucis, & nobilitas, quanquam non ſemper habeat conjunctas maximas divitias, imo ſæpe ſit egena, tamen, ſaltim in opinione divitiarum eſſe ſoleat, cum originem ſuam debeat majorum ſi non virtuti ſaltim opulentiæ. Non ignarus alioquin, tales respublicas Ariſtoteli aliisque veterum Ariſtocratias dictas eſſe, & hoc nomen hodieque affectare Venetam rempublicam, ſimilesque alias, ubi præter Patricios nemo ad regendam civitatem admittitur.

## THESIS I.

Inter cauſas vero morborum mutationumve primum locum obtinet INJURIA, præſertim ſi ſit cum contumelia conjuncta. Hæc enim, ſi quæquam alia res, plebis animos afficit, eosque ad vindictam exſtimulat; uti id ipſum multarum oligarchiarum everſiones probant. Et quidem interdum ipſo tempore injuriæ illatæ, ejusque adhuc recenti ſenſu, ſine diſcrimine, quem ſors offert, hujus ſuæ ſeditionis futuræ caput eligit populus: interdum vero odium imperantium in vindictæ occaſionem differt, & tamdiu alta diſſimulatione premit conſilium, usque dum forte quis ex ipſis oligarchicis, quaſi defenſurus plebem contra nobilium inſolentiam deficit: tum animis illorum ad ſeditionem ſpectantibus, ſtatim ducem hunc eligunt, ejusque fidem, ſumma ſæpe imprudentia, ſequuntur. Quod enim illi illatas plebi injurias vindicare ſe velle præ ſe fe-



Digitized by Google

rant, ſpecioſum magis eſt, quam verum. Scimus ſane ex veteribus noviſque hiſtoriis, alieni cupiditatem hos ſibi plerumque quærere obtentus. Et Ariſtoteles probat id exemplo Lygdamidis, qui eo intuitu, quod populi amicum ſe vendidit, viam ad tyrannidem ſibi ſtruxit. Nec vero ſpecioſior ars tegendi odium, quam pietatis & ſtudii erga populum velum ac prætextus.

II. Sæpe porro fit, ut propter imperium & honorem bella atque certamina inter ipſos oligarchicos ſint. Quod quidem & ipſum variis modis aliterque, alia ex cauſa, alia in civitate accidere ſolet. Puta primo: quando illi, qui a dignitate honoribuſque excluſi, cum non minore imperandi virtute præditi ſunt, communi jure reipubl. adminiſtrationem poſtulant: quam ſi non poſſunt obtinere pace, violentiora conſilia ineunt Exemplo ſit nobis reſp. Romana. Quum enim in ea Patritii plebejos præ ſe contemnerent, ſolique illi maximorum honorum participes eſſent, reliquis civibus ab omnibus fere honoribus excluſis, tandem integra civitas conſpiravit, armaque contra Patritios ſumſit, nec ante poſuit, quam liceret plebi æqualiter cum patritiis magiſtratus adire: ut legere eſt apud Livium *lib.* 6. & Florum *lib.* 1. *cap. ult.* Eadem cauſa, vel certe idem prætextus, Catilinam ad nefariam illam conjurationem impulit, quod *reſpubl.* ut ipſe apud Saluſtium conqueritur, *in paucorum potentiam jus atque ditionem conceſſiſſet, cæteri cives ſtrenui, boni, nobiles vulgus fuerint, ſine gratia, ſine autoritate.* Et paulo poſt. *Novus nemo,* inquit, *tam clarus, neque tam egregius factis erat, quin is indignus illo honore &* (ſc. Conſulatu) *quaſi pollutus haberetur.* Simile exemplum habemus in republ. Genuenſi. Ubi cum illi, qui antiquis familiis nati erant, populares (h. e. novos homines) ferre nollent in patriæ regimine, qui tamen jure per multos annos illam rexerant, tandem eo deducta res eſt, ut Simon Buccanignus, (hic, excuſſo vice-comitum jugo, rempubl. nomine ducis acceperat) conderet legem, qua nobiles a principatu & reliquis magiſtratibus arcebantur. Ita autem vocabantur illi, qui in republ. conſtituti, ab anno CIↃ C. illam rexerant. Ex iis, quæ jam diximus, intelligi quoque poteſt, eas oligarchiarum ſpecies, quæ ad politiam propius accedunt, firmiores eſſe iis, quæ ad ſtrictiorem paucorum abeunt potentiam. Ratio vero hæc eſt, quia in iſtis nonnihil magis libertas ſpectatur, in his vero divitiæ plus æſtimantur: ubi vero illa magis attenditur, ibi plures ad honores & dignitates evehuntur; ubi vero hæ (divitiæ ſcilicet) majori in pretio ſunt, ibi nonniſi pauci honoris participes fiunt: Atque propterea, uti illæ plus, ita hæ minus virium, roboris & diuturnitatis in ſe habent (major enim in illis eſt æqualitas) fit quoque illa reipubl. ſpecies, quæ ex ejuſmodi mixtione conſtat, cæteris durabilior eſt. Secundo hoc fieri poteſt in illis oligarchiarum ſpeciebus, ubi certa quadam lege, patre & filio natu maximo imperium tenentibus, filii eorum, & fratres minores non admittuntur ad eandem rempubl. uti olim Auguſtæ Vindelicorum, & Lunæburgi obtinuit, & adhuc Norimbergæ obtinet, ubi *duo ejuſdem gentis ſimul in ſenatu verſari nequeunt, cumque omnes ſenatoriæ gentes adfinitatis & cognationis vinculo pene conligatæ ſint, in curia ſenatus tabula ſuſpenſa eſt, qui cognati in cauſis ſuorum ſenatu excedere debeant:* ſed & olim Senis conſtitutum erat, ne duo ex eadem familia eodem tempore in ſenatu eſſent. Et apud Æduos leges duas ex una familia, vivo utroque, non ſolum magiſtratus creari vetuiſſe, ſed etiam in ſenatu eſſe prohibuiſſe, tradit Julius Cæſar in Commentariis *lib.* VIII. Tertio, in quibus non quilibet dives e civibus, ſed filius parenti ſuccedit. Quarto, ubi quidem cenſus habetur ratio, ſic tamen, ut non qui illum nactus ſit, ſtatim fiat imperii particeps, ſed penes cæteros ὀλίγους maneat arbitrium legendi. Poſtremo, hoc quoque fit, ubi qui ſummi magiſtratus ſunt honore dignos prætereunt, alioſque minus aptos ad ſumma provehunt officia. Tum enim populus magiſtratui ſuccenſens injuſtitiæ nomine, ejuſque imperio ſe ſuperiorem autumans, ipſum magiſtratum contemnit. *Valde virum bonum mordet,* inquit Catilina apud Saluſtium, *quando fructu laboris induſtriæque ſuæ ipſe privatus, alios indignos honore honeſtari videt, ſeque falſa ſuſpicione alienari.* Hiſce omnibus, ut dixi, modis, inteſtino bello, quod conflatu facile, reſtinctu difficillimum eſt, portam aperiri palam eſt: cujus is exitus ſolet frequenter eſſe, ut attritis & colliſis utriuſque viribus, plebs jugo hactenus quaſi preſſa, vires & animos priſtinos ad majora audenda, etſi alioqui fortaſſis ab ea cogitatione aliena, ex tanta opportunitate ſumat. Ut minus mirum videri poſſit, Romæ Decemvirorum Dynaſtiam, inter tot frociſſimos & ſeditioſos cives, potuiſſe aliquandiu ſtare, cum concordia imperantium fuerit probe munita. Vid. Liv. *Dec.* 1. *lib.* 3.

III. Tertia cauſa mutationis oligarchiarum eſt, ſi unus inter imperantes, honori ſtudens, reliquos dignitate anteire laboret. Nec enim hoc poteſt non innovationis ſuſpicionem excitare atque efficere, ut illi de coërcitione illius laborent: id quod ſine aliquo tumultu fieri non ſolet. Poteſt autem hoc contingere ex parvo initio non animadverſo; quod ſi jam per aliquod tempus duraverit, ſero nimis, & non ſine ingente reipubl. concuſſione, adhibetur medicina. Pars enim præponderans non patitur ſe rurſus deprimi, & quæ vincitur, emergere nititur; unde non poſſunt non tumultus & ſeditiones oriri, donec pars ſuperior facta rempubl. ad ſe jure quaſi ſuo rapuerit. In republ. Romana (unde omnium rerum magnarum exempla merito petuntur) quidnam factiones, & in medio foro primum armorum civilium tentamenta, mox introduxit aperta inter cives bella, & antiqui moris corruptionem, & denique libertatem evertit, niſi paucorum contra leges publicas nimia potentia? qui cum continuatis imperiis populi inconſultum favorem acquiſiviſſent, tandem illo, in ipſum patriæ exitium uſi ſunt. Hinc neque Cæſar ſuperiorem, neque Pompejus parem ferre potuit. Idem ille C. Cæſar primum Pompeji ipſius favore adjutus, eam ſibi potentiam acquiſivit, quæ civitati Romanæ poſtmodum terrori fuit: imo denique Pompejum ipſum & libertatem Romanam funus fecit. Idem obſervare licet in Coſmo Mediceo, tam potente in republ. Florentina, ut & proditionis ſpecies videretur, non coërcito eo republ.

Digitized by Google

publ. proſpicere, & tamen ſimul periculoſum quietum adhuc irritare. Erat tum inſignis, prudentiæ fama Nicolaus Uzanus; qui donec vixit, nusquam durius aliquid in Coſmum decerni paſſus eſt, quod prævideret, ſi quid tale committeretur, ruituram reipubl. libertatem. Eo vita functo, diſceſſerunt reliqui ab ipſius monito, & Coſmum Florentia ejecerunt, qui paulo poſt a factione ſua revocatus, Florentiæ principatum invaſit; quo non perveniſſet, niſi ſuorum civium injuriis eo profectus fuiſſet. Alia infinita exempla, ne ſimilitudo ſatietatem pariat, prudens prætereo. Vid. illuſtris Forſtnerus in eruditis ſuis & vere Politicis ad Tacitum notis.

IV. Quarta cauſa mutationis eſt improbitas Demagogorum; qui cum in concordia civium nullo ſe loco eſſe vident, potentioribus aſſentantur, atque in eorum gratiam omnia loquuntur & agunt. Hinc ſi quibus illi ipſi patroni ſuccenſeant, ſi quos oderint, ſi quos ſuis cupiditatibus adverſari intelligant, vel ſuſpicentur, ſi quos metuant, quotquot eſt reliquorum oligarchicorum patriæ ſalutis cupidorum, eorum exiſtimationem arte minuunt, facta dicta, conſilia identidem vellicant, clandeſtinarum molitionum abſentes nec talia in ſe tela cudi ſuſpicantes reos agunt; nec finem faciunt, donec potentiam apud unum & paucos, odium apud omnes adepti, perniciem aliis ac poſtremo ſibi, ut Tacitus ait, invenerint. Plenæ omnes hiſtoriæ talium exemplorum. Talem ſane inter Decemviros romanos Livius aliique hiſtorici fere deſcribunt Appium, niſi quod præ faſtu & injuſtitia populi favorem ſibi conciliare minus aptus fuerit.

V. Alia cauſa mutationis inde oritur, quando unus ex imperantibus, ad altiora contendens, præque cæteris dignitate eminere ſtudens, populo adulatur, eumque in ſuas partes pertrahit; utpote ſine cujus auxilio fruſtra eſt, adque effectum deduci nequit. Quod Sophiſma in rebuſpubl. quæ reapſe non ſunt oligarchicæ, niſi illa parte, quod ſolis Patriciis aut ditiſſimis fas ſit magiſtratus honoribus fungi, tum tamen præcipue locum habet, quando videlicet populo jus eſt, vetuſto quarundam rerumpubl. more, dare honores & magiſtratus, quibuscunque voluerit. Exemplo iterum nobis ſit reſpubl. Romana. Ibi cum in univerſæ plebis manu eſſet facere Imperatores, alioſque creare magiſtratus, impetu & conſilii inopia plerumque peccabatur, & paucorum ambitio, qui plebeculæ gratiam aucupabantur, omnia poterat. Exemplum dat etiam Cicero in Cæſare: *Caſar*, inquit, *magno labore magniſque periculis, quod cogitaverat, effecerat: muneribus, monumentis, congiariis, epulis, multitudinem imperitam delinierat: ſuos præmiis, adverſarios clementiæ ſpecie devinxerat.* Idem obſervare licet in Fliſco, Laviniæ Comite, clariſſima gente Genuæ orto, at elati animi juvene. Qui comitate & humanitate, quam ſpecie naturali & compoſito vultu præ ſe ferebat, popularium gratiam Genuæ primum demerebatur, primarios ex illis adoleſcentes benigne appellando, & in eorum cætus ſe familiariter inſinuando. Cum iis artibus ſibi aliquam gratiam apud populareis comparaſſe ſeſe crederet, benevolentiam illam potentia & autoritate firmare conſtituit: & quia in maritima civitate majora navalium quam terreſtrium copiarum momenta eſſe judicabat, iis ſe imprimis muniendum cenſuit. Seriem conjurationis illius graphice imprimis & eleganter deſcripſit Nobiliſſimus Hiſtoricorum Thuanus *lib.* 3. Quare illud Venetorum quidem conſilium jure laudandum eſt, qui cum Gabrielem Bonum, & Franciſcum Valerium propoſita lege, qua ex ærario publico egenis civibus quotannis auri ſummam dandam eſſe volebant, gratiam civium captare deprehenderent, utrumque in Cyprum Inſulam deportari curarunt, pæna capitis adjecta, ab oppido Nicoſienſium ullo tempore ſi emigraſſent. *Bembus hiſt. Venet. lib.* I. Idem experientia edoctus teſtatur etiam Zevecotius *obſervat. Politicis* in Florum. *Et revera*, ait, *ſæpe bene ante conſtitutæ reſpubl. aut pereunt, aut mutantur, cum intemperanter vivendo ſua aliqui conſumſerunt. Rebus enim novis tales non ſtudere vix poſſibile eſt, dum voluptatibus aſſueti paupertatem ferre non poſſunt.* Huc pertinet quoque egregium illud Saluſtii dictum: *Semper in civitate, quibus opes nullæ ſunt, bonis invident, malos extollunt, vetera odere, nova exoptant, odio ſuarum rerum miſcere omnia ſtudent, turba atque ſeditionibus ſine cura aluntur.* Et præclare Cicero. *In urbe luxuries creatur, ex luxuria exiſtat avaritia neceſſe eſt: ex avaritia erumpit audacia: inde omnia ſcelera & maleficia gignuntur.* Ex iis autem, quæ ſuperius diximus, intelligi etiam poteſt, in oligarchiis veriſſimum & vim legis fundamentalis habens effatum eſſe, quod curiæ vicinæ urbis celeberrimæ aureis literis inſcriptum eſt: *Principium diſcordiæ eſſe, aliquid commune ſuum facere.* Probari id poteſt exemplis urbium Brunſvv. Argentorati, Coloniæ Auguſtæ & aliarum civitatum Germaniæ etiam noſtræ: nimirum magnos ibi motus ob ſuſpicionem peculatus a plebe excitatos, rerumpubl. iſtarum converſionibus cauſſam præbuiſſe.

VI. Sexta cauſſa mutationis inde oritur, quod prodige vivendo aliqui ſua conſumſerunt. Hi nempe vel rempubl. quæſtui habent, vel aliis deſtituti mediis plebem ad bellum movere nituntur. Hujus rei illuſtre exemplum præbet apud Saluſtium etiam Catilina: de quo Cicero. *Nemo non modo Romæ, ſed nec in ullo totius Italiæ angulo oppreſſus ære alieno fuit, quem non Catilina ad hoc incredibilis ſceleris fœdus aſſciverit.* Saluſtius quoque de eodem. *Agitabatur*, ait, *magis magiſque indies animus ferox inopia rei familiaris, & conſcientia ſcelerum, quæ utraque his artibus auxerat.* Ita Plutarchus de Cæſare memorat, tantum æris alieni contraxiſſe, ut ſolvendo non fuerit. Hinc neceſſitate quadam compulſum, & occaſione uſum, patriæ bellum intuliſſe. Notatu autem digna ſunt, quæ in hunc ſenſum de eo ſcribit Cicero: *Habebat hoc omnino Cæſar, ut quem plane perditum ære alieno egentemque, ſi eundem nequam hominem audacemque cognoverat, hunc in familiaritatem libentiſſime recipiebat.* Talis apud Tacitum 3. *Annal.* Julius Florus & Julius Sacrovir; Galliarum, *inquit*, civitates ob magnitudinem æris alieni rebellionem captavere, cujus



Digitized by Google

extimulator acerrimus inter Treviros Jul. Florus, apud Æduos Julius Sacro Vir. Ii ſecretis colloquiis ferociſſimo quoque adſumto, aut quibus ob egeſtatem vel ex facinoribus maxima peccandi neceſſitas &c. Vidit & recens hujus rei exemplum ſuperior ætas in conjuratione Fliſcana. Nam lapidem omnem movit ipſius illius conjurationis Verrina, æris alieni magnitudine oppreſſus, & ſic privatis vulneribus tegendis turbandarum rerum occaſionem ſolertiſſime circumſpexit.

VII. Evertitur quoque Oligarchia, cum (1) pauci quidam ex proceribus per injuriam, vim, ambitum, aliasque ſubdolas artes in ſe & ſuos continuo transferunt imperii ſummam, cæteris ejuſdem conditionis, & æque ac iſti regundæ reipubl. capacibus, cum contumelia præteritis atque excluſis. Sic Romæ diu certatum fuit de Conſulatu, de cenſura, aliisque ſummis magiſtratibus, quorum non ex æquo omnes Senatores erant participes, ſed tantummodo Patricii. Sic Genevæ anno 1555. ad Lemanum lacum, tumultum quendam nocturnum excitatum fuiſſe a quibusdam ordinis ſenatorii, qui rerum ſummam ad ſe ſuæque factionis homines contrahere in animo habebant, tradit Thuanus *lib. XVI. hiſtor.* Secundo etiam, ſi pauci ad ſe quæſtuoſa traxerint officia, cæteri laborum quidem honorumque plenis, at invidioſis officiis defungantur. Tertio præterea hoc quoque fit, ubi pro diverſa oligarchiæ ſpecie vel ex paucorum civium numero, vel ex pauciſſimorum ordine, non ſorte, ſed ſuffragio, habitaque ratione vel magni vel mediocris cenſus magiſtratus eliguntur: ita quidem, ut alibi maximum cenſum adepti adeoque plus tributorum in ærarium publicum conferentes, maximi itidem magiſtratus conſtituantur, quique τὸ κύριον in republ. obtineant, at in minores neceſſarios tamen magiſtratus eligantur illi, qui in re mediocri ſunt conſtituti. Licet ſane nonnihil ſimile quid obſervare in Belgicis Germaniæ ſeptem provinciis: quæ in unum quidem fœdus cojere, non tamen in unam rempubl. ut Hugo Grotius in *Apolegetico ſuo cap.* 1. egregie demonſtrat. Neque enim ex fœder, niſi communem hoſtem & communia commercia habent, adeoque uniti tantum ſunt fœdere συμμαχικῷ, non jure civitatis, quod & de Helvetiis ſuis Simlerus *lib.* 1. oſtendit. Et vero cum ab omnibus provinciis non æque multum conferatur in commune, hinc in ſenatu fœderis Hollandiæ trium, Geldriæ, Friſiæ, Selandiæ duorum, Trajectinæ, Tranſiſulaniæ, Groningiæ ſingulis unius ſuffragii ferendi jus eſt. Eſt autem hujus juris fundamentum, quoniam totum fœdus non eſt, niſi συμμαχικὸν, ceu ante diximus, non plena aliqua civilis ſocietas, militia autem utantur provinciæ fœderatæ conductitia: ac proinde merito in fœdere illo prævalent, qui plus ad militiam conferunt æris. Simile quid aliquatenus obtinet etiam in republ. Veneta; ubi nonnunquam ex Patriciis etiam adhuc juvenes in Rogatorum Concilium, ut vocant, recipiuntur, nulla alia de cauſa, quam ut quod publici ærarii inopiam privato ſuo ſumtu ſublevent, ut Donatus Janottius *in dial.* habet.

VIII. Non leve præterea imminet periculum oligarchiis, ingruente belli tempore; quando nimirum ipſis grave cum extraneo bellum gerendum eſt hoſte. Quum enim parum fidere poſſint ſuo populo, utpote qui in unum congregatus facile turbas excitet, milite aliunde accerſito uti tenentur, eique ad expeditionem proficiſcenti unum aut aliquos duces præficere neceſſum habent. Hoc vero quanto cum periculo ſalutis ipſarum oligarchiarum conjunctum ſit, nemo non videt. Nihil ſane facilius eſt, quam ubi ſuis viribus pacem fecerint, niſi exacte caveas, quod fieri tamen itidem poteſt, nemoque novo diſcrimine interpellet victoriæ memoriam, duces vel dominandi aſſuetudine capti, vel clientelis atque amicitiis nixi, vel populari aura inflati, opibus ac imperio opinione citius in publicam perniciem abutantur: & quidem ſi plures ſint, Dynaſtian introducant, ſin unus, tyrannidem exerceat, reliquis oligarchicis poteſtate ſua exutis. Exempla & vetera & recentia in promtu ſunt. Hiſtoriæ ſane loquuntur, quid Cæſar Romæ, quid Scaliger Veronæ, quid Malateſta Arimini, quid Baleo Peruſii, quid Vitellius Tifernæ, quid Sfortia Mediolani, cum Prætores eſſent civitatum aut exercituum, agitarint. Prudenter autem Veneti bellum, quoad ejus fieri licet, quam maxime ſolent declinare; quod ſi tamen illud evitare nequeant, malunt externo atque conductitio milite duceque uti, quam populo, aut ipſis etiam nobilibus, præſertim ſi in proximo continente, ubi majus eſt periculum, bellum ſit gerendum. In remotis & maritimis locis libentiſſime quidem utuntur ducibus ſui Patritii ordinis, ſed non niſi ad breve tempus, & ſæpius facta eorum mutatione: ceu videmus fieri in hoc bello Cretico omnium maxime diuturno. Notandum præterea, olim in republ. Florentina, & Venetiis hodie, [Thuanus XLVII.] qui ad bellum mittuntur, non ſuis relinqui conſiliis; ſed arbitrium de ſumma re certis finibus circumſcriptum domo ſecum afferre in caſtra; ut ſæpe ne quidem tormenta bellica illi ad feriendos muros vel alio loco modove alio collocare audeant, quam quo mandatum ipſis eſt, nec niſi graviſſima pœna juſſa ſenatus transgredi licere. Quod quidem ſalutare eſſe in iſto optimatum ſtatu, egregias tamen bene gerendæ rei occaſiones ſæpe corrumpere, prudenter obſervat Nobiliſſimus Forſtnerus, Notis ad Tacit. Quod ſi tamen hæc & alia certa metuentes incommoda oligarchici, cum populo rempubl. communicent, mutatio facilis eſt ad democratiam. Nimirum autoritas & poteſtas, quæcunque in multitudinem collata, nunquam bene aut feliciter uſurpata fuit, citra ſcilicet reipubl. inſignem mutationem: uti patet ex hiſtoria Romana & Athenienſi. Pacis quoque tempore primorum nonnulli, dum nondum extra omnem ſuſpicionem periculi conſtituti, ut nihil habeant ſibi a multitudine metuere, quo conſulant ſuæ tranquillitati, ducem aliquem dato ei manipulo, arbitrum interdum omnium actionum eligunt: qui, ſi opus eſt, naſcentes conatus reprimere poſſit. Verum hoc dum faciunt,

Digitized by Google

ciunt, nihil aliud agunt, quam ut huic ipſi feneſtram ad tyrannidem aperiant. Quo minus mirandum, Genevæ Allobrogum alibique militiæ præfectos circumſpecte admodum vivere teneri, adeo ut inconſulta mente vox emiſſa illos reddat ſuſpectos.

IX. Seditiones quoque in Paucorum dominatu exiſtunt, quoties Collegæ a Collegis afficiuntur injuriis. Poteſt autem potiſſimum illud oriri duabus ex rebus: ſcilicet ex re uxoria & civili. Et quidem faſtidioſa ac ſuperba nuptiarum oblatarum rejectio, ac repulſa ſæpe fuit odii graviſſimi, ac tandem belli cauſa. Exemplo ſint nuptiæ Cambyſis, ab Amaſi Ægyptiorum rege eluſæ, apud Herodotum *lib.* III. Nuptiæ Tomyris Schytarum Reginæ a Perſarum rege Cyro deluſæ apud eundum Herodotum *lib.* I. Dionyſii Siculorum regis nuptiæ a Rheginis rejectæ, apud Diodorum *lib.* 14. Ut recentiora exempla non tangam. Tertiam ſeditionem incitaſſe Romæ matrimoniorum dignitatem autor eſt Florus. In hanc ſententiam apud Livium Tribunus plebis ſic diſſerit. *An eſſe ulla major aut inſignior contumelia poteſt, quam partem civitatis velut contaminatam indignam connubio haberi.* Sic Epidaurii (qui hodie *Raguſii* ſunt) a nobilium nuptiis arcent plebejas, quæ inter Iaderam (nunc *Zara* dicitur) & *Rhizium*, (quod jam *Catharo* appellant) natæ non ſunt. Verum plures ea de cauſa familiæ adeo decreverunt, ut penes pauciſſimos hodie ſit imperium. Deinde res uxoria cauſa diſſenſionum eſſe poteſt, ſi quis ex primoribus conjugum repudiet, ut aliam alia in familia in uxorem eligat. Tale exemplum Florentia vidit, cum ex Bondelmontiorum gente nobiliſſima, non nemo novas nuptias ſibi quæſiviſſet. Unde nobilium familiarum inter ipſas odia, diſſidia, cædes, quæ civitatis ſtatum funditus everterunt. Vide Bodinum. Ex re civili oriuntur injuriæ, ſi jura & judicia turpiſſimo mercimonii genere, velut ad licitantium arbitrium; proſtituuntur. Illud omnium optime deſcribit C. Memmius, Tribunus plebis apud Saluſtium in Jugurtha cap. 31. oratione graviſſima, qua plebem Romanam concitat adverſus Patricios, qui immunes tum temporis ab hoc vitio profecto non erant. Nam ut idem Saluſt. *cap.* 13. ait. *Jugurtha adverſus iram populi Romani nullam ſpem uſpiam, niſi in avaritia nobilitatis & pecunia ſua habebat;* qui & totam Romam hanc ob cauſam dixit venalem, & mature perituram, ſi emtorem invenerit, cap. 35. Et hoc nomine Judices Carthaginenſium graviſſime perſtringit Livius, eosque tyrannidem in republ. fere uſurpaſſe tradit: *Ea*, inquit, *tempeſtate, Carthagine dominabantur Judices: qui unum habebat ex illis adverſum, omnes habebat adverſos; Res, fama, caput cujusque civis in illorum erat poteſtate, nec deerat accuſator apud infenſos Judices.*

X. Neque vero evertitur idem ſtatus, ſi qui ſuperbe atque crudeliter imperent; quæ duo vitia plerumque ab oligarchicis conjunguntur. Nam primo ex effreni dominatione naſcitur ſuperbia; quam ut commodius foveant, manus injiciunt civium fortunis: inde avaritia: ex utroque odium ſubditorum & tandem peſtis autoribus. Inde namque populus occaſiones movendi turbas nanciſcitur, inque interitum ſuperiorum conſpirat, uti id ipſum multarum oligarchiarum everſiones probant. Vere enim dixit Saluſtius ad Cæſar. de republ. ordinanda: *Cuncta imperia crudelia, magis acerba quam diuturna eſſe.* Et in eandem ſententiam præclare Zevecotius in obſervationibus politicis ad Florum. *Si quis ſubditis aut privilegia eripere, aut immoderatius imperare vult, in maximo negotio habere debet, ut quos affligere deſiderat, non ante ſervire ſe ſentiant, quam paulatim eo pertracti ſervire cogantur: non eſt, quod ſe avaritia, crudelitate libidine infamet, qui ſecure diu rerum potiri vult.* Apud Tacitum (*in Agricola*) Britanni (& plures ſunt tales) tributa & injuncta imperii munera impigre obeunt, ſi injuriæ abſint: Has ægre tolerant, jam domiti, ut pareant, nondum ut ſerviant. Et Saluſtius in Catilina, ubi diſſerit de antiquis moribus Romanorum, inquit: *in pace, beneficiis magis, quam metu imperium agitabant, & acceptam injuriam ignoſcere, quam perſequi malebant.* Unde etiam patet, falli oligarchicos, qui a pecunia ditibus ſibi periculum, ab exhauſtis & excarnificatis ſecuritatem promittunt. Etenim plebs, dum, unde vivat, non habet, nemini amplius paritionem, vel ſe dicto audientem præſtat, ſed quaſi deſperata huc illuc rapitur, nihilque, quod ad excitandas ſeditiones pertinet, intentatum relinquit. Hinc vera illa vox Annibalis apud Livium: *Tantum ex publicis malis ſentimus, quantum ad privatas res pertinet, nec in eis quicquam acrius, quam pecuniæ damnum ſtimulat.*

XI. Poſtrema cauſa everſionis oligarchiarum, caſu & ex eventu fit ſæpiſſime, neque oligarchias tantum, ſed ipſas quoque Politias magno afficit malo; dum ſcilicet in utroque ſtatu, non niſi ita habita cenſus ratione magiſtratus creantur. Facile ſcilicet, ut cenſus illi non ſit magnus, accidere poteſt vel diuturna pace, vel alia quadam felicitate, ut civium bona, primum minora juſto cenſu plurimum excreſcant; Atque hoc pacto complures vi legis ſummi magiſtratus capaces fiant, adeoque ejectis oligarchicis imperium ipſi rapiant, & oligarchiam mutent in aliam formam, vel certe unam oligarchiæ ſpeciem in aliam. Contigit ſimile quid antiquiſſimis Germaniæ urbibus ad Rhenum, aliisque: ubi poſtquam plebs numero & opibus aucta, ſuas tribus paſſim & collegia jam haberet, nec ſatis pro conſervando ſtatu ſuo Patricii vigilarent, oligarchiæ in ſtatum democraticum commutatæ ſunt, ita ut hodie præter Norimbergam vix una aut altera amplius in Germania ſuperſit. Idem propemodum fatum manet etiam in republ. Batavorum nobiles: quorum quidem dignitas ante inſignem illam mutationem reipubl. illuſtri loco fuit poſita, at per mercaturam populus, divitiis in immenſum auctus, ita emerſit, ut ſuppreſſis nobilibus vix relinquatur illis amplius priſtinus dignitatis locus. Turbavit etiam hæc res urbes italicas Lucam, Patavium, Bononiam, Genuam, Florentiam, dum illas jam olim (narrante Ottone Epiſcopo friſingenſi in vita Frider. I. Barbaroſſæ *lib.* 6. *c.* *VIII.*) nobiles cum infima plebe habitarent,

Digitized by Google

rent, nec tamen omnes pari dignitate eſſent. Quod ſi vero contingit in momento ejusmodi mutatio, puta in bello, e præda hoſtium, aut inventione rei precioſæ, ut multi ad cenſum lege definitum pervenerint, omnes quidem ſpem alunt magiſtratum adipiſcendi, hac vero cum plurimi defraudentur, (fieri enim non poteſt, ut omnes capiant magiſtratum) jam excluſi vel ipſi invadunt magiſtratum, vel aliis hac ſua luxuria, utpote qua omnes res cariores redduntur, novarum rerum cupidos, ſuamque conditionem execrantes efficiunt. Romæ, ſuperato jam Antiocho, ſubactaque Aſia a Scipione, & precia rerum aucta ſunt, & ſimul luxus ſummus invaluit. Noſtra ætate vel noſtrorum avorum, immenſa auri atque argenti copia ab Hiſpanis ex America Europæ illata, non ne videmus, quantam caritatem per totum terrarum orbem creaverit, quemque enormem luxum, ſumtusque ſuperfluos & fere intolerabiles, *inquit* Septalius, docto opere de ratione ſtatus, lib. 6. c. IIX. Atque hæc quidem de internis cauſis, quibus oligarchiæ corrumpuntur, ſic dicta ſunto. Supereſt nunc, ut de remediis cauſiſque, hanc formam conſervantibus nonnulla breviter in medium afferamus, atque hiſce pro inſtituti ratione enarratis, finem huic diſſertationi imponamus.

XII. Ad ſtabiliendum ſtatum vero imprimis pertinet, oligarchicos tam erga eos, qui extra magiſtratum ſunt conſtituti, quam qui ejus participes, recte & ut decet ſeſe gerere; adeoque in imperio ipſorum nihil acerbum eſſe, nihil crudele, ſed omnia plena clementiæ, manſuetudinis, humanitatis. Hujus enim rei fructus is erit certiſſimus, ut & cives libenter & cum ingenti delectatione vivant, nec imperia illorum moleſte ferant. Ariſtoteles id probat exemplo Pharſaliorum, quorum rempubl. diu ſuperſtitem fuiſſe, ait, ſiquidem benevolentia munita erat ſubditorum. Et veritas conſtat inſigni monito ejusdem Philoſophi. Huc *nempe* omnia referenda eſſe ab iis, qui præſunt aliis, ut ii, qui in eorum imperio ſunt, quam optime erga ſtatum præſentem ſint animati. Exemplo ſit unica reſp. Veneta. Hæc enim a multis usque ſeculis hunc ſuum ſtatum hac ratione tranquillum conſervat. Omnes quippe illum, aut certe quam plurimi ſalvum, atque incolumem percupiunt; ſicuti hoc prudenter obſervavit in deſcriptione illius Caſpar Contarenus.

XIII. Præclare conſulunt reipubl. ſuæ oligarchici, ſi non tantum latis legibus ſeditiones omnes cavent, ſed & diſſidiorum ſemina, ſi quæ exiſtant, bono publico in herba opprimere laborent. Et vero ſeditionis malum, niſi recens præcidatur, creſcit & ſerpit quotidie, tandemque ſummam reipubl. corrumpit. Probe idipſum intelligunt Veneti; ſiquidem hoc maxime dant operam, ne ulla diſcordia, in ſeditionem abitura inter cives oriatur. Sedulo autem omnes reip. rectores hic illud Philoſophi obſervare debent: *Principium totius dimidium eſſe; proptereaque in tempore naſcentibus malis occurrendum;* imo ſemper recenti memoria circumferre aureum illud Taciti dictum: *Principio obſtandum, & omnes diſcordiarum occaſiones amputandas eſſe*, cum ex minima ſæpe ſcintilla contemta magnum excitari incendium experientia doceat. Licet nonnulli, contrarium ſentientes dominationem ſtabiliri ſerendo alendoque inter cives diſcordias, exiſtiment. Nos accuratius aliquanto rem perpendendo & non ea ſolum, quæ ante pedes ſunt, ſed etiam futura proſpiciendo, priorem ſententiam vero quam maxime conſentaneam eſſe ducimus. Illud ſane manifeſtum eſt, Romam, cum ad ſummum potentiæ culmen aſcendiſſet, ferocibus nationibus gentibusque perdomitis, poſt æquatum orbi terrarum imperium inteſtinis civium odiis concidiſſe; ad eundem modum rempubl. quoque Athenienſium perdidiſſe principum diſſenſiones, Niciæ, & Alcibiadis, & ante Themiſtoclis & Ariſtidis, ut poſt Demoſthenis, Æſchinis, Lycurgi & aliorum Rhetorum. Et quidem exiſtimare ſeſe ſcribebat recte olim Saluſtius, ad Cæſar. de republ. ordinanda, *qua tempeſtate urbi Romæ fatum excidii adventarit, cives cum civibus manus conſerturos, ita defeſſos & exangues, regi aut nationi prædæ futuros. Aliter non orbem terrarum, neque cunctas gentes conglobatas movere aut contundere poſſe hoc imperium.* Diu quoque ante præviderant Etruriæ duces Romanam potentiam æternam futuram, idcircoque ſimultates & odia clam oportere in civitate ſerere, decreverunt. Liv. *lib.* 2. Idem præclare in hunc ſenſum, *fuerunt*, ait, *lib.* 3. *eruntve factiones pluribus populis magis exitio, quam bella externa, quam fames, morbive, quæque alia in Deum iras, velut ultima publicorum malorum vertunt* Idem vero jam tum dixerat: *æternas eſſe opes Romanas, niſi in ſemetipſos ſeditionibus ſæviant; id unum venenum, eam labem civitatibus opulentis repertam, ut magna imperia mortalia eſſent.*

XIV. Tertia reipubl. conſervandæ ratio ſeu cautio, in cenſus deſcriptione recta & æquabili poſita eſt. Nimirum ut auctis facultatibus augeatur & cenſus pro rata, deminutis deminuatur & remittatur. Id quod facile factu erit, & bona priora & cenſum priorem cum præſente comparanti viro politico; maxime in iis civitatibus, in quibus cenſus agitur, & bona civium cenſu agendo internoſcuntur. Cenſum autem in aliis quidem civitatibus, maxime minoribus, quotannis ſubinde actum fuiſſe, *inquit* Ariſtoteles: in majoribus tertio quoque anno vel etiam quinto ſive luſtro: quod ſpacium luſtri in cenſu agendo ſecutos eſſe Romanos omnibus notum eſt. Illud vero hic obſervandum: illi, qui cenſum hunc conſecutus fuerit, ad rempubl. & honorem aditus patere debere.

XV. Intereſt itidem in univerſum omnis reipublicæ adeoque oligarchiæ etiam, ne qui in urbe opibus, gratia, amicis, clientibus, potentia tantum antecellant civibus cæteris, ut ipſorum potentia & autoritas libertati formidabilis videatur fieri. Et enim non niſi pauciſſimorum ea eſt continentia, ut æquo jure cum

aliis

aliis vivere, quam præeſſe ſuis malint. Nimium multi, qui etſi non verbis, tamen apud animum ſuum non probant non C. Cæſaris dictum:

*Nam ſi violandum eſt jus, regnandi cauſa violandum eſt,*
*In cæteris pietatem colas,*

& quo pluribus potiuntur, eo plura deſiderant.

*Sic quibus intumuit ſuffuſa venter ab unda,*
*Quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.*

Maxime enim adducuntur plerique, ut eos juſtitiæ capiat oblivio, cum in imperiorum, honorum gloriæve cupiditatem inciderint; ut veriſſime juxtaque elegantiſſime Cicero *lib.* 1. *de off.* nos docet. Quale quid imprimis C. Julii Cæſaris exemplum confirmat: quem eodem loco dicit Cicero, divina & humana pervertiſſe propter eum, quem ipſe ſibi, opinionis errore finxerat, principatum. Operæ pretium fuerit autem noſſe modos & remedia, quibus bonæ & malæ reſpubl. nimios privatorum ſpiritus & formidoloſam ſibi vim cohibuerint, fregerintve: Neque enim vis ſemper ſuccedit: ſed & ſæpius ea rerum conditio eſt, quæ violentum iſtud remedium non ferat. Quod argumentum Nobiliſſimus Dn. Forſtnerus, in eruditis ſuis & vere politicis in Tacitum notis ita prudenter atque nervoſe tractavit, ut addi nihil poſſit. Igitur dubitanti mihi, an poſt tantum Homerum Iliada ſcribere ſuperſederem, aut ſaltim ne quid deſiderare poſſit, plura adderem, ea ſententia ſedit, deſcribere hunc in locum integram ejus diſſertationem. Veniam ſane, imo laudem merebor; meis verbis tam bene, tam eleganter dicere deſperans, ſi alienis, quibus prudentius elegantiusve nihil dici poteſt, proponere voluerim. *Tutius ergo eſt*, inquit, *impedimenta objicere inſtrumentis nimiæ potentiæ, convellere fundamenta, quibus illa nititur & velut ſubtractis alimentis ignem ambitioſum exſtinguere. Illi igitur, cujus privatum modum egreſſæ ſunt divitiæ, dignitates, curationes, legationes, conferantur damnoſæ, ſumptuoſæ & quæ ſine rei familiaris diſpendio obiri nequeant. Si favore plebis nitatur aliquis, ille derivandus eſt iisdem aut majoribus beneficiis in ipſam rempublicam. Qui nomen, famam, & gloriam habet, arduis & periculoſis objici debet expeditionibus; ut ubi non ſucceſſerit negotium, & eventus ſpei non reſponderit, minuatur autoritas, quam a rerum geſtarum excellentia meruit. Is, cujus in republ. aliove certo loco nimia potentia eſt, ſpecie honoris in longinquas regiones amandari poteſt. Si armis fulciatur alicujus magnitudo, is vario prætextu ab exercitibus & militia ad honoratiſſima quæque officia, ſed quæ poteſtate omni careant, in rempubl. transferendus eſt. Porro*, ait, *alia cautio eſt, arcere tumidi ſpiritus homines ab omni magiſtratu & imperio, ſed curationibus tamen, legationibus aliisque honoribus admovere, quibus honoratiores quidem ſint, nihilo tamen valentiores. Iterum alia cautio eſt, ut ſi in magnum virum imperium conferre ſit neceſſe, ipſius pravæ cupiditates collega addito coerceantur.* Hæc Forſtnerus.

XV. Digna etiam magiſtratu, imo neceſſaria cura eſt, providere, ne dites familiæ aut amplitudine inſignes, ſtudio magnificentiæ prolabantur, adeoque ad egeſtatem perveniant cum opprobrio & dehoneſtamento majorum ſuorum & reipubl. detrimento. Fieri autem hoc facile poteſt, ſi pœnas luxui magiſtratus ſtatuat & omnibus rebus, quibus ille inſtruitur, vectigalia tributaque imponat, utique majora, quam frumento cæteriſque rebus, quibus neceſſario etiam pauperes utuntur. Quidam ſane odio habebunt inſaniam tanti emendam, aut ſi nec tunc reſipuerint, ſaltem ex prodigalitate ſua jactantium, etiam ad rempublicam pars perveniet. Multi ideo populi exquiſita ingenia cænarum damnarunt, & operam dederunt, ne luxus menſæ profundis ſumtibus exercerentur. Lycurgus, convivari omnes publice juſſit, ne cujus divitiæ vel luxuria in occulto eſſent. Apud Romanos lex Fannia cum diebus ſolennioribus (ut ludis romanis, megalenſibus, plebeis & aliis) ſplendidius aliqui cænare vellent, centum æris & non amplius in ſingulos dies impendi permiſerunt. Erat autem populus Romanus victor gentium & Triumphator orbis, quamdiu in illo victu & moribus perſeveravit, nihil declinans ad hodie receptum a multis ſeculis in pleriſque gentibus modum. Magni hæc æſtimaſſe ſemper prudentiſſimam rempubl. Venetam ex eo, quod P. Bembus narrat, patere poteſt. *Scilicet exhilarata pacis nomine civitas, jam etiam ante hoc bellum in omnem luxum domeſticum ſeſe effuderat, inſequentis anni initio leges ſumtuariæ revocantur.*

XVI. Sicut porro abjectorum & plebeiorum eſt, rumorem parvi facere, modo ſit, quo rumen impleant: ſic Oligarchicorum proprium ſit famam opibus potiorem habere, atque de republ. privati emolumenti nihil neque petere, neque accipere. Hujus ſane rei fructus is erit certiſſimus, ut & ab aliis omnibus diligantur, & bene audiant a populo: Atque hac in re nobilitata maxime eſt Pythagoræ & ejus diſciplinæ ſectatorum prudentia, qui non ſolum reſtituerunt rempubl. Crotoniatarum, ſed & res magnæ Græciæ juſtiſſime adminiſtrarunt, e quibus ipſi privati emolumenti nihil neque peterent, neque acciperent. Sic magnis omnium laudibus celebratur Epaminondæ abſtinentia, quod ſcilicet paupertatem adeo facile ſit perpeſſus, ut de republica nihil præter gloriam ceperit. Verum ſua ætate in oligarchiis non hoc conſilium, ſed omnia alia, quod dicitur, uſurpari graviter conqueritur Ariſtoteles cum lib. 6. cap. 6. tum alibi. *Nunc vero* (verba ſunt Ariſtotelis de corruptela temporum ſuorum conquerentis) *propter commoda*, (i.e. quæſtus cauſa) *quæ ex republ. & magiſtratibus capiuntur, perpetuo magiſtratus gerere volunt, tanquam ſi accideret, ut qui ſint infirmi* (laborantes avaritiæ morbo, quem ambitio & imperandi libido ſequitur & accendit) *ſemper magiſtratus gerendo bene valeant. Etenim*, pergit, *ſic fortaſſis imperia perſequuntur, ac ſi extra magiſtratum ægri ſemper eſſent, eum vero conſecuti & jam reapſe gerentes revaleſcerent.* Qua de re non poſſumus, quin eximiam prorſus Ciceronis doctrinam huc adducamus. *Omnino qui reipubl. præfuturi ſunt* (ait Romanorum diſertiſſimus *lib.* 1. *de off.*) *duo Pla-*



Digitized by Google

*tonis præcepta teneant: Unum, ut utilitatem civium ſic tueantur, ut quicquid agant, ad eam referant, obliti commodorum ſuorum. Alterum; ut totum corpus reipubl. curent, ne, dum partem aliquam tuentur, reliquas deſerant.* Illud hic denique obſervandum eſt, ut maximis magiſtratibus conjungantur onera & munera reipubl. ſumptuoſa, qualia olim fuerunt magna ſacrificia inſtituere & ad ea epulatum plebem invitare, & nunc etiam poſſit eſſe, ædificia publica exſtruere, ſcholas fundare, militem alere, ac ſimilia. Hac ſane ratione, metu tantorum ſumtuum a petitione ejusmodi magiſtratuum plebs abſterrebitur, non invidens eos aliis, quum tanto conſtent. Divites quoque ob exhibita magnificentiæ ſuæ monumenta immortalem nominis famam conſequentur, adeoque populo videbuntur jure imperare. Hoc utique de cauſſa [ad memoriam poſteritatis ſempiternam) multa opera Romæ & Athenis exſtructa conſtat.

XVII. Plebeji porro ordinis homini in Oligarchia, ſi dignus honore ſit, non præcidenda ſpes omnis adipiſcendi alicujus ſaltim honoris. Antiquum hujus rei exemplum habemus in Chalcedonenſibus, qui pauperes quidem a muneribus arcebant, ut tamen ii, qui inter pauperes reipubl. prodeſſe poterant, ejus quoque redderentur participes, neceſſitati eorum ſubvenire ſoliti ſunt, quo factum, ut non, minuta legis autoritate, tamen rebus præeſſent aptiſſimi. Sane Venetorum conſilium jure laudandum eſt, quod non omnino populum ab omnibus honoribus excludant, ſed facta populi diſtinctione eos, qui ſunt medii ordinis, nonnullorum quoque reipubl. munerum participes faciant. Sic Genuæ etiam lege cautum eſt, ut VII. quotannis in ordinem nobilium ex plebe urbana cooptarentur, ita tamen, ut ii, qui artes mechanicas exercuiſſent, antequam in eum ordinem aſciſcantur, eas omittere tenerentur. Hanc rationem etiam Romanos interdum tenuiſſe, conſtat ex eo, quod etſi Romæ certæ tantum eſſent gentes patriciæ, interdum tamen ex plebeis quidam in ordinem patriciorum ſint allecti, & plebeiæ familiæ lege lata factæ patriciæ, ſicut gens Tullia, unde fuit Cicero, plebeia lege Julia facta eſt Patricia, teſte Dione.

XIIX. Sicut autem privatis hominibus nihil ad gloriam convenientius, quam oblivisci injurias: ita & oligarchicos ſumme commendat, injuriis ignoſcere, nihil vero illis eſt perniciosius divitibus, quam ſi in pauperes fuerint iniqui. Probe id ipſum intelligunt Veneti; qui proinde præpollentes & divites, ſi delinquunt, ſeverius puniunt, auferentes ab illis aut minuentes immunitates, privilegia, publicantes bona, removentes ad tempus officiis, & ſi quæ ſunt his ſimilia. Ut vero hi laudem, ſic contra notam meruit Valentinianus Cæſar, gregariorum etiam levia puniens errata; præfectorum autem flagitia creſcere permittens in majus: & ad querelas in eos motas plerumque obſurdeſcens: Inde ſane in Britannia ſeditiones, in Africa clades, & in Illyrico vaſtitates ortas teſtantur hiſtoriæ. Inſignis eſt ſententia Saluſtii: *Ignoſcendo malis, perdi bonos.* Nec immerito etiam Theſeus apud Euripidem, in fab. ἱκέτιδ. inter cætera bona ſuæ reip. numerat, quod liceat ibi tenuioribus civibus nullarumque opum fortunatis reſpondere, ſi male ab ipſis audiverint, vincere item in forenſi omni contentione minor potuerit quemlibet amplum atque opulentum, modo cauſa meliori fuerit inſtructus.

XIX. Utiliſſima porro lege cavendum eſt, ut hereditates non teſtamento aut legatis, ſed jure cognationis ſive agnationis lege ab inteſtato deferantur, atque ad unum eundemque non niſi una. Hac enim ratione fortunæ civium æquabiliores erunt & plures, qui prius egebant, rem patrimoniumque adipiſcentur. Recte ſane reprehendit Lycurgum Ariſtoteles, quod teſtamentorum libertatem ſuis permiſiſſet, hinc enim ſenſim magnam bonorum & patrimoniorum ἀνωμαλίαν, ſeu inæqualitatem Lacedæmone eſſe exortam. Eſt vero ea in re peccatum etiam Romæ, ceu vel unico Ciceronis exemplo cognoſci poteſt, qui cum ab Antonio accuſaretur, quaſi nemini carus, utpote cui nemo quicquam teſtamento relinqueret, non veritus eſt dicere in Philippicis: *ſe non multa quidem, ſed quadraginta tamen millia legatis amicorum accepta ferre poſſe.*

XX. Conſervatur autem Oligarchia omnium maxime, ut recte docet Ariſtoteles, ſi cives a teneris convenienter oligarchicis inſtitutis inſtituantur. Quod in eo haud poſitum eſt, ut oligarchici diſcant, quæ placent oligarchicis, vel democratici, quæ populo ſunt gratiſſima, (quod vulgo perſuaſum eſt) ſed ut utrique diſcant, quibus ſubditos ſine offenſa regere, & in officio continere queant. Quam graviter autem hic peccari ſoleat, idem Philoſophus oſtendit: Nam nobilium divitumque liberos molliter paſſim ac delicate educari. Tenuiorum vero præclaris exercitiis ac laboribus operam dare, inde duo incommoda provenire: Primum, quod potentiores, præ cæteris petulantes, tandem evadant, & in reliquos cives injurii & nihilo tamen minus, ſeditione fortaſſis oborta, (quod molles ſint, ac delicati, vel ut Boethii verbis utar) *inerti luxu perditi*, a cæteris facile ſuperentur. Alterum, quod tenuiorum liberi res novas moliri & velint libenter, & vero etiam facile poſſint. Volunt ſcilicet, quia injuriis & contumeliis ſunt laceſſiti; Poſſunt autem, quoniam in armis literisque exercitati, ſimulque laboribus ſunt aſſueti. In Venetorum republica, optimis alias legibus inſtitutisque formata, notavit Boccalinus hunc errorem; quod ſcilicet nobiles ſuæ juventuti nimiam indulgeant licentiam, unde juvenes intolerabili ſuperbia vel optimos cives irritare ſoleant, & in factiones agere. Quod vitium (ut jam diximus) multis ſæpe rebuſpubl. exitio fuit. Et vero notum eſt, licentia & petulantia juvenum quorundam patriciorum Cretenſes nonnullos irritatos clam auxilia Turcica ſollicitaſſe, & in inſulam adduxiſſe pulſis Venetis: atque ita natum illud ferale bellum Creticum, quo hodieque vires reipublicæ Venetæ atteruntur. Olim etiam in Pharo Illyrici inſula ob primorum quorundam juvenum in

agre-

Digitized by Google

agreſtes mulieres temerariam contumeliam plebs ad arma excitata, nonnullos ex nobilitate interfecit, alios oppido expulit, & parem ſeſe nobilibus in regenda civitate fieri eſſeque voluit. Bemb. *lib.* 4. *hiſtor. Veneta.* In Helvetia propter injurias nobilium efferatum populum nobiles tandem expuliſſe, atque ita ortum fœdus Helveticum, toto orbe celeberrimum, nemini non eſt cognitum. Nec abs re Cicero de ſui ævi nobilibus. *Noſtri nobiles*, ait, *niſi vigilantes, niſi boni & fortes, & miſericordes erunt, iis hominibus, in quibus hæc erunt, ſua ornamenta concedant neceſſe eſt.* Idem alibi non minus pulchre? *Quod munus*, inquit, *afferre majus meliusve poſſumus, quam ſi docemus, atque erudimus juventutem his præſertim moribus atque temporibus, quibus ita prolapſa eſt, ut omnium opibus refrenanda atque coercenda ſit.*

XXI. Porro ſaluberrimum eſt conſilium, maximeque neceſſarium; omnes magiſtratus, omniaque imperia potiora facere temporaria, ne in unius & alienis manibus diu reſideant. Eo quippe ingenio ſunt homines, ut ubi multum temporis in poteſtate tranſegerint, imperio plane aſſueti a privata vita abhorreant, id quod exemplum Miltiadis comprobat, de quo Æmylius Probus. *Multum*, ait, *in imperiis magiſtratibusque verſatus non videbatur poſſe eſſe privatus, præſertim cum conſuetudine imperii ad ejus cupiditatem trahi videretur.* Romæ contra prudenter olim lege cautum fuit, ne quis omnino Prætor anno, aut Conſul bienno amplius a ſuo magiſtratu continuo imperaret. Dio *lib. LXIII.* Bene de ea Cicero in Philipp. *Quæ lex melior*, ait, *utilior reipubl. quam ne Prætores provincias plus quam annum, ne plusquam biennium Conſulares obtinerent.* Similiter Florentiæ olim lex fuerat, ne Prior reipubl. (is ſummum honorem gerebat) intra triennium, ex quo magiſtratu abierat, eundem petere poſſet (Leonard. Aretin. IV. *Hiſtor. Florentina.*) Rupellis quoque olim ſtatutis antiquis cautum fuit, ne Major (qui ſummus ſecundum regium præfectum, magiſtratus erat, maximaque poteſtate in urbe pollebat) plus anno magiſtratum gereret. Quinimo ſi vere rationem ponimus, non aliud magis libertatem & publicam rem Romanorum evertiſſe inveniemus, quam imperiorum prorogationem. Quid ſane aliud Syllas fecit & Marios, quam tot iisdem mandata bella, totque Conſulatus, exiguo intervallo? Quid Decemvirorum inſaniam aluit, quam perpetua contra mores patrios prorogata poteſtas? Quid Cæſarem tyrannum, & patriæ libertatis invaſorem fecit, quam diuturna illa contra leges imperia? (Forſtnerus in notis ad Tacitum) Præclare Livius. *Libertatis magna cuſtodia eſt*, inquit, *ſi imperia magna non ſinas eſſe diuturna, & temporis imponatur modus, quibus non poteſt juris, & continuationem magiſtratuum id tantum efficere, ut illi indignentur, qui propterea quod æquales ſint, eandem dignitatem ambire quoque poſſint.* Zevecotius *annot. in Florum* in eandem ſententiam: *Magiſtratus, qui periculoſi non ſunt, diutius munere fungi poſſunt, niſi obſtet conſuetudo, ſed alios omnes a diuturno imperio malo arcere, niſi aliud ſuadeat reipubl. commodum; aut ſalus.*

XXII. Concordiæ præterea in republica imperantes inter ſe, & in commune omnes oligarchici, conſulant. Pulchre enim apud Livium Quintius *adverſus conſentientes nec regem quenquam ſatis validum, nec tyrannum fore: diſcordiam & ſeditionem omnia opportuna inſidiantibus facere: quum pars, quæ domeſtico certamine inferior ſit, externo potius ſe applicet, quam civi cedat.* Et alibi non minus vere Fabius apud eundem *lib.* 1. *c.* 22. cum Collegam Publ. Decium poſceret, *id ſenectuti ſuæ adminiculum fore, dixit, cenſura duobusque Conſulatibus ſimul geſtis expertum ſe, nihil concordi collegio firmius ad rempubl. tuendam eſſe.*

XXIII. Ad curam publicam Oligarchicorum maxime quoque pertinere exiſtimamus, opes privatorum, quantum liceat, tueri ac augere. Neque enim illorum probanda eſt ſententia, qui populi expilatione & inopia imperantium ſalutem dependere aliis perſuaſum volunt. Prudentius Trajanus Boccalinus in Lydio lapide judicat, maxime felicem eſſe rempubl. Genuenſem, ideo, quod ſubditos & cives divitiis affluentes habeat, quodque citra reipubl. detrimentum illis concedatur, ut cambiis & fænori operam dent, cum tamen nemo civium illorum ſit, qui non in conſervationem ſuæ libertatis, vel ultimum obulum opum ſuarum velit impendere. Inter arcana ſane romani imperii lex olim frumentaria fuit, qua id vel nullo, vel exiguo pretio pauperibus diſtribuebatur. Unde Saluſtius inter cætera ordinandæ reipublicæ præcepta vult, ut Cæſar plebem largitionibus, & publico frumento corrumpat. Auguſtus etiam, ut tuto munia ſenatus, magiſtratuum ac legum in ſe traheret, *populum* prius annona pellexit, ceu Tacitus notavit. Hodieque multis in locis mos obtinet, ut pauperiorum fortunæ ſic ſubveniant magiſtratus, maxime cum meſſis fefellit. Sic Anno a nato Chriſto cIↄ Iↄ xxxvIII. Genuæ unciatim panis diſtributus fuit. Cum item ab anno 30. usque in æſtatem ſequentis anni caritate annonæ Belgium laboraret, Coſſ. Amſtelodamenſes pio ac laudabili exemplo honeſtos aliquot cives deſignarunt, qui factos ex publico frumento panes vili pretio vendiderunt; non quidem promiſcue omnibus, iis tamen, qui paupertatem ſe ſuam probaſſe prolata teſſera demonſtrarunt. Alia porro locupletandæ nonnihil plebis ratio eſt, ſi pars aliqua populi, eaque tenuior in colonias mittatur, ubi domibus & agris donata rem poſſit facere. Qua ratione plurimum Romanos uſos eſſe conſtat, qui propter imperii latitudinem in omnem fere orbem terrarum colonias deduxerunt. Similis huic ratio eſt, qua tenuioribus ſuccurratur, operis, ut ita loquar, præbitiones. Ea eſt autem, ſi ditiores eos, qui ſunt de plebe tenuiores, velut inter ſe partiantur, & ſuis quisque ſibi attributis, vel quaſi adoptatis patronum ſe præbeat, iis opus ſuppeditet, unde victum exercere, & pecuniolam conficere poſſint. Id quod ditioribus factu non erit difficile, qui cum ad domos, tum ad ſuppellectilem, ad veſtes, ad agros colendos, villas reficiendas, aut extruendas operis indigent. Ea ſane ratione principes Romani, Lucullus, Cæſar, alii, in magnis domibus extruendis aliisque operibus memorabilibus efficiendis, ſæpe ſunt uſi. Neque vero ſinguli tan-



Digitized by Google

tantum & principes viri hac ratione uti poſſunt, ſed conſultum eſt ſæpe numero, ut ipſa quoque reſpublica hoc agat: ſi nempe annona cariore aut vallum, aut murum, aut foſſas curet fieri aut refici, quo tenuiores operis aliquid habeant ad victum exercendum. Referendum huc quoque eſt Tarentinorum conſilium, de quibus ſcribit Ariſtoteles, id quod non temere alibi reperias; ſolitos nempe eos poſſeſſiones & res ſuas cum tenuioribus communicare, ſive potius communes illis facere quoad uſum, non quoad proprietatem. Quale quid de Cimone principe reipubl. athenienſis ſcribunt Cicero *lib. 2. off.* Plutarchus, & Æmilius Probus in ejus vita. *Fuiſſe ſcilicet illum tanta liberalitate, ut, cum compluribus locis prædia hortosque haberet, nunquam iis cuſtodem appoſuerit fructus ſervandi gratia, ne quis impediretur, quo minus ejus rebus, quibus vellet, frueretur. Semper item eum pediſſequos cum nummis ſecutos, ut ſi quis indigeret haberet ipſe, quod ſtatim daret, ne differendo videretur negare. Sæpe cum videret minus bene veſtitum, ſuum illi amiculum dediſſe: Quotidie ſic cœnam ei inſtructam fuiſſe, ut quos incœnatos vidiſſet in foro, omnes advocaret: Nulli fidem ejus, nulli operam, nulli rem familiarem defuiſſe; Multos locupletaſſe, complures pauperes mortuos, qui unde efferentur, non reliquiſſent, ſuo ſumtu extuliſſe:* ut autor eſt Æmylius Probus.

XXIV. Porro obſervandum eſt, ſeditionis in oligarchiis cavendæ rationem quandam eſſe, ſi non concedatur plebi, ut temere coëat, ſed ubicunque multitudo, ibi & legitimus rector multitudinis ſit.

XXV. Ultimo denique loco hic adnotandum eſt, in oligarchicis rebuſpubl. divites armorum uſui & meditationibus teneri vacare. Supra quorumvis quippe ambitionem ſemper futuri ſunt armati. Contra ibidem, niſi quid neceſſitas ſequens jubeat, armata plebs non eſto, certe non niſi raro eſto, ſed arma plebis ſub patriciorum cuſtodia aſſervantor. Expedit enim, ut in plebejorum manu aut omnino non ſint, aut nonniſi raro ſint inſtrumenta invadendæ dominationis: Eoque miles conductitius utilior oligarchiis, quam lectus.

# XXXIV.
## HERMANNI CONRINGII
## DISSERTATIO
## DE
# ORTU ET MUTATIONIBUS REGNORUM.

*Reſpondente*

CHRISTIANO DIETERICO *Ackenhuſen.*

HELMAESTADII.

MDCLVIII.

## In Nomine Domini noſtri JEſu Chriſti.
## THESIS. I.

Antequam ad rem ipſam progrediamur, viſum eſt paucula præmittere, cognitu non ſolum neceſſaria, ſed & utilia. Cumque tota hæc noſtra diſſertatio de Regnorum ortu & mutatione ſit futura, putamus operæ pretium nos facturos, ſi ipſam vocem regni, & quæ circa eam merentur obſervari, conſideraverimus. Ut enim quævis alia reſp. ita & regnum non ex ſolo nomine, ſed adminiſtratione inprimis debet dijudicari: cum minime deceat, eum inprimis, qui prudentis affectat nomen, rem ex ſolis æſtimare vocabulis, quippe quæ ut nummi valent, & quorum pro inſtituto hominum ſignificatio poteſt immutari, ut recte diſputant interpp. Ariſtot. in libr. περὶ ἑρμ. quod & Varro annotavit lib. IV. de ling. latin.

II. Obſervatu itaque dignum eſt, eum, qui rerum creditur potiri, tantum nominetenus interdum dignitatem habere regiam, reapſe nihil ejus tenere, cum tamen teſte Plinio 1. epiſtol. *plurimum referat, quid eſſe tribunatum putes, inanem umbram & ſine honore nomen, an poteſtatem ſacroſanctam?* Contentus autem talis eſt ſolo titulo, quo quaſi majeſtatis ſolatur jacturam, gaudens ſaltem habere, ut Vellejus loqui amat, *imperium ſine re.* Hujus forte notæ eſt illud, quod gerit Dux Venetorum, & quale olim habuerunt heredes Bartholdi Zeringenſis Sueviæ Ducis. Ceu enim teſtatur Otto Friſingenſis, fuerunt illi Burgundiæ principes, ſed ſine principatu, ſoloque nomine ſine re participantes. Et hoc eſt, quod Juſtinus ait: *alii nomen regis, alii imperium tenent.*

III. Sed longe frequentius ſe res habet modo plane contrario, ut nimirum nomen diſſimuletur, viteturque ſummo ſtudio, cum tamen reipubl. adminiſtratio ſit regia, imo nonnun-

quam

Digitized by Google

quam plus, quam talis. Suaſit hoc olim Auguſto Cæſari prudentiſſimus Mæcenas, in orat. pro Monarchia, quæ exſtat apud Dionem. *Quod ſi omnino, ait, principatum eligere decreviſti, regni tamen nomen tanquam deteſtandum metuis, id ne accipito. Sed Cæſaris appellatione contentus regiam poteſtatem apud te retineto &c.* Faciunt hoc non ſolum illi, qui, conquerente Saluſtio, rerum, ut Tacito III. *Annal.* audit, Romanarum florentiſſimo autore, *regium imperium, quod initio conſervandæ libertatis, atque reip. augendæ fuerat, in ſuperbiam & dominationem convertunt*; Sed & qui in regnis mixtis omnia ad ſe rapientes, eorum, qui ſummam poteſtatem participant, autoritatem, ſi non omnino tollunt, ſaltem tamen ſive vi, ſive clandeſtinis artibus attenuant. Hi enim ut populum ducant auribus, neque imperium πανβασιλικὸν exercere videantur, comitia adhuc habent, conſultandi poteſtatem in ſpeciem proceribus relinquunt, cum tamen nihil, niſi unius arbitrio queat decerni, quippe penes quem ſolum eſt vis & norma loquendi. Pulchram hanc fallendi artem Tiberius perdidicerat, quod ex Suetonio in vita ejus paſſim licet colligere. Audiemus Tacitum III. *Annal.* ſic loquentem: *Tiberius vim principatus ſibi firmans, imaginem antiquitatis ſenatus præferebat, poſtulata provinciarum ad diſpoſitionem Patrum mittendo.* Retinuit ille ſibi vim imperii, concedens ſenatui minora & inferiora, quæ nullius erant momenti negotia, ut coercitionem luxus in vaſis, veſtibus, multitudine ſervorum &c. nam *majus aliquid & excelſius a principe poſtulatur*, ſatis profecto turgide Cæſar ipſe in literis ad ſenatum apud Tacitum III. *Annal.* reſpondet. Quanti enim fecerit ſuam poteſtatem, haud obſcure inſolens ejus vox apud Dionem nobis refert, quando dicere ſolitus eſt, *ſe eſſe Dominum ſervorum, Imperatorem militum, principem ceterorum*: quanquam hæc etiam mitius intelligi poſſint.

IV. Cum præterea non raro accidat, ut priſtina immutata rep. regia gubernandi ratio, cui forte populus minus favet, introducatur, callido conſilio, qui imperio præſunt, nomen regis ne quidem audire, multo minus uti eo volunt. Noverunt hanc artem peregregie primi Romani Cæſares: pulſis enim regibus a Romanis, nomen eorum ſupra modum inviſum fuit populo redditum, imo fere in deteſtationem abiit, adeo ut, annitente Bruto Quirites jurejurando ſeſe obſtrinxerint, quod nollent concedere, ſummam poteſtatem penes unum eſſe. Cajus Julius Cæſar, invadens remp. videnſque, ſe eo nomine inſignitum vix poſſe ſalvum eſſe, omni ſtudio illud a ſe declinavit, narrante tamen Suetonio in vita ipſius, omnia in rep. & ad arbitrium adminiſtravit, quæ poteſtas ſub nomine ejus latuit. Appellavit ſcilicet ſe Dictatorem perpetuum, quæ dignitas alias per leges tantum ſemeſtris, nihilque aliud erat quam regnum momentaneum ſive ad tempus. Vult id Livius, quando lib. IIX. *Dictatoris edictum pro numine ſemper obſervatum*, & eodem libro ait: *nec adverſus dictatoriam vim aut Tribuni plebis, aut ipſa plebs attollere oculos, aut hiſcere audebat.* Ut adeo vel exinde pateat, ſub Dictatoris perpetui nomine Monarcham egiſſe Cæſarem. Cum tandem ut Tarquinius ſuperbus regium, ſic Cæſar & Sulla dictatoris nomen pene execrabile facerent, & poſt hujus necem lex ferretur, qua dictatura in æternum e rep. tolleretur, Auguſtus & id nomen vitans narrante Tacito I. annal. *cuncta nomine principis ſub imperium accepit.* Erat hoc nomen hactenus quidem conjunctum cum nulla poteſtate, ſed denotabat primarium civem, quo ſenſu paſſim adhibuit M. Tullius tum alibi, tum præſertim in ſuis epiſtolis. Adeo autem Domini nomen averſatus eſt Auguſtus, ut eo ſe compellantibus mortem minitatus fuerit, cum tamen ſpecie recuſantis flagrantiſſime eum cupiiſſe teſtentur hiſtoriæ. Simili modo ſequentes Imperatores, & inter eos etiam Julianus fucum voluit facere populo, dum regis nomen gerere noluerunt, ſed nimis ſero: cum ludibrio ſeſe expoſuerint hominibus, quibus amplius non erat clam, quod dominatui ſubeſſent.

V. Ceterum, quod ipſam regni vocem attinet, eſt ea non univoca, nec æquivoca, ſed (ut Logicorum vocibus nunc utamur) καθ᾽ ἕν, ſive ex numero nominum, quæ huic rei primario, illi ſecundario competunt. Tradidit Philoſophus noſter, cujus ductum omnino ſequendum ſtatuimus, in lib. III. Polit. c. X. quinque ejus genera, quorum primum vocat Laconicum, ideo, quod in rep. Spartana maxime fuerit conſpicuum. Erat regum talium in expeditionibus bellicis abſoluta poteſtas, in tantum quidem, ut in milites jus vitæ neciſque haberent, tempore pacis vero adſtricta legibus, imo fere nulla. Delata eſt hereditate vel electione, potius vero belli prætura quam regnum dici meretur. Secundum, quod adducit, vocat Barbaricum, quo nomine Græci eam imperandi rationem appellaverunt, quæ apud Perſas, Ægyptios aliaſque gentes obtinuit. Græci enim omnes exteras gentes per contemtum vocarunt Barbaros; quo ſenſu & Philoſophus noſter paſſim utitur hoc vocabulo. Cumque illi plerumque vero Aſiatici, hoc genus imperii foverent, dictum fuit Barbaricum; eſtque unius in homines non ſolum ſerviles, ſed etiam ingenuos ſeu liberos herile imperium. Addit Philoſophus l. c. poteſtatem ejus per omnia parem eſſe tyrannicæ, cum nimirum non tamen ſit tyrannis. Ne ſcilicet odioſum hoc nomen mereatur, in cauſa eſt vel liber populi conſenſus, vel juſtus quo fuit regnum tale acquiſitum, modus. Tyranni enim, nolentibus paribus, imo nonnunquam melioribus per vim imperant, neque eam interdum ſubditorum gerunt curam, quam bonus Paterfamilias ſervorum, ſed crudeliter ſuos tractant, & proinde corporis ſui cuſtodiam potius peregrinis, quam civibus committunt. Dominatus vero, ſive regnum Barbaricum eſt legitimus, h. e. legibus moribuſque receptis conſentaneus, exercetur in volentes, cum populus, in quo obtinet, plerumque ſervilis ſit ingenii. Tertium regni genus Ariſtoteli dicitur Æſymneticum, quale, ingruente neceſſitate, a Græcis ſumma cum poteſtate conſtitui ſolebat. Abuſi interdum ſunt hi Æſymnetæ ſua poteſtate, ut imperium eorum non multum a Barbarico differret, niſi duntaxat temporis circumſcriptione,

ptione, conſtitutione extraordinaria, & quod gereretur in populum liberum. Conceſſa fuit Æſymnetia teſte Philoſopho, vel ad tempus, vel in perpetuum, ſeu ad dies vitæ, quod poſterius tamen prope modum negare videtur Dionyſ. Halicarnaſſ. *lib. V. cap. XI.* Quarto loco collocavit Ariſtoteles Heroicum; quod ſcilicet Heroicis temporibus antiquis apud Græcos, ob bene merita populo exhibita, talis quædam regia poteſtas oblata fuerit uni jure hereditario ad poſteros devolvenda. Munus ejus l. c. abſolvi dicitur, 1. cura ſacrorum, 2. gubernatione rei militaris, 3. decidendis litibus. Tandem in cap. XI. exhibet Ariſtoteles quintum regni genus, regnum ſcilicet proprie dictum, quando unus omnia in ſua manu, & ſubditos tenet imperio, non herili, ſed civili ad ſubditorum potius, quam ſuam utilitatem, ut bonus Paterfamilias præeſt ſuæ domui. Addit demum Ariſtoteles, ſub hoc & Laconico reliqua tria genera fere contineri, & ad illa poſſe referri.

VI. Quemadmodum vero omnes reſpublicæ, commune omnium bonum pro fine habentes, potiori jure ſocietatum civilium nomine veniunt, quam quæ primario imperantium ſpectant commodum, ita & imperium unius, pro ſcopo habens utilitatem omnium ex æquo, revera eſt in numero optimarum rerumpublicarum digniſſimumque nomine regni, quod ceteris ante allatis ſpeciebus non niſi ſecundum quid competere videtur.

VII. Notari tamen etiam hoc loco debet, quando reſpublicas, parentium reſpicientes ſalutem rectas dicimus, protinus inde concludendum non eſſe, reliquas, a ſcopo illo nonnihil aberrantes, omnes eſſe injuſtas & iniquas. Ut enim accurate obſervatum eſt ſummo Philoſopho, in republ. aliqua inſtituenda ſemper ad populi mores & ingenium eſſe reſpiciendum, utpote quibus maxime a ſe invicem diſtinguuntur homines. Certum vero eſt, reperiri populos ingenio plane ſervili, quique vix ſub alio imperio, quam dominico, poſſint vivere. His ut imperium aliquod civile nullo modo poteſt aptari, ita dominatum hi lubenter & non iniquo perferunt animo: eoque his ſane dominatus non eſt injuſtus, quippe qui geritur in volentes, & legitimo modo eſt acquiſitus. Abjecto hujusmodi & ad ſervitutem proclivi ingenio, notante id ipſum ſummo Philoſopho noſtro loco ſæpius citato gentes aſiaticæ. Sunt autem adhuc hodieq; fuere nec ſolum hæ, ſed etiam omnes Africam incolentes; quod quidem teſtimoniis probatiſſimorum ſcriptorum, qui terras illas certe perſpexerunt, probare poſſemus, niſi animus eſſet a propoſito haud digredi. Conveniſſe vero his populis quam optime tale regiminis genus, vel inde ſatis conſtat, quod regna eorum ſolo civium obſequio quam diutiſſime firma ſteterint, & per complura nonnunquam ſecula ad poſteros propagata, niſi forte vi aliqua externa fuerint everſa. Narrat de Ægyptiis hiſtoriarum pater Herodotus, eos ne horulæ ſpacio ſine Regibus quidem potuiſſe vitam degere, a quibus tamen plus, quam herili tenentur imperio, ut refert idem. Conferri merentur, quæ habentur in diſſertatione de regno *ampliſſimi Dn. Præſidis* a theſi VI. usque ad XIII.

IIX. Et vero vel hinc conſtat, omnem dominatum non ſimpliciter injuſtum eſſe, quoniam ſcilicet multi populi ad ferendum dominatum ſint compoſiti, & cum Cappadocibus negent, populum ſine domino poſſe vivere. Quæri tamen haud incommode adhuc poteſt, annon dominicum imperium, quod exercetur in populum, natura liberum, tantaque prudentia, ut ſe ipſum regere queat, præditum, ſit contra naturam & proinde injuſtum. Solere autem interdum gentem antea libertate gaudentem, & cui ſane mens erectior & ingenium liberalius fuit, quam ut ad nutum libidinemque Domini ſe componeret, heriliter tractari nihil eſt notius. Cæterum etſi talis ſervitus nonnihil habeat conjunctum naturæ adverſum, non tamen etiam hinc ſequitur, injuſtum eſſe, in homines liberos dominicam exercere poteſtatem. Neque vero, quando JCti libertatem juris naturæ, item homines jure naturali liberos naſci dicunt, tam rigide illud eſt accipiendum, quaſi illi ſervitutem velint naturæ eſſe jure vitium, atque adeo plane iniquum, ſed ita demum hæc vera ſunt, quod primario naturæ inſtituto omnis homo naſcatur & educetur ad præclaras virtutis actiones peragendas in rerum omnium ſufficientia, atque adeo non in ſervitute, ſed libertate. Et tamen primum ipſiusmet naturæ quidem vitio multos naſci & effici inidoneos ad felicitatem illam civilem obtinendam, ineptos item ſe regere & plane ſerviles, nemo rerum humanarum peritior negaverit. Secundo non ſane ipſimet Romani illi veteres JCti, ſervitutem illam, quæ juris eſt gentium, injuſtitiæ accuſaverunt, ſed in reſpublicas admiſerunt, & præclaris legibus circumſcripſerunt. Quæ ratio vero eſt ſingulorum ſervorum, eadem eſt interdum magnæ multitudinis. Solet nimirum & magna quædam hominum multitudo naſci ingenio ſervili, atque adeo exigere dominicum imperium: poteſt integer populus bello ſubigi, aut calamitatibus variis ita opprimi, ut ſalutem omnem ſuam collocatam habeat in ſervili conditione ſub domino uno, non crudeli tamen & ſævo. Qui autem tale jugum ſemel ſubierunt, non quavis occaſione illud abjicere & ad libertatem priſcam, quam per plurimos forte annos non habuerunt, ſi præſertim juſta ratione libertate exciderint, poſſunt aſpirare. Etſi enim ſic ſentire videantur multi præclari viri, interque eos etiam Ferdinandus Vazquius, jurisprudentiæ hiſpanicæ decus, quoniam tamen apta ea eſt ſententia evertendis omnibus non ſolum regnis, ſed etiam aliis rebuspublicis neutiquam eſt admittenda. Servanda ſcilicet ſunt promiſſa, adeoque & promiſſa ſervitus obſervanda eſt, donec dominantium conſenſu contractus ille vim ſuam amittat. Neque in dominico imperio per ſe aliquid eſt plane intolerabile: ſed in ejus abuſu. Dominus ſcilicet tenetur populum ſervilem ita habere, ut prudens paterfamilias ſuos ſervos, hoc eſt, tenetur etiam illius quærere ſalutem, ne quid ipſi deſit eorum, quæ ad vitam inſtituendam in pietate & juſtitia faciunt. Sævitia, quam nonnulli exercent, & depauperatio, vitia ſunt dominici imperii, ipſimet illi imperio ſumme noxia. Sed de his obiter, neque enim huc proprie pertinent,

Digitized by Google

nent. Et hæc de vocis regni acceptione & natura quoad præſens inſtitutum dixiſſe ſufficiat. Unicum ſaltem addimus, nempe nos in hac diſſertatione omni monarchiæ, ſive abſolutæ, ſive mixtæ eam tribuere.

IX. Cum vero in præſenti animus ſit agere de ortu & mutationibus regnorum, harumque cauſis, ſtatim initio attendi debet, non uno modo poſſe dici, regna oriri perinde, ut & alias reipublicæ ſpecies. Ortus nempe regnorum alius eſt proprie, alius minus proprie dictus. Et quidem poſteriori modo regna emergunt, ſi quando in populo oritur nova regentium familia, veteri ſive morte exſtincta, ſive quocunque modo regno orbata. Ortum eſt hoc modo nuper regnum Portugalliæ, rempublicam occupante Brigantino, cum etſi non diu fuiſſet ſub Regibus Caſtellæ. Similiter rem ipſam ſi videas, & vano nomine haud patiaris te decipi, ortum nuper eſt & in Britannia regnum novum, autore Olivario Cromwellio. Etſi enim regio is titulo abſtineat, protectoris tamen nomine regiam vim exercet, regibus, qui ita hactenus ibi audierunt, omnibus negatam. Pertinet quoque huc, ſi quando ex uno aliquo, eoque vaſto regno duo vel plura exſurgant, nempe ut quod unitum ante ſub unius fuit imperio, diviſum plurium incipiat ſubeſſe poteſtati. Hac ratione ex Alexandri M. imperio ſciſſo in varias partes, diverſa alia provenerunt: Regnum enim Ægypti Ptolomæo, Syriæ Antiocho, alia aliis ceſſerunt.

X. Proprie loquendo regnum oritur, ſi in populo aliquo nova introducatur reſpublica regia; ſive cum regia adminiſtrandi ratio exſurgit, ubi ante aut nulla, aut alia obtinuit reſpublica. Et vero priſcis temporibus, cœpit regius ſtatus aliquando in populo, qui antea nulla plane uſus erat reipublicæ ſpecie. Interdum enim tunc unus aliquis, collecta hominum multitudine, Regem illi ſeſe dedit, imo nonnunquam ultro, maxime beneficiis ejus ornatus populus illi uni in ſeſe conceſſit imperium. Ita ſane ſeſe habuiſſe romani imperii primordia videntur. Romulus enim conditurus rempublicam, varii generis hominibus unde quaque in unum coactis, regie cœpit imperare, fratre occiſo. Neque hoc apud pleroſque factu adeo fuit difficile, cum præſertim ſinguli jam tum, ante alibi, regio ſtatui fuerint aſſueti. Qualibet ſcilicet domeſtica ſocietas ſub uno patrefamilias vivit quaſi ſub uno Rege: atque ita unuſquiſque, in quantum in familia vivit, regio quadamtenus imperio aſſueſcit. Id quod etiam Ariſtoteli obſervatum, *lib.* 1. *polit. c.* 1. Etſi vero ad illum modum olim orta interdum ſunt regna, hodie tamen id non niſi rariſſime fieri poſſit, quia homines paſſim in civili vivunt ſocietate.

XI. Cæterum, ut eo rectius omnia, quæ ad regnorum ortum pertinent, conſideremus, revocabimus illa ad duas actionum humanarum cauſas, efficientem ſcilicet, & quam vocamus materialem. Cauſa efficiens in omni imperio nobis eſt ille, qui imperio præeſt; Materialis, populus, cui imperatur.

XII. Efficientem quod attinet, obſervandum eſt, emergere aliquando in gente aliqua regiam rempublicam, illo, cui adminiſtranda traditur, plane in id non laborante, ſed liberrimo populi, qui in regno, ceu modo diximus, materialis cauſæ loco eſt, arbitrio. Quæ res, etſi forte alicui mira videatur, evolventes tamen variorum imperiorum antiqua monumenta, non poteſt hujus aſſertionis latere veritas, cum non unum ejus exemplum præbeat nobis hiſtoria polonica, ut de aliis nunc non dicamus. Hæc gens polonica, ſi quæ alia, mire ſe geſſit in eligendis Regibus. Submiſit illa faſces imperii ſui Stephano Tranſylvano, Henrico Valeſio, & ante hos multis aliis, quorum nunc catalogum exhibere non licet, quibus forte ne per ſomnium quidem tale quid in mentem venerat. Imo ſi ſcriptoribus rerum geſtarum hujus populi debetur fides, regiam dignitatem homini agreſti Piaſto, & quidem hereditario jure detulere, qui profecto ſtivam altera manu tenens, regiam coronam ſibi non eſt auſus polliceri. Similium hiſtoriarum affatim dant nobis monumenta aliarum quoque gentium, ut merito mireris, repertos, qui non dubitaverint profiteri, regna omnia cœpiſſe per regnantium violentiam.

XIII. Et vero certum eſt, nonnullos populos ſuapte ſponte ſolere viros eximios, quod ab iis vel beneficiis eſſent affecti, vel ſperant ab iis optima quoque, Reges ſibi eligere. Teſtatur etiam hoc Juſtinus *lib.* 1. *cap.* 1. §. 1. *Principio*, inquiens, *rerum nationumque imperium penes Reges erat, quos ad faſtigium hujus majeſtatis non ambitio popularis, ſed ſpectata inter bonos moderatio provehebat.* Non autem principio tantum id contigit, ſed omni etiam poſt atque adeo & noſtra ætate. Notum ſane, hac ratione Guſtavo ejuſque poſteris Suecos regiam poteſtatem obtuliſſe, imo & Oſtfriſiorum principatum hiſce initiis cœpiſſe. Huc pertinet illud etiam Senecæ epiſt. XCI. *Penes ſapientes aureo ſeculo regna erant. Hi continebant manus, & inferiores a validioribus tuebantur. Suadebant diſſuadebantque, & utilia atque inutilia monſtrabant. Horum prudentia ne quid deeſſet, ſatis providebat. Fortitudo arcebat pericula, beneficiis augebat ornabatque ſubjectos.* Referri huc poteſt & illud, quod narrat S. Johannes Evangeliſta cap. VI. Cum nimirum aliquando pia plebs, ex variis confluens locis, tanto æſtuaret amore audiendi Filii Dei, ut etiam victus in via per ſane neceſſarii obliviſceretur, ſaturavit eam ſervator paucis panibus & piſciculis. Illi vero videntes ingentem ejus ſanctitatem, & quo affecti erant, beneficium, voluerunt illum Regem ſuper ſe conſtituere. Hujus imo notæ eſt in univerſum tota quarta regni ſpecies, de qua ſic loquitur Ariſtoteles *lib. III. polit. c. X. Quartum autem monarchiæ genus heroicorum temporum regna, & in volentes, & patria, & legitima,* complectitur. *Nam primi propter beneficia, in multitudinem collata ex artibus vel bello, vel quæ conduxiſſent, vel agrum ſuppeditaſſent, Reges erant volentium & accipientium patrii.* Plane ſimilia habet *cap. X. lib. V.* Illuſtrat hæc omnia inſigniter præclarum illud Ciceronis *lib. II. offic. Subjiciunt*, inquit, *ſe homines imperio alterius & poteſtati pluribus de cauſis. Ducuntur enim aut benevolentia, aut beneficiorum magnitudine, aut dignitatis præſtantia,*

Digitized by Google

*tia, aut ſpe, ſibi id utile futurum, aut metu, ne vi parere cogantur, aut ſpe largitionis promiſſionisque capti, aut poſtremo, ut ſæpe in republica noſtra* (romana) *mercede conducti.*

XIV. Non tantum vero beneficiis affectus populus Reges interdum ſibi creat, ſed etiam quandoque ex metu imminentis mali, ſperans ſcilicet, ſi ultro uni ſeſe ſuaque ſubmittat, ſe evaſurum. Perquam multis ſane idem, quod Gibeonitis, *Joſuæ IX.* uſu venit, ut gladium hoſtilem effugientes in ſpontaneam ſeſe dent ſervitutem, ſive hoſti ipſi, ſive alii, qui eos contra vicinorum inſultus tutetur, cum ſibi ipſis defendendis ſint impares. Exempla hoc modo ortorum regnorum & veteres & novæ hiſtoriæ nobis plurima ſubminiſtrant; quæ adducere tamen non eſt pretium operæ.

XV. Quin itaque regna interdum oriantur populi conſenſione potius, quam regnantis labore & opera, haud eſt dubitandum. Cum autem variæ ſint regnorum ſpecies, interque eas ſit & plena monarchia iſthæc, quæ dominantis utilitatem primario, non niſi ſecundario autem populi ſpectat commodum: merito quæras, num ſpontanea populi opera hæc regni forma nonnunquam exoriri ſoleat. Turbavit ſane hæc res multos eruditionis nomine etiam inſignes, qui variis in lucem protruſis ſcriptis Reges & Principes ſolio deturbare, populumque majeſtate induere ſunt conati; parum providi, an non humeris imponant onus, cui ferendo ſint impares.

XVI. Errant vero, qui talem quidem ſententiam non ſolum amplectuntur, ſed etiam rationibus conantur defendere, utpote cum nitatur argumentis abſurdis pariter, & a vero longe alienis. Omnia ſiquidem regna a populo orta eſſe contendentes, revocabiliter (ut verbis eorum uti nunc liceat) Regibus, quam habent, delatam eſſe volunt poteſtatem, eosque a populo pro lubitu omni rurſus majeſtate exui poſſe & credunt, & publice profitentur. Quam tamen falſum ſit, omnia regna ortum ſuum debere populo, paulo poſt apparebit: & quamvis non ſemel id contigerit, neutiquam tamen inde, quod illi volunt, ſequitur, Reges hoc modo conſtitutos omnes eſſe in manu ſubditorum, eorumque unice regnare arbitrio. Utut enim non deſint exempla, quod populus regiam majeſtatem in aliquem conferens, reſervaverit ſibi interdum poteſtatem deponendi Regem, ſi minus juxta præſcriptas leges imperium adminiſtraverit, vel quocunque alio modo promiſſa violaverit; male tamen id ad omnes traxeris, eos inprimis, qui ſicut Romani omne ſuum & in ſeſe etiam imperium uni conceſſerunt; quorum tamen numerus eſt longe maximus. His enim quid præter obſequii gloriam reliquum manſerit, equidem non apparet. Præſidium deinde maximum ſuum ponunt in eo, quod omnis cœtus civilis perfectæ omnium beatitudinis obtinendæ ergo exſtet, adeoque ſi ſalus omnium non æque attendatur, reapſe & jure diſſolutam eſſe, quæ ejus cauſa coiverit, ſocietatem. Verum enim vero, qui ita ſtatuunt, ſupponere omnino debent, omnes homines exactiſſimæ eſſe virtutis, absque qua perfectæ ſane felicitatis capaces eſſe nequeunt. Sed quis non videt, eos, ita qui docent, cum Platone non ſolum respublicas, ſed etiam homines ſibi fingere, quales in rerum natura pauciſſimi fuerunt, & futuri ſunt. Cernimus ſane, populos dari, qui ingenii ſui agnoſcentes imbecillitatem, libenter pareant, omnemque ſalutis ſpem in ſpontaneo collocent obſequio, ut nunc non dicamus de iis, qui vitæ redimendæ ergo ſervitutem quaſi beneficium eligunt. Sed accurate hæc omnia nunc quidem pertractare non eſt noſtri muneris: Actum vero hac de re ex profeſſo eſt in Naamanis Benſenii V. C. diſputatione *de ſummæ poteſtatis ſubjecto*; ubi quoque potiſſimi illorum, qui in populi cauſa maxime videri voluerunt occupati, nominatim citantur.

XVII. Ordo jam poſtulat, ut cauſa, quam diximus efficientem, nunc quidem examinetur, cum hæc non parum valeat, ut regnum in populo exoriatur. Si enim non aliunde, experientia ſaltem novimus, regiam adminiſtrandi rationem nonnunquam populo, non ſane conſentienti, ſed admodum repugnanti, eſſe obtruſam. Evenit namque omnibus fere ſeculis, ut unus aliquis eo excreſcens potentia, ut totam gentem ſub jugum mittens, mera vi imperii majeſtatem ſibi firmet. Et vero tale fortaſſis fuit imperium Nimrodi; ad quod exemplum, perperam multi, omnia in univerſum imperia ſolent trahere, ridicula uſi argumentatione, ex ſingulari ſcilicet univerſale colligentes. Seges vero ejusmodi violentorum regnorum eſt uberrima. Fuit ſane ex horum numero imperium Caji Julii Cæſaris, Alexandri Magni, imo plerorumque eorum, qui magnas ſibi conſtituere monarchias. Patet autem hinc, quantum fallantur, qui putant, a populo eſſe omnia regna. Sed & ſapit hoc (ut ſaltem unicum illud nunc attingamus) rerum germanicarum intolerandam inſcitiam; in quam non eſſent prolapſi, ſi uno ſaltem oculo hiſtoriam rerum geſtarum Caroli M. inſpexiſſent. Vidiſſent utique & ibi facile inter alia, Saxones etiam, nonniſi multis bellis defatigatos & devictos, ejus ſubiiſſe imperium, illudque Francorum Carolinum in Germania regnum, gladio fere & vi primitus fuiſſe acquiſitum & conſtitutum. Principes porro Germaniæ in ſuis ducatibus regie omnia adminiſtrantes, a populo eſſe conſtitutos quis dixerit? Acceperunt ſcilicet ea, quæ poſſident, regalia a Francorum regibus, & qui his ſucceſſerunt, tenentque præterea pleraque hodie jure hereditario. Solenni inſuper ritu adhuc hodie a Cæſaribus ea ſibi curant confirmari, populo nihil quicquam acceptum ferentes.

XIIX. Notatu autem dignum eſt, non omnia regna imperantium ſtudio condita ejusdem eſſe conditionis, cum in omnibus violentia non ſit æque magna. Sunt videlicet quædam medii quaſi ordinis, nata partim per ſtudium adhibitum ab eo, qui regit, partim ab eis, qui obtemperant, & ſic utraque parte ad remp. regiam adſpirante. Accidit hoc ſane perfrequenter, imo olim in populo, qui nullam reip. habebat ſpeciem. Sic Romulus in ſuam hominum colluviem impe-

imperium affectavit, neque illa ab eo animo fuit adeo averſo. Rerum per Sueciam hoc modo potitus eſt Guſtavus: laborabat ille nonnihil, imo quantum fieri poterat, ſtudebat regere Sueones: ſed & populi conſenſu, quod voluit, obtinuit, quæ dignitas regia ad poſteros eſt translata. Diuturnius autem tale eſt imperium, cum ſit ſuffultum amore ſubditorum: id namque quod ſola vi eſt partum, non poteſt non valde homines movere, ut quacunque occaſione oblata in ejus ferantur exitium. Si vero amor ſubditorum prævaleat aut conſpiret, ſecurus eſt Rex, cum nihil mali ſibi ſit metuendum ab iis, qui libenter ei præſtant obſequium. Ut proinde veriſſima ſint quæ Micipſa apud Saluſtium monet: *Non exercitus, neque theſauri præſidia regni ſunt, ſed amici.*

XIX. Tandem ultimo loco obſervare licet, nata eſſe quædam regna, modo ab his, quos hactenus recenſuimus, plane diverſo, & a cauſa externa aliqua. Obtigit ſiquidem non ſemel, ut ille, qui regiæ majeſtatis imperium genti alicui obtruſit, illud ipſe non adminiſtret. Fit autem hoc, ſi quando exterus aliquis potens & robuſtus alium quempiam Regem creatum populo victo præficiat. Eſt tamen hoc ferme idem, ac ſi ipſe victor regnum occuparet, idque gubernandum ſibi ſumeret: cum, qui tantæ eſt potentiæ, ipſe, ſi velit, regnare queat. Sic populus romanus, regio ſtatui alias minus æquus, aliquando nonnullis gentibus dedit Reges. Scipio ſane multa, Carthaginenſibus erepta, dedit Maſiniſſæ, ſubjecitque ejus regimini.

XX. Porro non ſemper ſola vi res geritur in condendo ſtatu regio; ſed ſæpiſſime etiam non niſi inſigni fraude illi, qui nova meditantur, circumveniunt populum; ad leoninas artes accedentibus vulpinis. Nec vero ſola vi regnum temere poteſt conſtitui, niſi in populo ignavo & admodum rudi. Apud omnes alios ad regna paranda certe ſolent juxta vim & doli adjungi, quibus nimirum queat conſenſio aliqua populi elici. Hinc ſane adhibent initio, qui novas res moliuntur, aliquando fraudem, quam deinde vis inſequitur, ut quod illa efficere nequivit, hæc peragat. Nec vero hoc circa regna ſolum paranda ſolet evenire, ſed etiam circa omnes omnino rerumpublicarum ſpecies. Sic cum in republica romana obtineret ſtatus popularis, & quod in eo plerumque fit, plebs nobilibus & patritiis eſſet infenſiſſima, & hi implacabili illam proſequerentur odio, in tempore inſurrexit C. J. Cæſar, patriciosque & optimates acerrime inſectans, populum ſibi reddidit amicum, cum & ipſe tamen patricius ampliſſimus eſſet. Hac ratione autem, cum quæ machinabatur, non poſſet in actum deducere, milite ſibi devincto & ad arma proſiliens, hoſtiliter invaſit rempublicam, populus ſive perſuaſione, ſive fraude motus, conſenſit tandem in ejus monarchiam, quæ ſic ſatis fuiſſet firma, niſi ſubitanea ſua inſolentia multorum favorem perdidiſſet. Effecit iterum Auguſtus & blandis artibus, & addita vi, ut ſtatus ſalvus manſerit. Habuere quoque ſe ad hunc modum initia imperii illius ſecularis, quod papæ in regiones Italiæ gerunt. Extorſerunt nimirum cuncta, quæ poſſident variis dolis & malis artibus, Regibus Francorum, horumque ſucceſſoribus, ſuperſtitione laborantibus, idque ſenſim, donec jam pleno adeo jure omnia ſibi vindicent, ut ne minimam ſive Cæſarum, ſive imperii romani in eis agnoſcant autoritatem. Quod quo jure, quave injuria fiat, non eſt dicendi locus.

XXI. Vice verſa alii rem aggrediuntur: utentes nimirum primum quidem vi, dolo tamen ſe deinde munientes, immutant rempublicam. Quoniam nimirum, quæ violenta, hominibus per ſunt moleſta & maxime odioſa, excogitant illi prætextum quendam occupati imperii, populosque eo deliniunt. Exemplis hæc illuſtrare ex veteri ævo neceſſum haud eſt, cum luculentiſſimam quaſi ejus ideam præbeat nuperrima anglicana mutatio, auctore Cromwellio, de quo haud forte injuria dixeris illud Maronis:

- - *Ille dolis inſtructus & arte Pelaſga.*

Faciunt vero huc & illa, quæ ab Ariſtotele diſſeruntur *lib. V. politic. cap. IV.* ſub finem.

XXII. Ordo vult, ut quomodo ex aliis rerumpublicarum formis regia gubernandi ratio exiſtat, nunc quidem diſpiciamus: ſequentes autem ſummi noſtri Philoſophi veſtigia, quæ ille operis ſui politici libro quinto hoc de negotio diſſeruit, quantum ad noſtrum fecerint inſtitutum, paucis exponemus. Docet autem capite quinto l. c. quomodo ſtatus popularis evertatur & degeneret, cauſamque hujus rei inprimis Demagogorum, quos vocant, adſcribit petulantiæ. Illi ſcilicet populum auribus ducunt, eumque adverſus optimates & patricios, perpetuis illos proſcindentes convitiis, concitant. Non poteſt autem non populus ita agitatus a Demagogis, pronus eſſe ad dandas turbas, cum alias inter plebem & eos, qui ſupra vulgus ſapiunt, plerumque peſſime conveniat. Scatuit Demagogis ejusmodi olim inprimis Græcia, adeo, ut concionibus eam periiſſe in proverbium abierit. Fuit quoque ex Demagogorum illorum numero Alcibiades, teſte Plutarcho *in Nicia*, Pericles, teſte eodem Plutarcho *in vita ipſius*; C. Grachus, de quo *A. Gell. lib. I. cap. XI.* & Piſiſtratus, de quo Valerius Maximus & alii ſcribunt, quod oratione quadam comta & ad auram populi captandam directa, ita Athenienſes commoverit, ut ſuavi eloquentia ejus capti ac quaſi faſcinati, oratori tam gratioſo regium obtulerint imperium. Demagogi in romana republica fuere Tribuni plebis. Obſervavit vero Philoſophus noſter loco citato, oratores ſuo tempore Græcos atque adeo Atticos (de hisce enim illi cumprimis eſt ſermo) non tantum atque olim valuiſſe, idque quoniam arte militari, qua olim fuerant conſpicui, eſſent deſtituti. Videre vero id licet in Julio Cæſare. Ille enim, utut fuerit magnus Demagogus, omnibusque modis placere ſtuduerit populo, tantas tamen turbas dare non potuiſſet, niſi & lingua pariter & armis rem fuiſſet aggreſſus. Præbet vero hujus rei exemplum ingens hodieque Anglia, in homine prompta in vulgus facundia pariter ac bellico robore.



Digitized by Google

XXIII. Facile quoque in ſtatu hocce populari magni magiſtratus, ſi ſint diuturni, nocere poſſunt, ſicut in omnibus aliis rebuspublicis. Lubet hoc firmare teſtimonio ſummi Philoſophi, quod exſtat *lib. V. polit. cap. IIX.* & ſic ſe habet: *Eſt autem & in democratia, & monarchia, & omni republica commune, augere neminem præter modum, ſed dare operam potius, ut parvi & diuturni honores mandentur, quam ſtatim magni, nam corrumpuntur: neque cujusvis eſt hominis, ſecundam ferre fortunam.* Idem dicit *cap. XI. lib. cit.* Neglexerunt prudentiſſima hæc monita Romani, dum Cajo Julio Cæſari præfecturam Galliæ cum poteſtate armorum contra leges & mores receptos ad complures annos prorogarunt: ita ſane illum armarunt contra rempublicam ad monarchiam ſtabiliendam. Conceſſum ſiquidem fuit Cæſari tempus, ſic ſatis longum, militem in ſuas trahendi partes, quo ſtipatus impetum faceret in rempublicam, qua de re in epiſtolis ſuis graviſſime identidem conqueritur M. Tullius. Prudenti igitur conſilio, in ſtatu præſertim populari, magna munia uni non in perpetuum, vel ad longum tempus deferuntur; namque quod ait Livius libro IV. *libertatis magna cuſtodia eſt, ſi magna imperia non diuturna eſſe ſinas &c.* Certe is, qui diu cum magno eſt imperio, facile regnum condere poteſt, everſa democratia, ſicut ille apud Livium lib. IX. ait: *Triennium & ſex menſes, ultra quam licet Æmilia lege cenſuram geram, & ſolus geram*; Concludimus cum Floro lib. IV. rer. romanar. *Nimia felicitas magiſtratuum genuit ambitionem, per quam, ſublato populari ſtatu, ſibi dominationem vindicarunt, & demum inter ſe diſſentientes, ut conſortis impatientes, viam pararunt ad monarchiam.* Poteſt itidem hic ſtatus in regium facillime mutari, ſi populus mutua inter ſe foveat diſſidia: ſi quoque unus valde opulentus & liberalis vulgi favorem ſibi conciliaverit; cujus exemplum præbet nobis reſpublica Florentina in Coſmo Medices ſeniore.

XXIV. Dicendum nunc breviter etiam: quomodo ex paucorum ſtatu regius naſcatur. Fuit ille quondam admodum frequens non ſolum in Græcia, ſed etiam apud majores noſtros in Germania, cumprimis illis urbibus antiquioribus, quæ Rheno vicinæ ſunt, ita tamen mutavit, ut hodie vix una atque altera ejus compareat ſpecies. Sola ferme Veneta urbs puram ſuam ſervavit oligarchiam, niſi ariſtocratiam malis appellare. Unde dici ſolet, *rempublicam Venetam adhuc eſſe virginem*, & nullam ſenſiſſe corruptionem, ut gloriatur *Camerar. cent. I. oper. ſubciv. c. XXXIII. Bemb. Contaren. Janot. Egnat.* Vid. etiam *Fulgoſ. lib. IV. Bodin. lib. II. c. VI. n. 222. Tholoſ. lib. III. c. VI. n. 8. &c. XIII. n. 27.* Mutatur vero oligarchia in democratiam & tyrannidem, vel in aliam oligarchiæ ſpeciem ex variis cauſis, quas ſummus Philoſophus exhibet *lib. V. Polit. cap. VI.* a nobis vero adduci non neceſſe eſt. Quando autem oligarchia in regnum tranſit, tunc hic, qui mutat rempublicam, eſt ex numero plebis, vel ipſorum oligarcharum. Cum nimirum inter plebes & oligarchas plerumque male conveniat, maxime ſi plebs ab omnibus omnino eſt excluſa honoribus, ſurgit aliquando fæx vulgi, utque eo expeditius omnia gerantur, ducem ſibi vel ex plebe, vel oligarchis ipſis conſtituit, qui populi ſibi obtemperantis auxilio haud difficulter ad ſummam majeſtatem poteſt pervenire. Sic Roma tempore Cæſaris in paucorum revera erat manu, ut enim Suetonius de Cæſare ait, ille *ſocietatem cum Pompejo & Craſſo iniit, ne quid ageretur in republica, quod diſplicuiſſet ulli e tribus.* Adulans ille deinde populo, ſpemque ei libertatis faciens, exercitum duxit adverſus Pompejum, & acquieſcere niſi eo devicto noluit, plebs autem in optimates male animata, contra eos Cæſarem habere ducem non recuſavit. Nonnunquam ex ipſa plebe aliquis, inprimis nobilitate & divitiis prævalens, dux creatur a populo; cujus rei exemplum præbet reſpublica Florentina, cujus hiſtoriam quam optime deſcripſit Nicolaus Machiavellus. Coſmus enim Medices, Patritius Florentinus, ſubnixus favore populi, ſub jugum optimates totamque rempublicam redegit. Atque ita quidem ex oligarchia regna enaſci ſolent, populo collaborante. Sæpe vero eo invito tale quid factitatum conſtat; quando nimirum unus, diſſidentibus inter ſe, qui ad clavum reipublicæ ſedent, divitiis, potentia, robore bellico adjutus, rebus novis inhiat. Prudenter olim hac in re geſſerunt ſeſe Veneti, dum ex ſuis ducem bellicum non temere creaverunt, ſed potius extraneum, quique adeo non erat pars reipublicæ, poteſtate ejus inſuper adeo conſtricta, ut ultra, quam in mandatis habebat, non poſſet progredi: quod tamen hodie negligitur, ſed forte non ſine reipublicæ magno periculo. Teſtatur alias *Jovius lib. I. hiſtor.* de republ. Veneta ita. *Neminem temere ex optimatibus, qui vel inſigni virtute, vel ſpiritu in gerendis rebus cæteris antecellat, nimio plus creſcere, vel collecta gratia potentem & clarum fieri patiuntur.* Porro etiam reſpublica Carthaginenſis ex parte potiore fuit olim oligarchica, ſed ſæpe parum abfuit, quin duces bellici, eam invadentes, omnino everterent. Tale quid ſane conatus eſt Hanno: ut diſerte ait Juſtinus *lib. XXI. c. XIV.* Quantum vero diuturni magiſtratus iique magni valeant in omni republica ad obruendum ſtatum ſupra diximus. Meretur quoque hac de re legi *cap. X. lib. V. polit.*

XXV. Ordo jam nos feret ad ariſtocratiam, ut quomodo ex ea regnum oriatur, doceamus: ſed ex iis, quæ de oligarchia diximus, omnia jam ſunt clara, quod peregregie itidem obſervavit Ariſtoteles, quando *cap. VII. lib. V. polit.* ſtatim ſub initium ſic loquitur: *In ariſtocratiis vero ſeditiones exiſtunt, aliæ quidem ex eo, quod pauci bonorum ſint participes: qua re expoſitum eſt & oligarchias permoveri: nam & ariſtocratia eſt quaſi oligarchia, ſi quidem in utraque pauci ſunt, qui præſunt, etſi non eadem ratione pauci.* Cum præterea regni quoque ſpecies non ſit una, optimo jure nunc etiam agendum eſſet, quemadmodum una ex altera oriri poſſit; neque enim hæc ſunt adeo vulgaria & inutilia, ſed ingentem habent uſum. Fiet vero id ipſum a nobis in ſequentibus paſſim; ut adeo nunc his omnibus non ſit neceſſum immorari.

XXVI.

Digitized by Google

XXVI. Sed de ortu regnorum non eſt, quod verbum amplius addamus: tranſeundum nunc ad nobiliſſimam materiam de illorum mutationibus, harumque cauſis. Mutari vero regna non minus atque alias poſſe respublicas, forte in dubium vocari nequit, cum omnia in hoc univerſo corruptioni ſint obnoxia, imo ſæpius opinione celerius funditus evertantur, neque ad maturitatem perveniant. *Quid enim erit ſtabile inter homines & ita immobile, ut nullam patiatur mutationem, cum omnis noſter ſtatus ſub perpetuo motu conſiſtat*, ut ait Imperator in *Nov. 7. c. 2. in pr.* Hinc ſane adeo nusquam fere ſocietas tam perfecta unquam potuit coaleſcere, quin ſuis quaſi conatis nævis laborans, plurimis inſuper agitata factionibus, tandem collabeſcens, omnino perierit. Et vero, ut de exteris nunc non dicamus; malorum internorum tanta datur copia, ut caſus ferme ſint infiniti, ex quibus omnibus occaſio alicujus mutationis oriri poſſit, quas proinde omnes enarrare hic velle, inanis fuerit laboris, præſertim cum poſſint ex diligenti hiſtoriarum lectione peti.

XXVII. Sunt autem mutationes regnorum non uniusmodi, ut etiam quarumvis aliarum rerumpublicarum. Docuit nos hoc ſummus Philoſophus, cujus ipſiſſima lubet adducere verba, quæ cap. IV. lib. V. polit. leguntur: *Mutant autem*, ait, *reſpublicas alias quidem vi, alias dolo: vi quidem vel ſtatim ab initio, vel poſterius vi cogentes. Nam etiam dolus eſt duplex: nam alias quidem principio adhibito dolo, volentibus civibus, mutant rempublicam, poſt deinde invitis retinent.* Sunt certe hoc modo interitum paſſa ampliſſima regna, fraude ſcilicet pariente proditionem, ut loquitur Pſeudo Feneſtel. c. I. Et vero occulta verſutia plus ſæpe nocet rebuspublicis, quam vis aperta, cum hæc melius, illa difficile poſſit prævideri. Hinc ſane Ariſtoteles per fraudes ac fallacias tam callide reſpublicas mutari obſervavit, ut vulgus quid fiat, vix ſentiat. Artes haſce, ſi quis alius, calluit degener Davidis filius Abſalon. Ut enim 2. *Samuel. cap. XV. v.* 6. dicitur, furatus eſt corda Iſraëlitarum, ſuisque ſimulationibus & blanditiis populum quaſi faſcinavit. Neque machinationes ejus omnino fuerunt irritæ, ſed primo quidem ſic ſatis feliciter res ſucceſſit, ceu legere eſt *l. c.* Hisce & ſimilibus technis adhibitis, quam ſæpe multi regiam majeſtatem & comparare ſibi ſint conati, & aliquando etiam comparaverint, hiſtoriarum conditores paſſim conſignarunt: neque etiam noſtri ævi exempla deſunt. Spe namque meliora conſequendi illecti homines, libenter ſtatum rerum præſentium ſuæ reipublicæ mutatum vident: eaque opinione adducti, arma in eos, qui rerum potiuntur, capere interdum non recuſant, qua tamen in re falluntur ſæpiſſime; cum reipſa ſe in pejora ſentiant delapſos conſilia.

XXIIX. Mutationes vero non uno eodemque modo exiſtunt omnes, ſed nunc ex magnis, nunc ex parvis rebus, nec minus ex illis, quam his perfrequenter. Obſervavit hoc Ariſtoteles *lib. V. polit. cap. III. & lib. eod. cap. IIX.* ubi notanter dicit. *Exiguum maxime eſt cavendum: occulte namque obrepit detrimentum; quemadmodum facultates parvis ſumptibus ſæpe iteratis conſumuntur. Latet autem detrimentum eo, quod non fiat univerſum: capitur namque mens ab ipſis tanquam captione ſophiſtica: ſi ſingula exigua, & omnia &c.* Etſi autem initia horum motuum ſint leviuſcula, nec alicujus videantur eſſe ponderis, progreſſu tamen temporis valde excreſcere, & immane quantum nocere poſſunt, cum omnia tendant in reipublicæ exitium. Et quemadmodum in corpore humano parva illa negligenda non ſunt, quæ tandem quotidie adaucta mortem queunt inferre, ita nec quæ in rempublicam occultis greſſibus, & laneis, quod dicitur, proſerpunt pedibus, mala inſuper erunt habenda; ſed adhibitis in tempore remediis, ſi non removeri poſſint, & omnino opprimi, ſaltem tamen, ne latius ſerpant, ſedulo erit annitendum. Experti utique ſunt non ſine damno ſuo Romani, quantum exigua illa neglecta, progreſſuque temporis aucta nocere, quamque immenſam malorum copiam trahere ſecum poſſint. Leve nimirum eis videbatur, contra mores majorum Cæſari in plures annos prorogare vim imperatoriam, cum facile conjecturam capere potuiſſent, aliquid monſtri eum alere; quod nimis tamen ſerio, eventus eos docuit, ut parvula ejusmodi initia in mala plerumque maxima degenerent. *Quemadmodum*, ait ſummus orator Demoſthenes in 4. Philip. *in privata, ſic etiam in republica deſidia & ſocordia quotidiana, non in ſingulis ſtatim, ut quidque eſt neglectum, ſed in ſumma rerum apparet.* Eſt autem prudentis conſiliarii, non modo præſentium lapſuum cernere occaſiones, ſed & futurorum proſpicere, illisque omni induſtria occurrere. Longe enim ſi provideantur, facile aliquo remedio præcaveri poſſunt: verum, ut, dum te propius appetant, cuncteris, nulla, morbo incurabili jam facto, opportuna curatione ſanantur. Accidit enim, quod de hectica febri ajunt medici, ubi ſcilicet primum aliquem init, facilem eſſe curatu, ſed cognitu difficilem; progreſſu vero temporis non percepta nec curata, facilem eſſe, ut cognoſcatur, at ut quis eam ſanet, per difficilem. Sed hæc duntaxat incidenter.

XXIX. Poſſunt regna mutari in alias rerumpubl. formas, ſicut monarchia Rhodienſis ob belluinam Hegeſilochi Rhodiorum regis voluntatem & luxuriam abiit in Ariſtocratiam. Vide Athenæum *lib. X. deipnos. c. V.* vid. Oroſ. *l.* IV. *Flor. l.* II. Eutrop. *l.* 1. *Liv. l.* V. Plutarch. *in Æmil.* Plin. *de vir. Illuſtr.* Romæ ejectis regibus, primo etiam ad optimates ſumma poteſtas fuit devoluta. Sed huic rei pertractandæ tempus nunc quidem impendere nolumus, relicturi eam cujusvis diligentiæ, & in evolvendis hiſtoriis induſtriæ. Eſt vero non ſolum in regno, ſed & aliis quibusvis rebuſp. probe diſtinguendum inter omnimodam everſione m, & aliquam converſionem. Hæc facit, ut aliquo modo corrumpatur reſp. non tamen in totum, ſed ratione tranſmutationis in aliam nimirum ſpeciem, quæ deinde, ſi probe rebus proſpiciatur, ſtabilis eſſe poteſt, & ſub qua ſubditi non minus atque ſub priori vitam ſic ſatis felicem, imo nonnunquam feliciorem degunt. Illa accidit, quando, nulla nova forma induta, regnum in totum aboletur. Fieri



Digitized by Google

hoc vix poteſt, niſi forte ad tempus aliquod, cum, ut nunc ſunt mores hominum, gens ſine rep. vix queat vivere; niſi enim ſui ipſius accelerare velit excidium, omnino adeſſe debent, qui bonos contra malorum inſultus tueantur, vitioſos puniant, judicia inſtituant, hoſtiles invaſiones antevertant &c. quæ omnia ſummæ poteſtatis ſunt capita. Penes quem vero eſt ſumma hæc poteſtas, ille regit remp. ſive ſit unus, ſive plures. Ut enim ex Philoſophi noſtri politicis conſtat a diſpoſitione τȣ͂ κυρίȣ variant reſpublicæ. Frequentius vero regna mutata ſtatim in aliam tranſeunt rempublicam: quæ mutationes quomodo contingant, nunc eſt dicendi locus.

XXX. Verum ne ſic in incertum noſtra vagetur diſſertatio, regnorumque mutationes ſummatim quaſi comprehendamus, conſiderabimus eas ſecundum quatuor genera cauſarum, quarum una ſi mutatur, & ipſum regimen mutationem ſubire neceſſum habet. Primo omnium examinabimus cauſam finalem, quippe cum naturam rerump. noſcere nequeamus, niſi varias eorum, ſi forte plures ſint, inveſtigaverimus fines. Recte namque & ordine aliquid factum tum demum cenſendum eſt, cum ad eum finem pertingit, ad quem fuerat deſtinatum. Omnia vero regna unum eundemque ſibi non habere poſitum ſcopum, ut veriſſimum eſt, ita eleganter demonſtratur a ſummo Philoſopho. *cap. X. lib. IIX. Eth. Nicom.* Cum enim ibi omnes rerump. formas, tam rectas, quam aberrantes enarraſſet, addit tandem. *Quarum ſimilitudines & quaſi exempla ſumere etiam in familiis quiſpiam poſſit.* Quemadmodum igitur in ſocietate domeſtica non omnium eadem habetur ratio, ita neque in regno, cujus veſtigia tam luculenta in illa reperiuntur, ut Ariſtoteles *lib. 1. Polit. c. 1.* aliam cauſam, quod olim plerumque in regna coierint homines, afferre nequeat, quam quod in familia aliqua viventes, unius imperio obtemperare fuerint aſſueti. Jamque videmus, aliud imperium eſſe Patrisfamilias in ſuos liberos, aliud in ſervos. *Patris enim,* dicit ſummus magiſter *l. c.* capite nimirum *decimo lib. IIX. Eth.* Nicomach. *erga filios communio regni formam habet: nam patri ſunt curæ filii, unde etiam Homerus Jovem patrem appellat: paternum enim imperium regnum vult eſſe. At apud Perſas patris imperium tyrannicum eſt, utuntur enim ut ſervis filiis. Tyrannicum vero eſt heri erga ſervos, in eo enim id, quod hero utile eſt, agitur.* His plane ſimilia videre potes in cap. IV. *lib. III. Polit.* Clarum exinde fit, ut paucis nos abſolvamus, in omni regno imperantis utilitatem & parentium ſpectari vel ex æquo, vel illius primario & per ſeſe, horum non niſi ſecundario & per accidens. Non raro autem contingit, ut regnum aliquod civile, ſubditorum quærens ſalutem, degeneret, ut a fine priſtino plane deſciſcens, tantum regentium curet commodum. Nonnunquam ſe res habet modo huic plane diſſimili: neque enim deſunt exempla, quod imperium aliquod herile, ſive lenitate & ingenti regis pietate, ſive vi vel fraude parentium inceperit in magis civile vergere. Mutationes hæ non usque adeo ſunt nullius momenti, ut negligendæ omnino ſint, quia aliquid eſſentiale reip. attingunt. Exemplis hæc illuſtrare ſupervacaneum ducimus, cum pleraque Europæa etiam regna nutent, & modo huc modo illuc propendere videantur, imo jam tum maxima eorum pars multum herile habet admixtum.

XXXI. Cum præterea omnibus hominibus non ſit propoſitus unus vitæ ſcopus, quod de felicitate & ſummo bono nonnihil varient mortalium ſententiæ, dum quilibet ex ſuo vitæ genere hoc æſtimare ſatagat: ita etiam ſunt diverſi, ut rerump. omnium, ita etiam Regnorum ſcopi, quod & hæc felicitatem in alia atq; alia re collocatam putent. Quæ autem vitæ genera præ aliis eminere Philoſ. *lib. 1. Ethic. cap. V.* aſſerit, ea etiam in omnibus rebuſp. poſſunt conſiderari, cum hæ non minus, atque privatus aliquis homo unum præ reliquis ſibi ſumant perſequendum. Poſuit vero Ariſtoteles primo loco eos, qui voluptariam ſectantur vitam, collocatam in ea putantes ſummam hominis felicitatem; quam ſententiam poſt Ariſtotelem præ aliis Epicurus fovit; etſi non deſint, qui falſo ei hoc tribui ſentiant. Regna autem, voluptatibus unice dedita, non omnino defuerunt, etſi non adeo fuerint frequentia. Fuit ſane omnino tale Aſſyriorum & Perſarum ſub nonnullis Regibus imperium. Ipſi vero reges populum occultis artibus effoeminatum reddiderunt, ut ſcilicet deliciis & ineptiis ejusmodi debilitatum in officio continerent, quod alias vix facere potuiſſent. Sed quomodo ſummum populi alicujus bonum in eo tuto reponetur, quod hominem beſtiis æquiparat? Secundum, in ordine a Philoſopho noſtro obſervato, vitæ genus eſt civile, quod honorem & potentiam pro fine habet. Hujus generis Regnorum ab omni ævo integra fuit copia, quæ in id unice quaſi laborarunt, quo modo aliis poſſent eſſe terrori. Bellum ergo ex bello ſerentes vicinos laceſſiverunt, ſuique imperii fines latiſſime quæſiverunt extendere. Fuerunt autem tales omnes Monarchiarum conditores, quibus illud *plus ultra* adeo fuit pro ſcopo, ut acquieſcere non potuerint, niſi in media conſtituti acie.

XXXII. In tertia claſſe poſuit Ariſtoteles eos, qui virtutis ſtudium amplectuntur, comparantes ſibi interim rerum neceſſariarum quoque ſufficientiam, quos veram tenere felicitatem omnino dicendum eſt. Hinc ſane Gorgias etiam Sophiſta, a Socrate ſollicitatus, an Perſarum regem crederet felicem, neſcio reſpondit, quantum virtutis poſſideat. *Bruſ. de regno Perſico.* Sed, ut quæ eſt humani ingenii imbecillitas, pauciſſima ſemper talia fuere imperia, niſi forte exempli loco adducere velimus id, quod in Hebræos habuit Deus opt. maximus: qui, ut prudentiſſimus Legiſlator tales eis præſcripſit leges, quibus & vera felicitas & propria eorum ſalus unice fuit propoſita.

XXXIII. Quarto demum loco offert ſeſe multitudo eorum, qui vitam colunt χρηματιστικὴν omnemque curam & induſtriam adhibent, ut ingentibus theſauris congeſtis bene, ut ſibi perſuadent, vivant, ex quorum ſententia ſic loquitur Satyricus.

Omnis

*Omnis enim res,*
*Virtus, fama, decus, divina humanaque pulchris*
*Divitiis parent: quas qui conſtruxerit, ille*
*Clarus erit, juſtus, ſapiens, fortis etiam & Rex,*
*Et quicquid volet:*

Et quia opes externo ſuo ſplendore mortales tam egregie captare poſſunt, imo animos eorum plerumque plane faſcinant, hinc merito cum Poeta exclamamus.

*Quid non mortalia pectora cogis,*
*Auri ſacra fames?*

Ex omnibus vero regnis, quæ divitias pro ſummo quaſi fine habuere, produxeris denique (nec enim ita initio animatus fuit generoſus ille populus) Romanum. De hoc ſane ita Petronius,

*Orbem jam totum victor Romanus habebat,*
*Qua mare, qua tellus, qua ſidus currit utrumque,*
*Nec ſatiatus erat. Si quis ſinus abditus ultra,*
*Si qua foret tellus, fulvum quæ mitteret aurum,*
*Hoſtis erat, fatiſque in triſtia bella paratis,*
*Quærebantur opes.*

Mithridates item apud Saluſtium ita loquitur: *Romani arma in omnes habent, in eos acerrime, quibus victis, ſpolia maxima ſunt.* Vero ſimile tamen videtur, divitias nunc populum non tam propter ſeſe, quam potentiam ſuam augendam expetiiſſe. Sic ſane dicit Saluſtius, *Romanis cum nationibus, populis, regionibus cunctis, una vetus & bellandi cauſa eſt, cupido profunda imperii & divitiarum.* Et ut *Galgacus* apud Tacitum ait. *Quos non oriens non occidens ſatiaverit.*

XXXIV. Ex his quatuor porro hominum generibus in omni regno plerumque unum aliquod eminere ſolet, quod ut variis ſeſe habet modis, ita ſi mutatur, & ipſum regimen ſimul priſtino excutitur ſtatu. Patet hoc ipſum ex mutatione etiam regni Hebræorum. Poſtquam enim Deus opt. max. Iſraelitas hactenus monarchice gubernaverat, eosque tali imperio regendos ſibi ſumſerat, quod unice eorum attenderet utilitatem, veramque humanam, quatenus illa in hoc mundo obtineri poteſt, promoveret ſalutem; illi veſana quadam amentia, hoc vitæ genus, quale tamen cuilibet revera exoptandum erit, exoſi, non ſine ingenti repudiaverunt damno ſuo. Senſerunt ſiquidem deinde, male rem cedere, cum ex imperio ſic ſatis liberali in ſervitutem ſe viderent prolapſos; nec enim fieri poterat, quin priſtino vitæ ſtatu excuſſo, tota reſp. immutaretur. Sed de cauſa finali, quantum ad id, ut regnum mutetur, conferat, ſatis fortaſſe eſt dictum.

XXXV. Cauſa formalis in omni coetu civili eſt ipſa reip. conſtitutio, quæ civitati eſt pro anima. Definit eam Philoſophus *lib. III. Pol. cap. IV.* quod ſit *ordo civitatis, cum in aliis magiſtratibus, tum in eo maxime, qui omnium eſt princeps.* Quibus vero in rebus illud Κύριον abſolvatur, non una omnium eſt ſententia, potiſſima ejus tamen capita recenſentur *lib. IV. Pol. cap. XIV.* Probe vero obſervandæ ſunt, quæ ſecundum hanc cauſam fiunt mutationes: etſi enim reliquæ nullo modo ſane negligendæ, ſed maximi ſint momenti, plerumque tamen conjunctæ ſunt cum iis, quæ ſecundum cauſam formalem contingunt. Duplici autem modo in omni regno circa hanc cauſam oriuntur mutationes, 1. ut præſens ſtatus in totum evertatur & funditus pereat. 2. ut non quidem omnino, ex parte tamen concidat, neque plane deſinat eſſe regnum, ſed in alteram regni mutetur ſpeciem. Habet hoc ſcilicet regnum commune cum aliis rebuſp. de his elegantiſſime obſervavit ſummus Philoſophus *lib. V. Pol. cap.* 1. quando ſic loquitur. *Nam alias quidem* (ſeditiones movent) *adverſus ſtatum reip. ut ex eo, qui nunc eſt, alium inſtituant (ut ex democratia oligarchiam, vel ex oligarchia democratiam, aut remp. & ariſtocratiam ex his, aut has ex illis.) Alias vero non adverſus reip. ſtatum, qui nunc eſt: ſed eundem quidem ſtatum eſſe volunt, in ſua vero poteſtate hunc eſſe voluit, ut oligarchiam ſeu regnum & monarchiam. Præterea de eo quod magis & minus, ut vel oligarchiam magis aut minus reddi oligarchicam, vel democratiam magis aut minus reddi democraticam: itemque in reliquis rebuſp. ut vel intendantur vel remittantur.* Exemplis hæc probare quid eſſet aliud, quam totum orbem non tolerandæ arguere inſcitiæ? ab his enim mutationibus vix regnum ſibi poterit cavere. In regno Germaniæ ſpecies miſta diu quidem obtinuit, plus tamen olim revera potuere Imperatores quam hodie. In Gallia contra ſtatus ante hac ſic ſatis fuit mixtus, cum tamen hodie regnum illud παμβασιλικὸν optimo jure poſſit dici. Sic regnum Turcarum, Ruſſorum, Perſarum, Tartaricum, magni Mogolis, ſimplex eſt & herile. Gentibus ſane Aſiaticis non hodie duntaxat, ſed & jam olim placuit dominatus; ita ut ad eum quaſi compoſitæ videantur magis, quam Europæ gentes, quod & Ariſtoteles ſuo ævo obſervavit III. *Polit. cap. X.* Quanquam hodie apud Turcas quaſi in conſortium imperii videatur ſenſim miles venire, prætorianus præcipue, quem Janitzarorum nomine vulgo appellitant, ut qui non tantum heri edicta parum ſæpe reverenter habet, ſed quoque jam bis iniquam manum jugulo ſuorum Othmanidarum admovere non dubitavit.

XXXVI. Cauſa efficiens (ut relicta cauſa formali ad hanc nunc pergamus) eſt is, qui imperio præeſt. Eſt autem duplex, princicapis & inſtrumentalis. Cauſa efficens principalis in abſoluto imperio eſt Rex unus; in mixto præter eum procees, qui unam ſummam poteſtatem participant, ſive ex parte, ſive æqualiter. Oritur vero mutatio non ſemper quoad ſtatum ſive formam regiminis: ſed & aliquando quoad eos, qui regunt vel per ſe, vel nomine alterius, ita ut ſtatus quidem maneat ſalvus, mutetur tamen Rex, vel quos ille conſtituit magiſtratus. Innuit hoc Philoſophus, quando in capite longe elegantiſſimo *decimo ſcilicet lib. V. Pol.* diſtinguit conjurationes, quæ in ipſum principatum, & quæ fiunt in corpus dominantis. Licet autem hi motus non directe petant remp. ſed duntaxat regem; illa tamen illæſa vix poteſt evadere, cum fieri vix queat, ut non ſalvo principe regnum, cujus ille eſt caput, maneat incolume. Audimus, imo quotidie videmus, maxime in regnis mixtis inter regem & proceres plerumque male convenire, dum utraque pars ſuam augere intendit poteſtatem. Talis ſimultas noſtra memoria in Britannia tam lethalem ſortita eſt exitum, ut optimus Rex plane tolleretur e medio. Manſit ſtatus illo trucidato ſalvus, neque quicquam cœpit detrimenti: imo ſub Protectore plus regii imperii jam habet, quam ſub rege Carolo multisque Anteceſſoribus. Ut autem hæ mutationes ſemper non carent periculo; ſic admodum noxiæ ſunt, ſi inprimis Rex amet præſentem ſtatum, prætereaque virtute ſit inſtructus, ut par ſit rebus magnis gerendis.

XXXVII. Cauſa efficiens inſtrumentalis ſunt, quorum opera Rex utitur in adminiſtrando regno. Qui ſi quid damni capiunt, & ipſum regnum jacturam ſubit. Sunt autem vel res, vel perſonæ. Ad res referimus domus, agros, munimenta & arma regia, maxime vero pecuniam. In his ut præſertim regni collocatum eſt præſidium, ita ſi mutentur, evertantur vel pereant, eandem fortunam experitur & reſp. Multum inprimis refert, an reditibus publicis abundet regnum, ut par ſit rebus præclaris gerendis, nec pecuniæ inopia impeditum cogatur a præclaro abſtinere propoſito. Talia autem bona publica ſunt vectigalia, portoria, ſalinæ, venæ metallicæ &c. De his omnibus idem dici poteſt, quod de vectigalibus diſertiſſimus Tullius in epiſt. ad Q. Fratrem obſervavit, cum ita ait. *Imperium ſine vectigalibus retineri nullo modo poteſt.* Nolumus autem videri ſtatuiſſe, hoc prætextu regem pro lubitu vectigalia poſſe augere, vel nova inſtituere, cum hoc non liceat, niſi ſola publica utilitate & neceſſitate ſive totius reipublicæ, ſive in herilibus rebuspublicis ipſorum dominantium urgente, ut rectiſſime judicatum a Francorum ſenatu *anno* MDLVIII. & curia Pariſ. *anno* MDXXXIV. Vide Bodin. *lib.* 1. *n.* 169. Talia tributa recte vocat *Ulpianus* nervos rerump. Et vero teſte Tacito lib. IV. annal. *neque quies gentium ſine armis, neque arma ſine ſtipendio, neque ſtipendia ſine tributis haberi queunt.* Quam ingens vero damnum regno immineat, ſi detrimenti quid illa capiant, Neronem docuit ſenatus Romanus. Cum enim illud hominis monſtrum omnia vectigalia tollere, eaque donare promiſcue vellet: prudentiſſime ſenatus judicavit, *diſſolutionem imperii futuram, ſi fructus, quibus reſp. ſuſtineretur diminuerentur: quippe ſublatis portoriis, ſequens, ut tributorum abolitio expoſtularetur.* Et vero illa etiam telonia atque vectigalia, a Carolo IV. Electoribus ſive donata ſive oppignorata, mirum in modum imperatoriam majeſtatem diminuerunt, & reip. noſtræ multa attulere mala; quorum tamen revocatio fortaſſis haud minus vehementer indubie præſentem turbaret ſtatum.

XXXIIX. Inter Perſonas porro primo omnium magiſtratus, Judices & Conſiliarii, ſunt attendendi; quibus regnum nullum unquam carere poteſt. Inſurgit tantum aliquando adverſus eos populus, ubi quidem reſp. manet ſalva, ſed tamen cauſſa efficiens inſtrumentalis mutatur. Occaſione vero talium motuum nonnunquam ipſum regnum damno afficitur, quod Hiſpania profecto ſentit adhuc hodie: cum enim in motibus a populo adverſus magiſtratum concitatis, non populi, ſed hujus Rex tueretur partes, nobiliſſimis excidit provinciis, imo excidio ſæpe regnum hoc fuit proximum. Cum in Gallia Rex non adeo pridem ſtaret a partibus Cardinalis Mazarini, contra quem tota fere Gallia inſurrexerat, ſe & regnum non levibus expoſuit periculis.

XXXIX. Poſt magiſtratum porro conſiderandus eſt miles. In hoc vero probe attendendum eſt, an ſit lectus vel conductitius, in regno vel extra regnum, alia enim atque alia ratione ſe habet. Nullum ſane regnum, propriis armis deſtitutum unquam ſecurum eſſe poteſt, quibus ſi caret, a fortunæ totum dependet inconſtantia. Atque in hac ſententia ſemper fuere viri prudentiſſimi, nihil eſſe ea potentiæ fama infirmius, quæ non propria ſuffulta ſit virtute. Cum autem miles regno ſit pro munimento, ad ejus mutationem multum poteſt conferre, ſive in pejus ſive deterius mutetur. Si ante fuit bellicoſus, laboris patiens, ducibusque ſuis obediens, poſtea vero fiat imbellis, ignavus, immorigerus, ſpoliisque tantum & prædæ inhiet, labefactatæ ſane ſunt vires regni, & Rex metuere ſibi debet a vicino potente, ſi forte ſit inimicus. Quantas turbas dare poſſit, multi Imperatores Romanorum inprimis ſeculo tertio, ſunt experti. Experitur idem hodie Polonia, quam miles fere peſſundedit, de quo toto negotio optime diſſerit Simon Starovolſcius in ſua Polonia, & qui ſub nomine Cyriaci Thraſymachi edidit epiſtolam de juſtitia armorum Suecicorum in Polonos.

XL. Cauſam materialem, circa quam verſatur regnum, conſtituunt res & perſonæ. Illæ quæ ſint & quomodo dividantur, vid. in diſp. de different. regn. habit. ſub Ampliſſ. *Domino Præſide.* Quoniam vero magna earum eſt copia, ſingulas examinare, quantum ad regni mutationem conferant, nolumus, ſed duntaxat pro certo ponimus, cum eis una creſcere & decreſcere regnum,

Digitized by Google

regnum. Majus in perſonis ſitum eſt momentum, quæ cum pareant, vel imperent, de illis paucis agemus, cum de his ad cauſam efficientem diſſeruerimus. Parere dicimus omnes, qui non ſunt imperii conſortes, inter quos primum obtinet locum conjux, quam inuſitato exemplo in conſortium imperii duxit Juſtinianus Imperator. Omnes hæ perſonæ, quamvis non ſemper directe, ex adverſo tamen variis modis ſtatum regni poſſunt evertere. Quantum nocere queant Reginæ, & ſacræ & profanæ teſtantur hiſtoriæ. Ad quæ facinora non inſtigavit Achabum regem impia Jezabel? quid non eſt auſa truculenta Athalia? nonne Aſſyriorum Monarcham Ninum Semiramis uxor e medio ſuſtulit? Conqueritur adhuc hodie Gallia de matrimonio regis ſui, inito quondam cum Catharina Medicea. Et vero erat illa educata in ſtatu mere herili, atque ita præſentem Galliæ ſtatum ſic ſatis civilem odio habebat, qui etiam ex eo tempore ſenſim degeneravit in dominatum. Fratres regis idem poſſunt; quod expertus eſt Ericus, Rex Sueciæ, datus a fratribus in vincula. Liberos regios bene educatos, morigeros Patri, neque novis gaudentes rebus, non immerito tam regiæ domus, quam regni vocamus munimenta. Si vero degenerent, motique cupiditate regnandi in Patris conſpirent necem, ſive quocunque alio modo ei adverſentur, periculum imminet regno. Abſalon ſane, niſi morte fuiſſet præventus, ingentibus patrem ſuum affeciſſet malis. Quid non adverſus ſuum parentem tentavit Henricus V. Henrici IV. Imperatoris filius? conjecit ſane eum auſu nefando in vincula, ut modo Cæſaream ante tempus nanciſceretur coronam. Simile quid a cognatis regiis in aula viventibus metuendum eſt, ſi in regem male ſint animati. Dantur præter hos, in regnis præſertim mixtis, nonnulli, qui ex parte imperant & ex parte parent, quos vocamus proceres, ſive ordines imperii: quorum, quia in antecedentibus paſſim facta eſt mentio, jam non meminerimus.

XLI. Maxime vero conſiderandus eſt totus populus: prout enim ille ſe aliter atque aliter habet, ita & regnum una cum eo augetur vel imminuitur. Spectari vero ille debet ſecundum partes principales, quæ ſunt anima & corpus. Ex his namque unice dijudicandum eſt, quid velit & poſſit, & an amet ſtatum præſentem eique ſit aptus. Si enim is, qui erat numeroſus & fortis, reddatur imbecillis & exiguus, detrimentum capiunt vires reip. Inprimis vero ſpectandus eſt animus, qui, ſi virtute eſt imbutus, non poteſt non ad egregia quævis adſpirare; & vero quomodo mutatur animus, ita & ipſum regnum. Evenit namque interdum, ut populus ferox, rudis, & incultis moribus, educationis & informationis auxilio in rectæ rationis gyrum ſit reducendus, eum ut nunc in officio contineas, aliis opus eſt artibus, quam quibus uſus es antea, cum adhuc bellum quaſi gereret cum recta ratione. Animus porro humanus perficiendus eſt virtute, quippe ex qua unice æſtimandus: eſt autem ea duplex, moralis & intellectualis. Ceterum cum hæc non tam neceſſario requiratur in populo, quam illa, potiſſimum attendi debet moralis, quam ut excolit, vel ab ea recedit, ita alio atque alio modo ſeſe habet ratio imperii. Ut enim nunc tantum de fortitudine, quam Ariſtoteles primo poſuit loco, quamque nonnulli ſimpliciter dixerunt virtutem, dicamus; quantum intereſt, populum eſſe fortem & paratum adire pericula? num talis jugum ſibi imponi patietur? num feret id, quod vecors & rudis? non ſane, imo non facile unius feret imperium. Quam primum vero a virtute priſtina deficiens, genio ſuo indulgere incipiet, dominantium ſeſe proſtituit libidini. Et interdum illi, qui imperium tenent, arcanis artibus populum ad voluptatem ſolent ducere, ut ita viribus ejus enervatis firmum ſibi comparent dominatum, quem certe ingenuus, qui dulcedinem libertatis ſemel guſtavit, difficile ferret. Egerunt ita rem ſuam reges Perſarum, ceu obſervavimus th. XXXI. callidiſſime vero primi Romani Cæſares. Cum ea nimirum gens eſſet ferox, generoſo animo, imo plane nata ad hominum interitum & urbium ſtragem, infenſiſſimoque in ſtatum regium animo, Cæſares in obſequio hanc retinere non potuerunt, niſi fracto generoſo ipſius animo. Conceſſerunt ergo veſtes pretioſas, thermas, theatra, opipara convivia &c. quibus delitiis invictum antea Quiritum animum ita ineſcarunt, ut veteris virtutis immemor & libertatis ſervitutem ſervire non recuſaverit, dummodo in omnis generis voluptate vitam liceret tranſigere. Artes has, & quomodo ſint adhibitæ, paſſim deſcribit Tacitus.

XLII. Hæc de mutationibus Regnorum nunc quidem dicta ſufficiant. Potuiſſent ſane longe uberius omnia tradi, ſi ſingula, minuta etiam, pro dignitate examinare voluiſſemus. Verum enim vero haud difficile ad eum, quem nos ſecuti ſumus, modum omnia regio ſtatui ſive profutura, ſive nocitura, probe queunt expendi. Ceterum, quemadmodum circa ortum, ita quoque circa interitum Regnorum ſe res habet. Ut enim de illo addamus verbum, duplici hic accidit modo, 1. ut plane nulla alia ſequatur reſpubl. 2. ut in aliam tranſeat reip. formam, quod fieri frequentius ſolet. Ita apud Romanos pulſis regibus ſumma reipubl. ad optimates recidit, mox ad populum.

XLIII. Atque mutationes quidem & interitus Regnorum ſic evenire ſolent: inveſtigandæ vero nunc etiam earundem cauſæ: quippe quum harum cognitio demum civilem prudentiam abſolvat. Eſt autem illud non nihil difficilius, quoniam non omnia, quæ huc faciunt, ab Ariſtotele, accuratiſſimo alias magiſtro, ſunt tradita, aut tradi potuerunt: idque quoniam divinæ providentiæ modum non ſatis perſpectum habuit, quæ tamen in mutandis regnis præcipuum quaſi dat momentum. Sed & opus ejus Politicum lacunis ac mendis paſſim hiat atque obſcurum eſt: ut nec ea, quæ tradidit vir ſummus, ſuum inde queant uſum adferre.

XLIV. Facimus nos omnium mutationum cauſam triplicem: ſupernaturalem, naturalem, & moralem. Cauſa ſupernaturalis eſt Deus optimus maximus, qui omnia regna in ſua tenet manu, ea, cui vult, defert, ſcindit, transfertque ab uno in alium. Ille namque fame, peſte, bel-

bellis, incendiis, exundationibus, terræ motibus, diſſipat, abſumit, delet totas urbes, familias, gentes, regiones, reſpublicas, regna & monarchias, ut innumeris in locis teſtatur ſacra ſcriptura; cumprimis videatur *Amos. IX. Jerem. XIIX. Ezech. XIV.* &c. Neque enim eorum, quæ fiunt in republica, cauſa remota usque adeo eſt Deus noſter, ut non ſæpe extra ordinem moveat voluntatem hominum, ut tam in reipublicæ, quam regentium feratur perniciem.

XLV. Divinam quoque providentiam eſſe in rebus humanis, tam certum eſt, quam Deus ipſe; & qui hoc negare velit, eum omnino hominum numero, utpote eo indignum, exterminandum ſtatuimus. Præterquam enim, quod ſingulis fere in paginis id dicat ſacra ſcriptura, illuſtria ejus quotidie teſtimonia in rerum natura conſpicimus, quæ omnino fateri cogunt homines, revera divini Numinis nutu omnia adminiſtrari & ſuſtentari. Nec vero excuſari merentur, qui videntes tantas ac tam ſubitas mutationes, ruinas & interitus florentiſſimorum regnorum & rerumpublicarum illuſtrium, inconſtantiam & iniquitatem variantis ſe in momenta fortunæ, totarum gentium excidia & internecionem, attoniti admiratione ſtupent, diſtractique in ancipites cogitationes hærent, dubitantes, an etiam divina potentia curet res humanas, & an non caſu coëant imperia, & rurſus caſu diſſiliant, & dilabantur, vel demum, annon ſolis conſiliis humanis aut viribus conſtituantur & conſerventur. Graviſſimæ ſane paſſim de inconſtantia fortunæ in imperiis extant querelæ. Lucanus ait.

*Summisque negatum*
*Stare diu, nimioque graves ſub pondere lapſus.*

Et Seneca:

*Non ſic Libycis Syrtibus æquor*
*Furit alternos volvere fluctus,*
*Non Euxini turget ab imis.*
*Conmota vadis unda, nivali*
*Vicina polo, ubi ceruelis.*
*Immunis aquis lurida verſat*
*Plauſtra Bootes: ut præcipites*
*Regum caſus fortuna rotat.*

Et Pompejus, prælio pharſalico victus, apud Cratippum philoſophum multa diſputavit contra providentiam, quod in cauſa juſtiore, ut ipſe contendebat, a Deo deſertus eſſet. Verum enim vero ex ſacris literis abunde poteſt demonſtrari, omnes reſp. omniaque regna, legitime inprimis parta, divinæ majeſtati ſingulari eſſe curæ, cujus etiam non niſi permiſſu damno afficiuntur vel pereunt. Deus enim eſt, qui conterit fortes, & alios ſtare facit pro illis *Job. XXXIV.* qui regna habet in ſua poteſtate, ea conſtituit, & in quem vult, transfert *Daniel. IV.* Nobile hujus rei exemplum habemus *lib. I. Reg. cap. XII.* Cum ſcilicet decem tribus populi iſraëlitici a Rege Rehabeamo deficerent, & ille, quod ſane non injuſtum videbatur, eas armis ad obſequium vellet redigere, prohibuit Deus, dicens expreſſe, hoc omne a ſeſe eſſe factum.

XLVI. Dein vero aſſeritur, fatale quid ſæpenumero ſubeſſe mutationibus rerumpublicarum. Obſervandum tamen eſt, nos vocem fati non ſumere pro inevitabili quadam neceſſitate, ut alias a multis ſolet explicari, quemadmodum *Manil. l. 2. Aſtron.* fatum ipſum inevitabile, *Plato in Protagor. & VII. de LL.* ἀναγκαίαν τύχην *Ariſtoteles libr. de mundo cap. VII.* εἱμαρμένην ἀδράστειαν αἶσαν vocat. Nobis ſcilicet eſt ipſa divina providentia; quod etiam ex *Piccol. gr. II. cap. XXXIV. Auguſt. lib. V. de civit. D. c. l.* & ipſo potiſſimum uſu loquendi ſatis conſtat. Alias, ſi ex Stoicorum ſententia fatum ſumas, recte ſcripſit Auguſtinus, fatum nullum eſſe. Et quamvis proinde nos in mutationibus rerumpublicarum divinæ providentiæ magnam vim adſcribamus, non admittimus tamen illam fatalem & inevitabilem neceſſitatem importari, ita ut ſublatis mediis omnibus, illi ſoli everſiones rerumpublicarum & quidem ſumme neceſſario adſcribantur, quippe quoniam hoc dogmate tollatur rerum contingentia, & omnes damnentur conſultationes & deliberationes. Quid vis veritatis ipſimet Nicolao Machiavello, parco alias Numinis cultori, expreſſerit, ut intelligatur, adferam quædam ejus verba ex cap. XXV. tractat: Principe. *Haud illud mihi obſcurum eſt*, inquit, *ejus ſententiæ complures eſſe, ac olim fuiſſe, ita rerum humanarum procurationem a fortuna omnino ab ipſoque Deo teneri, ut ab hominum prudentia nulla ratione corrigi queat, imo nullo poſſe occurri remedio. Ob id exiſtimari poſſet, in iis rebus non multo laborandum eſſe, ſed quo fortuna impellit, eo ſe ferri permittendum. Hæc opinio majori perſuaſione his noſtris temporibus propter rerum multiplicem converſionem recepta eſt, quodque nunquam non viſa ſint quotidieque videantur mutationes, extra omnem, quæ capi poſſunt, conjecturam. Hoc ego nonnunquam animo cum cogitaſſem, aliqua ex parte in id inclinaveram ſententiæ. Sed ne noſtrum arbitrium extinguatur, eam opinionem ſequor, ut alteram noſtrarum rerum partem fortunæ arbitratu procurari, alteram vel paulo minus nobis adminiſtrandam relinqui.* Et paulo poſt. *Non omnia ſibi agenda aſſumit Deus, ne nobis noſtrum eripiatur arbitrium, nec ea pars gloriæ, quæ nobis obvenit.* Præter vero Deum optimum maximum, alia cauſa ſupernaturalis mutationum earum, quæ in regnis aliisque rebuspublicis contingunt, nulla eſt. Quamvis enim diaboli magna ſit potentia, apud impios præſertim & infideles, qui malo illi ſpiritui, quæ Deus agit, omnia tribuunt, eumque in ido-

lis

Digitized by Google

lis ſuis divino afficere ſolent honore, imo quamvis ille in ſacris quoque monumentis princeps audiat hujus mundi, non mutantur tamen reſpublicæ, niſi Deo volente. Clarum fit id ipſum ex ſacra ſcriptura inprimis V.T. ubi maxime de variorum regnorum ortu & interitu agitur. Sæpiſſime ſane Deus per prophetas gentilibus etiam regnis minatus eſt, & denunciavit exitium, diſſipavit ea, deditque diripienda non ſolum Hebræis, ſed & aliis gentibus æque infidelibus. A malis geniis vero illas mutationes non profluxiſſe, vel illud argumenti eſt, quod interdum illi ipſi genii futuras mutationes omnino ignoraverint; quod proinde Deus illorum vatibus frequenter fecit per ſuos ſanctos prophetas exprobari.

XLVII. Antequam cauſas naturales mutationum examinemus, illas, quæ falſo tales habentur, prius paucis attingere operæ fuerit pretium. Et quidem non defuerunt, nec hodie etiam deſunt, qui aſtris vim mutandi reſpublicas tribuunt. Sententiam Hieronymi Cardani producit ſimulque ad abſurdum redigit Bodinus *lib. IV. c. II. n.* 389. Nititur quidem hoc fundamento aſtrologia omnis judiciaria, quæ apud magnates nonnullos in maximo ſolet eſſe pretio, improbata tamen ſemper eſt a ſacra ſcriptura. Deus ſane apud prophetam Eſaiam *cap. LXVII.* irridet Chaldæos aſtrologos, qui profitentes ex ſtellis futurorum cognitionem, communem Babyloniæ patriæ ſuæ, nec propriam poſſint providere calamitatem. Diſerte vero per prophetam Jeremiam *cap. VII.* ſuo populo prohibet, ne ab aſtrologicis pendeat obſervationibus, cum a ſignis cœli nihil mali ſit metuendum. Futurorum itaque eventuum cognitio, in ſcripturis, ſoli Deo vendicatur, ut veræ divinitatis ſignum Eſaiæ, *cap. LXI.* & *LXIV.* Sed accurate hæc omnia diſputare, nunc quidem non eſt noſtri muneris, cum magna ſatis eorum exſtet copia, qui erudititiſſime argumentum hoc pertractarunt. Cicero quid ſentiat, ex libro ejus de divinat. ſatis apparet, ſic vero inquit lib. 2. *Quis enim non videt & formas & mores, & pleroſque ſtatus ac motus effingere a parentibus liberos, quod non contingeret, ſi hoc non vis & natura gignentium efficeret, ſed temperatio lunæ cœlique moderatio?* Et paucis interjectis: *Quid? illudne dubium eſt, quia multi, cum ita nati eſſent, ut quædam contra naturam depravata haberent, reſtituerentur & corrigerentur a natura, cum ſe ipſa revocaſſet, aut arte, aut medicina? multi etiam naturæ vitium meditatione atque exercitatione ſuſtulerunt, ut Demoſthenem ſcribit Phalereus, cum dicere nequiret, exercitatione feciſſe, ut planiſſimum diceret. Quod ſi hæc aſtro ingenerata & tradita eſſent, nulla res ea mutare poſſet.*

XLIIX. Aſtrologicis vanitatibus perquam ſimilis eſt ſententia Platonis, rerumpublicarum mutationes & corruptiones numerorum viribus adſcribens. Memorat, ſed paucis, etiam hanc Ariſtoteles *lib. V. polit. cap. XII.* Confeſſi autem dudum ſunt acutiſſimi philoſophi, imo ipſius Platonis accuratiſſimi interpretes, ſibi nec numerorum hanc vim, vel ſi qua eorum talis aliqua vis eſt, ejus cauſam ignorari, ſed & in proverbium dudum abiit, ut numerorum platonicorum appellatio rebus obſcuris & ignorabilibus ſit data. Quemadmodum nihil tamen abſurdum adeo unquam exiſtit, quod non aliquis ſuſceperit defendendum, ſic Johannes Bodinus, novitatis forte unice accenſus ſtudio, in explicanda Platonis hac ſententia admodum eſt prolixus *lib. IV. de rep. c. II. n.* 410. Sed quæ profert itidem, Sibyllæ foliis ſunt obſcuriora, ut adeo vel hinc appareat, quantum numeris hiſce ſit tribuendum. Ille tamen non inepte rejicit Copernici delirium, qui rerumpublicarum converſiones ab eccentrici motu, quem terræ cum Eudoxo tribuit, dependere putavit. Videatur hac de ſententia Bodinus *lib. IV. de rep. c. 2. n.* 409. Videtur vero & Philippus Melanchton pariter & Peucerus numeris aliquam vim ſingularem mutandi reſpublicas, ceu apparet ex illius præcipue phyſicis, & hujus libro de divinatione, tribuiſſe. Sed non eſt, quod hiſce repetendis diu immoremur. Miſſis igitur cauſis naturalibus falſis, ad veras pergemus.

XLIX. Cauſas autem vere naturales corruptionis & mutationis regnorum, ut verbo nos expediamus, dicimus eſſe in univerſum illas ſublunares omnes, quæ materialem & efficientem cauſam mutare poſſunt ſive in melius, ſive deterius. Utraque cauſa quid ſit, quomodoque dividatur ex paulo antecedentibus conſtat. Mutatio autem illa fit morte, morbo vel damno accepto; ut ſi Rex prudens & aptus regendæ reipublicæ, in delirium cadat, vel tollatur e medio, miles morbo epidemico, vel alia aliqua lue abſumatur, conſiliarii & magiſtratus abripiantur, populus diminuatur, bona publica damnum capiant &c. In hiſce & ſimilibus profecto haud parvum ſitum eſt momentum. Cæterum ſingula perſequi, nunc quidem non licet, facile tamen a quolibet poteſt fieri, ſi accurate quamlibet cauſam ejusque partes examinaverit. Legi quoque merentur, quæ hanc in rem, ut ſolet, accurate diſſeruit vir nunquam ſatis laudatus, nunquam ſatis laudandus Hugo Grotius *lib. II. de jure belli & pacis c. IX.*

L. Tertio loco & quidem maxime attendenda venit cauſa moralis, ſeu homines; utpote qui ſoli præditi ſunt moribus, quibus, ſicut aliter atque aliter iſti ſeſe habent, ita regnum augetur vel imminuitur. Porro alii extra civitatem vivunt, aliæ ſuæ reipublicæ ſunt partes. Poſterioris ordinis ſunt vel regentes, vel illi, qui reguntur. Hi omnes, qui ſint, & quomodo dividantur, ex antecedentibus notum eſt. Movet vero Reges præſertim potentiæ augendæ ſtudium, ut raro ſtatu præſenti contenti, civilem in παμβασιλικὸν, hunc in tyrannicum velint mutatum: per autem noxiæ ſunt inter Regem & proceres diſcordiæ in mixtis regnis, cum nonnunquam tragicum ſoleant ſortiri exitum. Turbas omnium maximas dare poſſunt illi, qui reguntur, ſi vel omnes, vel maxima eorum pars, adverſus imperantes inſurgat. Obſervandi autem ſunt inter rebelles illos hi, qui genere ſunt nobiles, & prudentia valent, ſi nimirum tales non adſunt, numero etſi



Digitized by Google

ſint multi, utilitate tamen nonnunquam ſunt exigui. Comprehendimus vero numero nobilium non ſolum, qui generis ſplendore eminent, ſed omnes etiam in regia viventes familia, de quibus ad cauſam materialem nonnulla adduximus. Et vero, qui non ſunt nobiles, ſinguli rempublicam mutare raro poſſunt, primario quidem & per ſe; poſſunt tamen per accidens id omnes, qui pares ſunt Regi perimendo. Sic Henricus VII. Imperator nefarie necatus eſt a Johanne Politiano, Senenſi monacho ordinis prædicatorum, porrecto veneno (horrendum dictu) in pane euchariſtiæ. Similem fortunam expertus eſt Henricus III. Galliæ Rex, a monacho Jacobo Clemente, literas confictas ſibi offerente, cultro jugulatus, & Henricus IV. hujus ſucceſſor, qui in media Pariſiorum urbe Franciſci Ravalliaci manu periit. Quorum obitus haud parum reſpublicas concuſſit.

LI. Cæterum cauſæ, quæ movent homines, ut novis rebus ſtudeant, quærantque ſtatum evertere præſentem, plurimæ dari poſſunt. Collegit earum multas ſummus Philoſophus in lib. V. operis ſui politici, easque cuilibet ſtatui aſſignavit peculiares, quas tamen uni illi usque adeo eſſe proprias, ut alium, forſan plane diverſum, etiam non poſſint perturbare, minime eſt cenſendum, quod & ipſe accurate obſervavit *cap. X. lib. cit.* cum regnum dicit imitari ariſtocratiam, ac proinde morborum cauſas plane habere communes. Fatalia autem regno ſunt omnia illa, quæ odium vel contemtum ſubditorum parere poſſunt. Primum autem locum hic cum magiſtro noſtro tribuemus injuriæ, quæ, quomodo inferatur, & quotuplex ſit, optime docetur *l. c.* Hæc quantum noceat, monuit olim clariſſimus orator Iſocrates, quando in oratione *πρὸς Νικοκλέα περὶ βασιλείας* prudentiſſime ſic loquitur: *Μελέτω σοὶ τοῦ πλήθους, καὶ περὶ παντὸς ποιοῦ κεχαρισμένος αὐτοῖς ἄρχειν, γινώσκων, ὅτι καὶ τῶν ὀλιγαρχιῶν καὶ τῶν ἄλλων πολιτειῶν αὗται πλεῖστον χρόνον διαμένουσιν, αἵτινες ἂν ἄριστα τὸ πλῆθος θεραπεύσωσι. Καλῶς δὲ δημαγωγήσεις, ἐὰν μήτε τὸν ὄχλον ὑβρίζειν ἐᾷς, μήτε ὑβριζόμενον περιορᾷς, ἀλλὰ σκοπῇς ὅπως οἱ βέλτιστοι μὲν τὰς τιμὰς ἕξουσιν, οἱ δὲ ἄλλοι μηδὲν ἀδικηθήσονται, ταῦτα γὰρ στοιχεῖα πρῶτα καὶ μέγιστα χρηστῆς πολιτείας ἐστί. Curæ ſit tibi multitudo, & ſupra omnia fac, ut cum gratia ipſi imperes, cognoſcens, quod & imperia paucorum & aliarum rerumpublicarum diutius durent, quæ optime populum curant. Bene autem eum duces, ſi neque contumeliari ſinas, neque injuria affectum contemſeris, ſed videas, ut optimi quidem honorem habeant, alii vero non afficiantur injuria. Hæc enim elementa prima & maxima bonæ reipublicæ ſunt.* Aurea plane etiam ſunt verba, quæ in oratione ſub Nicoclis nomine habita reperiuntur: *Εἰδὼς γὰρ ἅπαντας ἀνθρώπους περὶ πλείστου ποιουμένους τοὺς παῖδας τοὺς ἑαυτῶν, καὶ τὰς γυναῖκας, καὶ μάλιστα ὀργιζομένους τοῖς εἰς ταῦτα ἐξαμαρτάνουσι καὶ τὴν ὕβριν τὴν περὶ ταῦτα μεγίστων κακῶν αἰτίαν γιγνομένην, καὶ πολλοὺς ἤδη τῶν ἰδιωτῶν καὶ τῶν δυναστευόντων διὰ ταύτην ἀπολλυμένους οὕτως ἔφυγον* &c. *Sciens, omnes homines magni facere ſuam prolem & uxores, & maxime iraſci in hasce peccantibus, & contumeliam circa eas maximorum malorum eſſe cauſam, & multos tam privatorum, quam potentum propter eam perditos, ita fugi &c.* Confirmant porro hæc omnium temporum hiſtoriæ. Quis ſane non audivit de motibus, Franciſco Rege Galliæ ortis, ob alapam a Rege iſthoc Carolo Borbonio inflictam. Narſes, Quæſtor primum Juſtiniani Imperatoris, tanta induſtria, ut ſummus Dux Italiæ factus, eam a multis malis liberatam optime gubernaverit, cum per contumeliam, quod Eunuchus, a Theodora Imperatrice, infenſa forte huic hominum generi, ad penſa in gynæceum redire juberetur, Longobardos duxit in Italiam. Octavus Rex Longobardorum Rodoaldus in adulterio eſt peremtus.

LII. Contemtus imperantium, animos ſubditorum ad rebellionem armat. Eſt enim teſte Seneca *lib. 1. de clement.* nihil aliud, quam vilis & abjecta de Rege opinio. Variæ autem ſunt cauſæ, per quas in contemtum trahi poteſt imperans. Si officio ſuo perperam fungatur: quamobrem imperio privatus eſt quintus Rex Longobardorum Adoaldus, & Imperator ignavus vinoque perpetuo madens Wenceslaus. Si multum ſit vitioſus & voluptati deditus, ut varius Heliogabalus, Sardanapalus alter dictus, ſed eo multo contaminatior: ſi ſit fallax, neque fidem ſervet: ut Imperator Didius Julianus, cum eſſet heluo & aleator, nec promiſſa daret militibus, contemtum ſtatim incurrit pariter & odium: ſi nugis & ineptiis delectetur, viliſſimisque ſeſe commiſceat hominibus, ut Nero inter pugiles, agaſones, ſaltatores, & id genus alios conſpicuus. Verbo, omnia, quæ Regem dedecent, ſubditorum contemtui eum exponunt, poſſuntque ad duo ſumma quaſi reduci capita, quorum primum in adminiſtratione regni, alterum in inſtitutione vitæ ſpectatur. Præter hactenus autem recenſita tyrannicus ſtatus peculiaria habet ſeditionum fomenta, qualia fere ſunt concordia ſubditorum, amorque mutuus, animus præterea generoſus & ſufficientes vires ad repellendam potentiam tyrannicam.

LIII. Cæterum hactenus quomodo regnum mutetur a cauſis internis, & ab iis, qui in illo vivunt, actum, paucis de externa cauſa cum egerimus, abſoluta erit hæc doctrina. Eſt autem hæc uno verbo vicina reſp. ſeu gens inimica, quæ ſi valet robore & potentia, facile alios infeſtat, quod teſtantur omnes hiſtoriæ. Adjuvantur autem nonnunquam hi exteri ab illis, qui vivunt in ipſo regno, quod ſane eſt periculoſiſſimum, ut videre licet in Polonia. Hæc de mutationum cauſis dicta nunc quidem ſufficiant; quamvis enim nobiliſſima hæc materia fuſius & accuratius

potu-

Digitized by Google

potuiſſet & debuiſſet explicari, abrupimus tamen ſermonem, ne omnino modum hæc noſtra excederet diſſertatio.

LIV. Nondum tamen omni ex parte officio noſtro forte ſatisfecimus, ſed reſtat adhuc aliquid omnino non prætereundum. Neq; enim cauſa efficiens, ſive principalis ſive inſtrumentalis ſemper mutat rempubl. ſed gnaviter aliquando laborat, ut ſalva maneat, cum alias etiam ſibi immineat periculum. Quinimo neque cauſa materialis, ſeu illi, qui reguntur; ſemper adeo proni ſunt ad evertendum ſtatum præſentem, ſed aliquando acriter reſiſtunt eis, qui tale quid forte conari velint. Quia tamen hi omnes ſolent mutare interdum regna quidnam adeſſe debeat, ut conatus eorum effectum ſortiantur, paucis eſt conſiderandum.

LV. Ut vero homines aliquid rerum novarum moliantur, neque fruſtra laborent, duo in univerſum requiruntur, voluntas ſcilicet & facultas, quæ nimirum ad omnem etiam actionem humanam debent concurrere: utraque ſi adeſt alicui, ille pro lubitu nocere poteſt reip. alterutra ſi deſit, nihil agitur, neque motus ſunt metuendi. Voluptatis quæ ſit natura, præclare docet Philoſophus III. *Eth. Nicomach. cap. IV.* Habet illa ſcilicet ita ſeſe, ut in univerſum omne quicquid velit, nonniſi boni alicujus gratia expetat, non quidem ejus ſemper quod vere eſt bonum, ſed ſæpe, imo per frequenter ejus, quod non niſi apperenter atque in ſpeciem eſt bonum. Inter hæc vero vulgus maximi quidem facit voluptatem, unde & Ariſtoteles dicit: *multitudo a voluptate decipi videtur, quippe cum non ſit bona eſſe videatur. Itaque plerique appetunt voluptatem, ut bonum, dolorem aſpernantur ut malum.* Itaque vulgus quidem ſæpe ad motus concitandos ducitur voluptatis fruendæ ſtudio. Cum alii porro ducantur ſtudio opum, alii honorum, non deſunt, qui itidem moventur, ſive hujus ſive illius ſtudii ductu.

LVI. Ceterum voluptatis gratia pauci tale quid facere aggreſſi ſunt, quoniam nimirum tales motus periculo non carent, ſed difficultates pene infinitæ tale quid etiam cogitantibus imminent. Frequentiores vero ſunt motus ob honoris & potentiæ ſtudium, queis ſcilicet maxime capitur animus aliquis generoſus. Et quidem fieri hoc ſolet, cum ab aliis, qui in ipſo regno vivunt, tum qui foris ſunt; nec vero ſi adſit commoditas illis ingeniis, niſi magna ſint virtute, quales ſunt pauci mortalium, ſolent illi mutationibus dare operam. Hinc ſane periculis multum expoſita eſt illa reſp. quæ vicinam habet gentem egenam, ferocem præterea & bellicoſam. Hæc enim ut inopiam ſuam, cum qua domi conflictatur, expleat, libenter infeſtat vicinum populum, quod in vicinis ſibi Tartaris regnum Poloniæ quotidie fere experitur.

LVII. Fiunt porro motus multi etiam virtutis ergo, vel ſaltem ſpecie virtutis & prætextu. Si nempe Rex ſit impius & injuſtus, vel ſit in opinione impietatis atque injuſtitiæ: adverſus illum ſæpe ſurgit populus pietatis & juſtitiæ tuendæ nomine.

LIIX. Ac voluntas quidem moventium hiſce de cauſis agitatur, non tamen hæc ſola, ut aliquid agatur, ſufficit, cum apud læſos & iratos nunquam deeſſet, ſed omnino etiam debet adeſſe facultas. Ut autem ſciatur, quid unusquisque in qualibet actione poſſit, æſtimanda eſt ejus poteſtas, habito reſpectu ad id, quod agendum ſuſcipit, prout enim illa ſe habet ad rem gerendam, ita id quod in animo cui eſt, deducere poteſt in actum. Hinc apparet in omni regno ab eo, qui regit, facile ſtatum, qui nunc eſt, poſſe mutari: etſi enim omnia fortaſſis non poſſit, maxima tamen ejus eſt potentia, niſi forte deſit voluntas, cum rebus præſentibus contentus bene ſibi eſſe ducat. Obſervandus quoque eſt totus populus, qui ſi movetur, ducemque inſuper habet, Rex vix poterit reſiſtere. Neque omnino negligendi ſunt pauci, qui tamen an ſint nobiles vel ignobiles, multum intereſt. Etſi enim ob vires ſuas tenues remp. per ſe quidem mutare pauci nequeant, concitando tamen populum, aut vicinum potentem in auxilium vocando, vel in regis vitam conjurando, regnum in diſcrimen poſſunt adducere. Scire autem, an mutatio futura ſit, nec ne, id demum prudentis eſt: neque enim divinatio politica levis conjectura tantum eſt, ſed nititur certiſſimo aliquo argumento: legi autem & expendi hanc in rem commode poterunt, quæ Ariſtoteles II. *Rhet.* de poſſibili & futuro eleganter diſſerit. Sed temporis & inſtituti ratio jam quidem filum jubet abrumpere. Rogabimus itaque Deum opt. max. ut omnes chriſtianas reſp. contra vim exterorum tueri, pacemque nobis indultam, firmam ſervare clementer velit.



Digitized by Google

# XXXV.
## HERMANNI CONRINGII DISSERTATIO DE
# RECTA IN OPTIMA REPUBLICA EDUCATIONE

*RESPONDENTE*
**BENEDICTO GUSTAVO CARLSTROHM SUECO.**

ANNO MDCLXV.

§. I.

Ut duo ſumma ſunt rerum civilium momenta, quorum quaſi cardinibus incluſa tenetur & vertitur omnis vita humana, BELLUM ſcilicet & PAX, Διῄρηται δὲ πᾶς ὁ βίος εἰς πόλεμον καὶ εἰρήνην. *Dividitur enim omnis vita in bellum & pacem*, dicente Philoſopho 7. *Polit.* 14. *p.* 484. *m.* 1. *Pol.* 3. *p.* 16. & *Inſtit. Juſtin. Proem. inter quæ nihil eſt medium.* Cic. *Philippi* c. 8. Grot. *de jur. Pac. & Bell.* 3. 21. §. 1. Gell. Noct. Att. Ita *duo* ſunt humanæ ſocietatis, recte ſeſe habentis præcipua fulcra, quibus noſtræ felicitatis maxima pars ſuſtentatur, debetque vitam, quam trahit, EDUCATIO ET LEGES, quæ ſunt quaſi faces geminæ, aditum nobis præbentes ad perfectam virtutem civilisque ſocietatis felicitatem, quantam hæc ſimulachra virtutum capere poſſunt. His fine, nulla unquam reſpubl. ſtetit aut ſtare poteſt. Ariſt. 4. *Pol.* 4. *p.* 235. 1. *Rhet.* 1. §. 13. *ſeqq.* Tacit. 1. *Annal.* Horat. *lib.* 1. *Epiſt.* 16. *v.* 52. Iſtius tamen major vis & majus ad virtutem momentum, tum quia vilia omnia ſcelera odio habent, ad virtutem recta inſtitutione propenſi, talesque ſponte faciunt, quæ cæteri metu legum inviti. Nam

*Oderunt peccare boni virtutis amore,*
*non - - formidine poenæ.*

tum quia probe educatis LL. *opus non eſt, quia ſua recte agunt.* Michiavell. *Diſcurſ. ad liv.* 1. *c.* 3. *p.* 33. *ex edit. Reiſſenb. Lex enim juſto poſita non eſt*, 1. *Tim. I.* 9. ſed ideo inſtituta, ut improbos compeſcat & juſti tuti ſint. Nam ut longe peritior ille medicus habetur, qui in morbo aliquo curando cauſam mali removet; quam is, qui ſuperficiaria curatione in tempus aliquod vulnus ſanat, & dein ad quamlibet recrudeſcentis mali vicem partem aliquam abſcindere cogitur. Ita longe excellentioris virtutis opus, ſuos a teneris ita educare, ne peccent, quam cum peccaverint, tam crudeliter vindicare. Nam ut medicus, in putridi corporis ſanatione, cauſa non reciſſa, fruſtra eſt, quia quamvis unam partem poſt alteram abſciderit, latius tamen ſerpat malum; Sic & LLtor fruſtra leges condit, fert, vetat, jubet, punit, ſuſpendit, decollat, morte afficit; niſi a teneris malorum iſtorum omnium fomitem eradicaverit, bonaque educatione affectus & perturbationes repreſſerit, quibus quamdiu *quis ducitur, nunquam auditurus dehortantem a vitiis, neque rationum & præceptorum momenta intelligit*, 10. *Eth. Nich.* 9. §. 16. vitiis jam crebris actuum iterationibus in naturam tranſeuntibus, quam

- - *expellas furca, tamen usque recurret*, Horat. *lib.* 1. *Ep.* 10. *v.* 24.

Cujus efficacem potentiam Lacedæmoniis olim ſuis cum demonſtrare ſatageret, magni nominis legislator Lycurgus, duos produxit eadem cane genitos catulos, quorum alter dum dimiſſus, ollam adortus juſculentam in medio poſitam, alter ea omiſſa leporem inſectatus, juxta ſuum uterque morem a teneris ſibi familiarem. Plut. *l. de educat. puerorum & in Apophteg. Lacon. p.* 333. *ex edit. Xyland.* Ita humanarum actionum varietas a prima *dependet educatione*, (*a*) adeo ut quibus diſciplinis erudiamur a pueris, qualiacunque ſtudia ſectemur juvenes, ipſa per omnem deinceps vitam redoleamus. Quæ optime perſpecta habuit Plato, cum de tribus tanquam maximis in ſe beneficiis conlatis Deo gratias agere ſolebat. 1. Quod ſe crearit maſculum, non fœminam. 2. Græcum, non barbarum. 3. Quod ſe naſci Athenis fecerit, tempore Socratis Philoſophi optimi. (1) Probe notum

*Quo ſemel eſt imbuta recens ſervabit odorem,*
*Teſta diu.* Horat. 1. *Ep.* 2. *v.* 69.

*Difficulter enim eraditur, quæ rudes animi perhiberunt. Conchylia in priſtinum candorem revocet? recens teſta diu, & ſaporem retinet & odorem, quo primum imbuta eſt.* Horatium imitatus Divus Hieronymus

(*a*) *Dependet educatione*) Vid. *The gentelmens Calling ſect. IV. p.* 19. *A treatiſe concerning the education of youth by* GAILHARD *the firſt part. p.* 1. *ſeqq. of education the firſt part. ch. II.*

nymus *in inſtit. filia ad Lætam.* Sic nullus facile illos dediſcet mores, aut eam exuet vitam, ad cujus rationem ab incunabilis adſuevit; nec iſtum ſermonem, quem cum lacte materno primitus imbiberit, facile obliviſcetur, *dedidiſcimus enim id ſero, quod didicimus diu* Piccart. *in* 4. *Pol. Ariſt.* c. 1. ἔϛιν ἐκ ἔλαττον ἔργον τὸ μεταμανθάνειν τῦ μανθάνειν ἐξ ἀρχῆς, non eſt minoris laboris dediſcere, quam a principiò diſcere. Ariſt. 4. *Pol.* 1. *p.* 219. Hujus igitur tanta vis, tantumque momenti in ea ſitum cum ſit, de moribus noſtri ſeculi, quibus hodie vivitur, non conqueri non poſſum, cum vulgo nihil intereſſe creditur, ater an albus quis ſiet, quo quisque modo vel educatur vel vivit. Et fac, ajunt, ſocietati domeſticæ immorigerum & male educatum filium aliquid obeſſe, communioni tamen civili reipublicæque quid unus alterque homuncio faciet? quibus 1. dictum volo, præclare nobiſcum agi, ſi hac fini malum iſthoc ſtaret; Sed, proh dolor! latius per domos, vicos, civitates, imo per totas regiones & regna ſerpit, virusque ſuum diſſeminat. 2. ὅτι ἄιτιον τῶν μεταβολῶν καὶ τὸ μικρόν ἐϛιν, quod prudenter obſervavit Ariſt. 5. *Pol.* 7. *p.* 330 imo neglectum ſæpe magnis motibus occaſionem præbuit. Stobæus *c.* 41. *de republ.* Nec hoc 3. inter τὰ μικρὰ eſſe, obſervatum Ariſtoteli, ex profeſſo de cauſis respubl. conſervantibus, differenti, ſed inter maxima poſitum, notat Magnificus Præſes, Hoſpes ac Præceptor meus nunquam a me ſine reverentia nominandus, in opere nunquam ſatis laudato *de civili prudentia cap.* 6. Ubi adſerit nihil ad rerumpubl. conſervationem magis facere, ex omnibus illis quæ hactenus, ab ipſo adlata fuerant, quam παιδεύεσθαι πρὸς τὰς πολιτείας 5. *Pol. cap.* 9. ad democratiam populariter, ad oligarchiam oligarchice, τὴν δὲ τῦ μέρυς πρὸς τὴν τῦ ὅλυ δεῖ βλέπειν ἀρετήν. Virtutem enim partis ad virtutem totius opus eſt reſpicere. Ariſt. 1. *Pol. p.* 51. clauditque librum & caput, ἀναγκαῖον πρὸς τὴν πολιτείαν βλέποντας παιδεύειν. καὶ τὺς παῖδας, καὶ τὰς γυναῖκας εἴπερ τι διαφέρει πρὸς τὸ τὴν πόλιν εἶναι σπυδαίαν, καὶ τὺς παῖδας εἶναι σπυδαίυς, καὶ τὰς γυναῖκας σπυδαίας. Confer. Ariſt. c. 1. 7. *Pol.* 13. *p.* 480. 8. *Pol.* 2. §. 507. 1. *Rhet.* 5. §. 16. 7. *Pol.* 15. *p.* 488. & nos ſi tanti ſit, ad eundem locum, ubi pluribus hæc agimus. Imo adfirmare auſim a bona aut mala educatione vel ſalutem vel interitum reipubl. *dependere*, (*a*) præſertim cum 4. Quales ſingulorum ſunt in civitate mores, talis tota eſt futura civitas, totam nempe civitatem ſingulorum trahentibus moribus, quæ eſt ratio argumentorum prius adlatorum.

II. Paucis etiam alterum reipubl. fulcrum, quod diximus LEGES eſſe, contemplabimur. Sunt hæ fundamentum firmum reipublicæ, quo ejus ſtatus fulcitur & continetur Ariſt. 4. *Pol c.* 4. 1. *Rhet.* 1. §. 13. per quas aperit ſubditis ſuam voluntatem majeſtas, eosdemque retinet in officio; qui amore virtutis ſponte ſua recta ſi agerent, legum vi opus non eſſet, ut ante monuimus, ſed cum vulgus hominum prave educatum *neceſſitati potius pareat, quam rationi, item damnis & pœnis citius, quam reſpectu honeſti in officio contineatur.* 10. *Eth. ad Nich.* c. 9. §. 25. ideo legibus opus eſt, ut quos virtutis amor a vitio non abſterret, eos ſeveritate diſciplinæ & formidine pœnæ cogat. *Habet enim lex vim ad cogendum valentem, cum ſit ratio a prudentia & mente profecta,* 10. *Nich.* 9. §. 35. Sed vanæ ſi non quoad executionem, tamen quoad ſcopum, ad quem collimare debent leges ſine educatione proba, ὄφελος γὰρ ὐθὲν τῶν ὠφελιμωτάτων νόμων, καὶ συνδεδοξαμένων ὑπὸ πάντων τῶν πολιτευομένων, εἰ μὴ ἔσονται εἰθισμένοι, καὶ πεπαιδευμένοι ἐν τῇ πολιτείᾳ, *nullum emolumentum capitur ex utiliſſimis legibus, & quæ probatæ ſunt judicio cunctorum, qui dant operam reipubl. niſi erunt adſueti & inſtituti bene.* Ariſt. 5. *Pol.* 9. *p.* 346. *m.* Ex quo principio recte Seneca, *Epiſt.* 94. *ubi aliqua res excoecat animum, nihil agit, qui præcipit; Nihil enim proficient præcepta, quamdiu menti error obfuſus.* Hinc Iſocrates in *Panath.* & *Areop.* laudat antiquos Athenienſes, quod porticus legibus non impleverint, nec id primum reſpexerint, ut pœnæ criminibus præfinerentur, ſed ita voluerint cives primum inſtituti, ne velint quid pœna dignum committere. Quo oculum intendit, tam ingenio & virtute, quam loco magnus, Magnus Angliæ Cancellarius Thomas Morus in elegantiſſimo ſuo de Utopia opuſculo *lib.* 2. *p. ex edit. Janſon.* 62. ubi in hunc modum

(*a*) *Dependere*) Præſertim igitur oportet, ut ille bene educatus ſit, qui alios regere debet. Quid in republica recte curanda obſervandum, a nullo, quam patre, hac defuncto ſparta rectius addiſcere poteſt, qui Davidis exemplo Salomonem erudientis ſalutaribus præceptis ipſum imbuat, aut commentarios de regno, ad exemplum Auguſti, conſignet, quibus ſucceſſor inſtrui queat. TACITUS *lib. I. annal. c. II.* & AMELOTUS *in notis.* Cumque ſæpe parentibus non ſit datum, ut hoc liberos beneficio, reipublicæ maxime ſalutari, afficiant, & regius iſte labor non niſi artes rectorias & arcana imperii reſpiciat, alia autem præterea rempublicam moderaturo addiſcenda ſit, & inprimis allaborandum, ut elegantioribus & principe dignis moribus imbuatur, paſſionibusque recte moderari noverit, ephoro, quem WAGENSEILIUS *in tractatu de educatione Principis*, vocabulo, Ariſtoteli noto, aulis tamen forte ridiculo, Chironis inſigniri vult, Principis educatio committenda, cui deinde imperium in eos, qui Principis ſcientiam, & corporis habitum formare debent permittendum. Quod autem prudentiam & artem rectoriam, nec non mores Principe dignos attinet, ut de eis Principi educando inſpirandis ipſe ſit ſolicitus oportet. Ut autem eo facilius Princeps juvenis ipſius monita ſequatur, conducit, ut, præter cætera arduæ hujus provinciæ requiſita, illuſtri ſit natus loco. Audiamus hac de re differentem SAVEDRAM *ſymbol. polit. I. p. 2. opp.* *Però porque non ſiempre ſe hallan en los padres las calidades neceſſarias para la buena educacion, ni pueden attender a ella, conviene entregallos a maeſtros de buenas coſtumbres, de ſciencia, y experiencia y a ayos de las partes, que ſennala el Rey don Alonſo en una ley de las partidas: onde par todas eſtas razones deben los Reys querer bien guardar ſus ſiyos, & eſcoger tales ayos, que ſean de buen linaje, e bien a coſtumbrados &c. A que annado, que ſean tam bien de gran valor, y generoſo eſpiritu, y tan eſperimentados en las artes de la paz, y de la guerra, que ſepan enſennar a reinar al principe.* Multi exſtant libri, qui circa Principis educationem verſantur. Pauciſſimi vero ab iis ſunt conſcripti, qui ad rempublicam regendam adhibiti, aut in aula verſati fuerunt. Egregia multa continet VARILLASII *liber*, qui inſcribitur *la pratique de l' education des Princes, & la veritable education d' un Roy.* Vid. quoque *maxims of State by the marquis of Argyle of education. chap. II. III. IV. V. VI.*



Digitized by Google

dum diſſerit. *Veſtra in vindicando furto* ( de iis n. loquitur) *juſtitia, ſpecioſa magis, quam aut juſta aut utilis; ſiquidem peſſime finitis educari, & mores paulatim a teneris annis corrumpi, puniendos videlicet tum demum, cum ea flagitia viri deſignent, quorum ſpem de ſe perpetuam, a pueritia usque præbuerunt. Quid aliud, quæſo, quam facitis fures & iidem plectitis?* Sic ingenioſe more ſuo exagitat, vir ſummus, perverſam educandi rationem, eamque non qua deberet cura ac diligentia ſuſceptam. Sed de his ſat, cum & in prioribus de iis egimus & prolixe forſan, omnia tamen ideo, ut educationis probæ in republ. vis efficaciaque ad liquidum pateret.

III. Quam cum nemo mortalium vel magis norit & proſpexit; vel, tam in ultimo *lib. Eth. ad Nichom. c. ult.* & tribus poſtremis libri ſeptimi capitibus, libroque integro, [ ſi nomen integri id meretur, quod dimidia ſui parte abeſt ] Octavo, qualis hodie facies eſt politicorum Ariſtotelis expreſſit. Ideo ipſius veſtigia ſequi placuit, examinaturi doctrinam ſummi Philoſophi de educatione in optima republica, quomodo videlicet ea ſe habeat, in quibus bene, vel minus recte, ſeſe geſſerit, & in quibus defecerit, incertum an vitio ipſius, vel temporis. Quod poſterius ut credamus, facile adducimur, quia hic liber octavus lacunis ſcatet, locis hiantibus & mutilatis fœdatus eſt, maximaque ipſius pars ſummo eruditorum non minus damno, quam dolore periit. Vid. ampliſſ. Præſidem in *introd. in politica Ariſtot. c. 6.* Et ſiquidem non exiguum ingenui hominis indicium eſſe ſemper exiſtimavi, profiteri, per quos profeceris, ut e contra ſtolidi & ambitioſi alienis plumis ſeſe oſtentare adfectantis: ideo ingenue profiteor & ſcire omnes volo, quorum in manus hic libellus forte fortuna pervenire poteſt, me ex meo penu vel nulla, vel pauca deprompſiſſe, ſed fere omnia ex diſſertationibus magnifici Præſidis, in Ariſtotelem habitis, exque ore diſſerentis, hæc hauſiſſe, paucis ſolum vel additis, vel excluſis, vel immutatis, ut ordini ratio conſtaret. Utinam ea, qua deberet merito, & doctrina hæc ſummi Philoſophi ſat ardua, ſat intricata requireret, diligentia, hunc adornaſſem contextum, fidusque eſſem magni Præſidis verborum interpres; eſſet, quod mihi gratularer. Sed cum me in omnibus hæc non adſequutum eſſe, mihi tam ſuffenus non ſim, quin video, lubensque ipſe adgnoſco,, ideo magnopere mihi excuſandum eſſe intelligo. Quod facile ab iis ſpero, qui communis humanæ ſortis memores; *hominem me eſſe & adhuc juvenem.* Petron. *Satyr. c. 9.* imo peregrinum omni librorum ſupellectile deſtitutum, & quod rem conficit, novo itineri accinctum, dum alia cogitem loca, ideoque nimis deſtrictum, quo minus his, ut libenter volui & debui, vacare potui, cogitent. Reliquos triſtes & ſupercilioſos alienæ vitæ cenſores, ſuæ hoſtes, publicos poedagogos, aſſis ne facio, dum nullam, niſi obſequii gloriam aucupor, cum tanti viri mandatis paruerim, qui ea, qua me meaque proſequitur ſtudia, benevolentia, hanc provinciam mihi inter alios nobiliſſimos juvenes demandare placuit. Quam lætus lubensque inter abitus cogitata ſuſcepi, mihi gratulatus, quod tanti ſub ducis, tot præliis clari, tot victoriis inclyti, auſpiciis & ſignis militare licuit. Sed *cum nihil rite, nihil providenter ſine Deorum immortalium ope conſilioque fieri poſſit* Plinii *panegyr. Trajano dict.* ideo

*Tu rege conſiliis actus, pater optime noſtros,*
*Noſtrum opus, ut laudi ſerviat omne tuæ.*

IV. Ariſtoteles ultimo Ethicorum ad Nicomach. tam libro, quam capite, eleganter probavit fontem & radicem virtutis eſſe inſtitutionem probam firmamque reipublicæ columnam, dum feliciter ad finem perducto de moribus opere, iſtoque fundamento jacto, libros politicorum illis ſuperſtruit, aditumque ſibi ad eos parat, præcipiendo, præcepta in Ethicis tradita, ad uſum in vita civili & republica deduci debere οὐκ ἔϛιν τοῖς πρακτοῖς τέλος τὸ θεωρῆσαι ἕκαϛα καὶ γνῶναι, ἀλλὰ μᾶλλον τὸ πράττειν αὐτά. *Sic*, addit 10. *Nich.* 9. §. 3. *virtutis non ſola notio ſufficit, ſed actionem uſumque accedere oportet.* Ex qua occaſione venit & diſquirit, quomodo quis virtutis particeps fiat, nempe ſi bene ſit a teneris educatus, ut præceptis & monitis pareat, nec perturbationibus regatur, *bene nata & honeſtatis amantia ingenia admirabili quodam virtutis amore inflammantur. ibidem* §. 6. τοὺς δὲ πολλοὺς ἀδυνατεῖν πρὸς καλοκἀγαθίαν προτρέψασθαι, ſcilicet præcepta & doctrina, rationem ipde addit Philoſophus, *quia pudore legibus non parent, ſed metu; neque a pravis abſtinent propter dedecus, ſed formidine pœnæ* §. 7. qui autem hoc? *Quia perturbationibus reguntur, ſibi notas voluptates ſequuntur, & illa, quibus hæ parantur. Vere honeſtarum autem vereque jucundarum rerum ne cogitatio quidem ipſis ulla ſubit, utpote quod earum nunquam quicquam guſtarint. Tales igitur homines quæ ratio poſſit corrigere, & a vitiis ad virtutis reſpectum traducere? Nunquam fit enim, aut certe difficillime, ut longo tempore inveterati mores oratione extirpentur.* §. 8. §. 9. §. 10. §. 11. Tandem concludit & docet, quid faciendum. *Oportet animum auditoris a teneris excoli, ut recte gaudere ac dolere poſſit* §. 14. *Qui ergo ſit in bonum virum evaſurus cum oportet bene educatum eſſe, bonisque moribus imbutum* §. 31. 1. *Pol.* 8. §. 51. *f.* 8. *Pol.* 1. *p.* 505. & 2. *Pol.* 2. *p.* 104. *ideoque Educationem & Exercitationes legibus eſſe ordinatas neceſſe eſt. Uſu enim & conſuetudine id adſequentur, ut talia ſint eis minime moleſta* §. 23. 7. *Pol.* 7. *p.* 500. Hæc quia & elegantiſſima ſunt & plurimum ad rem præſentem faciunt, ideo ea in medium adferre mihi grave non fuit. Ex quibus patet, quod antea ſæpe indigitavimus, in educationis recta adminiſtratione, magnam partem humanæ noſtræ felicitatis verti, quod erat ex hoc Ariſt. loco demonſtrandum. Si ergo beatam vis rempublicam, cives virtuti deditos, ſubditos legibus obtemperantes, tunc libidines & cupiditates, in quas maxime prona fertur juventus 2. *Rhet.* 12. §. 3. 10. *Nic.* 9. §. 21. preme, doma. Ceream

adhuc

Digitized by Google

lhuc ætatem flecte in mitiores *mores*, (*a*) antequam ad maturum pervenerit robur. Adſueſce ppetitum imperio rationis obſequentem ſtare,

- - *qui niſi paret,*
*Imperat; hunc frenis, hunc tu compeſce catena.* Horat. *lib.* 1. *Epiſt.* 2. *v.* 6.

ne cum tempore fruſtra ei imperetur, qui obedire non didicit. Ariſt. 5. *Pol.* His tanquam ex hicis petendis præſuppoſitis, adgreditur Ariſtoteles civem omnibus numeris abſolutum in re-ıbl. optima inſtituturus, ac de educatione ex profeſſo acturus, idq; more ſuo in practicis uſita-,finem, ad quem omnia collimanda veniunt, ultimumque quamvis effectione, intentione ta-en agentium primum, reſpicit; ad quem educatio optimi civis conformari & dirigi debet. Quo e cognito, media, ad finem iſtum conſequendum facientia, proponit. Quem colligit Ariſto-es 7. *Pol. cap.* 2. *p.* 428. 7. *Pol.* 15. *p.* 488. 1, *Pol.* 1. *p.* 1. ſupponendo. *Eundem finem eſſe ſingulis minibus totique civitati.* Quis autem ſit finis, quem ſectari debet optimæ reipubl. civitas, lu-lenter in prioribus cap. lib. 7. expoſuit, tam refutando eos, qui vel divitias, vel amplos imperii rminos eorumque dilationem, vel potentiam bellicam pro ſcopo reipubl. habent, quam po-endo in libero virtutis exercitio, cum rerum neceſſariarum abundantia, quem & eundem privati ominis eſſe, conſtat ex Ethicis. Virtutibus ergo imbuendi a teneris cives, ut evadant apta rei-ubl. membra, quo collimat Educatio omnis. Et ut antea dictum, vitam omnem dividi in Bellum x pacem; ita ad duo ſumma hæc momenta *educandi cives*, (*b*) nempe ut bene ſe habeant ad pu-licos & privatos uſus, tam tempore pacis, quam tempore belli. Ita tamen, cum *omne bellum pro-ter pacem, negotium propter otium, utile propter honeſtum ſit* Ariſt. 7. *Pol.* 14. *p.* 484. 7. *Pol.* 15. *p.* 489. .8. *Pol.* 3. *p.* 435. vel ad minimum jure eſſe debeat, ita *Φανερὸν ὅτι δεῖ τὰς εἰς τὴν σχολὴν ἀρετὰς ὑπάρχειν.* 7. *Pol.* 15. *p.* 488. *manifeſtum eſt oportere virtutes, ad otium facientes, adeſſe*, cum ſine his otium recte coli non poteſt. 7. *Pol.* 15. *p.* 499. Inſtituendi ergo quam maxime cives ad negotia pacis, & virtutibus otia neceſſariis imbuendi, quo ſciant honeſta utilibus præferre. *Ὥστε πρὸς τούτους τοὺς σκοποὺς, καὶ παῖδας ἔτι ὄντας παιδευτέον, καὶ τὰς ἄλλας ἡλικίας ὅσαι δέονται παιδείας.* Quare ad hos fines & pueros adhuc erudire oportet cæteras ætates, quæcunque egent diſciplina. 7. *Pol.* 14. *p.* 485. Hic eſt educationis ſcopus, quem ſpecta. Hic eſt Rhodus, ſalta.

V. Fine jam cognito, ſequitur, ut media cum Ariſtotele conſideremus, per quæ, & quorum vi finis i. e. virtutum participes fieri poſſunt cives, *δεῖ δ' ἐν ταῖς τέχναις καὶ ἐπιστήμαις ταῦτα ἀμφότερα κρατεῖσθαι, τὸ τέλος, καὶ τὰς εἰς τὸ τέλος πράξεις*, *opus eſt in artibus & ſcientiis utrumque tenere & finem & actiones, quibus finis comparatur.* 7. *pol*, 13. *p.* Quia in his duobus, cujusque rei bonitas & rectitudo conſiſtit.

VI. Virtute ergo inſtructi reddimur, partim dotibus *naturæ*, partim *conſuetudine & educatione*, partim *ratione*. 7. *pol.* 13. *p.* 479. 7. *pol.* 15. *p.* 491. 10. *Nich.* 6. §. 12. Plutar. *de lib. educ.* Hæc tria requiruntur in iis, qui beatitudinis civilis participes eſſe deſiderant. *Τὸ μὲν οὖν τῆς φύσεως δῆλον ὡς οὐκ ἐφ' ἡμῖν ὑπάρχει, ἀλλὰ διά τινος θείας αἰτίας.* Quod ad naturæ donum attinet, non eſt id penes nos, ſed divina quadam ex cauſa ineſt vere felicibus. 10. *Nic.* 9. §. 13. Conring. *de civil. prud.* c. 13. *p.* 252. & 253. Plutar. *in educat. liberor. cap.* 3. Hæc primum requiritur, tanquam ſolum, in quo ſemen hoc virtutis adoleſcere debet. Nam ſicut non quodvis ſolum aptum ad uberes ferendos fructus, verum aliud petroſum, aliud ſterile, aliud aliquo alio laborans vitio: ita non quodvis ingenium, nec quælibet natura apta. Et ut quædam terra, quamvis natura non frugifera, cultu tamen humano redditur ferax, quædam econtra operam omnem reſpuit, adeo ut in ea excolenda fruſtra ſis. Eodem modo ſe habet ingenium humanum. Eſt ergo id primus ad honeſtatem adſequendam gradus, ſine quo ad virtutem & civilem felicitatem vix quiſquam pervenire poteſt. Vide D. Conringium præclare diſſerentem, in opere antea laudato, *de civ. prud.* c. 13. *p.* 253. *ſeqq.* de *ingenio* (*c*) & iis, quæ in politico & in actu rerum verſaturo requiruntur. Stolidum enim & his naturæ dotibus vacuum, ad felicitatem virtutemque informare ſi deſideres, operam perdis, littus aras, ſemina projicis, quia natura non vincitur. *Naturæ repugnare nihil attinet, nec quicquam ſequi, quod adſequi nequeas: Hæc velut dictator quidam domeſticus, cui parendum, vel violenter reſiſtendum eſt.* Cic. 1. *offic.* Sen. *de tranquillitate animi c.* 6. Hinc Ariſtoteles, teſte Gellio *noct. atticar. lib.* 20. *cap.* 4. neminem ad philoſophiam audiendam admiſit, niſi cujus ingenium ante exploraſſet, quod inſtitutum valde commendantem lege Mag. *Conringium* (*d*) in oratione altera de laudibus Ariſtotelis. Quæ ibi legi poſſunt, indicare enim nobis

(*a*) *Mores*) *Of education part. I. ch. IX.*

(*b*) *Educandi cives*) *Of education of youth at home p.* 9. *ſeqq.*

(*c*) *Ingenio*) Varia ſunt mortalium ingenia, ut variis finibus, quos in condendo mundi noſtri ſyſtemate potentiæ primæ intendere placuit, varie inſervire queant. Alia ſunt theoretica, alia practica, alia ad inveniendas res, alii vero ad eas diſponendas & aliis communicandas ſunt aptiora, alia ſunt ordinaria, quæ ante tempus non matureſcunt, alia extraordinaria & præcocia, quæ ætatem ferre non ſolent, exceptiones tamen a regula habemus in Bellarmino, Peronio, Torquato Faſſo, Pico Mirandulano, Grotio, Paſcalio, Scaligero, Lipſio, aliisque. Vid. *part. I. ch. X. of education*: alia ſunt ſerotina & lenta, quæ poſt ordinarium demum tempus ſe manifeſtare ſolent: alia denique ſunt acuta, alia ſtupida; alia velocia, alia ſolida, illa facultate, quam ingenium ſtricte vocant, pollent, & ad veroſimilitudinem excitandam, & latibula pigmentaque invenienda aptiora, hæc judicio valent, & ad verum a falſo, bonum a malo diſtinguendum magis ſunt idonea. Illa ſunt aſtuta, hæc prudentia. Quod ſi itaque diverſis, quæ in vita humana occurrunt, negotiis hæc ingenia aptari debent, ſelectus eorum fieri debet, & quæque provinciæ, ad quam aptiora eſſe creduntur, conformiter neceſſariis ſunt imbuenda doctrinis. Qui munus, ſeparandi a ſe invicem ingenia, eaque certo deſtinandi vitæ generi ſuſcipere vult, & artis conjecturandi & rerum periti eſſe debent.

(*d*) *Conringium*) & *Zeidl. introduct. in lect. Ariſtot. ejusque prodromum.*

Digitized by Google

bis, quia præclara; non exſcribere, quia nimis diffuſa; libuit. Porro ut magnæ ſunt naturæ vires, adeo ut oleum operamque perdat, qui ſeminiis ejus repugnet; ita præclara & cœlo delapſa anima eorum, quorum de meliore luto finxit præcordia Titan, nullius uſus vel exigui, niſi ſtudio, induſtria & exercitio naturæque ſemina excolas, unde Horat. *de art. poët. v.* 409.

*- - - Ego nec ſtudium ſine divite vena,*
*Nec rude quid profit video ingenium. Alterius ſic*
*Altera poſcit opem res, & conjurat amice.*

VII. Nam ut diſciplina, a natura deſtituta, defecta; ita natura absque diſciplina cœca & velut Polyphemus ſine oculo. Plut. *in lib. de educ. c.* 5. Imo *ſolum telluris bonum, deficiente cultura, ſterileſcit, & quanto natura melius, tanto neglectu deterius.* Cic. *de Catilin. Plutarch. cit. loc.*

*Neglectis urenda filix innaſcitur agris.*

Horat. 1. *Satyr.* 3. *v.* 37. *& raro magni errores, niſi ex magno ingenio.* Petrar. *de remed. ut fortun. lib.* 1. *c.* 7. Ideo Demoſthenem interrogatum, quot eſſent neceſſaria ad orationem habendam, reſpondiſſe ferunt, tria, primum *actionem*, ſecundum *actionem*, tertio *actionem*, quibus verbis nihil aliud innuit Græciæ Suada, quam actionis, ut in oratoria facultate, ita in aliis omnibus, dignitatem. Nam ut ad quemcunque habitum comparandum, multæ requiruntur actiones: ita ad virtutem adipiſcendam magna exercitatione & labore opus. Huc pertinet educatio, quæ multum, ut antea dictum, prodeſt in utramque partem, in bonam & malam. Magna igitur hujus habenda cura, & cavendum, ne tale quid prima ætas diſcat vel adſueſcat, in quo dediſcendo major deinde habenda cura. Habet enim ſe in modum ceræ ingenium pueri, aptum ad quamcunque tandem effigiem & formam recipiendam, quæ tamen ſemel impreſſa manet, donec deleatur. Hor. *de art. Poet. v.* 163. Plut. *de ed. Lib. c.* 5. His accedet recta ratio, quæ una cum annis vires quaſi accipit & creſcit: evenitque interdum, ut juvenilia vitia pravamque conſuetudinem ratio ſola immutet ac corrigat. Sic naturam domuit Socrates: ita Polemon natura vinoſus, conſuetudine ebrioſus, una Xenocratis oratione gulam reliquit, totumque ſe Philoſophiæ dedit.

*Et premitur ratione animus, vincique laborat,*
*Artificemque ſuo ducit ſub polluce vultum.* Perſ. *Sat.* 5.

IIX. Plura exempla inveniet curioſus Lector, in vitis Excell. Imperat. a Nepote exaratis. Hæc tria deſiderat Ariſtoteles noſter, ut virtutum & civilis ſocietatis quis particeps fiat: nos addimus quartum & merito primum, ſine *quo nihil rite nihil providenter ſuſcipi*, Plinii *Panegyr. Trajano dictus.* & peragi poſſit, nempe Auxilium & Benedictio numinis, *ſine qua fruſtra rigat Paulus & plantat Apollo.* 1. *Cor.* 3. *v.* 6. Ideo ſcite *Charond. Cataneus in proem. legum.* ait, τȣ̀ς βȣλομένως, καὶ πράττοντάς τι, ἀπὸ θεῶν ἄρχεσθαι χρὴ τὸ γὰρ ἄριςον, ὥσπερ ἀπαροιμία φατὶ, τὸν θεὸν ἡμεν ἄιτιον πάντων τȣ́των. *Qui deliberant, aut quippiam agunt, a Diis debent initium ſumere, ſiquidem optimum eſt, ut Paroemia dicit, Deum eſſe omnium horum authorem.* vid. *Pythagor. Fragm. Politica a Spondano coll.* & recte cum *initium* ac fundamentum *ſapientiæ eſt timor Domini. Prov.* 1. *v.* 7. Cujus tanta vis cum ſit, eam recte, non omiſit Ariſtoteles; niſi eum excuſare quis velit, prætendendo eum de naturalibus cauſis loqui, vel eum hanc univerſalem, utpote in omnibus ſumme neceſſariam, ſuppoſuiſſe.

IX. De natura actum ab Ariſtotele ſupra cap. 13. lib. 7. & 10. ad Nic. ſatisque oſtenſum, qui & quales natura, virtutum capaces ſint. Reſtat ergo, ut de conſuetudine & ratione agatur, conſiderandumque venit πότερον παιδευτέοι τῷ λόγῳ πρότερον, ἢ τοῖς ἔθεσι, *utrum erudiendi ſunt ratione prius vel moribus* 7. *Polit.* 15. *p.* 491. *m.* utrum potius conſuetudine & moribus, an recta ratione ad virtutem perducendi. Ariſtoteles ipſe, utroque opus eſſe dicit: Ταῦτα γὰρ δεῖ πρὸς ἄλληλα συμφωνεῖν συμφωνίαν τὴν ἀρίςην: *Oportet hæc inter ſeſe optimam conſonantiam conſonare* & amice conſpirare; rationem addit, *contingere enim poteſt, ut ratio ab optimo fine aberret atque conſuetudine ducatur.* Sed ut recte ad propoſitam reſpondeatur quæſtionem, principio ponendum: *Hominem ex duabus conſtare partibus, Anima & corpore.* Ariſt. 7. *Pol.* 15. *p.* 492. Cic. 1. *de natura Deorum*, quarum ambarum rationem habere decet, modo civis inſtituendus, ut ab omni parte fiat vir abſolutus, ἔπειτα, ὥσπερ ψυχὴ, καὶ σῶμα δύ᾽ ἐςὶν ȣ̈τω, καὶ τῆς ψυχῆς ὁρῶμεν δύο μέρη· τότε ἄλογον, καὶ τὸ λόγον ἔχον, *deinde, quemadmodum anima & corpus duo ſunt, ſic & animi videmus duas eſſe partes, & quæ vacua eſt ratione, & quæ rationis eſt compos p.* 492. Sed ut omnia in educatione recte procedant, obſervandus fuerit ordo naturæ. Ὥσπερ δὲ τὸ σῶμα πρότερον τῇ γενέσει τῆς ψυχῆς, ȣ̈τω, καὶ τὸ ἄλογον τȣ̃ λόγον ἔχοντος. *Nam quemadmodum natura ita agit, ut corpus in generatione animam præcedat; ita & ea pars, quæ ratione caret, hanc, quæ ratione eſt prædita.* Quot & res ipſa evidenter docet. Ira enim & voluntas, quin & appetitus, in pueris ſtatim, ut nati ſunt, eminent, ὁ δὲ λογισμὸς, καὶ ὁ νȣ̃ς προιȣ̃σιν ἐγγίνεσθαι πέφυκε, *ratiocinatio autem & mens ætate progredientibus ingeneratur. p.* 492. Unde primo apparet, ſicut corpus primum generatur, ita in educatione hominis initium a corpore faciendum, quod inſtituendum, ut recte ſe habeat ratione animæ. Dein cura habenda appetitus, qui ſtatim, ſiquidem in pueris cernitur, ideoque frenis cohibendus venit, moresque componendi, ut ſint moderati. Ultimo demum Mens ætate progreſſis, juſti honeſtique, divinarum humanarumque ſcientia, pro captu ætatis, varia vitæ ac ſtatus conditione, imbuenda exornandaque erit. Hinc quam enormiter hodie a magiſtris ſcholarum, magis famæ ſuæ, quam commodo diſcentium conſulentibus, peccetur, non ſine exiguo reipublicæ literariæ detrimento teſtatur experientia. Qui ordinem naturæ invertunt, minus hujus ariſtotelici præcepti memores, non a minoribus ad majora progreſſum faciunt. Cum puerilis ætas ejusdem haud capax ſit, cujus juvenilis; & ea iterum non ejus, quod virilis.

X. Si

Digitized by Google

X. Si jam educationis initium, ut hactenus probatum, a corporibus eſt faciendum, ſequitur ut legiſlator ante omnia curam habere debeat, ut corpora infantum ſint quam optime conſtituta. Quæ ſiquidem multum trahunt e corporibus parentum, adeo, ut plerumque conſtitutionem corporum parentum eorumque temperaturam ſequantur corpora filiorum. Plutarch. *de educ. lib. c.* 1. & 2. Hinc in confeſſo eſt, ei ante omnia de maris atque fœminæ conjunctione agendum, h. e. qui & quales nuptiali conſuetudine inter ſe conjungi debeant. Sed antequam iſtius conſiderationis campum ingrediamur, paucis examinabimus ſententiam Philoſophi noſtri, de Anima brevibus ab illo indigitatam, a nullo adhuc interprete, quantum nos ſcimus, ex mente Philoſophi explicatam. Repetendum primum, quod antea diximus, hominem nempe ex corpore & anima conſtitui. Hæc Ariſtoteli eſt forma corporis vel actus primus corporis, adeoque ex mente ejus inhæret corpori ita, ut figura, quæ non poteſt ſalvo corpore ſeparari. Eſt igitur anima, principium omnium actionum humanarum, & per quam eduntur omnes actiones.

XI. Deinde eſt, ut in Phyſicis & Ethicis docetur, anima triplex: non quod in tres partes ſecetur & revera dividatur. Spiritus enim eſt, & ideo omnis diviſionis expers, ſed ob varias functiones & effecta alia atque alia ſortitur nomina. Sic quia quædam animæ functiones verſantur in corpore vegetando, hinc vegetativa dicitur. Ad vegetationem autem pertinet omnis nutritio & generatio. Hujus animæ partis non facta eſt hoc loco ab Ariſt. mentio. Altera eſt illa, quæ eſt principium omnium functionum ſenſitivarum, externorum ſc. & internorum ſenſuum, ideoque ſenſitiva dicta. Deinde notum eſt, animæ partem aliam eſſe compotem per ſe rationis, quæ dicitur Mens ſive intellectus, alia non per ſe compos rationis, talis tamen, ut poſſit a ratione dirigi, & dicitur appetitus. Hæc eſt in hominibus anima ſenſitiva. Alia iterum animæ pars non eſt dirigibilis, nempe quæ dicata eſt nutritioni & generationi. Fœtus enim nutritur natura per ſe, non vero per nos.

XII. Quibus poſitis, nunc notandum venit, hominem non uno momento naſci: ſed per partes quaſi effici & ordinari, ut domus. Quo autem modo generatio hominis fiat, traditum eſt ab Ariſtotele in opere admiratione digno, de generatione animalium *libr.* 1. & 2. Fit enim generatio humana ex parte intra uterum, ſed cum nati ſumus, magis magisque perficimur. Intra uterum, ut præclare obſervavit Ariſtoteles, naſcitur corpus; & hoc itidem per partes, primo quidem cor, deinde reliquæ partes.

XIII. Cæterum, quandoquidem anima principium eſt operationum, hinc ex mente Ariſtotelis anima tota non uno momento naſcitur: ſed ut corpus, ita hæc, per partes. Vide ſis Ariſtotelem ipſum *de origine animæ lib.* 2. *de gener. animal. cap.* 3. Primum enim vult Ariſtoteles, animam vegetativam in homine naſci, & hominem primo vivere vitam plantæ, neque eam uno momento; deinde animam ſenſitivam itidem per partes, & inter ſenſus primo tactum adeſſe. Nam quando quidem inſtrumenta ſenſuum non niſi ſenſim perficiuntur, ſic & facultates animæ non niſi ſenſim & naſcuntur & perficiuntur. Porro mentem etiam ſenſim naſci, poſt tamen natum hominem, ſtatuere videtur Ariſtoteles. Pueri enim, quamprimum naſcuntur, habent facultatem ſenſitivam & vegetativam; intellectus vero cum ætate ipſis naſcitur. Hanc ſententiam & doctrinam revera Ariſtotelis fuiſſe exiſtimamus: cujus non exigua veſtigia paſſim hinc & illinc in opere Ariſt. viſuntur, cui tamen nos neutiquam album adjicimus calculum. Sed quicquid ſit, ſive cum Ariſtotele feceris, ſive non, hoc tamen concedendum, quod functiones animæ rationalis edi non poſſint, niſi progreſſu ætatis ac temporis.

XIV. Sed de his ſat, redeamus ad rem doctrinamque Ariſtotelis de educatione. In qua primum nobis diſpiciendum venit, utrum hoc inſtitutum Ariſtotelis bene ſe habeat, quo vult, ut omnes beatæ cives reipublicæ eodem modo habere ſe debeant, ratione inſtitutionis? Nobis non videtur omnibus in republica civibus unam rationem ſive inſtituendi, ſive educandi præſcribi debere, quia impoſſibile eſt, ut in aliqua republica omnes ejuſdem beatitudinis & civilis felicitatis ex æquo fiant participes. ὔτε γὰρ τὰ τὼς αὐτὼς καρπὼς, ὔτε ψυχὰ ἀνθρώπων τὰν αὐτὰν ἀρετὰν παραδέξασθαι δύναται. *Neque enim terra ipſos eosdem fructus, neque animus hominum ipſam eandem virtutem ſuſcipere poteſt.* Pythag. *Fragm. a Spondano collecta p.* 606. Idque ideo, quia omnes eodem modo ſe non habent, quoad naturam, ſed plane diverſæ animorum inclinationes & diverſo naſcuntur ingenio, adeo ut perpaucos reperias, in quibus dotes naturæ & corporis eodem modo ſe habeant. Sic iisdem parentibus nati, ex eodem utero prognati, his maxime differunt. Plutarch. *de educat. l. c.* 4. Si jam impoſſibile eſt, uti omnes in beata republica a natura inſtruantur iisdem dotibus animæ & corporis, E. impoſſibile eſt, ejuſdem felicitatis omnes fieri compotes, quia citra naturæ dotes nulla parari poteſt felicitas, ut antea a nobis aſſertum. Ubi ergo hæ ſunt diverſæ, ibi non poteſt obtineri idem. Idem enim hoc eſſet, ac ſi ab omni agro eundem exſpectares fructum. Si jam homines ejuſdem felicitatis participes fieri non poſſunt, ideo non omnes inſtituendi & educandi eodem modo: quia educatio & inſtitutio debet fieri ad ſcopum & propter ſcopum, ſcopus autem educationis eſt, ut is, qui educetur, fiat felicitatis particeps, quam ſi omnes conſequi non poſſent, eodem modo non educandi. Quod nobis fuit probandum. Hinc male in prioribus concludebat Ariſtoteles, quando ſtatuit, omnes in republica optima debere operam dare literis & judiciis, cum multi non ſint nati, ut poſſint ad magnæ fortunæ cultum excitari. Nam qui ingenio non valet, is haud particeps fiet magnæ felicitatis, ſi dies etiam noctesque in hoc ſudarit. Ideo

*Tu nihil invita dices facieſque Minerva,*
*Id tibi judicium eſt, ea mens - - -*

Horat. *de arte poët. v.* 385.

XV. Progrediemur nunc cum Ariſtotele ad ipſam inſtitutionem, exque ipſius monitu, ordinem, quem natura amat, in inſtitutione obſervabimus, rationemque corporum primo habebimus, quæ ut bene ſe habeant, neceſſe eſt, ut parentum corporum conſtitutio attendatur, rec͏teque ſe habeat *ſocietas conjugalis.* (*a*) Hinc agit Ariſtoteles de conjugio & ſocietate conjugali hic in politicis, ſed politice, diverſo plane ab oeconomicis conſiderandi modo. Nam id non novum, nec rarum, *circa unum idemque objectum diverſos mentis habitus occupari, diverſa tamen conſiderandi ratione, qua efficitur, ut ipſum objectum quoque ſit diverſum.* Conring. *de civil. prudent. c.* 9. *p.* 161. Sic oeconomus habet pro ſcopo felicitatem domeſticam ſimpliciter, & quæ ad eam ſimpliciter pertinent, ſunt conſiderationis œconomicæ. At politici eſt, præſcribere conjugium rationemque conjugii, ratione habita civilis felicitatis. Unde apud Romanos cenſoribus hoc commiſſum, qui *conjugia reipublicæ inutilia* mulctabant. Plut. *in Solon. & de amor. prolis.* Tacit. 3. *Annal.* Gell. *lib.* 4. *cap.* 20. Lactant. *lib.* 1. Imo cenſoria nota inurebatur iis, qui matrimonium abhorrebant, & cœlibes ætatem tranſigebant, quod in *naturam* deliquiſſent. Val. Max. 2. 9. *Patrit.* 3 *de republ.* Cic. 3. *de leg.* Politici ergo eſt, de conjugio agere & generationi liberorum proſpicere ſtatim a principio, nam *ut male poſuimus initia, ſic cætera ſequuntur.* Cicer. *ad Attic.* Imo & ejus eſt, gradus adfinitatis & conſanguinitatis in nuptiis ineundis attendere; At domus, extra ſocietatem civilem ſpectata, eos non ita curat, quia domeſticæ ſocietatis nihil intereſt, etiamſi ſorores & fratres conjugia ineant, imo forte prodeſſet, nam ſic domus non divideretur, ſed integra maneret, & res avitæ in familia conſervarentur, unde expreſſe a Deo Hebræis data lex fuit, de virginibus non nubendis extra tribum heredibus, & de viro ſine prole obeunte. Grot. *de J. B. & P. lib.* 2. 5. §. 18. Hacque de cauſa in primordio mundi, connubia inſtituta inter fratres & ſorores, quia Deus tum non condidit ſocietatem civilem, ſed domeſticam. At in civitate ejusmodi conjugia toleranda non ſunt, ne quidem in gradu ſecundo & tertio adfinitatis; Quia intereſt civitatis, ut amicitia inter cives ineatur, quæ per diffuſas adfinitates latius ſpargitur, de qua vide ſis Plutarchum & Auguſtinum. *Quæſt. Roman.* 107. *de civ. Dei* 15. 16. Itidem politici eſt videre, ne quilibet pro arbitrio uxorem ducat, ſed ita ne quid damni hinc capiat reſpublica. Sic connubia, quæ cum peregrinis ineuntur, ſæpe reipublicæ obſunt, ideoque vitanda. Quare in Gallia non permittitur Principibus, inconſulto Rege, matrimonia inire, quia plurimum intereſt reipublicæ, quibus nubant principiſſæ, & quas in matrimonium ducant Principes. Quæ omnia ad ſocietatem domeſticam per ſe non pertinent, ſed civilem. Hinc leges, quas Ariſtoteles hic vult condere, non pertinent ad ſocietatem domeſticam, qua talem, ſed qua pars civilis ſocietatis. Deinde, ut aliæ ſunt rerumpublicarum formæ, ita aliter atque aliter ſeſe habere debent *jura connubialia*, quæ conſiderare politici eſt. Hinc aliter illa ſeſe in democratia, aliter in ariſtocratia habent. Quæ ab Ariſtotele hic traduntur, ad beatam pertinent rempublicam, ibique obſervanda veniunt. De his vide eleganter differentem Arnold. Clapmarium *de arcanis rerumpublicarum.* Sic in republica Hebræorum lege erat cautum, ne quis alienigenam in uxorem duceret, niſi tranſiret in religionem iſraëliticam, unde graviter peccavit Salomon. Præterea diſerte legibus Hebræorum cautum fuit, ut ſi quæ eſſet filia bonorum paternorum hæres, ne nuberet extra tribum, quod aliis vetitum non fuit: rationem antea indigitavimus, ne de tribu devolverentur bona hereditaria.

XVI. Sic itaque in qualibet republica connubia legesque matrimoniales ſeſe habebunt, pro ratione reipublicæ, ad cujus ſtatus conſervationem ſpectare debent. Quæ omnia, quatenus ſpectanda in republica optima, absque dubio docuit Ariſtoteles, quæ periere. Hinc de connubiis, de gradibus adfinitatis & conſanguinitatis, de polygamia; de divortio, de votis ſecundis; de dote &c. nihil legitur in opere hoc ariſtotelico, quæ tamen ut in republica omni, ita etiam in optima obſervanda veniunt. Nam ex minimo etiam horum contemptu reſpublicas totas mutatas, docet nos lectio hiſtoriarum. 2. *pol. Ariſt. c.* 5.

XVII. Polygamia in beata republica num admittenda ſit, hic merito quæri poteſt. Apud Hebræos fuit permiſſa, *Deut.* 25. *v.* 5. apud Romanos & Germanos connubia fuere monogama, Tacit. *de mor. German. c.* 19. §. 4. apud Athenienſes non ſaltem conceſſa, ſed etiam interdum mandata, ut eo citius diſpendium, clade factum, numero civium reſarciri poſſit. Apud meos majores Suecos eam viguiſſe, teſtatur Adamus Bremenſis. Hæc de polygamia quæſtio, non nobis decidenda hic ſecundum rigorem præceptorum Chriſti, ſed politice tractanda. Eam enim in noſtris rebuspublicis tolerari non debere, extra controverſiam eſt, quia Chriſtiani ſumus. Diſſeremus ergo hac de re, non quatenus Chriſtiani, ſed quatenus politici, & tunc res difficilior erit. Sed ſufficit nobis unum idque ſat validum polygamiæ e beata republica exterminandæ argumentum. Quia ea in ſocietate domeſtica mater eſt diſcordiarum: quæ quantum beatæ reipublicæ officiunt, & omnibus notum & infra nos etiam declarabimus. Et fac, duas treſque fœminas uni contigiſſe ita probas, ut nihil diſcordiarum inter eas ſit, hoc nobis non officit: cum una hirundo non facit ver, nec id, quod raro fit, conſtituit regulam, ſed politico, quod plerumque evenit, conſiderandum venit, & præſertim cum nobiscum faciant omnis ævi monumenta. Legat qui

(*a*) *Societas conjugalis*) Quid circa uxorem eligendam obſervandum ſit, docent VVALTER RALEIGHS *inſtructions to his Son ch. II.* THE *MARQUIS of Argyl's inſtruction to his Son, ch. II.*

qui volet apud *Busbequium epiſt.* 1. machinamenta Solymanni uxoris; apud *Herodotum lib.* 9. Xerxis uxoris Zelotypiam & furorem contra Maſiſtam: *Juſtinum lib.* 9. Olympiadis in Philippum iracundiam, qui Cleopatram in ſocietate thori ſibi conjunxerat. His adde Pauſaniam *lib.* 3. Propertium *lib.* 3. *eleg.* 14. Ovidium *de art. amand. lib.* 2. Hoc malum etiam maximo ſuo cum damno experiuntur Turcæ, quorum domus diſcordiarum plenæ, quæ eo ferventiores, quo arctioribus ædibus includantur fœminæ. Ideo *Euripides* quantumvis bigamus, bigamiam tamen improbat Androm. ὐδὲ γὰρ καλὸν Δυοῖν γυνγαικοῖν ἄνδρ᾽ ἕν ἡνίαις ἔχειν, Ἀλλ᾽ εἰς μίαν βλέποντες εὐναίαν κύπρων ἐτέργουσιν, ὅςις μὴ κακῶς οἰκεῖν θέλοι. *Non enim eſt honeſtum, unum virum habere habenas duarum mulierum: ſed intuens in unam lecti ſociam venerem, eſt contentus, quicunque non vult male habere.* Huic hoc adde, quod nemo rem alienam, invito domino, abalienare poteſt. At vir non habet ſui univerſam poteſtatem, ſed partem bonam in contractu conjugali conceſſit uxori. Ergo. Sed de his ſatis.

XVIII. Similiter nobis decidendæ eſſent & reliquæ ab Ariſtotele omiſſæ quæſtiones de connubio, niſi opus ſub manibus præter opinionem nimis excreſceret, ſcilicet utrum in beata republica divortia admittenda, & ob quas rationes. Si fœmina fuerit ſterilis, num divortium in optima republica inſtituendum? quod apud Romanos licebat. Sic Corbilius Ruga divortium fecit, quod uxorem habuit ſterilem. Gell. *noct. atticar. lib.* 4. *cap.* 3. Val. *lib.* 6. *cap.* 3. Nos exiſtimamus in republica optima id admitti non debere, tum ideo, quia quamvis iſto conjugii fine fruſtrentur, tamen alterum obtineant, ſcilicet mutuum auxilium & rerum domeſticarum procurationem. Itidem, quid prohibeat, quo minus altero conjugum decedente, liceat ſecunda adire vota, non videmus. Quamvis Romanis pudor erat, poſt fata viri marito alteri nubere, & *Petrarcha*, ſuæ ſerviens cauſæ id improbet. *de remed. utriusque fort. lib.* 1. *dial.* 77.

*Uxorem liber factus, ne quære ſecundam*
*Stultus, qui rurſus vincla ſolutus adit.*

XIX. Similiter utrum permittendum, ut maritus dotem uxori, vel contra uxor marito adferat? Olim maritus uxori adtulit dotem, non vero contra. Utrum ex his fiat, nihil intereſt ſocietatis domeſticæ, ſed in civili ſocietate plurimum. Unde egregie obſervavit Ariſtoteles 2. *pol. cap.* 5. Leucadenſium rempublicam totam ob permiſſas dotes permutatam fuiſſe. Quod tamen etiam in monarchiis parum aut nihil refert, ſed multum in reliquis formarum ſpeciebus. Damnat quidem Auguſtinus legem Voconiam, vocatque eam inutilem: ſed nos excuſabunt ejus manes, ſi dicamus, eum falli & egregie quidem; nam fuit hæc lex utilis apprime & ſimilis legi hebraicæ. Ex his dictis patet 1. plane diverſum modum eſſe conſiderandi ſocietatem conjugalem politicum ab œconomico & 2. non omnem doctrinam de ſtatu conjugali, ab Ariſtotele pertractatam eſſe.

XX. Sed jam ad magiſtrum redeamus, qui duo in matrimonio ineundo de officio legislatoris attendit, tempus ſcilicet & corpora eorum, qui procreantur. Vult Ariſtoteles, legislatorem leges condere debere, quæ determinent certum tempus, quo tempore vir & fœmina ad generandum conveniant. Quæ leges bene ut ferantur, reſpiciendum 1. tempus generationi aptum, ut ſcilicet deſinant eodem tempore apti eſſe procreationi; ne vel vir de agro ſterili conquerendi occaſionem habeat, vel fœmina ſuum adhuc fertilem incultum deſeri. 2. Ad ſucceſſionem liberorum. Nam ſi nimis ſero conjungantur, male ſeſe habere ſucceſſionem, liberorum. Tum 3. tam ad educationem, quam ad auxilium, quo parentibus ſenio confectis liberi eſſe debent. Ne ipſorum ætas nimis rudis ob longinquitatem, & ſic non par ferendis auxiliis; Nec nimis propinqua ætate liberi parentibus ſuis ſint, ne inde reverentia pereat, quæ ex longinquo major.

XXI. Vult ergo Ariſtoteles 7. *pol.* 16. leges debere ferri circa matrimonium & quidem tales, ſecundum quas τὰ σώματα τῶν γενωμένων ὑπάρχῃ πρὸς τὴν τȢ νομοθέτȢ βȢ́λησιν, *corpora, quæ procreantur, ſint ad volantatem legumlatoris*, apta ſcilicet beatæ reipublicæ. Sed excuſabit nos genius Ariſtotelis, ſi nos eum ejuſdem inſimulemus criminis, cujus ille ſuum præceptorem. Nempe hæc non ita male doceri, ſed multa obſtare, quo minus omnia legibus poſſint definiri. Nec ejus rationes tam firmæ ſunt, ut omnia id evincant. Fatemur, & quidem lubenter, e re eſſe, ſi ætas & maris & fœminæ ita ſe haberet, ut ſimul deſineret gignendi aptitudo. Sed hoc legibus præſcribere impoſſibile eſt legislatori. Quia ingens eſt differentia diverſitasque corporum & animorum, alia enim citius, alia ſerius procreationi apta redduntur. Si ergo qualitas ad procreandam ſobolem non eſt in omnibus par, ſequitur, certum tempus legislatorem definiri non poſſe: ſuaderi tamen poſſe, quod optimum eſt, concedimus. Hinc merito extolli debet ſapientia ſummi legislatoris, qui reipublicæ Hebræorum nullam talem legem præſcripſit, idque ſine dubio, quia res iſta legibus haud definiri poteſt. Nec temere reperiet quis, hoc apud alias gentes legibus definitum, experientia quippe humana docente, iſta inter τὰ ἀδύνατα eſſe.

XXII. Recte vero diſſuadet Ariſtoteles properatam venerem, improbatque connubium adoleſcentum. Quia 1. officit immatura venus robori corporum tam parentum, quam liberorum. Quod egregie notavit Tacitus *de mor. German. c.* 20. §. 4. Cæſar. 6. *de bell. Gall.* inquirens rationem, cur Germani tum proceritate corporis ſuperabant alias gentes: *Sera juvenum venus*, ait, *eoque inexhauſta pubertas, in turpiſſimis poſitum apud eos ante annum* 20. *notitiam foeminæ, habuiſſe; nec virgines feſtinantur, eadem juventa, ſimilis proceritas, pares validique miſcentur ac robora parentum liberi referunt.* At nunc quæ tempora, qui mores! Ex profeſſo hoc argumentum, ea, qua ſolet judicii lima, tractantem vide magnificum Præſidem, in libro *de cauſis novi &*

 *anti-*

Digitized by Google

*antiqui habitus Germanorum.* 2. Partus ſolent plerumque imperfecti eſſe, puſilli corporis & ſequioris ſexus. Ariſt. 5. *Hiſt. an. c.* 14. Plato *in Apopht.* 3. Laborant magis in partibus adoleſcentulæ, & plurimæ intereunt. 4. Sera venus facit ad temperantiam, ut maturata homines reddit intemperantes. Hinc non tantum corpori, verum animo officit, nam effœtum ſenem efficit properata venus. Cic. *de ſenect. Ariſt.* 7. *hiſt. anim.* 1. *Gal. l.* 6. Tom. Mori *Utop. lib.* 2. Tota hæc Ariſtotelis doctrina bene ſe habet, modo addatur, quod & ipſe recte monet 7. *pol.* 16. ὡς ἐπὶ τὸν πλεῖϛον εἰπεῖν, *obſervanda nempe ea, quæ plerumque fiunt.* Ex quibus politicus univerſalia colligit, indeque demonſtrationes non contemnendas elicit: De quibus vide nobiliſſimi Præſidis, in libro de civili prudentia, ſublime judicium.

XXIII. Alias obſervandum venit, hæc pro diverſitate locorum atque regionum aliter atque aliter ſeſe habere, pro cujus ratione facultatem gignendi variari. Sic aliis in locis, invenias mares ultra 70. annos ad procreationem aptos, fœminasque ultra 50. ad concipiendum non ineptas. Cujus rei aliqua exempla, cupidus lector apud Piccartum, in hunc locum Commentatorem, inveniet; ut & de cauſis ſterilitatis & penuriæ hominum in quibusdam nationibus, & quorundam præſertim ſeptentrionalium populorum fœcunditatis incredibilis apud Excell. Præſidem *in diſſertationibus rerump. de Hiſpania*, & peritiſſimum rerum ſeptentrionalium ſcriptorem Olaum Magnum *in Hiſt. Septent. Gentium lib.* 4. *cap.* 11. Sed notandum quod Autor de ſua potiſſimum ætate locutus ſit: quod plerumq; apud Græcos obſervatum fuit, quamvis nec id alienum a moribus noſtris eſt. Concludit tandem Ariſt. putatque hæc omnia quam optime fieri, ſi fœminæ 18. viri 36. ætatis anno matrimonium ineant. Nam tum uterque ad juſtum ineundi matrimonii tempus pervenere, adeo ut procreando ſtaturæ corporis nihil detrahatur; & liberi ſic poſſint procreari ſatis robuſti; nec tum reverentiæ aliquid pereat parentibus; neque nimia diſtractio ſit inter parentum & liberorum ætates; adeo ut parentes valida adhuc ætate optime poſſint de educatione liberorum proſpicere; & liberi e contra ad robur ætatis perveniant, ut ſic optime parentibus decrepitis auxilio eſſe poſſint Quæ omnia, ut antea diximus, vix legibus præſcribi a Legislatore poſſunt, attamen ſuaderi & ſic quaſi veterata conſuetudine duci.

XXIV. Definito *tempore* ætatis matrimonio apto, nunc videndum de *tempore anni*, quo id ineundem ſit. Annum in quatuor quaſi partes dividi, communis veterum obtinuit opinio. Tempore hyemali & flantibus aquilonibus copulam matrimonialem fieri, deſiderat Ariſtot. & id quidem ex Medicorum Phyſicorumque præceptis; qui docent hyeme compactiora & ſolidiora eſſe corpora, caloremque nativum fortiorem, quia per ambiens externum frigus cogatur. Itaque vim generandi fortiorem eſſe tum temporis, adeoque ſemen efficacius Ariſt. 4. *de gen. animal.* Piccart. *in* 7. *Pol.* 16. *cap.* Sed hinc non ſequitur, quod hæc ſtatim legibus definiri debeant. Quin imo ſub deliberationem Politicam talia non cadunt. Nec tanti ad civilem vitam momenti eſt. Licet enim medici hoc doceant, nemo tamen dixerit, hoc neceſſario ad valetudinem requiri, quia hodierna experientia evidenter docet, alio tempore matrimonium aliisque flantibus ventis recte iniri poſſe, ſine diſpendio valetudinis. Et fac, hanc legem omnino neceſſariam fore, tamen vana eſſet quoad executionem. Nam impoſſibile eſt Legislatori vel ejus nuntiis, ſemper apud omnes præſto eſſe notaturis a lege exorbitantes, corporaque aliis ventis miſcentes. Quid vero, ſi pertinacia quædam ventorum contigerit, adeo ut ventus, ex ſententia Ariſtot. veneri favens, ne per dimidium vel quadrantem anni redeat, quid tum? num ideo omnes conjugales actus ceſſaverint? Vel qui poterit reipublicæ adminiſtrator pœnis coercere delinquentes? Qualia jam corpora fœtibus generandis maxime conducant, nunc examinare proponit ſibi Philoſophus: dicitque, ſe in civibus beatæ ſuæ reip. athleticum habitum non requirere. De quo conſulant, quibus otium ſuppetit *Hieronymum Mercurialem*, curioſum artis gymnaſticæ Veteris Illuſtratorem, *Agoniſticon Fabri, Galenum lib. de curand. ſanit.* Imo ipſum *Platonicum Socratem lib.* 3. *de LL.* eleganter hac de re diſputantes. ἔτε ἡ θεραπευτικῆ, καὶ κακοπονητικῆ λίαν, *neque imbecillem & ſtudio medicorum laboribusque multis in ductum.* 7. *Politic.* 16. quos vulgo valetudinarios appellant, ἀλλ ἡ μέση τέτων. *Sed medium horum*, a Medicis εὐκρατον dictum, laboribus quidem aſſuetum, attamen non violentis, ſed ingenuo homine dignis. Plutarch. *in Lacon.* Nam ut aqua ſtagnans non mota, redditur putida, ita corpus hominis laboribus non exercitum putidum fœtidumque. His addi poſſunt, ut fœtus bene ſe habeat, 1. ne gravati vino & cibo patres, ſed ſobrii juſſa naturæ exſequantur. Unde Diogenes in quendam adoleſcentulum ex temulentia deſipientem: *Adoleſcentule*, inquit, *ebrius te ſeminavit pater.* Thom. Mor. *Epigr.* Lemnius *de occult. Nat. mirac.* 2. Ne intra ſecretiores thalamos, depictas habeant deformes monſtroſasque figuras, (2) 3. nimia congrediendi conſuetudo fugienda, quæ corpus pariter & animam enervat. Unde Pythagoram rogatum quando concumbendum eſſet, reſpondiſſe fertur, tunc, cum te ipſo infirmior fieri vis. Plutarch. *de educat. liber. cap.* 2. *Et de ſanit. tuenda, cap.* 5.

XXV. Hactenus conſideravit Ariſtot. noſter perſonas matrimoniali vinculo jungendas, tam quoad *corpus ejusque habitum, quam ad tempus & ætatis & anni*, quibus congredi juvat. Nunc poſt coitum impragnationemque, fœminas gravidas utilibus informat præceptis, iisque magis neceſſariis, quo magis hac parte ab iis ſua ætate exorbitari notavit ejus curioſitas & nos hodie experimur; ut ſic ad illum corporis habitum perveniat fœtus, quem in cive beatæ ſuæ reip. deſideravit. Suadet. 1. prægnantibus fœminis laborem, quem requiſivit etiam in viris, ut liberos ſanos procreent & partus facilior fiet Plat. 7. *de LL.* Galen. 3. 2. ut acriores atque amariores devitent cibos, Plutarch. *de ſanit. Tuend.* 31. *& ſeqq.* 3. ut mente læta & tranquilla ſemper ſient. Nam

ut

Digitized by Google

ut ſtirpes, ita fœtus ex prægnante matre bona malaque contrahunt. Quæ ut Legiſlator obtineat, ſuadet Ariſt. templum aliquod extra civitatem conſecrari Deabus, quas opem prægnantibus ferre, & tradidit & credidit fabuloſa vetuſtas, ut *Junonem : Lucinam, Caſtorem & Pollucem*, &c. ad quorum numinum conceptioni & partui præſidentium cultum in templo iſto peragendum, quotidie pedibus ſe confecerent : quod rite quæ peregiſſet, ipſi partus facilior eſſet : Sed hoc conſilium hicque mulieres exercendi modus nobis non arridet. Melius v. procederet, ſi Legiſlator ita rempubl. inſtitueret & bona diſtribueret, ut nemo opibus afflueret, ſed ut victum cogerentur laborare, quo & victus parari & valetudo conſervari poſſit. Ita ſane DEUS ipſemet in ſua republ. conſtituit, ut civibus neceſſe fuerit victum labore, quamvis non adeo moleſto, ſibi parare. Hoc certe modo conſulitur & valetudini fœminarum & virorum. Vid. elegantiſſimum librum Ludov. Vivis de officio chriſtianæ fœminæ, & Tiraquellum in legibus connubialibus.

XXVI. Hactenus diſſeruit Ariſtoteles noſter de conceptione & generatione fœtus in utero, nunc diſquirit de eo, quando extra uterum maternum in lucem venit; putatque reipubl. beatæ, ne mancum debileque alatur, intereſſe. Erat enim Ariſtot. ætate apud Athenienſes, qui ſapientiſſimi videri amabant, more receptum, fœtum mancum vel filiam ſiquidem ita placeret patri exponere : cujus rei veſtigia habemus in And. Terentiana. Mirum ergo non eſt, quod Ariſtoteles publico ſcripto non improbare auſus fuerat, ferum hunc morem deteſtandamque humanitatem publice receptam. Sed nos ab Athenienſium metu liberi, hoc omnino improbamus, eo quod in debili corpore animus ſæpe latet præſtantiſſimus. Sæpe dico. Natura nempe ſolenni ſæpe more, in uno ubi deficit, in altero luculenter iſtam jacturam compenſat. Deinde pertinet hæc lex tantum ad ſanitatem corporis, cum tamen fieri poſſit, ut præſtanti animo vitium aliquod corporis adhæreat, quæ animi præſtantia multo plus reipubl. prodeſſe poſſit. Porro debilitas illa, quæ in infantibus cernitur, ætate procedente ſæpe corrigitur & ad exactam ſæpe numero hi perveniunt ſanitatem. Imo concedamus eum, qui corpore ſano non eſt, non debere in numerum civium cooptari, exinde tamen non ſequitur eum exponi debere. Ita Deus optim. Max. conſuluit pontificatui maximo, ad quem nemini mutilato corpore dabatur aditus, qui ali tamen debuit.

XXVII. Nimiam civium multitudinem coercendam, itidem ſuadet Autor : ideoque ſuperfluos fœtus poculo abortivo in utero materno e medio tolli vult, ita tamen, ut id fiat antequam ſenſus inſit fœtui. Quod conſilium etiam Platoni 15. *de LL.* placuit. Nos primo nullam rationem videre poſſumus, quare ex re ſit beatæ reipubl. numerum liberorum minui. Et concedamus, rempubl. id poſtulare, tamen ad hoc extremum non ſtatim eſt adcedendum. Nam pietas, quæ merito omnium parentum animis inſita eſſe debet, non modo perit, ſi concedatur fœtus ſic occidere : ſed metuendum, ne adſuefactione atrocis facti, delicatulæ fœminæ, ob dolorem pariendi, plurimos fœtus in maximam reipubl. perniciem, abortione amoveant. Et ultimo, abortu ſemel facto talibusque medicamentis adſumptis, non facile mulieres deinde concipiunt. Egit Philoſophus huc usque *de tempore & ætatis & anni matrimonio apto, de qualitate aeris, conſtitutione conjugum, de fœminis uterum ferentibus & de abortu ; nunc* quærit quando deſiſtere debent a procreatione parentes. Putatque legibus definiri debere, ne poſt annum 50. ætatis operam liberis dent, τὰ γὰρ τῶν πρεσβυτέρων ἔκγονα, καθάπερ τὰ τῶν νεωτέρων, ἀτελῆ γένεται, καὶ τοῖς σώμασι καὶ ταῖς Διανοίαις, τὰ δὲ τῶν γεγηρακότων ἀσθενῆ. *Nati enim ſeniorum ſicut juniorum, imperfecti & corpore & mente, confectorum autem ætate, imbecilli.* 7. *Pol.* 16. Verum hoc lege definire velle, non ſaltem vanum, ſed reipubl. noxium. Nam fac, quod tamen non concedimus, natos a patre 50. annum agente, debili corpore eſſe : fieri tamen poteſt, imo ſæpe fit, ut tales animo præſtanti ſint. Dein debet Legiſlator non tantum proſpicere, ut corpore valeant, ſed & habenda ratio animi. Porro ſi contigerit, maritum conſuetudinem cum alia habere, quid ſit faciendum, deliberat Ariſtoteles; ſtatuitque eum pœna ἀτιμίας affici debere. Quæ autem & qualis ea ſit, ab autore noſtro non additum. Sine dubio autem reſpexit morem ſeculi ſui, quo ejusmodi ſcortatores honoribus privabantur publicis. Rationem autem hujus rei non addidit, quod tamen facere debuiſſet. Nec verbo quidem hoc loco mentionem facit de vaga Venere, quæ a nonnullis ante inita ſponſalia exercetur. Nobis hac de quæſtione aliquid agendum eſt, ſed politice non ex principiis Chriſtianæ doctrinæ optime memores nos de republ. dicturos & vita civili, nullo habito ad Chriſtianam religionem reſpectu. Quæ inter ſe maxime differunt; cum illa propoſitam ſibi habeat beatitudinem civilem, hæc æternam. Hinc pro ratione finis alia neceſſaria vitæ æternæ, quæ non vitæ civili. Nam ut homo æternæ ſit particeps vitæ, conſulenda eſt ſola S. ſcriptura. Quæ ad beatam vitam ſimpliciter pertinent, diſcimus ex Ethicis, Quomodo vita vero in optima republ. inſtitui debeat, ut cives exactæ felicitatis participes fiant, aut quomodo in reliquis rebusp. quantum capit genius populi, ratio temporis & loci, docetur in Politicis. Hinc toto cœlo differunt argumenta ethica & politica: & proinde in politicis non adhibenda ſunt argumenta ethica, multo minus theologica : ſed utendum politicis h. e. iis principiis, quæ ſocietatem civilem includunt. Vid. Ampliſſ. Præſidem in opere toties laudato de civili prudentia.

XXVIII. Sed ad propoſitas redeamus quæſtiones. Ubi primum ratio habenda ſexus, qui eſt vel maſculinus vel fœmininus. Dein in univerſum docet experientia & a nobis antea convictum: immaturam venerem corpora enervare & officere animo, dum mores hominum reddit intemperantiores. Ideo in republ. non ferendæ. Dein nec nuptiæ in iſta ætate ferendæ, quia poſſunt facile abortire. Quod vero ſi ſponſus ad aliam accedat ? Ariſtot. dicit inhoneſtum



eſſe

eſſe aliam ſi tangat, cauſam non addit: conjectu tamen eſt facilis, quia agit contra pacta & conventa.

XXIX. Poſt conjugium initum vita quomodo inſtituenda, jam videamus. Et obſervandum, conſuetudinem iniri poſſe, vel cum ligata vel cum ſoluta. Cum ligata in nulla omnino republ. tolerari debet, quia officit civili vitæ. Nam 1. ſi mulier ligata conſueſcat cum alio, tum facit contra pacta & conventa, ideoque tanquam legis violatrix punienda. 2. Quia injuria & magno afficit proprium maritum incommodo, alienos ei ſubjiciendo liberos: quos ipſe alere cogitur. 3. Facit ſuſpectos natales liberorum ſuorum, efficitque, ut maritus eo quo deberet, amore eos non proſequatur. Nec 4. poſſibile eſt, ut maritus talem uxorem amet, quam ſcit peregrino amore duci & vagis libidinibus detineri. Et 5. læditur hac ratione integritas familiarum, quod quantum mali habeat in republ. norunt prudentes & docent hiſtoriæ. Nec ferendum, ut maritus cum ſoluta conſuetudinem colat. Quia 1. amor conjugum minuitur. 2. Turbatur ſocietas domeſtica. Accedit 3. quod ſcorta devinciant ſæpe ſibi conjugatorum animos, & ſiquidem nudo victum quærunt corpore, iſtudque pretio proſtituant, res familiaris inde multum detrimenti capit. Nam quæ in liberos & in alios uſus domeſticos impendenda eſſent, dilapidantur & in hujusmodi ſcorta profunduntur. Quantum autem obeſt reipubl. eo modo res familiares dilapidari, cuivis etiam primis, ut ajunt, labris civilem doctrinam guſtanti, patet.

XXX. Conjugium & procreationem liberorum excipit educatio primæ ætatis. In qua doctrina tradenda diligens & curioſus fuit noſter. Dividit primo ætates civium in varias partes, & quidem recte, cum mores hominum, animorumque motus & ſtudia differant ætatibus. De quibus variæ ætatis inclinationibus & propriis quaſi ſuæ ætati vitiis, vide magnum noſtrum Philoſophum *lib. 2. Rhet. a c. 12. ad* 18. in hoc argumento ſeipſum in Rhetoricis ſuperantem & Horatium *de art. Poet. v.* 156. Primam ætatem primo quinquennio definit, ſecundam proximo biennio, tertiam ad annos pubertatis annum nempe 14. Quartam ætatem proximis ſeptem ad annum 21. De reliquis ætatum differentiis nihil habemus apud Ariſtotelem, prout facies Politici textus hodie viſitur.

XXXI. Jam recta, more ſuo, ad rem accedit noſter: & quandoquidem a corpore incipiendum, in prioribus probavimus, ideo ſic incipit. *γενομένων δὲ τῶν τέκνων, οἴεσθαι μεγάλην εἶναι διαφορὰν πρὸς τὴν τῶν σωμάτων δύναμιν, τὴν τροφὴν ὁποία τις ἂν ᾖ. Filiis autem natis, putare oportet magnum eſſe diſcrimen ad corporum vires, alimento quali utuntur. 7. Pol. 17.* Præcipit itaque Ariſt. 1. Curam habendam eſſe alimentorum, quia ad corporum ſanitatem & augmentum multum facit cibus, quod experientia variorum & animalium & gentium probat Aut. Plut. *de ſanit. tuend.* 33. *c. 21. de educ. puer.* 7. Gentes enim, qui ſtudent ſuos alere, ut ſint ſano & robuſto corpore operam dant, ut ſtatim initio multo alantur lacte. Quod de *Germanis* teſtatur *Cæſar & Tacitus*; *de Scythis Martialis & Juſtinus*; de *Helvetiis* hodierna experientia. Conſule libellum pondere & rerum varietate gravem Excellentiſſ. Præſidis *de cauſis tam novi, quam veteris Germanorum corporum habitus.* Et ut nihil æque ac copioſus lactis uſus corporibus confert, ita nihil magis obeſt primæ infantiæ, quam vinum Plato, Senec. Plutar. *de ſanit. tuenda cap.* 33. Officit enim ſanitati, ſi prima ætas vino alatur: a cujus uſu oriri facile ſolet ἐπιλεψία, cui tenera ætas obnoxia eſt: Ariſtot. *de ſomn. 21. vigil. cap. 3.* qui iſti ætati id præbent πῦρ ἐπὶ πῦρ ὀχετεύειν. Plat. 2. *de LL.* Plut. *de educ. liberorum c.* 3. Hæc omnia Philoſopho de infantum alimento optime dicta eſſent, modo addiſſet, cum haud parum referat quo lacte utantur infantes, operam dandam eſſe, ut matres ipſæ ſuos lactent. Agnos ſane ſubrumos ſi capris lactandos ſubjeceris lanæ duriores erunt: eosque hircire, & ingenium cum lacte mutari experimur. Unde præclare Virgilius, exprobans Achilli ſævitiam, dicit:

*Hircanæque admorunt ubera Tigres.*

Et Ovidius *Macro 5. Satura c.*

*Natus es ex ſcopulis, nutritus lacte ferino,*
*Et dicam, ſilices pectus habere tuum.*

XXXII. Tanta quippe primi ipſius alimenti vis cum ſit, tamque efficax impreſſio, ut alias proprietates & ingenia trahat ſecum in novellum, quo ſuſcipitur atque tenellum vas, quod quaſi vivus ipſe unde profluxit habuerat: ideo matres propria ubera infantibus lactanda præbere debent & ſic non ita indiſcriminatim liberos quibuscunque tandem e fæce vulgi nutricibus ſubjicere alendos. Cui otium ſuppetit, legat ſcriptores graviſſimos, multis retro ſeculis delicatularum noſtrarum fœminarum, alteri nutrici, ob mollitiem, vel ob metum amiſſionis formæ, *aut ut eo citius ad venerem redeant*, partus ſupponentium mores taxantes Plutarchum *περὶ παίδων ἀγωγῆς c. 8. cap. 7.* Gellium *in Noct. Attic.* Plinium aliosque ſumma diligentia annotatos ab eximio Ariſtotelis Commentatore Piccarto. Quibus addere poſſis ex recentioribus, Horologium Principum Guevarræ & Franciſc. Philelſum de educatione liberorum.

XXXIII. In univerſum dein ad corporis ſanitatem conducit motus, *ὅσας ἐνδέχεται ποιεῖσθαι τηλικούτων, quos iſta ætas ferre poſſit 7. pol.* 16. ſine quibus corpora haud conſervari poſſint. Quia per ipſum noxii humoris, ſi quid ſit, diſpellitur, & calor internus excitatur. Hinc more & ſat antiquo receptum, ut cunis vehantur infantes, quod ad ſanitatem non parum facit, ſed magis, ſi manibus levarentur & attollerentur. Inſtrumentis etiam utendum, quæ membra depravari non ſinunt: hodie tamen talibus inſtrumentis non utimur, ſed faſciis, quibus infantes vinciuntur, & in rectam longitudinem quaſi ducuntur, ut corporum figuram nanciſcantur decentem.

Utile

Digitized by Google

Utile etiam eſſet, primam ætatem frigoris patientiæ adſuefieri, quod facit ad ſanitatem, robur & omnem vitam. Hinc ruſticorum filii, quia ab infantia frigori adſuefiant, frigoris & omnes aëris injurias fortiter ferunt. Quod cumprimis requiritur ab eo, qui Mavortis cum tempore proles eſſe deſiderat, *πάντα γὰρ ὅσα δυνατὸν ἐθίζειν, εὐθὺς ἀρχομένων βέλτιον μὲν ἐθίζειν. Cuncta enim, quibuscunque fieri poteſt, ut adſueſcant, ſatius eſt ſtatim ab initio & paulatim adſueſcere.* 7. *pol.* 17. l. 10. *Nic.* 9. §. 23. Plut. *de ed. lib. c.* 5. & 9. Nam

*Fingit equum tenera docilem cervice magiſter*
*Ire viam, quam monſtrat eques. Venaticus, ex quo*
*Tempore cervinam pellem latravit in aula,*
*Militat in ſylvis catulus* - - -

Horat. 1. *ep.* 2. *v.* 64.

XXXIV. Ploratus puerorum, cæteraque, quibus corpus vehementer commovetur, atque intenditur, legibus qui interdicunt, Ariſtoteli non recte facere videntur: perſtringitque hoc loco Platonem, qui multum ploratum vetuit *l.* 1. *de LL.* Nos malimus ſententiæ Platonis accedere, idque ideo, quia multum plorare officit valetudini, & ex multo ploratu fiant queruli & moroſi, & nunquam tali

- - - - *cauſa doloris abeſt.*

Ovid. 3 *Triſt. Eleg.* 8. Interim aliquid permittendum, ſiquidem omnem ploratum impedire velle, eſt impoſſibile: & ſi eſſet poſſibile, noceret.

XXXV. Hæc erant de primo quinquennio, quæ præcepit Ariſtoteles obſervari. Nos addimus præcepta de ſomno & cibo, ambo videlicet adhibenda pueris, & nullo modo permittendum, ut famem perferant, ne augmentum naturæque vigor imminuatur. Quod itidem de ſomno eſt ſentiendum. Sed moderate omnia. Nam ſi nimio cibo ſomnoque indulgeant, fiunt inde hebetioris tardiorisque ingenii, & proceritas corporum impeditur, imo evadunt πολυφάγοι inſaturabilesque

*quos alere nemo cupit*

Terent. *in Phon.* nec niſi cum diſpendio rei familiaris

- - - - *placare voracis*
*Et male morati poteris jejunia ventris,*

Ovid. 15. *metamorph.*

XXXVI Suadet dein Ariſtoteles, pueros primo quinquennio ad ſtudia non eſſe adigendos, quia præmaturum eſt, & cum nullum ſentiant fructum, fiunt animo a ſtudiis averſo, imo neſcio, *qua horroris conſuetudine concepta a puero odia ad ſenium quoque deducimus*, Barcl. *Icon animorum cap.* 1. Secundo neque premenda eſt illa ætas gravioribus laboribus, quia id augmento officit corporis. Sed exercitationibus, quibus pares eſſe poſſint, exercendi, ut ab ignavia arceantur. Ideo luſus exerceant, attamen liberales, qui nihil turpe habent, neque ſunt molles nimis, neque nimia cum defatigatione conjuncti. Huic etiam ætati fabulas narrare præcipit autor, tum ut animi paulatim addiſcant aliquid, & ingenia acuantur. Nobis conſultiſſimum videtur non fictas fabulas, ſed veras hiſtorias narrare, easque non de rebus magnis, ſed de iis, quorum capax eſt illa ætas; & præſertim eos commendari volumus viros, præclare de republica meritos, ut eos admirari diſcant. Hinc egregie Barclajus *Icon animorum cap.* 1. *Aſſiduis ſermonibus imbuendi ſunt de faſtigio præmiisque virtutum; flagitia cum ſupercilio ac verecundia apud illos nominanda.* Ideo etiam arcet hanc ætatem a conſortio ſervorum noſter, & recte: cum ſervi, ſervi ſint ſæpiſſime & affectuum & vitiorum, idque præſertim apud Græcos, ubi erant mancipia, morum plerumque non bonorum. Plutarch. *de educ. lib. c.* 9. Deinde ab omnibus turpibus illiberalibusque conſortiis & ἀκȣσμάτων & ὁραμάτων auditionum & ſpectaculorum arcet, vultque, ut hæc ætas laſcivas picturas, ſtatuas, comœdias, jambos, nec audiat, nec videat. Unde *poëta*:

*Nihil cupide ſpecta, niſi quod feciſſe decorum eſt.*
*Turpia corrumpunt teneras ſpectacula mentes.*

Menan. Paul. *epiſt. ad Corinth.* 2.

XXXVII. Hinc non temere *Plato*, comœdias & tragœdias excludit ab ea civitate, quam inſtituit; quod alterum libidinem, alterum cupiditatem & impia facinora in animos civium insereret. *lib.* 8. *de republ.* Male igitur conſulunt liberis ſuis, qui eos adhuc molles &

*Cereos in vitium flecti* - - -

Horat. *de art. poët. v.* 163. ad ejusmodi ſpectacula adhibent. Quia facillimus datur tranſitus a turpium rerum viſu (eſt enim is prima ad omne ſcelus feneſtra) audituque, ut & de talibus rebus inſtitutis colloquiis, talia perpetrandi, *ἐκ τȣ̃ γὰρ εὐχερῶς λέγειν ὅτι ȣ̃ν τῶν αἰσχρῶν γίνεται καὶ τὸ ποιεῖν σύνεγγυς. E licentia quodlibet turpe dicendi prodiit, & facere*, ut præclare notavit noſter 7. *pol.* 17. Ideo elegans monitum Juvenalis *Satyr.* 4.

*Nihil dictu fœdum viſuve ea limina tangat,*
*Intra quæ puer eſt. Procul hinc, procul inde puella*
*Lenonum, & cantus pernoctantis paraſiti*
*Maxima debetur puero reverentia.*

Quæ ut rite fieri poſſint, vult huic ætati adjunctos παιδονόμȣς autor, ita ab inſtituendis pueris dictos, qui ἐπισκεπτεῖν τὴν τȣ́των διαγωγὴν, τήν τε ἄλλην. Sed nihil de horum ingenio, indole, officio & diligentia præcepit autor, nec nobis in præſentia id facere commodum eſt, tum quia præter mentem ſub manibus excrevit opus, tum quia præclara eruditiſſimorum virorum de

his

Digitized by Google

his monita extant. Addemus ſaltem ea, quæ poëtam deſcribendo ejusque officium delineando finxit Horatii curioſa felicitas *lib.* 2. *epiſt.* 1. *v.* 124. ſub cujus perſona nos pœdagogum deſcriptum volumus.

*Militiæ quanquam piger & malus, utilis urbi.*
*Si das hoc, parvis quoque rebus magna juvari;*
*Os tenerum pueri balbumque poëta figurat:*
*Torquet ab obſcœnis jam nunc ſermonibus aurem,*
*Mox etiam pectus præceptis format amicis:*
*Aſperitatis & invidiæ corrector & iræ.*
*Recte facta refert: orientia tempora notis*
*Inſtruit exemplis,* - - - - -

Confer. Plutarch. *de educ. lib. c.* 9. Confectis jam annis quinque, a quinto ad ſeptimum ſpectatores ut ſint rerum, quas ipſos diſcere oportet, deſiderat Philoſophus. Et quamvis his non exerceantur, ſpectare tamen iſta debent, ut amore ſaltem iſtarum rerum imbuantur. *πάντα γὰρ δεῖ τὰ τοιαῦτα προδοποιεῖν πρὸς τὰς ὕστερον διατριβάς. Cuncta enim hujusmodi oportet munire viam poſterioribus ſtudiis.* 7. *pol.* 17.

XXXVIII. Sed cum hominum mores ratione ætatis, ut antea monuimus, diverſi ſunt: ita educatio eſt inſtituenda, ut ſit accommoda diverſitati ætatis. Unde pro ejusdem ratione alia atque alia requiruntur ſtudia. Itaque ætatem dividit autor hominis, & primo recenſet improbatque antiquorum quorundam ætatis diviſionem, quibus vita humana in hebdomadas dividebatur, qui ſeptenarii anni, ut & novenarii climacterici dicti. De quibus videatur *Plinius hiſtor. natural. lib.* 2. *Julii Firmici* opus mathematicum, & doctum de hac materia *Claudii Salmaſii* ſcriptum, ſed confuſo, ut omnia iſtius, alias magni viri, ordine, tractatum. Hos *μετρέοντες ταῖς ἑβδομάσι τὴν ἡλικίαν* refutavit Ariſtoteles, dicitque non annos, ſed naturam ætates recte dividere. Ideo primo ſeptennio egreſſis alia proponenda ſtudia. Ad quæ, antequam explicanda venit, tria capita tractanda ſupereſſe monet. 1. utrum legislator debeat habere curam primæ educationis, nec ne? 2. utrum in republica beata publica omnium civium educatio debeat permitti, an vero domeſtica? 3. Si publica, quæ & qualis debeat illa informatio eſſe? Quod eſt argumentum totius libri octavi, prout hodierna vulgata obtinet diviſio. Hodie primam & ſecundam partem tractatam ab Ariſtotele habemus & initium duntaxat tertiæ, reliqua ſummo eruditorum cum dolore deſiderantur.

XXXIX. Primum quod attinet, illud omni carere controverſia, liquidum eſt. Nec ullus ſanæ mentis inficias ire poteſt, quin e re reipublicæ ſit, quomodo educatio inſtituatur. Eaque ut recte ſe habeat, curæ legislatoris permittenda. *Καὶ γὰρ ἐν ταῖς πόλεσιν οὐ γιγνόμενον τοῦτο, βλάπτει τὰς πολιτείας. Quod non ſervatum in civitatibus reipublicæ nocet.* 8. *pol.* 1. ejus obſervatio eſt reipublicæ neceſſaria: At educatio primæ juventutis a legislatore non obſervata nocet reipublicæ. Ergo. Et dubitamus ſane cum divino Platone, an legislator de diviniori negotio deliberationem inſtituere poſſit, quam de recta puerorum educatione, qua in bonum virum & utilem aliquando patriæ civem evadere poſſit. Vide *Pythag. Fragm. a Spondano collecta p.* 606. *Ariſtotelem* 10. *Nic.* 9. *& Petrum Crinitum* de diſciplina honeſta.

XL. Nec hoc ſufficit, ut educentur bene, ſed debent ad ſcopum reipublicæ educari; *Ἀναγκαῖον πρὸς τὴν πολιτείαν βλέποντας παιδεύειν τοὺς παῖδας.* Neceſſe eſt ad rempublicam reſpicientes erudire filios. Quales enim ſunt civium mores, talis eſt respublica. Unde bene obſervavit autor 1. *pol.* 8. *indolem uniuscujusque reipublicæ ſuam ac propriam eſſe*, eamque in ſolidum dependere a temperamento, ingenio, moribusque populi, quæ, qualia ſint, debetur educationi, qua flectitur cereus adhuc animus pueri. Dependet ergo quodammodo varietas rerumpublicarum a diverſa indole ac moribus hominum, quæ iterum dependent ab educatione. Qualem ergo formam reipublicæ vis, dominatum, an libertatem? Dominatum ſi intendas, fac a teneris cives duriter habeantur, ut nullis honeſtatis ſtimulis vel libertatis excitentur, ſed vilibus adſueti, nihil niſi vilia cogitent. Horum igitur animi imbuendi non ſunt philoſophia & ſtudiis ſapientiæ, quæ excitant animos: ſed iis, quæ faciunt tantum ad victum quærendum & panem lucrandum, utque diſcant bene parere. His enim qui intentus eſt, alta & honeſta ſapere nequit, eique obſequii gloria ſolum relicta eſt. Civem vero in democratia victurum contrariis imbue præceptis: & ſic in reliquis. In omnibus vero hoc quis requirat, ut ſtatim a teneris diſcant patriæ ſuæ ſtatum amare, eumque omnibus aliis anteferre. Ex quo principio in libro de civil. prud. diutinam peregrinationem juvenum, in iis locis, ubi diverſi ſunt mores a propria republica, improbat nobiliſſimus Præſes *cap.* 13. *p.* 294. quia ingenium moresque a ſuo populo alienos ſecum domum adferunt, quæ multum nocent reipublicæ, usque adeo, *ut propterea prudentum multi peregrinum omnem a republica exeſſe juſſerint. Eſt autem perinde, ſive natalibus ſis peregrinus, ſive educatione & conſuetudine*, uti ibi præclare diſſerit. Is ſane non aptus eſt, ut vivat in monarchia & in aula, qui maximam ætatis partem ſub plena populi poteſtate tranſegit. Docet deinde hoc omnium artium experientia, quorum opera commode & recte ut exequantur homines, neceſſe eſt, eos ad iſta educari & in iis inſtitui. Sic artem ſutoriam, ſartoriam, fabrilem, nemo exercet, niſi qui antea didicit eas: eodem modo res ſe habet de virtute, quæ teneræ ætati cum lacte quaſi materno inſtillanda, modo adulti cives tuæ reipublicæ ex habitu ejus operentur, quod inter præcipuas legislatoris curas eſſe debet.



Digitized by Google

XLI. Diximus ante, filios civium educari debere ad ſtatum reipublicæ, ex quibus ſequitur, eos ad unum eundemque modum ferme inſtitui debere: *ἐπεὶ δὲ ἓν τὸ τέλος τῇ πόλει πάσῃ, quia unus eſt finis omni civitati* 8. *pol.* 1. h. e. ſingulis rebuspublicis finis eſt communis, ad quem ultimo tandem tendunt civium diverſiſſima quamvis opera. Quo optime potimur, ſi publicæ inſtitutioni permittatur juventus, qua ad unum eundemque finem ſcopumque civitatis optime pervenitur. Hinc recte dicit Ariſtoteles, peccari, ubi relinquitur parentibus privata filiorum ſuorum educatio. Ea ſane in re multum & a Romanis exorbitatum. Hinc neque in legibus Juſtinianeis, neque in immenſo corpore juris, unum titulum de educatione liberorum reperias: nec hac in re aliquid definitum eſt, niſi ſparſim, quod ideo factum, ne juventus ad magnos ſpiritus perveniret, ſed adſueſceret monarchiæ & dominatui Cæſarum.

XLII. Deinde quemadmodum unusquisque puer, eſt civis & pars reipubl. ſi non actu, attamen potentia, & ut omnis pars, non eſt pars ſui ipſius, ſed totius, ad *cujus virtutem omnes partes reſpicere debent.* 1. *Pol.* 8. quæ cum toto ſi conveniant, tum totum recte ſe habet: Ita non cuiquam privato permittendum, ut ad arbitrium filium ſuum inſtituat, ſed informari filius debet ad totum i. e. ad ſtatum reipublicæ, ſiquidem ejus quædam pars eſt, & id quidem publice *δεῖ δὲ τῶν κοινῶν κοινὴν ποιεῖσθαι, καὶ τὴν ἄσκησιν. Oportet autem communium communem quoque eſſe exercitationem.* 8. *Pol.* 1. & publicarum rerum publica debet eſſe cura, qua facillime finem, quem intendit educatio, aſſequitur. Hinc Verres a Cicerone adcuſatus, quod domeſtica indulgentia pravaque diſciplina filium corrupiſſet, qui pars civitatis eſſet. Cic. *in Orat. c. V.* Quint. 1. *Inſt. orat. c.* 3. Ob quod laudantur ab Ariſtotele Lacedæmonii, qui exquiſitam diligentiam multumque ſtudii poſuerant in educatione filiorum ſuorum & hoc quidem publice Plut. *in Lycurg.* 8. *Pol.* Xenoph. *de republ. Laced.* Has ob cauſas, ut taceamus, publica inſtitutione animorum civium majorem conglutinationem & arctiorem Principi obligationem effici; publicam juventutis inſtitutionem privatæ præferimus.

XLIII. Hæc ſatis adcurate obſervavit Deus in republica ſua. Primum enim octavo poſt nativitatem die circumcidere juſſit infantes, quod pacti cum Deo fœderis ſignum fuit. Dein mandavit parentes, ut teneris adhuc infantum animis, narrando inſtillarent leges, per Moſen promulgatas, ut hiſtorias eductionis populi ex Ægypto, factique cum ipſis fœderis inculcarent. Nec tantum privatim voluit Deus eos imbui ſuis præceptis; ſed juſſit, ut inſuper liberos adultiores factos ſecum in locum publicum ſacrorum adducerent parentes, ad Deum regem ſuum. Quibus obedientes ſecum Hieroſolymam adduxere ſalvatorem noſtrum ejus parentes.

XLIV. Poſſit jam hæc publica inſtitutio in tres dividi partes; ut vel 1. ita communis ſit, ut omnia ſecundum easdem leges & eadem inſtituta fiant, & nemo in civitate poſſit privatim liberos ſuos educare. 2. ut privatim quidem quis ſuos educet, attamen ſecundum leges communes, vel 3. ut domi non amplius inſtituantur, ſed publicos in publico habeant pædagogos, nulla cura relicta parentibus domi. Quod obtinuit in republ. Lacedæmoniorum, in Monaſteriis olim, & nunc apud Jeſuitas, & in cœtibus quibusdam Anabaptiſtarum per Moraviam & Sileſiam non ita pridem. Quem morem nos etiam iis relinquimus, quærentes: quemnam priorum potiorem æſtimemus? Ariſtot. argumenta videntur velle communem inſtitutionem primo modo, ne ſcilicet quis pro arbitrio ſuos liberos domi educet: ſed legibus definiendum, quæ reipublicæ proſint, vel obſint, ad cujus ſalutem omnes communiter inſtituendi, eſtque ea ultimus ſcopus, ad quem educatio tendit, quamvis diverſis artibus & ſtudiis ad eum perveniat juventus. Hinc alii educantur ad ſartoriam, ad ſutoriam alii, alii ad alia: quam artium diverſitatem neceſſario requirit vita civilis, modo ea probe ſit degenda, quæ ſint quaſi media, reſpectu ultimi finis. Hæcce arbitrio committenda majorum judicamus: qui pro varia animorum inclinatione, diverſitate ingeniorum, alia atque alia ſtudia ſuis commendant, & ſi ullibi, tum hic dandum aliquid propenſioni animi naturalis, modo quis non feratur in id, quod ſit detrimentoſum reipubl. vel inutile. Hinc patet, educationem ex parte legibus definiendam eſſe, ex parte non poſſe, nec debere, ſed arbitrio parentum permittendam.

XLV. Sed notandum, quod egerit hic tantum Ariſtoteles de educatione maſculini generis, ut hodie facies eſt politici operis. Cum tamen e re ſit reipubl. ut & ſexus fæmininus bene educetur, quod & Philoſophus 1. *Politicor.* 8. expreſſe docuit, ubi dicit *ἀναγκαῖον πρὸς τὴν πολιτείαν βλέποντας, παιδεύειν, καὶ τοὺς παῖδας, καὶ τὰς γυναῖκας, neceſſe eſt, ad rempubl. reſpicientes erudire & filios & fæminas.* Siquidem intereſt, ut civitas ſit *σπουδαία, καὶ τοὺς παῖδας εἶναι σπουδαίους, καὶ τὰς γυναῖκας σπουδαίας. Ibidem.* Sunt enim fœminæ, dimidia pars *τῶν ἐλευθέρων*, uti ibi egregie diſſerit Philoſophus, & Plato de legibus *lib.* 3. Imo ob hoc reprehendit Ariſtoteles Spartanorum rempubl. quaſi minus bene inſtitutam ab ipſorum legislatore Lycurgo, *ἔτι δ' ἡ περὶ τὰς γυναῖκας ἄνεσις, καὶ πρὸς τὴν προαίρεσιν τῆς πολιτείας βλαβερὰ, καὶ πρὸς εὐδαιμονίαν πόλεως. Remiſſio circa mulieres & ad reipublicæ finem detrimentoſa eſt, & ad vitam beatam civitatis*, & quæ reſpubl. circa mulieres vitioſe ſe habet, *in ea dimidium civitatis exiſtimandum eſt eſſe incorrectum.* Hinc in Rhetoricis, ubi disquirit de fœminarum virtutibus noſter Doctor, ſic concludit. *Peræque autem & publice & privatim danda opera eſt, ut unumquodque horum, & in viris & in fœminis inſit: nam quibus, quæ ad mulieres pertinent, male inſtituta ſunt, ut Lacedæmoniis, dimidium fere iis abeſt felicitatis* 1. *Rhet.* 5. §. 16. Ex quibus 1. colligimus, neceſſariam eſſe etiam educationem rectam ſequioris ſexus, ad obtinendam civilem felicitatem. Et 2. concludimus, Ariſtotelem de iis earumque inſtitutione etiam egiſſe, ſed injuria iniquioris fati in opere ariſtotelico nunc non



Digitized by Google

reperiri. Quem tamen defectum ſupplebunt *Xenophontis Oeconomicus*, Ariſtoteles *lib. 2. Oecon.* Plato 5. *de republ.* 7. *& de LL.* Ludovicus Vives *de officio Chriſt. fœmin.* & alii.

XLVI. Recte nunc inquirendum ſibi proponit Ariſtoteles, quænam ſunt diſcenda liberis ex civibus natis. Et dicit primo, multum inter ſeſe homines differre ſententiis, ut etiamnum apud nos diſſident ipſi parentes. Quicquid ſit, exiſtimamus ea primum diſcenda, quæ faciunt ad vitam humanam, vocanturque neceſſaria, *ὅτι μὲν ἓν τὰ ἀναγκαῖα δεῖ διδάσκεσθαι τῶν χρησίμων ἐκ ἄδηλον. opus igitur eſſe, rerum utilium eas, quæ neceſſariæ ſunt, perdiſci, non eſt obſcurum.* 7. *Pol.* 2. Neceſſaria autem vitæ dicuntur illa, ſine quibus vita commode degi non poteſt. Sed ſiquidem multis indigeamus in vita humana, & quarundam neceſſariarum rerum ea eſt ratio, ut ſi ea exerceamus, ſimus ſordidi, & efficiant pueros ingenuos *βαναύσες* Ariſtot. 1. *Pol.* 2. ab iis abſtinendum vult noſter. Sordida autem ſunt ea opera; quæ faciunt ut quis non poſſit præſtanti virtuti vacare: qualia ſunt mercenaria, inſtitoria, & alia, quæ quodammodo aliquid ſervile habent. 8. *Pol.* 2. Sunt etiam aliæ artes, quæ per ſe ſordidæ non ſunt, ſi tamen illis immoreris, reddunt te ineptum ad virtutem. Quæ in totum æſtimantur a fine & intentione agentis, adeo *ἔχει πολλὴν διαφορὰν, καὶ τὸ τίνος χάριν πράττει τὶς ἢ μανθάνει. Diſcrimen magnum verſatur etiam in hoc, cujus gratia aliquis agit vel diſcit:* 8. *Pol.* 2. ſui enim ipſius cauſa, vel amicorum, vel ob virtutem, non eſt illiberale: qui vero hoc ipſum facit propter alios, is ſæpe mercenarium vel ſervile quoddam agere videtur.

XLVII. Nunc in ſpecie proponit quatuor, quibus imbutos ingenuos adoleſcentes vult, literas primum ſive *gramaticen*, deinde *gymnaſticen*, tum *muſicam*, quibus aliqui addunt 4. *picturam.* Sed notandum: Ariſtotelem hæc differere ad morem Athenienſium. Apud quos receptum erat, ut adoleſcentes hæc diſcerent, nec apud eos facile ingenuus quis reperiebatur, qui iſtis non erat inſtructus. De quibus vide ſis Xenophontem *de republ. Spartan.* & Platonem *lib.* 12. *de LL.* Hinc Terentius introducit Parmenonem, laudantem ſimulatum Eunuchum: *fac*, inquit *in Eunuch. periculum in literis, fac in palæſtra, in muſicis; quæ liberum ſcire, æquum eſt adoleſcentem.* Per *literas* intelligit *γραμματικὴν* h. e. cognitionem legendi & ſcribendi. Per *palæſtram* *γυμναστικὴν* & varia corporis exercitia, quæ *ambæ ad vitam utiles.* 8. *pol.* 3. De quibus merentur legi *Hieronymus Mercurialis de arte gymnaſt.* & *Petri Fabri Agoniſtica*, eruditum opus, confuſo quamvis ordine tractatum. *Muſica* tertio, quæ conſiſtit in arte canendi, vel fidibus, vel voce. De qua præclarum opus ſcripſit *Vincentius Galilæus, Italus*, cui adjungendi *Boetius in lib. de muſica veter. Julius Cæſar Scaliger lib.* 1. *de poet.* & *Hieronymus Meius in libr. de veter. muſica.* Hæc erant communia atticæ juventutis ſtudia; quibus a nonnullis addita fuit *pictura*, de qua eruditum ſcripſit tractatum, qui brevi lucem videbit, *ampliſſimus Schefferus*, Hoſpes quondam ac Præceptor meus ætatem a me colendus.

XLVIII. Primum quod attinet, literarum ſcilicet ſcientiam & *γραμματικὴν*, commendavere juventuti atticæ *propter utilitatem ad vitam.* Quam etiam nos requirimus in quovis ingenuo, præſertim in optima republica, ut legere & ſcribere poſſit, ſine quibus haud quiſquam feliciter vivere poteſt: ſiquidem ſcriptura eſt inſtrumentum, quo cum abſentibus loquimur, ut coram ad præſentes ſermone. Et qui carent hac arte, qua tamen fœdera, pacta, cum populo, aut aliis regibus inita, conſervantur, ex parte tantum apti ad optimam rempublicam. Deinde clavis eſt grammatica reliquarum doctrinarum utilium, & fruſtra ſit, qui ſine ea graviora ſtudia tractare velit. De cujus utilitatibus lege *Diodorum Siculum lib.* 2. & *Patritium de republ. lib.* 2. *tit.* 1. Hinc Charondas in ſua republica ſanxit, ut omnes civium filii in literis inſtituerentur. Et a Deo optimo maximo conſtitutum, ut Judæi diſcerent & ſcribere & legere, prout præclare de inſtitutis judaicæ gentis differit *Joſephus lib.* 1. contra Appionem Grammaticum. Quæ quamvis expreſſe ex ſacris temere quis non collegerit, tacite tamen hoc innui, patebit ſcripturam diligenter legenti. Nec etiam hodie facile Judæum quis inveniat, qui neſciat artem *γραμματικὴν*. Et vero parentes eorum in mandatis habuerant, ut docerent liberos legem: quod ſine arte vel legendi, vel ſcribendi, fieri commode non potuit. Apud Turcas etiam hodie & alias barbaras gentes, omnes a puero diſcunt alcoranum: qui materna lingua non eſt ſcriptus, ſed arabica, unde omnes fere Turcæ tenentur arabicam linguam addiſcere.

XLIX. De grammaticis ſat, accedamus ad alterum, nempe *γυμναστικὴν*: quam *propter fortitudinem* diſcendam vult autor 8. *pol.* 3. & quia *conciliat firmam ſani corporis conſtitutionem*, Plutarchus *de educ. liberor. cap.* 21. Tempora enim reipublicæ in duo genera eſſe diſtincta, antea diximus, in pacis ſcilicet & belli, ad quorum temporum negotia cives inſtitui debent: magis tamen ad hoc vel illuc, prout reſpublica hunc vel illum ſibi magis habeat propoſitum finem. Ideo male habuit majores meos Gothos, Italiæ & totius pene Europæ victores, cum fortiſſimi prudentiſſimique Regis Theodorici filia, tanto patre non indigna Amalaſuentha, quæ literis imbuta iisque admodum gaviſa, ut nuper Suecorum Regina, CHRISTINA, iis ad ſtuporem usque eruditorum pertincta; cum hæc dico filium, quam habuit unicum, literarum ſtudiis, non militaribus exercitiis imbuendum tradidit, quaſi non educaretur ad ſcopum reipublicæ, ſcilicet ad fortitudinem bellicam. Nec falſos habuit Gothos ſua perſuaſio, quia hic effœminatus evaſit: ut fere ſoleat, qui totam ætatem libris & philoſophiæ dant. Unde iidem Gothi, cum Græciam victricibus ſuis armis devaſtaſſent, Athenisque inventam immanem librorum vim, igne comburendam exiſtimarent, diſſuaſit unus, quaſi inſtrumenta eſſent ſervitutis. His ergo Martis caſtra ſequuturis *philoſophandum quidem, ſed paucis*, ut ſuaſit Neoptolemus apud Gellium *lib.* 5.

cap.

Digitized by Google

*cap.* 15. & magnificus Præſes homini in actu rerum *civilium verſaturo*, (*a*) in libro *de civili prudentia. cap.* 7. conf. *Tacit. Agric.*

L. Exercenda ergo his palæſtricis ſtudiis a teneris paulatim prima juventus, ut ſic *apta reddatur ad militaria opera.* Plutarch. *de educ. lib. c.* 24. Et cum agilitas & ſoliditas quædam corporis iis comparetur, apprime ad bellica negotia neceſſaria, tum quicquid eſt in corpore innoxii humoris, iis diſpellitur. Hodie hic modus ceſſat, niſi in ejus locum ſucceſſiſſe videatur, *ars palæſtrica* (*b*) prout nobis hodie in uſu eſt, multum differens ab antiquorum rigore: in qua & punctim & cæſim ſeſe exercet juventus, indeque magna acquiritur agilitas corporis, qua ad veloces incurſiones & hoſtium occurrentium ictus evitandos apta redditur. Deinde huic uſui inſervit, ars bene equitandi, ferocemque equum in gyrum flectendi, quæ utilis, ut quis firmiter inſideat equo, & non ad primum hoſtium occurſum dejiciatur. Multum hæc etiam facit, ut vel ſcite declinemus, vel excipiamus incurſus, minacemque hoſtium vim eludamus. Quamvis ut nunc vivitur, addiſcuntur hæc ad ornatum magis & elegantiam vitæ, quam ad utilitatem vulgo, & quia ſine iis aulicus quis perfectus hodie non habeatur. Ad hæc etiam referuntur venationes, corporum certamina, luctationes & alia ejusmodi.

LI. Sed cum in republica optima major debeat eſſe cura pacis, propter quam bellum geritur: ita etiam iis magis ſunt exercendi ſtudiis juvenes, quæ faciunt ad tempora pacis. Ad quæ, ut cives apti ſint, requiri videtur præter gramaticen, ut omnes a prima ætate addiſcant leges, & inprimis *divinas.* (*c*) Semper enim præſupponenda veniunt, quæ faciunt ad æternam beatitudinem, cum etiam ſine iis nulla civitas beata eſſe poſſit: quod & Machiavellus, quamvis ipſe *Atheus* (*d*) fateri coactus. A teneris ergo imbuendi religione & metu Dei, præſertim cum & devotio iſta & religioſus metus vincula ſint obſequii; imo iis plura Numam effeciſſe in republica romana, quam Romulum victricibus ſuis armis, patebit romanam hiſtoriam evolventi. De quibus egregie diſſerentem vide ſcriptorem ab Etruria. *diſcurſ. ad hiſt. lib.* 1. *c.* 2. Cic. *lib.* 2. *de LL.*

LII. Nec tantum leges divinas ſciet optimæ reipublicæ civis, verum etiam ut addiſcat neceſſe eſt leges civiles, *quia turpiſſimum eſt jus tuæ civitatis, in qua verſaris, ignorare*, Cic. 3. *de LL.* ad quas a teneris mores ſuos componere omnes debent, ne cogantur tantum ex pœnis leges patrias diſcere, ut hodie rubris docetur literis, quæ diſciplina nimis magno conſtat. Sic apud Romanos, ſtante republica, cogebantur pueri diſcere leges XII. Tabularum ad unguem: tanquam carmen aliquod, teſte Cicerone: a quibus moribus poſtea diſceſſum, ſed magno reipublicæ illius malo. Longe etiam melius nobiſcum ageretur, ſi ea legum ratio apud nos haberetur: Quum hodie plectuntur etiam ii, qui peccant contra jus, quod neſciunt.

LIII. Et ſiquidem experientia docet, tempore pacis nihil magis hominibus nocere, quam otium & res ſecundas: ita opera danda, ut laboribus a prima adſueſcant ætate cives. Quibus gravioribus ſtudiis aſſueta juventus, majorem capiet ex iis voluptatem, quam ex otio. Quo ſi utendum, tum diligenter cavendum, ne in quodvis nefas & ſcelus eo abutantur.

LIV. Hanc ob cauſam curabant Attici, ſuos *muſicam* (*e*) doceri, ὀυχ ὡς ἀναγκαῖον, *non ut neceſſarium*, ὀυδ᾽ ὡς χρήσιμον, *nec ut utilem*, ſed πρὸς τὴν ἐν τῇ σχολῇ Διαγωγήν, *ut accommodata eſſe ad vitæ curſum in otio* Ariſtot. 8. *pol.* 3. Cicer. *de orat. lib.* 3. §. 58. h. e. ut otium eleganti ſtudio terere poſſent.

LV. Sed ut Ariſtoteles fuit muſicæ peritus, & ideo in eam propenſus, notanter obſervavit 8. *polit. cap.* 1. ὅτι δύναται ποῖον τι τὸν τῆς ψυχῆς ἦθος ἡ μουσικὴ παρασκευάζειν. *Quod muſica vim ac poteſtatem habeat efficiendi mores animi tales.* Quod veriſſimum eſt, nam pacat muſica animum & hilarem triſtemque reddit, *incitat languenteis & languefacit excitatos, & tum remittit animos, tum contrahit* Cic. 2. *de LL.* §. 38. Componit ergo nos ad ea fugienda, quæ inhoneſta ſunt & ad recte lætandum. Ergo δῆλον ὅτι προσακτέον καὶ παιδευτέον ἐν αὐτῇ τοὺς νέους, *dubium non eſt, quin tradenda ſit, oporteatque in ipſa erudire adoleſcentes* 8. *polit. cap.* 5. Eſt autem muſica duplex, veſtita alia, vel vocalis; nuda alia vel inſtrumentalis, quæ diverſos pro diverſitate organorum, inducunt in animos hominum motus. Sic Buccina & Tympanum longe reddunt homines animoſiores, quam pandora vel cithara. Hinc tamen non ſequitur, omnium civium filios imbui debere muſica, quod nullo ſolido evinci poteſt argumento.

LVI. Ex quibus etiam ſponte fluit, non debere quempiam ita *muſicæ vocali* (*f*) operam dare, ut potiſſimam vitæ partem ei impendat. Altiora enim ſunt, in quibus ſudandum eſt homini ingenuo. Hinc paſſim male audit Nero, quod maluerit bonus citharoedus, quam bonus impe-

(*a*) *Civilium verſaturo*) *Of education part. I. ch. X. Inſtructions pour un jeun ſeigneur The marquis of Argyls* inſtructions *to his Son. ch. VIII.*

(*b*) *Ars palæſtrica*) *Of the education of young Gentlemen Abroad. p.* 48. *ſeqq.*

(*c*) *Divinas*) *Inſtructions pour un jeune ſeigneur p.* 11. 12. de religione ait ARGYLIUS *l. c. ch.* I. *This being your greateſt concernement, the director of all your actions.*

(*d*) *Atheus*) Videtur animæ immortalitatem in dubium vocaſſe.

(*e*) *Muſicam*) Sunt, qui ſuadent, ne, qui aliquando ad reipublicæ partes regendas adhiberi debent, muſicæ operam dent. Harmoniæ enim illius mollitiei aſſueti ad graviores, in reipublicæ utilitatem tendentes labores nauſeare ſolent. *Muſick*, inquit autor libri *de educat. part. I. ch. X p.* 110. *A thinck not woorth a Gentelmans labour, requiring much. induſtry and time to learn, and litle to looſe &c. It uſed chifly to pleaſe others who may receive the ſame guſto from a mercenary.*

(*f*) *Muſica vocali*) Si quæ eligenda erit, hanc inſtrumentali præferendam eſſe, putat AUTOR ANGLICUS *l. c. p.* 110. ubi ejus leguntur rationes, nimirum ſuavitati vocis & pulmonum vigori cantum inſervire.

Imperator haberi Tacit. 14. *annal.* 14. §. 1. 15. *annal.* 65. §. 2. Aliud *videlicet in Imperatore*, imo in reipublicæ utili cive *quæritur*, *aliud in muſico flagitatur* Trelell. Pollio *de Gallieno*. Et aliud longe eſt, ſi quis ex ea arte victum quærere amat, quod non eſt hominis ingenui 8. *politic.* 5. Heic notandum paucis, antequam hunc relinquamus locum, muſicam veterem a noſtra toto cœlo differre. Hodiernam enim, ut araneorum telam ob inſigne quidem artificium laudes; ſed ſæpe majoris uſus non eſt, quam eadem. Hodie Itali revocant in uſum muſicam veterem. De qua ſcire aliqua qui vult, poterit legere præter ante citatos eximium Henrici Glareani de muſica veteri tractatum.

LVII. Quarto tandem *Picturam* commendavit Ariſtoteles, quæ conducit ad judicandum recte de operibus artificum, in qua adparet & ingenii præſtantia, & judicii rectitudo. Unde Chærea apud Terentium, *ſcis*, inquit, *quam ſim elegans formarum ſpectator*. Ad hanc referri debent ſtatuaria, *Geographicæ* (*a*) delineationes, quæ plurimum & jucundi & honeſti in ſe habent. Plin. *lib.* 35. Spartian. *in vit. Adrian.* Sic Cicero ipſe, eruditos ſe habuiſſe in arte pictoria oculos, ſcribit. Facit etiam ſecundo, Pictura ad propagandam rei memoriam. vid. *Julium Capitolinum & Flavium Vopiſcum.*

LIIX. Ex his jam dictis patet, ſtudia, quibus vacare debemus, eſſe vel *Neceſſaria*, vel *Utilia*, vel *Elegantia*. Neceſſariis & utilibus quin ſtudendum, dubitare vetat indigentia vitæ humanæ. Elegantiæ etiam quin non nihil ſit dandum, nemo tam inelegantis ingenii ſit, qui neſciat vel id negare ſuſtineat: ſiquidem ad vitam beatam etiam quædam elegantia requiritur. Imo ea eſt ratio vitæ civilis, ut vivere non poſſimus niſi opinioni hominum aliquid demus. *Elegantiæ* (*b*) ergo aliquid ſtudendum, adeo ut urbanitate aliquavis valeat, & in communi vita qua inceſſu, qua ſermone, qua geſtu, eleganter ſeſe gerat, *nemini, cum quibus verſaris moleſtus*, *ſed omnibus jucundus.* Ariſt. 4. *Nico. cap.* 6. Quæ etiam merito in homine civili & Politico requirit Excellentiſſ. Præſes libro de civili prudentia. *cap.* 1. Hæc ſiquidem bonam partem ſi non tota dependet ab opinione hominum, ita patet, hominem civilem ſeſe huic vel illi elegantiæ dare oportere, quæ in ipſius *civitate æſtimatur*, (*c*) & in pretio habetur. Dependere enim elegantiam ab opinione hominum, patet quam maxime ex veſtitu. Nam id veſtimenti genus, quod hodie magni æſtimatur, & in magno pretio eſt, veluti hiſpanica hæc femoralia ad crus adſtricta & alia, intra anni ſpatium cum *faſtidio diſplicebunt.* (*d*) Nec ea, quæ in una regione elegantia habentur, ſtatim eandem apud aliam merentur laudem; ſiquidem impoſſibile eſt, ut homines vel ubivis terrarum vel ſemper eadem opinentur, cum quot capita tot ſenſus, & ea, quæ hodie magni æſtimantur, brevi vili & pro nihilo habeantur. Inde ſane varii tibi mores, pro varia opinione hominum, quibuscum converſaris, ſunt induendi.

LIX. Hinc porro ſponte ſua ſequitur, mores hominis elegantis & civilis non eosdem eſſe poſſe, ſed diverſos, pro cujusque loci conſuetudine, innoxia tamen. Quod prudenter indigitavit *Seneca*: *faciet ſapiens etiam ea, quæ non probabit, ſed ut ad majora tranſitum inveniat*: *nec relinquet bonos mores, ſed tempori aptabit.* Verum notandum, nos nunc non loqui de moribus, quos veræ perficiunt virtutes, qui non poſſunt non multum diverſi eſſe, pro varietate rerumpubl. quum quædam ſint, quæ ſolis bonis artibus regi non poſſint. In quibus longe alia eſt virtus viri boni & civis boni, imo eſſe debet; Ut in iis etiam bonum virum & Politicum nemo agere poſſit. Sed de his nunc ſermo nobis non eſt, quia Politicum non informamus, ſed hominem in republ. civilem, qui non omnes ad iſtum dignitatis apicem perveniunt, ut rempublicam una adminiſtrent. Hi enim debent, modo civiles & politi haberi velint, pro varia hominum ſuæ civitatis opinione, *variis ſtudiis* (*e*) ſeſe dare: Adeo, ut ſi in tua civitate æſtimetur ſaltatio, neceſſum tibi opinioni hominum te accommodare, deſcentem & choreas ducere & pedes decenter movere. Si vero Muſica in pretio ſit, & ea tibi exercenda fuerit, non ut artem perfecte addiſcas, (hoc enim muſici eſt) ſed ut habeas aures Muſicas, h. e. ut poſſis judicare de cantu: quod non poteſt, qui muſicæ non adſueverit. Nam hæc quamvis minuta videntur, ut etiam revera ſunt, habent tamen magnam vim in vulgi animis. Hinc Themiſtocles referente Cicerone imperitior habitus, quia cithara in ſympoſio oblata uti muſice neſciviſſet. Idem de pictura, de ſculptura, de variarum gentium linguis ſentiendum. Nam ſi apud Italos & Batavos urbanus & politus audire deſideres, apud quos hodie pictura & ſculptura magni æſtimantur; neceſſario tibi diſcendæ ſint, ut ad minimum de his rectum ferre poſſis judicium. Et ſi commercia, pacta, fœdera tuæ reipubl. cum gente linguæ diverſæ intercedant, linguam iſtius reipubl. ſi addiſcas, magno tibi & adjumento & ornamento fore, quis dubitet? Sic cum Germanis commercia ſi habeas, Germanicam, ſi cum Gallis, Gallicam. Sed in genere de his notandum: omnia iſta ita diſcenda eſſe, ut nec neceſſariis negotiis reipublicæ derogent, nec honeſtati.

LX. Hæc fuere, quæ de educatione proba in republica optima, in medium adferre viſum eſt. Quibus quin multa addi poſſint non inficior. Mihi tamen iis inhærere non licuit, ob cogitatum, quod maturo iter; nec placuit, tum quia Ariſtotelis veſtigia, quibus preſſe inſiſtere animus

(*a*) *Geographicæ*) *Inſtructions pour un jeune ſeigneur p.* 25.

(*b*) *Elegantiæ*) Vide autores citatos, ubi affatim traditur, quinam mores, juxta noſtri ſeculi genium ſint eligendi, & quinam aulicos decent. Vid. BOECLERI *diſſert de elegantia moris civilis & aulici.*

(*c*) *Civitate æſtimatur*) Cavendum tamen maxime ab affectatione, quæ in moribus & in ſermone odioſa eſt.

(*d*) *Faſtidio diſplicebunt*) Jam Germanis hiſpanica diſplicent, ſed ad gallicum aut anglicum morem veſtiti, incedere ſolent.

(*e*) *Variis ſtudiis*) Vide RABUTINIUM *de l' etude des gens de qualité*, qui libellus commentariis ejus, quos memorias vocant, adhæret.

Digitized by Google

animus fuit, nos (proh dolor!) injuria iniquioris fati fugiunt, tum quod facundum magni Præſidis os viam monſtrans nos hic deſerit. Prolixius forte alias, ut eſt inuſitata diligentia incomparabilis iſte vir, hæc exequetur. Qui utinam adduci poſſit, ut una cum iis defectum ariſtotelicæ doctrinæ de optima republica ſupplere adgrederetur, eſſet quod fato Ariſtotelis gratularer. Conatus id quidem Cyriacus Stozza, vir Græce latineque peritiſſimus, verum neutiquam id, quod intendebat, adſequutum fuiſſe, res ipſa loquitur. Hæc abiens relinquo, ſaltem ut oſtendam me inluſtris hujus Academiæ civem fuiſſe, utinam addere auderem, non otioſum. Tu vero B. L. diſcedenti fave; ac majora exquiſitioraque, una cum annis creſcente judicio, expecta.

# XXXVI.

## HERMANNI CONRINGII DISSERTATIO DE PRUDENTIA PEREGRINANDI

*Reſpondente*

DETHLEFF BROCKTORFF

NOB. HOLS.

MDCLXXVII.

### THESIS. I.

Mortalium actus ſemper ſibi quendam habere finem propoſitum, ad quem tendunt, & propter quem fiunt, eleganter prudentiæ oculus Ariſtoteles monſtrat *lib.* I. *Eth. cap.* I. Quem tamen ut obtineant minus adulti, vix patitur fragile & infirmum hujusmodi ætatum conſilium, quod multis captionibus ſuppoſitum, *arg. l.* I. *ff. de minor.* Neque vero ſemper adultiores id poſſunt, cum in tanta prudentiæ noſtræ incertitudine, propter caſuum innumerum numerum, nihil certi fere ſperare, aut cupitam ubique rerum gerendarum metam ſpondere nobis ex aſſe poſſimus. At enim quamvis contra bene conſulta inexſpectatiſſimus non raro obveniat eventus, e contrario felix multorum temeritas & beata multorum imprudentia perpetuusque fortunæ famulatus prudentiſſimos quoque occulto quodam ſtupore perfundat, Forſtner. *Hyppomen. Polit.* 45. tantum tamen abeſt, ut ingenio, prudentiæ, ac humanis artibus, nihil tribuendum cenſeas, ut abſurdus ſis futurus, ſi ſumpto præpoſtere judicio ab eventu vel minimas etiam hominum ſocietates hac luce deſtitutas, ne dicam ipſum hominem, ſtare ac ſalvum fore tibi perſuadeas. Inde eſt, quod modo moralis, modo oeconomica, modo politica, modo militaris, modo alio quo nomine audit, cujus uſus non ſolum inter concives & domi, ſed foris & inter exteros clarus eſt. Prudentia igitur ad omnia humanæ vitæ bona ſeſe extendit, adeoque ad omnem vitam, etiam non civilem.

II. Et vero cum amplitudinem ejus vix capiat humanitas, (tota enim a nemine poſſidetur, & ejus partes inter nos, minutis & perexiguis particulis diſperſæ ſunt, ad inſtar ignis illius, quem Prometheus furto abſtulerat, non uni homini conceſſum, ſed per totum orbem diviſum, Jul. Bellus in *Herm. Polit.*) operæ hinc nos facturos pretium confidimus, ſi prius operoſius inveſtigemus, *quid & quorum prudentia ſit*, (*a*) quam ut eandem ſtatui peregre viventium pro inſtituti noſtri ratione unice adaptemus. *Vere prudens*, inquit ampliſſ. Dn. Præſes in aureo de Civ. Prud. libello, *is demum eſt, qui norit id, quod homini in vita utile eſt & inutile.* Similiter *prudentia peritia quædam eſt eorum, quæ homini obſunt & conducunt.* Scilicet univerſum mundum agere hiſtrioniam & humanam pellem (ut ajunt) difficilem fuſcamque mercem eſſe, ad oculum oſtendit internecinum illud, quod ubique gentium eſt, bellum inter hæc tria: *Juſtum*, *utile & delectabile*; (*b*) quandoquidem non privatim tantum in ſingulis hominum ætatibus, ſed publice inter popu-

(*a*) *Quid & quorum prudentia ſit*) Virtutum, quas intellectuales philoſophi vocant, quinque eſſe ſpecies, notum eſt; inter quas prudentia optimo jure primum locum ſibi vindicare poteſt, quod intellectum, ſcientiam, ſapientiam præſupponat, nec ſine iis conſiſtere poſſit. Eſt autem *prudentia*, ut eam ſcholaſtici definiunt, *habitus cum recta ratione activus.* Vel: *rectum de vita judicium, quo non nobis tantum, ſed aliis etiam bene conſulimus, juſte, honeſte & decore vivendo.* Et bene Cicero *lib.* I. *offic. cap.* 43. *prudentiam*, quam Græci φρόνησιν vocant, dicit *rerum expetendarum fugiendarumque ſcientiam.* In ſpecie, de prudentia viri politici egregie agit auctor libri *de educatione*, anglice conſcripti, P. II. c. II. Conf. *Lettres choiſies de Meſſieurs de l'Academie p.* 276. 277

(*b*) *Juſtum*, *utile & delectabile*) Horum fines egregie diſcernit Cicero *lib. I. offic.* accuratius autem THOMASIUS *in fundamentis J. N. & G. cap. I. & II.*



Digitized by Google

populorum etiam moderatores contentiones propter unum illorum, potiſſimum *propter utilitatem*, (*a*) ſuſcipiantur, quam Minervam, ceu innuptam, nemo non ſibi vult addictam. Hinc ſane prudentis eſt, nocitura a bonis, bona a noxiis diſcernere, & quid ſibi in vita obſit vel conducat, prudentiæ virgula temperare: ſiquidem juxta Publici dictum, quod cuivis accidere poteſt, & cuiquam adeoque ſibi accidere poteſt.

III. Hanc porro eſſe vel univerſalem, vel ſingularem, recte ſentientium civilis Philoſophiæ doctorum ordo recepit. Nec obſtat nonneminis inuſitata doctrina, prudentiam *in ſolis ſingularibus occupari*. (*b*) Quamvis enim ſingularium infinitus ſit numerus, attamen in hiſce ſubſiſtere, nec ex particularibus ducere univerſalia, abſurdum foret dictu. Prudentiæ quippe ſpecies omnes ita cohærent, ut earum præcepta poſſint ad communes & generales regulas revocari, quarum comprehenſio jure merito dicitur prudentia generalis vel univerſalis. Singularis enim illa non eſt, niſi germen univerſalioris politicæ doctrinæ, hæc vero pro radice eſt omnium illarum numero infinitarum in ſingularibus hærentium politicarum. Hinc ergo ſtatim liquet, alteram ex parte diſtingui ab altera. Ex parte inquam: utpote quum ſingulis negotiis civilibus conſulere non liceat, niſi ſuffultus ſis prudente aliquo univerſali pronunciato. Ergo ad conſilium ſingulatim dandum & ab univerſali prudentia accipiendum aliquid eſt, & ſimul addendum aliquid de re illa ſingulari, qua de conſilium datur. *Ampliſſ. Dn. Præſ. dicto lib. d. Civ. prud.* 8. & 12.

IV. Cæterum quantum utraque ad vitam, præſertim civilem, recte conformandam conferat, præter alios Piccartus *in Proleg. ad Ariſt. Polit.* elegantiſſime docet. Hoc ſtudioſo politices conducere arbitror, ut diligentiſſime præcepta politica *primum animo imbibat*, (*c*) quæ majorem illi Syllogiſmi propoſitionem, quam vocant, ſuppeditabunt, hiſce præceptis lectionem hiſtoriarum adjungat, & ſtudia Apodemica ſive peregrinationes, (*de quibus in progreſſu*) hæc duo minorem Syllogiſmi ſuppeditabunt, h. eſt diſcet, quo modo illa axiomata politica cum fructu in hac vel illa rep. uſurpata, aut cum maximo damno neglecta fuerint aut alia deterrima comparatione ipſis ſubſtituta; ex hoc duplici ſtudio, tanquam præmiſſis Syllogiſmi, neceſſario tandem ſequetur prudentia civilis, tanquam concluſio & fructus horum ſtudiorum, videbitque ſeu reipubl. ſuæ virtutes, & conſervare annitetur, ſeu vitia, & mutare volet atque poterit. Ariſt. tamen 6. *Nicom. cap.* 8. ſi alterutra abeſſe debeat, ſingularium prudentiam præfert. *Neque eſt prudentia univerſalium duntaxat, ſed oportet & ſingularia noſſe, ut proinde oporteat utramque habere cognitionem vel poſteriorem potius.* Paraphraſtes Græcus poſteriora ita illuſtrat: *Cum in agendo occupetur prudentia, utrumque adeſſe illi oportet, aut ſingularia magis.*

V. Uberius jam nobis inveſtigandum erit, quomodo *ſingularium prudentia* (*d*) paretur. Fieri id ipſum ſingularium rerum uſu ac collectione, illico apparebit. Unde hæc prudentia alias dicitur experientia. *Experientia enim eſt cognitio ſingularium, ars autem univerſalium.* Ariſt. 1. *Metaph. cap.* 1. Nec tamen quævis experientia eſt prudentia, aut non ex quavis experientia colligi poteſt prudentia ſingularium. Siquidem de natura experientiæ eſt, rerum etiam theoreticarum habere rationem. *Naſcitur ars*, dicit idem ibidem, *quando ex multis experientiæ notionibus una fit univerſalis de ſimilibus exiſtimatio. Etenim tenere, quod Galliæ, hoc morbo laboranti profuerit, Socrati item, & eodem modo ſingulatim pluribus, experientiæ eſt.*

VI. Cum vero in illam inquiramus experientiam, quæ prudentia quædam ſit, vel illius ſemina habeat, ad duo potiſſimum in acquirenda ſingularium prudentia adminicula nos convertere neceſſum eſt: [1] actiones aliorum cognoſcendo [2] agendo, ſi ipſe civilia negotia tractes. Prius fit vel *lectione hiſtoriarum*, (*e*) vel inſpiciendo ea, quæ tua ætate geruntur. Hiſtoriarum enim aſſiduus lector non poteſt non variarum rerumpubl. cognitione ac exemplis abundare, quæ plurimum ad deliberandum & perſuadendum faciunt, praxinque politicam nimium quantum promovent. Sed cauto ſane hic opus eſt. Neque enim *ficta hiſtoria*, (*f*) quamvis elegans idonea eſt, ut præbeat genuina prudentiæ civilis principia; nec minus confuſa experimentorum acceptio, ubi ea, quæ per ſe, ab iis, quæ per accidens aut etiam fortuita ſunt, non probe

(*a*) *Propter utilitatem*) Cum utilitas ſeu felicitas propria communiter pro primo juris naturalis fundamento habeatur, omnia ad utilitatem noſtram, ſalva juſtitia referre poſſumus, dummodo tertius non lædatur. Si enim ſic erimus adfecti, ut propter ſuum quisque emolumentum ſpoliet aut violet alterum, diſrumpi neceſſe eſt eam, quæ maxime eſt ſecundum naturam humani generis, ſocietatem. Ut recte judicat CICERO *l* 3 *offic. cap.* 5. ubi de utilitatis finibus late agit. Quatenus inter gentes decidendis bellorum cauſſis utilitatis obtentus afferri poſſit, de eo GROTIUS & PUFFENDORFIUS accurate diſputant, in juris naturæ pandectis.

(*b*) *In ſolis ſingularibus*) Hæc eſt ſententia plerumque illorum, qui in aulis vivunt, qui contendunt, omnem prudentiam politicam ex ſingularibus eſſe hauriendam, ex univerſalibus autem, ut coarctationibus ſcholaſticis, nihil propemodum utilitatis in rempublicam derivari.

(*c*) *Primum animo imbibat*) Qui alium peregrinationum finem habent, etiam aliis diſciplinarum præceptis imbutos eſſe oportet v. c. rei antiquariæ, phyſicæ, matheſeos, botanicæ &c. quarum gratia a Galliæ Regibus in remotiſſima terrarum ſpacia miſſos eſſe conſtat de Poſtello, Petro Gilio, Nic. d' Arſueille, Tauernerio, Caſſini de la Hire, Petit la Croix, Gallandio, Thevenotio, Vaillantio, Tourneſortio aliisque.

(*d*) *Singularium prudentia*) HOBBES. *in Leviathane c. V.* CHOCKIER. *theſaur. polit. lib. II. c. XIX.*

(*e*) *Lectione hiſtoriarum*) De utilitate hiſtoriarum in ſtudio politico fuſe agitur ab auctore libr. *de civili prudentia*, & BOECLERO *in hiſtoria principum ſchola*. NAUDÆUS *de ſtudio liberali p.* 42. *Prudentia noſtra*, inquit, *nihil aliud eſt, quam eventorum obſervatio rerumque præſentium ac futurarum ſcientia, ex præteritis, tanquam ex fonte derivata, hoc ex univerſo litterarum genere vel ſola vel certe maxime præſtat hiſtoria.*

(*f*) *Ficta hiſtoria*) Omnes libri romanenſes pertinent ad otium, & tantum ad irritandas hominum laſcivorum cupiditates idonei ſunt. Vide THOMASII *Ausübung der Sitten-Lehre* cap. 13. §. 11. ſqq.

Digitized by Google

probe diſtinguuntur, confundit. Præprimis autem, quia quæſtiones vitæ civilis non præſens duntaxat, ſed & præteritum vel futurum reſpiciunt tempus, veteris æque ac noſtri ævi *Hiſtoricorum*, (*a*) tanquam mortuorum conſiliariorum habenda ratio; quandoquidem in futurum probe conſulere haut poſſis, niſi noveris, qua ratione ſive conſtituta, ſive corrupta, ſive correcta antehac fuerint illa, de quibus forte nunc deliberatur. Optime in rem præſentem facit illud Ciceronis: *Neſcire, quid antequam natus ſis, acciderit, id eſt, ſemper eſſe puerum.*

VII. Verumenimvero, cum valde generoſi ſit animi, ſui temporis hiſtoriam ſcribere, ejusque copia propter veritatis periculum non ſemper habeatur, perquam oportunum fore exiſtimamus, ſi connexo & lectionis & inſpectionis ſtudio ad uberiorem rerum civilium comparandam peritiam adjungamus ocularem moratiorum gentium inſpectionem, quam *peregrinationem* (*b*) dixeris. His enim bigis vehitur fere omnis prudentia, quæ niſi concinne & amice copulentur, ſerius civilem ſtudioſi ad optatam metam metam pervenient. Eſt certe aliquid, idque non vulgare, ex aliorum relatu rerumpublicarum quarumvis inſtituta, mores, diſciplinam & actus noſſe: ſed proprio uſu ac experimento, atque adeo ſuo oculo, publicam omnem rem ac privatam perluſtraſſe, hoc utique magis eſt. Et vero, ſi dicendum, quod res eſt, longe difficile, quandoque vix poſſibile, *ex ſolo hiſtoriarum ſcrutinio*, (*c*) quid cuique reipublicæ ſtatui utile, quid noxium obſervare, & quævis obſervatu digna juſta attentione proſequi: niſi remotis valvis ipſimet intueamur, quo pacto altera pars hominum vivat, gubernetur, aut quid utrobique agatur.

IIX. Quod reliquum eſt, ſingularis prudentiæ eſt adminiculum, ſi ipſe negotiis civilibus jam præeſſe cæperis: locupletiſſimam ſane ita rerum ſingularium ſupellectilem tibi comparabis. Etenim verſari circa actus civiles, & quinam illorum vel exercendi, vel permittendi, vel omittendi ſint, exacte diſcriminare, ſolidiorem jam requirit operam ac prudentiam. Cæterum, ſicut theoriam meritiſſimo excipit praxis: ita nec, cui commiſſum jam civile regimen, ſed cui idonee fuerit aliquando committendum, aditum impræſentiarum aperimus: hac quidem ratione, ut lectione hiſtoriarum ſuo relicta loco, uſum ſaltem circa actus civiles ſingulares ex peregrinatione pro ingenii modulo depromere hac vice animus ſit. Jacta eſt alea!

IX. *Peregrinatio* (*d*) (quæ latinis quaſi peragratio, vel peragrinatio dicta videtur, quod alieni agri permeentur, aliis a pergendo, aut progrediendo) an, & a quibus, & quo tempore, ſit inſtituenda, a multis prudentiæ peregrinatoriæ magiſtris jam olim magno conatu diſceptatum fuit. Nos nec *Lycurgi* (*e*) moramur ſanctionem, qua cives ſuos vagari prohibuit non modo, verum etiam advenas in urbem irrepentes abegit, illos, ne diverſos inveherent mores, hos, ne alicujus noxæ doctores forent. Nec tanti nobis eſt *Platonis* (*f*) authoritas, ut præter quinquagenarios depontanos inter alienigenas verſari neminem patiamur, quandoquidem omnis fere ætas ſuo quodam modo idonea eſt ad mercandas ſcientiæ ac prudentiæ opes. Nec certe iis ſcribimus, qui mercaturæ gratia, ut pauperiem fugiant, terras & maria percurrunt, nec iis, quos quæſtus bellicus huc illuc per tot orbis trahit angulos, nec quos voluptas, aut legationis vinculum, multo minus, quos exilii pœna apud exteros detinet. Præprimis vero horum favemus conatui, qui ex inſtitutis moribusque gentium prudentiam peregrinando civilem adipiſci, eaque penitus imbuti reduces patriam, vel alias reſpublicas exornare allaborant. Proinde *prudentiam peregrinandi* ſic deſcribimus, *quod ſit peritia cultiores populos inviſendi*, (*g*) *civilis prudentiæ comparandæ gratia, unde reipublicæ patriæ vel alienæ, adeoque nobiſmetipſis, emolumento eſſe poſſimus.*

X. Ne

(*a*) *Hiſtoricorum*) Vid. BOECLERI *diſſert.* quæ inſcribitur: *hiſtoria principis ſchola* & L'ESPION *dans les cours des princes chretiens lettr. VIII. tom. I. p.* 19.

(*b*) *Peregrinationem*) Qui ſint peregrinationum uſus & abuſus, plurimi peculiaribus libellis expoſuerunt v. c. JOH. CONR. DIETERICI *de peregrinatione ſtudioſorum*, Marpurgi 1604. BAUDELOT de DAIRVAL *l'utilité des voyages*, Paris. 1686. JOH. CHRISTOPH. SENSTIUS *diſſ. de peregrinatione docta rite inſtituenda*, Roſtoch. 1706. MORHOF. *Polyhiſt. tom. I. l. I. c.* 19. §. 4. *l. II. c.* 7. §. 38. & paſſim celeberrimus GOTTLIEB. SAM. TREUERUS in exercitatione politica *de licentia peregrinandi legibus circumſcribenda & dirigenda in utilitatem ſummorum imperantium & reipublicæ*; adjecta ſunt monita & præcepta quædam virorum illuſtrium huc facientia. De veterum philoſophorum peregrinationibus NIC. BARTHOL. FRANCUS Lipſiæ 1679. & doctiſſimus Ilfeldenſium Rector KRIEGIUS, Jenæ 1704. peculiaribus egerunt diſſertationibus.

(*c*) *Ex ſolo hiſtoriarum ſcrutinio*) Unde ſapientiſſimum alias Haſſiæ Landgravium, VVilhelmum, filio ſuo Mauritio minus recte conſuluiſſe putant, quod cum a peregrinationibus in patria detineri voluerit, ratus ſatis domi exterorum regnorum leges, ſtatuta, mores, regionumque abdita ac linguas cum Socrate diſci poſſe. CONSTANT. PEREGR. *de peregrin. German. p.* 2. ex KIRCHGESNERO *vol.* I. *orat.* 6. Jacobus I. Rex Angliæ etiam vix conſenſerat, perſuadente Buckinghamo in itinere Caroli Principis VValliæ, Hiſpaniam petituri, cum promiſſi ſtatim eum poeniteret: quam Regis ſollicitudinem & filii abſentis curam graviter depingit CLARENDONIUS *T. I. hiſt. p.* 8. verſionis gallicæ.

(*d*) *Peregrinatio*) Vid. *Conſtantini Germanici epiſtola politica de peregrinatione Germanorum p.* 3. *ſqq.*

(*e*) *Lycurgi*) Ipſe tamen Lycurgus ſeceſſit ad Lictios, colonos Spartanorum in Creta inſula, ubi inſtituta Cretenſium, quibus Lictiorum reſpublica jam tum bene compoſita utebatur, examinavit, emendavit & ad illa Spartam, reverſus domum, conformavit, ceu ex Plutarcho, Platone, Herodoto aliisque refert PICCARTUS *Comm. in Ariſtot. Polit l. II. c.* 10. *p.* 297.

(*f*) *Platonis*) Plato ſuam hac de re ſententiam explicat *lib. de legibus dial. XII.* cujus epicriſin ſiſtit BESOLDUS *diſc. polit. p.* 32. inquiens: *Cum brevia nimis & anguſta ſint curricula vitæ mortalium, verendum eſt, ne, quemadmodum Cenſorius Cato, Iſocratis diſcipulos deridebat, eo quod apud illum conſeneſcerent, apud inferos cauſſam acturi. Langolaus I. ſemeſtr. c.* 7. *Sic platonici peregrinantes, ſi paulo longius progrediantur, quæ viderint, quæve didicerint, prius Rhadamanto in campis elyſiis ſignificent, quam in republica ſua uſum ea ipſa conferant. Proinde aut florente ætate, aut nunquam itinerum labores ſuſcipiantur.* Nec melius eſt conſilium auctoris hiſtoriæ Sevarambum, qui quenquam terras alio ſole calentes adire vetat, niſi tres liberos in patria relinquat, ut certior ſit reſpublica de illius reditu.

(*g*) *Inviſendi*) Et ex peregrinationibus ad illas gentes, quæ in cultiorum numerum non referuntur, illi, qui naturæ abdita

X. Ne vero peregrinans noſter ex nido velut implumis intempeſtive evolet, parumper eum ſubſiſtere hic in limine volumus. Serius Phryges ſapuiſſe dicitur. *Ruditas primum* (*a*) exuenda animusque imbuendus virtutibus ac bonis moribus, ne vitiis exterorum capiatur. Unaquæque enim gens peculiaribus ſuis urgetur vitiis, ac inſtar leproſi non ſolum tactu nocet, ſed propinquitate etiam & aſpectu. Cum autem [teſte Ariſtotele *de arte Poet.*] homines a brutis differant in hoc, quod aptiſſimi ad imitationem ſint, vix ac ne vix a ſe impetrabit peregrinaturus, morum virtutumque deſtitutus præſidio, ut non ex triplici amicitiæ objecto magis illud, quod jucundum eſt, quam quod honeſtum aut utile ſimilesque amicos ſequatur, ac proinde, ut peregrinatione proficiat, tantum abeſt, ut etiam longe deterior, creſcente apud exteros facinorum licentia, revertatur. Quocirca ante omnia animum *Ethicis* (*b*) pariter ac Dianoëticis virtutibus, quoad ejus fieri poteſt, inſtructum prærequirimus, quorum beneficio peregrinus, ubicunque locorum commoretur, vitioſam malignorum contagionem prudenter evitare poterit.

XI. Tum porro aliqua in anteceſſum ei *præmittenda* (*c*) venit univerſalium prudentia ſive ſcientia politica ex doctrina. Hæc enim duplex eſt, alia rudior, alia omni ex parte accurata. Sed ſufficere arbitramur univerſalem aliquam & communem politices doctrinam, quamvis rudiorem: ſub qua ſingularium comprehenſio poſtmodum ei non ſit difficilis. Quod tamen cum grano ſalis accipiendum exiſtimes: multis ſiquidem haut eſt propoſitum univerſam aliquam rempubl. ſingularem curare, ſed ejus duntaxat partem aliquam. Hiſce igitur videtur ſufficere, ſaltim illam philoſophiæ civilis partem addiſcere, quæ parti iſti reipubl. reſpondet. Alia vero ratio eſt eorum, qui architectos quaſi velint agere alicujus civitatis integræ & curare ſummam ipſammet rerum, vel regni; ſcilicet alicujus, vel ariſtocratiæ, vel tyrannidis, vel democratiæ, aut oligarchiæ. Hiſce profecto doctrina omnis de ariſtocratia, vel regno, vel tyrannide, vel democratia, vel oligarchia, accurata tenenda eſt. Prout late diſſerit ampliſſ. Dn. Præſes *cap.* 13. *civilis prud.*

XII. Quandoquidem vero nulli rei quisquam bene præerit, nec equis quidem aut canibus, ne dicam tantæ hominum univerſitati bene imperabit, niſi iſtis rebus delectetur, easque amore complectatur, quarum curam deinceps habere debet, non inconveniens fore dixeris, peregre abeunti patriæ ſuæ, aut certe illius cumprimis reip. cui ſtudet aliquando inſervire, *amorem inculcare*, (*d*) ne nimis exoticis rebus pretium ſtatuat. Namque propter res duntaxat privatas exteras inſpicere regiones, plane non eſt tanti laboris ſufficiens præmium; ſed rem non minus publicam, quam privatam tueri, juvare, exornare, id demum ſummæ pietatis & ſapientiæ opus eſſe videtur, id patriam vere eſt amare, id patriam colere. Julius Bellus *in Herm. Polit. p.* 89. Ariſtotelem *lib.* 5. *Polit. cap.* 9. tanti facere videmus amorem ac benevolentiam in præſentem reip. ſtatum, ut ei inter generalia conſervandarum rerump. remedia primas adjudicet. Nec abludere a vero eum liquet: quippe amare aliena aut plane diverſa a rep. noſtra, aut quæ aliquando officere poſſint curationi reipubl. hoc demum eſt velle nocere aut prorſus evertere; id quod neque difficile ei factu fuerit, ubi acceſſerit ad magiſtratus munia maxima armatus potentia.

XIII. Hanc

abdita & medicinæ, aſtronomiæ, geographiæque rimantur adminicula & arcana, utilitatem capere poſſunt, quæ & in reipublicæ tandem reſolvitur emolumenta.

(*a*) *Ruditas primum exuenda*) Hoc autor libri anglici, cui titulus eſt: *the Gentelmans calling* ſequentibus exprimit verbis: *He that vvould really improve his ſon by that means, should ſend him at ſuch a mature* age, *vvhen by the help of his forgoing education his judgement is ſetled and qualified to make uſefull obſervations his manners vvell vveighed and fixed. that ſo he may be capable of all the good, foreign climbs can afford, and ſecured from the infection of the ill.* Vid. BOECLERI *diſſertat. de peregrinatione germanici Caſaris.*

(*b*) *Ethicis*) Inprimis veræ religionis notitia ſit imbutus, quanquam ab omnibus omnino de religione controverſiis, in illis præcipue terris, ubi aliam ſequuntur religionem, ſit abſtinendum.

(*c*) *Præmittenda*) Dn. de LUDVVIG *in elucidat. aur. bull. part. II. p.* 1439. Quomodo iter in hanc vel illam ingreſſurus provinciam, ſe præparare debeat, egregie docet GAILHARD *in the compleat Gentelman part. II. p.* 23. *ſeqq.* ubi de requiſitis Ephori, juvenem illuſtri loco natum per peregrinas ducturi oras, egregie agit, & quid illi, ut recte fungatur officio, incumbat. Inprimis autem, antequam iter ſuſcipiatur, de nummis eſt circumſpiciendum.

(*d*) *Amorem inculcare*) Multi domum reverſi, ut judicat BESOLDUS *lib. de conſilio politico c. II. p.* 201. ritus ac mores deſpiciunt patrios, majorum rejiciunt inſtituta, veteres contemnunt leges, priſcam reipublicæ irrident formam, patriæ extera alia anteponunt. Nihil quod in foro, in ſenatu, quod in tribunalibus & judiciis conſtitutum a majoribus eſt, conſilii, ac inſtituti ſani habetur: nunc illud gallicum, nunc italicum, nunc illud hiſpanicum, nunc polonicum perplacet. Ex hoc ſtatu reſpublica concipit varietatem mutabilem, & tandem procreat confuſionem deteſtabilem. Quanto odio initio Ruſſi, cum Imperatore ſuo peregrinati, reduces facti ob mutatum oris & morum habitum a popularibus ſuis excepti ſint, quantasque turbas conſuetudinum avitarum obſervantiſſimi ſæpius moverint, ex recenti Ruſſorum hiſtoria novimus. Vide JOH. PERRY *jetzigen Staat von Ruſsland.* Jam ſuo tempore Tacitus id docet Vononis exemplo, qui Parthus quidem erat, ſed Romæ Romanorum artibus infectus, patria inſtituta deſpiciebat. *Annal. lib.* 2. Quantas turbas excitaverit amor turcici imperii, a Ponceto quodam, qui Carolo IX. ut deſpoticum turcici imperii regimen introduceret, ſuaſit, conceptus, fuſe docet THUANUS *hiſtor. l.* 57. *ad an.* 1573. Quæ conſilia nuptias famoſiſſimas pariſinas & tot præclariſſimorum virorum veneno ſublatorum mortem acceleraſſe, idem docet CLARENDONIUS *dans l' hiſtoire de la rebellion & des guerres civiles d' Angleterre T. I. p.* 73. *ſeq.* nonnulla exhibet exempla Anglorum, qui exterorum faſcinati deliciis patriam odio habuerunt, inter quos Comes Arondel & Eques Dudley Carleton recenſentur, quorum ille, tempore motuum anglicorum, in Italiam receſſit, ibiq; diem ſupremum obiit. Ruſſis etiam olim prohibitum fuit, exteras regiones adire, ne libertate aliorum populorum allecti, durum ſervitutis jugum excuterent. MOLESWORTH *l' Etat preſent du Danemarc p.* 41. CARLILE *Geſandſchafften pag.* 702. Id autem mirandum, quod TEMPLEUS *dans les remarques ſur l' etat des provinc. unies p.* 160, de Belgarum ditiorum filiis teſtatur, eos patriæ reipublicæ inſignique libertati ſæpius aulæ regiæ ſplendorem ad formam regnorum, quæ peragrarint, præferre. Sed credo, eos, ſi Jupiter iis, velut quondam ranis, ut eſt apud Phædrum, hydrum pro Rege & reipubl. capite mitteret, ſimili modo dura tyrannidis fata iterum deploraturos. Libertatem incolumem odimus, ſublatam ex oculis, quærimus invidi.

Digitized by Google

XIII. Hanc univerſalis prudentiæ aliqualem notitiam exactior quædam excipit, qua non ſuppoſita, quidquid ſuperſtruxeris, ſuapte ſponte corruet, ibique inſtar exoculati Cyclopis huc illuc fluctuandum erit. Etſi ſcopus omni quidem civitati ſit propoſitus vita beata, circa tamen eandem cum raro jucundi, rarius honeſti, crebrius ejus, quod utile eſt, habeatur ratio, pro inſtitutis hominum *multis variatur modis.* (*a*) Vel enim felicitas illa ex æquo omnibus civitatis partibus quæritur, vel non ex æquo, ita ut dominantium utilitas per ſe, parentium tantum ex accidente pro fine ſit. Tum vero circa rem infinita oritur contentio: alii apparenter duntaxat ſuæ conſulunt reip. felicitatem ejus aut in potentia ampla & imperio vicinorum, aut in divitiis, aut voluptatibus collocando. Rectius alii virtutis omnigenæ exercitium cum rerum ſufficientia conjungunt ſive conjungendum ſibi ex uſu fore credunt. Exacte ergo convenit, noſſe ſcopum reip. cui animum addixiſti: quorum præcipue quæratur ſalus & qua in re, ut quicquid hujus rei apud exteros didiceris, ei prudenter poſtea poſſis accommodare.

XIV. Dicas non male quidem adiri cultiores gentes, imbutum ita virtutum ac morum decore, ut liber ſis a contagione, inſtructum univerſalium non contemnenda prudentia, quo ſingularia apte ad ſuos conferri poſſint loculos, tum etiam amantem eſſe patriæ ſuæ, ne cupido rerum exterarum te capiat decipiatque, & denique exactam haberi *reip. ſua* (*b*) notitiam, quo haurienda apud exteros prudenter aliquando applicentur. Feliciter inquias hæc alio importari: at vero quibus artibus jam peregrinans voti ſui fiat compos & cultior tandem recedat, nondum liquere. Veſtigiis igitur Ariſtot. *Eth. l.* 2. *cap.* 4. virtutem omnem tribus conſtare præceptis aſſerentis, inhærendum ſuademus ei; & quidem, [1] ut agens ſciat, quid agat, [2] ut, quod agit, propter illud ipſum, non propter aliud, agat [3] ut firmo hæc & conſtante judicio agat perficiatque. Peregrinatorem oportet eſſe curioſum interrogatorem, omnium horarum hominem, ad inſtar gladii delphici utrinque ſecantis. Pallium enim *barbasque vidiſſe* (*c*) tantum abeſt, ut aliquando profuturum reipubl. apud animum quis inducat, ut ejusmodi circumforaneum potius.

*Bæotum craſſo jurares aëre natum.*

Ingenioſus proinde ac amænus interrogator ex indoctorum non minus, quam doctorum, reſponſionibus veritatem elicere allaboret. Nec eſt, quod ipſum deterreat Ciceronis effatum: *Peregrinum in aliena rep. non eſſe debere curioſum*, cum ipſe interrogationes non niſi importunas, quæ cum tædio & cum offenſione hominum, ſive cum explorandi ſuſpicione & maxime quæ cum periculo aliquo, ac nullo ſuo commodo conjunctæ ſunt, vetitas eſſe voluerit. *Dupliciter enim curioſi exiſtimus,* (*d*) vel cum vulgo, quibusvis hominum negotiis nos ingerendo & ſcrutando aliena vitia, quod certe aliis non poteſt non eſſe exoſum: vel cum virtutis honeſtatisque amantibus in ſtatum & reip. arcana inveſtigando. Id quod non minus proficuum, quam maxime peregrinanti commendandum cenſemus. Ut ſcil. omnia, quæ ex uſu fore putat, ſuæ aliquando reip. curioſe, ſed admodum caute & circumſpecto judicio, obſervatis probe locis, tempore, ac perſonis, ſcrutetur ac obſervet.

XV. Conſequens eſt iis, quæ generaliter peregrinaturo præmittenda neceſſe duximus, in ſpecie nunc adnectere ipſam rerump. inſpectionem. Quemadmodum autem reſpublica eſt quodammodo ordo imperantium ac parentium: Sic pro amborum diverſitate diverſa ea eſt; præcipue vero modus regiminis pro natura, moribus, ac ingenio populi, cui imperandum erit, introducitur, & niſi ita introducatur, [ut ſi extra Aſiam deſpotice quis imperet] cito deficit, atque adeo *majeſtas reſidet* (*e*) in ſimplicibus quidem rerumpublicarum formis, ſive penes unum, ſive

(*a*) *Multis variatur modis*) De hoc argumento ſolide ab auctore noſtro actum in diſſ. *de republica antiqua veter. Germanorum*, quæ Tomo I. operum comparet ſtatim in principio.

(*b*) *Reipublica ſua*) BOECLERUS *in itin. German.* docet, peregrinaturum etiam illius reip. quam adire cupit, generalem habere debere cognitionem, antequam patriæ ſuæ finibus egrediatur, ut eo rectius ſtatum externæ reipublicæ inveſtigare, inutilia, quæ peregrinis vulgo obtruduntur, negligere, & quæ bene ordinata deprehendit, in patriæ uſus convertere poſſit. Itaque Bentheimius *in dem Holländiſchen Schul-und Kirchen-Staat* theologiæ candidatis, provincias iſtas adituris, omnia oſtendit, quæ ipſis uſui aliquando ex peregrinatione ſuſcepta eſſe poſſint.

(*c*) *Barbasque vidiſſe*) Qui peregrinantibus ex itineribus legendi ſint fructus, tradit OLDENBURGER *de peregrinatione Germanorum politica.* Ante omnia tamen hic inſpiciendum eſt vitæ genus, cui peregre abeuntes ſunt deſtinati. AUTOR *libri anglici de educatione part. II. c. XIV.* de utilitate peregrinationis ſequentem in modum loquitur: *The advantages of travell are* 1) *to learn the languages, lavvs cuſtoms and underſtand the governement, and intereſt of other nation* 2) *to produce confident, and comely behaviour, to perfect converſation and diſcours* 3) *to ſatisfey their minds vvith the actual beholding ſuch rarites &c. as are heard, or read of.* Conf. quoque *the Marqueys of Argyles inſtructions to his ſon ch. V.*

(*d*) *Dupliciter curioſi exiſtimus*) Ad priorem claſſem pertinet, cum ea quærimus, quæ ad nos non ſpectant; cum minus neceſſariis maxime ſtudemus: cum difficiliora quærimus, neglectis principiis: cum illa ſcire volumus, quæ Deus nos neſcire voluit. Imprimis nobis cavendum eſt, ne nimis curioſe in cauſſas exteræ religionis ejusque ceremoniarum inquiramus, alterique ſuſpicionem concitemus, nos eum ob diverſa a nobis circa Dei cultum principia irridere. Ne quid dicam, capitale alicubi eſſe, ut in Hiſpania, ejusmodi rimationibus, & ex eo orientibus diſceptationibus religionem, quam profitemur, prodere. Licita tamen eſt curioſitas, ſi reipublicæ ſtatum, ejus regimen, magiſtratus, leges, potentiam, civium facultates, artes, ſtudia, bibliothecas, inſtrumenta mechanica, aliaque notatu digna, inveſtigemus. Accuratam circa pleraque iſta Germanorum curam laudat P. SARPIUS *lib. I. epiſt. ad Nic. Heinſium* 43.

(*e*) *Majeſtas reſidet*) Immediatam majeſtatis cauſſam eſſe populum, docet GROTIUS *de J. B. & P. l.* 2. *c.* 9. §. 3. cum quo fere coincidit PUFFENDORF. *de J. N. & G. l. VII. cap,* 3. §. 3. & 4. ubi reſpondet ad adverſariorum, inter quos etiam eſt HORNIUS *de civitate l.* 2. *c.* 1. rationes. Mea hac de re hæc eſt ſententia, majeſtatem ſeu ſummam poteſtatem in republica nihil poſitivi & qualitatis phyſicæ involvere, ſed eſſe ens morale, conſiſtens potiſſimum in non reſiſtentia eorum, quibus obedientiæ gloria ex pacto relicta eſt.



Digitized by Google

ſive penes paucos, ſive penes multos. Quas formas ita deſcribit Seneca: *Interdum populus eſt, quem timere debeamus, interdum, ſi ea civitatis diſciplina eſt, ut plurima per ſenatum tranſigantur, gratioſi in ea timentur viri, interdum ſinguli, quibus poteſtas populi & in populum data eſt.* Bono ergo judicio peregrinans noſter primario inſpiciat ſtatum reip. an ille rectus ſit ſive aberrans, mixtus vel non, & quali mixtura gaudeat: quod ipſum intuenti obvium erit, ſi modo attenderit ad majeſtatem cujuslibet ſtatus, & quibus jura *competant majeſtatis;* (*a*) ſcil. cujus ſit ferendarum & abrogandarum legum poteſtas, poteſtas belli ac pacis, poteſtas omnium fœderum, poteſtas circa religionem, poteſtas conſtituendorum majorum magiſtratuum, poteſtas vectigalium ac tributorum indicendorum, poteſtas recipiendi extremam provocationem, poteſtas circa rem monetariam, poteſtas circa vitam ac necem omnium civium, & denique poteſtas circa judiciorum ordinationem. Ariſt. 6. *Eth. cap.* 8. & 4. *Polit. cap.* 14. tres facit reip. partes: prima remp. conſtituit ſub magiſtratus nomine, quod tamen ſummæ poteſtati proprie, dependenter inferioribus competit. Altera deliberat de rebus pertinentibus ad dignitatem & incrementum reip. & vocatur conſultatrix ſive ſenatoria; Tertia judiciaria ſive forenſis judiciorum ſibi ſuſcipit rationem. Hiſce partibus majeſtatis eſſentialibus ſi particula ſaltem dematur, integra & ſimplex majeſtas non amplius eſt, ac proinde mixta apparebit reſp. *Illud vero haut inficiamur*, inquit plurimum reverendus Dn. Cellarius *in Polit. p.* 187. *exercitium unius ſive plurium, ſive omnium etiam majeſtatis jurium, alicui delegari ab aliquo poſſe, ita ut per hoc delegantis majeſtati nihil plane decedat. Sed hoc non eſt proprie jus majeſtatis alicui communicare, ut quod nihil ſit aliud, quam aliquem in ſummæ poteſtatis conſortium admittere.*

XVI. Quamvis vero inter ſtatus Europæ vix pure ſimplicem, ſed a potiori denominatum reperias, mixtas autem reſp. in perpetuo verſari motu, modo prævalente ex. gr. rege, modo populo inferiori jam ſedente parte hominibus ſuperiori a ſellis, [prout horum vel major vel minor eſt authoritas] hinc peropportunum erit peregrinanti, accuratius inquirere in minutiſſimas etiam poteſtates, ſi fortean quid oligarchicum, quid democraticum appareat: quæ tamen inſtituta, ſi lateant, ipſum non ſtatim regimen vitiant. Aliud enim eſt inſtitutum democraticum, aliud vero ſtatus democraticus. Namque ubi ſtatus eſt democraticus, ibi ut inſtituta omni ex parte eadem obtineant neceſſe omnino eſt, non vice verſa. Imo vero inſtituta & leges ipſæ longe ſe aliter habere interdum ſolent, quam ipſa adminiſtratio: ita ut ad regiminis alicujus cognitionem non ſufficiat, ſcire tantum leges ac inſtituta reip. verum & quam maxime ejus adminiſtrationem. Et vel hinc e re peregrinantium eſſe in inveſtigatione ſtatus, ad ejus potiſſimum adminiſtrationem attendere, nec tamen leges in totum negligere, uti ampl. Dn. Præſidem, ſæpius in privatis de rebusp. totius orbis prælectionibus diſſerentem, audivimus. Nec eſt, quod quis in ſanctionem legum nos invehere exiſtimet, quando eas non raro fallere ſtatumque mentiri aſſeramus. Sunt enim vinculum reip. & decreta de juſtis actionibus ad ordinem egregium civitatis. Piccartus *p.* 57. Inſtar omnium nobis ſit populus romanus, qui ad tollendas ſeditiones, quibus frequenter agitabatur, nullum remedium cenſuit opportunius, quam ſi tres legati ad Solonis leges fidiſſime deſcribendas Athenas mitterentur. Verum enimvero *non latere nos debet*, ait Ariſtot. 4. *Polit.* 5. *quod multis locis accidit, remp. quæ ſecundum leges non eſt democratica, democratice tamen adminiſtrari. Similiter & rurſus apud alios contingit, remp. ſecundum leges eſſe democraticam, oligarchico tamen more magis gubernari.* Elegantiſſime igitur ampliſſ. Dn. Præſ. in civili ſua prudentia. *Ex legibus quidem diſcere eſt, quemadmodum in quam multis habere ſeſe debeat reſp. non autem quemadmodum ſeſe habeat, cum ſæpe numero leges minime obſerventur, & ipſamet ſecundum leges regiminis forma longe aliena ſit ab ea, quæ reapſe obtinet; Cum cumprimis obſervare eſt circa tempora magnarum in rep. mutationum, dolo mutantium manentibus quidem in ſpecie legibus & vocabulis priſcis, re tamen ipſa prorſus inverſa.* Id quod de Auguſto & Tiberio, ut alios taceam, Tacitus inter alia dominationis arcana non tacuit. Rectius vero ſeſe habebunt reſp. quibus ineſt concinna & legum & adminiſtrationis harmonia. Cum enim leges rebuspubl. debeant accommodari, accommodatas ut retineat ſine fuco ſumma majeſtas, niſi evidentiſſima neceſſitas aliter ſuadeat, evidentiſſimi juris eſt. *Nihil ad imperium ſtabiliendum vim habet majorem*, [verba ſunt Clariſſimi Forſtneri *in hypomn. Polit.* 55.] *quam ſi vetuſtam omnibus in novo regno faciem princeps relinquat, veteres ſervet leges & magiſtratus & officiarios, nec privilegiorum immunitatumque ullam tentat vel abrogationem vel imminutionem. At vero contra princeps nunquam impune de violatione veterum conſuetudinum atque libertatum cogitabit.* Et in præced. Hyp. Idem: *Inde murmura, querelæ, & ad privilegia atque immunitates provocatio, denique, ubi non ſubvenitur, remedium ex bello.*

XVII. Certe vel ex his manifeſtum eſt, obſervatis *legibus*, (*b*) inſtitutis ac conſuetudinibus, quibus exteri utuntur, nimium quantum proficere peregrinum. Poſſent ſingula equidem extendi, ut in molem facile creſceret diſquiſitio noſtra: verum non tabulam, ſed lineam & in ſciagraphia artem parandæ prudentiæ ſingularis digito quaſi oſtendimus. Vid. Grot. *d. I. B. & P. lib.* 1. *cap.* 3. *n.* 4. & *ſeqq.* Jam ad mores imperantium ac parentium. Diximus theſi 13. ſcopum ac formam regiminis eſſe multiplicem, nec ſemper quæri a populorum moderatoribus verum felicitatis finem, licet ſe eundem omnino præ ſe ferre per ſimulandi ac diſſimulandi artes videri velint.

(*a*) *Jura competant majeſtatis*) Hæc a nullo poſſunt rectius addiſci, quam ab illis, qui rempublicam in partibus ſuis adminiſtrandis adjuvant. Igitur Argylius filio ſuo, iter ad exteros ſuſcepturo, potius auditui, quam viſui indulgere præſcripſit.

(*b*) *Legibus*) Hæc hauriri debent ab iis, qui ejusmodi negotiis operam dant, ut eccleſiaſtica a clericis, quæ ad leges attinent, a judicibus & advocatis, res mercaturæ a mercatoribus &c.

Digitized by Google

velint. Nec tamen ejus rei quicquam fugere indagatorem noſtrum decet. Generaliter, quod inter privatos obtinet, hic obſervandum initio ſuademus: *Cum non omnes homines ſapientes ſint, ſed plures impetu abripiantur: eum, qui de alienis conſiliis conjicere vult, niſi falli velit, non tam quid ſapientem facturum veriſimile ſit, quam quo ingenio ſit conſilium capiens, conſiderare oportet.* Guicciard. 7. Nimirum rectius in imperantibus, ut mirificis rerum gerendarum architectis reſpicitur ad id, quod facere ſolent, quam quod facere videntur. Per obliquum enim, euntes longe ſibi alium finem propoſuiſſe, ex anteactis conſtabit, quam quo collimaſſe viſi ſunt. Et vero ſicuti impoſſibile eſt, in rep. omnia per unum agi: ita actiones primariorum miniſtrorum non poſſunt non eſſe nobis pro ſpecula. Namque hos ſecundum ſuas dotes aut qualitates corporis & animi, idque ratione virtutum cum moralium, tum intellectualium, a ſuperioribus electos ad unam properare metam uſus docet, adeoque, cum primi moventis ſint inſtrumenta, ex effectu de efficientis intentione ejusque morum qualitatibus eo exactius formari judicium poterit. Unde perniotioſior illorum eſt error, qui *in eligendis miniſtris* (*a*) magis gratiam, quam virtutem & meritum ſpectant. Joh. Bapt. *de vita Coſmi.* Notari hoc nomine a ſcriptoribus Ludovicum XI. Galliæ Regem, aſſerit Bodinus 6. *de rep.* quod ſartorem pro feciali, tonſorem *pro legato*, (*b*) Medicum pro Cancellario haberet. Verum enim vero temperanda eſt illa circa miniſtros curioſitas, quin potius ad imperantium virtutes & mores externos, quos prudentiores ad conciliandam authoritatem & reverentiam requirunt, recurrendum. Scilicet de principibus, ut ille ait, omnia noſſe juvat: quæ ſit in pernoſcendis civium ingeniis ſagacitas, quæ prudentia in legibus ad mores populi ferendis, peritia bellicarum artium, pacis tuendæ ſolertia, dexteritas obſecundandi temporibus, maturitas in deliberando, celeritas in exequendo, conſtantia in agendo, in promiſſis veritas, in cæptis magnus animus, in factis inconcuſſum animi robur, in divinis exacta ſacrorum & religionis cura, denique in univerſæ vitæ curſu morum æqualitas & conſtantia. Hæ virtutes ſunt magnitudines regiæ, hæ populos veneratione implent: hæ principem tutum ſanctumque præſtant. Forſtn. *Hyp. Pol.* 15. E diverſo ſi licere ſibi omnia ſuperiores exiſtiment, ſi litis inter cives ſerant & foveant, peregrinis plus, quam ſubditis indulgeant, nobiles ac ſapientes e medio tollant, ſi bella nutriant, ut ſubditorum vires enerventur, ſi ſacra omnia ac profana turpiter miſceant, hoc vero tyrannidem jam ſapit, cui an & quo pacto occurri liceat, non eſt hujus loci indagare. Id ſaltim addimus: a corruptis & tyrannicis principum moribus ad optimates, ſive populum, transferri imperium ſolere, & viciſſim optimatum ambitionem, aut furioſam populi licentiam & inde orientem ſeditionum frequentiam uni tradere remp. In univerſum adhibuiſſe proderit cautionem, quam ſuppeditat le Conſeiller d'Eſtat; *Ne faut croire trop facilement, ce que les Princes diſent, & dont ils font apparence, mais conſiderer, ceeque reſonablement ſelon leurt intereſts, leur humeur, & les affaires du temps, ils peuvent deſirer, & ne s' arretter à l' alliance, amitié, ou parente; parceque leur intereſt leur fait oublier tout cela, & à aucuns leur foy, s' ils ont quelque coleur pour la rompre.* Populi vero mores inſpicientem latere neutiquam poteſt, eosdem itidem mutari pro ratione corporis, animi, ac fortunæ. *Prout enim populus*, (*c*) a cœli clementia ſive inclementia eſt robuſtus aut imbecillis, ſanus aut multis obnoxius morbis: ita diſſimilem morum diverſitatem induit, & virtutibus vitiisque eſt propinquior, cumprimis animi bonis bene ſive male faventibus. Obtuſum ſæpe videas, ſæpe acutum, ferocem, quandoque meticuloſum, non raro in aſtutiam propenſum, adeo ut quales eæ gentes ſunt, talem vel corpore magis, quam ingenio, aut ingenio magis quam lacertis validum, & ſtupore quodam oppreſſum magis, quam alacritate mentis excitatum comperias populum. Inſulanos ferunt ob aſſidua cum peregrinis commercia callidos, doloſos & mutabiles; contra ſimpliciores mediterranea colere loca. Ex quo dijudicatu erit facillimum, populos cæteris ingenio præſtantes, rerum novandarum perpetua cupiditate ferri, ideoque propter partium ſtudia crebrioribus rerumpubl. converſionibus ſubjici.

XIIX. Scrutanda porro venit potentia reip. Exteræ ex divitiis, ex numero ſubditorum, militum, claſſis, ex armorum peritia, ex nativa generoſitate, ex rebus geſtis, fœderibus &c. Divitias conſiſtere in bonis fortunæ, quæ & ſubterranea & terræ ſuperficies congerunt, palam eſt. Quæcunque ergo regio hiſce minus vel magis abundat, eo magis vel minus ſibi ſufficit. Neceſſe ſiquidem eſt tantum habere ad minimum proventuum, ne populo ad victum & amictum deeſſe videatur. Quandoquidem vero imperii gratia jus violandum eſſe, jam fere ab omnibus creditur, in tantum, ut vel nos illatas injurias ulturi, aut repetituri res noſtras, bellum aliis decernere cogamur, vel nobis decretum propulſare (*judicia enim adverſus eos vigent, qui invalidiores ſe ſentiunt, in eos, qui pares ſe faciunt aut putant, bella ſumuntur.* Grot. in Proleg. de J.B.&P.) qui quæſo fieri poterit, tantæ molis ſuſcipere rem ſine ingenti pecuniæ vi? Proinde peregrinantem noſtrum inter prima inquirere volumus, quemadmodum ſeſe habeat *ærarium*, (*d*) an locuples ſit, vel exhauſtum, an vero plane nullum. Nos certe tanti facimus rectam circa ærarium curam, ut

(*a*) *In eligendis miniſtris*) Requiſita ſtatus adminiſtri eleganter exponunt WALSINGHAMUS, VVICQUEFORTIUS, BOECLERUS libris notiſſimis. Edidit etiam STRUVIUS diſſ. *de miniſtriſſimis* & KESTNERUS *de miniſtris Principum.* Rintel. 1720. lectu dignas.

(*b*) *Pro legato*) *Memoires de COMINES liv. V. ch.* 14. Erat autem tonſor iſte OLIVIERIUS.

(*c*) *Prout enim populus*) Hæc accurate explicat autor noſter in Tr. *de notitia ſingularis alicujus reipublicæ,* qui in principio Tomi IV. operum adparet. Conf. CLARAMONTIUM *de conjectandis cujusvis latitantibus animi adfectibus*, Tomo III. inſertum.

(*d*) *Ærarium*) Vide auctoris noſtri diſſ. *de ærario boni principis recte conſtituendo,* Tomo III. inſertam.



Digitized by Google

ut abſque eo publicam rem ſtare ac ſalvam non credamus. *Pecunia*, inquit Jul. Bellus in Herm. Polit. *eſt indigentiæ menſura, inſtrumentum inſtrumentorum, quam qui negligit, negligitur, qui prodigit, elleboro purgandus eſt.* Ærarium Romanis antiquis dicebatur *ſanctius* (a) & prorſus intactum, unde pecuniam depromi non liceret, niſi extrema exigente neceſſitate. Nos vero, qui in fæce Romuli verſari credimur, Principum potius noſtrorum exarmari potentiam, atque rem turcicam augeri ſtudemus, quam ut habita ratione ærarii in commune conſulentes adverſus belluam illam validiſſimam eamus. Non poſſumus, quin hic inſeramus, quæ diſſerit Forſtn. Hyp. pol. 97. *Cum jam ad portas eſt Hannibal, dum monentur Principes & civitates, dum delecti vocantur, dum tributa orantur, aliquot menſium labor eſt. Et religioſum tamen hunc ordinem ſæpe non exſpectant negotia, effluitque inter moras rei gerendæ occaſio, aut ingruit malum, quod præſentibus poterat rependi ſtipendiis. Bella non auro minus, quam ferro geri ſolent. Quia autem citius ſæpe hoſtis adeſt, quam proceres imperii conveniant, deſunt plerumque publicæ opes, quibus alatur exercitus & ex vicinis gentibus auxilia contrahantur.*

XIX. Deinde potentem dixeris rempublicam, quæ abundat ſubditis. Poſita enim felicitate in potentia ac lato dominio, numerum populi maximum fore proſicuum, arbitrantur, tum ad vim externam & hoſtium inſultus depellendos, tum ad imperii fines dilatandos. Inde apparet, multum intereſſe, an populus ſit numero magnus, an vero exiguus. Nec enim cum manipulo hominum res magnæ expediuntur: Econtrario numeroſos poſſe in aciem deducere exercitus, iſtud demum terribilem ac formidabilem reddit rempublicam & ærarium, ſupra quod dici poteſt, locuples. Verum tamen mediocritatem plerumque optimam æſtimari, exemplo ſuo nos docent, Roma, Corinthus, Carthago. Populſiosſimæ ſiquidem civitates, nimis magnis ſæpe vitiis, libidinibus ac ſeditionibus, ad interitum ipſius corporis usque ſcatent: ut certe, quod de Portugallia quondam dixit ampliſſ. Dn, Præſes, non ſit prudentis, prolatis imperii limitibus, formidabilem eſſe in diſſitis regionibus, domi vero formidare ac ſibi metuere. Cæterum cum bellandi facultatem radicaliter ſibi *majeſtas civilis* (b) retineat, bellique negotium tanti ſit momenti, ut hinc, ſi usquam, de amplitudine ac potentia reipublicæ facile quis conjiciat; non incommode feciſſe videbitur peregrinans, ſi cujuslibet ſtatus rem militarem *tam terreſtrem, quam nauticam* (c) accuratiori mentis indagine pervolvat. Majeſtas militem ſuum vel legit, vel conducit, vel in ſubſidium ab aliis accipit. Diverſitas autem regiminis facit, quo minus vel lecto, vel conducto, vel ſocio, tutiſſime ac feliciſſime utatur. Romanam rempublicam & lectus, & mercenarius, & ſocius miles ad tantum evexerat potentiæ faſtigium, ut, quicquid reliquum fuit, ſingulis momentis ſibi ſubeundum exiſtimaret. At vero ille ipſe miles eandem tantopere depreſſit, ut præter glorioſum nomen, ac *inſigne aquilæ bicipitis*, (d) vix quicquam ſuperſit. Quoties enim domeſticum militem in propria ſæviiſſe viſcera legimus? conductitium

(a) *Sanctius*) Ærarium apud Romanos duplex fuiſſe, docet *L. un. C. de quaſt. & magiſt. offic.* alterum vulgare, quo communis reipublicæ cenſus & ordinaria tributa recondebantur, in exteriori ſcilicet Saturni fano. Alterum ſacrum, ad ultimos reipublicæ laborantis caſus aurum viceſimarium celans, idque in penitiori ædis ſacræ receſſu adſervabatur. Initio bellorum civilium pompejanorum conſules, urbe excedentes, ſanctius hoc ærarium clauſerunt. Et Cæſari, in urbem adventanti, nihil prius viſum agi dignum, quam rapere, quicquid opulentiæ congeſtum fuerat. Vide de expilatione ſanctioris hujus ærarii, a Cæſare facta, THOMAM DEMPSTERUM *in antiquitatibus romanis roſinianis L. VII. ad caput* 31. *p.* 720. Conf. BURMANNI diſſ. *de vectigalibus populi romani.*

(b) *Majeſtas civilis*) Vide auctoris noſtri diſſ. *de majeſtate civili*, Tomo IV. inſertam, ubi peculiari capite de officiis & jure imperantium circa bella agit.

(c) *Tam terreſtrem, quam nauticam*) Illuſtre hic nobis exemplum præbuit glorioſiſſ. beat. mem. Ruſſ. Imp. Petrus, cognomine Magnus, qui in ſuſceptis ſuis per univerſam fere Europam peregrinationibus, curioſiſſimus & rei militaris terreſtris, & rei nauticæ exſtitit indagator, architecturamque navalem ex Belgio & Anglia cum variis architectis in imperium ſuum invexit, prudentiæque militaris obſervata, quæ apud diverſas nationes deprehenderat, ad ſuos exercitus applicavit. Unde vaſtiſſimum illius imperium in tanto flore tantaque gloria cumulatum conſpicimus. Vid. *Theatre complet & particular. de la guerre du Nort par le Sr. - L - de - L -* a la Haye 1711. JOH PERRY *jetziger Staat von Rusſland oder Moſcovv* p. 228. KORB. *Diar. itiner. in Moſcoviam Dn. de Guaricut & Rall anno* 1698. *ad Czaarem legati*, Viennæ in fol. *Das veränderte Rusſland*, aliique libri recentiores.

(d) *Inſigne aquilæ bicipitis*) De origine inſignis aquilæ bicipitis variæ ſunt variorum opiniones, dum nonnulli eam repetunt ab Adlero, celebratiſſimo quondam Rege, ceu auctoritate verſionis germanicæ Aventini annal. Bojor. facit. FRID. CHRIST. RAMUS, Conſiliarius Lippiacus & Dicaſterii Adſeſſor *in aquilarum imperii biga*, Lemgoviæ 1716. nonnulli ab aquila bicipite clade variana Romanis erepta, quam ſententiam præter ab HOEPPINGIO *de jure inſignium P. II. c.* 6. §. 6. *n.* 248. citatos, amplectuntur HEIDERUS *ſyſt. polit. c.* 5. *p.* 768. LOMEIER *dier. genial. diſſ.* 2. MANZELIUS *diſſ. de aquila S. R. I. G. bicipiti*, Roſtoch. 1724. Alii a diviſione imperii romani in orientis & occidentis, ut faciunt BELLARMINUS *de translat. imper. rom. L. I. c.* 7. §. 2. PIGHIUS *in hercule prodit* fol. 42. JOS. SCALIGER. *L.* 5. *de emend. tempor. Dan.* Ottonis *jur. publ. c.* 4. *p.* 72. SPENERUS *oper. herald. l. I. c.* 9. §. 10. SCHILTERUS *inſtit. J. P. I. I. tit.* 14. §. 10. Hanc & reliquas ſententias examinat celeb. TREUERUS noſter *de vera origine aquilæ bicipitis imperii romano-germanici*, qui ante ſeculum XIV. aquilam imperii ſimplicem fuiſſe, contendit, cauſſamque bicipitis adfert unionem a Ludovico Imp. & imperii ordines anno 1338. Renſii initam, qua decretum, *quod imperialis dignitas & poteſtas immediate ſit a Deo, & quod de jure & imperii conſuetudine, antiquitus approbata, poſtquam aliquis eligitur in Imperatorem ſive Regem ab Electoribus imperii concorditer, vel majori parte eorundem, ſtatim ex ſola electione ſit Rex verus, & Imperator Romanorum cenſendus & nominandus, nec Papa, ſive ſedis apoſtolicæ, aut alicujus alterius adprobatione, confirmatione, auctoritate indigere, vel conſenſu. Annal. Rebdorf.* apud FREHER. *T. I. p.* 616. Et hanc unionem arctiſſimam romani & germanici imperii tunc temporis declaratam duplici aquila. Econtrario originem aquilæ bicipitis brandenburgico marchionatui vindicat Ludwigius Hallenſis, qui ſe Treuero, licet anonymus, oppoſuiſſe dicitur. Protulit autem ſententiam ſuam primo *T. VII. reliquiar. diplom. in append.* quam TREUERUS citata diſſ. cap. ultimo examini ſubjicit. Sed omnia, quæ a dictis viris adferuntur, meris conjecturis nituntur. Nos ſententiam noſtram alio loco fuſius explicabimus.

Digitized by Google

ductitium tyrannidis exſtitiſſe inſtrumentum? Socios converſis armis ita rempublicam afflixiſſe, ut ea bella omnium periculoſiſſima ipſi profeſſi ſint Romani. Proinde pro diverſitate ſtatus hunc vel illum adhibere, ac inter ſe invicem commiſcere expedit. Ex propria gente exercitus collecti monarchiæ, politiæ ac ochlocratiæ felicitatem conſervant: Tyrannidis vero ariſtocratiæ atque oligarchiæ regimen fere invertunt. Conducti ac auxiliares ſæpe proſunt, non raro officiunt. Præterquam enim, quod ad imperii fines proferendos maximum ferre poſſint momentum, uſus tamen rerum quotidianus abunde teſtatur, vix tutum in iisdem reponi præſidium, niſi pro mixtione reipublicæ a ſumma poteſtate ita miſceantur, ut horum perfidia non ſit pertimeſcenda. Quemadmodum enim, in cujus manu ſunt arma, in ejus arbitrio eſt respublica, vel actu, vel potentia, ita etiam hanc poteſtatem non poteſt non concomitari voluntas. Qui ergo vult, & poteſt, ille agit. Inſuper cum militiæ numerus tantus plerumque in provinciis adhibeatur, qui hoſtem in agros noſtros de improviſo ingredientem arcere, & qui pro facultatibus cujuslibet ſtatus in præſidio conſervari queat: recte judicabis rempublicam, vel potentem, vel impotentem, cui numerus militum & equeſtrium & pedeſtrium, horumque vel nauticorum, vel terreſtrium, ſit æquus, vel non. Cumprimis accedere debet armorum exercitium, & pacis etiam tempore, exacta diſciplina, ut, ſi bellum ingruat, non minus obedientes, quam promti ſemper ad manum ſint milites, nec hoſtis temere metuatur. Hiſce ſiquidem copiis, neceſſitate dictitante, facile majores adjungantur: & ex collocatione tyronum ac veteranorum exercitus ad ſubeunda prælia non contemnendus conſtituitur.

XX. At vero periculoſum valde quis aſſerat, imperare populo potenti ac bellicoſo, cui potius *armorum uſus* (*a*) interdicendus, quam per inſaniam committendus eſt: petitis ab omni ævo exemplis, quæ, prohibita armorum tractatione, antiquam populi ferociam non raro fractam ac otio emollitam teſtantur eo quod parum tutum in armato erat præſidium. Verum quamvis plebem ad omne momentum non eſſe armandam, concedamus, peritiam tamen tractandorum armorum in cive improbare non poſſumus: eamque magis ſive minus accuratam, quo magis vel minus finitimorum metuenda eſt perfidia. Hungaros quis quæſo ſanæ mentis ab armorum equorumque revocaret exercitio, niſi totam una gentem quis derelictam perditamque velis? Recte de illis ſcriptor quidam gallicus: *Ils ſont presque tousjours a cheval & aux mains avec eux, & la calamité ſert d' aliment de leur vertu.* Res enim adverſæ animos ad virtutem erigunt, res vero ſecundæ & diuturna pax eos emolliunt. Quare non paucas gentes erectiori animo, fortes, bellicoſas & nativam quandam ſpirare generoſitatem comperiet obſervator peregrinans: imo vero, quod mireris, majorum ſuorum rebus geſtis ita tumidos ac ferocientes, ut non opus ſit calcaria iis ſubdere ad res magnas moliendas. Tandem manifeſto eſt indicio, rempublicam pollere potentia, quæ facta cum exteris ſocietate ſtatus ſui conſervationi, ſive ampliationi incumbit. Etenim (teſte Grot. J.B. & P.) *nulla eſt tam valida civitas, quæ non aliquando aliorum extra ſe ope indigere poſſit, ſive ad commercia, ſive etiam ad arcendas multarum externarum gentium junctas in ſe vires: unde etiam a potentiſſimis populis & regibus fœdera appeti videmus.* Idem innuit ampl. Dn. Præſes in civ. ſua prud. cap. 12. *Civitas & reſpublica quæque ſive indiget, aut favore, aut auxiliis, aut Bonis nonnullis alterius reipublicæ, ſive habet, quod ab illa ſibi metuat; ſive denique poteſt aliquid rerum ſuarum emolumentum inde expectare.* Fœdera ergo pangi liquet, tum ad facilitandum aliquod bonum, reipublicæ noſtræ non inutile, tum faciendo æqualem potentiorem potentiam, ne *nimium accreſcentes* (*b*) nobis ſint formidabiles. Nam etſi in univerſum respublica ſui defenſionem unice quærere videatur, tamen pro diminuenda aliorum potentia præter ordinarios articulos ſecreta adhuc pacta latere, experientia luculentiſſimus teſtis eſt. Sicuti autem fœdus cum eo, qui armis, pecunia, aut re familiari minus valet, initum parum ſive nihil prodeſt; ſic quod cum potentia ſuperioribus pangunt inferiores, ad leoninæ plerumque ſocietatis legem dividit dictoriæ fructum. Quæ ſingula, ſi peregrinus recte ad animum revocaverit, non amplius poterit cæcutire, an hæc vel illa provincia ſit potens, ſive non, ſive ad minimum ſibi ſufficiens.

XXI. Eſto igitur jam extra controverſiam peregrinantis officium, callere ad unguem, quid populi alicujus valeant humeri, quid ferre recuſent. Deeſſe tamen non pauca videbuntur, niſi mentem intenderis ad vicinorum facultates horumque erga noſtrum ſtatum vel benevel male-volentiam, quæ propter cauſæ, ut JCti loquuntur, continentiam addere neceſſum erit. Et vero cum rebus humanis ita eſt comparatum, ut omnia contrariis moribus volvantur. Pugnant elementa, confligunt venti, ipſe homo, animal alias natura ſociale, imo totæ gentes nullis ſæpe rationibus permotæ ſocietatem aliarum gentium faſtidiunt, & internecino ſe invicem odio proſequuntur. *Talis antipathia,* (*c*) præſertim cum vicinis, & ingeniorum contrarietas perpetuus eſt litis fomes. Verum non hic eſt animus notare affectum iſtum naturalem, cujus rationem vix ullus dabit: ſed non omnino præterire, quos invidia ſtimulat & fertilior in alieno agro ſeges, aut quos ex ipſa ratione ſtatus, ut vocant, fluere dicas. Subinde igitur, ubicunque locorum moretur, connotabit peregrinans, quomodo affecti ſint erga vicinos & diſſitos populos aut

(*a*) *Armorum uſus*) An veteres Germani reipublicæ ſuæ recte conſuluerint, quod quemque ſemper in armis verſari paſſi ſint, diſquirit auctor diſſ. *de antiqua Germanorum republica.*

(*b*) *Ne nimium accreſcentes*) An propter metum creſcentis potentiæ vicino bellum juſte inferri poſſit, de eo diſputat auctor in diſſ. *de majeſtate civili.*

(*c*) *Talis antipathia*) De antipathia quarundam nationum actum eſt ad CLARAMONTIUM *de conjectandis hominum moribus.* Imprimis Otia Gundlingiana P. I. in demonſtrandis antipathiæ Gallum inter & Hiſpanum cauſſis occupantur.



Digitized by Google

aut reſp. alias. Pro cynoſura ſint capitulationes, quarum obſervantiam in tantum ſibi habent commendatam populorum gubernatores, in quantum pacis volunt eſſe obſervatores. Namque quibus curæ eſt pacis negotium cum finitimis conſervare integrum, illi certe tantam pactorum habent rationem, ut, ſi vel gry quidem fuerit mutatum, aut leviter iisdem contraventum, omnibus viribus reparare ſtudeant. Sæpe videas, cumprimis non ſatis firmo pede rebus ſtantibus, militem mitti ſubſidiarium, vel aliud quidquam etiam non rogantibus offerri: ut ſaltem conteſtentur, quantopere faveant noſtris commodis, revera quantopere declinent præpoſteram de ſe ſuſpicionem. Et quamvis injuriarum illatio plus offendere, quam beneficium exhilarare ſoleat: contingit tamen & hic locorum, ut vitandi majoris mali gratia neſcio quas injurias interdum perferat reſp. aut ſi omnem exceſſerint eæ rationem, delata culpa in miniſtrorum imprudentiam, ſartam nihilominus tectamque retinere allaboret amicitiam. Usque adeo verum eſt, quod dicitur in proverbio: *Imperare neſcit, qui diſſimulare neſcit.* Neque enim non accidere poteſt, & certe ſolet, ut inferenti interdum magis ſit acerba injuriarum reminiſcentia, quam cui infertur. Teneri quippe regentium animi facile læduntur: & temeritas denudata extrema ſubire non erubeſcit. Verum nec diffitemur, a minus potentioribus ſæpe non leve imminere periculum; ſi nimirum temeritate noſtra omnem ipſis præſcindamus de nobis bene ſentiendi opinionem: ita ut redacti ad ultima principium ſpei ex deſperatione capere, ac prius ſumma imis miſcere, quam multi perire malint. In communi omnium diſcordiarum matrem ſalutamus æmulationem, qua populus populum non patitur creſcere vel certe ejus incrementum limis obſervat oculis. Veretur enim, ſibi eventurum, quod aliis evenit, cum vicinorum potentia vix tuto quenquam quieſcere permittat. Hæc diffidentia, hoc æmulandi cacoethes principum multorum vires in tantum fregit, ut æquius ſecum agi cenſuerint immaniſſimo Chriſtianorum hoſti cedere in victimam, quam ſepoſitis mutuis lanienis in publicam conſultare ſecuritatem.

XXII. Præterea explorandi veniunt exterarum regionum ſitus, fluvii, portus, caſtella, urbes munitæ. Certe a cœli ac aëris qualitate regio præ aliis & ſalubrior & ſerenior reperitur, quo magis ventis, aërem ſerenantibus, eſt expoſita: tum vero gentes quædam non virtuti ſuæ, ſed felicitati ſitus debent, quo minus finitimorum fiant ſervi. Etenim loca invia, ſive propter montium celſitudinem, ſive fluviorum magnitudinem, aut ſylvarum rigiditatem, regionem faciunt natura munitam adeoque beatam; ubi contra minus bene ſe habere rem, nemini non compertum eſt, qui vicinorum incurſionibus & fluviorum mariſque inundationibus patet. Cæterum etiamſi naturali quandoque provincia munimento deſtituatur: attamen artem ſubire vicem naturæ, ut vel eandem æquet vel ſuperet, cognoſcet Peregrinator. Hinc e re ipſius futurum confidimus, ex Matheſi eas petere diſciplinas, quæ artem tradunt muniendorum caſtellorum ac urbium; utpote quum ad tantum illa creverit faſtigium, ut loca quædam naturali non plane carentia præſidio, invictiſſima fere reddiderit, accedente præſertim ſufficienti defenſorum numero & munitionum apparatu. Sane non niſi cum ratione inſanire, ac ipſi propemodum experientiæ reclamare poteſt, quisquis ſolo confiſus hominum numero, hoſtibus regionem undiquaque patulam conſervare exiſtimat. Quam dubius ſit belli eventus, & quomodo vel unicum infeliciter commiſſum prælium totam provinciam in irrevocabile diſcrimen conficiat, Angliam ac Perſiam olim cum ſuo magno malo ſenſiſſe hiſtoriæ tradunt. Nec eſt quod tibi perſuadeas, eam demum regionem fore expugnatu difficillimam, cui contingit habere fortalitiorum ac caſtellorum magnam copiam. Poteſt etiam unicum male proviſum caſtellum nobis inevitabile damnum præbere; & impoſſibile eſt cuique locorum pari ſubveniri poſſe dexteritate. Tantum igitur muniminis conducit ſtatui, quantum neceſſitas & utilitas poſtulant; ut ſcilicet ab omni invaſione ſecuri, ſi bello petamur, laborantibus huc illuc in ſubſidium facili negotio accedere queamus.

XXIII. Diximus ſuperius, divitias cujuslibet ſtatus æſtimari bonam partem ex terræ fertilitate ac felicitate: ſub quo terræ nomine culturam agri, ſylvarumque uſurpationem non ſolum, ſed & e terræ viſceribus eruta metalla ac mineralia, lapides comprehendimus. Addunt naturali huic acquirendi modo civilis philoſophiæ magiſtri, rerum artificioſarum aut mechanicarum, ut & commerciorum cum exteris ſtudium. Quo triplici fulcro ſicuti omnis civilis ſocietas nititur; ita ejus notitia non poteſt non indagatorem idoneum reddere ad reipubl. habenas capeſſendas. Igitur attendendum, quæ ratio commerciorum ſit in ſingulis negotiationibus, quæ conditio artium mechanicarum. Et vero prudentiam ſapit eorum, quorum eſt regimen, omnis generis artificibus mechanicis aliunde evocatis ſuorum defectum ſupplere, inque claſſes diſtributos certis beare immunitatibus, ut privatæ non minus, quam publicæ rei bene ſit. Etſi enim non omnis ferat omnia tellus, extremæ tamen negligentiæ fore credimus, id, quod natura nobis theſauri inſtar conceſſit, formandum exteris relinquere, & ab iisdem duplo repetere. Reſp. Suecica non ita pridem iſtum defectum agnovit, & agnitum vicinorum nonnulli lugent. Ad facilitandum autem commerciorum uſum tria ſolent ſpectari, [1] quæ liceant exportari, quæ non. Civitas nempe quibusdam rebus vel eget, vel abundat, abundantium vero ſeu inutilium cum utilibus permutatio præcipui eſt momenti ad faciendum lucrum, [2] quæ liceant importari, quæ non. Præterquam enim quod ſuperflui noxam civitatis ſalus reſpuat, ſic, quæ luxum ac pauperiem inducere videntur, procul a republ. arceſſenda ſunt, [3] quæ faciant ad negotiationum commoditatem ac ſecuritatem. Unde ſummos rerum moderatores id intendere oportet, ut fluvios reddant navigabiles, mare a piratis, vias publicas a latronibus liberas. Hæc demum commerciorum curſum in tantum promovent, ut, ſi præſertim læſis in inſtanti juſte ſubvenia-



Digitized by Google

veniatur, diffidentia inter negociantes remota respubl. rerum omnium habeat ſufficientiam. Ubi autem florent res populi, ibi eſt bonum regimen & imperantium felicitas in ſubditorum felicitate conſiſtit.

XXIV. Cæterum cum illi, penes quos eſt ſummum imperium civile, ſubditorum quidem ſint gratia, [civiliter enim imperare, eſt ſubditorum gratia eſſe, herili vero imperio uti, eſt uti inſtrumento quopiam vitæ ad proprium commodum, ſeu ſubditos non ipſorum, ſed ſui gratia, habere,] nemo tamen, niſi ratione plane deſtitutus, aſſeverabit, imperantium commodum nulla ex parte eſſe quærendum. Quod ſi mercenarii laborem fas eſt debita compenſare mercede, quidni tantillum ex bonis noſtris detrahi nobis patiamur, quod cedat in ſalutem eorum, quos pro ſalute publica nihil non agere videmus? Ordo enim hic bono noſtro inſervit, & per poteſtates publicas ſinguli tranquillitatem conſequimur ac felicitatem *Grot. d. I. B. & P. l.* 1. *cap.* 4. *n.* 4. Unde notari meretur, qui ſint proventus, quæ tributa & qui horum habendorum modi. Breviter in imponendis tributis ad duo reſpici ſolet, ad perſonas & res; Utriusque diverſam involvit exactionem. Namque certe hic; ſi usquam, adhibenda eſt geometrica proportio: niſi paucos divites, & omnes fere depauperatos, imo totam deperditam velis rempubl. Eccleſiaſticos ut plurimum eximi ab hoc onere, nobiles itidem quibusdam in locis, ab experientia eſt, illi propter favorem ac reverentiam erga religionem, hic ut rebus periclitantibus & vitam & omnia fortunæ bona pro republ. exponere non dubitent. Quemadmodum vero tributa eo fine colliguntur, ut publico uſui deſerviant; ſic, quæ per luxum prodiguntur, ſubditis intolerabilia ſunt. Etenim cives, ſi exactam pecuniam prodigi videant per inertiam ac luxum, conviviis, ludis, venationibus & turpiſſima in ſycophantas & audulatores liberalitate, cumprimis ſi exactionum & tributorum tanta ſit enormitas, ut ferendo amplius non ſint, ſubditi nova moliri ac ſeditioſis ſeſe adjungere non detrectabunt, tantum abeſt, ut præſenti faveant ſtatui. Id equidem negare non poſſumus, dominium imperii civilis ſupereminens in res ſingulorum majus eſſe ad bonum commune, quam dominorum ſingularium, & reipublicæ quemque ad uſus publicos magis obligari, quam creditori, *Grot. d. l, B. & P. l.* 1. *cap.* 1. *n.* 6. Sed hoc certe non ultra caſum neceſſitatis, cui omnino eſt parendum, extendere fas erit. Salus enim populi & conſervatio ſtatus, ſuprema lex eſt. Proinde, niſi tanta exſtiterit neceſſitatis vis, aut ſi ea jam expiraverit, a tyrannide non erit alienum, eos deglubere, quos tondere debebant. Vectigalium eandem dixeris rationem. Propterea meminiſſe olim juvabit, ſi peregrinando, ab Anglis, Batavis, Italis aliisque didiceris, quibus rebus ſint vectigalia imponenda, quibus vero immunitates concedendæ, ne prohibitis iis, quibus carere non poſſumus, nec exportatis, quibus abundamus, tranquillitatem ac publicam felicitatem noſtra ignorantia turbemus.

XXV. Cultum ſacrum quod attinet, vix dari quicquam in republica, confidenter aſſerimus, quod multitudinem efficacius regat, *quam religionem*, (*a*) licet falſam & fictam. Imo major eſt ejus vis, quam omnium armorum, ut etiam prætextus perſæpe ſuffecerit ad inſtituendam & conſervandam rempublicam, ad ſuſcipienda bella, ſedandasque ſeditiones atque tumultus, aſſerente Machiavello *l.* 1. *de rep. c.* 13. *La religion* [dit le Conſeiller d'Eſtat] *eſt le ciment qui lie, & le vif argent, qui raſſemble tous les membres de l'Eſtat en une parfaite union: & au contraire il n'y a rien, qui deſuniſſe tant un peuple, que la diverſité d'opinions, ou uſage de diverſes ceremonies au fait de la Religion.* Et vero non melius cognoſcitur, quantum ſit humanæ ſocietatis vinculum, quam ubi circa eandem diſſidia, ſublata unitate, oriuntur. Expirare enim ibi comperias, neſcio quo fato, leges caritatis atque omnia ſocietatis jura, comprobantibus id ipſum laniena pariſienſi & conjuratione pulveraria in Anglia. Unde certe peregrinantibus non negligendum erit exterorum ſacra & cultus divini rationem perpendere, quantoque zelo potiſſimum diverſos a ſua religione oderint. Namque videmus homines Zelo fervidos majore ſæpe partium ſtudio diſceptare circa capita religionis, quæ potius ex opinione probabili & intentione ſancta propter ordinem & eccleſiæ politiam ſancita ſunt, quam ut eſſentiam fidei ingredi aut ex fide eſſe dicas. Cæterum etiamſi florentiſſimæ nonnunquam dentur respubl. in quibus diverſum ſit religionis exercitium, cum tamen motus metuendi ſemper ſint, obſervandum omnino eſt, qua ratione poteſtas ſumma, ad cujus curam pertinet curare ſacra, ne ſchiſmata in eccleſiam introducantur, aut, ubi exorta fuerint, tempeſtive iterum tollantur, iisdem medeatur. Plurimum Rev. Dn. Cellarius *in Polit. p.* 266. Etenim diverſa eſt ſchiſmatum tollendorum ratio: alia in ipſa herba perire juvat, alia ſuadendo magis, quam ferro extinguuntur, alia diſſimulari expedit: quippe vim velle inferre conſcientiis, nihil aliud erit, quam ignem accendere in ipſo ſtatu, & producere malum, quod coopertum tolerabilius extitiſſet, quam detectum.

XXVI. Ex his liquere arbitramur, quantum civilis prudentiæ ſint collecturi, qui obſervata methodi hujus regula peregrinum inviſere orbem ſuſtineant. Nec dubitamus, quin plura ſub diſquiſitionem in progreſſu ſint obventura, cum primum duntaxat lapidem huic moli ſupponere intenderimus. Scilicet ſpectaſſe proderit aulas principum; præſertim quando exterorum legati admittuntur; Judicia & curias, cum cauſæ perorantur; & ſimiliter conſiſtoria eccleſiaſtica, bibliothecas, collegia, Palatia, armaria, navalia, cellas & horrea publica, locos excambios, Burſas, denique quidquid in locis eſt celebre aut memorabile. Verum quod ab initio moneri merebatur, non negligere debet linguarum cognitionem, antequam iter ſuſcipiatur. *Qui enim proficiſcitur in partes exteras, prius quam in lingua gentis, quam adit, aliquos fecerit progreſſus,*

(*a*) *Quam religionem*) Vid. diſſertationem noſtram *de jure Principis circa religionem.*

*greſſus, ad ludum grammaticum vadit, non ad peregrinandum*, teſte Bacone de Verulamio in Sermon. fid. 93. Sane non major eſt moleſtia, quam non intelligi, cum interrogamus, cum interrogamur, obſtupere, quaſi torpedo marina obtigerit. Ut prætereamus cætera incommoda, diſcrimina, ludibria, quæ linguæ ignorantiam comitari conſueverunt; quod quæſo inſtrumentum magis eſt idoneum ac aptum conciliandis amicitiis, privatis publicisque rebus tractandis, ſcriptis diverſarum nationum intelligendis, quam linguarum peritia? Et licet hiſce potius inſtruendi, quam omni ex parte inſtructi ad exteros commeemus, attamen ſi præſuppoſitam aliqualem earundem habeamus cognitionem, cum rebus verba & cum verbis rerum ſimul civilium prudentiam acquirere, adeoque dupliciter nobis prodeſſe poſſumus. Earum vero cumprimis linguarum ratio eſt habenda, cum quibus reipublicæ noſtræ frequentius commercium ac familiaritas intercedit. Quemadmodum enim propter hunc finem omnis ſuſcipitur peregrinatio, ut ſtatui noſtro aliquando per noſmet ipſos bene ſit: ſic quæ deſtituitur linguarum neceſſario præſidio, non ſolum eſt inutilis, ſed minus aptos etiam reddit ad ſubeunda reipublicæ munera, quæ potiſſimum reſpiciunt legationes & negocia cum exteris. Denique cardinem omnis prudentiæ peregrinatoriæ in hoc conſiſtere, peregrinator ſibi firmiter perſuadeat, ut nimirum conſideret, quo eventu quodvis inſtitutum apud exteros uſurpetur. Si bono, forſan & tuæ reipublicæ aliquando expediet, cætera ſi ſint paria: ſi malo, habes quod caveas, aut non temere tuis ſuadeas.

XXVII. *Reſtat coronidis loco*, (*a*) notare quædam peregrinationis vitia, & quæ fructum tanti laboris poſſint impedire. Quandoquidem vero judicio Hannibalis etiam Romani ſuos Hannibales haberent, adeoque ubivis terrarum viri virtutibus, fide moribusque inſignes reperiantur, quorum conſortium prudentiæ non contemnendam partem conferre queat peregrinanti, ad eas tamen provincias commeandum ſana dictitat ratio, unde ornatior meliorque revertatur. Sic priſci Athenas, Ægyptum, Indiam & quocunque rerum cognitione ſeſe abſolutiores evaſuros ſperarent, adibant. Barbaries igitur ſuis gentibus relinquenda & a cultioribus petendum, quod animum noſtrum exſatiet. Par deinde eſt, removere omnium remorarum remoram, cæcum ſui amorem; & in hujus locum ſubſtituere Socratis doctam ignorantiam, qua nihil ſe ſcire profeſſus, ſolidam prudentiæ laudem ab hominibus non ſolum, ſed etiam ab oraculo conſecutus eſt. Proficere enim cupiens, ſi ſe jam profeciſſe autumet, profectui moram & impedimentum vel maximum creabit. Eradicato vero hoc philautiæ affectu, beatius & nullo adverſante vento progredietur. Tum etiam pro inſtrumento inſtrumentorum ac gerendarum rerum nervo agnoſcat reginam pecuniam: cujus rationem ac modum niſi ab initio habuerit, ſeram in fundo parſimoniam, & ex nihilo nihil fieri cum ſuo malo deprehendet. Nam græcari, decoquere, mutuo dare, fide jubere ac nummos alienos paſcere, reditum faciunt claudicantem, & ſpem parandæ prudentiæ irritam. Oportet denique peregrinatorem noſtrum laborum eſſe tolerantem minimique ſomni. Ne quod quidam de ſe ipſo jactitaſſe fertur, quod viginti annis nec orientem, nec occidentem ſolem vidiſſet, nimis ſero amicam illam inertiam lugere cogatur, ipſique, ut cum Homero finem huic diſcurſui imponamus, fit.

*Turpe foris manſiſſe diu, vacuumque rediſſe.*

(*a*) *Reſtat coronidis loco*) Nos coronidis loco adjungimus mandatum potentiſſimi Pruſſorum Regis & Elect. Brandenburg. quo libertatem civium ſuorum extra imperium peregrinandi, limitibus circumſcribit. *Wir Friedrich Wilhelm von GOttes Gnaden, König in Preuſſen, Marggraff zu Brandenburg*, tot. tit. *Entbieten allen unſern Prälaten, Graffen, Herren, denen von der Ritterſchafft, Bürgermeiſtern, Rahtmannen in Städten, wie auch insgeſamt allen und jeden Unterthanen, unſern gnädigen Gruſs und fügen denenſelben hiemit zuwiſſen, was Geſtalt wir miſsfällig wahrgenommen, daſs die Reiſen der Jugend auſſerhalb Teutſchland in frembde Länder und Provintzien, deren Zweck und Abſehen zwar nicht zu verwerffen iſt, insgemein zu einem groſſen Miſsbrauch ausſchlage, indem nicht allein das baare Geld auſſer Landes geführet wird, ſondern auch, anſtatt, daſs dasjenige, ſo andere Nationen an guten Ordnungen, Gebrauchen und Wercken der Kunſt und Natur beſonders haben, in acht genommen, zu Nutze gemacht, und nach Gelegenheit in unſre Lande verſetzet werden ſolte, vielmehr im Gegentheil die anderswo im Schwang gehende Miſsbrauche und Untugenden bey uns eingeführet, oder wenigſten die Koſten vergeblich und ohne einigem dem Vaterlande dadurch zuwachſenden Vortheil angewendet werden. Wann wir nun in Erwegung, daſs uns, als dem Landes-Fürſten, oblieget, für unſre Unterthanen und abſonderlich der Jugend Wohlfahrt zu ſorgen, und die bereits hiebevor publicirte Edicte nach den Umſtänden der jetzigen Zeiten zu renoviren und zu wiederhohlen: Als ſetzen, ordnen und wollen wir, daſs keiner von unſren Vaſallen und Unterthanen, wes Standes, Condition und Würde derſelbige ſey, nur allein die wandernde Handwercks- und dergleichen Leute ausgenommen, ſo unter 30. Jahr alt, ohne von uns erhaltene Permiſſion und Erlaubniſs auſſerhalb Teutſchland und dem Römiſchen Reiche reiſen ſollen. Dafern aber jemand bey uns um Erlaubniſs und Permiſſion allerunterthänigſte Anſuchung thun würde; So ſollen in dem Supplicato die Urſachen und das Abſehen der Reiſe und Studien, wie imgleichen, wann ein Hoffmeiſter mitgegeben wird, deſſen Nahme, Herkommen und Qualitäten, auch andre Umſtände und von dem Fortgang der Reiſe nebſt denen etwan fürſtellenden Aenderungen, auch wenn dieſelbe abgeleget, uns davon, und was davon geſehen und beobachtet worden, allerunterthänigſter umſtändlicher Bericht abgeſtattet werden. Welchemnach wir denn hiemit männiglich, inſonderheit aber allen und jeden Tutoren, Curatoren und derer Unmündigen Anvertrauten und Befreundten, wie imgleichen unſern Fiſcaliſchen Bedienten ernſtlich und bey Vermeidung unſrer Ungnade, auch andrer willkührlicher Straffe anbefehlen, dahin zu ſehen, daſs dieſem unſern Edict und Verordnung überall und in allen Stücken nachgelebet, auch dawieder in keine Wege gehandelt werden möge. Urkundlich unter unſerer eigenhändigen Unterſchrifft und aufgedruckten Königlichen Inſiegel. Gegeben Berlin den 21. Januar.* 1714.

(L. S.) Friedrich Wilhelm.

W. L. von Printze.

# XXXVII.

## HERMANNI CONRINGII DISSERTATIO DE

# BONI CONSILIARII IN REPUBLICA MUNERE

*RESPONDENTE*

FRIDERICO AUGUSTO *von Worgevvitz.*

NOB. HOLSAT.

ANNO MDCLII.

CUM DEO

## Concluſio I.

*Quemadmodum Medicæ artis peritus duplici tenetur officio, cum nempe quicquid
eſt morbi generis propellere, & ſic ab incommoda valetudine afflictam ſanitatem
reſtaurare, tum vero reſtitutam incolumitatem legitimis mediis conſervare: Eodem
modo eſſe politico tum & Conſiliario munus, quod quilibet rempubl. ſuam ordinet
ac inſtituat, inſtitutam autem incolumem ſervet, qui prima modo civilis
prudentiæ elementa percepit, inficiari nemo poteſt.*

Qui Politicus in republ. res præclaras agere ſtudet, imitatur Medicum. Namque Medicus
quemadmodum prius [teſtatur experientia] id quod morbis affine eſſe poterat, tollit, ut
reſtituatur morbo laborans priſtino robori, neque enim ſanare poteſt, niſi labem illam &
afflictam valetudinem prius evertat, reſtituto vero homine, dat operam, in ſuo ut genere ſanitas
illa inducta incolumis maneat & ſervetur: Ita civilis prudentiæ magiſter Politicus, & ut h. l.
dicam Conſiliarius omnis reipublicæ prius ſuam civitatem reſtituit priſtino ſtatui, & quaſi no-
vam inſtituit regiminis politici formam, prout tamen uſus publicus ſuadeat: quam dein ſua ci-
vili prudentia & conſiliis reipubl. aptis [his inſtructum enim eſſe convenit, neque iis amiſſis
nomen aut politici aut conſiliarii recte tueri quis poteſt] conſtitutam bene adminiſtrat, adeo
ut omnibus bene ſit.

## II.

*Quamvis in republ. tum recte inſtituenda tum & conſervanda magnis ſit opus con-
ſiliis, tamen, ut noſtri ſeculi eſt genius, potius Conſiliarius in adminiſtratione
& conſervatione eſt occupatus.*

Inficiari haud temere quis poteſt, potiorem conſiliarii laborem in conſervanda republ.
quam ea conſtituenda, conſumi his temporibus. Ratio in proclivi eſt, ſiquidem hodiernis tem-
poribus reſpublica, etiamſi non perfecte, aliquo tamen modo conſtituta eſt, quam deinceps po-
liticus conſiliarius acceptam ſervare ſtrenuo animo nititur. Et licet conſiliarius ille pro RATI-
ONE STATUS quoddammodo rempublicam mutet: Nihil enim pene in rebus humanis civili
ſocietate eſt incertius, quod eleganter docetur in libello, qui *Religio Medici* vulgo dicitur, *ſect.*
16. *p.* 58. *Omnium*, inquit author, *non hominum tantum, ſed rerumpublicarum etiam, ſed totius
mundi æva, non quidem Helicis more, ſe usque & usque ampliantis, feruntur, ſed circuli
ritu progreſſa, & ad meridianum ſuum tandem pervenientia, retro iterum ſublapſa referri incipiunt,
ingloriaque demum ſub horizonta recidunt.* Licet inquam, pro ratione ſtatus mutet quodammo-
do ſuam rempublicam, non tamen proprie dicendo conſtituit novam eam. Eſt ergo, ut nativa
ſignificatione proferamus, conſtituere rempublicam nihil aliud, quam prima quædam reipubli-
cæ initia ponere, quæ hactenus ignorabantur. Neque hæc aſſertio ſua vi deſtituitur. Exem-
plum romanæ hiſtoriæ annales memoriæ produnt, quo ſatis liquet, aliud eſſe conſtituere, aliud
adminiſtrare. Quin imo, ut rem acu tangamus, etiamſi reipublicæ princeps pro emolumento
publico mutet ſtatum, tamen proprie novam regiminis aut reipublicæ formam ipſum fingere
quis affirmabit? *Florus*, acutus ſane ſcriptor *l.* 1. id teſtatur. Etſi enim *Bruto Collatinoque du-
cibus* (vid. *l.* 1. *c.* 9.) *& auctoribus, quibus ultionem ſui moriens matrona* (Lucretia, ornatiſſima fœ-
mina, a Tarquinii ſuperbi filiorum altero vitiata,) *mandaverat, populus romanus ad vindican-
dum libertatis & pudicitiæ decus, quodam quaſi Deorum inſtinctu comitatus, Regem* (Tarquinium
Superbum) *deſtituerit, bona diripuerit, agrum Marti ſuo conſecraverit, imperium in eosdem li-
bertatis ſuæ vindices transtulerit; mutato tamen & judice & nomine*, quædam ſtatus priſtini
umbra ac imago remanſit, ita ut romanam tum rempublicam non prius conſtituerint, ſed eam a
Regi-



Digitized by Google

Regibus acceptam pro populi ingenio ac moribus quodammodo correxerint. Sic, ut loquitur author d. l. *ex perpetuo* (imperio) *annuum placuit*, *ex ſingulari duplex*, *ne poteſtas ſolitudine vel mora corrumperetur. Conſulesque appellavit pro Regibus*, *ut conſulere ſe civibus ſuis debere meminiſſent.* Ex quo inde ſatis eſt liquidum, noſtro hoc ſeculo conſiliarium potius in adminiſtranda & conſervanda republica, quam ea prius conſtituenda, occupari. Scilicet quam maxime tum dicitur inſtitui reſpublica, quando tota civitas in unam cogitur, ceu olim factum eſt Romæ a Romulo & Remo, fratribus: minus habet locum hæc vox, cum in forma regiminis loco aliquid mutatur. Fatemur tamen, quando nova ſpecies regiminis introducitur, non male poſſe dici, rempublicam tum inſtitui. Verum quoniam & hoc rarius fit, merito diximus conſiliarii politici potiſſimum munus occupari non tam in inſtituenda, quam in conſervanda republica.

## III.

### *Hæc duo ſunt quaſi capita, quæ hactenus enarravimus, & in qualibet reipublicæ forma recte gerenda obſervanda ſunt: His prætermiſſis, res certe publica ſua mole ruit.*

Quod hæc duo deinceps omnia, quæ mediorum nomine habentur, ſive conſervationem, ſive ipſam conſtitutionem ſpectes, ſuo tanquam ambitu complectantur, uberius inquirere operæ pretium duxi, ad quodnam conſiliarius referri oporteat. Nos non una ratione perſuaſi ſtatuimus, conſiliarios ad eam reipublicæ partem potius recenſendos eſſe, quæ in adminiſtrandis negotiis verſetur. Quæſtio hæc non levis videtur eſſe ponderis, diſtinctius quare, quam §. 2. factum, eſt explicanda. Primo ceu indubium eſt ponendum, quod multi eam animo imbibant ſententiam, non eſſe ad regendam aut conſervandam, ſed ſolum ad conſtituendam rempublicam conſiliarios requirendos. Ac ne abſque ratione dixiſſe putent, hoc inferunt: optime poſitis in civili quodam conſortio initiis, procul dubio rectam regiminis rationem haberi, & eatenus per conſequens rempublicam conſervari quam optime, modo prima initia bene diſponantur, veriſimile eſſe. Ex adverſo vero, *ut male poſuimus initia*, *ſic cætera ſequuntur.* Pergunt, dicentes, quemadmodum hominis cujusdam prima inſtitutio, non unam notam de ætate ac futuro vitæ genere polliceri ſolet; multum enim refert, quibus odoribus teſta recens imbuatur; *Neque natura ab educatione & doctrina deſerta unquam numeros ſuos adepta eſt Caſ. Ep. 7. mantiſſ. Vagetii. Nihil quoque ita penitus inſidet & inhæreſcit, ut quod primis illis inſeritur annis. Eraſ. Roterod. inſtit. Chriſtian.* Eadem ratione aſſeri idem de reipublicæ prima infantia non tantum, ſed & virili ac futura ætate poſſe, perſuaſum iis eſt. Aſt aliqua videtur quidem niti ratione, ſed haud exiguum abſurdi habet. Non inficiamur, uti multum intereſt, vitæ primordia in homine an recte, an ſecus, ponantur, (*nec* enim *negligenter tractanda ſunt prima*, *a quibus ad ſecunda*, *ac deinceps ad altiora aſcenditur*, *ſicut fabricandi ſcala & fundamenti ratio ante omnia habenda eſt*, *& primus quanquam imus gradus firmandus*, *quam valide fieri poteſt. Caſ. Propol. c.* 1.) eodem quod modo ad rem faciat, an aliter, an ita prima futuræ reipublicæ ſemina collocentur. Verum quemadmodum homo ad committenda vitia & contrahenda poſt lapſum pronus propenſusque eſt a prima infantia ad decrepitam usque ſenectutem, adeo, ut neglecta primæ inſtitutionis induſtria, facili opera degenerare poſſit. Ita neque reſpublica aliter conſtat. Etenim niſi minimis principiis, qui regendæ ſocietatis clavum tenet, obſtet, facile humanæ infirmitudinis exemplo vitii aliquid ſibi conſciſcere poteſt. Et quod reſpublica non ſecus, ac corpus humanum, morbis tum & vitiis ſit obnoxia, experientia, quam non inique rerum ipſam magiſtram dicas, teſtatur. Homo vero, qui omni vitiorum contagione careat, nusquam eſſe creditur, *errare* enim dolor! *humanum eſt.* Hinc quod homini, idem reipublicæ accidere ſolet: adeo, ut quæ non domeſtico ac aperto, certe tamen inteſtino quodam malo, quod non eſt detectum, laboret. Quis ergo, quem natura aliquo judicii ac ingenii inſtruxit acumine, neſciat, conſiliarios eſſe inſtar fulcrorum, quibus non aliqua ex parte reipublicæ ſalus inſiſtat. Inde ſententiæ eorum, qui dicunt, conſiliarii operam ſufficere primæ reipublicæ conſtitutioni, ſubſcribere grave eſt. Nos vero, etſi minime gentium negemus, maxima requiri conſilia ad prima reipublicæ fundamenta feliciter jacienda, tamen, ut nunc ſunt mores, plerumque ac potius ipſi adminiſtrando negotio jungendos conſiliarios ſuademus.

## IV.

### *Tanta eſt conſiliarii tum dignitas, tum neceſſitas in republica, ut omnino ſit ordinarius officialis dicendus.*

Quantum per ingenii facultatem licebat, accepimus conſiliarium omnino in republica adminiſtranda eſſe occupatum, imo *neceſſarium.* (a) Conſequens videre monet, an ſit ordinarius, aut extraordinarius, ut vocant, in republica officialis. *Sciendum namq; eſt, nonnulla reipublicæ officia ita neceſſaria eſſe*, *ut carere iis minime poſſit*, *quæ idcirco ordinaria ſunt*, *& legibus definiuntur. Alia vero extra ordinem imperantur ad explicanda ea*, *quæ præter ſpem incidere ſolent*, *& quæ extra ordinem eſſe inde dicuntur. Arniſ. c.* 1. *l.* 1. *Pol.* Prius de conſiliario (nec enim hoc nomine ſolum aliquem mercenarium intelligimus, ſed quemvis, qui conſilio rem juvet publicam) affirmamus

(a) *Neceſſarium*) Vid. HIPPOL. A COLLIBUS *de conſiliariis p.* 84. *ſeqq. in conſiſtorio Principis.* CHOCKIUS *in theſ. politic, c.* XXIII.

Digitized by Google

mamus hoc ſyllogismo: Cujus officium reipublicæ ſalvo imperantium & parentium ordine deeſſe ad minimum tempus non poteſt, utique illud eſt aliquid in republica ordinarium, Atqui conſiliarii in republica tale eſt munus. E. Idem eleganter omnis gravioris prudentiæ parens ille *Tacitus* in ſuis monumentis expreſſit, dicens: *In ſumma fortuna pleraque auſpiciis & conſiliis, quam telis & manibus geri.* Quo dicto expediendis rerumpublicarum negotiis neminem vult aptiorem conſiliariis, qui conſulendi dexteritate ac promptitudine jacturis publicis ſubvenire poſſunt.

V.

## *Si ergo reſp. feliciter adminiſtrari debeat, quod tamen ſemper pro principio habendum erit, Conſiliarius in regimine civili eſt conſtituendus.*

Quanta ſit boni conſiliarii in publico otio & quavis regiminis ſpecie vis, adeo ut civitas, iis deſtituta, nunquam ſuos numeros adipiſci queat, vel inde liquet: [1] Reſp. variis ſunt obnoxiæ inſidiis. *Quemadmodum*, inquit Philoſophorum princeps Plato *l. de ll. navis in medio mari noctes diesque cuſtodibus indiget, ita quoque civitas in mediis aliarum civitatum veluti fluctibus conſtituta, variis inſidiis obnoxia in eo eſt ſtatu, ut ne capiatur, maximum ſibi impendeat periculum: Idcirco & ex die in noctem & ex nocte in diem ſibi ſuccedere invicem cuſtodes oportet, ut perpetuæ excubiæ indeſinenter ſerventur.* Idem quod ex *Livii lib.* 30. *c.* 44. habemus: *Nulla*, inquit, *magna civitas diu quieſcere poteſt, ſi foris hoſtem non habet, domi invenit, ut prævalida corpora ab externis cauſſis tuta videntur, ſed ſuis ipſis viribus onerantur.* [2] Si in re familiari paterfamilias ad ſuſtinenda munera, quæ tamen ſunt finita & privatæ curæ, ſolus non ſuffecerit, verum *quodam inſtrumento animato ſervo* [*ſ. Ariſt. l.* 1. *Pol. c.* 4.] eget, multo magis opus conſiliario habet majeſtas civilis in recte tractandis reip. habenis. *Longe* enim *major eſt varietas in negotiis, quæ tractare debent ii, qui ad gubernacula rerump. ſedent. Nam etſi quasdam certas & determinatas regiminis curas habent, multa tamen, imo infinita, iis occurrunt tam perplexa tamque ambigua, ut humanæ mentis etiam perſpicaciſſimæ aciem effugere videantur. Ad res ejusmodi opus eſt conſilio,* (*a*) *quod idcirco velut rem ſacroſanctam revereantur homines.* Quis ergo hoc intelligens reprehendet, vel potius non magnopere probabit, principem ad recte imperandum veris rationibus excitari & in juſto imperio a conſiliario confirmari? [3] Princeps, qui virorum, prudentiæ civilis genere præſtantium, fidelia monita flocci facit, *magnam invidiam* (*b*) [quæ etſi principio parva, temporis attamen progreſſu magnam reip. labem conciliat] ſibi parabit. Hic enim ita cum nobis eſt comparatum, ut contemptu eos principes dignos eſſe cenſeamus, qui conſilia virorum prudentum ſpernunt. Hæc autem perſuaſio, dum occupat animos civium, ad quævis periclitanda fortunæ diſcrimina eos irritat; unde nunquam non ſeditiones & inteſtini belli motus originem duxerunt. Quis vero cordatus eſt homo, qui reip. bene velit, qui neſciat principum contemptum & oppugnationem eſſe rem impiam & improbi exempli, peſtem rerumpubl. & gentibus plerumque pernitioſam. Non tantum princeps, qui tam perverſo in conſiliarios eſt animo, omnem benevolentiam perdidiſſe videtur, ſed & ſuperbiæ ſordibus vitioque temeritatis cujusdam laborare civibus eſt ſuſpicio. Teſtem adducimus magnæ equidem in civili ſcientia notæ authorem *Livium l.* 44. *cap.* 22. *eum, qui de ſua unius ſententia omnia gerat, ſuperbum judico magis, quam ſapientem.* Satius proinde erit, ut de ſe majeſtas, quanta etiam polleat ſapientia, modeſte ſentiat, & ſuæ ſapientiæ argumentum eſſe ducat, ſapientum conſilio uti. [4] Prout majeſtatis eſt natura, neminem ſuperiorem noſcere, [ſupra quod enim aliquid eſt ſuperius, illud ſummum non eſt] ita ut ceteros cives ſuos virtutibus præſtet, omni cura ipſi videndum eſt. *Prout* enim *lapſus reipubl. mille modis contingere poteſt, & cauſſarum, rempubl. evertentium, magna eſt copia, ita e diverſo conſervantium unica tantum præ reliquis princeps eſt virtus, neque enim ſine virtute rebuspubl. felicitas competere poteſt:* ut hæc elegantiſſime exponuntur in diſſert. *de ratione ſtatus* §. 13. Honeſtas etiam a quovis quidem homine exigit ſtudium virtutis: ſed in rege, ut antecellat virtutibus, aut quam minimis vitiis ſe inquinet, peculiares rationes requiruntur: *Perſona* enim *regis talis eſt, ut minima quoque vitia pro ſummis oſtendat Arniſ. Pol.* 1. *c.* 9. *& quod in aliis error, in principe flagitium eſt*, *Chriſt. princeps Eraſ. Roterod.* neque ullius peſtilentiæ citius corripit, neque latius ſerpit contagium, quam mali principis. Neque majori cum ſtudio aliquid imitatur vulgus, quam quod a ſuo principe fieri obſervavit. *Nullus* ergo, ut loquar verbis *Eraſmi Roterodami d. l. cometes, nulla vis fatalis ſic afficit res mortalium, ut vita principis rapit ac transformat mores & animos civium:* & quod *Thomas Morus in Utop.* recte dixiſſe videtur, *a principe bonorum malorumque torrens in totum populum, velut a perenni quodam fonte, promanat:* nec quicquam certius, quam, quod hæc ſit principum conditio, ut quicquid faciant, præcipere videantur. Ad ſtabiliendam hinc rempubl. multum faciet, ipſe ſi princeps vitæ exemplo cives ad virtutum maximarum ſtudia irritet. Verum eſt ne hæc morum corruptela, ut nunquam aliquis probe proficere poſſit, niſi quidam probitatis genere illuſtres viri tanquam correctores adſint? Inde magnopere juvabit principem, tum ſemetipſum, tum alios, regendi cauſſa adſciſcere conſiliarios viros bonos ac probos, qui *candide moneant*

(*a*) *Conſilio*) Princeps facile evertitur, qui nullo, niſi ſuo, utitur conſilio. Non tamen alterius tantum, ſed & ſuum adhibeat conſilium.

(*b*) *Magnam invidiam*) Addunt arcanorum collectores, intereſſe Principis, ut habeat, in quem rerum male cedentium culpam conferre queat.



Digitized by Google

*ant*, (*a*) qualis ſit principi agenda vita. Ita procemii loco dixiſſe ſatis putamus. Et aliæ ſunt quidem rationes, quibus neceſſitatem tum conſilii, tum conſiliariorum artificis demonſtrare poſſimus, ſed quod, quas in lucem produximus rationes, ſatis ſint ponderis, concludendum cum *Salluſtio* operæ pretium duximus: *In omni vita multa audiendo & legendo ita comperi, omnia regna & civitates usque eo proſperum imperium habuiſſe, dum apud eos vera conſilia valuerunt.*

VI.

***Nulla cum univerſalis propoſitio ullius ſit fidei, niſi ea in ſingularibus omnibus, quæ univerſalis illa propoſitio continet, procedat, hoc etiam ſequemur. Et initio nihil eſt dictu abſurdius, quam ex monarchiæ negotiis conſiliarium propellere.***

His ſupra recte dictis, concinnioris ordinis cauſſa, ut adjungamus rationes, quarum virtute conſtet, in monarchia, ariſtocratia, politia, democratia, tyrannide, dominatu, oligarchia opus eſſe conſiliariis in genere ſic dictis, operæ, niſi fallor, erit pretium. Verum in diviſione rerumpubl. quoad numerum, prima quia eſt cenſenda monarchia, quippe authore natura eſt introducta, teſte Romanorum ſapientiſſimo, *natura*, inquit *Senec. lib.* 1. *de clement. c.* 19. *commenta eſt regem*, prius ipſas examinemus cauſſas, quare in monarchia conſiliario ſit opus. Monarchia eſt *tale reipubl. genus, in quo unus eſt primæ authoritatis, abſolutam habens poteſtatem, commune omnium civium ſpectans bonum.* Unus ergo in hac republ. imperio fungitur. An vero unus tantæ molis capax videatur? *Arduum & ſubjectum eſt fortunæ cuncta regendi onus.* (*b*) *Tacit.* 1. *Annal.* pauca quoque videt unus, pauca audit: at principi multas eſſe oportet aures, multos oculos. Maxime ergo alterius viri honeſti monitis opus Rex habet. *Neſcio*, inquit Clariſſ. *Arniſ.* 1. *Pol. c. XIV. quomodo fiat, ut ſubditi, ſi nemo conſiliis principis interſit, ſe contemni ſuſpicentur, odiumque in principem concipiant.* Quod ſi vero vulgus mobile, quod variis erroribus implicatum & pro veris inanes tantum bonorum umbras proſequens, quaviſque fortunæ tempeſtate agitans videmus, perſuaſum ſibi habens tale quid de ſuo rege, regna quid quæſo erunt? Latrocinia. Concordia illud vinculum, quod connectit rempubl. ſolvitur: *Diſcordia autem certe clades importat.* Neque aliquem, qui ſtadium civilis prudentiæ currit ac etiamnum hominum mores examinat, illud *Belgii* ſymbolum fugere poteſt: *Concordia res parvas creſcere.* Quæ ſit etiam ad movenda inteſtina arma vis, ſi ſubditi odio regem proſequantur ſuum, quem amare debebant, facundus ille Romanus Menenius Agrippa diſerta olim dixit oratione apud *Liv. l.* 2. *c.* 32. quem ita narraſſe fertur: *Tempore, quo in homine non, ut nunc, omnia in unum conſentiebant, ſed ſingulis membris, ſuum cuique conſilium, ſuus ſermo fuerit, indignatas reliquas partes ſua cura, ſuo labore ac miniſterio ventri omnia quæri: ventrem in medio quietum nihil aliud, quam datis voluptatibus frui, conſpiraſſe inde, ne manus ad os cibum ferrent; Hac ira dum ventrem fame domare vellent, ipſa una membra, totumque corpus ad extremam labem veniſſe. Inde apparuiſſe ventris quoque haud ſegne miniſterium eſſe, nec magis ali, quam alere eum, reddentem in omnes corporis partes, hunc quo vivimus, vigemusque diviſum pariter in venas maturum conferto cibo ſanguinem.* Hiſce ad oculum prorſus patet, quanti interſit publicis rebus, ſi concordia non ſit exul. Omnem talis ſeditionis & futuræ reipubl. ruinæ, qualem Orator ille romanus magno cum applauſu ad populum dixit, metum tum effugere Rex poteſt, ſi habeat viros vitæ & morum integritate pereximios, eosque prudentes, quibus ſecretas & reip. arcana, tanquam ſuis conſiliariis & patriæ amicis certis, credat. Nec *Fortuna ſolum*, inquit *I. Lipſ. l.* 4. *Pol. c.* 6. *objectum* [regnum] *etiam odiis.*

*Simul iſta mundi conditor poſuit Deus*
*Odium atque regnum.*

Rex præterea famæ, cujus magna eſſe debet exiſtimatio majeſtati, *cum nulla res majoribus malis nos implicet, quam quod ad rumorem componimur. Sen. Chriſtian. c.* 2. poteſt conſulere, ſi ſint ipſi reipublicæ rectori ſummo a conſiliis viri, politica prudentia clari. Cum enim conſilium forte malo exitu ceſſit (quod uſu venit, & fatali quadam adverſitate accidit, ſiquidem non omnia in noſtra ſunt poteſtate) non ipſi, ſed conſiliariis, tanquam auctoribus, culpa imputari ſolet. Hoc inſuper commodi naſcitur, ut ſi Rex prudentia & per ætatem rerum experientia viros præſtantes ſibi tanquam coadjutores regendi muneris habeat, optimus & regiæ eſſe virtutis ac probitatis Princeps cenſeatur. Hanc populi de ſuo Rege cenſuram haud faciendam eſſe momenti exigui, neq; ipſi ut affirmemus, nos quid impellit. *Permagis* etenim *refert, cum quo quis uſum familiarem ineat. Arith. Orat. XV.* Ut conſuetudo & aſſiduitas cum morbidis corpori bene affecto non eſt ſalutaris, ita minus erit ſalutaris, imo multo magis erit pernicioſus ac peſtifer uſus cum hominibus mente corruptis. Proinde juvabit congredi, & conſilium petere de iis, quorum oratio, ad virtutem Regem ſeu Principem accenſura, & contra vitia, (quæ perdent omnem rempublicam) cautiorem, animoſioremque redditura eſt. Ut malus evadit, qui cum malis eſt frequentior: cur non bonus fiat, qui ad bonos ſeſe aggregat? His ergo liquidum, in monarchia præcipuum fore præſidium, ſi Rex viros regendæ ſuæ hujus reip. prudentia inſignes, negotiis ſuis adjungat. Quod autem omnis oratio inter limites ſit revocanda, huic argumento finem imponimus, dicentes: Audire ſapientes regium eſſe, & ſapientum Reges monere de iis, quæ pertinent ad ſalutem publicam.

VII.

(*a*) *Candide moneant*) *Le miniſtre d' etat par* SILHON *diſcours* I. DANÆI *excerpta ex* THUCYDIDE *p.* 13.

(*b*) *Onus*) *Graviſſimi Principis labores, queis orbem terra capeſſit, egens adminiculis.* TACITUS *lib.* 12. *annal.*

Digitized by Google

VII.

### *In ariſtocratia (etiamſi ceteris palmam præripere videatur, & reipſa talis fere ſit) opus eſt boni conſiliarii [a] cenſura ac intuitu.*

Sequimur ordinem, & dicendi provinciam adſumimus, nempe quas ob cauſſas adeo ſit neceſſarium, ut in ariſtocratia conſtituatur conſiliarius. Verum perquam difficile eſt, hæc luculenter exponere, niſi prius intelligas, quid ſit ariſtocratia. Definiri poteſt, quod respublica ſit, *in qua multi optimi viri rebus gerendis præſunt, & incrementum hujus ſuæ reip. i. e. commune bonum curant.* Habentur autem in hoc ariſtocratico ſtatu conſiliarii, quia ipſemet ſenatus conſiſtit ex conſiliariis & viris, quorum prudentia remp. ſuſtinere poteſt. *Xenophon lib. de Athenienſ. rep.* eleganter admodum ſcripſit, *ubique terrarum optimates dominatui plebeio contrarios eſſe* (non ſemper quidem, ut putamus, honoris, ambitionis, proprii commodi gratia, ſed ſæpe numero quia prævident futurum reipublicæ fatum, & quam male cum republica ageretur, ſi penes infimæ ſortis plebem regimen illud publicum eſſet) intellectu inde facile eſt, qui ſit plebis in optimates affectus & furibundus animus. Quid? plerumque populus etiam odio perſequitur libertatis ſuæ auctores, quicquid magnum & ſupra fortunam ſuam eſt, averſatur & odit, pares vult, majores deprimit & perditum it, quicquid fortuitum, ut in humanis aſſolet, malum evenerit, rectoribus imputat, & ſi quid proſperum fortunæ ſuæ. Interdum accidit, ex abjectæ plebis fece elata quædam naſci ingenia, quæ quotidiana populi vociferatione concitata plerumque tumultus, turbas, ſeditiones erga optimates excitare, imo ipſam plebem, quæ rariſſime in factum ratione fertur, in primates irritare ſtudent. Neque quis mirari habeat, ex vilis ſortis hominibus & magni animi viros in lucem prodiiſſe. Ut enim clariſſ. *Horneius l. 1. c. 6. Moral. Philoſoph.* ex *Boeth.* recenſet.

> *Omne hominum genus in terris*
> *ſimili ſurgit ab ortu.*

Maximis quapropter agendum eſt viribus, ne per hanc occaſionem civitas, cui forma ariſtocratiæ eſt introducta, damni quid faciat. Hoc vero prudentiæ eſt opus, quæ conſilia recte moderatur. Eſt talis, ut obiter adjiciamus, populus benevolentia regendus. Animalia enim cætera ad obedientiam vel cibo, vel delinimentis, vel etiam plagis adducuntur: At homo animal omnium generoſiſſimum, benevolentia ac præmiis ad officium quam maxime incitatur: timet, at non diu: timere ubi deſierit, odiſſe incipit. *Junius.* Cæteras ejusdem argumenti rationes tacite præterire juvabit, & quod hæc deciſio manifeſta, & quod paucis, id non plurimis ſit expediendum. Ne vero actum agere videamur, ad reliqua progredi reſtat: ſimul loco poſtremo dicentes, ægre quoque ſervari poſſe illud totius humani generis vinculum, concordiam, niſi in ariſtocratia ſunt conſiliarii, qui nexu quaſi quodam inter plures, quod difficile admodum eſt, concordiam nectere & animos ſibi invicem devincire poſſint.

IIX.

### *In politiæ ſtatu vir, de cujus prudentia politica adeo certum, ut conſilia pro temporis ratione ſuggerere poſſit, omnino eſt adſciſcendus.*

Politia, quæ eſt *reſp. in ſpecie dicta, & imperium legitimum populi ad communem utilitatem*, ut notatur *in diſſert. de rebusp. in genere*, maxime omnium opus habet viris, qui prudentia, qua eminere præſumuntur, conſulto regimen gerere valent. Quemadmodum enim magni eſt momenti, reip. prima fundamenta feliciter jacere ac ponere: ſimilis ita eſt ſtudii, operæ ac laudis, remp. bene conſtitutam bene conſervare, prout tamen exigit communis ſalus. Negotia enim civilia in rep. gerenda eſſe dictamine rationis ſtatus, quam paucis definio eſſe *emolumentum reip.* politicus nemo & recta ratione utens homo negabit. Sed difficillimum eſſet, politiæ ſtatum in eo ſignificatu, quo nos dicimus, ſecundum eſſe, vel aliquo modo adminiſtrari poſſe, niſi conſulendi facultate præditi viri ad hujus gubernacula accedant, eorumque conſilia locum obtineant primum. Argumentum vero eſt tale: Si neque regnum, neque ariſtocratia absque conſiliariis eſſe poſſint (hoc probavimus in præcedentibus prolixius) niſi ad leoninam generoſitatem vulpinæ quid artis acceſſerit, multo minus in ſocietate civili, quæ induxit politiæ formam, finem reip. perfectæ, niſi adſint conſilia, attingi poſſe ſequitur. Jam ut & inſtituti & temporis habeatur ratio, ad ea, quæ ſequuntur, ſe vertit noſtra oratio.

IX.

### *Neque reſp. quæ a ſuo ſcopo ac fine paulum remotiores ſunt, excipiendæ: quas antequam abſolvamus, ſtatuimus & dominatus magni intereſſe, ſi promtos & optimos habeat conſiliarios.*

Accedimus eas rerump. ſpecies, quæ aberrantium nomine cenſentur, ideo, quod ex adverſo non adeo curent commune civium bonum, ſed ſi aliquam de ſalute civium obtinenda curam agant, ſecundario ſuis civibus proſpiciant. Quanquam vero omnes ejusmodi reſpublicæ ſint heriles & quidam dominatus, tamen nobis nunc dominatus eſt reſp. in qua rerum ſummam tenet unus princeps primario pro ſcopo ſuum commodum, ſecundario ſalutem obedientium curans. Et vero juxta *Arniſæum c. 9. l. 1. Pol. Sicut Dominus minus ſervos intendit peſſundare, cum ſciat, ſuorum perniciem tracturam ſecum totius domus ruinam: nec tamen eos primaria intentione curat, ſed quia aliter ipſe ſalvus eſſe nequit: ita Dominus nec evertit ſubditos, quod eſt tyrannorum, nec eorum ſalutem primam habet, quod eſt regum, ſed dum familiam ſuam intuetur, eamque ſubſiſtere aliter non poſ-*

*ſe*

(a) *Conſiliarii*) Tales ſunt in civitatibus imperii ſyndici & illi, qui dicuntur conſulentes.



Digitized by Google

*ſe advertit, conſequenter deflectit curam ſuam ſecundario ad ſubditos, a quibus propterea redamatur.* Duplicis vero hic ordinis eſt habenda ratio, ea propter utique ſunt neceſſaria conſilia. Primo eſt navanda opera, ut domino ejusque familiæ bene ſit, ubi tamen privatum, domini nempe, commodum eſt ita quærendum, ne etiam ſubditis ſit nimis moleſtum. Secundo magna induſtria laborandum venit, ne ſubditos regimen tale male habeat, & nimis aliquid libertatis ſentiant. Quod ſi fiat, ſubditi ſimul junctis ſtudiis, ac ſi omnem pietatis ſenſum ejuraſſent, & pertinaci impetu irruunt in ſuum dominum, ejusque imperio audientes eſſe nolunt, imo nonnunquam inſidias vitæ Dominorum ſtruunt, quo citius jugo ſe liberent. Cum vero utile ſit reip. qualis ejus quoque ſit conditio, qualisque ordo, bene ut imperetur & bene a ſubditis audiatur, ſed nunquam hæc duo ſimul ſtare queant omiſſo conſilio, neceſſe habet Dominus, etiamſi optimo imperandi animo ſit in ſubditos, ut ſibi jungat conſiliarios, tanquam certos ſatellites ac comites. Nihil enim eſt in rep. agendum, quod non conſulto & meditato animo ſit ſuſcipiendum. Ultimo vero loco medii inſtar, quod vigentem ac florentem ſervet dominatum, hoc præceptum eſſe poteſt, quod qui cultu honeſtarum literarum in media aula omnibus ſuo ævo præſtabat, Seneca literis mandavit: *Servis imperare modica laus eſt, & in mancipio cogitandum, non quantum impune illud pati poſſit, ſed quantum tibi permittat æquitas bonique natura, qua parcere etiam captivis & pretio paratis jubet.* Hæc de dominatu.

X.

*Oligarchico ſtatui conſiliarii aliquis defectus peſtis eſt ac prorſus venenum.*

Oligarchia eſt, *ubi imperium pauciores divites habent, ad ſuum bonum ſpectantes.* Qui hanc remp. gerunt, maxime præſtantium virorum monitis ut & conſiliis opus habent. Satis enim ex Politicorum monumentis liquet, quæ ſit plebis in divites natura. Poteſt vel minimo affectu excitari, ac ſi prorſus furioſi eſſent ingenii. Ex muſca, quod ajunt, elephantem facere ipſi eſt uſu receptum. *Æmilius Probus in Chab. cap.* III. rem hanc perſpicue tradit: *Eſt,* inquit, *hoc vitium commune in magnis liberisque civitatibus, ut invidia gloriæ comes ſit, & libenter de his detrahant, quos eminere vident altius; neque animo æquo pauperes alienam opulentorum intuentur fortunam.* Stimulat non raro autem privati odii pertinacia in publicum exitium! Æquum eſt ergo, ſi rationem hujus reip. intime aſpicias, ut conſilia hic locum habeant. Magni enim negotii res agitur, ut divites, qui ad navem reip. ſedent, ejusmodi incutiant metum ſuis civibus, ne aliquid turbæ ac inſidiarum moliantur. Sciendum eſt enim, non ſolum clementia, ſed & metu eſſe remp. conſervandam. Prudenter etiam oligarchicis eſt agendum, ut privata commoda ita ſectentur, ne plebs omni ſenſu percipiat, nullum eſſe imperantibus ſuis ſtudium, quo commune civium bonum curare debebant. Idcirco hujus argumenti rem ita finimus: non temere eſſe in oligarchia imperium tractandum; *Nam omnis actio vacare debet temeritate & negligentia, nec vero agendum quicquam eſt, cujus non poſſis cauſſam probabilem reddere.* Cic. I. *Off.*

XI.

*Democratia & ſtatus popularis nunquam aliqua felicitatis civilis portione gaudere poteſt, niſi prudentum virorum conſilia ad res gerendas accedant, quæ furorem ac impetum plebis inſanæ excipere, lenire, & pro ratione ſtatus ſui ſopire poſſunt.*

Oligarchiam excipit democratia, quæ omnino ad numerum prolapſarum rerump. eſt rejicienda. In qua enim regiminis ſpecie abjecta plebs & virtutum politicarum neceſſario expers ac ignara dominatur, quid mirum, ibi & peſſimum quendam eſſe ſtatum. Tale autem imperium, quod in democratia ſit, conſule quæſo *Arniſ. l. 2. de rep. c. 5. ſ. 1. n. 1. Ubi plebs infima imperat,* inquit, *omnibus civibus & inter hos etiam virtuoſis nobilibus, non poteſt non corruptus reip. ſtatus naſci, quia contra naturam eſt, ut imperfectum perfecto, deterius meliori, corpus animæ imperet: Jam vero ita ſe res habet in civitate, ut ſapientia virtuteque conſpicui viri ſint inſtar animæ, reliqua* [plebs] *turba, &c.* Hinc *Xenophon* Attica illa Muſa *lib. de rep. Athenienſ. ejus formam* [democratica enim erat] *non laudat: quia dum illam prætulerunt aliis, improbos homines meliori eſſe conditione, quam bonos maluerunt.* Et paulo poſt, quare democratia nonnullam habeat cum aberrantibus affinitatem, ita ſubjicit: *Nam in optimatibus libidinis ac injuſtitiæ minimum eſt, ſtudium vero rerum honeſtarum accuratiſſimum: contra in plebe plurimum inſcitiæ, confuſionis, improbitatis. Etenim paupertas magis eos adducit ad turpia, & plerique mortalium propter penuriam neque liberaliter educari, neque recte inſtitui poſſunt.* De his plura dicere hoc loco non attinet. Definienda eſt, *quod ſit imperium multorum ad utilitatem pauperum omnia referens.* Peculiares autem ſunt rationes, quibus conſtat, quanto robore afficiant ſtatum plebeum conſiliarii. Quod omnium eſt primum *plebs* [vilior illa populi pars,] neceſſario caret prudentia civili, qua tantum omnis adminiſtrandi modus nititur. Cum enim plebs in ſordidis & ruſticis pene operis perdit omnem animi vim ac vigorem, quo fieri modo queat, ut politica & civili ſit inſtructa prudentia? Ut cetera neque minoris ponderis argumenta ſilentio prætereamus, quis ingenui pectoris homo neſcit, quantus ſit plebis furor & præcipitantia in ſuis rebus ac negotiis expediendis? Reip. negotia autem, niſi cauto & prudenti animo eſſe tractanda, omnibus conſtat. *Impetus ſane male cuncta adminiſtrat.* Poteſt inſuper in partes, neſcio quas, trahi plebs, modo quis oratione quadam affectum moveat: *nec quidquam facilius, quam in quemlibet affectum mutare populum Quintil.* II. *declam.* Idcirco ut præcipitantiam, furorem & nonnunquam incogitantiam plebis aliquis ſua tarditate contemperet, maxime omnium in hoc ſtatu conſiliarius eſt conſtituendus.

XII. *Pro-*

Digitized by Google

XII.

*Prolixe egimus oſtenſuri conſiliarii in rep. adminiſtranda vim ac efficaciam: operæ eſt pretium his definitionem ſupponere, quæ recte expenſa, nihil erit rectius.*

Hucusque de conſiliarii in civili vita neceſſitate prolixius pro ingenii modulo, ac quaſi rudiori Minerva perſtringendum fuit: ne videremur nervos contendiſſe in ejusmodi argumenti rebus, quæ propemodum nullatenus publico conducant, quod mere ſtultum eſt. Proximum eſt, naturam conſiliarii ejusque quale eſſe oporteat officium, perpendere: his enim explicatis, facilius mente capiendum eſt, quantum conſiliarius reip. proſit. Recte vero prius generalis definitio eſt ponenda:

XIII.

*Eſt ergo conſiliarius vir bonus, virtute politica exacte affectus, cui eſt ſtudium, civitatis ſalutem incolumem ſervare.*

Merito in conſiliario eſt requirendum, ut ſit *vir bonus*, nam ſi ex re ſocietatis civilis eſt, ſeu ut loquar verbis excell. Dn. Præſidis, *ſi in omni vita nihil eſt utilius, ac in opinione virtutis eſſe*, vid. *lib. de civili prud. c.* 2. quantum præſtabit commodi, ſi ipſe, qui eſt columna quaſi reip. quovis virtutum genere emineat? Nec vero ulla poteſt resp. incrementum capere, niſi virtute, tanquam fundamento, nitatur. In rectis, ut vocant, rebusp. quod ita ſe habeat, non dubitandum. Neminem enim poteſt fugere, finem honeſtum & cum ipſa virtute conjunctum legitimis honeſtisque pariter actionibus eſſe aſſequendum. Finis vero harum eſt, id videre, ut tum imperantibus, tum parentibus bene ac ex voto ſit, neque alter horum injuria quadam afficiatur, h. e. ut in ſufficienti rerum copia ſecundum rectæ virtutis normam vitam ſuam degant. De quo fine conſule *Ariſt. c.* 1. *pol.* 1. & *c.* 2. *Quæ autem*, inquit, *ex pluribus vicinitatibus communitas aut ſocietas perfecta, civitas: quæ jam ſummum omnis fere ejus, quod ſatis eſt, ut mos loquendi fert, habeat: quæ fiat quidem vivendi cauſſa, ſit autem bene vivendi.* Talem ergo cives, finem quo felicius conſequantur, virtuti omne eſt impendendum ſtudium. Ac hinc illud: in rep. nihil vere eſſe utile, quod non ſimul honeſtum ſit, vel non inhoneſtum: honeſtas autem ipſa eſt vinculum ſocietatis communis, quam natura eſſe voluit inter omnes homines. Imo ſi fieri poſſit per ſortem humanam, reliquos virtutum ornamentis conſiliarius ſuperet: quod enim *Tacitus* in libro ſuo *de moribus German. c.* 14. putat, *Principem virtute vinci, eſſe turpe*, hoc idem de conſiliario recte quis intelligit. Aberrantes quod attinet, neque earum conſiliarii corruptis prorſus animis ac moribus eſſe debent: Nam, *quemadmodum injuſtam remp. ſolis bonis artibus regere nemo poteſt, ita nec illam ſolis malis artibus conſervaveris, imo etiam ratio illius ſtatus plerumque bonas artes exigit diſp. prima ex c.* 1. & 2. *de civil. prudent.* §. 32. 33. Uſu autem reip. adeoque ratione ſtatus metienda eſſe civilium actuum momenta, haud quis inficias ibit. Hinc vir clariſſ. *Arniſæus c.* 4. *ſ.* 3. *n.* 35. *l.* 1. *de rep.* id monet conſilii rectoribus ſocietatum: *Sine virtute impoſſibile eſt, ullam reip. partem poſſe adminiſtrari.* Tametſi vitio communi contingat, nemo fere ut tantæ virtutis ſit, uti poſſit, juxta Ariſtotelis in morali philoſophia tradita præcepta, vivere & boni viri nomen abſolvere: inde tamen titulus boni viri non eſt derogandus conſiliario; ſatis enim eſt, ſi vel tertio, vel quarto, & ſic deinceps gradui virtutis perfectæ ſit proximus. In omni porro officiali virtus eſſe debet præclara, *quia eſt imago majeſtatis, & datur imitandus. Arniſ. pol.* 1. *c.* 13. Unde & hinc ſequitur, ut cujus officium ſit conſiliis juvare remp. ipſe ſit vir bonus. Fortaſſis autem dixeris, non id poſſe reperiri in conſiliario. Experientiam contra nos teſtem nonnulli adducunt, & neſcio, quo animi errore ſtatuunt (1) neque ideo conſiliarium eſſe virum bonum, quia ad maximi criminis delicta nonnunquam connivere, eſt ſuo Principi autor: quo effato ſe vitiis inquinat & famam boni viri, cui præter virtutem & honeſtatem nihil eſt cordi, non tantum in diſcrimen vocat, ſed & penitus amittit. (2) licet reſpondeatur, quod hæc mala ac vitia conſiliarius non *probet*, ſed *toleret*, in promptu tamen eſt illud, *non eſſe facienda mala, ut eveniant bona.* His itaque quidam perſuaſi credunt, non poſſe per reip. naturam contingere, ut aliquis, conſiliarii officio fungens, nomen boni viri tueatur. Ad prius autem ut reſpondeamus; non inficiamur, alicujus notæ eſſe objectionem talem, quamvis non plane titulo viri boni exuere conſiliarium poſſit. Quemadmodum enim non eſt ille vocandus politicus, qui, in qua degit, civitatem, etiamſi minus rectam, ſtatim in meliorem redigere ſtudet; difficile eſt enim, imo cum lapſu reip. aliquando conjunctum, vel minimum in republica mutare, non dicam totam ejus naturam tollere & aliam quandam introducere, eſtque in civilibus omnis mutatio periculo obnoxia: Ita nec conſiliarius ſuum munus abſolvit, niſi connivere poſſit. Non eſt, ut plus dicam, in politico & conſiliario vitium, ad aperta etiam vitia connivere, ſi *ſalus publica* (*a*) & communis utilitas, ad quæ duo omnia ſunt dirigenda conſilia, exigant. Ejusmodi vero vitium aut crimen admitti a civibus, non tamen approbat, hoc enim ſi contingat, mortalium eſſet peſſimus, & (nam calcar quaſi videtur tum addi vitiorum aſſeclis, ut mala agant) ſed quia, niſi conniveat, interitus reip. proclivis eſt. Dolet quidem igitur animo ac iraſcitur, verum ne civitas ſua ultimo malo quodam afficiatur, tolerat; exiſtimans, *duri hominis eſſe, vel vix hominis videri, periculum capitis inferre multis.* Cic. 2. *off.* Hic præſtat civem malum ſervari, quam ut tot millia hominum pereant: & ſic ſe flectere ad mollius eſt viri dextri. Quid ni enim, ſi ex imminenti periculo elabi nequeas, an relucteris, an non potius neceſſitati cedas? *Danda*, inquit, Cic 2. *off. eſt opera, ut omnes intelligant, ſi ſalvi eſſe velint, in omni rep. neceſſitati eſſe parendum. Fruſtra quemadmodum eſt, qui carpit aliorum a pueritia imbibitos mores, & pridem inveteratam conſuetudinem vituperat: ac præterquam quod operam ludit, infenſum ſibi facit, quo benevolo uti poterat.* Caſ. c. 4. *Propol.* Sic qui aſſueti ſunt dominatui aut tyrannidi, nullo tanguntur deſiderio vivendi in ariſtocratia, quia jucunda ſunt ea, quibus aſſuefimus, imo *naturale*

(*a*) *Salus publica*) Huc ſpectat Taciti illud: *omne magnum exemplum habet aliquid ex iniquo.*

Digitized by Google

*naturale eſt id, cui aſſueti ſumus, & naturæ ſimile quiddam eſt conſuetudo.* Ariſt. 1. *Rhet. c.* 2. §. 4. Hunc itaque ſi velit ſuis conſiliis transformare ſtatum, idem erit atque operam ludere. Ex duobus hic malis, quod eſt minus, ſeligendum: idque interdum adeo usque eſt obſervandum, ut, niſi eligas, pecces. Neutiquam & bonus civis eſſe poteſt, ſi ſecus ageret; virtus enim civis boni eſt, præſentem ſtatum boni conſulere, quod ſine majori malo mutari nequeat. Deus ipſe humanæ naturæ parens, non ipſo ſtatim momento eum, qui criminis quid commiſit, punit. Etenim divinum illud Numen ad capiendas de ſceleratis pœnas non feſtinat, & tamen in eos animadvertit, plerumque quo ſerius, eo ſeverius. Cæſar egregie: *Conſueſſe*, inquit *l.* 1. *Bell. Gall. Deos immortales, quo gravius homines ex commutatione rerum doleant, quos pro ſcelere eorum ulciſci velint, his ſecundiores interdum res & diuturniorem impunitatem concedere.* Hactenus ergo conſtat, quod liceat conſiliario, ratione temporis (cui ſervire prudentiæ argumentum eſt) & ſtatus, ad vitia quædam connivere. Porro verum quidem eſt, quod non ſint facienda mala, ut eveniant bona, ſed quia conſiliarius ipſe tale crimen, quod forſan, habita ſtatus ratione, tolerat, non commune ſit, hoc etiam loco ſententia noſtra vim ſuam retinebit. Verum reperiri nonneminem inter eos, qui a ſecretis ſunt reipub. ac Principi, aſtutiæ & omnis nequitiæ genere inſtructum non negamus. At huic non competit titulus boni ac probi viri, utpote cum non ſecundum virtutis præcepta vitam inſtituat. Neque ille eſt proprie dicendus conſiliarius: quia quemadmodum Romæ duos iſtos rectores (quos loco regum populus ſibi conſtituerat) *conſules appellavit populus pro regibus, ut conſulere ſe civibus ſuis debere meminiſſent;* ita qui nobis dicuntur conſiliarii, hoc nomen ſortiuntur, ut & ipſis firmius in animo figatur, & aliis conſtet, illud eſſe conſiliarii, rebus humanis, quatenus ſunt dirigendæ civili regimine, recte conſiliis proſpicere. Quod in definitione poſuimus, conſiliarium eſſe bonum virum, ideo factum, ut qualis eſſe debeat, non autem qualis interdum ſit, pateat.

XIV.

*Licet non ſolum politico, ſed & conſiliario, ſi exigat ſuprema lex, ſalus nempe communis ac publica, ſimulare & diſſimulare.* (a)

Nonnulli, neſcio quo aut animo aut affectu, quia eſt conſiliarii veritatem aliquando celare, inde ſibi perſuaſum habent, non eſſe eundem bonum virum. Idque affirmantes, quod S. *Auguſt.* ſol ille chriſtianæ reip. ac Theologorum princeps edixit: *Homo debet loqui, quod animo gerit, omnis autem, qui mentitur contra id, quod animo ſentit, loquitur. Et utique verba ſunt propterea inſtituta, non per qua ſe invicem homines fallant, ſed per quæ in alterius notitiam cogitationes ſuas proferant. Verbis igitur uti ad fallaciam, non ad quod inſtituta ſunt, peccatum eſt.* Reſpondemus, non eſſe ſemper nec omni loco peccatum, veritatem ſi aliquando celes. Ipſe *eccleſiaſticus* præceptum tale profert *c.* 8. §. 22. *non omni cor tuum manifeſtes.* Deus omnium humanarum actionum rectiſſima norma quam magnam decretorum ſuorum celat partem. Etenim, id in Bibliis, quæ vitæ & pietatis chriſtianæ ſunt oracula, claris verbis exſtat. Ita tempus, quo futurum ultimum judicium, non hominum tantum notitiam, ſed & cœleſtes genios, ſacræ divinæ majeſtatis ſatellites, latere volunt. Inditus eſt ideo natura nobis ſermo, quo animi characteres ac ſenſus exprimere poſſimus juxta *Ariſtotelem* Philoſophorum principem, *ſermo* inquit, *c.* 2. *Pol.* 2. *ad ſignificandum utile & inutile eſt*: verum rebus in iis, quæ ſi fiant palam, neque nobis, neque reip. obeſſe poſſunt. Prudentis eſt enim ſibi non ſolum, ſed & aliis conſulere, ut ipſe enim ſibi noceat, naturæ primævis inſtitutis contrariatur. Hoc autem ſæpius contingit, ut neque tibi, neque reip. civibus, aut recte præeſſe aut prodeſſe poſſis, niſi veritatem celes. Conſenſus omnium propemodum gentium idem hactenus probavit. *Curtius* elegans ſcriptor rerum, ab Alexandro M. geſtarum, idem hoc perſpexit, dicens *lib.* 4. *Res magnæ ſuſtineri non poſſunt ab eo, cui tacere grave* (b) *eſt.* Nullus ergo temere negabit, ſilentium optimum & tutiſſimum adminiſtrandarum rerum eſſe vinculum. Porro incurritur vitium, ſi conſilia non habeantur ſecreta. Obligatur ſane conſiliarius ſuæ reip. curam agere & arcana reip. minime propalare naturali & civili jure: hoc eſt, ut loquamur cum JCtis, conſiliario & naturalis & civilis incumbit obligatio, ut ſuam tueatur remp. Civili autem jure tenetur, quia juramento ſe tanquam certo vinculo reip. alligavit. An vero iis, quæ teſte deo promiſiſti, non ſtabis? Naturalis obligatio demonſtratur, quia juxta Philoſophi ſententiam, homo eſt animal ſocietatem amans: Hinc tale argum. Si homo eſt animal ſociale, neceſſe eſt, ut omne id, quod ſocietatem perdit, omni ſtudio fugiat. Atqui conſiliarius eſt homo & animal amplectens ſocietatem E. debet propalationem arcanorum omnium fugere. Sane ſi omnia reip. negotia, conſilia & arcana in medium velis proferre, quæ inde oriantur peſtes, quæve mala? Recte politici monent, in omni civilis vitæ genere caute eſſe agendum, adeo, ut ita inſtituantur conſilia, quo poſſint finem obtinere, quem ſpectabant. Sæpiſſime, imo perpetuo, ut nunc ſunt hominum mores, conſilia ſecunda eſſe nequeunt, niſi ſint occulta. Apponamus exemplum, quo clarior res exiſtat: Eſt reſp quædam, quæ propter mutua commercia alterius reip. amicitiam ſibi devincire & fœdus inire vult, certe tu, niſi hoc arcanis conſiliis agas, tumque illum animum celes, h. e. conſilia nemini, niſi cui toto poſſis fidere, communices, vix ac vix erit, ut feliciter fœdus pangere poſſis. Concludamus ergo cum *Arniſæo l.* 1. *Pol. c.* 10. *magnum reip. eſſe munimentum, conſilia haberi ſecreta*

XV.

*Conſiliarius ut & Politicus, etiamſi ipſis non ſemper vera proloqui liceat, non tamen mentiuntur.* (c)

Supra palam fecimus, licitum nempe eſſe conſiliario ſententiam diſſimulare atque occultare:

(a) *Simulare & diſſimulare*) GROTIUS *de J. B. & P. lib. III. c. I. §. VII. VIII.*

(b) *Tacere grave*) Cum tot inter reſp. vigeant odia, æmulationes & diſcordiæ; una alterius rationibus adverſatur, eisq; obicem ponere ſtudet, ut itaque adverſarii aut æmuli voti non poſſint fieri compotes, conſilia oportet curatiſſime tegi, & ſimulatione diſſimulationeque involvi.

(c) *Mentiuntur*) GROT. *de J. B. & P. lib.* 3. *c.* 1. §. 9. *ſeqq.*

Digitized by Google

tare: nunc inveſtigandum, utrum eo modo mendacium commiſerit. Nos negamus. Mendacium enim eſt, ut recte notat Clariſſ. *Horneius l. 3. moral. Philoſoph. c. 10. n. 2. falſa ſignificatio vocum cum intentione fallendi.* Prius committunt, qui officio conſiliarii funguntur; Poſterius autem eo ipſo non committunt. Ut vero clarior ſit mens noſtra, accipe ita: poteſt quis aliter loqui, quam ſentit, non tamen id fit intentione mali cujusdam, aut ut loquitur d. l. author, cum intentione fallendi. Si enim nullam remp. cujus ea ſit etiam generis, tueri poteſt politicus, niſi interdum dolo aut calliditate honeſta admiſſa; ſequitur, quod liceat conſiliario animi ſui ſenſa arcana dolo quodam honeſto moderari. Eſt autem calliditas illa laudabilis, imo honeſta: non enim in animo eſt conſiliario, ut ſuo commodo cum alterius noxa, ſed quod reipubl. aliter conſuli nequeat idque ſine alterius injuria, conſulat. Eoque qui decipitur, non poteſt merito indignari, cum fiat populo conſentiente. *Si* enim *ſciret, quid exinde ſibi emergeret commodi, mallet ſic decipi, quam non deceptus longe graviora mala perpeti*, ut egregie Dn. Præſes alibi demonſtravit.

XVI. *Primaria in conſiliario virtus eſt prudentia civilis, qua inſtructum eum eſſe oportet.*

In definitione tanquam requiſitum in conſiliario maximum poſuimus, ut *ſit virtute politices exacte præditus*: Hæc nunc, quod hujus ſint loci, altius repetenda veniunt: magis cum nihil rerum intelligentiam obſcuret, quam vocabulorum varia ſignificatio. *Mirum autem quam hæc appellatio multis & variis olim tributa fuerit, atque etiam hodie tribuatur.* Caſel. *propol. c.* 1. nobis incumbit ad oculum prius commonſtrare æquivocationem. Vox *Politices* idem quid denotat ac vox prudentiæ civilis, quare politicus eſt ille, qui politica ſeu civili prudentia eſt inſignis. Verum ex ambiguitate vocis *politices* fit, ut etiam non unius ſit generis vox politici. Frequente loquendi modo notat hominem quemvis ſecularem; quo ſenſu omnibus, excluſis ordinis eccleſiaſtici viris, nomen politici tribuitur. Hoc qui aſſerunt errare palam & primo intuitu innoteſcit. Non [ut paucis rem abſolvamus] quilibet ſecularis & ſolus notitiam vel inſtituendæ, vel corrigendæ, vel regendæ civitatis habet. Alii eum volunt politicum, qui politicorum præceptorum cognitione eſt affectus. Sed neque hanc abſolute aſſertionem admittimus, alias omnes ſtudioſos ſcientiæ politicæ recte vocaveris politicos, quod tamen falſum eſt. Sicuti ergo infantes non incedunt erecti, non numerant, non loquuntur actu, potentiam tamen habent, ut poſſint tempore procedente incedere erecti, loqui, numerare &c. Ita illi, qui præcepta civilis ſcientiæ tenent, etiamſi jam actu propter defectum forſan ſubjecti aut alterius cujusdam, præcepta, quæ imbiberunt animo, in rem non conferant, ſunt tamen magis idonei potentia quadam, ut ceteri inexperti, reip. habenis felicius gerendis. Tandem non inficiandum putamus, eos eſſe dicendos politicos ſcientes: uti enim datur ſcientia politica, ita & ſciens Politicus eſt quidam. Apud vulgum denique, qui comiter, amice & decore cum hominibus agere poteſt, omniumque, cum quibus eſt, animos quadam morum gratia conciliat, politici nomine venditur. Atqui eligantius in vita, inceſſu, moribus & geſtu ſe gerit, non verum politicum agere, argumento eſt finis diverſitas. Ille, ut omnibus placeat & nemini ſit moleſtus, pro ſcopo habet; hujus vero inſtitutum eſt civitatem prius conſtituere, quam dein conſtitutam bene regit, id eſt, navat operam, ut agant civilem eamque felicem vitam; Debet ſe interdum cavere reſp. ab hujusmodi homine aſſentatore, ne quid rerum moliatur, cum affabilitate ſua vulgus in id, quod vult, conſentire facit, & inſuavitate ac verborum blanditiis ſæpe inſidiæ deliteſcunt. Hoc largimur, eleganti morum cultura hominem ad res gerendas aptiorem eſſe eo, qui plane incultis & corruptis eſt moribus. Urbanitas, ut fecimus manifeſtum, ergo cumprimis politicum decet & ornat, & *morum venuſtate non ſolum favor populi, ſed & regum benevolentia conciliatur.* Eapropter, quemadmodum hic vitæ cultiori non eſt ineptus, ita non abſque injuria laude ſua afficiendus & *Politicus* vocandus. Porro multis placet, eum eſſe politicum, qui omni nequitiæ genere ac fraudulentia id præſtat. Hoc adeo eſt moribus hujus ſeculi receptum, ut ſi quid fraudis commiſerit quis, parvi pendeat, dicens, de ejusmodi facto perpetrando non curare & ſollicitum eſſe politicum. Quin imo iſti dicunt, numinis & honeſti omnis contemptorem eſſe politicum, *qua acceptione Politicus eſt atheus & politica eſt peritia pro utilitate reip. Deum religionemque omnem aſpernandi.* v. *lib. de civil. prudent. Cl. Præſid. c. 2.* Multum (ut molliter dicam) a vero abit, illa opinio. Potius politici hoc navant operæ, ut optime ſeſe habeat religio, abſque quo vinculo vel ad breve tempus ſibi nusquam conſtitit civitas. Eſt ea coagulum ſocietatis & ad magnas reip. utilitates in civitatibus retinetur. Nec vero ſoli hodierni politici, quibus ex divinæ revelatione lucis ac notitiæ de Dei recto cultu acceſſit, ſolum eam in ſententiam iverunt, *nihil ſc. eſſe tetrius, immanius, magisque contra naturam, quam funditus omnem vim divinam tollere, & Deum nihil eſſe præter nomen exiſtimare.* Eſſe ſane religioſum, habet ſuam & in civilibus vim magnam: *nam & metuunt minus, ne quid injuſti accipiant a talibus, ſi eum, qui præeſt, religioſum eſſe deosque curare exiſtiment. & minus inſidiantur, ut deos habenti ſocios* juxta Ariſtot. *6. Pol. c.* 11. Xenophon. *lib. de dictis & factis Socrat. Hinc apud omnes gentes prima illa lex, ut Deum veneremur.* An vero conſentaneum putas, numinis & omnis divinæ vis contemptorem eſſe politicum, cum tamen omnes gentes natura, Deum eſſe, norunt? Verum hæc perſequi latius, alterius eſt loci. Ut quis tandem ſit politicus, innoteſcere poſſit, ne liber nobis integer naſcatur, res paucis abſolvenda eſt. Is verus dicitur politicus, qui eſt idoneus atque aptus cujusvis generis civitati adminiſtrandæ, & *reip. res gerit in hoc totus, ut bene mereatur de patria & de civibus, privati quoque emolumenti in publici procuratione negligens.* Caſel. *propol. c. IV. in fin.* Non ſufficit, ut illi, qui politici laude ac vero nomine gaudere nituntur, notitiam optimæ tantum reip. habeant; ſed requiritur, ut omnes invicem formas ad unguem perſpectas habeant. Neque enim medici eſt, optimam tantum valetudinem noſcere, & qua ratione eadem ſit conſervanda: ſed præterea id ipſi incumbit ſtudii, ut mediocrem, vel etiam tenuem ſanitatem cordi habeat (neque enim omnibus optima valetudo com-



Digitized by Google

petit.)Ita etiam hoc eſſe debet politici munus,ut non tantum quam optimam ſibi commendatam reip. habeat ſpeciem, ſed & alias pro ratione temporis, loci & gentium:quaque via eædem conſervari poſſint. Debet præterea omnis generis adminiſtrandi modos exacte tenere ; nulla enim resp. fixum pedem ac immobilem ſedem figit, verum, ut res omnes humanæ incertæ propemodum, huc illuc ſe vertit: *ſtare omnes* ergo *debemus, tanquam in orbe aliquo reip. qui quoniam verſatur, eam diligere partem, ad quam nos illius utilitas ſalusque converterit.* Cic.

XVII. *Varii ſunt generis conſiliarii: neq; certus numerus eorum hic a nobis conſtitui poſſe, veriſimile eſt.*

Ut magiſtratuum propter magnitudinem expediendorum in rep. negotiorum non poteſt certus conſtitui numerus: eodem modo ſe res de conſiliario habet. Quatenus igitur diverſa ſunt rerump. ſpecimina, eatenus variæ ſunt officialium conſtitutiones, eſtque conſiliariorum numerus reſpectu reip. inſtituendus.

XIIX. *Quod nimis ac magnus conſiliariorum numerus publicis negotiis recte dirigendis conducat, non eſt exiſtimandum.*

Ad numerum quod ſpectat, affirmatu facile eſt, non eſſe tutum, hujusmodi provinciæ copia ut multis detur. Nunquam enim majus civitati imminere poteſt malum, quam ſi temere habeantur, & omnibus manifeſta ſint conſilia. Quid certius vero (ut noſtri ſunt hodie mores!) quam quod conſilia & ipſa gerendæ rei arcana inter multos cuſtodiri nequeant ? Pauciſſimos quoque tanto honore dignos, & tanti negotii capaces reperieris. Experientia enim & uſus, qui non omnibus competit, maximi in munere hoc recte gerendo ſunt momenti. Quia ergo tot poſſunt eſſe conſiliariorum differentiæ, quot ſunt negotiorum expediendorum genera, de ſingulis agere hoc loco non poſſibile eſt, ſed vires noſtras excedit. Verum, ne omnes ignoraſſe videamur, rudiori Minerva quædam hujus argumenti in medium adferre animus eſt. Si enim omnia infinita, & incognita relinquantur, nulla hujus eſſe poſſit cupido. Itaque naturæ ductu ſatius erit, quædam ignorare, quam de omnibus plane nihil certi habere.

XIX. *Primo dividemus conſiliarios* (*a*) *in duas claſſes, ordinarios nempe & extraordinarios.*

Ordinarii ſunt, quorum conſiliis majeſtas civilis in bene regenda rep. ſua ſemper, aut ſaltem ſæpius, uti ſolet. Extraordinarii ſunto, quorum conſilia non ſemper flagitat resp. ſed tantum aliquando, atque ex occaſione.

XX. *Duplicis generis hi conſiliarii, aut politici, aut eccleſiaſtici ordinis ſunt.*

Omnia, quæ efficienda eveniunt negotia, vel *ad ſacra*, (*b*) vel ad civilia referuntur. Ex his ita expoſitis, facile quomodo diſcrepent apparet. Conveniunt ſcilicet in uno quodam genere, ſcil ſalute publica, ſed ſpecie, ut loquuntur ſcholaſtici, differunt. Politicus ergo conſiliarius maxime in id intendit, conſilia ſua ut pro voto omnia, quæ accidunt in rep. civilia, dirigantur : Eccleſiaſticus vero curat cultum divinum & ſacrorum ritum, ne aliquid damni religio faciat.

XXI. *Duplex cum reip. tempus politico conſiliario, circa quod verſari neceſſe eſt, obſervandum ſit, duplex itidem hinc inde ordo reſurgit. Vel enim præcipue in pacis, vel in belli negotiis curandis conſiliarii occupantur.*

Duplex quaſi reip. tempus conſiliariis curandum, *ut utrumq; & bellorum & pacis recte poſſit gubernari. Inſt. Imp. procem.* Accidit inde, ut alii ſolum ac primario omnes ſui conſilii vires in rep. tranquille conſervanda intendant: alii autem, quod ſæpe pax non ſervari poſſit, niſi belli motu, (eſt enim nonnunquam bellum miſera pace tolerabilius) conſulunt, quo felicius bellum geratur, quod eſt ſuſceptum, & hos dicimus lingua vernacula *Krieges-Rähte*. Hi ſunt ab iis, quorum fertur ſtudium in pacato reip. ſtatu adminiſtrando, plane diſtincti. Quod a rerump. rectoribus recte fieri cenſemus. *Sic enim ſtatuamus, ut inſtrumentorum quodq; uni certæ rei deſtinatum & ipſum perfectius eſt, & perfectius efficit, quod volumus, quam ſi illud idem aliis atq; aliis accommodetur ; ita quemq; noſtrum, qui uni negotio vel arti totus incumbat, officium & rectius facere, & felicius.* Caſel. *propol. c.* 6. Prioris ordinis conſiliariis, qui in pace retinenda occupantur, incumbit videre, ut quilibet ſuo recte officio fungatur. Alii horum dicuntur *Hoff-Rähte, Kammer-Rähte, Cancelley-Rähte* &c. de quibus nos non diſtincte, ſed in genere dicturi. Neceſſe vero eſt, ſi pax ſervari debeat, quilibet ut ſuo officio recte fungatur. Officio vero funguntur, ſi cives ſecundum virtutem, quam hoc loco politicam eſſe volumus, agant vitam, quæ virtus uno nomine politices dicitur, præſentem reip. orbem boni conſulere, & id ſpectare, quod ex reip. uſu & emolumento eſſe queat.

XXII. *Qui præficiuntur adminiſtrandæ rei militari, illis convenit, patriæ & ſuæ reip. rationem eatenus habere, quatenus Martis beneficio ſalus & incolumitas publica obtineri poteſt.*

Tale eſt reip. fatum, ut ex leviſſimis rerum cauſſis magna & atrocia bella originem trahant. Quod cum proh dolor! non vero accidat, inter alia opus habet majeſtas quodam militari præſidio. Hinc Tacitus 15. *Annal. non ignavia magna imperia contineri, ſed virorum armorumque faciendum certamen, aſſerit.* Fatemur tamen cum Lipſ. *lib.* 4. *Pol. c.* 9. optabilius eſſe *magnitudinem ſuam juſtitia tueri. Tacit. de morib. Germ.* Munus eſſe debet primarii conſiliarii bellici igitur, cavere, ne majeſtas deſtituatur omni militum vi, utpote quum milites reip. ſint neceſſarii ejus munimentum. Danda porro eſt opera, ne cives fugiat uſus ſeu exercitium armorum. Hoc inquam probe obſervandum. Nam conſcribere militem ex diverſis terrarum tractibus, non ſemper ex re eſſe, quilibet videt. Et cives originarios pro ſalute magis reip. ſeſe ſiſtere cuivis mortis generi, præſumitur. Cum qui conducti pretio, nulla interdum habita honeſti cura, lucrandi gratia, Mar-

(*a*) *Conſiliarios*) Non eædem in omnibus aulis conſiliariorum ſunt differentiæ & claſſes.

(*b*) *Ad ſacra*) Cum jus ſummum circa ſacra ex poſtliminio quaſi ſuperioritati civili in territoriis Principum, puriorem religionem ſequentium, reſtitutum ſit, ſunt, qui mirantur, a nonnullis ſacerdotes hic in curarum partem vocari, qui non niſi animarum ſaluti operari deberent. Ineptias dicunt, quæ de cauſis mixti fori proferuntur, judicia eſſe ſeculi ajunt, & eo ipſo, quod clero in perſonalibus & bonis eccleſiaſticis peculiare tribuimus forum, aliquas ſaltem adhuc & in hoc capite romanæ religionis, quæ clerum a juriſdictione civili eximit, ſupereſſe reliquias.

Digitized by Google

Martis ſigna ſequantur: Cives vero & vita & aliis fortunæ bonis remp. ſibi obligarunt. Quorum etiam cives domi uxores & liberos quod relinquant, quis vel uno hoc argumento non videat, fortiori ac fideliori animo prælium & omne pro reip. incolumitate bellum ipſos inire? Neque tantos ſumptus facere neceſſe habet reſp. ſi cives adeant pro republ. bellum, immenſæ enim opes ſunt conſumendæ in conſcribendo exercitu peregrino. Is denique hujus temporis mos eſt, ut a peregrino milite multum depopulationis, devaſtationis & neſcio quid non mali reſpublica ſentiat; Cives vero modo aliqua religionis parte ſit imbutus, ſuæ reip. pro præſtita hactenus incolumitate beneficia conferre potius parat, neque tali & rapido prorſus impetu in deſtructiones agrorum aut incendia ædium abripitur. Conſtat ergo *rempubl. non tantum religione & juſtitia, ſed armis quoque & militari diſciplina munitam atque ornatam eſſe debere.* vid. *obſerv. pol. Joh. Iſaac Pont. in Fl. c.* 3.

XXIII. *Quibus de religione recte conſervanda competit conſilia proferre, eorum ſit officium, de ſacris faciendis pie & recte ſentire, & quatenus religionis beneficio ſalus reip. publ. conciliari poſſit.*

Pergimus ad conſiliarios, quos ob religionis & ſacrorum ſtudium juxta ac curam, diximus eſſe eccleſiaſticos. Horum neque negligens in rep. eſſe debet cura. *Ut* enim, *qui domum moliuntur a fundamentis: ſic nos, qui remp. a fulcro & velut baſi ejus, religione oriri debemus. Sine ea non princeps officium, non ſubditi facient: ſine ea ſocietas non erit, quia non fides, non juſtitia, non virtus, ſed fraus, licentia, protervitas & uno verbo confuſio hominum ac rerum. Quod franum erit peccaturis? quis metus ſatis validus? nam externum illum, qui a pœnis aut morte eſt, multi contemnunt: & deſperatio, impetus aut iracundia eo ducunt. Eſto igitur vinculum & firmamentum reip. religio.* Juſt. Lipſius *monit Pol. c.* 1. *Neque* juxta Caſelium hujus Juliæ quondam clariſſimum Profeſſorem *c. 3. propol. ſolum de cultu numinis eſt agendum, quia nulla abſque religione conſtitui conſervarique poteſt ſocietas, ſed multo magis, quod hanc æternam legem & reginam & matrem & moderatricem & interpretem cæterarum omnium violari omnium minime oportet. Inſcripta enim eſt, imo inſculpta omnium mentibus per omnes gentes univerſi orbis, eſſe Deum, ſtatutumque, ut eundem omni animi metu veneremur.* Qui hujusmodi religionis ergo reſpectum habere tenentur, iis eſſe debet munus, videre (ut compendio dicamus, neque enim omnia hoc loco ſunt exponenda) ut vere, pie & ſancte colatur Deus, neve ritus ſacra faciendi ſuſpecta quadam apud ſubditos negligentia vileſcat, & ut cives hujus, divinæ ac cœleſtis penitus philoſophiæ præceptis ſalutaribus muniantur. *O melior mundi pars EVROPA, quas diſſidiorum faces religio tibi accendit! colliduntur inter ſe Chriſtiana reip. capita & milleni aliquot homines perierunt ac pereunt per ſpeciem pietatis!* Lipſ. *l. 4. Pol. c.* 3. Aſt cum nunquam verecundius ſit loquendum, quam cum de Deo agitur, de quo etiam vera dicere periculi plenum eſt, alia, ſpeciatim huc ſpectantia, ſilentii ſacro ſunt involvenda. Tribus tamen modis rectus de religione & ſacris ſenſus apud ſubditos eſſe poteſt. I. bona & religioſa prorſus educatione, ut ſtatim a primis vitæ annis quilibet Deum rite colere, venerari & de ejus numine ſentire pie aſſuefiat. II. recta de cultu divino adultiorum inſtitutione ac ſaniori doctrina. Pueris enim facile eſt perſuadere, ut ſe devinciant Deo ac religionis ſacro, ſiquidem parvi momenti eſſe putant, de religione quid ſentire; neque adeo veri rationem habent, ut ſecum ea de cauſſa meditarentur. Adultiores vero, quia ætatis profectu ratio ipſa in ipſis robuſtior fit, aliter comparare ſe debent, ut ſaniora ſcil. præcepta animo infigant, & rationibus a præceptoribus informentur. Non requirunt anxias illas nonnullas de Deo ejusque attributis quæſtiones politici; ſed in religione ſcopus eſſe convenit politico, ut religionis metu cives abſtineant injuriam cuiquam inferre & remp. turbis irritare. III. leges inſtitui oportet, quibus præmia religionis cultoribus ſtrenuis, pœna & ſupplicia, qui non ſecundum *naturalis theologiæ præſcripta* (a) Deum colunt, proponuntur. Hi etiam conſiliarii, tanquam peculiari quadam civili prudentia inſtructi navent omnem operam, ne conciones ad populum habeant, qui more duro cum auditoribus agunt, ſed perſuadendo ac monendo (lenis enim oratio eſt optimus docendi magiſter) vera religionis elementa feliciter imprimant. Videant porro, ne hi, quos vulgo dicimus paſtores, præſenti reip. formæ ſint infenſi, utpote cum poſſint plebem in majeſtatem & imperantes concitare.

XXIV. *Conſiliarius recte conſideratur, qualis ante conſilium, qualis poſt, & qualis in ipſo conſilio eſſe debeat.*

Ut rectiore ordine cetera ſubjiciamus, quo boni conſiliarii indoles & ejus quale eſſe debeat officium innoteſcat, haud rectius fieri videtur, quam ſi hæc tria probe examinemus, quod infra pluribus demonſtrabitur. Reliquum nunc eſt, initium facere de primo, qualis ſcilicet ante conſilium eſſe debeat.

XXV. *Maximum eſt omnium, ut id, de quo reſp. illum conſulere vult, probe intelligat.*

Prius debet intelligere id, de quo conſulitur. Etenim fruſtra in deliberationem voco, qui ipſemet propter ignorantiam & ingenii hebitudinem nihil conſilii ſuggerere poteſt. Quadrat huc illud Pyrrhi: *Ne mihi de militia judicet, cujus aures clangor non circumſonuit.* Res etiam publicæ quia quovis temporis puncto vario eventu volvuntur, neceſſe ipſi eſt, ut regendæ civilis ſocietatis prudentia polleat. Ipſi enim laborandum eſt, ut ſua prudente induſtria Principem (ſi natura dotem quandam ipſi denegarit) ſublevet: nam alias facile eſt, ut majeſtas amittat authoritatem. Dein tecum cogita quæſo, quantæ eſt prudentiæ varia illa, quæ in civilibus accidunt, recte dirigi, ne ſalus publica jacturam quandam faciat. Hinc Deus ipſe Deut. I. v. 13. expreſſis dixit verbis: *Colligite mihi viros, ſapientia & prudentia illuſtres.* Eapropter hoc eſt in conſiliario primum, ut optima regendæ reip. navis arte ac prudentia imbutus ſit. Si ea præſto ipſi eſt, dux & magiſtra omnium rectarum actionum & conſiliorum ſalutarium ſimul adſunt. Prudentia etenim omnibus moderatur, & inter ſe omnes continet. Secundo, quod minime negligenter habendum, monemus, ne

(a) *Naturalis theologiæ præſcripta*) GROTIUS *de J. B. & P. lib. II. c. XX. §.* 47. 48.



Digitized by Google

ne malis ac pravis ſit opinionibus corruptus. Eædem enim graves ſunt animorum peſtes, quæ diverſis modis animum angunt, adeo, ut incerti hæreant, quid ſit conſilii proferendum: neque contra id, quod animo erroneo ſentiunt, loquuntur: neque aperta fronte, etiamſi diſſentiant ſatis audacter, aliorum ſententiis contradicunt; quoniam poſterius hoc odium conciliat, & animos maximorum alienat. Sapienter hac de re Joh. Caſelius, vir ſolide doctus, & mirandæ dicendi felicitatis hæc memoriæ prodidit *c. 8. propol. Ex perverſis opinionibus proveniunt perverſa & perplexa conſilia, facta item improba & nefaria: videre autem veras ſententias & falſas opiniones, noſſe item id diſcriminis, quam illæ pulchræ ac amabiles ſint, hæ vero quam fœdæ & deteſtabiles: deniq; illas amplecti, has averſari toto animo, non parvum eſſe operæ pretium in conſiliario exiſtimabimus.*

XXVI. *Solida hujus & ad adminiſtrandam remp. perapta prudentia, comparandæ multum conducunt Hiſtoria & experientia rerum.*

Multi in eum prolapſi ſunt errorem, ac ſi Hiſtoria & experientia totum politicæ prudentiæ ambitum abſolvant. Nos diſſentimus iis adducti argumentis, quæ proſtant lib. de civili prudentia *excellentiſſ. Dn. Præſidis c. 7.* quamvis nemo ſanæ mentis inficiari poſſit, plurimum ad comparandam civilem prudentiam hiſtoria & experientia conferri. Eſt ergo omnino hiſtoria idoneum politico ac conſiliario inſtrumentum, unde magna agendarum rerum, actionum, vitæque totius ad ſalutem inter pericula dirigendæ præcepta peti poſſunt. *Sicut* (liceat Lipſii maximi ſane in foro literario nominis viri in medium proferre teſtimonium, *c. 1. monit. Pol. non* enim *proprio judicio nobis ſtandum eſſe remur,*) *qui gubernandi parum peritus eſt, ubi plures naves, curſum temperat, & ſine magna arte ſua portum cum prioribus petit & tenet. Vidiſtine etiam, qui ad ſpeculum ſe comunt, faciem & cultum recte diſponere? Prorſus hic eſt idem: aliena vita & facta ſpeculum ſunt & imago, in qua te videas & ad eam decore componas. Quod magis fit, ubi varia & multiplex lectio exempla varia & multa ſuppeditat, ut eligere ſit ad rem talem aut talem appoſitum aliquid ſemper adplicare.* Confer. Caſel. *c. 9. de magiſt. dicendi.* Hinc graviſſime Polybius dixit: Hiſtoriæ *cognitionem eſſe veriſſimam inſtitutionem & præparationem ad actiones politicas, & illuſtrem magiſtram ad præferendas fortunæ vices. vid. Chron. Chraion. l. 1. init.* Rerum vero experientiam confert ætas: neque tutum eſt conſiliario hac eſſe deſtitutum, quod uniuscujusque reip. ſinguli mores leges ac jura ſint, quæ penitus omnia perſpicere, aut memoriæ rerum cuſtodi tradere, non unam ætatis partem, ſed totum hominem requirunt. Nemo vero bonæ frugis conſilium ſuppeditat omni omnino experientia ſtitutus. Ut medicus, ita conſiliarius dare conſilia ſane non poteſt, niſi ejus cui conſultum vult, temperamentum prius cognoſcat; atque adeo quanto melius cognoſcit, tanto magis ſalutaria dat conſilia. Juvenem eapropter ab hoc reip. officio repelli convenit: quia non eſt ejus ætatis, qua vel poſſit res gerendas feliciter ſuſcipere, vel experientiam ſimilium obvenientium habere, ut inde quaſi edoctus conſilii aliquid ſuggerat. Eſt ergo hoc juris naturalis, eos, qui judicio nos ſuperant, audire. Verum non eſſe tanti habendum, cujus quis ſit ætatis, ſed quantum in prudentia progreſſus (*neq; enim ætate, ſed ingenio adipiſcitur ſapientia* Plaut.) quis forſan objiciat? Sed id in aliis officiis procedat: cum magna autem in conſiliario debeat eſſe authoritas, ætatis habenda hercle eſt ratio, quia ætas eam conciliat. Et vero conſiliarius obtinet id authoritate, quod poteſtate non poteſt. Hoc modo in primis ſui imperii ſtabiliendis fundamentis Rex Romanorum primus, omnibus egregii Principis artibus ornatiſſimus, *Romulus* rectius ordinavit, *ut conſilium penes ſenes eſſet, qui ex auctoritate patres, ob ætatem ſenatus vocabantur.* Flor. *l.* 1. *c.* 1. Virilis ergo ætas conſiliario competit: & quo ſumus ſeniores, eo plus plerumque nobis & experientiæ & uſus quaſi adnaſci, non eſt negandum. *Ubi* enim *robuſtis adolevit viribus ætas, conſilium quoq; majus, & auctior eſt animi vis.* Lucret.

XXVII. *Non omnis polite (a) dicendi artis ſit ignarus, qui officio hoc fungi vult.*

Omni modo eſt curandum, ut conſiliarius omnia, quæ proponere reip. in animum induxit, ornatiſſimæ ac lectiſſimæ orationis flore conveſtiat. Hinc eſt neceſſarium, ut antequam tali munere fungatur, dicendi quadam eleganti facultate ſit præditus. *Ut* enim *elinguem ſapientem facile contemnamus, qui cum cæteris mortalibus de ſuis bonis nihil communicaturus videatur, ſic gubernatorem* (hoc nomine liceat inſignire conſiliarium) *civitatis infantem eſſe, aut dicendo parum valere non oportet, cui quotidie, ſive in concione, ſive inter paucos, de maximis rebus verba facienda ſunt.* Eloquentia profecto eſt illa virtus, quæ flectit audientium animos, eosque pulchritudinis ſuæ ſplendore obſtupefactos quibusdam velut habenis numeroſæ orationis nunquam non regit.

XXIIX. *Non ſit alieno in remp. cui ex ſecretis eſt, affectu.*

Maximi intereſt, ut intimo amore remp. diligat. Si enim tu remp, odio habeas, quomodo tum ipſi conſilii aliquid quo ſtatus ejus reddatur melior, ſuggeras? contra omnem affectum prorſus exuere, vix humanum eſt. Attamen rationes peculiares ſuadent, ut conſiliarius ſit patriæ ſeu reip. ſuæ amans. (1) Nihil eſt inhumanius, quam ſocietatem, cui nos natura ipſi addixit, non boni conſulere, ſed turbare. Recte hinc effatur inſignis prudentiæ magiſter Cic. 1. *offic. Cum omnia ratione animoq; luſtraveris, omnium ſocietatum nulla gratior, quam ea, quæ cum rep. eſt unicuiq; noſtrum communitas. Cari ſunt parentes, cari liberi, propinqui, familiares: ſed omnes omnium caritates patria una complexa eſt: pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, ſi ei ſit profuturus? Quo eſt deteſtabilior illorum immanitas, qui lacerarunt omni ſcelere patriam & in ea funditus delenda occupati ſunt & fuerunt.*

(2) Cum

(*a*) *Polite*) Longe alia tamen in viro politico requiritur dicendi ars, quam quæ in ſcholis viget. Hæc ex troporum & figurarum farragine fucatum induit ornatum; illa naturali incedit pulchritudine, adventitii quid ex una aut altera metaphora commode intermixta aſſumens. Hæc verborum flumina, illa mentis vim eligit. Hæc multis enthymem. illa conciſis rationibus & brevitate eſt conſpicua. vid. BOECL. diſſ. *de eloquentia viri civilis.*

Digitized by Google

(2) Cum, *ut gubernatori curſus ſecundus*, dicit Plato 8. *de LL. medico ſalus, Imperatori victoria: ſic moderatori reip. beata civium vita propoſita eſſe debeat, ut opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honeſta ſit*, quis negabit & conſiliarium ita in remp. affectum eſſe debere? (3) neque res ulla vehementius remp. quam fides continet, fides autem ex amore proficiſcitur, ergo etiam conſiliarius, cui competit ratione & officii, & naturalis in ſocietatem inſtinctus, fidem præſtare ſocietati, in remp. ſuam intimo prorſus eſſe amore debet.

XXIX. *Sit, ut paucis rei ſummam complectamur, virtutibus, imo & humanitate politus.*

Virtus omnes mirifice afficit, & ſi videant virtutem commendari, imo in pretio eſſe primatibus reipublicæ, reliqui ardentiori ſtudio virtuti ac honeſtati ſe conſecrant. Sequax enim ad exemplum adminiſtratorum populi ingenium eſt. Et hinc virtutem conſiliario neceſſariam diximus. Non minus vero requirimus, ut ſit affabilis, & erga cunctos humanus. Præclare hoc Seneca ita effert: *Eſto ſermone affabilis, acceſſuque facilis, vultu, qui maxime populos demeretur, amabilis, æquis deſideriis propenſus, nec iniquis acerbus.* Et vero recte romanæ eloquentiæ princeps Tullius 2. *offic. difficile dictu eſt, quantopere conciliet animos hominum comitas affabilitasque ſermonis.* Quemadmodum igitur hæc virtus eſt conſiliario jungenda & amplectenda; ita ex adverſo (eſt enim contrariorum una eademque ſcientia) avaritiam & ſuperbiam vitet. Hæc alienat animos, offendit cives & conſiliarios, opprobrio & contemptui exponit. Illa vero eo nomine fugienda eſt, quod *caput ſit in omni procuratione negotii & muneris publici, ut avaritiæ pellatur etiam minima ſuſpicio.* Fortaſſis haud abs re fuerit, ſi quædam de corporis forma annectamus: nec enim ſolus animus poteſt omnia, ſed corporis quoque decus aliquod requiritur. Igitur eſto conſiliarius corporis elegante ſtructura. Natura ſane nos ducit, ut corpore ſpectabiles amore & venerando quodam cultu proſequamur, propterea, quod pulchritudo corporis reverendum quid & admiratione dignum continere videatur. Sane dignitas corporis apta compoſitione membrorum movet oculos hoc ipſo, quod omnes partes cum lepore inter ſe conſentiant. Imo magnorum operum alii capaces nequaquam vulgo videntur, niſi quos naturæ benignitas eximia ac liberali ſpecie donavit. Attamen cum hoc ſit ſolius corporis bonum, non profecto multum illi tribuendum eſt. Nec ſane nimis ſuo colori quis credat. Abſit etiam, ut, qui careat liberali & eleganti forma, ineptum conſiliis eſſe, aſſeveremus. Neque vero corporis pulchritudo virtutis nota ſemper certa eſt. Contingant utique reip. duo eligendi conſiliarii, quorum alterum natura & corporis & animi quadam majeſtate donavit, alterum autem, neglecta membrorum dignitate animi tantum divitiis locupletavit; illum, cujus divino ingenio corpus apte reſpondet, merito præferendum cenſemus. Omne ſiquidem bonum bono ſuperadditum præſtantius exiſtit. Atque talis ſit ante conſilium.

XXX. *In ipſo dando conſilio, cujus id etiam ſit generis, reſpicere ad ſalutem communem tenetur.*

Progrediamur dicturi. *Qualis eſſe debeat in ſuo officio h. e. conſilio.* In hoc cum politico convenit. Sicut enim hic id agit, ut ſalva maneat reſpubl. eadem ratione conſiliarius ſtudet publico emolumento ſuæ civitatis, quin imo ipſum id privatis fortunis anteponit. Quemadmodum Socrates apud Xenophontem ajebat: *non eos eſſe reges, nec magiſtratus, qui ſceptra gererent, nec qui eſſent a quibusque deſtinati, neque qui ſorte ducti, neque qui dominatum vi invaſiſſent, neque qui occupaſſent dolo, ſed ſcirent præeſſe reip.* Eodem modo non eſſe conſiliarios proprie dictos, qui etiamſi in numero conſiliariorum ſint, ſecus tamen agunt & ſuis rebus domeſticis potius ſtudent, quam iis, in quibus publica ſalus conſiſtit, fortaſſe recte putamus. Atque ut publica calamitas unumquemque punit & ferit, ita ſalus publica cuique ſaluti ſit. Hoc ergo eſt principium, hoc fundamentum, hæc forma, hæc anima, quod nunquam ex animo ejus dimittendum; ad ſalutem & bonum reip. reſpicere.

XXXI. *Non poteſt in dando conſilio ad ſalutem communem recte reſpicere, niſi ab omni pravo affectu ſit alienus.*

Ut in hortis excolendis, ita ſi in cultura animi conſiliarii nos geramus, multum puto proficiemus. Primum quod amputandum, eſt ut non affectu abripiatur. Hujus enim eſt vitium impetu animos hominum rapere, & ſic in diverſas trahere partes, ut vix recte de re propoſita ad deliberandum ſentire poſſint, niſi ſub jugum rationis eos mittant. Inde cum Seneca credimus, *quod aſſidue rem conſilio & cogitatione videre non ſinant: ſicut amantes de formis nihil judicare poſſunt, quod oculorum ſenſum amor premat.*

XXXII. *Etiamſi conſilia ex voto non ſuccedant, ipſe tamen artifex conſiliorum non ſtatim hinc imprudens eſt vocandus. Poteſt abſque vitio nonnunquam mutare & alia inire conſilia, quo tandem idem obtineat, quod antea volebat.*

Interdum (quod omni ætate civitatibus malo fato accidiſſe & etiamnum evenire ex hiſtoriæ monumentis eſt liquidum) plenam ſalutem conſiliarius tueri nequit, licet omni ſtudio ſit in id propenſus, non vero ideo eſt imprudens aut incautus dicendus. Et *gubernator, qui navim, quam regere ſumma tranquillitate parvi negotii fuerit, tempeſtuoſo mari e mediis fluctibus ſalvam cum ſalvis omnibus in portum, quem petebant, deduxerit, omnes ſui officii partes egregie ſummaque cum laude expleverit: nec minus tamen etiam, qui ſuam rebus adverſis omnibus vel ſemifractam ſalvis navigantibus, etiam in mare projectis mercibus e rebus deſperatis in quamcunque ſtationem, ubi ſe vitam ſervaſſe intelligant, appulerit* Caſel. *c. 7. propol.* Denique unum ſi conſilium finem non aſſequatur, licet per ambages, & quod non directe poterat indirecte, habita tamen politici honeſti ratione, propoſitum aſſequi. *Nunquam* enim, inquit Cic. *ad Lent. præſtantibus in rep. gubernanda viris laudata eſt in una ſententia permanſio: ſed ut in navigando tempeſtati obſequi artis eſt, etiamſi portum tenere non queas: cum vero id poſſis mutata velificatione aſſequi, ſtultum eſt, eum tenere cum periculo curſum, quem ceperis, potius quam eo*

*commutato, quo velis, tamen pervenire: ſic eum omnibus nobis in adminiſtranda rep. propoſitum eſſe debeat, id quod a me ſæpiſſime dictum eſt, cum dignitate otium, non idem ſemper dicere, ſed idem ſemper ſperare debemus.*

XXXIII. *Non temerarius conſiliarius in rebus gerendis eſſe debet, ideoque nec inconſtantis animi.*

Theſis hæc ſuperiori contraria forſan videtur. Nam ſuperius diximus eſſe laudis & magnæ virtutis pro ratione ſtatus conſilia flectere imo mutare: hoc loco autem affirmamus magnum videri vitium in conſiliario, eſſe inconſtantis animi. Initio fatemur *nihil eſſe, quod magis deceat, quam in omni re gerenda conſilioque capiendo ſervare conſtantiam* Cic. 1. *Off.* ſed ſi ſalus publica h. e. ratio ſtatus jubeat, ut mutes conſilium & aliud eligas, non id eſt inconſtantiæ. Quid enim conſtantius, quam ſalutem civitatis ſartam tectam tueri, quoad per fluctus liceat, aut ſi illud fata non ſinant, a patria imminens exitium magno animo conſiliique opibus avertere? Fieri ergo poteſt, ut ſi eo conſilio, quod antea meditatus, remp. ſervare nequeas, tibi neceſſe ſit, alia inire conſilia, quibus remp. tuearis. Neque omnis ejusmodi eſſe creditur ingenii, ut ſtatim id, quod deliberandum in ſenatu proponitur, penitus percipiat & attente ſatis rem agat: melius eſt ergo, ut priora conſilia deſeras, ſi poſteriora magis ſalvandæ reip. conducant. Et hoc caſu neceſſitas humanæ imbecillitatis magnum eſt patrocinium, usque adeo, ut ea excuſet id, quod alias, ſi admiſeris, magis inhoneſtum & injuſtum haberetur.

XXXIV. *Salus publica ut ſervetur a conſiliario, ad ſequentia quædam advertat. Horum primum eſſe poteſt recta circa leges cura.*

Reſpubl. legibus carens idem videtur ac homo rectæ rationis uſu deſtitutus. Et hoc ſic probamus: Reſpubl. definitur, *ordo civitatis, tum aliorum imperiorum, tum præcipue ſummæ poteſtatis, a quo profluit regimen per medios magiſtratus in univerſos ſubditos*: Arniſæus *c. 1. de republ. §. 14.* ordo vero hic an alio nomine vocandus, quam lex? Nonne ordo ille, quo qui in remp. conjurant, capitis damnantur eſt lex? Ergo certo certius, neceſſarias in rerump. formis leges eſſe. Lex definiri poteſt. *Regula actionum humanarum a majeſtate promulgata.* Per has majeſtas aperiat ſuam mentem ſubditis eosdemque in officio retineat. Cum vero & melius & tutius ſit, remp. adminiſtrari ſecundum leges optimas, quam ſecundum lubitum principis, (lex quippe affectu caret, princeps nequaquam,) conſiliarii inter ceteras curas ſtudium ſit modeſte monere regem, talem ut curet legem promulgari, qualem ratio ſtatus & præſens reip. facies deſiderant. Debet itaque eo, quo eſt in remp. animo attente videre, (1) quid publico conducat, quo intellecto, ſuadeat, ut ſecundum præſentem ſtatum hanc aut illam legem majeſtas ratam eſſe jubeat. (2) ne nimia legum copia obtrudatur civibus, utpote quæ ſit noxia, quia eas memoria retinere & homines facile nequeunt. Vita vero civilis cum ſecundum reip. ſtatuta ac leges ſit ſingulis dirigenda, leges utique eos fugere nullo modo debent. (3) His ita latis legibus, adhibeat quantum in ſe eſt operæ, ne leges aut ſæpe aut alias levi de cauſſa mutentur. Hoc enim ſi fiat, legiſlatoris authoritas vileſcit, ipſique ſubditi perſuadent ſibi, principem non ea eſſe prudentia, ut poſſit recte reip. curam agere, vel temporum aut perſonarum & locorum futuras circumſtantias perpendere. (4) omni negotio curet, ut legis verba ſint clara, & non adeo antiqua, peregrina, ambigue poſita & ab uſu vulgi remota, ut quid fieri jubeant & quid prohibeant ignoretur. Verba menti & æquitati reſpondeant: ita namque in leges non adeo cives impingere poſſunt, neque aliis interpretibus adeo iſti opus. Neque vero cives vere obſequi poſſunt legibus, cum ignorent, quid leges jubeant fieri, vel quid vetent. (5) Fidele illud monitum, quod ſui ævi inter doctos doctiſſimus & inter eloquentiæ magiſtros ſummus inculcabat, parvi pretii minime faciat: *Ejusmodi*, ajebat, *leges proponat princeps, quæ non ſolum pœnam denuncient ſontibus, verum etiam quæ perſuadeant non eſſe peccandum.* D. Eraſ. Roterod. *inſtitut. Chriſtian. p. m. 163.*

XXXV. *De importandis & exportandis curare conſiliario competit.*

Neceſſarium eſt in omni civitate aliquid vendi aliquid emi, quia non omnia, quibus reſp. indiget, domi naſcantur. *Deus hoc ipſe per naturam loquitur,* teſte Hugone Grotio *in tr. de mare libero c. 1. cum ea cuncta, quibus vita indiget, omnibus locis ſuppeditari a natura non vult: artibus etiam aliis alias gentes dat excellere. Quo iſta? niſi quod voluit mutua egeſtate & copia humanas foveri amicitias, ne ſinguli ſe putantes ſibi ipſis ſufficere, hoc ipſo redderentur inſociabiles.* Ex quibus liquido conſtat, commercia neceſſario im remp. eſſe introducenda. Conſiliarius ergo circa hæc ita ſit occupatus, ut videat quo modo res ad victum neceſſariæ reip. inferantur; nec exportentur, quibus vel nunquam reſp. carere poteſt, vel quibus hoſtes armari ſolent, ſi bellum forſan moveatur. Præterea majeſtati ſedulus atque aſſiduus ſit auctor, ut mercaturæ uſus honeſtus ſit, isque ſine fraude; aut ita ut lucrum non ſit propoſitum mercatori, tanquam finis, *ſed tanquam laboris ſtipendium.* Arniſæus 1. *Pol. c. 12.* Huc pertinet de agricultura eſſe ſollicitum, ut & de opificibus. In omni enim republ. ante omnia neceſſarium eſt alimentum & victus. Hinc *Tullius 1. Off. omnium rerum ex quibus aliquid adquiritur, nihil eſt agricultura melius, nihil uberius, nil libero homine dignius.*

XXXVI. *Tertio jurium majeſtatis habeat rationem.*

Ne ignotum ſit, quid politici per majeſtatem ſignificari velint, nihil erit rectius; quam definitionem majeſtatis præmittere. *Eſt* ergo *majeſtas, in rep. ſumma poteſtas, quæ omnes reliquos legibus ſuis comprehendit, ipſa nullius, niſi Dei & naturæ lege tenetur. l.* 1. Arniſ. *de majeſt. in gen. c.* 1. Hujus quædam jura ſunt *majora*, quædam *minora*: Præcipuum jus eſt in ferendis & abrogandis legibus. Et hoc ſoli competit majeſtati, quia ſecundum philoſophum 1. *rhet. c.* 4. 23. *in legibus poſita eſt civitatis ſalus.* Imo *ubi leges non imperant, non eſt reſp. oportet enim legem imperium habere in omnes res, magiſtratus autem exiſtimare de ſingularibus &c.* At de his fuſius loco ſuperiori diximus, quæ itaque hic erant dicenda, mittimus. Convenit vero ſoli majeſtati ferre leges, quia a-

alis

Digitized by Google

lias nullam illæ habent vim, niſi muniantur authoritate illius,qui plenitudinem imperii poſſidet Arniſ. 1.*pol.c.*11. Abrogare itidem majeſtas poteſt, ſi poſtulet id uſus reip. cum cujus ſit ferre,ejus etiam ſit abrogare; nam eadem eſt oppoſitorum potentia. Et vero quis neget, cum conſtat majeſtatis eſſe ferre, ejusdem eſſe abrogare latas leges, ſi ſuprema reipublicæ lex id ſuadeat? Eſt ſane juſtum inutiles & reip. ac communi ſaluti obſtantes leges irritas reddere. Nam ut loquitur Ariſtoteles *Eth. Nicom. l.* 5. *c.* 1. *uno modo jura appellamus ea, quæ vitam beatam ejusque partes civili ſocietati conciliare & conſervare poſſunt*; ex adverſo autem ea dicimus juſta eſſe, quæ ſunt impedimento, quo minus ſalus publica obtineatur. Secundum eſt jurisdictio ſine provocatione. Hujus juris cenſor talis eſſe debet conſiliarius, ut ſuadeat obſequium civibus, quo rectius legibus pareant, & ſecundum easdem vitam inſtituant. Ad ſacram legum obedientiam duabus quaſi viis duci poſſunt, vel præmiis, vel pœnis. Illa iis, qui rationem bene vivendi & de rep. merendi ineunt: hæc iis, qui in leges peccant, neque prout reip. utile eſſe poteſt, vitam agunt, infligendæ. Verum cum ejusmodi jurisdictionem ipſa majeſtas ſola adminiſtrare non queat, opus habet magiſtratibus. Hinc tertio jus conſtituendi magiſtratus obtinet. Qui a conſiliis ergo ſunt, iis videre eſt, ne indigni magiſtratus officio præficiantur, ſed qui & ſtatum probe cognitum habent, & quibus præſens ſtatus non odio ac invidiæ eſt. Vix enim ſatis eloqui quis poteſt, quantum ſit regendi arcanum in præſentem formam reip. eſſe bono animo. Ne vero hi etiam magiſtratus conſuetudine & longo temporum tractu nimiam adſequantur potentiam, videndum eſt conſiliario. *Hoc* itaque ſecundum ſapientem illum Cic. 1. *off. ſit proprium munus magiſtratibus, intelligere, ſe gerere perſonam civitatis, debereque ejus dignitatem & decus ſuſtinere, ſervare leges, jura deſcribere, ea fidei ſuæ commiſſa meminiſſe.* Hæc & alia cum vix aliquando imperantes ſentiant (quis enim mortalium omnia poteſt?) ideo adſciſcuntur conſiliarii, quibus de ejusmodi generis & aliis quotidie obvenientibus cenſorum inſtar deliberandum eſt. Quia porro nulla tam exigui ponderis ſit cauſſa, quæ non peſtem & interitum reip. inferre poſſit, hoc inprimis eſſe debet curæ conſiliarii, in magiſtratus probe & exacte inquirere. Quartum jus circa belli & pacis negotia verſatur. His conſuluiſſe dicitur conſiliarius, ſi ſuis argumentis & conſiliis animum Principis leniat, ne citra neceſſitatem arma ſuſcipiat, ſed quamdiu poteſt, ſervandæ paci ſtudeat. Marciani Imperatoris in eo laudanda eſt pigritia, ſoliti dicere, *dum in pace eſſe poſſumus, arma non induamus.* Aliquando vero propter ſtatus rationem fieri nequit, quin ſit bellum inſtituendum. Quid tum agat conſiliarius? flectat eousque principis animum, ut quidem bellum ſuſcipiatur, veruntamen ut *nihil aliud, niſi pax quæſita videatur.* Cic. 1. *off.* Notanter tamen dicimus, non eſſe armis utendum, niſi reip. ſalus jubeat. *Fugiendum* etenim *eſt, ne offeramus nos periculis ſine cauſſa, quo nihil poſſet eſſe ſtultius* Cic. 1. *off.* Quis etiam tam hebes, *qui neget, bellorum ſortes eſſe varias? Malus etiam eos plerumque manere ſolet exitus, qui quietis ſaturi bellum, ſuis confiſi viris, temere animi ſolummodo oblectandi gratia, adverſus eos ſuſcipiunt, a quibus neque laceſſiti, neque læſi unquam fuere* Thom. Mor. *Utop.*

XXXVII. *De inſtitutione publica recte ac feliciter dirigenda, agat curam.*

Inſtitutio publica magni eſt æſtimanda, ut ſi quid bene natum, recte educetur, aut ſi quid prava indole natum, ut hac via corrigatur, quoniam miranda in educatione ſita eſt vis, adeo ut monſtrum ſit oportet, in quo nihil valeat inſtitutio. Quatuor autem commoda inſtitutio publica confert (de privata, quæ inter domeſticos parietes eſt, hoc loco nihil dicimus) (1) pollicetur ſpem futuræ in vita concordiæ. Nunquam enim arctius amoris eſſe poteſt vinculum, quam ſi perenni quadam conſuetudine nobis mutuo ſociamur. (2) nihil ad ſtatum ſecurum magis facit, quam præſentem illum ſtatum probare. Hoc vero præſtat publica educatio, dum ab ipſis unguiculis ejusmodi reip. formæ aſſueſit juventus. (3) ſubditorum animos ſibi hoc modo civilis majeſtas conciliat. Qui enim fortunæ præſidiis deſtituti, ſuos recte educare non poſſunt, gratitudinis ergo obligantur, cum publica educatione eos majeſtas recte inſtitui curet. Hinc amare ſolent ſuum Principem, multisque precantur Deum votis, ut omnia reip. proſpera eveniant, quas pias preces ſæpenumero Deus exaudit. (4) Neque major eſſe poteſt reip. noxa, quam ſi cives in otio vivant atque hoc modo, ut dicebat Cato, *nihil agendo male agere diſcant.* Draco, qui leges dedit Athenienſibus, ſane otioſos omnes capite puniri ſanxit: & Gymnoſophiſtæ apud Indos, menſa conſtrata, priusquam cibaria apponerentur, diſcipulos adoleſcentes e diverſis locis officiisque ad dapem convenientes interrogabant, quid boni usque ad illam horam feciſſent? Cum quisque ſuum factum commemorabat, qui nihil dicere de ſe poterat, impranſus exire & aliquid operis facere jubebatur.

XXXIIX. *Ad negotia publica recte dirigenda præſidio argenteo opus eſt, quod cum præſtet ærarium publicum, hujus etiam cura conſiliario demandatur.*

Quum pecunia ſit rerum agendarum nervus, hinc fit, ut reſp. ærario, tanquam fundamento aliquo, nitatur. Et vero tum ad perſolvenda officialibus ac magiſtratibus ſalaria, cum ad ſuſtentandam imperantium familiam, ærario civitas indiget. Multo maxime vero ad ſumptus belli. Quapropter cum magnum, imo maximum in rebus civilibus gerendis ſit munimentum, opibus pollere, iisque eſſe inſtructum, utique incumbit illi, qui præſto eſſe debet reip. ut hujus curam gerat.

XXXIX. *Tandem in dando conſilio ad tria ſumma capita, præterita nimirum, præſentia, & futura reſpicere debet.*

*Præterita* ſi recte examinemus, facile apparet, an vel hoc, vel illud, a majoribus in ejusmodi rebus datum conſilium huic noſtro, de quo deliberamus, accommodari poſſit. *Præſentia* non ſunt negligenda, quia eorum ſolummodo gratia res agitur. *Futura* denique ſunt cognoſcenda, quatenus illa reip. ejusque conſervando ſtatui vel obeſſe aut ex re eſſe poſſunt. Et ſane maxima poſte-

poſteritatis habenda eſt ratio. Imo parum abeſt, quin dicam, ad futura reip. fata oculum atque mentis aciem rejicere eſſe idem pene, quod eſt præſenti ſtatui bene velle.

XL. *Poſt datum conſilium conſiliarii virtus eſt, quæ novit tacere & nemini prodere.*

Diximus ſuperius, rectius fore palam, quale eſſe debeat conſiliarii officium, ſi paucis recenſeamus, qualis ante conſilium, & in conſilio ac denique poſt conſilium eſſe debeat. Priora duo, adjuvante numine, pro virum modulo explicavimus, reſtat, quod eſt tertium ac ultimum. Quemadmodum vero in ſingulis officialibus ſingularis præ ceteris deſideratur virtus, qua inſtructus ſit; ſimili ratione univerſæ illius prudentiæ moderatrix virtus in conſiliario eſt ſpectanda. Aſt tanta cum humani generis ſit labes, ut ſummum illud bonum morale, abſolute ita dictum, in hac vita conſequi nobis haud liceat, hinc accidit, ut neque omnem virtutem perfectam in conſiliario deprehendas. Attamen cum abſoluta virtus neceſſario ſit commendanda, etiamſi ejus perfectitudinem non facile aſſequaris, etiam in conſiliario virtus eſt exigenda, vel ideo, quod virtus contineat ſocietatem coaguli inſtar. Ex omni vero virtutum numero ſignanda nunc præ aliis eſt, quam vocamus taciturnitatem. Linguam enim coercere, quam dentium vallo natura munivit, non mediocris eſt prudentiæ. Et *nulla ſane ſunt meliora conſilia, quam quæ ignoraverit adverſarius, antequam fierent.* Vegetius *l.* 3. Hinc reges Æpyptii, ut conſiliarius tanto ſanctius taciturnitatem in civilibus negotiis coleret, legem condiderunt, qua illi, qui arcana reip. aperit, lingua præſcindi jubetur. Vid. Diodor. Sicul. Quemadmodum ſane præclara ab hoſte capti militis laus eſt, potius vitam ſibi pati eripi, quam ſui ducis animum hoſti prodere: eadem ratione ſe res habet cum conſiliario, cui nihil eſſe decet ſanctius, quam quæ in pectore habet, nulli revelare. Unde prudenter hodie principes, quo certiores ſint de conſiliarii fide, quam reip. debent, juramento obſtringunt ſuos conſiliarios, ne vel minimum, quod concernat politica negotia, propalent. Tale vero juramentum omnino obligat conſiliarium, adeo ut ſalva conſcientia id rumpere nequeat. *Apud omnes* enim *gentes ab omni ævo circa pollicitationes, promiſſa & contractus maxima ſemper fuit vis jurisjurandi,* & *nullum vinculum ad adſtringendam fidem majores noſtri jurejurando arctius eſſe voluerunt.* Hug. Grot. *de jur. P. & B. l.* 2. *c.* 13. Cic. 1. *Off.*

XLI. *Etiamſi in democratia omnia omnibus videantur eſſe nota, tamen interdum poſſunt conſilia celari.*

Impoſſibile forſan videtur conſilia poſſe taceri in democratia. Etenim ut eſt comparata ingenii noſtri imbecillitas, ſi vix contingat, ut id, quod paucis creditum eſt, taceri poſſit, minus videtur, illud ſilentio tegi poſſe, quod omnibus eſt notum. Sed reſpondemus, in democratia hoc modo celari conſilia, ſi ſcil. a toto populo delectus quorundam optimorum & de rep. meritorum virorum ſit, quibus facultas de reip. arcanioribus negotiis componendi *committatur.* (*a*)

XLII. *Principi, qui jam defuncto ſuccedit, non eſt tutum, neque reip. ſemper ſalutare, ut anteceſſoris ſui conſiliarios rejiciat.*

Coronidis loco utrum princeps, qui recens adgreditur reip. habenas, ſui anteceſſoris conſiliarios mutare & dimittere debeat, inquirendum proponimus. Principio nemo ſanæ mentis affirmabit, eſſe tutum, nulla habita ratione dimittere viros, quorum prudentiam, conſilia ac opem in adminiſtratione princeps exploravit. Siquidem ſi dimittantur, arcana reip. facile poſſint publicari. Porro, qui nulla habita ratione ab officio removentur, apud vulgus infamiæ notam facile incurrunt; a qua proinde illi liberare ſeſe nituntur, atque ita quodammodo coguntur, ut ſeſe ſalvos præſtent moliri aliquid contra eum, qui eos abdicavit. Inſuper in regenda civitate primarium utique eſt, ſtatum & indolem reip. ac civium bene noſcere: hunc vero non niſi ſero addiſcunt novitii illi conſiliarii, & interea temporis non parvum ſæpe imminet reip. damnum.

XLIII. *Bonus & de rep. bene meritus conſiliarius, etiamſi ſit populo exoſus, non tamen eſt ſtatim atque forte populi odium incurrit, ex rep. illum rejicere expedit.* (*b*)

An princeps teneatur conſiliarium, qui eſt bonis moribus atque de rep. bene meritus, ſed fatali quadam violentia populo exoſus, dimittere, quærimus? Perſæpe accidit, ut populus optimos odio proſequatur, & furore quaſi quodam in Principem ipſum inſurgat, adeo ut niſi eos ab officio deponat, grande periculum ſit. Quid tum agendum? Forte reſpondebis, conſiliarium a Principe eſſe reddendum populo, ut ſuo pro arbitrio eum tractet, ſiquidem præſtat unum perire, quam totam rempublicam diſſidiis civilibus peti. Sed nimis forte acerbum hoc fuerit. Igitur tum demum pareat Princeps populi deſiderio, ſi aliter reſpublica ſalva eſſe nequeat: alias non temere, utpote quum eo ipſo ipſius quoque Principis authoritas vileſcat. Præterea, tametſi removeat ejusmodi aliquem in gratiam populi: tamen, quoad fieri poteſt, ipſi maneat benignus, nec patiatur, illum opprimi ulterius, quam neceſſitas flagitat. Ac de conſiliario quidem hæc nunc pro inſtituti noſtri ratione ſufficiant.

(*a*) *Committatur*) Exemplum jam habemus in comitiis ſuecicis, in quibus omnia callide teguntur.

(*b*) *Rejicere expedit*) Caroli I. Angliæ Regis rebus omnino conſultius fuiſſet, Straffordium, ſummæ in ſe fidei miniſtrum, inimicorum ſuorum furoribus non permittere. *The hiſtory of the rebellion and civil wars tom.* I. *p.* 214.

# F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



UNIVERSITY OF MICHIGAN
3 9015 08459 2016

ARTES SCIENTIA VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
SI QUÆRIS PENINSULAM AMŒNAM CIRCUMSPICE

D 405181

Google

Digitized by Google